www.e-rara.ch

Io. Lodovici Vivis Valentini opera

Vives, Juan Luis

Basileae, anno 1555

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: DF I 7-8

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-3703

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

HVLDRICHVS

M

Hi duo Tomi Operum Lud. Vives
Empti An. S. ∞ bc xlv.
Floren. IV.
Est hoc vero id ipsum exemplar
quod Huld. Coccius cuius studio
Opera haec edita obtulit ei cui
haec ipsa inscripsit.

Catalog

D. F. I. F

~~C. F. 13~~

Ulrich Koch
an
Daniel Wieland.

N. 100.

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI OPERA, IN DVOS DISTINCTA TOMOS: QVIBVS OMNES IPSIVS LVCVBRATIONES,

quotquot unquam in lucem editas uoluit, complectuntur: præter Commentarios in Augustinum De ciuitate Dei, quorum desiderio si quis afficiatur, apud Frobenium inueniet. Quæ uerò singulis tomis contineantur, in utriusq; sectionis primo ternione indicatur.

Adiunctus est his omnibus Index uberrimus.



EPISCOP.

Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo ad quinquennium, & Regis Galliarum in decennium.

BASILEAE ANNO M D L V.

REM. FESCHI D. A.S. ∞ hc xlv.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK BASEL

HENRY par la grace de Dieu Roy de France, Aulx Prenoſtz de Paris, Bailly de Rouen, Seneſchaulx de Lyon, Thoulouze & Poictou, & a tous noz aultres Iuſticiers, & officiers, ou a leurs lieutenans, Salut. Scauoir faiſons que Nicolas l'Eueſque le Ieune libraire & bourgeoys de la uille de Basle, l'un des cantons de noz alliez, confederez & bons comperes les Suyſſes, nous a faict dire & remõſtrer, qu'il a faict imprimer en Latin tout ce qui ſe trouue des œuures de Ioan. Lodouicus Viues Valentinus: leſquelles œuures il a faict reueoir & corriger par gens ſcauans. En quoy luy a conuenu faire de grands fraiz. Et doubte que les aultres libraires & imprimeurs de noſtre Royaulme ne facent, ſi toſt qu'il aura publié leſdictes œuures, icelles reimprimer ſur ſes exemplaires ainſi reueuz & corrigez cõme dict eſt. Qui ſeroit luy oſter tout moyen de ſe pouuoir rembourſer de ſeſdictz fraiz, & recouurer quelque fruict de ſon labeur. A ceſte cauſe nous a hummblement requis luy uouloir ſur ce pourueoir de remede conuenable. Pource eſt il que nous deſirans bien & fauorablement traicter ledict ſuppliant comme bourgeoys de l'un des cantons de noz alliez, confederez & bons comperes les Suyſſes, auons a icelluy permis & permettõs de grace eſpecial plaine puiſſance & auctorité royal de mettre & expoſer en uente en noſtre Royaulme, pays, terres, & ſeigneuries a nous obeiſſantes leſdictes œuures de Lodouicus Viues reueues & corrigees, ſans ce que nul aultre libraire ou imprimeur a nous ſubiect puiſſe icelles ou partie imprimer ou faire imprimer ſans le congé & permiſſion dudict ſuppliant iuſques au temps & eſpace de dix ans, a compter du iour & datte que leſdictes œuures ſeront acheuees d'imprimer en la premiere edition. Et ce ſur peine de confiſcation deſdictz liures & d'amende arbitraire a nous a appliquer. SI VOVS mandõs & a un chaſcun de uous ſur ce requis & ſi cõme a luy appartiẽt cõmettõs par ces preſentes, que de ceſte preſente cõceſſion octroy & priuilege uous faictes, permettez & ſouffrez ledict ſuppliãt iouir & uſer plainement & paiſiblement ſans luy mettre ou donner ne ſouffrir eſtre mis ou dõné aulcun deſtourbier ou empeſchement au contraire: lequel ſi mis ou donné luy eſtoit, uous faictes incontinent & ſans delay mettre a plaine & entiere deliurance, & au premier eſtat & deu. Car ainſi nous plaiſt il eſtre faict de grace ſpecialle en faiſant ou faiſant faire les inhibitions & deſenſes ſuſdictes. Et ſi apres icelles par uous faictes uous trouuez aulcuns y cõtreuenans, procedez alencontre d'eulx par les peines que deſſus, en contraignant a ce faire & ſouffrir tous ceulx qu'il appartiendra, par toutes uoyes & manieres deues & raiſonnables, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques & ſans preiudice d'icelles. Pour leſquelles ne uoulons eſtre differé de ce faire, uous auons donné & donnons plain pouuoir, puiſſance, auctorité & mandement ſpecial par ceſdictes preſentes, mandons & cõmandons a tous noz Iuſticiers, officiers, & ſubiectz qu'auons en ce faiſant ſoit obey. Donné a Sainct Germain en Laye le 17. iour de Iuillet, l'an de grace mil cinq cens cinquante cinq, & de noſtre regne le neufieſme.

Par le Roy en ſon conſeil.

De Lauerie.

MUSEUM RHM. FAESCH BASIL.

DOCTRINA ET VIR-
TVTIBVS PRAESTANTISS▸ IVVENI
M. DANIELI VVIELANDO, VIRI CLARISS. D. HVL-
drichi Reipub. Mulhuſanæ Protonotarij filio, amico ex
animo dilecto ſuo Huldrichus Coccius S.

SIC VT rerum naturalium in mundo hoc ſublunari com parata conditio eſt, ut ad corruptionem interitumq; aſsiduè tendãt, & nouam in dies reſtaurationem pro-inde requirant: ita uel maximè in ijs quę hominum in-duſtria artificioq; excogitata & elaborata, adq; uitæ uſum ſalubria & neceſſaria ſunt, euenire experimur. Nam ut de monumentis illuſtribus in literis & diſciplinis melioribus di camus, obſcurum nõ eſt, quot & quàm graues ruinæ inciderint: quæ etſi nec ignibus conflagrarint, nec aquarum illuuionibus, aut bellicis denicq; barbaricisq; uaſtationibus, quales quàmplures ab hiſtoricis luctuoſiſsi-mæ cõmemorantur, abſumpta ſint: uetuſtate tamen ipſa perq; nimis ob-tinentem hominum circa hæc incuriam neglectumq;, ſitu tamen pulue-ribusq; ceu arroſa putreſcẽtiaq; periere: ut huc illud Poetæ uerè cõpetat:

Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa uetuſtas,
Omnia deſtruitis: uitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Deplorant hanc cladem præſtantiſsima quæq;, humanæq; incolumita-tis ſtudioſa ingenia, habitura luctum in diem & grauiorem & acerbiorẽ, niſi manus ſedulæ uel ad reliquiarum quæ ſuperſunt dei beneficio, con-ſeruationem certatim adhibeantur, ſicut pridem Theophraſtum poſt Ariſtotelem, & poſt hunc Neleum circa bibliothecas præclarè inſtru-ctas, feciſſe refert Strabo lib. Geograph. 13. Quorum ſtudium ſi poſteri zelo pari, fideq; ſectati eſſent, lucerent paſsim ingentes, ſolertiq; huic ſe-culo erudiendo accommodi maiori in copia ſapientiæ theſauri. Sed prę-ter calamitates, quas dixi, etiam hæc acceſſerunt mala, ut alij odio in lite-ras pro uirili eas conculcarint: alij ſegnes ac inertes per contemptum ha buerint, & ceu ad uitam infrugifera, planeq; πόρρω ſtudia neglexerint, & denicq; ut uiriles animos diſſoluentia damnarint: alij uerò ſuis inuen-tionibus, ijsq; plerunq; friuolis, delectati, ueterum doctrinam ceu exole-tam poſtpoſuerint. Atq; inde factũ eſt, ut in Artibus, Philoſophia, Medi cina, Iuriſprudentia, & ſacræ Theologię profeſsione, tum oratoria, hiſto rijs, optima quæq; ſcripta deſideremus, & poetarum, tragicorum maxi-mè, pars magna interierit. Neq; hi hoſtes minore clade Rempub. litera-riam affecerunt, quàm milites ij, qui in bello Alexandrino millia ſeptin-genta uoluminum combuſſerunt, ſicut Gellius queritur. Neq; grauiora damna Barbari in Italiam aliasq; Europæ nationes, irruentes attulerunt

Christianis,quorum bona deprædabantur, & corpora uiolabant,quàm hi sanç mentis hominibus,quos priuarunt monumentorum beneficio, quibuslibet censibus fortunisq; ipsis optatiore & antiquiore, digni omnium mortalium odio & execratione, utpote in uniuersam semel humanitatem,pietatemq; iniurij.Sed & indicium hoc certum indignationis diuinæ fuit,peccatis ingratitudiniq; hominum debitæ,& euentus calamitatis tantæ, precium certè literarum usumq; probauit. Neq; enim solæ literæ collapsæ sunt,sed religionis puritas & morũ disciplina simul interijt, inundante per proxima mox secula incredibili hominum in supremis etiam ordinibus cæcitate, uitiorumq; obtinente dominatum: sicut id docent quæ de temporum procursu ex uero scribuntur historiæ. At enim ubi ex alto iterũ uoluit suæ in nos miserationis uiscera effundere, solemq; iustitiæ uitæq; Christum Iesum patefacere miseris,dedit idem ut lucubrationes partusq; ingeniorum uel ex parte haberemus carioſis in monumentis squalidisq; inuentos,& quoad fieri potuit ad splendorem pristinum propemodum detersos.Atq; in hoc ipsum seruiuit plurimum calcographiæ reperta peritia,omnibus retro seculis ignota.Stupendum profectò & singulare benignissimi creatoris munus, ut quo ceu uia strata est & præparata uehicula, ad inuulgandam, prouehendam, dilatandam in omnes usq; terrarum angulos recti,uericq; notitiam.Et quanquam iacturam ingentem monumentorum deploramus, habenda tamen gratia Domino est,unà cum literis pietatem & sapientiam hodie restituenti, conatusq; cõmunis aduersarij infringenti, quem id unum architectari certum est sine fine,ut bonarũ artium, doctrinarumq; studio uel pessundato penitus,uel corrupto saltem,in synceram religionis doctrinam possit nemine resistente grassari. Sic etenim quum tenebras plusquam Ægyptiacas inuexerit,si pro uoto succedat, tum magna iucunditatis solatijq; portione hominem in hac uita priuauerit,certumq; toti generi exitium pepererit.Quamobrem, ut plurimorum siue supinitatem siue proteruiam & iniurias, circa literarum monumenta meritò damnamus: ita meritis laudibus prosequimur eorum studia, sedulitatem & fidem qui uel in ueterum lucubrationibus restituendis laborant, easq; in lucem curant euulgandas,& ceu à mortuis reuocant,uel (quod locupletum est, & priscis Romanorum Ægyptiorumq; regibus usurpatum)precio quouis comparatas in bibliothecas referunt, uel etiam qui suas inuentiones ad iuuandã excitandaq; discentium ingenia adijciunt, quando nec hodie effœta est animorum industria & facultas ut non edant partus,eosq; præstantes & utiles fouendæ eruditioni.Et solent esse non raro διδύμους φρονήσεως ἀμείνονας. Neq; enim parum bene de humano genere tales mereri agnoscẽdi sunt, quorum beneficentiam posteritas plenius indubiè incorruptiusq; & æstimabit & prædicabit. Porrò eorum in numero non postremum locum Ioannes Lodouicus Viues habet, cuius opuscula uarijs & locis & temporibus edita in manibus habentur, suo illa singulari genio illustria, quem Martialis in quouis uicturo libro requirit. Licet autem publicata

illa

illa hincinde extent, periculum tamen erat,ne dum fruſtulatim diſſecta, nec in unum corpus redacta compactaq́ꝫ,uariè diſtraherentur, eandem ſortem haberent quam alia celebrium authorum tum in ſacris tum prophanis ſcripta,hoc eſt ut tandem uix ſupereſſent fragmenta mutila.Neqꝫ enim ignoramus quid primarijs æternitateq́ꝫ dignis hiſtorijs euenerit. Nam Titus Liuius cum hiſtoriam contexuerit à Roma condita uſqꝫ ad ſua tempora,in quæ Auguſti principatus incidit, minimam eius partem reliquam eſſe docent Decades paucæ extãtes, & Flori epitome. Trogus deinde Pompeius,cum libros quadraginta conſcripſerit non tam de peculiari gente, quàm orbe ferè uniuerſo, totus interijt, & præter Iuſtini compẽdium nihil inuenitur reliqui: ſicut de Polybij quadraginta libris, quinqꝫ ſolùm remanſerunt. De librorum Ariſtotelicorum,Galeni,Origenis,Salomonis item De naturalib.conſcriptorum,quorum 3. Regum 4.fit mentio,interitu,dicere ſuperſedeo, quia nihil magnopere deploran do proficitur. Cæterùm quod præſentem authorem attinet,uerboſus non ero,ut qui nihil opus habet hedera ſuſpẽſa, per ſe abunde laudatus, & optimo cuiqꝫ commendatiſsimus,meruit iam antea dum in uiuis ageret,haud obſcurum inter ſcriptores quamlibet eminentes locum. Certarunt enim in illo ingenij ad inueniendum promptitudo, iudicij ſanitas, & ſingularis denicꝫ omnia tradendi dexteritas & felicitas,id quod cuiuis legenti facile patebit. His acceſsit ſtudium aſsiduum,& labor indefeſſus, nõ in uno ſolum doctrinæ genere expoliendo, ſed toto philoſophiç curſu abſoluendo,non ſine ſucceſſu illuſtri,quibus,quod primum eſt,ſacr o rum meditationem piam aſsiduamq́ꝫ coniunxit Neqꝫ piguit interim uirum altioribus natum,etiam ad minutiſsima & prima ceu elementa doctrinarum ſeſe demittere,quo iuuentutem imbueret ueræ ſapientiæ pietatisq́ꝫ crepundijs :atqꝫ ex diſciplinis à ueteribus ad nos uſqꝫ tranſmiſsis, præſtantiora quæqꝫ uſuiq́ꝫ futura eligere,implicata atqꝫ infrugifera uitare docuit ſtudioſos,quò apis inſtar ex omnis generis doctrinarum floribus ſuccum non niſi exquiſitiſsimum & ſaluberrimum,extrahant & hauriant.neqꝫ probauit peruerſam eorum in diſcendo rationẽ, qui quicquid alij dixerunt,ſine diſcrimine prehendunt tenentq́ꝫ mordicus: ſed iudiciũ adhibendum fidele cenſuit, monuitq́ꝫ in diſquirenda cuiuslibet rei propoſitæ natura,cauſas effectusq́ꝫ conſiderare,tum quibus ex fontibus,per quæ media,& ad quos fines citra ambages perueniatur,notare,quo certa dicendi atqꝫ docendi conſtare methodus poſsit. Neqꝫ iniuria uehemẽter improbauit receptum quibuſdam morem, qui ocioſis contemplationib. perpetuò occupantur, & in ijs tanquam ad Syreneos ſcopulos conſenescunt. Sed cenſuit,omnem acquiſitam doctrinã ad nominis Dei gloriam proximiq́ꝫ emolumentum referendam eſſe, quo uniuerſis uitæ actionibus idipſum exprimerent,quod rectum ipſi decensq́ꝫ ſtudiorum uſu didicerunt,atqꝫ alijs præſcripſerunt, ſicut de Origene Adamãtio Euſebius ſcribit. Quia autem de ſingulis libris cenſuram aſsignare hic prælimi naris epiſtolæ breuitas non admittit,recitabo tantùm clariſsimi doctiſsi

micꝙ uiri Conradi Geſneri uerba, quæ inter cætera, ubi Viuis in ſua bibliotheca meminit, ita habent in genere: IOANNES LODOVICVS VIVES, VALENTINVS, natione Hiſpanus, intra annos paucos nobiliſsimas aliquot lucubrationes doctè prorſus & accuratè cõſcriptas edidit, in quibus eloquentiæ ſapientiã ita coniunxit, ut nemo etiam eruditus non cum aliquo fructu earum ſe lectionem hauſiſſe fateatur: obijt nuper (Brugis opinor in Germania inferiore) magno ſui deſiderio ſtudioſis relicto, nec unquam famæ eius gloria, idꝙ meritò quantum ad ſapientiæ cultum, immortalis eſſe deſinet. Hæc ille. Cui ſanctiſsimus uir Conradus Pellicanus in præfatione v. tomi aſtipulatur. Nam cum ſtudioſis commendaſſet multis nominibus libellum huius authoris quem Introductionem ad ueram ſapientiam uocat, de reliquis ſic ſcribit: Cuius uiri optimi lucubrationes quas uidi, ſic arridẽt probanturꝙ, ut cupiam legi ab omnibus. Vtinam ſacrarum literarum tractatio uirum aliquando inueniat, qui ſic proſit ſimplicioribus, ut eruditiſsimis quoꝙ hominibus placere uehementer poſsit, ſtyloꝙ neutiquam contemni: qui eruditioni abſolutiſsimæ iunxiſſe uideatur Chriſtianiſsimam pietatem. Ac horum quidem duorum teſtimonio illuſtri (infinitos namꝙ alios omitto) ſatis quiſꝙ literarum amore flagrans animus excitabitur, ut ſibi ex hoc opere & digna & utilia cognitu polliceatur, plura reperturus in receſſu, quàm promittantur in fronte. Habes ergo & tu Vuilande chariſsime opus longè pulcherrimum, ſedula ac diligenti Nicolai Epiſcopij Iunioris opera impendijſꝙ excuſum, quod tuo nomini dedicare uiſum eſt, ut in eo, quantum per reliqua ſtudia aliasꝙ occupationes licet, uelut in prato uarijs odoriferisꝙ refcrto floribus, non ſolùm iocunde recreeris & reficiaris, ſed animi iudicium, authoris eminentiſsimi lectione formes, rerumꝙ pulcherrimarũ cognitione expleas, atꝙ te ipſum prudentia uirtutibusꝙ uincas, haud uulgare ornamentum patriæ futurus, & cumprimis Eccleſiæ Chriſti ciuis uera pietate zeloꝙ dei inſignis. Sic & quod in Academia noſtra bonarum liberaliumꝙ artium & philoſophiæ nomine teſtimonium conſecutus es, uirtutibus ipſe tuis conſtantiꝙ ſedulitate amplifices. Ac recte, mea quidem ſententia, feceris, ſi Iuris ciuilis, cui te nunc addixiſti, ſtudijs, hunc noſtrum quem ad te tranſmittimus, aliosꝙ eius generis notæ melioris authores lectione aſsidua uerſes, ut quibus legum uerus publicoꝙ bono ſubſeruiens uſus egregiè ſolideꝙ docetur. Per cætera mi Daniel, licet calcaribus non eges, ex amoris tamen abundantia te hortor & precor, felici ut in curſu tuo gnauiter pergendo ſatagas, & quam tibi ſeruator Dominus liberalem ſortem miſericorditer conceſsit per animi fortunæꝙ munera, ſic agnoſce, ut ea noueris ad eius qui dedit nominis ſupremi ſanctificationem, publicumꝙ multorum emolumentum, referenda eſſe, rationem ab exacto breui huius uitæ ſpacio, diſpenſationis tuæ redditurus. Erit tua uirtus cõſtansꝙ pietas & ſedulitas cùm amicis omnibus gratiſsima, tum maximè omnium parenti tuo, uiro prudentia authoritateꝙ præſtanti, deꝙ literis & pietate optimè merito, nobisꝙ

bisq; omnibus unicè colendo Huldricho Vuielando, cuius senectutem haud leui ex parte subleuabis, si te filium innocentia uitæ & sapiẽtia uera excultum, refertumq; ad se paulò post ex Gallijs reducem excipiet: & quem Dominus illi dedit hæredem facultatum, etiam uirtutum possit cernere suarum imitatorem. Ego interim, quod unum queo, te tuaq; studia, assiduis ad Dominum interpellationibus iuuare non intermittam. Vale in Christo Iesu. Ex Musæo nostro Basileæ, Calend. Septemb. Anno

M D L V.

IOANNIS LODOVICI VIVIS TVMVLVS, EX LIBRO EPICEDIORVM EPItaphiorumq; Conradi Lycosthenis.

Hoc tegitur Viues tumulo, subsiste uiator,
Et presso pacis uerba precare gradu.
Quin etiam costum, uiolas & thuris honores,
Viui da prompta debita dona manu.
Qui dum sic uerbis, rebusq; exornat ad unguem
Per non tentatas maxima quæq; uias.
Nostra ætas uincit ueteres, atq; omnibus illis
Viuem, quem contra ponere possit, habet.

ALIVD.

Parca ferox Viui uellet dum scindere filum,
Hos capiti assistens edidit ore sonos.
Corpore te soluam, tua sed monimenta manebunt,
Namq; horum potui iuris habere nihil.

ALIVD.

Quis iacet hic? Viues, heu, heu, fata aspera, tantum
De tanto his etiam sumere Viue, licet?

ALIVD.

Doctrinæ columen, decusq; uitæ
Viuem, ne tumulo hoc puta uiator
Condi, sed tenues soli fauillas.
Nam non mors uiolenta, non edaces
Ignes, non series uetusta secli,
Non uires chalybis licet potentis,
Non fluctus pelagi licet ferocis,
De uita poterunt tulisse Viuem,
Doctrinæ columen, decusq; uitæ.

PRAECLARISSIMORVM AVTHORVM HODIE EXTANTIVM, QVORVM TESTIMONIIS L. Viues in hoc opere usus est, catalogus.

A

ACron
Acronius
D. Acciaiolus
Actius Samazarius
Accursius
Adam Godam
Adrianus Amerotius
P. Ægineta
Ægnatius
Æsopus
Ægesippus
Agapetus
Agathias
R. Agricola
Agython
Albericus
Albertus Magnus
Albertus Grotus
Albertus Crantzus
Albertus Saxo
Alciatus
Alcoranus
Alcuinus
Aldus
Aleander
Alex. Deiuillanus
Alex. Aphrodiseus
Alex. Tonstallus
Almenius
Amadisus
Ambrosius
Ammianus Marcellin.
Ammonius
Angelus Politianus
Annius Viterbiensis
Anton. Florē. Archiep.
Antonius Panorm.
Aphtonius
Appianus Alexander
Appollonius Rhodius
S. Apollinaris
L. Apuleius
Arator
Aratus
Archilochus
Archimedes
L. Aretinus
Argyropolus
G. Ariminensis
Arrianus
Aristides
Aristophanes
Aristoteles
Arnobius
Asconius Pædianus
Asinius Pollio
Asper
Athenæus
A. Augustinus
Auicenna
Ausonius

B

Baldus
Baptista Pius
Baptista Ægnatius
Baptista Mantuanus
Bartholus
Basilius
Beatus Rhenanus
Beda Presbyter
P. Bembus
Bergomatus Episcop.
Berosus
Biblia
F. Blondus
Io. Boccatius
Boethius
Boethus
Bokinkam
Brachylogus
Brito
Brixius
Budæus
Io. Buridanus

C

P. Cæcilius
Cæcilius Plinius
L. Cælius
C. I. Cæsar
Calentius
Calepinus
Campanus
Cantiuncula
Io. Cantuariensis
M. Capella
Caper
Capito
Io. Capnion
Carolus Bouillus
Carolus Virulus
Cassiodorus
Cassius Seuerus
Catalanus
Cato Censorinus
Cato Sempronius
Catholicon
Catullus
Cebes
Chalcidius
Chlichtouæus
Chrysippus
Chrysostomus
Cicero

Claudianus
Cleanthes
Codrus Vrceus
Columella
G.Copus
Corinthius
Cornelius Vitellius
P.Crinitus
Cyprianus
Cudbertus Tonſtalus
Q.Curtius
Cuſanus

D

Dares Phrygius
Demetrius Phaleræus
Demoſthenes
Deſpauterius
Dictis
Diodorus Siculus
Diogenes
Diomedes
Dion Pruſsienſis
Dion Caſsius
Dionyſius
Dionyſius Halicarnaſſ.
Dioſcorides
Domitius Calderinus
Donatus
Dorothæus

E

Eccius
Eginhardus
Emanuel Chryſolora
Epiſcopus
D.Eraſmus Roterod.
Erotianus
Euclides
Euripides
Euſebius
Euſebius Emyſenus
Euſtathius
Eutropius

F

Io.Faber
Fauſtus Victor
Feneſtella
Ferabrich
Feſtus Pompeius
Feſtus
M. Ficinus
Floriſandus
L. Florus
Franciſcus Patritius
Franciſcus Capuanus
Franciſcus Barbarus
Franciſcus Syluius
Froſardus

G

Gaguinus
Galenus
Gaſparinus
Th.Gaza
A.Gellius
Gennadius
Georgius Trapezont.
Io. Gerſon
Græciſmus
Grapaldus
Gregorius Mag.
Gulielmus Hentishari

H

Hadrianus
Hammonius
Io.Hantuilenſis
Hector Boethius
Heinricus rex Angliæ
Hentisber
Hermannus Contract.
Hermogenes
Hermolaus
Herodianus
Herodotus
Heſiodus
Heſichius
Hieronymus
Hieronymus Alexand.
Hieronymus Vida
Higinius
Hilarius
Hippocrates
P.Hiſpanus
Holcotus
Homerus
Horatius
Hugo
Hugo S.Victoris
Hugutio

I

Iacobus Faber
Iacobus Forliuienſis
Iamblichus
Iaſon
Ioannes Alarienſis
Ioannes de Garlandia
Ioannes Grammaticus
Ioannes à Sacrobuſco
Iordanes Caſtalio
Iordanes Nemorarius
Fl.Ioſephus
Iſidorus
Iſidorus Hiſpalienſis
Iſocrates
Iulius Frontinus
Iulius Pollux
Iuſtinus
Iuſtinianus Cæſar
Iuſtinus Martyr
Iuuenalis
Iuuencus

L

Lactantius
P.Lætus
Lambertus
Lampridius
Lancillotus
Landinus
C.Laſcaris
Latomus
Laurētius Laurētianus
Legenda aurea
Leo Albertus
Leonardus

Leonardus Brunus
N. Leonicenus
Libanius
Th. Linacer
T. Liuius
P. Lombardus
C. Longolius
A. Lucanus
Lucianus
Lucilius
Lucretius
M. Lutherus
Lyranus

M

Macrobius
Magiſter ſentẽtiarum
Manardus
Mancinellus
Mangenetes
Manilius
Manthon
Mantuanus
A. Marcellinus
Marcellus
Margarita philoſoph.
Maria Siculus
Marſilius Ficinus
Martianus
Martialis
Martinus Magiſter
Marullus
Matthæus Palmerius
Matthias Palmerius
Pomp. Mela
Menſa rotũda Gallica.
Mercurius Triſmegiſt.
Metaſthenes
Michael Ricius
Modeſtinus
Monſtreletus

N

Nauclerus
G. Nazianzenus
Nebriſſenſis
C. Nepos
Neſtor
Nicolaus Beraldus
Niniuita
Nonius Marcellus
G. Nyſſenus

O

Ochas
I. Oecolampadius
Oppianus
Origenes
Ottho Phryſingenſis
Ouidius

P

Pacuuius
Paladius
Palæphatus
Papinianus
Papias
Pardus
Parrhaſius
Paterculus Velleius
Paulinus
Paulus Oroſius
Paulus Æmylius
Paulus Vergerius
Paulus Varnefridus
Pauſanias
N. Perottus
Perſius
F. Petrarcha
Petrus Appianus
Petrus Crinitus
Petrus Ciruelus
Petrus Creſcentianus
Petrus Aliacenſis
Petrus Mantuanus
Petrus Martyr
Petrus Marſus
Petrus Moſellanus
Petrus Prouincialis
Petrus Rauennates
Pherecides Syrus
Philelphus
Philippus Melãchthon
Philippus Beroaldus
Philippus Comínius
Philo
Io. Philoponus
Philolaus
Philoſtratus
Phocá
Phocílides
Io. Picus
Io. Pierius
Pindarus
Pius Papa
Pius Pontifex
Platina
Plato
Plautus
Plinius
Plinius Secundus
Plinius iunior
Plotinus
Plutarchus
Iulius Pollux
Poggius
Treb. Pollio
Polybius
Polydorus Vergilius
Pontanus
Porphyrion
Gil. Porrectanus
Portius Latro
Priſcianus
Probus
Procopius
Proſper
Proclus Diadochus
Io. Problatio
Prodicus
Propertius
Proſper Aquitanicus
Prudentius
Pſellus
Publius Mimographus
G. Purbachius

Q

Quintius Calaber
M.F. Quintilianus

R

Rabanus
Rabini
Rasis
Raphael Volateranus
Rhegino
Ricardus S. Victoris
Robertus Tincensis
Rodeucus Toletanus
Roffensis
Rolando
Rom. gesta moralizata
Ruellius
Rugerus Suicetus
Ruseus
Rutilius Lupus

S

Sabellicus
Io. Sacribuschius
Sadoletus
Sallustius
Salomonius
Saxo Grammaticus
Scholaris disciplina
Scotus
Sedulius
A. Seneca
Sermoneta
Seruius Honoratus
Sextus Aurelius
Siculus
Sigibertus Gemblacēs.
Io. Siliceus
Sillius Italicus
Simon Cassianus
Simplicius
Iul. Solinus
Sopater
Sophocles
Spensippus
Statius
Strabo
Io. Stofflerus
Strodus
Stroza
Suetonius
Suidas
Sulpitius
Sydonius
Symmachus
Synesius

T

C. Tacitus
Thalmud
Thargum
Terentius
Tertullianus
Textor
Themistius
Theocritus
Theodorus Gaza
Theognis
Theophrastus
Theophilus
Thionensis
Thomas Brauardinus
Thomas Morus
Thucydides
Tibullus
Tortellius
Tribonianus
Io. Tritemius
Trogus P.
Turpinus
Tryphonius

V

Valera
Valerius Max.
Valerius Flaccus
Valgius
L. Valla
Vanius Veronensis
M. Varro
P. Venetus
Vergilius
Verulanus
Victorius
Victruuius
Vincentius
Vitæ Philosophorum
Vlpianus
Fl. Vopiscus
Vrbanus
Io. Vuicleuus

X

Xenophon

Z

Zasius.

FINIS.

ELENCHVS LIBRORVM PRIMI
Tomi Io. Lodouici Viuis operum.

De ratione ſtudij puerilis.	pag. 1
Exercitatio linguæ Latinæ.	13
De conſcribendis epiſtolis.	59
De ratione dicendi libri tres.	85
De conſultatione.	154
Declamationes ſeptem.	181
Pompeius fugiens.	262
Fabula de Homine.	269
Liber in pſeudodialecticos.	272
Prælectiones quatuor in uaria.	286
Ædes legum.	301
Iſocratis oratio Areopagitica.	308
Iſocratis Nicocles.	315
De corruptis artibus tomi tres.	321
De explanatione cuiuſcũ eſſentiæ liber unus.	582
De Cenſura ueri.	592
De inſtrumento probabilitatis liber unus.	614
De diſputatione liber unus.	633
Interpretatio allegorica in Bucolica Virgilij.	640
Prælectio in Georgica Virgilij.	680
In Suetonium quædam.	686

IN OMNIA IO. LODO-
VICI VIVIS OPERA, RERVM ATQVE
VERBORVM LOCVPLETISSIMVS ELENCHVS.

A

Alma quod uirginẽ significat qualis uox. 2.437
Abelis mors quid præfigurarit. 2.361
Abiecti homines clari facti. 2.490
Aborigenes populi. 1.307
Abrahæ pietas. 2.351
Abraam ut ad Dei notitiam peruenerit. 1.442
Abraamus Ægyptios docet literas ac matheſin. 2.6
Abſentes inter ſe beneficio literarum colloquuntur. 1.24
Abſolutionum in ſermone quis modus ſeruandus. 1.96
Academici fidunt ne quidem euidentiſsimus & ſub ſenſum cadentibus. 1.377
Accentuum præcepta generalia duo apud Latinos. 1.6
Accidentia ſine ſubſtantijs eſſe nequunt, & contrà. 1.535
Accidentia an diuerſa à ſubſtantijs ſint. ibid.
Achille nullus truculentior ac inhumanior. 1.366
Achilles culinam curat. 2.653
Acies recte diſpoſita plurimũ adfert in prælio momenti. 1.133
Actio quæuis duo neceſſaria habet. 1.565
Actio nulla ſine fine. 1.549
Actio agens & patiens habet. 1.124
Actiones ſuas nemo cælare debet. 12.730
Actio oratoris multas latebras habet. 1.111
Actionis finis. 2.522
Actiones omnes in mundo ad poſteriores referuntur. 2.308
Actiones uoluntatis ac mentis in homine quid differunt. 1.567
Actiones omnium rerum cõſtantium male tempus & locum habent. 1.556
Actiones omnes cogitatio antecedit. 1.496
Actionum omnium fons, animus eſt. 1.428
Actionum omnium motus unde. 1.565
Actionibus ſingulis ſua ſunt inſtrumenta. 1.554
Actori Romæ duæ ad dicendum horæ conceduntur, reo tres, & id uno die. 1.399
Acumen ubi locum habeat. 1.111
Adæ coſta imago Eccleſiæ 2.248
Adæ cur fructus arboris ſcietiæ boni ac mali interdictus. 2.342
Adæ noxa cur in cunctos redundet poſteros. 2.345
Adæ non erat pœna præcepto addita ſed oſtenſa. 2.347
Adæ reconciliatio cur nos non reconciliet. 2.346
Adæ bona quando reſtituentur hominibus. 2.348
Adam geminæ naturæ fuiſſe fingunt Iudæi. 2.405
Adam magnopere afflixit caſus proprius. 2.349
Admiratus quis. 1.44
Admiratio, quærendi cupiditatem parit. 1.614
Admonitio uxoria magnam uim habet. 2.717
Admonitiones amici, cui ſimiles. 1.95
Adoleſcentes qui Romanis uocati. 1.644
Adoleſcentes iudicijs de rebus tardi ſunt. 1.58
Adoleſcentes iudicia infirma habent. ibidem.
Adoleſcentes nullum decentius ornamentum habent uerecundia. ibid.
Aduerſa ſola hominib. nunquam contingunt. 1.303
Aduerſa in ſermone quæ. 1.101
Adulatio ſolertior eſt ad amoris oſtenſionem quàm uerus amor. 1.427
Adulatio principibus noxia. 1.530
Adulatio initio grata, ſed pòſt cognita omnem fidem adimit. 1.171
Adulatores aucupantium ritum induunt. 2.16
Adulatorum hodie ingens numerus. 1.296
Adulter quis cum propria uxorem habens fieri poterit. 2.718
Adultera quantum peccet. 2.699
Adulteria puniuntur Romæ. 1.426
Adulteria impunita. 1.426
de Adulteryis ac parricidijs cur ueteres nil cauerunt. 1.434
Aduocatorum nequitia. 1.304
Ædificationem hirundines docent. 1.441
Æditio nonum prematur in annum. 1.526
Aër uacuum nullum relinquit. 1.561
Aër cur ſubſtantiæ lubricæ ac ſubtilis ibidem.
Aërem frigidum & cur. 1.545
Ægidij Calentini epiſtolæ. 1.83
Ægyptij imaginibus, uſi pro literis. 1.326
Ægyptij ſacerdotes cur diligenter inuigilarint geometriæ. 1.323
Ægri ſalubrib. conſilijs inimici ſunt. 1.98
Q. Ælius ſtatũ patriæ maluit felicem quàm ſuum. 1.265
P. Æmylius Macedonium theſaurum Romam aduexit. 1.266
Æneæ clypeus. 2.137
Æneæ Syluij epiſtolæ. 1.83
Ænigmata quid ſint. 1.97
Ænigmatum origo. 1.101
Æqualitas in omnib. rebus apud Lacedæmonios plurimum ualuit. 1.313
Æqualitatis ſpecies. 1.309
Æqualitate omnium nihil inæqualius in ciuitate. 2.633
Æquipollentiæ uſus. 1.601
Æquitas ubiq; locorum uis non item ualet. 1.433
Æquitas à lege quid diſtet. 1.426
Æquitas quid. ibid.
ad Æquitatis cognitionem & interpretationem, quatuor eſt opus. 1.432
Æquitatem tractare, Philoſophi eſt. 1.514.
Æquitatem iuris inuenire, non cuiuſuis eſt. 1.306
Æquitate nil conducibilius congregationibus. 1.426
Æquum bonumq; quid ſit. 1.305
Æſculapius fulmine interfectus. 1.265
Æſculapius mortuos ad uitam reuocauit. ibid.
Æſchines Demoſthenem reprehendit & cur. 1.105
Æſchinis orationes copioſiores Demoſthenis. 1.95
Æſopus cur in magno precio fuerit. 1.67
Ætas memoriam extinguit. 1.326
Ætas in pronum uergit. 2.741
Ætas auſert omnia. 2.41
Ætas ad diſcendum nulla ſera. 1.347
Ætas quo pacto deſcribenda. 1.137
Ætas tenera libenter imitatur. 1.6

Aetas quod membrum hominis primum inuadat. 2.518
Aetas felix quæ corporis uires minuit animi auget. 2.19
Aetas nulla sibi prospicit sed uenturæ 2.308
Aetatem in studijs agere, ocium uerum & animi quies. 1.16
Aeternitas quid. 1.557
Aeternum est quod semper mouetur. 2.39
Aeternum in sacris literis ut accipiatur. 2.415
Affabilitas beneuolentiam arguit. 2.88
Affectus tolli nequeunt. 2.486
Affectus omnium ualidissimus ac princeps. ibid.
Affectus unde moueantur. 2.5
Affectus arte regi non possunt. 1.529
Affectus duobus modis mouent. 1.119
Affectus amoris seu odij quid discrimmis habeant. 1.119
Affectus tam mali duces quàm ministri. 2.777
Affectus quomodo mouendi. 1.119
Affectus quid. ibid.
Affectus excæcant. 1.615
Affectus hominem brutum faciunt. 2.232
Affectus non imperare sed parere debent. ibid.
Affectus oculis carentibus. 2.437
Affectus quis indiderit homini. 1.116
Affectus neutri suus. ibid.
Affectus corporis rationem recipiunt & præstant. 2.552
Affectus suos pulchre rexit Socrates. 2.818
Affectus peruertunt iudicium. 2.92
Affectus latentes eliciendi & quo pacto reprimendi. 1.122
Affectus omnis mora flaccescit. ibid.
Affectus quales res sint. 2.303
Affectus uerbis solis nunquam intumescit. 1.121
Affectus sedare unde petatur. 2.78
Affectus mouere prohibetur Athenis. 1.399
Affectus undis maris persimiles. 1.122
Affectus ubi dominentur. 2.553
Affectus affectum excitat & delet. ibidem.
Affectus medij sunt inter mentem & sensum. 1.120
Affectus sensibus coniunctiores. ibid.
Affectuum usus. 2.552
Affectuum ratio. 1.458
Affectuum ratio non minor ars est quàm fidibus pulsare. 1.120
Affectuum phantasia. ibid.
Affectionum alienarum nemo tam fidens interpres ut suarum. 1.129
Adfectuum humanorum depictor. 2.721
Affectuum qualitates. 2.552
Affectuum locus. 2.75
Affectuum moderatio in pueris ac senibus qualis. 1.258
Affectuum mala. 2.78
Affectuum artem multi alios docere uolunt cum ipsi nesciunt. 1.299
Affectuum cognitio qualis. 2.551
Affectuum tractatio non perfecte à ueteribus tradita. ibid.
Affectuum remedium præcipuum in philosophia. 2.78
Affectuum discrimen. 2.552
Affectuum enumeratio. 2.553
Affectibus moderationibus plerunq; plebis communis quàm docti. 1.453
Affectiones per peccatum mualuerunt uehementer. 1.115
Affectionum fontes duo præcipui. 1.119
Affectionum formæ. ibid.
Affectionum tractatio cuius interfit. ibid.
Affectibus hodie sumus subiecti, & cur. 2.231
de Affectibus incitatis multa, de moderatis pauca scripta sunt. 1.139
Affectibus actiones mentis cõtrariæ 1.121.
Afflictis consolatio, si afflictoribus conferantur. 1.261
Agamemnon non Achilles aut decem Aiaces sed, Nestores tot optabat. 1.295
Agamemnon aduersa facie impingitur in immolatione Iphigeniæ. 1.99
Agamemnon Homericus. 1.140
Agareni quo instrumẽto pingant, ubiq; incipiant. 1.25
Agasiclis regis nobilis uox. 2.94
Agnus paschalis figura Christi. 2.450
R. Agricolæ laus. 1.253
Agriculturam magni semper exercuerunt uiri. 1.684
Agriculturæ materia. 1.440
Agricultura simplex ac prima ars. 2.20
Agricolationum scriptores. 1.10
Agricolis longinqua paululum utut illustria ignota sunt. 1.644
Agricolæ ex naturæ arcanis multa tenent. 1.56
Agricolæ omnia ex suis metiuntur rebus. 1.644
Agricolæ quiduis admirantur facile. ibidem
Agricolæ fraudulentes. 1.37
Agricolæ non malefaciunt nisi quum nesciunt. ibid.
Agricolæ laus apud ueteres. 1.684
R. Agricolæ epistola. 1.83
Alcibiades lambdacismo notatus. 1.92
Alcorani historiæ. 2.464
Alcorani compositio. 2.472
Alcorani liber qualis. 2.480
Alcorani commentum non ex Deo esse. 2.497
Alcorani doctrina quamdiu parmas fura. 2.492
Alcoranum quis intelligat. 2.462
Aleotarum prouerbium. 1.43
Alexander Seuerus quanti Vergilium fecerit. 1.682
Alex. rex plus fatetur se Aristoteli quàm Philippo debere, & cur. 1.461
Alexinus Philosophus Eliensis deseritur à scholasticis & cur. 1.450
Algorismus quale inuentum. 1.497
Alimento exiguo quidã cõtenti. 2.663
Alimẽta unde omnib. uiuentib. 2.498
Altricis facultatis munia. 2.499
Amanuensis quis. 1.78
Amamus nos tenerius quàm oporteret & unde id fiat. 1.119
Amamus ob uarias causas. 2.554
Amandi artem quis in præceptare degerit. 2.649
Amandi sunt homines cuncti & cur. 2.86
Amanti non est lex posita. 2.620
Amanti perbella quæcunq; ab amante fiunt. 1.293. 2.686
Amantis uoces erga amasiam. 2.686
Amantes se acriter amant, frigide alios. 2.561
Amantes salubribus consilijs inimici sunt. 1.98
Amare nil felicius. 2.84
Amaritudo nostra dulcis redditur Christi passione. 1.250
Amatores quo pacto repulsi. 2.699
Amatorem quin mueniat tam deforme nihil. 1.344
Amatoria qui conscripserint. 2.658
Ambiguitas omnis tenebras offundit. 1.98
Ambiguitas quibus oriatur. ibid.
Ambiguum ubi habendum pro ambiguo. 1.595
Ambitio cur magnis noceat ingenijs. 2.61.
Ambrosij epistolæ quales. 1.38
Amicus amico alter ipse. 2.327
Amicus quid. 2.617
Amici qui fieri queant. 2.556
Amici fideles, potens satellitiũ. 2.86
Amici uitia ferendo facis tua. 2.590
Amicis nouis deest fauor. 1.177

Amicos aperte inuicem loqui decet. 1.223
Amicitia uitæ sal. 2.96
Amicitia inter quas personas fiat. 2.176
Amicitia fragilis quando fiat. 2.87
Amicitia æqualitntem requirit. 1.643
Amicitia diuturna inter quos fit. 2.645
Amicitia inter inæquales ut conseruetur. 2.617
Amicitia solida inter quos. 2.87
Amicitiæ exempla pulcherrima. 2.557
Amicitiæ uinculum. 2.605
Amicitiæ magnorum sæpe dissoluuntur. 1.643
Amilcar se in Annibale leonem alere dicebat. 1.226
Amor sui caput scelerum. 2.267
Amor extorqueri non potest, elabi potest. 2.686
Amor ubi fuerit, lex abest. 2.493
Amor ex mora uires accepit. 2.686
Amor qualis affectus. 2.554
Amor quibus declaretur signis. ibid.
Amor in quibus uehemens aut remissus. 2.557
Amor rex spiritualium uinculum unicum. 1.530
Amor quibus minuatur. 2.564
Amor omnis molestus erga hominis. 2.561
Amor usu ac conuersatione coalescit. 1.445
Amor semper coniugit ac connectit. 2.555
Amor sui quid noceat. 2.79
Amor sensuum & mentis quid differat. 2.327
Amor quando se uere proferat. 2.386
Amor & maiestas non bene conueniunt. ibid.
Amor dei qualis. 2.486
Amor fugitur cæcus. 169
Amor condimentum amarissimarum etiam rerum. 1.590
Amor uer⁹ ac falsus cupiditatis. 2.558
Amor amoris magnes. 2.100
Amor magnum satellitium. ibid.
Amor opes firmissimæ. ibid.
Amor duplex. 2.618
Amor quietem non nouit. 1.649
Amor antiquissimus rerum omnium. 2.328
Amor proximi ex amore Dei nascitur. 3.377
Amor cæcus quur recte dicatur. 2.559
Amor elici, exprimi uerò nõ potest. 2.560
Amor animi arbitrio sumitur, nõ ponitur. ibid.
Amor amorem elicit. 2.87
Amor concupiscentiæ in uerum uertitur sæpe. 2.555
Amor & si igneæ naturæ descendit, tamen non ascendit. 2.556
Amor amorem excitat. 2.556
Amoris comes, cura rerum amici. 1.171
Amoris uires & actiones. 2.559
Amoris meta extrema. 2.558
Amoris uis est ut connectat. 2.327
Amoris fabula insignis. 2.558
Amore cupidinis quæ insint. 2.562
Amori uero adest pallor lachrymæ cantus. ibid.
Amorem ira alia auget, alia minuit. 2.564
Amorem quid conciliet. 2.554
Amore sumus conditi, eodem perficimur ac beamur. 2.564
Amores uirginis. 2.688
Amores quos cõiungunt in matrimonio, dolores exercent. 2.613
Amorum mala. 2.634
in Amoribus initia suauissima. 2.612
Amoribus ut occurrendum. 2.686
Amphionis uis per Musicam. 1.497
Amplificatio in quibus fiat. 1.100
Amplificatorũ diminutio quæ. 1.100
Anapæsti quales pedes. 1.93
Anapæsti unde dicti. ibid.
Anallæ ut habendæ quodq; ipsarum officium. 2.729
Anci Martij regis Romani appellatio unde. 1.53
Angeli homini beatitudinem, conferre nequeunt. 2.337
Angeli alij lapsi, alij perstiterunt, & quo pacto contigerit. 2.338
Angeli quot sint. 2.338
Angeli hominum custodes. 2.141
Angeli quare simul conditi. 2.341
Angelorum accurata cognitio nobis necessaria non est. 1.499
Angelorum officium. 2.338
Angelorum motus qui. 1.564
Angelorum natura ac officium. 1.539
Angelorum numerus. 1.540
Angelos sibi inuicem loqui. 1.295
Annibal ueneno perit. 2.45
Animãne una in animali & homine an plures. 2.515
Anima quid sit. 2.511
Anima per calorem in corpore conseruatur. 2.498
Anima beata unde fiat. 2.337
Anima hominis tribus facultatibus prædita est. 2.516
Anima hominis cuiusuis punctionib. ægre perueστigari potest. ibid.
Anima quadruplex. 2.498
Anima nil magis reconditum. 2.497
Anima quæ peccauerit, ipsa morietur ut sit accipiendum. 2.345
Anima sine uirtute quid. 2.268
Anima in corpore subdito sentit quid ipsa in Deum præstet. ibid.
Animæ defunctorum cur non redeant ad nos. 2.329
Animæ genitricis facultates. 2.502
Animæ altricis facultates seu instrumenta duo. 2.498
Animæ cognitio utilis. 1.499
Animæ auctricis facultatis. 2.500
Animæ actiones. 2.512
Animæ creãtur Dei uoluntate ac iussu, tamen naturaliter. 2.545
Animæ immortalitatẽ negare quam pium. 2.67
Animæ cognitione nil admirabilius, iucundius, utilius. 2.496
Animæ præstantia. ibid.
Animæ immortalis disputatio cur difficilis. 2.543
Animæ sedes. 2.515
Animæ uniuersa excepta immortalitate recipiuntur. 2.337
Animæ quot sint. 2.338
Animæ præstantiam ostendit Christi mors. 2.85
Animæ brutorum à natura, progignuntur hominem à Deo. 2.330
Animæ altricis sola uis Deum magnum artificem ostendit. 2.499
Animæ hominum corporibus infunduntur à Deo. 2.331
Animæ propria natura atque uis. 2.40
Animam hominis esse immortalem. 2.543
Animam numeris constare. 1.336
Animas pœnas dare in ergastulis corporis. 1.530
Animas alias in tartarum simpliciter alias in purgatorium uenire. 2.181
Animas esse immortales scientia assequimur. 2.336
Animal hominum immortales esse. 2.329
Animas multarum rerum cognitionem habere antequam corpori immergatur. 1.614
Animus hominis quid. 2.66
Animas defunctorum res nostras cognoscere. 2.749

Animal timidißimum, infirmißimum & insolentißimum. 1.98
Animal quo plus caloris habet, tanto plus cibi appetit. 1.547
Animalia à plantis quod discrimen habeant respectu sensuum. 2.502
Animalia omnia homine excepto fœtus suos negligũt et quatenus. 2.760
Animalia nulla hominibus exceptis interitum sui appetunt. 2.345
Animalium alimenta. 2.498
Animalium uita longa & breuis unde. 2.542
Animalium epitheta. 1.270
Animantes omnes satis esse ad tuendam uitam instructus excepto homine. 1.325
Animantes ipsi sibi somnia fingunt. 2.552
Animantes cur omnes mortales. 1.617
Animantis meta ac limites. 2.500
Animus simulatus prodit se tandem. 1.522
Animus in intelligendo prosequatur iter. 1.549
Animus solus uirtutis uitiorumq; custos. 1.258
Animus ultra præsentia & præteritorum & futurorum rationem habet. 1.326
Animus humanus per uaria uagatur. 1.445
Animus capi se haud fert facile. 1.119
Animus nec ortum nec finem habet. 2.67
Animi bona malaq;. 2.71
Animi carcer. 2.240
Animi functiones quinq;. 1.633
Animi partes duæ, & quæ earum uis. 2.75
Animi curatio. 1.446
Animi bona uulgò minora habentur corporis. 1.68
Animi concitationibus primis leges multa ignoscunt. 1.619
Animi originem longinquiorẽ unde cognoscatur. 1.600
Animi insania morbus grauißimus omnium. 2.300
Animi constitutio ex uultu cernitur. 2.80
Animi cura maior quã corporis. 2.78
Animi nostri syderibus similes. 2.51
Animi nostri quiescunt nunquam. ibidem
Animi cur de cœlo in corpora lapsi. 2.52
Animi perditi argumentum. 1.22
Animi interni sensus. 2.298
Animo commoto non utendum. 1.175
Animo quæ insint. 2.485
Animo quid prosit. 1.169
Animo maiora pericula quàm corpori imminent. 2.95
Animorum coticulæ duæ. 1.459
Animorum origo cœlestis. 2.50
Animosum amor reddit. 2.616
Anomala uerba quæ. 1.4
Antecellere in omni re quæ est in pretio cupimus. 2.764
Anticipationes in homine. 1.614
Antiphrasis quid. 1.101
Antisenatum sub Mario. 1.199
Antitheta quæ. 1.101
Antistrephon quid. 1.606
Annulos ueteres in digito minimo proximo gestabant, & cur. 1.54
Annus mundanus. 2.64
Annus Ægyptius. 2.63
Annus uertens. ibid.
Annus unde dictus. 2.64
Annus magnus. ibid.
Anni descriptio et eius partium. 1.137
Annorum mira uariatio. 1.369
Annorum tempus apud ueteres per consulũ nomina designabatur. 1.73
Annorum rustica annotatio. 1.645
Annorum constitutio uaria. 2.63
Annotationum per adolescentes faciendarum ratio. 1.8
ἀπραξία uiuere felicitas habita. 2.646
Appellationes rerum impropriæ sunt. 1.489
Apellis solertia. 1.566
Apellis pingendi ars. 2.391
Apes ex rore mel Maio mense colligere. 1.29
Apes animalia uatibus multum cantata. 1.294
Apes qualem naturam habeant. ibid.
Apes cur hominib. proponãtur. ibid.
Apum signa humano sermoni propinqua. 1.86
Apum natura. ibid.
Appetitus cur animantibus inditus. 2.498
Appetitus quid. 2.510
ἄρρενα quæ. 1.295
Apophthegmata quid sint. 1.95
Appius Claudius cur cæcus factus. 1.192
Apologi quid & quis usus. 1.144
Apologorum formæ. 1.144
Apologorum oratio. ibid.
Apologos confingere facile est. 1.144
Apollinaris Sulpitij prauũ iudicium de epistolis Plinij ac Cicero. 1.76
Apollo cur Sol dicatur. 2.56
Apollo omniũ poetarũ Deus. 1.664
Apollonij in discipulos integritas. 1.330
Apostoli cur in totum orbem emissi. 2.391
Apostoli quales ministri. ibid.
Apostolorũ sermo cur efficax. 1.496
Apostolorum sermo cur hodie unum in ipsorum successoribus superarit. 2.293
Apostolorum successores ab Apostolica ac martyrum uita degenerarunt, & in quo. ibid.
L. Apuleij oratio qualis. 1.104
L. Apuleij asinus quis sit. 1.144
Apum mira reipublicæ administratio. 2.760
Aqua fontana tam altè ascẽdit quàm descendit. 2.330
Aquarum discrimen. 1.39
Aquis nil coniunctius. 1.108
Aratus qualis poëta. 1.474
Arbor calidißima. 2.543
Arborum altitudo magnitudoq; admiranda. 1.20
Arcana an fœminis cõmittẽda. 2.631
Arcanum fidelius custodiatur quàm deposita pecunia. 2.89
Arca fœderis cuius admonuerit Iudæos. 2.429
Archimedis sphæra. 2.316
Archimedis in Mathematicis præstantia. 1.418
Architecturam artem pauci in Græcia tenebant. 1.327
Areopagita qualis uox. 1.307
Areopagitæ noctu cognoscebant causas & cur. ibid.
Areopagitæ iustißimi. ibidem
Areopagum consilium Athenis. 1.307
L. Aretini epistolæ. 1.83
Argumenta bona in mala causa inuenire, difficile. 1.255
Argumenta ex quibus depromantur rebus. 1.634
Argumenta quæ facile mouent uel sedant animos. 1.111
Argumenta unde peti soleant. 2.294
Argumentorum in oratione collocatio ordinẽ naturæ sequatur. 1.134
Argumẽtatio quid et eius partes. 1.603
Argumentatio certa uel probabilis quæ. 1.634
Argumẽtatio iudiciũ fallẽs qualis. ibi.
Argumentatio confecta quo pacto dissoluatur. ibid.
Argumentationis ordo inuenitur sæpe. 1.631
Argumentationem non esse Dialectici tantum. 1.382
Argumentationem quamuis explorare ut ualeamus. 1.612
Argumentationes Socraticæ. 1.636
Argumentationum dissolutio. 1.635

Argumẽtationib. abſit ãbiguitas. 1.636
Ariſtarchus autorum cenſor. 1.361
Ariſtoteles omniũ ſæculorũ ſcriptores ſupat obſcuritate excepta. 1.336
Ariſtoteles cur obſcurus ſit. ibid.
Ariſtoteles quo pacto artes tradiderit. 1.150
Ariſtoteles impius & in quibus. 1.363
Ariſtoteles errorum in ſacris materiam præbuit. ibid.
Ariſtoteles Academicis & Stoicis non placet. 2.292
Ariſtoteles de poẽtica ſcripſit. 1.269
Ariſtoteles philoſophus Alexandro regi interpretatur Homerum. ibid.
Ariſtoteles ſuis ſubtilitatibus ingenia non exacuit ſed perturbat. 1.410
Ariſtoteles Platoni ſuperior, & in quibus. 1.375
Ariſtoteles logicam male tradidit. ib.
Ariſtoteles quid ſonet. 1.153
Ariſtoteles munditiæ ſtudioſus. 1.21
Ariſtoteles placita ſuperiorum ſeculorum conuellere auſus fuit. 1.325
Ariſtoteles magnus tradendarum artium artifex. 1.149
Ariſtoteles Stagyram patriam ornauit legibus. 1.289
Ariſtoteles cur medicine ſtuduerit. 1.441
Ariſtoteles prius quæ obſtãt refellit, deinſua ſtatuit. 1.133
Ariſtoteles male ex Græco in Latinum uerſus. 1.353
Ariſtoteles naſum cereum habet & cur. ibid.
Ariſtoteles ſemper eſt delectatus obſcuritate uerborum. 1.414
Ariſtoteles felicitates conſtituit duas. ibidem
Ariſtotelis enarratores Græci ac Latini præcipui. 1.380
Ariſtoteles aureum orationis flumen. 1.109
Ariſtotelis diligentia ad ſtudia. 1.348
Ariſtotelis doctrina impios Platonis ſuperſtitioſos facit. 2.484
Ariſtotelis oratio aureũ flumẽ. 1.294
Ariſtotelis primi interpretes. 1.354
Ariſtotelis errores. 1.338
Ariſtotelis acumẽ excellẽtiſſimũ. 1.111
Ariſtot. in dicendo parſimonia. 1.95
Ariſtotelis libri ut diſtracti. 1.337
Ariſtotelis libri in dubiũ uocati. ibid.
Ariſtotelis libri à ueteribus aliter diſtincti. 1.405
Ariſtotelis interpretes quales. ibid.
Ariſtotelis ambitio. 1.337
Ariſtotelis Philoſophia cur incerta & perplexa. 1.410
Ariſtotelis in naturali philoſophia libri meliores. ibid.
Ariſtotelis ueterum philoſophorum rationem nunquam placent. 1.406
Ariſtotelem quidam parum uerterunt feliciter. 1.153
Ariſtotelica complura perobſcura. 1.153
Arithmetica Pythagoræ. 1.280
Arithmetica circa quæ uerſetur. 1.416
Arithmeticæ neceſſitas, ac utilitas. 1.496
Arma deponere uictis, pacis ignoſcentiæq; ſignum eſt. 1.219
Arma ſumunt multi extimulati gloria aliorum. 1.370
Arma animalium. 2.762
Arma Eccleſiæ. 2.717
Arma quid uiro ſorti porrigere debeat. 2.36
Arma, corpora non animos cogunt. 2.443
Armatis omnia dantur cum negantur iuſta. 1.245
Arrogãtia ſtudijs nocet plurimũ. 1.78
Arrogantia diſſolutio eſt omnis glutini humanæ concordiæ. 1.445
Arrogantia uenenum res pulcherrimas corrumpens. 1.63
Ars quid. 1.440. 2.533
Ars & caſus quid differant. 1.549
Ars, naturæ æmulatio. ibid.
Ars naturam nunquam exprimere poteſt & cur. ibid.
Ars ſui iuris non eſt quæ precarium habet fundamentum. 1.417
Ars una ab alia adiuuatur. 1.393
Ars naſcitur ex antecedente cognitione. 1.149
Ars grammatica uſu conſtituta. 1.10
Ars uſu poſterior. ibid.
Ars nulla ſimul & inuenta & abſoluta. 1.379
Ars eſt uelut imago naturæ. 1.149
Ars finem ſemper ſpectat. 1.440
Ars omnis & literæ Romanis ſuſpectæ. 1.398
Ars quæuis ubi maxime exculta. 2.329
Ars uſum nunquam totum comprehendit. 1.358
Ars quid ueteres uocarint. 1.326
Ars quicquid habet, ex natura tractum eſt. 1.439
Ars nulla ad curam ſingularium pertinet. 1.434
Ars nulla tam humilis in qua non plurima occulantur. 1.341
Ars ſuſpecta. 1.119
Ars & artifex ſuis finibus non fraudantur unquam. 1.440
Ars ubi uſui poſtponenda 1.7
Ars ſine natura & exercitatione parum efficit 1.115
Ars in formatione operis nequit, licet conetur, deum contingere. 1.549
Ars quæuis quãdo abſolutiſſima. 1.75
Ars nulla abſoluta nec ſine utilio propoſita & cur 1.329
Ars non eſt quæ utilitate caret 1.447
Ars nulla ſimul & inuenta & abſoluta 1.325
Ars ex quibus naſcatur & quæ eius ratio obſeruatioq; 1.439
Ars quæuis ſua habet uocabula. 1.87
Ars naturæ imitatrix 1.143
Artis quæ dicantur eſſe 1.550
Artis exercitatio 1.440
Artis dicendi præcepta quo pacto tradita à ueteribus 1.86
Arti æmulanda optima quæq;. 1.75
Artem quæ efficiant 1.396
Artem celare ubiq; par eſt 1.77
Artem experientiam regere neceſſe eſt 1.439
Artes liberales & ingenuæ, quæ ac cur ſit appellatæ 1.327
Artes quomodo tradendæ & quid in his utiliter traditum 1.447
Artes ad uſum ſolum referendæ. ibid.
Artes de ſermone tres 1.274
Artes unde peruertentur 1.353
Artes quo pacto excuſæ 1.387
Artes alit honos 1.356
Artes Romæ penitus cõtẽnũtur. ibi.
Artes liberales cur dicantur 1.32
Artes quantitatis 1.416
Artes multi neſciunt licet cupiãt eruditi uideri, quidq; reſpondeant. 1.332
Artes quo pacto collectæ 1.605
Artes chriſtianis cõpetentes. 1.444
Artes quo pacto corruptæ 1.329
Artes diuinandi ac maleficij 1.332
Artes deſidia deprauantur 1.573
Artes quod tempus ſibi conueniens expetant 1.817
Artes propoſitis præmijs excultæ ſunt 1.105
Artes hominib. noxiæ et utiles 1.442
Artes Latino puro ſermone tradi nõ poſſe dixerunt ſophiſtæ 1.281
Artes ſermonis quæ ac quot 1.357
Artes inſpectiuæ, actiuæ, effectiuæ, quæ 1.440
Artes actiuæ & factiuæ à quibus maxime cognoſcendæ 1.461
Artes quid pepererit excoluerit q; 1.328
Artes uetuſtiſſimæ utilesq; rei domeſticæ 2.652
Artes honore ali 1.329
Artes à ueteribus & diſciplinæ, cur inuolutæ 1.337

Artes supremæ. 1.328
Artes duæ per se rixosæ. 1.489
Artes qui bene uel male tradiderint. 1.351
Artes noxiæ quæ. 2.75
Artes de sermone & quãtitate. 1.327
Artes à dæmone excogitatæ. 1.443
Artium ueritatem ac falsitatem iudicare. 1.598
Artium fines admodum diuersi unde proficiscantur. 1.441
Artium diuisio. 1.32
Artium circa sermonem uersantium discrimen. 1.373
Artium materia. 1.440
Artium studio quot anni destinati. 1.349
Artium instrumenta. 1.440
Artium enucleatio. 1.149
Artium inuentor. 1.328
Artium incrementa. ibid.
Artium omnium in uita inuenta posteris erant describenda. 1.498
Artium fines qui. 1.440
Artiũ prestãtia unde æstimetur. 1.326
Artium corruptelæ. 1.451
Artium diuisio. 1.387
Artium impij fines. 1.443
Artium inuentores primi uel noui sed latentia detegerunt. 1.439
Artiũ initia quæ esse debeant. 1.149
Artium priora, lux posterioribus sunt. ibid.
Artium affinitates. 1.178
Artium numerus. 1.327
Artiũ gloria penes quos magna. 1.330
Artiũ labori quod præmiũ datũ. 1.328
Artium materia uires utilitatesq; in natura positæ, & cur homo non agnoscat 1.328
Artium inuentiones. 1.326
Artium sectio. 1.327
Artium semina nobis indita. 1.439
Artium præcepta quo pacto pueris tradenda. 1.461
Artibus omnibus duæ res maxime necessariæ. 1.586
Arthretica morborum genera unde proueniant. 1.39
Ascensionis Christi utilitas. 2.389
Asiæ reges luxu perditi. 1.234
Asiana oratio qualis. 1.105
Asiaticæ dictionis genera duo. 1.105
Asiatismi dicẽdo genus adolescentiæ magis quã senectuti conceßũ. 1.124
Asino lyram pulsare. 1.126
Asinus index inter cuculi & philomelæ cantum constituitur. 1.21
Asizini deficiunt in Asia à religione Christiana, & cur. 2.471
Asinius Pollio quis fuerit, & quid gesserit. 1.655.657
Aspera omnia pane leniuntur. 2.427
Aspicere quem execreris, insaniam accendit. 1.248
Ascensus argumẽtationis quid. 1.605
Assensio uerorum in homine. 1.614
Aßẽtatio quæstus lõge uberrim⁹. 1.45
Assentatio deforme uicium. 2.88
Astrolabia ueterum ac recentiorum differunt. 1.497
Astrologia, nata ex ostentatione fraudeq;. 1.417
Astrologiæ fatuitas. 1.199
Astrologiæ inuentores. 2.5
Astronomia quid tractet. 1.416
Astronomia ex Geometria in cœlum sublata oritur. 1.496
Astronomiæ studium ut discendum, & quem in usum. 1.497
Astronomi gygantes superarunt, & in quo. 2.5
Astronomi laus. ibidem
Astrorum cursus quando optime obseruetur. 1.676
Astutia ex falso scopo prudentiæ nascitur. 1.504
Assuefactio naturam mutat. 1.25
Assuefactionis uires magnæ. 2.607
Assueta omnia iucunda. 1.460
Ætas tenera quibus imbuenda opinionibus. 1.5
Æthiopes, animantium imagines pro literis utebantur. 1.326
Atan dea quæ. 2.340
Athenis regnum, plurium quàm paucorum melius. 1.313
Athenienſium facta cur pro maximis habita. 1.370
Athenienses, celeritate imperium consequuntur. 1.175
Athenienses primo regibus paruerũt inde principibus, postea liberi fuerunt. 1.307
Athenienses populi toto orbe clarissimi & quibus. 1.307
Athenienses Autochtones dicti. 1.307
Atheniẽsis populus leuis ac ingratus 1.197
Atheniẽsium opes ipsis perditionem attulerunt. 1.308
Athenienſium antiquitas & nobilitas. 1.307
Athenienſium res gestæ. 1.314
Atheniẽsium hominũ fortitudo. ibid.
Athenienſibus Græcia uniuersa subdita, uerum non diu. 1.309
Atramento denso medetur acetũ. 1.26
Attentio ubi fuerit necessaria careat ignoto sermone. 1.117
Attentio quo pacto reuocetur. 1.131
Attentio ut auertatur. ibid.
Attica oratio qualis. 1.103
Attici in suis orationibus omnes astricti. 1.95
Atticismus quid. 1.114
Attisimi facies non una. 1.105
Auari exitus. 2.276
Auaritiæ malum dominatur in Europa. 2.274
Auaro prodigus hæres. 2.15
Audacia ne in maximis trepidet diu in minoribus uires colligit. 1.247
Audacia unde nascatur. 1.113
Audaciam plus quàm innocentiam ualere. 1.229
Audire multa, facile atq; utile. 2.76
Auditus disciplinæ sensus. 2.530
Auditus qualis sensus. 2.504
Auditus ad discendum sensus præcipuus. 2.76
Auditus præstantia & utilitas. 2.508
Auditu quidam carent. 2.38
Auditor quo pacto sibi officiat in sermone percipiendo. 1.116
Auditorio paruo quiuis doctor contentus sit, & cur. 1.522
Auerrois autoritas in schola. 1.410
Auerrois errores in Aristotele interpretando. 1.411
Augustus Cæsar quo pacto scribere solitus fuerit. 1.27
Augustus Cæsar suis epistolis etiam horas adiecit in fine. 1.73
Augustus Cæsar poemata conscripsit. 1.649
Augustus Apollinis filius creditus. 1. 654
Augustus sermones graviores è libello scriptos habuit. 1.60
Augusto uiuenti aræ datæ & templa posita. 1.427
Augustinus suos errores non excusat sed fatetur. 1.333
Augustini sermones longiores paulò. 1.96
Augustini epistolæ quales. 1.83
Augustini stylus in scribendo. 1.76
Aulæ corruptela præcipua. 1.45
Aulam ingreßi semel, consenescunt ibi. 1.44
Aularum corruptio. 2.679
Aures de sono statuunt. 1.93
Aures imperiose interdum de sono orationis iudicant. 1.93
Aures aereæ. 2.513
Aures animi fenestræ. 2.77
Aurium situs & usus. 1.271
Aurora Musis gratißima. 1.17
Auroræ utilitas. 1.30
Auri quid gratißimum. 2.457
Ausonij centones. 1.108
Autoritas rerum gerendarum. 2.99

Autoritas senilis immatura creditur in adolescentibus 1.125
Autor operi precium conciliat uel detrahit 1.619
Author unus alium si probe intelligatur explicat 1.11
Authores & bene scire & bene uiuere docentes qui 1.7
Authores gentiles quo pacto legendi 1.473
Authores ueteres quid conseruet hodie. 1.349
Authores prophani quid pijs ad religionem seruiant 1.448
Autores spurci non attingendi 2.76
Authores iuuentuti proponendi qui sint. 1.5.7.9
Authores prophani cur sacris adhibendi 2.76
Authores ipse quiuis sine præceptore legat 1.11
Authores iusti hodie non nisi ex collectaneis cognoscuntur 1.350
Authores ex quibus latinam linguam edisces & Græcam 1.478
Authores in bibliothecis seruandi ad consilium ibid.
Authorē ex opere cognoscimus, hoc enim eius imago est 2.297
Authores ueteres qui & quo pacto corruperunt 1.342
Authores intelligere quid requirat. 1.343
Authores quo pacto quidam probent 1.344
Authorum ueterum cum recentioribus discrimen in scribendo 1.350
Authorū iusta interpretatio 1.465
Authorum iusta enarratio 1.466
in Authorum lectione quid conueniat attendere 1.352
Authorum iustorum compendia magno damno scripta 1.350
Authorum scripta quando commode cognoscantur ibid.
ex Authoribus quid excerpendum. 1.2
Authoribus cum labuntur interdum condonandum est 1.524
Authoribus ita fidendum ne rebus detrabatur quicquam 1.324
Aurum tenuiora opera quàm argentum dat 1.106

B

Baccalaureorum nomen unde descenderet 1.355
Bachus ex crure Iouis genitus 2.374
Bachi sacra quorsum pertinuerint. 1.662
Bachi pædagogus 1.666
Barbaries linguæ latinæ unde nata. 1.364
Barbaries plures formas habet. ibid.
Basilij epistolæ 1.85
Batalarij hodie Baccalaurei, ubi cœperint dici 1.32
Batalarij unde dicti ibid.
Batauiæ capitur homo marin⁹ 2.350
Beatum quid efficiat 2.307
Beatum quem uocet Plato 1.338
Beati in hoc æuo qui habiti 1.421
Beatitudo uera 1.421
Beatitudo humanæ uitæ 1.287
Beatitudo hominum uulgi modo. 2.325
Beatitudo hominis 2.299
Beatitudo hominum iuxta Mahumet 2.478
Beatitudinis genera tria 1.420
Beatitudinis futuræ modus 1.577
Beatitudinem in hac uita quærit Aristoteles 1.410
Beatitudines octo ab Aristotelico diuersæ. 1.421
Bellum literas cum pietate simul opprimit 1.334
Bellum grauissimum quod 2.442
Bellum cur inuentum 2.299
Bellum maxima uertit atque mutat. 2.55
Bellum omne sæuitiæ genus excedit. 2.443
Bellum quod geritur cum homine similiter sæpe cū deo suscipitur 2.471
Bellum non hominum sed belluarum est. 2.86
Belli pulchritudo ac decoro 2.477
Belli facies ac forma. 2.344
Belli conditiones quis ferat 1.37
Belli potentes multi impij. 2.443
Bello nil magis uarium 2.55
Bella cuncta ciuilia esse 1.370
Bella narrari deberent ueluti latrocinia. 1.119
Bella laudem non merentur 1.370
Bella in mundo magna ob rem paruam suscipiuntur 2.53
Beluæ marinæ cur terrestribus maiores 2.500
Beluæ ab hominib. non intelligentia sed sermone differunt. 1.295
Benefaciens uniuersis à nullo reportat gratiam. 2.289
Benefactorum merces 2.50
Beneficium sæpe dare docere est reddere. 1.306
Beneficia quibus donamur à domino 2.234
Beneficia quo pacto danda. 1.190
Beneficijs quos afficimus, amamus, et cur. 1.132
Beneuolentia omnium rerum optimum condimentum 1.178
Beneuolentia elici, extorqueri uerò non potest 1.32
Bestiarum sermo 1.154
Bestiarum crudelium sed timidarum natura. 1.222
Bibere iturus cubitum, perniciosum est. 1.18
Bibendum quando sit. 1.42
Bibliotheca bonorum authorum. 1.32
Bilioſus quis dicatur 1.115
Bilioſi superbi plerunq;. 2.591
Bombardæ magnum malum 2.783
Boethij sermo politus 1.294
Bonum publicum prætextus ualidissimus. 1.66
Bonum unum per se at nobis plura, et unde id sit. 2.551
Bonum quid habeatur 1.442
Bonum corruptè ab hominibus iudicatur. 2.293
Boni ut laudantur, ita imitandi sunt etiam 1.321
Boni diuisio secundum tempora 2.553
Boni qui sunt censendi. 1.57
Boni specie omnes fallimur 1.191
Bona uera in Deo sunt 1.533
Bona præcipua in pietate sita 1.173
Bona respectu personarū, uarij sunt generis. 1.173
Bona hominis quæ. 1.56
Bona corporis animi ac fortunæ. 2.71
Bona fortunæ nulli propria 2.73
Bona in uita omnium maxima quæ sint. 1.8
Bona triplicia & quæ ea sint cum contrarijs 2.605
Bona quæ putanda. 1.5
Bona uera in animo 2.231
Bona mortalium omnium perexigua. 1.69
Bona duplicia, alterum per se, alterū propter aliud 169
Bonorum tria genera. 1.421
Bonitas exacta tandem coniugit ætate 2.734
Bonorum finis 1.420
Beneficiendi terminus angustus. 2.773
Bonis abutimur Dei donis propria culpa 2.347
Bonos quos censeamus. 2.554
Bonos esse quàm doctos, satius 1.150
Bos in lingua quid sit 2.106
Breuitas in sermone obscuritatem gignit. 1.98
M. Bruti amor in patriam. 1.266
Bonum quid nominemus. 1.169

Budæus in Pandectarũ annotationib. et de Asse, eruit obruta tenebris. 1.11
G. Budæi epistolæ quales. 1.83
Budæi eruditio 1.363

C

CAcodæmones qui 2.340
Cæcilij epistolæ quales 1.83
Cæco uidentes facile imponunt 1.254
Cæci in Hispania linguam propriam habent 1.593
Cæci non sunt mundi 1.248
Cæci tam animis, plerunq; quàm corporibus ægri 1.258
Cæcorum solertia 1.256
Cæcis quod oculis deest, reliquis sensibus completur 1.257
Cæcitas corporis minor cordis 1.44
Cæcitatis pessimum genus 1.353
Cæcitatis solatium uidentium rem habere 1.247
Cæcitatis beneficium est cum ei secretum datur 1.251
Cœlibes an omnes uiuere oporteat. 2.375
I. Cæsar quinquies triumphauit 2.132
Cæsar cito tyrannidis suæ specimina dedit 1.264
Cæsar cur Pompeiũ inuaserit 1.264
Cæsar eam rempub. perditam uoluit à qua plurimis honoribus erat affectus 1.265
C. Cæsar quot interfecerit homines 1.370
C. Cæsaris commentaria nuda, recta uenustaq; 1.107
Cæsaris stirps 1.265
I. Cæsaris commentaria castitatem sermonis Vatinij priscæ nobilitatis Romanæ continent 1.10
Cæsari imperium prorogatum magno Romæ malo 1.265
Cæsares adulatio deos fecit 1.145
Cæsares sceleroſi 1.430
Cæsares qui uirtuti bellum indixerunt 2.363
Cæsarum familia 1.686
Calami succesſerunt stylis 1.25
Calamitas aliena exẽplũ nostræ 2.239
Calepinus alios docens ipse doctore eget 1.11
C. Caligula inuidis hominibus et dijs 1.680
Calor quo maior est in uiuentib. tanto plus alimenti requirit 1.547
Calor uitam conseruat ac humore indiget 2.498
Calor exiguas uires ad patiẽdum, ad agendum magnas habet 1.550
Caluitium unde 2.542
Calũniæ morsui remediũ nullũ 2.109
Calumniæ graue malum 2.279
F. Camillus exul patriam liberat ingratam. 1.266
F. Camilli beneficia in patriam 1.215
Candoris laus fulget ubiq; 1.523
Caniciei causa 2.542
Campani epistolæ 1.83
Cantilenæ puellarum quibus de rebus agere deberent 1.146
Cantiones ueterum quales 1.146
Cantus præclarus ab aue 1.29
Cantum cœlestem cur homo non percipiat 2.60
Cantu flectuntur bestiæ nõ aues 1.667
Capitalis pœna magna cura Romæ instigebatur 1.219
Capitolium succenditur 1.208
Capitolium quamdiu durarit ibid.
I. Capnionis epistolæ uix editæ interierunt 1.83
Caprarum interioris Asiæ pili quales 1.573
Captiones quid sint 1.111
Caput mentis arx & aula 1.271
Carmen omne uerborũ et locutionis genus recipit 1.148
Carmen cur repertum 1.146
Carmen optimum quod 1.148
Carmen bonum non facies aquam bibens 1.667
Carmina poẽtarũ cibus dæmonum. 2.129
Cares qui milites 2.284
Carmina quem locum expetunt 2.817
Carminum usus apud ueteres 1.365
Carminum compositio qualis ueteribus & recentioribus 1.146.147
Carminum lex 1.366
Carminum corruptio quod uerba spectat 1.367
Carminibus describendis tempus aptißimum quod 1.653
Carneadis eloquentia 2.26
Caroli. 5. Imperatoris succeſſus 2.757
Caro cur spiritui repugnet 2.232
Caro ut castigari queat ibid.
Carnis natura 2.345
Carnis damnatio ibid.
Carthago nata ad exercendam uirtutem Romanam 2.46
Carthago à quibus condita 2.46
Carthago quamdiu floruerit ibi.
Carthaginis ruinæ causæ 1.219
Caseus recens quã uetus alibilior. 1.17
Casei genera & natura 1.40
Castigatio quando uertatur in uindictam 2.278
Castigatio quando bona. 2.278
Castitas quanti facta apud ueteres. 2.659 (2.674
Castitas præcipua uirtus fœminæ.
Cassius Seuerus flexit à directa uia dicendi ueterum. 1.108
Cassij prætoris prudentißimum dictum. 1.254
Casus suos homines non pariter ferre possunt. 2.601
Casus communes omnibus. 2.86
Casus quid sit. 1.548
Casus ubi multum ualeat. ibid.
Censu gradus Romæ discernebantur. 1.90
Casus in rebus mũdi nullos esse. 2.314
Casus humani communes. 1.241
Casus in artem uertuntur sæpe. 1.549
Casus humani graue exẽplum. 1.266
Casus sex apud Latinos & à quibus septimus addatur 1.2
Casus uocatiuus ubi sit similis nominatiuo. ibid.
Casum qui excogitarint 2.325
Catadupa gens surda ac cur 2.60
Catilinæ socij licet abesſet occasio tamen semper maleficiebat 1.254
M. Cato Censorius senex iam literas Græcas discit 1.464
Cato dicendo diem exemit 1.127
Cato honores contemnere potuit. 1.422
M. Cato Romanæ uirtutis oraculum 1.263
M. Catonis probitas ac diuinitas. 1.266
Catonis ingenium 2.16
Cauillando omnia à recto detorqueri possunt 1.514
Causa peior sæpe uincit armis meliorem 2.459
Causæ ueræ ac propriæ 1.550
Causæ malæ conscij quid facere conentur 2.352
Causæ causis nectuntur 2.325
Causæ cum suis effectibus nos latent 1.377
Causarum diuisio 1.619
Causarum innumeratis ac multitudo 1.438
Causarum genera tria ne sint 1.395
Causarum cognitio pulchra 1.538
Causarum cognitio quouſq; necessaria ibid.
Causarum in rebus studium noxium plurimis ibid.
Causis secundis quo pacto utatur dominus 1.553
Causas ignoramus uehementer 1.556
Causas rerum cognoscere suauis res 2.553
Causidici piscatores recte dicuntur 1.304
Celeritásne an cunctatio prosit gubernatoribus 1.175
Censorib. Romæ nil sanctius 1.143

Censoribus

Cenſoribus Liuius non ignouit. ibid.
Cenſura ueri ſeu falſi quæ requirat. 1.568
Cenſura ſeuera bonorum authorum. 1.524
Cerebri diſpoſitio. 2.510
Certamen inter collegas ſtudiorum quale. 1.8
Certare non magna laus, ſed uincere. 1.661
Certandum cum quibus ſit. 2.160
Ceruiſiæ coctio qualis. 2.272
Charitas erga Deum quæ. 2.82
pro Charitate preces. 2.228
Charondus Tyriarum legislator. 1.289
Charta emporetica & bibula, quæ. 1.26
Charta epiſtolaris qualis. 1.78
Chartæ ad ſcribendum diuerſi generis, quibuſq; uſibus ſingulæ conducant. 1.26
Chartarum formæ. 1.78
Chartarum Gallicarum Hiſpanarumq; diſcrimen. 1.48
Chlœlia Tyberim tranabat. 1.266
Chriſtus cur poſt triceſimum annum demum cœperit publice docere ac miracula edere. 2.375
Chriſtus non fallitur. 1.69
Chriſtus paſtor & quod habeat pecus. 1.663
Chriſtus nobis doctrina & exemplum. 2.249
Chriſtus cur nihil conſcripſerit. 2.366
Chriſtus quatenus reſarcierit caſum Adæ. 2.348
Chriſtus cur humanitatem diuinitati iunxerit. 2.359
Chriſtus Samſonis imaginem expleuit. 2.441
Chriſtus quoq; rationibus in fidei negotio uſus eſt. 2.292
Chriſtus omnem legitimam uiuendi rationem expreßit. 2.375
Chriſtus Phœbus eſt. 1.664
Chriſtus attulit lucem hominibus cæcis antea. 2.485
Chriſtus prædictus à Sibyllinis gentium & uatibus Iudææ. 2.361
Chriſtus quando natus ſit. 2.120
Chriſtus cur reſurgens ſe multitudini non conſpiciendũ præbuerit. 2.389
Chriſtus peior Moſe habetur in miraculis. 2.444
Chriſtus nõ ſibi at nobis paßus. 2.249
Chriſtus pacificator noſter. 2.278
Chriſtus paſſus pro nobis ut ſequamur ueſtigia eius. ibid.
Chriſtus quo pacto aſpiciendus. 2.81
Chriſtus accuſatur à multis. 2.393
Chriſtus ultro ad necem non tractus uenit. 2.384
Chriſtus quamdiu bellũ geſſerit. 2.132
Chriſtus cur uenerit. 2.85
Chriſtus puer quando in lucem editus. 2.374.376
Chriſtus cum prædiceret aliquid fore, an ex neceßitate ſit. 2.325
Chriſtus quando mortuus, ac ubi & quomodo. 2.383
Chriſtus reſtaurat hominem perditum. 2.291
Chriſti patientia. 2.85
Chriſti humilitas. ibid.
Chriſti iniuria, conuitia & afflictiones. 2.279
Chriſti perſona cur non rethorum more deſcripta. 2.370
Chriſti genethliacon. 2.111
Chriſti aduentus tũ apud Iudæos tũ gentes clare prædictus & cur. 1.657
Chriſti mortis cauſa. 2.446
Chriſti regnũ pacis dicitur. 2.125
de Chriſti appellationibus quid cogitandum. 2.82
Chriſti crux myſterijs plena. 2.384
Chriſti aduentus de cœlis quando ac qualis. 2.357
Chriſti duarum naturarũ coniunctio cui ſimilis. 2.359
Chriſti aduẽtus cur tardus. ibi. et. 360
Chriſti clypei deſcriptio. 2.137
Chriſti in Eccleſiam amor. 2.616
Chriſti doctrina toto initio uſq; in finem. 2.376
Chriſti afflictiones ut debeamus contemplari. 2.242
Chriſti natiuitas transfertur ad Pollionis filium. 1.659
Chriſti potentia omnium regum ſuperat. 2.387
Chriſti acta Romã perſcripta. 2.365
Chriſti acta. 2.373
Chriſti humanitas quando uiſa abiectißima. 2.448
Chriſtus Mahumetis. 2.465
Chriſti mors atrox. 2.281
Chriſti ſudoris ſanguinei typi. ibid.
Chriſti paßio explicatur. 2.24
Chriſto quid debeamus. 2.385
Chriſto quibus modis mundus adductus. 2.822
in Chriſto tria ſunt cõſideranda. 2.380
de Chriſto quid ſentiendum. 2.202
Chriſto omnes exceptis Iudæis beneuolunt. 2.453
Chriſto minus quam latroni parſum. 2.246
Chriſto Eccleſia nil charius. 2.253
Chriſtum duas naturas habere. 2.435
Chriſtum uaticinia impleuiſſe de Meſſia. 2.437
Chriſtum an carnem neceſſe fuiſſet induere, ſi homo permanßiſſet in fauore numinis. 2.248
Chriſtum ex uirgine natum. 2.437
Chriſtum quomodo negent Iudæi Meßiam. 2.402
Chriſtiani plura fora iudiciorum habent quam gentiles. 2.779
Chriſtiani iniurias remittunt facile. 1.70
Chriſtianum non decet aliud ore prõ ferre, aliud corde ſentire. 1.69
Chriſtianorum arma. 2.250
Chriſtianorum ieiunium. 2.630
Chriſtianorum conuentus ſub Traiano. 2.394
Chriſtianos gentilibus deteriores cupiditatibus uanis. 1.330
Chryſippus coniector optimi. 1.458
Chryſippus quid à præcepta exegerit. ibid.
Chryſippiani theſaurus. 2.26
Chryſoſtomus ſtylo Aſiaticus. 1.105
Cibariæ leges quot et quales. 1.234
Cibo carere non poßumus. 2.217
Cibo cur egeant animantia perpetuo. 2.499
Cibo cur potis addatur. 1.40
Ciborum uarietas quid noceat homini. 1.40
Ciborum delectus in Iſraelitico populo quid ſibi uoluerit. 2.409
Ciborũ uarietas homini peſtilẽs. 1.74
Cibos quos prohibeat Mahumetes et cur. 2.466
Cibos frigidos conuenit eſſe poſteriores. 1.40
Cibũ et potum metiendũ natura deſiderio famis ac ſitis. 1.58
Cicero qualis in dicendo phraſi fuerit ſua. 1.106
Cicero in iocis leuiculis, item in magnis ac ſolidis, admirabilis. 1.458
Cicero an ſolus in oratione imitandus. 1.493
Cicero uerborum pondere, uiribus pugnat Demoſthenes. 1.493
Cicero Platonẽ æmulatus ubiq;. 2.42
Cicero quibus non legendus. 1.473
Cicero in dicendo cur tantum apud Senatum Romanum ualuerit. 1.403
Cicero non omnia rerum uocabula continet. 1.403
Cicero probabilia conſectatur ut aues nuſquam conſiſtit. 1.373
Cicero an in uerbis ubiq; ſit imitandus. 1.259
Cicero par Ariſtot. & Plat. 1.291
Cicero de dicendi gloria cum Demoſthene certat. ibid.

Cicero nomen

Cicero nomen suum mutare noluit, sed illustrare. 1.291
Cicero cur consul creatus. ibid.
Cicero suis orationibus Græca nunquam instruit uerba & cur. 1.117
Cicero ob orationem rex nuucupatus. 1.295
Cicero dicendo senatum Romanum regebat. ibid.
Cicero in Poëtica felix. 1.291
Cicero pater patriæ primus Romæ salutatus. 1.291
Cicero aptior quieti, quàm bello. ibidem.
Cicero negat se totas xij. tabularum leges intelligere. 1.335
Cicero quid in libris de Legibus disputet. 1.289
Cicero æmulator Platonis. 1.289
Cicero res nimis dilatat. 1.110
Cicero eneruis, fractus & elumbis dictus. ibid.
Cicero quàm proximè ad religionis Christianæ cupita accessit. 1.290
Cicero in rebus Philosophicis lubricus ac inconstans. 1.394
Ciceronis epistolæ familiares ad quid conducant. 1.9
Ciceronis ad C. Herrennium libri supposititi. 1.290
Ciceronis somnium Scipionis quale scriptum. 2.42
Ciceronis de Senectute & amicitia num sint epistolæ. 1.60
Ciceronis stylus in dicendo. 1.76
Ciceronis scripta duobus modis male lecta. 1.401
Ciceronis orationes interdum innalidæ sunt & cur. 1.110
Ciceronem qui puritate linguæ superarint. 1.403
Ciceronis præstantia. 1.290
Ciceronis res gestæ. ibid.
Ciceronis patria & natiuitatis tempus. ibid.
Ciceronis ingenium. ibid.
Ciceronis orationes subtiles, crassæ & mediæ. 1.112
Ciceronis prima ad Iudices habita oratio. 1.61
Ciceronis prima ad populum oratio. ibidem.
Ciceronis ad Atticum & Brutum epistolæ qua dictione elaboratæ. 1.76
Ciceronis epistolæ ad Atticum quo stylo scriptæ. 1.104
Ciceronis de Legib. libri editi ut à philosopho non iurisperito. 1.289
Ciceronis uirtus cum fortuna certauit. 1.291
Ciceronis epistolæ tam rebus quàm dictione præstantes. 1.82
Ciceronis aurei de Republica libri. 1.290
Ciceronis de Finibus liber, epistola dici potest. 1.60
Ciceronis stylus qualis. 1.103
Ciceronis ingenium. 1.458
Ciceronis orationes in Antoniũ mites. 1.113.
Ciceronis uictoriæ. 1.292
Ciceronis in bello ciuili prudentia. ibidem.
Ciceronis mors. ibid.
Ciceronem ut debeamus imitari. 1.404
Ciconiæ pietas. 2.101.760
Circulorum cœli ordo. 2.54
Circũcisio Mahumetis fit anno xiiij. & cur. 2.471
Circumlocutio quid. 1.98
Circũlocutio illustrat atq; obscurat. ibidem.
Circumlocutio ubi locum habeat. ibidem.
Cimmeria gens quæ. 2.21
Cingula terræ quinq;. 2.62
C. Cinna potentiã suam magis quam patriam dilexit. 1.200
Cinna poëma scripsit triginta pressum annis. 1.676
C. Cinna affligit patriam. 1.200
Cinna propter crudelitatem à suis militibus occisus. 1.181
Citharæ inuentor. 2.6
Ciues qui æstimandi. 1.201
Ciuitas non decretis sed morib. bene regitur. 1.311
Ciuitas optime non decretis sed bonis moribus gubernatur. 1.418
Ciuitas felicius gubernatur ab optimo uiro quàm ab optima lege. 1.306
Ciuitas tam quieta nulla, ubi unum forum sufficeret. 1.434
Ciuitatis anima. 1.309
Ciuitates à senibus optime reguntur. 2.17
Ciuitates feliciter agentes pessime de suis rebus statuunt. 1.308
Ciuitates quæ fiducia sui innituntur, in grauia pericula deuoluunt. ibid.
Ciuitatum quies custodendis legibus continetur. 1.205
Ciuitatum res malæ ex bonis initijs ortæ sunt. 1.189
Ciuitatum felicitas in quo sita. 1.309
Clauo clauus retunditur. 1.100
Cleanthes quomodo hebetudinem ingenij acuerit. 1.320
Cladium super humanum genus formæ quot. 2.784
Ciuitatum uitia atq; pestes. 2.824
Clisthenes tyrrannos Athenis exegit. 1.309
Clysterem Ibis Ægyptia docet. 1.441
Coaceruatio argumentationis quid. 1.605
Cochlea quid sit. 1.273
Codicilli cur excogitati. 1.60
Codicillorum appellationes unde ueniant. 1.78
Codrus rex Athenienſium & quamdiu. 1.307
Cœlum angelus attributum & cur. 2.326
Cœli harmonia. 2.58
Cœli terræq; materia diuersa. 1.535
Cœli enarrant gloriam Dei. 1.442
Cœli an per se agitentur. 1.542
Cœli sonitum homo cur non capiat. 2.38
Cœli orbium ordo. 2.38
Cœli motus circularis & cur. 1.565
Cœli semper sublimes. 2.58
Cœli porta minime patet homicidis. 2.55
Cœli forma congrua. 2.54
Cœlorum nomine quid intelligatur. 2.212
Cœlorum numerus. 1.567
Cœlestium orbium harmonia. 2.38
Cœlostomia quid. 1.469
Cœna domini quomodo considerandа. 2.253
Cœna Domini cuius nos admoneat. 2.253
Cogi possunt leges non natura. 1.619
Cogitatio libera est. 1.99
Cognitio omnis propter appetitum attributa. 2.301
Cognitio prima quæ sit, eaq; aliarum origo est. 2.512
Cognitio rerum naturæ ut queat esse qui quis. 1.486
Cognitio cur animanti indita. 2.331
Concordiam ad ueram uia idonea. 2.828
Cognitio quid. 2.330
Cognitio uera quæ sit habẽda. 1.440
Cognitio nulla tam bona quæ corrumpi non possit. 1.445
Cognitio nostra est uelut inspectio. 1.439
Cognitionis gradus. 1.614
Cognitionis nostræ ordo. 1.383
Cognitionis omnis cur tributa. 2.534
Cognitionis genera tria. 2.502
Coitio prima acerrima. 1.62
Colon quid. 1.90
Coloni laus apud ueteres. 1.684
Colores grati sunt suo loco passim. 1.197

Coloris formæ unde fiat. 2.503
Colorum in sermone genera. 1.107
Collocutiones improbæ corrumpunt bonos mores. 1.366
Colloquium prudentis uoluptas summam. 2.89
Comma quid. 1.90
Comœdiarum pes carminum. 1.147
Comœdiarum argumenta quæ. 1.147
Comœdiarum personæ. ibid.
Commentaria quo pacto nostro sæculo accipiantur. 2.41
Comes facundus in uia, pro uehiculo. 2.691
Comem conuenit se præbere. 2.88
Comitia centuriata quem habuerint usum. 1.219
Comici catastrophen lætam addunt, & cur. 1.367
Compactio prima magnam requirit diligentiam. 1.62
Comparatio quid. 1.695
Communicatio quid. 1.99
Concentu alij alio delectantur. 1.124
de Concentu orationis dissenserunt Oratores. 1.93
Concertatio omnis, ad ingenium conducit. 1.459
Concessio simulationis. 1.90
Conciones duplices historicorum. 1.141
Concionatores succedunt oratorib. 1.409
Concionantium uerba, quibus esse debeant. 1.127
Concoctio cibi, ubi, & quo pacto fiat. 2.499
Concordia ipsa ipse mundus constat. 2.711
Concordia in ciuitate quando firma. 2.493
Concordiæ bona. 2.791
Concordiæ origo. 2.760
Concordiæ utilitas. 2.646
Concurrentes professores quàm pernicioſi. 1.452
Condimentum optimum quod. 1.19
Condimentum, res etiam amaras suaues reddit. 1.40
Condimentum totius uitæ. ibid.
Condimentorum uarietas quid homini noceat. 1.40
Condiscipulorũ certamen quale. 1.8
Condiscipuli, quo pacto æstimandi. 1.8
Condiscipuli doctiores non odio habendi. ibid.
Conditum nihil quod nõ conditoris similitudinem traxerit. 1.128
Conuexionum formæ. 1.605
Conestabulus quis. 1.44
Conformatio, quid sit in oratione. 1.100
Confutatio argumentorum aduersarij quæ. 1.118
Cõgruere omnia omnib. minime. 1.62
Coniunctiones rerum. 1.561
Coniunctiones, conumctiones olim dictæ, & cur. 1.2
Coniugationes uerborum quibus distingantur notis à sc. 1.3
Contugium, quo pacto adeundum. 2.614
Connubium nõ dominium fiat. 2.614
Coniugium ex uno mare unaq; fœmina fieri debet, & cur. 2.597
Coniugium tria peccatorum genera habet, & quæ singulis pœna. 2.640
Coniugium societatis humanæ præcipuum genus. 2.472
Coniugium conuenit ex duobus tantum fieri. ibid.
in Coniugij contractione absit fraus omnis. 2.613
Connubij finis. 2.604
Coniugij initio uitando omnis rixarum ansa. 2.715
Coniugij fœlicitas ac tempestas. 2.711
Coniugij progressus qualiter instituendus. 2.642
Coniugij fortißima uincula, liberi sunt. 1.250
Coniugij uinculum. 2.698
Coniugij casus. 2.644
Connubij sanctitatem quæ animalia incorrupte conseruent. 2.595
Connubij humani utilitates. ibid.
in Connubio uia gemina, & quales eæ sint. 2.601
Connubia quæ multum tractantur raro compingi. 2.695
Coniugia mutant sæpe personas in utranq; partem. 2.694
Coniugia calamitosa quæ. 2.691
Coniugum amor mutuus quas utilitates habeat. 2.644
Coniugiorum lex perpetua. 2.473
Coniuges in lecto non rixentur. 2.716
Coniugum concordia. 2.711
Coniugatorũ quis amor esse debeat. 2.616
Coniugatorum dißidia Romæ pulchre placata. 2.712
Coniugatorum colloquia pia. 2.616
Coniugatorum societas qualis esse debeat. 2.614
Coniugatorũ exempla quæ sine concubitu uixerunt. 2.719
Coniugatorum amor quando integer consistat. 2.617
Coniurãdi locus quib. cõcessus. 2.617
Commentarij unde nuncupati. 1.151
Commentarij duplices. ibid.
Commentarij modum habere debent. 1.152
Comitatis uerè fundamentum. 1.58
Commutationi rerum nunus succesſit. 2.299
Conquestio non est figura, sed species orationis. 1.99
Conscientia, uitæ huius magna magistra. 2.93
Conscientia sana murus æneus. 2.96
Conscientia mille testes. 2.108
Conscientia quæ est bene actæ uitæ testis miserum nunquã esse sinit. 1.212
Conscientia quæ fuerit scelerum arbitra nunquã sinit felicem esse. ibid.
Conscientiæ innocentis salus. 1.22
Consecratio mensæ. 1.18
Consiliarius sine prudentia, qualis. 1.172
Consilium omnib. fidele dandũ. 1.171
Consilium daturus principi, quid agat. 1.171
Consilium Græcorum omnium optimum. 1.311
Consilium præstat corporis uiribus. 2.99
Consilij præcipitis assecla est pœnitentia. 2.104
Consilij celeris comes, pœnitentia. 1.175
Consilia ad persuadẽdum duo habet potentißima. 1.170
Consilia quæ facilius penetrent. 1.176
in Consilijs nulla adulatio aut taciturnitas ualet. 1.187
Consilijs diuersis uti pro diuersitate rerum, sapientis non inconstantis est. 1.189
Consolatio omnium morborum animi in Christo habetur. 2.386
Consonantes diuiduntur. 1.1
Consonantes mutæ ubi incipiant & desinant. ibidem
Consonantes cur uocentur. ibid.
Consonantis sonus qualis. 1.16
Consonantium soni. 1.92
de Constructione, plura à Latinis quàm Græcis prodita. 1.11
Consulatum officium. 1.171
Consulatus Romæ per honorũ gradus consequendus erat. 1.205
Consulatus cur inuentus. 1.207
Consulens quomodo alios suos collegas tractare debeat. 1.172
Consulens neutris hominibus, quid gratiæ habeat. 1.178
Consulentes, modestia & grauitas decet. 1.171
Consultatio, affectus utrobiq; excludit. 1.174

Consultantes de reb. sacris quid facere conueniat. 1.171
Consultantes etsi sint prudentes, tamen uitent arrogantiam. 1.170
Consultantes amorem quàm prudentiam potius ostentent. ibidem
Consultantibus de rebus magnis quid maxime necessarium. 1.155
Consultores duo pessimi odij. 1.258
Consuetudo in naturæ conditionem transit. 1.495
Consuetudini cui aliquid tribuendum. 2.668
Consuetudinis longa recepta sancta fixaq; habentur. 1.339
Consuetudines praue quando in melius commutentur. 1.283
Contemnere maxtmi est animi expetere cuiusuis. 1.422
Contemnendus nullus est & cur. 2.82
Contemplatione sit summum bonum. 2.301
Contemplantium oratio qualis esse debeat. 1.125
Contemptus intolerabilis & quare 2.82
Contemptus quid qualisque affectus. 2.574
Contemptus fructus ibid.
Contendendum non est cum patria & parentibus. 1.264
Contentiosis incredibilis demonstratio. 1.293
Continentiæ in coniugio exempla. 2.373
Contractioni seruit breuitas. 1.151
Contractionum instrumenta ut creuerint. 2.673
Contractus malæ fidei plus nocere pauperibus quàm diuitibus. 1.311
in Contraria subito nil transilit naturale. 2.489
Contraria ad eandem artem pertinent 1.155
Contumacia crescente creuerunt leges ac pœnæ. 1.437
Contumelias qui Romæ æquo tulerint animo. 1.264
Conuentus hominum clauibus duobus reguntur. 1.392
Conuersandũ est eruditis et pijs. 1.58
Conuiuium conuiuio non regerendum. 2.88
Conuictus hominum. 2.87
Conuiuij luxurioſi descriptio. 1.137
Conuiuia pollucibilia quæ. 1.39
Conuiuia Terentij ac Athenæi. 1.18
Conuiuæ tres dissentiunt. 1.38
Conuiuæ quem numerum habere debeant. 1.38
Conuiuator festiuus & largus omnibus hominibus anteferendus. 1.41
Cor omne animal habet. 2.515
Cor primum uiuens ac ultimum moriens. 2.515
Cor sedes ingenij. 2.98
Corda fœminarum uulgo dominantur. 1.49
Cordati duo maxime expetunt. 1.311
Cordis locus optimus. 1.515
Correctio quid. 1.99
Correctioni adesse grauitas & moderatio debet in oratione. 1.129
Correptionis præcepta uaria ut uarij sunt delinquentes. 1.67
Corinthi ruinæ causæ. 1.229
Corinthium quis euerterit. 2.46
Cornelij Taciti utilitas. 1.10
Cornelij Taciti defectus. ibidem
Cornu monocerotis quam naturam habeat. 2.250
Corona graminea ueteribus quid significarit. 1.46
Coronæ triumphales quales fuerint. 2.335
Coronæ militares. ibidem
Coronæ ciuicæ. 2.136
Coronæ murales seu castrenses. 2.136
Coronæ nauales. ibidem
Corpus ut curandum sit. 1.446
Corpus animi uestis. 2.300
Corpus hominis quid. 2.71
Corpus hominis quale. 2.301
Corpus quas res contineat. 1.155
Corpus, animi carcer ac uinculum. 2.337
Corpus sine animæ quid. 2.268
Corpus hominis quid. 2.66
Corpus præsentibus contentum obliuiscitur præteritorum, securumq; est. 1.326
Corpus animo pareat. 1.511
Corpus nostrum non debemus contemnere. 2.73
Corpus mancipium animi. ibid.
Corpus quo pacto curandum. ibid.
Corpus nostrũ sepultura animæ. 2.345
Corpori quid prosit. 1.169
Corporis obstacula duplicia. 1.156
Corporis sensus interni. 2.298
Corporis bona ac mala. 2.71
Corporis constitutio in mentis uim multum efficit. 1.458
Corporis partes uiribus & actioni seruientes. 1.110
Corporis compositio animum iudicat. 1.59
Corporis constitutione qualicunque quo pacto utendum. 2.103
Corporis dux. 2.193
Corporis hominis & eius partium purgatio. 2.74
Corporis miseria. 2.403
Corpora formosissima in Phrysia. 2.610
Corpora animantium spongijs similia. 2.500
Corpora uirorum in mare proiecta supina feruntur, fœminarũ prona. 2.678
Corpora nostra septenarijs constare. 2.49
Corpora nostra oriri à Planetis septem. ibidem
Corpora multas animorum labes occultant. 2.65
Corpora habemus multarum rerum indiga. 2.308
Corporum diuinorũ ac humanorum soni quales. 2.58
Corporum uincula. 2.326
Corporibus adolescentum interiora feruefacientes cibi damnosi. 1.19
Corrumpimur per aures atq; oculos. 2.627
Κόσμος recte nuncupatur mundus. 2.53
Crapula abstinendum. 1.39
Marcus Crassus apud Carrhas cadit. 1.265
C. Crastinus primus pilum in bello ciuili iecit. 1.267
Creatio rerum qualis fuerit. 2.341
Creare ex nihilo aliquid, solius Dei est. 2.312
Creamur hominum gratia. 1.301
Creatura omnis uanitati subdita, & quæ ea sit. 1.539
Creaturarum ordo. 1.529
Credo nomẽ per se positum, ironiam significat. 1.652
Creduli qui. 2.525
Creduntur ægre quæ non satis intelliguntur. 2.295
Crocodili natura. 2.98
Crocodilinæ argumentationes. 1.613
Crudelitas quid, & quæ eius formæ. 2.583
Crudelitatis exempla. 1.227
Crux Christi quid mundo sit. 2.384
Crux Christi condimentum omnis amaritudinis. 2.279
Ctesiæ fabulæ. 1.369
Cuculus quando & quamdiu cantet. 1.21
Culinæ nomen nemini sordeat. 2.653
Cultus diuisio. 1.108
Cultus in homine, extremus est. 1.106
Cultus uestium quo pacto crescat. 2.637
Culpa neminem uacare intellexerunt gentiles. 2.832

Cultelli optimi cuduntur Brugis in Flandria. 1.18
Cupido cur quosdam deos feriat non omnes. 2.686
Cupiditas quid. 2.557
Cupiditas qualis affectus. ibid.
Cupiditas sua genera habet. ibid.
Cupiditas hominis quanta. ibid.
Cupiditas fiducia minuitur. ibid.
Cupiditatẽ precibus auertere. 2.229
Cupienti animo nil satis festinat. 1.349
Cura corporis magna, magna est in curia animi. 1.472
Curæ diuinæ signa erga hominem. 2.317.
Curæ hominum inanes. 2.268
Curiositas simultates gignit. 2.87
Curiosorum natura. 2.849
Q. Curtij sermonis color. 1.107
Cydonipersica quis fructus. 1.38
Cygnus morti uicinus cantat dulce. 1.29.
Cypriani epistolæ quales. 1.83
Cyrus agricola fit. 1.684
Cyri forma. 1.53

D

Dactyli natura. 1.93
Dæmõ diuina æmulatur cuncta. 2.379
Dæmon uiribus suis potentior quàm homo. ibid.
Dæmonis erga nos malitia. 1.443
Dæmonis ministri ad miracula peragenda. 2.379
Dæmonis uaticinia qualia. 2.380
Dæmones quibusdam familiarissimi. 2.340
Dæmones in idolis loquebantur. 2.340
Dæmones quibus supplicijs miserrimi. 2.80
Dæmonum mala unde 2.341
Dæmonum artes & scientiæ. 2.340
Dæmonum habitationes. ibid.
Dæmonum duo genera quo pacto usurpata à gentibus. 2.340
Damnant res qui eas non intelligũt. 1.273
ad Dandum inuitat, qui se accepisse profitetur. 1.643
Dandum quod ui alioqui exprimendum sit ultro. 1.245
Dauid propheta mendacij arguitur. 2.439
Daphnis quis. 1.662
Daphnis pastoricij carminis inuentor. ibid.
Dauid fuit dux fortis qui nulli cessisset alij. 2.157
Dauidis familia extinguitur penitus. 2.423
Dauidis clementia. 2.446
Debere omnia, graue est. 1.64
Debitum pecuniæ & gratiæ non est idem. 1.111
Decus uirtuti debitum sæpe ad pecuniam transfertur. 1.125
Decorum est maultiplex. 2.589
Decempeda eadem non sunt omnes metiendi. 1.81
Decimationes legionum quid fuerint. 1.198
Declamatio pro cæco contra nouercam de parricidio. 1.246
Declamationes nostri sæculi quarũ rerum sint. 1.401
Declamationes post Ciceronis sæculum quales. 1.253
Declamationes quarũ rerum habendæ. 1.492
Declamationum usus. 1.179
Declamationum exempla. 1.180
Declamationum origo. 1.400
Declamatio prima Græca complectitur nomina ac quæ sint ea. 1.2
Declinationis tertiæ Latinorum fines undecim. 1.3
Declamationes quinq; & earum cognitio. 1.2
Definiẽdum quo pacto ubique sit. 1.592
Definitio quid, & eius utilitas. 1.587
Definitio à descriptione quid differat. ibid.
Degeneratio rerum quomodo contingat 1.573
Deglubere quid. 1.22
Delectatio quid qualisq; affectus. 2.569
Delectatur quisq; ijs audiendis quorum usu uoluptatẽ percipit. 1.123
Deliberatio quarum rerum sit. 1.156
Deliberatio beneuolentia attentione ac docilitate non eget in priuatis. 1.176
Deliberationis tempora quæ. 1.175
Deliberationis oratio longa aut breuis pro loci opportunitate dirigatur. 1.178
Deliberationẽ omnem constare comparatione. 1.173
Deliberatiui generis quæstiones. 1.173
Deliberatiui generis tractatio opus difficile. 1.154
Deliciarum comes extrema saltatio est. 2.683
Deliciæ ruris superãt urbicas. 1.649
Delicta delictis addimus. 2.240
Deliramenta quare patiantur homines interdum. 1.283
Delius quis. 2.56
Delphi conflagrauit paucis horis. 2.321
Delphicum oraculum nobilissimum in toto orbe. 1.221
Delphino nil celerius. 2.98
Delphinũ in Gallia quem nominent. 1.43
Demens est qui se potiorẽ putat dijs. 1.649
Dementiæ uitium omnium maximũ. 1.371
Demosthenes in orationibus miles. 1.110
Demosthenes in sono amplo parcior 1.104
Demosthenes in phrasi non satis Atticus cui uisus. 1.103
Demosthenes minus scholam sapit, quàm Cicero. 1.119
Demosthenes in leuiculis rebus nihil, in magnis multũ ualuit. 1.458
Demosthenis pro Ctesiphonte oratio qualis. 1.113
Demosthenis labor in litera r exprimenda. 1.93
Demosthenis ætate qualis ornatus. 1.107
Demosthenis penes eloquentiam sæpe bellum uel pax fuit. 1.295
Demosthenes iocorum facultate destitutus fuit. 1.66
Demõstratio nõ est Dialectici. 1.377
Demõstratio quarũ rerum fit. ibid.
Demonstratio excedit captũ nostrũ. ibid.
Demonstratio Lesbia forma esse cogitur. 1.377
Dẽtes quo instrumẽto purgãdi. 1.19
Descensus argumẽtatiõis quid. 1.605
Descriptio per quæ fiat. 1.587
Descriptio ea facilis quæ rerum sub sensum cadentium fuerit. 1.136
Descriptio optima. 1.138
Descriptionis meta. 1.137
Descriptionis earum rerum quæ sub solam mentem cadunt ratio. 1.136
Descriptionis finis. 1.136
Descriptionum ordo. 1.138
Desidia artes omnes perdidit. 1.465
Descriptionum princeps Homerus & Vergilius. 1.136
Descriptionum utilitas. 1.138
Desyderia animorũ mutantur. 1.169
Διανοιαι quæ æstimarint Græci. 1.43
Destruere quàm construere facilius. 1.598
Deus cur singulis creaturis de sua excellentia aliquid attribuerit et quæ sit. 1.580
Deus quomodo in cœlis dicatur ha-

bitare. 2.212
Deus affectionibus humanis caret. 2.404
Deus suas opera etiam meliora facere potest. 1.566
Deus an in octaua sphæra habitet. 1.567
Deus infinitus ad actionē ad opus finitus. 1.567
Deus cuncta ad nos non se accommodat. ibid.
Deus Mahumetis. 2.464
Deus quid sit. 1.566
Deus non auersendus ad rationem eorum quæ agit dandam. 2.347
Deus & si omniū proprie, tamē hominis pater. 2.209
Deus hominem impense diligit. 2.317
Deus merito mundi regnum obtinet. 2.193
Deus noluit prorsus orbari hominem uero lumine 1.530
Deus colitur nulla re perinde ac puritate animorum. 1.127
Deus ita æternus habetur ut ei uix Est competat. 2.322
Deus ut loquatur hominibus. 2.363
Deus an maledixerit carni ac terræ post lapsum Adæ. 2.347
Deus solus beatitudinem conferre potest. 2.337
Deus quem diligit arguit. 2.278
Deus per se felicissimus. 1.577
Deus nullam mutationem recipit. 1.577
Deus non odit diabolum. 2.341
Deus cur corpore careat. 1.538
Deus si est, undé nam sint mala: si nō est, undé nam bona? 2.177
Deus ubiq; adest. 2.317
Deus a diacentibus caret. 1.136
Deus Aristoteleus quis. 2.313
Deus lux est & rationis & ueritatis. 2.290
Deus quid sit. 2.309
Deus cur creauit mundum. 2.316
Deus sapiens, potēs, optimus & cur. 1.529
Deus in se nihil nisi Deum habet. 2.297.
Deus excedit omnem captum humanum. 1.128
Deus per semetipsum cur nos uoluerit redimere. 2.355
Deus sine labore ac resistentia operatur & cur. 1.553
Deus secundis causis prona uoluntate non necessitate utitur. 1.553
Deus Iudæorum qualis fingatur ab illis ipsis. 2.403
Deus an corporeus aut forma hominis præditus. 2.403
Deus merito pater dicitur. 2.209
Deus cum nos ferit uocat ad se 2.211
Dei nomen non gentiliū more à Christiani hominibus tribuatur. 1.643
Dei interpretes. 1.511
Dei nominis sanctificatio. 2.212
Dei nominis imagines. ibid.
Dei regnum. 2.213
Dei uoluntates. 2.214
Dei uox pro principe duce ac iudice sumitur. 2.434
Dei nomina. 2.212
Dei nomine quid ueniat. 1.529
Dei filium nos redimere cōueniebat. 2.358
Dei filium congruebat uestiri humanitate. ibid.
Dei cura à nostra plurimum differt. 2.317
Dei sedes ubi sit. 2.403
Dei cultus. 2.81
Dei furor omnem temeritatem frangit. 2.157
Dei regimen in terris. 2.313
Dei excellentia per omnia confertur creaturis ac quatenus. 1.578
Dei imago ut sit in creaturis expressa. 1.576
Dei cultum particularem post uniuersalem requiri. 1.287
Dei posteriora. 2.297
Dei uis ac facultas est ipsius uoluntas. 1.577
Dei attributa. 1.577
Dei mysteria duorum sunt generum. 2.290
Dei beneficia quibus maximè exhibita. 2.80
Dei locus. 2.317
Dei beatitudo quæ. 2.325
Dei opera artificis magnitudinem testantur. 1.566
Dei iussa si quis negligat ac humana sequatur quid faciat. 2.632
Dei ignoratio in uita errores parit maximos. 2.310
Dei religio, prouidentia atq; animæ immortalitas ita cohærent ut nemo possit separare. 2.333
Dei immensitas quæ sit. 1.560
Dei templum. 2.421
Dei potentia in eo cernitur quod sine instrumētis omnia creant. 1.566
Dei opera omnia iustitia ac ueritas. 2.341
Dei opera quo pacto exequenda. 1.7
de Deo loqui ut possimus. 1.128
Deo quo pacto attribuātur quæ sunt hominum. 2.410
Deo adimere mundi regnum & fortunæ tribuere impium. 2.313
de Deo errores unde ortæ tot. 2.297
Deo cur ira ac furor attribuantur. 2.147
Deo æternitas nullum uerò tempus conuenit. 1.558
de Deo doctrinæ omnes quid sentiant. 2.484
Deo nomen attribui nequit. 2.213
de Deo quid senserit Socrates. 1.419
Deum ad actiones inuocare natura docuit, flagitia abstulit. 1.130
Deum terram respicere. 2.313
Deum in cœlo potissimum habitare cur homo æstimet. 1.529
Deum ministris uti. 2.316
Deum totus mundus deseruit. 2.195
Deum homines ex seipsis metiūtur, sed male. 2.289
Deum homini similem. 2.315
Deum esse, sed qualem, nescit homo. 1.287
Deum merum actum esse. 2.353
Deum esse nobis inditum à natura. 1.528
in Deum quomodo studiosum affectū esse debeat. 1.7
Deum unicum summumq; esse oportere. 2.310
Deum condidisse omnia eisq; prouidentia omnia regi. 2.312
Deum filium nō habere quibus probet Mahumetes. 2.466
Deum humilem nobis aduenire necesse fuit. 2.385
Deum esse sapientem unde deprehendatur. 2.286
Deum esse bonum. ibid.
Deum aperuit nobis filius. 2.352
Dij eliguntur uarij. 2.358
Dij armipotentes qui. 1.239
Dij benefici ac salutares omnes. 1.234
Deorum multitudo unde. 2.350
Deorū cultus apud Athenienses quis. 1.310
Deorum conuiuium, quidq; in eo actum. 1.269
Deorum simulacra uera. 1.184
Deorū duodecim munerus sacer habetur apud gentes. 2.366
Dijs parem gratiam referre nemo potest. 1.31
Dijs nihil impossibile aut difficile. 1.145
Dijs quæuis attributa. 1.474
Deos ex beneficijs finxit antiquitas. 1.643
Deos magna curare, parua negligere. 2.315
Deos esse oportere fingi, & cur & quàm male. 2.336

Deos ſe quidam priſcis facile perſuadebant 1.145
Deos gentiles quis in orbem inuexerit 2.211
de Diuis quid ſentiendum 2.202
Dextera dei quæ 2.451
Diabolus ſemper occaſioni imminet 2.93
Diabolus qualis hoſtis ibid.
Diabolus ut uincendus ibid.
Diabolus ſibi Chriſtum coniungi uoluit 2.392
Diabolus hoſtis perpetuus 2.232
Diabolus unde dictus 2.343
Diaboli poteſtas maxima ſuper terram 2.283
Diaboli tyrannis ac poteſtas quo pacto fracta 2.385
Diabolum abigere per preces 2.232
Diadematum inſtitutum à quo manarit 1.41
Dialectica deguſtanda quibuſdam obiter, quibuſdã fugienda omnino. 1.489
Dialectica pueris ſiniſtre traditur, atq; cur 1.373
Dialectica Philoſophi ad ſermonem uulgarem eſt compoſita 1.274
Dialectica manui contractæ ſimilis in pugnum 1.373
Dialectica cur inuenta 1.373
Dialectica quid 1.373.374
de Dialectica quis primus ſcripſerit Latinè 1.274
Dialectica ſpecies philoſophiæ primæ 1.373
Dialectica quibus diſciplinis ſeruiat potißimum 1.373
Dialectica colligendi ratio non eſt ſatis ad perſuadendum accommoda 1.119
Dialectica, uia ad reliquas diſciplinas 1.273
Dialectica, ſcientia eſt de ſermone. ibid.
Dialectica quid 1.357
Dialectica quo pacto tradẽda. 1.485
Dialectica quid in ſermone inueniat 1.274
Dialecticæ duæ partes ſeparatim tradendæ ſunt, et quando, ac quibus. 1.489
Dialecticæ non diu immorandum & cur 1.279
Dialecticæ utilitas 1.282
Dialecticæ locus malè à Grammatica ſtatim aßignatus 1.373
Dialecticæ ſcriptores primi 2.9
Dialecticæ nomina 1.373
Dialecticæ uſus 1.373
Dialecticæ proprium ac peculiare. ibid.
Dialecticæ officiũ atq; finis malè traduntur 1.373
Dialecticæ deprauatio 3.373
Dialecticæ inuentionis partem Cicero ferè primus excudit 1.382
Dialecticæ officium 1.274
Dialecticæ ac Rhetoricæ diſcrimen 1.373
Dialecticæ ſtudiũ peßimè deprauatum 1.273
Dialecticam conuenit eſſe puram atque integram & cur 1.373
Dialecticam Stoici intra iudicandi fines continent malè 1.373
Dialecticus quibus uocib. uti debeat 1.273
Dialecticorum ſtultitia 1.298
Dialecticorum rixæ atq; altercationes 1.345
Dialectos linguæ cuiuis una præcipua 1.148
Diana quid 2.57
Diana quid, & eius riſus 1.98
Διαγράς quos Græci appellarint. 1.303
Dicæarchi menſa 1.37
Dicere genus quoddam pugnæ eſt. 1.405
Dicere de rebus forenſibus longè facilius quàm de diuinis 2.285
Dicendi artem qui improbent cur, et quàm malè faciant 1.315
Dicendi orationis genus quale conceſſum iuuenibus ſenibus ue 1.124
Dicendi genera ſeu figuræ 1.683
Dicendi ratio quibus tradenda. 1.84
Dicendi uis in qua reipub. forma plurimum ualeat 1.392
Dicendo qui ualet, inter homines regnat 1.86
Dicendum nunquam eſt contra uerum 1.491
Dicentis intentio quæ eſſe debeat. 1.116
Dicta dicere in quemuis nil facilius. 1.66
Dicta dicere quorum ſit ibid.
Dictatura cur inuenta 1.183
Dictatura indumento non eſt ſimilis 1.182
Dictatura quis magiſtratus et quam diu durarit 1.181
Dictaturam negocijs non tempore finierunt boni uiri 1.191
Dictator Romæ primus quis fuerit. 1.183
Dictatoris electio quæ fuerit 1.230
Dictatoris poteſtas 1.204
Dictatoris potentia aucta ſupra mõdum 1.181
Dictatori quicquid libebat ratũ fieri 1.427
Dictatores plerunque Romæ hoſtes uicerunt 1.183
Dictionum penultimam Latini, ultimam Græci ſpectant 1.11
Didymo nemo plura ſcripſit 1.359
Didymo proprium obijcitur teſtimonium ibid.
Didymus χαλκέντερος dictus 1.457
Dies humani, fumi ſpeciem habent. 2.175
Dies nefaſti Romanorum 1.237
Dies faſti ac nefaſti recõditi, & quare 1.429
Dies poſterior prioris magiſter eſt. 1.149
Dies nouißimi 2.441
Diei elementa 2.218
Diei ultimi deſcriptio ſecundum Mahumetem 2.476
Differentia quid 1.379
Differentijs ut nimiũ egemus, ita plurimum caremus 1.378
Difficilia nimium pro impoßibilibus habentur 1.156
Diffinire rectè quis ualeat 1.588
Diffiniendi peritia, doctum ab indocto ſeparat maximè 1.592
Diffinitionis inquirẽdæ exemplum. 1.588
Digeſtum iuris duplex, cur ſic uocetur 1.383
Digitus medius, infamis cur dictus. 1.53
Digna & indigna, non natura, ſed ſuperbia hominum ſeparat. 2.315
Dignitas quid. 2.71
Dignitatem indigni cõſequuntur ſæpe. 1.58
Dignitatem mali male tutam diligenter conſeruare uoluerunt 1.427
Dignitatum nomina ubi in epiſtolis ponenda 1.71
Dilemma quid 1.605
Diligentiæ exempla 1.348
Diligere meritò debemus proximum 2.211
Diligimus natura eos à quibus ſumus amore prouocati 1.66
Diluuia Græciæ 2.349
Diluuia an plura mundi fuerint. 2.321
Diluuij meminerunt gentiles. 2.349
Diſcedere à rebus charis audientibus & ſpectantibus miſerabile. 1.645
Diſſenſionis ſcopi diligenter animaduertendi, & cur 1.118
Diſcere aliquid à dæmone, impiũ eſt.

1.443
Discendi finem disputare statuerunt plurimi. 1.344
Discendi cursus. 2.530
Discendi cupidi, eruditi fiunt. 2.531
Discendum quamdiu sit, cur & à quibus. 1.518
Discendum ita, ne pietas unquam deseratur. 1.443
Discenda sunt omnia ex libris. 1.447
Discunt facilius qui amant Docentem. 1.8
Disciplinæ, communionem inter se habent. 1.351
Disciplina quæuis factiones habet. 1. 340
Disciplinæ an possint puro sermone tradi. 1.361
Disciplinæ quæ ualde inflant. 1. 527
Disciplinæ quæ intactæ manserunt. 1.417
Disciplina quæ uenditur, nunquã bene traditur. 1.451
Disciplinæ uniuersæ, pietati seruire debent. 1.444
Disciplinæ omnes à Græcis manauerunt. 1.12
Disciplinæ tenebris inuolutæ. 1. 332
Disciplina est duplex. 2.529
Disciplinæ uniuersæ, excepta religione, lusus sint pueriles. 1.438
Disciplinæ omnes Latino sermone cõscriptæ. 1.12
Disciplinæ à ueteribus admodum corruptæ traditæ. 1.324
Disciplinarum uirtutumq; semina in hominibus esse. 2.523
Disciplinarum parens. 1.329
Disciplinarum doctores atq; exitus. 1.441
Disciplinarum præstantia. 1.324
Disciplinarum tradendarũ quis præclarus modus existat. ibid.
Disciplinarũ origo in tradendis præceptis. 1.149
Disciplinarum fores quæ. 1.485
Discipulus præceptorem amet ac uideat ut redametur. 1.8
Discipuli cultus erga præceptorem. 1.8
Discipulorum corruptela. 1.455
Discipulorum ingenia exploranda. 1. 453
Discordia in religione periculosa. 2. 788
Discordiæ origo ac quantum malum. 2.760
Discordiæ mala. 2.791
Discordiæ finis. 2.827
Discordiæ culpa maior. 2.643
Discursus finis. 2.525
Discursus quid, & eius formæ quæ. 2. 524
Disputantibus quid obsit maxime. 2. 817
Disputatio quid. 1.633
Disputatio omnis à diffinitione exordium sumat. 1.587
Disputationes publicæ non sunt utiles. 1.451
Disputationes cur institutæ. 1.344
Disputationes nec ad persuadendum nec reddendis melioribus hominib. idoneæ. 1.425
Disputationes quales esse debent. 1. 523
Disputationis metæ. 1. 391
Disputationum abusus. 1.344
Disputationis Philosophicè exemplum. 1.33
Disputationibus qui idonei, qui non. 1.638
Disputationibus ut se parandum est. ibid.
Distinctionis in sermone formæ. 1.90
Diocletianus imperio relicto rus se confert. 1.684
Diodorus Siculus primus desijt apud Græcos nugari. 1.370
Diocletianus sæuit in Christianos 2. 139
Diogenis uerba ad Dionysium quum gratias ageret. 1.40
Diogenis iocus de Musis. 1.38
Dionysius odio habetur & quomodo id declinarit. 1. 195
Dionysius Corinthi ludum aperit ut se sustentet. ibid.
Diphthongi qui scribantur & proferantur. 1.1
Ditescit neutiquam qui non periclitatur. 1.48
Diuersa in sermone quæ. 1. 102
Diuina homini obscura, per lucẽ clara fiunt. 2.191
Diuina nemo nisi deus docere ualet. 2. 384
Diuina mysteria quædam penitissima. 2.296
Diuina adoranda, non scrutanda. 2. 108
Diuinæ mentis similitudo duplex est. 2.326
Diuinitatis prætextu auditores dicto audiẽtes facere, uetus ars. 2.458
Dies facilius fit scurra quàm bonus paterfamiliãs. 1.458
Diuites quo pacto pauperes æstimarint Athenis. 1.310
Diuitum apud Atheniẽses studia exercitiaq;. 1.312
Diuitibus cedendum. 2. 87
Diuitiæ magnæ pietas, & præsentib. acquiescere. 2.230
Diuitiæ quid. 1. 71
Diuitiæ cur requirantur. 2. 72
Diuitiæ, iniuriæ pignora. 2.103
Diuitiæ sunt uera bona. 1. 56
Diuitiarum usus exiguus ac breuis. 1.503
Diuitias qui consequi studet quid agat. 1.175
Diuisio quid, & eius utilitas. 1.586
Diuortium, nullum fœminæ uitium patitur præter adulterium. 2.700
Diuortij mala. 2.473
Docere, uocabulũ quo pacto accipiatur. 1.116
Docendi præcepta rara apud scriptores. 1.135
Docentes augent non minuunt eruditionem. 2.529
Docentes alios magna præmia expectant. 1.522
Docentes alios imitentur Christum quare & in quibus. 1.522
Doceantur quæ. 1.135
Doctus principem adiuuat bonis monitis. 1.64
Doctus uir quo potissimum persuadere queat 1.522
Docti laus unde petatur. 1.518
Docti gloria nulla, nisi in Deo. ibid.
Docti quietè egent, eamq; à principibus accipere debent. 1.322
Docti ab adulatione alieni sint. 1.520
Docti diuina facilius indoctis capiũt 2.290
Docti nec pecuniã nec gloriam quærere debent. 1.520
Doctorum hominũ contentiones omnium disciplinarum 2.768
Doctorum gradus quis 1.32
Doctos reipsa præstare debent quod legunt. 1.522
Doctoribus ac magistris quis honor exhibendus. 2.238
Doctores ueterum Philosophorum qui 1.420
Doctores omnes captum discẽtium intuentur 2.386
Doctrina inualida quæ. 2.385
Doctrinæ exitus. 1.441
Doctrina turpis res, cui nõ uita respondet. 1.452
Doctrina nascitur ex antecedente cognitione. 1.149
Doctrina cur fugax. 1.667
Doctrinam ut comparare queat homo. 1.470

Doctrinarum concentus 1.351
Doloris contrarium fœliciorem hominem esse 1.287
Doloribus suis quiuis indulget. 1.69
Domus administranda ut sit. 2.632
Domus ex multis rebus sæpe cõstat. 2.604
Domi ut sit concordia multum positum in uxoris manu 2.712
Domuum grauissimi contubernales. 2.645
Domuum in Græcia membra. 2.633
Domino sub uirgam accurrendum. 2.277
Domitianus se Deum nuncupat. 1.427
Dormientibus quæ eueniant somnia. 2.44
Dormitatio inter uigiliam ac somnũ medium 2.539
Donum illiberale 1.190
Dona Dei uarie omnibus distributa. 2.528
in Donis quid agendum corporis uel animi 1.518
Donare qui ciuitate potest uerba tamen nequit 1.380
Donatus male sæpe iudicauit de poẽsi 1.368
Donatus in consilio authoris exponendo nimius 1.461
Draco Athenienſium magnus legislator 1.289
Draco leges sanguine scriptas dedit Athenienſibus 1.307
Draconis leges sanguine scriptæ. 1.426
Druydarum Sacerdotum Galliæ mos in suis posteris tradendis ceremonijs 1.326
Dubium genus quale 1.2
Dubium & commune quid differant genere ibid.
Ducibus quamdiu egeamus. 1.523
Dullardi querela de sophistica. 1.284
Dionysius tyrannus Siciliæ ludit religionem 1.221
Dionysius Syracusanus liberat regnum uexatum 1.317

E

EBrietas madida & sicca. 2.108
Ebrietatis uitia 1.42
Ebrietatis ianua 1.43
Ebrietatis apud ueteres & recentiores collatio 2.273
Ebrietatis malum ut suos uitare docuerint liberos Lacedæmonij. 1.513
Ebur mittit India 1.38
Ecclesia ex quibus congregata. 2.452
Ecclesia sanguinem sudat 2.282
Ecclesia quos libros recipiat ad salutem 2.373
Ecclesiæ cursus catholicæ 2.395
Ecclesiæ termini ibid.
Ecclesiæ uetera disciplina. 1.296
Ecclesiæ membra longe diuersæ in fidei negocio 2.293
Ecclesia cur deprauata. 2.294
Ecclesiæ ingens gaudium. 2.252
Ecclesiæ res gesta non sedulo literis mandatæ 1.518
Ecclesiæ sponsus Christus 2.157
Ecclesiæ pugna interna atq; externa. 2.139
Ecclesiæ primitiuæ aduersa & cur à Deo immissa 2.270
Ethnici semper fieri 2.505
Edendum quando sit 1.42
Ediscendum quo pacto quis commode queat 2.77
Educatio nobiliũ ignobiliumq; quid discriminis habeat 1.55
de Educandis liberis qui præcipiant 2.625
Effecta nonnulla causis similia. 1.571
Egreßionum formæ 1.135
Egreßionum utilitas ibid.
Elatio ad res magnas impedimentum. 1.459
Electio quid 2.601
Elegantia maiorum uerborum quàm rerum uestiendi sit 1.21
Elegãtia sermonis in quo posita sit. 1.109
Elementa tria tantũ & quæ illa sint. 1.545
Elementorum dispositio sapiens. 1.544
Elementa quatuor num insint quouis composito 1.546
Elementorum actiones 1.544
Elephas mutorum præstantißimus. 1.581
Elenchos sophisticos cur tradiderit Aristoteles 1.276
Eloquentia certißimus gradus ad maximos honores & ubi 1.329
Eloquentia quo pacto creuerit. 1.103
Eloquentia suis uiribus destituta & cur ibidem
Eloquentia regina nuncupatur. 1.86
Eloquentia in quauis lingua regnare potest 1.405
Eloquentia Atticæ dictionis salubritatem perdidit & quando. 1.110
Eloquentiæ frenos impositos & cur. 1.399
Eloquentiæ origo est delectus uerborum 1.86
Eloquentia bona pars in scholã post Romam deuictam abijt 1.252
Eloquentiæ uis 1.295
Eloquentiæ præsto sit sapientia necesse est. 1.296
Eloquentiæ usus in quibus esse debẽt. ibid.
Eloquentiæ uultus non unus. 1.493
Eloquentiæ præmia apud ueteres. 1.399
Eloquentiæ cur ueteres tam studiosi. ibid.
Eloquens nullus artis ferè magister fuit 1.491
Eloquentes de eloquentibus uaria habuerunt iudicia 1.103
Eloquentes semper in precio habiti. 1.295
Eloquentium exempla 1.294
Eloqui quid sit 1.405
Eluuiones orbis 2.321
Emanuel nomen quo pacto scriptum. 2.438
Emendanda uita sapiens ex alienis erratis 1.9
Emendare hominum uitia per epistolam quo pacto debeas 1.67
Emendationis profectus quando appareat 2.76
Emolumenta per iniurias quæsito nõ sunt diuitiæ 1.320
Empirici qui 1.176
Endymionis uitam uult nemo agere. 2.491
Endymionis somnus 2.5
Ennius Homeri inuigilat operibus ac cur 2.45
Ens simplex quod 1.563
Ens unde descenderit 1.534
Ens Latinè uno uocabulo non ostenditur ibid.
Entis formæ ac modi 1.534
Entium singula uires uel ex se uel ex alio habent 1.548
εὐδυμία, beatitudo hominis est 2.403
Enthymema quid 1.605
Enunciatio quid quæ eius partes & reliqua 1.596
Enunciatio uera uel falsa quæ habenda 1.598
Enunciationis ueræ uel falsæ censura: 1.589
Enuntiationes simplicis uel compositæ 1.596
Enunciationum compositarum natura 1.602
Enuntiationibus quis uerborum modus aptißimus 1.595
Epagoge quid 1.605
ἐπιμύθιον quid 1.144
Epaminundas iniurias ciuium ne pa-

triæ incommodaret facile pertulit 1.269
Epicœnum genus non est & cur 1.2
Epicherema quid 1.605
Epicherema quibus constet 1.382
Epictetus cur in maximo fuerit precio 1.67
Epicuri placita 1.443
Epicuri impietas 2.350
Epicuri fœlicitas 1.287
Epicurus ipse quid de uoluptate senserit 2.302
Epicuræi sensibus omnia credunt. 1. 377
ἐπεύθυνα quid 1.305
Epilogus quid, quis eius usus & quæ formæ 1.134
Episcopus potens esse debet in doctrina sana 2.293
Epistola puella plebeia in genere manet, licet in specie alia, alia magis uestiatur 1.76
Epistola est imago quotidiani sermonis ac colloquij 1.75
Epistola solutilis uel apertilis. 1.79
Epistola longa liber dicendus. 1.81
Epistola nemo offendatur & quare. 1.69
Epistola quæuis uirtutem aliquã habere debet 1.82
Epistola simplicitate ornatur. 1.75
Epistola uera ac germana quæ. 1.60
Epistola consultoria quæ contineat. 1.63
Epistola formalis 1.73
Epistola unde dicta Græcis 1.60
Epistola non erubescit 1.62
Epistola conciliatoria quæ comprehendat 1.63
Epistola officiosa quæ comprehendat ibid.
Epistola petitoria quæ cõprehendat. 1.63
Epistola commendatitia quæ tractet. ibid.
Epistola Panegyrica quæ tractet. ib.
Epistola præceptoria quibus de rebus tractet ibid.
Epistola hortatoria quibus de rebus agat ibid.
Epistola admonitoria de quib. rebus agat ibid.
Epistola castigatoria de quibus rebus agat ibid.
Epistola gratificatoria de quibus agat rebus ibid.
Epistola consolatoria de quibus rebus agat. ibid.
Epistola incitatoria de quibus rebus agat ibid.
Epistola expostulatoria quarum rerum sit ibid.
Epistola inuectiua ibid.
Epistolæ alienæ quæ ibid.
Epistolæ natura alia quàm historiæ. 1.60
Epistolæ commendatitiæ præcepta. 1.64
Epistolæ breuitas quæ esse debeat. 1. 81
Epistolæ alterius responsurus ordinẽ ipsius sequi debes 1.72
Epistolæ aulicæ perniciosæ. 1.62
Epistolæ antiquissimæ ad quid paratæ 1.60
Epistolæ partes 1.70
Epistolæ breues aut longæ quæ dicendæ 1.81
Epistolarum calcibus quid adijciendum 1.73
Epistolarum authores quales et quibus prosint 1.82
Epistolarum inuentio 1.60
Epistolarum ordo 1.72
Epistolarum Ciceronis narrationes quales ibid.
Epistolis comitas moderata condimentum, redundantia uerò tædium adfert 1.70
Epistolarum usus 1.59
Epistolarum res quas cõtinent. 1.62
Epistolarum componendarum ratio. 1.60
Epistolarum exordia quo pacto conficienda 1.61
Epistolarum dictio quæ sit 1.75
Epistolarum commendatitiarum exempla sunt apud Ciceronem & Plinium creberrima 1.65
Epistolarum permagnus usus in omnes uitæ partes 1.59
Epistolarum scribẽdarum dices. ibid.
Epistola quid sit 1.59
Epistola cur reperta ibid.
Epistolarum commendatitiarũ signa quibus utuntur principes 1.65
Epistolarum genera multa 1.60
Epistolarum Ciceronis dicto & ordo quis 1.76
Epistolarum superscriptiones quales esse debeant 1.75
Epistolarum apud ueteres complicationes 1.79
Epistolarum responsiones 1.69
Epistolis diem ac locum præfigere aptius quàm postponere 1.79
Epistolis uernaculis idem conuenit quod Latinis 1.74
in Epistolis uitanda anxietas 1.10
Epistolis tẽpus adijci cõmodũ est. 1.73
Epistolas ueteres in tabellis scribere solebant 1.77
Epistolas maiore diligentia scribere decet iuuenes quàm senes 1.76
Epistolas scripturi circa initia maxime conflictantur 1.60
Epistolas breues ac parui momenti ueteres non obsignabant 1.79
Epistolaris ars in eloquendo nullam adhiberi artem 1.75
Epitome quid 1.151
Epitome duplex ibid.
Epitome quem finem habeat ibid.
Equo emerito quid contigerit 2.160
Equi cur lympidam aquam potaturi pede turbent 2.499
Equi demulcendo plus quàm pabulo pinguescunt 1.166
Equitum ordo Romæ inter senatum plebemq; medius 1.236
Errore à manifesto nemo unquam captus 1.191
Errare primo quid postea pariat. 1. 352
Errare cuiusuis hominis in errore persistere dementis 2.76
D. Erasmi syntaxis & colloquia tyronibus commoda 1.5
Erasmi epistolæ quales 1.83
Erasmi colloquia ad quid conferant 1.9
Erasmi laus 1.9
ἔφεσις quid sit 1.73
Erroris magnus magister populus. 2. 70
Errores quiuis excusare conatur, ne fateatur eos 1.333
Erubescimus & in nostris & in alienis rebus, & quomodo 2.590
Eruditio ingenij pastus 2.78
Eruditio alijs prodesse nobis sæpe nõ potest 1.519
Eruditio diuina 2.76
Eruditio quatuor cõstat rebus 1.518
Eruditio facunda exhilarat omnes. 1.667
Eruditio in Belgica exiguum locum obtinet. 1.41
Eruditio cur comparetur 2.71
Eruditio lux mentis 2.531
Eruditio & eruditi duo uitia uitent 1.451
Eruditos decet concordia 1.523
Educationis præcepta 1.58
Eruditionis scopus 2.78
Eruditionis finem quem homines statuant 1.334
Eruditionis honestas capit ingenia 1.667
Eruditionis uis et ratio in quib. consistat

ſtat. 1.7
Eruditionis ueræ peſtis atque corruptio. 1.349
Eruditioni magnæ inuida ut & alijs rebus pulcherrimis comes eſt. 1.525
Eruditorum officium in rebus publicis ac principium. 1.312
Eruditionem poſteris relinquere qui & quomodo debeant. 1.525
Eruditionem magnam compendioſe comparare quid. 1.25
Eruditionem iuuenē ſuboſtētare non improbandum eſt. 1.124
ad Eruditionem ampliſimā quid conferat. 1.467
Eruditionem quo pacto quidam ſuſcipiant. 1.349
Eruditionem quibus comparare queamus. 2.76
Eruditus eruditionem debet in alios effundere. 1.522
Eruditi hominis uita ac mores. 1.518
Eſaias eloquens. 1.295
Eſſe in Deo uerum communicatur rebus conditis. 1.533
Eſualis Medicinæ poteſtatis uſus ac terminus. 1.500
Eſus nullam rationem habere homini perniciоſum. 1.500
Eſſentiam rerum nemo percipit. 1.375
Ethica quid. 1.419
Εὐπροΐα quid. 1.130
Etyma finitiōnis loco haberi poſſunt aliquando. 1.588
Euangeliſtæ an inter ſe diſſentiant. 2.368
Euangeliſtas uera ſcripſiſſe. 2.437
Euangeliſtæ quæ neceſſaria. 2.391
Euangelicæ hiſtoriæ ueritas quando recepta. 2.367
Euangelium regula eſt ſacrarum literarum. 2.371
Euangelium clarum eſt omnibus. 2.369
Euangelium de quibus rebus agat. 2.368
Euangelium unde dictum. ibid.
Euangelij ſermo qualis. 2.370
Euangelij modum in ſcribendo totus mundus immutari non poſſet. 2.371
Euangelij uirtus & excellentia. 2.368
Euangelij ſcriptores. 2.365
Euangelij ab alijs diſciplinis diſcrimen. 2.368
Euangelia uarijs in linguis ſcripta extant. 2.463
Euangelia Iudæi reijciunt & cur. 2.437
Eudoxus Cnidiarū legislator. 1.289
Eumetrides gemina qualis. 2.28
Europa continuis triginta annis bellum habuit. 2.269
Europa quæ mala perpeſſa. ibid.
Exceptores unde dicti. 1.78
Exemplum quid. 1.605
Exempla generi humano fructuoſa. 1.139
Eexempla apud Romanos quæ ualuerunt potiſſimum. 1.174
Exempla apud Chriſtianos quæ maxime ualere debeant. ibid.
Exempla ad præcepta grammatices qualia eſſe debeant. 1.4
Exempla aliena efficacia ſunt. 2.626
Exemplar abſolutum eſt in natura. 1.461
Exequias lugere licet maxime proprias. 2.746
Exercitijs cuncta purgantur ac uirescunt. 1.572
Exilij exemplum dignum. 2.649
Ἕξις quid ſit. 1.550
Ἕξις quid poßit. ibid.
Ἕξεις ubi potiſſimum locum habeant. ibid. & 551
Exiſtimatio figura ſermonis qualis. 1.101
Exitus ſemper expectandus & cur. 1.67
Exitium qui alteri parat ſibi nouerit peſtem paratam. 2.828
Exordia noſtra unde ſumenda. 1.654
Exordia ueterum & poſteriorū quælia. 1.130
Eeperientia per uarios uſus artem fecit. 1.439
Experientia ratione regenda eſt. ibid.
Experimentia noſtra uel aliena quo pacto comparentur. 1.505
Expertis credendum eſſe. 1.284
Expetere cuiuſuis eſt, contēnere non. 1.422
Expoſiturus aliquid tria attendat. 1.680
Expoſtulatio eſt ſpecies non figura orationis. 1.99
Extenuatio in quibus fiat. 1.100
Extimatiua facultas qualis. 2.510
Exulum affectus naturalis. 1.645
Expleri cibo eſt belluarum non hominum. 1.17

F

FAbellæ proponendæ ætati tenerę. 1.5
Fabius cunctatione imperium obtinuit. 1.187
Q. Fabij Cunctatoris æſtimatio Romæ quanta. 1.187
Fabula quid. 1.369
Fabulæ Mileſiæ. 1.144
Fabulæ ueterum quid ſibi uoluerunt. 1.365
Fabulæ ſcenicæ quæ complecti deberent. 1.146
Fabulæ quo pacto populo proponantur. 1.368
Fabulas auiles non conuenit infantibus narrare. 2.236
Fabularum origo ac fundamentum. 2.340
Fabularum genera in populo Romano. 1.147
Fabulis nihil non fœdatum. 2.53
Fabulas poetarū non eſt nefas ſi quis haud plene cognoſcat. 1.466
Facetiarum genera. 1.66
Facetum in quo ſitum. 1.109. & quid
Facies pudoris ſedes. 1.618
Facies bene effigiabiles quæ. 1.137
Facies indicat animi ſenſa. 2.175
Facies ſpecioſa quæ. 2.555
Faciei compoſitio idonea. 1.59
Faciei tegumentum decorum quod. 2.87
Facilia difficilia fiunt, ſi inuitus peragas. 1.47
Facta dictis exæquanda. 1.142
Factu difficile non uidetur, quod factum aliquando ſit. 2.675
Factum facto calcamus. 2.844
Facundia in fœmina garrulitas. 2.695
Facundia quo pacto alatur. 1.482
Facundia canina. 1.68
Facundia pro bono contra malum ſtare debet. 1.491
Facundiam ὑφεσυνίστολον uocat Euripides & cur. 1.490
Fauor quid ac qualis affectus. 2.565
Fauor erga quos ſe extendat. ibid.
Falſa ueri ſimilitudinem maiorem habent quàm uera. 1.346
Fama integra conſeruanda. 2.73
Fama nec profutura malo, nec læſura bonum. 2.93
Fames optimum ſapidiſimumq; condimentum. 1.17
Fames in Europa. 2.269
Familiæ tria debentur. 2.729
de Familiari re qui præcipiant. 2.615
de Familiari re qui autores ſcripſerint. 2.648
Familiares qui ſint eligendi tibi. 2.91
Familiaritas nimia contemptum parit. 2.566
Familiaritas quando cōtemptum pariat. 1.47
Fœditatis cenſura unde ſumatur. 2.589
Faſces Romanorū magiſtratuum im-

fignia. 1.103
Fascibus paucis adeoq; nullis egue-runt ueteres Romani. 1.204
Fastigium in omni re optandum po-tius quàm sperandum. 1.493
Fatá ne uitari queant. 2.49
Fati quæstio. 2.323
Fannij regis uxor præter suum non uidit alium uirum. 2.725
Felices à uulgo dijs atq; philosophis qui iudicati. 1.421
Felicitas in quibus sita, & quibus au geatur uel minuatur. 1.421
Felicitas Aristotelica pietati Chri-stianæ contraria. *ibid.*
Felicitatis uiam omnes homines a-gnoscunt, sed non recipiunt. 1.530
Felicitatem quæ ornet. 1.288
Felicitatem in hac uita non esse expe ctandam. 1.420
Femen ueteribus, femur recentiori-bus dicitur. 1.54
Festinat nihil satis properanti animo. 2.149
M. Ficinus philosophaster, & qua-les scripserit epistolas. 1.83
Fides paratur amore, prudentia, ac probitate. 1.171
Fides individua & socia & amica iu sticiæ. 2.69
Fides catholica unde dicta. 2.368
Fides prorsus Dei donum. 2.285
Fides quæ rebus fit, duobus paratur modis. 1.115
Fidei rationes non omnes capiunt. 2. 291
Fidei rebus habendæ ordo. 1.615
Fidei Christianæ fundamentum. 2. 494
Fidei in negotio an rationibus uten-dum. 2.290
Fidem non seruantibus infortunati. 1. 321
pro Fide preces. 2.226
Figulus figulum odit. 1.647
Figura in oratione quid sit. 1.108
Figura per figuram precium amittit. *ibid.*
Figuræ sæpius repetitæ amittũt gra-tiam. 1.142
Figuræ de Iesu Christo uenturæ. 2. 361
Figurarum in quibusdam linguis nul lus est modus. 1.107
Figuris oratio cõsperſa sit, non refer ta. 1.107
Filius quando patrem referat. 1.493
Dei Filij nomina qualia. 2.353
Filij parentibus permittant curam de suis uxoribus. 2.601
Filij patrem sequuntur non matrem, omnium gentium ritu. 2.714
Finis rerum omnium quis. 2.286
Finis cuiusque rei proprius ubi situs. 2.300
Finis in omni opere primus cogita-tione, executione ultimus. 1.440
Finis potissimum causa est. 1.553
Finis à cupiditate noscitur. *ibid.*
Finis respicit futurum. *ibid.*
Finem docere nil pulchrius. 2.288
Finem præsentem non ultimum peco ra intuentur. 1.555
de Fine nulla electio aut consilium. 1. 287
Fines ignoratissimi. 1.556
Finitionis formæ 1.587
Finitiones quando sunt sufficientes. 1.592
Flagitia subinde noua exoriuntur. 2. 272
Flagitia suis pœnis punita. *ibid.*
Flagitijs alienis recensitis sæpe quis magis offendit auditores quàm qui ea commisissent. 1.129
ad Flagitia mutantur deterrenturq; homines duabus rationibus. 1.312
Fœderibus dij præsunt. 1.206
Fœmina quid. 2.623
Fœmina materfamiliâs prouectioris ætatis ut se geret. 2.742
Fœmina nil accipere, nihilq; dare de bet. 2.679
Fœmina cum nubit quid cogitare de beat. 2.697
Fœmina dires intolerabile malum. 2. 713
Fœmina ex uirtute non ornamentis spectanda. 2.666
Fœmina pulchra parum tuta. 2.610
Fœmina prodiens in publicum quo pacto aget 2.677
Fœminæ Christianæ ornamenta. 2. 722
Fœminæ quid domi agere debeant. 2. 728
Fœminæ doctæ quos libros uitare de beant. 2.658
Fœminæ intolerabiles penitus. 2.607
Fœminæ in uirorum potestate sem-per esse debuerunt. 2.751
Fœminæ illustres. 2.603
Fœminæ quod natura habent, ne-queunt mutare. *ibid.*
Fœminæ affectus mitiores uirorum. *ibid.*
Fœminæ constitutio optima. *ibid.*
Fœminæ uirtutes duæ propè solæ. 2. 624
Fœminæ sœuas plures quàm uiri ha bent. 1.54
Fœminæ cura unica pudicitia. 1.648
Fœminæ obscuro loco natæ elatio-res alijs. 2.610
Fœminæ facile irritantur. 2.712
Fœminæ coniugatæ uirtutes duæ ma ximæ. 2.699
Fœminæ cogitatus celer est. 2.652
Fœminæ amores illicitos fugiant. 2. 684
Fœminæ natura. 2.502
Fœminæ fuco abstineant seu pigmen tis. 2.665
Fœminæ iam nuptæ quo pacto se in publico gerere debeant. 2.724
Fœminæ quas aduersitates perferãt. 2.640
Fœminam quæ conueniat ex literis cognoscere. 2.624
Fœminam uidere malum, peius allo-qui, pessimum tangere. 2.680
Fœminam an literas expediat nouis-se. 2.622
Fœminam quid natura docuerit. 2. 704
Fœminæ cogitatus, lubricus. 2.672
Fœminæ incautæ uaria certamina proposita. 2.674
Fœmineus sexus deuotior uirili. 2. 706
Fœmina non tam facilis reconcilia-tioni ac uir. 2.712
Fœmina modesta dotes suas non com memorabit. 2.715
Fœminæ cur à uiris tam blandè com pellantur. 2.727
Fœminarũ custodia, carnificina an-xietatum. 2.734
Fœminarum arma non sunt ferrea. 1. 255
Fœminarũ proprius ornatus ac præ cipuus. 2.668
Fœminarum uirtutes. 2.673
Fœminarum quarundã exempla imi tanda. *ibid.*
Fœminarum opera mariti pij reddi-ti. 2.733
Fœminarum doctarum exempla. 2. 2.654
Fœminas maribus párere natura in omnibus animantib. docuit. 2.704
Fœminas an doctas esse conueniat. 2. 654
Fœminas mundicies ac nitor decet. 2. 638
Fœminas saltationes uitare debent. 2.683
Fori personæ. 1.304
Forma & habenti eam & aspicienti perniciosa. 2.620

Forma

Forma momentaneum bonum. 2.691
Forma uxoria. 2.610
Forma quid 1.537
Forma pulchra eſt muta commendatio. 1.66
Forma quid 2.71
Formam ſuperbia ſequitur. 2.609
de Forma homines diuerſiſſime ſtatuunt 1.99
Formicas colloqui 1.86
Formoſa facies muta cõmendatio. 2. 248
Formoſius nil animi lineamentis. 1. 647
Formoſiſſimi qui. 1.31
Fons quidam & bruto hominem efficit. 1.57
Fomium mirabilis natura. 1.57
Fortitudo ea non eſt de qua Philoſophus agit. 1.422
Fortitudo unde ſuas uires accipiat. 2. 36
Fortitudo ira accenditur. 1.422
Fortitudinis exempla. 1.422
Fortis nomine quid inde intelligatur. 2. 434
Fortuna multis nimium, nemini ſatis. 2. 96
Fortuna fallacior quo blandior . 2.99
Fortuna aliquando mater, interdum nouerca exiſtit. 1.187
Fortuna in bello plurimũ ualet. ibid.
Fortuna quum blanditur captatum uenit. 1.261
Fortuna læta minus ferri poteſt interdum quàm triſtis. ibid.
Fortuna in rebus nihil eſt. 2.325
Fortunæ dotibus non nimium fidendum. 1.648
Fortunæ cur quidam tam multa tribuerint. 2.312
Fortunæ quamlibet blandæ nõ fidendum. 1.261
Fortunæ bona qualia. 2.71
Fortunam celeriter bonus parat, malus diſſipat. 1.453
Fortunam quis excogitarit. 2.325
Fratrem odiſſe furioſum. 1.452
Fratres nonnunquam ſorores uitiarunt. 2.680
Fratres qui ſe inuicem perimerunt. 2. 782
Fraus omnis ex ſimilitudine ueri oritur. 1. 638
Frigus ad agendum, tardas ad patiendum & magnas uires habet. 1.550
Frons occipitio prior, quid ſit. 1.53
Frons pudoris, ſedes in corpore. 1.54
Fuleire prius, poſterius naturale eſt. 1.133
Funerum pompæ unde manarint ad Chriſtianos. 2.747
Fumus quàm citò pereat. 2.175
Furari feſtiuũ factum apud quos habetur. 1.426
Furiæ parricidas facibus accẽſis perſequuntur. 1.259
Furor oculis caret. 1.195
Furoris deſcriptio. 1.137
Furtum ſuſpẽdio punitur, & quando cœperit. 1.426
Futurum perfectum quod. 1.3

G

GAlenus, ſcribendo Aſianus. 1. 351
Galenus Aſiaticus fuit ſtylo. 1. 105
Galenum quidam uerterunt parum feliciter. 1.153
Galliæ dialectus præcipua. 1.148
Galli diuerſa dogmata ut & Hiſpani habent. 1.32
Galli feruentiores diſputando. ibid.
Gallorum intertenere quid ſit. 1.144
Gaſparmi epiſtolæ. 1.83
Gaſparmus primus in Italia cœpit auorum ætate balbutire. 1.83
Gelboæ mons rore caret ac pluuia. 2. 280
A. Gellij ſermo collecticius, et ex quibus. 1.108
A. Gellij opus quale. 1.293
Genera nominum duo tantum nõ tria eſſe. 1.19
Genera cur inuenta nominibus. 1.2
Generandi uis quando animantibus ueniat rurſuſq; pereat. 2.500
Generandi modi uarij in Deo. 2.466
Generatio hominis pudenda facta eſt. 2.345
Generationum formæ. 2.501
Generoſitas, uirtus non ſanguis. 2.99
Generoſitas quid. 2.71
Generoſius nil quàm remittere iniuriam. 1.69
Genitius Cippus noluit patriam ſibi ſeruire. 1.265
Genios duos adeſſe homini cuiuis. 2. 340
Gens nulla tam barbara quæ religione careat. 2.350
Gentes aliena quæ exiſtimarint. 1.63
Gentes etiam ad gratiam Dei pertinere. 2.417
Gentium uocatio. 2.417
Gentilium opera bene lecta nil nocere pijs. 1.448
Geometria quomodo tradenda eſt. 1. 497
Geometria ars circa quid uerſetur. 1. 416
Geometriæ principia. 1.417
Geometriæ ſtudio ubi maximè impenſa opera. 1.328
Georgica Vergilij opus præclarum. 1.683
Germani pueros ſuos olim recens natos proluebant rapido gelidoq; flumine. 1.383
Germani ab Octauio ſubiugati. 2. 124
Germani rurſus deficiunt. ibid.
Germanorũ mos carnes & piſces eadem menſa apponere. 1.135
Genu ſedes miſericordiæ. 1.54
Gorgiæ Leontini eruditio. 2.4
Gothi Romanis & urbem & nomen euertere conantur. 1.335
Gothi inuexerunt bis in die ſaturum fieri. 1.33
Gladiator in arena capit conſilium. 1.178
Glirium ſomnus. 2.152
Gloria ſatis magna uidetur uiuentibus ſuperiores attingere. 1.648
in Gloria tria expetenda. 2.62
Gloria quale bonum 2.71
Gloria temporalis fluxa 2.66
Gloriæ cupiditas magnis nocet ingenijs, & cur 2.61
Gloria non eſt quam plebs ſtulta iudicat 2.61
Gloria de uitijs non naſcitur ibid.
Gloria uera quæ. ibid.
Gloria hæc cõſtans quæ permaneat. ibid.
Gloria quærentes fugit, negligentes ſequitur. 2.98
Gloria à uirtute nunquam dirimitur. 2.66
Gloria æterna quanta & quo pacto comparetur 2.65
Gloria quid 1.422
Gloriæ uia compendioſa 2.66
Gloriæ fundamentum 2.61
Gloriæ cupiditate excelſi ſæpe ferrun tur animi 2.36
Gloſſa quid, & unde nomen habeat. 1. 151
T. C. Grachi quietis perturbatores interficiuntur 1.266
Gradatio argumentationis quid ſit. 1. 605
Gradus honorũ in Academijs nulline ſint. 1.451
Graduum in uniuerſitatibus iuſta diſtributio. 1.452
Graduum ſumptuum origo. 1.355
Graduum mala diſtributio. ibid.

Græca lingua elegans & exculta. 1.77
in Græcia & Italia quidam horis septem integris dixerunt. 1.345
Græcia feraciſsima magnorum ſemper ingeniorum. 1.12
Græcia abundauit ingeniorũ copia. 1.369
Græciæ dialectus præcipua. 1.148
Græca lingua quando uiguerit maxime. 1.479
Græca lingua ab occidente diuulſa. 1.335
Græca cum Latinis diſci poſſe. 1.11
Græcæ linguæ utilitas 1.463
Græci in compoſitione uerborũ Latinis feliciores. 1.123
Græci ſuas hiſtorias de rebus peregrinis ſcripſerunt. 1.370
Græci cur in ſuis hiſtorijs ſint mentiti libenter. 1.369
Græci patria mendaciorum magnitudine commendant 1.369
Græci colonias in Aſiam miſerunt. 1.105
Græci Latinos uincunt delicijs. 1.114
Græci nihil reliquerunt non figuratum. 1.90
Græcorum iactantia rerum ſuarum. 1.371
Græcorum curæ. 2.351
Græcitatis fructus. 1.12
Grammatica quid. 1.357
Grammatica deprauatur. 1.364
Grammatica ars ex uſu authorũ nata eſt. 1.7
Grammatica quo pacto tradenda. 1.464
Grammaticæ artis perditio. 1.358
Grammaticæ inuentio. ibid.
Grammaticæ præcepta, abſoluta non ſunt. 1.10
Grammaticæ ſcriptores quædam obſcurè tradiderunt aut prætermiſerunt. 1.1
Grammaticæ inuentor. 2.9
Grammaticæ longũ exercitum quod uitium ferat. 1.465
Grammaticæ utilitas atq; inſtitutũ. 1.464
Grammaticæ officium. 1.274
Grãmaticæ artis cognitio uſu ue potius quàm arte cognoſcatur. 1.359
Grammaticæ partes partim amiſſæ, partim uitioſe traditæ. 1.362
Grammaticũ felicem nullum eſſe uel fuiſſe. 1.466
Grammaticũ, rabioſum non decet eſſe. 1.451
Grammatici noſtri ſæculi inſignes. 1.361
Grammatici libri pueris legendi qui potiſsimum. 1.475
Grammatici quos mores habeant. 1.465
Grammatici nomen magni habitũ ali quando. 1.297
Grammatici nomen ac profeſsio magna. 1.360
Grammatici dignitas ac officiũ. ibid.
Grammatici ueterũ inſigniores. 1.361
Grammaticorum ueterum cum recentioribus collatio. 1.362
Grammaticorum inſcitia. 1.298
Grammaticorum contentiones de rebus omnibus perarduæ. 1.28
Grammaticorum princeps. 1.466
Grammaticorum importunitas. 2.41
Grammaticorum criſis amiſſa. 1.342
Grammaticorum cruces. 1.466
Grammaticorum perſuaſio falſa. 1.331
Grammatiſtica audacia, quanta. 1.683
γραμματοφόροι qui. 1.73
Gramen à quo humore maximè creſcat. 2.136
Gratiæ tres. 2.101
ad Gratiam Dei expedita uia per gratiam hominum. 2.710
Gratiam impetrari precibus. 2.233
Gratiarum actio à menſa. 1.40
Gratitudo perfecta. 1.642
Gratitudinis genus agnoſcere bene ſecum agi. 1.642
Gregorij epiſtolæ. 1.83
Grynæum nemus. 1.668
Gryſelidis fabula. 2.340
Gubernatio optima quæ. 1.306
Gubernationibus idonei populi quidam. 1.514
Gulæ intemperantia in Europa. 2.272
Guſtui odoratus utilis admodum. 2.508
Guſtus qualis ſenſus. 2.505
Guſtus aqueus. 2.513

H

HAbitus reſipit naturã & cur. 1.551
Habitus quid. 2.541
Habitus creſcit ac decreſcit tempore. ibid.
Habitationum loca idonea. 2.542
Hæbræa gens uetuſtiſsima. 2.352
Hæbræi educuntur Ægypto. 2.352
Hæbræi traducuntur Babylonem & quamdiu ibidem permanſerint. ibid.
Hæbræorũ interpretes cur diſsideãt. 1.464
Hæbræum nomen à paſtura pecudum deductum. 2.352
Hædera Bacchi arbor. 1.666
Hæreditate non opus eſt, ſed uirtute 1.453
Hæreſis non in ſermone, ſed in intelligentia ſita. 1.362
Hæreſis in quibus uerſetur, 1.363
Hæreſes unde oriantur. 1.362
Halcionij dies. 2.702
Hecuba in canem cur uerſa. 2.584
Hemerobiæ qualia animalia. 298
Heræ quales, tales famulæ atq; caniculæ. 2.606
Herba nulla eſt quæ nõ ſit rarior quo uis humano corpore. 1.537
Hercules ſex fuerunt. 1.369
Hercules oſtio domus præfigebatur olim. 1.30
Hercules immortalitatem conſequutus iuuandis mortalibus. 1.234
Hercules quibus delectatus. 2.55
Herculis pes. 2.465
Hermolai Barbari epiſtolæ quales. 1.83
Herodoti ſermonis cultus quis. 1.107
Herodotus hiſtoricus mendax. 1.370
Herodis crudelitas. 2.375
Herodes Aſcalonita regnum Iudæorum occupat. 2.438
Herodes ſenatum Iudæorum deponit. ibid.
Heros quis. 1.115
Hieronymus non epiſtolas uiſus eſt ſcribere ſed libros. 1.76
Hieronymi epiſtolæ quales. 1.83
Hieronymi Aleandri tabellæ eruditæ de ſonis literarum. 1.11
Hieronymi lectio. 1.362
Hieronymi diligentia atq; uita. ibid.
Hilaritati meta inter bibendum uix ſignatur. 1.43
Hippiæ eruditio. 2.4
Hippocrates artem medicam quo pacto exceperit. 1.439
P. Hiſpanus Latinè inſcientiſsimus. 1.277
P. Hiſpanus obſcuritatum in dialecticis author. ibid.
Hippopotamus uenæ ſectionẽ docet. 1.441
Hiſpani pro dijs coluntur. 1.145
Hiſpani homines inuicti artem ignorantiæ tuentur. 1.272
Hiſpani diuerſa dogmata cum Gallis habent. 1.32
Hiſpaniæ dialectus præcipua. 1.148
Hiſpaniæ ſalus in Philippo Caroli filio ſita. 1.12
Hiſtoria in eccleſia ſola defecit. 1.510

Historia uitæ magistra. 1.370
Historia epilogum non desyderat sed perspicuitatem. 1.141
Historia nihil breuitate pura & illustri dulcius. ibid.
Historiæ authores. 1.507
Historiæ cursus. ibid.
Historia, temporum speculum. 1.139
Historia falsa, reddit quod non accepit. 1.139
Historia cum populorũ moribus intercidit. 1.350
Historia, adulationes & hyperbolas poeticas. 1.140
Historia unde dicta. 1.368
Historia quid. ibid.
Historia Græca mendacijs referta. 1.369
Historia præstat omnibus disciplinis. 1.506
Historia quomodo legenda. 1.507
Historia, ex pueris senes et contrà facit. 1.505
Historia in quibus ualeat. ibid.
Historia iucunda. ibid.
Historia utilis. ibid.
Historia Græca fabulosissima. 1.507
Historiæ definitio. 1.139
Historia unde dicta. ibid.
Historia optima. ibid.
Historia quasi pictura quædam est. 1. 140.
Historia si omnia habeat necessaria, ueritate uerò careat, nomen defendere nequit. 1.372
Historia, ab epistola discrimẽ habet. 1.60
Historiæ uitium magnum, tempora confundere. 1.140
Historiæ in sacris quantum excellãt prophanas. 2.363
Historiæ definitio nominis atque rei mala. 1.368
ad Historiæ lucem, temporum digestio plurimum facit. 1.369
Historiæ ueterum cur obscuræ. 1.369
Historiæ gentium peculiares quando cœperint cõscribi & à quibus. 1.509
Historiæ oratio qualis. 1.142
Historiæ oratio poetis proxima. ibi.
Historiæ instruunt linguam. 1.10
Historiæ deprauatio. 1.369
Historiæ usus. 1.283
Historiæ leges. 1.139
Historiæ, res nouæ sunt. 1.542
Historiæ uirtutes. 1.142
Historiam quomodo hodie cõficiant. 1.371
Historiam sæpe animus non ueritas dictat. ibid.
Historiarum genera. 1.140
Historiarum pater. 1.507
Historiarum tempora. 1.140
Historiarum mendacia unde. 1.331
Historicus nec laudes suorum, nec uituperationem hostium ex affectu narret. 1.140
Historicus singula suæ magnitudini ac naturæ relinquere debet. 1. 370
Historici qui desiderantur. 1.510
Historici propria uerba quædam habent. 1.141
Historici ueteres neglexerunt pluri ma 2.365
Historici sermonis finis. 1.116
Historici præcipui. 1.507
Historico digredi, sed rarius licet. 1. 141
Historicum omnino liberum conuenit esse, & cur. 1.139
Homerus omnium sectarum philosophorum author. 1.365
Homerus in repetendo nimius. 1.142
Homerus, Vergilius Græcus dici potest. 1.269
Homerus semper mendacijs delectatur. 2.129
Homerus fons poetarum. 1.12
Homerus cur pulsus è repub. Platonis. 1.473
Homerus uisus apud inferos. ibid.
Homerus nugarum parens. 1.366
Homeri stylus qualis. 1.103
Homeri Achilles & Vlysses quo pacto descripti. 2.371
Homeri uirtutes. 1.479
Homeri uitia. ibid.
Homeri scripta à quibus congesta. 1. 480
Homero euenerunt sæpe talia somnia qualia uigilans cogitabat. 2. 37
Homicidæ furijs agitantur. 1.259
Homo affectibus permissus quale animal. 2.595
Homo quibus cõmodè regatur. 2.625
Homo cur ἀγνὸν suum nuncupatur. 1.459
Homo homini lupus. 1.52
Homo quibus carere nequeat in hac uita. 1.437
Homo ad quid genitus. 2.13
Homo quid differat à beluis. 1.85
Homo ni peccasset haud fuisset mortuus. 2.342
Homo ingenita est comprehensio diuinorum. 2.287
Homo ab externis sibi nil arroget. 2. 85
Homo quàm spectet mundi partem. 2.326
Homo cur in hac terra non omnibus fruatur bonis. 2.348
Homo paruus mundus. 2.66
Homo sine societate unicè uiuere nequit. 1.445
Homo superbissimum animal. ibid.
Homo cui rei destinatus. 1.438
Homo cur paruus mundus uocetur. 2.513
Homo in lucem prodit multarũ rerum indigus. 1.325
Homero omnes linguæ Græcæ pro una fuerunt. 1.148
Homo quinis alteri deuinctus est. 1. 370
Homo à calore in calorẽ, ex calore ad calorem peruenit. 2.328
Homo cæteris præstantior animalibus. 2.286
Homo aliorsum quàm ad hãc uitam pertinet & cur. 1.529
Homo prudentior furenti cedat. 1. 265
Homo cur conditus. 2.397
Homo qualis futurus sit. 1.577
Homo Deus est. 2.66
Homo, mundi princeps. 1.529
Homo sine educatione deteriora brutis sequitur. 2.345
Homo moritur etiam dum uiuit. 2. 343
Homo peccat uolũtate sua nõ ipsius Dei. 2.347
Homo paucis indiget. 2.72
Homo floribus cur similis. 2.176
Homo Dei similior fit nunquam, quàm cum nera loquitur. 2.119
Homo qualiter resurrecturus. 2.398
Homo facile finem suum negligit. 2. 268
Homo conditus ad societatem uitæ utriusq;. 1.425
Homo de homine quid iudicet. 2.356
Homo neutram uitam uiuet sine calore. 1.547
Homo quæ in se habeat quæ extra excogitarit postmodum. 2.298
Homo in angelum transire ut possit. 1.57
Homo animal maxime imitationi natum. 1.146
Homo doctus instrumẽtum uolumatis diuinæ. 1.519
Homo cum brutis quæ cõmunia habet, in ijs decipitur sæpe. 1.533
Homo diuinarum perfectionem non accipit. 2.297
Homo de homine iudicare nescit & cur. 2.85
Homo Deus est. 2.39
Homo ad quid conditus. 1.85

Homo finem se dignum nullum habet in hac uita. 2.305
Homo non est cõditus uitæ tunc ibid.
Homo non creaturarum dominus sed contrà. 2.344
Homo à paruis infestatur animalculis. 2.834
Homo quas perferat molestias. ibid.
Homo ociosus et occupatus quid differunt. 1.58
Homo quàm facile in beluam degeneret 1.573
Homo homini Deus à quo iuuatur. 1. 643
Homo felix in hoc æuo fieri nequit. 1. 581.
Homo societati conditus. 2.761
Homo inermis cur conditus 2.762
Homo animal ad mutationem promptißimum 1.525
Homo non perdendi sed iuuandi gratia in mundum introductus. 2.55
Homo cuncta precario accipit. 2.763
Homo ludus ac fabula est. 1.269
Homo totam rerũ uniuersitatẽ complectitur. 2.541
Homo quo pacto conditus. 2.331
Homo magnum miraculum. ibid.
Homo quando homo et non pecus sit. 1.58
Homo porco similis. 2.511
Homo humanitatem perdidit. 2.764
Homo ex duobus constans quo pacto ambobus prospiciet 2.629
Homo quantum percipere ualeat. 2. 60
Homo superatur corporis dotibus à multis animantibus. 2.345
Homo sensus acumen iudicium habet ad res naturales. 1.407
Homo seipsum ut noscat. 1.511
Homo in inquirẽda natura quod spatium consecerit. 1.436
Homo nullius suas res felices satis æstimat. 1.182
Homo miserũ genus seruitutis seruit. 2.306
Hominis natura deprauata non uerò immutata. 2.342
Hominis membrorum compositio supra modum admiranda. 1.271
Hominis propria. 2.769
Hominis inuentiones multarum rerum. 1.271
Hominis in cæteris animalibus res peculiares. ibid.
Hominis agnatio cum dijs. ibid.
Hominis natura in Adam uitiata integra ad posteros non uenit. 2.343
Hominis ordinatio primi. 1.511
Hominis inuersio. ibid.
minis militia. ibid.
Hominis gradus in uita quod animã concernit. 2.536
Hominis creatio secundum Mahumetem qualis. 2.466
Hominis tempestates intra cor. 2.403
Hominis natiuitas qualis. 1.492
Homo ad quid conditus. 1.52
Hominis compositio. 2.51
Hominis ingenium facundiam aut aliud opus, non diuina dici debent. 1. 100
Hominis & eius partium præstantia exponitur. 2.455
Hominis animus unde censeatur. 1.102
Hominis beatitudo prorsus non constitit externus. 2.300
Hominis tum corpus tum animus plagas clademq; accepit ex peccato. 2. 284
Hominis primi uires. 1.530
Hominis partes quæ ac unde. 2.71
Hominis ac bruti interualla. 2.544
Hominis finis in uoluntate consistit. 2.307
Hominis regnum, princeps, consiliarij faces. 1.496
Hominis formatio, Dei sapientiam ac potentiam declarat. 2.26
Hominis finis laborumq; suorum meta. 1.438
Hominis partes. 1.54
Hominis externa quæ. 1.62
Hominis ætas diei atq; anno similis. 2.542
Hominis facultates. 1.548
Hominis diuisio secundum animã & corpus ac horum subdiuisio. 1.62
Hominis in animo corpore extra & circa quæ sint. 1.155
Hominis finis quis. 1.288
Hominis uoluntas libera est. 2.324
Hominis corpori multi, animæ autẽ solus Deus dominus habetur. 2.331
Hominis epitheta. 1.270
Hominis finis. 2.299
Homini omnia subiecta in mundo. 2. 317
Homini duo optanda parandaq;. 2.8
Homini cur uis ueri intellgendi ac scrutandi attributa. 2.283
Homini tria cogitanda per totam uitam. 2.78
Homini unum est necessariũ & quod illud sit. 2.110
Homini cur dedignemur subijci ac parere. 2.356
Homini post lapsum adhuc duo concessa ad salutem. 2.361
Homini quid commune ac simile cum belluis. 2.331
Homini quid cõmune cum stirpibus. 2.298
Homini quid commune cum belluis. ibid.
Homini quid proprium. ibid.
Homini terra attributa cur ac quamdiu. 2.326
Homini ut quicq; cõiunctißimum ut ualidißimum ad iuuandũ uel nocendum 2.600
Homini unum necessarium tantum. 1. 438
Hominem esse depranatũ per quæ appareat. 2.344
Hominem recordari non addiscere. 1. 614
Hominem resurrecturum integrum. 2.397
Hominem totum immortalem esse unde pateat 2.396
Hominem quæ extimularint ut indagaret naturam. 1.436
Homine nil admirabilius. 1.270
Homines stupei sunt undiq;. 2.627
Homines fieri beatos, Dei uoluntas est. 2.215
Homines qua lege sint creati. 2.38
Homines rudes deridẽt miraculæ natura. 1.143
Homines hebetes rationem non assequuntur. 1.143
Homines hebetes exemplis & authoritate mouentur. ibid.
Homines miseri ac peiores indies. 2. 270
Homines nil agẽdo mali agere discũt. 1.58
Homines sua sæpe negligunt dona. 1. 339
Homines hodie plus possẽt præstare quàm ueteres siquidem uellẽt. ibid.
Homines alij obliqui alij transuersi, alij aduersi. 2.62
Homines cœlestes esse testatur facies. 2.332
Homines in mari integros uiuere. 2. 358
Homines si non ipsi sapiunt alios bene monentes audiant. 1.284
Homines de se decet modice sentire, Deum non. 2.378
Homines qua dote à brutis separẽtur. 1.316
Homines uniuersi cur non simul conditi sicut angeli. 2.342
Homines in piscium naturam mutati. 2.350
Homines quidem odore frugum uiuere. 2.499
Homine peius quàm belluæ niuũt. 2. 239

Homines paruo tempore augentur. 2. 349
Homines mutari cum sole. 1.338
Homines labi mirum non est. ibid.
Hominum uita salus atq; disciplina in Christi humilitate. 2.386
Hominũ sexus diuersi ut progignantur. 2.602
Hominum ingenia moresq; diuersi. 1. 293
Hominum omnia res nostræ esse debent. 1.63
Hominum proprium. 1.339
Hominum ad uerum doctores qui & quomodo eos docent. 2.356
Hominum à beluis discrimen. 1.16
Hominum affectus quàm uarij. 1.459
Hominum origo. 2.341
Hominum uaria exercitia. 1.56
Hominum discrimen. 1.25
Hominum dotes diuersissimæ. 1.115
Hominum ingenia à labore ad libidinem procliuia. 1.145
Hominum patria non una ciuitas sed totus mundus. 2.494
Hominibus quomodo utendum. 2.90
Honestum & utile inter Christianos sit nulla controuersia. 1.173
Honesti partes non omnes æquales. 1. 169
Honestus apud Romanos quæ summa. 1.173
Honor an precium uirtutis. 2.565
Honor quale bonum. 2.71
Honor crocodylo similis. 2.728
Honor an fœminis debeatur iuxta commune dictum. 2.728
Honor euanescit cito. 2.303
Honor qualis res. ibid.
Honores qui contempserint. 1.422
Honorũ signa excogitata uaria. 2.299
Honorũ gradus cur excogitati. 1.355
Horatius multis figuris fœliciter audax. 1.113
Horatius Cocles pontem à toto hostium exercitu solus tuetur. 1.266
Horatius Poetarũ secundus cur. 1.10
in Horatium commentaria quæ optima. 1.11
Horologij inuentor. 2.5
Q. Hortensio pauones erant in deliciis. 1.39
Hospitalitas rustica. 1.645
Hosti etiam fides seruanda. 1.220
Humanæ fœlicitatis aut miseriæ fons. 2.96
Humanum genus perit paucis exceptis diluuio. 2.349
Humani corporis mira harmonia. 2. 59
Humani incurrentes casus. 2.488
Humani ingenij uis. 1.84
Humanitatis sapientia. 1.184
Humor uiuẽtibus necessarius & cur. 2.498
Humor rex glutinum. 1.545
Humor caloris pastus. ibid.
Hydropici quo magis bibunt eo magis sitim accendunt. 1.219
Hypallage translationi subiecta. 1.88

I

Iacobi pietas. 2.351
Iambus pes citus. 1.93
Iani templum pacis belliq; apud Romanos index. 2.125
Iani templum tertiũ clauditur. ibid.
Ibidis natura. 2.744
ἰὸχὼ ut contingat. 2.505
Ideæ nullæ apud Deum. 1.552
ἰδιώμα quid. 1.277
Ieiunium uerum ac falsum. 2.474
Ieroglyphica quæ nominentur. 1.326
Iesus quid significet. 2.440
Iesus nomen multis commune. ibid.
Iesum esse Messiam. 2.402
Ientaculi usus. 2.79
Ignis uis in uiuentibus. 1.547
Ignis an uiuens sit. 2.500
Ignis etiam intima purgat. 2.399
Ignoramus longe plura quã sciamus. 1.518
Ignorantia quibus de rebus sit. 1.135
Ignorantia priscis seculis. 1.145
Ignorantia cæca est. 1.331
Ignoscere generosi est pectoris. 2.92
Imago absolutissima quæ. 1.370
Imaginatio quid sit, ubi, & quæ eius actio. 2.509
Imbecillia sunt humana cuncta. 2.356
Imitãdus unus licet præcipuus, solus non est. 1.493
Imitari quædam possunt, quædam minimè. 1.495
Imitatio in omni sermone primum. 1. 401
Imitatio cũ ibi sistit ubi cœpit in pueris boni ingenij signũ in senib. uicio sa est. 1.458
Imitatio res in studijs non parum utilis. 1.6
Imitatio quid. 1.492
Imitatio rerum diuinarum ac humanarum quid distet. ibid.
Imitatio quæ facere debeat. ibid.
Imitatio ueterum. ibid.
Imitationis in dicẽdo exempla. 1.401
Imitatio orationis quo pacto fieri debeat. 1.493
Imitatio bonarum rerum ingenij bonitatem arguit. 1.494
Imitatione homines capiuntur facile. 1.146
Immoderatio in dicendo odiosa. 1.118
Immortalitatem sibi politi ne diuturnitatem quidẽ consequuti sunt. 1.520
Imperandi felicitas. 1.191
Imperare qui debeant. 2.193
Imperare summa felicitas. 1.184
Imperator quæ habere debeat. 1.216
Imperator nemo est nisi quem populus sub eo militaturus legerit. 1.235
Imperator unus, plurib. melior. 1.317
Imperatores fortissimi recensentur. 2.157
Imperatores qui Christianos sunt persequuti. 2.139
Imperia grauissima eorum quos natura subditos esse uoluit. 2.620
Imperium quietum plus cogit quàm uehemens. 2.729
Imperium quietum potius quàm concitatum, bonum. 2.99
Imperiũ magnũ moliri quid sit. 2.824
Impudẽtia deterius nil in iuuene. 1.58
Incisio sermonis quid. 1.90
Incipit nemo inde quo incredibile est peruenisse. 1.247
Increduli qui. 2.525
India ingentis magnitudinis arbores producit. 1.25
Indignatio qualis affectus unde nascatur & apud quos regnet. 2.582
Indulgentia parentum officit plurimum filijs. 2.652
Indulgentiæ exempla. 1.348
Inebriari quid sit. 1.42
Infantes quare senibus plus dormiant. 2.501
Infantibus matris potius quàm nutricis lac prodest 2.735
Inferi ac superi qui habiti ueteribus. 1.145
Infinitum duobus modis intelligitur. 1.557
Ingenium acutum quod & cur dicatur 1.111
Ingenium hebes ibid.
Ingenium à memoria adiuuatur. 2.518
Ingenium humanum miræ libertatis est 1.472
Ingenium acutum dexteritate regendum aut errat 1.338
Ingenium exercitatione acuitur. 2.76
Ingenium ferro simile 2.109
Ingeniũ quid et eius functiones. 2.526
Ingenium hominis quale sit. 2.769
Ingenij cultura 2.75
Ingenij natura. 1.456
Ingenij felicitas exploratur computandi ratione 1.459
Ingenio nihil similius oculo. 1.456
Ingenio quid conforme ac consentan-

neum maxime 2.457
de Ingenio tardo atq; malo non desperandum, nec omnino fidendum. 1.459
Ingenia puerorum cui rei similia. 1. 467
Ingenia optima ubi intenduntur ualent 1.272
Ingenia sua pauci metiuntur. 1.330
Ingenia cum sint uaria, haud uni astringenda erunt 1.402
Ingenia excellentia passim exoriri. 1. 283
Ingenia eruditioni inepta. 1.460
Ingenia quæ ad frugem perueniãt maxime ibid.
Ingenia non sunt ad inuita detrudenda 1.459
Ingenia acuta, tarda fieri solent. 1.22
Ingenia acuta scalpellis similia. ibid.
Ingenia mutantur 2.528
Ingenia quibus excolantur. 1.329
Ingeniorum uis ac mutatio mira. 1. 457
Ingeniorum discrimen 2.530
Ingeniorum cultoribus gratiæ habendæ semper 1.329
Ingeniorum nostrorum obscuritas. 1.377
Ingeniorum acumẽ quibus excitetur 1.281
Ingeniorum in percipiẽdis dictis magna diuersitas 1.126
Ingenijs Atticis cur Plato craßum aerem academiæ delegerit 1.458
Ingrati in Græcia puniti 2.104
Ingratitudo sceleris loco habenda. 2. 245
Ingratitudo impiorum in Deum. 2. 289
Ingratitudinis exemplum 2.50
Inhærens quid 1.589
Imitatores seruum pecus & cur. 1. 402
Impudentia in dicendo odiosa. 1.118
Inimici sæpe animis præstant. 1.296
Inimicitias ex patria quidam contrahunt 2.494
Inimicitiarum summũ bellum est. 2.86
Iniuriam accipere quàm facere satius 2.92
Iniuriæ recordatio lis 2.773
Iniurias pari modo uindicandas esse Mahumet iubet 2.472
Innocentia humanorũ summũ. 2.101
Innocentiæ noceri non potest. ibid.
Innocentia per gradus certos ab homine discedit 1.247
Innocentiã ferocitas antecellit. 1.229
Inopiám ne an opulentiã filijs relinquere satius 1.308
Inscitia plerunq; depellit ueram pietatem 1.443
Insinuationis locus quis 1.135
Institutio quæuis sincerè exhibenda. 1.450
Institutio domestica aut peregrina melior 1.453
Instrumentum quid, & quæ eius formæ 1.552
Instrumentũ ne fiat sine die et cõsule. 1.73
Instrumentis uti ad opus efficiendũ, imbecillitatis signum est 1.566
Interiectio cur sit ita appellata. 1.6
Interiectiones naturaliter significãt, non uerò omnes 1.593
Intellectus humanus obscurißimus. 2. 303
Intelligentia simplex quid 2.516
non Intelligendi duæ causæ 2.517
Intempestiua omnia odiosa & ineßficacia 1.451
Interlunium quandiu duret 2.57
Interrogatio quid 1.99
Interpretem parcum quàm profusum esse conuenit 1.153
Interpreti quæ sint obseruanda. 1.152
Interpretes fallumtur facile 1.153
Interpretes non ubiq; sua iudicia interponant 1.153
Interpretum Græcorum authorum princeps est Gaza 1.12
Interpretibus opus est & cur. 1.10
Interpretationum usus 1.99
Inuectiuæ quando ferendæ 1.68
Inuentio Dialectica falsa est, retenta uerò perdita 1.383
Inuentio artibus iuuatur non perficitur 1.60
Inuentio probabilium 1.616
Inuentio quibus parari queat. 1. 396
Inuentio omnis non tam artis quàm prudentiæ est 1.60
Inuentio una tantum eaq; magis Dialectici quàm Rhetorici 1.381
Inuentio argumentorum quid requirat. 1.383
Inuentionũ causæ in rebus humanis. 1.325
Inuenta sunt primò necessaria inde cõmoda 1.437
Inuenta præclara sæpe obscuramur. 1.520
Inuenta hominum quæ & quis usus. 1.325
Inuenta augere non tam difficile ac inuenire de nouo 1.329
Inuenta prodeunt noua quotidie. 2. 320
Inuẽtis prioribus noua ambitio si addere cupiunt, licet male 1.330
Inuentores qui habẽdi artium. 1.439
Inuentoribus artium quid eueniat. 1. 380
Inuersio in eo genere finienda est in quo cœpta 1.101
Inuersio non nimis producenda. ibid.
Inuersio à translatione quid discriminis habeat 1.101
Inuersionis uerborum exempla. 1.98
Inuidia qualis afflictus apud quos regnet & eius causæ 2.579
Inuidia quo pacto noceat 2.779
Inuidia ex opulentia orta 2.102
Inuidia apud eos qui contemnuntur locum non habet 1.195
Inuidia res altas petit 1.525
Inuidiæ malum quale 2.101
Inuidiæ uitium ignobile atq; mutile. 2.231
Inuidiam mors aufert 1.212
Inuidorum natura 2.580
Inuitus quicquid feceris difficile fit. 2. 194
Ioci epistolarum quales esse debeant. 1.66
Iocorum tractatio arte tradi nequit. 1.66
in Iocis quid sequendum 1.66
Iocos quidã nec dicere nec ferre possunt 1.66
Iouæ historiæ figura 2.451
Ioppen Ægypti condita 2.349
Iota nunquam fit cõsonans in Græcis dictionibus 1.1
Iotacismus quando fiat 1.469
Ira quid qualisq; affectus 2.574
Ira & offensio quid differant. ibid.
Ira sibi non parcit modo alijs noceat 2.437
Ira quid 2.148
Ira an in Deum cadat ibid.
Ira graue malum 2.231
Ira perturbationum maxima 2.80
Ira quàm noxia ibid.
Ira cur maximè cauenda ibid.
Ira cos fortitudinis 1.422
Ira iuuenibus incommodat plurimũ. 1.58
Ira oculos non habet. 1.195. 2.437
Iræ ac odij discrimina 2.575
Iræ mala 2.779
Iræ mala in iracundo 2.575
Iræ causæ 2.576
Iræ uerba ignea 2.718
Iræ restinctio 2.577
Iram precibus annectere 2.231
Iracundia homini fugienda. 2.231
Irridere omnium longe facillimum. 2. 315
Irridendus nemo est 2.86
Irrisioni cuncta exposita 2.388.

Irritantur mares minus quàm fœminæ 2.712
Ironia quid, quotuplex & in quibus posita 1.100
Ironia Socratica ibid.
Ironiæ usus 1.101
Isaaci pietas 2.351
Ἰσχυβίτας qui 1.469
Isocrates insignis orator 1.307
Isocratis oratiões breues magno precio uenditæ 1.307
Isocrates patriæ uehemẽs amator. 1.307
Isocratis patria 1.307
Isocrates quis 1.307
Isocrates athleta nuncupatur. 1.110
Isocratis sermonis cultus 1.108
Isocratis oratio Areopagitica seu de Repub. Athenienſi 1.308
Israel quid sonet 1.153
Israelis nomine quæ intelligantur. 2.434
Italia tribus annis sub Mario et Sylla uexatur bello ciuili 1.219
Italiæ dialectus præcipua 1.148
Iudæi accusantur nomine stupiditatis 2.411
Iudæi somniãt regnum ultra montes Caspios 2.423
Iudæi cur pulsi sint regno ibid.
Iudæi sperant reditũ ab exilio. 2.422
Iudæi uocantur populus Dei, hæreditas ac uinea etiam in exilio. 2.416
Iudæi redibunt ad domum Domini, & quam ob causam ibid.
Iudæi natura zelotypi, proni in usuram & creduli in malum 2.419
Iudæi an puri intellectu omnes fuerint 2.414
Iudæi exosi semper omnibus. 2.449
Iudæi quales populi 2.402
Iudæi cur præ alijs nationibus à Deo electi 2.416
Iudæi cur hodie minus ruant in idololatriam quàm olim 2.423
Iudaicorum errorum causa. 2.403
Iudæi instrumentũ Christi fuerũt tandemq; abiecti. 2.425
Iudæorũ auersitates quas post Christi mortem pertulerunt 2.423
Iudæorum decimus tertius fidei articulus 2.428
Iudæorum exilium & eius causa. 2.422
Iudæorum ingratitudo contra Christum 2.246
Iudæis cur fermentum interdictum et caro suilla. 1.37
Iudæis quantũ benefecerit Christus. 2.246
Iudæa terræ motibus cõcutitur. 2.124
Iudicandum quo pacto sit in bonam malám ue partem 1.141
Iudicandi facultatem quid lædat potißimum 1.526
Iudicare uera ac falsa quis ualeat. 1.598
Iudiciali genere causarũ nõ est opus. 1.492
Iudicium Iesu Christi 2.400
Iudicium cum experientia prudentem facit 1.504
Iudicium Romæ exercuerunt equites, quandiu & quo pacto. 1.236
Iudicium in homine quid 2.525
Iudicium nostrũ quibus rebus interponendum 1.58
Iudiciũ nõ est idem omniũ in reb. 1.28
Iudicium doceri nequit, uerum excoli 1.505
Iudicium quibus excolatur. ibid.
Iudicium rerum unde oriatur. 1.45
Iudicium de rebus cunctis quale esse deberet 2.235
Iudicij extremi utilitas 2.400
Iudicio præfuerunt Romæ ex singulis tribubus quini deni 1.236
Iudicia humana duplicia 1.528
Indicia nimium multa hodie fiunt. 2.779
Iudicia quem usum habeant ibid.
Iudicia hominum facile mutãtur, maxime quod mores cõcernit 1.430
Iudicia meliora quæ sint 1.215
Iudiciorũ administratio Romæ qualis 1.238
Iudiciorum deprauatio quantũ malum 2.70
Iudicijs præesse Senatores solum Romæ uoluit Sylla 1.236
Iudex prudẽtior in scelere deprehendendo quàm reus in admittendo. 1.250
Iudex suarum rerum nemo non iniquus 1.119
Iudex Ægyptius 1.304
Iudicis animus à recto non est flectendus 1.399
Iudicis pij et gentilis exemplũ. 1.305
Iudici inimico se approbare posse magnum est 1.659
Iudices iniqui qui 1.303
Iudices ex uniuersis ciuitatis hominibus eligendi sunt 1.236
Iudices sunt loquentes leges 1.303
Iudices cui se conforment ibid.
Iudices quales in forum legẽdi. 1.236
Iuliæ gentis origo 1.686
Iulianus Apostata uetat artes liberales legi Christianis 1.449
C. Iulius Cæsar Pompeium uicit iniuste 1.263
Iulij ortus & educatio 1.687
Iulius Cæsar celeritate consequutus imperium 1.175
Iuno Iouis soror & uxor 1.269
Iupiter omnium hominum pulcherrimus 2.55
Iupiter stator cur dictus 1.209
Iupiter quis & unde dictus 2.55
Iupiter in Saturnũ ob solum dominatum arma mouit 1.184
Iouis orationes apud Homerum ac Vergilium quales 1.525
Iurat deus Mahumetis per uentos, angelos, montes, & stellas 2.465
Iustitia cum moderatione primũ inter uirtutes obtinet locum 1.318
Iustitia actionaria similis numero. 2.48
Iustitia administrari respub. optimè. 1.117
Iustitia humanæ consociationis uocabulum cum sermone, & utrũ fortius 1.84
Iustitia in primis in optima repub. colenda. 2.43
Iustitia sit gratuita. 2.109
Iustiniani consilium in legibus deuitandis. 1.429
Iustiniani leges sacrosanctæ nominãtur, sed non habentur. 1.431
Ius male comportatum 1.430
Ius naturæ nunquam senescit 1.286
Ius naturæ hominibus non sufficit. 1.287
Ius ex historia ortum 1.506
Ius gentium ex quibus fontibus oriatur 1.289
Ius ciuile ex quibus oriatur fontibus. 1.289
Ius naturale quid 1.286.33
Ius naturæ conscriptum ibid.
Ius quo pacto commode tradi posset. 1.515
Ius quid profiteatur 1.431
Ius ciuile quorsum spectet 1.516
Ius inter quos efficax 1.28
Ius quid. 1.426
Ius ciuile quid 1.589
Iuris integri scriptores quot 1.348
Iurisconsulti quid 2.818
Ius ciuile unde 1.589
Iuris integri scriptores quot 1.348
Iuris studiosi mercedẽ sectantes solum quid legant 1.349
Iuris regula quæ 1.305
Iuris ueteris studiosi de quibus consulti 1.432
Iuris naturæ exempla 2.286
de Iure respõdere Romæ cui permissum 1.355
Iuris summi nomina 1.304

Iuris ſtudio rationalis Philoſophia perneceſſaria 1.289
Iuris ſtudioſi ſacerdotes appellari poſſunt 1.431
Iuris ſtudioſi quam linguam nouiſſe oportet 1.302
Iuriſconſulti perfecti profeßio ac rerum munus. 1.515
Iuriſconſulti oratores foro expellũt. 1.400
Iuriſconſulti ueri 1.432
Iuriſconſulti falſi ibid.
Iuriſcõſulti eijciuntur regno aliquo & cur 1.435
Iuriſconſulti Dialecticos imitati, altercationes & ſectas excogitarunt 1.433
Iuriſconſulti potißimum indigent memoria 1.395
Iuriſconſultorũ ſtudium paratũ lucrum dignitatis plenũ habet. 1.434
Iuriſconſultorum uerſutia. 1.300
Iuriſconſultorum adulatio erga Principes in legum euerſione. 1.428
Iuriſconſultorum perſuaſio falſa. 1.331
Iuriſcõſultorum copia magna ubi & cur 1.329
Iuriſperitorum ſcripta detrũcata, et cur 1.431
Iuuenalis Oreſtes quo pacto ſcriptas 1.25
Iuuenes ſenes fieri facile queunt. 2.18
Iuuenum maior quàm puerorum cura habenda 1.311
Iuuenibus quis cibus potus ue noxius 2.74
in Iuuenibus affectuũ tempeſtates in primis dominantur 1.311
Iuuentus unde 2.542
Iuuentutis Athenis magna ratio quõdam habita 1.312

L

Laborare ſibi uiri magis quàm pueri uidentur 1.570
Laborandum eſt omnib. 1.444
Laborandum omnibus 2.100
Labor improbus omnia uincit. 1.667
Laboris reputatio ſæpe plus quàm labor ipſe fatigat. 1.131
Laboris fructus ſuauis 2.108
Labori aſſuefaciendus quando ſit homo 1.570
Labrem reſpiciẽtes citius defatigantur alijs 1.570
Laborem neceßitas requiſiuit. 1.326
Laborib. noſtris ſæpe indigniſſimi feruntur 1.645
Lac ex una uacca in aliam incantando tranſiße 2.380
Lacedæmonij cunctationibus obtinuerunt imperium 1.175
Lacedæmonij qualiter pugnarunt. 1.93
Lacedæmonijs opes perditionem, penuria uictoriam attulerunt. 1.308
Lachryma nil citius areſcit. 1.122
Lachrymæ molles affectus declarant. 2.762
Lachrymæ pro alio honeſtiores quã pro nobis 1.64
Lachrymarum utilitas 2.585
Lachrymas promptas qui affectus habeat 2.568
Lachrymarum cauſæ 2.585
Lachrymarum utilitas ibid.
Lachrymis nil citius fictis areſcit .2. 569
Lachrymatio quid 2.585
Laconica phraſis qualis 1.106
Laconica oratio 1.95
Lacones punctis potius quàm ſermone uſi 1.106
Lacteus circulus quis 2.53
Lædere lingua peior res quàm ferre. 1.154
Lædere quam iuuare facilius. 1.598
Lædi naturam facilius ferimus quàm ſuperbiam 2.781
Lætitia quid qualisq; affectus. 2.569
Lætitiæ deſcriptio 1.137
P. Lætus quales ediderit epiſtolas. 1. 83
Lambdaciſmus quando fiat. 1.469
Lanificium honeſtum fœminarũ exercitium 2.652
Latina lingua ut olim & ut hodie diſcatur 1.475
Latinæ linguæ præſtantia. 1.463
Latini à Græcis plurima ſumpſerũt. 1.12
Latini ſermonis proprietas facilius intelligitur quàm explicatur. 1.4
Latini ſermonis ſemina ſeu prolapſa. 1.463
Latini græcas uincunt grauitate ac pondere orationis 1. 114
Latini ſcribunt ſicut Græci à quibus ſumpſerunt 1.25
Latini ueteres in membrana deletili ſcribebant ibid.
Latinus ſermo Græco recentior & craßior 1.106
Latinus ſermo corrumpitur quando & per quos 1.335
Latrones in cruce duo quid myſterij habeant 2.383
Laudari à quo quis cum gaudio poſſit 2.63
Laudate quidam cœpto deſiſtunt. 1.66
Laus uera quæ 1.521
Laude ad præclara opera incitamur ingenia nonnulla 1,66
Laudis memoria qualis 2.335
Laurus Phœbi arbor 1.666
G. Laxis querela de Sophiſtica. 1.284
in Lectione tria animaduertenda. 1.9
Lectiones adoleſcentes inermes accedere non debent 1.9
Leo ex unguibus cognoſcendus. 1.291
Leo limis nunquã aſpicit & ſe ſic aſpici fert indigne 2.579
Leones limis oculis ſe aſpici non ferunt 1.650
Legenda aurea qualis liber. 1.371
M. Lepidi Coß. aduerſus acta Syllæ oratio qua nil obtinet 1.231
M. Lepidi exercitus deuictus. 1.231
M. Lepidi fuga ibid.
Lethæum flumen quale 2.399
Ludus unde dictus 1.16
Lex omnes homines concernẽs à deo dari neceſſe fuit & quæ ea ſit. 2.357
Lex quid 1.617
Lex Cornelia 1.233
Lex Chriſti uniuerſalis 2.419
Lex Portia quid uetarit 1.228
Lex Dei uniuerſalis ne 2.418
Lex & Prophetæ in duabus uocibus orationis dominicæ comprehenduntur 2.211
Lex quare terrena promittat non ſpiritualia 2. 414
Lex æquitati ſubijciẽda & cur. 1.426
Lex non uoluntatẽ per actionem prohibet 2.319
Lex annalis quid uetauerit. 2.47
Lex Moſis quo tẽpore abrogata perfecte 2.450
Lex Iudaica in multis indigna Deo uidetur & cur 2.364
Lex affectibus non rationi poſita. 2. 620
Lex ad ſenſa literæ, non ad ſenſa ſpiritus abrogata 2.421
Lex Orchia de conuiuarum numero. 1.234
Lex Fannia ibid.
Lex Didia ibid.
Lex Licinia ibid.
Lex Sempronia quid uetarit. 1.228
Lex priſcis exigua & firma tamen. 1.437
Lex maxima, amor 2.493
Legis dux, ratio 1.516
Legis abrogatio 2.415
Legis præmia ac finis 2.414
Legislatæ diuinæ cauſa 2.415
Legis Moſaicæ ac Chriſti diſcrimen. 2.419
Lege ſine loqui quid 2.432
Leges Romanæ omnes de conſtituendis litibus 1.428
Leges quibus de cauſis latæ. 1.426

Leges an araneorũ telis similes. 1.303
Leges mutos iudices esse ibid.
Leges multæ cur malæ 1.429
Leges bonæ ex malis moribus cur nascantur 1.283
Leges actionum regulæ sint. 1.429
Leges apertæ, faciles ac paucæ sint et cur ibid.
Leges obscurantur de industria. ibid.
Leges ad naturæ normam se dirigunt. 1.305
Leges uenduntur pretio 1.430
Leges Romanæ non omnibus seruiũt. 1.432
Leges latæ ante scelera nõ raro ea excusitant 1.434
Leges Deo ascriptæ 1.419
Leges omnium notissimæ 1.515
Leges notas atq; paucas conuenit habere ibid.
Leges quales esse debeãt subditis. 1.516
Leges rogari conuenit ibid.
Leges à ueteribus trinundino tempore propositæ populo & cur. ibid.
Leges qui primo & quomodo tradiderint 1.514
Leges ut eliciendæ 1.428
Leges cur repertæ ibid.
Leges bonas ex malis moribus ortas cur dicatur 1.434
Leges scriptæ quæ optimæ 1.517
Leges animorũ minus seruãtur quàm corporum 2.493
Leges populo utiliores quo simpliciores 1.435
Leges in ciues paterno sunt affectu. 1.133
Legum custodes 2.299
Legum causa ibid.
Legum diuisio 1.286
Legum libri correctissimi seruantur Florentiæ 1.431
Legum origo 1.286
Legũ authores siquidẽ in eos deliquissent grauius cæteris mulctarunt Romani 1.233
Legum sine constitutione nulla communio constabit 1.316
Legum cõstitutio de turpibus atq; honestis esse debet ibid.
Legum copia malam iuuentutem indicat 1.311
Legum origo atq; processus 1.514
Legum munera 1.428
Legum beneficio raro fiunt boni uiri sed alijs ibid.
Legum perturbationes 1.426
Legum tractatio ad quẽ spectet. 1.286
Legum origo & fons 1.426
Legum reuerentia à quibus proficiscatur 1.428
Legum & interpretationum nullus numerus 1.429
Legibus quando nil iniquius. 1.426
Legibus prima authoritas unde. 2.458
Legibus uigentibus quid uigeat. 1.303
Legibus homines seruire debent quo sint liberi, non contrà 1.322
Legibus absente magistratu minus uirium 2.639
Legislator quis 1.287
Legislatorum cura in quibus consistere debeat 2.606
Legumlatorum catalogus 1.289
Lexica Græca quæ bona 1.12
Libanij epistolæ 1.83
Liber uere quis sit 2.79
Liberi de coniugijs non sint solliciti sed relinquant parentibus. 2.689
Liberorum utilitas 2.596
Liberorum cur magna cura habenda 1.454
Liberis quæ impendenda cura à matribus Christianis 2.733
Liberis mentes fœlices 2.734
Libros posteris scribere quorum sit. 1.525
Liberos procreare Dei donum est. 2.734
Liberos male educant uiduæ 2.751
Liberos habere mel cum felle. 2.646
Libertas non est carere superioribus. 2.313
Libertas uulgi effrenata ciuitatibus perniciosa 1.428
Libidinis exẽpla eiusq; pœnæ. 2.596
Libidinem ut uitare debeamus 2.725
Libidinẽ quo pacto quidam uitarint. 2.627
Librarij qui 1.78
Librarij homines plerunq; imperiti fuerunt 1.342
Liber uicturus geniũ habeat opus est. 1.520
Liber nullus tam malus, qui non aliquibus placeat 1.339
Libro librum aperiri 1.11
Libri supposititi 1.342
Libri sacri pugione perfossi ibid.
Libri Pisani 1.431
Libri qui res uarias ac turpes continent 2.657
Libri genius quis 1.482
Libri quomodo legendi 1.9
Librorũ quare tantus numerus. 1.447
Libros eruditos habere parum prodest 1.8
Licentia uiri deteriores fœminæ scelestæ fiunt 2.738
Licentiati qui 1.32
Licentiatorum nomen unde. 1.355
Lignum sæpe patribus salutem apportauit 2.448
Th. Linacri grãmaticæ compendium commodum 1.5
Linea quid Mathematicis 1.416
Lineas tenuissimas potuisse trahere uenteribus magna ars 2.109
Lingua Romana dialectis caret. 1.148
Lingua ferro peior si lædas. 1.154
Lingua sæpe plus lædimus quàm ferro 1.524
Lingua quæuis suæ libertatis est ac potestatis popularis 1.380
Lingua quæuis usu cõparatur. 1.469
Lingua Hæbræa antiquissima. 2.321
Lingua Hæbræa infantiũ mundi prodit ibid.
Lingua bonorum & malorũ magnorum causa 2.88
Lingua peccati instrumentum facile. 2.88
Lingua Latina cecidit cum urbe parente sua 1.87
Lingua eruditionis proma conda. 1.462
Lingua perfectissima 1.463
Linguæ Latinæ exercitationes. 1.13
Linguæ arbitriũ penes populũ. 1.358
Linguæ in modũ syluæ mutantur. 1.87
Linguæ ne sint seminaria errorum. 1.362
Linguæ Latinæ utilitates permagnæ. 1.12
Linguæ Hæbraicæ ratio. 2.409
Linguæ cur addiscantur 1.485
Linguæ cuiusuis ordo naturalis habetur, nec inuertendus est. 1.91
Linguæ suauitas doctrina atq; facundia in quibus sita 1.462
Linguæ uolans turpis 1.469
Linguam qui instruant ex authorib. 1.10
Linguarum cognitio omnino necessaria 1.363
Linguarum studium hæresibus adiungitur & cur ibid.
Linguarum silentium 1.482
Linguarum studium hæresum seniorũ esse 1.332
Linguarum ignoratio hostium disciplinarum 1.485
Linguarum studium ad quid seruiat. 1.324
Linguarum liberum utilitates. 1.296
Linguarum studium quando in Italia florere cœperit & per quos. 1.401
Linguarum errores qui maxime obseruent 1.525
Linguarum discrimen 1.90
Linguarum cognitionem quædam fœminæ habuerunt 2.625

Linguarum cognitio artes restituit. 1.315
Linguas tot esse, peccati pœna est. 1. 462
Littera mugiens quæ 1.92
Literæ, uocum elementa sunt 1.350
Literæ ab amicis scriptæ licet offensio aliqua interponatur, non sunt publicandæ 1.75
Literæ quo pacto formandæ 1.2
Literæ quando cœperint florere & apud quos primò 2.320
Literæ quo pacto proferendæ. 1.1
Literarum cõsignationes nostro tempore 1.79
Literarum soni 1.91
Literarum exitus felix est omen. 1.73
Literarum singularum magna ratio est habenda 1.350
Literarum consignationes apud ueteres quales 1.79
Literarum discrimen in sonis iam diu amisimus 1.93
Literarum quibus res comprehenduntur necessitas 1.326
Literarum utilitas 1.445
Literarum uigintiquatuor mira inuentio 1.326
Literarum inuẽtio uituperatur. ibid.
Literarum seu disciplinarum diuisio. 2.622
Literarum initia difficilia, posteriora iucundiora 1.46
Literarũ partiũ appellationes. 1.27
Literarum diuisio 1.1
Literis qui destinandi 1.459
in Literis quid summum 2.78
Literas instrumentum facere pronæ libidinis, malum est 1.116
Literas inæquales facere in scribendo fœdum 1.27
Literaria ciuitas suæ restituitur libertati 1.283
Literati qui habendi 1.360
T. Liuius sapit Patauinitatem dicendo 1.108
T. Liuius qualis historicus per omnia 1.143
T. Liuius lacteus eloquẽtiæ fons. 1.109
Liuij sermonis cultus quis 1.107
T. Liuij dulcissima facundia 1.10
T. Liuij laus ibid.
Liuor res pulcherrimas morsu appetit 1.525
Locus nõ mutatur corpore, licet moto 1.559
Locus inuentionis quid 1. 616
Locum cuiuis rei aptum, assignatum 1.559
Loci dialectici maximis, ut uocant, malè includuntur 1.382
Loci ex quibus diuisiones ac diffinitiones desumuntur 1.589
Loci alij alijs rebus præstantissimi. 1. 314
Loci inuentionis cum ad arguendum tum dicendum ualent 1.630
Loci rotundi partium ordo 1.559
Loci diuisio ibid.
Loci inuentionis non eo ordine usurpandi quo docentur 1.170
Loci cur parati 1.383
Locutio quæuis oratio, sed non Rhetorica dicitur 110
Logicæ artes sermonẽ accipiũt non dant 1.274
Logicæ iusta ac falsa diuisio 1.383
Logicalia parua quales sint 1.387
Logicarum tenebrarum origo. 1.279
C. Longolij epistolæ quales 1.83
Loqui tardius quàm celerius conuenit 1.469
Loqui indoctius dum apertius prudentiæ est 1.76
Loquendi uis & norma penes populum est 1.385
Loquendi cõsuetudo splẽdidior quãdo cœperit 1.105
Lucanus poeta celebris 1.10
Lucianus Asiaticus stylo fuit 1.105
Lucianus impius 2.315
Luciani epistolæ 1.83
Luciani impietas 2.350
Lucianum qui uitare debeant. 1.473
Lucina quid 2.57
Lucina unde dicta 1.658
Lucretium qui uitare debeant. 1.473
Luctui modus positus 2.747
Ludere felici dextra ubiq; nemo potest 1.17
Ludendũ quando & quare, cum quibus 1.52
Ludendum aliquo genere noto quemadmodum & quandiu 1.52
Ludi seculares qui 2.64
Ludi leges 1.52
Ludi Athenienſium ueterũ quales. 1. 312
Ludunt omnes ætates 1.50
Ludus, ludus non molestia sit 1.49
Ludus in deorum conspectu iucundissimus 1.269
Lugdunum conflagrauit una nocte. 2.321
Lumen naturæ diuinum, angelicum & dæmonis 1.407
Lumen oculis commodum quod & contrà 1.33
Luminis fidei ac naturæ distinctio mala 2.292
Luna fracta restituitur 2.462
Luna quando deficiat lumine 2.57
Luna omnes facies quas intra quindecim dies profert singulis momentis habet 2.57
Luna quid & unde dicta 2.57
Luna cur multiformis appareat 2.57
Luna per se non lucet 2.57
Lunæ situs cũ crescit decrescit ue. 1. 57
Lunæ instabilitatem quis primus inuenerit 2.5
Lunam terra minorem 2.57
Lunam lucere lucẽ alienã quis primò deprehenderit 2.5
Lupæ cur mulieres meretrices dictæ. 2.692
Luscinia sonos perfectæ Musicæ sciẽtiæ edit 1.29
Luscinæ Musicæ ludos & scholas habent 1.29
Lusciniola præsentib. hominib. diutius & accuratius cantat 1.21
Lusitaniæ reges quæ præclara ediderint facinora 1.322
Lusores quales animos ad ludum adferre debeant 1.52
Lusus pueris conuenientes 1.472
Lusus cur reperti 1.52
Lusus cur detegant mores 1.459
Lutetiæ quæ & quot gymnasia item studiosi 1.50
Lutherus à pontifice ac Academiarum consensu damnatus 1.363
Lutheri eruditio 1.363
Lutherani linguarum docti 1.363
Lux diffusa per omnes res 2. 503
Luxuria seipsam irritat 2.637
Luxuria una ex alia nascitur ibid.
Luxuria supremus hostis 2.628
Luxuriosi populi qui 1.218
Lycurgus Lacedæmoniorum legislator 1.189
Lyricorũ uatũ carmina quot. 1.447
Lysiæ oratio qualis 1.95.109

M

Macrobius qualis scriptor. 2. 40
Macrobij opus quale. 1. 293
Macrobij laus 2. 42
Magi omnium nationum primi. 2.4
Magi quid sint 2.374
Magica physicam inficit 1.330
Magia legibus duodecim tabellarum prohibita 1.334
Magiæ naturalis utilitas 1.442
Magistri discipulorum suorum magnam rationem habere debẽt quid possint 1.330
Magistris pacem, gratiam non posse rependi 1.32
Magisterij ambitiosa appellatio in scholis 1.281

Magistratus ut sit primitus electus, et deinceps 1.436
Magistratus qualis apud Athenienses lectus quondam 1.310
Magistratus cur constitutus. 2.299
Magistratus relinquere quã mire gessisse quàm gerere Romani gloriosius iudicarunt 1.190
Magistratus sermones quales. 1.125
Magistratus qui cuperẽt Athenis ali quando minus inuenire quàm postea qui non rogarẽt, poterant. 1.310
Magistratus munus 2.274
Magistratus honorandus est & cur. 1.58
Magistratus uirum ostendit 1.459
Magistratui honor exhibendus. 2.87
Magistratuum molestiæ 1.193
Magistratum quis eligere debeat. 1. 310
Magistratum sorte non esse legẽdum. ibid.
Magistratum eundem non nisi decem intercessent anni, capessere licebat. 1. 205
Magistratum sine prouocatione credere non licebat Romæ 1.230
Magistratum qui ueteribus gesserint. 1.191
Magistratuum lictores qui 1.208
Magna quæ habeantur in mundo. 2. 736
Magnanimitas quid 1.422
Magnitudinis diuidundæ nullus modus est 1.557
Mahumetes suos ad legem ac Euangelium remittit, cum horũ ipse nil legent 2.464
Mahumetes quibus persuaserit sectã suam 2.470
Mahumetes de rerum natura quàm ridicula proferat 2.468
Mahumetes quis 2.458
Mahumetes quo pacto suis obtrudat Alcoranum 2.457
Mahumetes scelerum suorum authorem Deum facit 2.460
Mahumetes de secta sua uetuit disputari ac cur 2.291
Mahumetis missionem à Deo per arma esse 2.458
Mahumetis dies iudicij extremi qualis 2.476
Mahumetis miracula 2.462
Mahumetis de Mose ac Christo sententia 2.461
Mahumetis ac Christi collatio. 2.461
Mahumetis socij in Alcorano comexendo 2.471
Mahumetem in Euangelio à Christo promissum 2.461
Mahumeticarum legum ualles. 2.482
Maiestas quibus conseruetur aut quibus perdatur 2.566
Maiestas supremus honor 2.566
Maiestas sine uirib. parũ tuta. 1.195
Maiestatis leges seuerissime obseruatæ 1.427
Maiestatis tuendæ leges ibid.
Maiestatis læsæ crimina ibid.
Maioribus magna censetur deberi reuerentia etiam errantibus 2.351
Maij mensis iucunditas 1.29
Maledicendum nemini 2.88
Malitia hominum cur nequeat excusari 2.296
Malitia aliena ne reddat nos malos. 2 240
Mali intelligentia atq; peritia paucis prodest 1.449
Mali unius finis, gradus sequentis. 2. 107
Malorum uitæ huius origo ac causæ. 2.357
Malos tam multos esse est contra naturam 2.345
Magnitudinis certum argumentum. 2.846
Malum quid uocemus 1.169
Malum protinus non est, quod malus possidet 1.363
Malo alios malos esse facile persuademus 1.119
Malo uiro nil importunius. 1.121
Mala corporis ac animi. 2.220
Mala ignota debent esse. 2.651
Mala quæ putanda 1.5
Mala deuitari maioris iudicij ac operæ quàm tenere bona. 1.492
Mala corporis ac fortunæ in bonum uerti possunt 2.73
A. Mancinelli thesaurus. 1.5
Manlius torquatus de Gallo cæso cognomen adipiscitur 1.266
Manus dextera sedes fidei 1.54
Manus omnium instrumentorũ maximum 1.53
Manus omnipotẽtis miræ uirtutis uariæq; 2.153
Manum propriam osculari. 1.518
Manuum præstantia 1.445
Mare fuisse ubi iam siccitas est unde appareat 2.532
Margo honorarius 1.79
Maria quæ fuerit mater uidelicet domini 2.439
Maria qualis 2.373
Maria cur desponsata ibid.
Mariæ conceptio ibid.
Maria sancta Panthæsilea 2.141
Mariæ imago inepte satis pingitur. ibid.
Mariæ uirginitatem imitari. 2.673
Marius ambitione nimia flagrat 1.199
Marius qualis fuerit 1.198
Marius an Sylla patriæ bellum intulerit 1.238
Marij mortis tempus 1.180
Marij partes qui fouerint 1.181
Marij in ciues suos crudelitas. 1.207
Marij authoritas & acta 1.216
Marij sepulchrum euersum. 1.226
Marij mors 1.208
Mario seniori lupo sæuiori sæuissimus Catulus iunior Marius succedit. 1. 200
Marium Syllanumq; simul tantum initia 1.180
Mas in quouis genere quantum fœmina excedat 2.618
Maris natura 2.502
Marem quid natura docuerit. 2.704
Mares uinacieres sunt fœminis. 2.542
Maritus ut domi uxori ac familiæ exemplum esse debeat 2.615
Maritus uxori prospiciat, etiã post suam uitam 2.647
Maritus raro domui absit 2.639
Mariti cura in domo quæ esse debeat. 2.633
Maritus uxoris umbra 2.751
Mariti erga uxorem reprehensio qualis esse debeat 2.642
Mariti amor in coniugem 2.615
Mariti, uxores à quibus amantur redamant 2.703
Marito quatenus obtẽperandũ 2.709
Maritos quales eligere debeãt mulieres 2.692
Mars cædibus præest 1.307
Mars Neptuni filium obtrũcat. ibid.
Mars cur bello præsit 2.55
Martis collis Athenis 1.307
Martialem qui uitare debeant. 1.473
Martyrum sanctorum iudices. 2.395
Martyria piorum haud postrema miracula 2.392
Materia infamis 1.491
Materiam migrare ad omnia. 1.406
Matheseis certissima sciendi uia. 2.6
Mathematici formas, figuras atq; numeros à materia abstrahunt. 1.416
Mathematici uoluntatẽ hominis cœlo penitus subijciunt 2.535
Mathematicum studium Parrhisiis nullum 1.299
Mathematicæ disciplinæ ab usu uersæ ad contemplationem 1.417
Mathematicæ disciplinæ sint certè aut non 1.416
Mathematicæ præstantia apud ueteres 1.418
Mathematicæ artes quæ 1.416

Mathematicæ disciplinæ laboriosæ. 1.496
Mathematicæ quales requirant discipulos ibid.
Mathem. quàm diu speculandæ. ibid.
Mathematicarum disciplinarum scriptores 1.497
Mathematicarum disciplinarum materia 1.496
Mathematicas disciplinas esse certissimas 1.416
Mathemata quæ requirant ad sui cognitionem 1.417
Mathemata plurima perierunt. ibid.
Matrimonia inituri quas curas habere debeant 2.690
Matrimonia quando tam uiro quàm fœminæ iucunda 2.611
Matrimonia quæ habere debeant. 2. 690
Matrimoniorum exempla in quibus concordia uiguit 2.711
Matris uocabulum dulce 2.471
Matre ex bona, bona nascitur filia. 2. 611
Matres magnam occasionem habent filios malos seu bonos reddendi. 2. 736
Matres pueros ipsos educent. 2.650
Matrum indulgentia liberos corrumpit 2.738
Materfamilias quo pacto familiam regere debeat 2.729
Matrona optima quid agat. 2.731
Matronæ authoritas cultu immodico diminuitur 1.129
Matronæ ornatus uenerabilior quis. 1.75
Maturitas nimis festinata omnis suspecta 2.33
Medica ars quæstuosissima. 1.414
Medicæ disputationes 1.415
Medicæ artis origo 1.413
Medicæ artis præcipua 1.414
Medicina quando ars quandoq; casus & temeritas 1.414
Medicina requirit cum experientia iudicium 1.414
Medicina ex historia collecta. 1.506
Medicina quomodo docenda. 1.501
Medicinæ inuentio 1.439
Medicinæ exercitia 1.502
Medicinæ clades 1.413
Medicinæ inuentores 2.7
Medicinæ scriptores primi. ibid.
Medicinam non parum perdit indigna graduum eius distributio. 1.415
Medicinam corruptam esse, pernicie adfert uitæ 1.416
Medicus quis nuncupandus. 1.501
Medico in morbo nil gratius, extra nil odiosius 1.197
Medico non conuenit pertinacia. 1. 451
Medicum studiũ quale esse conueniat. 1.500
Medicum sui officij memorem conuenit esse & quare 1.501
Medici hodie deprauati. 1.300
Medici mercedis studiosi quid scire desyderent 1.349
Medici ad praxim descendentes quo pacto se gerere debeant. 1.503
Medici officium apud ægrotum describitur ordine 1.503
Medici animarum apud uarias nationes 2.8
Medicorum errata impune semper habentur 1.414
Medicorum magni libri male uersi. 1. 415
Medicorum copia magna ubi & cur. 1.329
Medicorum potentia regum superatius 1.501
Medicis quid cogitandum. 1.501
Medicis non desunt præmia & cur. 1.414
Medicos prima sua experimenta conuenit in animantibus experire. 1.503
Meditationes piæ diurnæ. 2.222
Ph. Melanchthonis de constructione utilis libellus 1.5
Melchisedech quis & quam figuram gesserit 2.434
Meledinus Pyreis leges dedit. 1.289
Melior in terra nemo 1.56
Membra uitalia 2.543
Membrorum uera sanitas. 2.627
Memoria thesaurus totius eruditionis 1.8
Memoria qui deficit nil proficit. ibid.
Memoria infelix, felix reddi potest. ib.
Memoria quam naturam habeat. ibi.
Memoria quid 2.517
Memoria requirit omnino reminiscẽtiam 1.326
Memoria excolendo augetur. 2.76
Memoria qui magna ualuerunt. 2.518
Memoria quibus adiuuetur. ibid.
Memoria excolendo augetur. 1.468
Memoria quotidie exercenda & cur. 1.2
Memoria quo pacto exercenda. ibid.
Memoria duabus partibus constat. 1. 459
Memoria rerum præteritarum thesaurus 1.326
Memoria labore gaudet ac augetur. 2.77
Memoria signum ingenij. 1.459
Memoria multitudine opprimitur. 1. 24
Memoria iuuatur nostri manus scriptione 1.2
Memoria ubi non opus sit. 2.90
Memoriæ sedes atq; uires. 2.518
Memoriæ qui ualeant maxime. ibid.
Memoriæ morbus pernitiosiß. 1.8
Memoriæ ualetudo bona quibus conseruatur ibid.
Memoriæ mors 2.77
Memoriæ comprehensio ac retentio quibus uiuetur 1.468
Memoriæ ueteris cognitio an utilis. 1. 505
Memoriæ quæ melius infigantur. 1.16
Memoriæ utilitas 1.445
Memoriæ quid conforme ac consentaneum 2.457
Memoriæ inuentor quis. 1.395
Memoriæ usus 1.271
Menandri nil extat 2.365
Mendaces quid prætendant. 2.457
Mendaces quod lucrum habeãt. 2.100
Mendacium diabolos nos facit. 1.59
Mendacium omnino uitandum. 2.90
Mendacium esse lucrum. 1.628
Mendacij malum quantum. 1.59
Mendacio lupus, tempus & tenebræ 2. 105
ad Mendacia ferimur procliues. 1.367
Mentiendi genus mitißimum. 2.457
Mentiri commune est nationibus ad orientem atq; meridiem. 1.369
Mensa in eadem non uescendum piscibus & carnibus 1.39
in Mensa quo pacto se gerendum. 2.83
Mensæ consecrationis forma. 1.37
Mensæ gratiarum actio. 1.19
Mensæ partes quo ordine remouendæ 1.19
Mens homini cur data 1.436
Mens circa quæ uersetur. 2.305
Mens quid sit 2.536
Mens nostra quo pacto se habeat ad naturæ manifestissima. 1.375
Mens cur immortalis 2.67
Mens deo similis ibid.
Mens in quiete recte statim. 1.648
Mens quæ supra sensuum cognitionẽ excogitet 1.533
Mens excolitur usu rerum. ibid.
Mens hominis figura nõ corpus. 2.39
Mens duo complectitur 1.445
Mens hominis quibus gradibus ad uerum perueniat 1.614
Mens in homine cui rei similis. 2.526
Mens alia terretur ad mortis horam, alia non, & cur 2.331
Mentis pastus cognitio. 2.626
Mentis morbum cur minus queamus iudicare 1.457

Mentis functiones 2.298
Mentis ignorantia 2.298
Mentis peritia unde ibid.
Mentis actus quando quiescere coga tur 2.537
Mentis actiones duæ 2.308
Mentis natura 2.326
Mentis in homine deprauatio. 2.284
Mentis solertia frangitur in timore ac tumultu publico 1.430
Mentis aciem caligare ad manifestiſ- sima naturæ 2.301
Mentis humanæ essentia 2.536
Mentis excellentia 1.85
Mentis dux 2.193
Menti sunt suæ uoluptates 1.123
Mentem hominis non ex mundo cor porali esse 2.326
Mentem bonam quæ exteriora decla rent. 1.57
Mentium impetus frigescũt, quos nõ explicant ministeria membrorum. 1.248
Mentæ herbæ uis 2.643
Mercenarium quodcunq; seruile est. 1.349
Mercurius orationi præest & fingi- tur interpres deorum 1.86
Mercurius quis 2.56
Mercurius cur nuncius habitus. ibid.
Meretrix ex professo quæ, aut ex uo- luntate ac uera peior 2.607
Meretricibus paucos euenire fideles amatores 1.104
Messiæ plurimi se uenditarunt nomi- ne 2.439
Messiæ tempus 2.439
Messiæ Iudæorum ac Christianorum diserimen 2.430
Messiæ beneficia qualia futura sint se cũdum Iudæorum opinionẽ. 2. 427
Messiæ aduentus quid Iudæis paritu- rus sit 2.407
Messias an morietur ibidem
Messiam pariter Iudæis atque genti- bus promissum 2.417
Messiam qualem expectent Iudæi. 2 428
Messiam cur Iudæi nõ cognoscant. 2 412
Messiam non fore sacerdotem 2.433
Messiam non fore deum ac Iudæi ne- gent 2.432
Messias secundum prophetas qualis describatur 2.428
Messias quid 2.430
Metalla an inter res anima præditas numeranda sint 2.500
Metallicidarũ de diuitijs sentẽtia 1.48
Metaphysica Aristotelis quid sint. 1 488
C. Metelli fortitudo & dignitas 1.223
Metrum & rhythmum quid differãt 1.147
Metus quid, in quos cadat, quæ eius causæ 2.586
Metus opera in corpore ac animo, e- iusq; fructus ibidem
Metus usus 2.588
Metus pessimus officij custos 1.454
Metus comes rerũ quas occultare uo lumus 1.320
Micrologi qui Græcis dicãtur. 1.450
Milesiæ fabulæ quales 1.443
Milesij sermones 1.144
Militaris disciplina Romæ 2.51
Milites sine ducibus parum possunt. 1.221
Militum animi accẽduntur liberorũ membra 1.241
Minerua quas uirtutes significet. 2 49
Minerua ex Iouis cerebro nata 1.33
Munera qui sua recte administrent. 1 362
Miraculum in orbe maximum. 2.455
Miracula omnia fuerunt primo pro- lata 2.387
Miracula Christi quanta ac quibus ascripta autoribus 2.381
Miracula à saluatore edita, qualia. 2 378
Miracula naturæ potentiam longe excedunt ibidem
Miracula dæmonum 2.379
Miraculorum Christi ratio 2.444
Miraculorum examen iustum 2.379
Miseremur minus eorum qui se nimis in aduersitate abijciunt 1.64
Miracula Christi qualia 2.444
Misericordia oculis commouetur ma xime 2.568
Misericordia quæ tangũtur, qui non 2.568
Misericordia uenalis crudelis 2.109
Misericordia quid qualisq; affectus. 2 567
Misericordiam quid prouocet ibid.
Misericordiã quidam tollere uolunt, sed errant ibid.
Mithridates Romanos magna affici clade 1.218
Modus primus uerborũ quæ habeat nomina 1.595
Modus potentatiuus quis inuenerit primò 1.3
Modi potentatiui uis 1.6
Mœror quid 2.584
Mœroris causæ ibid.
Mœroris comites ibid.
Mœstitia ubi potissimum regnet ter- rarum 2.585
Mœstitia quibus depellatur ibid.
Monarchiam præstare alijs admini- strationibus reipub. 1.317
Monosyllaba qualem edant sonum. 1.93
Morali in philosophia plus exempla quàm præcepta 1.506
Moralis philosophia non tantopere exculta ueteribus fuit ac reliquæ. 1. 327
Moralis philosophiæ auditor adole- scens esse nequit 1.85
Moralis disciplinæ fundamentum. 2. 497
Mores unde sumantur 1.458
Mores non ex ætate ueniunt 2.19
Mores in infinitum abeunt 1.127
Mores quid bonos corrumpat. 2.76
Mores puerorum omni uitio immu- nes sint 1.471
Mores corruptos qui taxant, quæ- runt emendationem 1.296
Mores bonos in ciuitatem introduci duplicem fructum affert 2.31
Morum similitudo cõiungit animos. 2.176
Morum disciplina ad agendum para ta, in altercationes est detrusa. 1. 424
Morum tractatio quadruplex. 1.512
Morum prima semper sit cura. 1.6
Morbus quando periculosissimus. 2. 148
Morbus docet precium sanitatis. 1. 184
Morbi atrocissimi omnium. 2.300
Morbi in Europa noui exoriuntur. 2.269
Morbi, uia expedita ad mortem. 2. 542
Morbi corporis animum debilitare. 1.257
Morbi frigidi pertinaciores 1.550
Morbi qui facile aut difficulter agno scantur 1.457
Morborum unicum uerum remedium 2.277
Morborum preces 2.236
Morborum genera trecenta ante Pli- nium 2.834
Morbos differri lucri commoditate inhumanissimum 1.503
Mors hominis quid 2.543
Mors quando felix 1.268
Mors hominis erga inimicos æquio- ra facit iudicia 1.212
Mors ex se non mala 2.740
Mors hominis cum ortu magnam co- gnationem habet 2.338
Mors hominibus non in malum sed bo- num donata 1.211

Mors omnibus ex æquo instat. 1.472
Mors fœlix quæ censenda 2.270
Mors quàdo muadat animantia. 2.543
Mors quid ibid.
Mors suas species habet ibid.
Mors ut ferri possit aliter Philosophi aliter Christus docet 2.488
Mors uia ad cœlum uerum non quæuis 2.51
Mors ab ortu incipit 2.343
Mors naturæ malorumq; finis. 1.241
Mortis primum exemplum temporalis 2.349
Mortis consolationes à Philosophis factæ infirmæ 2.491
Morti uicini uaticimantur sæpe. 2.68
Morti nil similius quàm nox & somnus 2.217
Mortem nemo sibi inferre debet. 2.52
Mortem alij aliter quàm alij pertulerunt 2.393
in Morte cõsolatio firma quæ. 2.491
Mortuus ubi putrescat nil refert. 2.747
Mortui quidam reuixerunt. 2.117
Mortui quo pacto loquuntur. 1.46
Mortuos non posse remeare in uitam. 2.397
Mortuos quædam gentes prosequuntur cantu ac lætitia atq; cur. 2.740
Moses irrisus quibusdam placere incipit & cur 2.364
Moses ad contemplationem τῶ θεῶ quomodo peruenerit 1.442
Mosis scripta qualia 2.361
Mose ab Abraam initiærerum descriptarum accepit 2.361
Motus facit uideri gigni rem & esse, quies non esse ac interire 1.523
Motus rectus nequit esse infinitus. 1.565
Motus circularis infinitus esse potest. ibid.
Motus quadruplex 1.563
Motus quid 1.564
Motus perfectißimus 2.337
Motus dissectio quatenus fiat. 1.565
Muliebre ornamentũ silentium. 2.625
Muliebre ingenium 2.602
Mulier fœtus tot edidit partus quot dies in anno sunt 1.20
Mulier optima quæ 2.677
Mulier non minus quàm uir inepta ad quæuis discenda 2.623
Mulier cum sola cogitat male cogitat 2.634
Mulier bono parendo uiro imperat. 2.698
Mulieres cur auaræ 2.15
Mulieres cur timidæ 2.16
Mulier recte olet ubi nil olet. 2.667
Mulieris officium 2.710
Mulieris nomen notum esse incipiet cum facies ignota fuerat. 2.744
Mulieres partus septẽ edere possunt. 1.20
Mulieres arma tractare non debent. 2.727
Mulieres uirorum officia ubi subeant 2.633
Mulieres spectaculis abesse debent. 2.632
Mulieres cur se eruent & quo pacto 2.127
Mulierum opera tela non conciones 2.724
Mulierũ partes in re familiari. 2.674
Mulierum ornamenta ad idololatriã tendunt 2.722
Mulierum sumptibus lex ponitur. 2.724
Mulierum natura nõ se daretur optio mutanda 2.603
Mulieribus illis precios us cultus quarum pudor uilis 2.666
Multitudo ducitur affectibus. 2.470
Multitudo quæ approbat, suspecta sine sapienti 2.70
Multitudo uulgi quid 2.602
Multitudinis natura 1.183
Mundana cœnũ sunt præ charitate & gratia Dei 2.202
Mundanæ scenæ descriptio actioq;. 1.269
Mundicies ornat adolescentem. 1.59
Mundicies corporis & sanitati & ingenio confert 1.17
Mundities laudanda aut uituperanda quæ 1.21
Mundiciei studendum 2.74
Munus suum ut quisq; obire debeat. 1.320
Munus uerbis ornare non decet. 1.69
Mundus homini tantus conditus & cur 2.342
Mundus ex nihilo creatus 1.552
Mundus cui conditus 2.180
Mundus cur conditus 1.577
Mundus Dei imaginem refert. 2.297
Mundus legibus regitur 1.191
Mundus propter quem sit creatus. 1.555
Mundus, magnus homo est. 2.66
Mundi creatio quando & quo pacto 1.269
Mundi uanitatibus quæ preces adhibeantur 2.229
Mundi nomen appositum huic fabricæ 2.53
Mundi condendi causa ac finis 1.538
Mundi purgatio per ignẽ fiet. 2.400
Mundi amphitreatrum & in eo actio pulcherrima producitur. 1.269
Mundi facies una semper. 2.314
Mundi familiæ 1.582
Mundi conditi causa 2.325
Mundi structura eximia ibid.
Mundi creatio in tempore facta. 1.541
Mundi origo quo tempore cœperit. 1.29
Mundi partes suos inhabitatores ac uillas habent 2.326
Mundi constitutio seu ratio ab unaetate in aliam 2.320
Mundi creatio facit ad dei magnitudinem & bonitatem 2.323
Mundi finis 1.577
Mundum ut Deus gubernet. 2.80
Mundum adolescere 2.320
Mundum æternum nõ fuisse quid probet 1.542
Mundum aliter fieri non posse putat Aristoteles 1.566
Mundum esse cœpisse 2.320
Musa quid & ad quas res pertineat. 1.666
Musæ unde dictæ 1.666
Musarum numerus quis 1.38
Musarum dux 1.17
Musis permittitur licentius aliquid dicere 1.507
Musica ueterib. in magno habita precio 1.327
Musica sphærarum cœlestium. 2.59
Musica Themistoclis 2.593
Musica perijt ferme 1.418
Musica instrumenta interciderunt. ibid.
Musica uera quæ 2.97
Musica ex Arithmetica sonis additis oritur 1.496
Musica circa quid uersetur. 1.416
Musicæ usus 1.497
Musices inuentor 2.6
Musices utilitas & uis ibid.
Musici ad nullam frugem perueniunt & cur 2.654
Mutatio rerum in quibus habeatur, in quibus nulla. 1.505
Mutationib. quæ creaturæ magis cæteris obnoxiæ 1.575
Mutij dextra igni crematur & cur. 1.266
Myrti natura 2.142
Mysteria diuina quomodo tractãda. 2.128

N

Nabuchodonosor cur 7. annis deformatus in belluam. 2.155
Homo quàdo bestiæ similis. 2.155
Narratio probabilis 1.314
Narratio cur ueri similis sit, necesse

est 1.143
Narratio sex continere debet. 1.139
Narrationis finis & usus 1.138
Narrationis genus uerbis breue, reb. longum 1.142
Narrationis formæ 1.139
Narrationum uaria genera 1.139
Nares aereæ 2.513
Nascimur alijs 1.301
Natus sibi soli nemo 1.289
Natandi artem apud ueteres discebāt pueri 1.327
Natatui quidam se mare assuefaciunt. 2.350
Natio quæuis peculiare à Deo munus habet 1.580
Nationes potentes quid mali habeāt. 2.824
Natiuitas nostra ac educatio cum sequenti ætate qualis 2.763
Natura quid 2.320
Natura in formatione operis nequit licet conetur Deū cōtingere. 1.549
Natura nostra semper in malum proclivis 2.653
Natura paucis in homine cōtenta est. 2.302
Natura in necessarijs benigna. 2.537
Natura nihil undiq; absolutum fecit. 1.67
Natura quo pacto sua producat perficiatq; opera 1.138
Natura ab arte in formandis operibus quid differat 1.549
Natura recte instituta optimè diuisa. 1.153
Natura quomodo operetur in hoc mundo 1.582
Natura à rudißimis ad perfecta pergit 1.549
Natura semper sui similis, mors excolatur 1.324
Naturæ contemplationem ut indagare conueniat 1.486
Naturæ uarietas 1.406
Naturæ arcana obscura sunt. 1.129
Naturæ notißima et nobis quæ. 1.149
Naturæ uires subtilißimæ. 1.286
Naturæ placent modica, multis uarijsq; obruitur 1.40
Naturæ suprema quæ 1.408
Naturæ consideratione nil iucundius 1.413
Naturæ rerum Dei sunt instrumenta. 1.529
Naturæ error monstrum efficit. 2.354
Naturæ uniuersæ instructio qualis primo 1.541
Naturæ pixides. 1.582
Naturæ scrutatio excessit modum. 1.
Naturæ ordo 2.75 (407
Naturæ mirum artificium in conerariorum permutatione 2.489
Naturæ res ut queamus scrutari. 1. 407
Naturæ actiones quales 1.133
Naturam inuertere ineptum. 1.70
Naturam quisq; exprimit quantum ingenio ac diligentia ualet. 1.461
de Natura rerum differentes nulla re pudient uocabula 1.128
Naturale lumen quod 1.407
Naturale in rebus quid uocetur. 1.550
Naturalia in ijs se prodūt quæ repentina consiliū omne excludunt. 1.529
Naturalia multa à ueteribus temerè asserta 1.406
Naturaliter iudicare qui dicantur. 1. 528
Nautarum scientia 1.56
Necessaria an omnia eueniant. 2.323
Necessitas telum fortißimum 1.61
Necessitas una omniū rerum doctrix 2.154
Necessitatis quæstio 2.323
Necessitatis distinctio 2.324
Necessitati nemo resistit 1.61
Necessariū quid ac quotuplex. 1.551
Negationes duæ in omni lingua fortius quàm Latina negant. 1.388
Negationes duæ ualēt unā affirmationem, uerū nō in omnib. linguis. 1.277
Negotiorum innumera uis atq; multitudo 1.433
Nemesis qualis dea 2.778
Nerui obruuntur sæpe carne ac aruina ut debilitentur 1.110
Nestoris oratio qualis 1.295
Nestores quamdiu uixerunt. 1.295
Nicocles Salaminæ rex 1.307
Nicoclis regni administratio. 1.318
Nicoclis genus 1.318
Nilus nobilißimus amnis 2.60
Nobiles qui fiant 2.99
Nobiles uere qui 1.25
Nobilium insignia turpia 2.95
Nobilitas quid 2.71
Nobilitas nota quasi est, quidq; significet 1.321
Nobilitas uera 2.714
Nobilitas uera quæ 2.72
Nobilitas bene pingere raro discit. 1. 25
Nobilitatis studia 1.45
Nobilitate nil stultius excogitatum. 2.303
Nocendi terminus latus 2.773
Noe arca figura baptismatis ac ecclesiæ 2.361
Noe pietatem suos docet 2.350
Nomen tetragrammaton quid significet 2.435
Nomē uerū & aptū cuiq; quod. 1.212
Nomen scribentis primo, post eius ad quem spectat epistola ponendū 1.70
Nomina orbantia 1.569
Nomina uocum uel rerum quæ. 1.594
Nomina rerum uetera funditus amissa 1.350
Nomina personarum ad uulgum sæpe inuidiā uel odiū præ se ferunt. 1.254.
Nomina neutra tres similes casus habent 1.2
Nomina cōposita sicut simplicia sua declinantur ibid.
Nominum diuisio 1.2
Nomius quis 2.56
Nosce seipsum quid sit 2.66
Nosce teipsum quid ualuerit apud ueteres 1.418
Notarij qui 1.78
Nouercæ crudeliores uitricis. 2.741
Nouercæ quo pacto se gerere debeāt. 2.740 (254
Nouercæ nomen solum inuidiosum. 1.
Nouercam inducens liberis miser est. 1.250
Nouitas admirationem parit. 1.614
Nox attributa ad somnum & quietē. 2.245
Nox consilium 1.171
Nox cæcum ac uidentem eundem habet. 1.256
Nox regina somni 2.21
Nox liberos ex Herebo suscipit. ibid.
Numantiæ ruinæ causa 1.229
Numantini graues fuerunt hostes Romanorum 2.47
Numantini deuincuntur. ibid.
Numen quo pacto cognoscatur. 1.442
Numinis auxilium implorandum ad omnia 1.130
Numinis memoria malefacit animos & cur 1.121
Numerare solus homo nouit. 1.497
Numerus interdū naturæ, interdum cogitationis 1.562
Numeri apud Latinos duo tantū. 1.2
Numeri septenarij mysteria. 2.48
Numeri octonarij dignitas 2.48
Numerorū rationes à Musicis tot excogitatæ quot saporum genera à coquis 1.124
Numos qui excuderint primo. 2.22
Numus numum parit cōtra naturā. 2.275
Numi utilitas 2.299
Nuptæ bis quo pacto se gerere debeant. 2.740
Nuptas domi latēre conuenit. 2.726
Nuptis quo pacto celebrandæ. 2.743
Nuptiæ secundæ an conceduntur. 2. 753

Nuptiarum autor 2.697
Nuptiarum euentus incerti. 2.698
Nuptiarum abusus maximus ibid.
Nuptias celebrantes ueteres immolabant 2.717
Nurus affectus in socrum 2.743
Nutrices quales eligendæ 2.650
Nutrire suos liberos matres debent. 2.735
Nutritio quid 2.498

O

OBlectamenta iucundissima molestiæ sunt 2.235
Obliuisci dicimur triplici ratione 2.519
Obscuritatẽ pariũt inordinata. 1.97
Obscœnitatem uerborũ, etiam causæ detrimento tacere debemus 1.122
Obseruationes in quauis re infinitæ sunt 1.447
Occasio quid 1.558
Occasio ad nos spectat ibid.
Occasio summũ tempus rerum gerendarum 1.156
Occasio illius est qui primus arripit. 1.175
Ocioſi examinantur Athenis. 1.312
Ocium, uitiorum multorum parens ac nutricula 1.45
Ocium uerum purumq; 1.193
Oculi primò morĩuntur, postremò uiuunt 2.545
Oculi potissimũ animi speculum. 1.59
Oculi ignei 2.513
Oculi dux 2.193
Oculi odium omne adiuuant. 1.248
Oculi quicquid uolunt bene imitantur 1.247
Oculi per se nullum colorem habent 2.504
Oculi non minus sunt in animo quàm corpore 2.503
Oculo quid gratissimum 2.457
Oculorum usus nullus semota luce. 1. 255
Oculorum præsentissimũ remedium. 1.304
Oculorum usus & forma 1.271
Oculorũ cõpositio quæ idonea. 1.59
Odæ in quib. litera s nõ habetur. 1.92
Odium quid qualisq; affectus 2.578
Odium in quas cadat personas et eius causæ ibid.
Odium semper separat atq; dissoluit. 2.555
Odium facilius concitatur apud homines quàm amor impetretur. 1.119
Odium morbus uolũtatis, sicut mentis mendacium 2.377
Odium miserè perdit homines. ibid.
Odium in abiectis loco caret. 1.195
Odium oculos non habet 2.437
Odium sibi non parcit, modò noceat alijs 2.437
Odij generatio ac malitia 2.766
Odij ac iræ discrimina 2.575
Odij parens certus metus est 1.258
Odij fontes 2.778
Odij uũ separare 2.327
Odia unde nascantur 2.492
Odisse quenquam uetamur 1.62
Odisse nil infelicius 2.84
Odor lucri bonus ex re qualibet. 1. 304
Odoratus cur antecedat gustũ. 2.508
Odoratus qualis sensus 2.506
Odorifera ueterũ ac recẽtiorũ. 2.506
Œconomicæ usus facultatis 1.283
Io. Œcolampadij institutio grammaticæ 1.11
Offensio quid qualisq; affectus, & quos fructus edat 2.572
Officium extra tempus molestia est. 2.717
Officia uitæ qui descripserint. 1.513
Officia Ciceronis an sint epistolæ. 1. 60
Officij obliuio in dicendo odiosa. 1. 118
Officio nulla uitæ pars carere potest 2.554
Officiorum ratio quàm late pateat. 2 554
Officiorũ libri apud Ciceronẽ quanti faciendi 1.290
Oleæ inuentor 2.502
Olor non nisi fato urgẽte canit. 1.50
Olympium templum quale 1.221
ὁμιλογία quid 1.107
Opes sine corpore quid sint 2.268
Opes subito magnas comparare cum nihil habueris, uiri non est boni. 1. 216
Opes hominũ aut fixæ aut mobiles. 2.791
Opes quæ censeantur 2.486
Opes certiores nullæ quàm certæ amicitiæ 2.86
Opes an homo habere queat. 2.487
Opũ quæstus longè difficillimus. 2.15
ὀφιμαχὸς serpens 2.340
Opificum orationes quales esse debeant 1.125
L. Opimius Gracchum tribunum occidit & cur 1.266
Opinio quæ æstimanda 1.440
Opiniones uulgi perniciosæ 2.70
Opinionum commenta delebit dies. 1.283. 520
Opinionibus à prima ætate adhærendum 2.70
Opistographi quid 1.25
Oppositio quid 1.381
Oppositionis propositionum usus. 1. 602
Optimum non nasci, proximum citò mori 1.666
Optima cur pro uilissimis habeantur 1.357
Opulentiá ne filijs an inopia relinquenda 1.308
Opus artis ut perficiatur cernimus, at non naturæ 1.570
Opus suum quo pacto natura ac ars efficere conentur 1.549
Opera diuina quæ censeantur. 1. 550
Operam sumere propter mercedem quid sit 1.349
Oracula Apollinis tria 2.110
Oracula cœlestia uera quæ 2.289
Oramus malè, & cur 2.207
ad Orandum præparatio. 2.202
Orandi modus quis esse debeat. 2.281
Oratio quo pacto extendatur. 1.94
Oratio quæ scholam sapit 1.112
Oratio literata ibid.
Orationis iudicium 1.112
Oratio seiuncta 1.95
Oratio est imago animi parentis sui. 1.103
Oratio quæ & homini similis. ibid.
Oratio cui similis 1.103
Oratio talis qualis qui dicit & contrà ibid.
Oratio unde appellationem suam habeat ibid.
Oratio ad Deum circa quas res uersari debeat 2.280
Oratio alligata numeris, gratior prosa 1.365
Oratio florida 1.107
Oratio florea ibid.
Oratio gemmata ibid.
Oratio gemmea ibid.
Oratio documentis plena 1.111
Oratio continua 1.108
Oratio dissoluta ibid.
Oratio compacta ibid.
Oratio pugnax quæ 1.110
Oratio habetur septem continuis horis 1.345
Oratio apud Deum iudicem aliter quàm hominem habenda 2.175
Oratio obruta schematibus, non grata 1.124
Oratio homini assimilatur 1.397
Oratio obliqua 1.111
Oratio æquabiliter fluens quæ 1.95
Oratio subsultans ibid.
Oratio immodicis ornamentis constans deformat res magnas 2.363
Oratio scholæ & artium minus curæ quàm forensium habet 1.144

Oratio et historia q̃d differat. 1.144
Oratio sublimis quæ. 1.104
Oratio humilis. ibi.
Oratio ab ea parte qua plurimum ualet uisenda. 1.115
Oratio illa nõ uitiosa habenda quam audiẽtis animus obscurã facit. 1.97
Oratio meditata, aut ex tẽpore dicta ubi locum habeat. 1.171
Oratio sine uerbo nulla constat. 1.3
Orationis color 1.106
Orationis habitudo. 1.109
Orationis partium coniunctio & proportio. 1.108
Orationis dominicæ expositio. 2.107
Orationis nomine quid ueniat. 1.110
Orationis formatio à quibus petenda. 1.493
Orationis caro ossa & sanguis. 1.104
Orationis dictio quibus obscuretur rebus. 1.116
Orationis figuræ. 1.304
Orationis persuasio duobus utitur telis ad expugnandam mentẽ. 1.116
Orationis dilatatio quæ. 1.94
Orationis secũdũ iudiciũ formæ. 1.112
Orationis nerui, lacerti, latera & musculi. 1.110
Orationis doctrina. 1.116
Orationis persuasio. 1.117
Orationis uariatio. 1.94
Orationis ductus. 1.99
Orationis statura. 1.103
Orationis eruditio. 1.112
Orationis cutis. 1.104
Orationis forma. 1.109
Oratiõis partes quæ & earũ diuisio apud Latinos. 1.2
Orationis acumen & subtilitas. 1.111
Orationis formæ. 1.95
Orationis decorum. 1.124
Orationi indũtur animi nomina 1.111
Orationi maior cura in fine adhibẽda quàm initio. 1.93
Orationem speciosam uarietas præcipue reddit. 1.109
Orationem sublimem apud Græcos facit sonus. 1.104
Orationẽ habiturus tria spectet. 1.155
Orationem quo pacto extruere ualeamus. 1.402
Orationem qualem quisque dicere gaudet, talem & audire. 1.127
Orationem extendere aut cõtrahere cum opus est artificij habetur. 1.95
Orationem uerborum parsimonia dehonestat. 1.105
Orationem prosam pedibus non carere ac uersibus. 1.398
Orationẽ acutam quid efficiat. 1.111
Oratione quiuis suis moribus cõformi capitur. 1.127
Orationes ad lyram decantatæ. 1.399
Orationes, ueteres suas à Ioue exordiebantur. 1.654
Orationes scholarum à communibus quid differant. 1.126
Orationum affectus. 1.113
Orationum mores. ibid.
Orationum uirtutes ac uitia. ibid.
Orationum formæ seu genera. 1.104
Orationũ formæ secundũ mores. 1.113
Orationum dignitas. 1.114
Orationum ex dignitate formæ. ibid.
Orationũ discrimen Ciceronis. 1.106
Orationibus scribendis meditandisq; locus 1.492
Orator nisi uir bonus esse nequit & cur. 1.170
Orator sine multitudine eloquens esse nequit. 1.399
Oratori quæ sint spectanda, paucis proponuntur. 1.134
Oratori quid maxime necessarium. 1.395
Oratori cur uersib. uti nõ liceat. 1.397
Oratori ars cælanda & cur. ibid.
Oratori color in narratione ostẽdendus, exequẽdus in argumẽtis 1.143
Oratori prudentia in sua actione necessaria. 1.115
Oratoris officium. 1.86
Oratoris ordo in dicendo sequatur Mathematicum. 1.134
Oratorẽ debere esse uirũ bonũ. 1.394
Oratores pernicioſi ciuitatibus fiunt 1.399
Oratores prohibentur affectus mouere. ibid.
Oratores noui cur de seipsis primo dixerint. 1.61
Oratores Græci plurimos, Latini paucos citarũt Poetarũ uersus. 1.398
Oratores primi inter Græcos ac Latinos. 1.394
Oratores pueri non agunt. 1.124
Oratores Græci pueris legendi. 1.12
Oratores qui dicti sint, cum rursus florerent linguarum studia. 1.401
Oratores qui nominentur. 1.316
Oratores ueterum quales. 1.394
Oratores ubi potissimum dominati. 1.393
Oratores Græci. ibid.
Oratores Romani. ibid.
Oratores ueterum ex quibus gentibus fuerint. 1.106
Oratores qui Græcis nũcupati. 1.392
Oratores optimi qui. 1.316
Oratorum ueterum atq; recentiorũ discrimen. 1.400
Oratoribus iuris studiosi succedunt & cur. 1.400
Oratoria quãdo tota sublata. 1.400
Oratoriæ initium. 1.392
Oratoriæ usus. 1.283
Oratoriæ facultatis materia. 1.86
Orbis exilium. 2.240
Orbis uocabatur ueteribus terra cõtinens quæ Oceano alluitur. 1.645
Orbis mala post peccatum. 2.344
Orbis situs certius ex figura quàm peragratione cognoscitur. 1.137
Orbis retibus ac laqueis coopertus. 2.835
Ordo optimus ex peruersissimo nascitur & quare. 1.283
Ordo in sermone duplex. 1.91
Ordo claritatem adfert orationi. 1.97
Ordo in artium præceptis optimus. 1.461
Ordinis præposteri exemplũ. 1.471
Ὀργανα artium quæ ac quot. 1.440
Origenes ita uixit quemadmodum dixit. 1.522
Organi Aristotelis tractatio. 1.270
Organum Aristotelis superuacaneis oneratum. 1.376
Oriens cœlum priscis uocabatur, Occidens infernum. 1.145
Ornamenta interiora. 2.97
Ornamenta mulieris quæ sunt. 2.722
Ornatus quis censendus. 2.668
Ornatus simplex seipso contentus est curiosi nullus finis 2.637
Ornatus uiri ac fœminæ. 2.667
Orpheus quomodo saxa mouerit feraſq; traxerit. 1.497
Orpheus ac lapides feraſq; mouerit & traxerit. 2.6
Ὀρθοέπεια quid. 1.469
Oris uitia teneræ ætati facile adhærent. 1.462
Oris ac pronuntiationem uitia, & eius remedia. 1.469
Oryza nascitur in aqua & moritur in uino. 1.39
Ostentatio preclaros uirtutis fructus corrumpit. 1.464
Ouatio apud Romanos qualis. 2.142
Oueia uocabulum Hispanicũ omnes uocales comprehendit. 1.16
Oues re non uerbis testificatur quid comedant quouis die. 1.522
Ouidius seculum suum & artibus & sentẽtijs amatorijs impleuit. 1.483
Ouidij temeritas. 1.366
Ouidij Metamorphosis consuta oratione scripta. 1.108
Ouidius semel unam rem benedicere aut definere nesciebat. 1.105
Ouidium qui uitare debeant. 1.473
Ouis partib. ois corporis prodest 1.98

P

Pacifici filij Dei sunt 2.86
Palladis mysterium 2.49
Palimpsestos quid 1.25
Palma omnium arborum calidissima. 2.543
Panis ut comparetur 2.282
Panis genera 1.37
Panis quotidianus quis 2.217
Panis nomine quid intelligamus. 2. 215
Panis corporis & animi ibid.
Panis noster cum sit Dei cur dicatur. 2.216
Pane an oēs nationes utātur 2.498
in Pannonia olim sine iuris interpretibus, non sine iure tamen. 1.434
Panthesilæa quæ 2.141
Papyrij Cursoris uirtus 1.266
Paradoxa sophistarum 1.280
Parasitica consuetudo 1.70
Paraphrasis quid 1.150
Paraphrasios usus ibid.
Paraphrasis ubi locum habent. ibid.
Parcarum descriptio 2.33
Parentes quo pacto suis liberis matrimonia prospicient 2.689
Parentes hæreditatis non tantū atq; morum rationem habere in liberis debent 1.453
Parentes quo pacto colendi 2.90
Parentum affectus nulli liberorū morbi minuunt 1.255
Parentum ignominia pudorem omnium grauissimum incutit 2.589
Parenti seipso charior soboles. 2. 601
Paremib. parem gratiam non posse rependi 1.32
Parentib. in liberis quid morte acerbius 1.241
Parentib. quid spectandum cum liberos iungunt matrimonio 2.601
Parentheseos usus 1.98
Parenthesis interdum sensum sermonis perturbat, & quæ adhibenda medela 1.98
Paria duplex habetur 1.619
Pares in terra paucissimi 1.56
Parrisijs docetur iuuentus nihil scire 1.272
Parrisienses magistri quales 1.21
Parrisiensis scholæ ætas 1.285
Parnassus mons Musarum. 1.666
Parnassus duos uertices habet et quibus sacrati ibid.
Parsimonia in fundo sera 2.564
Participia apud Latinos trium temporum ibid.
Participia ante se nullum, sed pòst ca sum habent, & quos 1.4
Partium discrimen 1.516
Pasiphaen cum tauro concubuisse an uerum 2.691
Pastoricia uita prior quàm agricultura 2.352
Pastores facile quiduis admirātur. 1. 644
Patientia uitæ antidotum 2.96
Patientia omnium domitrix 2.99
Patientia sæpius læsa furor fit. 2.278
Patris uocabulū quib. cōpetat. 2.209
Patrem penes summa authoritas in liberos 2.743
Patres uarios excogitat & habet mundus 2.211
Patriæ benefactoribus quis superfit locus 2.37
Patriæ bellum qui intulerint. 2.783
Patriæ quo pacto benefaciēdū 1.190
Patriæ bellum inferre quid sit 1.237
Patriæ mores induimus 1.619
Patriæ benefactoribus, quæ merces parata 2.50
Patriæ amoris exempla 1.265
pro Patria qui interierint. 2.68
in Patria consenescere fœlicitas magna 1.645
in Patriam reditus dulcissimus. 2.337
pro Patria qui occubuerint ex amore 1.264
pro Patria qui mortem oppetierint. 2.397
Patriarchas uxores plures habuisse quæ causa fuerit 2.473
Paulus Æmylius ter repulsam passus in petendo consulatu 1.264
Paulus Apostolus doctor prudentissimus et castigator mitissimus. 1.99
Pauper nemo natura 2.97
Pauper egens, non carens 2.97
Pauptate malo nullū grauius. 2.427
Pauperes de diuitibus, quid Athenis senserint 1.310
Pauperum iuuenum apud Athenienses studia 1.311
Pax in orbe toto quādo fuerit. 2. 115
Pax quæuis inter ciues bello potior. 1.219
Peccamus uitio uoluntatis, non naturæ 2.288
Peccatum hominem ad tria ingenia impulit mala 2.359
Peccatum homini præclaras facultates detraxit 1.580
Peccatum quid 2.203
Peccatum ut fugeris ibid.
Peccatuum occultantes & facientes æquales fiunt 1.320
Peccatū omne uoluntatis esse. 2.345
Peccatū quæ plagæ subsecutæ 2.284
Peccati uis ac turpitudo ex Christi passione cognoscitur 2.385
Peccata non ex aere cœlo regionibus inferuntur 2.745
Peccatis nemo liber 2.218
Peccator quo pacto à ueterno excitari queat 2.152
Peccatoris dies ceu umbra 2.177
Pecunia ultimum ex ijs de quibus homines spiritus tollunt 2.713
Pecunia ex qua materia constet. 2. 302
Pecunia instrumentum est, quod sine usu nil ualet 2.303
Pecuniæ auiditas cui noceat 1.355
Pecuniæ omnia uenalia 1.43
Pectine eburneo pectendum est caput 1.28
Pedum in sermone discrimen 1.93
Pecuniæ ad scribēdum utiles, ac quis parandi modus 1.25
Pennæ ut leues fiant ibid.
Pennæ quomodo teneri à pingēte debeant ibid.
Percontatorem fugito, nam garrulus idem 2.89
Perdiscere nunquam poterit quod quis non citò didicerit 1.390
Peregrinitatis formæ 1.108
Peregrinationes ueterum non possunt recentibus conferri 1.322
Professio cuiusuis rei & absolutio. 1. 418
Periculum qui amat perit in eo. 2.93
Periclis dictio qualis fuerit 1.111
Periodi nomina apud Latinos. 1.96
Periodi in oratione decor ib.
Periodi authores ibid.
Periodi quādo usurpari cœptæ 1.97
Periodi uenustissimæ ib.
Periodi formæ ib.
Periodis multitudo membrorū debilitas ib.
Peripateticæ sectæ princeps 1.21
Peritiā parare multis conatibus conuenit. 1.667
Peritiam æstimat annis populus. 1. 653
Perottus præstitit quod potuit. 1.11
Persiæ pomum letalē in Græciam inuexerunt 1.38
Persarum regnū unde mire auctū sit? 1.317
Persecutiones nos fugere posse, & quando 2.375
Persica poma lethalia atq; salubria, & ubi 1.548
Perspectiua unde orta quidq; tradet 1.416
Perspectiuæ origo 1.496
Perspicua fiunt quæ ordine disponuntur 1.97
Perspicuitas quid 1.136

Perſuadendi modi 1.111
Perſuaſio maiorem rerũ quàm uerborum curam habere debet 1.119
Perſuaſio quid, finis eius & inſtrumentum. 1.117
Perſuaſio multis nocuit in diſciplinis 1.331
Perſuaſionũ argumẽta cur reperta. 1.115
Perſuaſionum modi ibid.
Pes manui ſimilis 1.54
Peßimus bonum ſe credens diaboli ingenio præditus eſt 2.83
Petentis gratitudo elicit uehementer dantis benignitatem 1.64
F. Petrarcha ſtellula inter denſißimas tenebras 1.83
Petrarchæ epiſtolæ quales 1.83
Petrus Crinitus A. Gellium imitatur 1.293
Perturbatio mentis aciem atq; iudicium obſcurat 2.80
Phantaſia quæ apprehendat 1.533
Phantaſia leuiter mutatur ac aſſentitur 1.633
Phantaſiæ actio 2.509
Pharaonis tyrannis 2.352
φιλοσοφία uitium præcepto Apollinis contrarium 1.63
Philelphus Macrobiũ æmulatur. 1.294
Philelphi duo docti uiri 1.83
Philelphi utriuſq; epiſtolæ ibid.
Philippus rex ab Olympiade uxore abſtinet & cur 2.374
Philippi regis Macedoniæ iudicium de Demoſthenis & Iſocratis orationibus 1.110
Philologus quis 1.446
Philologi qui 1.481
Philomela quando & quandiu cantet 1.21
Philonis Iudæi iudicium de Chriſtianis 2.412
Philoſophari ſepè ſolum conuenit. 1.489
Philoſophandum priùs quàm ditandum 1.519
Ppiloſophandum omnibus ibid.
Philophus quid differat à cæteris hominibus 2.13
Philoſophi hiſtriones facti. 1.344
Philoſophi regendis populis cur non idonei 1.505
Philoſophi multa affirmarũt quæ falſa tempus declarauit 1.408
Philoſophi de cauſis malorum uitæ item de remedio nil ſciuerunt penitus 2.357
Philoſophi Græci pueris, qui legendi 1.12
Philoſophi ueteres leuißimis ſæpe argumentis in errores lapſi. 1.338
Philoſophi ſui officij prorſus obliti. 1.354
Philoſophi inuidebãt hominibus ſua ſecreta 2.369
Philoſophi duobus uitijs impulſi ad placita ſua 1.407
Philoſophi Academici trium generũ fuerunt 2.10
Philoſophi ueteres miro labore rerum naturas ſcrutabantur. 1.289
Phiſophi epiſtolæ quales 1.10
Philoſophi antiqui leges dederũt gentibus 1.289
Philoſophi præcipui animam immortalem ſtatuerunt 2.37
Philoſophi eſt ratione magis quàm ſenſu moueri 2.398
Philoſophi Athenis inuiſi & Romæ ac cur 1.356
Philoſophi abuſi ſunt Poëtis. 1.475
Philoſophi Parrhiſiẽſes ubi ſuam habeant ſapientiam 1.299
Philoſophum in tetrica diſciplina ad blandiores muſas deſcendere conuenit interdum 1.269
Philoſophum in reb. potius quàm uocib. occupatũ eſſe decet. 1.532
Philoſophorum lingua cur libera. 1.296
Philoſophorum errores quibus imitandi 1.409
Philoſophrum oratio umbratilis atque mollis 1.110
Philoſophorum lapſus cognoſcere ad quid conducat 1.499
Philoſophorum ſimultates uix componi queunt 1.334
Philoſophorum oratio qualis eſſe debeat 1.125
Philoſophorum genera 2.10
Philoſophorũ perſuaſio falſa. 1.331
Philoſophorũ præſumptio 1.331
Philoſophos qui reprehenderunt. 1.354
Philoſophos quid ad ſtudium ſapientiæ impulerit 1.328
Philoſophia ſuumma eloquentia ſcripta 1.294
Philoſophia una munus præcipuum hominibus datum 2.4
Philoſophia eloquentiã habere, eaq; facile carere poteſt 1.150
Philoſophia ars eſt rerũ non uocũ. ib.
Philoſophia quid 1.289
Philoſophia à quo ſit petẽda. 1.419
Philoſophia homini non ſufficit ad ſalutem 2.357
Philoſophiæ primæ tractatio. 1.487
Philoſophiæ ſectæ ac laudes. 2.4
Philoſophiæ uſus ac neceßitas. 2.13
Philoſophiæ moralis uſus. 1.283
Philoſophiæ diuiſio 2.9
Philoſophiæ nomen unde. ibid.
Philoſophiæ caput & cardo in quib. uerſetur 2.288
Philoſophiæ ſectæ quæ nota diſcernantur ibid.
Philoſophiæ partes, omnes iiſdem uti nequeunt rationib. 2.294
Philoſophiæ corruptio unde. 331
Philoſophiæ deſcriptio 1.136
Philoſophiæ ſtudia pauci uoce proſequuntur 1.349
Philoſophiam naturalem qui & quo modo ſint ſcrutati 1.405
Philoſophiam uniuerſam in artis formam redegit Ariſtot. 1.336
Philoſtrati epiſtolæ 1.83
Philoſtrati Heroica nullius ſunt authoritatis & quare 1.140
Philoſtrati Apollonius quo pacto deſcriptus 2.371
Phocion Athenienſis ſtultas improbat conſultationes 1.6
Phœbus quis 2.56
Phœbus paſtor fuit, & paſtoribus præeſt 1.654
Phœbus dux Muſarum ibid.
Phraſes interciderunt 1.350
Phraſeos diſcrimẽ unde ortũ. 1.105
Phreneticorum proprium. 1.353
Phyſicorum ignorantia 1.298
Phyſiognomia corrupta. 1.330
I. Pici epiſtolæ quales 1.83
F. Pili epiſtolæ quales 1.83
Pictura poema tacens 1.367
Pictura noxia uetari deberet publico edicto 1.146
Pictura ſanè in numero liberalium artium 1.327
Picturæ nũquam gratæ ſi umbris locus nullus ſit 1.107
Picturæ genera 1.140
Pietas ſola uia eſt perficiendi hominis 1.438
Pietas ſola neceſſaria ibid.
Pietas ſola nunquã, ſed alijs ſemper uirtutibus comitata uenit. 2.708
Pietas uitæ condimentum. 1.40
Pietas aurea eſt quo magis ſcarificatur, eo pudicitior fit 2.291
Pietas bello potius quàm pace floret. ibid.
Pietas duob. cõprehenſa capitib. 2.818
Pietas nulli bono contraria. 1.442
Pietatis umbræ ualidores apud imp. quàm ſolida ipſa apud pios. 2.374
Pietatis utilitas 1.504
Pietas diſſidia perniciosißima. 2.294
Pietatẽ quæ lædãt cõiecturæ. 1.443

Pietatem propagare sanctũ est. 1.322
Pietatem nomen fictum fingere. 2.482
Pietatem à uetustis hominibus traditam. ibid.
Pigmenta quibus fœminæ utuntur. 2.665
Pilæ lusus describitur. 1.51
Pileum in mensa non attingendũ. 1.19
Pingere probe ac celeriter ad quid conducat. 1.25
Perguntur difficulter quæ sub sensus non cadunt. 1.136
Pisces an audiant. 2.504
Piscium quæstiones incertæ admodum. 1.39
Piscium naturam uehementer ignoramus 1.487
Piscium alimenta. 2.498
Pius pontifex Grammaticus uocatur. 1.361
Pij uita uniuersa meri amores. 2.362
Pijs prælium horrẽdum instructum est. 2.220
Piorum præmia. 2.407
Plaga pũctim inflicta grauior quàm cæsim. 1.110
Plagiũ à ueteribus bene, à recentioribus male cauetur. 1.524
Planetæ reliqui à Sole quantum absedant. 2.56
Planetarum cantus qualis. 2.59
Planetarum cursus ac reuolutio. 2.54
Planetarum nomina impia. 2.54
Planetarũ nomina quid significẽt. ibi.
Planta pedis quæ sit contra fidem communem. 1.54
Plantas non sentire propter diuersitatem materiæ falsum est. 1.537
Plato cur noluerit Reipublicæ præesse. 1.519
Plato Iouis sermonem sonat. 1.483
Plato ab Aristotele deprehenditur. 2.292
Plato Syracusanarũ legislator. 1.289
Plato Syracusanas mẽsas damnat. 1.33
Plato quid sonet. 1.153
Platonis schola Isocratem enutrijt. 1.307
Platonis respub. quomodo descripta 2.371
Platonis dialogus Timæus dictus quid contineat. 1.293
Platonis stylus qualis. 1.103
Platonis oratio tanta ut uel Iupiter melius non potuerit. 1.294
Platonis uirtus in partium orationis coniunctione et proportione. 1.109
Platonis in scribendo dicto. 1.76
Plautus sua non omnia sermone scripsit urbano. 1.361
Plauti oratio qualis. 1.104
Plinius impius. 2.315.319
Plinius qualis inscriptor. 1.483
Plinius perperam multa à Græcis ad nos traduxit & quæ sit causa. 1.335
Plinij epistolæ quales. 1.83
Plinij iunioris epistolæ quales. 1.9
Plinij Cæcilij epistolæ quales. 1.76
C. Plinij permulta ex usu abierunt. 1.116
Plinij secũdi diligẽtia in studijs. 1.348
Plinij in dicendo dictio. 1.76
Plinij de dictione epistolari sentẽtia.
Plinij laus. 1.10 (ibid.
Plinij uarietas ibid.
Pliniana eloquentia. 1.104
Plutarchi liber de uiris illustribus qualis & de paralellis. 1.371
Poema, furor est & instinctus quidam. 1.146
Poema quæ conueniat canere. ibid.
Poema quid. 1.146
Poema pictura loquens. 1.367
Pœna antequã irrogabatur cui Romano ter accusandus erat. 1.238
Pœnæ occasionem male cõscius formidat. 1.95
Pœnarum instrumenta mali solum ostenduntur. 1.204
de Pœnis magistratum cogitare est hostem agere non ciuem. 1.311
Pœnis male uiuentes afficere nõ tam laude dignum quàm curare ne quid pœna dignum perpetretur. 1.311
Poesis prima olim sapientia. 1.298
Poesis sub Musica continetur. 1.445
Poesis à quib. potißimũ petẽda. 1.461
Poesis anile nugamentum. 1.366
Poesis quando in precio haberi cœpta Romæ 1.646.647
Poesis quid & eius formæ. 1.365
in Poesim uitia omnia confluxerunt. 1.366
Poeticus spiritus unde. 2.45
Poeticus spiritus cœlestis est. 1.670
Poetici sermonis finis. 1.116
Poeticæ lectionis usus. 1.477
Poetica uocabula qualia. 1.87
Poeticæ inuocationes pariunt attentionem & beneuolentiam. 1.134
Poetæ corruperunt historiam. 1.369
Poetæ scriptores antiquißimi. ibid.
Poetæ nemora amant. 2.817
Poetæ Christiani quid comprehendant suis scriptis. 1.10
Poetæ dramatici quibus uerbis utantur. 1.477
Poetæ corrumpunt mores hominum 1.367
Poetæ hædera ac lauro coronantur. 1.666
Poetæ Cordubenses quales sonos ediderint. 1.92
Poetæ Christiani iuuentuti proponendi qui sint. 1.7
Poetæ non fiunt sed nascuntur. 1.670
Poetæ fistulæ populi. 1.145
Poetæ ut legendi. 1.473
Poetæ Græci pueris legendi. 1.12
Poetæ abutuntur suis carminibus et quomodo. 1.365
Poetæ suis inuentis stultitiæ ac uanitati multitudinis seruire studuerũt. 2.53
Poetæ gentilium primi. 1.365
Poetæ alia fermè quàm communi loqui lingua. 1.464
Poetæ Græci in maiore precio quã Latini fuerunt habiti. 1.640
Poetæ quales fuerint homines. 1.474
Poetæ cur dicti ac recepti. ibid.
Poetæ uoluerunt suas comœdias placere populo. 1.368
Poetam fingere oportere. 1.366
Poetarũ fabulæ quid cõtineant. 1.145
Poetarum modi in actibus agendis suis. 1.267
Poetarum lectio ad quid seruiat. 1.10
Poetarum laus. ibid.
Poetarũ primus et secũdus quis. ibid.
Poetarum censura. 1.483
Poetarum fontes. 2.261
Poetarum fabulæ unde ortæ. 1.145
Poetarum spiritus in epithetis excellit. 1.111
Poetarum oratio concentus & materia. 1.473
Poetarum lectio an utilis. ibid.
Poetarum interpretes. 1.484
Poetarum dij. 1.666
Poetis multa concessa quæ alijs scriptoribus minime. 1.148
Poetas decurtandos esse, & in quibus. 1.474
Poggius qualis in epistolis. 1.83
Polæmoni quid contigerit. 1.57
Pollio Asinius qualis in oratiõe. 1.105
A. Politiani epistolæ quales 1.83
Politiani epistolæ quales. 1.9
Politici uiri quales sermones habere debeant. 1.125
Politicæ facultatis usus 1.283
Polybistor quis. 1.446
Polysyllaba qualem edant sonũ. 1.93
C. Pompeius magnum casuum humanorum exemplum. 1.267
C. Pompeius Alex. Mag. Herculi & Bibero æqualis rebus gestis. 1.268
Pompeius Cæsaris gener 1.264
Pompeius primus post conditam urbem æques triumphus. 1.223
C. Pompeij res gestæ. 1.262
Pompeij causa melior Cæsaris et quo

indice 1.266
C. Pompeij uirtutes 1.7
C. Pompeij Mag. fugientis querela. 1. 262
C. Pompeij felicitas Romæ ibid.
C. Pompeij Magni casus, atq; nulla ætate tristis 1.261
Põpeianorũ mors ubi facta sit. 2.123
Pontificum studia 1.319
Populare administrationem præstare paucorum. 1.314. Contra. 317
Populus equis & leonibus tractatu difficilior 1.46
Populus, magnus erroris magister. 1 419
Populus peruersus ueri interpres. ib.
Populi magister pictor ac poeta. 1. 367
Populo quæ authoritas placeat maxime 1.627
Porcina carne abstinere quid sit. 2. 421
Porcinæ carnis cibus an lepram inducat 2.409
Porphyrius unde desumpserit sunt quinq; uoces 1.378
Porcij Latronis fiducia in dicendo. 1.111
Positum bene non tangere satius est. 1.88
Posteris nemo male uult nisi pessimus 1.627
Potentia nil pulchrius 1.184
Potentia in figulo nõ augetur. 1.204.
Potentia quid 2.71
Potentiæ malus custos metus. 2.107
Potentias maximas breui collapsas. 1. 308
Potest nemo unus omnia 2.41
Potestas in inuitos crux grauissima. 1.192
Præceptor discipulum quando amet 1.8
Præceptor parens uerior 1.461
Præceptores quo pacto colendi. 1.58
Præceptores quo loco sint habẽdi discipuli 1.8
Præceptores inuenti qui inuiderunt suis discipulis eruditionem. 1.333
Præceptoribus quo pacto parendum 2.91
Præcepta utrũ inutilia sint artiũ. 1.60
Præcepta non rerum naturam spectent sed audientis 1.149
Præcepta præuia sint 1.648
Præcepta in quouis duo considerantur 2.410
Præceptorum in Thalmud numerus. 2.410
Præceptis Dei quatenus aliquid adijci possit 2.410
Prædestinationis quæstio excutitur. 2.401
Prædicamenta ad definiendum iuuant 1.376
Prædicamenta an uerba uel rem capiant 1.383
Prædicamẽtorũ appellationes. 1.573
Prædicamẽtorum tractatio ad quam partem philosophiæ spectet. ibid.
Prædicatorum æmulationis quid. 1. 596
Prælia non sint cum aciebus accurate scribenda 1.140
Præpositionum numerus 1.2
Præesse inutis calamitosa res. 1.180
Præterita præsentibus meliora semper uidentur 2.740
Præteritorum temporum discrimen. 1.3
Præuidentia Dei an hominis uoluntatem seruam faciat 2.535
Præuidentia quid sit ibid.
Prægnantis fœminæ miseriæ subeundæ 2.733
Prandia diuersa 1.33
Prandia Gothica ibid.
Precatio religionis pars præcipua. 2.207
Precatio omniũ saluberrima. 1.70
Precatio nostra fertilis sit 2.280
Precatio ad deambulationem. 1.29
Precatio matutina 1.28
Precatio noui testamenti omnium optima 2.208
Precatio quæ dicatur 2.199
Precatio qualis esse debeat. ibid.
Precatio omnis cur inuenta. 2.200
Precationi inhærendum ibid.
Precationes ueterum breues ibid.
Precationis nouam formam instituerit Christus 2.207
Precationi solitudo apta 2.289
Preces pro uenia peccatorũ. 2.226
Preces pro fiducia in Deum. 2.226
Preces, naturæ cursum inuitant. 2.325
Preces præstantissimæ 2. 92
Preces apud Deum gratiores quæ. 2. 211
Preces diurnæ 2.212
Precibus emptum carum 2.108
Precium uile 2.424
Princeps Hispaniæ quis dicatur. 1.43
Principis officium 1.180
Principis oratio qualis esse debeat. 1. 1.125
Principis fiscus spleni similis. 1.428
Principes legib. non uenerit, unde ortum sit dictum 1.427
Principem præsidum prudentia decet 2.98
Principem agere quid sit 2.103
Principes inter & eruditos magna consensio 1.322
Principes formosissimos semper creant barbari 1.617
Principes pluribus affectib. atq; circunstantijs quàm priuati alligati. 1. 431
Principes corporis custodia sæpe nocuit 2.95
Principes consilio egent, idq; à doctis petere debent 1.322
Principes utuntur plurali numero cum loquuntur, & quando cœperint 2.431
Principes quo pacto laudandi à doctis 1.520
Princeps adiuuat doctum fauore ac pecunia 1.64
Princeps uerus quis 2.348
Principes bellaces cur tã multos habeamus in historijs 2.770
Principes proxime ad deos accedunt 1.184
Principum studia populi imitantur. 1.319
Principum symbola 2.95
Principum & uerba & consilia obliqua 2.386
Principes satellites quid testentur. 2. 94
Principum tyrannis quo pacto creuerit 1.423
Principib. cœlum ab adulatoribus datum 1.427
Principib. quis præsit 1.194.
de Principibus nunquam uerba facienda ac cur 2.767
Principum studia 1.45
Principio nil prius 1.532
Priuatio principium non est 1.535
à Priuatione ad habitum regressus fieri potest 1.569
Priuignorũ eadem ratio quæ nouercarum 1.254
Probæ Homerocentron 1.108
Probatus quem Deus cõmẽdat. 1.521
Probabilia maxime quæ 1.143
Probabilia aliquando falsa fiunt, & unde id fit ibid.
Probabilitatis instrumentum. 1.614
Probatio in duabus rebus posita est. 1.117
Probitas unde proueniat 1.139
Probitatis existimatio unde paret. 1. 170
Probitatis magister malus est metus. 1.225
Probro quæ uertantur 2.589
Prodigia in controuersiam uocari possunt 2.293
Prodigia an hodie fiunt ac fieri de-

beant. 2.395
Prodiio gratiſſima 2.245
Productio ſpiritus quid 1.96
Profectus omnis impedimentũ 2.534
Proœmijs ſimplicitas dictionis maxime conuenit 1.133
Proœmium quid 1.134
Promiſſis ſtandum 2.89
Pronomina quot 1.2
Prophetæ cur obſcuri 2.454.364
Prophetias ſuperat Chriſtus. 2.443
Prophetarum ſcopus 2.413
Proſcriptio quid ſit 1.237
Proſpera ſeu aduerſa ut ferẽda. 2.487
Prouidentia ſublata ruit 2.319
Prouidentia quid 2.315.321.355.
Prouidentia, memoriæ filia 1.326
Prouidentiæ diuinæ male detractum. 2.400
Prudentia quibus pareat 1.60
Prudentia requiritur in omnib. 1.396
Prudentia quorſum ſeruiat 1.504
Prudentia unde naſcitur ibidem
Prudentia uniuerſam regit uitã. 1.171
Prudẽtia detracta iuſtitiæ fidem non facit 1.179
Prudentiæ ſpecies 2.437
Prudentia, totius uitæ rectrix. 1.451
Prudentia carnis quæ 1.504
Prudentia ubi plurimũ ualet, illic fortuna parum 2.286
Prudentia, uirtus non eſt 2.304
Prudentia manca ubi uel ſola experientia uel iudicium 1.504
Prudentiæ membrum alterum 1.505
Prudentiæ nutrix 1.505
Prudentiæ ſcopus biceps 1.504
Prudentiæ mater 2.119
Prudentiæ res quomodo comprehendantur 1.486
Prudentiæ quid augeat 1.445
Prudẽtes ſine probitate quales. 1.170
Prudentes qui nominentur 1.316
Pſalmorum pœnitentialium expoſitio 2.147
Pſeudomenorum argumentatio. 1.613
Pudica uerò quæ habenda fœmina. 2.750
Pudicitia in fœmina inſtar eſt omnium 2.662
Pudicitia quomodo conſeruetur. 2.627
Pudicitia in fœmina tenuis flos. 2.751
Pudicitia in fœmina quæ includat. 2.674
Pudicitiæ in fœmina certum ſignum. 2.703
Pudicitiæ iactura per ornatum euenit 2.668
Pudicitiam quanti fecerint fœminæ gentiles 2.701
Pudor quando incipiat 2.589
Pudor in oculis 1.258
Pudor probitatis tegumẽtum 2.674
Pudor quid, unde naſcatur, in quos cadat, quæq; eius cauſæ 2.589
Pudoris ultus 2.591
Pudoris ſedes oculi 1.618.2.591
Pudori fœminæ etiam poſt mortem natura conſulit 2.678
Puellarum doctrina 2.653
Puerilia conſilij inops multisq; periculis obnoxia 1.98
Pueri facile animo commouentur. 1.258
Pueri centum annorum 1.46
Pueri ſimij naturaliter ſunt 1.453
Pueri loco beluam naſci ubi locorum frequens ſit 2.501
Pueri exercitamentis corporũ egent. 1.472
Pueris nequaquã benefaciendũ 2.289
Pueris quæ primò in ſcholis tradenda 1.460
Pueris etiã hoſtis uictor parcit. 1.241
Pueris quæ precanda ſint 2.736
Pueris quæ diſcenda 1.26
Puerorum corruptoribus graues imminent pœnæ 1.285
Pueros cum in ſcholam ducuntur recte inſtitui magna felicitas eſt. 1.340
Pugnæ unde nomen habeant 2.780
Pugnantes pro ueritate minus quàm pro falſitate contendunt 1.527
Pulcher uerè quis 2.97
Pulchra quæ multi iudicent 1.361
Pulchritudo uera ubi locum habeat. 2.97
Pulchritudo uana eſt 2.714
Pulchritudo amorẽ ad ſe trahit. 2.555
Pulchritudo immodica inſoleſcit. 2.610
Pulchritudinis cenſura unde ſumatur 2.589
Pulchritudinis initium eſt elegantia. 1.109
Punctum quid mathematicis. 1.416
Purgationis in animãtib. loca. 2.499
Pyrrhichij natura 1.93
Pyrrhichij etymologia ibid.
Pythagoras delectatur lyra 2.6
Pythagoras excitat numeris ſuorum iuuenum ingenia 1.280
Pythagoras Græciæ ciuitatibus leges dedit 1.289
Pythagoras noluit ut ſui diſcipuli quicquam conſcriberent 1.326
Pythagoræ pleraq; perierunt. 1.326

Q

Quæſtio uniuerſalis particulam includit. 1.118
Quæſtio dialectica probabilis eſt 1.390
Quæſtionis cuiuſuis finis ante probationem intuendus 1.117
Quæſtionis origo ibidem
Quæſtionum diuiſio 1.614
Quies quot modis dicatur 1.564.
Quies quid ibidem
Quies quibus maximè neceſſaria. 1.643
Quietis utilitas 1.574
Quietem omnia recipiunt ſenſu paſtoritio 1.649
Quintiliani laus 1.252
Quintiliani oratio acuta & cuius teſtimonio 1.111
Quintiliani tempore oratio laſciua & delicioſa fieri cœpit 1.114
Quintiliani declamationes non autorem agnoſcere 1.400
Quintiliani declamationes negantur ipſius eſſe 1.253

R

Rabini Iudæorum quibus aditi doceant 2.410
Rabinorũ ſtudia ac eorundem ſcopus 2.412
Rabinorum impudentia 2.405
Radio deſcripſerunt mathematici ſuas formas 1.653
Radicis uis 2.499
Rapitur quiſque ad ea quæ ſuæ congruunt naturæ 1.649
Ratiocinalis animæ munera 2.516
Ratio dicendi philoſophia, poſterior eſt, & cur 1.85
Ratio hominis ueritatem rerum capere cur non ualeat 2.290
Ratio cur homini data 2.411
Ratio noſtra quid ſit 2.410
Ratio quid ſit in homine 2.290
Ratio ſola flectit humanam mentem. 2.293
Ratio excellit prodigia ibidem
Ratio quid & eius natura 2.521
Rationis ſuppetiæ 1.511
Rationis in homine deprecatio. 2.291
Rationis lumen non naturale. 2.289
Rationi potiusquàm autoritati aſſuescendum 1.50
Ratiões quidã nullas admunt. 1.406
Reconciliatio ægrè fit 2.827
Recordatio quid 2.517
Recreationib. opus eſt & cur. 1.472
Reclitudo lucem adfert 1.98
Rectoris officium 1.514
Rectores optimi quæ gentes habeantur 1.514
Rectores quales tales ciues 1.310
Regere uoluerunt alios qui ſe minime regere poterant 3.771
Regere quid ſit 2.314.771

Regi se patiuntur homines à iustitia & sermone 1.392
Regi siue religione populus nequit. 2.482
Regnũ administrare potius quàm augere labor est 2.839
Regnum recte administrantes quid facere conueniat de concordia 1.319
Regni pondus quid lene reddat 1.180
Regna terrena quãdo diuinis similia. 1.191
Regiones terræ quot ac quæ ipsarum natura 2.61
Rex ad mensam nunquam sine appetitu accubuit nec satur surrexit 1.17
Rex sapiens ac probus uere caput & salus reipublicæ 1.43
Rex malus demens ue reipublicæ pernicies ibid.
Reges Ioues uocantur 1.369
Reges quando carere possent satellitio. 2.94
Reges Iudæ tribus exceptis omnes idololatræ 2.433
Reges priuatis hominibus meliores esse debere 1.319
Reges naturam induunt qualem subditi requirunt 1.321
Reges uiuas expressasq; deorum imagines esse 1.184
Regem esse quid sit 2.838
Regis naturæ leges sunt fata omnia. 2.313
Regum ueterum conuiuæ qui 1.44
Regum mores 2.161
Religio sola habita olim sapientia. 2.350
Religio Christiana audet in publicũ prodire 2.291
Religio sola nos ducit ad originem unde egressi sumus 1.438
Religio præstantissimum homini datum bonum 2.80
Religio quid. ibid.
Religio priscorum 2.350
Religio gentilis quando plenè euersa 2.822
Religio accepta deo quæ sit 2.419
Religionis dissensio parit multis magna dubia 2.482
Religionis præmia 2.407
Religionis puduit quos assentationis non puduit 1.130
Religionem à natura humanis pectoribus inditam. 2.350
Religionem sapientia superstitionem uanus terror suadet 2.603
de Religione disputandum esse 2.456
Religiones uarias facile dijudicare licet. 2.483
Religiones umbratiles. 2.291
Religionum authoritates an sydera sint. 2.395
Religionum multitudo unde 2.350
Religionum origo 1.287
Remedia præuisa habere ubi conueniat. 1.434
Remediorum collectio 1.414
Remediorum iudicium ibid.
Reminiscentia quid 2.518
Renascendi modus in æternitate. 2.333
Republica optima ubi nec meum nec tuum dominantur 2.713
Reipub. institutio 1.513
Reipub. interna, externa antecedentia consequentiaq;. 1.156
Reipub. administratio quæ fit à multis aut ab uno, utra optima. 1.306
Reipub. administrationem omnes, rationem autem pauci uident. 1.202
Reipub. administratus domi facilis sed non foris ibid.
Reipublicæ quando recte prospiciatur. 1.428
de Repub. qui scripserint 1.514
Rempublicam grauitas contentio nõ decet. 1.514
Rerumpub. species quot sint non facile inuentu 1.313
Rebus pub. an christiani idonei 2.492
Reipub. optimæ institutæ forma 1.310
Respub. in qua nullus alterum honore excellit malis solum utile 1.317
Respub. Platonis qualis 2.493
Respublicas ueteres philosophi instituerunt. 1.289
Repetitiones crebræ sunt ueterum temporum 2.362
Repetitiones in gradatione ornamenti sunt. 1.142
Reprehensio nulla obest à quocunq; proficiscatur 2.91
Reprehensio medicamenti genus & ut utendum ea 2.641
Reprehensio crebra uires perdit. ibi.
Reprehensionis fructum quando amittamus 2.829
Resalutandi formulæ 1.81
Res nulla tam exposita sensibus quim diu exerceat ingenia 1.447
Res fidem faciunt probabilitate sua 1.117
Res quæ ansas duas habet 2.600
Res mediocres iucundiores ac stabiliores 2.100
Res uiles in precio præstantes in contemptu habentur 2.594
Res ueras ac solidas tẽpus cõfirmat, inanes dissipat 1.520
Res magnæ quibus gerantur modis. 2.17
Res naturales, indagatæ, confictæ, &c. 1.533
Res bonæ aut malæ 1.188
Res secundæ uirtutes omnes frangere solent 1.262
Res cunctæ execrationi subditæ. 1.573
Res cunctæ curam hominis requirũt. ibid.
Res bonæ non uituperandæ, sed qui illis abutuntur 1.316
Res puræ uel mistæ quæ. 1.573
Res bellicæ heroico carmine decantatæ, & cur 1.147
Res admirationem parientes 1.123
Rei uocabuli significationes 1.534
Rerum gestarum tempora. 1.476
Rerum natura ac precia 2.71
Rerũ ortus, progressus, exitus ac causæ nobis ignotæ 1.529
Rerum in quibus homines spem habent natura 2.837
Rerum tristes mutationes semper extitisse 1.262
Rerum essentiæ ex operationibus æstimandæ 2.544
Rerum conditarum actiones metitur tempus 1.564
Rerum proprietates, uires atq; excellentias quatenus cognoscamus 1.580
Rerum distinctio unde nata ibid.
Rerum conspiratio mutua 1.582
Rerum mutationes sunt perpetuæ ac unde 2.63
Rerum naturalis progressus 1.143
Rerum diuisio 2.71
Rebus secundis nemo fidat 1.268
Rebus singulis meta fixa, certa, & cur. 1.555
Rebus maximis proposita est difficultas 2.32
Rebus nouis studere & urbes & domos euertit 1.320
Respondsurus ad epistolam quid spectare debeat. 1.69
Responsio mollis iram frangit 1.662
Resurrectorum catalogus 2.397
Resurrectio Mahumetis 2.476
Resurrectio cur impossibilis credatur 2.397
Resurrectionis Christi utilitas 2.388
Resurrectionis signa ibid.
Resurrectionis dies cur ubiq; celebris 2.131
Resurrectionis Christi simulachrum 2.451
Resurrectione facta nulla erit uicissitudo rerum 2.399
Reticentia quando sit figura sententiæ. 1.99

Reticẽtia ſuſpicioſiſſima res eſt. ibid.
Reuerentia familiaritate deſtruitur. 2.566
Reuerentiæ ſignificationes 2.565
Rhetorica alijs obiter guſtanda, fugienda alijs prorſus 1.489
Rhetorica quando diſcenda ſit. 1.84
Rhetorica duplex conſtituitur, & cur 1.394
Rhetorica inuaſit meſſem alienã. ibi.
Rhetorica ſimilis manui expanſæ. 1.373
Rhetorica quid in ſermone inueniat. 1.274
Rhetorica à maioribus non bene tradita 1.491
Rhetorica quid ſit. 1.735.393.394
Rhetoricæ & Rhetoris finis 1.441
Rhetoricæ inuentores, ac ſcriptores 2.9
Rhetoricæ artis ſtudium quæ requirat 1.346
Rhetoricæ neceſſitas 1.490
Rhetoricæ præceptis non nimium adhærendum 1.491
Rhetoricæ exercitatio ibi.
Rhetoricæ materia & finis 1.86
Rhetoricæ nomina 1.394
Rhetoricæ artis antiquiſſimi præceptores 1.393
Rhetoricæ exercitatio potior arte. 1. 395
Rhetoricæ partes ibid.
Rhetoricæ officium 1.274
Rhetoricẽ qui maxime expetiuerint. 1.393
Rhetorices præcepta à quibus potiſſimum petenda 1.461
Rhetoricis præceptis ut uti debeamus 1.461
Rhetores ubi maxime locum habuerint 1.393
Rhetores cur inuentionem Dialectico ſubtraxerint 1.383
Rhetorum non eſt uel uerba uel ſenſa ſed aptationem docere 1.86
Rhetorum ineptiæ 1.299
Rhodia oratio quæ 1.106
Rhodij in dicendo lenti 1.111
Rhodi Aſianis uicini, & à quo in dicendo edocti 1.106
Rhythmi ac metri diſcrimen. 1.147
Rhythmi ante metrum inuenti. ibid.
Rigor linguæ quid ſit 1.277
Riſus mites affectus declarant. 2.763
Riſus utilitas ibid.
Riſus ſoluti ac leuis animi index. 2. 679
Riſus quid, qualiſq; affectuum actio. 2.571
Riſus quibus familiaris ibid.
Riſus in hominẽ tantum cadit. 2. 572
Riſus magnos ſæpe motus compoſuit ſolus 1.122
Riſus ſedes quis 1.66
Ridendum quo pacto ſit 2.87
Ridiculus ſit, qui aliorum iocos imitatur abſente natura 1.66
Rixarum cauſæ 1.434
Robur ſine conſilio ruit 2.99
Robur quid 2.71
Rogans omnis ſe inferiorem facit. 1. 63.
Roma beneuolentia non ui regi poteſt 1.194
Roma parua excreuit magna rebus duabus 1.240
Roma ſeruitutis impatiens 1.192
Roma à Gallis capta, diruta q; liberatur per Camillum 1.183
Romæ urbis mira mutatio 2.123
Romæ libertas cum Marianis & Curianis labefactari cũ Pompeio omnino periit 1.265
Romæ urbis ſtatus miſer 1.199
Romam tria uitia euerterunt. 1.240
Romam duo uitia euerterunt. 1.183
Romani ex libertate in magnam ſeruitutem deuenium 2.124
Romani multas leges, de moribus autem nullam habuerunt 1.429
Romani ab Apoſtolis deuicti ſunt. 2. 139
Romani populi natura in libertate tuenda 1.194
Romani per bella ocium quæſierunt 1.193
Romani cur florentiſſimas euerterunt urbes ibid.
Romani conſilio quàm armis potius ſuperiores Annibali facti ibid.
Romani in peſte Ianum Epidaurium conſulunt 1.221
Romani imperij adminiſtratio ſub Sylla 1.186
Romani proſcribuntur 1.181
Romano imperio nullum maius fortiusq; 1.266
Romano imperio conſtituendo uirtus fortunaq; contenderunt. ibid.
Romanorum curæ 2.351
Romanorum ciuilia bella 2.130
Romanorum gloria in quibus ſe exercuerit, & ad quos peruenerit. 2. 62
Romanorum ſermo aliquando ruſticus 1.114
Romanorum gloria ſatis anguſta licet ampla uideretur 2.39
Romanorum diſciplina grauis. 1.198
Romanorum bellorum cauſæ. 1.230
Romanis negocia melius quàm ociũ committebantur 1.286
Romanis poſt hominũ memoriã nemo fortior 2.128
Romana reſpublica quamdiu optima 1.289
Romanam libertatem qui conſeruarint 1.266
Romanum imperium qui ditarint. ib.
Romanum imperium cur iam longe propagatum 2.17
Romanum imperiũ Pharſalico prælio concidit 1.266
Romanum ciuile bellum qui primi auſpicati ſint 1.216
Romulus in Deũ conſtitutus. 2.361
Romulus non ſemper hoc nomen habuit 1.298
Romuli interitus 2.64
Romulum pro Deo habitum, mirum fuit 1.145
Rotunda forma omnium optima. 2.54
Rubricarum ratio 1.433
Rubricæ iuris quid 1.433
Ruditati audientium quo pacto occurrendum 1.117
Ruſtici ut tempora diſtingant. 1.671
Ruſticorum ab urbanis diſcrimen. 1. 114
Ruſticarum uoluptatum deſcriptio. 1.645

S

SAbbatũ an per omnia cuſtodiãt Iudæi 2.447
Sabellici epiſtolæ 1.85
Sacra quo ſermone tractanda ſint. 1. 496
Sacra myſteria carminibus non ſunt comprehendenda 1.146
Sacra cum fraude tractare, immane prorſus 2.295
Sacris literis impij fidem cur non habeant 2.289
Sacris ſermonibus etiam ſuus eſt ornatus 2.362
Sacrarum literarum intelligentia. 2. 409
Sacramenti Cœnæ Dominicæ inſtitutio 2.388
Sacrificia uetera ac noua quid diſcriminis habeant 2.420
Sacrificia cur exegerit à Iudæis Dominus 2.416
Sacrificia crudeliſſima in Canaria inſula 2.385
Sæcula poſteriora, prioribus longe meliora 1.325
Sæuit ſolus homo in ſuũ genus. 2.781
Saltationes an utiles 2.682
rabi Salomonis Galli nequitia. 2.412
C. Salluſtius florentiſſimus rerum Romanarum ſcriptor. 1.10
C. Salluſtij ſermones grauiores prioreſuo ſeculo 1.114
Saluſtij dicendi ratio 1.179

Salutandi formulæ usui nostro aptæ 1.80
Salutis uerbum bonum omen in epistolis 1.71
Salutis fundamentum 2.81
Salutē suam paucissimi norunt 2.293
Saluum nihil priuatum si reipublicæ male sit. 1.541
Sanctorū cultus quis esse debeat 2.255
Sanitas quid. 2.71
Sanitas omnē fortunā excedit 2.237
Sanitas sordibus læditur 2.604
Sanitati metuimus omnes 1.414
Sapere alienis malis quàm proprijs felicius 1.506
Sapere incipimus cū morimur 2.734
Sapientia uera quæ 1.300.2.70
Sapientia humana aut nihil aut perparum 1.420
Sapientia, pro prudentia sumitur quandoq; 1.112
Sapientia in quo signo zodiaci acquiratur 1.299
Sapientia optimos, eius simulatio pessimos facit 1.356
Sapientia humana diuinæ respectu stultitia 2.81
Sapiētia humana pietati comparata nostræ insania est 1.169
Sapientia uera à solo deo uenire etiā gentiles intellexerunt 2.850
Sapientia olim prima quæ sit credita 2.6
Sapiētia prima stultitia caruisse 1.296
Sapientia diuinitus contingit 1.7
Sapientiæ gradus primus atq; ultimus 2.94
Sapientiæ acquisitio qualis 1.293
Sapientiæ fines. 2.532
Sapientiæ studium unde dissectum. 2.289
Sapientiæ studium quo pacto mundo patefactum ibid.
Sapientiæ robur. 2.847
Sapientiæ gradus primus 2.10
Sapientiæ locus idoneus prospiciendus 1.450
Sapientiæ initiū timor domini 1.300
ad Sapientiā peruenirent multi, nisi se peruenisse crederent 1.518
ad Sapientiam introductio 2.70
Sapientiam terrarum nemo perfecte assequitur 2.832
Sapiens ab insipiente quid distet. 2.286
Sapiēs finem sibi præfixū habet. ibid.
Sapiens solus longæuus 2.97
Sapiens quis 2.848
Sapiens aurā popularem fugit 1.423
Sapiēs ab insipiēte quātū distet 1.522
Sapiens uiri proprium 2.286
Sapientem conuenit & alios sapientes facere 1.495
Sapientes quid prosint 2.77
Sapientes Athenis atque Romæ fuisse plurimos quid causæ fuerit 1.296
Sapientes casui locum non relinquunt 1.549
Sapientes rari uel nulli 1.297
Sapientes qui dicuntur 1.258
Sapor quātumuis amarus, quibusdā tamen gratissimus 1.93
Sarracenorum uita atque leges 2.471
Sathan solus malus 1.580
Satisfacimus nobis ipsis facile, alijs non item 1.293
Satietas omniū rerū inuenitur 1.50
Saturnus quis & unde dictus 2.54
Saturnia regna qualia 1.657
Satyrici de humana uita bene meriti 1.296
Scelerū immensa licētia Romæ 1.181
Scelerum ultio prima 2.840
Sceleribus refrenādis supplicia noua grauioraq; excogitantur 1.204
Schola unde dicta 1.14
Schola amplissimis epulis carent, & cur. 1.17
Scholæ oracula. 1.522
Scholæ locus quis esse debeat 1.450
Scholarum officium 1.17
Scholis quæstus occasio præcidatur. 1.451
Sciendi desyderium naturale est 1.531
Sciendi desiderium in omni humana mente ardentissimum 1.487
Sciendi desideriū quibus satietur. ibi.
Sciri omnes inter omnia falsū est 1.532
Scire uere quid sit. 1.349
Scire nos pauca quotidie edocemur 2.832
Scientia quæ uocetur 2.532
Sciētia hominis quàm nihil sit 1.518
Scientia quæ censenda 1.440
Sciētia ubi multa, ibi multa afflictio 2.306
Scientia omnis diuinitus cōtingit 1.7
Scientiæ quo pacto amissæ ac postea reparatæ 1.405
Scientiā homines rerū non, sed coniecturas quasdam inuenerunt 1.529
ad Scientiam uia breuissima 1.58
Scipio Nasica Romam liberauit, ac quam mercedem habuerit 2.50
Scipio qualis uir 1.190
Scipio Africanus in exilium depulsus 1.266
C. Scipionis in patriā beneficia 1.215
Scipionis parsimonia 2.47
Scipionum res gestæ ac probitas 2.52
Scortum uxorem habere quantum malum 2.700
Scriba quis dictus 1.78
Scribendo auocatur res à cogitatione leuium, turpium rerum 1.2
Scribere historiam aliud est & aliud epistolā etiā de eodē argumēto 1.76
Scribendi reconditæ notæ 1.77
Scribendi Latinè exercitio 1.5
Scribendi utilitates. 1.24
Scribendum in alienis rebus, ut sit 1.65
Scribentibus quæ pennæ necessariæ, quomodo parandæ, tenēdæ, et atramenti ratio. 1.25
Scribētes recto capite decet esse constitutos & cur. 1.27
Scribentes quam curam literis adhibere debeant 1.27
Scribebant antiquissimi stylis 1.25
Scribunt à dextra in sinistrum nationes orientales 1.25
Scribum Græci & Europæ inhabitatores à sinistra. ibid.
Scripta ueterum nō omnia perfecta, uera ac utilia 1.341
Scriptionis syllabarum lex 1.27
Scriptioni quo pacto inseruiendū 1.2
Scriptura sancta an interpretanda sit hominibus 2.409
Scriptura sacra ager uernātissimus, feracissimus ac uberrimus 2.146
Scripturæ apices etiam mysterijs nō carent 1.139
Scripturo aliquid quæ sint necessaria 1.526
Scriptores sacrarum literarum primi & quæ causa eorum 2.361
Scriptores quo pacto legendi 1.325
Scriptores digni lectū qui 1.447
Scriptores qui legendi, qui nō 2.657
Scriptores omnes non sunt eadem metiendi regula. 1.472
Scriptores pueris uitandi ibid.
Scriptorum res potius quàm uerba spectandæ. 1.525
Scriptorib. nouis nil tribuitur 1.652
Scrutandi curiosa delectatio pietati nocet. 1.443
Scrutationis causæ. 1.438
Scrutationes curiosæ quæ. 1.443
Scytala Laconica 1.77
Scythæ supra quatuor numerum reflectum. 1.459
Secundis rebus bene uti parum, ac aduersis magnum. 2.711
Secta quæuis suos adiuratos habet. 1.340
Sectarum contentiones ac pugnæ in philosophia 1.337
Seculum felix. 1.522
Seculum centum annorū est. 2.64
Seculi noui ac prisci discrimen. 2.598

Seditio, malorum publicorum extremum 1.428
Seditio quos extollat 2.458
Seditio, si sub tyrannis qui habeantur 1.428
Segetem ex agro in agrum transisse. 2.380
Segniciei fructus 1.311
Scholium quid & unde nomen habeat 1.151
Signa significantia 1.592
Seleucus Locrensium legislator. 1.289
Sembamphoras nomen quid sibi uelit 2.436
Sempiternum ut in sacris literis accipiatur 2.415
Senatores digni ac indigni 1.514
Senatores ueterum descripto sententiam dicere consueuerunt 1.171
Senatores Romani quales 2.17
Senatores quales secundū ætatem eligendi sint ibidem
Senatorum actiones modicæ sunto. 1.127
Senatus Romanus ex regibus constabat 1.207
Seneca ex Latinis poetis solus extat tragicus 1.10
Seneca figuris sic plenus ut umbræ loco careant 1.107
Seneca legem ferens de epistolis, eam tamen non obseruauit 1.81
Senecæ epistolæ quales 1.83
Senecæ sermo magis concinnus sæpe quàm uerus 2.363
Senecæ in scribendo dictio 1.76
Senecæ alius moribus, alius ætate exstitit 2.17
Senis anima qualis sit 2.15
Senes facta præterita libenter narrant 2.44
Senes sæpe bis pueri 1.44
Senes callidi 2.17
Senes iuuenes fiunt, ut iuuenes senes 2.18
Senes qui iudicandi 2.18
Senes pueris deteriores qui 1.46
Senes utile honesto plerunque præferunt 2.16
Senes loquaces ibidem
Senes suspicaces 1.119
Senum humor nullo modo similis infantum 2.542
Senibus est prudentia ob rerum diuturnum usum 1.58
Senibus honor debetur 2.18
Senibus cur honos exhibendus 2.87
Senibus parendum 1.214
Senium progignit tædium, & contrà 2.16
Senij oblectationes 1.193
Senectus morbus est 2.16
Senectus quid 2.17
Senectus quando incipiat 2.542
Senectutis indicium certissimum labescere memoria 2.518
Senectutis incommoda quid primum in homine sentiat 2.838
Senectutis uitium peculiare 2.16
Senectute molestiæ 2.488
Senectutis certum argumentū 2.542
Sensus an falli possint 2.508
Sensus quot 2.507
Sensus infra naturæ huius opera subsistunt 2.331
Sensus communes sunt animalibus ac plantis 2.502
Sensus communis quis 2.509
Sensus in rebus huius uitæ occupantur, & eorum finis est bene habere 2.305
Sensus in hominibus omniū hebetior quis 2.38
Sensus falluntur sæpe 1.615
Sensus qui ac quot singulis animantibus tributi 2.508
Sensus quæ cognoscant 1.533
Sensus exteriores interioresq; cui seruiunt in animalibus 2.509. 510
Sensum destruuntur si ea quæ sentiūt captum excedant 2.60
Sensuum fides prima in uerbi cognitione 1.615
Sensuum numerus optimus 2.507
Sensuum ordo ibidem
Sensuum usus 2.507
Sensuum corruptio unde 2.537
Sensuum cognitio qualis 2.502
Sensuum natura 2.326
Sensibus non omnia metienda. 2.544
Sensibus fides subtracta 1.406
Sensoria quæ & quot 2.502
Sensa unde petantur 1.86
Sensilia decipiunt sæpe 1.533
Sentit longe aliter fauor quàm offensio 2.433
Sentire de se quo pacto quiuis debeat 1.57
Sententia in senatu aliter quàm extra dicenda 1.127
Sententiæ malæ efficaciores bonis. 1.474
Sententiæ longæ uix memoria continentur, breues obscuræ sunt 1.98
Sententiarum uis in oratione 1.125
Sententiarū figuræ in quibus sitæ potissimum 1.99
Sepeliendi ritus apud Romanos uiris principibus 1.268
Sepulturæ nō magni æstimatæ. 2.741
Sergij Galbæ probitas 2.613
Sermo unde profluat 1.462
Sermo quo pacto fide dignus reddatur 1.115
Sermo prior sua forma extitit. 1.274
Sermo latinus quo pacto pueris tradendus 1.465
Sermo quiuis suum cultum ut gensha bet 1.108
Sermone apto uti prudentis est. 1.84
Sermo quotidianus qualis esse debeat 1.75
Sermo secundum uitæ professionem instituendus 1.125
Sermoni familiari formando Cæsar confert primas 1.493
Sermo urbanus, rusticanus & aulicus 1.115
Sermonis formatio 2.88
Sermonis utilitas latissime patet in omni uita 1.86
Sermo homini cur tributus 1.469
Sermonis adiumento aperiunt se animi 1.437
Sermonis origo ac obseruatio. ibidem
Sermonis præcepta non possunt perpetua esse 1.597
Sermonis uerba ordinem duplicē habent 1.97
Sermonis artes 1.378
Sermonis dominus 2.329
Sermo turpis uitandus 2.635
Sermone qui plurimum ualet, plurimum etiam in societate ualet 1.80
Sermonis quotidiani exemplum optimum 1.128
Sermo Græcus aureus, Latinus argenteus nuncupari potest 1.106
Sermonis scopus 1.464
Sermo iustitia fortior inter homines. 1.84
Sermonis finis quis 1.116
Sermonis formulæ quando necessariæ 1.464
Sermonis limina 1.106
Sermo mentis interpres 1.85
Sermonis color, uigor & cultus quo pertineat 1.108
Sermone quis appositiß. utatur. 1.316
Sermonis utilitas 1.316
Sermonis magistra 1.316
Sermo sale conditus esse debet. 1.84
Sermonis absolutio quid 1.90
Sermone beluæ carent 1.16
Sermoni cur hodie fides non habeatur facile 1.115
Sermo sapientis à stulti differt. 1.84
Sermo subinde mutatur 1.358
Sermo adolescētis studiosi qualis. 1.9
Sermonis corpus & anima 1.86
Sermo societati instrumentum dominum 1.86
Sermo noster qualis debeat esse 1.59

Sermonem in societate aliqua humana cõmunẽ esse necesse est. 1.437
Sermonis usus 1.115
Sermonem societatibus hominum largita est natura 1.125
Sermonis uires quotæ 1.84
Sermo noster effingẽdus est pro natura audientiũ, tẽporũ et locorũ. 1.127
Sermo & ingenium & affectus hominis prodit 2.605
Serta muralia seu castrensia. 2.136
Seruilius Hala Sp. Melium affectantem regnum interimit 1.266
Serui quo pacto habendi ac quod illorum officium 2.729
Seruitus omnium miserrima 1.521.523
Seruitutis indicia 2.565
Sibyllæ quo pacto dictæ 1.657
Sibyllarum carmina quomodo composita. 1.657
Siciliæ tyranni quales 1.208
Sidonius Apollinaris Aluernæ, quales ediderit epistolas 1.83
Signa rerum pro causis sumuntur rusticis. 1.671
Significatio figura orationis qualis 1.101
Significare quid 1.592
Simonides memoriæ artem docuit. 1.273
Sileni duo fuerunt 1.666
Silentium duplex 1.99
Silentium uxoris magnum ornamentum 2.680
Silentium tenuerunt arcani etiam fœminæ 2.631
Silentij Pythagorici causa 1.470
Silius qualis Poeta 1.10
Simulatio nulla diuturna 2.76
Simultates cum dijs suscipiuntur. 2.313
Similitudo amoris uinculum maximum 2.690
Similitudines quid distent à translatione 1.101
Similitudinum dissimilitudinumq; usus. 1.98
Similitudinum formæ ibid.
Sinapis quibus conueniat 1.39
Sinapis quibus in usu ibid.
Singularum scientia infinita 1.63
Singularia sub artes minime cadũt. 1.434
Sirenes quo pacto cantent. 2.59
Siti perire durius nihil 1.39
ad Sobolem corpus ac animus matris considerandus 2.604
ex Socco in cothurnum transit. 1.129
Societatis humanæ uincula duo 1.84
Societas sine iustitia haud consistit. 1.426
Societas qualis deligenda iuueni 1.59
Societas sæpe corrũpit mores 1.454
Societas mala uitanda 2.634
Societatis humanæ nodus iustitia est 2.820
Societatis uinculum ac rector 1.445
Societati humanæ uitia duo perniciosa. 1.83
Societates humanæ quibus conseruentur potissimum 1.392
Socrates qualis fuerit 2.340
Socrates nil scripsit & tamen scripsit. 1.32
Socrates cur in maximo fuerit precio. 1.67
Socrates quomodo se nihil scire professus sit 2.10
Socrates disciplinas non uendidit. 1.451
Socrates perbene meritus 1.289
Socrates cur ab inquisitione naturæ abstinuerit 1.407
Socrates cur se contulerit ad morum tractationem ibi.
Socratis pietas 1.289
Socratis eruditio 1.419
Socrus affectus in nurum 2.742
Socrus nurus odio habent, & cur. 2.742
Solertia quid. 1.548
Sol musarum dux musisq; aurora gratissima. 1.17
Sol extinctus aliquando 2.39
Sol quid & unde dictus 2.56
Sol moderator reliquorum luminum cœli. 2.38
Sol mundi anima 2.55
Solis comites perpetui 2.56
Solis filij. 1.145
Solis defectum quis primò prædixerit. 2.5
Solis cursus & conuersiones quis primus perscrutatus sit. ibid.
Solem esse pedalem 1.406
Solon de parricidijs cur nullam legem dederit 1.434
Solon Athenienſium legislator 1.289
Solon phil. leges Draconis corrigit. 1.307
Solem omnibus planetis lumen impertiat. 2.57
Somnus quid sit 2.537
Somnus longus aut breuis utri 2.538
Somnus in oculis cur potissimum appareat. 2.537
Somnus mites ac mansuetos reddit. 2.23
Somnus Mercurius alter. ibid.
Somnus omnium grauissimus 2.152
Somni soror 2.22
Somni utilitas 1.35. 2.537
Somni domus describitur 2.21
Somni incitamenta. ibid.
Somnifera quæ. 2.537
Somno cur infantes magis quàm senes dediti 2.538
Somno quo pacto utendum 2.75
Somnium reflectitur interdum 2.539
Somnium quid 2.539
Somnium in quos cadat ibid.
Somnia ueritatis in se nihil habere. 2.26
Somnia principum non contemnẽda. 1.194
Somnia principum unde oriantur. ibid.
Somnia uariarum rerum unde proueniant 2.539
Somnia sæpe pariunt cogitatiões ac sermones nostri 2.37
Somniorum prænotio 2.540
Somniorum interpretes 1.391
Sonus est unda aeris 1.92
Sonus reflexus 1.505
Sonus nullus qui sui amatoris non inueniat 1.93
Sonus quid sit 2.504
Sonus hebes uel acutus ubi fiat in rebus. 2.59
Sonus uastus, amplus, lenis & exilis. 1.91
Sonus æqui quam citharœdi cuidam Scytha gratior 1.93
Soni actio 1.92
Soni in sermone fluuijs similes. 1.92
Sophiæ tres filiæ cadunt pro nomine Christi. 2.738
Sophistæ tria potissimum captionum genera habent 1.639
Sophismata cur excogitata 1.274
Sophismatis nil uel uanius uel stultius 1.272
Sophistica disciplina quid sit 1.276
Sophisticæ disciplinæ finis instat. 1.223
Sophisticæ commoda praua. 1.283
Sophisticæ studia quamdiu durarint ibid.
Sophistarũ modus colloquendi 1.110
Sophistarum catalogus 1.281
Soror unde dicatur 2.742
Spartianorum nullus unquam orator habitus 1.106
Species omnia quæ sunt essentiæ generis cõtinet ac insuper addit aliquid. 1.583
Species quomodo sint inter se discretæ. 1.581
Species nouæ ex commistione aliarum procreantur 1.581
Specula quo pacto inspicienda 2.670

Specula-

Speculationis finis. 2.522
Spes quid, unde naſcatur, in quos cadat, quæq; eius cauſæ. 2.588
Spei utilitas ibid.
Spem differri graue atq; laborioſum. 2.240
Spiritus ut fuit in loco. 1.560
Spiritus cur immortalis eſſe Deus uoluerit 2.328
Spiritus ſancti appellatio unde 2.353
Spiritus ſancti miſſionis utilitas 2.390
Spiritus ſanctus cur uiſibiliter Apoſtolis datus 391
Spirituum duo genera 1.538
Spirituum genera 2.340
Spirituum uinculum 2.326
Spirituum coniunctio. 1.562
Spirituales naturæ quid præ cæteris creaturis habeant 2.327
Status ſtatum includit 1.117
Statu ſuo nemo hominũ cõtẽtus 1.181
Status quis in cauſis 1.117
Statuum diuerſa eſt ratio 1.117
Statuariæ materia 1.440
Stella minima, terra maior 2.53
Stellæ erraticæ non errant 2.54
Stellæ terrã magnitudine uincĩũt 2.38
Stellarum uſus 1.567
Stellarum curſus. 2.54
Stentoris uox. 1.282
Stentoris officium apud Troiã. ibid.
Steriles fœminæ magis quã uiri 2.734
Sterilesmulieres gaudere poſſũt 2.733
Styli utilitas. 1.469
Stirpium origo. 2.501
Stirpium alimenta. 2.498
Stomachi ſigilla. 1.40
Stoici quales Philoſophi. 2.10
Stoici affectus euellere ſunt conati. 2.486
Stoici uerborum architecti. 1.87
Stoici ſe ſaxa uoluerũt reddere 2.568
Strenas dare uetus conſuetudo eſt. 2. 110
Studium diſciplinæ unius, ducit ad alia 1.668
Studijs lumen commodum 1.33
Studij puerilis ratio. 1.7
Studia quæ maxime proſequamur. 1.329
Studia quæ uitanda ſunt 1.443
Studia quomodo aggredienda 1.519
Studia per ſe infinita, ſed per nos ob alios finita fiant 1.521
Studiorum utilitas. 2.78
Studiorum finis & fructus 1.519
de Studiorum initijs libellus 1.7
Studijs tempus commodum 1.33
à Studijs abſit arrogantia et cur 1.78
Studioſo penna & charta deſit nunquam & cur. 1.9
Studioſo uel libris utendum uel magiſtris 1.447
Studioſis alimenta prouidenda ſunt honeſta 1.450
Stulti ſapientibus proſunt 2.318
Stulti quid proſint 2.77
Stulti dum uitant, uitia in contraria ruunt 1.43
Stylus artis dicendi perfector 1.85
Stylus barbarus, non ſtylus dicendus 1.103
Stylus triplex. 1.396
Stylus Atticus Aſi. et Rhodius 1.105
Stylus dicendi magiſter 1.9
Stylus exercendus crebro ibid.
Stylus tenuis etſi ſanguinis nõ plurimũ, ſuccũ tamẽ habere debet 1.105
Suauibus aſſentimur libenter 1.474
Subditorum officium quod 1.320
Subiectum enunciationes quid 1.596
Subſtantia ſine accidentibus eſſe nequit, nec contrà 1.535
Subſtãtia an cum accidẽtib. eadẽ 1.535
Subſtantiarum adhærentia quomodo cognoſcantur 1.156
Subſcriptionum origo. 1.70
Subtilitatis locus. 1.111
Subtilitatis officium. 1.111
Subtilium ſermonum exempla 1.112
Succus minus quiddam quam ſanguis 1.105
Sudor aliquando medicina in uenenum uertitur 2.269
Suetonium acephalum eſſe unde colligi poſſit. 1.686
Suetonij mirabilis dicendi proprietas. 1.10
Sum uerbi cõpoſita quæ et quot. 1.4
Sum uerbi conſtructio. ibid.
Sumptuariæ leges Romæ plurimæ fuerunt 1.234
Superbia belua multiformis 2.592
Superbia homines ſibi ſubijcit 1.437
Superbia quid, quibus inſita, undeq; naſcatur 2.591
Superbia perfectũ impedimentum in ſtudijs 1.333
Superbia ex animi tenebris naſcitur 2.231
Superbiæ comites. 2.592
Superbiæ mira natura. 2.765
Superbiæ duo peſſimi comites. ibid.
Superbiam deprecari 2.230
Superbus quid expetat potiſſimum 2.592
Superbus animal nullum ornata fœmina 2.668
Superficies unde dicta. 1.556
Superlatio quid. 1.100
Superlatio ſupra fidem ſed non modum eſſe debet. ibid.
Superlatio una in lingua recipitur quæ ab alia reſpuitur ibid.
Superſcriptionẽ epitheta potius ornant quàm honorant 1.75
Superſcriptionem hodiernam rident pueri. ibid.
Superſcriptionum ueterum formæ et quæ hodie fit. 1.70
Superſcriptio epiſtolis hodie neceſſaria 1.75
Superſcriptiones antiquorum nullas in epiſtolis habemus. 1.75
Superſtitionem uanus terror ſuadet, religionem ſapientia 2.603
Supplicium ſempiternũ quale 2.840
Surditas cordis maior corporis 1.44
Suſpicio unde gignatur. 2.526
Suſpicionibus ſecuris. 2.96
Sutor ne ultra crepidam. 1.279
Suum caro qualis 1.37
Syderum nomina planetarum maxime Græcorum leuitas finxit & cur. 2.54
Sylla phthiriaſi moritur 1.231
Sylla Puteolis obijt. ibid.
Sylla in odium plebis plures tulit leges ibid.
Sylla honorifice ſepelitur. ibid.
Sylla Delphicũ ſpoliat oraculũ 1.221
Sylla legiones in Italiam ducit 1.181
Sylla dictaturam conſequitur in annos centum uiginti. ibid.
L. Sylla dictator crudelis 1.427
Sylla Mithridatem uicit. 1.200
Sylla Athenæ cur ignouerit 1.205
Sylla dictaturam abdicat 1.192
Sylla uincit Marios 1.181
Sylla in mortuos ſæuit 1.126
Sylla cum quindecim ducibus bellum geſſit 1.208
Sylla legum omnium uiolator. 1.229
Sylla ne patriam potius an Marius bello uexarit 1.238
Syllæ mors qualis 1.214
Syllæ res geſtæ cum exteris 1.211
Syllæ in patriam malefacta 1.217
Syllæ in proſcriptos leges duræ 1.231
Syllæ teſtamentum totius uitæ ſimile 1.244 (1.243
Syllæ ex tyrannidæ qui diuites facti
Syllæ filius, patris naturam ſequitur puer adhuc 1.226
Syllæ de Cæſare puero iudicium uaticiniumq; 1.264
Syllæ crudelitas. 1.181
Syllæ in patriam beneficia 1.200
Syllæ proſcriptiones miſeræ 1.221
Syllæ uita deſcribitur 1.215
Syllæ aſtutiæ. ibid.
Syllæ ſomnium. 1.181
Syllæ partes qui ſouerint. ibid.

Syllam dictaturæ pœnitet 1.181
Syllaba quæ dicatur & quibus conſtet. 1.1
Syllaba ſine uocali fuit nunquam. 1.1
Syllabarum ſoni 1.91
Syllabarum in temporibus diſcrimen amiſimus 1.93
Syllabarum coniunctio pedem facit. ibid.
Syllabas pronunciare recte quid conducat. 1.1
Syllogiſmus quid & quæ eius natura 1.606
Syllogiſmus quibus conſtet 1.381
Syllogiſmo quæ functio animi utatur 1.633
Syllogiſmorum uis in quo ſit ſita. 1.606
Symmachi epiſtolæ quales 1.83
Symbolum Nicenum quid de deo ſtatuat. 1.280
Symbolum quid ſit atq; quale eſſe debeat. 2.95
Symphonia cœleſtis 2.59
Syneſij epiſtolæ 1.83
Synonymæ an ſint uoces diuerſarum linguarum idem ſignificantes 1.594
Synonyma captantur multi 1.152
Synonymorum tractatio 1.94
Syntaxis Gazæ obſcuritas 1.11
Syntaxis Græcis Latine conſtructio dicitur. 1.3
Syracuſani bis in die exaturantur, quod Plato improbat 1.33

T

TAbularũ duodecim origo 1.428
Tabellis ueteres uſi ſunt, nos non item 1.77
Tabellis ueterũ ſucceſſit charta 1.78
Tabellarij ueterum qui fuerint 1.75
Tabellarij unde dicti 1.77
Tabellariorum diuiſio 1.79
Tactus aurium quis 1.92
Tactus terreus 2.513
Tactus cur ſparſus per uniuerſũ corpus. 2.508
Tactus qualis ſenſus 2.505
Tædium progignit ſenium 2.16
Tarditati auditorum quo pacto occurrendum 1.117
Taurus Aſiæ mons quando dici cœptus 1.595
Telum in fortem uirum miſſum redit ad mittentem 2.846
Temeritas annorum calamitate corporum frangitur 1.248
Temere aliquid fieri 1.554
Templi primi ac ſecundi diſcrimen quod præſtantiam attinet 2.440
Tempus partire nequit 1.565
Tempus ædax rerum 2.102.337
Tempus quid. 1.557
Tempus nobis nimium breue 1.444
Tempus noſtrum fluit ſubinde 1.358
Tempus quod amittatur 1.348
Tempus duplex eſt 1.155
Temporis partes 1.558
Temporis puncta. 1.565
Tempori parcendum 2.98
Tempore quando abundemus aut deficiamus 1.511
Tempora uerborum tria, non quinq; eſſe. 1.19
Tempora caua ſignum dementiæ 1.53
Temporum notæ apud ueteres 1.73
Tentationibus per preces occurrendum. 2.233
Terra una alia eget 2.763
Terræ habitationes ueteribus ignotæ fuerunt 2.39
Terram uniuerſam cum ipſo oceano adiri poſſe 2.340
Terræmotus Europæ 2.269
Terræmotus orbis ex parte 2.321
Terrena qualia. 2.57
Terentius confert multum ad ſermonem quotidianum 1.9
Tertulliani epiſtolæ quales 1.83
Teſtamentũ uetus quib. conſtet 2.362
Teſtamentum uetus cur difficile appareat. ibid.
Teſtamentum uetus noui in omnibus figura 2.364
Teſtamenti ueteris origo 2.361
Teſtamẽta ambo deprauata eſſe 2.463
Teſtis oculatus unus plus facit quàm auriti decem 1.615
Thalmudicæ næniæ 2.404
Thalmud liber qualis 2.403.412
Theca pennaria quid 1.25
Theocritus paſtoriciã ruditatem magis quàm Vergilius expreſſit 1.362
Theodorus Gaza Græcus homo de Latinis bene meritus 1.153
Theodori Gazæ Grammaticæ inſtitutio percommoda 1.11
Theologiæ materia 1.440
Theologiam abſconderũt ueteres. 2.8
Theologorum copia magna ubi & cur. 1.329
Theologorum perſuaſio falſa 1.331
Themiſtocles memoriæ artem diſcere noluit, & cur 1.273
Themiſtocles uenenum hauſit ne patriæ bellum inferret 1.265
Themiſtocles Xerxis opes contulit. 1.307
Theſmothetæ Atheniẽſium ac eorum officium. 1.517
Theſmothetæ Athenis conſtituunt. 1.307
Theophraſtus in Græcia diuinus appellatus 1.281
Theophraſtus breuitatem uitæ queretur. ibid.
Theophraſtus hoſpes dictus & cur. 1.115
Theophraſti oratio deorum eloquentia dicta 1.299
Theophraſti oratio qualis 1.104
Theophraſti querela de uitæ humanæ breuitate 2.334
Theut Ægyptiorum quid ſit 1.289
Thomæ Mori laus 1.252
Thus Sabæa gignit 1.38
Tiberij Cæſaris digiti miræ firmitatis 1.54
Tibicen Arabius ad canendum, obolo ad tacendũ tribus conducitur 1.56
Timor malorũ ſæpe plus ualet quam ſpes bonorum 2.157
in Timore benigni, poſt ingrati ſumus 1.211
Timotheus muſicus ineptos artifices edocuit 1.273
Toga quærẽda ubi amiſſa eſt, quid ſit 1.48
Toga candida ſenatorum Romanorum cuius eos admonuerit 2.48
Tolerantia quando Laudabilis 2.392
Totum quid & eius appoſita 1.562
Trachale locus concionibus appoſitus. 1.127
Tragœdiarum author 1.148
Tragemata cur inuenta. 1.40
Tranſcendentia quot 1.383
Tranſitius oſtenſio lucem adfert diſcentibus 1.98
Translata uerba tanquam ſtellæ orationem illuminant 1.107
Translatio ab inuerſione quid differat. 1.101
Translationes cur inuentæ 1.88
Tribus duæ commixtæ 2.438
Tribunitia poteſtas quando Romæ inuenta. 1.235
Tribunorum interceßio Romæ qua uoce fiebat 2.49
Tribonianus qualis extiterit 1.430
Trinitatis cognitionem aliquam & Iudæos & gentes habuiſſe 2.354
Trinitatis diuinæ imago in homine. 2.516
de Trinitate 2.354
M. Triſmegiſtus Ægyptiarum legum lator 1.289
Triticum ultrò in Sicilia prouenit. 2.502
Tritici inuentor 2.502
Triumphandi lex cur 2.132
Thucydides obſcurus cur habetur. 1.98
Thucydidis ſtylus qualis 1.104
Turpe multiplex eſt 2.589
Turpia uirum bonum petere non decet nec concedere 1.63

Turpia ſcrutari adoleſcentes bonæ indolis non decet. 1.54
Tuſci homines perierunt 2.269
Turturum fides ac charitas erga conjugem 2.746
Tyberis mira inundatio 1.220
Typhan dæmon quis 2.340
Tyranni quales ferant leges 1.426
Tyrannorum exempla 2.150
Tyronis uocabulum unde ſumptum 1.32

V

Vacuum quid ſit 1.560
Vacuum utrum in rerũ natura ibidem
Vacuum abhorret generalis natura. 1.541
Valere bene quid. 1.71
Valetudinis aduerſæ cauſa 2.237
Valetudinis uniuerſæ finis 1.472
Validius ope externa minus eget. 1.566
L. Vallæ laus 1.253
Valla in elegantijs immodice ſuperſtitioſus 1.10
Val. Max. opus compacta oratione conſcriptum 1.108
Vanitas uitæ præſentis 1.556
Vanitati omnes res conditæ ſunt ſubiectæ & quamdiu 1.87
Vanum quid habeatur 1.556
Variationũ authores qui potißimum 1.94
Varro Terentius author doctus 1.369
M. Varronis liber de re ruſtica quo ſtyloſcriptus 1.104
Q. Varus quis 1.666
Vates optimus quis habendus 1.505
Vates omnes obſcuri 2.428
Vates ueterum 1.302
Veneratio uera elici, extorquere non poteſt 2.626
Veneratio quid 2.565
Venus Solis æmula 2.56
Venus alma dicta ibid.
Venus quibus accendatur 2.662
Venus duplex 2.613
Venus quid 2.56
Veneris & filij regnum ubi. 2.684
Veneris Planetæ curſus & nomina cum claritate 2.56
Veneres plures 2.56
Ventorum utilitas 1.573
Verbum ut ponatur in conſtructione. 1.3
Verbi iacturam facere quàm rei, ſatius. 1.119
Verba qui negligit & rem perdit. 1.335
Verba quædam de ſe orationem extollunt & quædam deprimũt 1.100
Verba nulla tam abſona & ſordida quin permultis placeant 1.123
Verba riſum mouentia ibid.
Verba prodigioſa 1.361
Verba non ſibi ſed alijs rebus accommodantur 1.613
Verba perſonalia duplicis uocis. 1.5. conſtructio ibid.
Verba turpia quæ uideri debeant. 1.129
Verborum diuiſio 1.86
Verborum ſimplicium conſideratio. ibid.
Verborum ætas ibid.
Verborum modus inter homines 2.88
Verborum compendium 1.95
Verborum ſoni 1.93
Verborum ſenſa quid ſint 1.86
Verborum conſtructio quæ 1.3
Verborum modi, tempora, perſonæ & coniugationes 1.3
Verbis Dei nil addendum, detrahendumq; nihil 2.410
Verba ex Grammatica ſunt noſcenda. 1.3
Verbis ſenſa conſignantur 1.532
Verbalia quæ et eorum formatio 1.4
Verecundiæ fores 1.258
Verecundiam oculi adimunt 1.253
Veredarij qui 1.78
Vergilius Poëtarum Plato dictus. 1.682
P. Vergilius ſua ex philoſophia intima deſumpſit 1.30
Vergilius diligens Homeri æmulator repetitionibus exceptis 1.142
Vergilius quando & ubi mortuus. 1.298
Vergilius quo tempore natus 1.644
Vergilius quando Bucolica conſcripſerit ibid.
Vergilius quos Græcos imitatus ſit in ſuis operibus 1.683
Vergilius, Homerus Romanus dici poteſt. 1.269
Vergilius gladio petiens 1.655
Vergilius qualis fuerit poeta 1.680
Vergilius in qua exiſtimatione ſemper habitus ſit 1.680
Vergilius Poetarum primus merito. 1.10
Vergilij Bucolica urbano ſermone plane non ſcripta 1.362
Vergilij poema optimum quod 1.367
Vergilij ſtylus qualis 1.103
Vergilij poema quale 1.682
Vergilij Bucolica quid contineant. 1.640
Vergilium nec Iulius nec Cicero uidit. 1.663
in Vergilium commentaria quæ opti ma. 1.11
Veritas ſemideos facit 1.59
Veritas temporis filia 2.102
Veritas altißimo puteo immerſa. 1.633
Veritas ſub furto non diu latet. 2.355
Veritas latißima res 2.337
Veritas ipſa fortißima 1.116
Veritas miniſterio affectuum adiuuatur. ibid.
Veritas interdum laborat, opprimitur nunquam 2.90
Veritas fucata 2.127
Veritas in aula raro auditur 1.45
Veritas nimium altercando amittitur. 1.246
Veritatis Chriſti accuſatores plurimi & ijdem iudices. 2.393
Veritatis uis quanta 2.393
Veritatis examinandæ functio 1.633
Veritatis gratia qui mortem oppetierint. 3.393
Veritati potius quàm mendacio dulcedo inſit 1.367
Veritati omni cedendum. 1.523
Veritatem ueram nullus homo niſi à Deo edoctus nouit. 2.284
Veritatem obſcurare nemo poteſt. 1.489
Veritatẽ promouet eloquentia. 1.496
Veritatem inuenire nil præclarius. 1.323
Veri inueſtigatio uarias rationes habet. 1.615
Verum eſſe neceſſe eſt de quo omni natura conſentit 2.296
Verum expoſitum eſt omnibus ad cognoſcendum, non falſum 1.409
Vera fatentur ebrij, pueri atq; fatui. 1.627
Verarum non ſuſpicax 2.88
Verſio quid. 1.152
Verſio quotuplex ibid.
Verſionis uſus ibid.
Verſionum modus quis eſſe debeat. 1.107
Verſura quid 1.22
Verſus multum memoriæ conferunt 1.143
Veritatis examinandæ inſtrumentum commune 1.592
Verſus quid 1.147
Verſus unde nuncupatus. ibid.
Verſuum qui ad ſcribendum iuniori-bus proponuntur ratio 1.2
Vertex unde dicatur, & quæ eius natura 1.53
Veſpaſianus ex urina uectigal collegit. 1.304
Veſtium origo 2.636
Veſtimenta culta ſuperbiæ inſtrumenta ſunt

mentа ſunt 2.72
Veſtiendi ratio 1.43
Via ad Deum quæ 1.442
Via recta unica ac ſimplex eſt. 2.289
Via in cœlum. 2.38
Via in cœlum compendiaria. 2.66
Victor non uictus conditiones belli fert. 1.37
Victoriæ cruentæ 2.124
Victus moleſtiæ 2.302
Vidua mariti recordabitur. 2.749
Viduæ cõtinentia ac honeſtas 2.749
Viduæ ornamenta. 2.750
viduæ conſiliarij 2.752
Viduarum miſeria 1.254
Viduarum ludus qualis 2.745
Viduas ſcriptura cõmẽdat ſed quales. 2.751
Viduitatis ſolatium 1.255
Vigilantij hæreſis 1.363
Vinum continet luxuriam 1.39
Vina uaria & quib.conueniant 1.38
Vina quibus deſtruuntur ibid.
Vinum mœſtis dandum 1.472
Vinum eiuſq; mentio exhilarat animos. 1.20
Vinum Venerem accendit 2.662
Vini inuentor primus 1.42.2.502
Vina fortia 2.272
Vina infecta corporib.pernicioſa 1.39
Vir bonus in uita ſeniper et poſt mortem prodeſt. 1.98
Vir, dignitatis nomen ſæpe 1.650
Vir bonus an haberi poßit in hac uita. 2.304
Vir bonus oui ſimilis. 1.98
Viri peplo coloq; digni 2.644
Viri mali ſuſpicaces 1.119
Viri mulierum officia alicubi ſuberunt. 2.633
Virum bonum quem uocarint ueteres. 1.395
à Viro bono quid exigatur. 1.268
Viro multo plura quàm fœminæ neceſſaria 2.662
Virorum officia 1.186
Viros graues non decet ludere uel animi motibus procelli 1.70
Virgo quo pacto ridere debeat 2.679
Virgo ſilentium amet 2.680
Virgo quo pacto ſponſũ quæret 2.689
Virgo ut ſe in ſolitudine geret 2.671
Virginis educatio 2.650
Virgines raro egrediãtur domũ 2.677
Virginis exercitia. 2.652
Virgines doctæ ac caſtæ 2.656
Virgines quando ad libidinem pronæ. 2.662
Virginum uitiatarum pœnæ 2.661
Virginum uictus ac potus 2.662
Virginitas quæ & ubi ſita 2.659
Virginitatis exempla 2.655
Virtus inſtar omnium 2.96
Virtus omnis diuinitus contingit 1.7
Virtus natura ſua amabilis 2.87
Virtus potentior opibus 2.100
Virtus quomodo paretur. 2.485
Virtus diuinitus datur 2.78
Virtus omnis iniurijs inuidiæ eſt obiecta 1.170
Virtus animo non lacertis eget 2.203
Virtus cur beatitudo hominis ſentiatur. 1.288
Virtutis præmium 1.423
Virtutis uia qualis 2.649
Virtutis color 2.591
Virtuti in bello nec honos nec locus 1.334
Virtuti ancillantur cuncta 2.71
Virtutem nullus uerius colit quàm qui amittit nomen boni uiri 2.319
Virtutum experimenta unde ſumenda. 1.319
Virtutum ſedes in corpore 1.54
Virtutes connexione quadam iunguntur. 2.277
Virtutes uulgo acceptæ 2.559
Vis cõſilio regẽda alioqui ruit 1.176
Vires naturales Dei uires ſunt 1.552
Viriũ cõſeruatio ac reparatio 1.574
Viſus præſtantia & utilitas 2.508
Viſus qualis ſenſus 2.503
Viſus autor mueſtigationis ſapientiæ 2.530
Viſui arctiſſima cum animo coniunctio. 1.257
Viſu carere miſerum 2.237
Viſa pro uerioribus habita 2.539
Vita hominі præſẽs cur cõceſſa 1.531
Vita humana comœdia eſt 2.101
Vita hæc cũctis ſuis moleſtia eſt. 2.235
Vita quæ uere dicatur. 2.97
Vita non ſolum perſuadet ſed & cogit. 2.625
Vita humana præter uirtutem omniũ ridicula habet 1.269
Vita maxime perſuadet 1.628
Vita ſuſpicacibus timidisq; mors aßidua. 2.83
Vita æterna quæ 2.94
Vita quibus conſeruetur 2.83
Vita uitæ ſuccedit 2.308
Vita anteacta ſequentis iudicium præbet. 2.607
Vita cœlitum ſeu inferiorum 2.601
Vita hominum perinde ac ſi teſſeris ludas. 2.705
Vita noſtra peregrinatio haud tuta. 2.71 (1.46
in Vita hominum duæ res maximæ. 1.46
Vita ſimplex, duplex, triplex 2.308
Vita præſens iter et profectio perpetua. 1.46
Vita hæc nil miſerius 1.555
Vita rationabilis qualis 2.510
Vita iucundißima quæ 1.321
Vita quid ſit 2.542
Vita hominum ſpe ſulcitur 2.489
Vita maxime perſuadet 1.117
Vita in animantibus quid ſit 2.511
Vitæ ſcopus 2.96
Vitæ genus antiquißimum 2.351
Vitæ rationem à quibus petere debeamus. 1.46
Vitæ charißima pignora 1.264
Vitæ ratio optima eligenda eſt 2.71
Vitæ tempus breue ac irreparabile. 2.175
Vitæ fons 2.515
Vitæ condimentum totius animus æquus. 1.40
Vitæ huius uiaticum unicum 2.791
Vitæ imago dies eſt 2.217
Vitæ huius intuẽdi ratio quæ ſit 1.136
Vitæ noſtræ errores 2.632
Vitæ pars nulla ſine laboribus ac ſollicitudinibus 1.186
Vitæ communionem cum improbo habere moleſtum 2.648
Vitæ æternæ deſcriptio iuxta Mahumet 2.478
Vitæ longitudo ac breuitas 2.542
Vitæ inſtitutio triplex 1.125
Vitam uigiliam eſſe 1.348
Vitam præter propter uiuere 2.834
Vites ſomnia propellentes concilianteś ue. 2.28
Vitia ubi magis in perſonis notentur 1.356
Vitia quædam tolli, quædam corrigi poſſunt. 1.469
Vitia quidam ſua & intelligunt & amant 1.494
Vitia homines oſtendere graue 1.67
Vitia importuni domini 1.45
Vitia cur oſtendi ſoleant 1.115
Vitiorum declaratio qualis eſſe debeat. 1.512
Vitiorum uia qualis 2.649
Vitijs cuncta pœna 1.426.2.69
Vitrici priuignos pro filijs æſtimant, nouercæ non item 2.741
Victruuius obſcurus & cur 2.10
Victruuij penè omnia ex uſu abierũt 1.116
Viuere ſine calore nil poteſt. 1.546
Viuentium ſpecies 2.514
Vltro qualis affectus 2.583
Vltionis duo genera 2.780
Vltionis lentißimos cõuenit eſſe 2.98
Vltionis libenter meminimus 1.370
Vnitas dominatur in orbe 2.310
Vniuerſalia qui excogitarint 1.383

Vniuersalia elicere maximi iudicij ac eruditionis 1.176
Vniuersalia quando uera 1.341
Vocaliũ harmoniã amisimus 1.92.93
Voces simplices quæ habendæ 1.595
Voces aduersæ negantes, priuantes absolutæ, cũ adiecto quæ sint 1.594
Voces omnes præter interiectionem significare 1.593
Vocum Latinarum sæcula 1.87
Voluntas quid 2.534
Voluntas cur uentorũ potius quàm libera sectetur 2.636
Voluntas ex se qualitatem nullam habet. 2.298
Voluntas Dei & sapientißima & optima 2.281
Voluntas unde dicta 2.306
Voluntas pro facultate 2.97
Voluntatis beatitudo 2.306
Voluntatis consiliarij & faces 1.490
Voluntatis depravatio in homine. 2.284
Voluntatis perfectio uirtus 2.303
Voluptas cur summum bonum æstimanda 1.406
Voluptas quantum cum animo tum corpori noceat 2.74
Voluptas sibi magnam portionẽ imperij humani uendicat 1.437
Voluptas quid 2.71
Voluptas cuiusmodi sit existimanda 2.302
Voluptas homini pestem affert 1.293
Voluptati pauca debentur, plura saluti. 1.38
Voluptatẽ quæ literæ excitent 2.622
Voluptates corporis ac animi se extrudunt inuicem 2.571
Voluptates corporis pietati plagam infligunt 1.443
Voluptates ex priuatis non alienis parandæ 1.319
Voluptates quo pacto dementent homines 2.769
Voluptates hominis quod corpus attinet semper molestijs mixtæ 2.302
Voluptates commendat rarior usus ibid.
Voluptatum etiam satietas habetur 1.50
Voluptatum discrimen secundum dignitatem 2.570
Voluptatibus dediti quem finem sortiantur 2.40
Voti compotem fieri aut non quid sit 1.582
Vota qualia præstanda 2.83
Vota pessima sæpe facimus 3.207
Vox significans quæ 1.593
Vrbium captarum descriptio. 1.138
Vrbanorum hominum sermo quid differat à rusticano 1.114
Vrsarum somnus 2.152
Vtilitas publica priuatæ anteferenda 2.68
Vtilitas, malorum omnium caput. 1.173
Vtilitatis partes non sunt omnes æquales 1.169
Vulcanus in cornu conclusus 1.88
Vulcanus è Nilo prognatus 2.4
Vulcanus ex Iunone, ἀπάλῃ gentius 2.374
Vulgus hominum pecoribus simile 1.98
Vulgi natura 2.389
Vultus apertius pectus prodit quàm sermo 2.762
Vultus magis uarij ac diuersi quàm uestitus 1.43
Vultus, animi affectus sequitur 1.43
Vxor eligenda & qualis & quomodo 2.600
Vxor ut suæ linguæ frenum injcere queat. 2.715
Vxor quicquid habet mariti est 2.713
Vxor silentium erga maritum teneat 2.718
Vxor quousq; obtemperare debeat uiro 2.709
Vxor qualis marito sit socia 2.596
Vxor corporis sui potestatem non habet 2.699
Vxor natu grandior quomodo à marito tractanda 2.646
Vxor non fortunam ac dona potius in uiro quàm ipsum amet 2.705
Vxor marito tyrannus fit ibid.
Vxor marito ministrare debet ibid. & 2.706
Vxor mariti studijs ne resistat 2.712
Vxor quo pacto se in uirum geret. 2.701
Vxoris uitia aut ferenda aut tollenda 2.639
Vxoris utilitas 2.615
Vxoris honor maritus est 2.705
Vxoris sermo qualis 2.625
vxoris cura in domo quæ esse debeat 2.633
Vxor domum custodiat, subinde. 2.634
Vxoris cultus quis esse debeat. 2.636
Vxoris nomen dignitatis non uoluptatis nomen est 2.627
Vxorem potentiorem te, ne duxeris. 2.613
Vxorem uerberibus meliorem nemo reddet 2.642
in Vxore deligenda sensus prorsus nõ sequendi & cur 2.613
Vxores digitis ducimus 2.696
in Vxores conuenit uiros leniores esse & cur 1.319
Vxores uiris subditas decet esse. 2.704
Vxores maritos defunctos duobus lugent modis 2.745
Vxores regere quo pacto quis queat 2.614
Vxores uires caro congressæ 2.718
Vxorum iniurias factas sæpe magnorum malorum originem extitisse. 1.318
Vxorum multitudinem quæ gens potißimum semper quæsierit 2.473
Vxorum exempla quæ uiros in exilium comitatæ sunt 2.701
Vxorum exempla quæ uiros captiuitate liberarunt 2.702
Vxorum exempla quæ mortis uiris uiuere noluerunt ibid.

X

Xenocratis oratio quàm efficax 1.57
Xenophontis Cyrus maior quo pacto descriptus 2.371
Xenophontis orationes Atticæ Musæ dictæ 1.294
Xenophontis Attici oratio qualis. 1.104
Xerxes qualem uitam instituerit. 2.35

Z

Zeno Stoicæ sectæ inuentor triadem cognouit 2.354
Zenonis secta & felicitatis inquisitio 1.288
Zenobia Græcè studuit ut doceret filios 1.441
Zenobia regina, historiarum peritissima 1.505
Zelotypia qualis affectus unde nascatur & apud quos regnet 2.581
Zelotypia quid 2.719
Zelotypia magnum malum ibid.
Zelotypia etiam laborant animalia quædam ibid.
Zelotypia quomodo queat curari. ibid.
Zelotypia marito uitanda 2.640
Zelus unde nascatur & qualis affectus sit. 2.58
Zeugma quid sit 1.91
Zeugma ubi locum habeat ibid.
Zeuxis quo pacto Helenam pinxerit 1.494
Zonæ cœlestes, & earum natura. 2.61

FINIS.

IO. LODOVICVS Viues, dominæ Catharinæ Reginæ Angliæ, patro/næ vnicæ, S. D.

IVsisti ut breuem aliquam rationem conscríberem, qua in Maria filia tua instituenda præceptor eius uti posset: parui libens tibi, cui in rebus multo maioribus obsequi uellem, si possem. Et quoniam institutorem illi doctũ imprimis hominem ac probum (ut par erat) delegisti, res uelut digito indi casse fui contentus, ille reliqua explicabit: quæ tamen aut obscurè tradita, aut prætermissa ab scriptoribus artis Grammaticæ putaui, ea paulo pluribus consignaui uerbis. Christum precor, ut hæc docendi ratio & ad eruditionem, & ad uirtutem filiam tuam impensè iuuet. Vale, & hunc meum animum addictissimum maiestati tuæ scito. Oxoniæ, Non. Octob. M. D. XXIII.

DE RATIONE STVDII PVERILIS.

LECTIO.

LITERARVM sonos doceatur planè, & distertè proferre: neq; enim parui ad insequentẽ institutionẽ interest, quomodo didicerit elementa & syllabas pronunciare. Sciat ex literis esse alias uocales, alias consonantes, quot sint illæ, quot istæ, & cur sic dictæ. Esse ex consonantibus alias mutas, quæ à se incipiunt, & finiunt in uocali, ut b, c, d, sic uocantur, quòd quum fari incipiãt, nisi succurrat uocalis, obmutescũt. Alias semiuocales dici, ex ijs quasdam liquidas, ut l, m, n, r. Tum duas ex uocalibus i & u transire in consonantes, quũ post eas sequitur uocalis, cui in sono iungũtur, ut uiuo, iuuo, cõijcio, uinum, uulpes. In Græcis dictionibus nunquam iota fit consonans: ideo nec Iacobus nec Ioannes consonantem i habent: u consonãs apud eos est beta: uocalis u & oy diphthongus: quocirca assuescat scribere u uocalẽ hac forma propter græcũ y, quod sæpenumero apud Latinos in u transit, ut Sylla Sulla, Tybur Tubur: & consonantem hac v, propter beta Græcum. Syllaba dicitur quasi comprehensio literarũ, sed ex sola uocali potest fieri syllaba, ut Maria, Iesus. Tum discat syllabam constare, aut ex uocali sola, aut ex uocali & consonante, aut ex uocali & consonantibus: sine uocali nunquã fit syllaba, & quot sunt uocales, totidem syllabæ. Ex uocalibus fieri diphthongos quatuor: duas scribi & proferri: duas scribi, & non proferri. nisi quòd paulo crassior est sonus, quàm si esset uocalis simplex. Eadem in literis Græcis ostendenda, ut emendatè sciat in utraq; lingua legere. Infigenda hæc sunt & inculcanda, ut rectè literas & syllabas sonet, nec ullum insit in ore uitium.

PARTES ORATIONIS.

DEinde sciet esse apud Latinos octo partes orationis: quatuor uariabiles, & quatuor inuariabiles. Ex uariabilibus, quæ significãt fieri aliquid, & inflectuntur per modos & tempora, hæc dicuntur uerba: quæ declinantur per casus, & significant aliquid fieri in tempore, dicuntur participia. Certa quindecim sunt pronomina, reliqua nominà. Ex inuariabilibus certas quinquaginta esse præpositiones: eas uerò quę cõiungunt ac uelut conuinciunt orationis partes, uocari coniunctiones, cõuinctiones olim: esse nonnullas subitum mentis affectum exprimentes, quę uocantur interiectiones: reliquas aduerbia nominari. Hæc sint à nobis crasse ac ruditer utcunq; ostensa, sicut & alia in libello omnia magis ut indicentur, quàm ut exactè à nobis exprimantur.

SCRIPTIO.

INter hæc omnia det aliquid tẽporis formandis literis, non tam eleganter, quàm uelociter, ut si quid præceptor dictet, ipsa suis scribat digitis. Si quem authorem legat, & uel uerbum uel sententia placeat, excerpat: magis hærent memoriæ, quæ nosipsi manu nostra scripsimus, quàm quæ alij. Interim etiã dum scribimus, animus à cogitatione rerum siue leuium siue turpium auocatur. Versus qui ad imitationem proponuntur, contineant grauem aliquam sententiolam, quam iuuet edidicisse: nam toties rescribendo, necesse est infigatur animo: dabitur opera ut initio saltem imitando castigatè scribat.

MEMORIA.

MEmoriam quotidie exerceat, ut nullus sit dies in quo ipsa aliquid non ediscat: sic & acuetur ingenium, & facillimam sibi ac promptissimam parabit memoriam, ut postea quæcũq; libuerit, nullo retineat negotio, & firmissime: durantq; in reliquam uitam quæ ista ætate percipiuntur. Initio de nocte cubitum itura, attente bis aut ter reget, quæ memoriæ mandari uolet, & postridie mane à se reposcet.

INFLEXIO NOMINVM.

INcipiet nomina inflectere, & discet esse sex nominum genera. Masculinum, quod signatur hac uoce hic. Fœmininũ, quod ista hæc. Neutrum, quod hoc. Cõmune, quod hic & hæc. Omne, quod hic, hæc, hoc: aut per tres uoces. Dubium, quod signatur per ista duo hic uel hæc, id est, quod si uolumus potest esse masculinum, & si uolumus fœmininum: ut margo, cortex: dicimus enim amarus cortex, & amara cortex. Et inter commune & dubium hæc est differentia: quòd quum omne genus pertineat ad adiectiua, communi cum additur adiectiuum, respiciendum est de quo sexu loqueris: & sic adde genus adiectiui, quod postquam addidisti, nõ potes mutare de eodem loquens: in ambiguo uerò liberũ est utruncunq; genus adiectiui libuerit addere, & postquam addideris, de eodem loquẽs mutare: ut si dicas albus canis, de mare bene dicis, de fœmina non bene: & postquam dixisti de mare albus canis, de eodem non licebit dicere alba canis: at de quacunq; cortice loquaris, dices ut uoles, albus cortex, siue alba cortex: & postquam illud dixeris, de eodem loquens cortice, dices alba cortex. Promiscuum, quod Græci epicœnum, non est genus: nam hîc de natura rerum non loquimur, sed de qualitate uocũ. Substantiua siue substantialia, siue appellatiua nomina dicuntur omnia, pręter illa quæ sunt omnis generis: hæc uerò dicuntur epitheta, siue adiectiua. Illud annotabit propter sola adiectiua reperta esse in substantiuis genera: nam si adiectiua non essent, nihil esset opus generibus: ut quum dicimus, reuereor patrem, ne lędas hominem, exclude canem, non refert cuius sit generis: si sit addendum adiectiuũ, tunc considerandum est cuius generis. Posthac tradentur numeri duo: nam dualem Græcorum non recipimus Latini, nec magnopere obseruant Gręci. Tum casus seni in utroq; numero: additur à quibusdam septimus, cuius meminit Quintilianus, & post eum Seruius, ut precibus Deum placo. Vocatiuus semper similis est nominatiuo, præterquàm in quibusdam nominibus primæ declinationis, & secundę. Nomina neutra habent accusatiuum & uocatiuũ similes nominatiuo, & in plurali hi tres casus finiuntur in a. Nomina composita sic declinantur ut sua simplicia. Hinc explicandæ declinationes quinq;, quomodo prima cognoscatur ex genitiuo singulari uel plurali, & quod habeant finitiones in nominatiuo, & quemadmodum omnia nomina huius declinationis finita in as uel in

es sint

es sint Græca. Hic inflectet nomina huius declinationis. Secunda quomodo cognoscitur, & quot habet fines. Tertia itidē, in qua sunt undecim fines a, e, o, c, d, l, n, r, s, t, x. Hinc sequuntur quarta & quinta. Post hæc incipiet discere congruentiā adiectiui & substantiui in numero, genere, & casu: in qua exerceatur aliquandiu multis exēplis propositis.

DE VERBIS.

IAm ad uerba ueniendum, in quibus duo sunt noscenda: naturæ uerborum, & syntaxes siue constructiones. Quinq; sunt modi in uerbo. Indicatiuus, & quasi narratiuus, per quem referimus aliquid, in quo sunt quinq; tempora: Præsens, tria præterita, & futurum. Inter præterita hoc est discrimen, quòd perfectum significat rem actam, sicut nomen ipsum sonat: imperfectum significat rem nondum fuisse perfectā aut transactam eo tempore de quo loquimur: plus quàm perfectum significat rem perfectam ante aliam factam, ut cœpi legere hora decima, tunc è lecto surgebas, & mater tua iam fecerat rem sacram. Ita præteritum imperfectum & plus quàm perfectum ad aliquid aliud referuntur, cuius ratione aut imperfectam rem aut plus quàm perfectam denotāt. Addunt nonnulli futurum perfectū, quod subiunctiui esse dicitur: id propterea perfectum nominatur: nam si dicas, quum cœnabo, significas inter cœnandum: sin uerò quum cœnauero, id est perfecta cœna. Imperatiuus modus, quod per illum imperamus, sed & precamur hoc, & adhortamur: duo dederunt huic tempora, præsens & futurum: additur & futurum subiunctiui huic modo: ut dixeris, feceris, præcipuè cum negatione, ne dixeris, ne feceris, & negatione ne, aut neq;, nunquam autem, non. Optatiuus per quem optamus: huic placet esse quinq; tempora, præsens, & præteritum imperfectum, utinam discerem: præteritum perfectum utinam didicerim: præteritum plusquàm perfectum utinam didicissem: futurum utinam discam. Subiunctiuus quia subiungit aliam orationem, ut quom benefeceris lætare: quinq; sunt huic tempora, & solent ea interdum capi pro temporibus indicatiui. Dehinc infinitiuus cur dicatur, & quot habeat tēpora. Addidit Thomas Linacer modum potentatiuum, idq; meritò & doctè: hunc trades, quū paulo plus in literis erit progressa. Exercenda est in modis, & temporibus diligentissime, addita uoci Latinæ Britannica, quæ illi respondet, & usus ostendendus: nam Britanni ex proprietate uernaculæ linguæ, nonnunquam in temporibus peccant. Hæc ubi erūt cognita, sciat numeros esse in uerbo geminos, personas ternas. Interea inflectet uerba per quatuor coniugationes: simul discet, quibus hæ coniugationes inter se notis distinguantur: habebitq; generalia quædam de illis præcepta quę spectēt ad præterita, & supina: ut in prima declinatione præteritum terminari in aui, supinum in atum. In secunda in ui uocales, & supinum in tum uariè. In tertia nonnulla præterita & supina exempli causa adferentur: nam res est multiceps. In quartæ præteritum in ui syllabam, & supinum in itum, quę excipiātur ab ijs canonibus, procedente tēpore paulatim cognoscet.

SYNTAXIS.

TVm ueniendum erit ad eam quæ Græcis dicitur syntaxis, Latinè constructio. Primùm intelligat orationem nullam posse constare sine uerbo: nec uerbum posse poni sine obiecto aut suppositō, uel explicito uel implicito, ut in prima persona & secunda. Suppositum hoc & uerbum quomodo debeant congruere, ne uitium admittatur. His cognitis uenietur ad quinq; uerborū genera. Actiuum, quod finitur in o, & habet passiuum in or: huic datur nominatiuus in re agente, & hæc est suppositum: datur accusatiuus in re patiente, seu recipiente accusatiuū uerbi, ut Maria amat matrē suam. Sunt ex his uerbis alia, quæ præter istos casus admittunt genitiuum, ut Deus accusat genus humanum ingratitudinis, & superbus postulat superbum arrogantiæ. Alia datiuum, ut suade optima etiam inimicis: præbe egenis necessaria. Alia actiuum, ut ne doceas philomelas cantum: rogo Deum bonam mentem. Alia ablatiuū sine præpositione, ut exuis pauonem plumis, quibus ornes canem. Alia ablatiuum cum præpositionibus a uel ab, uel e, uel ex, uel de, ut audi iucundam fabellam à patre, ex patre, de patre. Istæ possunt dici formę siue species uerborum actiuorū. Et casus isti præter nominatiuū & accusatiuū rei agentis & patientis dicuntur casus speciales. Passiuū uerbum est quod ex actiuo fit addita r: ut amor ab amo: in re patienti, seu quæ fit, habet nominatiuum, & hoc est sup-

positum: in re agenti ablatiuum cum præpositione a uel ab, uel datiuum, interdum accusatiuũ cum præpositione per: casus speciales eodem modo manent in actiua & passiua, ut Maria amatur à matre, & ornatur ab ea uirtutibus. Neutrum est, quod finitur in o, & non habet passiuum in or, nisi in tertijs personis: quandoq; nominatiuũ habet pro supposito. Ex istis alia habent genitiuum post se, uel ablatiuum sine præpositione, ut bonus homo iracundia caret, & indiget Dei solius. Alia datiuum, ut Maria inseruit matri, & sapiens tempori paret. Alia cum præpositione iunguntur, quæ nominantur absoluta, ut cœnata deambulo in porticu, pulcher animus habitet in pulchro corpore. Alia habent ablatiuum sine præpositione, ut ardeo amore probitatis, malus flagrat cupidine uindictę. Alia ablatiuum cum præpositione, ut uerba passiua, & significant passionem, ut desides pueri meritò uapulant à præceptore. Sed multa accusatiuum significantem rei uerbi, ut seruio seruitutem, curro cursum, uiuo uitam. Sum es ponitur inter neutra, quod ante se habet nominatiuũ, post se interdum nominatiuũ, quom res pertinent ad idem, ut uirtus est maximum bonum. & genitiuũ, ut liber hic est Mariæ: & datiuum, ut eruditio est omnibus magnæ uoluptati: & ablatiuum, ut, sis puella modesta facie, probo ingenio. Adduntur composita huius uerbi undecim, adsum, absum, &c. quę post se recipiunt datiuum, adsum uirtuti, desum uitio. Commune uerbum finitur in or sine actiuo, & retinet significationem actiuam & passiuam: quom capitur in significatione actiua, habet constructionem uerborum actiuorum, quom in passiua, uerborum passiuorũ: ut ego ueneror probitatem, probitas ueneratur à me, quod tamen est rarius, & sunt hæc perpauca. Deponens finitur in or, sine actiuo in o, & alteram significationem retinet, actiuam in pluribus. Hæc uerba pro supposito, quemadmodum & cætera, nominatiuũ habent, post se uerò alia genitiuum: ut miserere cõmunis naturę, recordare accepti beneficij. Alia datiuum, ut dominare cupiditatibus, obsequere bene monentibus. Alia accusatiuum, ut sequere Deum, & nanciscēris germanam beatitudinem. Alia ablatiuum sine præpositione, ut utor non fruor pecunia. Alia cum præpositione, quæ passionem significant, ut ex paucis uerbis magnum bellum oritur. Habebit formulam, omnia uerba recipere datiuum in re cuius designatur utilitas, uel commodum, uel damnum, ut Cato docebat sibi suum filium, perdo tibi tuam pecuniam: sæpe ex proprietate Latini sermonis, quam facilius est intelligere, quam explicare, ut ego tibi hominẽ illum bellissime tractaui. Tum & nominatiuũ habet post se, quom pertinet ad idem quod suppositum, ut ego disco libens literas: inseruio tibi lætus, tu uocaris Maria, tu diceris, prædicaris, scriberis, putaris, haberis bona: recta conscientia uiuit semper læta, expeditus currit celerior. Istorum omniũ satis erit in singulis speciebus unum aut alterũ, ad summum tria exempla proponere. Inter loquendum uerò aut legendũ annotetur, quæ uerba ad quas species pertineant: sic fiet in uerbis impersonalibus, & in alijs quæ dicemus: danda est opera ut exempla sint interdum grauia, quæ sanctè illam erudiant, interdum festiua, quæ delectent: admiscebuntur castæ & puræ aliquæ fabellæ, quæ animum eius reficiant, & redintegrent, tum etiam excitent.

PARTICIPIA.

DEinde sequuntur participia, quę Latini habent trium temporum, & unde formantur: hæc explicabuntur, & quæ significant actionem, quæ passionem. Ante se nullum habent casum, post se uerò casum sui uerbi, ut inseruiens foro, dilectus à patre, cariturus uitio, docendus à bono Magistro.

VERBALIA.

SVnt quædam uoces, quæ habent participiorum faciem, & sunt nomina, quæ tempus nullum designant: ut amans librorũ, fugitans litium, homo uenerandus, uerbalia nominantur. Sunt & uerbalia in or, quę formantur ab ultimo supino, ut amator, suasor: & alia fœminina in trix, quæ fiunt à uerbalibus in tor, ut amatrix: genitiuo iungũtur.

ANOMALA.

SCiet quæ participia quibus uerbis uel adsunt, uel desunt: & uerba quę formulas generales in inflexione sequuntur, quæ non. Illa etiam quę anomala dicuntur, uel defectiua, ut aio, inquio, quęso, salue, uale: uel uaria declinatione, ut fero tuli, sum fui.

Postea

Postea quæ multiplicem habent constructionẽ, id est, quæ uarijs iungi possunt casibus, ut recordor hanc rem, & illius rei: postulò te huius criminis, & de hoc crimine qua de re scripsit libellũ Antonius Mancinellus, quem thesaurũ appellauit. Hæc quom erunt semel utcũq; exposita (neq; enim tradi exacte necesse est) adhibebitur compendiũ grammaticæ Thomæ Linacri, & libellus de cõstructione Melanchthonis & qui circũfertur Erasmi nomine: simul & eiusdem colloquia, uel tota uel selectã à præceptore partem.

VOCABVLA.

EX quibus retinebit aliquot uocabula & loquendi formulas, quibus in sermone quotidiano utetur, quas subinde expediet ab ea reposcere, ne excidãt: & iubebitur alios sic alloqui. Expediet cõscribi illi dialogos aliquot ijs de rebus, in quibus quotidie uersatur, ut illis Latine nominandis assuescat: uelut de indumentis, de partibus ædiũ, de cibis, de partibus tẽporis, de instrumentis musicis, de supellectile. Vocabulorũ ueræ & propriæ significeãtiæ explanabuntur, ne impropriè utatur. Tum differentiam inter illa, quæ similia uidentur, & congruentiã inter ea, quæ dissimilia. In hoc proderit nõ totum Vallam enarrare, sed quædã ab illo excerpta, qualia Nebrissensis collegit, & Antonius Mancinellus. Sed acri opus est iudicio, ne friuolas aut parũ obseruatas, aut falsas quoq; præceptor perhibeat, cuiusmodi sunt haud sane paucæ in Valla, Nonio, Seruio, Donato, sed maxime in Gellio. Etymologias quoq; multorũ cur dicta sint accipiet. Sic enim uerius & certius tum intelliget, tum cõtinebit, & ea cognitione delectabitur, multumq; in his latet peritiæ, modò recte & acute expendantur, nec undecunq; friuolę aut ridiculæ corrogentur: quod fecerunt patrum & auorũ memoria, qui hanc partem tractandã susceperãt, Latini & Græci sermonis penitus ignari. Annotabuntur ei, quæ usu inerudi torũ barbara uocabula usurpãtur, & quæ sunt quidẽ Latina, sed inuersæ significationis.

EXERCITATIO LATINE SCRIBENDI.

INcipiet hoc loco oratiunculas ex Anglico in Latinum uertere, faciles initio, paulatim difficiliores: per omnia genera & formulas uerborum, sed partim graues & sanctas, partim festiuas & urbanas.

AVTHORES.

SImul cum his discet Catonis distticha, & mimos Publianos, & sententias septem sapientum, quæ omnia eodem libello Erasmus coniunxit, & explicauit. Ediscet ex illis sententiolis aliquot uitę maximè utiles, quas habeat in posterum uelut antidota aduersus uenenum, & prosperæ fortunæ, & iniquæ. Assuescat iam nunc in hac tenera ætate ueras & incorruptas habere opiniones, ut ea sola bona putet, quæ ueræ sunt talia, uelut uirtutes, & eruditionem: ea mala, quæ re uera mala, ut uitia, & ignorantiam, & stultitiam, ne mala pro bonis sumat, aut econtrario: ne tenuibus & exiguis rebus tanquam magnis capiatur, & moueatur: ne etiam magna & precioſa tanquam uilia contemnat. Delectabitur fabellis, quæ uitam erudiant, quas ipsa alijs referre possit, ut de Papyrio Prætextato puero apud Gellium, de Iosepho in sacris libris, de Lucretia in Liuio, de Griselide uulgata iam fabula, & alijs, ut ex Valerio, Sabellico, & huius notæ scriptoribus, quæ pertinebunt ad aliquam commendationem uirtutis, aut detestationem uitij. Habeat dictionarium Latinum & Anglicum, quod sæpe cõsulat, ut sciat, quid quodq; uocabulum significet, res quum nõ intelliget, explicabuntur à doctore. Turpium & fœdarum rerum uocabula nec intelligat, nec si fieri possit, legat, uel audiat. Conficiat sibi libellum ex uacua charta, in quo sua manu cõscribat sententiolas, quas memoriæ mandatura est, eritq; ei uice cuiusdam enchiridij.

REDITVS AD PRIORA EXACTIVS.

HOc loco repetet, quæ de quinq; uerborũ generibus dicta sunt. Post ad uerba quæ dicũtur impersonalia, quorũ alia sunt actiuæ uocis, alia passiuæ. Actiuæ uocis cur dicãtur, & eorũ esse species quinq;. Aliorũ quę ante se habẽt genitiuũ, post se infinitiuũ, ut interest huius parasiti assentari, & canis huius adulari, si uelint esse: quę datiuũ & post se infinitiuũ, ut stulto non placet audire uerum: quę possunt esse personalia mutata constructione, ut tu proba placebis matri: alia quæ ante se accusatiuũ post infinitiuũ, ut decet nobilẽ nõ superbire: oportet te esse culicẽ non hominẽ: alia quæ ante se accusatiuũ,

poſt ſe genitiuũ,uel infinitiuũ,ut pœniteat te peccati,aut peccaſſe:alia quæ quũ adduntur uerbis impersonalibus, ſunt impersonalia, & habẽt conſtructionẽ eorum:quũ uerò personalibus,ſunt perſonalia,ut incipit me tędere ludi huius,&ne incipias ſenex inſani re:nõ poteſt Atheniẽſes pœnitere Phocionis, qui unus poterat, & ſolebat ſtultas illorũ cõſultationes improbare. Verba impersonalia paſsiuę uocis ſunt ſimilia tertijs perſonis ſingularibus uerbi paſsiui:ueniunt ab actiuis & neutris,nullum habent ſuppoſitũ,poſt ſe uerò caſum uerborũ,à quibus deſcendũt,ut à nobis auditur,à uobis ſtatur in cubiculo,ſedetur in triclinio:eſtur,bibitur affatim:ſi quis addat ſuppoſitum fit paſsiuũ,ut ſcribitur liber,aratur ager,luditur alea.Sequitur conſtructio infinitiuorũ: illa eſt ferè cõmunis ante ſe habere accuſatiuũ pro ſuppoſito: poſt ſe caſum ſui uerbi,ut me legere tibi librum erit utile.Adduntur uerbis in quibus diligenter eſt animaduertenda conſtructio. Nam ſunt multa uerba,quæ ante ſe, & poſt ſe etiã interiecto infinitiuo eundẽ caſum requirunt, quũ res eodem refertur: exemplis res eſt declaranda, ego uolo pudica eſſe, tu uelles fuiſſe ad tales epulas inuitatus:niſi ſi quis adderet accuſatiuũ ante infinitiuum,ut ego uolo me eſſe literatam: iam in alijs. Socrates talis philoſophus nõ poteſt eſſe ferox. Maria exiſtimatur & dicitur eſſe caſtiſsima.& in hoc uerbo uideor, ego uideor tibi eſſe literata,tu uideris mihi eſſe ſancta.Romani uidenẽ nobis nimis cupidi belli & pecunię: dico auriculas tuas uideri galeros non auriculas:mihi licet eſſe doctæ: tibi uacat eſſe diſerto.Hinc de cõſtructione gerundij & ſupini,quæ eſt apud Vallam,& ex illo apud recentiores,iſtud animaduertetur,gerundium adiectiuũ non uenire,niſi à uerbo cui additur accuſatiuus, & ratione illius caſus: non enim dicimus,ueni huc tui ſeruiendi cauſa, uel ad carendam uoluptatem,nec ad ſcribendum te,uel ſcribendo tibi, ut ſit adiectiuũ, ſed cauſa obſeruandi tui, cogito de te docenda,propter uos erudiendos. Commodum nunc erit explanari uim potentatiui modi, quæ ſunt uoces temporũ ſubiunctiui: ut tu uirgo hoc dicas?quis homini tam mẽdaci crederet?peccaueris ſanè,ſed ſemel:nemo ſic dixiſſet,nunquam acceſſero prauis cõſultoribus. His cognitis uenietur ad ſignificationem & ſyntaxin reliquarũ partium orationis.De ui pronominis,De aduerbio,De præpoſitione,De cõiunctione,quibus addatur uerbi modus, & quomodo coniungat. Interiectio cur ſit ita appellata,quòd per affectũ interponatur orationi: ut, Magnum heu fecerat nefas.Poterant iſta dici à me fuſius,ſed admonere ſatis habui, quæ ab alijs eſſent copioſe tractata, quæ omnia uſus & lectio authorum explanabit ac expoliet,reddetq; ut apertiora,ſic etiam certiora.

SERMO.

LOquatur cũ præceptore & cõdiſcipulis Latinè,quas habeat tres aut quatuor: nam ſolam inſtitui nõ cõducit:ſed nec plurimæ ſint,& eæ puellę,atq; etiã ſelectiſsimæ,liberaliter & ſanctiſsimè educatæ, à quibus nihil audire poſsit, aut diſcere, quod mores corrumpat,quorũ prima ſemper debet eſſe cura. Stimuleẽ modò præmiolis,modò contentione,& æmulatione,laudetur ipſa, laudetur & alia ipſa audiente: conabitur exprimere quæ apud authores legerit,& quemadmodũ alios audierit loquentes,quos putet eruditos eſſe,attẽte auſcultatos,ſic & loquetur ipſa, in quo eſt imitatio, res in ſtudijs nõ parum utilis,præſertim teneræ ætati,quæ nihil libentius aut melius,quàm imitatur:nec ſolum uoces æmulabitur,ſed pronunciationem quoq;,ne in accentibus peccet.

ACCENTVS.

DE quibus cognoſcat initio generalia præcepta, duo in primis in ſermone Latino. Penultima ſyllaba longa,in ea eſt accẽtus,ut parẽntis. Altera: Penultima breui,in antepenultima eſt accentus,quantacunq; ſit: ut hóminis, dóminus. In ultima nullæ Latinæ dictiones accipiunt accentũ,præter pauca inflexibilia,ut porrò,unà,illò.In diſſyllabis omnibus accentus eſt in penultima,præter ea, quæ dixi indeclinabilia.Tũ licebit uniuerſalia illa cognoſcere,de uocali ante uocalẽ quæ eſt breuis,de uocali ante duas conſonantes,aut conſonantẽ uim duarum habentẽ,quæ longa: & omnis ſyllaba diphthongo ſcripta longa eſt.Anxia illa,de ſyllabarũ quantitate,uel aliàs diſcet,uel nõ eget fœmina,quod magis puto.Obſeruabit inſtitutor,quemadmodum loquetur,uitiaq; tum ſermonis,tum linguæ ſedulò repurgabit,ne hærere ſinat:oſtendet rationem, cur uel ſolœciſmum

cíſmum caſtigarit,uel barbariſmũ, uel uitioſam pronunciationem: hortabitur ut uitet, né iterum idem peccet,ſi rurſus eodem relabatur,admoneat prioris errati.

ANNOTATIONES.

HAbeat librũ uacuum maiuſculũ,in quẽ manu ſua cõíjciat,tum uerba,ſi qua inter legendũ graues authores inciderunt:uel utília uſui quotidiano,uel rara, uel elegantia:tũ loquendi formulas,argutas uenuſtas, lepidas, eruditas:tum ſentẽtías graues,facetas,acutas,urbanas,ſalſas,& hiſtorías ex quíbus exemplum uitæ ſuæ poſsit petere. Aduertet etiã ubi,& quemadmodum grãmaticorum ſeruentur præcepta,ubi negligantur: nam ars grammatica ex uſu authorum nata eſt:ideo hic eſt arti præferendus, quũ diſcrepant:ars tamen neceſſaria eſt, quæ recte & emendate loqui ex obſeruatione docet.

AVTHORES.

AVthores in quíbus uerſabitur,íj erũt qui pariter & linguã & mores excolant,atq; inſtituant:quiq; nõ modo bene ſcire doceant,ſed bene uiuere:huiuſmodi ſunt Cicero,Seneca, Plutarchi opera, quæ ſunt à uarijs uerſa, aliquot Platonis dialogi, præſertim qui ad rempub. gubernandã ſpectant. Hieronymi epiſtolę,& quędam Ambroſij ac Auguſtíni opera,Eraſmi inſtitutio príncipis,Enchiridion,Paraphraſes,& alia eius permulta pietati utília. Thomæ Mori Vtopia. Hiſtoriã cognoſcet nõ anxie ex Iuſtino,& ex L.Floro,& Val.Maximo. Inter hæc omnia & cũ ſurgit è lecto, & cum it cubitũ, aliquid quotidíe ex nouo Teſtamẽto legat,quod præceptor declaret. Sunt & Chriſtiani poetę, quos iucundũ fructuoſumq; erit legere:uelut Prudentius,Sydonius,Paulinus,Arator, Proſper,Iuuencus,qui multis in locis poſsint cũ quouis ueterũ certare,elegantía carminis dico:nam rebus tanto ſunt ſuperiores,quantũ bona malis præſtant, & humanis diuina. Nec ſunt gentiles poetę in totũ aſpernandi:Lucanus,Seneca Tragicus,& magna ex parte Horatius. Quũ hos leget, uocabulariũ Latinæ linguæ habebit,Calepinũ ſcílicet, aut Perottũ, ad quem recurret hærens in Latina uoce. Hanc puto eſſe rudem ſtudiorũ delineationem:exactiora tempus admonebit, & prudentia tua ſingularis inueniet.

FINIS.

Ioannes Lodouicus Viues Carolo Montioio Gulielmi filio S. D.

QVum patri tuo clariſsimo & omni uirtutum genere ornatiſsimo uiro oſtendere cuperem quantum à me díligeretur, quòd ipſe in me ſingulari ſemper beneuolentia fuerit, decreui aliquid ad te de inítijs ſtudiorũ ſcribere,in quíbus tota uis eſt & ratio deínceps eruditionis, ut in ſeminibus ſtirpiũ, ac frugum deínceps futurorum:dedí operam ne te præceptorũ uel copia obruerem, uel difficultate deterrerem: omnia aptata ſunt, quoad præſtarí à nobis potuit captui iſtius ætatis tuæ,aut paulo maioris. Líbellum hunc quum tíbi mitto, patrí me tuo exiſtimo mittere:cui uirtus & inſtitutio tua non minus curæ ſunt,quàm ſua ſibi uita, qua tenerius te amabit, ſi talem te præſtiteris, qualem ipſe optat, probiſsímum uidelicet & doctiſsimũ: eſt in tua manu ſitum,ut utrunq; ingenio & diligentia conſequare. Vale, & exemplum quod domi habes ſapientiſsimi patris imitare. Londíni, M. D. XXIII.

EPISTOLA II. DE RATIONE ſtudij puerilis.

RELIGIO.

QVum ſapientia, & uirtus, & ſcientia omnis diuinitus contingant,æquum eſt ut primus aditus ad hæc omnia ſit per Deum: in quem eſſe te maxima pietate, & eius rebus intereſſe mente religioſiſsima, nec ullum opus eius quantumcunq; leue exequi ſegniter,aut perfunctorie,

OPERA.

ET quatenus Deus non dat munera sua ociosis, ideo labore & diligentia in studijs literarum & uirtutis opus est.

MEMORIA.

MEmoriam scito thesaurum esse totius eruditionis, quæ si desit, non secus superuacuus est omnis labor, quàm si in pertusum dolium aquam infundas. Sed nemini tam infelix contigit memoria, qui non eam felicissimam possit reddere exercitatione: nihil est enim quod magis opere & labore gaudeat: nihil quod facilius corrumpatur & intereat quiete ac ocio. Quocirca aliquid quotidie ediscendum est, etiam quom non est necesse: tantum ne torpor memoriam inuadat, quo nullus est illi morbus pernicioſior. Continetur etiam memoria bona ualetudine: cauendumq; in primis à repletione, à eruditate, à crapula, à uino immodico, à densa ceruisia, à supino cubitu.

PRÆCEPTOR.

PRæceptor non minus amandus, uenerandus, colendus, quàm si esset pater: nam re uera præceptores imaginem quandam nobis referunt patrum, & à nullo maius accipere potes beneficium, quàm à quo fis eruditior & melior: quibus duobus bonis nulla possunt in uita comparari: adde quòd facilius disces, si amaris docentem, cuius dicta nunquam uel contempseris, uel neglexeris: semper cum dignatione in animum admitte & oraculi cuiusdam uice habe: nec solum illum ama, sed da operam, ut ab illo redamere, sic te ille diligentius docebit: quod assequeris parendo modeste eius præceptis, obseruando eum, honorando, admirando quæcunque seu dixerit seu fecerit: si quid probarit in uita aut sermone, sic age, ut sentiat te illud probasse: si quid improbarit, uita. Attentus illum audi: uerba eius, formulas dicendi, sententias annota, & imitatione te similem ipsius, quoad facere poteris, effinge: quod præceptor quum uidebit, dabit uicissim operam ne tu aliquid ex se possis accipere, quod imitatione sit indignum.

CONDISCIPVLI.

COndiscipulos fratrum loco habe: geniti enim estis ab eodem magistro uelut patre, & coniuncti sacris literarum non minore uinculo, quàm sanguinis: idcirco illis non minus bene cupias, quàm fratribus. Si quis eorum est te doctior, ne oderis eum hac causa, sed faue ingenio: & contende ut doctrina & uirtute sis par, etiam superes, quo similis tibi contingat fauor.

CERTATIO.

CVm melioribus aut sapientioribus te ne certes inuidia aut maleuolentia, sed uirtute, probitate, studio. Imperitiores te ne despice, potius adiuua & erige, ut ualeāt ascendere: neq; enim peior eris aut imperitior, si alios habueris tibi pares: sed melior, si opera tua illi eo euaserint. Quòd si omnes fuerint imperiti, nemo erit qui intelligat, ac proinde admiretur bona tua: pulchrum est profectò certare cum bonis, pulcherrimum eos uincere, recte quidem & per uirtutem, extra dolum omnem.

ANNOTATIONES.

COmpones tibi librum chartæ puræ iustæ magnitudinis, quem in certos locos ac uelut nidos partieris: in uno eorum annotabis uocabula usus quotidiani, uelut animi, corporis, actionum nostrarum, ludorum, uestium, temporum, habitaculorum, ciborum: in altero uocabula rara, exquisita: in alio idiomata & formulas loquendi, uel quas pauci intelligunt, uel quibus crebrò est utendum: in alio sententias: in alio festiue, in alio argute dicta: in alio prouerbia: in alio scriptorum difficiles locos, & quæ alia tibi aut institutori tuo uidebuntur: sicq; hæc omnia habebis annotata & digesta, ne solus sciat liber: tibi legēda, relegenda, memoriæ mandanda atq; infigenda sunt, ut nō minus scripta gestes in pectore, quàm in libro: & occurrant, quoties erit opus: parū enim prodest libros habere eruditos, si pectus habeas rude.

DILIGENTIA SCRIBENDI.

CVra ut manu sis ad scribēdum exercitatissimus, nec unquam ad audiendum institutorem

tutorem accedas, penna & charta inermis, ne quod præteruolet uerbũ elegans, aut rarum, aut necessarium, uel formula loquendi lepida aut exculta, uel graue & sapiens dictum, quod non subitò exceptum in tuos thesauros referas, sic tibi breui tempore maximas eruditionis diuitias paraturus.

LECTIO.

NEc librũ ullum legas quin eadem excerpas quæ de sermone præceptoris dixi. Nihil unquam legito animo peregrinãte, & alijs rebus intẽto: totus in lectione esto: in qua tria sunt animaduertenda, uerba, formulæ loquendi, & sensa: ut diligenter consideres, quibus utãtur uerbis ad res de quibus tractãt, explicãdas, quibus idiomatis, quibus loquẽdi formis. Tum res ipsæ sunt spectandæ, quid sibi uelint ea, de quibus loquantur: in singulis horũ est, quod signes, est quod teneas, est quod in usum tuum uertas: adsit semper penna & charta: quæ miraberis, quæ te delectabunt, insignias aliqua notula: itidem & quæ te remorabuntur, ut à magistro uel etiam condiscipulo sciscitere.

INTERROGATIO.

NEc pudeat rogare quę nescis: neq; enim hoc est turpe, sed ignoratio turpis est: nec uelis persuadere alijs te scire quod ignoras: teipsum falles, non alios, & deprehensus in ignorantia rideberis.

EMENDATIO.

QVæ reprehensa aut emendata, non solum in te, sed in alijs esse uideris, cura ne excidant, tum ne ipse bis de eadem re sis corrigendus, tum ut aliena errata in utilitatem tuam uertas: sapiens enim ex alienis erratis uitam emendat suam.

SERMO.

VT audieris doctos loquentes, aut legeris apud scriptores Latinos, sic ipse loquere: uerba quæ habebis suspecta, siue loquendo, siue scribendo, fugito, ne prius sciscitatus sis ab institutore, quàm sint Latina: cum ijs qui imperite loquuntur Latine, quorum sermo potest tuum corrumpere, malis Britannice, aut alia quauis loqui lingua, in qua non sit idem periculi: uersare libens cum prudenter facundis: nullum est oblectamentum maius, quàm eos audire qui gestant in lingua morbis omnibus animi præsentanea medicamenta.

STYLVS.

EXercẽdus est crebrò stylus, optimus magister atq; effector dicẽdi, & initio quidem non solum uocabulis uteris ex authoritatibus desumptis, sed etiam sententiolis ex illis decerptis, apte tamen compositis, ut magna ex parte alienum sit scriptum: sensim admiscebis tua, donec crescente cũ ætate eruditione, fias omnino tuus. Primùm scribes pauca & accurate, ut spectes potius non quàm multa, sed quàm bona: nam accedente usu curam retinebis, & promptitudo ac facilitas exercitatione parabitur, ita simul & optime scribes, & facillime.

AVTHORES.

INterea dum tu per ætatem iudicare de authoribus non potes, hos tibi censeo, & ad locupletandam linguam, & uariarum rerum cognitionem in primis tenendos. Ad quotidianum sermonem multum confert Terentius, quo multum Cicero utebatur, & cuius fabulas propter leporem & festiuitatem orationis, scriptas à nobilissimo Romano fuisse multi crediderunt. Ciceronis quoq; epistolæ familiares, sed imprimis ad Atticum, multum erudire, ac expeditum reddere sermonis usum possunt: nam in illis est sermo ille purus & simplex, quo Cicero cum uxore, cum liberis, cum seruis, cum amicis, in triclinio, in balneo, in lecto, in hortis utebatur. Sunt & familiaria colloquia ab Erasmo conscripta, quæ non modò utilitatem, sed uoluptatem quoq; habent haud sane exiguam, ut est uir ille exculto & urbano ingenio. Epistolæ Plinij iunioris plurimas suppeditare sententias possunt, cuiuscunq; generis epistolas scripturus quis sit: quæ propemodum compositæ in hoc uidentur ab authore: nam ut res gestas paucas admodum narrant, quod Cicero fecit: diuersa enim illis fuerunt tempora, delicias tantũ sententiarum cõtinent, ac uelut gemmulas, quibus epistolæ ornari possint. Eodem fere spectant epistolæ Politiani, nisi quòd interdum nimia cura factæ sunt paulo duriores, dum scriptor

ptor dat operam,ne nihil ſit non expolitiſsimũ, nec uult ullum bonum uerbum perdere: quæ anxietas non magnopere epiſtolarẽ dictionem decet. Sunt epiſtolæ Philelphi, quę plus habent uerborum,quàm gratiæ:& Calentij luſus:ſi cui uacat Sidonium Apollinarem legere,eidem legantur & Apuleij Aſinus,& Florida.

HISTORIÆ.

HIſtoriæ quoq; inſtruere poſſunt linguam, ut Liuij,in quo eſt dulciſsima facundia, & ſicut Hieronymus inquit,lacteus eloquentiæ fons: & Suetonij,in quo mirabilis dicendi proprietas aſtricta illa, & quæ plus habeat neruorum, quàm corporis. Cornelio Tacito non parum adiuuaremur ſi integer ad nos & emendatus peruenisſet, ſed qualiſcunq; eſt,uehementer prodeſt. In Cæſarijs cõmentarijs oſtenditur caſtitas illa ſermonis Latini,qui erat in priſca Romana nobilitate:nihil fingi poteſt terſius,expolitius, elimatius: & hi quoq; accurate cognoſcendi: magnopere linguam locupletabunt,& promptiorem faciẽt.Salluſtius rerum Romanarũ florentiſsimus ſcriptor, ut inquit Tacitus, frequens eſt in manibus puerorum, ſed mihi aptior uidetur prouectioribus:inimitabilis eſt in illius ſcriptis gratia: quæ quotieſcunq; repetita,nunquam tædium ſui aut ſatietatem lectori adferant.

SCRIPTORES AGRICOLATIONVM.

CAto,Varro,Columella,Palladius,Plinius,& architectus Victruuius,uariarum rerum ſuggerunt uocabula, qui diligenter legendi ſunt, & uerba cum rebus conferenda,ne quid pro diuerſo uſurpemus.Plinius tam uarius eſt, quàm ipſa rerum natura quam tractat,magnæ illic uerborũ diuitiæ,magnæ rerum. Victruuius haud pauca ſuppeditaret,ſi res illius tempore mutatæ non tantam illi obſcuritatem attuliſſent.

POETÆ.

POetæ ſunt quoq; attingendi partim animi gratia:nam leuant ſæpenumero tædium negotiorum, ſæpe etiam lectionis ſolutæ orationis:& illa alternatio carminis proſæq; diutius intentionem animi in ſtudijs detinet.Ad hoc,ſcatent recõditis uocabulis, & figuris omnis generis, quibus etiam cõmunis ſermo plenus eſt: ſunt in inuentione ſublimes, iucundi acuti, acres,graues,faciles: in uerbis ſuaues,lepidi,feſtiui: rapiunt in affectus omnes, prout cuiuſcunq; eſt argumentum. Vergilius ponitur primus meritò mea ſententia,propter grauitatem & ſentẽtias. Huic Horatius adiungitur carmine excultus,uerbis proprius, & ſapienter pleraq; præcipiens. Silius multum habet diligentiæ. Ex Latinis tragicis ſolus ad noſtrã ætatem peruenit Seneca: ſed omnes & uerborum maieſtate & argumentorũ uiribus & ſententiarũ pondere ac numero uincit meo iudicio Lucanus. Legendi & poetæ noſtræ pietatis, Prudentius, Proſper, Paulinus, Sedulius, Iuuencus,& Arator: qui quum habeant res altiſsimas, & humano generi ſalutares, non omnino ſunt in uerbis rudes,aut contemnendi: multa habent quibus elegantia & uenuſtate carminis certent cũ antiquis,nonnulla quibus etiam eos uincant.

GRAMMATICI.

IN his omnibus authoribus animaduertes, quemadmodum formulæ grãmaticæ ſeruentur, quemadmodũ negligantur: nam in multis uarius & multiformis uſus in normas & præcepta concludi non potuit: ſequendus tamen potius quàm ars, quæ eſt uſu conſtituta, non econtrario. Neq; uerò deſpicienda eſt idcirco ars, modò ne ſit ſuperſtioſe anxia: formulis enim eſt hoc tempore opus, quũ populum nõ habemus:& eruenda ſunt ex ſcriptoribus omnia: alioqui cum non ſuccurret ex his loquendi ratio, ut ſolœciſſemus,neceſſe erit,ut etiam maxime ſuccurrat:nam alia dicenda ſunt,& alijs de rebus: quid quòd ne tunc quidem canonibus caruerunt. quom eſſet in Latio & Græcia eadem populi totius,quę eruditorũ lingua:ſcripſere artem complures, ſed unus,aut ad ſummũ alter eligendus,Perottus,aut Aldus,Nebriſſenſis,Mancinellus,Sulpitius,Melanchthon,Niniuita:uerſandus diligenter Valla in elegantijs,immodice quidem ille ſuperſtitioſus,ſed ad reddendos cautiores aptiſsimus.

INTERPRETES.

EGet iſta tua ætas etiam adultior interpretibus authorum:nam multa ſunt in ſcriptoribus difficilia,quæ tu uix tandem moleſtiſsimo labore aſſequereris: illi rem totam expla-

explanant magno cõpendio tẽporis & opere, maioreq; utilitate & auctu eruditionis: in quo numero sunt ueteres: Seruius in Vergiliũ, Donatus in Terentiũ, Acron & Porphyrion in Horatiũ: ex recentibus nonnulli. Vocabularia eodem loco haberi possunt, quæ uelim tibi semper dum studes præsto esse, ut illa subinde consulas, si quid dubitas: magna partis huius laboramus in Latinis literis inopia: nam eruditissimi illi Varro, Festus, Marcellus, & difficiliores sunt quàm ut à mediocriter doctis intelligantur, & nõ omnia tradunt, quibus est nobis opus: quæ uerò terũt omnes Cornucopiæ Perotti, & opus Calepini, nec satis plena sunt, & docta parũ, nec quibus tutò fidatur: præstitit quod potuit Perottus, nec omnino cõtemnendum quod reliquit. Calepinus uerò cornu exhaustor accessit ad alios docendos, quum ipse potius egeret doctore: sed interea utendum erit istis, donec existat aliquis, qui hanc literarum partem felicius orbi tradat. Budęus in annotationibus Pandectarum, & Asse plurima eruit altissimis tenebris obruta: & doctis quoq; ignorata aperuit, attulitq; renascentibus literis ingentẽ opem. Legendi sunt ipsi tibi per te authores, nec expectandum dum omnia præceptor explanauerit, alioqui nihil unquam intelliges sine prælegente & interprete: ita quando parabitur copiosa illa rerum & uerborũ supellex, quærenda ex plurimis uariarum rerum scriptoribus? ex intelligentia unius aut alterius authoris, quem institutor enarrarit, adhibito nõ segni & inerti studio: multi sunt alij cognoscendi. Verba eadem sunt in omnibus & loquendi formulæ, quibus rerum intellectio contegitur, ut nullus sit liber, qui probe intellectus non sit ad alios complures intelligendos magister, adhibeatur modò iudiciũ, & audita præsentibus conferantur: nec de nihilo est quod dicitur, libro librum aperiri.

GRÆCÆ LITERÆ.

GRæcas literas Quintilianus simul & pariter disci cum Latinis posse putat.

PROLATIO SONORVM.

PRimũ soni literarũ diligenter animaduertendi sunt, & quantũ fieri poterit, integre ac perfecte exprimendi: non enim maior labor est bene addiscere prima quàm male, quũ sit tanto fructus uberior. Obseruabis quemadmodũ periti proferant, & eos imitabere: necesse est enim aut par, aut certe non absimilis illorũ euadas, ad quorũ te exemplar componis: in usum recte proferendi conscriptæ sunt à Hieronymo Aleandro tabellæ eruditæ: cauendum tamen ne sic assuescas Græcæ pronunciationi, ut Latina illo more proferas, neu accentuum rationes confundas, qui sunt in illis linguis diuersi: Græcus fere ultimam spectat syllabam, Latinus penultimam.

INFLEXIONES.

TVm ad inflexiones nominum & uerborum uenietur, quas memoriæ penitus infiges, ne illarum ignoratio cogat te in altioribus hærere ac resistere. Habes Theodori Gazæ duos primos libros, qui ea de re magno compendio & arte præcipiũt: dehinc accentuum & orthographiæ formulas, quæ in plerisq; coniunctæ sunt, percipies coniunctas ex tertio Theodori Gazæ: ne totum illud uolumen legendum habeas, molestum, & frugis plerisque in locis exiguæ: sufficient in hoc tempus, quæ sunt illinc ab Oecolampadio decerpta.

PRIMA EXERCITATIO LECTIONIS AVTHORVM.

HIc iam proderit uocabulorũ gratia scriptores aliquot prælegente institutore tuo audire, eosq; maxime faciles & apertos, cuiusmodi sunt dialogi aliquot Luciani: præsertim ij qui res candidas non nigrant: & oratiunculæ Isocratis, Platonis, & quorundam aliorum epistolæ, & Æsopi fabellæ, in quibus animaduertes primum quibus uerbis utantur ad exprimendam rem: tum quo modo inflectant.

SYNTAXIS.

SImplicia uocabula in sermonem coniungenda sunt: de constructione plura sunt à Latinis scripta, quàm à Græcis. Gaza in quarto libro difficillime præcipit atq; obscurissime, secutus Apollonium, & ipsum in primis tenebricosum. Lascaris conatus est reducere uerba Græca ad quinq; illa genera & formulas uerborum Latinorum, prolixe & parum apte: præstabit ex authorũ lectione formulas loquendi Græcas obseruare, & potissimũ quemadmodum idiomata sermonum Græci & Latini inter se differant.

LECTIO.

INitio censeo legendos oratores Isocratem, Demosthenem, Lysiam, Aeschinem, Aristidem, & partem Luciani. Hinc Philosophos Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum. Tum ferreos Thucydidem ac Plutarchū: si quos prius Latine cognoueris, hos primos etiam leges, quo promptiōr sit uerborū ex sententia intellectus. Poetas prius quàm attingas, leges de dialectis Græcis Apollonium, aut Ioannem grammaticum: tum facillimi & maxime Attici initio uersandi, qualis est Aristophanes. Pòst Homerus fons reliquorū. Tum Euripides, & Sophocles. Aderit lexicon, Suidas puta, aut Hesychius: sed & Græcolatinū expediet habere, quo apertius interdum fiat, quod Græcè ab illis explicatum non satis intelliges.

INTERPRETATIONES.

COnferes Græca cum interpretationibus Latinis, initio si qua sunt ad uerbum uersa, ut Fabellæ Æsopi. Tabula Cebetis, & ferè dialogi Luciani, quos Erasmus transtulit, & Morus: hinc iam illi inspiciendi, qui uerbis sunt usi arbitratu suo, sententia authori seruata, quem interpretabantur, uelut Thucydides & Herodotus, quos fecit Latinos Laurentius Valla: sed ante alios omnes Herodianus Politiani, & aliquot Plutarchi opuscula à Budæo uersa. Hermolaus in transferendo Themistio, calore iuuenili & sui ostentādi cupiditate longissimè abreptus est. Princeps interpretū cōsensu omnium est Theodorus Gaza in libris de animalibus & problematis Aristotelis, & de stirpibus Theophrasti, siue decore atq; elegantia interpretationis, siue copia Latina, qua certauit cum Græca, siue felici audacia fingendis ad analogiam uocabulis, quibus carebant Latini, ut commodius Græca redderet.

FRVCTVS GRÆCITATIS.

NActo peritiam Græcæ linguæ patent fontes omnium disciplinarum, quæ à Græcis manarunt: adest & cognitio maximorum ingeniorū, quorum fuit semper Græcia feraciſsima, tum copia Latini sermonis instructior, & quia schemata figurasq; dicendi & colores argumentorum illinc petierunt Latini homines: & quia quum uocabulum Latinum ad rem notandam non est ad manū, ex Græco licet mutuari agro copiosissimo. Quin & Latini scriptores post Ciceronis tempora, ita uel studiosi fuerunt Græcæ linguæ, uel ostentatores, ut maximam partem idiomatum illius in Latinum transfuderint. Habes mi Carole Montioi, quibus adiuuari posse rudimēta studiorum tuorum existimem: tu annitere ut breui tempore ipse tibi magnus sis monitor, & ex primo illo bonorum genere, per sese qui omnia norunt.

FINIS.

Io. Lodouicus Viues, Philippo Caroli Cæsaris Augusti filio hæredi, optimam mentem.

TAtinæ linguæ permagnæ sunt & ad loquendum, & ad rectè sentiendum utilitates. est enim ea uelut thesaurus quidam omnis eruditionis: quoniā magna & præstantia ingenia Latino sermone disciplinas omnes conscripserūt: ad quas nemo potest peruenire, nisi per linguæ illius cognitionem. Quam ob causam nō grauabor, inter maiorum studiorum occupationes, hac quoq; parte pueritiæ rudimenta adiuuare. Conscripsi in usum Latinæ linguæ primam loquendi exercitationem, quam pueris (ut spero) conducibilem, tibi Principi puero uisum est dicare: quum propter patris tui beneuolentiam erga me summā, tum quòd in animo tuo ad rectos mores formando, optimè de Hispania, hoc est, patria mea merebor, cuius salus sita est in tua probitate ac sapientia. Sed hæc à Ioanne Martinio Siliceo, institutore tuo & copiosius audies, & crebrius.

Exercita-

EXERCITATIO LINGVÆ LATINÆ.

SVRRECTIO MATVTINA.

Beatrix puella, Emanuel, Euſebius.

IESVS CHRISTVS exuſcitet uos à ſomno uitiorum. Heus pueri eſtis'ne hodie euigilaturi? EVS. Neſcio quid incidit mihi in oculos, ita uideor eos habere plenos harenę. BE. Hæc eſt tua prima cantio matutina, & bene uetus. aperiam feneſtras haſce ambas, ligneã & uitream, ut feriat clarum mane ueſtros amborũ oculos. Surgite, ſurgite. EVS. Tam multo mane? BE. Propior eſt meridies, quàm aurora. Vis tu Emanuel recentem ſubuculam? EM. Nihil nunc eſt neceſſe, hæc eſt ſatis munda, cras ſumam alteram. Cedo mihi thoracem. BE. Quem? ſimplum, an diploidẽ? EM. Quem uoles, mea nihil refert. Porrige huc ſimplũ, ut ſi ſim hodie luſurus pila, minus grauer. BE. Hic eſt ſemper tuus mos. prius de luſu cogitas, quàm de ſchola. EM. Quid tu dicis inepta? & ſchola ipſa uocatur ludus. BE. Ego non intelligo ueſtras grãmaticationes & ſophiſmata. EM. Da ligulas aſtrictorias coriaceas. BE. Fractæ ſunt. accipe ſericas, & ſic iuſſit tuus pædagogus. Quid iam? uin' fœmoralia, & tibialia, quoniam eſt æſtus? EM. Minimè uerò. dato fœminicruralia: quæſo cõſtringe me. BE. Quid, tu habes brachia fenea, aut butyracea? EM. Non, ſed filo tenui conſuta. Hui qualia dediſti mihi aſtrigmẽta exarmata, & lacera. BE. Memineris te heri alea perdidiſſe integra. EM. Quî ſcis? BE. Ego per rimulam oſtij obſeruabam te cum Guzmanulo ludentem. EM. Amabò ne id pædagogus reſciat, BE. Imò ego narrabo, quum primùm appellaris mę deformem, ut ſoles. EM. Quid ſi rapacem? BE. Quiduis, modò ne deformem. EM. Cedo calceos. BE. Vtros? longo obſtragulo, an breui? EM. Tectos propter lutum. BE. Propter lutum aridũ, quod alio nomine uocatur puluis. Sed benè facis. nam in apertis cingulum eſt fractũ, & fibula amiſſa. EM. Indue rogo. BE. Tu ipſe facito. EM. Non poſſum me flectere. BE. Tu quidem facilè te curuares, deſidia uerò tua difficilè. an deglutiſti enſem, ut circulator ille nudiusquartus? adeóne es iam delicatus? quid facies grandior? EM. Aſtringe nodo laxo gemino: quod eſt elegantius. BE. Nihil minus. ſolueretur nodus ilico, & decideret tibi calceus è pedibus. præſtat uel gemino aſtricto, uel aſtricto & laxo. Sume tunicã manicatam, & cingulũ textile. EM. Minimè id quidem, ſed coriaceum uenatoriũ. BE. Mater uetat, uis tu omnia arbitratu tuo facere? & tu heri fregiſti aciculam fibulæ. EM. Non poterã alioqui exfibulare. Da ergo illud puniceũ ex lino. BE. Cape. cinge te cinctu Gallico. Pecte caput prius radijs rarioribus, tum denſiori bus. apta pileum uertici, ne in occipitiũ reijcias more tuo, aut in frontem & oculos. EM. Prodeamus iam tandẽ. BE. Quid? illotis manibus & facie? EM. Iſta tua tam moleſta curioſitate taurum iam enecaſſes, nedum hominem, uideris mihi non puerum ueſtire, ſed ſponſam. BE. Euſebi, adfer pollubrum cum urceolo, funde altius: ſtilla potius ex epiſtomio, quàm profundas. elue ſordes iſtas ex nodis digitorum: ablue os, & gargariza: frica bene cilia, & palpebras, tum glandulas ſub auriculis duriter. cape linteum, exterge te. Deum immortalem, de omnibus es ſigillatim admonendus, nihilne ipſe tua ſponte faceres? EM. Vah, nimium es importuna, & odioſa. BE. Et tu nimiũ ſcitus puer, ac formoſulus. Deoſculare me. flecte iam genua, & ante hanc Seruatoris noſtri imaginem recita precationem dominicã, & preces alias, ut habes de more, antequam pedem ponas extra cubiculũ. Vide mi Emanuel, uti de re nulla alia cogites, dum oras. Mane pauliſper, appende ſudariolum hoc de zona, ad nares emungendas & purgandas. EM. Sumne ſatis ad arbitrium tuum cõpoſitus? BE. Es. EM. Ad meum minimè, quoniam iam tandẽ ad

tuum:ausim facere sponsionem,me horam unã uestiendo cõsumpsisse. BE. Quid si uel duas? quò eras alioqui iturus? quid acturus? fossurus credo,aut araturus. EM. Quasi desit quod agam. BE. O magnũ uirũ,uehementer in nihil agendo occupatũ. EM. Nõ hinc abis cauillatrix? abi,aut ego te abigã hoc calceo, aut calanticã tibi detraham de capite.

PRIMA SALVTATIO.

Puer, Mater, Pater.

SAluus sis mi pater,salue mea matercula,precor uobis felicem hunc diem germani Sli,propitium uobis opto Christum sororculæ. PAT. Mi fili,sospitet te Deus,euehat ad ingentes uirtutes. MAT. Seruet te Christus,mea lux. Quid agis mea dulcedo? quid uales? quomodo nocte hac quieuisti? PV. Rectè ualeo,& placidè dormiui. MAT. Christo gratia:proprium hoc uelit tibi esse. PV. Ad mediam tamen noctem excitatus sum,è dolore capitis. MAT. Me perditam,& miserrimam, quid narras? qua parte capitis? PV. Ad brechma. MAT. Quàm diu? PV. Vix octaua parte horæ: postea redormij, nec sensi amplius MAT. Respirauí,nam exanimaras me. PV. Bene sit tibi Isabellula, para mihi ientaculum. Ruscio Ruscio huc,canicule festiuissime. en ut cauda adulatur, ut se in posteriores pedes erigit. quomodo habes? quomodo uales? Heus tu,adfer panis bucceam unam aut alteram, quam ei demus: uidebis lusus scitissimos. Non esuris? nihilne edisti hodie? profectò plus est in cane isto intelligentiæ,cẽ in illo mulione crasso. PA. Tullíole mi,lubet mihi tecum paulisper confabulari. PV. Quid mi pater? nam nihil mihi accidere potest suauius,quàm te audire. PA. Hic tuus Ruscio est belua,an homo? PV. Belua,ut credo. PA. Quid tu habes cur sis homo,nõ ille? tu edis,bibis,dormis,ambulas, cursitas, lusitas: hæc ille omnia. PV. Atqui ego sum homo. PAT. Quomodo id cognoscis? quid tu nunc habes plus quàm canis? Sed hoc interest,quòd ille nõ potest homo fieri: tu potes,si uis. PV. Obsecro mi pater,effice id primo quoq; tempore. PAT. Fiet,si eas quò eũt beluæ,redeunt homines. PV. Ibo pater multo libentissimè,sed ubi id est? PA. In ludo literario. PV. Nulla est in me ad rem tantam mora. PA. Nec in me. Isabellula,audin'? da huic ientaculum in cistella. IS. Ecquid nam? PA. Frustum panis butyro illitum, uel ficos aridas,aut uuas passas pro obsonio,sed insolatas: nam alteræ illæ uiscosæ inficiunt puerorum digitos,& uestes. nisi malit cerasa aliquot,uel pruna aurea,& oblonga: insere brachiolum cistulæ,ne excidat.

DEDVCTIO AD LVDVM.

Pater,Philoponus ludimagister.

SIgna te sacro signo Crucis. Duc nos Iesu Christe sapientissime dementes, potentissime imbecilles. Quæso mi propinque,tu qui es uersatus in studijs literarũ, ecquis est in hoc gymnasio optimus institutor puerorum? PR. Doctissimus quidẽ Varro: sed diligentissimus, & uir probissimus Philoponus, nec eruditionis aspernandæ. Habet Varro scholam frequentissimã,& domi numerosum gregem contubernalium. Philoponus non uidetur delectari turba,paucioribus est contentus. PA. Hunc malo. Ellum in porticu gymnasij inambulantẽ. Fili hoc est formatorium, & quasi officina hominũ, & hic artifex formandi. Adsit tibi Christus magister. Aperi caput puer,& flecte poplitẽ dextrum,sicuti es edoctus. sta iam rectus. PH. Prosperus sit nobis omnibus tuus aduentus, ecquid rei est? PA. Hunc filiolum meum ad te adduco,ut ex belua hominem facias. PH. Dabo in eam rem operam sedulam. fiet: reuertetur ex pecude homo, ex nequã frugi & bonus. id uerò ne dubitaueris. PA. Quanti doces? PH. Si puer benè proficiat, uili: sin parum,caro. PA. Acutè hoc dicis,& sapiẽter, ut omnia. Partiamur inter nos igitur hanc curam: tu ut sedulò instituas,ego ut benignè compensem tuam operam.

EVNTES AD LVDVM LITERARIVM.

Cirrhatus,Prætextatus,Vetula,Puella,Oluscularia.

VIdetur tibi tempus eũdi ad ludũ? PR. Planè tẽpus est ut eamus. CIR. Nõ satis teneo uiã,credo esse in illo uico proximo. PR. Quoties illuc itasti? CIR. Ter,aut quater. PR. Quãdo cœpisti eò itare? CIR. Nudiustertius,ut puto,aut quartus. PR. Quid igitur, an non id satis est ad noscendam uiam? CIR. Non, etiam si eam centies. PRAE. Ego uerò uel si semel,nunquã deinceps aberrarẽ. Sed tu uadis inuitus, & ambulas lusitans, nec

nec uiam aſpicis,nec domos,nec ulla ſigna,quæ te poſtea admoneãt, quà ſit flectendũ, quæ uia tenenda.Ego hæc omnia obſeruo diligenter,quia lubens eo. CIR. Puer hic habitat in proximo ſcholæ.Heus tu Titiuillitiũ, quà itur ad ædes tuas? TIT. Quid uis? uenis à matre tua,mater mea nõ eſt domi,ac ne ſoror quidẽ:ambæ ſunt profectæ ad Diuæ Annæ.CIR.Quid illic agitur? TIT.Heri fuerũt encænia:hodie inuitauit eas mulier quędã caſearia,ad edendũ lac coagulatũ.CIR. Et tu cur nõ es unà profectus? TIT. Relictus ſum hîc,ut ſeruẽ domi:frater meus puerulus abductus eſt ab eis illuc. ſed pollicitæ ſunt mihi,ſe de reliquijs allaturas partes in quaſillo. CIR. Quin tu igitur manes domi? TIT. Cõtinuò reuertar,nũc prodeo luſum talis cum filio huius cerdonis. uultis & uos uenire? CIR.Eamus ſodes.PR.Minimè uerò id quidẽ.CIR.Quidni? PR. Ne uapulemus. CIR. Vah,non meminerã.TIT.Nõ uapulabitis. CIR. Quî ſcis? TIT. Quia magiſter ueſter perdidit heri ferulam. CIR. Hem quomodo noſti? TIT. Hodie de domo noſtra audiebamus eius uociferationẽ,quærentis ferulam.CIR.Amabò ludamus parumper.PR.Tu ludito,ſi uis:ego ibo ſolus. CIR. Ne me apud præceptorẽ quæſo deferas. dic me detineri domi à patre.PR.Vis mentiri me? CIR. Quid ni,propter ſodalẽ? PR. Quia in templo audiui concionatorẽ affirmantem,mendaces eſſe filios diaboli,ueraces Dei.CIR.Diaboli uerò? apage.Per ſignũ ſanctę Crucis,ab inimicis noſtris libera nos Deus noſter.PR.Nõ potes liberari,ſi ludas,quum eſt diſcendũ.CIR.Eamus,tu ualeto. TIT. Hui,pueri iſti nõ audent pauliſper ludere,alioqui cędendi.PR.Ille eſt puer perditus,& euadet ſceleroſus uir.Sed quomodo elapſus eſt nobis? nec rogauimus quà eſſet uia ad ludũ,reuocemus. CIR. Abeat in malã rem,nolo ſit mihi rurſum incitamento ad luſum.percontabimur ab hac uetula.Mater noſtine quà itur ad ſcholã Philoponi? VET.Iuxta eam ſcholam habitaui ego ſex annis,è regione peperi filium natu maximum,& filias duas.tranſite plateam hanc Villæ raſæ,inde eſt angiportus, tum platea Domini Veterani,hinc flectite ad dextram,tum ad ſiniſtram,ibi percontamini,non procul abeſt ſchola. CIR. Vah,non poterimus omnia retinere. VET. Tereſula,deduc iſtos ad ludum Philoponi.nã mater huius eſt,quæ dabat nobis linum pectendũ,& nendum. TER.Quid malum Philoponi? quid hominis eſt hic Philoponus? quaſi ego norim.Ioquerisne de illo, qui reſuit calceos iuxta cauponã uiridem? an de præcone in uico Gigantis,qui alit equos meritorios? VET. Sat ſcio,nunc̃ tu noſti ea quæ ſunt opus, ſed ea quæ ad rem nihil faciunt. Inertiſsima. Philoponus eſt ludimagiſter ille ſenex,procerus,luſcioſus,è cõſpectu ædiũ,quas olim habitauimus. TER. Ah,iam redit in memoriã. VET. In reditu tranſi per macellũ,& eme acetarium,& raphanum,& ceraſa:cape fiſcellã.CIR. Duc nos etiam per forum olitoriũ. TER.Hac ibitis breuius.CIR.Nolimus iſtàc ire. TER. Quî ſic? CIR. Quia momordit me illic canis ex domo piſtoris.quin & uolumus te comitari ad forum.TER. Reuertens faciã iter per macellum:nã procul adhuc abſumus.& emã quę ſum iuſſa,poſtquã relinquero uos in ludo. CIR. Nos cupimus uidere quanti emes ceraſa. TER. Numis ſenis emimus in libras ſingulas,ſed quid ad te? CIR. Quia ſoror iuſsit me hodie mane ſciſcitari. & eſt illic uetula quædã oluſcularia,de qua ſi emeris,ſcio eam & uenditurã minoris quàm alias,& daturã nobis uel ceraſa aliqua,uel thyrſum lactucæ.nã filia eius miniſtrauit aliquando matri,& ſorori meæ.TER.Ne diſpendiũ hoc uiæ conſtet uobis flagris aliquot. CIR. Minimè uerò.nam ſatis ueniemus tempori. TER. Eamus, tantulũ deambulauero, quæ miſera conſumor ſedendo domi totos dies. PR. Quid facis? an tantùm ſedes ociоſa? TER. Ociоſa uerò? minimè certè id quidem.neo,conglobo,glomero,texo.putas uetulam noſtram paſſuram ut ocier? feſtos dies execratur,in quibus eſt ceſſandũ.PR. Feſti dies num nõ ſunt ſacri? quomodo ergo execratur illa rem ſacrã? uultne ipſa exacrare, quod eſt ſacrũ conſtitutum? TE. Cenſen' me didiciſſe geometriã, ut hæc poſsim uobis ediſſerere? CI. Quid rei eſt geometria? TE. Ego neſcio.nos habebamus uicinã, quæ uocabatur Geometra:hæc ſemper uel erat ipſa in templo cum presbyteris, uel presbyteri domi eius cum illa.itaq; erat, ut ferebãt, ſapientiſsima.Sed uentũ eſt in forum olitoriũ, ubi eſt tandẽ ueſtra uetula? CI. Id ego circumſpiciebã.Sed eme ab hac ea lege,ut aliquid det nobis corollarij Heus amita,puella hæc emet de te ceraſa,ſi aliquot nobis donaueris.OL.Nihil mihi donatur, omnia uenduntur. CI. Nec ſordes iſtæ donantur tibi,quas

habes in manibus & collo?OL.Nisi procul hinc abis impudenticule, has sordes sentiẽt genæ tuæ.CIR.Quomodo sentient meæ genæ,quũ tu habeas in tuis manibus?OL.Red de cerasa furũcule.CIR.Sumo exemplũ:nã uolo emere.OL.Eme igit̃.CIR.Si placuerint, quanti?OL.Numõ libram.CIR.Ah,acerba sunt.tu anus uenefica,uendis hîc populo cerasa strãgulatoria.TE.Abeamus hinc ad ludũ.nã uos argutijs uestris intricaretis me,& detineretis diu.Iã,ut puto,mea uetula furit domi,ob morã meã.Hoc est ostiũ, pulsate.

LECTIO.

Præceptor,Lusius,Aeschines,Pueri.

PR.Cape tabellam abecedariam manu sinistra,& radiũ hunc quo indices singula elementa.sta rectus,pileũ pone sub axilla.audi attentissimè, quemadmodũ ego has literas nominabo:specta diligenter,quo gestu oris. Vide ut eodẽ prorsum modo reddas,quum reposcã.Sis mecum.Iam audisti.Sequere nunc me sigillatim præeuntẽ.Tenes probe?LV.Videor mihi sic satis.PR.Vnaquæq; istarũ uocatur litera.ex his quinque sunt uocales,a,e,i,o,u,quæ sunt in uocabulo Hispano oueia, quæ est ouis. memineris huius uerbi.Hæc cum unaqualibet,uel pluribus aliarũ,syllabã efficit. sine uocali nõ fit syllaba,& uocalis ipsa nõ rarò est syllaba.Itaq; aliæ omnes cõsonantes nominãtur: quia per se nihil sonant,nisi adhibita uocali. habent enim sonũ quendã imperfectũ,& mancum,b c d g,quæ sine e parum sonant.Iam ex syllabis fiunt uoces, seu uerba: ex his sermo,quo belluæ omnes carent.nec tu à bellua differes,ni probe sermonẽ discas. Euigila,& naua sedulam operam.Ito,sede cum tuis condiscipulis, & edisce quæ præscripsi. LV.Non ludimus hodie?ÆS.Non,nam dies est operarius.Eho tu uenisse te huc arbitraris lusum?non est hic ludendi locus,sed studendi. LV. Cur ergo ludus nominatur?ÆS. Nominatur quidẽ ludus,sed literarius:quia literis est hic ludendũ,alibi pila,trocho,talis. & græcè audiui appellari scholã,quasi ociũ:quòd uerum sit ociũ,& animi quies,æta tem in studijs agere.Sed ediscamus,quæ iniunxit institutor,summisso murmure,ne alij alijs simus impedimento.LV.Auunculus meus,qui aliquãdo dedit operã literis Bononiæ,docuit me,melius memoriæ infigi,quę uelis,si altius pronuncies:idq; cõfirmari authoritate nescio cuius Plinij.ÆS.Si quis ita uelit ediscere suas formulas, in hortos secedat,aut in cœmiteriũ templi:ibi clamet licet,quoad excitet mortuos.COT. Pueri,hócci ne est ediscere?garrire,iurgari.agite,conuenite ad præceptorẽ omnes,iussu eius.

REDITVS DOMVS ET LVSVS PVERILIS.

Tulliolus,Corneliola,Lentulus.

COR.Prosperè redieris Tulliole.libet paulisper lusitare?TVL. Nõdum statim. COR. Quid habes negocij?TVL.Recolere,quæ magister ut memoriæ cõmendarem,mãdauit.COR.Quæ tandem?TVL.Aspice.COR.Hui,quæ notæ sunt istæ?credo esse formicas depictas.mea mater,quot formicas & culices adfert Tulliolus, pictos in tabella. TVL.Tace insana,sunt literæ. COR. Quæ uocatur hæc prima?TVL.A. COR. Cur prima est magis A,quàm hæc altera?MAT.Cur tu es magis Corneliola,quàm Tulliolus? COR. Quia sic uocor.MAT.Et illæ literæ ad eundem modum.Sed ito iam lusum,mi fili. TVL. Hic pono tabellam meam,& radium.si quis attigerit,uapulabit à matre:nónne mea matercula?MAT.Etiam,mi fili.TVL.Scipio,Lentule,adeste lusuri.SC. Quam lusionẽ? TVL. Nucibus ludemus ad coniectum scrobiculi. LEN.Non habeo nuces nisi paucas,& eas quassas ac putres.SC.Ludamus putamínibus nucum. TVL. Quid mihi ea proderunt,etiam si lucrer uiginti?nullus est intus nucleus,quem edam. SC. Ego uerò dum ludo,nõ comedo.si quid uolo comedere,matrẽ adeo.Ista nucum putamina sunt apta ad extruendas formicis ædiculas.LEN.Ludamus par impar aciculis.TVL.Adfer potius talos.SC. Adfer Lentule.LEN.Ecce uobis tali.TVL.Quàm sunt puluerulenti & immundi, nec satis purgati à carne,& politi.Iacias.SC.Pro primatu ludẽdi. TVL. Ego sum primus. quid ludimus?SC.Astrigmenta. LEN. Ego nolo mea perdere.nam domi cæderer à pædagogo TVL.Quid uis ergo perdere,si uinceris? LEN. Talitra. MA. Quæ est ista humi abiectio?deteritis uestes omnes,& calceos,tum loco immundissimo.quin uerritis prius pauimentum,& sedetis?adfer scopas.TVL. Quæ erit igitur sponsio?SC.Aciculæ in singula puncta.TVL.Imò binæ.LEN.Ego non habeo aciculas.deponam,si uultis,pedũculos

ceraſorum

ceraſorum pro aciculis. T V. Apage, ludamus ego & tu Scipio. S C. Ego auſim ſorti meas aciculas credere. T V. Da mihi talos in manum, ut iaciam primus: en uici ſpõſionem. S C. Minime uerò, nam non ludebas ſeriò. T V. Quis unquam ludit ſeriò, ceu dicas album nigrum. S C. Cauillare quantum uoles, non auferes modò aciculas. T V. Age, remitto tibi hanc manũ, ludamus iam pro præmio, adſit dextra ſors. S C. Victus es. T V. Auferto. L E N. Cedo talos. T V. In hũc iactũ omnia. L E N. Non recuſo. P V E L. Ad cœnã pueri, nunquam' ne facturi eſtis ludendi finem? T V. Nũc incipimus, iſta iam de fine loquitur. C O R. Ludi huius iam tædet, ludamus calculis diſcoloribus. T V. Pinge tu nobis urbes in hoc latere, carbone, aut gypſo. S C. Ego malo cœnare, quàm ludere,



& diſcedo, aciculis meis omnibus exutus fraude ueſtra. T V. Memineris te heri Cethegum ſpoliaſſe. Nullus ubiq; poteſt felici ludere dextra. C O R. Adfer quæſo folia luſoria, quæ inuenies ſub abaco ad ſiniſtram. S C. Aliàs id quidẽ, nunc non uacat, nam ſi diutius morer, timeo ne pedagogus meus iratus incœnem me mittat cubitum. Tu Corneliola, habe nobis parata folia iſthæc in craſtinum ſub horam ueſperam. C O R. Si licebit nobis per matrem, ſatius eſſet nunc ludere, dum ſinimur. S C. Satius eſt nunc cœnare, dum accerſimur. P V E L. Et mihi nihil datis, quæ uos ſpectaui? C O R. Daremus, ſi iudicaſſes, da tu nobis potius, quę noſtris luſionib⁹ te delectaſti. P V E R. Heus pueri, quãdo eſtis uenturi? cœna eſt ſemicomeſa, propè eſt, ut ſublatis carnibus, apponamus caſeũ & poma.

REFECTIO SCHOLASTICA.

Nepotulus, Piſo, Magiſter, Hypodidaſcalus.

Vluitis' ne hîc laute? P I. Quid iſthuc uerbi eſt, an lauamur? quotidie man⁹ ac faciem, & quidẽ crebrò, mundicies enim corporis & ſanitati & ingenio confert. N E. Non id quæro: ſed an edatis, & bibatis ex animi ueſtri ſententia. P I. Nos non edimus ex animi ſententia, ſed ex palati ſententia. N E P. Dico, an ut uultis? P I. Maximè, nempe cum fame, & qui uult edit, qui nõ uult abſtinet. N E P. Surgitis à mẽſa famelici? P I. Non omnino ſaturi: nec expedit, belluarum eſt enim expleri, non hominũ. Regem quendã ſapiẽtiſs. narrant nunquã ſine appetitu accubuiſſe, nunquã ſurrexiſſe ſaturũ. N E. Quid editis? P I. Quæ habemus. N E. Putabam uos eſſe, quæ non habeatis. Sed quæ ſunt iſta tandẽ quæ habetis? P I. Moleſtum percontatorem, quæ dantur. N E. At quę dantur? P I. Ientamur de mane ſeſquihora poſteaquàm ſurreximus. N E P. Quãdo ſurgitis? P I. Ferè cum ſole, qui eſt dux Muſarum, et aurora gratiſsima Muſis. Silatum noſtrum eſt, fruſtum panis autopyri: et paulũ butyri, aut fructuum aliquid, quales anni tempus ſuppeditat. Prandium, holus coctiuũ, uel pultes in pultarijs, aliquid pulmentarij carnium. Rapę modò, modò braſsicæ, amydũ, ſimilago, oryza: tũ diebus piſculẽtis lac ſeroſum in gabbatis, è quo ſit butyrũ expreſſum, iniectis aliquot turũdis panis, piſcis recens aliquis, ſi ſit in foro piſcario precij tolerabilis: ſin ſecus, ſalſamentũ probè maceratũ, hinc piſa, aut cicera, aut lentes, aut fabæ, aut lupini. N E. Quantum cuiq; ex his? P I. Panis quantũ auemus, obſoniorum quantũ eſt ſatis, nõ ad explendũ, ſed ad alendũ. Ampliſsimas epulas alibi quęrito, non in ſchola, ubi ad uirtutem formantur animi. N E. Quid bibitis? P I. Alij frigidam, & liquidam, alij ceruiſiam tenuem, pauci & rarò uinũ, & bene dilutũ. Merenda eſt, ſeu (ſi id mauis) anticœniũ, aliquid panis, & amygdalarũ, ſeu auellanarũ, ficorũ aridorũ, uuarum paſſarum: aut ſi ſit ętas, pyrorum, aut malorum, ceraſorũ, aut prunorũ: quũ uerò animi gratia rus proficiſcimur, tum edimus lac, uel liquidũ uel coactum, caſeum recẽtem, cremorẽ, lupinos lixiuio maceratos, pampinos, & alia quę uilla ſuggerit. Cœnæ caput eſt, acetariũ conciſum, ſale aſperſum, irroratũ oleo oliuarũ ex gutto, aceto etiam infuſo. N E. Quid? oleo nucum, aut raparũ? P I. Apage rẽ inſuauem, et inſalubrẽ, tum in lata paropſide aulicoctia ueruecina iuſſulenta cũ prunis paſsis, aut radiculis, aut herbulis, quæ ſint pro intrito. interdũ tucetum, ſaporis ſcitiſsimi. N E. Quo cõdimento? P I. Fame, omnium optimo & ſapidiſsimo. hinc certis diebus hebdomadis aliquid aſsi, potiſsimũ uitulinę, hœdinæ interdũ in uere, pro ſecunda menſa raphani perpuſillũ, & caſei non putris, nec ueteris, ſed recẽtis, qui eſt quàm uet⁹ alibilior: pyra, mala perſica, cydonia. Diebus, quîs carne fas nõ eſt ueſci, habemus pro carnibus oua aſſa, aut frixa, aut elixa, ſingula per ſe,

aut in libũ cõmista in sartagine,aceto,aut omphacio,nõ tam infuso quàm instillato:pau lulum interdũ piscium,& caseo succedunt nuces.NEP.Quantũ cuiq;?P I.Bina oua sin gulis,& binæ nuces.NE.Quid?à cœna nunquam' ne comessamini?P I.Sæpius.NE.Quid quæso?nã id est suauissimũ.P I.Conuiuiũ Syri apud Terentiũ,aut aliquod aliud ex illis lautissimis Athenæi,aut similiũ,quorũ meminerũt historię.Vtrũ censes nos porcos es se,an homines?qui uentriculi,quæ ualetudo sufficeret,post quaternas refectiones co messari?heus tu,schola hæc est,nõ saginariũ.Dicunt etiã nihil esse pernicioſius ualetu dini,quàm bibere,quum statim sis iturus cubitũ.NE.Licebit' ne cœnę uestræ interesse?P I.Facilè,modò uenia petita à præceptore,quã scio illum daturum nõ grauatè:nã solet. alioquiprauę esset educationis,ingerere te cõuiuio magistro insscio.et qui te adduceret nihil aliud quàm probrũ et pudorẽ cõtraheret apud cõdiscipulos:mane paulisper Ma gister,licebit ne cum bona tua uenia,puerũ quendã mihi notũ adhibere nostrę cœnæ?P R.Maximè,non erit molestus.P I.Habeo gratiã.Hic quem uides gestantẽ mantile pro focali,est architriclinus huius hebdomadæ,nã hebdomarios habemus hic architricli nos,ut Reges.A R C.Lamia,quota est hora?L A.Horas nõ audiui à tertia,intentus cõpo sitioni epistolæ.Florus melius id norit,qui toto hoc pomeridiano tẽpore librũ non ui dit,neq; chartã.F L O.Amicũ testimoniũ,& apud magistrũ iratũ ualde.Sed quî potuisti tu id animaduertere,immersus(ut ais)cõpositioni epistolari?planè maleuolẽtia te coẽ git mentiri.Gaudeo profectò,inimicũ meũ pro mẽdaci haberi.Si quid me posthac uo luerit calumniari,carebit fide.A R C.Non potero alicũde cognoscere de hora?Anthrax, transcurre ad diui Petri,& inspice horas.A N.Index signat iam sextã.A R.Sextã uerò?Eia pueri agite,eia cõsurgite,abijcite libros:uel quo cerui cornua?parate mẽsas,insternite, apponite sedilia,mantilia,orbes,quadras,panẽ,dicto citius uolate,ne tarditati nostræ institutor succẽseat.Prome tu ceruisiã,tu hauri aquã de cisterna,appone scyphos,quid rei est?tam obnubilitatos adfers?refer in culinã ut famula eos fricet,& extergat probè, quo sint nitidi & fulgẽtes.P I.Nunquã tu hoc perfeceris,quãdiu simiã hanc habebimus ministrã culinariam,nunquã audet fortiter cõfricare,quę mundat,ita timet suis digitis: nec abluit,nisi semel,& tepida.AR.Quin admones de eo præceptorẽ?PI.Satius est que ri apud famulã atriẽsem,nã in eius manu est,mutare famulas culinarias.Sed eccũ prçce ptorẽ.Tu ipse perluito hos calices,frica folio fici,uel urticis,harena,aqua,nequid hodie habeat magister iure reprehendendũ.M A.Sũt parata omnia,est aliquid quod nos remo retur?A R.Nihil omnino.M A.Ne postea facturi simus interualla magna inter missus.AR. Missus uero?missum potius dixeris,& eum exiguum.M A.Quid tu musitas?AR.Dico, ut assideas,esse tẽpus,et propemodũ corrumpi cœnã.MA.Pueri abluite omnes manus, & os.Vah quod mãtile?qui hic se extergunt,ubi mundantur?curre,adfer aliud purius. Sedeamus more solito.Est is puer cõuiua noster?P I.Est here.M A.Cuias est?P I.Flander. M A.Ex qua urbe illius prouinciæ?P I.Brugensis.M A. Recipe illum supra te.Expediat quisq; cultellũ suũ,& purget quisq; suũ panẽ,si quid hæret uel cineris,uel carbonum in crusta,sacret mẽsam,cuius est mun° hac hebdomade.FLO.Pasce animos nostros Christe charitate tua,qui benignitate tua alis uitas omnium animantiũ:sancta sint Domine hęc tua munera nobis sumẽtibus,ut tu,qui ea largiris,sanctus es.Amẽ.M A.Sedete,quãtum licet,laxè,ne cõprimatis mutuò:quando quidẽ est satis loci.Et tu habes cultellum Bru gensis?P I. Prodigium,Flander sine cultello:& quidẽ Brugensis,ubi cuduntur optimi. NE.Mihi uerò cultello nihil est opus,dentibus frangã mordẽdo,uel digitis buccellatim cõminuã.H Y.Ferũt illud de morsibus tum gingiuis,tũ candori dentiũ esse perutile.MA. Vbi feciſti Latinę linguę tyrociniũ?nã non uideris mihi praue institutus.NE.Brugis sub Ioanne Theodoro Neruio.M A. Viro diligenti,docto,probo.Brugæ elegantisimę:nisi quòd pereunt indies uitio plebis profusissimę,dolẽdum est:quàm pridẽ illinc ueneſti? NE.Nudius sextus.M A.Quàm nuper cœpisti studere?N E.Ab hinc annos tres.M A.Non potest te profectus pœnitere.NE.Meritò,nam & habui magistrum non pœnitendum. M A.Sed quid agit Viues noster?NE.Dicunt eum agere athletam,non tamen athleticè. M A. Quid isthuc rei est?N E. Quia luctatur semper,sed parũ fortiter.M A.Cum quo?NE. Cum suo morbo articulari.MA.O luctatorẽ dolosum,qui primum omnium inuadit pe-

des.

des.HYP.Imò lictorẽ sæuũ,qui totũ corpus cõstringit.Sed tu quid agis?quid cessas?uideris huc spectatum uenisse,nõ cœnatum.Nemo uestrũ attingat pileum inter cœnandum,ne quis capillus inuolet in patinas:cur non tractatis hospitẽ comiter?HYP.Nepotule,prębibo tibi.NE.Præceptor,excipio animo libentiss.HYP.Exinanias calicem tuum, quando quidẽ exiguus haustus restat.NE.Hoc esset mihi nouum.MA.Quid?non exinanire?Sed tu Hypodidascale quid dicis,quid adfers noui super cœnam?HYP.Ego uerò nihil dico,sed hisce duabus horis multa cogitaui de arte Grãmatica.MA.Quæ tandem?HYP.Recõdita sanè,& ex penetralibus disciplinę.primum,cur Grammatici posuerunt tria genera in arte,quum sint tantum duo in natura?aut cur natura nõ producit res neutrius generis,sicut masculini & fœminini?nõ possum causam exculpere tanti mysterij. Deinde philosophi dicũt esse tãtum tria tẽpora,ars nostra ponit quinq;,ergo ars nostra est extra rerum naturã.MA.Imò tu ipse es extra rerum naturam, nã ars in rerũ natura est. HYP.Si ego sum extra rerum naturã,quomodo possum comedere hunc panẽ,& has carnes,quę sunt in rerum natura?MA.Tãto tu deterior,qui uenis ab altera rerum natura,ut comedas,quę sunt in hac nostra.HYP.Παράφθεγμα ἀπὸ σιώνσου. aliam ego uellem solutionem mearũ quæstionum.Vtinam haberemus nunc Palęmonem aliquem,aut Varronẽ,qui has quęstiones posset profligare.MA.Quin potius Aristotelẽ,aut Platonem? Habes aliquid aliud?HYP.Heri uidi scelus capitale admitti.Ludimagister uici recti capro olidior,qui in phrontisterio suo in pedore & fœtore docet auditores diobolarios, ter aut quater ponunciauit uolúcres accẽtu in penultima,ego uero mirat⁹ sum,terrã illi nõ dehiscere.MA.Quid aliud decebat talẽ ludimagistrũ dicere?& est alioqui in formulis Grãmaticis ualde detritus.Sed tu in re leui nimiũ tumultuaris,& facis tragœdiã ex comœdia,seu mimo uerius.HYP.Equidẽ absolui pensum meum:nunc tuę sunt partes, dic tu uicissim aliquid inter cœnam.MA.Nolo,ne tu mihi uicissim παράφθεγμα.Iussulenta hęc iam cõglaciant,adfer foculum mensarium,excalfacite aliquãtum,priusquã panem intingatis.Raphanus hic nõ est esui,adeò est lentus:nec minus sunt radiculæ iussulẽti. HYP.Lentorẽ profectò nõ à macello attulerunt,sed hîc cõtraxerunt in nostro pœnore, qua cella nihil est pœnui incõmodius.Nescio quid istuc rei est,semper adferuntur huc ossa emedullata.MA.Parũ habẽt ossa medullarum sub lunã silentẽ.HYP.Quid quum est plena?MA.Plurimum.HYP.Tum uerò ossa nostra habẽt minimum,seu nihil uerius.MA. Non exorbet nobis medullas luna,sed nostra Lamia,nimis hic indidit piperis,& gingiberis:& in iure hoc,& toto acetario,nimium menthæ,petroselini,saluiæ,erucæ,nasturtij,hyssopi.nihil puerorum & adolescentum corporibus æquè damnosum, ut cibi qui interiora feruefaciunt. AR. Quibus igitur ex herbis uelles confici? MA. Lactucis, buglossa hortẽsi,& portulaca,& petroselini aliquid admisceri.Heus tu Gingolfe,ne extergas labra manu aut manica,sed simul ipsa,simul manũ mãtili.nã ideo tibi datur.Carnes ne attingas,nisi ab ea parte,quã tibi es sumpturus.Tu Dromo,nõ animaduertis te manicas tuas inficere pingui carniũ?reduc eas,si sunt apertę,ad humeros:si nõ sunt,corruga, uel cõplica ad cubitũ,quę si relabũtur,affige acicula,seu,quod magis te decet,spina.Tu dominaster delicatule,in mẽsam incũbis?ubi id didicisti?in hara quapiã,heus,subijcite eius cubito puluillũ.Architricline,uide ne analecta hęc pereãt,recõde in prõptuarium. tolle primũ omnium salinũ,hinc panẽ,tum lãces,discos,mãtilia,postremò mappã.mundet quisq; suum cultellũ,& reponat in uaginã.Heus tu Cinciole,ne scalpas dẽtes scalpello,nam est noxium,cõficito tibi dentiscalpiũ pennula,uel bacillo tenui acuminato: & scalpe modicè,ne gingiuas scarifices,& sanguinẽ elicias.Consurgite,& abluite manus,priusquã recitetur gratiarum actio.Amoue mẽsam,uoca ministrã,ut pauimentum hoc scopis uerrat.Agamus Christo gratias:pręeat uerba qui sacrauit mensam.FLO.Pro cibo temporario gratias agimus Christe Domine tẽporarias,fac ut pro immortalitate agamus æternas.Amen.MA.Ite lusum,& confabulatum,et deambulatum,quò libuerit, dum licet per lucem.

GARRIENTES.

Nugo, Gracculus, Turdus.

NVGO. Assideamus in hac trabe: tu Graccule è conspectu in saxo illo,modò ne

impedimẽto sis,quo minus cernamus prætereuntes:apricemus nos ad hunc parietem, egregiè soli ostentum.Quàm grandis truncus,& cui usui? TVR. Vt nos hîc sedeamus. NV. Oportet fuisse proceriſsimam & latam arborem, unde est sumpta. TVR. Quales sunt in India. GR. Quî scis? fuisti tu in India cum Hispanis? TVR. Quasi scire aliquid de regione quapiam non possis,nisi in ea fueris,sed dabo tibi authorem meum.Plinius scribit,in India crescere ad eam altitudinem,quæ non possit iaculo superari:& gens illa quidem sumptis non tarda pharetris,ut ait Vergilius. NVG. Scribit etiam Plinius,turmam equitum condi sub ramis. TVR. Nemo id miretur,qui scirpos illius regionis considereret,quibus infirmi fulciunt gradum,diuites duntaxat. GR. Heus,quota est hora? NV. Nulla,nam horarum tintinabulum nũc fundiur.adfuisti? GR. Non sum ausus.nam aiunt rem esse periculosam. NV. Ego interfui,& uidi innumeras mulieres prægnantes transilire canalem fusionis,qui est sub terram conditus. TVR. Audiui hoc illis esse salutare. GR. Ea est colus philosophia,ut dicunt,sed de hora quærebam. NV. Quid tibi opus est hora,si quid uis agere? dũ est opportunitas,est hora,sed ubi est horologiũ tuum uiatorium? GR. Excidit mihi nuper,quum fugerẽ canem holitoris,post decerpta pruna. TVR. Ego te currentẽ uidi de fenestra.sed quò te recepisses spectare non potui, quia impedimento mihi erat hortus pensilis,quẽ ibi mater affixit patre inuito,& multum reclamante:mater uerò in proposito cõstans obtinuit,ne tolleretur. NV. Quid tu? tacebas? TVR. Flebam tacitus,quid enim aliud agerẽ,dissentientibus mihi charissimis capitibus:tametsi mater iubebat me ab se stare,& clamare strenuè:sed mihi nõ erat cordi,quicquã aduersus patrẽ mutire.Ergo missus sum ad scholã,quatuor cõtinuis diebus inientatus à matre irata,& deierante me nõ esse ex se natũ,sed cõmutatum à nutrice,de quo ait dicturã se nutrici diem apud prætorẽ capitalẽ.NV. Quid rei est prętor capitalis? an non prætor omnis habet caput? TVR. Quid ego scio:sic illa dixit.GR. Hem,qui sunt isti penulati & ocreati? NV. Galli sunt. GR. Quid,est' ne pax? TVR. Bellum narrabant futurum,& quidem atrox. GR. Quid adferunt? TVR. Vinum. NV. Exhilarabunt multos. GR. Scilicet,non solum uinum exhilarat,sed uini mentio & recordatio. NV. Vinosos utique: mea nihil refert,qui aquam bibo. GRA. Nunquam facies bonum carmen. TV. Nosti illam mulierem? GR. Non,quæ' nam est? TVR. Aures habet gossipio obturatas. GR. Quid ita? TVR. Ne quid audiat,quia male audit. NV. Quàm multæ pessimè audiunt auribus patentibus,& benè perforatis. TVR. Credo huc pertinere,quod est apud Ciceronem in Tusculanis quęstionibus:Surdaster erat M.Crassus,sed illud peius, quòd male audiebat.NV. Non dubiũ est quin hoc ad infamiam sit referendũ.Sed heus tu Bambalio,inueniſti tuas Tusculanas quæstiones? BAM. Etiã, apud propolam:adeò interpolatas,ut non agnoscerẽ.NV. Quis surripuerat? BAM. Vatinius:quod illi male sit. GR. Vah hominẽ manibus aduncis & picatissimis:ne admittas eum unquã ad tuas capsas,nec ad scrinia,si uis omnia esse salua.Nescis illũ crumenisecã existimari ab hominibus,& de crumenisecio accusatũ apud gymnasiarcham? NV. Soror puellæ illius enixa est heri gemellos.GR. Quid mirum? Mulier quædam uia salaria ad leonẽ galeatum,peperit nudius sextus tergeminos.NV. Plinius dicit,ad septimũ posse procedi.TVR. Quis uestrûm audiuit de uxore comitis Batauiæ? quam ferunt uno partu tot edidisse,quot sunt in anno dies,ex imprecatione mendicę cuiusdam.GR. Quid istuc fuit de mendica? TV. Mendica hæc liberis onusta,petijt ab hac comite stipem,illa ubi conspexit tot pueros,conuitio illã abegit,scortũ uocitans,negabat enim posse fieri,ut ex uno uiro tãtam sobolem suscepisset.Innocens mendica precata est diuos,ut si se castã & puram scirent, darẽt comiti ex marito suo tot fœtus uno conceptu,quot sunt in anno dies,et ita contigit,ostenditurq; propago numerosa illa in oppido quodam illius insulæ.GR. Malo credere,quàm exquirere.NV. Omnia sunt Deo possibilia.GR. Imò uero facillima.NV. Non nosti illum onustum retibus,comitatum canibus,cum causia & peronibus, uehentem canterio strigosissimo? TV. Est' ne Mannius uersificator? NV. Est planè.TV. Quæ' nam tanta metamorphosis? NV. Ex Minerua transijt ad Dianam:id est, ab honestissima occupatione ad inanem & stultum laborem. Pater eius mercimonijs faciũdis auxerat rem, hic paternã artem dedecori sibi esse ducit,uertit se ad alendos equos & uenationẽ,non

aliter

aliter ratus posse nobilitatẽ generis uenari. Nam si quid ageret utile, non haberetur pro nobili. Sequitur eum uenantẽ talis Curius, pereruditus homo, aleator famosiss. & qui probe nouit taxillos mittere cõpositos. domi habet sodalẽ Tricongiũ. TV. Imò amphoram. GR. Imò spongiã. NVG. Imò harenã Africæ aridissimã. BAM. Aiũt illũ semper sitire. NVG. An sitiat nescio, semper certe paratus est potare. BAM. Ausculta lusciniolam illam. GR. Vbinã est? BAM. Nõ uides eam in ramo illo sedentẽ? uide, ut canit ardenter, nec intermittit. NVG. Flet philomela nephas. GR. Quid mirũ dulciter eam garrire, quæ sit Atticæ? ubi etiam fluctus maris non sine numero allidũtur littori? NVG. Plinius scribit, eam præsentibus hominibus diutius & accuratius cantare. TVR. Quid causæ est? NVG. Ego tibi causam aperiã. Cuculus & philomela eodẽ cantant tẽpore, uerno scilicet, ab Aprili medio ad Maiũ exactũ, aut eo circiter. Hæ duę aues in contentionẽ uenerũt de suauitate cõcentus. quæsitus est iudex: & quia de sono erat certamẽ, aptissimus uisus est ad eã cognitionẽ asinus, qui præter cæteras animantes grandes haberet auriculas. Asinus repudiata luscinia, cuius se harmoniã negaret intelligere, uictoriã cuculo adiudicauit. philomela ad hominẽ appellauit. quẽ ubi uidet, agit statim causam suã, canit diligẽter, ut se illi approbet ad uindicandã iniuriã ab asino acceptã. GR. Habeo causſam poeta dignã. NV. Quid ergo, expectabas philosopho dignã? posce à nouis illis magistris Parisiensib. GR. Plericę illorũ uestib. sunt philosophi, nõ cerebro. NV. Quid ita uestibus? nã coquos potius dixeris, aut muliones. GR. Quia gestãt eas crassas, detritas, laceras, lutulentas, immundas, pediculosas. NVG. Erũt ergo philosophi Cynici. GR. Imò cimici: nõ, quod uideri affectant, Peripatetici. quippe Aristoteles sectæ princeps, cultissimus fuit. Ego uerò longũ uale dico iã nunc philosophiæ, si aliter nõ possum esse philosophus. Quid enim pulchrius, & homine dignius, cę mundicies, & ciuilis quidã cultus in uictu & uestitu? ea in re antistant mea sentẽtia Louanienses Parisiensib. TVR. Quid tu? nõ putas esse impedimẽto studijs, nimiã curã mundiciæ atq; elegantiarũ? GR. Ego quidẽ mundiciẽ probo, anxiã & morosam illius curã improbo. NVG. Dãnas tu elegãtias? de quibus scripsit Valla tã diffuse, quasq; adeò diligẽter cõmendant nobis nostri præceptores? GR. Aliæ est uerborũ in loquendo elegantia, alia rerũ in uestiẽdo. TV. Scitis quid est mihi narratũ à tabellario Louaniensi? NV. Quid tandẽ? TV. Clodiũ ardere perditè in puellã quandã, & Lusconẽ transtulisse se ad mercaturã à literis: hoc est, ab equis ad asinos. NVG. Quid audio? TVR. Clodiũ noratis omnes succi plenũ, rubicundulũ, bene habitũ, hilarẽ, uultu renidẽti, comẽ, festiuũ confabulatorẽ: nunc refert ille, esse exuccũ, exanguẽ, pallido colore, atq; adeò lurido, imbecillũ, horridũ, trucẽ, taciturnum, fugitantẽ lucis, & humani cõsortij, nemo qui illũ uidisset prius, iam agnosceret. NV. O miserũ adolescentem. unde id mali? TVR. Ex amore. NV. At unde amor? TVR. Quantũ ex oratione tabellarij potui colligere, reliquerat seria & solida studia, dediderat sese cũctum poetis lasciuis, latinis, & linguę uulgaris. inde prima animi præparatio: ut si qua ignis scintilla in illũ incideret fomitẽ, quantũlibet exigua, subitò inflammaret uelut stuppa. tradiderat se somno & ocio. NV. Quid necesse habes plures aut maiores causas amãdi cõmemorare? TV. Nũc insanit, ambulat plerũq; solus: semper autẽ uel tacitus, uel cantillans aliquid & modulãs, scribit uersus sermone uernaculo. NV. Scilicet quos legat ipsa Lycoris. GR. O Christe, auerte ab animis nostris tã pernicioſum morbũ. TVR. Nisi me ingeniũ Clodij fallit, recipiet se aliquãdo ille ad frugẽ meliorẽ. peregrinatur animus eius in nequitia, nõ habitat. GR. Et ille alter quas mercaturas exercet? TV. Misit ad patrem epistolã, flebiliter conscriptã de misera cõditione studiorũ, quam, quòd esset apertilis, legit ipse tabellarius. Pater homo crassę Mineruæ, trãsdidit eũ à chartis ad lanas, pãnos, glastũ, piper, gingiber, cinnamũ. Nũc ille succinctus braccha, mire diligẽs & sedulus in aromataria taberna, uocat aduẽtores, exicipit blãdus, scãdit, descẽdit per scalas infestissimas. profert suas merces, uertit, inuertit, mẽtitur, peierat: omnia sunt illi leuiora, q; studere. NV. A puero noui illũ attentũ ad rẽ, & delectari numulis. itaq; potiorẽ habuit numationẽ q; literulã, & uile lucrũ antepositi excellentiæ eruditionis. aliquãdo pœnitebit eũ. TV. Sed serò. NV. Indubiè prouideat, ne accidat sibi, quod suo cõsobrino. TV. Cui? NV. Antronio in angiportu pomorũ, ad tres gracculos. Non audisti illũ superiore anno decoxisse? GR. Quid deco

xit quæso? est ne hoc tantum malum? an non quotidie id fit in cubinis omnibus? TVR. Decoxit rem. GR. Quam rem? TVR. Alienam, & conturbauit. GR. Nihilne reddidit creditoribus? TVR. Ex cõpactione, nam receperat se in asylum, uncias ternas ex libris singulis. GR. Hoc uocas tu decoquere? quum nihil sit crudius, sed quomodo amisit? TVR. Audiui equidẽ nuper de patre, non satis tamen intellexi. narrabat pater eum fecisse uersuras damnosissimas, quæ degluberũt eum, & deuorarunt usq; ad ossa. GR. Quid rei est uersura? quid deglubere? TVR. Ne ego quidem noui, credo esse aliquid de furibus. NV. Vides illum obesum? quẽ putes uix se posse cõmouere, petauristа est, & funambulus. GR. Ah tace, rem narras incredibilem. TVR. Non ipse quidẽ suo corpore, sed calcibus. GR. Adferebat aliquid aliud noui tabellarius de nostris sodalibus? TVR. Etiam de Hermogene, qui in omni nostro certamine semper ferebat primas. is admirabili mutatione ex ingeniosissimo, & (ut ętas illius ferebat) doctissimo, repẽte factus est tardissimus & rudissimus. NVG. Tale quiddã sæpe uidi accidere in quibusdã acutulis. BAM. Aiunt id fieri, quum ingenij acumen non est solidum: ut in scalpellis, quorũ acies facilè retunditur, præsertim si quid secet paulo durius. GR. Quid, est ne acies in ingenio, sicut in ferro? BAM. Nescio: ferrũ sæpe uidi, ingenium nunquã uidi. NVG. Quid factum est adolescenti illi pagano, qui superiore mense exhibuit nobis prandiũ aduentoriũ, refertũ delicijs rusticis, ad quem à fuga retrahendũ præceptor miserat quatuor fugituarios? & erat formosulus. TVR. Venustus asinus. Puella amanuensis amitæ meæ, quę puella est illi soror patruelis, conuenit illũ nuper in pago suo, nudo capite, impexũ, horridũ, sentum, cum gallicis, & tunica uillosa leuidensa uendentẽ in triuio quodã chartaceas imagines & tabellas elementarias, cantantẽ cantiones nouas in circulis. GR. Oportet illũ esse ortum claro sanguine. TVR. Quî isthuc? GR. Quoniã pater eius est de genere Coclitum. NVG. Non tam id arguit nobilẽ uirum, quàm bonum iaculatorẽ: collimabit facilè. TVR. Aut fabrũ tignariũ, qui oculo rubricã dirigit uno. NVG. Nunquã placuit mihi ille puer, nec dederat mihi significationẽ aliquam uirtutis. GR. Quid ita? NVG. Quia nec amabat studia, nec præceptorẽ reuerebatur, quod est perditi animi argumentũ euidentissimum: & senes irridebat, & calamitosos subsannabat. Sed quis est iste sericatus, torquatus, bracteatus auro? GR. Ex genere clarissimo, matrẽ habet nobilissimã & fœcundissimam. NVG. Quam? GR. Terrã. & uix credas, quas semper faciat delicias, dicas puerulũ in cunis adhuc & crepundijs uagientẽ. NVG. Ätqui lanugo illi incipit iam per malas serpere. BAM. Hem obseruator uenit, expedite libros, explicate, incipite euoluere. GR. Nec fuit his multis hebdomadibus obseruator magis curiosus, et qui tam gauderet deferendis ad magistrũ criminibus. BAM. Vtinã saltẽ nos ueræ culpæ reos ageret, sed calumniatur plerũq; NVG. Hic murus aheneus esto. Nil cõscire sibi, nulla pallescere culpa. Sed quiescite, ego illum statim hinc fugabo. OBS. Quid tu dicis uacia? NVG. Quid tu Vatrax? OBS. Quid tu Vatrachomyomachia? sed ioco amoto, quid hic agitur? NVG. Quid ageretur? quod inter bonos scholasticos, & studiosos: legitur, ediscitur, disputatur. Dic sodes capitulum lepidissimũ, quid est apud Vergiliũ, Transuersa tuẽtibus hirquis? OBS. Bene facitis, pergite studere, ut bonæ indolis adolescentes decet. mihi aliud nunc est negocij, uos ualebitis. NVG. Satis nugatũ est, reuertamus ad ludũ, sed prius relegamus, quæ præceptor explicauit, tum ut discamus, tum ut illi placeamus, & nos approbemus: quod cuiq; nostrum debet esse in uotis, non minus quàm patri.

ITER, ET EQVVS.

Misippus, Philippus, Misospudus, Planetes.

PH. Vultisne proficiscamur animi gratia Boloniam, quæ est ad Sequanam? MISI. & MISO. Nihil malumus, die præsertim sereno, & à uentis silenti, tum etiã in nostro pædagogio feriato. PH. Cur non est uobis operarius? MISO. Quia Pandulfus madefacturus est hodie ingenti prãdio magistros omnes, in honorẽ laureæ suæ magistralis. PL. Vah quantum potabitur. MISO. Multo plus sitietur. MISI. Ego habeo asturconẽ. PH. Et ego equum meritorium, conductum de lusco impostore. MISO. Ego & Planetes uehemur rheda: reliqui, si uidetur, uel pedestres sequentur nos, uel ui brachiorum agent cymbam cõtra cursum amnis. PL. Imò equis trahetur. MISO. Vt erit cordi, nam nobis pedestre

pedestre iter magis placet. PH. Eia puer, frena equum meũ, & insterne. Quid malũ, manno indis lupatum? orna potius frænulo illo leui cum bullis. PV. Hui, nec oream habet, nec aureas. PH. Si scirem quis fregisset, ego illi frangerem. MIS. Quid tu nunc dices concitatus? PH. Panem in cœna. Accipe, unde poteris, accõmodatò. PV. Scilicet in medijs pædagogijs quęris tu uel equos, uel equorũ ornamenta. PH. Supple igitur, quæ desunt, ex hoc fune. PV. Erit deforme. PH. Abi insane, quis uidebit extra urbem? PV. Antilena est dissuta. PH. Sarcias ligula astrictoria aliqua. PV. Non habet postilenã. PH. Nec est opus. PL. Magnum equitem, & exercitatum. delabetur ephippiũ ad collum, & effundet te equus supra caput. PH. Quid ad me? lutosa est magis uia, quàm lapidosa, inficiar cœno, non cruentabor. Sed si hæc omnia apparanda, non hinc discedemus ante uesperũ. adduc equum qualicunq; ornatu. PV. Paratus est, conscende. ah quid agis, pedẽ dextrũ ponis priorẽ in stapeda. PH. Vtrum ergo? PV. Sinistrũ. & habenas sinistra manu rege, dextra cape hanc uirgulam, quæ erit pro calcaribus. PH. Non indigeo, calcanei erũt mihi uice calcariũ. PV. Iubellium Taureã uidetis, aut qui cum hoc est congressus, Asellam. PH. Apage historias in procinctu. ubi reliquit? PV. Ite, ego comitabor uos pedester. MIS. O equum molestissimum succussatorem, ossa mihi omnia contuderit, priusquàm perueniamus in oppidulum. PH. Quid malum est stratum istud tuum? clitella est, ut puto. MIS. Paulo minus. PH. Quanti, quanti? MIS. Numis Turonensibus quatuordecim. PH. Equum ipsum cum suo uictu & uestitu tanti non emerim. nec uidetur mihi equus uector, nec ephippiarius, sed iumentum clitellarium & iugale, aut dorsuale. animaduerte quæso. ut passim cespitat? uel in chartam, aut latum culmum impingeret. MIS. Quid tu de eo dicis? pullus est adhuc. Sed garrias, quæ uoles. uides tu hunc equũ? is qualis qualis est, me uehet, aut ego illum. PV. Vngulam habet tenerrimam miser. PH. Quid admonũit te tam accuratè unoculus, quum tibi eum insterneret? MIS. Rogauit uerbis amantissimis, ne duo insideremus equo, alter in strato, alter super clunes, & ut in equili diligenter ei substernerem. PV. Nimirũ eget misellus, qui latera habet nudata à carne. PH. Quid agitis uos? non ascenditis in rhedam? PL. Probe mones. rhedarius petit nunc altero tanto plus, cẽ quanti eramus pacti. PH. Cum rhedarijs est uobis res, & cum nauicularoribus. facilè conficietis omnia, & ex animi sentẽtia, genus hominũ est mite, mansuetum, come, urbanũ, piũ. Rhedarij sunt fex terræ, nauiculatores fex maris, date illi dimidium eius, quod plus poscit. PV. Quotã esse iam horã censetis? PH. Ex sole conijcio, esse ultra decimam. PV. Appetit iam meridies. PH. Itáne? heus Misippe: eamus, sequatur qui poterit. Inuenient nos ad galerũ purpureum. ea est taberna diuersoria, sita contra regiã pyramidem, non procul à domo Curionis. MIS. Quà egrediemur? PH. Per portam Marcellinam, ad dextram, simplici uia & directa. MIS. Imò teneamus hanc semitam, uia iucunda & placida. PH. Minime uerò: nihil cõmodius ac tutius, quàm uia regia. nã transuersis itineribus amittemus comites: præsertim quod trames ille nisi me fallit memoria, est ualde sinuosus, & ambagiosus. MIS. Qui sunt isti hastati? uidentẽ milites ex istis mercenarijs. PH. Quid agendũ? MIS. Reuertamur, ne nos spolient. PH. Progrediamur. nã facile euademus eos cursu equorũ per campos. MIS. Quid si gestent tormẽta manuaria? PH. Nihil tale cerno, sed solas sarissas. MIS. Accede propius puer. PV. Quid rei est? MIS. Non tu uides illos Germanos? PV. Quos? MIS. Illos huc uenientes aduersum nos. PV. Planè sunt germani, sed Parisienses, rustici duo cum suis baculis. MIS. Profectò ita est: bene sit tibi, animã mihi & uitam reddidisti. Sed ubi Misospudus & Planetes? PV. Rhedarius iratus, quòd non quantũ postulauerit accipiat, duxit eos uia salebrosa: equidem magna enituntẽ ui, rotas in alto cœno hærẽtes extrahere, temonẽ & helcia cõfregerunt. tum canthi reuulsi sunt cũ clauis, & ipse rotã sufflamináuerat imprudẽs, bili excæcatus: nũc ea reficit stomachabũdus, & cõuicians diuis omnibus, uectores quoq; diris deuouens atrocissimis. PH. Quę capiti illius sint. PV. Puto eos rheda relicta trãsituros in sarracum, quod sine onere habet iter Boloniã. Glaucus & Diomedes ingressi erãt in scaphã quandã, sed nautę negãt se hoc uento posse remis aut cõtis agere nauigiũ. equos helcia rios narrãt omnes esse occupatos, nescio qua materia uehenda: ita nondum religarant prymnesium. PH. De naulo nihil noui? PL. Nihil prorsum. PH. Mirum est, sed conijcio

quid futurũ sit: non peruenient illi Boloniã ante serum diei. MIS. Quid tum? sumemus diem crastinum totum, ad reficiendũ animũ. Aspice ut fluuiolus ille leniter labitur, aquæ planè crystallinæ inter scrupos aureos. quàm iucundum murmur? Audis luscinio lam, & carduelem? Profectò territoriũ hoc Parisiense amœnissimum est. PH. Quod spectaculum potest esse huic par? quàm placido agmine fluit Sequana? ut fertur nauicula illa plenis finibus, & secundo uento? mirifice his omnibus redintegrãtur animi. O pratum miro artificio uestitum. MIS. Nempe ab admirabili artifice. PH. Quàm suauem odorem eructat. MIS. Hàc hàc ad sinistram flectito, ut uites cœnum tenacissimũ, in quo gradarius tuus statim unguem amitteret. Quàm cõtrarius hic campus suo uicino, obsitus situ, squallidus, cariosus, horrẽs petris, & spinis armatus? PV. Non uides esse agrũ ruderatum ex uillæ ruinis? & alioqui frumentarius est. Hyberno puluere, uerno luto, magna farra Camille metes. PH. Quæso, cantilla uersus aliquot, ut soles. MIS. Placet:

Fœlix ille animi, diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia uitæ.

PH. Versus facetissimos & grauissimos. cuius quæso sunt? MIS. Non agnosti? PH. Nõ. MIS. Angeli Politiani. PH. Vetustiores putaui, & habent gratiam antiquitatis. Suspicor nos deerrasse. MIS. Heus bone uir, quà itur Boloniam? RVS. Aberrastis. obuertite cantheria uestra ad biuium illud, & tenete uiam, quam rodit flumen: ea uos non sinet falli recta est, & simplex usq; ad uetustam quercum, inde ad manum hanc uos præcipitatote. MIS. Habemus gratiã. RVS. Ducat uos Deus. MIS. Mallem currere, quàm sic ab equo isto concuti. PH. Tanto cœnabis auidius. MIS. Imò non potero cœnare delassatus, & confractus toto corpore, citius quæram de lecto, quàm de mensa. PH. Sede coniunctis cruribus, non diuaricatis, minus senties laborem. MIS. Hoc est fœminarum. & facerẽ, nisi metuerem derisus & sannas prætereuntium. PV. Siste parumper Philippe, dum hic faber ferrarius calciarit asturconem tuum, cui excussa est solea dextri pedis. MIS. Quin potius moremur hic, ut clauso diuersorio sub dio dormiamus. PH. Quid tum? in aperto mundo, an non id præstabilius, quàm in clauso? grauius esset, quòd incœnes.

SCRIPTIO.

Manricus, & Mendoza.

MAN. Adfuistin' hodie, quum ille haberet orationẽ de utilitatibus scribendi? MEN. Vbinam? MAN. In auditorio Antonij Nebrissensis. MEN. Minimè uero, sed tu recense, si qua hæserunt memoriæ. MAN. Quid ego recenseam? dixit tam multa, ut omnia propè exciderint. MEN. Ergo contigit tibi, quod de uasis angusti orificij Quintilianus dicit, quòd superfusam humoris copiam respuunt: sensim si instilles, recipiunt. Sed nihil retinuisti penitus? MAN. Propemodum nihil. MEN. Aliquid igitur. MAN. Perpusillum. MEN. Isthuc ipsum perpusillum fac mihi etiam commune. MAN. Primùm omnium aiebat esse per quàm admirabile, tantã uarietatem humanarũ uocum paucis potuisse literis cõprehendi: deinde amicos absentes posse inter se beneficio literarum colloqui. Addebat, nihil esse uisum mirabilius apud insulas istas à regibus nostris recens inuentas, unde aurum adfertur, quàm posse inter se homines aperire quæ sentiant, tanto interuallo regionum missa chartula aliqua, maculis nigris distincta. Rogabãt enim, an papyrus sciret loqui. hæc ille, & alia permulta, quæ sum oblitus. MEN. Quamdiu dixit? MAN. Horas duas. MEN. Ex tam longa oratione tam paucula mandasti memoriæ? MAN. Mandaui quidem memoriæ, sed ea noluit retinere. MEN. Planè dolium habes filiarum Danai. MAN. Imò excepi cribro, non dolio. MEN. Accersamus aliquem, qui tibi ea quæ ille dixit, redigat in memoriã. MAN. Mane tamen, nam aliud quiddam cogitatione quæro, teneo. MEN. Eloquere tandem, cur non excipiebas penna? MAN. Non erat ad manum. MEN. Ne pugillares quidem? MAN. Ne pugiles quidem. MEN. Exprime hoc tandẽ. MAN. Aufugit iam, tu excussisti menti, tam odiose interpellando. MEN. Hui tam citò? MAN. Redijt in memoriã. Ex authoritate nescio cuius scriptoris affirmabat, nihil

bat,nihil esse ad magnã eruditionem compendiosius,quàm probè ac celeriter pingere. ME. Quis est author? MA. Nomẽ sæpe audiui,sed memoria effluxit. ME. Vt alia.sed huic præcepto non paret uulgus nostræ nobilitatis,quæ pulchrum & decorũ sibi esse ducit nescire literas formare:dicas scarificationem esse gallinarum,et nisi præmonitus sis,cuius sit manus,nunquam diuinaris. MA. Et ea de causa uides,quàm crassi sint homines, quàm amẽtes,et opinionibus corruptissimis. ME. Quomodo sunt uulgus,si nobiles? an non hæc multum inter se distant? MA. Quia uulgus non uestibus & possessionibus distinguitur,sed uita & iudicio de rebus integro. ME. Vin' ergo ut nos à uulgari ista inscientia uindicemus? tradamus nos huic exercitamento. MAN. Nescio quo pacto,naturale est mihi,distortè,inæqualiter,perturbatè exarare literas. MEN. Hoc habes nobilitatis,exerceas te:nam assuefactio mutabit,quod naturale esse ducis. MA. Sed ubi is habet? ME. Ex me tu id quæris? qui nec audiui hominem,nec uidi,quum ipse eum audieris,tu,quantum intelligo,uelles omnia ingeri tibi præmansa in os. MA. Nunc commemini:aiebat sibi domum conductam iuxta ædem diuorum Iusti & Pastoris. ME. Est ergo uicinus uester,eamus. MAN. Heus puer,ubi est magister? PV. In illo conclaui. MAN. Quid agit? PVE. Docet quosdam. MAN. Significa illi,astare hic pro foribus, qui huc etiam ueniunt,ut ab eo doceantur. MAG. Qui sunt pueri isti? quid petunt? PVE. Te cupiunt conuentum. MAG. Admitte eos ad me recta. MAN. & MEN. Optamus tibi salutem,& omnia prospera Magister. MAG. Et ego uicissim uobis fœlicem huc ingressum, sospitet uos Christus. Quid est? quid uultis? MA. Doceri abs te artem istam quam profitere, si modò uacat,& si uis. MAG. Profectò oportet uos esse pueros honestissimè educatos,qui & sic loquamini,& tam modesto sitis ore. Nunc uerò magis,quum tota facie suffundit se uobis rubor:confidite filij,nam iste color uirtutis.qui uocamini? MA. Manricus & Mendoza. MAG. Nomina ipsa testantur ingenuam educationem,& generosos animos. Ita demum eritis uerè nobiles,si ijs artibus excolatis animos,quæ maximè sunt dignissimæ claris natalibus. Quanto magis sapitis uos,quàm multitudo ista nobilitatis,qui eo se habiturum iri generosiores sperant,quo imperitius pingant literas. Sed minime est hoc mirandum,quandoquidem persuasio hæc dementiam nobilitatis iampridem inuasit,nihil esse abiectius aut uilius quàm aliquid scire. Ergo uidere est,illos epistolis à librarijs suis compositis subscribentes id,quod legi nullo pacto potest,nec scias à quo tibi epistola mittatur,nisi sit à tabellario prædictum,aut signum agnoscas. MA. Id modò ego & Mendoza querebamur. MAG. Sed uenitis huc armati? MA. Minimè uerò bone præceptor,uapularemus à uostris pædagogis,si ausi essemus arma hac ætate uel aspicere,nedum tangere. MAG. Ah ah,non loquor de armis crudelitatis,sed de istis scriptorijs,quæ ad præsentem rem faciunt. Habetis thecã pennariam cum pennis? ME. Quid rei est theca pennaria? an ea,quam nos calamariã nominamus? MAG. Ea ipsa,nam antiquissimi homines solebant stylis scribere, quibus successerunt calami,& potissimum Nilotici. Agareni,si quos uidisti,harundinibus scribũt à dextra in sinistram,sicut omnes penè ad orientẽ nationes:Europa Græcos secuta,contrà à sinistra in dextram. MA. Etiam Latini? MAG. Latini quoq; filij:sed hi à Græcis habent originem, & olim ueteres Latini scribebant in membrana deletili,quæ uocabatur palimpsestos,tum una tãtum facie,nam qui utrinq; erant libri cõscripti,opisthographi dicebantur:qualis fuit Orestes ille Iuuenalis,scriptus & integro,nec dum finitus. Sed hæc aliàs,nũc ea quę instant. Anserinis pennis scribimus,aliqui gallinaceis. Vestræ istę sunt egregiè habiles,nam sunt caule ampla & nitida,& firma,detrahite plumulas scalpello, & detruncate aliquid è cauda:tum eradite,si quam habent scabriciem, nam leuigatæ fiunt aptiores. MA. Nunquam ego gero nisi deplumatas,& nitidas,sed institutor meus docuit me eas leues facere saliua,& affricatione ad auersam tunicam,uel fœminicruralia. MAG. Præsens consilium. ME. Doce nos aptare pennas. MAG. Primum omnium rescindetis utrinq; caput,ut fiat bifurcata:tum in superiore parte incisuram facite scalpello sensim ducto,quæ crena uocatur:hinc æquate duos illos pedũculos,seu mauultis nominare crusculà,ita tamen,ut altius sit dextrum,in quod penna scribendo incumbit,id tamen discrimen uix perceptibile oportet esse. Pennam si firmius uis chartæ

imprimere,tribus digitis teneto:sin celerius,duobus,pollice & indice, more Italico, nã medius inhibet magis cursum,& moderatur ne se immodicè effundat,quàm adiuuat.MAN.Profer atramentarium.MEN.Hem,cornu atramentarium elapsum est mihi uenienti huc.MAG.Puer,profer ampullam illam atramentariam,ex ea effundemus in hoc mortariolum plumbeum.MEN.Sine periculo?MAG.Ita haurias penna liquidius,& commodius,nam in gossipio,uel filo bombycini,aut lini,quum pennam intingis,adhæret semper crenæ fibra aliqua uel flocculus,in quo detrahendo fit mora scriptioni:aut si non detrahas,lituras uerius effingas,quàm literas.MEN.Ego ex sodalium consilio linteolum Melitense indo,aut bombycinũ læue ac tenue.MAG.Istud uerò est satius.Cæterùm multo præstat,solum atramentum infundere in mortariolo quidem fixo.nam quod circumgestandum est,huic omnino opus est periculo. Cæterùm habetis chartam?MEN. Hanc.MAG. Asperam admodum,& quæ pennam remoretur,ne inoffense decurrat,quod est studijs noxium.Nam dum luctaris cum scabricie chartæ, elabuntur multa ex ijs,quę scribenda cogitaueras.Hoc genus chartę amplæ,densæ,duræ,scabræ, librarijs relinquite:quæ ideò libraria nuncupatur,quòd ex eis fiant ad diuturnitatem libri,nec illam quotidiano usui praueris grandem,Augustanam siue imperialem,quæ de rebus sacris hieratica nominatur:quales uidetis in libris sacrarum ædium.Acquirite uobis chartam epistolarem,quæ ex Italia adfertur optima,tenuissima,& firma:uel uulgarem illam,quam ex Gallia important,quam passim inuenietis uenalem in singulos codices numis octonis plus minus,dabitur uobis pro corollario philura una aut altera chartæ emporeticę,quam bibulam dicimus.MEN.Quę est horum nominum ratio?nam sæpe dubitaui.MAG.Emporetica de Græco uenit,ab inuoluendis mercibus:& bibula, quòd atramentum absorbeat.Ita non erit uobis opus furfuribus,aut sabulo,uel pulucre de pariete eraso.Sed omnium optimum est,quum per se literæ exiccantur,eo enim modo diuturniores fiunt.Proderit tamen emporetica,quam sub manum extendatis, ne sudore aut sordibus maculetis papyri candorem.MAN. Cedo iam nobis,si uidetur, exemplar.MAG.Primum abecedarium,deinde syllabatim,tum uerba cõiuncta,ad hunc modum:Disce puer,quibus fias sapientior,& proinde melior.Voces sunt animorum signa inter præsentes,literæ inter absentes.Hæc effingite,& redite huc à prandio, uel cras,ut scripturam uestram emendem.MAN.Faciemus,interea commendamus te Christo.MAG.Et ego uos eidem.MEN.Secedamus,ut absq; interuentu sodalium & interpellatione meditemur,quæ à magistro hoc accepimus.MAN.Placet mihi,ita fiat.MEN.Ventum est quò uolebamus,assideamus in his saxis.MAN.Etiam,sed auersi à sole.MEN.Mutua mihi dimidium chartæ folium,quod reddam cras.MAN.Sufficit tibi hoc frustulum?MEN.Hui non capiet sex uersus,ex meis præsertim.MAN.Scribe in utraq; facie,& duc uersus densiores,quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?MEN. Ego'ne? uix interuallum est ullum,nam literæ sese utrinq; attingunt,præsertim quæ longos habent apices,aut pedes,ut b,& p.Sed quid tu?iam'ne duos uersus exarasti?& quidem eleganter,nisi quòd sunt praui.MAN.Scribe tu seorsum,& tace.MEN.Enimuero penna & atramento hoc scribi nullo pacto potest.MAN. Quid ita?MEN. Non cernis,ut penna respergit chartam atramento extra literas?MAN. At atramentum meum adeò est crassum,ut limum esse credas,aspice amabò,ut hæret in summa crena,nec ad characteres formandos defluit. Quin igitur utriq; incommodo medemur,tu de cuspidibus pennæ rescinde scalpello,quod atramentum commode colligat,in literas: ego in atramentarium,quo sit atramentum liquidius,iustillabo guttas aquæ aliquot.MEN. Immeito potius. MAN. Oh ne lotium, fœtebit atramentum ipsum,& quicquid scripseris: nec facilè deinceps odorem hunc elueris è periculo:optimum esset acetum,si haberes ad manum,nam hoc ui sua statim disrarat densum atramentum. MEN. Verum: sed periculum est, ne acrimonia sua chartam penetret. MAN. Nihil tale metuas, hæc charta maxime omnium continet atramentum,ne effluat. MEN. Extremæ huius tuæ chartæ oræ inæquales sunt,rugatæ,& asperæ. MAN. Demarginato chartam aliquantum forficibus:nam hoc est etiam elegantius,aut citra eam asperitatem scribendo subsiste.Tibi semper leuissimæ offensiones satis magno impedimento sunt,ne pergas:sed

quicquid

quicquid est in manibus,abijcias ilicò. MEN. Redeamus iam ad præceptorem. MAN. Videtur tibi tempus? MEN. Metuo,ne præterierit iam tempus, nam solet maturè cœnare. MAN. Eamus,ingredere tu prior,qui habes minus cordis. MEN. Imò tu potius,qui minus frontis. MAN. Vide ne quis ab illo exeat,qui deprehendat hîc nos iocantes,& lasciuientes. Pulsemus fores annulo,etsi patentes,nam hoc fuerit urbanius. At at. PV. Quis isthic? rectà introeas,quisquis es. MAN. Nos sumus,ubi est institutor? PVE. In conclaui. MEN. Omnia sint tibi fausta præceptor. MAG. Feliciter ueneritis. MEN. Effinximus quinquies aut sexies tuum exemplar in eadem charta,referimus hoc opus nostrum ad te emendandum. MAG. Rectè facitis. Ostendite,posthac relinquite maiorem intercapedinem uersuum,ut sit ubi ego possim corrigere uestra errata ad emendationem. Hæ literæ sunt admodum inæquales,quod est in scribendo fœdum. Animaduertite,quanto n maius est q̃ e,& o quàm orbis huius p: nam literarum corpora omnia oportet esse æqualia. MEN. Quid quæso uocas corpora? MA. Media in literis,præter apiculos,& pedunculos,si quos habent: apices habent b & l,pedes p & q. Iam in eodē m,crura sunt imparia,primum breuius est medio,& nimis magnā caudā trahit,sicuti & illud a. nec satis imprimitis pennā chartę,uix hęret atramentum,nec dignoscas quę sint elemēta. Quòd literas has transformare tentaris in alias,erasis particulis cuspide scalpelli, magis deturpasti scripturam,satius fuisset tenuem liturā inducere. Tum et quod superest uerbi in fine uersus,transferre in caput sequentis,modò integrę sint semper syllabę, quas secari non patitur lex Latinæ scriptionis. Augustū Cæsarem produnt memoriæ, non solitum uerba diuidere,nec ab extrema parte uersuum abundantes literas in alterum transferre,sed ibidem statim subijcere,& circumducere. MAN. Nos id libenter imitabimur,quoniam exemplum est regis. MAG. Rectè facitis,quomodo enim aliter approbaretis uos,ex illius esse satos sanguine? Sed ne coniungatis omnes literas,nec omnes separetis. Sunt quæ uinciri inter se postulent,ut caudatæ cum alijs,uelut a, l, u, item hastatæ,ut f & t. Sunt quę recusent,nempe orbiculatæ,p,o,b. Quantum poteritis,recto capite scribite,nam inflexo atq; incumbenti,defluunt humores ad frontem & oculos: unde morbi nascuntur multi,& uidendi imbecillitas. Accipite alterum exemplar,quod exprimatis cras Deo propitio.

Sed propera,nec te uenturas differ in horas:
Qui non est hodie,cras minus aptus erit. Et aliud:
Currant uerba licet,manus est uelocior illis,
Nondum lingua suum,dextra peregit opus.

MEN. Vis' ne etiam ut lituram hanc reddamus? MAG. Lituram sanè,modò & alia probè exarata. MEN. Interea optamus te bellissimè ualere.

VESTITVS, ET DEAMBVLATIO MATVTINA.

Bellinus, Maluenda, Ioannius.

MAL. Nempe hoc assiduè? iam clarũ mane fenestras Intrat. Stertimus,indomitum quod despumare falernum Sufficiat. BEL. Apparet profectò insanire te,nam alioqui nec tam multo mane esses experrectus,nec uersus funderes,& quidem Satyricos, quo manifestius rabiem tuam patefacias. MAL. Accipe ergo epigrammatarios,edentulos, & falsos: Surgite,iam pueris uendit ientacula pistor, Cristatæq; sonant undiq; lucis aues. BEL. Istud de ientaculo citius mihi somnum excuteret,quàm clamores tui. MAL. Festiuissime nugator,precor tibi fœlicem hunc diem. BE. Et ego tibi faustam noctem, & bonum cerebrum,ut simul & dormire possis,& soluta oratione loqui. MAL. Quæso te,seriò responde,si modò seriò potes unquam loqui: quam horam censes nũc esse? BE. Medium noctis,uel plus paululum. MA. In quo horologio? BE. In meo domestico. MA. Vbi tandem est tuum horologium domesticũ? tu ut horologium unquã habueris,aut inspexeris,cui omnis hora est semper dormiendi,edendi, ludendi,studendi uerò nunquam. BE. Atqui hic ego habeo horologium mecum. MA. Vbi? ostende. BE. In meis oculis,uide,ut nulla ui aperiri possint,obdormi rursus obsecro,aut certè tace. MA. Quid,malùm,est carosis hæc,seu uerius lethargus,& mors quędam? quamdiu putas nos iam dormisse? BE. Horas duas,uel ad summum tres. MA. Ter ternas. BEL. Quî fieri isthuc potest?

MA. Gomezule, i curriculo ad solarium Franciscanorum, & contemplare quota sit hora. BE. Apage solarium, quum nondum sit ortus. MA. Ortus uerò? aperi fenestram istam uitream: heus tu puer, ut uerberet sol huius oculos suis radijs, plena sunt iam sole omnia, & umbræ minores. BEL. Quid tibi est rei cum ortu solis, & occasu? sine illum priórem te surgere, cui maius est conficiundum iter diurnum. Gomezule, cursum cõtendito ad D. Petri, ibi aspicito & in horologio machinali quæ sit hora, & in gnomone. GOM. Vtrunq; sum intuitus, in solario parum abest umbra à secunda linea, in horologio digitus indicat horam paulò plus quinta. BEL. Quid narras? aliud ergo agendum restat tibi, ut hic sistas mihi fabrum ferrarium ex uico lapideo, qui forcipe disiũgat has palpebras tam affixas, dic ei, reuellẽdam esse è foribus seram aliquam, cuius sit amissa clauis. GOM. Vbi nam habet? MAL. Iste uerò serió accerseret. Desine iam nugari, & surge. BEL. Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah, quàm es odiosus sodalis. Exuscita me Christe ex somno peccati ad uigiliam iustitiæ, transfer me ex nocte mortis ad lucẽ uitę. Amen. MA. Fœliciter tibi procedat hæc lux. BE. Et tibi hęc eadẽ, & alię quamplurimę lętæ ac faustæ: hoc est, ut eam ita transigas, ne cuius uirtutẽ lędas, neu quis tuam. Puer adferto subuculam mundam: nam hãc iam totos sex dies gestaui. hem arripe pulicẽ illum saltitantem. Omitte nunc uenationem pulicarem. quantulum erit, pulicem unum in cubili hoc extinxisse? MA. Quantum guttam unam aquę Dilię huic adimere. BE. Imò uerò mari ipsi Oceano. Nolo hãc subuculam collari rugato, sed alteram illam plano: nam rugę hę quid aliud sunt hoc tẽpore, quàm nidi, aut receptacula pediculorum et pulicum? MA. Inepte, existes repente dines, habebis pecus album, & pecus nigrum. BE. Peculium numerosum magis quàm quæstuosum: & comites, quos malim semper uidere in uicinia, quàm domi meę. Iube famulam resuere latera huius subuculę, et quidem filo serico. GO. Non habet. BEL. Lineo igitur, aut laneo, aut etiam, si ita lubet ei, sparteo, nunquam famula hęc habet, quod est opus: quod uerò nõ est opus, affatim: te uerò Gomezule nolo ego esse diuinatorem, exequere mandatum meum, & renuncia: ne arioleris, quid sit futurum. Excute puluerem è feminicruralibus concussu. hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Vdones dato itidem mundos, nam hi sunt iam exudati, & pedore olidi. φῦ, amoue eos ist hinc, continuò offendit me fœtor grauissimè. GO. Vis interluam? BE. Non, nam ex luce colligo diem fore calidã, sed cedo mihi thoracem illum dimidijs manicis serici gausapini, & tunicam simplicem fustadicam, cum uinculis uestiarijs oblongis. MAL. Imò fustanicã. Quid isthuc rei est? quónam ire cogitas, ut tam ornes te prẽter morem tuum, præsertim quum sit dies profestus? et poscis ligulas deuinctorias castrenses. BE. Et tu cur induisti bombycinã leuem, recentem ab officina, quum habeas capripiliam, & damascenam detritam? MA. Dedi hæc resarcienda. BEL. Ego uerò in hisce meis magis commoditatem specto uestitus, quàm ornatum, uncinuli isti et orbiculi sunt luxati, tu improbe, inconsideratè semper dissoluis. MA. Ego potius utor globulis & ocellis, quod est decentius, & minus in induendo & exuendo molestum. BEL. Non est idem omnium iudicium in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ cõdito in arcam, nec proferas tota æstate, astrigmenta hæc strenuè sunt exarmata suis ferris, limbus hic est dissutus & discerptus, cura resarciendum: sed uidene assuantur deformes commissuræ. GO. Non poterit id perfici ante sesquihoram. BEL. Affige ergo acicula, ne pendeat, dato perisceli des. GOM. Adsunt, calceolos cum crepidis longi obstraguli parati tibi, puluere bene excusso. BEL. Calceos potius exterge situ, ac nitida. MAL. Quid est ligula in calceo? de qua inter grammaticos fuit controuersia peracerba, ut solet de omnib. dicendum esset ligula an lingula. BEL. Illa assuitur calceis Hispanicis in summa planta, hic non habent. MA. Et in Hispania iam desuescunt apponere, calceatu Gallico. BEL. Accommoda mihi tuum pectinem eburneum. MA. Vbi est tuus ligneus, & quidem Parisiensis? BE. Non audisti me heri obiurgantem Gomezulum? MA. Obiurgare uocas tu ferire? BEL. Hoc illud erat, fregerat quinq; aut sex radios pectinis ex densis, ex raris penè omnes. MAL. Legi nuper scriptorem quendam præcipere, ut eburneo pectine pectamus caput quadragies ductu à brechmate ad uerticem, & inde ad occipitium. Quid agis? hoc nõ est pectere, sed mulcere, cedo pectinem. BE. Neq; isthuc est pectere,

sed

ſed radere,aut uerrere,credo habere te caput teſtaceũ. MA. Et ego te butyraceum,adeò non audes attingere. BEL. Vin'tu igitur,ut mutuò arietemus capita? MAL. Nolo tecum contẽdere inſania,nec committam bonam mentẽ meam cum tua demẽtia. Ablue iam tandẽ manus,& faciem:ſed os potiſsimum,ut mundius loquaris. BEL. Vtinã adeò citò animum perpurgarẽ,ut manus,dato malluuiũ. MA. Confrica paulo diligentius nodos iſtos manus,quibus hærent ſordes denſiſsimæ. BE. Falleris,nã puto eſſe potius decolora tam pellẽ,& rugatã. Abijce has malluuias Gomezule in cloacã illã,& cedo mihi reticulum,& pileum clauatum,affer iam ocreas. GO. Itinerarias'ne? BE. Non,ſed urbanas. GO. Vis cucullionem,an pallam? BE. Sumus foras prodituri? MA. Quidni? BE. Adfer igitur lacernam. MA. Prodeamus iam tandẽ,ne amittamus è manib. deambulandi tẽpus. BE. Duc nos Chriſte per uias tibi gratas,in nomine patris,& filij,et ſpiritus ſancti. Amẽ. O quàm formoſa aurora uerè roſea,& (ut Poëtæ uocãt) aurea. quàm gaudeo me ſurrexiſſe: exeamus urbem. MA. Exeamus: nam ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli. ſed quò ibimus primùm,inde quà? BE. Ad arcem,an ad mœnia Cartuſiana? MA. An potius ad prata diui Iobi? BE. Minime illuc de mane,ad ſerũ potius. MA. Ad Cartuſianos ergo, per Franciſcanos & Biſthum,inde per portã Bruxellenſem: tum redibimus per Cartuſianos,ad rem diuinã. Ecce tibi Ioannium. Sis ſaluus Ioanni. IOA. Et uos plurimũ. Quid iſthuc eſt inſolitũ? tam bene mane ſurrexiſtis? BE. Ego uerò arctiſsimo ſomno erã conſopitus: ſed Maluenda hic clamando,et tundendo,auellit me è lectulo. IOA. Rectè fecit, nam totũ te reficiet,ac recreabit hęc deambulatio. Eamus ad pomœriũ,ô admira bilẽ et adorandũ artificẽ tantæ pulchritudinis,non immeritò uocatur opus hoc Mundus,& à Gręcis κόσμος, quaſi ornatus & elegãs. MA. Ne cõtentè deambulemus,ſed lentè ac molliter. Cõficiamus quæſo in hac mœniali ambulatione duo aut tria ſpacia,ut ocioſius & liberius tam decorã ſpeciem cõtemplemur. IOA. Attende: nullus eſt ſenſus,qui nõ egregia aliqua uoluptate perfundatur,oculi primũ: quę uarietas colorum,qui ueſtitus terræ & arborũ,qui tapetes,quę picturæ comparari huic poſſunt? hæc ſunt naturalia & uera, illa altera ficta & falſa. Non iniuria uates ille Hiſpanus,Maium appellauit pictorẽ mundi. Iam aures: qui concentus auium,& potiſsimum luſciniæ? auſculta eam è ſalice,à qua (ut Plinius inquit) perfectę Muſicæ ſcientię modulatus editur ſonus. Animaduerte accuratè,& annotabis uarietates omnium ſonorum: nunc nõ interquieſcit, ſed continuo ſpiritu in longum æquabiliter,ſine mutatione: nũc inflectitur: iã minutius & conciſius canit: nunc intorquet,& quaſi criſpat uocẽ: nunc extendit,iã reuocat: aliàs longos concinit uerſus,quaſi heroicos: aliàs breues,ut ſapphicos: interdum breuiſsimos,ut adonicos. Quinetiã quaſi Muſicæ ludos & ſcholas habẽt. Meditantur aliæ iuniores,uerſuſq; quos imitentur accipiunt. Audit diſcipula intentione magna,utinam nos præceptores noſtros pari: & reddit,uicibuſq; reticẽt. Intelligitur emendatæ correctio,& in docente quædã reprehenſio. Sed illas ducit natura recta,nos uolũtas praua. Adde his,qui odor ſpirans undiq;,ſiue ex pratis,ſiue ex ſegetibus,ſiue ex arboribus,etiã ex ipſis agris ceſſantibus & ſquallidis. Sapor,quicquid ori admoueas,uel ex ipſo aẽre,qualis primi & tenerrimi mellis. MA. Hoc puto eſſe,q̃d à nõnullis audiui,apes cõſueſſe mel ſuũ colligere mẽſe Maio ex cœleſti rore. IOAN. Ea fuit multorũ opinio. Sí aliquid,uis dari tactui,quid mollius aut ſalubrius hac aura ubiq; ſpirãte? quę ſalutari ſpiritu per uenas & uniuerſum corpus ſeſe inſinuat. Venit mihi nunc in mentẽ uerſuum aliquot Vergilij de uere,quos utiq; cantillabo,ſi me poteſtis ferre uoce mea nõ olorina,ſed anſerina,tametſi hanc malo,ſi non aliàs cygnus canit dulce,niſi fato ſuo proximus. BE. Ego quidem ut pro me reſpondeam,uehementer eos uerſus aueo audire,qualicũq; uoce,modò etiam exponas eos nobis. MAL. Nec ego ab hoc diſſentio. IOAN.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies,alium' ue habuiſſe tenorem
Crediderim: uer illud erat,uer magnus agebat
Orbis,& hybernis parcebant flatibus Euri,
Quum primum lucem pecudes hauſere,uirũmq;
Terrea progenies durum caput extulit aruis,

Immiſſæq; feræ ſyluis,& ſidera cœlo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq; calorem
Inter,& exciperet cœli indulgentia terras.

BE.Non ſatis intellexi.MA.Ego ut reor multo minus.IOAN.Ediſcite nũc eos,aliàs intelligetis:ſunt enim deſumpti ex intima Philoſophia,ut alia uatis illius permulta.MA.Quęramus ab Orbilio literatore,quem habemus obuium.IOAN.Imò eſt homo non admodum obuius,ſalutemus modò,& ſinamus abire hominẽ rabioſum & plagoſum,ingentis ſupercilij,imbutũ magis literis,quàm eruditum:tametſi perſuaſit ſibi ſeriò,ſe eſſe literatorum alpha.Cæterùm diximus de corpore.quid porrò animũ & mentem,quantopere exhilarat & excitat huiuſmodi aurora?nullũ eſt tempus ad ediſcendum æquè idoneũ,nullum ad percipiendũ,continendumq; quæ audias,quæq; legas,nec aliud ad meditandum & excogitandum,quocunq; applicaris animum:non immeritò quidã dixit, Aurora gratiſsima Muſis.BE.Sed ego iam extimulor appetentia,redeamus domũ ientatum.MA.Quid tandem?BE.Panem,butyrũ,ceraſa,pruna cereola:quę tantopere uidentur noſtris Hiſpanis placuiſſe,ut illarum nomine pruna omnia nuncupẽt,uel ſi hęc non ſint domi,decerpemus folia aliquot bugloſſę,& ſaluię,quę addamus butyro.MA.Bibemus uinum?BE.Minimè uerò,ſed ceruiſiam,& quidem tenuiſsimam ex flaua iſta Louanienſi:uel aquam puram,& liquidã,hauſtam è fonte Latino,aut Græco.MA.Quem tu fontem Latinum uocas,quem Græcum?BE.Illum qui iuxta portam eſt,Græcum ſolet nominare Viues:ulteriorem illum,Latinum,cauſas ipſe reddet tibi,quum illum conuenies.

DOMVS.

Iocundus, Leo, Vitruuius.

IOC.Eſt tibi notitia cum inſulario amplæ atq; elegantis huius inſulæ?LE.In primis,& eſt aſſeclæ patris mei admodum propinquus.IO.Rogemus eum,ut nobis eam omnem patefaciat,nam ferunt nihil fieri poſſe amœnius,nec delectabilius.LE.Adeamus, pulſemus fores tintinabulo,ne irrumpamus inexpectati.At at.VI.INS.Quis iſthic?LE.Ego ſum.VI.O ſalue multum,puſio dulciſsime,unde tu nunc?LE.E ludo.VI.Qua igitur gratia huc?LE.Sodalis hic meus & ego uehementer cupimus haſce ædes uiſere.VI.Nunquam ſpectaſti?LE.Non totas.VI.Ingredimini.Heus puer adfer mihi claues oſtiorum domus. Primum hoc eſt ueſtibulum:patet ſemper interdiu,abſq; ianitore,quod nec intra domum eſt,nec tamen extra,noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam,ualuas è robore munitas ære,utrunq; limen & infernum & ſupernum ex marmore alabaſtrite. Olim Hercules ſolebat præfigi oſtio domus,ille ἀλεξίκακος hic eſt Chriſtus,uerus Deus,nam Hercules erat crudelis homo,& maleficus,hoc cuſtode nihil mali ingredietur in ædes.IOC. ὃδε ἔνδον ὁ δεσπότης αὐτός.VI.Quid dixit Græcè?IO.Quod cur tam multi ingrediuntur mali?VI.Etiam ſi mali ingrediantur,nihil tamen inferunt mali.LE.Non utimini cardinibus?VI.Deſijt eſſe mos apud quaſdam nationes. Sequitur hoſtium atrij,quod atrienſis ſeruus cuſtodit,præcipuus in familia, ut mediaſtinus extremus. Tum atrium ſpacioſum ad deambulandum,multæq; ac uariæ in eo picturæ.IO.Quæ nam quæſo?VI.Illa eſt cœli facies ichnographica,illa terræ & maris orthographica:illa orbis nuper Hiſpanis nauigationibus aperti ſciographica,in tabula illa eſt Lucretia ſe interficiens.IO.Quid quæſo dicit?nam moriens,ut uidetur,loquitur.VI. Multæ hoc mirantur,quia non cuiq; tantum dolet.IO.Intelligo quid dicat.LE.Quid ſibi uult tabella illa tam uariè delineata?VI.Ea eſt graphis huius ædificij,reduc à tabula hac uelum.IO.Quid hoc eſt rei?uetulus fugens papillam fœminæ.VI.Non legiſti exemplum hoc apud Valerium Maximum,titulo de pietate?IO.Legi,quid dicit illa?VI.Nondum tantum rependo,quantum accepi.IO.Quid ille?VI.Iuuat genuiſſe.Aſcendamus has ſcalas coclides.ſinguli gradus lati,ut cernitis,ex ſingulis ſunt ſaxis marmoris Baſalti.s.Hæc prima contignatio,habitatio eſt domini,cœnaculũ ſuperius hoſpitale eſt,non quòd herus meus faciat cœnacularíam,quod abſit:ſed paratum eſt hoſpitibus,amicis, ornatum,ſemper inſtructum & uacuum,niſi quum adſunt hoſpites,hoc eſt triclinium.

IO. Bone Christe, quę feneſtrę ſpeculares? quàm ſcitè depictæ pictura ſciographica? qui colores, quàm uiuidi? quæ tabulæ, quę ſigna, quę coaſſatio? Quæ nã eſt hiſtoria uitrearum? VI. Fabella Griſelidis, quam apte & ingenioſe confinxit Io. Bocatius, ſed herus meus decreuit addere rei fictę rem ueram, de Godelina Flandrenſi, & Catharina Anglię rẽgina, quę ſuperat inuentum Griſelidis. Signa ſunt, primũ illud Pauli Apoſtoli. IO. Quod eſt lemma? VI. O quantum tibi nos debemus, tu Chriſto. IO. Quid ipſe loquitur? VI. Gratia Dei ſum, quod ſum: & gratia Dei in me uacua non fuit. Alterum illud eſt Mutij Scęuolæ. IO. Nec is eſt mutus, etiam ſi Mutius, quid mutit? VI. Non incendet, inquit, me hic ignis, quoniam alius maior ardet intus. Tertium ſignum eſt Helenę. titulus eſt: Vtinam fuiſſem ſemper talis, minus nocuiſſem. IO. Quid ſignat cæcus ille ſeniculus recaluaſter, indice ad Helenam uerſo? VI. Homerus eſt, dicit Helenæ: Quę malè tu feciſti, ego bene cantaui. IO. En lacunar eſt deauratum, admiſtis margaritis. VI. Margaritæ quidem ſunt, ſed precij exigui. IO. Quò ſpectant feneſtræ? VI. Hæ in hortis, illæ in impluuium, hæc eſt diæta, ſeu ęſtiua cœnatio, en uobis cubiculum, & conclaue. Cubiculum ornatum eſt tapetibus, pauimento cõtabulato, ſtorijs tecto: & imagines aliquot, diuę Virginis, Chriſti ſeruatoris. Illæ alteræ ſunt Narciſſi, Euryali, Adonidis, Polyxenæ, qui dicuntur fuiſſe formoſiſsimi. IO. Quid ſcriptum eſt in limine ſuperiore oſtij? VI. Recipe te in portum tranquillitatis affectuum. IO. Quid in interiore poſte forium? VI. Ne induxeris in portum tempeſtatem. In conclaui illo clauſo adſeruantur ferè priua utenſilia. Hoc alterum membrum eſt hybernum: uides omnia obſcuriora, & magis tecta. tum hypocauſtum. IO. Amplius mea ſententia, quàm pro cœnatione. VI. Non animaduertis etiam cubiculum interius eodem uaporario excalfieri? IO. Dicunt cubicula eſſe calidiora, ubi nullum ſit fumale. VI. Nõ ſolent eſſe in æſtuarijs. IO. Quæ eſt illa camera, tam eleganter fornicata? VI. Lararium, ſeu ſacellum: ibi agitur res diuina. IO. Vbi latrina? VI. Supernè in granario habemus foricam, ne oleat. in cubiculis enim ſcaphijs utitur herus meus, & trullis, & matulis. IO. Turriculæ illæ, & pyramides, & pilæ, & indices uentorum, omnia qua uenuſtate, quàm admirabili arte? VI. Deſcẽdamus, hæc eſt culina, hoc promptuarium, hęc cella uinaria, illa penuaria: in qua mirè infeſtamur rapacitate furum. IO. Quà tandem eſt huc furibus ingreſſus? omnia uideo probe clauſa, & feneſtras cum chlatris ferreis. VI. Per rimulas, & foramina. LE. Mures ergo ſunt, & muſtelæ, quæ uobis uniuerſam penum diripiunt. VI. Illud eſt poſticum domus, clauſum ſemper duabus ſeris: affixa & penſili, niſi quum adeſt dominus. LE. Cur feneſtræ hæ non habent cancellos? VI. Quoniam rarò aperiunt, ſpectant enim ad anguſtum angiportum, ut cernis, & obſcurum, rarò quiſquam hic aſſidet, aut profert caput, ideo & chlatrare eas ſtatuit herus meus. LE. Quibus chlatris? VI. Fortaſſe ligneis, nondum eſt certum, interea repagulum hoc ſufficit. IO. Quàm amplæ columnæ, & porticus plena maieſtatis? uide ut Atlantes illi & Caryatides, ſpeciem præferunt enitentium, ut fulciant ædificium ne ruat, quum nihil agant. LE. Tales ſunt multi, qui magna uidentur præſtare, quum ocioſi & ſegnes uiuant: fuci, fruentes alienis laboribus. Sed quæ nam eſt domus illa inferior, huic adiuncta, tam male materiata & rimoſa? VI. Eſt uetus ædificium: quod quia ducebat rimas, & uitium faciebat ingens, herus meus decreuit hanc alteram à fundamentis erigere, illa nunc nidulatio eſt auium, & habitatio murium: ſed breuiter eam demoliemur.

SCHOLA.

Tyro, Spudæus.

TYRO. Quàm elegans gymnaſium, & magnificum? haud eſſe in Academia hac reor ullum præſtantius. SPV. Rectiſsimè iudicas. Adde etiam, quod magis ad rem facit, ne alibi eſſe eruditiores magiſtros, aut prudentiores, qui ęque maiore dexteritate tradant doctrinam. TY. Oportet igitur magna hic fieri diſciplinarum operæprecia. SPV. Et quidem magnis compendijs diſcendi. TY. Quanti docent? SPV. Amoue te hinc ocyus cum interrogatione iſta tam praua, tamque importuna, in re tanti momenti inquirendum eſt de mercede? nec ipſi qui docent, paciſcuntur: nec diſcipulos conuenit id uel cogitare. Ecquod precium poteſt eſſe par? nunquam ne Ariſtotelem illud fando audiuiſti: Dijs, parentibus, & magiſtris,

parem gratiam non posse rependi. Deus creauit totum hominē, parens genuit corpus, magister format animum. TY. Quid docent isti, & quamdiu? SP. Habent sua singuli auditoria separata, & sunt doctores uarij. Alij prima elementa artis Grammaticæ laboriose atq; ærumnose pueris toto die ingeminant, alij penitiora tradunt artis: alij rhetoricen, dialecticen, & reliquas disciplinas enarrant, quæ liberales seu ingenuæ dicunt. TY. Cur eo nomine? SP. Quia illis decet unumquenq; ingenuum imbui, contrà quę sunt illiberales, circumforaneę, sordidę, quę uel labore corporū uel manibus exercentur, seruis potius congruunt, et hominibus qui ingenio parum ualent. In istis sunt alij tyrones, alij batalarij. TY. Quid istuc uerbi est? SP. Et tyrones & batalarij ex militia sunt nomina desumpta. Tyro uetus est uerbū, de eo qui in militia exerceri incipit: batalarius Gallico nomine dicitur is miles, qui iam semel prælio (quod illi batallam uocant) interfuit collatis signis, & manū conseruit cum hoste. ita in palæstra literaria batalarius cœpit nuncupari Lutetiæ is, qui publicè de arte quapiā disputasset. Hinc designantur doctores, quos à licentia Licentiatos appellāt, melius designati dicerentur. postremò docturā adipiscuntur, impositio in celebritate Academię pileo: ut quasi donetur libertate, & fiat emeritus. Is est hic supremus honor, & summus dignitatis gradus. TY. Quis est ille in tanto comitatu, quem clauarij præcedūt cū clauis argenteis? SP. Is est rector Academiæ, multi eum assectātur officij gratia. TY. Quoties in die docentur pueri? SP. Aliquot horis, una penè antelucana, duabus matutinis, & duabus pomeridianis. TY. Tamdiu? SP. Ita fert mos, & uetus Academiæ institutū. quin & discipuli duabus horis, quæ à magistris acceperunt, retractant, & recolunt, & quasi mansum cibum ruminant. TY. Tantis clamoribus? SP V. Nunc se exercent. TY. Ad quid nam? SP. Ad discendū. TY. Imò uerò ad clamandum, uidentur enim non disciplinā meditari, sed præconium. Et ille alter planè furit, nam si haberet sanum cerebrum, nec ita uociferaretur, nec gesticularetur, nec se torqueret. SP. Hi spani sunt, et Galli, paulo feruentiores: & ut sunt diuersorum dogmatū, tanto ardentius concertant, quasi pro aris & focis, ut dicitur. TY. Quid? doctores hic sequuntur diuersa scita? SP. Interdum tradunt placita contraria. TY. Quos authores interpretantur? SP. Non eosdem omnes: sed ut quisq; est peritia & ingenio præditus, eruditissimos & acerrimo iudicio, scriptores sibi sumunt, optimos quosq;, & eos quos classicos uos Grammatici appellatis, sunt qui ex ignorantia meliorum ad proletarios descendunt, atq; etiā capite censos. Ingrediamur, ostendam uobis publicā gymnasij huius bibliothecā. Hæc est bibliotheca, quæ ex magnorum uirorum præcepto ad ortum æstiuum spectat. TY. Papæ quantum librorum, quantum bonorum authorū? Græci, Latini, oratores, poētæ, historici, philosophi, theologi, & imagines authorum. SP. Et quidem quantū effici potuit, ad uiuum expressæ, atq; eo preciosiores, foruli omnes & plutei querni aut cupressini, cum suis catenulis: libri ipsi pleriq; omnes mēbranacei, & uarijs coloribus miniati. TY. Quis est primus ille rusticano ore, naso repādo? SP. Lege titulos. TY. Socrates est, & dicit: Cur in bibliotheca collocor, qui nihil scripsi? SP. Respondent sequētes, Plato et Xenophon: Quia quod alij scriberēt, dixisti. Longum esset persequi singulos. TY. Hem qui sunt illi abiecti in grādi illa strue? SP. Catholicon, Alexander, Hugucio, Papias, sermonaria, dialecticæ & physicæ sophisticę, hi sunt quos capite censos nominabam. TY. Imò capite diminutos. SP. Soluta sunt omnia, tollat qui uolet, molesto nos liberabit onere. TY. Vah, quot asinis esset opus ad istos asportandos, miror nō esse ablatos, quum tanta sit ubiq; asinorum frequentia. Aliquando in eundem cumulum conijcientur Bartholi & Baldi, et hui° farinę homines. TY. Imò furfuris. SP. Nō id esset humanę trāquillitati damnosum. TY. Heus quid rei sunt illi in tam fluxis cucullionibus? SP. Descendamus. Batalarij sunt, qui in palęstram ingrediuntur altercatoriā. TY. Quæso introduc nos illuc. SP. Ingredere, sed tacitè ac reuerēter. Aperi caput, & specta attētus singula, nā magnis de rebus differitur, & quas plurimū cōducat cognoscere. Ille, quē sedentē aspicis sublimē solū, & præses est certaminis, et contentionū decretor, quasiq; agonotheta. Primū eius munus est, loca concertantium dissignare, ne ulla sit cōfusio aut perturbatio præire uolentiū. TY. Quid sibi uult pellitum epitogium? SP. Ea est ephestris doctoralis, insigne ordinis ac dignitatis illius. Homo est in paucis eruditus, quiq; & in lectione candidatorū theologię

primas

primas tulit,& ad eum doctiss. quisq; primas defert ex hoc ordine. TY. Et Bardum aiũt lectum esse primum suo anno. SPV. Is uerò uicit competitores omnes,ambitu & astu, non scientia. TY. Quis est macilentus ille & pallidus,quem reliqui impetunt? SPV. Is est propugnator,qui impetum omnium sustinet,et ex immodicis uigilijs maciem ac pallorem contraxit,magnos is habet in re philosophica & theologica progressus. Au tace iam,& ausculta,nam qui nunc oppugnat,acutissimè ac subtilissimè solet excogitare argumenta,& acerrimè urget propugnatorem,omniumq; sententia cum summis in hac disciplina comparatur,& sæpe adigit concertatorem ad recantandum. Perpende quomodo ille conatus est eludere,quomodo alter confutauit ualidè,ratione inconfutabili, & quam ille diluere non poterit,iam & iaculum hoc est ineuitabile, argumentum hoc est planè Achilles inuincibilis,iugulũ petit. non poterit propugnator se tueri,statim dabit manus,nisi subterfugium aliquod mittat ei diuus aliquis in mentẽ. Hem profligata est quæstio,solertia decretoris. Iam soluo tuam linguam,loquere quantum uoles: nam iste qui nunc impugnat,uappa est,pugione pugnat plumbeo,& altius tamen clamat quàm cæteri. Obserua,uidebis eum à pugna raucum discedere,hoc est ei perpetuũ,& quantuncunq; repulsa sint eius tela,urget nihilo secius pertinaciter quidẽ,sed inefficaciter: nec unquã uult habere argumentum suum pro derelicto,nec acquiescere uel defendentis responsione,uel decreto præsidis. Is qui nũc certamen ingreditur,delicatulè petit ueniam à decretore,comiter præfatur: argumentatur inualidè,discedit semper fessus,etiam anhelans,tanquam arduo munere fortiter perfunctus,discedamus.

CVBICVLVM, ET LVCVBRATIO.

Plinius, Epictetus, Celsus, Didymus.

PLI. Hora est à meridie quinta,heus Epictete,claude mihi fenestras istas,& infer huc lumina ad lucubrandum. EP. Quæ lumina? PLI. Interea dum hi adsunt, candelas sebaceas aut cereas: ubi recesserint, tolletis eas,& statuetis hic mihi lychnuchum. CEL. Quorsum id? PL. Ad lucubrandum. CEL. Quin studes potius de mane? tum enim uidetur & temporis ratio,& qualitas corporis inuitare,quum est minimũ uaporum in cerebro,peracta concoctione illa euaporatoria. PL. Etiã hæc hora tranquillissima est,quum quiescunt & silent omnia,atq; ijs qui prandent & cœnant non incommoda. Nam sunt qui cœnant tantũ more prisco,alij prandent solũ ex placitis recentiorũ medicorũ,alij et prãdent & cœnant more Gothico. CEL. An nõ ante Gothos erant prãdia? PL. Erant,sed leuia. Gothi morem inuexerunt,bis in die saturum fieri. CEL. Qua de causa Plato mensas Syracusanas damnat,in quibus quotidie exaturentur bis? PLI. Ex eo colligas fuisse rarissimas. CEL. Sed missa istæc faciamus. Cur lucubras ad lychnum potius quàm ad candelam? PLI. Propter flammam æquabilem,quæ minus lædit oculos,illa enim crispatio myxi officit oculis,& seui odor inamœnus est. CEL. Vtere cereis,quorum odor non est ingratus. PLI. Myxus est in his magis tremulus,nec uapor salubris: & in sebaceis ellychnium est lineum plerunq;,non xylineum: ut propolæ isti ex rebus omnibus quærunt compendium cum fraude. Infunde oleum in lucernam hãc, profer acu myxum,& exfunga. EPI. Quàm hæret fungus acui? signum dicunt esse pluuiæ,quemadmodum est apud Vergilium: Scintillare oleum,& putres concrescere fungos. PLI. Adfer etiam furcinulam,& emunge candelam hanc,ne proijcias fungum in pauimentum,ne fumiget: sed opprime intra furcinulam,quando est contecta. Profer mihi pallam lucubratoriam prælongam illam pellitã. CE. Ego te tuis liberis commendabo,Mineruã tibi opto propitiam. PL. Paulum malim: uel quod dicere debui,Christum Iesum,Dei sapientiã. CEL. Fortasse Christus Mineruę fabula adumbratur,quę ex Iouis cerebro sit nata. PL. Statue mensam super tibicines in cubiculo. EP. Mauis mensam quàm pluteum? PLI. Etiam,hoc quidem tempore: sed pone supra mensam pluteolum. EPI. Stabilem an uolubilem? PLI. Quem males. Vbi est Didymus meus ab studijs? EPI. Eo illum accersitum. PLI. Et huc adducito puerum exceptorem: nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos, & pennas duas aut tres cannæ amplæ,& thecam puluerariam. Profer mihi ex armario Ciceronem & Demosthenem,tum ex pluteo codicem excerptorium,& regesta maiuscula,audin' & mea schedia,in quibus libet nonnulla expolire. DI. Non arbitror esse

esse schedas tuas in pluteo,sed in scrinio conclauis. PLI. Id uerò ipse scrutator. Adfer mihi Nazianzenum. DI. Non nosco. PLI. Liber est minime spissus,consutus,& tectus membrana ruditer. Adfer quoq; codicem quintum à primo. DI. Quod est lemma illius? PLI. Xenophontis commentarij,liber est expolitus,tectus corio cum uncinulis & umbilicis cupreis. DI. Non inuenio. PLI. Nunc memini,in quarto loculamento eum reposui,illinc prome. In eo loculamento non sunt nisi libri soluti,& rudes,quales recens adferũtur ab officina. DI. Ecquod corpus Ciceronis poscis? nã sunt quatuor. PL. Secũdum. EP. Nondum est relatum à librario glutinatore: cui dedimus nudius,ut puto,quintus. DI. Quàm placet tibi hæc penna? PLI. Non sum in eo ualde solicitus,quæcunq; in manus uenit,ea sic utor tanquam bona. DI. Hoc habes Ciceronis. PL. Conquiescite,reclude mihi Ciceronem,aperi,euolue adhuc tria aut quatuor folia ad quartum Tusculanarum quæstionum,quære ibi de mansuetudine & lætitia. EPI. Cuius sunt hi uersus? DI. Eius ipsius,quos de Sophocle uertit: quod facit sanè lubens,ac proinde sæpe. EPI. Erat credo ad carmen componendum satis aptus. DI. Aptissimus,ac facillimus: nec,ut illo sæculo infœlix,contrà quàm existimant plurimi. EPI. Sed tu quomodo intermisisti studium poëtices? PL. Aliquando repetemus succisiuis horis,ut spero, nam habet multum leuamenti ab studijs grauioribus. Defessus sum iam studendo,meditando,scribendo: sterne mihi lectum. EP. In quo cubiculo? PLI. In lato illo,& quadrato,& tolle ex angulo anaclinterium,transfer in cœnationem,pone super culcitram plumeam alteram tomenti lanei,uide ut fulcra lecti sint satis firma. EPI. Quid refert tua,qui non cubas in alterutra spondarum,sed in medio? sed salubrius foret,si lectus esset durior,& qui corpori resisteret. PL. Tolle ceruical,& pro eo repone puluinos duos: & in hoc æstu malo plagam illam,quàm arcta isthæc lintea. EP. Sine lodice? PL. Etiam. EP. Algebis,nam surgis ab studijs extenuato corpore. PL. Injce ergo peristroma aliquod leue. EP. Istud, nullum aliud stragulum? PL. Nullum,si sentiam frigus in lecto,poscam plus uestium, aufer illa peripetasmata: nam ad culices excludendos malo conopæum. EP. Culices paucos hic sensi,pulices & pediculos satis multos. PLI. Ego uerò miror te aliquid sentire,qui sic dormias,& stertas. EP. Nemo dormit melius,quàm qui non sentit quàm male dormit. PLI. Nihil horum animalculorum quibus per æstatem in cubiculis infestamur,tam mouet nauseam,quàm cimices odore illo teterrimo. EP. Satis bonus prouentus est eorum Lutetiæ ac Louanij. PLI. Est genus ligni,quod illos creat Lutetiæ,& argillaLouanij. Colloca hic mihi horologium excitatorium,et obicem infigito ad horam quartam matutinam,neq; enim uolo diutius dormire. Excalcia me,pone hic sellam plicatilem in qua sedeam,matula in scabello sit mihi iuxta lectulũ parata. Nescio quid hic olet male: suffias paulum thuris,aut iuniperi. Cane hic mihi lyra aliquid,lectum ingredienti,more Pythagorico,ut citius obdormiam,& somnia sint placidiora. EP.

Somne quies rerum, placidissime Somne deorum,
Pax animi,quem cura fugit,qui pectora longis
Fessa ministerijs fulcis,reparasq; labori.

CVLINA.

Lucullus, Apicius, Pistillarius, Abligurinus.

LVC. Es tu popino? AP. Sum. LVC. Vbi' nam agis? AP. In popina galli gallinacei. Num eges me? LVC. Etiam, ad nuptias. API. Sine me domum transcurrere, ut præcipiam uxori quemadmodum sint tractandi ganeones, quos scio non solere in hac ciuitate deesse,tum etiam aduentores. LV. Audin'tu? reperies me in uico lapideo, in'ædibus sutorum. API. Continuò adero. LV. Bene est,ingredere culinam. API. Heus Pistillarie,& tu Abligurine,ignem in lare extruite sub fumali grandibus lignis,& quantum fieri poterit acapnis. PI. Putas te esse Romæ? hic tabernas coctilitias nõ habemus, è quibus ligna coctilitia promuntur, habebis bene arida. AP. Ni ita sit,tu Abligurine suffitor perdes oculos sufflando. ABL. Imò bibam largius, uæ uino. API. Væ aquæ, nam uinum hodie non attinges,si sim sanus,nolo mihi euertas ollas,& auxillas confringas, & cibos corrumpas. AB. Non uult ardere hic ignis. AP. Injce fasciculum aliquem sulphuratarum,& fomitem,frustula aliquot cum his assulis. AB. Extinctus est prorsum,

prorſum? AP. Tranſcurre ad ędes proximas cum batyllo, & adfer nobis torrem aliquem prægrandem, & prunas bene incenſas. AB. Metallarius eſt illic dominus, nec ſinet carbonem unum ſub fornacibus ſibi detrahi, citius oculum. AP. Non eſt metallarius, ſed metallicida, ito ergo ad furnum. Quid adfers, titionē magis quàm torrem? AB. Non habebant prunas carbonis. AP. Quid malū carbonis? ceſpitum hic dixeris. Tu furcilla hac moue ligna, & agita fomitem, ut ignem concipiat, ſume pyrolabem aſine. AB. Quid rei eſt iſthuc uerbum? AP. Forfex ignaria, pruniceps. AB. Quid mihi cum uerbis Græcanicis? quaſi deſint Latina. AP. Etiam' ne aſini ſunt grammatici? AB. Quid mirum, quum & grammatici ſint aſini? AB. Fac finem altercandi. Volo carbones aliquot, aut ceſpites accendas mihi in hoc foco, ad teſtuacia lente incoquenda, ſuſpende ahenum ad ignem, ne deſit aqua calida: tum in cacabum inijce armum illum ueruecinę, cum bubula ſalita, cucumam igni admoue cum uitulina, & agnina, in chytropode elixabimus oryzam. AB. Quid pulli? AP. Coquentur in auxilla ærea, quæ ſtanno eſt illita, quo ſapor ſit gratior: ſed non tam mature, uerua proferes ſub nonam, & pinguaria. Lucium hunc ſines in aqua luſitare pauliſper, tum exenterabis. AB. Carnes & piſces in eadem menſa? AP. Maxime, more Germanico. AB. Atqui hoc non placet medicis. AP. Medicinę non placet, medicis placet. Ego ſtipitem hūc grammaticum tantum eſſe exiſtimabam, medicus etiam eſt? AB. Nunquam' ne de quæſtione illa audiuiſti, utrum ſint in ciuitate plures medici an ſtulti? AP. Quis te detruſit in culinam, quum ſis tam ſaperda? AB. Aduerſa mea ſors. AP. Imò, quod manifeſtum eſt, ſegnities tua, & ſocordia, & gula, & lurcacitas, & ingluuies, & animus degener, ac abiectus, ideo ambulas nudis pedibus, ſemia mictus ueſte obſoleta, & natibus breuiore. AB. Quid tibi cum mea paupertate? AP. Nihil omnino, nec uelim eſſe. Sed ad rem, ne præter rem plura quàm oportet, ſatis' ne ſunt hæc iuſſa, ſuperq; infixa & inculcata? AB. ſcilicet uobis nūquam ſatis. AB. Da mihi meam braccam: nam fores lubet prodire, continuò adero, cedo tudiculā, inſigne artis noſtræ: hoc eſt meū fulmen, & tridens. PI. Heus Abligurine, ſtatue hydrias illas in urnario, & hanc bubulam abluito diligenter, & confricato in labro. AB. Etiam' ne tu hic quoque imperas? unus imperator unis caſtris ſufficit, non ſufficiet culinæ uni? facito ipſe. Tu es acrior exactor operæ, quàm ipſæ magiſter culinæ, non uocabo te poſthac piſtillarium, ſed ſtimulum acutum. PI. Imò uoca me Onocentron. Frange tu ergo uitulinam hanc in epixenio. Comminue paulum huius caſei, ut ſpargamus ſuper hanc offam. AB. Quomodo, manu? PI. Non, ſed tyrocneſti, inſtilla huc guttas aliquot olei ex lechyto. AB. Dicis' ne ex hoc capſace? PI. Statue hic mortarium. AB. Quod iſtorum? PI. Illud æneum, cum piſtillo eiuſdem metalli. AB. Qua gratia? PI. Ad terendum petroſelinum hoc. AB. Satius eſt in pila id fieri marmorea, piſtillo ligneo. PI. Quæſo cantilla, ſicut conſueuiſti. AB. Ego nolo Cæſar eſſe, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas.

Vt ſapiant fatuę Fabiorum prandia betæ,
O quàm ſæpe petet uina piperq; coquus.

PI. Fabiorum, an fabrorum? AB. Quære à ludimagiſtro loripede, & pro fabris & Fabijs referes egregium colaphum in gena, uel in bucca. PI. Sic eſt homo? AB. Vir ſtrenuus, & fortis, & manu promptus, celeritate manuum compenſat linguæ tarditatem. PI. Cedo urnulam ceruiſiariam, exiccatum habeo palatum, guttur, fauces.

AB. Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?
Filia Picenæ uenio lucanica porcæ,
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

API. Vnde tu didiciſti adeò ϱαψωδεῖν? AB. Inſeruiui nuper in Calabria ludimagiſtro cuidā poëtaſtro, qui ſæpenumero cœnā aliā nō dabat mihi, quā cātillationē cētum uerſuum, quibus mirificū aiebat ſaporē ineſſe, ego uerò paulùm panis & caſei maluiſſem, aquæ erat ſatis domi, & licebat nobis de puteo bibere ex animi ſententia, inde ego quū eſuriens conceſsiſſem cubitum, pro epulis uerſus illos ruminabā, & concoquebā: nec mihi aliud

aliud uiſum eſt remedium ad bulimiam illam depellendam, quàm culinariam arripere? AP. Quæ illi præbebas miniſteria? AB. Quæ Cęſar reipub. Ego eram illi omnia, eram illi à conſilijs, etſi nihil unquam ageret conſilio: à ſecretis, quum nihil haberet ſecreti, ne latrinam quidem: ego fundebam ei aquam lauandis manibus, quas nunquam abluebat: ego ſeruabam eius theſaurum. AP. Quem theſaurum? AB. Schedas aliquot peſsimarum cantilenarum, quas tineæ exedebant, & opici mures arrodebant. AP. Imò docti mures, qui malis poëmatijs dentem infringebant.

TRICLINIVM.

Ariſtippus, Lurco.

ARIST. Quid tu tam ſerò ſurgis, & quidem ſemiſomnis? LVR. Mirum eſt me eſſe toto hoc die experrectũ, adeò heri edimus et bibimus. AR. Imò, ut apparet, deuoraſti, ingurgitaſti, obruiſti te epulis, & uino, ſed ubi nam oneraſti celocem? LVR. Apud Scopam in conuiuio. AR. Quin potius more Græco συμπόσιον uocaris, quàm Latino uerbo conuiuium? LVR. Bucca buccam impellebat, intrituræ & condimenta uellicabant atq; inſtigabant deſidentem ſtomachum, & appetentiam non patiebantur delaſſari. AR Refer quæſo ordine omnia, ut uel auditione ipſa uidear mihi intereſſe, & quaſi uobiſcum potare: ut ille qui in caupona Hiſpanię duos grãdes panes comedit ad nidorem perdicis aſſæ, quo nidore utebatur pro obſonio. LVR. Quis enarrarit omnia? maius negociũ id fuerit, quã uel emiſſe, uel apparaſſe, uel, quod omnia ſuperat, comediſſe. AR. Aſsideamus in hoc ſaliceto, ad crepidinẽ huius ripulæ, & quãdo ſumus ocioſi, pro collocutione alijs de rebus utemur hac ipſa, gramẽ erit nobis uice puluinorũ, innitere hac ulmo. LVR. In herba? an nõ humor nocebit? AR. Quid? inſanis: humor in ortu caniculæ? LVR. Antea recuſabam, nunc animus prurit mihi recenſere tibi, plus quàm poſtulas: de conuiuio ſolum quærebas, accipies etiam de domino, & de triclinio: rogabas ut loquerer, efficiam ut mox paulò ſilentium roges, indicas, imperes: ut Arabius tibicen, qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus. AR. Tu uerò quantum libuerit, non eris moleſtus, quando quidẽ in opaco loco cõſedimus, et orationem tuam carduelis illa uel adiuuabit, uel ad harmoniã moderabitur: ut orationẽ C. Gracchi ſeruus fiſtulator. LVR. Quid iſthuc eſt rei? AR. Poſtquam tu feceris narrandi finem, audies de graccis, & gracculis, & de Græculis. LVR. Deambulabamus fortè tranſuerſo foro, ego & Thraſybulus, nacti pluſculum ocij quàm ſolemus, adiunxit ſe nobis Scopas. Is à nobis poſt primas ſalutationes, & blandum congreſſum, cœpit uehementer contendere, ut poſtero die, qui heſternus fuit, apud ſe eſſemus. excuſare nos primũ, alius alia: ego autem uadimonium graue, & apud prætorem ualde irritabilem. Sed ille, ut libenter oſtentat ſuam magnificentiam, quaſi de capite ageretur, orſus eſt accuratum ſermonem: quid multa? addiximus, ne moleſtus eſſe pergeret. AR. Scin' quæ nam fuerit cauſa conuiuij? LVR. Quæ tandem quæſo? AR. Eſt quidem ipſe homo locuples, ornatus argento, ueſte, ſupellectile: ſed emerat phialas argenteas tres deauratas, & pateras ſex, periſſet precium, ni aliquos inuitaſſet quibus oſtentaret: & alioqui eum ille exiſtimat eſſe diuitiarum fructum, habetq; uxorem, à qua extimulatur ad profuſionem, quam illa magnificentiam nuncupat. LVR. Heri ergo ſub meridiem conuenimus in eius triclinium. AR. Qualis erat cœnatio? LVR. Hypæthra, in opaco frigore, omnia ſanè apparata, ornata, exculta: nihil deerat ad elegantiam, ſplendorem, & lautitias. Planè primo ingreſſu exhilarati ſunt omnium oculi & animi, aſpectu illo pulcherrimo atq; amœniſsimo. Erat abacus ingens, plenus bonis uaſis materię omnis, ex auro, argento, cryſtallo, uitro, ebore, murrha: alia etiam uilioris materiæ, ſtannea, cornea, oſſea, lignea, teſtacea, ſeu figlina, in quibus ars cõmendabat utilitatem ſubſtãtiæ, nam erant toreumata permulta, omnia expolita, exterſa, fulgor penè perſtringebat oculos. Illic uidiſſes duo magna malluuia argentea, oris deauratis, umbilicus erat aureus, cum inſignibus illius, habebat utrunq; malluuiũ ſuum gutturniũ, quorum epiſtomiũ erat deauratum, ſtabat & alterũ aquimanariũ uitreum, fiſtula deaurata cum pollubro figlino, operis Malacenſis, probè ſandaracato. Phialæ omnis generis, & argenteę duę ad uinum generoſiſsimũ. AR. Ad uſum meum ampullas uitreas malim, aut etiam teſtaceas, ex ijs quę lapideę dicuntur. LVR. Quid facias?

facias? ita est hominum ingeniũ: non tam in his quæritur commoditas, quàm opinio diuitiarũ. AR. Isti opulentissimi sępius uidentur alijs tales, sibi inopes, ideo nullus finis proferendi & ingerendi oculis, pręsertim qui nullam habent aliam bonã artem, qua fidant. Sed perge. LV. Erat cymatium abaci tapete uilloso tectum, ex Turcia usq; allato, positæ erant duæ mensulæ procul ab abaco, cum quadris & orbibus argenteis, unicuiq; additum erat suum salinulum, cultellus, panis, & mantile. Sub abaco refrigeratoriũ, & œnophora grandia. Tum sedilia uaria, sellæ, bisellia, subsellia: & dominæ sella plicatilis parata, uisendi operis, cum puluino serico, & suppedaneo. AR. Pone tandem mensam, & explica mappam. nam mihi intestina prę fame rugiũt. LV. Erat mẽsa cibila, ingens, segmentata, operis tessellati antiqui, quę fuerat principis Dicæarchi. AR. O mẽsa antiqua, quàm dispari domino. LV. Illam ipse emit in auctione satis magno, solum quòd illius fuisset, ut aliquid haberet principis. LV. Datur aqua lauandis manibus, primũ magnis recusationibus, & inuitationibus mutuis, & cedendo inuicem. AR. Idem factum est in consessu, quum quisq; se inferiorẽ altero faceret, illum extolleret comitate arrogantissima, quum unusquilibet potiorem se reliquis omnibus censeret. LV. Sed dominus iure suo distribuit loca, sacrata est mensa à puerulo breuiter, & perfunctoriè, & non sine rhytmo: Quod appositum est, & apponetur, Christus benedicere dignetur. Explicat quisq; suum chiromactrum, & inijcit super humerum sinistrum: hinc cultellulo repurgat panem, si quid nõ satis putabat à ministro purgatum, nam decrustatus erat appositus. AR. Sedebatis commodè? LV. Nunquam commodius. AR. Non potuistis malè prandere, nam reliqua sat scio suppeditatum iri redundanter, si qua modò fuerant in macello. LV. Nusquam uerius, copiaq; ipsa nocet. Astat mensę structor, cultellos & furcinulas componens, ingreditur magna pompa architriclinus, cum longo agmine puerorum, et exoletorum, qui gestabant fercula primi missus.

CONVIVIVM.

Scopas, Simonides, Crito, Democritus, Polæmon.

SCO. Vbi nobis Simonides? CR. Ilico dixerat se uenturum, simulac conuenisset debitorem apud forum. SC. Recte habet, à debitore facilius se extricabit, quàm à creditore. CR. Quî isthuc? SC. Sicut in uictoria, belli conditiones fert uictor, non uictus. Nam à debitore, quum ipse idem uolet: à creditore, quum alter. Sed conuenistis' ne omnes, ut erat condictum, relicta domi seueritate, afferẽtes uobiscum hilaritatem, lepôres, uenustates, gratias? CR. Planè ita spero: & erimus, sicut monet M. Varro, belli homines. SC. Reliquæ meæ curæ sunto. CR. Ecce tibi Simonides. SC. Fœliciter. SI. Et uobis faustè. SC. Expectatissimè. SI. Planè rusticanè, nam ad prandendum eram inuitatus, non ad expectandum. Sed quæso, fui uobis diu in mora? SC. Non ualdè. SI. Cur non accumbebatis sine me? essetis saltem procœmiati de fructibus, quibus ego nõ admodum capior. SC. Bona uerba, te absente assedissemus? CR. Satis comitatum, exordiamur iam opus. Optimum panem, & leuissimum, non plus habet ponderis, quàm si esset spongia, siligineus est, setanius: industrium habetis pollinctorem. SC. Roscius est pistrini curator. SI. Nunquam' ne in id conijcitur? SC. Absit, tam frugi seruus? DE. Adfer mihi autopyrum. SI. Mihi uerò secundarium, aut typhaceum. SC. Cur talem? SI. Quoniam audiui, & ita sum expertus, minus me esse, quum panis non est sciti saporis. SC. Heus puer, adferto ei panem cibarium, & uulgarem etiam ex atro, si ita mauult, ita demum iucundissimè conuiuabimur, si quisq; quod maxime collubitum erit sumpserit. PO. Panis hic, quem tu tantopere probas, spongiosus, aquaticus est: malo densiorem. CR. Mihi uerò non displicet spongiosus, modò ne sit speusicius, hic uerò etiam hectas attollit, quod focacei solẽt facere, quum sit, uti satis apparet, fornaceus. PO. Cibarius hic panis & aceroſus est, & acetosus, typhaceum dicas. SC. Sic consueuerunt nostri agricolæ triticũ omne, quod huc important, acerare prius in uilla, & miscere multis generibus seminum, sapor autem ex fermento est nimio. PO. Nullum hominum genus est hoc fraudulentius, non malefaciunt, nisi quum nesciunt. CR. Panis hic non est satis fermentatus. DE. Puta te hodie Iudæum, qui azymo uescebantur iussu Dei. CR. Id quidem, quòd homines essent pessimi, ut interdicta est illis suilla, qua nihil palato gratius: nec, si moderatè sumas, salubrius, & qui-

dem azyma iussi sunt comedere cum lactucis agrestibus, quę sunt perquàm amaræ. PO. Illa omnia sensus habent altiores, omittamus hæc. S C. Et quidem disputationem de pane. Si de obsonijs fuerit tanta controuersia, magna erit in toto conuiuio discordia. CR. Accidet nimirum, quod Horatius inquit:

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.

S C. Appone lances illas & tympana, cum cerasis & prunis, & malis granatis, & persicis pomis, & persicis præcocibus. P O. Cur M. Varro dixit, conuiuas non debere excedere numerũ Musarũ, quũ de eo numero non constet: alij enim ponunt tres, alij sex, alij nouem. CR. Dixit, tanquam si constaret esse nouem, & ita erat uulgò receptum, unde Diogenis iocus in ludimagistrum, qui paucos haberet discipulos, depictas autẽ Musas in ludo: Præceptor inquit, σὺν ταῖς μούσαις, multos habet discipulos. DE. Sed est ne uerum, Persas pomũ hoc, quod apud ipsos esset letale, inuexisse in Græciam, ad pestem eorum quibuscum bellum gerebant? CR. Sic accepi. DE. Admirabilis est in ingenijs terrarum uarietas. CR. India mittit ebur, inquit Vergilius, molles sua thura Sabæi. Hẽ cydonia persica. SI. Nouum insitionis inuentum, priscis incognitum, cedo nobis pateram illam cum ficis duricorijs, qui sunt (ut nostis) prodromi. S C. Satis est fructuũ, expleamus nos rebus alijs salubrioribus corpori. CR. Quid his salubrius? S C. Nihil, si salubre & sapidum idem sunt, sicut in meridiano somno. CR. Ego condono illis nocumentum, propter oblectamentum. S C. Non meministi uersiculum Catonis? Pauca uoluptati debentur, plura saluti. Dato singulis singulas gabbatas cum iure carnium, ut sorbeant, id uerò & calfaciet intestina, & blandè abluet ad molliendum uentrem. SI. Profectò puer amo te de suilla hac salita, ô pernam sapidissimã, maialis est. Brassicas illas cum larido, si mihi uis auscultare, redde coquo, per hoc quidem temporis: aut serua in brumã. Lucanicæ huius scinde mihi bucceam unam aut alteram, quo suauius ebibam primum cyathum. CR. Pareamus medicorum consilio, admonentium ut porcinę addatur merum, funde uinum. S C. Sequitur actus fabulæ, fortassis hoc anni tempore præcipuus. Spectate huius actus apparatum, primum omnium à calículis custos abaci scyphos exposuit uitreos crystallini uitri, cum uino albo purissimo, aquam putes solo aspectu. Sanmartinium est, & partim Rhenense, non infectũ, ut solent in Belgia: sed quale in media Germania bibitur. Oenophorus releuit hodie serias duas, alterã uini Heluelli seu flaui ex agro Parisiensi, alteram sanguinei Burdegalẽsis, habetis in apyroto alia parata, fuscum, Aquitanicũ, & nigrum è Sagũto: petat quisq; ex sententia palati sui. Quid potest nunciari lætius? ut nihil est durius quàm perire siti. Ego uerò mallem optimam nobis aquam prospexisses, hũc nuncium audiuissem libentius quàm de uino. S C. Nec ea deerit. SI. Nuper cum essem in urbe Roma, bibi apud Cardinalẽ quendam uina generosissima omnifariã saporis: nam erant præfecto cellę uinarię perquàm familiaris: uinum dulce, acutum, lene, suaue, austerum. DE. Mihi uehemẽter placet aĩglauces. P O. Sic ferè Belgicis fœminis. SI. In pagis quibusdam Galliæ flocces apponuntur, secundariũ autem uinum & tertiarium, habent in delicijs, sed ea uilla sunt magis quàm uina, & alioqui uinũ Gallicũ toto genere nec aquam, nec ætatem fert: itaq; paulo post quàm est diffusum, bibitur, quippe post annũ inclinat ilico, & fit dubiũ, tum fugiens, & acuit. quòd si manserit diutius, emucet, & in uappam uertitur. Hispanum uinum & Italicum bene fert & aquam, & ætatẽ. DE. Quid rei est uinum fugiens? uiẽtur probe dolia, & obseretur cella, imò et domus claudatur, si sit opus. P O. Vt poma fugientia, quæ ætati cedunt, nec seruantur, & discedere uulgò dicimus: cuius contrarium est uinum consistens. DE. Funde mihi prius aquã ad dimidium calicem, super hanc infundes uinum more ueteri. CR. Imò et hodierno multarum gentium Galli & Germani contrà faciunt. DE. Quæ nationes uolunt bibere aquam uinatam, aquę addunt uinum: quæ uinum aquatum, uino superinfundunt aquam. CR. Quæ uerò uino aquam non adfundunt, quid bibunt? DE. Vinum purum putum. CR. Etiam, nisi prius sit à uinario irrigatum. P O. Baptizare id uocant, ut uinum sit Christianum, ea erat meo tempore elegantia philosophica. DE. Illi baptizant uinum, & se ipsos exbaptizant. P O. Perius agunt, qui inijciunt calcẽ, sulphur, mel, alumen, & alia dictu tetriora, quibus nihil est

corporib.

corporib. pernicioſius, in quos publicè deberet animaduerti ut in latrones, aut ſicarios. inde ſunt enim incredibilia morborum genera, & potiſsimum arthretica. CR. Ex conſpiratione cum medicis id agunt, ut utriq; rem augeant. DE. Nimis mihi porrigis plenum calicem, deple quæſo te aliquantum, ut ſit locus aquæ infundendæ. CR. Funde mihi in ſcyphum illum coloris caſtanei. Quid rei eſt? S C. Nux prægrādis Indica, ab labris argento circumcluſa, uiſ'ne in cullulo illo ligni hebeni? quod ferunt eſſe ſaluberrimū. Ne addas tantum aquæ, neſcis uetus uerbū? perdis uinum infuſa aqua. DE. Imò perdis utrunq; aquam & uinum. PO. Malo utrunq; perdere, quàm ab alterutro perdi. S C. Lubet' ne potare more Græco ex illis pateris, & capaciorib⁹ poculis? CR. Minime uerò. Admonebas nos modò antiqui prouerbij, uiciſsim admoneo te præcepti Paulini: Nolite inebriari uino, in quo eſt luxuria, & Seruatoris noſtri: Videte ne grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate. CR. Vnde eſt hæc frigida, tā pura & pellucida? S C. E fonte proximo. CR. Ad uinum diluendum malim ciſternam, modò defecatiſsimam. DE. Quid putealem? CR. Vſibus lauandi aptior eſt, quàm bibendo. PO. Eluuiatilem commendāt plurimi. CR. Rectè, ſi fluant amnes per uenas auri, ut ferè in Hiſpania: et ſit quieta, & liquida. SI. Mihi uerò in phiala illa Samia adfer aliquantum ceruiſiæ, quam puto refrigerando corpori hoc æſtu utiliſsimam. S C. Ex qua tandem ceruiſia? SI. Ex tenuiſsima: nam aliæ nimium incraſſant ſpiritus, & reddunt obœſum corpus. PO. Mihi item dato, ſed in uitro illo terete. S C. Curre ad culinam, quid illi ceſſant? quin mittunt miſſum alium? uides iam hinc neminem attingere? Adfer pullos gallinaceos, elixos cum lactucis, bugloſſa hortēſi, & intubo: uerueuecinam quoq; & uitulinam. CR. Adde etiam in ſcutulis paulum ſinapis, aut petroſelinati. DE. Violenta res uidetur ſinapis. CR. Non admodum congruit biliоſis, ijs tamen qui craſsis & frigidis humoribus redundant, haud inutilis. PO. Idcirco ſapiunt populi ſeptentrionales, quibus illa eſt magno uſui, præcipue cibis craſsis & duris addita, ut bubulæ & ſalſamentis. S C. Hoc loco exiſtimo pultes & ptiſanas uenturas in tempore, leucophagum, ſimilaginē, amylum, oryzam, uermiculos, edat quiſq; ex quibus uolet. DE. Vidi qui à uermiculis huiuſmodi uehementer abhorreret, quòd autumaret collectos fuiſſe ex terra aut cœno, & uixiſſe aliquando. CR. Scilicet metuebat, ne in aqualiculo ſuo reuiuiſcerent Oryzam ferunt naſci in aqua, mori in uino. Cedo igitur uinum. DE. Ne bibe ſtatim à cibo calido, intermiſce prius frigidi aliquid & ſolidi. CR. Quid? DE. Cruſtam panis aliquam, uel turundam unam aut alteram carnium. SI. Vah, piſces cum carnibus in eadem menſa? mare miſcetur terræ: hoc uetant medici. S C. Imò hoc placet medicis. SI. Credo, quia illis utile. S C. Cur ergo uetant medici? SI. Errauit: à medicina prohiberi dictum oportuit, non à medicis. Sed qui ſunt piſces iſti? S C. Appone ordine, primum lupum illū aſſum cū aceto et capparibus, tum paſſeres elixos cū ſucco lapathi acuti, ſoleas frixas; lucium recentem, & capitonem, lucium ſalitum ſerua tibi. thynnum aſſum recentem, & thynnum in ſalſamento, menas recentes frixas, cruſtulata, in quibus inſunt multi barbati, murænæ & truttæ multis conditę aromatis, gobios frixos, cammaros & cancros elixos. Admiſce ſcutellas cum intritis, alliato, piperato, erucato. SI. Ego uerò de piſcibus loquar, non edam. CR. Si philologus cœperit de piſcibus mouere controuerſiam, hoc eſt de re incertiſsima & controuerſiſsima, incipite nobis lectulos inſternere, hic erit cubandum. S C. Nemo dignatur uel guſtare, tolle hæc. SI. Atqui conuiuia olim Romæ lautiſsima, & ut ipſi ſoliti erant dicere, pollucibilia ex piſcibus conſtabant. CR. Ita ſunt mutata tempora, etſi hoc etiamnum durat apud quoſdam. S C. Importate aſſa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquedulas, palumbulos, cuniculos, lepuſculos, uitulinam & hœdinam, & intinctus ſeu embammata, acetū, omphacium, oxypora, mala etiam medica, & cytronia, & oliuas Balearicas conditiuas quaſſas, & in muria aſſeruatas. DE. Non adſunt Bethicæ. S C. Magis ſunt ſaporis ſciti Balearicæ. CR. Quid fiet grandibus illis beluis? anſeri, cygno, pauoni? S C. Oſtende tātum & refer in culinam. PO. Hem pauonem. Vbi eſt Q. Hortenſius, cui erat in delicijs? SI. Tolle agninam. S C. Cur tollentur? SI. Quia inſalubris, ferunt eam non aliā exire, quàm quā intrarit. CR. Vidi quendam deuorare oſſa oliuarum ſtruthionicè. SC. Ex quibus carnibus ſunt artocreæ iſtæ? CR. Hęc eſt ex ceruina. S C. Hæc ex damica, illa eſt, ut puto, aprugna. CR. Condituras ipſas malim

quàm carnes.SI.Planè ita est,etiam res amaras condimentum reddit suauissimas.CR.Ecquod est uitæ totius condimentum? DE.Aequus animus.CR.Aliud quiddam ego proferam,amplius & augustius.DE. Quid tandem,hoc meo? CR. Pietas,sub qua & animi æquitas comprehenditur,& ad res uniuersas asperas,faciles,medias,condimentum aptissimum & iucundissimum.SC. Infunde uinum album Hispanicum in carchesium illud,& circumfer per cõuiuas.DE. Quid paras agere? sub prandij finem propinas nobis uinum forte ac generosum,dilutius erit posthac bibendum,si consultum cupimus ualetudini.SI.Recte mihi uideris admonere,frigida enim oportet esse in conuiuio postrema,quę pondere suo cibos ad imum uentriculũ detrudant,& uapores caput impetentes cohibeant.SC. Tolle ista,muta orbes & quadras,da secundam mensam,nam nemo extendit usquam manum.CR.Adeò uoraui initio auide,ut statim amiserim appetitum. DE.Ego itẽ non appetitione,sed impetu feror ad primas dapes,inde me expleo.PO.Nescio quid edi de piscibus,id gustum meum prorsus retudit.SI. Tantum' ne bellariorum apparatum,et cupedines,quũ nihil supereſt amplius cupedię? pira,mala,caseus multiplex,sed palato meo congruentiss.est hippax.CR. Non reor hippacẽ esse hunc,sed Phrigiũ,ex lacte asini,qualis è Sicilia usq; aduehitur,collumellari forma & quadrata:qui cũ frangitur,in laminulas funditur,siue phyluras. DE. Caseus hic,etsi Britannicus,fistulosus est,non erit mea utiq; sententia uobis gratus.CR.Sed neq; hic spongiosus Hollandicus.Parmensis hic est bene compactus,& satis (ut uidetur) recens,& ille Penafellius,facilè cum Parmensi certarit.DE.Non est Parmensis,sed Placentinus. CR.Etiam,si placet, uulgo Germanorum suauiss.est caseus uetus,putris,confriatus,et uermiculosus.SI. Qui talem edit caseum,sitim uenatur:& edit,ut bibat.SC. Pistor dulciarius nimium moratur,quin adfert striblitas,& artolagana testuacia,& sartaginea,cõsperſione in cacabum iniecta olei feruentis,melle superinfuso.CR.Caryotas da mihi aliquot et ad edendum,et ad seruandum,fortasse nocte hac nihil edam aliud.SC. Cape igitur spatalium hoc integrum,uin' ex malogranatis? PO. Heus puer,spolia nobis hanc palmam agrestem,& da quod est esui.SC.Potionis uos admoneo,scitis Aristotelis esse opinionem,tragemata esse inuenta,ut ea nos ad bibendum inuitent,ne cibus in arido coquatur.CR.Oportet ergo inuentorem fuisse uel nautam,uel piscem,qui adeò timeret aridítatem.SC. Adfer ea, quæ solent uocari sigillum stomachi,post quæ nihil est nec edendum,nec bibendum: bucellatum,cydoniatum,coriãdrum saccaro contectum,hoc uerò manducandum est, non edendum:sed quod ex manso reliquum est aridum,expuendum.Collige frusta & reliquias in canistris,adfer aquas odoriferas,rosaceam,floris mali medici,moscatam. PO.Agamus Christo gratias.PV. Agimus tibi gratias Pater,qui tam multa ad hominum usus condidisti:annue ut tuo fauore ad cœnam illam ueniamus tuæ beatitudinis.PO.Agamus nunc domino gratias. CR. Age tu. PO. Imò agat Democritus,qui in hisce rebus multum ualet.DE.Gratias tibi non possem agere pro merito,hoc statu reip.uides enim omnia à Baccho perturbata,sed recitabo quas Dionysio egit Diogenes,nam mandaui memoriæ:tu labenti memoriæ,& linguæ titubanti,in tanta eluuione habebis ueniam. SC.Dic quicquid libuerit,scribetur in uino.DE.Defatigasti te ipsum Scopa,uxorem,famulos,famulas,uicinos,coquos,pistores,ut nos magis comedendo & bibendo delassares. Socrates sapienter,qui in mercatum celeberrimum ingressus exclamarit: O dij immortales,quàm multis ego non indigeo,tu contrà posses dicere,hæc omnia quotula portio sunt eorum,quibus ego indigeo. Naturæ placent modica,& illis ea sustentatur,ac fulcitur,hęc tam multa,tã uaria,obruunt naturam.meritò Plinius: Varietas ciborum homini pestilens,pestilentior condimentorum,referimus hinc domum grauata corpora,referimus animos obrutos ac demersos cibis & potionibus,ut nullo hominis officio ritè possimus fungi. Tu ipse iudicato,ecquam tibi gratiam debemus.SC.Hæccine est gratia,quam habetis? sic rependitis prandium tam opiparum? PO.Ita planè,quod enim maius beneficium,quàm ut fias sapientior? tu nos domum remittis planè bruta: nos te domi tuæ uolumus hominem relinquere,ut scias consulere tuæ ac alienæ ualetudini, & secundum naturæ desideria uiuere,non iuxta corruptas ab stultitia opiniones. Vale,& sape.

EBRIE-

EBRIETAS.

Asotus, Tricongius, Abstemius, Glaucia.

AS. Quid tu dicis Tricongi? quàm lautè nos heri accepit Brabantus ille? TR. Malè sit illi, non potui tota nocte quiescere. Vomui (sit habitus honos uestris auribus) conuolui me subinde toto lecto, modò ad spondam interiorem, modò ad exteriorem, fauces & stomachum uidebar mihi reiecturus: nunc præ dolore capitis nec oculorum officio possum fungi, nec aurium, lamina põderosa plumbi uidetur mihi in frontem & oculos incumbere. AS. Frontem & tempora fortiter astringe fascia, & rex uideberis. TR. Seu ipse potius Bacchus, à quo institutum manauit diadematum in reges. AS. Recipe te domum, & edormi crapulã. TR. Domum uerò? nihil æquè fugio & auersor, ut domum & uxorem clamosiss. ea si me nunc aspiceret, longiores haberet homilias quàm Chrysostomus. AB. Hoccine appellas tu lautè tractari? GL. Planè ita est, nam lauerunt probe gut tur & fauces. AB. Manus uerò? GL. Ne semel quidem. AS. Imò sępe uino & lacte, dum alij in aliorum pateras immittebamus manus. GL. Quid potest dici lautius? & quidem digitos pingui carnium & embammatis inuiscatos. AB. Tace per diuos, quis posset absq; nausea rem adeò audire obscœnam? quanto minus uidere, aut de eiusmodi uino aut lacte gustare? AS. Diui uestram fidem, adeon' es Abstemi delicatus, ut hęc ne auribus quidem possis deuorare? quid faceres palato, ut nos? Sed heus tu Tricongi, cõpotator suauissime, mittamus puerum aliquem, qui nobis in illa phiala fictili adferat ex eodẽ uino, nulla est certior huic ueneno theriaca. TR. Est' ne hoc exploratum? AS. Quid ni esset? me mineris uersus quos cantat Colax: Ad sanandum morsum canis nocturni, sume ex pilis eiusdẽ canis. GL. Narra quęso de conuiuio. AB. Ne narres, nisi uelis me reuomere, quicquid habeo in uentriculo, cum ipsis uitalibus. GL. Facesse igitur paulisper. AS. Ego narrabo quàm commodiss. ut nusquam sit honos præfandus. GL. Incipe obsecro, aduerte animum Abstemi. AS. O Glaucia mi, ante omnia istud ex me habe, nullum esse hominum genus, quod comparari possit cum festiuo & largo conuiuatore. Quidã ostentant eruditionem rerum uariarum, id est mera nugamenta, alij iactant experientiam, & usu collectam prudentiam, quorsum id? Sunt qui habent quidem opes, sed non audẽt expendere, miseri, quid eos iuuat asseruare? Benignus conuiuator, ubiq; prodest, ubiq; est gratus, uel solus illius aspectus exhilarat tristitiam animi, & discutit, si qua est in eo miseria, siue recordatione conuiuij, siue spe atq; expectatione. Alia omnia quæ dicuntur bona animi, nec ego uideo, & sunt ieiuna atq; infrugifera. AB. Rogo te Asote, quis est autor tam bonæ sententiæ? AS. Ego, & omnes mei similes: id est, plerique ex Gallia Belgica, à Sequana ad Rhenum flumen, tantum dissentiunt inter nos homuli quidam, uel miseri & præparci, qui Abstemio suum inuident cognomen, frugi uolunt appellari: uel quidam magna sapientiæ opinione suffarcinati, id est inani nomine, quos etiam nos (id est maxima pars hominũ & præcipua) ridemus. AB. Quid audio? GL. In hoc iste non fallitur, etsi ebriosus, nam nusquã eruditio minus habet precij, quàm in Belgica, non aliud esse rentur uirum eruditione prestantem, quàm sutura uel textura. AB. Atqui studẽt hic multi, & non infœlici profectu. GL. Deducuntur à parentibus parui filij ad scholas, tanquã ad opificium, quo parẽt sibi deinceps uictum: ipsi etiã scholastici, dictu incredibile, quàm parui institutores suos faciant, quàm prosequãtur honore exiguo, & præmijs adeò tenuibus, ut doctores insignes ac primi nominis tolerare sese uix possint. AS. Ista sunt ab instituto sermone aliena, reuertamur ad cõuiuiũ. AS. Hoc malim audire, & missos faciamus iam tandem sermones istos studiosos, qui sunt profectò infrugiferi. Nescio quem admodum uos Itali de eruditione statuatis: mihi certe res uidetur non solùm inutilissima, sed etiã damnosa. AB. Idem uidetur boui et sui, quod tibi, & nobis quoq; uideretur, si non plus haberemus mentis quàm tu. AS. Non esset finis. Itaq; audi iam. Primum omnium accubuimus seueri & tristes, sacrata est mensa, silentium ubiq; et quies, cœpimus expedire cultellum quisq; suum, speciem præbebamus non inuitatorũ, sed inuitorum: adeò id diceres facere nos coactos, & faciebamus reuera admodum segniter: nondum enim incaluerat animus ardore illo libero: aptat quisq; mãtile suum humeris, nonnulli etiã pectori, alij de mappa extendunt super gremiũ: sumit panẽ, aspicit, uoluit, purgat, si

quid esset carbonis aut cinerũ decorticat,& hæc omnia lentè & cunctabũdè.Quidam auspicati sunt cœnam à potione:alij priusquàm biberent,paululũ sumpserunt acetarij, & bubulæ salitæ,ad excitãdum dormiens palatum,& stimulandum languidulum.primus scyphus fuit ceruisiæ,ut frigidum cemẽtum substerneretur ardori uini.Allatus est sacer ille liquor,primum poculis angustis & exiguis,quæ magis sitim irritarent quàm restinguerẽt,dominus homo festiuiss.qui potiorem in hac tota regione nullum habet, ac ne parem quidem,mea utiq; sententia,(quod sit dictum sine cuiusquã iniuria) iubet afferri pocula capacissima.& cœptũ est largiter potari more Græco,ut dicebat illic philograecus quidã,qui Louanij olim studuerat.Ibi cœpimus loqui,tum incalescere,hilaritas ubiq; & risus diffusissimus,ô cœnæ noctesq; deorũ,alij alijs præbibimus,& magna æquitate faciebamus paria,nefas erat sodalẽ fraudare,tali præsertim tempore.AB.Meritò,quũ agitur non de calice uini,sed de sensu & mente,rebus in homine præcipuis.Sed ut hac de re tam lęta,tã festiua,tu & ego colloquamur,primũ rogandus es an sis ebrius. AS.Nõ reuera,& facile est cognoscere ex ordine orationis meæ:nam si essem,putas me hęc referre potuisse adeò compositè?AB.Rectè est,alioqui iuxta Mimi uersiculum,cum absente litigarem.Principio cur nõ extruitis templum aliquod in hac regione Baccho, cœlestis huius liquoris repertori?AS.Hoc uestrum est,qui ædẽ habetis Romę Sergij & Bacchi:nobis satis est quotidie illi passim sacra facere.Et fortasse erigeremus tẽplum,si cõstaret fuisse illum inuentorẽ:nam ea de re audiui disputari inter studiosos quosdam. Sunt qui putent primum fuisse Noam,qui uinũ biberit,quiq; sit inebriatus.AB.Dimittamus ista.Cedò,quod uinũ bibebatis?AS. Quid nostra refert,quod sit uinũ,aut cuias, habeat modò nomẽ & colorẽ uini,id satis est nobis,delicias illas quęrat Gallus,aut Italus.AB.Quæ ergo potest esse delectatio,quũ id non gustas,quod in corpus ingeris?TR. Fortasse nonnulli initio aliquid gustant,integro palato:mox uerò deprauato ex tanta humoris redundantia,gustum omnem amittunt.AB.Siti iam extincta,nulla superest uoluptas,quæ tota sita est in satisfaciendo desiderijs naturalibus:ita ut tormenti sit genus sine siti bibere,aut sine fame edere.TR.Putas nos Abstemi ad uoluptatem potare,aut quod sit iucundum?AB.Tanto ergo estis peiores bestijs,quæ auiditatibus naturalibus aguntur:uos neq; illuc ducit ratio,& retrahit natura.TR.Ducit nos eò sodalitas,& paulatim inebriamur imprudẽtes.AB.Quoties estis inebriati,quoties alios ebrios uidistis? TR.Quotidie plurimos.AB.Non sufficiunt ergo tã multa experimenta ad deuitandum rem tam fœdam?atqui bellua uel uno experimẽto fieret cautior.GL.At sodales istos,in quorũ gratiã transeunt ex hominibus in bestias,scis quàm habent charos?dum potant, darent illis præcordia:digressi illinc,uix agnoscunt,uitam & animam cuiusuis illorum nollẽt redemptam sibi nummo sestertio.AB.Quibus ex poculis hauriebatis uinum,& quomodo?AS.Primum allata sunt uitrea,paulo pòst ob periculum sublatis illis exbibita argentea.In uinũ inijciebamus à primo herbulas,quòd id suaderet anni tempus: paulo post ius carnium,lac,butyrum,cremorẽ.AB. O spurciciem,ne belluis quidem tolerabilem.TR. Quanto tu tragicoteron exclames,si scias alios in aliorum pocula manus sordentes immittere,conijcere ouorum et pomorum & nucum putamina,& oliuarum ac prunorũ ossa.AB.Abstine ab hisce narrandis,si uis ne me hinc in syluas aliquas fuga abripiam.TR.Audi tu in aurem Glaucia.Quidam horum gestant in faciendo itinere cornu uenatoriũ,plenum ut necesse est puluere,& stipulis,& floccis,& sordibus alijs,ex hoc bibimus.GL.Quid?TR. Quid uerò?uinum. GL.Imò uerò mentem. TR.Planè ita est,& post epotam mentem,matulis non admodum mundis,sumptis de scamno lecticari,usi sumus pro calicibus.AB.Quis fuit conuiuij exitus,tanquam fabulę?AS.Natant uino paulimẽta,inebriati sumus omnes,hospes in primis homo strenuus,deiectis sub mensam magna uictoria duobus aut tribus.AB.O præclaram uictoriam,& de re pulcherrima ac prædicanda.Sed omnes tamen uinum uicit?AS.Etiam.AB. Miserum te,quid putas esse ebrium?AS.Probè & ex animi sentẽtia indulsisse Genio.AB.Cui Genio?bono an malo? GL.Si rectè omnia scruteris,nusquam inuenies cui indulgeãt,neq; enim animo,nec uoluptati,nec ulli rei alteri,cui alij indulgent,qui uitijs obtemperant,et prauis animi cupiditatibus.Sed inebriari,est sensuum facultates amittere,exire de potestate rationis, iudicij,

dicíj,mentis:planè ex homine fieri uel pecus,uel ſaxum. Quæ deinceps ſequantur, etſi nunquam ebrios uidi,tamen facillimum eſt coniectare,loqui & neſcire quid loquaris: ſi quid commiſſum eſt tibi arcanum maxime celandum,effutire,atq; ea dicere,propter quæ te & tuos & ſæpe patríam ac prouinciam uniuerſam in graue diſcrimen adducas, nulla diſtinctio amici & inimici,uxoris & matris,rixæ,iurgia,inimicitiæ,plagæ, uulnera,mutilatio,occiſio.TR.Etiam ſine ferro & ſanguine,nam non pauci continuant ebrietatem cum morte.GL.Quis nō malit dormíſe cum cane aliquo aut fele includere, quàm cum ebrio? plus enim mētis eſt in illis animantibus.AB.Poſt ebrietatem uerò cruditas, debilitatio neruorū, paralyſes,arthretici cruciatus,grauedo capitis,& corporis totius, hebetatio ſenſuum omnium,memoria extinguitur,ingenij acies retunditur: unde ſtupor in tota mente,et ad intelligendum ſapiendumq;,et ad eloquendum.AS.Iam incipio intelligere,magnum eſſe malum ebrietatem,poſthac dabo ſedulam operam,ut bíbam ad hilaritatem,nō ad ebrietatem.GL.Hilaritas eſt ianua ebrietatis,nemo uenit ad bibendum eo animo,ut inebrietur,ſed bibendo exhilaretur,continuò pòſt ſequitur ebrietas, difficile eſt enim ſignare hilaritatis metam,atq; in ea ſiſtere.Lubricus eſt gradus ab hilaritate ad ebrietatem.AB.Dum uinum habes in ſcypho,illud eſt in tua poteſtate:dum in corpore,tu es in illius:haberis,iam non habes,quum bíbis,tu tractas uinum pro tuo libito:poſtquam biberis,illud te tractabit pro ſuo.AS.Quid ergo?nunquam'ne eſt bibendum?AB.Dum uitant ſtulti uicia,in contraria currunt,bibendum quidem,non potandum.Natura ſola in hoc docet bruta,hominem nō docebit eadem natura ratione adiuta? Edes cum eſuries,bibes cum ſitíes,fames & ſitis admonebunt quantum, quando, quatenus edendum & bibendum.AS.Quid ſi ſemper ſitiam,nec ſitim poſsim mitigare, quín fiam ebrius?AB.Bibe quod inebriare non poſsit.AS.Non ſert conſtitutio mei corporis.AB.Quid ſi tantum eſuries,ut exatiari nullo cibo poſſes,niſi diſrumpereris?AS.Ea uerò non eſſet fames,ſed morbus.AB.Nimirum opus eſſet medicina ad eam famem tollendam,non dapibus,nónne?AS.Quid ni?AB.Eodem prorſum modo medico tibi eſſet opus ad eam ſitim,non caupone:& potione de pharmacopolio petita,non de œnopolio,non eſt ea ſitis,ſed morbus,& quidem perniciosus.

REGIA.

Agrius, Sophronius, Holocolax.

AG.Quid eſt quod tam multi regem comitantur,tam uario cultu?SO.Quin tu potius uultus contēplaris,quàm cultus?magis ſunt enim uultus uarij ac diuerſi,quàm cultus & ueſtitus.AG.Iſtud quoq; de uultibus quam'nam habet cauſam?SO.Veſtiuntur quidem aliàs pro facultatibus,aliàs pro ratione dignitatis aut generis,ſæpe etiam ut cuiuſq; eſt uel ambitio,uel uanitas,multi quoq; ueſtimentorum elegantia utuntur pro hamo & reti,ad fauorem captandum uel regis,uel procerum:animos puellarum nō rarò. Vultus autē affectus animi ſequitur:talis eſt ferè,qualis interior animi habitus.AG. Sed cur tā multi huc conueniunt?HO.An non decet ut plurimi ſint,ubi eſt caput & regimen prouinciæ totius?SO.Optimè,ſed pleriq; non adeò remp.ſpectant,ut priuatā:& ſequūtur eum,in cuius manu eſt regimē non tam patrię,quàm fortunarū.HO.Quid ni?quandoquidē omnia ſunt pecuniæ uenalia.SO.Sic indicant illi,quibus animus & mens nihil omnino eſt:ualetudo autem,& dotes corporis uiles.AG.Quid opus eſt in hoc tumultu aulico tanta philoſophiæ ſpeculatione?ego uerò malim de uobis intelligere,qui nā iſti tanto numero,tam uaria ſpecie ac forma.HO.Ego tibi omnes percenſebo ordine,nā Sophronius hic,quantum intelligo,nō eſt admodū in regijs uerſatus:ego uerò comitatus omnes regios adij,penetraui,perſcrutatus ſum,perſpexi,gratus ſemper omnibus et iucundus.SO.Inde credo paraſti tibi cognomen illud Holocolacis.HO.Rem tenes.ſed tu Agri auſculta.Ille,in quem aures,oculi,mens ommiū intenta eſt ac defixa,eſt rex,caput reip.SO.Verè caput,& ideo ſalus,quū eſt ſapiēs ac probus:pernicies autem,quū malus aut demēs.HO.Ille,qui ponè ſequit puellus,eſt filius eius hęres,quē in aula Græca uocabāt Διαδοχον,hoc eſt dominū:in Hiſpania uocāt Principē,in Gallia Delphinū. Torquati illi in ueſtib⁹ holoſericis & holobryzis,proceres ſunt regni,inſignes dignitatū militariū nominib.principes,duces,pręſides limitanei,quos marchiones nomināt,comites uiri,

qui barones uoce barbara nominantur, equites. Ille est magister equitum, quem uulgò comitẽ stabilem appellant, nomine ex aula Græca sumpto, ubi magnus Conestabulus cognominabatur, sicut præfectus maris Admiralus. Est & prætorio præfectus, qui non solum palatio præerat, sed etiã satellitio, quem Romuli tempore præfectũ celerum nominabãt, & satellites ipsos celeres. AG. Quí nam sunt illi in uestibus talaribus, magna seueritate uultus? HO. Sunt regij consultores. S O. Istos quos in cõsilium adhibet princeps, prudentissimos esse oportet, magni rerũ usus, et in decernẽdo grauitatis ac moderationis summæ. A G. Qui isthuc? S O. Quia sunt oculi & aures Principis, atq; adeò regni uniuersi, & eò magis, si cæcus aut surdus sit rex, captus suis sensibus uel ab ignorantia, uel à delicijs. A G. Etiam' ne luscus ille, & ille alter surdaster, oculi atq; aures sunt regis? S O. Peior est cordis cæcitas & surditas. HO. Eos qui sunt à consilijs, sequuntur scribæ, nec ij pauci uel unius ordinis, tum qui pecuniam principalem tractant, uel procurant, coactores, tribuni ærarij, præfectus fisci, procurator fisci, et fisci aduocatus. AG. Qui sunt iuuenes illi cõptuli & festiui, qui semper regẽ sectantur, & astant illi, alij arridẽtes, alij ore aperto uelut admirabundi? HO. Hęc est cohors intimorum amicorum, deliciæ atq; oblectamenta regis. AG. Duos illos ingredientes, cur assectantur tam multi uultuosi? HO. Quia ijs est apud regem fides præcipua, alter est præfectus sacris scrinijs, siue princeps scribarum: alter à secretis arcanis, apud quẽ est regni breuiarium. Idem est principi à memoria, eaq; de caussa offerunt se illi quotidie tam multi, ut memoriam illius de se refricent ac renouent, quandoquidem is est principis memoria. Illi autem qui ducunt uultus, sunt litigatores, quiq; res suas persequuntur: nec eorum unq; negocia finem inueniũt, longa contexta serie procrastinationũ. Duo illi qui deambulãt in porticu, præfecti sunt, alter cubiculo, alter regio equili, habent hi sub se alios permultos cubicularios & equisones. Sed ingrediamur regiã cœnationẽ. A G. Ah quanta turba, qui apparatus, tã anxius & morosus? S O. Id uerò maiore cum admiratione fueris intuitus, si scias, quàm leuẽ ad rem pertinet: nempe ut sorbeat ouum unum, & pauxillum uini bibat nauseabundus. H O. Ille est hebdomadæ huius architriclinus, cum sirpo Indico: pocillator est adolescens ille, structor nondum est ingressus. A G. Qui sunt cum rege pransuri? H O. Qui nam esset tam beatus, qui posset epulis accumbere diuũm? S O. Atqui olim regiæ mensæ adhibebãtur conuiuæ, modò duces exercitati, modò uiri claro genere: aliàs insignes uel usu rerũ, uel eruditione, quorum sermone rex fieret melior ac sapientior. Sed Gothica & aliorum Barbarorum superbia morem hunc nostrum inuexit. HO. Habent proceres assectas suos armigeros, exoletos, pueros pedissequos, pueros à pedibus, siue à calcari. Sunt inter eos diuites magnificentissimi, qui plerosq; excipiũt cœna recta. alij, quibus hoc molestum uidetur, mittũt amicis sportulas: idq; est amicis tenuioribus utilius, sed rectà conuiuari plus habet splẽdoris. A G. Aliud hominum genus uidere mihi uideor in illo cœnaculo. H O. Illud est gynæcium, ibi regina habitat cum matronis suis & puellis, aspice ut ingrediuntur & egrediuntur ex Parthenone, tanquam apes ex alueario, iuuenes amatores, mancipia Cupidinis. S O. Sæpe & senes, bis pueri. HO. Nihil est maioris uoluptatis, quàm audire illorum acutè excogitata dicta uel poëmata, cãtiunculas, melodias antelucanas, confabulationes cum puellis: uidere saltationes, obambulationes, uarietates colorũ in cultu, habitus & formas uestimentorum, habent pueros amanuenses, per quos mittuntur & remittuntur mandata: hi uerò nunciant & renunciant ultro et citro mandata, qua solertia, diligentia, educatione, diui uestram fidem, nudis capitibus, flexo poplite, atq; etiam positis genibus. Audire est quottidie & uidere aliquid noui, inopinati, acutè & subtiliter excogitati uel dicti, animosè aut dexterè aut solutè facti. S O. Imò dissolutè. H O. Quæ fœlicitas maior? quis possit ab huiusmodi suauitate diuelli? S O. Colax Colax, & tu sine amore insanis, & sine uino ebrius es, quę ineptia potest esse maior, quàm ista abs te descripta? H O. Nescio quî fiat, ut ex scholis uideas plerosq; discedere, ingressi semel aulam in ea consenescant. S O. Tanquam qui de Circes poculo biberant, amissa mente, & in belluarum ingenium degenerantes, nolebant inde egredi, & ad hominum naturam ac conditionem redire. A G. At hi omnes, quum se ad suam quisq; domum receperunt, quid agunt? quibus se actionibus occupant, ut saltem fallant tempus? SP. Plericq; omnes

nihil

nihil magis addunt ſerium, quàm quod cernis atq; adeò ocium illis multorũ uiciorum parens eſt ac nutricula. Ludunt quidam taxillis, chartis, alueolo, aciebus: alij per occultam detractionem & artificioſam maledicentiam horas pomeridianas tranſmittũt: hoc eſt, quibus domi deſident, aliqui mirificè capiuntur ſcurris & planis, in quos ſunt profuſiſsimi, cętera præparci & ſordidi. Sed præcipua aulæ corruptela eſt, aſſentatio uniuſcuiuſq; erga alios omnes, quodq; peius eſt, erga ſemetipſum, ea efficit, ut nullus unquã nec à ſe, nec à ſocio ueritatẽ conducibilẽ audiat, niſi fortè in iurgio: quam is tum parũ pro ueritate accipit, ſed pro cõtumelia. HO. Hic quæſtus eſt nũc multo uberrimus, tu cũ tua uerĩloquentia eſuries ſtrenuè: ego arridendo, abblandiendo, omnia approbãdo, & laudando, euaſi locuples. AG. Non poſſent hæc incõmoda reges corrigere? SO. Perfacilè, uellẽt modò. Sed alijs hi mores placẽt, quia ſuorũ ſimiles: alij ipſi ſibi eas occupationes accerſunt, per quas nunquã uacet recti aliquid aut ſani cogitare: non deſunt, qui remiſsis animis, & diſſoluti, nõ arbitrantẽ illis domus ac familiæ mores ad curã ſuã pertinere: quę nõ pertinẽt profectò minus, quàm ad unum quẽq; noſtrũ ſua domus priuata.

PRINCEPS PVER.

Morobulus, Philippus, Sophobulus.

MO. Quid agit tua Celſitudo Philippe? PH. Lego, & ediſco, ut ipſe intueris. MO. Intueor ſane, & cum dolore, defatigas te, & maceras generoſiſsimum iſtud corpuſculum. PH. Quid ergo agerem? MO. Quod alij proceres, principes, uiri nobiles & opulenti: equitare, confabulari cum puellis Auguſtæ matris tuæ, ſaltare, diſcere artem tractandi arma, luſitare folijs aut pila, ſalire, currere, hæc uides eſſe ſtudia nobilitatis iucundiſsima. Quòd ſi tantis oblectationibus fruuntur, qui uix digni ſunt ut in familiã tuam admittantur: quid te facere conuenit, tanti Principis filium, & hæredem? PH. Quid ſtudium literarum, nihil ne prodeſt? MO. Prodeſt quidem, ſed ijs qui ſunt initiandi ſacris, aut qui ea arte uictum ſunt ſibi comparaturi: quemadmodum alijs ſutoria, alijs textoria, & artes cæteræ quæſtuarię. Surge quæſo te, pone libros de manibus, eamus deãbulatum, certe ut reſpires aliquantiſper. PH. Non licet mihi nunc per Stunicam & Siliceum. MO. Qui ſunt hi Stunica & Siliceus? an non ſubditi tui, in quos tu habes imperiũ, non illi in te? PH. Stunica eſt educator meus, Siliceus autem inſtitutor literarius. Subditi ſunt illi quidem mei, ſeu uerius patris: ſed pater, cui ego ſum ſubditus, præfecit illos mihi, & me illis ſubiecit. MO. Quid ergo? dedit pater Celſitudinem tuam in ſeruitutem illis hominibus? PH. Neſcio. MO. Ah facinus indigniſsimũ. SO. Minime uerò, ô fili, imò illos fecit ſeruos tuos, quos uoluit tibi ſemper adhęrere, oculos, aures, animum, mentem in te unum defixa gerere ſemper, et relictis ſuis quenq; negocijs, tuum unius negocium agere: non ut te imperioſè uexent, ſed ut rudes tuos mores boni illi & ſapientes uiri ad uirtutem, decus, atq; excellentiam forment: non quò te reddant mancipium, ſed ut uere liberum, & uere principem, quibus ſi non obtemperaueris, tum demũ ſeruus eris extremæ conditionis, peior ijs qui hic inter nos uerſantur, empti & uẽditi ex Aethiopia uel Aphrica. MO. Cuius tandẽ eſſet mancipiũ, ſi illis educatoribus morẽ nõ gereret? SO. Nõ certe hominũ, ſed uitiorũ: qui domini ſunt importuniores, atq; intolerabiliores quouis homine improbo & ſceleroſo PH. Nõ ſatis iſta intelligo quæ dicis. SO. At intellexiſti, quæ Morobulus? PH. Planiſsimè omnia. SO. O quàm eſſent homines fœlices, ſi quàm citò habẽt ſenſum atq; intelligentiã rerũ leuiũ & malarũ, haberent etiã bonarũ et conducibiliũ. Nunc uerò contrà euenit, ętate iſta nugas, ineptias, imò inſanias, ad quas te Morobulus eſt adhortatus, facile intelligis: quæ ego de uirtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerẽ, tam caperes, quàm ſi Arabicè loquerer, aut Geticè. PH. Quid ergo faciundum conſulerès? SO. Vt ſaltẽ ſuſtineres aſſenſionẽ, nec huius ſuaſibus nec meis acquieſceres, quoad de utriſque poſſes iudicare. PH. Quis dabit hoc iudiciũ? SO. Aetas, inſtitutio, experimẽta. MO. Hui quàm eſſe longũ iſta expectare. SO. Bene mõet Morobulus, abijce libros: eamus luſitatũ, & ludemus ludũ, in quo unus eligitur rex, is pręſcribit alijs quę ſint agẽda, parent cæteri iuxta leges luſionis, tu eris rex. PH. Vt erit ludus? nã ſi eũ ignorẽ, quomodo potero regem in illo agere? SO. Quid dicis Philippule dulciſsime, deliciæ Hiſpaniarũ? in ludo et rebus leuiſsimis, in quib⁹ error nihil adfert periculi, nõ auderes regnũ

ſuſcipere,ludi neſcius:et uis tot & tanta regna ſeriò capeſſere ac regere, ignarus condi-
tionum populorum,legum,adminiſtrationis?deniq; rudis totius prudentię,inſtructus
ſolum ridiculis ineptijs,quas tibi Morobulus hic in animũ inſtillat? Heus puer,dic præ-
fecto equilis,ut proferat huc equum illum Neopolitanum,ferociſſimum calcitronẽ &
ſternacem,in quo Philippus ſedeat.PH.Minime illum uerò,ſed alium cicuratiorẽ, nam
regendi equi tam refractarij nondum artem habeo,nec uires.SO.Quęſo Philippe,& pu
tas tu leonem ullum eſſe æquè ferocem,aut equum adeò calcitronẽ,& refractarium,&
minus parentem frenis,quàm gentes ac cœtus hominum?qui conueniunt,& congre-
gantur ex omni uitiorum,flagitiorum,ſcelerum & facinorum genere,ex animi pertur-
bationibus concitatis,incenſis,inflammatis,ardẽtibus?equum nõ audes attingere,po-
pulum poſcis quouis equo ad regendum tractandumq; difficiliorem?Sed miſſa iſthæc
faciamus. Vides in hoc flumine illam cymbulam?nauigatio eſt iucundiſsima atq; amœ
niſsima inter prata & ſalicta,quæſo deſcendamus in eam:tu ſedebis ad clauum, & ages
cymbam.PH.Ita planè,ut uos ſubuertã,& demergam,quemadmodũ nuper fecit Pimen
tellulus.SO.Ne cymbã quidẽ gubernare uis,in amne tam modico & tam placido,quia
rudis:& committis te mari illi,undis,fluctibus,tempeſtati populorum,inſcius & inex-
pertus,planè uſu tibi uenit,quod Phaëthonti:qui aurigãdi neſcius,ardore iuueníli cur
rum patris gubernandũ ſibi depopoſcit,notam eſſe tibi fabulam reor. Præclarè Iſocra-
tes,duas res maximas in hominum uita dicebat eſſe,principatum & ſacerdotium:quas
tamen nemo non expeteret tanquã dignus,nemo nõ crederet ſe rectè poſſe gubernare
tanquã prudentiſsimus.PH.Intelligo nihil eſſe conditioni ac perſonæ meæ perinde ne-
ceſſarium,ut artẽ ac peritiã regendi regni.SO.Probè rem tenes.PH.Quomodo eam aſſe-
quar?SO.Eduxiſti tu illam tecum ex matris utero?PH.Nihil minus.SO.Quomodo igitur
ſcies,niſi diſcas?PH.Nullo modo.SO.Qua igitur fronte audet Morobulus hic eſſe tibi au
thor,ut ea ſtudia reijcias,quibus & artis huius peritia,& aliarum rerum maximarum ac
pulcherrimarum cognitio paratur?.PH.A quibus ergo ſunt hæc haurienda?SO. Ab ijs,
qui ea maximis ingenijs animaduerterunt atq; obſeruarunt:quorũ alij ſunt mortui, alij
uiui.PH.E mortuis quomodo diſcendum?poſſunt'ne mortui loqui?SO.Nunquã'ne fan
do audiuiſti nominari Platonem,Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, Liuium, Plutar-
chum?PH Magna nomina:ſæpe,& cum ingenti admiratione ac laude.SO.Illi ipſi,& alij
permulti eorum ſimiles,iam olim uita functi,cõfabulabuntur tecum,quoties & quan-
diu libuerit.PH.Quomodo?SO.Libris,quos ad docendã poſteritatem reliquerunt. PH.
Quin dantur mihi illi iam in manus?SO. Dabuntur breui,poſteaquam didiceris eum
ſermonem,quo poſsis loquentes illos intelligere.Suſtine pauliſper,atq; hanc breuem
moleſtiam perfer,quæ deuoranda eſt in accipiendis principijs:ilico poſt incredibiles
ſequentur delectationes,quas qui nondum deguſtarunt,mirandum non eſt à literato
ſtudio abhorrere.Nam qui ſunt experti,eos citius à uita quàm à libris & rebus cogno-
ſcendis auelleres. PH. Cedò uerò,qui ſunt uiui,à quibus ſapientia hæc diſcenda eſt,&
mens bona?SO.Si iter eſſes quodpiam initurus,à quibus tandem de itinere percontare
ris?utrum ab ijs qui iter illud nunquã uidiſſent,an qui aliquando cõfeciſſent?PH.Ab ijs
ſcilicet,qui confeciſſent.SO. Vita hæc non'ne eſt uelut iter quoddã, & profectio perpe-
tua?PH.Sic uidetur.SO.Qui ergo iter hoc perambularunt,ſenes an iuuenes?PH. Senes.
SO.Senes igitur aſcultandi.PH.Omnes indifferenter?SO.Acutè rogas,nõ omnes promi-
ſcuè:ſed quemadmodũ de uia,ſic de uita,utri norũt uiã,qui eã peregerũt nihil animad
uertẽtes,aliud agẽtes,animo nõ minus peregrinante quàm corpore:an qui annotarunt
diligẽter & attentè ſingula,& memoriæ mandarũt?PH.Nimirũ hi poſteriores.SO.Ergo
in conſilio de uitę ratione capiendo non audiendi iuuenes,qui iter hoc nunquam ſunt
ingreſsi: quãto minus adoleſcentes,& quod ſtultiſsimũ eſt atq; indigniſsimum,pueri?
neq; ad id admittẽdi ſenes imprudẽtes,laſciui,demẽtes, deteriores pueris:quos diuina
oracula execrantur,quòd ſint pueri centũ annorũ.Solis præbẽdæ aures ſenibus magni
iudicij,uſus rerũ et prudẽtię.PH.Quo ſigno eos dignoſcã?SO.Nimirũ ętate iſta,fili,nullo
adhuc:ſed ubi maius & firmius acceſſerit iudicium,facilè id cognoſces ex uerbis & fa-
ctis,tanquam nota certiſsima.Interea uerò,dum ea ingenij facultate non uales,crede te

cunctum

eunctum & cõmitte patri tuo,& ijs quos tibi pater adiunxit institutores ac magistros, infirmęq; istius ętatis gubernatores,& quasi manuductores per eam uiam,quã tu nunquam ingressi,nam patri,cui charior es,quàm ipsemet tibi,maior est de te cura,quàm tibi ipsi:atq; ad eam rem non solum suo usus est consilio,sed hominum sapientum.M O. Nimis diu tacui.S O.Ita planè,præter morem tuum,eamq; rem ego iamdudũ uehementer demirabar.M O. An non pater tuus Philippe,& rex Gallię,& alij magni reges ac principes,sine literis & labore isto tam molesto,quem hic teneris tuis humeris inclementer imponit,regna & ditiones suas regunt,& in officio continent?S O. Nulla res tam facilis est,quæ non fiat difficilis si inuitus facias.Non est opera literis impensa laboriosa ei,qui libens eam subit.qui autem inuitus,ei uerò uel lusitare,& in locis deambulare amœnissimis,graue ac intolerandum est,tibiMorobule nugandi auidissimo,& nugis semper assueto,seriũ aliquid uel agere,uel audire,instar est mortis,uicissim alij complures uitam sibi existimarent acerbam,si ad istum modum uitæ suæ rationes instituerẽt. Quàm multi sunt in aulis præsertim,quibus nihil est dulcius,quàm ociũ torpẽs atq; inertissimum? admouere manum alicui operi,tormenti est loco,quàm multi uicissim in populis,qui emoriantur citius,quàm sic dies omnes uacuos transigere?& celerius delassentur nihil agendo,quàm ab intentione animi in negotiũ aliquot.Sed ut respondeã tibi de Cæsare & rege Gallię,audies à me in uniuersum de senibus:quos posui eos esse,qui spaciũ hoc uitæ decurrissent.Si omnes quotquot uiam quampiã peregissent,cõcorditer narrarent se per uiam in locũ incidisse plenum difficultatis & periculi,ex quo saucij & pessimè affecti discesserint:quòd si eiusmodi iter rursum essent ingressuri,nihil diligentius cauerent,quàm illud discrimen:quid tu censes,an nõ hominis foret amentissimi,quum eadem ipse uia insisteret,non recordari tanti periculi,non illud deuitare?PH. Nondum teneo,quid uelis.S O.Faciã igitur planius exemplo:finge esse supra flumen istud tabulam angustã pro ponticulo:referant tibi omnes,quotquot equo insidentes tentarint illam trãsire,decidisse in aquã,adijsse uitę discrimen,ægrè esse extractos semiuiuos.intelligis ne hoc?PH.Bellissimè.SO.Quid tu iam,an non tibi demens uiderẽre,si faciens illàc iter, non ex equo descenderes,& effugeres periculũ,in quod alios ueniisse audis?PH.Nimirum ita agerẽ.S O .Et meritò.Quære tu iam ex senibus,quid maxime senserint incõmodum in uita,quid eos prætermisisse doleat,& uehemẽter pœniteat?omnes tibi uno ore respondebũt,qui aliquid didicerũt,nõ plus didicisse:qui uerò nihil, nõ adhibuisse operam,ut aliquid scirent.In hãc querimoniã ingressi,nõ faciunt finẽ referẽdi,missos se fuisse à parentibus aut educatoribus ad scholas & magistros literarũ:se tamẽ uanis delectationculis uel lusionum,uel uenationum,uel amorum,aut eiusmodi nugarum illectos, amisisse pulcherrimas è manibus discendi occasiones,itaq; cõqueruntur de fato suo,& sortẽ suam deplorant,ac semetipsos accusant,damnant,interdũ quoq; execrantur. Vides ergo locum hũc desidiæ atq; ignorantiæ esse in uia hac uitæ maximè infestum & periculosum,unumq; omniũ præcipuè deuitandũ?quoniã quidẽ audis tã miserabiles eorum querelas,qui in illum sunt collapsi:is est igitur omni cura et diligentia cauendus,et segnicie,ocio,deliciolis,nugis reiectis ac spretis,in studia literarũ cultumq; bonę mentis tota animi intentione incumbendum.Tu hac de re patrem tuum roga,tametsi iuuenẽ adhuc:& tu Morobule tuũ,iam senẽ,intelligetis ex eis,uerã esse meam sententiam.

LVDVS CHARTARVM SEV FOLIORVM.

Valdaura, Tamayus, Lupianus, Castellus, Manricus.

VA.Quàm asperum tempus,quàm rigens & sæuum cœlum,quàm obscœnum solum.TA.Quid nos monet hic cœli ac soli habitus?VA.Non egredi domo.TA.Quid uerò domi agere?VA.Ad luculentum focum studere,meditari,cogitare de rebus quæ aliquid emolumenti adferant menti & probis moribus.CA.Id quidem agendum præcipuè,nec aliquid esse debet homini antiquius.Sed ubi ab intẽtione illa delassatus fuerit animus,quò diuertet,hoc duntaxat tempore?VA.Alijs quidem aliæ sunt animorum refectiones,ego uerò lusu foliorum magnopere oblector ac recreor.TA.Et hæc temporis qualitas eò inuitat,ut abdamus nos in cubiculum benè clausum,& obseptum undiq; à uento & frigore,lucente camino,mensa posita cum chartis.VA.Au minimè chartas.TA.

Lusorias

Luſorias dico. VA. Iſtud placet. TA. Tum pecuniæ promatur nonnihil, & calculi ad computandum. VA. Nihil opus erit calculis, ſi minutuli adſint numi. TA. Ego nullos habeo, prꝛterquam aureos & argẽteos craſsiores. VA. Cõmuta aliquos ex argenteis minuta pecunia, heus puer, cape ſtuferos hos ſimplos, duplos, ſeſquiduplos, triplos, & à numulario cura nobis numos minutos, ſimplos, duplos, triplos, non maiores. TA. Quàm nitidi ſunt hi numi? VA. Nimirũ recentes adhuc, & aſperi. TA. Concedamus in forum aleatorium, ubi omnia inueniemus parata. CA. Non expedit, nam haberemus arbitros plurimos, quid refert ludas illic, an uia publica? Conſultius fuerit, ut recipiamus nos in cubiculum tuum, & accerſamus ex ſodalibus aliquot, maximè animo refocillãdo idoneos. TA. Tuum conclaue eſt ad id commodius, nam in meo cubiculo ſubinde à pediſſequis matris interpellaremur, aliquid ſemper quæritantibus in arcis mundi muliebris. VA. In cœnatione igitur. TA. Eſto ita, eamus. Puer ſiſte hic nobis Franciſcum Lupianum, & Rodericum Manricum, & Zoilaſtrum. VA. Mane, minime uerò Zoilaſtrum, hominem iracundum, rixoſum, clamoſum, calumniatorem, & qui minimis de rebus excitat ſæpe atroces tragœdias. CA. Optimè profectò mones: nam ſi adoleſcens talis recreationi ſe noſtræ admiſceret, nõ eſſet id ludere, ſed ſeriò rixari, accerſe igitur pro illo Rimoſulum. VA. Neqꝫ hunc: niſi uelis, quæcunqꝫ hic fuerimus nugati, ante ſolis occaſum notum eſſe toti ciuitati. CA. Tam bonus eſt præco? VA. Etiam rerum, quas ſciri nihil attinet. nam res bonas ſacratius reticet, quàm myſteria Eleuſina. TA. Veniant ergo Lupianus & Manricus ſoli. CA. Hi ſunt belli ſodales. TA. Et mone illos, ut adferant ſecum numulos: quicquid eſt autem ſeueritatis & ſerij, domi commendent Philopono tetrico: ueniant facetijs, lepôre, gratijs comitati. LV. Salui ſitis ſodales feſtiuiſsimi. VA. Quid ſibi uult contractio iſthæc frontis? exporrigite iſtos uulticulos, an non eſtis iuſsi, cogitationes omnes literatas apud Muſæa deponere? LV. Cogitationes noſtræ literariæ ſunt adeò illiteratæ, ut eas Muſæ quæ ſunt in Muſæo, reſpuant. MA. Saluete. VA. Salus eſt dubia, quando ad acies & pugnas uocamini, & quidem quibus reges ſint interfuturi. TA. Eſte bono animo: crumenç impetuntur, non iugula. LV. Crumena pleriſqꝫ eſt pro iugulo, & pecunia pro ſanguine ac ſpiritu, uelut iſtis Caribus, quorum uitæ contemptus inſtrumentum eſt regibus ad exercendos ſuos furores. MA. Nolo ego eſſe actor in hac fabula, ſed ſpectator. TA. Qui ſic? MA. Quia ſum infortunatiſsimus, ſemper à ludo diſcedo uictus & ſpoliatus. TA. Scis quid dicunt prouerbio aleatores? ibi quærendam eſſe togam, ubi amiſeris. MA. Verum, ſed periculum eſt, ne dum togam amiſſam quæro, perdam & tunicam & interulam. TA. Accidit quidem hoc non raro, ſed qui non periclitatur, non diteſcit. MA. Ea eſt metallicidarum ſententia. TA. Imò etiam lanimedij Antuerpienſis. VA. Rectè habet, non poſſumus niſi quatuor ludere, ſumus quinqꝫ, ſortiemur quis erit aliorum ſpectator. MA. Ego ero ſine ſortitione. VA. Nihil tale, nulli eſt facienda iniuria, non cuiuſquam uoluntas id decernet, ſed ſors: cui primus rex obtigerit, ſedebit ocioſus ſpectator: & ſi quid inciderit controuerſiç, iudex. LV. Ecce uobis faſciculos duos foliorum integros, alter eſt Hiſpanienſis, alter Gallicus. VA. Hiſpanienſis hic non uidetur iuſtus. LV. Quid ita? VA. Quoniam deſunt decades. LV. Non ſolent illi habere, ut Gallici. Chartæ enim Hiſpanæ, quemadmodum & Gallicæ, in quatuor ſunt genera ſeu familias diuiſæ. Hiſpanæ habent aureos numos, carcheſia, baculos, enſes: Gallicç corda, rhombulos, triſolia, uomerculos, ſeu palas, ſeu ſpicula. eſt in quaqꝫ familia rex, regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, ſenio, heptas, ogdoas, enneas. Gallicæ habent etiam decades: & Hiſpanis aurei, & carcheſia potiora ſunt pauciora, contrà enſes & baculi. Gallis autem plura ſunt ſemper meliora. CA. Quo luſu ludemus? VA. Triumpho Hiſpanico, & diſtributor retinebit ſibi indicem chartam, ſi ſit monas, aut imago humana. MA. Sciamus iam, quis erit ludo excluſus. TA. Probè mones, cedò folia: hoc eſt tuum, hoc iſtius, hoc Lupiani, tu es iudex. VA. Malim te mihi iudicem, quàm colluſorem. LV. Bona uerba, cur iſthuc quæſo? VA. Quia es in ludendo admodum uafer, & cauillator: tum aiunt te artem tenere componendi folia, ut tibi expediat. LV. Non habet fraudem mea luſio: ſed imperitiæ tuæ, induſtria mea uidetur impoſtura, quod ferè ignaris contingit. Cæterùm quî tibi placet Caſtellus? qui ſimulac lucratus eſt pauxil-

pauxillum pecuniæ, deserit collusores. TA. Eludere est hoc quidem, potius quàm ludere. VAL. Leuius hoc malum. nam si uincatur, affixus erit ludo, clauo plusquam trabali. TA. Sed lusuri sumus bini, duo contra duos, quomodo erimus comparati? VAL. Ego ludi huius insciēs, adhærebo tibi Castelle, quem audio esse callentissimum. TA. Adde etiā callidissimū. CAST. Nō est hîc opus electionibus, sorti sunt cōmittenda omnia: quibus obuenerint plura puncta, aduersus eos pugnabunt, quibus pauciora. VAL. Esto ita, assigna folia. MAN. Vt optaueram ego & Castellus, ab eadem stamus parte, contrarias tuentur partes Valdaura & Tamayus. VAL. Sedeamus, uti solemus, * decussatè. da mihi illam sellam reclinatoriā, ut quietius perdam. TAM. Appone scabella, assideamus iam, sortire cuius sint primæ partes. VAL. Meæ sunt, distribue tu Castelle. CAST. Quomodo? à sinistra in dexteram, more Belgico, an cōtrà Hispano more, à dextra in sinistram? VAL. Hoc more, quoniam ludo Hispanorum utimur. & reiecistin' decades? CAST. Etiam: quot folia dabo singulis? VAL. Nouena. Sed quæ nam erit sponsio? MAN. Terni in singulas manus denarij, cum geminatione sponsionis. CAST. Sensim mi Manrice, nimium properas. non esset is lusus, sed furor, ubi tantum pecuniæ ueniret in periculum. quomodo posses tu oblectari in anxietate illa, ne tot numi tibi pereant? denarij singuli sufficient, & auctus sponsionis erit dimidij, nempe assium quinq;. VAL. Rectè consulis. ita nec nihil ludemus, quod est insipidum: nec quod doleat, quod est acerbū. CAST. Habetis singuli nouena folia? cordiū est familia dominatrix, & hæc regina est mea. VAL. Nescio quàm fœlix est omen hoc: certe est uerissimum, dominari uulgò corda fœminarum. CAST. Desine speculationes: respōde ad hoc, augeo sponsionē. VAL. Ludū habeo dissipatum, & male cohærentem: cedo tibi. TA. Et ego item. distribue tu Manrice. VAL. Quid agis? non uertis chartam indicem? MAN. Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim. VAL. Vnam habes plus iusto. MAN. Deponam. VAL. Non est ea lex lusus, sed ut uicem tuam amittas distribuendi, & trāseat ad sequentem. cedò folia. MAN. Non faciā, quandoquidem nondum protuli indicē. VAL. Imò facies per Deum. CAST. Apage, quid tibi uenit in mentem mi Valdaura? Iusiurandum admisces rebus leuissimis, quod uix grauissimis rebus adhiberi cōuenit. MAN. Quid tu dicis iudex? LVP. Profectò ignoro, quid sit in eo facto statuendum. MAN. Qualem iudicem nobis præfecimus, sine iudicio, ducem sine oculis? VAL. Quid ergo fiet? MAN. Quid tandem? nisi ut mittamus Lutetiā, qui hac de re adferat nobis aliquod senatusconsultum. CAST. Misce omnia, & rursum impartire. TA. O qualem ludum mitto de manibus, nō obueniet mihi hodie similis. CAST. Misce probè isthæc folia, & præbeto singulis attentius. VAL. Rursum augeo sponsionē. TA. Num non prædixi, nō habiturū me hodie in manibus ludum illi parē? semper sum infortunatissimus. cur ego ludū uel aspicio oculis? CAST. Hoc uerò non est ludere, sed se afflictare. hoc est refici, & recreari animum? ita concitari? ludum oportet esse ludum, nō molestiā. MAN. Sustine paulisper, ne abijcias folia. nam est panicum. VAL. Responde igitur an recipias. MAN. Recipio, & rursum augeo. VAL. Quid tu speras, me ferocibus tuis uerbis protelare? non concedo. MAN. Effare tandem semel, & impeditè, admittis ne? VAL. Etiam, & quidem libentissimè: & animus instigat me tali ludo maiore precio certare, sed istud inter amicos sufficit. TA. Quid uerò me non computatis inter uiuos? adeò nulla est mei mentio? CAST. Quid igitur tu ad hæc, homo feneē? TA. Ego uerò augeo mea ex parte depositū. MAN. Quid tu dicis Castelle? CAST. Nunc me consulis, posteaquā tua opera depositum creuit in immensum: ego incrementum hoc non auderē hoc meo ludo sustinere. VAL. Responde affirmatè. CAST. Non habeo quod sic respondeam, sed ualde ambiguè, & dubitāter, & cunctabundè, & timidè, & diffidenter: est' ne sic satis expressè dictū? MAN. Deum immortalem quanta copia, nō tam densa nuper cadebat grando. Sed quæso te, periclitemur paulisper. CAST. Experiamur quando ita tibi placet, à me uerò ne speraris magnā opem. MAN. Feres tamen quas poteris suppetias. CAST. Nihil necesse id habes admonere. MAN. Planè uicti sumus. TA. Vicimus denarios quatuor. misce. VAL. Addo asses quinq;. CAST. Nescio an cedā. nam scio me certò uictum iri. TA. Rursum alteros quinq;. CAST. Quid tu ad hanc prouocationem dicis? MAN. Quid dicam? fugio. CAST. Tu perdidisti proximum ludum, sine me

hunc arbitratu meo perdere. Sentio me esse inferiorẽ, sed sustinendum est, quamdiu aliquid uidero supereſſe uiriũ. VAL. Quid ergo dicis? recusas? CAST. Non, imò addico. TA. Tu Valdaura non nosti hunc Castellum: superiorem habet ludum tuo, sed ita solet calidos prouocatores illectare in suum rete. Vide ne quò progrediaris temere, ubi tenearis irretitus. VAL. Diuûm fidem, quomodo potuisti diuinare foliũ mihi postremũ restare huius nationis? CAST. Noui omnia folia. VAL. Non omnino est istud incredibile. CAST. Ita planè noui à facie. VAL. Forsitan etiam à tergo. CAST. Nimium suspicioſus es. VAL. Tu me facis: eat hoc cum tua bona uenia. TA. Dispiciamus, num quæ sint chartæ auersæ maculatæ, unde possint noscitari. VAL. Faciamus, quæso uos, ludendi finẽ: angit me hic ludus, tam infœliciter cedendo. CAST. Vbi uoles. sed fortasse nõ in ludo est uitiũ, sed in tua imperitia, qui nescis ludũ scienter ad uictoriam accõmodare, sed iacis folia absq; arte, ut fors tulerit: ratus nihil interesse, quid prius, quid posterius mittas, quis quo loco sit iacturus. TA. Omniũ rerum est satietas, etiam uoluptatũ. & ego defessus sum iam sedendo, assurgamus aliquantisper. LVP. Cape testudinem hanc, & aliquid nobis cantilla. TA. Quid tandẽ? LVP. De ludo quippiã. TA. Carmen Vergilij? LVP. Isthuc ipsum: aut si mauis Viuis nostri, quod ille nuper canebat deambulãs in pomœrio Brugensi. VAL. Anserina uoce. LVP. Cane tu olorina. TA. Deus meliora. nã olor nõ canit, nisi fato iam urgẽte.

Ludunt & pueri, ludunt iuuenesq; senesq;
Ingenium, grauitas, cani, prudentia, ludus.
Deniq; mortalis, sola uirtute remota,
Quid ii nugatrix, & uana est fabula, uita?

VAL. Possum uobis confirmare, esse carmen bene expressum, tanquam ex spongia arida. LVP. Tanta cum difficultate componit carmen? VAL. Magna. siue quòd rarò, siue quòd non libenter, siue quòd aliò fert eum ingenij pronitas.

LEGES LVDI.

Varius dialogus de urbe Valentia.

Borgia, Scintilla, Cabanillius.

BOR. Vnde tu iam nobis Scintilla iucundissime? SCIN. Lutetia. BOR. Qua tandẽ Lutetia? SCIN. Qua tandem quæris? quasi sint multæ. BOR. Etiam si sit unica, ea quæ nã sit ignoro, aut ubi sita. SCIN. Lutetia Parisiorũ. BOR. Parisios nominari audierã, & quidem sæpe, Lutetiam numquam. est ergo Lutetia, quos nos Parisios dicimus? Ea igitur est causa, cur tamdiu nullus es uisus Valentiæ, & potissimũ in Sphæristerio nobilitatis? SCIN. Alia ego uidi sphæristeria Lutetiæ, alia gymnasia, alios ludos, longè istis uestris utiliores ac præstantiores. BOR. Et quos quæso? SCIN. Triginta gymnasia plus minus in Academia illa, omni eruditionis, scientiæ, & sapientiæ genere referta: doctos præceptores, iuuentutem studiosissimã, & optimè moratam. BOR. Vulgus scilicet hominũ. SCIN. Quid tandem uocas uulgus? BOR. Fecẽ plebis, filios sutorum, textorũ, tonsorum, fullonum, & eiusmodi artificum atq; operariorũ. SCIN. Vos hic, ut uideo, ex uestra hac ciuitate metimini orbẽ uniuersum, & eosdem tota Europa existimatis esse mores, quos hic. dico iuuentutẽ illic esse frequentissimã principum, procerum, nobilium, & hominum locupletissimorũ, nõ ex Gallia modò, sed ex Germania, Italia, Britannia, Hispania, Belgica: admirabiliter addictã studijs literarũ, parentem institutorum præceptis & iussis: quorũ mores non simplici tantum admonitu formentur, sed acri reprehensione, quum est opus, etiã castigatione, plagis, uerberibus. quæ omnia & accipiuntur & perferuntur animis moderatissimis, & uultu modestissimo. CAB. Audiui sępenumero eiusmodi narrari mihi, quũ agerem in Gallia legatus Fernandi regis. Sed omitte quæso nunc ista, aut differ aliud in tẽpus. uides nos esse in ludo miraculi, cui est proximũ Carrossorũ. hoc age, de pila sit iam sermo, oblectãdi nostri gratia. SCIN. Amabò ne assideamus, sed deambulantes colloquamur, quæ fuerit collibitum. quà ibimus? hác ne per diui Stephani, an illàc ad portã regalem, & uisemus in regia Fernandum ducem Calabriæ? CAB. Ne fortè optimi principis interpellemus studia sapientiæ. BOR. Præstabit mulas accersere, ut uehentes

hentes loquamur. CAB. Ne amittamus quæso usum pedum & crurũ, tempus est sudũ ac serenũ, & aura frigidiuscula, satius erit pedestres quàm equestres incedere. BOR. Eamus hàc igitur per diui Ioannis Hospitalis, ad uicum marinũ. CAB. Spectabimus obiter deco ras formas. BOR. Apage pedestres, erit dedecori. SCIN. Maiori est mea sententia dedeco ri, uiros pendere de iudicio puellarum rudium atq; ineptarum. CAB. Vis ne ut rectà ea- mus per plateam ficus, & Diuæ Teclæ? SCIN. Non, sed per uicum tabernæ gallinacei. nam in eo uico cupio uidere ædes, in quibus natus est Viues meus. sunt enim, ut acce- pi, descendentibus ad sinistram postremę in uico. & inuisam eadem opera sorores eius. BOR. Omitte nunc quęso muliebres uisitationes. si mulierem uis alloqui, eamus potius ad Angelam Zabatã, cum qua erunt confabulationes literatæ. CAB. Vtinã si id cupitis, adesset Marchiona Zeneti. SCIN. Si uera sunt quæ de illa, cum essem in Gallià, audiui, maius est id argumentũ, quàm ut de illo tractari leuiter, & ab aliud agẽtibus uel possit, uel debeat. BOR. Ascendemus ad Diui Martini, an descendemus per uicum Vallesij, ad plateam uillæ rasæ? CAB. Hàc inde ad sphæristeriũ Barzij, seu mauis Masconorũ. BOR. In Gallia habetis ne ad hunc modum ludos in publico? SCIN. De alijs Galliæ urbibus non possem tibi respondere. Lutetiæ scio nullũ esse: sed in priuato multa, uelut in subur bijs Diui Iacobi, D. Marcelli, D. Germani. CAB. Et in ipsa ciuitate famosissimũ, quod uo cant Bracchæ. BOR. Luditur eadem illic ratione, qua hic? SCIN. Eadẽ prorsum, nisi quòd magister ludi præbet illic calceos, & pileos lusorios. BOR. Cuiusmodi sunt? SCIN. Cal- cei sunt coactilitij. BOR. Non essent hic utiles. CAB. Videlicet in uia lapidosa. in Francia uerò & Belgica luditur super pauimentum lateribus constratum, planum & æquabile. SCIN. Pilei sunt æstate leuiores, in hyeme aũt crassi, profundi, cũ offendice sub mento, ne in agitatione uel elabantur ex capite, uel decidant in oculos. BOR. Offendimento hic non utimur, nisi quũ est uentus uehementior. sed quales habent pilas? SCIN. Nullos fe- rè folles, ut hic: sed sphærulas minores uestratibus, & multò duriores, ex corio albo. to- mentum est, nõ ut in uestris, lanugo è pannis tonsa, sed pili ferè canini: eamq; ob causam raro luditur palma. BOR. Quomodo ergo percutiunt pilam? pugno ut folles? SCIN. Ne sic quidem, sed reticulo. BOR. Confecto ex filo? SCIN. Ex fidibus crassiusculis, quales fe rè sunt sextæ in testudine. habẽt funẽ tensum, & reliqua ut hic in ludis domesticis. sub fu nem misisse globum, uicium est, seu peccatum. signa sunt bina, seu mauis metas: numeri quaterni, quindecim, triginta, quadraginta quinq; seu antegressio, æqualitas numero- rum: uictoria, quæ est duplex, ut cũ dicitur uicimus signum, & uicimus ludum. Pila aũt uel ex uolatu remittitur, uel ex primo resultu: ex secundo enim ictus est inualidus, & ibi fit signũ, ubi pila est percussa. BOR. Non sunt alię lusiones quàm sphęræ? SCIN. In ciuita- te, quod hic, aut plures: sed inter scholasticos nulla alia permissu magistrorũ exercetur. sed interdũ clàm luditur folijs & aciebus: pueruli talis, nequiores taxillis. Nos instituto- rem habebamus Anneum, qui obscœno die lusum foliorũ concedebat: sed de illo, & in uniuersum de lusione omni tulerat sex leges, quas descriptas in tabella appẽderat in cu biculo. BOR. Ne graueris rogo te, & eas nobis referre, quemadmodum alia feceris. SCIN. Pergamus deambulare. nam incredibili teneor desiderio patriæ aspiciẽdę, tamdiu à me non uisæ. BOR. Conscendamus mulas, ut ambulemus cõmodius, tum etiam honestius. SCIN. Honestatẽ hanc nõ emerim crepitu digitorũ. BOR. Ac ne ego quidem, ut uerũ fa tear, manũ ob eam mouerim: sed nescio quo pacto magis id uidetur decere nostras per- sonas. CAB. Isthuc quidem rectè, sed sumus tres, & in angustis uijs aut hominũ frequen- tia disiungeremur: unde necesse esset uel interrumpi sermonem, uel multa semper à no- strum aliquo non exaudiri, neq; intelligi. BOR. Esto sanè ita: pergamus pedestres, ingre- dere per angiportum hunc ad plateã Pegnarogiorũ. SCIN. Optime, inde per fabros cla uiles ad uicũ dulciarium, tum ad forum fructuariũ. BOR. Quin potius olitoriũ? SCIN. V- trumq; est. qui libentius oleribus uescuntur, uocent olitoriũ: qui fructibus, fructuarium. Quæ amplitudo fori? quæ descriptio uendentiũ, & rerum uenum expositarũ? qui odor ex fructibus? quãta uarietas, mundicies, nitor? nõ possunt horti excogitari huic foro pa res. quæ aũt ædilis nostri & eius ministrorũ solertia & diligentia, ne quis emptor fraude à uenditore capiatur? Est ne ille, qui mula uehitur, Honoratus Ioannius? CAB. Nõ, ut ar-

bitror:nã unus ex meis pueris,qui eum modò cõuenit, reliquit illũ abdentẽ se in bibliothecam suã:qui si sciret nos unà esse,nõ deesset haud dubiè nostro sermoni,& nostris ludis seria sua posthaberet.BOR.Profer tandem leges.SCIN.Extricemus nos ab hac turba per plateã Diuæ uirginis redẽptoriæ, ad uicũ fumalis, & Diui Augustini, ubi minor est frequẽtia.CAB.Ne discedamus tam procul ab urbis corpore.ascẽdamus potius per uicũ crumenariũ ad cliuũ,inde ad uicũ militarẽ, & ædes familiæ uestræ Scintilla, cuius parietes lugere adhuc uidentur mihi heroëm illũ comitẽ Oliuanũ.BOR. Imò luctu deposito,talem iuuenẽ in tãti senis locũ succesisse seriò triũphant.SCIN. O q̃ iuuat intueri curiã,& quadruplex forũ præfecti urbis,quod iam ferè familiæ uestræ Cabanilliæ hæreditariũ uidet,ciuile,criminale, & tercentũ solidorũ:quæ ædificia:quæ facies urbis?BOR.Nusquã potes rectius leges ferre,q̃ in foro & curia,ede tandẽ. Nã de laudib. seu de admiratione potius nostrę ciuitatis,aliàs erit dicẽdi locus aptior.SCIN.Prima lex, quãdo ludẽdũ. Homo ꝓpter res serias est cõditus,nõ propter nugas &lusus.lusus aũt reperti ad reficiendũ animũ lassum à serijs.tũc igit ludendũ, quũ animus aut corpus erit defatigatũ: nec aliter sumendũ,q̃ somnus,cibus,potus,& alia,quæ uires renouant ac reficiũt.alioqui iniuicio est,quẽadmodũ alia,quę nõ suo fiũt tẽpore.Secũda lex,cũ quib.ludendũ.Quẽadmodũ facturus iter,aut iturus ad cõuiuiũ,diligẽter dispicis,qui sint futuri sodales,aut comites: sic in ludo animaduertendũ cũ quib. ludes,ut sint homines tibi noti.nam in ignotis magnum est periculũ,& uerũ prouerbiũ Plauti:Lupus est homini homo, qui qualis sit nõ nouit.Sint etiã belli,festiui, comes,cũ quibus periculũ nõ sit: ne rixeris,aut pugnes,aut aliquid uel facias,uel dicas turpiter atq̃ indecorè:ne sint blasphemi in Deũ, aut deieratores:nõ in dictis spurci,ne quid ex cõtagione affricẽt tuis moríb.prauũ ac flagitiosum. deniq̃ sint ij,qui nõ aliã ad ludum mentẽ adferãt, q̃ tu:nempe ut à labore cõquiescat & leuẽt animus. Tertia lex,quo ludo.Primũ noto:nam ignoratione nõ potest subesse delectatio,nec ludẽtis,nec colluſorũ,nec spectatorũ. deinde quod simul animũ reficiat,& corpus exerceat,siquidẽ tẽpus ac ualetudo patitur.Sin secus,ludus sit in quo nõ omnia possit mera sors.insit etiã peritia,quę possit casum corrigere. Quarta lex,qua sponsione.Nec nulla spõsione,quod est fatuũ,& celerrimè exatiat:nec ita magna,quæ in ipsa lusione inquietet animũ,& si uincaris,mordeat ac discruciet. nõ est hic lusus,sed carnificina. Quinta lex,quẽadmodũ. Vt antecq̃ ad ludendũ assideas,reputes te ad refocillandũ animũ uenire,in cuius aleã cõijcias pauculos numos,hoc est emas illis refectionẽ defatigationis.cogita esse sortẽ, hoc est uariã, incertã,instabilẽ, cõmunem.nullã idcirco tibi fieri iniuriã,si perdas:ut id feras æquo animo,ne cõtrahas uultũ, & suffundas eum tristitia:ne prorumpas in cõuicia,& maledicta,aut aduersus colluſorẽ,aut quempiã ex spectatoribus.si lucrifacias,ne sis in colluſorẽ insolẽter dicax.prorsum toto ludo sis comis, hilaris,facetus,iocosus,citra scurrilitatẽ & petulantiã: ne des significationẽ ullã fraudis, sordium,aut auaricię.in cõtentione ne sis pertinax,minime omniũ iurator,memor rem illam totã(etiam si meliorem causam habeas) nõ esse tanti,ut nomen Domini adferas in testimonium.Spectatores memineris esse uelut iudices ludi. si quid illi pronunciarint, cedito,nullã edens notã improbationis.hoc modo & lusus fit delectatio, & probi adolescentis grata est educatio ingenua. Sexta lex,quandiu ludendum. Quoad sentias animum renouatum iam,& reparatum ad laborẽ,& uocat hora ad negociũ serium. Qui secus faxit,improbè factum uideri,uelitis Quirites iubeatis.BOR. CAB.Sicuti rogauit.

CORPVS HOMINIS EXTERIVS.

Durerius pictor, Grynæus, Velius.

DVR.Facessite hinc,nam uos nihil emetis,sat scio:&estis mihi impedimẽto,quo minus accedãt emptores propius.GR.Imò uerò nos uolumus emere, modò uel preciũ relinquas nostro arbitratu,& tẽpus ipse præscribas: aut cõtrà , nos tẽpus,tu preciũ. DVR.Bella negociatio,mihi nihil est opus tricis eiusmodi. GR. Cuius est hæc imago,& quanti indicas? DVR. Imago est Scipionis Africani, & indico sestertijs numis quadringentis,aut nõ multo minoris.GR.Quæso te priusq̃ uerbo uno eam addicas nobis,examinemus artẽ picturæ:& hic Velius est sesquiphysicus, peritissimus humani corporis. DVR.Iam dudũ intelligo me à uobis intricari. sed interea dum mercatores nulli adsunt,

nuga-

nugamini quantũ libuerit. GR. Nugas tu uocas peritiã artis tuę, quid faceres alienę? VEL. Primũ omniũ uerticẽ contexisti capillis multis & planis, quũ uertex dicat quasi uortex, à uertendis capillis: ut in fluuijs uidemus, quũ aqua se cõuoluit. DVR. Inepte, nõ cõsideras eũ esse male pexũ, more illorũ tẽporum. VEL. Brechma habet inæqualiter deflexũ. DVR. Acceperat uulnus miles ad Trebiã, quũ seruauit patrẽ. GR. Vbi tu id legisti? DVR. In decadib. Titi Liuij amisis. VEL. Tẽpora sunt nimis tumentia. DVR. Caua essent signũ dementiæ. VEL. Occipitiũ uellem uidere. DVR. Verte tabulã. GR. Cur dixit Cato inter cætera oracula, Frons occipitio prior est? DVR. Quàm estis fatui: an nõ in quouis homine prius cernis frontẽ, cꝫ occiput? GR. Quosdã prius uideo auersos cꝫ aduersos. DVR. Et ego libẽter, ut tales emptores & milites. VEL. Cato sensit, præsentiã domini potiorẽ esse ad curationẽ rerum, cꝫ absentiã. Cæterũ cur antias adeò lõgas? DVR. Loqueris de his ca proneis. VEL. Etiã. DVR. Non habuerat multis mensibus tonsorẽ ad manũ, uelut in Hispania. VEL. Glabellã hanc cur cõtra ipsius uerbi etymon fecisti hirtã? DVR. Tu ipse uulsellis pilos detrahito. VEL. Et uibrissas extantes extra nares. sed tu, quæ tua est uersutia, culpam abs te reijcias in tonsorẽ. DVR. Inscie, nõ animaduertis eos fuisse ætatis illius mores, seueros, tristes, rusticanos. VEL. Imperite, nõ legisti Scipionẽ hunc ex omnib. sui tẽporis hominibus exultissimũ & politissimũ fuisse, & amantẽ elegãtiarũ? DVR. Expressus est, quũ exularet Lintherni. GR. Superciliũ hoc est grande, & cõueniens Latio: ciliũ habet nimis cauũ, & genas depressas. DVR. Ex uigilijs castrensibus. GR. Tu nõ solum es pictor, sed rhetor, ualde uersatus in translatione criminũ. DVR. Et uos quantũ intelligo, in criminationibus. VEL. Malas habet nimiũ tumentes, & buccas istas. DVR. Inflat classicum. GR. Et tu inflabas calicẽ, quũ hæc pingeres. VEL. Imò uerò utrẽ. sed alibi fecisti pilosum, palpebras ferè nullas appinxisti. DVR. Ex morbo illi deciderunt. GR. Quo morbo? DVR. Quære ab illius medico. GR. Iám ne intelligis, ob tuã tantã imperitiã detrahi debere de summa centũ sestertios? DVR. Imò ob uestras cauillatiões & interrogationes adeò molestas, addi ducẽtos oportere. VEL. Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audiui ceruleas habuisse. DVR. Et ego cæsias, ut Mineruã bellatricẽ. VEL. Hirquos fecisti nimiũ carnosos, & sinus humẽtes. DVR. Flebat accusatus à Catone. VEL. Mandibulæ sunt nimis longæ, & barba densissima ac profusissima: tũ pilos dicas setas porcinas. DVR. Vos sine modo ullo estis loquaces, & argutuli cauillatores. Abite hinc. nam tabulę nõ fiet uobis amplius copia. VEL. Amabò mi Durerí, dum alios nõ habes licitatores, sine nobis hic cauillari. DVR. Qua mercede? VEL. Adscribemus amabò hic tibi singula distícha, quo tabula fiat uendibilior. DVR. Nihil opus est meæ arti uestra cõmendatione. nam periti emptores, & picturæ intelligentes, nõ emunt uersus, sed artificiũ. VEL. Sed nares habet nimium patulas. DVR. Erat iratus accusatoribus. VEL. Nõ uidemus ualleculã. DVR. Latet sub barba: ac ne mentũ quidem cernitis, neqꝫ anthereonẽ. GR. Horum omniũ fecisti tu cõpendium, beneficio grandis barbæ. VEL. Collũ placet mihi rectũ, & musculosum, itẽ iuguli. DVR. Gratulandũ est superis, quòd tibi aliquid probatur. VEL. At ne nihil in hoc quoqꝫ desiderẽ, iugulos nõ habet satis cauos: quod in Socrate Phrysiognomon annotatum, tardi esse ingenij signũ pronũciauit. Armos istos uoluissem paulo erectiores, & ampliores. DVR. Nõ tã erat miles bellator, cꝫ imperator. Nõ audiuisti apophthegma huius? de quo quũ milites quidã dicerẽt, nõ adeò eũ esse ualentẽ militẽ, ac imperatorẽ sapientem, is respondit, Imperatorẽ me genuit mater mea, non militẽ. Sed discedite, si nõ estis empturi. nam uideo accedẽtes quosdã negociatores publicanos. VEL. Eamus deambulatũ, & inter nos de humano colloquemur corpore, sine Scipiõe ac tabula. Simus nasus non decet generosam faciẽ. GR. Quid bosimus? quales fuerũt Hunni. VEL. Apage monstra. GR. Silones non sunt minus deformes. Persæ aquilos uenerabantur, propter Cyrũ, quẽ ferunt ea fuisse forma. VEL. Ancon & campe sunt in brachio, quod in crure poples & genu, lacertus inde usqꝫ ad manũ, à cuius musculis etiã crura dicuntur lacertosa. GR. Nonne is est cubitus, ut apud mẽsores? VEL. Est is quidẽ cubitus, & ancon ipse cubitus. GR. Vnde ergo rex Romanus Ancus? VEL. Ab incuruo cubito. GR. Manus sequit, maximum omniũ instrumentorũ, secta in digitos, pollicẽ, indicẽ, mediũ siue infamẽ, minimo proximũ, minimũ. VEL. Cur medius infamis? quid designauit flagitij? GR. Institutor no

ſter dixit,ſe quidem ſcire cauſam,nolle tamẽ ediſſerere,quòd eſſet turpis. Ne quæſieris igitur. non enim decet bonæ indolis adoleſcentes turpia ſcrutari. VEL. Atqui minimo proximum δακτυλικὸν Græci appellant,quaſi annularem. GR. Ita planè.ſed in ſiniſtra,nõ in dextra,quòd in eo ſoliti eſſent olim annulos geſtare. VEL. Qua de cauſa? GR. Aiunt à corde protendi illuc uenam, quæ quum annulo redimitur, uelut cor ipſum coronatur. Nodi digitorum ſunt condyli,& pro pugni percuſſu uox ea uſurpatur.inter nodos ſunt internodia,& generali uerbo artus,atq; articuli. Tiberiũ Cæſarẽ memoriæ produnt tam firmis fuiſſe digitorũ articulis,ut digito recens malum terebraret. VEL. Didiciſti chiromantiam? GR. Ne nomen quidem ipſum audieram.quid ita? VEL. Diuinaſſes hîc nobis aliquid ex inciſuris. GR. Negaui me ſcire:& res ſic habet. ſed ſi nunc me noſſe aliquid profiterer,& attentius manũ tuã cõtemplarer,libenter me auſcultares,& homini eiuſce impoſturæ imperitiſsimo fidẽ non omnino abrogares. VEL. Quî ſic? GR. Quia id eſt hominum ingeniũ,ut libenter eos audiant,qui ſe recõdita uel euentura profitentur enunciaturos. VEL. Vnde ſunt Scæuolæ? GR. Quaſi ſcæuę:à ſcæa,quę eſt ſiniſtra. Aiũt in ſexu fœmineo eſſe ſcæuas plures,q; in noſtro. VEL. Quæ eſt uola? GR. Cauũ manus,ubi inciſurę. VEL. Quid inuolare? GR. Id quod tu agis:libẽter furari, ſurripere,quaſi uola abſcondere,& quod rabioſa Lucretia,inuolare in oculos pediſſequarũ. Reliquũ corpus dẽpto capite eſt truncus, & ex trunco thorax, concauũ pectoris uſq; ad uentriculũ & coſtas: concauũ quidem interius.nam exterius inter brachia & pectus,ſinus eſt. Sub uentriculo eſt uenter,& in uentre imo pecten,& pudenda. VEL. An nõ pudendus magis podex, ſiue anus? GR. Vtrunq; pudendũ:poſterius ob turpitudinẽ, anterius ob flagitiũ & dedecus. Femur,& ut olim loquebanẽ, femen,nunc malũt pluratiuè femina. à genu eſt crus, cuius os tibia dicitur:carnoſum uerò illud poſterius,ſura. poſtremò pes,manui nõ abſimilis:nam & digitos habet, & uolã,quæ & ueſtigiũ dicitur,& ſolum pedis. VEL. Quid? num nõ ueſtigiũ,quod à pede imprimitur? GR. Et illud ipſum,& ſolum pedis. VEL. Noſtin' quæ ſint in corpore uirtutũ ſedes? GR. Quę tandem? VEL. In fronte pudor,in dextera fides,in genu miſericordia. GR. Planta pedis non eſt ipſum ſolũ pedis. VEL. At ſic putant multi. GR. Atqui Plinius ſcribit eſſe gentẽ, quę ſibi umbram faciat in meridie planta pedis,quam habent uaſtam admodum atq; enormem. quî fieri id poteſt? VEL. Profectò planta eſt à cruris uertebra ad digitos.

EDVCATIO.

Flexibulus, Grympherantes, Gorgopas.

FLEX. Quánam gratia miſit te huc ad me pater tuus? GR. Dixit te eſſe hominem egregiè inſtitutum,ſapienter educatum,eaq; de cauſa gratum huic ciuitati: cupere ſe,ut ego eiſdem quibus tu,ueſtigijs inſiſtens,perueniam ad ſimilem fauorẽ populi. FL. Quo modo igitur te id aſſecuturũ cenſes? GR. Ingenua educatione, quali te omnes prædicãt eſſe prædituũ. Adiecit pater,eam educationẽ magis decere me,quàm alium quemuis. FL. Cedo mi fili,quomodo ea in re uenis à patre imbutus? GR. Non tam me pater præceptis inſtruxit,q; patruus quidã meus,uir ſenex,uerſatus multũ & diu in Regũ comitatibus. FL. Quid ergo illi te docuerũt,mi fili & amice? GOR. Vide uir prudẽtiſsime,ne fortè per ignorantiã labaris in dictũ aliquod aut factũ ſtultum uel ruſticanũ, unde amittas iſtud nomen optimè educati. FL. Quid? tam leuiter ne apud uos perit? GOR. Vel unica uocula,unico flexu poplitis,unica inclinatione capitis. FL. Nimis eſt inter uos delicatũ,& infirmũ,inter nos enim multo eſt robuſtius & firmius. GOR. Sic ſunt noſtra iudicia, ut noſtra corpora,quæ nullã ferunt offenſionẽ. FL. Imò,ut eſt uidere, facilius ferunt corpora quàm animi. GOR. Fortaſſe tu nõ noſti hunc,ideo filium & amicũ nominas. FL. An non ſunt hæc honeſta nomina,& plena beneuolentiæ? GOR. Beneuolentię credo,quam nos haud magni ſanè facimus:ſed non reuerentiæ,neq; officij,quę nos anxiè uenamur.nam hic dominus ſolet appellitari,nõ amicus. An non animaduertis domini præfationẽ ante prænomen,& famulos uerſicolores? non annotaſti in aui huius ſolennibus parentalibus, tot cereos, tot inſignia, tot homines atratos? FL. Quid ergo affectas tu omnibus eſſe dominus,nulli amicus? GR. Ita docuerunt me propinqui mei. FL. Edat iam,mi domine, tua excellentia præclara illa tuorum conſanguineorũ documenta. GOR. Videris tu

mihi

mihi puerum hunc naſo ſuſpendere. at non eſt quilibet, ne feceris. GR. Primũ, eſſe me ex honeſtiſsima progenie, quæ nulli cedat per uniuerſam hanc prouinciam: idcirco curandum mihi diligenter, atq; annitendum, ne degenerẽ à maiorum meorũ uirtute. illos paraſſe ſibi magnũ decus, nemini concedendo de loco, de dignitate, de authoritate, de appellatione: me idẽ debere facere. Si quis quid uelit de honore detrahere, pugnandũ ſtatim cũ eo: de pecunia, oportere eſſe largũ, atq; adeò profuſum: in honore aſtrictũ & attentum. decere nihilominus, me ac mei ſimiles aſſurgere alijs, uia cedere, ducere, reducere, nudare caput, poplitẽ incuruare: non q̃ alius quipiam id mereatur à me ſibi exhiberi, ſed q̃ ſic cõciliabo mihi fauorem hominũ, captabo auram popularẽ, & parabo illum quẽ tãtopere geſtamus ſemper in ore & in corde honorẽ. in ea educatiõe ſitũ eſſe diſcrimen nobilis & ignobilis: q̃ nobilis ad illa omnia dexterè præſtãda inſtitutus eſt atq; aſſuefactus: ignobilis agreſti more nihil illorum doctus eſt facere. FL. Et excellentiæ tuæ, domine, qualis uidetur eiuſmodi inſtitutio? GR. Qualis uerò? niſi multo optima, & digna meo genere. FL. Quid ergo eſt aliud, quod à me requiras? GR. Nihil planè reſtaret mea ſentẽtia, niſi acceſsiſſet uolũtas patris, qui iuſsit prorſum, ſeu uerius imperauit rigidè, ut ad te uenirẽ: ut ſi quid in hac educatione noſtes magis recõditũ, & quaſi myſteriũ ſacratius, quo maius mihi decus acquirerẽ, in gratiam ſui ne grauareris exponere, quo familia noſtra alioqui honeſtiſsima & celſiſsima altius aſcenderet. quoniã ſunt non pauci noui homines, qui freti ſua opulentia, nactiq; dignitatẽ & honores, per diuitias emerſerunt, adeò ut etiam audeant cum uetuſtate & decoribus gentis noſtræ cõtendere. FL. Facinus nefandum. GR. Nónne? FL. Vel cæco eſſet clarũ. GR. Itaq; noui illi homines ambulant comitati longo aſſeclarum ordine, ipſi ſegmentati in ueſtibus, uel bombycini uilloſi interciſi, uel texti Attalici, ut nos nihil eſſe præ illis uideamur, qui uillato ueſtimur, diſsimulandę paupertatis gratia. Præmium autem huius tui laboris, ſi operam hanc nauaris patri, erit, recipi te in numerum noſtræ familię, & admitti ad illius gratiã, & meam, ut procedente tempore aliquod à nobis accipias beneficiũ, ſiſq; ſemper in noſtra clientela, & quaſi tutela. FL. Quid poteſt dici amplius, aut optabilius? Sed cedò iam, ſi aperias caput, ac cedas uia & loco, appelles blandè, quam ob cauſam eris gratus ijs, quibus cũ uerſabere? GR. Ob eam ipſam cauſam, quia hæc ago. FL. Iſthæc omnia exteriora ſunt ſolum ſigna, quæ denotant aliquid eſſe in animo tuo, propter quod diligare. nam ipſa per ſe nemo diligit. GR. Quidni diligant omnes, quæ ſunt honeſtæ conuerſationis, in mea preſertim nobilitate? FLEX. Parum admodum es progreſſus, quod liceat inter nos dicere: & tu te peruenisſe iam arbitraris ad ſummum. GRYM. Nihil neceſſe habeo parare mihi literas atq; eruditionem. maiores mei reliquerunt mihi unde uiuam, quod etiam ſi deſit, non iſtis eſt mihi artibus quærendum, tam ignobilibus, ſed haſtæ cuſpide, & enſe diſtricto. FLEX. Animoſè iſthuc quidem & ferociter. quaſi uerò quia es nobilis, non ſis futurus homo. GR. Bona uerba. FL. Ecqua tandem parte tui es homo? GR. Me toto. FL. An corpore, quo non differs à beluis? GR. Minimè. FL. Non ergo te toto. ratione igitur & mente. GR. Quidni? FL. Si hanc ergo ſinis incultã & ſylueſtrem, excolis aũt corpus, & illi uni ſtudes, an non tranſis ab humana in ferinam conditionẽ? Sed ad id de quo cœperamus loqui. nam hæc digreſsio, ſi uellem mihi indulgere, longiſsimè nos à propoſito abduceret. Verùm quum tu cedis de uia, & nudas caput, qualem te eſſe alij exiſtimant? GR. Nobilem, & generoſè informatum atq; inſtitutum. FL. Nimium durus es. nihil 'ne domi audiuiſti de animo, de probitate, de modeſtia, de moderatione? GR. In templo nonnunquam audiui de concionatoribus. FL. Quum illa abs te uident occurrentes fieri, iudicant te eſſe adoleſcentem modeſtum, probum, bene de ipſis iudicantẽ, de te aũt moderatè. qua ex opinione naſcitur beneuolentia & fauor. GR. Explicatius id quæſo. FL. Huc pertinet mea ratio. ſi te homines exiſtimarent adeò ſuperbum, ut ſe omnes contemneres præ te, nudare tamen caput, & genu flectere, non quòd ipſis is honor debeatur, ſed quòd te deceat: putas tu ullũ fore, qui tibi haberet gratiã, aut te de honoris illa falſa ſimulatione diligeret? GR. Quidni? FL. Quia id tu tibi præſtas, & tua gratia facis, nõ illorũ. quis enim iudicabit ſe deuinctũ tibi de eo, quod pro te ipſo feceris, nõ pro ſe? an ego honorẽ eum uelut mihi impẽſum accipiã, quẽ tu tribuis opinioni de te, nõ meis

meritis? GR. Ita uidetur. FL. Ergo paratur beneuolentia, si illi credãt sibi honorẽ illũ dari, nõ ut tu habearis comior ac nobilior. istud uerò nõ fiet, nisi eam de te induãt opinionẽ, q̃ tu illos esse potiores ducas te, & dignos quibus tu cõcedas. GOR. At nõ est ita tamen. FL. Quantuncunq; hoc sit falsum, in eo tamẽ necesse est eos falli: alioqui nunq; cõsequẽ ris, quod tantopere expetis. GR. Quę igitur erit persuadẽdi uia? FL. Facilis, modò animũ sedulò aduertas. GR. Profer quæso. nã ea de causa huc sum missus, & eris semp in nostra clientela. FL. Nimis crudũ est hoc pomũ. GR. Quid tu mussas? FL. Dico uiam esse unicã: si sis talis, qualẽ te credi cupis. GR. Quî isthuc? FL. Si uis aliquid calfacere, adfers ne fictum ignẽ? GR. Nõ, sed uerũ. FL. Si scindere, an pictũ in tela gladiũ? GR. Nõ, sed ferreũ. FL. Non est igitur eadẽ uis rerum uerarũ, quæ fictarũ. GR. Apparet nõ esse. FL. Nec tu idẽ efficies simulata moderatione, quod uera. nam falsa ipsa se aliquãdo produnt, uera semper sunt eadẽ. In ficta moderatione aliquid aliquãdo dices, aut facies publicè aut priuatim, quũ tibi excides (neq; enim semper te, & ubiq; poteris obseruare) unde fictus deprehẽdaris: & quantũ prius ignotus diligebare, tantum postea cognitus sis odio, & longè plus. GR. Quomodo igit mihi ipse indicã germanã illam animi moderationẽ, quã tu præcipis? FL. Si persuaseris tibi, id quod res habet, alios esse meliores te. GOR. Meliores uero? ubi tandem? in cœlo credo. nam in terra pares sunt paucissimi, melior nemo. GR. Sic audiui sæpe de patre & patruo. FL. Multũ abducit uos à cognitiõe ueri, nominũ ignorãtia. Quid tu uocas bonũ? ut sciamus, nũ sit aliquis te melior. GR. Quid ego scio, quid sit bonũ: ex bonis esse progenitũ. FL. Ignoras etiã, num quid sit bonũ: & iam tenes, quid sit melius. quomodo peruenisti ad cõparatiua, quũ nõdũ positiua didiceris? ipsos aũt tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? qua tu id nota cognoscis? GR. Quid? negas tu fuisse illos bonos? FL. Nõ noui illos, quomodo de illorũ bonitate possum aliquid in alterutram partẽ statuere? quæro modò, qua ratione assequaris tu fuisse illos bonos? GR. Quia ita omnes prędicãt. sed quorsum, rogo te, pertinẽt tam molestę interrogationes? FL. Nõ sunt molestæ, sed necessariæ, ut accipias quod ex me sciscitaris. GR. Confer, quæso te, in pauca. FL. Multis esset id explicandũ, cuius tam crassa ignorantia inuolueris: sed quãdo ita es fastidiosus, dicam breuius, q̃ res tanta dici postulat. defige iam oculos tuos in me, dum dissero. Qui sunt dicẽdi eruditi? an nõ ij qui habẽt eruditionẽ? qui opulenti? an nõ qui habẽt opes? GR. Indubiè. FL. Qui ergo boni? num nõ ij demũ qui habent bona? GR. Ita planè. FL. Missas nũc diuitias faciamus, quę nõ sunt uera bona: quæ si essent, multi patre tuo inuenirent meliores: & negociatores ac fœneratores præstarent bonitate uiros bonos, & sapientes. GR. Sic uidetur, ut dicis. FL. Expende ergo attentè ac diligenter singula eorũ quæ referã. an nõ est bonum, acutũ ingenium, sagax, maturũ iudiciũ, integrũ, sanum, tum eruditio uaria, & magnarũ rerum atq; utiliũ, prudentia, exercitatio in rebus præstantibus, consiliũ, dexteritas in exequendis negocijs? quid tu de istis? GR. Vel sola nomina uidentur mihi pulchra profectò, & magnifica, quanto magis res ipsæ? FL. Age porrò, quid sapientia, quid religio, pietas in Deum, in patriã, parentes, necessarios, iustitia, tẽperantia, liberalitas, magnanimitas, cõtemptus casuũ humanorũ, & fortis animus in aduersis, quid uerò ista? GR. Præstantissima etiã hæc. FL. Hæc sola sunt hominis bona. nam reliqua omnia, quæ cõmemorari possint, bonis & malis sunt cõmunia: atq; ea de causa nec bona. quæso manda sedulò memoriæ. GR. Faciam. FL. Peruelim. nam ingeniũ tuum non malum est, sed non benè excultum. Reputa igitur cum animo tuo, an tu hæc habeas: & si habes, quàm pauca, & ea quàm tenuiter. quod ubi examinaueris acutè ac subtiliter, intelliges tum demũ, te non magnis nec multis esse bonis ornatum ac instructum, nec esse in populo qui pauciora habeat quàm tu. Nam in multitudine alij sunt senes, uiderunt atq; audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarũ: alij studiosi, qui ingenium discendo exacuunt & expoliunt: alij capessunt rempublicã: alij libenter & diligenter uersant scriptores profuturos, alij sunt seduli patresfamiliàs, alij alias artes profitentur & præstant. uel ipsi agricolæ quàm multa ex arcanis naturæ tenent? nautæ uerò cursum dierum & noctium, naturam uentorum, positus terrarum & maris. alij ex multitudine sunt uiri sacri & religiosi, qui numen piè uenerantur ac colunt: alij res prosperas moderatè rexerunt, & fortiter pertulerunt aduersas. quid horum tu nosti? quid

ſti: quid exerces: quid pręſtas: nihil omnino, præterq; illud: Nemo eſt melior me, bono ſum natus genere. Quî potes eſſe melior, q̃ nondũ es bonus: nec pater tuus, nec auí tui, aut proaui fuerũt boni, niſi hęc habuerũt, quę recenſui, quę an habuerint, tu uideris: ego multũ dubito. Sed ſi habuerũt, tu certe nõ eris bonus, niſi illorũ fias ſimilis. GR. Planè terruiſti, & pudefeciſti me: nõ inuenio quod poſsim uel hiſcere in contrarium. GOR. Nihil horum intellexi, tenebras mihi offudiſti ante oculos. FL. Nimirũ uenis ad hæc nimis durus, & longe diuerſis opinionib. infectus & mãcipatus. Sed tu adoleſcẽs, quo te nũc tandem nomine cenſes appellandũ: dominũ, an mancipium: GR. Mancipiũ. nam ſi ita eſt ut diſſeruiſti, & intelligo nihil eſſe uerius, cõplures ſunt ſerui multo potiores ac præſtãtiores me. FL. Hęc ne leuiter deguſtes, cõfer te domũ, & ſolus tecũ reuolue, excute, perpende. quo magis uerſaueris, hoc ueriora & certiora eſſe intelliges. GR. Obſecro te, adijce alia, ſi qua habes. nã momento horæ ſentio me adeò immutatũ, ut prorſũ uidear mihi iam eſſe alius. FL. Vtinã cõtigerit tibi, quod Polæmoni philoſopho. GR. Quid illi cõtigit: FL. Vna Xenocratis oratione ex nequiſsimo & perditiſsimo factus eſt ſapiẽtiæ ac uirtutũ omnium ſtudioſiſsimus, euaſitq; magni nominis philoſophus, & Xenocratis in Academia ſucceſſor. Sed tu, mi fili, ubi aperte cognoueris, quantũ tibi ad bonitatẽ deſit, quod alijs multis ſupereſt: uere & ex animo cedes alijs, & in eis honorabis bonitatẽ, qua uides illos ornatos, te aũt carere. Iam & ex reputatiõe tui ipſius, uileſces tibi, ac ſordebis, adeò ut nemini occurras tam abiecto cõtemptoq;, quẽ nõ tibi anteponat cõſcientia tuę mentis. nõ enim adduci poteris, ut credas quenq; eſſe peiorem te, niſi quòd illius malicia & nequitia protulit ſe foras, tua deliteſcit cautius. GR. Quid tum ſequetur: FL. Hoc ſi feceris, ueram ipſam ſolidamq; ingenuam educationem atq; urbanitatẽ, ſeu, ut nunc loquimur, aulicitatem aſſequêre, eris gratus & charus omnibus. ſed id non iam magnifacies: eris autem, quod unicæ tum tibi erit curæ, gratus Deo immortali.

PRÆCEPTA EDVCATIONIS.

Budæus, Grympherantes.

QVæ'nã eſt iſthæc tanta & tam ſubita mutatio: inter Ouidij Metamorphoſes poſſet referri: GR. In peiús ne an in melius: BVD. In melius, mea ſententia: ſi quidẽ ab exteriore cultu, geſtu, uerbis, actionibus bonã mentem licet æſtimare ac colligere. GR. Eſt ergo quod mihi poſsis gratulari, ſodalis iucũdiſsime. BVD. Ego uerò & gratulor tibi, & ut pergas exhortor, magnaq; in dies bonæ iſtius frugis ut capias incrementa, Deum ac diuos omnes cõprecor. Sed amabò, ne inuideas familiari tam charo artẽ adeò pręſtantẽ ac præclarã, quę breui tẽpore tantum humano pectori probitatis inſtillet. GR. Ars & fons riui huius uberrimus eſt Flexibulus, ſi eum noſti. BVD. Quis nõ norit uirũ, ut à patre & maiorib. natu audiui, ingentis prudẽtiæ atq; uſus rerum, huic ciuitati nõ notum modò, ſed charum, & in paucis uenerabilẽ: O te felicẽ, qui illum propius audiueris, & ſis cum eo familiariter uerſatus, unde tantũ retuleris fructus ad rectã compoſitionẽ morũ. GR. Quanto tu felicior, cui hæc domi naſcunt, quod aiunt: & potes nõ ſemel aut iterum, ut ego, ſed quotidie, quoties libuerit, talẽ patrẽ audire maximis & utiliſsimis de reb. ſapiẽter diſſerentẽ. BVD. Omitte nunc iſta, de te & Flexibulo procedat ſermo inſtitutus. GR. Taceamus igiẽ de patre tuo, quãdo ita eſt tibi cordi: redeamus ad Flexibulũ. nihil uiri illius ſermõe dulcius, nihil cõſilijs cordatius, nihil pręceptis grauius, prudẽtius, ſanctius. Itaq; guſtu hoc, quẽ mihi ille de ſe præbuit, aucta & incenſa eſt mihi mirũ in modum ſitis hauriendi ex tam dulci fonte ſapientiæ. Narrãt, qui orbẽ terrarum deſcribunt, fontes eſſe admirabilis ingenij ac naturę, alios inebriare, alios ebrietatẽ tollere, alios ſtuporẽ immittere, alios ſomnũ. fontẽ hunc, hãc ego uim habere ſum expertus, ut ex bruto efficiat hominẽ, ex perdito & nequã frugi, ex homine angelũ. BVD. Poſſem'ne & ego ex eodem fõte aliquid uel extremis labris delibare: GR. Quidni poſsis: domũ tibi, ubi habitet, cõmõſtrabo. BVD. Iſthuc quidẽ aliàs. tu uerò inter deambulandũ, (aut aſſideamus, ſi lubet) aliquot mihi refer ex illius pręceptionibus, quas optimas eſſe & potiſsimas cẽſeas. GR. Equidẽ recenſebo lubens, cũ ut tibi gratificer & proſim, ſi queam: quũ ad meã recordationem. Primũ omnium docuit me, debere unumquenq; nõ magnificè de ſe ſentire, ſed moderatè, ſeu uerius demiſſè. hoc eſſe optimæ educationis, ac ueræ comitatis ſolidũ fun-

damentũ ac propriũ. Hinc nauare operã, ut animũ excolat, atq; exornet cognitione rerum, scientia, & exercitamentis uirtutũ. alioqui hominẽ nõ hominẽ esse, sed pecus. Rebus sacris interesse, cũ maxima attentione & reuerẽtia. Quicquid illic seu audias, siue uideas, existimare magnũ, admirabile, diuinũ, & quę captũ tuũ exuperẽt. Crebrò te CHRISTO cõmendare precibus, in illo spem & fiduciam omnẽ collocandã. Parentibus obsequentẽ se præbere: inseruire illis, ministrare, & quacunq; ualeat cõmodare, prodesse, adiuuare. Magistrũ colere, ac diligere tanquã parentẽ, non corporis, sed (quod amplius est) mentis. Sacerdotes domini reuereri, illorumq; doctrinę audientẽ se exhibere: qui referunt nobis personã Apostolorum, atq; adeò Domini ipsius. Senibus assurgendũ, caput nudandũ, attentè illos auscultandũ à quib. ob diutinũ usum rerũ collecta sit prudẽtia. Magistratus honorare, illisq; aliquid imperantibus dicto esse audientem, quibus cura nostri à Deo est cõmissa. Viros magni ingenij, magnæ eruditionis, probos, suspicere, admirari, colere, bene illis cupere, & amicitiã illorũ ac familiaritatẽ expetere, ex qua magni fructus reportẽtur: & is potissimũ, ut similes eorũ euadamus. Deniq; ijs qui sunt in dignitate, deberi reuerentiã: idcirco impendendã esse liberaliter, ac libenter. Quid tu de hisce præceptis dicis? BVD. Mea quidẽ sententia, deprompta esse ex diuite quodã prudentiæ promptuario. Sed dic mihi, an non sunt multi ad dignitatẽ euecti homines indignissimi, uelut sacerdotes non respondentes tanto titulo, & magistratus praui, & senes stulti ac deliri? quid quæso de his sentiebat Flexibulus? an eodem esse honore prosequendos, quo potiores? GR. Nõ ignorabat Flexibulus, esse tales nõ paucos: sed nõ concedebat ætati nostrę, ut nos inter eiusmodi & alios poneremus discrimen. nondũ tantũ esse nactos nos uel ingenij, uel prudentiæ, ut id possimus dijudicare, eam censurã & sapientibus esse uiris relinquendã, & ijs quibus illorũ est regimen cõmissum. BVD. Recte hoc quidẽ, ut uidetur. GR. Addebat nõ debere adolescentẽ in nudãdo capite lentũ esse, nõ in flectendo genu, nõ in unoquoq; honorificè appellando, non in comi sermone ac moderato. Nõ decere multũ loqui apud maiores natu, aut superiores. id em̃ alienũ esse à reuerẽtia illis debita: sed tacitũ illos auscultare, & ab eis haurire prudentiã, cognitionẽ rerũ uariarũ, rectã atq; expeditã loquendi rationẽ. Breuissima est ad scientiã uia, audiendi diligentia. Prudentis & ingenioſi esse, de reb. iudicare uniuscuiusq;, de eo quod probè nouit. ideoq; negabat ferendũ esse adolescentẽ ad pronunciandũ ac definiendũ procliuem. debere illũ in statuendo, aut iudicando de re quantũcunq; leui ac exigua, esse cunctabundũ, seu potius timidũ, conscium uidelicet suæ ignorantię. Quòd si in iudicio de re qualibet par est adolescentẽ esse talẽ, quid fiet de literis, de disciplinis, de legibus patrijs, de ritibus, de moribus atq; institutis maiorũ, de quib. nõ solum sententiã ferre iuuenem, sed nec disputare, aut uocare in quęstionẽ sinebat Flexibulus: nõ cauillari, nõ rationẽ reposcere, sed tacitè ac modestè obtẽperare. quod dictũ Platonis authoritate fulciebat, magni in sapientia uiri. BVD. Quid si sunt leges aut mores praui, iniqui, tyrãnici? GR. Idẽ & de hoc Flexibulus differebat, quod de senibus. Nõ ignoro equidẽ, aiebat ille, multos esse receptos in ciuitate mores parum probabiles, sancitas esse leges aliquas iniquas: sed tu imperitus, inexpertus rerũ uitę, quomodo id censebis? nondũ eò peruenisti eruditione & usu rerũ, ut de eo possis statuere. fortasse quæ tua est ignorantia, uel animi libido, improbas esse leges iudicabis, quæ sint rectissimæ, & magno cõsilio statutæ: rursum uerò optimas, quas iustũ esset abrogare. sine illos de ijs inquirere, disputare, definire, qui causam queunt de singulis probabilẽ reddere: tu id nõ posses. BVD. Ita est planè. Perge ad alia. GR. Nullum esse decentius aut gratiosius adolescẽti ornamentũ, quàm uerecundiam. Nihil impudentia tetrius aut inuisius. Magnum esse ętati nostræ ab ira periculum. ab ea nos ad turpes actiones corripi, quarum paulo pòst grauissimè pœniteat. Multum itaq; esse cum illa luctandum, quoad omnino prosternatur, ne nos ipsa prosternat. Ociosus homo, saxum: male occupatus, bellua: bene occupatus, uerè homo. Homines nihil agendo, male agere discunt. Cibum & potum metiendum naturali desiderio famis aut sitis, non gulositate aut pecuina libidine infarciendi corporis. Quid potest dici tetrius, quàm hominem ea ingerere in suum corpus, edendo & bibendo, quæ exuant illum humana conditione, transferant in beluinam, aut etiam in stipitem? Compositio

positio oris & cũcti corporis, quemadmodũ animus sit intus habitus, loquitur. Sed ex uniuersa exteriore facie nullũ animi speculum aiebat esse certius, quàm oculos. ideoq; conuenire, illos esse sedatos & quietos, non elatos, nec deiectos, non mobiles, sed nec rigentes: faciem ipsam non in toruitatem nec ferociam compositam, sed ad hilaritatem atq; affabilitatem. Sordes & obscœnitates abesse decet à ueste, uictu, conuictu, sermone. Sermonem nostrũ nec arrogantem ac pauidum, nec uicissim abiectum & effœminatũ uolebat esse. Simplicem aũt, & minimè captiosum, nõ detortũ ad prauas interpretationes. nam id si fiat, nihil erit tutũ loqui, & frangitur generosa loquendi indoles, stultis ac ineptis cauillis. Manus quũ uerba facimus, nõ iactandas, nõ caput quatiendũ, non crispandum latus, non uultum corrugandum & distorquendum, nõ pedes agitandos. Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud æquè abominabatur. Intemperantia facit nos belluas, mendaciũ diabolos, ueritas semideos. à Deo natam esse ueritatẽ, à diabolo mendaciũ: nec est aliud ad uitæ cõmunionem perinde damnosum. Multo iustius debere ab hominum consortio pelli mendacem, quàm qui est furatus, aut qui aliquem pulsauit, aut qui adulterauit numũ. Quæ enim esse potest uel rerum ac negociorũ contractio, uel cõsociatio sermonũ, cum eo qui aliud loquitur, aliud sentit? cum reliquis uitiorum generibus esse potest aliqua, cũ hoc nulla. De sodalibus & amicitijs adolescentum multum ille loquebatur, & accuratè, non exiguum id esse momentum ad probitatem aut flagitia nostræ ætatis: transire ad amicorum nostrorum & sodalium mores tanquam contagie: & tales nos uerè fieri, quales ij sint quibuscum uersemur. idcirco eam in rem magnam esse diligentiam atq; operam nauandam. Nec permittebat nobis, ut ipsi amicitias & familiaritates deligeremus: sed ut à parentibus, aut magistris, aut educatoribus nostris delectas & traditas acciperemus, & coleremus. illos ratione duci in eligendo, nos autem rapi praua animi aliqua cupiditate, uel libidine. quòd si quo casu in necessitudines inciderimus inutiles aut noxias, à superiore authoritate admonitos, abijcere illas quamprimũ oportere. Dicebat ille quidem cum alia permulta, magna sanè atq; admirabilia, tum hæc ipsa diffusius & exactius. Sed hæc erat propemodum de recta adolescentiæ educatione summa. Bredæ Brabanticæ, die Visitationis diuæ uirginis. M. D. XXXVIII.

IO. LODOVICI VIVIS
DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS
ad Idiaqueum à secretis Caroli v.

QVVM instituerem, Idiaquee, opusculum de Epistolis componendis edere, quarum permagnus est usus in omnes uitæ partes, uisum est mihi tuo nomini inscribere: non quòd his meis præceptis ipse indigeas, qui præceptores facultatis huius ac duces habes Ciceronẽ & Plinium: quorũ uestigijs felicissimè insistis, magna cũ admiratione omniũ, qui sciunt, quàm breui tempore, quod in latinis literis cõcupieras, sis assecutus. Sed quia nemini magis uidetur ea tractatio congruere, quàm ei, cui sunt quotidie permultæ maximis de rebus Latinæ epistolæ, cum tuo ipsius, tum Caroli Cæsaris nomine cõscribendæ. denicq; pro nostra cõiunctissima amicitia & uoluntate mutua, quicquid ab altero proficiscatur, nõ potest nõ esse alteri lõge gratissimũ. Epistola est sermo absentiũ per literas. in hoc enim ea est reperta, ut cõceptus animi, & cogitata aliorũ ad alios fida mãdati interpres & nuncia perferat. Epistolarũ usus est, inquit D. Ambrosius ad Sabinũ, ut disiuncti locorũ interuallis, affectu adhæreamus, in quibus inter absentes imago refulget presentię: & collocutio scripta separatos copulat, in quibus etiã cum amico miscemus animũ, & mentẽ ei nostram infun

dimus. sic ille. dicta est Græcis à mittendo ἐπιστολὴν, ceu quis dicat missoriam, uocabulo nõ recepto. Nam inter præsentes nihil opus est epistola, nihil fortè si quid certis præscriptis & es acturus uerbis. ut Suetonius Cæsarem Augustũ refert sermones cum singulis, etiam cum Liuia sua grauiores, non nisi scriptos, & è libello habere solitum: ne plus minus ue loqueretur ex tempore quàm oporteret. & arrogantissimus ille dominus Romæ nihil unquam cum seruis egit, nisi nutibus, aut descripto, sicuti est apud Tacitum. Excogitati quoq; codicilli inter homines eadem in urbe ac uicinia, sed quibus uisere inter se parum uel placebat, uel licebat, aut certe commodius scriptis agebatur res: quorum codicillorum frequens est apud Ciceronẽ, Tacitum, & alios mentio. Antiquissimæ epistolæ in hoc unũ paratæ erant, ut aliquid absenti nunciarent de re publica aut priuata, quid actum, quid futurum, quid gereretur, quid uellent fieri, aut secus. Cuiusmodi uidemus esse Ciceronianas, & præcipuè ad T. Atticum. Deinceps omnia, quæ dici, quæq; scribi possent, sub epistolæ ambitum uenerunt. Cicero ad Curionem: Epistolarum, inquit, genera multa esse nõ ignoras. sed unum illud certissimũ, cuius causa res ipsa inuenta est, ut certiores faceremus absentes, si quid eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ magnopere me delectant: unum familiare & iocosum, alterum seuerum & graue. Itaq; illa uera est & germana epistola, per quam significamus alicui, id quod in negocijs uel eius interest scire, uel nostra. quales sunt propemodum nunciatoriæ, petitoriæ, commendatitiæ, consultoriæ, admonitoriæ: & si quæ sunt eius generis, quę uicem absentiæ scribentis impleant. Additæ sunt postea consolatoriæ, conciliatoriæ, præceptoriæ, disputatoriæ de omni argumento philosophiæ, iuris, antiquitatis, omnium denique disciplinarum, atq; earum rerum, quæ de scripto inter maximè præsentes agerentur. sic à Platone de Philosophia scribitur ad Dionysium & alios, à Seneca ad Lucilium, à Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Cypriano, de rebus sacris ad uarios. citantur Catonis Censorij, & multorum Iurisconsultorũ libri, de quæsitis aut responsis per epistolam. Nolo in præsentia differere, quàm latè nomen epistolæ extendendum sit. sed certè si recipimus, ut quicquid salutationem præfert, epistola dicatur: quid causæ erit, quin libri Tusculanarum quæstionum Ciceronis, aut de Finibus, epistolæ nominentur ad Brutum? de Senectute uerò & Amicitia, ad Atticum: de Officijs, ad Marcum filium: uel si orationi pro Milone, aut in Verrem, salutationem præponas, ad Iudices, epistolæ sint? sed nõ fit ideo uir ea femina, quæ sumit femoralia, aut ense cingitur: ita non omnis liber fit epistola, cui proposita est salutatio, nisi naturam & ingenium sumat epistolæ, quam statim demonstrabimus. Benè Plinius Cæcilius, Aliud est historiam scribere, aliud epistolam: significans, in natura illarum esse discrimen.

DE INVENTIONE.

INuentionem epistolarum cum aliqua parte dispositionis coniungemus, præcipuè in exordijs: propterea quod hæc sæpenumero disiungi non possunt commodè. eadem enim sunt locis aliquot de utrisq; præcepta: & plerisq; epistolas scripturi maximè circa principia conflictantur, tanquam inter scopulos, facileq; reliquum cursum conficerent: si modò euasissent ex ambagibus portus. Initio illud præfandum est, inuentionem omnem non solum epistolæ, uerùm cuiuscũq; alterius generis, sermonis, orationis ue, ut etiam in his quæ loquimur, haud penitus artis esse, sed prudentiæ: quæ paritur ex ingenio, memoria, iudicio, atq; usu rerum: à nobis uerò tradendis artibus adiuuatur, non perficitur: admonetur, non omnino instituitur. ne quis se uel hoc loco, uel in alijs, aut à me ipso, aut ab alio quopiam scriptore aut magistro plenam cognitionem componendarum epistolarum, alteriusq; omnino generis orationis accepturum speret. Sunt enim qui præcepta damnent tanquam inutilia, quæ non statim ex stupido acutum reddant, peritum ex rudi. itaq; sit hoc primum præceptum, adiuuari à nobis inuentionem, & promoueri hisce formulis: quæ nec ipsæ uirium sunt aliquid habituræ, nisi usus atq; exercitatio accesserit. Hæc præfatus, ad rem uenio.

SCripturus epistolam consideret, quis, & cui scribat, & quibus de rebus, qui simus nos ad illum, qui ille in se, aut enim ignoti sumus, aut noti, amici aut inimici, leuiter seu dubiè amici, aut apertè, & arctè, pares aut impares. & hoc uarijs in rebus: genere, fortunis

tunis,eruditione,ętate.Tum ille quo genere,plebeius an patricius,honesto an sordido, qua fortuna,summa,magna,mediocri,infima,nulla, quo rerum statu,liber an seruus, opinionsus an obscurus, bonæ an malæ famæ, ociosus an occupatus, sutor aut sartor. qua eruditione,magna,mediocri,media. Theologus, Medicus, Philosophus, Iuriscōsultus, usu rerum an secus. quo ingenio & moribus,tristis an hilaris,remissus an seuerus,placidus an iracundus,humanus an supercilioſus,facilis an difficilis,acutus an hebes. hæc enim uno mentis intuitu facilè percurremus omnia, & momento temporis. Frequenter enim excusandum est,quòd ignotus scribas,aut leuiter amicus, aut tanto uiro, aut ei in quem forsan crederis inimico esse animo:hoc primum purgabis.nam ita fert natura ipsa nostri ingenij,ut resoluta epistola, & lecto scribentis nomine, admiretur is cui scribitur,si ab ignoto,si à leuiter charo,si ab inimico mittatur:ita uel impudentiæ, uel temeritatis, uel arrogantiæ, uel dementiæ scribentem apud animum suum statim initio damnat,quo fit ut nō tantum aspernetur literas,sed authorem ipsum oderit:idq; eo acrius,si supercilioſus sit, aut morosus, & in eum ipsum odij affectum procliuis. ergo occurrendum.Nam & in ipso foro noui oratores re ipsa cogebantur,ante alia omnia de se loqui, cur dicerent.Sic Cicero pro Sex.Roscio Amerino, quam orationem habuit ad Iudices primam:& pro lege Manilia,quæ fuit ad populum prima. Sumendum igitur principium uel ex te,aut rebus tuis:uel ex illo,aut rebus eius:uel ex re ipsa,de qua scribis:idq; tanquā exordiolo.Ex te ad hunc ferè modum:Semper te amasse & coluisse illum, ubiq; optimè & sensisse de illo, & dixisse, dolere quòd tam diu illi ignotus, aut tenuiter notus fueris,quem ita sis semper de ingenio ac uirtute admiratus: aut dolore,quòd in animum eius inciderit ea suspicio de tua in eum uoluntate, quā tu amicitiam illam semper inter præcipua tua bona numeraris. allegabis, si potes,documentū aliquod amicæ tuæ uoluntatis erga illum:culpam reijcies in eos,qui uestræ amicitię inuiderint:aut in illum ipsum scilicet, sed modestè, & sine asperitate:aut in tuam imprudentiam ac ætatem.aut apertè culpam fateberis,si ita res poscat:pœnitere te,& daturum operā,ut reipsa sentiat, quemadmodū sis iam affectus erga illum. A rebus tuis, amicitiā cōmunem cū aliquo demonstrabis,aut paternam. Ab illo,ingenium,literas,humanitatem,uirtutes,quas es in eo admiratus,adduxisse te ad scribendum,ut in conciliatorijs.ignotus es, sed ille omnes incredibili humilitate cōplectitur, aut cupiditate benefaciendi. tum literæ eius,aut prudentia effecerūt, ne ipse aut cuiquā esse possit ignotus, aut quenquā putare debeat ignotum sibi, aut ad se nihil pertinere. Idem de potentia, ut duci, ut regi, ad quem tanquam ad asylum accurrendum est:nec discernendum quis notus,quis ignotus. omnes sunt satis noti,qui se illius curæ crediderunt.Efficiendum potissimum, ut magis uideamur uirtutibus illius adducti,quàm allecti fortuna.& in cōmemoratione uirtutum, ne sit species ulla assentationis: sed id ostendemus nos habere compertum, uel in nobis,si quo affecti sumus beneficio ab illo, uel audisse ab ijs qui experti sunt, uel cognouisse nos ipsos,uel uidisse.ita testimonium aliquod afferemus ex opere: ut in uiris doctis, ex libris ab eis editis, orationibus habitis, prælectionibus, disputationibus. & ea maximè cōmemorabimus illius bona,quæ ad rem, de qua scripturi sumus, aptissima fuerint: ut clementiam,si petimus ueniam: humanitatem,si amicitiam: liberalitatē, si beneficium: prudentiam & probitatem,si consilium. A rebus ipsius, uel à cōmuni amicitia, à paterna:à rebus de quibus scribimus,ut rem esse honestam,doctam, argutam,ideo dignā de qua illi scribatur:aut necessariam,ideo coactos esse nos ad eam tanquam ad aram cōfugere: uelut ob fortunas ad diuitem, ob iusticiam ad Iudicem, ad regem, ad Magistratū. maluisse nos uicij cuius uis suspicionem subire,tametsi nobis grauissimā,in animo duntaxat illius, quem nos tanti facimus, quàm non scribere. necessitatem fortissimum esse telum,cui nemo resistat: & honestius est, quum id fit pro altero. aut rem esse eiusmodi, ut quum eam pernouerit, non te uel temerarium iudicet qui scripseris, uel confidentē, sed uirum haudquaquam malum, & in rebus bonis animosum.contrà potius iudicaturus esset socordem te, si neglexisses. Est etiā apud amicum excusandum, cur de reliqua scribas, de qua poteras coràm agere. Cic.Luceio: Coràm me tecū eadem hæc agere sæpè conantē, deterruit pudor quidam penè subrusticus, quæ nunc exponam absens au-

dacius.epistola enim non erubescit.Hæc est prima coitio,quæ,ut ille dicit in comœdia, acerrima est:cætera sunt proniora post hanc,& magis expedita.Ideo prima epistola uehementer est elaborandum,ne apud nouum erga nos animum in suspicionẽ ueniamus cuiusquam uicij,aut impudentiæ,aut arrogantiæ,aut loquacitatis,aut ostentationis,aut trafriciei, aut putidæ affectionis, aut immodicæ assentationis,& parasiticæ,aut scurrilitatis, aut imperitiæ, aut imprudentiæ. Plurimum enim in prima compactione positum est,sicut in uasis teneris adhuc & mollibus,quum coalescunt.Nec puto quenquam admonendum esse,non omnia omnibus congruere:uidendum cui possis admirationem de ipso tuam allegare,cui paternum hospitium,cui curam subditorum. quòd si nihil habes,quare scribas excusandum:tum contemplabere,qui sit ille cui scribis.nam hinc tota epistola temperatur.Ad fortunatum & supercilioſum reuerentius,modò absit assentatio:ad morosum & asperum,parcius & leuius:ad rudem aut hebetem,apertius:ad ingenioſum,accuratius,& maiore apparatu, si eo delectatur, & sic se uenerari arguit. docto ad antiquitatem accõmodatius, ad occupatum breuiter, ad ocioſum fusius, si rem non ingratam facturus es:ad hilarem lætè, ad humanum minus scrupuloſè & anxiè, ad seuerum subtristè,ad remissum iocoſè,ad mœstum mœstè,ad amicum certum apertè,& cum magna fiducia, ad incertum dubiè: sed sic, ut se credat diligi, & diligas reuera.hoc lex naturæ,hoc melior naturæ lege Christus iubet: ita ut ingratitudinis ille sese damnet meritò,ni redamet.ad inimicum,ut cogites amicum posse fieri,& apertus semper paratusq; maneat reditus in gratiam,ut absit omnis asperitas, & mansuetudinem quandam animi exeras etiam in inimicum: & præstabit meminisse professionis nostræ,qua uetamur quenquam odisse:ita ut emendatum illum ostendas cupere te,non perditum:& uicium odisse,amare hominem.ad parem & charum,simpliciter ac familiariter: ad minus familiarẽ,cautius & comiter,citra deiectionem:ad inferiorem,humanè,ut non uidearis loqui ex alto,sed exæquo, uel infimis. hoc boni mores suadent, hoc pietas sacrosancta præcipit.exempla erunt usu facilia.Omnino tollendum est è uita genus illud epistolarũ fallax,insulsum,ineptum,quo signa omnia uoluntatum confunduntur: adeò blandum & assentatorium,ut nullo penitus modo scribentis possit animus dignosci. quales sunt epistolæ,quæ nominantur aulicæ,& benè educatæ. nam humanus cogitatus tanta mole corporis contectus,impenetrabilis est,profertur quodamtenus sermone.quod si hic quoq; fictus sit penitus & contectus,quid reliquum fit ad hominem noscendum? qualis erit hominum cõmunicatio,& societas inter se,quum nemo beneuolum & maleuolum distinguet,& lupum ad se recipiet pro ouicula:aut hanc fugiet,lupi sæuitiam formidans? sed hæc alterius sunt instituti.Iam de rebus epistolæ.

DE REBVS EPISTOLARVM.

EPistola quascunq; res potest continere.sed nos propius ad rationem præceptorum in aliquot eam genera partiemur:pingui quidem & rudi Minerua, sed ad captũ tyronum appositè. Nam uel de rebus ad nos spectantibus loquimur, uel ad eum cui scribimus, uel ad utrunq;, uel de alienis. Sunt in nobis, ut in omnibus hominibus, animus & corpus:sunt externa.In animo,mens:in qua iudicium,sagacitas,ingenium: & in hoc acumen, celeritas, hebetudo, tarditas, eruditio,ruditas,memoria, thesaurus eruditionis & rerum omnium quæ uidimus, quæ audiuimus, deniq; aliquo cepimus sensu, siue exteriori, siue interiori.in eadem facilitas, difficultas,firmitas,imbecillitas.est etiam uoluntas,in qua expetitiones & fugæ rerum, tum bonarum tum malarum. sub his partibus affectus læti in re præsenti, & tristes, & utriq; in re futura & præterita. In corpore, quæ ad extremam cutem, color, species, aut deformitas:quæ in neruis,robur aut infirmitas:quæ in intimis,ualetudo: quæ ad totum, pulchritudo aut fœditas: tum quæ ad id sustentandũ,uictus.Extrà nos sunt pecuniæ,uestimenta,deniq; omnia quæ possidentur:honor,dignitas, genus,acta, amici,patria, inimici,infamia, & post nos posteritas.Ergo epistola uel ad nos pertinet, in commemoratione alicuius rei, ex ijs quæ diximus.uelut in ingenio,enarratio nostrorum studiorum: in memoria, gratiarum habitio, uel actio:in uoluntate,explicatio morũ:in affectibus,si qua re sumus cõmoti:in corpore qua ualetudine, in externis qua fortuna, quid amici pro nobis egerint, aut non egerint,

rint,aut inimici nocuerint aut tentarint. Itaq; uel aliquid cupimus in ingenio,ſicut auxi lium eruditioni aut prudentiæ: in memoria,cognitioni rerũ: in uoluntate,moribus aut pietati:quæ ſunt cõſultoriæ.in affectibus,beneuolentiã cõciliare,quæ eſt conciliatoria: aut fouere aut augere cõſeruatã,quę eſt officioſa: aut querelã uel indignationẽ apud il lum effundimus.In corpore remediũ, aut conſeruationẽ ualetudinis,aut firmitatis: uel pertinet ad uictum:quæ ſunt partim ex conſultorijs,partim ex petitorijs. In rebus exter nis,omnes quibus aliquid cupimus, uocantur Petitoriæ, quæ de pecunia,dignitate,ho nore contra inimicũ,ſi auxilium imploratur: pro amico aũt,nominatur Cõmendatitia. In illo cui ſcribimus,aut aliquid eius narramus tantũ,aut etiam laudamus,quæ eſt Pane gyrica: aut ad uoluptatẽ, quum iocamur,aut fabellam referimus,quæ illũ exhilaret,aut ad cõmodum eius pertinet:quales ſunt præceptoriæ,cõſultoriæ,hortatoriæ,admonito riæ,caſtigatoriæ,gratificatoriæ,de rebus omnibus,de ingenio,de memoria,de corpore & rebus eius.de externis,quæ ſunt cõſolatoriæ & incitatoriæ,quę ad affectus tendunt, & aliæ quibus affectũ aliquem uel excitare conamur, uel excitatũ ſedare. Ad utrunq; ſpectant, quæ de cõmunibus rebus, & de communi eruditione, de cõmunibus negocijs:quales ſunt mercatorũ,expoſtulatoriæ,inuectiuæ.Alienę ſunt,quum refertur quid geſtum uel in aliena domo,uel in aliena republica, quid quis dixerit,egerit,cogitarit:& loquor ad ſenſum gentilium,nimis iam à nobis receptum atq; approbatum, qui præter ſua & amicorũ,ciuitatisq; publica, reliqua à ſe aliena exiſtimabant eſſe. Quãto rectius, & ad naturam propius,ſenex ille in fabula,ad ſe cruciantem:Homo ſum,humani nihil à me alienum puto.Adminiſcentur uerò narrationes illiuſmodi, omnibus epiſtolarũ ge neribus,& fiunt miſtæ epiſtolæ.quę omnia ſint à me dicta uelut exempli gratia.Quis e nim aut uniuerſa complectatur,aut perſequatur ſingula,quę ſunt infinita:meritoq; Phi loſophi negarunt de ſingularibus, utpote innumeris, eſſe ſcientiam. Sed nos iam uſum incipiamus tradere. De noſtris rebus dicemus modicè, modeſtè, pudibundè,parcè,ut abſit ſpecies omnis arrogantię,quam ne in maximis quidem uiris ferimus:uideturq; ue lut uenenum, quod res alioqui pulcherrimas ſuperfuſum corrumpit. Ad eundem mo dum ſi de iniuria uel contumelia noſtri querimur,aut omnino uerba facimus,ne uidea mur cæci amore noſtri rapi(quod uitium Græci φιλαυτίαν nominant, contrarium Apol linis præcepto, quo admonemur, ut ſe quiſq; norit) ſed ducí iudicio:ita ne multum de trahamus illi,de quo querimur, dum nobis indulgemus, ne illud audiamus de Satyra: Quum tua peruideas oculis malè lippus inunctis, Cur in amicorum uitium tam cernis acutum,Quàm aut aquila,aut ſerpens Epidaurius?Ita rem non exaggerabimus uerbo rum atrocitate, ſed ciuiliter omnia explicabimus, & manſuetè. Scribere uerò nos ad il lum potiſsimè dicemus,quod pro ſummo noſtro mutuo amore libenter curas omneis, cogitationes,affectus,læta & triſtia in illius ſinum deponimus: id eſſe nobis unicum le uamen anxietudinũ. Si petimus,aut rem honeſtam, aut mediã: nam turpem nec decet bonum uirũ petere, nec petitam concedere. honeſtam uoco, conſilium,amicitiam,ad monitionem,inſtitutionẽ:mediam uerò,& quaſi neutram, pecuniã,fauorem, adiumen tum pro nobis,aut amicis.adſit in petitiõe omni pudor (nam inferiorẽ ſe facit, quiſquis rogat:) ſed in alijs rebus, & apud alios, maior aut minor. Rem honeſtam liberius pete mus,& audacius,modò ne admiſceatur impudentia, & uelut imperioſitas quædã, tan quam nõ roges,ſed imperes.quod in Bruto culpat M.Tullius.Oſtendes cur petas, cur ab eo potiſsimũ.nam ſi cauſa non ſit petendi,uidetur res inſolens,aut arrogans,aut ine pta & ſuperuacanea petere.uelut ſi uetula,uel auriga,à magno Theologo rogat explica ri ſibi myſteriũ Trinitatis,ut ab Auguſtino traditur, uel Hilario. Tum, cur ab eo petas, quòd plurimũ in ea re ualeat:ſcire te,illum non negare alijs, minus negaturum tibi,ami co,beneuolo, admiratori. Ad ſimilem modum in conciliatione amicitię,eſſe te admira torem linguæ Græcę & Latinæ,quę quũ in illo ſint exactiſsimæ,cupere,te eſſe illi perſa miliarem. porrò illum tamen eſſe, ut humanitate illa inexhauſta uniuerſos ad ſe alliciat & complectatur.Apud amicũ, aut hominẽ ualde humanũ ac facilem,quiq; ſolet liben ter eiuſmodi præbere,quæ nos cupimus,breuius licebit agere & ſimplicius, oſtenſa fi ducia ex amicitia noſtra, aut illius moribus: quę fiducia ualet etiã apud leuiter amicos,

ut prę nobis feramus magnam beneuolentiã, ex qua oritur huiuſmodi fiducia. Nam indignantur ſæpenumero amici, magnis & ambitioſis precibus aliquid ab ſe amicos contendere: ſuſpicantur enim illos non ſatis amare, aut confidere amori mutuo. Quòd ſi in rebus honeſtiſsimis attingendum, cur pietas, & cur ab illo: quãto id magis faciendũ eſt in re media? in qua erit adhibenda cura paulò maior. Sed id quoq; ex perſonis tẽperandum eſt, eius ad quem ſcribitur, & qui ſcribit. quippe ſi ſit pater, aut frater, aut chariſsimus, aut qui debet, aut qui ſemper ſolet: nihil opus eſt magno uerborũ ambitu, niſi res ſint mutatæ. ut duriora & difficiliora tempora, iactura rei familiaris, te factum minus amabilem, aut quid tale. Diſcipulus incunctãter petit à magiſtro, quæ ſunt inſtitutionis: priuatus à magiſtratu, quæ iuris aut æquitatis: doctus à potente uel principe, alimẽta ocij literarij. Nam ſi ab his nõ petat, qui dabunt? ſartores ne & rhedarij? tum quòd doctus adiuuat principem bonis monitis, princeps doctũ fauore ac pecunia, uterq; qua re plurimũ ualet. Sin alienior ſit, & non adeò familiaris, oſtende aliquid cur dignus ſis, qui impetres. Ex te, quoniã amicus, aut quòd amaſti ſemper, aut ad illum maluiſti accurrere quàm ad alium quemuis: cui mauis, uel quod tantum amas, uel ob eius probitatẽ, debere hoc tantum beneficium, quàm ulli alteri. uel quod plurimũ ei debes, ideo plus uelis debere: quod eſt ingenui (ſicut Cic. ait) animi. aut quoniam debere omnia graue eſt, malle te bonis debere, quàm indignis: ita enim fit leuius. aut ſi in eum tua ulla extant beneficia, leuiter admoneas, & parce, citra exprobrationem: declara quantũ te deuinciet, quantam habiturus ſis ſemper gratiã, quomodo obſeruaturus ſemper tempus, ut remunereris, ſi qua poſsis. nõ ſolere te ingratũ eſſe, uel minimis beneficijs, aut officijs: quanto minus futurum in hoc tanto, aut tali tempore. Nam petentis gratitudo uehementer elicit dantis benignitatẽ. Si cui opus fuerit, habet ea, quæ ſunt in perſona. Petimus propter genus, propter patriam, propter cõmunionem ſtudiorum, propter magiſtratum, propter amicos, propter inimicos, præſertim cõmunes, hoc ſe rogare, quo eget, ut communium inimicorum audaciã compeſcat, & calumnias retundat: quod eſt telum acerrimũ animo præſertim affecto. Tum ex cauſa, te hoc petere in alimenta ſtudiorũ, liberorum, coniugis, aut amici pauperis. Ex illo: noſſe te liberalitatem eius præſertim in eos, qui ob eiuſmodi cauſas petũt. illum ſcire quid ſit ſtudere, quot rebus ſit opus, aut quid ſit familiam ſuſtinere: ideo didiciſſe miſeris ſuccurrere, non ignarum mali. denicq; ſi nihil ſit in nobis dignum, ob quod petamus, illum certè eſſe dignum, qui det. hoc ei fore pium, honorificum, laudabile, hoc ſemper ſtuduiſſe, in hoc ſubijſſe tot labores, paraſſe tot opes, ut plurimis prodeſſet. Et hæc dicentur ambitioſo reuerenter, graui contractè, læto fuſius & hilarius. ſic tamen, ut ne nimiũ miſeriã noſtram uideamur uelle oſtentare, & quaſi clamare, dignos eſſe nos miſericordia, ut exiſtimemur imbecillè nimis atq; impotenter ferre noſtras res aſperas: ſed obniti & reluctari, quantum poſſumus, premi tamen interdum ab illis atq; urgeri. ſic enim natura fert, ut minus miſereamur eorũ, quos abijcere ſe in aduerſitate cernimus, & nimis lamentari ſuam fortunam, tanquã rem indigniſsimam patiantur: ita ſemper honeſtiores ſunt pro alio lachrymæ, quàm pro nobis ipſis, niſi fortè ignoſci nobis precamur.

DE EPISTOLIS COMMENDATITIIS.

PRo alio quũm petimus, ſi argumentum eſt ſimile ſuperioribus, ad eundem ferè modum tractatur, quo docuimus. Commendationis uerò hæc ſunt præcepta. Primum omniũ, ut dignum oſtendamus hunc eſſe illius gratia & fauore. dignus ſit uel ex commendato, uel ex nobis qui commendamus, uel ex eo ad quem ſcribimus. Ex commendato, ſi demõſtramus in eo eſſe aliquid, propter quod mereatur diligi. percurrendum per ea, quæ in perſona poſui: nempe genus, quia nobilis: patriã, qui Romanus: ingenium, quia feſtiuus, acutus, Græcus, Latinus, Muſicus, Philoſophus, Theologus, uir prudens, & multis in negotijs uerſatus: animum, quia probus, modeſtus, moderatus, & cũ primis gratus, ſi quid ei benefeceris. tum corpus, q̃ agilis, celer, formoſus, robuſtus. Iam externa, q̃ prędiatus, pecunioſus gratioſus, apud regem, apud multitudinem, magiſtratus. Et accõmodanda ſunt hæc moribus, atq; uſu illius. delectatur cognitione ueteris memoriç, hic eſt eius peritiſsimus: claritate generis, hic eſt nobilis: ſtudio armorum, fortis,

fortis, robustus, exercitatus. sic nonnunquam cõmendatur nugator nugatori, aleator aleatori, cõmessator cõmessatori, compotor compotori. habet multos agros hic agricola: cõponit, hic optimus librarius: eget ministro, ad manus hic diligens & fidelis, & is qui semper illum dilexit, admiratus est, appetiuit. natura enim diligimus illos, à quibus amore sumus prouocati. Solent illa addi: talem esse, ut si propius cognouerit, sit nobis habiturus gratiam, quòd talem sibi hominem conciliauimus: non uereri nos, ne mendaces in huius laudibus deprehendamur, né ue incutiant nobis aliena peccata pudorem: cautos nos esse in laudando, nõ consueuisse nisi tales cõmendare. ecquid pœniteat eorum, quos sua cõmendatione esset complexus? multo minus huius. quin & hunc omnes superaturũ. aut non esse hunc huius aut illius similem, cõmendati quidem, sed commendatione dignissimi: in illo cepisse nos documentũ, quales demum cõmendari conueniat. Ad eundem modum alia ornamenta: quæ unusquisq; dato exemplo excogitare sibi poterit, usus quoq; ipse plurima suggeret. Ex nostra parte, si nos ille amat, cui scribimus. nec fictè sufficiet aperire, illum cuius causa laboramus, charũ nobis esse, & illius negotiũ magnæ curæ exponitur sæpe amoris causa, tum ut ille facilius hoc credat: uelut intercedere uetus hospitium, multa ultro & citro beneficia uel officia, affectum à nobis beneficijs gratissimũ se præbuisse, nos eo uti familiariter, compluribus locis profuisse. nonnunquam ut eisdem de rebus ab illo diligatur, & suũ iudicium adiungat nostro, præsertim si quid ille nobis in iudicando tribuit: sin minus, afferemus testimonium eius cui magnã ille fidem habet. charus est nobis de eloquentia, de ingenio: quod ille, si quid me credis posse in hoc censere, habet in numerato. literas Latinas iuxtà & Græcas nouit, ut neminẽ uideat Erasmus aut Budæus, quem possit huic anteponere, aut etiam cõferre. Solent illa quoq; inseri: in hoc homine intelligam, quantũ me ames, quanti me facias: da quęso operã, ut hic quàm primũ, quàm maximas mihi pro cõmendatione hac gratias agat, habeatq́; caue credas hanc esse ex uulgaribus cõmendationibus: non ut alium quemuis tibi cõmendo hunc, sed ut ex me genitum cõmendarem, ideoq́; & mea ipsius manu hoc epistolæ exaraui, quod facere consueui rarius. omnes, quibus tecũ est negotium futurũ, ad me accurrunt, quòd sciant quanta inter nos beneuolentia intercedat, aut quanti ego te faciam, uel tu me: suspicantur plurimũ me apud te ualere, quòd ego eos credere facilè patior: & ne hunc errorẽ eximã, qui est mihi gratissimus atq; honorificentissimus, nemini epistolas cõmendatitias negare possum, petenti ad te. Habẽt principes & potentes uiri, signa quædam inter se: quibus dignoscunt, quàm uerè & ex animo cõmendet, qui scribit. nam sæpe cõmendationes dantur importunis precibus, non amicitiæ aut dignitati personæ: nec licet interdũ recusare. unde sunt illa, Rogatus rogo, Afficio te molestia, quoniã affectus ipse prior: tu quid facto sit opus, uideris: multum huic homini debes, qui sic cupit tibi esse cõmendatus, ut odio me enecarit, donec id extunderet. tanti scilicet te æstimat quum ego diu repugnarim. hæc signa epistolaria, & Græcis olim & Latinis hominibus fuerunt in usu. Græci συνθήματα ὑδιστολιμαῖα nominabant, sicut est apud Gregorium magnum. Cicero etiam ad Q. Valerium libro 13. Adijcitur non rarò cõmendatio rei potius quàm hominis, ut quod habeat negotium iustum, pium, illi cui cõmendatur magnificum, gloriosum, plurimis utile, Reipublicæ salutare ac necessarium: nos magis laborare in hoc, illius ad quem scribimus cura, quàm eius quem cõmendemus: fore eam rem illi honorificã, aut fructuosam: eo beneficio ingentem ipsi fauorẽ ac beneuolentiã uel utilitatem parari, aut ipsi eidem, aut ijs quibus optimè cupiat, nempe liberis, propinquis, affinibus, ciuibus. declarabimus quid possit is quẽ cõmendamus, suo loco efficere, quid soleat, quid eius parentes aut propinqui, quid alij eiusdem ordinis aut nationis. Si nos sumus illi cui scribimus charissimi, aut non leuis momẽti, nequaquã opus est prolixa epistola, & accurata: breues quidã uelut codicilli, & tanquã testificatio iudicij ac uoluntatis nostræ suffecerint. Sin secus, paulo pluribus erit disserendũ, & preces addendæ, & promissio reponendi beneficij, quũ usus poscat. Exempla cõmendatitiarum sunt apud Ciceronẽ & Plinium creberrima.

DE REBVS EIVS AD QVEM SCRIBIMVS.

IN alterius rebus sic semper scribendum, ut uideantur nobis curæ esse. Si tantummo-

do narras, nullo ad eam rem apparatu uel arte opus fuerit. ſimpliciter id poteſt expedíri. Sin laudas, ueriſimiliter id facito: & ea laudato, quæ ſint illi tanquã ſtímulus ad uirtutem. Nam inuenire eſt ingenia nonnulla, quæ laude ad præclara opera incitantur. iſtis adhiberi laudem expediet: ut ferunt equum plus pingueſcere, ſi plana manu dorſum & clunes eius demulceas, quàm pabulo. Sunt contrà alij, qui accepta laude, uelut mercede, ab opere deſiſtunt: illis proderit laudatio, his caſtigatio uel reprehenſio. Sed quũ rem illi charam laudamus, licebit nobis eſſe benignioribus, ſi tamen ea res exiſtimationi noſtrę nocitura non eſt, nec laudatæ rei, ut filio uel amico. Fabellę, aut geſtæ rei narratio, feſtiuitate condietur, ut multum abſit à cothurno & figuris hiſtoricis. repet leui lapſu, ut placidus riuulus: non rapietur, ut torrens: nec intonabit claſsicum, etiam ſi bella referat. Quid in iocis ſequendum, docuit Cicero libro 2. de Oratore, & de Officijs 1. Eſt & caput apud Quintil. de riſu: item apud eundem Ciceronẽ in libris de Oratore. Debet à iocis abeſſe omnis ſcurrilitas, ne ſordidi ſint & putidi: procacitas etiam & petulantia, ne uirulentia ſit magis quàm iocus, neu in miſerum & calamitoſum ſimus dicaces, né ue in probum & grauem uirum. nihil eſt facilius quàm in quemuis dicta dicere: ſed id non eſt cordati hominis, & educati ingenuè. Debent ergo adeſſe iocis elegantia, urbanitas, acumen & facetiæ: in quibus eſt ſedes riſus. nam in alijs admiratio potius eſt, aut delectatio. Longa res eſt, de ſingulis horũ præcipere, & hoc loco, quũ eam rem neget Cicero arte tradi poſſe, quod planè ita eſt. quippe tametſi paratur nõnihil uel exercitatione, uel lectione, tamẽ maxima pars naturæ eſt munus. idcirco cognoſcat ſe quiſq; & ſi ad id nõ eſt natus, ne tentet quidem: ſequitur enim neceſſariò, ut ipſe ſis ridiculus, ſi non ſint tua. Qua de cauſa Demoſthenes, cui putant negatam fuiſſe hanc facultatem, nunquam quod iocum uideri uellet, orationibus ſuis admiſcuit. Et ex facetijs ſunt aliæ breues, quæ in uerbo uno, uel duobus, certè paucis ſunt ſitæ, quæ dicta nuncupamus: aliæ fuſæ in narratione, atq; explicatione rei cuiuſpiam. Illud prius genus à paucis intelligitur, niſi acuto ingenio: unde uetus illud, Perdidi dictum, puto, non intellexit. poſterius iſtud imperitis auribus aptius eſt. Sunt qui iocum nec dicere poſsint, nec ferre. Et quoniam uel ſuperbia humani ingenij, uel generoſitate nemo facilè fert nouum ſuperiorem: hæc; omnes epiſtolæ, præceptoria, admonitoria, conſultoria, adhortatoria, caſtigatoria, obiurgatoria, tanquã ex alto loquuntur: ideo conſiderandum accuratè qui ſcribat, cui, qua de re. Si receptus ſuperior, nihil neceſſaria erit præmolitio, aut dulcoratio: tanquam ſi ſenex & prudens admoneat puerum, aut præceptor diſcipulum caſtiget, uel etiam obiurget: uel pater filium, uel frater natu maior fratrem minorẽ, uel puſillum tutor: uel princeps ſubditos, aut priuatos magiſtratus, modò ſuperior. Nam obiurgari pop. Romanum à Cenſore licebit, à Quæſtore aut Aedile neſcio an liceret. Sed fit interdũ publici boni gratia, qui eſt ualidiſsimus prætextus. Sin uerò par admoneat parem, uel ſuperiorem inferior: uel par aut inferior in una re ſuperiorẽ in alia, uel contrà, quemadmodum ſenex probus iuuenem nobilem, aut locupletem, uel doctus Theologus indoctum Epiſcopum: hîc lenimentis opus erit. Conſiderandum ergo, ut dixi, qui ſcribat, unde ſumuntur lenimenta: non eſſe mirandum ſi ſenex, & tot annos uerſatus in ea re, de qua agitur, admoneat iuuenem: ſic illum minores ſe quandoq; admoniturum. ſe id debere facere pro publico munere, quippe qui ſit concionator, aut magiſtratus, aut curio. Tum qui ille cui ſcribis, non poſſe te reticere, quũ ſit amicus paternus, quum ſit uelut tuæ curæ cõmiſſus, pro neceſsitudine patris & tua. Ab ingenio: non poſſe te abductum tanta indole & acũmine ingenij aliter efficere, quin admoneas, quin conſulas, quæ ad abſoluendum numeris omnibus tale ingenium pertineant, deſiderari tantum hoc ad ſummum ingenium: rogare te, ut id quoq; præſtet, quo magnum quid & admirabile in eo uideamus. Sic in corpore: formam illius ſpecioſiſsimam, quæ eſt uelut muta cõmendatio, impuliſſe te, ut cætera uelis uidere conformia, & digna illa pulchritudine. Iam corpus & fortunas, uel adductum te miſeratione diſtorti & deformis corporis, ut cupias illum ingenti pulchritudine animi deformitatem corporis penſare, & quaſi obtegere: tanto etiam futuram admirabiliorem animi pulchritudinem, quanto fuerit in uaſe fœdiore: ut precioſam gemmam in plumbo, theſaurum in fictilibus.

bus.sic Aesopum,& Socratem,& Epictetum in maximo precio fuisse. A rebus uitæ: optare te,ut tantæ fortunæ respondeant cætera:aut contrà,ne desit animus, quum desit fortuna. Ostensio uicij grauior est multo. Quidam apertam reprehensionem non ferunt, rectam non sentiunt, laudes figuratas & de suis ipsorum uicijs accipiunt & agnoscunt:tanta est in eis suimet ignoratio. Sunt nonnulli eo acumine,ut omnia quorsum dirigantur intelligant: sed reprehendi se tamen nolunt. alij facilè patiuntur reprehendi se atq; obiurgari,sed non à quouis. Planè uarijs ingenijs,ut corporibus,uaria est adhibenda medicina:quod animaduertimus etiam ab Apostolis ipsis factitatum, in studio illo tam ardenti obtemperandi Deo,non placendi hominibus. Qui simpliciter potest sanari, cum eo simpliciter agendum. Si laus de uirtute, quam non habet,prodest, laudetur: quales sunt nonnulli Principum & potentum, & doctorum, atq; ingeniosorum hominum. Si non à quouis admoneri se patitur, nec tu satis magna authoritate fultus, inducas maiorẽ: dic esse uiros graues, qui cum in eo magna & multa bona admirentur, hoc uel illud requirant:esse qui doleant illum cum exceptione laudari: te uerò suscepisse illorum negocium,ut ad eum sententias eorum perferres: quod sit tibi cum ipso necessitudo, quod frequenter scribas, aut quod sis coniunctior, consanguineus,affinis, uetus sodalis,condiscipulus, conterraneus,ciuis, subditus,cliens, uetus assecla,aut horum filius, uel alioqui necessarius. Sin laudibus insolescit ac fit insanior, atq; ad apertam admonitionem est uelut asinus ad lyram,si omnino curæ est tibi eius emendatio, rumpe quod aperire non potes,& disseca quod nequis dissoluere: simpliciter aperteq; obiurga, tum certè functus fueris tuo munere. aut si periculum adeundum est, quid amplius aut magnificentius,quàm pro optima causa? licebit rationes ostendere, quibus impulsus es ad hoc agendum:ut chirurgi declarant,cur aliquid in ægro corpore urendum aut secãdum sit. nihil omnino à te:sed uel ab illo, uel à rebus: quod sit tam clarus,quod tibi cõmendatus,tuæ curæ creditus,uel à parentibus,uel à Christo, uel à ciuitate: ut malis illum tibi inimicum,quàm non omnino bene monuisse. A rebus: quod illud eius uitium damno sit multis,quum sit episcopus, curio, magistratus,Rex,& in Christiana religione.modò adsit modestia, & præscriptum illud Domini de fraterna correptione, nemo non satis habet iuris in quemuis aliũ fratrẽ. Nam si inter eas angustias uersemur,ut difficile sit gratum temperamentum obseruare, habemus Apostolorũ exemplum ex schola Christi,qui rectà ingressi,Deo curabant approbari se, quemcunq; mortalium offenderent. Quòd si omnino profuturus non es, sed magis irritatione tua & tibi nociturus, & alijs: consultius erit Camarinam non mouere, non solum ex gentilium præceptis, quorum illud est: (Frustra autem niti, neq; aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est:) uerùm etiam exemplo & dictis Seruatoris. non est prætermittendum, quin aliquid semper dulcedinis amaritudini admonitionis admisceamus, idq; à laudibus illius. cætera adesse abundè,præter hoc:dolendum,sic naturam nihil undiq; fecisse absolutum: quis non misereatur tale uicium in tali ingenio, aut corpore, aut nobilitate, aut fortunis? Habent consolationes suum locum, ut alia penè omnia quæ hic diximus. sed quandoquidem ex singulis delibamus,de illis quoque est aliquid attingendum. Sumitur ergo consolatio, uel ab eo quem consolamur: non esse istius generis, non decere tantum ingenium uetus studium philosophiæ, non probum & pium,non magistratum,non principem,se affligere. Vel ex rebus: amissam rem non tanti esse,ut dolorem afferat: non esse amissam,sed intermissam: non perditam,sed profectam: nondum esse amissam penitus & deploratam, sustineamus nos, & expectemus exitum, ne quod sapiens consulit, miseri simus ante tempus: multa aliter cecederunt quàm metuebamus: plura sunt quæ nos terrent, quàm quæ urgent. ipsum, uelut patrem,filium,aut necessarium ægrè ferre,sic mœreri suam absentiam uel casum,uel interitum: illi nihil mali contigisse,imò liberatum asperis & insuauibus uitæ rebus: profectum ad beatitudinem sempiternam, uti spes est de uita sanctè & piè transacta, uel de genere mortis tam religioso. itaque non illius causa suscipi dolorem hunc, sed nostra: nec ostendere nos illum amare, sed nos ipsos. optimum illi fuisse mori, antequam fieret peior. exosus erat plurimis, aut miser morbis, egestate, infamia, aut periculum eui-

dens de his.magnus metus de illius moribus: aut tunc opportunissimum mori, quum iucundissimum uiuere: aut eo tempore, quum nihil erat amplius uisurus boni propter conditionem uel publicæ fortunæ uel priuatæ. Iam ex comparatione rei cum homine:non esse regis dolere pecuniã amissam, à quo animi magnitudinem, contemptũ pecuniæ,tanquam ab exemplari quodam cæteros conuenit doceri: uel eum facilè recuperaturum quod amiserit, alios non item. non esse magni uiri, non philosophi,frangi humanis casibus:non,flere filiorum mortem,quum sciat genitos esse mortales:non casum amicorũ. postremò si gentilis dixit, Placeat homini, quicquid Deo placuit: num non æquius est à Christiano cogitari,dici,præstari? non decet humanam excellentiam inferiorem facere se ijs rebus, quarũ natura est domina: hoc enim est ex regina fieri ancillam. Ex animo eius: superfluus est dolor, ex quo nullum peti potest remedium. consilium unde petitur,uiolentia doloris perturbari. Tum exempla adducenda eorum, qui sapienter, qui fortiter pertulerunt impetus fortunæ: ne hoc factu uideatur uel impossibile,uel difficile.Sed transeamus ad alia.Ea quæ ad utrunq; spectant,eo temperamento tractabuntur,ut erga nostra prẹstemus modestiam,erga aliena curam,fidem diligentiã, amorem, sunt tamen hic expostulatoriæ, & inuectiuæ. Expostulamus non rectè esse quid ab aliquo actum,potissimè erga nos,aut res nobis charas. in quo genere imperiosum est nimis,male factum dicere,& rem atrocitate uerborum insectari: ciuilitatis uerò & comitatis, causam addere cur queraris, cur illud rectè factum non sit: & huc se ratio conuertat, ut uelis in posterum nõ fieri,magisq; solicitus uidearis esse de futuro, quàm dolere de præterito. Sub expostulatione cõtinetur exprobratio, turpis quidem illa & uix tolerabilis, etiam quum maximè necessaria. Ideo auersa est una gratiarum à duabus,reliquæ illam spectant. per quod significatur, meminisse debere, qui accepit: obliuisci, qui dedit. Sed interdum compulit nos ingratitudo aliena ad exprobrandum,uel pertractos necessitate, uel dolore.Itaque sic erit moderanda res, ut ne nimium beneficium tuum amplifices: uoluntatem potius & animum benefaciendi declares ingentem fuisse. Si ita libet, cõmoueri te quod huic tuo animo animus illius non respondeat, præsertim quum tu egeas, & illi adsit copia gratiæ referundæ: aut quod non meminerit beneficij,qui tacuerit, qui dissimularit, quũ de honore aut cõmodis tuis ageretur: seu, quod omnium indignissimũ est,pro beneficio maleficium reposuerit, qui læserit adiutus. Expendendum cuiusmodi fuerit beneficium. nam quæ ad animum spectant, eruditio, consilia, educatio, minora habentur uulgo, quàm quæ ad corpus, aut fortunas: quum maiora sint reuera,& honestius exprobrentur: maioreq; ingratitudine se alligat, qui præceptori aut educatori gratiã non refert,si potest,quàm qui illi, à quo est locupletatus.Illud quoq; diligenter cauendum,ne quis uicio cõmuni in æstimandis suis beneficijs fallatur.hoc enim nõ natura indidit,sed praua consuetudo, ut unicuiq; sua uideantur magna & pulcherrima, aliena non item.In exprobratione minari subtracturũ se sua beneficia, non est uiro dignum: sed potius, se non fore ingrati similem, nec illius uicio immutatum iri suam probitatem:sed daturum operam,ut non minus posthac sit bonus & beneficus: quin illi etiam benefacturum, quoties existimarit beneficijs suis illi fore opus. Inuectiuæ, si ad insectationem uicij, aliosq; ab eo genere uitæ deterrendos parantur,ferendæ sunt: alioqui non uideo,quid iuuet acerba rabie congerere conuicia & maledicta,caninamq; facundiã exercere, iuxta uerbum Appij Claudij. Ergo mordeat uicia, homini quantum fieri poterit parcat. Interdum propter uicium impetitur homo,præsertim obfuturus nisi coërceatur:ut impius, ut hæreticus,tyrannus,latro,ueneficus, fœnerator, fur, corruptor eduliorum, calumniator, seditiosus,imperitus,aut malus institutor. Colore hoc excusantur tot orationes Ciceronis in Pisonem, Gabinium, Verrem, Vatinium,Catilinam,M. Antonium:tot Demosthenis in Philippum,Aeschinem,Midiam: idcirco ad ea cõmoda uideatur dirigi tota oratio, quæ erigere conamur, illo homine deijciendo, uelut nobis charissima sint, ac curæ maximæ: ut religio,patria, ciues,literę,disciplinæ.Res quę ad utrunq; spectant, sicut fide ac sedulitate sunt tractandæ,ita & scribendæ quoq;, ut hæ uirtutes in illis eluceant. quemadmodum nullam conuenit esse epistolam, in qua non uirtus aliqua animi, & grata quædam indoles existat,

& quasi

& quasi se proferat alibi ingenuus pudor, alibi reuerentia aliâs comitas, aliâs humana quædam & moderata grauitas, tum fiducia erga amicum, fides, beneuolentia, honesti respectus etiam aduersus inimicos placiditas, & animi quædam æquitas. Vehementer cauendum est, ne quẽ epistola offendamus. id nanq; altissimè insidet: propterea quòd epistola nuda est omnino, ac patronis destituta: purgator, lenitor nullus ei adest. ille autem relegendo auget uulnus, & maledictũ interpretando fit acerbius: nemoq; est, qui non indulgeat suis doloribus, eoq; multo esse maximos arbitretur, ut sua sunt cuiq; charissima. Sic uidemus arctissimas amicitias uno ambiguo epistolæ uerbulo diremptas: quæ à me de rebus medijs sint dicta. nam in uirtute & uicio quid sentirem, dudum aperui. Res alienas sub narratione licebit comprehendi.

DE RESPONSIONIBVS.

DVo sunt in respondendo spectanda potissimũ, quæ scripta sunt ab eo cui respondemus, & quo animo. Possunt enim res esse malæ, aut parum recte in animo bono. tum condimentum est eiusmodi, ut facilè condulcoret amaritudinem rerum. laudabitur animus, res ipsas pro illo excusabimus. nec res posse nobis molestas esse, quarum talis sit fons, à quo dimanent, mentem uidelicet. & leuiter atq; amicè admonebimus, ut uerbis illis paulo deinceps circunspectius utatur, ne tam integer animus à sinistre interpretãtibus per uerba parum cautè ab eo prolata, gratiam suam amittat. Sin res sint bonæ, dissimili animo, quid oberit animum ex rebus censere? Itaq; dicemus non dubitare nos de animo, quandoquidem indicia eius, nempe res ipsas tales intuemur. hîc res commendabuntur. Quod factum est à Cicerone in epistola quadam ad M. Antonium de restitutione Sext. Clodij, & de liberis P. Clodij. Res si sint in nostram utilitatem, agemus gratias, & agnoscemus amici partes, & sapientis consultoris. si in rem illius, & de nobis est dicendum, id fiat parcè omnino ac modicè. nam illud Thrasonicum est, Orna munus uerbis. Conuenit huic loco uerborum quędam comitas. illum cui damus, maiora esse promeritum: dolere nos, quòd tam effusè tamq; ambitiosè simus rogati: hoc solum facere, quod nihil magis licuit, uel per facultatem nostram, uel per illius uoluntatem. quo schemate utitur nonnunquam Plinius Iunior: ut de Cornelia, & de filia Quintiliani. Prorsum de nobis ipsis dicemus modicè ac moderatè, & nostras laudes extenuabimus: ut reuera mortalium omnium bona perexigua sunt & prætenuia. quæ uerò nobis tribuentur, referemus uel in benignitatem dicentis, uel beneuolentiam erga nos quæ habeamus uicia, hæc esse nostra propria: quæ autem bona, esse Domini. magis testabimur nos laudantis probare animũ, quàm iudicium. haud falsò amorem fingi cęcum: probitatem illius omnia æqui boni facere, atq; etiam laudare nulla laude digna. quod si is error amicitiam nobis & beneuolentiam eiusce uiri conciliarit, seruetur sanè per nos, neq; eximatur causa rei adeò nobis gratæ. malle nos ipsum in eam partem falli, quàm in contrariam refectum sentire. Interdum pudoris est ingenui, nihil penitus ad laudationem respondere, præsertim si qua sunt alia de quibus scribi possit. Sin res ad neutrũ spectent, aut sint leuiculæ, declarabimus gauisos esse nos illa cognosse. nisi eiusmodi sint, quæ ægritudinem animi cieant, ut de bellis. interim agemus gratias, ut D. Bruto Cicero, quòd non passus sit etiam leuicula illa à se ignorari. Vicissim & nos scribemus ea, quorum est ipse cognoscendi auidus. ut literato de literis, alijs de bellis, alijs de rebus magnis, inusitatis, ridiculis, ut erit cuiusq; uel studium uel ingenium. Inuectiuæ ac maledicæ epistolæ, uel in totum respondendum nihil est, uel non illico, ubi est reddita. sed sedata cõmotione illa animi, & refrigerato ardore illo perturbationis. tum expendendum, quid obijciatur, & quibus de causis. Si meritò reprehendimur, nõ solum parata est uenia, sed laus etiam confitenti delictum, & cognoscenti, quũ licuisset defendere. sin immeritò, magna quæritur ex animi moderatione cõmendatio, quod nõ remorderis morsus. dabitur ratione patefacere, cur quicquam uel feceris, uel dixeris. conuicia uerò fines præterfluere. Si quis ostendat retineri se modestia Christiana, ne maledicta regerat: & spectare potius quid se deceat, quàm quid illũ: rem faciet pulcherrimam, modò ita sentiat, ne aliud gerat clausum corde, aliud ore apertum. Christus non fallitur, cui mentes nostræ sunt perspicuæ: nec est quicquam æquè generosi pecto-

ris, atq; remittere iniuriã. Christianis certè exemplo fit Christi & ingenti mercede. nam sic quoq; remittuntur nostra scelera à Deo. Porrò quemadmodum epistolis moderata quædam comitas suaue condimentum præbet, ita redundantia comitatum palatis quidem sanis insulsa est penitus ac ingrata.

DE PARTIBVS EPISTOLÆ.

QVod oporteret significari Epistola, & eum qui mitteret, & eum cui mitteretur: idcirco Latini & Græci omnes statim initio scribentis, & eius cui scriberet, nomen ponebant. prius eius qui scriberet: hoc enim natura prius est, indicari quis faciat, quàm cui. Nam salutationẽ illam, Parmenomen summum suum plurima salute impertit Gnato: uel metrum excusat, uel parasitica cõsuetudo: quæ etiam illic, sicut in alijs omnibus, ad risum captandum ludebat. Donatus comicum esse dicit, ac festiuum, & parasiticæ elegantiæ. Sic etiam in Persa Plauti, Salutem dicit Toxilo Timarchides, & familiæ. Nec minus est parasiticum, Domitiano Martialis S. uel certè insolentissimæ arrogantiæ principis, qui id exigebat. Excusat Ausonius ad Paulinum, quod nomen illius præposuisset suo: Paulino Ausonius, metrum sic suasit, ut esses Tu prior, & nomen prægrederere meum. Nomen in calce Epistolæ scribere, natum est ex subscriptionibus, quas olim principes addebant diplomatis, quarum meminit Suetonius in Nerone. Pòst ubi acrius inuasit animos ostentatio nobilitatis, unusquisq; affectauit uideri ortus regio sanguine, & regios mores usurpare tanquam sibi gentiles & patrios. Alij existimant moderationis esse, postremo se loco nominari. quàm fatuè? quasi minus honestum sit, quicquid ultimum? Nónne animo legentis primum omnium occurrit, qui scribit? quòd si penitus postremus esse cupit, ne ponat initio uel ego, uel uerbum primæ personæ. Sed hæc sunt ineptissima, quæ conantur rerum naturam inuertere. natura enim primum in quocunq; opere facientẽ constituit. Quæso, quid absurditatis habet, si is primus occurrat oculis, qui primus occurrit animo & cogitationi? imò quantumcunq; abscondas te, & in angulum chartæ secedas, resoluta epistola statim à primo legeris: nisi iam anteà sciat, qui legit, à quo mittatur. Epithetis parcebant prorsum, addebant solum, si quid muneris gereret & cui scribebatur, & qui scribebat. M. Cicero Imperator Cn. Pompeio Magno Proconsuli. M. Brutus & C. Cassius prætores, M. Antonio Consuli. Cicero decimatertia Philippica literas recitans M. Antonij, Antonius Hircio & Cæsari: neq; se imperatorem, nec Hircium consulem, nec proprætorem Cæsarem, satis quidem hæc scitè. Deponere alienum nomẽ ipse maluit, quàm illis suum reddere. Ab alijs adiectis abstinebatur prorsum. Itaq; nos usurpabimus nostra, quæ sunt professionis, aut functionis: Senatori, Consuli, Quæsitori, Episcopo, Presbytero, Curioni, cætera ex praua cõsuetudine risum potius aut fastidium mouent, quàm ornant. Quid, quod præstabilius est tantum illum existimari, ut appositis nõ sit opus: uelut, G. Budæo, Eras. Roterodamo, Tho. Moro. in tanta claritudine nominum superflua sunt illa, utraq; lingua doctissimo, Theologo sommo, uiro clarissimo. neq; enim libris M. Tullij adijcit quisquam, Oratoris facundissimi, uel Aristotelis Philosophi acutissimi. Itaq; deprehensum est nihil esse grauius, aut decentius, quàm ad Cæsarem sine adiecto scribere aut ad Regem, quod prudentibus & ingeniosis uiris ualdè probat̃. Quintiliani & Plinij tẽporibus cœpit recipi mos, ut omnibus ferè, nisi aperte essent inimici, adderetur S V O. Martialis de charta epistolari: Seu leuiter noto, seu charo missa sodali, Omnes ista suos charta uocare solet. Prisci tantummodo filios, aut uxorem, aut seruos, aut libertos dixerunt suos: ut Cicero Terentiæ suæ, Tullię suæ, Tironi suo. Sunt inter homines amicitia coniunctissimos quædam interdum amoris significationes. etenim beneuolentia tanquã ignis sępenumero cohiberi nequit, quo minus foras sese proferat, & patefaciat. ut Gonralus Tamayus Hugutiono unicè charo, Idiaqueus Hieronymo Augustinio dimidio animi sui, Stracelius Crucio ἐφ' αὐτοῦ θυμῷ κεχαριτωμένῳ. Et quod de amico Aristoteles dixit, alteri ipsi. Exitur ad allusiones ueteris memorię, de fabulis aut historijs petitas: Hieron. Ruffaldus Viui Ionathæ suo, Patus Barchero Achati suo, Theseo, Pyladi suo. Similes quoq; allusiones ad alia rerũ genera possunt trãsire. Nico. Borbonius Gulielmo Budæo Varroni huius ætatis, Astudillus Io. Gilidę alteri Aristoteli. Bonamicus Alciato,

id est

id est Vlpiano ipsi Regi. Paulus P. Bembo polyhistori, nõ multum M. Tullio facundia minori. Velius Ia. Sadoleto, M. Catoni integritate propè pari (nam moderanda sunt immodica) penè dixerim alteri Paulo. Quæ si rarò ponantur, & ad dignos, tum ab ijs, qui credantur posse iudicare, plurimum adferunt authoritatis illi, ad quem scribuntur. sumuntur enim ceu quædam testimonia. Sed periculum est, ne hæc sicuti alia omnia honoris signa, uel ambitione, uel peruersitate ingeniorum ad indignos transferantur, & prorsus fidem amittant. Amoris autem notæ magis salutationi, quàm superscriptioni congruunt, ne frigidæ atq; ineptę uideantur pleriq;, quorum natura fert, ut solis suis capiantur, aliena eis omnia sordeant. Alteræ quoq; illæ existimationis & dignitatis, inuidiæ sunt obiectæ: quæ res præclaras solita est semper inuadere, ac arrodere. Sed nomina tamen dignitatum, & munerum publicorum, diligentius sunt ad amicos in superscriptione, & explicatius ponenda, quàm in salutatione. intus enim nos sumus soli, & grata est utriq; simplex illa, atq; extra fucum omnem familiaritas. foris uerò multos habemus spectatores oculos & censores, quibus est satisfaciendum. Sed nos reliqua propositi exequamur. Porrò autem ut comitatis est, imò uerò humanitatis, in congressibus salutare, ita statim post omnia bene precabantur. Latini optabant salutem, Salutem dicit, Salutem P. dicit, S. dicit P. Græci aliàs ὦ πράττειν, & ὦ διάγειν, quasi fœlicitatem. aliàs χαίρειν, quasi gaudere. Romanus salutem dicit, & initio statim bonum uerbum Salutis, bonum erat omen sermonis. Pro salute utuntur nonnulli ritu Apostolico, gratia & pace Domini IESV. quæ profectò salutem omnem exuperat, nec quicquam potest homini optari salubrius. Licebit nonnunquam & alia precari ex argumento Epistolæ: ut bonam mentem, bonam frugem, senectam facilem, prosperum coniugium. sicuti est apud Horatium, Celso gaudere, & bene rem gerere Albinouano, Musa rogata refer socio comitiq; Neronis. Eundem ad modum illud & iam uetus: Si uales, bene est, à Seneca conuertitur, Si philosopharis, bene est. ualere enim hoc demum est: sine hoc æger est animus, corpus quoq;, etsi magnas habet uires, non aliter quàm furiosi aut phrenetici ualidum est. & alia epistola, Si uales & te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo. Illa uerò manuum oscula pro salute, obedientiam, summissionem, & eiusmodi barbaricæ sunt uel imperitiæ, uel arrogantiæ. quid enim illi optas pro salute, ut tu manus illius osculere? egregia profectò salus, & magnopere expetenda. Sunt apud Ouidium genera quædam salutationum festiua, & arguta: ut, Quàm nisi tu dederis caritura est ipsa salute, Mittit Amazonio Cressa puella uiro. Mittit & optat amans, quo mittitur, ire salutem. hoc modo possent multæ cõfingi: Salutem dicit, qualem ipse non habet, sed optat, Salutem mittit: Salutis expers salutem mittit, quę utinam eò perueniat: quæ poëtis conceduntur, item adolescentibus, tum affectibus commotis. Viris autem grauibus nõ sunt satis congruentes, quos nec decet ludere, nec animi motibus percelli. Mirantur nonnulli, cur scribens de se tertia utatur persona, & continuò prima. ut, Cicero Lentulo salutẽ dicit: Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus. ea de causa existimant, titulum illum epistolæ non fuisse partem, sed à tergo epistolæ subscribi solitum, ad monendum tabellarium, cui nam esset redditurus. Nos adhuc facimus, ideoq; iam multi titulos epistolæ supersedent præponere. Sed fuisse eiusmodi titulos partem epistolæ, & in exordio scriptos, multis & euidentibus argumentis potest planum fieri. Primum quoties Cicero, Sallustius, Cęsar, Demosthenes, & alij epistolam alicuius referunt, uel suam uel alienam, sic exordiuntur: Antonius Hircio & Cæsari: Lentulus Catilinæ salutem. L. Catilina Catulo S. Cn. Pompeius Domitio S. βασιλεὺς μακεδόνων φιλίππῳ τῷ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. Ouidianæ epistolæ idem illud habent initium, etsi more poëtico uariatũ. Quid attinebat, si illa tabellario scribebantur, in historia referre? quum satis fuisset dicere, epistolam esse illius ad illum. sed nimirum epistolam integram uolebant subijcere ab initio ad calcem. Cicero de lege Agraria: Is uidelicet antequam ueniat Pontum, literas ad Cn. Pompeium mittet, quarum ego iam exemplum ab istis esse arbitror. P. Seruilius Rullus tribunus plebis, decemuir, S. D. Pompeio, Cn. F. non enim credo adscripturũ esse Magno: non uidetur, id quod imminuere lege conatur, concessurus. Sed apertissimè primo lib. Epist. Cic. Valerio Iuris-

consulto S.D.Cur enim hoc tibi non gratificer nescio,præsertim quum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti. Non uidetur salutatio posita à tergo, alioqui quomodo id scripsisset Cicero: Cur enim hoc tibi non gratificer? quum nihil adhuc de iuris prudentia dixisset. Plutarchus in Demosthene scribit, inuentum in libello Demosthenis initium epistolę eius ad Antipatrum regem Macedonię, Demosthenes Antipatro:nec aliud quicquam.Liuius lib.34.de epistola Syracusanorum ad Marcellum: Prætores Syracusani Marcello suo S. tum secundum salutem, ut solet, rectè eum atq; ordine fecisse, &c. & in iure ciuili de negotijs gestis, Hensenius Apollinaris Iulio Paulo S. Et in summo adscribi solitum hunc titulum, declarat Lucianus in Parasitico: Quin & illud, inquit,mihi perridiculum uidetur, si in epistolis in summo,quemadmodum solemus,scripserimus,Simonidi parasito.Denicq; nulla est ueterum epistola, quæ non titulum illum habeat,siue ab authore suo posita, siue ab alio citata. Si is titulus tabellario erat ad scriptus quum mitteretur, certè nihil fuit necesse addi, quum ab illo referretur, aut ederetur ab authore.sed hac de re argumentorum satis:quæ eo adduxi,quod non quilibet de plebe, sed docti nonnulli homines sunt in contraria sententia, & ita contendunt fuisse, quemadmodum ipsi opinantur, solum ob tertiam illam personam Dicit. nec considerant,non solitos priscos illos homines nomini suo primam addere personam, etiam de se loquentes,sed tertiam:ut in rationibus &contractibus.P.Scipio fatetur se debere uel accepisse,uel recipit daturũ se,aut quid simile:potius quàm, Ego P. Scipio fateor. In secutis deinde seculis receptum est, in prima persona dici: porro epistolę antiquissimam consuetudinem retinuerunt. Sed transeamus iam ad reliqua propositi. Fuit olim mos uetus,quem Seneca usq; ad suam ætatem seruatum scribit, epistolas sic exordiri:Si uales bene est,ego quoq; ualeo. Plinius Cæcilius Fabio Iusto S. Olim nullas mihi epistolas mittis.nihil est,inquis, quod scribam: at hoc ipsum scribe,nihil esse quod scribas.uel solum illud,unde incipere priores solebãt: Si uales, bene est,ego ualeo.Id uarijs modis enunciabatur: Si uales,,ualeo: Si ualesbene est,ego ualeo.Dolabella Ciceroni:Si uales gaudeo,equidem ualeo,& Tullia nostra rectè ualet.Et Cicero: Terentia minus bellè habuit, sed certò scio iam conualuisse eam. L.Luceius Ciceroni:Si uales,bene est,ego ualeo sicut soleo,paulò etiam deterius quàm soleo.Lepidus Sen. & pop.Romano: Si uos liberiq; uestri ualetis, bene est,ego quoq; ualeo. Interim non adijciebant quicquam de se, quum non rectè ualere uolebant significare, animo præsertim:aut sibi esse curæ illorum salutem,suam non item illis.ut Metellus Ciceroni:Si uales bene est.Cicero Metello:Si tu exercitusq; tuus ualetis, bene est.Quæ particula abijt ex usu,sicut illa in orationibus,Iouem ego optimum Maximum: sed non ita,quin addi possit,& aliquando debeat, ornetq; epistolam.

DE ORDINE EPISTOLÆ.

ORdo in Epistolæ corpore nullus est certus. pro re nata scribendum, & exordiendum undecũq; libuerit. nihil simplicitate illa iucundius inelaborata. Cicero quũ narranda habet multa, non est ualde sollicitus, quod primum faciat, quod secundum, promiscuè spargit & refert, ut ueniunt in mentem. prius ubi est absolutum, adiungit quodcunq; est collibitum, ex abrupto. Itaq; & reuocat se crebrò, & à se rogat: quid etiam? quid amplius? quid præterea? Ergo sic interdum narrat,ut nisi prius rationem cognoris, difficile sit distinguere,quod prius sit,quod posterius.Id uerò si quis uelit euitare & narrare distinctius, ex præceptis narrationis petat, quemadmodum sit acturus. Iam ueluti quædam uincula poteris adijcere,quæ priora posterioribus coniungant:Habes de hoc,accipe nunc de altero:audisti de Britannia,audi nunc de Italia: hactenus de bellis,iam ad literas:de Republica satis,nunc de priuata nostra. Cicero: Sequere me in campum, ardet ambitus, &c. sed quum ad persuasionem tendit epistola, maiore artificio erit opus,quod quánam uia exequeris,ex arte sumito:quin & à primo sunt iam nobis exposita nonnulla.In respondendo promptissimũ & cõmodissimum est, ordinem eius,cui respondemus,sequi.Sed fit non rarò, ut expediat quædam anteuerti, sine quibus progredi non posset epistola, & frustra iactarentur multa uerba, illo impedimento obiecto,quod statim est amoliendum: ut si quis in calce, aut medio epistolæ ingratitudinis

dinis aut maleuolentiæ accuſetur. huic enim occurrendum eſt ante omnia, niſi forte ex reſponſione ad alia facilius diluatur crimen. Exempli gratia: Garſias Arabianus Nicolao Valdauræ ſuo S. Velim cures mihi tapetes aliquos ad ornandū cubiculum. Symon à manu meus annumerabit tibi pecuniā, eamq; in rem mittes aliquem ex tuis, quo fiat tibi negocium leuius. Nam etſi mea in te ſunt officia nonnulla, tu tamen pro me grauaris quicquam facere, niſi ut multo ſit leuiſsimū. Valdaura Arabiano ſuo S. Ex quo te Louanij habitare uelle cognoui, quod uelim tibi bene uertere, non deſiti, quæ ad inſtruendum tuum cubiculum pertinerent cogitare. & lintea prouidi, de quo teſtis tibi erit tuus Symon: & aulæa. tametſi de me uelut ingratitudinis apud animū tuum uel accuſas, uel, quod indignius eſt, damnas. quam ſuſpicionē malim tibi rebus ipſis eximi, quàm uerbis. Itaq; dabo operam, non ut leuiſsima pro te ſuſcipiam, neq; enim tu es ita de me meritus: ſed ut leuiſsima mihi fiant, quæcunq; pro te ſuſcepero. Incidit non raro, ut ex occaſione uerbi aut dicti alicuius ad caput aliud reſpondeamus longè diſsitum, etiam quum priores ſcribimus. hinc uenit in mentem mihi, ex hoc uerbo uel dicto admoneor, ut de hoc aut illo dicā. & quia mentionem fecit de Cōcilio, ſcito Pontificem & Cæſarem magnis & longis conſultationibus concilium aliquod moliri. Sed ut eſt genus hoc epiſtolare cum primis liberum, licebit etiam ab ultimis exordiri reſponſum. ut Cicero fecit ad Quin. Cornificium libro epiſt. 12. Sunt molles quidam tranſitus, & lepidi ad continuationem ſequentium, uel eorum quæ ſis oblitus. Mane pauliſper, nam eſt aliud quod adijciam: non grauabor hoc quoq; adſcribere in tuam, uel Maluendæ gratiam: quæſo, ne graueris hoc quoq; legere. iam iam obſignaturo uenit mihi in mentem, quod præteritū minimè oportuit: ſed quàm penè exciderat mihi, quod erat præcipuū: quàm multa ſcripſi, qui oblitus eram id quod iure futurum fuerat primū: leue eſt quod aſcribam, non ſed omittendum tamen. Cicero plerunq; nihil horum curat. Ad extremum literarū addi ſolet ſi quem aut ſalutatum aut reſalutatum uolumus: aut ſi qui eos, ad quos ſcribimus, aut eorū amicos uel notos ſalutarent, reſalutarént ue. Atticæ & Pyliæ S. Dionyſium uelim ſaluere iubeas. Terentia tibi S. D. Pyliæ & puellæ Cæciliæ belliſsimæ S. dices. Saluebis à Cicerone noſtro. Cicero tibi P. S. D. Hinc, ut digredientes, bene precantur mutuò: id enim humanitas docuit: literarum exitus felix eſt omen, ut ingreſſus. Græcis eſt ἔρρωσο, quaſi Vale: quod etiam Latini, tum & Salue. Catilina apud Salluſtium, Per filios tuos rogatus aueto: puto experturbatione animi & tumultu, in quo ſcribebat. quin etiā, Cura ut ualeas, fac ualeas: ſi me amas, ualetudinem tuam cura diligenter, Vale etiam atq; etiā: &, Salue mi Tyro. Hæc uetera. ſed illa aptiora uſui uitæ, & magis profutura: Chriſtum precor, ut quęcunq; egeris, ſecundet, & feliciter tua omnia ſinat euenire: ſeruet te Dominus: pax & fauor Chriſti ſit tecum: opto tibi bonam mentem. Aegidius Calentius reliquit epiſtolia haud ſanè abſurda, in quorum calce pro Vale, addit ſemper congruens argumento uerbum: ſi quem aduocabat, Curre, uola: ſi cui nunciabat læta, Gaude: ſin triſtitia, Plorato. Quiddam interdum ſimile fecerunt ueteres, ſed non erat in eis perpetuum, ut in iſto. Cicero D. Bruto: Vince, & uale. Fabricus Pyrrho: Tu niſi caueas, iacebis. Sed bene precari eſt multo decentius & congruentius. Poſtremò quoniam è re eſt illum cui ſcribas, & unde, & quando epiſtolam dederis, cognoſcere, locus & tempus aſcribebantur. Locus hoc modo: Datum Lucæ, ſcriptum in caſtris, Vale ex caſtris, ex urbe Capua, Data apud Valentiam, in urbe Valentia, Louanij, Lutetiæ, ex rure. Epiſtolam, inquit Cicero, datam à tribus tabernis: ex caſtris, ad imam Candauiam. Cicero T. Attico ex rheda ſcripſit, & de phaſello. Ex tempore cognoſcitur, quæ epiſtola prior ſit, quæ poſterior. hinc enim haud raro uoluntatum pendent & ſententiarum interpretationes: quemadmodum in edictis, legibus, diplomatis principum. Auguſtus horas quoq; epiſtolis adſcribebat, ut eſt apud Suetonium. Annos illi conſulum nominibus denotabant, quibus faſti ſignabantur, & acta omnia tum priuata, tum publica. Vnde illud iuriſconſultorū, Ne inſtrumentum fiat ſine die & conſule. In epiſtolis amicorum rarius adſcribebant, niſi rem contineret dignam, ob quam id facerent. Athenienſes habebant ſuos ἄρχοντας, Græci Olympiades, alij alias notas temporū. Nec ſolum tempus prætermittebāt, ſed etiam locū: quum

nihil referebat addi, uel quia iam is sciebat cui scribebat, uel ratio materiæ nō poscebat. Neq; uerò in loco, & tēpore & salutatione erat ullus ordo certus. sic enim scribebant: Vale, Romę, Nonis Iunijs: &, Vale Nonis Iunij, Romæ: & Nonis Iunij, Romæ, Vale. Si quid uel exciderat, uel ueniebat in mentē ut adderent, sine præfationibus id faciebant, rursus apponebant Vale. quòd si iterum liberet quicquā ascribere, faciebāt ad eundem modum, Iterum, uel tertiò Vale: itidem quoties placeret. cuius rei exempla sunt cùm alia permulta, tum in primis apud Cic. 13. epist. ad Atticū. Sed nos pro festis ueteribus utemur nostris: olim illi, Vale Quinquatribus, Vale Rubigalibus, Vale Vulcanalibus, Floralibus: quin nos etiā, Vale natali Seruatoris, Virginis matris, feriis D. Martini, conuersionis Pauli? nisi fortè pudet ac pœnitet nos nostrorum diuorum, ad quos nulla est illorū deorum cōparatio. Pro Calendis quoq;, Idibus, Nonis, expeditius est diem mensis ascribere, quinto Ianuarij, sexto Nouembris, crepusculo diei, cōticinio noctis, multo mane, bene mane, de media nocte, de medio die, in ipso feruore diei, in rigore noctis mediæ, aut extremæ. Romanis consulibus & Atticis ἔφεσι felicior computatio, à nato Domino Iesu, assertore generis humani: Anno à Christo nato, ab orbe redempto, à filio Dei incarnato, à partu uirginis. Si uaria sint scripta, quod maximè infixum uolemus menti, id repetemus post Vale. ut, Vale mi Honorate, & literas cole, quæ te principem uirum efficient nostræ ciuitatis. Vale etiam atq; etiam mi Poblaci, & cura ut ipse è cholica mea rectè ualeam. Verū loci & temporis assignatio longè uidetur mihi aptior & congruentior negocijs, si statim in capite literarum denotentur. quippe si dies aliquot asseruetur epistola, & res uariæ cōtingant, maxima sequetur perturbatio, quæ res, quo tēpore acciderit: sin uerò peregrinemur, nec unde scribamus scire poterit. Ad effugiendam cōfusionē hanc negociorū, Cicero quandoq; media epistola signat diem: hæc scripsi ad quintū Calend. Iunias. Itaq; cōmodissimum mea sententia, & ad euentuū rerumq; omniū diuersitatē in primis appositū fuerit, hunc in modum aut similem quempiam scribere: I.L. Viues G. Budæo suo facilem senectā optat. Brugis tertio die Ianuarij, M. D. XXXIII. Cæsarem narrant esse Mantuę, inde profecturū Bononiam. Agimus epiphaniā Domini. iam pro certo habetur, illum cum Pontifice congredi, & maximis de rebus quotidie consultare, quæ sunt toto Christiano nomini cum primis utiles. Hic dies est octauus Ianuarij, de Concilio ferunt illos agitare. Christus illis impartiatur suū spiritum. Dies est iam decimus mensis, sum Gandaui, proficiscens Bruxellam, accepi literas tuas duabus epistolis eodem fasciculo, ad omnia fermè respondi, præterquàm de necessario illo tuo, quē nondum uidi: sed expectatur hic quotidie. hæc epistola, quia fefellit me qui erat profecturus, nondū est missa in hunc diem, qui est prædicti mensis decimustertius. perueni Bruxellam, conueni amicū tuum, quem sum de negocio tuo allocutus. Pollicetur suam operā omnem, tu, ut soles, quicquid euenerit, magno sis animo. opto tibi fauorem Christi. Iam pudet me tam diu asseruatæ epistolæ, uicesimus est mensis: ex ijs, quæ ille est cum Scæuola collocutus, non uidetur esse eo in te animo, quē existimabamus, quū hic esset. sed dum Christus bono sit in te animo, humanas utilitates facilè neglexeris. Saluebis à Cranaueldio nostro. uxori tuę salutem ex me. P. Brixius saluebit à me officiosè & accuratè: item Beraldus & Tusanus. Quid etiam? quid ad hæc? nam uereor, ne in epistola toties in manus resumpta, desit aliquid, quod non esse adscriptum doleā. nihil occurrit, adsit tibi Christus. Epistola hæc una suffecerit pro exēplo, ad ostendam formulam. Salutem & Vale non damno, nec diem & locum in calce: quibus ipse hactenus sum semper usus, nempe antiquis & receptissimis. sed ratio hæc noua scribendi, nec inerudita uidetur mihi esse, & præsentiū rerum statui congruentior, non solū in Latina lingua, sed in uernaculis, quibus etiam prę cipimus, & prospicimus, nō solum Latinæ: etsi huic, uti par est, potissimum. Adde his quòd precationes magis religiosæ sunt, magisq; optabiles. In calce epistolæ, si ea sit aliena manu scripta, signū aliquod addendum, quo declares eam non esse adulterinā, aut supposititiam, sed abs te profectā. In quo erat apud ueteres parata fraus, quippe quibus facilè esset negare abs se esse missam. Cicero in Antoniū Philippica 2. quem locum adscribam totum, quia sumitur ex prudentia cōmuni. At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit: homo & humanitatis

manitatis expers,& uitæ cõmunis ignarus. Quis enim unquã,qui paulum modò bonorum consuetudinẽ nosset, literas ad se ab amico missas,offensione aliqua interposita,in medium protulit,palamq; recitauit? Quid hoc est aliud,quàm tollere è uita uitæ societatem? tollere amicorum colloquia absentiũ? quàm multa loca solent esse in epistolis,quę prolata si sint,inepta esse uideantur? quàm multa seria, neq; tamen ullo modo diuulganda? Sit hoc inhumanitatis tuę,stultitiã incredibilem uidere. Sed quid oppones tandem, si negem me unquã istas literas ad te misisse? quo me teste conuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam? qui possis? sunt enim librarij manu.

DE SVPERSCRIPTIONIBVS.

DE superscriptionibus nihil habemus antiquorum, quod quidem certò possimus affirmare. qua de causa existimarunt nonnulli,titulos fuisse superscriptiones: quã opinionem paulo antè satis refelli. Sed suspicor multis epistolarum non fuisse additam superscriptionem: sicuti nec intus in calce,locum aut tempus,quũ iam alioqui sciretur, aut nihil referret. Itaq; ubi is, cui perferenda epistola dabatur,cui nam esset redditurus nouerat,nihil erat superscriptionis opus. ferè autem eam ad rem uel domesticis,uel notis hominibus utebantur: quòd si publico tabellario cõmitterent, is utiq; signa dignoscebat. Sed coniecturarũ satis. Superscriptio certè hoc tempore necessaria est. Ea constabit nomine eius,cui mittitur: adiecta uel dignitate,uel functione publica,sicut in titulo, Cn. Pompeio Magno Proconsuli imperatori,Ludouico ab Auyla fiduciario & cubiculario Cæsaris. Epitheta sapientię,claritatis,illustrationis,& alia uerè sunt,quod dicũtur, superiecta: non honorant superscriptionem,sed onerãt. nihil est eis mendacius, uel absurdius. iam etiã pueri hęc rident. At ut in titulo dicitur Suo,ita in superscriptione Meo. nam hic,qui scribit,iniungit tabellario ut perferat,uel reddat eas literas: alterum enim illorum uerborum subauditur. Fernando à Toleto herili filio comitis Auripensæ meo: in quo intelligendum,reddes. uel Ad Fernandũ,&c. in quo,perferes. Familiares, & qui optimè cupiunt mutuò, poterunt uerbum aliquod addere amicitiæ suæ notam, Amico meo unico,maximo,summo,amico multo mihi charissimo,iucundissimo,suauissimo, ad patres,præceptores,tutores,& eiusmodi: mihi semper uerendo,honorando,sed hæc modicè, seu potius intra modum. Post hæc signatur locus ubi ille sit: Romæ, Lutetiæ: Brugis, Valentiæ. Sunt qui ipsi adferunt loco notitiam & claritatem,potius quàm è diuerso: ut reges & principes. ad hos & ruditatis, & ineducationis est, locum adscribere.

DE DICTIONE EPISTOLÆ.

EPistola imago quædam est quotidiani sermonis,ac colloquij cuiusdã perpetui. nec enim in aliud est inuenta,quàm ut absentiũ sermones referat ac repręsentet. Itaq; illud debet potissimum efficere,ut quàm proximè poterit, colloquia & sermonẽ familiarem exprimat. prudentũ dico & eruditorum. Nam optima quæq; sunt arti æmulanda, quo mediocria saltẽ consequatur. ita est enim unaquæq; ars absolutissima, ut maximè ad naturã suam accedit. Sermo aũt noster quotidianus simplex esse debet, & rectus & naturalis,dummodo purus & castus: quippe coinquinatus & sordidus,hominũ uel imperitorum, uel dissolutè negligentiũ. Excultus porrò atq; ornamentis nitidus ac splendens,uel insolentiæ est atq; arrogantiæ,uel putidæ ac puerilis ostentationis. quòd si talem decet esse nostrũ sermonem, profectò non aliã esse epistolarem dictionẽ conuenit, umbram atq; imaginem & quasi uicariam illius. Itaq; ueteres plurimi, ornari existimabant epistolam simplicitate, & excultissimam esse sine cultu, modò abessent sordes. ut uenerabilior est ille in matrona simplex & parabilis ornatus,quàm splendidus & sumptuosus. Idem in uiris contingit,quos effeminatos esse ducimus,ac moribus parum uiro dignis, si solicitius mundicijs uidemus deditos: ut fœdos illos & deuitandos,qui in squalore pedoreq; cõputrescunt. Ergo illam unam esse artem epistolarẽ in eloquendo censebant, nullam adhiberi artem: modò stulti sensus aut inepti, & nimis perturbatus abesset ordo: tum uocabula essent pura eius linguæ,qua scribebatur. grandia enim, selecta,tumẽtia,affectata,nõ decori putarũt esse epistolę,sed irrisioni,ut pauonis pennas in cornicula. Hoc epistolis suis cõprobant magni omnes uiri: qui si eisdem de rebus in epistola loquantur,quibus in oratione,aut iusto libro, stylum protinus mutãt & uerba,to-

tumq; illum rerum & uerborũ apparatum, demittuntq; se ad humilitatẽ illam epistolarem, quę tanquã frugi puella ac modesta, minimeq; loco claro nata, abundè compta est, si absit deformitas & sordes. Ergo Cicero aliter ad amicos loquitur de causa Milonis, aut de prouincijs cõsularibus, aut de cõsolationibus, quàm uel apud iudices, uel in senatu, uel in Tusculanis. aliter Augustinus de pietate in lib. de Ciuitate Dei, quàm ad amicos. alio stylo & inuentione Plinius de laudibus Traiani ad amicos, quàm in senatu. de philosophia Seneca elaboratius in libris De ira, aut de Tranquillitate uitæ, aut Naturalium quæstionũ, quàm ad Lucilium. Plato quoq; ad eundem modum. de Hieronymo taceo, qui non epistolas uidebatur scribere, sed libros: quamuis ipse de temporis angustia & tarditate notarij haud rarò conqueratur. Sed ut de Cicerone loquar, eius epistolę adeò sermonem eius domesticum & familiarẽ exprimunt, ut ego illum non aliter cum uxore, cum liberis, seruis, familiaribus, in foro, in campo, in balneo, in cubiculo, in triclinio locutum existimem. Iam ordinem ita neglexit, ut undecunq; uisum sit exordiatur, & repetat, & addat, & recipiat se, & reuocet. nihil tale est in orationibus, aut libris philosophicis. Atticum quoq; hortatur, ut scribat quicquid in buccã uenerit. Seneca ad Lucilium libro 10. epist. Qualis sermo meus esset, si unà sederemus, aut ambularemus, ille laboratus & facilis: tales esse epistolas meas uolo, quæ nihil habeant accersitum & fictum, sed si fieri posset, ostendere quàm loqui mallem. Apollinaris Sulpitij iudicium, quo Plinij stylum in epistolis Ciceroniano anteposuit, indignum est quod referatur, nedum ut refellatur. nam nec ipse rationem ullam sui dicti addit, & imitatorẽ se profitetur Plinij, à quo abest longissimè, ut hominis iudiciũ cognoscas. Veruntamen quod de simplicitate dixi, non est hoc uelut in puncto insectili positum, quin liceat intra illos limites huc se & illuc nonnihil porrigere. Nam sicut in alia omni sermonis forma, ita in hac disputandum est, quis, cui, qua de re dicat. In adolescente non fertur solum, sed laudatur etiam dictio comptior, lætior, elaboratior, distributio & ordo rerum, descriptio: denicq; commendatur studiosa diligentia. Sunt qui accuratis ad se epistolis delectãtur, ut homines docti, acuti, ingenioſi: alij contemptum interpretãtur sui, ni eleganter & ornatè scribas. sunt qui nimiam curam despuant, quasi putidam. Qui aliquid petit, alieno stomacho subseruiat: qui nihil, suo. Res quoq; aliæ secum ipse adferũt cultum suum, ut de bellis, de republica, de moribus: aliæ nolunt nisi cum splendore dici, ac ne possunt quidem. Quintilianus sermonẽ & epistolas solutas uult esse numeris, nisi quum aliquid supra naturã suã tractant: ut de republica, de philosophia, de laudibus & uituperatione. Idem Seneca aduersus epistolæ ornatum adeò seuerus, hæc subiungit: Non mehercule ieiuna & arida esse uolo, quæ de rebus tam magnis dicentur. neq; enim Philosophus ingenio renunciat: multum tamen operæ impendi uerbis nõ oportet. Veteres illi, ut de negocijs modo scribebant, simplici illo & naturali utebantur loquendi more: malebantq;, quod est prudentiæ, indoctius loqui, dum apertius: tum errorẽ in uerbo cõmittere, quàm in re. Vbi aliæ res accesserunt, plus est adhibitum curę, quod fecit Seneca ipse. Quum uerò nihil fuit quod scriberetur, præter mellitas epistolas, aut etiam felleas, inanes tamen à negocijs, atq; umbratiles, instituerunt eas ornamentis cultuq; conuestire: ut quæ cognitione rerum non poterant niti ac sustineri, certè uenustate atq; ornatu subsisterent. nam alioqui quis unam illarum sustinuisset perlegere, uacuam rebus, & inopem uerbis? Tales sunt epistolę Plinij Cæcilij. Quin obseruatum est etiam, Marcum ipsum Tullium aliter ad alios, & alijs de rebus solitum scribere. elaboratius ad Brutum quàm ad Atticum, quum aliquid contendit impetrare, quàm quum narrat: uelut ad L. Luceium, quàm ad Varronem. quum consolatur item, ut ad M. Marcellum. Et alioqui ars & exercitatio Ciceronis, & ingenium excellens hoc præstabant ei, ut oblata & naturalia in eo uiderentur, quæ extimo essent producta artificio. Summa hæc est, ut meminerimus esse epistolam, hoc est, puellam plebeiam, in quibus etsi aliæ alijs ornantur excultius paulo & purius, mundum tamen patritiarum non æquant, uti nec famulæ dominarum. Aliud est, inquit Plinius, scribere historiam, aliud epistolam, etiam de eodem argumento. Idem Plinius pressam & astrictam uult esse phrasim epistolarem: sic tamen, ut ne sit ieiuna prorsum ac strigosa, né ue arida. habebit succi aliquid, & eum

lepôrem

lepórem ac gratiã, quę est in astricta dictione, & simplici illa dicendi nota, sæpenumero uel maxima. Ideoq; nec tropos continebit crebros, nec translationes uarias, nec allegorias frequentes aut longas, nec conformationes alias, nec uerba grandia & magnifica, nec concinnam & numerosam structuram: hæc quidem de genere uniuerso. nam in formis uariatur, seruata generis ipsius natura, sicuti ostendi. Quæ præcepi de elocutione, transferri ad artẽ ipsam uniuersam possunt: quæ quũ celari ubiq; par sit, tum in epistola adeò debet esse tenuis, ac propè nulla, ut à magnis ipsis artificibus uix queat deprehendi. & hoc, uti de phrasi docuimus, dirigendum est ad considerationẽ personarum & rerum. Quidam de epistolis componendis differentes, de proœmio tradunt, de narratione, confutatione, confirmatione, peroratione, de inuentione, dispositione, elocutione, ex rhetorũ præceptionibus repetita: quod planè est superuacaneũ, & loco huic alienũ. primum quòd nulla est ferè epistola, quę habeat quinq; illas partes: nec tantum artificiũ tenera hæc puella sustinet. Deinde, etsi proœmio nonnunquã utatur, & colligat ac conficiat argumẽta, uel depellat, & ordinem sequatur, rebus in suos locos distributis: idem faciunt omnes sermonis species, consolationes, gratulationes, dialogi, panegyrici. quid ergo, quoties de aliquo illorum præcepta tradentur, omnia artis ferramenta & arma in medium proferemus? Quæ artis sunt, semel oportet exhiberi in genere, ut quãdo opus sit, singulis accõmodentur formulis. nullius enim harum sunt propria, minimè omniũ epistolæ, quæ minimè uel indiget, uel utitur. Ad doctos & ociosos scribentes, licebit allusiones admiscere ad fabulas, ad historias, ad prouerbia, ad res naturę ac morũ, ad dicta præstantiũ scriptorum: modò breuiter, non tam explicandi gratia, quàm uelut puncto signandi & indicandi digito. Etiam in recõditis rebus utile est ænigmata inserere, quod uidemus Ciceronem fecisse crebrò ad Atticũ: ne si literæ in alienas manus deuenissent, atq; aperirentur, proderetur quod illi opertũ uolebant omnino esse, & occultũ. Etiam uerba Græca immiscet altera duarũ occasionũ, uel quum aptius id Græcè dicitur, atq; appositius quàm Latinè: uel quũ non uult à quolibet intelligi. ideoq; abstrusis & Homericis plurimũ uerbis, nec passim cuiuis expositis utitur. Nobis quoq;, si negotiũ poscat, uelare sententiã nostrã concederetur sermone alienissimo ab eo quo scribimus: uelut si Hispanicè, sermone Teutonico, aut Britãnico. neq; enim, ut paulo antè admonui, de sola præcipimus Latina lingua. Quid quod etiã in ea ipsa uerbo Germanico uel Scotico, ei tamen cui scribimus cognito, sensum obscurare quis uetat, si id rei qualitas efflagitet? Nam Cicero, nõ quòd lingua Græca elegans & exculta esset, ut quæ maximè, uel potius supra cæteras, idcirco res arcanas illa cõtegebat: sed quòd nota Attico, reliquis uerò ciuibus non tantopere. quòd si aliam à Romanorum usu semotiorẽ Atticus sciuisset, eam ipsam usurpasset Cicero, in rebus, quæ nolebat euulgari. Et quando in cuiusq; principis comitatu sunt homines multilingues, repertum est genus quoddam notarũ reconditissimum: cifras uocant. è quibus nemo unquam sensum exculpet, nisi abecedarium & significationem uerborum teneat, quæ inter illos conuenit. quemadmodũ nec Laconicã scytalam quisquã legerit, ni bacillum habeat per omnia illi parem, ad quem erat lorum contortum & conuolutum. Sunt etiam in epistolis Ciceronis, ad Atticum præcipuè multa breuia & præcisa: quam autumo phrasin fuisse sermonis Latini, familiaris illo utiq; seculo. omittit enim uerba potissimum, Dico, Mitto, Scribo, Venio.

MISCELLANEA DE VETERVM CONSVETVDINE EPISTOLARI, TVM AGENDO, TVM LOquendo, ex Cicerone potissimum. Addita sunt etiam nonnulla nostri usus.

ANTIQVISSIMI homines epistolas solebant in tabellis scribere, quod Homerus uates docet in fabula Bellerophontis. Is mos durauit usque ad Romana tempora, uti ostendunt scriptores Latini, Plautus, Cicero, & alij. unde qui literas perferrent, tabellarij nominati: quod nomen etiam nunc manet, quum tabellis iampridem non utamur, sed ut

alia, propter uim atque usum eundem. γραμματόφορος est Græcè, & à quibusdam nostris Veredarius dicitur. sed hic non tam est qui literas perfert, quàm qui ueredis subinde mutatis breui tempore magna itinera conficit: cui literas solemus committere, ut celeriter perferantur. Codicilli quoque appellationem suam sumunt ex tabellis. Literæ dicuntur, & literulæ diminutiuè, sicut epistola & epistolium. Exarare literas, componere epistolam, & formare epistolam, & dictare. qui uerò scriberet epistolas domini, librarius, & scriba. sequentibus temporibus notarius: & ab excipiendo, quæ alius dictaret, exceptor. A manu autem, & amanuensis puer est, quo utimur quasi ad manum, in ministerijs intimi cubiculi: qui etiam ad manum appellatur. is interdum excipit, quæ nos dictamus, uel præscribimus, secretiora quàm ut alijs uelimus communicari, aut leuiora quàm ut necesse sit librarium propter illa accersiri. Formalis epistola est uelut forma, & ea non aliarum illius generis, quales sunt principum, quæ ad certam quandam formam, uelut obseruatione religionis conscribuntur. Tabellis successit charta, primum membrana pergamena: huic uerò hæc nostra papyracea. Erit genus chartæ epistolaris, cuius in apophoretis Martialis meminit, tenue, leue, firmum, aptum epistolis scribendis. Vna in facie olim scribebant. nam quæ duabus essent scripta, ea nuncupabant opisthographa: cuiusmodi erat Orestes ille Iuuenalis, Scriptus & in tergo, nec dum finitus. propterea quòd una tantum facies erat leuigata, & literis recipiendis idonea, nempe interior, quæ carnea sanè nuncupetur: exterior autem uillosa. Vtebantur etiam membrana deletili, palimpsestον dicebant. Cicero Trebatio: Nam quod in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam. nescio tamen quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm hæc non scribere: nisi fortè tuas formulas: non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. Rationes loquendi in epistolis hæc propemodum, & eiusmodi usurpabant: Qui epistolam perferet, pertulit, perfert. quorum primum spectabat tempus post scriptionem: alterum post redditionem, tertium est tempus præsens, quod latè solet extendi: sicuti, Quis prandet apud nos? Barcherus & Patus: de pransuris. Nihil habebam, quod in præsentia scriberem: scriptione dignum, ad te præsertim nullum erat argumentum nulla materia, causa, occasio scribendi, scriptionis, epistolæ, literarum: eoq; breuior est, erit, hæc epistola. nam nec tu inanibus literis delectaris: & ego non iam, ut soleo, epistolas libens mitto scholasticas atque umbraticas, in quibus nihil sit negocij præter comitates, officiosa uerba, & mellita: tametsi hæc satius est exercere, quàm facundiam caninam. Tam multum habeo, uel est, quod scribam, ut initium non uideam: ut nec initium, nec exitum inueniam. propter hanc dubitationem meam breuior hæc epistola est. Sed tamen ita distinebar, ut uix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim. noli putare pigritia facere me, quòd non mea manu scribam. Ad Plancum scripsi, misi, habes exemplum. Ad senatum quas literas misi, uelim prius perlegas: & si qua tibi uidebuntur, cõmutes. Ad has literas statim mihi rescribe, tuorumq; aliquem mitte, si quid reconditum magis erit, meq; scire opus esse putaris. Et si manè Harpalum miseram, tamen quum haberem, cui rectè darem literas, etsi noui nihil erat, eisdem de rebus uolui ad te sæpius scribere. non quòd diffiderem diligentiæ tuæ, sed rei me magnitudo mouebat. en quantam epistolam, ex quàm tenui initio deductam, quantum exaraui chartæ, quũ tres uersus scripturum me à primo existimarem. Sed quid ego non imitor Laconismum tuum? altera pagella procedit. Quid aliud? quid restat? nunquid sum oblitus? excidit? fugit? Permultum, permagni interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit. an quum solicitudinis aliquid haberes, an quum ab molestia uacuus esses. itaq; ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coràm qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ. Coràm me tecum hæc eadem agere sæpe conantem, deterruit pudor quidem penè subrusticus, quæ nunc expromam absens audacius: epistola enim non erubescit. Manu mea scripsi, manu tua scripsisti, manu mea ipsius. manu propria mea, negat Valla dici. Brutus tamen: De uoluntate, inquit, propria mea. Scripta iam epistola Hermia uenit, accepi epistolam tuam uacillantibus literulis. redde nobis superio-

periorem epistolam, & appinge aliquid noui. Vale, Da operam ut ualeas: Cura diligenter tuam ualetudinem, hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale, & matrem, meosq; tibi commendatos habe. Vale, & Salue, quarto Calendarum, Calendas Decembres, ad quartum Calendas Decembres, ante diem quartum Calendarum, quasi quarto die ante Calendas. Nuncij nobis tristes, nec uarij uenerunt de Q. fratre, ex & ante diem Nonarum Iunij usq; ad pridie Calendas Septembres. Contulit hoc negocium, siue distulit in ante diem sextum Iduum Maij, usq; ante diem quintum Calendas Maias. hoc est, usq; ad diem quintum ante Calendas Maij, ut rectè interpretatur Budæus. Balbus, Sub posteà quàm literas communeis cum Oppio ad te dedi: quod durum admodum uidetur. Epistolam perscriptam complicabant, uinciebant lino seu filo, addebant ceram, quodam uerò tempore proceres Romani certam quandam ex Asia aduectam, ut refert Cicero pro L. Flacco. in cera signum imprimebant ex gemma annuli. Cicero in L. Catilinam: Ac ne longum sit Quirites, tabellas proferri iussimus, quæ à quo quæ dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego, signum cognouit, nos lignum incidimus. tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsiui cognoscerét ne signum: annuit. est uerò, inquam, notum signum imago aui tui, clarissimi uiri, qui amauit unicè patriam & ciues suos. Idem Cicero: Obsignata iam epistola superiore, non placuit ei dare cui constitueram, quòd erat alienus. itaq; eo die data non est. Hæc scripsi raptim, præpropere, perturbatè, quod ex literis ipsis & sensis facilè conijcies. quæso festinationi meæ, & breuitati literarum des ueniam. Nos item complicamus epistolam, quæ si non sit deuincta, est solutilis, uel apertilis: ut quas alicui mittimus legendas prius, quàm reddat. filo deuincimus uel supernè, uel transfixam: interdum quoque fibra ex eadem charta quum signum non habemus. commissura quoq; chartacea, uel orbiculari parua: uelut in negocijs mercatorum. uel magna commissura obsignata, ut ad proceres. itaque dicitur uel deuincta filo, uel astricta commissura. Solet nunc interstitium uacuum relinqui inter salutationem & ipsam epistolam, pro dignitate eius ad quem scribitur, uel amplius, uel adstrictius: uocetur id sanè margo honorarius. Qui literas perferunt, sunt tabellarij. è quibus alij sunt ordinarij, alij extra ordinem, lenti, celeres, ueredarij, per equos dispositos magnis itineribus euntes, coniungentes dies noctibus. hi accipiunt precium uecturæ, seu pro uectura, appensis epistolis, non numeratis. Respondentes uerò hisce locutionum generibus utebantur. Accepi literas: Plinius etiam recepi dicit. Redditæ sunt mihi literæ tuæ amantissimæ, suauissimæ, blandissimæ, iucundissimæ, expectatissimæ, amicæ, comes, salsæ, festiuæ, plenæ humanitatis & beneuolentiæ: uel acres, acerbæ, insipidæ, dentatæ, maleuolæ, rabiosæ, rabiosulæ, fatuæ, dementes, imprudentissimæ. Accepi literas tuas duabus epistolis. duas uel tres epistolas eodem exemplo, manu tua scriptas, manu scribæ, manu liberti tui. Treis uno die à te accepi epistolas, unam breuem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alteram ad me misit Lupus. Puer à sorore tua missus, epistolam mihi abs te allatam dedit. Accepi tuas tres. Plinius: Post longum tempus epistolas tuas, sed tres pariter recepi, omnes elegantissimas, & quales à te uenire præsertim desideratas oportebat: quarum una iniungis mihi iucundissimum ministerium, ut ad Plotinam sanctissimam fœminam literæ tuæ perferantur, perferentur. eadem commendas mihi Popilium Artemisium, statim præstiti quod petebat. Sed ad Ciceronem reuertamur. Obuiam mihi fuit tabellarius. at ego statim: cedo, inquam, si quid ab Attico? Si quid erit occultius, & ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literæ perferantur. Etsi iusta & idonea usus es excusatione intermissionis literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias rogo. Accepi literas ab eo, qui misit: accepi à tabellario, qui reddidit. Damus literas ad eum, cui scribimus, damus tabellario: tabellarius reddit, atq; etiam interdum dat: & si hoc rarius. Accepi literas tuas ab Acasto seruo meo: quas quidem quum expectassem iam diu, admiratus sum, ut uidi obsignatam epistolam, breuitatem eius: ut aperui, rursus *σύγχυσιν* literularum, solent tuæ comptissimæ & clarissimæ esse. sic ille. Videlicet, breues & parui momenti epistolas non solebant obsignare: sed complicatas solum mittebant in modum co-

dicíllorum. Míſit ad me líteras, quarum exemplum hìc habebís. Líteræ à Cæſare uenerunt, líteræ à Catone ſunt adlatæ. Cícero fílius Tíroni: Quum uehementer tabellarios expectarem quotídie, alíquando uenerũt poſt díem quadrageſímum & ſextum, quàm à uobis díſceſſerant: quorum míhi fuit aduentus optatíſsimus. Expecto tuas líteras de multís rebus, teípſum multo magís. Scripſíſti ad me epíſtolam plenã conſílíj, ſummæq; tum beneuolentiæ, tum prudentiæ: eam míhi, Phílotimus poſtrídie quàm à te accepérat, reddít. Q. Seruílius perbreues à te líteras mihi reddídit, quæ míhi tamẽ nimís longæ ſunt uíſæ. iníuríam enim me accípere putabam, quod rogabar. Accepí à te alíquot epíſtolas uno tempore, quas tu díuerſís temporíbus dederas. Ac uelím poſthac ſic ſtatuas, tuas míhi líteras longíſsimas quaſq; gratíſsimas fore. Quòd epíſtolam concíſam doles, noli laborare: ſalua eſt domi, petes quum líbebit. Epíſtolam tuam, quã accepí ab L. Arruntío, conſcídí innocentem: níhil enim habebat, quod non uel in concione rectè legi poſſet. Reſoluta epíſtola, continuò uídí quod cupiebam, uel quod meturam. Líbentíſsi mè legi tuas líteras, in quíbus iucundíſsimum míhi fuit, quod cognouí meas tíbi redditas eſſe. Ex líteris tuis cognouí, intellexí, accepí, factus ſum, redditus ſum certíor. níhil certum de te habebamus. Domitiũ aíunt futurum ſine faſcíbus: quum íd ſcíes, facíes ut ſcíam, fac ſcíam: faciam ut ſcías, ut noris, ut íntelligas. Particulam líterarum tuarũ, quas míſíſti Octauío, legí míſſam ab Attico míhi. particulam líterarum legit míhi Atticus. In capite tuarum líterarum, in medio, ad medium, in calce, fine, extremo, ad poſtremum. hæc erat líterarum tuarum clauſula. Habeo, habebam líteras à fratre: non tamen dícitur habuí, pro accepí. Reſpondebo tuis líteris ordine, uel promíſcuè, non ſeruato ordíne. Tuam rationẽ ſcríbendí ſequar, quoníã uídetur míhi optíma, cõmodíſsima, appoſitíſsima. uel ut cõmodius reſcríbam, nec οἰκονομίαν meã inſtituã, ſed ordinẽ conſeruabo tuũ, & reſpondebo primum poſtremæ tuæ paginæ. Ego reſpondebo tíbi ὕστερον πρότερον, ὅμηρικῶς. Epíſtolas tuas accepí duas: prior recentíorem habebat díem, altera antiquíorem. Vetus epíſtola & recens, dies prior, poſterior, recens, antiquus, uetus: ítem dies repetíta, quum uetuſtíor eſt quàm quo epíſtola fuit ſcrípta. hæc & alía inueníet permulta, qui ueteres, ſed Ciceronem præcípuè, díligenter euoluerít.

SALVTANDI FORMVLÆ VSVI NOSTRO APTÆ.

SAlutatíonem uoco, non primam íllam, quæ eſt ſcríbentís ad eum cuí ſcríbítur, nempe primí ad ſecundum: ſed primí ad tertíum per ſecundum, uel per quartum, quum ſcríbet, quum uídebit, quum quíd ad eum mandabít. hinc à tertío ad ſecundum per primum, à quarto ad ſecundum per tertíum ſolum, uel per tertíum ad primũ. Quorum omnium exempla ſunt hæc: Saluta, dic ſalutem, Salutem annuncíabís, precaberís meo nomíne, meís uerbís, pro me, mea uíce, Petro à Toleto hoſpíti meo. Saluebít à me Roderícus Manrícus meus. Iubebís ſaluere Gomeziũ Benauídium. Significabís Ioannì Manrico à Lara, accepíſſe te líteras à me, quíbus íubeo íllũ ſaluere: accepíſſe me líteras à Duce Beíaris Francíſco, quíbus íniunxit, ut ſí quando uel tíbi, uel íllí ſcríbam, adíungam eí S. ſuís uerbís. Si quando Morum cõueneris, admone hóminem, ut quũ ad Roffenſem Epíſcopum mittet líteras, adſcríbat precarí me læta omnía, ac felícia. Io. Claymondo patrí meo. S. & ſenectam leuem ac facílem: cuí epíſtolam hanc dabís legendam, tanquã ad eum quoq; ſcríptam. Quum hoc líterularum ad te exararem, aderat, uel íntereuenít, uel nunciauít míhi Al. Víruesíus, uti ſuo nomíne S. tíbi ímpertírem, ſalutem ímpertírer, S. optarẽ & optimè euenire, quòd fíliam probíſsimo íuueni collocaſſes, tum Chríſtophoro Mirandę fílíolam gratulaberís ſalua uxore. Quũ ad Morum dabís líteras, uel nactus fueris quí eò proficíſcatur, & mandata ad íllum míſeris, ne obliuíſcare accuratíſsimam mea uice ſalutatíonem adíungere ípſí & líberís: ſed in primís Margaritæ Roperæ meæ, quam ego ex quo primum nouí, non amauí mínus quàm ſí mihi eſſet ſoror germana. Quum alíquem tuorum mittes Segobrígam, præcípe eí, ut quærat íbi alíquẽ ex família ducís Alburquercaní, cuí mandet, ut ſí Cuelarem proficíſcatur, ſalutet míhi Bartholomæum à Cueua ducís fratrem, uerbís amantíſsimís & officioſíſsimís. Terſulæ, quoníã quod optímum in pueris eſt, hílarula eſt, meís uerbís ſuauíum des. Illud eſt animaduertendum, non omnes ſalutationes omnibus congruere: nec ſímíliter ignotos, aut leuiter

uiter notos debere ſalutari,ut amicos & familiares.non idem debere iniungi ſuperiori, quod pari.non omnes metiendi ſunt eadē decempeda,ſed gradatim & diſtinctē,ut emineant ſigna uoluntatum,in quo prudentia eſt opus.Curionem, ſi quando tibi occurrerit,ſi uideris,ſi uoles,ſi uacabit,ſi erit tibi cōmodum,ſalutabis paucis uerbis,leuiter,ſuffrigidè,ſuo ipſius more.Quum adibis Cæſarē, obſeruata occaſione, precaberis illi meo nomine propitium numen,ut tanta regnorum moles feliciter ſub eo adminiſtretur,ipſi & populis.Oro te uir clariſsime,ne graueris inſtitutori tuorum liberorum S.ex me nunciare.Salutat te P.Clodius:ego uerò precor tibi meliorem ſalutem,quàm ab illo.

RESALVTANDI.

REſpondet cui uel ſcripſimus,uel mandauimus,executum ſe quod erat iniunctum,' per ſe, uel per alium, literis aut mandatis: uel non licuiſſe, aut noluiſſe, quia non deceret, non expediret: tum quid ſalutatus reſponderit. Exempla ſunt huiuſce generis: Quod erat in extremo tuæ epiſtolæ, uel in extrema epiſtola, aut charta,in fine,in calce,in poſtremo literarum,ut Ioannem Feuynum noſtrum ſalutarem,feci, & quidem perlibens.is uerò,ut eſt ingenio ſuauiſsimo & amantiſsimo ſuorum,lætiſsimus de te audiuit.reſalutat te plus millies.ſalutationē tibi remittit Cranaueldius noſter,cum fœnore incredibili. ſalutē optat tibi ueram & ſolidam: optat tibi, quæ ſibimet ipſi:precatur tibi omnia euenire ex animi tui ſententia.omnia proſperrimè, feliciſsimè, fauſtiſsimè tibi & tuis.nō potui ipſe Vergarā ſalutare pro te,quod unicè cupiebam: quoniā aberam, quoniam me aduerſa ualetudo domi continebat. mandaui Gonzalo Tamyo:is renunciat, incredibile dictu quàm grata illi fuerit tua ſalutatio, quamq; eam remittit tibi accuratè & copioſè cumulatam.Exhilaratus eſt uehementer Francus Leardus ad cōmemorationem Petri Mexiæ ſui. multò etiam magis ad ſalutationē, quòd ſignificares te ſui meminiſſe.planè amat te,& reueretur bona fide.nihil nō optat tibi fauſtum & lætum. Ain'tu, ſalutari nos à Nicolao Vottono? de quo iam pridem audiebamus omnino nihil. quæſo iube eum à nobis ſaluere, & meminiſſe ueteris noſtræ amicitiæ, ac familiaritatis Louanienſis.M.Craſſus miſit S.chartaceā,ut ſolet:mallem auream,hoc duntaxat tēpore. redde tu illi pro me chartaceā item, aut ſi mauis,aēream, quum illum conuenies. Grata fuit ſalutatio Vdalli, ego illi pro ſalute lignea uel chartacea, reddam argenteā. Salutem Gabriel Valdaura hoc tēpore ad me? quin potius literas,& quidem copioſas de rebus ſuis omnibus, ut noſtris cōmunibus? renuncia ei, non expectare me ab eo ſalutationes,ſed epiſtolas:aut quod matrona illa caſtiſsima marito ſcribit,Nil mihi reſcribas,attamē ipſe ueni.Claudius ergo S.mihi? fatius eſſet cædi ab alio,q; ab illo ſalutari. Piſo nobis Sal. rogo te an ſeriò? quo ore? quo uultu? quibus uerbis? nam eſt admodū ſubdolus, & maleuolentiā blanditia uerborū aſſueuit occultare.Sed uincamus bono malum: repende ei ſalutationē plena manu, & uerbis amātiſsimis. Cū Demetrio nolo mihi eſſe rei quicq;: meliore ac cōmodiore utemur eo, ſi nullus penitus ſit nobis uſus cū illo. procul quæſo ab hac pice, ne inquinemur. crede mihi ericius eſt,ne accedas propius. Fabium Gurgitem nolui ſalutare tibi,ne inſoleſcat. Cornelio Nepoti non reddidi tuā ſalutationē:ueritus ne arrepta unius colloquioli occaſione,inſinuet ſe in meam familiaritatē:noſti quantus ſit irregēdi artifex:& admiſſus,q; moleſtus ſit,atq; importunus, & excuſſu difficilis.

DE BREVITATE EPISTOLÆ.

ILlud præterea iam olim quæſitum,quàm breuem eſſe epiſtolam cōueniret. Nam Demetrius Phalereus, ſeu quis eſt alius, longam epiſtolam librum appellat, non epiſtolam.Et L.Senecæ hæc ſunt uerba lib. Epiſt. 6. Ne epiſtolæ modum excedam,quæ non debet ſiniſtrā manum legentis implere, in alium diem hanc litem cum dialecticis differam. Quanquam eius ipſius epiſtolæ interdum quoq; dextram bis implent. Ciceronis etiam aliquę,ad Atticum præcipuè,ad alios quoq; nonnullos uolumina ſunt,nō epiſtolæ:quas ſe ideo tam longas ait cōſcribere,quòd dormire nō poſsit. Idem ad eundem,ait ſe interdum λακωνικὴν σκυτάλιν mittere.& ad D. Brutū, imitari λακωνισμὸν illius. omnia temperabat perſonis & negocijs: quū expediebat, & ſcribebat fuſè, & ſic ad ſe gaudebat ſcribi.idcirco Brutum increpat,quòd in medio ardore ciuilis belli,breues ad ſe literas dediſſet,quū negotia lōgiſsimas flagitarēt: ut ſcireē explicatius,quid ageret,quidq;

esset acturus. Morosis, incognitis, amicis simulatis, breues: itidē occupatis, aut ijs quos eo scribendi genere uidebat delectari, quasi multa paucis uerbis cōcluderent. cuiusmodi erat D. Brutus. Noui item amici breuibus sunt epistolis initio tentādi, ut amnes ignoti cunctabunde. Sunt qui uel mediocres epistolas loquaces iudicent, atq; aspernentur. Sunt qui epistoliū iniuriam interpretentur: demus tamen operam, ne in alterutro modum excedamus. si necessaria omittas, omnes sunt nimis breues: si superuacanea infarcias, omnes sunt nimis longæ. Multū te accōmodari conuenit ingenio illius, cui scribis. & pro ratione materiæ licebit in fine aut breuitatē excusare apud illum, qui longas cupit: aut prolixitatē apud eum, qui breuibus. illa excusat negocijs, aut nostris, aut illius: & pudore, ne obstrepamus aut interpellemus in maximis occupatū. prolixitas excusatur rei qualitate, dulcedine cum illo colloquendi. Nihil perinde uidetur mihi alienū ab epistolis, quàm diffusa in locis cōmunibus iactatio nisi fortè libri sint potius de sapiētiæ præceptis, aut de studijs humanitatis, uel encyclopædia epistolia, & codicilli, quæ paucis uerbis acutam quampiam sententiā concludunt, plurimū habent uenustatis. Quū licebat, noluistis: nunc quū uultis, non licet. Quòd si nihil habeant insolens, superbū, fastidiosum, mitti possunt uel ad reges ipsos, ac principes, & homines quantūm uis superciliosos. Hieronymus Salinas Theologus Inacho Mēdozę Cardinali, Episcopo Burgensi ardentē pietatem precatur. Lutetiæ Natali Io. Baptistæ, 1533. Scio prudentiæ tuæ nō esse opus cōsultore, memoriæ aūt, propter uarietatem & magnitudinē negociorū nonnunquam. itaq; rogo te, memineris nationis studiosorū hominum: nam de uoluntate in illos tua nihil dubitamus. Marcus Laurinus Carolo v. Cæsari Augusto, regi Hispaniarū S. Nec abs te contendo, ut mea causa iusticiā uioles, quod nec tu faceres quantumlibet rogatus, nec uelim te per ignorantiā iniustè agere. Itaq; libellum hunc, quē custodię iustitiæ tuæ cōfeci, oro attentè legas. Tales erant Lacedæmoniæ epistolæ, & respōsiones, quæ etiam in prouerbium uenerunt. Res malè gesta est: qui superfuere milites esuriunt. πῶς τὰ γὰρ ὁμῶν γραφθέντα, ναὶ ἢ ὄ. Sunt qui in respondendo repetant, ceu epistolæ illius capita, ad quā rescribant: quod solet in grauibus fieri negocijs. & tamen accuratius, quū à nonnullis lectum iri responsum arbitrantur, non lecta epistola prouocante. Nam hoc fine etiam in leuioribus fecerunt quidam, ut ij qui suas epistolas cogitabant edere, non editis ad quas rescriberent: sicuti Plinius & Politianus. Fit hoc interdum compendij gratia, & ut lectoris tum labori, tum intelligentiæ consulatur. Adde etiā, quoniam in disceptationibus nostra causa magis ea uia adiuuatur, quū quæ ille uel eloquentia conuestiuit, uel muniuit coloribus, roborauit argumentis, nos omni detracto præsidio oculis subijciamus nuda atq; inermia. qui astus erat oratoribus perusitatus. Ergo unaquæq; epistola uirtutē aliquam habere debet, uel in rebus, uel in dictione, qua cōmendetur, libenterq; & ab ijs legatur, ad quos mittitur, & à posteris quoq;, si ad eos perueniat. unde multæ placuerunt epistolæ, refrixerunt & iacuerunt plures.

DE AVTHORIBVS EPISTOLARVM.

ANtiquissimæ enim epistolæ extant Platonis perpaucæ, & Demosthenis. hinc M. Tullij amissæ quidem multæ. sed multæ etiā in hanc usq; ætatem reseruatę, in quibus præter uerba & dictionē, quibus uir ille cæteros omnes scriptores, Latinos dunta-xat, tanto post se interuallo relinquit, plurimū inest & ad respublicas, & ad priuatas iudicij ac prudentiæ. Senecæ epistolæ uolumina sunt de philosophia. Accōmodatior ad usum Plinius Cæcilius, eorum præsertim, qui de negocijs priuatis, aut Repub. non scribunt. nam huiusmodi melior Cicero: Plinius uerò succinctus, & festiuus, & facetus, & acutus, & frequens concinnis sententijs, doctis atq; acutis ingenijs mirificè est aptus; qui scholasticas inter se mittunt epistolas & umbraticas, ut idem ipse ait, quibus oportet plus ornatus & condimenti adiungi, quando rebus non perinde nituntur. Sparsæ apud Græcos feruntur complures. Luciani dilucidæ ac faciles, Philostrati picturatiores quàm decet hoc sermonis genus: utræq; inanes sunt, & leuiculos habent sensus. Synesij itidem non parum elaboratæ, metaphoris potissimum. Sunt nonnullæ Basilij, Gregorij, Libanij, & aliorum, breues argutæq;, scholæ & hominibus ocioſis congruentes magis quàm negocijs. Sed redeamus ad Latinos. Post Plinium scripserunt epistolas

las Christiani homines, suis temporibus nō Christianorū solum, sed omnium quoq; sine controuersia eruditissimi. Tertullianus durus, nempe Afer: Cyprianus non perinde, etsi eiusdē gentis. Augustinus item Afer, mollior, sed minus tersus ac cōptus. Hieronymus ardens & uehemens, ut uideatur semper ad iudices dicere de causa capitali. Ambrosius lenior ac placidior, aliquot interdū locis subturbidus. Symmachus nec magnitudine rerū, nec gratia sermonis potuit conseruare famam posteriorū. Sidonius Apollinaris Aluernas, obscurus, perplexus, fauorē iudiciorū nec consecutus est, nec meretur. Longo post hos interuallo uelut stellula inter densissimas tenebras emicuit Franciscus Petrarcha, prolixus, ac plerisq; locis morosus, difficilisq; & multū trahens ex rubigine ac situ suorū temporū. Multo pòst sequit̄, qui ætate auorū primus cœpit in Italia Latinè balbutire, Gasparinus: cuius epistolæ uel hac de causa merentur laudem, quia in seculo doctorū primæ. Huic succedunt Leonardus Aretinus, parum adhuc excultus: tum lingua tersiores Philelphi duo, pater & filius, sententijs inanes & subfrigidi, nec compositione satis grata. Poggius, garrulus, nugator & rabula. Pius secundus Pontifex, qui & Aeneas Syluius, natura felix, infelix arte. Aegidius Calentius, & Campanus nō contemnendi: quanquā hic in ostentationem est maxima ex parte cōpositus. Sabellicus ubiq; copia & facilitate, & iucunditate sui similis. Pōponius Lætus Romanæ puritatis adeò studiosus, ut nec Græcè quidē scire uoluerit, ne quid alienū sonaret, aut admisceret linguæ illi Quiritiū. ita & uerba habet electa, & dictionē satis castigatā. Io. Picus, & Angelus Politianus, magni. huius uerba facilè cōplectaris atq; exosculeris, illius non possis non probare. ille sententiarū pondere & sanctitate dictionis excellens: hic acumine & festiuitate amabilis, nisi quòd laudis nimia cupiditate supra epistolæ limites assurgit: ludit etiā non rarò, & lasciuit. rebus quoq; displicere posset seueris & eruditione præstantibus, quia multus est in materia leuissima, & minutissima sui ostentator: & in eos quibus non probaretur, acerbè maledicus. Allubescūt hæc quidem adolescentibus, uelut pugnæ & certamina: grauibus autem & sanctis uiris insuauia sunt. & imbuuntur tenerę mentes duobus uicijs humanæ societati pernicijs, iactantia, & amarulentia linguæ, quodq; est indignius, de rebus uilissimis, de literula, de syllabula, de uocula, de intelligentia uersiculi, uel negligendi, interim etiā obscœni, & moribus damnosi. Grauior est Hermolaus Barbarus, & disciplinarū cognitione sine ulla prorsum comparatione excultior: sed duriusculus, & perplexus. Admiscuit se his philosophaster Marcilius Ficinus, ut oloribus grauia: atq; epistolas cōposuit, ut de Platonicis quæstionibus disputaret, dictione inuenusta & molesta. Epistolis Fran. Pici, etsi minus tersis quàm patrui, magis tamē deest genius, quàm uel dictionis elegantia, uel sententiarū pondus. Rodolphus Agricola, si ipse sua emendasset, maximis quoq; ueterū potuisset comparari: tanta erat in illius eruditione soliditas & sanitas, atq; acrimonia in iudicando. Ioannis Capnionis epistolas nuper uidimus, simul & natas & extinctas, adeò damnauit eas tacitus doctorum consensus, ut uix potuerint paucos uitæ menses impetrare. Christophorus Longolius nimia cura imitationis, bonā naturā corrumpit. Verba habet Ciceroniana, mira religionis ne an superstitionis obseruatione: sensis est ineptior, propterea quòd dicta grandia rebus exiguis aptabat. Nō enim satis illi erat uerba & phrasin Ciceronis miro studio imitari, nisi etiam totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam simularet, & curā imperij, quo totus orbis cōtinebatur: priuatus ipse, & in angulū studiosi secessus abditus. in quo tam erat ridiculus, quàm si gigantis uestitū induisset, & uerba ac pronunciationē gigantis effingeret, ut gigas crederetur. legendus tamē propter uerba. Superant scriptores omnes ætatis huius, & æquant eos, qui patrum atq; auorū memoria uixerunt, ingenio, eruditione, facundia, Erasmus Roterodamus, & Gulielmus Budæus, uario & diuersissimo dicendi genere: sed uterq; in suo præstās. Erasmus facilis, & dilucidus, ut aliàs semper. G. Budæus nouo quodam atq; inusitato dicendi genere est delectatus, quod sit admirari quàm imitari promptius. Pauli epistolæ augustiores sunt, quàm ut illas fas sit sub nostram censuram uenire.

FINIS.

Ioan. Lodouici Viuis in libros De ratione dicendi præfatio, ad D. Franciſcum Bonadillam, Epiſcopum Corienſ. & gymnaſiarcham Salmanticenſem.

QVI humanæ conſociationis uinculum dixerunt eſſe iuſtitiam & ſermonem, hi nimirum acutè inſpexerunt uim ingenij humani. quorum duorum ſermo certè fortior eſt ac ualidior inter homines, propterea q̃ iuſtitia, ut mitis & blanda, in ſolis mentibus rectè ac probè inſtitutis aliquid impetrat iuris, ſermo autem & mentes ad ſe allicit, & in affectibus dominatur, quorũ in totum hominem impotens eſt regnũ, & prægraue. Sed de iuſticia aliàs dicetur, & ſunt à pluribus dicta plurima. Præſens autem inſtitutum eſt de ſermone tractare, qui quantas habeat in omnes uitæ partes ſingulis etiã momentis uires, quorumq̃ & quàm admirabilium operum ſit author, quum nemo ſit, qui non quotidie cùm in alijs experiatur, tum in ſeipſo: miror eſſe, qui ei facultati parum tribuant, quæ ſermonis rationẽ docet, ad res maximas utiliſsimæ, ſi rectè utaris, ut contrà pernicioſiſsimæ, ſi praue. Sed dimittamus iſtos tantopere uel amatores ſui cæcos, uel diſsimulatores aſtutos, ut quod non habent, uel contemnant, uel quia conſecuturos ſe deſperant, negent expetere. Niſi fortè opinionis huius culpam præcipuam ij ſuſtinent, qui ſuſcepta huiuſce artis profeſsione non præſtiterunt quæ illa promitteret. Ego uerò nihil uideo conducibilius hominum cœtibus, quàm ſit ſermo bene inſtitutus, atq̃ educatus, nec aliud perinde damnoſum aut importunũ, neq̃ locis, neq̃ temporibus, neq̃ perſonis accõmodatum. Nec temerè eſt, quòd Paulus Apoſtolus inter diuina documenta illud ad Coloſſenſes admiſcuit, ut eorũ ſermo ſale eſſet conditus, uidelicet ne incuſtodita obſeruatione temporũ & locorum, inſipidus, ac proinde moleſtus fieret. Nõ enim eſt aliud tantopere hominis prudentis ac ſermone aptè uti, & dextrè, ut quemadmodum oporteat cũ multis, cum paucis, cum eruditis, cum rudibus, cum pari, cum inferiori, cum minori quoq̃ tempore ac loco, de re quaq̃ ita loquatur, & dicat. Neq̃ opus ullum aliud acumen exigit mentis ſubtilius, iudiciũ acrius, rerumq̃ uſum diuturniorẽ, ut meritò quis non aliam dixerit debere tradi rationem dicendi, quàm ingeniũ Dei beneficio præſtans, rerumq̃ experimentis præditum atq̃ adiutũ. Quin & arti huic eiusq̃ opificio nihil eſt adeo inimicũ, ut ſtultitia cordis, & rudítas uitę. Tametſi ignoratio corrigi poteſt induſtria, experimẽtis, arte. Stultitia ſi naturalis ſit, tam ei proderũt hæ præceptiones, q̃ ſurdo muſica. Nõ enim idẽ eſt dicere, & bene dicere, loquentia & eloquẽtia. Poſſunt quidem inſani & uecordes uerba profundere, & faciunt plerunq̃ largiter, & præter rem omnino, & ei quod decet, quodq̃ expedit, aduerſantia. Vir ſapiẽs dicit quę proſint, quæq̃ ad deſtinatũ finẽ pertineãt, ideoq̃ in animas hominũ regnat ſola oratione, & id impetrat ab eis, quod nec metus, nec cupiditas, nec uires ullę poſſent exprimere. Diſciplinæ huic, quæ tot & tantis conſtet uirtutibus, quo iudicio aſsignatur à quibuſdam tradendæ locus ſtatim à grãmatica? & obijcitur adoleſcẽtibus, atq̃ adeò, quod indignius eſt, pueris? quum illius uſus magnarũ artium cognitione, & prudentia uitæ cõmunis nitatur, nec aliter poſsit conſiſtere. Vnde enim argumenta colliget dicturus multis & magnis de rebus expers philoſophiæ, imperitus memorię antiquitatis, & conſuetudinis uitæ ac morũ receptorum? Cedo aũt ut hæc teneat ſanè, quomodo rationes inquiret ſine inſtrumento ueriſimilium ac probabiliũ? quomodo uerò argumentationis formula uincíet, ne in conficiendo fallatur ſine cenſura ueritatis? Animi autem noſtri quemadmodũ impellantur, aut reuocentur, incitentur placidi, placentur turbulenti, quod eſt opus magni oratoris præcipuum, id uerò tractationem deſiderat de anima. Decorum porrò illud, quod artis caput eſſe aiunt, undénã petitur, niſi ex uſu rerũ quæ uerſantur in uita, prudenter & acuto iudicio animaduerſo atq̃ annotato? His iactis fundamentis, diſcenda eſt rhetorice, ſi quem illius exercitationis fructum cupimus, non in pueritia uel adoleſcentia in rudítate illa artium omniũ, morum, legum, affectuũ animi, conſuetu-

consuetudinis uitæ ciuilis ac humanæ. Nam quemadmodum sapienter inquit Aristoteles adolescentem non esse moralis disciplinæ auditorem idoneũ, quòd ignarus sit eorum, quæ geruntur in uita, de quibus est speculatio moralis, ita nec est aptus facultatis huius auditor, quòd ea nesciat, sine quorum peritia intelligi, quæ hic tradantur, non queunt. Huiusce rei documento sit, quòd senes & uiri mediam ætatem prætergressi, ij demum facundi sunt, & ad dicendum liberi ac soluti. Iuuenes autẽ impeditè in loquendo ingrediuntur, plura sentiunt, quàm promant, loquaces magis interdum, quàm eloquentes. & quibus uerba non desint, desunt utiq; sensus animi, desunt argumenta ualida, robur in sententijs, nec est unum quicquam ubi, & quando conuenit, collocatum, ex quibus artificium ipsum sedula est animaduersione confectum & constitutum. Sed nostri isti, in quos disputamus, eo sunt falsi, quòd arbitrantur uniuersam dicendi artem ea parte concludi, quæ est de uerbis, uelut de schematibus, de tropis, de periodis, & concentu dictionis, quæ non tam ad dicendi corpus ipsum, & quasi substantiam faciunt, quàm ad dicendi decorem atq; ornamenta. quota enim artis huius pars est color & forma orationis? Ergo Aristoteles magnus tradendarum artium, & ingeniosus cum primis artifex, in huius disciplinæ tractatione sæpe ad dialecticos libros, & philosophicos lectorem remittit. In his uerò nunquam ad Rhetoricos: quòd illorum cognitionem priorem esse cõueniret, quàm rationis dicendi. Hoc opus uisum est ad te mittere, quoniam superiore anno quum paucis diebus unà fuissemus, partim Bruxellæ, partim Louanij, perstudiosum cognoui te, cùm aliarum bonarũ artium, tum facultatis bene dicendi, ut per eam reliquam atq; philosophiam aditus tibi aperiretur ad tractandam rem theologicam pro dignitate. Quòd si tum id faciebas archidiaconus Toletanus, quanto nunc conuenit fieri accuratius ab episcopo, ut possis doctrina sana simul gregem tuum sanctè erudire, simul contradicentes ualidè refutare? Quam in rem nõ leue adiumentũ adfert ars dicendi. Et hi libri, nisi opinione mea fallor, progressus quos habes in ea disciplina, uel augebunt, uel certè commemoratione renouabunt. quod eo fiet facilius, quia præceptorũ & artis huius mea ratio omnino est noua, multũq; ab illa uetere ac peruulgata diuersa. Quorsum enim attinuisset & meum & lectoris otium nequicquam consumere repetendis ueteribus, & iam sæpe auditis? quasi non satis esset librorum, nisi noui accederent de re toties tam diu inculcata. Sed attentione est opus ad ea, quæ breuiter à nobis uniuersalibus tractantur formulis. Tum exercitatione, ut eæ ipsę formulæ fructũ aliquem pariant, sine qua exercitatione facultas dicendi manca erit prorsum ac inutilis: ut pingendi aut fuendi regulæ incassum erunt perceptæ, nisi crebrò penicillum uel acum in manus sumpseris, sic stylus perfector est disciplinæ huius, & magister optimus.

IO. LODOVICI VIVIS
VALENTINI DE RATIONE
DICENDI LIBER I.

QVÆ res à natura exterius quidem sensum, interius autem motus quosdam animi & affectiones tantummodo acceperunt, uoces quoq; habent inconditas & rudes, quis affectus ille utcũq; indicetur. Homo quidẽ habet idem, quod illæ, qua parte nihil distat à beluis, mentem uerò singulari quodam nactus est Dei munere erectam & sublimẽ, quæ sese usq; ad illum etiam rerum omnium parentem cognoscendum, colendum, amandum extolleret. Sed ea mens, quoniam corpore est cõtecta, & homo ipse in societate uitam acturus, quemadmodum ad sempiternam illam societatem est conditus, ut se alijs possit explicare, sermonẽ est sortitus, qui ex mente deriuatur, tanquam ex fonte riuus. Illumq; ea de causa Demo-

critus philosophus ῥεῦμα λόγου nuncupauit,quasi defluxum rationis.Nec est aliud per∫in de ∫ocietati aptum in∫trumentum.Idcirco Mercurius, qui apud fabulas præe∫se oratio- ni est creditus,interpres fingitur deorum atq; hominũ.Quin & be∫tiæ,quæ ad imaginẽ quandã ∫ocietatis congregantur, ſigna quæpiã edunt propinquiora humano ſermoni, uelut apes bombos,quibus se inuicẽ & de mane ad laborem excitant, & in quietem ue ſperi componunt,quemadmodũ annotarunt, quibus hæ curę atq; oblectationi fuerũt. Formicæ occurſu illo ſuo,& reſiſtẽtia in anguſtis tramitibus , collocutionis inter ſe atq; adeò percunctationis quoq; ſpeciẽ uel doctis hominibus præbuere, inter quos est Pli- nius Secundus hiſtoricus naturę.Idcirco & qui plurimũ ſermone,plurimũ etiã in cœtu omni ac ſocietate ualet. Isq; planè inter homines regnat,qui maximè est ad dicendũ ap- poſitus.Et eloquentiã meritò reginam nominauit Euripides tragicus.Quapropter ubi æqua fuit libertas,& quaſi conſociatio quædam iure & legibus par, ibi tanquam poten tiæ inſtrumentum ſermo est multorum tractatione auctus,excultusq;, ut in liberis ciui tatibus,uelut in Sicilia tyrannis pulſis,Athenis,Rhodi,Romæ,magnumq; illis tempo- ribus fuit dicendi præmiũm.Et ideo accurata exercitatio, quę ſublato orationis pretio, omiſſa est penitus, & ars illa qualiſcunq; fuit obliuioni primũ tradita, hinc tenebris & ignorantia cooperta,quam nos tanto ex interuallo, & illis tenebris ita conabimur in lu cem reuocare,ut non perinde renouemus priſcam,atq; omnino tradamus nouam. Re- petam quidem ex ueteribus nonnulla,ſed oculos potiſsimum habebo defixos,quantũ aſſequi iudicio potero,in eam quæ mihi uidetur rectè dicendi naturalis forma,ac ueluti lex quædam.idq; in uſum accõmodabo non unius modò, uel alterius linguę,ſed in cõ- mune omnium,quoniam ſermonis utilitas latiſsimè patet in omni uita. Quòd ſi in per- ſequendis ueterum inuentis parum nonnunquam exactè aliquid tradidero,dabitur,ut ſpero,uenia,antiquam quidem,ſed infrequentem tamẽ & deſuetam uiam ingreſsis,mi- nimeq; iam pridem tritam. Verùm mea omnis mens eò tendet,ut uſum adiuuem,& ad eum unũ uniuerſam præcipiendi rationẽ conuertã. Quocirca nemo miretur,ſi aliter fæ penumero docuero, quàm ueteres illi artis huius authores. Illi enim uno aut altero in genere oratorẽ informabant,nempe in cauſis forenſibus,uel in cõſultationibus,ego au tem pro uirili quidẽ mea in omnibus. Materia huius artis est ſermo, & hæc utiq; mu- tuata,non propria.Finis bene dicere. Artificis autem explicare,quæ ſentiat, aut perſua- dere quæ uelit,aut motum animi aliquẽ excitare, uel ſedare. In ſermone omni ſunt uer- ba & ſenſa tanquam corpus & animus.Senſa enim mens ſunt, & quaſi uita uerborum, ideo etiam mens & ſenſus uulgo nominantur. Inanis ac mortua res ſunt uerba ſenſu a- moto, uerba autem ſedes ſunt ſenſorum, & ueluti lumina in tantis noſtrorum animorũ inuolucris. Sed neq; ſenſa tamen neq; uerba huius ſunt inſtituti , non magis quàm ſer- mo. Quippe ſenſa ex ſingulis artium petuntur,aut ex prudentia & uita, nempe illa,quã Græci γυμνοπαιδίαν appellãt. Verba ſunt populi publica, nullius artis,aut priuati iu- ris. Aptatio tamen tum uerborum, tum ſenſuum , quomodo cuiq; fini applicabuntur, huius ſunt propoſiti.Ita non differet præſens inſtitutio quid dicendum ſit, ſed quemad modum.Quia uerò, ut Iulius dicebat Cæſar, uerborum delectus origo est eloquentiæ, de uerbis erit primo agendum tanquam elementis huius propoſiti . Verba autem uel ſimplicia ſunt, uel compoſita ſiue cõiuncta. In ſimplicibus ſpectantur extrinſecus qui- dem ætas, dignitas, magnitudo,ſonus. Intrinſecus uerò, hoc est, in ſenſu cuiuſq; uerbi, uis & natura ſignificationis.Aetas uerborũ uaria est in quaq; lingua. Dicamus de Lati- na, quando Latinè ſcribimus, nam rei huius fuſior explicatio alterius erit loci. Sunt alia uerba uetuſtiſsima,qualia quæ Fauni uatesq; canebant,ut inquit Ennius, & quæ e- rant in carminibus Saliorũ,uix ſuis ſacerdotibus intellecta, quæq; in 12. tabulis Roma- ni iuris,quæ iam Cicero non intelligebat.Sint hæc ſanè uſq; ad ſecundum Punicum bel lum. Sunt alia antiqua, ut Liuij Salinatoris liberti, Catonis Cenſorij,poëtæ Ennij,Næ- uij,& Plauti uſq; ad Carthaginẽ deletam . Alia bonæ ætatis, & quaſi uigoris cuiuſdam, ut P.Terentij,M.Varronis,Ciceronis,Cæſaris,Liuij,Valerij,Senecę,Quintiliani &eo- rum, qui uſq; ad Veſpaſianum ſcripſere.Sunt alia noua poſt Veſpaſianum nata uſq; ad Gordianum iuniorem Plinij Cæcilij,Taciti,Suetonij,Gellij,& iuriſconſultorum, quo-

rum

rum extant centones in Pandectis. Alia recentissima, Lactantij, Cypriani, Donati, Macrobij, Boethij, usq; ad urbem à Gotthis captam, dirutamq;. Postea nulla oratio populi quidem fuit Latina, sed Barbara, nempe Gotthica, aut Vandalica. Lingua enim cecidit cum urbe & parente sua. Et hæc in plures adhuc possunt ætates tribui, ut sint inter uetera ætas Liuij, ætas Gracchorum inter bona, seculum L. Crassi, seculum Ciceronis, ut quidam uocant, & seculum Quintiliani. Nec est ulla lingua tam uigens nunc, & florens, quæ tribus certè primis ætatibus careat. Scitè Horatius hæc in modum ac morem syluę mutari ait, interire uetera, noua exoriri. Hę sunt rerum omnium uices, & huic uanitati res conditæ subditæ sunt, quo usq; liberentur per reuelationem filiorum Dei. In dignitate spectari solent utentes, & res. In ijs autem, qui utuntur, eorum numerus & conditio. Sunt uocabula cuiusq; opificij propria, quæ alij opifices non norunt, ut in Vitruuio architecturæ, in Catone aut Varrone de rusticis rebus. Multa sunt quibus philosophi utuntur, uulgo inaudita, & inter philosophos potissimum Stoici, uerborum, ut inquit Cicero, architecti. Sunt poetica, quæ populus non attingit, tanquam sacra in omnibus quidem linguis, sed Græca potissimum, nam in Latino sermone rariora sunt hæc, ut qui musas colat seueriores, ut inquit Martialis, quanquam nec nostri suis carēt, ut mare ueliuolum, & terras frugiferentes, & tristificas uoces, & grates persoluere dignas. Videlicet poëtę, ut delectationi modò seruiunt, & numeris sunt alligati, interdum ex obliuione antiquitatis ea eruunt, sæpe etiam arbitratu suo reconcinnant, ut aliquid adimant, uel addant, uel mutent. Adimunt quum periclum & seclum dicunt, pro periculo & seculo. Addunt, ut quum induperatorem pro imperatore. Et hæc in capite, in calce, in medio mutant uel ordinem, ut tymbre pro tymber, uel seriem, septem subiecta Trioni, quæ in ludo literario sunt tradita. Hæc omnia, ut ad numerum tanquam morosum ædificium quadrent. Nam si intra illos arctos certæ dimensionis fines non plus liceat, quàm nobis in hac latitudine, obmutescant necesse erit: non idem licere sibi quisque arbitretur, quando liberior est structura. Sunt alia uocabula magis nota, magisq; usu uulgi trita. Ex his quædam sunt in usu plerisq;, alia omnibus. In conditione utentium sunt ruris uocabula, ut Theocriti, talia quibusdam sunt Vergilij uisa in Bucolicis, in quem est iactum, nostri sic rure loquuntur. Huius rei exempla manifestiora sunt in linguis uernaculis, tametsi ex scriptoribus rerum rusticarum intelligi satis possit in Latina. Sunt castrorum, sunt tabernarum, sunt spurcorum & impurorum hominum. Sunt non nominanda nisi cum honoris profatione, ut inquit Plinius. Sunt rudium, sunt eruditorum. Alia sunt fori, & curiæ. Sunt extera, seu peregrina in ciuitatem admissa, ingressa cum sua re, ut mastruga. Ex quibus alia manent quidem in ciuitate, sed peregrinitatis damnata, ut lancea, leuca. Alia sunt donata ciuitate magno consensu utentium, uel magni alicuius uiri authoritate, & gratia, ut Græca plurima. Hæc sint mihi dicta non solum de singulis uerborum, sed de proprietate, de elegantia, de formulis loquendi, de prouerbijs, quæ omnia recipiunt hanc ipsam considerationem. In rebus alia uocabula sunt humiliora quàm pro rebus, de quibus dicitur, ut pulsatus pro cæso, congerro de socio. Alia maiora, ut ciuitas de alueario, enectus de affecto molestia, examen hominum de exercitu. Alia paria, nec solum in significatione, sed in ornatu quoq;. Magnitudo iudicatur ex syllabis, & literis, ut alia sint magna, alia parua. Alia uelut mediocris cuiusdam, & iustæ staturæ. De sono mox dicetur. In natura & uiribus, sunt quædam, quorum significatio est naturalis, id est ad quæ significandum à primo sunt inuenta. Et quia illorum significatio cum ipsis est orta, naturalis nominatur, ut quę cum unoquoq; nostrûm sunt nata, naturalia dicuntur, sic homo significat, sic ferrum, arbor, & eiusmodi. Sunt alia quæ à loco naturali in alium transierunt, quæ sunt propemodum plura, quàm quæ in sua origine perseuerarunt. Transitus hic à Græcis metaphora, à nostris translatio nominatur. Sed nec ita tamen transeunt, ut locum suum amittant penitus, quanquam in suo loco non manent, quum sunt in alieno, non illis tollitur tamen facultas reuertendi ad suũ, etsi in his, quod transit quadantenus in eo remanet, unde migrat. Nam uel maius contrahitur ad minus, uel minus exporrigit se ad maius, uel idem in seipso uoluitur, nempe in simili. Similitudo enim quodam modò idem facit, ueluti genus

ac forma in philoſophia, & amicitia in uita. Maius demittit ſe ad minus, quum uniuerſaliora aut maiora deducuntur ad ſuas partes, in quo eſt antonomaſia, ſiue contractio, ut quum poëta uel apud Græcos pro Homero ſumitur, uel apud nos pro Vergilio, aut etiam alio quocunq;. Nam Horatium uel Lucanum citantes poëtæ nomine uniuerſali frequenter utimur. Euerſor Carthaginis pro Scipione Aemyliano, quippe etſi non eſt alius, non tamen uox illa hoc ſignificat ex ſe, ſicut euerſor Troiæ & Hercules eſt, & Agamemnon, & C. Fimbria. Totum ad partem, ut hominem mori pro corpore, hominem uiſum pro facie. In hoc genere eſt id, quod uelut habet & poſsidet, pro eo quod habetur & poſsidetur. Scilicet in illo ſunt, ut aliàs dixi, quod ſanè poſſeſsionem nominemus. Rex pro regno, imperator pro exercitu. Sic tutor, inuentor, author, pro opere ac inuento, Ceres pro pane, Bacchus pro uino, Cicero pro eloquentia, ut multum Ciceronis eſt in hac epiſtola, Chriſtus pro Eccleſia, ſicut in Actibus Apoſtolorũ, Saule Saule cur me perſequeris? & patronus pro clientibus, ut Chriſtus pro pauperibus, quale eſt illud: Sitiui & dediſtis mihi bibere, Dominus pro opibus. Horatius, Quod ſi ſemel uno de ſene guſtarit. Minus extendit ſe ad maius, quæ eſt dilatatio, ut Homerus iſte, Roſcius iſte, quaſi præſtans poëta, uel hiſtrio. Tum contrà, ea quæ ſunt in alijs pro illis ipſis, ut uina pro poculis, cõſul pro anno, & inuentum pro inuentore, quemadmodum panis pro Cerere, & clientes pro patrono, aut exercitus pro imperatore, ſubditi pro rege, opus uel actio pro authore. duo terrores huius imperij pro Scipionibus, redemptio noſtra pro Chriſto, & pallentes morbi, & maleſuada fames. Quod dicamus contentum hinc multa hominum nata nomina, Scipio, quòd ſcipionis loco eſſet patri. Murena, quòd haberet illas. Orata, quòd illam primus inuexerit in Italiam. Fabij, Piſones, Cicerones, Lentuli de leguminibus. Flores pro uere, ſpica & meſsis pro æſtate, pars pro toto, tectũ pro domo, puppis & carina pro naui, mucro pro gladio, miles pro militibus, caput pro homine, ut multa capita cadent, quaſi homines. Et in ſacris literis, multæ animę pro hominibus, æſtas pro anno, quod fit cõmodius, & idcirco crebrius, ubi unica talis pars eſt in toto, nec abeſſe poteſt ſine interitu totius. Hæc omnia communi nuncupatione denominatio & hypallage, quaſi ſubalternatio dicuntur, & ab alijs metonymia, quam eo putant à translatione diſtare, quòd translatio fit ſimilitudine, non item hypallage, & in hypallage pars pro toto dicitur ſynecdoche. Ariſtoteles hypallagen meritò translationi ſubiecit. Sed quando nomina declarationi rerum ſeruiunt expoſitis rebus, non conuenit nos eſſe anxios de uocibus. ſimilitudo ad explicationem inuenta eſt rei minus notæ per magis notam. In quo ualde indulget ſibi communis ſermo, nimirum mancus omnino futurus, & deſtitutus, niſi id ſibi permitteret, non rarò uerò infans quoq;, & mutus, ſcilicet propriorum uerborum magna eſt inopia, nec ea ſemper ad manum. Transferuntur ea quæ ſimilia eſſe iudicantur. Iudicant uerò mens & ſenſus, gemmam in uite dicit ſenſus, mens uerò angelum pro bono uiro, leporem pro timido, uulpem pro aſtuto, in quo ſunt alia ſimilia ex iudicio phantaſiæ, alia ex deprehenſione, alia ex indagatione, ſicut in prima philoſophia expoſuimus. Sunt ſimilia quædã, forma, ui, effectu, in quo eſt uſus, forma, ut gemma. Vi ſiue agendi, ſiue patiendi, ut uolare, & homo ferreus, aſperum in tactu, & uoce, & ſapore. Effectu, ubi uſus eſt, ut ſtilus dicatur penna & calamus, quia idem eſt horum uſus, qui illius. Interdum quod longius abeſt, gradu quodam coniungitur, qui tamen gradus nihil ad rem facit, tranſitum modò præbet, ut Poſt aliquot mea regna uidens, mirabor ariſtas, ab ariſta, ad æſtatem, ab æſtate ad annum. Sic ille apud Claudianum, Felix, qui frugibus alternis, non conſule computat annum. In translationibus uel neceſsitati ſeruitum eſt, uel cõmoditati. Nam temerè nihil transfertur à prudenti. Satius eſt non tangere bene poſitum, ſicuti uetus admonet uerbum, niſi fortè ioci, aut uoluptatis cuiuſdam gratia magis, quàm eloquendi animi ſententiam, ut qui poteſt dicere candelam in laterna, dicit Vulcanum in cornu concluſum. Neceſsitas eſt, quum deeſt uerbum, quo res ſignificetur, tum aſciſcimus quàm maximè uel aptum, uel uicinum, aut rei aut nobis. Commoditas genus eſt neceſsitatis quoddam. Nam non egemus modò illis, ſine quibus agere nullo modo poſſumus, ſed ſine quibus ægrè aut parum, uel rectè uel appoſite. Commodum uerò eſt duplex,

plex,ſiue quum damnū uitatur,ſiue quum lucri fit aliquid:uitatur damnum,ubi effugitur turpitudo, ut pudenda, pro teſticulis: facimus uerò lucrum ſignificantiæ, aut decoris,quum plus gratiæ ineſt,aut plus uirium in ſignificatu,ut accenſus cupiditate,inflammatus libidine. Significantia translationis eſt, quando melius res intelligitur, & quaſi ponitur ob oculos, quæ translatio, ut inquit Cicero,non irruiſſe in alienum locum,ſed immigraſſe uidetur in ſuum,qualia ſunt illa in myſticis literis, Conglutinata eſt anima illius cum anima puellæ,& Siluit terra ante faciem eius, & alia illic proprietatis admirabilis complura. Decor eſt quum ſic dicitur, uel quemadmodum rem, dicentem, audientem decet,uel quum gratiam conciliat orationi,quod promptius ex eo, quod dedecet, intelligitur,ut magis obuia, magiſq; notabilia ſunt turpia, quàm pulchra. Significantia diluitur,quū procul,uel ab ignotis rebus petitur metaphora. Admonet Cicero, ne ſimile longè deducatur.Syrtim inquit patrimonij,ſcopulum libentius dixerim.Charybdim bonorum, uoraginem potius, quippe facilius ad ea, quæ uiſa, quàm ad ea, quæ audita ſunt,mentis oculi ferūtur.Sunt quædam captatæ,ut uoluptatem hic agere dictatorem, à quo non liceat prouocare,apparet enim affectatio.Decor perit, quum inde transferimus,quod minimè decet dicentem,audientem,rem,ut ſi ſenator à luſione,uel ſcurrilitate ganearum ſumat metaphoras,ſi apud ruſticos è media philoſophia ſimilitudines ducamus,apud homines mediterraneos è nauigijs,& nauigatione, ſi in ſacra concione de lupanari,de obſcœnitate & rebus ludicris.Vel quum oratio non redditur uenuſtior,ut quum eſt dura translatio,& aſpera & inuitè pertracta,quum maior,quàm pro re,quum minor. Huius generis eſt, ſi quis CHRISTVM nominet patris uocem, ut fecit Claudianus,aut poëma,clamorem muſarum,humile eſt enim. Periculoſæ ſunt nouæ, & duriuſculæ priuſquam uſu molliantur, ut in illis ſuis nouis placitis confirmandis per funem ingrediebatur,apta eſt,ſed noua.Ideo ijs,quæ ſunt duræ ſolent addi quædam præmollientia, uelut,ceu, quaſi,ut ita dicam,ut iam quidam loquuntur,ut nunc loquimur, liceat ſanè ſic dicere. Habent hæc omnia uerba tam naturalia, quàm translata cuiuſcunq; ætatis,& conditionis.Alia uires exiguas, & infirmas, ut quæ non tam ſignificant rem,quàm obſcure innuunt,cuiuſmodi ſunt,quæ minus ſignificant,ut nequam pro ſcelerato, uel quæ latius, ut latitudo illa parum congruat rei, de qua loquimur, exprimendæ, ceu ſi quis hominem uocet ſubſtantiam, neq; enim anguſtis, nec laxis armis rectè pugnatur, niſi aliquid ſit in maiore, quod melius rem noſtram adiuuet, ut animal breui periturum ita ſuperbit,magis eſt, quàm homo breui periturus. Nam in animali quoniam quidem ſola conſideratur uita & ſenſus, non item ratio, plus ualet ad extenuandam illius dignitatem,quàm ſi dicas homo. Vel ex auditoribus,qui non ſatis uim uerbi capiunt. Alia maximas habent uires, & quaſi rem ipſam ſecum adferunt, ueluti tumultuari affectus,ſurgere illorum tempeſtates.Alia mediæ cuiuſdam ſunt naturæ & ſignificationis,quæ proprie dicuntur ſignificare. Veniamus ad compoſita. Voco autem ea compoſita, quæ inter ſe ita continuata ſunt & coniuncta, ut aliqua ſit in eis diſtinctionis ſpecies ab alijs. Non enim ſi dixero deambulare in Lycio Socratem Athenienſem cum Glauco,Socrates Athenienſis cum Glauco pro compoſito habebitur, in præſenti utiq; inſtituto.Sed ubi eſt ſenſus ratio aliqua,qui etiam ſententię nominantur.Namq; nomen hoc ſententiæ non ſimplex eſt,quod & pro oratione generali ſumitur,qua quid ſignificatur eſſe aut non eſſe, fuiſſe aut non fuiſſe, fore, non fore, agendum, non agendum, nec id in quauis re uel materia, ſed in uita, & philoſophia morum, quando non hæc uocatur in propoſito ſententia, Triangulus omnis habet tres angulos duobus rectis pares.Gnomæ à Græcis nominantur,quarum ſunt aliæ ex generalitate ad propoſitum deductæ, ut quanto mallem hunc eſſe mihi apertum inimicum, quàm amicum ſimulatum, & alijs ratio additur, quibuſdam contrà, ſeu quod non indigent, ſiue quod non expedit ad gratiam,uires,lucem,aut quid ſimile.Et alię ſimpliciter ponuntur,nonnullæ aſſeueranter, quædam authoritate fulciuntur ad robur, Sic illi aut illi eſſe uiſum. Aliud eſt ſententiarum genus, quæ orationi admiſcentur tanquam lumina obſcuritati, aut fulcimenta & columina rebus per ſe non ſatis firmis, ut eius necis ſedetis ultores, cuius uitam ſemper habuiſtis inuiſam. Hæ ex prioribus deriuantur tanquam ex fonti-

bus. Sunt etiam ſententiæ à ſentiendo ſenſus omnes animi noſtri, ut apud Ciceronem in Antonium. Sententiolas edicti cuiuſdam memoriæ mandaui, quas ille peracutas eſſe putat. Senſus hic ſi perfectus omnino ſit per ſe, nec aliunde pendens, nec aliud pendens ex eo, dicatur ſane abſolutio. qui plenus quidem, ſed pendens, colon, quaſi membrum: qui non plenus, inciſio, hoc eſt comma. Multum metuo, inciſio, ne ipſis nobis deſimus, membrum, quum Deus nobis nunquam deſit, abſolutio. Commata ſunt hæc: Defendit ſacra, ceremonias, ius publicum, ius priuatum cuiuſq; Sunt quædam inciſiones uel membra, quæ ſi nihil adderetur, abſolutiones eſſent, ut in priori exemplo. Abſolutio duorum eſt generum, quemadmodum in corporibus naturæ, quorum alia ſimiles inter ſe habent partes, uelut aqua & ſanguis. alia diſſimiles, ſicut arbores, & animantes omnes. Ita etiam abſolutio eſt, quæ uno tantum conſtat ſenſu continuo, quæ dicatur uniformis, ut non poterit odiſſe mater ſuum fœtum. Eſt quæ multa habet membra. Sit ergo, ut imagine quadam dicamus, inciſio tanquam hominis articulus, membrum ſit quaſi brachiũ, uel manus, abſolutio homo integer, oratio uerò ciuitas. In compoſitis uocibus conſiderare eſt externa & interna. In exterioribus ſunt hæc, forma, & quaſi facies quædam uerborum, uel color: tum ordo, iunctura, ſonus, magnitudo. De internis mox. Facies conformatio eſt quædam. Nam quę gratiam, & uenuſtatem, & decentem illum colorem orationi addunt, ceu faciem quandam & formam uidentur tribuere, ut meritò ſit abſq; his informis. Pigmenta hæc de medio ſumuntur communis ſermonis annotatione acuta & ſedula, non aliter quàm ex prato uel hortis decerpuntur flores ad faſciculum, aut coronamentum. Sed ſicut quidam uel ipſo capiuntur mero gramine, & uirore perpetuo, ita nulla eſt in locutione pars, quæ non alicui allubeſcat, ac proinde gratiam habeat, utiq; illi, meritoq; Apollodorus, ut ex Cælio Quintilianus citat, infinita obſeruationis huius præcepta eſſe perhibuit. Græci nihil reliquerunt non figuratum, & nomina aptauerunt ijs, quæ finxiſſent, quod fuit eis propter copiam & flexibilitatem ſermonis factu facillimum. Nos tamen quædam trademus generatim, in quibus aliquis ineſſe naturaliter gratiæ exiſtimemus, quæ à ſimplicitate cõmunis ſermonis nonnihil ſunt remota, etſi incidant in illum nonnunquã, ut nullũ eſt adeo rarum & exquiſitum floris genus, quod non interdum in uulgatiſsimo & incultiſsimo prato ſuapte ſpõte naſcatur. Adde quod de linguis ſunt alię aliis picturatiores, ut Græca delicioſior eſt, quàm Latina, & hęc Pliniana, quàm Ciceroniana, & Ciceronis magis quàm Catonis: loquor de ætatibus, non de hominibus. Ergo conformatio hæc uel in uno fit uerbo uel in pluribus. Compoſitam uocem ſæpenumero pro una ſumemus, ſic enim ſe habebit, quantum ad propoſitum hoc pertinet. Verbum unum per ſe non adfert orationi eam gratiam, de qua hic eſt ſermo, etſi adferat uim & uenuſtatem propter ſignificationem, quod alterius eſt loci ad interiora ſpectantis, oportet eſſe plura tanquã membra, ex quorum coniunctione exiſtit facies hæc & forma. Itaq; eſt uerbum unum ut plura, aut reuera plura. Vnum eſt pro pluribus, quum repetitur. Id fit initio, medio, fine. Fine prioris ſententiæ, initio ſequentis, quorum exempla ludi ſunt literarij, idcirco hiſce onerandus non eſt ſermo noſter minimè hoc tempore neceſſarijs. Interdũ uarie repetitur, ut modò ſit initio, modò in fine. Aliàs in medio, quale eſt illud Fabiani: Senatoriũ, ad gradum cenſus aſcendere facit, Cenſus Romanum equitem à plebe diſcernit, cenſus in caſtris ordinem promouet, cenſu in foro iudex eligitur. Repetitur quandoq; fine medio, ut Deus deus ille Menalca. Commutantur etiam ſine medio duo uerba aut plura, ut hac de re idem ſentiunt boni & mali, mali & boni, etſi hoc inter uitioſas repetitiones quidam reijciunt, qualis eſt Battalogiſmus ille apud Ouidium. In illis Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis. Sunt tamen quibus allubeſcet ſuo loco poſitum, ut in comœdia: Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho, hanc Demipho negat eſſe cognatam? Pro eiſdem ſunt ſenſu eadem uoce differentia. Nos campis, nos montibus fruimur, noſtri ſunt amnes, noſtri lacus, nos fruges ſerimus, nos arbores, & alia quæ ſunt Ciceronis in ſecundo de Natura deorum. In quibus eadem poſſumus contemplari, quæ de uno paulo antea ſunt poſita in fine, medio, initio. Eſt hic figura quædam quam unum illud non recipit, ut quum uideamur diuerſa dicere, unum

ſit ta-

sit tamen,non furatus est,sed rapuit,non uerberauit,sed cecîdit,quod fit per synonymitatem, uel per ea, quæ non minus ualent. Contrà est unum quod claudit plura,ut amari genitiuus & uerbum, unum etiam ad plura collatum, quasi cum unoquoque illorum est, & pro repetito habetur. Zeugma dicitur, hoc est coniugatio, quia illa omnia uno iugo continentur. Id uerò iugum uel initio, uel medio, uel fine constituitur. Miscetur Zeugma cum repetitione: Ex paupertate nascitur industria, ex industria opes, ex opibus superbia, ex superbia paupertas. Ex pace opulentia, ex opulentia superbia, ex superbia dissidium & simultas, hinc bellum, ex bello pax. Iam in uerbis pluribus ea uel similia sunt,uel diuersa,uel aduersa. Similia quum eadem est in diuersis casibus dictio. ut fides seruanda est illi etiam, qui in fide fidem fregisset. quæ possunt locari sicuti prius diximus initio, fine, medio, utrobiq;,tum per medium,& sine medio, quorum exempla obuia esse cuique possunt, ne operam ludamus ijs infarciendis. Est coniunctio quædam uelut per annulos ad gradationem, quale est illud Latronis Portij de prostituta petente sacerdotium.Ita domi custodita est, ut rapi posset,ita chara fuit suis, ut rapta non redimeretur, ita raptæ pepercere piratæ, ut lenoni uenderent,sic leno emit, ut prostitueret. Quum in exitu est affinitas unius aut duarum syllabarum, quod similiter desinens nominatur, quum est affinitas initio, ut ambire, ambulare, quum ea est detractione, additione, commutatione unius elementi, aut syllabæ, aut plurium initio, fine,medio,uel conuersione,Amor Roma: tum in compositis ad hunc modum, iurisconsultorum eloquentissimus, eloquentium iurisconsultissimus, semibouemq; uirum, semiuirumq; bouem, quamuis hoc in Ouidio est reprehensum : alterum illud Ciceronis est, quod frustra nititur Laurentius Valla conuellere. Hæc omnia gratiam adferunt uel positione utriusq;. Quid amentes quæris, quum habeas domi amantes? Amans est, amentem putaui. Vel sublatione,Tu nec tueri nos uis,ac ne intueri quidem. Sublatione unius, ut alterum ponas, Non oppressit imperatorem, sed hominem imparatum: non uiuo,ut edam, sed edo ut uiuam. Contrà non sunt amissi mortui,sed præmissi.Eodem modo per interrogationem, Hem cur magister eius ex oratore arator factus est? Transeamus ad ordinem. Est ordo in quaque lingua naturalis, quem inuertere non licet. Sunt ex naturali ordine, quæ metri mouet licentia, uel euphonia in soluta oratione, sic tamen ut quædam fas sit aliter dicere, uelut his de rebus, quo cum alia non sit fas, sicut mecum, tecum. Est ordo alius uoluntarius, qui intelligentiæ seruit, ut sic dicamus,quomodo facillimè putemus intelligi,alius decens,quum ornatus tantũ, & decor quidam orationis captatur. Sonus sequitur, de cuius magnitudine primum dicamus. Inter elementa literarum sunt quæ habent amplum sonum, ut quæ implent os a, b,m, p. Sunt quæ exilem,ut quæ compressu labiorum exprimuntur c, i, t, u. Sunt quæ medium e, o, l, n. Ex his fiunt syllabæ ac uerba, quæ talem reddunt sonum,qualia sunt elementa ipsa,nempe grandem,quum literæ sunt amplæ,campos, Pandarus. Vastum qui communem modum excedit magnitudinis, bambalionem, mimallones, pompa,marpesia. Amplus est sonus seu patulus, in quo hiatus est crebro uocalium concursu, quoniam uocalis omnis sola oris apertione profertur, sed diductior est hiatus, quum illæ maioris soni coëunt, Abrahami amor. Plenus sonus est iustus quidam, & in quo auris nihil requirat, ut exempli causa,quum l, sequitur has literas c, f, g, p, & n, in fine & initio, propterea gratiorem sonum reddunt Græcæ dictiones, quæ finiuntur in n, quàm Latinæ quæ in m. Exilis sonus est, qui literis parum sonoris constat, ut uitium, & quum l, geminatur, sollers, & n, in medio manet, damnum. Paulò est plenior quum l, finit nomina sal, sol. Et quemadmodum ex literis eiusmodi conficitur in uerbis concentus, ita etiam in continuatione fit ex uerbis. Grandis est, Bella per Emathios plus quàm ciuilia campos. Vastus: Torua mimallonеis implerunt cornua bombis. Et inter hos gradus, qui insectili non separantur spacio, multi possunt gradus alij interseri. Hæc de quantitate. Facies soni sit nobis uelut cutis soni ac forma, & qualitas quædam, unde gratus existit sonus, aut ingratus, asper,lenis,suauis,horridus,fœdus,blandus,iucundus,allíciens.Lenem sonum reddunt l, n, c, p, t, sine aspiratione. Nam omnis aspiratio pingue quiddam sonat. Asperæ sunt

r,& f.Translatio fit hoc loco à tactu manuũ ad tactum aurium. Nam in aure est quidam quasi tactus, unde radi dicimus sono aurem. Leuitas hæc est, ut in corporibus suauitas quædam,quæ tangenti adlubescit,quũ nihil est,quod illam offendat. Leuiter sonat l, quum uocales anteuenit, lapis, lepus, liber, locus,lucerna, & hunc in modum, ubi est concursus lenium,contrà ubi est concursus asperarum,frater,serra,error Romuli. S, cum ſ,& cum c, sibilat, princeps senatus,domus ciuitatis. Sibilus etiam fit si multa uerba finiantur in ſ, continuata, gignis nobis discipulis nouas scriptiones, qui sibilus agreste quiddam præ se fert.Est pinguis sonus uel per se ex aspirationibus,uel loquentis uitio, ut si quod exiliter, presse, leuiter debet pronunciari, pronuncies crasse, patule, quod uitium taxauit Cicero in C.Cotta. Idem Cicero Archiam defendẽs, poëtas Cordubenses pingue quiddam sonuisse ac peregrinum ait, quod & uidemus quotidie usu uenire agricolis. In partem asperi, & ingrati soni uenit horridus sonus. Deniq; omnis,à quo abhorret auris. F, ut Quintilianus ait, quassa est, quum uocalem accipit, quum consonantem aliquam frangit, fit horridior. Coniunctio earum literarum,quas sine intermissione efferre non queas, asperam compositionem facit, ut Cicero:Hoc, qui non uidet, excors,qui quum uidet decernit,impius.Fœdus sonus ad interiora pertinet, quum aliquid obscœnum refert auribus,quod dicitur cacophaton,ut illud grammatici cuiusdam: Hic cucumer dat eris, quod eo est notabilius, quia dat coniungitur prioribus, nempe tertia dactyli. Fit ferè ex ultima syllaba prioris uerbi, & prima sequentis, cæca caligo. Quod ad linguarum diuersitatem torquendum non est,multa enim in lingua aliqua belle & pure dicuntur, quorum fœdus esset in alijs intellectus. Id porrò curare infiniti esset operis, & superuacanei. M, ut Quintilianus ait, quasi mugiens est littera. In actione soni est motus tardus,celer,cursus cõtinuus,intersistens, æquabilis,inæquabilis,subsultans,firmus,fortis,robustus,imbecillus,infirmus,perpræceps per accliue,hoc est impeditus,& expeditus. Sunt qui sonum faciũt amni simile.Et est alioqui sonus unda aëris. Ex fluuijs ergo est alius celer, alius incitatus, acer, tardus, lenis,torrens, qui non est continuus.Est alius subsultans inter petras,est fortis,est imbecillus. Vocales omnes expeditũ habent sonum,& facilem, & ab eis ad quamuis consonantium mollis est transitus. De consonantibus mutæ impeditũ reddunt ac tardum, ut darent panem bonum.Semiuocales mediocrem & quasi ex ambobus temperatum, b,g,d, robustum. Nam uelut firmitas quædam est in earum prolatione, ut grandis bellua.M,mediocriter sonat in medio,in fine sequenti uocali fit obscurũ, in principio grande quiddam & amplum obtinet,sicut apud Ciceronem initio 4. lib. Acade. quæstion. Magnum ingenium L. Luculli,magnumq; optimarũ artium studium,tum omnis liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina. R, impeditissimũ efficit, & quasi per accliue & cõfragosum ascendendum est,ac contra nitendum.nam uelut respirationem quandam habet laborantis.Mirificè Verg. quum ostendere uellet,quo labore creuisset Ethruria & Roma ipsa,infarcit crebrum r.Hanc Remus & frater,sic fortis Ethruria creuit, Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.R. & s, asperum & minacem, ut apud eundem poëtã, Horridior rusco. F.quũ frangitur, asperam & resistentẽ præbet syllabam.Multo est leuior Græcorum φ.S.rixatur cum x,& contrà,etiam cum r,domus Xerxis,coniunx sophistæ,domus Romuli,coniunx Romuli.S, in fine sequenti quauis penè consonante cursui resistit, quæ causa fuit Seruio eam subtrahendi, quoties consonans sequeretur,ut nos m, quũ uocalem antecedit in carmine, quod & fecerunt poëtæ ueteres,Enn.Lucil.Lucret.& Græcorũ prisci quidam totas odas suas scripserunt,ſabie cto,ad quod alluſit Pindarus poëta,uocans sigma κίβδηλον ἀνθρώπων. Sunt ex consonantibus,quæ sublatione proferuntur linguæ ad palatũ,ut liquidæ ferè l,n,r.Aliæ quæ compressione labiorũ m,b,p.Impedita est pronuntiatio & q,intersistens,cum morula interuenit à sublatione linguæ ad compressionem labiorum,animal babliſtis percussum,numen patris.Et quo interius ferit palatum,hoc sonus est tardior,ut l,magis quàm n. Contrà uerò à compressione ad elationem sonus est expeditior. dominum naturæ,& in eadem uoce plausus,brachium.Quum l, aut r, crebrò interijcitur, difficilis fit prolatio,& quasi amnis inter saxa,fratrare,parallela adeò ut quandoq; incurratur in oris uitia lambdacis-

daciſmum,quo notatus eſt Alcibiades,& id,quo Demoſthenes in exprimenda r, labo rauit. Vocales coniunctę hiatum habent,interſiſtit,& laborat cõpoſitio.Ego omni offi cio ac potius pietate erga te. Temperatę conſonantibus liberum habent curſum. Vna quæq; uocalis ſiue ipſa per ſe, ſiue collocata in dictione, uel duo cõſumit in prolatione tempora,uel unum.Si duo, eſt longa: ſi unum,breuis.Ex quarum contemperatione u niuerſa exiſtit harmonia. Sed nos eam iam pridem amiſimus, quoniam diſcrimen per didimus longarum & breuiũ,etiam in linguis uernaculis,ideo nec aures noſtræ eæ ſunt iam,quæ poſſunt exigere literarũ ſonos,ut Quintilianus dicit.Quocirca hæc pars à no bis tradetur inſiſtentibus prorſum ueterũ ueſtigijs,niſi quòd interdum coniectura ute mur,quàm fieri poterit accõmodate ad naturam.Si quando priſcum diſcrimen redierit longarum & breuium, licebit ex arte muſica exactius aliquid de his præcipi. Quo lon ga pluribus ſepitur conſonantibus,hoc tempus ſyllabæ eſt tardius,& proinde longius, ut circunſtans. Quo breuis paucioribus conſonantibus eo ſyllabæ tempus eſt contra ctius,ut ab alieno.Cõiunctio ſyllabarum pedem facit,duarũ,trium,quatuor, quinq;,ad ſummũ ſex,quæ tradita ſunt pueris in ludo literario. Longę ſyllabæ firmum faciunt ſo num.Si breues ſyllabæ miſcentur longis,decurrit oratio,ut magna ſcilicet poteſtas erat illius imperij, quod ratione tenebatur. Si breues continuantur, exultat. Perit auipedis animula leporis,ut inquit Serenus.Quintil.Ex pedibus quo quiq; ſunt temporibus ple niores, longisq; ſyllabis magis ſtabiles,hoc grauiorem orationem efficiunt, breues ce lerem ac mobilem.A breui in longam pes eſt cõcitatior, & acrior,ut iambus, quem Ho ratius pedem citum uocat, contra trochæus eſt leuior. Ideo Plinius Secundus Catullũ conterraneum ſuum duriuſculum ſe feciſſe ſcribit,quippe pro Trochæo poſuerat Iam bum in hendecaſyllabo. Dactylus uolubilem orationem reddit.Pyrrichius ſaltationi a ptus eſt, quæ inde pyrricha dicitur.Anapæſti elationem & depreſsionem habent penè parem. Ideo ad hunc pugnabant Lacedæmonij, & à rurſum feriendo nominatur ana pæin. Hæc de ſyllabis,nunc de uerbis. Monoſyllaba frequentia, item dyſſyllaba ſub ſultantem ſonum conficiunt,& tardum,quoniã neceſſe eſt,ut de uerbo ad uerbum tran ſitio aliquid temporis conſumat,& interſiſtat oratio.Polyſyllaba pleniorem,& æquabi liorem.Crebra cõmata & membra interruptã.Aequabilis fit uocibus paris ſoni & tem porum.Cicero æquabiliter eam orationem ait fluere,in qua uerba extrema cum conſe quentibus primis ita iungũtur,ut néue aſperè cõcurrant,néue uaſtius diducantur.Sub ſultans fit,ex inæquali tẽperatura pedũ,cum nõ uariè miſcentur, ſed duabus aut tribus longis totidẽ addunt breues,& crebrò id repetitur.Nec minus quũ alternis ſunt longæ & breues,ut in trochaicis.Scãde cœli celſa uirgo digni tanto fœdere, ut inquit Martial. quod eo eſt notabilius,quia in diſſyllabis,ſed in alijs quoq; idem accidit.Oratio nõ nu meroſa inaccurata & neglecta eſt ſimillima quotidiano ſermoni. Ea cõſtat potiſsimum trochæis & iambis,id eſt in qua maxima pars eſt horũ, minus enim hi pedes deprehen duntur,& uicini ſunt ſermoni cõmuni ac naturali,ſicut Ariſtoteles annotauit. De con centu ſeparatim dicetur in ſingulis orationũ generibus.Neq; enim eadem eſt adhiben da omnibus compoſitio,quanquã nec de ipſa inter magnos authores conuenit. Vel in eadem orationis forma,uidelicet iudiciũ,hoc eſt non de eſſentia obiectorũ,ſed de allu beſcentia,ut in ſaporibus,& pulchritudine.Ergo alius cõcentus in curia & foro placuit Bruto,alius Ciceroni, alius Caluo. Græcis item Demoſtheni, & Aeſchini,& Hyperidi nõ idem,nec eſt ſonus ullus, qui non amatores ſui inueniat, ut amarus ſapor quibuſdã eſt gratiſsimus. Scythæ illi gratior erat equi hinnitus, q̃ citharædus Philippi.Et quan doquidem de ſono aures ſtatuũt,accuratior debet eſſe compoſitio initio & fine, quàm medio, in quo rapitur intentio audientis tanquã à flumine. Sed maior adhuc finis cura, q̃ principij, nam in fine ſubſiſtit intentio, & ſeſe colligit. Illudq; diutius adhæret, quod tunc accipit,nec refert quomodo haſta manum egrediatur,ſed quemadmodum infiga tur,quo erat miſſa. De hoc ipſo M.Tullius ſic inquit,quũ ſententia eſt aptis uerbis con ſtricta, cadit etiam plerunq; numeroſe, & conſuetudo adfert bonum numerum, non anxia diligentia.Sunt nonnulla,in quibus imperioſè aures iudicant, nec rationem red dunt cur ita uideatur,ueluti quod iucundius ſit, urbeis' ne inuiſere Cæſar, q̃ urbes 'ne

inuisere Cæsar,&,pacíq; imponere morem, quàm moremq; imponere paci. Si eadem concentus species identidem repetitur,non est iam oratio soluta, sed transit in carmen, nisi per integros sermones seperentur, quod Boethus fecit, & Capella Martianus. Hactenus quidem de sono.Magnitudo in uerbis spectatur,tum in rebus & sermone, ut aliud sit iustum, aliud plenum, quiddam redundans,quiddam immodicum,cõtrà etiam astrictum & diminutum,quæ non simpliciter dicuntur,sed ex relatione ad rem, de qua loquimur,& ad intelligentiam audientium,quæ quum uaria sit,nõ sunt hæc in puncto aliquo sita. Sed patent latè, quũ tantum promitur uerborũ, quantum sufficere uidetur intelligendis rebus,de quibus est sermo.Iusta est oratio,quum id paulo fit copiosius,& quasi largiore manu & plena. At ubi nos effundimus, redundans,quòd si in uitium & molestiam excedat, fit immodica. Nam una de re nõ semel, nec uno tantum modò dici potest,nec pauca.Potest oratio extendi copia uerborũ, potest copia rerũ uel sensorum, potest dilatatione sermonis.Prima est uariatio,altera productio,ac ueluti quędam propagatio. Tertia est adiectio & incrementum, quale quum res rebus applicãtur,ut lapis lapidi,lignum ligno,gnomon quadrato. Variatio fit uerbis idẽ significantibus, aut penè idẽ, nempe paulò plus aut paulò minus. Vel uerbis singulis, uel multis pro uno,uel multis pro multis.Idem significãt ensis,& gladius,quę synonyma nuncupantur. Multa pro uno,ut Paulus & magister gentiũ in fide & ueritate.princeps & pater reipub.administrator regni,lex uiuẽs,sequester pacis,iusticię uinculum. Cicero in Catone Maiore: Quibus absentibus nulla fere in agro maiora opera fiunt,non serendis, non percipiendis, nõ cõdendis fructibus. Multa pro multis. Quid auarus opibus congerendis petit? quem finem sibi statuit pecuniarũ cupidus, quum diuitias cõgregat? Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorũ tuorum? quæ tua mens? &c.Paulo plus, ut dives pauperẽ contemnit, opulentus inopem despicit, abijcit, paulo minus, ut qui tacet assentitur,qui tacet,nõ repugnat. In assignandis synonymis multũ adiuuamur omnibus formis translationis.Nam synonyma naturalia non sunt adeò multa, idcirco ad metaphoram recurrimus, celeriter cogitat, uolat illius cogitatus, diligens est,nunquam dormit. Et sunt alia synonyma recta,quæ per uerba assignãtur affirmationis.Sunt alia obliqua,quæ per negationes, ut apud Vergil. Quid puer Ascanius superat ne, & uescĩ aura Ætherea,nec adhuc crudelibus occubat umbris? Istarũ uariationũ ut præparci sunt scriptores Attici, ita pleni Asiani, uelut Cicero, Ouidius, & ex Græcis Galenus, Lucianus, Chrysostomus,de quo aliàs. Apud Ciceronẽ frequẽs est paria propè uerba geminare uel ad ornatum, & plenitudinẽ numeri, uel ad lucẽ sensorũ, nec unius generis pariũ, sed omnium, cuius rei exẽpla occurrent percrebra euoluentibus illius opera. Sensorũ multiplicatio, & quasi naturalis quidam auctus, qui ex intimis nascitur, fit per omnes illas formulas, quas in instrumento probabilitatis recensuimus. In cuius calce expositum est à nobis, quãtæ in thesauris illis diuitię claudantur.Dilatatio sermonis fit,quũ captata occasione uerbi aut sententiolę,digredimur ad alia narranda,aut describenda, aut differenda. Vel altius repetimus de instituto argumento,quæ omitti possent sine incõmodo:quod genus sunt historiæ, fabulæ,descriptiones, expositiones uerbi, aut phrasis,tum eorũ quæ ad naturam pertinent,aut hominum mores, sententiæ atq; opiniones multorũ de re suscepta, descriptiones, & narrationes eorum ipsorum, uel earum rerũ,quæ circa eos explanationes huiusmodi testimoniorum,dialogismi admisti, ethopeiæ, prosopopeiæ,in quæ si quis ingrediatur,infinita se rerum copia & uarietas statim ostendet.ueluti si agatur de ingenio Hispanorũ,descriptio Hispaniæ,uel cunctæ, uel partium, quæ in ea cõtigerint præcipua, quæ de illa fabulati sunt ueteres Græci poëtæ, & Latini eos secuti,de inferis,de elysijs,de flumine Lethæo.qui hominum fuerint poëtæ eiusmodi,quomodo adducti ad mentiendum, uel fingendum, cur ibi potissimum illa statuerint. Iam de ingenijs Hispanorum dicturus,differat quid ingenium in homine,quibus causis hebetatur,quibus acuitur,quid Aristoteles de ingenio sentiat,quid hominis Aristoteles,qualis in scrutatione naturæ.Iam de moribus & repub.in uniuersum,de moribus & repub. nostræ gentis, si quem inducat uerba facientem, aut aliquos inter se colloquentes, aut

sermo-

ſermonẽ attribuat rei mutę, uelut flumini, mõti, arbori, animãti, de quibus dici poſſunt quàm plurima, & diutiſsimè. Hac arte exiſtimo M. Catonem uti ſolitum in ſenatu, & alios, qui dicendo diem uolebãt eximere, quando licebat ſenatorem rogatũ ſententiam, de quibuſcunq; uiſum eſſet, diſputare, nec quiſquam ſtatuebat ei modum. Dilatatio ſermonis, & auctus ſenſorũ, quandoq; idem ſunt, & ex eiſdem fontibus dimanant, ſed diſcentium nihil intereſt, ac ne utentiũ quidem. Namq; in opus oculos conijcimus, non in inſtrumenta. Horũ omniũ exempla ab exercitatione petentur, & pleraq; omnia expoſuit Eraſm. Rot. duobus libris de copia. Ac quemadmodum artificij eſt orationem extendere, quum res poſtulat, & tanquã uela pandere ſecundo uento, ita eandem contrahere, quãdo admonet tempus, & orationẽ aſtringere, quod multũ habet uenuſtatis, ſicut prius illud copiæ ornat, & locupletat orationẽ, utrunq; aũt ſuas habet uires, & efficaciam in ſua occaſione. Huius generis aliquãmultæ ſunt formæ. Eſt aſtricta, & ſuccincta oratio, quũ nihil omnino eſt, quod poſsis demere ſine iactura, qualẽ fuiſſe Lyſię Attici ſtructurã memorię proditum eſt. Sed omnes Attici fuerũt aſtricti, etſi alij plus alijs, nam in hoc quoq; ſunt gradus, ut Aeſchines copioſior Demoſthene, Ariſtoteles parſimonia hac omnes ſuperat, niſi quòd docendi gratia nõnulla repetit, memorię diſcentiũ cõſulens. Eſt alia oratio breuis, quę dedita opera magnas ſententias in pauca uerba confert, & tanquam infarcit ac conſtipat, qualia ſunt quæ à Græcis nominantur Apophthegmata, reſponſa philoſophorũ, & prudentiũ uirorum, & dicta illa Laconica. Eſt alia conciſa, quæ minus exprimit, quàm intelligentia requirat, ſed uſus ita loquendi adiuuat ſenſum & ſupplet, quod deeſt. Vt, Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia ciues Perduxit miſeros? Et in fabula. Egó ne illam? quæ illum? quæ me? Tum in eodem poëta. Si quid, ne qua. Et apud Paulum. Libertatem ne in occaſionẽ carni? deeſt enim detis. Eſt diminuta, cui uitioſe aliquid deeſt neceſſariũ. Oratio cõtracta fit ac breuis, contrarijs modis, atq; extẽditur, & diffunditur. Parcendum ſynonymis, uerbis utendũ maximè proprijs, ſiue ea naturalia ſint, ſeu translata, uſurpanda pro multis pauca, quę aptè uim eius declarent, quod uolumus, ut Cæſarem ſobriũ ueniſſe ad euertendam remp. Vniuerſalia magis ponenda, quàm ſingularia, & genera potius, quàm formas. Magnum enim in eo fit uerborum compendium. Deniq; totum pro multis partibus, ut totum eſt pro uulnere corpus. omnibus ordinibus gratioſus, toti ciuitati charus, bello ſunt hæc omnia uaſtata. Quod aliqua cõprehendit, pro ijs quę cõprehenduntur, ut alter Socrates, Homerus ipſe, aut Vergilius, pro magna illa & uaria doctrina. Arca Noe, de domo omnibus rerum generibus referta. Deniq; alluſione ad hiſtoriam, uel fabulam magnum fit ſępe uerborum compendium. Gallus Aeſopi, de eo, qui rem precioſam negligit, uilem conſectatur. Heroſtratus de eo, qui quiduis agere, & pati ſit paratus auiditate famæ. Tantalus de illo, qui opibus ſuis non fruitur. Idem quoq; breuis ſimilitudo præſtat, canis in Nilo, pro illo qui bibit & fugit metuens. Admonitiones amicæ aloë ſunt, quaſi amaræ guſtu, ſed utiles. Homo crocodilus, qui appetẽtes ſe fugit, auerſantes ſequitur. Poſteriora quæ nõ poſſunt eſſe ſine primis, uelut totũ quoddã ſunt, à quo priora concluduntur, ut Campos, ubi Troia fuit, ſignificat enim periiſſe Troiam. Argumentis, & cauſis in re aperta ac minimè controuerſa ſuperſedendum omnino. Quum uerò opus erit, id ſolum attingendum, in quo ſita eſt argumenti uis tota, ſiue in ſingulari aliquo, ut Cæſar, quod in conſulatu ſuo obnuntiationibus non paruiſſet, quæſtionẽ de ſe timebat. Siue in communi ac uniuerſali, ut Cæſar, quod multa feciſſet contra leges, iudicia metuebat. Siue ſententia aliqua generali, Cæſar iudicia metuebat, nihil enim magis formidat malè conſcius, quàm occaſionem pœnæ. A digreſsionibus abſtinendum. ſi quid attingitur, id ſolum dicatur, quod ad rem facit, ut non tam uideamur explicuiſſe, quàm uelut indicaſſe digito, ſicut in exemplis rerum geſtarum nomen ſolum ſufficiet eius, qui quid egit, quemadmodum feciſſe Socratem ferunt. Si multi ſint cognomines, aliquo inſigni diſtinguendũ. Socrates Atheniẽſis. Si multa is egit, hoc ipſum, quod deſumimus nota aliqua ab alijs ſeparandũ, cum Phædro loquens. Sed prout res erit magis aut minus nota, produci poterit, aut contrahi. Hæc quidem in uerbis & ſenſu. Eſt alia uelut metiendi ratio extructuræ concentu in quo eſt, ſicut ait Cicero, iuſta quædam auris menſura

ſura ſpiritu dicentis, & intelligentia audientis definita. Nam abſolutio non debet uel exhaurire ſpiritum, uel obruere intentionem, quoniã aures ipſæ quid plenum, quid inane ſit, iudicant. Et ſpiritu quaſi neceſsitate aliqua comprehenſio uerborum terminatur, in qua non modò deficere, uerùm etiam laborare, turpe eſt. Circa rectum hoc, ut ad alia omnia, utrinq; peccatur deducta in longũ abſolutione, plus quàm uel dicentis ferat ſpiritus, uel audientis intentio, quod in Auguſtino notauit Hieronymus: tum è regione diminutis & conciſis ſenſiculis, quales Senecę dicit eſſe M. Fabius. In diminutis quædam ſunt abrupta, in quibus uelut deſtitutam ſe curſu ſuo auris deprehendit, tanquã quod per montium cacumina ſalientibus ſæpe cõtingit, de quo Seneca ad hunc modum ait: In Fabiano quædam tam ſubitò deſinunt, ut non breuia ſint, ſed abrupta. In Pollione omnia penè nõ deſinunt, ſed cadunt, contrà in Cicerone deſinunt omnia In iunctura uaria ſunt abſolutionum genera. Quippe eſt unius membri, quæ ſupina nuncupatur. Eſt multorum. Quorum alia diſſolute congregantur, ut enarrandus eſt nobis Paulus Apoſtolus. Atqui huiuſce ſcriptoris altiſsima ſunt ſenſa & recondita, quocirca magis uideri poſſet uota eſſe facienda, quàm diligentiam ſuſcipiendam. Aceruus nominetur, & eius membra ſeparata. In hoc genere includitur interiectus is, quæ à Græcis parentheſis dicitur. Sunt quæ innodantur quidẽ, ſed laxius, & ſine ui, cuiuſmodi ſunt permulta apud M. Tullium orationum exordia, ut pro Milone: Etſi uereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere. Quę à quibuſdam continuatio nominatur. quę quum multa continentur, capit membra, quaſi eodem tenore ac confirmatione orationis, pneuma eſt Græcis, ut Hermogeni, noſtris productio ſpiritus. Sed productio hæc tum ſimilitudine membrorum, tum ſuſpenſione uelut uno à capite connexior eſt. Id circo enim productio appellatur ſpiritus, propterea quòd is nõ cõquieſcit, quoad peruentum ſit ad finẽ. Quare primus ingreſſus breuis eſſe debet, in quo ſe colligat ſpiritus, ut maiore ui ſeſe effundat, quod uſu uenire in ſaltantibus conſpicimus, qui ſe recipiunt, & in ſufflaturis. Exempla ſunt frequentia apud Ciceronem, & omnis generis ſcriptores. Si non ueniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & opera nõ feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Contraria eſt huic inciſio. Oratio crebris interuallis, crebraq; reſpiratione prolata, quæ uel pro multitudine ac uarietate rerum diſſecat orationẽ, uel quum unum dicatur, plura uidetur adferre. Multa me dehortantur à uobis Quirites, niſi ſtudium reipub. omnia ſuperet, opes factionis, ueſtra patiẽtia, ius nullum, ac maximè quod innocentiæ plus periculi, quàm honoris eſt, ut inquit Salluſtius. De ſecũdo, ut in Eſaia, Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequã, filijs ſceleratis. Quæ ſuperioris formæ uinciuntur, nominentur innodata, ſub quæ ueniũt ea, quæ replicationis dicuntur eſſe per coniunctiones cùm & tum, ſi etſi, quanquam, quum, quando, quoniam, & aduerbia illa, tantum, quantum, atq; eiuſmodi. Prior pars poſitio dicitur, altera redditio. Sunt autem quædam ſimplices ac nudæ, quædam plenæ atq; ornatæ, addito ſcilicet argumento quopiam, quale eſt initiũ orationis pro Deiotaro. Quũ in cauſis grauioribus, C. Cæſar. Quæ deuincta ſunt & aſtricta omnino, ac ueluti contorta, hęc à Græcis periodi nominantur, quod uerbum Cicero nõ uno uerbo ad nos trãsfert, ambitum uocat, & circunductionem, & circunſcriptionem, & circuitum, & comprehenſionem. Eſtq; ueluti circulus quidam determinatus magis concentu & auriũ menſura, quàm ſpiritu dicentis, uel librarij diſtinctione. Quod in momento non eſt ſitum, nam ſunt circuitus, qui fuſa habent & ſolutioria membra, non tamen uagantia, aut diſsipata, ueriores tamẽ, & ex germana illa nota ſunt, qui definitos & aſtrictos habent numeros, tum breuiora atq; argutiora membra, &, ut dixi, contorta, & tanquã ad iaculandum idonea. Huius tanti in oratione decoris ac luminis magna fuit priſcis temporibus ignorantia in Græcia ante Gorgiam & Iſocratem, Romæ autem ante Craſſum & Antoniũ. Diſſolute enim ferè dicebant, nec abſolutionis membra alligabant numeris, niſi id fortè caſus effeciſſet. Exemplo uno res intelligetur. Cicero pro Cluentio ſic exclamat. O Oppianici innocentiam ſingularem, quo in reo, qui abſoluit, ambitioſus, qui diſtulit, cautus, qui condemnauit, conſtans exiſtimatur. Galba uel Scipio dixiſſet. Conſiderate iudices quàm apertè oſtenditur Oppianici manifeſtum ſcelus, quoniam ex iudicibus illius

illius absoluerunt alij, qui pro ambitiosis sunt habiti. Alij ampliauerunt, & hos, ut scitis, homines appellauerũt cautos. qui autem condemnauerunt, ij uerò constantes iudices iudicati sunt. Et periodorum usus maior fuit post M. Tullium, quàm eius æuo, ut apud Senecam, Quintilianum, Plinium, Tacitum. Contorquentur periodi uel cõiunctione: Rogo uos iudices, ut huius potius inopia ualeat ad misericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem. Vel iugatione, initio: Existimabat esse libertatis, impudenter cum omnibus uersari, fortitudinis uerò audere ea, quæ nemo alius. In medio: Singularem laudem de continentia assecutus est, amplissimum fructum de uerecundia, de pietate uerò beneuolentiam cunctorum. In fine utrobiq; quorum exempla sunt passim obuia. Fit etiam complexione: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem exacuet oratio. Periodi uim habent incisa quædam aptè inter se quadrantia: Ad amentiam te natura peperit, ad scelus exercuit educatio, ad supplicium fortuna reseruauit. Ipsa enim congruens applicatio nexus habet uicem, ut in structura lapidum sine calce uel gypso quadrantium. Venustissimæ sunt periodi, quę fiunt uel ex antithetis, de quibus mox loquemur, uel acutè cõcluso argumento. atq; adeò sunt quidam, qui acutè concinnata argumenta, & breuiter concluſa, & contortè uibrata, eas demum ueras periodos esse censeant, ut Hermogenes. Quę periodus non habet membra, incisiones habet pro membris: ut, habebat uestes, & ad usum aptas, & ad ornatum decoras. Magnæ fuit prudentiæ, & in magistratu gratiam omnium, & in priuata uita authoritatem cõseruare. Est periodus monocola, est dicola, est tricola, est etiam tetracola. Cum plura sunt mẽbra aut nimis lõga, debilitatur uis periodi, ut in prælonga hasta, quę iacitur: sed spectanda linguæ ratio & audientium natura atq; ingeniũ. Membra uel per se proponuntur aceruo quodam, uel unum proponitur, alterum redditur, aut duo, uel in tetracolo duo proponuntur, duo redduntur, aliàs cõsequenter, aliàs decussatim. Qui admonent amice, docendi sunt, qui inimice insectantur, repellendi. decussatim sic: Nam quia quanto pater præstantior fuit uirtute, tanto filius ad uitia proiectior, idcirco & illius mirabilior est uirtus, & huius inuisior ignauia. In quibus membra sunt paria, eæ circumductiones isocoli nominantur, siue parisi & comparatæ. Nihil tam uolucre, quàm maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Quanquam hæc magis pari magnitudine temporum, uel expectatione quadam, & definitione auris censentur, quàm numero, & mensura syllabarum, ut illic: Negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, socijs abstinens eram uisus. Possunt & separata coniungi, & coniuncta dirimi, ac dissolui, sicut de transmutationibus elementorum in contemplatione naturę declaratum est. Tam est nefariũ socio iniuriam inferre, quàm illã tum, quum possis, nõ propulsare: si iniuriam socio intuleris, nefas erit, nec minus etiam si non propulsas, quando potes. Explicationis censorum ratio media est inter externa & interna, nam à mente ad uerba proficiscitur, ea uerò in simplicibus uerbis, aut cõpositis sita est. Simplicia si sint naturalia, & propria, modò usitata, si translationes aptæ, & cognitæ dilucidam orationem efficiunt. Contrà uerò impropria, inusitata, rara, ignota ijs, quibus dicitur, obscuram, & perplexam, quarum multa transeunt in ænigmata, id est intricatum sermonem, & intelligentiæ minimè obuium, etiam eorũ, quibus res ipsæ sunt cognitæ. In compositis ea dicuntur clara & aperta, quę sunt maximè cõmunia, primum generi humano, & publicæ intelligentię, quum scilicet eo modo dicuntur, quo omnes probè ac rectè loquentes illis de rebus loqui consueuerunt, quæ obscuritas ex rebus ipsis nascitur, nõ est huius instituti. Quod si audientis culpa nascatur obscuritas, ea uerò non est orationi uitio uertenda, uelut si sermonem Latinum non intelligat, aut eum, quo utimur, si usitatum & proprium uerbum non capiat, utiq; nõ magis, quàm si tardus sit, uel non animaduertat. Quæ ex se tenebrarum habent aliquid, fiunt tamen dilucida, si usitata sint, uelut prouerbia, & acutè responsa, tum ex præcedentibus, aut sequentibus illustrantur. Confert plurimũ ad intelligendum ordo. Inordinata cõfusa sunt, & obscuritatem pariunt, sicut quamlibet multa, si ordine disposueris, fiunt perspicua. Ordinatio uerborum quædam naturalis est, alia consilij. Hæc interdum ornatus gratia suscipitur, aliàs etiam adiuuandi intellectus causa. Sicut paren-

theſis, quæ interpoſitio nuncupatur, quandoq; intelligentiæ conducit, ut pro Milone. Ego enim quum te (mecum enim ſæpius loquebatur) patrię reddidiſſem. Erat enim obſcurum ſine interpoſitu. Quum ornatus ſolum ſpectatur, perturbat interdum ſenſum, cui medemur repetitione alicuius uerbi, ex priore ſententia, quod memoriam renouet. Si ijs qui pueritiam inſtituerunt tuã (quæ ætas eſt inops conſilij, multisq; periculis propter imprudentiam obnoxia) ſi ijs inquam, qui illam rexerũt, malam gratiam refers. Inuerſiones, ut tranſtra per, Italiam contra, ſeptem ſubiecta trioni, poëtarum ſunt crebra ſeruientium concinnitati & numero, ſed & oratorum quoq;, ut qui homo cunq; Quin. Mutius Augur Scæuola: ſi modò ita ſcripſit Cicero. atq; adeò communis ſermonis, ut mecum, tecum. illa uerò ſyntheſis, quaſi confuſio uerbis tranſpoſitis, poëtarũ eſt, & ſenſum perturbat, quod nomen ipſum declarat, ut apud Vergilium: Iuuenes fortiſsima quondam Pectora. Quod exemplum eſt notum, ex 2. Æneid. Sed nec poëticæ licentiæ uſq; eò permittitur, ut ſine ſenſu ullo permiſceat, & tranſmittat uerba. Ordinem ſequitur diſtinctio, ne alieno loco coniunctio uel ſeparatio poſita intellectum perturbet. Rectitudo lucem adfert, obliquitas & circunductio offuſcat. Apertius eſt enim ſi dicas, Rex erat Alexander Macedo Philippi filius, quum hoc contigit, quàm Rege Alexandro Macedone Philippi filio. De ambagibus crebra ſunt exempla. Et quum à recta atq; inſtituta uia in longum recedimus, peruertitur enim intelligentia. Quandoquidem memoria excidunt priora. Eadem de cauſa difficilis eſt omnis prælonga ſententia, quia non poteſt memoria cõtineri, contrà nimis breues obſcuræ ſunt, quibus non tam ſenſus exprimitur, quàm innuitur. Nec immeritò Horatius, Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Quo uitio notati ſunt à Cicerone priſci oratores Attici, Alcibiades, Pericles, & alij, Thucydides quoq; à Dionyſio Halicarnaſſeo. Ambiguitas omnis tenebras offundit, ex ſe utiq; etiam ſi coniectura aſſequare quid uelit, ſiue ea in ſtructura ſit, ut uidi hominem comedentem leonem, ſiue in diſpunctione, quale eſt illud Heracliti apud Ariſtotelem, eius quod eſt ſemper ſunt homines ignari. Dubium eſt enim ſemper illud utri ſit parti applicandum. Oſtenſio tranſitus, id eſt quid dictum ſit, quid dicendum reſtet, lucem adfert, quod ea de cauſa fit ſæpe ab ijs, qui docent, ut ab Ariſtotele, & Galeno. Circumlocutio eſt unius per multa expreſsio, uel multorum per plura, quæ ex omnibus argumentorum generibus petitur, ea interdum illuſtrat, quum uerbis fit, & rebus notis, aliàs offuſcat quũ ignotis, cuiuſmodi illud eſt Plauti, Ducis me ubi lapis lapidem terit, ubi uiuos homines mortui incurſant boues. Et deſcriptiones temporũ, quæ in poëtis de habitu cœli aut ſoli ſumuntur. eſt nonnunquam neceſſaria, ut in rebus pudendis, ſicut Salluſtius inquit, quæ honeſte nominari non poſſunt, inhoneſtiſsima. Eſt quandoq; ornatus, & uenuſtatis cauſa poſita, alia officij, ut tua pietas hoc faciet, pro tu. πριάμοιο βίη pro Priamo, in quo multi erãt olim Græci, nunc Hiſpani & Itali. Eſt quæ magis rem explanat, eſt quæ robur, & efficaciam ante oculos ponit, cum profertur uis quę occultabatur. Iſtud animal omnium timidiſsimũ, infirmiſsimum, & tamen inſolentiſsimum: de homine. Similitudines & diſsimilitudines plurimum illuſtrant. Nam ex notis & perſpectis declaratur eſſe aliquid tale, uel diuerſum, quod minus cognoſcebatur, nõ ui argumenti, ſed oſtenſione rei notæ. Principes homines ad tutelam ſui uolũt ſe à ſubditis diligi, contrà, Deus uult ſe à nobis amari, quo nos ſimus tuti. Similitudinum, & diſſimilitudinũ, alia uulgaris & tabernaria, loquebatur celeriter, ut pica quædam obſcura, nempe ex rebus ignotis, in illa oratione pugnabat, ut andabata: eſt quædam uilis, & ſordida, iſte uerſus ſaltat, ut capra, eſt alia urbana, & apta. Sunt quædam ex ijs deſumptæ, in quibus quiſq; uerſatur, ut à nauta de naui, ab agricola de agris, à milite de caſtris, ab aleatore de alea. Similitudinis explicatio reddítio nominatur. Harum non una eſt forma. Sunt ſimilitudines, quibus eadem apponitur reddítio. Amantibus contingit, quod ægris, ut ſalubribus conſilijs inimici ſint. In alijs diuerſa eſt reddítio, quales pecudes, tale eſt hominum uulgus. Nam ut illæ ſequuntur, quò priores ierunt, ita homines receptos mores ſequuntur ſine iudicio. Eſt ſimilitudo ſine reddítione, uir bonus ſimilis eſt oui, ex cuius parte omni utilitas percipitur, è lana, lacte, carne, corio. Addítio poteſt adiungi in hunc modum, ita uir bonus conſilio, ope, opera, ſemper prodeſt, etiam abſens,

etiam

etiam mortuus exemplo & memoria sui. Interpretationes, siue unius uerbi per aliud, siue per multa, siue multorum per multa, intelligentiæ conducunt, de quo locutus sum in præceptis de copia. At uerò quod sensu ita est à simplicitate, & communi explicandi ratione separatũ, ut gratiam & decorem quendam habeat, orationem ueluti gemma quadã ornat, figura nominatur sententiæ uel mentis, à Græcis dianias, admiscetur huic gratiæ utilitas. Nam necessitati seruitur, non modò uenustati ac formæ. Et quemadmodum de forma, ita etiam de his orationis conformationibus diuersissimè homines statuunt. Quod gratiam amittit, in ænigma transit, animaduertitur enim obscuritas, pretiũ ignoratur, ideoq; præteritur, ut margaritum illud in fabula. Omnis propè figura sententiæ in eo sita est, ut aliud intelligat auditor, quàm quod nos eloquimur. Id assequimur uel silentio, uel obliqua elocutione. Silentium, si reuera affectus aliquis expressit, uelut ira, aut metus, naturale est, ad hunc locum non pertinet. Videlicet impedit rationis uim animus concitatus. Sin affectus est simulatio, reticentia nominatur figura sententiæ. Et quo, sed faciles nymphæ risere, sacello. Quos ego, sed motos præstat componere fluctus, Neptuno naturale fuisset, Vergilio schema est. Testamur nos interim tacere, & erumpentia uerba coërcemus, & quasi uim facimus nobis ipsi, altera duarum causarum, uel ne illud dicamus, ut pro Ligario, Nimis urgeo, commoueri uidetur adolescens. Vel ut alia dicamus, quæ sit satius, Sed finem facio dicendi de his, præstat de alijs loqui, quæ & uobis audientibus & mihi dicenti sint iucundiora. Suspiciosissima res est hæc reticentia potissimum inter homines suapte natura suspicaces, & qui coniecturas sinistræ interpretationis in longum mittunt, relinquitur enim cuiusq; animo liberum cogitare quicquid libuerit. quod non ignorauit pictor ille, qui Agamemnonem pinxit auersa facie in immolatione Iphigeniæ. Est falsa quædam reticentia duorum generum, alterum quum iam perfectum aliquid diximus, consulto tamen testamur nos id nolle subtilius persequi, ut pro Ligario: Si in hac tanta fortuna lenitas tanta non esset, quantum tu per te, per te inquam obtines, intelligo quid loquar, acerbissimo luctu redundaret ista uictoria. Alterum, quum tacere nos dicimus, quę maximè eloquimur, & præterire, in quibus insistimus, atque immoramur. Hæc negatio à nonnullis nominatur. Conuertitur ad aliam figuram, silentium, quod decentiæ habet plurimum. Cicero in Philippicis: Dat natalitia, cui? neminem nominabo, putatote me, Phormioni, aut Ballioni dicere, &c. Orationis ductus duplex est, unus rectus, quum quo cœpimus modo ac tenore pergimus, tanquam ducentes filum. Alteri reflexus, quum uelut retorquemus, & replicamus in sese, quo fiat astrictius & fortius. In hoc genere est conuersio ab una persona in aliam. Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar. Est interrogatio non scisciti gratia, sed urgendi, atq; instandi, tum aliorum, tum sui ipsius, cui responsionem interdum addimus, alias uerò tanquam in re liquida omittimus, ut eam sibi quisq; subijciat. Adduntur deliberatio & communicatio, quid faceret, quo se rapta bis coniuge ferret? Cogitate uos hoc fuisse loco, quid dixissetis? Est & aliud communicationis genus, quum nos in partem subimus eorum, quæ non fecimus, id crebrò usurpamus uel irridendi aut incessendi gratia, uel familiaritatis ostendendæ, uel tradendæ institutionis, uel culpæ aut reprehensionis minuendæ ac deriuandæ. Nimium timemus mortem & exilium, & paupertatem, ait Brutus de Cicerone, quum Brutus ipse non timeret. Hæc figura est apud Paulum frequens, nempe doctorem prudentissimum & castigatorem mitissimum, ut ad Corinth. Quòd si nosmetipsos iudicaremus, nõ utiq; dijudicaremur, dum iudicamur autem, à domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Sub hoc genere comprehẽdi potest cõmunicatio illa locutionum, quæ est in Christo de homine & Deo. Ego & pater unũ sumus, Dei est hoc. Pater maior me est, hominis. Conquestio, & expostulatio non uidentur mihi figurę, sed species orationis, sicut personæ inductio, uel morum fictio, quæ in decoro tractabuntur. Est correctio: Quæ fuit in ullo homine tanta constantia, seu, ut uerius dicam, patientia. Est in correctione substitutio maioris, minoris, paris, diuersi: Studiosus, imò uerò ærumnosus. Vita reddita, seu ut aptius loquar, mors dilata. Dedit nummos, nummos autem, perniciem potius. Est simulatio concessionis, qualis in fabula Aulularia. Has araneas

uolo ſeruari mihi, quippe anus nihil eſſe domi dixerat præter araneas. Conformatio eſt orationis, quum plus, aut minus, aut diuerſum uolumus intelligi aut credi, quàm quod res habet, uel auditores arbitrantur. Si minus, eſt amplificatio. ſi maius, extenuatio. Vtraq; horum, uel in uerbo fit, uel in ſententia. Amplificatio fit in uerbo, quum rei nomẽ indimus ampliſsimum, per quod excreſcere uideatur magnitudo, tanquam uirili ueſte puero impoſita, ut ſi magiſter ſeuerus nuncupetur crudelis, uel adiecta interpretatione, ut homo ſeditioſus, hoc eſt, qui patriam & ciues ſubuertit. Correctione maioris, Luxurioſus atq; adeò profuſor uitæ & ſanguinis. Quis furor eſt iſte? de auaritia. Vel paris, quum in rei intelligentia aſſurgit, ut quod modò dicebam, Attulit nummos, ſeu uerius perniciem. Periphraſi: Carthaginis horror translatione, uultur pro rapaci, ignis pro amore. Extenuamus uel ſimpliciter, quod inſtituimus, uel quod eſt amplificatum. Simpliciter rationibus earum, quas iam poſui. Similibus per exiguum nomen, ut ſeruus prauus, pro furaci, & fugitiuo. Interpretatione, luxurioſus, id eſt, qui nonnunquam conuiuatur: correctione minoris, ſcribit, ſeu magis ſcriptitat. Viuimus, uel ut aptius loquar, trahimus animam. Periphraſi, conſutor centonum, compilator indoctarum ſchedarum, de malo ſcriptore. Metaphora, calor de amore. Sunt uerba quæ de ſe orationem extollunt, ut alia quæ deprimunt. Ex prioribus ſunt indubie, planè, manifeſtò, pluríma, innumera, omnia, libenter, facilè. De ſecundis ferè, fortaſſe quædam, unus atq; alter, inuitus, neſcio quid. Ita extenuauit Virgilius crimen Didus: Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ. Et mirificè M. Tullius de concione Rulli. Tamen ſi qui acutiores in concione ſteterant, de lege agraria neſcio quid uoluiſſe eum dicere ſuſpicabantur, non quiuis, ſed acutiores, & ij qui ipſi audierant, & non planè, ſed neſcio quid, & non dixiſſe, ſed uoluiſſe dicere, & non intellexerant, aut ſciebant, ſed ſuſpicabantur. Quod amplificatum fuerat diminuimus, uel auertendo, ut quem ille matricidam nominarat, de Oreſte loquens, nos uocemus ultorem patris. Clauo enim clauus retunditur. Vultur eſt hic imperator, & lupus, ſed hoſtibus. Nam reipublicæ iumentum eſt. Vel detrahendo, ut Magiſter ferula diſcipulum admonuit officij, contra illum qui ſe grauiter à magiſtro querebatur cæſum. Amplificatio, quæ fit rebus ac ſenſis, non eſt huius propoſiti, ſed locorum probabilitatis, per quorum ſingula augetur res, ac minuitur. Iuuenis coram patre medio foro, media luce auſus eſt ſenatori conuitium facere. argumenta ſunt à tempore, à loco, ab accedentibus, ab actione. Et ad demonſtrandam Italiæ ſolitudinem Lucanus inquit, Rarus & antiquis habitator in urbibus errat. Habent illic uerba ſingula uim creſcendi, quòd non peregrinus, ſed habitator, non frequens, ſed rarus, non deambulet, ſed erret, non in uiculis, ſed in urbibus, atq; his antiquis, quæ conſuetudo fert, ut ſint propter diuturnitatem temporis celebriores, quàm nouæ. In diminutione eſt illud Terentij, Nox, amor, uinum. De locis quoq; argumentorum petuntur, quæ extendimus, uel contrahimus ſimilitudine aut comparatione, quum propoſita re quapiam ingenti, aut exigua, noſtram oſtendimus maiorem uel minorem. Superlatio, ſeu nimietas, ut Macrobius uocat, ad amplificationem pertinet: quæ eſt tam in uerbo, de quo iam eſt dictum, quàm in ſententia, quum modus uerborum excedit modum rei, ut Voces ad ſydera iactant. Caput inter nubila condit. Et ad maius incrementum non ſimplex, ponitur, ſed duplex, & triplex, ut apud Homerum Iliados v. de equabus Erichtonij, quod ad Camillam transfert Vergilius, Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret, & quæ ſequuntur. Superlationem hanc iubent ſupra fidem eſſe, ſed non ſupra modum. Modus hic captus uidetur mihi eſſe noſtrorum ingeniorum, uel ſimilitudinis notæ, atq; uſitatæ. Nam in quaq; lingua ſpectandum eſt, qui ſit uſus, quid ſit receptum. Eſt ſuperlatio, quam una lingua reſpuit, alia recipit. Mores etiam hominum attendendi. In extrema commentariorum Cæſaris ſcribitur eos eſſe populi Romani exercitus, qui cœlum poſsint perrumpere. Nunc quis hoc dicat, niſi inſanus? Illorum eſt etiam diuinitatem dicere ingenij uel facundiæ, & carmen plus quàm diuinum, & eiuſmodi, non Chriſtianorum. Quum diuerſum uolumus intelligi, uel aduerſum, id eſt, uel auerſum. In aduerſo ſine contrario eſt ſita illa diſsimulatio, quæ ironia dicitur, Fabius illuſionem nominat. Hæc eſt duplex, rei, & dicti. Rei quum aliquid dedita opera oc-

ra occultamus,ne fateri uideamur:qualis est Socratica ironia,quæ non facit ad hunc locum.Nam hæc nostra contrariũ eius,quod ait,uult alios intelligere,ac credere, nec tam ad celandum atq; occultandum pertinet, quàm ad retegendum, uelut ex comparatione contrarij,ut homo infans atq; imperitus Hieronymus, non habuit quod Ruffini eloquentiæ responderet.Est dissimulatio quædam aperta,quæ ab omnibus facilè intelligitur,ut uir moderatus & sanctus L.Catilina.Est alia subobscura propter ignotam personam,aut rem,de qua dicitur,uel illius qui dicit,uoluntatem ac mentem.Hæc fit liquida uel persona & re cognita, uel perspecta dicentis mente, uel ex orationis serie. Est quæ intelligi nõ potest,nisi de pronunciatione gestu illo plus eloquente,quàm uerbis.Sunt uerba quædam dissimulationi ostendendæ apposita,scilicet,uidelicet, quasi uerò,ita sanè.Contraria dictio quæ antiphrasis nominatur,ironiæ species est, quum nomen inditur rei naturæ contrarium, ut Lucius Fides, de fraudatore creditorũ. Caius Abstemius de ebrioso.Sin aũt auersum uolumus intelligi,translationi atq; inuersioni fit locus,quũ quadam imagine res ostenditur. Translatio in uerbo sita est,inuersio in sententia,Libera est Sara cum sobole sua,Seruit Agar cum suis filijs,per quod ecclesia Dei,& cœtus peccantiũ intelliguntur,allegoria Græcè nuncupatur.Sunt similitudines,quæ à translationibus sola distant eloquendi ratione.Achilles leo irruit,translatio est, ut leo irruit,similitudo.Fit nonnunquã ex translatione inuersio, & contrà. Admonet nos Quintilianus, ne in alio translationis genere finiamus inuersionem, quàm quo cœpimus: ne si à tempestatibus & marinis fluctibus es exorsus, in cineribus & incẽdio desinas.Neq; est nimis producenda inuersio, ac ne translatio quidem, & similitudo,unde fit tota oratio inuersa & obscura,transitq; in puerilem quandam affectationem.Consultius est, si hoc orationi conducit,ad alia translationum genera non conuertere, aut admiscere recta ac naturalia.Est genus aliud confirmationum orationis,idq; uenustissimum,quum per locos argumentorũ,quod aliquid uel probat,uel demonstrat,pro eo quod demonstratur collocamus.A causa ad effectum,uel ediuerso,à priore ad posterius,aut uice uersa. Venit huc filius Achillis, de forti. Vno pane satiari posse & eos qui ueri sunt amici, & qui non simulant se amicos.Prandium,quod solo uisu exatiet. Candor,quem nõ possis inconniuentibus oculis aspicere,appelletur sanè demonstratio. Cicero in Verrẽ de Crasso & Antonio loquens:Liberi enim ad causas solutiq; ueniebant, neq; cõmittebant, ut si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur. Ab exemplo uirtutis illorum qui essent incorrupti, taxat Hortensium, quem Verres ita donis corruperat,ut iam eum deserere non posset absq; nota ingratitudinis. Quum conditio ponitur,pro eo quod sequitur,ut quum Lepida Neronis amita de lanugine illius dixisset,ubi hanc excepero mori uolo.Nero se statim positurũ respondit,per quod significabat eam ilico periturã.Contraria est allegoriæ, quum essentia rei pro sua imagine ponitur,ut in picturis,in scriptionibus, & omni genere similitudinis. Septẽ uaccæ septem anni sunt.Armat reges, & ducit triumphos, de scriptore. Horatius modò reges atq; tetrarchas omnia magna loquens.In fabulis Aesopi asini habẽt mentẽ,& arbores loquuntur. Vocemus hanc significationem.Huic addemus existimationem, quum rei essentia pro iudicio atq; existimatione hominum ponitur, ut, si sumptus ad uestras uoluptates suppeditarem, quis esset pater melior, aut cõmodior,nempe arbitrio uestro. Tale est illud in Euangelio,Si digito Dei eĳcio dæmonia,profectò peruenit in uos regnum Dei, id est,si creditis me in digito Dei eĳcere dæmonia. Conformationes istæ quum non intelliguntur,transeunt in obscuritates,quibus Græcum nomẽ est,ænigmata. Discessum est in his à recto & naturali loquendi more primum necessitatis causa,quando obscuris uerbis institerunt dicere,quod apertis offendisset audientes:uel turpitudine aliqua, uel re minus grata ex necessitate ad utilitatem,& cõmoditatem est uentum:inde ad iucunditatem & delitias,sicut de regia uia per semitas deflectimus commoditate illarum,uel amœnitate allecti.Hæc sunt quæ orationem figuratã reddunt,quæ oratio ἐσχηματισμένη à Græcis dicitur.Restat genus quoddam ornamenti, quæ contrà posita, hoc est antithe ta nuncupantur. Ea uerò non sunt uniusmodi. Quippe ex uerbis sunt quæ pugnam inter se habent quandam,quæ nominantur aduersa,ut album nigrum, bonum malum,pa

ter filius,cæcus uidens, lux tenebræ, uita mors.Alia sunt diuersa,seu distantia,ut orator & medicus,de quibus in contemplatione naturæ disseruimus.In diuersis est decor,si tamen non ita sint diuersa & separata, quin aliquid similitudinis in re habeant, quantũ ad presens quidẽ pertinet,in qua similitudine & proportiõe sita est uenustas,quã petimus, ex collatione scilicet uicina,idq; aut simplici cõprehensione,ut retulit pro beneficia uoluntate maleficã operam. Funeris officium uitæ pro munere reddit. Aut in composita, ut utrunq; uel ponas,uel tollas,siue ponas unum,quo alterũ tollas,seu uersa uice.Exempla horum sunt.Eget oratore ad aures,& medico ad caput, utrũq; situm est in sanando. Nec est opus huic armis nec chartis,ambo sunt in uitę siue ornamento quodam siue instrumento. Non eget persuasione, sed pharmacis, non oratione sed cibo, non est nasus sed remus, in forma facies dicetur an ulcus: in litione. Aduersa sunt proprie, quæ antitheta nominantur: quibus eundem in modum utimur, quo prius diximus. Positione, Sæpe uicit alea,sæpe uictus est prælio.Sublatione,ut apud Ciceronem, Dicendũ quod non sentias,aut faciendum, quod nõ probes, Non tam allicere uolui,quàm alienare nolui.Nihil timeas ab illo,quia non poterit.Nihil speres,quia nolet.Positione & sublatione, Amplecteris fortunam, deseris uirtutem. Plus uirtus tua tibi dedit, quàm fortuna abstulit.Contrà,ut Cicero: Quantum opibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferet laudis. Vel simpliciter,uel ad correctionem:Non uicit prælio,sed uictus est alea. Honestius hoc duce errare,quàm illo magistro erudiri.Interrogatione:An tu ab imperito mauis laudari,quàm à docto admoneri? Si terrena dixi uobis,& non creditis,quomodo si dixero uobis cœlestia,credetis? In his quæruntur uerba manifesto aduersa,nonnunquã sensus sufficiunt. Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Aduersorum quædam permultum habent acuminis,& uirium,quum non redditur priori suum relatiuum,sed aliquid peius aut melius.Quid domini facient,audent quum talia fures? non adiecit serui,sed quod erat atrocius,fures.Nec solum in uocibus,quę inflectuntur reperiri est aduersa,sed in inuariabilibus. Nec tecũ possumus uiuere, nec sine te. In ocio cũ dignitate, in negotio sine periculo.In quo gemina sunt aduersa,& tanto concinniora.Quẽadmodum quum plura etiam componuntur,ut admoneri priuatim ab amico satius est,quàm obiurgari publicè ab inimico.Et quod Cynicus Neroni dixit,Aliena mala bene cantas, tua bona malè disponis. Est quãdoq; leuis quædam inflexio aduersorũ ad alia in uerbis sine sensu, aut contrà, in sensu sine uerbis.Colebatur Fabius à primarijs, quũ uesceretur pane secundario.Cicero erat sine arrogantia grauis,& sine segnicie uerecundus.Existit aduersum quoddam peruenustum,quum nomini additur adiunctum,quod epitheton nominatur,contrarium,ut clementia crudelis, uel clemens crudelitas. Habent aduersa hæc gratiæ plurimum ad gentes omnes propter illam rerum pugnantium complexionem similem naturali compositioni elementorũ, qua constant humana corpora. Haud dubito,quin alia sint ornamenta,& figurę orationis complures,sed mihi præcipua sunt pro uirili collecta & maxime annotatu digna. Vsus & hæc quæ attuli edocebit certius, & alia inueniet,sicut horum ipsorũ inuentor fuit obseruatione diligenti.Interiora considerantur à nobis in ratione explicandi,nõ in ipsa uarietate & generibus sensorum, quæ infinita propè sunt. Nec artis huius, sed in singulis sua & propria. Nostra uerò hæc sumunt ex fontibus,unde tanquam riui demanant, nomina,ut ex acumine, eruditione,iudicio,memoria,affectu,uigore, moribus, quibus admiscent se nõnunquam externa ad iudicium. Quoniam sicut in homine,ita in oratione ex facie & figura de animo censemus. De quibus omnibus principijs altius repetitis, proximo uolumine dicemus.

Io.Lo-

IO. LODOVICI VIVIS DE RATIONE
DICENDI LIBER II.

ARTES omnes propoſitis amplis præmijs ſunt excultæ. Cultus uerò obſeruauit multa, quæ ſequẽs deinde ætas ignorauit, eiuſmodi artium negligens. Ita olim, quũ eloquentiæ ſtudioſi ingentia facerent operæpretia, complura in oratione & dicendi uiribus annotauerunt, quæ poſteris facta ſunt ignota deſuetudine illius ſtudij. Perſequi nũc ſingula, nec meæ eſſet facultatis, nec unius hominis uires ſufficerẽt, in quod unum tam multa & uaria hominum excellentiũ incubuerunt ingenia. Tantum uelut ex ingenti quadam ruina colligam ea, quę tum ad dicendum congruent, tum ad iudiciũ & intelligentiam authorũ. Vtile erit exerceri ſtudioſum in his, quæ adferã, non ſolum, quo ipſe rectè dicat, ſed ut illorum uirtutes propius contempletur, qui optime dixerũt. Tametſi magis dabo operã, ut hęc habeant diſtincta ad uſum ſuum, quàm ad intelligentiam aliorũ. Diſſentiunt quidem priſci ſcriptores inter ſe non rarò in nominando, & definiendo. Quemadmodũ in uita eſt qui uerruca una ſic in alio offenditur, ut ob eam uerrucoſum illum nominet. Eſt, qui ne decem quidem mouetur. Brutus & Cælius longè aliter de oratione Ciceronis ſtatuunt, quàm M. Fabius. Ad eundem modum illi, quos in dialogo de oratoribus inducit Corn. Tacitus. De Portio Latrone quidam aliter cenſebant, quàm Seneca. Hermogenes & Dionyſius Halicarnaſſeus nõ conſentiunt in phraſi Demoſthenis cenſenda, qui nõ eſt uiſus Aeſchini ſatis Atticus. Arguit hæc diſcordia falli haud dubiè illorum aliquos. Quod ſi hæc magnis & exercitatiſsimis ingenijs cõtingebant, & quibus in illo uſu quotidiano facillimũ erat iudicare, quãto paratior eſſe debet nobis uenia, ſi & nos interdũ labamur, amiſſo iam exercitio artis huius? Verũ nos, ut dixi, ea trademus potiſsimum, quæ ad inſtitutionem pertinebunt. Ex ijs nominibus, quæ orationi attribuerunt ueteres, deprehendo illos aquæ eam feciſſe in quibuſdam ſimilem, ſed in omnibus certè homini. Acutè mea ſentẽtia, & perſcienter. Quippe oratio ex intimis noſtri pectoris receſsibus oritur, ubi uerus ille ac purus homo habitat. Et imago eſt animi parentis ſui, atq; adeò hominis uniuerſi. Vt non ſit ullum ſpeculum, quod hominis ſimulachrũ certius reddat, quàm oratio. Nec iniuria Græco prouerbio iactatur, talem eſſe quenq;, qualis ſit eius oratio. Ergo eaſdem appellationes indiderũt, quas in homine ſolemus uſurpare ex animo, & corpore, & ab ijs, quę ſunt exterius, tum ijs uel ſingulis, uel coniunctis aliquot. Nec aliter quàm in homine nuncupationes non inde naſcuntur, quòd omnia ſint talia, ſic in oratione. Videlicet non ideo nuncupatur homo albus, quòd nihil habeat coloris diuerſi, ſed quòd maxima, uel præcipua pars ſit talis, nempe illa, quæ oculis eſt obuia, unde nominatio ſolet deſumi, facies puta, uel pili, ſicut plumæ in auibus, eundem in modum nomen recipit oratio, quòd pleraq; pars talis ſit, aut ea quæ præcipue ſuſtinet iudicium. Quin etiam ſicut homines per translationem eaſdem nominationes recipiunt ex animo & corpore, ut aſper, durus, candidus, ita oratio ex uerbis & ſenſis. Permiſcentur enim hæc, ut eadem dicantur de colore, quæ de ornatu, & de habitudine, quæ de moribus. Ludunt hac uarietate nominum ſcriptores, ſed diſcentium nihil intereſt. & nos ita ſeparabimus, ut facilè poſsint diſtingui. Adde his, quòd in homine quædam dicuntur figurate, uelut mucoſus pro ſordido & negligenti, uel contrà, emunctis naribus, claudus pro infirmo. Haud ſecus in oratione, & quidem eiſdem uerbis, ac figuris. Iam in homine deſcribendo uel notando, modo paucis, aliàs pluribus uerbis utimur, quandoq; uno adiecto, ſic oratio ſæpenumero nota inſignitur una uirtutis, aut uitij, aut rei mediæ, & quaſi neutrius. Illud ne admonendũ quidẽ duco, barbarũ ſtylum, & in proprietatẽ linguę ſuæ ſubinde peccantẽ ſtylum non uocari, utiq; nõ magis, q̃ hominem, qui mortuus ſit, uel pictus, nec de hoc nos facturos uerba. Progrediamur igit̃ per humana omnia à corporeis ordientes, quæ maxime ſunt expoſita ſenſibus. Primũ omniũ de ſtatura, quæ ſpectatur potiſsimũ in magnitudine & ſono uerborũ ac ſtructuræ. Ex illa appellationes has ſumit oratio magna, grandis, ſubli-

mis,celsa:in qua uerba sunt urbana & culta, sonus eorũ amplus, magnificus, cõpositio plena,absolutiones fusæ,modò ne licentioseę euagentur.Huius notę sunt apud Græcos Homerus uates,& Plato,de quo Quintilianus inquit,quod supra orationẽ prosam surgit,& quam pedestrem Græci uocant,plerunq; instinctus diuino spiritu,uatibus comparandus. Apud nos Vergilius, & Cicero. Ex uerbis antiquis loco suo admistis oratio existit grandis, & antiquior, ut ait Marcus Tullius, uelut tempestas pro tempore, soboles,effari, rebar, opinabar. Quod non tam uerbis ipsis fieri arbitror, quàm ætatis maiestate. Apud Græcos amplus sonus magis facit sublimem orationem, quàm apud Latinos.Nam Græcis,ut presius loquũtur,& ore magis rotundo,si aliquantum hient, amplior & sublimior redditur sermo, continuatione uocalium. Eiusmodi est Plato, & post hunc Thucydides, Demosthenes in hoc parcior. Homerus ipse quoties grande aliquid canit, ad Ionicam dialecton transit, in quanullæ sunt contractiones,sed est uocalium resolutio. Latini uerò ut crassius sonant, & propè dixerim rusticius,restringendum habent sermonem,ne per hiatus in uastitatem quandam exeat.Quocirca diligentius earum uocalium uitant concursum, quæ ore magis patulo efferuntur, ut a & e, quàm i & u, o medium est. In altero extremo est humilis, pumila,depressa, quæ minutis uerbis exilis soni constat, membris, & periodis exiguis, & arctis, nec numero astrictis, aut contortis. Qualis est Marci Varronis de rebus rusticis, & Epistolarum Ciceronis ad Atticum. Est alia mediocris, & ut Seneca dicit, plana & placida, cuius hæc sunt de Fabiano uerba: Humilia uidentur dici omnia in Fabiano.Non sunt humilia illa, sed placida. Sunt enim tenore quieto, compositoq; formata, non depressa, sed plana. Vitiosæ sunt supra excelsam, uasta & tumens,& enormis,sub humili,abiecta & humi repens illa est, quæ uocabula usurpat grandia supra cõmunem modum quasi electa & exquisita, sono immodico, membris atq; absolutionibus prælongis, concentu numeroso, & inflato. Abiecta est humili depressior, ut Marci Catonis de agricultura. Transeunt hæ nuncupationes à uerbis ad sensa,& alias item qualitates, ut elegans, & accurata, & splendida oratio sublimis nominetur, grauis etiam ac fortis. Quemadmodum in ipsis quoq; hominibus usuuenit, tum ad comparationem, ut non spectetur per se qualis quæq; sit oratio, sed ex rebus censeatur, de quibus disserit, ut quæ orationis structura excelsa est de rebus præclaris,fiat uasta de inferioribus. Quæ uerò placida de mediocribus, si magnis accommodetur rebus,iudicetur abiecta,haud aliter quàm uestis, quæ senatorem decet, homini plebeio sit dedecori,& econtrario. Est in hisce qualitatibus uelut latitudo quædam, & inde gradus.Sed signasse genera sit satis.Figura sequitur,cuius duæ annotantur rationes. Rotunda, & teres, quæ constat membris ac periodis breuibus, succinctis, contortis, & comprehensis certo quodam numero, tum paribus, sed comparatis,& potissimum quum sunt aduersis uel diuersis conclusæ tanquam iaculum amento libratum, & emissum. Huius notæ fuit eloquentia Pliniani seculi, talis est uidelicet illius Panegyricus,& declamationes, quæ leguntur Quintiliani titulo. Altera est quadrata, quæ firma dicitur,ac stabilis. Quum ui sua & tanquam figura ratione sidunt clausulæ.Quemadmodum accidit in cubo,cuiusmodi est spondæorum compositio. Cutis sita est in coagmentatione & coniunctione uerborum, unde existit concentus.Huius qualitates sunt,lenis,dulcis,suauis,dulci & facili sono,tum uerbis proprijs, usitatis translationibus uerecundis, & modicis, qualis est Theophrasti oratio, item Xenophontis Attici, cuius inaffectata commendatur iucunditas. Aequabiliter fluit oratio (inquit Cicero) in qua uerba extrema cum consequentibus primis ita iunguntur,ut neue asperè cõcurrant,neue uastius diducantur. Contrà aspera est compositione,& sono simili.Hiulca autem,in qua uastius diducuntur uerba.Quorum contrarium est æquabile,& lene.Sunt quidam,sicuti Martianus Capella uocat,freni ex asperrimis literis in unum cõcurrentibus.Vt est illud in Hecyra Terentij,Per pol q̃ paucos reperies meretricibus fideles euenire amatores Syra.Annotauit Dionysius in Thucydide τὸ τραχὺ ἁρμονίας.Est oratio dura sono,& uocabulis,& trãslationibus huius notę.Cuius est contrariũ mollis ac tenera.Vetustate uerborũ orationẽ effici horridã tradit Cic.Exẽplo sunt Plaut.& Apul.Post hæc caro,sanguis,ossa expendunt.De quibus frequens

quens mentio apud Rhetores priſcos. Multum eſt carnis, ubi multum uerborum, & periphraſes, & circuitus pluſquam oportet longi, ea corpulenta dicitur. Quòd ſi hæc augeantur, fit oratio adipata, & obeſa. Vnde aruina orationis, quæ gignitur etiam craſſis uerbis & ſententijs, nimium plebeijs ac ruſticanis, & quaſi pingui orationis Minerua. Sanguis & ſuccus orationis uerba ſunt ſiue naturalia, ſiue translata, propria & apta, ſonus plenior, & dulcior, dictio comptior, uerborum quantum ſatis eſt intelligentiæ. Vnde oratio & uncta nominatur, & bene paſta, quæ uitij non ſunt. Redundat ſanguine, quæ multo plus dicit, quàm neceſſe eſt. Id uerò ſi ad pueriles & putidas redundantias trãſeat, uitioſi eſt ſanguinis, ſicut cõtrà ſuauis ſanguis, mollis, & ſuauis ſuccus, qualem ex hiſtoria peti Quintilianus docet. Succus minus quiddã eſt, quàm ſanguis. Stylũ tenuem tradit Cicero, etſi non plurimum ſanguinis habeat, oportere tamen ſuccum habere aliquem. Succus uidetur mihi in eo ſitus, ut apta ſint uerba & decentia, ſignificatio habeat uires, & compoſitio ſit lenis. Nam ubi uerborum eſt parſimonia, & ea ſunt ferè naturalia, ſono tenui, compoſitione inculta, oratio ieiuna eſt, macilenta, ſtrigoſa, uix hærens oſsibus, ut oſſa uideantur in pellem congeſta, quaſi lapides in culeum ſine carne & ſanguine. Huiuſmodi olim fuit. M. Cato Cenſorius. Talem etiam fuiſſe Licinium Caluum, Cicero eſt author. Qui dum ſe aſtringit, & fingit, & format, & reformat, & timet ne uitioſum ſanguinem colligat, uerum perdidit. Poſt ſecundum bellum Punicũ cœpit eſſe unctior, ſplendidiorq; loquendi cõſuetudo. In qua ætate Africanus minor, Lælius, & Gracchi ponuntur. Eſt alia oratio quæ non minus habet ſanguinis, ſed minus eſt corpulenta, ut Marci Fabij, non redundat uerbis, ſed ea ſunt exculta, apta, dulcia, ſonora, compoſitio compta & iucunda. Eſt alia aſtricta & preſſa, minus habens carnis & ſanguinis. Talem eſſe epiſtolarem ait Cæcilius Plinius. Cuius generis eſt Demoſthenis pro Cteſiphonte ea orationis pars, qua de legibus diſputat. Vicina eſt huic, in quam ex ieiunitate & ſobrietate nimia quidam decidunt, exilis, macra, arida, inops. Cuius exemplum habemus in quotidiano & familiari ſermone. Ex notatione hac obſeruatum eſt diſcrimen illud uetus inter dictiones gentium, ut ſit quædam phraſis Attica, alia Aſiana, alia Rhodia. Attici homines, ut ingenioſi ferè atq; actuoſi fuerunt, non ferebant orationem ad ſuperflua euagari. Satis erat oratori explicuiſſe, quæ uellet uerbis maxime proprijs, & aptis. Admittebant tamen orationis ornatum, & figuras omnis generis, tanquam ſtellas quaſdam & lumina. Ita oratio Attica propter acre ciuitatis illius iudicium, teretes ac religioſas aures, nihil habet ineptiarum, nihil putidum, aut inſolens, nihil redundans, & uitioſum, adeò ut Demoſthenem auſus ſit Æſchines tanquam parum Atticum inceſſere, quòd longius, ac quodam modo durius allegoriam petiſſet, qua per uineam ciuitatem uult intelligi, & per uinitores, eos qui illam depeculantur. Ergo habet Attica phraſis redundans, & uitioſum nihil, carnis non multum, ſanguinis & ſucci quantum ſat eſt, idq; puri, & ſani, breuis, aſtrictaq;. Quamuis non una fuit Atticiſmi facies. Attici ſunt Lyſias, Demoſthenes, Æſchines, & Iſocrates, at hi multum inter ſe diſtant. Lyſias macilentus, & textura tenui, plenior Demoſthenes, hoc etiam plenior Aeſchines. Omnis tamen Atticiſmus comparatione aliarum dictionum preſſus eſt. Sic uerò, ne in uitium deueniat aridæ, & ieiunæ, & oſſeę orationis, fractis minutisq; ſenſiculis, qualem fuiſſe perhibent Hegeſiam Chariſij imitatorem, qui maxime affectauit uideri Atticus, & alios cõtempſit præ ſe. Talem ſuſpicor fuiſſe Pollionem Aſinium. E regione Atticæ poſita eſt Aſiana phraſis. Hi homines affluẽtes delitijs, atq; his dediti orationem quoq; effinxerunt ingenio ac moribus ſuis congruam, diffluentem ſcilicet, redundantem ſententijs ac uerbis, ductam per ambages, & circuitus, comptam & canoram, ſiue hoc fuit hominum illorum ingenium, ſiue ignoratio ſermonis erat in cauſa. Nam ex Græcia deductæ coloniæ, & potiſsimum ex Attica terra duodecim, illæ procedente tempore ſermonẽ patrium dedidicerunt. Ita quod eorum patres Athenis nati uno uerbo eſſent elocuti, ipſi per ambages expreſſere. Tum ſenſus inferſerũt ocioſos, & redundantes, nõ contenti unam rem ſemel bene dicere, nec deſinere ſciebãt. quo uitio taxatus eſt Ouidius à Caſsio Seuero. In hoc ordine ſunt Lucianus, Galenus, Chryſoſt. De Aſianis ad hunc modũ ſcribit M. Tullius: Genera Aſiaticæ dictionis duo ſunt,

unum ſententioſum & argutum,ſententijs non tam grauibus,& ſeueris,quàm concinnis & uenuſtis, aliud autem genus eſt non tam ſententijs frequentatum, quàm uerbis uolucre atq; incitatum,quali eſt nunc tota Aſia,nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato & faceto genere uerborum.Hanc dicendi formã habebat Hortenſius. Quin & ipſum M. Tullium, ſicuti eſt ſcriptum à Quintiliano, ſui temporis homines inceſſebant ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum,& in compoſitione fractum,& exultantem, ac penè, quod procul abſit uiro molliorem. Sic ille. Tacitus quoq;, nec Ciceroni quidem obtrectatores,inquit,defuerunt,quibus inflatus ac tumẽs,nec ſatis preſſus,& ſupra modum exultans,& ſuperfluens, & parum antiquus uideretur.Idem ipſe de ſe non negat, quin Aſiaticus fuerit in adoleſcentia, ideoq; reformandum ſe Apollonio Moloni tradidiſſe, qui orationem eius redundantem nimis ac ſuperfluentem iuuenili quadam impunitate & licentia repreſſerit, & quaſi extra ripas diffluentem coërcuerit. Sed melius eum ætas compreſsit,quàm magiſter. Quantum eſt enim diſcrimen inter actiones in Antonium & orationes reliquas? Tertium genus inter duo illa interiectum Rhodia oratio obtinet.Hi Aſianis ſunt uicini,nempe inſula Lycijs litoribus prætenta,ſed edocti atq; inſtituti ab Aeſchine Attico,quum ibi exularet,& ipſo pleniore ac magis copioſo,medium quoddam in dicendo iter tenuerunt concinnatum ex natione Aſiana, & doctrina Attica. Breuiſsimi omnium & præciſi erant Lacones, qui uelut punctis quibuſdam utebantur potius quàm ſermone.Non uocatur hæc oratio,nec Spartianus quiſquam in oratoribus eſt habitus, homines militares ad faciendum paratiores,quàm ad dicendum, quiq; ſe tales haberi gloriabantur, nutibus etiam maluiſſent uti quàm uerbis, ſi ſic potuiſſent intelligi. Latinus ſermo, ut longe quàm Græcus recentior, in quo non adeò multa uiguerunt ingenia, quæ in illo diutiſsime uerſarentur,omniq; artium ac diſciplinarum tractatione ſubigerent,excolerent,perpurgarent, augerent, durior quàm Græcus & craſsior remanſit.Ita Græcum aureum licet nuncupare,noſtrum argenteum, copia uerborum, ſiue naturalium, ſiue translatorum, ui ſignificationis, atq; hinc ſubtilitate eloquendi,ac facilitate, ſono,& compoſitione. Ergo minus eſt noſter flexibilis & quaſi ductilis,uti ex argento non queunt tam tenuia & delicata opera confici,ut ex auro. Miratur Anneus Seneca Q. Aterium, quem ait ſolum Romanorum, quos ipſe norit, in Latinam linguam tranſtuliſſe Græcam facilitatem. Quiddam tale de M. Callidio ſignificat Cicero his uerbis: Nihil tam tenerum, quàm illius comprehenſio uerborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis illius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æquè in poteſtate eſſet oratio. Sic Cicero. Aſſequebantur hoc Callidius, & Aterius facillima explicatione rerum, & breuiſsima, ut ambages non haberent quærendas, nec orationem circunducendam ad expromendos ſenſus animi, ſed tanquam recta pergeret, aut interdum leuiſsimè inflecteretur.quod uſu dicendi,& elimatione linguæ, & Græca inſtitutione magis aſſecuti ſunt Latini, qui poſt Ciceronem uixere, quàm qui antea.Atq; ea de cauſa uidentur Græciſſare. Sed ut opera ex argento non fiunt perinde ſubtilia, ita poſſunt fieri non minus robuſta. Quare ſi delitijs, gratia,uenuſtate, artificio non eſt nobis datum illos æquare, certè pondere, robore, fortitudine poſſumus etiam uincere. Et quemadmodum aurea uaſa argenteis imitamur, & ſtanneis, ita noſter ſermo, & alius quicunque,differentias illas Græci imagine quadam recipit, ut ſit Atticus, & Aſianus, & Rhodius.

COLOR.

ORationis colorem eum potiſsimũ dicemus eſſe, qui ſitus eſt in figuris ſiue dictionis ſiue ſententiarũ. Hæ ſunt enim uelut color quidam ſermonis, Cicero appellat lumina,quibus tanquã inſignibus in ornatu diſtinguitur omnis oratio. Cenſetur etiam interdum color ex conditione ſingulorũ uerborum,& natura,ex cõformatione orationis,ex cõpoſitione ac ſono.Idcirco pro toto genere,& ratione,& conditione orationis nonnunquã uſurpatur.Sed nos de hoc ſpeciali colore diſſeremus,qui & ornatus nũcupatur.Neq; enim eſt aliud in oratione cultus,ſicut in ijs omnibus,quę natura ipſa ueſtit. Homo quidem cultũ ſibi parat,idcirco is in illo externus eſt. Reliqua cum illo naſcuntur,

tur, uel tempore accipiunt naturæ munere, qui est cuiusq; color, ut in animantibus, in herbis, in floribus. Est ergo oratio coloris expers, ut Aristotelis & Tranquilli nuda, & sine ornamentis, quemadmodum commentarios C. Cæsaris ait Tullius nudos esse, rectos, uenustos omni ornatu orationis, tanquã ueste detracta. Est color quidam naturalis, & sicuti Cicero inquit, sanguine diffusus, non fuco illitus. Is constat uerbis proprijs, dilucida oratione, figuris moderatis, honestis, nitidis, nõ arcessitis, sed tanquã cũ re ipsa natis. Talis fuit in ætate Demosthenis: in qua, ut Cicero scribit, succus ille, & sanguis incorruptus fuit, in quo naturalis, non fucatus ineesset nitor. Huic contrarius est ascititius, & fucatus & picturatus, in quo ars apparet, & aliunde inuectus ornatus. Quum naturalis diligentia adhibita, dicitur excultus, expolitus, nitidus, tersus, sermone ex usu atq; obseruatione bene utentium lecto, sicuti forma egregia à sordibus & squalore detersa. Huic oppositus est obsitus, squalidus, rubiginosus, sordidus, quum uerba ex tenebris antiquitatis sunt eruta, uel sumpta de fece uulgi siue propria, siue translata, & compositio obscura, qualis est sermo Apuleij, & Capellæ. Purus color est, qui nihil habet maculæ, & fœditatis. Maculosus est uel perpetuo habitu orationis, uel aspersus maculis. Boni coloris hi sunt gradus, nitidus, qui purus est, & naturalis. Candidus cui accedit plus gratiæ & curæ, quales sunt Herodotus ac Liuius. Supremum candidi, clarus, pellucens, splendens, illustris, lectis atq; illustribus uerbis, in quibus plenum quiddam & sonans, & magnificum, & proprium aptumq; inesse uideatur. Translatum uerbum, inquit Cicero, maximè tanquam stellis quibusdam notat, & illuminat orationem. Accedit his lumen à sententijs illis, quæ fulciant orationem tum à conformationibus appositis, & insignibus. Iam color uel unus est, quod duobus modis potest intelligi, seu ut nunquam uarietur, qualia sunt uel nunquam figurata, uel nunquam naturalia, quod μονοειδὲς nuncupatur, & ὁμοιολογία, quæ nulla uarietatis gratia leuat tædium. Seu ut uariatio illa eiusdem sit generis ac rationis, per uniuersum sermonem. Quod in Q. Curtio Critici annotarunt. Multi colores grati sunt, si quisq; in loco sicut in labris purpureum, in fronte candidum, in pupula nigrum. Ingrati, si locis alienis, ut si labris pallentibus, malæ rubeant, & extremus nasus, quæ ex re, & dicente, & audientibus intelligi debent. Ex uarietate colorum crebra, fit oratio florida, ut in fasciculo, uel coronamento, uel prato, quod fit ex uocalibus sonantibus, & mollibus consonantibus, sine hiatu & duricie, tum ut uerba uerbis quasi demensa & paria respondeant. Vt crebrò conferant pugnantia, comparent contraria, ut pariter extrema terminentur, eumdemq; referant in cadendo sonum. Hoc orationis genus & florens, & iucundum, & lætum dicitur, & pictum atq; expolitum, in quo omnes uerborum, omnes sententiarum illigantur lepôres, ut inquit Cicero. Est oratio quædam non tam florida, quàm florea. Illa est enim floribus interspersa, ut pratum. Florea uerò ex floribus penitus constat. Sicut oratio alia est gemmea, quàm gemmata, quorum alterum gratiæ habet ac uenustatis plurimum, alterum aspernatur natura recte instituta, quia immodicum. Debet enim sermo omnis habere uelut corpus aliquod gemmis uel floribus distinctum & illustratum, non ut ipsæ gemmæ aut flores corpus ipsum conficiant. Condiunt cœnam intrita & condituræ si accedant, non si ipsa sint cœna, qualia sunt Apuleij Florida, in quo falluntur multi, qui florem, orationem appellant floridam, ut quarundam gentium sermones per omnia dant operam, ut à recta & naturali loquendi consuetudine recedant, nec est ullus figurarum modus. Ciceronis de eo sententia hæc est. Vt porrò, inquit, sit oratio consperſa quasi uerborum sententiarumq; floribus, id non debet esse fusum & æquabile per omnem orationem. Sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu dispositi quædam insignia & lumina. Idem paulo pòst: Sed habet tamen illa in dicendo admiratiò, ac summa laus umbram aliquam, & recessum, quod magis id quod erit illuminatum extare atque eminere uideatur. In quo Anneus Seneca culpatur, qui tanta sententiarum continuatione nullum relinquebat umbris locum, quod fieri in pictura consueuit. Itaque obruebat lumina, & gratiam perdebat. Quum simile uitium Seneca ipse in Oscio declamatore carpat. Oscius, inquit, non incommode dixit, sed sibi nocuit, quum nihil sine schemate dicere cupit, ita oratio eius non figurata est, sed praua. Videli-

cet est unaquæq; siue figura, siue sententia in oratione, uelut insigne quiddam, & notabile, quod nisi annotetur perit: porrò ad id animaduertendum & expendendum uelut interspirare debet animus, & sese recipere. Quod si uix priore ostensa gemma, ilico alteram producas, & item aliam, atq; aliam, obruis intentionem mentis, & precium cuiusq; apud æstimationẽ amittitur simul cum ea gratia, propter quam gemmæ illæ seu flores, hoc est figuræ sunt inuentæ. Est in argumentis color, de quo nihil ad hunc locum. Cultus etsi aliud non est, quàm color, sicut dixi, habet tamẽ peculiares quasdam appellationes, atq; interdum quoq; separata munia, ut cincinni & calamistri. Cicero de stylo tenui loquens. Tum remouebitur, inquit, omnis insignis ornatus, quasi margaritarũ, nec calamistri quidem adhibebũtur, ita calamistri ad figuras uerborũ referuntur, ad paria paribus relata, ad contraposita, & similiter concluſa, eodemq; pacto cadẽtia, & immutatione literæ quæsitas uenustates. huiusmodi sunt Isocratica. Est patrius cultus. Est etiam peregrinus. Habet enim quisq; sermo, ut gens, cultũ suum, quo ab alijs distinguitur & in cultu patrio est nouus, & antiquarius. Antiquaria fit oratio usurpatione uetustorũ uerborum, & filo ac compositione maiorum nostrorum. Vt si quis genus dicendi æmuletur Catonis, aut Galbæ. In Labieno, inquit, Seneca, color orationis antiquæ, uigor nouæ, cultus inter nostrum ac prius seculum nouus. Color ad constructuram pertinet, & uerborum collocationem, uigor ad argumenta & sententias, cultus ad figuras & conformationem dictionis. Cassium Seuerum primum fuisse affirmant, qui flexerit ab illa uetere atq; dicendi uia directa, ut refert Tacitus. Cultus alienus est, quum in extraneum degenerat, ut Romanus pallio amictus, uel Græcus toga. Sic quum Latinissat Græcus, uel contrà Græcissat Latinus phrasi atq; idiomatis. Sic Pollio Asinius Liuium dixit sapere Patauinitatem, & Portium Latronem sua lingua, hoc est Hispanolatina disertum esse. Quanquam in degeneratione cultus nõ est simplex iudicium. Est enim peregrinitas quædam usitata, est grata, est tolerabilis. Vt quædam phrases Græcæ Latinitati admistæ, uel Latinæ Hispano sermoni, aut Gallico. Est peregrinitas barbara & importuna, ut quum peiora melioribus miscentur uel alieniſsima coniunguntur, uelut quũ Latinissat Græcus, uel Hispanissat, aut Gallicissat Latinus. Aut quum Hebraismus in Latinitatem infertur, uel Germanismus in Hispanitatem.

CONIVNCTIO PARTIVM ET PROPORTIO.

HÆc est totius corporis cõsyderatio, nõ ex magnitudine, sed ex aptatione partium, proportione ac filo orationis censetur. hæc nota ex connexione sensorum & uerborum. Itaq; oratio coaptationibus & coagmentationibus fit similis. Itẽ aquis, quibus nihil est coniunctius. Est oratio continua & quasi unius tenoris, ut amnis perenniter fluens. Oratio M. Callidij, inquit Cicero, ita libere fluebat, ut numquã adhæresceret. Ea fit, quum res aliæ ex alijs uidentur nasci, & nexu quodam naturali uinciuntur. Est præterea uocum & absolutionum continuata structura, non quòd re uera cõtinua esse possit oratio, ut quantitas molis, aut tempus, quũ sit quantitas numeri, sed sic capitur, tanquã non sit congregata, sed unita. Huic cõtraria est dissoluta, & quasi scopæ quædam disiunctæ, ut harena sine calce, quæ friatur, quemadmodũ Senecã C. Caligula nominabat. Est alia compacta siue coagmentata uinculis, & quasi glutino cohærens, quum res uariæ aptè cõiunguntur nexu, & quasi sutura, quæ ideò consuta & cõferruminata nominatur, ut Valerij Maximi opus, & Metamorphosis Ouidij, in quorum alijs apertius est uinculum, in alijs tectius, & uenustius. Est quum absq; nexu bene cohærent, ut saxa, quæ in ædificio cæsura ipsa quadrant sine intrito. Marsa manus, Peligna cohors, festina uirum uis. Huiusmodi sunt uariarum rerum descriptiones, ut Italiæ, & inferorum apud Vergilium. Est cento, qui ex commissuris constat rerum & sententiarum, ut Ausonij Vergilocento, & Probæ Homerocentron. Quædam oratio ex stillicidijs colligitur tanquam aqua pluuia, quum non perpetuo fluit fonte & naturali ac suo, sed ex uarijs uidetur emendicata, & corrogata, ut A. Gellij sermo, qui collectitius est ex nouis, & ueteribus, ex poëtis, & oratoribus, ex uulgatis, & raris uerbis. Idem quoq; usu uenit in sententijs. Videas quosdam ex sententiolis hinc atq; illinc tanquã decerptis floſculis orationem suam ut fascículum concinnare. Peior est illa commistio, quum ex diuersissimis lacunis haurium-

hauriuntur aquæ,& liquidis cœnoſæ admiſcentur, ut quum ciuibus peregrina iungun tur. Fons eſt, cuius ſententiæ propriæ ſunt ac naturales, nec unquam ſententia interior exteriore nota & uerbo deficitur, quo conſignetur: quam uirtutem Platoni tribuunt. Interrupta oratio & lacunoſa eſt, quum interuallis fluit, & areſcit. Eſt oratio aſtricta,& coacta in alueum,ut Attica.Eſt libera,eſt inundans.Et hic amnis uel purus eſt,ut Quintilianus ait, de oratione Lyſiæ,puro fonti quàm magno flumini propior. Idem T.Liuiũ lacteum eloquentiæ fontem nominat, & ex Quintiliano diuus Hieronymus. Cicero Ariſtotelem aureum orationis flumen nuncupat,quod ad rerum copiam refertur,& ad uerba rebus cõiunctiſsima & aptiſsima,nec unquam deficientia. Eſt amnis turbidus & cœnoſus,qui fit uerbis parũ honeſtis, perturbata compoſitione,ſentẽtijs obſcœnis, aut ridiculis,importunitate figurarũ.In proportione eſt oratio ęqualis ſiue ęquabilis,quod contingit,uel ut ſemper oratio ſit ſui ſimilis, quemadmodum Quintilianus ait, Apollonium Rhodium ſcripſiſſe opus æquali quadam mediocritate. Eſt aliud æquabile proportione.Quemadmodum Suetonius ait Tiberium Cęſarem fuiſſe toto corpore æquabilem & ſibi congruentem,ut ſingulis ſuis partibus oratio cum argumento ſuo,& alijs, quæ ſpectari ſolent,conueniat. Neq; enim ſimilia eſſe oportet omnia in corpore uario. Nam quid fuerit abſurdius,quàm ſi tam flueret oratio in cõtentione, quàm in narratione, & idem eſſet lætorũ ac triſtium color? Huic uirtuti contraria eſt oratio inæquabilis, & ſui diſsimilis, ut impar ſit in re pari, & contrà. Explicat hoc Seneca in Albutio: Inæqualitatẽ in illo, inquit,mirari libebat, ſplendidiſsimus erat. Idem res dicebat omnium ſordidiſsimas,acetum,puleium,&c.Itaq; dum genera dicendi transfert,modò exilis eſſe uult,nudisq; rebus hærere,modò nimis ſe attollit,modò nimis deprimit, ingenio ſuo illuſit.Eſt proportio alia partium inter ſe, alia, quam oculi requirunt in corpore, in oratione aures, quum membra uel longiora ſunt expectatione, uel ante expectationem deſinunt,ſeu cadunt uerius.

FORMA.

EX cõiunctione partium ac proportione forma naſcitur,ut in humanis corporibus: de qua homines diuerſiſsimè ſtatuunt. Eſt oratio formoſa & pulchra, numeris concinna,uerbis electis,ſententijs aptis,translationibus, imaginibus, inuerſionibus decoris,quæ pulchriores exiſtimantur quàm recta & naturalia,propter expreſſam illam ſimilitudinem,quam admiramur magis,quàm rem naturalem,& qua delectamur primo aſpectu uehementius,tametſi naturalia minus exatiant uidendo. Varietas præcipuè orationem reddit ſpecioſam,ac decoram.Nihil eſt enim uarietate ſiue ad oculos,ſiue ad aures pulchrius, ſiue ad alium ſenſum quemcunq;. Oratio elegans minus habet ex forma commendationis,quàm pulchra.Eſt enim pulchritudinis initium elegantia, quæ in electione uerborum eſt poſita,maxime in proprietate ſignificationis cuiuſq;,& loquendi formulis. Diſtinctionem hanc Cicero quodam attingit loco dicens: Putant qui horride,inculteq; dicat,modò id eleganter enucleateq; faciat,Atticè dicere. Errant quòd ſolum,quòd Attice non falluntur. Horride ad compoſitionem pertinet, incultè ad ornamenta & figurarum colorem, eleganter ad electionem & collocationem uerborũ, enucleate ad facilem ſententiæ explanationem ac dilucidam. De hac elegantia Grãmatici non pauca ut Lau. Valla uoluminibus ſex.Eſt oratio faceta,quæ ex forma cenſetur magis quàm ex moribus, ſicuti Quintilianus ex M.Tullio declarat.Facetum,inquit, non tantum circa ridicula opinor conſiſtere.Neq; enim diceret Horatius facetum carminis genus natura conceſſum eſſe Vergilio. Decorum hoc magis & excultæ cuiuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideoq; in epiſtolis Cicero hæc Bruti uerba refert: Nec ulli ſunt pedes faceti,ac delitijs ingrediẽti mollius. Quod cõuenit cũ illo Horatiano,molle atq; facetũ Vergilio.Hæc M. Fabius. Itaq; facetũ eſt, quod oculis tam arridet in forma, q; auribus in toto ſermone,& Cicero facetos uocat cõcinnos.Eſt alia oratio, quam iudiciũ uidet quidẽ minus habere elegãtiæ ac formę,proindeq; minus pulchritudinis,nihilominus affectui magis allubeſcit.Hęc grata & uenuſta nominaẽ & adblandiẽs & illex.

HABITVDO.

ESt oratio ſana, & bonæ ualetudinis, qualem Cicero deſcribit: Si qui eos, inquit,

qui nec ineptè dicunt, nec odiosè, nec putidè, Attice putat dicere, is rectè nisi Atticum probat neminem, insulsitatem & insolentiam tanquam insaniam orationis odit, sanitatem autem & integritatem, quasi religionem & uerecundiam orationis probat. Hæc autem omnium oratorũ eadem debet esse sententia. Vbi ex Attica terra discesserit eloquentia, omnem illam salubritatem Atticæ dictionis, & quasi sanitatem perdidit, & loqui penè dedidicit. Sic Cicero: Est sana corpore, sana animo, sana uerbis, sana sentẽtijs. Omnino autem inflata & tumens speciem præfert non solum integræ ualetudinis, sed prospe ræ ac fortis, intus uerò corrupta est. Ad quam facilè ex grandítate uerborum, ex audacibus & periculosis translationibus, & sententijs, ex sublimitate quadam & amplitudine orationis trãsitur, ut ex uirtute ad simile uitium. Seneca, In Musa rhetore omnia usq; ad ultimum tumorem perducta, ut non extra sanitatem, sed extra naturã essent. Multa donanda ingenijs puto, sed donanda uitia, non portenta sunt.

NERVI, LACERTI, LATERA, MVSCVLI.

HÆ partes corporis, ut uiribus & actioni seruiunt, ita in oratione ex actione censentur, & ad uim atq; efficacitatem mouendi animorum referuntur. Quocirca & hoc eodem loco de uigore atq; actione pariter præcipiam. Hinc existunt oratio neruosa, & lacertosa, argumentorum, & conformationum, & uerborum ui ac uigore, ut sensa multum obtineãt roboris. Quod etiam aptis uerbis adiuuetur, siue ea naturalia sint, seu translata. Figuris & compositione uegeta, ac uibranti, & ad uires exerendas apposita. Neruí obruuntur sæpe carne atq; aruina, ut debilitentur, & ad suas functiones sint minus idonei. Sic in oratione usu euenit, ut luxuries uerborũ & carnis redundantia, & fluxa illa uagaq; compositio orationẽ præstet inualidam, quod Ciceroni accidit, qui dum rem nimis dilatat uerbis, amittit uires, ut flumẽ quod latè expanditur. Quocirca dictus est à Caluo eneruis, à Bruto fractus & elumbis. Nec Quintilianus dissimulat pondere & mole pugnare illum, quum Demosthenes pugnet actione. Quod idem Demostheni atq; Aeschini contigit, Quintiliani iudicio. Plenior est, inquit, Aeschines, quàm Demosthenes, & magis fusus, & grandiori similis, quo minus strictus, carnis tamẽ plus habet, minus lacertorum. Pondus quidem uirium pars est, & in luctando magis quàm in dimicando ualet, breuitate sententiarum frangi pondus. Quintilianus idem in Seneca annotauit, quem tradit minutissimis sententijs rerum pondera solitũ frangere. Oratio eneruis & elumbis est Asiana illa nimia uerborũ copia, dilatatione rerum, compositione concinna, multum foliorum ostentans, parum reddens fructus. Orationem philosophorum mollem esse ac umbratilem Cicero perhibet, nec uerbis nec sententijs instructam popularibus, nec iunctam numeris, sed solutã liberius, ut sermo potius, quàm oratio mereatur dici. Quanquam enim omnis locutio, oratio est, tamen unius oratoris locutio, hoc proprio signata est nomine. Talis fuit oratio Demetrij Phalerei, quem Theophrastus philosophus instituit. Fabianus, ait Seneca, quoties incidebat aliqua materia, quæ conuitium seculi reciperet, inspirabat magno magis quàm acri animo, deerat ei oratorium robur, & ille pugnatoris mucro. Et alio loco de eodem: Deest orationi Fabiani oratorius uigor. Stimuli quoq;, quos quæris, & subiti ictus sententiarum. Est enim alia oratio, quæ pugnat, est quæ uelitatur, & imaginẽ potius repræsentat pugnæ. Philippus Macedoniæ rex Demosthenẽ appellabat militem, Isocratem athletã. Præliatur Demosthenes, delectat Isocrates. Vnde sophistarum natio manauit soluta & effluens, sententijs arguta, uerbis sonans, pompæ quàm pugnę aptior, ad pugnam & feriendum parum & breues absolutiones aptiores sunt, quàm longæ ac diffusæ, tum disiunctiones & incisiones breues. Sunt enim uelut ictus quidam repetiti, & grauior fit plaga punctim inflicta, quàm cæsim. Accedunt eodẽ translationes aptæ & notæ, repetitiones uerborum, similitudines breues, & appositæ, periodi, quarum membra sunt comparata ad pugnam, & urgendum ualent, & quidem cum decore, præcipue si postremum sit reliquis breuis, nam tunc uelut infigitur in animo audientis. Quod si sit longius, delectat potius, quàm urget. Minuitur etiam ictus periodi, si penultima totius sit breuis, quę oratio pugnax est, eadem ardens, acris, incitata uigens. Breues & acutæ sententiæ, tum argumenta contorta, & aptè iacta, appositis uerbis, & tereti cõpositione, ita ut alte in pecto-

ra descendant, & infigantur, stimulos dicuntur relinquere in animis audientium, qualis erat dictio Periclis apud comicos, ita ut nulla esset orationis pars, ex qua nō aliquid insigne domū referret auditor. Excitantur audientes correctione. Nam erigitur animus ad dispiciendum, quid est, in quo seipsum correxit, qui dicit, & quantum est inter illa dissrimen, tum apostrophe, interrogatione, deliberatione. Celerem ac mobilem orationē uolubilitas facit, ac breuitas membrorū & absolutionum. Tarda fit longis sententijs ac diffusis, tum compositione soni impediti, & argumētis dilatatis, stataria hæc est oratio, seu sermo potius. Est quædam uerbis magis uolubilis, & incitata, quàm sensis, quæ torrentis in morē rapitur celeritate quadam, & compactione uerborū, ut ruere illam dicas, non fluere, contrà est alia uerbis segnis & præpedita. Quintilianus Rhodios ait lentos quidem ac remissos esse, non sine pondere tamen, neq; fontibus puris, neq; torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similis. Seneca, Fabianus mihi non effundere uidetur orationem, sed fundere. Adeò larga est, & sine perturbatione, nō sine cursu tamen ueniens. Est oratio diligens, & sedula, & sibi instans, in qua nihil deprehendas superflui, nihil parum accuratè expensum, semper sunt in actu omnia, nunquam cessat. Nam contrà est quædam otiosa & segnis, quæ in superuacuis retinetur, & dilatat, quæ breuiter suffice-ret tractasse. Nemo, inquit Seneca, minus passus est aliquid in actione sua otiosum esse, quàm Cassius Seuerus. Nulla pars erat, quæ non uirtute sua staret. Nihil, in quo auditor non sine damno aliud ageret. Omnia nitentia, & intenta aliquo, aliquid petentia. E diuerso sunt nonnulli, quorum multi loci inanes sunt, quousq; transmittere non animaduersos auditor possit sine damno. Idem Seneca, in Fabiano, inquit, quum circumspexeris omnia, nullas uidebis angustias inanes.

ACVMEN ET SVBTILITAS.

HActenus de uirtutibus & uitijs corporis. Ex ijs quoq;, quæ in animo sunt, nomina induntur orationi. Acuta est, quū eius uel uerba, uel sensa intima rei penetrant, de qua agitur, similitudine quadam humani ingenij, quod ea de causa acutum dicitur. Nam quod supremam modò faciem perstringit, uel attingit uerius, hebes nominatur, ac plumbeum, eodemq; modo oratio. Acutam orationem faciunt argumenta ex intima ratione ac natura rei deprompta. Tum cōformatio illa, quam demonstrationē nominari diximus, quoniam ex argumentorum acumine oritur. Adiecta itidem seu epitheta acumen ostendunt, tanquā natura rei uno uerbo siue comprehensa, siue exposita, ut male suada fames, & turpis egestas. In quo poëtarum eminet spiritus, naturæ magis, quàm artis. Hac eadem de causa acutam quoq; orationem reddunt uis ac proprietas singulorum uerborū. Deniq; ea omnia, ad quæ uel excogitanda uel intelligenda opus est ingenij acumine. Vt uerbum aliter, quàm in communi sermone positum, allegoriæ, ænigmata, translationes crebræ ex reconditis rebus erutæ, interrogationes argutæ, sententiæ, quales non facilè quiuis inueniat, uti est illa apud Ciceronem: Non idem est gratiæ & pecuniæ debitio, &c. Quintiliani oratio acuta est, & ea nota insignitur à D. Hieronymo. Sed acumine facilè omnes superat Aristoteles. Acumen circa res minutas anxiū atq; affectatū in argutias uertitur. Captiones sunt falsa acuminis imitatio. Subtilitas rem aliàs ad tenuitatem perscrutando, & resecando deducit, aliàs discindit, & quasi in particulas sectam proponit ante oculos. Seneca de subtilitate Portij Latronis: Antequā dicere inciperet, sedens quæstiones eius, quam dicturus erat, cōtrouersiæ proponebat. Quod summę fiducię est. Ipsa enim actio multas latebras habet: nec facilè potest, si quo loco subtilitas fuerit, apparere, quum orationis cursus iudicium audientis impediat, dicentis abscondat. At ubi nuda proponuntur membra, si quid aut numero, aut ordine excidit, manifestum est. Sic ille. Itaq; diuisio illa & comminutio quæstionum ad subtilitatem pertinebat, ut si quæsitum esset, sit'ne Socrati ducenda uxor, ita proponebatur. Quid philosopho, quid huic tanto, quid hęc Xantippe? & alia in hūc modū. Tum subtilitas est, quum usq; ad intimum penetratur rei propositę, & reiectis corticibus, nucleus ostenditur bene purgatus. Est & alia subtilitas in uerbis proprijs, aptis, naturalibus, cōpositione pressa. Qui magnificè uolunt dicere, subtilitatem effugiunt: cui uirtuti contraria est crassa oratio, quum de re multiplici & uaria inuolutè ac ruditer disserimus, pa-

rum admodũ expurgantes,aut diſtinguentes.Subtilia ſunt,quæ à Cicerone more Stoico in Tuſculanis diſputantur,uel de Finibus bonorum. Craſſa quæ ad Quirites,media & tanquam interiecta,quæ in in ſenatu. Atq; in his omnibus ſunt gradus.

ERVDITIO.

ERudita oratio eſt,quæ doctè,ac ſapienter de ſuſcepto argumento diſputat.Contrà, eſt indocta & ieiuna. Sunt quædam affectatæ & oſtentatrices doctrinæ. Aliæ ſimpliciores,& quæ altitudinem ſui gurgitis conſultò tegunt. Cuius generis ſunt Ciceronianæ.Quædam ſcholam reſipiunt, concinnatę argutijs illis,palæſtra literaria,quum ea crebrò inſeruntur, quæ ſcholaſtico ſunt tyrocinio percepta. Eruditionem ſingula artium genera denominant. Literata oratio, phyſica, mathematica, diſerta, infans, balbutiens. Etiam ea quæ exercentur manibus, militaris, ruſtica, architectonica, & quæ uſus ſunt uitæ ac totius encyclopædiæ, prudens, cordata, diligens, patrisfamiliâs, qua continentur ſententiæ ſumptæ de uita. Tum quæ uulgo circumferuntur, quorum aliqua ad ſententias pertinent,ut Frons accipitio prior eſt.Alia trita ſunt quædam dicta ore plurimorum, unde adagia nomen acceperunt, quæ populus ob uenuſtatem aliquam in loquendi conſuetudine retinuit, quæ hoc ſunt gratiora & diuturniora, quum habent obſcuritatis aliquid, nam expoſita uileſcunt breui. Iam dicta & facta magnorum uirorum, & quæ reſponſa Græco nomine apophthegmata dicũtur,quorum nonnulla uſitata in prouerbia ceſſerunt. Adde his omnia quæ de ueteris memoriæ recordatione deſumuntur. Vnde oratio dicitur memoriæ cognitione uel adiuta atq; inſtructa, uel deſtituta.

IVDICIVM.

IN iudicio eſt ſana oratio ſenſis,haud ſecus,quàm de ſanitate uerborum Cicerone autore paulum antea expoſuimus. Oratio acriter excogitata fit,quũ res eius ſunt ad acutiſsimũ ingenij examen perpenſæ, uſu atq; eruditione adhibita, quã res illæ capiũt.Iudicia hominum ſunt uaria. Nam tum ingenij acumine ac ui diſtinguuntur, tum eruditione,tum etiam experientia rerum uſu collecta.Hinc ſtatera ſapientum, & trutina uulgaris, quaſi prouerbio quodam feruntur. In iudicio reponat quis, ſi uelit, ſapientem orationem, quum maior & uehementior mentis uis ad ſublimia ſe extollit, & in abdita ingerit naturæ uel corporum uel mentium. Sapientia nonnunquam pro prudentia ſumitur.contrariæ harum demens,inſana,fatua.Solidæ orationes ſunt, quum nõ in ſpeciem tantum aliquid uidentur dicere, ſed ſi quis excutiat, & enucleet, multum deprehendet intus latere. Contrà inanes ſunt, quemadmodum multa uulgo recepta, quæ gratiæ alicuius lenocinio ſe inſinuarunt, & placent.ut quanto præſtat habere, quod profundas, quàm poſsidere,quod reſerues. Quod in contrariũ quoq; conuerſum propter antitheton allubeſceret. Offuſcat enim exterior decor iudicia cenſentiũ,nec quid inſit conſiderant,quemadmodum in humanis corporibus.Huiuſce rei exemplum eſt apud Senecã. Mindius,inquit,dixit tetracolo. Seruiebat forũ cubiculo,prætor meretrici,carcer conuiuio,dies nocti.Hanc ideo ſententiã retuli, quia & in tricolis,& in omnibus huius generis ſententijs curamus,ut numerus conſtet,non curamus ut ſenſus.Sic ille.A.Gellius exemplũ aliud refert ex oratione Tib.Gracchi,Inter ſepulchra monumenta ſunt, quod quum ſit inane ac friuolum, arridebat propter tinnitum. Sunt, inquit Cicero, quædam ſententiæ magis concinnæ quàm probabiles,quales ſunt ſophiſtarum. Neq; uerò idem eſt oratio plena, & ſolida. Plenum eſſe poteſt rarò & tenui refertum corpore. Solidum eſt forti ac firmo. Ita oratio Fabiani non erat ſolida, ut inquit Seneca, ſed plena.In iudicio eſt conſilium, quod uel rectum eſt ac ſimplex, quum non aliud ſenſu dicentis tegitur,quàm uerba præ ſe gerunt. Obliquum uerò,&tectum,& ſimulatum, quum aliquid occultatur, uel propter neceſsitatẽ,uel propter commoditatem,ſicut de conformationibus dixi. Prima Ciceronis actio in Antonium tota eſt obliqua, non enim tunc conueniebat apertè reſiſti Antonio adhuc, ut uidebatur, ſanabili. Ad hanc partem faciunt figurata,quæ ἰχνηλατούμενα nominantur.Item uerba ambigua, & ſententiæ amphibolæ, & ratio tota extenuationis,ex qua multa ſunt deſumpta in Miloniana Ciceronis,& potiſsimũ quum narrat,Fecerunt ſerui Milonis, neq; imperante,neq; ſciente,neq; præſente do-

te domino, quod suos quisq; seruos in tali re facere uoluisset, quàm callide crimen facit cum omnibus cõmune, certè uoluntate? Nec apertè dicit, Serui Milonis occiderũt Clodium, quod uerbum habuisset inuidiæ permultũ. Itaq; molliuit, nec minus dixit tamen, quandoquidem quid factum esset, nemo ignorabat. Nec illud minus cautè: Quid porrò quærendum est? factũm ne sit? at cõstat. à quo? at patet. minus graue, quàm si dixisset à Milone. Et quum pro P. Sylla cogitur facere mentionem cõdemnationis illius de ambitu in petitione consulatus, quanta cautione locũ illum attigit, ne causæ officeret? Honestatis, inquit, & dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem. Sed in illo oratore plurima sunt huiusmodi exempla.

AFFECTVS.

SVmunt orationes nomina uel ex dicentis affectu, uel qualitate eiusce rei, de qua dicitur. Vt orationes meticulosæ, iracũdæ, inuidiosæ, criminosæ, rabiosæ, liberæ, furiosæ, ardentes, concitatę, remissę, sedatę. Quę non sunt loci huius. Nihil enim ad orationis naturam, sed ad dicentem, aut materiam. Sicut nec illæ, quæ ex uitijs aut uirtutibus ducunt appellationes, pia, iusta, moderata, temperans, fortis, prouida, impia, blasphema, ignaua. Quemadmodum uerò hominum animi uel cõcitentur, uel placentur dicendo, hoc nostræ est obseruationis, qua de re mox disseremus.

MORES.

MOres plurimi sunt, sed eorum plerique alibi sunt à nobis expositi, nunc de præcipuis, & qui maxime ex usu sunt discentium. Puerilis est oratio sententijs paruis, leuiculis, friuolis, nimiũ uulgaribus, nõ satis animaduersis, tum argumentis infirmis, locis inanibus, excursionibus ad fabellas, & nugas, iocis frigidis, lusibus, quibus capiuntur pueri, humilibus translationibus, & minime in loco, crebris figuris, similiter cadentibus, & desinentibus, quod ut puerile annotauit Dionysius in Isocrate, tinnitu compositionis, & delitijs comparatorum, uerbis improprijs, compositione obscura. Iuuenilis minus est inepta, & putida, calore pugnaci, nonnunquam sine causa, immodica, atq; etiam aliquando importuna, accurata omnibus ornamentis illustris, compositione concinna, & suauis. Quantis illa clamoribus, inquit Cicero, adolescentuli diximus de supplicio parricidarum, quæ nequaquã satis deferbuisse post aliquanto sentire cœpimus. Virilis & matura est, à qua importunitas illa, & feruor abest. Domitij Afri cõmendatur maturitas, in qua nihil est acerbum, aut non sui temporis, uel loci, quamuis uiriditas illa habet suam indolem, & spem ostendit bonæ frugis, sicut in Cælio, quem Cicero defendit. Audacia ex iuuenili ardore nascitur, in usurpandis uerbis & sententijs. Cicero orationem uocat audacter exultantẽ illam Demosthenis pro Ctesiphonte post medium, ubi enauigauit è cautibus. In audacibus cõnumeratur periculosa, & temeraria, quæ uerba & translationes, & sententias usurpat proximas uituperationi ac reprehensioni, in quibus, quum feliciter cedunt, plus ualuit casus, quàm consilium. Quintilianus Horatium dicit multis figuris feliciter esse audacem. Exit nõnunquam hæc tanta audacia in furorem quendam, & φθορισασμὸν, qualis est magnorum uatum. Huic contraria est oratio meticulosa, circumspecta, pedetentim ingrediens. Mitis est oratio, quum deferbuit, nec calorem illum retinet uirilem, quæ etiam senilis censetur, remissa uerbis, & copia, remissa tractatione affectuum, & pugnacitate argumentorũ, ornamentis quoq; & cultu diminuto. Tales sunt ferè Antonianę, de quibus Cicero dicit incanuisse orationẽ suam, & quasi habere iam suam senectutem. Grauis oratio fit sententijs magni ponderis, profundæ intelligentiæ, argumentis solidis, & firmis magis quàm argutis, aut cõtortis, affectibus moderatius cõmotis. Circuitus solutiores sint, modò ne diffusi omnino, ac dissoluti, membra longiora, trãslationes parciores, ac tutiores, figuræ & schemata rariora, uocales longæ, sonus firmus, & robustus, asperitas nonnunquã, & impedimentũ orationis, & illa tanquã sufflaminatio orationem grauiorem præbet: quemadmodum in motu corporũ. Quare & hiatus huic proposito conueniunt. Nam & grauem orationem imitando os diducimus, atq; inflamus. Quod præstat continuatio uocalium, ut apud Ouidium de maiestate. Quoq; die partu est edita, magna fuit. Et Cicero: Cuius ego nomine ipso recreor. Verba aliquot antiqua interspersa senilem orationẽ reddunt,

ac proinde grauẽ. Denicꝙ sermo proximi seculi grauior uidetur, ut Sallustij Crispi, propter authoritatẽ antiquitatis, dum non transeat in obsoleta penitus, quæ ex usu abierũt, prorsumꝙ perdiderunt gratiam. Itaqꝙ grauis fit sermo, si à peruulgato illo & protrito ad quoddam alterum discedat simplex seniorum hominum, quod fit proprijs & naturalibus uerbis, aut translatis usurpandis utriſqꝙ more ueteri, uel trãslatis aptè ac peritè. Simplicitas etiam usus cõmunis plus habet grauitatis, quàm scholarũ acumen. Est item grauitatis, seu sobrietatis potius, quę grauitate clauditur, trãslationes, & superlationes moderari, ut sic dicam, ut ita loquar. Est quoꝙ maioris grauitatis asseuerare sententias, minoris autem cunctanter eas ponere. Ad grauitatem facit paucis uerbis magna sensa concludere, item ad acumen. Congruit etiã grauitati non leuia & minuta persequi, atꝙ explicare, quod ferè Asiani peccant, quæꝙ facilè cuiuis essent obuia, leuis est enim oratio eiusmodi, depressa, sine pondere. Extremum grauitatis est sanctitas, sicut in senibus ad summum ueneration is sanctus senex, uerbis & toto sensu incorrupta, & undiqꝙ uenerabilis, ut nec iuuenile quicquã sapiat, & immaturũ, nec prauum aut proteruum, qualis dicitur fuisse M. Bruti. Est enim huic contraria delitiosa, lasciua, ludibunda, quum semper ludit omnibus translationum generibus, & figuris, & schematis, & periodis contortis, & comparatis, tum sententiolis argutis, concinnisꝙ, molli structura, & delicata, salibus, allusionibus ad fabellas, ad historiolas, ad carmina, ad dicta in scriptoribus celebria. In quam orationis formam degenerauit ea, quæ aulica dicitur. Multorum itidem qui se enascentium linguarum studio dediderunt. Quintilianus iam tum queritur orationem suorum temporum lasciuam esse factam, & delitiosam. Quod facilè est uidere in ijs, qui circa illa tempora scripserunt, Cæcilio Plinio, & Tacito, tum declamationibus, quæ Quintiliani ipsius titulo leguntur. Quæ mordacitate, & argutijs, & ambiguitate, atꝙ amphibologia, & dissimulatione, & obscuritatibus ludit, & dicacitate procaci, ac petulanti in scurrilitatem uergit. Quales fiunt quidam studio dicacitatis, & salium. Vincunt nos Gręci delicijs, nos illos grauitate ac pondere. Præ se fert imaginẽ grauitatis oratio seuera, plus etiam tristis, à qua omnis abest cultus, nihilꝙ est quod audientem detineat, quali sunt delectati Stoici, quiꝙ genus illud philosophandi sunt secuti, ut Cato Vticensis, & Rutilius Lupus. Huius supremum est oratio molesta atꝙ odiosa, quę non modò non delectat, sed afficit tædio, cuius uerba sunt anxiè conquisita, translationes duræ, procul tractæ, figuræ ineptæ, compositio perturbata, sensa obscura, loquacitas nimia, repetitiones crebræ, sententiæ frigidæ, ac uulgares, & quamuis nulli non notæ, expositæ tamen diffusius. Media inter lasciuam & grauem est læta, hilaris, iucunda: quod assequimur uel uerbis, & compositione, de quo antea fumus loquuti, uel rebus quod ad alium locum pertinet, tum ratione ipsa dicendi florida, concinna, arridenti, lepida, & faceta tractatione rerum, qualem dicunt fuisse orationem Cælij, quod ex eius epistolis potest colligi.

DIGNITAS.

HOc loco nomen accepit oratio ab utentibus, urbana, peregrina, nobilis, popularis, plebeia, tabernaria, rustica, militaris, quę longius possunt diduci, magnifica, auguſta, philosophorum, senatorum, scurrarum. Partim de his iam diximus in cultu. Nunc upantur hæ orationes ex uerbis, & translationibus, & loquendi formulis, argumentis, sententijs, quæ cuiꝙ hominum generi atꝙ ordini sunt apta, & peculiaria. Quintil. Nam meo quidem iudicio illa est urbanitas, in qua nihil absonũ, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neꝙ sensu, neꝙ ore, gestú ue deprehendi possit, ut non tam sit in singulis dictis, quàm in toto colore dicẽdi, qualis apud Gręcos Atticissimus ille redolens Athenarum proprium saporem. sic ille. Differũt rustici ab urbanis quibusdam uocibus pagorum propriis parum tritis ore ciuitatis, tum immutatione literarum, aut syllabarum, metaphoris, & omnibus similitudinibus atꝙ exemplis de agro sumptis, quod uidere est in uetere Romano sermone, ut fuit olim is populus rusticanus. Phrasi, argumentis, sententijs iuxta captum & persuasiones illas rusticas, pronunciatione crassa, ut de Cotta dicit Cicero, qui se dilatandis literis à similitudine Græcæ locutionis abstraxerat. Interdum nimia ciuitatis affectatio peregrinitatem arguit, Quod

Theo-

Theophraſto contigiſſe perhibent, qui ea de cauſa hoſpes eſt à uetula Attica nominatus. Eſt inter urbanam & ruſticam orationem genus quoddam medium oppidanum, non ſatis conditum, & expolitum. Quale in Sepaſijs fratribus ſcribit fuiſſe Cicero. Nec aliter hæc duo inter ſe diſtant urbanum & oppidanum, quàm nunc urbanum & aulicum, quod modò ſit abſq; delicijs, & ineptijs. Percenſui genera & qualitates orationum, eas quidem, quæ ad uſum diſcentium magis facerent, quàm ad intelligentiam ueterum, qui ſicuti initiò præmonui, uarij fuerunt in his appellationibus, multumq; ſibi indulſerunt ipſi, quippe & diuerſiſsimis orationum generibus attribuerunt eaſdem & eidem generi ac orationi diuerſiſsimas. Quæ uerò dixi, non ſolum de tota ſunt oratione intelligenda, ſed de eius partibus, etiam de ſingulis quandoq; abſolutionibus, & periodis. Nam in unamquamq; aliquod illorum nominum competit, nempe ut humilis ſit uel excelſa, uel leuis, uel aſpera, uel culta, nel neglecta. Et ſic in alijs. Et quemadmodum in hominibus biliioſus dicitur, non qui alium humorem nullum habet, nemo enim eſt talis, ſed qui hunc maxime: ſic oratio, qua parte plurimum ualet, ea cenſetur. Perſecutus ſum non ſolum orationis uirtutes, ſed uitia quoq;, non quod horum ſit uſus unquam aliquis, ſed ut ex eis intelligatur uirtus contraria, quam ſequamur, à uitijs autem ipſis caueamus. Nec ſecus quàm inter homines alij aliàs habent dotes. Sunt qui in corpore, ſunt qui in animo, ſunt qui in fortuitis. Ille plane eſt heros, qui undique magnus & ſuſpiciendus eſt, ille nequiſsimus, cui nihil horum adeſt: eundem in modum de laudibus & uituperatione orationis iudicandum. Et appellationes quæ à nobis ſunt connumeratæ, non oratorum ſunt, ſed oràtionum. Nam, uti docet M. Fabius, omnis ſpecies dicendi, quæ modò recta eſt, habet uſum, atq; id ipſum non eſt oratoris, quod genus dicendi uocant. Vtetur enim ut res exiget omnibus, nec pro cauſa modò, ſed pro partibus cauſæ. Quod quamuis ita ſit, in illa tamen ſimilitudine generum poteſt eſſe diſſimilitudo formarum, ſicut eſt in animantibus, & ſtirpibus. Nec humanæ facies obeſæ omnes ſunt inter ſe ſimiles per omnia, nec macræ. quod in Atticis oratoribus declaratum eſt. Quo fit, ut ſummi eſſe poſsint, qui ſunt diſſimillimi, uelut in pulchritudine humanæ formæ. Idq; Cicero exemplo docet Cottæ ac Sulpitij. In hiſce eſt frequenter adoleſcens exercendus. Reliqua enim quæ ſunt à nobis omiſſa, uſu ipſe ſuo conſequetur. Hactenus expoſita ſunt nobis atque oſtenſa inſtrumenta artis. Iam deinceps operi accommodari conueniet. Quæ actio quoniam prudentiæ pars eſt, procul dubio in infinitum patet. Omnia enim prudentiæ ſunt eiuſmodi, quæ uarietatem recipiunt locorum, temporum, perſonarum, cauſarum. Sed nos tamen diſcentium ſtudia magis dirigemus ad uiam, quàm perducemus ad finem. Natura & exercitatio perficient à nobis inchoata. Sine quibus parum effectura ſit ars omnis, & quando prudentiæ opus præcipuum eſt, & antiquiſsimum, finem ſpectare. Hinc quæ illi accommoda ſint diſpicere, operæprecium erit de primo uidere, quem in uſum paratus ſit ſermo. Eum uerò conſtat Dei munere tributum humano generi, ut quiſq; per eum foras ad alios proferat, quę mente apud ſemetipſum cõcepit. Hoc ſolum ſuffeciſſet in natura illa integra, & qualis è manibus artificis ſui prodijt. Scilicet in claritate illa ingeniorum, & quiſq; facilè eſſet, quæcunq; uoluiſſet, elocutus, & audiens liquido intellexiſſet, tum in tanta animorũ probitate ac ſimplicitate & dicens recta exprompſiſſet, quæ ſentiebat, & audiens habuiſſet fidem ei quem ſuſpicatus non eſſet mentiri. Nunc uerò tenebris animo inductis per delictum, ſola explicatio non ſufficit, quæ & ab ignaro ſit perperam, nec probè percipitur à tardo, nec habetur fides malo à malo, rudi à rudi, ſiue quod ex ſeipſo coniecturam capit, quod poſsit falli, aut uelit fallere, ſiue quod ex ipſo eodem, quem in mendacio aut errore deprehendit, ſiue experimento ab alijs ſumpto. Quapropter quæſita ſunt ad perſuadendum argumenta, ut quod homo dicens non euincebat, euinceret ratio dicentis. Captatur perſuaſio, & elicitur fides duorum modorum altero, uerbis utique, uidelicet quod ad præſens inſtitutum attinet, aut mente edocta à dicente, & adducta probabilitate rei. aut quum hoc parum ſufficit, itur ad id, quod eſt in animo potentiſsimum, nempe ad affectiones, quæ per tyrannidem peccati uehementer inualuerunt in animo, ut regnum ac potentia ratio-

nis concussa, & debilitata est. Itaque concitati magnam inferunt animo uim ad eum in suam sententiam pertrahendum, & concientur leuibus de causis, uel concitati prius, sedantur à nobis, ut dimota nebula, aliud animo appareat, quàm antea. Nemo hic putet nos esse magistros malitiæ. Satius esset nullas omnino scire literas, quàm eas instrumentum facere prauæ libidinis. Affectus humano animo indidit is, qui nihil creauit malum. Hi ut pleraq; alia neutri sunt, boni, si rectè utaris, mali si secus. Potest enim ueritatis aut bonitatis efficacia ministerio affectuũ iuuari, quum non est ad manũ satis magnũ robur rationis, non uitio ueritatis, quæ ipsa fortissima est, sed nostro, qui quæ sunt in natura uerissima, non satis acutè perspicimus, uel ad dicendum, uel ad iudicandum, tum sancte ac pie inflammamur dicendo ad omne genus uirtutis, deterremur à flagitijs & sceleribus. Ergo persuasio orationis duobus uelut telis utitur ad expugnandam mentẽ, probabilitate argumentorum siue rationum, affectuum motu ad concitationem, aut ad sedationem. Sermonis quidem naturalis finis unus est, quem diximus, peruersitate autem ingenij nostri effectum est, ut alios quæsierimus, sicut in rebus omnibus. Principio necessitati est occursum, quam natura indixerat, hinc cõmoditati cõsuluimus, tum parata est oblectatio, & delinimentum sensuum animi, & corporis, etiam in ijs quæ ex se ipsis grauia essent admodum & aspera, ut passi toties, & uestiri, quæ quum sint infligtæ pœnæ pro delicto, fieri non potest quin ex se sint molesta. Post hæc inanissima sequuntur cõmenta decoris, & admirationis. Itaq; orationem defleximus ad ostentationem ingenij, ac facũdiæ, ut quales in ea essemus artifices, ostenderemus. Sunt qui opes, & magistratus, & magnam potentiam uenentur lingua, quę omnia speciatim percensere infinitum esset, ideoq; omittendum hoc loco, quum de arte præcipimus. In re autem ipsa unus est finis sermonis explicare, tres autem nostri probare, mouere, & animum oratione pascere, tanquam oculos ludis, aut pictura, quod detinere nominemus. Hi fines nostri sunt potius, quàm orationis. Nam sæpenumero sola explicatione persuademus, & concitamus animum, & quandoque lectorem tenemus, ut in historia & poẽsi. Hi fines omnes, quando in audientis perficiuntur animo, quemadmodum & à dicentis animo proficiscuntur, ita de intelligentia, quæ cuiq; res facilè persuadeãt, quibus moueatur, quibus capiatur, aut demulceatur, tractationis est de anima. Sed nos tamẽ nonnulla hic delibabimus, quo facilè intelligantur ea quæ nostro instituto conducunt. Ante omnia illuc semper animi spectet intentio, quid efficere uelimus, tanquam ad album quoddam in scopo, nam eo sunt conferenda iacula, ne aberremus.

DE DOCENDO.

DOcere non simpliciter sumitur, nam interdum est patefacere, ac ostendere, aliãs argumentis probare, & planũ facere, de quo in persuasione dicemus, nunc de priore ratione. Finis huiuscemodi orationis est intelligi, dicentis uerò explicare, quæ animo concipiat, & ad audientem perferre. Est enim quum intelligi uel non curamus, uel nolumus ab hoc, sed ab alijs, uel contrà, ab hoc uno, ut quum Cicero ad Atticum scribit, & Plato de rebus sacris. Quandoq; non statim uolumus intelligi, sed diligentiam excitare auditoris, quod fit in præceptis artium à nonnullis, tum in ludicris rebus, & ad eos audi tores, qui, quæ intelligentiæ sint exposita, parui faciunt. Illud autem uitium est, quum planè, & disertè loqui conuenit, genere quodam sermonis delectari confuso, & obscuro, & cui interprete sit opus. Quod in Heraclito, & M. Antonio, & P. Rullo, & C. Mœcenate olim annotatum est, tum etiam patrum memoria in Apuleianis. Obscuratur oratio uel ex rebus, uel à dicẽte dedita opera uel uitio audientium per occasionẽ. Res quũ sunt uel reconditæ, quales numeri Platonis in cõpositione animæ, uel ex usu abierunt penitus, ut Vitruuij penè omnia, C. Plinij permulta, difficilem intelligentiã sui prębent. Dicens obscurat dictionem, & sensa, modò uerbis simplicibus, modò cõiunctis, simplicia usurpat insolita uel nouitate, uel uetustate, utrunq; enim est equè inconsuetum, tum transfert obscurè, & procul, utitur ambiguis uocibus, alludit ad fabulas, ad historias ignotas. De compositione obscura, dictum est primo uolumine, quo loco & de perspicuitate sermonis disseruimus, ne hic habeamus repetenda. Officit auditor sibi ipse, & quasi luminibus obstruit ruditate, tarditate, inaduertentia. Occurrendum est his tribus, quate-

quatenus fieri posſit, ſi intelligi omnino cupimus. Primum tollenda eſt in aduertentia, & attentio excitanda, nihil inferendum eſt, quod attentionē auertat, uel remittat. Quocirca quum attentio eſt prorſum neceſſaria, non probo admiſceri ſermonem auditori ignotum, dum enim quid illud ſit quærit, auertit animum à proximis ſententijs. Hac de cauſa nunquā Circero Græca uerba orationibus ſuis inſeruit. Pro Flacco, Græca prouerbia Latine retulit. Et pro Deiotaro quū uerſum citaret, quem ad nunciū mortis Domitij Deiotarus dixiſſet, partim ne audientiæ tenorem interpellaret, & attentionē perderet, partim ne oſtentatione inuidiam concitaret, & ſuſpicionem leuitatis. Erudienda eſt ruditas, & tarditati te accōmodabis, ne præcurras. Quæ nunc à nobis dicuntur ſummatim, mox explicabuntur per partes. Tum quænam oratio multum habeat lucis, demonſtratum eſt libro ſuperiore.

DE PERSVADENDO.

PErſuadere, eſt efficere, ut credat quis, id quod uolumus. Actionis huius finis eſt fides, inſtrumentum in propoſito, oratio. Nam & res quoq; perſuadent ſine uerbis, authoritas item, & uelut nutus quidam, ſi putamus eum eſſe, qui rem probè norit, nec uelit mentiri, unde eſt uetus illud, uitam maxime perſuadere. Nam in ingenio edocto, & uoluntate proba, ſita ſunt illa duo, uelle, & poſſe uerum dicere. Sed de hoc fidei genere, non eſt præſens inſtitutum. In oratione conſideranda ſunt duo, res, & uerba. Res probabilitate ſua, fidē faciunt. Quæ ſunt probabilia, & quis inter ea gradus, demonſtratum eſt in libro de probabilitate. Hoc autem loco, uidendum ante omnia, quid coneris probando, ac ſuadendo efficere. Quod probatur, in duabus quæſtionibus eſt ſitum, quarum altera, poſita eſt in re externa, altera in nobis. In re quæritur de ſubſtantia, ſit, fuerit, erit, poſſit eſſe, hoc, illud. Tum adduntur adiacentia talis, aut talis. In nobis poſitum eſt agendum, non agendum, quod eſt deliberationis, & conſilij. Finem, qui in quæſtione omni petendus eſt, & tanquam ſcopum quidam ſtatim uident, & eo dirigunt ſuam probabilitatem, & quaſi iacula. Quam enim rem duo contradicentes ambiguam faciunt, ea eſt quæſtio, & uelut ſcopus, ſiue re uera ſit aduerſarius propoſitus, ſiue animo fingendus. Alij non ſtatim eum proſpiciunt, & eſt alioqui interdum occultior ſuapte natura, nec deeſt, quum multi nullum eſſe ſcopum probabilitatis falſo arbitrentur, ſed ſolummodo intelligentiæ. Itaq; ad eum inueniendum, hac uia gradi conuenit. In quibus diſſertionibus contradictionem habemus, ac repugnantem, in ijs haud difficile fuerit, quid poſitum ſit in controuerſia, perſpicere. De quo enim diſsidetur, hoc utriq; eſt petendum pro ſua parte, ſiue infirmando, ſiue confirmando, qui à Rhetoribus ſtatus nuncupatur, & cardo, & caput cauſæ. Res publica optimè adminiſtratur iuſtitia, conuenit inter Athenienſem, & Macedonem. At iuſtitia melius ab uno adminiſtratur, quàm à multis, contrà dicitur. Hic eſt ſtatus: Alter contendit ita eſſe, alter non eſſe. Alteruter ſi euicerit, & in ſuam ſententiam repugnantem pertraxerit, finita eſt controuerſia. Vbi non eſt qui contradicat, ut quum gratias agimus, quum conſolamur, in orationibus nuptialibus, & funebribus. In his ſpectandum, quid uelimus efficere poſtremum. Si tantum propoſitum ſit aliquid exponere nihil ſollicito credant ne alij, nullo opus eſt ſtatu. Sin aliquid ſit animus probare eſſe, non eſſe, faciendum, aut ſecus, in omnibus diſtinctionibus temporum, res ipſa extrema non ſimpliciter affirmata, ſed per quæſtionem, ponet tibi ſtatum ob oculos. Statuum non una eſt ratio. Eſt quidam primus, & quaſi aliorum caput, & fons, quo referuntur minores alij, ad quod tenendum ne aberret mens, ſpectare debet poſtremam quęſtionem, qua ſublata, nulla eſt amplius dubitatio. Variæ illæ quæſtiones, de quarum unaquaq; peculiariter diſputat Cicero pro Milone, unum habent ſcopum ultimū, an is teneatur pœna legis Corneliæ de Sicarijs. Tum ſi quis quęrat, an quia princeps ſuos negligit, idcirco habēdus pro malo, ſi malus, an ei obtemperandum, ſi non obtemperandum, an ferendus ad tempus, an abijciendus continuò. Aut ſic, Humanus animus quia ſpiritus, ut Deus, an conditus ei ſimilis, ſi ſimilis, an illum intelligat, ſi intelligit, an factus ad religionem, an aſſecuturus pietatis aliquod præmiū, an immortale, an id erit unū fieri cum Deo. hoc iam nihil eſt ulterius. Sunt ſtatus aliqui, tanquā amplior, & aſtrictior, ut unus includat aliū quemad-

quàm fauorem & miſericordiam. Accidit huc quod nõ eſt operoſum perſuadere malo, alios eſſe malos, & experto multos malos, hunc eſſe aliorũ ſimilem, quem nõ pernouit. Hæc cauſa eſt, cur mali uiri, & ſenes, ſuſpicaces ſunt, nec facilè adducuntur, ut alios eſſe bonos exiſtiment. Mali coniecturam de ſe ipſi faciunt, ſenes de experimentis. Qua iudiciorum peruerſitate effectum eſt, ut nulla fermè ad plurimos ſit opus arte concitando odio, magna uerò ad amorẽ impetrandum. Sed in uniuerſum affectiones ipſæ inter ſe, & cum ratione admirabilem obtinẽt naturæ artificio harmoniam, nec minor eſt ars neceſſaria illis pulſandis, quàm fidibus, ne altius, néue demiſsius ſonent, ne ſine proportione ac modo, id eſt ne maioribus ſentẽtijs aut uerbis, néue minoribus quàm cõuenit, ne alienis, ne parum in tempore ac loco, neu affectus, quos in alios concitare tentas, in te inſurgant odio, uel deriſu. Quapropter non cuiuſuis eſt tentare affectũ impellere, ea enim fiunt in eiuſmodi tractatione, & dicuntur, quæ inepta ſunt penitus apud quietos. Quàm multi ſunt, qui ea ipſa, quibus in re aliena dederant lachrymas, paulo pòſt ſedati & frigefacti rident. Imò & pudet eos lachrymaſſe, ſicut cõmotos eſſe quoſdam ad iram & indignationem re, ut ipſis tum uidetur, leuiſsima. Ante omnia conſiderandum, qui nos ſimus, qui illi, quos agitare uolumus, aut ſedare, quod eorum iudiciũ de rebus, quibus plurimum tribuunt, quibus parum, in quos affectus ſint procliues, à quibus alieni, ex quibus in quos leuiter tranſeant, ex ingenio, perſuaſionibus, moribus, ætate, ſexu, ualetudine, habitudine, conditione, loco, tempore, omnibus deniq; quæ perſecuti ſumus in probabilitate. Induenda mens illorum, & totum ingeniũ, tantiſper, dum quæ ad rem noſtram faciant, excogitamus, ponamusq; nos illorum loco, id eſt contemplemur ſedulo, ſi nos eſſemus illi, hoc eſt ſi nobis ita eſſet de rebus perſuaſum, atq; illis, quibus tandẽ in præſenti negotio moueremur, aut ſedaremur. Hæc phantaſia mirificè eſt ad inuenien dum quæ opus ſint conducibilis. Nos ipſos quoq; norimus, qui genere, ætate, exiſtimatione ſapientiæ & uirtutis, dignitate, opibus. Affectus, ut ex iudicio naſcuntur boni, & mali, facilè is concitabit, aut pacabit, qui de hiſce rebus bene credetur, & poſſe cenſere & uelle. Itaq; puero & fatuo, & hebeti, & experti rerum, de quibus agitur, ægrè animus cedit, ut quoquam impellatur, non enim credit bene ſtatuere eos ut odioſum, quia pro malo habet, non putat uelle rectè iudicare. Cui bene cupimus, is parua opera quam libuerit affectionem in nos transfundet, uel quia uir bonus, quiſquis amatur, creditur, ideoq; nolle mentiri, uel propter ſimilitudinem animorum, quæ eſt in ijs, qui mutuo diligunt. Etiam qui non eſt charus modò ne odioſus, connexione quadam naturæ affectus cõciet, ſi uerè ſit motus, uel probè ſimulet ſe motum, modò ne rationis limites perturbationis impotentia excedat. Mouemur eadem ratione alienis caſibus tanquam noſtris, & nos in eorum uicem ſuccedimus, ſicut ferũt de lyris ad eandem proportionem, & concentum tenſis, ut chorda quapiam in una tacta, in altera moueatur huius ſimilis. Ergo deſcriptiones alienorum malorum aut bonorũ, ut in hiſtorijs, concutiunt noſtros animos, & alioqui in ijs quæ eſſe fabuloſa ſcimus, exhilaramur, ridemus, damus lachrymas, ſperamus, metuimus, odimus, indignamur, fauemus, iraſcimur, idq; tanto magis ſi uelut ob oculos ponantur, ut non narrari credas, ſed agi, ut iam non moueant nos affectus alieni, ſed caſus ipſi, tanquam ſi nobis aut noſtris contigiſſent. Ergo res aduerſas & miſerabiles dolemus, etiam ſi hi non doluerint, qui ſunt perpeſsi, imò tanto magis, quo illos indigniores iudicamus ea ſorte, uelut in noſtris martyribus, in uiris fortibus, in caſu puerorum, quem ipſi non intelligunt. Nam illa uel animi uirilis magnitudo, uel puerilis ſimplicitas, miſericordiam ſui eliciunt. Affectus ut mediĳ ſunt inter mentem & ſenſus, his tamen quàm illi coniunctiores, ita ijs quæ ſub ſenſus cadunt, citius irritantur, quàm ijs, quæ ſola cogitatione comprehenduntur. Ideoq; rebus ſingularibus celerius quàm uniuerſalibus. Validius enim eſt ad affectũ ſi dicas, Huic homini dedi ueſtes & pecuniam, inſtruxi eum eruditione, ornaui dignitate, at is nunc eam refert gratiã, ut me ſpoliatũ uelit domo & uita: quàm ſi dicas in genere, Graue eſt homini cui ueſtes dederis, & cætera, ab eo ſpoliari re familiari ac uita. Niſi ſi prius de homine illo ſingulari ſis loquutus. Tum promptius in pectora deſcendunt planius dicta, & apertius, quibus nõ eſt opus intentione iudicĳ, quàm acuta, quæq; non ſtatim obuia ſunt intelligentiæ, uiſa

quoq;

quoq; quàm audita, quippe sensus hic magis internus est, quàm uisus. Mentis uerò actiones contrariæ sunt affectibus, eorumq; impetus retardant. Quòd si commoti sint, lente comprimuntur, eo quod non statim in tanta animi caligine prospicitur. Nec Aristoteles immeritò rationes dialecticas ad animos concitandos inefficaces esse censuit, propterea quòd ex uniuersalibus colliguntur, & ad eas intelligendas speculatione mentis est opus. Adde quod multum habent artis, quæ est hic potissimum celanda. Omnia argumentorũ genera ad mouendum, & sedandum suo loco proficiunt, sed potissimũ exempla, propter similitudinem naturæ, tum comparationes, imagines, similitudines, quæ sunt sensibus uicinæ. In effingenda perturbatione uehementi, oratio debet esse plena argumentis uariorũ iocorum, id enim exprimit ardorem animi permulta discurrentem mira celeritate, uelut scintillam, quæ uno aliquo in loco nẽquit sistere. quod Macrobius in Saturnalijs docet ex oratione Iunonis apud Vergilium libro septimo. & indignitatem necis Agamemnoniæ Diomedes ostendit à dignitate, Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuũm. à coniunctis, Coniugis infandæ. à loco, Prima intra limina, & quæ sequuntur. In maximo dolore, inquit M. Fabius, nulla est obseruatio artis, sed ab exordio usq; ad ultimam uocem continuus quidam gemitus, & argumentis uti licet mistis & confusis, ita ut in ipsa probatione magis emineant. Segni affectioni stimulandæ congruunt sententiæ acutæ, uibrantes, crebrę. Etiam in dolore, quum est animus mœstitia illa immersus, uelut pungendus est contorta, acuta oratione, interdum etiam modulata, & excitandus, ut audiat atque intelligat quæ dicimus, sicut in luctu graui. Quum uerò animus feruet, continendus in ardore magnis argumentis, sed breuibus, sententijs concitatis, ualidis, neruosis, atq; ijs crebris, audacibus, periculosis, dum ne puerilibus ac inanibus, nam uerbis solis nunquam affectus intumescit. Haud magis quàm ignis solo flatu, quum non subest materia, quæ si subsit aliqua, magnopere inflammatur uento. Sidit affectus diffusa oratione, ut tempestas, quum uentus spargitur & fit imbecillior. Ita ad permulcendas Achillis iras, Phœnix apud Homerum, longas ordiTur fabulas, quo animi intentione aliorsum conuersa, remittat se impetus ille ardentis cordis. Dicere cõtrà ueras aut receptas sententias, uel uerè, uel uerisimiliter, cõmoti est, & feruentis, ut in ira atq; indignatione, qualia sunt: Non satis hominum naturam animaduertit, quisquis iuisit, ut nossemus nos ipsi, quid enim aggredietur præclarum, aut excelsum, qui id egerit? Verè autem sic dicitur, uetus illud nescio cuius sapientis, Ama tanquam osurus, immò ama tanquam nunquam osurus, in quo subijcienda est, uel ratio, quæ enim uera & bonæ fidei amicitia relinquetur in uita, si quisq; ita amicum amet, ut fieri posse inimicum cogitet? Vel authoritas, quanto de hoc melius Cicero, quàm Bias ille, ut opinor. Eodem modo dicitur contra leges, contra mores, ut in multis declamationibus Quintiliani, & apud Ciceronem. Sententiæ quoq; non uniuersaliter ueræ, positæ tamen uniuersaliter, in animo cõmoto non dedecent. Ceu si quis offensus à uicino dicat, nihil esse in uita uicino malo importunius. id qui uicinum non habet malum, facilè credit, qui habet, nihil putat dici posse uerius. Sententiæ peruulgatæ peraccommodæ sunt ad mouendum. Nam statim eas recipit auditor, quia communes. Lentioribus & mitioribus affectibus sententiæ congruunt mitiores, grauiores, petitæ ex intima philosophia, uel obseruatione usus uitæ. Vt apud Ciceronem captantem misericordiam populi pridie quàm iret in exilium. In eadem oratione, & pro Rabirio perduellione, & pro P. Sylla imploratio deorum elicit misericordiam, quòd ad memoriam numinis mollescunt animi, partim amore, partim reuerentia, & quod ea res ex conscientia integra, & secura uidetur nasci, quæ Deo manifesta est, quem aduersum se inuocat, quisquis in testimonium adducit rei falsæ, aut prauæ. Dictio erit in mitibus uulgacior, simplicior, & affectui suo similis, mobilis, modesta, mansueta, grauis. In concitatis, translationes asperæ, tractæ, procul petitæ, quales sunt in tragœdijs. Indignatio & irrisio, & contemptus, recipit nonnunquam spurca uocabula, ut in Satyra. Consumitur enim reuerentia aduersus magna scelera, & nostri auditorumq; fermè obliuiscimur, dum in illa inuadimus. Seneca tamen prudenter nos ad moderationem reuocat. Discedendum est, inquit, longè ab omni obscœnitate uerborum, & sensuum. Quędam

ſatius eſt cauſæ detrimento tacere, quàm uerecundiæ. Feruntur etiam uerba antiqua, extranea, conficta. Congruunt iræ, & perturbato animo uerba grandia, atrocia, compoſita ex multis, ut in tragœdia ampullæ & ſeſquipedalia uerba, ſicut Horatius inquit. Acrimoniæ ac uehementiæ apta eſt oratio commatica, item productio ſpiritus. Similitudo commatum in eodem ſpiritu ad contentionem facit, uariatio ad delectationem & expoſitionem. Ille nos in libertatem aſſeruit ſuo ſanguine, illi placatus, pater hominum ſcelera condonauit. Non eſt idem mutatio uerborum & ſenſus. Quum enim ſenſus ad aliud genus ſe transfert, non idem eſt ſpiritus. Quum uerò mutantur uerba, poteſt nihilo ſecius manere idem. Subita in affectum irruptio, tumentem illum teſtatur, nec poſſe regi, aut contineri, quin foras ſe proruat. Quouſque tandem abutere patientia noſtra, Catilina? Semper ego auditor tantum? Verbi aut ſententiæ crebra repetitio ex affectu eſt permoto, qui urget animum, & ſubinde ad ſe reuocat, nec ſinit euagari longius. Confuſionem & obticentiam, turbatus animus parit, ut aliàs docui. Licet enim minus interdum dicere quàm oportet, rapiente nos affectu, modò ſatis intelligat auditor, quid uelimus, alioqui nihil dixerimus. Magnum & ardentem affectum oſtendit interrogatio, eius rei quam nemo poteſt ignorare. Viuimus in tenebris? quid iſtuc eſt, uigilamus an dormimus? Sunt hæc uera quæ cernimus, an falſis imaginibus deluduntur oculi? Si in perſuadendo diſſimulanda eſt ars, quanto magis in mouendo, quod eſt delicatius? Idcirco dialecticæ diſputationes minimę ſunt, ut dudum dicebam, huic propoſito idoneæ. Eliciendus eſt affectus latenter, non cum eo manifeſto pugnandum. Irrependum, non apertè irrumpendum. Verum quum iam cœperit ardere, fortioribus armis pugnabimus. Verba omnia & uniuerſa oratio erunt accuratiora, ſublimior compoſitio, illuſtrior, ſanguinis ſatis, carnis non multum, contorta, uaria, lacertoſa, torrens, affectioni ipſi ſimilis, quæ ubi incaluit, ſi modò mentem non ſecum rapit, omnia effundit uiuidiora, & maiora. Itaq; erit ſtylus, ut Quintilianus ait, qui ſaxa deuoluat, & pontem, indignetur, & ripas ſibi peruias faciat, multus & torrens, qui audientem, uel nitentem contrà, feret, cogetq; ire quà rapit. ſic ille. Erit acuta magis quàm ſubtilis, audax, pugnax, feriens, ſuſpicienda, magnifica. Sedando affectui perculſo, contraria his conducunt, & eadem illa quæ diximus de miti. Acutè eſt ac diligenter obſeruandum, quæ potiſsimum res affectum ſuſcitauit, uerba, an ſenſa. Verba extenuanda, aut aliorſum auertenda, ſi ſimplicia aliquid effecerunt propter uim, uel naturalis ſignificantiæ uel translationis, alijs uerbis referendum infirmioribus. Amplificatio minuenda, quod quemadmodum fiat, iam eſt demonſtratum. Sin compoſitio, diſſoluenda, ut flacceſcente uento cadat affectus, exemplo eſt, quòd uidemus commoueri nos uerbis tragicis & metro. At eadem ipſa ſi ſubmiſsius dicantur, & diſſolutis pedibus, nihil obtinebunt roboris. Quæ figurate efferuntur, ſublata figura non idem poſſunt, aut certè aduerſariorum artificioſæ compoſitioni, artificioſa eſt obijcienda pro parte noſtra. Argumenta uel apertè ac recta acie oppugnabis, ſi ſit fiducia, uel eleuanda ſunt tacitè, uel auertenda. Si irrepſit callidè, qui mouit, ars eius patefacienda, & oſtendendum auditori umbris illum uanis agitari, quod ubi intelligit, ipſe ſuos ridet motus ſine cauſa, ut ſuas lachrymas, uel indignationem. Interim præoccupandi ſunt affectus, præmonendus auditor, quid alter dicturus, qua ratione, quo fine. Minus enim ualent ea iacula, & retundenda ſunt, priuſquam emittantur. Affectus omnis flacceſcit mora, præſertim de re aliena, nec immeritò dicitur. Nihil citius areſcere lachryma. Ideoq; magni in dicendo uiri in peroratione uehementer concitabant animos, quos ita ſtatim relinquerent, ne ipſis dicentibus in alium habitũ mutarentur. Siſtit etiam affectus cogitatione, quæ illum mouebat, aliorſum conuerſa. Ita obijciendum id de quo non minus operæprecium ſit cogitare, ut de repub. de re cuiuſq; familiari, de uita, de ſalute. Collidunt ſe etiam affectus tanquam undę in mari. Alius alium uel auget, uel minuit, uel tollit. Odium miſericordia miteſcit, fauor inuidia diluitur, ira amore, uel reuerentia. Riſus quoq; uel exhilaratione animi, uel conuerſa in ſe cogitatione magnos ſæpe & atroces motus compoſuit, iræ, indignationis, inuidię, quam facultatem, quemadmodum enim concludi præceptis poſsit, non inueni, naturalem eſſe omnino arbitror.

De te

DE TENENDO AVDITORE.

SEquitur quartum orationis munus, uel oratoris potius, quo tenere auditorum mentes cupit dicendo, nec oratio ad aliũ finem refertur, etsi ipse fortè alium præter hunc petat, nempe famam, uel opes, uel dignitatem. Hoc uerò cur delectare nominetur, equidem rationem non uideo. Est enim delectatio iucundus motus in sensu siue externo, siue interno. Oratio hæc alias mœstos dimittit auditores, alias lachrymantes, alias pauidos, ut in historijs & fabulis. Itaq; magis de detinẽdo nominetur, quàm delectãdo. Detinentur porrò homines oratione uel propter res, uel propter uerba. Res quibus capiuntur, siue delectatione continentur, siue admiratione, siue concitato affectu, quem nolint pendentem relinquere. Delectatur quisq; ijs rebus audiendis, quarum usu percipit uoluptatem, tanquam si illa spectet depicta in tabula, ut agricola sermonibus de satione & frugibus, sed magis cõdendis, quàm exercendis, si paulo sit pigrior, ut ignauus miles de uictoria, magis quàm de castris, de rapinis potius, quàm de statione, ac uigilijs. luxuriosus de conuiuijs, glorioſus de suis laudibus, ut dixit Themistocles, nullum acroama sibi esse gratius. æger de salute obtinenda, auarus de spe diuitiarum. Tum etiam ijs, quæ intelligit, ut carmen iucundius cognitum ignoto. Sunt & menti suæ uoluptates, oblectant nos fabellæ festiuæ, dicta acutè, cordatè, falsa & amarulenta responsa. Grauiores etiam capiuntur sententijs magno iudicio exsculptis, uiri probi exemplis uirtutum, studiosi arcanis earum artium, quibus suntediti. Iam res nouę, admirabiles, insolitæ, magnæ, atroces admirationem pariunt, ideo detinent. Nam audiendi horum cupidus est humanus animus curiositate quadam. Et in uarijs atq; incertis casibus pendet ex fine, nec desistit, quoad omnia pernouerit, ut in historijs & fabulis, quæ poëtæ dedita opera consectantur, & qui Milesias scribunt. Denicq; ut corporis sensibus ea sunt iucunda, quæ illorum naturæ sunt conformia, sic animo uniuscuiusq;. Est enim & huic suum palatum, ut corpori. Sunt quidam usq; eò proiectè ac grauiter otiosi, ut quod aliud non habent, quod agant, quiduis loquuntur, quibuscunq; item capiuntur fabulis, sicut puellæ & adolescentes nobiles in comitatibus principum. Istis uerò scribendum potius, quemadmodum tantum boni temporis non tam malè collocent, quàm quomodo teneant audientes oratione. Flagitiola quædam quantopere isti nunquam ponderant, & pro magnis habent sceleribus. Hoc tantum ducunt pro nihilo. Quantum enim uerborum dissolutis animis in otio illo profundunt, quum iudex uiuorum & mortuorum denuntiet, reddituros rationem nos de singulis eorum in die iudicij. Nec intelligo quorsum pertineat, inani uerborum, & sensorum congerie sine fructu aliquo tenere auditorem. Totaq; hæc pars eò uidetur mihi referenda, ut uelit profutura audire iucunditatis specie contecta. Et quoniam oratio hæc tota seruit auditori, nec ullum ab eo præmium petit, nisi ut auscultet, libera est & soluta, quasiq; sui iuris & mancipij, immò uerò exlex, nullam enim habet præscriptam legem in uerbis, & compositione. Et ut nullus est cultus, qui non alicuius oculis allubescat, nullus sapor, qui non cõgruens sibi palatum reperiat. Ita in uerbis nihil est tam absonum, & sordidum, quin placeat permultis. Quare locus est omnibus uerborum generibus, cuiusq; ætatis, conditionis, magnitudinis, omnibus generibus translationum & conformationum. ijs enim qui solam captant uoluptatem aurium, omnia conceduntur, modò placeant, quemadmodum scurris. Videre hoc est in poëtis, quos abscedere à uia communi & trita excusat tum metri necessitas, tum propositum placendi. Raræ atq; inusitatæ uel uoces, uel loquendi formulæ admirabiliorem reddunt sermonem, quemadmodum Aristoteles dicit, ut admirabiliores sunt hospites, quàm ciues. Faciunt ad risum & lusum uerba peruetusta & absurdè composita, ut lumbifragium, uirgiuindemia, qualia sunt multa apud Plautum & Apuleium, & trisecliſenex, dulciloquus, quod de Nestore dixit Neuius. In quo feliciores sunt Græci. Tenet facilè audientem oratio, quæ in aure non offendit tanquam in uestibulo, lenis, mollis, sonora, numerosa, florida, uariegata, succosa, carnosa, arguta, læta. fertur etiam consuta & conferruminata, aliàs quoq; obscura & intricata, quin & uilis & tabernaria. Sed plericq; omnes & diutissimè, & maximè capiuntur naturalibus, ea enim est proportio facultatis animi cum suo obiecto. Acute Cicero: Diffici-

le,inquit,dictu est,quænam causa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt uoluptate, & specie prima acerrimè commouent, ab ijs celerrimè fastidio quodam, & satietate abalienemur,cuius rei exemplum est paratū in unoquoq; sensu,ipsæ etiam uehementes uoluptates magnum sui fastidium relinquunt. Nihil est in uerbis, quod perinde animos nostros illiciat,ut oratio numerosa cōcentu suo, est enim harmonia exterior internæ illi animorum persimilis.Sed in concentu alij alio delectantur,ut sunt in hoc iudicando uaria ingenia & diuersissima, haud aliter ac in corporeis sensibus. Ideoq; tot sunt numerorum rationes excogitatæ à musicis, quot saporum à coquis, colorum à pictoribus,ut nemo sit qui non inueniat quod iuuet.

DE DECORO.

QVæ sint instrumenta, & actiones huius operis, dictum est in superioribus. Porrò actio quæcunq; agens habet, à quo, & patiens, in quod proficiscitur. Istis aptanda sunt instrumenta huius artis. De instrumentis quædam sunt non congruentia agenti, quædam non passo, nonnulla parum conueniunt huic agenti in hoc patiens. Agens est,qui dicit,patiens,qui audit.Caput artis dicunt esse decere,quod facias,atq; id unum esse, quod tradi non possit. Quod non tam est huius artis proprium,quàm uitæ totius. Itaq; prudentiæ est, quæ præceptis contineri nequit, nempe singularum rerum, quæq; spectat res, personas, loca, tempora. Sed præcipua quædam dicemus admonendi gratia,ut ex ijs,quemadmodum tractanda sint cætera,intelligatur.Primum omnium est,ut spectet quisq;, quò tendat, ad quod si una est modò uia, ea est illi necessariò ingrediendum, uidelicet si dicendi ratio soli est materiæ accommodanda, uel soli conditioni dicentis, uel audientis , tempori tantummodo, uel loco , aut simul certis quibusdam. Si multæ sint, gradiendum per commodissimam, sin æquè omnes commodæ, qualibet, aut qua se optimè & facillimè peruenturum confidet,quò destinauit. Quum ergo dicimus, hæc sunt cogitanda omnia, dicens, audiens, locus, tempus & materia, seu res, de quibus dicitur.In his sunt illa omnia,quæ exposita sunt in tractatu probabilitatis, & prima philosophia, quæ infinitos quidem habent anfractus. Verùm nunc recensebimus ea potissimū, quæ ad institutum hoc pertinent, ut in dicente cōsiderentur ætas, professio, seu uitæ genus, dignitas. In ætatis considerationem ueniunt adolescens, iuuenis, uir,senex.Nam pueri non putantur dicere,etsi C.Octauius,qui post fuit Augustus Cæsar,& alij quidam , leguntur laudasse suos pro rostris. sed eas orationes credibile est ab alijs fuisse compositas ad captum illum,& simplicitatem puerilem congruenter. Adolescentem atq; etiam iuuenem non decet grauitas orationis,nec maturitas,iuxta Catonis oraculum,Odi puerulum præcoci sapientia. Itaq; nec conueniet eum sententias ponere magnæ prudentiæ , aut ex philosophiæ penetralibus uel longo rerum usu exsculptas,nec uniuersales,nisi aliquas fortè de aliorum authoritate sumptas, sicuti accepi, sicut audiui à patre,quemadmodum de præceptore,de maioribus natu audiebam,ita est apud Senecam obseruatum,ab Aristotele scriptum,à Paulo,& eiusmodi.Cicero: Extat L.Crassi in eam legem senior,ut ita dicam, quàm ætas illa ferebat, oratio. Non dedecebunt iuuenem uerba antiquaria, quæ arguunt in eo lectionem ueterum authorū,translationes duriusculæ,& petitæ longius,atq; etiam ex periculo, etsi hoc in sententijs uitabitur. Conueniunt uerba grandia, & sonora, ornant cùm omnes orationis conformationes & gratiæ, compositio mollior,& suauior.Subobscura autem,& acuta & subtilis oratio,ingenium patefacit,docta & instructa similitudinibus,atq; exemplis,& memoria antiquitatis , eruditionis est, quam suboſtentare iuuenem non est omnino improbandum. Vehementia & ubertas orationis,tum copia atq; etiam redundantia illius est ætatis, ut superſit unde postea tēpus rescindat. facilius enim erit detrahere de pleno & succulento corpore,quàm maciei,ac ieiunitati addere. Ideoq; genus illud dicēdi Asiaticum adolescentiæ magis esse,quàm senectuti concessum,M.Tullius est author.Plena dictio,& erecta,& audax & præculta iuuenibus est cōcessa,contrà senibus, ut ait Quintilianus , pressum, & mite , & quale intelligi uult Cicero , quum dicit orationem suam canescere , sicut uestibus quoq; non purpura & croco fulgentibus , illa ætas satis apta est.In iuuenibus etiam uberiora paulo,& pene periclitantia feruntur, at in eiusdem siccum,

cum, & ſollicitum, & contractum dicendi propoſitum plerunq; affectione ipſa ſeueritatis inuiſum eſt, quando etiam morum, ſenilis authoritas immatura in adoleſcentibus creditur. Hæc M. Fabius. Pronunciare de rebus, ſenilis eſt experientiæ, tum ſobrietas, & ſanctitas orationis, & ſententiarum pondus, exempla, cùm ſuperioris memoriæ, tum potiſsimum ſuæ. Curſus orationis ſine ſententijs (inquit Cicero) grauitatem in ſcenibus non habet, quia authoritatis habet parum. Poteſt cum ætate coniungi ualetudo, quod ad dicendũ magis pertinet, quàm ad ſcribendũ. Cicero in Bruto: Dicebat Cotta pure ac ſolute, & ut ad infirmitatem laterum, perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad uirium imbecillitatem dicendi accommodabat genus, illudq; maximum, quod quum contentione orationis flectere animos iudicum uix poſſet, tractando tamen impellebat, ut idem facerent à ſe commoti, quod à Sulpitio concitati. In profeſsione & inſtituto uitæ alij curant facienda, ut opifices, alij cõtemplationem ſolam rerum, ut philoſophi: alij actionem uitæ ciuilis, ut magiſtratus. Opificibus cõuenit oratio uulgaris, minime accurata, inculta, ſimplex, naturalis omnino, abſq; artificio, de rebus tamẽ ſuis docta in illo genere. Contemplatio uerba deſiderat recondita, & materiæ ſuæ propria, compoſitionem planam, fuſam, dilucidam, de ueritate magis ſollicitam, quàm de uerbis, orationem ſenſis ſubtilem, quietam, grauem, uirginem, caſtam, uerecundam, ut dicit Tullius, & quem potius ſermonem, quàm orationem nuncupes. Quintiliani de philoſophorũ dictione hæc eſt ſententia: Philoſophiam ex profeſſo, ut quidam faciunt, oſtentantibus, parum decori ſunt pleriq; orationis ornatus, maximeq; ex affectibus, quos illi uitia ducunt, uerba quoq; exquiſitiora, & compoſitio numeroſa, tali propoſito diuerſa. Senecæ autem hæc ſunt uerba, Oratio ſollicita philoſophum non decet, ubi tandem erit conſtans & fortis? ubi periculum ſui faciet, qui timet uerba? Fabianus non erat negligens in oratione, ſed ſecurus. Electa uerba eius ſunt, non captata, nec huius ſeculi more contra naturam ſuam poſita, & inuerſa, ſplendida tamen, quamuis ſumantur de medio. tantum Seneca. Idem alibi, Magnus ille remiſsius loquitur, & ſecurius, quæcunq; dicit, plus habent fidei, quàm curæ. Rectores ciuitatum & uiri politici accuratiores & elimatiores erunt in omnibus, quæ ad uerba, & figuras, & compoſitionẽ attinent, par eſt enim eos melius ac dexterius proprio ſuo inſtrumento uti, quàm reliquos. Nam ſermonem hominum ſocietati ac cœtibus natura eſt largita. Sententiæ magnam uim in oratione habent, tum ob authoritatem, quam dicenti conciliant, qui uniuerſale pronuntiatum uel ex magno uſu rerum, uel ex acuta cõtemplatione, & acri iudicio uidetur exculpſiſſe. Tum quod gaudet unuſquiſq; quum in uniuerſum uidet pronunciari eam opinionem, quam ipſe de rebus aliquot peculiariter habebat, quemadmodum acutè eſt ab Ariſtotele animaduerſum, ut qui moleſtum habet uicinum, ſi is audiat nihil eſſe odioſius moleſto uicino. Quocirca in primis erit conducibile dicentibus diligenter inſpicere, quibus de rebus auditores habent peculiares perſuaſiones. Sunt in uita ciuili gradus dignitatis, qui uel ſimpliciter conſiderantur, uel ex relatione. Qualis eſt ueſtitus in ciuitate diſtinctio, talis ferè orationis, magiſtratuum ueſtes populari ſunt forma, ſed ampliores, & maioris pretij, ita oratio uerbis quidem erit popularis, compoſitione tamen accuratior, grauis, prudens, plena exemplis & ſuę ciuitatis, & aliarum. Principem, & eum qui ſupremam habet poteſtatem, ut auguſtus ille cultus, ac uelut ſacroſanctus, ita oratio decet magnifica, puris & electis uerbis, paucis translationibus, ſed aptis, & petitis è proximo, compoſitione ſublimi, ſolida, ſenſu ſimplici, prudenti, graui, ſedato, nõ copioſa, ſed aſtricta, & paucíloqua, quales ſunt orationes omnes Iouis apud Homerũ, ac Vergilium. In relatione eſt comparatio perſonarum, maior, minor, par in re omni, ſanguine, eruditione, uirtute, ętate, robore, dignitate, rebus geſtis, opibus. Et in his eſt comparatio, quæ res quibus præſtent, uel pares ſint, genus opibus, an contrà. Scientia dignitati, an hæc illi. Tum in reliquis ad eundem modum, in quo uidendum quod ſit eorum iudicium ad quos dicimus. Hæc enim tenenda ſunt, qualia ſunt ab ijs recepta, qui audiunt, niſi quum fortè de praua eorum æſtimatione diſputatur, qui rebus aliena apponunt pretia, ut decus uirtuti debitum ad pecuniam transferant, & in multis ad eundem modum. Maior ad minorem potiſsimum reſpiciet in res, neglectius cætera, ut quum pa

ter dicit ad filium, magister ad discipulum, herus ad seruũ, par ad parem accuratius. Multo uerò & accuratius & officiosius minor ad maiorem, ut uel in ipsa oratione emineat sollicitudo reuerentiæ maiestatis. Oratio modulata & canora, subtilitates, argutiæ & lusus, odiosa sunt hæc omnia uiris grauioribus. Deniq; omnia, quibus uel docere illos uideare, uel procaciter apud eos aut impudenter ludere nullo respectu authoritatis, tametsi facilius condonabunt inferioribus, ut oratione lasciuiant, quàm ut uelut munus sibi ipsi arrogent docendi ipsorum. Deo summo ac præpotenti quid aut quemadmodum loquetur homo? opus authori, mutum ac brutum loquenti, saxum ipsi sapientiæ? quid aliud cogitabimus, quàm illud è psalmo? ut iumentũ factus sum apud te. Quid dicemus aliud, quàm quod Esaias, A a mi Domine nescio loqui. Sed de nostra infantia habemus admonitionẽ diui Pauli rhetoris diuini: Nos, inquit ille, quemadmodum orandum sit nescimus: sed spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram. Mens si oret bona fide, quibuscunq; uerbis est grata. In audiente cõsideranda sunt plura, quoniã ad eum prorsum pertinet oratio, quę non est dicenti parata, sed audienti. Primũ omniũ expendetur ingenium. Acuto ingenio allubescit oratio, quæ multũ audientis intelligentia confidat, duris translationibus, longinquis obscuritate dictionis, acumine, subtilitate, excitãs intentionem, & exercens mentem. Sunt apud quos astrictum & collectum dicendi genus, & singula statim argumenta concludens, plus fidei meretur. Apud hos Stoico & dialecti co disputandi more licebit uti. Alij breuibus quidem dictis mirifice capiuntur, sed acutis, & uenustate quapiã confirmatis. Eius generis sunt multa in Seneca, Lucano, M. Fabio, Plinio Cæcilio, Tacito. Alij orationem requirunt diffusam & ornatam, homines in cõmunione ciuitatis nati, atq; educati. Hebeti apertiora omnia & magis exposita, ut emineant in summa facie, ne quid sit penetrandũ ingenio retuso, alioqui operã & impensam perdideris, ut qui asino pulsat lyrã. Itaq; celeritati ingenij accõmodabimus translationes & sentẽtias e mẽte, aut mẽti proximis rebus ductas, tardo aũt è sensu, aut ijs quæ sunt sensui uicina. Atticorũ, Rhodiorũ, & Asianorũ oratio similis fuit ingenijs suarum gentium, de quibus iam uerba fecimus. Eruditio post ingenium sequitur: in schola acutiora permittuntur, & argutiora omnia, & magis subtilia. Tum color dictionis fertur aridus, ipsaq; oratio strigosa. Calui oratio, inquit Cicero, exquisita & attenuata, doctis & attente audientibus erat illustris, à multitudine aũt & foro, cui nata eloquentia est, deuorabatur. Congruunt ad doctos, & sunt eis gratæ translationes, ac similitudines longinquæ, & reconditę. Allusiones breues, quasiq; puncto signatę ad fabulas, ad historias, ad dicta authorũ, ad carmina, ad sententias celebres & prouerbia, ad apophthegmata. Ad hæc allegorię, ænigmata, & nonnunquã etiam uerba uel antiquaria, uel dextere excogitata & cõpacta. Indoctis aũt obscura illa & recondita magis sunt putida & inepta, quàm iucunda auditu. Ostentatio est illis potius, quàm locutio, nec quisquã delectari aut frui potest, eo quod nõ intelligit, sicut in musica. Itaq; uerba erunt sumpta de medio atq; etiam de fece, & ambagibus utemur, ubi nõ intelligentur simplicia, uel metaphoris indicabitur res, quas metaphoras sumemus à rebus notis. Allusio erit ad sentẽtias, aut prouerbia peruulgata, oratio copiosa & redundans, dilucida, plana, recta. Cõsulitur quoq; audientis memorię. Sunt ingenia quædam adeò angusta, ut longas orationes nec contineant, nec capiãt, breuissimis delectantur colis, & absolutionibus, oderũt diffusa. Sunt quæ capiunt facilè, sed non conseruant. Eiusmodi memoriæ breuibus sententiolis erit opus, & ijs collectis in periodum figuratã, ac numeris concinnã, ut ueluti acutum iaculum adhærescat uocabulis nõ modò in uulgus, sed ipsi quoq; & notis & ualdè usitatis, dispositis rebus omnibus naturali ordine, quem retinere perparui negotij fuerit. Concentus uel carminis, uel rythmi multũ medetur huic uitio. Non onerabimus orationem copia, & uarietate exemplorũ, sed paucis & longis, & uarie repetitis, ut aliquid saltẽ affigatur. Quod uolemus memorię insidere, id nota aliqua insigniemus ad recordationem appositа, ei qui audiet uel admirabili, uel læta admodum, uel tristi, aut inuisa. Sicuti contigisse Ciceroni filio narrat Seneca in suasorijs, quũ subinde de Sestio Pio secum accumbenti quæreret, quis nam esset. Aegris aut ualetudinarijs adhibenda oratio, quę sine ulla molestia delectet, translationes leues, festiuę, sonus dulcis. Oratio breuis & iucunda,

non

non ſubtilis, neq; acuta, nempe de rebus non perinde inuolutis, atq; expoſitis & planis, ut commoueat magis & pertractet, quàm incitet, comis & bene educata, nam irritabiles ſunt omnes, quos aduerſa ualetudo uexat. cernemus quoq; in ætatem auditorũ. Ferè fit, ut qualem quiſq; orationem gaudet dicere, talem etiam audire. Cicero de Quinto Hortenſio: Erant in eo quædam magis uenuſtæ dulcesq; ſententiæ, quàm aut neceſſariç, aut interdum utiles. Non probabantur hæc ſenibus, ſæpe uidebam cùm irridentẽ, tum etiam iraſcentẽ & ſtomachantẽ Philippum, ſed mirabantur adoleſcentes, multitudo mouebatur. Mores in infinitũ abeunt, ut eſt eorũ indiciibilis diuerſitas, nec perſequi oratione poſſumus. Vniuerſalis una eſt formula, uera quidem illa, ſed obſcura admodũ atq; impedita. Capi quenq; oratione ſuis moribus conformi, ſupercilioſi, moroſi, ſuſpicaces, irritabiles blande tractandi, & tanquam molli articulo. Dicendum eſt ad eos circunſpecte, nec uſurpandum figuras ambiguas, quas illi in ſiniſtrã partem poſſint rapere. Apud amicum licent omnia, apud inimicum pauciſsima. Inimicum uoco non quem ipſe oderis, ſed qui te. Nam ſi diligit, etiam ſi tu odiſti, quod tamẽ eſt perrarum, pro amico habebitur, nec aliter apud eum dices, quàm ſi mutuo cuperetis optime. Etſi non omnino confundenda ſigna uoluntatum in uita, nec eſt idem adulari & bene dicere, rhetorica & malitia. Oratio ad inimicum erit cauta, moderata, abſq; ſignificatione infenſi animi, niſi fortè inueharis in eius ſcelera. Habebit ſchemata, quæ ille uel non poſſit torquere in peiorem intellectum, uel ſi torqueat, ſimpliciter dicemus. Ad inuidum detracto omni ornatu & opibus orationis, quoniam inuidia ex inuidioſi creſcit opulentia, unde eſt orta. In oratione ad meticuloſos, & quos nolis terrere, exordiendum unde minima ſit metus ſuſpicio, ut ſi dicas: Narrant contigiſſe in Germania grandes & graues diſputationes, magno metu tenebis ſuſpenſos priuſquam ad ultimum ueneris. Sic dices potius: Diſputationes grandes & graues narrant contigiſſe in Germania. Mores ex educatione, ex aſſuefactione, ex perſuaſionibus naſcuntur. Itaq; hoc loco ſunt genus, ut nobilitas, ignobilitas, patria, conditio uitæ, profeſsio ſiue inſtitutum. Hæc omnia magis ſumunt in rebus orationis diſcrimen, quàm in uerbis. Poſt hæc ſequitur negotiorum conſideratio. Otioſi alendi ſunt oratione leui, plena, illuſtri, erudita, exemplis, prouerbijs, feſtiua, læta. Ad occupatos breuis oratio congruet, aſtricta, pura, elegans, ſana, dilucida, ſubinde excitans, & quæ facilè adhæreat. Cicero: Sententia, inquit, in ſenatu minore adparatu eſt dicenda, ſapiens enim eſt conſilium, multisq; alijs dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenij oſtentationisq; ſuſpicio. Ideoq; inter leges ponit, Quæ in ſenatu agentur, modica ſunto. Cato uerò quum dicendo diem eximebat, non ſenatum reſpiciebat, ſed tempora. Sin res ipſa poſcat, ut longius habeamus dicere, auocandi ſunt & detinendi oratione tereti, leni, ſuccoſa, candida, pellucida, illice, exemplis ab hiſtoria, à fabula depromptis, caſuum uarietate ac nouitate, feſtiua, faceta, interdum quoq; dicaci. Hæc in ipſis perſonis. Spectatur locus uel ex ſe, ut cõſecratus, prophanus, uel ex ijs, qui in illo. In priore differentia ſola eſt diſtinctio uerborum ſiue naturalium, ſiue translatorum, in ſacro enim ijs uerbis eſt parcendum, quibus honorem ſolemus præfari, propterea quod locus eſt peculiariter numini dicatus, illiusq; reuerentiæ omnis debetur puritas & ſanctitas. Neq; enim ulla re perinde Deus colitur ac puritate animorum, unde uerba dimanant. In loco ſunt, quibus dicitur, aut apud quos, ut iudicibus, apud coronam. Loco publico authoritatem detrahit infrequentia, ut ferè priuatum reddat, ſicut frequentia, ex priuato publicum, tanto magis, ſi in eo ſit uel princeps, uel præcipuus magiſtratus. Vt quum Cicero Deiotarum Regem defenderet, in priuato Iulij Cæſaris. Populo competunt propria uocabula, aptæ translationes ex rebus notis, conformationes & figuræ omnis generis. Locus eſt ſonis quibuſcunq;, ſed amplo potiſsimum & canoro, ſæpe etiam grandi, qualem fuiſſe referunt Trachali concionibus uehementer appoſitum. Quod ſi tumultuetur concio, ut in caſtris, uaſtus ſonus conducet, ſicut in armento reuocando. Copia uerborum, & circumductiones plenæ. Oratio ipſa clara, diſerta, obliqua, ſine oſtentatione tamen, ſed deducta ex inſtitutione philoſophiæ, ſublimis, ſana, ſolida, ſententioſa, ſententijs accommodatis ad ingenium & perſuaſionem multitudinis, callida, plena exemplis & dictis uul-

garibus, incitata, ardens, pugnãs, hoc est uidelicet theatrũ, hæc parẽs & nutrix eloquentiæ. Mare hoc iactationes omnes recipit dicẽdi. Alienæ sunt ab eo loco magnæ subtilitates, ieiunitas & ariditas orationis. Redundãs sit illic magis quàm parca. De uitijs in hoc genere Quintiliano credamus ita præcipienti: Falluntur plurimi, qui uitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut uerborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lasciuit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leuiter excutiantur flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existimet populare atq; plausibile. Sic ille. Quum adsunt multi, dispiciendum quibus potissimum ex illis accommodari orationem conueniet, omnibus ne, an aliquibus, & si his, quibus tandem. Sin æquè ad omnes, non tam spectandum quid paucis uel expediat, uel placeat, ut plerisq;, sicuti quum lex fertur, cuius utilitas approbatur, si ad plerosq; pertineat. Priuata & familiaris collocutio simplex debet esse, recta, naturalis, plana, nuda prorsum, modò ne sordida, aut spurca. Deforme est enim quicquid in plano tumet. Cura in ea & cultus ambitiosi sunt, aut arrogantis animi, nec gratiã conciliat, sed uanitatem arguit. Optimum quotidiani sermonis exemplum dedero epistolas Ciceronis ad Atticum, uel Terentij fabulas, nisi quòd is aliqua nonnunquam torquet ob numerum. Sunt quædam tempora in quibus licent, quæ non alijs temporibus, sicut in locis, cuiusmodi sunt ludi publici, lætitia communis alia quibus fas est puriora & sanctiora esse omnia, ut festis & sacratis diebus. Distinguntur tempora ex statu rerũ, ut lugubre tempus in funere, in quo etiam locus comprehenditur, ut domus funeris, ut in carcere, nam & loco non congruere orationem dicimus, pro tempore, & tempori, pro loco. Tempus calamitatis, captiuitatis, sub tyrannide. Prorsum talis habitus orationi congruit, qualis uestibus homini pro statu rerum, ut in rebus tristibus oratio detractis ornamẽtis omnibus, horrida, simplex, fusa, perspicua. Sub tyrannide demissa, & pene seruilis, plena sentẽtijs ex uarietate casuũ, ac fortunæ. Qui campus suppeditat quàm plurimas. De hymnis libertatis ac lætitiæ dicunt illi Babylone captiui, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Est occasio rerum gerendarum, quæ differenda non est longa oratione, nec præfationibus, sed occupanda & retinenda breui, astricta, periodica, sana, ardenti & ualida, & commonefactione adiuuanda, uel contrà, si res non placet, longa est oratione eximenda, Catonis more. Sæpenumero non dicitur, sed scribitur & præsentibus & posteris: tum in tanta diuersitate ingeniorum præstabit, ut se quisq; exhibeat mensuram eorum, quæ proferat, & sibi canat, ac musis, ita facilè placiturus doctis. Sibi ipse aptet orationem, id est, uideat quid ipse in eo de quo dicit argumento, requireret, si diceret alius. Ita non erit operosum scribere, alioqui immensum foret atq; incomprehensibile. Postremò res considerantur, nihil est enim quod in orationem non cadat, à Deo summo ac sempiterno, ad imas rerum, nempe ad saxa & lapides, & ad deos prauorum animorum, metalla. Deus quando omnem excedit humanum captum, nihil possumus de illo aptè dicere, ac proprie, utendũ est uerbis receptis à sanctis uiris. Nam diuina omnia quũ à nobis efferuntur, in limites coarctãtur humani ingenij, etsi crassius ad populum. Paulus enim sapientiam loquitur inter perfectos. Verba usurpabimus recondita, ampla, sublimia, efficaciter uel propria, uel translata, quæ metaphoræ maximis & præstantissimis è rebus deducentur. Similitudines uerò ex omnibus: quod dominũ nostrum fecisse annotamus. Quoniamquidem nihil est cõditum, quod non aliquam similitudinem traxerit cõditoris. Schemata erunt pauca. Sonus sublimis, stabilis, tardus, ut cunctanter & pedepressim uideamur ingredi, non irreuerenter irruere in tanta mysteria. Dicemus solidè, sanè, sapienter, sobriè, castè, grauiter, sanctè. Licebit interim altius ingressis paulo magis se attollere figuris, metaphoris, copia & laxitate orationis, nõ ebriose, sed ueluti instinctu, ut fiat admirabilis & magnifica oratio, non iuueniliter exultans aut ludens, nec cuiusuis est in re tanta γὴθεσιασμός. De cœlis & rerum natura, compositione subhorrida, colore simplici, oratione astricta & ossea, eleganti proprietate uerborum, translationibus aptis & notis, acutè, enucleatè. Interdum etiam quum erit opus, rusticis uocabulis, etsi non rusticane. Nulla enim sunt repudianda uocabula disserentibus de natura rerum, omnia sunt naturæ ipsi æquè munda,

non

non minus fimus, quàm magaritum. Hic uerò uel uerbis eſt locus, quæ poni ſine honoris præfatione non ſolent, quia ſatius eſt proprietati atq; intelligentiæ rerum conſulere, quàm ineptæ cuidam urbanitati, quæ ſtercus profert non ſine pudore, adulterium autem & parricidium fronte libera. Nihil enim debet uideri pudendum dictu, niſi quod auditum alios poteſt peiores reddere. Cæterùm naturæ arcana obſcura ſunt per ſe, quòd ſi tenebræ ad orationem accedant, cui erunt dilucida? In rebus hominum continentur animus primum, hinc corpus, tum externa. Animus & corpus ad naturæ explicationem referuntur, niſi quod res animi comptius dici conuenit, & translationibus frequentioribus, nam proprijs haud perinde abundamus, modò notæ ſint illæ, & quæ plurimum ad intelligentiam rei conferant. Sunt in animo uitia & uirtutes, in illa tanquam contra hoſtes pugnandum, pro his uerò tanquam amiciſſimis. In utroq; opus eſt oratione accurata & neruoſa, acriore tamen aduerſum uitia, quàm pro uirtutibus, ut maiore ui eſt opus ad reuellenda mala quàm ad bona inducenda. Deſideras, inquit Seneca, contra uitia aliquid aſpere dici, contra pericula animoſe, contra fortunam ſuperbe, contra ambitionem contumelioſe, uolo luxuriam obiurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi. ſic ille. Itaq; in uitia orationem uelut telum uibrabimus, contortam, aſperam, lacertoſam, quandoq; etiam ebriam atq; ineducatam ex indignatione, ac zelo, ut in uetere Græcorum comœdia, & quæ huic affinis eſt, noſtra Satyra, in qua nec ſpurcis uerbis abſtinetur, dum non pudet poëtam dicere, quæ homines ſceleſtos nõ pudet facere. Minus meminit ſui, & eorum, ad quos dicit Cicero in inuectiuis, quàm in alijs orationibus. Tametſi habenda eſt ſui & audientium ratio, ſicut idem in Salluſtiũ dicit. Finem dicendi P. C. faciam, ſæpe enim grauius uidi offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia apertè dixerunt, quàm eos, qui commiſerunt. Hæc quidem, non quum caſtigantur uitia, ut malos emendemus, ſed quum inuehimur in aduerſarium. Nam correctioni cõpetit grauitas orationis, & moderatio, & ea omnia per quæ authoritas uel paratur, uel conſeruatur. De uirtute quũ damus præcepta, oratio talis erit, qualis ſanctæ matronæ cultus, ſimplex, purus, integer, grauis, ſatis habens uirium. Ariſtoteli non placet in rebus morum, & ubi ſententiç grauitatem oportet ineſſe, adhiberi comptam orationem, quæ ſenſus, inquit, egregios opprimit, ſicut matronæ authoritas cultu immodico diminuitur. Inſtruetur exemplorum, prouerbiorum, ſententiarum copia. Ideoq; Anneus Seneca, qui de moribus diſſerens, crebras ſententias infarcit, non tantopere mihi improbatur, ut Marco Fabio, niſi quod ut ſint ex illis quædam, quibus dici nihil poteſt ualidius aut ſolidius, ita ſunt aliæ non tam firmæ, quàm argutæ & concinnæ. Haud equidem negauerim, quin præſtaret aliquid umbris dari etiam in eo genere diſſertionis, etſi minus, quàm in alijs. In externis rebus, de ijs quæ creduntur eſſe magni momenti, ſublimiter dicemus, ſplendidè, copioſè, ornatè, illuſtribus & magnificis ſententijs, exemplis rerum magnarum, ut de republica, & ſicuti quidam rentur, de bello & uictoria. De paruis autem propriè, tenuiter, ſubtiliter, acutè, cultu ac compoſitione neglectiore, exẽplis paucis, atq; his humilibus, & petitis de proximo. Meritoq; Martialis poëta epigrammate illum inceſsit, qui acturus de tribus capellis, Cannas & Annibalem citabat. Quod eſt ex ſocco in cothurnum tranſire, & excitare fluctus in ſympulo. Quàm indecorum eſt, inquit Cicero, de ſtillicidijs quum apud unum iudicem dicas, ampliſsimis uerbis & locis uti communibus, de maieſtate uerò populi Romani ſummiſſe & ſubtiliter. Sententia quæ γνώμη eſt Græcis, non inſerenda, niſi in re graui, aut dubia, uel obſcura, uel præter opinionem. Sordent enim ſententiæ non ſuo loco poſitæ, & ſicut intempeſtiuum omne, moleſtæ ſunt. Verùm enimuero illud plurimi refert, quid cuius perſona dicatur, noſtra an aliena. Sunt enim multa quæ à nobis noſtro nomine & perſona dici expedit, ſicut non pauca alieno nomine, quemadmodum etiam in cauſis forenſibus. Quintilianus in potione ueneni iuuenem dicentem facit pro ſe, quod melius ipſe erat explicaturus, quid ſentiret, & facturus ueneficç inuidiam, nec quiſquã perinde eſt alienarum affectionum fidus interpres, ut ſuarum. Puellam uerò per patronum defendit, id enim cõuenire uidebatur puellari uerecũdiæ, & reatus perturbationi, tum diſputationi de abſtruſis rebus, & illi inſuetis atq; incognitis. Reprehendi ſenem

aut uirum grauem non decet à iuuene, præceptorem à discipulo, patrem à filio, admoneri à nobis eum in quem non credamur esse amico animo. Inducitur aliena persona hæc aut hæc de illo dici, aut in illo desiderari, ab his aut illis, siue suppresso nomine, seu edito. Cuius quicq; persona dicetur, ei erunt aptanda omnia, non nobis, perinde prorsum atq; ipse idem diceret, ut fiat uerisimile, sic eum nec aliter fuisse dicturum. Neq; uerò tam spectabimus quid eum, quem loquentem facimus, deceat, ut personam, quàm nos ei imponimus. Inducuntur senes loquaces, parum eos decet, sed certè tales sunt quidam. Profertur senex luxuriosus, frugi meretrix, leno probus & sapiens, tales ipsi non sunt, at nos facimus. Cato senior nitidius atq; elegantius apud Ciceronem disserit de senectute, quàm in suis ipsius operibus, uidelicet fingitur excultus Græcis literis. Id uerò quatenus possimus, præstandum. Nam Ciceronis dictionem quis exprimat facilè, sed copiosiorem atq; illustriorem ei tribuemus, quàm cæteris. Sunt qui personas loquentes introducunt sua quenq; non lingua modò, sed etiam dialecto, ut Lucianus sophista in auctione uitarum, quod promptum esset facere in ijs linguis, quæ dialectos habent uarias, ut fuit olim Græca, & nunc uulgares omnes nationatim. In Latina ægrè fieret, nisi fortè ex distinctione ætatum. Accedit huc quod ea diligentia iocularis est, ut in fabulis. Nam Plato, Cicero, & alij non id obseruant, sed omnibus eadem uerba, & eundem sermonem attribuunt. Porrò non hominibus tantum damus sermonem, sed rebus mutis, rebus etiam prorsum confictis, ut patriæ, paupertati, & eiusmodi, quæ fictio personę prosopopœia uerbo Græco nominatur, prior illa propriè est ethopœia. Si persona noua infertur, fingere eam licebit qualem collubuerit, sin uetus, qualem accepimus, iuxta præceptum Horatij in arte poëtica: qui enim finxit primus, uelut ius in ea antecepit, & legem statuit sequentibus. Vnicuiq; sermo est dandus naturæ ac ingenio suo conformis, tum habitui, quem illi affingimus. Aliter enim patria loquetur læta & libera, quàm tristis, & oppressa seruitute. Prorsus magnum est decorum hoc tenere, multis oculis prudentiæ est opus, quæ omnia circunspicit. Quippe sunt hæc miscenda inter se & conferenda, ut eum quisque occupet locum quem oportet, ut cui plurimum tribuendum sit, cui parum, uelut si dicat adolescens apud senes de re publica aut familiari, loco celebri, quorsum potissimum diriget oculos, & quid primas quasi partes obtinebit in oratione dicens an audiens, locus ne an materia? quid secundas, quid tertias? & ita temperantur hæc, ut minus indulgendum personæ adolescentis, quum dicit apud senes, quàm si simpliciter, minus de republica, quàm de studijs suis. In applicatione actionis huius dicendi primum est, ut patiens non refugiat actionem, quod accidit, dum is attentionem suam auertit à dicente. Auertitur porrò attentio re quapiam uel foris impediente, uel intrinsecus, uidelicet quoniam aliquid adest interturbans, aut deest adiuuans. Prius tollendum, posterius inferendum. Quòd si foris aliquid perstrepat, huic rei non est oratoris medicari. Intus uerò intelligentia est uel occupata alijs cogitationibus, uel auersa à dicente, aut ab oratione ipsa propter res eius, aut uerba. Antequam ad opus ipsum, aut operis præparationem aliquam, & quasi proludium accedamus, implorandum est auxilium numinis, sine quo nihil omnino fit rectè. Quod etiam Plato philosophus prophanus assecutus est, & alij de gentibus. Ea nanque sunt ueterum exordia, quos simplicius docuerat natura, quàm posteriores malitia. Prisci oratores, inquit Valerius Maximus, ab Ioue Optimo Maximo bene orsi sunt. Et Vergilius in undecimo: Præfatus diuos solio rex infit ab alto. Quo loco Seruius Honoratus, more inquit antiquo: nam maiores nullam orationem nisi inuocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi. Nam generale caput in omnibus legimus. Cicero per irrisionẽ ait in Diuinatione contra Quintum Cæcilium: Si quid ex uetere aliqua oratione Iouem ego optimum maximum. Sequentem ætatem puduit religionis, assentationis non puduit: ergo quod intulerat natura, abstulere flagitia. Itaque etiam si mos non sit, uos facietis usu. inuocate Deum ex animo ac bona fide, ille & uobis, & auditoribus aderit. Quòd si non expediat orationi, & res qua de agitur mediocris sit, malitis rei facere iacturam, quàm cœlestis opis. Sin uerò magna, inuocate breuibus, uel certè intra uos, si aperta imploratione læ-

ne lęsuri estis causam. Cæterùm attentio reuocatur, uel modulatissima oratione & harmonia, quæ animos ad se rapit, uel statim initio ostensione rei, quam uel cũ ingenti sint delectatione, uel certe libenter audituri, propter festiuitatem, nouitatẽ, magnitudinem, aut necesse sit audiri, utpote quæ ad utilitates pertineat quærendas, uel damna euitanda, siue eorum ipsorum, siue amicorum uel contrà inimicorum, & eorum quos ipsi lesos uelint. Cernere conuenit quibus rebus plurimum auditores tribuant, ita ut maius operæprecium ducant de ijs audire, quàm in quibus sint occupati. Hæc uel pollicebimur facturos nos, uel ilico ostendemus re ipsa facere, uel quasi gustus exhibebiẽ, ut id facilè possit intelligi ac credi. Occupat quandoq; attentio admiratione, quæ de re noua atq; inusitata existit, cuius dum causam inquirit, ac uestigat, minus animaduertit. Est admiratio eiusmodi ex dicente, ijs ad quos dicit, & qua de re dicit. Quod non solitus dicere, ut in Cicerone pro Sexto Roscio. Ad non solitos, ut in Alexandro irato Macedonibus ad Persas, apud Curtium de re non solita, ut quum Cicero consuetus multos defendere, neminem lędere, accusat Verrem. Accedunt his locus, tempus, modus. Loco, ut pro Rege Deiotaro. loci qualitate & habitu, ut pro Milone. modus in dicente, ut si dicat neglectius solito, si accuratius, si altius, si celerius & perturbatius, denique per omnia quæ explicata sunt in sedibus probabilitatis. Admiratio hæc initio protinus, causa reddita eximenda, nisi fortè ea ipsa attentionem pararet. Tum enim differenda est eius dilutio, ut siquis ob indignitatem facinoris quiritans & uociferans sese proriueret in publicum: eiusmodi enim admiratio, & quasi animorum suspensio attentos eos continet, quales esse desinũt re cognita. Auertitur attentio uel suapte sponte, ut in segnibus, & qui animo sunt uel peregrinante, uel plerunq; aliud agente. Hi sunt ad attentionẽ reuocandi, modò ex dicente, quod sit charus cum sollicitudine, quod eum reuereamur, uel metuamus, nam affectus hi stimulant animum cessantem. Ex oratione autem auertitur, quod nõ tanti esse ducat eam audire. Nos contrà declarabimus, si audiant magnam eos capturos uel uoluptatem uel utilitatem, aut contrarium, si nolint audire. Iam quod res tametsi illis perexigua, quibusdam tamen est maxima, qui eis esse curæ debeant. Vt apud Quintilianũ, In opibus pauperis unum oro, ne cui minor dignitate uestra uideatur causa litis meæ, ante omnia enim non debetis spectare, ut pauper magna perdiderim, sed quantulum est, quod abstulerit mihi diues, minus est quod reliquit. Pungendi sunt nonnunquam uel reprehensione, uel uituperatione. Interrogatio quoque ipsius, dubitatio, conuersio, attentionem exacuunt. Ad hæc correctio & selectio unius, & comparatio, erigit enim sese animus ut consideret, quid tandem sit illud tantum, præ quo reliqua sint parua. Est etiam è lassitudine auersio, quod uel audiendo, uel aliud agendo sint defessi, ut nolint omnino aures præbere. Reparandi ac renouandi sunt breuitatis spe, uel quemadmodum in conuiuijs, suaui aliquo cibo uelut fabella, sicuti apud Demosthenem de umbra asini, aut concentu & modulatione dictionis interdum subaustera, quę uellicet iacentẽ stomachum, sicut reprehensiuncula, ut dixi. Et quoniam sę penumero reputatio laboris, plus quàm labor ipse defatigat, auocanda est audientis cogitatio in res alias, ne uacet ei laborẽ suum expendere. Iuuabit item demonstrare, quàm exiguus sit labor, quem illi pro magno habebant. Prosunt hoc loco preces, cohortationes, excitationes spei, ut qui tam multũ tulerint, perferant id pusillum, quod restat. Affectus omnis quum inualuit, tollit attentionem, remissus quoq; sollicitat atq; impedit: est enim mentis nebula. Sed affectus alij ex transuerso incurrunt, alij pugnant recta acie contra nos. Qui stant à nobis, fouendi. Incurrunt autem, ut si audientes sint in lætitia, in amore, in odio aliarũ rerũ q; uel nostrarũ, uel nostri. Hi si à principio interpellant attentionẽ, repellendi ac retundendi obiecta re alia uel utilitatis, uel damni paris, de qua nos simus dicturi, ut interea quiescãt, dum audientiã poscimus. uel molliter & blandè sedandi ac mitigandi sunt, ut uelut pausam quandã dent animo, & sinant alias res agere, ut immanes bestiæ blanditijs nostris naturæ suæ rigorẽ intermittũt. Ex ijs qui cõtrà nos præliant, sunt quidã mansueti, qui medentis manũ nõ refugiãt, ut spes lucri in homine mini me auaro, fauor nostri inimici re quapiã conciliatus leuicula. Quidã uerò degeneres, ut metus & contemptus sui, alij præferoces ac prærapidi, ut odium, ira, indignatio, inui-

dentia. Primi possunt curari adhibita medicina. Secundi si causam ex animo subtrahas, & declares moueri eos umbris, timendiq; nullam esse causam, sicut pro Milone. uel contemnendi nostri, ut si existimemur imperiti aut inopes. Tum enim licebit patefacere, quãtum in eiusmodi re positum sit à nobis operæ, ubi, sub quibus præceptoribus, & alia in eum modum, omnisq; ruditatis fugiẽda suspicio. Qui sunt tertij generis affectus, quasi cauda apprehendemus, oblique enim sunt à nobis inuadendi, qui uel in dicentem sustulerunt se, uel in rem ipsam. Principio significationem omnem uitabimus eorum uitiorum, quæ auditores potissimum detestantur. Oderunt ferè homines superbiam & contemptum sui ipsorum. comitate & summissione sui, quum est opus, odium arrogantiæ diluitur. Beneuolentia, ut est in Mimo, elici potest, extorqueri non potest. Itaque captanda est uel professione, si testificemur illos à nobis diligi, quæ ratio tenuissima est, & parum admodum ualida. illa potior, si doceamus, quæ dederimus experimenta nostræ erga illos uoluntatis, tum etiam si habeamur uiri boni, quæ opinio coniuncta est naturaliter cum opinione bonę uoluntatis aduersum nos, & uice uersa, quippe & eos, à quibus diligimur, fungi arbitramur debito officio, qui amẽt dignos, ac proinde bonos esse. Qui uerò sint boni, eos indubie non defuturos officio censemus, id est, ut bonos diligãt, qualem se quisq; esse autumat. Amoris manifesta signa sunt, si quid pro ijs, qui audiũt, fecerimus, aut pro ijs, qui illis sint chari, si dixerimus, si conati simus, aut omnino uoluerimus, si quid nostri pro illis fecerint, ut nos tanquam nostrum beneficium uelimus conseruatum, qua ratione uendítant se nobiles, & egregijs parentibus prognati, uicissimq; ab auditoribus fauorem reposcunt maioribus suis debitum. Commemoratione etiam beneficiorũ, si qua sint ab auditoribus profecta in nos, conciliatur beneuolentia. Gratos enim nos esse iudicant, qui meminerimus, quod est Ciceroni frequens ad Pop. Romanũ, idq; eo est potentius, si nos rebus ipsis gratos sint experti, uel erga se, uel erga alios. tales enim sperant post hac futuros nos erga se, quales antea, uel in alios. Adde quod natura ita fert, ut amemus, quos affecimus beneficijs, tanquam opus nostrum. Cæterùm quæ sunt attentionis & beneuolentiæ, ea uerò non sunt loci huius, sed tractationis de anima. Nos quasi exempli gratia hæc attigimus, quo alia intelligantur melius. Aduersus rem ipsam bene affecti sunt quidam, sed ita ut cõtrà dicentem non recusent audire, alij ut nolint, & mirentur atq; auersentur impudentiam eius, qui in oppositum tendat loqui. Prioribus satis sit nostram fiduciam declarare, & spem confutationis inimici. Ad alteros opus est tacito quodam ingressu & occulto, ut à principio non facilè quid agatur intelligant. Irrepimus tacitè in rem, uel recta, quum altius repetitis principijs prius quàm sentiat auditor, quorsum euasurus sis, subruisti fundamenta rei contrariæ, & stabiliuisti tuæ. Deduxisti enim eum, unde iam retrocedere non potest, & ostendisti uerum esse aut ueri símile, quod minime rebatur, quomodo aduersus profanos de nostra pietate potest disputari. Vel ex transuerso subimus, quum similitudine aut collatione absurdioris, aut peioris patefacimus uel bonam esse nostram causam, uel minus malam, quàm pro opinione. Est quum nos ipsi fatemur rem nostram, uel malam esse, uel absurdam, sed ineſse in ea quod minus sit malum, id nos à peiore selecturos, ne in tota fallantur, qui non falluntur in parte, néue uniuersam damnent sine discrimine. Minus dicturos, aut aliter, aut de alijs rebus quàm expectent. In quo quæritur dicenti beneuolentia, ut bono uiro, & authoritas, ut prudenti, quę duę res multum ad leniendam rem inuisam conferunt. Nacto beneuolentiam & fidem licebit apertè ac simpliciter ostendere scire se, quid illis expediat, & id curare, quid in re uel ueri sit, uel boni. Falli eos censura sua, id se patefacturum continuo, dent se modò attentos, & uelint doceri. qua ratione Cicero usus est de lege Agraria Publij Rulli. Adductio hæc audientis, ut sese actioni præbeat eius finis, quem destinasti, procœmium dicitur. Quod ante actionem quidem ipsam ponitur, sed actioni coniunctum est, ut uestibulum ædibus, etsi alia sunt alijs disiunctiora. Surreptio illa, insinuatio nuncupatur. Quum uerò minime est præparatione hac opus, nihil impediet, quin ab actione ipsa liceat exordiri, etsi propè semper aliquid assumi solet uice procœmij, siue ut magis attendat, qui audit, siue ad faciliorem effectum operis, nempe ut citius persuadeamus, aut

docea-

doceamus apertius, ornat quoq; orationem longiusculam præsertim, aliquid ei præfationis loco præponi. Simplicitas dictionis maxime congruit procœmijs, ut statim initio sine suspicione doli admittaris in animos, ne à primo affectum aliquem aduersum te excites tanquam obicem totius laboris. Itaq; oratio non erit in eo sublimis, nec prænitida, non calamistrata, non rotunda & contorta, sed fusa membris, & absolutionibus longioribus, non arguta nec subtilis, nisi fortè contraria existimatione laboremus. Erit lenis, coagmentata, fluens, continua. Idq; potissimum in prefationibus librorum de historia, uel parte aliqua philosophiæ. Sequitur actio. In qua sicuti uidemus à natura fieri, & ab omni arte, repellimus incommoda, operamur in commodis. Sic in purgatione metallorum, in concoctione animantium, in dolatione ligni ad statuam uel arcam. Sunt in actione impedimenta, uel ab audientibus, uel à rebus. Ab audientibus in attentione, in ingenio, in affectibus. Nam quæ in procœmio efficienda diximus, ut auditor libenter audiat, ea sunt per totam orationem conseruanda. A rebus est, quum res aliæ cum nostris ita repugnant, ut inferiores uideantur nostræ. De attentione modò sumus loquuti. Ingenium uel non capit res, uel uerba. Si res, quia nescit quid uersetur in causa, breuiter narrandum, ut fiant dociles. Hinc apud Ciceronem cernere est expositiones factas in secundis, in tertijs actionibus, quum pro eodem Hortensius, & alij dixissent, ut si quis prioribus actionibus non adfuisset, intelligeret nihilominus qua de re ageretur, quam in partem non referendum decurrentes contexto nitore circuitus, ut ait Quintilianus, sed astricta & soluta subtilitate, & aceruum membrorum separatorum, quoq; partem rerum dicendarum includat. Vno interdum membro constat absolutio, ut ueneficij agimus, malè tractationis ago. Si non capit materiam aut uerba, planè ac dilucidè dicendum, & illius captui accommodanda omnia, si in eo uniuersa res uoluitur. Affectus excitandi sunt nostri, mitigandi uel alieni, uel contrarij, quandoq; etiam nostri, quum expediat nos intelligi, aut iudicari acutè, quæ dicimus. Mitigatos alienos non exulcerabimus, nec dicemus aliquid, quo uelut admonitu rursum excitentur. Affectus uel incurrunt, uel recta fronte in nos consistunt. Qui incurrunt amouendi, & deducendus sensim ab eis auditor, nec excitandi unquam, sed ut firmius quiescant, subijciemus alios pro eis, quo clauus clauo retundatur. Pugnant alij uel in nos, uel in rem. Atroces sunt, & maxime damnosi qui in nos: quocirca danda opera tota oratione, ne ulla in nobis existat species uel mali uiri, uel stulti, uel inimici. Mali ut crudelis, inhumani, arrogantis, sceleroſi, non functi officio. Stulti, ne quid faciamus aut dicamus, quod irrideri possit. Inimici, ne odisse, aut contempsisse, aut læsisse uideamur audientes, aut eorum amicos. Nam etiam censores quum notas inurunt, id se in illorum gratiam dicunt facere, ut minus deinceps sint mali. Itaq; amici affectant existimari, uel quum lædunt. eadem est legũ mens, quæ in ciues suos paterno sunt affectu. Quapropter tollenda est omnino affectionis causa, & subijcienda contraria. In rem præliantur, quum eam aduersus suas, amicorum uoluptates uel utilitates credunt stare, quo loco planum faciendum est non ita esse, si possis, aut irrependum per cuniculos, de quo in insinuatione disseruimus. Vel dicendum figurate, nam aperta oratio in causis eiusmodi, plurimum habet inuidiæ. Res inter se confligunt, quum in contrarium dixit alius uel dicturus est, uel auditor diuersum sentit, aut est sensurus. Repellenda est cõtraria ratio, & nostra confirmanda, utrunq; eò est loci exequendum, quo plurimum & prosit nobis, & obsit aduersario. Qua in re ordo aptus plurimum affert momenti ad uictoriã, sicut acies in prælio rectè, atq; ut opus est disposita. Argumentorum ordo uel naturalis est uel ad auditoris rationem refertur. Naturale est, ut prius fulciat sequens, quod fit in probationibus mathematicis, ut decimum pendeat ex nouem prioribus, uicesimum ex undeuiginti præcedentibus. Ad hoc ordinis est naturalis, ut sublatis quæ obsint, stabiliamus nostra, hoc est, ut contraria refutemus prius, hinc ponamus, quæ ipsi sentimus, quem uidemus fuisse morem Aristotelis, qui à nobis tenendus est ubiq;, quum ex depulsione aduersorum multum accedit uiriũ nostræ causæ, ut illis reiectis appareat id solum restare, quod nos affirmamus. Auditor uel persuasus est, & leues probatiunculas respuit, tum maximum & fortissimum quodq; proponendum, ut contraria nobis persuasio flaccescat, &

incipiat se facilem præbere ijs, quæ restant. Idem faciemus, si quid habemus adeò potens, quo facto, funditus euertantur contraria, nempe quum tale est, ut ægrè possint recipi contraria post illud. Quod si auditor uel persuasus non est in oppositum, uel sedatè rationes expectat, & perfert, quum nostra argumenta lumen secum adferent, & ad se illustrandum & obscurandum opposita, ponemus priori loco. Sin aliter, leuiora dicemus per gradus, ut grauiora semper subsequantur. Quandoq; sparsim dimicamus collatis argumẽtis, quum fiducia est nos facilè per singula futuros superiores. Interdum sicut in ædificio leuia adiungimus fortioribus, & minora argumenta maioribus applicamus tanquam fulcimentis, uel quemadmodum in bello prima & postrema facimus munitissima, imbellem uerò turbam cum impedimentis in mediũ recipimus. Sed siue res ipsas, siue auditorem spectes, ordo est ferè naturæ tenendus in collocatione argumentorũ, ut quod præponitur, uires addat sequẽtibus, quod aũt differtur, ideo afferatur, ut per priora robur accipiat. Optimus omnium est ordo mathematicus, quem, quantum licebit, imitabimur. Nullum est prætermittendum argumentum, quod prodesse possit causæ. Nam non rarò quæ nobis uidentur leuia & quasi superuacanea, multorum ingenijs sunt fortissima, ponantur modò suo loco, id est, ut non ostentemus, tanquam ijs fidamus plurimũ, sed potius adducamus pro numero, quàm pro robore, nisi fortè adeò leuia sint & minuta, ut remoueri sit satius, ne oratio nimis excrescat, aut redundans sit tanta copia & fastidienda, uel leuitate rationũ uilescat & contemnatur. Cauendum est à cõmunibus argumentis, quæ tam ab aduersarijs stant, quàm à nobis. Tum ab ijs quæ prima facie stant à nobis, sed paululum excussa aduersarios magis adiuuant, & in nos ipsos retorquentur, itaq; sauciamur nostris ipsorum telis, ab illis quoq;, quæ cum dicto aliquo, uel dicendo pugnant. Quæ non dabitur uiribus prosternere, obruamus numero. Porrò hæc omnia frustra erunt à nobis elaborata, si obliuiscatur auditor. Id si uereare, subijcienda erit collectio quædam capitũ, quę idcirco recapitulatio nominatur, à Græcis uerò epilogus, uel rectus, si non offenditur, & apertus, hæc & illa esse dicta. uel si metuas, ne sis odiosus aut ineptus, tanquam parum illius memoriç confisus, oblique erit uadendum schemate aliquo, quasi aliud uidearis agere, idq; multo plus habet gratiæ. In ijs quæ scribuntur, breuiores sufficiunt epilogi, ac uelut puncta quædam ad monendam memoriam. Longiores congruunt orationibus, quæ habentur ad populum potissimum rudem atq; obliuiosum. Si nihil sit opus epilogo, illud tamen discedens repete, quod maxime cupias auditoris animo manere infixum, siue persuasionẽ rei cuiuspiam, siue animi motum, aut quietem. Breuibus sententijs atq; absolutionibus concludendi sunt epilogi, numerosa compositione, & concinna, ut tenacius adhæreant memoriæ, optima quæq;, & potissima subijci conueniet, omissis leuibus, cum his discedit auditor, ea maxime recordatur ac recolit. Ergo hunc in modum uenies ad dicendum.

Primum omnium proponendus est mente ac cogitatione finis, quem uelis attingere, qui unus est, aut multi. Si multi, aut per se quisq;, aut unus est præcipuus, alij alijs subduntur, & reliqui propter illum. Ad finem extremum referenda omnia. Si sint pares, unusquisq; per se tractatur. Summa rerum uniuersa est colligenda animo, in ea dispiciendum, quæ prosint, quæ obsint. Tum si quid ex patiente obstet actioni, id amouendum non initio tantum, sed in quacunq; orationis parte obsistat. Qua de re in causis ciuilibus tot uidemus procœmia medijs orationibus, & in carminibus tot inuocationes medio opere, quæ sunt illis procœmiorum uice: nam attentionem & beneuolentiam pariunt. Tum aduersæ probationes profligandæ, si ualeas, sin secus, cautè deuitandæ, uel nostræ confirmandæ eò loci, ubi permultum uirium obtineat, ut in pugna ac ædificio. Sciamusq; magnum momentum positum esse in ordine. Nam alia alijs lucem ac robur adferunt, uel rursum impedimentum ac tenebras, prout sunt uariè posita. Procœmium, quod in opere primum locum occupat, ultimum est cogitandum: quippe quod ex dicendis nasci debet, ut rami prius cernuntur quàm radix, qui tamen nascuntur ex radice. Neq; uerò partes istæ distant locis, sed functionibus ac effectibus. Procœmium est enim quicquid ante rem ad attentionem, aut fidem dicitur. Quare non rarò etiam in decursu procœmiamur, & argumentamur in initio. & insinuationis non solum in principio

cipio eſt uſus, ſed per totam orationem, non in proœmijs modò, ſed in argumentationibus: quum quid ſumus uel abſonum dicturi, uel infenſum, uel parũ ueriſimile. Sunt autem mollitiones quædam rei duræ aut infeſtæ, proœmijs nõ abſimiles, quæ ſubijcium tur poſt rem, quas nominemus ſanè mitigationes, ut quum dicta excuſamus, etſi quam fecimus plagam, fomentis lenimus. His acedunt egreſsiones quædam, quæ uel propter rem quæruntur, uel propter auditorem, nempe ut res percipiatur, aut credatur facilius, ut libentem auditorem diutius detineat. Hæ quatuor ſunt formarum, nam uel repetuntur, uel producuntur, uel deriuantur, uel annectuntur. Repetuntur, quum altius rem deducimus, quàm pro materia deſtinata, ut ſi diſputaturus de liberalitate, dicat prius quo fœdere genus humanum eſt inter ſe à natura deuinctum. Quantũ eſt alios alijs bene cupere, tum bene facere, hinc quanto plus ea re diſtribuenda quam quiſq; arctè complectatur, & poſsidere cupiat, cuius generis eſt pecunia. Producitur autem quum longius extenditur, quàm eſt neceſſe ducente ſemper filo, quod ſemel apprehendimus, ut ſi in eodem liberalitatis argumento poſtquam de eo diſſeruerit, adijciat: Si tantum & tam pulchrum exiſtimatur pecuniam impendere, quia charam, quid ſanguinem, quid uitam? & de eo quoq; diſputet. tum ad beneficia ſeruatoris noſtri Chriſti Ieſu tranſeat. Tales digreſsiones ſunt apud Vergilium in fine cuiuſque uoluminis Georgicorum. Deriuatur, quum ex occaſione uerbi alicuius aut dicti ad res alias digredimur: Admonet me Cypriani facta mentio, ut morem uobis referam martyrum noſtræ religionis. Annectitur, uel aſſuitur, quum planè extra rem infertur, quæ rei applicetur, uelut ſi pueritiam uerno tempori facias ſimilem, & adiungas optimum docendi genus eſſe per ſimilitudines & imagines, quæ de rebus notis ſumantur. Prouidendum eſt ſemper, ut digreſſus uiam tibi proſpicias, qua redeas domum facilè, & commodè, ne per ſaxa & præcipitia, niſi fortè digreſsionem propter ipſam eandem quæſieris. quod fit in dialogis, qui orſi à prandio uel amœnitate loci, in quo conſidunt, delabuntur ad tractationẽ naturę rerum, uel morum animi humani, aut aliquid magnum & amplum, ex tam arcto atq; humili initio. aut ſi nihil ſtatueris addere digreſsioni, qualis eſt quum producitur. Vtilis eſt egreſsio ad docendum, ad perſuadendum, ad detinendum, adde etiam ad inſinuationem.

IO. LODOVICI VIVIS DE RATIONE DICENDI LIBER III.

EXPOSVI generaliter duobus uoluminibus quid de dicendi ratione ſentirem, quæ accommodari ad ſingulorum argumentorum formulas facilè poterũt. Nunc de docendi partibus ſpeciatim diſſeram, quorum præcepta rara quidem ſunt apud ſcriptores, & tamen cùm primis neceſſaria. Docemus ignorata. Ignorantia autem omnis uel de rebus eſt, uel de uerbis. Rerum aliæ exiſtunt cunctæ, ut homo, aut uidentur exiſtere, ut fluuius. & temporis qualitates, ut hyems, æſtas. Prætereo hic accuratiorem illam philoſophiæ inquiſitionem de perpetuo fluxu materię in uiuentibus. ad uulgarem ſenſum loquimur, & quaſi ad populare trutinam noſtra expendimus, quod eſt huic tractationi congruentius. Alię rerum fluunt penitus, uelut tempus, motus, & ea quæ ſunt motus omnia. Quũ res fluxæ explicanẽ præteritę, aut futuræ, aut quaſi tales, narratio nominatur, quę in multas diducitur ſpecies. Quũ fixæ aut tanq; exiſtẽtes, deſcriptio eſt, ſicut domus, æſtatis, hyemis, ueris, nam ea ex quoq; deſcribuntur tẽpore, quę cõſiſtunt, nempe habitus & facies tẽporis, in campo, cœlo, hominibus, tametſi cõfunduntur hæc crebrò, & deſcribi dicuntur, quæ narrantur, ſicut è diuerſo narrari quę deſcribuntur. Sic Ariſtoteles hiſtoriam animalium, opus illud ſuum uocat, & Theophraſtus hiſtoriam plantarum, & Plinius hiſtoriam naturæ. Docentur etiam non quæ acta ſint, aut quæ a-

genda, sed quomodo quid agendum, quod pertinet ad præcepta artium. De his tribus faciamus iam uerba, hinc de expositione uerborum. Nam quo percipiantur commodius, narrationem à descriptione separabimus, ut sit descriptio quasi pictura in tabella expressa. Narratio uerò rerum aliarum post alias prolatio ac ostensio, quemadmodum se aperiunt ei, qui iter facit in rheda, aut lectica, auersa facie, is enim ea solum cernit, quæ prætereunt, sed neq; est alia intuendi ratio in hac uita, in qua transacta respicimus, non prospicimus futura, aspicimus autem præsentia tenuiter & maligne.

DESCRIPTIO.

ERgo de descriptione dicemus primum, quæ simplicior est, & sæpe in narrationem incurrit. Finis eius est aliquid animo intuendũ proponere, quod quũ fit adeò exactè, ut prope oculis uideamur id cernere, perspicuitas seu euidentia nuncupatur, à Græcis energia, ut nihil sit perspicuitas aliud, quàm euidentissima descriptio, in quam ceu in rem præsentem adducitur, qui audit, & quemadmodum Quintilianus de quadam Ciceronis descriptione dicit, nihil plus uideret, qui intrasset. Itaq; Aristoteles apposite eam nominat πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν. Hac uirtute admirabilis est præter cæteros Homerus, quem reliqui sunt poëtę æmulati, & in primis Vergilius Maro, ut non solum significatione uerborum rem subijciant oculis, de qua loquuntur, sed sono ipso, & compositione uocum, sicuti multis exemplis docet Georgius Trapezuntius. Porrò in descriptione non tam quid res sit depingitur, hoc enim fieri nequit, nam essentia cuiusque substantiæ non potest oculis capi, sed quibus uestita est adiacentibus, aut ijs, quæ tanquam adiacentia sumuntur, ut quum Deus describitur, in quo nihil est omnino adiacens. Porrò adhærentia alia cognoscuntur sensibus, alia per sensus à mente, uti est à nobis expositum in prima philosophia. Sunt ex rebus quæ habent utraq; adiacentia, sunt quæ non habent sensilia, rara sunt autem quæ sensilia solum habent. In primo genere ponuntur homo, animantia, stirpes. In secundo Deus, angeli, tempus, fama, philosophia. In tertio sunt torpentia quædam saxa. Iam aut describitur res una, uelut homo, arbor, aut plures, ut domus, urbs, regio, populus, conuiuium, prælium. Eorum quæ sub sensum cadunt descriptio est minime difficilis, ut non operosum pingere, quæ sub oculos. Exemplum sit in homine, in quo ad oculos pertinent color, statura, quantitas, proportio, incessus, motus, habitus, cultusq;, ut uestitus, armatus, sedens, stans, quæ tametsi adiacentia non sunt, tamen modum quendam efficiunt adiacentium. Neq; enim hic ista ad exactam examinantur libram, ut dixi. Sub auditum uenit uox, sub tactum mollicies, duricies. Sub odoratum quod olet, ut pastillos, uel hircum. Sic in bello facies illa tam uaria militum multifariam armatorum. Alij enim sunt leuis armaturæ, alij grauis, alij pedites, alij equites, tum concursus & dimicatio, uicesq; ferientium & cadentium, quæ oculorum sunt. Iam sonitus tubarum, fremitus equorum, strepitus armorum, gemitus sauciorum, quæ sunt aurium. In conuiuio locus mensæ, ornamenta, uasa, fercula, condituræ, sapores, suffitus aromatum, & odor florum, uoces, clamores. In carcere pedor ille, & fœtor teterrimus. Quæ sub sensus non cadunt, difficilius est pingere, exprimuntur tamen quantum fieri potest accommodate ad suam naturam, id est ad cognitionem sensus, aut mentis nostræ, quum uocabulis utimur aptissimis explicationi adiacentium illius, ut quum dicimus Deum æternum quiddam, immortale, sapientissimum, potentissimum. aut philosophiam esse disciplinam, quæ per cœlos, perq; diuina & humana omnia peruagatur, animumq; nostrum cogitatione rerum illarum instruit. tum ita componit & munit, ut inuictum illum præstet contra minas fortunæ, contemptorem earum rerum, quas uulgus admiratur. Et cætera quæ de tanta disciplina non minus magnifice dici possunt, quàm uerè. Porrò ignota omnia ex notis describimus, & quo quisq; magis intelligendi ui, atq; eruditione est præditus, eo melius proprias istas descriptiones assequitur. Nam qui nõ perinde ualet mẽte, huic sensilibus est opus. Idcirco spiritalia hæc persona quadam induuntur, ut pictura, & habent uenustatis plurimum, ad uulgi quoq; intelligentiam efficacitatis nõ parum, ut si quis philosophiam describat fœminam sancto & reuerendo uultu, uenerabili macie, pallore decoro, statura adeò procera, ut cœlos & sidera superet, oculis ad fortunæ minas & fremitus

mitus in conniuentibus, & alijs in hunc modum, quæ poëtis quidem sunt frequentia, & magis concessa, sed & oratoribus non insueta, etiam philosophis. Sic depingit Boëthus philosophiam, Chrysippus iustitiam, Prodicus uirtutem & uoluptatem, itidem Cleanthes, & Cebes humanam uitam. Ex quibus quæq; res facilè cognoscitur, ex eis ipsis describitur. & quoniam ex actibus cognoscimus facultatem, ex actibus exterioribus interiorem facultatem, ingenium, naturam iudicamus, ideo optima descriptio, & intelligentiæ congruens ab actibus sumitur, siue menti exponatur, siue sensui. Quum uerò persona imponitur ad sensum, ut talis sit persona, quales rei actiones atq; opera. Itaq; philosophiam talem depingemus, quales facit studiosos sui, somnum itidem, famem, mortem, uirtutem, fœlicitatem, tempus quoq;, ætatem, sexum, conditionem, fortunam, patriam, studia, mores, actus. Talia explicabimus horum singula, qualia faciunt, aut qualia in eis sunt, quæ occupant. Vergilius timorem his modis appositè expressit. Gelidus Teucris per dura cucurrit Ossa tremor. &, Extemplò Æneæ soluuntur frigore mẽbra. Et, mihi frigidus horror Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis. Obstupui, steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit. Et furorem in Sibylla: Ante fores subitò non uultus, non color unus. Ita etiam Terentius lætitiam in suo Chærea: Si quis aspiciendum proponat gratum uer tot frondibus, & teneris uestitum floribus ostendet. Autumnum pomis diuitem, hyemem rigentem & tristem, æstatem ardentem. Tum si diem aliquem designans, enarres quo signo zodiaci sit sol, quæ facies cœli, festos quoq; aut profestos dies habitu actibusq; uel hominum, uel elementorum, uel cœli, declaramus. In ætate describenda, poterit quis proponere spectandos mores, quos adfert illa ætas, omnesq; actus, etiam cultum corporis & habitum, ad eundem modum in sexu, in conditione, in dignitate, & alijs. Quæ tam multa sunt, ut uix pars exigua possit attingi. Præcipuum est aptè ad explicandum, si sit res quæ oculis capi potest, eam totam oculis subiecisse, quoad eius fieri possit. Certius enim eam tenent qui cunctam uiderũt, quàm qui particulatim, ita ut situm orbis terrarum certius apertiusq; cognoscant, qui in tabella sunt intuiti fideliter depicta, quàm qui peragrarunt. Si oculis alijsue sensibus comprehendi res nequeat, plurimum adiuuabimur probe comprehensa uisione illius, siue ut Græci dicunt phantasia, forma scilicet, facie, membris, cultu naturæ, & ingenio eius congruentibus. Neque uerò descriptiones omnes usq; ad minutissima persequimur. aliæ descriptiones alijs longiores erunt, prout ad institutum dicentis pertinebit. Sunt quædam ex proposito descriptiones, ut quum Tacitus mores exponit Germaniæ, & cosmographi ac topographi sua loca. Sunt aliæ uelut membra corpori annexa, & in horum quibusdam licet pro arbitrio euagari, sicut in ijs quæ spectant ad occupandas uacuas alioqui mentes. quæ uerò ob aliud inferuntur, in his oportet esse limitem, quem uel rei ipsius natura ponet, uel auditor. Magni authores dum aliud agentes describunt, adducunt aliquid maxime insigne, quo facilè id, quod uolunt, exprimatur, sicut in qua facie inest quippiam notabile, ex eo tota facies statim agnoscitur, næuo uno, quod dicitur, uel cicatrice, uel pilo, uel uerruca, uel naso oblongo, uel contorto, aquilino, aut presso, easq; facies pictores uocant bene effigiabiles. Ita & ipsi onere se omnia persequendi soluunt, & lectores magno compendio, quò instituerunt, perducunt. Vergilius: Ille Quirinali lituo paruaq; sedebat, Succinctus trabea, leuaq; ancile gerebat. Et, Vuidus hyberna uenit de glande Menalcas. Cicero in Pisonem: Respondes altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. Et pro Cluentio, Facite enim, ut non solum mores eius & arrogantiam, sed etiam uultum atq; amictum, & illam usq; ad talos demissam purpuram recordemini. Et in Rullum de lege agraria: Iam designatus alio uultu, alio uocis sono, alio incessu esse meditabatur, uestitu obsoletior, corpore inculto, & horrido, capillatior, quàm antea, barbaq; maiore, ut oculis, & aspectu denunciare omnibus uim tribunitiam, & minitari reipublicæ uideretur. Obijcitur etiam oculis res aliqua collecta illius uarietate, ut si quis in mensa herbas & flosculos uarios spargat, imaginem referet prati. Huius generis est descriptio conuiuij luxuriosi Ciceronis apud Quintilianum. Videbar uidere alios intrantes, alios exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes, humus erat immun-

da, lutulenta uino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Sic Cicero. De hac deſcriptione Quintilianus dicit quod dudum retuli, quid plus uideret, qui intraſſet? Multum habent momenti deſcriptiones ad perſuadendum. Nam quæ res aſtrictæ, & quaſi conuolutæ nullum ſui ſenſum relinquunt, apertæ atq; euolutæ acriter commouent. Quis enim non magis concitatur, ſecundo & tertio Aeneidos, quàm dicto illo quamlibet acuto, & ingenioſe concluſo, Et campos ubi Troia fuit: Sic urbiũ captarum, inquit M. Fabius, creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe ciuitatem, complectitur omnia, quæcunq; talis fortuna recipit, ſed in affectus minus penetrat breuis hic uelut nuncius. at ſi aperias hæc, quæ uno uerbo incluſa erant, apparebunt effuſæ per domos & templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus unus quidam ſonus, & alia quæ ille perſequitur. Eundem in modum in præceptis uirtutis, magis uoluntates noſtras ad agendum inducunt diffuſæ & explicatæ præceptorum rationes, quàm breuia quædam monita, & paucis uerbis comprehenſa. Quis futurus ſit ordo in deſcriptionibus, paucis abſoluamus. In breuibus illis deſcriptionibus, quæ uelut punctis attingũtur, nullus eſt ordo. Nec ubi res effunduntur confertim, quin potius negligentia illa ordinis clarius rem oſtendit, ut pratum in quo permiſti ſunt uariorum generum ac colorum flores. In longis uerò, ubi res eſt explicatione uelut depingenda, optimum fuerit ordinem naturæ ſequi, quæ primum omnium rem utcunq; format, & delineat totam rudem, hinc ſingulis paulatim partibus faciem ſuam tribuit, quoad totam ipſam perfectam iam ſuprema manu impoſita edat, quod pictorum, cęlatorum, ſcalptorum artes imitantur. Hi enim materiam à primo totam delineant, ut iam tum poſsit intelligi, quid futurum ſit, nondum uerò quale. Senſim deinceps membra expoliunt, aut colores inducunt. Sic in deſcriptione à primo ſtatim res uniuerſa proponetur, poſtea ducetur per partes, ut apud Cæſarem, Gallia omnis diuiſa eſt in partes treis: & Tacitum, Germania omnis à Gallis Rhętijsq;, &c. ſic fit attentus auditor ac docilis. Poſt hoc initiũ alijs lubet à uiliſsimis aſcendere ad præſtantiſsima, alijs contrà deſcendere, ut à capite per pectus ad crura & pedes, uel à pedibus per crura & pectus ad caput, à Deo ad materiam primam, ab hac ad Deum. In republica à religione ad mores publicos profanos, hinc ad priuatos, aut è diuerſo. Sed certè optima deſcriptio eſt, quum priora lumen adferunt ſequentibus. Siquid ſit naturaliter primum æquè expoſitum noſtræ intelligentiæ, id primum locum occupet, ut in deſcribendo die nemo exordiatur à ueſpere, etiamſi nationes quædam diem ſuum illinc auſpicẽtur. In prælio apparatus militum eſt primus, in contiuio dominus & locus. Verba eſſe conuenit ſimplicia, propria, & rebus apta, nempe grandia rebus grandibus, feſtiua & dulcia dulcibus, atrocia atrocibus, horrida horridis. Bene exprimunt rem aptæ metaphoræ, & ſimilitudines. Poëtæ his abundant, nec apud oratores ſunt raræ. Citantur ex oratione Ciceronis pro Murena elegantiſsimæ aliquot & acutiſsimæ, ut qui non poſſunt fieri citharœdi, fiunt aulœdi, & de tempeſtatibus ac populi uoluntate. Tum pro P. Sextio de L. Piſone. Exanimatus euolat è ſenatu non minus perturbato animo, quàm ſi annis antè paucis in creditorum conuentum incidiſſet. tum per amplificationem, ac hyperbolem. Ipſi quoq; parietes uidentur lugere, aut lætari, quale eſt illud apud Senecam tragicum in Medæa, Quum Pieria reſonans cythara Thracius Orpheus ſolitã cantu Retineret antes penè coëgit Sirena ſequi? & per emphaſin, ubi plus intelligitur, quàm dicitur, Demiſſum lapſi per funẽ, inquit Vergilius, per quod uaſtitas equi denotatur. Iam appoſita ſiue adiecta, quę tametſi ſunt poëtis largius conceſſa, tamen in uſum quoq; oratorum cedunt, & rem oculis ſubijciunt mirifice. Plinius Secundus, homo magis doctus quàm pius, uaſtæ ſolitudines Africę, fetax bellorũ Italia. Coniuncta uerba in ſtatura, quemadmodum diximus de ſimplicibus. Compoſitio & ſtructura cõcinnior, ac lenior. uarietas rerum oſtenditur oratione, membris, & cæſuris coaceruata, ut in deſcriptione Cælij de Antonio, quæ eſt apud Quintilianum.

DE NARRATIONE.

NArrationes uarę ſunt, & ex fine cenſentur, ut aliæ res omnes. Nã eam facimus, uel ut aliquid doceamus, ſeu explicemus, uel ut perſuadeamus, uel ut detineamus.

Miſcentur hæc quidem,ſed oculus eſt figendus in meta tanquam in ſcopulo.Narratio-nem,quæ ad explicandum paratur, ueram eſſe par eſt,hanc hiſtoriã uocamus. Ad perſuadendum uerò, ſi id uolumus perſuadere, quod narratur, oportet eſſe probabilẽ Sin aliud per eam,aptè eſt confingenda, quales ſunt apologi. Sin ad delectandum atq; occupandos animos, ea eſt licentioſa. Plena & perfecta narratio, inquit Aphthonius,author alioquí parum grauis,ſex debet continere,perſonam quę geſsit,rem geſtam,tempus per quod, locũ in quo, modum quo, cauſam propter quam. quod ut nec in totum probo,ita nec reprobare eſt animus.

DE HISTORIA.

HIſtoria,explicatio eſt rei geſtæ quę ab ἱστορεῖν trahit applicationem,quod eſt uidere: quia aliquis eam uiderit,qui & narrarit. Eſt enim uelut pictura,& imago,atq; ſpeculũ rerum pręteritarũ.ac quemadmodum res narrantur tranſactę,ita etiã uenturę.Narramus res unius hominis priuatas,ut Socratis.Res unius publicas,ut Põpeij. Res multorum priuatas,ut Socratis & Platonis. Res multorũ publicas, ut Cæſaris & Pompeij. Res priuatas & publicas unius aut multorum, quemadmodum Suetonius ſcripſit, & Plutarchus.Res unius populi,ſicut Liuius. Res multorum populorum,ſicuti Trogus, Herodotus, uno loco aut diuerſis. Narramus aliquid unum, ut de Philoſophia Socratis,de bellis Cęſaris.Aut plura,& hæc inſignia,uel etiam minuta,ut Suetonius.Sed quũ ſcripta omnia habere utilitatem aliquam cõueniat, ne pœnitenda iactura fiat temporis rei præcioſiſsimæ, quanto magis hiſtoriam,ex qua tantũ utilitatis poteſt colligi, nempe uſus rerum,& prudentiæ,tum formationis morum ex alienis exemplis,ut optima facturi ſequamur, ſicuti Liuius inquit, praua deuitemus. Ideo narranda ſunt hiſtorico ea, quæ uſum uitæ cõmunis adiuuent,& meliores poſsint legentes reddere,ne in uanis & nugacibus cõſumatur ſcriptio rerum geſtarum. Quocirca de philoſophis gentium, & diuis noſtris multum & ſæpe ſcribendum. Nam quæ exempla eſſe poſſunt generi humano perinde fructuoſa, ac uirtutum, quas illi natura duce aſſecuti ſunt, & præſtiterunt, uel ingentis probitatis, quàm noſtri diuino munere ſunt nacti. Illud profecto ſubit admirari cum ex corpore conſtemus & animo, in hoc uerò ſint affectus & mens, de corpore & affectibus incitatis ac perturbatis tam eſſe multa, tam uariè, tam copioſè conſcripta, de affectibus autem moderatis, & mente tam pauca, ac propè nihil. Apparet indubie degeneraſſe hominum genus in brutorum ingenium. Quæ eſt enim noſtri melior pars,& unde homines cenſemur,quàm mens? Nihilq; tantopere intereſt noſtra excoli.boni ſumus,ſi illa ſit bona,mali ſi mala.Quam in rem tot præceptis atq; exemplis indiget,ut quantumcunq; ſcribatur,nihil tamẽ poſſet fieri ſuperuacaneum.Quid quòd incitarentur ad probitatem plurimi, nam decus hoc bellicum complures ad cædem populorum ac gentium atq; immania facinora inſtigauit. Nec aliter deberent narrari bella,quàm latrocinia,breuiter,nudè,nulla laude addita,ſed deteſtatione potius, ut longũ bellũ referretur non utiq; ad cõmendationem uictoris, ſed tanquam in exemplũ, quid pariat affectus unus prauus ſiue ambitionis,ſeu iræ,ſiue libidinis.Tum ut uideãt,quàm in incerto ac leui momento ſitæ ſint res & fortunæ hominum, quibus tantopere fidimus. Prima hiſtoriæ lex eſt, ut ſit uera, quantum quidem præſtari poterit ab ſcribente. Nam ut oportet eſſe ſpeculum temporum, ſi falſum dicat, falſum erit ſpeculum, reddetq; quod non acceperit. Sed neq; erit uera imago, ſi maior ſit, quàm res, uel minor, id eſt, ſi res deprimat conſultò, uel attollat. Cæterùm narrationum uaria ſunt genera, aliæ in quibus uerba ſpectantur ſingula, ut in pactionibus, fœderibus, edictis, ſenatuſconſultis, in libris noſtræ religionis, in quorum etiam apicibus latent myſteria, in his exactiſsimè ſeruanda eſt ueritas integra, & ſimplex. Aliæ pertinent ad narrationem quandam rei geſtæ,ad delectationem,& tenendos animos,aut prudentiam & mores. In his ſatis eſt ſeruari ſummam integram. Adduntur, quæ doceant, quæq; facilè detineant, uerba, ſententiæ, orationes, quod maximi hiſtorici faciunt, Thucydides, Xenophon, Liuius, Salluſtius, Tacitus, Curtius, Herodianus, & modò rei ſumma uero conſentiat,non amittunt ueræ narrationis nomen.Corpus ipſum oportet ſacrari ueritati, colorem & cultum nihil eſt neceſſum. Nec immeritò Lucianus hiſtoricum uult eſſe

ἀβασίλευτον, ἄνομον, ἄπολιν propter ſcribendi libertatem. Hiſtoricum decet iuxta Thucydidis ſententiam, rem potius duraturam perpetuò conficere, quàm breuem gratiam mereri, ſiue id de materia ſentiat, ſiue de tractatione rei. De ueritate autem hiſtoriæ Lucianus ait non magis poſſe ferre eam falſum quid, quàm aſperam arteriam aliud quàm merum ſpiritum. At uerò quando hiſtoria à uidendo accepit nomen, non eſt ab eo petenda, qui multa poſt ſecula, quàm res contigit, aliquid adfert in ea nouum, & prioribus ſeculis inauditum, aut interponere iudicium ſuum tentat inter opiniones priſcorum, niſi ex ratione ueriſimili. Ideoq; nullius ſunt authoritatis Philoſtrati Heroica, qui de tam uenuſtis rebus uoluit pronuntiare, ut ſi quis hoc tempore de Chriſto & actis Apoſtolorum nouum quippiam ſummæ rerum adijceret. Si unum aliquid narratur, in idipſum ſemper ſpectetur. Si plura, in inſignibus magis immoremur. Nec omnia explicanda, ſed præcipua, uelut in prælijs non omnium ſunt percenſenda nomina, quod eſt poëtarum, ſed primorum, nempe ducum, niſi ſi cuius egregia fuerit uel ignauia, uel uirtus, uel conſilium. Præcipua uoco, quæ plurimum adferunt prudentię, & bonorum morum. Nam quorſum attinet tam accuratè acies deſcribere, & prælia, quę melius neſciremus? Quocirca ad prudentiã explicentur cauſæ, & conſilia, & euentus, & ſi quid ſit occultum & arcanum in negotio. nam illa magis prudentiam inſtituunt, quàm geſta omnibus expoſita. Cæterùm quemadmodum ad deſcribendum diximus cõmodiſsimum eſſe, ſi quis rem totam oculis ſubijceret, ita ad hiſtoriam, ſi tanquam ex alto omnia ſpectarit, quomodo gerantur. Hiſtoriarum uaria ſunt genera, quantum quidem ad illius corpus attinet. Hiſtoria enim quaſi pictura eſt quædam. Porrò pictura eſt alia monogramma una linea effigiata, qualis nuda illa temporum deſcriptio, ut Euſebij chronica, & annales Linthei pontificum, qui dicebantur olim maximi. Alia eſt expreſſior, ut Suetonij, & hac magis, Caij Cæſaris. Alia eſt colorata, ut Salluſtij, Liuij, Thucydidis. Dicamus de hac poſtrema, nam ad ſuperiores ſufficiunt dicta. Partes huius ſunt proœmium, liberum quidem, ſed non tam remotũ à re, quàm ſunt Salluſtiana. In eo fiet auditor attentus ſpe magnitudinis utilitatis, iucunditatis materię, denicq; eorum, quę in detinendo percenſuimus. Tum docilis, ut ſciat cuius hominis aut gentis acta eſt expectaturus. Sequitur narratio, ſeu corpus hiſtoriæ. In qua ſumendũ ab aliquo initio exordium, & tempora ſunt inde digerenda, puta ab urbe condita, uel à Domino nato, aut olympiadibus. Magnum hiſtoriæ uitium, ſi quam oportet eſſe lucem temporum, ea confundat, & obſcuret tempora. Itaq; rerum authori accurate ac diligenter ſunt tempora diſtinguenda. Quantum enim refert ſi quod prius eſt, & ceu alterius cauſa, fiat poſterius, & effectum. In quo tota hiſtoriæ ueritas obtenebratur, & perit bona pars fructus, cui eſt parata. Ordo eſt duplex, naturæ, & artis. Naturæ eſt, ut quæ priora ſunt loco, aut tempore, narrentur prius, in quo uel res, ut ſunt geſtæ, ſequimur, uel narrantem aliquem inducimus. Sicut Vergilius Æneam, Vlyſſem Homerus, in quo etiam ſeruatus eſt naturæ ordo. nam prius eſt, ut Aeneas appulerit Charthagini, quàm ut illa naret Didoni. Non eſt ſeruatus ordo rerum geſtarum, priora enim fuerunt Troiana bella, quàm Aeneam ueniſſe Carthaginem. Eſt ordo artis, quum aliquid ad finem interponitur, quòd eſt prius, ut Cæſar, timens reatum, etenim læſerat Bibulum in conſulatu, & Catonem, & Domitium, ad arma uenit. Paulus cunctanter recipiebatur ab eccleſijs, quòd ſcirent illum acrem aliquando perſecutionem exercuiſſe in Chriſtianos, & timebant dolum ab eo, qui tam infenſus fuiſſet nomini Chriſtiano. Prima narratio eſt hiſtorici, quæ eſt recta. Iam quum multorum populorum, aut unius, uarijs locis res narrantur, ab uno loco tranſiliendum in alium, ſeruato ordine magis temporum, quàm locorum, nec præuertemus euentus rerum. nam illa expectatione exitus detinetur lector ſuſpenſus uſque ad calcem. Vnde illa perſeuerantia in lectione hiſtoriæ aduerſus rationem quoque ualetudinis, & curandi corporis pertinax. Narret ſcriptor rerum, ne effundat ſe in laudes ſuorum, aut uituperationem hoſtium, non enim eſt encomiaſtes, ſed hiſtoricus. Nec fert hiſtoria, quemadmodum Lucianus admonet, illas adulationes & hyperbolas poëticas, cuiuſmodi de Agamemnone Homerus confinxit, quòd capite eſſet Ioui ſimilis, pectore Neptuno, zona Marti, quaſi unus

Deus

Deus ad ſimilitudinem regis unius, non ſufficeret, id ſi fiat, quid erit aliud hiſtoria quàm poëma ſolutæ orationis? Licebit interdum hiſtorico digredi, etſi rarius, ad quærenda amœna quædam lectoribus diuerticula, ſicut Sailuſtius facit de origine Vrbis, & corruptis populi Romani moribus, & initijs motuum ciuilium. Liuius quoque de tranſitu Alexandri in Italiam: quamuis magis eſt hæc digreſsio, quàm illa Salluſtij, quæ uerius nominari poſſet altior repetitio, eam permittitur crebrius hiſtoriæ inſeri, quàm alteram illam annexam, & quaſi aſſutam, alienam à reliquo corpore. Iam conciones ſeu orationes ſunt duplices, directæ per primam perſonam, ut apud Liuium plerq; omnes, indirectæ per tertiam, ut ferè apud Cæſarem. Verùm nec de quibuſuis rebus ſit oratio, ſed de maximis in illo argumento, & digniſsimis cognitu, & ubi nactum ſe ſcriptor crediderit materiam ad utilitatem & delectationem. Incidunt quoq; deſcriptiones ciuitatum, regionum, montium, fluminum frequentes, quæ ad intelligentiam rei geſtæ ualdè conferunt. Interponet hiſtoricus iudicium ſuum, quum uidebitur, ut ad commendationem legentium euehat benefacta, contrà uerò malefacta ad execrationem inſectetur, quod multi factitarũt, ſed potiſsimum Polybius, Plutarchus, Valerius, ſi modò hunc inter hiſtoricos receperis. Ciceronis in ſecundo de oratore hæc eſt ſententia: Ipſa autem hiſtoriæ exædificatio poſita eſt in rebus, & uerbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem. Vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaq; dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea euentus expectantur, & de conſilijs ſignificari, quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis non ſolum declarari, quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam quomodo. Et quum de euentu dicatur, ut cauſæ explicentur omnes, uel caſus, uel ſapientiæ, uel temeritatis, hominumq; ipſorum, non ſolum res geſtæ, ſed etiam qui fama, ac nomine excellat, de cuiuſq; natura ac uita. Sic M. Tullius. Ergo qui interpoſiturus eſt cenſuram ſuam, hunc conuenit habere iudicium integrum, non corruptum prauis opinionibus, ne diuitias, aut potentiam, aut prælium, aut uictoriam multa cæde partam admiretur, laudetq;, tanquam rem pulchram, quum ſint res partim abominandæ, partim neutræ. Nihil neceſſe habet multum immorari in eo, qui mali quid fecit, ſed eo qui aliquid boni, eius patriam & parentes, & progenitores, ſi uideatur, recenſebit. Sed hanc interpoſitionem iudicij, breuem eſſe & acutam conuenit, ut in animos penetret, & affigatur, quales ſunt Valerij Maximi, non quales Plutarchi Cheronæi longæ & ſegnes, tranſit enim ab hiſtoria in ſcholam philoſophiæ. Illud eſt in iudicando temperamentum adhibendum, ut ſi quid uel improbas, uel commendas, non affectui uidearis id dediſſe, ſed rationi, id eſt non maleuolentiæ, aut fauori perſonæ, ſed integræ & rectæ cenſuræ de facto ipſo. A maledicentia abſtinendum potiſsimum, ne in rabiem exeat licentia. In eos, uel qui adhuc ſuperſunt, uel quorum recens eſt aut in animis memoria, aut in prolibus graue eſt dicere, feruent enim adhuc affectus, qui non ſinunt munere ſuo iudicium fungi. Sed ſi apertè uerum ſcribere quandoq; parum licebit, figuris erit locus, aut alterius perſona inducta, uel amici aliquid deſiderantis, uel hoſtis increpantis, aut conquerentis, quod facit ſæpe Liuius. Ea propter M. Tullius magni eſſe uiri cenſet hiſtoriam ſcribere. Epilogum hiſtoria raro deſiderat, niſi interdum breuem propoſitionem, quid actum, quid reſtet. Verba erunt rei, de qua agitur, congrua, de magnis ſplendida, & ſonantia, de paruis humilia, de philoſophicis philoſophica, etiam de ſordidis non diſsimilia. Nihil enim æquè hiſtoriæ congruit, ut proprietas uerborum, quanquam nec in exacta illa philoſophiæ penetrabimus, niſi de philoſophis ſcribẽtes, aut deſcẽdemus ad imperitiã tabernariam uel caſtrenſem, niſi ſi quid fortè uolumus maxime ad uiuum effingere. Perſpicuitas eſt neceſſaria, utiq; talis, quam intelligant omnes, docti uerò etiam laudent. Vtuntur quandoq; hiſtorici uerbis liberioribus, ut inquit M. Fabius, & remotioribus figuris, ut narrandi tædium deuitent, ſed nõ eſt crebras translationes, & conformationes uſurpandum, in quo peccauit, mea ſententia, Ammianus Marcellinus. Nihil eſt in hiſtoria, inquit Cicero, pura & illuſtri breuitate dulcius. Habent hiſtorici propria quædã uerba, ut mortales ponant pro hominibus, quod tameſi oratores dicãt, nõ tamẽ his adeò frequẽter cõceditur q; geminatũ, ut meq;, regnũq; meũ, & figuras poëticæ licentiæ, ut Annibal ipſe tragula femur ictus, &

in quem primum egressi sunt locum, Troia uocatur, gens uniuersa Veneti dicti. Locutiones item & formulas, ut per infinitum modum incisa, uidere lucem, forum, ciuium omnia, M. Manlij opera, omnia parentum beneficia ab illo se habere, illi se deuouere, corporis, uitæ ac sanguinis quod superstit, quodcunq; sibi cum patria, penatibus publicis ac priuatis iuris fuerit, id cum uno homine esse. Tum ab uno aliquo capite dependent multa membra per iugationem, quod uel initio, uel medio, uel fine ponitur, ut primo est libro declaratum. Omittunt quandoq; uerbum, ut sum, facio, gero, dico, loquor, respondeo. Oratio atq; orationis sensa erunt planè politica, cuiusmodi esse solent, senum in republica prudentum. Itaq; malim eam redolere nonnihil uetustatis, quàm omnino esse nouam, & quasi iuuenem, gratior est eo pacto, & sermonem eorum magis refert, de quibus loquitur. Et quandoquidem res scribit, quæ uelut fluxu, & cursu quodam prætereunt. Esto oratio non periodica, & contorta, non acris, & pugnax, sed tracta & fluens, & fusa, ut decurrere uideatur cum ipsis rebus, non intersistere, nec interrumpi, ita facilius lectorem rapiet, ac deuoluet secum usq; ad exitium. Nec immeritò Quintilianus proximam eam affirmat poëtis esse, & quodam modo carmen solutum. Sed numeri fuerint leues, aptè cohærentes & coagmentati, ut æquabile fiat orationis corpus, & molliter labens. Adeò, ut quicquid huic admiscebitur, etiam alterius generis, siue orationes, siue dialogi, siue excursiones, eundem fluxum resipiant, atq; eandem contemperationem. Quod si propter argumentum ab ea phrasi nonnihil discedi-tur, certè non eadem tractantur ratione, qua si per se, ac separatim, sed ita, ut planè appareat in historiæ corpore concludi, adeò naturam illius in dictione retinent. Fusam esse orationem præcipio, compositione, non diffusam uerbis, nec sensis redundantem. & Quint. Seruilius Nouianus iure est taxatus à Marco Tullio, quòd minus esset pressus, quàm historiæ postularet authoritas. Intersistendum tamen nõnunquam, uelut quũ ad locum est uentum, in quo uolumus lectoris animum parumper quiescere, ac uelut respirare, ut quum uictum est prælium, quum uir aliquis præstans mortuus, quum mutata forma ciuitatis. Quinetiam quum res egregias attinget, uelut fortiter aut constanter factum quid, contra fortunam, & humanos casus, pandet aliquantum sinus, ut plenius ac ualidius feratur. Quid quod in rebus quoq; eiusdem generis uarietas leuabit tædium lectionis, non enim est unus quasi gradus in quoq; genere puncto aliquo determinatus, sed patet latè, mutari ut possit color in eadem forma. Res uerò quo expressius referantur à dicẽte, nec augendæ sunt, nec minuendæ uerbis, sed relinquendæ suæ magnitudini, hoc est quod Sallustius dicit facta dictis esse exæquanda, dum modò ne in cothurnũ se attollant res atroces, nec ad sordes deuoluantur humiles. Nam in illa sua sede, & quasi regione altius aliquid & depressius inueniet historicus quibus utatur, conseruata dignitate. Repetitiones in historia molestæ sunt, quales in poëmate Homeri crebrę, quem reor fuisse magis morem temporum quàm authoris, ut licet ex sacris literis cognoscere, in quibus sunt multæ eiusdem rationis. Vergilius eas in totum omisit, diligens alioqui Homeri æmulator. Repetitiones uerò in gradatione ornamẽti sunt, ut fortunam neglexit primum, neglectam contempsit, cum contempta est congressus, congressam uicit, uictam prostrauit, & conculcauit, denicq; triumphauit de uicta, & conculcata. quod tamen si crebrò fiat, amittit gratiam, ut aliæ omnes figuræ. Est narrationis quoddam genus breue quidem, & succinctum uerbis, sed rebus longum & superfluens, ut in portum ueni, nauis aderat, conscendimus, sustulimus anchoras, pandimus uela, nauigauimus, hoc ultimum suffeciſſet, nisi quid fortè addatur, quod rei qualitatem mutet, ut in portum ueni, seu uerius stationem nauibus malè tutam, nauis aderat uetus ac putris, conscendimus ægrè ac periculosè, sustulimus maxima ui anchoras, pandimus uela lacera, nauigauimus, non quò intenderamus cursum, sed quò nos impulerunt unda, & uentus. hęc enim aliud multo sunt quàm simplex illud nauigauimus. Puto facturum me rem studiosis utilem iuxta & gratam, si non grauer adscribere censuram Ioannis Episcopi Alarienſis de Tito Liuio, quæ uirtutes ostendet, quas in historia sequamur, & quæ fugiamus uitia. Siue hæc illæ in Tito Liuio obseruarit, siue in ratione historiæ componendæ, siue in collatione amborum. Non illum, inquit uarietas, con-

tas,confusum, non simplicitas historiæ fastidientem reddit. In tenui, quod persæpe accidit,atq; humili rerum materia, non est exanguis, aridus, & ieiunus. In copia uerò ac magnitudine non turgescens, ac uastus, plenus citra tumorem, æquabilis ac lenis citra mollitiem, nec luxuriosè effluens, nec nimia sterilitate tabescens. In asperis rebus,non salebrosus neq; languens,in mollibus,non uiolenta & coacta oratione subsultans, non ita tamen copiosus,ut nimius,neq; ita suauis, ut lasciuus, nec adeò lenis,ut remissus.nõ sic tristis, ut horridus, neq; ita simplex,ut nudus,aut adeò comptus,ut affectata compositione calamistris uideatur inustus, par uerbis materiæ, par sententia rebus. In re gesta exprimenda,grauis atq; magnificus,& tamen succinctus ac proprius.In narratione naturalis, & semper spectatus, ordinem minime confundens, & rerum euenta non præcurrens,minime in gratiam adulator,aut reprehendendo parcus in ueniam, nõ amarulentus in noxam. Ipsi quoq; senatui ordini illi orbis terræ moderatori uenerando, populoq; Romano terrarum principi, si uel temeritate præcipites, uel errore lapsi, uel quacunq; forent ratione supra modum iustum q; enecti,nequaquã parcens. Res etiam aduersariorum debita commendatione non defraudans,ut modò narrator tantum,modò censor esse uideatur. atq; ita seuerus & tetricus, ut ne censoribus quidem grauissimis, quibus nihil Romæ sanctius fuit, ubi facto usus fuerit,unquam ignouerit.At uerò in cõcionibus ante omnia uerborum parcus, sententiarũ diues, multo est uerbis, quàm sensu restrictior,atq; concisior,in qua parte non cæteros scriptores tantum, sed seipsum quoq; longe antecellit. Hæc ille de Liuio,atq; adeò de historico optimo. Et quemadmodum quæ admiscentur historiæ, naturam eius debent retinere, ita historia, quum in epistolam,aut familiarem sermonem uenit,multum de cultu illo suo & ornatu deponit, tenuior erit eius contextus,& color dilutior,& contractiores absolutiones.

NARRATIO PROBABILIS.

IN summa quidem ea sunt maxime probabilia,quæ & uera.Nam quicunq; ex ueritate sumatur fucus, nullus est tam expressus, & germanus, quàm ipsamet ueritas, nec tantum habet uirium atq; efficaciæ, sed aliquando falsa quædam quibusdam ueris fiunt probabiliora,quod non ex rebus ipsis nascitur,sed ex nobis praue iudicantibus,ideoq; non uerè modò narrandum est, quod rei quidem sufficeret, sed uerisimiliter propter nos.Primum omnium inquiremus quid auditori sit probabile,ratio, an exemplum, an authoritas,an experimentum per aliquem sensuum sumptum. Rudes homines naturæ miracula derident ut fictitia, hebetes rationem non assequuntur, mouentur exemplis, parent authoritati. Ideoq; non eodem modo narrandum Ciceroni in foro,quo Aristoteli in schola.Est progressus quidam naturalis, ut posteriora ex prioribus uideantur nasci,uel ordine & serie causarum, ut filius à patre,uel loci aut temporis,ut dies.posterior ex priore,tertius ex secũdo, hic ex primo, in quis duobus sunt prius & posterius, etiam consuetudinis & moris, ut lotum quem, priusquam accubuerit. ductus hic maximam habet similitudinem ueri,propterea quod omnia uelut nexu quodam uel defluunt,uel cõsistunt,nõ in natura modò,sed in arte,quæ est naturæ imitatrix, quale est intrasse quẽ in ædes,salutasse hospitem,humaniter acceptum,inuitatum recusasse primum,hinc sæpius rogatum acquiesse,& discubuisse.Admistio breuis causarum,& quasi sparsio semi num argumentorum probabilem narrationem efficit, ut quum essent hilares, & haberent puellas,potatum est largius, hinc saltatũ, & calfactis animis ex leui occasione uentum in rixam.Cæsar timens accusationem,etenim multos læserat,uenit ad bellum ciuile, quod dictum est à nobis de narratione artificiali. Si in narratione sunt alia deinceps probanda, aut confutanda, non sunt ibi consumenda argumenta.Asinius Pollio,ut inquit Seneca, prudenter dicebat colorem in narratione ostendendum, in argumentis exequendum, & imprudenter eos facere, qui in narratione omnia instrumenta coloris consumerent, nam & plus eos ponere, quàm narratio desideraret, & minus quàm probatio. Optimum in hoc genere narrationis exemplum est Ciceronis pro Milone. Ita alia ex alijs ducuntur, loci, temporis, & moris ordine, ut non potuisse aliter fieri appareat. Quod si in narrando persuadere uolumus, ut in philosophia & artibus, ibi possunt extendi & consumi argumenta. Narrationis huius dictio erit humilior ieiu-

nior, conciſior, callidior. Plinius Cæcilius Capitoni: Habet quidem oratio, & hiſtoria multa communia, ſed plura diuerſa, in iſs ipſis, quæ communia uidentur. Narrat illa, narrat hæc, ſed aliter. Huic pleraq; humilia & ſordida, & ex medio petita, illi omnia recondita, ſplendida, excelſa conueniunt, hanc ſæpius oſſa, muſculi, nerui, illam tori quidam, & quaſi tubæ decent. Hęc uel maxime ui, amaritudine, inſtantia, illa tractu & ſuauitate, atq; etiam dulcedine placet. Poſtremò alia uerba, alius ſonus, alia conſtructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, κλῆμα ſit, an ἀγώνισμα, ſic ille quæ dicta ſunt de forenſi oratione. Nam minus curæ eſt adhibendum in ſchola philoſophiæ & artium.

APOLOGI.

APologi conficta exempla ſunt in uſum uitæ, qui ad ſuadendam uirtutem, ad diſſuadendum uitium, ad aliquid denique agendum, aut non agendum ſunt reperti, alioqui uani ſunt, & ſuperflui, quippe non narrantur propter ſeipſos, ſed propter exemplum quod nos ſumamus. In his ſermonem damus aut homini ſoli, quod genus à Græcis dicitur λογικὸν, uelut quum agricola filios ſuos afferre faſcem uirgarum iuſsit. uel mutis ſolis, ut aquilæ, aut oleæ, hoc eſt ἀθικὸν, uel homini & muto, quod μικτὸν, ſicut homini & ſerpenti, homini & cani. Apologorum olim multæ fuerunt ſpecies, ſicut Aphthonius tradit, Sybariticus, Cyprius, Cilicianus, Æſopæus, ab inuentoribus. omnes uerò in Æſopæium conceſſere. Narratio hæc ueritatem non ſpectat, & tamen ueriſimilitudinem hactenus debet obtinere, ut conſiderata rei, quam inducit loquentem, natura atq; ingenio, cōgruentem ei attribuat, & ſententijs, & uerbis ſermonem. Leo & aquila ſuperbè, regaliter, iracundè loquentur, ac magnificè, uerbis amplioribus & nitidioribus, uulpes callidè, uerſutè, omnia ad utilitatem ſuam referens. lepus meticuloſe. aſinus imperitè, frigidè, ſtolidè. apes & formica prudēter, gnauiter, parce, ut etiam in oratione appareat frugalitas. quercus ſolidè, arundo leuiter. Deniq; ſic loquātur, quemadmodum credibile eſt ea locutura, ſi beneficio aliquo numinis ſermonem acciperent. Debet eſſe in narratione feſtiuitas & facilitas, tum ſimplicitas in uerbis, nihil moleſtū, nihil affectum, ſed purus ſermo, ut Quintilianus inquit, & nihil ſe ſupra modum extollens, quamuis ego differentiam uelim ſeruatam loquentiū, ut accuratius loquatur uulpes, quàm aſinus, & illuſtrius leo, quàm formica. Omnia uerò intra mediocritatem, ſeu potius ſub mediocritate. Quæcunq; dicentur, aut certè præcipua, ad ſcopum dirigentur, quo fabella pertinet, id eſt, quod per eam uelimus ſignificari. Id uerò nonnunquam exprimitur, & ſi præponatur, dicitur προμύθιον, id eſt præfabulatio. Si poſtponatur, ἐπιμύθιον, id eſt affabulatio. Eſt quum prorſum omittitur, & animo cuiuſque relinquitur coniectandum, quod eſt maioris grauitatis, ut fecerunt Menenius Agrippa de membris corporis in otioſum uentrem coniurantibus, & Demoſthenes de concordia luporum & paſtorum traditis canibus, quum Philippus oratores poſceret, & Themiſtocles de muſcis obſidentibus ulcus canis, quum de mutandis magiſtratibus ageretur. Res geſtas quæ ad propoſitum tuum faciant, non ſemper inuenies, apologos facilè erit confingere. Itaque conſeruandus eſt eorum uſus, nam habent ſuo loco plurimum iucunditatis ac uirium.

FABVLÆ LICENTIOSÆ.

FAbularum commemoratio ad fabulas Mileſias nos deduxit, quę ad uoluptatem ſolam ſunt repertæ, quæq; indignę ſunt, de quibus multa uerba fiant. Huius notę ſunt Mileſiæ à Mileto Ioniæ, quæ de luxu & delicijs malè audiuit. & ut oratio mores ac uitam ſequitur, repertum eſt in illo nepotino otio genus quoddam fabularū nec uerum, nec ueriſimile, nec in aliquem uſum uitæ paratum & congruens, ſed tantum ad extrahendum tempus, uel in conuiuijs, uel in cœtibus uirorum ac fœminarum, qualia ſunt etiam amatoria omnia, quod Galli uocant intertenere, ſeu detinere potius. Ideoq; Lucianus Sophiſta ſermones amatorios uocat Mileſios, & Capella quaſdam poëtarum fabulas. ſcripſit nominatim de Mileſijs Ariſtides libros aliquot μιλησιακῶν, & Apuleius Aſinum ex aſino Luciani deſumptum, & concinnatū. Apuleius ſtatim initio profitetur huius eſſe formæ. Nunc ego te, inquit, ſermone iſto Mileſio delectabo. Eiuſmodi narrant uetulæ pueris ad focum ne plorent, aut moleſti ſint. Quorſum pertinebit de re tam

inepta

inepta dare formulas? ineptior ipse sim si fecero. Multo alterius generis sunt poëticę fabulæ, de quibus satius erit disserere.

DE POETICIS.

POetarum fabulæ ortæ sunt ex ruditate & credulitate uulgi. Tanta erat priscis illis seculis ignorantia rerum bonarum, & discrimen in omnibus adeò confusum, ut quiuis paulo ingenioſior, atq; usu rerum callidus, si quid attulisset uitę conducibile, aut si fortitudine præstaret, aut forma, deum se esse facilè persuaderet. Ex his quorum esset origo incognita, hos de cœlo descendisse credebant, atq; eo facilius, si ex oriente uenissent. Nam eam terræ partem uocabant superos & cœlum, ut occidentem inferos. Memoria nostra homines illi, qui orbem recens inuentum habitant, Hispanos uenerabantur tanquam deos, quod experimentis & uitæ prudentia plus ualerent, tum filios solis appellabant, quòd albi essent, & ex oriente illuc uenissent, unde illis & sol. Græci autem superos dixerunt ad orientem & aquilonem regiones, ubi terra est altior, inferos uerò ad occidentem & meridiem, ubi decliuior. Itaq; inferos posuerũt in Galecia Hispaniæ, ubi est amnis Lethe. Insulas uerò fortunatas ad mare Atlanticum è regione Libyæ. Falsi sunt etiam figuris loquendi, quas quod non intelligerent acceperunt, naturaliter ac simpliciter, & habuerunt fidem. Dixerat quis Phryxum ariete uectum μετωνυμικῶς, id est naui, cuius insigne esset aries, Pasiphaen ex tauro concepisse Minotaurum, hoc populus simpliciter & accepit, & credidit. Poëtæ id cecinerunt, fistulæ populi. Hæc quidem ante constitutas olympiades. Postea uerò & populus fuit eruditior, & ratio accuratior uitę ac loquendi. Itaq; deinceps minus est populo impositum, & fabulę sunt confictæ rariores. Magnamq; rem dicit M. Tullius esse consecutum Romulum suum, qui nõ rudibus adhuc & incondítis populorũ ingenijs, sed doctis excultisq; factus sit deus. Nam Cæsares adulatio fecit deos, non in mortuum, sed successorem, ita eum honorem non sunt nacti, qui successoribus è uita decesserunt, aut incertis, aut hostibus. Summam fabulæ nunquam licuit poëtæ fingere, in re dico, quæ pro gesta haberetur. nam in apologis, aut scenicis, aut Milesijs, semper licet. Rem uerò gestam ornari conceditur, & augeri ad admirationem, & uoluptatem, quod etiamnum permittitur. Nam si cui hoc solum est propositum, multo & copioso sermone audientium animos tenere, eum oportet in mendacijs expendendis & segregandis à uero non esse admodum religiosum, sed recta ingredi, quacunq; auditoris ducat delectatio, siue in uerum incidat, siue in falsum. Hoc poëtæ ueteres factitarunt. Quanquã non usq; eò falsas esse has fabulas conuenit, quin similitudinẽ aliquam retineant ueri, ut nec impossibilia dicantur, neq; incredibilia, nempe ea quę inter se naturaliter pugnant, uelut stare quẽ, & sedere. nec contraria ijs, quæ apertè sunt uera, aut persuasissima. Lucianus sophista ueras narrationes scripsit de rebus, quas nec ipse, nec quisquam uiderit, nec ipse, nec quisquam alius crediturus sit. Ridícula sunt hæc, & ad poëtas nõ pertinent, tametsi nec fingi dedita opera tam absurda potest narratio, quin quasi filum aliquod & colorem retineat naturæ rerum. Adeò contra naturã omnino mens nostra nec intelligere quidem ualet, aut ratiocinari, uidelicet mentis nostræ siue scopulus, siue materia, ueritas est, qua nihil est naturæ congruentius. Nam metamorphoses illæ ad uim & potestatẽ deorum referuntur, quibus nihil est impossibile, nec difficile, ut in Halcyone docet Socrates. Idcirco & in fabulis theatricis, ubi totum argumentum est fictum, tamẽ quò narratio fiat probabilior, admiscentur rationes, cur posterius nascatur ex priore, ut Chrysis ex parca & seuera uita delapsa est in uitium, ita ut ingenium est omniũ hominum à labore procliue ad libidinem, & quæ sequuntur in Andria. Poëtarum fabulæ aliæ continent naturale quippiam, aliæ morale, utræq; harum sunt conseruandæ. Quædam nihil habent uitę profuturum, ut de uenatione apri Calydonij, de nauigatione Argonautarum. Sunt quæ etiam damnosa multa, ac pernicioſa, orta, uel ex recepto errore, ut de cãpis Elysijs, de regno & fœdis facinoribus deorum, uel ex praua delectatione in rebus obscœnis, sicut de adulterijs, de omni turpitudine abominanda, tum de bellis, & crudelitate. Hæc uerò quorsum attinet conseruari & legi? Ceu uerò non innumera sint in quibus occupemur tanto conducibiliora, aut non passim occurrant plurima, quæ & tempus nobis malè occupent,

& bonam mentem lędant? Fuerit fortaſſe illud Homericis temporibus ferendum, ut nu gas canerent, quando quidē profuturas in exemplum res geſtas nō habebant. Nunc ue rò quid illis opus eſt in tanta multitudine ac uarietate rerum tum publicè, tum priuatim optimarū & pulcherrimarū apud Græcos, & Romanos, omnes deniq; nationes? Neq; enim eſt carmen in hoc repertū, ut uel ſtulta canat, uel mala: quod ſi recipimus, quid tan dem erit humano generi peſtilentius? Poëma, inquit Plutarchus, pictura eſt loquēs. Vi lis & aſpernanda eſt pictura, in qua ſunt res leues, quæq; inani prorſum & breuiſsima delectatiuncula allubeſcit oculis, non paſcit animū, ut muſca aliqua, uel mantile, uel li neæ meræ ac nudę, quales olim in tabula duorū inſignium pictorum. Noxia uerò eſt, & deuitanda, quę animū per oculos fœditate aliqua ſollicitat, & corrumpit, cuiuſmodi ne qua pingatur uetari deberet publico edicto. Furor eſt poëma, & inſtinctus quidam, ut ait Plato in Ione: ex cuius ſententia Horatius, Ingeniū miſera quia fortunatius arte Du cit, & excludit ſanos Helicone poëtas Democritus. Quod ſi à Deo immittitur, circa res Deo gratas uerſari eum congruet, alioqui nō ſacer erit inſtinctus, ſed profanus. Id teſta ti ſunt priſci poëtę, qui de ſuis diuis carmina propè omnia referſerūt, ut appareat carmē eſſe in hoc repertū, ut quæ de diuis dicuntur, libentius, & maiore cum oblectatione au diamus. Illi celebrarunt, & cecinerūt diuos ſuos, canamus nos noſtros, diuos uoco deū, & angelos, tum illos, qui cœleſtem in terris uitam expreſſerunt. Hoc demū poëma eru diet, rapiet, tenebit nos, poſtremo ardorem quendam pectoribus immittet, primū ut a memus illos, hinc ut æmulemur, & nos eorū uelimus eſſe ſimiles. nam hoc uidemus in alijs poëmatis uſu euenire, ut tales optemus nos fieri, quales ij ſunt, quos tantopere ui demus extolli. Adhortetur carmen, & inflammet ad uirtutem, dehortetur, & deterreat à uitio. De myſterijs noſtræ religionis & ſumma fidei non pangendum carmen niſi bre ue, parcum, ſobrium, fortaſſe ut res mandetur memorię, ne quid uel in uerbis, uel in ſen ſu admiſceatur illis indignū. Relinquenda ſunt maieſtati illi, in qua dictauit ea ſpiritus Dei. Nam poëtæ ad occupandos lectione animos uarietate condiunt ea, quæ canenda ſuſceperunt. egrediuntur ad conuiuia regalia, ad cōſulta deorū, ad inferos, inducunt lo quentes multos, excitāt mortuos, quibus tribuunt orationem, inſerunt noua, inuſitata, grandia, admirabilia, quæ in tractatu de detinendo exequuti ſumus. In theatris ad publi cam exhilarationē exprimebatur hominū uita, uelut tabella quadam uel ſpeculo, quæ res uehementer delectat propter imitationem, ſicut Ariſtoteles ait in arte poëtica. quip pe imitatione, inquit, omnes capiuntur mirificè, & eſt homo animal maxime imitationi natum, & ea quæ in natura ſua nollemus cernere, expreſſa & aſsimulata nos detinēt. At uerò quoniam theatrū ex promiſcua conſtat turba, uiris, mulieribus, uirginibus, pueris, puellis, animis rudibus, teneris, & ad corrumpendum obnoxijs, quantū ſcelus eſt uene num inter illos ſpargere? Eapropter ſcenicæ fabulæ proponāt ſibi tanquā album, com mendationem uirtutis, inſectationē uitiorum, doceant uſum rerum, & prudentiā com munem. Nihil exprimant, unde molles animi flecti poſsint in peius. Rectè Horat. Om ne tulit punctū, qui miſcuit utile dulci. In argumento potiores ſunt hoc tempore uulga res fabulæ, q; antiquæ Latinæ aut Græcæ. In recentibus enim perſonatæ inducūtur uir tutes, uitia, reſp. populi, elementa, naturæ rerum, & de utilibus rebus agunt, quæq; ſpe ctatores cū uoluptate rectè admoneant. Debent hoc ciuitates pudori humano, debēt reuerentiæ Chriſtiani nominis, quod initium ſumpſit à domino, & Deo noſtro Chriſto Ieſu magiſtro totius ueritatis ac ſanctimoniæ. Transferāt quoq; eum morem in cantiun culas ore uulgi protritas, quas cantillent puellæ, ne nouæ mentes uitiorū cupidine, atq; experimentis inquinentur, priuſquā bonum & malum dijudicent. Nolim illis cōtineri res ſacras aut diuinas, ne peruulgata cōſuetudine obſoleſcant, uileſcātq; tanta myſteria, ſed res boni exempli, quibus uirtus extollatur laudibus, & fiat amabilis, flagitium uitu peratione deprimatur, & fiat inuiſum. Nam etiam priſcis temporibus populi Romani, ſicut traditur à M. Catone, magnorū uirorum laudes ſolitæ erant in cōuiuijs decantari, ut eſſent uelut quidam ſtimuli animis audientiū ad eas ipſas uirtutes, quas illi pro maxi mis ducebant. Quod ſi nec uirtutis placet materia, cantentur ſaltem ea, quę ſine animo rum corruptela audiantur, & teneant: cuius generis ſunt deſcriptiones amœnorū loco

rum,

rum̃,aut temporum,casus uarij,ridiculi,admirabiles,tristes,læti,dicta arguta,lepida,sal sa,& alia eiusmodi.Allegorię personarum in scenicis poëmatis uehementer allubescũt, nec est iniucunda quædam obscuritas, in qua auditor ingeniũ intendat, modò intra captum uulgi,cui ludi illi parantur.Nam quod populus assequi non potest, molestum est illi magis obscuritate,quàm gratũ.Possunt tamen prima esse populo reconditiora, quæ sensim per sequentia proferantur, atq; explicentur, ut argumentũ, quod ante primum actum recitabitur,multum adferet lucis toti fabulæ,apertiora enim erũt, quæ dicentur, spectatori,qui summã tenebit rei totius.Erit argumẽtum breue,cõpendiosum, quodq; præcipua materiæ totius attingat.uerbis simplex, & facile, sensisq;, quoad eius præstari poterit, dilucidum, ut comprehendi & teneri à quouis citra negotium possit.Plurimũ adfert gratiæ personarum discrimen,& decorum usq; ad extremum seruatum. De quo in superioribus præcepi.Non prodibunt personæ multæ pariter in prosceniũ,nisi fortè mutæ,ne si uariæ interloquantur,confundatur intelligentia rei,nec quarta loqui persona laboret, inquit Horatius. Dicamus iam de compositione carminis. Primi illi homines, qui carmen obseruarunt aliquod, concentum quendam aurium secuti sunt sine obseruatione pedum, mox concentum hunc, quòd allubesceret auribus, ut eum possent crebrò iterare,dimensi sunt temporibus prolationis, quibus nomina imposuerunt pedum.Certum autem numerum pedum uocarunt uersum.Sed neq; concentũ quemlibet uersum dixerunt,non enim minimũ, ut breuiorẽ quatuor syllabis,nec longiorẽ iusto spiritus decursu,nempe nõ supra sedecim syllabas, aut uiginti.ideo nuncupatus uersus,quod post eum uerteret,ac rediret ad initiũ uel spiritus loquendi progressu,uel oculus legẽdi. Paulatim (ut aures aliæ aliis delectant,sicut nullus est nõ alicui gratus sapor, ita nec sonus adeò horridus,absonus, inconditus,qui non alicui arrideat) nulla remansit uocum coniunctio à quinq; syllabis ad uiginti,quæ nõ habita sit pro uersu,& ex continuatione carmen extitit,atq; hinc poëma. quos tamen uersus si quis disiungat, & misceat uariè,ut iteratio non appareat,soluta oratio dicitur. Inter metrum & rhythmũ hoc est discrimen,quod metrum sequitur numerum pedum, rhythmus tempora, ideoq; alterum esse potest sine altero. Metrum sine rhythmo, hoc est uersus sine uersificatione, sine cõcentu,& harmonia,res est prorsum incõdita,& insuauis.dulcior multo est rhythmus absq; metro. Natura primorum inuentorum rhythmum est secuta, ars metrum fecit ex rhythmo. quãto porrò est arte potior natura? E uersibus habent nõnulli multum concentus,in quibus est harmonia temporũ parium in syllabis imparibus, cuius generis sunt heroici, pentametri, sapphici, glyconij, anapestici, hendecasyllabi, trochaici. Quibus auribus modus temporũ est notior, ijs concinniores sunt uersus,& iucundiores,uelut olim Græcis & Romanis,apud quos in omnibus syllabis discrimen erat notũ breuium & longarum.Exactum illud aurium iudicium iam pridem periit. magis agnoscimus uersificationem Latinæ linguæ,quàm uersum. In uulgari sermone ex crassitudine aurium non expenditur iam dimensio longarum & breuium, ac ne proferimus quidem,cum eo discrimine,sed in finibus annotatur cõsonantia cum certo syllabarum numero.Aptata est metri ratio auditori,rebus,personis inductis.Res bellicæ heroico uersu sunt decantatæ, quasi tuba, & spiritu illo militari, quo essent gestæ. Scenici actus plurimum decurrũt iambo, quôd is pes sermoni familiari ac quotidiano est proximus, sed obseruatio est maior in uersu scenico apud Græcos, quàm Latinos.Et tragœdia ut altioris argumenti & illustrium personarum,grandior est ac numerosior, unde cothurni uenit translatio, quemadmodum socci in comœdia, quæ erant in actoribus integumenta pedum. Fuerunt quondam alia fabularum genera in populo Romano Atellanæ, tabernariæ,mimi,de genere argumenti & personarum nominatæ, hæ ad nos non peruenere.Omnino actio scenica cõmunem teneat sermonem, numeris ad delectationem spectatoris sit aliquantum concinnis, & harmonicis, nec in sensis modò seruet decorum personarum, sed in uerbis quoq;, in temporibus, & tota compositione, quod à Latinis & Græcis cernimus in comœdia & tragœdia factitatũ, idq; nos rei ipsius natura admonet,tum etiam in materia ad eundem modum. Aspera enim & dura rebus tristibus competũt,lenibus lenia,lætis dulcia,denicq; quatenus effici dabitur, talis sit motus,

& uigor,& actio,& habitus uerſuum, qualis eſt rerum,nõ ſolum in fabulis ſcenicis,ſed in quocunq; poëmate,potiſsimum dramatico, quodq; motus ac uim illam recipit, ſicut in Homero & Vergilio docti uiri annotarunt. Omne & uerborũ, & locutionis genus non recipit carmen modò,uerùm etiam tegit,adeò ut & uerba antiquaria,& nouata,& phraſis dura, atq; horrida minus multo notabilia ſint in oratione numeris aſtricta, quàm ſoluta.quod eſt animaduertere in multis,uelut in Sydonio Apollinare,& Martiano Capella,quorum proſa abſurdiſsima eſt, uerſum non penitus reiicias. Quod autem carmen dictionem habet elegantiorem atq; expolitiorem, pedeſtriſq; orationis ornatę atq; excultę ſimillimam,id demum probatur maxime,quemadmodum Philoxenus Siculus author tragœdiarum nobilis dixiſſe fertur, optimam eſſe nauigationẽ iuxta litus, & deambulationem iuxta terram,carmen quod proximum ſolutę dictioni,& hanc carmini ſimillimam. Verba extranea,quæ barbara nuncupantur,non fert ulla oratio, niſi illata ſint in ciuitatẽ cum ſua re, uel ciuitate donata, ſicut primo libro docuimus. Mutata uerò adiectione, detractione,interpoſitione,propter concentũ tolerantur. Ad hæc uariæ quoq; dialecti,modò ne nimium inter ſe diſtantes. Homero linguæ omnes Græcæ, quæ ſunt complures, pro una fuerunt, ijſq; omnibus promiſcuè eſt uſus. Romana dialectos non habet,unica eſt,& ſimplex. Nationes omnes, quas quidem nouimus,diſtinguntur in uarias linguas, Hiſpana, Gallica, Italica, Germanica. Inter dialectos una eſt in quaq; natione præcipua, uelut olim in Græcia Attica,in Hiſpania Caſtellana,ſeu potius Carpentana,in Italia Thuſca,ſeu Bononienſis,in Gallica Pariſienſis.In ea pangenti carmen modice ſunt aliæ uſurpandæ. Alijs autem quantum libuerit inuehendum de optima.Admiſtio enim melioris ornamẽto eſt,admiſtio peioris fœdat, ac proinde uitanda.ut ſi quis Pariſienſi adiungat Aquitanicam,uel Bononienſi Pedemontanã.Latiniſſatio in Græcitate deformis eſt, Græciſſatio autem in Latinitate non adeò niſi in quibuſdam.Neq; præceptũ hoc ad uerba ſolum pateat,ſed ad phraſes quoq; & idiomata.Sunt quædam loquendi formæ,& ſimplicibus uerbis, & compoſitis uel ex uetuſtate repetitæ, uel mutatæ atq; inuerſæ, quibus in ſoluto ſermone non eſt locus, in carmen aũt non ſolum receptæ,uerumetiam multum addentes uenuſtatis.Sicuti Macrobius ex Vergilio Marone docet libro Saturnaliorum ſexto. Et quando numeris cõcentuq; poëta eſt, tanquam compedibus deuinctus, multa ei permittuntur in uerbis proprijs, in translatis,in ætate,in figuris,quę non item alijs,ac ne ſcriptoribus quidem,quarumcunq; fabularum,modò pedeſtri oratione. Adiectorum ſiue appoſitorũ,quæ epitheta nuncupantur, frequens eſt apud illos uſus: tum compoſitorum nominum, ut mare ueliuolum,& terræ frugiferentes, quæ duo in ſoluta oratione niſi maxime aptis locis ponantur,putida ſunt,nec in uerſu decent,ſi ſint nimis crebra.etſi compoſita illa uerba & grandia magis apud Græcos ſcriptores locum habẽt,qui ſunt illis fingendis feliciores, quàm apud Latinos. Tragœdiæ uehementer congruunt, quum ardet affectus aliquis uehemens.

Appoſitorum alia ſunt naturæ,quę apud poëtas ubiq; habent locum ad explendum hiatum uerſus,tanquam cõmiſſura,ut aqua humida,hyems glacialis,rapidus ignis.Scriptoribus ſolutæ orationis nõ datur hæc uenia,quia patentiore decurrunt campo. Quæ naturalia non ſunt, ſine ratione & cauſa poni ineptum poſſit uideri, nõ minus in uerſu, quàm in proſa. quid enim ad rem facit, ſi loquens quis de Ciceronis diuortio,dicat,Cicero eloquẽs repudiauit Terentiam uxorem.quid enim eloquentia facit ad repudium? quanto ineptius quum contra rationem? ut ſi Salluſtius,uel Clodius, uel M. Antonius inuehens in Ciceronem, uocet eum patriæ parentem, aut ciuem prudentiſsimũ.In ſermone numeris expedito nõ decet ullum appoſitũ inſeri,quod non plus efficiat, quàm ſi abeſſet.In carmine propter eius anguſtias magis conceditur, ut ſine ulla inſeratur cauſa,quàm ut contra rationẽ.Quæ officij ſunt,uel dignitatis,uel profeſsionis nomina,addi licet etiã ubi nihil eſt neceſſariũ,uelut Homerus poëta,Socrates philoſophus, Cæſar Imperator,Alexander rex.Multum uerſus confert memoriæ concentu ſuo,& dimenſu numerorum.Itaq; illa potiſsimum aptanda ſunt numeris,quę digna ſint memoria.Quę poëmati ſententiæ interſeruntur uelut gemmæ quædam, ſi non ſublimius & illuſtrius, numeroſius certè uelim aſtringi, & quaſi rotatius iaculari, ut telũ, quo fixius adhæreat.

Idq;

Idq; faciendum est, cùm in omni alio poëmate, tum in scenico. Sic eas facilè referet domum spectator, & recolet, & retractabit secum.

DE PRÆCEPTIS ARTIVM.

ARs omnis uelut imago quædam est naturę, nimirum exemplaris sui. Porrò in natura sunt res quæ adiectione partium crescunt, ut flumina, & ferè similaria: sunt quę prius quasi deliniantur totę, sensim uerò expoliuntur, atq; absoluũtur, ut fœtus animantium. In ijs etiam quæ hominum manibus & arte constant alia particulatim surgunt, ut domus, & liber: quædam cultu atq; expolitione totius existunt, ut statua, & pictura. In tradendis quoq; disciplinis ingenij ad eundem modum usu euenit. Nam aliæ à paruis initijs nouæ rei accessione proficiunt, sicut mathematicæ quædam primum omnium describuntur cunctæ, mox illis inducuntur sensim colores. Cuiusmodi sunt eæ quæ suis omnibus partibus coniunctæ sunt, & concatenatæ, uelut grãmatica, dialectica, rhetorica, philosophia morum. Hac uia tradiderunt artes has Aristoteles, magnus in primis artifex, & Aristotelis sectator Theodorus Gaza. Neq; enim in his una aliqua pars per se potest absolui, is est inter omnes nexus. Principium cuiusq; artis erit cum priore arte cõiunctum, ut præbeat transitum ad sequentia, sicut dialecticæ cum grammatica, medicinæ cum philosophia naturæ. Hæc est Aristotelis sententia in Analyticis, nasci artem omnem atq; doctrinam ex antecedente cognitione. Prima ergo ars omniũ sensibus erit coniunctissima, horum enim princeps est notitia naturæ. Hinc à facilioribus ad difficiliora fiet progressus, ut priora gradum posterioribus fulciant. Priora quidem in artibus lux sunt posteriorum, sed hæc ipsa posteriora amplum locum aperiunt, quo se lux illa diffundat, & fiat fulgentior. Huc pertinet quod dici solet, magister est prioris posterior dies. Non est in præceptis exhibendis natura rerum spectanda, sed audientis, ut illi & notiora dicamus, & priora, non naturæ. Cursum quidem & uiam naturæ debemus imitari, non ingredi. Habet illa, quæ sunt sibi notissima, nempe simplicissima in compositis, ut & nostri artifices materiam & formam. Nobis notissima sunt exposita sensibus, hinc ad mentem uenitur. Ergo sensilia sunt primũ ostendenda, deinceps ea, quæ sunt his proxima, ceu in naturalibus commista, in artificialibus simplicia. Nos enim, utpote horum artifices, facilius hæc assequimur, sicut in domo calcem, lateres, ligna. in republica domos, homines: sic de animantibus, de herbis, de lapidibus scribunt, qui naturas rerum scrutantur, & literis mandant. Quæ disciplinæ aliquid uel scire docent, uel agere, accuratius atq; elaboratius exhibendæ, dilucidius uidelicet, exactiore ordine, ac singulis præceptis magis perpensis atq; ad ueritatis normam examinatis. Quæ autem aliarum sunt organa, accommodatę ad earum usum, nihil refert quomodo tradantur ipsæ, modò aliæ, quarum gratia sunt paratę, probè ualeant illis uelut instrumentis uti. melior est cultellus rusticanus bene scindens, quàm elegans retusus. Efficacitas rationum in omnibus non potest esse par, neq; est hoc à quoquam requirendum.

In mathematicis ex communibus animi conceptionibus, & postulatis, quæ absurdissimum sit reijcere, proceditur ad alia, ea ui & robore argumentorum, ut paululum progressus non sit in manu tua retrocedere, ni repetas semel concessa, sed nec impetrabis, quantumuis reposcas, & efflagites. In cognitione naturæ probabilitas sumitur ex ijs, quæ cadunt sub sensus, adhærentibus, motionibus, actibus. In disciplina morum ex congruentia naturæ, quæ omnibus informationes quasdam de bono & malo, de æquo & iniquo indidit. In encyclopædicis, à sententijs atq; opinionibus receptis usu & moribus eorum, qui habentur prudentes. In organicis, ut illis instrumentis aliarum usus quàm aptissimè consistat. Dictio erit, quæ magis respiciat lucem & curam rerum, quàm uerborum. Hoc quidem quantum ad rationem præceptorum attinet. Nam sicut in aliijs, ita & hoc loco circumspici possunt, dicens, auditor, res, tempus, & huiusmodi. Lux hæc paratur uerbis propriis, translationibus à rebus notis atq; aptis, sed de claritate ac enucleatione iam diximus. Neq; uerò ita est enucleatio hæc persequenda, ut nõ solum elicias, atq; ostendas nucleum, sed frangas & cõminuas puerili expositione ac inepta. & alioqui ingenia discentium sæpe sunt, ut puerorum dentes solido aliquo cibo roboranda & confirmanda. Artifex si rebus satisfecit, probè defunctus est suo munere, qui-

buſcunq; uerbis uſus. Eloquentiam in philoſopho ſi attulerit, non reijciam, inquit Cicero: ſi non attulerit, nec requiram. Philoſophia enim omnis, ars eſt rerum, non uocum, & tolerabilius eſt philoſophũ peccare in uerbo, quàm in ueritate. Melior ſcilicet ac uerior philoſophus eſt, qui ſordida oratione res pulchras atq; elegãteis promit, quàm contrà, qui uel falſa, uel nugas proijcit ſplendide ac magnificè. Bonam ſententiam quis non ferat uel Gallicè, uel Hiſpanè, uel Germanicè, uel etiam Scythicè prolatã. Si his linguis, cur non etiam Latina imperite? Malim tamen, quantũ fieri quidem poſsit, ut ſermonis cuiuſq; ſeruetur integritas, ac proprietas. Ita enim intelligetur facilius, & incorruptior ueniet ad poſteros. Princeps in tradẽdis artibus Ariſtoteles, rebus eſt denſiſsimus, parcus uerborum, in quo ualdè conſuluit memorię diſcentium, ne in retinendis neceſſarijs multum laboris ſuſcipiant. Hunc artium præceptores imitentur, etſi nolim eos ubiq; adeò eſſe paucíloquos, ac præciſos, nam ille in eo uidetur mihi eſſe quandoq; immodicus, non enim quantum ſatis eſt, dicit, nec reſpirare atq; interquieſcere ſinit lectorẽ. Sed ſi paululum modò oſcitauerit, præteruolat magno diſpendio intelligentiæ. Procœmia erunt, quæ parent auditorem ad audiendum docilitate, & attentione, ex magnitudine, pulchritudine, utilitate, neceſsitate artis. Si quando libitum erit digredi, id dabitur ſoli explicationi, uidelicet cùm diſcentiũ interierit uel ad artẽ, nempe ut attentior reddatur, aut docilior, uel propter ipſum eundem, quo fiat melior. Quod eo eſt faciendũ crebrius, quanto ſatius eſt nos bonos eſſe, quàm doctos, & admonitiunculæ eiuſmodi breues erunt, ſed robuſtæ ac ualidæ, quales nonnunquam Plinij Secundi, uel longiores in calce, ſicut apud Senecam in extremo cuiuſq; uoluminis de quæſitis naturæ. Repetitiones eorum, quæ iam ſint dicta, conceduntur, dum ne immodicæ in re aperta, nam intelligentiæ dantur uel memorię, quorum ſi alterutrum non ſit neceſſarium, ſuperuacaneę ſunt. Epilogi, & tranſitus quid actum, quid agendum, crebri interſeruntur, ut memoria dictorum ſubinde renouetur, & ad ea quæ ſequuntur, paret ſeſe auditor.

DE PARAPHRASIBVS.

HActenus de ijs orationibus, quę explicandis rebus docẽt, nunc de ijs, quæ explicatione uerborum, quarum aliæ orationem, quam ſuſceperunt, dilatant, aliæ contrahunt, aliæ uerba explanant eadem lingua, aliæ ex una in aliam transfundunt ſenſa. Primum genus, paraphraſis dicitur, alterum epitome, tertium cõmentarij, quartum uerſio ſiue interpretatio. Paraphraſis eſt, quũ ex una oratione alia dilatatur, breuiter intertextis, quæ lucem adferant, ac proinde adiuuent intelligentiam. Eſt enim tanquam uiam paulo latiorem ac planiorem reddere, eadem uerò tenere ſemper in ſenſis, in qua expoſitione interdum authoris perſona ſeruatur, aliàs paraphraſtes ipſe inducit ſuam, ut tertia perſona ſit authoris. Quandoq; uariat, prout locus uidetur poſcere, nam ſunt, quæ commodius authoris perſona exponuntur, ſunt quæ paraphraſtæ. Quod in ijs orationibus potiſsimum contingit, quę habent dramata, uel conciones, aut dialogiſmos, denique uim aliquam & motum. Nam in deſcriptionibus aut præceptis artium una eſt inuariabilis totius ſermonis facies, nihil opus eſt ea mutatione loquentium. Digreſsiones aut nullæ erunt prorſum, aut perquàm raræ, & eæ breues admodũ. Id circo enim paraphraſis nominatur, quòd à propoſita phraſi, hoc eſt oratione nõ diſcedat. Verùm utilitati eſt ſeruiendum, hoc eſt intelligentiæ rei. Quocirca locis difficilioribus immorandum eſt aliquanto diutius, uidelicet in cõplananda uia cœnoſa, & accliui plus eſt operæ ponendum. Cuius generis ſunt fabula, uel hiſtoria, non cuiuis expoſita, locus ex philoſophia reconditus, alluſio uel citatio authoris rari & incogniti. tametſi obſcura hæc & intricata non tam dilucidè explicantur in paraphraſi, quàm in alijs expoſitionum formis. Omnino inſtituti ſui debet paraphraſtes ubiq; meminiſſe. Dictio erit ad docendum appoſita, & quæ in ſubiecta oratione antiquarie dicentur, ea reducet ad uocabula ætatis receptæ. quod uno uerbo proprio quidem & apto, ſed nõ ſatis uſu cõmuni trito, id circunloquetur multis notioribus. quæ inuerſa, rediget in ordinem, quæ diſiuncta & ſeparata, coniunget. Metaphoræ ac figuræ, & conformationes omnes ad propriam ac naturalem ſimplicitatem reducentur, ut ſint ἀνισχηματισμίαι. Deniq; tectorio detracto omni, ut planior ac dilucidior reddatur oratio. Intelligentiæ enim quæſita eſt paraphraſis, ut

eam

eam ſubmoneat, quæq; opus ſint, uel oblitę, uel in promptu nõ habẽti, in mẽtẽ reducat.

EPITOME.

PAraphraſi contraria eſt epitome, quaſi reciſio eorũ, quę ad præſentis rei uel intellectũ, uel utilitatẽ non ſunt neceſſaria. Prę ſentẽ uoco, quã ſibi ſtatuit, qui reſcindit. In quo ſunt inſpiciendi auditores, quod eorũ ingeniũ, quæ eruditio circa eam ipſam rem: hinc enim facilior fit materiæ intellectus, aut difficilior, tũ cuiuſmodi eſt ea res, quã paramus abſcindere. nam quę eſt ad intelligentiã aliarum rerũ, uel ad ſuimet ipſius cognitionem accõmodata, ea ſi à reliquo amputeẽ corpore, non epitomen relinques, ſed detruncationem, quale eſt quod Paulus epiſcopus fecit in Feſto Pompeio. Porrò epitome duplex eſt, altera ex toto corpore uelut circũciſio & purgatio, quũ fuſa cohibentur, & amputantur, quæ in præſens redundant, in quo noua eſt oratio cõtrahentis. hæc poteſt appellari ſumma ſiue contractio. Talis eſt L. Flori de T. Liuio. Altera epitomes forma eſt, quũ de toto corpore pars una aut multæ amputãtur, quod uerò fit reliquũ, eiſdẽ uerbis ſubijcitur, quibus prius dicebatur, ſicut in centonibus iuris ciuilis. Hæc dicatur amputatio. Finis epitomes eſt memoriæ conſulere, ut facilius teneat, quę expediant, & breui illa quaſi admonitione ſubinde renouetur, atq; excolatur. tum ſtudioſorũ tẽpori, ne tam multa habeant legenda, cõtractis neceſſarijs in pauca. Conducit nonnunquã probitati, ut ſi quis noxia reijceret ex authoribus ſpurcis, uelut è Martiale, Ouidio Naſone, Catullo, & eius notæ. Amputatio non habet aliam dictionẽ, quàm priorem. in qua hoc ſolum eſt curandũ, ne turpiter hient interrupta. etſi non ubiq; adhiberi neceſſe eſt tranſitum, & quaſi glutinum. Nam multa ceu aceruo quodam cõgeruntur diſtincte, quod abſurdum nõ eſt in uarietate rerum. alioqui ubi unus eſt contextus ſenſorũ ac rei, præſtat connexum ſeruari aliquem. Contractationi ac ſummæ ſeruit breuitas, ut paraphraſi copia. Deniq; ſi nihil petit aliud cõtractio, quàm breuiter dicere, contrarijs inſiſtetur ijs, ac de paraphraſi eſt oſtenſum, exceptis antiquarijs uocibus, atq; obſoletis.

ENARRATIONES ET COMMENTARII.

INterpretatio ſingulorũ uerborũ gloſſa eſt, ſeu gloſſema, nomẽ à lingua tractũ, quaſi lingua obſcurior dilucidiore declaretur, ut homo ferreus & prę fractus, hoc eſt durus & inflexibilis. Aliquãto fuſius eſt ſcholiũ, ab exercitatione ſcholarũ deductũ, quod cõſtat oratione facili, & demiſſa, omni prorſum cultu atq; apparatu nuda. Cõmentarij à cõmentando nuncupantur, quod eſt diſſerere. Hi ſunt duorũ generũ, uel ſimplices, uel in aliud. In aliud ſunt, quũ ſenſus authoris cuiuſpiam inquiritur, atq; explicatur, qui ſunt breues & cõtracti. Diffunduntur uerò, ſi de propoſita materia diſputatur, & quid adferre queat cõmentator experitur, quales ferè ſunt in Ariſtotelem, in Hippocratem, in Galenum, in Magiſtrum ſententiarũ, in iure etiam ciuili ad 12. tabulas, & ad edicta magiſtratuum omniũ. Huius notæ ſcriptores non tam alieni operis expoſitores dici debeãt, quàm authores proprij. Ideoq; ad 12. tabulas & ad edictum prætoris, uel ædilitiũ commentarios ſuos inſcribunt. In arctioribus cõmentarijs non perinde ſpectandũ eſt, quid ipſe ſentias, ut quid is, quem explanandum ſuſcepiſti. Si locus ſit obſcurus, repetendus uelut è fonte, unde eſt ab authore tuo deſumptus, ut in Plinio ab Ariſtotele, uel Theophraſto, aut alijs, quos ipſe nominat. in Timæo Platonis ab opere Timæi Pythagorici. quod nõ parum lucis adfert. Tum breuiter, uelut puncto attingendum, quid alij de ipſo loco ſenſerint, aut ſi qui tractarunt idem argumentum. Quod ſi non niſi multis uerbis explanari poſsit, quod citare inſtituiſti, ſatius eſt fontem, quod aiunt, indicaſſe digito, & unde ſit hauriendum patefacere, niſi fortè ſcriptor ſit uel rarus, uel aliena locutus lingua, quum è re tamen legentium putes eſſe ſententiam illius noſci. In commentarijs diffuſis cauendum ne alieno loco accurata fiat, & longa diſputatio. neu permiſceas diſciplinas, uelut ſi ſcribens in ſacras literas, ad anxias & uerboſas de alijs diſciplinis commentationes tranſeas, quemadmodum de uocibus, de memoria rerum geſtarum, de dialectica, de cognitione naturæ. ut ſi enarrans illud Euangelij diui Lucæ, Exijt edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur uniuerſus orbis, ex mentione Auguſti uelut occaſionem nactus, totum illius cum Marco Antonio bellum ciuile recenſeas: uel quia exponis, Fiat lux, infarcias de luce & umbris, quicquid à philoſophis

& perſpectiuis eſt collectũ. Modum omnino oportet adhíberi, & delíbandæ ſunt aliæ diſciplinæ,aliquidq; ex eis in tuum uſum decerpendũ,non cõfundendæ,ut aliæ in alia-rum fines irrumpant. Iam uerò quantumcũq; fuſos cõmentarios habeas in animo com-ponere,memineris ſemper eſſe cõmentarios,nec adeò in eis licitum eſſe euagari,atq; in libero tuo opere,dum enim in alium ſcribis,illi eſt ubiq; ſubſeruiendum. Alioqui nõ in aliud,uel ad aliud erunt cõmentarij,ſed præter aliud. Stylus ſit ad dicendum appoſitus, qualem in præceptis artium requirimus. Alterum cõmentariorum genus eſſe diximus ſimplex,in quibus breuiter annotantur admonendæ memoriæ nonnulla.id fit uel à di-cturis,uel à colligentibus, quæ mox digerant, & extendant, hoc quiſq; conficit, prout ualet memoria, atq; exercitio. Alij perbreues,& quaſi notis quibuſdam,alij pleniores, ut Caſsius Seuerus. In ijs non præcipua quæq; uel intima ſubnotandum, ſed quæ expe ditiſsimè,& certiſsimè memoriam illò reducant,quò uolumus. Sunt nõnulli ad memo-riam rerum geſtarum conſcripti magis alijs, quàm nobis ipſis, ut olim Cornel. Syllæ & L. Luculli,& M. Scauri,ſicut authores tradunt,& qui extant,C. Cæſaris. In his non con uenit eam eſſe aſtrictionem,& breuitatem ſenſorũ,intelligi ægrè ut poſsint, ſed ita con-ſignari dictorum & factorũ ſummas,ex quibus facilè per ſe reliqua conijciat lector nõ imprudens,& dilatari poſsint ad eam hiſtorię ueritatem,quàm ſupra conſtituimus. Ho rum phraſis erit aſtricta,recta,nuda, quod de Cæſarianis ſcribit M. Tullius.

VERSIONES SEV INTERPRETATIONES.

Verſio eſt à lingua in linguam uerborum traductio ſenſu ſeruato. Harum in qui-buſdam ſolus ſpectatur ſenſus,in alijs ſola phraſis,& dictio,ut ſi quis tentaret De-moſthenis, aut Mar. Tullij orationes,aut Homeri uel Maronis carmen in alias linguas transferre, facie illa & colore dicendi prorſum obſeruato. quod experiri, hominis eſſet parum intelligentis, quanta ſit in linguis diuerſitas. Nulla eſt enim adeò copioſa lin-gua & uaria, quæ poſsit per omnia reſpondere figuris & conformationibus etiam in-fantiſsimæ. Non omnia nos ducentes ex Græco ſequuntur, ait M. Fabius, ſicut nec il-los quidem, quoties ſuos utiq; uerbis ſignare noſtra uoluerunt. Tertium genus eſt,ubi & res & uerba ponderantur, ſcilicet ubi uires & gratiam ſenſis adferunt uerba, eaq; uel ſingula uel cõiuncta,uel ipſa uniuerſa oratione. In quibus ſola habetur ſenſorum ratio, ea ſunt interpretando libera, & habetur uenia quædam uel omittenti, quæ ad ſenſum non faciunt, uel addenti, quæ ſenſum adiuuent. Nec ſunt figuræ & ſchemata linguæ unius in alteram exprimenda,multo minus quæ ſunt ex idiomate. Nec uideo quorſum pertineat ſolœciſmum aut barbariſmũ admittere, ut totidem uerbis ſenſa repræſentes. Quod fecerunt quidam in Ariſtotele, & in ſacris literis. Licebit duo uerba uno redde-re, & unum duobus, & in quocunq; numero, ut nactus erit linguam. Quin & aliquid addere,& detrahere. Exempla horum promptum erit ſumere ex Cicerone in libello de Vniuerſitate,& Theod. Gaza optimo interprete. is enim in primo uolumine Ariſtote-lis de Animalibus λύσωμα uertit æquamentum,& diſcrimen:tum σρυφνὸν auſterum,& a-cerbum,unam uocem duabus:& in eodem libro, δοκεῖ δὲ ὁ σπόγγος ἔχειν τινὰ αἴσθησιν. σημεῖον δέ, ὅτι χαλεπώτερον ἀποσπᾶται, ἂν μὴ γένηται λαθραίως ἡ κίνησις, ὡς φασι, addit de ſuo, ut auul-ſores. Tum & illud, τὰ καλύμματα ὀλοθύρια ſic transfert, & quæ tota ſimplici mitioreq; teſta operta uertibula appellantur, & calli, aut tubera. Ad hæc, quæ Latinæ congruunt, ita exprimit, etiamſi Græcè paulo habeatur aliter, ut ὠτὸς δὲ μέρος, τὸ μὲν ἀνώμυμον, τὸ δὲ λοβός, uertit,auris pars exterior,cui eſt nomẽ auriculæ,parte conſtat exteriore pinna,inferiore fibra. Seneca lib. de Tranquillitate uitæ primo,εὐθυμίαν tranquillitatẽ uocat. Neq; enim, inquit,mutare ac transferre uerba ad illorũ formã neceſſe eſt,res ipſa de qua agit,aliquo ſignanda nomine eſt,quod appellationis Græcę uim debet habere, nõ faciẽ. Quamuis nõ facilè patiar quẽlibet interpretẽ tantũ ſibi ſumere, niſi certũ prius atq; exploratũ ha-beat nõ falli ſe,quiq; in arte,de qua tractat,iuſtam operã poſuerit. Interpretationes ſunt non tantum conducibiles, ſed etiam in primis neceſſariæ, cùm diſciplinis omnibus, atq; artibus,tum uniuerſæ uitæ ſingulis propè momentis,fideles ſint modò. Fiunt uerò falſæ uel linguarũ ignorantia,uel materiæ,qua de agitur. Verba enim finita ſunt,res infi nitæ. Itaq; ſimilitudine uerborum,quæ dicitur ſynonymia, capiuntur multi. Verùm de

quibus

quibus agitur, interpretes ignari falluntur & fallũt eos, qui ipsis fidunt. tum in uocibus & dictione, uel arti illi, uel authori peculiaribus. Ita uideas quosdã in Aristotele uertendo, aut Galeno, parum feliciter negotium administrasse, parumq; ex dignitate operis, quòd in philosophia & medicina non essent, quantum erat opus, uersati. In quibus interpretationibus res & uerba appenduntur, tropi & figuræ, & reliqua orationis ornamenta cõseruari debent, quoad eius fieri possit, eadem. Sin id minus queas commodè, similia ui & decore, uidelicet qualia in posteriori lingua congruunt. Hæq; eandem uel uim referunt uel gratiam, quę illa altera in lingua priore, in quo peccatum est transferendo Atistotele cum aliàs, tum in Elenchis, sicuti alibi demonstrauimus. Vtilissimũ esset linguis, si dexteri interpretes auderent nonnunquã peregrinam figurã, uel tropum donare sua ciuitate, modò ne ab illius moribus & consuetudine multum dissideret. Quan doq; etiam ad imitationem prioris linguæ & quasi matris fingere ac formare aptè uerba aliqua, ut posteriorẽ linguam, ac quasi filiã locupletarent. Quod fecit Gaza Græcus ho mo de Latinis bene meritus. Hoc uerò non quiuis putet licere sibi, & consultius est hac in parte esse parcũ, ac meticulosum, quàm audacem, profusumq;. Sunt uersiones quædam sensorum, in quibus exactissimè sunt consideranda etiam uerba, ut ea interim fieri si possit, adnumeres, uelut in locis difficillimis, & ad intelligendum perobscuris, cuius sunt generis Aristotelica cõplura. quæ relinquenda sunt lectoris iudicio. tum in negotijs publicis aut priuatis magni momẽti, in mysterijs pietatis, quæ libris sacris cõtinentur. In queis omnibus non debet iudiciũ suum interponere, qui uertit. Propria uel hominũ uel locorum nomina integra debent transire à lingua in linguã non ad uim significationis mutata. Neq; enim Aristotelem uerteris Finem optimum, uel Platonem Latum, uel Israëlem Supplantatorem. Sic Barbara nomina Gręci ac Romani reliquerunt in sua origine ac natura. tantummodo flexerunt ad formam suæ linguæ. Ideoq; meritò (ut alios multos) ita & historicum illum deridet Lucianus, qui nomina Romana mutarit in Græca ut ex Saturnino fecit κρόνιον, & alia eiusmodi. Licet tantũ ex eis, ut dicebam, literã aut syllabã elidere uel addere, quò aptum linguę reddatur & congruens. uelut quod Latini dicunt Catulus Græcè κάτλος, Fabius Valens φάβιος οὰλης, Quintus κόϊντος, Thyberim θύμβριν, Tullium τύλλιον, Caligulam ϛαλλιγόλαν, λούκιον, Lucium. Itaq; ineptè meo iudicio faciunt, qui nomina Romana ex scriptura Græca ducũt ad nos, ut quum Rhomam uolunt aspirari, quia Græci aspirant, quę incipiunt in ρ. Sunt quædam nomina iam olim in linguis recepta. uario modò, utendum erit ea consuetudine. Carthaginem uocat Romanus, Græcus καρχηδόνα. Agrigentum ἄκραγας. Quæ propria nomina ad linguã aliquam transierunt per mediã, ex hac sumuntur, non ex prima, ut barbara gentium illarũ orientis & meridiei ad Romanos peruenere Græcis monstrantibus. Septentrionis autem atq; occidentis ad Græcos per Romanos. Ergo & Romani more Græco efferunt, quæ Græci docuerunt, & Græci Romano, quæ ab illis acceperũt, paulatim utriq; inflexis uocibus ad suam pronunciandi rationem, quod & in linguis nostris uulgaribus est intelligere. Hispani enim & Itali, quia per Gallos de Germanis cognouere, Germanicas regiones atq; urbes, non ut Germani ipsi, sed ut Galli proferunt. Qui ergo Latinum sermonem cogunt Hebraica nomina ad Hebræorum consuetudinem efferre, uidentur mihi uim facere naturæ rerum. Non recipit sermo generosus tam absurdas torsiones palati, linguæ, oris totius, & quæ à Græcis sumpsit, Græca retinet forma. Non est ab extremis facilis transitus in natura, sed à uicinis, & consimilibus. Sacras porrò literas Ecclesiæ Latinæ à Græcis ferè acceperunt, & usus nominum inualuit ex uersione septuaginta. Isq; est congruens & conformis Græcæ linguæ, quæq; ex Græca orta est, Latinæ. Quid quòd Hebræi ipsi nationum nomina, non ut illæ eloquuntur, sed proprio quodam more ac suo alienissimo à cæteris. Quod perspicuum est legenti ea, quæ de Persarum, & Medorum, & Ægyptiorum regibus scribunt, uel de orbis regionibus, & locis. Oratio uel sequenda alterius, si in eo uertatur interpretationis uis aliqua. ut si quis Apuleij asinum transferret ad exprimendam dictionem illam mire iocularem, & risum mouendo aptissimam. Sin aliter, te ipsum sequitor, & naturam tuam optimam cuiq; ducem, modò rectè institutam. Si potes contende etiam cum tuo exemplari, & meliorem,

quàm acceperas orationem, reddito, hoc aptiorem & commodiorem rei atq; auditoribus. nam hoc demum melius, quod appositius, & conducibilius. non ut quidam praua animi uanitate inducti faciunt, qui rectam & nitidam, atq; honestam dictionem ita calamistris omniq; cultu onerant, ut ex facili & grata grauem ac molestam reddant. Quid illi qui elegantiam atq; splendorem prioris orationis fœdant uerbis, figurisq; obscuris, tractis, humilibus, immodica affectatione ostentandæ facundiæ sine ullo iudicio, quæ sit cuiusq; orationis natura & uis? putant enim hoc fore dictionē pręstantiorem, si maxime rara, aut exquisita, aut antiquaria uocabula inferserint. Quò & gratiam orationis seruaris exactius, & propius fueris interpretatus ad uerbum, hoc uersio erit potior ac præstabilior, nempe exemplar suum uerius exprimēs. qualis est libellus Ciceronis de Vniuersitate, pars Timæi Platonici, quem studiosis proposuerim optimum ad uertendum exemplar. Carmē omnino liberius est interpretatu, quàm oratio pedestris, propter necessitatem numeri. addi in eo & detrahi, & mutari permittitur, atq; hoc liberius, quum sententiæ summa, & quam nos potissimū quærimus, manet integra. Cicero in libro de Gloria secundo, (ut exemplum unū adferā pro plurimis) Homeri interpretatur uersum ex Iliad. ϑ. ὅν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος ἕκτωρ, Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense. Omisit ἀριστεύοντα & φαίδιμος, quòd hæ uoces ad rem suam nihil attinerēt.

Orationum genera quę ad persuasionis quæstiones pertinent, propè sunt infinita, siue materiā spectes, siue proposita dicentiū. Nam his duobus discernuntur. Ea uerò sigillatim persequi, operis immēsi foret, generalibus sunt à nobis cōprehensa formulis, quæ paucæ sunt, & certius ueriusq; artem docent, accedat modò attentio diligens, & exercitatio, sine qua nullæ omnino præceptiones sufficerent. Hæc habui, quæ de ratione sermonis dicerē præceptis uniuersalibus, ut facilius ac meliore fide tum teneri possint, tum in quemuis usum accōmodari, prætermissis ijs, quæ ad institutum hoc non sum arbitratus pertinere. Vestrum erit hoc tantum bonum humano generi dei munere concessum nō detorquere ad prauos usus, uelut ad maledicentiam, & rabiem. Neq; in perniciem hominum conuertere, quod ad salutem eorum fuerat comparatum. Quid enim refert impetas quempiā ferro, an lingua? nisi quòd hoc est grauius sermone lædere, quo instrumenti natura magis ferebat, ut eo prodesses. Bestiæ, quas mutas nominamus, suo illo ritu genus quoddam habent sermonis inconditū atq; imperfectum, qui affectibus earum seruit, noster aūt menti. Idcirco nec uerum habet sermonē, nisi quę etiam mentē. Quapropter induimus nos profectò brutorum ingenium ac mores, & planè trāsimus in bruta, quū sermonem nostrū rationis obsequio ad seruitium transferimus affectuū.

De ratione dicendi finis. Brugis 1532.

IO. LODOVICI VIVIS DE CONSVLTATIONE, AD LODOVICVM A' FLANDRIA DOMINVM Pratensem.



PETIS, uir clarissime, ut de genere deliberatiuo separatim à reliquo artis Rhetoricæ corpore scribā. Opus mea quidē sententia difficile, tum quòd tam latissimè patet, quàm uaria & multiformis est humana uita, de qua tota, singulisq; portiunculis subinde in consilium itur, tum quòd in hoc genere sicut in iudiciali & demonstratiuo inuentio tota ex locis argumentorū sumitur, qui mihi aut repetendi erunt hoc loco, aut certa quadam, & noua ratione proponendi, ut maxime congruet præsenti instituto. Verum singularis humanitas

humanitas tua atq; eruditio, ad hęc amor in me ſummus cogunt me, ut nihil mihi uidea tur difficile, dum deſiderijs tuis ſatisfaciam, præſertim quòd tibi & tui ſimilibus, qui fre quenter de rebus magnis cum principibus conſultatis, nihil eſt perinde neceſſarium, ut conſilij expediendi modus, & facultas. Sed in opere properato puta te tantum com mentarium lecturum ruditer delineatum, ne expectatione tua minor ſit hæc tracta tio. opus eſt tamen attentione, ne quæ leuiter à nobis attinguntur & quaſi punctim, præteruolent animum alibi occupatum ſine ullo ſenſu ſui. Hæc præfati ad rem acceda mus. In omni ſiue oratione, ſiue ſermone, quemcunque quis facturus eſt, tria ſunt ſpe ctanda: quibus de rebus eſt dicturus, quo quiq; loco, poſtremò quibus uerbis. quæ ſolent à Rhetoribus nominari inuentio, diſpoſitio, & elocutio. Ita nos primo loco de inuentione ſuaſoriarum diſſeremus, proximo de ordine partium & ratione, ultima e rit de uerbis cura. Ante omnia conſiderandum qui ſit cui conſulimus, tum qui nos, deinde qui alij conſultores, & quibus de rebus, quo loco, quo tempore, ac rerum ſta tu. Quæ ſic uolo eſſe à me poſita, ut non longis interuallis cogitanda ſint, ſed uelut uno oculorum aſpectu colligenda, conferendaq; inter ſeſe. In deliberãte, & nobis, & cæteris conſultoribus, denique in unaquaq; perſona hæc conſiderari debent, quæ ante ipſam, quæ cum ipſa, quæ poſt ipſam. Ante ipſam ſunt maiores eius, & ueteres omnes, hinc pa tria, tũ quicquid actũ, uel dictũ eſt, quod ad ipſum poſsit quoquo modo pertinere, aut ad rem, de qua deliberatur, uelut exempla ex hiſtoria, ex fabulis, oracula, prædictiones, apophthegmata, ſentẽtiæ, dicta uulgaria, prouerbia. Cũ ipſa, quæ in animo, quę in cor pore, quæq; extra. In animo eſt acumen ingenij, firmitas memoriæ, dotes naturę, docili tas, iudiciũ, & quæ induſtria atq; uſu comparantur diſciplinæ & artes omnes, ſiue quæ ingenio exercentur ſolo, ſiue quibus manus adhibentur, prudentia, mores, uirtutes, & horum omniũ contraria, hebetudo, obliuioſitas, ruditas imprudẽtia, improbitas. Tum affectus, deſideria, cupiditates, ſpes, metus, dolores, ægritudines, lętitiæ, amor, amicitia, inimicitiæ, odium, iracundia, unde eſt maxima pars morũ, qui ſunt admodum uarij, le nes, aſperi, conſtantes, inconſtantes, molles, & tractabiles, duri, ac intractabiles, ſeueri, remiſsi, aſtuti, ſimplices. Accedunt his ſtudia diuerſarũ rerum, equorum, armorum, ue nationis, quæ omnia radices habent in parte animi inferiore fixas, & uel pullulant, uel comprimuntur, ut alimentum, & occaſio, & cõſuetudo. uel additur, uel detrahitur. nam illæ permotiones ſiue affectiones leues, quæ ſubitò euolant, nec à radice affectus profe ctæ ſunt, nec ueſtigium ſui ullum reliquerunt, obſcuræ ſunt ac momentaneæ, & rei pſa haud uehementer curandæ. quamuis ſumuntur haud rarò ab oratore in coniecturam maioris affectus animo latentis, cuius illæ ſint notæ. In corpore ſunt hæc, in cute for ma, in neruis robur, aut imbecillitas, in uitalibus ualetudo utraq;, in mole corporis ſtatu ra, in proportione pulchritudo aut deformitas, in toto homine ætas, & corporis ſenſus. nomen quoq;, ut Carolus, Hannibal, Ioannes, Scipio, Paulus, Stunica, Manricus, Vela ſcus, Columna, Vrſinus, & quæ ex iam dictis manant, celeritas, agilitas, gratia iuuentu tis, reuerẽtia, & eiuſmodi. Externa aut ſub nobis ſunt, diuitiæ, poſſeſsiones, cõditio, ars uitæ, uoluptates per omnes ſenſus, uxor, liberi, ſerui conſanguinei, quorum cura ad nos ſpectat, pupilli, clientes, ſubditi. Supra nos ſunt parentes, & maiores, cõſanguinei, uelut patrui, fratres natu grandiores, domini principes, reſpublica, magiſtri. Ex æquo ſunt, a mici, ſodales, patrueles, conſobrini, affines, uicini. Ex alijs penitus nobis contingunt, di gnitas, honores, potentia, gratia, exiſtimatio, gloria, quæ non ſunt in manu noſtra. Quũ hæc percenſeo, uolo ſemper cõtraria intelligi, ueluti paupertatem, egeſtatem, inopiam, imbecillitatem, orbitatem, cruciatus, infamiam, obſcuritatem, inimicos, hoſtes. Nam iu xta Ariſtotelis ſententiam, ad eandem artem pertinet tractare de contrarijs. Circa nos ſunt locus, ut ciuitas, regio, & qualitates eius, montoſa, petroſa, paluſtris, plana, per uia, inuia, & partes eius, domus, forum, rus, inter amicos, inter inimicos. & loci po ſitus, hic, iſtic, propè, procul, inferne, ſuperne. Tempus uel naturale eſt, ut hora, dies, menſis, annus, ſeculum, hyems, æſtas, uer, autumnus. uel ex operibus hominum, fe ſtum, profeſtum, uindemia, meſsis, ſementis, belli, pacis, inducíarum. uel ex accidenti bus tempori, ubertatis, famis, peſtis, ſalubritatis, tempeſtatis, tranquillitatis. Iam tem

poris differentiæ,nunc,tunc,olim, pridem,heri, cras. uel priuatim ad aliquem, tempus, discendi, petendi magistratus, gerendi,morbi,ualetudinis. Huius pars est occasio siue opportunitas, summum tempus rerum agendarum. Sunt nonnulla iuxta nos & nobis proxima,ut quę corpus tegunt,habere à philosophis dicuntur,unde habitus & cultus, tunicatus,armatus, togatus,ocreatus. Post ipsam personam soboles,cuncta posteritas, fama.Et hæc omnia, quæ cum aliquo dicuntur esse, ad tempus referuntur præteritũ,futurũ,præsens.adde etiam possibile,quod est δυνατὸν.nam & spectatur quo ingenio fuit, aut creditur futurus, aut esse potuerit, qua eruditione, qua prudentia, quibus opibus, quibus amicis, quibus filijs, qua uxore, quibus cognatis, quid egit aut ei euenit, quid existimatur acturus,quid euenturũ.Sic & in omnibus quę dixi, quę perfacile est ad hęc tempora conferre atq; accõmodare.Inueniuntur proportione quadam hæc in republica aut ciuitate,sicut in unoquoq; hominum.Nam ante ipsam est uelut parens conditor, & maiores,qui eam stabilierunt,quiq; in ea præclarum quid uel animo egerunt,uel corpore,deniq; antiqui omnes.Cum ea sunt intus leges &mores tanquã in animo,& uires ciuium uelut in corpore,& robur ipsius in muris & fossis, & elegantia ac species tectorum,& amœnitas agri,aut cõmoditas.Externa sunt sub ipsa ciues,tanquam filij,& serui publici,& opes ærarij,& subditæ ciuitates,& ager subiectus.Supra ipsam princeps,aut alius populus.Cum ipsa amici,confœderati,inimici,hostes.post se nihil habet,nam sempe ciuitatis æternitas cogitanda est, nisi deliberetur de diruenda. Consequẽs est,ut inspiciamus nosmetipsos,qui in nobis ipsis, ex eis quę dicta sunt, qui erga deliberantem, tum qui sunt in consilio noti'ne an ignoti, leuiter chari an arctè, & familiariter amici, apertè & indubiè, an suspecti, an omnino inimici, pares,inferiores,superiores. Et maior quidem aut minor aut par ex bonis solẽt censeri internis,ut maior,minor, par, ingenio, sapientia,eruditione, probitate,corporis ætate,uiribus.Iis quæ sunt extrà, natalibus,opibus, potentia, dignitate,gratia, existimatione,conditione,arte uitæ.Iam in loco sunt, celebritas,solitudo, profanus,sacer, pudendus, non pudendus,publicus,priuatus,noster,alienus,& si alienus,cuius'nam,per omnes qualitates, quas personæ cõpetere meminimus.Liberum,an aliqua necessitate constrictum,ut in carcere,in acie,in castris, in obsidione,quorum partim ad tempus pertinent.In tempore est qualitas,& status rerum,uel ad religionẽ,uel ad rempub.turbatio,seruitus, libertas, quies. uel ad personas, quo in statu sint res nostræ,aut eius,qui deliberat, aut consulentium.Sequuntur res,de quibus consultatur. Deliberatio omnis ac electio de futuris est,non necessarijs, neq; impossibilibus, sitis in manu deliberantis, ut agere ea possit,& non agere.Nemo enim deliberat,quid heri fuerit,aut superiore anno,nec an ambulet,quum ambulat.nec an sibi moriendum sit,tametsi de manu sibi inferenda nonnulli consulunt,nec an sol orietur cras,neu an uolabit.Nec seruus deliberat an fiet liber, quæ est nõ ipsius deliberatio,sed domini. Nimis etiam difficilia pro impossibilibus habentur,quæ reijcimus tanquã deplorata,ut an capiet quis magnam urbem ui,comitatus decem modò aut duodecim militibus.Incidunt tamẽ hæ quæstiones inter consulendũ,poterit nec ne fieri,est ne facile, an fiet omnino:quæ coniecturarum sunt relatè,ad primam ex tribus quæstionibus latæ ad primam ex tribus quæstionibus an sit.Ergo de omnibus quæcunq; sunt in nostra potestate consultamus,de operibus manuum,& actionibus animi.tractantur hæc perpensa uoluntate & facultate, nam qui & potest, & uult,faciet, utiq; non facturus si alterum desit.Voluntas,consideratio,posita est in causis,in ratione,in affectionibus: quæ causa sit,cur uelit,quæ mens eius, quibus affectibus permouetur.Facultas est in uiribus ingenij,corporis, externorũ, quis comprehenduntur diuitiæ,seruitia,amici, opes,potentia, his adsunt impedimẽta,intrinsecus in mẽte rei obscuritas,in corpore difficultas,in affectu imperium,authoritas legum,pij reuerentia & metus. Videndum quantũ ijs rebus ille tribuat, de cuius facultate quæritur. Externis uiribus corpori obstatur, uel naturalibus,ut mari, montibus, fluminibus, paludibus.uel artis, ut uallis, muris, fossis, aggeribus,armis, iaculis, tormentis. Porrò in his quæ in nostra manu sunt posita, quoniam omnia ad uoluntatem deliberantis referuntur. illud enim modò quæritur, ut uelit, aut nolit, uoluntasq; in bonum semper fertur, aut re uera tale, aut quod existimatur tale,

fit,ut

fit,ut omnis deliberatio sit de bono,& hinc de contrario huius malo.Bonum appellamus,quod expetimus,ut profuturū,malum quod fugimus,ut nociturum,seu ad hunc modum bonum est omne,quod prodest,malum quod obest,quæ ad iudicia nostra referuntur magis,quàm ad ueritatem rerum.Prodest autem aliquid uel animo uel corpori.Animo prodest uirtus,eruditio,ingenium,prudentia.Corpori ualetudo,uires,uoluptas.Corpus ad animum refertur,& quæ sunt in animo omnia,ad rectam uoluntatem, quæ uirtus dicitur,tāquam dominam & principem.Ita duo sunt bona,unum per se expetendum,uirtus seu honestum,alterum propter aliud,quod utile uocatur.Propter uirtutem expetimus ingenium, & peritiam, propter hæc uitam & integritatem sensuum ac ualetudinis.Propter hęc uoluptates,diuitias,possessiones,seruos.Virtus nominatur bonum honestū,quasi meritò honorabile,reliqua sunt utilia,quæ ad corpus pertinent. Sunt quæ à Cicerone media inter honestatem & utilitatem interijciuntur,uelut eruditio,amicitia,dignitas,potentia,gratia,authoritas,quę ab eodem applicantur honestati. Ea porrò uidentur mihi ex admiratione uirtutis à principio orta & uana esse,nisi cum uirtute sint coniuncta,atq; ad multorum utilitatem referantur.Cæterùm nō omnes honesti partes sunt ęquales,quemadmodum neq; utilitatis.In honesto potissima esse conuenit,quæ ad Deum pertinent:huius generis sunt pietas,ardor rerum supremarum,cognitio & adoratio illius omnipotentis naturæ,quā cognitionē Dominus in Euāgelio pronuntiat esse uitam æternam.Et indubie,siquis accuratius perpendat,reperiet cunctam humanam sapientiam pietati nostræ comparatam non modò cœnum,sed meram esse insaniam.Secundum locum obtinent quę ad homines,ut charitas in illos,quod est Christi præceptum.Tum iustitia,propulsatio iniuriæ,liberalitas,beneficentia,& quod suapte natura expetunt excellentia ingenia prodesse quàm plurimis,etiam gratuitò sine cuiusquam iniuria.Hinc quæ ad paucos aut ad unum aliquem,fortitudo,quæ non tam censetur aduersus homines hostes animositate,quàm aduersus fortunam & blanditias,& assultus,& illecebras uitiorum.Temperātia,modestia,moderatio,pudor.Post hæc acumen ingenij,iudicium,eruditio,dignitas,honor,laus,gloria,gratia,authoritas, potentia,& per quam nonnulla ex his parantur,generis claritudo,quæ si ultro contigerint,& moderate utaris,in emolumētum aliorum pulchræ res sunt,& magnificæ,sin tu ambitiose aut malis,uel ut est populus in iudicando peruersus,ineptis & ridiculis artibus quæsieris,quemadmodum sunt qui saltu,qui cursu,qui lusu pilæ,magnam sibi ad multitudinem laudē & admirationem parant,aut in aliorum perniciem conuertas,inanes,noxię res sunt et detestandę.Quocirca in his,quamplurimum interest,quomodo, & quam ob causam,& à quibus.In utilitate illa sunt præcipua,quæ ad tuendam uitam sunt reperta, nec in præsens modò comparantur,sed in posterum quoq; prosunt,sicut agri,possessiones,firmum ædificium,pocula argentea,& aurea,quę subuenire possunt in necessitate possidenti.Denicq; fructuosa omnia,& tuta,non nobis tantum, sed ijs etiam,quos charos habemus,uel habituri sumus,amicis,prolibus,posteris.Hinc quę ad delitias,uoluptatesq; per omnes sensus,& quæ animo sunt iucunda,de quibus eæ sunt optimæ,quæ maxime honestę & diuturnæ, quodq; hinc sequitur quæ minimum post se relinquunt pœnitentiæ.Sunt quæ fructui quoq; coniunctę sunt,ut amœnitas hortorum,pratorum,pascuorū,pecorum,sed ea unicuiq; gratissima,ad quæ fertur propēsione naturæ.In hoc enim ut opiniones,sic iudicia & ingenia sunt uaria,alij alijs rebus capiuntur,& idem alijs alio tēpore,quippe mutantur cupiditates & desyderia,uel ætatibus,uel morbis,uel satietate,uel occulto quodam naturæ stimulo. Postrema sunt speciosa & magnifica,ut in publicis ædificijs, pretiosis uestibus,apparatis conuiuijs, spectaculis,largitionibus,munificētia,denicq; raris,nouis,ingentibus,admirabilibus, plausibilibus ad uulgum,gratiæ & fauoris plenis.Ex quibus illa potissimum laudanda,quę multorum utilitatem complectuntur,ut in templis, ualetudinarijs, hospitalitate, redimendis captiuis,subleuanda egestate ac inopia,quæ iam ad honestatem uergunt.Hæc est materia,hoc seminarium uniuersæ inuentionis,quod hîc à me expositum sit pro sedibus argumentorum.Nec singula frustulatim dissecui,quæ fuisset res ut infinita,sic minime necessaria,quāq; assequi non quiuissem,admonuisse de capitibus,et uelut fontes

indicasse contentus. Ex his, quæ in nobis sunt posita satis ut puto intelligitur oportere eum, qui multis de rebus consilium daturus est, plurimum & cordis habere, & prudentiæ, callentissimum esse ingenij tam multiformis & uarij animantis hominis, tum consultissimum totius honestatis atq; utilitatis. Sed antequam ad usum accedam eorum, quę exposui, illud admonebo, neminem his locis argumentorum debere in consulendo uti hoc ordine, atq; ea ratione, qua à nobis digesti sunt, sed quemadmodum elementariæ literæ certo aliquo ordine traduntur, postea uario illarum positu singula uocabulorum constant, nec omnia, ac uix ullum eo literarum ordine scribimus, quo literas didicimus, sic loci, quo facilius teneantur, hoc modo sunt à nobis ostensi. Prudẽtia & ars collocabit unumquenq;, ubi maximam sit uim habiturus, haud secus, quàm acutus imperator singulos milites in acie, ubi putat optime quenq; pugnaturum, & momentum allaturũ ad uictoriã. Nec omnibus literis utimur in singulis nominibus, sic nec omnibus locis, in singulis orationibus, raroq; incidit causa, ad quam omnia rationum genera sint aduocanda, ac nescio num quid tale possit usu aliquando euenire. Sed de exercenda facultate iam dicamus. Duo sunt in consilijs potentissima ad persuadendum, opinio probitatis, & opinio prudentiæ. Hęc maximopere in consilijs ualet, unde illud Hecubæ ad Vlyssem, Autoritas presuadebit tua: eadem enim à uarijs dicta, non idem efficiunt. Porrò prudentia detracta iustitia, nihil ualet ad faciendam fidem, ut inquit Plato, quippe quæ fraus, & astutia existimatur, prudẽtes enim nisi & probos esse arbitremur, uafros, callidos, ueteratores, fugiendos esse ducimus, nec est qui se illis credat, facilius bono imprudenti. Existimatio probitatis duabus potissimũ rebus uel paratur, uel confirmatur. Parabitur primum si honeste, & sancte uiuas, ac consulas, unde uetus illud, uitam maxime persuadere, nec est quod perinde auertat homines à persuasione, quàm si uitam dictis uideant dissentire. Caput est apud Quintilianum, in extremo libro, nõ posse oratorem nisi uirum bonum esse, quum alijs de causis, tum uerò quod non persuadebit, nisi credatur talis, quod si qua in parte ualet, præcipue in suadendo, adhortando, monendo. In locum probitatis succedit, ut amare illum credaris, cui consulis, ac nescio an istud fortius sit, quàm credi uirum bonum, adeò natura fert, ut amici nostri semper meliores nobis esse uideantur, quàm inimici. Ita totum consilium sic temperandum est ut commoda & rem illius, qui consulit, uidearis spectare, non tuam, uel alterius cuiusquam. Prudentiam modice nobis arrogabimus, eamq; paratam potius usu ac labore, quàm acumine ingenij, atq; ita, ut in ea re de qua deliberatur, aliquid nobis tribuamus. Quod si hoc consequitur inuidia, ad eam leniendam detrahamus in alijs rebus. Omnino uitanda est suspicio arrogantiæ, quam ne in maximis quidem uiris, & omnem laudem supergressis ferimus, & si commode possumus, id quod nobis sumimus, condiamus assensu ac beneuolẽtia, uel eius qui deliberat, uel consulentium, nos hęc scire, quæ quidem didicimus cum illis, uel ab illis, uel per illos, & eorum cura, aut beneficio, ut si eorũ ope aut opera, aut ab illis missi, ut qui legatus fuit, ut tu, principi suo potest dicere se experimentis illa didicisse, dum eius negotia gereret. Cicero quos pro sua sententia adducit de imperatore deligendo ad Quirites, eos prudentissimos ait esse factos honoribus, magistratibus, beneficijs Po. Ro. De sua quoq; autoritate dicit: Nũc quum & autoritatis in me tantum sit, quantum uos honoribus mandãdis esse uoluistis. Amorem licebit apertius ostentare, & iactare fusius propterea quod hic, ut est odio ac inuidiæ aduersarius, ita duo illa expellit, nec ulli potest uerti uitio, quod quẽ sese amare profitea-
tur, nisi indignus forte ille sit, quem diligas, quod de eo qui consulit, existimari nõ conuenit à consultoribus, qui omnes putantur esse illius amici, alioqui in consilium nõ accersendi. & is qui cõsulit lætis. animo audit amari se, quoniam id est iucundissimum & credit ita esse, propterea quod nullus tam parũ sibi fauet, aut tam exacte se nouit, quin censeat se multa habere, propter quæ amore sit dignissimus. Fides quæ ex amore nascitur, quo modo sicuti & uirtus omnis iniurijs inuidiæ est obiecta, si iactetur, parcius erit proferenda, & in hoc aduocanda conscientia eius cui sumus fideles, aut si quod fidei tuę insigne præbuisti documẽtum, ita admonendum ne uidearis exprobrare, aut allegan-
da aliqua causa, cur uel deceat te fidelem esse, uel oporteat, nempe quod à talibus geni-
tus,

tus, aut educatus, uel quod est gratius illi cui dices, quoniam affectus tu uel tui tantis ab eo beneficijs, ut omnium mortalium ingratiss. & proinde scelestiss. futurus sis, nisi memineris, & qua una re ostendere te possis gratum, fideliter, quæ ad illum pertinent, administres. Hæc quidem certe si sit opus. Nam ut ad alia omnia, sic ad istud prudentia & iudicium est adhibendum, dux & rector & moderator omnium, sine quo nihil est tota ars oratoria, imò uero nec uita ipsa. Amoris comes est cura & sollicitudo rerum, amici maior interdum quàm nostrarum, prodest: id quoq; ad opinionem prudentiæ, quando hoc est prudentis amici multum de rebus amicorum cogitare, & illis prospicere. Consularium est (inquit Cicero) uigilare, cogitare, adesse animo, semper aliquid pro republica aut facere, aut dicere. Et in eam rem, super qua deliberatur, curam ostentare non inconueniet. Nam sæpenumero uiris cordatis & callidis, ut stulta uerba excidunt, sic parum recta consilia, quum ex tempore dicunt. Quocirca multi ueterum sententias in senatu de scripto dicere consueuerunt, sicut de Fusio Caleno scribit in Philippicis M. Tullius, ut uiderentur rem multum diuq; domi tractatam & meditatam afferre. Nam ut in genere causæ iudicialis ex tempore existimari dicere magnum affert causæ robur, quoniam uidemur tantum fidere ueritati, non astutiæ uel ingenio, sic in suasorijs plus habet fidei meditata oratio, sicuti uerbo uetere summonemur, nox consilium. Quare non est hic affectanda laus ingenij omnium horarum aut extemporalis facundiæ. Ergo tota oratione danda opera est, ne quid dicas, quod opinionem uel probitatis, uel amicitiæ, uel prudentiæ imminuat, augeat potius quantum licebit. Qua de causa apud parum notum agendum circunspectius, ne qua species emineat seu temeritatis, seu arrogantiæ, seu stulticiæ, seu impudentiæ, seu tuarum utilitatum, quorum uitiorum suspicio malicijs mentium humanarum facilè ingerere se solet iudicijs nouis de homine incognito, & potissimum ijs hominibus, qui multos experti sunt malos, uelut senibus, & qui in uarijs ciuitatibus, aut cum multis habuerant commercium. Apud maiorem modestius & reuerentius, principem præsertim, sed sic ut absit assentatio, quę grata initio, pòst cognita omnẽ adimit fidem. Neq; uero huic ita cousulendũ, tanquam pręcipias imperito, nisi puer sit, & eius ætatem regas, sin adultior, ueluti admoneas occupatum. Quippe ad principẽ ita loquendum tanquam præditus eo sit, quod est maxime principis, magna prudẽtia, & iudicio de rebus sano, hoc quum de negotijs regni tractatur, nam in alijs rebus facilius patiuntur illi doceri se & reprehendi, quemadmodum citharœdus ille respondit Alexandro, nescio quid de pulsu fidium cauillanti, Absit, ô Rex, ut tu melius hæc scias, quàm ego. Liberius est interdum dicere eos priuatæ rei affectu cæcutire. In negotio uero pietatis omnes sumus pares, omnes serui eiusdem domini, qui nos è seruitute diaboli asseruit suo sanguine. De hoc habemus formulam diui Petri: Oportet nos magis obedire Deo, quàm hominibus: & Pauli, Si hominibus placere studerem, Christi seruus non essem. Apud amicum familiarẽ apertius, apud inferiorem humane, nihil ex alto, nihil tanquam obiurgans, nisi res asperitatem consilij exigat, ut graues morbi, sectiones ac ustiones. Omnibus uerò dandum fidele consilium, etiam inimicis, sic enim eris uir bonus. et quia eris, credere: nulla est uia compẽdiosior ad bonam existimationem. De huiusmodi consilio est dictum illud Platonis, rem esse sacram, quod sensum habet altiorem, quàm prima fronte præ se gerat. Perspiciendum & ingenium, & mores eius, cui consulis, eisq; aptanda oratio, docto docta, ingenioso acuta, hebeti crassior, ac apertior, supercilioso callida, humano liberior fiducia, ut ostendas, sumpta ex eis moribus, bonis recte ostendẽda utilitas, malis obliquè ingerenda, ne illis sua uideamur uitia exprobrare, nisi personæ ratio maiorem nobis libertatem præbeat, ut si filius sit, si discipulus, consanguineus, pupillus, minister, subditus, commissus nostræ curæ. Attemperanda & conditioni eius qui dicit, non eadem autoritate aut grauitate iuuenis, qua senex, ineruditus, qua doctus, subnixus sapientiæ opinioni, ac qui eam non est nactus, pauper qua diues, ignotus qua familiaris, peregrinus qua ciuis, miles qua dux. In quibusdam sufficit autoritas, alios uix res ipsa & ueritas tuetur. Post hęc uidendum, qui simul dent consilium, qui in contrarium dixerint, uel dicturi siut. Habenda ratio eorum, quæ in persona uniuscuiusq; cõmemoraui occultius,

parcius:reuerentius dissentiendum à nobili quàm ignobili,ab eo,ad cuius maiores aut patriam res tẽdit,qua de agitur,ne illud audias,quid tibi in aliena rep.aliter à docto aut ingenioso,quàm indocto & crasso,probo quã improbo,fuffulto diuitijs,seruitijs,amicitijs,clientelis,fauore principis,gratia,fama,quàm his destituto & nudo. Tum ne irritati et incẽsi à nobis, noceant multis,tum quod uulgo incauti uidetur,potẽtem lacessere,& parum probi à probo dissentire,et imprudẽtis sententiam ingenioſi,aut periti,aut prudentis nõ approbare.Olim,ut erant liberæ respublicę,licebat aperte inuehi in contradicentem,quod studio reipublicæ uidebantur eò impelli,& tamen præcipiebatur, ne maledicendo ijs,qui de uirtute bene audirent, animos consulentium à se abalienarent:quanto magis decet hoc nunc fieri ab homine Christiano? Neq; tamen omnibus idem habendus honor,nec ubique.In senatu ciuitatis,ubi omnes ferè sunt pares,& nemo alteri concedit gratia reipublicę,propterea quod hęc,uti ęquum est,omnes suos ciues de se bene sentientes tanquam mater filios æqualiter complectitur,maior libertas, quàm apud principem:sed ita,ut ne in rabiem aut conuitia res excedat,quum nihil magis deceat consulentes,quàm modestia & grauitas,quas duas uirtutes necesse est inter iurgantes & altercantes deteri.Porrò apud principem modestia tribuitur maiestati eius,& si quid tacuisti aut dissimulasti,ille sibi fert expensum, gaudetq; habitum esse respectum præsentiæ suæ.quod si non intelligat,potest uno aut altero uerbo summoneri leuiter,ne exprobrare uidearis.Et quemadmodum paratur fides probitate,amore,prudentia,ita extenuatur istis imminutis.Nemo est qui non malit sibi cætera omnia,quàm iudicium aut prudentiam detrahi,quando nullum maius est conuitium,quàm dementiæ:per hanc enim homines in brutorum naturam degenerant.Ita unusquisq; in se malit dicas,eum parum amare,quàm parum ualere mente,uolunt tamen uideri ægerrime ferre,si quis amorem ipsis adimat in eum,qui consulit,quoniam ille amare uidetur,qui in consilium aduocauit:nihil autem est tam ingratum,tamq; inhumanum,quàm nõ respondere in amore illi,à quo sis prouocatus,multo magis si sit potens,si princeps,cuius amicitia tantopere prodesse potest,& obesse odium,ita ut maiorem dent tolerantię significationem,si quis eos stultissimos dixerit,quàm si non satis principem diligere, ipso maxime audiente,aut aliquo per quem possit ad illius aures permanare.Ergo tam periculosum ulcus attingendum non est,nisi necessitate huc pertrahamur.Nec tollenda in uniuersum prudentia,sed quod minus urat,pars aliqua,& præsertim quæ ad prȩsens institutum pertineat,quum abunde in alijs concedatur,quid enim est consiliarius, si prudentiã adimas?tanquam si scribæ aut pictori manus amputes.Ita hoc modo summouebitur,non aduertit,non considerauit,non intellexit,alienato est animo et occupato,auocant eum aliæ curæ,non expendit,imparatus dixit.neutiquam dubitare te,quin si accuratius rem perpendat,aliter sit sensurus,nosse te eius prudentiam.Illa sunt duriora,desyderare te solitam prudentiam, desyderare te Ciceronem in Cicerone, mirari te quid illum mutarit,prudentem esse,sed nõ in hoc,neminem omnibus horis sapere.Interim ab eo conuertis orationem ad ipsam rem,hoc illi usum, nobis aliter,quæ ille dixit,ponantur ante oculos,& quę nos,utraq; expendantur,rebus te magis fidere,quàm autoritatibus.Illum quidem sic sentire,te qui non minus sis in ijs rebus uersatus aliter. Tum,si potes,alios ei oppone non minoris existimationis in re de qua consulitur.Cicero ad Po.Ro.At enim uir clarissimus reip.& uestris beneficijs amplisſ.affectus Q.Catulus.Itemq; summis ornamentis honoris,fortunę,uirtutis,ingenij prædítus Q.Hortensius ab hac ratione dissentiunt,quorum ego authoritatem apud uos multis locis plurimum ualuisse & ualere oportere confiteor.Sed in hac causa tametsi cognoscitis autoritates contrarias fortissimorum uirorum & clarissimorum,tum omissis autoritatibus, ipsa re & ratione exquirere possumus ueritatem.Et pòst:illis eisdem Q.Catulo,Q.Hortensio, autoritatem opponit P.Seruilij,C.Curionis, Cn.Lentuli & C.Cassij. Quòd si hebetes aut rudes,aut imprudentes sint dilutę,quę autoritatis,uel non satis ęquis auribus auditi,nec persuasisse uideantur,nihil necesse habebimus eorum confutare orationem, aut de illis omnino uerba facere.Sũt,in quos conueniet tum ad existimationem, tum ad publicam utilitatẽ,& tutelam honesti,quam unusquisq; bonus debet suscipere

toto

toto pectore etiam cum noſtro periculo inuehi,& compeſcere eorum ſiue impudentiam,ſiue flagitioſam & ſceleſtam uoluntatem,quales ſunt impij,ſcelerati, rapaces, expilatores populi,ſcurræ confidentes,paraſiti,aſſentatores pernicies principũ.Sequuntur quæſtiones rerum,ad quas oratio tota eſt dirigenda. Quærimus enim ſimpliciter, aut de duobus honeſtis utrum agendum,aut de pluribus quod ſumendum,ſic & inter utilia,& inter honeſtum atq; utile,utrum præferendum,& pro bono eſt minus malum, ut quum inquirimus,ex malis quod eligendum,aut quod minime nociturum,& inter ſpecies tum honeſti,tum utilis, uelut expediat ne magis hoc iucundum, quàm illud utile,hoc facile,quàm illud difficile,hoc tutum,quàm illud honorificum.Iam ex honeſti partibus,æquitate ſtandum,an legibus,clementer ignoſcere,an iuſte punire,fortiter facere, an tranquille & innoxie uiuere. Et inter honeſtum quidem ac utile, ſi modò Chriſtianos nos eſſe meminimus,nulla erit controuerſia.Olim Romanus populus ſæpenumero in deliberationibus illud uſurpabat,Vincat utilitas, quæ uox à ſapientiſſimis etiam gentis illius reprehenſa eſt,& ab ſchola philoſophiæ exploſa,& Romani fortaſſe ſummam honeſtatem putabant patriæ prodeſſe,de cuius commodis erat uox illa: nos uerò dicamus,Honeſtas uincat, ſeu potius,uincat religio.Ariſtoteli & Theophraſto dirigi totum hoc genus ad honeſtum placuit.Execrabatur illum Socrates,qui primùs honeſtum & utile natura cohærentia opinione diſiunxiſſet:querebatur enim hoc eſſe malorum omnium caput.Itaq; ſi ſapientes eſſe uolumus,non modò uideri,omnia ad probitatem honeſtatemq; reuocabimus.Sunt & duplices quæſtiones, ex reſpectu uidelicet locorum, temporum, perſonarum, modi, quantitatis, cauſæ, an faciendum hoc tempore, hoc loco, & in hoc,& ſic, & in tantum, & propter hoc,ut an concedendum aliquid Turcæ,quod is bellum minetur,ni fiat. Interdum infinite conſulitur propoſito aliquo fine,quid agẽdum,quo modo perueniendum ad illum commode.Quintilianus deliberationem omnem comparatione conſtare cenſet,uel inter res ipſas ſolas, uel ad perſonam,locum,tempus collatas.Plane ita eſt,nam electio & deliberatio tollitur,unde & comparatio,ſicut in beluis. Præcipua bona ſunt in pietate, deinde quæ pluribus proſunt,rjsq; bonis præferenda illis,quæ paucioribus,& diuturna momentaneis,aut temporarijs, & ſolida ſpecioſis tantum,& pura bona,quàm ex bonis & malis temperata,& quod propter ſe expetitur melius eo,quod propter aliud,& quæ ſapientes iudicant bona,quàm quæ ſtulta multitudo.Hinc inter utilia parabile,quod nec minus prodeſt difficili præponendum,& quod bonis artibus quæritur, eo quod prauis, aut noxijs, & quod facilius ipſum per ſe ſufficit, aut tueri ac ſuſtinere ſeſe poteſt, eo quod multis eget adminiculis,& uelut tibicinibus,niſi in eo quæratur admiratio hominum,& inanis ſermo gloriæ ſimilis,quod difficultas uidetur propoſita rebus egregijs, ſic rara maioris pretij, quàm frequentia, etiamſi minoris fructus, & multarum rerum pretium procul ueniſſe. Ad hæc quo quis plus indiget, hoc ei tanto eſt melius,& quo in plures & maiores uſus eſt opus, tanto charius atq; optabilius, quemadmodum uiſus, quàm odoratus. Et quod maioris boni cauſa uel plurium, uel caput & origo, uel expeditiſsima ad bonum uia,contrarium antecellit.De malis cenſendum eſt ex bonis, ut quodq; enim malum optimæ rei contrarium eſt, ita eſt & peſsimum. Hæc quidem in ipſis rebus. Ad perſonas uerò relata bona maláue non eandem uim habent, ſcilicet aliud eſt bonum principis, quàm priuati, non idem reipublicæ,& ſingulorum ciuium, ut ſunt diuerſa hominum officia, ita honeſta atq; utilia non omnia eadem regula ſunt cenſenda,nobili honeſtum admonere liberè principem de republica, non item fabro uel rhedario,priuato utile parce uiuere,& rationem exactam habere rei familiaris,principi magis fugiendum nihil. Et quoniam ex animo æquales ſumus omnes,nec eſt diſcrimen inter maximum regem & abiectiſsimum mulionem,uel ſeruum mediaſtinum, ideo apud omnes ijdem ſunt gradus,eædem rationes bonorum,in ijs quæ animo ſolo conſtant.Primus ergo apud omnes & antiquiſsimus cultus Dei,quæ eſt religio,proxime uelle,cupere,optare benefactum omnibus, & ſi rebus non poſsis, uotis utiq; hominum genus adiuuare.In agendo uerò,quoniam huic opus eſt inſtrumento,diſpares ſumus,ut alius alio maiorem uel minorem, commodiorem uel incommodiorem na-

ctus est facultatem. Igitur in persona dicimus posse eum, aut nō posse facere, licere non licere, decere nō decere, cōuenire nō conuenire, expedire non expedire, debere nō debere: propter genus, patriā, ingeniū, fortunā. & subijcimus uel omnia è quibus in persona sumuntur argumenta, uel magnam partem, aut eam certe quæ ad suadendum aut dissuadendum sufficit, res est fusa, quæ cogitanda potius unicuiq; est, quàm hic explicanda largius, nec possunt deesse exempla uel mediocri ingenio, sed nos studium ac industriam aliquot delibatis exemplis admonebimus: decet aut non decet propter genus. Nam quum sis nobilissimus, æquum est te non dedecori esse tuis maioribus, aut quum sis ignobilis, debes incipere nobilitatem à te ipso, aut quum male audiat uel genus tuum, uel patria de hoc uitio aut illo, par est te annitì, ne augeas opinionem hominum, potius uirtute tua deleas, & inuisam familiam reddas gratiosam: aut faciendum, quia oraculis responsum est id futurum, aut secus, uel sic uaticinabantur sancti, aut religiosissimus uir est adhortatus: poteris esse rhetor et philosophus tale ingenium nactus, & decet illud optimis artibus esse ornatum, non dehonestatum sordibus, non congruit tuis moribus, non poteris mansuetudine animi tui tantam crudelitatem perferre, non decet philosophum, non religiosum pugnare, aut his artibus rem quærere, aut par est fortiter eum dicere, quæ sentiat, præsertim honesti gratia, non conuenit homini coniugi, & incipienti constituere familiam profuse uiuere, conuenit parce, non expedit delicato in grauem se militiam conijcere, pulchrum est robustum sic ostentare uires suas. Nomen re ipsa leue quiddam magnum interdum apud quosdam argumenti pondus attulit: memineris quum Carolum audis, qui fuerit primus ille Carolus, quàm pius, quàm industrius, quàm generoso pectore. Quum Philippum, ueniat tibi in mentem illius Philippi, quo nihil Belgica uidet mansuetius, aut probius. Turpe est te fugere, quum sis Hannibal. oportet te ardere pietate, qui sis Paulus: ad eundem modum in cognomine. Pratten. Sotomaior. Aguilar, quod iam ad genus uergit, de quo diximus, fortasis hoc tibi utile, inutile coniugi, liberis, amicis, subditis, & tali coniugi, tali indole, filijs, tam fidis amicis, tam obsequentibus subditis, quos non minus debes amare, ac curare, quàm te ipsum, quid tu propter exiguum tuum commodum non dubitas illis nocere? non expedit nomini, uel augebitur gloria. Et in futuris, non expedit hoc futuris amicis, aut ditioni, quæ tibi obuentura est, uel inimicis proderit, hostes adiuuabit. Et in præterito, dissidet hoc à tuis actibus, à transacta uita, à superiore fortuna, qua uidendum, ne quid indignum facias, ne illud protinus in te iactetur, dedecori fortuna prior, et ad posteros res boni exempli aut mali: est enim optimi uiri posteritatem curare, pessimi negligere, cuius est execranda illa uox, me mortuo terra corripiatur igne, quam fertur Nero sæpe usurpasse. Vides quanta existat subitò, & quàm uber dicendi materia, si quis extendere singula atq; explicare uelit. Exempla & concitationem affectuum in hunc locum reseruaui, quòd hæc paulo sunt pluribus explicanda. Exempla à præterito sumuntur, & in futurum proficiunt, ut tanquam in speculo cernat quisq;, quos exitus quæq; actiones sortiuntur, & ex similibus actibus similes euentus expectet. tum ad exhortationem, ut agamus, quatenus minus uidetur difficile, quod scimus, iam antea esse factum ab alio, sed refert quæ quibus exempla proponamus. Apud Romanos minimum ualebant barbarorum exempla, aliquantum Græcorum, plurimum maiorum suorum. Apud nos præcipua debent esse non gentilium, sed Christianorum, nec quorumuis, sed eorum, quos recte ad Euangelicam puritatem arbitramur uitam direxisse. Sunt inter exempla fabulæ poetarum, & apologi, qui sæpenumero magnam uim ad persuadendum afferunt, ut ille de cassita, qui est apud Gellium, & quod Demosthenes dixit de lupis & pastoribus ad populum Atheniensem, & similes. Affectus non sunt in hoc genere, ut in alijs nonnullis concitandi & perturbandi, propterea quod alienum id uidetur à grauitate et probitate, quæ in consultationibus exigitur, uellicantur tamen nonnunquam, idq; uel ex rebus ipsis per amplificationem, si ostendantur esse grauiores, atrociores, maiores, meliores, honorificentiores, utiliores, iucundiores, tutiores, quàm primum intuenti uideantur, præsertim accommodatis his ad aliquem affectum, quo maxime teneatur, uel proximum ei, ut atro-

citas atq; indignitas iracundo proponatur, iniuria uel contemptus superbo, alienum bonum inuido, honor ambitioso, diuitiæ auaro, ambiguum dictum suspicaci, periculum meticuloso, labor segni. Hic etiam est finis, quem sibi quisq; præstituit, ut si quis omnino decreuit peruenire ad magnas opes, nihil sacri aut profani contabitur uiolare, ac polluere, modò rem faciat, qui ad potentiam, uel per stragem cuncti generis humani eò nitetur peruadere. Verum sancti consultoris erit, non accendere hos affectus, sed sedare ac placare. Nec est tanti persuasio, ut uir malus esse ob eam uelis. Ergo contraria ratione tempestas illa conquiescit. Extenuatione res minor, leuior, minus utilis, minus iucunda, falli eum similitudine rerum, nõ esse eam magnanimitatem, sed crudelitatem, non gloriam sed uanitatem, non honorem sed inanem umbram, non magnificentiam sed uecordiam, non iustitiam sed iniuriam, non liberalitatem sed profusionem, temeritatem non fortitudinem, rixas non disputationem, captiones non eruditionem, escam pœnitentiæ non uoluptatem, nihil faciendum temere, concitate, ardenter, quàm multos pœnituit calidi consilij? quoties ipsum eundem? non immeritò sapiens dicebat Plato, celeris consilij comes pœnitentia, eiusdem est etiam, ira & amor pessimi consultores. Nemo aquam bibit turbatam, ni prius sinat eam quiescendo fieri liquidam, sic nec animo utendum commoto. Vnicuique intuenti per affectus suos, ut qui per uitrum species rerum offerri maiores, quàm uero sint, ita falli unumquenque amore sui, unde sua cuique commoda uideri minima, & incommoda maxima. Opponendum perculsæ affectioni aliam affectionem apud ipsum non minorem, ut incitato ambitione iacturam rei familiaris, properanti ad ultionem uoluptates, otium, pœnitentiam, inquietudinem, cruciatum. Ardenti cupiditate periculum eius rei, cui maxime timet, ut opum, filiorum, coniugis, nisi sit tali ingenio, ut hoc magis erigatur, quo grauius periculum ostenditur, ut sunt nonnulli uel generositate animi tanta, uel ferocia, qui magis accenduntur difficultate, laboribus, ærumnis, discrimine. Adsunt hoc loco philosophorum tot uoluminibus contra affectus nostros & deprauata rerum iudicia explicatæ disputationes, ne admiremur uilia, neu minutissima pro maximis suspiciamus. Hęc pars ad dissuasionem potius pertinet, prior illa de mouendis affectibus ad suasionem, in qua animorum motus paulo concitatiores solent existere. In extremo quum addimus animum, & postquam argumentis collegimus esse agendum ad rem suscipiendam, cunctantem incitamus, uel etiam, ut est in prouerbio, currentem, idque ostensa occasione maximi in res omnes momenti, non esse prolatandum in agendo, iuxta sententiam ueterem, Vbi consulueris, mature opus est facto. sic Athenienses, sic Iulium Cæsarem creuisse, occupandas esse occasiones, quæ illius sunt, qui primus arripit. In dehortatione nihil agendum præcipitanter, forsan non satis deliberatum, Athenienses, quòd ea celeritate uterentur, non diu imperium tenuisse, & Cæsarem ruisse in mille facinora, diutius & maius cunctatores Lacedæmonios habuisse imperium, & apud Romanos elogium esse Marci Fabij: Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Sunt & aliæ quæstiones, sicut diximus de persona, loco, tempore, modo, qualitate, causa. Dicitur in personam, aut pro persona, aut de persona, eadem illa sunt, quæ prius enumerauí, agendum, non agendum propter genus, patriam, ingenium, mores, & reliqua, quæ commemorauimus. In tempore considerantur qualitas naturalis, æstas, hyems, autumnus, uer, sanitas, lues, penuria, abundantia, caritas, uilitas, uel hominum sacrum, festum, profestum, messis, sementis, uindemia, oliuitas. Ad eundem modum in loco. Modus aut ad personam, locum, tempus, in quo aliquid faciendum est, refertur, aut ad ipsum qui est acturus, percurrendum per ea, quæ de persona, loco, & tempore exposuimus, tantum aut non tantum, sic aut non sic, propter genus illius aut tuum, etiam propter æstum, aut rigorem, amœnitatem temporis, inamœnitatem, tempestates, tranquillitates, quia nondum facta sementis, aut iam facta, sectæ messes, aut nondum, facta uindemia, aut non facta, propter longinquitatem, aut propinquitatem loci, quia siccus, uel aquosus, planus, montosus, consecratus, profanus. In causa spectari prius debet, an illud faciendum simpliciter sine causa, hinc

quantum tribuendum illi cauſæ, ut an faciendum bellum Gallis, quòd ij urbem ali-quam iniuſte occupant, an deceat, expediat, congruat bellum à nobis fieri, & Gallis fieri, deinde, an propter hoc. Expendetur quàm honeſta cauſa, quàm utilis, quàm congruens ei, quod uolumus ob eam aggredi. Retorquetur interdum cauſa in principalem deliberationem, ut petit Cyprum Turca, illaturus alioqui bellum Europæ, imò non danda Cyprus, quia hoc dixit, ne aſſueſcat minitando quicquid concupierit, extorquere, imò non danda, ut hoc quod dixit, faciat: quid enim Europæ optabilius, quàm conuerti principum eius arma in Aſianos à bellis inteſtinis? Illa difficilis quęſtio quum ſimpliciter proponitur, qua ratione aſſequamur hoc, nam agendum decretum eſt, & excultum agi poſſe, quæ eſt generis coniecturalis. In qua agendi inſtrumenta ſedulò & diſpicienda ſunt, & perpendenda. Omnia porrò uel ingenio perficiuntur, uel corpore. Ingenium uel noſtrum eſt, uel alienum. In ingenio ſunt ratio, prouidentia, aſtus, eloquentia, artes, & quæ ingenio tantum exercentur, & quibus adhibentur manus, quæ ſecum ſua inſtrumenta afferunt, ut fabrilis, textoria, architectoria. Corpus item aut noſtrum eſt, aut alienum. In corpore ſunt, quę ſuprà memorauí, et in primis ad opus uires. His accedunt inſtrumenta earum, quæ introrſum uergunt, firmitas, ualetudo. Externa ſunt ea, quibus uel trahimus, uel impellimus, uel attollimus, uel deprimimus. Sub impulſu comprehenduntur, diruere, ſecare, cædere, & hæc ad efficiendum. Ad reſiſtendum uerò ſufficit, quo arceamus, ſed additur etiam, quo propellamus, quod ad actionem magis tendit. Alienum corpus non modo homines, ſed iumenta continet, denique omnes animantes. Contemplandum iam hæc omnia, ut quæri poſsint, ut conſeruari, ut applicari rei. Ingenium noſtrum, doctrina, diligentia, & meditatione ad quancunq; rem aptiſsimum redditur, corpus etiam exercitatione & uſu flectitur. Alienum ingenium corpuſq; uel allicitur, uel cogitur. Allicimus aut recta ratione oſtenſa, ut honeſto, pio, legibus, aut affectu eius capto. Id fit partim rationis uiribus, partim dolo, qui illectamento aliquo tegitur, ut auarus pecunia capitur uelut eſca, uoluptate delicioſus, honore ambitioſus, nonnunquam alio affectu, precibus, miſericordia, ira, gratia. Animalium affectus ad ſimiles rationes uenamur. At cogimus imperio ſeruos & ſubditos, authoritate eos, qui nos reuerentur, periculo etiam ac neceſsitate, ut inopes. Vbi non proficit ingenium, applicatur uis, quæ regenda eſt conſilio, nam aliter mole ruet ſua, ut Horatius inquit. Vis eſt in rebus corporeis, aut ut aperte rem inuadas, ſi ualentius eſſe putas, quo agis, quàm quod obſiſtit, uel duo illa maxima obſerues, occaſionem tibi commodiorem, & locum, qui te ſuperiorem reddat. Si nihil agis impetu aut actu uno, ſedulitate proficies: attigimus hoc etiam ſuprà, quum de facultate loqueremur. Et quemadmodum in medendo ſunt, qui ſolis confiſi experimentis, ſuſcipiunt ægrorum curam, quos Græco uerbo ἐμπειρικὸς nominant, alij habent canones uniuerſales, quos ad ſingula rerum, quum locus poſcit, deducunt. Atq; hi certius curant, ac fideliùs. Ita in dandis conſilijs quidam ex uſu atq; experientia rerum conſulunt, quidam uero in naturam negotij penitus penetrant uſq; ad radicem, cauſamq;, & rationem illius generalem, quorum conſilium firmius, atq; ſtabilius eſt, minusq; poteſt fallere, & perſuadet celerius: nempe cum mente atq; ingenio noſtro mirifice congruens, nec ſolum ei qui conſilium petit in pręſens confert, uerùm in omni deinceps deliberatione conſimili. Sed elicere eiuſmodi uniuerſalia maximi eſt iudicij, uerſati diligenter in uſu uitæ, ac ſtudijs ſapientiæ, & puto eam facultatem multum poſſe, ex ijs quæ tractata ſunt à nobis, adiuuari. Hactenus de inuentione, ſub qua nonnullis in locis diſpoſitionem quoq; ſumus complexi, ut illo, quum admonuimus, non eodem ordine collocanda in oratione argumenta, quo locos digeſsiſſemus. Nunc de partibus orationis pauca reſtant. Eæ ſolent aſsignari quatuor, procœmium, narratio, confirmatio, concluſio. Procœmium inuentum eſt, ut in eo faciamus auditores beneuolos, dociles & attentos. Hæc omnia domo affert, qui deliberat, nam & beneuolus eſt quiſq; ei, quē conſulit, & attentus audit, quū de re ſua ſciat agi. et docilis, quoniā de quo conſulat, nō ignorat, ideo nec narratio neceſſaria, præſertim in cauſis priuatis, nam in publicis multi ſunt, qui de quo cōſultetur, ignorēt, nec ſatis amici ſunt ei, qui dat cōſilium, non enim accerſitur, ſed ipſe

ultro

ultro se offert,& quia non peculiariter ad ipsos pertinet,sed in uniuersum ad omnes, oscitanter audiunt.In priuatis quoq; causis,quandoq; qui consulit, aut propter ætatem,parum intelligit,de quo deliberat,aut propter socordiam et stuporem animi.Sunt etiam,qui dubios amicos consulunt,& eos quos non satis ualere existimant iudicio, aut ut percontentur sententiam illorum,aut moris magis,quàm uoluntatis gratia,quia per ambitionem aut alias artes irrepserunt in consilium illius, cuius generis sunt non pauci in comitatibus principum,digniores qui ararent,quàm ut sententiam dicerent de rebus humanis.Accidunt & hæc extrinsecus, quum pro re parum fauorabili, aut contra hominem nimis fauorabilem instituitur oratio.Illa omnia persuasioni officiunt, si uel non intelligat,uel non attendat,uel auersus & contrarius audiat.Ergo diligenter à primo prouidendum,quid persuasioni queat officere,idq; statim initio amouendum. Si docilitas obest,narrandum continuò,& docendus,qui audit.Sin attentio,uel ex re, quia indignam ducunt,in quam animum intendant, augenda,& ostendenda maior, magisq; necessaria, quàm putẽt.Vel ex eo,qui dicit,quòd nulla existimatione,aut etiã aduersa.Dicat de se moderate,et rationem reddat,cur dicat,curq; meritò ea de re possit dare consilium,quæ est ipsi non incognita, demonstretq; leuiter,in ijs se rebus ita esse uersatum,ut necesse sit ipsum ea non pessime nosse,non defore,qui suo labori ac industriæ inuideant,ab eis denigrari famam suam,se nõ dicturum de illis,sed rebus ipsis confutaturum calumnias eorum,audiant modò attente,et iudicent nõ modò de sententia sua,sed de suo ingenio,deq; inimicorum inuidentia.Fauor deesse solet nouis,aut incertis amicis,aut dicentibus cõtra rem aut hominem gratiosum.Hic statim declarandum quo sis animo in eos,qui consulunt,hoc te semper præ te tulisse,& si potes allegare experimentum aliquod,tantum ne odiose,te ignotum esse illi,sed non eum tibi,quem sic semper dilexeris,daturum te cõsilium tale,ut uel approbes,uel certe cautius & certius contradictione tua suscipiat negotium,quod si non licet contrà dicere,quo nobis deliberationem?Si tua sententia non placuerit,habere illum,quas sequatur,putenturq; tantum dicta exercendi ingenij gratia.Ignotum te esse,propterea curandum tibi atq; anni tendum,ut talem sententiam dicas,propter quam si non de prudentia & usu rerum, certe de amore & fide dignus sis,qui illi innotescas,& contenturum te, ne omnino ingenium iudiciumq; tibi defuisse uideantur, quod ut alij uel bonitate naturæ acutum, uel eruditione præditum,usuq; & experientijs excultum habeant,tu tamen labore & diligentia exerces, nec finis obtorpescere.Contradicentes quomodo tractandi,superius declarauimus,qui si magnum momentum attulerunt ad persuasionem, ilico sunt à principio submouendi,sin minus,reseruabuntur in alium locum orationis,qum iam gratiosiores erimus apud deliberantem.Prorsum ante reliqua omnia tollendum,quod impedire persuasionẽ potest,sed id non semel,aut uno impetu,sed paulatim,ut quodq; factu erit facillimum,aut sine quo admitti non possumus in animum consulentis.Si nihil erit in causa,quale diximus,procœmio non erit opus,aliquam tamen rationem proponemus exordioli,ne ex abrupto exordiamur,nisi fortè res subitę id efflagitent. Quę dixi de docilitate,applicari ad narrationem queunt,nam ex ea maxime pendet,sententia quidem mea,docilitas:neq; enim aliunde,qui audiunt,docentur,ecquid uersetur in controuersia, quid sit in causa.Ergo quibus locis opus erit docilitate, in eisdem etiam narrabimus. Adduntur in fine epilogi,quum nimis longa fuit oratio,aut putamus excidisse aliqua.Aperte nonnunquam & fusius, quandoq; si deliberans sit supercilioſior, & opinione sapientiæ uel morosus,uel uanus,figura aliqua ad hunc modum. Vides propter hanc & illam causam:aut mihi igitur his & illis de causis faciendum uidetur, aut non uidetur: & subijciantur breuiter rerum capita, uelut quædam admonitiunculæ. Postremò quod erat comitatis & ciuilis educationis, solebant ueteres addere, ego sic sentio, tu multo es me prudentior, statuere poteris, quid sit factu optimum,quicquid decreueris,Deum uelim bene fortunare, aut tu quicquid faxis,Deum precor euenire ut sinat, & alijs clausulis ad similem modum, quod ad superiores aut pares decet,nam ad eos, qui plane sunt inferiores, nihil est necesse, imò potius confirmare eam esse nostram sententiam, hortari, & urgere, ut eam omnino capessat,

capeſſat,modo res ſit tanti,et pro certo habemus,id eſſe factu optimum,quod nos ſuaſerimus,nam ut futura ſunt nobis incognita,difficile eſt euentum rei promittere,idcirco ſapientiſsimus quiſq; timide ac diffidenter hortatur,ad ea quorum exitus ſunt ambigui,qualia ſunt quę nominantur fortuita,nam in uirtute certa atq; explorata ſunt omnia.In neutris uerò ea eſt hominum ingratitudo,ut ſi conſilium bene cedat,obliuiſcantur,ſin ſecus,ſtatim accuſent conſultorem,quaſi euentum quoq; poſſit dare,qui & bonum conſilium. Eloquutio talis erit, quæ conſeruet authoritatem probi ac prudentis uiri,nec laſciua,nec ludibunda,nec mollis,fracta,effœminata,ſed nec contrà uafra,aſtuta,neue omnino incompta atq; impolita,ſed quę magis de ſententijs uideatur ſollicita, quàm de uerbis,quæ uerba nec enixe nitida,ſublimia, grandia exquiſiſſe, nec ſtrigoſa, horrida,putida,affectaſſe appareat.Sententiæ erunt crebriores & graues,ita fiet ut ſucco & colore maieſtatem ducat,quum res erunt illa uirtute & ſapientia dignæ,nec ſordidis uerbis,ſpurciſq; ſenſa iuquinabuntur,licebit,ſi affectus moueantur, aut in epiphonematis uti figuris ardẽtioribus, uelut emphaſi,amplificatione,interrogatione,ironia, & quæ uicem ſępenumero argumenti obtinet,metaphora, præſertim ſi apud multitudinem agitur,ubi opus eſt pleniore oratione,& capacitati turbæ accõmodatiore.Nam in priuata apud unum,uel per paucos ſi te extollas,haud aliter ridiculus fueris,quàm ſi uociferereris in conclaui,nec parum refert,quod initio poſui,quo loco dicas,quo tempore,non modo ad inuentionem,ſed ad elocutionem quoq;, ſcilicet non eadem uel decet,uel conuenit,uel etiam licet dicere in cubiculo,& in foro,in carcere,& in regia,in obſidione,& pace,in caſtris,& in urbe,nec ſub tyrannide,quæ in libertate, nec in acie, quæ in tentorijs.Aptantur his etiam breuitas orationis & longitudo,eſt locus qui breues orationes exigit,eſt itidem tempus,eſt quum longa uti non conueniat,eſt quũ breuiter dicere noceat.Quũ acies eſt in procinctu,quis diu cõcioneẽ? ſic in rebus ſubitis, caſibus repentinis,in quibus ſub manum eſt conſiliũ ſumendum,& ilico pro re nata,faciendumq; quod gladiator,qui in arena capit conſilium.Eſt quum fuſe atq; aperte omnia non explicuiſſe lędit,ut in re longa magni momenti,in qua non eſt bis peccare,cuiuſmodi ſunt bella,coniugia,uitæ conſtitutiones,punitio alicuius capitalis.Attemperandum etiam ingenijs audientium,maxime eorum,qui conſilium poſtulant.Sunt qui ſtatim rem totam ex pauciſsimis uerbis animo complectantur.Hi indignantur,ſi te diffundas,tanquam non ſatis eorum fiſus ingenio.Sunt qui non intelligant, etiam ſi continuos tres dies uerba facias,& tamen quia uideri uolunt intellexiſſe,uerboſum appellant,& offenduntur,quòd explices,quæ non ceperunt. Alij & ingenioſi ſunt & capiunt,libenter tamen audiunt,uel natura ſua,uel ducti orationis eius,qui dicit,ſuauitate, uel rerum grauitate ac pondere,uel deniq; beneuolentia,optimo rerum omnium condimento.Nonnulli rudes,& corde torpidi agnoſcunt ſe,ideo non modo non ægre longiorem orationem ferunt,ſed cupiunt,& rogant edoceri ſe.Ergo his ingenijs & prolixitas aptanda eſt,et breuitas,tum obſcuritas,facilitas,perſpicuitas,nõ quòd orationem aliquo loco moleſtam aut obſcuram eſſe iubeam, cuius præcipua uirtus eſt perſpicuitas, ſed quod acutius dicta tardi, doctius dicta rudes non aſſequantur. Erudito licebit hiſtorias,fabulas,totam uetuſtatem,naturam quoq; ipſam rerum,ſi uſus ferat, explicare,modo illa oblata uideantur,non affectate conquiſita.Hactenus quę peculiariter exiſtimaui ad conſultationem pertinere,collegi tibi.Sunt & in alijs generibus ſparſim aliqua,& in tota arte, ſicut apud philoſophos prudentumq; monumenta de honeſto & utili,deq; ingenijs animorum haud ſane pauca,quæ in tempore uſui eſſe poſſunt conſilijs dandis,ſed ea uel generalibus præceptis ſunt à nobis comprehenſa, uel aliena ſunt, & non niſi inuita, ac renitentia in hunc commentarium eſſent pertracta, quippe inter omnes artes eſt affinitas quædam, & uelut concentus, ut nulla ſit, quæ non alijs magnum adiumentum adferat:uerùm tractationes tamen non confuſas,
permiſtasq;,ſed ſeparatas eſſe conuenit.
Oxoniæ,1523.

FINIS.

Io. Lodouicus Viues Principi

illustrissimo Fernando, Archiduci Austriæ.

DECLAMANDI exercitationem prisorum hominum prudentia facilè intellexit, non solum ad omne studiorum genus uehementer esse utilem, uerùm etiam ad administrationē reipublicę, siue quis in foro esset de caussa dicturus, siue de consultatione rerum gerendarum in curia, uel ad multitudinem denique uitæ uniuersæ ad bene & sentiendum, & dicendum. Excitatur enim ingenium illa diligentia, acuitur docta & prudenti concertatione, instruitur magnis rationibus ad actiones omnes uitæ, tum sententijs & exemplis grauissimis ad usum rerum, expeditur lingua, ut quæ mente sis & cogitatione consequutus, facilè possis alijs explicare, quibus ex rebus maximam parari & sapientiam, & facundiam uidebant, & harum ope potentiam ingentem, atq; opes. Idcirco nihil apud illos æquè in usu fuit, ac declamare. Quo magis miror, adeò raras, aut penè nullas ad nos ueniisse ab illis temporibus declamationes, quum illi non dicerent modò, sed scriberent quoq;. An fortasis incuria temporum interciderunt, cum eo ipso studio: ut qui non declamarent, nec declamationibus se indigere arbitrarentur. Ego uerò intermissam iam olim, seu uerius intermortuam hanc studiorum partem, priuatim ad meam utilitatem reuocaui. Nam per prosopopœias scripsi non pauca, alia aliàs: nuperrime uerò de Dictatura Lucij Syllæ, quod argumentum frequens inter Declamatores illius qui fuisse, cùm Fabius Quintilianus significat, tum uersus illi Iuuenalis satis ostendunt:

—Et nos
Consilium dedimus Syllæ, priuatus ut altum
Dormiret.

Nos ergo primum persona Quinti Fundani, dissuasimus Syllæ, ut dictaturam ne deponeret: tum ut deponeret, suasimus persona Marci Fonteij. Adiecimus tertiam, qua fecimus Syllam ipsum dictatura se pro concione abdicantem: et rationem reddentem eorum, quæ post bella ciuilia egisset. Hinc Marci Lepidi uerbis duas declamationes addidimus, contra Syllam. Traditum est enim memoriæ, Marcum Æmylium Lepidum, qui fauore & suffragatione Cnei Pompeij non modo Consul, sed prior & Consul cum Quinto Catulo contra Syllæ uoluntatem erat creatus, ferociter non solum in Syllę iam mortui acta, uerum in ipsum etiam uiuum esse cōcionatum, cuius una etiamnum concio ex libris Historiarum Sallustij extat, breuis, astricta illa dicendi ratione, Sallustio peculiari. Statueram aliquot alias ex insecutis deinde rebus addere, sed ueritus sum fastidium Lectoris, in eodem penè argumento, quum uel ipsius Ciceronis Verrinas pauci queant deuorare, tanto eloquentiæ condimento inuitantes. Verum cum Erasmo Roterodamo, & compluribus amicorum maiorem in modum hę Declamationes probarentur, ijsq; autoribus proferre in publicum statuissem, non erat animus cuiquā nominatim dedicare, ne pulcherrima & preciosissima merces ultronea oblatione puteret: illis duntaxat, qui literas, quas ignorāt, despiciunt ac derident: nec aliud esse libros cēsent, quàm sarcinas capsarū graues. Sed quum mihi multa essent de ingenio, de studio, de indole tua prędicata, magna utiq; & admirabilia, mutata sententia mittere ad te opus est uisum, ad Principē de principibus, ad recturū populos & ciuitates, de rectoribus & regimine populorum, gentiū orbis totius terrarū, qui tum imperio populi Romani tenebat. Siquidē leges hic primū, quę cōmoda, quæ incōmoda sint in principatu, quàm facilia, cq̄ lęta, cq̄ diuturna sint imperia omnia moderata: nec iucūda solum ijs qui

parent,ſed ijs etiam qui imperant iucundiora.Deinde,quàm acerbum & calamitoſum ſit,inuitis ac repugnantibus præeſſe,ut prꝫſtet priuatum degere gratioſum,quàm inuidioſum in potentia: ut nulla res leuius regni pondus reddat, quàm bona ſubditorum gratia,eaꝯ firmum ac perpetuum imperium ſtabiliat,tum,ut metu hominum ora comprimantur,& coerceantur ſermones:ſi abſceſſerit tamen parumper metus,erumpere liberas uoces,& iudicia nõ ſimulata.Poſtremo,nihil debere Principem agere,quod non publica potius commoda,quàm ſua priuata reſpiciat:ipſumꝯ perſuauiſſe ſibi,quo die principatum iniijt,uota & uoluntates publicas induiſſe,exuiſſe priuatas.Hæc omnia in his Declamationibus adumbrantur:& quæ alibi præceptis traduntur, hic exemplis. Quæ tu in his rebus oſtendas boni Principis ſigna, ad ſpem omnium, ea in aliud tempus reſeruabimus, in quo iam tu plura laudibus & gloria digniſsima geſſeris,& nobis ocium maius ſuppetet.Interea Princeps optimæ ſpei, eorum regum principumꝯ exemplis utêre,qui per patriæ ac ſubditorum pietatem,per ueram ſanctamꝯ religionem ſolidam ſibi & immortalem gloriam parauerunt,has demum ſequêris,non ſtultas uoces,& inſana iudicia populorum:illud ſemper cum animo tuo reputans,oportere eum qui plurimos regit,ingenti eſſe prudentia & probitate inſtructũ. Vale.Louanij 1520.

DECLAMATIONVM IOAN. LODOVICI VIVIS PRIMARVM DVARVM Argumentum.

LVcius Cornelius Sylla,patricius genere,quũ eſſet Quꝫſtor Caij Marij bello Iugurthino,Iugurtham Numidarum regem à Boccho Mauritaniæ rege,eius ſocero,per proditionem accepit,quem uinctum ad imperatorem ſuum Marium detulit:uictoriæꝯ illius gloriam totam ſibi adſcribens, uſus eſt deinceps annulo ſignatorio,in cuius gemma erat ſculptus Bocchus Iugurtham Syllę tradens,quę res initium ſimultatibus inter Marium & Syllam attulit:quas ipſi auxerũt bellis,Cymbrico & Sociali,multis utrinꝯ oſtenſis inimicitiæ ſignis.poſt bellum uerò Sociale,quum eſſet Lucius Sylla conſul cum Q.Pompeio creatus,eiꝯ prouincia Aſia,& bellum aduerſus Mithridatem regẽ Ponti ſorte contigiſſet,P.Sulpitius Tribunus plebis hortante Mario,& multa pollicente,rogationem ad populum tulit,ut bellum aduerſus Mithridatem C.Mario mandaretur:qui tum erat iam ſenex,functus ſex conſulatibus.Ea lege quum factione & potentia Marij eſſet perlata,legati ſunt à Mario ad exercitum Syllę,qui Nolę hybernabat, miſsi,ut eas copias in ſuam poteſtatem redigerent. Sylla clàm profectus ad exercitum, perfecit,ut legati interficerẽtur: eoꝯ facinore ſtimulatos milites,& ad omne ſcelus accenſos ac paratos,ad urbem duxit,conflixitꝯ intra mœnia ad Exquilias cum Mario,et ijs qui pro eo ſtabant.Hoc fuit primũ ciuile prꝫlium,quod iuſta acie cõmiſſum eſt.Sulpitius tribunus eſt interfectus:et Marius cum filio iuuene,multisꝯ earundem partium in exiliũ profugit,hoſtesꝯ à Senatu ij omnes iudicati ſunt,opera Syllę.Qui ad Mithridaticum bellum proficiſcens, Conſules in urbe reliquit, C.Cornelium Cinnam, & C. Octauium,eosꝯ coẽgit iurare, nihil ipſos ſe abſente innouaturos. Iurauit quidẽ illud Cinna:ſed Sylla Italiam egreſſo, ſtatim cœpit in Senatu & apud populum de exulibus reducendis agere,quod quum non impetraſſet,& ea cauſſa tumultus moueret, pulſus eſt ex urbe à collega Octauio,conſulatuꝯ abrogatus:ſuffecto in eius locum L.Cornelio Merula,flamine diali.Qua iniuria exaſperatus Cinna, ad opem ſui exercitus multis cum lachrymis ſordidatus & mœrens confugit:reuocatoꝯ præpropere C.Mario,legiones ad urbem crudeliter admouit, armatisꝯ ſeruis colonias aliquot & municipia deleuit,urbem & totam Italiam uaſtauit,& afflixit.Senatum coegit Syllam hoſtem iudicare,ſeꝯ ſine ullis ſuffragijs populi Conſulem ſecundum, cum C.Mario ſeptimum creauit

creauit. Eo anno, mense Ianuario, Marius è uita decessit. Sylla uerò compositis utcunq; rebus cum Mithridate, legiones in Italiam traduxit. In cuius belli apparatu, Cinna propter crudelitatem à suis militibus occisus est, quum eos inuitos compelleret in naues ascendere, ut aduersus Syllam in Asiam transmitterent. Bellũ susceperunt pro eo Norbanus, Carbo, Scipio, Brutus, Sertorius, & C. Marius iuuenis, Marij senis filius: alijq; earundem partium duces, ad quindecim numero. Cum Sylla autem sentiebant Cn. Pompeius, Marcus Crassus, Luculli, Metelli, Seruilij, Catuli, Martij, Lepidi: denicq; tota nobilitas, cum plerisq; ciuitatibus Italiæ, multisq; commissis prælijs, utrinq; ingenti ciuium & sociorum multitudine confecta, Sylla euasit superior, factioneq; aduersa debellata, ingressus est urbem cum legionibus: dictaturaq; illi ad centum & uiginti annos à trepido & perterrefacto populo mandata est. Erat dictatura summus magistratus Romæ, qui non solebat creari, nisi in difficillimis reip. casibus: nec durabat ex legibus XII. Tabularum, nisi sex menses. Tum & lex à L. Valerio Flacco Interrege lata est, ut quicquid dictatori liberet, id esset ius & ratum. In eo magistratu Sylla, ut & se in suos inimicos ulciscereturm & militum luxuriam atq; auaritiam expleret, proposuit tabulam proscriptionis, quæ erat incognita Po. Ro. Qui proscribebatur, addictus erat morti: bona eius ad fiscum uictoris recidebant qui proscriptum interfecisset, partem bonorum accipiebat in præmium. Ibi infiniti sunt proscripti. alij quod pulchras domos, alij quod amœna prædia, alij quod numerosam & lautam supellectilem haberent: homines innoxij, qui neutrarũ partium fuissent. Tum etiam, quos quisq; uolebat, occidebat: pòst curabat, eos à Sylla referendos inter proscriptos, licentiaq; fuit illo tempore scelerum & facinorum incredibilis. Secundo anno dictaturæ, quum senex iam esset Sylla, & iuuentus intemperans corpus tradidisset senectuti morbis affectum, & putre, nec sufficere posset negocijs tanti imperij gerendis, de deponenda dictatura cœpit cogitare: ut priuatus molliter & sine cura degeret, quod supererat ętatis. Admonitus quoque somnio quodam, quo uisus est sibi uidere filium, quem ex Metella uxore susceperat, qui cum matre fato iam concesserat, multis cum lachrymis orantem, ut explicitus et liberatus tanta negociorum mole, se & Metellam matrem suam sequeretur. Hactenus res gesta est à nobis narrata. Hoc fundamento duos induxi ex amicis Syllæ, Q. Fundanum, & M. Fonteium, quorũ ille dissuadeat, ne deponat dictaturam: hic suadeat, ut deponat.

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI AD L. CORNELIVM SYLLAM, NE DEPONAT DICTATVRAM, Declamatio, uerbis Q. Fundani.

EST QVIDEM res hæc, de qua deliberamus L. Sylla, usque adeo ex sese clara atq; perspicua, ut mirer subijsse unquam in prudentissimas tuas cogitationes, de illa uel consulere, uel etiam ambigere. Atq; adeò, ut interdum et ipse addubitare cogar, an tu per lusum & iocum, & exercendi nostri causa, illam ad nos retuleris. Quis enim est, modo tuis in rebus non sit omnino hospes, qui nesciat, minime omnium expedire tibi, abdicare te dictatura? Quod si tu seriò dicis, te quid hac in re sis facturus nondum habere certum, profecto uel ex hodierna consultatione satis intelligi potest, non imprudentia, non insciti, non errore, sed fato quodam rerum humanarum, neminem esse præsenti suo statu contẽtum, quod cum hominibus ipsis ortum, & educatum esse constat. Patiere me Dictator libere suadere quæ sentio, & in maximis periculis fidum socium, cuius (ut spero) neq; operæ te unquam pœnituit, neq; consiliorum: nunc

in ocio,nulla nos premẽte neceſsitate,rebus omnib.noſtra in manu tutò ac ſecurè ſitis, æquis pauliſper auribus audies. Quod te facturum,niſi male tot annis domi & militiæ, in publico,in priuato tecum uerſato,indiuiduo penè comiti,perſpectũ mihi atq; explo ratum tuum eſt ingeniũ,certò ſcio. Noui ego tuam manſuetudinẽ & lenitatem,tuamq; facilitatẽ morum:noui quàm nullius dictis offendaris,quàm bene monentibus acquie ſcas. Et quamuis conſcius ſim,animo tuo nihil fieri prudentius poſſe,quod uel ipſæ res geſtæ nõ modo nobis,qui te domeſticè nouimus,ſed ipſi toti mundo declarant: tamen nõ reformidabo,te tuis in rebus admonere. tum quòd à te iuſſus, tum etiã quòd nemo hominũ eſt,quem ſuę res aliquo affectu in hanc aut illam partẽ tranſuerſum non agant. Quod non magis mehercule uitium eſt,quàm eſſe hominem,quũ nullus ſine illo naſca tur,uti nec illud dixerim uitium,de quo loquebar modo,nulli mortalium ſuas res ſatis felices uideri,aliquid ſemper in eis querelę ſupereſſe,quod ut alia infinita exẽpla omit- tamus,tua id ſatis ſuperq; indicabũt,hominis alioqui felicíſsimi. Non eras ante bella ci- uilia dictator:nihil erat aliud noſtris in uotis,quàm ut eſſes. Peruenísti ad dictaturã. Di- ctator es:iam te dictaturæ piget,tædetq;. Ita nemo eſt,qui ſuis rebus non malit uel addi aliquid,uel detrahi,uel mutari. Pertulimus grauem in Aſia & Græcia militiam,uicimus magna tua uirtute,felicibus tuis auſpicijs,& ductu,non illos modo exteros hoſtes,ſed hos etiam & ſocios,& ciuiles,è quorũ manibus fortiter rempub.recuperauimus,ut ip- ſa in ſuam libertatẽ,priſtinũq; dignitatis ueſtigium reſtitueretur:atq; in ea tu,ut uirtute, ita opibus,copijs,potentia princeps eſſes. Quæ quum tot uigilijs,ſudoribus, ærumnis, tanto conſilio, tanta induſtria, tanta ui ac uirtute animorum & corporum, tanto deo- rum & fortunę fauore ſint effecta & conſtituta, tu nunc tota repente uoluntate muta- ta,uniús momenti conſilio uideri uis pœnitere omnium illorum, nolle facta. Obſecro te L.Sylla,conſidera etiam atq; etiã quid agas,quò ruas. Vide ne maior te poſtea pœni- tentia teneat relicti magiſtratus,quàm nũc tenet ſatietas accepti,ne quod nunc dicis te nolle,mox diuerſam cantionẽ canens,nihil te malle dicas. Nam quod imperium in tua nunc eſt manu relinquere faſtiditũ,non erit in eadem recipere uehementer expetitum. Crede mihi Dictator,hęc beneficia uel populi,uel Senatus,ſi data retineas,tua ſunt,ſin illis cedas,ut aues,quas in aëra tollit pluma,aut feræ,quas in ſyluas rapit celeritas pedũ, ſolutæ,ac in ſuas ſedes regreſſę,ſui ſunt iuris,fruſtra tu dumtaxat poſtmodũ clames,fru- ſtra & curras,& plagas tẽdas,et ambias,et ſis omnibus ſupplex,ut ſi deſideres,recipias. Num te ſemel in ordinẽ redacto,patientur Lepidus,Pompeius,Craſſus,Luculli,Serui lius,Metelli:ut quem ſibi iam parẽ uiderint,ſint rurſus ſuum dictatorem,id eſt,planè re gem uiſuri? Si hi obſtẽt,ubi exercitus? quibus pugnemus aduerſus iſtos iuuenes,floren tes ętate,uiribus,rebus geſtis,animis,amicis,opibus: quorũ potentiã tua penè maiorẽ effeciſti. Quid hos nomino? cũ toto tibi mediusfidius Senatu, & populo Ro.res eſſet futura. Omnes enim te dictatore liberati,in ſeruitutẽ redigi ſe putarẽt,ſi rurſus eſſes dic- tator:homo,ut de Senatu taceam,plebeis certe et equitibus non admodum gratioſus, ut nec ipſi ſunt tibi. Quocirca diu multũq; cogitandũ,tractandũ,atq; uoluendũ animo eſt,quid hic ſtatuas,quid agas,in re,in qua nõ bis peccatur:et quũ peccatur,nõ ſine ma ximo id fit malo:ne præcipitatũ unius horulæ cõſiliũ,perpetuã tibi poſtmodũ adferat pœnitentiam. Non eſt dictatura indumentũ aliquod,quod pro arbitrio & exuis,& in- duis. Ponere quidẽ illam licebit tibi,quum libebit:at reſumere,quũ libebit, depoſitam, id non erit tuæ facultatis & arbitrij,ſed illius inſanæ multitudinis,cuius repulſas & con tumelias tanta cum ignominia toties expertus es. Quid tam feſtinas te poſt ſecundum annũ magiſtratu abdicare,ad annos centũ ac uiginti conceſſo & mandato? Videamus quęſo prius,quid hæc ferent tempora,in quibus cernis magnarũ rerum nouarũ ſemina eſſe à M.Lepido,M.Bruto,Q.Sertorio iacta. Nam ſi tu ob pietatem patriæ dictatura te uis abdicare,uide ne exitialẽ illi inferas cladẽ,dum non ſatis cõſiderate ſtudes prodeſſe. An ignoras,te unum in iſto magiſtratu grauiſsimis obſtare ciuilibus bellis? quæ te aut ſublato,aut priuato,ſine mora quàm tumultuoſiſsimè erumperẽt. Vixiſti ſatis,es hono rũ adeptus ſatis:ſatis tibi hæc quidẽ,patrię uerò nondũ ſatis. Vixeris ſanè tibi hactenus, geſſeris tibi magiſtratus,& fueris adeptus honores: Viue poſthac patrię,& q̃d ſupereſt

ætatis

ætatis,age in dictatura,et id patriæ.Tuã huc aduoco Sylla memoriam,qua multũ uales: quid tu nobis,quũ perfuncti Græcis bellis ferias ad Alyssum agẽtes,corpora tot laboribus fessa & fatigata tantisper reficeremus,ualetudinẽq; affectã tu & nos omnes curaremus,quid inquã contigisse tibi ad Lauernæ inter cętera narrasti? Scis qua de re loquar? nempe prædictũ tibi à sapientissimis esse uatibus,te principatũ gerente,conquieturos calamitosos patriæ tumultus.Et mehercule omnibus Po.Ro.ętatibus ita usuuenisse scimus,ut una dictatura opem atq; salutẽ cęsis & afflictis huius imperij rebus attulerit.Initio enim partæ libertatis,molientibus bellũ in hanc ciuitatẽ Sabinis,totoq; nomine Latino,ducibus Octauio Manilio,& socero eius Tarquinio rege,cũ filijs,impigris iuuenibus et acerrimis bellatoribus,tanto metu concussa ciuitas,primũ dictatorẽ T.Largium creauit:sequentiq; anno A.Posthumiũ,cuius ductu & auspicijs uicti ad Regillũ lacum memorabili prælio Latini,huic imperio parêre coacti sunt,& ciuitas metu regio soluta est.Roma à Gallis capta,& direpta,diruta q;,nõ pri⁹ à Furio Camillo liberata est,quàm is creatus est dictator.Cui magistratui eadẽ respub.innixa,ex ruinis suis potentior pollentiorq; quàm antea fuerat surrexit.BelloPunico secũdo,Q.Fabij Maximi,M.q; Iunij dictaturę hoc imperiũ seruauerunt,ut taceã de Æmylio Mamerco Veienti bello,Papyrio Cursore Samnitico,atq; alijs deinceps plerisq;.Nemo enim ignorat,dictaturam esse ab hac repub.ad ferendã opẽ periculosis temporibus,& extremis suis casibus inuentã: quales isti fuerũt,in quibus tu dictaturã accepisti.qui cum nõdum sint finiti,ipse quasi nihil patriæ deberes,uniq; tibi natus esses,deponere properas eo tempore dictaturam, quo si nõ esses Dictator,foret maxime expetẽda.Huc accedit,quod ferendũ utcũq; esset,si te dictaturã ponente,nullus alius magistratũ in medio tãquam prædã relictum ac desertum inuaderet.At uides,quot nũc sint in repub.iuuenes ex tuis opibus potentes, uani,ambitiosi,factiosi,qui uix senserint te esse animo abdicãdi te magistratu,quum ad eum oculos,et totum animũ adijcient.Stolidissima multitudo,cui nec bellum prodest, nec ociũ placet,studiosa semper rerũ nouarum,ducẽ sui furoris sequetur:aut illi certe,si aliter nõ poterit,animis & studio fauebit.Iam enim eò magnitudinis progressa est hæc respublica,ut mole sua laborans,suis uiribus niti ac sustentari nequeat,& corruptissimi nostri mores, immodica flagitiosaq; dominãdi libido,duoq; contraria uitia(ut dicebat Cato)auaricia & luxuria effecerunt,ut hęc ciuitas nec sciat publico parêre cõsilio,si uelit:nec uelit,si sciat.Cuinam ergo quasi per manus tradis dictaturã? alicui ex istis iuuenibus? nempe maxime & ambitioso,& temerario,& facinoroso,qui comparato exercitu audeat cruentũ & luctuosum ciuile bellũ patriæ inferre? perq; magnas et miserandas illius clades eò tandẽ quò tu,perueniat,putans sibi licere eandẽ uoluntario ingredi uiam quam coactus,impulsus,reluctans,reclamans,ingẽti cum dolore ipse ingressus es,& faciat ille suo furore,quę tu,ut patriã periturã alioqui sub Marijs et Carbonibus seruares, fecisti.Tum tu quidẽ in tantis malis patriæ quamlibet & uelis & coneris,opem salutẽq; ut aliàs,afferre nõ poteris.Nam te ætate morbisq; defectũ,iuuenes illi in suis insanis & funestis bellis,nec assis facient.Siccine per deos immortales tu patriam diligis? hãc eius curam geris? qui illam in tanta tempestate,tam horrendis periculis derelinquis? Iussisti ut dicerẽ,quæ sentirem,nõ assentabor,dicam meo more,qui mos tibi cognitus est,atq; exploratus:& tam libere monebo,quàm est mihi tua salus una rerũ omnium longe charissima,ob quam nihil tua maiestate deterritus,grande mihi committere uidear scelus, si quid prætermisero,quod ad te quouis pertinere modo credam.Qui quęso igitur desertor est patriæ,qui ex ea obsessa contra iusiurandum profugit? si tu non es desertor,si dignitatem exueris:ut qui eam planè patriam trades obsidendam ilico,& hostiliter diripiendã? Quod si te,quod etiam dicere penè nefas est, maior priuatarũ rerum tuarum, quàm publicę utilitatis respectus tangit,uide ne uel una hora priuatus uiuere nequeas. Nam simul primũ resciet populus,te abisse magistratu, ita se componet unusquisq;,ut iam se tibi existimet parẽ,nec loco,nec uia cedet:& quodcunq; in tui fastidiũ et cõtemptum possit signum ostendere,nullã eiusce rei prætermittet occasionẽ, colloquio non dignabitur,nõ conuictu,non congressu,ac ne resalutatione quidẽ,solũ te aspernabitur & contemnet,in turba uerò nõ ut dictatoriũ,nõ ut consularẽ uirum,ac ne ut senatorem

quidem:sed eodem tractabit modo,quo quemuis ex capitecensis,sic fore putans,ut o-
dium in te conceptũ exatiet.Poteris Lepidi,poteris Cęsaris,poteris Bruti,Sertorĩq;,si
reuocãtur,(quod haud dubiè te priuato,& Lepido consule,futurũ est)poteris inquam
horum,poteris illorũ omnium,quorum cognatos,propinquos,affinesq; proscripsisti,
uultũ,gestꝰ,conuicia,fastidiũ patiꝰhomo qui uincẽdo,et in magistratibus summis,ho-
noribus,gloria,cõsenuisti?Poteris hęc ferre Princeps huius ciuitatis,uir incredibili spi
ritu,quæ ne abiectissimus quidẽ ferat plebeius?Stultus & bardus,ut aiunt,sum,& nec
de nomine L.Syllã noui,si animus iste tuus,maior hoc toto (quantũcunq; est) imperio
Ro.possit uel minimã istarũ cõtumeliarũ perpeti,quin protinus indignatione emoria-
tur.Tum demũ,ut te ex tanta humilitate attolleres,ex tanto te despectu uindicares,pri
stinũ tuum requireres fastigiũ,atq; hũc istũ splendoris & dignitatis gradũ.Tunc nõ u-
nam repeteres dictaturã,sed geminas,si tot simul posses obtinere.Nam ut saturo lauda
re ieiunia facile est,et aspernari cibos,quos paulo pòst famelicus requirat:ita & tibi Di
ctatori,in hac tãta gloria & claritate uitæ,obscura & ignobilis suauior ac gratior uideꝰ,
multo secus sensuro,si amarorẽ & acerbitatẽ ignobilitatis regustaris:cuiꝰ in animo tuo
sensum tot perpetui successus eluerũt.Sani & ualẽtes,pro nihilo bene ualere ducimus:
quod quanti sit,in solo morbo perpendimus.Ita profecto felicitatẽ suã principes,dum
non intelligũt,priuatas opes suę dĳs proximę potentię pręferũt,quę ipsorũ uita,quàm
sit iucũda,quàm dulcis,quàm una deniq; uera uita,nõ prius sciunt,quàm alterius acer-
bissimã sunt miseriã experti.Mihi uerò ille demũ & sapientissimus,& perinde felicissi
mus uidetur,qui ut maxime potest ad deorũ uitã uirtutesq; accedit.Atqui horũ bona
felicitatis pars in potentia sita est:cuius nullũ adhuc pœnituit,adeò nõ uidetur illis,ma
lè conuenire potentiæ cum summa tranquillitate et suauitate uitę.Homuli omniũ rerũ
insciĳ,cum ignorant quantũ suis in rebus sit uel boni,uel mali,alienas experiri pergunt,
putãtes illas esse meliores.Dĳ uero,qui nihil nesciũt,usq; adeò iudicãt potentiã esse u-
nam rerum omniũ optimã,ut nullum adhuc illorũ uideamus suo se honore libẽter ab-
dicasse.quin potius traditũ memoriæ est,regẽ deum Iouem in Saturnũ patrẽ ob solum
dominatũ arma mouisse.quem dominatũ,nisi princeps ille mũdi pulcherrimũ,& cum
primis deo congruũ censuisset,nunquã dextram suam in patrẽ armasset.Nec dum uero
uidemus,illum cuiquam ex tot filĳs regno cessisse mundi,quin pro illo tam cruentum
aduersus Titanas suscepisse bellũ,& cõcubitus adamatæ uitasse Thetidis.Immortalis si
esses,optarẽ tibi,ut ad imperiũ mundi peruenires.Mortalis es natus:quid tibi uel pater,
uel mater,qui te summè amarũt,quid nos omnes,quibus es nõ minus charꝰ quàm ipse
tibi,precemur?nisi quod sibi quisq; etiã sui amãtissimus,ut princeps sis Romę,hoc est,
planè generis humani.Nec inscitè mihi sapiẽtissimi uiri simulacra hæc,quę in tẽplis cer
nimus,imagines quidẽ esse deorũ aiũt:sed mutas,et mortuas:reges uerò atq; principes,
ueras,uiuas,expressas.O cęcã nostrã mortalitatẽ.Etpotest aliquid esse pulchriꝰ,excellẽ
tius,beatius, diuinius,q; accedere tam proxime ad deos,quàm humano generi cõces-
sum est? Aliã tu mihi quæris uitã,siue felicitatẽ,siue quietẽ,siue bona simul omnia spe-
ctes,quę est simillima illi deorũ?Arbitriũ est Ioui uitę nostrę,necisq;,et tibi idẽ iuris est.
Colitur,adoratur Iupiter:coleris et ipse,atq; adoraris.Imperiũ illi est in reliquos diuos,
& tibi in reliquos principes ac reges.Id solũ interest,quod dei rerũ uniuersarũ sciẽtissi-
mi,norũt potẽtia pulchrius nihil esse:idcirco nullus eorũ se ultro in ordinẽ redigit,mẽs
uero nostra in densissimis tenebris,in profunda nocte,cæca & errans,potentiã quanti
sit nec uidet,nec æstimat.Per tuã,perq; tuorũ liberorũ salutẽ te obtestor L.Sylla, quod
est in humanitate nostræ supremũ,imitare.Effinge,& repræsenta uita tua deos, ita de-
mũ & tu quoq; felicissimus cũ illis futurus.Quis enim tam est cęcus atq; excors,quem
non hic totius naturæ ordo admoneat,nihil esse non in rebus solũ humanis,sed nec in
toto mundo potentia pulchrius?Dominantur feris leones,nempe inter illas nobilissi-
mi,& præstantissimi,eadẽ ratione regina est auiũ aquila.Homines uerò principes sunt
rerum omniũ,quæ oriuntur,& occidũt:quippe inter illas optimi. Porrò dei nobis im-
perant,meliores scilicet.Et inter deos quidem optimus, maximus est ipse Iupiter, cui
cœli parent,& hic totus uniuersus.Quocirca & ex hominibus ipsis,cuius uoluntati &
iussis

iuſsis reliqui mortales obtemperant,is demum eſt eorum primus,maximus, ſummus, proximusq; diuinæ uirtuti. Quid quod & ipſi dei,ut ſunt uniuerſitatis huius potentiſsimi,ita quos charos habent,magnos ad honores,ingentemq; potentiã euehunt:quo appareat, nihil eis eſſe melius uel auguſtius, quod largiantur,uelut Romulũ huius urbis parentem,Numam Pompiliũ eiuſdem regem,Iunium Brutum primum conſulem, tot Valerios,Æmylios,Manlios,Fabios,maiores tuos Cornelios,familias audisnã ſingulos ipſos homines perſequi non uacat. Deniq; Romanã gentem,qua nullam magis ob uirtutem dilexere,ad principatũ orbis extulerunt. Quod ne ipſe quidẽ ignorat generis humani conſenſus,qui deorum fatu genitos illos eſſe credit,qui ſucceſſuũ felicitate,rerum potiti ſunt,ſicut Alexandrũ in Græcia,& in hoc populo P. Corneliũ Africanum illum ſuperiorẽ. Num nõ ſanctiſsimi illi uiri,maiores noſtri,ſpretis ac repudiatis opibus luxu,uoluptatibus,pro imperio tamen & potentia,uelut re ſanctiſsima & optima cum uniuerſis gentibus decertarunt? Curius et Fabricius,quorũ eſt in hac ciuitate ſacroſancta memoria,uiri innocentiſsimi,et excelſi,diuitias omnes quum contempſiſſent,ſe tamen imperare diuitibus uelle profeſsi ſunt. Quis hodie tam in hac urbe peregrinatur, qui neſciat,cur à priſcis illis ueteribus,uiris omni laude et gloria cõcelebratis ac dignis, ex diſciplina illa caſtiſsima & integerrima Romana,tot ſint bella cũ omnibus Italiæ populis,cũ Pyrrho,cũ Carthaginenſibus,cũ Antiocho,cũ Macedonibus,nunc poſtremò te Imperatore cum Mithridate, magna cum uirtute et ſuſcepta,et geſta? niſi ut conſtituto hoc imperio,in ocio,in trãquillitate placidiſsima, & illi ipſi & nos eorum progenies æuũ agitaremus, ut intelligas non eſſe difficile, quod tu credis, in faſtigio principatus quiete frui. Nam illud audio te in hanc deponendæ dictaturæ cogitationem adduxiſſe. Alioqui tota tibi antiquitas,uno erit uerbo imperitiæ atq; imprudentiæ rerũ damnanda:quæ quietem huic ciuitati parare ſtudens,ac relinquere putãs, moleſtiſsimũ potius tradiderit imperandi negotiũ,damnandi eiuſdẽ criminis & præſentes omnes,qui non primo quoq; tempore ſuas ſibi unaquaq; ciuitate iuſſa res & habere,& agere,curam repudient ac reijciant imperij,ſinantq; illud æternùm ualere. Do tibi tantũ prudentiæ L. Sylla,quantũ homo unus conſequi & tenere poteſt:nunquam tamen concedam,ut ſapiẽtior tu ſis tota hac ciuitate,& quę nũc eſt,& quæ poſt eandẽ conditã fuit,quin etiam cũcto genere humano,quod uniuerſum ſi roges,una tibi uoce,nihil ſibi uideri potẽtia atq; imperio uel pulchrius,uel beatius,reſpõdebit. Quod ſi ocio,quiete, uoluptatibus libet perfrui,an non hęc tam tibi domi tuæ principi licent,quàm priuato,cõſtituta foris tota repub.magiſtratib.ijs uiris traditis ac mãdatis,quorũ ſit tibi prudẽtia cognita,perſpecta fides? Non uideo cur intra domeſticos parietes,ſecurus publici negocij indulgere tibi,& obſequi prolixe animo nequeas. Quippe ijs omnibus,quæ ad uitæ oblectamenta ſpectãt,quis facilius uel abundare,uel uti poteſt,quàm dictator? tum propter opes,ac uelut unicũ inſtrumentum, quo hæc parãtur:tum quia quod in priuata uita ceu luxus arguitur,in principe ſplendor et magnificentia nuncupatur. Illud uerò te per proximos hoſce dies querentẽ ſubinde audio,non eſſe te parẽ tanto oneri:& audio id quidem non ſine maximo animi dolore. Non es par homo, qui ſalute tua barbariſsimo & infido regi credita,Iugurtham tuo cõſilio fregiſti? qui laboranti ueterano C. Marij exercitui,aduerſus infinitam ſemiferorũ hominum uim,auxiliũ opemq; tuliſti? Non es par poſt duos cõſulatus,duorumq; dictaturam annorũ,deuictis partibus,altiſsima toto in orbe pace? Non es inquam reip. adminiſtrationi par,qui fuiſti ſuperior tot millibus hominũ,totisq; Mithridatis potẽtiſsimi regis copijs atq; opibus? Ingreſſo Italiam tibi res cum x v. Marianarũ partium imperatoribus,totidemq; exercitibus fuit,atq; adeò cum hac ipſa ciuitate. tot legionibus mirifice pręfuiſti,tot partis uictorijs in priſtinũ gradum ueſtigiumq; rempub. reſtituiſti:par fuiſti, ſuperior etiã tot ſimul rebus, quarum cuiuis maximi etiã animi ſuccubuiſſent:& nunc poſt tantum reip. gerendæ uſum,audiendum eſt nobis de te tam triſte carmẽ,Nõ ſum hiſce rebus par. Vſq; adeóne debilitauit & fregit animi tui neruos felicitas? uſq; adeò per pacem & ocium à priſtina illa uirtute degeneraſti? ut ueteranus gubernator,quam nauim in periculoſiſsima tempeſtate ſaluam in portum perduxiſti,nunc in portu ipſo,in tranquillitate certa cõfirmataq;,citra difficul-

tatem & moleſtiam,nec ſcias gubernare,nec ualeas?Nunc demum uocem illam Appij Claudij prudentiſsimã,quam & Scipionem Naſicam crebro uſurpaſſe de auo audiebã meo,nõ modo de uniuerſo po.Ro.ueram eſſe experior,ſed de ſingulis etiam Romanis hominibus:Melius illis negotiũ committi,quàm ocium.Si in principio iſtius magiſtratus,aut nondum omnino depugnatis partibus,aut nõ aſſuefactus iſti adminiſtrationi, iniquũ tibi hunc dixiſſes dictaturæ faſcem, omnes miſerati uices tuas, aliud tibi forſan conſilium dediſſemus.Nunc uero crede mihi L.Sylla,in tanto ciuitatis ocio,tam alta et compoſita quiete,poſt duos dictaturæ annos,quod tempus callum ſenſui curarũ magiſtratus & potuit & debuit obducere,nemo poterit uocem iſtam æquis auribus audire, boni cõſulere.Per horum ego te gemellorũ ſalutem obteſtor Sylla,ne quiſquã patrum conſcriptorũ iſtam audiat querelam.Quis enim erit,qui non protinus indignabundus quærat,Quid tibi hoc tempore intolerabile uideatur reddere dictaturã? Oderũt enim omnes fractũ animũ inertis ſenis,& ad ſolas uoluptates abiectum:recuſantẽ, quæ ſunt propria ſenum munera,magiſtratus,conſilia,publ.curã ciuitatis.Quod ſi hac tua ratione uti ſingulis ſenum uel licet,uel libet,abdicet unuſquiſque publica negocia,et totum hoc imperium tradamus iuuenibus,atq; adeò pueris moderandũ,nos quoq; ſenes,turbam ignauã atq; ſegnẽ,tanquã bis pueros ipſi ſemel pueri regant.At inquis:Ita gero dictaturã,ut pondus mihi ſit non ferẽdum.Id iam non dictaturæ uitium eſt,ſed tuum,qui ita geras,ut curas tibi inutiles,reip.nõ neceſſarias arceſſas.Iam demũ,ſi antè non feciſti, diſce hæc publica munera leuia tibi reddere, inclinatis oneris partib.in plures,eoſdem bonos,& tibi fideles,quales non tibi modo ſunt experiendi,iam ſuæ fidei certa experimenta oſtenderũt.Nãq; ipſa dictatura quid facilius ſit,nõ uideo,quum liceat tibi ocioſo,inſummo magiſtratu ſpectare curſum totius reipub.admirabili ordine,pulcherrima & iucũdiſsima ratione ex ſeipſo progredientem.Conſilia publ.curant cõſules cum ſenatu:quæſtiones & iudicia exercẽt quæſtores,prætores,iudices iurati: minores cauſas Centumuiri:religiones,pontifices,& augures:bella ij,quos exercitibus præfeciſti, tibi uni omnes hi agunt,& inſeruiunt,fruenti placidiſsima ſi libet in quiete uniuerſorũ opera & cura.Nollem centumuir eſſes,aut prætor,aut conſul perpetuus:quorũ ſunt etiam perpetui labores,& cum ipſo ſole quotidie redeũtes curæ ac ſollicitudines.Dictaturã illi ego exoptarim,cui cum eximia dignitate eximium quoq; & gratiſsimũ dari ocium uelim.Quòd ſi ulla fuit poſt Romam conditã facilis dictatura,iſta tua eſt: cuius curſui nulla opponitur tribunitia moles,nulla iuſsis imperijsq; interceſsio.Quę certamina alijs dictatoribus,quàm continuæ & odioſæ cum Trib.pleb.contentiones? quorum munia dictatoris imperium & maieſtas non adimebat.Tibi omnia aperta,æqua,facilia,iucunda ſunt:etiam ſi uolueris,quod nec ſuadeo,et ipſe auerſaris,ad regnũ,cum magiſtratus ille,cuius unius uires dictatorijs opponebant,ſit per te ſublatus.Sed perſiſtis in tua querela,etiam ſic moleſtias tibi in hac publica uita eſſe nonnullas ſubeundas.Quid tu non & plures & duriores in priuata eſſe uita putas? Vellem in memoriã reuocares,priuatæ tuæ uitæ tempus:nũ nõ fuerint ullæ in eo curæ? nulla tædia? Nunquid non potius multo,quàm nũc,crebriora? ac diuturniora? magis amara? Etenim ita à dijs immortalib. conſtitutum eſt,ut nulla hominũ uitæ pars laboribus,ſollicitudinibus,uarijs anxietatibus,omnino uacarepoſsit.Proinde mihi longe mehercule clarius ac præſtantius uidetur,quãdo hæc uita ſecura rerum omniũ nequaquam poteſt tranſigi,non in uoluptate, non leuium rerum,nulliusq; momenti curis,quæ muliercularum & pecudũ ſunt,occupari,atq; æuum agere,ſed in illis,quæ magnos uiros et excelſos animos decent.Nõ finxit ipſa natura mulieres ad res graues,utique nec uiros ad luſus,ad iocos,ad nugas.Magno cum pudore iamdudũ de hiſce rebus Sylla loquor:quippe qui cogitẽ,apud quem dico,& quem moneo.ne me putes aperire tibi ſcholam aliquã ex Gręcis illis uelle,quę beneficio tuo nunc Athenis uiuunt, quæq; omnes ſunt tibi multo notiſsimæ. At metuis fortaſſe,ne magnam dictatura,& intolerabilem tibi concitet inuidiam:quanquam id difficile crediderim, qui perſpectum habeam,te tam eſſe à uano metu alienum.Hoc tamen ſi eſt uerendum, in ipſo magiſtratus exordio uerendum fuit, partibus nondum ſublatis,flagrantibus adhuc ciuilibus bellis:non nunc,poſt annos duos,aſſuefactis hominibus

minibus usu et consuetudine diutina, parêre tibi. Vbi nunc Marij, Carbones, Norbani, Domitij: quorum exercitibus inuidia in te populi poterat uti, ad se uindicandam: et per quos à te suorum proscriptorum pœnas expetijsset, Pompeij, Crassi, Catuli, Metelli, Luculli, Martij. Qui nunc florent, quid aliud futuri sunt, quàm Syllani, Sylla dictatore? Ad hæc quæ modo dicam, obsecro te per tuam salutẽ L. Sylla, animũ totũ, ipsamq; tuæ prudentiæ uim admoue. Potius tibi inuidia illa timẽda est, deposita dictatura, ne tũ demum tam late patẽs odiũ priuatis opibus ferre ac sustinere nequeas, & nõ mediocriter tibi officiat, quũ te tui nõ pluris faciẽt, quàm alium ex Senatu quẽlibet: nescio etiam an minoris. Et quoniã hic inter priuatos agimus parietes, nihil oportet dissimulari. In consilio qui assentatur, parasitus est, qui quod conuenit, prætermittit: si ignorãtia, stultus: si malitia, inimicus. Quæso te L. Sylla, excidit iam tibi, quot hominũ milia iusseris ante duos annos proscribi? nulli tandẽ illorũ putas aut parẽtes, aut liberos, fratres, propinquos, gẽtiles, cognatos, affines, necessarios restare? qui à te liberisq; tuis, ac tota domo, nobis deniq; omnibus tuis, unica tui magistratus reuerẽtia comprimãtur, & coerceantur, ne manus nobis uiolentas afferãt: facturi, simulac nihil supra ciuẽ esses. Superesse plerosq;, in quibus multi insunt Marij, ne tu quidẽ dissimulasti, tacitũq; habuisti: quibus ad omnem occasionẽ intentissimis, semper hamus pendet. non dico si deposueris magistratũ: sed si uel pedem extra urbẽ, aut certe extra Italiã posueris, maxima sint ciuilia excitaturi bella. Incredibilia loquor? Nõ tu id unquã expertus es? qui uictis aduersis partibus imperator, in cursu felicitatis & gloriæ, ingenti et inuicto exercitu uix Italiã compositis rebus reliqueras, quum ecce tibi perfidus Cinna, et è paludibus emersus exul Marius, urbem occupẽt, crudeliterq; diripiunt, & tam acre tibi suscitant bellũ, ut ad id propulsandũ nihil tibi & de uiribus tuis, & de amicorũ ope, et de prudentia consilioq; tuo tibi fuerit remittendum, quippe qui fueris propior periculo, quàm ipsi uicti. Et hæc quidẽ tibi contigerunt, quum nihil præter bellum tãto cum exercitu quæreres: grauior tibi bello esset ipsa pax: quũ nihil non annueret, non largiretur tuis conatibus fortuna. Nũc senex effœto corpore atq; animo, imparatus obijcies te tuosq; omnes periculo, & lacesses iã quiescentẽ fortunã tuam, fortasis inuidentẽ tuis successibus, tentantẽq; hac uia (quod dij omnes omen auertãt) multo te miseriorẽ facere, quàm fueris felix. Mater est fortuna, si fauente dexterè utaris: sæua nouerca, si nimis sæpe te in periculũ temere conijcias, & illã pergas experiri. Quid alienos facturos putas? quũ Pompeius ipse, quãlibet modestus, quamlibet Syllanus, documento esse possit, quanti sit momenti dictatura, cui quũ post deuictũ in Africa Domitiũ, successorẽ esses missurus, reclamante cuncto exercitu, & hortante ne edicto parêret, quo à te in urbẽ reuocabatur, suamq; ad extremos casus fidelissimam operã pollicente, et te secundo quoq; uerbo Tyrannũ appellãte: ille se sibi citius manum illaturum pro cõcione professus est, quàm non parêret, Syllæ minimè, sed dictatori po. Ro. Vsq; adeò Ro. auribus sacrosanctũ est dictatoris nomẽ, & eius edicta pro numine semper obseruata. Hoc mihi unũ recẽtissimæ memoriæ exemplũ satis fuerit, ut prætermittã uetera illa, L. Quintium exacta iam ætate ad compescendũ Sp. Melij erumpens regnum, dictatorẽ creatum. Corneliũ Cossum cõtra Manlij conatus, paulo post Romam captã: & Papyrium Cursorẽ, aliosq; permultos, de quibus te & audiuisse & legisse scio. Fuisses ter Sylla modo non dictator, bellũ tibi à Pompeio perquàm difficile fuisset illatũ, quod et tu futurũ timuisti, iuuene impigro, ut uides, strennuo, prudẽti, & (quod plurimũ omniũ in bellis ualet) fortunato: nugæ tibi tunc uisi fuissent Marij omnes, & Carbones, & Norbani, & Thelesini. adde his si libet, Græciã ipsam cum Asia, totoq; Mithridate. Quid? in hac te ciuitate ineolumen fore priuatum putas, in qua plura q̃ centũ millia ciuiũ iussu tuo occisa sunt? Ego uero, ne si unus quidẽ ciuis mea opera. Non dico si priuatus fias, sed si te de magistratu relinquẽdo deliberare et cõsilia agitare senserint, stare mehercule nõ potes. Ac quẽadmodũ Q. Fabius ille Cunctator huius imperij afflicti perfugiũ et salus, in quo uno fuit autoritas et prudẽtia tãta, quãta in toto Senatu et po. Ro. qui eius tũ cura atq; opera regebatur: cũ de re aliqua parũ suo tẽpore ad Senatũ referretur, nullũ aliud dedisse fertur cõsiliũ, q̃ ut ea silẽtio obliteraret: sic et ego, tantũ abest ut autor tibi sim deponẽdæ dictaturæ, ut habitã de hac re mentionẽ omnes

alios latere uelim:idq; diligentissime ut curetur suadeam,ne extra hos parietes exeat:et ad inimicos uel extraneos,uel eos qui commissa & credita parum tacere atq; occultare sciant,permânet.ac si quid unquam sanctè arcaneq; tectum occultumq; est,hoc maxime conuenire atq; oportere.Obsecro te L.Sylla,usq; adeò hic te relinquendi magistratum impetus occæcauit:usq; adeò ipse excidisti tibi:ut non memineris,non uideas,tot esse abs te homines læsos,ut nõ tu solus in pœnas deposcaris,sed liberi,sed nos omnes tui.Horret animus dicere:Dei immortales,uos quicquid est hic omnis,procul amouete.Sed uel si publico bello,uel priuata fraude atq; casu in potestatẽ cuiusquã ex tuis inimicis cum tota domo uenires,nõ tam immaniter M.Marium lacerauit & discerpsit Catilina,quàm te illi tuosq; omnes crudeliter cruciatos,per innumeras mortes enecarent,uideres cõcidi ante oculos tuos uiscera tuorũ filiorũ pater,uinctus ipse durissimis uinculis,attollerẽt ad te oculos,et puerili cũ eiulatu,multisq; lachrymis,et acerbo dolore tuã opem implorarent.Quis te hic deus à furore ac rabie uindicaret? Conareris toto impetu perfringere cathenas,et illas dẽtibus tẽtares lacerare,ut ad liberos tuos accurreres.Pythie Apollo,& tu Iupiter Capitoline,reginaq; Iuno,& Bellona,cæteriq; dei & deæ,uos hãc domum & familiã felicem faustamq; perpetuò seruate:uana sint hæc mea uerba.Sed si tu his tantis malis posses supersse,nec furore et rabie cõsumereris,per singulas particulas concisus,millies prius interires,quàm animam et uitam amitteres,abiectis deinde tui corporis,tuorumq; liberorum reliquijs,partim ad feras & uolucres,partim in Tyberim:disiectis statuis & monumentis rerum tuarum,euersis penatibus,genere,familia,nomine ipso extincto.Obtestor te Dictator,miserere tui,infelicioris,si fueris priuatus,quàm nunc sis in magistratu felix.miserere pater liberorũ,nũc faustorum, infaustissimorum uerò,si te in ordinem redegeris,miserere nostri,militum tuorum,charissime imperator,quos omnes aut conseruas maiestate tui magistratus,aut dictaturæ abdicatione in exitiũ tecum pertrahis.Quoties enim te homines uiuũ conspexerint,toties illis suorum clades in memoriam redibunt:si nihil obstiterit,haud dubie uindicaturis.tecum moriente etiam morietur inuidia illius proscriptionis,ita securiores erimus tutioresq; te mortuo,quàm te uiuo priuato.Quas omnes ob res,multas (ut uides) magnasq;,& cum primis graues,retinendam ego tibi L.Sylla dictaturam,id est,munimentum tuę,tuorum,& reipub.salutis censeo.sine qua nescio an hæc ciuitas stare possit:certe in ea ciuitate tu,filij,nos tui,salui esse non possumus. Cæterùm

quicquid faxis, deos omneis
fortunare uelim.

DECLAMATIONIS PRIMÆ
FINIS.

IOANNIS LODOVICI VIVIS
AD L. COR. SYLLAM, VT DEPONAT
dictaturam,Declamatio,uerbis M.Fontei.

CVM ESSET mihi hesterno die L.Sylla,paulo antequam huc conueníremus,nunciatum,Q.Fundanũ sentẽtiam dicturum,existimabam senem illum tanta rerum cognitione atq; prudentia,ad ocium,quietem, popularitatem,charitatem,amorem reip.& libertatis huius imperij esse propensum,ac pro illis,ut ualet plurimum dicendo,& longa & copiosa et graui oratione dicturum.Ita sperabã fore,ut ipse hesterna consultatione,cum uerbis,tum uerò autoritate,qua et pollet,et eum pollere equissimũ censeo,totã rem cõficeret & absolueret.Idcirco paratus ueneram,ut uel pedibus in sententiam eius tacitus irem,uel paucula quędam,si uideretur,quę pro eadẽ re facerent,adijcerẽ.Verũ me tota hęc mea spes ac cogitatio fefellit.Nã illi,ne fiat,quod ad incredibilẽ huius populi gratiam atq; fauorem emerendum,ad immortalem nominis tui gloriam

L.Sylla

L.Sylla excogitaras, dissuadere uisum est: & usus est oratione tam uehementi, ut non te modo,quantum credo,uerùm nos etiam omnes supra fidem cõturbarit. Quis enim nostrûm de tuis periculis securus audire potest? At ille ita demonstrauit pericula,ut interdũ non hic in domo tua,sed in illis sceleratis Marij ædibus mihi positus uiderer:non orationem haberi crederẽ,sed rem agi.Hæc est causa,propter quam colligendi mei gratia diem unum postularim:ut si forte reputans cum animo meo,illius consiliũ melius esse comperissem,non pigeret me sententiam mutare,& uiro tam prudẽti meliorum monitori assentiri.sin quid secus,non etiam dubitarem,quod essem ratione,argumentis,rerum experiẽtia,atq; usu cõsecutus,huc afferre:nec uererer senator à senatore,more maiorũ,cum summa consensione uitæ & amicitiæ,oratione & cõsilio dissentire.Quocirca et te Fundane rogo,ne me putes offensione aliqua uel simultate à te dissidere,uel quod te nõ putem ea esse autoritate,grauitate,sapientia,æquitate,innocentia,quibus optimo iure magna debeatur fides, sed quod tibi illa quæ heri dixisti,magno cum ingenio atq; prudẽtia collecta sunt:mihi uero hęc quę sum modo dicturus,nõ maiore cum ingenio maiore prudẽtia(uix enim potest esse maior)sed certe sicut spero non minore diligẽtia & rerum usu. Te quoq; L.Sylla oro, ut interim dum orationi Fundani respondeo,adsis animo,& me dicẽtem attentè audias.Efficiam profecto,ne pœniteat te tuę tam diuinæ cogitationis,propter quã huc conuenimus.Cui Fundanus,tametsi reiecta in fatum rerum humanarũ culpa,tamen incõstantiæ notam inusit.quasi inconstãtes dicendi sint, quotquot instrumentũ relinquũt,quo iam non egent. Tu uero Fundane ægrè feras, si quis te in suspicionem aliquam uocet inconstãtiæ,quod iturus ad curiã latum clauum induas,domũ regressus exuas,meritò,mea quidẽ sententia.Nam pro diuersitate rerum atq; causarũ,diuersis uti consilijs,nõ leuis hominis atq; inconstãtis,sed summè esse sapientis scimus omnes.Ægrotat amicorũ aliquis,uolo eum medicinis uti:conualuit,nolo iam eisdem uti,hoc tu appellas inconstantiã? Est hic cur de fatis,de natura nostra,de ingenijs hominũ querare? Expetiuit L.Sylla dictaturã,ut tantis malis remediũ adhiberet, ut è Repub.pestes illę,Marij,Carbones,Norbani tollerẽtur:res tota deorum beneficijs ac benignitate confecta est,nihil relictũ est,quod indigere dictatura uideatur.Hic ego te Fundane libenter rogẽ,quid nobis bello,quid magistratu hoc quærebatur? tute ipse & sapienter(ut alia permulta)dixisti,nempe quo pacẽ ciuitas haberet:habet.cõstituere tur:factum est.retineret pristinum dignitatis & imperij gradum,atq; splendorem:& id dijs ac L.Syllæ gratia retinet.Fac nos nũc in hoc rerũ statu ex Asia uenire, censeres' ne æquum accipi dictaturã? Causa nulla esset,quamobrẽ id fieret.Ergo tu,quod iniquũ esset uel peti,uel capi,id æquum putas esse captũ retinere? Quod si hæc dictatura accepta est,ut patria iamiã ruẽs fulciretur et seruaretur,uide ne hoc nemo agnoscat,si non dictatura tunc deponatur,cum patriæ non est opus Dictatore. Vide quæso Sylla,ne omnes tibi Dictatorem fuisse te credant,non patriæ:in quam introducis pessimum tyrannidis exemplum.Res enim omnes in ciuitatibus & populis malæ, bonis exinitijs ortæ sunt. Cõceditur alicui bono quippiam,quod ita fieri res postulet,id sibi omnes nullo respectu ac ratione temporum negociorumq; licere putant.Maxime fuit huic reipub.necessarium,te fuisse Dictatorẽ,ut alios antehac complures.Si tu exemplum illud ueterum nõ sequeris,qui finita re propter quam dictatores creabantur,etiam finiri dictaturã credebant:et cum magistratu moreris,quod uult Fũdanus:multi rẽ parem in causa dispari sequẽtur.Illud itaq; Quinte timendum non est,ne si hic uiuens reliquerit magistratum, sint qui inuadant,qui pro eo uelut præda certent, magno reipub.malo.Potius est illud metuendum,ne si hic cũ dictatura ad mortẽ perueniat,iuuenes uani, ambitiosi,potentes,seditiosi,institutũ putent ab eo esse factũ perpetuæ in hac ciuitate dictaturæ,hoc est regni:quam nõ tãquam populi uel senatus beneficiũ petãt,sed tanquã belli ciuilis mercedẽ armati rapiãt,& quasi de magistratu uicto triumphẽt. Vide igiẽ, quàm ego nõ eadẽ,quę tu,pertimescam,ut hoc uiuo neminẽ uerear,ne magistratũ corripiat: nec minus obstaturũ ciuilibus putẽ bellis,sua reuerentia & autoritate priuatũ,quàm si esset in honore.& sperẽ,si uix erit aliquãdiu priuatus (quod Iupiter ipse perquàm diuturnũ faxit) fore,ut respub.desuescat dictatorẽ pati:ac tũ post hũc mortuũ nec ullus sit tã temerariẽ

ſceleratus,aut impudenter ambitioſus,qui Dictator uelis eſſe ſine cauſa:neq; homines tam uel turpiter ignaui, uel ſecorditer imprudentes,qui aliquem eſſe patiantur,ſi nõ ſit neceſſariũ.Multa enumerauit Fundanus,quæ obſtent,cur nõ ſit magiſtratus receptu facilis,ſi ſemel ponatur,an tu putas Quinte,ita eſſe deponendã dictaturam,ut caueas tibi uia,qua ad illã redire poſsis,ſi uelis?Non eſt hoc animo dandũ beneficiũ Fundane,non dico patriæ,ſed ne amico quidẽ. Simpliciter,& toto,quod dicitur,pectore amatur patria:ita eſt illi ſine fuco,ſine ſimulatione ulla benefaciendũ,ſi modo hoc tu uis eſſe illi beneficium,cur tu me caute,aſtute,callide,& quaſi ex inſidijs,non aperte & bene uelle & perinde benefacere patriæ? Nihil ſuſpicor mali,ne inijcias ſcrupulum.Illiberale genus dandi eſt,ſi cogites iam tum,quũ das,quemadmodũ recipias donum ſemel datũ ab eo, cui dediſti,ſi ingratus exiſtat.Nõ probo uocẽ illã Scipionis moribũdi,uiri alioqui propè diuini:Ingrata patria.Auſim dicere,nunquam eſſe poſſe patriam ingratã,ſed ſi ingrata eſſe poteſt,malim illam talem experiri,quàm erga ipſam ita me gerere, tanquã talem ſuſpicer futurã. Quicquid ergo in eam conferã,gratiſsimæ conferre me putabo.At inquis,mores noſtri iam nõ patiuntur publicũ conſiliũ.Hic ego tuam requiro prudentiã Q.Fũdane,hominis tã diu in foro & curia,in negotijs,in honoribus uerſati:quid aliud iſta ſibi uerba uolũt,niſi quod magno cum metu & pudore dico,hanc ciuitatẽ iam indigere rege? Quaſi uero ſi conſilio publico parêre nolit,dictatori paritura ſit? quæ ſciat ſe ſupra dictatorẽ eſſe,& non potius ſeditione,ut ſæpe aliàs,quicquid uelit conſequatur. Quid quod tu ex uno ciuili bello,de omnib.futuris ſæculis iã pronuncias? & tibi nunquã uidentur defuturi Marij,quia ſemel fuerũt.Ne rogo tã malè,Quinte,de hac repub. fueris ominatus:ne auferas illi etiã ſuũ Syllam,ſi das Mariũ,hoc eſt,ſi ſemper fore putas malũ uirum,qui bellũ ciuile excitet:crede etiã non defuturũ bonũ,qui excitatũ uirtute ſua ſedet ac componat.Quanto aliter ueteres illi prudentiſsimi iudicarũt,qui nõ ſi Sp. Melius,Sp.Caſsius,M.Manlius regnũ affectarunt,protinus quãplurimos affectaturos putauerũt:nec ſi aduerſus uires illorũ immodicas dicti ſunt dictatores,idcirco illorum dictatorũ aliquem,uel omnes in magiſtratu tanquam in ſtatione erectos,& ad omnem motũ atq; eiuſmodi occaſionẽ accinctos iuſſerũt eſſe.Semper de hac ipſi repub.melius ſperarũt.quod & omnibus faciendum eſt:nec tam deſperandũ de ualetudine corporis noſtræ ciuitatis,ut ſanari unum ulcus nequeat,quin extemplo aut aliud, aut etiã plura ſuboriantur.At inquies,fieri hæc poſſunt quæ dico:idcirco proſpiciendũ,antequã accidant.Nę tu miſerabilem pręſcribis prudentiæ conditionẽ rectoribus rerũpublicarum, ſi nihil actũ extimarint,niſi occurrant periculis omnibus,quæ cõtingere nõ modo ſolent,ſed forte fortuna poſſunt,quis hoc unquã aſſequetur? quod ingeniũ,quæ uis, quæ rerũ prudentia? Infinitũ eſt hoc,& ſi quis perſequatur,non tam medebitur morbis,qui nunquam uel ſunt,uel erũt:quàm inani illa ſua cura & anxietate,urgentes iſtos alios,& quotidianos intactos præteribit.feſtinans aliò,intentus innumerabili multitudini.Sed uis Fũdane,ne te nõ bonũ coniectorẽ,id eſt,bonũ uatẽ (nã optimus eſt uates, optimus coniector)exiſtimemus:ægrè fers,te nõ putari multũ uidiſſe.Donemus ſanè (quod dij procul hinc amoliãtur)futuros aliquãdo graues in ciuitate motus:et futurũ,ut indigeat dictatore,qui eis occurrat Eccui rogo te putas po.Ro.uel tutius,uel libenti⁹ crediturũ illũ magiſtratũ,quàm ei,quẽ ſciat redditurũ,uelut depoſitũ,cũ ſit opus:id eſt, uſurũ eo quandiu fuerit neceſſe,relicturũ cum nõ ſit reipub.neceſſarius,atq; ei planè,quem ſciat geſturum dictaturã ciuitati,nõ ſibi.Quod ſi hic ſe nunc magiſtratu abdicat,& filiorum noſtrorũ temporibus ij caſus rempub.afflictent,quibus dictatura accurrendũ ſit,arbitraris fore aliquem,qui non illam ad hunc Fauſtũ deferat? nempe ad eum,quẽ homines ex ea eſſe familia natũ uideant,quæ acceptã dictaturã retinere cũ poſſet,patriæ ac publicę libertati reddiderit,ita non huic Fauſto ſe mandare putabũt,ſed Syllanæ familię,quę chariorem habeat patriã,quàm ſummũ magiſtratũ atq; honorem,imitatione illius Romanę ueteris uirtutis,quos ueteres Fũdane,cũ cõmemoraſti,uoluiſſem etiã addidiſſes, quanto ſemper Romani omnes glorioſius putarint,relinquere magiſtratum,quàm inire:geſsiſſe,quàm gerere,ita ut non minus etiam,quàm pro uictoria,pro re illa certamen eſſet, quis citiſsime perfunctus cauſsis mandandæ dictaturæ, ea ſe abdicaret.Illi enim

non

non certo illo et legitimo tempore finiri putabant dictaturã, sed negocio propter quod erat tradita. Ita uidemus fuisse multos, qui uicesimo, qui sextodecimo, qui decimo die accepta dictatura abierint, uelut Quintius Cincinnatus, Æmylius Mamercus, aliíq; penè omnes. Vix enim unus fuit aut alter in tãto seculorũ spacio & cursu, tam uarijs rebus gestis, qui sex illos egerit in dictatura menses: nullus certe illos transgressus est, idcirco nemini libentius dictaturã illi ueteres, quàm uiris dictatorijs credebãt: qui & eam tradi tam accipere, & acceptã gerere, & gestam deponere, suis quicq; temporibus & ipsi scirent, & populus superiorib. edoctus exemplis eos scire nõ ignoraret. Hinc in suspicione regni Sp. Melij, in tanta trepidatione ciuitatis (ne quos alios nominẽ, quàm de quibus modo memini) Cincinnatus secundùm creatus est dictator, quod priorẽ dictaturã sextodecimo reliquerat die. Altera dictatura Mamercus, cũ censorię potestatis tẽpus uelut immodicũ minuisset, ut de se nõ minus quàm de quouis alio priuato iudicium & potestas censoribus esset, dictatura se cõtinuò abdicauit, ita ab illis eisdem iratis cẽsoribus, qui tum erant, magna cũ indignatione P. Ro. ærarius factus est, hic ærarius, & censoria adustus nota, quod tamẽ magistratũ, quo tanquã clypeo ac telo aduersus uim inimicorũ censorũ munitus esse poterat, se ultro exarmauit, non modo in curiã reductus, sed tertiùm etiã dictator creatus est. In quo magistratu maximis rebus gestis, sextodecimo sese die in ordinẽ redegit. Hic tu mihi quantũ uolueris Fundane, de dijs ipsis, & potentia, & antiquis Romanis accurata oratione disseras, nihil tibi nõ concedã, modo tu mihi unũ illud nõ neges, quod omnes confitẽtur: semper huic populo, in quo uiuimus gratiorem, pulchriorem, glorioſiorem fuisse aut spretam, aut relictã potentiã, quàm uel quæsitã, uel retentã. Quanquam ne arbitrare Fundane, deesse mihi orationem, qua tuæ quamlibet acutæ respondeã, quod faciã equidem, ne fortè tu L. Sylla, tua & in deos & in patriã pietate, uel religione tactus, uel eo quem credas morem maiorũ, de sentẽtia & suscepto cõsilio moueare. Vsus est Fundanus consensu generis humani, existimantis nihil esse potentia speciosius, nihil beatius. Hic ego quærã, an' ne ullum Fundane ab hoc consensu & uelut cõspiratione excipis? Si nullũ, uide ne te hominẽ prudentissimũ maiores nostros non inter homines collocare credamus, sed aliquid supra mortalẽ sortem extimare: qui toties acceptos honores ante tempus reliquerint, oblatos ultro repudiarint, qua de re ipse paulo pòst loquar. Sin uerò aliquos hoc ex cumulo demis, quęso te, quos relinquis tandẽ? insanas turbas, imperitas plebes, populos in erroríb. in tenebris uagãtes? Hos ego omnes Fundane, nõ pluris facio, quàm ipsi sunt: quibus nihil inueniras leuius, inconstantius, stolidius, usq; adeò, ut uel despicatissimo illorũ omniũ conuicĩ feceris, si dixeris, eum cum turba, cum multitudine sapere et sentire. Adde, quod hic consensus, quantũ ego quidẽ arbitror, haud quaquã de nihilo ortus est. Fallũtur nanq; omnes specie quadã boni. nemo enim ab ipso manifesto errore unquã captus est. Antiquitatis uestigia in posteris relicta, male tamẽ intellecta, homines transuersos agũt. Olim nanq; cum primũ potentiæ, honores, magistratus parabantur, nec solebant hęc omnia nisi ad sapientissimos & optimos deferri uiros, & populi dicto illis erant audientes: ita res omnes obedientia multitudinis facilè administrabantur: & tã secundi populi imperia reddebãt iucundissima, refertaq; magnę cuiusdã felicitatis. Ac ipsi qui erant in potestate, nec scientes peccare poterãt, quia boni: nec ignari, quia prudentes. Hic totius naturæ consensus, à dijs sapientissimis & optimis, imperiũ reddit felicissimũ: nam cœli & elementa iussis uolitisq; Iouis Opt. Max. libentia & gaudẽtia parent: & nos ipsi omnes legib. illis sempiternis obtẽperamus. Boni, pijq;, mali, conscelerati, impij, suo singuli aguntur fato: quæ ipsius est omnipotẽtis uoluntas Iouis. Nec mouetur, agiturúe toto in mundo quicquã, quod non ex legibus & præscripto fiat regni mundani: quod apud se Deus ille rerum omnium parens conditorq;, quum rerũ naturam fingeret, præstituit. Hęc pontifices, hæc mores & instituta nostrorũ maiorum, hæc ceremonię, hęc religio, hæc sacra tot sæculis à ueteribus tradita & culta nos docent. Hæc igitur illa est oblectatio, hæc felicitas imperandi, cũ imperat uolẽtibus à bonis uiris. Quod cũ antiquissimis illis cõtingeret, nihil putarũt homines potẽtia neq; amplius esse, neq; beatius, quoniam imago quędã ibi esset diuini regni, in q̃ nec prędsunt nisi optimi & prudẽtissimi, & parẽt

ſubditi alacres ac libentes. Corruptis uero ſenſim hominum moribus, inualeſcente ambitione, & in faſtigium poteſtatis indigniſsimi ſunt permulti euecti, & homines natura liberi dedignati ſunt parêre peiori ſe. Atq; hac ratione principatus ex iucundiſsimo & dulciſsimo, malis ingenijs graue & amarum, bonis uero prorſus intolerabile factũ eſt. Ergo uetus illa in hominum animis atq; mentibus infixa opinio, de felicitate potentiæ, permanſit: cum res ipſa de qua fuerat cõcepta, multa ab hinc ſæcula iam perierit. Cuius ignorationis cauſa eſt, quòd priuati homines priuatorum negociorũ ſatagentes, quàm grauis ſit imperanti potentia, non conſiderant: traditam autem à uetuſtate opinionem, ultro ſequuntur. Ii demũ rem totam exactè intelligũt, qui quàm ſit moleſtum graueq;, inuitis ac nolentibus imperare, experiuntur: ſentiuntq; nullã inueniri poſſe crucem tali poteſtati parem. Quod ſi in aliquo populo plenum tædij ac intolerabiliũ moleſtiarum eſt, ſine bona uenia eorum qui ſubditi ſunt præeſſe: in hoc Romano non modo graue & aſperum, ſed etiam periculoſiſsimum eſt. Alij enim omnes ſeruire poſſunt, & tyrannos pati: hic unus ſeruitutis impatiens eſt. At ſeruire ſe putat, ſi uel impotẽs & ſuperbus rex, uel conſul inſolens & uiolentus, uel ſæuus atq; atrox Dictator, uel quis alius omnino magiſtratus ſit præter leges, inſtituta, moremq; maiorum. Quod intelligentes ſapientiſsimi illi ueteres noſtri, in uera illa Romana & diſciplina & libertate nati atq; educati, populare, & ad immortalem gloriam uidentes in hac ciuitate pertinere, non tam gerere honores, quàm iudicio populi dignos eſſe habitos, qui gererẽt: magiſtratus modice ac uerecunde petierunt, petitos atq; impetratos cum primum licuit depoſuerũt, oblatos à populo propter admirationem uirtutum & rerum geſtarum recuſaſſe & refugiſſe, magno cum plauſu, & incredibili totius ciuitatis laude, accepimus. An ſic meminerunt homines, & laudibus efferũt tres primos Quinti Fabij Maximi, illius ſenioris conſulatus, ut quartum, qui eſt ei nolenti ac repugnanti contra legem Annalem obtruſus? ut recuſationem etiam continuationis quarti, in quam hominum ſtudia inclinata comminatione duorum conſulum patriciorum dimouit? ut petitionem illam uacationis ſummi magiſtratus, qua cum populo ſumma cum autoritate & grauitate egit, ne filius ſuus conſul crearetur, ut ne maximum imperium tot annos penes eandem familiã perſeueraret? Quantæ uenerationis fuit illa M. Rutilij oratio? quantæ maieſtatis plena? quàm uere cenſoria reprehenſio, quod ſibi ſecundam cenſuram populus mandaſſet? cuius magiſtratus tanquam immodici & ualidiorum, quàm quę libertati uires expedirent, maiores illi tempus coarctandum cenſuiſſent. An amplioris gloriæ ſeptem Marij per ſummam ambitionem obtenti conſulatus, quàm poſterior ille Æmylij Pauli, quem coactus eſt uictoriæ Po. Ro. accipere, non ſibi? An maiorem Africanum, accepta cum perpetuo conſulatu perpetua dictatura, quæ poſt domitam Carthaginem ingentiaq; facta offerebatur, clariorem feciſſet, & huic ciuitati memoriã eius magis ſacroſanctam, quàm fecit eadem oblata dictatura, & reiecta? Vt ingenti cum inuidia ordinum omnium Appius Claudius, contra legem Æmyliam ſolus cẽſuram aliquandiu geſſit? quam fuiſſe unam ex cauſis eius temporis homines crediderunt, cur poſtea cæcus factus ſit. Hic audio neſcio quod exemplũ Manij Curij Dentati, ſanctiſsimi uiri, qui bello quod cum Pyrrho geſtum eſt, conſul fuit, quod ſenes noſtri non ad commendationem potentiæ, ſed ueteris illius Romanæ frugalitatis ac parſimoniæ afferre ſolent. Quale illud alterum eſt, eiſdem Samnitibus per idem temporis, à Fabricio Licinio ſimili in re dictum? Id uero quis negat, eſſe præſtãtius in paupertate imperare, quàm in ſummis opibus per deſidiam atq; ignauiam ſeruire? Et illi quidem, alijq; tum priores, tum etiam poſteriores, tot bellis tanta cum uirtute & felicitate conficiendis, non ſibi potentiam atq; imperium quærebant, quæ illos toties uidemus refugiſſe ac recuſaſſe: ſed huic ciuitati, patriq; ſuæ, cuius illi potentiam ac gloriam maximam ſecundum deorum eſſe optabant, idque contendebant & connitebantur. Et ego te Sylla, ſi nunc per ætatem liceret, uehementer hortarer, ut eiſdem artibus inſiſteres, & pergeres, quibus in ſuperiore uita uſus es, gentibus populisq; huic imperio atq; huic reipub. ſubigendis: cui in primis cæteras, ipſam uero nulli ſuorũ ciuium ſubijci, pro uirtute huius populi decet, pro libertate oportet. At quando nec ætati tuę congruum iam eſt bella gerere, nec hoc tempore ſubmotis

procul

procul hostibus necessarium,præsta & tibi & patriæ in hac tanta pace, quod ueteres illi per atrocia quærebant bella,nempe ocium & placidissimam quietem in libertate.Neq; enim ipsos tantis intemperijs atq; bellorũ furijs crediderim exagitatos & cõcitatos,nõ tam fuisse natura bellaces,ut si ad ociũ huius ciuitatis per ociũ peruenire potuissent,facessissent sibi toties grauissima & periculosissima bellorũ negocia:cõiectis sæpenumero in aleã extremi discriminis agris,domibus, fortunis omnibus,penatibus,liberis,coniugibus,patria uniuersa.sed quia uidebant armis & laboribus esse quærendũ, quod bona uenia nõ licebat impetrari.Quietem igitur,pacem, ocium illi omnes & sibi & nobis posteris suis spectabãt:propter quę opulentissimas etiam ciuitates,aut maxima ex parte contundi & affligi armis & ui illorũ contigit,aut excindi prorsus atq; extirpari. Propter nostrum ocium & securitatem, nulla est Capuæ forma ciuitatis, Corinthus deflagrauit, Numantia deleta, Carthago funditus euersa est. eaq; non à iuuenibus quibusdam furentibus,nec militari aliquo insano impetu, ac latrocinio: sed à senatu illo,qui è manibus Annibalis hanc ciuitatem & totam Italiã suis consilijs potius quàm armis extorserit: à Q. Fuluio, à Q. Fabio, à M. Catone, à Cor. Africano, à L. Mummio, quibus nulla hominũ memoria neq; prudentiores habuit uiros, neq; sanctiores. Ocium igitur istud securum & quietum, placidissima illa tranquillitas, ad quam semper & tota hæc ciuitas & unusquisq; ciuium eius suapte sponte propenderunt, cuius tu etiam L. Sylla amator quæsitorq; fuisti,uideamus quæ in magistratu,an in priuata melius,certius,dulcius,largius,continget uita.Ego equidem ocium illud semper existimaui uerum & purum, quod nullæ graues molestiæ interpellant: quod est coniunctum, cum securitate, quod diuturnũ.Quod enim potest esse ociũ,si semper animi pendeas:si aut cum uix sedere cœperis,irrumpat uel litigator, qui de iniuria querat: uel senator,uel magistratus, qui de re difficili & odiosa consulat:uel nuncius, qui malè administrari prouincias adferat,exercitus sollicitari, rebelliones apparari, occulta bella ciuilia pullulascere?Quæ omnia quî potest, Fundane, dictator audire securus? quî potest nõ commoueri?at tu uis cum in honore hoc posse frui delicijs,obsequi animo,oblectare se,ocium agere. Magis miror te id dicere,qui aliquãdo quęstor fueris,& prætor,& es senator.Nam si nulla gessisses publica munera,non mirarer te falli in re,quam nunquam expertus esses. Non potes tu in curia de republica non sollicitus consuli:non potes prætor litigatorẽ,actorem, patronum,testem,sine aliqua tui animi cõmotione audire atq; spectare. & uis magistrũ populi Rom.uelut saxum quoddam obsurdescere,sine auribus esse,sine oculis:non pilifacere tantam negociorum molem, quanta in tam latè patenti uersatur imperio? atq; eum quidem dictatorem qui nõ fauore populi in eo magistratu perdurat, sed quem tute intoleranda laborare inuidia confessus es. Poterit is inquam intrepidus audire hunc aut illum exercitum,cum suo imperatore deficere,& coniurare: hanc uel illam gentem adornare classem,cogere milites:hunc aut illum ciuem,neminem nominabo, siue consulem,siue prætorem,siue Senatorem rebus studere nouis,clandestina inire consilia,coquere cum alijs suis similibus bellum ciuile?nos hæc securi non audimus, propter Syllam:audiet ipse securus,quæ suum caput,suorumq; filiorũ,& totius familiæ salutem uitamq; tangunt,& comprehendunt?Nam illa quid sibi uelint,non intelligo: Potes & in magistratu non minus indulgere tibi,quàm priuatus. Næ tu Fundane perbellum dictatorem ageres.quanquam hæc omnia pro tempore & causa dicta esse à te puto. Vis tu dictatorem solidam dormire noctem?in medios dies cum amicis suauiter confabulari, & se oblectare: post meridiem inuitare somnũ? ad serum deambulationibus sese reficere amœnis?cœnam & confabulationes, iocos, reliquaq; quibus solis ista senilis recreatur ac repubescit ætas, in multam noctem producere? quãdo igitur dictator publicum negocium aget?quando is,quem tanta premit inuidia, prouidebit,ne quid innouetur,ne quid hæc inuidia per socordiã suam pariat magni mali? Non dico dictatori huius reip. & huic dictatori,sed ne pastori quidem, & custodi uiginti ouiũ, liceat hunc in modum uiuere.quod si faciat, facilè lupi perficiẽt, ut ne illas quidem uiginti oues breui habeat.

Detrahe à Sylla odium omne suorum ciuium.obsecro te,Fundane,&censes æquum, dictatorem Rom.quamlibet gratiosum,ita se gerere, ut nõ magis ad eum de sua repub.

pertinere uideatur, quàm si esset priuatus? At inquis, Constituta repub. nihil erit quod curet. Potes tu Fundane ita constituere remp. ut existente in ea dictatore, nō totum imperij pondus in ipso tanquā cardine uertatur? Ad quid uerò uis hunc permanere in dictatura? ut inimici coërceantur: ut uis, ut iniuria, huic familiæ nō inferatur. Dij ita faxint, quod & spero futurū. Hic ego Fundane tuam illam perspectam omnibus sapientiam requiro. Vis tu hunc esse in magistratu, sed cæcum surdumq; ? ut cum quid geratur, nec uideat, nec audiat, ignarus rerum omnium opprimatur. At referent ad eum magistratus de republica. Hic tu me iam iube esse ociosum, cum singulis non horis modò, sed etiam momentis audiendus mihi erit senator, consul, prætor, quæstor, legatus. hic de Italia, ille de Hispania, alius de Africa, de Sicilia, Græcia, Asia referēs: quod nec sutor, ad quem tota res nihil spectat, possit sine cura audire. In paruo pago rectoribus nullum est ocium: credis futurum in eo, qui auditurus & curaturus est de imperio, quo populi omnes, & uniuersus penè orbis continetur? Vita est priuata capessenda, si uolumus ocium istud, quod quærimus. Nam in magistratu, quamuis paruo, nullum est. Repete quæso L. Sylla in memoriā tempus illud, quo ad Alysum agebas priuatus, solutus bellicis curis. num dulcedinē temporis illius cum acerbitate huius putas conferendā? aut illius requietem cum hac sollicitudine? aut cum hac molestia, & uelut nodis, leuem illam solutionem? Tu libenter cum mimis, cum scenicis, in omni ludorum & uoluptatum oblectamento uersaris. In priuata uita hæc omnia, an publica, meliora & decentiora? An tu Fūdane (nam ad te sæpe mea se cōuertit oratio) an tu decere putas Dictatorē Romanū, quem nec iocum unum dicere fas est, inter iocos, ludos, conuiuia, histriones, scenicos, ætatem agere? Tu hanc uitam in magistratu hoc congruam, & conuenientem cum seueris simis legibus Cornelijs censes? quæ leges ad reuocationē ueterū morū, ad huius populi disciplinæ grauitatē, ad antiquæ frugalitatis & parsimoniæ memoriā pertinent. Et hic quidē dispuo tecū de eo quod decet. nam ita ipsum in dictatura uiuere, iam ostendi non licere: nec fieri ullo modo posse, etiam si maxime cupiat. Oro etiam te L. Sylla, ut somnium illud, quo tuus tibi uisus est filius, obsecrans ut hisce curis exolutus, quietè quod supereſt transigas ætatis, ne putes ad uanitatē aliorū uulgariū spectare somniorū. nunquā, non dico maiores nostri, sed ne Græci quidē, iam inde Troiano bello, somniū principis contemnendum duxerunt: nunquā de nihilo crediderunt ortū. ab Ioue ipso, qui principibus præest, immitti putauerunt, semper aliquid ueri, certiq; afferre. Sed nolo ego solum somnio innixus & confisus, quicquam noui constituas. res ipsas cum somnio conuenire uides. Quietem quæris? hæc est uia. securus uis posthac agere? nō potes aliter. inuidia te uis liberare? hac ratione sola potes. Hoc in loco differendum mihi superest, quemadmodum deposita dictatura minorem inuidiam, domū tutiorem L. Sylla habiturus sis: quæ omnia mihi sunt cum Fundano cōtrouersa. Etenim negat ille aliquid esse, quod manus inimicorū compescat, & à te arceat, præter unicam tui magistratus reuerentiā. Errat L. Sylla, quisquis in populo Romano plus putat efficere posse magistratum, aut uim aliquam, quàm fauorem, beneuolentiam, gratiam. An ignorat populus, se nō modò supra consules & dictatores esse, sed supra reges etiā? cui potentissimus & fortissimus rex Tullus Hostilius cesserit? Patitur ad tempus, & fert hæc ciuitas eos, quos habet odio: sed consumpta prorsus patientia, in furorem uertitur. L. Syllam cum tanto odio tam diu latum, putas (quod dij omnes omen obruant) tandem non excussurum? quæ assuefacta reges ferre, clarissimū regem ex rege ortum, cum tanta prole, etiam cum Romæ fas & mos esset regnare, tandem eiecit? quæ uiolentiam consulum, & totius nobilitatis non tulit: quæ aduersus publicū consilium toties arma cœpit, toties secessit? ne latores quidem earum rerum, quibus uiuimus, impune auferre passa est, quòd tertio se ipsi anno sine comitijs ullis decēuiros creassent. Quoties in Ianiculo, quoties in Auentino totum robur fuit huius populi, propter unam libertatē? qui maxime suæ libertati putat officere, aut nimis diuturna esse magna imperia, aut defensoribus suis, id est tribunis remp. esse destitutam & desertam. quæ utraq;, quando hic nemo nos audit, dicam liberè, hoc tempore contingunt. Quo magis repentina uis aliqua metuenda est, quæ non modò tuo capiti L. Sylla non parcat, sed tanquā tempestatis procella gentem, familiam, domum,

domum,nomen ipſum uno impetu à ſtirpe cõuellat. Nulli enim ignoratum eſſe credo, parum eſſe maieſtatẽ ſine uiribus tutam. Id forſitan nimis crebrò cõcitatus hic populus oſtendit, & domi togatus, & armatus in caſtris. Nolo toties antiquiſsima illa repetere, exemplis memoriæ noſtræ contentus ero. Collega tuus Q. Pompeius, ab exercitu Cn. Pompei Strabonis,quem inuitũ à ſuo imperatore abſtrahere uolebat, occiſus eſt. Simi lem ob cauſam L. Valerius Flaccus cõſul,à copijs C. Fimbriæ. C. Fabius in Africa præ tor,quòd inuitis imperaret, in ipſo prætorio exuſtus eſt. Iam exercitus tuus an à legatis manus abſtinuit? quos ut Mario legiones traderes, miſerat S.pop.q; Ro. An imperato rem, eundemq; conſulem potentiſsimum, & planè dominũ, L. Cinnam, à uiolentia exer citus ſui, maieſtas imperij & conſulatus tutata eſt? An tu Carboni & Mario conſulibus paruiſti? ne ſi uel ipſi quidẽ ambo dictatores fuiſſent, obtemperaturus. Quid enim in ter illos conſules, & non dictatores modò, ſed reges etiam interfuit? Non habet oculos ira, non furor, quibus ullos faſces & dictatores & magiſtratus cernat. nec uniuerſus po pulus aliquẽ habebit tuæ unius dictaturæ reſpectum, cum ipſe illius nullum habueris. Accendit enim magis indies ac magis animos ciuium, & aduerſus te irritat inuidioſiſsi mus iſte magiſtratus: & faſces iſti etiam duplicati, quorum imperio tot ciues cõcidere, proſcriptionis illius ſemper admonent. qui nõ tam inſignia ſunt tui magiſtratus, quàm fomentũ iſtius ſenſim gliſcentis ignis, qui profectò ſola dictaturæ abdicatione uelut fri gida quadam infuſa reſtingui poteſt. Erit enim id omniũ animis tam gratum, ut hoc re cens beneficium, hæc in patriã pietas, hæc noua & inſueta popularitas, aut omnem iniu riarum memoriã, aut eius certe maximã deleat partẽ. Infixa erit perpetuò hæc tua mode ſtia, hæc animi tui moderatio, ſempiternę recordationi & laudi: tantumq; aberit ut tunc ſuas iniurias pop. perſequantur, ut nunquã ſis tutior futurus. nec putabunt tam præcla rum ob facinus ſe tibi unquã ſoluendo fore. Hic crede mihi L. Sylla, hic ſupereſt huius totius fabulæ actus, ad incredibilem plauſum ſumma & immortali cum gloria excitan dum. Quale enim illud futurum putas, quum & tuis monumentis legetur, & ſempiter no huius populi ſermone, ac totius orbis fama dicetur, eum hominem, cui pop. Ro. in centũ & uiginti annos mandaſſet dictaturã, poſt biennium in ordinẽ ſe ſua ſponte rede giſſe? Quibus id hominũ uocibus & prædicatione celebrabitur? quibus auribus & ani mis accipietur? quum illud, tum ut tuam tibi debitam gloriam reddant, tum ut alios in idem exemplum uocent, ſenes illi iunioribus dicent, fuiſſe tantam in te ciuilitatem, hu manitatem, animi moderationem, patriæ ac eius libertatis pietatem, ut qui princeps tot annis in hac ciuitate fueris, ultrò ſis uel minimis æquari paſſus. Quanquã te ne alij con temnant, non eſt uerendum. uereamur potius, ne plus quàm tibi utile, ſit à tuis ciuibus timeare. maiores nanq; erunt tuę opes, etiã priuati, quàm ut à quoquã uel deſpici, uel ut non ſuſpici poſsint. Quid quòd ſi cõtemnereris, tum demũ hæc gloria, de qua iam diu cogitas, amplior eſſet, ſincerior, diuturnior, quum fama loqueretur, te æquo animo tu liſſe contemni, qui potueris ad finem uſq; uitæ à tuis ciuibus adorari. Adde huc, muni tionem ac ſecuritatẽ maiorẽ, & certiorẽ. neq; enim inuidia ullas in eum habet uires, qui contemnitur: & abiectio illa omne ueſtigium odij tollit. uſq; adeò, ut potentiſsimus Sy racuſarum tyrannus Dionyſius, inferior odijs ſuorum ciuium, regno expulſus, flagran tem illam tyrannidis inuidiam deiectione & cõtemptu ſui extinxerit: atq; ita reuocatus ad tyrannidem ſit, ex ludo literario, quẽ Corinthi aperuerat, ut ſe ſuſtentaret. Sed nolo contemnaris, etiam ſiue timeamus, ſiue ſperemus, atq; expetamus: uolo tamẽ, te parem unicuiuis ex patribus geras. ſic enim te & propter perſonã, quã geſsiſti, uenerabuntur: & propter eandem per teipſum depoſitã, amabunt. Natura ſiquidem propenſi ſumus ad amandos eos, qui nobis ſuperiores eſſe nolunt, tametſi poſſunt. Hãc tu niſi tuis actis poſtremam addis manũ, maximopere anxius ſum, ne breui ſentias quicquid tanto tem pore, tot laboribus conſtruere adniſus es, collabi atq; interire. Nam quid per deos im mortales proderunt tantæ res geſtæ, quantas uix unus & alter in hac ciuitate geſsit, ſi has omnes odium tui obſcurarit? ſi populus tuus neq; eas audire propter inuidiam & illius proſcriptionis & perpetuæ dictaturæ, neq; tradere poſteritati uoluerit? Quòd ſi moreris in dictatura, tu unus tam peſsimo exẽplo longe plus huic imperio & libertati

noſtræ nocueris,quàm centum Marij ſimul,& totidem Cinnæ ac Carbones.nunquam ciuitas hæc bellis uacabit,petentium,quod à te inſtitutum eſt, perpetuũ regnum perpetuę dictaturę.nullũ erit bellum,nullus paulo uiolentior dictator,quin protinus te, tuos manes, totam tuam familiã populus diris execrationibus infectetur, qui author fueris inſtituti tam nefarij atq; impij. Sed procul nimis uentura cõmemoro. ad hæc ueniamus,quæ inſtant:quæ nemo non uidet, niſi cui ex rerum uſu atq; experientia firmis certiſsimisq; coniecturis nullus eſt proſpectus.Si per patientiã huius populi ad finem uſq; uitæ licuerit tibi cũ dictatura peruenire, tranſeo quanta in miſeria animi trahes id quod ſupereſt infelicis ſenectæ, ſine quiete aliqua, obrutus undiq; impendentibus curis atq; malis:tranſeo quod occupatiſsimus ſemper publico negocio nihil poteris agere priuatum, non rem familiarem componere, non de filijs cogitare. illa taceo,quæ iam adſunt. at in te mortuũ quanta putas eruptura hominũ odia? quę quanto arctius in uita tua fuerint cohibita & compreſſa,tanto ſoluta exilient,& ſeſe proruent uehementiora.ſæuient in tuum corpus,quod metuo, ne aut non ſepeliri ſinant,aut ſepultum eruant,& talione tecũ agant:ut idem illi in te faciant,quod tu in Mariũ.labem aſpergant gloriæ, tenebras & ſilentium nomini, ſtatuas euertant, in bona, filios, & familiam inuadant,non ſine ingenti pernicie. Quin & periculum eſt, ne nomen aboleant,& quicũq; gentiles ſunt tui, exulatum hinc facere cogantur: quod de Tarquinijs omnibus propter odium regis factum eſt. Illud neminem ſcio dubitaturum,ſi dictator moreris,nullum poſthac, cui Syllæ ſit nomẽ,ad ullos honores magiſtratusq; huius reipub.peruenturum.ſin dictaturam deponis,non minus fore nomen hoc poſteritati gratioſum & fauorabile,quàm Aemyliorum,Scipionum,Valeriorum,Fabiorum,Catonum, propter modeſtiam illorum ueterum, & amorem libertatis, ſuorumq; ciuium. Vis tu L. Sylla propter menſes aliquot dictaturæ, tantam imprimere tuo generi ac nomini notam? filios tuos nepotesq;, omnes poſteros, tanquam exules aut peregrinos in hac ciuitate relinquere, in qua tu ſummos geſſeris honores? Puta filios tibi,nepotesq; ſupplicare,ne propter tantillum temporis tui magiſtratus, præcludas ſibi aditum ad honores, & ad locum quò ipſe peruenisti.ne peiore ſe facias conditione, quàm qui ex infimis plebeis orti ſunt. illi enim aliqua ſua poſſunt commendari uirtute, ſe nulla ratione amaturos prementem inuidiam tuæ dictaturæ: quæ ſempiternæ hominum memoriæ infixa & hærens, toties renouabitur, quoties aliquem de tua gente conſpexerint, quoties Syllæ nomen audierint. Feſtines te abdicare magiſtratu, ne te id agentem, id molientem fortè mors opprimat, quæ nobis omnibus ſenibus,non minus morbis affectis quàm ætate, ſingulis penè horis immi net. Priuatus enim imagines, nobilitatem, opes,amicos, aditum ad honores relinquis: dictator uerò uihil præter odium æternum,quod nec eluere poterunt ullis geſtis,nec ſi poſſent, licebit ipſis. quoniam ad res gerendas non admittentur. Quas ob res ita cenſeo, ut primo quoq; tempore, cõmunicato prius cum amicis conſilio, hisq; cohortatis ut in fide permaneant, compoſitaq; quàm optimè fieri poterit republica nouo atq; inſperato gaudio pop.Rom.afficias,procedas ipſe in concionem, atq; ibi dictaturam deponas, non ſine ingenti admiratione, plauſu, laude totius æternitatis. Illius nanq; diei recordatio, tuarum omnium iniuriarũ obliuionem inducet: ſolam benefactorum memoriam relinquet: gratiam tibi omnium ordinum, ſingulorum etiam ciuium,totiusq; reipublicæ tanquam ſibi redditæ, non mediocrem pariet. & tu felicisſimus ſenex, felicisſimè quod ſupereſt ætatis uiues,filijsq; tuis gloriam tui nominis ampliſsimam relinques:& eius diei,multorumq; aliorum beneficia, uelut pignus obſtrictæ illis & obligatæ reipub. Hæc ipſe quidem cenſeo: Tu uerò, quam ſententiam optimam duxeris,deos omnes uelim approbare.

DECLAMATIONIS SECVNDÆ FINIS.

IO. LODOVICI VIVIS, VERBIS SYLLÆ DEPONENTIS DICTATVRAM, PRO concione Quiritium, Declamatio.

ARGVMENTVM.

PErsuasus L.Sylla à M.Fonteio, in concione po.Ro. reddit rationem omnium suorum actorum, nõ solum quæ in dictatura, sed etiam quæ antea egerat. excusatq; proscriptionem, quã necessariam fuisse dicit, culpamq; totius belli ciuilis in hostium importunam ambitionem & crudelitatẽ reijcit. Postremò ut putetur omnia legitimè fecisse, priuatum se profitetur in posterum uelle degere, ut si quis querelæ quicquam aduersum se habeat, id possit exequi in iudicio æquo. Ibiq; se dictatura abdicat, cum ingenti omnium admiratione.

QVAM bene egisset natura cum genere humano, Quirites, si tam nos sefecisset omnes memores beneficij, quàm iniuriæ: si tam hæreret infixa mentibus atq; animis nostris acceptæ salutis recordatio, quàm est diuturnum odium eius, uel qui læsit, uel quem læsisse suspicamur. Ita enim uidemus esse uulgo comparatũ, ut nihil sit gratius medico in morbo: cui in nullam nostri corporis partem non damus, cum male ualemus, potestatẽ, ut liceat semel conualescere: secat, urit, æqui boni omnia consuluntur. at morbo liberati, nihil peius odimus illo. quoniã præsentem salutem negligimus: manum uel pedem abesse, id uerò male nos urget. Et dij immortales, quũ alijs permultis, qui benefici & salutares fuerunt, bene consuluissent: tum uerò in primis mihi, si nõ magis propenderet odium alicuius mali, quod necessariò cõmittendum est, dum benefacis. si modò id malum est appellandum, quàm gratia meriti, & totius benefacti. Laborante tanta calamitate atq; peste hac repub. quũ nihil penè abesset, quominus parietes isti, muri, tecta & templa deum corruerent, quæ & ipsorũ deorũ benignitate, & mea uirtute (liceat hoc mihi gloriari Quirites) stant, atq; perdurant: nemo erat & uestrũm, & illorũ qui tum fuerunt, non ipse totus Senatus, non Equester ordo, non tota plebes, qui non mecũ, ut eam liberarem, nõ dico uitã malorum ciuium, aut certe malis conuinctorũ, qui interiere, sed aliquorum etiam ex bonis essent pacti, fuissentq; permulti optimi ciues cui libenti atq; alacri animo uitã suam, ut Decij illi, patriæ impendissent. Nunc uerò restitutã sibi rempublicam, inq; suum repositam esse pristinum dignitatis & imperij uestigium, pro nihilo ducitur: ciues qui obierunt, magno cum dolore desiderãtur. Vsq; adeò quod placet, breue est: quod displicet, æternũ. quamuis id, ut ego quidem existimo, apud imperitos & stultos homines. Nam prudentis & boni uiri officium est, nõ à præsenti affectu capi. & si quid suaserint uel ira, uel odiũ, uel uoluptas (mali consultores) nõ protinus ei assentiri: sed aduocata in consiliũ ratione atq; prudẽtia, superioribus rebus cum præsentibus collatis, iudicio singula æstimare, non priuato aliquo dolore benemerita omnia more ingratissimorũ hominum obliuisci. quod & spero, & confido uos facturum, quos sæpe audiui ingratitudines illas leuissimi po. Athenienſ. damnare & auersari: qui uel propter suspiciones nonnullas criminis, uel propter leuia quæpiam errata, Thesea, Solonẽ, Miltiadem, Aristidem, Themistoclem, Phocionem, Cimonem, Conona, maximos illius ciuitatis uiros, & fortissimos Imperatores, uel exilio uel morte mulctarũt, obliterata memoria tantorum in remp. meritorum. Vos uerò multò alia decent, qui consilio, uirtute, armis, totũ uobis subiecistis orbem. Nec putabitis pro totius reipub. atq; imperij salute nefas esse, paucorum salutem impendi: eorumq; non bonorũ ciuium, sed sceleratorũ, sed eorum qui ad lacerandam atq; euertendam hanc ciuitatem coniurarãt, nullíusq; uitæ parcere constituerãt, quoad in tota Italia non supereſſent, nisi ij, qui & uellent & possent latrocinari. Non horum modò uitas, ut pereunti reip. subueniretur, perire utile fuit: cũ quibus illa si stetisset, diutius stare non posset: sed etiã bonorũ ac modestorũ ciuium,

beneq; ac pie de patria cogitantiũ: neq; unius aut alterius, ſed multorũ etiam. cum hoc imperium æternum eſſe debeat, uitæ noſtræ ſuis certis terminis naturæ reddendæ ſint. Quod ueteres illi noſtri diuina ſua prudentia intellexiſſe, & nos docuiſſe perſpicimus. qui non ſolũ alicui uni, propter ſuſpiciones neſcio quas, conſilio publico uitam ademerunt, uelut Sp. Melio, Sp. Caſsio, & M. Manlio, uiris cõſularibus, Decemq; uiris illis legum ferendarum: uerùm & in exercitus, quibus nitebatur tota huius ciuitatis ſalus, ſi in grauem illam & ſanctã peccaſſent militarem diſciplinã, ſeueriſsimè animaduerterunt. Hinc ſunt legionũ illæ decimationes, quibus malebant cõplures milites puniri, quàm militandi morem & diſciplinã, qua & ſteterat hæc reſp. & futura erat ſempiterna, bello Punico ſecundo, quum poſt Trebiam, & Traſimenũ, & Cannas, Annibal uenturus ad urbem expectaretur, deficiẽtibus ſocijs, exhauſto ærario, toto penè exercitu occidione occiſo, uacua propè urbe, ſenatus tamen ille octo illa millia, quæ Annibali ſe poſt Cannenſem cladem dediderant, in tanta militum penuria, ut ſerui ad militiã fuerint armandi: quòd nõ fortiter aut cum P. Tuditano erumpere, aut mori maluerunt, non redimendos publico cenſuit. deinde priuato redemptos ære in Sicilia exulare iuſsit, quoad nullus ſupereſſet hoſtis in Italia. Ita illi ſemper non præſens tẽpus, ſed æternitatẽ & ſuæ memorię, & huius imperij (quo ſaluo illa conſeruabatur) & ſuę poſteritatis, quę hîc ſedem, penates, domos, ſacra fixa & fundata poſsidet, reſpexerunt. Memoria noſtra, Quirites, quum propter motus legum Agrariarũ, Tiberius & C. Gracchi cum M. Fuluio Flacco quietem huius ciuitatis interturbarent, Tiberius à Scipione Naſica Pontifice maximo, ſequente Senatu, in Capitolio interfectus eſt. C. & Fuluius, cum multis ſuæ factionis, à Conſule & armato Senatu occiſi ſunt. Neq; in hac ciuitate locus ſepulturæ fuit Fuluio Flacco, homini conſulari: & filijs Sempronij Gracchi, nepotibus Africani. corpora eorum in Tyberim abiecta ſunt, ipſiq; iure cæſi ſunt pronunciati: homines modeſtiſsimi ac nobiliſsimi, qui de utilitatibus populi plurimũ cogitantes, aliud nihil cõmiſerant, q; quod ea tentarent, quæ ſine motibus atq; turbationibus perfici nõ poſſe exiſtimabatur. Proh dij immortales, & ego cuiuſmodi hominũ genus cecîdi? cum quibus bella geſsi pro patria? quorum bellorum merita, laus, ſplendor, nulla iam ſunt. inuidia ſola reliquis ſubmerſis extat. Iui ipſe obuiã hominibus, qui pro cõmodis populi laborantes atq; intenti, ſine armis & bello cõcitabant ordines quietos? ut faciebãt Gracchi. Iui obuiã ijs, qui alteram ciuitatis partem honoratiorẽ & potentiorem eſſe uolebant, alterã non tantas obtinere uires atq; opes? ut Gracchi iure cæſi. O tempora diuerſa, ô mores mutatos. Quis poterit poſthac in animũ inducere, ut reip. benefaciat? ſi hæc conſideret? nõ fuit è rep. tolli Marios, Carbones, Norbanos, Cinnas, Damaſippos, Fimbrias? Obſecro uos, Quirites, ut me de meis rebus loquentem, idq; nõ ſine ut ſummo ita iuſtiſsimo dolore, ſortemq; non minus meam, quàm cõmunem omnium mortalium miſerantẽ, per probitatem ac modeſtiam ueſtrã, & imperij huius æternitatẽ ac gloriam, ut adhuc feciſtis, benigne audiatis. Marius fuit, ſenex ille, tam huic reip. initio neceſſarius, quàm in fine pernicioſus & peſtilens. multa extabant eius in remp. merita: quæ ſi poſtremæ uitæ ſceleribus non obſcuraſſet, & deleuiſſet, nulli magis hæc ciuitas debuiſſet, nullus in ea maximo fuiſſet iure, neq; clarior, neq; potentior. Videtis quàm nec de inimico taceam, quæ ſentio? quàm illi ſuam laudem nõ detraham? neq; eius ingentia facta malignis interpretationibus eleuem? Talis ero tota hac mea oratione, ut nullius uirtutes minuam, nullius uicia faciam dicendo ampliora. Quod etiam ſi tentarẽ, & ridiculus, & perquàm ſtultus eſſem. quippe quum adſitis in hac cõcione, qui me refellere & refutate mentientẽ poſſe tis: ſi non uoce & clamoribus, certe quod nec minus turpe mihi, & longe periculoſius eſt, tacitis ueſtris cogitationibus. Fuit igitur Marius quatuor ſuis cõſulatibus ſummus in hac rep. atq; admirandus. quintum nõ tam accepit, quàm extorſit. Sed nihil in illo uiro propter recẽtia merita, & pulcherrima facinora turpe uidebatur. utinã homo nouus, Arpinas, tenuis, tot fuiſſet honoribus contentus, quot pauciſsimi in hoc populo in primis illuſtres & ſummis rebus geſtis adepti ſunt. Sextum cõſulatum incredibili ambitu, infinita per tribus ſparſa pecunia mercatus eſt: ut omnia ſibi licerent in magiſtratu à ſe empto. In quo ſuam tantã fortunã iam non ferens, alios animos, alios ſpiritus induit, de

incre-

incredibili atq; intolerabili potẽtia, de regno quodã cœpit cogitare. omniaq; ipsum ad hunc moliri finem, quis non intelligebat? Hanc fuisse causam, cur tam auide, tam fœdo ambitu, homo senex, tot magistratibus functus, tot honoribus usus, consulatũ offerri solitum emeret: quũ ipse antea emeretur à consulatu. Recordamini quæso difficillima illa & multo miserrima tempora, seditiones illas Apuleij Saturnini, & Glauciæ, qua tempestate multo omnibus infelicior hæc ciuitas iudicata est, quàm quum à Gallis capta teneretur. quũ Saturninus incitante Mario, interfecto A. Numio competitore suo, per uim creatus Tribunus pleb. exilium, carcerẽ, mortem toti Senatui minitaretur. Postremus & despicatissimus mortalium omniũ C. Glaucia, damna, egestatem, cędem populo pro tribunali illo suo ostenderet, nisi in pernitiosissimas iuraret leges. iusso exulare Metello Numidico, cui uiro nulla memoria Senatus unquã parem habuit: cuiq; Marius, quod illi ipsum ex sordibus & fece exemisset, ex tenebris ad lucẽ, splendorem, summosq; honores euexisset, ut bonam gratiam referret, aqua & igni interdixit. C. Memmius consularis candidatus, quòd libertate & uirtute sua obuiam nefarijs illis rogationibus iturus putabatur, medio foro inspectãte, attonito uniuerso populo, interfectus est. quo per id temporis pop. Ro. quũ omnia tristia & acerba uidisset, nihil tamen uidit indignius. Secutum est bellum sociale. Hoc cõfecto declarati sumus Cos. ego & Q. Pompeius. agitur de prouincijs inter nos diuidundis, more maiorum. Cedo illi ego cura urbis atq; Italiæ, cedit ille mihi bello, quod uos & Senatus cũ Mithridate censueratis gerendũ. ea mihi prouincia & iussu uestro decernitur, & Senatus authoritate. Hic Marius nondũ infinitis illis honoribus expletus, nec bellis quæ tam multa gesserat cõtentus, exacta ætate non ad bellum modò & negocia, sed ad pacẽ atq; ocia uix apta, petit sibi priuato, cõtra ius omne atq; æquum, prouinciam decerni meam. Quibus quæso affectibus septuagenarius ille, in campo cum adolescentibus sese exercens, spectatus est? quãto cum dolore & gemitu Senatus, qui rem intelligebat, id uidit? quanto cum risu multitudo? quæ quorsum tenderent, illa ignorabat: quum eum, qui uix ingredi poterat, uix consistere, currentẽ & luctantem aspicerent. Quæ, malũ, erat ista tanta illius belli cupiditas? an ut ipse se ac milites suos præda illa Asiatica expleret? an ut me de prouincia depelleret? an ut ex eo bello uires illas & potentiam colligeret, de quibus iam pridem cogitabat? repugnante toto populo cum ipso Senatu, reclamantibus legibus, moribus, cuncta repub. inuentus est unus Tribunus plebis Sulpitius, propter scelera egens, in potentia rapax, qui se totũ Mario uenditaret, & magna spe illius uenturæ prædæ. de quo homine nolo ego plura dicere: uos illum omnes noratis, Quirites, hominẽ periurijs & fallacijs instructum, libidinibus atq; flagitijs delibutum, auaricia propter infinitos illos suos sumptus flagrantem, obrutum ære alieno, temerarium, seditiosum, regno & tyrãnidi quàm huic reip. aptiorẽ, qui neq; deos neq; homines reueritus est, quo minus hic medio foro propositis mensis, remp. cum inquilinis, libertinis, seruis palàm nundinaretur. pudet dicere, inspectantibus uobis, & istis uirilibus dextris torpentibus, qui tria latronum millia ad sui corporis custodiam conduxerat. urbe oppressa, & capta, Antisenatum illos appellabat. quumq; lex esset, ne quis senatorij ordinis supra octingenties æris alieni conflare uellet: ipse moriens plus millies bis centies, quod uix fidem capit, debiti nomine reliquit, qua infinita pecunia emere ipse remp. conatus erat. Huius tribuni furore concitatis emptitijs hominibus, & igne illo concionum accensis, quum uos omnes à comitijs & foro arceremini, uis affertur nobis Consulibus. occiditur Q. Pompeij filius, gener meus: opprimitur Senatus: iusta suffragia iniri non permittuntur. uim & arma rogationes illæ spectabant. Cessi tempori, Quirites: & ne quod nasceretur ciuile bellum, a quo semper ingenium meum abhorruit, quod nunquam nisi inuitus, & extrema necessitate coactus suscepi, legem perferri passus sum. Legatos Marij, hominis priuati, ad meum, qui tum essem Consul, exercitum mitti permisi. Quam iniuriam fortissimi illi milites non tulerunt armati, quam nos hic togati perferre cogebamur. Non reueriti sunt legatos scelerum & seditionum, legatis hominis priuati, & uenditi ac mancipati tribuni. Mihi suo Imperatori exercitus, ipsæ & Romanæ legiones, Romana signa, disciplina & sacramentum militare imperarant, ut consularis imperij tuerer dignitatem, Senatum

authoritati ſuæ redderem,bonis omnibus ſalutem & libertatem afferrẽ,hanc urbem & cõmunem patriam ſeruarem: ne ſinerem illam paucorum flagitioſis manibus lacerari, pedibus conculcari,armis excindi.ſed ad eam nauandam operam bono & fideli exercitu uterer. Ita armatus ad hanc ciuitatẽ liberandam acceſsi:fuitq; meus ille aduentus incruentus, proſperus, ſalutaris. nam leui conflictu fuſis fugatisq; ope deûm aduerſarijs, remp.libertatem,imperium,dignitatẽ,patriam,uitam,ſalutemq; ueſtrûm omniũ,Quirites,recuperaui, & conſeruaui, creatiq; conſules Cn. Octauius & C. Cinna, ut Senatui promitterent ac iurarent iuſsi,me abſente nihil noui moliturum,nihil contra patriam,libertatemq;,contra ocium & quietem huius urbis atq; Italiæ moturũ. Hunc in modum compoſita repub. Conſulibus ac Senatui in primis credita & cõmendata, fideiq; & illorum & ueſtræ cõmiſſa, ad ulciſcendas Mithridatis in nos iniurias,ad abolendum imperij dedecus profectus ſum.cuius belli nondum quenquam ueſtrûm pœnitet. Credo meis in illa terra geſtis rebus, nihil de gloria huius imperij deceſsiſſe. Si permanſiſſet in fide Cinna, ſi non magis ſuam potentiam quàm patriam dilexiſſet, cõfeciſſem indubiè totum illud bellum. Athenas ſine ullius militis iactura cepiſſem, Mithridatem ipſum ante meum currum uictum uinctumq; ſpectaſſetis.deq; eo fuiſſet uobis poteſtas,cui aliquando de tot noſtris ciuibus fuerit. Verùm quod id non ſit à me perfectum, Cinnæ & Mariorum probitati pietatiq; acceptum referendum eſt. Concitat Cinna in bellum totam Italiam,reuocat ex Africa Marios,infert huic urbi & cõmuni patrię infeſta ſigna, occidit medio foro collegam ſuum Conſulem pop.Ro. Cornelium uerò Merulam flaminem dialem ſanctiſsimum uirum, ſuffectum in locum ſuum, ad uoluntariam adigit mortem, quam erat alioqui pòſt paulum ſenſurus inuitus. fit impetus in hanc ciuitatẽ, cõtrucidantur omnia,affliguntur,diruuntur,incenduntur.Sequenti anno nullis populi ſuffragijs,nulla Senatus authoritate euerſis legibus,moribus,inſtitutis patrię,Marius & Cinna ſe ipſi Conſules creant. Sed dicam de his alio loco. nunc enim alias ad res feſtinat oratio:quæ explicari non poſſent,niſi eò per hos gradus uenirem. Et quum mortuo Mario ſene, pro uno illo tot conſurgerent Carbones, Norbani, Sertorij,& ille ſæui lupi ſæuiſsimus catulus Marius iunior, proq; una ſica tot in remp. diſtringerentur, nec finis ullus fieret cædendi optimos quoſq;,obterẽdi & extirpandi libertatẽ omnẽ, & dignitatem huius reipub. cõfugientibus ad me bonis omnibus, quòd tum exercitũ haberem,qui aſſerere & uindicare patriam in priſtinam lucem atq; ſplendorẽ poſſet: uocante me alta & clara uoce patria ipſa, implorante cũ ingenti fletu ac gemitu opem meam: ſuſtinere non potui,ut tantum nefas, impiumq; ſcelus committerem, ut cum ipſe ab ea uitam,honores,exercitum,imperium accepiſſem, non illi in ſua maxima neceſsitate, in extremo diſcrimine opem ferrem, gratiam referrem, ſuas illi copias militesq; reſtituerem.Nam cuius demẽtiæ atq; inſaniæ fuiſſet,immò uerò cuius immanitatis & ferrei pectoris,de honore,gloria,imperio patriæ cum extremis gentibus decertare:ipſam patriã graui ſeruitio ſinere premi, crudeliter diuexari, atrociter euerti, maximos labores adire:ut honorati & potentes eſſent ciues, qui cõtinuò pòſt nulli erant futuri. conditionibus itaq; non inhoneſtis illis quidem nobis, ſed miníme certe talibus, quales confeciſſem nulla neceſsitate preſſus,cum Mithridate tranſactis, ut patrio regno cõtentus cederet ijs regionibus quas occuparat,ſeptuaginta inſtructas naues daret, duo milia talenta pop.Ro. tributi nomine penderet,exercitu confeſtim in naues impoſito, Italiæ & huic urbi lucẽ quandam oſtendi, & ſpem afflictis ac propè occiſis oſtendi rebus. Ad primũ enim mei aduentus rumorẽ necari miſeros ciues deſitũ eſt:& apud quos charitas ciuiũ, amor patriæ nihil ualebat, eos timor aliquantũ repreſsit, ac retardauit. Ita erexi eos,qui deſponſis animis omnẽ ſpem abiecerãt futuræ ullius poſthac reip. ac libertatis.conſentientibusq; mecũ & adiuuantibus Metello,Pompeio,Craſſo,Hortenſio,Philippo,Catulo,Lucullis,Seruilijs,deniq; optimo quoq;,& ciuitatibus Italiæ permultis, recuperauimus patriã Quirites,imperiũ, libertatẽ,dignitatẽ:extorſimus ex manibus illorũ uitas bonorũ omnium,penates,tẽpla deûm,ſacra,fortunas noſtras,noſipſos,liberos noſtros, coniuges noſtras.quæ omnia erant iam illi inter ſeſe ad prædam, libidinẽ,auariciam,direptionẽ,ad omne flagitij,crudelitatis,ſceleris genus partiti. At de ijs tãtis rebus nemo loqui-

loquitur. loquũtur omnes de nescio quot nefarijs hostibus, qui uelut piaculares hostiæ dijs immortalibus pro salute huius imperij immolati sunt: quis incolumibus hæc respub. incolumis esse non poterat. At dicet aliquis: Ciues illi erant. Ego uerò id nego, Quirites. At hic erant nati. quasi uerò referat, ubi sit quisq; natus, magis quàm quo animo se ac mente gerat. Ego potius ciues credam, Quirites, eos qui in extrema Scythia nati, bene de hac communi patria nostra cogitant, quàm qui ad Carinas, aut ad Pila Horatia, aut in hoc isto foro, uel ipso Capitolio genitus & educatus, locum, libertatem, gloriam in qua natus est, per summũ scelus perdere & uelit & conetur. Ciues tu mihi putas eos, qui hanc suam esse ciuitatẽ ipsi non putãt? Cur igitur hostis Annibal? cur Pyrrhus? si ciues illi? an cum Annibale & Pyrrho de uita dimicauimus, & nõ de imperio? At cum istis nulla de imperio mentio, fortunas uitamq; omnium nostrorum impetebant: direptio bonorum, fuga, exilium, cruor, cædes ciuium, casus & ruina totius urbis erat futurum præmium uictoriæ illius. quod ne consequuti sint, amore singulari deûm erga uos, & mea uirtute, Quirites, effectum est. Verum illud male habet multos, quod quorundam fratres, filij, affines, necessarij occiderint. Vultis uos ergo filios fratresq; uestros impune latrocinari? uim & manus patriæ inferre? Quin igitur succensetis legibus? quæ de eiusmodi ciuibus quæstiones constituunt. quin iudicijs? in quibus exercentur quæstiones. iudicibus? qui condemnant. ministris iudiciorum? qui rem iudicatam exequuntur. Quanquam non desunt, qui his infesti sint. qui quum magis priuatis affectibus trahuntur, quàm publicis legibus: iuri, æquitati, iudicibus irascuntur, nullaq; esse cuperent. Quum ne ille quidem mali ciuis parens, aut frater, aut gentilis, aut amicus uiuat, & sua tueri ac conseruare possit, nisi permittat malum uirum ea pati, quæ leges iubent. Boni, inquis, fuere aliqui ex ijs, qui desiderantur. Non negarim, & illos medius fidius interijsse dolet. Vtinam fieri potuisset, ut essent à malis segregati. magna mihi fuisset utilitas, magna laus illis seruandis. Sed ita erant coniuncti cum malis, & connexi, ut cum malorum casu necessariò & illis fuerit cadendum. nec his saluis mali perire potuissent. Proinde ut tanta mali uis extirparetur, necesse fuit paucos aliquot bonos tolli. Conferte nunc lumina huius ciuitatis, quæ Marij, & Carbo, & Cinna, & Norbanus, & Damasippus, & Fimbria extinxerunt: cum liceret illis cum bona uenia & gratia esse in hac republica saluis, etiam honoratis. Cõferte quæso Quirites, cum ijs, quæ ego coactus feci, ne omnes uno interitu concideremus. Ac ne quis ea, quæ inimici pessima dicunt, ego sapientibus uiris pro republica facta esse uisum iri certo scio, me dissimulare uelle credat, prius de me ipse dicam: ut quum de utrisq; audieritis, quumq; omnia fuerint uobis exposita, clara, atq; perspicua, tum demum censere & iudicare de singulis recte possitis. Nihil enim aliud præter res ipsas nudas uobis proponam. Fuit prior illa mea uictoria tam incruenta, ut perpauci in ea ceciderint, atq; ij omnes pugnantes. In secunda interiere aliquanto plures, non mea culpa, Quirites, sed pertinacia inimicorum, qui cæcis & obstinatis animis hanc urbem funditus euellere atq; extirpare pergebãt, mallebantq; contra patriam pugnantes mori, quàm salua atq; integra patria uitam agere. Nec mirum esse debet, aut quicquam dolendum, quum illi bonos omnes perdere niterentur, me paucos, ipsos pessimos, ut infiniti boni seruarentur, perdidisse. An fortasse uolebatis, ut quum illi impetum fecissent in Senatum, ciues omnes uelut pecora quotidie trucidarent: me contra ius omne atq; bonum, hostem patriæ meæ, pro qua bellum gerebam, & de qua eram tam bene meritus, pronunciassent: liberis meis, & uxori Metellæ, talis uiri filiæ, uix patuerit ex hac urbe ad mea castra effugium: aduersus me in Italiam cum uictoria & gloria, cum magna bonorum multitudine redeuntem, tot legiones, tot exercitus fieri, & magna ex parte barbari, armarentur: uolebatis in his tantis malis, ut ego meipsum in primis, deinde alios omnes, qui meæ sese commiserant fidei, & crediderant, tacentes quietosq; iugulandos Mario, Carboni, Norbano, Scipioni tradidissem? hanc ipse patriam gladiatoribus illis prodidissem? qui hoc occultis consilijs agebant, ut excisa hac urbe, deleto imperio, urbem ipsi inter se partirentur, figeretq; unusquisque sedem regni sui ubicunque uisum esset: Marius Arpini & in Italia, Scipio in Gallia, Sertorius in Hispania, Carbo in Sicilia, Brutus in Africa, Norba-

nus Rhodi, & in illa Græcia. Quid quod ipse etiam cum tam sceleratis & uastis hominibus uiuere intra eadem mœnia non recusassem, modo id cum magna quidem meę dignitatis, sine ulla tamen patriæ iactura fieret. In potestate Senatus futurum me exercitumq; meum sum professus, ac spopondi: si tam multis bonis uiris, qui ad me uelut ad portum ex tam misera tempestate, ad unam salutis aram ex tot malis confugerant, sua ciuitas, ex qua iniurijs & iniquissima ui erant expulsi nō restitueretur. At Marius, Carbo, Norbanus meos legatos, qui amorem, pacem, concordiam ciuium afferebant, tanquā nefarios latrones, tanquam sceleatos insidiatores uiolandos contra ius gentium censuerunt, & uiolarunt: quum in hac urbe etiam Gallorum & Pœnorū legati, bellum denunciantes, fuerint semper sacrosancti. Hæc omnia paratus eram obliuisci, & gesto iam magna ex parte bello quū Scipionem à me captum dimitterem, illum precatus sum, ut ad Norbanum collegam suum iret, eumq; hortaretur, ut uerbis potius legibusq; cum ciuibus decertaret, quàm armis, postularet æqua, & ferret qualem cūq; inter nos pacem omni bello esse potiorem. Hæc ipsi quidem omnia spreuerunt, ac repudiarūt: Dei uerò immortales, Quirites, iustæ ac piæ causæ fauerunt, & numine ac maiestate sua ostenderunt, quæ sibi partes plus placerēt. quibus nihil placet, nisi optimum & æquissimū. Magna est hanc meam præclarissimā uictoriam inuidia consecuta. sentio, & suprà quàm dici possit, dolet, Quirites. sed nunquam tantæ mihi impietatis conscius me esse sustinuissem, ut non impijs & nefarijs illorum consilijs obuiam irem, quantamcūq; ingratorum ciuium inuidiam subiturus. Proinde lacerent me suis maledictis, insectentur odio, uocent in inuidiam: nunquam pœnitebit me ea fecisse, quæ feci. Dicam quanta maxima potero uocis cōtentione, ut quod uniuersus orbis fama & auditione cognouit, cæci & surdi & ingrati mei ciues exaudiant, me dicente: Ego uos omnes morti destinatos, ego hanc urbem igni atq; ruinæ attributā & designatam liberaui: ego patriam, ego imperiū, ego quicquid hodie hic superest conseruaui. Eant nunc mei, & huius imperij inimici, hoc meum cum reliquis gestis, inuidia & maledictis decerpant uerbum. Maior est tanti beneficij uis, quàm ut ipsam possit ulla hominum inuidia, ullæ obtrectationes obscurare, aut infirmare. Pergam porrò, Quirites, ut instituī. Itaq; pugnandum mihi cum esset aduersus tot duces, tot exercitus, necessariò fuit faciendum id, sine quo pugna nunquam pugnatur. Varius fuit belli Mars, incerti casus, & fortuiti. utrinq; fuit ferrum, utrinq; uiri, utrinq; corpora humana obierunt, quos sua fors ad id fati genus adigebat: & ex meis multi, & ex aduersis partibus multi. Ingressus urbem, eam non manifestis solum hostibus, sed occultis etiā liberaui. At proscriptio mihi magnū odium conflat, magnam meorum ciuium inuidiam. O miseram prorsus conditionem, & perquàm acerbam, Quirites, & administrandæ & cōseruandæ reipub. cùm id quod agitur, omnes uident: consilia, rationem, finem, atq; exitum rei destinatum pauci considerant, pauci intelligunt. O quàm est, Quirites, facile de gubernāda rep. domi, in ocio, ad foculum, cum liberis, cum uxore, cum amiculis disserere? quàm placide omnia illic administrantur? quàm bene linguæ clauo etiam in maximis fluctibus & summa tempestate nauē gubernamus? At quanto aliud est, hic in publico manus admouere gubernaculis? Illi tam periti ac gnaui gubernatores in quiete, in umbra, si huc ad solem atq; harenam prodirent, quantis tenebris circunfunderentur? ut noua ipsis & insolita uiderentur omnia? ut concíderent animis? Vellem homines considerarent atq; expenderent, Quirites, quàm illa proscriptio fuit necessaria. primum, quia in ea non continebantur, nisi pestes & prodigia, quibus omnibus hæc ciuitas purgata & expiata est. Deinde, quod mihi etiam inuito, & repugnanti, ad militum fidem (qua una & huius imperij, & salus nostrorum omnium nitebatur) continendam & stabiliendam, expressa atq; extorta est. Voluissetis, ut ego illos ita exasperassem, omnia negando, ut aduocato ex illis nefarijs in Italiam ducibus, quod etiam dicere abominor, ut de suo corpore & numero creato, cum quo bona & fortunas omnium esset pactus, qui uobis omnibus atq; huic urbi direptionem, cladem, exitium animo agitaret, audacia minaretur, armis & impia manu ferret. bellumq; iam tum non cum ciuibus fuisset gerendum, sed cum Gallis: atq; ijs, qui nō hanc urbem sedem hominum, sed spelæum aliquod ferarū esse putauissent. Nam qui obiectant, Cur

impera-

imperatoria ſeueritate non coërcebam exercitum meum? næ hi ſunt homines feſtiuiter militares, & lepidi imperatores. Nullos ego audiui, Quirites, melius imperantes, quàm qui hic in foro de rebus omnibus diſſertant, & ſeditioſe aduerſus ueſtros imperatores uos exagitant. quaſi ullus imperator hac ætate ſeuerius tractauerit, & imperioſius ſuos milites, quàm ego. Viciſſem in Græcia? redijſſet unus ex militibus, quos hinc eduxi, ſi paulo indulgentius eos in caſtris habuiſſem? quid illic uicit, niſi ſeueritas diſciplinæ militaris? quum ne ſegnes ceſſarent, manuſq; ocio torperent, ea illos opera exercere imperaui, quibus aciem & prælium præferebãt. duratumq; illa patientia militẽ, promptumq; ad imperata exequenda eduxi ad pugnã, & docui tot milia hoſtium primũ non timere, deinde uincere, fundere, fugare. At hoc noſtro tempore diſciplina illa maiorum tetrica & dura, Quirites, magis cogitanda atq; optanda, quàm ſperãda eſt, duntaxat hic domi, & in Italia. quam diſciplinam totam conſenſus huius ciuitatis inuiolatam tuebatur ac conſeruabat, nunc in tot ciuilibus diſſenſionibus, quem putatis fore tam obedientem militem? qui, ſi à te durius hic tractetur, pareat imperatis: & non ſibi protinus aliũ quærat imperatorem, qui pro mercede oblati imperij militi permittat latrocinari, & quoduis flagitiũ ſceluſq; impune deſignare? Quum nondum eſſent nota bella ciuilia, & pietas patriæ charitate filiorum antiquior eſſet, tunc imperator tali milite utebatur, qualem ipſe finxiſſet. Nam ſi is à ſuo diſceſsiſſet imperatore, deſertor ſignorum & patriæ, ad quẽ confugeret ciuem non habebat, apud quem non lueret ſceleris ſui pœnas. ad externos hoſtes magno cum periculo, & ſumma iactura eundum erat. Nunc uerò cum etiam aduerſus patriam ſerui à ciuibus concitentur, præmio eſt ſuum imperatorem deſeruiſſe. cumq; plures hic ſint imperatores qui militibus egeant, quàm milites qui imperatore, quam nõ mercedem paratus erit imperator ex his aliquis dare exercitui, ſi ad ſe transfugiat? Hic mihi aliquis, Quirites, tacita cogitatione obijciat, ego quid de militibus Scipionis & aliorũ fecerim, qui ad me confugerunt. Quid ergo is conſuluiſſet ſanctus inſtitutor diſciplinæ militaris? ut illis ad me uenientibus ita reſpondiſſem? Redite milites ad ueſtros imperatores: ne illos deſerite, neu ueſtra ſigna, & caſtra. ferte arma in me, in ciues ueſtros, in patriam. pergite in ſcelere ueſtro, quà cœpiſtis: date bonam & fidelem operam, ut ciues ueſtros cõtrucidetis, patriam euertatis. Hæc potius erant dicenda, & cum his uerbis erant ad ſuos imperatores remittendi uincti? An non uidetis milites illos pœnitentia ductos tam nefandi criminis, ad meliorem mentem redijſſe? & arma quæ contra patriam acceperant, in utilitatem illius conuertiſſe? ita ut amentia cum illis ſuis ducibus, & furore acti exierint: iudicio, ratione, meliore conſilio, dijs iam tum huic ciuitati benignioribus, ad me, qui ferrum pro patria ceperam, ad conſenſionem totius Italiæ, ad ſalutem patriæ reuertiſſe? Vtinam omnes exercitus ſine cuiuſquam ciuis iactura, ita potuiſſem ad pacem concordiamq; reuocare. non fuiſſem ueritus, quancunq; ignominiæ notam meis inimicis illi meo tam præclaro facto inurere libuiſſet, ſiue proditorem me, ſiue ſollicitatorem & corruptorem exercitus alieni appellaſſent, modò unica mea infamia tot ciues ſanaſſem & cõſeruaſſem. Videtis, Quirites, dandum fuiſſe aliquid neceſſario ijs, quibus ſolis ſalus huius reip. continebatur, & fulciebatur. Accedit huc, quòd ij, omnes, quos interfici iuſsi, impuri atq; immanes latrones & patricidæ erant, homines flagitijs & facinoribus obruti: quibus, ſi non armis cecidiſſent meis, in iudicijs & foro (ſi modo leges ullæ & iura ualuiſſent) cadendum erat, tota uita, & omniũ præiudicijs damnatis, partim indiſſolubili ære alieno, partim rapinis, quibus ſeſe in perturbatione illa reipublicæ explerant, partim ſtupris & incœſtis, partim latrocinijs & cædibus, magnaq; capitalium ſcelerum ui ac multitudine. Ac expectaſſem quidem, Quirites, ut eſſent de illis quæſtiones legibus habitæ, niſi maior illa fuiſſet colluuies, quàm quæ tam turbulentis temporibus, & omnium animis concitatis ac commotis, in carcerem includi, in forum adduci, ſtare in iudicijs, iudices atq; ſententias reuereri potuiſſet. Ita ad opprimendum tam latè patens, & quotidie longius ſerpens graſſansq; malum, ut homines iudicio & conſenſu totius ciuitatis damnati, iudicium aliquod, qualecunq; tandem eſſet, non ſubterfugerent, nec illa corruptiſsimorũ ciuium peſtis, in uenis, & uiſceribus reipublicæ diutius hæreret: ad hos perterrefaciendos, Quirites, ut metu compri-

merentur, qui flecti patria charitate non poterant, de consilio nobilissimorũ hominũ & principũ huius ciuitatis ad cõsuetos duodecim fasces, alteros duodecim adieci. quemadmodum ad refrenanda scelera, ueteribus supplicijs noua & grauiora legibus statuuntur: ut seueriores sese leges præbeant, gliscente hominum impudentia, & licentia male faciendi. Itaq; priscis illis modestissimis uiris, Quirites, non duodecim modò, sed duo fasces suffecissent. imò nullis erat opus: quum probitate, uerecundia, casta educatione, generosa indole, puris & sanctis ciuitatis moribus continerentur. Vt neq; hoc tempore bonis uiris sumuntur illa in potestate terribilia, qui legibus, nõ metu aut necessitate parent, sed moderatione, ciuilitate, indole, moribus. quia sic agerẽt, sic uiuerẽt, etiamsi nulle essent latę leges. malis tantum ostenduntur: quibus, ut nunc sunt tempora, & hominũ corrupti mores, nondum satis terroris centũ afferunt fasces. Inuitus eloquar, & euulgabo magnũ imperij mysterium: quid non expedit cognitum esse omnibus. non dubito enim quin adsint in hac cõcione, propter quos eam rem oporteat celari. sed huc me adigunt iniqua de meis actis iudicia: & iniusta atq; importuna inuidia, quæ felicitatẽ & potentiã indiuiduè comitatur. Quæso uos, uos Quirites, quid est XII. addi fasces? an imperium ideo fit durius? an grauius? quasi uerò punire illos possit dictator XXIIII. lictoribus comitatus, quos XII. non posset. aut non omnes ciues pro satellitibus & lictoribus sint magistratui, quum ad uindicanda aut reprimenda facinora XII. illi, aut sex etiã moribus constituti, nõ sufficiunt. Quo mense consul fasces non habet, accensus eum sequitur. num ideo minus potens? aut si praui & facinorosi ciues coërcẽdi ab eo & puniendi sint, deerunt ei lictores? & non potius id munus subibunt, quotquot occurrent? quotquot ipse implorarit? Quocirca nec potestati quicquam insignibus accedit: nec ea bonos grauãt, nec sapientes terrefaciũt. Tantum pauor ad malos crescit: quo solo audacia cohibetur, & effundenti se impudentiæ habenæ contrahuntur. Illud uerò ad ciuitatem propugnandã ualidius, quod lege sancitum est. Nam uir clarissimus & summis uestris beneficijs affectus, suisq; maioribus dignus Lucius Valerius Flaccus interrex legẽ tulit, ut dictatori liceret, quem uellet ciuium, indicta causa occidere. omnia quæcunq; fecisset, essent rata. Reuera lex in illos lata est, qui magnis uniuersi populi præiudicijs conuicti iam & cõdemnati erant. Quos quid attinebat causam dicere, quam nemo ignorabat? quũ eis omnibus essent ipsorum crimina cõperta, ac manifesta, qui illos uel de nomine solo norant. In ipsos, inquam, lex lata est. Sed ne tergiuersatione iuuarentur, inualescente in hac republica indies illa sentina flagitiorum & scelerum, cum proiectissima impudentia, sine legum, siue imperiorum uerecundia, diuturna impunitate confirmata, infinitè dictum est, Quem uellet ciuium. ne simul lex modum aliquem fecisset, nullus faceret. Neq; enim ullum ea includere tunc uisa fuisset, & moderatè nimis dicta perinde esset, ac nõ lata. Quanquam nec ea quidem noua lex est, sed antiquissima. Ita enim uidemus moribus tot seculorum in hac republica receptum, usu confirmatum, ac comprobatum, ut Dictator regius sit magistratus, in difficillimis reipublicæ creatus temporibus. sine prouocatione: quodcunq; iusserit, ius ratumq; sit. Quare non hæc noua reperta lex est, sed uetus consuetudo renouata. aut potius, quod prius more & instituto maiorũ erat traditum, iusta nunc & scripta lege comprehensum & sancitum est. Quorsum spectabat tolli prouocationem, si non quicquid statuisset, ratum erat futurũ? Ergo hinc aliò prouocaretur? nec alia potestas esset dictatoris, quàm cõsulis, nomine mutato. Quum Cincinnatus dictator Seruilio Halæ magistro equitũ imperasset, ut suis uerbis Sp. Melium ad se uenire iuberet, isq; Melium dictatoris iussa detrectare cerneret, hasta illum (quam in manibus fortè habebat) trãsfodit & confecit, ciuem Rom. gratiosissimũ populo, cui aliud non obijciebatur crimen, nisi quòd nimis à plebe diligeretur. Seruiliusq; quum dictatori, quæ acta essent, renunciasset, ab eo pro concione laudatus est, satisq; populo id fuit, eam necẽ à dictatore approbari, & pronunciari esse pro repub. nec suo iniussu patratam. Ac ego Hercules, perditissimos istos ciues, qui obierunt, ita inuitus iussi necari, ut ne unum quidem fuerim interempturus, si scelera, si facinora, si turpitudinem, si uitam illorum ulla uel mediocriter incolumis respub. ferre sustinuisset. nam me ad seruandos non dico solum ciues meos, sed exteros quoq; esse propensum, docu-

documento esse possunt Athenæ ipsæ: quæ quum multis laboribus oppressæ & oppugnatæ à me imperito non armis solum, sed conuitijs etiã uirulentis, & intolerandis contumelijs, tandem uirtute mea ac militum expugnatæ essent, eam ciuitatẽ quum iure potuissem diripiendam & incendendam militibus tradere, omnesq; ciues illius captiuos uendere, peperci tamẽ ei. Quòd si hominibus eiusce urbis in qua expugnanda tam multa eramus ego & exercitus meus perpessi, molesta sanè & dictu aspera: tamen propter literarum nescio quod studium, & ueterem sapientiæ existimationem, ignosci imperauí: quanto magis, si commode fieri potuisset, seruassem ciues meos quamlibet turpes ac facinorosos, & meruissem libenter alteram siue obsidionalem siue ciuicam coronam, memor dulcedinis illius laudis & gloriæ, quam cepi, quum me legatum Marsico bello seruatus à me & liberatus exercitus obsidionali corona ad Nolam donauit? Verùm aliter à me liberari, & conseruari patria non potuit. Doceat aliquis, potuisse melius ac mitius fieri: & de me sumatur quodcunq; uisum fuerit suppliciũ. nullum recuso. At Lucretij Asellæ mors mihi ab inimicis obijcitur: quẽ ego à L. Bellieno interemptum declaraui, meo iussu cæsum esse, hominem populare, & suis ciuibus gratum. Obsecro uos per maiestatem huius imperij, Quirites, nolite de tota re ex ipso quem uidetis euentu iudicium ferre. perpendite causas, considerate rationes, æstimate consilia. Non poterit ulla esse tanta inuidiq; procella, quę me ita de hac mente deturbet, ut pœniteat me patriam seruasse. Non quæram excusationes, ut satisfiat omnibus, etiam inimicis & perditis ciuibus. Satisfactum bonis abunde puto. hoc mihi sufficere potest, & debet. Non utar longa oratione ad minuendum crimen, ad mitigandam inuidiam. Nullum est scelus, inuidia sit tanta, quantam uoluerint inimici. Parum laboro, quoniã aliter fieri in manu mea non est, rem solam, nullo munitam colore, accipite: Dico, Quirites, Lucretium Asellam & meo iussu cæsum esse, & iure cæsum esse. qui nisi fuisset turbator quietis, molitor rerum nouarum, nunquam eum interfici imperassem. Desinant per deos immortales inimici insultare nostris doloribus, ac damnis. Ecquis omniũ mortalium, Quirites, maiorem accepit ex morte illius iacturam, quàm ego? qui usus eram eo milite, & forti, & strenuo, multisq; in periculis fideli: quẽ unum ad magnos & difficiles casus solatium mihi, atq; subsidium destinabam. Pessime profectò sentiunt de L. Sylla, quotquot eum putant in tantam uesaniam furoremq; uenisse, ut talia salutis suæ præsidia, sine maximis & necessarijs causis, sublatum eat. Fuit Asella, Quirites, uir manu promptus atq; strenuus, sed qui suam fortunam ferre iam non posset. Quòd se usus bono & fideli amico multis in negocijs essem, idcirco putabat se non solum legibus & iure non teneri, sed etiam esse supra leges omnes & iura. Legem tuleram, ut scitis: seu potius ex XII. reuocaram ueterem: Ne quis nisi per honorum gradus ad consulatum posse euehi, neue eundem magistratum nisi decem interessent anni quis caperet. Legem antiquam iam inde à Decemuiris latam, quis uestrûm non laudauit? Nec magis legem recepistis, quàm uestrorum maiorum prudentiam suffragijs uestris & consensu comprobastis. Legem eandem nunc denuò paratus sum rogare, & uestram sententiam iudiciumq; datis suffragijs expectare, sponsione cum quouis homine facta, si ulla tribus ex XXXV. abrogarit, nõ illam solum, sed aliquam ex Cornelijs de sumptibus, de sicarijs, de ueneficijs, de religionibus, de iudicijs, de prouincijs. Petebat Asella, eques Romanus, consulatum ante præturam, ante quæsturam. admonui nõ semel hominem, atq; hortatus sum, ne ipse primus populi legibus & decretis contrà iret: ne non tam ille, quàm ego contemnere ac perfringere leges, quas ipse tulissem, uiderer. ea enim quæ ipse faceret, fretum potentia mea omnes facere credituros. Ille insolentior mea familiaritate factus, & me & uos, Quirites, & uestras leges, moremq; maiorum pro nihilo duxit. Hominem qui id crimen commisisset, habita priuatim inter communes amicos quæstione, puniui: nolens quenquam esse in hac ciuitate potentiorem, quàm leges, quàm uestra scita & iussa, maluiq; orbari & carere amico, & periculorũ socio, quàm quiete ciuitatis, quæ custodiendis legibus continetur. Quocirca miror inimicos meos tam esse inuidia ac furore occæcatos, ut mihi pro crimine obiectent, quod inter cætera mea acta facit ad laudem & gloriam meam non mediocrẽ. quòd uidelicet libertas & dignitas uestra potior mihi atq;

antiquior clarissima amicitia fuerit. Atq; hæc quidem sunt, Quirites, quæ, ipse egi. Audite obsecro iam eorum, quibus cum pro patria bellum gessi, egregia facinora, & de quibus paulo antè summa quadam attigi perpauca: tantum ut ordine ipso ad mea peruenirem. nunc aliquanto explicatius quàm antea de illis edisseram, ut conferre possitis hæc, quæ modò audietis, cum ijs ob quæ in tantam ipse inuidiam uocor. Neq; uerò noui aliquid dicam: sed ea quæ omnes uel uidistis, uel audiuistis, mecũ recognoscetis. Pleraq; tamen præteribo. quippe quum nec omnia persequi sit animus: nec possim quidẽ, si uelim maximè. tum propter infinitam multitudinem, tum etiam quod non omnibus ipse interfui, nec ad me singula perferri potuerunt. Vnusquisq; dum breuiter, quę noui, percurro, omissa per me, quibus & ipse interfuit, cũ animo suo repetere ac reputare poterit. Ac primum quidem totam illam luctuosam & calamitatis plenam Saturnini Glauciæq; tempestatem à C. Mario excitatam prætermitto. Dixi iam de importuna petitione imperij, cum priuatus per nundinatum illum Tribunum plebis, Consules pop. Ro. dignitate, imperio, prouincia, cõtra ius omne fasq; spoliabat. quo tempore satis habuimus ego & collega meus, iniuriam à nobis depellere, ipso in uoluntarium exilium euadere permisso. Proficiscens ad Mithridaticum bellum, nihil aliud à Cinna sum precatus & pactus, quàm ne quietẽ pacemq; huius ciuitatis turbaret: ne Italiam inter se committeret, bellum grauissimũ suscitaret. Ille oblitus suæ dignitatis, oblitus suorum ciuiũ, oblitus deorum, qui fidei & fœderibus præsunt, inuidens suæ patriæ ocium & tranquillitatem, quam ego peperera, hanc urbem primum diuexauit: à qua uirtute sui collegæ expulsus, Italiam totam in seditionem & bellum concitauit, reuocato ex Africa Mario. qui efferatus exilio, conuocatisq; turpissime ac crudelissime ad bellũ contra ciues suos seruitijs, libera corpora barbaræ seruorum rabiei, fœuæ libidini, atq; stupris obiecit. Hostiam primum immaniter diripuit: dehinc Antium, Ariciam, Lauiniũ, colonias nostras lacerauit, & populatus est. postremò hanc urbem hostiliter cepit: & de ea, in quam nullum crudelitatis genus prætermiserat, uelut de Cymbrorum aut Iugurthæ patria triumphauit. Reducite quęso, si absq; intolerabili dolore & animi cruciatu potestis, in memoriam, qui fuerit Marij animus: quę mens: qui uultus: qui etiam in lætitiam mœrorem, in misericordia minas & atrocitatem prę se ferebat: quum is tacens, toruumq; intuens, magnamq; huic ciuitati machinans perniciem clademq;, tribunali Cinnæ assideret. rogatusq; à Patribus Conscriptis, ut fœderibus subscriberet, urbemq; ingrederetur, risu magno & ordine amplissimo & tota patria ludibrio habita, neutrum exulibus licere respondit. O fatalẽ huic urbi senem. quũ tantam in ciues suos animo & cogitatione crudelitatem uolutaret, leges & iura, & morẽ ciuitatis, & modestiam animi, & ciuilitatẽ memorabat: seq; bonum ac frugi, & legibus obtemperantẽ ciuem simulabat. non quo talis esse crederetur: sed ut iura, leges maiorum, mores, instituta, libertatem, publicum consilium, ordines, uniuersam patriam derideret, omnibusq; exitium & interitũ unus cõminaretur. Conuocatus est raptim per Tribunum plebis populus, ut comitijs centuriatis de reditu Marij lex ferretur. O felicem hanc rempub. si suarum cladium non meminit: impiam, si meminit, & suæ liberationis beneficium non agnoscit. In multitudinem inermem Marius & Cinna, geminum in sæuitia par, impetum à militibus fieri iubent: & nõ secus mactari, dilaniari populum, quàm si manus luporum in pecorum gregem inuasisset. Rogo uos, num fœminis respectus sexus, num pueris misericordia imbecillitatis, num senibus ætatis reuerentia, num sacerdotibus religio ulla profuit: Nunquid plebẽ sua libertas, nunquid sua Equites uirtus, nunquid Senatũ ipsum authoritas tutata est: An fuit ulla uerecundia patriæ: an ulla maiorum nostrorũ legumq; memoria: Obtruncatur media in urbe consul pop. Rom. collega Cinnæ ab ipso Cinna, illis ipsis insignibus ornatus, quæ nostri maiores non tantum ueneranda, sed sacrosancta quoq; esse uoluerunt: illis ipsis insignibus, quæ extremi populi barbarissimæq; gentes reueritæ sunt, quæ reges ipsi adorarunt. Bellum aduersus me Consul gessit Scipio: quem ego quum uicissem, ac penes me haberem, quòd eum aliquam speciem consulatus uidebam præferre, non sustinui necare, non in carcerem ducere, non apud me ad afflictionem & contumeliam seruare, non ire in exilium iussi: sed ipsum cum filio suo liberũ quoquò uelet abi-

let abire permiſi. Hæc animis omnium iam exciderunt. & nefarius ſum, quòd non potius meum illi iugulum latusq; nudaui. Certe Cinna in ipſa urbe collegam ſuum, non ſe commouentem, contempta & calcata maieſtate ſummi imperij occidit. ego in caſtris Conſulem contra me gerentẽ arma ſeruaui. Sed quid de Octauio loquor? in quem poterat aliquod uideri iuſtum Cinnæ odium, quamuis reuera eſſet iniquiſsimũ. nam quic quid egerat, Senatui ſemper & ueſtris decretis obtemperarat. Quęro tamen: Cornelius Merula quid commeruerat, homo innocentiſsimus, atq; ſanctiſsimus conſul, latroni illi ſcelerato, libero ciuitatis cõſenſu ſuffectus Flamen dialis, quẽ uel uerbo uiolare gran de nefas eſt? At iſte quietiſsimus & optimus uir, uenas ſibi incidere cõpulſus eſt. Cuius tanta fuit prudentia & pietas, ut quum non liceret religione moreq; maiorum Flaminẽ dialem, apice illo & flãmeo opertũ, uitam finire, mœroriſq; tenebris obruta penè mens eius eſſet: imò tam uicina morte profligata, & cum ſanguinis effluxu eiecta: extremum tamen ſenſum religioni reſeruauit, caputq; ut ualuit detexit. Dij immortales, ne ueſtris quidem ſacerdotibus atq; aris parſum eſt. Iupiter urbis huius & imperij ſtator, in cella tua Flaminis tui moribundi cruore reſperſus es. Miſerum me, qui importunis quorundam calumnijs hæc funera ciuitatis maximo cum ueſtro meoq; dolore & cruciatu animi referre, & acerba illa uulnera renouare cogor. Occiſi ſunt duo fratres C. & L. Iulij Cæſares, occiſus Attilius Seranus, P. Lentulus, L. Craſſus, M. Antonius, conſulares omnes. quæ lumina ciuitatis? quæ columina Senatus? quod præſidium? ex quibus conſtitutũ Senatũ, uere dixiſſet Cyneas ille Pyrrhi legatus, ex regibus conſtare. Tum illud de L. Catulo, dij immortales, quale fuit? quàm acerbũ patriæ, quàm graue bonis omnibus, quàm funeſtum authoritati Senatus? quũ totus penè ille ordo Marium obſecraret ſupplex, ut eum uirum ſaluum eſſe uellet, qui ipſius aliquando fuiſſet collega, cum quo maximas res geſsiſſet, ſine quo triumphare noluiſſet: quem iam mortuum, fieri ſi poſſet, deberet ad uitam reuocare, & patriæ reddere. ille inſita pertinacia & obſtinatione animi aſpernatus totum Senatũ, ſpreta & contempta dignitate clariſsimi uiri, moriendum eſſe reſponddit. qua uoce nulla poſſent excogitari ſatis digna ſupplicia, cum qua ſpiritum illum teterrimum, & immaniſsimam animam efflare debuiſſet. Tum ille uir, quo meliorem non uidit hæc ciuitas, ignominiæ & ſuperbis Marij contumelijs ſe ſubſtrahens, accenſis ſe carbonibus ſuffocauit. Cui uacauerit enumerare Senatores omnes, equites, plebeios, qui à Mario interempti ſunt? quum ille militibus ſuis ſignũ dediſſet, ut quencunq; uel non ſalutaſſet, uel ſalutantẽ non reſalutaſſet, extemplò cõfoderent. O ue reſignum hominis, cuius nõ referret, qui ſui ciues occiderentur, modò ſe illorũ cruore ſatiaret, & totã huius ciuitatis uitam extingueret. hoc ſigno interierũt innumeri, inter quos Senator pop. Ro. C. Arcarius etiam, Marij amicus. O tempora illa funeſta, ô infelices matres, quæ in id tempus pepererũt: miſeros ſenes, male uſq; in illam ſeruatos diem. Circumcurſabatur tota urbe, Quirites, iuſsis & occidi & occidere. erat amariſsima & luctuoſiſsima ſpecies illorum fugientiũ, latitantium, ſpelunculam aliquam & latibulum quæritantium: horum inſectantium, trahentium, raptantium, cædentium, obtruncantium. Ciuilis cruor uicis omnibus profluebat. iacebant ubiq; corpora cæſorum, & calcabantur. quæ etiam lapides ipſos in ſui miſerationem excitare potuiſſent. eadem mox in Tyberim abiecta, fluminis curſum atq; impetum auerterunt. Senatores Bebium & Numitorium, unco carnificum per medium forum tractos, uidiſtis. & Bebius ſine ferro, ferarum ritu, inter manus carnificum laceratus & diſcerptus eſt: ut tam barbara in Senatorem immanitas, ciues aliquot adegerit, ad Marianis in ſuo Bebio gratiam referendam. Sequitur nouus annus, Cinna & Marius ſine ſuffragijs populi, ſine authoritate Senatus cũ incredibili omniũ ordinum gemitu & planctu, confecta ſenio & luctu tota ciuitate, conſules ſe ipſi creant: obtritis & oppreſsis legibus, ſenatu, populo, libertate. Marius quo die magiſtratum inijt, ut eodem omine auſpicaretur dignitatem, quo ſibi pararat, Sex. Licinium ſenatorem pop. Rom. de ſaxo deturbari iuſsit. ut illi deo ſacra faceret, qui hoſtijs humanis & cruore Romano propitiatus, conſulatum ipſi ſeptimum tribuerat: quòd tam multa ciuium millia interfeciſſet. Illumq; magiſtratum, quem maiores noſtri ad conſeruandos ciues inuenerant, ipſe à ciuium pernicie auſpicatus eſt: &

quo die ne conuicium quidem fugitiuo fieri moris esset, ipse Romanum senatorem innocentem contumelia morteq; affecit. Atq; his quidem tantis, tam nepharijs sceleribus obrutus & contaminatus Marius, paucis post diebus tandem moritur: magno cum dolore, ut ferunt. quòd non licuisset ipsi, eos quoq; qui ad me confugerant, delere. Releuati, & recreati omnes ciues erant: Vrbs ipsa tanquam ingenti & letifero liberata morbo, respirare, & lucem intueri uidebatur. Ego qui iam reditum ad liberandam patriam parabam, sperabam fonte illo mali sublato, reliquos ciues animos mentesq; ciuiũ acceptu-rum. Ac pro uno Mario (cuius etsi magna erãt flagitia, senex tamen in hanc urbem memoria beneficiorum ita occæcabat homines, ut nondum tanta mala cõmeruisse uideretur, quanta bene demeruisset) exurgunt repente Norbanus, Carbo, Scipio, Brutus, Sertorius, Perpenna, Fimbria, & Marius iunior, sæui leonis sæuissimus catulus, homines iuuenes, feroces, audaces, seditiosi, temerarij, crudeles, importunissimi huius ciuitatis & Italiæ totius hostes, quorũ tam impura & impia fuere facinora, ut Marius senex mansuetissimus atq; lenissimus existimatus, & desideratus sit. Quemadmodum de Siciliæ tyrannis narrãt, in quibus sequentium importuna & intolerabilis crudelitas efficiebat, ut superiores, & optimi uiderentur uiri, & desiderarentur. Euertebat Marius senex patriam, sed quam seruarat: & quos à Cymbris trucidari prohibuerat, trucidabat ipse. Hi uerò alij res suas à pernicie patriæ incipiebant: & quũ nemini salutem attulissent, omnibus cædem, exilium, cladem, pestem afferebant, plebem irridebant, Equites habebant ludibrio, Senatum opprimebant ac fugabant. Fit ad me in extremis terris pro hac republica belligerantem, principum & bonorum omnium concursus. Senatus quidam esse iam meis in castris uidebatur. si qui in Italia remanebant, unica mei aduentus spe reficiebantur, ac refouebantur. ea recreati perdurabant. quandiu illa supereſſet, nondum relinquendã sibi esse uitã arbitrabãtur. Me infelicẽ, quod hoc scelus me coëgit fortuna committere, quòd non posthabitis rebus omnibus, opem continuò, ac salutem patriæ tuli. Quid enim attinebat pro hac repub. bellum gerere? quæ breui tempore nulla futura esset. Verùm mihi id, Quirites, integrum nõ fuit. Nam si quod tum agebam, reliquissem, nec patriæ subuenissem, & Mithridates abire me libere nõ siuisset. Veni igitur, simulac potui, simulac licuit: expectatus quidem, & tardus, sed nõ omnino serus. Hæc enim omnia quæ uidetis, meo reditu conseruata sunt: quæ iam nulla prorsus essent. Neq; enim illi ciues solum suos internetione perdere coniurarant, ne quis esset, qui suis regnis, quæ inter se partiti erant, contrà ueniret, & obstaret: sed his muris, parietibus, templis, delubris, aris, bellum intulerant, incendium & ruinam minabantur. Prouidebant enim fieri non posse, ut stante ullo ciuitatis huius uestigio, regnare sibi qua in parte, & orbem diuidere uacaret. Carbo à Capitolio, pulcherrimo totius imperij opere, incendij initium fecit. quod templum iam inde ab Regibus extructũ, à primis illis Consulibus dedicatum: quod summa semper religione, per quadringentos annos ueneratũ cultumq; est: quod ne capta quidem hac urbe à Gallis est uiolatum: quod reliquias huius imperij fideliter tutatum est, nobisq; conseruauit: nunc impiorũ flammis conflagrauit. à Consule ignis subiectus est: qui ignem suo sanguine, si alia re non posset, restinguere debuisset. Vt intelligatis, Quirites, non modò contra uos suscepisse nefarios illos bellum & arma: sed contra parietes etiam, & tecta, contra templa, & Gigantum more contra Deos ipsos. Cum x v ducibus, huius communis patriæ capitalibus hostibus, magnisq; & numerosis illorum copijs bellum gesi. non credo illos ope aliqua, uiribusq; humanis potuisse uinci: deorum uirtute & ope, quibus illi bellum indixerant, uicti, mactatiq; sunt. Neq; uerò tantum ipse arrogauerim, & sumpserim mihi, Quirites, ut opera, consilijs, uirtute mea solum, tam multos & acres hostes uictos existimarim: dij omnipotentes, illos potestate & numine suo prostrarunt, atq; afflixerunt. Iupiter Opt. Max. sacrilegos illos & impios duces, sui templi incensores, fugauit, & insectatus est. cui pro tam impijs maleficijs continuas pœnas, & quandiu uixerunt dederunt, & nunc apud inferos sempiternas dabunt. Non inquam mihi tantum, Quirites, sumo, ut mea ope ac consilijs tam multa, tam uaria, tam difficilia bella confecta esse profitear. Pleroscq; uestrûm audisse non dubito, certe multi interfuerunt, quum me priore bello Mariano Posthumius

aruspex

aruſpex omnibus notus, inimicos armis perſequi hortatus eſt. id Iouem extis declarare, ac iubere. Lucium Titium nouiſtis omnes. is mihi in Aſia de Mithridatici belli euentu ſollicito & anxio, uerbis Iouis uictoriam, quæ in illius manu ac poteſtate eſt, denunciauit, & promiſit. Idem, miles quidam ueteranus, ſanctus & innocens uir, ex legione ſexta retulit. addiditq;, recuperaturum me ex inimicorum manibus, multo illorum ſanguine, patriam, remq; pub. inſtauraturũ. Imago numinis eadem utriq; apparuit Tarenti, quum de bello deliberabundus ſacra facerem, Iupiter uitulino iecore, eodem Poſthumio interprete, magno me eſſe & pergere animo imperauit. Illius ductu atq; auſpicijs, Quirites, non meis, libertatem recepimus, remq; publicam. Ego manus tantum accommodaui, deorum & Iouis in primis ea laus eſt, ea gloria, qui ruens imperium hoc conſulcijt, ac ſtitit. ideo Stator eſt à Romulo maxima ſapientia, nec minore præſagio nuncupatus. Mihi ſi quid debetur, id non maius eſt, quàm quod legato ſolet, aut operis alicuius adminiſtro tribui. Fuit etiam mea dux ipſa Bellona: cui ſedem in arce meritò noſtri maiores attribuerunt, quod ipſa, deusq; Mars, parens conditoris huius urbis, præſides bellorum, hunc populum imperiumq; ſemper fortunarunt. Quæ eadem Bellona, Quirites, multis audientibus nunciari ſuis uerbis per quendam è familia L. Pontij, uiri fortiſſimi, iuſsit, ſe meorum itinerum ducem atq; adiutricem futurum. properarem ad urbem uenire, ut à flamma & incendio pulcherrimũ orbis terrarum templum liberarem, quod ad pridie nonas Quintileis eſſet deflagraturũ. idq; ita, ut uidiſtis, factũ eſt. Copiæ erant meæ, fortes illæ quidẽ & exercitatæ: ſed ſi cum tot exercitibus, quot in patriæ excidium coniurarant, conferantur, exiguæ atq; imbecilles. Vicimus ergo quoniam pugnabant nobiſcum, & pro nobis, patria, bonorum ciuium uota, pietas, religio, libertas, innocentia, pudicitia, fides, æquitas, bona mens, honeſtas, quicquid eſt uirtutum, deniq; Dij ipſi immortales. pro illis uerò, & cum illis parricidis, petulantia, libido, furor, fraudatio, immanitas, cædes ciuium, caſus, & ruina huius urbis, impietas, quicquid deniq; eſt uiciorum & ſcelerum. ita ut illa tanta bona ſine exercitu & armis, hæc iſta mala totumq; exercitum amentium & impiorum hominũ ſuperaſſent, profligaſſent, oppreſsiſſent: & ipſi dij immortales maieſtatem ſuam læſam inultam eſſe non fuiſſent paſsi. Non abutar, Quirites, humanitate ueſtra, qua me tam patienter de huius reip. cladibus narrantem tamdiu auditis. Non enumerabo mala, quæ Carbones illi, & Norbani, & Marij, huic ciuitati & patriæ ſuæ intulerunt, propè infinita: quæ & uos audire, & me recenſere, impediret dolor. Non uulnerabo animos noſtros illorum temporum cõmemoratione. Sileatur igitur, quod Marius ſenex, & Cinna, in unũ ſeſe annum cõſules, ſine ſuffragijs populi, ſine authoritate Senatus crearunt: Cinna & Papyrius Carbo, in duos. qui Cinna diutius ſi uixiſſet, uos Quirites ius creandorum ſuffragijs ueſtris conſulum amiſiſſetis. morem ille induxiſſet, ut ſe ij crearent, qui plurimum poſſent. Mortuo Cinna, Norbanus & Carbo, Marium iuuenem, contra leges omnes ueteres & nouas imperitum & furioſum adoleſcentem, uix annos uiginti natum, per uim conſulem fecerunt, cum ſumma omnium ordinum inuidia, ingenti mœrore & planctu recordantium, cuius patris eſſet filius, quos animos tam funeſtos huic reipublicæ gereret, quantum anhelaret ſcelus, quam minitaretur peſtem. atq; omnes furioſus ille iuuenis fefellit. Nam quamuis nullus eſſet, qui non illum perniciem & extremam huic reip. calamitatem allaturum timeret, ipſe tamen expectationem cunctorum uicit, ac breue intra tempus multo euaſit immanior atq; intolerabilior, quàm omnes ipſum fore pertimuerant. Nã paulo antequàm ad Sacriportũ armis eſſet mecũ decertaturus, uoluit eiſdem dijs ſacra facere, quibus pater ſuus: illis nempe, quos dixi gaudere & placari ſanguine & hoſtijs humanis, corporibusq; ciuium Rom. tum ne nihil omnino deſignaret eorum facinorũ, quæ animo iam diu cogitabat & deſtinabat, L. Damaſippo prætori, fatelliti & adminiſtro furoris ſui imperat, ut per ſpeciem cõſulendi coacto Senatu, totam nobilitatẽ intra temporis punctũ contrucidatam tollat. Exequutus eſt bonus miles imperatoris iuſſa ſui: nullusq; fuit in urbe nobilis, qui nõ eadem hora nephandiſsimis illis armis occideret. O Valerij, ô Cornelij, Horatij, Æmylij, Mutij, Claudij, Catuli, Fabij, Manlij, qui hanc nobis tam florentem rempublicã tradidiſtis, quam ueſtris laboribus, ſanguine, uita auxiſtis & firmaſtis:

in qua ſedes ueſtræ memoriæ, domicilium eſſet ueſtræ poſteritatis: ut ueſtra beneficia multum poſteris ueſtris opum,honoris,gloriæ,dignitatis pararent. En uobis in ea ciuitate,quam toties ueſtris conſilijs atq; armis liberaſtis & conſeruaſtis: En uobis, puer unus Arpinas,furore amens, cædē,incendia ſpirans & anhelans, nepotes omnes ueſtros non tanquam uiliſsima mancipia,à quorum cæde humanitas nō ſolet deterrere,ſed tanquam uictimas in ſolenni publico ſacrificio uno ſuo uerbulo mactat,progenies ueſtras nominaq; delet. Obtruncatus eſt ſanctiſsimus conſularis, Q. Scæuola Pontifex maximus,in ueſtibulo tuo Veſta mater:tuiq; ſanctiſsimi & ſempiterni ignes cruore Pontificis tui penè reſtincti ſunt. reſtincti fuiſſent,ſi ex tam ſenili & exhauſto corpuſculo ſatis ſanguinis effundi potuiſſet.Maiores noſtri Cn. Tremelio tribuno plebis mulctam dixere,quoniam illi neſcio quod uerbum parum honorificum in M. Æmylium Pontificem maximum exciderat.Scæuolæ autem, Quirites,nec reuerentia profuit illius auguſtiſsimi pontificatus,nec extrema ætas, nec conſulatus & ſummi geſti honores, nec uſu tantarum rerum collecta ſapientia,nec multa magnaq; in hanc ciuitatem beneficia, nec reſpectus ullus ſacrorum & religionis,nec locus ipſe ad quem uelut ad ſalutis portū confugerat,nec memoria in Marios ſenem atq; iuuenem meritorum.Scæuola enim,Quirites,ut Marium ſenem hoſtem ſua ſententia cenſeret, adduci nunquam à Senatu potuit. Iuuenem uerò Carbonē,me,nos omnes,& eos qui interierunt, per compoſitionē conſeruare uniuerſos uolebat & conabatur.Hæc eſt gratitudo patris? hæc filij? hanc illi Metellis, Catulis, Murijs optime de ſe meritis, hanc Senatui,hanc pop.Ro,pro tot collatis conſulatibus homini nouo atq; obſcuro,hanc inquā gratiam referūt? Méne tantum ſcelus, tam inexpiabile nephas admittere, ut quum arma tenerē à patria data,tantas patriæ iniurias propter ullam futuram ingratorum ciuium inuidiam non perſequerer & ulciſcerer? teterrimo latrocinio non releuarem, & iam ruinæ proximam non fulcirem,& in priſtino ueſtigio & gradu reponerem, è manibus & faucibus latronum non eriperem? ſubiectum toti urbi atq; Italiæ ignem non extinguerem? nō dico cum tali exercitu hæc me fuiſſe facturum. Sed ſolus ipſe adiuuantibus dijs immortalibus, quicquid etiam uſquam eſt ſancti,æqui,pij,copias illas nefarias fudiſſem,& profligaſſem.aut certe illis reſiſtere, & meum unicum pectus opponere tentaſſem, ut Coclitem illum initio libertatis feciſſe perhibent. Sed dij immortales melius,qui & mihi meoq; exercitui talem animum ac uires,& Metellis,Pompeio,Craſſo, Lucullis, Philippo,Seruilio,Catulo,populisq; omnibus Italiæ talem dedit mentem,ut mecum ad dignitatem huius imperij, ad ſalutem huius urbis & reipub.conſentirent & conſpirarent: illasq; impias ſicariorum & latronum manus,uiribus,occidione,fuga,aut è uita,aut(quod proximum erat) ex Italia pellerēt. Ingreſſus urbem maius mihi ſubitò exoritur malum, quum hic ante Collinam portam,ſpectantibus uobis omnibus,adiuuantibus etiam & ſatagitantibus,de publica ſalute ſollicitis, conferre cum Teleſino & Samnitibus ſigna neceſſe fuit. in qua pugna non iam cum ciuibus mihi erat contentio,nō de principatu bonorum in hac repub. aut malorum certabatur:ſed Samnitiūm ne,an hæc urbs princeps eſſet Italiæ & orbis terrarum:hicne eſſet imperium mundi,an his diſturbatis & dirutis tectis, aris, focis,penatibus,templis,delubris,hac urbe funditus exciſa,deleto nomine Rom.imperium in Samnium transferretur. Quodq; ad Caudinas furcas miſsis ſub iugum Romanis legionibus propter ciuitatis huius concordiam perfectum non eſt, nunc per diſcordiæ ciuilis occaſionem perficeretur ante urbem ipſam. Et erat Teleſino fiducia huiuſce rei maior, quàm Herennio Pontio illi ſeni:qui carpento eſt in filij imperatoris delatus caſtra. non quòd tanta Teleſino eſſet prudentia,aut rerū uſus,ac Herennio:uel uires Claudio Pontio Herennij filio pares:ſed quòd tunc inuenti ſunt conſules, qui ſe pro patriæ ſalute ad exoluendam religione ciuitatem pro fœderibus ultro & dedi uoluere,& ut ederentur populum hortati ſunt.Nunc cōſules ipſi,ne pilus potentiæ ſuæ detraheretur,tollere imperium patriæ,ciues uniuerſos iugulare,hanc urbem & Italiam totam exteris ferisq; nationibus diripiendam & uaſtandam tradere parati erant. & ſic inſtituerant. Repuli ergo à uobis Quirites,ueſtris coniugibus, liberis,fortunis omnibus, furentes Teleſini & Samnitium mentes: facem illam in huius urbis incendium accenſam, in eorū domos & capita

capita conuerti.recuperaui remp. liberaui ciues meos, seruaui hoc imperiũ, patriam ex faucibus fati eripui. At horum omniũ memoria deleta iam est.usq; adeò sumus omnes in timore benigni, post timorem ingrati. Illud recordantur, quòd occidi eos iusserim, qui in uiscer ibus & uenis ciuitatis sanguinem absorbentes nostrum hærebant residui hostes:uti eadem opera præmium tam bene meritis legionibus persolueretur, & perditissimis ciuibus sentinaq; scelerum respub.perpurgaretur.quo sine metu & sollicitudine libera deinceps agere,& sibi restituta posset.O mors à dijs ipsis non in malum,quod multi credunt,sed in maximum sæpe bonum hominibus donata,quàm multa tecum affers meritò optanda, Marij,Cinna,Carbo, Norbanus,Telesinus,qui Ro.nomen extinguere conabantur:qui eiusce rei,quam cogitarant,maxima & horrenda iecerant fundamenta: quòd diem suum obierunt, inuidia carent, nihil putantur fecisse. ego, qui illos compressi, & repuli: qui ista omnia, quæ stare nunc uidemus, constitui & conseruaui, quiq; eos malos à quibus boni mactabantur sustuli: quod nonnullos sceleratos homines perdidi,ut boni omnes salui essent, quoniam uiuo,& in oculis meorũ ciuiũ uersor, habeor intolerabili odio,premor inuidia iniquissima.Poteram & ego in Marij regno ui uere honoratus. quippe meus consensus, & tacita comprobatio stabilimentum fuisset illius.Voluissetis,ut me uidente ac tacente,breui tempore urbem totamq; Italiam deserta illi ac desolata reddidissent.quum alios necarent,alij ultro sibi mortem arcesserent, alij exulatum irent,ac suapte sponte solum uerterent,tanta mala fugientes.Nequicquam ego Quirites, tot præsentibus periculis, tot ærumnis, nulla salutis meæ habita ratione, tanta pro patria gessissem, quæ apud æquius iudicãtes inuidia sublata nulla obscurabit ætas,inuidiam fama & gloria sempiterna consequetur: si in grauissimo eius casu & extremo discrimine illi defuissem. An hoc postulabant & reposcebant beneficia erga me uestra,ut ego qui aliquid tum possem,causam ipse publicam desererẽ? Quis ergo suscepisset? Inops aliquis de postrema plebe? an ratio meorum factorum, quæ ipse patriq; tanquam pignus meę in se pietatis dedi? Iugurtham post tam uaria bella nondum fractum, & ingens bellum reparantem,uinctum ego in castra Rom.perduxi,obiecto capiti meo multis periculis bello Cymbrico.Quis obsessum Mariũ liberarit, quis optima curatione & singulari prouidentia cõmeatuum exercitus nostri ne fame perirẽt effecerit, quis fuerit totum penè illius uictoriæ momentum,scitis omnes:non modo qui in illis castris fuistis, sed qui certos rumores nunciosq; domi audiuistis. Domui, ac imperio uestro magnam partem subieci earum gentium, quæ alpes & illam feritatem incolũt, quæ Italiæ & possessionibus uestris quotidie imminebat. In Asia quibus prælijs Gordium uicerim, quemadmodum Ariobarzanem regem uobis amicum uestro iussu in regnum restituerim, quo animo, quanta uirtute & strenuitate, dicerem fusius Quirites, si & de mea tanta gloria non sine suspicione iactantiæ dicendum non esset,& aliquem uestrũm ignorare existimarẽ. Tum & illud,quod ad me primum uestrum imperatorẽ legati uenere Parthorum,uestraq; signa & legiones mea opera adorauerũt. Bello sociali, quum Samnites consularem exercitum fudissent, Nolam coloniam nostram interempto L. Posthumio prætore in suam potestatem redegissent, Esserniam itidem coloniam occiso M.Marcello expugnassent,atq; occupassent,ego illam mihi depoposci gentem,cum qua decertarem, reipublicæq; iniurias ulciscens uirtutem meam declararem, ueram & perpetuam gloriam nanciscerer, & boni ciuis officium patriæ approbarem. Samnites igitur primo prælio ita uici,ut bina eorum castra expugnarim. multis deinde conflictibus populũ illum retudi ac compressi, coronaq; obsidionali ab exercitu nostro per me liberato donatus & decoratus sum.Hirpinos domui, hosq; duos populos,aliosq; permultos imperio uestro,Quirites,restitui.Consul hinc ingenti comitiorum,propter hęc tam egregia facinora, consensione factus, nunquam persuaderi mihi potuisset, ut Marium senem ita in hanc rempublicam furere & debacchari paterer. Victoriæ deinde totius Græciæ,& pugnæ illæ cum Archelao,& cum Dorilao, præfectis Mithridatis, cum illo ad Cheroneam, cum hoc ad Orchomenum, in quarum priore cum centum millibus peditum Barbarorum,decem millibus equitum,signa contuli:ex quibus uniuersis decem millia solum fuga tutata est:quũ ex nostris(mirabile Quirites dictu) quatuorde-

cim duntaxat desiderati sint. ex quibus etiã, quum adueſperaſceret, duo in caſtra redierunt, qui ardore pugnæ acti, longius hoſtem erant perſecuti. In poſteriore pugna cum Dorilao contra octoginta millia delectiſsima ex toto Mithridatis regno ſum congreſſus aſpero & difficili ſupra modum prælio Quirites. in quo noſtri ordines turbati, ac loco moti, fugæ ſeſe, fortiſsimæ alioquí legiones mandare incipiebant: quoad reuocati per me inter primos uerſantem, militesq; obiurgantem, quòd ſuum imperatorem deſererent. Nam mihi, Quirites, conſilium erat, ſi non uiciſſem, fortiter illic occumbere. milites uerecundia illa & ingenuo Rom. pudore gradum magno animo ſtiterunt. maiore etiam in pugnam regreſsi, auerterunt hoſtem, fugaruntq;, nec alia res cædendi finem fecit, quàm laſsitudo. Tropæum à me utroq; loco ueſtrarum (ac ſi hoc mihi, ut reliquis Imperatoribus permittitur) mearum quoq; uictoriarum inſigne omnibus futurum ſeculis, clariſsimumq; monumentum Marti, Victoriæ, Veneri erectum eſt. Hæc inquam, uictoriæ animum mihi incredibili ardore accendebant, ne eam ciuitatem, pro qua tam nobiliſsimas ego res geſsiſſem, in qua futurũ eſſet meæ tantæ gloriæ, mei nominis, meæ gentis & poſteritatis æternum domiciliũ, manibus latronum & gladiatorũ Cinnæ, Marij, Carbonis, Norbani, Theleſini, reuelli ac penitus extingui ferrẽ. Non ſum Quirites, adeò mei negligens, honorumq; contemptor, nõ ita meticuloſus, ut memoriam tantarum rerum ignauia aliqua & ſocordia idem ipſe delerem, ut quum ea geſsiſſem, quę magna cũ mea gloria poſteritas tota eſſet celebratura, metu aliquo uel uitæ meæ, uel inuidiæ, uel ne uiolarem ciues meos, qui ſuam ipſi patriam euertebant, tenebras & obliuionem meis geſtis offudiſſem. Neq; enim id erat lædere patriã, ab inteſtinis eam hoſtibus liberare: fuiſſet potius ipſam perdere, peſtẽ illam, quæ cotidie & maior & ualidior graſſabatur, ſinere tantas uires acquirere, quãtas uoluiſſet, quantæ certe ſuffeciſſent ad hæc omnia diſturbanda & excindenda. Vita uerò mea Quirites, & uniuſcuiuſq; ueſtrûm, certis à natura terminis concluſa & diffinita eſt: quam etiam ſi nulla uis ingruat, ipſa tamen illa natura ſuo tẽpore tanquam creditor debitum exiget. Quid ergo pulchrius excogitari poteſt? quid beatius? quàm quum ſit omnibus, & forti uiro & ignauo moriendum: ipſam uitam ad ſempiternam gloriæ famam fœnerari? & id quod eſt naturæ debitum, cum ſumma utilitate patriæ, cum ſumma noſtra laude & gloria naturæ reddere? Quod cùm eſt omnibus cogitandum præſtandumq;, quantũ fieri poteſt, Quirites, tum in primis per id tẽporis erat mihi optandum, & quęrendum, quo quum talia egiſſem, ut nihil mihi amplius eſſet ſperandum in uita: nihil felicius contingere poterat, quàm ſi patriæ, cui omnia tribueram, uitam quoq; ipſam, quæ ſola ſupererat, elargirer. At uerò inuidia erat metuẽda, quæ ex tanta mea uirtute, & in patriã charitate, orta eſt. Ego Quirites, certò ſcio, etiam ſi uos gratiam non habeatis, iſtos tamen ipſos parietes & muros, ipſa deorũ templa, hæc omnia loca, à quibus ruinam & flammã arcui: ipſam urbem, quę meo beneficio in ſuo ueſtigio perdurat: hæc inquam muta, gratiam ſempiternam habiturum. mors etiam ipſa, quę inuidiam auferet, iudicia hominibus æquiora afferet. Tunc enim poſteri merita, quæ nonnulli præſentes non cognoſcunt, intelligent: me conſeruatorem huius reipublicæ, hos ingratiſsimos homines pronunciabunt. Ipſi quoq; Dij immortales, quorum delubra & ſedes tum ſeruaui, tum etiam incenſas reſtitui ac reparaui: quorum ego conſilijs & nutu, ſingulariq; in hanc rempublicã amore, ipſam eandem rempublicam in ſuam reddidi & repoſui dignitatem ac libertatem: piorum ad hæc manes, quos iniuria cæſos de ſceleſtiſsimis carnificibus uindicaui: Quirinus ipſe, & maiores noſtri, quorum urbem, ciues, progenies, monumenta, ab incendio, cæde, caſu, rapinis eripui: gratiam mihi pro tantis benefactis referent. Quod ſi me aliquod, meis præclaris conſilijs atq; geſtis indignum fatum manet, id ego Quirites non recuſo: æquo animo quodcũq; fuerit, accipio. Conſcientia enim meorum benefactorum magnum mihi & in uita monimentum erit, & in morte ſolatium. Hæc enim conſcientia, quę bene actę uitæ teſtis eſt, hominem miſerum eſſe nunquam ſinit: ſicut nec ſcelerum arbitra, felicem. Præſertim quum eò ſit progreſſa mea uirtus, ut eius memoria nullis limitibus terminata & comprehenſa, interire ſimul cum corpore nulla ui queat. Ita eripere inimici uitam poſſunt, non poſſunt famam, non poſſunt æternum nomen, immortalem glo-

riam.

riam non possunt animum, quo ego semper me seruasse patriam gaudebo. non possunt hanc ipsam patriam, quæ per me erecta & confirmata, quamdiu fuerit (erit autem, ut spero, æterna) beneficium in se meum sentiet, & recordabitur. Neq; uerò quantum in me fuerit, occasionē ullam dabo iustæ inuidiæ, nec locū ullum aperiā obtrectatoribus, nemo causabitur me, quum illa omnia egerim, quum patriā grauissima tyrannide liberarim, non patriam in sua certa & clara libertate relinquere, meipsum tyrannos expulisse, ut in locum illorum ipse succederem. Dictatura Quirites, si uestræ libertati obstaret, non esset magistratus à maioribus uestris ad difficillima huius reipub. tempora, asperrimos & extremos casus paratus & constitutus. quale tempus, si ullum post hanc urbem conditam fuit, istud fuit, quo mihi is magistratus mandatus à uobis est. quem ego gessi, ne ea ciuitas interiret, à qua esset inuctus. Nam me libertate supra mortaleis omnes gaudere, omnia mea acta indicio sunt. Proferat aliquis liberum cuiusquā uel dictum in mea dictatura, uel factū, quod fraudi fuerit, & paratus sum quancunq; pœnam statueritis, subire. Recenti uictoria Nonius cognatus meus, & Seruius propinquus, prætorij candidati, repulsam à uobis tulere. Quæso uos, quid publice me de uestro facto sentire testatus sum? niſi gaudere me, quòd post tam uiolentos dominos, speciem non adumbratæ, sed solidæ expressæq; libertatis uideretis, fructū perciperetis. Quàm multi sunt, qui de me male sentiunt, mihi male cupiunt? & nocerēt, si liceret. Et sic eos esse affectos exploratum est mihi, & cognitum. at hi uiuunt: & per me uiuant, licebit. Quod malum mea insania esset, si quum pro libertate patriq; pugnassem meq;, illam non esse liberam per me unum staret. Ego Quirites, huius communis patriæ sum ciuis, hic Romæ in ipsa libertate natus, educatus, institutus: maioribus nobilissimis, nempe gente Cornelia, quæ pro libertate uestra gessit res maximas. libertatem, dignitatem, salutem, imperium, gloriam, huius æternæ reipublicæ unicè diligo: legibus maiorum nostrorum, iudicijs, moribus, institutis, uiuere & stare uolo. iuxta quæ omnia, dico me totam uitam duxisse. Hæc qui mecum conseruare uolet, hunc ego opibus, amicis, meipso adiuuabo. qui plus posse uoluerit, quàm leges & iura: qui imperare Senatui, dominari populo, qui bellum ciuile mouerit: estote bono & securo animo Quirites, huius amentia & furor quemadmodum reprimatur & coërceatur, prouisum mihi atq; prospectum est. Quamobrem, ut primus ipse uiam quam muniui ingrediar, ut appareat nihil plus quàm libertatem, leges, æquum bonumq; in hac ualere ciuitate: ex hoc loco & tempore facio unicuiq; potestatem requirendi, & repetendi à me, siue pecuniam ablatam, siue agros abiudicatos, siue cognatum uel necessarium interfectum, siue quid aliud est quod me iniuria fecisset dicat. omnium paratus sum legibus & iudicijs rationem reddere. Quod ut liberius & commodius fiat, néue ullus inuidiæ & detractionibus pateat à me datus locus, néue meus obstet magistratus, dictatura me Quirites, abdico. Soluite lictores fasces istos, frangite secures. priuatus sum.

DECLAMATIONIS TERTIÆ. FINIS.

IO. LODOVICI VIVIS, DECLAMATIO,

VERBIS M. ÆMYLII LEPIDI CONSVLIS, IN Syllam iam priuatum.

ARGVMENTVM.

PAVCIS diebus antequàm Sylla deponeret dictaturam, comitia consularia habita sunt: consulatusq; petitor inter reliquos erat Marcus Aemylius Lepidus, homo patricius, ex nobilissima gente Aemylia, miræ libertatis & audaciæ. cui cum esset inuisa atq; odiosa tyrannis Syllæ, eum Sylla creari consu-

lem non patiebatur. Pompeius uerò iuuenis, toti ſenatui populoq; gratioſiſsimus, qui iam de Africa domita triumpharat, eques Romanus, antequàm eſſet ſenator, pro Æmylio ita conniſus eſt, ut eum conſulem effecerit, & quidem priorem collega Q. Luctatio Catulo, maxima cum indignatione Syllæ. Æmylius & æquum & è dignitate maieſtateq; pop. Rom. cenſens, ut Sylla tantorum ſcelerum pœnas lueret, accuſat eum apud populum omnium criminum, quæ commiſit & ante dictaturam, & in ipſa dictatura. Sperans etiam fore, ut ſupplicio de Sylla ſumpto, exules qui Syllæ arma fugerant, reducerentur: bonaq; & poſſeſsiones, quas amiſerant, recuperarent. nam id ipſe maximè cupiebat. Verùm Sylla tametſi priuatus, tum ſuis, tum etiam Pompeij, Catuli, Craſsi, Luculli, & aliorum nobilium opibus, & priſtina maieſtate, facilè ſeipſum à conſulis inimicitijs & conatibus tutatus eſt. Nec ſolum nihil eſt ob malefacta paſſus, ſed etiam potens ſemper uſq; ad mortẽ uixit, obijtq;, ut ipſe ſemper prædixerat, felix. ſi modò felix quis eſſe poteſt, tantis flagitijs, ſceleribusq; ſuſceptis: tot millibus ciuium ſociorumq; & in bello, & in pace contrucidatis. Verum felicem ſe ille futurum exiſtimabat, ſi tam innumera facinora impunita commiſiſſet. quum minus reuera fuiſſet miſer, ſi aliquas pœnas ſuorum ſcelerum dediſſet.

Dii deæq; omnes, & ipſe urbis huius parens Romulus, Quirites, merito me mactarent letho, familiamq; meam affligerent infortunio, ſi homo natus in Aemylia gente, qui quotidie tot fortiſsimorum & clariſsimorum uirorum imagines domi uideo, patris, aui, proaui, reliquorumq; maiorum, qui & me uobis uelut pignus deuinciunt, & uos mihi perpetuò commendant, non dicerem fortiter, quæ de rep. ſentio: non ueſtram dignitatem, gloriam, libertatẽ, ſi uerbis & iure non poſſem, manu certe atq; armis defenderem. Sic doctus, ſic inſtitutus à puero in ætatem ſum, Quirites, ut omne præſidium mearum opum in libertate huius populi, in magnitudine huius imperij, in gloria & honore meæ patriæ ſitum patarem: benefacta maiorum meorum dignitati & gloriæ mihi tum demum futura, ſi eadem ipſe uia ingrederer huic reip. benefacere, qua illi. Si enim degenerarem ab illa uirtute, non modò Aemylius & Lepidus non eſſem, ſed ne ciuis quidem: qui ortus talibus maioribus, non plus præſtarẽ, quàm quiuis de plebe. quũ etiam plebei homines, parẽtes ſuos uirtute & gloria rerum geſtarũ uincere, eosq; nobilitare conẽtur. Quocirca Quirites, cum genus meum me ſemper & admoneat, & penè cogat, ut de ueſtris cõmodis cogitem, nunc addito cõſulatu, & à uobis tanto beneficio accepto, quali me eſſe erga remp. animo neceſſe ſit, facilè ex ſeſe unuſquiſq; iudicet. Illo ipſo die, Quirites, quo primũ ad remp. acceſsi, meq; ipſum & familiam noſtrã reputare cœpi, cognoui mihi fore turpiſsimũ, niſi meritis & nobilitati illorum reſponderẽ. Illa uerò hora, qua comitijs centuriatis prior conſul renunciatus ſum, tum demũ certum mihi fuit, nullam neq; opum, neq; honorum, nec ſanguinis, nec uitæ rationem habere: modò libertatem ueſtram, quam iniuria & uiolentia L. Syllæ oppreſſam uidetis, aſſererẽ. Hoc opus non cuiuslibet hominis uidebam eſſe, ſed Conſulis: & eius Cõſulis, quem ad hæc inuitarent, atq; propellerẽt domeſtica exempla. & eius Conſulis nobilis, qui cum ſumma poteſtate, egregiam uoluntatẽ, fortem animum, prouidum conſilium, non infirmas omnino opes afferret. Quocirca in hunc prodij locum, Quirites, ut quũ edocti fueritis, cui uiro antea ſeruiuiſtis, & quæ miſerè per uim eſtis paſsi, quãuis hæc neminẽ credam ignorare, tum uos ad curam ueſtræ libertatis, & reipub. mecũ ſuſcipiendam adhorter. Habetis Conſulem, qui & conſulere, & in ea quæ conſuerit, non ſegnem operam fidelemq; adhibere, obuiamq; conatibus perditorum ac impiorũ ciuium ire, mortẽ denicq; pro patria & ueſtra libertate occumbere paratus ſit. Adeſte magno animo Quirites, & oſtendite uos uiros. nam uidebitis, dijs omnibus bene iuuantibus, tam liberã me cõſule remp. q; unquã eam maiores noſtri uiderunt. Prouiſa ſunt mihi iam omnia, in ſummo ſum magiſtratu, animus in remp. eſt ingens, & mira in patriã charitate ardens, qui non patietur uos diutius L. Syllæ tyrãnidi turpiter & miſerè ſeruire: neq; illius in hanc remp. ſceleratas iniurias, & nepharias contumelias inultas dimittere. ut cognoſcant gentes

omnes

omnes ac populi, qui huic imperio parent, nõ seruienti populo, neq; iam Romano, sed uere Romano, hoc est liberrimo, & ei qui uirtute sua orbẽ totũ uicerit, se subditos esse. Ego enim nõ intelligo Quirites, quî possint æquo animo reliquæ nationes nobis subij ci ac parêre, quum nos uideant neq; iuris, neq; mancipij nostri esse. Quî fieri possit, ut ferant, se liberas seruientibus obtemperare, & quod omnium indignissimum est, seruientibus uiolentissimo domino, impurissimo latroni, scelestissimo parricidæ? Prò sancte Iuppiter, qui hanc urbem toties tutatus, toties seruasti, quum acerui corporum cæsorũ medio iacerent foro, quum nouum & inauditum crudelitatis genus in liberum populum exercuit, neminem in eo fuisse, qui liberi hominis uocem sit ausus emittere? quum non desint in seruorũ grege, qui irato domino liberrimè obloquantur. Sed hic nos nec ut seruos, ac ne ut homines quidem tractat. Nam quis unquam ita ludibrio habuit seruos, ut quum eorum parentes, liberos, fratres necasset, iactaret se illorum bono id fecisse? Si homines putaret, non essent ei in delicijs capita & corpora cæsorum: non tam luderet de uita sanguineq; nostro. Et nos torpemus, omniaq; patienter ferimus. usq; adeò in hac ciuitate mos maiorum, & libertas illa in desuetudinẽ uenit. Quæso uos, quid attulit L. Sylla ad hanc remp. ut non dico illi talia facere, sed etiam liceret cogitare? Nemini uerò etiam licere possunt, nec in emptos quidem seruos: quamuis ille nos non pluris faciat. Sed ut liceret illi aliquãto plus, quàm cuiuis ex plebe. nam libertas in hac rep. omnibus pariter quæsita est. Si enim Camillus ille, uel Scipiones, prior aut posterior in hac ciuitate plusquã alij permulti potuissent, fortasis pauci fuissent admirati, quòd uiri nobilissimi ingentia pro hac repub. gessissent. ille hanc urbem exigne & ruinis Gallorum recuperauerat: hi Pœnos huic imperio infensissimos atq; imminentes repulerant, uicerant, edomuerant. At L. Syllam hic dominari, & latam esse (si dijs placet) legem, ut quicquid illi collíberet, ius ratumq; esset. Nónne horrendum monstrum, & prodigium inexpiabile est? nónne hoc est, expugnatam & captam hanc remp. fuisse? Tributum est hoc, credo, generi eius & maioribus? quorum qui alicuius sit nominis, est Ruffinus ille, ex ignominia magis quàm uirtute nobilitatus est. Nam Syllam illum, qui captus est flamẽ Quirinalis, & alios omnes Syllas quis nouit? Sed uult forsan L. Sylla de maioribus suis taceri, de se loqui. Percurramus quæso curriculum uitæ istius, gradusq;, per quos ad tam calamitosam & huic populo funestam licentiam peruenit. Prima quidem ætate inquilinus, nouercæ charior quàm par erat, pusio & illius, & Nicopolis famosi scorti hæreditates noctibus cõsecutus est, hinc confectus cõuiuijs, lustris, libidinibus, stupris, & quæ ipse passus prius fuerat, & quæ deinde intulerat, delibutus unguentis, cibo & uino obrutus, per forum totamq; urbem uolitabat. Scitis hæc à me non fingi. Vidistis multi uestrûm, grandia illum frusta, & teterrimum fœtidissimumq; uinum uomentem crebrò, media luce, medio foro. & iuuenis amare ac amari doctissimus, ita se gerebat, ut unum illud corruptorum morum satis esset in quouis magnum argumentum, quod amicus & familiaris esset L. Syllæ. nullus erat in hac ciuitate ganeo, nullus nepos, nullus siue corruptor iuuenum, siue corruptus ipse, nulli mimi, nulli scurræ, nulla scorta, nulli adulteri, nulli nequissimi atq; impurissimi, quin huic essent charissimi & intimi. cũ eiusmodi hominum generibus sua illa conuiuia diurna, suas libidines & turpitudines nocturnas exercebat. Proferat mihi aliquis uel bonum & frugi ciuem, huic amicum: uel malum & perditum, ab hoc alienum. Mentiar, nisi eius senecta, qualis iuuenta fuerit, testatur. Aspicite corpus mille per singulos articulos cõtusum & profligatũ morbis. facilè intelligetis, ex quibus radicibus hi modò rami & fructus effunduntur. Empto deinde tum forma, tum & pecunia nescio quorum hominũ fauore, irrepsit ad quæsturam. Scitis quàm indigne tulerit C. Marius, quod sibi homini seuero, & in tetrica illa Scipionis castrensi disciplina educato atq; exercitato, periculosissimum & difficillimum bellum gerenti, quæstor esset datus, luxuria cum primis mollis, nequitia perditissimus. Profectus tamen est in Africam, Regem dolis & fraude cepit. omnia istius sunt talia. Norbanus non inscite magis se metuere uulpem Syllæ, quàm leonem dicebat. Maiores nostri Pyrrhum, potentissimum regem, gerentem in Italia bellum, imperio huius ciuitatis inhiantem, ut uenenũ caueret monuerũt. Seruilium Cepionem, quòd fraude Vi-

riatum latronẽ uiciſſet,mulctarunt.Iſte pulchrum ſibi & glorioſum adhuc ducit,regem inermẽ,& proditum à rege ſocero,uinctum accepiſſe. quaſi id nõ à quouis uel latrone, uel ſeruo ignauiſſimo fieri potuerit.Quæ eſt enim laus,uinctum tibi traditum, quò uelis perducere? Et tamen hoc eſt ſignum illius funeſti annuli, qui tantum bellum excitauit,tot cædes fecit, tot ciuium bona diripuit. Huius turpitudinis imaginem cogimur in Capitolio aſpicere auream, quæ apud multas gentes, quantum nobis peperit ignominiæ,nolo dicere:quum uos iam non aperto Marte, & bellica uirtute, ut maiores ueſtri, ſed per fraudem & proditionẽ uincere obiectant.Hæc illa eſt magnifica Syllæ uictoria, ex qua tam diues ad nos redijt.ut non iniuria dixerit L. Manlius,eum non poſſe uirum eſſe bonum,qui tenuis relictus à patre, in tantas ſubitò ueniſſet opes. Quibus ipſe opibus ædilitatem primum cum repulſa præturæ,deinde præturam ipſam emit, ambitu & largitione non ſolum Senatui odioſa, & intolerabili, ſed etiam iuuenibus ipſis ad deriſum & iocos expoſita.Nam iſte quum identidem præturam ſuam nominaret, C. Cæſar L.F.iure præturam ab eo uocari ſuam dixit, quã bona & bene numerata pecunia emiſſet.Profectus in Cappadociam,& lubrice uerſatus illic eſt,& prouinciam ſociumq; regem quemadmodum ſpoliarit,nõ attinet commemorare.legatos illarum gentium ipſi audiuiſtis.Quòd ſi P.Cenſorinus,qua fide accuſationem repetundarum ſuſceperat,eadem peregiſſet, Sylla ſuis meritis digno iudicio iacuiſſet,nos nunc noſtram rempub.liberam & florentem haberemus. Sed quum Cenſorinus ad diem non ueniſſet, ille ex reis exemptus eſt maximo totius Italiæ malo emiſſus ad conſulatum,ad bella ciuilia,ad hanc urbem euertendam.Bello ſociali, audientibus uobis,multum ſe ſociorum ſanguinem effudiſſe gloriatus eſt.In quo bello quum communis fuerit Italiæ calamitas,illi ſoli imperatores laudantur, qui clementer ac ſumma cum prudentia & bellum geſſere, & uictoria uſi ſunt.ut appareret eos aliud non egiſſe, quàm offenſos ſociorũ animos mitigare,atq; huic reip.placare,& reconciliare,neq; enim ſocij noſtrum ſanguinem,noſtras uitas petebãt:nec ut eriperent nobis noſtrã ciuitatẽ,ſed ut in eam reciperentur,contendebant. Veniamus nunc ad eius præclarum conſulatum, in quo primum ſuas acies, ſuaq; ſigna inter ſeſe concurrentia Roma,luctuoſum ſpectaculum,uidit. eaq; nota & labes illi anno æternis ſeculis inuſta permanebit, diceturq; cum totius poſteritatis gemitu ac dolore,cum huius temporis execratione,L.Sylla & Q.Pompeio Coſs. incœpiſſe bella ciuilia, exemplumq; ſequentibus datum inter ſe armatas manus cõmiſcendi. Cuius belli inuidiam Sylla reijcit in Marium.quaſi non ipſe furore & inſania ſua, obtrectationibus tam iniquis atq; aſperis gloriæ Marij, hunc irritarit non ad bellum ciuile, ſed ad ſpoliandum eum gloria prouinciæ illius & belli. Quumq; perlata eſſet lex, nónne iuſsis populi te Sylla(nam tecum libet pauliſper loqui) num non parêre oportebat, potius quàm tam impio exemplo gerere primũ ciuile bellum? At malus erat Tribunus plebis,& lex iniqua,inquis. Quàm malus ille fuerit,qui ferebat,ad rem nihil pertinebat. tribunus erat plebis.Iniquam uerò legem cur uoces, non uideo: quum iuſſa ſit à populo.niſi fortè quicquid tibi utile non eſt,protinus iniquum putas? An non cenſes in potestate populi eſſe, quem uelit imperatorẽ ſuis exercitibus præficere, & ad ſua bella mittere? Credo te id non putare.nam alioqui nunquã tua lege id ius ei ademiſſes.At quæſo te,quẽ deligebat? hominẽ fortaſsis imperitum bellandi? Marium, qui in caſtris Scipionis ad Numantiam magnis ſuæ uirtutis editis documentis ita probatus fuerat, ut Scipio ipſe rogatus quem nam reſpub. eſſet habitura talem Imperatorẽ, ſi aliquid ipſi accidiſſet, Marium deſignarit: deinde in aliorum caſtris,maxima etiam ex parte in ſuis uincendo conſenuerat. hominem infelicem in bellis? Marium,qui non ſolum nullo bello, ſed ne ullo quidem prælio uictus erat,quum multa geſsiſſet,multa commiſiſſet:in cuius ſinum,fidem, fortunam, felicitatem reſpub. extremo ſuo periculo confugerat: qui niſi imperator bello Cymbrico fuiſſet, hæc quæ modò noſtra ſunt, Cymbrorum & Teutonorum eſſent.quamuis ne nunc quidem uult Sylla noſtra eſſe.Sed certe nos hic non eſſemus:Cymbri & Teutoni hæc incolerent. At ſenex erat,inquis. quaſi in Imperatore,ſicut in milite, ætas & uires deſiderentur: ac non conſilium potius, imperatoriæq; artes. Iuuenes uidelicet erant illi priſci: L. Quint. Cincinnatus, quum creatus eſt aduerſus

Sp.Me-

Sp. Melium dictator. Iuuenis M. Valerius Coruinus, quinto & sexto consulatu penè septuagenario maior. Iuuenis Q. Fabius Maximus, quum dictator, ut opem rebus perditis afferret, Annibali oppositus est. Tibi uerò Marius, cui inuideres, quem haberes odio, non modò in sexto consulatu, sed etiam iam in secundo, senex serusq; uidebatur. Qui tantus in omni genere belli uir, quũ omnia penè sui temporis bella cõfecisset, præficereturq; à populo rogante tribuno plebis: qua mente tu illi, ac potius patriæ, nisi sceleratissima, bellum intuleris, dubitari non potest. Cuius manifesta dedisti documenta, quum legatos à po. Rom. missos, lapidibus obrui iussisti: tanquam Pœnus, aut Gallus, legiones ad urbem admouisti. ut perniciem patriæ afferrent, quæ in tutelam ac gloriam patriæ erant conscriptæ. Et quidem eadem uia ueneris, qua Annibal. Et quasi parũ fuisset legatos occidisse, prætores ad te missos uiolasti: unumq; illud defuit ad extremam ignominiam, quod occisi non sunt. Pacificatoriam legationem, totamq; Senatus ciuitatisq; authoritatem contempsisti, & irrisisti. urbem crudelius, quàm Galli, cepisti. Quod tibi unum fulmen, quæ una satis fuisset pestis eo tempore, quum tu facem ardentẽ præferens, urbem te incensurũ minatus es, nisi ciues, qui pro muris utcunq; poterant, suam libertatẽ salutemq; à tuis latronibus, tuaq; uiolenta & effrenata temeritate tuebantur, te urbem diripere, & cædibus replere permisissent. Tibi Sylla hoc in mentem unquam uenisse, te hoc uerbũ dixisse, & adhuc uiuere, tanta mehercule culpa & ignauia nostra est, ut uita digni nõ simus, quod tulimus: minus adhuc digni, si diutius tulerimus. quod quidem uerbum nec Bruti illi, nec Fabij, nec Camilli, nec Scipiones, qui unice patriam dilexerunt, à Tarquinio aliquo, uel Gallo, uel Pœno dictum impune narrassent. Quirites, quàm pudet me, atq; adeò pœnitet nostri, ausum esse L. Syllam, flagitiosum & con sceleratum latronem, dicere, se urbem incensurum: & permissum esse postea, hic Romę uigere, florere. Florere dico? imò uerò regnare: & quod tum minatus fuerat, efficere. Tu parricida, & omnis humani & diuini iuris corruptor & conculcator, quum istud uerbum dixeris, audes te Cornelium nominare? in qua gente sunt duo illi Scipiones, P. & Cn. qui ne Asdrubal in Italiam ad fratrem transiret, suis corporibus obstructo itinere, in uestigio pro patria conciderũt. Tu Cornelius, urbem incensurus, in qua gente sunt duo Africani, duo lumina imperij Rom. quorum alter, ne sibi patriæ libertas cederet, ipse patriæ libertati cesit: & in exiliũ ultrò profectus est, ne hinc ulla in re libertas exularet. Tu ergo urbem incendisses, in qua erat domicilium, si non tuum, (nam tu domicilium nunquam habuisti, quod iure posses uocare tuum) certe familiæ Corneliorum, ex qua uis genitus uideri. in qua urbe penates, & sacra publica, tua priuataq; erãt. urbem, cuius tu eras ciuis: patriã tuam. quam si combussisses, prius tamen ipse fuisses cõbustus, quæro cuius ciuitatis ciuis fuisses? an cinerum illorum? Tu illam urbem incensurus? quæ à Deo dei filio æternis auspicijs condita & firmata, tanta uirtute, tanto deorũ in nos amore ad fastigium rerum humanarum euecta est. Tu hanc tuam incensurus patriam Syllа? quam ne uastare quidem uoluit infensissimus hostis Annibal. Sed tu unus multis Annibalibus fuisti nobis pernicioſior & atrocior. O acerbam uocem ijs, qui audierunt: tum pem nobis, si tuleris impune: miseram, ut spero, tibi. Nam si hic concesseris fatis, felix, ut putas, & iactas: pœnas tamen apud inferos, tam nefariorum scelerum, & dijs immortalibus, & patriæ, & illis quos cecidisti dabis. Sed audite reliqua. Quum uideret Marius hunc tam hostili & amenti animo patriam impetere, ne eam quam toties seruarat, desereret: armat & ipse, quos pro tempore potuit, amicos suos, resistitq; huius furori. Exercitus Romanos medio foro confligentes uidistis. & cum miser senex imparatus oppressus esset, iste Senatum captiuum ac perterrefactum cogit, Marios hostes iudicare, patrẽ & filium, cum Cethego, alijsq; clarissimis uiris: occiso prius uestro tribuno plebis: quem mirum non est ab hoc esse occisum, sacrosanctum magistratum, qui totam ipsam dignitatem in patrocinium & præsidium populi à maioribus paratam euertit, ac sustulit. de quo uulnere reipublicæ paulo pòst loquar. Ita nec huic sanctitas tribunitiæ potestatis, nec Mario cõseruata bis Italia profuit, neq; idem iste gladiator seruatus profuit Mario. Et hic mihi Marium ingratitudinis, aduersus Metellum, insimulat. O noster grate quid facis? Te uno quid genuit rerum natura ingratius? Quæstor fueras C.

Marij, more maiorum: is tibi erat parentis loco, Marius te arma Sulpitij fugientem domo sua receperat, & texerat. qui si te inimicum Sulpitio amico prodere uoluisset, non ui dissemus in repub. tanta mala. Te solo deorum omnis in nos ira fuisset expiata. Si quid peccauit C. Marius, propter quod à dijs iratis exilium, carcerem, catenas, squalorẽ passus est. id unum fuit, quòd te pestem clademq; patriæ conseruauit, uel potius in nos immisit. Expulsus est itaq; exul & egenus Marius ex ea terra, unde immanissimos ipse hostes expulerat. qui nisi fuisset, nec ipse Sylla, nec hæc ista urbs nunc foret. Eiectus est cum illo innocentissimus filius. nihil enim unquam mali fecerat, quem tu importunissima crudelitate tua exasperasti. Iuisti tandem ad aurum istud, & prædas Asiaticas, quibus tamdiu inhiaras, ut te atque exercitum tuum repleres. Ibi usus tuis artibus. Archelaum ad inuadendum regnum quum sollicitasses, & ad prodendum exercitum magno præmio ac spe quum perduxisses, occidisti copias Mithridatis, proditas & desertas à duce. Redit interea Marius, reuocatus à Cinna. & is quanta mala fecerit, nihil opus est cõmemorare: cuius rei culpam, recte qui ratiocinari uolet, non tam in Marium ipsum, quàm in Syllam conferet. Hic enim primus & pugnare cum ciuibus, & inimicos ciues ferro persequi docuerat: & acrem senis animum indignissimo exilio in iram ac furorem concitarat. quum illum ita omni ope atq; auxilio humano spoliasset ac priuasset, ut ope singulari Deorum ad uitam salutemq; conseruandam indiguerit. Etenim dij immortales illi pro meritis gratiam referebant. quum iste uictor armis & immanitate sua sic totius Italiæ mentes auertisset, ut beneficium partim non agnoscerent, partim dissimularent. Hæc nos hic patiebamur. ille cum nostro exercitu ad Alyssum, & reliqua Græciæ amœna loca conuocatis Græculis, conuocato ex toto exercitu turpissimo & perditissimo quoq;, quos iste comites suis libidinibus appositissimos delegerat, more illo quo adolescentiam & iuuentam egerat, conuiuia & libidines dies & noctes exercebat. potabatur Græco more cum ingentibus clamoribus atq; conuicijs. balneabatur, ludebatur alea. aderant scorta, aderant mimi mimæq;. aderant nobiles aliquot matronæ, ab administris luxuriæ istius conquisitæ. nullum turpitudinis & flagitij genus ab isto, socijsq; eius prætermittebatur. erat rerum omnium impurissimarũ solutissima licentia adeò ut Græculi cõfiterentur, se ut armis, ita flagitijs atq; nequitia à nostris hominibus esse superatos ac uictos. In nulla unquam ganea talia sunt uisa, qualia in prætorio nostri seueri ac sancti Imperatoris. Mirabantur Græci pudorem, parsimoniam, frugalitatem Romanam à cęteris nationibus populisq; cõmendari: cum ipsi nunquam excogitassent, nunquam à Syracusanis uel Sybaritis uel Tarentinis, de luxu prouerbijs celebratis, facta audissent aut legissent, quæ illic à nostris hominibus fieri conspicerent. Quumq; iam, quæ uellet, cum Mithridate transegisset, Archelao præmium proditionis persoluisset, Regem in Asiam liberum solutum & gaudentem abire permisisset, plenus gazæ illius Mithridaticæ redit ad renouanda bella ciuilia, & uulnera huius ciuitatis. Quid agis Sylla? dicebat optimus quisq;. Quid arma contra Mithridatem sumpta in uiscera ciuium tuorum conuertis? Cur abire sinis inultum Regem? qui iniustissime, & per indignissimum facinus, plura quàm octoginta millia ciuium Ro. uno die obtruncauit, occiso nostro legato, uiro consulari. Cur non uindicas tantam iniuriam patriæ? quod erat è dignitate & cõmodo huius imperij, è securitate & tutela ciuium, qui in prouincijs negociantur. Cur illum, de quo noua excogitata supplicia (nam uetera non erant satis) fuerant sumenda, frendente & fremente tuo exercitu incolumem abire omnes uident? expletum sanguine Romano, derisentem hanc rempublicam, nostrosq; ciues? Cur fractum duobus ingentibus prælijs non debellas? & in triumphum ante tuum adducis currum? Vt subuenirem (inquit) patriæ, properaui, pacem utcunq; cum illo composui. Tu, quum Marius & Cinna hanc urbem diuexant, & diruunt, helluaris in Græcia, teq; omni flagitio & spurcitia contaminas & obruis, nunc quum mortuus est Marius, mortuus Cinna, sedatis bellis, rep. constituta, renouas memoriam bellorum, excitas iam quiescentes, rescindis in ipsa curatione saucias reip. uulnera, si quid supererat sanguinis in afflicto ciuitatis corpore exhaustum omnino properas. Relicto hoste, ad quem eras missus, ad nos uenis, nec sinis aliquantum rempublicam se reficere ac releuare. Si nullus esset, unde ue-

de uenis, hostis: quærendus erat tamen, ne patriam tuam, totamq; Italiam grauissimo bello concuteres, ardentem, populatam, uastatam uideres. Quam eandem ob causam satius fuerat, te in illa terra expectasse bellum, quod tibi dicebas inferri, quàm in Italiam aduolare. An non tibi utilius censebas, te in illis regionibus exercitum ducere, quarum eras peritior, quàm tui ciues inimici? deinde damna quæ necessariò consequuntur bellum, illis nationibus relinquere, quàm patriæ tuæ? Tribus annis hic in Italia belligeratum est, Quirites, quo tempore capi tota potuit Asia. Quid aliud hostes nostri optent, quàm uires nostras in sese uersas, ab alijs gentibus inuictas, à sese consumi & extingui? Omitto uastitatem & ruinam huius terræ. Pugnatum est ad Cannusium, ad Sacriportum, ad Fidennas, ad urbem, ad alios pleroscq; locos. ceciderunt in his conflictibus plures ciues, quàm nunc Romæ supersint: quot non interierunt capta à Gallis Roma, quot non bellis omnibus Punicis, quibus maiora non uidit hæc ciuitas. Non satur, neque expletus tanto sanguine ciuili, capis urbem, sitientior cruoris nostri quàm antea. ut de ijs dicunt, qui aquã patiuntur inter cutẽ: quibus eo ualidius sitis exardescit, quo largius biberunt. Hæc sunt præclara Syllæ facinora, Quirites, ante dictaturam. his meritis summum Romæ magistratum atq; imperium adeptus est. Lataq; est lex à nostro interrege, quem uellet ciuium impune posset occidere. quum de capite ciuis Romani maiores nostri neminem, nisi totum populum uoluerint cognoscere: idq; magnis comitijs, quæ dicuntur Centuriata. Et quanquam uidetis in ijs, quæ dixi, scelera, quæ mille mortibus elui atq; expiari non possent: uolo tamen ignoscamus ei, & omnia ista condonemus, quandoquidem in ijs qui uicti sunt, fuit aliqua ratio & causa istorum bellorum. & quibusdam hæc uictoria non usq; iniusta uisa est. Verùm quæ sequuntur, quæ sunt tota ex mente & animo Syllæ profecta, tam horrenda, atrocia, immania sunt, ut lusus quidam & nugæ priora illa uideantur cum his alijs collata. Quid primum dicam Quirites? aut quod initium dicendi faciam? aut quid omnino dicam? quum tam multa occurrãt, ut ne sciam, quid potissimum dicam: & uereor, ne festinatione mea plura & atrociora prætermittam, quam dixero. Expectatis forsan, ut quod patres mei & reliqui maiores uestri nec dicere sine horrore, nec audire sine summa indignatione poterant, hic recenseam: contra leges, Horatiam, & Valerias, & Portiam, & Sempronias, pulsatum aliquem ciuem Romanum contra libertatem nostram, hoc querar & deplorem. expectatis, ut quod maximum nefas putatum est, dicam, ciuem esse interfectum? Quatuor ciuium legiones, Quirites, inermes, pacem & pactum fœdus reposcentes & reflagitantes, Iouis & reliquorum Deorum, ciuium & libertatis Romanæ fidem implorantes atq; obtestantes, scitis esse ad ouilia trucidatas. Me miserũ, quòd & uerba me deficiunt, & dolor impedit, & uestra nimia patientia mihi formidolosa est. Stant quatuor legiones ciuium nostrorum in armis, in acie, in procinctu intentæ, classicum spectantes. aggreditur eas arte sua L. Sylla, ut circumueniat, ut calliditate & astu capiat. dicit esse quamlibet pacem inter ciues quouis bello potiorem. admonet illos & se ciuem esse, & eos in solo esse Rom. in conspectu penatum, coniugum, liberorũ. monet atq; hortatur, ut seruent se, si non patriæ, suis saltem liberis. Quid multa? uenit miseris illis in mentem, se contra ciues stare, cladem aut accepturos, aut daturos, ante mœnia & templa patriæ. statuunt esse potius, quoquomodo ad concordiam uenire, quàm confligere. Paciscuntur uitam cum Sylla. concedit, & arma continuò deponi iubet. ratæ legiones illæ, pacis illud & ignoscentiæ signum esse: quod nostri maiores non cum ciuibus (nam tali furore nunquã agitati sunt) sed cum hostibus expugnatis, & captis siue castris siue urbibus obseruarunt, fide Syllæ abijciunt arma: & complexus cognatorum, gentilium, affiniũ, amicorum, ciuium, cum gaudio expectant atq; expetũt. Imperat ducibus Sylla, ut dum ipse in Senatu concionaretur, illos omnes curarent interficiendos. Exequuntur imperata diligenter duces. bestias non tam immisericorditer, quæ ciuitati multum nocuissent, trucidassent: quàm illi ciues suos innoxios. Et dum alij se conantur defendere, alij elabi tentant, alij feriuntur, & in medio mortis tenentur cruciatu, plangor & quiritatus ad aures miseræ ciuitatis peruenit. Quis tum non arsit intolerando dolore? quem non tum pœnituit uiuere? Senatus trepidus, quum se ad idem supplicium in curiam

incluſum crederet, auertebat animos & cogitationes ab orante Sylla: ad ſe quiſq;, ad domum ſuam, ad fortunas, ad coniuges, ad filios conuertebat. Ego in ea re maxime miror, non proſiluiſſe omnes amentes tanto metu, nō deſeruiſſe omnes illum parricidam, dicentem, non ad ſua quenq; uelut in incendio & communi periculo ſuppetiatum accurriſſe? Nam illum ferum & ferreum latronem minus miror, potuiſſe perſtare in cœpto ſuo orationis tenore: quippe quem uideam ad perdendos ciues à natura genitum, uſu iam confirmatum|percalluiſſe. Audite Quirites, hominis uocem, & audete negare ueſtra maxima ignauia, hunc tam diu uſuram uitæ cepiſſe. Quieſcite (inquit) Patres. nam pauci ſunt flagitioſi, quos corripi iuſſi. Iupiter, & tu eam uocem ſecurus accepiſti? Quæ nam igitur te mouent? Immanis, & nefandiſsime Sylla, IIII legiones appellas paucos? Dilaniari, iugulari, uocas corripi? hæc tu tibi rerum noua inueniſti nomina? Quos igitur uocas multos? quid atrociter interfici, ac dilaniari? Et tu portentum ac prodigium, cum maiores noſtri in dimicatione capitis unius ciuis totam ciuitatem ſollicitam eſſe uoluerint, ſummum conſilium in nece tot millium ciuium ſecurum eſſe iubes? Non es, impudentiſsime latro, neq; locum illum inauguratum, in quo ſedebas, & delubra deorum immortalium reueritus, neq; ora ampliſsimi ordinis, neq; fidem illam tuam perfidiſsimam datam, quo minus & uitæ illorum ciuium & timori Patrum illuderes, uerbaq; quæreres, quibus totum hoc imperium, uitasq; omniū noſtrûm, fidem, fœdera, deosq; omnes flocci nō facere te oſtenderes. Si quatuor legionibus hoſtium datam fidem ita fregiſſes, quibus ſupplicijs poſſes tantum ſcelus expiare? At ciues, quos etiam nulla data fide ſeruatos oportebat, quum necaris, quòd ſuperſit ullus, qui Sylla uocetur, digni mediusfidius ſumus, qui moriamur omnes. Negata ſunt rogo & ſepulturæ corpora cæſorum, uncis ſunt ab iiſdem carnificibus tracta, & in Tyberim ignominiæ gratia abiecta. Scitis, quanta fuerit illis diebus inundatio fluminis. non quia eſſet aquis auctus: ſed quia obice, & mole cadauerum, uelut cataracta, curſus aquę erat impeditus. Quum in mare tandem tantus mortuorum numerus ſimul cum aqua cruenta eſſet eluctatus, delata ſunt ea corpora in diuerſa littora. quo tempore & in Sicilia, & in Gallia, & in Africa, quum & ex filo ac ſpecie corporis, & ex ratione ueſtitus Italos eſſe cognoſcerent, crediderunt Italiam totam, ira deorum immortalium, eſſe exciſam, atq; ſubuerſam. Quum de his dixerim ciuibus, hic natis, ſcelere ante oculos ciuitatis & deorum huius urbis penatum cōmiſſo: quid attinebit de Præneſtinis loqui? ex qua urbe educta quinq; millia inermium, ac fide per Cethegum data, trucidari, & diſpergi per agros iuſsit. Ingreſſus deinde ciuitatem, rabie quadam Præneſtinos omnes delet. Quo crimine tot millia ciuium Romanorum? ſatis eſt, mori potuiſſe. Et hic mihi, quo uos maiore haberet ludibrio, gloriatur ſe à cruore hominum abhorrere, ac temperantem eſſe. exemplumq; de Athenis à ſe captis attulit. O noſter miſericors, cur portionem aliquam tui mitiſsimi ingenij ciues tui experti non ſunt? quanquam Athenis quid uolebas plus feciſſe? Omitto locos alios, cruore & cadaueribus redundantes: inter Diphilum certe & Ceramium, quæ loca nō exiguo ſane interuallo diſiuncta ſunt, omnia corporibus cæſorum erant referta. Quid te igitur doles non feciſſe? Quid iactas feciſſe? An quòd aliquem illic reliqueris ad ſemen, quod aiunt: & quod non funditus eam gentem deleueris? ut Anthenodenſes, Laryenſes, Alæenſes deleſti, ut uix nomina ipſa reſtent. Sed quid ego Græcorum clades refero? Hic hic in Italia quid feceris quæro. Præneſte nō habebas urbem & arcem ante oculos, à nullo reuocabatur impetus crudelitatis tuę. hic ad urbem ipſe patriæ conſpectus non potuit te lenire, & mitigare: non potuit te ciuibus ſuis placare. Auditis Quirites, urbem illam cum ſuis noſtrisq; deletam ciuibus. auditis IIII legiones ciuium ante oculos ueſtros conciſas: idq; utrobiq; data fide, quam uel hoſti non integram ſeruaſſe deteſtabile nephas eſt. & nō protinus ira & furore perciti, me concionantē relinquitis, ad eius accurritis domum, ſtatuas, & monumenta deijcitis, domum penatesq; diſturbatis, nefariam familiam extinguitis: ab ipſo pœnas, ſi nō condignas (neq; enim poſſunt ullæ eſſe condignæ) quas ſaltem poteſtis, accipitis? Quid igitur excitabit uos? Mors ipſa ueſtra? (quod dij omnes auertant) & actus per iugulum & latera ueſtra impius enſis? Sed expectatis, credo: me ducem & Conſulem, pro modeſtia

ſtia ueſtra, fructum illius gloriæ primum uultis capere. Laudo uos, Quirites: non deero generi & magiſtratui meo, non deero uirtuti ueſtræ. modò uos qui ſitis, & quibus maioribus orti, recordemini. Volo tamen inſtitutum ſermonem abſoluere, ut intelligatis tetriorem, uaſtiorem, ſceleratiorem hominem poſt natos homines neminem fuiſſe nec excogitari potuiſſe à multis ea mala, quæ iſte ſolus nobis intulit. Hæc enim omnia, quæ dixi, facta eſſe ab armato uidebantur: quamuis contra ius omne, contra leges, contra æquum & bonum, contra religionem, contra fidem, & deos omnes. Sed nec iſte deos timet, nec pluris eos facit, quàm homines, quos deſpicit ac irridet. Capitolium, quod Carbonis conſulis opera incenſum mentitus eſt, quot ſunt in hac ciuitate, qui ſciunt iuſſu & cura ipſius Syllæ arſiſſe? Nam de prædis illorum in Aſia & Græcia templorum aſylorumq́, quid attinet loqui? Oraculum illud Delphicũ, nobiliſsimum toto orbe, ſacrilegus iſte ſpoliauit. quumq́ uox eſſet citharæ Apollinis in penetralibus audita, non aliter quàm Dionyſius ille Siciliæ tyrannus, iocis in religionem luſit, & numen ipſius dei cauillo deriſit. Fanum Epidaurium, à quo in maxima peſtilentiæ ui hæc ciuitas ſalutem, opem, & diuinum auxilium ex Sibyllinis fatis implorauit, iſte & omnibus donarijs ornamentisq́ nudauit. Nec ipſum deorum omnium & hominum parentem Iouem reueritus eſt, cuius Olympium templum, quod maxima totius Græciæ ueneratione colitur, & celebribus illis quinquennalibus frequentatur ludis, plenũ & opulentiſsimũ compilauit & exinaniuit. nec ſolum quæ Græci & reliquæ gentes ſumma cum religione obtulerãt, per nefandum ſcelus rapaciſsime furatus eſt: uerùm ea etiam, & quæ nos hinc frequenter miſimus, & quæ noſtri imperatores ſanctiſsimi & continentiſsimi uiri dederunt. uelut Flaminius, Attilius, L. Paulus, & alij. Sed hæc ſpero deos immortales ſeuere uindicaturum. nos noſtras iniurias perſequamur, & negocium tum noſtrum agemus, tum etiam deorum, ſi cruentum & impium parricidam atq́ ſacrilegum impunitum non dimiſerimus. Hæc igitur omnia externa. uenio ad res urbanas. Pacata ciuitate, cùm nullus ſupereſſet hoſtis, præter eum ipſum Syllam, qui huic ciuitati atq́ imperio nouus Annibal bellum ſemper habuit indictũ: aſcendit hæc ipſa roſtra, quæ noſtri maiores gloria & rebus geſtis decorarant, ille ſanguine nobiliſsimorum ciuium fœdauit. quumq́ de ſuis rebus ferociter multa diſſeruiſſet, ut ad ſeruos de lapide emptos, non ad populum gentium uictorem & dominum orationem eum habere crederes, iubet per præconem nomina quadraginta ſenatorum, equitum mille & ſexcentorũ citari: quos omnes interfici imperauit trepidante tanta cõcione, & funus ciuitatis lugente. Dixit uerba illa, ut lachrymas reipublicæ abſtergeret, dolorẽ populi Romani conſolaretur: ſe, quorum in preſentia teneret nomina, proſcripſiſſe: breui tamen alios in memoriam uenturũ, quos ſimili uellet affici ſupplicio. Addit perendino die ſenatores quinquaginta (nam quadraginta priores paruus cumulus erat uiſus) inter quos fuere prætorij & conſulares multi. tum ex equeſtri ordine, & de plebe ad quatuor millia: ex quibus pleriq; ne uiui ſaltem ignominia afficerentur, quam mortui effugere nullo pacto poterant, manus ſibi intra domeſticos parietes ante ipſos penates attulerunt. Quid faciebant inuictæ ueſtræ dextræ, Quirites? quum cædem ciuium immanis illa bellua iuberet fieri, cùm hoc buſtum reipublicæ interitum ciuitatis denunciaret? An quòd exercitum habebat? Bene eſt, iam non habet. Sed cur legiones ipſæ iniurias patriæ non uindicabant? homines fortes, armati, exercitus uictor? Nempe quod milites ipſi ſine ſuis ducibus parum poſſunt. At duces erant ab eo corrupti, & ipſe miniſtros ſuorum ſcelerum & flagitiorum eiſdem facinoribus initiatos, ordinibus præficiebat: homines aſſuefactos rapinis, latrocinijs, periurijs, fraudibus, libidinibus, ſtupris, crudelitati, ſanguini, ciuili. Niſi enim tali ſatellitio & miniſterio ſeptus & fretus fuiſſet L. Sylla, nunquam ſperaſſet poſſe ſe in ſuos ciues tanta cum ſæuitia debacchari, quam in exercitum Cymbrorum uictum & captiuum uix cogitare ſuſtinuiſſet. Verùm uos Quirites, cum bona ueſtra uenia reſpondete, cur & ipſi exercitum non armabatis? fortaſsis erat ille potentior. An non ueniebat uobis in mentem, uos eſſe Romanos, gentium uictores? quo populo nullus fuit poſt hominum memoriam fortior. Cur non malebatis mori per uirtutem, quàm uitam cum indigna ſeruitute retinere? & meminiſſe, uos in ea ciuitate ui-

uere, in qua quũ fas esset regnare, fuere tamen ex uestris maioribus, qui nõ dico regem, sed ne regnum quidem paulo impotentius tulerint. Et expulit quidem inermis ciuitas regem armatum, cum exercitu potenti, quanquã exercitus liberatores ipse suos protinus secutus est. quod feciſſet iste, si uos uiri, ut illi maiores, esse uoluissetis. Quid enim toti exercitui, exceptis paucis, aliud quàm tyrannus quæsitus est? An pauca quædam montium, paludum, harenarũ iugera, præmium sunt ereptæ libertatis? nam merces ingentis proscriptionis penes paucos impuros & commaculatos remanet. Non erat igitur dubitandum, quin legiones consensum sui populi & spem libertatis certissimam, suamq; ciuitatem ducem secutæ essent, ut & nunc sequentur. Verginius & Icilius, & pauci quidam alij centuriones, aduersus Decemuiros, nobilissimos homines, summa potestate fretos, ingentium exercituum Imperatores, cum urbana multitudine ad recuperandam libertatem conspirarunt. qui rumor simul in castra perlatus est, relictis & desertis illis suis Imperatoribus, ad populi & ciuitatis suæ consensionem exercitus continuò transiuit. Quòd si in principio uiriles animos ostendissetis, non tantam cladem respublica accepisset: non uidissetis humana omnia & diuina polluta, non fratres à fratribus occidi, filios in complexu parentum lacerari, parentes obtruncari à liberis ipsis. Hoc enim Quirites scitote, L. Syllam eo esse ingenio, quo ferunt crudeles, sed timidas, bestias esse: ut in humiles, & prostratos, & cedentes ferociter sæuiant, resistentes & repugnantes meticulose fugiant. Quandiu timueritis, peiora indies uidebitis, & feretis. ubi primum uos esse uiros reminiscemini, & illis ortos maioribus, qui libertatem & summum imperium huic urbi parauerunt, impetus frangetur Syllæ. & ille uobis, quod par est, quod factum oportuit, dicto audiens erit: non uos, quod factum pudet, illi.

Primo ciuili bello, quum ipse uictor urbem cepisset, recentiore tamen libertatis memoria, indignatione tam impudentis & sceleste dominationis, quidam cognati eius ab eo uobis commendati, repulsam uestris suffragijs tulerunt. Cessit ille uobis, Quirites, quòd uos etiamnum Romanos uidebat esse. ac dissimulatione (qua plurimũ, quum ipsi expedit, ualet) boni se id consulere professus est: & quod libertatem esse in republica cognosceretis, gaudere. Si timere uos sensisset miseræ centuriæ, quanto sanguine luissetis repulsam illam? Nam minores multo iniurias in metu uestro quemadmodum ultus sit, sensistis. At sunt quidam, qui propter pacem reipublicę pertulisse illa se dicant. Cedò, quo bello eratis peiora passuri? Ciues illi, qui ad Trasimenum & ad Cannas sunt ab Annibale capti, an atrociora atq; intolerabiliora sunt passi, quàm nos hic sumus, & à ciuibus nostris? Exijssemus armati ad confligendum contra ipsum, uicisset patria suos hostes, mactassent dij immortales expilatores suorum templorum: uirtutes omnes, sanctitas, fides, innocentia, superassent illorum facinora, flagitia, impuritates, scelera nefanda. Sed fac nos esse uictos, moriendum nobis erat, sed semel, nostro sanguine bene ulto, in armis, in acie, cum decore, cum gloria. hic mortui sumus centies, intra muros patriæ, inglorij, ignobiles, inulti, per summum dedecus cæsi & confecti sumus, in metu, inermes, tanquam pecus ignauum. An non intelligitis, quantum inter pacem & seruitutem interſit? non est hæc pax, quum nec data fide statur, nec fœdera seruantur, & in corpora libera etiã post pacem factam, & positis armis peius quàm in armatos sæuitur. plus est hoc quàm seruitus: cum domini emptis seruis tanquam pecuniæ suæ parcant, nos propter nostram pecuniam & à maioribus relicta bona iugulamur. plus est quàm seruitus, quum exteri uicti belli iure uictoris sint: nos uictores per ignauiam nostram illius simus, qui nihil non sibi in nos statuit licere, quod suæ libidini & crudelitati collibuerit. Quanquam ego non existimo, Quirites, tantam ignauiam atq; inertiam in uobis aliquando fuisse, ut quæ nulli unquam serui tulissent, uos passi unquam fuissetis, si modò dux aliquis non adfuisset. Verùm & plebeij atque equites perculsi & perterrefacti cunctabantur, bona pars nobilitatis illi adhærebat, ducti specie nescio qua uindicandæ per illum suæ dignitatis. Esto sanè, ualuerit opinio illa, quamdiu bellabatur, quamdiu in castris atq; armis utræq; partes stabant, quamdiu in Italia cum exercitibus erant Marij, Norbani, Carbones. fuerint tunc assectæ & satellites Syllæ. At in urbe ipsa sublatis partibus, cur illi ancillantur, & communem li-

berta-

bertatem ſecum illi addixerunt, præmiumq; armorum & alienarum poſſeſsionum ui raptarum faciunt regnum illius, ne ſeruis quidem tolerandum? Quanto fuerat ſatius uos, Luctatiorum, Liciniorum, Claudiorum, Cæciliorum progenies, libertatem & dignitatem imperij huius à maioribus partam tueri: quàm feſtinare cum illo contaminatiſsimo latrone, cum illa procella & tempeſtate patriæ totam hanc rempublicam euertere? Quanto fuerat pulchrius uobis, uobis etiam Valerij, Seruilij, Martij, & ueſtram & pop. Rom. libertatem defendere, quàm abiecte & fœde illi ſeruire? Tui quoq; Pompei, me miſeret, pigetq;. Nam mihi amiciſsimus es, & cui ego plurimũ me debere profiteor, ac præ me fero. Dolet itaq; mihi, te in curſu clariſsimarũ rerum inchoato reſiſtere: nec conniti, ut te quotidie uincas, ut addas indies cœptis illis, quæ à te expectantur, ſperanturq;. Quàm decuerat res tuas in iſta tanta iuuentute geſtas, triumphum etiam illum inſignem, quem primus Rom. eques poſt hanc urbem conditam reportaſti, non pati tyrannũ hunc & acerbam peſtem diutius in uiſceribus & uitalibus reipublicæ hærere graſſariq;. Tuorum mihi crede operũ erat, tam ſtrenue, tantaq; cum uirtute & ſempiterna laude de repub. mereri. Aperte tecum loquar, ut inter amicos decet. erraſtis, fefelliſti nos omnes opinione, quam de te conceperamus. Ecquando tibi iuſtior offerri poterat occaſio uindicandi per æquiſsima arma remp. & facis illius in patriam accenſæ extinguendæ: quàm quum ille tibi defuncto grauiſsimo bello, tyrannica inuidia priuato in Italiã ut uenires imperauit? Noueramus animũ tuum ad res pulcherrimas factum, compoſitum, natum. habebas uictorẽ exercitum non ſolum ſequentem, ſed etiam hortantem, ut te atq; rempub. teterrimo oppreſſam latrocinio, aſſereres in libertatem. ualebas uiribus, ingenio, animo, felicitate. Quid te magnificum & præſtans non aggredi, quid nõ præſtare & perficere poſſe, ac uelle ſperaſſemus? Erat ſenatus, erat populus, erat cuncta Italia in ſpem tui aduentus erecta. Faciebamus uota, lumen neſcio quod tenebris iſtis uidebatur ex Africa affulſiſſe, ut quum olim ad Cymbricum bellum ex ea C. Marius accerſitus & deſideratus uenit. Tu contrà, ut oſtenderes potius quàm dediti illi & mancipati eſſetis omnes, interfecturum te citius minatus es, quàm in Syllam arma ferres: hoc eſt, quàm ſæuientem in remp. tyrannum tolleres, mœſtam & lugentem conſolareris, tuos ciues cruciatibus & neci addictos cõſeruares, tempeſtatem, qua reſpub. concuſſa & agitata naufragium faciebat, cõſedares, & ſeruituti patriam adimeres. Vos tamen omnes uideritis, qua ratione & cum illo uiuatis, & ſatis ſalui tutiq; eſſe in poſterũ poſsitis. Pro te ac tua uita, ſaluteq;, mihi crede Cn. Pompei, anxius & ſollicitus ſum, ob amorem noſtrum mutuum, & ſtudium in me tuum ſingulare, magnamq; reipub. de indole tua ſpem. Ego enim non uideo, quo pacto illius furentis belluæ proiectam & effrenatam rabiem effugere poſsitis, ſi ueſtram & cõmunem libertatem nõ magis reſpexeritis, quàm nunc facitis. Nam peſsima duo mala, quæ ingeniũ eius cõflictant, uos diu incolumes eſſe non ſinent, crudelitas & inuidia. Quos enim non metuet, contemptu, & ingenita crudelitate, etiam ſi cauſa nulla adſit, necabit: homo, cui ab infante & cunis, prodelicijs ſemper crudelitas fuit. quos uerò paulum creſcere conſpiciet, & metum iam facere poſſe, inuidia tollet. Quod & intellexit: nec diſsimulauit fortiſsimus iuuenis, & dignus maioribus ſuis, C. Metellus. Is enim unus eſt, Quirites, qui in tantis malis reipub. liberam emiſit uocem. Nam cùm uideret cædendi, rapiendi, polluendi iura omnia diuina atq; humana, modum non fieri, Syllam in Senatu cõpellare ſuſtinuit: Ecquis tandem Sylla malorum erit finis? quo tandem limite arcebitur gladius tam latè uagans? quando condes nudatos enſes? ut ſciamus nos certò ſaluos eſſe, quos tu ſeruatos uoluiſti. Quæſo uos Quirites, hominem ſenem à iuuene admonitum, ut afflictæ patriæ miſereretur, audiente toto Senatu, & uultu atq; geſtu ſupplici deprecante, ne reliquias miſeræ & afflictæ ciuitatis abſumptum iret: quid putatis reſpondiſſe? Flectit rigidum, leniuit immitem animum: Finis eſto, dixit. Non eſt id à Sylla ſperandum, Quirites: ſemper eſt ſui ſimilis. incendium iſtud tam diu duraturum eſt, quandiu quod incendatur erit. Nondum (inquit) ſtatui, qui ſint futuri ſalui, qui perdendi. Bona tua uenia, ampliſsime ordo, ſummum conſilium, Patres non conſcripti, ſed circunſcripti, & proſcripti: ignauiſsimi ſumus omnes, digni ſeruitute, digni ergaſtulo. Hanc uocem ille di-

xit: & ſaluus ab ijs, quos erat continuò perditurus, euaſit? Neminem fuiſſe in tanta multitudine, qui illi manus afferret? qui illum interficeret? qui totam penè Italiam interfecerat. Saltem ne ipſe, qui tyrannum occidiſſet, interiret. aut unus certe pro omnibus piacularis interiret. & id in eo Senatu in quo inuenti ſunt, qui armatum Porſennam in ſuis caſtris, ſinguli unico gladio armati, perfodere tentarint. Sed egreſſus eſt maximo noſtro malo, qui illum non tam dimiſimus, quàm in noſtra capita & totam hanc emiſimus ciuitatem. Extemplò enim proſcribit non pauciores, quàm antea: eoſq; in primis, qui ſe omni iam exemptos periculo non dubitabant. refertq; numerum omnium in tabulas publicas, ut illa huius imperij nota, illud labis atq; ignominiæ monumentum poſteris noſtris & gentibus uniuerſis ſemper notum & clarum eſſet. quas tabellas ego, ſi quid conſulatus, ſi quid iuſtum & ſanctum ualet, nõ ſinam diutius cum gemitu & mœrore omnium legi. nõ patiar tropæum à Sylla de uita & ſubacta republica defixum extare. Quid enim aliud eſt illa tabula? Proponebatur præmium occiſori ingens. Si quis proſcriptum occultaſſet, capitali fraudi erat: etiam ſi frater fratrem, ſi parens filium, ſi uxor maritũ charitate quadam naturali celare ac protegere tentaſſet. nullus erat locus ſacroſanctus, non domus & ſancti penates, non templa deûm immortalium atq; arę, non ipſa Iouis Opt. max. cella, non ſacrarium Bonæ deæ, non Veſtæ penetralia: non Aſylum iam uſq; à Romulo conditum & conſecratum. omnia polluta & fœdata ſunt. in complexu patrum obtruncati ſunt filij, matres ſua corpora pro liberis obiecere: utrique properante carnifice necati ſunt. per filiorum latera confoſsi ſunt parentes. Multi etiam non proſcripti, ut ſe præſentibus ſubtraherent malis, aut intra domeſticos parietes ſibi attulere manus, aut inuoluto capite ſe in Tyberim præcipitarunt. alij ad buſta & ſepulchra confugerunt, ut deliberari non poſſet, uiui adhuc eſſent, an iam mortui. credo, ne ſaltem poſt mortem inſepulti abijcerentur. Illuc uſque permanauit huius buſtuarij gladiatoris furor: omnia adijt, penetrauit, eruit, & maiorum noſtrorum ſancti manes ciuili ſanguine inquietati ſunt. Vis uideri ingratam ciuitatem, niſi maximi beneficij loco ducat, expulſos eſſe Marios, & Norbanos, tanta clade, tanta internitione ciuium, occaſu propè reipublicæ. Agamus ſanè gratias tibi, quòd tanta opera poſt acerbos concurſus ciuilium copiarum occiderunt illi uiri, certe mitiores & meliores te. At in pace quid facit tanta ciuium multitudo, indicta cauſa tam miſere & tam horrendis fletibus contrucidata? Tulerunt aduerſus te arma. at iam poſuerant. Qui tulerunt arma, proſcribuntur? Quid ergo faciunt occiſi ſenes? occiſi pueri? qui non poterant militare? An mulieres, quas proſcripſiſti, acie quoq; contra te erant cõgreſſæ? Quid quod homines à te ſunt interfecti, qui nec te norant: nec ipſe qua eſſent facie ſciebas. ſatis magna arma & tibi, & libidinum ac ſcelerũ tuorum miniſtris tuliſſe uidebantur, ſi domos, agros, poſſeſsiones, peculium haberent, quæ raperetis. illa erant arma, illa crimina commiſerant, quòd bona haberent. in quæ tu & tui impudentiſsimos oculos ſpe ac mente defixeratis, ut nullo in loco uerius dici aut aptius potuerit, diuitias eſſe iniuriæ pignora. De nece Roſcij Amerini audiſtis omnes, cuius filij Sexti dictioni cauſæ frequentes adfuiſtis. quem nemo protinus contra Erutium auſus eſt defendere. dixit pro eo adoleſcens quidam è municipio Arpinati. Quemadmodum ſit occiſus Q. Aurelius, nemo ueſtrûm Quirites, ignorat: quum homo quietiſsimus in forum deſcendiſſet, ſecurusq; funeſtam illam legeret proſcriptionis tabulam, ſe inter alios ſcriptum uidit: Me miſerum, inquit, Albanum meum me proſcripſit. uix ſe conuerterat, quum repentè claua ictus, cecidit ipſe exanimis, bona eius direpta ſunt. Lances etiam è centenis argenti libris quos proſcripſerint, pueri ipſi ſciunt & cantant. Ite nunc, cõſtituite lege quæſtionem de eo, qui ciuem pulſarit, qui uirgis liberũ corpus uerberarit. Si quis ciuem interfecit, maximo tumultu comitijs centuriatis ſeuere uindicate. Tum faciat ad noxam, ſi intra penates, ſi in uia publica, ſi in luco, ſi in fano, ſi in delubris deorum immortalium, ſi priuatum, ſi magiſtratum. Viuat, uiuat Sylla: immò regnet, qui ciuium Romanorum plura millia inaudita, indemnata, in pace, quouis bello acerbiore & atrociore occidit, quàm nunc ſuperſint, nullo reſpectu neq; loci, neq; temporis, neq; dignitatis. Niſi forte lex, de eo, qui unũ parricidiũ fecit, lata eſt: de eo, qui tam innumera, nihil dicit. q; numerus

merus ille,quem nec tota hæc ciuitas, nec Prænestina, nec campus,nec fluuius,nec tota Italia,nec ipsum capiebat mare,angustis legis limitibus capi & definiri non queat.Et quo maiore nos omnes habeat ludibrio, publicè eum dicentẽ audiuistis : Accersat me quiuis,cuiuscũq; uoluerit criminis.quũ nullum sit criminis & sceleris genus, quod iste sæpissime non commiserit.Sed de hoc paulo pòst. Verùm ut ueniam ad alia, ne semper in uno genere nefarij facinoris uerser, quamuis pro indignitate rei, nulla satis sufficiat oratio. Sed finis est tamen aliquis dicendi faciendus. Præteream necesse est proscriptiones in omnibus Italiæ oppidis, ipsa etiam integra municipia exitio damnata: uelut Sulmo, antiquum municipium, & fidele semper huic ciuitati. alia sunt illis uendita & mancipata, quibus noster sanguis prædæ fuit: uelut Florentia & Interamna. Taceo etiam quæ hic in urbe,medio foro,media luce,ante ora totius populi quisquis uoluit occidit: prout odio, uel inimicitijs, uel expectatione hæreditatis,uel spe rapinarum agebatur,etiam non proscribente Sylla.quæ multitudo maior est,quàm illa, quam in tabulas relatam uidetis. Sylla enim semel omnibus omnium maleficiorum licentiam concesserat:& si cui negocium facessebatur,quod indemnatum ciuem obtruncasset, is continuò curabat,ut ille quem occidisset, inter proscriptos à Sylla referretur. Accusate, nihil proficiebatis. leges & iudicia erant penes unum. Nominare possum inter cæteros hominem quendam nobilem, & notum, qui posteaquam fratrem interfecerat, petijt à Sylla, ut illum proscriberet: idq; extemplò impetrauit. nihil enim cuiquam negare poterat clemens & benignus uictor. Atq; hæc quidem sunt, quæ Sylla in eos, qui tum uiuebant, nefanda & plusquam beluina immanitate exercuit, generatim quidem & uniuerse à me dicta. nam sigillatim nemo unquam persequi ualeret. Antequàm ad ea,quæ in eos,qui iam mortui erant, fecit, quæq; in pòst futuros excogitauit, uenio: respondebo tacitis multorum cogitationibus, quærentium quam potissimum ob causam crudelitas illa non in totum quidem ablata est, sed certe resedit, & intercessasse iam uidetur. Nam Syllam efferaciorem atque immitiorem quotidie fieri certum est. qui sua scelera impunita fore non putat,nisi alijs additis sceleribus,magis fœdis tetrisq; ita illi spes omnis in crudelitate & perfidia sita est. Sunt qui multas causas eiusce rei adducãt, quarum præcipuam metum esse existiment:quo uno, ut dixi, non fit ille melior quidem. etenim metus malus est magister probitatis. sed immanitas profectò eius & sæuitia aliquantum comprimitur, & retardatur. Qui mihi fortasse multum fauent, uel quia sum ex Æmylia gente,beneficijs in hanc rempublicam clarissima:uel quia Consul,uel quia ita sum animatus, ut breui seruitium & tyrannidem uestris è ceruicibus depellam. Dicunt illum simul ac me consulem designatum audiuit, intellexisse non modò non impune meo anno facere posse, quæ antea : sed nec ea quæ fecerat, me consule futura impunita. Itaq; cedere statuit mutationi temporum, & minus crudeliter in hanc ciuitatem grassari. latrocinia & reliqua scelera paulo occultius exercere: ita illi solutæ belluæ meum consulatum, taquam frenos furoris, iniectum esse. Vtinam Quirites,dijs immortalibus & uobis bene iuuantibus dignus sim ista gloria, cui profiteor me pro uirili non defuturum. sed nihil adhuc mihi arrogo. Quæ uerò intra Syllæ domesticos parietes,ubi consilia de uita,de fortunis publicis priuatisq; coquuntur, cognoui acta, hic uobis exponam. Dictator iste uester, Quirites, qui illum magistratum non ad salutem aliquam reipublicæ inuaserat,sed ut per potestatem eius à maioribus constitutam posset impune in suos ciues sæuire, hanc ciuitatem excindere, & perdere : quum iam hic in foro quos occidi uellet,constituisset, & declarasset: bonaq; illorum, quibus esset uisum,attribuisset:tum se,diligens & seuerus magister populi, in domesticã illam suam tenebricosam ganeam abdebat (neq; enim poterat ab illa iuuentutis nequitiæ disciplina discedere) in qua ganea cum mimis, & lenonibus, & scortis, & omni libidinum ac flagitiorum genere,ut & nunc facit, perpotabat,atq; helluabatur. Magnis cum clamoribus conuitijsq; omnia illic aguntur. neq; eò admittitur quisquam, qui non sit in omni turpitudine singulariter exercitatus. & ut quisque impudentissimus & flagitiorum ac turpitudinum callentissimus est,ita in primis honore ibi ac præmijs afficitur.honestum aliquod uerbum audiri, modestum & pudicum factum uideri, sacra illorum

luſtrorum polluit. Huc igitur, in hanc libidinis, intemperantiæ, flagitiorum, ſcelerum, crudelitatis officinam, capita occiſorum intrò ferebantur. ut quando ab eſu noſtrorum uiſcerum & cruoris potu ſpectantium natura atq; horrore retrahebatur, intuendo ſaltem ſe ſatiaret. Humanas carnes & ſanguinẽ noſtrum, quod ſciamus, ore non edit: at naribus, oculis, auribus, reliquis totius corporis meatibus affatim uorauit, ijsq; paſtus eſt. Recordamini illius execrabilis uultus? quid aliud ſpirat, quàm cruorem? quid aliud eſt, quàm lutum cruore maceratum? quàm pellis ſanguine miſerorum ciuium & ſociorum infarcta? Quum igitur inter epulas capita illa à morte recentia, lingua & labijs etiamnum palpitantibus, cruorem calidum adhuc liquidumq; rorantia, contaminabant & mappam, & mantilia, & diſcos & pocula, & cibos omnes ac potum: tum demum ille ſe ſuauiſsimè conuiuari iactabat. Alij obſcœni & polluti gregales, tametſi erant facinoroſi, & ſui imperatoris ſimillimi, tamen rem tam inhumanam horrebant & auerſabantur. Fuit ex aſſentatoribus quidam, qui quum diutius ferre ac ſuſtinere non poſſet cibum inter mortua humana capita ſumere, excogitauit rationem, qua illum à tanta cæde poſſet utcũq; reuocare. quumq; eſſent omnes paulo hilariores, poſt multas ſolito more aſſentationes, quum adferrentur capita occiſorum: Macte eſto uirtute Dictator, inquit, qui ſic malos iſtos pergas tollere, ſed quæſo te, nullo ne es relicturus: ſaltem quibus imperes? nec aliquid ſupererit iſti Fauſtulo, quod agat? Fauſtule, inquit, & tu quid facis in ſchola fili? Reſpondet uerecundus & modeſtus puer: Se quoq; ſocios & condiſcipulos ſuos proſcribere. ſed ſibi nõ obtemperari. Tace, inquit, ille. nam quũ fueris maior etiam & tui præſcripti non diu uiuent. Fauſtus eſt, Quirites, paruus Syllę filius: qui erit tam fauſtus huic urbi, quàm Sylla eſt felix nobis omnibus. Is à uirtute patris, bonus, & bene educatus atq; inſtitutus filius, non degenerat. nam quod publice facere patrem cernit, ipſe priuatim meditatur: & exemplum è domo in ſcholam transfert. Sperate bene, Quirites. nam Sylla filium uobis relinquet, germanum geminum ſibi, qui fauſte perficiat, quod ipſe pater feliciter incœpit. Sedebam paulo antequàm deſignarer conſul in ueſtibulo domus meæ, conſpicio infauſtum iſtum Fauſtum prætereuntem cum pædagogo. plorabat puer, frendens & ringens: ac neſcio quæ de cæde, de incendijs de proſcriptione minabatur. Cõſolabatur eum pædagogus, iubeo utrunq; ad me accerſiri. Quid eſt, inquam, huic puero? cur plorat? Refert mihi pædagogus, puerum in ſchola patris proſcriptionem impenſius probaſſe, minatumq;, ſe quum primum per ætatem liceret, eadem facturum. C. q; Caſsium, Q. filium, colaphum illi impegiſſe. ita Fauſtum Caſsio mortem, domui eius flammam & ruinam, bonis & familiæ proſcriptionem minari. O miſerum, inquam, populum Romanum, qualis hîic ipſi alitur leo fæuior quanto, quàm ille, quem Amilcar Carthaginenſis ſe alere dicebat, quum de Annibale filio loqueretur. Sed redeo ad conuiuia illa, & intemperantiſsimas perpotationes, quæ perdito luxu ex bonis & uiſceribus pop. Ro. agitantur. Sylla igitur, quum iam uideret adeò eſſe exinanitam urbem, atq; Italiam, ut ſi pergeret proſcribere, ſolus ipſe cum ſua illa commaculatorum ſatellitum, compranſorum, & colluſorũ manu eſſet remanſurus: ceſſare tantiſper cladem iuſsit, dum reſtibilis huius ciuitatis ager funderet, quod iterum demeteretur. Et quandoquidem uiui, in quos rabiem ſuam exerceret, nulli penè ſupererant, in mortuos & poſteritatem ipſam crudelitatis ſuæ exempla cõquiſiuit. Prætermitto iocos impios, quos in manes & capita cæſorum nefariè iecit. Tranſeo contumelias, quibus proſcriptorum cadauera lacerauit. Marij ſepties conſulis ſepulchrum euertit, oſſa conſeruatoris Italiæ in Anienem proiecit, quieſcentes iam & bene compoſitos manes exagitauit, crudelitatemq; ſuam etiam inferos coẽgit experiri. Quid iam poterant Marij oſſa huic reipub. obeſſe? an proderit, illa eſſe abiecta inſepulta? & tamen ingratiſsimũ eſt, memoriam Italiæ conſeruatæ uelle delere: & monumentum clariſsimi belli, glorioſiſsimæ uictoriæ extinguere. Iam Bebium Marianum, mitis & manſuetus Sylla inter militum manus iuſsit abſq; ferro diſcerpi. Lupi aut leones non ſic ouiculam dilaceraſſent. Diuulſa & ſparſa ſunt membra honeſtiſsimi Senatoris, Quirites. Audite cauſam: quod Bebius Syllanus caſu quodam ſic interiſſet. Intelligitis tandem, uos illi ſeruiuiſſe, qui pro delicijs habebat ſanguinem, noſtra capita, immò acerbiſsimos cruciatus

ludere

ludere. Si ergo læsus es à Marco aliquo, aut Publio, Marcos omnes & Publios oderis? imò perdas? seu magis, si quid in unum Marcum amicum tuum peccatum est, in omnes ulciscere? Quid si qui Marcum offendêre, Marci non sunt? ut nec illi Bebij, qui Bebium interemerant. O inauditum, & noui exempli immanitatem: ut nomen alicuius læsi, cognomini officiat. In lædente minus esset mirum, quod spero futurum in Syllis. ut quia ipse damnum accepi, accipiat etiam, qui est eodem nomine. Hoc uerò quid est aliud, quàm uasta quædam inhumanitas, tanquam fulmen omnia prosternens ac delens? At inaudita & singularis in M. Marium Gratidianum crudelitas, incredibilis inhumanitas ac rabies, fuit in uiuum, an in mortuum ostensa, an in totam hanc ciuitatem, ad exemplum atrocitatis sempiternum? Quis uestrum Quirites, non fleuit atq; ingemuit? quis spectaculum illud acerbissimum, & fœdissimum, quale nunquam fando erat auditum, spectare sustinuit? quis non oculos auertit? Cuius animus non exhorruit tam prodigiosam & effrenatam crudelitatem? Cæsus est primum uirgis per totam urbem, Quirites, homo prætorius & tribunitius, qui in tribunatu suo legem de pecunijs tam salutarem tulerat, tam populo iure gratam & plausibilem, innocens, insons, nobis omnibus propter suam probitatem, animumq; in rempublicam singularem usq; adeò charus, ut bis omnium non centuriarum modò, sed hominum suffragio prætor renunciatus sit. actus est deinde ad Catuli tumulum, ibi sunt illi miserrimo eruti oculi, excisa lingua, nasus & labia amputata, abscissæ manus, traiecta crura, atq; ita deformatus & mortuus iam per omnes corporis partes, inuitis & reluctantibus fatis, quæ nondum illi uitæ finẽ statuerant, capite truncatus est: caputq; ipsum, animæ ac spiritus plenum, ab Ianiculo per mediam urbem, ultra portam Carmentalem, ad Apollinis ædem delatum est, Syllæq; ostensum. Quis quæso fuit uester animus, Quirites, in tanto clarissimi & innocentissimi ciuis casu? in tam indigna morte? quis non incensus est indignatione & ira? quid tum de se unusquisq; uestrûm cogitabat? quid satis erat ad salutem tutandam? quum illum nec ciuitas, nec amplissimus ordo, ex quo erat, nec libertas huius populi, nec gesti summa cũ laude honores, potestas sacrosancta, & duplex prætura, nec salutares latæ leges, nec tota uita innocentissime & sanctissime acta, à tam indigna & insolitæ atq; inauditæ crudelitatis morte uindicaret? O plangor, illo die liber, pop. Rom. confitentis seruitutem suam. O animum Syllæ ab omni humanitate alienum atq; abhorrentem, qui illa fieri imperarit. O uocem Tyranni, cui certum erat nos omnes per exquisitos cruciatus perdere. Audistis pleriq;, quid ille responderit, quum in ipsius conspectum M. Marij esset caput allatum: Quis est? non cognosco. Quid hic me dicturum, quid facturum expectatis, Quirites? Omnes me lachrymæ, omnia uerba defecerunt. Vulgaria illa consumpsi, & hæc inaudita facinora priscis illis uerbis minus recte nominari possunt: quandoquidem omnia maioribus audita scelera superant. O uocem bonis ciuibus acerbissimam, calamitosam tibi Sylla, fax & furia reipublicæ si se hic populus Romanum esse meminerit, & uindicem suæ libertatis, ultorem suarum iniuriarum uoluerit sequi. Vidit Mar. Petorius prætor hanc senatoris lacerationem, Quirites, quam nec passus fuisset, si in leones & tigres reliquasq; incidisset bestias, feras, iritatas. conspexit homo mansuetus ac misericors, illum omni ex parte confossum, & sanguine manantem: & acerbitate supplicij amici sui, horroreq; deformati totius corporis, tantiq; cruoris effluxu constitit aliquantisper perturbatus. hoc illi, Quirites, capitale fuit: quod terrimam inhumanitatem & dilaniationem, à suo mitissimo alienam ingenio, non potuit sine animi commotione spectare. Iussus est à Sylla crudeliter interfici, quia misericors fuerat. Hoc est ipsi dissimillimus. Quid in exemplum crudelitatum uetera adducimus exempla? Lyci omnes, & Lycurgi, & Orphei, & Atrei, & Medeę, & Terei, & Aiaces, & quæcunq; in Tragœdijs terribilia auditis, fabulæ sunt, & res fictæ, atq; adumbratæ. hæ sunt ueræ, expressæ, solidæ. Hinc hinc ad tragœdias immanissimæ atrocitatis, sumenda sunt poëtis argumenta. Hic tragœdia repræsentatur manifestò. Nam sæua illa in scenis, & crudelia, ab oculis spectantium remouentur. parcitur conspectui, per nuncium significantur. Barbaricam & feram immanitatem media luce, medio foro, immò in circo, in theatro, in compitis, & uijs omnibus, singulis momentis coacti fuistis specta-

re & perferre. O nos Quirites, malignitate fatorum ad acerbiſsima tempora reſeruatos, quum etiam miſericordia capite multatur. & iam bellum non ciuibus tantum, ſed natu ræ quoq; & humanitati indictum eſt. O filios & poſteros noſtros futuros adhuc infeli- cioreſ, ſi hæc inaudita, & fidem ſuperantia crudelitatis exempla, ab hoc ciuiũ ſepulchro inſtituta, nos inulta reliquerimus. Verùm de ciuiũ cædibus ac dilaniationibus ſit ſatis, Quirites. Nam præ magnitudine & uehementia doloris, ſeu mœroris potius, nec ego plura loqui poſſum, nec uos audire. Iam ea, quæ nouus iſte Tarquinius, & in pòſt futu- ros, & in æternitatem libertatis huius imperij commentus eſt, paucis accipite. Poſtea quam bona ciuium miſerorum innocentium, tanquam hoſtilem prædam medio foro inſpectantibus uobis uendidit, ne quid ad ſummam contumeliam deeſſet, liberos illo- rum & nepotes patrimonij per indigniſsimam & ſingularem iniuriam ſpoliauit: hono- ribus fungi uetuit. Quo iure? An & iſti quoq; arma ciuilia tractarãt? quibus tu ante om- ne crimen pœnam impoſuiſti: ita ut certius illis ſupplicium ſit, quàm uita. Neq; hac re contentus, præſidium populi, columen ac firmamentum libertatis, tribunitiam poteſta tem fregit atq; euertit: ut præcluſa eſſet in perpetuum populo, ratio & uia ad recuperan dam libertatem, ſi quãdo eius deſiderio & recordatione dulcedinis teneretur. De quis rebus aliud mihi reſeruo dicendi tempus. Et hic, Quirites, audientibus uobis om- nibus dicere non erubuit: Accerſat me quiuis, cuiuſcunq; criminis uoluerit. O Quiri- tes, quàm pudet me, Syllam manſuetudine & lenitate noſtra tam eſſe abuſum: patien- tiam tentaſſe, expertum eſſe quantum ſeruitutis ferre & perpeti poſſemus. Quid enim ad extremam & ignominioſam ſeruitutem relictum eſt? O Sylla Sylla, quantam gra- tiam debes dijs immortalibus? quàm meritò fœlix es, quod hic natus, & hoc tempo- re. Nam ſi alibi natus, uel hic etiam temporibus noſtrorũ maiorum fuiſſes, minimumq; iſtorum ſcelerum (quæ ratione & numero comprehendi nequeunt) ſuſcepiſſes, uita ti- bi per infinitos cruciatus fuiſſet amittenda. At nunc non ſolum uiuis, & uiuis magno cum dedecore noſtro, ſed dictator etiam in præmium impiorum facinorum fuiſti. Et in concionem prodire audes, & os iſtud probroſum atq; inceſtum pop. Roman. oſtende- re. Non te pudet, auribus huius ciuitatis, animisq; illudere? Accuſet me qui uoluerit, inquis, alicuius criminis. Tu potius turbo & procella patriæ, labes & lues reipublicæ. tu da genus flagitij, facinoris, ſceleris, crudelitatis, impietatis, quod non commiſeris, in quo te per totam ætatem non exercueris. da aliquam ex legibus ſiue ex ueteribus illis, ſiue ex nouis, & iſtis tuis præclaris, in quam non millies peccaris, quin & nouæ aliæ quàmplurimæ ad tua ſcelera uindicanda rogandæ atq; ferendę eſſent. Legem Portiam, & leges Sempronias paruarum tu uirium eſſe putas: illis enim, ne cæderetur uirgis li- berum Romani hominis corpus, cauebatur. Cedò, lex illa de parricidis tua, & de ſi- carijs, quem damnat, ſi te liberum relinquit? Caput eſt in tua primum, Qui hominem occiderit. Prò deûm atq; ueſtram fidem, Quirites: Sylla ſua lege audet dicere, Qui ho- minem occiderit: quum ipſe ciuium Rom. centum millia ſęuiſſimè conſumpſerit. Dein de alterum Caput, Cuius dolo malo incendium ſit factum: Capitolium eſt à te incen- ſum. Sed & Sulmo antiquiſsimum & fideliſsimum municipium, quare tuo iuſſu defla- grauit? Tum tertium, Qui ue hominis occidendi, furti ue faciendi cauſa cum telo ambu lauerit. Fabricium aliquem, aut Curium, aut Maximum loqui credas: & non eum, quila trocinijs ſuis, non modò furtis, Italiam totam diripuerit, & exhauſerit: cuiuſq; armis Se natus & concio pop. Rom. ingenti cum terrore circundata & conſtricta eſt. ut tu inno- centiſsimum, ſed opulentiſsimũ quenq; ad mortem & prædam ſeligeres. Tua ergo lex, in latorem ſuum clemens & grata, non te punit. Sed quæ tandem eſt huiuſce legis pœ na? Liberis exilium. At libentius extra Romam agit Sylla, quàm Romæ, quam odit. Iu bete exulare hominem, qui ultrò contentus erat in exilium ire, quum ſe patriam incen- ſurum minaretur. At lex illa de ui, te ſcilicet non capit: qui non uni aut alteri ciui, ſed huic reip. & communi patriæ uim attuleris. Iam maieſtatẽ tu nullam læſiſti: deformaſti Senatum cæde tot clariſsimorum ciuium: equeſtrem ordinẽ totum penè deleuiſti: ple- bęij quota portio reliqua eſt? Hoc non eſt maieſtatem tangere? Legati ſunt à te contra ius gentium occiſi, prætores nudati, & mulctati, conſules reliquiq; magiſtratus inter-

fecti.

fecti.ubi eſt maieſtas,ſi hic non eſt? Quod igitur tandem eſt illud crimen, cuius te accuſari non expaueſcas? quæ eſt iſta tua tam ſtupida & nihil ſentiens conſcientia, quæ ſtimulis tantorum ſcelerum non uexetur, non exagitetur? non perculſa & infirmata iaceat? Quanquam iacet profecto. ſed expertus ipſe eſt, audaciam hoc tempore & ferocitatẽ, plus quàm innocentiam ualere. Et prætermitto minores illas leges, quibus tua flagitia & libidines uindicantur. Sumptuariam, quam ipſe tuliſti: De furtis, quę eſt peruetuſta: Calphurniam, de pecunijs repetundis: Scatiniam, in quam quid quotidie admittas, Fuſidius ſentit: & alias cõplures nouæ, de ſacrilegijs, de alea, de adulterijs, eſſent propter te referendæ. Nam ex illis antiquis, quæ uel ante XII. uel poſt fuere, tu unam proferre non potes, in quam infinita tua maleficia non extent. niſi forte in illam ſacratam, quæ lata eſt in principio libertatis, Vetuſio & Verginio Coſs. quæ eſt de tribunitia poteſtate, tu nihil cõmiſiſti. aut in illam Horatiam & Valeriã, quę caput eius, qui tribunum plebis uel pulſarit, uel alioqui uiolarit, Ioui ſacrat, familiã ad Cereris ædem liberos liberasq; uænum ire iubet. Quæ lex aliquid ſi ualuiſſet, tu non uiueres: reſpublica tam multos bonos ciues, quibus eſt orbata, retineret. Tu enim in odium huius plebis inexpiabile non contentus tribunos ipſius necaſſe: etiam poteſtatem illam, qua una continetur populi libertas atq; ſalus, in totum reuellere & extirpare conniſus es. O ignauam plebem Romanã & ſeruitute dignam, ſi odium quod iſte in eam profitetur, quod ſemper præ ſe oſtendit, quod nec ſermonibus unquam nec factis diſſimulat, nõ uindicarit.

Quid de regno loquar? leges ſunt antiquæ, quæ uindicant ſeuerè eos, non dico qui regnum Romæ inuaſerint (nam his nulla pœna ſatis digna inueniri poteſt) nõ dico, qui appetierint, & affectarint (ſub quo crimine clariſsimi aliquot uiri etiam conſulares ceciderunt) ſed qui conſilia de regno inierint. At hic ſi rex non eſt, & ſæuus tyrannus, nõ uideo cur Dionyſij illi, & Phalaris, tyranni fuerint. Multa quidem illi in ſuos populos tyrannica excogitarunt, multa exercuerunt crudeliter atq; impotenter. nunquam tamen eis in mentem uenit, ſic inimicos ſuos uexare, cruciare, perdere: ut iſte ciues ſuos uexauit, cruciauit, perdidit. atq; id in ea ciuitate, quã (ſi quid reliqui eſſet pudoris, Quirites, aut mentis, aut animi) uel nõ appellaremus liberam, uel talem eſſe oſtenderemus: mallemusq; honeſte mori, quàm turpiter & per grauem mortem libertatem à maioribus relictam amittere. At quæſo uos, quam ob rem lata eſt lex illa? Propter odium grauis regni, ſuperbi regis. Reputate quæſo, & repetite memoria, num fuerit peior rex ille, regis filius, eo tempore quo Romæ licebat regnare: hoc nouo Tarquinio, quem poſt confirmatam tot annis libertatem patimur? Nunquam Tarquinius ille ciuitates aut bona, uel ſociorum uel ciuium uendidit: at huius haſtam in foro uidiſtis omnes. Ciuitatem ille ditauit atq; ornauit, ſpoliauit iſte ac deformauit. Supplicia & cædes in ciues Romanos pauciſsima Tarquinij accepimus: at hic quot occiderit, pudet iam & piget toties commemorare. Nollem hic aliquis exterus adeſſet, ne ſi fieri poſſet, ad exteras nationes & prouincias ueſtra ſtanta noſtra ignominia permanaret. Sed fieri non poteſt. nulli in toto orbe ſunt, qui quæ paſsi per hoſce annos ſimus, ignorent. Et ut ſe nouus iſte Tarquinius multo aſperiorem, quàm uetus ille fuerit, futurum oſtenderet, ac profiteretur, primo dictaturæ die cum faſcibus quatuor & uiginti in publicũ proceſsit. quũ ille regio more XII. ſolummodo habuerit: quot habuere Dictatores, quot Conſules omnes, qui poſt conditam hanc urbem fuerant. Id tamen ille fecit, ut declararet, ſe hoc populo tanquam uictis ac captiuis mancipijs imperaturum. In rebus leuiſsimis quãtas tragœdias excitatis? in grauiſsimis & atrociſsimis quàm torpetis? Eſt minus honorifice appellatus legatulus aliquis: excepit ciuitas aliqua miſeros & afflictos cognatos ſuos, hoſtes ueſtros, à uobis fugientes: ſuſpicio eſt, populum aliquem delectus habere, cõtra quos tamen, ignoratur. iſta, iſta uindicantur bello, armis, ſanguine, uita, propter hæc diruuntur antiquæ urbes, & euertũtur potentiſsimæ nationes. Hæc fuit ruina Numantię, hæc Carthaginis, hæc Corinthi. Eſt ſociorum aliquis uiolatus, aut agellus quiſpiam excurſione aliqua uaſtatus, aut affectus leuiſsima iniuria mercator aliquis, uel nauicula-tor: hæc dant arma, hæc afferunt bella, propter iſta ciuitas hæc cunctaq; Italia in aleam extremi periculi conijciuntur. Has enim ob cauſas geſta ſunt duo bella Punica, geſta

cum Samnitibus, cum Tarentinis, cum Pyrrho, cum Antiocho, Ætolis, Philippo, cum alijs pleriſq;. Hæc hæc ſunt bellis & uindicatione digna. Viuat Sylla: immò præmijs, honoribus, magiſtratibus decoretur: immò regnet, qui ea ſcelera ſolus & nefaria facinora aduerſus hanc rempublicã ſocioſq; omnes ſuſcepit, quę omnes ſimul huius imperij hoſtes nunquam optarunt, nunquam cogitarunt. Sunt qui exiſtiment, illum incolumẽ fuiſſe reuerentia & maieſtate dictaturæ. O præclarum & memorabilem magiſtrũ populi, qui tria peſtifera uicia, luxuriam, auariciam, crudelitatem, iuuenes noſtros edocuit. Primum non dico dictatorem, ſed ne ciuem quidem patiebantur eum eſſe leges & æquitas. Exul erat, quamuis hic habitaret, ſceleribus tam inauditis oppletus & obrutus. Deinde quàm bono iure factus dictator ab Interrege, non diſputo: quum more maiorum à Conſule ſoleat dici. Certe lex uetus eſt ex XII. ne dictator ultra ſex menſes imperium gerat. quid erat dare perpetuum regnum, ſi hoc nõ erat? creare in centum & uiginti annos dictatorem, cui liceret quicquid collibuiſſet? Quis tam ſtupidus illo fuit tempore, quem dolus & ludibrium, quo tota hæc reſpublica tunc habebatur, lateret? Quid enim inter regem & dictatorem intereſt, cui quicquid libeat, id ius faſq; habendum ſit. O ſanctum, & patriæ libertatiſq; amantiſsimũ interregem, dignumq; maioribus illis Valerijs, qui reges eiecerunt. Quid tu igitur Flacce putas eſſe ſeruire? ſi hoc eſt liberum eſſe. Quantum inter hanc tuam legem, & illas maiorum tuorum intereſt? Illæ reges, tyrannos, impotentes & nimios magiſtratus tollebant: libertatem populi ſtabiliebant: tua libertatem aufert, regem & tyrannum infert, & confirmat. Nec tibi ueniebat in mentem illarum legum, Valeriæ & Duilliæ, eodem anno latarum, eodem etiam tempore, quo duodecim tabulæ ſcriptæ ſunt? Qui magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo ac capite puniatur. quarum Valeriam legem qui tulit, imaginem tu eius quotidie domi uides. Poſtremò, ſi uos omnes, Quirites, eum dictatorem reuerebamini, qui unus uos, omnem totamq; hanc patriam deosq; immortales deſpiciebat, & ludificabatur, quum non dico ſupra dictatorem, ſed ſupra reges ipſos pop. Rom. ſit, & ſemper fuerit. At pudeat nos, illum priuatum incolumem ad domum ſuam peruenisſe, non eſſe manibus alicuius uiris fortis diſcerptum: qui gloriam illam interfecti à ſe crudeliſsimi & ſceleratiſsimi tyranni, ſtatuamq; qualẽ L. ille Brutus habet, affectaſſet. At nunc, etiam ſi reliqui omnes cunctentur, non eſt conſilium Quirites, in hoc magiſtratu patrię deeſſe. Non expecto iudicia, quæ iſtæ contemnit. non requiro leges, quibus iſte omnibus conuictus, & damnatus eſt. non exempla maiorum, quum malos ciues maiores noſtri etiam propter ſuſpiciones criminum indicta cauſa interfecerint: non ſolum in magiſtratibus, uelut olim Seruilius Hala magiſter equitum, & nuper L. Opimius conſul: ſed etiã priuati, ſicut Naſica. qui omnes ſunt ab optimis quibuſq; laudati: & ij, quos interfecere, pronunciati ſunt iure cæſi. Hæc omnia abunde ſuppetunt. & mihi ſatis eſt, me conſulem eſſe, qui patriæ, qui ciuibus meis conſulere debeo. Hoc à me ſummus magiſtratus, hoc ſeueritas huius imperij, hoc reſpublica petit, poſtulat, requirit, flagitat. Non ſinam ſtatuas & monumenta publici hoſtis patriæ, in hac urbe diutius cum ſuſpirijs, gemitibus, mœrore conſpici: non magis, quàm ſi ullæ Pyrrho eſſent poſitæ, uel Annibali. non illum uocari fœlicem, quòd hactenus impunè tantum noſtri hauſit ſanguinis, tantum uiſcerum uorauit. quòd bona ciuium diripuit, & dilapidauit: Italiam uexauit, & perpopulatus eſt: libertatem noſtram obtriuit, & conculcauit: non familiam incolumem, & ex malis noſtrûm omnium potentem. non aliquem, qui Sylla nominetur: quod nomen huic urbi pernicioſius eſt, inuidioſius eſſe debet quàm Tarquiniorum. Niſi forte ſperatis, P. Syllam rediturum aliquando ad meliorem frugem, calumniatorem ciuium, ſectorem prædæ ciuilis, in qua natus & educatus eſt: authorem furtorum. aut Fauſtulum Syllam à proſcriptionibus paternis, & ſæuitia degeneraturum: qui iam in ſcholis non ſcribere diſcit, ſed proſcribere. Scio mihi, Quirites, ingentes & capitales inimicitias ex hoc loco cum L. Sylla eſſe ſuſceptas. ſed quoniam pro republica ſuſceptæ ſunt, etiam ita contigiſſe iuuat: & eas non minore animo atq; conſilio, pro ſalute communi exequar. Neſcio quid ille ſua oratione minari uiſus eſt, ſi quiſquam libertatis, in qua natus eſt, memor, ſeruitij, quod toleratis, uos commoneſaceret. Sed

ego

ego Quirites, eius opes (quæ fragiles & corruptæ sunt: quas uos timendo effecistis, ut aliquid posse uiderentur) contemnere me reipublicæ causa ex hoc loco, unde me omnes exaudire atq; intelligere possint, profiteor. Non deerit reipublicę exercitus, qui me duce, uobis authoribus atq; adiutoribus, libertatem, uitam, fortunas, sacra, publica omnia & priuata uestra defendat, & tueatur. qui non patiatur uos cuiquam seruire. qui uobis dignitatem cum imperio, & libertatem cum opibus & gloria restituat. Adeste dijs bene iuuantibus, Quirites. & qui rempublicã, qui libertatẽ saluam, uitas q; uestras, fortunas, & salutem communem conseruatã: qui iniurias publicas & priuatas ultas uultis: qui pulchrius ducitis honeste imperare, quàm turpiter & infeliciter seruire: contra uim & latrocinia, pro decore, pace, ac quiete uos hortanti adeste, Consuli uestro. sequimini non priuatum quemlibet, quod etiam in hoc glorioso facinore dedecens nõ esset. sed Consulem uestrum, M. Æmylium Lepidum. Nam de conscelerato illo & nephario parricida, impio templorum expilatore, qui uestram libertatem oppressit, sanguinem hausit, fortunas diripuit, uniuersam remp. afflixit, ac penè sustulit, hic in cõspectu & concione uestra constituto, sententijs uestris meritum supplicium sumetis: & uos, quod sæpe maiores uestri fecerũt, strennue per uirtutem uos ipsos non in libertatem modò, sed in uitam & communem hanc lucem asseretis.

DECLAMATIONIS QVARTÆ. FINIS.

IO. LODOVICI VIVIS, ADVERSVS ACTA SYLLÆ IAM MORTVI, DECLAMATIO, uerbis M. Aemylij Lepidi Consulis.

ARGVMENTVM.

SYLLA consumptus fœdo pediculari morbo, quẽ Græci φθειρίασιν appellant, non sufficientibus balneis atq; pannis, nec hominibus, qui sibi inuicem succedentes dies noctes q;, pediculos è tabe purgabant, quũ & cibum & potum uermes illi polluerent, affectus incredibili uitæ tædio, quum aduersus Puteolanũ quendã excanduisset, & plus nimio clamasset, ruptis imbecillibus corporis compagibus, tandẽ Puteolis (quæ ciuitas est in Campania) sceleratam animã efflauit. Quod ubi resciuit M. Lepidus consul, impedire conatus est, ne publice cum pompa aliqua efferretur. quod non perfecit. Nam alter consul Catulus, & Cn. Pompeius, in cõtrarium conniſi peruicere, ut aurea lectica cũ ingenti pompa in campo Martio sepeliretur. quo in loco reges humari cõsueuerant. Hic ego Lepidũ induco concionantẽ aduersus acta Syllæ: ea uidelicet, quæ in iniuriam ciuium aut ordinum erant à Sylla statuta. Tulerat enim leges Sylla permultas, in odium tum plebis, tum eorũ quos proscripserat. In odium plebis & equitum, ut quod solum ex Senatu eligerentur iudices: ad hoc, ne tribunis plebis esset potestas legũ ferendarũ: & qui fuisset tribunus, alios honores petere nõ posset. quod aliud non erat, quàm debilitare & frangere tribunitiam potestatem, quæ erat ad plebis tutelam inuenta, cuius plebis Sylla erat capitalis inimicus. Aduersus suos proscriptos, ut filij eorum bonis paternis priuarentur: ac, ut ne possent honores Romæ petere, ac gerere. quod pop. Rom. indigniſsimũ uisum est: quum essent iuuenes illi & pueri innocentes. Ita Lepidus cõtendebat, iudicia facere communia plebi & equestri ordini & senatui, Tribunitiam potestatem ad pristinum ius reducere: exules reuocare, eis q; suas possessiones reddere, precio ijs soluto, qui à Sylla emissent: proscriptorum liberos in patrimonijs suis collocare. Hæc adnitebatur Lepidus efficere: & haud dubie æquum postulabat. Verùm hæc eo tempore iniquissima Senatus censuit, q; uiderentur tanquã rescindi in ipsa curatione uulnera reip. Ideo rem alioqui iniquam cõmodius iudicarunt non tangere, tantisper dum ægra respub. conualesceret, & confirmaretur. Hanc ob rem

infensus Lepidus collegæ suo Catulo, & magnæ parti Senatus, finito consulatu in ulteriorem Galliam, quam sortitus erat prouinciã, proconsul abijt: bellumq; ibi cœpit Syllanis parare, exercitumq; ad urbem duxit. contra quem Catulus & Pompeius egressi, tumultuario milite collecto, armis decertarũt. uictusq; est Lepidus ad pontem Miluiũ, & in Sardiniam profugit. uictores moderate in urbem regressi sunt. Tum Roma & Italia à bellis & uastatione tantisper quieuerunt. nec inter bella hoc ponitur, sed tumultus tantum nominatur.

DECLAMATIO QVINTA.

HESTERNO die, Quirites, nunciatum est nobis, L. Syllam Puteolis obijsse. de cuius hominis morte nõ tam lætatus sum, quàm doluí. Lætor enim, euersorẽ uestrę libertatis, parricidam suorum ciuium, prædonem possessionum & bonorum nostrorum, cõtemptorem & hostem deorum & huius reipub. maximo ipsorum deorum in nos beneficio esse sublatum. Doleo tamen, illum suo potius naturali fato, quàm merito supplicio à uobis de ipso accepto, è uita decessisse. Etenim mors qualiscunq;, ipsa tamen corporis natura accersita, non scelerum pœna est, sed imbecillitatis finis. Atuerò cõgruebat eum, qui totum hunc populum affligere, uexare, tollere esset conatus, maximaq; ex parte sustulisset, ab hoc eodẽ populo, memore suæ libertatis atq; uirtutis, in exemplum posteritatis capite ac bonis mulctari. ne mali in posterum ciues magistrum haberent, à quo edocti essent, impune in hanc ciuitatem latrocinari, hunc populum & cunctam Italiam per immanem crudelitatẽ populari, uastare, dilacerare, euertere, extinguere: bona miserorum innocentiumq; ciuium, sociorum, exterarumq; nationũ & gentium, per turpissimã libidinem atq; auaritiam diripere, ac prædæ habere. Nunc enim timendum est, ne multo plures sint, qui quod Sylla in uos fecerit, spectare atq; imitari malint, quàm quod uos in Syllam. Verùm quando in Syllæ uitã nullam iam habemus potestatem, illum iustitiæ ac iudicio deorum immortalium relinquamus, quorũ maiestatem toties nefariè impieq; uiolauit, ac læsit. Nos autem ostendamus prudentiam, consilium, uirtutem nostram aduersus ea, quæ possumus. ut ægra & labans respub. nostro aliquo remedio sanetur, ac fulciatur: miseris atq; afflictis ciuibus opem, auxilium, spem in perculsis eorum rebus afferamus: deniq; abiectæ & lugenti patriæ lachrymas abstergamus, atq; luctum: quantam poterimus lucem, dignitatem, lætitiam reddamus. Nam quo minus hæc fiant, nullus iam obstat hostis, nullus tyrãnus. nisi quí fortè noui repẽte ex intermortuis Syllæ reliquijs suboriantur, qui uestigijs illius ingressi eadem appetãt, quæ ipse consecutus est, eadem moliantur. Si qui tales sunt, uehementer consulo, ac moneo, ne aggrediantur, ne se perfecturos sperẽt, quæ tam scelerate concupiscũt. pop. Ro. esse iam multo alia mente, alia uoluntate, alio animo: conspiraſſe & consensisse bonos omneis, ut citius sibi filijsq; & cõiugibus suis uitam amittendam ducant, quàm ea perpeti, quæ aliquando contigisse, nunquam poterit sine magna huius imperij macula atq; ignominia narrari. non dico homines, & liberos homines, atq; eosdẽ Romanos, ea non passuros: sed ne ferę quidem, nec isti parietes & muri toleraturi sunt. Propterea magnopere bonos laudo, quòd eos aliquando tandem recordatio aliqua tetigit dulcedinis intermissę, atq; adeò amissę libertatis: malos uerò (si quidem omnes ad meliorem mentem sanitatemq; reuocari studeo) ex hoc loco ipse Consul, nomine pop. Rom. etiam atq; etiam exhortor, rogoq; desistant male huic urbi & reip. cogitare. ne sperent futura posthac talia scelerum præmia, qualia cum infinito mœrore & luctu his annis uidimus. consentiant nobiscum, & adiungãt se studio & uoluntati populi, authoritati Senatus. Hinc certi & ueri honores, hinc fructus altissimi laborum, hinc ingentes copię, & opes firmę perpetuęq; nascentur. Polliceor enim & spondeo nomine eiusdem pop. Rom. illos demum futuros prætores, consules, imperatores, qui libertatem communem tueri maluerint, quàm cuiusquam regnum atq; tyrannidem. Huiusmodi nanq; hominibus, qui in tam perdita & impia sententia fuerint, denuncio fore, ut libertatem, uirtutem, potentiam,

tiam, magnanimitatem, constantiam populi Romani, prudentiam, authoritatem, gratuitatem Senatus, seueritatem & religionem iudicum, uim sententiarum sentiant & experiantur. intelligantq; hunc populum iam non illum esse, qui & Syllæ & paucis commaculatis ac scelerũ libidinumq; eius satellitibus & administris seruierit: sed eum, qui libertate sua reges expulit, qui tribunos plebis sibi per arma comparauit, qui uirtute sua totum sibi orbem subegit. Quiescant igitur mali, & qui se liberos iam uolunt, audiãt qui sapientissimis ac fortissimis uiris, & de cõmodis ac libertate huius ciuitatis dies ac noctes cogitantibus, ad constituendam seu restituendam ueriùs rempublicam faciundum uideatur. Censemus Quirites, acta Syllæ rescindenda, non omnia, sed ea quæ in damnum reipublicæ, in diminutionem uestræ libertatis & quietis, in iacturam nostrarum fortunarum, in perniciem ciuium, scelus illud & portentum statuit, ac egit. Multæ sunt leges Corneliæ, Quirites, multa Syllæ acta de sicariis, de sumptibus & cibis, de prouinciis, hinc de tribunitia potestate, de iudiciis, de proscriptis. Pauca loquar de illis primis: deinde ad hæc postrema ueniam, de quibus mihi hodierna die pro repub. cum summa libertate, ingentiq; respectu utilitatũ uestrũm, totiusq; Italiæ, Consule digna oratio habenda est. mihi quidem memori magistratus, memori à quo beneficium hoc accepi, memori Æmylij generis: quod & me uobis indissolubili obligatione deuincit, & sua merita uelut pignus quoddã mihi uobisq; tradidit mutui inter nos amoris, ut nec Æmylius non amare patriã, nec patria Æmylium odisse possit. Quocirca Quirites, ab Ioue Opt. Max. Statore illo huius urbis atq; imperij, à participe connubij socia regni regina Iunone, ab armipotentibus Pallade, Marte, Quirino huius urbis sacro parente, cæterisq; dijs deabusq; immortalibus, quorũ ope & singulari in nos amore, hæc respublica afflicta quidem & perculsa, sed qualiscunq; tamen adhuc perstat, nec Syllana uiolentiæ & tempestate reuulsa, Oceano illo sæuiente absorpta est, pacem ac ueniam peto, precorq;, ut diem hunc ad sistendam cadentem rempub. ad subueniendum miseris & perditis ciuibus illuxisse uelint. Vos deinde Quirites oro, ut me consulem uestrum de uestris cõmodis, de libertate, laude, gloria, quiete omnium uestrũm dicentem benigne, ut adhuc fecistis, audiatis: & si ea quæ uobis attulero, è rep. è dignitate huius imperij, è salute ciuium, pace, amore, concordia uidebuntur, fortiter, sine ullis metus reliquijs, liberas sententias & uoluntates suffragijs uestris declaretis. Illas igitur de sumptibus & sicarijs Cornelias leges, Quirites, non adeò reprehendo. faciunt enim utcunq; ad mores ciuitatis. atq; utinam omnia fuissent talia. Indigne tamen fero, authori eiusmodi legũ tam uilem fuisse suum populum, tanto contemptui & ludibrio habitum, ut non modo aduersum ueteres & sanctissimas leges, sed in suas quoq; peccare, ac infinita crimina committere pro nihilo duceret. Quod uos omnes pro seruis haberet, quum etiam frugi seruos domini moderatiores reuereantur. Maiores nostri, Quirites, acrius & seuerius animaduerterunt in eos, qui in suas leges cõmisissent, quàm qui in alienas. Licinium Stolonem memoriæ est traditum, suæ legis ui, quæ erat de modo agrorum, sententijs populi esse concisum. Iudicium Q. Vari tribuni plebis omnes, ut opinor, uidimus. At Sylla, sanctus & grauis magister nostrorum morum, legem de sumptibus frugalissimè & temperantissimè seruauit. Quum ferebat legem, putasses Fabricium aliquem, aut Coruncanum, aut etiã Curium, siue Pisonem loqui. Quantos creditis risus in illa interiore Syllana popina, inter illos sordidissimos cõspurcatosq; cõpransores & compotores esse excitatos? quum doctorẽ & authorem totius luxuriæ, de frugalitate, de temperantia uerba facere audiebant? quũ præclarus legislator bona omnia po. Ro. partim conuiuijs abligurisset & deuorasset, partim immanib. largitionibus dissipasset & absumpsisset. Quid attinet commemorare ea, quæ secretò egerit? quum sint talia, quæ omnes publicè uidistis. Epulum illud Herculeanum, Quirites, transeo. quod tametsi contra legem sumptuariam fuit, tamen quia ad religionem immortalis Dei pertinere existimabatur, poterat excusatio aliqua in tanta profusione apparatus inueniri. Meministis enim, quanta obsoniorum & ferculorum uis, quantus uini numerus in Tyberim profusus sit? Prodegisse L. Syllam omnia illa non curarem, si modò non propter sumptus illos tam immodicos innumera ciuium multitudo perijsset, eorum filij fame atque egestate consume-

rentur. Neq; uerò crediderim deorum aliquem, Quirites, tam esse infestum atq; inimicum generi humano, ut propitiari atq; placari tanta hominum iactura & calamitate uelit. sunt enim dij omnes benefici & salutares, nostriq; generis peramici. Abiecisset in flumen L. Sylla se ipse cum tota domo ac familia sua, flocci non facerem, gauderem etiã. modò de fortunis, sanguine, uisceribus, uita miserorum ciuium tam prodigus non fuisset. Ceu uerò parum esset, dilapidari patrimonia ciuium, & iniquis ea possessoribus dilargiri: etiam partem illius prædæ fluuium & mare accipere uoluit. An putatis Quirites, polluceri rite potuisse, quum Hercules ipse iuuandis mortalibus immortalitatem consecutus sit: hic de damnis nostris pollucibilem ei cœnam apparârit? Deus ille nihil magis quum in terris uiueret, laborauit, quàm ut sua cuiq; à prædonibus tuta essent: hic de latrocinijs & impijs rapinis Herculeanam partem deciderit, quũ illi Deo nulli magis odio fuerint, quàm latrones, quàm alienarum fortunarum raptores. Sed fuerit sanè conuiuium illud sacrũ. De funebribus porrò impensis Caput est in eadem Cornelia lege. Quæso uos Quirites, quis modus factus est in funere Metellæ etiam repudiatæ? Iam & de priuatis cœnis est etiam Caput. Nego unquã uel Sardanapalum, uel Xerxem, uel aliquem ex illis Asiæ regibus, aut ex Sybaritis, uel Siculis, luxu perditissimis, tanti in conuiuio publico cœnasse, quanti iste priuatim semper cœnat. idq; totum de rapinis & spolijs bonorum ciuium, tanquã de Cymbrorũ uel Mithridatis præda. At lex est bona, inquiunt. Esto, sed hoc tamen indignius, quòd ille & bonam legem, & suam, adeò impudenter ac turpiter cõtempsit, & irrisit. Quanquam eam legem, quantum ad sumptus pertinet, quid attinebat ferri? cùm essent sumptuarię latę tam multæ, partim ueteres, partim etiam recentis memorię. Si de numero conuiuarum quæritis, lex est Orchia, P. Cornelio Lentulo, M. Bebio Pamphilo Cos. accepta: si de eodem, & sumptibus, lex est Fannia, x x. annis post Orchiam lata. Est & Didia, aliquanto recentior, quæ non ciues modò, sed socios quoq; comprehendit: quæq; ijs etiam, qui cœnis prandijs'ue supra modum legemq; sumptuosis interfuerint, pœnam ac mulctam irrogat. Est ad hæc Licinia, satis recens, quam Licinius Crassus diues tulit, de calendis, nonis, nundinis, alijsq; & festis & profestis diebus, de genere etiam ciborum, quam propter ingentem utilitatem, prudentissimamq; descriptionem frugalitatis, ordo noster non expectato trinundino, S.C. comprobauit. Hæ igitur cùm essent leges cibariq;, quid sibi nouus iste uolebat Numa, cum sua noua lege? nisi ut ostenderet, se leges omnes, ritus, maiorumq; mores, exempla, instituta nihili facere, deridere, eludere omnia, contemnere, proculcare: bonas ueteres leges reuocare: ut indignius uiolaret, atque conspurcaret. Et est quidem bona Cornelia lex, ubi ea repetit, quæ sunt à maioribus de sumptibus constituta reliqua, quę ad precia ciborum spectant, nõ uideo quid boni afferant, quid fructus? aut quid non potius morum corruptelæ? quę connumeratis edulijs, condimentis, obsonijs, piscibus, offulis exquisitissimis, ijs deniq; quæ antè ciuitas hæc nequaquam norat, quę cœnum illud ex Græcia atq; illa Asia in hanc urbem inuexit, nõ tam gulam uidentur cõprimere, quàm excitare: traditis adeò multis uarijsq; gulæ atq; luxuriæ irritamentis, ut non lex frugalitatis & parsimoniæ, sed admonitio luxuriæ, & disciplina popinæ dicenda sit. Longe aliam ego cibariam legem breui tempore feram Quirites, quæ omnibus futura sit non minus grata, quàm utilis: quamq; uos uniuersi & commodam, necessariamq; ad constituendos mores, & iucundam facilemq; ad eam obseruandam censeatis. At de sicarijs promulgatam esse à Sylla legem, Quirites, id uerò ridendum potius, an indignandum huic uiuitati est? Legem tulit, ne quis alium interficeret: is, cuius uidetis tabellam illam funestam proscriptionis, qui tot millia ciuiũ Romanorum non citata, non accusata, inaudita, indemnata occidit. Lege cauet, ne quis ferrum ad necem alterius gestet: credo, ne quis posset se de illo ulcisci. O magister noster Sylla, homo quietus, & cui non mediocriter displicet ferrum, atq; uis: cùm aduersus hunc populum tuorum satellitum & carnificum manus armari iusseras, id quoq; lege ipse tua faciebas? Quod si mea illa, Quirites, oratio Sylla uiuo aliquid, ut parerat, ualuisset, & populus Romanus suam dignitatẽ ingenti cum laude recuperasset, & prodigio illi ac bustuario gladiatori tam incredibilia scelera impune non abissent. Tum de

prouin-

prouincijs lex quid aliud agit, quàm ne in ueſtra manu & poteſtate ſint ueſtræ prouinciæ, ueſtra imperia? Solitæ ſunt à uobis Quirites, curiatis comitijs mandari prouinciæ, dedit interim Senatus, id cõceſſum eſt patribus reuerentię cauſa. & quia cùm omnes ferè, qui ad prouincias mittuntur, ex noſtro ſint ordine, melius à nobis cognoſci poterãt, quàm à multitudine. At ius imperij dandi, & exercitus committendi, totum eſt populi. quoniam imperatorem eſſe decet neminem, niſi quem populus elegerit, & comprobarit, qui eſt ſub eo militaturus. ad hæc, quoniam ex ſummo rerum omnium imperio, quod eſt penes populum, hæc priuata rerum gerendarũ imperia proficiſcuntur. poſtremo, quòd auſpicatis comitijs imperator ſolenni & maiorũ more eligendus eſt. Sylla uerò S.C. ſatis uult eſſe ad obtinendam prouinciam, ad imperium quoq; ſine ullis uel centuriatis, uel curiatis comitijs. Sed hoc quandoquidem ſine magno ueſtræ libertatis detrimento manere poteſt, ſit ſanè ratum, quocunq; cum bona ordinũ uenia aliter decernatur. Nolo enim in præſentia turbari aliquo modo ciuitatem, ſed ſolum miſeris & perculſis ciuibus, ex cõſenſu & ſententia optimorum ſuccurrere: ueſtramq; libertatem inſtaurare, rempublicam ſtabilire. Idcirco illa de tribunitia poteſtate, de iudicijs, de proſcriptis nunquam Coſs. pop. Rom. hærere diutius in republica patiar. nunquã uos, Quirites, id eſt bonorum fortiſſimorumq; ciuium unanimis conſpiratio & conſenſio, feretis. Primum de noſtris inimicis aueo, Quirites, audire, quo iure tribunorum plebis ius poteſtasq; minuitur? cur unicũ libertatis huius populi præſidiũ de arce ſua deijcitur, unica cuſtodia frãgitur, excinditur? An æquum eſſe quiſquã cenſet, populũ hunc liberum eſſe, certiſsimam uerò libertatis tutelam, firmiſsimum columen tolli? Si nõ uerbo tantum, ſed re etiam liber eſt hic populus, cur ipſi is magiſtratus eripitur, ante quem tantum libertas ipſa naſci non potuit? Decimoſexto poſt exactos reges anno Tribunitia poteſtas inuẽta eſt, A. Verginio Tricoſto, T. Vetuſio Ceturino Coſs. tum demũ cœpit populus liber eſſe. nam antea ſub Conſulibus non tam data erat populo libertas, quàm oſtenſa. Quæ fuit igitur cauſa L. Syllæ, frangendæ contra leges omnes huius columnæ, qua innitebatur tota communis libertatis ſtructura? Videbat homo in maleficijs & ſceleribus acutiſsimus, ad opprimendum hunc populum, ad diripienda omniũ bona, occupandas poſſeſsiones, ad expilandum patrimonium publicum & priuatum reipublicæ à natura genitus, & expreſſus, ut quæri non potuerat huic populo libertas ſine tribunis, ita nec auferri & extorqueri poſſe illis exiſtentibus. cumq; omni immanitate hanc ciuitatem, cunctamq; Italiam diuexare, diripere, lacerare, ſuisq; è ſedibus funditus extirpare atq; eijcere ſtatuiſſet, neq; id fieri poſſet, quamdiu libera aliqua tribuni uox ſupereſſet: ipſum libertatis caput, ipſam arcem primum impetijt, atq; oppugnare adorſus eſt. ut nudatam præſidijs tutamentisq; noſtram libertatem ipſe extinguere, nosq; omnes deſertos, inermes, ſine muro ullo, ſine uallo, aggrederetur ſecure ac ociose: excruciatos perdere pro libito poſſet. Atqui tribunos plebis uidemus. hoc miſerabilius multo & amarius eſt, Quirites. Nam ſi tribunos ueſtros nullos uideretis, deſiderio quidem permagno teneremini. ſed nequaquam toties cõmoueremini, nec animi ueſtri recordatione ſuperiorum temporum exulcerarentur. Nunc uerò, quoties occurrũt, quoties deformatam illam poteſtatem inſpicitis: perculſam, proſtratam, deletam libertatem ueſtram ingemiſcitis. Tribunos quidem plebis habetis, Quirites, ſed qui Cornelia lege nullum poſtea magiſtratũ poſsint gerere. Quem ergo bonum fortemq; tribunũ inuenietis? quis uolet poteſtatem illam attingere? quę cum ſacroſancta ipſa ſit, pollutos tamen & impios ad ſacra aliorum honorum reddit eos, quos attingit. Tribunos plebis habetis, Quirites, ſed quibus ademptum eſt ius omne legum ferendarum. hoc quid aliud eſt, quàm reliquiſſe tribunos ad perpetuum ueſtrum cruciatum? ut quoties eos uideretis, memoria præteritæ libertatis uulneraremini. Si legẽ ferre non poteſt tribunus plebis, quid ergo poterit? ſi rogare, ſi admonere pop. ſuorum commodorum non audet, non licet, quam ergo liberi hominis uocem dignamq; illo magiſtratu emittere uel poterit, uel audebit? Quid erit hæc poteſtas? uanum & ridiculum nomen abſque ulla re. Intelligitis iam Quirites, quanto ſitis ludibrio à Sylla habiti? ut uos impuriſsimum illud & nefarium cœnum oderit, contempſerit, irriſerit? Ego uerò Conſul ueſter, Qui-

rites, hodierno die perficiam, ne istàc abeant tanta scelera, tam impiæ fraudes, tam nefandi, quibus capti estis, doli. Si illam uolumus maiorum nostrorum reddi nobis lucem & iucunditatem, non adumbratæ, sed solidæ atque expressæ libertatis, innitatur hæc libertas eisdem, quibus tunc, fundamentis: illustretur & dirigatur eodem sidere: reddantur nobis tales Tribuni, quales illi habuerunt, præsides & custodes non fictæ & simulatæ, cuiusmodi est hæc præsens, sed ueræ atq; germanæ libertatis. Quod si cum bona gratia impetrari non licet, eadem à nobis erit uia repetundum, qua ab illis paratum primum, deinde receptum: armis scilicet. Quanquam spero deos immortales daturum omnibus ciuibus eas mentes, patriam non modò reuera esse ut liberam, sed eius ueram certamq; libertatem præsidijs & munimentis confirmari atque stabiliri uelint. Iam de iudicijs audite, Quirites: effectum esse per L. Syllam, ut soli pauci quidam Senatores in hac republica dominentur, regnumq; ac tyrannidem obtineant. Tiberius Gracchus, qui multum de utilitatibus dignitateq; uestra Quirites, cogitauit, legem tulit, ut Equites iudicarent. Iudicarunt annos uiginti summa cum integritate & laude, ingenti cum admiratione omnium ciuium & sociorum, sine querela cuiusquam. uisa est ista nimia unius ordinis in republica potentia, quæsita est alia lex, & quidem per Tribunos plebis, Senatu cum nobilitate totoq; populo authore atque adiutore, ut suffragijs populi ex singulis tribubus quini deni quotannis crearentur, qui eo anno iudicarent. Ad hunc modum & Senatoribus & Equitibus & plebi communicata iudicia sunt, æquissima lege, ut de rebus communibus totus populus, non una ciuitatis pars, sententiam atq; iudicium ferret. Lata est lex à Marco Plaucio Syllano tribuno plebis, Gn. Pompeio Sexti filio, L. Portio Catone Cos. secundo anno Italici belli. Vsq; ad uictoriam istam Syllæ, luctuosam & cruentissimam tota ciuitas de tota ciuitate sanctissime & seueriss imè iudicauit: non pars de tota. Nunc quorsum pertinet nouum istud iudicatus regnum, quod Senatui per Syllam, hostem uestrum, partum est? Ego Quirites, ex eo sum ordine, omnesq; maiores mei ex eodem fuerunt: sed libertas uestra charior mihi atq; antiquior est. hæc una superat ordines omnes, quoniam ipsa continetur reipublicæ salus. Non placuit iudicare solos Equites, quum sit tamen ordo ille honestissimus, inter Senatum & plebem medius atq; interiectus, & in quo multi ex Senatorijs familijs sunt, multi ex plebeijs, pleroscq; ipsi habent in Senatu gentiles, pleroscq; in plebe: plures quàm uel plebs in amplissimo ordine, uel hic ordo in plebe. iudicarunt itaq; uniuersi de omnibus. Ecquem uestrûm illorum iudiciorum pœnitet? Nunquid ullas ciuium querelas audiuimus, ullas sociorum? Quis tum in prouincijs, de nostris iudicijs questus est? At per hosce annos quanta cum turpitudine & infamia, quàm fœdè, quàm corrupte iudicatum est? Quis fuit & uestrûm omnium, & cæterarum gentium sensus? quis animus? quale de ordine nostro iudicium? qualis tacita cogitatio? quales aperti & manifesti sermones de audacia impudentiaq; iudicum intolerabili, diuturna impunitate confirmata? Quid igitur fieri placet? quæret aliquis. Mihi uerò Quirites, id quod ipsa docet atque præscribit rerum natura. Si soli Equites in iudicium adducerentur, fortasis censerem æquum esse, solos Equites de se cognoscere: si soli Senatores, solos uellem esse iudices Senatores. Idem censeo de plebe. ne parum congruere nostræ libertati uideretur, aut Equites de Senatu, aut plebem de Equitibus, aut Senatum de plebe, uel ediuerso sententias & iudicia proferre. Quum uerò & Senatores & Equites & plebeij criminum arcessantur, & in forum uocentur: nónne æquum est, & communi libertati cum primis conueniens, non Senatores solos, nõ Equites uel plebeios solos, foro atq; iudicijs præsidere: inq; eis uelut in regno impotẽter dominari, ac sæuire? sed ex Senatu, ex Equitibus, ex plebe iudices religiosissimos & integerrimos quosq; elegi: quod iam antehac factum est, summo & unanimi non omnium modò ordinũ, sed etiam hominũ consensu. Venio nunc ad proscriptionem L. Syllæ, in qua iam non querar & lamentabor, Quirites, crudelem & immanissimã trucidationem nostrorum ciuium, acerbissimũ & miserrimũ spectaculum tot cædium, tantæ profusionis Romani sanguinis. uestra enim cunctatione, quę uobis tot mala per hosce proximos annos peperit, effectũ est, ut ille meritas uobis pœnas ante mortẽ nõ dederit. sed

harum

harum querelarum & deplorationũ nimis fortaſſe iam ſerum temptus eſt. Nunc de adhibenda ſaucíæ & magno uulnere percitæ reipublicę medela aliqua agimus. Dicam igitur primum de præda & direptione bonorum & fortunarũ ciuilium, hinc de exulibus, poſtremò de filijs proſcriptorum. Ponite quæſo ante oculos ueſtros, Quirites, aſperam illam, & fletus luctuſq; pleniſsimam ſpeciem concionantis Syllæ poſt uictoriam de ciuibus, quum circumſepti illius armis, trepidi & conſternati expectaretis, ſuſpenſi atq; ſolliciti quid eſſet dicturus, quid facturus, quò tandem tam ferox eius de ſuis geſtis iactatio eſſet euaſura. Ipſe poſtrema ſuæ orationis parte proſcribere ſe dixit tot millia ciuium, partim ex Senatorio ordine, partim ex Equeſtri, partim ex plebeio. O dura fata populi Romani, quàm iratis dijs omnibus execrandus dies ille huic reipublicæ & toti Italiæ illuxit. illuxit autem, immò diuturnas tenebras & propè æternam noctem adduxit. O diem maiore de cauſa nefaſtum, quàm Cremericũ, quàm Cannenſem. Miſerum me, quid iſtud uerbi eſt? quid ſibi uult proſcribere? nemo erat in tanta concione, qui uocem illam tot planctus excitaturam intelligeret. Res deinde ipſa quid uox ſignificaret, edocuit. Erat Quirites, ut uidiſtis, & uidiſtis tanto cum mœrore & gemitu, tanto malo omnium noſtrũm: erat inquam proſcribere, atroci morti adiudicatum eſſe corpus ciuis Romani, bona attributa eſſe fatelliti alicui & miniſtro ſcelerum atq; libidinũ Syllæ. Interfecerunt Marij, Cinnæ, Carbones, multos ciues: finem tamen ſæuiendi mors faciebat. bona intacta, integra, liberis hæredibusq; relinquebantur. Et illi quidem ex diuerſa ſolum factione eos qui reparare bellum, & aliquid moliri poterant, primo impetu ardoreq; belli occidebant. hic noſter uictor non contentus tot millia ciuium, quæ arma tulerant, fide tamen data iugulaſſe: etiam in pace, neutrius factionis infinitos necari iuſſit, in eorumq; bona & poſſeſsiones inuaſit. Nimirum quoniam illi Marij & Cinnæ nihil aliud petebant, quàm in patriam reſtitui: hic etiam fomenta ſuæ luxuriæ, & quod exhaurire poſſet uorago & gurges ille non ſolum ipſius imperatoris, ſed etiam cohortis prætoriæ contaminatorum hominum & impuriſsimorum quærebat, ut non occiderentur, quia bellũ geſſerant (quietiſsimi enim homines interimebantur) ſed quia haberent, quod rapi & prodigi ab inſatiabili illorum luxuria poſſet. Haſtam aſpexiſtis medio foro, media luce ante ora omnium poſitam, & auctionem ex bonis innocentiũ ciuium fieri. qua lege? quo iure? qua æquitate? quid auctioni prætendebatur? Prædam, inquit, meam uendo. O Iupiter, ô maiores noſtri, de præſentibus nihil dico. Serui enim ſumus omnes. Sed hæc ô maiores noſtri, & tu Iupiter Stator, cuſtoſq; urbis huius, hæc ante ueſtros oculos impunè tentata & tranſacta ſunt? Ex ciuibus indemnatis, inſontibus, quæ poteſt eſſe præda ſalua hac urbe? nulla mehercule, ſi modò nos hanc urbem Romam eſſe meminiſſemus: & maiores noſtros, Brutos, Valerios, Scipiones, Æmylios, Luctatios, Claudios, Cæcilios, Calphurnios, Licinios, Seruilios, Catones fuiſſe. quorũ cuilibet, ſi quis diuinans prædixiſſet, hæc quæ nos uidimus futura, quid eum fuiſſe reſponſurum cenſetis? niſi illud uetus dictum: Fieri hæc non poſſe, ſaluis bonis & arce. Sed boni nulli penè erant, & arx conflagrarat. Atq; hîc tandem tantus proſcriptorũ numerus, in publicas tabulas relatus eſt. Scilicet quia aliter ſcire poſteri non poterãt, fuiſſe his temporibus in hac rep. indigniſsimã ſeruitutem, tantam, quantã ne fugitiui quidem in ergaſtulis uincti ferre unquam patienter potuiſſent. Quid faciunt in tabulis publicis proſcriptorum nomina? an non intelligitis, notam illam ad æternam non ſolum libertatis noſtræ, ſed huius etiam ciuitatis labem, ad monumentum & memoriam dedecoris ſempiternam remanere? At uerò additur iuſtum elogium, quòd tulerunt arma contra patriam. Primum quæro à cruenta iſta bellua, quid ſit arma contra patriam ferre? ſi hoc eſt pugnare contra ciues ſuos, Syllani igitur quid fecerunt? Sin eſt, Senatus & populi conſenſioni bellum facere, quæro cuius tandẽ Senatus? cuius populi? eiũs ne, qui eſt in urbe? Cuius erant ergo legati illi, cuius prætores, quos tu uiolaſti? cuius faſces, quos fregiſti? Bis tu impia furia, bis bellum in patriam geſsiſti cruentum, ac pernicioſiſsimum, & antequam in Aſiam proficiſcerere, & quum redijſti. Sed inquiet: Bellum inferre patriæ eſt, contra bonos ciues in acie congredi. quaſi melior ipſe Sylla ſit, homo non bipedum modò, ſed quadrupedum etiam omnium nequiſsimus & ſcele-

ſtiſsimus: quàm Marius fuit, uel Norbanus, uel Scipio: aut ſocij & milites horum tetriores aut impuriores, manu illa exoletorum, ancillarum, ſeruorum, hiſtrionum, ſcurrarum Syllæ? Quid tandem igitur iſtud eſt, bellum patriæ inferre? An id eſt bellum Syllæ inferre communi & deorum & patriæ & totius generis humani & humanitatis ipſius hoſti? Quaſi uerò inter utraſq; partes aliud multo interſit, quàm quod Marianis defuit ſucceſſus. Quanquam ſi ex ijs quæ ſecuta ſunt, ratiocinari, & coniectura certiſſima colligere uolumus, quis aduerſum patriã arma induit: illud iſto ſole clarius eſt, Syllam huic ciuitati bellum intuliſſe, non Marios. Hi enim patriam ſaluam uolebant, ſed in ea ſe principes: Sylla patriam ac Italiam uniuerſam delere ac extinguere conatus eſt, & in reliquias, tanquam in ſentinam, collectam ex orbe toto perditiſsimorum hominum fecem atq; colluuiẽ deducere. Sed de cauſa nihil amplius diſputabo, quum illud conſtet, pauciſsimos eſſe inter proſcriptos illos, qui arma toto illo lachrymoſo bello uel induerint, uel uiderint, præter ea, quæ tu ad perniciem reipublicæ huc inuexiſti. Quid quod infiniti ſunt, qui quum ſuos quiſq; inimicos morte affeciſſent: aut non etiam inimicos, ſed eos quibus amplas poſſeſsiones aut ædes aut lances argenteas inuiderent, easq; optarent: à Sylla petebat, ut ij inter proſcriptos referrentur. idq; impetrabat. Omnibus enim, quantum uellent ſcelerum & facinorum edere, nemini modeſtia atq; innocentia uti permittebatur. An iſti quoq; occiſi, arma aduerſus patriam ſumpſerãt? Quid mulieres, ſenes, pueri qui uel per ſexum, uel per ætatem tractare arma non ualebant, quos occidiſti, etiam cum patria geſſerant bellum? cum pro tua profectò auaritia & rapacitate bona illorum omnium præliabantur. Sed agat, finxerit improbiſsimo illo ore, & impudentia proiectiſsima, bellum illos omnes cum patria geſsiſſe: quo pacto tu more maiorum, & conſtitutis à pop. Rom. de capite ciuium iudicijs eos damnas? Ter ſunt à magiſtratu ciues accuſandi, antequã mulcta irrogetur. etiamſi ſe foro quis & iudicio non ſiſtat, tamen ante ædes eius nomenclator magna & clara uoce illum ad iudicem accerſit. Tu nec citas, nec accuſas, nec illorũ ſcis nomina: nec albi ſint, an atri, noſti. Qua igitur ratione hominem ciuem, cuius nec mores tibi, nec genus, nec uita, nec facies, nec aliquid præter poſſeſsiones & fortunas eſt cognitũ, capitis damnas, & ilico occidi iubes? Quarta debet eſſe accuſatio trinundinum: tua proſcriptio multo expeditior, uix trium horarum, intra quas condemnatur ciuis, mactatur, bona eius diripiuntur. Tum ſequuntur comitia, & libera populi ſuffragia: ipſeq; populus in ſalute ciuis exorabilis & facilis: multaq; alia reis conceſſa ad miſericordiam, & populum placandum. Sed iſta omnia quę uel ad miſericordiam faciunt, uel ad ius populi ſpectant, ridicula eſſe ſenum deliramenta Sylla putat. una miſericordia eſt, ſi nihil quod rapi poſsit, habeas. ſi uacuus ſis, Syllanum percuſſorem, tanquam latronem in ſaltu, ſecurus & cantans potes expectare. ſin quid habeas, id contra te acerrimè cauſam agit, abſoluí nõ potes. ita ſi nihil habeas, uiuas miſere: ſi quid habeas, periculoſe. At Caput eſt in ratione iudiciorum, idq; primum, Vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur. Quid facimus? reciſa ſunt omnia, Quirites. multo ſecus inſtituit hic rex, qui neminem damnauit rei capitalis, niſi à quo pecuniã ſe erepturum ſperaret, cuius bona ſpoliatis filijs ipſe deliberaturus eſſet. Quando eſt iſtud factum? quando auditum? ubi uiſum? ubi lectum? Damnati ſunt multi in hac ciuitate, ob nefaria & indigniſsima crimina. affecti ſunt ipſi extremo ſupplicio: domus eorum euerſæ, uelut Melij, Caſsij, Vacci, Manlij, poſtremo huius Fuluij Flacci, collegæ mei ſoceri, qui cum Caio Graccho faciebat. bona tamen ſi non omnia, maxima certe parte liberis ſeruata ſunt, ſi habuerunt: ſi nullos habuerunt, fratribus reliquisq; iure hæredibus ſunt conceſſa. Quod ſi quibus bona ſunt adempta, uelut Decemuiris, & paucis quibuſdam alijs: ea non ſunt alicui attributa, ſed publicata, uel diijs immortalibus ſacrata ſunt, uel ad ærarium, totiusq; populi patrimonium reciderunt. Quis unquam Conſul, quis dictator, quis tribunus plebis, quis imperator dixit damnatorum bona ſua eſſe? Quid antiquiſsima municipia, Interamna, Spoletum, Florentia, Prænefte, Sulmo, etiam ne illius carnificis fuerunt? Magnum illi quacunque rerum naturæ parte eſt, malum cruciatum, peſsimam familiæ eius peſtem. Cuius eſſe municipia poſſunt? niſi populi Romani. quis ea poteſt uendere? niſi populus Romanus

manus. idq; certis de cauſis. & pecunia, quæ ex iſs conficitur, cuius eſſe poteſt, niſi uel deorum, uel publica Quirites ueſtra? At hic municipia alia incendit, alia uendidit: confectamq; pecuniam ipſe accepit, & prodegit, uidelicet quoniam ipſi ea municipia reliquerat pater egenus ſicarius, aut nouerca uenefica feſtiua. Sed de municipijs nunc non loquar, Quirites. Nam miſeri ciues me urgent, & ad ſe reuocant. nec me patitur charitas patriæ in alijs nunc uerſari rebus, de alijs negocijs apud uos dicere. Diſcrucior enim mehercule, tantam ciuium multitudinem ex opulenta & beatiſsima ſubitò, nulla ſua culpa, unius hominis importuniſsima crudelitate, egenam & infeliciſsimam concidiſſe. At bona iſta, quibus obſecro data ſunt? pauculis quibuſdam contaminatiſsimis prædonibus, ſatellitibus omni parricidiorum & ſacrilegiorum genere delibutis, perditiſsimis ciuibus, nequiſsimis ſeruis. Iſtis, Quirites, largitus eſt Sylla domos, fortunas, uillas, agros, prædia, bona miſerorum & innocentium ciuium. Præmium enim armorum ciuilium edixit fore, ut expulſa maneret ſuis agris plebs. Neq; enim aliter conſtitui rempublicam poſſe dictitabat, niſi uos omnes patrijs & auitis, maiorumq; ueſtrorum fundis & poſſeſsionibus deiecti, ſolum uerteretis, eaq; in mercedem bellorum darentur. Quibus? Tarullæ, ac Scyrrho, nequiſsimis & conſpurciſsimis omnium ſeruorum. Nam pudet, tædetq; exercitui oſtenſa eſſe præmia armorum. Deinde illi non minus, quàm nobis omnibus, illuſum eſſe. Quis igitur emit ex illa auctione quantum uoluit, & quanti uoluit? Quis uerius rapuit ex ea, neq; aliquid ſoluit, ipſo Sylla maleficijs omnibus conniuente? Ego uobis nonnullos edam, illuſtres ſanè uiros. Vectius Picens, obrutus ære alieno, inexplebili in rapiendo auaricia, perditiſsima in luxu prodigalitate. deinde P. Cornelius, ſcriba propinqui ſui. qui in auctione omnia quæ concupiuit, arbitrio & libidine ſua ſcripſit: calumniator innoxiorum ciuium, ſector bonorum proſcriptorum. Quis occupauit honores fortiſsimis debitos, & negatos militibus? Fuſidius, turpis ancilla, dehoneſtamentum ipſorum bonorum. Quænam igitur ſtrenuo exercitui pro uictoria ſunt data? ſteriles arenæ, duriſsima ſaxeta, paludes, & ſyluæ peſtilentes: in quibus excolendis & mitigandis, durior ſit, quàm in ipſa militia, labor. Hæc uolunt iſti non tangi, ne milites concitentur. At quis militum eſt, qui non omnia præter ſolam uictoriam mutata malit? Non timeo, Quirites tumultum aliquem militarem, ſi ueteribus poſſeſſoribus ſua reddantur, milites ipſi meliores in agros & fructuoſiores deducantur. Timeo potius, ne non diutius fortiſsimi milites tam inſignem, tam fœdam iniuriã patiantur. Quin & mihi permagna ex ipſo exercitu fiducia naſcitur, quem uideo cum ſua republica & patria, cum libertate conſpiraturũ. Quid enim per deos immortales aliud exercitus ille, per tot labores & uulnera, quàm tyrannum & euerſorem ſuæ libertatis nactus eſt? Quem illorum non putatis pœnitere, quòd in hunc tam infelicem triſtemq; euentum tantam operam nauarit? ut L. Sylla, occupata & oppreſſa uiribus atque opibus ipſorum patria, cædibus ciuium totam ciuitatem deformaret, tribunitiam poteſtatem contunderet, & confringeret: quam fortiſsimi illi maiores noſtri per arma & quæſierant, & recuperarant. Ecquem, Quirites, ex illis, qui manu prompti, uita innocentes, ſanctiq; ſunt, uidetis auctum & locupletatum? Omnia ſunt data ſocijs furoris, ſatellitibus, ſicarijs, carnificibus, miniſtris flagitiorum, adiutoribus libidinum, colluſoribus, compranſoribus, laternarijs, aduerſitoribus, mimis, hiſtrionibus, ſcurris: ijs deniq;, qui & pati & agere quicquid alijs collibitum eſſet, data mercede, nihil penſi haberent. An ex comœdiarum actione tantas opes collegit Roſcius? an ex ſuis mimis Sorex, ſaltator muliebris? an Bacchanaliorum cantibus Macrobius, homo leuiſsimus atq; nequiſsimus? & non potius ex illo gurgite, ex uoragine L. Sylla? qui bona totius huius populi, quæ ſunt infinita, unus potuit uniuerſa exhaurire, unus euomere ac effundere. cui nihil, nec ad rapinas nimis, nec ad largitiones ſatis eſſe poterat. Quem neque poſſeſsiones & fortunæ totius Italiæ neq; patrimonium publicum priuatumq; cuncti populi Romani ſatiare & explere, neque cædes tot ciuium placare & mitigare potuerunt. nec mirum, quum illa inſatiabilis Charybdis, alios propter ſe haberet Oceanos, qui uno momento imperium hoc totum, quod quàm latiſſime patet, abſorberent: & adhuc anhelantes, famelicíq;, alium etiam (ſi uſquam eſſet)

mundum expetentes, omnia rapinarum gratia confunderent, tumultibus miscerent, affligerent. Propter istos exulat tanta multitudo ciuium Romanorum, quæ nisi extur bata patrijs, auitis, & antiquissimis suis possessionibus ac sedibus, misere inops, egens, extorris peregrinaretur, negabat Sylla rempub. componi posse: id est, ciuitatem stare, & diutius incolumẽ esse, nisi ipsa suis ipsius sedibus & domicilio funditus reuulsa, aliũ in orbem perculsa & prostrata eijceretur. Hæc tẽpla deûm, hæc tecta, hanc curiã, hoc fo rum, hos muros incolerent fugitiui, ex media Asia & Græcia deducti: & perpauci ci- ues, homines commaculati & contaminati, similes per omnia ipsius Syllæ. quos nomi- nari ciues, ingens est ipsius ciuitatis dedecus. Quæ omnia ædificia mihi mediusfidius Quirites, gemere & lamentari uidentur, præ desiderio eorum, à quorũ maioribus fun- data & condita sunt. Nunquid non eiulare uobis, & plangere hæ domus uidentur, cùm ueros illos germanos dominos, intra se natos, quàm longissime exterminatos errare: impurissimos uerò sectores, impios parricidas, teterrimos sicarios & gladiatores, per- ditissimorum hominum manum adesse conspiciunt? Num non putatis, lapides etiam ipsos inanimes eiulare & plangere? cum pro uetere illa Romana sanctissimè uiuendi disciplina, pro frugalitate, innocentia religione, quas soliti sunt intueri: nunc intra se la- trocinia, parricidia ciuium, nefarias de uita & fortunis uniuscuiusq; nostrum negocia- tiones & nundinationes fieri contuentur. exerceri omne genus luxuriæ atq; libidinis, pollui sacra & prophana, nihil esse illorum spurcitijs & immanitati satis mundum, sa- tisq; sanctum. Quò igitur Sylla iussit habitatum ire pop. Romanum? quam in colo- niam hoc ipsum penè totum imperium deduxit? Exulate, inquit. Miseros nos, alibi uis esse Romam, quàm in Italia, quàm Latio? quę est igitur terra, quę capere & sustinere stir pem illorum poterit, qui cunctas gentes nationesq; sua uirtute deuicerũt? Hæc est mer ces, quam illis nostris maioribus turbo iste, & procella patrię reddit: pro incredibili con silio atq; uirtute, quibus duobus hæc quæ nunc uidemus, ex tam paruis ingentia fece- runt. Hæc est inquam merces, ut eorum proles exutæ dignitate, libertatæ, bene partis patrimonijs, toto orbe sine ullius misericordia dispersæ errent, egenæ, mœrentes, opis alienæ indigæ, oppressa patria, occupatis suis possessionibus ab hostibus nominis Ro- mani? Me Consulem Romanum tam indignam iniuriam populi Romani pati? Men' tam iratis dijs omnibus natum esse, ut quum beneficio uestro Consul sim, Quirites, non uos seruientes ad libertatem reuocem & reducam? Vos iniquissime in barbarissi- mas ferissimasq; gentes propulsos, quibus gentibus uestra bona Sylla dilargitus est, in uestra domicilia, in uestras sedes, ubi uos, ubi maiores omnes uestri nati & aliti sunt, non restituam? Solus esse, & Consul à meis ciuibus, si ignauissimi fuerint, deseri pos- sum: uitam tamen, ut Decij quondam, pater & filius, pro patria, pro populo meo deuo- uebo, dedamq;. Marius & Cinna si uicerunt, in eos qui armati aduersum se steterant, in- sultarunt: & quum ab iratis militibus, districtis semel gladijs, temperamentum & mo- dus seruari non posset, interfecti etiam sunt insontes nonnulli. At cuius bona in illa uic- toria uænere? quis est auctionatus? cuius sestertius datus? quis proscriptus? Non erant illi tam impudentes latrones: non didicerant tantum nefas, quantum Sylla ex Græ- cis, ex Asianis, ex barbarissimis & ab omni humanitate alienissimis edoctus est magi- stris, ut & ipse, quod ne in feras quidem fieret: hic in suos ciues, pudet dicere in popu- lum Romanum, exerceret: & sanctus seuerusq;, atq; adeò sæuus magister populi, præ- sentes posterosq; edoceret. Tria enim sunt in urbe in primis pestifera uicia, & capitalia scelera, Quirites: quæ sola ruinam atq; interitum (omnem amoliatur Iupiter) huic urbi minitantur, & afferre possunt: luxuria, auaritia, crudelitas. Hæc tria, Quirites, antea no- bis insolita propè incognita, ac inaudita, Sylla secum ex Asia in hanc ciuitatem impor- tauit: & uelut apertis scholis publice omnes iuuenes, senes, uiros, mulieres instituit. in quorum alimentum mirandum non est, si necesse fuerit tot Romanos ciues interfici, tot relegari, tot bona eripi, & diripi. Iam de filijs proscriptorum. An unquam quæso uos Quirites, fando auditum est? an ulla ætate cogitatum? ut filij non dico bonorum parentum, iniquissime tamen damnatorum, sed ne sceleratorum quidem pœnas darẽt, quum miselli nihil peccassent ipsi? Quid de bonis loquor ciuibus? fac etiam paren-

tes

tes ipſos aliquid criminis admiſiſſe. Cur unius crimen, nõ unius uita & pœna claudítur? Cur quod commiſit unus, tam multi luunt, duntaxat innocentes? Filij ſunt infantes, aut pueri, Quirites: quibus, ſi egeni eſſent, communi tamen ære eſſet ſubueniendum. Cur infelices, & peſsimis geniti fatis, per crudele latrocinium bonis nudantur, & priuantur? unde igitur alentur? unde educabuntur? unde peruenient eò, ubi reipublicæ uſui eſſe poſsint? Quid reſtat, niſi ut uel in illa tenera atq; imbecilla ætate, ſine ope cuiuſquam atq; alimento, conſumantur & extinguantur? Aut ſi beneficio aliquo deorum ad firmiorem ætatem peruenerint, coniurationibus, ſeditionibus, furtis, parricidijs tumultibus, hic in urbe omnia conturbent, extra urbem uerò mari terraq; latrocinentur? Quę quidem parentibus longe ſunt mille mortibus acerbiora. Adducite per deos immortales uobis in mentes, Quirites, filios ueſtros: an non millies malletis interire, quàm liberos omni ope defectos & deſtitutos delinquere? Propter quid igitur gerimus bella? quo uerbo ſolent nos Imperatores in acie cõmouere, & animos noſtros ad incredibilem uirtutem excitare? niſi illo, Memores eſtote milites liberorum ueſtrorum. At Sylla iſte, ſurda & immiſericors furia, quanto nos ſecius admonuit? Obliuiſcimini (inquit) Quirites, liberorum ueſtrorum. Illorum enim non aliam mentionem fieri uult, quàm ſi nati aut naſcituri omnino non eſſent. O uocem omni proſcriptione grauiorem. Patres enim aduerſos caſus ferre fortiter poſſunt: filios uerò ferre, id demum pati & ſuſtinere non poſſunt. Num tibi Sylla, quum tantam in alienos filios inhumanitatem exerceres, tuorum nõ ueniebat in mentem? Nec te illa cogitatio ad miſericordiam reuocabat, fortunam, calamitates, humanos caſus eſſe communes? talem te in liberos tuos inuenire aliquem poſſe, qualis eſſes in alienos? Nam quorum ætati etiam à uictore hoſte parcitur, eos tu Sylla ciues punis, nec illos modò, qui quum pueri ſint, malefacere & in aliqua culpa eſſe per ætatem nõ poterant: ſed eos quoq;, qui nondum nati ſunt. Quod iſtud eſt nouum & inauditum crudelitatis genus? Non ſunt adhuc geniti, & iam illis eſt pœna conſtituta, ut quum adhuc uita ſit incerta, ſupplicium tamen iam ſit certum. Hoc non eſt, niſi quædam modum & fidem ſuperans effrenata Syllæ rabies, & inexpiabile aduerſus hunc populum odium. Non enim ſatiatus erat morte, quæ eſt naturæ & malorum finis: non cruciamentis, quæ iracundia ſuadet: etiam in naſcituros mala & miſerias excogitauit. quis omnibus crudelitas & rabies eius non lenita & placata, ſed acerbius irritata & accenſa eſt. Careant patrimonijs. Durum, ſed neq; hoc tamen ſatis. Ne petant honores ciues Romani, ingenui, parentibus, auis, proauis, abauis, atauis, omnibus maioribus ciuibus Romanis & honoratis orti. Qui nam ergo tandem petent? Latrones & parricidę, Fuſidius, Tarulla, Scyrrhus, ex ultima barbaria deducti, ut magiſtratus eſſent, qui nunquam fuerant ciues: ut opes poſsiderẽt regias, quorum terga flagris adhuc ſciſſa ſunt, & uibicibus liuent. Niſi fortè aliud hoc non eſt, quàm honorum commutatio, ut iuriſdictionem urbanam prætor peregrinus obtineat. Nullós ne petierũt honores, nullos geſſerunt filij Appij Claudij Decemuiri, & M. Cornelij Maluginenſis, & Q. Fabij Vibulani, reliquorumq; Decemuirorum? Nullos filij aliorum, qui damnati ſunt, non quòd arma cepiſſent, ſed quòd regnum atq; tyrannidem in libera appetiſſent ciuitate? Memoria noſtra, quum illi Mariani uictores quàm poſſent atrociſsimè ſe de inimicis uindicare ſtatuiſſent, à quo unquam eſt facta mentio, ut filij exturbarentur patrimonijs, exterminarẽtur ſedibus, honores uel petere, uel datos liberis populis ſuffragijs gerere non poſſent? Sed nimirũ erant ruſtici atq; imperiti illi, nec Græcè ſciebant. Quanto doctior Sylla, & acutior? qui perſpexit, quo pacto etiam poſteri uictoriæ & dominatus ſui uires ſentire poſſent. Ne petant honores (inquit) innoxij, modeſtiſsimi, optimi ciues Romani. petant Thraces, Myſij, Phryges, Cares. ditentur, & dominentur iſti in urbe à ſe capta. petant, quos odio huius populi Sylla, ex inimiciſsimis huic imperio gentibus, furentes & armatos, in ciues inermes immiſit, ciuitate donauit: quiq; cum ſuo Imperatore ſanguinem & uiſcera reipublicæ helluati ſunt. Hic ex me quærat aliquis, quid tibi igitur in remedium tantorum malorum uidetur faciendum? Mihi uerò, Quirites, & optimo ac fortiſsimo cuiq;, hæc uidentur facienda. Primum ut ara & præſidium communis libertatis, tribunitia poteſtas deiecta & confracta erigatur, reficiatur, reparetur,

deinde iudicia de tota ciuitate, toti ciuitati ut communicentur. tum exules tam iniquè expulsi, in suas sedes reducantur. agri possessionesq́, quantũ fieri poterit, iustis & antiquis possessoribus uti reddantur. militibus aliunde prouideatur. labes illa reipublicæ proscriptorum tabella monumentum dedecoris, tropæum Syllę de hoc populo uicto, igniq́ atq́ (utinam fieri hoc posset) obliuioni tradatur. ut damnatorum à Sylla filij iure suis ac ueris possessionibus receptis, honores & petere possint & gerere. Neq́ hic ego rogabo uos, ut liceant ista, Quirites, nunquam enim desierunt licere. Leges nanque Syllæ, cõtra rempublicam per crudelem uim latæ (latas dico, quum nec fuerint rogatæ. neq́ enim ille uel hortatus est, uel consuluit populum) nihil habere uirium nec debent, nec possunt. Ad quem enim ille quum ea ageret, de republica referebat? quos in consilium adhibebat? Eos uultures, qui quum sanguinem nostrum exorbuissent, uisceribus, uita, bonis nostris se saturare cupiebant. Hoc est leges, quibus salus & uita ciuium ac sociorum omnium continetur, ferre? Hoc exemplum introduci in liberam ciuitatem patiemini? ut uictor solus cũ uno aut altero ex seruis suis domi suæ, quas uelit leges de capite, de fortunis ciuium, in æs incidendas curet, latas dicat, firmas ratasq́ esse iubeat. Quocirca solum rogo, Quirites, ut fiant hæc quæ dixi. Quæ cùm optimis ciuibus mirifice placeant, sunt tamen qui obuiam eunt. sed ij soli, qui in tenebris illis Syllanis, & penè perpetua reipublicæ nocte, tantum agrorum bonorumq́ occuparunt, quantum uel concupijsse impudentissimum esset. Et magnos oriturũ motus minantur. Per deos omnes immortales, per salutem uitamq́ huius imperij, liberorũ coniugumq́ omnium uestrum, Quirites, obsecro & obtestor, diligenter cũ animis uestris reputate, quæ illi, quæ ego dicam. & quod maxime salutare est huic imperio, quod remedium aliquod morbis affectæ ciuitatis affert, id demũ cõprobate, & accipite. Cedò quid isti dicunt? Forent existãt motus in rep. Nihil minus, quũ alijs omnibus tẽporibus, tum pręcipue hoc isto expedit: quo ciuitas uel minima turbatione agitata, periculum est ne imbecillitate sua corruat. Quo magis considerare operæpreciũ est, an si fiant ea, quæ ego suadeo, an quæ isti uolunt, motus isti excitentur. Principio tribunitię potestatis desideriũ, quis censet aut urbanas tribus hic in urbe, aut rusticas in agris, aut milites in suo illo miserando carcere diutius ferre posse? ac suæ libertatis obliuisci? quæ tota uigore illius magistratus constat, & continetur. quo infirmato & obtrito, necesse est non aliter communem se libertatem habere. Securi hic sumus omnes? nemo scilicet ueretur, ne si cunctemur populo custodes suos reddere, populus ipse caueat: & consulat sibi eadem, qua sui maiores, uia. Deinde iudicia, quis est iam in ciuitate quocunq́ ex ordine, pati qui possit? præter illos, qui nullo cum respectu religionis, & iuris iurandi, proiectissima cum audacia atq́ impudentia domos suas, per turpissimas corruptelas locupletẽt. Adeó ne surdi sunt, ut uoces & querimonias ciuium sociorumq́ non exaudiant? Tum exules quum sint tam multi honestissimi uiri, ciues Romani, ipsi uel coactis aliunde copijs, uel etiam soli (nam iustus conflari ex eis potest exercitus) num non patriam & bona, qua ui perdiderunt, eadem recuperabunt? nisi quod iustioribus armis redibunt, quàm pulsi fuerant. fortunas idcirco illis, & possessiones bona cum uenia reddendas censeo: & eos in integrum restitui. quę omnia alioqui bello repetent, armisq́ breui tempore extorquebunt. Sed hic uideo hærere cursum orationis, etiam uoluntatis atq́ alacritatis meæ, quo cursu ad opem ferendã patriæ, ad subueniendum innocentibus ciuibus festino. Multi putantur contrà censuri, & contrà uenturi: ij uidelicet, qui aduersum leges omnes, non ueteres modò, sed etiam Cornelias infinitum agrorum spacium, exclusis & exturbatis iustis dominis, non tam colunt, quàm occupant. Quo iure? Emerunt. Et ego profectò, Quirites, emi. quia aliter in crudelissima illa tyrannide tutus saluusq́ esse non poteram: nec ad meliora me tempora reseruare. Emi igitur: quoniam nisi emissem, suspectus Syllæ fuissem, tanquam parum probarem eius latrocinia. Et nisi emissem, mea statim uendita fuissent: ipse occidissem. Sed nunc precio recepto, ueris, iureq́ dominis omnia restituã. Ita ij omnes, qui emerunt, exemplum secuti meum faciant. Verumenimuerò, illis demum hoc magis dolet, illos urget, qui agros aut dolo occuparũt, aut ui inuaserunt, aut pro mercede flagitiorum & scelerum acceperunt. Qui nam sint isti, & quales,

quales ſtatim perficiam ne ignoretis. Porrò exercitui conſuli ex tam multis toto terrarum orbe publicis agris, aut qui publica pecunia emi poſſunt, commodius, utilius, iucundius, & illis & nobis eſt, Quirites. non expelletur datis agris uictor exercitus, ſed in malignam ſterilitatem, in ſaxa, in peſtilentiam, tanquam in carcerem & uincula crudeliter compulſum & detruſum, ex ea miſeria ſoluemus ac educemus: & in agros fortiſſimis manibus dignos mittemus, fertiles, amœnos, gratos, benignos. ubi ſenectutẽ condignam tam laborioſa iuuenta, quiete, & ſumma cum uoluptate agant. qui profectò ſi ex ergaſtulis illis, conſilijs & ope noſtra non eximuntur & liberantur, ipſi illa perfringent: quæq; nos dare noluerimus, uirtute ſua capient, occupabuntq; mercedem tantarum militiarum. Non eſt igitur meis cogitationibus metuendus exercitus, Quirites: ſed conatibus illorum, qui iniquiſsimam & inhumaniſsimam illam rerum omnium diſtributionem à Sylla factam manere uolunt, id laborant, & arte doliſq; multis cõnituntur. Qui ſint iſti, cognoſcite iam Quirites. Anteſignanus omnium P. Sylla L. Syllæ propinquus, & in ſceleribus germanus: qui ſe iactat ſatis pecuniæ ad emendam dictaturam collegiſſe, ſatis agrorum ad alendam coniurationem inuaſiſſe. qui quotidie mane in forum proditurus, domi prius cum uxorcula & colluſoribus computabat, quantum ad ſe ex illius diei eſſet auctione rediturum. Et L. Cornelius ſcriba Syllæ, qui ſic ſcripſit, ut poſſet iam fieri ex ſcriptore proſcriptor. hoc q; prodigium accedat ad tam multa, quæ per hoſce annos uidimus. P. deinde Antronius, ex Antronia puto Magneſiæ ciuitate: quæ locum dedit Græco prouerbio, quo ingentes aſini & ſtolidiſsimi homines denotantur. neq; enim alius eſt iſte præco bonorum laterum, quem ex antro ludi gladiatorij Sylla produxit: quod, ut ferunt, primo ictu petere uitalia, & hominem conficere probe calleat. Eſt & L. Catilina, quo homine nullus fuit poſt natos homines furioſior. qui non contentus Q. Cælium, M. Volumnium, L. Tantaſium crudeliter necaſſe, M Marium innoxium ciuem, & optime de populo Rom. meritum uobis ſpectantibus dilaniaſſe: ſororis quoq; ſuæ uirum Catullum, lectiſsimum & quietiſsimum ciuem, interfecit: deinde à Sylla petijt, ut inter proſcriptos referretur. cui Sylla nihil negare poterat, quoniam ipſe Catilina nunquam aliquid cuiquam denegarat, modò non eſſet honeſtum, & pudicum. Tum etiam bono carnificum Gallorum duci aliquid erat dandum. quanquam hic non tam habet quod relinquat, quàm quærit quod prædetur & rapiat. Huius enim unius luxuriæ tota hæc ciuitas, cum ſuo (ut dicunt) uictu & ueſtitu non ſuffecerit. Vectius Picens (immò Piceus. eſt enim atrior quauis pice) notus eſt omnibus. qui petijt à uobis, Quirites, præturam: quam quum nõ impetraſſet, factus eſt à Sylla decempedator ad forum Cornelij. in quo munere, cùm propter ſordes & rapacitatem manus eſſent ei à ueteranis allatæ, ſpectaretq; res ad extremum diſcrimen, abiecta decempeda, intempeſta nocte confugit ad Syllæ ganeam: eius deſiderium negabat diutius ſe poſſe perferre. Hic intus ſibi omnia decempedauit. quæ ſi uoluerítis metiri uulgari iſta ueſtra decempeda, pœnitebit uos tam bonum authorem menſurarum ædilem non creaſſe. Q. Fuſidius, cognomento Fides, bene notus, ad Ianum medium iurat, ſe ne pedem quidem relicturum illius ſui uaſtiſsimi agri, quem ſe pro mercede laborum in prætura accepiſſe dicit. in quo magiſtratu ſatis bonam nauauit & cautam operam, ut tabellæ iudicum corrumperentur, iudicibus etiam non admodum inuitis: quoniam gratuitò nihil erat faciendum. niſi fortè hic negare audet, quod omnibus manifeſtum eſt, ſibi pro ſtupri mercede tanquam pro dote agros eſſe illos aſsignatos, ex quorum fructibus exire alieno ære quum potuiſſet homo frugi, & fidei liberalis, maluit fidem fluere quàm pecuniam. fidem dedit, pecuniam retinuit. Non poſſum tacere de Tarulla, ne inuidiſſe uidear honori Syllę. hunc enim quòd Græcis conuiuijs præfuiſſet, nequitiam q; Greculam bibendo ſuperaſſet, magiſtrum equitum uoluit Sylla dicere: ne equites meliorem multo haberẽt magiſtrum, quàm populus. & feciſſet, ſi potuiſſet eum ſoluere legibus, quem nullę unquam leges tenuiſſent. Hic pro magiſterio equitum contentum ſe eſſe dixit quinq; millibus iugerum agri Venafrani, Campani, Setmi, immunibus. Nec eſt prætermittendus Q. Fundanus, cõſiliarius L. Syllæ, qui conſcius ſibi ſuorum tantorum ſcelerum, quo die Sylla dictaturam depoſuit, ſuſpendere ſe uoluit.

quumq; ab amicis impediretur, hac conditione se seruauit, ut in primum tumultum parata esset ad hostiam nauis. Neq; enim dubitabat, ut ratio ipsa & æquũ postulabãt, quin Sylla priuato pop. Ro. & de Sylla ipso, & de omnibus illius pestis & furiæ socijs pœnas repeteret. nunc recreatus ferocitate, se agros quos tenet defensurũ minatur: quando quidem pop. Ro. tam mansuetus est, seu meticulosus potius. Est & L. quidam Luscius, laternarius Syllæ, ante uictoriam inops & egens sicarius, post uictoriã opulentus Centurio. amplius enim quàm centies possidet, hirudo illa cruoris & bonorum ciuilium. Istum præfecit Sylla gregibus exoletorũ & scortorum. sed ea lege, ne illos ita desereret ac proderet, ut Turpilius auunculus eius, præsidium nostrorum militum Vaccæ. Ipse curaturum se commissa, ac seruaturum recepit, bona (ut dicit) fide: modò non offeratur tanta pecunia, quantam T. Turpilius in Numidia à Iugurtha acceperat. Hic occupat latissimum agrum, stipendium ducatus & præfecturæ suæ, non contentus bonus pastor usufructu sui gregis, communi cum Sylla dominio, præmium etiam non ferendæ temeritatis & audaciæ, quod hic medio foro, luce & palàm, ut proscriptos à Sylla mactaret, impetum in globum ciuium faceret nõ dubitauit. Et sauciatis aliquot ciuibus innocentibus, non proscriptis, illos alios ad mortem uulneratos, ueruntamen adhuc spirantes, tractos per pedes in Tyberim præcipitauit. Propinquus eius M. Fonteius, ciuis non usq; adeò malus, solet illum admonere: L. noster, bona uenia, cõtra leges omnes possides tantum agri, etiam contra legem tui domini. Si contra legem, inquit, Corneliam: nõ contra legem Luscíam. Oro uos, Quirites, prodeat huc iste Luscius, si modò aperire oculos, & ex tenebricosa illa popina lucem splendoremq; intueri sustinet: doceatq; nos omnes, quæ nam sit ista Luscia lex, de agris & bonis ciuium tam liberalis. Scyrrhum non noui, gladiatorem (ut aiunt) multarum palmarum. quem in Thessalia ferunt fuisse cauponatorem, postea Ephesi & Trallis retiarium sæpe depugnasse. quos habet agros equitum Romanorũ fortissimorum uirorum, omnes nouimus. Sequitur grex histrionicus: Roscius Comœdus, quem Sylla equitem Rom. fecit, quòd egregiè in conuiuio saltasset. qui postquam egisset comœdias, libenter quoq; accommodabat personam suam tragœdijs. Sorex, festiuus mimorum actor: quem Sylla, quum esset ebrius, capitibus ciuium & possessionibus donabat. Est inter eos Macrobius nescio quis, qui non minus peritus esse dicitur Aphrodisiorum, quàm Bacchanaliorum. Puto me aliquem praeterijsse. Sed isti sunt principes possessorum. En cum qua manu, cum quo genere hominũ nobis & populo Romano res erit? negocium certe asperum atq; difficile, & pertimescendum bellum, si ullum excitetur. quod Consuli & bonis omnibus, cum perfidiosis, cum stolidis, uanis, sumptuosis, seruis ebrijs, histrionibus nequã, ijsq; omnibus duodecim, aut ad summum quatuordecim gerendum est. quibus ego nõ dico acies & signa populi Romani, sed unum alicuius boni & fortis prætoris edictum si ostendero, uniuersi mehercule concident. Nam ex nobilitate non credo aliquem tam uæcordem, tam insana esse mente, qui se iusto populi Romani dolori obijcere atq; opponere, qui commoda patriæ oppugnare aut tentet, aut uelit. præsertim quum uideant, me nobilissima familia ortum, causam pop. atq; adeò totius reipublicæ suscepisse, ac defendere. tum etiam, quod nobilitas his nostris actis dignitatem retineat, libertatem recuperet. Collegam meum aiunt paulum esse animo uel turbato, uel offenso. Forsan uenit ei in mentem fratris sui, & M. Marij, & totius illius tragœdiæ. Si potero, placabo eum reipublicæ: sin minus, iratum mihi contemnam, infensum libertati atq; utilitati publicæ cohercebo: ne obesse possit, si prodesse noluerit. Cn. Pompeij uoluntas, Quirites, mihi cognita atque perspecta est, semper ad commoda uestra erecta atque excitata, & ad meam dignitatem totiusq; huius imperij, fide beneuolentia singulari. qui quum ita natus atq; educatus sit, quũ id specimen suæ uirtutis dederit, dubitare nec potestis, nec debetis, qualis erga curam libertatemq; reipublicæ futurus sit. Id nunc maxime, quum si qua illi erat cum Sylla necessitudo, nõ solum ea morte Syllæ dissoluta est, sed etiam iniquissimo & turpissimo Syllæ facta & conuulsa testamento. Fuit testamentum, Quirites, L. Syllæ simile totius uitæ, & omnium actorum, inimicis blandum & adulatorium, amicis seuerum, acre, asperum, immite, reliquit multa ijs, à quibus pessimo habebatur

tur odio. Pompeium clariſsimum iuuenem, modeſtiſsimum atq; integerrimum, & cui ſalus ſua non minus quàm reipublicæ ſemper innixa eſt, impudentiſsimè atq; ingratiſsimè præterijt. Nec mirum. quippe ſi uiuere diutius inuidioſiſsimæ illi furiæ licuiſſet, iuuenẽ optimè de republica meritum, ſi non gloria rerum geſtarũ (neq; enim hac poterat) dignitate certe, & omnibus opibus ſpoliaſſet, uita denicq; ipſa priuauiſſet. Neq; enim erant occulta, quæ fax illa, & peſtis patriæ, in optimi cuiuſq; perniciem animo & cogitatione deſtinarat. quorum maximam partem perfectam uidemus. De Pompeio igitur bonum habete animum, Quirites. pro illo nanq; auſim reipublicæ bonisq; omnibus ſpondere. Atq; hæc quidem de exulibus, deq; illorum agris. De liberis proſcriptorũ eadem à me putate eſſe, Quirites, dicta. ab illis enim pueris ac iuuenibus, quot exiſtimatis quotidie naſcituros in ciuitate motus? quot tumultus iri excitatum? niſi reſtituantur eis à maioribus ſuis relictæ hæreditates, ſua patrimonia ac bona, quibus ſe alere & ſuſtentare poſsint. & ſimul cũ bonis relicta quoq; ab ijſdem maioribus, à Sylla iniquiſiſſime & per inauditam iniuriam erepta ipſis honorum ſpes & ratio comitiorũ. Iam quæro ex illis, Quirites, unde metuenda pericula? unde timendi motus ſunt? ex eá ne parte, ubi ſunt quinq; aut ſex magnarum ſeditionum & armorum ciuilium ſemina: an ex ea, ubi omnia ſunt æqua, iuſta, manſueta, benigna, plena amoris atq; concordiæ: ubi reſtinguitur omnis armorum incenſa fax? ſedatur animorum omnis concitatio? omnisq; bellorum tempeſtas & procella? Attendite quæſo, & reputate ſingula, Quirites. nolo enim cuncta ſimul, etiam quæ minus placeant, propter unum aliquod aut alterum quod placeat, accipere cogamini. Maneat ſemper uis illa Cæciliæ & Didiæ legis integra. nullus eſt, qui tam ueſtram libertatem quærat & curet, quàm ego. Conſulari erga uos animo, fide, charitate, omnia hæc dico. Non reſtituitur tribunitia poteſtas. hæc una iam olim apud quietiſsimos & ſanctiſsimos maiores noſtros, cauſa bis induendi contra ciues arma fuit. Sermones exaudiuntur ad arma, ad ſeditionem, ad bellum ſpectantes, & concientes, multorum minantium, ſi non detur æquum, ſe iniquum etiam ablaturos: pro tribunitia poteſtate, aliud ſe maius & fortius creaturos, quod frangi & diſturbari non à quouis uictore tyranno facilè queat. Reſtituo, quod iure poſtulatur, & repetitur. An nõ hoc facto animos illos iratos & tumidos reſidere facio? ora claudo? iratos reipublicæ placo? & ſpeciem illam ueteris libertatis populi Romani reddo? Non communicantur iudicia, frendet ciuitas, res eſt per ſe iniqua, deinde indigna: quia tam fœde per hoſce annos iudicatum eſt. Turbas & ſeditionem cogitant & ſpirant, cõmunico. An non hanc ſeditionem tollo? Non reducuntur exules: hoc uelut claſsicum eſt belli ciuilis. molientur enim illi, & conabuntur armis in patriam reſtitui, qui armis eiecti ſunt. Reduco. Num non ſpiritum & uocem hanc tubæ comprimo? An non hanc uim debilito? & arma ex eorum manibus demo ac detraho? Nónne præſtat ultro dare, quod ui alioqui exprimendum ſit? & efficere, ut qui accepit, in beneficij loco numeret, quod erat tibi inuito erepturus, atq; extorturus? Non redduntur agri, de agris contentio neceſſariò eſt ad manus uentura. Reddo ſine iniuria cuiuſquam. An non acerbam iſtam cõtentionem mitigo? & omnem belli occaſionem aufero? Non permittitur liberis proſcriptorũ honores petere, non redduntur bona, partim pueri iam ſunt, partim adoleſcentes, creſcent? & quod dicere reformidat animus, uehemens in ciuitate incendium ſuſcitabunt. omnia enim armatis dantur, quum negantur iuſta. Permitto petere, reddo bona. Vt de agris dixi, nónne flammam hanc iuſtiſsima & mitiſsima aqua reſtinguo? Hæc igitur mea, Quirites, an illorum uoluntas & ſententia pacem, quietem, ocium, libertatem, ſalutem reipublicę affert? Videtis hæc quę uobis ſuadeo, quàm iuſta, quàm æqua, benigna, ſalutaria, quàm neceſſaria ſint. Videtis hoc unum eſſe remediũ, propè deſperatę ac comploratæ reipublicæ: & præter hoc nullum. Quod igitur felix, fauſtum, proſperumq; ſit mihi & collegæ meo, uobis Quirites, totiq; reipublicæ: Senatus populiq; Romani Quiritium, uelitis Quirites iubeatis, primum tribunitiam poteſtatem in uetere dignitatis & iuris gradu reponi: idemq; facultatis, potentiæ, iuris, poteſtatis, libertatis habere, quod habuit antè L. Syllam & Q. Pompeium Coſs. deinde iudicia omnibus ordinibus eſſe communia, ut ſuffragijs ueſtris liberis, comitijs centuriatis ex toto populo deligan

tur iudices, ex singulis tribubus quini deni, qui illo anno de rebus, litibus, cõtrouersijs, criminibus, quæstionibus ciuium, sociorum, stipendiariorum, exterarum gentium & nationum, quæ ad iudices deferri ac spectare solent, cognoscant, iudicent, ut lege Plautia iudiciaria cauetur. Tum quos L. Sylla exulare iussit, restitui: illisq; suas pristinas possessiones, precio ijs qui emerunt soluto, reddi. Postremò filios proscriptorum in suis bonis, fortunis, patrimonijs collocari: rationemq; illorũ in comitijs haberi. Per cuius uim, dolúmue, fraudémue steterit, quo minus hæc postquam à populo scita, rata, accepta, iussa fuerint, fiant: eius hominis caput, quocunq; sexu, quacunq; ætate, quacunq; conditione fuerit, liber, seruus, magistratus, priuatus, sacrum sit Ioui: bona & familia, liberi, liberæq;, in arbitrio ac potestate sint pop. Rom. Quiritium.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI
Syllanarum declamationum finis.

M. FABII QVINTILIANI DECLAMATIO, PARIES PALMATUS inscripta.

ARGVMENTVM.

QVIDAM, cui erat filius cæcus, quem hæredem instituerat, induxit illi nouercam, iuuenemq; in secreta domus parte sepositi. Is noctu, dum in cubiculo cum uxore iaceret, occisus est. inuentusq; postero die, habens gladium filij defixũ in uulnere, pariete ab ipsius ad filij cubiculum uestigijs palmæ cruentato. Accusant se inuicem cæcus & nouerca.

PRO CÆCO CONTRA NOVERCAM.

SI IVVENIS innocentissimus, Iudices, uti uellet ambitu tristissimæ calamitatis, poterat allegare uobis amissam cũ oculis cogitationum omnium temeritatẽ. sed cùm ostendere innocentiam suam moribus malit, quàm aduersis, neq; pietatis, neq; conscientiæ suæ grauẽ ferre contumeliam potest, ut parricidium nõ fecisse uideatur beneficio cæcitatis. Quare igitur non petit, ut illum miserum putetis, nisi & innocens fuerit. nõ petit, ut afflictum alleuetis, nisi & probauerit sese infeliciorem, quòd patrem amisit, quàm quòd oculos. Æstimate iuuenẽ ijs moribus, quibus uidentem æstimaretis: uita, pudore, pietate. Quæ si omnia sibi, ut erunt promissa, constiterint, nullo terrebitur crimine. Nec quod sceleratissima fœminarum calamitatẽ nostram cruentato pariete imitata est, expauescimus. Quo diligentior, quo solicitior fuit, ne deprehenderetẽ: hoc magis indicauit, sibi oculos non defuisse. Gratias agimus, quòd nimiũ auide suspiciones in nostram trãstulit partẽ. Non esse cæci scelus, difficilius probaretur, nisi omnia sic acta essent, ut fecisse cæcus uideretẽ. Quare igitur, Iudices, nõ improbè sperauerim futurũ, ut suspecta sint uobis, quæ tam inconsiderate ficta sunt contra miseram cæcitatem? Primum, quod spaciũ illud ingens domus, quod in medio fuit, ita digesto cruore satiatũ est, usq; ad cubiculum miserimi iuuenis, tanquam planè timuerit parricida, ne nõ deprehenderetur. Deinde, sceleri nox potissimũ electa, quo tẽpore inueniri maritus sine uxore nõ posset. Tum in cæde, in qua nemo utitur ferro, nisi alieno, gladius adolescentis, ne argumentũ deesset nouercæ, relictus est. Postremò peractũ uulnere uno scelus, quod obijceretur manibus erantis. Et tamen contra tam multa incredibilia, solum aduocat nouerca testamentũ: uultq; illud esse preciũ parricidij. ut rerũ intellectu in diuersum coacto, occisum eo probet patrem,

trem, quo meruerit nō occidi. Nos uerò iſtud (ſi crimen putatis) agnoſcimus. Iuuenis hic patris ſui hæres ſolus eſt. Hoc teſtamentū, ſi uiuente adhuc miſerrimo ſene notū eſſe in domo potuit, ſcitis, quis illi debuerit iraſci. Nā quod inuiſum fuiſſe filiū patri iactat, crimen nouercæ erat, ſi cōfiteremur. Idq; probari ex hoc putat, quod nō ſecretum filius accipit à patre, ſed cæcitas. Quo loco diſſimulare ſatis callide conatur inuidiā ſuam. Pater qui filium cæcum in ſemota penatium parte ſepoſuit, eripuit nouercæ oculis uoluptatem. Nanq; iſta cùm inuaſiſſe uacuos penates uideretur, cùm pater filium cæcū hoc eſſe crederet, quod orbitatē, excogitauit indulgentiſsimus ſenex, quemadmodum hic miſer patri ſuo in eadē domo eſſet, nouercæ in alia. accepit ſecretum, quod erat petiturus. Quo ſit animo ſenis factū, poteſtis interrogare teſtamentū. Neq; ego grauiſsimū patrem ſuprema ſua iuueni iactaſſe crediderim, ut hæredē filium ſcriberet. non eſt res quæ imputetur. Iſtā magis oportet uel aliquo indicio, uel ſuſpicione muliebri arcana mariti deprehendiſſe, & ſtatim omnibus nuptiarū renunciaſſe pignoribus. Nam cùm propter pecuniam ames, idem amoris & ſpei finis eſt. Habuerat adoleſcens gladiū in cubiculo ſuo ſemper, ſiue antequā in hanc fortunam incideret paratū: ſiue quia cæcitatis miſerę ſolatium eſt, habere rem uidentiū. Certe nunquā illum pater timuerat, nunquam nouerca obiecerat. Palàm poſitū eſt ſub oculis omnium, tota domo notiſsimū fertum. Scitis quanto negligentius cuſtodiat ferrū bona conſcientia, quàm etiam extra ſuſpicionē ſitres ſine uſu. Innocentia facit, ut ferrū ſubtrahi poſsit etiā uidenti. Siue igit aliquis ex ſeruulis corruptus eſt, præſertim etiam facili occaſione: ſiue ipſi nouercæ non defuit audacia ad auferendum, quod facere poterat etiam præſente priuigno, utiq; (quod dubitari nō poteſt) quod facit certum ſceleris authorē, mauult in cæde alieno uti q; ſuo gladio quiſquis illū relicturus eſt. Reliqua Iudices ſi fieri poſſunt, facta exiſtimate. Dicitur cæcus ſine rectore, ſine duce, ex illa penatium parte ſecreta, & penè ex alia domo, per inane longum, per tot offenſa limina, per excubātes ſeruulos erraſſe cum ferro. cubiculum patris deinde ingreſſum, in neutram deflexiſſe partē, ſed recto gradu, ſicut ducere oculi ſolent, ad lectulum acceſsiſſe leuiter, non in thorū incidiſſe, non antè perueniſſe quàm crederet. Vos, Iudices, criminum tumultum ex rerum fidè ducite. Dormiens ſenex, quò cæcus percuſſor quęreret, excitatus antè eſſet quàm inueniretur. Iungūt his multò incredibiliora, ut occiderit patrem, pepercerit nouercæ. parricidium aūt uno ictu explicuerit: quod ferè uix etiam ijs cōtingere ſolet, qui oculos manu ſequuntur. Nulla ergo lumen uirtus, ſed homo ferrū miſſurus in caſum ſatis felix, ſi percuſsiſſet quancunq; partē corporis, in ipſam protinus animā incidit: & an morti ſatisfeciſſet, intellexit. Officiū, Iudices, oculorū eſt, renunciare manibus quid actum ſit. cęci percuſſoris una ſecuritas fuerat, ſæpius ferire. Negat præterea quicq; ſe ex his nouerca ſenſiſſe, cùm iuxtà iaceret: nec explicat unde illud acciderit, maximæ ſignū trepidationis. Si & pater uno ictu perierat, neq; iſta uigilabat, nunquā gladium reliquit percuſſor ſecurus. Reliqua, Iudices, nimiū ſuſpecta, improbè aſsimulata. Spacioſus paries, & longiſsimū domus latus habuit notas ſanguinis, quas reliquiſſe uideretur manus reuertentis. O quàm bene quicquid uolunt, imitantur oculi. Stupeo (ſi qua eſt fides) omnia priuignū illa nocte feciſſe. Dicitur ad uotū nouercæ gladiū in uulnere reliquiſſe, quē ſuum negare non poſſet. Deinde per totum parietē quid aliud inſcripſiſſe, quàm ſe parricidam: ſanguinē patris uſq; ad cubiculum ſuū perduxiſſe, & uiam ſequentibus reliquiſſe? Hoc fecit aliquis negaturus? Gratulor tibi adoleſcens, ſi nō potuiſti parricidium illud admittere, niſi ut relinqueres argumentū cæcitatis. habuiſti innocentiæ neceſsitatē. Cauſam igit miſerrimi adoleſcentis ſic apud uos agere propoſui, ut primū ipſum defendā, quaſi reus tantū ſit. deinde cū eſſe ſecurus de huius innocentia cœpero, tunc ingrediar nouercæ accuſationē. Spectabitis utrunq; ſuis moribus, ſuis cauſis, eritq; facilior uia ueſtrę religionis. Quanq; duos iudicia cōplexa ſint, uos tamē tanq; de ſingulis cognoueritis. Et primū ſic agā, tanq; iuuenis habeat oculos, tanq; impetus eius nulla corporis debilitate frāgat. Interrogabo quid antè perdite, quid flagitioſe, quid impie fecerit, per quæ ſe parricidā ſcelera promiſerit. Innocētia per gradus certos ab homine diſcedit: & ne in maximis trepidet audacia, diu uires in minorib. colligit. Nemo inde cœpit, quo incredibile eſt peruenisſe. Dicas neceſ-

se est, quæ huic cum patria odia fuerunt, quàm uiolenta dissensio inter sacrorum infinita nominum pignora. Crede mulier, etiam tua causa. Nam si facile est filio occidere patrem, facilius uxori maritum. Loquar nunc de infirmitate cæcitatis, miseræ cæcitatis. Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur: & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum, ad solum se alligant destituta mœrorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timidus, non concipit nefas, ad quod ducibus oculis peruenitur. Cogitat semper errare & offendere, cogitat eundi redeundiq; difficultatem. Magna innocenti necessitas est, neminẽ facilius posse deprehendi. Semper se custodiunt miseri, ne esse miserabiles desinant. & quisquis amisit oculos, laborat ne meritò perdiderit. Quid aliud cæcitas discit, quàm rogare, blandiri? Odium omne adiuuant oculi, & hunc in pectoribus humanis furorem lumina accendunt. nec leuis animis accedit insania, quoties quem execreris aspicias. Cęcus miserior est, quàm ut inuisus sit: timidior est, quàm ut oderit. Præterea nocentibus liberis frequentissimas ad parricidium causas suggessit illud, quod uidebant. Vitijs enim nostris in animum per oculos uia est. Alijs tradidit in parentum sanguinẽ luxuria ferrum: luxuria uidentium crimen. Alijs meretriculæ amor immodica poscentis: amor, cui renunciant oculi. Cæcus infelix patrem occidit, deinde cui manum porriget securior? cuius humeris leuior incumbet? quis cõtumelias seruorum castigabit seuerius? quis calamitatem tam obnoxiã maiore reuerentia proteget? Inter felices alius est ordo uotorum. Cæcus filius optat superstitem patrem. Volo nunc scire, quemadmodum dicat explicitum tam difficile facinus. Cæcus parricidium cogitauit, cum quo? cuius se commisit oculis, iturus per totam domum? quem ducem elegit ille, qui erat in cubiculo suo solus? Secum (opinor) secum deliberat. Sufficit sibi, cum homine expeditissimo loquitur. Cur enim socium conscientiæ quærat? omnia potest scire. Primum, nox quando sit, deinde prospicere solicite, an omnis familia dormiat. gradu suspenso ponere certa uestigia, & in omnem timoris sui partem sollicite circumagere uultum. O quàm parum est in metu, ipsos etiam oculos habere. Ita non iste sibi dixit? Occidere quidem patrem uolo, sed quem sequentur hæ manus? nocte solus egrediar, sed quando perueniam? putas nos iunctis habitare liminibus? domus inter patrem, filiumq; media. quantum erroris, quantum moræ spacium? ingens, & uix metiendum. Cæcitas inconsulta quid agis? nox antè deficiet. Quid si deinde uterq; uigilauerit? quid si nouerca? Age, limen inueniam, cardinem sine strepitu mouebo, dormientis cubiculum intrabo, quiescentem feriam patrem, semel satis erit, nec nouerca uigilabit. Securus egrediar, sciente nullo reuertar. Vota sunt ista: sed oculorum. Cæcus desperaret, etiam si tam multa nox polliceretur. Hoc loco quæram necesse est, quæ ratio fuerit, ut iuuenis ad parricidium suo potissimum gladio uteretur. Nimirum illud in mentem uenit, quia erat relicturus. Nam si alienum & ignotum in uulnere patris gladium reliquisset, potuerat de percussore dubitari. Hic attulit suum, ut etiam si euasisset, tamen ferro suo teneretur. Cur ergo, inquis, gladium in cubiculo tuo habebas? quia habueram semper: quia usurus illo non eram. Ferrum ego parricidio me tot antè annos præparaui: & secundum illum quem minabar patri, tamdiu innocens fui. Ego eram ferro ac mente paratus, & tot abiere nocte, antè gladium illum familiarem oculis tuis feci, antè omnibus seruulis notum. Pependit in cubiculo tanquam testis conscientiæ meæ, palàm in medio, negligenter, sic ut subtrahi posset. Non illum conscientia trepida uelauit: tam notus in cubiculo fuit, quàm cæcitas domini. Quisquis ferrum præparat sceleri, sic illud habet, ut possit suum negare. ponite nunc ante oculos actum parricidij, deprehendetis difficultatem. Dono illud, dum à suo limine egreditur, dum illos quos accepit à patre seruulos fallit. ecce cubiculum senis inuenit aliquando, ecce paries ille defecit, & percussoris manus subitò destituit, cessere fores sine strepitu. Quid postea agit? Vtrum ipsum cubiculi parietem circuit, an se committit in medium, & per spacia tenebrarum armatam manum iactat? Ecce patris lectulum tenet, etiam dormientium anhelitus imminens audit. unde sciet, quò dirigat ferrum, quem potius feriat ex duobus? Tentauit ergo uultus & pectus obiectum, breuissimam perituræ animæ uiam quærit. & quantus erit sopor, qui ista non sentiat?

tiat? Dices, Neq; ego sensi. Ideo intelligis, quàm malam causam habeas, cuius & una & incredibilis defensio est. Ita feritur in sinu tuo maritus, & tu nihil sentis? Ad latus tuum fata hominis peraguntur, tu taces, tanquam priuignus te occiderit priorem? Ita non ille percussus est homo, quem cæcus occidit? Te uerò (si nihil aliud) calens ille cruor denicq; suscitasset. Sed quàm manifesta est conscientia, quæ te compellit ad hanc necessitatem? ut cùm occisum à priuigno tuo patrem uideri uelis, cogaris dicere nihil sensisse? Sufficit, uicimus, innocentes sumus. Cùm in eodem lectulo fueris, cùm amplexa sis forsitan illum, qui occisus est, tam incredibilem profiteris soporem? Cur ergo tu incolumis es? quæ tam iratis manibus sanguinẽ tuum fortuna subtraxit? Certe dormiebas, certe nihil senseras. Ita priuignus te reliquit, qui deprehendi non timebat? Occidit ergo aliquis patrem, & nouercæ pepercit? Maximum omnium nefas fortiter fecit, minori sceleri statim par non fuit? Omnia humana sacra confudit. uiolare non est ausus pectus odiorum? Incredibile est, sine fide est, non occidere nouercam, cui imputes quòd patrem occiderit. Quid ais adolescens? tú ne circa illum sanguinem defecisti? illa te blandius rogauit anima? Perdidisti ergo illud, quod nihil senserat, quod nox, quod silentium, quod tempus supererat sceleris alterius? Tu si facere parricidium posses, ideo patrem tantum occidisses, ut tibi & nouercam liceret occidere. Non uideo cur uideri uelint relictam mulierem. Ideo tantum, ut uideretur illud nefas illa fecisse, calide satis. Sed hoc alio protinus argumento subuerteretur. Non est eiusdem consilij nouercæ parcere, ut substituat ream: & gladium relinquere, quo ipse deprehendatur. Sæpius uti necesse habeo argumento cæcitatis, & hoc etiam loco, quo de illo uulnere disputandum est. Mehercule si percussor intrasset, qui uideret, qui lumen præ se tulisset, non tamen tam feliciter liberasset ictum. quem etiam si nullæ fallerent tenebræ, metus & conscientia incertum, magni sceleris tristem moræ fecissent. Rarò contingit semel ferire carnifici, quamuis componat ipse ceruicem, & exercitata manus homicidiũ nouissime, uelut quoddam genus artis exerceat. Si ergo librauit manum Cæcus, ut ipsam protinus feriret animam: ego mehercule etiam illud admiror, quod cùm patrem uellet, non nouercam percussit. Præter animum nihil uirium habet parricida. Primus ictus ille trepidat, ille cogitat, ille erubescit, ille est ab innocentia proximus: præstat hoc solum, ut sequens fortius feriat. Interrogare nunc uolo, quæ iuueni causa fuerit, ut reliquerit gladium. Scilicet noluit nouercam suam infamari. Abstulit sibi omnem defensionem, & se parricidam confessus est, ferrum in uulnere reliquit. Si nondum occiderat, iterum feriret. Si iam perfectum nefas intelligebat, auferret indicium. Sed quid ego rem manifestissimam colligo? Si uultis scire Iudices, à quo sit relictus gladius, cogitate, cui expedierit ut inueniretur. Sed paries usq; ad cubiculum priuigni, uestigio manus cruentatus est. Cogitate Iudices ante omnia, non esse incallidum hominem, neq; consilij iacentis, qui cæcus explicare conetur facinus, & oculis difficile. Ille ergo non æstimat, cùm manum cruentam parieti applicat, uestigium à se parricidij sui relinqui? cùm dexteram, qua duce utebatur, uestę tergere, atque ita abire sine uestigio posset, totum parietem cruentabant, & ubiq; aliquid de patre misero relinquebat. Quid futurum esset postero die? quantam expectaret inuidiam? Lucem non cogitabat, sed disponebat indicium certum, indubitatum, sine errore, quod nouerca sequeretur usq; ad cubiculum suum, usq; ad limen ipsum. O admirabilem casum, nec cruor antè defecit. Vtar hoc loco natura ipsius rei. Palmatus sanguine paries inuentus sic est, totam manum explicuit, omnes digitos diligenter expressit. Totum ergo sanguinem consumeret inter prima uestigia. Pone enim manum cruentam, atque adeò (ut istis etiam blandiar) madentem, pone mensuram itineris, spacium parietis (diu enim in secretam domus partem reuertendum est) debet proxima pars à cubiculo patris habere plurimum sanguinis, sequens minimum, ultima nihil. Nam cruor quoties admotus est, transit, aut in manu tarde reptantis aresçit. Hoc quid esse dicamus, quod circa cubiculum utrumque sanguinis istius uestigium quasi incipit? hinc est paries palmatus, & illinc? Quomodo pertulit manus, quod relinquebat? Nouerca istud, nouerca securis composuit oculis, illa miserum dextera sanguinem tulit, & manum subin-

de renouauit. Palmatus est paries, habet distantiam, uacat aliquid loci, integrum ubique uestigium est. Cæcus manus traxisset. Quæro nunc, unde tantum sanguinis in manu? Tunc enim ex omni uulnere cruor profluit & effunditur, cùm ferri recentem uiam sequitur. At quoties eodem, quo factum est cluditur telo, latet tota mortis inuidia. Præterea cùm manus ex parte, qua palmare uestigium potest, plicetur in capulo, & se dum telum occupat claudat, necesse est exteriore ut parte respersa sit. Tuus aũt qui palmatus est paries, uestigium eius partis ostendit, ad quam cruor peruenire non potuit. Vestrum est, nunc omnia ista comparare: perpendere, cur prudentior sit iudex in deprehendendo scelere, quàm reus admittendo. Hoc esse in causa puto, quòd alter tantum pro se cogitat, alter pro parte utraq; Tuitus sum adolescentis miserrimi causam. nunc inspicere uolo, quanto certioribus argumentis nouerca teneatur. Transeo illum uulgarem & omnibus notum de comparatione personarum locum. Alius diceret, maritum & uxorem nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum uinculis inhærere. Ego illud potius dicam: Decepta est mulier expectatio tua. Veneras quasi in uacuam domum, & sine hærede. Expectaueras, ut infelix iste iuuenis, ab ipsis protinus nuptiarum tuarũ expelleretur auspicijs, extorrem & inopem summoueret pater blando corruptus amplexu. & omnino summam calamitatem corporis occurrere delicatis uxoris oculis deuetaret. Inueniſti pium & deuotum unico senem, & de omnibus coniugis tui desperasti ob id affectibus. Miserrimus est maritus, quisquis inducit filio nouercam, quod uxori non uidetur utrunque posse amare. Quæro igitur ante omnia, ubi occisus est maritus? In cubiculo suo. hoc paulo antè priuigno defendendum non fuit. Occisus est in cubiculo senex. Ita ille percursor non timuit uxorem? Audeo secretum nuptiarum, & matrimonialis lectuli solitudinem occisurus intrare? Quem quæram? ubi relinquitur maritus ab uxore innocens? Noctem autem ad scelus quis elegit? Nox tuum tempus est. Quid si accedit huic etiam sceleris occasio? Non uenire debes à secreta domus parte, nec tota tibi penatium sacra peragranda sunt. tu non cogitas, quemadmodum suspensa manu sonantem blande cardinem flectas. Iaces secundum occasionem, & expeditum tibi in proximo facinus est. Non times, ne quis deprehendat. Ipsi quoq; seruuli longius quiescunt, & præstatur grande secretum genio loci. Tibi quoq; ferire cùm uelis, scire an dormiat, licet. Nox, & ferrum, & securus maritus. quid nam isto delicatius scelere? Occisum esse miserum senem, cùm tu uolueris, scimus. Quo modo tamen, inquit, gladius peruenit in meam potestatem, qui priuigni fuit? Hæremus, hic difficilis expugnandus est locus. Quis credet mihi, si dixero? Gladium perdidit Cæcus ille, perpetua nocte clausæ genæ non custodierunt. Fingere nimirum ad tempus uidebor, & rem nimium manifestam impudenter complorare. Scilicet semper isti apposita capulo manus, & diebus ac noctibus curæ. Nolo tanquam callido glorieris ingenio, non decepisti trucem horridumq; latronem, nostri tibi occasionem præbuere mores. Nam quòd uno ictu occisus est senex, ad te suspicio magis respicit. Tu præparare corpus illud ad ictus potes, dum uideris amplecti. Tu blanda manu prætentare pectus, ubi assiduo uiseris pulsu non quiescat anima, ubi statim mors sit, ubi de spiritu sanguinis ictum explorare antè & cognoscere licet. Potest & uno ictu mulier occidere. Venio nunc ad uestigia parietis cruentati, quibus te satis abundeq; presimus, dum adolescentem defendimus. Hæc sunt tamen, quæ contra te reseruata sunt. Cùm maritus tuus in cubiculo occideretur, sciebas nullum tibi relictum patrocinium, nisi aliquid cæcitati simile fecisses. Ideoq; sanguinem in illam partem induxisti, in quam quæri uolebas, ut postero die omnis inuidia, sanguinis notas & uestigia præparata sequeretur. Infamas Cæcum. consilium ex calamitate sumpsisti. Sciebas illum non aliter si dux defecisset ingredi posse, quàm si uestigia parietis perpetuitate dirigeret. Simulasti itaque cæcitatem: & ne quid sceleri impio deesset, mariti tui cruore lusisti. Omnia tibi composita atque simulata sunt per ocium & securitatem, tanquam scelus transferretur ingenio. Nunc enim nocens, quia priuigni gladius in uulnere, quia paries cruentatus, hoc sufficere utrunque iudicio putabas? quàm facili momento causæ fata uertuntur, quod fecisse etiam is scelus frequenter inuentus est, qui obijciebat. Sed

causas

cauſas inquit parricidij iſte habuit,quem iratus pater in ſecretam domus partem relega uerat.Mulier illa forſitan ignominia felicioris uideretur eſſe priuigni. Cæcitatis beneficium eſt,cùm illi ſecretum datur.O præclarũ ſenis optimi,ſingularemq; pietatem,quàm blande ille ſepoſuit miſerũ ſuum,quàm diligenter uxoris gaudẽtis eluſit oculos, quàm multo Cæcum pudore donauit? Si felicior eſſes, inquit pater, ego tibi potius cederem domo tota. nunc miſer illam occupa partem, in qua te nemo uideat, in quam ſolus ego ueniam.ſint circa te ſeruuli fideles, non gemitus tuos audiat quiſquam, non flebili mœrore paſcatur.nihil eſt quòd te ſollicitet conuerſatio noſtri. ſecretum quod cæcitati præſtatur, ideo præſtatur,ut minus oculi deſiderentur. Aliquis odit filium cæcũ,& hac tantum ultione contentus eſt,ut illi aſsignet quietam & ſepoſitam & meliorem partem domus.Ita ego,ſic intelligebam,quaſi abdicaret,quaſi expelleret. Iratus ergo ſenex, tenet iuuenem ſuum uelut interiore complexu,& à limine obſtat. Rogo,quod duos ſepa ret media domo,te integram,ſanam:illum infelicem cæcum,contumeliq; opportunum, iniuriæ facilem : utrum filio iraſcitur, an uxori? Nolo,inquit,iuuenis utaris amœna domus parte:nec quæ nitidioribus tectis elaborata ſunt, pertineant ad oculos tuos. Quis tam ſtulte iraſcitur cæco, ut putet illius intereſſe, ubi habitare iubeatur? Te potius ille ſummouet. tuis inuidiam facit oculis.tibi dicit, Sufficiat, ſatis eſt, habeas maiorem domus partem, abſentem putes, miſero in paternis ædibus aliquem angulum relinque. Pater qui filio ſub nouerca aſsignat ſecretam domus partem, confitetur uxori, ſe abdicare non poſſe. Tranſit ad aliud genus defenſionis:Sibi cauſam cædis non fuiſſe, cùm hic hæres inuentus ſit omnium bonorũ. Quis enim alius eſſe debeat, ut huic properandum fuerit ad hæreditatem? Filius ſcriptus non timet pœnitentiã teſtamenti. Omnium bonorum hæres relictus eſt. Non ergo iraſcebatur pater, cùm daret ſecretam domus partem. Non poſſunt tibi diuerſa prodeſſe. Eadem obijceres reo, ſi exhæredatus eſſet.Elige utrum uoles.Si ſciuit ſe eſſe hæredem,amare magis patrem debuit:ſi ignorauit,nõ habuit,quod ſperaret ex patris morte. Reliquum eſt ut intueamur,ille qui perijt,ab utro magis ueſtrũm deſideretur. Te opinor hic grauius afficit dolor, impatientius hic luctus exanimat,tuq; obſoletam protinus nubem,& tempori accommodata lugubria flammeo reuertente mutabis.Hic uerò iuuenis, qui ſi fortunæ ſuæ mala cũ præteritis comparet, cæcus cœpit eſſe nunc primum, quid non miſer in hoc ſene perdidit? uiuebat illi magna pietas, aderant quocunq; iuſſerat de facie patris oculi, non illudere infelicibus tenebris contumaces ſeruuli poterant, nec (quod extremum contumeliarũ genus eſt)ut dominũ ageret,rogabat.Nunc quanta dij boni ludibria ſunt ineunda? Iuxere ſe pariter cæcitas & ſolitudo.Quid tibi nunc miſerrime adoleſcens hæreditas prodeſt, quam tantum audis? quid enim circa te pecunia poteſt? quæ fruendi uoluptates? quid aliud quàm ſpoliorum facilis occaſio? Quàm bene iſta omnia paterni oculi cuſtodiebant? quàm facile decipi, quàm facile denudari, quàm ſine labore falli potes? quàm citò inops fieri? Morte patris exhæredatus es.Quid nunc tibi niſi perpetuus imminet mœror, & execratio uitæ? Miſer poſt omnia & lachrymas perdidit, nec dolentem adiuuant oculi. Incipit apud te gladius habere,quod agat. Quærit ecce,quærit miſer ferrum.Nunc,inquit, huc reddite illud, innocẽs donec habuit meas manus tantum. Si mori neceſſe eſt, illi potiſsimum incumbam. Hoc illa iam olim grauis & infelix anima querebatur: Vbi nunc meæ uires? ubi impetus? ubi dextra tam fortis? uno ictu puto ne me quidem ipſum mihi contingat occidere.

DECLAMATIONIS FABIANÆ FINIS.

Io. Lodouici Viuis in Declama/

TIONEM, QVA QVINTILIANO respondet, Præfatio.

NVLLA uel prior quæstio Lectoris animo, uel iustior occurret, illa, qua ipse fiducia Quintiliani Declamationi audeam respondere, & congredi, homo ingenio tenui, eruditione minima, facūdia impeditissima, seu potius nulla: cum uiro, cuius & ingenium & doctrinam, & orationis siue elegantiam, siue maiestatem omnia secula, iam inde ex quo scripsit meritissime admirata sunt. ut nunquam meticulosus aliquis & imbecillus mirmillo, cum fortissimo Thrace iniquius comparatus sit. Profectò quàm magnæ sunt amicitiæ uires ac uiolentę, tam æquum est huic ausui meo ueniam dari. Nam operā hanc suscipiendo, amicitiæ parui: nec cuiusuis amici, sed Thomæ Mori. quem ego existimo ad sancte ardenterq; colendas amicitias esse à natura fictum atq; compositum. Neq; enim is amare contentus, quod amicitiæ satis esse putant multi (& nimirum est hoc in rebus humanis maximum, & unde amicitia nomen inuenit) etiam ueriſsimo atque integerrimo amori consilia, operam, opes addit, quum amicis est opus. In consilijs nihil fieri posse prudentius sentias, aut efficacius: in opera nihil fidelius, nihil diligentius: in opibus nihil benignius. & hæc omnia sic habet expositа atq; obuia, ut iustis precibus non acquiescat modò, sed occurrat etiam, immò & eas præueniat. Is tantus amicus, cuius ego beneuolentiæ tot fructus percepi, ut metuam ne cui credar amicitiam colere mercenariam, nisi quòd illa mea sententia maxima laus est, eum esse, quem Morus non indignum censeat, cui tam peculiariter bene & uelit, & faciat. Hic igitur, quum filiolo suo Ioanni Moro, & filiabus Margaritæ, Elizabetæ, ac Cæciliæ, dignæ illo patre soboli, Declamationem enarrasset Fabij Quintiliani primam, quo ad studia sapientiæ per eloquentiam facilius duceret: hortatus est me aliquot epistolis, ut illi Declamationi ipse responderem, ut apertius ex contradictione & quasi conflictu ostenderetur ars. Multa sum in hoc iussu miratus. Primum me potissimum delectum, qui hoc agerem. Deinde & in Quintilianum, qui arte & facundia sua ex inferiore causa, ut illi dicebant, superiorem posset reddere. Tum etiam, infirmiores controuersiæ partes mihi assignari. nam potiores sibi Quintilianus sumpserat pro Cæco. Postremò, quod præcipuum est non ipsum potius Morum respondere, illo ingenio, illo iudicio, & usu rerum, illa eloquentia, qui quanto me id ualeret & dexterius & fœlicius præstare, ut credo neminem esse, qui ignoret, qui quidem mea uiderit (nam illius, quis docti uel studiosi meretur nomen, qui non legerit?) ita abunde magnum esse potest argumentum Declamatio, qua Tyrannicidæ Luciani respondet: ut alia eius opera taceam. Itaque munus in præsentia recusaui. Cæterùm quum legatus à Rege suo idem à me Brugis contenderet, ostendens occupationes suas, hoc nouo munere custodiæ regiæ pecuniæ ad illud prius consulendi regi addito (tantam enim uiri prudentiam Rex prudentissimus negocijs potius reipublicæ exerceri mauult, quàm ociosis studijs literarum, quamuis & præsentibus & posteritati plurimum profuturis) suscepi opus, tantum ut uelut argumenta signarem ceu in commentario, quibus posse Quintiliano responderi crederem. ut acutissimi adolescētes, & planè patris similes, indicatis locis cętera ipsi per se ingenio & industria sua eruerent. Hęc igitur fiducia operis est, ut inquit Plinius, hęc indicatura. Nunc de dictionis ratione paucis expediam. Republica pop. Rom. in unius ius ac potestatem redacta, eloquētia quoq; ueterē libertatem cum populo amisit. Itaq; arctari se breuiores in limites cœpit, & ceu uincula induere. nec parua sane pars in scholas abijt, ut nō iam uera argumenta & in forū proferenda declamarent, quēadmodū Ciceronis

ætate

ætate:ſed ficta,& quæ ſcirent contingere nunquam ſolere.Ibi nõ uictoria quærebatur, ſed plauſus:nec perſitaſio cauſæ,ſed eruditionis.Ad id captandum,excogitatæ preſſio res quidem,ſed acutiores ſententiolæ:& loci communes crebriores,& ex philoſophia arcanisq; literarum petiti,interim fuſius ad oſtentationẽ eruditionis tractati.orationis corpus numeroſius alacriusq;,& in iucunditatem compoſitum, ut etiam multa poëtico nitore ac cultu deſcripta ſint,uelut apud hunc eundem Quintilianũ in Mathematico de prouidentia,atq; hominum uita,& in apibus pauperis de apum ingenio,& alios temporis eiuſdẽ declamatores Oceani natura:ut Seneca refert.Hinc uidebatur ad gratiã facere breuitas,& ne quid ocioſum deprehenderent,annotantes ſingula:tum quod inter alios etiam dicturos dicebatur,& ut declamabãt in conuentu eruditorum,omnia erant erudita,nullum periculum ab obſcuritate,ex qua etiam,nonnulli laudem ingenij aucupabantur.Artificium adeò non occultabant,ut etiam proferrent,atq; oſtentarent: quòd hinc peteretur prima commendatio.Tales ſunt iſtæ Quintiliani declamationes. Quam dicendi rationem quum Quintilianus ipſe in Inſtitutionibus ſuis reprobet,non defuerunt,qui illius hoc opus negarent eſſe.Sed cùm ueteres librorum tituli, & docti alij permulti refragantur: tum uerò diligens Quintiliani lector Laurentius Valla & Rodolphus Agricola, uiri magno & exacto iudicio: nec uideo quid in illis indignum ſit ſiue ingenio Quintiliani,ſiue eloquentia.Sed hac de re in præſentia non diſputo:cuiuſcunq; ſint,non dubium quin alicuius ex illo Quintiliani ſeculo, nam hoc dictio arguit,certe homo is fuit acutiſsimus,& facundiſsimus.Nam ſi de iſtis ſentit Philelphus, quum dicit ſapere barbariem, nimirum palatum eius erat inſectum ineptia. Ego uerò ne uerboſitate imperitiæ meæ addita, dicens contra talem uirum, & breuem declamationem,hoc eſſem tanto moleſtior:in pauca,quę uellem,conieci,ut pleriſque locis non multum ab altercatione,et quemadmodum ſum teſtatus,à commentario abeſſem,dum taxat longiuſculo,quali uſum eſſe Caſsium Seuerum accepimus.Nam immenſa fuiſſet declamatio,ſi argumenta extendere inſtituiſſem.Et ſtylum ad ſcholaſticam illam declamandi formulam accommodaui, ne aduerſarius, cùm multis magnisq; me ſuperat rebus,gratia illius florentis ac feſtiuæ phraſis,ad meam collatæ,longe frigidiorem faceret & inconditiorem meam orationem,ſi genus illud dicendi forenſe pro captu ac uiribus meis tenuiſſem.Malui ergo ea ſectari,quibus illi ſcholę placebam,apud ſcholaſticos et ipſe iudices,ac de ſcholaſtico dicturus argumento.Et ut penes me nullam eſſe uolo gratiam,ſi quid ſum aſſecutus:ita nec culpam,ſi non ſum aſſecutus,utrunq; penes Morum eſto, qui me coegit.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI DECLAMATIO, QVA QVINTILIANO RESPONDET PRO NOuerca contra Cæcum.

SENTIT,Iudices,miſerrima fœminarum, quàm multis undiq; difficultatibus prematur,uidet in geniali lecto,& prope in ſinu ac cõplexu ſuo, chariſs.ſibi maritũ interfectum, nec audet apud uos queri,niſi et crudeliſsimus reus impia ſuſpicione ipſam reſpergat,cui parũ uidetur luctu,lachrymis,tenebris,eiulatu,orbitate,perpetuo mœrore eam obruiſſe: quibus malis proſtrata miſera et cõcuſſa,ne hiſcere quidẽ in publico ſuſtinuiſſet, niſi doloris impatientia cuncta ſuperaſſet,et captat parricida de cæcitate nõ miſericordiam modo, ſed ius quoq; noſtro melius. Quàm facile eſt

perſuadere miſeriam,quæ uidetur: & communis ſortis etiam per ſilentium admonere illos,qui ſe idem pati poſſe conſiderant. Viduę quàm ſint miſeræ,nec uiri poſſumus experiri, & ſemper alijs narrantibus diſcimus: credimusq; quantum uel narrator uerbis explicare poteſt,uel nobis ipſis libet.Illi demum ueriſsime cenſent, æſtimantq;, quantum doloris redeat ad uiduas, qui reputantes omnes omnium charitates uxori eſſe in uiro ſitas,mariti mortem unici ac dulciſsimi filij morti comparant.Quod quum uulgo non expendatur,nec miſera creditur uidua,ope ac patrocinio priuata,deformata orbitate,dolore,luctu.Creditur cæcus, oculis carens.In qua comparatione,Iudices, quum cernens agere conſpiciatur in cæcum, neceſſe eſt oculos in ſui miſerationem animum trahere:ac iniquè ſuſpicari illos eſſe cõpoſitos,quòd facile ſit uidẽtem cæco imponere, ita quum extrinſecus conſiderantibus uidens credatur potentior,is quoq; facere iniuriam,etiam ſi accipiat,putatur.Quin & illud infelix uidua intelligit,nouercæ uel ſolum nomen, quàm ſit inuidiæ plenum: quod aduerſarium ſubinde uſurpantem audiuiſtis. Quanquam profecto rectè exiſtimantibus,non minus eſt in priuigno aduerſus nouercam odij:niſi quod plerunq; minus priuignis licet,tum quod timent patres,tum quod ita cauetur à patribus. Verum nouercæ perſona minimum habet ad hanc cauſam in utramlibet partem momenti,nam et fratres,et parentes detuliſſet,acerbitate doloris perculſa & concitata,ſi ad illos aliquid huius criminis putaſſet pertinere: nec deterrebitur uel ſuis malis,uel alienis,dum chariſsimi coniugis indignam necem ulciſcatur.Confiſa ergo huc uenit, primum conſcientia ſua, deinde facti ipſius ueritate, quæ ſeipſa etiam uniuerſis tacentibus proferet, poſtremo prudentia & ſanctitate ueſtra, quæ non miſerijs cuiuſquam,non nominibus (quæ ad uulgum inuidiam, uel fauorem præ ſe ferunt) magis mouebitur,quàm rebus ipſis. Vidua maritũ uult uindicare:nec ſibi uel ſexum, uel orbitatem,uel luctum petit prodeſſe agenti, dum nefario parricidę non proſit cęcitas:quæ non obfuit,quo minus facinus perageret.Et quãtum ad ipſam quidem ſpectat Iudices,quum et pro illa dixerimus,et in illum,ſuo ſibi uidebitur ultionis officio defuncta.Reliquum ad ueſtram religionem pertinebit, qui iurati ſententiam dicturi ſedetis. Pertinebit quoq; ad ciuitatem,et memoriam poſterorum exemplum,quomodocunq; fuerit per uos iudicatum.Sed antequam de ſcelere rei loquar,dicam paucis de ſuſpicione,quam à ſe in uiduam conatus eſt priuignus auertere: ita ut neſciam, utrum ſit indignius factum, occiſum eſſe à filio patrem, an à parricida ipſo culpari innocentem, ad quam ſolam nihil niſi lachrymæ,dolor,ſolitudo ex ea nece peruenerũt.Et purgari quidem innocentiſsimam uiduam facile erit,utinam reum conuincere ſit tam facile. Quæ-, Iudices,ualeat hic prudentiſsimum illud Caſſij prætoris dictum,CVI BONO FVIT? Inſpiciamus,quæ cauſa uxorem potuiſſet impellere in cædem mariti:quæ iuuenem impulit.Sed de hoc poſt paulum,de illo prius. Ingreſſa eſt mariti domum, uiri (ſicut nec ipſi negant)indulgentiſsimi uxoris,puellæ(ut cernitis)teneræ,delicatæ.Is filium cęcum ſcripſerat hæredem,& occiſus eſt ab uxore, quod inimici criminantur.Qua mercede? nihil ad eam redit de bonis. Vidua,orbata,mœſta exit domum,in quam nuper nubens ac læta erat adducta.Si ex mariti morte uel ſeſtertio nummo futura erat ditior,potuiſſet illud tanti ſceleris præmium uideri.Nunc hæc uxor iura omnia humana & diuina uiolat,polluit,ſe ipſam facinore alligat nefandiſsimo:parat ſibi luctum,tenebras, ſuſpiciones apud Iudices,tanti criminis,& capitis periculum.Et hæc omnia gratuito? Quis credat? præſertim de fœmina,cui uos acumen ingenij tribuitis,etiam uſque ad uafriciem? Vbi hoc unquam uiſum? ubi actum? quem unquam mortalium tantæ intemperiæ, tantæ furiæ ſic exagitarunt,ut non modo gratis, ſed etiam, cum certiſsimo fortunarum & exiſtimationis damno cum paratiſs.ſalutis uitæq; diſcrimine uellet eſſe malus? Hoc ne ſocijs quidem illis Catilinæ perſuadeatur,qui etiam, quum nulla eſſet male faciendi occaſio,tamen male faciebant. Quanquam non illi Hercules gratis,ſed ea mercede,ne manus per ocium torpeſcerent,& artem dediſcerent.Ad te uenit hæreditas tota:& putabas te,qui tantum me oderas,tãtum à me amari,ut interficerem uirum,quo maturius bonis tibi liceret frui,mihi præter extrema mala nihil relinqueretur. Videamus per deos,Iudices,quomodo miſera etiam à facũdiſsimo uiro accuſetur.Falſa es expectatione

mulier,

mulier,quòd illicò ab ingreſſu putares fore,ut expelleretur iuuenis.Intelligitis,Iudices, ut eſt difficile in mala cauſa argumenta inuenire bona,uel exercitatiſsima oratoribus. Putate hanc hiſce uerbis illi reſpondere:Primum cur expectaſſem unici filij charitatem excidere patri ſubitò poſſe? Non ſum tam inſcia paternorum affectuum, ut totum patris in filium amorem ſemel ſperem poſſe extorqueri.At erat cęcus.Multo minus.Non minuit filij cæcitas parentũ amorem,ac nec ullus alius morbus, ſed auget.Creſcit enim ualidior amor ex miſericordia.Sed fac expectaſſe,fac cogitaſſe.Sentio fruſtra fuiſſe meam expectationem:ſaltem fruar marito, ſi teſtamento non licet, fruar illius bonis cum illo,ſi non licet ſine illo, & malam nupta uiuere in opulentia, extra contumelias & calumnias priuigni:quàm uidua,in paupertate,obnoxia priuigni odio. Dediſſem ſaltem operam,ut ex illo grauida,in fœtum meum totum patris deriuaſſem amorem,teſtamentumq; à priuigno in filium blanditijs conuertiſſem.Si hoc fortè erat nimis longum,certe obſequijs expreſsiſſem,ne fores ſolus hæres ex aſſe.in partem aliquam bonorum admiſſa eſſem & ipſa:& ſolatium uiduitatis fuiſſet id,quod fortunis accreuiſſet. Iam illæ quæſtiunculæ nõ ſunt minus imbecilles:Vbi occiſus maritus? quando? quemadmodũ occiſus? & quę ſunt conſecuta.In cubiculo occiſus eſt maritus,& per noctem.Hoc tibi mirabile uidetur in alio,quàm uxore?Mirum ni occidi à cæco oportuit hic in foro,media luce. Difficile eſt occiſuro tantum ſpacij in ampliſsimis ædibus peragere,altero tanto difficilius eſt ei,qui iam occidit,urgente patrati facinoris conſcientia, ire ad cæci limen,& redire. Quaſi non tantum uiduæ fuerit ſpacij conficiendum, quantum cæco, ſi à cubiculo ſuo ad priuigni receſſum iuit, rurſus lectum repetijt,& quidem nefario ſcelere peracto.Eidem illi,quos tu uis fuiſſe cæcum prodituros,ſtrepitus,et fœminam prodidiſſent. Gladio res eſt peracta,non eget mulier,quæ uult maritum occidere, ferro: non alieno,non ſuo : hæc arma uirorum ſunt, non fœminarum. Inexercitatæ iſtis ſunt: magis illis impeditę,quàm armatę.Neſcit tantum gladium fœmina,puella tenera,regere,& per noctem.Ac etiam ſi quà lætale infigitur ferrum,prætentet:ad exequendum tamen quod deſtinarat,rudis ac inualida eſt. Alia ſunt paratiora fœminis tela: ueneno ſi res eſſet tranſacta,ſi præfocatione,ſi etiam cultello,multum noſtræ fœminæ timuiſſem. Graui gladio non utuntur,niſi qui regere poſſunt,qui aſſuerunt.Hercules,non dico hominem ferro ipſa conficere,ſed ne leuiter quidem ab alio ſauciatum tam tenera & meticuloſa puella intueri ſuſtineret.Paries inuentus eſt palmatus.Hoc ad cæcum pertinere poſſe negas.Quid ad fœminam? An aliquid poteſt in tenebris facere uidens, quod cæcus non queat? Semota luce nullus eſt uſus oculorum.Areſcit breui ſanguis, inquit, & ueſtigia ubiq; ſunt integra.Si affingere cuiq; licebit cauſę,quęcunq; ipſi conducent, dicimus compertum eſſe cæcum,redeuntem cruentis manibus.Exclamabis, Hoc quî conſtat? quis teſtificatus eſt? Et iſtud tuum, Veſtigia eſſe ubiq; integra,quis teſtium dixit? Recita dicta teſtium.

ARGVMENTVM DECLAMATIONIS.

AVditis,Iudices,hoc illum adiecisſe de ſuo.Sed uidete,ut cauſæ bonę facilè patronus fidat? Damus hoc etiam,quod negare poteramus,ut cognoſcatis,quæ meditata domi cauſæ addit,quo faciat ſuum ius melius,quàm ſint infirma: ut de reliquis, uel ex hoc uno,facilis ſit uobis coniectura.Quid tu dicis? Veſtigia ubiq; ſunt integra? num ad madefaciendam cruore manum repetijt identidẽ cubiculum fœmina? num ſanguis ita geſtari manu poteſt,ut panis? quin uel defluat, uel areſcat? Nec minus erat in manu cæci ſanguinis,quàm fuiſſet in fœminę:nam qui ex tactu quærebat teſtimonium,quod à uiſu ſolet peti,totam manum in uulnus demerſit, quo immittere ſolemus obtutum. Quid quod ſanguis humor fluidus eſt,tenuis illi rimula ſufficit ad influxũ,qualesmultæ ſunt inter digitos. At ueſte,inquis,deterſiſſet manum.Defendam ego te nunc iuuenis,pro patrono tuo.Non eras tam ſtultus,non eras iudicij tam dementis, ut in tua ueſte uelut ſyngrapham manu tua inſcriberes,te patrem occidiſſe.parietem omnibus noras eſſe communem,etiam alienis, domum ingreſsis : ueſtem tuam unius ſciebas eſſe, ad te indicium pertinere:uel ad ſummum,ad cuſtodẽ tuum . facilius ad te peueniretur

per quæſtionem illius. Non traxit, inquis, manus: ſed integre impreſsit. Quàm uos meliores maioresq; coniecturæ deficiunt, quum ad minutulas iſtas confugitis? ſi traxiſſet cæcus, traxiſſet et uidens, nam in tenebris uterq; ducem habet parietem, quum illi innitendo ingreditur. Verùm cæcus ne ſtridat tracta manus timet, ideo leuiter premit, ueſtigiumq; remanet integrum. Et maius timet futurum indicium, ſi manum trahat, nam quum non grauiter premit, nihil ſuſpicatur ſanguinis hæſurum. Ita dum non crebras imprimit palmas, cruoris fuit uſq; ad limen ſatis. Quod ſi uxori tantum uacauit, ut palmare parietem, ad quod uoluit cubiculum licuerit: quę dementia erat, non aliquem potius inſimulare ſeruulorum, quàm priuignum? an ueriſimilius futurum erat, à filio cæco occiſum patrem, quàm à ſeruo uidente? num facilius uel conuinceretur homo liber ſine tormentis, uel condemnaretur defenſus, quàm ſeruus tortus, & ſine patrocinio? Verùm nec ipſa facinus fecit: nec priuignum erat accuſatura, niſi illum ſolum indicia arguerent manifeſtiſsima. Nam nec ex damnis priuigni magis capiet ſiue uoluptatis, ſiue commodi, quàm ex damnis ſeruorum. Quippe cui non plus profuit necari maritum à priuigno, quàm à ſeruo: utroq; modo futura erat miſerrima, nec poſt tantum caſum uiſura iucundum aliquid in uita. Et quanquam confido miſerrimam uiduarum ſatis eſſe uobis purgatam, tamen efficiam, Iudices, ut innocentior adhuc appareat, dum oſtendero à filio patrem eſſe interfectum. Quam rem ab hocce iuuene fieri non potuiſſe, Marcus Fabius defendit. Ego non illum modo potuiſſe facere, ſed uoluiſſe quoque planum faciã. Quî potuit, inquis, cæcus ſine rectore, ſine duce, ex illa penatiũ parte ſecreta, & penè ex aliena domo, per inane longũ, per tot inoffenſa limina, per excubantes ſeruulos erraſſe cum ferro? cubiculũ patris deinde ingreſſum in neutrã deflexiſſe partẽ, ſed recto gradu, ſicut ducere oculi ſolent, ad lectulũ acceſsiſſe leuiter, nõ inthorum inciſſe? ante perueniſſe, quàm crederet? Hic eſt aceruus tuorũ argumẽtorũ. Hinc de uno ictu peracta nece, deq; relicta fœmina iuxta maritum dormiente, mire tibi uideris uincere ac triumphare. Vis inuadam ſingulas coniecturarum? uis uniuerſas? uis unico uerbulo minutarum rerum diruam ſtructuram? Potuit hęc facere uxor in tenebris, ergo & cæcus. Quoties iam repeto, nihil inter cæcum uidentemq;, ubi lux non ſit, intereſſe? ut intelligas, ſi cæcus peragere illa omnia non potuit, nec fœmina illud utiq; horæ. Quid quòd Cęcus perpetuò ſolitus tenebris uti, tum etiam auditu acutiore facilius ſeſe in nocte regit, quàm uidens luci aſſuetus. Hinc uidemus maxima & ambagioſiſsima ſpacia, ſine ulla offenſione peragi à cæcis, quæ uidentes ſi uel oculos claudant, uel lux auferatur, detineant implicatos. Itaq; cæcus non modo, qui aliquando uidit, ut iſte, ſed qui ſine luminibus natus eſt, domum, ubi & ortus & alitus ſemper eſt, melius in nocte perambulabit, quàm ſeruí, qui ibi diu egerunt: quanto melius quàm fœmina, quæ nuper eò immigrarat? Ergo ubi offendiſſet ac cecidiſſet uidens, ſine lumine, ibi cęcum nihil offendit, nihil remoratur, paſſus habet in numerato cæcus? ſi conſiſtat uſquam, ſcit quantum promouerit, quantum reſtet. uidens, in tenebris quà ſit progrediendũ neſcit, quid ſit confectum ignorat. Iam diſpiciamus ſingula. Cæcus ſine rectore, ſine duce. minus eget cæcus rectore aut duce, quà ſemel iuit, quàm uidens. Per inane longum, inquis: de domo, quam toties circuiuit, toties totam pererrauit, quis miretur? qui uideat multa paſſuum millia ab eis confici ſolis? quis in itinere faciendo non eſt cæcos ſine ducibus conſpicatus, alios ad urbem uenientes, alios aliquò proficiſcentes ab urbe? Addis, inoffenſa limina, in quę magis multo, quàm cęci ſolent, uidentes impingere: nempe aſſuefacti negligere ueſtigium ubi ponant, oculis confiſi. Illud de excubantibus ſeruulis eſſe à te adiunctum miror. Excubantes ſeruuli deprehendiſſent errantem cæcum, non deprehendiſſent errantem fœminam? ſcilicet hunc habuiſſent oculis honorem? Verùm illa ſunt admirabilia, ingreſſum iuuenem luminibus captum patris cubiculum, in neutram deflexiſſe partem, ſed recto gradu (ſicut ducere oculi ſolent) ad lectulum acceſsiſſe leuiter. Quid rogo hic facit mentio oculorũ? quaſi proficias in obſcuro, ſi oculos multum aperias, ſi inconniuenter, ſi attentius inſpectes. Mirandum non eſt, hæc ita facta eſſe à cæco, in eo loci multum uerſato, quæ fiunt quotidie à furibus, nunquam antea, ubi ea faciunt ingreſsis. Ducuntur & uidentes, & cæci, per tenebras, à manibus:

bus: quas hoc conſideratius & dexterius mouent cæci, quo & loco familiariores, & eiuſce uſus exercitatiores ſunt. Porrò uno ictu peractum eſſe parricidium, ſi incredibile eſt in cæco, incredibile utique erit in uidente, etiam medio die. neque enim per articulum nodúmque reſecare ceruicem, hoc eſt oculorum: ſed uel artis, uel exercitationis, uel audaciæ, uel caſus. Cæcus, qui facturus erat parricidium, in ſe prius tentabat, ubi plaga totum ſemel hominem extingueret, ita manum ibi impreſsit, quò duci identidem erat conſueta, certiúsque infixit, quàm uidens, cui ſiniſtræ tactus erat pro oculis, & demiſit ferrum altiſsimè, quantum nec fœmineæ ſeu puellares potius & infirmę uires ſufficerent: nec uidentes ſolent, ſed cæci tantum, qui quum plagam quam faciunt, non uideant, facturos ſe non putant, niſi grauem manum impreſſerint, incertámque plagam impetu ac uiribus confirmaturos ſe ſperant, ut pene in prouerbium uenerit, Prægrandes ictus cæcorum nominari. Nec illa quærenda puto, Quomodo ſcire potuit, quando nox eſſet? num familia dormiret? Prius illud oculis cognoſcunt uidentes, cæci quiete, iudicio, curſu & ratione temporum. Denique ſi ſibi diffidunt, rogare poſſunt. At familiæ ſomnum quietémque acutius ſolertiúsque deprehendunt cæci, quàm uidentes, quoniam natura illis quantum oculis ademit, tantum acuminis ſagacitatiſq; reliquis addidit ſenſibus: adeò ut ingredientes ipſi audiant, quos auerſi non ſentiunt uidentes: agnoſcant, qui taciti accedunt: quis hoc uidens facit in tenebris? Ita leuem illum ſonitum ac ſuſurrum, quem anhelus in ſopore ſpiritus reddit, acutius excipit, qui oculos non habet, quàm qui habet. Vxorem eſſe relictam, neſcio in argumentum magis pro te adducas, quàm doleas. Atq; utinam fuiſſem, inquit, cum marito ſublata, non tam undique inſultantibus calamitatibus afflicta proſternerer. Et quanto tibi iuuenis fuiſſet ſatius? non haberes, quæ te perageret reum, quam tu forſan reſeruaſti, ut eſſet quam ipſe potius ream diceres. Eſt ergo à te in inuidiam ſeruata? an potius deſperaſti, poſſe à te tacite occidi, quæ in ulteriore ſponda cubaret? ad quam te peruenturum, remq; totam quiete confecturum diffidiſti, an, quod ego magis credo, defuit tibi animus, fractus iam & debilitatus tanti ſceleris conſcientia? quæ te & palmare parietem, & obliuiſci cùm gladij, tum uerò tui ipſius coëgit. Feſſus iam ſum tot leuibus argumentis confutandis, tranſeundum mihi eſt ad accuſationem. Sed antequàm id facio, dicenda ſunt nonnulla de coniugum quiete: quorum neuter dum tam immane impiúmque ſcelus patratur, excitatus eſt. Et ſenex quidem oppreſſus antè eſt, quàm ſe opprimi ſentiret. Cubabat in ſponda anteriore, facilis aditus ad eum, ſine coniugis ſenſu. Cognitus erat filio totus ille locus, & ex ipſo lecti poſitu, quem manibus poterat cæcus explorare, intellexit ubi caput eſſet, ubi collum, ubi id, quod impetendum. ut uocem omnem, clamoremq; adde etiam maiorem ſtrepitum, gladio in uulnere obruerit. Iacebat in altera ſponda mulier, ex conſcientia ſecura, in profundum ſoporem demerſa. Cur non altum etiam ſterteret? cur ſuſpenſa eſſet, ſi quid audiret? ſi quid ſentiret? quam nulli pungebant excitabántque ſtimuli conſcientiæ. An uigilias in caſtris obibat? non ſemper ſe coniuges complectuntur, non ſemper ſe tangunt, auerſi forſan, ut fit, cubabant: & in iugulo uulnus aduerſam in partem cruorem eiecit, corpus ipſum miſeri ſenis, obex ſanguini ſuo fuit, quominus ad amantiſsimam ſui coniugem, cum tanti luctus ac mœroris ſenſu permanaret. Videtis Iudices, non minus potuiſſe à cæco ſcelus per noctem fieri, quàm à uidente. Supereſt ſolum, ut uoluiſſe illum oſtendam. Vos ſi me, ut iamdudum facitis, attente adhuc audieritis, præſtabo, ut & religioni ueſtræ iuríque iurando conſulere, & legibus ſatisfacere, & ueſtrum munus gnauiter ſanctéque exequi poſsitis. Facite in mentem reuocetis, Iudices, id quod neminem ueſtrûm arbitror ignorare: morbos omnes ac debilitates membrorum, animum mentémque afficere ac debilitare magis multo, ſi ſenſuum ſint eæ affectiones, quòd ij ianuæ ſint animi, ſeu nuncij potius. At omnium maxime, ſi uiſus abſit: cui eſt cum animo arctiſsima coniunctio, & incredibilis à natura conciliata amicitia. Qui enim quæ agantur, non uidet, neceſſe eſt hunc non parua ſanè animi, mentis, iudicij parte orbari, ita cæcos om-

nes cernere est tam ægris ferè semper animis, quàm corporibus. Hinc difficultas illa, hinc morositas, hinc fastidium omnium obsequiorum, & perpetuæ querelæ. Miseri enim, si supra miseriam miserabiles non sint, indignam se accipere iniuram extimant, & in odium accenduntur ardentius cæci, qui cæcitati suæ illudi ab omnibus suspicati, rapiuntur in perturbationes omnes uehementius, quàm uidentes. Propterea quod non rebus ipsis metiuntur affectus, sed opinione: ex qua, tanquam ex fonte, citius uberiusq; quàm ex rebus ipsis affectus manant, & augentur, adeò sæpenumero non ex rebus illos accipimus, sed ipsi facimus. Quocirca hoc promptiores illos atque effrænatiores uidemus insurgere, quo sensus & intelligentia rerum minor est. Pueri leuissimis de causis animo commouentur, imò sine causis ullis ipsi sibi lætitiam, metum, cupiditatem, mœrorem, sollicitudinem, gaudia subinde confingunt. Grandiores natu, imprudentissimus ut quisque est, & ueri ignorantissimus, sic effusissimis affectibus se abripiendum permittit. Sapientes uerò illi & dicuntur & sunt, qui affectus habent in manu sua, qui seipsos in sua potestate. Non ergo affectus dant oculi, sed intus nascuntur. Ausim dicere, adimere citius: quòd res ipsas, qui intuentur, de illis incorruptius iudicant. Felix cæcitas, si odium humanis animis excutit. Nemo igitur odit illos, quos auditione tantum cognouit? & Appius ille Cæcus inimicos omnes cum oculis amisit. Cæcitas optandum malum, si uitijs ad animum alia non est, quàm per oculos uia. Vis audire quem affectum oculi adimunt? uerecundiam, cuius fores ad animum sunt oculi, atque ideò illos uel claudunt, uel operiunt, quos pudet: ut pueri, natura monstrante. Nunquam' ne peruulgatum prouerbium audiuistis? In oculis pudor. Minus est pudoris in tenebris & nocte, nempe cæca. Miror uerò sententiolam illam ab homine ingenioso profectam, Cæcus miserior est, quàm ut inuisus sit: timidior est, quàm ut oderit? Non disputo de priore illa parte, posteriorem certe Tyranni magno emerent, esse ueram: ut simul terrerent, & amarentur. Qui magis, per deos, oderunt, quàm qui timent? Nullus odij nec certior parens, nec fœcundior, quàm metus. Hoc qui ignorat, quid nouit in uita? Tali igitur animo præditus Cæcus noster, Iudices, cogitabat se unicum cœlibis patris esse filium, ad se totam domum fortunásque omnes post patrem uenturas, in se unico futura omnia patris oblectamenta, omnes delicias. Qua opinione, imbecillo atque impotenti animo concepta, quum nouercam in domum adductam cognouit, auerti à se amorem patris ratus, cœpit & nouercam odijsse & parentem. Iamq; infirmo animo, in quo dominæ perturbationes seuiunt, & tyrannidem exercent, quo modo explerent odium reputabat, quum interim intelligit, patrem nouum maritum cum noua nupta, ut fit, se oblectare, illi dare se cunctum, iubeturq; ipse in remotam domus partem secedere, iam non adhiberi ad conuiuia, iam rariores patris congressus, & breuiora colloquia, ministrantium turbam circa ipsum minus frequentem. Cogitate, Iudices, tenerum illum & debilem animum hæ scintillæ, ut in omne facinus inflammabant? Vnde tantum odij conceperat, quantum ne uidens quidem et sanus ferre potuisset. Hinc iam nihil mite aut placidum, sed atrocia omnia, inhumana, cædes, strages, uolutare mente ac cogitatione. Quæris Quintiliane, per quos gradus ad odium ac facinus peruenerit Cæcus uester? Quæro & ipse, per quos uidua? Ceu uerò nullius primum ausum fuerit horrendum? Non inquiro in uitam atque acta Cæci, mihi unum hoc crimen satis est. Id quum possim planum efficere, cæterorum illi facio gratiam. Sed pauci' ne tibi uidentur isti, aut parui gradus? Quid restat, quominus qui hos conscenderit, peruenerit iam cupiditate ac toto animo ad fastigium sceleris? Solus animus uirtutum uiciorúmque sedes est: & bonorum malorumq; exercitatio manibus non eget, sine corporibus constat. Immanium facinorum meditatio intus in animo incubat. Illic concepta, illic tractata, & concocta, matura inde nascuntur, etiam prima, et in originibus suis adulta. Iaciemus tamen tibi unum gradum, atq; alterum, ad absolutum opus. Resciuit ex patre, siue ex seruulorum aliquo. Neque enim id difficile scitu fuit, se unicum hæredem à patre institutum. et odio ardentissimo additi sunt duo sine ullis pudoris frenis, pessimi consultores, spes

ac

ac metus: qui ipsum extra omnem iuris, religionis, pietatis uiam transuersum rapuere. Timuit, si uiueret diutius pater, pareretque ex eo noua coniunx, fore, ut communis illorum filius mutato testamento fieret hæres, tum matris artibus, tum (ut credibile est) patre in id propensiore. Vir enim, qui misero filio inducit nouercam, hoc agit, ut feliciores, si possit, liberos gignat: & qui cæcum hæredem habet, uidentem mallet. Sin illa non pareret, saltem officijs eius atque obsequijs aliqua hereditatis pars in eam decideretur. Quo metu iuuenis solui non poterat nouercæ morte: ideò nec illi perniciem parabat, ut patri, nam ea fato functa, alteram duxisset pater: hac mortua, tertiam, eodem semper instituto senem instigante post elatas, quod ad illarum nuptias induxerat. Accedebat magna spes, quæ impotentem animum præcipitem agebat: si tunc moreretur pater, fore ut solus ipse fortunis omnibus potiretur, abituram ad suos uiduam, se rediturum ad ædes, futurum se cunctarum rerum dominum, sibi uni uacaturos omnes, sibi ministraturos, se, suos nutus, sua iussa intentos omnes obseruaturos. Quæ cogitatio nescio an uehementius eum ad facinus maturandum impulerit, quàm uel odium, uel timor. Nam imbecillissimus ut quisque est, ita & alienæ indigentissimus opis, maximáque sibi quærit præsidia, quæ censu & ministrorum frequentia se obtenturum sperat. Siue igitur nouit se hæredem, siue nullum, impellitur spe: sin alium uerò, desperatione. Et meliorum loco est, peioribus liberari. Abibit nouerca, quam odit: morietur pater, quem de nuptijs iniquum putat, de testamento crudelem. Satius ducunt multi, patre carere, quàm habere parum paternè affectum. Sed profectò audiuit de patre, se esse hæredem, dum ille filij cæcitatem inter initia noui matrimonij consolatur: dum ad fortiter ferendam miseriam adhortans, hoc fore solatium calamitatis pollicetur: & ne fracto animo sit, quòd nouercam induxerit, se illum denunciat scripsisse hæredem. Quid expectatis aliud ad facinus? manu propemodum id prehendistis. Qua igitur nocte uisum est Cæco? quum opportuna facinori putat esse omnia, arrepto gladio egreditur, alia se agere simulaturus, si deprehensus foret: non deprehensus, rem ut audiuistis, peregit. Gladius Cæci est, neque alieno uti poterat, nemo enim non potest alieno gladio scelus facere, nisi cæcus, qui neque ipse sumere potest, nec petere audet sine ingente maximi mali suspicione. Quisquis alius ad senem occidendum gladio erat usurus, cuiusuis alterius ferro citius uteretur, quàm filij, quàm cæci: in quem unum difficilius ualet suspicio patris interfecti. Nouerca hunc gladium apud priuignum non animaduertit: etiam si animaduertit, qui potuit suspicari, cæcum & filium occisurum patrem? Vel ex hoc cognoscatis licet, Iudices, innocentiam fœminæ, conscientiámque quietissimam: quod non antè obiecit apud patrem filio gladium, quòd non antè sparsit semina suspicionum, ad ea quæ moliebatur: quòd metiens reliqua de sua conscientia, secura putabat esse omnia, etiam apud uidentes. Nam ipsa illum capere quî potuisset, præsentibus semper cæci ministris? nunquam enim solus ille relinquebatur. Si uerò aliquis illorum est corruptus, facilius fuit nouum emere per seruum corruptum. Verùm nec alius usus fuisset gladio filij ad occidendum patrem, nec filius uti poterat alieno. Miraris tu gladium esse in uulnere relictum. Ego uerò magis miror, non se eódem loci & Cæcum reliquisse. Furiæ, quæ parricidas accensis facibus persequuntur, sensu illos, iudicio, ratione, consilio spoliant: semper exagitant, de mente ac sanitate deturbant. Nec tamen dubitabat, quin reportaturus ferrum esset, quum iret. sed confecto tanto scelere fractus & perturbatus, nec gladij meminit, nec sui. Siue igitur uires ad ferrum uulnere extrahendum, siue animus, siue mens, siue hæc simul uniuersa furijs occisi patris perterrefacto defuerunt, reliquit trepidus gladium, & redijt ad cubiculum innitens pariete, quem forsitan ne attigerat quidem, dum iret. Cui enim uacabat palmis cruentatis notare parietem? suspicionem eo citius attulisset, ubi plus esset fidei habitura. Comparate iam per deos, Iudices, inter se utrunque, & ponite ante oculos, utri causa fuerit occidendi senis maior. Vxor totis ædibus libera, Cæcus segregatus, uxor fruens & marito, & fortunis omnibus: Cæcus nuper omnium dominus, iam rarior ad col-

loquia, rarior ad conuiuia, uno aut altero ſeruulorum comitatus, uxor ne teruntio quidem futura ditior, ſi tunc moriatur maritus. Cæcus futurus omnium hæres, omnium dominus: magna in uxore ſpes, ſiue concepto fœtu fore, ut is ſit hæres: ſiue procedente tempore mutaturum ſenem teſtamentum: in cæco magnus metus, ne hæc contingerent. Quem ab atrociſsimi facinoris pœna, ſi ſola eum eximit cæcitas, quæ à parricidio non abduxit, uidete ne in ciuitatem tale inducatis exemplum, ut ſceleroſi homines maxima non dubitent committere crimina, ſi ea ſint ſpe, quòd iudicibus oſtentare ſuam miſeriam poterunt. Ita nemo condemnabitur, niſi qui digito indicare nequibit, cur uideri debeat miſer. Nam quantum ad uiduam attinet, Iudices, nec abſolutio percuſſoris mariti ſui faciet eam miſeriorem: nec magnum afferet ſolatium, ſi chariſsimi coniugis filius damnetur, adeò hanc illa ipſa mariti plaga magis confodit, quàm eum qui mortuus eſt. Atque utinam, inquit, periſſem & ipſa, miſerrima omnium uiduarum, ablato marito indulgentiſsimo. In quam unam tota luctus fletuſq; moles quum ſit conuerſa, ne ullus ſit malorum uel finis uel modus, accuſatione quoque premor: tanquam non ſatis ſordium eſſet in luctu, non ſatis anxietatis in tam feſtinata uiduitate. Miſerrima omnium, quæ unquam amiſerunt maritos, cui ſit in complexu coniunx ereptus, quis me conſolabitur? quis ſe mihi adiunget? quis non fugiet ſiue ſuſpicionem, ſiue omen tam infauſtum? Neſcio an te ſceleſtiſsimum Cæcum accuſem potius, quòd me per ſingula interficis momenta: quàm quòd coniugem interfeciſti ſemel. Redeamus ad feralem illam noctem, ego in me occidenda manus tuas adiuuabo. O te feliciſsimum iuuenem, ſi euadis hoc iudicium, necaſti patrem impune, nactus es hæreditatem, feciſti miſeram nouercam. O crudeliſsimum iuuenem, non tam quia patrem occidiſti, quem multis eripuiſti miſerijs uitæ: quàm quia me reſeruaſti ad tenebras, ad ſolitudinem, ad mœrorem ſempiternum, ad uitam quauis aſperiorẽ morte.

DECLAMATIONIS. IOAN. LODOVICI Viuis, pro nouerca contra Cæcum,

FINIS.

Brugis, Anno. 1521.

Lodouicus Viues Carolo Caren/doleto, Potelis domino, uiro nobiliſsimo & prudentiſsimo. S. D.

QVerelam Cnei Pompeij Magni è Pharſalico prælio fugientis, quæ proxime eſt à me conſcripta, dum me tãti uiri caſus tenet miſeratio, tibi potiſsimum dicare conſtitui, uir clariſsime ac prudentiſsime: quòd tu mecum ſæpe in contemptum rerum humanarum inuidiamq; fortunę multa ſoles diſſerere, et exemplis priſcorum uirorum, et pręceptis Chriſtianę pietatis. Quibus etiam Croium Cardinalem, cuius tu es pædonomus, ego inſtitutor, ad ardorem diuinorum, ſpretis, contẽptisq; his mundi reculis, iugi ſtudio conaris erigere. Tum etiam quòd ego iam pridem undiq; occaſiones capto oſtendendi tibi, quàm me cœperint tuæ iſtæ tam hęroicæ uirtutes, quàm ſim admirator probitatis, grauitatis, cõſtantiæ tuæ, nunc mihi opportunitatem nactus uideor offerendi, quod utcunque animum meum tui ſummopere uenerabundum teſtetur. Credo opus hoc tibi atq; utriuſq; fortunæ hominibus utile futurum. Afflictis profectò non erit ingratum, multúmque afferet conſolationis, quum ipſi ad afflictiores fuerint collati, & intellexerint has rerum amaras triſtésque mutationes non ſolum alijs temporibus extitiſſe, ſed etiam maiores fuiſſe, quàm ullæ forſan poſteris ſæculis erunt. Quem enim tantum caſum aliqua uidit ætas, quantus fuit Pompeij Magni? Cuius magnitudo complexa & complicata cum ipſo imperio Populi Romani, quæq; omnes terras & omnia maria fulgore ſuo occuparat, ruere ſine imperij ruina non potuit. Porrò proſperi non parum accipient uoluptatis: quum uelut in tabella maximas poſt natos homines fortunæ uices depictas uiderint, diſcentq; nulli credere, quamlibet arridenti & blandę fortunæ, quę, ut ſapienter ait Mimus ille, quum blanditur, captatum uenit. Sed ita ſeſe parabunt in uita, ut quatenus leges rerum humanarum plenæ ſunt inconſtantiæ, quicquid acciderit, nõ ſolum æquo, uerùm magno atq; excelſo animo ferant. Nec triſtem modò & ſęuam fortunam, ſed etiam lætam atque adulantem, quam interdũ difficilius eſt bene ferre, quàm alteram illam.

Vale.

Louanij, Menſe Aprili, Anno M. D. XIX.

IOANNIS LO. DOVICI VIVIS VA. LENTINI POM. PEIVS FV. GIENS.



SVMME RERVM DOMINATOR, O TOTIVS Naturæ parens, O mens illa Optimi Maximi Dei, quæ nutu & conſilijs tuis res humanas atque uniuerſum orbem torques. Quantis in tenebris mentes hominum locas? Quàm uaria, quàm contraria fata diſpenſas? ut maiore ex luctu quàm riſu, mœrore quàm lætitia uitas hominum temperaſti? Quàm celeriter diffugiunt læta, quàm diu immorantur, quàm acriter urgent mœſta? O male conſcia futuræ ſuæ ſortis humana mens, & aduerſorum tamen paulò antequam accidant, ex metu præſcia. O tu ratio ménſque diuina, cui imbecillam noſtram mortalitatem parêre par eſt. Quid tu ita noſtrum genus tam abſona uiciſsitudine ludis? ut mihi mearum rerum conſideranti uices, non tam lachrymæ fletúsque occurrant, ob tantam mutationem ac ruinam, quàm riſus de ineptiſsimo ludo, qualem etiam dedita opera nemo mihi effingere poſſe uidetur. Orientem me Populus Romanus tanquam nouum ſerenanti cœlo ſolem adorauit. Non metu, ut Lucium Syllam, non generis commendatione, ut alios pleroſque. Quid enim magis oderant omnes, licet iniuria, quàm optimum & fortiſsimum uirum parentem meum, ſed indolem & naſcentes uirtutes meas admiratus, ingenti me charitate complexus, proſecutúsque eſt? Quis unquam indulgentiſsimus pater tam ſuum amauit filium? Quis pientiſsimus filius tam coluit parentem, quàm me plebs, Equites, Patres Romani, me quotquot unquam aut uidere, aut fama, & auditione cognouere, amarunt, ducti modeſtia & ſingulari ac propè diuina probitate mea, quam adeò multæ magnæque ſecundæ res, quæ uirtutes omnes frangere ſolent, nulla unquam in parte debilitarunt? Cui maiora unquam bella mandata? quis ea celerius feliciúsque confecit? de quo ampliora unquam ſenatuſconſulta facta? non ui aut uerecundia expreſſa. Sed incredibili amore perſpicuis meis oblata uirtutibus: ut eques Romanus ineunte ferè adoleſcentia bellum gererem. Imperator eſſem antequam miles: non alienis præceptis, ſed meis imperijs diſciplinam diſcerem militarem: triumpharem bis antequam eſſem Senator. Arma & conſilia mea non ſemel, ſed iterum ac ſæpius turbatam Italiam ſedarunt, Siciliam recuperauere, domuere Africam, & in ditionem redegerunt, Hiſpanias pacarunt, totúmque Occidentem, finem ciuilibus bellis impoſuere, Gabinia lege imperio mihi uaſti maris in homines omnes maritimos, in reges etiam ſine prouocatione dato: mare obſeſſum, intra quinquageſimum diem poſtquam à Brunduſio ſolui, liberaui, apertúmque nauigantibus reddidi, nulla naui, nullo milite amiſſo, ex crudeliſsimis pyratis receptum, imperio reſtitui Romano, ſolutus deinde legibus, conſul antè factus ſum quàm mihi ullum alium magiſtra-

magiſtratum per leges capere licuiſſet, Manilia lege ad bellum Aſiaticum imperator profectus, Mithridatem antiquum hoſtem meæ ciuitati ſolita felicitate fregi. Plures ego regiones ſubegi, quàm in pace alij peragrarunt, plura bella geſsi, quàm alij penè legerunt, nullum genus eſt belli, in quo mea non ſit ætas exercitata, lætiſsimis cum uictorijs Populi Romani, ſumma cum laude & gloria patriæ meæ, more uincentium ſacris certamínibus, monumenta rerum mearum, quoſcunque terrarum orbis terminos ſpectes, ibi finem accipiunt, ubi populi gentium uictoris imperium, de tribus mundi partibus Africa, Europa, Aſia, tres in patriam clariſsimos reportaui triumphos: ita ut ſi multorum nominum ambitioſus fuiſſem, Europicus, Aſiaticus, Africanus: ideſt uno uerbo mundanicus potuiſſem appellari. me M. Cato Romanæ uirtutis oraculum conſulem ſolum ſuffragio creauit, cunctúsque Senatus mirifice aſſenſus eſt. Feſta pax, qua Populus Romanus gaudebat, uni mihi accepta referebatur, denique meum nomen menſura erat rerum à me geſtarum, Reſp. ſe mihi totam fluctuantem maximis in periculis commendauit, in me uno nitebatur ipſum totum uaſti imperij pondus. Et nunc ego tantus dudum imperator tam clarus toti orbi, quàm hic ipſe ſol, erro egens, inops, exul, patiens, incerti laris, ſupplex ijs, quos aliquando ad pedes meos deuolutos è ſolo ſubleuaui. Quid agis immenſe rerum conditor, ludis ne nos? an non hæc ſine maximis cauſis uadunt, ſed nobis ignotis? quale hoc eſſe dicam, maxime mundi rector, ut ab ijs modò non recipiar, qui ſecum putaſſent optime actum ſi ad ipſos uel unum ex ſeruis miſiſſem meis? O princeps orbis huius, & hoc tibi dignum uidetur? quod eſt meum tantum flagitium? ut quum Amiclæ etiam domus ſit, quam poſsit appellare ſuam in qua penates ei ſint, & uxor cum liberis, Pompeio ne tuguriolum quidem ſit, quod ſuum poſsit nominare. O paſſerculi, ô luſciniolæ, ô formiculæ, & uobis certe nidi ſtipulis intertexti, uobis ſubterraneæ domus tutæ, quietæ que ſunt, plenæ iucunditatis, cum paruis prolibus, cum rebus uſibus ueſtris neceſſarijs, Pompeio paulo antè orbis domino, nunc nec caſula eſt, ad quam triſtem uxorem mittere poſsit. O mea Cornelia probiſsima, caſtiſsimáque coniunx, & quid tu de dijs ipſis male merita es? ut huius tantæ calamitatis fieres particeps. Nata in gente ac familia Scipionum, matrimonio in opulentiſsimam Craſsi domum adducta: nunc patria, domo, penatibus, tuorum maiorum ſepulchris procul relictis, exul exulem, profuga profugum, miſera miſerum ſequi cogere. Quæ te iniqua & inuida ſors, quis tam improbus falláxque Genius Pompeio magno adulatoria & fallaci ſpecie honoris coniunxit? Quis non tibi gratulabatur coniunctam eſſe te matrimonio illi uiro, cui neque oriens neque occidens ſol parem uidebat? Miſerum me quàm immutata ſunt omnia? nunc præſtaret aut te Craſsi uiduam ſemper manſiſſe, aut uxorem eſſe alicui ex turba equitum Romanorum. Heu me, Cornelia mea, quanto me maior tui ſollicitudo urget, quàm mei. Vir enim ego ſum, in quem aduerſi caſus non tam ualent, tu fœmina & talis fœmina, genere clariſsimo, caſta, uerecunda, pudica, pulcherrima, non modo iniuriæ obnoxia, ſed oblata, quæ quum ſis eiuſmodi moribus, etiam minima iniuria tibi grauiſsima erit. Hei quàm uerum illud eſt, quo fuiſti propior ignem, eo citius uehementiúsque accenſa es. Gregarij cuiuſquam ex meis militibus coniunx ſi fuiſſes, nemo tuæ pudicitiæ illudere ſibi fas exiſtimaſſet. Nunc imperatoris uictarum partium quum ſis uxor, quis ſibi non iure licere credat quicquid ſibi in te collibitum fuerit? Et ut totus exercitus tibi, tuo generi, tuis magnis uirtutibus parcat, ipſe certe Cæſar huius totius belli inter cæteras prædas tuum corpus non poſtremam exiſtimabit, ille matronarum omnium, ne quid aliud dicam, tam impurus fœdúsque adulter, bellum ſi cum Mario geſsiſſem, aut Sylla, in capita duntaxat uirorum graſſatus fuiſſet uictoris furor, geſsi cum Cæſare, qui ſe non minus fœminas, quàm uiros uiciſſe putat. O quis hæc mandata impium ad uictorem perferret? Viciſti Pompeium Cæſar, contra ius omne, fásque, ut qui bellum patriæ intuliſti, ego propulſabam, ne uelis obſecro plus tibi licere, quàm Syllæ, Mario, & Cinnæ. Proſcribe, occide uiros, imbelli ſexui parce, ſæui in eos, qui in te tuósque ferrum ſtrinxere, illis parce, quæ cum in te nihil

peccarint,orbatæ ſunt tamen per te affinibus,cognatis,fratribus,parentibus,filijs,mari tis,cæteriſq; ſuæ uitæ chariſsimis pignoribus. Quod ſi arma tua unum Pompeium petebant,quòd te Romæ,ut melior, ita ſuperior erat:en caput meum,hoc te precor,ſatiet iſtam belli ſitim, ne ſerpat, ſeu potius irrumpat latius tanta cædes:moriatur Pompeius una pro toto imperio hoſtia. Me petis? conde igitur tot nudatos gladios,unus huic uni iugulo ſufficit. Huc ipſe ueni,aut deſigna mihi locum,ſolus ibo inermis aperto iugulo, pectore,lateribus:exue humanitatem omnem,& ſuſtine ferire uitalia mariti tuæ Iuliæ, ſuſtine cædere parentem nepotum tuorum,ſpem generis tui,unus in me tuus uibretur mucro. Maneat reſpub.integra,ſtet per te libera patria tua,quæ te liberũ libera genuit. Noli tibi ſeruiat illa,cui te parêre omnium hominum,omniumq; deorum leges iubent, & ut etiã ab inimico ſanum accipias conſilium,noli tam eſſe temerarius,ut uiuere uelis inter Catones,Scipiones,Seruilios,Brutos,Caſsios,Domitios ſeruienteis,qui non modo per tua, ſed per paterna etiam uiſcera libertatem recuperarent. Dic quæſo, ut non ſemper gladijs pilisq; rem agamus,ſed ut ciues inter ciueis decet,aliquando uerbis. Quo tu iure,qua lege,quo animo bellum infers ijs,per quorum parentes effectum eſt, ut tu in pace uiueres? quo iure uis eos tibi ſeruire,quorum maiorum uirtute tu factus es liber? qua mente,qua ratione,tuas legiones armaſti,ut reliqua taceam,contra patriam? pro cuius ſalute erant conſcriptæ:& quæ tibi tua uita charior eſſe debet, pro qua te ipſum mori,ſi res poſtularet, omnia diuina atq; humana iura cogunt. Quia uoluiſtis me, inquis, Romam ſine exercitu uenire. Quis uoluit? Senatus. Quis tibi exercitum accõmodarat? Senatus. Quæ eſt igitur iſta tanta iniuria,quam tu ſubinde obiectas,ſi quis à te id repetat,quod accommodauit? An tibi exercitum dono datum,& non potius in tempus traditum atque accommodatum exiſtimabas? tantum profectò tempus,quantum libêret ei,qui tradiderat. Quid eſt igitur quòd querare? ſi repetit,cum uult à te,quũ ea cõditione ab illo acceperis,ut redderes, cum uellet. Quid quòd ne iubebat quidem Senatus,ut tu exercitum redderes,ſed ut more maiorum ſine illo uenires togatus ad petendum inter togatos togatum magiſtratum,ne armis tuis pacatam terreres ciuitatem, tumultumq; quieti noſtræ aſſerres,ut libera eſſent populi ſuffragia. Ne unus tu tãquam tyrannus ferrum haberes inter inermes,aut conſulatum non peteres, quoad eſſes præſens defunctus iam prouincia. Num nefas eſt unũ aliquid uni ab omnibus negari? cum tu unus omnib⁹ plura negare fas duxeris? Sed finge tibi omnia iuſta,Senatui uerò iniuſta. An ignoras quid à dijs ipſis immortalibus præceptum,à ſapientiſsimis hominibus traditum,ſentẽtia, conſenſu totius generis humani comprobatum confirmatumq; eſt? Cum patria,& parentibus non eſſe contendendum,etiã in bona cauſam tua,mala illorum. Quamuis illorum neſcio an poſsit ulla eſſe mala cauſa aduerſus eos, quos genuerunt. Quî tu mortẽ occumberes pro patria,ut Decij illi luſtrales animæ bellis,ut Iunius Brutus,ut Curtius,qui bellũ infers ipſi,quòd iuſſerit te in proximũ annum expectare ad gerendum conſulatum? Quo tu animo repulſas ferres? qui perparuulam deſyderij tui iuſtis etiam de cauſis moram,omni crudelitatis genere uindicandam ducis. Lælione tu ſapientior? quem patres noſtri appellarunt ſapientem. Melior hoc Catone,deo ſub imagine latente noſtra? At ille unum conſulatum cum repulſa geſsit, hic nondum factus eſt conſul,cùm iam petierit,et præturam cum repulſa adeptus eſt.in qua,in repulſa Vatinium ſibi prælatum hominem indigniſsimum ęquo animo tulit. Fortior,nobilior tu Æmylio Paulo Macedonico? qui conſulatum non antè obtinuit,quàm tres repulſas ſit paſſus. Nę tu regnum,crede mihi,regnum tu iam inde à puero tibi formaſti,quod illa ſua magna multarum rerum experiẽtia Sylla prędixit ſenex. Cuius umbram nefaria cum perditiſsimis et facinoroſiſsimis ciuibus coniuratione facta in ædilitate oſtendiſti. Expreſſam imaginem uidimus in conſulatu, quum obſeſſo domi ſuæ tuo collega, uix intra domeſticos parietes tuto conſule Po.Ro. tu ſolus cuncta pro libidine tua adminiſtrabas,contra mores,contra omne ius, omnemq; æquitatem. Nunc ad regnum tuum, idq; tyrannicũ,quid deeſt præter pannulum aliquem ex quo diadema fiat? Quod non dubito quin breui ſis tua ſolita temeritate correpturus. Quem poſthac mortalem iuuabit uiuere, tam mutatis,tam corruptis omnium hominum moribus? Olim nihil erat

patria

patria charius,nihil libertate,nihil publica salute sanctius.Nũc uel minimum priuatum commodum toti ciuitati,imò toti orbi anteponitur. Genitius Cippus Romanus prætor egressus,quum portendi sibi patriæ regnum cognouisset,reuertere in eam noluit,ne quam liberam in suo discessu reliquerat, seruientem sibi regrediens uideret. Q. Ælius prætor Picum morsu interemit,cuius Pici uita statum suę domus felicissimum promittebat,reipublicæ non ita felicem,mors uerò felicitatem patriæ,infelicitatem sibi.Hausit uenenum Themistocles Atheniensis,ne bellum exul ingratę patriæ inferret.Thebanus Epaminundas strenuus imperator suorũ in se ciuiũ iniurias facilè pertulit,ne illas cum aliquo patriæ incommodo uindicaret.Hæc quidem illi,Cæsar uerò ut prædonum suorum,ut Gallorum,ut Germanorum inexplebili cupiditati largiatur patriam,per omne scelus,ac nefas pessundat,ut populo epulum præbeat,populi patrimonium peculatur, libertatẽ extinguit,Rempublicam funditus reuellit, & euertit.Credite mihi quotquot ex illo uenenato epulo uescemini,carius stabit uobis, quàm creditis cibus amarus ille, quem Cæsar pecunia uestra emet,libertate uestra uendet uobis,dabitur uobis quidem uisceratio,sed ex uisceribus uestris.An non tibi Iuli pulchrius multo uidebatur in integra illa et florenti Roma unum consulatum gerere,quàm inter barbaras gentes excelsa illa Rꝛepub.deleta regnum æternum? Quid istud tuum fulmen facit Iupiter? Quid torpet? an tu etiam mortales times? Lepores,pauidasq; damas,horrendo territas fragore, fugasq;,arbores,& inanima saxa feris.Conscleratum & audacissimum Cæsarem prætermittis, facem generis humani: qui tam nefarius ignis tuo isto sacro igne erat restinguendus.Aesculapium quòd beneficus in genus humanum,mortuos ad uitam reuocabat,fulmine tu uitæ authorem interfeciſti. Cæsarem orbis pestem uiuere finis.nullum? ne tibi erat fulmen,quo illum ante transitum Rubiconis ad inferos deijceres? ut similis esset aut Romuli Syluij,de cuius se ortum gente inaniter iactat,aut Tulli Hostilij, cuius dignitatem ambit.Sed me miserum, quid loquor? Cui tot uerba nequicquam fundo? Interij ego,ruit & interijt mecum,quod me magis cruciat,admirabilis illa,et pulcherrima libertas populi Romani,quæ bellis ciuilibus Marianis, & Cinnanis labefactari cœpta, meis deinde humeris innixa mecum fracta concidit, & consumpta est.O M.Cato numen de cœlo delapsum.O M.Tulli,incredibilis prudentię uiri,men' uestris consilijs non paruisse? men'Domitio potius Affranio,& Petreio credidisse? men'tibi nõ audijsse Serui Sulpiti hortanti,ne ipsum totum po.Ro.inimicitijs cum Cæsare acceptis,in fortunę discrimen conijcerem? Me miserum cedere decuit prudentiorem homini furenti. Oportuit meis artibus pacis,quas longus me togæ docuerat usus,gladiatorias Cæsaris insanias temperare.Sed quid ago dij immortales? non ego Cæsari bellũ intuli,sed illatũ ab eo patriæ propulsare conatus sum.O me stultum,me,me insanũ,& his etiam quę patior peiora meritũ,ubi meus tum erat sensus,ubi mea mens,quum ego Cæsaris potentiæ tam contra omne ius,omnes leges,omnẽq; rationem,contra bonũ atq; æquum omne fauens,manifestam illi ad regnũ uiam aperiebã.Quæ nos cæcitas tenebat M.Crasse, quum ad Lucam usq; ad ipsum progressi Domitiũ deturbauimus consulatu? Cęsari in quinq; annos imperiũ prorogauimus,ut tãtas uires illo quinquennio colligeret,quantę satis essent ad remp.totumq; orbẽ uastandũ et euertendũ.O quanto felicius,quanto pulchrius cecidisti apud Carrhas M.Crasse? anteq; collapsam tuã patriã uideres,quàm ego turpiter moriar superstes Romanę libertati? O male memores monitorũ prudentissimi magistri Syllæ.Quoties nos ille male cinctũ puerũ cauere præmonuit? Quã ego re ipsa comperio me lupi catulũ enutrijsse,nõ in meã solius perniciem,sed totius orbis terrarũ.Miserum me,quis unquam ueritus fuisset ne Cęsar eam remp.perditã uellet,à qua tot honoribus erat affectus,tot magistratib⁹ ornatus? Proh dominator orbis,quocũq; tandẽ te nomine compellare fas iusq; est,hanc tam sanctã,tam honestã causam uinci te siuisse? Quid dicã,quid de te loquar,quẽ iustissimũ scio,quẽ nihil sine magnis causis & admirabilibus cõsilijs administrare? Casum certe tam pulcherrimi imperij nequeo nõ lugere.Et in hoc tamẽ summo mœrore meo una rerũ mearũ testis conscientia,me consolatur.Libertatẽ in qua natus sum nõ uerbis modò,iure,legibus,institutis,et more maiorũ,sed gladijs quoq;,quando aliter nõ potui,tutari ac propugnare conniſus sum:defuit

non animo & consilijs meis sanctissima causa, sed factis meis successus. Quòd si homi-
nibus rationẽ huius belli aliquam probari necesse est, ego, ut totum sanctũ transeã Se-
natũ, pro me Catonẽ adduco, qui partes secutus meas argumẽto erit toti posteritati, has
fuisse meliores. O M. Cato humanæ exemplar probitatis: ôdijs proxime uirtute, quẽ, si
humana consortia dij non aspernantur, in cœtus deorũ uenturũ certũ est. Tete, inquam
participẽ consiliorũ omnium meorũ, participẽ huius sęuę calamitatis per incredibilem
tuã uirtutẽ precor, ut receptus in deorũ concilijũ, deus iam factus, & ostendas dijs ipsis
me immerentẽ esse uictum: & patrię charissimę tuę salutaris propitiusq; semper sis de-
us. Simul domũ meam, si ea una cum imperio Po. Ro. stare potest, misere iam collapsam
in pristinum uestigium gradumq; restituas, sin ipsa salua esse non potest cum patria, at
ea sola pœnas luat: patria recta, inuiolata, integra, florẽs, felix perpetuò stet. Quid hoc est
se dicam alme rerũ omniũ parens, utrũ inuidiã credã esse fortunæ, an fata rerũ humana-
rum? Vt Rom. imperiũ, quo nullum maius fortiusq; ullæ uiderũt ętates, in quo tanto,
quantũ modo erat, constituẽdo, atq; firmando uirtus fortunaq; simul cõtendisse uiden
tur, unico Pharsalico prælio simul refringatur, & ruat cum Pompeio. O miserandos ho
minum labores, hoccine Brutus ille agebat, ne charissimis quidẽ pignoribus, pro liber-
tate parcens? Hoccine Horatius Cocles pontem solus à toto exercitu defendens? Hoc
Mutius admota igni dextra, ut pœnas sui penderet erroris? Hoccine Chlœlia Tyberim
tranans opus etiam fortissimis uiris formidandũ? Hócne inquam hi omnes agebant, ut
hæc ciuitas impurissimo tandẽ Cęsari seruiret? O si est ullus nostrarũ rerũ apud inferos
sensus? Quã dolẽt Decij duo, qui pro felicitate huius imperij capita sua deuouerunt, et
eius non libertatẽ, sed duo prelia duabus suis sanctissimis uitis emerunt. O quàm mœ-
rent, quàm lamentãtur Curij, Fabricij, Serrani, Coruncani, Dẽtati pauperes, ut hãc rẽp.
locupletarẽt, nunc totũ patrimoniũ Po. Ro. à nefandissimo prædone expilari, ac diripi.
Quis tibi est Africane sensus, quũ audis totũ orbẽ ab insanissimo uexari & turbari ho-
mine, qui solũ ultrò uertisti, ut tui ciues quieti essent? Quid tu dicis Æmyli Paule? Quid
facis? si dilapidari, dilargiriq; conscleratis hominibus Macedonicũ illũ thesaurum ui-
des, quẽ tu pauper intactũ pręclaro tuo triumpho in ærarium inuexisti? O Luci Opimi,
si nunc uiueres, ô P. Scipio Nasica, quales uobis ostenderẽ uindicãdos, nõ Gracchos,
quietis interpellatores, sed Cęsarẽ pestẽ totius orbis? Quã uictimã uterq; uestrũ Ioui et
generi humano mactaret? O Seruili Hala cur in hãc te ætatẽ dij nõ reseruabãt? Occide-
res nõ Sp. Meliũ affectati regni suspectũ, sed Cæsarẽ ipsum, iam regẽ. O si reuiuisceres
Papyri Cursor illo & animo & corporis inuicto robore, indigeres exercitu ad scelus
hoc uindicandũ? Et nõ tu potius te totũ impio perfundere cruore uelles? O Manli Tor
quate, hic tibi Gallus supererat interimẽdus, de quo cæso cognomem aliud reportares.
Quid tu etiam facies? quũ senatũ Gallorũ plenũ uidebis, qui te quemcũq; in eo Latinũ
inuenisses, occisurũ minatus es? Quis nunc tibi est Camille sensus, quũ Cæsarẽ bellum
patriæ intulisse nulla lacessitũ iniuria uides, quã tu etiam in exiliũ iniquissimũ expulsus
liberandã per te censuisti? O prisce Cato qui nec Africanũ ferre potuisti imperatorem,
nec totam Romanã nobilitatẽ, ferres nefariũ hũc semimarẽ Romæ regnantẽ? O specta
culũ miserandũ. Seruiet ne igitur Po. ille Ro. gentiũ uictor, cuius se olim reges libertos
esse profitebantur? Seruiet Senatus ille, quẽ qui ex regibus constare dixit, is demũ ueris
simã Senatus speciẽ cœpit? Seruient rerum domini barbaris seruis impurissimis ac per-
ditis. hominibus omni facinorum et flagitiorũ genere delibutis? Accipient leges à Cæ-
saris incõstantia, iniquitate, furore? ab Antonij temulentia atq; libidine? à Lepidi leuita-
te? à seditione & uiolentia Dolobellę? qui sanctissimas leges toti orbi dedere. Quæ tibi
esse potest oblectatio, rerum omnium parẽs, deformata tam speciosissima rep. deiecto
tã excelso imperio? Maxime mũdi rector, et miser esse nõ potest Pompeius salua rep. O
M. Cato hoc à dijs ipsis, quibus es proximus, te nõ impetrare, ut Po. Ro. ueterẽ obtineat
dignitatẽ, pristino stet in uestigio? ô Cnee Põpei ubinã est tua illa solita in bellis felicitas?
ubi exercitus illi Europę, Africę, Asię uictores, ubi militaris disciplina, ubi ualidissima
cõsilia et stratagemata illa, quib. omnes terras et maria domuisti? O socij uestris tã uarijs
cõsilijs atq; sentẽtijs q̃ me miserũ perturbastis? q̃ totũ orbẽ perdidistis? ô mei milites, ô

Senatus

Senatus & reges meæ calamitatis comites, cũ prælíũ tam importuno tẽpore flagitabatis, ut ſenſi me falli à díjs quonã modo? tacitus intellexi parari mihi cuncto q; Ro. ímperio maximos ab íllis dolos: quàm triſte omen fuit me natũ educatũq; inter arma, qui tot bella geſsi, & prę lijs à me cõmiſsis interfui, toties hoſtẽ pugnãdo manu mea cecídi, explicatas íllo die horruiſſe legiones. O cũ utręq; acies in procinctu anteq; cõcurrerẽt, attonitę ſtarẽt, q; ſperabam fore ut generis humani díj miſererẽtur. O te Cai Craſtine, qui primũ pílũ in nos iecíſti, tete & Syſiphi & Tantali, & Promethei & Ixionis & Sulmonei, & omniũ omnes apud inferos æternũ crucient pœnæ, cuius manus tantę cędis autor fuit, díj inmortales ſi nondũ tenet uos tædíũ & ſatietas generis humani, miſeremini Ro. gẽtis, ne uno prę lío in ſeruitutẽ tota redigatur, miſeremini mei, qui Italiã reliqui, ne patriã meã bellis uexari, populationíbus euaſtari, incendíjs ardere uiderẽ, quæ omnia procul ab ílla mecũ eduxi, qui exceſſu meo ex hac tetra & funeſta pugna tot hominum míllíbus cõſului, quíbus ſalutẽ uitãq; meo diſceſſu attuli, qui omnes ſi mãſiſſem, mecũ cõcidiſſent. Miſeremini mei, qui orbe incolumi & felici, ſolus ſum contẽtus eſſe miſer, qui nolui meã ruínã cũ orbis ruína cõiungere, ſi modeſtia mea, uerecũdia, fideq; uobis totíque orbí ſunt notiſsimæ: ſi patriã ſemper ſummè dílexi, ſi Senatui, ſi legíbus ſemper parui, uos huic ímperio primũ tã afflícto, rebus deínde meis numen aliquod oſtendite, opẽ ſalutarẽ afferte, ſi ſemper ad togã poſt arma redíj, ſi bene monẽtes beneq; cõſulẽtes nunquã ſum aſpernatus, ſi líbere in me atq; adeò licentioſe loquẽtes facilè pertuli, ſi dignitatẽ meã procací maledícentia à Cn. Piſone, Lẽtulo, Mãtia, Diphílo, Fauonío lę ſam & laceratã uindícare nolui, uos quoq;, ſi quid eſt meũ peccatũ, nolite id tã atrociter uíndícare atq; punire, ſi domí meæ nunc̃q; uíguit niſi pudícitia, parſimonía, frugalitas, mos antiquus patriæ, ſi nunc̃q; animũ ad regnũ adieci, quod occupare mihí erat in procliui, ſi tis mihi obſecro propitij, ſi iuſtícia, ſi uírtutib⁹ flectímini, mei obſecro, qui ſemper íllas colui, miſeremini. Nã ſi qua erat meæ tam cõtinuatæ felicitatis inuidẽtía, ut homines loquũtur, fortunæ, ſit iam ipſa, placata, ſit mitior, quippe cũ me, quẽ paulo antè orbis ipſe comitabatur, ſolũ uiderit inornatũ, incõpoſitũ, habítu adeò humílí, & ſordído, ut notis ipſiſq; meis famíliaríbus ignotus fuerim, ſit cõtẽta, quę me ſpectarit, cui reges olim miníſtrarũt, pronũ manu haurientẽ cœnoſam aquam, ut intolerabílẽ ſitím utcũq; leuarẽ, quęrẽtẽ in fame cíbaríũ panẽ, qui cõſilíjs meis Ro. totãq; Italiã breui alioquí in magnũ diſcrimẽ uenturã optima olím annona ſaturauí. Ecquẽ fortuna quæſo maiorẽ, ne parẽ quidẽ unq; attuliſti caſum? Taceant priora ſecula, quícquid híſtoriæ retulere, quícquid ad hominum oblectamẽta mentíti ſunt poetæ, quícquid famę uetuſtas fabulís adiecit, ſub hac taceat cõparatione. Alios enim uitæ turpitudo perdidit, alios inique uel accepta uel geſta abſumpſere bella, alios ſuorum odía ciuiũ oppreſſere. Põpeiũ in tanta uitę pudícitia, atq; probitate pro ſanctiſsima patría bellantẽ inuito et reluctãte penè cuncto genere humano, acerbitas fortunę proſtrauit. Cælites cuius legíbus ſtat mũdus uniuerſus, ſi piget uos generis humani, ſi placet uno lapſu ſecula deleri: quid opus eſt Romã poſt miſerã interíre ſeruitutẽ? An nulla eſt alia uia? Soluite oceanũ ipſum, prorũpat maris effrena líbertas, incẽde Iupíter tuís fulmínibus orbẽ. Sed hęc tamẽ animus uel cogitare horret. Díj benigniſsimi noſtriq; generis amici, excidit' ne iã uobis alumn⁹ ueſter? me' ne iã nõ agnoſcitis? Ego ſum, ego miſer Põpeius ille, quẽ uos tã multis magnisq; rebus ornaſtis, ut credere homines cogeretis, me ueſtro ex genere ortũ eſſe. Ego ſum Põpeius ille, quẽ unũ uos in terrís ueſtri ſecundũ eſſe uoluiſtis. Ego ſum Põpeius magnũ exẽplũ caſuũ humanorũ, exẽplũ incõſtantię, blandiſsimę fortunę. An infelicitas, an uultus pallor & ſordes ueneratæ caniciei capitisq; orbe toto adorati meã ſpeciẽ adeò immutarũt, ut iã à uobis, in quorũ tutela & patrocínio ſemper fui, nõ agnoſcar, quũ uos tamẽ nõ corpus ſpectare ſoleatis, ſed animũ? An uos, quod credere impiũ eſt, malorũ poetarũ ſimíles eſtis? Qui primos actus egregie cũ peregerint, in poſtremo tandẽ turpiter deficiũt, et pro plauſu exibílationes deríſusq; ſui ineptiſsimi excitãt. An potius finis atque extremus meę uitę actus, ſed nõ intellectus febris ílla Neopolitana erat, qua fui pene extinctus? O fœdã infauſtãq; meã uiuacitatẽ. O prouidã naturã, quę me in ipſo rerũ faſtigio ante mutationẽ fortunę extinguere maturabas, cũ mihi erat optimũ & felicíſsi-

mũ mori. O tot malígna publica priuatáq; pro mea ſalute ſuſcepta uota. O quãto fuiſſet tũ ſatius, me integrũ tãto in honore, quantũ ipſa mortalitas capere poteſt, naturæ cõcedere, cũq; nũc in dedecore, in fuga fractum, abiectũ, perditis liberis cũ tota domo? O felix mors, quę tũc uenis, quũ maxime iuuat uiuere. Felix mors, quę antè uenis, cũq; opteris. O maturríma mors, quę tũc demũ aufers, cũ nihíl maius meliusq; expectãdũ eſt. Quid me tot amicí plus nimio de me ſollíciti facere diutius uolebatís in uita? expectabatís ne forſan, ut nouus crearet mũdus, noua rerũ natura, in qua meæ ciuitatí ſubigẽda noua eſſet gloríę meę matería? Aequauerã rebus geſtis Alexãdri Magni, cui me perſimílẽ uulgo ferebant, æquauerã Herculís, et Líberí patris rerũ fulgorẽ, effecerã ut ab ortu ſolís ad occaſum Senatuí, populoq; Ro. uniuerſa parerẽt. Quid erã amplíus facturus in uita? Nõne ſatís diu ſteterat fortuna magnitudínis meæ? Volebatís, q̃d ſecutũ eſt, ut nimía mea uiuacitate nouercã fortunã experírer, quę mihí ſemper fuerat mater? quãuís mei nemo ſit, quí credat me magnã tenere curã, & ſollícitudinẽ, angit excruciatq; animũ tãtí impeŕíj ruína, tãtę libertatis ereptio. Vincí ne uno pręlio ſeruiturã totã poſteritatẽ? O poſteri Romaní, ſi ulli eritís, quàm uos meritò de noſtra ignauia cõqueŕí poteritís, quí líbertatẽ à parẽtíbus noſtrís acceptã tueri ac cõſeruare, uobisq; tradere nequíuerim⁹. At te Cęſar tãtí malí autorẽ díj ímmortales, ſi qua íllos tãgit adhuc noſtrí cura, pro meritís plectant, mecũ uerò ad eũ agãt modũ, quo ego cũ rep. totoq; genere humano agere ſemp uolui, ſumq; conatus. Ac me quidẽ in tãtís meís malís unica conſcíẽtia teſtís animí mei, cõſilíj, mentís, rationís, iudicíj, ſentẽtíę, cauſę, uolũtatís meę, in hoc triſtí & míſerabílí bello, me cõſolatur, fidentẽq; ac magno animo ad mortẽ hortatur íre. Etſi, ut ueritas ratioq; præſcríbit, nihíl aliud eſt pręſtandũ à nobís in uita, pręter culpã, nihíl aliud exígitur à bono uíro, cũq; integra et ſancta uolũtas, quàm cõſíliũ uírtutís atq; officíj, quoad fieri poteſt, plenũ, cũq; ne ípſe pro ſua uirílí honeſto deſit. Quid in me reprehẽdere quíſquam poſſit, nõ uideo. Ego quicquid in mortalitate mea fuít, effecí. Vſus ſum indulgentíſsima fortuna ad fructũ atq; utílitatẽ patríæ, ad modeſtíã, ad uirtutes omnes, ad opẽ bonorũ. Nullũ in me ínſolẽtię ſignũ extítit. Felícitas mea in hoc ſemp laborauít, ut Roma mea in ocío, in pace domína eſſet orbís: ne ſeruíret Cęſarí, bellũ ciuíle geſſí, uertit ſe more ſuo fortuna. Quid ſum facturus? Nũ ſucceſſus q̃q; ípſe præſtare poſſum, quí animũ uíresq;, quãtæcũq; in me fuerũt, præſtíti? Atq; hoc quídẽ me attonitũ, ſtupefactũq; tenet, ſine ratione factũ eſſe nõ credo, ſed íllã ego mínime capio. Siuíſſe mũdí huius uníuerſí moderatorẽ ſapiẽtíſsimũ, ęquíſsimũ, optímũ, meliorẽ cauſam uínci à peíore? Cur íta factũ ſit, deº ípſe uíderit. Ego cõſcius míhi, meę aduerſus patríã pietatís, cõſcíus labores omnes meos pro líbertate & ſalute generís humaní eſſe ſuſceptos, quocũq; tandẽ loco fata me deponere uitã iubẽt, ad eũ nõ ínuitº, nõ reluctãs eo, introq; mare hoc ſolus, fugatº, abiectus, quod olim íngẽti claſſe ſumma uíctoríę felícitate, totíus uaſti æquorís ímperator, íncredíbílí cũ gloría nauígauí, & ex infeſtíſsimo pacatũ admirabílí reddídí celeritate. Et cũquã ex hoc meo caſu ſentiet totº orbís iacturã, diſcẽt tamẽ homínes exẽplo meí, ſecũdís rebº nõ fidere. O cęlí, ô maris, ô mũdí prínceps, ad cuiº ęternas leges uitã ego ſemp meã dírexí. Adſum Põpeíus, ſi opes iã, ſi potẽtiã ſpectes, paruus, ſin uerò animũ, & anteactę uitę cõſcíũ, & facere quicquid æquũ uírtusq; iuſſerít, paratũ: certe magnus, certe íngẽs, certe nõ minor copíjs meís profligatís, quàm cũ tres triũphos in patriã reportauí. Neq; tũ tamẽ maíor, cũq; nũc in tãta mea publicaq; calamitate. Adſum inquam cęcus, circunfuſus tenebrís errãs, inſcíus uíæ, incertus quò fugã dirigã. Nõ à te iã uictorías triũphosq; ex domítis diuerſís gentíbus, nõ magiſtratuũ imperiorũq; nouos & inauditos honores peto. hęc tu míhi, hęc olim ultrò dabas, nõ peto in morte planctus íllos, & eíulatus Po. Ro. nõ ut me ad rogũ ſuís humerís ſenatº portet, relíquíasq; meas tunícatus, diſcinctus nudís colligat pedíbus flens, non ut exercítus totus ínermís, mílítares míhi cũ mœrore nænías canat, nõ ut me lugeãt matronę omnes, nõ ut ſol íſte genus humanũ in luctu uídeat propter me uíta functum. Nõ peto pompam íllam funebrem tríbus conſulatíbus, totídem triumphís futuram inſignem, nõ laudes íllas pleríſq; locís longís oratiónibus explícatas, nõ ſepulchrũ in quo tituli tot bellorũ & uictoríarũ legãtur. Hæc omnía míhi cõtigíſſent, ſi me ſors mea líbera in patría ſíuiſſet morí. Nũc uerò duc me quęſo pater,

ſi non

si non ad uitam anteactæ similem, ad mortẽ saltẽ uitæ meæ congruã & conuenientem. Et si adhuc Pompeij preces, quę nihil à te nõ impetrare solitæ erant, aliquid apud te ualẽt, at sanctissimã coniugẽ, cuius probitas, cuius tam pię lachrymę te mihi iratũ flectere potuerũt, liberos spem tanti generis, miserandã domũ tibi clemẽtissime rerũ omnium parens commendo. Me uerò, quodcũq; me tandẽ mortis genus manet, oro et obsecro, tam magno fac animo mori, quàm uixi.

Io. Lodouicus Viues Antonio Bergensi iuueni nobilissimo S. D.

SI uacat, nobilissime Antoni, nugari aliquãdo: en tibi duo opuscula mea in quibus id agas. Neq; enim aliud melius habeo munus, quo amorem erga te meũ ostendã: qui quantus sit, de tuo fac coniecturã. Existimo enim (ni fallaꝫ magister ille sapiẽtiæ Plato in iudicio de Xenocratis erga se pietate) & te mihi in amore respondere. Habebis igitur aliquid meũ, qui tã desideras, & fastiditus ísto nõ requires postea rẽ maiorẽ, si modo fastidiri quisquam potest rebus amici, quantũuis ineptis. Erit itaq; prior libellus Fabula de homine, id est de mũdana scena, in qua suã unaquæq; rerũ personã agit, primęq; sunt partes ipsius hominis. Argumentũ est antiquũ, quod cũ nugis habet permulta seria: etenim illud nobis, si paulo altius animũ ipsum cogitatione erigere uolumꝰ, ostẽdere utilitatẽ istarũ rerũ, quas ingenti cũ labore anxij solicitiq;, cæci atq; demẽtes quęrimus, & subinde admonere meliorũ potest. Omnia enim quę sunt in humana uita prẽter uirtutẽ tanq; pueriles quidã lusus ridicula sunt, ac subitò utpote inania euanescũt. Hanc ipsam rẽ mihi in animo est aliàs, si liberius suppetierit ociũ, opere iusto exequi, nũc tãquã monogrammã delineaui. Posterior libellus est prælectio in Georgica Vergilij. Neq; enim absurdũ prorsus est philosophũ ex tetrica illa disciplina ad blandiores musas animi gratia interdũ descẽdere, q̃d eo facio & sæpius & audacius, quoniã sum ex ea philosophia, cuiꝰ princeps de Poetica scripsit arte, et Alexãdro Regi discipulo suo Homerũ interpretatus est. Quẽ poetã ego Vergiliũ Græcũ appellare, sicut hũc Romanũ Homerũ soleo. Tu uerò mi Antoni enitere, ut istã tuã tã egregiã indolẽ ad summã uirtutẽ perducas, caueasq; ne imbecilla ętas inter tot aulica mala corrũpatur. Spero tuo ingenio tamẽ monitore opus nõ fore. Vale, & me ut amare cœpisti, perge. Louanij. Anno M. D. XVIII.

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI FABVLA DE HOMINE.

LIbet mihi à ludis fabulisq; auspicari hãc meam de homine dissertionẽ, q̃niã et homo ipse ludꝰ ac fabula est. Ferũt post epulũ quoddã magnificũ & adipale, quo deos omnes natali suo excepit Iuno regina, diuos curis solutos & calefactos nectare, interrogasse Iunonẽ, parasset ne ludos aliq̃s, quos post conuiuiũ spectarẽt, ut nihil tã solenni deesset dei, quo minus undiq; esset lętitia diuorũ absolutus. Ipsam, ut in hoc quoq; dijs immortalibus gratificaret, precata est enixe fratrẽ maritũq; Iouẽ, ut quãdo omnipotens esset, ex tẽpore amphitheatrũ faceret, nouasq; induceret personas ad speciẽ iustorũ ludorũ, ne ea ex parte dies, quam ipsa honoratissimũ uolebat, mancus deorũ opinione uideretur. Tũ subito nutu omnipotẽtis Iouis, quo uno agũtur omnia, extitit mundus hic uniuersus, tã magnus, tã ornatus, tam uarius, ac subinde pulcher, uti eũ cernitis. Hoc fuit amphitheatrũ, in cuius supremo, utpote cœlis, fori sedesq; sunt deorũ spectãtiũ. In infimo, quod nõnulli mediũ uocãt, terra: hoc est scena locata in quã prodirẽt personæ agetes, uniuersa, scilicet animalia resq;

aliæ omnes. Paratis omnibus & in conuiuio ſublatis menſis : adeſſe iam in ſcena perſonatos hiſtriones nunciat Mercurius Braubeta. læti exeunt ſpectatores,& pro dignitate deſignatus cuiq; locus. Ludis præerat dictator Iupiter maximus, qui ubi adeſſe deos omnes uidit,ſignum dedit,quod omnia cùm faceret omnibus,ut noſſent mõſtrauit,iuſsitq;.Ac ne quis aliter,quàm ſibi placeret,ageret,ordinem ſeriemq; ludorum omnium hiſtrico gregi pręſcripſit,à qua ne digitum quidem,ut aiunt,tranſuerſum abſcederent.Simul igitur ac primum uocem ſignum' que ſummi Iouis,qui erant in ſcena ſenſerunt,prodierunt ordine ſuo in proſcenium,et illic tam ſcite,tam compoſite,tamRoſcie tragœdias,comœdias,ſatyras,Mimos, atellanas,alia' que eiuſmodi egerunt,ut iurarint dij, ſe pulchrius, ac iucundius quicquam nunquam ſpectaſſe, deorum oblectatione, uoluptateq; lætiſsima:et pene exiliens ipſa Iuno,ſingulos identidẽ eorũ rogabat,quàm ludi placerent:Omnes eadem perſtabant ſententia, nihil unquam admirabilius, nihil ſpectatu,nihil Iunone ipſa dignius,atq; eo natali,quem celebrabant die. Nequibat loco conſiſtere ſummi dei ſumma dea coniunx:ſed exultans alacrisq; perambulans immortalium ſubſellia deorum,inter alia ſubinde ab unoquoq; illorum quærebat, quem maxime hiſtrionem probarent ex omnibus.Sapientiſsimi deorũ nihil eſſe homine admirabilius reſponderunt,quibus & ipſe deorum pater nutu aſſenſus eſt.Nam cùm geſtus,uerba,omnes deniq; eius perſonę actus,attentius ſpectabãt,maiore ac maiore ſtupore defigebantur.Placebat ipſe ſibi Iupiter,uidens tantopere admirari laudariq; hominem fœturam ſuam ab omnibus dijs.Qui aſſidebant Ioui,cùm in humano Archimimo tam ſibi eum placere uiderent, facilè intellexerunt, illam ab ipſo perſonam eſſe factam,quin et intentius perſpicientes,multãIouis effigiem in homine ipſo agnouerunt, qua uel hebetiſsimus deorum iudicaſſet natũ eum eſſe à Ioue.Homo ipſe, qui ſub perſona latet,ſed emicans crebrò,atq; exiliens penè foras, & multis ſe in rebus clare oſtendens,plane diuinus Ioueusq; eſt,immortalitatis ipſius Iouis particeps,ſapientię prudẽtiæ,memorię,uirtutum ita cõſors,ut hęc maxima munera de ſuo theſauro,atq; adeò de ſeipſo impertitum illi eſſe Iouem facilè cognoſcatur.Deinde ut ipſe deorum maximus uirtute ſua omnia complectitur,omnia eſt,ſic et hunc ipſius Pantomimũ eſſe uidebant. nanq; is nonnunq; ita ſeſe transformabat,ut ſub perſona plantæ prodiret, agens unam uitam abſq; ullo ſenſu. Paulũ cùm ſe abdidiſſet,in ſcenam regrediebatur Ethologus & Ethopœus,deformatus in mille ſpecies belluarum:leonẽ diceres iratum et furentẽ,rapacem uoracẽq; lupum,ſęuum aprum,aſtutulã uulpeculã,uoluptuoſam ſordidamq; ſuẽ, timidum leporem,inuidũ canem,ſtolidũ aſinum.Poſtquam hoc egerat,ſemotus parũper à cõſpectu,uelo diducto redibat mox prudens,iuſtus,ſocius,humanus, benignus, comes,homo,frequentabat cum alijs ciuitates,uiciſsim imperabat & parebat imperio.

Quę ad publicos attinebant uſus atq; utilitates ipſe cum alijs curabat.Deniq; nullus non erat ciuilis ſociusq;.Non expectabant dij eum pluribus uiſum iri formis,cùm ecce adeſt repentè in eorũ ſpeciẽ reformatus,ſupra hominis ingeniũ,totus innixus ſapiẽtiſſimæ menti:ſumme Iupiter quantũ illis ſpectaculũ? primũ ſtupeſcere ſe in ſcenã etiam introductos expreſſosq; ab hoc tã Ethico mimo,quẽ plericq; multiformẽ illũProtheum Oceani filiũ eſſe affirmabant.Deinde ſublato incredibili plauſu,iam nõ agere ſinebant hunc ſummũ hiſtrionẽ,ſed à Iunone poſcebant,ut depoſita perſona in ſubſellia cũ reliquis dijs reciperetur,fieretq; potius ſpectator,q; actor.Iã illa hoc geſtiebat à marito impetrare,cũ eodẽ momento exit homo ferens ſuſtinensq; ipſum deorũ optimũ Max.Iouẽ,miris & inenarrabilibus geſtibus patris effigiẽ reddens,ipſas etiã minorũ ſupergreſſus naturas deorũ,ad inacceſsibilẽ illã penetrans lucẽ caligine uallatã,quã inhabitat Iupiter Regũ et deorũ Rex.Hũc ſimulac dij conſpicati ſunt,primũ animo commoti atq; turbati dominũ putarunt patrẽq; ſuũ in ſcenã deſcendiſſe:pòſt uerò ſedata mente oculos identidẽ ad Iouis ſellã tollebant,ut uiderent,ſederet'ne illic ipſe,an perſonatus prodiſſet aliquid acturus,quẽ cũ illic eſſe uiderẽt,oculosq; conuerterẽt ad hominẽ,referebant itidẽ intutũ ad Iouẽ.Tã ſcite enim tãq; decẽter is Iouẽ actu exprimebat ſuo,ut iam deorſum in ſcenã,iã ſurſum in Iouis ſellã oculos ſubinde iactarẽt,ne fallerent ab effigie, et hiſtrionis tã ſimili imitatione.fuere ex alijs hiſtrionibus qui iurarint non illũ hominẽ, ſed eũdẽ ipſum Iouẽ eſſe,qui tamẽ pro tanto errore acerbas pœnas luerũt. Verũ dij uniuerſũ

uersi ueneratione imaginis parentis omniũ deorũ, diuinos homini et suffragijs suis decreuerũt honores, atq; à Ioue impetratũ est, ipsa supplicãte Iunone, ut is homo, q deorũ & Iouis personas tã apte egisset, persona deposita inter deos sederet. Concesit Iupiter dijs, quod ipse ultrò multo antea suo homini deferendũ statuerat, ita euocatus à scena homo, ubi in deorũ sedes à Mercurio introductus est, uictor declaratus ibi nõ uocibus ullis, sed admirabili quodã exceptus silentio, detectus totus homo ostendit immortalibus dijs naturã suã illis germanã, quę natura persona corporeq; intecta, animal reddit tã uariũ, tã desultoriũ, tam uersipellẽ, polypũ & cameleonta, q̃s in scena uiderant. Ipse tum Iupiter agnitus declaratusq; non deorũ modo, sed hominũ etiam pater suis utrisq; filijs placido benignoq; uultu aggaudebat, & parens ab utrisq; consalutatus atq; adoratus, augustũ utrunq; nomen libens accepit. Qua etiã nunc appellatione grata utentes, deorum illum, & hominũ patrem nuncupamus. Verũ prior quũ Mercurius in diuas sedes introijsset, brachijs personales gestans exuuias, illas maximo cum ardore dij circunspexerunt, quas postquam diu ac multũ sunt cõtemplati, Iouis sapientiã & artem admirati sunt, atq; adorarũt. Ipse enim eas fecerat nõ minus actibus omnibus decoras, quàm utiles. Cellum caput diuinæ mẽtis arcem, & aulam. In eo sensoria quinq; ornatè, utiliterq; & digesta et sita. Auriculæ secundũ tempora non molli pelle dependulæ, nec osse duro immobiles firmatæ, sed sinuosa cartilagine in orbem coactæ, duæ, ut utrinq; uenientes excipiant sonos, & puluerẽ, stipulas, floccos, culices temere uolitantes, ne interiora capitis penetrent, suis in ambagibus detineant. Pari numero oculi etiam duo excelsi, tanquam rerum omnium speculatores, tenui ciliorũ, palpebrarũq; uallo muniti aduersus easdem stipulas, floccos, puluerem, & minutissimas bestiolas: indices animi, humaniq; uultus maxima pars. Ipsa deniq; uestis personę, seu persona potius, tota usq; adeò decẽs diducta in brachia, & crura, quæ oblonga in digitos desinebant, tã speciosos, tam commodos omni operi. Nõ uacat persequi singula, quæ alij plurimis uerbis exequuti sunt. Illam unam clausulam addam. Omnia ita congruentia & inter sese apta esse, ut ipsis aliquid si uel detrahatur, uel mutetur, uel etiã addatur, tota illa conuenientia et pulchritudo, tota usus facultas extẽplò amittatur. Nullo enim ingenio inueniri potest appositior homini persona, nisi quis fortè, quæ fieri non potuerunt, desyderet. At hominem simul ac uiderunt dij, amplexi fratrẽ ipsi suum, indignum iudicarunt qui in scenã unquã prodijsset, ludicramq; exercuisset artem infamem, & suã atq; patris similitudinẽ nõ poterant satis exosculari. Perscrutabantur singula, perlustrabãt tam multos hominis recessus, delectabantur ea potius re, quam ludorum omnium spectaculis

Nec uidisse semel satis est, iuuat usq; morari.

Illic enim mens quædã tanti capax consilij, tantę prudentiæ, sapientię, rationis, tã fœcũda, ut uel ex se sola incredibiles ædat partus. Inuẽta sunt eius, urbes, domus, animalium, herbarũ, lapidum, metallorũ usus, cunctarum rerũ appellationes & nomina, quod multi sapientissimi inter reliqua eius inuenta imprimis demirati sunt, deinde quod neq; minus est, paucis quibusdã literis cõprehensio illius immensę uarietatis sonorũ uocis humanæ, ex quibus conscriptæ & traditæ disciplinæ tot, quib. etiã ipsa religio continetur, Iouis patris cognitio & cultus, ac reliquorũ deorum fratrũ. Quę una res, quum in nullo sit animaliũ, nisi in isto, ostendit agnationẽ illã quã habet cum dijs. Ad hęc parũ illa omnia profuisset inuenisse, nisi & accessisset quasi thesaurus rerũ omniũ, qui opes has diuinas recõditas seruaret, memoria, promptuariũ uniuersorũ, quę diximus. Ex quib. duobus quasi conflatur prouidẽtia, et futurorũ coniectura, scintilla plane illius diuinæ atq; immensę scientię, quę perspicit omnia futura tanq̃ extantia. Hæc atq; alia dij cõtuentes quum nõ teneret eos satietas, haud secus ac qui in speculo suã intuent formosam imaginem, delectantur ea, nec grauate diutius immorantur. Sic illi, quum & se & patrẽ ipsum Iouẽ in homine tã expressos uiderẽt, iuuabat eos quæ iã sæpe uiderant, sæpius cõspicere. Et alia ex alijs quęrẽtes, quonam modo plãtas herbasq;, quonam modo belluas, hominẽ, deos, deum regẽ Iouẽ in proscenio egisset: scisciabãtur, qua arte, quo gestu: Quę omnia placide ac diserte quum exposuisset homo, iussum est, à Ioue ex conuiuij partibus ambrosiam nectarq; illi apponi, libenter neglectis spectaculis, merendam fecerunt cum eo multi diuorũ: usq; adeò fraterno delectabantur hospite, seu ciue potius, qui po-

ſtea quã ex labore illo ludorũ, cœleſtib⁹ cibis refectus, prętexta q̃ purpurea indutus, ut cæteri dij, coronatus proceſsit ad ſpectãdũ: ei plurimi aſſurrexere diuorũ, plurimi perli bẽter loco cedebãt, quin & diuerſi per ueſtẽ trahebãt, greſſumq̃ morabãtur, ut apud ſe eſſet, quoad ſummus Iupiter Mercurio eũ ducenti nuit, ut inter primores deorũ recipe retur in orcheſtra, qui pro maximo id acceperũt beneficio, tãtũ abeſt ut dij ex ampliſsimo ordine faſtidierint hominẽ paulo antea hiſtrionẽ. Acceptus ab illis honorifice et ad primas ſedes inuitatus ſedit immiſtus eorũ cateruę, inde ludos ſpectauit, qui ſuo ſemp tenore perſecuti ſunt, quoad ſubducẽs ipſe Apollo lucẽ, Iunonis precibus (nã architriclini et reliqui miniſtri ſubmoniti à coquis nũciabãt plus ſatis cœnã eſſę paratã) noctem inuexit. Ita accẽſis funalib. faſcib. cereis, lychnuchis, lucernis, quæ aſtra ferebãt, eadẽ põpa cœnę epulo recepti ſunt, q̃ prãdij. Hominẽ etiã ipſa inuitauit Iuno, paterq̃ Iupiter

Annuit, & nutu totum tremefecit Olympum.

Et ut inter principes deos ſpectauerat, ita inter eos accubuit in cõuiuio, recepta quã tãti ſper poſuerat, perſona. Nanq̃ is ipſi perſonæ habitus eſt honos, ut, quoniã hominis uſibus ſeſe tam bene accõmodarat, deorũ menſa lautiſsimoq̃ cõuiuio digna iudicaretur, ſenſuq̃ rerũ illi cõmunicato frueretur æterna epuli lætitia.

Præfatio in Virgilij Georgica, ex autoris archetypo hic ſubnectẽda erat: quã ne cãdid⁹ lector reqreret, in fine huiustomi cũ Præfatione in Bucolica cõiunximus.

IO. LODOVICVS VIVES IOANNI FORTI SVO S. D.



Vũ exiſtimarẽ futurũ breui, mi Fortis, ut te Parrhiſijs uiderẽ, quò ire quotidie cõſtituebã, credebã etiã me hęc eadẽ tecũ coràm acturũ, quę (quoniã per occupationes meas nõ licet mihi Louanio egredi, neq̃ ſat ſcio, quãdo iſtuc ibo) literis ſum modo neceſſariò cõmiſſurus. Neq̃ enim duxi diutius differẽdũ, quo minus redderẽ te certiorẽ, quid iampridem expoſtulant mecũ homines doctiſsimi, et amantiſsimi mei. Quibus cũ familiariter dũ cõmentor, incidimus q̃ in mẽtionẽ renaſcẽtiũ literarũ, & ſimul cũ illis, hoc eſt cũ ſuo ſeminario, diſciplinarũ omniũ meliorũ. Id enim ferè agimus, ut gratulemur noſtro ſęculo. maxime queri illi ſolẽt Parrhiſijs, unde lux totius eruditionis manare deberet, mordic⁹ homines quoſdã fœdã amplecti barbariẽ, & cũ ea monſtra quędã diſciplinarũ, uelut ſophiſmata, ut ipſi uocãt, quibus nihil neq̃ uanius eſt, neq̃ ſtultius. Quæ cũ exactius homines nõnulli ingenioſi cõſectantur, tũ ſua bona ingenia perditũ eũt, tũ tanq̃ fertiles agri, ſed inculti, magnã inutiliũ herbarũ procreãt copiã. Somniãt & cõfingũt ſibi ineptias ac nouã quandã linguã quã ipſi ſoli intelligãt. Pars maxima doctorũ hominũ totã huiuſce rei culpam in Hiſpanos, qui iſtic ſunt reijcit, qui ut ſunt homines inuicti, ita fortiter tuẽtur arcẽ ignorãtię, & optima ingenia, ubi intẽdunt, ualẽt, tradũt ſeſe his deliramẽtis, fiũt in illis ſummi, ſiquidẽ in re infima et deſpicatiſsima quiſquam ſummus eſſe poteſt. Ita eos peſſime mereri aiũt de toto ſtudio Parrhiſiẽſi, ut qui illud infame apud gẽtes omnes reddãt. Quod enim eſt tãtũ hominũ ſermone prouerbiũ, q̃ illud Parrhiſijs doceri iuuentutẽ nihil ſcire, atq̃ adeò inſane & loquaciſsime delirare? reliquis omnibus in ſtudijs, etſi ſunt uana et futilia nõnulla, eſſe tamẽ ſolida multa. In unis Parrhiſijs uix eſſe niſi nugaciſsimas nugas, debere Hiſpanos eiuſmodi ſimul cũ alijs omnibus qui eos ſectãtur, aut cogi, ut alijs meliorib. ſeſe dederẽt diſciplinis, aut edicto publico expelli, tãq̃ corruptores et morũ et eruditionis. Nã per Gallos nõ ſtare, quominus finis aliquãdo tãdẽ fiat deſipiẽdi. Ita et me quoq̃ increpãt, qui pro mea parte uos q̃ iſtic eſtis, meliorũ nõ admoneo. Parũ putas mi Fortis me plerũq̃ hiſce uerbis cõmotũ? Non q̃ eos falſa dicere crederẽ (qs enim rẽ ipſam ita ſe habere nõ uidet? quã ipſe tacita tua cogitatione ſatis agnoſcis, nõ eſt opus ut quenq̃ nominẽ) ſed q̃ ad eũ modũ de ciuib⁹ deq̃ cõterraneis meis exiſtimarẽt, de quib. omnibus patria quadã charitate nollẽ niſi q̃ optime ab omnib⁹ et ſentiri et prędicari. Tũ etiã q̃d ad me quoq̃ partẽ illius uituperationis attinere exiſtimarẽ, qui aliquãdo ex iſto nume-

ro fui, nec ſunt mihi adhuc aſini omnes, & portentoſa illa uocabula tantũ, alter, alius, uterq́, incipit, deſinit, immediate, obliterata, quę una eſt atq́ ea præcipua cauſa, quare de hac iſta re loqui audeo. Nã ſi hęc quib. homines inepti gloriant, nota mihi nõ eſſent, ne hiſcere quidẽ in his auderẽ. Noui enim quid cõfeſtim ſolita ſua inſolẽtia iactãt, damnat quia nõ intelligit. Verũ tu es ipſe teſtis, ſunt et alij cõdiſcipuli mei, me nõ deguſtaſſe ſolum has inſanias, ſed etiam intima pene illarũ penetraſſe, modo intimũ eſſe poſsit in re, quæ utpote uiciũ, in immẽſum protenditur periculũ, ſi quis nõ credit. Nõ hæc gloriãdi gratia dico, neq́ enim gloriæ materiã ullã uideo: Vtinã nõ tã in illis promouiſſem, quę quoniã tenero adhuc animo accepi, ſummoq́ cũ ſtudio, ideo tã tenaciter hærẽt, ut elui nulla à me arte queant & mihi uel inuito occurrãt, obuerſenturq́ præſenti in cogitatione. Sentio quãto ſint plerunq́ impedimento, quũ ad res meliores pergo. Cogũt me interdũ in grauiſsimis ludere, atq́ ineptire. Et ſi quẽadmodũ magiſtri ſunt, qui illa docẽt, ita eſſent qui dedocerẽt, ut Timotheus ille muſicus faciebat, ad hos ego me cũ primum magna cũ mercede conferrẽ. Et ſum modo in ea cõditone, in qua olim princeps Grecię Themiſtocles, qui Simonidi artẽ memorię tradenti reſpõdiſſe fertur, malle ſe obliuiſci quàm recordari, ita & ſunt mihi nõnulla quę tãti facerẽ dediſcere, quanti alia addiſcere permulta. Vtinã ut pecuniã, ueſtes, libros, merces, & alia huiuſmodi, ita et hęc cõmutare donareue liceret. Sunt qui magno emunt hæc ſcire, ego magno emerẽ, ut his me illi exonerarẽt, ut ſibi acciperẽt. Ita facerẽt, ut ipſis quidẽ uideretur triplex emolumẽtum, & pecunię quã daturi eſſent, et quã acciperẽt, & iſtius ineruditę eruditionis. Quę quid habeat dignũ propter quod, non dico ut amplexari debeat, ſed ut ne reiſci ab omnibus publice tanc̃q́ peſtis aliqua & ingeniorũ corruptela debeat, quæſo ipſi uos perpendite, & intra ſeſe unuſquiſq́ ferat ſententiã. Ego, & in epiſtola, & quæ ad te tã prudentẽ uirũ ſcribitur, prolixus eſſe nõ poſſum, ac neq́ debeo, ſolũ rei ſummas & capita colligã. Te & alios, ſi qui ſunt, qui hæc legent, precor, ne uos perturbatione aliqua rapi ſinatis, ſed aduocata in conſiliũ ratione, hęc omnia æquis auribus & animo accipiatis: iudiciũ, ſententiãq́ nec uoce nec tacita cogitatione ad finẽ uſq́ feratis. Hoc igitur primũ docemus in dialectica puerũ, eſſe hanc uiã ad reliquas diſciplinas, at qua in diſciplina utitur quiſquam ſana mente iſtis tã inſuauibus & fatuis ineptijs. Tantũ cuiuſlibet hominis præter Sortẽ quilibet nõ aſinus c. et alterũ c, ipſiusmet hominis nigrũ contingẽter incipit eſſe. Deſinit angelus nõ a quodlibet a, & b, angelus nõ eſſe. Ne in illis quidẽ uocabulis quę quidã pro his ſubſtituũt. Tãtũ cuiuslibet presbyteri et alius alterius presbyteri quodlibet ſacerdotiũ nõ curatũ præter c̃q́ canonicatus neceſſariò nõ eſt. Tum dialecticã quis nõ uidet ſcientiã eſſe de ſermone? q̃d oſtẽdit ipſa Greca nominis ratio διαλεκτικὴ & λογικὴ, uti eſt rhetorice, uti et grãmatice. Iã de quo quęſo ſermone eſt iſta ueſtra dialectica? De Gallico? ne an de Hiſpano? an de Gotthico? an de Vãdalico? Nã de Latino certe nõ eſt. Dialecticus enim ijs uti debet uerbis, ijs enũciationibus, quas nemo nõ intelligat, qui ſciat linguã illam, qua is loquitur. uelut Latinã, ſi Latine ſe dialecticus profitetur diſſerere, Græcam, ſi Græce. At iſti non dico non intelligũtur à doctiſsimis latine, cùm ſe latine dicant loqui. Sed interdũ ne ab hominibus quidem eiuſdem farinę ſeu eiuſdẽ potius furfuris. Sunt enim pleraq́, quę noſſe nemo poteſt, niſi is qui confinxit, multa, quę tanquam Apollinis oraculo mire contecta & conuoluta, explicatore aliquo & interprete diuinæ mentis egent. Tunc omnia fere, quæ in ſyllogiſmis, in oppoſitionibus, in coniunctionibus, diſiunctionibus, explicationibus q̃ enũciationum tractantur, aliud nõ ſunt, niſi quæſtiones illæ diuinandi, quas ſibi inuicẽ pueri & mulierculæ inter luſus proponũt. Quæ res eſt, quæ ex alto decidẽs nõ rumpitur, in aquã ſi ceciderit, diſſoluit. Simile prorſus eſt illud, quod iſti ſemp habẽt in ore, Da caſum. Quid enim aliud id ſibi uult, niſi, dic mihi, quæ res eſt, quę eſt hominis quilibet aſinus, nõ tamẽ eſt quilibet aſinus hominis. Quod ſi tu diuinaris, q̃d illud ſit, q̃d ſub illis uerborũ inuolucris cõtectũ latet, q̃d alter mutire poſsit, nõ habet, ut ille, q̃ cũ propoſuiſſet, quid eſſet terrigena, tardigrada, domiporta, ſanguine caſſa? dictũq́ ei fuiſſet eſſe cochleã, obticuit. Neq́ enim aliquid illi erat, quod adijcere ſuæ quæſtioni ualeret. Quare præclare agitur cũ iſtis hominibus, quod diſputant, licet corruptiſsimè, licet peſſime, aliqua tamẽ ſpecie ſermo-

nis Latini. Nam si à uulgo tales dementię intelligerentur, tota opificũ turba illos ẽ ciuitate suppłoderet, sibilis, clamoribus, strepituq; suorũ instrumẽtorũ eijceret, tanquã stupidos quosdã homines, & carẽtes sensu cõmuni, quales sunt omnes ferè, qui istis in rebus uersantur. An putat quispiã Aristotelẽ suã dialecticã ad sermonẽ, quẽ ipse sibi confinxerat, & nõ potius ad uulgarẽ illum Gręcũ, quẽ totus populus loquebatur, accõmodasse? Mira profectò istorũ dialectica, cuius sermonẽ, quẽ ipsi Latinũ esse uolũt, Cicero, si nunc resurgeret, nõ intelligeret, quod nõ minus profecto uicium in dialectica est, quàm si in grãmatica, si in rhetorica sermone quisquã utatur, quẽ ipse sit cõmentus, nõ quo cæteri homines utãtur. Sunt enim hę tres artes de sermone, quẽ à populo accipiũt, non ipsæ tradũt. Nam prius fuit sermo latinus, prius græcus, deinde in his formulę grãmaticæ, formulæ rhetoricę, formulę dialectices obseruatæ sunt, nec ad illas detortus est sermo, sed illæ potius sermonẽ sunt secutæ, & ad eũ sese accommodarũt. Neq; enim loquimur ad hũc modũ latine, quia grãmatica latina ita iubet loqui, quin potius è contrario, ita iubet grammatica loqui, quoniã sic Latini loquũtur. Res eodẽ modo se habet in rhetorice et dialectice, quarũ utraq; in eodẽ sermone uersatur, quo grãmatica. Vnde est illud uerũ & falsum præsupponere congruũ. Dialectica itaq; in hoc uulgari, & qui est omniũ in ore sermo, uerũ, falsum, probabilitatẽ inuenit. Rhetorice uerò ornatũ, splẽdorem, gratiã. Quæ qui ignorat, is profecto imperitissimus est, & in portu impingit, ac uelut Cãtherius ille Sulpitij Galbę longũ ingressus iter, in porta cadit, quumq; in exordio suę disciplinę fallat, necesse est ab illa eo lõgius aberret, quo magis promouerit. Quod si quisquã fuerit, qui hæc pertinaciter & uerbis & animo pernegarit, huic ego consulo, quisquis tandẽ fuerit, ut ne horulã ac ne momentũ quidẽ moretur, quo minus quãprimũ nauim cõscendat, et ad cerebrũ elleboro ab insania liberandũ, recta nauiget Anticyras. Quãuis miror aliquẽ esse, qui hæc ignorare possit, modò paululũ cogitationi de harum artiũ ratione uelit intendere. Nam ut in grãmatica, nõ idcirco hęc est latina oratio, homo est albus, quòd illa sic præcipit, nec in rhetorica schemata illa eloquutioni nitorẽ et cultũ afferũt, quòd rhetorica iubet, sed potius quòd illã orationẽ populus Romanus, qui uere latine loquutus est, latinã iudicauit. Ideo grãmaticus nõ iubet eã esse latinã, sed docet, & quia pulchra illustriaq; uidebãtur illa schemata loquẽtibus, idcirco rhetorica diligentia ea obseruata tradidit, ad eundẽ modũ in dialectica usu uenit. Non enim quia pręcipit ipsa enũciationẽ eã esse uerã uel falsam, quę est de indicatiuo, eã nõ esse, quę est de alijs modis, cõtinuo ita est, nec quia uult hãc esse coniunctionẽ siue coniunctiuã, homo est animal, et animal est corpus, aut hãc esse disiunctiuã, Tu es albus, uel tu es niger, protin⁹ et ita res habet. Nã antęq; ulla dialectica inueniretur, ea erãt, ut dialecticus esse docet, quæ idcirco docet, quoniã loquentiũ siue Latine siue Græce consensus approbat, quapropter præcepta dialectices non minus, q; grãmatices atq; rhetorices ad usum loquẽdi cõmunẽ aptãda sunt. Verũ isti qui sophistæ nominãt, quoniã ingeniũ eis deerat, & eruditio, qua quiduis auditori & cõtrà disputanti uerisimiliter probare possent, idq; uulgaribus notisq; uocabulis atq; orationibus, quibus unusquisq; uti debet tanq; numis, quib. publica forma est, quod erat uerũ dialectici mun⁹, cõfinxerũt ipsi sibi nescio quos uocabulorũ significatus, cõtra omnẽ hominũ cõsuetudinẽ & usum, ut tũc uicisse udeãtur, cũ nõ intelligunt. Nã cũ intelligũtur, tũc plane nihil frigidi⁹, nihil demẽtius fieri posse omnes uidẽt. Ita turbato eo qui cũ certãt, mira et inusitata uocabuloũ forma ãtque ratione, miris suppositionib. miris ampliationibus, restrictionib. appellationibus. Ipsi tũc sibijpsis nullo publico cõsilio atq; sentẽtia decernũt triũphũ de hoste nouis uerborũ pręstigijs turbato, nõ uicto. Etenim quis Cato, Lęlius, Cicero, Cęsar, Salustius, Liuius, Quintilianus, Plinius, et qui primus de dialectica scripsisse latine fertur, M. Varro nõ hæreat? Si quis istorũ cũ sit ebrius, Iouẽ lapideũ iuret se uinũ nõ bibisse, quia uinum q̃d est in India, nõ biberit. Si cũ uideat regẽ Galliæ maxima famulorũ manu stipatũ, alter aiat, Regẽ hũc famulos nõ habere, q; nõ eius sint illi, qui Regi Hispaniæ famulãtur. Tũ etiã si asserat, Varronẽ cũ sit homo, hominẽ tamẽ nõ esse, quia Cicero nõ ipse sit Varro. Caput nullũ hominẽ habere, cũ tamẽ null⁹ homo capite careat. Plures esse nõ Ro. q; Ro. in hac aula, in qua sunt Romani mille, Hispani duo. Omnesq; homines, q̃ sunt in orbe

be esse nõ uidentes, quia sunt cęci nonnulli. Cuiusuis hominis asinum & animal nõ esse, & non esse animal, ne asinum quidẽ, quum adhuc nullus sit uisus asinus, qui nõ sit & animal & asinus. Si dicat quoq; meretricẽ in lupanari multis prostratã annis, uirginẽ fore, et è diuerso uirginem castissimã iamdiu prostrasse, et scorteum scortum fuisse. Et non uendi piper Parrhisijs & Romæ, quũ nec Parrhisijs, nec Romæ piper gratis quisquam accipiat, sed bona bene numerata & bene appensa pecunia emat. Socratẽ quoq; in carcere clausum, unumq; aliquod sydus uidentem, uidere omne sydus, quum nõ omne sydus uideat. Et hoc axioma, siue ut Cicero transfert pronũciatũ esse uerũ, Omnis homo qui filiũ habet, est pater, quũ hoc sit falsum, Omnis homo est pater, qui filiũ habet. Socratẽ et hũc asinũ esse fratres. Duas enunciationes contradictorias, etiã in sensu cõtradictorio ueras esse. Ita ut nemo sit tam imperterritus & confidens, qui quũ uideat hæc monstra, nõ ilico Herculis illius monstrorũ depulsoris opẽ cogatur implorare. Trãseo illa, quæ magis ad risum faciunt ex sua tanta fatuitate, Antichristus & Chimæra sunt fratres. Nihil & nemo mordẽt se in sacco. Asinus Antichristi est filius Chimæræ. Atq; hæc quidẽ uiderẽt utcũq; Latine esse dicta. Illa uerò ausim deierare in toto Latio & antiquo & nouo, neminẽ unquã fuisse, qui Latina esse putasset. Omnes duo apostoli Dei, & alij duo apostoli Dei sunt duodecim. Omnes omnes apostoli Dei sunt in hac aula. Nõ nõ homo nõ possibiliter nõ currit, negationibus alijs super alias in pronũciato inculcatis et infartis, tãquã in cophino caricis aut uuis passis. Tũ accedũt hęc non minus egregia, Quodlibet qualelibet de quolibet tali scit ipsum esse tale, quale ipsum est. Ipsiusmet hominis quilibet asinus, nõ asinus et nõ asinus est. Ipsemet homo est quilibet homo. Tãtũ homo et alter aliꝰ homo sunt g. Ipsiusmet hominis & a. quilibet asinus hominis est. Sortis et alterius f. materia ipsiusmet f. et quilibet homo sunt. Quilibet homo nõ pręter nõ Sortẽ nõ currit, Sortes nõ inquantũ nõ homo nõ est animal. Quid illa, c. hominis quasi quilibet asinus est b. nõ animal, a. homo & quilibet qualislibet non Sortes uterq; alter homo &. d. p. necessariò sunt, ut a. b. c. d. faciãt illas suppositiones cõfusas determinatas, & ex his mistas. Adde etiã cõmistiones maiores, cꝫ ullꝰ unquã pharmacopola facit, e. f. g. h. i. k. ita ut nõnulli ad decimã usq; literã secũdi alphabeti iã recurrerint, mira suppositionũ genera somniãtes & cõfundẽtes. Inuiderũt scilicet isti homines mathematicis, ꝙd illi soli literis uti uiderẽtur. Ideo & ipsi quoq; totũ alphabetũ suos in usus transtulerũt, utnemo sit cũ hęc uideat, qui possit negare eiusmodi homines esse literatissimos. Verũ cùm ad mathematica pergũt, si hoc unquam deus illi tribuit, offendũtur nõnihil, quòd quid sibi elemẽta illa uelint, parũ sciunt. Audio quendã ex his, cũ sese geometriæ studio dedisset, putasse lineã, quæ signabatur per b. positã determinate, quæ uerò per a. eodem modo se habere, quo ipse, uidelicet confuse tantum. Nam a. et b. tantarũ sunt uiriũ, ut totum confusum & indiscretũ ordinẽ, aut infernorum aut illius antiqui chaus unicum b. præpositũ possit reddere discretũ et determinatum. Et econtrario, rectissimũ cœlorum ordinẽ solum a. possit inuertere atq; confundere. Verùm hæc ipsi quũ audiunt, ilico dicunt: Ego sic mente concipio. Hoc est plane, quod in reliquis quoq; faciunt, lutũ luto purgare. Primum, quis, nisi eorum stultitia et peruersitas, iubet eos ad eum modum intelligere cõtra omnẽ usum rationẽq; loquendi? Deinde quamuis ita concipiãt, insolenter, atq; adeò parum humane agunt, si sermone sibi solis noto proferant, & nõ aliorum more. Tum etiã, quis non uidet artes, quæ de sermone sunt, nõ ea tractare, neq; curare, quæ unusquisq; uel delirans, uel ineptiens sibi cõfinxit, sed ea quibus homines omnes utũtur, qui sermonem illũ loquũtur? An si ignarus aliquis, per pronunciatũ hoc, Tu es flauus, intellexerit hominem esse leonem: protinus illud falsum erit, & non potius uerum, quia ex suo uero significatu ita significat quemadmodum est in ipsa re? Nam sicut præclare in libro de Legibus primo inquit Cicero: Vera & falsa & consequentia & contraria, sua sponte, non aliena dicantur. Id ni ita esset, quid supereſt, nisi ut sunt isti Latinæ linguæ imperitissimi, si quis ursum intelligat per aprum, & per galerum nauem, uelint quoque uocabula ad eum modum significare, quo ille praue intelligit? Mihi, inquit, ita notat, tibi uerò, quia ignarus, at alij docto, & ex sua uera significatione secus. Quæstio est de uerbis inquiunt. Et uere de uerbis, quæ quia non capiunt, corrumpere uolunt,

nos defendimus. Quòd si legẽ unuſquiſque de uerbis feret, ut apud ſe ſignificant, quid attinet, nõ dico Latinã linguam, ſed ne ullam prorſus addiſcere, quum illud facilius ſit, uerba id demũ ſignificare, quod unicuilibet uiſum fuerit, & quot erũt mente concipiẽtes, tam uarios habebunt ſignificatus. Ita tandem, ut nemo alterũ intelligat, quum unuſquiſq; uerbis ſuo more utatur, non communi. Tunc quoq; ſi quis conqueratur, de uerbis erit queſtio, quam uos grauiſsimi philoſophi, quũ de dialectica diſputetis, contemnere uos dicitis, perinde ac dialectica naturalis uel moralis eſſet philoſophia, quæ modo rem, & ſenſa teneat, negligit uerba, & non potius ſit ars, quæ nõ de rebus alijs quàm de uerbis diſputat: quaſi uerò tota ueſtra Sophiſtica illa diſciplina aliud quicquam ſit, quàm captiones ex deprauatis uerborum ſignificationibus. Quòd ſi de his uos curare negatis, nõ uidetis totã ueſtrã Sophiſmatũ nebulam, uno uerbo diſcuſſam eſſe? Verùm hoc ipſi nõ iactant, quouſq; uerborum corruptiones quas ex ſua ignorantia faciũt, aliquis deprehendit. Adde quòd ſi hæc quam ita concipiunt, uolunt dialecticen docere, imponant etiã eandẽ legem grammaticæ, & rhetoricæ. Ac ſua ſtulte excogitata in has quoq; artes transfundãt, iubeant grammaticũ more ſuo loqui, ut ea quę dicũt, latinitati congrua eſſet uideantur. Nam alioqui nõ uideo qui poſsint ea defendere dialectica, uera, uel falſa, cum hoc iſti in principio ſuæ artis affirment, uerũ & falſum congruũ ſermonem exigere, id eſt, plane ſine ſolœciſmis, ut de barbariſmis taceã. Quid? ſi concipiunt eum, qui ſit uino inebriatus, uinũ quod eſt in India nõ bibiſſe, cur nõ proferunt ſimplicius, & ad hominum ſenſum accommodatius: hic homo uinũ quod eſt in India nõ bibit, aut ſic, uinũ aliquod eſt, quod hic homo non bibit, aut hic homo non omne uinum bibit, ſiue nonnullum uinum non bibit. Similiter cur non dicunt: Tu nonnullus homo non es, aut non es omnis homo, potius quã tu homo nõ es: per quam nemo eſt, qui non intelligat, eum nõ eſſe hominẽ, de quo id dicitur. Tum ſi uolunt dicere eſſe hominẽ omnem animal, non tamen hoc unum animal aut illud, ſed ſingulos homines eſſe ſingula animalia, quid attinet litterulas exquirere, animal eſt omnis homo, potius quàm ſic rectius efferre, omnis homo eſt animal. Quid? quęrunt? nemeliorẽ panẽ quàm triticeum? Scio, quid dicent: non eſſe in illo ſimplici, genuino, uero ac recto loquendi modo locũ cauillo, qui ab ipſis in primis quæritur. Ita ne? Vos ergo ut cauillum inueniatis, totã ſermonis rationem parati eſtis diruere, ut illi qui ut murem unum preſsi obſidione inuenirent, magnã muri partẽ demoliebantur. Sed attendite, quàm id prudenter à uobis fiat. Quę nam quæſo poteſt patere occaſio cauillationi in uerbis, quę tu tibi arbitratu confinxiſti tuo? Si enim hominem aliquẽ appellares, & ea uox aſinum tibi ſignificaret, putas illum iniuria affectum iri? Cauilli, ioci, ſcõmata, dicteria, contumeliæ, iniuriæ, ſi uerbis fiant, non dico ab eo qui dicit confictis nemini notis. Nam hoc ſtultiſsimũ eſt. ſed ſi obſcuris iactentur uerbis, frigida & inſulſa ſunt, nihil plane ualent. Daphyta, Euthydemus, Dionyſodorus, & reliqui olim qui cauillabantur, uocabulis orationibus, quibus utebantur omnes, ſubdola quadam & latenti ratione ludentes fallebant uerſabantq; reſpondentẽ. Ariſtoteles ipſe, quum duobus elenchorum uoluminibus ſophiſticas præſtigias tractet, uiamq; illarũ uitandarum aperiat, non earũ modo, quæ iam antea fuerãt, ſed etiam quę inueniri poſtea poterant, ut fuit uir ille diuino ingenio, indefeſſo et ſingulari, redactis omnibus more ſuo in præcepta, formãq; artis, nullius tamẽ unquam adeò ridiculi ſeu potius impudentis ſophiſtici elenchi meminit, qui nouis inuſitatisq; uocabulis excogitatis, aut ueterum uerborum ſignificatione mutata eludere ac fallere tentaret. Et hoc loco ſubinde illud detortis nutibus magno cum faſtidio obiectant: Nomina ſignificant ad placitum. Sane ita eſt: ſed uidendum eſt tamẽ ex quorũ placito & uoluntate nomina ſignificent. Non enim arbitrio Parthorũ aut Indorum ſignificant nomina Romana, nece cõtrario pro Romanorũ libito ſignificãt Parthica uel Indica, ſed pro arbitrio Romanorũ Romana, pro arbitrio Parthorũ Parthica. Si ego dialecticam Viuicam, tu Forticã, ille Laxeã, alius Dullardiam profitemur, certe ut nobis collibitum fuerit, uocabula ſignificabunt. Sin uerò Latinam dialecticã pollicemur omnes, ex inſtituto moreq; Latinorũ ſignificabunt uoces, non ex noſtro: indignumq; & ſtultũ eſt, in dialectica Latina nominibus uti Geticis aut Sarmaticis, ac ne ijs quidem, ſed uerbis nullarum

rum gentium à nobis exomniatis Nam ex istis ipse peruellem audire, si dialecticam uel Hispane uel Gallice essent traditurí, quod tã fieri potest, quàm Latine, aut Græce. Num regulas suo ipsorum arbitratu, & non potius ex ipsius sermonis ratione formarent? An quẽadmodũ in Latina lingua duæ negationes unã affirmationẽ reddunt, ita et esse uel lent in hispana, in gallica, in græca, apud quas, uti & apud reliquas ferè omnes, negatio geminata maiorem habet negandí uim, quàm simplex? Quod si in dialectica alijs linguis tradenda, leges acciperent ab ipso usitato sermone, non ferrent: cur in lingua liberrimi populi Romani hanc uolunt exercere tyrannidem, ut cogant ipsam à se hominibus infantissimis & barbarissimis loquendi leges accipere? Huc pertinet illud quod passim iactant, de rigore, ut quòd hæc enunciatio, Tu homo nõ es, ad bonum quidem sensum sit falsa, ad rigorem autẽ uera: id circo ab eis conceditur, quia carẽt bono sensu, & cum solo rigore loquuntur, quauis glacie frigidiore. Ac uolunt quidẽ rigorem hunc à solis dialecticis & intelligi, & peti. Et quamlibet nihil magis habeant in ore quàm rigorem, moriar tamen, si ullus illorum scit, quid est hic rigor, & ubi situs est. Sed ut intelligant, quod ipsi omnes ignorant, prudentiusq; posthac & aptius uti possint ipso rigore, docebo eos quid sibi uelit rigor hic, quem toties in ore habent. Est in unaquaq; lingua sua loquendi proprietas, quod à græcis ἰδίωμα dicitur. Sunt & uocibus sua significata, suæ uires, quibus nonnunquam indoctior ipsa multitudo abutitur, doctiores indulgent utcunq; plebi in sermonis usu, ipsi inter sese & aliter sentiunt, & loquuntur, quamuis hæc nõ usq; adeò multa, & ferè in philosophicis abditisq; sint rebº, quas ipse populus non ita exacte callet, ut à philosophis intelliguntur. Dabo unum ex Cicerone exemplum, quo ipsa tota res intelligatur, qui in libro de Fato ad hũc loquitur modum: Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus, uelle aliquid quempiam, aut nolle sine causa, ut dicamus sine externa & antecedente causa, non sine aliqua, ut cùm uas inane dicitur, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita ut uerbi causa sine aqua, sine uino, sine oleo uas esse dicamus. hęc ille. Quibus ex uerbis apparet in rigore, id est in uero ac germano sermonis sensu hoc pronunciatum falsum esse, hæc amphora est uacua: similiter & hoc, tu aliquid uis sine causa, sed ad sensum uulgarem uera illa nõnunquam esse. est ergo hic rigor ipsa exacta & inflexa loquendi norma. Nam tanquam res dura infracta, & semper recta, appellatus est rigor, quàm bene, illi uiderint, qui primi sic appellarunt. Est ergo ut apertius eloquar, ipsa proprietas, ipsa expressa, natiua ac germana uis, ipse rectus uerusq; sensus orationum latinarum. At hunc abs quibus autoribus petunt homines ignari? Non à Cicerone, non à Quintiliano, non etiam à Boetio, hominibus latinis, quibus credi latinis in rebus oportet, sed à Petro Hispano, seu si quis fuit alius ante ipsum. Nam de hoc parum uideo constare, qui confinxit eis suppositiones, ampliationes, restrictiones, appellationes, exponibilia. Ex quibus rebus, tanquam ex equo Troiano, totius sermonis & omnium bonarum artium incendium atq; ruina exorta sunt. O miserum Ciceronem, miserum Quintilianum, miserum Boetium, miserum Capellã, si uim sermonis latini melius nouit Petrus Hispanus, quàm ipsi omnes. Quis quæso est iste rigor, quo hæc enunciatio est uera, Tu homo non es, hæc falsa, Animal est omnis homo, hæc uera, Antichristus qui fuit, erit, falsa hęc, Antichristus erit, qui fuit, ista falsa, Astrum uidens est omnis homo, quum sit illa uera, Omnis homo uidet astrũ, ut alia taceam his peiora? Quis unquam eiusmodi rigorem tradidit, qui latine scierit? An quia Petrus Hispanus, qui latine inscientissimus fuit, somniauit, idcirco & uerus erit? perinde ac posset aliquis διάλεκτον alicuius sermonis, unde dicta est διαλεκτικὴ, docere, qui sermonem illum ignoret? Iam & de Incipit ac Desinit pudet loqui. Quis hunc tradidit tam subtilem rigorem? tam subtilia instantia, tam obtusa nugamenta, qua in lingua hæc excogitata sunt? an in græca? an in latina? an in hispana? an in gallica? Quis unquam negauit puerum una hora posteaquam ad scholas ductus est, incipere discere, at isti negant, quia multa pręterfluxerunt instantia, post primum illud quo discere incœpit. Tum & hanc falsam esse aiunt, fons iste nunc incipit apparere, duabus tribûsue horis, posteaquam aqua primum manare cœpit. Neq; hanc concedunt, Hæc arbor desinit florere, paulo antequam finem omnino faciat flores

emittendi,& fons desinit fluere,una semihorula anteq; exiccetur.Atq; ita in angustum illorum uerborum incipit & desinit significationes contraxerunt,ut iam nullus eorum possit usus esse,credamq; ad istorũ legem de nulla prorsum re dici posse,quod aut incipiat aut desinat quicquam uel esse uel agere. Hæc omnia propter aduerbium illud immediate, quod ex media barbarie productũ, nõ est minus admirabilium uirium,quàm illa in quibus cõclusum ipsum esse uolunt.Nónne hoc est ex pulcherrima lingua latina facere sermonem tam alienum ab omni ratione et sensu humano,quàm illi ipsi sunt,qui hæc faciunt? Tantúmne barbaris istis licere in alieno sermone? Et protinus atq; identidem (si dijs placet) illud obiectant,loquamur in rigore:loquãtur potius in frigore et in ipsa etiam glacie,quæ una satis esset ad maximas illas thermas Neronianas frigefaciendas. Quasi uel scirent ipsi quid sit rigor,uel ipsorum esset,etiã si scirẽt,diffinire rigorem, & ueram germanãq; uim illius linguæ cuius sunt prorsus inscij.Cedo isti uniuersi cum suo toto ferreo & gelidissimo rigore,qui latinis hominibus prescribere uolũt leges loquendi,intelligãt mihi folium unum uel Ciceronis,uel Quintiliani,uel Plinij,uel Liuij, uel cuiusquam alterius Latini scriptoris,ne suorum quidem Theologorũ,Hieronymi, Ambrosii,Hilarij,Augustini,Cypriani.Verùm obsecro uos omnes,quotquot estis huius notæ homines.Dicat Cicero per enuntiationem hanc,Socrates homo nõ est,significari Socratem nullum penitus hominẽ esse:dicat siue Petrus Hispanus,siue quis alius ex sophistis eo quoq; indoctior,significari esse aliquem hominem qui Socrates nõ sit, utri potius fidẽ haberi par est? An est aliquis tã effrictę frontis,tam perditę impudentię, qui dicere audeat credi magis debere Petro Hispano in ui sermonis Latini,quàm principi totius eloquentiæ Romanæ? Ergo rigor hic ab hoc petẽdus est,non à Petro Hispano,atq; alijs sophistis.Quod si hi Ciceroni cõtraueniunt,quibus sit potius assentiendũ in sensu uerborum Latinorum,quis non uidet? Quod quum semper faciant, nusquam enim non inuertunt ac deprauant omnia,illi profecto frigide cum sua insania deserẽdi, deridendiq; sunt.Ciceroni uerò & alijs Latinis authoribus parendum.Etenim si non à peritissimis Latinæ linguæ petitur hic rigor,sed passim confingere indoctissimo cuilibet licet,nec ullus erit rigor,& quilibet suo arbitratu atq; adeò libidine logicam nobis afferret.Quod & satis isti faciunt,quũ sensa uerborũ diuersi diuerse explicãt,unusquisque pro suo ignaro captu. Nam hi hoc genus suppositionũ asserunt, alij negant.Hi sic explicant implicitas enunciationes,quas exponibiles uocant,alij nõ item,sed cõtrario modo.Quippe cùm res pro insciorũ hominũ libito et intemperijs iactetur,unusquisq; sua uult inuenta ostentare,alieni sq; præferre.In quo quæ ars esse potest? quũ unus quiuis,quod inter potandum aut balneandum ipsi in mẽtem uenit,extemplò asseuerat,& chartis illinit atris,uultq; pro lege haberi,atq; pro eo digladiatur,tanquã pro aris & focis,citius hominem interficias,quàm prauam opinionẽ ab eo auertas.Et quia dixi inter potandum et balneandum,ne quis putet id à me per lusum per iocumq; dici,librum ostendere possùm syllogismorum,cuius authorẽ tu optime nosti,quorum secundi ordinis tertia forma,quę Festino uulgo nuncupatur,inter pocula,in thermis sancti Martini, me,Arnoldo,& Rocca præsentibus ac de industria cantillãtibus,ut autori perstreperemus,ut ex nomine rem sortiretur uere festino, fœda scribiligine exarata, & intempesti ue,tanquã abortus fœtus,postridie ante lucem eiecta est.Quid ni hæc & peiora faciant celeriusq;? quorũ est tota ars,nulla uti arte.Sed sibi unumquenq; pro libito uiam facere,qua ingrediatur.Ac tum demum se rem assequutũ præclarã existimare,quum ab omnibus per omnia longe discrepat,nihilq; sic tradit, ut ab aliquo alio est antea traditũ.Et ego nimirum,aliqua excogitata uanissima regula,dicam has orationes,Animal est homo,corpus est iste lapis,quamuis in bono sensu tanquam ueræ recipiantur,in rigore tamen falsas esse,daboq; hanc regulam:Omnem enunciationem esse falsam, in qua prædicetur inferius de suo superiore,ut illi in gymnasio Montis acuti,quo nostra importuna fugerent argumenta,formulam sibi commẽti sunt:Omne pronunciatum,in quo esset alter alius esse impossibile de forma acceptionis terminorum. Consuluerunt bene sibi.Nam & impune id eis facere licebat.Quis enim rem,quę pro libidine ab unoquouis quamlibet insscio uulgo fingitur, refutasset? Alia etiam stultiora ego comminiscar,

repro-

reprobare certe nulla ratione poterunt, quin eadem omnia ipsorũ excogitata comminuantur. Et uideamus cur mihi homini, qui utcunq; latinè scio, minus habebitur fidei, quàm conterraneo nostro Petro Hispano, qui ne umbram quidem Latini sermonis uiderat. At fortasis inquient: Tu non habes authoritatẽ faciendi regulas, ut habebat Pe. Hispanus. Ridiculum profecto responsum, & uere hominum ineptissimè delirantiũ: perinde quasi homini in extrema Scythia nato & educato, autoritas esse posset tradendarum in sermone uel Gallico, uel Hispano formularũ, quem ille nunquam audiuerit. Quis quæso autoritatẽ hãc dedit Petro Hispano, ut nouas ferret leges in lingua, quã ne de facie quidem norat, cuius etiam si nonnulla uocabula pronunciabat, uim tamen cuiusquam uerbi nõ magis sciuit, quàm ille de quo modo loquebar Scytha uim sermonis Hispani, cuius nec uerbum uel scriptum legit, uel prolatum à quoquam audiuit. Quod ego sane hominis non dico fuisse uicium, sed illorum temporum. Modestiam tamẽ ipsius, ut aliorum permultorum, requiro, qui sua placita, sua plusquàm pueriliter somniata, uolebãt illico pro lege esse in lingua ipsis ignotissima. Ac uoluissem iuxta uetus præceptum, ut sese nouissent, nec pelliculam excessissent suam, ne in eos protinus iactatum esset illud ex triuio, quod iam fit passim, Ne sutor ultra crepidam. Verùm ego à Petro isto Hispa. quamlibet nostrati, seu ab eo qui nobis hanc tam elegantem dialecticam peperit: (nam sunt qui putent hæc primum in Britannia aut Hybernia orta, deinde Parrhisijs alita atq; aucta) ab illo igitur quisquis tandẽ fuit, peruelim audire, cur cùm ipse suppositiones, & expositiones illarũ enunciationum, atq; horum similia, quæ traduntur in parum logicalibus, nunquam à Boetio acceperit, Aristoteles ipse nõ præcipiat, tam impudenter illa confinxerit: & præscripserit sensus enunciationũ cõtra rationem omnem sermonis latini? quem nec primis, ut dicunt, labris gustarat, nec summis olfecerat naribus. Cuius profecto leges ueræ si sunt, in Cicerone, Varrone, Quintiliano, Plinio, Boetio, & alijs Latinis, latinę orationes innumerę: in Aristotele, Platone, Theophrasto, Carneade, Chrysippo, & cæteris Græcis græcæ, non ex ipsius rei, sed ex istarum suppositionum, ampliationum, expositionũ ignoratione falsæ inueniẽtur. Nec solum in Aristotelis uel morali, uel naturali philosophia, sed in ipsa quoq; dialectica. Quid quòd nec Pe. quidem ipse His. ad eas quas tulit normas locutus est: Nec est aliquis, nõ dico doctorũ hominum, sed ne istorum quidem Pseudodialecticorum, qui ita circunspecte possit loqui, ut in suas uanissimas leges formasq; passim non peccet. Nec mirum. quippe sunt contra omnem loquendi consuetudinem et rationem ab istis somniatæ. Atqui Arist. ne minimã quidem regulam diffiniuit in tota sua dialectica, quę non congrueret cum ipso sermonis græci sensu, quo docti homines, quo pueri, mulierculæ, plebs deniq; uniuersa utebatur. Neq; enim dialecticus nouã facit traditq; uim linguæ: sed ex uetere & usitatissima regulas obseruatas docet, quẽadmodũ antea disserui. Cuius porrò philosophi logica breuibus præceptis tota constat: Dictionum uidelicet natura, quæ docetur in libris Categoriarum, Enunciationum uiribus quæ in Perihermenias: tum formulis collectionum, quæ in prioribus Analyticis. Adiectis & quæ demonstrãt in posterioribus, & quæ probabili suadent ratione, quęq; ad inuentionem faciũt, in topicis, & quę astute cauillantur in elenchis. Quo instrumento adiutum iuuenẽ mox ad reliquas artes scientiasq; transmittit Nam ea quæ aliarum rerum gratia discuntur, de quorum numero est dialectica, non diu occupare studia debent, sed eatenus illis opera danda est, quatenus in ijs egemus artibus, quarũ causa reliqua comparantur. Neq; intricat et detinet Aristo. suum discipulũ frigidissimis & stultissimis suppositionibus, ampliationibus, restrictionibus, literulis. Quæ si ad logicum instrumẽtum attinere uidisset, quis credat uirum & ingenio, et studio tanto, inuẽtorem illarum formarum, syllogismorum, atq; adeò totius dialecticæ fuisse prætermissurum? Verùm ipse non censuit illa tradẽda præter omnem rationẽ artis dialecticæ, utpote quibus cõmunis hominũ & sensus, & sermo nõ modo non utatur, sed etiam refragetur. Quòd si literulis uti uoluisset, eo modo quo isti, quid attinebat dicere uniuersalẽ enunciationem in particularẽ conuerti? ut, omnis uoluptas est bonum: sic, aliquod bonũ est uoluptas. Cur nõ sic expeditius uertebat Aristoteles? a bonũ est omnis uoluptas. Tum cũ dicis particularẽ negatiuã in se non recurrere, quòd

non bene colligat quíſpiam,ſi dixerit,aliquod animal nõ eſt homo, ergo aliquís homõ non eſt animal,quid facis?En doctiſsimi iſti quos tu prius docuiſti,nũc quaſi ἀντιπελαργοῦντες uiciſsim te docẽt ſic conuertere:Omnis homo b animal nõ eſt:aut etiam ſine literis in pronunciatũ eiuſdem quantitatis,Aliquís homo animal nõ eſt.At multi ex iſtis non diſsimulant futilia eſſe hęc omnia,uerũ illa diſcenda uolunt,quòd puerorũ acuant ingenia.Scilicet eſt hæc Arithmetica illa,qua Pythagoras & probabat,& exercebat,& excitabat ſuorum ingenia adoleſcentiũ?Porrò ſi puerorũ ingenia dicit reb⁹ hiſce acui, cur ſenes ſenibus in Theologia hæc traditis? ut ludíbrio potius habere uideamini grauiſs.et ſanctiſs.diſciplinam,quàm docere,et facitis quidẽ more ueſtro,nuſquam nõ etiã in maxime ſerijs rebus ludentes,magnamq; ubiq; deludentes audientiũ ſpem. Vt tranſeam quæ quidã etiam praua conſuetudine inducti,in medicam artem ex hac iuueníli ſtultitia inferunt,maximo cũ diſpendio ualetudinis corporum humanorũ.At illud non tacebo,quanta cum iactura et animarum et totius religionis hæc à monachis diſcuntur docenturq;,quos nõ pudet homines,ut ipſi uocant religioſos,& quibus diſciplinis ęcularibus nonnunquam interdicitur,has ingeniorum corruptelas amplecti,& arctius frequenter ipſis profanis hominibus.Quin & ſunt nõnulli ex iſtis atq; ex eorum numero qui theologi nominantur,qui nihil putãt acute poſſe dici,niſi ſit hoc amariſsimo cõdimento conditũ,horrida atq; inculta barbarie concinnatũ,iſtis ſophiſmatum ineptiſsimis diſſertum tricis.Fuit ipſorũ quidam,qui cùm fama et ſermone hominum accepiſſet diuum Auguſtinũ magnum fuiſſe dialecticũ,incidiſſetq; in manus ei⁹ libellus quidam illius,auidus legit,ut aliquem inde caſum,aliquam inſtantiã arriperet. Miratum ferunt ipſum in homine tam logico,ne uerbum quidẽ eſſe de aſinis,et alter alius,nõ de inſtantijs,non de caſibus,non de reduplicatiuis,de excluſiuis,nec de aliqua ex ijs rebus,quæ traduntur in parũ ſeu paruis logicalibus.Quin quòd homo ſubtiliſsimus acerq; diſputator,quum de trinitate diſſereret,nullã fecerit mentionẽ de diſtributione completa & incompleta,de particularizatione,de ſingularizatione completa & incõpleta, de ſuppoſitis mediatis,& immediatis,quibus ſyllogiſmi illi diuini fiunt,quîs ſine iã olim hęreticí totam noſtrã de trinitate ſanctiſsimã fidem fuiſſent demoliti. Ex quibus etiam manant illa noſtra nõ tam uera & pia,quàm illa erant Stoicorũ,ſed certe admirabiliora Paradoxa.Filius dei deus non eſt,Spiritus ſanctus eſſentia diuina non eſt,Omnis filius eſt pater,& omnis filius non eſt pater,Deus non eſt pater, Eſſentia diuina generat filiũ, & eſſentia diuina nihil generat.Spirituſſanctus,ſpiritus ſanctus nõ eſt,Vnus eſt paterDeus,ille eſt ſuus filius,& nõ eſt ſuus filius.Et quamuis ſymbolum Nycenum totiusq; cõſenſus eccleſiæ neget,plures eſſe deos,plures increatos,omnipotentes,creatores,æternos,immenſos,iſti tamẽ inuictis ſuis concertationibus tres deos,tres increatos, totidẽ omnipotentes,creatores,ęternos,immenſos eſſe ſtrenue defendũt,reclamantibus uniuerſis patribus,repugnante pietate Chriſtiana, inuitis angelis omnibus cum ipſo deo, dęmonibus etiam confidentiſsimam iſtorũ mirantibus temeritatẽ. Quin & parturiunt iam nobis eodem ex ſemine & ſatu tres trinitates,totidem diuinas uſias.Profectò enim quiſquis admiſerit,tres deos eſſe,uelit nolit,tres etiã trinitates,eſſentias diuinas tres cõcedat neceſſe eſt.Quomodocũq; tandem uocabulorũ deprauationibus luſerit, quodcunq; in latus illa tanquam teſſeras conuerterit. Sed ad meum Auguſtinianũ lectorem redeo.Tum illud pariter mirabatur,quòd cùm de baptiſmo tractaret, nõ diſputarit de illis uere theologicis enunciationib⁹,et in primis neceſſarijs fidei noſtrę:Aqua requiritur ad baptizandũ,et ad baptizandũ requiritur aqua.An detur minima aqua,quę exigitur,minima,quæ nõ exigitur,maxima quæ requiritur,maxima quę non requiritur,maxima quæ ſufficit non requiritur,maxima quæ nec ſufficit,nec requiritur, minima quæ ſufficit,nec requiritur,minima quæ nec ſufficit nec requiritur,& alia eiuſmodi penè diuina,ſine quibus noſtra pietas deſtrui non poteſt,conſtrui dicere cogitabã, ſemper hîc erro.Nam reliqua deſtruunt, hæc hæc ſola ędificant.Ita ut dubium adhuc eſſet, cùm in ſacro baptiſterio deeſt aqua,quot & q̃ magnis guttis aquæ poſſet presbyter infantem baptizare,niſi illa doctores ſcripſiſſent,quæ quamuis ſacerdos ignoret,nihilominus tamen baptizat, idq; in fide doctorum,qui illa tradiderunt,& ea ut ſunt ſuper ſententias

ſcripta

ſcripta,fulciunt cùm baptiſmum,tum etiam totã fidem,breui alioqui ruiturã,quæ à nemine nec tractari nec proferri poſſunt,niſi ſit doctor,quàm doctus,ad rem non facit,doctorẽ eſſe oportet. Verùm ille qui ea ſe in Auguſtino haud quaq; inueniſſe miratus eſt, protinus deſiit mirari,& cauſam cur illa Auguſtinus nõ tradidiſſet, bonis & admodum certis coniecturis deprehendit,quòd ille latine ſcripſerit,hęc uerò niſi pingui atq; adeò barbaro modo tradi nõ poſſunt. Nam hic ſermo barbariſmis et ſolœciſmis ſcatens ſolus eſt,quo res theologicæ magiſtraliter diffiniri poſſunt. Atq; in hãc ſtultiſsimã & peſtiferam opinionẽ plerique adducti ſunt,ut philoſophiã,ut theologiã,ut reliquas artes incorrupto ſermone tradi non poſſe credant. Si quid paulo cultius ſcriptũ eſt,quodcunq; ſit eius argumentũ,illud(tam inſcij & ſtupidi ſunt)nõ philoſophiam,nõ theologiam, non ius,nõ medicinã,ſed grammaticã uocant. Ciceronis uel Officia,uel Paradoxa,uel Tuſculanas quæſtiones,uel Academicas,grammaticã eſſe dicũt. Solũ id quod ipſi faciunt, quia regulis grammaticis ſubditũ nõ eſt,omnibus ſermonis ſordibus mire redundans, grammatica nõ eſt,quod ego plane ita eſſe fateor: etenim illud nec grãmatica,nec aliud eſt. Scotus,Ocham,Paulus Venetus,Hentisber,Gregorius Ariminenſis,Suiſethus,Adam Godam,Bockin Kam,nõ grãmatici,ſed philoſophi & theologi ab ipſis intelligũtur. Cicero, Plinius,Hieronymus,Ambroſius,grãmatici extra ſcholã ſunt,à grãmaticis intelligantur? Quî enim,inquiunt,fieri poteſt ut terſo illo atque eleganti ſtylo,ne latine quidem,nec ulla propria germana,& nõ deprauata,nec immunda lingua,philoſophia, theologia, cęteraq; artes perhibeantur? Quo quid poteſt inſanius dici? quẽ errorẽ ego, ſi decẽ annos ualetudine nõ prorſus aduerſa dei beneficio uixero,è mentibus illorũ nõ argumẽtis,ſed ipſa re delebo. Cęterùm ut eôdẽ redeã unde ſum egreſſus,re falſa,re ſtulta,re inepta,friuola,inſana,credã ego acui ingeniũ cuiuſq;? Solidis ueriſq; rebus paſcitur noſtra mens,& firmũ alimentũ ſumit,inanibus uerò etiam tumet,prętertq; ſpeciem quandã bonę ualetudinis,ut tumentia in corpore membra,quũ alioqui et hęc affectiſſima ſint,& illa inſaniſſima. Atq; his ita credo exacui diſcentiũ ingenia ut cùm ad alia,q̃libet parua debiliaq; ſcindenda et penetranda accõmodãtur,tota ipſorũ extẽplò rũpatur acies,fiatq; piſtillo retuſior. Tum etiã tantũ putant nobis iſti homines ſupereſſe ocij & tẽporis ad meliora diſcenda? ut iacturã nullã fieri exiſtimẽt,eius tẽporis quod huiuſmodi in rebus inſumitur? O ſtultũ hominẽ Theophraſtum,quem Græcia diuinũ appellauit,qui breuitatẽ uitæ humanæ querebaris,in qua tẽpus nõ ſuppeteret ad ueras diſciplinas,quæ ad ſapientiã,ad bene beateq; uiuendũ perducerent,addiſcendas. Ita ut tum moriamur,cũ ſapere aliquid incipimus. En tibi homines tam redundãtes tẽpore,ut etiã uacet eis multos bonos annos pluſquàm anilib⁹ delirijs impertiri: nec ſolum nihil agere & feriari,ſed id multo labore, moleſtiſsimo & aſsiduo negocio cõſtruere,quod poſt modũ nõ minore deſtruendũ ſit. Verũ ſi ueteres morbi ſanari repẽtè nõ poſſunt,nec aſſueta res uno impetu conuelli,detur ſane aliquid conſuetudini,peſsimę licet,diſcantur hæc ab ijs,qui ea tam ſcire auent,pauculis tamẽ menſibus,ut intelligant,quanta ſit inſania. Ac uideãt ij,qui id fecerint,ne praua loquẽdi cõſuetudine, fœda barbarie ac inuerſis uerborũ ſenſis,in meliorũ diſciplinarũ fructu capiendo impediant, nolimq; illos ita tenacis eſſe memoriæ,ut eluere facilè nequeant hæc,ſemel ſi adhæſerint. Illorũ tamẽ ego in primis uices doleo,qui decẽ,qui ſedecim,qui uiginti annos,totã etiã interdũ ętatem huic impendũt rei. Miſera atq; ſterilia ingenia,et mea ſententia,ad paleam,ſiliquas, ariſtas,nõ ad frugẽ nata. Atq; his tã pulchris rebus occupatis,nũquam uacat uel Theophraſtum,uel Platonẽ,uel Plinium,uel aliquẽ bonorũ ſcriptorũ legere. Quid hæc dico? proferant mihi duas ex vij. illis artibus liberalibus,quas ipſi uniuerſas ambitioſa ſui magiſterij appellatione profitent,quas ipſi didicerint. Nec ipſum certe Ariſtotelẽ,nõ dico in naturali uel morali philoſophia,ſed ne in dialectica quidẽ uel de facie cognitũ habẽt, quã ſeſe tradere inuerecũde profitẽtur,quũ eam ipſi nũquam uiderint. Neq; eſt eorum aliquis,qui definire ſciat, quæ pars dialectices ſit de inuẽtione: quæ de iudicio,& quo modo duobus his uti debeamus. Quid quod tametſi in ipſa bona ueráque dialectica uerſarentur,nõ tamẽ deberent tanto in ea tẽpore deſidere. Ars enim eſt dialectica,quæ nõ ſua cauſa addiſcitur,ſed ut reliquis artibus adminiculũ præſtet, & quaſi famuletur.

Iccirco nō est in ea plus operę insumendū, quàm satis est ad cęterarū artium ministeriū, quod dialectica exercet. Nam qui multā diem in dialectica conterit, nec ad alias scientias se confert, nō secus facit, quàm qui comparato cribro quo farinā excernat, panesq; cōficiat, in eo aptando componendoq; plus æquo immoratur. Instrumentū comparari celeriter debet, & aliud in eo non curandum, quàm ut sit operi faciundo accōmodum. Inepte profecto facit, quisquis in eo anxie componendo longum laborem adit, & non protinus illi operi, propter quod instrumentū paratū est, sese accingit, modo instrumētum illud operam morari atq; impedire suo aliquo uicio nō possit. Nam alioqui curandum hoc in primis esset. Itaq; tanta est dialecticæ artis accipienda cognitio, quantū sat est ad efficiendum, ne illius ignoratio in reliquis artibus nobis officere queat. Iam eum qui perpetuò intra fines illius se continet, ferre quis possit? Quis ferat pictorem in componendo penicillo, in terendis coloribus: sutorē in acubus, in subulis, similijs, cæterisq; cultris acuendis, in torquendo incerandoq; filo, in setis illi addendis totā ætatem consumere? Quod si hæc etiā in bona dialectica ferenda non sunt, quę est equidem ars neutiquam aspernanda, quantum erunt in illa omniū artium corruptrice garrulitate ferenda? Si meum iudicium requiris: Ego profecto sic sentio, quemadmodū quod opus nō est, emptum asse est carum, ut prudentissimus ille senex dicebat Cato: ita in hac inutili & uanissima dialectica uel unam consumptā semihoram esse nimis. quam quidem nō esse artem, uel illo argumēto manifestum est, quòd disciplina omnis, omnisq; ars in aliquem usum est inuenta & comparata. Hęc quidem, ut agamus, transeatq; in operas eruditio, cuiusmodi sunt Rhetorice, Musice, Medicina, Iuris facultas, & reliquæ permultę. Illa uerò solum, ut sciamus, uelut Astronomia, uelut illa pars Theologiæ, quæ contemplatione diuinæ illius maiestatis, ut Magdalena illa contenta est. At ista tam recondita dialectice, quid quęso docet? non profecto aliquid agere. Nam nemo est tā expers omnis sensus, tam à mente omni atq; iudicio alienus, ut prodigijs illis enunciationum uelit ullo in sermone uti, quibus tanquā re inauspicata & infausta audientes omnes terreret & fugaret, nisi cùm apud diobolarios suos discipulos eiusmodi mōstris assuefactos, angulo quopiam pediculari fœtoris, & squalloris pleno dementit deliratq;. Quo clare quiuis uel stupidissimus perspiciat, quū dialectica eo inuenta sit, ut eius usus alias ad disciplinas accōmodetur. Hæc quā isti docēt, ad reliquas disciplinas aduehi, aptariq; non possit, fieri ut ea neutiq; dialectica sit. At sciētiā ex hac dialectica expectari ne ipsius quidem pręceptores, quālibet sint fastuosi, quālibet ostentatores uani, et iactabūdi iubent: satis etiā indicat nullam in istis esse scientiā, quòd nec in eis habitus est ull⁹. Neq; enim hęc more cæterarū artium atq; sciētiarū sui firmum uestigiū, quē habitum nominamus, post se relinquūt. Simul enim ac primū scholas exis, nisi tenacissima es memoria, totus ille fumus minima quaq; aura discussus euanescit. Atq; hæc ipsa est causa, cur isti, qui tota ętate eiusmodi reb. dediti fuerūt, quū senuere, scholasticasq; illas umbratiles pugnas, & cōtentiosas altercationes sunt egressi, ubiq; frigidissime & stultissime tacent. Tunc

Rarus sermo illis, & magna libido tacendi.

Tunc ingenti supercilio suæ ignorantiæ sapientiæ silentium prætexunt. Quid facerent miseri? Scholastica illa omnia simul cum scholis relicta sunt. Alia nulla habent quæ loquantur. Necesse est, ut qui prius à nullis picis, à nullis mulierculis garrulitate uincebātur, ipso etiam Stentore Gręcorum apud Troiam præcone uocaliores, tunc silentio pisces quoq; uincant, & ex nostratibus ranis fiant acanthiæ. Illi quidē etiā in ipso scholarū feruore, ubi nihil potest ipsis clamosius fieri, nihil loquacius, quos citius uita deficiat q̄ uox, cùm ad conuentū prudētiorū hominū ex scholastico tecto educunt, ita stupent, ac si essent in syluis educati. Mira ibi & insueta illis facies omniū rerū. In aliū quendā orbē perductos eos esse credas, ita usum uitę & cōmunē sensum ignorant. Ita impeditos, ita implicitos eos uideas, siue quid agant, siue loquant, ut illos nō esse homines iures, adeò sicut sermo, ita & mores & actus omnes ab homine abhorrēt, ut nihil illis cum cæteris hominibus cōmune præter formā iudices. Hinc quoq; fit, ut negocijs gerendis, legationibus obeundis, administrandis rebus aut publicis aut priuatis, tractandis populorum animis ineptissimi sint, nō plus in eiusmodi rebus ualeant, quàm homines fœnei. Neq; enim

enim ijs ſeſe artibus tradunt,quibus hęc omnia percipiuntur,quęq; & animũ,& uitam humanã inſtituũt,cuiuſmodi eſt philoſophia moralis,quæ mores mentẽq; ornat,hiſtoria,quæ mater eſt rerum cognitionis & uſus,id eſt prudentiæ.Oratoria,quæ uitam ſenſumq; comunẽ & docet & moderatur.Politica facultas,& Oeconomica,quib. ciuitatũ rerũq; familiariũ ſtatus & regimen conſtat.Eos non dico latine ſi alloquaris,cũ ſe unos uim & rigorẽ Latini ſermonis tenere iactent,ſed ſi hiſpane,ſi gallice,ſi uernacula & patria quenq; lingua,uix te intelligent,nouitatẽ ſermonis horrebũt,quia ſignis,literis,relatiuis,aſinis,nõ eſt refert⁹. Nã latine nihil eſt tã inaffectate,tã inelaborate,tã cõtẽptim, tam familiariter ſcriptũ,quod iſti capiãt:quã etiã cauſam fore ſuſpicor,cur hãc meã epiſtolã,tanquam rem nimis ſacrã atq; reconditã nõ multi ex ipſis attingent,cũ tamẽ nihil à me clarius,nihil apertius ſcribi latine potuerit.Suũ uerò patriũ ſermonẽ,et quẽ à nutrice cũ lacte ſuxerunt,cùm ſint ex iſtis pleriq;,qui dedicerint, cui mirũ eſt eos latinũ non tenere,quẽ nunq; acceperũt,quẽ etiã ſi optime accepiſſent,nihil tamẽ eſt quod nõ corrupiſſet illa omniũ bonarũ rerũ ſophiſtica corruptela.Sunt enim hęc & ſimilia huius artis cõmoda, ut tẽpus, operã,linguã,mores,ſenſum humanũ amittas,dum iſta ſequeris. Hæc tam præpoſtera portenta, has animorũ gangrænas & peſtes,atq; ingeniorũ lues, adduci nõ poſſum,ut credã diu duraturas.Iam ſatis ſuperq; quingentos ferè per annos multa mala mentibus hominũ inuexerunt.Tempus eſt,ut ſimul cum lingua Latina,id eſt cum ſuo ſeminario,reliquæ quoq; artes tam diu ſopitæ excitentur.Hęc opinionum commenta,ut inquit Cicero,delebit dies,naturæ iudicia cõfirmabit.Non ſemper cum hominibus male agetur.Tempus ipſum praua conuellet,recta ueraq; ſecũ inferet.Itaq; non egent hæc tam inania multis magnisq; oppugnatoribus,ut pereant ipſa,ut ſunt ficta,ut adumbrata,ut nihil habent ſolidi,nihil firmi, ita paulatim per ſe decident diſſoluenturq;.Et memoria rerum iſtarũ ſimul ac in ſcholis homines paulo ſapere melius cœperint,tota prorſus cõticeſcet,ac interibit.Neq; enim fieri poteſt,ut cæci ſemper mortales errent.Aperientur ſenſim ingenia,& humanæ mentes ex tenebris in lucẽ profectæ, reiectis tam prauis pernicioſisq; nugis,ſuas amplexabuntur ueras diſciplinas.Neq; id procul abeſſe crediderim,quum iam eo magnitudinis hæ umbræ, caligines, inſaniæq; uenerint,ut mole laborent ſua,ſintq; & alijs & ſibijpſæ intolerabiles.Ferebant olim utcunq; humana ingenia gerras,& deliramenta hæc, ſed non tam adulta, nunc grauiora ſunt,quàm ut ab animis noſtris ad meliora ſua ſponte tendentibus ferri poſsint.Ita ruitura breui, quum ad faſtigium dementiæ iam peruenerint,& crepitura quàm primum, cùm magis intumeſcere nequeant,ſimúlque cum illo ſonitu perituram memoriam eorum quis non uidet? Ego ſane ſic à parentibus, ſic à prudentiſsimis uiris accepi, ſic rerum uſu ac experientijs didici compluribus, prauas conſuetudines non facilè in melius uiribus cuiuſquam commutari, niſi cùm ipſi in tantam prauitatem peruenerint, ut omnibus fiant intolerabiles. Ita hominum natura tam fœdam rem auerſante, breui tota illa quamlibet radicata aſſuefactio reuellitur,& antiquatur.Vnde eſt illud uulgare hominum ſermone prouerbium, Naſci optimum ordinem ex peruerſiſsimo, bonasq; leges ex malis moribus procreari.Nam mediocriter malos mores,res mediocriter turpes noſtra ingenia utcunque ferunt.At uicij uehementem nimietatem refugiunt, pati nequeunt. Paratum eſt in latina lingua exemplum, quæ quandiu mediocriter fuit deprauata,perſtitit, neque uindicem ſui habuit ullum.At tum demum reſtituta ſuo ſplendori eſt, cùm offuſcari corrumpiq; magis non poterat.Ita & hos homines neſcio an fuerit ſatius precari, ut ſuas inſanias alias ſuper alias accumulantes, ita celeriter adaugeant,ut primo quoque tempore, non modo præclaris ingenijs, ſed etiam infimis ſint utilitate ſua faſtidio,& ab omnibus conſpiretur in perniciem iſtius amentiæ.Quod iam ego quaſi ex alto fieri ſtrenue uideo. Erigunt enim ſeſe apud nationes omnes clara,excellentia,libera que ingenia, impatientia ſeruitutis, & iugum hoc ſtultiſsimæ ac uiolentiſsimæ tyrannidis ex ceruicibus ſuis animoſe depellunt, ciuésque ſuos ad libertatem uocant, uindicabúntque totam prorſus literariam ciuitatem in libertatem longe ſuauiſsimam, qua tot ſæculis caruerunt, parebúntque non his furentibus & uiolentis dominis, ſed benigniſsimis & ſanctiſsimis illis magiſtris ueris artibus atque ſcientijs,

Ita futurum ante annos uiginti ſpero, ut opera iſta, quæ tam inani ſtolidaq; loquacitate iſti ad oſtentationē gloriamq; congeſſerunt, aut in obſcuro æternam noctem ſilentiūq; agant, aut ſi qua fortè extiterint, ad ignominiā potius, magnumq; ſuorum autorū dedecus uideant. Atq; ego quidem, mi Fortis, gratias & habeo, & ago permagnas deo, quòd aliquando è Parrhiſijs quaſi ex Cimmerijs tenebris in lucem egreſſus ſum, uidiq;, quę eſſent illæ diſciplinæ, quę homine dignę, ac ſubinde humanę dicunt. Neq; enim tam ſum demens, tā de me ipſo male meritus, ut ſi hæc meliora magno & exacto iudicio nō cenſuiſſem, clareq; cōſpexiſſem, fuiſſem uetera pro nouis, adepta pro nōdum adeptis, certa pro incertis commutaturus. Neq; enim aliquis eſt, qui libēs reſciat, quæ magno labore nactus eſt friuola, et nugas eſſe meras, & tam diuturnā moleſtamq; operam tot dierum, tot inſomniū noctium luſiſſe. Ita & mihi in principio id tam odioſum erat, ut ſępe à melioribus rebus cogitationē ad uetera mea auerterē, ne mihi perſuaderi poſſet me Parrhiſijs tot annis nihil egiſſe. Nec dubito etiā, quin nuncius hic futur⁹ ſit plurimis odioſiſsimus: uerùm eos illud conſyderare oportet, credendū eſſe expertis. Et qui eſſe nequeūt ex illo optimorū maximeque perfectorum hominū genere, per ſeſe qui omnia norūt, ſint ſaltem ex illo bonorum, parent qui recta monenti, ne ex ordine peſsimorū fiāt, qui neq; ipſi norunt, nec melius monentibus auſcultāt. Quod ſi mihi credere nolunt, at ſenibus ipſi ſuisq; pręceptoribus fidem habeāt, quos ſi rogēt, audient damnantes furorem illum mētis, deplorātes id tempus, quod in his gerris uaniſsimis inutiliter contriuerūt. Dullardum ego & Gaſparem Laxem pręceptores olim meos, quos honoris gratia nomino, querentes ſępe ſummo cum dolore audiui, ſe tā multos annos rei tam futili, atq; inani impendiſſe. Id ſi ita eſt, quæ (malum) inſania eſt, nolle parere ſenibus bene monēti bus? Atq; illud me in hac epiſtola (quam nō dubito iuuenes imperitos, & quibuſuis Citerijs loquaciores, pugnaciores quibuſuis gallinaceis, uituperaturos) conſolatur, quòd ſenes bene de his, quæ nunc dico, ſentient, atq; ea laudabunt. Et quę ipſi modò iuuenes temerarij inſipientes cōtemnunt, ea cùm per ætatē ſapient (ſi deus id eis dederit) et probabunt, & amplexabuntur, & quę ego nunc eis conſulo, ipſi fortè miſerti ſequentiū minoribus conſulent ſeniores. Te uerò mi chariſsime Fortis, per amicitiā noſtrā, per tuum pręſtātiſsimū animū ingeniumq; precor, ut quoniam tua ętas iam te admonet meliorū, uidesq; aliud illa non eſſe, quàm hominū corruptelas, quę ſi nō optima memoria fueris, confeſtim excident, ſin uerò optima, impedimēto erunt in rebus melioribus, erūtq; dediſcenda nō minori negocio, q̄ fuerint parta. Vides digna nō eſſe, in quibus uel temporis inſumat punctū, quin potius ut ambabus manibus, omnibus machinis procul reijciantur, ne ingenio officiāt. Vides ætatem breuem multo ſatius eſſe ueris artibus tradere. Vides breui illa qui habuerint, fore omnibus deſpectui atq; ludibrio. Hortor itaq; te et rogo, tempeſtiue pedem ab illis dementijs ut referas, canas receptui, conferas te ad ea, quæ ſunt homine, quę ſunt ingenio tuo digna. Quod, quoniā prudentiā animūq; tuum ad optima quęq; propenſum noui, nō dubito te facturum. Satisq; magnum fecero hac tam uerboſa epiſtola fructum, ſi te talē amicum adduxero, quò uides à nobili atq; egregia iſtius mentis tuę natura uocari. Scripſi quoq; ad te eā ob cauſam, quoniā ſcio me nō cantaturū ſurdis, tum etiā quòd cùm in te profecero, proficiā pariter in iſta multitudine iuuenū, quę te ſectat, quos omnes cùm patria quadā charitate cōplexurus ſis, et optima quæq; inſtituturus, parū ſatisfacies muneri tuo, quin ut aperte loquar magnū ſcelus flagitiūq; cōmittes, ſi illos uaniſsimis ſtultiſsimisq; imbueris artibus. Etenim ego huiuſce rei culpā in pręceptores reijcere ſoleo, qui hæc tradūt. Nam ignari rerū omniū pueri, ad eos tanq; ad tempeſtatē quandā caſu delati, prius circunueniunt, prius inficiūtur, prius hoc in mari ſubmerguntur, q̄ liceat eis quid rectū, quid prauum ſit dijudicare. Quamuis non tam culpem ipſos pręceptores, qui magna ex parte pueri ſunt, et uix ſciunt utra manus ſit ſua dextra, nunc primum ex ouo in ſcholas producti, qui potius ipſi præceptore, & inſtitutore ac pædagogo ferulaq; egent, quàm ut boni eſſe queāt inſtitutores & magiſtri, atq; iſti (ſi dijs placet) ſuum nomen quum ignorent, philoſophi appellationem iam receperunt. Non ergo tam hos reprehenderim, quàm ipſos gymnaſiarchas, quos ætate, quos longo rerum uſu edoctos oportuit, qualia ſint iſta, quæ ſuis in ſcholis maxi

mo

mò cũ detrimento & damno totius iuuentutis tradi nõ sinunt modò, sed iubẽt quoq;. Credo quòd non arbitrantur alioqui se quęstũ facturos, quod tamen quàm possint sine magno crimine facere, uiderint ipsi, homines theologi. Mihi profecto ab his maxime tantę iacturę tam boni temporis et animorũ iuuentutis, quę illorũ curę tradita est, deus postulaturus acerbeq; rationẽ exacturus uidetur. Quis enim nõ credat manere graues cruciatus eum, qui innocenti, et insćio puero propter solam pecuniã imposuerit? et hos qui puerorũ tempus, qui uitam, qui animũ perdunt, immunes fore? Et quo uideas hanc rem ad summã suæ impudentiæ uenisse, ut iam grauis atq; intolerabilis, & deo, & hominibus sit, quo religiosiores, quo sanctiores uolunt Gymnasiarchę uideri, eo magis scholas suas his furoris insaniæq; clamoribus perstrepere iubent. Illaq; maiore exercent supercilio, quàm unq; Zeno fecit rigidissima sua uirtute tradẽda. Teipsum mi Fortis atq; alium quemuis, neq; enim recuso, quenquam iudicem facio, num non tibi Parrhisiẽsis schola tanquã anus quædam post octingentesimũ suæ ætatis annum cum tanto senio summe delirare uidetur? Num non eam censes nisi arte aliqua, id est beneficio bonarũ disciplinarũ repubescat, quod deus ipse omen auertat, horret animus dicere, breui interituram? Ego enim id ausim persanctè deierare, fore neminem tam hebetem & crassum hominẽ, qui liberos suos ad eam eruditionis gratia deduceret, si intelligeret, quæ in ipsa docẽtur. Cedò, quotusquisq; ex doctis hominibus suos filios uel istuc, uel ad hos sophistas mittit? Nemo tam cæcus est, nemo tam insanit, nemo tam filios uel negligit uel odit. Si quis ex ijs istuc mittit, non ad sophistas mittit, sed ad nõnullos, qui melius inter tot desipientes sapiunt. Si quis me cum stomacho loqui putat, is recte sentit. Neq; enim de ea re summo sine dolore loqui possum, quæ tã multas bonas horas me tam male collocare coegit. Nolo in pręceptores culpã reijcere, ne dũ iusto meo indulgeo dolori, alicui parũ fortasis prudẽti minus esse gratꝰ uidear: nec dubito quin hęc epistola si in manus istorum hominũ uenerit, ac poterint sibi imperare ut perlegant, fueritq; ab eis intellecta, quod maxime cupio, sit plerosq; ipsorũ offensura. Ab unoquoq; tamen eorũ qui offendentur, hoc me impetrare ęquum est, ut credat me non esse peculiariter de se locutum, néue ipsum uerba moueant, rem potius perpendat, & animum meũ. Quod si hæc illi omnia parũ probantur, ego æqui bonique facio, & quod sit ei faustum & felix, hæreat in cõplexu suorum perquàm suauiũ asinorum, suęq; lepidæ dialecticæ. Ego neminem cogo, ac neq; si uellẽ, possem quidẽ. Moneo atq; hortor, et ut philosophũ decet, libere quę sentio, dico. Quæ tamen ipsi aliquando probabunt, & me bene monuisse tunc sentient, cùm nihil eis ita sentire profuerit, cumq; ipsi serò sapuerint, iunioribus tamẽ consulent, ut maturius sapiant. Quãquam testor conscientiam meam, & Deum Optimum Maximum, qui hæc omnia uidet auditq;, mirari me, quenquam fore, qui hæc modò intelligat, damnet. Neq; enim arbitror aliquem esse in toto orbe, siue doctum siue insciũ, siue ingeniosum, siue hebetem, stupidumq;, cui hæc non probentur, si ita dicantur, ut ipse intelligat. Verùm nostris hominibus parum hæc modo placent: at ego non eorum iudicium, quod nullius momenti est, sed doctorum illud, non numerosum quidem, cæterum amplissimum atq; grauissimum specto, illiq; placere studeo. Neq; enim numerare sententias soleo, sed appendere. Non placeo iuuenibus, quibus nullum est consilium, nullum iudiciũ, nulla mens. At senibus placebo, cùm illis ætas melioris iudicij nõnihil attulerit. Nostros tamen Hispanos non tam moneo, et hortor, quàm per quicquid est sacrorum obtestor obsecróque, ut finem iam faciant ineptiendi, ac delirandi, & pulcherrima ingenia studio dedant rerum pulcherrimarum, ut quemadmodum multis dotibus sumus cæteris gentibus superiores, ita & simus eruditione, quę si aliqua ingenia decet, nostra profecto decet. Verùm huiusce rei argumẽtum latissimũ est. Idcirco polixior opinione mea fuit epistola, et nisi me retinuissem, labebar ducẽte oratione multo longius. Sed finẽ aliquando tãdẽ epistolę fieri necesse est. Nec omnia semel effundã, ut si sæpius decertandũ sit, quod futurũ non dubito, nouus semper ueniã. quã facultatẽ magnitudo istius stultitiæ tot iã annos molliter atq; indulgenter enutritę & auctæ mihi largitur. Illud tamẽ anteq; finiã nõ admonere rursus lectorẽ nõ possum, si modò quisq; erit huis rei, præter te lector, ut has ipse literas, non à perturbatione aliqua sui animi in

contrarium perſuaſus & raptus legat,ſed rationis examine cuncta perpendat.Si ipſi bene ſuadere uidebor,conſilium ſequatur meum, ſin uerò ſecus,animum prodeſſe cupientem laudet,uerba uerò conſulat boni.Atque ego quo animo ab alijs admonitionem hanc meam accipi uellem,eodem etiam aliorum,ſiue tuam,ſiue quis alius me admonere uoluerit,capiam.Ita ſi quis eſt,cui hæc quę dico minus probantur,eius ego pęrlíbenter ſententiam audiero.Sin uerò quippiam ex ijs,quæ diximus,aliquis ambigit, ſi quo loco hæret,ſi quid eum remoratur,ſi aliquis etiamnum urget ſcrupus,ei quoq; publici commodi gratia,opera mea parata eſt,modò id non litigandi,ſed inquirendæ ueritatis cauſa fiat. Nam alioquí nunquam finis contentionum inueníretur. Quòd ſi tantus illi fuerit pugnandi ardor,ego etiam,ut per omnia meis iſtis amicis obſequar,uel cum fortiſsimo eorum Thrace comparatus,arenam & campum non refugiã.Hęc tibi cùm ſcripſiſſem,uenerunt ad me Petrus Gratianus Lalous noſter,& Touſſanus Hocedius,Nicolausq; Votonius nunc mei,breui quoq;,ut ſpero,tui.Mire enim te etſi nunquam a ſe uiſum diligunt,ducti ijs rebus,quas illis ego de uirtute retuli tua,omnes iuſſerunt ſalutem hic tibi nomine ſuo adſcribi.Lalous quidem,ut iampridẽ communis amicus, Hocedius uerò, & Votonius, ut breui futuri.Nicolao Valdauræ conſanguíneo meo S. quem tibi,quod et ſępe aliàs feci,quàm poſſum maxime commendo.Eſt enim mihi,ut ſcis,non minus charus,quàm frater.Daualum quoq; pro me ſaluta. Vale mi ſuauiſsime Fortis.Louanij,Idíbus Februarijs, M. D. XIX.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI IN LEGES CICERONIS PRÆLECTIO.



Redo ego uos omnes mirari, quid ſit,quòd philoſophus ipſe coram tot iureconſultis leges Ciceronis enarrem.Etenim hanc prouinciam,ut quamuis etiam aliam,in qua de legibus diſſeritur,nõ philoſophi,ſed iureconſulti eſſe nullus ferè non exiſtimat,longeq; aliud eſſe philoſophum,& peritum legum atq; iuris. Pauca tamen uerba me facientem attentis & auribus et animis ſi audieritis, intelligetis, ut ſpero,quid hac in re philoſophum deceat.An eius ſit leges enarrare,an eius,de legibus diſputare,an ne liceat quidem ipſi, quod multi putant,leges uel nominare. In quo loco à diuiſione mihi eſt incipiẽdum.Principio quidem iura legésue,alia eſſe naturalia, alia diuina,quædam gentilia ciuiliaq;,militaria etiam nõnulla neutiquam ignoratis.Ius naturale finitur ab Ariſtotele libro de Rep.primo,quod habet eãdem uim ubiq;,illudq; eſt,quod habẽt omnes ſcriptũ in cordibus ſuis,eduxeruntq; ſecũ ex matris utero.Idem enim immutabile prorſus habent omnes nationes,ſentiũt de illo uno eodemq; modo: nec eſt quiſquam gentis ullius qui huic iuri ſua ſponte non aſſentiatur.nec mirũ, quoniam eadem eſt inuariabilisq; in omnibus hominibus natura,qua ſola dictãte in corde ſuo unuſquiſq; leges uarietatẽ non admittentes deſcripſit.neq; uerò quia ſic uni homini uidetur,nec quia ſic uni ſenatui,uni reip.nec quia ſic regno,non denicq; quia ſic orbi, ſunt leges illæ ratę atq; acceptæ: ſed quia ſic nobiſcum ortę,nobiſcũ adoleuerunt, non ſeneſcentes.Ingeſsit enim ipſa natura,cuius ſunt ſubtiliſsimę et imperſcrutabiles uires, unicuiq; primum naſcenti,deorũ ueneratiõnẽ & cultum,ingeſsit congreſſus,ac humanæ communicationis appetitum, quem ne ſolitudinũ quidem amantiſsimus, nec ipſe μισάνθρωπος Timon queat à ſe penitus reijcere,ingeſsit etiam delictorũ nonnullã erubeſcentiã,& male actæ uitæ conſcientiã,furias,ut poetæ dixerunt,exagitantẽ,quę impios & conſceleratos homines uexant atq; perterrẽt.Indidit & ſuperiorũ,aut prudentiũ,aut ſenum,

ſenum,aut principum reuerentiã,quam à ſe quiſquam niſi cum homine deponere non poſsit.Subticebo nũc de uiri & fœminæ coniunctione,de ſuſceptæ prolis educatione, & id genus cæteris,quæ omnia pertinent ad ius naturale.Hęc igitur quum ita ſint,nullum opinor ueſtrũ dubitare,quin leges diuinę,gentiles,ciuiles,ac militares ab ipſa lege naturæ profectæ ſint.Quanq; mihi nullum uidetur eſſe ius naturale,quod non ſit idem etiam gẽtium.Ius enim omne atq; æquitas inter ſolos homines eſt.Nam in ipſis belluis uerius umbram & tanquam ueſtigium quoddam, ut reliquarum uirtutum, ita & iuris quoq; eſſe dixerimus,quàm ius ipſum.Verùm ſicut dicere incœperã, ex illo ingenito dei cultu uniuerſali,particulares dei deorumq; religiones ſunt ſubortæ.Nam etſi unuſquiſq; duce natura & eſſe deum aliquem,& exhibendam illi reuerentiã et pietatem ſciat,neſcit tamẽ utrum is deus ſit homo aliquis,an animal aliud,herbáue ſit,uel lapis. an res quæpiam, quę uel non ſentiat prorſus, uel non ſentiatur.neſcit etiam qualem opus eſt in eum ipſum deũ ſeruare pietatẽ.quales obſeruantias, quales ritus, cæremoniasq;. In ciuitate quoq; conſtituẽda, quanquam à natura illud accepit habendam eſſe ciuium rationem,colendam iuſticiam inter eos & pacem,ignorat tamem,quib⁹ præceptis qua ratione,ac arte id quàm facillime aſſequetur,nec abſurdũ eſt certo fine incerta eſſe media.Ideo nanq; uidemus de lege naturæ, utpote uenerãdo deo,tuendaq; hominũ ſocietate,neminem aut conſulere aut eligere,ſed de mediis aptioribus atq; facilioribus,quibus illuc perueniatur.de fine enim,ut Ariſtoteles inquit,rebusq; certis nulla eſt neque electio,neq; deliberatio,neq; conſilium.Iam hoc naturali iure, nam legem & ius nunc conuerto, propoſito tanquam ſigno ſagittariorum,quiſquis expeditiſsimam ad illud collineandum ſemitam,normam,rationemq; inueniet,is nimirum uocabitur meritò legiſlator,is audiendus eſt,huic parendum, huic attribuendum negocium de hac ipſa re hominum generi utiliſsima diſſerendi.Nam quid maioris fructus atq; utilitatis, quàm hominem ad finem in quem natus eſt ducere? quem finem ſi prius quid ſit uiderimus, perſcrutabimur tum facilè,ad quem pertinet ipſius cognitio atq; ſcientia,ex quo efficiatur,ut arbitror, clarum quis maxime hominum leges populis,ciuitatibus, & gentibus dabit. Omnes qui philoſophiam tractauerunt,aut quorum ſupra uulgare iſtud nonnihil altius ingenium fuit,diſſeruerunt q; de ipſa mortalium in hac uita beatitudine,in cęteris mire diſsidentes, in illam unam ſententiam conuenerũt, unumquenq; hominum ad uirtutem felicitatemq;,quantã mortalis noſtra exiguitas capit,ſola natura duce poſſe peruenire, quippe quum uiuere ſecundum naturam hominis bonum ultimum,abſolutum,& perfectũ illud dicerent quod τέλος appellatur,eſſetq; eadem hæc indifferẽs in cunctis,in re aperta nequibant tergiuerſari, quo minus profiterẽtur genus humanũ neminem complecti ad beatitudinem ineptũ,illum nanq; creaſſet deus fruſtra,uideretur q; ipſi permagnã iniuriam feciſſe.Tum quòd nihil alicuius ſpeciei uni ſingulari poteſt conuenire,quod alijs congruere nequeat. Quapropter ea,quæ fortunæ temeritati uel improborum hominum ueſanæ ſubiacent poteſtati, nihil ad ipſius beatitatis rationem & ſummam faſsi ſunt attinere, decorare plerique ſunt opinati.Nam quũ hęc ipſa extra noſtram uoluntatem poſita eſſent,aliorũ potentiæ ſubdita,fieri poſſet,uti nos beatos reddere aliquando in manu noſtra nõ foret,quod nõ ſecus natura nõ ſuſtinet quàm quod aliquem creet, cui poteſtatẽ adimat bene uiuẽdi.Hoc ex principio optimo certe & ueriſsimo ueſtigando complures ſunt falſi,quum uiam quærunt uiuendi iuxta naturam,& dum hæc his alia uidetur & ab alijs petenda,quàm illis. Alius eſt etiam illorum uiuendi modus,alia ratio quàm horũ. Epicurus enim in beſtijs ipſis uim natutæ requirens,quas uidet nil niſi uoluptatẽ curare,uoluptatem ſibi præfigit ſtatum uitæ felicem. Fuit prius eiuſdem ſententiæ Ariſtippus Cyrenaicus,qui ab indole illa & moribus Socraticis degenerauit, quam Eudoxus Gnidius plurimum confirmauit,quòd homo eſſet frugi,minimeq; uoluptuoſus.Hieronymus Rhodius,quòd uideret moleſtiſsimum omnibus eſſe dolorem, indolentiam felicitatem eſſe putauit hominis: complexus eſt utrunq; Lucretius Carus poeta Epicuræus his uerbis:

O miſeras hominum mentes,ô pectora cæca,
Qualibus in tenebris uitæ,quantisq; periclis

Degitur hoc æui, quod cunq; est: nónne uidetis
Nil aliud sibi naturam latrare: nisi utq;
Corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
Iucundo sensu, cura semota metuq;:

Calipho uerò Polæmon & Diodorus noluerunt in beluis naturam inquirere, sed in hominibus opinantes nõ eodem modo illam sese in utrisq; habere, ad hoc quod in beluis fortè degeneraret. Ita quum perspicerẽt hominis naturam integram, bene affectam, minimeq; prauis rebus & opinionibus infectã atq; corruptam, ad uirtutẽ esse multo propensissimam, à uitio uerò non minus rectam atq; synceram naturam abhorrere, quàm à peste aliqua animorum omnium atq; mentiũ. Natura enim nos, ut est præclare à Marco Fabio scriptum, ad mentem optimam genuit, adeóque discere meliora uolentibus promptum est, ut uere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circunfusus nobis spiritus uolucribus conuenit, ita certe facilius esse oportebat, secundum naturam, quàm contra eam uiuere. Quocirca uirtutem ipsam necessariam in primis humanæ perfectioni, illiq; in bonis ultimum esse uoluerunt, addentes autem partim doloris uacuitatem, partim uoluptatem. Zeno uerò, Zenonisq; inuentorum æmuli, qui sunt de scholæ nomine, Stoici uocati, nudam ipsam uirtutem & honestatem nullis alijs comitatam rebus, se sola contentam, beatitudinem esse censuerunt. Opes uerò & quæ dicuntur corporis bona, si detur optio, esse eligenda, ac si adueniant recipienda, minime appetenda si ab sint. At Aristoteles longius acutiusq; cæteris omnibus naturã introspiciens, cùm eam uideret in brutis utpote ad sensum uentremq; uiuentibus, quibus ut nulla est mens, ita nec mentis sancti honestiq; ulla cura, non esse inquirendam, nec in hominibus puram, expressam, atq; natiuam posse inueniri. Simul quòd mutantur passim hominum sententiæ, proinde ut cuiq; uaria die uariũ uidetur, simul quòd est propter immissa scelera nefandasq; uulgi opiniones, ipsa natura in hominibus deprauata, & ad multos errores detorta, repetenda altius, ubi omni peccato labeq; uacaret integra, syncera, clara, munda, genuina persisteret, intellexit. Ideoq; quod præcipuum in dijs esset, quaq; re ducerent maxime uitam illam suam beatam, id in hominibus finem quem inquirimus, affirmauit esse. Parenteis uerò, patriã incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias, ornare quidẽ felicitatẽ uoluit, quæ qui uti scit (ut inquit Terẽtius) ei bona sunt, ei qui nõ recte utitur, mala. Aristonis uerò Pyrrhonis, & Herilli, qui selectum in rebus nullum ponebant, iampridẽ explosa sententia est. Videtis, naturalis hominum finis speculationem et scientiã, cùm sit de natura cognitio, philosophicas esse partes: eiusdem igitur erit de aijs, quæ ad finem attinent præcipere. Is enim demum inuenit, qui uestigat, atque inquirit, & is etiam tanquam optimus ciuis huius uniuersæ ciuitatis, quæ totum genus humanũ capit, inuenta sua publicos in usus in medium reponit. Quam ob rem cùm sint omnes leges ad bene beateq; uiuendũ inuentæ, & latæ, bene beateq; uiuere philosophus doceat, quidni etiam leges ipsas, quasi quædam media et expeditas ad finem humanum uias ipse ferat? Quo modo enim ad finem is legislator ducet, cui est & uirtus & uirtutis finis, quæ felicitas dicitur, incognita? Accommodabit profectò fini tum cõuenientiora, tum commodiora, cui est totus ipse finis intus, ut ait ille, & in cute notus, atq; exploratus. Ad hæc bonæ legis qualitates, totamq; rationem tres philosophię partes sibi diuidunt inuestigãdas. Perquirit siquidem naturalium cognitor rerum, sit ne lex secundum naturam, an loco, temporiq;, an etiam uniuersis, quib⁹ fertur, satis cõgruat, cõmodaq; sit: an uni solum parti bona, reliquis uerò iniqua sit? an obtineri possit, quod iubet, quod uetat, quàm utilis, quàm necessaria, quàm rebus præsentibus, quàm futuris apta atq; conueniens. Ad hæc, nemo perueſtigabit, nisi qui hominum, qui temporum, qui locorum ingenia naturasq; sit contemplatus. Disseret moralis, an iusta sit, & honesta: uirtutibus quàm consentiens, quàm à uitijs dissidens? At uerò, sit ne in ea aliqua cauillationibus, controuersijs, litibus, id est pesti salutis quietisq; ciuitatis, ex ipsis uerbis materia & occasio perscrutatur dialectica, quã qui ab hoc quieto iuris disputandi genere putant abhorrere, audiant quid de Seruio Sulpitio peritissimo ætatum omnium iurisconsulto dicat Cicero in libro quẽ de claris Oratoribus

Oratoribus ad Brutum scripsit: Sic enim inquam Brute existimo, iuris ciuilis magnum usum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse: artem in hoc uno. quod nunquam esse cisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea uidisset artem, quæ doceret rem uniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primum uidere, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæq; non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confuse ab alijs aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi uideris dicere, inquit. Recte inquam intelligis. Hæc Cicero. Quæ ideo induxi, ut qui rationalem philosophiã, quam appellãt logicen, à legum notitia credunt esse alienam, ei quàm utilissimam, & cum primis necessariam esse cognoscant. Tu es igitur uitæ philosophia dux, tu uirtutum indagatrix, expultrixq; uitiorum. Quid enim nõ modò nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem uitæ conuocasti, tu eos inter se domicilijs primo, deinde coniugijs, tu literarum & uocum cõmunione iunxisti, tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Audebo igitur iure meo de legibus philosophus ipse disserere, cùm etiam Cicero non tanquam iuris peritus, sed tanquam philosophus libros hos de legibus ediderit. Platonem philosophũ in illis duodecim libris æmulatus, ut in libris de Republica fecit, & sæpius alibi. Quanquam hoc interest, ut Macrobius docet, inter huius atq; illius libros: quòd Plato rempublicam ordinauit, Cicero retulit. Ille qualis esse deberet, hic qualis esset à maioribus instituta, disseruit: tametsi Cicero ipse persona Q. fratris paulum ait allatum esse suis legibus noui. Ac re uera respublica illa Romana, quæ fuit usq; ad ciuiles dissensiones, aut erat optima, aut ad optimam quàm proximè accedebat, paucisq; commutatis specimen fuisset optimæ. Verùm ut ad philosophos redeam, priscas urbes atq; respublicas qui instituebãt, & philosophi erãt, & habebantur. Philosophus certe Mercurius Trismegistus, Ægyptiarũ legum lator. Quintus ille Mercurius, qui Argum interemit, ob eamq; causam Ægypto præfuit, atq; Ægyptijs leges & literas tradidit: quẽ Ægyptij, ut Cicero tertio de Natura deorum libro scribit, Theut appellãt, eodemq; nomine anni primus mensis apud eos uocatur. Philosophus etiam Lycurgus Lacedæmoniarũ. Philosophi Draco, & Solon Athenienſis, Locrensium Seleucus, Tyriarũ Charondas, Gnidiarum Eudoxus, ex Pythagorica disciplina. Qui etiã Pythagoras plerisq; magnæ Græciæ ciuitatibus leges dedit, Syracusanarum expulso Dionysio. Plato, quem à Thebanis & Arcadibus, ut suis ciuitatibus leges ferret, oratum tradũt. Ordinauit suos Stagyritas Aristoteles, ut Pyræos scribunt Meledinum. Venio nunc ad Ciceronẽ, cuius est in hoc opere tripartita disputatio. Primum docet quid sit ius ingenitum unicuiq;, quod naturale dicitur: deinde quæ sit deorum immortalium religio. Postremò qualia imperia, & magistratus esse conueniat in felici republica, & optima ciuitate. Princeps enim est ius naturæ. Secundum est ius diuinum, è quibus tanquam è fontibus ius gentium atq; ciuile oritur, quorum utilitatem breuibus explicabo. Multi fuerunt philosophi, qui reiecta rei familiaris, & publicæ cura, adeò rerum speculationi, contemplationiq; sese dedidерunt, ut secedentes in solitudinem ab hominum congressu semoti, noctes insomnes ducentes, dies totos sine nutrimento, oblíti sui, quasi meri spiritus in corpore corpori non commixti, uelut hic existentes, aliam uitam uiuẽtes, indefesso studio rerum naturas inuestigare conati sunt. Ne illa præstantissima quidem res est meo iudicio, & hac nostra immortali anima digna, sed non tam alijs quàm sibijpsi utilis. Socratem uerò tanti faciunt omnes, quòd philosophiam in cœlis ac elementis uersantem ad communem hominum uitam adduxerit. Vidit enim acutus hic uir, & (ut dixit Apollo) sapientissimus, se non sibi soli natum esse, quod ad Architam scripsit postea discipulus Plato, sed ortus sui partem patriam, partem amicos, partem totum genus hominum uendicare, cõsuluit sibi suoq; diuino ingenio in rerũ inquisitione, cõsuluit humano generi, de quo est perbene meritus, præceptis bene beateq; uiuendi tradendis. hac re nullã habeo utiliorem, nullam commodiorem, maiorisq; fructus, nullam in qua magis quisquã homines cunctos possit demereri. Qui enim Parrhisijs Louanium eunti certam & expeditissimam

indicat uiam, nónne is in uiatorem maximum beneficium confert? Nónne is, quasi de suo lumine lumen accendit? qui uelut aperit uiatori iter, quo facillimè finem pertingat ad quem tendit? At quid de illo nos existimare par est, qui non iter ad unam urbem, nõ iter ad unam rempublicam ostendit, sed uiam regiam, ad ipsum finem totius humanæ uitæ, ad id quo uoluit hominẽ Deus optimus maximus creari? Quare quum ex his tribus Ciceronis libris, primus insitam unicuiq; æqui honesti uim & rationem doceat, ex qua nascuntur omnia iura. Secundus cultum deorũ, in quo mutatis nominibus Iupiter, Iuno, & similibus, in Christum, Mariã uirginẽ, & id genus nostrę religionis, à Christianissimo uiro dicta uidebũtur. Tertius leges magistratuũ, militum, & ciuiũ omniũ doceat, nullos libros gentilium duntaxat digniores censeo, qui legantur, qui relegãtur, qui in manibus semper habeãtur, Ciceronis sex de Republica. Libros tres Officiorum, & consolationẽ de morte filiæ, C. Plinius in præfatione historiæ mundi, uersandos noctu & interdiu esse admonet, ediscendos etiam, non modò in manibus quotidie habendos. Loquar de libris Officiorum, qui soli extãt, quos qui uidit, & aliter sentit, sceleratissimus, & cùm alijs omnibus, tum etiam sibi pernicioſissimus mihi uidetur. Ego uerò nõ inficias eo plura in libris Officiorum esse (utpote maioribus) scripta, quàm in his libris de Legibus, ea tamen quæ in his sunt, nihilo haud dubie dictis illorum cedunt: sunt utraq; sanctissima præcepta, est utrobiq; toti uitæ perquã salutaris doctrina, fatebor quæ mihi sæpenumero contigerint. Nam cùm summo studio uolumina Ciceronis omnia lectitarem, inspiceremq; in his tribus libris de Legibus & illis tribus Officiorũ, ea quæ in intimis monumentis nostræ religionis sancti illi patres nobis suis posteris tradiderunt, ea quę locutus est paracletus per prophetas, ea denicq;, quę noster IESVS & fecit & docuit, addubitabã essent'ne monumenta è Ciceroniana officina, an à uiro quopiam Christiano scripta, & Ciceronis nomini suppositа, ut quatuor illi libri Rhetoricorũ qui sunt ad C. Herennium inscripti, ab hac hæsitatione, formula dicendi & ipsum totum orationis filum planè Ciceronianum, citatiq; loci ex ipsis operibus quàm plurimi à uiris nostra religione antiquioribus, me retraxerunt & liberarũt. Atq; in hanc ipse opinionem adductus sum, ut credam nullam humanam sapientiã uiribus suis absq; peculiari Dei beneficio & munere ea quæ in his legum atq; officiorum libris scribuntur, consequi potuisse. Iam uerò illam partẽ uideo meæ præfationi ueterum interpretum instituto deesse, qua de authore ipso nonnulla dicũtur, quam addã equidem ex more magis quàm necessitate. Quæ nanq; mea uel cuiusquam oratione, potest lux claritasq; nomini Ciceronis afferri? An fortè Cicero unus quiuis est è uulgo ignobilis, obscurus, quẽ illustrare magis sermones hominum & fama possit? Quis uirum illum uel in extrema Scythia ultimaq; & barbarie & solitudine ignorat? Quis nescit qualis fuerit, quantusq;? de quo uelut uenturo sunt illi non ueri minus quàm elegantes Silij Italici uersus:

Ille super Gangen, super exauditus & Indos
Implebit terras uoce, & furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquij cuiquam sperare nepotum.

Verùm quoniam iniuria magnis uiris fieri uidetur, nisi unusquisq; & ad illorum decorandam uirtutem, & ad excitandos posteros quo possit cunq; modo, eorũ præclara referat gesta: dicam & ipse de Cicerone paucula quædam ex multis, sed ea quæ non sint uulgatis scriptis omnibus cognita atq; protrita, idq; paulo quàm hactenus sum usus lætiore stylo. Æquũ est enim ut stylus noster alacer ac penè exultãs de parente suo loquatur. Hic est profectò Marcus ille Tullius Arpini III. Nonas Ianuarias natus, Q. Seruilio Cepione, M. Attilio Sarrano Coss. qui ortus, nõ ex progenie regum Volscorum, ut noster Silius dicit poëticè magis quàm historicè, sed Arpinati, obscuro tenuiq; genere, magna ui uirtuteq; animi, Portium Catonẽ & Æmylium Scaurum simili fortuna natos æmulandos sibi proposuit. Nactusq; ingenium tale, quale Plato fingit liberalium omnium artium capacissimum, ad nullum literarum genus ineptum, poëſi, philosophiæ, dicendiq; arti, qui erat tunc in urbe ad summos honores gradus, totum sese tradidit, in quibus quantum ingenium illud profecerit, argumento erit, quòd duobus Aristoteli

& Pla-

& Platoni paraddítur Cícero. quí níſi de philoſophia ſcrípſiſſet, neſcío an ea tota ſolis adhuc græcis líteris contíneretur. Quòd cum Demoſthene de gloría dícendi ita certat, ut illi ſi palmam non erípit, certe nec concedat. Maximos authores habeo, qui Ciceronem à prouidentia gentium aíant, ut in eo totas uírtutes ſuas experíretur eloquentía. Nam in Poëtica arte miror eſſe quoſdam, qui illum parum ualuiſſe dícant, moti fortè, ut credo, uerſículo íllo, Cedant arma togæ, quẽ Iuuenalis non ita rídet, ut ípſius relíqua omnía poëmata rídícula dícat. quî enim íd poſſet? Vtinam extarent multa eíus carmine cõſcrípta, de quíbus ípſe cùm in epiſtolís alíjſq; uarijs in locis, tum etiã in primís huíus noſtri De legíbus líbri uerbis meminit, poſſemus certius iudícíũ facere. Sed ſi leonẽ, ut aiunt, ex unguíbus licet æſtímare, ex fragmento certe Arati, quod ab eo uerſum extat, ex alíjs pleríſq; ípſius uerſibus, quos in Tuſculanis quæſt. inq; líbris De díuinatione adducit, manifeſtò líquet Ennium, Lucílium, Lucretium, cæteroſq; ſuperiores poëtas, minores quoq; uniuerſos præter unum Vergílium, & elegantía ab ípſo ſuperatos, & carminis ſuauitate. Verùm conuerſa ad reip. curam ingens ílla Tulliana lux, ſuas tenebras illuſtrauit. Defendit annos treís & uíginti natus Roſcium Amerinum parrícídij reum, auſus inter ínitia ſuæ adoleſcentiæ líbertate tyrocinij ſui Syllanam potentíam prouocare, profeſſuſq; ípſe Cícero maxima familiarium frequentía, díſſuadentium ne nomen illud Ciceronis, quamuis antiquum famíliæ retíneret, effecturum ſe non minus íd ſplendídum & celebre, quàm Scaurorum eſſet ac Catulorum, omni labore, ſumma díligẽtia, ambitione etiam non ignaua & ſegni, qualís nobílium erat fretorũ uírtute generis, ſed ſolertía atq; induſtría comitata ad amplíſsimos contendit honores, ad quos tanta uí penetrauit, ſeu irrupit potius, ut íllius uirtus certaſſe cum ípſa fortuna uideatur. Factus eſt ædilis uir tenuis, renitentibus magna contentione profuſis largitionibus, & manifeſtis corruptionibus ſuffragiorũ, C. Verre per id tempus à Cícerone repetundarum poſtulato, homine opulento. Q. & M. Metellis fratríbus, quorum hic erat deſignatus prætor, íle deſignatus conſul, ſimul cum Q. Hortenſio collega patrono Verrís, clariſsimís in republica uíris. Irrupit ad conſulatum filius equítis Ro. homo nouus, inuidioſus toti nobílitati, cõpetitoríbus P. Sulpitio Galba, L. Sergio Catílína patrícíjs. C. Antonio M. oratoris. F. L. Caſsio Longino, ex Senatorijs & honoratís famílijs, Q. Cornificio, C. Licínio Sacerdote, uíris gratioſis, refragantíbus acerrimè ac potentíſsimè C. Cæſare & M. Craſſo cum totís ſuís factionibus. Ipſe etiam Cicero quo mínorem petítioní poſſet operam dare, domeſtico íctus eſt luctu, morte patrís quem in ípſa petítione amíſit: & his tamen circunſeptus difficultatíbus, atq; impedimentís nõ conſul modo, ſed prior quoq; conſul declaratus eſt. uſq; adeò erat cognita, atq; percepta ínnocentía, ſanctítas, & fides illius. Neq; enim íllo anno, ut multis antea, traditus eſt ei conſulatus tanquam profuſiſſimo ſuffragíorum emptori, aut potentíſsimo, aut maxime gratioſo, aut ei qui callidíſsimè ambíuerat, ſed in íllis procellis & tempeſtate reípublícæ electus eſt ípſe, non uír nobílíſsimus aut ditiſsimus, cæterùm prudentíſsimus, & optimus gubernator, cui clauus cõmendaretur, in cuius fidem tota reſpub. cõfugeret, ut non magís conſulatus Ciceroní uídeatur datus, quàm Cícero cõſulatui. Quo in magiſtratu conſilíjs & ſagacitate ſua detecta, & mox extincta coniuratione Catílinæ, tantam eſt laudem gloríamq; conſecutus, ut primus ípſe in líbera ciuítate, à líbero ſenatu Pater patriæ ſit conſalutatus. Primo ípſi togato ſupplicatio decreta. Nec defuerint in ſenatu, qui ſua ſententia cenſuerint inſigniendum íllum coronis ciuica & obſidionali. Cn. quoq; Pompeius ex Syría decedẽs gratías illi egerit, quòd beneficio ípſius patriam eſſet uiſurus. In eodem conſulatu mentionem legís Agrariæ à Seruílío Rullo tríbuno plebis pertumultuoſe excitatam, nunquam ſine maximis agitatam motíbus, iam índe à uíceſimo anno poſt expulſos Reges, ſolis ſuís oratiónibus compeſcuit ſedauitq; ípſis etiã tribubus legem abrogantíbus, ad quas íllius legis emolumentum ſpectabat. Profectus deínde in Aſiam admirabili æquitate & cõtínentia prouinciæ præfuit, nec ínfelicius bellum adminiſtrauit, quàm togam. Non fuiſſe íllum ad bellum natum, íd eſt, aptiorẽ fuiſſe quieti pacís, quàm ſtrepitui militarí & bellico fateor, timidum ignauumq; fuiſſe nego: meruit enim ſub ímperatore L. Sylla bello ſociali. In prouincia ſua pugnauit non cum quolíbet hoſte, ſed cum Parthis,

euaſit uictor, oppreſsit plerũq; celeritate & alijs imperatorijs artibus hoſtes: oppida & caſtella complura obſedit, ui cœpit, Eleuchencilicos & Tebaranos, feras atq; indomitas gentes bello fatigatas prius domuit. Qui uerò timidum ipſum leuemq; appellant, ij rationes temporum uitæq; Ciceronis non conſiderant, & maligni rerum omnium interpretes, Ciceronis prudentiam ſcientiamq; utendi foro, & ſeſe tempori accõmodandi leuitatem uocant: rigidam illam Catonis grauitatem, inflexibilem in propoſito perſeuerantiã, uocaturi cæcam & obſtinatam pertinaciam. At uerò eas ob res à Cicerone in prouincia geſtas, ſupplicatione in urbe illius nomine atq; honore facta, imperatorq; appellatus triumphi petitionem iniquitate temporum omiſit. Rediens enim ex Aſia urbem ciuili diſcordia laborantem offendit, plenamq; tumultus accingentium ſeſe utriſq; ex partibus ad bellum, in qua diſſenſione tam prudenter ſe geſsit, ut Pompeianus Cæſaris gratiam non amiſerit. Hinc quum reſpublica unius imperijs, uoluntatiq; parêret, ad ſtudia illa adoleſcentiæ tamdiu intermiſſa regreſſus, ea conſcripſit, quæ uitam hominum omni uirtutis numero inſtruere ornareq; poſſunt. Atq; ea quidem plura quàm tota uita ſummo in ocio alij fecerunt, recepta poſtea republica tantum authoritate atq; induſtria ualuit, ut M. Antonium conſulem, atq; ex Cæſaris amicitia potentem, dominatus molitorẽ, ſententijs ſuis ex urbe eijcere, hoſtem & proſcriptum facere, armare contra ipſum duos conſulares exercitus, & cum his ueteranas Cæſaris legiones potuerit. Hic eſt curſus uitæ illius ſapientiſsimi, & diuini uiri. Quum ſenex ipſe ſuis omnibus amicis, quibus cum familiariter ſuauiq; in conſuetudine ſemper uixerat, uiris ſanctiſsimis atq; optimis orbatus, Pompeio Magno, M. Catone, Seruio Sulpitio, M. Marcello, Q. Hortenſio, P. Seruilio, L. Catulo, P. Lentulo, L. Affranio, M. Bibulo, L. Domitio, Appio Claudio, P. Scipione, priuaretur potius morte, quàm uiueret, nefarijs Antonij gladijs, quibus multi ſunt alij abſumpti optimi ciues, apud Formianũ ſuum extinctus eſt, poſtrema illa emiſſa uoce, Moriar in patria ſæpe ſeruata. Fuit hoc, ut ipſe idem Cicero de L. Craſſi interitu ſcribit, luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus, ſed ij tamen Rempublicam caſus ſequuti ſunt, ut non illi uita erepta, ſed donata mors eſſe uideatur, non uidit uictos interemptosq; ſuos Brutos, non C. Caſsium, non Sex. Pompeium, non rempublicam illam ſeruientem, cuius adeò fuit libertatis quietiſq; amator, ut exulare maluerit, quàm in ipſa ferro decertare. Quumq; poſt Cæſaris mortem, imperium, dictaturam, monarchiamq; eſſet ipſi facilè occupare, noluit maior eſſe, quàm ante Cæſarem fuerat. Nihilq; magis laborauit, quàm ut ſuo in antiquo libertatis ueſtigio patria perduraret: propter id enim acerbiſsimas cum furioſis hominibus acceperat inimicitias, cum Catilina primum, deinde cum Clodio, poſtremò cum Antonio, quas inimicitias magno animo & conſtantiſsimè perſecutus eſt. Priuatas enim ſimultates ipſe interdum ponendas putauit, publicas nunquam. Ita enim ſe geſsit cum Antonio, ut potuerit illi ſeruire reſpublica, non potuerit Cicero. Potuerit quidem ipſe in mortem cogi, in preces non potuerit. Hæc agentem molientemq; uirum illum natum ad reipublicæ ſalutem, ut ipſa morbis & peſtibus Antonij liberaretur, elapſa de manibus eius diu defenſa & adminiſtrata republica, climatericus annus tertius & ſexageſimus abſtulit.

Cuius memoriam poſteri excipientes anni ſemper ampliorem illuſtrioremq;
ſequentibus tradiderunt, & tradent, nec illam alia delebit dies,
quàm quæ finem quoq; toti humano ge-
neri dabit.

FINIS.

Io. Lo-

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI PRAELECTIO IN CONVIVIA FR. PHILELPHI.

NESCII non estis, optimi uiri, quàm sit unumquenq; sibi ipsi satisfacere facilè, omnibus uerò difficillimũ. Primùm cùm sese natura diligit quisq; : unde apud se quæq; agat aut dicat, habet probata : sunt enim amanti perbella quæcunq; ab amante fiant. Deinde quòd hominum & mores diuersi sint, & ingenia nunquam ferè idem sentientia : ob quam rem, nec eadem cunctis simul probantur. hi nanq; pulcherrimum bello præstare putãt, quod alijs quàm sceleratissimum uidetur, & hominum perditorum : qui literis antecellere diuinum quiddam esse iudicant. Alij præter uoluptatẽ, summi boni nihil habẽt: ut Epicurei, quam Socrates, Stoici omnes, ac Plato, eximiam corporũ omnium & mentiũ asserunt pestem esse. philosophorũ opinationes tam uariæ ac inter sese pugnantes sunt exortę, quòd alijs demonstratio non persuadeat, & è diuerso. Est enim (inquit in Phædro Socrates) contentiosis incredibilis demonstratio. Ad quid tam multa de humano sensu? Nempe ut intelligatis priore interpretatione, cùm non arbitrarer mercedẽ quam pollicebantur auditores, meo labori, ac arti illi quã profitebar, respondere : duxisse me satius lectionis filum rumpere, quàm exiguitate mercedis perterritum, nihil quod illis placeret, nihil quod illis foret oblectamento in medium afferre: quapropter multis forsitan non satisfeci : mihi ipse satisfeci, cordatis quidem uiris, ut spero. quis enim non uidet præstare nequaquam interpretari, quàm quæ dicat professor, nulla spe fretus, ea proferat longè frigidissima? neminem studeat mouere, ne seipsum quidem, quod in primis necesse est: ubi uobis, uiri optimi, alterius lectionis & huius causas exposui, antequam de materia conuiuiorum Philelphi disserere incipio : patefaciam uobis quem uoluerit cum primis ipse æmulari, & quónam modo. quod ut facilius multo peragam, utar tantisper uestra benivolentia: quæ efficiet, ut mihi animos detis attentiores. Aulus Gellius per seipsum probatissimus, cùm uellet tum suæ memoriæ consulere, tum oblectari, tum uel filijs (ut ipse ait) & alijs quantum posset prodesse, omnium scientiarum primitias quasdam & quasi libamenta cõtulit in opus unum : nonnunquam ex intimis disciplinis enodauit quæstiones, cuius stylum & penè uerba nostris temporibus Petrus Crinitus uir planè doctus, est secutus: cui libro titulũ fecit de Honesta disciplina. Angelus itidem Politianus: nam & ob hoc Miscellaneum codicem appellauit. Gellium non multo pòst, Aurelius Macrobius æmulatus, optimæ cuiusq; disciplinæ quæstiones exposuit, quas cùm percapere confutauero, quodam modo ut Gellius distinguere noluisset, Saturnalium cõuiuiorum libris septem distinxit, ubi ea festa inter amicos quosdam finxit esse celebrata : tractatam quoq; materiã inter epulas eum authorem (arbitror) Philelphum in primis imitatum, ut uariam suam eruditionem indicaret posteritati. Platonis uerò symposium, id est, cõuiuiũ, quod uti Marsilius Ficinus narrat, Laurẽtius Medices Leonis x. pont. opt. max. sub quo uiuimus, pacem instaurauit : ideo præteriui. quin totum uniforme est, & sibi semper simile, totum in eadem re, utpote amore uersatur. Eiusdem quoq; Platonis Timæus, etsi præludium habeat conuiuiorum, nihil tamen appositum mensæ narratur: non finguntur discumbentes : indùcitur Timæus Platonis magister roganti Socrati de superioris & inferioris mundi natura, deq; rerum omnium principio differens: ostendit multis uerbis Timæus rerum originem, quam Moses in libro Geneseos breui sermone depinxit: transtulit in eum librum Plato plurimum antiquorum philosophiæ : transtulit multo plus Hebraicæ theologiæ, ac Ægyptiæ. O felix Plato, qui utriusq; philosophiæ tantam lectionẽ habuisti. Redeo nunc ad Franciscũ Philelphum, quem (ut dixi)

Macrobium in Saturnalibus æmulatum, exponã, quam in hoc libro materiam tractet, Apes animalia uatibus multum cantata, in diuersos hortos uolantes, ex uario florũ genere imitabilem hominibus (ut inquit Fabius Quintilianus) laborem conficiunt dulciſsimum: planè ut norunt omnes eas, nobis imitandas (quo & nos dulciſsimum opus efficiamus) boni authores complures proponunt: uolant (nec dubiũ) per plurimos hortos, qui plurimis ornati ſcientijs multos uariarum arborũ flores deguſtarunt: unde quæ faciunt opera, tanto ſunt apum melle dulciora, quanto ſpiritalis dulcedo corporea præſtat. Cùm uoluiſſet igitur (quem aggredimur) Philelphus mellifica uideri apis, delectatus lectionũ diſtinctione, librum hunc omni eloquentia ædidit: in eo ſunt ex intima naturali philoſophia ac morali expeditę quæſtiones, aſtrologiæ multa cognitio. Quãta in eo (dij boni) antiquitatis notitia, quanta & inuentorũ & diſciplinarum cõſeruatos hiſtorias? unde opus hoc de quarundam ortu & incremento diſciplinarum nõ ineptè plures inſcribi putârunt. Hæc habui me de conuiuijs noſtris dicere: facturus finem, ni occurreret mihi dicendum quæ heri cum familiari quodã meo agebam, cùm ſchedulas quæ lectionem noſtram indicabant, legiſſet: cœpit impendiò ridere: ego uerò quòd ſic cachinaretur, ſtomachari, quæſiuiq; quid habuiſſet: ipſe tum compreſſo paululum riſu: Ii omnes (inquit) qui has legunt ſchedulas, arbitrabuntur te aliquid uel in philoſophia naturali, uel in aſtrologia profiteri, cùm ſolam grammaticã in eo libro interpreteris. Ad hæc uerba ego cœpi illum directius intueri, ad uultumq; illius geſtire: Et putas (inquam) uir bone, naturalem totã philoſophiam in Suiſethicis quiſquilijs, in perditiſsimis quibuſdam cauillationibus de intenſione ac remiſsione qualitatũ, de motu uniformi, de motu uniformiter difformi & difformiter difformi, & benè profectò res, ut tu difformiter difformis, conſiſtere, non eo inficias rem eſſe à ſummis ingenijs proditam: ſed indignam ſanè in qua plurimum temporis conſumatur, cùm ille aliam meliorem philoſophiam eſſe aſſereret: ſubdidi meipſum eo deceptum opinari, quòd quæ in hoc opere complectuntur, eloquẽtia filóue oratorio ſunt ſcripta. ſed in hoc ualde aberrare. Quis enim Platonem ſumma eloquentia ſuam ſcripſiſſe philoſophiam neſcit? cuius ſermonẽ Iupiter ipſe uellet, ſi loqueretur humanum. quis & Ariſtotelem præſtantiſsimũ oratorem fuiſſe ignorat: aureoq; orationis flumine (ut inquit Cicero) omnia opera compoſuiſſe? cui nõ dictus Theophraſtus, quaſi deorum eloquentia? cui nõ Xenophon, Atticę Muſę? quid de Latinis? ſubtiliſsimè in naturali philoſophia diſputat Cicero in Academicis quæſtionibus, immẽſam philoſophiã moralẽ in Legibus, in Officijs, in Finibus bonorũ, in Tuſculanis quæſtionibus tractat: diuinam philoſophiam, id eſt deorum religionẽ tres libri continent de Natura deorum dicti: accedunt duo de Diuinatione, & unus de Fato. De aſtrorum ſcientia Scipio minor diſſerit in ſexto de Republica: omnia tanta eloquentia, ut uerè Ciceroniana opera eſſe affirmes. Hoc uerò ultimũ tanta ui orationis, tanta maieſtate dicendi, ut æquari credas orationem cum aſtris ipſis de quibus loquitur. Quanta Boẽthius in omni diſciplina ſcripſit? in quibus nulla barbaries, nullus eſt horror orationis, cuncta ſermone polito ac dulci. Taceo barbatum Hieronymum, Ambroſium, & Aurelium Auguſtinum, qui diuinam philoſophiam ingenti eloquentia ornare uoluerunt. Sed uideo prælectionem noſtram longius iuſto protendi, quare quid philoſophus dicat, uideamus.

FINIS.

Io. Lo-

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI, IN QVARTVM RHETHORICORVM AD HERENNIVM Prælectio.

BELVAS, quas philoſophi uocarunt irrationabiles, concipere mente pleraque ut homines, nemo unquam ſani ſenſus dubitauit: ea uerò alijs nota facere, nullis uerbis queunt: ſignificare nonnullis ſignis in quibuſdam, ijſq; perpaucis, difficulter quidem ſatis uidemus. Hinc apud Græcos ſunt ἄφωνα, id eſt nõ uocalia dicta, quòd ſolis hominibus, utpote utentibus ratione, datum ſit loqui: cætera animantia ſunt expertia uoce. Magna profectò hominis præſtantia & perfectio, quòd quicquid uelit hominibus alijs expeditiſsimè poteſt uocibus patefacere. Hoc certe uocamus loqui. Hinc & Theologi ſpiritus illos Angelos appellatos, ſibi inuicem loqui concedunt: cùm unus alteri quid ſibi ſit in animo manifeſtat. Affectus igitur noſtros, & nos alijs cognitos reddere ſermone nitimur, & mouere illorum ſimiles deſideramus: incompta ac horrida ſanè uerborum congeries, non modò quod propoſuit nunquam efficiet, ſed in contrarium, audientes torquebit. Vir tamen hic noſter quem uolumus, qui apte ornateq; de ſingulis rebus diſſeret, tanquam in hortos, per manus ducens, hominũ mentes in omnes affectus inducet: animorum quorumlibet ac uoluntatum imperium habebit, & ſine repugnantia quaquam uerbis illius ac orationi parentes. Quòd Marcus Cicero Romæ ſenatum quouis uertebat dicendo, rex eſt à compluribus uocitatus, quaſi illius oratio omnia regeret imperioſè: penes Demoſthenem, ob eloquentiam, Athenienſium ac Philippi ſæpius bellum atq; pax fuit. Non optat magnus ille Græcorum ductator Agamemnon decem Achilles aut decem Aiaces, ſed Neſtores annoſiſsimos decem, qui tertiam hominum ætatem uiuebant. Ex cuius ore apud Homerum dulcior melle fluebat oratio, tanquã ueri homines maximo precio eloquentes, uiri ſemper ſunt habiti: apud Romanos in ſummos uiros quamplurimos euectos, eloquentia ſola fuiſſe traditum eſt memoriæ. Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem (inquit Hieronymus) ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumq; finibus quoſdã ueniſſe nobiles legimus. Apud Hebræos magnus eſt Eſaiæ codex, quippe qui miram in ſe continet eloquentiam. Grande tuum eloquentiæ ſacramentum, quæ plurimũ ſemper ualuiſti, & uales. Quis enim tam rudis ac incultus, qui compoſiti ſermonis dulcedine non capiatur? qui uiros eloquentes non uereatur? qui non ultrò pareat orationi? cuius uis eadem præcipua eſt in hominum affectibus ſedatis concitandis, concitatis ſedandis, aut comprimendis. Complures, immò ferè omnes noſtræ tempeſtatis literatores, qui uolunt oratores uideri, uerborũ floſculos & tinnitum orationis duntaxat affectant, quos ego rhetoriſtas, & oratorum ſimiles, ſolitus ſum appellare, quando eſt ſermo in oratore, quem capiunt omnes, purus atq; uulgaris, ciuis Romanus, nõ ciuitate donatus. Apud Quintilianum de hac ipſa re diſputantem, anus illa Theophraſtum hoſpitem appellauit, quòd nimis Atticè loqueretur: ea uerò re noſter orator quàm maximè excellit, qua dignoſcit quo artificio in graui negocio, quo in medio, quo itidem in demiſſo ac infimo ſit dicendum, quibus etiam uerbis, & qua ratione animus erit in ſpecie excitandus aut deijciendus, ob errorẽ ad iram uel inuidiam concitandus, & id genus cætera. Quamobrem huiuſce rei faciundę, ut per tot librorum maria diſcurrentes, nunquamq; inuenientes ubi ſit quieſcendum, iam tandem in portũ nos accipiamus: quoad eius fieri poterit, artem nos tradere aggrediemur: opus arduũ certè, & intentatũ prorſus, cuius maximã uiam immixtæ declamationes nobis aperiẽt. Nõ deerit uoluntati noſtræ aſsiduus labor (ut ſpero) & multa (quod imprimis requiritũ)

bonorũ authorũ lectio. perficiet inuentũ noſtrũ optimi cuiuſcunq; incœpti perfector. Quẽ nũc iam in exordio noſtro cuiuſq; ſanctiſsimã uirginẽ atq; parentẽ oro & obſecro, ne noſtrum hoc opus quod nunc incipimus, negocium in cuiuſq; hominis perniciem poſtea conuerti ſinant: ſiquidem eloquentia profecerimus ad exornandam ueritatem, ad perſuadenda bona, diſſuadenda ſceleſta, ipſi faciant, dedicetur. Vos quoq; optimi uiri plurimum deprecor, ſi eloquentiæ quippiam fueritis conſequuti, ne iſto Optimi Maximi Dei dono abutamini. honeſta monete, ac ædibus uictuq; ferino homines deterrete: quo nunc ſuprà quàm dici poteſt indigemus: ſemper moderatrix omnium præſtò ſit ſapientia rex: qua ab eloquentia ſeparata (ut ait Cicero) nunquam eloquẽtia profuit. Ne uerò orationis pigmentis exornationibús ue (quas neſcio qui decrepiti nominis ſignificatione Rhetorum colores uocauêre) careamus, quæ multum augere dicta uidentur. Quartũ Rhetoricorum ad Herennium celeri lectione interpretabimur: quẽ ubi primùm finierimus, eam quam in principio profeſsi ſumus, præſtantiſsimam omnium iudicio affectuum artem trademus.

FINIS.

Io. Lodouici Viuis Valentini in ſuum ſapientem prælectio, quam procœmium fore opuſculi iubet.

CVNCTI qui de corruptis hominum moribus ſcribunt, quiq; illos quoquo modo notant, eo fine illorum habent rationem, ut ab ijs qui ſunt, emendentur, uitentur à iunioribus. Sanctus eſt hic zelus uirtutis, & ſeueris hominibus conceſſus in primis: hinc lingua philoſophis olim libera, & ipſi habiti grauiores atque ſeueri, quaſi uerum ſequentes. Quare mihi de humana uita multo plus benè meriti Satyrici uidentur, quàm Panegyrici: ut illi apud Catonem Ciceronianum inimici, quàm ij amici qui dulces uideantur. Illi enim ſæpe uera dicunt, hi nunquam. Ad hoc, qui hominum uitia quouis modo ſubticent, nihil ad ſe de humano genere putant: ipſi forſitan rectius cùm perſpiciant nihilum ualere ueritatem, uoluptatem poſſe plurimũ, animum eſſe nullum. Si quis ſapientiam quærat uel mentem, inueniat potius ſenſus torporem, & partus intellectus abortiuos atq; monſtroſos. Nihilo ſecius tamen inſurgendum erat ualidius in has labes, ne ſerperent fortiores: cumq; à beluino uictu deterriti mortales eſſent ingenio ſtudentes, relicto ſenſu aditus pateret ad eam (qua nihil eſt in Deo pulchrius) ſapientia, quæ uel ſoli comparata inuenitur prior. Sapiẽtia prima eſt (inquit Horatius) ſtultitia caruiſſe. Quid putamus fuerit in cauſa ut Athenis tot ſapientes, ut fuerint tot Romæ, ut tot in Chriſtiana religione, ut hac tempeſtate tam pauci uel nullus? nempe quòd licebat in liberis ciuitatibus liberas eſſe linguas, quæ praua quaſi diſcerperent ac dilaniarent. Licebat in exordio creſcentis Eccleſiæ ſeduló peccantes increpare, & quos timor Dei non reddebat meliores, uerecundia mundi (quantulumcunq; id eſſet) retrahebat. Atqui habet noſtra ætas palpones & gnatones egregios, qui blandis adulationibus facinora fouent: quis hæc non increpat? ſed quis non facit? idq; adeò ut ſint primi qui deberent Lucilij genuinum experiri. Accedit huc, quòd qui magiſtri ueritatis & ſapientiæ erant, alijs tanquam exemplar quoddam ac lucerna propoſiti mendacia, nugas, mera deliramenta ſequuti, immenſas tenebras induxerunt: quo factum eſt, ut umbras fore uera corpora crediderint, & ſi quis ſe ſolidum uidiſſe corpus aſſeruerit, habitus fuerit deriſui. Quamobrem nunc eos ludentes attingamus, experiamurq; in utram id referent partem. Nam ſi & boni conſuluerunt, & uitam dementijs reddiderint terſiorem, monitore me non indigebunt, nec talem me ipſe haud requiſitus obferam: ſin parum hiſce pauculis nos ſenſerimus profeciſſe aperiemus omnem

nem eorum uitam: faciemus omnibus omnium uanitates longiore sermone perquàm notas: quando etiamnum ab hoc munere minimè constitui desistere quoad uel uicero, uel oppetiero. Vale.

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI, VIRI PHILOSOPHI, VRBANVS PARITER AC GRAVIS DIALOGVS, QVI SAPIENS INSCRIbitur: in quo sapientem per omnes disciplinas disquirens, professorum earum mores notat, deniq; ueram sapientiam breui sermone depingit.

NICOLAVS BERALDVS, GASPAR Lax, Viues.



VDIVI sæpius Lodouicum Viuem Hispanum, de uiro sapiente (ut est rei philosophicæ & summus quidem admirator) grauiter multa differentem: adijcereq; malle se uel medio quodammodo fieri sapientem, quàm mortalium omnium longè ditissimum. Felix homo, mea sententia, si persistit in eo appetitu, & dignus qui tum σοφὸς cùm πλούσιος fiat. Sed eccum huc ad nos uenientem: illum ego iam interrogabo, inuenerit' ne sapientem. Lodouice mi, salue. VIVES. Et tu Beralde, sis saluus. BERAL. Accepi, te sapientem inuenisse, eundem consummatissimum. VIV. Quàm uel tu mecũ uis tantisper iocari, uel tibi si quis dixit, mihi illudere, non secus ac si gelidos ignes, aut beluas uersas in homines asseruisset. Rari sunt, mi Beralde: rari, uel nulli, quod magis credo. BERAL. Atqui facile fuit in tanto bonarum literarum gymnasio complures inuenire, si quæsijsses: nam & sunt cyclicis disciplinis absoluti, in quibus sophiæ thesaurus est abstrusus. VI. Si tu eum mihi digito indicares, qui Cyclopædiam absoluisset, non diffiterer inuenturum me uirum, qualem semper optaui. BERAL. Vis, quando sumus feriati, per hæc ipsa gymnasia disquirentes tuum hominem uestigemus: & tertius nobis Gaspar Lax aderit: quẽ ausim (nisi uereor ne me amore moueri dicas) ad hanc sapientiam accedere plurimũ affirmare: quis enim eo (ut cætera taceam) æquius fert casus humanos, quẽ uideo eodem uultu in prosperis & aduersis rebus perstare? Verùm aduentantem salutemus. BERAL. VI. Salue noster Gaspar. GASP. Et uos auete: quid tractatis, & quò tenditis? BERAL. Scis quantoperè hic Viues desideret sapientẽ, quem se habiturum arbitratur, si uir extet qui disciplinarũ circulum quàm optimè calleat, eum nos inuestigaturi uadimus: remq; nobis gratissimam (spero) feceris, si te nostri ducẽ exhibueris, utpote uir quouis honore dignus. LAX. Vos minimè ducã, sed comitabor: quare uerbis relictis, eamus placet: primũ hunc Grammaticũ interrogemus: nam non abs re docti uiri plericq; nomine hoc cõtenti uixêre. VI. Ne à nobis quicquã hinc queras, quin potius quẽlibet examinato. LAX. Saluus sis, uir bone, grauis, & omniscie, & dignus qui à cæteris omnibus colare. GRAM. χαῖρε ὦ ἄνθρωπε. VI. Quid, mi Beralde, dixit? nam & magnis titulis & inuidiosis est eũ noster Gaspar aggressus: nouit enim hominũ ingenium facilè captantiũ præfationes sublimes. BE. Atqui ille, Aue homo, respõdit. VI. Vide, qua Stoica seueritate! GASP. De rebus tuis literarijs, inquã, paululũ corã nobis precamur agas, nobilis magister: si uacat, & si uis. GR. Vacat

certè: cæterùm petitis rem arduam, quam etiam non recusabo pro me amitti, naturæ facilis: non enim sum ut uos philosophi inexorabiles. Dic puer, in quo anni mense Vergilius mortuus est? PVER. In Septembri, mi magister. GRAM. Vbi terrarũ? PVER. Brundusij. GRAM. Quoto Septembris die? PVER. Nono calendis. GRAM. Tu me (nugator) coram his bonis uiris dedecorum reddis? ferulam tu mihi affer, tunicam sustine, extende palmam pessime: tu Nono calendis, pro decimo, & coram me dicis? Responde tu mihi sequens. Audite (obsecro) uiri, scitulum adolescentulum. Salustius in principio Catilinæ cõiurationis, Omneis homines, an Omnes homines, scripto reliquit? PVER. Sunt in hac sententia cuncti, ut Omneis dixerit: ego uerò Omnes fortè scripsisse censeo, ac Omneis cõtra morem chalcographorum, per ei, non i solum, exarandum esse. GRAM. Quis uocabatur Remi frater, & quàm erat barbatus? PVER. Alij dicunt, mi magister, eum uocatum Romulum, alij Romũ, inde Roma: sed blandimenti gratia, Romulum diminutiuè postea appellatum: in bello uerò, barbam nullam habebat: in toga, prolixam habebat: sic enim pingitur in Titis Liuijs Venetijs impressis. GRAM. Quomodo surrexit Alexander cùm primùm in terrã Asiam cecidit? PVER. Manibus innixus, & elato capite. GASP. Quid hoc literatore stultius? hîc Viues, sapientiã ne expecta: dispereas nebulo, qui sic tenellos dedoceas. Verùm hunc Poëtã uideamus: fuit nanq; ut tradũt Horatius & Strabo, poësis prima olim sapiẽtia. POETA. Venus & Mars ex Diomede bello Troiano grauiter saucij fuêre, adiuuante Pallade, qui postea in adulterio à claudo Vulcano comprehensi colligati fuêre. Venus cum Proserpina ad Iouis iudiciũ uenêre, utri Adonis concederetur: quibus data iudex Calliope, dimidiatum annum censuit frui illo Venerem, dimidiatum Proserpinam. Lycaon cùm Iouis potentiã uult experiri, in lupum cõuertitur: Arcade postea inter stellas translato & uocato Arctophylace. Hæc est Poëtarum sacra theologia: ob quam rectè nos Ennius sanctos apud Ciceronem appellauit. GASP. Quid hoc poëta uanius? & uidetis quàm sedulò palpebras agitet? animi mobilitate (credo) laborat: uocemus eum poëtum, non poëtam: atq; utinam hæc fabularum studia minuerentur, ne tam ualida pestis tantum (ut uidetis) serperet, ubi nihil inuenies ueri: omnia prophana, humana diuinis cõmixta. Quoniam ad id, ob quod poësis hominibus data est, eam conuertimus, ad Deũ scilicet, deiq; opera efferenda, ad illa quo plus homines alliciãtur quàm dulcissimè canẽda: quomodo hominẽ quẽ quæris, inuenies? Valeat igitur hic dæmonis consanguineus, qui loqui nescit, ni metiatur: nostros iam dialecticos audiamus. nam quòd uera discernant à falsis, in eis hominẽ σοφὸν suspicor inuenies. DIALEC. Sint asini duo, homines duo, & angeli tres: ex unius asini medietate, cum alterius asini mediate, tertius asinus fiat. duo angeli cum homine uno, binariũ unum illorum asinorum possideant: utpote primum cum tertio copulatim, & copulatiuè alteri angeli duo cum altero homine, secundum binarium asinorum: tunc tibi copulatiuam probabo possibilem, & impossibilem de forma, & de forma acceptionis terminorum. GASP. Hui, qui nisi mathematicus uel Chaldæus ea sciuisset, ut sunt coaceruata? quare ego mihi logica uideor scripsisse, hi tractant diuinationem. O stolida capita, & eo magis quòd cùm eam rem tanquam futilem prorsus omnes uerbis aspernentur, omnes eam complectuntur. Vidi eo tempore meo differentes ferè cunctos de uera dialectica, enunciationibus perquàm breuibus utentes, & quibus facilè respondentem (ni esset impensè doctus) capiebant: nunc bonam logicam obliteratam haud quaquam intelligibiles enunciationes in exercitamentis uolitare artem diuinandi quæri: idcirco illius æui laureatos in artes magistros appello: huius uerò magistros inertes. At conferamus nos (si lubet) ad physicos. Saluete rerum naturæ indagatores: scisciatos uelim uos (si minus displicet) quónam modo & adipiscatur & augeatur sapientia. PHYS. Est qui sapientiam acquiri dicat per additamenta graduum ad gradus, præcedentibus subsistentibus semper: est qui dicat in quouis puncto acquisitionis nouã generari, destrui priores omnes: est qui dicat per minorẽ, cum contrario admixtionem: est qui per maiorem radicationem in subiecto. VI. Gaudeo summoperè, & credo inuenimus tum omniscium hominem, tum sapientem: uerùm hæc doctissime philosophe, exemplis (obsecro) expone. PHI. Cùm de calore uel albedine declarauero, breui de sapientia intelliges: accipiamus igitur

igitur pedalem materiã, quam uolo diuisam in partes proportionales, proportione multiplici sesquitertia. prima pars proportionalis, fit aliquantum calida uel alba: secunda in octuplo, uel albior uel calidior: tertia in millecuplo: quarta in sesquialtero: & aliæ omnes in proportione, ad primã super quadripartiẽti. Hîc iam cõsiderare operępreciũ est, quàm calida sit ea tota materia. VI. Monstra hæc sunt, nõ disciplinæ, nec sapientia: eò dementiæ iam sapientiæ philosophia mater uenit? sperabam me ab hoc philosophastro aliquid sophię reportaturũ: sed nihil (ut uideo) nisi calorem ingentem, si permansero, & æstum: ad hæc, si uertit manum, gelu rigidissimum, quis sapientiam & bonas scientias à tanto calore, à tanto albore, à tantis partibus proportionabilibus petet? sed qui fratrem habeo subnigrum, de albore saltem ne discedam, hinc uacuus sciscitabor. Heus tu Philosophe, quonam modo albedo inducitur? PHI. Ab agente, per additionem gradus ad gradũ. VI. A quo porrò agente? PHI. Ab agente naturali, quid scio? ab a, uel b, uoca ut uoleris. VI. Aaa, abecedarium me docet: ac si ego nescirem, pro albedine dat mihi literas: abeat in malam rem, & his gerris suos congerrones participes faciat, nõ me. Ah uerùm id esse nunc experior, quod amicis dictitare solebam, Parrhisienseis philosophos omnem philosophiam inter dentes, labra, & linguam habere, in mente uerò nullam. GASP. Est iam illic Rhetoristes quidam, qui quartum Rhetoricorum ad Herennium, & affectuum artem tradit, eum nos oratorẽ conueniamus. VI. Nõ est qualem Cicero & Quintilianus oratorem uolunt, qui si esset, mirabili quadam ornaretur sapientia: ipsam uerò eius prouinciam, ego quandoq; (ut scitis) assumpseram, profitebarq; me daturum illis breui artem omnium affectuum mouendorũ, quam opinabar me perbellè habere: sed Deus bone, quàm eram falsus? aiebam, me illos docturum, uti sibi gratiam & beneuolentiam compararent, quam ab illis nequiui unquam adipisci. Meorum enim laborum cùm mercedem postularem, ac si telo illos cęcidissem, omnes fugerunt: sed quid obstat, ne hunc audiamus? RHE. Docebam in quodam gymnasio adolescentes pleroscp auditorio publico hanc artem: erat & mecum idiota quidam nugator, & prorsus inscius, persuasit illis mox se esse exactissimum Rhetorem: ego uerò me aliquantulum doctum esse nunquam potui persuadere, itaq; nihil illic lucrifeci: uos uerò ubi uidetis doctrinam meam, bonis stipendijs me donate. GASP. Ha ha, adolescentibus quos uocat dementes, amentior se esse doctum non potuit persuadere, in quo minimè quæq; apparentiæ sufficiunt: & persuadebit, uti sibi pecunias hi pauperculi dent: à diuitibus & opulentis hominibus quanto labore uix unus accipit, qui certè abundant, & nonnunquam manticularium agere oportet? & ab istis egenis extorquebit? Nam diuites & numatos adolescentes (uidete quàm benè monet) non potuit in sua lectione detinere: sciat prius igitur affectus ciere, postea doceat: propterea in isto qui se non noscit, desiderandam esse sapientiam, minus censeo. Verùm illic astrorum est peritus quidam, quem alloquamur. Salue prognosticator ueracissime. ASTRO. Veracior certè illis quas fingunt hi poëtæ, Sibyllis & responsis deorũ: & uobis sit Capricornus cum Ioue in ascendente, princeps uiarum: quid uultis? GASP. In cœlis tuis, uir scientissime, inuenistin' sapientiã? habemus hic quendã Viuẽ, qui (mirabile dictu est) cùm tam parũ de illa gustarit, quàm eius dulcore teneatur, atq; ita ut exsatiari nulla possit. ASTRO. Mercuriũ plures antiqui sapientẽ tradiderunt: Solẽ itidem, quẽ ideo animũ mentemq; mundi appellarũt: sed illa lego, nõ speculabor. At dabo uobis signũ in quo facillimè nanciscí sapientiã queatis. VI. O beatũ qui id scias. nõ iniuria uos fœlices Vergilius & Ouidius appellarunt. ASTRO. Cùm Luna & caput draconis Ioui coniungitur, quidlibet petas licet à Deo, consequere, petas diuitias, petas sapientiam, petas celebres nuptias. GASP. Si dedecorũ mihi non esset, quantę nunc domi tuæ cederẽ multis? hæc populo mendacia audes uenditare, ut uel teruncium habeas? cur illa hora non precare fieri locupletior ne toties mentiri te cogat egestas? VI. Mathematicos uisamus (si tibi est cordi, Gaspar, mi magister) eos certe qui Geometriam, qui Arithmeticẽ, qui Musicen, qui Astronomiam, qui perspectiuam callent. GASP. Mathematici (mi fili) pro nemine Parrhisijs uerificantur. VI. In tanto studio tam bonę scientiæ non sunt cognitę, in quibus cum primis uersari deberent? GASP. Deberẽt quidem, sed nec omnia faciunt quæ debent: tenentur illas uniuersitatis prece-

pto audire,ſed nouus abuſus antiquum uſum expulit:qui niſi antiquetur,nõ uideo cur iure docti uiri Parrhiſienſes nominari poſsint:ſatis tamen legi facere putant,ubi de punctis,lineis,ſuperficiebus cauillatorie diſputãt:ſintne hęc diuiſibilia an indiuiſibilia.Sed de iuriſconſultis quid?BERAL.Sunt olim ſanè ſapientes & uocati & habiti, nunc uerò uerſutiſsimi & fraudulentiſsimi, quorum calliditate nulla lex non eſt corrupta. Quotæ cuiuſcę legis(Deus bone)integer extat ſenſus?VI.Atqui medicos accepi priſcis temporibus iudicatos ſapientes.GASP.Nunc uerò illos nihilo à carnifice differre aiũt, quibus impune occidere,& ſtipem cùm necauerit recipere,& licere & oportere:ſed ne ſpera cùm illis poſſe diſſerere,qui tot negocijs impliciti, uix ſibi unquã ſufficiunt. Reliquũ eſt ut grauẽ quendam theologum in cliuo illo Eremitæ, id eſt ſolitarij uitam ducentem adeamus.Cuſtos ſit tui omnipotẽs, grauis pater, & cùm in tentationẽ fueris adductus, ſit ipſe tecum,ne decidas.THEO.Et pedes ueſtros, filij mei,deducat angelus bonus domini per uias quæ placent altiſsimo: dominus mihi uobiſcum uidetur uenire tribus in nomine illius,ſicut ſpero,congregatis.GASP.Quid de ſapientia ſentias,obteſtamur bone pater nobis aperias,ut gratia paracleti replearis.THEO.Nónne recte ego uos dixi in nomine Domini congregatos?qui ſapientiam,id eſt,Dei filium quæritis:de qua,ſiquidem nox appetit,hæc breuiter ſentio.Eſt ea, ſi quis quoquam modo illam attingere poteſt,omni theſauro,omnibus alijs bonis præſtantior,quam non emit crumena nummis referta,nec uendit mollis & blanda illa eloquentia,ſed timor Domini,& mens ſibi recti conſcia:initium ſapientiæ (inquiunt ſapientiſsimi pater & filius)eſt timor Domini.Cæterùm magnum dat illi incrementum Dei & hominum uera charitas:quę illam fouet in perfectionẽ,quam certe tum adipiſcimur,cùm ueram ſapientiam Dei filium intuemur & cognoſcimus,ut cogniti ſumus:non eſt itaq; in cura & cremento rei familiaris, ut plerique credunt,ſita,ſed in animorum prima compoſitione. Ideoq; & Apollo cùm interrogaretur quis eſſet ſapiens, non diues reſpondit, ſed Socrates cui erat exigua ſupellex. Animus uerò ingens & ornatiſsimus,quin potius cùm in lucri & cæterarum rerum cupiditates incidimus, curis cordis edacibus & furijs agitati dementes reddimur ac furioſi.Anima enim quieſcens (ait Ariſtoteles) id eſt affectuum turbinibus uacans,non corpus ſedens ſapientior fit atq; prudentior,uſqueadeò ut nullam circa res mundi credam eſſe ſapientiã: ſed eam mundi ſapientiam quæ corrumpitur,quã perdet Deus cum eius ſapientibus,quæq; ad Deum ſtulticia eſt. animos uerò in quibus & circa quos uerſatur ſapientia, res quaſdam ultra mundanas cum illo Socrate appello.VI. Affectus autem mi pater quàm habes moderatos?THEO. Deum in primis hic ſecedens agentium frequentia etiam inglorius timeo,quem qui timet,quomodo mala potes imaginari facies? nulli iraſcor,nulli inuideo,opes non quæro,cui olus & aqua ſufficit,& cùm parciſsimo utar cibo,in luxuriam non exardeſco, non inaniter lætor, quem Dei timor complexus eſt:gaudeo uerò in Dei timore, neminem odio proſequor, qui Deum & homines omnes diligo, in quo augetur mihi ſapientia. Hanc idcirco uitam agens, intinxiſſe in ſapientia intellectũ mihi uideor,habereq; quaſi embamma quoddã: nam furor eſt perfectam optare quam nulli mortaliũ datam contigiſſe credo. Hæc habui quæ de ſapientia breuibus nunc dicerem, diſſerturus plura ſi me ſæpius uiſeritis. Vos autem interim moneo ut dimiſsis mundi reculis momẽtaneis, & uoce quadam inſtabiliſsimę plebeculæ, hanc ſequi toto animo conemini: quod ſi facere ſtuduerítis,hominibus Deoq; optimo maximo eritis perquàm chari.

Valete.

Io.Lo-

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI AEDES LEGVM. AD MARTIVM PONTIVM IVRIS consultum.

QVVM in humanam ſocietatem ueniſſem à Deo noſtro imperatore: (ſumus etenim homines hominum cauſa creati, neq; nobis nati ſolis, ut aiebat Plato) pedetẽtim in locum munitiſsimum pariter & amœniſsimũ quendam me contuli, quo nihil in terris affirmabant illi principi Deo gratius atq; iucundius. Ciuitatem eam appellabant, ubi cõſilia, cœtusq; hominũ iure ſociati, ubi iuſtitia & pax, ubi humanitas, fides, hoſpitalitas, & alię quę in hominibus hominum cauſa ſunt uirtutes. In medio quodam eiuſce ciuitatis loco natura uallatiſsimo atq; ſeptiſsimo, unde tutari ciuitas tota facilè poterat, arx quædam aſpectu quàm iucundiſsima eminebat, ad quam me primum propipio, ut ædificium ingens, factumq; faberrime cõtemplarer. Deinde ingreſſus ſpectaculis armisq; uiſum paſcerem, & ſi quid forſan noui eſſet, eius formam in noſtram Valentiam mox transferendam curarem. Vt ergo propius acceſsi, turrim conſpicor à fundamentis ad faſtigium amuſsi perpendiculoq; rectiſsimo exædificatam, totam ſibi cõcolorem, & conſonantem, quæ modo mihi ex molliſsimo topho, modò ex duriſsimo uidebatur conſtare marmore. Illic enim marmorum genera penè omnia, diuino potius, quàm humano conſtructa ingenio aſpexi, Parium, Cararienſe, Luculleum & uiride, quod Laconicum uocãt, Porphyriten, quod diſpunctum, leucoſticton, orphiten, uerſicolorium baſaltem, onychiton, alabaſtriten. Et quum tot tamq; diuerſæ marmorum eſſent formæ, in unaquaq; tamen aliarum omnium cernebantur ſpecies, atq; ita multum ut unumquoduis marmorũ cunctorum in ſe facies, imagines q; habuiſſe credidiſſes, & cuicunq; alteri retuliſſes marmori concolorium illi eſſe dixiſſes. Cumq; eſſet domus tam culta, tam ſpecioſa, erat etiam, ut uidebatur recta, quod aiunt, nec blanda uſquequaq; & arridens, ſed aſpera nonnullis in locis, atq; cruenta, alias terrens, alias inuitans & rogans, nulla ex parte ſaltus, deſerta, montes, ſolitudines, undiq; ciuitatem, homines q; ipſos ſpectabat. Culmen ex quo tota rectiſsima ad ſolum deducebatur, Lex illa erat æterna diuina, quæ uniuerſum mundum regit, imperandi prohibendiq; ſapientia, quæ eſt mens omnia ratione, aut cogentis, aut uetantis Dei, illaq; non modo ſenior eſt, quàm ætas populorum & ciuitatum, ſed æqualis illius cœlum tuentis ac regentis Dei. Miratus ego hanc rei adeò feſtiuam lepidamq; nouitatem, cum ingredi, altiusq; omnia rimari uellem, atrienſem annoſiſsimũ quendam offendi, qui cum multis cõtendens hominibus, eos ab aditu prohibebat. Hic antiquus uenerandæ maieſtatis, ſed nonnulla in ſe habens, quæ rancida uidebantur, quæq; putidum quiddam olebant. Ad eum ego, Parens optime, quis hic habet? Ille porrecta fronte & depoſito ſupercilio, cõtuitus me intentius, uelut noſcitaret. Tu, inquit, filie ſi aues audibis. Nam ex noſtris mihi uideris congerronibus, nosq; amare, neq; uernaliter arfor. Hæc, inquam, dicis, quæ tua eſt humanitas, congerro uerò tuus ne ſim, parum ſcio, gerro certe, & magnus quidem ſum. Sed profectò quis hic inhabitet, ſcire maxime aueo. Tum ille, O quàm filie feritinnio copi cupedia, ut quemadmodum elatas iam tot hornos taxim redandruantes tango ſimitu cum gloſſa gentis curinalis ſapientiam reliquasq; arteis, & ſcientias pertertas. Ita & mi, antequã diuidua & tortis ſuperbus fuam, eſſet tangere ocquiniſcentẽ incurſim umbram mendaciſsimam, apludam canicas atq; adeò rudus & foriam nomorum, & ueras duonas ollas caſtas ſignatas, quæ omnes hoſtimento quodam naturali pactæ ſunt æreæ, cùm ſplendore ſis in caſcam dignitatũ redoſtire, quod frigutio ne nunquã ſuat, & reliquæ artes aliquãdo recententur, priuumq;

numen februatæ accepſant, meliores æneæ ſemper uerminẽtur, atq; in totum frientur, & fracceſſant, quibus olim demagis putum quid fuit? Atq; id quoniam Manliana iuſſa ætate in eas acerba infabrè agunt cerriti quippiam inuncatores mencipes, & cõuaſatores dignitatis ollarũ, qui aliud quàm ſubleſtas ſtlites, ſed euerriculũ totius orbis uſiq, quo decalauticant, fellantq; uniuerſa, non expectant. Velut foculator omnium cimmeriarum furnitatum Accorſios. Deinde durior ille & ſtupidior ſaxo & ferro, ex quo fuit, & huius mali corui malum & bardum ouum, & nuncius quidam ex Aretio, & Immolanos, quos mi cunctos unoſe immolatos & exdorſuatos, atq; inſublime gabalum dierectos maxumus tangere diuit Æſar antequã porrigines, gangrẹnas & illas conſcribellaſſent nomorum. Sunt & alij. Nam multeſima hæc eſt colluuio, aſſæ totius ſcallæ ac alienæ feritatis, & omnium fallarum, atq; iniuriarum com omni proluuio collutulantes, obuaruãtes, atq; exfundantes cunctum ius. Poſtremò uniuerſa ſpeciei porcentes & tetrantes, quorũ nomenclaturæ mi atq; orbi toti ſunt tam querqueræ obſcenæq;, ut externer, ollos nominari quum audio, quos autumo ad boſtum quietis humonum eſſe à uiro Dẹdalaq; maga in hoc medium uniuerſi elementum immiſſos. Et quod mehe magis deartuat & corporat. In iudicijs iniquantes homones triconũ principes, & optumi perperones, tam aurigãtur, ut uoluntas ſeu adſit, ſeu faceſſat, obliteratis ollis caſcis hoſtientiſsimis nomothetis, nomophylacibus, conſultoribus, paſsim muſti m uſiones iſti com ſuis ſomnorinis hauriendi ſint. Olli nunc Veſpillones pax opuliſcunt, flauiſſas habeſſunt, olli adipati luca ueſtimenta tunicantur, olli præter omnem bonum oiſum, rationemq; homanam dapalibus fruniſcuntur, boni & frugi macelli petilliq; cùm ſis gramia & eſurigine atq; aporia uegrandi glutas gigeritas, quid hæc bohillas atroces atq; utinã heluela & myctirim aliquam, cùm apiſci queũt, ſuffetes eſſe reentur ſehe, peniculamento diloricato amicti, & fiunt uix hectæ. Vtinam à tehe tisq; alijs ſimilibus ſociennis, qui ueteres ollas & ueras ſophias calendari atq; exterebrare commalaxatis, proſferarẽ, uti huc innubẹretis, & ædituaremini, neq; tudicularet prognariter impancrare has allodapas & atroces copias faſtidilitas, ut eas de optima theſmorum ærearumq; poſſeſsione luxaretis, euallaretis, abiugaretis, aueruncaſſeretis prorſus, dapaticum eſſet opus, & creprera res nõ eſt, ſed mana, quin Tutanus & Tutilina inibi adeſſent, tum & etiam neutiq; furum, quin uerum iuſtumq; nihil pigrarent, nihil protollerent, & uobis paulum licitante & anitante ſehe ipſẹ ſumma com fugia aſſererent. Hui, tum inquã, quid iſte mihi ſermonis tam diu à me auſcultatus loquitur? Quæſo pater putás ne te loqui cum matre Euandri, aut cum aliquo ex uatibus, Faunis uel Aboriginibus? Si uis te intelligã, recentiore utere ſermone, nanq; ego non ſum natus Ænea Lauinium condente, neq; fui Salius frater, aut ſodalis Titius, qui tam obſoletam intelligerẽ linguam. Quid? inquit ille. Sum ne arfatus te ſuper ſeptuoſe? Quid inquam, ſuper ſepta quæris? ne hoc quidem intelligo. Papẹ, congerro, inquit ille, non agnoſcis hæc caſtrenſia uerba? quibus nugari ſolemus, ut alij circum nos aperto ſtent ore admirabundi, uenerabundi etiam. Vis igitur ut tuatim loquar, quando meatim loquutum nõ intellexti, & ueſcum dixti ſermonem, ad quem uultuabaris? Quum tamen nullus perſcrutari domum hanc legum rite poſsit, qui plenè ueram terſamq; latinitatem & antiquariam hanc modice ſaltem non imbiberit: an non uides tot ante fores σωμφργους ὑρισὸς obuerſantes, nec introẽuntes, quippe qui à me inſtitui aſpernantur, qui ſum in id ſolum hic cõſtitutus, ut ad huius ædis ingreſſum uiros huc aduentãtes idoneos reddam. Nanq; ſunt tantæ, ut inquit Cicero, antiquitatũ effigies, & uerborum priſca uetuſtas, actiõnũ genera maiorum conſuetudinẽ uitamq; declarãtia in ueſtibulo, atrio, xiſtis, porticibus, aulis, cœnaculis, cœnationibus, diætis, areis, conclauibus, adytis, cubiculis, cameris, horreis, ut qui ad illa ſine antiquitatum cognitione tentet ire, fruſtratus uoto, πρὸς λύχνον ὄναρ, in rei progreſſu ſeſe inueniat neceſſum eſt. Sed his finem demus, interrogationi tuæ paucis reſpondebo. Habitant hic, ut de hominibus taceam, iuſtitia, prudentia, temperantia, fortitudo, ſalus, amor, pax, concordia, uictoria, fides, bonis ſolatium, & quale optant ocium, malis & cõſceleratis hominibus terror, damna, uincula, ignominiq;, uerbera, exilia, mors parata, ſalua, inter improbos innocẽtia, & horum retardata compreſſaq; audacia, ciuitatis incolumitas, uita hominum

quieta

quieta & beata. Hic itidem religio habitat, ſanctitas, laus, honor bonis & gloria, caſtitas & pudicitia ſecuræ, orphanorum & uiduarum conſolata orbitas, proborum locupletatur paupertas. Hic artes illæ, hic ſcientiæ, hic illæ antiquorum tres gratiæ, hic nouem muſæ, hic uirtuti, modo aliud præter ſeipſam deſideret, ſuum eſt certũ paratumq; præmium. Suſpice, ſuſpice, & in ſupero limine perlege uerſus:

Creſcite uirtutes, fœcundaq; floreat ætas:
Ingenijs patuit campus, certusq; merenti
Stat fauor, ornatur proprijs induſtria donis.
Surgite ſopitæ, quas obruit ambitus artes,
Nil licet inuidiæ, domus hæc dum præſidet orbi.

Illa enim omnia uigentibus legibus uigent, quibus debilitatis atque proſtratis ne punctum quidem temporis extant. Idcirco magnus ille ac prudentiſsimus Ariſtoteles ciuilem ſcientiam architectonicam dominatricemq; appellat. Hæc enim, inquit, & quas diſciplinas in ciuitatibus eſſe, & quales quenq; addiſcere, & quouſque oporteat, diſponit, quid quenque agere, & à quo abſtinere ipſa conſtituit. Idq; ſe audacius dicere ait Cicero, præpotens & glorioſa philoſophia hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, quæ in iure ciuili & legibus continentur. Ex his enim, quum dignitatem maxime expetendam eſſe uidemus, tum uerò & iuſtus ac honeſtus labor honoribus, præmijs, ſplendore decoratur, cui ſententiæ perſonam L. Craſsi aſsignando iudicium ſuum cum illius authoritate coniunxit, atque equidem ne nos ipſa fallant uocabula, quum dicolegem, eodem authore Cicerone, totius eloquentiæ Romanæ principe, à me dici nihil aliud intelligi uolo, quàm imperium ſine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terræq;, & hominum uita iuſsis ſupremæ legis obtemperat. Hic ego obſecro, inquam, optime pater, quando introëundi mihi auiditatem ad auxiſti, & iam multo notiore loqueris ſermone. Age, fare, poteró ne & ego iſtius ædis uiſere penetralia, ſacra ſacraria, myſteria omnia & ſacramenta conſpicere? Quid prohibet, inquit ille? tu certe quàm illiterati illi multo rectius, uerius, clarius. Tum ego: Ante uerò quàm introducor, ſummopere uelim te percunctari, qui fit ut tam nobile, conſpicuum, & ut uidetur forte eſſet ædificium, non ualidius ſit quàm aranei tela? Nam id unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus Solon, idem quoque legum ſanctiſsimarum prudentiſsimus lator prædicare conſueuerat. Quod & Catonis illius ſenioris, id eſt, Romanæ grauitatis, ſententia confirmare uiſa eſt. Minutulæ, dicebant ipſi, beſtiolæ, uelut muſcæ, culices, formicæ, & id genus alia irretita caſsibus illis detinentur. At maiora, ut canes, feles, oues, equi, & ſimilia, tenui rupta ſtructura indemnia euadunt. Atrienſis uerò nihil his commotus uerbis, leni ſermone reſpondit: Leges quarum eſt germana iuſtitia, recte, ſicut ædificio hoc contueris, æquabilesq; omni ſui ſunt parte. Hæ uerò per ſe mutæ ſunt atque ſurdæ, nihil ipſæ nec loquuntur, nec audiunt. Ad hæc nec uident ipſæ quicquam. At uiri quidem his adhibentur, quibus loquentibus ipſæ loquantur, quibus uidentibus ac audientibus uideant ipſæ, atque audiant. Hos iudices appellare ſoliti ſumus, quos ἐμψύχους δίκας Græcia nominauit, qui & loquentes leges dicuntur, quemadmodum etiam leges mutos iudices meritò quis appellarit. Hi ſi præſidenti iuſtitiæ ſeſe uoluerint conformare, cuius imaginem Chryſippus Stoicus philoſophus optime depinxit, exhibebunt ſeſe graueis, ſanctos, incorruptos, ſeueros, inadulabiles, caſtos, temperatos, prudentes, quos nec gratia flectet, nec timor deterrebit humanus, odio, amicitia, ira uacabunt, atque miſericordia, non patientur unquam argentaginam, nec argenteis haſtis oppugnabuntur. Vides ut neque cliuium huius noſtræ arcis, aſinus, quemadmodum Philippus Macedo dicebat, auro onuſtus, cui ſunt omnia ferè peruia, poſsit conſcendere. Quod ſi aliqui iudices inueniantur, ut eſſe quamplurimos haud dubito, modo ij iudices iure ſint appellandi, qui bouem, ut aiunt, in lingua facilè ferant, qui numorum miſsilibus conniueant, immò & oculos claudant, aut minis ſummatum

ualde turbentur, atque commoueantur: hi ſunt qui beſtiolis imbecillibus acres ſunt & ſeueri, maiores uerò minimo quoque eorum motu expaueſcunt, iudicia, iura, leges, iuſticiam deſerunt. Eæ ſunt aranei telulæ, quæ minutula irretiunt animalia, maioribus cedunt, neque uerò ijs ſolis, ſed leuibus quoque quum maioribus libet. Quamobrem non iura neque leges, ſed nebulones quidam, & iudices nihili ſunt araneæ, qui neque iudices uere ſunt, id eſt, ius iudicentes, neque dicaſtæ, quaſi iure ſacerdotes, neque leges loquentes. Non enim in huiuſmodi perditorum hominum uocibus leges conſtitutæ ſunt, ſed naturæ norma, ad quas iudicia ſua qui accommodat, is ſolus ἀδίκαιος, Ægyptius iudex, is Bocchyris ille ſtachane quoque, ut Dores aiunt, æquior. Is demum iudex, is demum iuſticiæ antiſtes cenſendus eſt. Cæteri uerò non pluris faciendi, quàm in ſcenis aut in picturis iudices, qui iudicis nomen tantummodo habent, re omnino carent. Quapropter ſui dicti, ſiue Solon Salaminius, ſiue Scythes Anacharſis, ſiue ut tu etiam dixiſti, Tuſculanus Cato rationem uiderit, quum ego neque iudices, neque leges aranei telas eſſe uideam. Hæc quum dixiſſet, conſtitit pauliſper. Et ego: Mirum quàm tuus iſte me ſermo pater oblectarit. Sed quæſo dic mihi, ut ſi unquam hanc in ædem penetraro, quamuis nunc non ſit animus, quanam uia tam multi uarijq; receſſus, quos hinc ex limine cerno, luſtrandi ſunt. Non credo, inquit, ædis huius philoſophum illum Stagyritem ignarum fuiſſe, ut qui quæ hic ſunt, moralibus ſuis & de republica libris tam optime expreſſerit. Quo inquam modo? Nam ultra hanc, inquit, quam conſpicis ædem, forum quoddam eſt perſtrepens ingenti hominum ſycophantarum clamore uſque ad rauim: etenim in lite iudices ſunt cum actoribus, hi cum reis, rei cum patronis, & aduocatis. Hi rurſus cum illis alijs, & ſinguli quique cum omnibus unius pecuniæ cauſa. Illuc ij euadunt, qui per hanc latam non admiſsi ianuam, totam ipſam ædem extrinſecus ambientes per poſticulum tandem ſeſe conijciunt arbitrantes fore, ut in hoc uerum legum, iuris, æquitatis domicilium illac ingreſsi perueniant, quin & ſunt nonnulli, qui admiſsi quidem ad ſacram hanc uiſendam interdum quoque inhabitandam ædem, quum altius conſcenderunt, ſemitas quaſdam inueniunt, quæ tametſi alijs conformes principiò eſſe uideantur, perducunt tamen læuorſum in hoc, quod modo dixi forum, tanquam in fœtidiſsimam ſentinam, nec facilè ipſam in Ædem reducunt. Nam eis putris illa & corrupta pecunia amaracinum olet, atque balſamum, & lucri ſuauiſsimum odorem eſſe putant ex re quilibet, uel ex lotio, ut Veſpaſianus imperator, qui ex urina uectigal commentus eſt. Hac iſti errore ſemitarum falſi iter arripiunt, atque illuc deferuntur. Hanc uiam plerunque, & quum conuiuaremur recta, & inter fabulandum cum ſenioribus feſtis diebus Vacunæ accepi uocari ſummi iuris, cui uerbo quidam confeſtim uaria ſubdebant prouerbia, alij ſummam eſſe malitiam, alij ſummam iniuriam, alij ſummam crucem. Eam uiam procul abeſſe dicebant ab æquo & bono, idcirco non in ueram legum ædem remittere ſemel per ipſam ingreſſum, ſed in forum eijcere litigioſum. Tum nonnulli animum leuantes rogabant me, quidnam de hac Æde, deq; illo foro ſentirem, & ut aliquid dicerem comiter prouocabat. Ego uideri mihi reſpondi litem & amicitiam noſtrorum poëtarum, ſeu ſi mallent Empedoclis, quem philoſophum, quem poëtam appellarent, ut liberet: ita hoc noſtrum contubernium ſacram amicitiam eſſe. Illos uerò clamores carnificinam litigij. Hic ſubridens adiecit quidam, Et dixiſſes potius, Atrienſis pater, argentificinam, quàm carnificinam. Memini hic indignari pleroſq;, quòd forum illud nullus ingredi poſſet, quamlibet indutus & ornatus, quin tanquam ſi in prædones incidiſſet, abiret nudus, eſſeq; iam illud tritum hominum ſermone prouerbium, Oculis præſentiorem nullam eſſe medicinam, quàm ſi aduocatum cauſidicumq; nullum unquam uideas, eos piſcatores iam uulgo uocari, quòd callidiſsimè mille fraudibus uerſutijsq; omne hominum genus expiſcentur, atque ita deſquamatos domum remittant leniores, glabrioresq; quibuſuis anguillis, atque murænis, ita exdorſuatos, ut non ſit magis conger quum eſtur. Verùm quòd cum primis miſerabile eſt, id eis interdum nondum ſatis eſſe uidetur, integros ipſos homines cum ſuo uictu & ueſtitu deglu-

bunt.

bunt. Itaque prima consultatione de occludenda illa, quæ ad lites ducit uia, obsepiendo etiam postico conscelerato, demoliendoq; , si fieri potest, foro ipso toto, & in perpetuum tollendo, se deliberare uelle aiebant. Nondum proximũ illud consilium habitum est: magno id ego desiderio expecto: quàm uereor ne nunquam habeatur. Hic ego melius inquam pater sperandum est. Nam mihi humana ingenia magis indies magisq; relictas à patribus tenebras excutere uidentur, & ad lucem illam auorum aspirare. Sed quid istud est, quod de æquo bonoq; modò dixisti? Nam apud Aristotelem, uoce licet Græca, simile tamen quiddam mihi legisse uideor. Est, inquit ille, iuris legumq; regula & uia. Et quæ tandem ista, inquam, est? Tum ille ausculta, inquit, senem illum Celsum in atrio ipso exerte clamantem, contubernales suos, iudicesq; omnes magna uoce admonentem, uideant, prouideant, suspiciant, despiciant, circunspiciant, introspiciant, custodiant semper, ne delirent, ne aberrent à iuris uia, atque adeò ab ipsa legis lege, quod est bonum & æquum. Quid, inquã, hic audio? Nónne ego bene suspicatus sum, te de Aristotelis epijcia loqui? Et quàm multa ex illo nostro Peripatetico sene, de hoc æquo & bono tecum disserere uellem, quàm multa etiam ex monumentis eorum, qui humani diuiniq; iuris consultissimi fuere, nisi uererer, ne ego qui à foribus solum, ut uides, leges salutaui, alieno decore conspicuus existam, ac

Né si fortè suas repetitum uenerit olim
Grex auium pulmas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

Itaq; intra pelliculam meam me continebo, & paucis uerbis quid Aristoteles de hoc bono & æquo in uolumine Ethicorum quinto sentiat, disseram: quamlibet faciam ineptè, quin γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, sed dicam tamen, nisi quid forsan tu aliud es acturus. Ego inquit ille, ubi à rabulis & importunis illis quiritatoribus me explicui, nihil quod aliud nunc agam, habeo. Nam feriæ hodie sunt, ac nescio etsi haberem quidem, an aliud agerem libentius. Tum ego, ἐπιείκεια hoc æquum & bonum unico Aristoteles appellat uocabulo, quam dicit non id ius esse, aut eam legem, quæ sit scripta & expressa, sed legis emendationem atq; interpretationem. Sunt enim multa de quibus legislator præcipere non potest, ea iudex qui legum personam gerit atq; sustinet, uiderit flectatq; legem ut exigit rei de qua agitur, natura, quemadmodum & Lesbij fabri suã illam plumbeam normam, quæ siquidem est ex flectilis metalli lamina, ad cuiusuis structuræ rationem facilè aptatur. Neq; uelit semper ius summum sequi, quæ sæpissime summa iniuria est. Sed ipsi naturæ normæ, ad quam, ut dixisti, leges omnes conditæ directæ, ac formatæ sunt, sese accommodet, uideat quid ipse legislator diceret, si adesset. Neque uerò aut parum rectam aut iniquam fore protinus legem credat, quippe nec peccatum in illa, nec in suo conditore, sed in ipsius rei natura erit, quæ tam uaria, tam multiformis est, tam latè patens, ut certis limitibus concludi ac definiri tota nequeat. Idcirco recte iuris normam æquum bonumq; esse dictum est. Hoc enim in cuiuscunq; modi legibus cõstituendis prudentes legum latores sibi caput ac mentem esse uolunt. Sunt enim innumerarum litium incitamenta & fomites, non solum orationatim ac dictionatim, sed syllabatim etiam literatimq; , ut quidam faciunt, persequi ac mordicus tenere leges uelle, & non potius ad ipsam legum uitam, normam, rationem, legem, mentem, sensum, spiritum, animum, uiam quamprimum recurrere, quod est æquum & bonum. Quocirca mihi Seruium Sulpitium Cicero summè illis uerbis laudare uidetur, quibus eum in legatione uita functum commendant. Nec uerò silebitur inquit, admirabilis quædam & incredibilis & penè diuina in legibus interpretandis æquitate explicandis scientia. Omnes enim qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si in unum locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non sunt comparandi. Neque enim ille magis iuris consultus, quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscebantur à legibus & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat. Neq; constituere litium actiones mallebat, quàm controuersias tollere. Hæc in nona aduersus M. Antonium actione Cicero. Quo sermone, mea quidem sententia, Sulpitius impense lauda-

tur, cùm non niſi magnorum maximeq; præſtantium ingeniorum ſit, illam iuris æquitatem inueniri. Et haud ſcio an minoris ſit, quàm legem condere. Ego ſanè prudentiæ maioris exiſtimarem omnia iuxtà loca, tempora, perſonas, res denique ipſas perpendere ac metiri, & non ſemel, ut legum conditores fecere, ſed quotidie nouas leges mira æquitate inuenire ac ferre. Atque hoc quidem eſt quod Ariſtoteles in libris de Republica ſentit, cùm gubernari felicius ciuitatem ait ab optimo uiro, quàm ab optima lege. Hæc quum dixiſſem, rogauit me Atrienſis, ingredi ne uellem. Abnui per id temporis: promiſi tamen, breui me ſimul liberatiorem morbo, ſimul maiore cum ocio rediturum, ut totam ipſam ex antiſtitum uoluntate perluſtrem Ædem, eosq; omnes noſcam, qui illam inhabitant, quod eſt opus ſanè non unius aut alterius horulæ. Ille uale facto intrò ſe recepit, foresq; ambobus peſſulis occluſit, ne quis ſe inſcio Ædem intret.

ÆDIS LEGVM FINIS.

Io. Lodouicus Viues Thomæ Cardinali, & Legato Angliæ illuſtri, S.

VETVS quæſtio eſt, quæ uariè tum multorum ingenia exercuit, tum rerumpublicarum ſtatus mutauit, atq; adminiſtrationes: Vtrum præſtet, conſultiusq; ſit, populum ſuarum rerum eſſe arbitrum ac dominum, an unius cura & prouidentia teneri regimen ciuitatis. Multa in utranque partem dicuntur & ingenioſe & uerè, cùm ab alijs, tum uerò ab Iſocrate Athenienſi duabus orationibus: quarum una eſt de populari poteſtate, altera eſt de monarchia. Quis melius aut ſapientius poſſet ſententia ſua certamen illud finire, quàm tu? primum tali ingenio ac memoria, deinde eruditione: quorum ego nonnunquam inter colloquendum ac diſſertandum non exiguum aut obſcurum ſpecimen cepi. hinc tanto uſu atq; exercitatione gerendæ reipub. & regni adminiſtrandi: nam es Angliæ Cancellarius, quæ functio publica eſt, & tanquam popularis magiſtratus. tum regia negocia concredidit & commendauit tibi Princeps optimus. Ergo tibi exactiſsimo cenſori harum rerum, mitto duas illas orationes. non quòd iudicium animi tui ignorem, ſalutarem eſſe omnem gubernationē, in qua publica commoda priuatis anteponuntur: pernicioſam, quum contrà. & ſi adſit prudentia, & omne genus uirtutis, reſpectusq; communis boni, præſtare imperium atq; adminiſtrationem unius, exemplo mundani regni, in quo uniuerſa ab uno temperantur, ſed eo iuſtiſsimo, ſapientiſsimo, optimo: & qui omnia non ad ſuas utilitates referat, ſed ad ſalutem eorum, quibus præeſt. Scio hanc eſſe tuam ſententiam. Verùm ut olim adiri uacuis manibus numina religio fuit, ſic uenire ad te ſine munuſculo grati animi indice, nefas exiſtimaui. primum, quòd pro numinibus ſunt magni Principes, præſentes ac benefici: deinde, quod tu me id docuiſti. à quo nunquam diſceſſi indonatus, ea eſt tua in ſtudioſos omnes incredibilis beneuolentia & benignitas. Acute Publius Syrus: Beneficium ſæpe dare, docere eſt reddere. Non potui eodem muneris genere gratiam referre. nam quantulus ſum ego, qui auro, uel argento tecum certem? Sed nec eruditione ſum par: animo tamen & uoluntate non uincor. Ergo chartulas iſtas haud aliter interpretabere, quàm certiſsimum pectoris mei ſignum, tot ac tantorum beneficiorum non immemoris. & accipies tanquam arrabonem daturi aliquando iuſtum opus, & meum. Nam hoc tempore diſtricto tot laboribus curisq;, & potiſsimum publica Oxoniæ profeſsione, quam mihi impoſuiſti, nec meum aliquid licuit párere, nec concinnare alienum, quod eſſet

esset longum. Tantum duas hasce Isocratis orationes uerti, quod opus quemadmodum non potest omnino meum dici, ita nec sit penitus alienum. Docui enim Latine loqui: & præceptores parentum locum discipulis occupant. Docui quidem, non quatenus linguæ Latinæ facundia, sed certe quatenus mea infantia Attici Rhetoris eloquentiam consequi potuit. & si nō alijs in rebus, in hoc saltem Atticissimum eius sum æmulatus, quod nō redundanti oratione reddidi, quæ ille breui atq; astricta dixerat: nec Asianè, quæ ille Atticè. Tametsi non numerauí uerba, quod est miseræ atq; ineptæ diligentiæ: tantum sententias bona fide lectori reddidi. Non est opus magnitudine tua indignum, si reliqua omnia spectes, præter me, siue Isocratem ipsum, siue facundiam, siue argumentum de Athenis, Areopago, & Nicocle rege. Fuit Isocrates, Atheniensis Rhetor, temporibus Platonis: ex cuius schola, tanquam ex Troiano equo, prodijt numerosa illa cohors eorum, qui & dicendo & Repub. administranda plurimum in Græcia ualuerunt. Eloquentiam testantur discipuli, & monumenta ingenij: in quibus est mira sermonis dulcedo, & aptissima compositio, numeris ad ornatum adstricta. Cicero fatetur, ex illius opibus ornatiorem se ac locupletiorem fieri. Itaq; maximo precio atq; honore est per gēteis omneis habitus: nactus q; est sine foro, intra domesticos parietes, eam gloriam, qualem rari ex ijs, qui in solem certamenq; prodierunt, sunt consequuti. Constat perbreues sæpe orationes ab eo cōscriptas, ingenti auri pondere à principibus uiris repensas esse: ut ab Arthemisia regina Cariæ, & à Nicocle rege Salaminæ. Tantus patriæ amator, ut fractis à Philippo Rege Athenienſium rebus ad Cheronæam, ut primum ea de re nuncius est Athenas perlatus, mœrore expirauerit, grandis admodum natu. Iam populum Athenienſem nō ignoras, ut in Græcia, sic toto terrarum orbe clarissimum sapientia & rebus gestis fuisse: tanta nobilitate atq; antiquitate originis, ut genus suum ad nullos nisi ad seipsos referrent. ideo Græco uerbo Autochthones nominati sunt, quasi Aborigenes. cuiusmodi in Latio fuerunt uetustissimi, & aliquot fuisse in Britannia gentes Cæsar tradit. Ab initio Athenienses sub Regibus uixerunt, usq; ad Codrum. Huic à Peloponnesiacis hostibus, ipso se ultrò pro patria offerente, sublato, succesſere ex eius posteris Archontes, hoc est Principes, qui decennalem dignitatem tenuerunt. Mansit genus hoc principatus annos ducentos ac uiginti, nempe usq; ad Erixiam. post quē uniuersum ciuitatis ius atq; imperium ad populum concesit. Tulerat iam eis leges Draco, sanguine scriptas, ut est in prouerbio. Sed tempore hoc Solon, unus ex septem illis celebratissimis Græciæ sapientibus, nouas alias dedit, correctis illis Draconis. & Areopagum summum consilium instituit, extructa eò loci curia, quo de Martis capite iudicium fuerat latum, quū is apud ueteres illos esset Athenienses accusatus, quòd Alirrhotion Neptuni filiū obtruncasset. ideo Areopagus dictus est, ceu Martis collis. est enim Athenis cliuus quidam. Erat hic perpetuus Senatus, non constitutus ad tēpus, ut consilium illud, quod uel quingentorum senum dicebatur, uel Themistothetarū nouem. Cognoscebant de cædibus, incendijs, ueneficijs. eamq; ob causam sunt, qui Areopagum nominatum esse autument, quòd cædibus Mars præesse credebatur. Areopagitarum mores quales fuerint, exponit oratione hac Isocrates, & declarant prisca illa uerba: Sanctior Areopagita, Grauior Areopagita, Integrior Areopagita. Quin uel ipsum solū nomē Areopagita, prouerbij uice usurpatur, de incorrupto iudice. Nemo enim in consilium illud cooptatus est, cuius mores spectatissimi non fuerint, & qui non probitatis suæ multa ediderit documenta. Nec ullus ex omni memoria (dictu mirabile) repertus est, qui si quid ingeniti haberet uicij, non illud simul in Areopagum lectus esset, abij ceret. tanta aliorum erat uirtus, ut nemo usq; adeò uicium aliquod perditè amplecteretur, quin eum puderet inter tantam puritatē solum apparere maculosum. Præco apud hos, quoties orator ad dicendā causam accedebat, uetabat, ne affectus moueret. Cognoscebant idcirco noctu, & in tenebris, ne aspectus uel agētis uel rei affectū aliquem excitaret, unde posset illorū aliquis à rectitudine iustitiæ deflectere. Porrò Nicocles Rex fuit Salaminę insulę, Græci maris, nobilis pugna illa qua Themistocles Athenieñ. opes maritimas contudit Xerxis regis Persarū. Scripsit ad hunc eundem Nicoclem Isocrates

orationem alteram, de administrando regno. Ergo eunt ad te Areopagitam Areopagiticus sermo, & Nicocles rex, ad regni administratorem: & ad facundissimũ, Isocrates: & ad patronum, Viues cliens. Faxit Christus, ut cogitatus atq; actus tui, patriæ tuæ & Christiano orbi prosperi ac salutares sint. Oxoniæ, XV. Decembris. 1523.

ISOCRATIS AREOPAGITICA ORATIO, SIVE DE VETERE ATHENIENSIVM REPVblica, Ioan. Lodouico Viue interprete.

PLEROSQVE uestrûm miraturos credo, quónam consilio de salute publica dicturus in hunc locum uenerim, tanquam ciuitate in periculum coniecta, uel rebus eius in lubrico constitutis. Ceu uerò non triremes possideat suprà ducentas, & quieta domi, maris principatum obtineat. Quin & socios habet permultos, adfuturos nobis ilicò, si res poscat. Stipendiarios longe plures, quiq; imperata exequuntur. Quibus nos rebus fretos, meritò quiuis bono esse animo iubeat, uelut procul omni positos discrimine. hostibus uerò nostris timendum magis censeat, & de salute sua consultandum. Quocirca non dubito, quin ista cum animis uestris reputantes, meum ad uos accessum pro nihilo ducatis: magnaq; spe sitis totam uos Græciam istis opibus occupaturos. Ego uerò contrà de istis ipsis rebus uehementer metuo. Siquidem uideo ciuitates eas, quæ se felicissimè putant agere, pessime de rebus suis statuere: & quæ maxime fiducia sui innituntur, in grauia pericula deuolui. Cuius rei hæc profectò est causa, quòd neq; prospera unquam, neq; aduersa sola hominibus contingunt: semper aliquis assectatur uelut comes. Opes ac potentiam sequuntur stultitia, luxus: indigentiam uerò atq; humilitarem, modestia & moderatio. ut decerni uix possit, utrum sit satius filijs relinqui opulentiãm ne, an inopiam. Quippe uidere est ex hac, quæ existimatur peior, meliorem ut plurimum uitæ rationem nasci: ex illa autem, quæ est in speciem melior, in peius mores relabi. & horum esse ad manũ exempla priuatorum quidem plurima: uidelicet apud quos creberrimæ sunt eiusmodi rerũ uices. Maius tamẽ audientibus, atq; illustrius ex nostris & Lacedæmoniorum euentus fuerit. Nos enim post dirutã à Barbaris hanc urbẽ, exacuente metu diligentiã curamq; nostram, ad principatum Græciæ totius peruenimus. At ubi insuperabilem esse nostrã potentiam rati sumus, quantulum, quin caperemur, abfuit? Lacedæmonij olim ex uilibus & pusillis ciuitatibus egredi ausi, frugalitate & disciplina militari Peloponnesum sibi subegerũt. Post hæc uerò successoribus insolentiores facti, terræ marisq; adepti dominatum, in eadem, quæ nos, pericula deuenerũt. Quis ergo nisi demens, eiusmodi mutationibus cognitis, & tam repentè maximas potentias sublatas reputans, præsenti rerũ fortunę cõfiderit? Atqui & nostra Respub. multo nunc inopior est, quàm illis temporibus, partim Græcorũ odio aduersum nos, partim inimicitijs Regis Persarũ nobiscũ renouatis: quę olim causæ urbẽ hanc afflixerunt. Quocirca nescire uos, quanta ciuitati nostrę procella immineat, equidem statuere neutram in partem possum: an fiat, quòd Respub. curæ uobis non est: an quòd curæ quidẽ, sed rerum sensus amissus. Non intelligitis uos

tis uos eos esse, qui & urbes Thraciæ deleuistis? quiq; mille amplius talentis frustra in exercitum peregrinum consumpsistis, per hæc Græcorum odio & Persico bello con flato? ad hæc Thebanos inimicos coacti estis seruare, uestris ipsorum socijs sublatis? & propter hæc acta, si dijs placet, tanquam nuncijs de Republica bene gesta acceptis, bis iam circum deorum templa supplicatum est. Quid quod segnius super illis consul- tamus, qui optime de Republica merentur? Idcirco hæc omnia meritò & facimus & patimur. Nam quid recte geri potest ab ijs, qui praue de summa rerum statuerunt? Quippe ui partim negociorum, si quid erratum, uel fauore fortunæ, uel alicuius ho- minis uirtute emendatur, nihilominus tamen in easdem rursum difficultates relabun- tur. facile hoc erit unicuiuis intelligere ex ijs, quæ nobis acciderunt. Subdita nobis tum post naualem Cononis pugnam, tum post bellum ab Timotheo gestum, uni- uersa Græcia, ne momento quidem temporis partam felicitatem conseruare potui- mus, quominus statim nobis imprudentibus elaberetur ac dissolueretur. Quidni? cùm rationem administrandæ ciuitatis, qua uti rebus, sicut oportet, possimus, nec habea- mus: nec ut habeamus, curæ sit? Ecquis omnium ignorat fœlicitatem neque magnifi- cis murorum structuris, neque ciuium numerosa multitudine uel quæri uel contine- ri, sed sapientibus ac moderatis Reipublicæ gubernatoribus? Est enim anima ciuita- tis nihil aliud, quàm administratio illius: quæ non minores in eo habet uires, quàm in corpore prudentia. Videlicet hæc est, quæ de omnibus consulit: simul conseruans profutura, simul nocitura deuitans. Huic oportet & leges, & oratores, & priuatos ho- mines esse similes: & sic unumquenq; agere, prout illam sit nactus. hac deprauata, nos nihil habemus pensi: nec sollicíti sumus, quemadmodum redintegretur. Accusamus quidem Iudices, & nunquam sub populari regimine grauius uexatam esse Rempu- blicam conquerimur. in negocijs uerò, & suis quisque cogitationibus, prudentiam nostram prudentiæ nostrorum maiorum anteponimus: de qua quidem dicturus huc prodij. Equidem ita compertum habeo, auerti posse pericula impendentia, & ma- la præsentia depelli, si reuocare sit animus popularem illam ciuitatis constitutionem à Solone, homine omnium maxime populari, traditam: à Clisthene uerò, qui tyrannos exegit, ac populum reduxit, restitutam. qua nullam excogitarit quis unquam uel po- pularem magis, uel huic utiliorem ciuitati. Sit hoc unum uel maximum argumentum, quòd qui in ea uixerunt, pulcherrima ediderunt facinora, magnaq; per genteis om- neis gloria fuerunt, ad illosq; ultrò uniuersæ Græciæ consensu delatum imperium est. At quibus præsens rerum status cordi est, inuisi omnibus, & frequenter grauia perpes- si, quantulum abfuit, quin ad ultimam necessitatem detrusi sint? Iam quis eam admini- strandi rationẽ uel laudarit, uel amarit, quæ & antehac tot nobis mala peperit, & nunc annis singulis in peius fertur? An non metuendum est, ne res eò progrediatur, ubi in- ter aspera aliqua & difficilia oppressi negocia, republica penitus ac ciuitate spolie- mur? Sed ut non uniuersæ tantum, uerùm particulatim quoque singula audientes, cen sere atque eligere si quid utile uobis uideatur, possitis: uestrum munus erit, uosipsos præbere ijs, quæ dicam, attentos. meum uerò, uti breuitate, quanta maxime potero. Qui olim rempublicam nostram tenuere, constituerunt genus quoddam administra- tionis non solo uerbo commune & mitissimum, re autem uera longe aliud illis usum, qui in eo uersabantur. Neq; ad hunc modum ciues suos formabant, ut intemperantiam crederent esse popularitatem: non obtemperare legibus, libertatem: procacitatem lin- guæ effrænem, æqualitatem legum: & horum omnium flagitiorum impunitam licen- tiam, fœlicitatem esse arbitrarentur. uerùm modus & ordinatio reipublicæ ita rem tem- perabat, ut eiusmodi delicta pœnis coërceret, prosequeretur odio, ciuesq; suos bonos ac moderatos facilè redderet. Inter cætera maximum illis aderat ad optime regendam ciuitatem adiumentum, quod quum duæ sint æqualitatum species, altera quæ omnes in ciuitate discrimine omni sublato exæquat, altera quæ singulorum dignitatem expen dit: illi haud ignari hanc utiliorem esse, illam uel iniquam repudiarunt, quæ probos iu- xtà & improbos eisdem rebus dignos censent. retinuerunt eam, in qua merita tum præ-

mijs æſtimantur, tum pœnis. Hancq; in urbem ſuam inuexerunt, ut magiſtratibus non paſsim quoslibet admouerent citra delectum, ſed ſingulis publicorum munerum optimos, & imprimis idoneos præficerent. quippe non dubitabant, ciues omnes tales futuros, cuiuſmodi forent rectores ipſi. Deinde in eligendis Magiſtratibus cum primis è republica duxerunt eſſe, non hoc ſorti committere. Nam ſæpenumero ita fert caſus, ut ijs adminiſtratio ciuitatis obueniat, qui rerum nouarum ſtudioſi ſunt, opesq; populi translatas ad paucorum dominatum cupiant. Quocirca in deligendis moderatiſsimis, æquum eſt ſummam poteſtatem eſſe penes populum: ut eos ſibi præficiat, quibus exploratum habeat & percognitum, communẽ potentiam charam eſſe. Cauſa uerò, cur magnus erat in ciuitate conſenſus, nec de honoribus certabatur, hæc eſt: quòd unuſquiſque operi ac parſimoniæ intentus ageret: nec ullus ſuis neglectis, inſidiabatur alienis: néue ex publicis fortunis aliquid in priuatas utilitates deriuabant. contrà potius, ex ſuis quiſque rempublicam adiuuabat, quum poſcebat uſus. nec accuratius norat quis, quantum ſibi rediturum eſſet ex publica functione, quàm quid ex priuatis poſſeſsionibus. Atque adeò à publica pecunia manus continebant, ut difficilius illa ætate fuerit reperire, qui Magiſtratus cuperent, quàm hac, qui non rogent. Nimirum non apud ſeipſos ſtatuerant, quæſtuariam negociationem eſſe publicum munus gerere, ſed miniſterium. Neque ſtatim ab inito magiſtratu olfactabant, ſi qua eſſet ab anteceſſoribus relicta quæſtus occaſio: ſed ſi quid negligentius curatum à feſtinantibus, deponere dignitatem. Denique ſumma ut dicam, illud erat animis omnium perſuaſiſſimum, debere populum præeſſe, tanquam dominum, ipſis magiſtratibus: & delinquentes punire, & de cõtrouerſijs diſceptare ac ſtatuere. Eos uerò ciues, quibus ocium ex abundantia diuitiarum ſuppeteret, publicis non ſecus quàm domeſticis intentos agere. qui iuſte egiſſent, eos laudibus honeſtari, & huic precio acquieſcere. Illis, qui praue rempublicam geſsiſſent, nullam tanti criminis gratiam fieri, ſed mulctis damnisq; affici. Quid hac poſſet republica ſtabilius aut æquius inueneri? quæ potentiſsimè gubernandos commendabat ciues, ſed dominum illis populum imponebat. Et conſtitutio quidem ciuitatis hæc illis erat, ex qua intelligi promptum eſt, quotidianam uitam recte & legitime eſſe ab eis traductam. Quippe neceſſe eſt, ut quibus ſic erat rerum ſumma fundata & compoſita, ad eundem modum uti partes conſentirent. Principio quidem, quæ ad deos immortales ſpectabant (hinc enim exordiri fas eſt) non incertè, neq; inordinate, neu per furorem aut temeritatem, nec ſi quando collibuiſſet, tercentum boues in unum ſacrificium mactabant, nec à traditis antiquitus ſacrificijs unquam diſcedebant: nec feſta, in quibus epulandum eſſet, nimio concelebrabant apparatu. ſed in ſanctiſsimis templis, de collecta inter ſocios pecunia ſacrificabatur, illud ſedulo cuſtodientes, ne quid uel ex patrijs ritibus diſſoluerent, uel adderent ad morem maiorum. Neque enim in magnis ſumptibus ſitam eſſe ducebant pietatem, ſed ſi nihil ex illis demutarent, quæ à maioribus uelut tradita per manus accepiſſent. Ita quæ ad religionem, feriasq; pertinebant, nec temere illis, nec perturbate in aliena tempora incidebant: ſed commodiſsima opportunitate, tum ad regionis quæſtum, tum ad fruges condendas. Similia dictis ſunt, quomodo ipſi inter ſe ævum agitabant. Non enim circa publica modo erat hæc conſenſio, ſed in priuata quoque uita tantum alij erga alios oſtendebant prudentiæ, quantum par eſt, tum recte ſentientes, tum patriam habentes communem. Tantumq; aberat, ut locupletibus tenuiores inuiderent, ut his non ſecus magnæ domus curæ eſſent, ac ſuæ ipſorum, rati felicitatem illarum bono ſibi eſſe. Opulenti non deſpiciebant pauperes, ſed reputantes pudendam ſibi eſſe ciuium ſuorum indigentiam, neceſsitatibus illorum ſubueniebant: quum his quidem agros exigua mercede colendos traderent, alios ad negocia procuratores dimitterent, alijs alias occaſiones præberent lucri. Neque uerò metuebant, ne in alteram duarum incommoditatum inciderent, aut omnibus, aut certe parte aliqua fortunarum exuiimmò uerò non confidebant minus, ijs quæ erant elargiti, quàm quę domi aſſeruarant. Nouerant iudicijs profectos non æquo ac bono ſolere abuti, ſed legibus parêre. nec

ex alie-

ex alienis certaminibus facultatem sibi quærere iniuriæ faciundæ: magis in contrarium succensere consuesse ijs, qui per quas fecerant iniurias, bona amisissent. haud ignari, contractus malæ fidei plus solitos pauperibus nocere, quàm diuitibus. Hi enim si cessent acquirere, damnum erit paucorum prouentuum. at illos si in difficultates uictus adducantur, ad summam inopiam redigi necesse est. Hæc quum esset communis uniuersorum opinio ac sententia, nemo inueniebatur, qui opes occultaret: nemo, qui recusaret mutuare. Si quidem non tristior erat illis creditoris aspectus, quàm debitoris. Ita quæ duo cordatissimus quisq; expetit, ea illi assequebantur: ut simul prodessent ciuibus, simul firmas constitutasq; haberent fortunas: denicq; ciues inter se commodissime uersarentur. Nam possessiones tutę erant, quibuscunq; iure contigissent: & hæ communes, paratæq; indigentibus. Reprehenderit fortasis orationem hanc meam aliquis, quòd acta illorum temporum laudibus in cœlum tollo. Causas uerò non subijciam, cur tam probe tum inter sese agebant, tum suam rempublicam gubernabant. Ego uerò tale quiddam esse à me dictum existimo. sed conabor copiosius atq; apertius explicare. Maiores nostri non multos puerilium suarum educationum habebant magistros. & postquam inter uiros numerari cœperant, licebat, quod uellent, facere. sed in adolescentia maioribus curis tenebantur, quàm pueri. Sic enim aui nostri moderationis studiosi erant, ut consilium Areopagi curam agere decori modestiq; iusserint. In quod consilium legi nemo poterat, nisi qui ingenue natus, magna uirtutis ac modestiæ suæ documenta præbuisset. qua de causa reliquis Græciæ consilijs hoc nostrum sine controuersia antefertur. Indicijs poterit quiuis uti, & de superioribus & de nostris temporibus, quandoquidem in ea adhuc laude atque instituto uitæ persistitur. Videas quosdam cætera intolerandos, simul in Areopagum cooptati sunt, ueluti oblíti naturæ suæ, legibus potius loci illius morem gerere, quàm moribus consuetudine confirmatis. tantum uel metum malis incusserunt, uel monumentum reliquerunt modestiæ suæ. Hunc ergo, ut dicebam, ordinem uelut propriũ statuerunt moribus formandis. At uerò quisquis existimat idcirco hic optimos uiros fieri, quòd leges de uirtute accuratissime latæ sunt, longè is mea sententia fallitur. Nam ita si esset, quid prohiberet, quominus similes continuo Græci omnes existerent? propterea quod nihil facilius, quàm tabulas legum inter ipsos communicari. Sed non protinus cum hoc munere mitteretur una uirtus. quippe qui ex quotidianis exercitamentis nascitur. Ita necesse est, ut ij demum sint inter se moribus consimiles, qui eandem educationem assuefactionemq; uitæ habuerunt. Quid quod in ciuitate magna est legum copia, & accurata diligentia sancita argumentum sumitur, prauo ciues esse ingenio, praua educatione. uidelicet cogumtur magistratus alias super alias accumulare leges, dum uicijs multifariam erumpentibus, leges quasi obices opponunt. Oportet recte prospicientes reipublicæ non porticus legum tabulis replere, sed in hominum mentibus æquitatem defigere. quippe non decretis, sed bonis moribus ciuitas optimè gubernatur. Malè enim educatis atque edoctis nulla est legum quamlibet exacte perscriptarum reuerentia. contrà uerò, probè institutis, recepta bonis moribus sufficiunt. Hæc illis intelligentibus, non ea fuit curarum prima, quibus pœnis male uiuentes afficerent: sed potius, quibus tandem assequi rebus possent, ne quid ciues pœna dignum uellent patrare. Id demum censebant esse munus suum, maximeq; moderatores ciuitatum decens. Nam de pœnis cogitare, hoc est hostem agere, non ciuem. Ergo illis ciues omnes erant curæ, sed imprimis iuuenes, in quibus uidebant plurimum dominari affectuum tempestates, multisq; cupiditatibus eorum animos deuinciri. proinde maxime esse opus illis recta institutione, ut omnia sua oblectamenta in honestis pulchrisq; expetendis laboribus sita esse putẽt; hæc sunt studia sequẽtis ætatis illorũ, qui ingenue educati, appetere res altas decorasq; consueuerũt. Sed ad easdẽ exercitationes omnes deduci nõ possunt, quũ sit tanta in ijs, quæ ad uitã pertinent, differentia. Quocirca ex facultatibus cuiusq; definierũt unicuiq; uiuendi rationẽ ac modũ. tenuiores ad agriculturã, mercaturamq; relegarũt: nõ ignari, ex segnicie oriri indigentiã, ex indigẽtia cõplura uicia. Sublato igitur uiciorũ capite, ea etiã uicia tolli intelligebãt, quę illinc proficiscerentur. Ii uerò, quibus facultates supererãt,

equeſtrem diſciplinam, certamina, uenationem, Philoſophiam cogebantur exercere. edocti enim experimentis erant, hiſce occupationibus alios præſtantes uiros euadere, alios à uicijs quàm plurimis diuerti. Atq; hæc quidem non ita gerebant ut paulopòſt, quàm leges de his tulerant, negligerent. Sed ciuitate in tribus diuiſa, agro uerò in populos, uniuſcuiuſq; uitam facilè erat eis perſpicere. turpiter degentes, ad conſilium publicum arceſſebant: quod conſilium alios meliorum admonebat, alijs minabatur, alios afficiebat pœnis, ut uidebat opus eſſe. Nec præteribat eos, duas eſſe rationes, quibus uel incitamur ad flagitia, uel ab eis deterremur. Nam apud quos nec obſeruatio delictorum eſt, nec pœna, nec iudicia ſeuere exercentur, in his ingenia etiam ſua ſponte proba, uti deprauentur neceſſe eſt. At ubi nec facilè eſt delinquentibus fallere, nec manifeſtis ſpes ulla eſt ueniæ, ibi praui mores haud ſæpe inualeſcũt. Quod ille reputantes, duabus rebus hinc & inde ciues ſuos cohibebãt, diligentia ſua, & pœna propoſita. Tantum ſiquidẽ aberat, ut eos fugeret, ſi quis mali quid perpetraſſet, ut uel eos quoq; præſentiſcerẽt, qui de peccando cogitaſſent. Ergo nõ in foro aleatorio iuuentus deſidebat, non apud tibicinas, non in eiuſmodi conuenticulis, in quibus nunc dies traducunt: ſed in præſcriptis exercitationibus, admirãtes uerſantesq; cùm ijs, qui in eo genere diſcipli næ eſſent ſpectatiſsimi. Forũ uerò ſic uitabant, ut ſi quando neceſſe eſſet illos eò uenire, rubore perfunderentur: magnamq; ibi modeſtiam præ ſe oſtenderent. contradicere uerò, aut conuiciũ ſeniori facere, grauius tunc habebatur, quàm nunc parẽtes lædere. Porò in cauponã ingredi, uel potare, ne ſeruus quidem paulo frugalior auſus fuiſſet. ad grauitatem ſe omnes, ad decus, ad moderationem componebant. nemo dignabatur ſcurrari. Facetos & dicaces, quos hac tẽpeſtate ingenioſos nuncupamus, illi miſeros uilesq; nominabant. Neq; uerò credat me quiſquã de hominibus ſeculi huius penitus malè ſentire. non enim eos eſſe cauſam eorũ, quæ fiunt, cenſeo. Complures noui, qui dolent tantam, etiã ſibijpſis, per publicos ciuitatis mores conceſſam eſſe luxuriæ licentiã. Quis ſanus iſtos reprehendat? Illi illi arguendi ſunt, qui paulo ante noſtram memoriam ciuitatem rexerunt. Hi præbuere initium negligentiæ ueterum morum, hi potentiam publici conſilij labefactarũt. quo uigente, nec ſupplicíorum, nec criminũ, nec tributorũ, nec inopiæ, neq; bellorum tanta erat in ciuitate uis. ſed domi inter ſe quietè uerſabatur, foris uerò undiq; erat feſta pax: ut qui præſtabant ſe ipſos Græcis amabiles, Barbaris formidandos. illos nanq; conſeruarant, ab his pœnas tantas ſumpſerant, ut redire cum illis in gratiam facilè poſſent, modo nihil eſſent aliud incommodi accepturi. Iſtis de cauſis tam uiuebant tuti, ut rura cum ſuo inſtrumento elegantiora, atque elaboratiora eſſent, quàm ædes urbanæ. Multiq; ciuium ne feſtis quidem in urbem commearent, præferentes in priuatis ſe poſſeſsionibus continere, quàm communibus bonis in urbe frui. At quæ ad ludos ſpectarent, quorũ cauſa nõnulli ueniebant, non per laſciuiam, aut inſolentiam, ſed compoſite & ſapienter tranſigebantur: nec in pompis aut contentione chori ductandi, aut inanibus huiuſmodi oſtentationibus poſitam eſſe felicitatem arbitrabantur, ſed in ratione uitæ proba & moderata: néue quem utilitatibus ſuis defraudarent. Ex quibus oportet colligere, illos tum uerè ac germane uixiſſe bene, tum placide Rempublicam adminiſtraſſe. Hoc autem tempore, quis cordatus non indoleat, ſi uiderit nonnullos ciuium ſiue neceſſaria uictui habeant, ſiue non, admiſcentes ſe ſortionibus iudiciorum, poſtulantes, ut liceat ſibi Græcarum nauium nautas ac ſocios nauales alere? per æſtatem choræas ducentes, idq; in aureis pallijs: hybernantes uerò ubi, pudet ac piget dicere. & alia hunc in modum abſurde pugnantia in hac Republica uſu uenire, quæ uehementer pudenda ciuitati ſunt. Quorum nihil fiebat ſub ueteri Areopago. quippe qui arcebat à pauperibus inopiam, per uarios quæſtus commodaq;, quæ à locupletibus proueniebant: & à iuuenibus luxum, per exercitationes, ſuamq; ipſorum de illis curam: & à moderantibus rempub. auaritiam, per pœnas: & à prauis uicia, per id quod latêre ſe poſſe non ſperabant: & à ſenioribus torporẽ, per publicas functiones, curamq; iuniorũ. Quæ nam inueniri poſſet reſpub. excellentior hac, quæ ſic undiq; negocia omnia tanta cùm prudentia diſpoſuerat? Et priſcam quidem illam rempub. reor eſſe à nobis maxima ex parte declaratam, quę uerò omiſimus, ea facilè eſt intelligere ijs, quę dicta

dicta sunt similia fuisse. Sed hactenus aliqui auditis quæ exposui, non dubito quin & me laudent magnopere, & maiores nostros felicissimos fuisse censeant, qui in tali ciuitate uitam traduxerint. tametsi non autument, eisdem uobis quoq; utendum moribus: consultiusq; esse, uos in cõstitutis iam rebus cum incommodo uiuere, quàm exactiorẽ Rempublicam desiderare, in qua melius sitis acturi. quin & sunt, qui confirmarint mihi esse periculum, ne dum optima suadeo, odisse populum credar: & quærere, quemadmodum ciuitatem ad paucorum opes redigam. Ego uerò si de incognitis rebus aut nouis dissererem, & secundum eas iussissem uos uel senatum legere, ad eos quos soletis cum summa dignitate sententijs de rebus dicendis creare, per quos potentia populi dissolueretur, meritò essem criminis huius suspectus. Porrò hucusq; nihil dixi tale, tantum de rebus loquutus sum nulli uestrûm occultis, quasq; omnes iam pridem percognitas habetis: nempe antiquas & patrias, quæ ciuitati nostræ & cunctæ Græciæ opem ac salutem sæpius attulerunt. adde his, à talibus uiris excogitatas & constabilitas, quos uniuersorum consensus facilè profitebitur, omnium qui unquam extiterunt, maxime fuisse populares. Quocirca uni mihi post natos homines res indignissima accideret, si administrationis illius explicatione, cupidus esse existimarer rerum nouarum. Quid quod uel eo sensu animi mei perspici potest, quod in ijs omnibus, quæ hactenus dixi, aperte paucorum potentiam & cupiditatem insectatus sum. nec quaslibet tamen æqualitates, aut populi imperia comprobaui, sed recte constituta, nec temere & sine delectu, uerùm prudenter & caute. Memineram, maiores nostros eiusmodi rerum statui plurimum inter status omnes tribuisse: & hac de causa Lacedæmonios optime in ciuitate sua gessisse se, quòd impense populares fuerint. Nam & in eligendis magistratibus, & in quotidianis actibus, denique in omni eorum uita æqualitates paritatesq; plus apud eos quàm alios ullos mortales ualuerunt. quas res ut paucorum imperium repellit, sic germanè populares arctissimè complectuntur. Aliarum uerò ciuitatum clarissimum & potentissimum quibusque, si quis grauiter expenderit, comperiet popularem potius, quàm paucorum potentiam esse utilem. Et in nostra ciuitate administrationem hanc, quam omnes reprehendunt, si quis non dico illi quam expositam à me uidetis, sed ei quæ sub triginta fuit conferat, profectò cœlitus existimabit esse demissam. Et quanquã præter institutum hoc esse nonnulli dixerint, tamen facere non possum, quin aperiam, quantum inter se utræq; distent. Ne quis arbitretur, me populi delicta exacte nimis inquirere: si quid uerò prudenter sit atq; honeste actum, id præterire. Erit certe hac de re sermo, ut non longus: sic ijs, qui audiunt, nequaquam inutilis. Posteaquàm naues in Hellesponto perdidimus, & casibus illis ciuitas perculsa est, quis non uidit ex senibus ut quisq; erat popularis potentiæ studiosissimus, ita promptissimum ad qualemcunq; fortunam perferendam: antequam pacis conditiones, quas Lacedæmonij ferebant, acciperentur: indignissimumq; ducebat esse, si quis ciuitatem paulo antea Græciæ principem seruientem aspiceret. Et hos quidem à societate fœderum excluſos uidimus. qui uerò dominatui paucorum fauebant, alacriter tum diruentes muros, tum perferentes seruitutem. At quum populus erat rerum dominus, etiam alienas arces tutabamur. Sed ubi regimen triginta acceperunt, continuò nostra omnia in potestatem hostium uenere: nobisq; Lacedæmonij dominati sunt. Cæterùm ubi reuersi exules arma pro libertate induere sunt ausi, uicitq; bello nauali Conon, missi sunt ad illum legati qui ciuitati nostrę maris imperium deferrent. Quis hæc nõ æqualium nostrorum meminit? Ergo potentia populi ciuitatem hanc sacris & ceremonijs ornauit: ut etiam nunc peregrini dignam illam censeant, non Græciæ tantum, sed gentium omnium principatu. At triginta his omnibus pro nihilo habitis, plurimos spoliarunt. maritimi exercitus stationes tribus talentis abiecerunt, quibus non extruendis non minus quàm mille talenta ciuitas impenderat. Quid ergo? laudabuntur de mansuetudine? quid conuenit minus? Laudabitur populus, quum imperaret. Illi enim publico decreto accepta ciuitatis cura, mille & quingentos ciues indicta causa contrucidauerunt, in Pirenæum confugere plures quinque millibus compulerunt. Populares uerò reuersi, ac patria per arma recuperata, ipsa quidem præcipua mali capita sustulere: reliquos uerò

ad eum modum accepere adeò manſuete ac ciuiliter, ut nõ peiore eſſent cõditione, quí eiecerãt, quàm eiecti. Illud quoq; uel maximũ ſignum æqui ac moderati popularis imperij. quũ íj, qui in urbe reſtiterãt, centum à Lacedæmoníjs talenta in obſidionẽ eorum, qui Piræum occuparant, eſſent mutuati, conſilio pro concione populi de ſolutione captato, cenſentibus nonnullis æquũ eſſe, ut íj mutuũ Lacedæmoníjs díſſoluerent, qui poſtulauerãt, non obſeſsi: populus tamen iuſsit, ut in cõmune ab omnibus cõtríbueretur. quod populi ſcitũ uſq; adeò mutuam ciuium concordiã cõglutinauit, auxítq; publicas uires, ut Lacedæmoníj, qui ſingulis propè diebus fautores potentiæ paucorum nobis præficiebant, huc à populo noſtro imploratum opem uenerint, ſupplicantes ne ſe aſpernaremur, euerſos à Thebanis. Summa comparationis hæc eſt. Triginta uiri & alíj per id tẽpus potentes ea erant mente, ut uellẽt ciuíbus imperare, parêre hoſtíbus: alíj populares reliquis dominari quidem, cum ciuíbus æquo iure uiuere. Quæ duabus de cauſis recenſui: una, ut me oſtenderem, non imperíj paucorum aut auaricíæ ſtudioſum eſſe, ſed Reipublicæ honeſtæ ac æquæ: altera, ut docerem populare regímen etiam ſi ímprudenter praueq; conſtitutum, haud nímis tamen magnas calamitates ímportare: & quod recte adminiſtratur, prẽſtare cæteris ciuitatíbus tum iuſtítia, tum iucunda ciuium uíta. Mirabitur fortaſſe quís, quid míhi uelím, qui pro hoc ciuitatís ſtatu, ex quo tanta & tam multa extiterint præclarè facta, alterum uos adhorter ſuſcipere: quá ue nunc ratíone tam magnífice popularitatem extollam, alías, quũ in mentem uenít, tota ſubitò ſententía mutata, accuſem, reprehendamq; eíus authores. Ego uerò príuatos homines, quorum malefacta pluríma exíſtunt, benefacta uerò perpauca, uehementer obíurgo: putoq; eſſe multo peiores, quàm ciuílitas patiatur. proxíme hís íllos caſtígo, qui magnis atq; egregíjs maiorum geſtís à parentíbus ſuís tanto uírtutum ínteruallo anteceduntur. Nec multum ab íjs abſunt, quíbus ad perditíſsimam & improbíſsimam uitam nihíl factum eſt reliqui. His ego ſuadere ac conſulere decreuí, ut ſui díſsímiles eſſe uelint. Hæc eſt animí mei ſententía, hæc mens, non debere nos ſpíritus tollere: néue id nobis ſufficere, ſi míſeris aut inſanís hominíbus potiores ſímus: imò ſuccenſere, ac ferre grauíter, ſi à maioríbus noſtris laude ac decore tantopere uíncamur. Etenim íllorum diſcíplínam & mores, nõ triginta uírorum ſcelera, propoſita nobis ad ímitatíonem eſſe decet. Præſertím quũ optímos eſſe nos mortalíum omníũ oporteat. quod ego non hoc primũ dixi loco, ſed ſæpe iam, & apud multos. Nempe recogito naturã rerũ ita ſanxíſſe, ut alíj loci, alíjs rebus prẽſtantíſsimí ſint. Sunt qui frugíbus, ſunt quí arboríbus, ſunt qui pecore. Noſtrã uerò regionẽ uíros proferre atq; alere, nõ ſolum ad artes & negocía índuſtríos ac nauos, ſed fortítudíne & reliquís uírtutíbus pariter ac ſumme egregios, documento ſunt uetera cum Amazonibus, cum Thracíbus, cum uníuerſis Peloponnenſíbus certamína: tum díſcrímina Perſicarum tempeſtatum. in quíbus partím ſolí, partím cum Peloponnenſíbus terra mariq; deuíctis Barbarís, uberem fortítudínis laudem tulerunt. utiq; nihíl effecturí, níſi naturam nacti præ cæteris excellentem. Nec uerò putarit quis, decus hoc ad eos quoq; pertínere, quorũ in manibus nunc eſt Reſpublica. multo ſe res habent ſecus. Spectat enim oratío hæc ad commendatíonem quidem íllorum, quí gloríæ progenítorum non deſunt: ad obiurgatíonem uerò íllorum, qui ígnauía & uicíjs ſuís dedecus nobílitatí ſuæ adferunt. In qua nos ípſi culpa ſumus, ſi uerum ínge-
nue fateri uolumus. quippe quum talem loci huíus genium habeamus, non tamen eo utímur: ſed ínuoluímus nos recti ignorãtía, perturbatíone, prauis cupiditatíbus. Quod ſi congruenter ad noſtrorum maiorum laudes ſeculi huíus uícia ínſectarí aggrediar, uehementer timeo, ne longe míhi ab inſtituto argumento excurrendum ſit. Cæterùm híſce de rebus & eſt à nobis dictum aliàs, & dicetur poſthac: niſi fortè, ut meliores aliquando mores ſumatís, in animum uobís induxerimus. Cæterùm ſi paucula quædam íjs, quæ ínitiò dícere ſtatueram, adiecero, finem dicendí faciam: cedamq; uolentíbus ſuper eiſdem rebus ſententíam dícere. Nos quidem, ſi ſic pergamus ciuitatem, ut cœpímus, regere, non uídeo quorſum pertineat cõſultare. Bellũ geremus, & ſuperabímur: & fermẽ omnia patiemur, agemusq;, quæcunq; & iam accídunt, & ſuperioríbus annís accidêre. Sín uerò commutauerímus Rempublícam, nempe ſecundum eandem ratio-
nem,

nem, quæ apud maiores noſtros fuit, ad eundem nobis modum res prouenient, quo & illis. Nimirum ex eadem adminiſtrandi ratione fieri aliter nequit, quin negocia ſimilia, multoq; proxima procedant. Operæprecium fuerit, maxima illorum & præclara facinora cum noſtris conferentes deliberare, utra nos optare præſtiterit. Facite recordemini primum ut Græci, hinc ut Barbari erga ciuitatẽ illam priſcam affecti fuerint: ut in noſtram hanc afficiantur. Græci omnes talem de illis noſtris antiquis opinionem animis induerant, ut eorũ plurimi ultrò ſeſe in eorũ fidem tradiderint. Barbari uerò adeò nõ interponebant ſe in Græciæ negocia, ut neq; magnis nauibus Phaſelidem Pamphyliç adnauigarent, nec pedeſtri exercitu Alym amnem tranſirent. ita quieti erga noſtra agitabant. Nunc uerò in eo ſunt nobis ſtatu res poſitæ, ut Græci nos oderint, Barbari cõtemnant. De Græcorum odio duces ipſos audiuiſtis. Quo uerò ſit in nos animo Rex Perſarum, epiſtolis, quas ad nos miſit, abunde declarauit. His omnibus accedit, quod olim recta inſtitutione ſic ad uirtutem ciues cõformabantur, ut inter ſe mutuo quieti, ſi qui regionem hoſtes inuaſerant, facilè congreſſi ſuperarẽt. Quanto nos contrà? nulla illuceſſit dies, quin inter nos alij alijs iniuriam damnumq; afferamus. Rem autem militarem ſic deſeruimus, ut ne ad explorandũ quidem egredi animus ſuperet, niſi mercede conductis. Et quod potiſsimũ omnium eſt, illis temporibus nullus erat ciuium, cui neceſſaria deeſſent: nec ab obuijs quibuſq; mendicans, dedecori ciuibus erat. Nunc uerò inopes plures ſunt, quàm habentes rem. quibus æquiſsimum eſt ignoſci, ſi Rempublicam alienam eſſe rati, & nihil ad ſe pertinentem, in id ſolum incumbunt, quomodo miſeram animam in diem ſuſtentent. Hæc ergo cauſa eſt, quamobrem orationem hanc apud uos habui, quod exiſtimo futuros nos haud ſolum huic ciuitati, uerùm & toti Græciæ ſaluti, ſi noſtrorũ maiorum facta fuerimus æmulati. Vos uerò hiſce omnibus ſedulò expenſis, ſtatuite quod ciuitati utiliſsimum fore exiſtimetis.

ISOCRATIS AREOPAGITICÆ ORATIONIS
Io. Lod. Viue interprete, finis.

ISOCRATIS NICOCLES, SIVE AVXILIARIS, IOANNE LODOVICO VIVE interprete.

REX NICOCLES LOQVITVR.

DICENDI artem qui improbent, & ſapientiæ aſſectatores probris inſectẽtur, nõ deſunt: prætexentes, illos haud eiuſmodi deditos eſſe ſtudijs, uirtutis cauſa, ſed quæſtus. Equidem eos, qui ſic ſentiunt, perlibens interrogarim, quamobrẽ illis maledicant, qui ſtudent bene dicere: quũ adeò cõmendent eos, qui conantur recte agere. Nam ſi quæſtu pecuniæ offenduntur, maiores certe quæſtus ex actionibus factos, quàm ex dictionibus, literisq;, comperimus. Tum & illud abſurdum eſt, ſi ignorãt, nos neq; in hunc finem uel deos colere, uel iuſtitiã exercere, uel aliarum ſtudijs uirtutũ occupari, ut inopiores quàm cæteri, imò uerò quo in maiore bonorum copia uiuamus. quocirca non ea ſunt opera culpanda, quibus aliquis uirtute ſocia locupletior euadit: ſed homines, qui eiuſmodi agendis peccant, ij demũ reprehendendi ſunt. Veluti qui oratione fallunt: nec ea, ſicuti cõuenit, utuntur. Ego uerò profiteor me mirari, ſi nõ & ij, qui in illa ſunt ſententia, & diuitijs, & robori, & fortitudini conuitium faciant. Nam ſi propter falſos mendaceſq; eloquentiæ

sunt infensi, par est eos cætera quoq; bona condemnare. Quoniam per hæc & deliquisse complures constat, & nocuisse permultis. Sed profectò æquum non est, ut propterea uires accusent, quod quis obuium pulsarit: aut fortitudinẽ, quod occiderit. Denicq; hominũ delicta rebus ipsis imputanda non sunt. ipsi potius homines arguendi, qui quidẽ bonis abutuntur, quicq; ciues suos ijs rebus pergũt lædere, quis possent magnopere cõmodare. Verùm non sic agitur. Nam isti hoc è rebus discrimine sublato, in omne disciplinarum genus, sermonisq;, pectus ulceratum gestant: tantumq; est illorum peccatũ, quanta ignoratio, ipsos illi esse rei inimicos. quæ ex omnibus, quæ sunt in humana uita, plurimorum est bonorum author. Nihil enim cæteris naturæ dotibus à brutis animantibus separamur. Quid quòd & robore & celeritate inferiores sumus, alijsq; cõmoditatibus permultis? Verùm insita nobis ui quadam inuicẽ persuadendi, explicãdiq;, quæcunq; uisum fuerit, simul beluinã uitam exuimus, simul cõgregati ciuitates cõdidimus, & leges inuenimus, & artes excudimus: ut semel finiam, in omnibus penè, quæ à nobis sunt excogitata, sermone sumus usi administro præcipuo. Hic enim de iustis, deq; iniustis, de turpibus atq; honestis leges sanxit. quibus nõ constitutis, haud posset cõmunio constare hominum inter se. Sermone reprehendimus malos, & eodem laudamus bonos, per eum instituimus rudes, ac de cordatis experimentum sumimus. quippe dicere, ut oportet, maximum nobis argumentum solidi iudicij præbet. Quin etiam sermo uerus, legitimus, æquus, bonę mentis & sincerę fidei simulachrum est. per hunc & de controuersijs disceptamus, & de incognitis consultamus. Quippe argumentis, quibus fidem alijs dicentibus habeamus: eisdem ipsis utimur, quum rogati respondemus. Et oratores quidem nominamus, idoneos ad multitudinem dicere. Prudentes uerò existimamus, qui inter se de negocijs optimè disserunt. Quod si aliquid de sermonis uirtute in uniuersum pronunciandum est, nihil de sapienter excogitatis citra sermonis operam extitit. Etenim operum cogitationumq; omnium dux ille est. & cordatissimus ut quisq; est, ita sermone plurimũ atq; appositissimè utitur. Quocirca ij, qui conuicium in eruditos ac sapientiæ studiosos nõ reformidant iacere, haud aliter odio sese dignos exhibent, quàm qui deorum imagines contemerant. Equidem tantum absum ab illorum mente, ut etiam eos sermones complectar, qui uel tenuissimam nobis utilitatem adferunt. Sed illos pulcherrimos esse duco regeq; dignissimos, ac imprimis meipso, qui ad priuatas pertinent publicasq; functiones. Et ex ijs maxime illos suspicio, qui tum principes monent, quemadmodum subditis utantur: tum subditos quo pacto sese debeant in principes gerere. quoniam ab ijs uideo ciuitates tum amplissimas, tum fortunatissimas, fieri. Cæterùm præceptiones illas, quemadmodum regnum administrandum sit, audistis ab Isocrate. has alteras, quid facto sit opus ijs, qui sub regno degunt, ipse in præsentia conabor exprimere, non hac fiducia, ut dicendo Isocratem uincam: sed quia maximè me decet, hisce de rebus apud uos uerba facere. Nam si mente ac uoluntate mea uobis non declarata, uos contra sententiam animi mei quicquam committeretis, æquum non esset me uobis succensere. at uerò ubi præmonuero, quid uos agere conueniat: tum optima causa de eo, qui non paruerit, licebit mihi conqueri. Existimo eam esse expeditissimam ad uos exhortandos uiam, & qua non modo memineritis, quæ dicta fuerint, sed etiam ijs obtemperetis, si non suasero solum: atque ita præceptis uelut enumeratis, uos dimisero: uerùm exposuero quoq; quàm æquum sit, ut præsentem ciuitatis statum diligatis, non tantum ob necessitatem, nec quia perpetuò est nobis in illo uiuendum: sed alijs etiam de causis. Principiò, quoniam cætera regimina antecellit: tum quod ego principatum obtineo non illegitimum, non alienum, sed iure sancteq;, cùm ex maioribus meis, tum uerò ex patre meo, & ex meipso. Hæc si quis considerarit, haud dubium, quin ipse se permagni damnaturus sit criminis, si monitis ac iussis meis non auscultauerit. Et quantum ad Respublicas, in quibus summa est populi potestas, attinet (hinc enim exordiendum censeo) graue mea sententia omnibus illud uidebitur, nullam fieri inter probos atq; improbos distinctionem dignitatum. At æquissimũ atq; humanissimũ, istos discerni, nec dissimiles accipere similia: sed cum unoquoq; sic agi, ut dignus est. Porrò principatus siue paucorũ, siue populi, omniũ exæquationes quæ-

runt

rum eorum, qui in Republica uersantur. idq; maximopere ipsis probatur, si sic res uniuersæ constitutæ sint, ut nullus excellere alterum uel honore queat, uel dignitate. Id uerò nullis utilius est, quàm malis. At regnum, & unius principatus, ad hunc modum singula dispensat, ut plurimum ferat optimus: proximus huic merito, sit etiam proximus præmio: tertius, tertio loco: & in cæteris, prout demeritus quisq; est. Fortasis nō in omni Repub. sic res habent, sed certè hoc est reipublicæ institutū & finis. Quocirca nemo est acutus rerum æstimator, qui expensis hominum actionibus atq; ingenijs, non Reipublicæ regnum anteponat. Enimuero quis homo prudens, particeps eiusce Reipublicæ uelit esse, in qua eum sua probitas non plus extollat, quàm quemuis è uulgo; nempe quum sit quantumlibet bonus, ignotus tamen. Regnū igitur tanto censendum est præcellentior & iustior Principatus, quanto promptius est unius sententiæ morem gerere, quàm tot ac tam uarijs ingenijs iudicijsq; satisfacere. Puto apertum ex his fieri, quantum unius imperiū iustitia, cōmoditate, facilitate, præstantius sit. Iam ut superet quoq;, siue consultandum est quid, siue agendum, ex ijs, quæ conducunt, licebit perspicere, si maxima & præcipua opera inter se collata perpenderimus. In populari ciuitate, qui suo anno magistratum suscipiunt, ad Rempub. admouentur ignari prorsus, quemadmodum ea moderanda sit. At Reges quum in eadem dignitate perseuerēt, etiam si qui sint ingenio tardiore, experimentis tamē fiunt prudentissimi. Adde, quòd magistratus in Repub. multum hominum curam non gerunt: uidelicet eorum quos nec minori putant esse dignitate, nec potentia, quàm ipsi ijdem sint. rex uerò nihil prætermittit, quum sciat ad se unum curam omnium pertinere. Adhæc qui in Rebuspublicis uersantur, sæpenumero propter cōtentiones honorum, publicas utilitates corrumpunt. Reges quū nullas habeant de Principatu æmulationes, unumquodq;, quàm optime possunt, administrant. Præterea communes magistratus multa reipublicæ negocia prætermittunt. primum, quòd optimam temporis partem priuatis rebus impartiuntur: tum, ubi in consilium uentum est, frequentius eos uidere est dissentientes, quàm consulentes in cōmune. At reges neq; cōsilia habent definita, nec designata tempora: sed noctes & dies licet eis de publicis rebus cōsultare ac statuere. ne qua elabatur occasiuncula faciendi quod sit in rem subditorū. Accedit his, quod populi magistratus pessime sunt inter se animati: uelletq; eorum quisq; pernicioſe ciuitatem, & ab ijs magistratibus qui præcesserunt, & ab ijs qui succedent gubernari, quo maior ipsis per aliena flagitia gloria quæreretur. Reges uerò tota uita domini, eundem affectum continenter habent. Et quod omniū caput & potissimum est, populares moderatores alij in Reipublicæ curam intenti sunt, ut alienæ: alij quod sperent inde rem suam priuatam auctum iri. & selecto ex uniuersa multitudine audacissimo quoq;, hunc sibi in consilium adhibent. At Reges spectatissimis sapientia consiliarijs utuntur, magnisq; illos afficiunt honoribus: tum eos qui pollent facundia, tum negocijs obeundis aptissimos. Neq; uerò in rebus, quę domi, quæq; in pace aguntur, tantum antecedit regnum cōmunes administrationes: sed in bello omnia sunt regi, quàm Reipublicæ cōmodiora. uidelicet copias parare, ijsq; uti, ut occultes omnia, quum uelis: & simul collibitum sit, proferas: ut alij ultro imperata faciant, alij quum usus poscat cogantur: & ab his emas necessaria, alijs curanda loces. Si quis non habet uerbis fidem, at rebus habeat. Quis est, qui quantum sit Persarum imperium, ignoret: at illud non ad eam magnitudinem sapientia uirorum prouectum est, sed consensu parentium uni regi. Præterea Dionysius Syracusanus, quum reliquam quidem Siciliam uexatam uastatamq; susceperisset, patriam uerò etiam obsessam, ipse non modo Syracusas præsentibus periculis exemit, sed supra cunctas Græcas urbes euexit. Accedit huc, quod Carthaginēses & Lacedæmonij, qui habere dicūtur Respublicas optime inter Græcos omnes institutas, domi quidem paucorum gubernatione degunt: at militię Rex unus imperat. Licebit & ex ciuitate Athenienſi argumentum sumere: quæ una super cæteras uehementissimè nomini regio aspera atq; infensa est. Hæc uerò quoties in bellum multos imperatores mittit, res eius infeliciter cedūt: quū aūt ab uno bellum administratur, superiora errata corrigunt. Qui poterit apertius, quàm per ista exempla demōstrari, quantū monarchia sit Reip. preferenda? Videtis sub perpetuo regno maximā

potentiam:& apud eos, qui aptissime per paucorum administrationẽ reguntur, quum militatũ proditur, uni omnes parêre, uel imperatori uel regi. & quibus regnũ atroci est odio,quum multos ad bellum pari potestate mittunt, magna detrimenta accipi. Quòd si licet aliquid ex uetustate repetere, traditũ est, deos immortales regno Iouis subditos esse.id si uerum est,apparet illos regium imperium potius censere,quàm populare,idq; si antea fuerat dubitatũ,fiat iam planum testibus atq; authoribus dijs:qui Ioui dicto audientes,profitentur præstare unum omnibus imperare,quàm multos.Sed quot sint Rerumpublicarum species rationesq;, nec inuentu facile est, nec explicatu. & quæ de illis sunt à nobis in præsens dicta sufficiunt. Nos uerò quàm congruenter principatum obtineamus,dicendum iam est tum breuius,quàm cætera recensuimus:tum etiam uerissime,quęq; sint omnibus in confesso.Ecquis uel fando non audiuit Teucrum authorem nobilitatis nostræ adiunctis secum maioribus aliorum ciuium huc nauigasse: ipsisq; & posuisse ciuitatem, & regionem distribuisse? patremq; meum Euagoram alijs principibus uarijs casibus absumptis, post superata pericula principatum recepisse? quod ita in posterum firmauit,ut ne unquã amplius post id temporis Phœnicibus seruierimus:sed ad eam familiam rediret regnum, quæ huic insulæ imperare cõsueuisset. Reliquum est, ut de meipso,quemadmodum promisi, nõnulla loquar: uerecundè quidem,sed tamen uere,fiducia sumpta de conscientia.ut intelligatis talem uobis esse regem, qui non modo ex progenitoribus,sed ex seipso & hac dignitate,&(si licet dicere)aliquanto maiore haud quaquã sit indignus. Equidem sic existimo iustitiam & moderationẽ primum inter uirtutes locum,sententia omniũ,obtinere.Siquidem illæ non per se tantum sunt nobis utiles,sed si naturas rerũ ac uires ususq; negociorũ dispexeris, inuenies,quæ procul ab his absunt uirtutibus,grauissima damna hominibus afferre.quæ uerò his sint temperata atq; cõdita,dici non posse quantũ iuuent humanã uitam.Quod si aliquos ex maioribus nostris de hisce uirtutibus admiramur, opinor & ab hac laude non oportere me alienum censeri.Iustitiã meam quidem hinc potissimũ æstimetis uelim.Nam quũ obuenisset mihi regnum primũ pecunia exhaustum,regijs opibus penitus consumptis: deinde perturbatis negocijs,ut his maxima cura & custodia esset opus: quũq; intellexissem alios in eiusmodi temporibus quauis ratione ac uia suis priuatis cõmodis solitos consulere, adactosq; multa contra suum ipsorum ingenium admittere, nulla me tamen istarũ rerum corrupit, quominus sancte ac legitime singula regis munera obierim. nihilq; ex his prætermiserim,quæ ad incrementa ciuitatis & felicitatẽ pertinerent.In ciueis autem tali sum usus mansuetudine, ut neq; exilia, neq; cædes, fortunarum neq; direptiones, neq; aliam calamitatem ullam sub principatu meo quisquam uiderit.cumq; nobis esset ob bellum, quod tunc inciderat, clausa Græcia, & nos undiq; expilaremur: ego tamen plurima ex his damnis resarsi: alijs tantundem largitus, quantum amiserant: alijs bonam partem.ab alijs rapta precibus recepi:cum alijs,sicut potui,in gratiam redij.Præter hæc omnia, quum incolæ insulæ huius grauiter essent erga nos animati, & Rex Persarũ sub amicitiæ specie male aduersum nos cogitaret:utrunq; incommodum sustuli, & Regi obsequentem me, & subditis iustum præbendo. tantumq; absum à cupiditate alienæ ditionis,quantum alij si uicinos habeant paulo imbecilliores,subigendi illorum occasiones quæritãt.Ego uerò dedentem sese mihi regionem recusaui, satius ratus, solam meam per iusticiam possidere,quàm per iniuriam multo ampliorẽ.Sed nihil uideo necesse esse circa singula immorari, præsertim quum generatim atq; uniuerse liceat mihi dicere. Et quidem quum nullum mortalium iniuria affecerim, plures tamẽ & meorum ciuium & cæterorum Græcorum beneficijs ac maioribus congiarijs donisq; prosequutus sum,quàm reges alij,qui ante me fuerũt. Decet enim eos qui de iusticia gloriantur, quiq; pecuniæ uideri contemptores cupiunt,habere magnifica hæc,quę de seipsis,quũ res postulet,possint prædicare.Cæterùm de temperantia illud amplius his,quę audiuistis,referam:quod quũ intellexissem homines omnes liberos,& uxores maximi facere, grauissimeq; inflammari,si qua his sit allata uis aut iniuria, eamq; sæpenumero magnorum malorum esse originem,ac permultos tum priuatorũ tum etiam principum ea de causa pessum iuisse: sic semper tanti mali seminarium deuitaui, ut ex quo regnum adeptus

ptus ſum,fœminam nullam,præter uxorem meam attigerim. haud ignarus,illos ab omnibus comprobari,qui alienis rebus minime iniurij,ex priuatis ſibi legitimas parant uoluptates. Itaq; illa omni tempore laboraui, ſimul ut quàm longiſsime recederē ab eiuſmodi ſuſpicionibus, ſimul ut mores meos uelut exemplum proponerem ciuibus meis ad imitandum: edoctus in ea ſtudia multitudinem propenſam ruere, quæ uident ſuis principibus placere. Tum & congruere arbitratus ſum,hoc debere reges priuatis hominibus eſſe meliores,quanto & præcellunt dignitate:remq; illos facere indignã,qui ſubditos ſuos quũ cogant honeſte uiuere, ipſi tamen non præbent ſe illis moderatiores. Poſtremo, cætera quidem aſpera & dura facilè quum uiderem,pleroſq; hominũ æquabiliter tolerare:affectus uerò erga liberos & uxores etiam in uiris optimis ualidiſsimos ac impotentes eſſe, ut illis obſiſtere nõ queant, ſtudui in iſtis me temperantem oſtendere. in quibus nõ ſolum uulgum ſuperare contendi,ſed uiros quoq; inclytos uirtute. Damnaui præter hæc omnia flagicioſam illorum prauitatem,qui quum uxores duxiſſent,in uitæ totius cõmunionem:non ijs contenti,quę cœlibes patrauerant,etiam propriis ſuis uoluptatibus uxores mœrore afficerēt. à quibus uxoribus ſi quid illis ſubaſperum contingeret,grauiter indignarentur. Quumq; in reliqua uitæ cõmunione perquàm cõmodos ſe exhiberent,in uxores tamen eſſent perincommodi,in quas tanto conuenit uiros eſſe leniores & tractabiliores,quod illæ in ſecretiſsimis uitæ noſtræ nobiſcũ agunt,plurium & potiorum rerum noſtrarum participes. Ita fit,ut frequenter in ipſis intimis aulis ſeditiones ignari alant,& diſſenſiones poſt ſe relinquant. Decet eos qui regnum recte adminiſtrant,non modo ciuitates,quibus præſunt, in concordia continere: ſed ſingulas quoq; domos, denicq; loca omnia, quæ incoluntur. Hæc enim uniuerſa iuſtitiæ ſunt & moderationis opera. Circa liberos uerò nec in eadem ſententia ſum, qua plericq; omneis Reges: nec conuenire mihi cenſeo, alios ex humilioribus fœminis tollere, alios ex generoſioribus,ut hos quidem relinquam nothos, illos uerò legitimos. Id magis nauabo operam,ut pari ſint mihi omnes nobilitate, & paterna & materna, referētes genus ex mortalibus quidem in Euagoram parentem meum:ex Heroibus,in Æacidas: ex diis immortalibus, in Iouem. nec ullus ex me genitus, quantum à me præſtari poterit,hoc carebit ſanguinis decore. Et quum alia permulta adhortantur me, ut in cœptis uirtutum ſtudijs inſiſtam:tum nihil ualidius, quàm quod cerno & fortitudinẽ & fortunam,& alia in uulgus probata,multis quoq; malorum hominum contingere. Iuſtitiam uerò,ſapientiam,animi moderationem à ſolis bonis atq; excellentibus uiris poſsideri. Quocirca pulcherrimum duxi eſſe,ſi quis uel cæteris neglectis rebus,has tamen uirtutes nanciſcatur,non habiturus eas cum improbis hominibus communes. quum ſint tamen præclariſsimæ, firmiſsimæ, maximæ, ſummis & ſingularibus præconijs multo digniſsimæ. Hæc conſiderans accuratius continentiam & iuſtitiam exercui, quàm reliqua omnia. hasq; antepoſui uoluptatibus nõ illis modo, quæ ex operibus nullius precij ueniunt:uerùm etiam ijs, quæ ex gloria per ſtrenuitatẽ parta proficiſcuntur. Experimenta uerò uirtutum nõ ſunt ex ipſarum tantummodo naturis ſumenda,ſed ſic potius. In difficultate rei familiaris exploramus iuſtitiam, in potentia moderationem, in iuuenta robur. In his ego omnibus occaſionibus ingenij mei documenta dedi. Siquidem relictus à patre pecuniæ indigus, eam iuſtitiam præſtiti, ut nemini nocuerim ciuium. Inito principatu ex ſumma rerum omnium licentia continentiorem me, quàm priuatos experti eſtis. & utrunq; horum feci ea ætate, quæ in plurimis hominum circa res uitæ parum inſtructa eſſe, aut uti conſilio ſolet. Verùm hæc ipſe ſuperſediſſem dicere, ſi apud alios uerba facerem:non quod laudem fugiam, ſed quod dicta forſitan fidem non inuenirent. Vos uerò eorum, quæ dixi, teſtes habeo. Quapropter quum eos, qui à natura ſunt ad uirtutem compoſiti, laudari atq; admirationi eſſe par eſt: tum uel præcipuè illos, qui uirtutem ex inſtituto & propoſito capeſſunt. Nam qui caſu, & non conſulto, bene agunt, caſu etiam à uirtute diſcedunt. qui uerò adulti iam illud obfirmant atq; infigunt animis, maximum bonorum omnium eſſe uirtutem, indubie per totam uitam in eo propoſito perſiſtunt. Idcirco tam diffuſe & de meipſo, & de alijs ſicuti audiuiſtis,permultis locutus ſum: ne quis reliquus fiat prætextus,quominus oporteat

uos libentes alacresq; quæ ego præscripsero, quæq; suasero, exequi.

ERGO præcipio, ut unusquisq; quod sibi munus obuenerit, id diligenter ac fideliter obeat. quorum si alterutrum desit, negocia ut prauè gerantur necesse erit. Nihil ergo ex his, quæ dixero, prætermittatis. Est enim unumquodq; uelut cuiusdam corporis pars, quod sine ea constare non potest. Itaq; tanta est singulis cura adhibenda, quantum illud ipsum totum curatum uobis expedit.

Et mea ipsius non alio habete loco, quàm uestro. Neq; exiguum censueritis bonum, honorem: qui ad illos redit, qui res nostras bona fide administrant.

Ab alienis manum continete, ut uestras ipsorum fortunas tutius possideatis.

Tales oportet uos alijs exhibere, qualem me cupitis erga uos.

Ne laboretis ditescere potius, quàm bonam uobis æstimationem parare: haud ignari, & apud Græcos, & apud Barbaros, illos qui optime de uirtutibus audiunt, ingentibus bonis præfici.

Emolumenta, quæ per iniuriam quæruntur, ne diuitias credatis esse, sed pericula.

Nequaquã existimandum est, accipere esse lucrũ, & damnũ expendere. nam utrunq; horum ex uirtute æstimandum est, non ex seipso.

Nihil ex iussis meis graue sit uobis. quotquot enim utilissimos se mihi præbent, ij quoq; ex ea re uberrimos capiunt fructus.

Nemo uestrûm existimet, uel cõscientiam suam clam esse. nam etsi corpore uestris actibus absum, animo tamen putate me semper præsentem esse. Quæ cogitatio si apud animos uestros ualeat, sapientius uos & moderatius geretis.

Nihil celaueritis, seu possidetis quid, seu facitis, seu meditamini: scientes, metum sem per earum rerum, quas occultare concupiscitis, comitem esse.

Ne uafrè, aut tectè uersemini inter ciues. sed ita simpliciter atq; aperte, ut nemini faci le sit uos calumniari, licet maxime affectet.

Singulas actionum perpendite. & illas existimate reprobas, quas uelletis me celare: illas autem probas, quæ si ad meas aures peruenerint, meliores uos de illis ipsis iudicauero.

Ne reticeatis, si quos cognoueritis male erga principatum meum affectos: sed hos obiurgate. atque arbitramini eodem teneri crimine & peccantes, & eos à quibus occultantur.

Felices iudicate non eos, qui si quid peccauerint, non deprehenduntur: sed eos, qui nihil peccant. Et hos dignos esse, pro meritis præmio: illos uerò pro delictis supplicio.

Cœtus & congregationes, citra meam approbationem, nullas celebrate. tales enim conuentus, ut non sint in Rebus publicis inutiles, certè in regnis periculosi sunt.

Non solum à peccatis est uobis abstinendum, sed ab ijs etiam exercitamẽtis, quibus necesse est suspiciunculam aliquam subesse.

Amicitiam meam tutissimam, & maxime stabilem existimate. colite q; præsentem rerum statum, nec rebus nouis studeatis: nõ ignorantes, per eiusmodi rerum mutationes interire ciuitates, & priuatas domus funditus concidere.

Nemo uestrûm putet, Reges aut commodos aut incommodos ex sua ipsorum natura magis fieri, quàm ex subditorum moribus. multi enim propter subditorum uicia, coacti sunt asperius regnum administrare, quàm suum ingenium ferebat.

Fidite non tam meæ mansuetudini, quàm uestræ uirtuti. & me tutum agere, hoc demum uestrum esse munimentum ducitote. Vt enim res meæ sese habuerint, sic habebunt & uestræ.

Imperio meo morigeros atq; obsequentes uos præbete, ac ferte animis æquis regios mores, legesq; à me datas custodite.

In publicis ciuitatis functionibus, ijsq;, quæ à me fuerint constituta, pro magnificis atq; splendidis facite.

Iuuenes ad uirtutem exhortamini, non monitis tantum, sed exemplis uestrarum actionum: monstrantes, cuiusmodi deceat esse uiros bonos.

Docete liberos uestros modeste sub regno uiuere, atq; illos huic rei assuefacite. Nam si parẽ-

ſi parére prius didicerint imperio, multo dexterius poterũt deinceps imperare. Quũcq; euaſerint æqui ac fideles, participes erunt noſtræ fortunæ. ſin uerò euadant mali, de ſua quoq; in periculum uenient.

Maximam & ſtabiliſsimam hæreditatem putate uos filijs tradituros, ſi illis meam beneuolentiam reliquerítis.

Infortunatiſsimos ac miſerrimos cenſete illos, qui fidentibus fidem non ſeruant. Oportet enim eiuſmodi homines deiectis animis perpetuam uiam agere, non amicis magis, quàm inimicis confiſos, ad omnia ſemper pauidos.

Æmulamini nõ locupletes, ſed eos, qui nullius maleficij ſunt ſibi ipſis conſcij. Nam hæc demum eſt uita iucundiſsima, quæ per tranquilliſsimos affectus traducitur.

Ne crediderítis poſſe uos plus à malicia, quàm à uirtute adiuuari. ac reputate, non de nihilo eſſe nomina rebus indita: taleq; eſſe quicq;, quale nomen ſortitum eſt.

Ne inuideatis ijs, quos ego ad ſumma euexi loca: ſed labore ac diligentia cõtendite, ut illis exæquemini. Conuenit uos & illos amare, quos ego amo: ut eadem à me conſequamini, quæ & illi.

Talia me abſente cogitate, qualia dicitis præſenti.

Beneuolentiam erga me operibus magis declarate, quàm uerbis.

Ne alijs ea feceritis, quæ ſi uobis fierent, ægrè ferretis.

Quæ in ſermonibus reprehenditis, hæc operibus ne exequimini.

Expectate talia uobis euentura, qualia de nobis cogitatis.

Ne ſufficiat uobis, bonos laudaſſe: imitamini quoq;.

Sermones meos legem eſſe exiſtimatote, quã ut cuſtodiatis, annitendum uobis eſt: ac ſcitote, ijs qui fecerint, quæ ego uolo, facultatem affore uiuendi, ut ipſi uolent.

Summa dictorum omnium hęc eſto: cuiuſmodi cenſeretis debere in uos eſſe ueſtros ſubditos, tales decet uos ipſos præbere erga meum principatum.

Quæ ſi feceritis, quid opus eſt, multis uerbis explicem, quanti fructus cõſequentur? Nam ſi ego talis eſſe pergam, qualem hactenus ſenſiſtis: & uos ſic in poſterum audientes dictis ſitis, quemadmodũ hucuſq; uidebitis profectò breui tempore & auctas fortunas ueſtras, & principatum meum condecoratum, & felicem uniuerſam ciuitatem.

Et quum talium bonorum gratia nullus labor recuſandus eſſet, nullum periculum deberet uideri formidandum: tamen uobis licet citra moleſtiam omnem, iuſtitia ſola & fide, cuncta, quæ diximus, pleniſsimè præſtare.

ISOCRATIS NICOCLIS IOAN. LODOVICO VIVE interprete, finis.

Io. Lodouicus Viues Ioanni tertio

Luſitaniæ & Algarbiorum Regi inclyto, Domino Guineæ, &c. S. D.

MAIORVM præclara facinora ut nobilitatem poſteris ſuis adferunt, ita etiam neceſsitatem ingentẽ, ne ab illis degenerent. Nec aliud uidentur eſſe quàm notæ quædam generoſi ſeminij, ut ſciant omnes, quid ab illis debeant expectare, ac quaſi repoſcere ſuo iure: quod in mutis animantibus & ſtirpibus uidemus paſtores atq; agricolas facere, ut uel oues uel arbores egregias inſigniant: fœtumq; earum pro certo habeant peculiaris cuiuſdam & excellentis præter cæteros uirtutis futuros. Equidem cũ in tuorum maiorum res geſtas intueor, quæ omnes in te unum ſunt collatæ atq; impoſitæ, magno atq; acerrimo iudicio, diligenti uigilantia, & cura opus tibi fore uideo, ut illas non

ſuſtineas modo, ſed quod ab ſpecimine tuæ uirtutis paſsim requiritur, auctiores ad poſteros tuos & ſplendidiores trāſmittas. Auſi ſunt progenitores tui Luſitania egreſsi noua maria, nouas terras, noua atq; incognita ſidera ſcrutari: primū litus Atlantici maris deiectis inde Agarenis occuparunt. Euecti longius ultra uiam ſolis penetrarunt ad orbem nobis aduerſum, permenſi mare notionale ſub Æthiopia: hinc ad mare rubrum, adq; fauces Perſici ſinus munierūt ſibi arces. Tranſgreſsiq; ſupra oſtium Indi fluminis, in feraciſsima & beatiſsima Indiæ totius ora ius ſibi & ditionem quæſiuerunt. Oſtenderunt nobis uias cœli ac pelagi nunquam antea ne fando quidem auditas: populos nationesq; ut ritu ac barbarię admirabiles, ita etiam ijs opibus, quas tantopere affectus noſtri ſuſpiciūt: planè generi humano ſuus eſt orbis patefactus: ut ueterū peregrinationes, quas fama in cœlum euehit, nemo ſit adeò ignarus rerum, qui cum his cenſeat comparandas, ſiue magnitudine uiarum, ſiue difficultate itinerum, ſiue prolatione rerum inauditarum, quę tam uehementer facie, conſuetudine, more à noſtris abhorrerent. Sed hæc omnia longe antecellit propagata longe & late pietas noſtra tanta cum gloria Chriſtiani nominis, tanta cum utilitate eorum, quos ſubegiſtis, ut meliore ſint illi conditione, quia uicti à uobis, quàm uos, quia illos uiciſtis: nam uobis quid aliud his uictorijs partū eſt, quàm ut in quærendo, ita in conſeruando ſtudium, & labor, & difficultas negotij? Grande propoſitum eſt Chriſtianis principibus exemplar, quod æmulentur, hęc demū eſſe induenda arma: huiuſmodi quærendas uictorias, in quibus uictores ſibi uincāt & Deo, uicti perpetuò ſe eſſe ſuperatos lætantur: quandoquidem ex uictoria ſui tam ampla ad eos ipſos emolumenta reuertuntur, & in illa Aſia uel Africa non de agello quopiam uel ciuitatula ingenti uirium apparatu & mole dimicare, ſed de latiſsimis prouincijs & regnis: ut maxima orbis totius pars præmium eſſet fortunæ belli. Maioribus quidem tuis qui hæc tanta ex tam paruis initijs fecerunt gratulandum eſt iam ampliſsimā tot laborū & tam indefeſſæ uirtutis mercedem conſecutis: tibi uerò prima huiuſce curſus ſpatia ineunti nō tam eſt gratulandū, quàm cohortandus es, ut quod reſtat, alacriter decurras, eiſdemq; ueſtigijs ad pulcherrima facinora inſiſtas, quibus illi ipſi, quorū intra domeſticos parietes habes exemplum. Conſeruanda ſunt tibi, quæ accepiſti, eiſdem artibus, quibus illi parauerunt, diligentia, induſtria, manſuetudine, magnanimitate, magnificentia, conſtantia, fide: ut quemadmodum nos ad uirtutem te progenitorum tuorum excitamus, ita minores tuos poſteri ad te imitandum erigāt, & exhortentur: quod futurum ſperamus de quibuſdam tuis actis, quæ iam iſta ætate uelut experimentum tui ædidiſti, cùm aliarum rerum quæ dignæ ſunt uiro principe, tum uerò ſanctæ ac incorruptæ iuſtitiæ, & cū opus eſt, ſeueræ quoq;, & inflexibilis: qua perfeciſti, non iam quod multis in locis ſolet fieri, hominibus ſeruiant leges, & iura: ſed ut legibus & æquitati homines obtemperent, ac ſeruiant, quo ſint liberrimi. Hic ipſe ingenij tui guſtus, ne tu tibi admodum placeas, quaſi pignus eſt ad omnes tuos, quo magna deinceps & pulcherrima opera tanquā debitum à te repetent, moleſti appellatores futuri, niſi in tempore, quæ debes, repræſentes: fauor etiam iſte tuus erga literatos, & literas, quemadmodū in ſapientiam & cultū ingenij ſis affectus, teſtatur. Neq; uerò nuda eſt iſtæc beneuolentia, & ſterilis, quemadmodū apud pleroſq; principū, qui ſatis abundeq; ſeſe rentur feciſſe, ſi laudent, aut ſe bene cupere fateantur. Adiungis benignitatem, atq; adeò pro regijs opibus magnificentiā. Teſtis eſt Lutetia atq; alię Academiæ, in quibus tot ſcholaſticorum agmina de tuo aluntur. Nimirū faues tui ſimilibus, faues futuris tibi magno uſui. Iuſtiſsima de cauſa iactatū eſt illud per Hiſpaniā, nullū eſſe patremfamiliâs Emanuele parente tuo prudentiorē, qui neminē in familia ſua uacare officio uoluit, filioſq; ſuos torpere otio non eſt paſſus: omnes, quod principes decebat, & rei militari aſſuefecit & ſtudijs literarum. Tum intelligis quanta ſit inter principes & eruditos nomines munerum conſenſio: ut non ſint duo hominum genera, quæ amica inter ſe magis & cōiuncta eſſe conueniat: ut alterū ab altero fulciatur, & quaſi mutuum inter ſe auxiliū præbeant. Sunt utriq; ciuitatibus & populis à Deo tributi, ut bene illis cōſulant, eruditi præceptis, principes edictis & iuſſu, ambo exemplo ſui. Eruditio quiete indiget, quā præſtat regia poteſtas: hæc uerò conſilio ad molem tantarum rerum tractandam, quod præſtant docti

pruden-

prudentia ex disciplinis collecta: ut appareat si alterutris alteri desint, exequi eos munus suum ac tueri non posse. Talis tui & eorum, quos enutris, erit consociatio officiorum, ut tu illorum peritiam, illi tuam potentiam adiuuent, & sustentent: quod erit libera litatis tuæ pretium amplissimum. Nam quos audias alios rectius, aut quorum uel accuratioribus uel fidelioribus utêris consilijs, quàm illorum, qui beneficio tuo tales euaserunt, ut adesse tibi maximis de rebus deliberãti meritò possent? Hæc tua summa adeò & singularis in literas & literatos uoluntas adduxit me, ut libros, quos nuper de disciplinis conscripseram, nuncupare tibi non dubitarem, hoc est, de rebus, quas tibi multo esse gratissimas omnes scimus: ut si placere opus tractatione non possit, inscriptione saltem placeat. Vale Brugis, Men. Iulio. anno M. D. XXXI.

PRIMA PARTE CONTINENTVR SEPTEM Libri de Corruptis artibus.

Primo Libro, de Corruptis artibus in uniuersum.
Secundo, de Corrupta Grammatica.
Tertio, de Corrupta Dialectica.
Quarto, de Corrupta Rhetorica.
Quinto, de Corrupta Philosophia naturæ.
Sexto, de Corrupta Philosophia morum.
Septimo, de Corrupto Iure ciuili.

SECVNDA PARTE LIBRI DE TRADENDIS Disciplinis, siue de Doctrina Christiana, quinq;.

TERTIA PARTE DE ARTIBVS Libri octo.

De Prima Philosophia, Libri tres.
De Explanatione essentiarum, unus.
De Censura ueri, duo.
De Instrumento probabilitatis, unus.
De Disputatione, unus.

Io. Lodouici Viuis Valentini in libros de Diſciplinis, Præfatio.

COGITANTI mihi nihil eſſe in uita uel pulchrius uel præſtabilius cultu ingeniorum, quæ diſciplinæ nominantur, qui nos à ferarum ritu & more ſeparat, humanitati reſtituit, & ad Deum extollit ipſum, uiſum eſt de illis, quantum ipſe quidem aſſequerer, literis mandare: idq; alia, niſi fallor, ratione, quàm plerique maiorum noſtrorum fecere: primum ita aperte ac dilucide, ut percipi facilè, ac teneri poſſent, quæ dicerem. Tum ad naturam rerum, quoad præſtare potui, congruenter: ut libeat ingenio cum delectatione aliqua illas cognoſcere. Fructus quoq; redeat ad diſcentes amplior, nam uſui accommodaui illas, quo ad huiuſmodi ſtudia generoſa inuitarentur ingenia: nitorem præterea ſermonis addidi aliquem, & quòd non expediret res pulcherrimas ſordide ac ſpurce ueſtiri, & ut ſtudioſi elegantiarum literarum non perpetuò in uocum, & ſermonis cognitione adhæreſcerent: quod hactenus ferè accidit, tædio nimirum infrugiferæ ac horridæ moleſtiæ, quæ in percipiendis artibus diutiſsime erat deuorãda. Itaq; uenietur paulatim ad utilitatem doctarum linguarum, quas ideo tanta diligentia paramus, uel quia diſciplinas continent, uel quia ſunt illis cõtinendis idoneæ. Conatus ſum etiam artes ab impijs ſcrupulis repurgare, atq; à gentilitijs tenebris ad lucem traducere pietatis noſtrę: ut quod olim ueteres illos ſcriptores fefellit, non id factum humani ingenij uitio, ſicut nonnulli arbitrantur, ſed illorum oſtendam. Ideoq; rationes attuli petitas ex natura, non è diuinis oraculis: ne ex philoſophia in Theologiam tranſilirẽ. Quod ſi quadantenus patefecero, profectò laboris mei fructum capiam uberrimũ. Nam quid excogitari utilius poteſt, quàm homines à tenebris ad eius lucis intuitũ trãsferre, quam intueri adeò refert omnium, ut ſine illa perpetuò futuri ſimus miſerrimi; & ſi qui maligne ſe illam ſuſpicanbatur uidere, planius & apertius conſpiciant: atq; illo modo, quo ſe clariſsime putent cernere. Nec inter prima ſtudia gentilitijs erroribus imbuti mox religionem illis contaminemus: ſed ab exordio ſtatim rectis ſanisq; perſuaſionibus aſſueſcamus, quæ paulatim nobiſcum adoleſcant. Verùm quòd antiquorum hominũ in tradendis artibus confirmata eſſet authoritas, ne illa uel præcipienti mihi officeret, uel ſtudioſis, qui ſeſe libenter ac facilè duci alicui receptæ fidei cõmittunt, declarandum mihi fuit, quibus in rebus lapſos eſſe illos cenſerem: ſic rectius cõmodiusq; exiſtimaui poſſe me de artibus diſſerere. In quo opere multa fuerunt mihi contra priſcos authores diſputanda, nõ omnes quidem, nam id infinitũ atq; inutile fuiſſet, ſed receptos ſolum & diutino conſenſu approbatos. Hic meipſum, ſi qua eſt fides, ſuſcepti huius mei ſæpenumero puduit, & confidentiã ipſe meam damno, qui ſcriptoribus æuo conſecratis audeam repugnare. Ariſtoteli in primis, cuius ego in humanis artibus ingeniũ, induſtriam, diligentiam, iudicium, unice præter cæteros & admiror & ſuſpicio. Sed rogo, ne quis me idcirco uel ingratitudinis, uel temeritatis damnet. Nam & habendam ego illis maximam gratiam ſemper duxi, qui quod & ſolertia potuerunt exculpere, non inuiderunt nobis ſuis poſteris, & ſi quo lapſi ſunt loco, ignoſcendum humanæ infirmitati in culpa cõmuni. Porrò de ſcriptis magnorũ authorum extimare multo eſt literis conducibilius, quàm authoritate ſola acquieſcere, & fide ſemper aliena accipere omnia: abſint modo iudicandi & pronunciandi peſtes, liuor, acerbitas, præcipitatio, impudentia, & dicacitas ſcurrilis. Neq; enim effœta eſt iam uel exhauſta natura, ut nihil prioribus annis ſimile pariat: eadem eſt ſemper ſui ſimilis: nec rarò tanquam collectis uiribus pollentior, ac potentior: qualem nunc eſſe credi par eſt robore adiutam & confirmatam, quod ſenſim per tot ſecula accreuit. Quantum enim ad diſciplinas percipiendas omnes aditum nobis inuenta ſuperiorum ſeculorum aperiunt, & experientia tam diuturna: ut appareat poſſe nos, ſi modo applicaremus eodem animum, melius in uniuerſum pronunciare de rebus uitæ ac naturæ, quàm Ariſtotelem, Platonem, aut quenquam antiquo-

antiquorum: uidelicet poſt tam longam maximarum & abditarum rerum obſeruationem, quę nouę illis ac recentes admirationem magis pariebant, ſui quàm cognitionem adferebant. Quid Ariſtoteles ipſe, an non ſuperiorum omniũ placita conuellere eſt auſus: nobis examinare ſaltem ac cenſere nefas erit? præſertim quòd, ut Seneca ſapienter dicit, qui ante nos iſta mouerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus ueritas, nondum eſt occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum eſt. Neque uerò ipſe ęquari me antiquis illis poſtulo, ſed rationes eorum comparari cum meis: ut tãtum mihi habeatur fidei, quantum ratio mea euicerit, ubi paria fuerint argumentorũ momenta, impudentiæ foret recuſare, quominus priſci illi mihi & cuiuis recentiorum ſcriptorum anteponantur, id eſt, tam longo experimento comprobati nouis & incognitis adhuc. Equidem ut de me uno loquar, nolim quenquam ſe mihi addicere: nec autor unquam ſectæ, nec ſuaſor ero, etiam ſi in mea uerba iurandum ſit. Si quid uobis, ô amici, recte uidebor admonere, tuemini illud, quia uerũ, non quia meum: id & uobis & in commune ſtudijs omnibus conducet. Nam pro me digladiari nec proderit mihi, & oberit uobis ob diſſenſiones & partes: ueritatis ſectatores ubicunq; eam eſſe putabitis, ab illa ſtate: me uerò ſeu uiuentem adhuc, ſeu fato iam defunctum relinquite meo iudici, cui uni conſcientia mea ſatis factura eſt. Nec dubito, quin ipſe ſim in his quæ attuli, ſæpenumero falſus, uidelicet qui lapſos eſſe illos contendo, cum quibus ego nec ingenio nec ſtudio, neque uſu & cognitione rerum ulla ex parte ſum comparandus. Sed quemadmodum Ariſtoteles pro inuentis à ſe repoſcebat gratiam, ueniam uerò pro omiſsis: ita ego uoluntatem meam oro, conſulatis boni, erratis autem in nouo duntaxat inuento faciles benignique ignoſcatis. Nulla ars ſimul & inuenta eſt, & abſoluta. Si quis hæc mea et expolire dignabitur rudia, et explere defecta, fortaſſe efficietur id, quod cum fructu aliquo iuuet cognoſci.

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM LIBER PRIMVS, QVI EST DE artibus in uniuerſum.

ANIMANTES omnes naturę benignitate, ac magiſterio ſatis eſſe ad tuendam uitam inſtructas uidemus. Quippe integumenta corporum naturæ munere accipiunt, & cibo ueſcuntur parato, & ubiq; obuio. Homo uerò prodit in lucem hanc multarum rerum indigus, ut appareat crimine aliquo detracta illi eſſe naturę beneficia, nullis reliquorum animantium denegata. Non habet quo ſe à ui frigoris, ab ęſtu, ab imbre tueatur, niſi quęſita multo labore: nec ei alimenta terra fundit niſi rogata, imò coacta longa & moleſta cura. Illa tamen in re, indulgenter homo eſt à principe, & autore ſuo habitus, quòd cum ipſe neceſsitates ſibi ſua culpa tam uarias accerſierit, Deus tamen inſtrumentum ei reliquit ad eas quoquo modo propulſandas, ingenij acumen uiuax, & ſua ſponte actuoſum. Hinc ſunt nata inuẽta hominum omnia utilia, noxia, proba, improba.

Prima rerum inuentio neceſsitatibus ſuccurrit: hæc enim ingenia mirifice exacuit ad ea excudenda, quîs obſeſſor adeò grauis arceatur, ne qua expugnare ualeat, quod ab eo tanta diligentia diu noctuq; oppugnatur. Initio ſibi quiſq; pro re nata conſilium captabat, ut rebus oppreſsis afflictisq; ſubueniret. Tum ſi quid relaxamenti concederetur, uſu & meditatione excogitabat, quod proficeret in poſterum: hæc ab eodem

uno per uaria experimenta collecta, uel collata cum alienis præcepta efficiebant, quæ etiam alios in re ſimili iuuarent: multa uerò ſimul coniuncta, quæ ad unum aliquem ſimilésue uitæ uſus ſpectarent, uocarunt artem. Hæc iam olim ſunt à maximis uiris ſcitè animaduerſa, Ariſtotele philoſopho in libris primæ philoſophiæ, Virgilio & Manilio uatibus, quorum hic inquit:

Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quenq;
Aduigilare ſibi iuſsit fortuna premendo. Et idem:
Per uarios uſus artem experientia fecit.

Tum Virgilius connumeratis commoditatibus quas Iupiter hominum generi ademiſſet, uidelicet umbram quãdam aſſecutus dicti illius, Execrabilis terra opere tuo, ut alia quædam ueræ pietatis, coactos eſſe homines canit pulſo ueterno operi incumbere:

Tum uariæ, inquit, uenere artes.
Labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas. Et pòſt:
Vt uarias uſus meditando extunderet artes.

Et quemadmodum uidemus in uita contingere, ut homines perfuncti domeſticis & neceſſarijs negotijs applicent animum ad aliquid altius ac liberalius cognoſcendum, ita artibus, quæ præſenti atque urgenti neceſsitati opem ferrent ritè inuentis ac conſtitutis, uiſum eſt humano ingenio ſenſim ad pulchriora ſeſe attollere. Neſcit animi noſtri uigor quieſcere: opere, ut inquit ille, paſcitur. Tum Mathematice & philoſophia naturalis quæſita, & ciuitates conſtitutæ, & leges datæ, quæ tametſi uitæ magnopere proſunt, tamen non illis neceſsitatibus conſulunt, quibus terræ foſsio, aratio, repaſtinatio, & alia quę operibus ruſticis exercentur: neu uellenda lana, & nenda, & texenda, aut ædificia coſtruenda, quîs ſine uita ne diem quidem unum poſſet propagari. Et quo quęque artes altiores res, minusq; præſenti, & diurno corporis uſui neceſſarias ſpectabant, hoc præſtantiores habebantur, eorumq; profeſſores digniores ſapientię nomine: uidelicet hominum conſenſu id declarante, excellentiora eſſe quæcunq; ad animum pertinerent, quàm quæ ad corpus: & hoc naturali quadam informatione in humanis pectoribus inędificatum expreſſumq;. Et corpus quidem pecudis more præſentibus acquieſcit, oblitum pręterita, ſecurum futuri. Animus uerò utpote diuinus, recordatur tranſacta, & ea in uſum futurorum reuocat. Vnde uetus ſententia, Prouidentiam memoriæ filiam eſſe atq; uſus: magnus rerum actarum theſaurus eſt memoria, quæ quòd fluxa in pleriſq; & infirma eſſet, uiſum eſt adiuuari eam reminiſcẽtia, ut quibuſdam uelut ſignis rediret in recordationem eorum, quæ quæreret: hæ literę fuerunt. Apud alios imagines animantium, quibus Æthiopes uulgo utebantur, & poſt eos Ægyptij. Sed hi tantum in ſacris atq; in arcanis rebus, quæ idcirco ſunt ἱερογλυφικὰ nominata: quorum crebra mentio apud ueteres. Mira res eſt, quiſquis ille fuit tanti autor inuenti, quatuor et uiginti notulis plus minus potuiſſe tantam humanarum uocum ſonorumq; uarietatem comprehendere. Sunt qui inuentionem hanc perſtrinxerint, ut ille in Phædro Platonis, qui Theuto Ægyptio de repertis literis glorianti, tanquam memoriæ adiumento reſponderit, illum non memoriam adiuuiſſe, ſed reminiſcentiam. Et Pythagoræ Samio, hanc ferunt cauſam cur non ſcriberet, quòd diceret nolle ſe ſcribendis ſenſis animi ſui diſcipulos deſidiæ aſſuefacere, quippe qui monimentis literarum confiſi, minus memorię excolendæ ſtuderent. Eadem propemodum fuit Druydarum Galliæ Sacerdotum mens: idcirco multa illa uerſuum millia, quibus ſacra, & ceremoniæ eorum continentur, alij alijs uelut per manus tradebant ſine ſcriptione ulla. Sed certe neceſſariæ ſunt literæ ad æternitatem memorię. Infidelis eſt enim illa per manus traditio, quod is, qui accipit, uel non ſatis accurate auſcultauit, uel obliuiſcitur, aut quod negligenter recoluit, aut morbi alicuius, aut certe ętatis ipſius iniuria, quam non temere dicunt auferre omnia: interdum quoq; moritur, antequã tradat accepta. Pythagorę ipſius, ut uidemus, quàm pauca extant? & hæc ope literarum exempta noxæ æui: nec illa aurea, ut uocant, uerba legeremus, niſi Philolaus aliquid auſus eſſet contra magiſtri præcepta, condiſcipulis frementibus, & uehementer reclamantibus. Druydarum nihil eſt reliqui. Eſdras quoque

ſcriba

ſcriba gentis Iudææ, quum cerneret populum ſuum toties capi, ac ſedes mutare, tum cædibus & exilijs abſumi, ſtatuit quæ de lege Domini inter ipſos uelut ſucceſsionibus, atq; hæreditatibus tradebantur, literis conſignare atq; mandare. Hiſce literis artes omnes, & neceſsitates, & ſapientiæ, tum res geſtæ, & omnis antiquitatis memoria ceu thesauro quodam conſeruantur, ne unquam intercidant. Sed de artibus corporis alius erit mihi dicendi locus. Nunc de ijs artibus, quæ inquiſitione mentis conſtant, erit ſermo: quæ fuerint apud ueteres, quemadmodum adultæ uiguerint, quemadmodum poſtea marcuerint, & illarum quædam ſenſim deciderint, ac penè extinctæ ſint. Sententiam uerò de artibus meam, hoc opere non aperiam, tantum qua ratione, quibus cauſis corruptas eſſe exiſtimem, indicaſſe contentus. Nam adijciam huic operi, Chriſto propitio, libros alios, quibus perſequar quid ipſe de artibus, deq; diſciplinis, de ſcholis, de inſtitutoribus ſentiam.

Galenus medicus hac utitur ſectione artium, ut alias dicat contemptibiles uilesq;, quæ corporis laboribus & manibus exercentur, quas Græci χειρουργικὰς uocarunt. Alias honeſtas & homine libero dignas, de quo genere primam facit Medicinam: hoc condonandum amori profeſsionis, & tanquam pietati in nutricem bene meritam. Addit Rhetoricam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiã, Arithmeticam, Dialecticam, Grammaticam, Legum prudentiam. Nec repugnat, ſi quis uelit huic numero adſcribere eas, queis fingimus pingimusq;. Quòd hæ tametſi citra manuum operam non obeantur, tamen non uidentur egere robore illo & lacertis iuuenilibus. Seneca uerò nõ adducitur ut in numerum liberalium artium pictorem recipiat, non magis quàm ſtatuarios, aut marmorarios, aut cæteros luxuriæ miniſtros. Æque luctatores, & totum oleo ac luto conſtãtem ſcientiam expellit: quod ei conuenit cum Galeno. Nec liberalia ſtudia ſunt, ſententia Senecæ, exercitationes rei militaris. Venationem quoq; à liberalibus Salluſtius excludit. Poſsidonius Stoicus artes hunc in modum partiebatur, ut alias uulgares & ſordidas nominaret, quæ manu conſtarent, & eſſent ad inſtruendam uitam occupatæ, expertes decori atq; honeſti: Alias ludicras, quæ ad uoluptatem tenderẽt oculorum atq; aurium. Pueriles ſunt, & aliquid habentes liberalibus ſimiles, quas ἐλευθερίας Græci uocant, quæ non perducunt animum ad uirtutem, ſed expediunt. Liberales uerò, imò, ut inquit, ſolę liberę ſunt, quibus eſt curæ uirtus. Recepta opinio eſt, ſeptem eſſe liberales artes: Tres de ſermone, Grammaticam, Dialecticam, quę eadem eſt Logica, Rhetoricam: Quatuor de quantitate, Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, Aſtronomiam, quas mathematicas nuncupant Græci, ceu quis dicat diſciplinales. Has ingenuas cognominarunt, quaſi has ſolas ingenui diſcerent, ac exercerent. Nemo enim ferè in liberis ciuitatib⁹ ingenuus manuarijs artibus operam accommodabat. Sed puer hiſce erat artibus deditus, iuuenis uerò militiæ, campo, gymnaſio, aut publicis negotijs, adminiſtranda republica, cauſis actitandis, & eiuſmodi exercitamentis, quæ ſola cenſebant illi digna homine libero. Vnde illud in comœdia, Fac periculum in literis, fac in palęſtra, in muſicis, quæ liberum ſcire ęquum eſt. Illę enim artes maxime exiſtimabantur ingenuis hominibus ad uitæ cultum, & ad rempublicam gerendam congruere, ut ſermo eſſet emendatus & purus: tum ratio diſſerendi cum facundia eſſet in promptu, quis in foro, quis in ſenatu, & cum populo agerent. Tum ad priuata negotia Arithmetica: ad agriculturam & nauigationem Aſtrologia: ad menſuras agrorum Geometria. Poſtremò ad honeſta oblectamenta Muſica, quæ apud Græcos maximo in precio fuit. Romani non perinde eam coluerunt, homines magis militares & ruſticanę ſimplicitatis. Diſcebant quoq; pueri ſimul cum literis natare: quod Græco prouerbio declaratur, quod in imperitum penitus iaci eſt ſolitum, Neq; literas eum noſſe, neq; natare: idem eſt & Romæ factitatum. Sed miror prætermiſſas ab illis Architecturam & perſpectiuam ad multa utilem, niſi has ſub ambitu Geometriæ concluſerunt, aut quod Architectura manus exerceret, quamuis rara omnino ars, & quã paucisſimi tenerent in Græcia, ſicut Plato quodam in loco teſtatur. Porrò nemo miretur nullã eſſe de morali philoſophia mẽtionem, tam quòd illorum iudicio quærenda pecunia primũ eſt, & protinus ad cenſum, de moribus ultima fiet quæſtio: quàm quod, ut recte Poſsidonius apud Senecam diffiniuit:

Artes hæ quæ liberales nuncupantur, pueriles sunt, rudimenta nostra, non opera. In nostris scholis hæc quoque fundamenta sunt trium ædificiorum Medicinæ, Theologiæ, & peritiæ Iuris, quas supremas artes disciplinásque nominamus, & usui quotidiano cum primis seruiunt. Philosophiam moralem adiunximis, quæ multum Theologiæ adminiculatur, & ex qua ius esse ortum existimant sacrum & prophanum. Tum cognitionem naturæ rerum, sine qua medicina manca est prorsum: nec ritè aut percipi potest, aut teneri. Atque hæc uelut collegijs sunt distincta, ut unum esset septem illarum liberalium artium, quibus annumeratur Philosophia, quæ est de moribus, quæ que de natura: alterum Medicinæ, tertium Ciuilis iuris, quartum Pontificij, quintum & supremum Theologiæ. In his militiæ quædam, & ascensus ad fastigium dignitatis per certos honorum gradus.

Harum omnium artium materia, uires, utilitates in natura sunt ab opifice Deo positæ ac constitutæ. Sed ad eas humanum ingenium ægrè penetrat à luce ac uiribus destitutum: quòd si non stimulis quibusdam urgeretur, ac excitaretur, nihil fieri possit illo squalidius aut horridius. Primum necessitas acutissimum calcar addidit, seu pugionem uerius ad uigilandum: quippe si in ea pauliſper obdormiſceret, in discrimen ueniret, ne unquam euigilaret postea. Nec solum in sua quisque necessitate solicitus fategit eorum, quæ essent opus, uerùm auxilium implorauit eorum, à quibus sa aliquid subsidij consequi posse speraret. Inuitati sunt complures quos multitudo plurimum ualere ingenio arbitrabatur, & allecti maximis præmijs, ut artibus in commune necessarijs darent operam: laboris præmia fuerunt, pecunia, honor, decus, gratia & priuata & publica. Ea de causa Ægyptij sacerdotes multã in mathematicis posuerunt operam, quòd uehementer Geometria Ægyptus tota indigeret, confusis per annos agrorum limitibus ab inundante Nilo. Adduxit ad tractandas atque excolendas artes magnitudo rei, & opus unum excellentia mentis nostræ longe dignissimum cupiditas ueri inueniendi, qua nihil est præclarius, nec quod magis deceat hominem: sicut ignorari, falli, decipi, turpe ac miserum iudicamus: quæ ut euitarent, philosophatos esse priscos illos, nec alia causa, aut in alium usum, Aristoteles perhibet grauis imprimis autor. Admiratio huius tanti operis ingentes illos animos ad studium & inquisitionem causarum compulit. Hinc si quid se putarent nouum & alijs inauditum inuenisse, incredibilis sequebatur delectatio, tanquam parta uictoria, & tantis difficultatibus superatis: ea delectatio detinebat eos in cura & labore: quam illi delectationem opibus, dignitatibus & alijs omnibus uitæ commodis præponebant. Ergo expedierunt se uaria hominum ingenia, ut in uerum hoc quasi defodiendum ac eruendum prorsum incumberent: alia spe præmij inducta, alia ut fruerentur ijs oblectamentis, quæ ex spectatione theatri huius naturæ maxime capiuntur, uariæ subinde ac diuturnæ. Præstantia ingenia ex sublimi illa & generosa nota huc uenerunt, quod cum se tanta pectoris luce illo uigore mentis præditos reputarent, ac instructos, nulla in re alia consumi tanta bona oportere censuerunt, quam ut rem pulcherrimam scrutarentur ac complecterentur, & quatenus liceret, quàm plurimis prodessent. Omnes ergo mira alacritate contenderunt adiuti luce quadam uelut duce uiæ, qua insisterent ad quærendum, tum quærendi dexteritate & industria, postremo diligentia atque studio, quibus uires omnes explicabantur ingenij atque animi. Lux erat uis mentis & acumen, quo prospicerent quò eundum esset, & quà: dexteritas erat illis ceu scientia explicandi se è locis arctis & difficilibus, ut ex facilioribus quid facto in difficilioribus esset opus, colligerent: diligentia erat, ut promouerent, & propius accederent, quò intenderant. Sic enim imagine quadam sunt hæc ob oculos ponenda. In diligentia sunt animi intentio, & quasi uigilia quædam, nam contrarium, remissio est somnus cura, sedulitas, labor. Inuentor artium & disciplinarum omnium est ingenium acumine & solertia præditum ac instructum, sed diligentia atque usu uehementer adiuuatur, nam per diligentiam & procedit longius, & plura ei se aperiunt, quæ prius erant abdita & occulta, non aliter quàm nauigantibus: ita & acies mentis expolitur atq; exacuitur, & dexteritas ac solertia fit promptior. Quemadmodum de Cleanthe Stoico

memoriæ

memoriæ est proditum, qui hebetudinem ingenij ad studium & uigilantiam tanquam ad cotem acuebat. Acre ingeniũ & usui aptum, naturæ sunt munera: diligentia uel necessitate urgetur, uel delectatione allicitur, uel admiratione magnitudinis & pulchritudinis rei capitur: quamuis in hoc quoq; tacita ineſt delectatio, postquam assecutus es causam tantæ rei. Deinde cupiditate aliqua excitatur decoris aut pecuniæ. Postremò perficiendi spe alitur & detinetur. Ergo ut in quibusq; gentibus hæc uiguerunt, ita ibi artes uel inuentæ sunt, uel auctę excultæq;. Græcia parens fuit disciplinarum omnium, ingenijs fœcunda acutis, subtilibus, uiuidis. In Ægypto permagnus mathematicarum usus, quas præmijs & honore afficiebat necessitas. Acutissime illud in hominum moribus ac natura deprehendit, qui dixit honore ali artes. Excellere enim quisque cupit, & honore affici: quare, ut id consequatur, ei se tradit studio, quod in pretio esse uidet. Ita fit, quàm recte, non disputo: nec solum in magnis ciuitatibus ac populis, sed in quocũq; cœtu, in quacunq; consuetudine & familiaritate hominum, uirorum, fœminarum, senum, iuuenum. Sic eloquentia maxime in liberis ciuitatibus floruit, uelut Athenis & Romæ, quòd is certissimus esset gradus ad maximos honores, ac potentiam. In Academijs publicis pleriq; alliciuntur illis honorum nominibus, tum ijs quę magno æstimantur. Vnde Lutetiæ tanta Theologorum copia, Aureliæ iurisconsultorum: apud Nitiobriges, quem nũc montem Pessulanum uocãt, medicorum. Et sub principibus, ut quisque est arte aliqua delectatus, ita ea in eius regno tractata est et exculta. Sub Alexandro militabant plurimi: Sub Augusto nemo non cudebat carmen: Neronis tempore multi per urbem cantores, histriones, phonasci, multi magi. Adrianus omnes faciebat obseruatores ueterum scriptorum. Romæ Leone Pontifice omnia perstrepebant cantibus, Iulio armis. Phœnices nauticas artes multum exercuerunt ad suum quęstum: et hoc magis hisce inflammabantur rebus ad cognoscendi cupiditatem, quo spes ostenderetur amplior perueniendi quò intendissent: ut Chaldęi et Ægyptij, qui propter locorum opportunitates, quòd planicies in illis locis essent, & cœlum serenum, cognitioni se astrorum dediderunt. Ex ijs ergo initijs ortę sunt artes, his fulcimentis sustentatæ, his alimentis auctæ ac confirmatæ. Non quòd ars ulla uel ad absolutionem aliquam sit perducta, uel ita extersa ac expolita, ut nihil haberet admistum inutile ac reijciendum. Non eæ sunt humani ingenij uires, clausi mole hac corporis & tenebris, ut aliquid excudat perfectum atq; absolutum, cui non desint plurima ad cumulum perfectionis, & quasi ad fastigium illud naturæ cuiusque rei. Nec potest quicquam à multis contrectari, cui non aliquid adhæreat uitij, tanquam ex contagio. Nunquam ergo uel perfectæ fuerunt artes uel puræ, ne in sua quidẽ origine: ea est superbissimi animi cęcitas atq; imbecillitas. Sed certè beneficio magnorũ ingeniorum usu ac studio adiutorum erectæ sunt, atque ex paruis admodum initijs ad magnitudinem quandam perductę: ut non fuit perinde difficile augere inuenta, atq; omnino inuenire: tum correcta multa quę parum rectè fuerant in originibus obseruata, & exornata quę ruditer, & illustrata quę obscure. Hęc omnia quasi brachiorum ui aliquò usq; progressa tanquam aduerso flumine, ubi primum cœperunt brachia remitti, relapsa sunt, alia sensim, alia magno impetu ceu moles per præceps præruptum. Non absre Virgilius exclamat:

Sic omnia fatis in peius ruere, & retro sublapsa referri.

Nec mihi solum quomodo ceciderint, ac corruptæ sint uideo dicendum, sed etiam quomodo in ipsis originibus, et quasi inter ipsas formantium manus detortę sint ac deprauatę. Sic enim apertius corruptelæ omnes patefient, non tantũ recentiorum hominum, sed ueterum quoq;, quibus tamen artium exordia debemus: non quòd autor sim cuiquam, ut ingratus sit illis, quibus acceptum ferimus ingeniorum cultum, & humanitatem omnem: uerùm agendi gratias alius erit locus: nec pro beneficio nõ habebimus gratias, & quidem semper, etiam cum illorum indicabimus peccata: nam & falsi, quòd lapsi sunt, ignoscemus communi sorti, ac naturæ. Lapsus tamen ad nostram cautionem detegemus, quantum quidem fuerit uirium nostrarum. Quanto ij, qui sunt in artibus uersati, et ingenio, ac dexteritate plus ualuerunt, et studio ac diligentia in eam rem contenderunt, tanto artes ex eorum manibus & adultiores exierunt, et terſiores. Sic contrà

acies illa mentis retusa & tanquam lux quædam offuscata,tum dexteritas impedita,postremo socordia ac desidia artes afflixerunt omnes,ut uel magnitudini detraherent,uel corrumperent puritatem:& quum hæc in prima inuentione cõtigerunt,limo & cœno fontem inficerent,ut nunquam puri ac liquidi riui defluxerint.Ingenio tenebrę offunduntur,primum naturali quadã hebetudine,atq; obscuritate, uel in uniuersum ad omnia,uel ad eam ipsam rem atq; artem,ad quam se applicat.Nemo expendit uires ingenij sui,quid possit ferre,quid recuset:unusquisq; satis sibi fidit:nec est ullus tam infelicis ingenij,qui ferre desperet se quiduis posse assequi,quòd acumine deficiatur,sed quòd uoluntate,ita ad ea se adiungit ac tradit,quibus tam est aptus,q̃ uulpes arato.Nec mirum est amorem sui in unoquoq; esse cæcum, uulgus patrum non acutius cernit in uitijs in indole filiorum,nihil sibi non spondent de sua sobole,si non iudicio,certe desiderio ac uoto:ut proximus est spei amor,ita ad artes eos deducunt ab ingenijs illorum alienissimas.Magistri restant:hos oportebat esse oculatos in admittẽdis discipulis, qualẽ fuisse Alabadensem illum Apollonium dicendi magistrũ,de quo Cicero in libris de Oratore scribit,quòd cùm mercede doceret,non tamẽ patiebatur eos quos iudicabat non posse oratores euadere,operam apud se perdere:dimittebatq;,& ad quam quenq; artem putabat esse idoneum,ad eam impellere atq; hortari solebat. Verùm ille unus ex omni memoria.Cæteros qui quidem mercede docẽt,pretij cupiditas exoculat,sine delectu ullo recipiunt ad se discipulos,& quo frequentius habuerint auditorium,hoc se rati maiora facturos operæpretia:non solum oblatos auide amplectuntur, sed quærunt, ambiunt, pelliciunt,trahunt ad se quoscunq; possunt quacunq; ratione,ac uia:satis esse existimantes si sint homines,modo habeant quod numerent.Et ubi inualuit ambitio,si cõtemnitur pretium,certe numerus quæritur ob uanam nominis opinionem,quòd celebre habeat auditorium.Eruditio,& artes quę compressę & uelut coactæ talibus fuerint ingenijs,necesse est eadem facie & natura prodeant,qua sunt ipsa ingenia,scilicet praua,detorta,uitiosa.Neq; enim aliter eruditio ab ingenio unde manat uel formã accipit,quàm caseus à fiscella:uel uaturam resipit ac uinum è dolio, uel utre: quare necesse est ut male tradant,quæ male acceperunt.Iam affectus omnes animi si non retundunt mentis aciẽ, certe impediunt,ac retardant,& quasi rubigine obducunt:quocunq; illi inuaserunt,lucem offuscant animi,& dispicientiam ueri perturbant,non secus ac densæ nebulæ ante oculos offusæ.Supremam & celsissimam illam mentis lucem,superbia perstringit,& à recto itinere abducit transuersam.hęc est eminendi atq; excellendi cupiditas,ut uideatur habere quæ nullus alius,aut quæ pauci,nempe altissima ac præstantissima,rara,noua plurima, aut omnia. Ergo ingenia quæ apte ac feliciter essent in mediocribus rebus uel ex natura sua,uel ex institutione uersata,supra uires se erexerunt, ut ea crederentur scire ac tenere,quę omnes iudicarẽt esse celsissima. Vt natus ad Grammaticen,ad enarrandos Poëtas atq; historicos,aut qui hisce tãtum in rebus esset exercitatus,uoluit pro philosopho,pro Theologo haberi, quum eas artes ne de nomine quidem nosset. Alij quod paucissimorum esset,aut nullius potius futura prædicere,abdita et recondita detegere,maximas opes temporis momento inuenire,Astrologiam,Physiognomiã, chaldiniam,magiã &cæteras diuinandi ac maleficij artes sunt professi,nec solum inter gentiles,in quibus latissime patebat regnum Sathanæ,sed etiam inter Christianos,à quibus fortior Sathana Christus,iugum tyrannidis illius excusit,& armatum illum exarmauit: scilicet quòd non minus et superbia atq; ambitio,& pecuniæ ac uoluptatum cupiditas in nos dominantur,quàm in Gentiles:atq; utinam non magis. Harum artium studium uitiauit tanquam afflatu quodam uicinas quasdam artes,et illas,quarum ope utendum esset in illis maleficijs:nempe diuinatrix astrologia certiorẽ illam et castam astronomiã: Physiognomia de uenturis,de opibus,de liberis,de felicitate, illam, quæ est simplicior ac uerior de signis constitutionis corporis,et animi:Magica dęmonũ ueneno quodam infecit scientiam naturæ rerum. Iam quod in disciplinis omnibus atq; artibus præcipua est penes inuentores gloria,multi quoq; noui placiti uoluerunt esse autores,miserrimũ ducentes alienis demum uestigijs insistere.In literas inuenta sua miserunt,ut ubiq; legerentur,ut ducerentur nouum aliquid super cæteros attulisse,qui morbus mirifice Grę-

corum

corum ingenia uexauit. Vnde in hiſtoria tot mendacia, quum arbitrarentur occupata eſſe à prioribus uera, & ſibi ſcribendi materiam prę reptam, ſeq; nullo in pretio futuros, ſi eadē recenſerent cognita iam et peruulgata. Ita quo magis legerentur, et placerent, & admirabiliores forēt in uulgus, fortiter ſunt de Ægyptijs, de Aſſyrijs, de Perſis, de Grę cis, de omnibus nationibus mentiti. Tum Philoſophi cupidine proferendi nominis, nihil ueriti ſunt abſona cōmentari, & à receptis opinionibus longiſsime recedere. Sodalem habui Lutetiæ, qui ſe citius quàm ut nihil adduceret noui dogmatis, affirmaturum aiebat, quæ pro comperto haberet, eſſe falſiſsima. fuerunt qui uellent uideri nihil omnino ignorare, ut illi in Græcia Gorgias, & Protagoras, Hippias, Prodichus, Eutydemus, Dionyſodorus, & alij, qui in cœtu ac frequentia hominum, quęſtionem quacunque de re poſcebant, paratos ſe ad omnia ex tempore reſpondere, tanquam non modo ſcirent omnia, ſed ad manum & in numerato haberent. At illos tanti inſtituti promiſſores magiſtros optime tum loquendi, tum etiam ſentiendi. Socrates qui nihil ſciret, in leuiſsimis ſæpe rebus pauciſsimis & facillimis quæſtionibus irretitos, deridendos ſuo ipſorū auditorio relinquebat. Vtinam intra Græciæ fines uitium hoc conſtitiſſet, & non alias quoque inuaſiſſet nationes, ut grande exiſtimetur dedecus cunctari, tempus poſcere. Cęca eſt arrogantia, & quocunq; intendit per confidentiam, atq; impudentiam temere graſſatur: ergo nihil dubitat quiduis ſubitò intrepide aſſeuerare, etiam de arcanis rebus & maxime reconditis. In ſuperbia hac alij magna illa & admirabilia tenere ipſi ſibi perſuadent, uel prauæ naturæ uitio, uel quod quū id uident eſſe ſpectatoribus perſuaſum, ipſi iudicio illorum de ſe acquieſcunt. Alij non tam ſcire ſe arbitrātur (neq; enim ſe non norunt) quàm id alijs creditum eſſe, ac certum cupiunt. Priores incredibili ſe progreſſu in diſciplinis fraudant, quum contendere ſuperſedent, quò ſe iam peruenisſe arbitrantur: de quibus grauiſsime Seneca, Puto, inquit, multos ad ſapientiam potuiſſe peruenire, niſi ſe iam crederent peruenisſe. Poſteriores quacunq; uia et ratione queūt oſtentare opes ſuas, augere in maius ac melius, fucum denicq; oculis intuentium facere laborant, nihil tacito conſcientiæ teſtimonio tribuere. Quę ipſi ſciunt, omnium prima & potiſsima uolunt credi. Quæ alij infima, ſæpe etiam euitanda, atq; auerſanda: nullus eſt cuiuſquam artis adeò mediocris, aut humilis quoq; ac uilis profeſſor, qui ſi ſit ſuperbus, non illam aut præcipuam omnium cenſeat, aut non certe exiſtimari petat, ac contendat: illud q; adeò moribus eſt receptum, ut efferre quēq; artem ſuam, & laudibus cœlo æquare, etiam alijs omnibus anteponere licere, ac pium eſſe arbitrentur: Grammaticus ſe unū putat ſapere, deſipere reliquos: Philoſophus reliquos miſeratur ut pecudes: Iuriſconſultus alios omnes deridet: Theologus deſpicit: non quòd ſe cæteras artes ignorare dicāt, aut præ ſe ferant: imò nihil cunctantur confirmare ſua illa una diſciplina reliquas uniuerſas præſtantius claudi ac contineri, quàm in libris eorum, qui de illis nominatim tradiderunt. L. Craſſus apud Ciceronē omne diſciplinarum atq; artium genus, cognitione iuris contineri aſſeuerat, & quidem, ſi dijs placet, libello XII. tabularum. Hoc idem noſtri iuriſconſulti habent perſuaſiſsimum. Grammaticus totam philoſophiam, quàm late ſe diffundit, hiſtoricorum & poētarum libris contineri autumat, quos quum habeat in manibus, nihil ſit, quod Ariſtotele aut Platone indigeat: uidelicet hoc eſt ſuperbiæ ingenium, quantū ualeat ſibi arrogare, atq; ad eum ſe modū componere, ut nulla uideatur re carere, quæ quidem pulchra eſſe, ac magnifacienda uideatur. Quā artē rite percipient ac tradent, qui eam alieniſsimis in locis habitare cenſent, et illinc eſſe petendā, ubi uix illius ſit ueſtigiū ullū inuenire? Idcirco uideas falſiſsima atq; abſurdiſsima in omnibus artibus aſſeuerari ab ijs, qui illas uiolentè exprimunt ab autoribus, qui aliquid earū obiter et quaſi aliud agentes attigerunt, non ad exactam illam cenſuram, ſed ad eam, ad quam opus ſuum aptabant. Noui qui etiam ſcriptis libris affirmaret terram eſſe maiorem ſole, & in nocte umbra terræ totum cœlum obſcurari, quòd Virgilius dixerit:

Inuoluens umbra magna terramq; polumq;.

Quot abſurda in philoſophia dogmata ab Homero traxerunt originem, quum multi ueterum non illum ut ingenioſum Poëtam legerent, ſed ut philoſophum doctiſſimum ac grauiſsimum? Iuriſconſulti, ſi quid ſit à ſuis proditum in hiſtoria, certius

putãt quàm ſi à Tito Liuio:ut de XII. tabulis,quòd eburneæ fuerint,quia id Pomponius dixerit:idem in quacunque alia diſciplina.Iam quæ non poterant ullo modo oſtentare, ea tenuiſſe ſe aliquando aiunt,ſed uel oblitos tanquam puerilia,& ſe indigna:uel abieciſſe tanquam periculoſa & noxia, & è numero artium expellenda,etiam ſi ſint ex iſs artibus, quas illi ampliſsimæ ſuæ profeſsionis titulo comprehendunt. Rogatur Philoſophus,aut Theologus,aut Medicus,aut Iuriſconſultus de ſingulis,ſciat' ne grammaticã, poëticam,rhetoricam:exibilat eum,qui id quęrat,magno uultus faſtidio,ſæpe etiam cachinno,& ad pueros remittit.Teneat linguas Latinam & Græcam,ſeminariũ uocat hæreſum,tenuiſſe in tenera ætate, ſed eſſe dedita opera oblitum.Quid Rhetoricam? ridet moto capite:de geometria,ita planè de punctis & lineis ridicula quędam.De Arithmetica,iocatur,bene numeraturum ſe,adſit modò pecunia. Cæterùm de proportionibus uidiſſe quædam perfunctorie in commentarijs ad tertium Phyſicorum Ariſtotelis. In Aſtronomia partẽ ſphæræ Ioannis à Sacro buſco aliquando audiuit adoleſcens in ſchola.Muſicam cantores ſcire in templis.Cedo quid de perſpectiua,et Coſmographia?nec nomina audiuit unquam:curioſa,inquit,ſunt hæc,& periculi plena,nefas eſt attingere. At moralem philoſophiã certe ſcies, aliquot dicta ex Ethicis Ariſtotelis:ad œconomicam reſpondet ſe non alere familiam:ad politicam,nec regere ciuitatẽ.Quid ergo noſtiuir maxime,& de eruditione admirande?omnia,ſed horum nihil.Et hæc pronuntiarũt homines maximæ autoritatis,qui eſſent morum, & totius eruditionis cenſura,ac uelut norma quædam.Tantum autoritatis pondus in teneras artes cadens mirandum nõ eſt, ſi eas confregit.Delicati ſunt floſculi,leni ac dulci fauoris aura proferũt ſe ac uigent: inſectatione ac uituperatione ilico tãquam faſcino aliquo contrahuntur, ac marceſcunt. Deteſtabilis ſuperbiæ rabies: non ſolum ipſi fraudarunt ſe utilitate doctrinæ, ſed alijs quoq; fide autoritatis ſuæ præcluſerunt uiam ad bonam mentem,parati tam multa bona ingenia perdere,ne pilũ de præcepta exiſtimatione amitterent.Pronuntiarũt temere de ſingulis non animaduerſis,et ſępe omnino incognitis:damnarunt alia maxime probanda,cõmendarunt alia noxia,& ingenijs ac uitæ obfutura.Et cenſuiſſent ipſi hoc idẽ haud dubie multo rectius,ſi animo potuiſſent moderari,et non maximum eſſent dedecus interpretati,uel cunctantius res tantas expendere,uel uideri pulchrũ aliquid ignorare.Nam de illorum numero,qui eas diſciplinas,quas ſodales damnarẽt, uel leuiſsime deguſtaſſet,is non accedebat aliorum ſententiæ.Sæpe qui quæ neſcirent,dãnarant, ingreſsi primos illarum artium aditus,mutata ſubitò opinione, ac ſententia damnata approbauerunt.Quo apparet non de ſuis artibus ſententiam iam illos dicere,ſed de exiſtimatione ſui.ut quemadmodum circulatores nodos quoſdam faciles,aliter tamen et inuoluunt,& euoluunt, quàm in cõmuni uſu conſueuimus, quo res uideatur difficilior, ac proinde admirabilior:ita quidam quæ facilia,quæ prompta,aperta, dilucida ſunt in diſciplinis,quas norunt,inuoluunt,& intricant,ne res ſcilicet uel uilleſcat facilitate,uel etiam fiat uulgaris,multis ſpe ſucceſſus ad eam capeſſendam inuitatis.Sic Iuriſperiti artem ſuam,quæ & natura facilis eſt,et quam eſſe facilem è re eſt generis humani,quibuſcunq; rebus potuerunt,intricarunt,& exaſperarunt, ut ardua uideretur eſſe ac lamoſa, nec cuilibet penetrabilis. Philoſophi quidam metaphoris & ambagibus obſcurarunt, quæ dilucide potuiſſent dicere:alij ſcrupulos,ubi nulli ſunt,quærunt,& nodum, quod aiunt, in ſcirpo,quo uideantur altius rimari,& ſubtilius omnia examinare.Nec ſolum ignaris inuiderunt ſuam peritiam, ſed eiuſdem artis ſtudioſis ac peritis. Ideo ne ea crederentur illi ſcire, quæ planè ſciebant, ipſi quæſtiunculas excitarunt,ut eſt id facile etiã in rebus liquidiſsimis,ut ſi ſcientię opinionẽ alijs detraxiſſent,id totũ in ſe deriuaretur, quod alijs decederet.Verùm non mouere quæſtionẽ,ſed bene profligare,hoc demum acuti eſt hominis & docti.Fuere qui quo magis premant alios,et pondus eleuent,eorũ quæ dicũtur rationẽ in omnib.euidentẽ poſtulant,contemnentes ſi nõ adferatur,quod impij in rebus pietatis faciunt.Quaſi uerò id ubiq; pręſtari poſsit,aut ulla ſit res,quę cõtrouerſa nõ queat reddi nimiũ inquirẽdo,nõ ueritatis uitio,ſed noſtrorũ ingeniorũ: ſicut lux alia uidebitur,quàm ſit,ſi nimiũ oculorũ aciem in eam intẽderis,nõ lucis culpa, ſed oculorũ,qui tam leui de cauſa hallucinentur.Illud perridiculũ,quod quidam falſas

ſuas

ſuas opinationes nulla ratione munitas ac fultas, ſatis ſe conſtabiliſſe rentur, ſi ueriſimiles in contrarium rationes utcunq; diſſoluerint, non animaduertentes haudquaquam idem eſſe inimici domum deſtruere, & conſtruere tuam. Sed illud mirandum maxime, fuiſſe præceptores, qui diſcipulis eruditionem inuiderint, ne illi gloriam ſuam æquarent. Vt de quibuſdam Græciæ ſophiſtis traditur, propter quos Socrates pollicebatur communicaturum ſe ſua candide, & ſine inuidia. Alexander Deiuſillanus in prefatione operis ſui ſignificat fuiſſe Maximianum quendam, cuius nugas ueteres ſocijs nolebant pandere charis: ſic enim ſcribit. Memoria patrum & noſtra plurimos nouimus, qui bonam inſtitutionem adoleſcentibus ſuis inuidiſſent. Maximos profectus hæc ſuperbia impediuit, dū alij ab alijs nolunt diſcere, uel quia ſe docere potius credunt poſſe, quàm debere diſcere: uel quia dedignantur, aut pudet, ne ſe inferiores fateantur, aut alij credant. Quibus de cauſis & rationibus ſapientiſsimus Bion philoſophus ſuperbiam dicebat eſſe impedimentum profectus. Puduit à ſuperioribus doceri, qui nullos uolebant fateri ſuperiores ſe, qui poſtulabant credi abſoluti in omni ſapientiæ genere. Puduit à paribus, multo magis ab inferioribus, et uulgo hominum, à quo tamen quæ ad opificia et encyclopędiam pertinent fuerant roganda. Iam Plinius ea de cauſa conqueritur, quę eſſent τῶν ἐγκυκλοπαιδείας ignota, aut incerta eſſe ingenijs facta. Quanto nunc magis ipſe idem Plinius, Varro, Columella, Vitruuius, & alij ignorantur, quod turpe atq; erubeſcendum ducimus ab agricola, uel fabro aliquid percontari. Quod ſi quem id non pudeat, & omnia ſciendi ſtudio poſthabeat, eum profectò alij ſubſannabūt, & explodent. Quocirca iam pridem nihil à doctis hominibus ſcribitur de ijs, quæ quotidie noua inuenit uita: et melius tenemus uſum illorum temporum ab hinc annos plus mille, quum ueteres illi ſcriberent, quorum diligentia nihil non annotatum præteribat, quàm uſum memoriæ auorum aut patrum. Si ea ſuperbus erubeſcit doceri, quæ erant uel à doctis, uel à plebe audienda, qualia oportet exire, quę is de rebus huiuſmodi pariat, quàm prua, manca, cōfuſa, perturbata, quàm monſtroſa, ut magis legentium mentes perturbent ac confundant, quàm inſtituant & illuſtrent? At ſaltem bona ſpes eſt, dicet aliquis, mutaturum eum ſententiam, & deprehenſo errore, rediturum in uiam, admiſſurum meliora, & traditurum. Admonitioni cuicunq; ferocem ſe ſuperbus præbet, & contra bene monentem conſurgit, ut rabioſus canis: uel quia inferri ſibi aliunde lucem poſſe non putat, uel quia ſi illata credatur, ignominiam eſſe cenſet: cōtradici ſibi, iniuriæ loco deputat. Quem ergo errorē ipſe utcunq; mutaret abs ſe deprehenſum? ſi alius indicet, magis infigitur, & pertinacius: quicquid ſemel animo collibitum eſt, defendit, ne diſcedere à ſententia exiſtimetur. Quod ſi ipſe errorem ſuum quandoq; deprehendit, ita corrigit, ut maiorem habeat rationem exiſtimationis ſuæ, quàm ueritatis: non omnino ſe prius falſum, nec prorſum eſſe in alia opinione: bene ſe antea ſenſiſſe, nūc melius, et terſius. Prętexit ętatem ſuam, aut occupationē, aut tempus, ne culpa uideatur fuiſſe in ingenio, cuius unius laudem ambit, ſed in opportunitate ad bene ſtatuendū. Vnus Aurelius Auguſtinus, uir tantus Retractationum libros reliquit, ſimpliciter ac bona fide, quem nullus eſt ad hoc tempus imitatus: uidelicet manſueto uir ingenio, & modice de ſe ipſe ſentienti. Iſti noſtri faſtu, & ſuperbia turgidi, inuerti ac corrumpi malunt, quod non ignorant uerum eſſe, quàm uideri erraſſe, aut fuiſſe à quo monſtrari illis aliquid potuerit: & tanto admonitionem ferunt acerbius, ſi quæ dixerint, literis conſignata euulgarint. In quo maximam artes plagam accipiunt, nam non ſatis eſt pertinacem, & obſtinatam ſuperbiam eſſe, eſt etiam præceps, ut quicquid in mētem ueniat, fortiſsime aſſeueret. Fortaſsis minus eſſet iacturæ ſi ea pertinaciter tuerentur, quæ prius multum, & diu perpenſa atq; examinata adferrent: nihil tale, imò quoniā ſolus honor ſpectatur tanquam ſcopus, quem ſe adepturos ſcribendo arbitrantur, ſtatim ad ſcribendum ſe accingunt adoleſcentes rudes, atq; inexpertes eorum quæ tractant, ut non immeritò hęc tanta prurigo, ſatyricis ſit ſalibus defricata:

Scribimus indocti, doctiq; poēmata paſsim, inquit ille. Et alius:
Tenet inſanabile multos ſcribendi cacoēthes.

Prætereo quæ ex hac pertinacia & ſtudio non cedendi, naſcantur uenena Chri-

ſtianæ charitatis, rixæ, contentiones: & quemadmodum à Paulo Apoſtolo ſcribitur, inuidiæ, conuitia, ſuſpiciones ſiniſtræ, conflictationes hominum mente corruptorum, interdum quoq; pugnæ, & cædes: odia inter hæc creantur, quæ nunquam deponuntur, niſi cum anima: ut citius reges in gratiã poſt mutuas ingentes clades redeant, quàm ipſi moderati philoſophi poſt ſimultates de literis ſuſceptas. Quid aliud teſtificantur hæc, niſi nos in philoſophia animos gerere gladiatorios, ſuperbiæ inſtinctu ſtudere, nõ amore bonitatis, aut ueri cognoſcendi? Inter tam offenſos atq; iritatos animos, quomodo expurgari poteſt uerum, ut liquidum exiſtat, quod à ſola mentium noſtrarum luce perpurgatur, quę lux maximis eſt perturbationum nebulis oppreſſa, atq; offuſcata? Minor fortaſſe eſt in quibuſdam, ſed tamen mentium nebula, pecuniæ, opum, dignitatis, uoluptatum cupido, in nonnullis pectoribus maior, quæ etiam peſtis diſciplinas inuaſit. Nam ut multi humanitatis artes ſunt tanquam honorum inſtrumentum ſecuti, ita non pauci illas propter ea, quæ modò recenſui, expetierunt. Vulgo in eam opinionem eſt iam uentum, ut eruditio uelut diurna quædam ſit opera, cui ad ueſperam honor aut utilitas ueluti laboris merces neceſſariò ſint parata. Sic perſuaſa eſt ſtulta multitudo nõ alium in fructũ quæri literas, non in alium quærendas eſſe, quàm ob diuitias, atq; opes, aut popularem quandam de ſapientię nomine uenerationem. Hic per manus error traditur. Patres filiorũ teneros animos eo imbuũt, propinqui, neceſſarij, nutrices, nutricij, pædagogi infigũt, ut quũ in eam ętatẽ uentũ eſt, in qua rerũ acceſsit intelligentia, & iudiciũ, reuelli nullo penitus modo queat: hac mẽte ad ſcholas à patre puer deducitur, ac ipſe puer ingreditur, quæ pariter cũ ætate adoleſcit. Ergo ea ſola diſcit, quæ ad finẽ hũc perducant, ſæpe noxia, et legibus uetita, qualis eſt magia et incantatio legibus XII. tabularum prohibita. Quod ſi homines tenues, ac famelici ex ijs artibus alimenta inſtituerint ſumere, quibus non ſatis ualent, fames cogit eos pertinaciter tueri quicquid ſemel ſuſceperint, ne indoctiores habeantur ſi melius dicenti ceſſerint, animo præſertim ſtimulante, male de imperitia ſibi conſcio. Tum ſimulant aliorum contemptum, & eos mordent, ac perſtringunt acriter, quos ſuo quæſtui officere ſuſpicantur: compellunt artes ſeruire, et ad uoluntatem eorum torquent, qui dare poſſunt. Videas quoſdam qui opulenti prius liberi ac modeſti erant in ſentiendo, ac iudicando, poſtea in egeſtatem delapſi, & aſſentatores ſunt facti diuitum, & immodeſti, aſperi, rabioſi in eos omnes, à quibus noceri aliqua ſibi ſuſpicentur. Multum etiam extrinſecus eſt illatum tenebrarum in animos ab ipſis autoribus, quibus in hac uia, & inquiſitione tanquam ducibus uſi ſumus: ſiue quòd eos non intelleximus bene admonentes, ſiue quòd inuiderunt nobis ductum ſuum, ſiue quòd ipſi falſi nos etiam, qui nos illis credebamus, fefellerunt. Principio, quemadmodum eſt in ſacris hiſtorijs proditum, in permiſtione illa & confuſione linguarum, quæ facta eſt in Aſſyria, rege Nembroto, imperia nec dari potuerunt, nec accipi, quum mutuo non intelligerent: ita ignoratis magnorum ſcriptorum linguis, quid nobis præciperent, quà eundum, & quò ſuaderent, non intelleximus: ueterum autorum cognitionem, qui Græca aut Latina lingua monimenta ingeniorum ſuorum conſignaſſent, ac poſteris tradidiſſent, ademit prorſum nobis ignoratio harum linguarum, quæ tanta bellorum continuatione propè exoleuerunt, quum gentes illæ quæ Septentrionem incolunt, in Italiam ſeſe & totum Occidentem effuderunt, Gotthi, Alani, Vandali, Sueui, Turuli, Hunni, Langobardi, & poſtremi omnium ab Oriente, Agareni. Nam cùm bellum literas ſimul cum bonis artibus, ac pietate opprimit, quòd inter bellicos furores non eſt uirtuti nec honos ullus, nec locus. Pellitur è medio ſapientia: ui geritur res, inquit Ennius. Tum gentes illæ natura feræ, & ab omni penitus ingenij cultu alienæ, primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt, conflagrarunt illis incendijs urbes, & regna, & ſcelerato illo atque impio igne, magnorum quoque ingeniorum opera exuſta ſunt, quibus autores male præſagi, uitam atque immortalitatem fuerant polliciti. Victores enim, ut de gallo eſt in fabulis, margaritum quod non intelligebant, contempſerunt. Simul irriſæ ſunt ab eis linguæ, ac ſtudia omnia, nec ſolum eis detractum eſt pretium, ſed contumelia addita, ſeu quòd nollent quenq; in uictis plus ſapere, quàm uictorem: & ut quiſque eſſet

eſſet doctiſsimus, ita craſsis illis hominibus imprimis erat ſuſpectus tanquam uafer,& ad fraudes ac dolos maxime appoſitus:ſeu quòd emolliri per hæc uirûm uirtutem opinarentur,ac minus bello idoneos reddi, cui omnia illi tum tribuebãt laudem,gloriam, decus: ex bello uno uerum, germanumq; etiam ſempiternum oriri rati. Græca lingua diuulſa ab Occidente, Græcia imperio & commercio exceſsit Italia, Gallia, Hiſpania, Germania.Hoſtes uerò imperij Romani nec linguam quoq; Romanam potuerunt ferre,quam & ipſi tum ignorarent,tum etiam odiſſent. Cogitaſſe ferunt regem quendam Gotthorum ut Romam dirutam inſtauraret,et nominaret Gotthicam.Qui ſeruiebant, & quidem dominis ſuperbiſsimis ac crudeliſsimis,eum ſermonẽ admiſerunt,inq; eo ſe exercuerunt, quo uti apud dominos poſſent.Ita ſermoni uere Latino ac pure,ſucceſsit miſtus quidã ex Latino & peregrino. His linguis Latina et Græca uel amiſsis,uel magna ex parte tenebris obrutis,neceſſe fuit,ut eadẽ quoq; nox artes illas et diſciplinas opprimeret, quæ eſſent linguis illis traditæ: occultatæ ſignificationes ſingulorũ uerborũ, incognitæ loquendi formulæ:& tamen qui hæc neſciebãt,uolebant uideri eos ſcriptores,& quidẽ luculentè intelligere,qui Latini ſermonis fuerunt obſeruantiſsimi. Quaſi uerò aliud ſint libri quàm uoces,& loquendi rationes ac formulæ,quæ qui intelligit,is demum aſſequitur ſcriptoris ſententiam,non alius.An librum de philoſophia Hiſpane ſcriptum probe intelliget Italus ſermonis noſtri ignarus,quamlibet uicinæ ſint hæ duæ linguæ? Leges duodecim tabularum probe capiebat populus ille, qui tum uiuebat, quum ferrentur:Cicero negat ſe totas intelligere.Quid ita?non hic doctior,quàm uulgus illud rude?multò.Sed uoces quædam ita ex uſu abierant,ut ſignificatus intercidiſſent.Nicolaus Leonicenus,Thomas Linacer,& alij queruntur ignoratione Græcitatis multa eſſe à Plinio perperam à Gręcis ad nos traducta.Idem Diuus Hieronymus de Septuaginta interpretibus ex Hebræo in Græcum.Quid opus eſt exemplis ueterum?Iſti ipſi qui negant ſe de uerbis eſſe ſolicitos, quot locis hallucinantur ignoratione uerborum?quoties eſt eis hariolandum,quàm multum ſe torquent?Quàm plauſibiliter dixit Bartholus,De uerbibus non curat Iuriſconſultus? De quibus ergo rebus mouent tam multas quæſtiones,niſi de uerbis legis?quæ ſi intellexiſſent,nõ ita paſsim deprauaſſent leges ſtultiſsimis ſenſiculis. Dicat exempli gratia iuriſconſultus,Cẽteſimis calẽdis dari utiliter ſtipulamur,nõ intelligas tu quid ſit uſura centeſima,ego intelligã,an nõ melius ſenſum ego iuriſconſulti tenebo,quàm tu?Si res in colloquium inferrẽtur, faterer eum, qui res cognoſceret melius intellecturum quibus de rebus ageretur. Sed quum uerba ſola uſurpentur,neceſſe eſt uerborum ſignificatus, ac ſenſus optime teneat, qui exacte dicit intelligere ſe,de quo diſſeratur.Fortaſsis non tam id eſſet neceſſarium in Geometria,Arithmetica,Muſica, Pictura, quia lineolis & notis quibuſdam utuntur,oculos in rem præſentem ducunt.In alijs fieri nequit,quo minus uerba intelligi ſit neceſſe. Quocirca quum uerba magnorum ſcriptorum non intelligerentur,nec percipi ſenſa potuerunt: unde omnia apud eos inuerſa,et illa eorũ dictis ſenſa attributa,non quę quiſq; ex uerbis colligeret,ſed quę pro libito cõminiſceretur.Reuertũtur tam longo poſtliminio Græca & Latina lingua,ſeu renaſcuntur uerius. Et tanto ex bono non exiguum cœpit malum artibus naſci, unde tota erat ſalus ſperanda. Quod homines utriuſque linguæ peritia et cognitione inſtructi,quum ad legendos artium ac rerum ſcriptores accedũt, Platonem puta,aut Ariſtotelem,aut Plinium,aut Hippocratem,aut Galenum,aut Pandectas iuris,aut nouum,aut uetus Inſtrumentum pietatis,et ex linguæ imperitia lapſos nonnunquam uident illis interpretes, qui multum in artibus operę poſuerunt,quoniam ipſi peccatum deprehendunt linguarum ope, ac beneficio,ilico ſe peritiores eſſe in illis artibus opinantur,quàm illi ipſi fuerint poſt tantam et tam diuturnam exercitationem: ergo illos contemnunt præ ſe, & uix primis guſtatis rudimentis ad ſcribendum de illis artibus prouolant,rem ſe facturos ratiutiliorem,quàm illi ueteres artis profeſſores fecerint,ſi aliquot locis hallucinatos interpretes indicarint. Aditus quidem ſunt linguæ ad artes omnes,quoniam illis ſunt traditæ.Sed aditus tantum, non item artes: hoſtia,non ædes. Inuiderunt nobis ueteres beneficium ſuæ inſtitutionis, dum ea quæ inueniſſent non apertè ac ſimpliciter nobis communicarunt:ſed tot inuolucris contecta,

ut facilius esset illa ipsa ex natura rerum eruere, quàm ex eorum libris. Scitè Socrates Heraclíti Ephesij librum Delio urinatore dixit indigere. Sunt in quibus facilè des obscuritati ueniam, quòd ea non ex scriptore nascatur, sed ex rebus: ut in Pythagoricis & Platonicis numeris, quibus constare illis placet hominis animam. Alij arcere uoluerũt profanum uulgus à cognitione rerum, quas traderent, contaminaturum nõ intellecturum. Fuerit sanè causa aliqua in rebus sacris, quam prætexere uidetur Plato in epistola quadam ad Dionysium: at in profanis quid causæ possunt dicere? ut quum Heraclitus disputat de rerum natura, Pythagoras de numeris, Aristoteles de causis, & hisce rebus quæ inter nos uersantur, denicp de his, quas nos scire, nec ullum erat periculum, & uehementer hominum generi conducebat. Sed de alijs minus fortasse fuerit quàm de Aristotele quærendum. Reliquorum enim, ut quæ scripserunt parum sunt apposite dicta ad discendum, ac percipiendum, ætas paulatim deleuit scripta, uix ut uel ipsa nomina existant autorum. Ruditer enim, impolite, et confuse sua congesserãt, artis penitus expertes. Aristoteles uerò quæcunc suscepit tractanda, siue de moribus, siue de natura, siue de sermone ac differendo, in artis formam ac faciem redegit, ut nec poëticam quidem omiserit, & alia minoris notæ, quæ ad nos non peruenerunt: quo nomine haud facile quis dixerit, quantum ei studia & disciplinæ omnes, quantum studiosi ipsi debeant. Sparsa enim collegit, congesta digessit, confusa distinxit, obscuris attulit lumen, omnia ita reddidit concinna & apta, ut percipi facile ac teneri queant magno cum fructu eorum, qui artium fructum aliquem sequuntur. Fuit uir ille mea quidem sententia, ingenij acumine, iudicio, dexteritate, prudentia, diligentia, atc studio omnium cuiuscunc ætatis scriptorum facile præstantissimus, edoctus diutissime à magistro non dicendi modo, sed etiam sapiendi Græciæ totius principe. Quantam hic potuisset adferre utilitatem omnibus disciplinis? quantam lucem? si quæ uel ab alijs accepisset, uel inuenisset ipse, aut reconcinnasset, aperte ac dilucide uoluisset prodere? Sed tum ipse obscurauit consultò sua, tum fortuitę aliæ obscuritates accesserunt, quæ aquam fontis huius in fistulas perturbatam mitterent. Primum ut scriptores omnes qui ante ipsum fuissent, carpserat, callido, & uafro uir ingenio, talionem ueritus, sententijs est usus ambiguis, et in utrunc latus flexibilibus, ne quis etiam existeret, qui ipsius dicta laceraret: ita cauit sibi semper uia, qua elabi deprehensus posset, ne teneretur, ut quicquid dixisse uideretur, integrum esset ei qui illum tuendum suscepisset, negare eam fuisse illius mentem: ut etiam in reddendis causis naturæ, ubi paulo erat apertius loquendum, operis titulo ademerit reprehensionis ansam, inscripto opere Problemata, ut iudicium uideretur relinquere lectori liberum, admonitum modo ab scriptore. Themistius quodam loco furori simile esse dicit, si quis speret se ex Aristotelis scriptis sententiam eius penitus assecuturum. Idem ipse Aristoteles ad Alexandrum scripsit neminem commentarios illos, quos rex doleret in uulgum missos, intellecturum, nisi qui ab se domi audiuisset. Nec solum obscuritas fuit in reb⁹ sensorum, sed etiam in uerbis: affectauit enim quoddam dicendi genus pressum, & astrictum, Attico etiam breuius & cõtractius, ut interdum nõ tam eloqui uideatur, quàm res indicare: tum id usum est aptissimum ad occultandas sententias animis: tum quòd in tradendis artibus non existimauit multis uerbis onerandum esse discipulum, ita ut plerunc non tam sint eius uerba intelligenda, quàm nutus interpretandi. Et hic tam in sua illa naturali lingua obscurus, & reconditus, in alienas linguas est ad philosophiæ atc artium omnium cognitionem transfusus, in Latinam, Arabicam, Chaldæam, non ab aliquo & linguæ ex qua uerteret, & in quam uerteret peritissimo, qui sententias commodè annumeraret, non uerba, sed uel à pueris, uel à superstitiosis, uel ab imperitis, qui uerbum uerbo reddiderunt: tum phrases, & schemata, & figuras omnes quæ erant in Græco sermone elegantissimæ atc aptissimæ, ad Latinum, aut Arabicum inuitas ac repugnantes pertraxerunt, ut nemo esset qui linguã suam patriam sic inuolutam ac peruersam agnosceret aut intelligeret: tum multa non assecuti pro captu suo transtulere, ut non iam cognoscendam haberent Aristotelis mentem, sed interpretis: & clamores, tumultus, tragœdiæ, quæ de intelligentia dicti cuiusquam Aristotelis excitarentur, non de illius essent, sed interpretis sensu. Neq uerò ab illis

illis ineptissimis ad transferendũ uersus,sed ab eruditis etiam:qualis olim fuit Boëthus priore seculo,& patrum memoria Hermolaus Barbarus, Argyropylus, Trapezũtius, & paulò antea Leonardus. Taceo de Gaza propter libros animalium, qui sunt explicatiores. Sed in his libris,in quibus de artibus præcipit,non potuit uires illas suæ linguæ cõseruare,ut plerunq; non quiuerit ad nos pertrahi uerbulum aliquod, aut dicendi ratio & phrasis,in qua situm esset uniuersum robur sententiæ. Quo fit ut melius uel à mediocriter Græce docto in lingua illa sua intelligatur, quàm à Latinissimo in Latina. Ad consultam illam obscuritatem accessit alia fortuita,quòd Aristotelis libri cũ tota Theophrasti bibliotheca,sicut Strabo,Plutarchus & Diogenes perhibent, ad Nelium quendam Scepsium hæreditate peruenit, hominẽ literarum penitus ignarum: hinc ad Appelliconẽ Teium deuoluta,exesis codicibus locis aliquot,& confusis:de Appellicone dictator Sylla emit,& Tirannionẽ adhibuit grammaticũ,qui uolumina in ordinẽ redigeret:hic,ut par est,in multis secutus est iudicium suum,interdum non assequutus,Andronicus Rhodius euulgauit libros. De multis eorum librorũ,uenit in cõtrouersiam, essent' ne Aristotelis:ut de Prædicamẽtis, de quibus Boëthus disputat. De Analyticis quadraginta uolumina scribit Ioãnes Philoponus reperta esse in uetustis bibliothecis: ex stilo & differendi acumine hæc quatuor Aristoteli esse adiudicata, quæ nunc sunt in manibus. Quis posset bene sequi ducem tam obscure admonẽtem? Nec solum inuiderunt nobis lucem suam,sed etiam alienam,uel non admonendo ubi possent iuuare, & quasi perferendo ad nos uoces,quas priores duces ædiderant: sed quæ quum ad nos peruenissent,nimis iam essent tenues atq; exiles, uel obruendo,umbris atq; obscuritate dissimularunt multa aliorum inuenta,ut sua in illorum locum reponerent:quum potuissent,si quid habebãt difficultatis,faciliora ad posteros atq; explicatiora tradere. Nã non aliter quàm qui uoces è proximo audiunt,promptius eas intelligunt,quã qui procul:ita proximi inuentoribus,aut alioqui scriptoribus quibuscunq; melius capiũt,quæ dicunt:siue quòd res illa ætate sunt cognitæ,& uerba & loquendi tota ratio, figuræ,allusiones,prouerbia,sententiolæ:siue quòd concipiendi & explicandi ratio ferè sua est cuiq; ætati,& ijs omnibus qui in ea uiuunt, cõmunis:quotusquisq;,ut de alijs taceam, intelligit orationes & epistolas Ciceronis,præsertim ad Atticũ? equidem haud scio an omnino ullus,quas omnes belle intelligeremus,si eas Asconius aliquis esset interpretatus,aut quispiam æui illius homo eruditus. Sic philosophorum doctrinas,& placita discipuli,aut certe illorum ætatibus uicini dilucida ad nos transmisissent si uoluissent,sed multo aliter animum induxerunt:nam fuere qui silentio prẹterirent,quod utiq; uisum est modestissimum præ eo, quod alij fecerunt, qui perstrinxerunt, carpserunt, inuerterunt prorsus. Stoici Peripatetica, Peripatetici Platonica & Pythagorica, Epicurei Stoica. Ita sectæ inuicem momorderũt, ac dilacerarũt,inter quas cõtentiones & pugnas de gloriola,perijt lectori fructus magnorum inuentorũ,quæ potuissent cũ utilitate posterorum relinquere,si nõ maluissent ea frãgere quàm inflectere:nam fortassis leniter detorquendo ad ueritatẽ deduxissent. Sed illorum monimenta tempus consumpsit edax rerum. Aristoteles noster utinam in gloria expetẽda fuisset paulo moderatior, quæ illi haud dubie contigisset amplissima:qui inuentorũ diligẽtia,& acumine priores omnes longe antecedebat,potuisset nobis relinquere multa à priscis sapientiæ studiosis acutè ac prudenter excogitata. Sed ille ut indefesso illo suo studio omnes quotquot ante se aliquid scripserant,euoluerat,legerat,excusserat:ita neminem præteriuit,quem nõ carperet,ratus tantũ in se deriuaturũ gloriæ,quantũ alijs omnibus ademisset,tanquã sublimior esset cæteris,acutiusq; ac longius prospiceret. Carpit quidem plerunq; meritò, in quo ingentem meretur laudem,quòd falsas aliorũ opinationes tanquã periculosa loca indicarit. Sed nonnunquam affectatè, interdũ non citra calumniam,in quo eum multi incesserunt. Nam ueteres cùm uiderent rerum uocabula,quæ in promiscuo essent usu, parum congruere ad ea quæ ipsi accuratiore naturæ inquisitione eruissent, uel ipsi sua sibi finxerunt uerba,uel in communibus usi sunt longissimis ac recõditissimis allusionibus ac metaphoris:nonnunquã id consultò faciebant,quemadmodũ dixi,ut cognitione rerum maximarum indignos prohiberent: Aristoteles ad eorum sententiam in

alieniſsimam opinionem detorquendam uulgari eſt abuſus ſignificatione, ut eos conſenſu populi premeret, & quaſi publico præiudicio condemnaret: ut de Ideis, & motu animæ contra Platonem, de unitate entium contra Parmenidem. Ea res non ſolũ ueras antiquorum ſentẽtias nobis ademit, quæ fortaſſis iactura fuiſſet tolerabilis, uerũ quod eſt grauius, Ariſtotelem nobis timidiorẽ effecit ad eloquendum quæ ſentiret, reputantem ſcilicet quod eſt in mimo: Ab alio expectes, alteri quod feceris. Quid quod priores, quibus nos ducendos penitus commiſimus, ipſi ſunt ſæpenumero falſi, ut falli nos quoq; , qui ſequeremur, fuerit neceſſe. Primum non pauci eorum fuerunt ingenio haud ſatis acuto ad inſpiciendas res tot inuolucris contectas: alij res nouas, & quaſi tum primum naſcentes contemplari potuerunt magis quàm cenſere: ita ut in pleriſq; iudicandi facultatem longa admiratio conſumpſerit, ſicut in ſpectaculo magno, raro, admirabili, uſu uenit, ut antea ſubducat, quàm ſpectatores potuerint aſſequi, & ſtatuere quid rei fuerit, aut cuiuſmodi. Adde quod rationes quædam, & argumenta, quæ ſequebantur alijs mediocria, & utcunq; probabilia ad perſuaſionẽ rerum maximarũ atq; abſtruſarum ſuffecerũt: alijs indigna ſunt uiſa, à quibus mouerentur, ut alij plus ualuerint ingenio, & inſtructiores fuerunt à dialectica uel naturæ uel artis, atq; ſtudij beneficio accepta, neq; enim dici poteſt, quos errores in ſe admiſerint ueteres philoſophi ductiſ leuiſsimis argumentis, quòd rationem atq; artem colligẽdi ignorarent. Cuiuſmodi ſunt ea, propter quæ Epicurus aſſeruit uoluptatem eſſe ſummum bonum. Anaxagoras omnia eſſe in omnibus, & alia quæ paſsim ſunt obuia ijs, qui antiquorum legunt placita. Acutum ingenium niſi dexteritate quadam regatur, & acrimonia iudicij in colligẽdo, non aliud eſt quàm ſagax quidam canis, ſed uenationi parum aſſuetus, qui hac & illac temere ingreditur, & feram quà minime oportet, perſequit. Damnem ego illos quòd aliquoties lapſi fuerint? Equidem non magis, q̃ ſi quis maximo labore uel fontes inuenerit uulgo neceſſarios, uel metalla multa eruerit, non tamen repurgarit. Non poſſunt multa ſimul proferri & expoliri: non poteſt unum aliquod diu quæſitum ab eodem inueniri, & excoli: non ſufficit tot rebus uita: non humani ingenij uis breuis & infirma. Beatus ille, inquit Plato, cui uel in ſenectute datũ eſt, ut ueras de rebus habeat opiniones. Quòd ſi tam ſera ætas ad aliquid eſt rectius ſapiendũ expectanda, fœtus hi ſenibus iam naſcuntur patribus, ut educare eos atq; inſtituere non queant. Ego quum Ariſtotelem tam multa in lucem protuliſſe uideo, nonnulla uerò parũ exculta atq; expurgata, non aliter eum admiror quàm diligentẽ aliquem auri atq; argenti effoſſorem, qui maſſas ingẽtes magna ui brachiorum eruerit è uenis terræ. Ignoſco autẽ quòd homo unus non omnia tam multa, tam uaria, tam difficilia, quæ eruerat, coxerit, ac repurgarit: non poteſt obire unus, quæ uix centum præſtiterint. Multo minus miror Ariſtotelem contraria interdũ ſentire: ut de uidendi ratiõe, qui in libris de Anima intrò nos dicat admittere, in Problematis foras mittere. De cõmiſtione prædicamentorũ miſta eſſe in Categorijs fatetur, in Topicis negat. Dialecticam alibi ait materiam habere propriam, alibi nullam. Mireris tu in tanta uarietate rerum aliquid eſſe uiſum uno tempore, quod non alio? Quis eſt cui non id quotidie contingat in plurimis? Vlyſſes apud Homerum mutari ait hominum animos quotidie cum ſole. Cicero ſe in diem ait uiuere, & quicquid aliquo tempore animũ probabilitate percuſſerit, id affirmare. Itaq; negat ſecum oportere agi tabulis obſignatis. Dominus noſter autor noſtrorum animorum non ſolum in dies mutari nos dicit, ſed etiã in horas: nónne, inquit, duodecim horæ ſunt in die? Quæ ſunt à me dicta ne quis putet uel me male de Ariſtotelis ingenio & doctrina ſentire propter lapſus aliquot: quum labi ſit ferè proprium mortalitatis noſtræ, uel autorem eſſe cuiquam ut tantæ magnitudini inuentorum, tantæ utilitati ac beneficio artium ac diſciplinarum omnium, ſit ingratus, propter aliqua minus accurate ab illo, ut puto, expenſa, aut fortaſſe à nobiſipſis: quod idem uelim exiſtimari eſſe à me dictum de quocunq; magnæ notæ ſcriptore. Iam multos, qui acie ingeniorum ſatis erant inſtructi, piguit in fulgorem ueritatis intente aſpicere, eos qui dicebantur aſpexiſſe ſunt ſecuti. Inde errores priorum traditi ad poſteros & confirmati, dum tantis de rebus malunt alijs poſteriores credere, quàm ipſi iudicare. Quod uitium nõ ſolum eſt in nuperrimis, ſed in anti-

in antiquis etiã,Plinio,Cicerone,Aristotele ipso:hæc enim est non exigua causa,cur interdum acutissimus scriptor affirmat pugnantia, secutus uidelicet uariorũ opiniones: nam quæ usu semel sunt recepta & confirmata,ita fiunt sancta & fixa,ut nefas existimetur ab eis discedere:autoritatem illis penè inuiolabilem consuetudo tribuit:ut multi in præceptis artium perhibendis,nõ in ipsam ueritatis faciem direxerint obtutum,sed usui se tanquam optimo duci & peritissimo magistro commiserint:etiam in ijs,quorum usus non est dominus:eum si explicuissent,& in canones redegissent,bellissime se perfunctos opinabantur præcipiendi munere:quod Aristoteli in arte Rhetorica contigit, & poëtica. Quas artes non uidetur mihi tantus artifex ad examen illud iudicij & rationis exemplis relictis accommodasse,ad quod alia erat solitus:sed usu,& recepta cõsuetudine adductũ illam exposuisse pro formulis artis.In eodem poëticæ argumento Horatius,quæ recepta essent,præscribit.Hieronymus Vidas nostræ ætatis scripsit carmen excultum sanè,& mire Virgilianum de Poëtica,in quo satis habuit Homeri ac Virgilij uirtutes percensuisse, ac declarasse, easq; pro absolutis artis præceptionibus tradidisse. Cicero leges & rempublicam instituens,ciuitatem Romanam pro exemplari proposuit,ad quod se populi omnes fingerent ac formarent. Nec saltem in re tanta & tam præclara cogitare uoluit, quod ipse idem se in perquirenda optimæ ac præstantissimæ eloquentiæ ratione fecisse testatur:ut non eam qualis aliquãdo in eloquentissimo fuisset homine quæreret,sed qualẽ esse oporteret,quæ fortassis in nullo unquã mortalium fuisset:ut non in alicuius hominis intueretur eloquentiam,dum de illa scriberet, sed in speciem perfectæ eloquentiæ,quam Plato Ideam appellat.Quod si hoc faciendũ censuit in eloquentia,& uerbis quæ ab usu peti solent,quanto erat magis elaborandum in legibus,& republica,quę usu deprauari solent,nõ adiuuari? Ea credulitas receptorum, quum in priscis illis fuerit,quantam in recẽtioribus esse oportet,qui sibijpsi diffisi grande sunt rati nefas à maiorum placitis deflectere uel latum unguem? Itaq; quum non minus naturæ benignitas mente illos,ingenio, iudicio donasset, ipsi tamen amiserunt iudicandi de uiribus ductorum facultatem,partim à rebus ipsis sublatam,partim ab ipsis eisdem iniqua sui damnatiõe abiectam,celerrima desperatione sui,quum quantũ possent ac ualerent,nunquam periculum fecissent. Itaq; uideas Theologos omnes scholæ Thomam, Scotũ, Occhamum,Holcotum,Gregoriũ,Ariminensem,Petrum Haliacensem,& alios,quũ quid de lumine naturę quęrũt,Aristotelis adducentes placita pro culmine,ad quod peruenire potest homo naturæ luce adiutus : quasi altius nullũ ingeniũ nulla in re possit ascendere,q; quò ille peruenit.Ad hæc tot sese nobis obtulerunt duces,tot sunt nos ut sequeremur se unos adhortati,& alios ut omnes uitaremus tãquam in perniciem ducturos, & quidem probabili pro sua parte ratione ostensa. Vt proficiscẽtis animus inter tot Mercurios ac uiarum indices tam uarios, atq; inter se discordes constitutus hæserit,cui parêret potissimũ ignarus:& inter tot uoces in diuersa trahentium,qui iudicare uel nescit,uel non uult,sequitur aut suauissimam,nempe captus elo quentia:aut eam quæ ad cõgruentem cupiditati suæ finem promittit se ducturam : uel quæ est ingenio suo cõuenientissima.Infinita est scribentium turba,ingens, immensus librorum numerus:nescio cui me applicem,cui adiungã,præsertim quum nemo se audeat arbitrum offerre tantæ controuersiæ,ut legendos à non legendis iudicio & sententia sua secernat,quin huic maxima sit inuidia,& penè publicum odium subeundũ:neq; enim est ullus tam malus liber,qui alicui non placeat , tacita quadam congruentia ingeniorum,ac cogitationum.Quũq; tot esset notis ad distinctionẽ opus,nos tamẽ ita illorum uestigijs adhærere atq; insistere decreuimus,ut nefas existimemus ab illis uel pilum unum deflectere : siue damnatione nostrorum ingeniorum, siue odio quęrendi: quum & illi fuerint homines, ut nos, quorum est proprium falli & fallere : primiq; illi inuentores uelut rudes modò quasdam massas atq; informes, sicut dicebam, tradiderint posteris suis expurgandas & formãdas . Quid quòd illi qui in nos paterna fuerint beneuolentia,& charitate,noluissent nos ita despondere animos,ut nihil supra se quęreremus.Et qui ex illis fuerunt boni uiri,haud dubie manum quoq; illis porrexerunt, quos altius uidebãt ascẽsuros,quã quò ipsi peruenissent:hoc enim iudicabant è re esse

generis humani,ut indies artibus,disciplinis,uirtute,ac probitate proficeret. Nos uerò homines esse nosipsos arbitramur,aut etiam minus,illos plus quã homines,heroës scilicet aut semideos. Non quin illi multa & magna nobis præstiterint, sed & nos non parum nostris minoribus possemus præstare,si anniteremur,aut plus etiam quàm illi,adiuti illorum inuentis,adhibito nostro iudicio. Falsa est enim atq; inepta illa quorũdam similitudo,quã multi tanquam acutissimam,atq; appositissimã excipiunt,nos ad priores collatos esse,ut nanos in humeris gigantũ:non est ita, neq; nos sumus nani, nec illi homines gigantes,sed omnes eiusdem staturæ,& quidem nos altius euecti illorum beneficio:maneat modo in nobis,quod in illis studium,attẽtio animi, uigilantia, & amor ueri:quæ si absint,iam non nani sumus,nec in gigãtum humeris sedemus, sed homines iustæ magnitudinis humi prostrati. Ergo diffili nobis,& clausis oculis nos alicui commisimus,quem belle atq; acute cernere crederemus,nõ optimo duci quem elegimus, sed primo ad quem nos applicauit sors. Id cupiũt ductores praui,gloriæ suç magis auidi quàm ueritatis,ut res in studia & sectas scindatur,ut quod impetrare non possunt bonis artibus,extorqueant dissensione ac uelut ciuili bello. Nullum est tam incorruptum disciplinæ genus in quo non sint partes ac factiones, etiam in ipsa theologia,ubi minime congruebat. In disciplinis omnibus passim scribunt, & docent periti, imperiti, boni, mali. Vnusquisq; constantissime defendit sua, nec est ulla adeò absurda atq; infelix secta,quæ nõ suos inuenerit adiuratos. Deducitur ad scholam filius ab indocto patre: quantæ felicitatis est non incidere in malum ac imperitum doctorem, quum eiusmodi sint plena omnia? Quid aliud est tum patri faciendum,quàm suscipere uota pro institutione sui filij? Venit eò adolescẽs nouus,rudis omnium,imbuitur statim sectæ placitis: recipit,assentitur,afficitur priusquam possit iudicare:audit dici omnia cõstantissimè à præceptore ingenti asseueratione uultus, supercilij, sententiæ, uidet recipi omnia magno consensu atq; admiratione à condiscipulis, credit esse mera oracula, ita haurit tanquam certissima & indubitata,tanquã illa quæ prima principia nominantur. Quare de motu,de tempore,de his quæ sunt in anima,de constitutione corporum,denicq; de rebus incompertissimis,omnia ingenti asseueratione confirmantur:ut si quis uel ambigat, non secus putent contra hunc non esse disputandum, quàm si negauerit unumquenq; esse,aut non esse. Non solum ita se his addicit,& mancipat, ut ea modo censeat esse uerissima,sed ut alia cuiuscunq; modi habeat suspecta:adeò iudicio se spoliat præcipuo,non solum in tractãdis artibus bono,sed in tota uita facultate inquirendæ ueritatis aptissima. Multi eorum ne possunt quidem à receptis semel discedere, quum alia penitus nec legerint nec audierint,ignari sint'ne aliqua suis uel meliora, uel peiora,ut qui nõ credunt aliam esse dialecticã,aliam theologiam, quàm cui ipsi sunt diditi:quod mihi Lutetiæ,& alijs plerisq; meis condiscipulis contigisse memini. Qui uerò legunt quæ aliena sunt à suis,alij decursa iam ætate nequeunt discere, & pudet quæ iuuenes didicere senes perdenda fateri,ut inquit Poëta, alij quum sint penitus in iure ac mancipio contrariæ opinionis,tanquam uana,absona,stulta respuũt,atq; aspernantur. Sin scriptoris nomen autoritatem tuetur,omnia ad sua dogmata detorquent,ut sua uideatur dicere,etiam cũ diuersissima loquitur,& tanquã in ciuili discordia, utraq; pars trahit quæcunq; quacunq; potest ratione ad fauorem sectæ,ad lædendum aduersarium. In quo ardentissima fuit Græcorum leuitas,sed nos illis hac in parte grauiores nõ sumus. Quæcunq; à receptis discrepãt,explosa,exibilata sunt,uelut insaniæ & furoris plena,nec cognita,nec audita,tantum ex suspicione,quòd cum suis nõ consentirent. Nunc quęcũq; ab scholæ placitis dissident,scholastico theologo sunt hæretica, quod crimen ita uulgatum est,ut rebus quoq; leuissimis impingatur,quum sit ipsum per se atrocissimum. Idem inter se facerẽt Thomæ addictus de Scotico,hic uicissim de illo,nisi quòd scholæ assuefactio,in qua personant uariæ scholasticorũ sententiæ,audiendi sensum mitigasse, ac emolliuisse animum uidetur. Nam qui sua non sunt cœnobia egressi,planè isti quicquid non est ex præceptis sectæ,refugiũt tanquam uenena,& ilico errorẽ clamant. Nec tam pertinaciter principes opinionũ quamlibet obstinati pro suis inuentis depugnassent,quàm isti pro placito alieno. Sed fortassis in quibusdam foret tolerabile, si non in

progressu

progressu corruptiora essent, quàm in prima origine. Verùm exercitatio ingeniorũ, & semper in eisdem iam ab initio lapsis, & corruptis, longissime rem à recta uia abduxit, quum ipsi monitis melioribus ingressus omnes præclusissent. Ah quanto se fructu disciplinarum fraudant, quòd semper alijs credunt, nunquam ad se ipsi reuertuntur, nec se uocant in consiliũ, ut examinent cuiusmodi sint quę tanta cura addiscunt. Et eorum qui sese ac ingenia sua certis scriptorum generibus, ceu in seruitutem tradidere, alij ita sunt recẽtes, ut ueteres omnes ne de nomine quidem norint, partim non intellecturi si eos adirent, partim quod exactiora omnia apud nouos esse credant, partim quod occũpatis incredibili nouorum longitudine nunquã ad priores illos caput uacet attollere. Alij nouitatẽ omnem aspernati ita ueteribus adhærent, ut si neotericum attingant, metus sit ne contaminentur. Verùm permultũ refert quos ueteres, quos nouos esse arbitrere. Si illi qui artes disciplinasq; & inuenerunt, & auxerũt sunt antiqui, noui uerò qui uel corruperunt artes, uel corrumpentibus accõmodarunt suas manus, planè uel umbilicos illorum antiquorũ malim, quàm uerbosissima recentium monimenta. Sin tu ad fastos redis, & uirtutem æstimas annis, quemadmodum ille dicit, ut quanto sit quisq; uetustior, hoc apud te sit nominis ac fidei potioris. Quid, an non Aristoteles Anaxagora posterior, & Cicero M. Catone, & Demosthenes Pericle, & Vergilius Ennio? At posteriores istos antiquarij homines prioribus illis longe anteponũt. Hi quoq; non exigua sanè eruditioni suæ incrementa detrahunt, & iudicium debilitant ac frangunt. Primum ita addicti & mancipati sunt ueteribus, ut quicquid non putent uetus esse, continuò damnent inauditum, incognitum, etiam si maxime sit uetus, modo recens credant, ut recentia, si existiment esse uetera, adorent: neq; enim iudicio adducuntur, sed solo nomine. Vidi qui uersiculos hominis uiuentis quod in peruetere bibliotheca reperti essent puluere obsiti, ac iam ferè exesi tineis, aperto capite ueneratus sit, tanquam Virgilianos, aut alicuius æui illius: & alius Ciceronis epistolam, cui cõsulto nomen erat præpositum Gallicum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam cõuitio barbariæ transalpinæ. At inquiunt, progressæ sunt aliquousq; artes, inde deciderũt, eos qui in fastigio artium scripserunt, solos terimus manibus. Quî possunt de hoc censere, quum alios nefas esse putent attingere? Equidem haud abnuerim magnum in priscis illis hominibus ingenium fuisse, multũ usum, ac diligentiã circa res eruendas, & tradendas illustriores posteris. Sed male de natura censet, quicũq; uno illam aut altero partu effœtam esse arbitratur. Cur se non putent aliquid excussuros, si annitantur? quum nulla sit tam facilis atq; humilis ars, in qua non infinita occulantur, quæ possint multa ingenia diutissime exercere. Et recentiores haud sanè pauca excuderunt, nonnunquam acutius, sæpe etiam uerius: quod illi uarietate rerum distracti, aliquas parum exacte curarunt cognoscere, usus docuit aliter esse, quod Hippocrati, Aristoteli, Plinio, & alijs eius notæ usu uenit. Videre est in Aristotele, ut de illustrissimo ac certissimo scriptore potissimum loquar, in eo inquam sunt quædam dogmata in multis quidem certa, sed sæpe parum solida & catholica: ut quum dicit, si est aliqua propria animæ operatio siue phantasia, contingit eam separari à corpore, si non est, non contingit. Ceu quis dicat, si clausus in hoc cubiculo potest aliter quàm per uitream fenestram lumen aspicere, potest è cubiculo exire: Si non potest, nec è cubiculo exire: aut quod principia rerum naturaliũ sint contraria. Non nego quin dogmata eius omnia possint à pertinace defendi, uel centum cuneolis infarctis ut fulciantur, inuersis, detortis, mutatis multis mille interpretatiunculis. Sed certe contradictioni sunt exposita, quæ ingenia torquet, non instituit. Et certe quod est mirabilius, ex his tam incertis, & male firmis dogmatibus impugnat suos aduersarios, ut Parmenidem, & Melissum, ex sua sectione prædicamentorum, ex suo ente simplici, & ambiguo. Nec est quòd cuiquam absurdum uideatur, priscos illos parum interdum firma pronuntiata uniuersalia adferre. Vniuersale enim pronuntiatũ ex multis singularibus oportet nasci bene obseruatis. An uerò mirandum est, si quæ erant tam uaria in natura rerum, quæ mutarentur regionibus, quæ temporibus, ipsi uniuersaliter affirmando noua, & tum primum ab eis animaduersa sint falsi? ut quod Aristoteles dicit in primo de Animalibus, cui crura sint gracilia & brachia esse gracilia, cuius contra-

rium uidemus in hac Belgica, in qua homines multi uix habẽt ſuras, brachia tamẽ ſucc plena, & bene habita. Quæ de Italia aut Græcia præcipiunt, parũ congruunt alijs locis ac regionibus, nec ipſis etiã eiſdem in quibus ſcripſerunt, uidelicet uel ratione uitæ mutata, uel ingenio loci. Quis iam ad Vitruuij normã ædificat? Quis ex præſcripto Galeni cœnat? Quis ex Varronis aut Columellæ præceptis arat? multa illo tradũtur ſeculo, quorum contraria nunc experimur in cœlo, in terra, in elementis: ut de habitatione ſub zona torrida, de ortu Nili, de Antipodibus: tũ in ſtirpibus, in animantibus, in frugibus. Perſica poma ſcribit Plinius, quæ Romæ naſcerẽtur eſſe noxia, nunc ſunt in delitijs: ubi ſunt oues illæ Bethicæ tinctæ, ut Martialis inquit, colore natiuo? Ita iſtis, qui uetera modo perſequũtur, uſu uenit, ut quo ſeculo & inter quos uiuant homines, ignorent, adeò in priſcis familiariter uerſantur, ut domi, quod dicitur, & inter ſuos peregrini ſint Ignorant mores atq; eruditionem ſuorum temporum, & oderunt. Quãquam idem iſti antiquarij ſua uellent eſſe in pretio, & legi, & manibus teri quantumlibet annicula. Et affectus in re omni tantopere dominantur, ut etiam gentes ac nationes ſpectent? non probo hunc, quia non huius aut illius regionis: quaſi ingenia poma ſint, aut uina, quæ ſolo & regionibus cenſeri ſolent. Vbiq; bona naſcuntur ingenia, excolantur modo, alibi fortaſsis frequentiora, ſed ubiq; nonnulla. Verùm iſti ne ſuis quidem terris ac ciuitatibus parcunt, quo appareat non tam eos iudicare, q̃ inuidere, putant maledicendo & contemptus ſpecie aſſecuturos ſe, ut illis, quos deſpexerint, anteponantur. Sed nõ idem eſt maledicere & uincere, deſpicere, & antecellere: nõ modo qui incorruptè æſtimant, intelligunt quorſum calumnia pertineat, ſed qui eodem quoq; morbi genere tentantur, non æque aliorũ malæ cauſæ fauẽt, ut ſuæ malæ: uidelicet q; ſuperbus aut inuidus, non perinde in alienis eſt cæcus, ut in ſuis: quin potius uitia quæ in ſe non cernit, acutiſsimè in alijs intuetur, & carpit. Sed eſto ſequamur maiores noſtros per omnia, & in illorũ ueſtigijs nos quoq; pedes noſtros figamus, ut pueri faciunt per luſum. Qui tamen ſint hi maiores noſtri, aut quæ illorum uoces ignoramus. Primum amiſſa eſt grammaticorum criſis, & quaſi publica poteſtas de libris cenſendi. Olim enim grammatici magna & late patenti eruditione per omnia ſcriptorum genera diligenter uerſati, non dicta ſolum, uerum etiam integros libros, ut eſt apud Quintilianum, cenſebãt, eſſent ne cuius inſcriberentur autoris: aut ſi eius non eſſent, ex phraſi & filo orationis, ex diſſerendi ratione cui aſsignandi eſſent, iudicabant. Nũc uerò quia & grammatici ſe in tenebras quaſdam priſtini abdiderunt, & grammaticam profeſſores maiorũ artium contubernio ſuo expulerunt, tanquam in cornices columbam, ut eſt in fabula: idcirco non modo dicta, & ſenſa inepta ac ſtulta, ſed ſordidiſsima quoq;, & abiectiſsima opera genti ac familiæ clariſsimorum autorum ſupponuntur: adſcripta ſunt Ariſtoteli, Platoni, Origeni, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Boëtho, Ciceroni, Senecæ, quæ ipſis nunquã ne per quietem quidem in mentem uenerant, indigna non ſolum tantis ingenijs atq; illa eruditione, ſed etiam eorum ſeruis, ſi quos Scythas habuerũt, aut Seres. Fuere qui ad conciliandam libro autoritatem, nomen magni autoris adſcriberent: alij, quum multi olim libri anonymi æderentur, leuiſsima aliqua adducti cõiectura, huic aut illi adiudicabant: alij, ſi tituli nomen non agnoſcebant, nihil dubitarunt mutare, & ad quemcũq; eſſet uiſum transferre: fuere deſcriptores, qui quod nomen primum menti occurreret, id præponerent pro titulo. Horum omnium exempla ſunt non pauca in ijs autoribus quos modo nominaui: & hæc omnia ſine diſcrimine recepta, & autoritas eis ac fides non minor, q̃ ueris illis & germanis præbita. Iam uerò & codices ad nos uenerunt mendoſiſsimi, ut quæ illorum fuerit mens, quæ ſententia de rebus, non liqueat. Aliâs corrupti ſunt codices caſu aliquo, ut ferunt ſacros libros, qui à ſeptuaginta uerſi ſunt in Græcum, pugione fuiſſe perfoſſos, ut quædam uerba legi nullo modo potuerint. Et libri Ariſtotelis, ac Theophraſti, ut dudum dixi, tineis, & blattis exeſi reperti ſunt: & erãt quidem illa tum autographa, ex quibus alij codices dimanabant. In alijs ſitu & puluere quædã ſunt obſcurata, in alijs literæ uetuſtate exoleuerunt. Sed enimuerò in deſcribentibus maxima hæſit culpa: fuerunt ſemper librarij homines ferè imperiti, qui libris tranſcribendis tenuitatem ſuam ſuſtentarent: non rarò etiam mulieres & ſacræ uirgines. Qui ſi uel minimum

mum cogitationem aliò diuertissent,mendũ inducebãt unum atq; alterũ, imò permulta penitus inextricabilia.Ea in plurimos codices trãsfundebant, qui ex codice illo excribebantur uelut ab exẽplari,quod nunc crebrius fit in libris ære impressis,in quibus nullum est mendũ,quod non in mille codicibus insidere sit necesse. Interdum qui scribebant nesciebant legere,confundebant omnia,ut cõpositio esset literarum,& uerborum contextus coniecturis inuestigandus.Quæ uerò semel mendę irrepserant,religio erat attingere,ac demutare,uelut in mysticis libris inductus fuerat à librario illiteratissimo error,ad eum corrigendum putabant opus esse cõsilio totius ecclesiæ,quantumlibet lapsus esset dilucidus,& uel pueris perspicuus.In alijs scriptoribus nõ solum librarij errata persequebantur semidoctuli,sed etiam probe scripta,quæ ipsi non caperent. Itaq; deprauarunt rectos sensus,& pro errato uno,quod conabantur expungere,aspergebant quatuor.Videmus ut quisq; ueterum scriptorum his quingẽtis annis in studiosorum manibus uersatus est,ita ad nos uenisse corruptissimum, ut Plinium,Senecam, Hieronymum,Augustinum, Aristotelem: puriores sunt atq; integriores,qui in uetustis bibliothecis situ & puluere latuerunt obsessi, & apud barbaros atq; imperitas gentes,quàm ubi uiguerunt studia:quòd ut illos non attigerũt homines imperiti prorsum, ac rudes, ita datum est eis sciolorum audaciam ope suarum latebrarum subterfugere, qui,sicut est apud Quintilianum,dum librariorũ insectantur inscitiam,produnt suam. Iam ætate sua Cicero conqueritur Græcos quàm Latinos libros esse emendatiores, quippe quòd indocti homines magis in Latinis uersarẽtur,quàm Græcis. At uerò qui in locum mendosum incidit,non hæret, nihil cunctatur,sed somnium aliquod commiscitur,quod affirmet scriptoris esse sensum purum putum. Vnde mire in enarrationibus scriptorum ineptiæ,& hæ tempore ac ætate auctæ,quæ moles somniorum ac umbrarum, admota qua locus illustraretur lucerna quamlibet tenui, protinus euanesceret. Quid quod nec audiunt eos quos se dicunt habere duces, quid dicant,aut quomodo?& quum multos habeant, quos quibus anteponi oporteat,nesciunt, & qua de causa,ut qui se ueteres profitentur sequi,nec qui sint ueteres norint, nec qua quisq; autoritate & fide.Nam primum inscij temporũ & rerum gestarum, non considerant quæ sunt in quoq; scriptore potissimũ consideranda, quibus temporibus uixerit,cuius opinionis de rebus, cuius sectæ,qua autoritate, quomodo scripserit, qua dicendi sit usus ratione,qua lingua,sentiat omnia quę scribit,ita esse,an uarias inducat personas,& quæ potissimum significet mẽtem animi sui,quo loco dicat, quo tempore, apud quos,ioco an serio:nam sunt hæc omnia spectãda,ut eliciatur quæ sit cuiusq; mens. Isti uerò nihil animaduertunt horum . Scriptores omnes uel æquales censent,uel etiam posteriores fecerunt priores,ut Boëthũ Hieronymo,Hieronymum Aristotele,Iureconsultos Pandectarum Cicerone ac Aristotele. Quicquid à Terentio, aut alijs comicis uel tragicis, quicquid à Platone, à Cicerone & ab alijs, qui dialogos scripserunt,literis est mandatum,eam putauerunt esse autoris sententiam quacunq; inducta persona:nec saltem admoniti sunt non ea Iob sentire, quæ loquebantur socij,nec Solomonem aut Dauidem, quæ persona stultorum ac impiorum dicunt.Eiusdem momenti sunt istis, quæ Cicero in foro dicit,tempori seruiẽs ac causæ,ut quę in Officijs & cæteris libris philosophicis, ubi ueritas non ad populares sensus atq; affectiones,sed ad exactum rationis iudicium elimatur . Iocans multa dicit Socrates εἰρωνικῶς in sophistas:omnia ab istis accipiuntur serio . Si quid exempli causa dicitur,id iudicant ab autore affirmari,quod frequẽtissime in Aristotele faciunt.Quas dominus noster ad facilem mẽtis suæ explicationẽ parabolas usurpat,isti pro lege uitæ accipiunt, sic debere nos agere,quia sit in Euangelio.Noui qui diceret de bello an sit iustum disputari non oportere,quòd dominus in Euangelio bellum approbarit.Quærenti quo loco respõderit,in parabola de rege, qui bellum illaturus reputat quibus copijs possit rem gerere.Item in illa de forti armato custodiente atrium suum . Quid non peruertant huiusmodi iudicia? His Paulus scripsit ad Romanos Romane,ad Ephesios Hebraice.Ioannes Euangelium suum Hebraice. Hieronymus Græce,& uersus est ab Erasmo.Matthæus Latine,& si quis tentet corrigere,id uerò nihil sit aliud, quàm profiteri se magistrum spiritus sancti: quàm tragicis uerbis

puerilia:parem tribuerunt fidem omnibus. Dicat unuſquiſlibet de rebus Romanis aliquid,puta Vincentius, uel Antonius,uel qui confinxit geſta Romanorum moraliza-ta,tantũ apud iſtos nactus eſt fidei,quantũ Liuius aut Suetonius: dicat de Coſmographia,quantum Strabo aut Mela:de Iure,quantũ Vlpianus aut Papinianus:ſatis eſt eſſe ſcriptum,à quo,non putãt referre:alba linea ſunt omnes in albo ſaxo. In Hiſpania puer audiebam in fidem dicti alicuius citari librum impreſſum:hoc locupletiſsimũ erat teſtimonium. De moribus,de probitate,de religione locuturi tam graues autores eſſe gentiles rentur,quàm Chriſtianos. Paria ſunt quæ Cicero aut quæ Hieronymus uel Chryſoſtomus dixerit. Examinaturi dictum hominis Peripatetici,ſententiam hominis Stoici adferunt:aut de Stoico,Epicuræi,non ut rationes cõferant,ſed ut placita. Ibi ſudor & anhelitus in redigendis ad concordiam diſcordiſsimis. Dementes non intelligũt eum, qui tam multos & tam diuerſos ſequatur,nullum ſequi? Non deſunt qui uelint de iſs qui ſequendi ſint iudicare,ſed omnia ex primo guſtu:ut ſi in limine in unũ aliquod praue dictũ offenderint,reiſciant protinus & aſpernentur propter illud omnia:aut ſi quod bene dictum uiderint,omnia illius cauſa amplectantur, & teneant, non aliter q̃ pueri, qui ſi ex ſcutella aliqua cibum aliquando ſuauem ederint,omnia in illa ſcutella putant futura talia:ſin inſuauem,omnia inſuauia:nec aliter de domo,de manu porrigentis ſtatuunt,ex uno aliquo irritatur uel cupiditas ad omnia,uel odium atq; auerſio. Quidam adeò ſunt in alios ſeueri,ſeu ſæui potius,ut omnia in unoquoq; requirant exactiſsima, ne patiantur aliquando Homerũ dormitare,ut eſt in prouerbio. Non ſatis eſt bene eſſe opus ac docte ſcriptum de philoſophia,pie de religione ac ſobrie, hiſtoriolam,ſi qua fortè admiſta eſt,expendunt,uoculas & ſyllabas ad examen reuocant. Nõ tuetur librũ ampla rerum cognitio, ſi in re leuiſsima ſcriptor fuerit negligentior,totum protinus opus reiſciũt,& religio eſt attingere,ne contaminentur. In quo & de ſe ipſi peſsime merentur,qui uberrimo ſe fraudant doctrinæ fructu,& de artibus,quas præiudicio ſuo inquiſsimo illis orbant doctiſsimis ſcriptoribus,& tam bona peritiæ parte. Diſputationes quoq; non leuiter exocularunt iudicium:fuerunt quidem olim,ſed inter iuuenes inſtitutæ diſputationes,quo excitaretur uigor ille animi ſæpe torpens, & alacriores eſſent ad ſtudia,uel ut uincerent,uel ne uincerentur,tum ut altius infigerentur, quæ à magiſtris accepiſſent. Inter uiros aut natu grandiores fuit quædam opinionum ac rationum collatio,nõ ad uictoriam intenta,ſed ad enucleandum uerum. Nomen ipſum teſtatur dici diſputationes,quòd per eas ueritas ceu putaretur ac purgaretur. Poſtea uero quã ab auditoribus profecta eſt laus & pretiũ ad eum qui optime uideretur ſenſiſſe, & ex laude ſæpenumero diuitiæ,ac opes,praua uel honoris,uel pecuniæ cupiditas animos diſputantium inuaſit:ut tanquam in pugna ſola ſpectaretur uictoria,non elucidatio ueritatis:ut & ipſi quicquid ſemel dixiſſent,ſtrenue tuerentur,& aduerſarium proſternerent,ac conculcarent. Humilibus & ſordidis ingenijs, quiq; deiecto capite hæc ſola intuerentur,leuia & momentanea,parum eſt uiſum magnũ pretiũ ab ſtudijs probitas,aut ueri intelligentia:quæ duo illi q; non ſatis acute cernerent,nec quantæ eſſent æſtimationis aſſequebantur,preſentem mercedem quęſierunt pecuniæ,uel aurę popularis. Ideo quo maius eſſet operæpretium,populũ ad ſua certamina admiſerũt, tãquam ſpectatores fabulæ in theatrum productæ: tum quod fieri ad cõceſſum par erat,philoſophus depoſita illa tam graui & ueneranda perſona,hiſtricam induit,ut commodius ſaltaret:factus eſt populus ſpectator,arbiter,iudex,& quod nõ facit aulœdus in ſcena, fecit philoſophus in ſchola,ut tibias non ſibi & muſis aptaret,quod monet uerus magiſter,ſed omnino coronæ,ac multitudini,à quo rediturus erat ad actores honor & quęſtus. Nihil opus fuit uera & ſolida doctrina nõ intellecturis, ſed fucus & puluis ob oculos multitudinis obiectus. Ergo indagandi ueri una & ſimplex uia eſt relicta, faciendi fuci apertæ ſexcentæ,qua quiſque ut cõmodum ſibi eſſet graſſaretur, præſertim cũ nihil ſit tam deforme,quin amatorem inueniat. Nec ſolum in hanc opinionem populus cucurrit finem diſcendi eſſe diſputare,ut militiæ conflictum, uerum publicus conſenſus permultos ueteranos & quaſi triarios ſcholaſticæ militię rapuit,ſed qui ingenio & iudicio non plus ualent quàm plebs infima:ut ſuperuacaneũ eſſe ac ſtultum cenſeant,

ſi quis

ſi quis ad mentem,& mores,& quietum illud inquirẽdi genus philoſophiam reuocet, nullum eſſe alium ſtudiorum fructum, quàm præſenti animo non cedere aduerſario, intrepide eum uel aggredi,uel ſuſtinere,& callere quo robore,qua arte,qua ſupplantatione ſit ſubuertendus.Ergo in re pulcherrima,& omnium præſtantiſsima conſultum fuit ſtatim aſſuefacere puerum,& eum perpetuo exercere,altercandi ſtatim natis initium,finis nullus niſi cum morte.Puer ad ſcholam deductus primo confeſtim die iubetur diſputare,& docetur iam rixari,qui fari nondum poteſt.Idem in grãmatica,in poëtis,in hiſtoricis,in dialectica,in rhetorica,in omni prorſum diſciplina. Miretur aliquis, quî poſsint in rebus apertiſsimis,ſimpliciſsimis,primis?Nihil eſt tam liquidũ,tam clarum,quod quæſtiuncula aliqua uelut uento excitato non perturbent. Inertiſsimæ datur torpedini,nihil inuenire,etiam fulgore ſolis, quod obſcures in rebus explicatiſsimis,quod inuoluas in duriſsimis, ac inflexibilibus,quod plices & replices. Dicas uel hoc ſolum:ſcribe mihi,hic quæſtio:ſi non ex grammatica,at ex dialectica:ſi non ex dialectica,at ex phyſicis, qui motus ſit ſcribere:ex metaphyſicis,ſubſtans an inhærens.Atqui pueri iſti nunc audiunt prima dialecticæ rudimẽta,heri,aut nudiuſtertius in ludum admiſsi.Sic ſunt tyrones iſti aſſuefaciendi, nũquam tacere,fortiter aſſeuerare quicquid in buccam uenerit,ne quando uideãtur ceſsiſſe.Nec una diſputatio uno ſufficit die,aut gemina,ſicut refectio.Sub prandiũ altercãtur,pranſi altercantur,ſub cœnã altercantur, cœnati altercantur.Agunt hæc,ut diſcant, an ut cõcoquant? Domi altercãtur, foris altercantur.In conuiuio,in balneo,in uaporario,templo,urbe,agro,in publico,in priuato,omni loco,omni tempore altercantur:non toties ſub lenone rixantur meretriculæ, aut ſub laniſta dimicant gladiatores appetente munere, quoties iſti ſub magiſtro philoſophiæ.Populus nõ ille moderatus & grauis,ſed leuis,barbarus,bellax,hac uelut pugnæ ſpecie mirifice delectatur.Ita ut ſint imperitiſsimi homines permulti, & omnis literaturæ penitus expertes,qui hãc ſpectaculi huius uoluptatem reliquis omnibus anteponant:& quo magis pugnam referant, dimicatione quadam utuntur agili,ac uelo-ci,& quaſi punctim feriunt,quo citius hoſtem ſuum conficiant:nec perpetua oratione aggrediuntur aduerſarium,nec longiorem eius ſermonem poſſunt pati. Si quid paulò pluribus uerbis dicat ſui explicandi gratia,clamant ilico ad rem,ad rem,categorice reſpondeto. In quo oſtendũt,quàm inquietis ſint animis,ac leuib.qui ferre uerba aliquot non poſſunt. Quî ferrent quatuor,aut quinq; horas perpetuas dicentem, interdum ſeptem,ut olim in Græcia,& Romæ? In quo facilè quiuis cognoſcat patientiã & grauitatem illorum hominum,& noſtrorũ leuitatem.Quanta naſcitur hinc corruptela & moribus,& diſciplinis, inflammatis animis, & ad pertinaciam obfirmatis? Clamores primum ad rauim,hinc improbitas,ſannæ,minæ,cõuitia,dum luctantur,& uterq; alterum tentat proſternere:conſumptis uerbis uenitur ad pugnos, ad ueram luctam ex ficta & ſimulata. Quinetiam quæ contingunt in palæſtra,illic non deſunt,colaphi, alapæ,conſputio,calces,morſus,etiam quæ iam ſupra leges palæſtræ, fuſtes, ferrum, ſaucij multi, nonnunquã occiſi. Eſt' ne hæc exercitatio ſapientiæ? eſt hæc profeſsio uenerandæ diſciplinæ? egreſsi illinc,quæ ſcripta,maledicta,inuectiuæ mutuæ, & odium inextinguibile? Victoris gloria & arrogantia,tanquam in cruento bello,& uicti pudor atq; inuidẽtia. Victor non ſe imperitum aliquem, & mucoſum uiciſſe reputat, ſed cunctam ſcholam:reliquos omnes tanquam è curru quodam triumphi deſpicit,uel maximos illos artium parentes,atq; educatores ſi reuiuiſcant,non auſuros ſecũ congredi arbitretur,aut indubie uictum iri,ſi congrederentur.Et quoniam omnia ad pugnam hanc referebant, nihil cogitarunt quàm uera eſſent,quę aſſeuerarent,ſed quàm ipſi ea poſſent retinere ac tueri,quæcunq; ſemel ſuſcepiſſent:aut ſi qua premerẽtur,poſſent elabi quacunq; pertinacia,improbe pernegando,& cæcè proſternẽdo omnia,quæ obſtent, etiamſi rationis lux ultro ſe in illorum oculos ingerat:ita ut pro ſolutione fortiſsimorum argumentorum,& quæ adigerent eos ad res abſurdiſsimas,ſatis haberent reſpondere, admitto, nam ſequit ex cõcluſione mea:unde eſt illud:ego nego, proba tu, defendã cõſequẽter. Nam qui cõſequẽter, ut ipſi dicũt, defenderit,quamlibet abſonis admiſſis & cõceſsis, pro erudito habetur,& diſputatiõi,hoc eſt,apici ſcientiæ totius aptiſsimi. Quippe luctæ

huius uniuerſa ars in hoc eſt ſita, ſi tueatur quiſq; quemcũq; errorem ſuſceperit ſine cõ tradictione ſuijpſius. Ceu uerò difficile hoc ſit factu ex eorũ arte obiurgatoria permiſſis omnibus quę cõſequuntur, qualiacunq; ſint, ſublatis quæ aduerſantur uel liquidiſſimo ueris atq; indubitatis. At uerò qui error eſt in diſputatione ita defenſus, ut nõ tum potuerit conuelli propugnatori tanquam fœtus ſuus, & multis ſpectantium tanquam nouum inuentum arridet: Ita primùm ex errore fit controuerſia, ex controuerſia opinio. Et quòd unuſquiſq; ſuis fauet immodice, odit cõtraria, fit acerrimus propugnator opinionis ſuæ, impugnator alienæ. Vnde extiterunt initia ſectarum, quæ pertinaciſſime ſunt & à ſectatoribus propugnatę, & ab inimicis oppugnatæ: quia ut nos uelut per rimulam quãdam uerum procul poſitũ aſpicimus magis, quàm diſcernimus: ſi & propugnator ut ſuam opinionem tueatur, & oppugnator ut alienam opinionẽ expugnet, omnes ingenij uires intendant ad rimulam hanc oblimandã, exiſtimantes in hoc uerti magnum decus, ſed uterq; ingenioſus credatur aduerſus ueritatẽ, facile eſt intellígere, quanto rimula eiuſmodi fiet anguſtior, & malignius cernetur uerum. Toties, tamdiu altercari, omnia reuocare in dubiũ, & ad ſtultas quaſdam ſubtilitates, ac minutias: hoc uerò nõ eſt ueritatem purgari, ſed primum interteri, hinc deteri, poſtremo interire: non putant iſti, ſed ſcarificant, & ſcalpunt, & dulcedine ſcalpendi acti ſanguinem quoq; eliciunt: & hæc quidem non pro uero, ſed contra uerum, ut ſuſceptum illis eſſe dicas bellum in ueritatem: nam pro ea dicere, cuiuslibet eſſe arbitrantur, contra uerum autem ingenioſiſsimi & peritiſsimi, quod nõ magni eſt ingenij, ſed praui. Quid autem proficient dementes? ueritas in tuto ſe collocauit, nihil aduerſus eam poſſunt fuci, fraudes, calliditates noſtrorum ingeniorũ: ingenia cum ingenijs confligunt, & inter ſe certant puluerẽ ac tenebras mutuò offundere. Quid non inueniant homines contra homines, ſi in hoc penitus, & ſemper incumbant, ſi nihil relinquant intentatum, dum imponãt, & fallant, præſertim cùm uitio noſtrorum oculorum quædam aliter multo uidentur, quàm ſunt: & ut Ariſtoteles ait, falſa quædam maiorẽ habent ſimilitudínem ueri, quàm uera ipſa: ergo aliquas præſtigias excogitat, quæ poſitæ ob aciem noſtræ mentis, illam ad ueri lucem non ſinunt penetrare. Quumq; minus multo poteſt dare operam utan tenebræ ac præſtigię ſint, dijudicet intenta & occupata, uel dum alium ferit, uel dum ſe tuetur: non uacat in ſe redire, & lucem ingenij ac iudicij offuſis nebulis quiete admouere, plus nimio occupatæ quæſtiunculis ad diſputationem armandis, atq; exarmandis: ſemper in agitatione uoluũtur ac motu, nunquam ſinunt aquam fieri liquidam, quam ſint bibituri. Quo fit ut moderata quadã collatione ſtudiorũ eniteſcat ueritas, tãquam attritu: nimium autem altercando amittatur, ut Publius Mimographus dixit, tanto ſapientius poẽta in ſcena, quàm philoſophus in ſchola. Age uerò, quemadmodum ſe parant huic pugnæ primum graues omnes autores, & qui parum eſſent altercationes aduituri, ex ſchola eiecerunt, tanquam ſenes, & imbellem multitudinem è caſtris, aut urbe obſeſſa, Platonem dico, Ciceronem, Senecam, Plinium, Hieronymũ, Ambroſium: retenti ſunt modo, qui tela conflictatiunculis illis poſſent ſuggerere, Ariſtoteles, Auguſtinus, & ſimiles: ex quibus ea tantum decerpſerunt, & quidem praue intellecta ac detorta, quæ in aciẽ uenirent non eruditã illam, & dignam inquiſitione magnorum ingeniorum, ſed circulatoriam, & diuinatricem, quam quiuis facilè obeat ſine libris, ſine cognitione rerum. Imò hæc inutilia ſunt iſti pugnæ, cui ſatis ſit unumquenq; cogitaſſe, ac ſe munijſſe, quemadmodũ abſurdiſsimum inuentum poſsit retinere, ueritati autem pedicam & cauillum obijcere. Quocirca nemo iſtorũ libros Auguſtini, & Ariſtotelis attingit, quibus opus ſit animi attentiõe, ac ſtudio ad res cura & cognitione dignas: nõ libros de Ciuitate Dei, non de doctrina Chriſtiana, non Ariſtotelis Problemata, aut de Animalibus, politica, œconomica, non eiuſdẽ rhetorica, nec huius quidem artis nouerunt nomen: quòd hæc magnum ſtudium, uariam rerum notitiam, perpetuam orationem, exactum iudiciũ requireret: mathematicas quoq; artes deſeruerũt penitus, quoniam radio & puluere contentæ, non didicerunt hiſtrionicam: quòd ſi res ante oculos non ponas, fruſtra in eis multa uerba temere funditaris: quædam tamen ex illis ſurripuerunt uocabula, punctum, lineam, ſuperficiem, corpus, triãgulum, quadrangulum,

circu-

circulum,cẽtrum,hæc quoq; ad clamores ac rixas pertracta,si quando horum mentio in libris Aristotelis incidebat:cætera quæ studium & tacitam cogitationem postulant, uerecunde sunt relicta. Iam si quid ex solidis attingerent scriptoribus, non alia mente percurrebant, quàm gallus Æsopi scalpebat fimum, ut aliquid quod ederet inueniret:sic isti ut telum aliquod uel acciperent iam paratum atq; expositum, uel sibi concinnarent,hasta & ferro illic repertis,cætera omnia suspensis legerunt animis,& ad curam certaminis properantibus. Quocirca quum disputandum esset, quum loquendum,& quidem promptissime(nam illis nihil turpius quàm tacere, aut cunctari)& loquendum ijs esset,qui eò uenerãt ab omni lectione, ab omni cognitione inopes,ac deserti:quid fuit reliquum,nisi excogitare sibi nouas artes, noua dogmata, nouam rerum naturam,quam ut impudẽter assererent,disputationis ardor initio suasit:hinc quum uiderent se defendere cõsequenter posse,tanquam uera receperunt:res enim & ab imperitis,& inter imperitos agebatur,id est, inter eos,qui irridere & refellere stulta inuenta nescirent.Somniarunt mira dogmata,tanquam formulas totius ueritatis,talia, ut nulla sit plerunq; ueritas certior, quàm quæ ad eiusmodi canones minime congruit: qualia sunt in dialectica,in physicis,in ijs omnibus,in quibus multum & diu regnauit disputatio:& tamen ad has regulas cẽseri ueritatem uolunt,ad quas quum ueniat illa inuita & repugnans,seu uerius nunquam ueniat,mirum nõ est largissimam altercationibus materiam suppetere, dum ea uia instituitur ad inueniendum uerum,quà nunquam perueniás.Ita nihil tam uidetur certum & statutũ, & ueritati aptum,quod non illico diuersissimum esse à uero appareat:unde contendendi & rixandi copia benignissima Quid dicitis Aristotelem uos disputando uicturos?Ne iuretis ipsi,ego id pro uobis deierabo, & quidem persancte:nam quas artes uos modò exsomniastis,quas nugas,& quidẽ ex illius,ut putatis,dogmatib⁹,ipse si reuiuisceret, nõ intelligeret, ac ne suos quidẽ libros, ut uos explicatis:nec solum hoc Aristoteli contingeret,sed Platoni,& acumini illi tam celebrato Chrysippi,aut Carneadis,prudẽtem,grauem senẽ si ad lusiones suas & cauillapueri pertrahant,haud ægrè uincent. Et si ciuitatem legibus atq; institutis ciuis alicuius bene constitutam ac ordinatam peruertas,is si redeat qui illam instituerat, nimirum peregrinus erit in sua republica. Si uestra ista est dialectica, dialecticam Aristoteles ignorauit.Si philosophia,philosophiã.Si ius ciuile,rudis est iuris Vlpianus.Si medicina,nesciuit medicinã Galenus.Iam nec Cicero quidem scit Latine, si Latine locutus est Scotus, aut Thomas. Nec Titus Liuius bonus auctor rerum Romanarum,si uera sunt gesta Romanorum moralizata. Quæ spes est mutaturos istos suas glandes bonis frugibus, si illas cuius siligini anteponunt? Vos quidẽ Aristotelem uinceretis,si uestra somniata dogmata admitterentur,sed illis sepositis, & ex communi hominum intelligentia & natura,uel uetulæ uobis fucum facerent, & istam uestram inuictam loquacitatem constringerent,ac cogerẽt obmutescere. Quanquã hæc non tam senes iactant, quàm iuuenes præferuidi,& pugnaces:qui ut homines militares ingentem se ex bellicis facinoribus & multis uictorijs gloriam relaturos cõfidunt. Nam senes errorẽ suum taciti agnoscunt,sed partim piget cõfiteri,quia seram esse pœnitentiam credunt,quum nulla sit sera ad discendum ætas, ut Augustinus inquit.Fatum est enim quòd nesciant, flagitium,quòd nolint scire: partim pudet, quòd præcepta gloria spoliari iniquo animo capiant: atq; hoc interdum impedimento est quo minus iuuentutem suam admoneant,ut quæ ipsis defuerunt,illi quærant.Sed antequam de disputationibus finem dicendi facio,adijciam illud quod ostendit,quàm isti homines eruditionem & cognitionem ueri parui fecerint,quàm se penitus cõflictui dediderũt,& eum quibuscũq; potuerunt rebus aluere:etiam inter illa ipsa inepta,absurda, stulta dogmata, si quod esset unde copiosum aliquod & fertile oriri posset disputationi seminarium,tametsi falsum esse existimarent,inferebant nihilo minus in scholam, & statuebãt tanquam positum & fixum,ne materia deesset rixãdi:uidelicet q; ex illo quod uerum esse non dubitarant pauciora existerent,cẽ ex falso argumenta. Exempli gratia:Secta illa scholastica,quæ à Gulielmo Occhamo defluxit,& nominalium se appellauit, ridet quç Ioannes Scotus,& ij qui reales dicũtur,de punctis,de momẽtis,de interuallis,de indiuisibilibus affirmãt,&

tamen illi ipſi diſputaturi,uel in logicis de incipit,& deſinit,uel in phyſicis de motu,& tempore opinionem Scoti tanquam ueram ſubijciũt, ut ſit dimicatio diuturnior. Sed quamuis illi altercandi nec finem nec modũ ullum nouerunt,nobis tamen aliquis eſt faciendus finis,& tranſeundũ ad reliquas corrumpendi artium cauſas,tametſi non minor ſuppetit nobis materia infectandi rixas illas,quàm illis clamãdi,dum rixantur.Sed nemo nõ uidet quanta & moribus, & iudicijs,ac proinde diſciplinis quoq; inter haſce pugnas plaga eſt inflicta.Diximus de ingeniorum tenebris, dicendũ nunc eſt quãtum negligẽtia nocuerit,per quã etiam tenebræ ſunt in noſtris pectoribus denſatæ,& quaſi per deſidiam ſquallor & rubigo menti obductus. Olim ueteres,qui ſe ad ſtudium ueritatis ac ſapiẽtiæ contuliſſent,omne perire tẽpus ſunt rati,quod literis,quod cognitioni non impenderetur.Nota eſt Plinij Secũdi diligentia,quam Cęcilius ſororis eius filius, in literas retulit:& idem ipſe in præfatiõe naturalis hiſtoriæ ſatis indicat de ſomno ſe,& rebus ualetudini neceſſarijs detrahere ſolitum,quod impenderet ſtudijs:nimirũ quòd tum demum ſe uiuere cenſeret,dum illa cõmentaretur,uſuſq; eſt Marci Varronis teſtimonio,quod uita eſſet uigilia.Ariſtotelẽ quoq; ſcribunt ita ſtudere conſueuiſſe, ut globum æneũ teneret in manu ſubiectis peluibus,in quos decideret ſi dormitaſſet, & excitaretur ſonitu.Longum erit ſi exordiar hiſtoriam diligẽtiæ antiquæ,ſi peregrinationes literarum gratia,ſi ampliſsima patrimonia,opes, dignitates ſtudijs poſthabitas: facilia ſunt cognitu,ſi quis philoſophorum acta uelit inſpicere.Habebant etiam proceres Romani in illis imperij occupationib. lectores,quos Græca uoce ἀναγνώστας nominabant, qui epulantibus,qui dormitãtibus,lauantibus,deambulantibus, iter facientibus legerent.Refrixit mirum in modum ardor ille in hominũ animis,uel quia non liberet operam dare,uel quia non liceret:non libuit propter ſocordiam,aut deſidiam,quod graue cor hominis,& ad terram nutu ac pondere ſuo uergens,nullis ad diligentiam ſtimulis pungeretur:uel quod non putarent opus eſſe in publicum ſua diligentia,quum crederent ſatis multos in eam rem incubuiſſe,atq; incumbere,& ueritatem quantum in commune ſufficeret productã eſſe.Nec ipſi ſe arbitrati ſunt indigere,quòd ſatis cognitione rerum uiderẽtur inſtructi ad uitam:honorem autem uel opes,aut tenues, aut profecto contemnendas ex literis atq; ingenio prouenire,aut illis ita abũdarent ipſi,ut ex literis non haberent quærendas: poſtremo eas non tanti facerent,ut propterea laborem ſtudiorum ſuſciperent ſcribendi uel expoliendi,quæ inueniſſent, homines pigri & impatientes curæ ac laboris:quales fuere Lucilius poëta:ut Horatius eum taxat, & Galba: multiq; oratorum,de quibus in Bruto M.Tullius. Fuere qui deſperarent ſe tam multa poſſe legere, quot erant legenda ei, qui mediocrem in ſtudijs operam uellet ponere. Pars diffidit ſe intellecturos aliquot ingenij ſui uitio,etſi hi rari:ſed plericq; conſcientia imperitiæ earum rerum,quæ eſſent ad intelligẽtiam neceſſariæ, ut puta linguarum,aut philoſophiæ,aut ueræ alicuius eruditionis ac ſolidæ, quibus non tam diligẽtia deerat, quàm facultas.Queritur Iuſt. Cæſar tot milia uerſuum eſſe in libris ueterum Iuriſconſultorum,quos etiam maiores altero tanto iuuiſſet cognoſcere,piguit illos legere, piget etiam centones illorum in Pandectis rite ſcrutari,non piget ſcrutari ac rimari Bartholos, Baldos, Albericos, Iaſones, quos qui uideat, exclamet protinus illud è ſatyra: Quis leget hæc? Qui plures habent & longiores uerſus,quàm non dico ſex & triginta integri iuris ſcriptores,tot enim ſunt in Pandectis eorũ nomina,ſed etiam ſexcẽti tales. Qui à Liuio abhorret, ut diffuſo,non dubitat ſe credere pelago Vincentij hiſtorialis, Vallam qui non legit,leget Catholicum.Nuper cauſabatur quidam uitæ breuitatem, quæ non ſufficeret euoluendis Hieronymis,Auguſtinis,Ambroſiis, Chryſoſtomis,& is tamen ad umbilicos percurrerat nõ paucos ex ijs,qui ſummas aut commentarios in ſententias Theologicas conſcripſerunt, quibus omnibus legendis tres ætates hominum non ſufficerent quamlibet longæ.Ariſtotelem grauamur inſpicere,non Paulum Venetum,aut Auerroëm,bone Chriſte, quantam moleſtiam:uidetur mihi iſtis contingere quod noſtri homines prouerbio dicunt, farinam ſpargere, cinerem colligere. Vt diuites male profuſi denarium pauperi datum deflent,ſcurræ mille numos datos gloriantur.Sic iſti in rebus bonis præparci ſunt temporis:in malis largi & liberales. Non

ſunt

sunt uisæ illis obscuræ tricæ,& exsomniationes recẽtium in omni disciplina, in Dialectica,in Physicis,iure ciuili,medicina,Theologia, quoniam illis assueuerunt, ut uitiosi oculi tenebris : uisa sunt eis obscurissima, & impenetrabilia, quæ dilucide erant ab antiquis prodita,quoniam insueta:ita malunt ea qualiacunq; ex interpretibus sui similibus,hoc est,ex cœnosis lacunis haurire,quàm ex ipso puro fonte.At quod grauissimum est,negligentia hęc indies crescit,nam & indies magis assuescunt commentis recentium, minus ueteres curant agnoscere, quos omnino uellent perditos, nisi conseruaret eos maiestas nominis, & reuerentia uetustatis, nunquam tamen nec uidentur nec audiuntur,tantum sententiolæ quædam illorum sunt uulgares,quas passim iactant & ubique inculcant quantumcunq; sint ijs de quibus loquuntur alienæ . Quædam etiam à principibus suæ sectæ citata traduntur per manus, cum eo intellectu & interpretamento, ad quod torsit illa, qui ad placiti stabilimentum inducebat, quo nihil putant esse certius ac exploratius.Et istis quidem non libet, alijs non licet, non est commodum,non uacat, quòd longe diuersis rebus sunt intenti atq; occupati:ut qui uel parandis opibus dediti,aut uenandis uoluptatibus,aut mala potentiæ atque opum ambitione inflammantur,ea in illorum animis cura studium literarũ blandum & mansuetum facile expellit, imò has esse nugas arbitratur, præ suis uoluptatibus ac pecunia.Sunt qui eruditionem suscipiunt,tanquam facultatem quandam nummi aut honoris quærendi, isti ad adipiscendum præstitutum animo finem intenti,id solum de studijs desumunt,per quę breuissime,quò intendunt,perueniant.Nam qui propter mercedem operam sumunt,mallent si fieri posset mercedem citra operã omnem consequi: quod in istis est agnoscere, qui qua uia ad honorem aut opes perueniant pensi nihil habent,perueniant modo.Quo fit ut illa consectentur sola, quæ ad destinatum animo finem compendio perducunt,reliqua tanquam superuacanea sinunt ualere:atq; adeo, ut quisquilias reijciunt, & purgamenta. Sic medici quas practicas nominant solas legunt,illi quidem qui quęstus gratia student.Iuris studiosi rubricas, formulas, & actiones, & constitutiones litium, reliqua siue philosophiæ arcana,siue ex iure pulchra quidem illa,uera,solida,et cognitu dignissima,ne attingunt quidem: nihil est enim eis dulce,nisi quod præsentem adfert mercedem,in quam solam inconniuentes habent oculos. Quippe non secus philosophia & labor studijs impensus grauis istis molestusq; est,atq; agricolæ fossio uel aratio,ueredario cursus, sutori suere,textori texere.Seruile est enim mercenarium quodcunq;,angitq; animum properantem ad præmium:& sicuti Horatius inquit,spe finis dura ferentem.Ita nullum est eis tempus breue,ut animo cupienti nihil satis festinat.Olim septem anni liberalibus artibus impendebantur, recisi fuerunt ad quinq; : & hoc nimis longum, ad tres cum dimidio sunt redacti:ferunt utcunq; seruitutem hanc nonnulli eorum, & sicut ille in Comœdia amator, macerant se tantisper, nam quidam de hoc ipso detruncant. Qui illorum animus apertissime sese subinde profert.In illis enim quas uocãt relaxationes studiorũ,& recreationes animi, in quos se lusus, & quantã sese licentiam effundunt, etiam grandiores natu, nã de pueris minus mirandũ . Quo gaudio ex scholis tanquã è caueis euolant:quàm inuiti eodẽ reueruntur:ut uidẽtur serui ex cõpedibus soluti, intolerabili quadã miseria ad tẽpus leuari,magno metu,ac mœrore,cum ad eandẽ redeundũ est in ergastulũ.Simul per licentiã illã ea designãt flagitia,ea scelera,ut credas nihil eos in scholis discere aliud,q; malefacere.An nõ satis clamant se in opera detineri,cætera odiosissima nisi propter mercedẽ:Nã qui generosiori sunt pectore,& dignitate scientię ipsius,inducunt ad philosophiã animũ,ijs uel ex ipsa philosophia crebra adsunt alia ex alijs oblectamenta,aut ita ex bibliothecis exeunt,ut solius ualetudinis habere rationẽ uideãtur,rei uehementer studioso labori necessarię.Quocirca moderatissimis se ad studia,uel deambulationibus,uel lusionibus reficiũt,ac reparãt.Verũ illi nec quęrũt nisi mercedi aptissima,et eã cõsecuti finẽ labori imponũt:nã quorsum attinet amplius defatigare, & ulterius progredi, ubi ad metã perueneris.Itaq; undecũq; malunt raptim defungi rerũ summis,quàm rationibus detineri,et causis cuiusq; cognoscendis,q; demũ uere est scire.Inuẽti sunt in omni studiorũ genere, qui desidię

cõsulerent,collectis ex lectione ueterũ quibusdã ceu flosculis,ne priscos illos posteri haberẽt perlegendos,homines plus satis nugis occupati et distenti,& hi fugitãtes laboris præsertim molestissimi,quod scilicet ęgre illos intelligerent:cẽtones eiusmodi pro solidis magni nominis autoribus cõplexi sunt.Ita nũc Hieronymus,Aug.Chrysost.& prisci illi ac primi religionis nostræ scriptores nõ ex suisipsorũ monimẽtis cognoscuntur,sed ex collectaneis sententiarumPetri Lombardi,ex Cathena aurea diui Thomę,& alijs rhapsodijs eius notæ.Nacti sunt & medici suos decerptores flosculorũ ex libris Galeni, Hippocratis,Auicennæ:cõsuit centones iuriscõsultorũ Tribonianus. Detruncatus est Lutetiæ Aristoteles & traditus uix dimidiatus,ne sic quidẽ breuiaria hęc lectores inueniunt:longũ existimatur ea percurrere,sit satis indices aut rubricas inspexisse.Qui possunt autorũ sensus percipi,deserti & destituti suis uelut fulcimentis,nẽpe ijs quæ antecedunt,quæq; subsequuntur:utraq; enim maximã lucem adferunt interiectis,quæ nuda hodie ac orbata proponũtur.An non istud passim usu uenit,ut quod per se parum intelligitur,ex collatione priorũ ac posteriorũ fiat manifestum:Et isti flosculis,& summarijs,&,ut uocant,margaritis contenti,festinantes ad finem animo optatum,ea tanquam superuacanea contẽnunt, unde nõ modo uera eruditio,sed nec illa ipsa constare potest ficta &adumbrata,quã ipsi affectant.Nã cum ex paruis nascantur & componantur magna, necesse est ut paruis suoipsorum iudicio cõtemnendis aditum quoq; sibi obstruxerint rerum maximarũ. Primum nihil fuerunt soliciti quẽadmodum scriberent,quum tantũ interesset probus dicerent,an probrus:cędo,an cedo:hominis,an ominis:Christe,an Criste.Atqui Messala Coruinus et C.Cæsar tanto ingenio,eruditione,opibus,dignitate uiri,nõ duxerunt se indignũ de singulis literarum præcipere.Si enim literæ sunt uocũ elementa,quibus artes omnes ac disciplinæ cõstant, quomodo non cõposita negliguntur, si simplicia contemnantur:an tu pharmacũ ullum recte cõfeceris,cuius uel herbas uel radices conculces prius,ac conspurces:Iam & uerba dissimulabant se curare,quum maximè laborarent facundissimè dicere.Sed quia non succedebat,uolebant alijs persuadere non sequutos se,quod assequi nõ quiuissent.Ergo nomina omnia uetera eorũ,quibus postea mutatæ sunt appellationes funditus penè amisimus,herbarũ,stirpium,animantium,urbiũ, regnorum,fluuiorum,montium:herbas pro saxis,urbes pro fluuijs,homines pro nauibus usurpamus.Interciderunt quod proximum fuit,phrases,& loquendi formulę, tum historia,mores populorum ac gentium,& tota cognitio uetustatis.Negabãt sua interesse,fuerit ne Annibal Pœnorũ dux an Scipio.Vicerit Cæsar Pompeium,an cõtra Cæsarẽ Pompeius. Sit in Assyria Babylon, an in Mesopotamia. Hispania sit ne ad Occidentem,an ad Meridiem.Scolopendra herba ne sit,an auis.Sint in duodecim tabulis Romanæ leges an Scythicæ. Hæc si dicunt futuri cerdones aut coqui, nihil repugno.Sin eruditi homines de cathedra uitæ duces,& professi se ingenijs lumen adferre,quis nõ indigneturᵹquocirca prisci homines, qui orbes illos disciplinarũ cõfecerunt,uideas quicquid libris suis admiscent, adeo esse purum atq; exactum, ut unũ illud studuisse ac egisse semper dicas in uita. Differit Cicero,Seneca,Aristoteles, Plato,Hierony.Ambrosius,Galen. Vlpianus,Scæuola,aut illorũ aliquis de rebus morũ, attingit obiter historiã,fabulam,descriptionẽ regionis,naturã herbæ, animantis ingenium ac mores tã accurate, tam uere ac prope quàm qui illis de rebus profitentur se tradere.Scribit nostrorum hominum quispiã de philosophia, de iure, de Theologia, de re medica , admiscet historiã ineptissimè narratã & falso,negat hoc suũ esse institutum:attingit aliquid de Cosmographia inscite,negat esse suũ institutũ:loquitur de uiuerbi imperite,negat esse suum institutũ:de arbore,de animãte indocte,negat esse suũ institutũ.Quod est ergo tandẽ tuũ institutum:nihil statuisse rectè dicere;Quã esse putamus eiusce rei causam,nisi ꝙ ueteres & euoluebãt omne librorũ genus,& intelligebãt:isti nec inspiciunt,& frustra inspicerẽt egeni lucis illius, quæ nos ad intelligentiã artium quasi manu ducit,quæ in istis nulla est prorsum,in antiquis magna erat,& dilucida.Istos miseros facit & inopes negligẽtia omniũ , illos faciebat diuites omniũ diligẽtia & cura. Nimirũ acute illi apud se cogitabãt, nullã esse artẽ aut perituã adeò ab

alia

alia remotam & diſiunctam,quæ non illi lucẽ ſæpe aliquam adferat : ideo diſciplinas omnes ut uirtutes,cõmunionẽ inter ſe quandã et nexum habere docuerũt,quod non ab uno autore,aut uno loco eſt proditũ. Teſtãtur id Plato,Cicero,Fabius, Vitruuius, & alij permulti,unde natus eſt ille,ut Cicero inquit,cõcentus doctrinarũ omnium,& cõſenſus:& ut Quintilianus,orbis diſciplinarũ,quẽ Greco uerbo ἐγκυκλοπαιδείαν uocant.Defuit multis ad inquiſitionem artium,& ad præcepta illarũ dexteritas,ut teme re ſine arte,ſine ſagacitate quacunq; ſe uia aliqua oſtẽdiſſet, illac inſiſterent ad inueſtigationem ueritatis:nõ penetrarunt ex affectis ad cauſas primas, nõ ex cõpoſitis ad elementa & initia,non ex ſingulis collegerunt uniuerſum,non ex uniuerſo præceperunt de ſingulis,& quaſi fluuium,quà opus eſſet corriuarunt.In quibus reliquos omnes nõ ſecus antecelluit Ariſtoteles,quàm ſydera uniuerſa ſol.Proximus eſt ei Galenus Pergamenſis ſi non eſſet tã redundans,nempe Aſianus.Sed & iſti nõ raro ad rem præſentem accõmodarunt quæ inquirerent:ut Ariſtoteles, quemadmodũ etiã alij in rhetoricis,& poëmatis ſparſe,& temere profuderunt,quæ inueniſſent,non aliquo fine propoſito,media alia ex alijs naſcentia tanquã in ſcalis gradus ſuffulcierunt:non ex re atq; uniuerſitate naturæ ad præſens inſtitutum atq; opus deduxerunt,quod eſt artis,ſed aliam ex alia ſimilitudine quadã collegerunt: aut quæſita eſt eis præſens utilitas,nõ ut finem tenerent artis,ſed ut ſuum.Hæc antiqui:recentiores uero qua tandẽ dexteritate tractabunt artes,cum neſciãt quæ cuiuſq; artis ſit materia,qui finis,& qua ſi ſcopus,quid agat,quò ſpectet,in quem uſum diſcatur. Modo artes ex ſimilitudine cõiungunt & faciunt unã ex duabus diuerſiſsimis.Rhetoricam uocarunt Grammaticam,quod utraq; eſſet de loquendo.Poëtam dicunt Rhetorem, Rhetorem Poëtam, ob concinnã & modulatam orationem: Dialecticen de locis argumentorũ Rhetoricen appellant,quia Rhetorica quoq; inuentionẽ argumentorũ traderet.Modo ex artificibus diſtinxerunt. Si quis bene loquatur Latine, quia hoc in ludo literario putatur didiciſſe,Grammatica eſt quicquid loquatur,& de quacunq; re.Differant duo de re eadem philoſophica,Latine unus,alter uitioſe ac barbare,quæ Latinus dixerit,erit Grammatica: quæ uero imperitus philoſophia. Quæ Lyranus aut Hugo ſcribunt in Nouum Teſtamentum,Theologia eſt:quæ Eraſmus,Grammatica.Idem de Hieronymo,Ambroſio,Auguſtino,Hilario dicturi,niſi nomen obſtaret,tametſi hic etiam neſcio quid muſſant. Quòd ſi Ioannes Picus Apologiam ſuam corrupto illo non ſcripſiſſet ſermone,haudquaq; haberetur Theologus, ſed Grãmaticus. Alciatus,Zaſius, Cantiuncula,Grammatici ſunt cum de iure diſputãt.Accurſius eſt iuriſconſultus uel cum interpretatur, que, id eſt,&:ait,id eſt, dixit: ſeu,id eſt,aut. Diligens & accuratus hiſtoricus,uel quum de origine XII.tabularum lepidam fabellam comminiſcitur,aut de adoptione Germanici Cæſaris.Quicquid ciuilis homo in republica de ciuitate ad miniſtrãda, de moribus,de re familiari loquitur,eſt Rhetorica:quicquid dialecticus, eſt dialectica.Quicquid tractat iuriſconſultus, peritia iuris, etiam ſi de uocabulis inquirat,& in medio Grammatici iure ac poſſeſsione uerſetur.Quicquid phyſicus,phyſica,etiam de punctis, & lineis, & ſuperficie, & numeris. Quicquid ergo facit ſutor, ſunt calcei:quicquid carpentarius,carpentum, etiam quum intritum parat ad cœnã. Et hæc uulgus rude ſi diceret,rideremus:at dici ab ipſis ſapientię luminibus,quis nõ indigniſsime accipiat, qui fines & modos, & materiam earum artium, quas honore profeſſionis ſuæ oſtentant,penitus ignorant.Non deſunt, qui nec ſimilitudinẽ ullam ſequantur,nec artifices,ſed quod primum in buccam:oratoriam nolunt grãmaticam uocare,poeticam dicunt,hanc rhetoricen:homines delicatuli bellum exiſtimant puerorum more res alias pro alijs in loquendo uſurpare, quod in pueris ridemus utiq;, amplectimur,oſculamur,in illis ſenib⁹ reliquorũ magiſtris flagitioſum eſt,& animad uerſione dignũ,nõ aliter ac ſi uelint ipſi ad pueriles ineptias redire decurſa iã ætate. Homines qui tã praue & à magiſtris ſuis artes acceperũt, & in animis ſuis excolunt, quõ ſunt eas niſi prauiſsime quoq; trauituri.Si ex olido utre in olidũ utrẽ uinũ tranſuaſetur, quale tandẽ proferetur ex hoc ſecũdo:nõ ſolũ corruptas eas diſciplinas atq; eruditionẽ neceſſe eſt illos tradere,ſed multo iã corruptiores quàm acceperãt:nã ipſi

male atq; imperite uersando, in peius deformarũt: et res semel à uia in auium delapsa, quo longius progreditur, eo magis à recto aberrat, & lõgius ab eo discedit, quò erat eundũ. Iam ut libros non attingebant, quos nec intellexissent, illos dico ueterũ, unde tanquã ex fonte eruditio omnis dimanat, erat tamẽ necesse aliquid dicere: transtulerunt omnia ad cõmentitias quasdã formulas, ad ridicula quædã & ludiera, ad quæ nihil esset opus lectione ueterũ, aut omnino libris ullis, quãdo facilius & expeditius uideretur absurdũ aliquid inuenire & cogitare, quẽadmodum tueri posses: quod si perfecisses breui tempore, labore exiguo autor prodibas noui instituti, & alieno labore magnã partam gloriã uerbis in te transmouebat, ut inquit ille. Et quemadmodũ autori nihil erat libris opus, ita nec impugnatori, & ei qui demoliri cõtendebat, quæ alter extruxisset: quumq; hęc rerũ natura esset eis ignorata, ipsi aliã somniarũt, quę esset ad ludendum, ad altercandũ, ad rixandũ aptissima, & ad pullatã coronã accõmodatior, quę illa admirareẽ, quæ nullo modo caperet, & acumẽ illorum suspiceret, qui ea quæ nusq; essent tã acute essent intuiti. Ipsi uerò nouæ & cõfictæ rerum naturæ assueti, cũ ad hanc nostrã transeunt, omnia offendunt noua, omnia sunt eis paradoxa, omnia admirantur, quasi in syluis & solitudine educati, in urbẽ tunc primũ adducẽtur. At quũ se aliquãdo ad lectionẽ magnorum autorũ traducunt, uehemẽtissime demirantur illa nõ cõgruere cum suis, nam ad illos suos fictitios canones, sentẽtias autorũ uolũt censeri, quæ quum uideãt inter se repugnare, primum imperitiæ ascribũt ueterum, rati se exacte loqui, illos ruditer, & quod dicunt Minerua crassa: deinde impulsi autoritate nominis, tum magnitudine eorum quæ illic scribuntur, hærent inter illa sensa, & suas formulas, incerti quorsum se applicent, sed uincit in multis inueterata cõsuetudo, & autores aiunt ad bonũ sensum loqui, se uero ad perfectã quandã rationem & regulã, id est, ad rigorem, sic enim suum frigus uocant appositissimè. Age uero quõ autores ipsos uel intelligunt uel enarrãt. Primum nihil pensi habẽt, quis sit autor, cuius instituti, quo fuerit tẽpore, qua usus scribendi ratione. Epicureum, Stoicum, Academicum torquent ad placita Peripatetici, omnia deniq; ad ea, quæ sola norunt. Magnos autores nolunt quicquã habere cõmune cum populo, quasi uero non illi sermonem à populo acceperint, sed ipsis domi nasceretur. Quo remotius ab omni cõmuni sensu scriptoris sensum abduxerint, eo putant acutius se dixisse, & propius ad illius mentem accessisse. Quicquid esset ex cõmuni intelligentia, tanq; indignum scriptoris sententia reiecerunt, & ab hac discesserunt rerum natura, ne quid sibi esset cõmune cum populo: quippe naturã hanc imperitorum ducebãt esse, alteram illam suam doctorum. Ad examen quod sibijpsi cõfinxerãt, reuocarunt syllabas, literas, literarum apices. Vnusquisq; uoluit ad ingenij sui modum alios omnes scripsisse. Aridus & ieiunus lector nihil censuit explicandi causa esse dictum, nõ animaduertit copiosum scriptorem sæpe numero contentum nõ esse rem unam semel bene dixisse, alia repetere infigẽdi & inculcandi gratia, quia sic expedit argumento, alia ut magis intelligatur quod dicitur, alia natura copiosi ingenij atq; interdũ redundantis. Cõtrà laxus & fusus multo uult dici, tanq; corticẽ, quæ possis tollere sine periculo, ita ieiunus in copia Ciceronis tanquã in undis iactat. Copiosus in Aristotele parsimonia, tanquã in angustijs premitur: cum Cicero pleriscq; locis ornatũ spectarit fusus & plenus, Aristoteles aũt astrictus & sibi instans, res solas, parcissimus uerborũ. Quę aũt uel exẽpli causa, uel similitudinis, uel cõfirmandæ, aut declarãdæ sententię suæ ab autore ex alijs disciplinis attingũtur, qui nõ confidit se posse explicare, præterit penitus, & negat esse suscepti instituti, nihil pertinere ad se: alij qui turpe existimant penitus tacere, sic exponunt, ut pręstitisset tacuisse. Nam quum sibi doctissime uidentur locuti, dicunt in genere, Galilæa nomẽ est regionis: struthiocamelus nomen est animantis: colloquintis nomen est fructus: Cyrus nomen est uiri: quærat lector quid & quale fit quicquã. Alij qui sibi magis fidunt, nacti suo iudicio campum in quem excurrãt, unius uerbuli tenuissima arrepta occasione de re dicunt pauciss ima, præter rem infinita: alienissimis locis infarciunt, quæcunq; est collibitum: nimirum quòd quum finem & usum artium ignorent, omnia ubique satis apte & congruenter dici posse arbitrantur. Loquitur obiter Aristoteles

ſtoteles aliquo loco de pũctis,ipſi totam geometriã eodem effundunt,dico eam quam norunt,quæ eſt à Geometria alieniſsima.Loquitur de Helena, totũ bellum Troianum ab ouo gemino,ſed nouum penitus,& uel ipſi Homero aut etiam Vlyſsi inauditum.In ſacris literis fit orientis mentio, non autumant alienum de toto ortu & occaſu ſignorum diſſerere,de ſolis curſu,de lunæ uicibus:ut poſtquam perorauerint,poſsit tanta loquacitate tortus auditor queri.Bella hæc quidem,ſed quorſum hæc tam bella? Iam qui nihil uideretur falſum dixiſſe,etiam ſi nihil congruens cum ſenſu autoris,ſatis ſe bene putabat ſuo munere perfunctũ,uidelicet Ariſtotelica fretus regula,Omne uerũ omni uero conſonat:atqui hæc parum inter ſe cohærent:Dionyſius fuit Syracuſis tyrannus, & ſol mouetur in zodiaco:non conferebant priora cum ſequentibus,ſed detruncatam ſententiam ſumebant exponendam,nec expendebant an ſatis recte diceretur,ſi is eſſet ſenſus.Hieronymus Platonis peregrinationes recenſens in epiſtola ad Paulinum inter cætera ſcribit, captus à piratis & uenundatus tyranno crudeliſsimo paruit,ſed quia philoſophus maior emente ſe fuit:hic interpretati ſunt maiore ſe fuit mente,id eſt,fortiorẽ ſumpſit animũ:nec conſiderarunt poſſet ne Latine dici maiore ſe fuit mente: & tamen acutum ſe quiddam credebat inueniſſe Brito,aut ſi quis fuit alius inuẽtor. Sodalis quidam noſter Lutetiæ quoties diſputaret tot ſolœciſmis,tot barbariſmis,ut intelligi à nemine poſſet,ſuppoſita inquiebat congruitate.Sed in ſacris literis & in Ariſtotele plurima ſunt detorta hac de cauſa, quòd ſententiolam aliquis decerptam ad diſputationem adfert,quam alter ex tempore interpretetur,nec prioribus nec poſterioribus expenſis, quę nec recordaretur, ac ne uidiſſet quidẽ unquam.Suſcepit Iſrael puerum ſuum, uolunt eum qui ſuſceperit puerũ eſſe Iſraelem,quaſi in eum poſsit competere quod additur,recordatus miſericordiæ ſuæ:ſed horum exempla non poſſunt numero cõprehendi.At quicquid ſemel affirmaſſent præſertim multis audientibus,nefas fuit recantare, aut ab eo diſcedere tanquã à uoto quod dicũt ſolenni.Subiecto q̃ abſurdiſſimo aliquo ſenſiculo tanquam fundamẽto,ſurgebat ilico incredibilis moles ædificij,quæ hoc erat inanior quo altius erigebatur.Sed fortaſsis non adeò nocuiſſet imperitia,ni fuiſſet cum arrogantia & impudentia cõiuncta:nam ceſsiſſent indocti melioribus,aut uerecunde utiq; tradidiſſent,quæ ſentiebant. At uerò arrogantia audaciam & impudentiam cõfirmauit.Ita nihil dubitarunt,ut quæcq; in mẽtem ueniebant,ea continuò ingenti cum ſupercilio aſſeuerare: deformoſiſsima portenta ſunt illata in ius ciuile,in theologiam, in Poẽtas,in Oratores:& ea erat ſiue confidentia,ſiue ſocordia,nunquam ut crederent futurum ullum qui ea refelleret,quia refelli in præſens nõ poterant.Qualia uerò ſint quæ in reconditis & non omnibus notis rebus pro ueris aſſeuerant, exiſtis promptioribus & nulli non obuijs licet coniecturam ſumere:in expoſitionibus uocum, in hiſtorijs,in ijs quæ etiã pueris ſunt nota,magno ſupercilio,magna totius uultus aſſeueratione ac faſtidio falſiſsima confirmant:peſsimũ cæcitatis genus eſt neſcire ſe eſſe cæcum:clamant & indignantur,& iniuriã ſibi teſtificantur fieri,ſi quis ad ſanitatẽ tentet reducere,quod eſt phreneticorum proprium.Sed ut Ariſtotelis obſcuritas multum nocuit artibus,ſic horum in Ariſtotelem interpretationes,artes omnes peruerterunt.Non potuerunt recte Ariſtotelem exponere,& hæc ipſa difficultas temeritatẽ atq; impudentiam exacuebat,ut tanto magis auderet quiſq; pro interpretamento adferre,quicquid in mentẽ ueniſſet,quo minus refelli ac cõfutari poſſet inter tantas tenebras.Et quemadmodum uulgò dicunt,perturbatus amnis quæſtui erat piſcantibus. Dixi quanta eſt eius & ex ſentẽtijs,ex uerbis,ex tota dictione in Græca quoq; lingua obſcuritas:cui alia acceſsit fortuitaq;. Verſus eſt male ab imperitis,qui dum in Latinũ transferunt,nec Latinum fecerunt,nec reliquerũt Græcum:& ut difficile eſt interpretari quæ nõ capias,nec à doctis quidẽ potuit recte uerti:q; multis in locis nõ ſatis quid ille ſibi uellet,intelligerẽt. Tum etiam abundat ille ac planè paſsim ſcatet hiſtorijs,fabulis,alluſionibus ad Homerũ,Sophoclem, Euripidem,Alcæum,Heſiodum,omnes deniq; Poëtas,oratores,hiſtoricos, ad prouerbia,& ſententias uulgò receptas.Quid poterant in his dicere homines omniũ ignari,præterquã eorum quæ ipſi ſibi finxerunt? neceſſe erat eos,quod in alijs fecerant,hic quoq; cõminiſci aliquid & fingere:& tamen hac difficultate ipſi abuſi ſunt ad

ſuum cõmodum,ut minus deprehendi poſſent quæ praue cõtorſiſſent:unde magnus acceſsit unicuiq; ſcholæ ac ſectæ fauor,tanquã ab ſe Ariſtoteles ſtaret,tractus ab expoſitore,quò nunquam ſe Ariſtoteles uenturum potuit ſuſpicari. Vt iam etiam uulgò inter eos non omnino,ut ſolent,inſcite Ariſtoteles dicatur habere naſum cereum, quem quilibet quò uelit,flectat pro libito. Nam cũ eo tempore ſublatis linguis clauſa cognitione uetuſtatis, extincta luce omni,qua declarandi eſſent autores,quum facillimos & apertiſsimos nemo intelligeret,& unicuiq; liceret in eo quicquid uideretur tutò fingere,quantam putamus ex Ariſtotelis obſcuritate licentiã ad quodcunq; animo eſſet collibitum uel affirmandum uel negandũ acceptam? Tyrannio Grãmaticus & Andronicus Liuius qui libros illius,ut dixi,diſtinxerunt, & euulgarunt, tum Alexãder primus Ariſtotelis interpres,Themiſtius,Boëthus,Ioannes Grãmaticus,& alia multa ſe in Ariſtotele non aſſequi uerecunde ſunt profeſsi, homines Græci & Græce peritiſsimi,diutiſsime in illius philoſophi libris cum magna diligentia atq; ſtudio uerſati. Iſti uerò nec Latini nec Græci primo Ariſtotelis intuitu fortiter aſſeuerãt eum eſſe illius ſenſum, qui illis primus in mentem uenerit,imò uero in buccam: nuſquã cunctantur, nuſquam hærent,omnia ſunt illis ſole clariora: nimirũ iuxta ſuum illorum dictum, Qui nihil ſcit,nihil dubitat. Et hunc non minus quàm alios detorſerunt ad ſuas illas formulas: tantoq; hunc accuratius quãto exactius in omnibus exiſtimabatur ſcripſiſſe. Quapropter obſcuratis artibus,remotis à ſenſu communi,cõuerſis ad ludicra quædam ſpinoſa & inamœna ſine ullo penitus emolumento ac fructu ad uitam,præclara ingenia & ſolida,& cum magno cùm ſuo,tum publico fructu ſtudijs uacatura,ab ſchola refugerunt. Nam ubi paulum modo ad illas ſe literas artesq; applicuiſſent,ceu ſpecimine quodã & exẽplo capto,reſiluerunt protinus non à peritia,quã illa ingenia unice expetebãt,ſed à carnificina animorum inutili,ſeu potius damnoſiſsima: uidebant enim ſub tot corticibus tam duris nihil occultari nuclei,inanem ſumi laborem,ubi nihil ſperaretur fructus,tum ſe à rectis & naturalibus ſenſibus ſtudio illarũ artium ad detortiſsimas ac deprauatiſsimas traduci artes ac diſciplinas,illas iuſſerunt ualere, & earum poſſeſsione ceſſerũt ingenijs cum artibus congruentibus,ut ſimiles haberent labra lactucas. Itaq; uacuam & derelictam poſſeſsionem artium obſcuri homines & abiecta ingenia occupauerũt,delata illuc tanquam ex naufragio ad ſcopulum & ſubſidium neceſsitatum ac rei familiaris: nonnulli quod laudem aliquam & gloriolam quandam hinc ſeſe apud homines aliquos paraturos ſperarint. At quum populus maximos habuerit olim honores artibus, propter eas utilitates,quæ ab illis in cõmune naſcerentur,adempta utilitate omni ab artibus,honorem quoq; eis ſuum detraxit,quẽ nec tueri profeſſores ipſi poſſent. Hinc factum eſt ut ignorati fines artium quò ſpectarent,quò tenderent, ignoratus uſus, ignorata utendi ratio ac uia effecerint, ne iam artes eam utilitatẽ in publicum aut priuatum præſtarent,ob quam & inuentæ fuerant & excultæ. Tum acceptæ & tractatæ propter opes,aut honorem quærendũ finem tantis inſtrumentis indignum, quum præſtantius eſſet,quo quærerent,quàm quod quærerent: nõ potuerunt animos diſcentium aut docentium ad humanitatem & uirtutẽ excolere atq; informare. Quocirca non ſolũ artes, ſed profeſſorum quoq; mores ſunt corrupti. Vetus eſt hac de re inſectatio illorum, qui aduerſabanť philoſophiæ,& querela eorũ, qui fauerẽt. Rhetores, Poëtæ, Comici,& Satyrici philoſophos mordent & lacerãt, quòd homines ſapientiæ præceptis inſtructi,leues ſe præbeant,ineptos,aſſentatores,mendaces,adminiſtros ſceleris cuiuslibet,ac facinoris,interdum etiam duces: præcipiebãt de prudentia,nihil erat illis imprudentius: de legibus & iuſtitia,nihil iniquius: de temperantia, erant ad uoluptates omnes proiectiſsimi: de contemnendis opibus,indigniſsima faciebãt & patiebãtur unius numi gratia: de ueritate,nunquam uerum dicebãt: de libertate,nihil erat abiectius: de modeſtia, nihil arrogantius: homines,inquit Paccuuius,ignaua opera,philoſophica ſententia. Ariſtophanes Comicus quoties eos perſtrinxit? Ariſtides & Lucianus Sophiſtæ, & Timon,qui Syllos compoſuit,dentem illis infixerũt. Iuuenalis Satyram unam in illorum maledictis conſumpſit: & erat materia Satyræ aptiſsima,atq; uberrima. Prætereo ueteres poëtas Atticos, Philoſophiæ ſtudium profeſsi meliores uiri,quàm uulgus philoſophorum,

phorum,ut Plato, Cicero,Seneca dolẽt propter illos in totũ uitiperari philoſophiam, diſciplinam ſanctam,& ampliſsimum Dei munus.Nec querelæ huiuſmodi priſcis ſunt ſeculis conſumptæ,ad nos uſq; redundarunt.Quippe noſtro tempore qui artium doctrinam profitẽtur,nec ea exhibẽt,quæ ſint cuiquam uſui,nec ſe meliores uiros,quàm illi de quibus modo dixi.Cuius mali eadem eſt cauſa,nempe illa ipſa,quæ quibuſcũq; ſeſe rebus admiſceat,magnam & præſentem perniciem adfert rebus publicis,priuatis, ſacris,profanis, auiditas pecuniæ.Nam in ſcholis quo in maiore numero lautior eſſet docentis conditio,nullus eſt ingeniorũ habitus delectus,admiſſi omnes promiſcue:& qui cum fructu aliquo uerſaretur in literis,& qui uel operam luderet & impenſam, uel magno eſſet ſuo atq; aliorum malo literis abuſurus:nec ſolum tales in cœtus ſunt ſcholarũ recepti,ut eſſent diſcipuli,uerumetiam in numerum eorum qui alios eſſent docturi.Excogitati ſunt in publicis Academijs quidam uelut honorũ gradus,non malo utiq; ſententia mea conſilio.Nam ut Romæ ſub Cęſaribus non licebat cuiuis de iure reſpondere, ſed cui hoc eſſet à principe conceſſum,ita rectoribus ſcholarum uiſum eſt arcere à profeſsione artium imperitos. Eos uerò quos ad hoc magno adhibito iudicio & ſeuero examine dignos cenſuiſſent, gradu aliquo honoris inſignirent batalarios dixerunt,uocabulo uetere lingua Gallica uſurpato in tyrocinio militiæ de ijs,qui iam prælio interfuiſſent,ideo longe alio quàm uulgò creditur,etymo:ſed nõ hoc agimus: hinc licentiatos quaſi facta copia quandocunq; uelint magiſtros fieri, poſtremò magiſtros & doctores. Verùm quod ſcholæ nõnunquam opus eſſet pecunia ad ſumptus ineuitabiles, uelut alendis miniſtris publicis,gymnaſio conſeruando,ſarto tecto,impoſita eſt ſumma pecuniæ ijs,qui honores inirent:à primo modica, quæq; neceſſarijs impenderetur uſibus. Expetijt eum dignitatis locum indignus aliquis,& quod eruditione atq; ingenio præſtare non poterat.tentauit ijs,per quos ageretur,corrumpendis:alius adorſus eſt illos gratia,alius promiſsis,alius præſenti pecunia:ubi ſemel ſancti prius atq; incorrupti homines lucri dulcedinem guſtauerunt.Is ſenſus reliquos omnes ſemel extinxit:certas ſtatuerunt ſummas,quas illi penderent,qui admitterentur ad honores: quarum pars ſcholæ & miniſtris eius cederet,pars magiſtris & rectoribus ſcholarum: nec prouiderunt quantam literis, artibus, diſciplinis, orbi toti, qui ab ijs regitur,ac diſponitur,cladem & ruinam adferrent, promiſcue quibuslibet admittendis: ſed potentior fuit reſpectus exigui commodi,quàm tanti publici in uniuerſam hominũ gentem.Igitur quæſtuoſa res cœpit eſſe ſcholarum regimen,& emptum eſt non ſecus ac mercimonium promercale,ut reuenderet,qui erat mercatus:quæſitum eſt pretio,ambitu,& ne quid deeſſet dedecori ac indignitati, armis quoq;. Qui erat adeptꝰ agebat;ppter quod quęſierat:nullus locus,nullus honor,nulla dignitas denegata eſt ei,qui numeraret.Sed ut ſciretur quãti ordinarie emeretur dignitas,ſtatuta eſt certa ſumma pecuniæ,qua minorem nefas eſt accipere,de maiore fas eſt liceri:definitum etiam tempus, & aſsignati qui examinarent.Nominent mihi uel unum ijs ducentis annis reiectum, qui uerſatus præſcripto tempore in ſcholis,certam illam pecuniam dependerit,quacunq; ætate,cõditione,ingenio,peritia,moribus.Si quis nõ credit,inſpiciat tot per Galliam cerdones, fartores,coquos,rhedarios,nautas,fabros, & peiores ijs graſſatores,latronesq; artium uel magiſtros,uel batalarios:nec deſunt in Germania,nec in Italia.Si quis alibi non inuenit,Romæ quærat. De licentiatis iuris nihil ſcilicet poſſum dicere: ſed hoc fortaſsis riſu magis dignum,quærunt ubiq; lites,quas nutricent,pueriliter cauillando,& homines in odio illo detinent,moleſti & clientibus,& aduerſarijs,& iudicibus.Illud dolendum magis,quòd annis omnibus tot batalarij,licentiati,magiſtri medicæ artis ex Academijs in uicos atq; urbes,tanquam carnificũ manus emittuntur. Iſti ergo quando nihil in ſcholis egerunt aliud, quàm macerando ſe expectare finem ſtati temporis,ut honoribus donarentur,adepti quod concupierant omni renuntiant labori,& ſi eruditioni non queant, certe nomine ſe autoritatem ſuam tuituros confidunt. Quum uerò ex ſchola exeunt inſignes nomine,magnæ ad populum autoritatis,ac uenerationis, quid aliud poſſunt docere,q; quæ negligẽter & imperite didicerunt? Ab his ignorantia per Europam omnẽ uelut ſeminatur, ac propagatur. Videas in eis pueros iam magiſtros,

qui pædagogo adhuc indigeant,& quos Aristoteles tanquam inidoneos auditores de schola expellit moralis disciplinæ,tum hanc tum alias omnes non præstant quidē,profitentur tamē.Quid aliud oportet hos facere tam immaturato honore onustos,& pressos,quàm disciplinarum labori cedere,& arrogantia, inuidentia,cæterisq; uitijs repletos intolerabiles fieri,quum magistri nominētur earum artium,quarum uix prima rudimenta posuerūt?An putamus insolentiores quosquam esse ijs,qui quum sapientiam nullam habeant,pro sapientibus tamen ad turbam sese uenditant:nihil est medium: sapientia optimos facit,simulatio sapiētiæ pessimos:propterea quod quę tenere bonis artibus nequeūt,fraude & flagitijs tuentur.Sunt ex magistris nonnulli,qui uel nulla penitus peritia,uel minore audacia non applicant se ad exercitiū disciplinarum:in familiam se locupletum dant hominū,nec nomen tamen deponunt,& indigna honore illo ministeria obeūt,adulantur,assentātur ut serui dominis:quod etiam peritiores faciūt ad diuites scribentes,quum illucet spes lucri aliqua:& quia istis inter scholasticas illas concertationes & pugnas nullus fuit locus uel historiæ cognoscendæ,uel præceptis morum, uel eloquentiæ,uel institutis ciuitatum,& rationi reipublicæ administrādæ,tantum in fictis illis quisquilijs molesti & rixosi corruptū ad negocia siue priuata siue publica iudiciū traducunt.Quocirca nemo semel operā illorū expertus magnis denuò rebus adhibet:in cœtu hominum supercilioſi,in conuiuio morosi,& tristes,in concionibus loquaces,& inepti:in consilijs importunè cauillatores,omnia tentant carpere,& conuellere ex fictis illis suis normis:in magistratu rapaces: in potestate impotentes,in colloquio spinosi,& ab omni humano sensu alieni.Vt quemadmodū de philosophis sui tēporis ait Socrates in Apologia Platonis,melius multo de rebus iudicaret uulgus hominum,quàm illi totius sapientiæ consulti.Semota utilitate ab artibus,& à professoribus remotis animis sua eruditione dignis,honor omnis & ab artibus,& à magistris est excussus:quippe quum nec ullis prodessent artes,nec suisipsis professoribus,uel ad bene uiuendum essent utiles,uel ad bene sentiendū. Tum ex multis iudicium est factum de omnibus,ut tales putarentur uniuersi, quales se non pauci exhiberent. Inuisi fuerunt Athenis philosophi,& ipsa adeò philosophia,etiam tum,quum maxime in illa ciuitate studium illud floreret:hinc populus etiam Romanus. Indignabantur enim eos, quos rerum & sapiētiæ cognitio meliores debuisset facere, peiores esse hominibus omnino imperitis. Et erat quod cūq; uitium in illis notabilius,qui formationē morum,& scientiam omnium uirtutum promitterent.Itaq; Athenis & Romæ,quisquis uituperare uoluit uel philosophos,uel ipsam philosophiam,secundo admodū populo est usus. Neq; nunc uerò repugnantem haberet multitudinem,quanquā populus noster multo se habuit quàm ille priscus moderatius:nam quū huius ętatis philosophi,& utilitatis minus adferant,siue ad loquendū,siue ad sentiēdum, quàm illi Athenis aut Romæ,nec probitate aut compositione morum antecellant,tamen populus seruauit adhuc non parum uenerationis ijs,qui artes profiterētur,etsi nullā præstarent.Nescio an ea sit causa quod Athenienſis & Romanus populus quæ à philosophis dicerentur,intelligebat, ideo facilius poterat de illorum ingenio,ac eruditione censere:noster non intelligit, ideo nec iudicat,& admiratur.Honore artibus detracto artes iacuerunt: illæ solæ sunt excultæ, quæ essent in pretio,ut oratoria propter forū & curiam,& ius ciuile ad constitutiones formularū,& litium:reliquam eruditionem,qui magni & honesti cupiebant esse in populo,uel negligebant prorsus,uel si quā didicissent,occultabant ne se proferret:& tam solicite literas tegebant,quàm erant discendæ.Marcus Antonius orator apud Ciceronem hoc probabiliorem orationem suam populo fore existimabat,si omnino didicisse nunquam putaretur.Scire se dissimulabant,multo minus uolebāt uideri docere.id munus ad seruos est delegatum,si quos haberent literatos:aut Græcis & Asianis hominibus mandatum liberis quidem,cæterū non multo meliore conditione quàm erant Libertini,de qua indignitate meritò queritur Seneca: Ante Blandum, inquit rhetorem, qui eques Romanus Romæ docuit inter Libertinos præceptores, pulcherrima disciplina cōtinebatur,& minime probabili more turpe erat docere, quod honestū erat discere.Quo factum est ut literas scire indignum sit habitū uiris principibus:docere uerò

sordi-

sordidum prorsum & abiectum. Agrippina Neronis mater Senecæ uiro integerrimo professoriam linguam tanquam probrum obijcit, & quæ non obijciebat adulteris adulteria, militi crudelitatem, senatori auaritiam, iudici rapacitatem & sordes, uiro innocentissimo & optimo quod alios meliores redderet, exprobrabat. Ea persuasio ad nostram usq; ætatem peruenit, ut potiorem ac præstantiorem esse uulgus existimet discipulum magistro: uel cerdo aut rhedarius præceptorem filij sui iuuenem bono loco natum, quòd præceptor sit, peiorē filio suo censet. Idem iudicium impie est ad res sacras, & sanctissimas translatum: ut sacerdotem uiliorem existiment profano, tantū nescio quid exhibent honoris propter receptum morem. Quid dicemus esse causæ, an quod natura mercenarius omnis sordet? an quod ita suasit peccatum in nobis regnans, & peccati autor & altor diabolus, ut pro uilissimis habeamus quę sint optima: desidere, nihil neq; scire neq; agere, nihil à bestia differre, pulcherrimum sit & pręstantissimum. Quocirca excellentia ingenia, quæ se contemptui uident futurum, si doceant, munus tam fructuosum, tam dignum illo acumine, illa ingenij luce, illo iudicio, ac peritia refugiunt, & auersantur: deserunt scholas, in quibus totius humani generis linguæ, animi, mentes ad optima aut pessima informantur: tradunt has contaminandas, & conspurcandas tardissimis ingenijs, rudissimis, prauis, seruilibus, quæ uel nihil cunctantur spe tenuissimi præmij in scholas se tanquam in pistrinum detrudere: uel aut ideo scholas arripiunt tanquam gloriolę alicuius messem. Atqui huiusmodi ingenia docent uel pessima, quia non norunt alia, uel corrupta ab animo ad pecuniam, uel famam cæco impetu currente.

LIBRI PRIMI FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM LIBER SECVNDVS, QVI EST De Grammatica.

QVÆ proximo sunt à nobis libro dicta, semina sunt uniuersarum artium corruptarum, nam illa cunctas pariter læserunt, tanquam fatum nō in unam aut alteram eruditionis aut literarum partē, sed in cunctas simul ad perniciem corporis totius incubuerit. Nunc sigillatim de unaquaq; disserendum est. Veterum scriptorum cōsensio tres artes de sermone posuit, Grammaticam, quæ quid, & qua ratione diceretur, indicaret: Rhetoricam, quæ ornatum & cultum: Dialecticā, quæ argumēta & probabilitatem. Vt in Grammatica sit illud quod ipsi uolunt docere, in Dialectica probare, in Rhetorica mouere. Sed de his postmodum uidero. Nunc de Grāmatica: ea Græco nomine de literis dicitur, idcirco à Quintiliano literatura transfertur in Latinam uocem, aptam quidem illam, sed non perinde receptam. Infantia eius circa literas, syllabas, & singulas uocū est uersata, ut quicq; apte & scriberetur & pronunciaretur: hisq; finibus fuit contenta. Qui hæc pręstabat, γραμματικὸς à Græcis dicebatur, à nobis (Varrone autore) literator: cuius artem Martianus Capella γραμματιστικὴν uocat uerbo apud Græcos, quod equidem meminerim, rarissimo, sed usurpauit illorum in fingendo licentiam. Visum est paulò altius puerum ducere, ut quæ in lingua, quā disceret, scripta essent, intelligeret. Expositi sunt ei Poetę, historici, & alia scriptorum genera: hoc quoq; uoluerunt Grammatici esse munus, quem literatum nominarunt: artificis hoc est magis quàm artis. Sed fuit hoc illorum pruden-

prudentiſsimum conſilium. Nam quum linguæ arbitrium ſit penes populum domi-
num ſermonis ſui, mutatur ſubinde ſermo, uſq; adeo ut centeſimo quoq; anno prope
iam ſit omnino alius, nec qui tunc uiuunt, eorũ linguam intelligant, qui ante centum
annos fuere. Ergo ne intelligentia ueterum ſcriptorum penitus interiret, prouiſum
eſt ut eſſent profeſſores, ad quos ea cura ſpectaret, tenere uerborum omnium uires
ac ſignificationes, & eſſe uelut theſauri illius cuſtodes, atq; ærarij tribunos. Ius ſermo
nis, ſicut Horatius inquit, populi eſt recté ne, ac uere quicquid ſit dictum, uel ſingu-
larum artium, uel iudicij ac prudẽtiæ. At quid quicq; ſignificet, quem ſenſum reddat,
hoc demum grammatici: qui ſi locus incidat in Virgilio:

—Eſt uia ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum uerteret ordo.

Explicet quid ibi Poëta ſenſerit, & ſatisfecerit ſuo muneri. Vlterior inquiſitio re-
cté ne dixerit, hoc iam aſtronomi erit. Quòd ſi idem ipſe grammaticus nõ leuiter om
ni genere artium imbutus ſit, hoc copioſius & ſplendidius explicabit quos enarran-
dos ſuſceperit: non id exigit ars grammatica, ſed diſciplinæ nexu quodam mutuo ſe
continent, & iuuant. Ergo grammatici officium eſt os pueri, & manum formare, hinc
intelligentiam, ut ad cæteras artes remittatur maximis adiumentis fultus eorum ſcri-
ptorum, quos ſub grammatico uiderit. Artem hanc locupletauit, atq; illuſtrauit dili-
gentia, ſed obſcurauit nimia, funditus perdidit minima. Quidam inuẽtis ex analogia
artis formulis, in eas uelut indociles uaſtiſsimum uſus flumen deriuare tentarũt, cum
ex uſu obſeruata, & nata ſit grammatice, ſicut dialectica, ſicut rhetorica, non ex ijs u-
ſus. Ergo ſermonem ad miſerum formularum præſcriptum redactum non ſolum de-
bilitarunt, ac fregerunt, ſed corruperunt etiam multis uitijs, quum aliter loquerentur
quàm oporteret, bene ad canones, non bene ad conſuetudinem, quæ eſt domina &
magiſtra ſermonis. Ita uideas permultos exactiſsimos præceptores artis fœdis in ora-
tione mendis ac flagitijs, dum artem ſequuntur, quæ totum uſum non potuit compre
hendere: propterea quod & uarius eſt, nec analogiam ſequitur: itaq; nequiuerunt rite
omnia annotari. Adde quod paſsim mutatur arbitrio eius multitudinis, in cuius ma-
nu eſt lingua illa. At nunc, quum populum Græci aut Latini ſermonis habemus nul-
lum, ſed ab autoribus ſumendum eſt ius uerborum: ſunt qui quoties aliquid non re-
cordantur ſe legiſſe, damnant ilico, & tanquam lege Mutia Lucinia ex ciuitate eĳci-
unt. Alĳ ita ſunt uni aut alteri ſcriptorum addicti, ut quod non apud eos ſit, etiam ſi
millies apud alios, uelut parum Latinum reprobent. Nec deſunt, qui ex uno aut alte-
ro loco generalem formam conficiunt. Atqui in his omnibus multipliciter peccatur.
Nam nec grammaticus legit omnia, & ſæpe de his pronuntiat, qui ſolas legit familia-
res Ciceronis epiſtolas, aut Terentium: & ut legerit, non attentus om nia, non omnia
obſeruauit, expendit, excuſſit: & ut fecerit, non omnia annotauit: nec memoria tantæ
rerum ac uerborum uarietati una ſufficit, quę & multitudine intricatur, & ętate fit in-
ualida, quæ aufert omnia. Deniq; nihil eſt in homine fluxius, atq; infirmius: ergo plus
tertia parte bonorum uocabulorum ex ærario linguæ Latinæ reiecimus, tanquam a-
dulterinos numos, & in tanta egeſtate faſtidioſi, pauperiores indies ſimus, dum unuſ
quiſq; quo diligentior uideatur ærarij præfectus, aliquid repudiat, nemo infert. Ideo
ſermonis inopia quotidie laboramus. Quidam (ſi dijs placet) nõ uerba modo, ſed ſen
tentias multorum uerborum, quas ſe non legiſſe recordantur, expellunt, & in peregri
nitatem redigunt: quod ſi ita eſt, nec licebit dicere, Petrum diligo, aut rem mihi gra-
tam uos tres feceritis: nuſquam enim hæc ſunt apud autores Latinæ linguæ. Sed neq;
ſcriptores omnia ſcripſerunt, & eorum multi amiſſi ſunt. Et quædam uel uerba uel lo-
quendi formulæ apud aliquem unũ tantum leguntur, qui ſi periſſet, nos illa, quę ſunt
germanè Romana, ex ciuitate pelleremus. Itaque in ijs quæ dicenda ſunt noua, ut ex
ipſis ueteribus & receptiſsimis oportet analogiam non parum ualere, de qua deſti-
natus eſt mihi alijs libris locus. Iam autores ut dem eos, qui ętate Ciceronis uixerunt,
optimos eſſe in Latina lingua. Terentius tamen qui antea fuit non malus, nec Titus
Liuius, Seneca, Plinius, Quintilianus, Tacitus, & alĳ, qui pòſt uixerunt uſq; ad Adria
num

num Cæsarem: in hoc Laurentius Valla est nimis uehemens, & acer, tanta in Ciceronem, & Fabium Quintilianum admiratione, atq; obseruantia. Idem est in alijs omnibus, ut de censendis uocabulis, & quicquid non recordatur se legisse damnando ceu minus probo, tum de uniuersalibus formulis ex uno loco, aut altero obseruato. Fortassis hæc tam immodica religio ipsius erat tẽpore perneccssaria. Nam quum omnia pessum iuissent in negligentiã, acri aliqua & exacta erant cura reuocãda: sed eam rem, quum iam nihil uideretur necessarium, auxit insequentium grammaticorum superstitio, partim ut ipsis quoq; benemeritis de Latina lingua cognomen attingeret, partim miro ardore insectandi ac reprehendendi. Quis audeat facile pronuntiare Latinũ non esse uerbum aliquod aut dictum, cum in eo Quintilianus et Cicero sint falsi, duo totius Latinæ linguæ & lumina & columina? Ille cum negat Romane dici germanus frater, Cicero pijssimus, & facere contumeliam. Sunt qui contaminari se uerentur, si quid aliter Latine dicant, quàm Cicero, ridicula religione, ne dicam superstitione stulta. Primum quomodo loquentur de ijs, quæ apud Ciceronem nulla sunt, de structura, de sutrina, de textrina, de agro colendo, nisi forte omnia sint mutuaturi ex paucis illius uerbis in Catone maiore, & aliquot ad fratrem, & ad Atticum epistolis: necesse erit eos obmutescere in reliquis, ne quid dicant parum Ciceroniane, uidelicet satius erit tacere quàm male loqui. Quid in Poëmate, quid in historia facient, quæ ille non scripsit. Quid quod quædam dixit, quæ eadem nec minus acute, nec minus festiue, nec minus, uel ad declarandum, uel ad persuadendum, apte ab alijs dicũtur. Imò sunt apud eum nonnulla, quæ si astrictius, & pressius cogerentur, haberent plus neruorum, & efficaciæ. Sed de Ciceronis imitatione alibi. Habemus etiam significatus uocum, & differentias, Græce Ammonij, & interpretum Poëtarum, Latine Nonij, Gellij, Donati, Acronis, Seruij, ut interdum de industria uideantur ea præcipere, quorum penitus contraria magno autorum consensu liceat deprehendere: ut non aliter rectius utare, quàm si contrà, atq; isti monstrauerint. Aiunt distare, quæ sunt Synonyma, aut aliter differunt, quàm ipsi præscribunt. At uero obseruatio, & cura historiarum, ac fabularum interdum quum ad minutias illas ineptas, & scitu indignas uentum est, confundit ingenia, iudicium, & alia magis necessaria obtundit, & memoriam occupat, ne sit locus melioribus. Tum dulcedine illa nominis diligentiæ euehuntur longius. Et tanta cura huiusmodi rimantur, ac perquirunt, ut uideatur in eo agi imperij totius salus: tanta gloria, si quis quid eruerit: tanta ignominia si ignorarit, ut coniurasse contra rempublicam existimetur: hinc rixæ, & maledicta & conuitia atrocissima. Istis impenditur tempus, & obruitur ingenium cum maiore fructu alijs uacaturum, nam hæc in infinitum recedunt, & cassæ cuiusdam sunt solicitudinis. Audiãt de ea re Quintilianum: Nam qui omnes, inquit, etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoq; fabulis accommodare operam potest, atqui pleni sunt huiusmodi impedimentis grammaticorum commentarij, uix ipsis qui composuerunt, satis noti. Nam Didymo quoq;, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut quum historiæ cuidam tanquam uanę repugnaret, illius proferretur liber, qui eam continebat, quod euenit præcipue in fabulosis usq; ad ridicula quædam, etiam pudenda: unde improbissimo cuiq; pleraq; fingendi licentia est, adeo ut de libris totis, & autoribus, ut succurrit, mentiatur tuto: quia inueniri, qui nunquam fuerunt, non possunt: nã in notioribus frequentissimè deprehenduntur à curiosis, ex quo mihi inter uirtutes grammatici habebitur aliqua nescire. Hactenus Quintilianus. Iam uerò sunt qui omnino formulas negligunt: nam quũ consuetudo sit magistra orationis, & huic ars cedat, quid aiunt, opus est canonibus & præceptis, ex quibus non raro uidemus multa in sermone uitia contrahi. Nec mihi sanè nimia illa præceptorum obseruatio, ut expositi, placet: & si populum haberemus uel Latine loquentem, uel Græcę, mallem cum eo annum unum ad linguam illam percipiendam uersari, quàm sub eruditissimis ludimagistris annos decem. Nunc uero cum ciuitatem nullam habeamus uel Græcę linguæ uel Latinæ, uel Hebraicæ, quorum tandem usu discemus linguas has? Ex autoribus inquiunt: quum ergo non succurret animo, quemadmodum apud illos legerimus,

hærendum

hærendum erit,atq; etiam obmutescendum,aut solœcismis fœdanda oratio,quod nos uidemus accidere, qui formulas in totum respuunt, ut modo Ciceroues sint, modo solœcistæ. Quid quod isti etiam normas quasdam sibi ex usu colligunt,quis regantur in loquendo. Atqui hæc est ars. An nõ præstat collecta à maximis & doctissimis uiris accipere labore exiguo,quàm tanto & tam infelici ipsum sibi parare? & quæ tu sigillatim consectaris,habere generatim annotata magna cura & iudicio? Profecto mediocris artis cognitio,& pueros ad cognitionem linguæ manu ducit, & prouectis sæpenumero adiumento est,quum à memoria nihil suppeditatur lectum,quod sit ei,quod eloqui conantur,simile. Quid quod nec analogiæ normas singulorum uerborum & compositionis negligebant,etiam eo tempore,quum à populo peti poterat usus certissimus magister sermonis, ut Quintiliani tempore, etiam Tullij, & usus praue loquentium plerunq; analogia refellebatur. In scriptoribus quoq; nonnulla deprauata corrigũtur ex artis formulis,& canonibus. Sed hæc à me planius fusiusq; explicabuntur in libris de Ratione linguarum. Nũc solas artium corruptelas demonstramus. At uero ueterum grammaticorum mores artem apud nonnullos in contemptum adduxerunt: sed ea tamen res non tam artem, quàm professores læsit: magis nocuit illud, quòd nonnulli,qui uiriles admodum uiros existimari se cupiunt,grammaticam contemnunt,quod pueris tradi sit solita. Ceu uero non & optima conueniat ætate illa exhiberi,quis fundamẽta & tenues origines despiciat,sine quibus res maximæ nõ constant? Non dubitandum est quin utilitatem artis acutissimè Romani proceres perspexerunt, de quibus hæc sunt in libro Suetonij Tranquilli de illustribus Grammaticis: Post Lælium Stilonem qui uixit Sylla dictatore,cura grammaticę artis increuit,ut ne clarissimi quidẽ uiri abstinuerint,quo minus & ipsi aliquid de ea scriberent,utq; temporibus quibusdam super uiginti celebres scholæ fuisse in urbe tradantur,pretia,mercedesq; grammaticorum ingentes: & hæc quidem ea ætate, qua uidebantur ad eum sermonem quem suxerant cum lacte, non admodum arte hac indigere. Sed illi nihil negligebant,quod posset aliquando prouectis utilitatem aliquam adferre. Idcirco de singulis literis Iulius Cæsar dictator, & Coruinus Messala non solum oratorum ætui sui, sed ciuitatis quoq; principes singulos libros conscripsere. Ergo illi minima consectando ingentem peritiæ omnis aceruum confecerunt: nos contraria ratione diruimus,ac penitus dissipauimus, minima non modo negligendo, sed etiam contemptu prosequendo,atq; odio. Nam quidam ætate hac oderunt magis hanc disciplinã,quia ignotam sibi,quàm contemnunt tanquam uilem aut se indignam. Sed ne odisse existimentur, contemptum aut negligentiam præ se ostendunt, tanquam eam pro nihilo ducant cura rerum præstantiorũ occupati,req; huc est paulatim deducta,ut grammatici nomen iam obijciatur pro conuitio. Ego uero,ut de hoc quoq; loquar, non uideo quid sit,uel in nomine,uel in professione, uel indignitate grammaticorum despicabile & contemnendum: quæ omnia isti quibus grammaticus maledicti loco est,ignorant,sed nos paucis explicabimus. Primum grammaticus literatus est: atqui hoc nomen honestissimum, quo literis præditus ornatusq; denotatur. Literatos inquit Suetonius ex autoritate Cornelij Nepotis uulgo appellari, qui aliquid diligenter & acute,scienterq; possint aut dicere,aut scribere. Quanta est in istis inscientia? Si quis literatos appellaret, tanquam honorificam nuncupationem amplecterentur, & pro beneficio haberent gratiam: si quis grammaticos, iniuriarum dicam scriberent: non aliter ac quidam canonici nomen libenter audiunt, regularis aspernarentur. Diaconos dici uolunt,ministros se dici contumeliam clamarent. Ignoscendum quidem est insciti æ linguarum, indocta tamen arrogantia castiganda. Porrò quid grammaticus profitetur? non solum literarum & uocum peritiam,quanquam neq; hoc omnino parum, sed intelligentiam uerborum & sermonis totius, cognitionem antiquitatis,historiarum,fabularum,carminum: denicq; ueterum omnium scriptorum interpretationem. Quid potest hoc maius uel amplius in studijs dici? Qua de causa illis, ut iam dignitatem attingam,permissum est de scriptoribus cuiusq; generis iudicium,quo sicut Quintilianus refert, ita sunt seuere usi ueteres grammatici, ut non uersus modo censoria

soria quadam uirgula notare, & libros qui falso uiderentur inscripti tanquam subdititios submouere familia permiserunt sibi, sed autores ipsos in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Tales inter cæteros fuerunt Aristophanes, non autor ueteris comœdiæ, sed grammaticus Bizantius genere, & Zenodotus, & Aristarchus, qui cognominatus est censor autorum, & alij permulti. Cui tandem uel philosophorum, uel eorum qui maximis titulis amplissimas disciplinas, quasq; nemo non suspicit & professi sunt, & præstiterunt, tantum est permissum: nedum istis fumosis, qui contemnendo omnia uideri uolunt omnium callentissimi. Ergo grammaticorum nomen prisci affectarunt complures. Nec ætate nostra defuerunt doctissimi, qui ornari se appellatione eiusmodi arbitrati sunt, inter quos Angelus Politianus, & Hispanus noster Antonius Nebrissensis, qui pro uaria, & late patenti eruditione, quum esset diligenter in omni scriptorum genere uersatus, potuisset quodcunq; nomen usurpare, non solum cum bona professorum eiusce artis uenia, sed cum magna etiam lætitia, quod non parum gloriæ professioni suæ accessurum ex huiusmodi hominis splendore, & nominis celebritate existimassent: nihil tamen dici & haberi maluit quàm grammaticus. Nec Pius Pontifex urbis Romæ nomen eiusmodi abhorruit. At nihil scilicet præstiterunt grammatici in omni genere doctrinarum: Ioannes Philoponus illustres ac celebratos scripsit in Aristotelem commentarios: huius nomen nec scholæ ignorant, Ioannes grammaticus nominatur. Erotianus grammaticos enumerat, qui accuratos doctosq; in Hippocratem libros composuerint. Xenocritus Hippocratis ciuis, Aristocles, & Aristeas Rhodij, Didymus ac Antigonus Alexandrini. Vtinam aliquid tale præstitissent uniuersi isti grammaticę contemptores. Quòd si grammatici horum temporum hæc uel non faciunt, uel non possunt, culpa est hominũ, non artis, uel professionis. Profecto nimium fauemus nobis. Pulchra uolumus tantum credi, & haberi quæ possidemus, cætera uilia & aspernanda. Si grammaticam haberemus, celebraretur ea à nobis, & cohonestaretur, esset ex præcipuis & maximè necessarijs artibus. Argumento est, quòd non quæuis grammatica à nobis improbatur. Quis enim istorum grammaticæ osorum non cædit suum puerum, si dicat, ego sequor tibi: at permitit dicere, ego sequor abs te: quia illud scit Latinum non esse, hoc nescit. Eodem modo Latinam linguam contemnunt: at qui clamores quod in uulgares linguas quædã de Latino uertebantur: non id in totum probo, sed tantum malitiam istorum retego: nam quia hanc non habemus, ne hac parte existimemur manci, nec uelle quidem nos habere simulamus. Olim ita sunt uitioso sermone usi quidam ac spurco, ut eũ uideantur consulto affectasse, tametsi non multo poterant tersius loqui, sed quędam certè minus sordide potuissent dicere. Nam simul ignorari cœperunt linguę, continuo quod intellectũ nõ est, desijt in pretio esse, & post paulùm ignominię ac dedecori duci apud eos, quos pudebat & nescire & ab alijs doceri: pigebat tamen in curam se & laborem dare: quocirca operam ea in re noluerũt ponere, quæ cum desuetudine facta esset obscura & perdifficilis: tum nihil utilitatis allatura uideretur præsenti exercitamento artium, imò uero cum probro & derisu omnium disceretur. Nam quãdo de linguis desperauerant, tum auditores suos, ad omnia quæ traderentur sequaces, tum populum minimè repugnantem in eam opinionem adduxerũt, ut cultu illo atq; ornatu sermonis, magnę atque excellentes artes tradi non posse haberent persuasum, quicquid sic diceretur esse grammaticam, quicquid suo illo more fœde ac sordide, id demum esse ex disciplinis altissimis, ac præcellentibus. Quoties illud mihi Ioannes Dullardus ingessit: quanto eris melior grammaticus, tanto peior dialecticus, & Theologus: quasi uero non sit Latinus & Græcus sermo, multo quàm ipsorum balbissima barbaries facundior & copiosior, & non maximi uiri de artibus omnibus, quanto quàm nunc ac curatius, & rectius purissimo scripserint sermone? Sed haud dubie noua prodigia quidificatio, realitas, identificatio, quiditatiue, ecceitas, & similia uetere elegantia explicari nequeunt: non capit res tã immundas pannus cãdidissimus. Sed nec illi omnino indubie mentiebantur: nam illæ artes, quas ipsi somniarant, ut à rerum natura, sic etiam ab omni usu sermonis abhorrebant: noua rerum natura fuit illis quæ renda, no-

uus ſermo. Ergo ſi quid ex ueteribus diſputationum gratia attingebant, partim animo ſemper in quæſtiones uel armandas,uel exarmandas intento, non uacabat quicquam de ſermonis uſu annotare:tum quod uiderent non facere ad eam ſpem laudis, quam ipſi captabant,ut ingenioſi eſſe ac docti crederẽtur.Nam qui paulùm ab ſcholaſticis illis exercitamentis abſceſſerant, ſecretorum ſtudiorum fructu atque oblectamentis contenti,diligentiſſime cultum orationis affectarunt: ut Beda, ut Bernardus, Hugo S.Victoris,Ricardus item S. Victoris, Robertus Tuicenſis,Gerſon,Cuſanus, Simon Caſſianus,Alcuinus,Rabanus,id genus alij,non tamen plus aſſecuti uitio ſeculi:quippe adeo ſunt procedente tempore obſcurata omnia, ut iam quum uel maxime cuperent,neſcirent tamen quid in tantis tenebris ſequerentur. Ita putantes ligonem ſumere,arripiebant penicillũ,& ciſtam pro arca: ut nec hi recentiores qui à Laurentio Valla ad hanc ætatem fuerunt, quum ſumma ſint in reuocanda Latina lingua uſi diligentia,nondum tamen diſtinguere potuerint uerba,quæ urbana,quæ ruſtica, quæ germane Romana,quæ peregrina, quæ per iocum detorta. Neque urbanus eſt ſermo,quicquid in Bucolicis Vergilij: de quibus eſt illud,Noſtri ſic rure loquuntur. Nec quæ apud Theocritum, qui magis etiam quàm Virgilius paſtoricã ruditatem in loquendo expreſſit.Nec omnia ſic à ſeruis, quos Plautus inducit, dicta,ut ſenatores loquebantur.Riſus cauſa,multa inuerſa. Sed tantæ in linguas & tam denſæ incubuerunt tenebræ, ut deprehendi iſta nondum potuerint. Ad hæc quomodo potuit uel ab ipſis artis profeſſoribus ſedulo,& pro dignitate grammatica tractari,quum illi quoque ipſi probro ducerent grammaticos uocari ſe. An poteſt recte munus aliquod adminiſtrari,niſi ab eo qui illo & delectatur & gloriatur, tanquam ſibi decori futuro? Amiſſis uocabulorũ ueris ac genuinis ſignificatibus, tum etiam ratione coniunctionum,atq; idiomatis linguę,neceſſe fuit primum iudicium funditus tolli:illud dico iudicium à grammaticis uſurpari,& eis omnium ſententia merito concedi ſolitum. Hinc exegeticen grammaticã amiſimus:methodicen uerò clauſis Donato, Priſciano,Capro,Phoca,Diomede,& reliquis ueteribus inuaſerũt:qui quum de ſermone Latino præciperent,eas ipſas præceptiones barbare tradebant,ut Alexander Gallus: & quia expoſitionem uocabulorum qualemcunque , aliquam certe oportebat ſcholis perhiberi,Donato,Seruio,Acroni,Porphyrioni,Feſto, Varroni,Marcello,& huius notæ ſucceſſerunt Hugutio,Papias,Catholicon,Brachylogus,Græciſmus, Ioannes de Garlandia,& alia ridicula nomina, quæ docerent ſuam quiſque patriã barbariam,non Latinam linguam.Nec ſatis illis fuit hæc ignoraſſe, & ab eorum cognitione arcuiſſe alios pro uirili parte ſua, etiam infamarunt teterrimi criminis, ne quis uellet propius accedere metu contagij. Aiunt linguas,errorum eſſe quoddam uelut ſeminarium.Primum non puto eos id ſentire de linguis omnibus:nam & ipſi ijdem, qui hęc dicunt,tametſi ſpurcam,obſcœnam,diſtortam,balbam,uitioſiſſimã linguam tamen habent aliquam,fontes totius ſapientiæ & mundi oracula. At linguæ excultæ aiunt atque elegantes. At ipſi admirantur,ac ſuſpiciunt concionatorem in patria ſua lingua facundum & exercitatum. Latina,inquiunt,& Græca,quid meruerunt miſeræ:ſed hoc quî cõſtat,quum ipſi uidere uelint Latine loqui ſe,& quidem accuratius Latina intelligere,quàm illi,quos ipſi uocant linguarum profeſſores,ut Hieronymũ, Ambroſium, Hilarium,Auguſtinum,& ueteres iuriſconſultos,qui omnes Latiniſſimè ſcripſerunt.Quid ergo ſi intelligas linguas:non potes eſſe hæreticus:eris,ſi loquareſceu uerò in ſermone ſita ſit hæreſis,& non in intelligentia:an ideo erit fons culpandus,ſi liquidior fluat & purior? Deinde cur potius uera & exacta Latina hæreſes adferet,quàm corrupta & neglecta? quaſi non omnes penè hæreſes è prauo ſanctarum literarum intellectu naſcantur:quod neceſſe eſt ijs contingere, qui linguas eas ignorant, quibus ſcripturæ ſunt proditæ.Mirum ni Baſilius,& Gregorius Nazianzenus & Chryſoſtomus,quanto Ario eloquentiores fuerunt,tanto hæreticiores exiſtimentur:tum Hieronymus hæreticus ſit,qui Latinos,Græcos, Hebræos, Chaldæos ſcriptores plures euoluit,accuratius excuſſit,quàm eorum qui poſt eum quiſquã :nempe homo ſumma induſtria præditus,indefatigabili ſtudio & longa uita uſus. Vigilã-

tius

tius uero, Iouianianus, Ruffinus catholici, qui minus Græce ac Latine, quàm ille nouerant, & quos Hieronymus uelut linguarum imperitos insectatur, tanquam errores ex ignorantia hauserint: & re uera ita erat: nam ut de alijs taceam, Vigilantius si sciuisset qui uocarentur Hebraice fratres, & uim illarum uocum nouisset Primogenitus, & Antequam, nõ illa aduersus puritatem sacrę uirginis deblateraſſet. At docti sunt Græci ac Latini sermonis Lutherani, & Lutherus ipse quos Pontifex Romanus, & Academiarum consensus damnauit. Auditis dialecticorum acumẽ: Quid, num non etiã Lutherus dialecticus, & sophista, & theologus scholasticus, & quidem magis quàm Latinus: nam Græce nihil penitus nouerat, quum ad scribẽdum accesſit, Latine parum admodum: & quæ tuenda susceperat, dialectica, & argumentatiunculis tutatus est, non linguis. Sed fac habere linguas. An quicquid uir malus habet, protinus malum est: nec unde uenenum quidem sumit: nam uiperæ & serpentes eisdem herbis uictitant, quibus oues: eæ tamen in bonum & salutarem succum conuertunt escam: illæ in uirus malum & mortiferum. Panis salubris est sano, ægro noxius. An aliunde hæreses suas cœperunt hæretici, quàm ex dictis mysticorum librorum, sed quæ insciti & arrogantia sua deprauarunt, dum malunt illa ad suam opinionem detorquere, quàm mentem suam illis accommodare? Cur quum damnati sunt Vicleuus, & Ioannes Hus, non etiam damnarunt sophisticam, cuius illi erant callentissimi? uidelicet hanc omnes norant, linguas non norant. Sed quid in re nulli ignorata immoramur? Lutherani sunt Pomeranus, & Lambertus, an non magis Latini rex Angliæ, Roffensis, Ruseus, Latomus, Clichtoueus: & in eadem Germania Mosellanus, Ioannes Faber, Capito, Eccius? Contra Lutherum Erasmus & Longolius scripserunt, & contra Erasmum Lutherus. An non his Lutherani omnes in oratione concedunt? Tam abest ab omni hæresi Budæus, quàm dulce ab amaro. Viuit ne quisquam hodie utriusque linguę callentior? Quid huc adferam Alexandrum Tonstalum, Morum, Sadoletum, Bembum, Lascarem, Brixium, tot philosophos, tot theologos linguarum peritos, quis omnibus atrocissima fit iniuria, si cognitio puriorum linguarum seminarium hæreseõn existimetur. Quid illi ipsi, qui linguas infectantur, quàm iactarent eas passim, quàm ostentarent, si uel intra mediocritatem haberẽt: quantopere affectant, & non solum eleganter uolunt dicere: sed si uocabulum unum sunt nacti paulò tersius, illud tanquam gemmam in pileo, in digito ubique monstrant atque ingerunt oculis: ergo quod habere tantopere concupiscunt, quia non habent, damnant. Si haberent, uehementer de eo gloriarentur. Cedo uerò, est in studio uocum hæresis, an studio rerum? utrum est in uoce hæresis, an in re? Stultum est in uoce dicere: est ergo in sensu & re. Atqui res & sensa nõ sunt linguæ. Dicet aliquis, est in ijs sensis quæ linguis sunt tradita. Age, quorum autorum, Gentilium, an Christianorum, an hæreticorum? Gentiles si ansam dant hæreseos, peius faciunt qui Aristotelem, qui Porphyrium, qui Aberroem tanto studio euoluunt, quàm qui Ciceronem, Liuium, Quintilianum, Virgilium, & eiusmodi. Quæso unde paratior errorum materia, utrum ex disputatione de anima Aristotelis, Aberroris, Alexandri Aphrodisei, an ex uniuersis poetis, & oratoribus? ne quid dicam, quàm est in Ethicis, in Politicis Aristoteles impius. A Christianis uerò nefas est dicere instillari hæreses, siue Latini sint, seu Græci, quorum omnium scripta, & sententias, quomodo possunt, conãtur cognoscere linguarum inimici. At hæreticorum libri nulli sunt, & si qui sunt, eos studiosi linguarum magis Theologis legendos concedunt, quàm ipsi attingũt: mauult enim Latino aut Græco sermoni deditus, quid Cicero aut Demosthenes dicat, & quemadmodum scrutari, quàm quid Ioannes Vicleuus, cuius libros ne inspiciat quidem, etiam magno pretio inuitatus. Quid? nolunt legi proceres artium, & disciplinarum omnium, philosophię Platonem & Aristotelem: medicinæ Hippocratem, & Galenum. Iuris illos ueteres Pandectarum, aut Cæsarum rescripta. Theologiæ, Cyprianum, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Hilarium. Atqui omnes hi sine linguarum ope intelligi nullo modo possunt. Cur damnãt linguas? quur ijs, quibus bene eos oportet cupere, tantũ bo-

num inuident? Si quando aliquem ex ijs scriptoribus, quos modo nominaui, legunt, quod fit raro, & sero: sed quum fit tamen, tum deprehendunt quanta luce ad intelligentiam autorum careãt, qui à linguis sunt destituti ac inopes. Profecto oportet eos esse prauissimos ac impios, qui quod ipsi sint cæci, nec alios communi hac luce patiantur frui. Enimuero non tam ego de illis male sentio, quamlibet sint imperiti, & ex ijs nonnulli stupidi, ut credam hæc ipsos non assequi. Sed hoc eorum animos urit acriter, quod uident aduentu linguarum non parum dignitati & gloriæ eorum detrahi, qui tam necessaria eruditionis parte carent. Ideo linguas rem inuisam sibi conantur cum hæresibus coniungere, re omnibus meritissimò inuisa, quum natura & re sint disiunctissimæ, quod uel pueri ipsi non ignorant. Nec ipsi sanè Latinæ linguæ calumniatores parum ei debent. Nam quum alia permulta, tum hæc ipsa, quæ de linguis latrant, si uulgari aliquo sermone dicerent, exploderentur à populo, & eijcerentur: quia tamen facie aliqua Latini sermonis balbutiunt, non feruntur modo, sed etiam adorantur à multitudine, quæ credit non aliud Latina lingua contineri, quàm mera mysteria. Iam uero mirum si altercationes & rixæ hanc studiorum partem quietam reliquerunt: minime gentium. Sed quæstiunculæ illæ uerè grammaticæ de cognitione antiquitatum, de fabula, de historiola, de loco alicuius scriptoris, de uoce, de proprietate sermonis, de ratione carminis, parum sunt uisæ aptæ ad suppeditandam altercationi contentiosam materiã. Nam si quæras quis confecerit primum Punicum bellum, aut quò primum appulerit Æneas post tempestates, aut quid sit uitilitigator apud Plinium & Catonem: si recte ille responderit, ad aliam quæstionem elt tibi transeundum: sin secus, adducta boni scriptoris sententia & autoritate corrigendus. At isti in eadem quæstione uolunt diu litigari: cedere melius dicenti, aut ad aliud differendi argumentum transire turpe, tanquam torpidi & rudis sit ingenij non inuenire quod in eodem cauilleris: statim conclamant, ad rem, imò uero in rem, & præter rem. Ergo ex alijs artibus pertracta sunt in grammaticam prolixioris rixæ, & incitamenta & fomenta, quod non facile modo fuit factu philosophis, & Theologis, qui occuparunt ludos literarios, ut ex suis concertationibus aliquid in prima hæc rudimenta deriuarent, sed etiam necessarium ijs, qui alia omnia præter rixosa hæc, nescirent. Ex dialectica sumpserunt diffinitionum & diuisionum rationes, argumentationes, maiorem, minorem, conclusionem, consequentias. Vnde sunt quæstiones super Donatũ, & glosa notabilis cum argumentis, & manulis, & alia iucundiora dictu, quàm lectu. Tum ex metaphysicis realitates, formalitates, entitates, de modo significandi uocum: de quo scripserunt Scotus, & Albertus Saxo: & libellus Boethi, tam illius, quàm cui titulus est de scholarium disciplina: qua re nullam ego in uniuersa artium omnium corruptela ineptiorẽ aut stultam magis excogitatam unquam esse arbitror. Vt quæratur cur nomen hoc masculinum sit, illud neutrum, hoc uerbum actiuum, illud deponens. Ceu uerò non idem nomen apud Græcos masculinum sit, apud Latinos fœmininum aut neutrum. Idem uerbum Græcis actiuum, Latinis deponens aut neutrum: & diuersæ uoces eiusdem significatus in eadem lingua genera & inflexiones habeant diuersas, & alia penè infinita. Scilicet necessariæ erant amœnæ aliquæ digressiones assecutis penitus, quicquid de grammatica arte, & Latino sermone poterat disci: ingenia bonorum autorum lectione defessa reparanda erant iucundis diuerticulis. Sed quum iam Latina lingua propè tota interisset, uiderentq; plausibile, & uenerandum, magniq; ad opinionem ingentis eruditionis momenti horrenda barbarie, & solœcismis orationem conspurcare, unusquisque ad exprimendum quod uolebat, uerbum de sermone uernaculo mutuabatur, aliàs quòd decorum crederetur, si quàm pessimè Latine loqueretur: aliàs quòd expeditius: interdum quoque quòd meliore quidem uoce non carebat quidem, sed non esset intellecta. Itaque malebant aliqui iuxta uetus dictum imperitius loqui, modo apertius: nata est hinc barbaries non una, sicut una erat Latina lingua, uerum sua cuiq; nationi & genti. Aliam ex suo uernaculo inuexit Hispanus, aliam Italus, aliam Gallus, aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo intelligebant. Cognitioni grammatices

adiuncta

adiuncta est poetarum, & historicorum enarratio, atque interpretatio. Poesis oratio est certæ cuidam legi numerorum astricta, in qua non solum est pedum alligatio, sed etiam rythmus, & concentus quidam harmonicus, quo audientium aures capiuntur, & demulcentur animi. Apparet quæsitum esse delinimentū hoc, ut si quid uellent altius in auditorum pectus demitti, & tenacius affigi memoriæ, hoc lenocinio delectationis facile consequerentur. Nam & libentius in animos admittimus quæ sic delectant, & numeris deuincta, atque alligata magis recordamur. Itaque primis & uetustis carminibus laudes sunt decantatæ Dei immortalis à Mose & Dauide, Rege Israelis: & apud gentiles deorum responsa carminibus sunt ædita, quorum oporteret quàm diutissime recordari. Quocirca condimentum hoc rebus profuturis tantopere conducibile, quum ad res minime est profuturas translatum, apparet ex suo loco in alienum admodum inuitum, ac coactum demigrasse: hoc aspersérunt res leues, ac noxias, & tanquam melle uenenum intinxerunt. Primi illi gentilium poetæ Amphion, Orpheus, Linus, Musæus, Thamyras, & eos sequuti Phemius, Homerus, Hesiodus carminibus, & cantu dulcissimo genealogias & acta persecuti sunt perditorum hominum, regulorum, pastorum, denique illorum omnium, quibus rudis uetustas uel ob inuentionem falcis, aut rotulæ, aras & templa erigebat, & honores tribuebat uni Deo immortali debitos. Hinc eorum peregrinationes, nuptias, conuiuia, uenationes, nauigationes, quæ omnia quum narrant, mireris uel eorum patientiam, qui tam diu sustinere potuerint de rebus usque adeo leuiculis cogitare, uel auditorum lectorúmue quos longæ adeo fabulæ de re nihili tædium non cœperit. Huccine cantus illi musici erant quæsiti? ut homines libenter audirent cœnatos nescio quos, aut uenatos aprum, quem prima ferierit puella uenatrix, aut Herculem duos occidisse tauros, ex quibus sibi & comitibus cœnam struxerit. Iam pergunt in gestis illorum quos populus pro dijs habet, colitq; narrant eorum bella, paricidia, adulteria, expulsiones parentum, fraudes, impietates, scelera capitalia & nefanda. At de quibus hæc? nempe de ijs quos imitari nos quatenus liceat, fas iusq; sit, ita ut nullum in ciuitate admitti uel flagitium possit, uel malum facinus, cuius non homines deum aliquem habeant autorem, & exemplum quo non modo se tueantur, uerum etiam ad illud incitentur atque inflammentur: an non in theatro gentilium, & quibus erat deũm atque hominum pater Iupiter, audet histrio persona adolescentis magno cum plausu dicere: Deum sese in hominem conuertisse, atque per alienas tegulas uenisse clanculum, per impluuium fucum factum mulieri. At quem deum? qui templa summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem? ego uero illud ita feci ac lubens. Respondeat totum theatrum pro suo Ioue, purget deum, damnet hominem: quomodo id faciat non inueniet. Si inter eos sedebat Lælius aliquis, aut Galba, aut Gracchus, aut quisquam illius æui orator surgat, dicat colorem aliquem pro suo deorum rege. Quocirca grauissimus philosophus Plato non poesin ex illa ciuitate exegit quam condebat hominum bonorum, sed eiusmodi poemata & poetas. Quid, de deorum prouidentia, de pręmijs bonorum, de malorum supplicijs ea dicunt, quæ exposita sint irrisioni omnium. Lucianus Sophista ex placitis Epicurææ suæ sectæ, omnes gentilium deos, eorum facinora, actiones, sacra & religionem naso suspendit: nihil facit magnum: uel uetula quæuis delira tales deos irrideat, ac contemnat. Trahunt quidam illorum fabulas ad interpretationē quandam naturalem, ut Stoici. Alij ad moralem, sed ita quemadmodum omnes Græcæ, Romanæ, Barbaræ historiæ possent torqueri. Eò deducunt eorum dicta, quò ipsi pertinere nunquam sunt suspicati: non aliter quàm quod Donatus grammaticus facit in explicatione consiliorum Terentij. Sunt scilicet hæc poetarum figmenta sensus spiritus diuini, qui unus capit omnes quotquot uenire uniuersis hominibus in mentem possunt. Landinus adeo Virgilij Poesin ad mores & naturæ causas trahit, ut non solum absolutum eum philosophum, uerum etiam Christianum fuisse contendat. Homerum Græci non philosophum tantum, sed omnium quoque sectarum & initia omnibus dedisse Ionicis, Italicis, Platonicis, Peripateticis, Stoicis, Epicuræis

Academicis. Scite Seneca: apparet nihil horum esse in illo, quia insunt omnia. Plato sententiam suam aperte ponit in Phædro, & quidem Socratis personæ assignatam. Si quis, inquit, fabulis poeticis non habens fidem ad conuenientem sensum uelit traducere, tanquam rusticana quapiam fretus sapientia, otio nimirum magnopere indigebit. Sed Stoici & quidam ueterum philosophorum prudentissime ad altiores sensus traduxerunt Homeri dicta, ut freta ad uulgum tanta autoritate, ac fide, minus læderent. Quanto sapientius quàm nostri, qui ea, quibus uident multum à plerisque tribui fidei, malunt premere, quàm leniter ad se deflectere. Sed istud aliorsum, & altius pertinet, de quo dicemus aliquando. Descendunt iam à dijs ad homines. Quid aliud sunt de hominibus dicturi, quàm dixerant de dijs? nefas est meliores homines facere quàm deos. Bella & fæuitias deorum, & amores, & diuitias, & fraudes, & uersutias cecinerant. Tales effinxerũt homines maxima laude dignos, quales deos sum mos: acutissimè istuc quidem. Quæ nam enim inueniri poterat laus amplior, quàm esse dijs immortalibus longe simillimum? Ego uerò homuncio id non facerem? ego uero id feci, ac lubens. Canuntur & concelebrantur ab eis ultiones, bella, & exempla omnia crudelitatis. Homero imago optimi principis expressa est in Achille, quo nullus fuit truculentior, aut inhumanior. Imago sapientis in Vlysse, quo nullus fuit fraudulentior, aut mendacior. Admirantur potentiam, regnum, opes, adulantur eis, pares faciunt deo, qui his sunt præditi. Quid illi qui uel suos, uel alienos sunt amores persecuti? quanta peste pueritiæ atque adolescentiæ animos consauciarunt? Quid enim aliud sunt cordi adolescentis amatoriæ narrationes, quàm flamma stupis proxima: ipsæ per se attrahunt, atque incendunt, de quibus Menander sentit, cuius uersiculum Paulus Apostolus ore suo consecrauit: Corrumpunt mores probos collocutiones improbæ. Atqui omnia de libidine, de seuitie, de inani gloria, de fraudibus, non dicta sunt ruditer, atque impolite, sed exculta, exornata, ut etiam absque omni rei ipsius illectamento uerba ipsa per se arriderent, atque abblandirentur. Quid uero in illis rebus, quas ultro malitia nostra expetit? quas audire, quas uidere gestit, quas omnibus sensibus usurpare, ad quas toto impetu fertur? Res sine uerbis inuitassent, & attraxissent: uerba sine rebus ad se pellexissent: dulci ueneno dulce additum est condimentum. In quo gemina accepta est calamitas, & quod abiecerunt occasionem tantarum utilitatum, si illa numerorum suauitate, atque elegantia orationis res optimas audientium mentibus instituissent commendare, & quod teneros animos, & in quiduis flexibiles rebus pessimis infecerunt. Istis ne tandem rebus parati sunt numeri tantæ melodiæ, ut melius humanis animis mala commendentur? Istis canendis assecuti sunt poetæ, ut diuini uates nominarentur, ut sancti, ut pij, ut audeat dicere ille Ouidius Naso:

Est deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritus ille uenit:
Est deus in nobis, sunt & commercia cœli.

Quæso te Publi Naso, quando? quum doces quomodo puella sit expugnanda, an quum epinicion cantas de expugnata? An ne quia finxit hæc Homerus & transtulit ad deos hominum ineptias, leuitates, malitiã, scelera, dictus est ingeniorum parens? quanto ille aptius, qui nugarum parentem nominauit: & Eratosthenes, qui poesin anile nugamentum nuncupabat? Et tamen consuetudo hæc legendi ac scribendi, in eam opinionem homines adduxit, ut iam non existimetur poema, nisi de uitijs canat. Ita in poesin tanquam in sentinam quandam uitia omnia confluxerunt, ac recepta sunt. Lex carminum hæc est à Catullo lata: Solonem aut Lycurgum dicas, aut si quis fuit istis sanctior:

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, uersiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, & lepôrem,
Si sunt molliculi, & parum pudici.

Quasi uero castus poeta esse possit, quum in libidinem est immersus, de libidine cogitat

gitat,libidinem meditatur, ſcribit, cantillat. Plato in Phædone,poetam ait oportere fingere, ſi ſit futurus poeta: idem Plutarchus. Ariſtoteles etiam de rebus magnis & ſerijs ſcriptorem, non poetam nominari perhibet: ſed aliud quiddam, ut Empedoclem.Eſt ne magis quiddam quàm de Deo canere? atqui poetarum eſt hymnos componere.Cur orationis ſuauitate uel nugas condierit poeta, uel res malas,magnas autem & præſtantes non poterit quas uolet memoriæ quàm diutiſſimè mandari? Iam uero cur uera non canet poeta ut falſa? An non ſatius eſt dulcedinem ueritati,quàm mendacio ineſſe? Canit Virgilius res commentitias de Ænea, canit res ueras de Romanis in VI. & VIII. Cur minus hic quàm alibi poeta? An non in Georgicis poeta, & quidem melior, quàm in Bucolicis? At uero quoties in illo opere ad fabellam digreditur, ſtatim adeſt Seruius, qui ſummoneat nos Vergilium non obliuiſci ſe eſſe poetam, hoc eſt nugatorem. Quàm uera Anneus Lucanus canat, ſcriptum eſt de illo diſtichon:

Sunt quidam qui me credunt non eſſe poetam,
Sed qui me uendit bibliopola putat.

Quaſi uero materia diſtinguatur ab alijs poeta, & non oratione. Quod ſi omnino poeta is demum eſt, qui mendacia uerſu concelebrat,ualeat poeſis.Quid mihi mendacium,& uitia,ad quæ feror procliuis, etiam ſuauitate & blanditijs carminis inſtillas,ut medullis uel non ſentienti affigãtur? Quid me in Syrenes præcipitas, quæ cantus dulcedine deceptum interficiant? male profecto iſti mirentur de arte poetica, quam tantis laudibus in cœlũ tollunt, ſi unicum illi opus tribuunt nugari. Hactenus quidem rerum corruptela.Iam uerborum, quæ per recẽtiores contigit. Nam ut craſſi illi uictores, qui ſe, ut tempeſtas quædam à Septentrione in Occidentem effuderunt, non magis harmoniam, & concentum illum Græci, ac Romani metri capiebant, quàm aſinus lyram,aut Midas Apollinis melodiam,ut eſt in fabulis, ad permulcendas aſininas illas aures,omiſſo rythmo,& proportione longorum, ac breuium ſimiliter cadentibus & deſinentibus fuit opus, alioqui non magis metrum cenſuras, quàm orationem numeris ſolutam.Nam diſcrimen omne breuium,& longarum ſyllabarum prorſum amiſerant, quod acuta illa Romani,aut Græci populi auris facile dijudicabat,Hinc uulgares omnes per Europam linguæ non aliud habent metri genus:translatum hoc eſt ad Latinum ſermonem,& diuerſi excogitati concentus, ut fines ſimiliter deſinerẽt,ut media cum finibus,ut media inter ſe, fines inter ſe, quorum ſingulis ſunt ſua nomina,caudati, leonini, & alia quæ ſatius erit non commemorari. Sed belle in ſua barbarie luſerunt deploratis illis melioribus, tanquam ita eſſet de rebus humanis actum,ut nullius felicioris, quod ad literas pertinet, ſeculi ſpes ulla foret reliqua.

Venit in ſcenam poeſis populo ad ſpectandum congregato,& ibi ſicut pictor tabulam proponit multitudini ſpectandam,ita poeta imaginem quandam uitæ: ut merito Plutarchus de his dixerit, poema eſſe picturam loquentem,& picturam poema tacens,ita magiſter eſt populi,& pictor,& poeta. Corrupta eſt hæc ars quod ab inſectatione flagitiorum & ſcelerum tranſijt ad obſequium prauę affectionis, ut quẽcunque odiſſet poeta, in eum linguæ, ac ſtyli intemperantia abuteretur. Cui iniuriæ atque inſolentiæ itum eſt obuiam,primum à diuitibus potentia ſua,& opibus: hinc legibus, quibus cauebatur, ne quis in alium noxium carmen pangeret. Tum inuolucris cœpit tegi fabula: paulatim res tota ad ludicra, & in uulgum plauſibilia eſt traducta ad amores, ad fraudes meretricum,ad periuria lenonis, ad militis ferociam & glorias:quæ quum dicerentur cuneis refertis puerorum, puellarum, mulierum,turba opificum hominum,& rudium,mirum quàm uitiabantur mores ciuitatis, admonitione illa,& quaſi incitatione ad flagitia: præſertim quum comici ſemper cataſtrophen lætam adderent amoribus, & impudicitiæ. Nam ſi quando addidiſſent triſtes exitus,deterruiſſent ab ijs actibus ſpectatores, quibus euentus eſſet paratus acerbiſſimus.In quo ſapientior fuit, qui noſtra lingua ſcripſit Celeſtinam tragicomœdiam. Nam progreſſui amorum, & illis gaudijs uoluptatis exitum annexuit amariſſimum, nempe amatorum,lenæ,lenonum, caſus & neces uiolentas. Neque uero ignorarunt

olim fabularum ſcriptores turpia eſſe quę ſcriberent,& moribus iuuentutis damnoſa. Plautus Captiuos ſuam fabulam ſic commendat:

Profecto expediet fabulæ huic dare operam.
Non pertractate facta eſt,neque item ut cæteræ,
Nec ſpurcidi inſunt uerſus immemorabiles,
Hic neque periurus leno eſt,nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus.

Hanc eo commendas nomine, cur non & alias eundem ad modum componis? Sed ſtatuerant omnino populo ſe uendicare, & ab illo captabant plauſum.

Poeta quum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negotij credidit ſolum dari
Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.

Erat ille populus & ignorantia numinis, & magnitudine opum ac imperij in omne deliciarum ac uoluptatum genus profuſus, & proiectus : nec aliud ingenti fauore excepturus, niſi ea quæ animo ſic imbuto atque inſtituto obſecundarent. Recentiores in linguis uernaculis multo mea quidem ſententia,excellunt ueteres in argumento deligendo.Nullæ ferè exhibentur nunc publicæ fabulæ, quæ non delectationem utilitate coniungant: quemadmodum ijdem recentiores arte ſuperantur à priſcis poetis, tametſi nec illi ubique fuerunt artis obſeruantes, Ariſtophanem dico, Plautum, Enníum,&, qui omnes dicitur arte uiciſſe, Terentium.Nam decori ſæpe obliuiſcuntur.Sic agunt fabulas, ut uideantur agere, quod eſt indecorum : nam fabula non refert ſeipſam,ſed rem geſtam,aut quæ geſta fingitur, ut rem pictura,non ſe.Sume tibi uerbenas ex ara, inquit Dauus apud Terentium : at res Athenis acta exprimebatur,nō in ſcena:neque enim in ſcena pepererat Glyceriū, ut eius infantulus inuoluendus eſſet uerbenis aræ Apollinis,aut Bacchi,quæ duæ in ſcena erigebantur, ut Donatus exponit:Nónne tu dixti mihi eſſe inimicitias inter eos?ait Simo. Atqui ſcenæ ita erant occupatæ, ut nullus exiſtat locus in quo id potuerit Dauus dicere Simoni. In Moſtellaria Plauti nominatur de improuiſo quidam , cuius nomen paulò antea dicebat ſe ignorare, qui nominat. Et in Pœnulo loquitur Hanno Pœnus. At ut ſcias nunc dehinc Latine iam loquar : quum res fingatur Athenis contigiſſe: nec ſeruaſſet decorum, ſi dixiſſet, Græce loquar, ſed ſic: lingua qua tu me intelligas, atque hic iuuenis. Tum in media actione, inducit dicentem agi fabulam.Donatus illo Terentij loco, Vtinam inuenirem unde me præcipitem darem : ait, Non poſſe ferrum nominari in comœdia, ne tranſeat in tragœdiam. Quod ſi uerum eſt, non ſemel ex ſocco in cothurnum tranſcendit Plautus. Nam in Pſeudolo ferrum nominatur:& in Ciſtellaria adoleſcens quidam uult ſibi manum adferre gladio armatam.Sed fortaſſis dictum illud Donati eſt ex nimijs illius ſubtilitatibus.

Hiſtoria ſequitur, in qua diffinienda parum ei iuſtos limites circundederunt. Alij enim ſequuti etymon,hiſtoriam dictam uolunt ab *ἱσορᾶν*,quod eſt uidere,quaſi uiderit quis quæ ſcribat. Alij, ut Cicero , hiſtoriam finiunt eſſe geſtam rem ab ætatis noſtræ memoriæ remotam. Quæ duę expoſitiones inter ſe pugnant, ita ut quæ Liuius de bellis Punicis ſcribit,non ſint prioribus hiſtoria:quæ uerò de ſua ætate,non ſit Ciceroni. Ceu uero non queat hiſtoricus res perſequi, quibus ipſe interfuerit. Quid quod ipſe Cicero, quum de hiſtoria ſcribenda deliberaret,primo de Legibus,ſic diſputat. Q.à quibus temporibus ſcribendi capiatur exordiū. Ego enim ab ultimis cenſeo,quoniam illa ſic ſcripta ſunt,ut ne legantur quidem, ipſe autem ætatis ſuę memoriam depoſcit,ut ea cōplectatur,quibus ipſe interfuit.A.Ego uero huic potius aſſentior:ſunt enim maximę res in hac memoria , atque ætate noſtra : tum autem hominis amiciſſimi Cnei Pompeij laudes illuſtrabit : incurret etiam in illum memorabilē annum ſuū,quem ab iſto malo prædicari,quàm,ut aiunt,de Romulo & Remo.Sic Cicero: qui quid ſit hiſtoria quāto uerius ac dilucidius in libro ſecūdo de Oratore,uide licet opere maioris eruditionis,ac iudicij.Hiſtoria eſt,inquit,teſtis tēporum, lux ueritatis,uita memoriæ,magiſtra uitę,nūtia uetuſtatis:nam quod ab *ἱσορᾷν* deducitur,hoc

uales

ualet, ut hiſtoria res ſit uiſa, atque ſpectata, quaſi quis dicat geſta. Quum contrà fabula ſit quam nemo uiderit, quemadmodum Lucianus ait Cteſiam quendam Cnidium de rebus Indicis ſcripſiſſe ea, quæ nec ipſe uiderit, nec de alio narrante audierit. Ergo quum teſtis ſit temporum, & lux ueritatis, prima eius deprauatio fuit admiſceri rebus geſtis mendacia. Initio à poetis, qui quòd ſolam captarent audiẽtium uoluptatem, & aurium quandam titillationem, ea ſola conſectati ſunt, quæ delectarent: quod quum efficere ſe interdum germana rerum ueritati non confiderent, & ueris miſcuerunt falſa, & ipſa eadem uera aliò detorſerunt, ubi plus putarent habitura uel gratiæ uel admirationis. Abuſi ſunt ad eam rem loquendi figuris, metaphoris, allegorijs, amphibologijs, ſimilitudinibus rerum, aut nominum: ut hominem cui eſſet nomen Tauro, taurum bouem eſſe proderent: nauem cui aries inſigne, arietem: uellus fuluum, uel aurea ſcobe inſperſum, aureum: excelſum montem cœlum: partem ſublimem terræ, ſuperos: deuexam, inferos. Si quis ſuo periculo alterum è morte liberaſſet, pro illo dicebant mortem oppetiſſe: ſphæram aſtrologiæ dixerunt cœlum: montes teretes, columnas quibus fulciretur cœlum: longam haſtam, cœlum tangere: grandem clypeum, turrim. Fuerunt poetæ ſcriptores antiquiſſimi: tradebant illa rudiſſimis hominibus elegantiſſima, ut illo ſeculo, oratione: tenebant ingenioſos, capiebant tardos: paulatim error traditus per manus, & confirmatus, effecit, ut tam occulta ueritas, & tot inuolucris operta, retegi iam & proferri à ſequentibus non poſſet. Phurnutus, & alij non pauci tentarunt ueritatem ceu nucleum ex poeticis nucibus elicere, ſed parum feliciter, & mira inter ſe diuerſitate. Acceſſerunt confuſiones nominum: multi enim eodem uocati ſunt nomine, ut Hercules, Ioues, Saturni, Apollines, Iunones: & à poetis, ſimilitudine morum aut formæ aptata nomina: ut quemadmodum Romæ multis principibus indita ſunt ſordidorum hominum propter ſimilitudinẽ nomina, ut patri Pompeij Magni Menogenis coqui: Cornelio Scipioni Serapionis: Lentulo Spintheris. Sic poetæ reges uocarunt Ioues, ut Plautus inquit. Viros robuſtos Hercules: Reginas Iunones: ſapientes uirgines Mineruas. Quo factum eſt, ut quæ alius geſſiſſet, alij attribuerentur: ſicut omnia Herculum geſta, qui ſex eſſe produntur, uni Herculi Thebano: omnia Iouis, qui fuerunt Ciceroni tres, Ioui Cretenſi. Et quum nihil magis faciat ad hiſtoriæ lucem, quàm digeſtio temporum per notas quaſdam inſignes, ante Olympiades omnia prodita ſunt perturbata & obſcura, quòd nulla fuit temporum ratio atque annotatio communibus quibuſdam ſignis tanquam luminibus diſtincta & impreſſa: quemadmodũ Varro Terentius ſcribit autor imprimis diligens & doctus: alij enim Ægyptijs regibus ſignabant æuum, alij Atticis, alij Sicyonijs: ita ut quid quoque tempore ſit actũ confundantur: haud aliter quàm priſcæ menſurarũ & ponderum rationes propter tantam uarietatem ægre ad has noſtras poſſunt conferri: ac ne præſentes quidem inter ſe eadem ipſa de cauſa: nec ſolum in poſitione ætatũ, ſed in numero etiam annorum uſque ad deriſus eſt in mendacijs progreſſum. Vbi ſexaginta annos hi numerant, illi ſexaginta millia: ubi centum, alia ducenta millia, ut in annis Ægyptijs & Chaldæis, in quibus gentes illæ ſine fronte mentiebantur. Annum hi habebant menſtruum, illi bimeſtrem, hi trimeſtrem, illi quadrimeſtrem, ſemeſtrem, decem menſium, duodecim menſium: alijs unaquæq; ſyderis conuerſio erat annus, ut nobis Solis. Et fuit illis nationibus tanta cupiditas patriam ſuam extollendi, præſertim ad exteras nationes, ut uaniſſima commenta non dubitarint impudentiſſime aſſeuerare. Ita quòd Cicero & Quintilianus & Iuuenalis hiſtoriam Græcã, mendaciorum damnãt. Commune eſt illis omnibus ad orientem & meridiem nationibus. Quid enim leuius in mentiendo quàm Ægyptij uentoſa regio, ut inquit Hadrianus, & ad omnem impulſum mobilis. Sed Græcos multæ res ad mentiendum in hiſtoria pellexerunt. Primum idem ille patriæ amor, quam putarunt ſe uehementer celebraturos ſi magnitudine mendaciorum extollerent, & ſe de illa optime mereri. Præter hæc in Græcia ingens fuit excellentium ingeniorum copia, tum dicendi facultas prompta & abundans: quæ ſi ſe intra ueritatis limites cohibuiſſet, nõ ualuiſſet ſeipſam ferre tantis uiribus

bus luctantem ſecum & erumpere nitentem: ita quam materiam ex rebus non poterant nanciſci, ipſi finxerunt ſibi inuſitatam, raram, immenſam, admirabilem, ſtupendam, in qua ſe uis illa ingenij ac orationis facile exerceret. Sic etiam iudicabant ſe magis lectori placituros, quàm illos qui nudam eſſent & ſimplicem ueritatem perſecuti: præſertim quod uiderent ſuperiores occupaſſe laudem ueræ narrationis, ſe ſi eadem dicerent fore contemptui, nec lectorem inuenturos. Quid quod uidebãt illa grandia, & tragica, & fabuloſa magis otioſo lectori arridere, magnamq; ſibi paraſſe gloriam qui illa ſcripſiſſent, ut Homerum, Heſiodum, Muſæum, Orpheum, & alios priſcos poetas. Iam quo minus poſſent redargui, nõ auſi ſunt de rebus Græcorũ mentiri, quandoquidem facile poſſent domi à multis cõfutari, longe petierunt hiſtoriam in qua tutius mentirentur: res Perſicas, res Ægyptias, res Chaldæas deſumpſerunt ſibi, ut Herodotus, quem uerius mendaciorum patrem dixeris, quàm quomodo illum uocant nonnulli, parentem hiſtoriæ: & Diodorus Siculus, quem neſcio cur Plinius dicat deſijſſe primum apud Græcos nugari, quum nihil ſit eo nugacius. An defendit eum titulus, quòd libros ſuos non illecebroſa aliqua nũcupatione inuidioſos fecerit, ut priores, ſed bibliothecæ hiſtoriam inſcripſerit. Alij ad mendacia prolabuntur imprudentes: quod ueritatẽ rei non petũt unde oportet: ſed colligũt ex ijs, in quibus raro eſt eam inuenire, nempe ex diſſipatis rumoribus, ex epiſtolis, quę dũ res geruntur ſunt ſcriptæ, in quibus certiorẽ amicus amicum reddit nõ de his quæ ſunt geſta, ſed quę ipſe audierit: quale eſt quod Cicero ſcribit ad Atticũ in Britannia nec ſcrupulum quidẽ eſſe auri, id ſcilicet fama uulgarat primo Cæſaris ad eã traiectu. In laudationibus uel uiuentium uel mortuorum multa affinguntur, quo maior & præſtabilior appareat, qui laudatur. Liuius oſtendit nonnunquam quoſdam hiſtoricos ſecutos funebres orationes falſa quædam pro ueris prodidiſſe. Explicatius Cicero in claris oratoribus loquens de epitaphijs: Quanquam, inquit, his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior. Multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt: falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & ad plebem tranſitiones, quum homines humiliores in alienum eiuſdem nominis infunderentur genus: ut ſi ego me à M. Tullio eſſe dicerem, qui patritius cum Seruio Sulpitio conſul anno x. poſt exactos reges fuit. Sic ille. Addunt inter uirtutes hiſtoriæ eſſe illã magiſtram uitæ: atqui non raro de leuibus rebus ſcribitur, in quibus nihil ſit omnino utilitatis aut fructus: ut de conuiuio, de uenatione aliqua. Sæpe de rebus noxijs, ut de amoribus, ad quorum uel ſolam commemorationem humanus animus inflammatur non aliter audiendo, quàm uidendo. Item de ultione eius, qui læſit prior: quod ut libentiſſimè facimus, etenim uerſiculo quodam Græco fertur eſſe dulciſſimum, ita etiam cum uoluptate quadam audimus & approbamus. Iam de bellis cum admiratione & commendatione, ut legentis animus ad cupiditatem eius rei ultro delabatur, quam audit tantopere celebrari, ac extolli. Nec pauci principes ad arma & bellum uenerunt haud alia de cauſa, quàm extimulati gloria eorum, qui aliquando uicere. Miltiadis tropæa Themiſtoclem exuſcitabant. Achillis nomen Alexandrum accendit. Alexander Cæſarem, Cæſar permultos. Occidit Cæſar uarijs prælijs C, XCII. M. hominum ſine bellis ciuilibus. Hæccine aliquis in laudibus eius ponat, tantam, ut ſapienter inquit Plinius, iniuriam generis humani: ſoluantur diaboli, plures occident. laudabitur uerò Iulius Cæſar, quòd tot hominum milia neci dederit, quum ne uni quidem potuerit uitam dare. Non eſt auſus computare ſanguinem ciuilem. At ſi quis acute inſpiciat, quid aliud ſunt omnia inter homines bella, quã ciuilia? Non minore coniunctione deuinctus eſt Indus Romano, quàm Romanus Romano: non raro etiã maiore: hoc docet natura, hoc iubet naturæ autor & magiſter Chriſtus. Additur hiſtoriã eſſe imaginẽ ueritatis. Imago ea eſt abſolutiſſima, quæ rem neque maiorem reddit, nec minorem, non ut umbræ in ortu & occaſu ſolis longiſſimæ, in meridie prope nullæ. Quidam & ſua laudibus in maius auxerunt, & aliena inimica inſectatione quantum ipſis licuit depreſſerunt: quorum neutrum eſt hiſtorici, ſed ſingula ſuæ magnitudini ac naturæ relinquere. Inuenias apud ſcriptores rerum Græcarum ex

rum ex culice, quod aiunt, factum elephantum Indicum: proponunt nobis tanquam egregium & clarissimum aliquem ducem, qui semel tantum sit cum hostibus congressus. Si cogites quibus eum ornent laudibus, aliquem te lecturum speres Alexandro, aut Cæsare, aut Pompeio præstantiorem: prodit aliquis Iphicrates Atheniensis, aut Agis Lacedæmonius, aut Philæpomenes Megapolitanus: non hos uitupero, sed tot laudibus dico impares: quod Sallustius perstringit, dicens: Athenienſium res gestas sua quidem sententia satis amplas fuisse ac magnificas, uerum aliquãto minores, quàm fama feruntur: sed quia prouenêre ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui ea fecêre, uirtus tanta habetur, quantum uerbis potuêre extollere præclara ingenia. Ea uerò Græcorum iactantia rerum suarum magis aucta est & impudentius, postquam magnitudo rerum Populi Romani claritatem Græcorum cœpit obscurare, & quasi officere luminibus. Tũ Græci ne Romanis substructionibus sua ædificia opprimerentur, cœperunt & ipsi altius tecta sua erigere, & granditate uerborum, & quum rebus deficiebantur, mendacijs quoq; Scripsit Plutarchus ingens quoddam opus de uiris illustrium Græcorum, & Romanorum per collationem, & alterum breuius de similitudine rerum Græcarum & Romanarum, quod inscripsit paralella. In priore quàm iniquę comparationes! Producit Romanus Marcum Catonem uel Claudium Marcellum: opponit Græcus Aristidem, aut Pelopidam. Producit Romanus Brutium, producit Græcus Dionem: Mirmillíones cum Thracibus comparantur. At in collatione qui labor, quæ anxietas docti hominis, nec infacundi, ut in pari magnitudine similes ostendat, uel dissimiles. Quàm trahit breue corium dentibus, ut sutor. Iam in Paralellis loca quæ susceperat replenda, quando de re ipsa nõ potest, de suo implet, ne quid turpiter hians & inane uel lectorem offendat, uel minorem faciat existimationem rerum Græcarum. Hæc quidem ueteres. At uero recentiores homines hanc partem memoriæ, hoc adiumentum prudentiæ penè totum amiserunt. Si narrant prisca, ut Græca illa aut Romana, aut barbara, ibi mira imperitia hominum, locorum, temporum, & sine fronte, sine pudore, mendacia fortiter asseuerata de ijs, quæ prorsum ignorabant. Cuiusmodi sunt crebra in historicis libris linguarũ uulgarium. Sed in eis quoque quæ Latinæ existimantur, qualis est liber de Vitis philosophorum, qualis de gestis Romanorum moralizatis: quid erat opus tantis mendacijs? ceu uero moralizationem quam quærebat, non potuisset inuenire in ueris Romanorum gestis. Sed fortassis hæc, quamuis grauia, tolerabilia fuerint. Quale est in res sacras hanc quoque licentiam mentiendi irrepsisse, seu potius aperte esse inuectam: ut quæ traduntur de lepra Constantini, & balneo sanguinis puerilis, de lepra Vespasiani, de Gamaliele, de Beronice, de actis Christi, & diuæ uirginis: clamamus & latramus ad minora, conniuemus ad hæc, quæ si in manus impiorum hominum ueniant, sanctissimam & grauissimam nostram pietatem ridiculam illis, & exibilandam reddiderint. Nec in rebus propinquioris memoriæ tradendis sumus religiosiores. Scribunt Galli Gallica, Itali Italica, Hispani Hispanica, Germani Germanica, Britanni Britannica, aut alij in gratiam gentis cuiuspiam: putat rerum autor id se tantum munus suscepisse, ut quantum possit, gentem illam euehat: non oculum ad ueritatem adijcit, sed ad decus illius nationis: hoc ratus esse historiam scribere, si quid gens illa præclarum egerit, prodere, dilatare, exornare, extollere: si quid turpiter, aut ignominiose, tegere, eleuare, extenuare, defendere, excusare. Stulti non intelligunt hoc non esse historiam scribere, sed causam illius gentis agere, quod patroni est, non historici. Nec in actis sanctorum scribendis maior est ueritatis custodia, in quibus omnia oportebat esse exacta, & absoluta, unusquisque eorum acta scribebat, ut in quenque erat affectus: ita ut animus historiam dictaret, non ueritas. Quàm indigna est diuis & hominibus Christianis illa sanctorum historia, quæ Legenda aurea nominatur, quam nescio cur auream appellent, quum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius dici potest illo libro? ô quàm pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum diuorum actus, uerius & accuratius

curatius memoriæ mandatos, siue ad cognitionem, siue ad imitationem tantæ uirtutis, quũ de suis ducibus, de philosophis, & sapientibus hominibus tanta cura Græci & Romani autores perscripserint. Sed sunt aliqui paulò dígniores historici nomine, ut Frosardus Gallus, aut Monstreletus, aut Philippus Comminius, aut Valera Hispanus. At isti omittunt sæpe præcipua, & quæ ad exempla, quæ ad rerum usum conducerent: dicunt de nugis, de rebus leuissimis: ut in caritate annonæ quanti Abbas quidam triticum uendiderit, aut quomodo prouentus monasterij auxerit: ut in prælio, quomodo miles aliquis gladium amiserit, aut in pedes descenderit, aut in equum ascenderit celeriter: quemadmodum Lucianus insectatur historicum quendam sui temporis, qui in narratione conflictus ad Europum Syriæ, relicto prælio longam fabulam exordítur de Masaccha quodam Mauro milite, qui præ siti aberrauerit, & inciderit in quosdam agricolas, à quibus prandio est exceptus, quorum unus aliquando fuerit in Mauritania, & alia inepta. Iam prudentiæ nihil possis illinc haurire: non conciones admiscent, quas iuuet legere, nõ sententiam suam acute interponunt, non prudenter admonent. Sunt in illis, quos modo nominaui, quidam dialogismi & sermones, & admonitiones loquacissimæ, & frigidissimæ, ut mirer esse tam patientẽ ullum stomachum, qui illa possit deuorare, dũtaxat quod res insulsæ, nullo condimento concinnantur, non eruditionis, non acuminis, aut iudicij, non eloquentiæ, & ornatus orationis. Equidem haud ignoro satis esse historiæ, si sit uera, quæ ut reliqua habeat omnia, si ueritatem non habet, obtinere nomen suum non potest. Sed tamen iucunditas orationis detinet lectorem, ut res illas gestas uelit cognoscere, neque id semel. Cui lectio una sufficit uel Liuij, uel Taciti, uel Thucydidis? Quis non autores illos sæpius sumit in manus, sæpius perlegit? At nostri in illo suo Latino sermone, stilo sunt sordidissimo, ac spurcissimo, seu nullo potius: neque enim est stilus incondita illa barbarismorum & solœcismorum congeries. Si uernaculis scribunt linguis, unus est totius orationis color fuscus, & dilutus, unus habitus, sine sale, sine ulla gratia & cultu, tenere ut lectorem dimidium horæ uix possit. Idcirco nec eos, nisi homo curiosus, legit, & cognoscendi temporum cupidus. Qui uero relegant, non inueniunt, ut satius ducant libros legere aperte mendaces, & meris nugis refertos, propter aliquod stili lenocinium, ut Amadisum, & Florisandum Hispanos, Lancilotum, & mensam rotundam Gallicam, Rolandum Italicum: qui libri ab hominibus sunt otiosis confícti, pleni eo mendaciorum genere, quod nec ad sciendum quicquam conferat, nec ad bene uel sentiendum de rebus, uel uiuendum, tantum ad inanem quandam, & præsentem titillationem uoluptatis: quos legunt tamen homines corruptis ingenijs, ab otio atque indulgentia quadam sui: non aliter quàm delicati quidam stomachi, & quibus plurimum est indultum, saccareis modò & melleis quibusdam condituris sustentantur, cibum omnem solidum respuentes.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM LIBER TERTIVS, QVI EST De Dialectica corrupta.

NVNC de dialectica disseramus. Nam ea est cui statim à grammatica puer committitur: de qua mihi fusius est, & cum cura disputandum. Quoniam, ut est à plerisque sordide contrectata, seu conculcata uerius, multũ contraxit squalloris, ac sordium, quam tamen conueniebat longe esse purissimam, atq; integerrimam: nempe aditum, atq; instrumentum aliorum studiorum, et artium: ex qua deprauata non parum aliæ quoque, ut philosophia, medica ars, & Theologia sunt cõtaminatæ. In has enim artes plurimum quisq; ex illa puerili institutione transfert. Itaq; contigit ei, quod de codicibus dixi primo libro. Nam qui eorum multum fuerunt in manibus hominũ imperitorũ, hi mendosiores ad nos uenerũt, quàm qui in bibliotheca aliqua intacti iacuerũt, situ & puluere operti. Danda est ergo maior opera, & accuratior, quo repurgẽ exactius, præsertim instrumentum cęterarum. Nec solum noui eius professores, sed ueteres quoq; in locandis finibus, in assignando eius officio, sunt falsi. Nã dialectica inter initia sua, & continuo in ipsis originibus res delicata & tenera, ab imperite tractantibus iniuriam accepit: quo magis nescio culpandi sint recentiores, qui priorum errorem non animaduerterunt, an danda ijs uenia, quũ de acumine, iudicio, diligentia, usu rerum, ac peritia magna conspiratione de se desperantes ueteribus concesserint, tanquam effœta iam natura, nec ulla meliore in posterum ingeniorũ, aut studiorum spe. Sed de antiquis prius loquar: postea de recentioribus, in quibus omnibus tantum attingam rerum fundamenta, & causas corruptelæ, more ac instituto meo: atq; ex ijs ea, quæ sunt omnibus confessa: nam opiniones sunt, pręsertim apud Neotericos, infinitæ, & quas nemo uel percensere ualeat. Ergo duas reliquas artes posuerũt de sermone. Dialecticam, quam artem differendi uocat Cicero, Aristoteles logicam: & Rhetoricam, quam artem dicendi: quarum illa argumentum paucis & breuibus quasi punctulis colligat: hæc uerò dilatet, & accõmodet causis, iudiciali, deliberatiuæ, demonstratiuæ. Idcirco Zeno Dialecticã manui dicebat esse similem contractæ in pugnum. Rhetoricen uero eidem manui expansæ in palmam: ut in hoc uelut sermonis ædificio grammatica cædat ligna, & lapides: Dialectica domum erigat: Rhetor condat ciuitatem. Grammatica usque ad uerborum coniunctionem progrediatur: Dialectica usque ad argumentationem: Rhetorica usque ad sermonem, & quod exactius est, orationem. Aristoteles in libro Topicorum primo de utilitate artis, quam tradit, uidelicet de Dialectica differens, sic inquit: Illud uero iam sequitur, ut ad quot, & quæ præsens sit utile institutum ostendamus. Est enim ad tria: ad exercitationes, ad congressus, & ad cognitionem philosophiæ. Quòd exercitamentis, per se res indicat: quippe facultatem nacti, facile, quodcunque in manus detur, tractabimus. Ad congressus uero: nam eorum quibus cum agimus, in promptu habentes sententias, non ex alienis cum illis disseremus, sed ex familiaribus ipsorum opinionibus reprehendentes, quæ parum uidebuntur nobis recte dixisse. Ad notitiam porrò philosophiæ: nam qui possunt in utrumlibet dubitare, ijs neutiquam fuerit difficile, quid in quaque re uerum sit perspicere, quid falsum. Conducit etiam ad origines initiorum uniuscuiusque disciplinæ. Quippe ex cuiusque artis primis initijs impossibile est de ijs ipsis aliquid dicere, uidelicet quum illa sint omnium prima. Atqui ex cuiusq; probabilibus necessum est de quoque inuestigare. Hoc uerò proprium, & maxime pe-

culiare eſt dialecticæ: quippe quum inquiſitiua ſit,uiam & rationem habet,qua ad omnium artium origines pertingat.Hęc Ariſtoteles,bona(ut puto)fide à me uerſus, quæ ſunt ei ex Platonis ſententia deſumpta, ut iuſtior ſit excuſatio culpæ cum tanto uiro coniunctæ:& ignoſcendum ſit eiuſmodi ducem,& præceptorem ſecuto.Principio ſi ita eſt,iam non ſolum eſt de ſermone dialectica,ſed de rebus,& quidem omnibus.Deinde uidetur Ariſtoteles ſentire Dialecticā nō habere modo ueriſimilium inſtrumentum, ſed copiam domi eorum quandam, & uelut theſaurum: quod quis nō uidet nullius artis aut facultatis eſſe,& ſi cuiuſquam eſt,id potius altiori cuidam, quæ metaphyſice uocetur eſſe deferendum. Nec illud ſanè reſponſum procederet habere eam inſtrumentum probabilium per locos argumentorum:nam quid ex illis diſputabit dialecticus de pronuntiato hoc:nota eſt quæ partes habet nullas.Cicero explicatius quidem, ſed neſcio an plura in artem hanc, quàm Ariſtoteles,conijciat. Nam in Bruto ad hunc modum ait de Seruio Sulpitio loquens:Sic enim Brute exiſtimo Iuris Ciuilis magnum uſum,& apud Scæuolam,& apud multos fuiſſe:artē in hoc uno,quod nunquam effeciſſet ipſius Iuris ſcientia,niſi eam præterea didiciſſet artem,quæ docet rem uniuerſam tribuere in partes,latētem explicare diffiniendo,obſcuram explanare interpretando,ambiguam primum uidere, deinde diſtinguere,poſtremo habere regulam,qua uera,& falſa iudicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent,quæ non eſſent conſequentia.Dialecticam mihi uideris dicere.Ita planè.Hactenus Cicero.In quo id,quod dialecticæ erat præcipuum tradere inſtrumentum inueniendi,omiſit:credo Stoicos ſequutus,qui intra iudicandi fines dialecticam concludunt,& eam finiunt ſcientiam ueri,& falſi,& neutrius:at hoc ſecuti diffinire,diuidere,obſcuram rem explanare,omnis ſunt artis,non alicuius unius.An enim dialecticus dicet uerum ne an falſum ſit, melius ciuitatem ab uno regi, quàm à multis. Vel hoc: angulum obtuſum æqualem duobus eſſe, recto & acuto.Sed nec inſtrumentum habet dialectica,&,ut Cicero uocat,regulam.Quænam ars habet regulam,quæ mihi dicat, an uerum ſit, duos angulos acutos conficere unum rectum,præter geometriam? Neque uerò Cicero hoc non uidet, ſed, ut eſt ſolutus ac liber, & probabilia tanquam aues conſectatur, nuſquam conſiſtit. In Academicis enim quæſtionibus ſic loquitur: Dialecticam inuentam eſſe dicitis ueri, & falſi quaſi diſceptatricem & iudicem.Cuius ueri & falſi,& in qua re? In Geometriá ne quid ſit uerum aut falſum dialecticus iudicabit? An in literis,an in muſicis? At ea non nouit.In philoſophia igitur ſol quantus ſit:quid ad illum? quod ſit ſummum bonum,quid habet, ut queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quæ coniunctio,quæ diſiunctio uera ſit,quid ambiguè dictum ſit, quid ſequatur quanque rem, quid repugnet. Tantum Cicero. Nec diffiniendi,aut diuidendi norma huius eſt artis,ſed alterius,quę magis in cognitione rerum uerſetur.Ideo rectè illi, qui (ſicut Boethus inquit) cenſuerunt non eſſe hanc partem philoſophiæ, ſed uelut ferramentum, ac ſupellectilem aliarum artium: nec illud Petrus Hiſpanus indoctè diſsimiliter ac ſolet:Dialectica eſt ars artium non excellens inter omnes artes, quod imperiti dicunt, ſed ſicut miniſtra: ideo addit,ad omnium methodorum principia uiam habens, quod eſt ab Ariſtotele deſumptum in Topicis.Quocirca Plato quum nihil uellet dialecticæ ex ijs, quæ iam attributa,& quaſi uſu,& diutina poſſeſsione uindicata fuerant,detrahere:uideretq; illa,quæ poſui maxima ex parte iuris eſſe primæ philoſophiæ,dialecticā dixit eſſe ſpeciem quandam,& uelut propaginem metaphyſicæ.Nec Ariſtoteles diſsimulauit,metaphyſicæ eſſe, quæ ad Logicam transferentur, quum in elenchis, ut dixi, tum quod ſtatim ingreſſum dialecticæ fecit categorias, & quaſi fundamentum artis ex prima eſt philoſophia mutuatus. Quocirca parum eſt dialecticæ pro dignitate locus aſsignatus, ut ad eam ilico à grammatica puer mitteretur. Quid inueniet, quid dicet de probabilibus, & principijs aliarum artium atque diſciplinarum, cætera præterquam uerborum,aut ad ſummum hiſtoriarum,& carminum planè rudis:atque utinam horum iſtorum non prorſum inſcius. Hinc uidemus tam multa in artem hanc eſſe nugaciſſima commenta infarcta,quod aliquid erat loquendum puero rerum omnium ſcitu

dignarum

dignarum experti.Sed antequã ad hæc uenio,pergam de priſcis artis autoribus dicere,quorum primum, ut in omni artium humanarum genere,Ariſtotelem merito poſuerim. Nam Platonis etſi magna ſunt in illius operibus artium omnium ac diſciplinarum ſparſa ſemina,& dialecticę tota ratio,atque exercitatio in eius dialogis elucet,præceptum tamen nullum ferè diſertis extat uerbis,præter litigioſa quædam in Eutydemo:multo minus Zenonis,Eleatis & Parmenidis:ad quos refertur artis inuentio.Sed indubie Ariſtoteles eam in artis faciem reduxit,ut & rhetoricam. Cæterum, quod liceat cum bona uenia dicere,præterquam quod more ſuo obſcurè, & prolixè, etiam parum aptè ad uſum uel inueniendi argumenta,uel iudicandi argumentationes.Nemo eſt enim, qui quantumlibet diligenter lecta,& excuſſa uniuerſa Ariſtotelis Logica,ſentiat ſe inſtrumentum habere,quo in aliqua ad diſſerendum materia argumenta in promptu excogitet.Eius primus liber,quem ſtatim obiectum ingredientibus uoluit, eſt categoriarum, hoc eſt,prædicamentorum,quæ Quintilianus transfert elementa,Capella prædicationes:cuius cognitio ac tractatio,ut dixi, altioris eſt facultatis, nempe primæ philoſophiæ: ſcilicet non ignarus iuuenem nihil poſſe de aliarum artium principijs dicere, aut inuenire, quæ eſſent probabilia, niſi eorum notitia imbutus, quæ φῦσις μετὰ τὰ φυσικὰ traderentur:idcirco eadem ipſa eiſdem penè uerbis in eo repetit opere.Decem facit rerum genera,in qua diſtributione ſiue ipſe autor illius fuerit, ſiue quis alius Pythagoricus,aut Megarenſis, quid ſecutus ſit, equidem non facile dixerim. Neque enim ordinem eſſentiæ ipſarum rerum, quem nemo percipere,& tenere poteſt,quum ſint rerum eſſentiæ,uel ipſo Ariſtotele teſte,obſcuriſſimæ,& procul à cognitione mentis humanæ remotæ.Adhuc enim inter eos,qui operam aliquam in ſtudijs philoſophiæ ponunt, ambigitur, quæ uera ſint inhærentia à ſubſtantijs illis, quibus adhærent, non mente,& cogitatione,ſed re uera diſtincta,tametſi non ſede, aut loco,quæ contrà.Senſuum uero,& cognitionis noſtræ ordinem, non eſt ſecutus: alioqui primas obtinuiſſent partes inhærentia, & alia eſſent diſiuncta, quæ connexuit: alia copulaſſet, quæ diſgregauit, nempe quæ ſub eundem ſenſum caderent, aut diuerſos, tam internos quam externos. At uero in natura prima,ſunt cauſæ,principia,elementa ſimplicia, tum agere & pati: poſtrema omnium,compoſita: nec ſimul ſunt quantitas numeri, & quãtitas molis, quum ex hac naſcatur illa: & prior qualitas, quàm ad aliquid: nec ad aliquid naturæ eſt, ſed artis, ut habitus. Adde quod ſicut ipſe idem Ariſtoteles in prima philoſophia ſapienter dicit, mens noſtra non aliter ſe ad naturæ manifeſtiſſima habet, quàm noctuæ oculus ad lumen ſolis.Nec numerum quæſtionum de prima ſubſtantia reſpexit,quum multa quærantur, quæ non ſunt hic connumerata. Vt ſi quis roget, quomodo ſit Socrates ſublatus,Veneno inquiunt:cum quo diſputat, cum Protagora. Iam heri & hodie de prima ſubſtantia non dicuntur: tẽpus uero de illis dicitur,ut genus de ſpeciebus,& in ea diuiditur ut partes.Quid quod quæſtiones confunduntur.Et in confeſſo eſt alia & ex his,& præter hæc potuiſſe dari genera, tum aliqua poſſe alijs concludi,& cõprehendi.Nam permiſta & confuſa eſſe ſua prædicamenta Ariſtoteles nõ diſſimulauit,quũ aliqua ex his quę eſſent πρός τι,in qua litate poſuiſſet, & poſitionem, φ' οἷς πρός τι: qui ſi categorias tantum collegit magis quàm digeſſit,& oſtendit magis quàm numerauit,tolerabile eſt eſſe confuſas:quod & nos fecimus in his,quæ indicatione tantum egent,ut in ijs ipſis, & argumentorũ locis. Et habent genera hæc tantam difficultatem, ut non ſolum adoleſcentulo in manus poſita,et rudi,ſed etiam grandiuſculo,et maiore rerum cognitione inſtructo negotium faceſſant: ut nemo facile dixerit, quæ in his decem rerum generibus collocentur, egreſſus quotidiana illa, quæ crebro audit, niſi multum, & ſæpe pertractarit: quod idem ipſe autor fatetur in calce capitis περὶ πρός τι: imò uero neſciet, niſi unumquodque norit diffinire,quod eſt infinitum. Sæpe etiam aſſignantur loca pro libito, aut ex leui aliqua coniectura,uel ſuſpiciuncula, traditis ab eo omnibus tam implicate, ut opus ſit paſſim multis ad ſingula interpretatiunculis, imò interdum quoq; diuinatiunculis,tanquam cuneolis, & commiſſuris, reſciſſuris, & reconcin-

nationibus, quibus nihil est tam alienum, ac abhorrens, quod non eo quò institueris, pertrahas: ut si quis quærat, quorum hæc sint prædicamentorum, gloria, fama, effectus, iusiurandum, ætas, testimonium, cuiúsue liber? substantiæ ne? quum constet forma, an qualitatis ex quarto ordine? si huius, cur magis quàm arbor? Tum similitudo, & paternitas: nam ad aliquid non sunt, neque enim est paternitas filiationis paternitas. Atqui si sit patris paternitas: sic erũt omnia ex genere qualitatis πρόστι: quanquam satis multa ponat, ut scientiam, uirtutem, uitium, adducens non inconuenire genus & speciem esse diuersarum categoriarum, quum id tamen disertis uerbis neget in quarto Topicorum. Scio posse ad hæc responderi: Quid enim in contrarium adfertur tam apertum, ac dilucidum, cui responderi non possit, præsertim à contentioso? sed illud ab inquisitore ueritatis est tacite spectandum, quàm apte, quàm congruenter, quàm bene. Iam hæc genera nihil ad diffiniendum iuuant, non ad diffinitiones essentiales, quum præter unam aut alteram ordinationem prædicamentalem, reliquæ propè sint ignoratæ propter differentiarum obscuritatem & penuriam: de qua Aristoteles ipse conqueritur: Nec accidentales causarum, inhærentium, partium: nam hæc in hisce elementis non explicantur. Succedit Categorijs liber περὶ ἑρμηνείας, id est, de interpretatione, quod, ut nomen ipsum sonat, magna ex parte grammatici est potius, quàm dialectici officij: nam cuius est dicere, quid nomen sit, quid uerbum, quid pronuntiatum, quid uniuersale, quid singulare, nisi grammatici? Quod si ars grammatica tradita iam ante Aristotelem fuisset, supersedisset profecto philosophus acutissimus illis de rebus in dialectica præcipere. Sed quia uidebat non oportere illa à dialectico ignorari, quum nullus de ijs mentionem fecisset, non iudicauit esse prætermittenda. Pronuntiata illa, quibus additur modus, non habent dialecticam, sed grammaticam quæstionem: uidelicet de significantia illarum uocum, ἀναγκαῖον, δυνατὸν, ἀδύνατον, ἐνδεχόμενον: qua uoce mirè est Aristoteles delectatus, pro eo, quod potest & contingere, & non contingere: quum sit potius, quod solet fieri, quod usu uenit, quod est probabile, quod in nobis, inq; nostra facultate est situm: quod uerbo eius ostenditur ἐνδέχεται. In hisce autem modalibus, seu affectis uel res spectauit: quomodo aduerbia omnia modi sunt, & modales enuntiationes reddunt, quod Boëthus subsignificat, ut Socrates celeriter currit, benè, malè. Tum uerba, usu uenit, solet, congruit. Nam in hisce omnibus, & infinitis harum similibus, haud secus quàm in illis de necessario, & impossibili, ambiguum esse potest, quid modi uel aientes significent, uel negantes, quæ quibus respondeant, & cum quibus recurrant aut non recurrant. Sin in pronuntiata ipsa est intuitus, ut eas modales nominaret, quæ temperatæ, & affectæ essent modo quodam, qui ipsi pronuntiationi competeret, ut necessario, quasi necessaria enuntiatio, impossibile impossibilis: non uidetur causa cur quatuor illos ita recensuerit, quasi non essent alij. Eius enim sunt facultatis, & officij, uerum, falsum, scitũ, opinatũ, quę Ioannes Buridanus, & alij quidam scholastici in modos referunt, credibile, probabile, opinabile, certum, incertum. Nisi fortè Aristoteles pronuntiata spectauit ex rebus, non ex nobis. Sed certè in his non plus erat quod esset ex dialectica petendum, quàm in alijs, quibus aduerbia inserũtur. Adduntur uolumini περὶ ἑρμηνείας duo libri priorum analyticorum, utiles quidem illi, & magni, atq; excellentis ingenij. Sed utilitas hæc obruta est primum multis superuacaneis adiectis, ut de modalibus, quę ad rem non magis faciunt, quàm cætera aduerbia. Nam de illis statuendum est ex negatione, affirmatione, uniuersalitate, particularitate. Impossibile non aliud est hoc loco, quàm nunquam, necessario quàm semper, possibile quàm aliquando. Tum de reductionibus syllogismorũ, de ijs quę uera ex falsis nascũtur, quod est cuiuis ita promptum, ut uix sit credibile Stoicos acutos homines, & in dialectica multum uersatos negasse id posse fieri. Omnia uero tanta subtilitate dissecat, ut laboriosius sit instrumentum intelligere, quàm usum: ita pulcherrimum organum, & superuacaneis oneratum, & in tantas minutias fractum, & concisum parum habile utentibus reddidit. Sequuntur posteriora analytica, doctum sanè opus, acutum, & bonarum rerum plenissimum

simum. Sed quorsum hæc tam bona? quid ad dialecticum de opinione, de errore, de ignorantia: non huius sunt loci, sed disputationis de anima. Demonstratio uero non uidetur ad dialecticum pertinere, quum hic probabilia tantum speculetur, & quæ contradictionem patiuntur ex Aristotelis ipsius sententia: Demonstratio uero incertis, & indubitatis uersetur, ut magis id uideatur primæ philosophiæ, quàm dialecticæ. Quæ uero de demonstratione, præterquàm quod sunt inuoluta & mirè intricata, nulli sunt usui. Demonstrationem uult esse ex primis, & necessarijs, ex proximis, ex causis. Cedo respicis nos, & captum nostrum, an rerum naturam? Themistius Euphrade Hermolao interprete sic ait: Nec demonstratio ad naturam se ingenij nostri submittit, sed rectam tenet ad ueritatem uiam, nec quid ipsi possumus attendit, sed in solam rei naturam incumbit, illam uestigat, illam explorat, etiam si nobis ignota, inconspectaq; sit. Id si ita est, quid mihi tua ista longa, & accurata de demonstratione confert dissertio? neq; enim ego pro captu naturæ intelligo, ac ne tu quidem, sed pro meo. Nos sumus homines, id est, ingenijs errori obnoxijs, & infirmis: natura habet intellligentiam non errantem. Qui scio ego quæ sint prima, quæ sine medio, quæ tu uocas ἄμεσα, quæ necessaria naturæ. Quæ sint mihi talia uix scio, nedum ut illa norim naturæ intima, ad cuius manifestissima, ut tu ipse fateris, caligamus. Inanis est ergo tota de demonstratione traditio, & sine usu. Sed nec omnino uideris oculos in naturam coniecisse, nam immediatas propositiones ad nos refers, in quibus nihil sit opus quenquam edoceri. Quod si homines doces, non erit tibi una, & perpetua demonstratio: alijs enim alia sunt immediata, & prima: alij uerisimilibus tantum capiuntur: alij nec euidentissimis, & de quibus sensus testificantur satis fidunt, ut Academici: Alij omnia credunt sensibus, ut Epicuræi: Alijs sufficit auctoritas dicentis: Alij res sensibus expositas requirunt. Erit ergo demonstratio quasi Lesbia norma, quæ se ædificio accommodat, non sibi ædificium. Iam necessaria requiris, id est, quæ impossibile est aliter habere: istuc uero quãdo erit notum? quũ omnia uniuersalia ex singularibus sint nobis collecta, quæ singularia quũ sint infinita, persequi omnia non potuimus: at si unum deest indiuiduũ, non constat uniuersale. Et uniuersalia longo usu cõprobata, erant nobis in cœlo, in elementis, quæ uel tempora, uel loci prodiderunt non posse in uniuersum affirmari. Iam causas requiris: & hic quæ nobis tenebræ? quæ quorum sint causæ, qui effectus nescimus. Quid agis, ludis ne nos, haud aliter demonstrationem constare uis, nisi ex tam raris, tam procul petendis, tam penè impossibilibus? facis perinde ut qui ad morbum grauissimum & deploratum medicinam promittunt confectam ex tribus aut quatuor simplicibus, quorum unum est in India inuenire, alterum apud Seres, tertium in Ryphæis montibus, quartum in nido phœnicis ex cineribus prioris nascentis. Quæso te, profer demonstrationem unam, uerbi causa, tanquam ad alias exemplum, quæ constet ex ueris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisq; conclusionis: erit ne uero illa, quæ est in ore totius scholæ? omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo & risibilis. Non tam homo est per hunc syllogismum risibilis, quàm ipsa demonstratio ridicula: ceu uero in propositione insint illa magnifica, uera, necessaria, immediata, notiora, priora, causæ conclusionis. Cedo uero, quid hic agunt causæ? an non etiam effectus demonstrant eas, & quidem certius, atque efficacius utique nobis: num non alia etiam demonstrant in duabus illis quæstionibus, sit ne, & quid sit? quas duas solum cur posuerit, nescio, quum sint aliæ de quibus possit & quæri, & disputari, & quatenus licet, demonstrari etiam, ut de omnibus categorijs. Post utraque analytica sequuntur octo libri de locis argumentorum, quę dicuntur τοπικὰ: locos uocant, & ceu thesauros argumentorum, quum ipsi argumentorum nihil habeant: neque enim hi loci sunt pixides, quibus continentur pharmaca, sed pixidum indices. Opus Aristotelis est longum, uarium: multa sunt in eo præclara, sed ita tamen differit, tanquam qui colligit sparsa, non qui formulas, & præceptiones artis tradit ad usum aliquem conducibiles. Qua de re iam antea iure questus est Rodolphus Agricola. Neque enim ex operis illius satis iusti, lectione

quamlibet diligenti, & sedula, facultatem se ullus sentiet nactum unius argumenti inueniendi. Sunt inquisitiones quæ sint genera, quæ differẽtiæ, quæ propria, quæ accidentia, quæ diffinitiones loquaces, inuolutæ, molestæ: & quod liceat cum bona tanti uiri gratia dicere, nonnunquam etiam subineptæ, sed infrugiferę prorsum. Neque enim quærit unquam aliquis quid cuius sit aut genus, aut species, aut accidens. Admiscet quæ sunt alienissima, ut de eligendo, & fugiendo: in quo uidetur philosophus syluam quandam ad communes locos congessisse, ut suos in thesibus exerceret, & quæstionibus indefinitis, sed ad inueniendi rationem parum commode. Ex his libris Topicorum sumpsit Porphyrius quæ de quinque uocibus composuit, opus, ut mea utique sententia, utilissimum, ita longe ab utilitate traditum. Prætereo ταυτολογίαν, & molestiam orationis: de re loquar. Primum in eo locum obtinent quæstiones, quarum nec numerus est ullus, nec ordo certus. Alij alia quærunt, alij prius, alij posterius, prout est cuiusque ingenium, & mentis intelligentia: nos enim respiciunt, & nostrum captum, non naturam. Iam unde sumuntur quęstiones hæ, quid est, quale est, & ea, quæ hisce respondentur, nónne ex uulgo? quod Aristoteles fatetur primo Topicorum libro. Atqui ad multa quæsita per quid est, qualitatis responsum adiungimus: ut quid uides? hominem album armatum, patrem tuum: ut apud Poëtam:

Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amaui.

Et in Propheta: Quid uides Amos? trullam cementarij. Et ad quale ποῖον Græci substantiam sæpe reddunt: Latini quoq;, ut qualis res est homo? animal ratione prędituin: nam & qualitatem compositum naturale uocant quidam, ut Cicero in Academicis: sicut Stoici ποιότητα. Iam uero quid dicunt esse prædicari in quid? Ea inquit Porphyrius prædicari in quid, quęcunque conuenit eum, qui interrogatus est, quid est aliquid, reddere. Atqui ad huiusce rei intellectũ necesse est euoluisse totam philosophiã, quæ est de natura. Neque enim Aristoteles ipse in libris Topicis tot uerbis tam altè, tam anxiè repetitis, explicare ualuit, quid genus esset, quid species, quæ dicantur per quid: & accidens, ac propriũ, quæ per quale. De genere locuturus Porphyrius patrem, & patriam dicit esse genus: in qua lingua? In Phœnicia credo. Et mihi genus ab Ioue summo est, inquit ille. Et genus qui ducis Olympo, quod & ipse ostendit Porphyrius suo exemplo: Siue à parente, inquit, siue à patria. Sic enim Orestem à Tantulo dicimus habere genus: Hylum ab Hercule. Rursus Pindarum genere Thebanum esse: Platonem uero Athenienscm Est enim patria principium cuiusque generationis, ut pater. Non dixit Tantulum esse Orestis genus, aut Thebas Pindari. Differentiam Porphyrius finis, qua abundat species supra genus, quasi non & abundet risibili homo supra animal, quemadmodum & rationali. Quod si dicatur non eatenus esse speciem supra genus, responsioni huic aqua hærebit, quod aiunt, petetur principium, & uitiosissima erit diffinitio, nempe perplexa: & id quod accuratius esset explicandum, & declarandum, pro luce inferetur minus etiam obscuri: quum enim ex accessione differentiæ ad genus constituatur species, quomodo tu in diffinitione differentiæ de specie meministi, tanquam iam nota & explicata? Cedo, quas differentias adfers: miram earum penuriam dicit esse Aristoteles, nec ullis nos rebus quum magis indigeamus, magis carere. Rationale est hominis differentia: uix aliam proferunt simplicem, nec ea ipsa est hominis ex sententia philosophorum, nam & angeli sunt rationales, quos illi uocant deos, & quidem animalia rationalia. Quid quod si in adiectiuo illo, rationale animal pro substantiuo intelligas, potius erit iusta diffinitio, quàm differentia. Sed rationale dicunt differentiam, capacem disciplinæ dicunt proprium. Quid hoc plus habet, aut minus, quàm illud. Quæso bipes, & quadrupes, & uolatile, & aquatile, quæ ab Aristotele & Porphyrio, pro diffentijs ponuntur, implent rationem illam differentiarum, quæ essentiam dicant, & formæ rationem, & diffinitionis essentialibus sint aptæ, quum accidens designent. Quòd si hæ sint differentiæ, quid Aristoteles differentiarum inopiam deflet? Quomodo hæc congruunt cum hoc Porphyrij dicto:

Interius

Interius autem perſcrutantes, non quodlibet eorum, quæ ſub eodem genere ſunt diuidentium eſſe differentiam, ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat eſſe, & eius rei partes. Ergo bipes, aut uolatile, non ſunt differentiæ. Verum enimuero quis hoc dictum intelligat, quis ullam aſsignet differentiam, tam arctis limitibus concluſam. Non immerito Ariſtoteles ait nos differentiarum uexari paupertate, ſi differentiæ omnes ad tam exactam cenſuram æſtimantur. Quis uero ſcit an mortale ad eſſe hominis conducat: quaſi uero non poſsint homines eſſe immortales, ex Dei munere, ut anima: corporeum uero & incorporeum non formam attingunt, ſed materiam, quę pro differentijs ponunt in ordinatione. Quid quòd Quintilianus mortale et immortale ſpecies dicit eſſe animalis generis. Sed rhetoris dictum parum exactè ad philoſophiæ formulas dicent eſſe tornatum: quale illud eſt Ciceronis, & Ciceronem ſecutorum Senecæ, Victorini, & Capellæ, Romanum, & Troianum ſpecies eſſe hominis, quum non ſint hominis, ſed nationis: neque enim ad eſſentiam hominis pertinent, ſed ad accidens: & de ſuis indiuiduis non in quid prædicantur, ſed in cuias. Nam quod dicitur humanum genus, & de genere hominum alios Romanos eſſe, alios Troianos, genus eo loci pro gente ſumitur, aut natione, aut forma: & ratione, & modo: ut genus uini, genus cibi, genus dicendi, genus belli. Sed hęc omnia ita ſunt perplexè, & obſcurè diffinita, ut mirum non ſit labi in eis magnos uiros, & contraria inter ſe dicere. Bipedem Ariſtoteles differentiam facit, & Ariſtotelem ſequutus Quintilianus. Porphyrius dicit eſſe proprium. Martianus etiam ſic finit differentiam: eſt ſufficiens ad id quod ſuſceperis diſcretio. Et alio loco: differentia eſt ſufficiens quæſtioni diſcretio, ut ſi quæratur inter hominem leonémque quid interſit: reſpondeatur quòd homo mitis, leo ferus ſit: quod quidem nec hominem à mitibus cæteris, nec leonem à feris alijs diſtinguit animalibus. Sic ille: quæ omnia Porphyrius, & ſchola reijceret, tanquam imperita. Sed de proprio quid dicunt? Porphyrius proprium in quatuor ſignificatus diuidit, quod ſoli, quod omni, quod ſoli & omni, quod ſoli omni & ſemper. Quintilianus etiam proprium dicit, aut quod ſoli accidit, ut homini ſermo, riſus: aut quod utique accidit, ſed non ſoli, ut igni calefacere. Quomodo poteſt proprium uocari, quod ſit alij commune, non ſecus, quàm ſi bonum dicas malum, album nigrum, calidum frigidum: idq; Ariſtoteles uetat fieri: nam bipes non proprium eſt homini, ſed generale, & amplius. Nec quod aliquo tempore, ineſt ſoli, niſi etiam proprium dicas eſſe homini bipedem eſſe, quum ſolus ſedet domi, cum cane, & equo aut à dextris eſſe, quod Ariſtoteles admittit, quo nihil uideo abſurdius. Adde quàm ineptum eſt tertiæ rationis proprij exemplum Porphyrij, caneſcere in ſenectute: atqui ſi hoc omni homini accidit, ſemper accidit, nempe in ſenectute caneſcere: neq; enim Porphyrius caneſcere pro exemplo dedit, & explicuit in ſenectute, ſed totum hoc eſt pro exemplo datum caneſcere in ſenectute: Græce enim ſic legitur: κὰι τὸ μόνῳ κὰι παντὶ κὰι ποτὲ, ὡς ἀνθρώπῳ παντὶ τὸ ἐν γήρᾳ πολιᾶσθαι. Sed de uerbis ne ſimus nimium ſolliciti, conniueamus ad hæc minuta. Aiunt differentiam, & proprium non accipere magis & minus. Ego uero non uideo cur unus homo non ſit altero & diſciplinæ capacior, & ad nauigandum aptior, aut ad artem medicam. Nam ſi eſſentia capacitatis aut facultatis ad diſciplinas, ad nauigandum conſideretur, nihil magis recipit aut minus: tam enim alba eſt hæc charta, quàm ille gypſus in eſſentia rei albæ. Et hæc adeo obſcura, inuoluta, difficilia, traduntur pueris paulo ante è ludo triuiali egreſsis, quæ non intelligunt grandes natu in philoſophia detriti ac penè conſumpti. Poſtremus eſt liber de ſophiſticis redargutionibus, haud ſanè inutilis diſputantibus, in quo nihil conuellemus, ne quidam nos arbitrentur anxie in Ariſtotelis operibus ſcrutari, quæ carpamus. Totius Logici inſtrumenti hæc eſt clauſula: Reliquum erit ueſtrum omnium, uel eorum, ad quos hæc peruenerint, ut uenia ijs detur, quæ uidebuntur ad inſtitutionem prætermiſſa, gratia autem habeatur pro inuentis, hoc uero eſt mea ſententia æquiſsimum. Nam nulla ars ſimul & inuenta eſt, & abſoluta. nec ille tam multa potuit unus, & primus inuenire, ac iudicare: multa ex ijs, quæ inueniebat noua, admirabatur,

inſpiciebat propius: necdum tamen ſatis ſibi fecerat familiaria, cenſere ac æſtimare ut poſſet, quod omnibus contingit inuentoribus. Nec dubito, quin idem mihi in ijs, quæ ipſe pario. Itaque de Ariſtotele non dicam plura, quem ego ueneror, uti par eſt, & ab eo uerecunde diſſentio. Ariſtotelis enarratores Græci Alexander, Themiſtius, Simplicius, Pſellus, Philoponus, & alij, multum habent uerborum: ſententiarum non aliud, quàm ipſe Ariſtoteles. Latini noſtri priſci illi Apuleius, Capella, Auguſtinus, Boëthus dialecticam ſuam deprauarunt, & uim attulerunt Romano ſermoni, quod illum in ijs, quæ ad linguæ proprietatem ſpectarent, præceptis Græcitatis obtemperare coëgerunt inuitum, ac repugnantẽ. Quæ enim ſunt ex ratione linguæ, ea in unaquaque lingua ſunt ſua libera, & popularis poteſtatis: ut nec princeps quidem quicquam habeat in ea iuris, quamlibet in alia potens ac ſæuus: nec qui donare homines ciuitate poteſt, uerba poteſt. At Latini dialectici per omnia Ariſtotelis ueſtigijs inſtiterunt in præcipienda, & tradenda dialectica: ut quæ ille de uerbis, de nominibus, de enuntiationibus, non malè Græce tradiderat, noſtri ad Latinum ſermonem malè detorquerẽt. Cuiuſmodi ſunt de nomine, & uerbo infinito, de enuntiatione infinita, ſeu incerta, & alijs: quæ ex grãmatica, & loquendi uſu cenſenda ſunt, non ex formula dialecticæ, & quidem, ſi dijs placet, Græcanicæ. Neque enim ſubſtantiæ nomen infinitari poſſe credo, niſi perraro: ut apud Ciceronem in primo Academicarum: Nec uero aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe nõ corpus. Quod uerſum eſt ad uerbũ de Græco Zenonis. Græcis enim facilius erat uti infinitis, quibus illud intelligeretur ὃ μὴ ἄνθρωπος, οὐκ ἄνθρωπος. Latine uero quis ſic loquitur, nõ homo diſputat, ut intelligi uelit, aliquid diſputat, quod nõ eſt homo: uel non Socrates uenenum bibit, id eſt, quod non eſt Socrates. Egeo nõ pane ſed pecunia: an aliqua re quæ nõ eſt panis? Cicero pro Cluẽtio: Non Archimedes potuiſſet melius deſcribere. Et pro Rabirio Poſthumo: Nõ amicus mihi, nõ Pompeius fuit: an aliquis, aut ut ipſi uolũt aliquid quod nõ eſt Archimedes, quod non eſt Põpeius? ut apud Quintilianũ: Raro inuenies iudicialẽ, in cuius non parte aliquid eorũ, quæ ſupra diximus, reperiatur: an in eo quod nõ eſt pars, ſicut apud eundem: hoc feciſti, nõ hoc feci. Et Portius Latro: nulli nõ oculi ſenatorũ teſtatim conſignarũt ingredientẽ: & alia innumera. Latini enim circumloquuntur, quod non eſt hoc, aut illud. Cicero conuerſione illa per finita, & infinita extrema: de qua eſt apud Ariſtotelẽ in libro περὶ ἑρμηνείας: ut omnis homo eſt animal, nullũ non animal eſt homo. Sic utiẽ in rhetoricis: Si conſtitutio & ipſa pars conſtitutionis quælibet intẽtionis depulſio eſt, quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec cõſtitutio eſt, nec pars cõſtitutionis. Quare illa apud Ariſtotelẽ πᾶς οὐκ ἄνθρωπος δίκαιος, ſic erant uertẽda, Quicquid nõ eſt homo, eſt iuſtum: nec Græci nomina hæc infinita obſeruãt, ac nec ipſe idem præceptor Ariſtoteles, ut in quarto Topicorum, ἔστι ἡδονὴ μὴ ἀγαθὸν, ſi qua uoluptas non eſt bona. Quid quod ubi hærere poſsit negatio, ex uſu cenſendum eſt, non ex canone. Vt Martialis:

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Quo loco negatur uerbum, non infinitatur illa uox totum. Apud Ouidium:

Etſi nullus erit puluis, tamen excute nullum.

Quid illud eſt ex formula? an non potius ex intelligentia communi & conſuetudine, illum ipſum qui uidebiẽ ineſſe, aut eum quem finxeris. Nam infinitari uerbum adiectiuum, illud penitus eſt non ſolum in Latino ſermone, ſed etiam in Græco alieniſsimum, & intelligentiæ repugnans: ut apud Ciceronem: Quum ingreſſus iter ſit pedibus, in equum omnino aſcendere non uult. Quis ſit ſenſus, uult aliquid, quod non eſt aſcendere. Non minus peccatum eſt in quantitatibus, ut uocant, enuntiationum. Aliquis concionatur, & quidam concionatur, particulares ſunt. Atqui non magis hæc, quidam concionatur particularis eſt, quàm hęc, Socrates concionatur: ſi qui audit, Socratem non norit. nam dicenti quidem concionatur, ſubiectum ſingulare eſt: audienti uerò, ſi Socratem non agnoſcat, non minus eſt uerbum illud Socrates confuſum, & uniuerſale hominis, quàm illud quidam. Iam hæc omnia, omnis homo

eſt

est animal, animal est omnis homo: omnia bonum appetunt, & bonum omnia appetunt: aliquis concionatur, aliquis non concionatur, non aliquis concionatur: uulgaris sunt consuetudinis, penes quam est istorum omnium lex, & arbitrium. Terentius hic solus nescit omnia: intelligi potest, uel non omnia ab eo sciri, uel nihil. Cur non bono uiro stipem dedisti? aliâs hoc est, non esse datam bono, aliâs esse datam ei, qui bonus non sit. Cicero pro Sestio: Omitto gratulationes, epulas, partitionem ærarij, beneficia spe promissa, prædam, lætitiam paucorum, luctum omnium: hic omnium quasi plurimorum, aut reliquorum omnium. Ideo Aristoteles sensus, oppositiones, leges uniuersalium, & particulariũ posuit. Quæ uerò essent uniuersales, hoc est, quibus uerbis, & signis, qua constitutione, quo ordine fierent, non attigit. Videlicet sciebat de illis non posse in uniuersum præcipi, quæ essent usus uarij, & mutabilis. Idcirco etsi dixit, qualia soleret uocare usus uniuersalia, qualia negatiua, aut affirmatiua, non tamen uniuersalibus regulis definiuit. In indefinita magis est adhuc peccatum, quæ pro intelligentia fit, uel uniuersalis, uel indefinita, uel singularis. Romani hanc urbem condiderunt. Romanus homo hæc scripsit: non omnes, sed aliqui, aut aliquis. Ecce tibi equus, quidam, certus: beata uita uirtute constat: omnis beata uita, uides ad omnia eam genera transire, idcirco infinitam seu incertam uocari, quod ambiguæ sit naturæ & mutabilis. Iam in assignando subiecto, & prædicato, rem spectant non uerba: ut cum dico Socrates est albus, uel Socrates est homo, semper Socrates sit subiectum quocunque uertatur, quia in eo fundatur ratio prædicati, nempe iustus uel homo. Sed non considerant spectãda etiã esse nomina, & uoces: ut quũ dico homo est animal, aliquod animal est homo, nõ omne animal est homo. Videndum enim non quid res sit, sed quid ego significẽ, quod nec ipsi possunt negare: nam dicunt in cõuersione ex subiecto fieri prædicatũ, & contrà. Itẽ in cõclusione indirecta: ut aliquod animal est homo. In Baralipton: omne risibile est animal, & omnis homo est risibilis. Ex duabus particularibus negatiua, et affirmãte. Martianus Capella, et Boëthus subalternam oppositionẽ constituunt. Quę oppositio est, si quis dicat: Omnis homo disputat, Socrates disputat. Quid habent contrarium inter se homo & Socrates. Nec subcontrariæ sunt oppositæ, non magis quàm si quis dicat: Socrates disputat, Plato nõ disputat. An repugnat sibi, qui dicit: Aliqui senatorum sunt assensi, aliqui non sunt assensi. Aristoteles ait oppositionem esse affirmationem, & negationem eiusdem de eodem, & non ęquiuocè. Qui dicunt aliquis etiam, aliquis non, nec de eodem loquuntur & ferè æquiuocè. Eandem Latinæ linguæ proprietatem oportebat seruatam esse in alijs locis dialecticæ. In Elenchis multæ captiones, quæ in uerborum ambiguitate sitæ sunt, ac constitutæ, in Latinum uersæ, nec gratiam, nec intelligentiam obtinent: quoniam proprietas Græca non est mutata: ut discentes sunt scientes, μανθάνειν enim illis est intelligere utentem scientia, & accipere scientiam. Quæ expediunt, bona sunt: δέον expediens est, & necessarium: cuiusmodi sæpe mala sunt necessaria. Quod ais esse, hoc tu es, propter infinitiuum, qui apud Atticos nominatiuo iungitur, καὶ ἄρα ὁ σύφης εἶναι, οὗτος σύφης εἶναι: & putas est silentia dicere, propter Græcum accusatiuum σιγῶντα, qui est singularis masculinus, & pluralis neuter. Iam quum ad coniunctam orationem & confectionem est uentum, in qua sunt duo, argumentum, quod est inuentum probabile, & argumentatio, quæ est confectio ex probabili, & eo quod probatur. Vt Medæam esse matrem est argumẽtum, cui si addas, ergo amat filios, argumentatio est. Cicero & Quintilianus & eos deinceps secuti confundũt hæc. Nam Cicero locum facit in Topicis à consequentibus, antecedentibus, & repugnãtibus, cum hæ sint rationes argumentationũ hypotheticarum, non argumentorũ unius certi loci. Quippe ex omnibus licet talem formulam conficere, quod idem Cicero ostendit exemplis suis: Si pecunia signata argẽtum est, legata est mulieri: est autem pecunia signata argentum, legata igitur: & sic de alijs, quæ ipse uocat semper Loca dialectica: nisi fortè aliam esse rhetoricam inuentionem putet, aliam dialecticam: quum sit una tantum, ea que magis Dialectici iuris quàm Rhetorici. An dialectico solam relinquit argumentationem, quæ est de iudicando

dicando, errore Stoicorum adductus, de quo ſum in principio locutus. In eundem errorem lapſus eſt Quintilianus, item Boëthus, cui (ut Agricola cenſet) minor eſt tribuenda uenia, qui accuratius hæc ſuſcepit tractanda, quàm magnis illis uiris licuit Ciceroni, & Fabio Quintiliano: quos diuerſa ab iſtis ſtudiorum ratio tuetur. Quintilianus uero inter ſyllogiſmum & epicherema hoc eſſe, inquit, diſcrimen, quòd ſyllogiſmus conſtet neceſſarijs, epicherema probabilibus: atqui hoc non eſt diſcrimen argumentationis, ſed materiæ. Sicut quum enthymema aliud ducit ex pugnantibus, aliud ex conſequentibus, quæ pertinent ad locos argumentorum. Iam argumentum facit à diſſimili, ceu uero diſſimile aliquid probaret: nam qui dicit:

Non tamen ille, fatum quo te mentiris Achille,
Talis in hoſte fuit Priamo.

Similitudine ſeu exemplo ualet. Pater tuus non fecit, ergo nec tu debes facere. Tum cauſa ſeu origine, ille nō fecit: ergo ſi tu feceris, ab illo degenerabis, nec uerum erit tibi ab illo genus. Comparatione quoq; Ille in hoſte nōdum uicto fuit clemens, tu ergo debes eſſe in hoſte iam uicto. Sicut in facto Fabij apud Liuium uerbis Mar. Camilli: Vos in pace uultis urbem deſerere, ille nec ſacra deſeruit obſeſſus. Cicero locum ponit à differentia, quem Quintilianus diſſimilitudinis dixit. Non ſi uxori uir legauit omne argentum quod ſuum eſſet, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt in arca ne ſit poſitum argentū, an in tabulis debeatur: hoc uero nihil probat, tantum quod antea probatum erat diſſicit, & diſſoluit: non hæc eſt collectio, ſed diſſipatio collectionis. Nam quod alius confecit legatum eſſe, hic per differentiam deſtruit. Sin uero hic idem perſuadere uelit non eſſe legatum, aliunde erit ei petendum argumentum. Sed Ciceroni non tam faciendæ eſt harum rerum, ac permagna habenda gratia, qui ipſe tum primum propè inuentor excudit nobis partem dialecticæ utiliſsimam de inuentione: quod opus inutiliter ab Ariſtotele congeſtum, Cicero ad utilitatem ingentem aptauit. Boëthus in tradendis differentijs Topicis, quod opus ex Cicerone, & Ariſtotele, & Themiſtio concinnauit, uno aut altero Ariſtotelis dicto inductus eſt ad maximas ſingulis locis aſsignandas. Ariſtoteles enim, in ſecundo Topicorum de coniugatis tractans, inquit: Manifeſtum eſt quòd ſi oſtenderit quis de coniugatorum aliquo bono uel laudabili, & alia erunt oſtēſa eſſe talia. Vt ſi ex laudabilibus eſt iuſtitia, & iuſtum, & iuſtus, & iuſte. Item de contrarijs loquens. Cuius generatio, inquit, bona, & ipſum bonum: & uice uerſa. Item de corruptione, & generantibus & corrumpentibus, ex ijs quæ à philoſopho erant exempli cauſa dicta, Boëthus maximas collegit ſingulis locorum: quod aliud non fuit, quàm infinitam poſſeſsionem locorum contrahere in magnas anguſtias: & latiſsime patentem uſum effecit, ut nullus pene eſſet. Quis enim uti poſsit locis ad illas maximas redactis: quaſi uero non aliter uſus ſit locorum, niſi per illas: hæc omnia argumenta, ut exemplum aliquod adferam, ſunt à cauſa efficiente: Bonus, quia boni filius. Vir magnus, quia Scipionis nepos. Calidum, quia admotum igni. Decet te hoc facere, quia filius es Syllæ: & non decet, quia filius Quinti Fabij. Opus ſeruandum, quia magni autoris: & non ſeruandum, quia hoſtis. Quæ dabitur in his omnibus maxima? Sed uenio iam ad amicos meos recentes, ut ipſi uocant, ſophiſtas, in quos tanquam in nauis ſentinam omnia huius artis uitia confluxerunt, & Ariſtotelis & priorum, & longe plura, & fœtidiora, quæ ipſi de ſuo adiecerunt. Itaq; quæ in antiquis reprobaui, ea ſuperſedebo hic recenſere: tantum ea conſectabor, quæ ſunt recentiorum propria. Irrumpit ad tradendam dialecticam iuuenis ignarus Latini, & Græci ſermonis, ignarus earum rerum, atque artium, quæ his duabus linguis ſunt proditæ. Primum omnium quorſum pertineat dialectica ignorat, quæ ſua, quæ aliena. Itaq; & ſua alijs ceſſerunt, & ipſi inuaſerunt aliena. Nam totā eam partem, quę eſt de argumentis inueniendis, occuparunt rhetores dialectico non inuito. Primum quod quum Ariſtotelem partis huius uel inuentorē, ut inquit Cicero, uel certe præcipuum præceptorē uideret illa adeo obſcure ædidiſſe, ut uerti in uſum aliquem non queant, Ciceronem uero accommodaſſe operi, & eius traditionem Boëthum eſſe amplexa-

amplexatum audito Ciceronis nomine,tanquam aliena nota inſpecta,uerecundi homines manum continuerunt.Videbant etiam rhetores apertius de illis præcipere & aptius ad exercitationem. Tum etiam libenter ceſſerunt poſſeſſione ſumptuoſa,ad quam tuendam magnis eſſet diuitijs opus:legenda,tenenda, cognoſcenda multa,ſine quibus inuentio tueri ſe & nomen ſuum nequit:nam quid de piſce,de lapide,de republica,de re familiari inueniet,qui ne nomen quidem unquam antea audierat.& adeo peritiæ huius uſum amiſerunt,ut quod eſt inuentionis argumenti ad iudicium argumentationis transferant. Nam quēadmodum argumentatio bene cenſetur per figuras,& modos ſyllogiſmorum,ita ipſi dicunt per locum à genere,per locum à cauſis,per locum à coniugatis,à maiori:quaſi in hoc ſint parati loci,ut cenſuræ ſint argumentationum,& non indices argumentorū: ipſi eam retinuere ſolam quæ eſt de inuentione,more ſpinoſorum Stoicorum,ad quam nec linguæ opes,nec multa rerum ſupellex magnopere uidetur eis neceſſaria,ſed tantum garrula quædam imperitia, & loquacitas inuicta:& pro illa uetere diuiſione Logicam eſſe aliam de inuentione, aliam de iudicio,nouam ipſi diuiſionem adduxerunt,eſſe logicam ueterem,& logicam nouam.Cur ita nominetur,non magis ſcias dicere,quàm cur digeſtum nouum, & digeſtum uetus.Logicam appellant ueterem,in qua de ſimplicibus agitur terminis,uel pronuntiatis,prædicabilia,categoriæ,& de interpretatione.Logicam nouam priora,poſteriora, topica.Tum huic addunt ſeptimum tractatum, quem recentes adiecerunt pomœrio ueterum imperio longius prolato.Ipſi tanquam uento quodā tranſuerſi acti in metaphyſica impetum fecerunt:non illinc modice repetunt,quæ uidebatur ad logicam pertinere,ut Ariſtoteles fecerat,ſed penitus ſe,& pueros ſuos immergunt in arcana illa naturæ,quæ conſtare,& intelligi nullo penitus modo poſſunt,niſi guſtatis his exterioribus:nam ordo noſtræ cognitionis hinc eſt ad illa,nec eò penetrari à nobis poteſt,niſi per hæc, quæ ſunt foris. Ad incognita enim itur per cognita, & ad mentis iudicium per ſenſuum functiones. Iſti contrà rudem puerum, & à grammatico recentem ſtatim prædicabilibus,& prædicamentis, & ſex principijs proluunt: ut olim Germani pueros ſuos recens natos rapido & gelido flumine. Sunt qui perpetuo ibi detinent,ut qui maximè ſunt reales, quaſi uero ad nugandum in illis commentis inuenta ſit dialectica,& non ad rectè diſſerendum. Ibi naſcuntur mira monſtra quæſtionū,de natura communi,qua miror nō interdum eos terreri inſomnijs,aut de illa in tenebris audere uerba facere,adeo res eſt mōſtroſa.Antiſthenes (ut puto)primus uniuerſalia quędā finxit in rerum natura à ſingularibus ſeiuncta.Plato Ideas poſuit.Porphyrius cum hęc aliena eſſe à ſuo inſtituto uideret,conſulto ſe uitaturum hanc,& ſimiles quæſtiones eſt præfatus: iſti non abſtinent,quanquam ipſa & abſurditate ſui & argumentis nominalium iam eſt eò deducta, ut ſi apertius uelintq; uti eloqui, appareat eos idem ſentire.Hinc de compoſitione generis,& differentiæ,ad conſtitutionem ſpeciei.Quomodo ſudatur cum uelint genus eſſe pro materia,differentiam pro forma:ideo ponunt compoſitionem phyſicam, & metaphyſicam, ut hæc conflata ſit ex quiditate generis, & quiditate differentiæ: & alia quæ ſiquis legat uir cordatus,& opinionibus antea, partibusq; non infectus , facile exclamet, ô nugas accuratas,ô eruditionem imperitam . Iam in prædicamenta infarciunt quicquid tractari uel ſolet, uel debet in prima philoſophia,de omni rerum genere. Attigerat quidē nonnulla ex his Ariſtoteles,ſed leuiter.Gilbertus Porrectanus longius mouit ſex principijs cōſcriptis.Albertus Grotus & deinceps alij,nauē in altum deduxerūt,ut nullæ iam terræ appareant,cœlum undiq;,& undiq; pontus.Prætereo quæſtiones illas ridiculas,utrum res ponantur in prædicamento,an nomina? quum diſertis uerbis Ariſtoteles de uocibus loquatur:quaſi uero res poſſint prædicari,aut nomina prædicentur,niſi res aliquas ſignificēt.An Deus collocetur in prædicamento,timent ſcilicet pij homines,ne infinitus finito concludat loco.Tum aſcendunt ſupra prædicamēta,& faciunt ſex tranſcēdentia ex Sophiſta Platonis male intellecto, ens,res,unum,bonum,uerum,aliquid.Sic poſſent addi ſexcēta,exiſtens,idem, utile, Vero,et bono quis utitur,pro tranſcendentibus:non nego quin aliquo in ſenſu omni

ni rei conueniãt,ut uerum ad eſſentiam pertineat, bonum ad finem:illud intellectus, hoc uoluntatis,ſed utrunq; in Deo:nã nos fallimur fere,& in iudicando,& in eligendo:nec minus eſſet tranſcendens utile aut cõmodum,quàm bonum eadem ratione. Nec naturalia paſſi ſunt quieta eſſe,libros Ariſtotelis de anima,in poſteriora effuderunt. Ad diuina tranſgreſſi puero in ſchola ludenti ac nuganti de ſyllogiſmis diuinis in manus dederũt,rem arduam,& periculoſam.Ibi tam confidenter diſtribuunt,ſingularizant,particularizant,complete,incomplete,quàm ſi de pomo aliquo eſſet ſermo:&dum uolunt rem humana ingenia ſuperãtem in pueriles formulas redigere,in multa incidũt abſurda,et impia,quę tamen conſuetudo inter illos effecit leuia:ut tres eſſe deos,tres eſſentias diuinas, filium eſſe patrem & non eſſe patrem,& alia quæ aures abhorrent audire.Loquuntur ipſi de rebus offenſiuis piarũ aurium,quę poſſunt eſſe magis?Sed his quia ſoliti audire non offenduntur,ijs demum permouentur,quibus non aſſueuere. Et quum nihil ſit apud ipſos abiectius,aut deſpicatius grammatici nomine,ipſi plura diſſerunt,quæ pene ſunt ex triuiali ſchola, quàm ipſi grammatici.Sed omnia abſurdiſſime conuerſis uocabulorum ſignificatibus,quò illis collibitum eſt,ut nihil reliquerint integrũ,facile hoc ſibi uindicantes,quum corrupta grammatica & lingua tanquam ſenſu amiſſo,nemo eſſet,qui iniuriam ſentiret,aut doleret, aut per iniuriã occupata repeteret.Nam quæ in libris de interpretatione tractantur, an nõ literarij ſunt ludi? oſtendi de nomine,de uerbo,de negatione,affirmatione,de ſignis,de quantitatibus pronuntiatorum:in quibus nuperrimi dialectici nõ contenti corruptela ſignificationum,quam à maioribus acceperant,quãdoquidem illa iam uulgata & protrita uidebantur, ipſi nouam penitus linguam inuexerunt: cuiuslibet hominis quilibet aſinus,& aſinus præter ab aſinus,& aſinus poſsibiliter non ſunt:alter alius homo eſt ipſemet: cuiuslibet alterius hominis alius aſinus eſt ens. Quis hæc ulla in lingua intelligat? adiectis literis quandoquidẽ uerba deerant,& ad melius diuinandũ.In terminis, quos primos obijciunt pueris ſuam ſcholam ingreſſis,quid aliud loquuntur,quàm de ſignificatione,de complexione,de incomplexione,de communi,&proprio,quæ ſunt puerilis in Grãmatica inſtituti.Sed de his quomodo præcipiunt? Terminos Ariſtoteles uocat in Topicis, quaſi extrema enuntiati τὰ ἄκρα:& Boethus eodẽ ſenſu nomina & uerba quæ in ſimplici propoſitione prædicantur:ut in eo quod eſt,Socrates diſputat,Socrates & diſputat,termini ſunt. Iſti quum terminorum notitiam tradant pueris tanquam rerum ſimplicium,ex quibus conficiuntur enuntiationes dialecticæ, integra pronuntiata, & longas orationes faciũt terminos: & Homeri totam quam longa eſt Iliadem aut Odyſſæam:imò Iliadem & Odyſſæam. Si quis inter utranque adſcribat τὸ κύων,uocem omnem uolunt ſignificare ſe, & ſuum prolatorem, & prolatori ſimilem,quin etiam ſcriptorem,& tabellarium,& pennam, & manum,& Latinam literam,& Romanos,& Carmentam inuentricem,& alia ridicula.Quod ſi circulus œnopolij ſit hederaceus,ſignificabit Virgilium,quoniam hedera coronabantur poetæ:ueteres item ac ruinoſos parietes,qui hedera ſolent ueſtiri:& feſtina lente ſignificabit Auguſtum Cæſarem,quod is dicto illo ſoleret delectari:& laurus populum Carthaginenſem,quod de illo triumphans Africanus lauro eſt coronatus:tum locus omnis eum,quem aliquando in eo loco uel uidimus,uel audiuimus fuiſſe:& alia ridicula abſque numero.Non eſt hoc ſignificare, ſed admonere, & alicui aliud ex alio uenire in mentẽ.Nec minus illa iocularia:ſi ex eodem atramento,quo ſcribitur hæc uox homo,ſcribatur illa buf,an buf ſignificabit? Nam iſti non contenti rebus naturalibus,ad ea quę ſupra naturam ſunt,imò contra naturam,ſe extollunt,etiam inter pueros:ut atramentũ poni in duobus locis: omnes terminos creabiles creari:horam diuidi per partes proportionales minoribus huc uel illuc terminatis in qualibet parte:diuidi hoc corpus in duas partes,rurſum coniungi,ſed contrarijs copulis quàm antea:uel in partibus paribus Socratem eſſe album, in imparibus nigrũ: creari aliquod infinitũ,& alia eiuſmodi.Quaſi ullus ſit horũ uſus in dialectica, & communi uita, nec illorum quidem quæ nunquam contingunt, antecedens eſſe Romæ,conſequens Lutetiæ:uel antecedens proferri nunc, conſequens cras,Quorſum

ſum hæc? Si aſſecuti peritiã neceſſariam in his animi gratia, tãquam teſſeris luderent, fortaſsis eſſent ferẽdi, ſed homines imperitos relictis ueris, ſolidis & ſerijs, huc ſe conferre quis ferat? hoccine eſt inſtrumentũ ſeriarum diſciplinarũ pluſquam pueriles luſiones? Sed de ſignificãdo, quis melius poteſt, aut debet præcipere, q̃ grammaticus, aut certè populus, quem penes arbitriũ eſt, & ius, & norma loquẽdi. Iam in terminis cõnotatiuis albũ ſignificat rem & alborẽ: certè nõ magis q̃ homo animã uel animal, uel rationale: neq; enim q̃d aliquid ſit in alterius diffinitione, ab eo ſignificatur: & de hoc termini genere, dant regulam: Quando terminus ſumitur pro aliqua re, & deſinit ſumi pro illa, ſi non eſt propter defectum rei, hoc eſt, propter defectum connotationis. Quid ergo riſibile, quid rationale? At inquient non recurrit formula: atqui oportebat eam recurrere, quæ traderetur pueris, ne fallerentur: tum quod ad cognitionem connotatiuorum parabatur. Sed eſto ita. Quid nomina propria, quæ omnia poſſunt tolli, & imponi alia. Nec ſatis eſt quod Paulus Venetus dicit, Socrates dupliciter accipi pro illo homine, aut pro hoc compoſito uocatus Socrates, hoc mutari poſſe, illud non poſſe. Idem dicat de uocibus mundi omnibus: loquor de ſcriptis, & quæ proferuntur: nam in mente imagines ſunt rerum ſine nominibus. Et tamen ex ijs quę ſunt illic, de termino complexo, & incomplexo definiunt, quod eſt imperitum: nam mens noſtra compoſitas uoces ſimpliciter ſæpe intelligit, & ſimplices compoſitè, ut audita hac, Troianorum acerbus terror Achillem ſolum nonnunquam intelligit, interdum quum Achillem audit, de terrore, & Troianis & ſæuitia iuuenis cogitat. Quid quod quæ uox eſt in una lingua ſimplex, in altera eſt compoſita, ut Latine paterfamiliâs, Gręce οἰκοδεσπότης. Latinè tribunus militum, Gręcè χιλίαρχος. Latinè tribunus plebis, Græcè δήμαρχος. Et in eadem ſæpe lingua: ut idem ſunt dictator, & magiſter populi: idem Cenſor, & magiſter morum. Quid quod Gregorius Ariminenſis nullam categoricam pronuntiationem compoſitam uult eſſe in mente. Vtiq; non facilè dictu eſt, quid cogitatus noſter ſimpliciter ſibi fingat, quid coniunctim, & complexè, adeo eſt liber, etſi hic ad hunc modum intelligit, ille multò ſecus, ut præcipi hac de re ex mente, & intelligentia nullo modo poſsit. ex iſtis conficiunt dialecticas enuntiationes, quæ conſtant ſubiecto & prædicato, ſed eo ordine, ut non ſit periculoſius hunc uniuerſi ordinem perturbare. Subiectum neceſſe eſt eſſe prius prædicato: omnis homo eſt animal recte, animal omnis eſt homo, perturbata omnia, & confuſa. An non hic eſt in prima forma ſyllogiſmus: omne animal eſt corporeum, animal eſt homo omnis, ergo omnis homo eſt corporeus: ergo animal tam prædicatur in aſſumptione, quàm in propoſitione ſubijcitur. Animal omnis homo eſt, τὸ omnis non eſt pars prædicati, animal eſt omnis homo, pars eſt, uerificari ut de nullo poſsit: neque enim inuenietur de quo uerè dicatur, hoc eſt omnis homo. Quæ ego quid communi uſu & ſcriptoribus Latinæ linguæ omnibus reprobem? ipſo Ariſtotele confutabuntur. Is enim in libro Perihermenias iſtis pronuntiatis utitur, eſt iuſtus homo, non eſt iuſtus homo: an non ibi iuſtus de homine prædicatur, atqui hoc ipſe dicit diſertis uerbis, ut in hac eiuſdem, eſt homo. Quid homo, prædicatur ne? Iam ubi ait ualet omnis homo, non ualet omnis homo, eſt ne omnis pars prædicati? Sed iſti nec Ariſtotelem quem tantũ habent in ore, nec ullum bonum, & magnum autorẽ legunt, uel intelligũt: nec eſt opus autoribus, aut libris ad ea, quę agunt. Verba omnia adiectiua uolunt reſolui in ſubſtantiuum uerbum, & participium: ut, ambulat, eſt ambulans, alioqui non eſſe ſatis perfectam, & ſatis explicatã enunciationem. Ariſtoteles, inquit, idẽ eſſe ſi quis dicat, Socrates diſputat, & Socrates eſt diſputans: an quia nihil ſenſu diſtãt, protinus quicquid eſt in una prædicatum, erit etiam in altera? neque enim hæc differunt, homo diſputat, & animal rationale diſputat: non tamen idem eſt ſubiectum. Quid, quod ad reſoluendum non tantam habemus participiorum copiam, quantam Græci, qui habent participia præteriti, & aoriſtorum in uoce actiua, & præſentis, ac futurorum in paſsiua: ut hæc difficile poſsit à Latinis explicari, Socrates diligitur aut laudatur, à Græcis facillime. Quid, quod non ſemper idem reddit participium quod uerbum, præſertim in ijs uerbis quæ non præſentem

actionem, ſed conſuetudinem ſignificant. Longe ſunt diuerſa, pingit, & eſt pingens: amat, docet, & eſt amans, eſt docens, quæ de dormiente bene dicantur in uerbo ad hunc modum: hic docte pingit, hic amat illam, hic docet filios meos: non item in participio, quod præſentem actionem notat. Adde quod multæ ſunt propriæ locutiones per uerbum, quæ nõ ſunt per participium, ut Socrates confidit, & eſt confidens: ruber, et eſt rubens: pallet, et eſt pallens: pluit, et eſt pluens: licet, et eſt licens. Sed in hoc non immorabor: nam inter ipſos ſophiſtas parum conuenit aliis dicentibus uerba adiectiua eſſe incomplexa, cuius eſt ſententiæ Petrus Mantuanus, in qua uidetur Ariſtotelem & Boëthum habere autores, aliis aſſerentibus ea eſſe complexa, nec dici uerba dialectica. Sed ea diſputatio & controuerſia nec rebus, nec rationi loquendi officit. Illud magis & ſermonem, & intelligentiam omnium lædit, quòd prædicatum uolunt aſtringere ſubiectum in his, ac eiuſmodi: homo eſt pictus, homo eſt mortuus, in quibus de analogo prædicatur ſignificatio ignobilior: ut hæc ſit uera propoſitio, quod abſit, omnis homo eſt mortuus: & hæc, omnis homo eſt pictus. fortaſſe illis qui ſedebant in ſpecu Platonis omnis homo erat umbra, nobis non item, niſi forte ijdem iſti, qui hæc ſomniant. Quid quum ſubiectum reſtringit prædicatũ, ut in hac, Socrates albus: ut hæc ſit uera, tantum Socrates eſt albus: nam uolunt eſſe ſenſum, ſolus Socrates eſt Socrates albus. Quod à Paulo Veneto allatum, cæteri magno applauſu exceperunt, tãquam illic Socrates ſubſtantiuum ſit illius adiectiui albi, & nõ potius homo. Quod ſi ita ſit, nulla harum non erit uera, tantum Socrates eſt philoſophus, ſolus Socrates eſt Athenienſis, ſolus Socrates habet patrẽ. Eadem lege factæ ſunt hæ ueræ: Socrates uidet omne aſtrum, quum unum tantum uidet. Socrates poſſidet omnem aſinum, qui unum habet. Si ſic lubet explicare, dicam & hanc eſſe ueram, homo eſt aſinus: nam ſic interpretabor, homo eſt aſini poſſeſſor. Reſpondebunt mihi neminem ſic uti illo pronuntiato. At oſtendant ipſi quis ad eum modum utatur illo ſuo prꝛeter ipſos? Sed de hoc poſt paululum, nunc pergam alias addere. Nec in minores anguſtias deducta ſunt illa de forma, & forma acceptionis terminorum. A ueteribus perplexe ſunt prodita, ſicut à Petro Mantuano, & ab Strodo, cuius diffinitionẽ conſequentiæ formalis tres expoſitores Sermoneta, Ferabrich, & Thienenſis nequiuerunt ſatis declarare. Recentiores formã ſic conſtituunt, ut ſit eadem qualitas enuntiatorum, eadem quantitas, ſynonymitas terminorum, ſimilis acceptio terminorum, ut nullus ſit iam ſyllogiſmus bonus de forma, nulla oppoſitio, nulla concluſio, ni in anguſtias ſermonis illorum & in illas loquendi abſurditates redacta. Cicero ſic colligit: Omne gaudere bonis animi beatum eſt, omnis ſapiens ijs bonis animi gaudet, omnes ergo ſapientes beati. Inſtari enim poteſt ſic: omne gaudere bonis animi beatum eſt, omnis ſtultus ſuauibus bonis animi gaudet, ſuauibus poſito pro ijs. Neque hic eſſet bonus: omnis homo legit, Socrates eſt unus ex hominibus, ergo legit: nam in aſſumptione, hæc eſt inſtantia, bucephalus eſt aſinus hominis. Et Quintilianus libro ſecundo: Omnis ars habet aliquam materiam, Rhetorica nullam habet propriam materiam, nõ ergo eſt ars. Inſtatur: omnis homo habet equum aliquem. Socrates nõ habet equum album, nõ ergo homo. In omni re ſunt nimij: interdũ uolũt referri omnia ad animũ, & modum concipiendi: cogitatione interdum in nudis uocibus ſiſtunt ſine intelligẽtia. Spectandũ eſt in uerbis omnibus quid mens ſoleat cõmuniter intelligere. Iã quales cõſequutiones faciunt: homo eſt aſinus, ergo baculus ſtat in angulo: Socrates ambulat, ergo deus eſt bonus: ad impoſſibile ſequitur quodlibet, ſicut neceſſariũ ad quodlibet: quaſi uero nõ ratio cõnexionis potiſſimũ ſpectari debeat, ut in diſiunctis, ego curro uel deus eſt. In modalibus alias faciũt de ſenſu cõpoſito, alias de ſenſu diuiſo: nõ tã improbo rem, cꝫ eorũ in uerbis definitionẽ: ut quũ in medio eſt modus eſſe de ſenſu diuiſo: Socrates neceſſario currit: quũ initio uel fine, de ſenſu cõpoſito: Socratẽ currere eſt neceſſe. Ariſtoteles has duas ponit eodẽ loco, & ſenſu: quod eſt eſſe quũ eſt, et quod nõ eſt nõ eſſe, quũ non eſt, neceſſum eſt: & hanc, omne quod eſt, neceſſario eſt quũ eſt: nã τὸ ἀναγκαῖον in priore illa poſtponitur, in poſteriore ponitur in medio. Et in primo elenchorũ hanc uocat amphibolã: τὸ διυιὰ τὴν βαδίζειν poſſe ſedentẽ ambulare, et ait poſſe eſſe ſenſus diuiſi, et cõpoſiti.

Quid

Quid quod fecerũt alias mõdales,nẽpe uerũ,falsũ,scitũ,tũ opinatũ:ut Buridanus & alij:in quibus etiã de sensu diuiso,& cõpositio:quod quomodo possit fieri nulla mẽs capit,ut Socratẽ scitũ est disputare. Cõiunctæ categoricæ,quas hypotheticas uulgo nominãt,quũ sint innumerę,nẽpe quot cõiunctiones,quot etiã aduerbiorũ,nõ pauca reduxerũt antiq inter eos ad tres species:alij paulo plures addiderũt.Paulus Venetus,quẽ Dullardus,et uulgo eorũ scholę in hoc,sicut in multis,alijs,sequit̃,hãc fecit distinctionẽ,ut quę coniũctiones cõiungũt enũtiationes perse intelligibiles,hoc est de indicatiuo,efficiãt hypotheticas:quæ uero de alijs modis,nõ itẽ.Ideo has cõiunctiones,licet,q̃uis,etsi,quanquã,non facere hypotheticas.Quia recte dicit̃,licet Socrates currat,Socrates tamẽ nõ mouetur:non recte autẽ,nec latine,licet Socrates currit.An nõ hęc sunt ad risum mouẽdũ aptissima?primũ has,&similes,si asinus uolaret,asinus haberet alas,nõ negãt esse hypotheticas:deinde quid prohibet,q̃ minus bene & latine dicatur,licet Socrates currit,etsi quãquã Socrates currit.Isti sunt q in formulã redigũt latinũ sermonẽ,cuius umbrã nũquã uiderũt:sicut Mãtuanus,q̃ ait ab hypotheti ca tẽporali ad quãlibet sui partem ualere cõsequentiã,ut à cõiunctiua:ut hęc sit bona conclusio:Tu moueris,cũ curris,ergo tu curris,& tu moueris.Tũ hęc:æstas est cũ sol est in cancro,ergo æstas est,& sol est in Cancro.Sunt enũtiationes quædã categoricę de cõdicionato extremo, ut uocant:Socrates si est homo currit:do tibi lapidem si est auis,et do tibi auẽ,si est lapis,ut hęc sit uera:do tibi animal,si est homo,cũ do adamantẽ:quę sunt profecto aptiora ad ludẽdũ,q̃ ad loquendũ:qualia sunt,quũ in libris eorũ alijs infinita:nã quis posset percẽsere omnia,nõ facilius q̃ harenas Lybię:tũ potissimũ in ijs,quæ uocãt parua logicalia,omnia ex linguę ignoratione excogitata:de q̃ pauca prius loquar,nõ tam disputandi,aut cõuincendi gratia,q̃ docẽdi:nã ea est res,quæ si exposita fuerit,nec ipsos eosdẽ arbitror repugnaturos,q̃ sunt commẽti.Quippe eius rei adhuc retinẽt semina quędã,sed degenerantia.Itaq̃ si uera,& meliora ostendãtur, facile agnoscẽt & accedẽt.In hac rerũ natura artes sunt ab hominibus cura,labore,meditatione, industria obseruatæ,ac excusæ:nulla earũ sibi facit nouã materiã,sed in facta iam,& parata operatur:et aliæ circa res uersantur,alię circa uerba,quę sunt grãmatica,dialectica,rhetorica:nulli istorũ uel mutare populi sermonẽ,uel nouũ licet fingere,sed in recepto quæ sui sunt muneris,defungi:Grammaticus rationẽ,& uerborum simplicium,& aptę cõpositionis inquirit.Dialecticus quæ faciunt sensus ueros,quæ falsos:loquor ex recepta opinione quæ cõsequãtur,quę repugnẽt.Rhetor quæ pulchra,ornata,insignia,quę cũ dulcedine in animos blãde instillent̃,quę aspera et dura. Si grãmaticus nouum aliquod, & inusitatũ afferat uocabulũ,aut doceat pueros suos aliter loqui,q̃ populus loquat̃,nimirũ explodetur ut barbarus.Si rhetor dicturus noua sibi fingat schemata,& nõ illa sumat de medio,stultitiã & absurditatẽ hominis omnes explodẽt.Quid si dialecticus uerũ et falsum scrutat̃,fictis suo arbitratu sensis uerborũ,relictis illis uulgaribus et receptis,planè dicẽt omnes,quib⁹ lingua erit nota,nõ nostri sermonis uerũ inquiris, sed tuorũ somniorũ.Si tu in his uerbis & hoc cõmuni sensu aliqua obseruas,audiã te docẽtẽ:sin fingis tibi linguã,ac uoces,tibi,et tuis paras dialecticẽ,cuius nullus sit usus,cũ nemo sic loquat̃,ac ne tu quidẽ,et tui:hoc adeo uerũ est,ut nec Aristoteles,nec Boëthus,nec ipsi idẽ,quibus hæc nescio quis deus misit in mentem:ad præscriptũ suorũ canonũ possint uera loqui.Aristo.ac ueteres omnes Græci usum Græcæ linguæ sunt secuti:Cicero,& Latini Latinę.Infinita sunt quæ ex cõmuni usu affirmat Aristot.in prædicamẽtis,in metaphysicis,in topicis,deniq̃ ubicunq̃ de sensu uerborũ agit̃.Et recẽtiores isti nõ ignorãt dialecticã suã præcepta esse in communi lingua obseruata:ideo enim multa probãt per cõmunem modum intelligendi,& ad tuendas eas enũtiationes quæ uulgo habẽtur pro ueris:tot regulas illis prioribus interfarserunt,ut de suppositione accõmoda,& personali,de tempore pertransacto,de distributione,pro singulis generũ,pro generibus singulorũ,et eiusmodi haud penitus ignari obseruationẽ esse linguæ dialecticã. Quod si meliorẽ nouissent linguã, utiq̃ ad eam accõmodassent canones,sed de ea loquebant̃, quã illi nõ solum optimã esse autumabant, sed solã,cum aliã ne de facie quidẽ unq̃ uidissent.Nã quod dicunt quidẽ,ego sic mẽte concipio:hoc uero nihil ad dialecticã quę est de sermone:

neq; enim cũ dico homo eſt ceruleus,ſpectare debeo q̃d intelligat indoctus,qui ceruleũ capiat pro cereo,ſed quid in Latina lingua ſignet. Vera,& falſa,& contraria,& cõſequẽtia,inquit Cicero,ſua ſpõte nõ aliena iudicãtur: de quo fuſe diſputaui in epiſtola ad Ioãnẽ Fortẽ.Putabã olim,quũ inciperent hęc mihi diſplicere,magnũ me negotium habiturum iſtis cõfutandis cõtra homines pertinaces,diſtinctionibus armatos,diſputando inuictos,& qui numero ualerẽt.Sed hoc tẽpore renato ſermone Latino,& uel pueris iam proprietatẽ linguæ Latinæ intelligẽtibus,facilior erit eorũ cõfutatio,quæ ex praue cognita lingua fuerũt corrupta:dicunt uſum populo concedẽtes ſciẽtiã nobis reſeruamus:& duos faciunt ſenſus,bonũ,& rigorẽ.Quid eſt rigor aliud ad eorum ſenſum,q̃ exacta quædam loquendi ratio.At eam ex quibus petemus, niſi ex ijs qui exactiſſimè quãq; linguã tenẽt,nõ ex ijs qui ſunt eius inſciẽtiſſimi. In latina ex Cicerone,Plinio,Seneca,Varrõe,nõ Petro Hiſpano,aut Gulielmo Hẽtisbari, Boethus,Apuleius,Capella,in ſuis dialecticis dicta Ciceronis adducũt pro teſtimonio,nempe Latini homines hominis Latiniſſimi quiq; abſolute linguã illam norat,& rigorem hũc poterat adiuuare. Græci Demoſthenis,Iſocratis,Homeri,Euripidis,Sophoclis:de quo alio loco à me diſſeretur:nos etiã magnorũ autorum utemur dictis: nã unde niſi ab illis, requirẽda eſt linguæ proprietas? Ex illa imperitia ſermonis natæ ſunt nobis ſuppoſitiones,aſcẽſus,deſcẽſus,ampliationes,reſtrictiones,appellationes, exponibilia,ad quę ſi lingua eſſet aptãda,nõ ſolum obmuteſcendum eſſet,ſed aliquid eſſet uerũ in ſcriptoribus:ut interdũ mirer,qũo hæc eis uenerũt in mẽtem,tã ab omni ratione,& loquẽdi,& ſentiendi abhorrẽtia.In ſuppoſitione ſunt diſcreta,determinata,cõfuſa,diſtributiua:ſunt termini certi,qui illas faciunt,certo loco,& ordine:omnis homo eſt animal,uera eſt,& animal cõfuſe ſupponit:animal eſt quiuis homo falſa,determinate ẽm: caput omnis homo habet falſa,omnis homo habet caput uera:equus requiritur ad equitandũ falſa:ad equitandũ equus requiritur itẽ falſa:ad equitandũ requirit equus uera.Cicero dicit in Oratore,acumẽ dialecticorũ requirendũ eſt,& in Finibus,qm̃ aliquid omnes.Quid Lucius? & Quintilianus:eſt aliquid in omni materia naturaliter primũ.Et in ſacris literis,Pauperes ſemper habebitis uobiſcũ:ſũt hę falſę? quis aliter loquit? nec ipſi ijdẽ,etiã cũ de his prȩcipiũt.Iã uſum negationis,q uariusq; eſt apud Grȩcos,et Latinos,& unãquãq; linguã,& patet latiſſimè,ſi quis conet ad cæteras formas redigere,peribit ſermonis uniuerſa uis,& gratia.Nemo eſt ex aliqua parte nõ felix.Quid iſtud eſt,ex nulla parte? & dicũt q̃d mobilitat immobilitatũ,immobilitat immobilitatũ,ut ſe negationes impediãt:& negatio cadẽs ſuper ſignũ uniuerſale. In omni lingua duæ negationes fortius negãt, prȩterquã in latina.Demoſthenes quatuor poſuit pro una.In noſtra etiã ſȩpenumero nõ plus efficiũt duę q̃ una:ut,nõ poſſũ ne dormire quidẽ.Cicero:Nolo ne hęc quidẽ humana ignoret.Idẽ ſunt:nõ reueretur neq; deos,neq; homines, neq; deos, neq; homines reueretur: non ueretur homines, nõ deos:nõ timet homines aut deos,nõ metuit hominẽsue deõsue:ne ſcribere quidẽ nouit,nõ nouit ne ſcribere quidẽ.Ariſtot. expreſſe ait nõ eſſe hanc uniuerſalẽ:non eſt homo pulcher:nec idẽ eſſe,nõ eſt homo pulcher,et nullus homo eſt pulcher.In aſcẽſu magna cõtrouerſia in ponẽdo cõſtantia.Quidã recentiorũ repudiato uetere more,ita eã ponunt,ut ipſa enũtiatio,ad quã aſcẽditur,luce ſit clarior prę cõſtãtia.Sed quomodocũq; ponat,nullus eſt eius uſus,neq; unquã aliquis ſic colligit,ne ludẽs quidẽ:multo aliter utebat Socrates ſuis ἐπαγωγαῖς.Iam deſcendẽt mihi ſub hac,quę eſt apud Cic. in Academicis quæſt.Iudiciũ Protagorę eſt,qui putat id cuiq; uerum eſſe,quod cuiq; uideatur:uel illa in ij.Philip.Ita cuiq; eueniat,ut de republica quiſq; mereat:an erit,ita Antonio eueniat,ita Fabio,ut de repub.quiſq; mereatur quid abſurdius? In ampliationibus & reſtrictionibus illa ſunt prodigioſa:meretrix erit uirgo:arto creę deuoratę & egeſtę ſunt edendæ: puer anniculus fuit centũ annorũ:in appellationib.nõ uidi papã, & papã uidi:cõſulẽ cæcidi,& nõ cæcidi cõſulẽ.Ergo omnes iſtæ ad eorũ normã ſunt falſæ.L.Cęſar genuit Cęſarẽ dictatorẽ.Ieſſe genuit Dauid regem ex ea quę fuit Vriæ. Caieta nutrijt regem Lauinij : hæc mulier nupſit magno illi pictori Apelli,ante q̃ ad ſummum peruenijſſet artis,nupſerat.Hoc opus ſcriptũ à eſt patre Catonis,ſi ſcripſiſſet antequam Catonem gigneret,& alia quæ ſunt in ore omnium infinita . Exponibilia fecerunt, tãtum,præter,inquantũ,immediate,incipit,deſinit. Tum cõparatiua,totus,

ſemper

ſemper,ab æterno,infinitũ.Cur nõ plura?quaſi uero nõ penè uerba omnia,& aduerbia poſſent etiam cum cauillis exponi aptis diſputantiũ circulis:ut currit,quis motus neceſſarius ſit ad currẽdum: cãtat,quã alta uox ad cãtandum: plorat,quis animi motus,quæ uox,q geſtus ad plorãdũ:ridet,quis oris rictus ad riſum:ſolet,cõſueuit,quot actus ad habitũ,aut ad cõſuetudinẽ,quanta intermiſſio:et ſicut incipit, ac deſinit,cur nõ etiã aggreditur,expedit ſe,delaſſatur,ceſſat.Iam cũ addũtur aduerbia,celeriter,bene,male,tarde,pene,fere,quaſi,etſi.Quaſi iã exponũt maior pars,ut ſi ſint hic Romani mille quingẽti, & unus diſceſſerit,uerũ ſit quaſi nemo Romanus hic remãſit. putant agi de numero ſentẽtiarum in foro aut curia.Sed uideamus ea,quæ tradunt: tantum animal eſt homo:tantũ coloratum eſt albũ: ſola animalia ſunt homines.Quis hęc intelligat?bene additur inferiori excluſo.Quippe eſt excluſio uelut quædã reſtrictio, quæ fit à minore atq; ampliore,ad ſummũ ęquo,ſed ſic,ut pro maiori poſitum appareat:tantũ homo ridet.Soli Romani ſunt liberi:ſuperiori additũ nullũ facit ſenſum, & propè contrarium ſolet intelligi,ut tantum liberi ſunt Romani,quaſi ſoli Romani ſint liberi: & tantum animal eſt homo, quaſi ſolus homo ſit animal. Plinius libro vij. Præter fœminã pauca animalia nouerunt coitum poſt cõceptum. Quomodo hic fit exceptio?horum uerborũ,incipit,& deſinit,ſi loquẽdum ſit ad canones iſtorum,nullus eſſe poteſt uſus.Quis poterit tenere minutias illorum inſtãtium: quum in prãdio ſumo ſecundã buccã,aut etiã quũ primã habeo inter dẽtes,nõ poſſum dicere incipio prãdere,q̃d infinita uis inſtãtium præterfluxerit:nec quũ mãdo poſtremã,deſino prãdere.Quum libri ſecundã literam ſcribo,non incipio librũ ſcribere,quum antepenultimã,nõ deſino.Quid ergo poteſt incipere aut deſinere?Plinius,apud Gręcos inquit, deſijt nugari Diodorus:nõ poſſunt inueniri exponẽtes : reijciẽda eſt tãquã parũ dialectica.Quæro cur homines nominales, qui negãt eſſe in rerũ natura,inſtãtia,Scotũ, & reales ſint in hoc ſecuti de inſtãtibus exponẽtes immediate,incipit & deſinit? An nõ uidetis cauilla quęri,& materiã luſui aptiorẽ?Cõparatiua,& ſuperlatiua dicũt diſtribuere terminos ſequẽtes,ut nõ idẽ ſit,Socrates eſt Troianis doctior, & omnibus Troianis doctior : quia ſunt duo ſigna mobilitantia. Socrates eſt Græcorũ doctiſſimus,& omniũ Græcorũ doctiſſimus.Quid ego his & ſimilibus refellẽdis nugis ludã operã,quam illi ipſi uſurpãdis,quę ſunt pueris ad deriſum cognita?Illud acutũ,q̃d ex huius exponentibus, Socrates eſt Græcorũ ſapiẽtiſſimus,unã faciunt quidã,omnes Græci ſunt ſapiẽtes.Cur nõ has exponunt multo doctior,paulo,aliquãto,nõ multo, nõ paulo,quę magis expoſitione egẽt?Socrates à Græcis differt uera,differt à Gręcis falſa,quia diſtribuitur.Et quẽadmodũ hanc,utercp homo diſputat,explicãt aliquorũ duorum hominũ quilibet:ita hãc alter homo diſputat,omniũ duorum aliquis. Quis unquã talẽ excogitaſſet ſenſum,qui Latinã linguã audiuiſſet. Tum ſignum collectiuum cum ſuo termino facere terminũ communẽ,& propoſitionẽ indefinitã,& poſſe uniuerſalizari,& fieri collectiuã.Capiamus ergo hãc:omnes apoſtoli dei poſſibiliter ſunt duodecim:fiat rurſus collectiua omnes omnes Apoſtoli Dei, rurſum diſtributiua omnes omnes omnes Apoſtoli Dei:quo quid eſt abſurdius? Et hanc concedũt,omnes duo Apoſtoli Dei ſunt duodecim.Similiter omnes Apoſtoli Chriſti non ſunt boni,uel ſunt nõ boni,ueram eſſe uolũt, quia Iudas fuerit malus:cui Ariſtoteles refragatur diſertis uerbis in lib.Elẽchorũ,negãs poſſe dici nõ bona ea,quorũ aliquod unum nõ ſit bonũ.Addunt obligationes,quas alij theſes uocant:quaſi uero hæ eſſent formularũ artis,& nõ potius exercitatio,& uſus artis,quo quiſcp nihil cõcedat repugnãs,aut neget quod cõſequatur.Tum etiã inſolubilia,quum in ſe reflectuntur enũtiatiões:hæc propoſitio eſt falſa,omnis propoſitio uniuerſalis ſignificat aliter eſſe q̃ eſt:omnis conſequẽtia in Darij eſt mala,hęc eſt cõſequentia in Darij,mala ergo.Sed illas omnes,& ſimiles de alijs oportet loqui,nõ de ſe.Si quis dicat ego mẽtior,continuo rogabunt omnes quid dixerit,in quo ſit mẽtitus,hęc pronuntiatio eſt falſa:quę rẽt quænã,ſi pergat dicere hæc ipſa,reſpõdebunt id nec uerũ eſſe,nec falſum:idcirco nõ defuerũt inter eos quidã,ut Petrus Mãtuanꝰ,& Andreas Limoſus popularis meꝰ, qui negarẽt propoſitionẽ poſſe oſtẽdere ſeipſam,multũ alijs fremẽtibus,quod tanta materia diſputationibus detraheretur.Itaq; calũnia eos impetiuerũt,quo id dicerent

ſubterfugiẽtes argumentorũ laqueos,& pugnã ignauè detrectãtes.Sed ſit finis, quũ illi finẽ nullũ faciãt,nam in infinitũ ſunt egreſſi,quũ in omni dialectica, tũ potiſſimũ in his paruis logicalibus,quẽ ſeptimũ tractatum nominãt extra logicã utrancp;,nouã & ueterẽ,quod nihil eſſet de his traditũ à prioribus:quæ res in cauſa fuit tãtopere corrumpẽdi hanc partẽ,quod ipſi nulli melius ſentiẽti innixi,toti eſſent ſui:cõfinxerunt omnia pro captu illo ſuo,et linguç,et bonarũ rerũ omniũ experti.Atcp; hoc loco,incp; reliqua omni dialectica quum ignorarent quænã eſſent ſua,quæ aliena,& in omnes ferè artes impetũ indocte feciſſent,detinuerunt auditorẽ diutiſſimè,tradendis tã multis præter rem naturalib.ſupernaturalibus,diuinis,grãmaticis:quæ ut erãt perplexa, & confuſa omnia,ita fuerunt per maiores ambages circũducẽda.Mirandũ eſt cũ dialecticã fateantur eſſe inſtrumẽtum aliarũ artiũ:huic Lutetiæ duos annos impẽdi,cæteræ autẽ philoſophiæ,& de natura,& de moribus,& primç philoſophiç,uix annum. Quid quod quidã etiã de hoc anno aliquid dialecticæ decidũt.Multi tota uita etiam lõgiſſima nihil ſunt aliud quã dialectici.Ea mora plurima ſuaſit inducere alieniſſima à re,& deprauatiſſima.Idcp; uſu uenit eis,quod eſt apud Ciceronẽ de philoſophiæ ſtudijs,perſona L.Craſſi in tertio de Oratore:Iſta diſcũtur,inquit,facile,ſi & tantũ ſumas quantũ opus ſit,& habeas q docere fideliter poſſit,& ſcias etiã ipſe diſcere:ſed ſi tota uita nihil uelis aliud agere,ipſa tractatio & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid,qd cum deſidioſa delectatione ueſtiges:ita fit ut agitatione rerum ſit infinita cognitio:ſa cilis uſus doctrinã confirmet,mediocris opera tribuat memoria ſtudiũcp; permaneat: libet aũt ſemper diſcere,ut ſi uelim ego talis optime ludere,aut pilç ſtudio teneat,etiam fortaſſe ſi aſſequi nõ poſſim.At alij quia præclarè faciunt,uehemẽtius cp; cauſa poſtulat,delectãtur,ut Titius pila,Brulla talis.Quare nihil eſt qd quiſquã magnitudine artiũ,ex eo q ſenes diſcũt,pertimeſcat:nancp; aut ſenes ad eas acceſſerunt,aut uſcp; ad ſenectutẽ in ſtudijs detinenẽ,aut ſunt tardiſſimi.Res quidẽ ſic ſe mea ſentẽtia habet, ut niſi quod quiſcp; cito potuerit,nuncp; omnino poſſit perdiſcere.Sic Cicero.Et quia ſtatim altercãdũ erat,& ſemper altercãdũ,quæſita ſunt ſpinoſa quędã apta diſputationib.quç materiã ſuppeditarẽt rixis,et diutiſſimè proferrẽt altercationẽ,etiã in tradẽdis prçceptis artis:nihil ſemel dicũt,ne adimãt ſibi argumẽtãdi & in cõtrariũ dicẽdi occaſionem.Sed ſi quã diffinitionẽ aut formulã tradunt,primum cõfuſe & ruditer proponunt,poſtea paulatim,uelut cogentib.ad id argumẽtatiunculis,expoliunt,& crebris tibicinibus fulciunt,ut denicp; per lõgiſſimos uerborũ circũactus ſit perfecta:& querunẽ poſtea de prolixitate eorũ,qui excultius ſcribũt,cũ ipſi dum undicp; anſas argumentorũ uenãtur,id multis paginis uix explicẽt,quod exponi pauciſſimis uerbis potuiſſet.Iã uero ne deeſſet uelut bello huic cõmeatus,de omnib.inquiſierũt etiã recõditis,& alienis,& puerilibus,& abſurdis,et de ijs quç capere nõ poteſt humana mẽs: quum tamen Ariſtotelis ſit in primo Topicorũ ſententia,neminẽ ſanæ mẽtis propoſiturũ,quod ab omnibus uel reprobatũ ſit uel cõprobatum,uel etiã plurimis:hęc enim dubitationẽ nullã habent:nã quæſtio dialectica,eſt quæſtio probabilis,nõ paradoxa: nec cõtenti ijs,quæ natura ingenij humani aſſequi & definire poterat,ad uiuũ uoluerũt omnia reſecare,adducti dulcedine diſputãdi.Et quẽadmodũ qui pruritus titillationeacti nimiũ ſcabẽtes ſanguinẽ eliciunt,& dolor ſuccedit in locũ ſuauitatis:& mali chirurgi dum morbidũ nimis reſecant,ſanũ quocp; attingũt:ita iſti dũ nimiũ ſcalpunt ueritatẽ amittũt,& in falſum incidunt,qd profert ſe maiore aliqua ueriſimilitudine, cp; uerũ ipſum:ut interdũ aurichalcũ magis exprimit colorẽ auri,cp; aurũ ipſum:& q ſimulat,cp; qui agit ſimpliciter,propi ad imaginẽ ueri accedit,etſi lõgius à uero ipſo. Hinc eſt acut ille Mimi uerſicul:Nimiũ altercãdo ueritas amittitur:ad populũ uerò ſpectatorẽ,et interdũ etiã,ſi dijs placet,altercationũ arbitrũ quęſita ludicra tanquã in fabula,ac ipſo ſono grãdia,et uaſta,ut pullata turba admiraretur,quç nõ caperet,ipſicp; magni eſſent uulgi exiſtimatiõe.Inde arrogãtia qd aliquid ſibi eſſe uiderẽtur,quia populo ſtulto iudici uidebãtur:nam bellaces homines pulcherrimũ cẽſebant eſſe titulũ inuicti ut principes:hinc ſophiſtæ nomẽ ſunt amplexi,cũ alioqui ſophiſtã diffinirent nõ exiſtẽtẽ,ſed apparentẽ.Quidã ſe horribilẽ ſophiſtã cognominabat Lutetiç,nõ minorẽ eã appellationẽ rat,cp; Africani aut Aſiatici:intrauit palã,et magno agmine oſtẽtatio:atcp; ex ea pertinacia nõ cedẽdi melius dicẽti,ne uictus hoc coactuscp; uí argumẽtiuideatur facere: & ex pertinacia tuẽdi quicq ſuſcepiſſent cõuicti,& proſtrati,ad rẽ

maxime

xime absurdã cõfugiebãt,quę illos in pręsens periculo eximeret:mox liberati honorẽ illi habebãt,tanquã seruatrici,& dignitatẽ attribuebãt placiti,ita ex euasione trãsibat in dogma.Accẽdebãtur leues homines glorię cupidine,cũ se quisq; autorẽ haberi uellet noui inuenti,quę cõfirmauit cõsensus sequaciũ,qđ erat factu facillimũ,cũ ad eã rẽ nec literis,nec libris esset opus,tantũ inuicta cõtentione,si sibi in respõdẽdo constaret,nec admitteret repugnãtia:uere erãt placita,nã pro ratione nihil afferebatur aliud,nisi sic placet,sic uidẽ:impugna ipse,ego cõsequẽter tuebor.Nã cũ Aristot.quinq; metarũ genera posuerit,in quibus sistit disputatio,ubi ad aliquid illarũ est peruẽtum, isti nihil est tam nugax aut inopinabile aut cõtrariũ magnis uiris aut absurdũ et anile, quod metã censeant:sola cõtradictio est meta,et ea una efficit ut reijciatur dogma ad alia quãtumcunq; absona,& stulta:unicũ dant respõsum,cõcedo,nã sequitur ex mea cõclusione:imò ipsi ijdẽ posito dogmate statim ultro inferebãt paradoxa quædã,ad quæ omnia illa erat clausula:hęc omnia sunt concedenda,quæ sequũtur ex opinione mea.Ita dialectica fuit quicquid cuiuis aliquãdo,quomodocũq; uenisset in mentem. Qualia uero essent illa placita præter ea quæ attigi, quę tamẽ sola attigi maxime inter eos uulgaria,& receptissima:de peculiarib.quorũ nullus est modus.Hinc potest intelligi,qđ ad ea asserẽda,ueniebãt pueri sine lingua,sine libris,sine eruditione,instructi casibus tanq; quęstionib.hariolãdi,quas pueri unius noctis meditatione sexcẽtas citius excogitãt,q; uiri graues sexcẽtis annis unã.Omne a possibiliter est b,& tamen nullũ b possibiliter est a:& eiusmodi.Hinc infinita dogmata,& totidẽ dialecticę.Hęc Pauli,illa Hentisbari,alia Mãtuani, Scoti,Thomæ,Alberti,Ochami,Pardi,Dullardi: parcã hominib.uiuentiũ,& id quidẽ nõ in ea parte,quæ est de inueniẽda probabilitate,aut de iudicio argumẽtationis qđ esset ferendũ,sed in intelligẽtia,& explicatione, ac usu sermonis Latini,qui unus semp est,& simplex.Et tamẽ cũ talia sint eorũ inuenta,mirant nõ intelligi ab alijs,quę ipsi somniarint:quasi omnes sint Iosephi,aut Daniles,q; possint illa interpretari:egressiq; illã suã rerũ naturã quã incolunt,mirantur se & sua ab alijs nõ agnosci, & ad huiusmodi formulas exigũt dicta omniũ,quæ quũ non cõgruunt,indoctos eos esse iudicãt,& asinos pronuntiãt,gaudentq; se nõ intelligi,ut circulatores quod obtuitũ spectantiũ frustrentẽ:maximorũ quoq; scriptorũ dicta examinãt,quę nõ cõgruere ad suos canones initio nõ tã admirant,q; uelut indoctos,& se inferiores aspernantur.Postea tuente illos uetusta autoritate,et cõsensu generis humani,ipsi etiã distinctionẽ habeant in gratiã illorũ inuentã.Verũ dicũt isti in sensu,in quo fiũt propositiões,nõ in sensu,quẽ faciũt.Quo quid potest dici insanius:quasi melius sciãt pueri que sensum faciũt uerba,& sentẽtiæ Latinę,quàm Cicero,Varro,Plinius,Seneca,Hieronymus,Ambrosius,Augustinus:aut Gręcæ,q; Demosthenes,Plato,Aristot.Isocrates,Gregorius,Basilius,Chrysostomus,Origenes.Adducti sunt quidam in eã opinionẽ,ut dicãt hęc quidẽ hactenus esse alij artibus utilia,q acuant ingenia discentiũ,& si quis hęc intelligat,facile etiã alia assequetur minus difficilia,quorũ neutrũ est uerũ.Vidẽtur esse illa ingeniosa,partim q nõ intelligũtur:nam quidã ea sola habẽt in pretio,quę nõ capiũt:alij subtilissimã oportere rem esse arbitrãtur,quã ipsi nõ cernãt.Multis perinde uidentur arguta,ut lusus pueriles festiui,& argutuli.Nam ęnigmate hęc nõ ex ingenio eruditione multa exercitato et subacto,sed ex ignorãtia meliorũ sunt nata,tanq; herbæ inutiles in solo inculto,necesse erat eos aliquid agere. Hæc est enim natura humanorũ ingeniorũ,ut quoniã igneũ est,etiã hebetissimũ,sed ad aliquid agendũ applicet.Itaq; nõ acuunt hęc ingeniũ,sed cogũt syluescere,contẽtiosum reddũt spinę istæ,& morosum,nõ uiuidũ,& actuosum:in pulchris acuũt quidẽ,& dedolãt,sed ita ut nihil supersit solidi:extenuãt,minuunt,deprimũt,& in his semel fractũ haud facile ad res pręclaras sinũt attollere:pręsertim cũ hęc nõ modo aliena sint à ueris artibus,sed etiã cõtraria,ut tendẽtibus ad altiores,ac ueras disciplinas, tãta sint hęc cura dediscẽda,ne profectũ impediant,quãta fuerãt accepta:cũ tamẽ instrumentũ aliarũ sit artiũ,ad qđ deprauatũ torquent alia,et post tã diuturnos clamores in scholis adeo se pugnãdo exercitatos esse renẽ,ut iactẽt se argumẽtis posse uertere cãdida in nigrũ,& ex homine facere asinũ,qđ lõgissime abest à uero.Nã istorũ lingua aut intelligit,aut nõ.Si intelligit, lanista in lanistã dimicat & pirata in piratã,nihil est iacturæ,etiã si antisophista mediocriter sit institutus,tanta est opinionũ inter illos etiã probatarũ uarietas,ut hac cõclusus euadere possit illac:ideo ad obstruendos exi-

tus,et ſuffugia,multa cõſueuerunt,ut ipſi uocãt,ſupponere.Qui nõ intelligit quæ loquuntur,quomodo capietur? coget eos apertius loqui,& cõmuni lingua:in ea uero tam nihil ualẽt,ut nulla ſit uetula,aut cerdo de uulgi fece,qui nõ illis uertat nigrum in candida:nec ulla tam imbecillis ratio ſumpta de uita,& de medio,quæ nõ eos pertur bet,nẽpe res ipſis noua atq; inuſitata.Laurentius Valla aggreſſus eſt recõcinnationẽ facere Dialecticæ,in qua diſſentit ab Ariſtotele,& Peripateticis ueteribus,ac nouis. Monet in quibuſdã neutiquã praue,etſi ea ſunt perpauca,in pleriſq; labitur,ut fuit uir ille uehemens,& ad faciendũ iudiciũ præcipitatus.Nec ſolũ in re dialectica falſus eſt, ſed in philoſophia,nam hãc quoq; attingit,& quod magis mirẽre in præceptis Latinę linguæ.Sed nõ minus illic improbãdo aberrauit,q; in elegãtijs,& inuectiuis.Cæterũ dialecticæ illius errores,qui ſunt ſanè multi,nos uel omittemus prorſum,uel in aliud tẽpus,ſi uidebitur,reſeruabimus:nã ſuſcipere cum eo diſputationẽ, res eſſet nimium prolixa,minimeq; in præſens neceſſaria,quòd illius argumẽta nec magnis rationibus nituntur,nec proinde ſunt ab ullo recepta,tanquam dogmata artis huius.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM
LIBER IIII. QVI EST DE CORRVPTA RHETORICA.

HVMANÆ omnes ſocietates duabus potiſſimũ rebus uinciuntur ac cõtinentur:iuſtitia,et ſermone:quarũ ſi alterutra deſit,difficile ſit cœtum,& cõgregationẽ ullã ſiue publicã,ſiue priuatã diutius cõſiſtere,ac cõſeruari:neq; eñ uel cum iniquo poſſit quis habitare,& contrahere uitæ cõmercia,ſiue ſit ipſe optimus,ſiue iniquiſſimus,uel cũ eo uelit uiuere,quẽ nõ intelligit.Itaq; duo ſunt uelut clauſtra,quibus cõuentus hominũ reguntur,iuſtitia et ſermo:ſed iuſtitia tacitas habet uires,& lẽtas:ſermo uero præſentiores,& magis celeres:q; altera rationis & conſilij uim admonet,alter animi motus excitat.Ergo quẽ iuſtũ eſſe arbitrãtur,ab eo ſe homines facile patiũtur regi:qui uero plurimũ poteſt ſermone,eſtq; ad dicẽdum inſtructiſſimus,hũc uolunt ducẽ & rectorẽ eſſe ſui,& huic ſe totos permittũt,rati eandẽ eſſe uim in animo dicẽtis,quã experiuntur eſſe in animi fluuio ſermone.Sed nõ omnes congregationes quicquid uolunt,efficiunt. Nam in alijs unus adminiſtrat omnia,uel certe pauci cõſenſu, & cõſpiratione inter ſe quadã uelut fornicati,magnisq; uiribus & potẽtia ſuffulti, ſi quis imperio repugnet.Multitudo nec ad decernendũ,exequẽdúmue quæ ſtatuerit habet uires,ſed ne ad cœtus quidem,& conuẽtus celebrãdos,quibus nihil eſt formidabilius paucorũ potẽtię.Sunt aliq congregationes,quæ liberę nominantur,penes quas ſupremũ eſt imperãdi ius,& quodcunq; imperauerint ad id exequẽdum uires.In illis prioribus ſi quis plurimũ dicendo polleat,uel nõ auditur:neq; eñ ſinitur publice loqui:uel etiã ſi dicat,et perſuadeat multitudini,ea tamen & uoluntatẽ habet metu præpeditã,& manus alligatas.In populari imperio,quoniã quicquid multitudini eſt uiſum, id protinus habetur ratum, plurimũ ualet ad omnia uis dicẽdi.In iſtis ergo quãdo homines procliuitate naturæ ad honores feruntur,ad opes, ad fortunas,dignitatẽ,potentiã , permulti ſtuduerunt, ut optime ad cõciones ciuium dicerẽt:quod qui faciebãt, oratores nominati ſunt,& eorum ars oratoria:Græce rhetores,et rhetorica.Hoc quidẽ dicendi principium,Sed ornatius dicẽdi,& acutius imueniẽdi ex neceſſitate fluxit.Cuius originẽ Ariſtot. Siculis tributo acuto hominum generi,et ſuapte natura faceto,atq; ad dicẽdum parato. Apud hos eñ cum crebra tyrãnorum mutatione quorũ nulla fuit regio feracior,poſſeſſiones,& bona adempta alijs eſſent,alijs donata,poſtea uerò tyranno uel pulſo,qui exulabãt,patrimonijs erãt deuoluti,legib.& iudicijs,& æquitate iuris ſua repeterent, inſtituerũt excultius quoddã,& politius dicẽdi genus in forum adducere,tum acrius & argu-

& argumẽtosius idoneũ ad persuadendũ permouendũq; iudicum mentes,& totius coronę.Hinc extitere artis huius pręceptores antiquissimi,Empedocles Pythagoricus qui mouisse aliqua circa rhetoricen scribitur,ut ait Fabius:tũ Corax et Tysias,qui ex usu & dicẽdi cõsuetudine obseruata quædã pręcepta tradidere:hoc secutus est iã cultus & elimatus magis homo insulæ eiusdẽ Leontinus Gorgias, à quo multi sunt Athenis docti.Exnecessitate hac recuperãdi sua,ad alia quoq; expetẽda translatũ est instrumentũ:ut quẽadmodũ mouerãt iudices,mouerent etiã animos in cõcione populi,senatus in curia,deniq; eorũ omniũ,qui plurimũ possent in republica,& in quorum manu atq; arbitrio fortuna esset omnis posita ciuitatis:idq; tanto erat efficacius, quãto is qui diceret,populũ esset nactus acutũ,calidũ,intemperantẽ,concitabilẽ,qui facile dicentis oratione tanquam aura quadam permoueretur, & agitaretur.Nam in bene cõstitutis ciuitatib.quieto et moderato,atq; etiã paulo hebetiore populo etiam si libero,nõ tamẽ magnus relictus est locus facũdię ad se iactandũ,quẽadmodũ Cretæ,uel Lacedæmone.Athenis autem pręferuida ciuitate ac mobili,& in Asię Græcis colonijs, qui penè fuerũt Athenis in ea loca deductæ,Rhodi quoq;,& in Sicilia,postremo Romæ dominatus est orator,ubi eloquentia inuenit turbas acumine ingenij prędๅtas,inquietas,ambitiosas,& libertatis quadam aura tumefactas.Itaq; Zeno ille Stoicus, qui rhetoricen palmæ esse similẽ pronuntiauit,dialecticen pugno, & aptius dixisset,dialecticen ad subtilẽdoctorũ examinationẽ argumentũ colligere,rhetorem uero ad populare sensum applicare:nã breuius nõ raro colligit orator q; dialecticus: ut cum enũtiationẽ unã pro tota argumẽtatione ponit interdũ bene lõga,quẽadmodum in instrumẽto probabilitatis est à nobis ostẽsum.Ergo ut erat exercitiũ hoc gradus ad ingentẽ potentiã,expetiuerũt hãc artẽ homines honorũ cupidi,opulenti, occupati negotijs:cũq; ad actionẽ & destinatũ usum conuerterẽt quicquid uel didicissent à præceptorib.uel ipsi experimẽtis deprehẽdissent,uel inuenissent cogitationib. et incitatione mẽtis,nõ curarũt ingrere quid esset ea ars,quę eius materia, qui limites q; late pateret,quis scopus:uidelicet nõ eã ad scientiã aliquã excolebãt, sed ut locum dignitatis in ciuitate amplissima obtinerẽt,opibus,& honore cumularent,& quandã uelut tyrannidẽ exercerẽt dicẽdi uiribus tanq; satellitio circũsepti,quo et opẽ amicis ferrẽt,& inimicos fatigarent.Ergo illa omnia temere sunt ab eis definita,nẽpe ab occupatis & aliò intentis. Videbãt usu quotidie uenire ut de republica dicerẽt,de pace, de bello,de iustitia,de magnanimitate,fortitudine,opib. fortuna, de nauigatione,de uentis,de imbribus,de natura Oceani,de cœlis,dijs, hominibus,de affectibus,& opinionib.de salubritate,de peste,de cibis:putauerũt omnia esse artis huius, quoniã nihil erat de quo nõ aliquãdo esset dicendũ.Clamat Quintilianus,& indignabũdus ue lut res suas repetit,amputata esse de rhetorica per homines desidiosos,quę ad naturæ cõtemplationẽ,quæq; ad cõponẽdos mores attinerẽt,& ex uno studio facta multa, tanquã mẽbris uno ex corpore diuulsis ac dissipatis:fuere qui tãto ambitu gauderent professionẽ suã extẽdi,ne rẽ leuẽ et cuiuis facilẽ aut obuiã uiderẽtur prestare.Alij qui opes erãt,et potentiam eloquẽtiæ adiumẽto cõsecuti,difficiliorẽ aditũ & arduũ magis ascensum ostẽderũt,ne alij secũ æquarẽtur dignitate,neu curarẽt eadẽ ingredi difficultate perueniendi deterriti. Aristoteles rhetoricen diffiniuit uim seu facultatem uidendi quid in quoq; sit probabile:nec facit, inquit,rhetorice probabilia, sed uidet: sicut nec facit medicus salubria,sed uidet.Ita ne uero tã est de iustitia rhetoris dicere, q; medici de pharmacis,de herbis:omnes igitur artes sunt rhetoricæ,sicut pharmaca omnia medicinę,imò hæc ipsa medicina rhetoricæ pars erit,& muta illa corporũ,& linearũ,& numerorũ inspectio,& tota ars puluere & radio contenta rhetoricæ fuerit pars.Quid facitis? immẽsum onus imponitis humeris tã teneræ puellæ,ac delicatæ? Idem imponetis dialecticæ.An rhetoricen cõferruminationẽ quandã facitis artiũ & disciplinarũ omniũ?Quis nõ uidet nõ esse rhetoris de cœlo, deq; elemẽtis dicere,de angulis,de pyramide?Quòd si illius sunt hęc omnia,cur de eis nõ pręcipit?Quis unquã tam ambitiosus fuit rhetor,q hæc ad curã suæ artis reuocaret?ne Græculi quidẽ, qui omnia tentarũt,& quorũ innumerabilia ex tãta tractationis huius præcepta.At qui hæc callẽt, omnia dicũt melius:ceu uero nõ unaquęq; ars alia quauis adiuuetur, nec protinus pars est illius, Adminiculo est naturæ contemplationi,cognitio ueteris memorię,

memoriæ,num ideo hiſtoria pars eſt philoſophiæ de natura:architectus melior,ſi ſit philoſophus:quid,ergo philoſophia pars eſt architecturæ:Nō poteſt eſſe hiſtoricus qui nō ſit coſmographus,nō aſtronomus,qui nō arithmeticus,nō medicus;qui non etiā phyſicus:artes tamē ſunt ſeparatę,& diſtinctę.Hęc quū reputarēt magni artis huius patroni,ſatis intellexerūt nō poſſe omnia illa tam uaria,tā immēſa,tam late fuſa ac patētia rhetorē unū capere ac ſuſtinere:ideo alij geminā fecerūt rhetoricen:unā uniuerſalē,quę res omnes cōplecterēt,de quibus aliquando dici poſſit:alterā particularem,& uſui ciuili appoſitā,quæ ſolū in rebus ciuilibus uerſat.Ideo quædā de philoſophia morū excerpta documēta in hanc artē inuexerūt,ſed ut in alieno loco leuiter,& defungēdi ſolū gratia.Nec Ariſtoteles diſſimulat parū exacte tradi ſibi in rhetoricis, quę de rebus mortalibus diſſerit,ſed ad captū populare, cui uni debet orator ſeruire turbis & cōcionibus natus.Cur Quintilianus qui philoſophos furti arceſſit tāquam iniquos poſſeſſores moralis diſciplinæ,ipſe nihil penè de ea re tradit:ſi remittūt adoleſcentē ſuū ad philoſophū ut inde repetat,cur ipſi præcipiūt tā negligenter,& craſſa quadam Minerua:ut appareat eos in alieno uerſari opere,& ad ſe nihil attinēte? Cur tantā & tā pręclarā ſuę artis partē occupatā indigne ab iniquis poſſeſſoribus, & imperitia illorū contaminatā nō repurgāt,& ſuo ſplēdori reſtituūt? Sed certe nō magis de moribus,aut de re alia quauis dicere fuerit rhetoris materia,cū ſi quis ſcribēdi profiteatur artē,materia huic fuerit pannus aut charta:bene ille quidē hæc ſcindet,ſi dentur,ſed ipſe nō adferet quatenus ſciſſor,ac ne ſi ſit quidē inuoluta,aut dura,& parum ſciſſioni apta ipſe ut ſciſſor euoluet,et molliet,& ſciſſioni accōmodabit.ſed iā ut alius artifex id faciet,ſi quid fecerit tale.Nō defuerūt qui pręceptis morū in media rhetorica tradēdis magis delicijs & deſidiæ cōſuluerint diſcentiū,cū quod putarēt eſſe artis: ut quādoquidē rhetoricā ſolā petebāt ij qui in curia,et foro,et oculis multitudinis uolebāt uerſari,reliquas omnes artes uel nō uacaret attingere,uel omnino ut ignobiles obſcurascū aſpernarentur,haberēt in opere tituli rhetorices omnia uelut delibata,de quibus eſſet eis aliquando in ciuitate diſputandū:uolebāt omnes benedicere,& cito uolebāt,de qua feſtinātia Cicero,et M.Fabius cōquerunt:ita illa ipſa quę erāt ab arte aliena nō diſcerent,niſi uelamēto quodā rhetorices obtecta,ut quū abſynthiū pueris datur illitū melle.Ergo multis non licuit de arte prēcipere,ſed de hoc artifice,& utili dolo ingeſſerūt,quæ ſimpliciter & aperte tradita reſpuiſſent.Sed hac de re ſatis.Prætereo innumeras rhetorum opiniones,ac ſententias:alijs augētibus materiā,alijs minuētibus.Cicero uarius eſt,& lubricus,& incōſtans,ut ferè in reb.philoſophicis.Vellet omnia ſubijcere oratori L.Craſſus,M.Antonius nō ſinit,quorum apud Ciceronē diſputationes notiſſimę ſunt.Nam Antonio is orator ſufficit,qui uerbis ad audiendū iucūdis,& ſentētijs ad probandū accōmodatis uti poſsit in cauſis forēſibus atcū communibus,quicū ſit præterea inſtructus uoce,& actione,& lepôre.Tales profecto fuerunt qui Athenis,& in Aſia,& Romę pro oratoribus habētur,celebrāturcū,decē illi Athenis.Tum Romę duo illi,quos modo nominaui,& Cato,Gracchi,Galba,Sulpitius,Cotta,Hortēſius,qui nō inſtructi ac parati fuerūt à cognitione plurimarū artiū, ſed ingenij acumine & ſolertia,uſu,prudētia cōmuni,& in ſermone elegātia,& cultu quodā.Iam quid ſit ipſa Rhetorice,ars ne,an ſciētia,an uirtus,an uis,an inſtrumentū, & ut Græci dicūt ὄργανον.Nā alij eā ita ſuſtulerūt præclaris nūcupationibus,ut aliorū inuidię obiecerint,qui illā etiā prauitatē quandā artis nominarūt,greco uerbo κακοτεχνίαν. Socrates in Gorgia Platonis adulatoriā, & ſimulatricē particulæ ciuilis facultatis.Alij uim,alij uſum dixerūt,alij artē à ſciētia & uirtute diſiunctā.Quidā uero ſcientiā.Stoici eloquentiā dicūt uirtutē,et ſapientiā,& talē eſſe Rhetoricen:quēadmodum Quintilianus colligit,nec oratorē quidem eſſe poſſe niſi uirum bonum.Quod Cato uelut ex oraculo protulerit oratorem eſſe uirum bonum dicendi peritū.In quo ita laborat & ſudat, dum contendit planum facere Ciceronem ac Demoſthenem, qui inter oratores primi habeantur, bonos fuiſſe uiros:ut me grauiſſimi uiri miſereat,qui res tam diuerſas natura uoluerit coniungere,et ex duabus inuitis & reluctantibus unam facere. Obſcure quidem Cicero, ſed aliquanto uerius tamen in tertio de Oratore libro. De oratoria enim loquens ſic inquit: Quo maior eſt uis, hoc eſt magis

magis probitate iungenda ſummaq; prudentia, quarũ uirtutũ expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quædam arma dederimus. Sic ille, quanquam redit paulo poſt ad priorẽ ambitionem, & oratoriam facit eſſe ſapientiã, nempe cogitãdi pronunciandiq; rationẽ, uimq; dicẽdi: & confundit quæ ſunt diſcretiſsima: atq; eiuſdem eſſe artis retur bene ſentire, & bene dicere, utiliter ſanè: atq; utinã id hominibus perſuaderet, ſed non perinde uere, quippe quæ finibus, materijs, & toto uſu ſeparantur. Nam quod Cato uirũ bonum dicendi peritum oratorem eſſe pronuntiarit, miror communem atq; uſitatam loquendi rationem aliorſum eſſe ab hominibus doctis detortã. Vulgari enim linguarũ omnium conſuetudine uiri boni & nominantur, & habentur, qui nullo ſunt probro infames. Neq; enim uir bonus eſt in propoſito cenſendus, ad Socratis & Stoicorum formulam, & ad illam, iuxta quam de ſponſione boni uiri ſententiã noluit ferre Caius Fimbria conſularis, ut eſt apud Marcum Tullium. Sed eo ipſo modo, quo Cato idem initio libri ſui de Re ruſtica: Et uirum bonum maiores noſtri quum laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam, bonumq; colonum: ampliſsime laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. An hic etiam Stoicum, illum bonum uirum quærent. Iam quòd exercitationis huius fructus peteretur, ſine noxijs ciuibus in foro poſtulandis, aut tuendis innocentibus, ſiue in curia de eo quo de conſolaretur, aut publice in concione ſententiam dicendo, duo fecerunt genera cauſarum, iudiciale, & ſuaſorium. Quod uero frequentes haberentur in Græciæ conuentibus panegyrici, tum diceren tur funebres laudationes eorum, qui pro patria occubuiſſent, quos illi uocant ἐπιτα-φίους. Romæ quoq; mos fuit uiros primum fato functos, hinc fœminas quoq; publice in funere laudari, additum eſt tertium, quod laudatiuum nuncupatur, & demonſtratiuum, id eſt ἐπιδεικτικόν. Ita numerus uiſus eſt ſatis plenus, ut cauſarum tria eſſent genera, quæ modo memorauí. Hanc diuiſionem Ariſtoteles in literas retulit, cæteri magno conſenſu tantum ducem ſunt ſecuti. In quo ſicut in alijs ferè artis huius non tam in rei naturam Ariſtoteles eſt intuitus, q; uel conſuetudinẽ explicuit, uel ea pro magiſtra uſus eſt. Siquidẽ facultas dicendi tanquã uniuerſale quoddã inſtrumentum per omnia de quibus dicimus fuſa eſt, nõ aliter q; Grãmatica, & Dialectica. Nec Cicero & Quintilianus tacuerũt plura eſſe de quibus diceret, genera, etiã Quintilianus multa explicuit. Sed ex illorum trium præceptis putauerunt, quæ ad alia eſſet opus poſſe deriuari. Atqui diuerſiſſimam habent inueniẽdi, diſponendi, ornandi rationẽ. Quis non uidet ad agendas gratias, ad gratulationes, ad conſolationes, ad hiſtoriam, ad deſcriptionẽ, ad præceptiones longe eſſe alia, & inuentione, & elocutione opus, quàm ad iudicia, & conſultationes, & demonſtrationes? Atqui illa non raro materiã ſuppeditant dicendi: ideo & de quibuſdam horum ſeparatim aggreſſus eſt quędam tradere Dionyſius ab Halicarnaſſo. Marco Fabio ſatis uidebatur ratio in contrariũ euincere, ut plura ſtatuerentur genera: ſed tutiſſimũ cenſuit autores plures ſequi, præſertim quũ in eis haberet Ciceronẽ ſuũ. Adde quod ex illis tribus, quæſtus naſcebatur in ciuitate uberrimus, quo factũ eſt ut reliqua contemnerentur, tanquam ſterilia, & homines in illis primis exercitati facile ſi quid eſſet de alijs dicendũ, ex ſuo uſu expediebant, quæ poſſent in uulgus cum fauore & plauſu recipi, ut eſt in facultate hac exercitatio potior, quã ars. Iam quinq; fecerunt partes artis, Inuenire, diſponere, eloqui, meminiſſe, pronuntiare: alij alia addidere, ut quidam iudicium. Principio meminiſſe naturæ eſt, quæ ſi arte adiuuat non protinus eſt rhetoricę, ſed peritiæ cuiuſdam, quam memoriam appellabant ueteres, nunc uulgo memoratiuam, cuius inuentorẽ fuiſſe tradunt Simonidẽ uatem. Sed iſti quemadmodũ initio dicebam, quibus uiderent indigere oratorem, ea omnia in artem hanc inuexerunt, tanquã artis partem. An non reliquæ artes omnes egent memoria Grammatica, Dialectica, Arithmetica, Iuris profeſſio? Quid ergo uniuſcuiuſq; artis memoria eſt pars? Quod ſi quis artifex uendicare ſibi memoriæ tractationem ceu iure ſuo poſſet, is nimirũ eſſet iuriſconſultus, qui maxime indiget, propter multitudinem & uarietatẽ legum atque interpretationum. Ideo Cicero neceſſariũ eſſe oratori dicit acumen dialecticorũ, memoriã iuriſcõſultorũ. Pronuntiare uerò, ornamentum eſt artis, non pars. Scribendo enim tueri ora

tor

tor potest suum munus, & maximus esse orator sine gestu, tametsi non eam habebit uenustatem, gratiam, uim, ut magistratus sordide aut neglectim uestitus. Porro in uoce, si quæ sit eius natura spectatur, philosophi est officiū: si quemadmodū exercenda, phonasci: si quomodo ea utendū pro locis, pro tēporibus, pro rebus, ciuilis est educationis, ut tota gestuum & cultus ratio. Si hoc postremū uult sibi orator uendicare, sit sanè, quando nemo erit qui asserat. Quid inuenire, an huius esse artis, aut omnino ullius dicemus, de cœlis, de homine, de tota natura, de moribus, de publica re, de priuata, quæ sis dicturus excogitare, atque inuenire? Quod si ita sit, quin huic nos uni cunctos tradimus, alijs omnibus ualere iussis, tanquā superuacaneis. Sed hoc certe singularum est artium in sua materia: in uita uero est iudicij, consilij, & quæ ex his nascitur, prudentiæ, quæ nulla comprehendi potest arte: ingenio, iudicio, usu rerum, memoria paratur. Nam quid, quo loco, quo tempore, apud quos, quatenus sis dicturus, aut etiā non dicturus, hæccine sunt Rhetoricę partes? profecto non magis quàm officia uitæ omnia, & publice, & priuatim, quibus tradendis nulla disciplina, nulla artis præcepta suffecerint: prudentia ubique præsto sit oportet, tanquam consultrix, & rectrix omnium. An etiam audiendus erit nobis Cæcilius Plinius, qui ait didicisse se oratoris esse non magis loqui, quàm tacere quum est opus. Nunquid tacere quoque docet hæc ars? Quis iam nō uidet hos omnes prudentiæ surripuisse unde domū suam locupletarent. Itaque cumulus ille rerum, qui quum à Latinis, tum uero à Græcis scriptoribus anxie congeritur, quid dicendum in procœmio, in narratione, argumentando, concitando animos, aut sedando, in epilogis, in suspicionibus immittendis, augendis, animaduertendis, tollendis, non sunt huius artis, ac ne ullius quidem usus sunt, qui in immensum abit: ut mirandum sit Græcos homines, qui in eius modi mirifice solent sibi indulgere, non etiam plura de his reliquisse uolumina, & quæ nulla possent lectione percurri. Quàm inepti in his sunt, qui collegerunt ratiunculas aliquot, quibus discipuli in singulis uel causarum generibus, uel orationis partibus uterentur, & dicta aliquot ex Demosthene, aut Isocrate desumpta: nam in hoc plures sunt Hermogenes, & alij Græci, quàm Latini, pro formula nobis obijciunt dicendi. Postea uero quàm multum se, ac diu iactarunt, seq; ac lectorem torserunt, nihil progressi hærent circa initia, & pueriliter sapere ac loqui iuuenem suum docent. Scilicet corriuare in Tyberis aut Ilissi alueum conabantur ipsum oceanum. Quid prodest illa coaceruare, quorū rarus, aut quod potius puto, nullus est unquam usus futurus. Ego abs te in arte uniuersales canones, & dogmata ad omnem dicendi rationem apta è natura ipsa obseruata ac deducta expectabam, ac requirebam: nam ea demum artem efficiunt. Post hæc si tibi uisum esset, adiecisses exempla primæ exercitationis, acciperem, ferrem, etiam si minuta & puerilia: pro formulis uero tradere exempla ipsa non est artificis, sed experti tantum. Verum hæc quemadmodum dixi, etenim dicendum est sæpius, nequis fallatur præsertim in re tanta, rhetoricæ nō sunt, sed iudicij, ac usus. Idcirco exemplorum huiusmodi & plura, & accuratiora, & magis commoda docebit me dies unus cōsuetudinis in foro, in curia, & cum prudentibus, quàm multi menses sub tali dicendi magistro consumpti. Sed ratio inquirendi argumenta dialectici est. Ideo Aristoteles octo libros Topicos inter logicos posuit: de ea re quam tenuiter agit in rhetoricis, quàm penè nihil. Et quum amplificatio, quæ fit per res, ex locis argumentorum petatur, ipsi de ea seorsum præcipiunt, ut dicas eos congerere potius dicendi documēta, quàm in artem quandam digerere audienti ad discendum utilem: nimirum neque artem potuissent efficere ignari quid tradendum esset, & quatenus, quum de materia & finibus praue ab initio iudicassent. Elocutio magis artis huius est propria: hanc uero perplexam & infinitam reddidit immodica Græcorum subtilitas, & otiosa diligentia, quæ omnes loquendi formulas siue à loquentium consuetudine alienas, atq; abhorrentes, siue protritas cum primis & uulgares, tanquam schemata & orationis lumina adnotauit. Stylum siue characterem fecerunt triplicem, imum, summum, & inter duos illos interiectum mediocrem, idq; multis uerbis & exemplis, etiam usq; ab heroibus uelut repetita origine, ut amplissi-

mus

mus sit Vlysses,Menelaus infimus,medius Nestor,nec satis uere, nec satis ad docendum accommodate. Populorũ quidem facile fuerit in tres ordines distribuere, quia distinctio una ex re sumitur,nempe ex censu.Quòd si ex omnibus sumatur internis, corporeis,fortuitis,multo plures existent ordines.Eundem ad modũ in oratione uirtutes aliæ spectantur ex electione uerborum,aliæ ex contextu & numeris,aliæ ex figuris & schematis,aliæ ex argumentorum uiribus & acumine, aliæ ex copia, aliæ ex tractatione animorum,aliæ & grauitate sententiarum:ita non tria esse modo põssunt genera,sed plurima,quando in unoquoque horum sunt etiam plura quàm tria.Cicero in Oratore, hęc genera distinguit,sed ita ut non facile dixeris,quid sit secutus in secando,uerba,an compositionem,an sententias,an argumenta.Iam nec ad docendum hæc conducibiliter sunt excogitata:neque enim negant quin multa sint genera media,atque interiecta inter illa tria:atqui ea non minus oportebat explicari, quàm colorum genera,quæ natura inter atrum & candidum posuit: aut saporum inter dulce atque amarum,qui quidem uehementer ab extremis distant, nec facile est per extremà cognosci:aliam formam orationis infimæ epistola,aliud res rustica, aliud libri de philosophia postulant:non eodem mediocri ad uirtutem, & ad profectionem hortamur:nec similiter inuidiam & misericordiam mouemus. Fecerunt orationem uelut hominem quendam,in qua essent caro, sanguis,succus,ossa,nerui,cutis,color, statura,habitudo,proportio partium, tum interna,ingenium, iudicium,uigor animi,affectus,educatio & mores:quarum rerum partes eisdem signãt, quis in homine,sed obscurissime ac perturbatissime:nihil diffiniunt, ac declarant: non statuunt quid ossa, quid sanguinem uocent,quid succum, quid mores: idcirco mirifica est inter eos dissensio de his:ut de eadem oratione non modo diuersa pronuntient,sed aduersa quoque:uidelicet quum non constaret quid quicque appellaretur, sed temere ac ritu populari nuncuparent singula,unusquisque hęc pro libito & captu suo usurpauit.Illud uehementer admiror,quòd tanta atrocitate uerborum uersum in soluta oratione uetuerint fieri,fœdissimum id,turpissimumq; appellãtes, nec partem quidem uersus inferri sunt passi duntaxat maiusculam. Cuius placiti sæpenumero profiteor me rationem quæsisse,necdum inuenisse ullam. Siquidem uniuersaliter prohibent,nec auditorem respiciũt,nec dicẽtem,nec rem de qua dicitur,nec ob quem finem dicitur,nec genus aliquod uersus signant & distinguunt. Aiunt oportere cælari artem,quæ prodit se, si fiat uersus,& ostendit in concentu & uerbis occupatum esse oratorem, non in re:idcirco nec quod habeat uersus numerum passi sunt inferri, etiamsi non sit uersus:ut,munera dare parenti.Tum ad grauitatem & opinionem ueritatis, cuius sermo ut matrona quæpiam uel puella honestissima non desyderat anxium cultum, & exquisita ornamenta.Audio.Sed multa in hoc dicto occultantur,quæ facile sit conuellere.Primũ nihil possumus supra quatuor syllabas dicere,quod non in aliquam uersus rationẽ cadat, quod ostendunt tam innumera uersuum genera. At inquiũt genus noti carminis. Atqui permultæ sunt pedestres orationes modulatiores longe quàm iambici uersus comœdiarum Plauti & Terentij,quàm uel heroici illi, qui continuo feruntur cursu absq; cęsuris,ut apud Horatium,Persius hic permagna negotia dives: uel cum cæsura est obscura, Nescio quid meditans nugarum totus in illis. An non melos est in Sallustij proœmijs, in orationibus,in concionibus T.Liuij maius ac notabilius? Videre est pro lege Oppia quam nominaui, potissimum quòd ea Catonis, & consulis,& per se grauissimi uiri personæ attribuitur.Quid,hoc quod fuit Græciæ iudicium,Platonis & Democriti,locutionem tametsi à uersu absit:tamen quod incitatius feratur,& clarissimorum uerborum luminibus illustrata,poema putãdum magis,quàm comicorum poetarum, apud quos nisi quod uersiculi sint, nihil aliud esse quotidiani dissimile sermonis. Nam quòd cælari uolunt artem, utique tot uersuum genera in calore scribendi deuitasse,maioris est artis mea sententia, quàm in aliquod illorum,uel imprudentem incidisse,uel prudentem deuenisse. Quis enim omnia illa tam multa,tam uaria,quibus undiq; circumsidemur,effugiat:eo minus, quum in curam sit rei potius quàm uerborum intentus:ut de M.Bruto refert Fabius,non aliter

ac gubernatoris sit peritissimi atq; exercitatissimi nauẽ inter Cyclades inoffenso cursu ducere. Itaq; homo eruditus, & dicẽdi peritiam callẽs, citius artem & diligentiam in eo deprehendat, qui in lõga oratione genus carminum nullum admiscuerit, quàm qui in aliquod impegerit nonnunquam: hunc sciet de rebus fuisse naturaliter solicitum, illum de uocibus, & dictione. Adde his, quòd qui non sunt iam uersus, obseruatione, iteratione, usu possunt fieri. Sic facti sunt uersus ab Aristophane, ab Hipponacte, & alijs poetis, qui antea non habebantur. Sed profecto adhibeat quantamcunq; operam & diligentiam quis uolet, attentissime se obseruet ipse custos sui, non poterit tamen uersum effugere. Si quis maximorum autorum orationes excutiat, ex uersibus, aut magna illorũ parte uidebit omnia conflata, etiam notis, etiam sonoris magis quàm sunt trimetri iambici familiares fabulis. Cicero in sexto de repub. qui reliquos cõplectitur omnes, quatuor pedes sunt heroici: pro Milone, dicere incipientem timere, trochaicus est, si iambicus in tertia sede par sit trochæo, ut idem ipse docet. Quum cõtrà Titus Annius ipse magis, de quinq;, pedes heroici: de lege Manilia, quanquam mihi semper frequens, dimeter Iambicus. In Acade. quæst. Quæ cum essent dicta in conspectu cõsedimus omnes: uersus est heroicus, si unam syllabam demas, ut si dicas sedimus. Seneca epistola nonagesimasecũda, originis suę memor, dimeter iambicus, & quidem totus è iambis. Liuius præfatione, nostra per tot annos uidit ætas, trochaicus est. Quid quòd multa sunt uerba simplicia quę uersum efficiunt adonicum, suspiciebant, accipiebant, imposuisset, archimagirus. Satis hæc uidit Martianus Capella, sed fulgore tantæ autoritatis præstrictus est: eius hæc sunt uerba: Néue in notissimos uersus, & maximè heroicos structura fundatur, iambicosq; uersus, quamuis eos Cicero non euitet, quũ dicit: Senatus hęc intelligit, consul uidet: & heroici uersus finem uel initium non declinet, quum dicit, O miserum cui peccare licebat. Et in Academicis, latent ista omnia. Varro, magnis obscurata & circumfusa tenebris. Et in Verrinis plenum uersum una quidem syllaba mutilum fudit, quum dicit: Quum loquerer tanti fletus genitusq; fiebant: nec finem uitauit elegi, sicut ait: Oderat ille bonos. Incurrit etiam in hendecasyllabi phaleucij petulãtiam, dum dicit: Successit tibi Liuius Metellus. Sic ille. Aristoteles in arte poetica, iambũ ait familiari sermoni peculiarem esse, ideo in illo multa nos effundere iambæa, non item heroica. An non apud Ciceronem Crassus oratorem illum ait admirabilem esse & insignem, qui in oratione ipsa quasi quendam numerum uersumq; conficit: & mox, uersus enim ueteres illi in hac soluta oratione propémodum, hoc est numeros quosdã nobis esse adhibendos putauerunt. Quid est istud quasi & propemodum? cedo quãtum progrediar, ubi sistam: pueriles sunt istæ determinationes: populus cõcentum intelligit, numeri censuram non intelligit: si uersum aspernatur propter concentum, ubicũq; sit concentus eadem erit aspernatio, & concentus iste ac numerus, qui nunc non est uersus, adhibe iterationem, & usum, & iam fiet uersus. Quæro etiam si uersum alienum licet citare in oratione, cur non liceat suum facere? eadem est harmonia, & cõcinnitas in alieno & proprio. Hæc quidem de ipso uersu, nũc de autoribus. Po. Ro. bellaci & rusticitatis ostentatori suspecta erat ars omnis, & literæ, cuius sensum Crassus Ciceronianus, ut quisq; optime sciret Græce, ita esse nequissimum, ut in Syris uenalibus. Tum si gestui addidisset orator uersum, populus non esset sibi uisus grauis oratoris orationem audire, sed saltantem histrionẽ spectare. Græco non item, cui etiam histriones honesti erãt. Cicero memor ingenij coronæ suæ, paucissimos in orationibus ac penè nullos citat uersus: Demosthenes & Æschines plures, & liberius. Cicero defendẽs Archiam, quòd de studijs humanitatis loqueretur, nouo se dicendi genere usum esse ait: & pro Murena prę fatur ueniam: & ad C. Cæsarem uersus Homeri admiscens, nouum epistolę genus nominat. Atqui Æschines Solonẽ laudans maximo hominum conuentu in accusatione Ctesiphontis inter illius decora, poeticę studium atq; exercitationẽ numerat. Ad hęc aures sunt uariæ, sunt quibus Ciceronis cõcentus sit effœminatus & mollis, sunt quibus durus: malunt Quintiliani declamationẽ. Alij alios pedes amplectuntur: Aristo-

teles

teles pæonem, Cicero dichoræum, nec ipse secum in deligendo satis consentiens, ut Martianus annotauit. Pedes, inquit ille, quadam permista confusione Cicero perturbat, dum dicit modo ditrochæo ionicum concludendum, modo pæonem primum probat incipientibus, modo finientibus, modo dochimum, qui constat breui, duabus longis, breui & longa, cuius exemplum posuit, amicos tenes. Itē amphimacrum pedem, & rursus dactylicum numerum laudat, nec tamen certa scientia est. Ego tamen compendiosiora percurram, ut in hac sylua quibusdam uidear præire tramitibus. Sic ille. At neque his grauiores aut meliores dat formulas, sed leues, & pueriles admodum. Hæc quidem ex ingenijs nascuntur, quæ non omnia delectant eadem: alij alijs capiuntur, ut in sensibus uarij soni allubescūt uarijs auribus, colores oculis, sapores palatis. Ad hæc mutatum est seculis iudicium aurium: aspera, & dura compositio placuit Catoni & Gracchis, & ea uirilis est uisa. Concinniores fuerunt Antonius & Crassus: multo his & reliquis omnibus numerosior Cicero: mollis & deliciosa & fracta compositio corrupto magis seculo sub Vespasianis & Traiano uiguit, ita ut orationes, quod Cornelius Tacitus queritur, ad lyram, non aliter quàm poetarum carmina, canerentur. In dicente etiam magnum discrimen: non decet orationis illa modulatio & numerositas frigidam senectam, certe ardentem iuuentam decebit. At cælanda est ars, nam id sæpe inculcant, ne effluat. Quorsum? ut facilius persuadeas. Quid si non ut persuadeam scribo, sed ut narrem, uel ut delectem? Poetis ad delectationem licuit tot generibus carminum abuti, mihi non licebit quibus uolam, qui tantum delectationem peto? quam fuisse causam Cicero scribit cur numeros in orationem inuexerit Isocrates, qui inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa, quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates, numeris astrinxit. Verum enimuero prisci illi oratores quocunque istis de rebus modo disputarent, ac statuerent, maximas tamen dicendi opes collegerunt magnitudine ingeniorum, studij, usus, exercitationis: quippe omnia hæc acuebat at q; stimulabat ingens eloquentiæ propositum præmium, dignitas, opes, potētia in ciuitate, quod præmium simul primum sublatum est, eloquentia quoque est collapsa: nam quum oratorum licentiam nimium sese uiderent effundere, multis esse innocentibus periculo, nocentibus præsidio: ut qui hoc quoque arroganter profiterentur & iactarent de inferiore causa superiorem se posse, & de superiore, inferiorem facere: cohibendam uelut claustris impositis duxerunt. Athenis uetiti sunt affectus mouere, quod usum est philosophis longe æquissimum, ne iudicis animus nempe norma qua esset iudicandum à recto ullam omnino in partem inflecteretur. Romæ Pompeius magnus tertio suo consulatu legem tulit, ut actori duæ assignarentur ad dicendum horæ, patrono tres, & peroraretur eodem die. De quo Cice. queritur in Bruto, inquit enim: Et perterritum armis hoc studium nostrum conticuit subito, & obmutuit lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis. Et Tacitus impositos dicit esse uelut frenos eloquentiæ. Cæterum in ius & potestatem unius redactis omnibus, is non passus est uel tam crebro populum coire, uel tam frequentem, uel quenquam libere in publico loqui, quod ut erat, ita periculosum esse existimatum est potentiæ unius. Quocirca exclusa est à concionibus eloquentia, id est, à theatro, & nutrice sua, quemadmodum in libro de Oratore secūdo, docet his uerbis Cice. Fit autem ut quia maxima quasi oratori scena uideatur concio, natura ipsa ad ornatus dicendi genus excitetur: habet enim multitudo uim quandam talem, ut quemadmodum tibicen sine tibijs canere, sic orator nisi multitudine audiente, eloquens esse non poterit. Principes raro ipsi loquebantur ad populum, & pauca, plerunque per edicta, haud aliter quàm ad seruos: in senatu sententiæ dicebantur, non libere ut antea, sed in adulationem potentiæ compositæ, erant q; magis encomia principum, quàm deliberationes de publicis utilitatibus. In foro si princeps cognosceret, pudor uetabat eum detinere, quoniam & ipse interdum gestu testabatur properare se: conuersis omnibus ad delicias relicta cura reipubl. nec ipsi iudices, qui essent imperiti & delicati, longas ferebant orationes, sed breues, atque easdem amœnas: & quod in persona iudicis est flagitiosum, male-

bant aliquid, quod delectaret, audire, quàm quod doceret de cauſa: aptatæ ſunt huiuſmodi affectibus orationes, & in forum allatum, quod ſcenæ magis congrueret. Ita genus dicendi penitus mutatum, ex ſano, & ſobrio, & ſeuero ad luxum, & delicias, tanquam ſi uirili ueſte poſita muliebrem ſumpſiſſet. Ipſe populus in forum & iudicia coibat, non ſicut antea inſpecturus quid ageretur, & qua fide, tanquam dominus & rector omnium, ſed uelut in theatrum ad oblectationem omiſſa libertate, & cura reipub. ſegnis atque otioſus: & quia illud publice placebat, in ſcholas inuectum eſt ad exercitationes: tales ſunt declamationes illorum temporum inuentæ, non ad uictoriam, ſed ad uoluptatem: neque enim pugnabant, ſed uentilabant: poeticas quoque amœnitates per egreſſus petierunt: quod oſtendunt Quintiliani declamationes, & quæ ex declamatoribus ſui temporis citātur à Seneca. Digreditur quidem Cicero, & deſcribit, ſed ſeuere, grauiter, & ad rem: paulò quidem ſuſius, nempe in orationibus infinitis, ſed dignitate & dicentis, & audientium, & rei ipſius conſeruata. Contrà illos ad citharam dicas aliquid animi cauſa canere, non rem grauiſſimam meditari: quod indigne ferunt Tacitus, Quintilianus, Seneca: ita ut quum illæ declamationes quæ Quintiliani circumferuntur nomine, tam alienæ ſint ab eius ipſius præceptis, & tales ut contra eas potiſſimum inuehi uideatur, non defuerint qui illius eſſe negent: & declamabant quidem ueteres, ut Cicero, ſed ueras cauſas, & eas, quas mox eſſent in uero certamine acturi, quaſiq; ex puluere & umbra in ſolem & militiam translaturi. Recentiores uero declamabant fictas, & omnino inutiles, quarum nulla in foro aut ſenatu poſſet contingere: nam eas quærebant, in quibus maxime poſſent ſe iactare, & otioſos auditorum cœtus permulcere. Ad poſtremũ, quum legibus iam à principibus conſtitutis iudicia exercerentur, uiſum eſt adhiberi potius ad examinandam cauſam, iuris & legum peritum quàm oratorem. Ita creuit potentia interpretum iuris, etiam in coniecturis: & ſtudium artis oratoriæ prorſum ſub latum circiter Antoninorum tempora: quum iuriſconſulti, qui plurimum ualebant gratia apud principes, decreuiſſent ipſi ſoli totum occupare: & fortaſſis ita uiſum eſt Marco Antonio philoſopho, qui non cenſuit expedire, ut iuſtum atque iniuſtum dicendo confunderetur: ſublato corpore & imago periit. Declamare quoque eſt deſitum, & artem cognoſci, quæ nihil erat ſine exercitio profutura. Inane uerò cenſuerunt laborem aliquem fructu omni adempto ſuſcipi. Paulatim ſtudium excolendæ linguæ ceſſauit, quum nullus eſſet eius operæpretium. Quapropter ex bonis ſtudijs maturrime omnium eloquentia eſt tanquam flos quidam delicatus flante Borea decuſſus: id eſt remota illa populari aura eloquentiæ ſaluberrima, deſerto linguæ cultu, & lingua ipſa ſine uindice relicta, iniuriæ cuiuſuis incurſui expoſita, & obnoxia aduentu barbarorum, uelut accepta plaga intercidit. Recepta Chriſtiana pietate paſſi ſunt principes, quod uniuerſis in commune conduceret, ut presbyteri ad populum de rebus ſacris loquerentur: ita ſacri concionatores priſcis illis oratoribus ſucceſſere, ſed diſſimillimo ſucceſſu: nam quanto illos ſuperamus rebus, tanto partibus omnibus eloquentiæ, tota ui perſuadendi, ſententijs, argumentis, diſpoſitione, uerbis, genere orationis, actione inferiores ſumus. Cuius rei culpa diuiſa eſt inter dicentem, & audientem. Olim qui dicebant, erant callentiſſimi uſus, & totius prudentiæ communis, tractandorum animorum peritiſſimi artifices. Qui nunc dicunt, quàm diſpares, imperiti, ignari uitæ, imò etiam communis ſenſus: qui ſint affectus, aut quemadmodum uel impellendi, uel reuocandi omnino neſcij. Nec cui rei quæ uerba, quod genus orationis ſit adhibẽdum norunt, omnia bene conuenire omnibus rati. Sententias habent plumbeas, frigidas, iacentes, ſegnes, quæ animos deijciant citius, quàm excitent: argumentatiunculas colligunt ab illo exercitio ſcholaſtico, quæ uentilant quidem, & titillant interdum, numquam feriunt aut cædunt. Diſpoſitio fuſa & diſſipata: nihil dicunt ſuo loco: actio immoderata: nihil pro re aut tempore: non in uoce, non in oculis & ore, non in manu & digitis, non in geſtu & ſtatu corporis uniuerſi: quæ illi ita habent cognita, ut nulla eſſe arbitrentur, nec intereſſe ſaltitent dicentes, an ſedeant. Iam auditores habebant illi olim acutos, attentos

pleroſque

plerosque eruditos, nunc socordes, segnes, peregrinantes animo, rudes atque imperitos, ut eadem habeant sæpe repetenda, qui dicunt, non solum quo infigantur & hæreant memoriæ, sed quo uel intelligantur, si quid sit acutius, nisi explicet & explanet, in quo amittitur gratia & uis orationis, frustra clamarit, surdo fiunt uerba: si quid obliquum, nisi recte & simpliciter exponat, perdiderit dictum: nec minus sanè perdit, quum uenustatem atque speciem dehonestat, & frangit neruos. Memoria patrum & auorum cœptum est in Italia reuocari studium linguarum per discipulos Petri Rauennatis Latini, & Emanuelis Chrysoloræ Græci: inter quos maximi nominis fuere Leonardus Aretinus, Fran. Philelphus, Lau. Valla, Varinus Veronensis, Perotus Nicolaus. Secuti sunt eos Ioannes Picus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, & alij quos hic recensere nihil attinet. Hos uero, & quotquot doctius Latine loquerentur, quàm cæteri, oratores uocauerũt. Sed ij qui uim nominis parum intelligerent: exercitium enim artis oratoriæ nondum est reductum, sed tantum in linguis funditus deiectis ac pessundatis instaurandis atque erigendis cunctum illorum studium consumptum est. Quippe artis huius præcepta exercitio remoto nihil iuuant. Hactenus nemo declamauit utique in materia argumẽtosa, & quasi in certamine & palæstra: tametsi multi delectarunt se oratiũculis, quæ aduersarium non haberent: ut laudationibus artium, uirtutum, principum hominum: uel rabiose se exercuerunt canina facundia, inuectiuis, quibus lacerarent inuicem, id est conuitijs, & maledictis in unumc ongestis quotquot possent, quis aduersarium proscinderent, naso suspenderent, irridendum & contemnendum omnibus exhiberent, de causa nihil dicerent, aut perparum: si qua tamen alia erat causa, quàm susceptas leui aliqua de causa inimicitias atrociter persequi. Nec de phrasi, & genere dicendi uideo illos fuisse ualde solitos, in electione modo uerborum occupatos. Et quemadmodum ante centum annos qui Ciceronem ut Latinos alios legebant scriptores, sensa spectantes sola, uerba non animaduerterunt: ita isti qui in uerba sola essent intenti, dictionem præterierunt inanimaduersam. Ergo uideas eos eadem dictione conscripsisse res magnas, paruas, lætas, tristes, humiles, sublimes, epistolas, orationes, rustica, physica, moralia, forensia. Nimirum accommodatio stili ad genera argumentorum & audientium, atque adeo inuentio ipsa argumentorum causis & locis apta res est, lõga, uaria, intricata: de qua Plinius Cæcilius, Vndeuicesimo, inquit, ætatis anno dicere in foro cœpi, & nunc demum quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem uideo. At illorum plerique nullam, aut perexiguam huic rei operam impenderunt, alioqui per se difficilimæ: quo magis miror quorundam impudentiam, dixero an ne temeritatem, an utrunq; , qui de cultu, & colore, & habitu orationis, denique de toto stilo ac phrasi intrepide iudicent inexercitati, & quidem ex breui aliqua, & tumultuaria pagellæ unius aut alterius lectione, de quo merito, & grauiter Gulielmus Budæus conqueritur, quum ueteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerint ubique recte censere. Quid quod ea nomina, quæ phrasi induunt, explicare uix scirent, si rogarentur. Partim huius artis magni illius præceptores fecerunt imitationem, quod primum est in omni sermone, quippe quem imitando discimus, ut artes ac disciplinas quascunque à natura non accepimus. Sed imitatio rerum diuinarum nunquam potest exemplari par esse, nec mortalem artificem æquari sempiterno: in humanis potest ita proficere, ut homo hominem consequatur, & antecedat. Quocirca quæ initio est imitatio, paulatim eò debet progredi, ubi iam incipiat esse certamen non solum æquandi, sed etiam, si qua detur, uincendi. Imitatio nunquam eò pertingit, quod sibi pro exemplari proposuit. At uerò in certamine etiam à tergo possis eum relinquere cum quo certas. Itaque ueteres sic initio imitabantur, ut mox æmularentur, ad postremum quoque certarent, & contenderent non raro utique felici successu: nam præuertebant illis, quos prius pro ducibus, ac magistris habuissent: ut Cicero Crasso, & Antonio: Plato Cratylo, & Architæ: Aristoteles Platoni: Vergilius Ennio, Lucretio, Hesiodo. Nostra ætate quidam ridicule sese alligant imitationi tantum, nec in uerbis solum Latini sermonis & Græci, quod necessarium

eſt,propterea quòd eæ linguæ amiſſæ in uulgus, monimentis ueterũ autorum con-
tinentur ac conſeruantur, ſed in phraſi, quod minimè eſt neceſſarium: quippe col-
lectis è lectione uocabulis,& loquendi formulis,tanquam lignis & lapidibus,ſic u-
nuſquiſq; extruere orationem poteſt,ut maxime uel ingenio ſuo congruat, uel exi-
gat materia,uel tempus aut locus poſcant. Verum quod magis mirẽre,in materia &
argumento tractando nunquam non imitantur,ut imperiti ſutores qui nullum cal-
ceum uel ſcindere poſſunt, uel ſuere,niſi forma adhibita: aſtringunt uires & liberta-
tem ingenij ad certum quoddam præſcriptum: ut non immerito ſeruum pecus imi-
tatores nominet Flaccus Horatius. An uerò eſt ulla ſeruitus maior, & quidem uo-
luntate ſuſcepta, quàm non audere ducis ſui præſcripta, & tanquam ſæua domino-
rum imperia egredi,etiam ſi aliò res uocet? ſi tempus, ſi auditores, ſi generoſa inge-
nij natura inuitet,pertrahat? Quomodo poterunt hi currere,ſi ſit opus,imò quomo
do ingredi, quibus eſt ſemper in alieno demum ueſtigio pes figendus, non aliter
quàm pueri faciunt luſitantes in puluere. Quid dicam? imitari ſemper eos, nec ſcire
quid ſit imitari. Nam ſuppilare putant eſſe imitari, nempe uel uerborum ac rationis
uel rerum & argumentorum particulas ſumere, ex quibus uelut centonibus opus
ſuum conſuant. Perinde ac ſi pictor diceretur imitari, qui aut pratum effingens flo-
res illinc decerptos tabulæ ſuæ annecteret, aut hominem reddens partẽ togæ illius
aſſueret picturæ,aut etiam, ſi diis placet, naſum quem exprimere non poſſet, uellet
homini amputatum picturæ ſuæ addi,quo eſſet perfecta. Si quis rem acutius intue-
tur,talis eſt iſtorum imitatio:decerpunt,ſurripiunt,imò palàm compilant. Et ut fur-
ti crimen ſuffugiant,imitari uocant,ut fures furari dicunt amouere,tollere, conuaſa-
re. Age porrò unde colligunt hæc panis fruſtula, has aquæ guttulas, quibus men-
dicitatem ſuam ſuſtentent:non ex uariis,& optimo quoque,ut puellæ,quæ in hortu-
lis colligunt floſculos ad faſciculos & coronamenta,ſed uni alicui hoſtio affixi miſe-
re ſe alũt:unicuipiã ſunt addicti:& ubi ingenij tarditas cœpit male æmulari,quicquid
deinceps dicãt aut faciãt,illius credunt eſſe ſimile,quẽ ſibi ꝓ exẽplari præfixerunt:ut
qui geſticulatione una tam ſe multos credũt exprimere, cũ quiuis pantomimus arte
ſua:& qui eodẽ digitorũ pulſu quoduis carmẽ ſonare. Qualis eſt Apollinaris Sydo-
nius,q contẽpto M. Tullij epiſtolari ſtilo,ut dicit,C. Plinij diſciplinã,maturitatemq;
ueſtigijs præſumptuoſis inſequit:Omitto ridicula hæc ueſtigia præſumptuoſa, tũ di
ſciplinã,& maturitatẽ Pli. Quaſi maturitas ſit aliqua in epiſtolis Plinij, & non potius
uiror & flores:aut ſi qua eſt, nõ maior & mitior ſit in M. Tullio:nã quã tandẽ uocet
diſciplinã nec ipſe arbitror Sydonius declararit,q ſcripſit. Sed quæro in q ſe putet Pli
nij ſimilẽ,à quo tam diſtat,cũ graccus à philomela,niſi forte ſimilis uideri poſtulet, ꝙ
adſcribat ſemꝑ ſuo,ut Plinius. Si ſequi ſe dixiſſet Apuleiũ,& Caſsiodorũ,haberet for
taſsis plures, qui crederẽt. Verũ hoc tẽpore,in quo noui quidã morbi prioribus ſe-
culis inauditi ſunt exorti,& iſte eſt natus quorundã alligãdi ſui ad imitationẽ Cic. ad
eã inquã decerptionẽ,quã illi imitationis ornãt nomine. De qua nõnihil attigit Poli-
tianus in epiſtola ad Corteſiũ,etſi in omnem imitationẽ potius,cũ in hãc unã, quem-
admodũ & Fabius Quintilianus. Budæus in hãc ipſam eſt per occaſionẽ inuectus di-
greſſione quadã in cõmentarijs Græcę linguę. Eraſmus librũ iuſtũ de eo ipſo ſcripſit
iniquitate iudiciorũ ꝓmotus,in quo multa cõgeſſit acute cõquiſita, qui etſi nõnunq;
argutaẽ magis, quàm argumẽtatur,& ludit potius cũ pugnat,nẽpe ex ſcripti illius ra-
tione:nã dialogo rẽ ꝓſequitur,habet tamẽ,quantũ ad hoc attinet, iuſtã & piã querelã
indignationis,multisq; bonis ac fortib. argumẽtis preliatur: quę quia nota ſunt om-
nibus,etenim liber eſt in manibus,nos in præſens prętermittemus, ſolũ dicemus mo
re noſtro pauca quædã,quot ſuſcepto inſtituto uidebũtur ſufficere. Principio quod
prudẽter ait Corteſius etiã Ciceroni addictus,quæ ſtultitia eſt,ut quũ tã uaria ſint ho
minũ ingenia,tã multiplices naturæ,tã diuerſę inter ſe uoluntates,eas uelle unius in-
genij anguſtijs aſtringi,& tanq; præfiniri. Iã dicant mihi,quid imitantur,nã multa ha-
bet Cicero optima,& effectione digniſsima. Linguã inquiunt. Cur nõ etiã argumen
ta,& philoſophiam, & cognitionem ueteris memoriæ, & uariarum rerum uſum ac
peritiam. Nam ſi propterea linguam admirantur, quòd in omni populo & ſenatu
Roma-

Romano tantas dicendo eſt uires opesq; conſecutus, ideoq; eam imitatione cẽſent dignã, imitentur potius rerũ præſentiũ & præteritarũ cognitionẽ, ſcrutationẽ ſectatorũ ſapiẽtiæ, tractationẽ humani animi, colligẽdi acumẽ, quib. potius uirtutib. omnia ſenatui & populo & iudicib. perſuaſerit, q; facultate uerborũ & dictionis. Puritatẽ linguę arbitror equidẽ maiorẽ & caſtiorẽ fuiſſe in C. Cæſare, in M. Bruto, & alijs Romanis principibus, quã in M. Tullio. Nec phraſis eius omnib. placuit, etiã quũ de ea poterat cenſeri, nõ Bruto nec Caluo, nec ipſi Põponio Attico amiciſsimis: at cuiuſmodi cẽſoribus? Quare nõ quod ornatius quã cæteri diceret, quãquã dicebat ornatiſsimè, ſed quia acutius colligebat, & fortius pugnabat armatus tot tãtarũq; rerũ notitia. Eius uerò q; deceret & inſpector acerrimus, & executor dexter imprimis ac diligẽs, uincebat aduerſarios, audiẽtes ducebat in ſuã ſentẽtiam. Id uero facile eſt cognoſcere, q; in eadẽ cauſa, ſi quis illius argumẽtis quacũq; lingua & actiõe utatur, plurimũ certe habebit momẽti, ac roboris. Ea igitur animi indoles, & tã uaria eruditio, & tractãdæ cuiuſq; rei ratio eſſet iſtis exprimẽda, qui Ciceroniani uideri affectãt, potius q; ſtilus ac uerba, etſi hæc quoq;, ſed ea poſtremo ſequerẽtur. Magis certe Homerũ exprimit Virg. q; Enniũ, & ſi huic lingua eſt uicinior, & prope idẽ. Similior patri filius qui mores reddit, q; qui lineamẽta oris. Cur tãtũ uirũ nõ totũ imitãtur, & potiſsimũ animũ, quo pręſtat corpori: qd' recte præcipit Paul. Corteſius, qui aliã multo uiã imitãdi oſtẽdit, quã iſti ſequũtur, eãq; merito deplorat ab hominib. noſtris aut neglectã eſſe, aut mutatã: neq; enim uult nos Ciceronis ſimiles, ut ſimias, ſed ut filios parẽtum: ſimię externa ſolũ repręſentãt, filij etiã interna: nec ſimiæ aliud q; lineamenta & deformitates quaſdã geſtus, filij uultũ, inceſſum, ſtatũ, motũ, uocẽ. Et tamẽ habent, inquit, in hac ſimilitudine aliquid ſuũ, aliquid naturale, aliquid diuerſum, ita ut cum cõparẽtur, diſsimiles inter ſe eſſe uideãtur. Eadẽ eſt ſentẽtia hominis omniũ Ciceronianiſſimi Chriſtoph. Longolij. Sed demus iam Ciceronis uerba eſſe puriſſima, nam aut eſſe credo, aut nõ multũ abeſſe, tũ ſtilũ optimũ, dico ex ijs qui fuerunt, nã ab eo, q; fieri poteſt neminẽ eſſe arbitror adeo admiratione Ciceronis excæcatũ, quin uideat lõge diſcedere. Sed quid in ijs faciemus, de quibus nõ eſt locus: ut de ædificijs, de agro colẽdo, de ruſtico, aut urbano, aut bellico inſtrumẽto: num tacẽdũ erit? num non potius Vitruuiũ, & Varronẽ, & Pliniũ, & Columellã, & Cęſarẽ, aut Liuiũ cõſulemus, ac ſequemur duces, quã M. Tulliũ? quos ego (dicã id nõ quo detrahã aliquid gloriæ Ciceronis. Quid enim poteſt aut debet detrahi nomini clariſsimi & pręſtãtiſſimi uiri?) eos inquam callentiores fuiſſe arbitror nominũ Romanorũ, in illis utiq; de quibus agebãt rebus, q; M. Tulliũ: quod & uidemus inter nos quotidie uſu uenire, ut eloquẽtiſſimi in quaq; lingua uiri in curijs & foris & regijs comitatib. educati uincantur à plebeijs hominibus in appellãdis opificũ inſtrumẽtis, atq; actionib. Iam nec in ſermone iſto cõmuni atq; urbano dixit omnia: & eorũ quæ dixit, alia perierunt, alia uenerunt ad nos ab imperitis corrupta. Quid loquẽtur de noſtro foro, de noſtris legibus, inſtitutis, moribus, de pietate noſtra q; omnia Ciceroniani? Res oẽs, ſicut præclare Eraſmus colligit, ſunt mutatæ, ut apte loqui de reb. præſentibus nequeat, q; à Cicerone latũ unguẽ deflectere nõ audet. Iã ut dictio ſit omniũ optima, nõ omnib. poteſt cõgruere in tãta diuerſitate, atq; adeo aduerſitate ingeniorũ. Idcirco nec eũ imitati ſunt maxime Ciceroni addicti atq; adiurati, q; prõptiſſime & facillime poterãt, Seneca, Quint. Plinius, Cæcilius, Cor. Tacitus, uidelicet ut nec ipſe, q; impẽſiſſime admirabat. Demoſthenẽ Gręcũ, Craſsũ & Antoniũ Latinos: oculos enim habebat, ut par erat, intẽtos, nõ in eos q; alios antecelluiſſẽt, ſed in id q; natura oſtẽderet eſſe optimũ: hoc demũ debet eſſe exẽplar adulto iã & magno uiro. Cedo uero quomodo hũc tam adamatũ ſtilũ imitãtur? quẽadmodũ exagitat in Albutio Scęuola apud Luciliũ,

Quàm lepide lexies compoſtæ ut teſſerulæ omnes
Arte pauimento atq; emblemate uermiculato.

Sumunt hinc inde uerba, & commata, & ſententiolas, & compingunt ut exiſtat opus: quod taxat Longolius in Nauagerio, cui integrę Ciceronis nõ modo ſententię, ſed multi ſimul interdum uerſus exciderent, atq; effluerent. Tum de alijs dicit, Dirigendam quidem eſſe nobis & formandam ſcribendi rationem putaui ad illius dicen

di genus, ſed ita, ut uirtutes eius oratione noſtra exprimere conemur, non item ut paſſim omnia ab eo mutuemur, aut quod multos iam facere uideas, quaſi centones quoſdam ex Ciceronis uerbis conſuamus. Dicit hæc quidem Longolius, ſed non ipſe tam recte obſeruat, quàm admonet. Alij cautius ſuffurantur unum aut duo, aut tria ad ſummum uerba ex hoc loco, ex alio autem procul totidem, & alio quatuor aut quinque, ſupra hæc manifeſtum eſt furtum. Nam quin totidem uerbis, inquit Longolius, ex M. Tullio Cicerone tibi tam multa ſumere non liceat: ne tu quidem ipſe puto negas. Ea uerò lex eſt centonũ Auſonij: ergo iſti, quod Longolius uere dixit, centones conſarciunt, & Muſiuum opus faciunt, non imitantur. Dixi uobis falli iſtos in capite totius rei, & ſtatim in ipſo limine impingere, ut rectà nunquam poſſint ingredi: quandoquidem initio ipſo itineris in diuerſum quàm oportebat, aberrarunt: quomodo poterunt recte imitari, qui quid ſit imitari, & qua ratione imitandum ſit penitus ignorant? non imitari eſt iſtuc quod uos facitis ô boni, ſed compilare, & conſuere, & colligere, & conferruminare. Vergilius quum dicit,

Si duo præterea tales Idea tuliſſet
Terra uiros, ultrò Inachias ueniſſet ad urbes
Dardanus: & uerſis lugeret Græcia fatis:

Homerum imitatur, apud quem Agamemnon optat ſibi decẽ conſiliarios, qualis eſſet Neſtor: nec dubitat, ſi haberet, quin breui Troiam eſſet euerſurus. At quum dicit:

Vt ſceptrum hoc, dextra ſceptrum nam fortè gerebat,

Et quæ ſequuntur in duodecimo. Homerum de Græco ad nos transfert illo loco:

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους.

Et reliqua in Iliad. α. Quum uerò

Fixit leges pretio atque refixit, ex Vario ſumpſit. At

Tum gelidus toto manabat corpore ſudor,

Ex Ennio eſt mutuatus, qui dicit:

Tunc timido manat ex omni corpore ſudor.

Quæ Macrobius perſequitur in Saturnalibus. Sed ad inſtitutum reuertamur. Quanta crux eſt, quæ ingeniorum compedes intra tam arctos limites comprimi, ac cohiberi, dilatare ut te nullo pacto ualeas, & dum in hoc unum es intentus ne præfinitos terminos excedas, quanta auerſio à rebus clariſſimis, & quæ occaſio de manibus elabitur maximas & fructuoſiſſimas diſciplinas nanciſcendi? At uerò in hoc ipſo tam longo, & diuturno, & miſero, & miſerabili labore, qualem ne hoſtibus quidem imprecer, nedum ut amicis ſuadeam, quis tandem proponitur eluctatis atque ex naufragio ſeruatis fructus? quæ utilitas? quod pretium operæ? amplum eſſe oportet & tantæ curæ, tot uigilijs conueniens, fieri poſt tot annos non Ciceronianæ dictionis æmulos, ſed conflatores orationis ex uerbis Ciceronis, & commatis, & colis. Ego uerò tanti non emerim, non dico Ciceroniane uerba cõiungere, atque adeo Ciceronem eſſe tota phraſi, ſed quod eſt multo præclarius & optabilius, philoſophiam omnem callere, quæcunque prodita eſt de rerum natura. Imitatores hi, quí que alij cultui ſe linguarum iam pridem intermiſſo tradiderunt, ita nauarunt operam uerbis eligendis, & dictioni exornãdæ, ut alia quæ eſſent de cognitione naturæ, de publicis priuatisq; moribus grauiter & copioſe perſcripta ne aſpicerent quidem: partim quòd non uacauit quibuſdam plus nimio in uerborum nota ac natura dictionis cultu occupatis, ut ad alia penitus reſpicere non poſſent: partim quòd metus fuit, ne ſi incultos ſcriptores tangerent, aliquid fortè ex contagio traherent, quo ſermonis forma poſſet fœdari. Ita ubique in linguarum obſeruatione ſubſtiterunt, conſumpta uniuerſa diligentia circa uoces aut ſingulas, aut coniunctas. Hi uerò qui alia non haberent quàm inſtrumenta, quid potuerunt efficere? quum maximam dicendo uerborum turbam, quaſi in acie ordinaſſent, aſpectu quidem formoſam, ſed inutilem tamen atque inefficacem, nihil re ipſa, nihil auditorum mentibus dignum attulere: magno ſanè artis dedecore, quæ ex illis cenſebatur, tanquam primis ac præſtantiſſimis, tum ſua, tum aliorum ſententia profeſſoribus. Quanto uerius dici orator deberet, qui res magnas,

magnas,& argumento ſuo pares quocunque ſermone exponit.Nam ſi dicere,genus quoddam eſt pugnæ,& ad perſuaſionem quaſi uictoriam pertinet, quis nō malit animoſum militem tectum corio,& gladio ferreo armatum, quàm imbellem atque effœminatum aureis armis ac gladio fulgentem. Iam Rhetoricam aiunt, quum de rebus alijs omnibus,tum potiſſimum de publicis, ac ciuilibus dicturam . Quid iſti dicent, qui eas ipſas res nec per ſomnium quidem uiderunt, nec ſciunt in quo orbe, in qua ciuitate uiuant: & dum ueterem illam Romam ſemper meditantur,peregrini ſunt in hac ætatis noſtræ.Nec eloquentes dici poſſunt,qui quum omnia conantur aliena lingua dicere, ipſi muti euadunt,nec illa erudita & expolita lingua uerba poſſunt aptare.Eloqui,eſt inquit Marcus Fabius, omnia quæ mente conceperis promere, atque ad audientes perferre,ſine quo ſuperuacanea ſunt priora,& ſimilia gladio condito,atque intra uaginam ſuam hærenti:non refert quo ſermone,nam & in Scythico,& Gallico,& Germanico,& Hiſpano multi ſunt eloquentes.Nec quod Latinus & Græcus ſermo eruditi ſint & copioſi, continuo nullus erit in alio ſermone eloquens. Nam & hi ipſi Parthis ac Mœdis barbariſmi ſunt.Liuius ſermone illo,quem Pollio Patauinitatem dixit ſapere,eloquentior fuit multis Romę natis,& fortaſſis illo ipſo Pollione. De Latrone Portio dixit idem Aſinius lingua ſua diſertum eſſe, nempe Hiſpanienſis illius æui. Quanto diſertior ac eloquentior Anacharſis quàm multi Atheniēſes,ſiue dum Scythice de natura, & moribus diſputaret, ſiue dum Græce ſolœciſſans ſeu ſcythiſſans uerius.Equidem ſordes,& uitia ſermonis nemo uel amare debet uel probare,unde maxima pars cladis tum artium,tum iudiciorum eſt accepta. Sed certi ſi detur optio,quis non malit multo immūdum,ſpurcumq; magnis de rebus atque excellentibus ſermonem, quàm de nugis comptiſſimum atque ornatiſſimum?

LIBRI QVARTI FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS DE PHILOSOPHIA NATVRÆ, MEDICINA ET ARTIBVS MATHEMATICIS CORRVptis,liber quintus.



VNDI autor, qui omnia ad hominis uſum condidiſſet, haud dubie ſcientiā illi erat elargitus utendi, alioqui fruſtra uideretur illi paraſſe, quæ ipſe neſciſſet unquam ad uſum ſuū applicare.Sed homo à lumine diſcedens,in tenebras eſt prolapſus. In quibus tamen urſit atque extimulauit eum neceſſitas perpetuo premens,ut quęreret, quæ immitteret in corpus ad ſe fulciendum, ac ſuſtentandum,à quibus manum contineret,quæ quibus temporibus & locis terrę mādaret ad ſpem prouentus,quo modo perciperet,ac reconderet.Tum alia de indumentis,de habitatione, de conuehendo paulatim ſunt inueſtigata. Vbi uerò retuſus eſt ille neceſſitatis uelut ſtimulus, ſolicitudine illa pauliſper depoſita commoditas eſt ſpectata .Dehinc delectatio eſt pulcherrimæ cognitionis, & ex admiratione tanti operis cupiditas cognoſcendi exorta. Ita multi uel neceſſitate impellente, uel adducente admiratione, uel inuitante uoluptate, ad contemplationem naturæ ſeſe contulerunt.Subrepſit his oſtentatio, quæ ſe per omnia tacite inſinuauit. Ergo homini particula illius amiſſæ peritiæ, quam ex copioſiſſimo fonte ampliſsimam hauſerat, pergrauem fuit laborem extundenda .Eruit perpauxillum quidem, aliquid tamen,& lumine illo ingenij, quod factum erat reliqui,& ſtudio incitato atq; ardenti adiutus. Quæ duo ubi defuere, ignorantia & hallucinatio animis ſe pro peritia

& cognitione offuderunt. Nam uel obſcuratione luminis, id eſt, tarditate mentis & ſtupore cordis alia uia inſtiterunt hæc quærere quàm oportebat, uel ſegnitie ac ſocordia, recta quidem, uerum defeſſi remiſerunt curam, & non peruenerunt quò intenderant. Principio, ſicut alibi à nobis eſt declaratum, nemo uires ſuorum humerorum eſt menſus, quid ſuſtinere poſſent, quid non: homines retuſiſſima mentis acie, ſeu potius nulla, res abſtruſiſſimas aggreſſi ſunt inquirere, & intima penetrare, qua inſiſterent pauciſſimi prouiderunt. Alij ſenſum ſecuti ſunt per omnia, huic arbitrium permiſerunt rerum omnium. Quicquid ille ſtatuiſſet, pro uero ac indubitato haberetur: ut Epicurus, qui ideo ſolem eſſe pedalem confirmauit. Alij omnino detraxerunt fidem ſenſibus, quòd aliquando fefelliſſent, ut Academici, & aſſenſum à rebus, ne temere incertis pro certis accederent. Mediam aliqui uiam tenuerunt, ut nec omnia ſenſibus crederent, nec nihil, ſed illis cenſuram adhiberent mentis, ut Platonici, & Peripatetici. Iam in ſerie illa & nexu rerum qui fit à mente, his ſufficit ratio quædam læuis, & tenuem quandam ſimilitudinem oſtendens ueri ad definiendum de reconditiſſimis rebus, quemadmodum Anaxagoræ quod omnia ſint in omnibus, quoniam ex omnibus fiunt omnia, id eſt, ad omnia migrat materia. Illi in coniungendo parum dexteri, quæ ſunt diſſoluta ac diſſipata, ſatis eſſe rentur apta & colligata, ut ignari dialecticæ. Sic Epicurus uoluptatem aſſeruit ſummum eſſe bonorum, quod eam unam beſtiæ expeterent ac ſequerentur. Sunt quibus nulla ſufficit ratio, hominibus moroſis ac ſuſpicacibus. Illis ex uarietate atque inconſtantia, quæ uno die ſufficit, alio ſatis non facit. Cuiuſmodi erant qui in diem uiuerent: de quorum numero fatetur ſe unum fuiſſe M. Tullius: & quicquid animum probabilitate percuſſiſſet, id aſſeuerarent. Sunt qui autoritatem requirunt, nempe philoſophi alicuius primi nominis. Vt qui de immortalitate animæ nec tot rationibus, nec ſacra pietate & oraculis diuinis acquieſcunt, ſed ſcrutantur anxie quid Ariſtoteles de eo ſenſerit, quid Plato, & ſi Deo placet, etiam Abenroïs Arabs. Alij Poetæ uerſiculum deſiderant, ut olim in Græcia, de quibus Ariſtoteles in libris primæ philoſophiæ. Hi ex uarietate ſententiarum atque opinionum magnam in animum quoque uarietatem atq; inconſtantiam trahunt, ut aliâs alia ſentiant, atq; adeo cõtraria. Cuius rei exempla ſunt, quum apud Ariſtotelem nonnulla, tum uero apud Plinium frequentiora. Quid quod in tanta uarietate naturæ, quæ locis, temporibus, ætatibus, conſtitutionibus, eſt diſſimillima, quidem ex uno, aut altero, aut ſanè etiam experimentis multis, uniuerſaliter de cunctis pronuntiant? inter quos eſt Ariſtoteles, quod genus illud eſt in uolumine, eius de Animalibus, primo: Imum uentrem & faciem eſſe ſimiles corpulentia uel gracilitate, item crura & lacertos. Cuius rei multa ſunt documenta in contrarium. Vel hic in Flandria plurimi uix habent ſuras, brachia tamen muſculoſa, & ſucci plena, quod de multis principibus memoriæ eſt proditum, ut olim de Germanico Cæſare, & hodie uidemus in Franciſco rege Galliarum. Iam multi belliſſime ſibi placent, in alios difficillimi, atque inexorabiles, ſui mirum in modum indulgentes, ut ab alijs exigant in quibuſcunque demonſtrationem & energiam concluſionis, ipſi ſua uel tenuiter fulta, pro firmiſſimis poſtulent accipi. Ariſtoteli nulla ueterum philoſophorum ratio ad ſua ipſorum confirmanda ſufficit: ipſi ad quælibet, uel ad illos confutandos. Et hic tantus demonſtrationum flagitator ille eſt, qui in prima philoſophia dicit aciem mentis noſtræ ad manifeſtiſſima naturæ, non ſecus quàm noctuæ oculum ad lumen ſolis caligare. At quum in tantis uerſarentur tenebris, quum duce omni carerent, inter eas difficultates credat aliquis illos conſcios ſuæ egeſtatis ac imbecillitatis contentos fuiſſe humi repere, & circa ea occupari quæ tenere facile ac tueri poſſent: hoc certe decebat. Sed illi ignari ſui, ea quæſierunt & ſcrutati ſunt, quæ humanum omnem captum excederent, & in his quæ aſſequi non poterant, arrogantiſſime definierunt plurima, non cunctantius, quàm ſi manibus attrectaſſent, ut de cœlis, de elementis, de rerum eſſentijs ac facultatibus: ſed potiſſimum Plato & Ariſtoteles, de autore mundi, de materia, de opificio uniuerſorum, de regimine illius, & prouidentia, de immortalitate animæ, de pietate, de præmijs bonorum aç malorum.

malorum. Quibus de cauſis & rationibus philoſophos uideas homines à duobus uitijs longiſſime impulſos, imperitia, & quam imperitia gignebat ſuperbia, ea inuexiſſe placita in cognitione naturæ, ad quæ nec uetulæ, nec pueri riſum teneant: qualia ſparſim recenſet Ariſtoteles, ſed Plutarchus quatuor uoluminibus in id dicatis. Quam & abſurditatem & diuerſitatem opinionum cauſam fuiſſe Socrati, ſcribit in commentarijs Xenophon, quamobrem ab inquiſitione naturæ rerum in totum abſtinuerit, tametſi cauſa non ſatis iuſta, quæ aliquem à contemplatione naturæ abduceret. Nam nec minor eſt de fine bonorum diſſenſio, de adminiſtratione domus, aut ciuitatis: de quibus tamen & quærere & diſputare Socrates pulchrum in primis, uti erat, exiſtimabat, & conducibile hominum uitæ. Illud modo erat in ſcrutatione naturæ uitium, quòd & ea rimarentur, quæ natura ingenijs occultaſſet, & quæ ſcire nullum eſſet operæpretium. Sed ad hæc ſuperuacanea eruenda acti ſunt non pauci gloriæ cupiditate, quæ ſeſe in illorum pectora inſinuauerat. Idcirco nouum aliquid & præter cæteros admirabile uoluerunt proferre, ad quod quum à ueris aut ueriſimilibus eſſent deſtituti, abſurdiſſima arripuerunt, ut niuem eſſe atram, ignem gelidum, ſtare cœlum in ueſtigio, agitari terram, & alia quæ ſtultitiæ citius quis tribuat, quàm arrogantiæ. Secuta eſt arrogantiam, & famæ ſitim pertinacia tuendi quicquid ſemel affirmaſſent, perinde ac ingenio cederet, quiſquis ſententia. Vnde exortæ ſectæ, & in hoc inuigilatum ab eis acriter, quomodo uel ſua praue dicta defenderent, uel aliena bene dicta impugnarent. Inter quas rixas & odia, ueritas nobis utique magnum ſubibat diſcrimen, ſiue falſi tutator uinceret, ſiue oppugnator ueri. Eadem oſtentandi libido, tum etiam dulcedo altius ſcrutandi ſuaſerunt illis ut neceſſaria, quæque alicuius eſſent uſus, uel corpori, uel bonitati animi relinquerent, & ſtudia ſua omnia ad uoluptatem, aut admirationẽ, & plauſum ſpectantium conferrent. Quod malum ex deprauato hominum ingenio cum ipſis artibus exortum, inſecutis deinde ætatibus eò eſt amplificatum, quò ſuperbia increuit, & rerum peritia diminuta eſt. Noſtra, & patrum, & auorum memoria ea tãtum ſunt in naturæ cognitione quæ ſita, quæ offuſa ob oculos caligine plauſum mouerent, non aliter quàm ubi circulator intuentium omnium oculos præſtigijs eſt fruſtratus. Itaque excluſerunt ſcholis priſcos illos Timæum, Platonem, Plotinum, Plinium, Theophraſtum, Ciceronem, Senecã, & reliquos huius generis, qui maximum adferre adiumentũ poterant ad naturæ contemplationem, de cœlis, de elementis, de animantibus, de ſtirpibus. Ariſtotelem retinuerunt ſolum, quòd is unus ex illa antiquitate rixantiũ circulis eſſet aptus. Equidem in inſpectione naturæ haud uideo, quem poſſem illi comparare. Sed huius placita atq; opiniones de natura rerum noſtri homines eiuſmodi rentur eſſe, nihil ut humanum ingenium exactius uel certius poſſit exculpere, communi hac quidem naturæ luce adiutũ, & rectum: de cuius ſententiæ imperitia, atq; impudentia, atq; etiam interdum impietate non poteſt ſatis pro dignitate dici. Et quia res magna & craſſa ignorantia uidetur mihi claudi, idcirco longius paulo ac ſubtilius de ea diſſerã. Nam ſi quid dicerent, omnino intelligerent, arbitror eos facile à ſententia diſceſſuros. Dedit natura homini ſenſus in corpore, in animo uerò acumen, quo cernat, ſpeculetur, intelligat, apprehendat. Tum iudicium, quo ſparſa & diſſipata uelut indagine quadam colligat, ad nanciſcendum uerum: quod quum ſe putat aſſecutum, acquieſcit ei, quod uerum iudicat, contrarium reijcit: quæ ſunt aſſenſio, & diſſenſio. Hinc adiuuatur experimentis ac uſu rerum, intentione animi, ſtudio, ſedulitate, memoria, exercitatione: quæ quando ſua cuique non ſufficiunt, accedunt aliena per doctrinam homini ab homine traditam. Hęc ſunt cunctis mortalibus in cõmune propoſita, quæ quoniam nos naturæ beneficio habemus, idcirco naturale lumen nuncupamus: & quæ per hæc aſſequimur, naturæ lumine dicimur aſſequuti: quæ uerò præter hæc, alio quopiam lumine: nempe diuino, uel angelico, uel nonnunquam etiam doctrina dæmonis: ut intelligamus eſſe lumen naturę ea naturæ munera, quæ communiter rationibus ſunt omnibus expoſita ad intuendum uerum: ſicut lumen naturæ ſunt in oculo ea omnia, quę hoc naturæ opificio parata ſunt ut oculus poſſit cernere: in ipſo

oculo

oculo cõstitutio corporis,unde oritur acies,exterius aptum medium,lux diffusa,obiecti conueniens interstitium.Iam in his quæ cognoscuntur, alia pertinent ad sensus, ut sensilia,& sensata:alia ad acumen,quæ est intelligentia rerũ à sensibus remotarum, siue cõcretionem habeant aliquam,siue nullam: alia ad inuestigationem rationis per causas, per effecta,& eiusmodi,quæ sunt ex inquisitione ueri: ad quam illico censura sequitur & assensus ac dissensio apparentis ueri aut falsi: quorum nõnullis continuo ab intelligentia consentimus,alijs opus est indagatione. Quæro igitur, quæ tandẽ in Aristotele suprema naturæ uocent:an ea quæ ad assensum ueritatis pertinent, ut ueritates habeat quibus nihil possit esse uerius?Habet indubie permultas,quis enim non habet?non modo ex philosophis, sed ex uulgo?Sed non sunt tamẽ uera omnia quæ confirmauit.Philosophi aliarum sectarum,nonnunquam etiam Peripateticæ, Galenus & medicorum cõplures,historici naturæ, prisci religionis nostræ scriptores,multa in eo magnis argumentis & euitabili experimento conuellunt.Quàm multa ostendit tempus falsa esse, & locorum uarietas?Quid idem ipse, an non in quibusdam secum pugnat?ut necesse sit ex duobus contrarijs alterutrum esse falsum?Num non in hisce omnibus nubecula est naturæ lumini obiecta?Quod si in asserendo obscurata est ei naturæ lux,quanto magis in eo quod difficilius est, & prius intelligendo, indagando,colligendo uero?Sunt tamen & ex philosophis & ex theologis,qui nõ solum quò Aristoteles peruenit,extremum esse aiunt naturæ,sed quà peruenit,eam rectissimam esse omnium & certissimam in natura uiam:ut non aliter credant se posse euincere illud esse summum atque absolutissimum,quàm Aristotelicis syllogismis: quod uero illis non congruat, alienum esse à naturæ face ac splendore. Si uel natura rerum esset unica,simplex,breuis,aperta nostris ingenijs,uel humanæ mẽtis uis in omnibus uniusmodi,fortasse definire aliquis posset, quid supremum esset, quò in natura ingenium humanum posset pertingere. Sed isti non reputant secum, infinite uariam esse naturam rerũ,siue in his,quæ monstrantur sensibus, siue in effectis & causis, cur quicque agitur. Quàm late patet in herbis,in animantibus,in homine,in mentibus,in cœlis?Ipse Deus & res spiritales quanto supra hominum captum assurgunt? uaria sunt hæc & latitudinis uastissimæ, abstrusa, admirabilia magis quàm perscrutabilia .Iam hominum mentes quanta mole sunt obrutæ? quibus inuolutæ tenebris? qua nocte prope excæcatæ?Quantum proficiunt ætate,cura,diligentia,usu, doctrina?est ingeniorum uarietas infinita,non unum aliquod uniuersa sortitum est munera, habet unumquodq;, sicut multorum fert opinio, & res ipsa docet,peculiare munus suum ac proprium. Quis inter hæc pronuntiare poterit quousque progredi humano ingenio liceat? nisi solus Deus, qui & naturæ terminos, & ingenij nostri nouit, autor utriusque.Equidem haud negauerim quin olim sapientiæ studiosi multum consecuti sint diligentia,cura,diuturnitate disciplinæ,intentione animi:quę res illos euexerunt longius, quàm quò nos potuimus peruenire socordia & segnitie impediti ac retardati. Sed cui tandem tanta diligentia,usus,studium,institutio,ætas,acumen suppetijt,longius ut nemo posset progredi, uel alius quispiam,uel idem ipse, quàm quò iam peruasisset,in naturæ itinere,tam longo,tam lato,tam multiplici, & propter nostras tenebras impedito?Ipse Aristoteles an nõ plura assecutus est senex quàm iuuenis?Quàm multa reliquit sibijpsi ambigua?quoties seipsum correxit?nonnulla etiam addiderũt nostri,casu puto,nam sibi diffidebant. Sed addiderunt tamẽ.Ergo ea uel si diutius datum esset uiuere, uel si in eorum aliquod unum incubuisset liberius, uel si ampliore doctrina esset adiutus,puriora certe& exactiora reliquisset.Sunt quidem magna hęc, adde etiam summa illius quidem ætatis ac studij,non illius hominis,nedum aliorum omnium.Profecto Aristoteles ipse,si nnnc uiueret,etiam si fuisset insolentissimus,cuiusmodi non fuit (nam multa modestiæ eius signa impressa sunt in illius libris) sed si arrogantissimus fuisset,istorum tamen stultitiam irrideret,ac castigaret. Quæ nostrorum hominum persuasio effecit,ut multa reciperemus in philosophiam pro compertis atque exploratis,quæ minime essent talia:uidelicet,Aristoteles dixerat. Quid erat opus defatigari nos inquirendo,quandoquidem fixum illud erat & confirmatũ,certius

tius inueniri nihil posse: unde nata est incredibilis in hominum pectoribus socordia atq; inertia: quæ latissime diffusa pro dulcissimo habuit alienis oculis omnia intueri, aliena fide omnia credere: nihil ipsam quærere, nihil scrutari. Itaq; illud mihi admirari subit, homines qui in paruis iudicare non sustinent, quomodo rem tantam pronuntiant, quam perceptam habere non possent, etiam si acutissime iudicarent? Quo uerò ducantur iudicio, quum alia sint argumento, tum illud, quòd eandem ingenij atque inuentorum felicitatem alijs communicarunt: ut etiam quod Plato, quod Seneca, quod Cicero dixissent, naturæ lux & norma credatur esse: atqui inter se dissident, & quisque secum, et dubitant, & hærent, & se uerisimilia consectari profitentur: & hallucinari se intelligunt, & falsos se esse sentiunt, nec dissimulant. Sed nobis perpetuo circum carceres hærentibus, mirandum non est eos, qui paulùm in stadio sunt progressi, uideri iam metam pertigisse: & in amicorum meorum gratiam transeo eam stultitiam, quæ uel pueris aut uetulis uideretur incredibilis, non deesse magnos in scholis magistros, qui quicquid fecerint, statuerint, dixerint uel populi gentiles, uel singuli hominũ illorum, tanquam uerum, rectum, bonum accipiunt in luce naturæ: & de eo disputant, & tali: quod esse insanissimum nemo non uidet, nisi qui ipse insanit: uerum in rebus humanis tolerabilis forsan esset indocta hęc censura. At omnium est grauissimum in ijs, quæ pietatis sunt. Scinditur ilico uelut regnum luminis: hoc uerum in lumine naturæ, illud in lumine fidei: comprimite linguas blasphemiæ imperitas. Hæc dicitis ex ignorantia eorum, quæ loquimini. Nam quemadmodũ in oculo, & unoquoq; sensuum uis quædam ac potestas, quę fertur ad conuenientiam & uelut amicitiam cum suo obiecto: ita in mente est uis, & uigor, & iudiciũ, & facultas ad obiectum suum: quod uerum esse, non falsum, nemo ignorat: ad quod uerum intelligendum & assequendum non aliter semina sunt naturaliter menti nostræ indita, quàm oculo uis illa ad aspiciẽdum colorem. Quocirca Aristotelis de autore omnium, de mundi origine, de regno naturæ, de anima, de moribus, de pietate, lapsus atq; errores non sunt naturæ lumini imputandi: nec ea sunt quæ nobis natura ostẽdit, quæ si essent, indubie uera essent: nam uerorum sunt nobis naturaliter ingenitæ informationes atq; anticipationes, non falsorum: & uerum est omnibus ad cognoscendum expositum, non falsum, nempe à uero et uerorum opifice. Quapropter quę uera assequimur, ad ea naturæ face deducimur, quæ non assequimur, in ijs naturæ destituimur lumine, quæ porrò falsa pro ueris colligimus ratione aliqua probabili, in ijs fallimur densitate tenebrarum, aut fallaci aliqua luce simili ueræ: unde etiam uerisimilia nominantur. Falsæ ergo Aristotelis opiniones non ad lucem sunt naturæ sumptæ, quæ neminem decipit, sed ad tenebras & imaginem aliquam lucis captiosam: quemadmodum quæ oculus uere cernit, ex naturæ luce cernit: quæ non cernit, ex imbecillitate sua non cernit: quæ uero ficta & simulata, pro solidis & ueris cernit, ea ex fraude ac deceptione quadam cernit: quæ fit quidem in naturæ luce, non tamen ex ea ipsa luce, sed ex rebus interiectis luci. Dic mihi quum remum integrum uideor mihi uidere in aqua fractum, est ne ea uisio ex luce naturæ? non inquis, sed ex deceptione oculi propter medium geminum, quod est contra lucem naturæ: eamq; deceptionem corrigit animus. Sic quũ Aristoteles argumento aliquo fallitur, non eum decipit naturalis splendor, sed imbecillitas ingenij, quæ à plagis argumenti extricare se in pręsens nõ ualet, extricabitur ubi propius erit admota naturę lux maiore studio, attentione, die ipsa, monitu cuiusquam, aut doctrina: nõ ergo lucis naturæ copia quẽ quam fallit, sed inopia. Non abnuo quin in rebus pietatis cognoscendis adiuuemur diuina quadam illustratione singulari, sed certe pleraq; nos etiã natura de illis docet. Neq; enim est quicquam tam recõditum in Christiana pietate, nullum adeo sublime ac excelsum mysterium, cuius non magnas & admirabiles rationes ingenium humanum inueniat, nauet modo operam sobrie, diligẽter, industrie: clarius quidẽ atq; apertius uidemus omnia ope fulgoris diuini, sed profecto licet obscura, nec satis liquida, multa tamen exculperemus magna atque admiranda, unde facile cuiuis esset perspicuum, & illorum non leuia aut tenuia semina in animis nostris esse ingenita,

& naturæ lumen eò nos comitari ac deducere, quò nos peruenire mus, si recta insi-
steremus sedulo. Sed redeo iam ad ea quę de Aristotelis operibus cœperam dicere.
Vicit ille quidem superiores omnes atque etiam posteros, est autem in definiendo
uafer & occultus, adeo ut pleraque sint idcirco in eius philosophia incerta & per-
plexa, parum etiam uera, dum magis curat, quem in modum reprehensionem exclu
dat, quàm ut asserat uerum. Alexander Aphrodisæus propterea se Aristotelis sen-
tentiam de mundi æternitate unam ex omnibus ait delegisse, quam teneret, non
quod esset omnium uerissima, sed quod contradictioni minime obnoxia. Quid
quod ex philosopi huius libris, qui sunt sane multi, acute perscripti & docte, non uti
lissimos sibi sumpserunt, sed intricatissimos & rixosissimos, quiq; minimũ haberent
bonę frugis, nõ de animalibus, qui multũ utilitatis adferunt ad uitam, & quorũ ingẽs
fuit apud ueteres pretiũ, nõ problemata, sed physicos, & ut quiq; physicis sunt proxi
mi obscuritate & argutijs, uidelicet de prima philosophia, de cœlo, de generatione,
nã libros Meteororũ ita tractant, ut aliud uideãtur agere: atq; adeo mirũ est receptos
eos esse inter libros scholasticos, puto casu magis quàm cõsilio cõtigisse. Sunt enim
earum rerum inexperti prorsus, & huius naturæ, quã melius agricolæ & fabri norunt
quàm ipsi tanti philosophi: qui naturæ huic quã ignorarẽt, irati, aliam sibi confinxe-
runt, nempe subtilitatum nugas de ijs rebus, quas nunquam Deus condidisset, nem-
pe formalitates, ecceitates, realitates, relationes, Platonis idæas, & monstra, quæ
nec illi quidem capiant ipsi, qui pepererunt, quæ quando aliud non possunt certe di
gnitate cohonestant nominis, metaphysicam appellantes, Et si quis ingenium ha-
beat naturæ huius imperitum, aut ab eo abhorrens, ad commenta, ad somnia quæ-
dam insanissima propensum, hunc dicunt ingenium habere metaphysicum: ut de
Scoto, in quo fortassis à callidis & acutis hominibus ambiguitate nominis deludi-
mur, ut ingenium esse metaphysicum sentiant, quasi extra hanc naturam in alia qua
dam noua, & inusitata. Rident nominales metaphysica illa realium tanquam fig-
menta, & aniles fabulas: & tamen quia conuellere non possunt, nec intercedunt,
quominus metaphysica dicantur ingenia præpostera & deridicula. Sed enimuero
neque hæc ipsa Aristotelis uolumina potuerunt intelligere, primum propter locu-
tionem astrictam, & ex breuitate obscuram, hinc propter intricatas & obliquas sen-
tentias, tum etiam ob immodicas subtilitates, quibus Aristoteles plerunque non ex-
acuit ingenia, sed perturbat, & frangit, tenebrasq; & hallucinationem inducit aciei
mentis, dum conatur minutias quasdam tenuissimas ostendere, & inutiles per se, &
quæ intentionem obtutus ingenij subterfugiant, ac frustrentur: non aliter quàm si
fila monstrare quis uellet rudentum illius nauis, quam Myrmecides fabricatus est
apicula contectam: uel dispũctiunculas Iliados, quæ nuce capiebatur. Tales sunt il-
lius libri Græce quidem ut ab eo sunt perscripti, nam Latinos ita legimus, ut ænig-
mata audire te credas, non planum sermonem, atq; explicatum, qualem inter se ho-
mines consueuerunt usurpare. Dicet aliquis graue incommodum, sed ideo tolera-
bile, quod adiuuamur bonis interpretibus ac explicatoribus ex Arabia usque acci-
tis: quibus tandem ? uersione Arabica, & commentarijs Abenrois, quem philoso-
phi de nostra schola, qui post eum scripsere, ita sunt amplexati, ut penè autoritate
Aristoteli adæquarint, nec solum qui longo post interuallo uixerunt, sed qui illius
quoque ætate: quod factum est & ignorantia meliorum, & admiratione mercimo-
nij lingua & sensis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos nouitas, apud
posteros uetustas: nomen est commentatoris nactus, homo qui in Aristotele enar-
rando nihil minus explicat, quàm eum ipsum, quem suscepit declarandum. Sed
nec potuisset explicare etiam si diuino fuisset ingenio, quum esset humano, & qui-
dem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in Aristotele enar-
rando posset esse probe instructus? Non cognitionem ueteris memoriæ, non scien-
tiam placitorum priscæ disciplinæ, & intelligentiam sectarum, quibus Aristoteles
passim scatet. Itaque uideas eum pessime philosophos omneis antiquos citare,
ut qui nullum unquam legerit, ignarus Græcitatis ac Latinitatis, pro polo Pto-
lemæum

lemæum ponit, pro Prothagora Pythagoram, pro Cratylo Democritum, libros Platonis titulis ridiculis inscribit: & ita de ijs loquitur, ut uel cæco perspicuũ sit literam eum in illis legisse nullam. At quàm confidenter audet pronuntiare hoc aut illud ab eis dici, & quod impudentius est, non dici: quum solos uiderit Alexandrum, Themistium & Nicolaum Damascenum: & hos ut apparet, uersos in Arabicum peruersissime ac corruptissime. Citat enim eos nõnunquã, & contradicit, & cum eis rixatur, ut nec ipse quidẽ qui scripsit, intelligat. Aristotelẽ uero quomodo legit, nõ in sua origine purum & integrum, non in lacunam Latinam deriuatum, non enim potuit linguarum expers, sed de Latino in Arabicũ transuasatum. In qua transfusione ex Græcis bonis facta sunt Latina non bona, ut ille dicit, ex Latinis uero malis Arabica pessima. Sed ut liquido ostendã qualis sit Arabica interpretatio & expositio commentatoris, locum unum pro sexcentis milibus adferam: nam alia permulta facile quisque per se inuenerit, quæ ego supersedebo attingere, ne sim iusto prolixior in re præsertim, quæ patefactis linguis & cognitione totius antiquitatis, apertior post hac erit plerisq; . Libro ergo metaphysices primo textu, sicut ipsi loquũtur, commenti quinti Aristotelis, opiniones priorum de principijs naturæ examinantis, hæc sunt uerba: Μετὰ δὲ τὰς εἰρημένας φιλοσοφίας ἡ πλάτωνος ἐγγίζει πραγματεία, τὰ μὲν πολλὰ τοῖς πυθαγορείοις τόποις ἀκολουθοῦσα. τὰ δὲ καὶ ἴδια παρὰ τὴν τῶν ἰταλικῶν ἔχουσα φιλοσοφίαν, ἐκ νέου γὰρ συγγενόμενος πρώτῳ κρατύλῳ καὶ ταῖς ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ὧν ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν ὄντος, ταῦτα μὲν ὕστερον ὑπέλαβεν σωκράτους δὲ περὶ τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ ὅλης φύσεως οὐδέν. Quorum hic est Latinè sensus: Post iam enumeratas de philosophia sententias secuta est Platonis speculatio, in plerisque Pythagoricis accedens, sed quædam habẽs propria præter Italicam disciplinam. Nam à puero primum Cratylo dedit operam, & placitis Heraclíti, quę à sensilibus quòd in perpetuo essent fluxu, scientiam tollebant, cuius ad postremum quoq; fuit opinionis. Cum Socrates circa moralia uersaretur, de natura autẽ uniuersitatis nihil diceret. Sic nos. Audiamus nunc interpretem Arabicum: Et post hoc quod dictũ fuit, de modis philosophiæ, inuenta fuit philosophia Platonis, et sequebatur illos in multitudine, in unitatibus autẽ erat opinionis Italorũ: & primus qui contigit post Democritũ, fuit opinio Herculeorũ, scilicet ꝙ omnia entia sunt semper in fluxu: & ꝙ nulla est in eis scientia. Istas igitur opiniones secundũ hos accepimus in postremo. Socrates autẽ loquutus fuit in moralibus, & nihil dixit de natura. Sic ille. Quæso te, quis sanæ mentis eadem dicat esse hæc & illa? Aristoteles si reuiuisceret, intelligeret hæc? aut posset uel coniecturis castigare? O homines ualentissimis stomachis, qui hæc deuorare potuerunt & concoquere? & in hæc tam ab Aristotelis sentẽtia ac mente abhorrentia auscultare quę. Abenrois commentator comminiscitur: fauete linguis uiro tanti nominis, et alteri Aristoteli. Dicit, Et postquam inuenti fuerunt isti modi philosophiæ, scilicet Pythagoricorum, & uniuersaliter qui ponebãt mathematica principia entiũ naturaliũ, scilicet Anaxagorę, & Empedoclis, & Democriti, inuenta fuit philosophia Platonis. Quid ais? Anaxagoras, & Empedocles, & Democritus, mathematica entia faciebant principia rerum naturæ? atqui Anaxagoras adfert sua ὁμοιομερῆ, Empedocles quatuor elementa, Democritus corpuscula insecabilia, & inane: quod si non aliunde, si non ex Græcis, aut Latinis, quos nusquã uidisti, certe ex Aristotele ipso quantũlibet deprauato didicisses in physicis, & in hoc eodem opere, & alijs multis. Perge porrò: & dicit, quod sequebatur istam in multitudine, id est quòd Plato consectabatur in pluribus suis opinionibus opinionẽ Pythagoricorũ, & in paucioribus opinionẽ Italorũ: quid potest dici uel aptius intelligentiæ Aristotelis, uel eruditius de historia philosophię, ac hæresibus? Pythagoricos distinguit à philosophis Italicis, quasi alij fuerint Italici, quàm Pythagorici? quod nec pueri nostri ignorant: addit, & fuerunt primi naturales in Italia, scilicet Anaxagoras, Empedocles, Democritus: atqui priores fuerũt Ionici philosophi à Thalete, quàm Italici à Pythagora: sed cur iungis uulpes ouibus? Cur Anaxagoram ex Ionia transfers in Italiam? deinde dicit quòd Plato sequebatur in maiore parte philosophiæ suæ, eos qui ponebant mathematica causas rerum sen

ſibilium. Quis hoc dicit? nam Ariſtoteles nihil minus dicit quàm quod tu ſomnias: adiungit, quia Plato dicebat formas eſſe, & opinabatur naturam formarum, & numeri eſſe eandem. Quid opus eſt nobis alio interprete aut expoſitore Platonicorum numerorum? iam poſteaquam Abenrois ſcripſit, ceſſet dictum uetus, difficilius q̄ numeri Platonis: & opinabatur, quod quatuor elementa ſunt compoſita ex ſuperficiebus æqualium laterum, & angulorum: nihil ergo loci relinquitur triangulo? nihil pyramidi? apparet hunc hominem diligentiſſime eſſe in Platonis Timęo uerſatum: tam multa tu quidem dices de Platone, utqui nunquam legerunt Platonem & Ariſtotelem, credant te non minus eſſe Academicum, quàm Peripateticum. Deinde dicit: & primum quod contigit poſt Democritum, fuit opinio Herculeorū: quid ego hæc refellam, quæ apud Ariſtotelem nulla ſunt, & ſumam operam ſuperuacaneam: quum hæc ſint cuilibet ad exibilationem atque exploſionem obiecta. Vbi eſt mentio Democriti? ubi Herculeorum? quid malum ſunt iſti Herculei? an quia Hercules Græce ἡρακλῆς dicitur, ideo heraclitici erunt herculei? qui faciebāt dubitare omnes dantes ſe ad philoſophiam in illo tempore: quos omnes præterquam ſeipſos? ſed nec dubitabant, qui ſciebant neſciri ſenſibilia: an putas Academicos fuiſſe, qui in omnibus aſſenſum cohiberent? & dicebant quod nulla eſt ſcientia. Quid tu nulla cenſes illos entia poſuiſſe præter ſenſilia? O doctum interpretem ueterum. A ſenſibus, quæ uere non eſſent, ſcientiam illi auferebant: in ijs quæ mente aſſequeremur, quæ ſola uere ſunt, relinquebant, ut in deo, & rebus illis cœleſtibus. Scientia enim neceſſaria eſt: quis ſic loquitur? ſcientiam eſſe de neceſſarijs dicimus, non ipſam neceſſariam: ſed faciamus gratiam uerbi homini infacundiſſimo: & nihil eſt in his, de quo pendeat ſcientia, niſi ſenſibilia, quæ ſemper ſunt in tranſmutatione. Hæc ſunt tua? an Herculeorum? ut tu uocas, ſint enim heracliti herculei, certe illorū non ſunt, qui ueram ſcientiam in cognitione ſtatuebant eorum, quæ uere eſſent: tua ſunt, qui adeo es impius, ut impietates inſerere, uel tuo uel alieno nomine ſemper gaudeas. D. d. & iſtas opiniones & cætera, id eſt, iſtæ igitur opiniones prædictæ peruenerunt ad nos de conſyderātibus in philoſophia uſque nunc, uidete quàm hoc cōgruat cum eo quod Ariſtoteles dicit, hæc fuit poſtmodum Platonis ſententia. Atqui hic eſt Abenrois quem aliquorum dementia Ariſtoteli parem fecit, ſuperiorē diuo Thoma. Rogo te Abenrois quid habebas, quo caperes hominum mentes, ſeu uerius dementares? cœperunt nonnulli multos ſermonis gratia & orationis lenocinio, te nihil eſt horridius, incultius, obſcœnius, infantius. Alij tenuerunt quoſdam cognitione ueteris memoriæ, tu nec quo tempore uixeris, nec qua ætate natus ſis, nouiſti, non magis præteritorū conſultus, quàm in ſyluis & ſolitudine natus ac educatus. Sunt quos libenter legimus propter experimenta, & obſeruationes uariarum rerum in natura, ut Albertum Grotum: tu uelut in alia natura genitus & uerſatus de hac nihil loqueris, utiq; in Ariſtotelē ſcribens: nam libros tuos medicos non legi. Admiratione atq; omnium laude digni ſunt habiti, qui animos formauerunt, qui præcepta tradiderunt bene uiuendi: te nihil eſt ſceleratius, aut irreligioſius: impius fiat neceſſe eſt, & atheos quiſquis tuis monimentis uehementer ſit deditus. Equidē coniecturas omnes conſumpſi, lā dic ipſe qua potiſſimū re quibuſdā placuiſti: audio, teneo, nō tua culpa eſt, ſed noſtra: nō tu adferebas, quo placeres, ſed nos adferebamus, quo non diſpliceres: nō approbauit te tua doctrina, ſed aliorū imperitia, et torpor: ſuauia erāt obſcuris obſcura, inanibus inania, & quibuſdā pulchra ſunt uiſa atq; ad fucū faciendū aptiſſima, quæ nec ipſi intelligerent, nec alij eſſent intellecturi, nam exiſtimationē ſcientiæ quærebant, nō ſcientiā: multi te nō legerāt, alienum iudiciū ſunt ſecuti: aliquibus propter impietates fuiſti gratus: nam & Abenrois doctrina, & metaphyſica Auicennæ, denique omnia illa Arabica uidentur mihi reſipere deliramenta Alcorani, & blaſphemas Mahumetis inſanias, nihil fieri poteſt illis indoctius, inſulſius, frigidius. Verum enim uero quod ex Ariſtotelis libris aſſequebantur, quod erat ſanè perexiguum, quia eſſet iam diſputationibus plus nimio tritum, agitatum, uexatū, ut genus illud pugnæ etiā tyronibus uideretur eſſe notiſſimū, noua eſt quęſita belli geren di ratio, & noua pugnis

gnis materia. Inuectæ sunt cauillationes stultarũ subtilitatum, quas ipsi calculationes uocant, quibus maximum dedit incrementũ Rugerus Suicetus Anglus: quas id circo Io. Picus quisquilias Suiceticas solitus erat aptissimo nomine nuncupare, quæ nihil penitus uel ad sciendum conferunt, uel ad usum aliquẽ. De usu neminem uideo dubitare, ne ipsos quidem maximos earum professores, & quorum existimatio in una illarũ cognitione est posita. Porrò scientia quæ potest esse in rebus à deo, à sensu & mente omni remotis ac segregatis? & de quibus ex inani aliquo fundamento uastum ædificium assertionum, ac dissidentiũ sententiarum consurgit: ut de intensione & remissione, de raro ac denso, de motu uniformi, de difformi, uniformiter difformi, difformiter difformi. Quid quod in his quæ nunquã contingunt, ac ne possint quidem in natura, multi sunt atq; immodici: ut de infinite raris aut dẽsis, de hora secta in partes proportionales hoc aut illo proportionis genere, in unaquaq; ut aliqua sit motus ratio uel alterationis, uel rarefactionis. Et quasi explorata iam & percognita haberent naturæ arcana, perfuncti iam ijs, quę sunt, quę erunt, quæ fuerunt, ad ea quæ fieri uix possunt, curam suam conuertunt: ignorant quę iacent ante pedes, scrutantur quæ nusquã sunt. Transeunt ad supernaturalia, & ex dogmatis qualibuscũq; in hac natura utcunq; obseruatis, de miraculis, de ijs quæ naturã omnem excedunt, disputãt. Quid essent si hęc aut illa Deus conderet qualia non condidit, puta aliud hominum genus, aliud belluarum, & elementorum: demens ex legibus huius naturæ, atque ijs parum à te exploratis, de conditione alius naturæ inquiris? Prætereo subtilitates immensæ difficultatis, uidelicet à quibus humani ingenij natura abhorret. Sed difficultas & labor recusandus fortassis nõ esset, proposita utilitate: atqui in his labor est irritus, sine usu, sine scientia. Quid merentur exercitati in his tam diu, tam diligenter? nimirũ idem munus quo Alexander donauit illum, qui grana ciceris iacta acu exciperet. Inuenta sunt hæc ab otiosis hominibus aliarum rerum omnium insciẽtibus, ad exercendum in scholis guttur, ne tacendo obduceretur situ. Recepta sunt ab ijs, qui omnis cognitionis & peritiæ rerum nudi, facile otiosa hæc quadam mentis agitatione tuebantur. Scilicet hoc solo prouiso ne sibi repugnarent: aucta sunt disputationibus & spe uictoriæ: tum cogitationibus uelut in ludicrum solutis, ad quas nec iudicio, nec libris, nec rerum notitia esset opus: planè quales cupiebant homines ab ijs omnibus uacui, & quibus maximam diei partem erat altercandum, adeo ut etiam quę falsa esse non dubitarẽt, arripienda tamen illis fuerint, nec statuenda aliter quàm ueriſſima, ne materia deesset rixis, & contentionibus subinde reuertentibus. Nihil olim amœnius habebatur contemplatione horti huius naturæ, ut neque est ullum pulchrius, aut iucundius spectaculum, quàm theatri huius. At isti pro floſculis & arboribus placidiſſimis crucem ingenijs fixerunt, ut nec ibi tanta se amœnitate possent delectare, & fracta ac debilitata attollere se, ad meliorum rerum cognitionem non ualerẽt. Ita ex hoc philosophiæ genere ad medicinã & naturæ inspectionem trãseunt pręposteri, absurdi, spinosi, in omnibus inepte cauillatores, ut quę simpliciter accepta intelligerentur ac prodessent, ipsi uellicando, perstringendo, detorquendo frangant ac corrumpant.

DE MEDICINÁ.

LOCVS hic admonet, ut quam etiam cladẽ medicina acceperit, commemorem. Nam hæc quæ hominum morbis remedium adfert, immunis à communi peste non permansit. Constitutionem hanc nostri corporis imbecillam & fragilem, multa & interne oppugnant & externe. Quotidianis necessitatibus & periclitanti illi discordium humorum concordiæ epulæ subueniunt: congruentiæ uerò iam disturbatæ, uel id ne accidat medica ars: quæ primum experimentorũ audacia nata est, dum necessitas ad desperationẽ adigeret, ut auderent tentare: quando quidẽ nec quietis & cautis meliore loco res erant futuræ. Annotata sunt experimenta uel in memo-

ria eorum,qui essent adiuti propinquorũ, necessariorũ, denicp omnium qui cum admiratione ea animaduertissent,uel in templo eius dei,qui imploratus salutem uidere tur attulisse. Collecta sunt paulatim quæ profuissent remedia: unde prima origo artis: quod fecisse Hippocratem Coum Plinius prodidit ex M. Varrone. Sed experientiæ,quemadmodum Hippocrates idem inquit,fallaces sunt,mutantur ætate,sexu, constitutione corporis,loco,tempore. Ideo iudicium fuit cum cura adhibendum,ut singula in remedijs obseruarentur,quæ,quando,ubi,quibus. Prima quidem fuerunt experimenta,& ea in admirationem traxerunt præstantia ingenia, ut singulorum naturas & causas eruerent.Sed mox eadem illa ingenia generales quosdam canones exculpserunt,quis remedia censerentur,ne uaga errarent ac incerta,concluſa iam & alligata præscripto artis. Nam ubi dogmata,& cognitio scholæ philosophicæ & excultum ab ea iudicium experimenta non regit, casus est & temeritas medicina, non ars. Quando ergo ab experimentis, sed acri iudicio adhibito, nata est hæc ars & aucta,prima illius corruptela,& sæuissima est,ubicunque uel deest experientia, & usus rerum, uel iudicium philosophicum. Multi solis experimentis uel suis, uel sæpe etiam alienis confidunt,iudicij & obseruationis huius uniuersalis inopes ac inermes, experimenta ubicp ualere idem arbitrantur: quum ea prosint in morbo aliquo fœminæ, quæ uiro noceant: nec idem puero & seni conueniat bilioso, & pituitoso in hyeme,& æstate in Hispania,& in Scythia.Alij contrà philosophiæ præceptis instructi, ignari usus, expertes rerum, manum curationibus admouent: quum artis ea sit præcipua pars, non quæ scripta sunt probe intelligere ac tenere, sed applicationi assueuisse, quæ quando in effectione posita est ac opere,non scientis est, sed experti. Verum ut cuique salus & sanitas sua est commendatissima, cui ex immodico amore supra quam dici possit & indulgemus,& metuimus, amor hic timore temperatus iudicium omni utilium & noxiorum adimit: quo fit ut nemo hominum omnium aliquid se ad sanitatem nostram faciens profiteatur dicturum,cui non adhibeamus aurem,& eo promptius,quum urit morbus,& faces doloris subdit acerbissimas,ut capti & falsi nõ semel,eodem tamen reuertamur priorum immemores:nisi quis forte ex fraudibus sui & aliorum in odium professionis sit adductus, maius periculũ ab arte metuens:aut ex desperatione in apertum de uita discrimen uenire malit,quàm se arti committere infeliciter ab se,uel alij tentatæ. Cuiusmodi homines sunt utique perpauci.Illi alteri plericp omnes,qui omnia profitenti sanationẽ morbi credant,& confidant. Quocirca quæstuosissima facta est ars. Quid nõ largiatur homo liberatori suo? An uerò sit ullus tam insanus,qui in uitę periculo pecuniæ parcat? Cui ergo tempori numi reseruat usum ilico periturus? Pellem pro pelle,sicut Iob inquit,& omnia quæ possidet homo dabit pro anima sua.Festiue Philippus Alexandri pater, quum à clauicula luxata laboraret,& subinde aliquid pecunię medicus poscceret,accipe iam(inquit)omnia quæ uoles,quando habes clauem.Sed olim quæstuosior fuit quàm hac ętate,credo, quod alia pręstarent illi maiora,& magis admiranda. Sed neque nunc desunt medicis sua præmia: alet & sustentabit se medicus in frigidis oppidulis,in uicis,in solitudine, ubi aliarum artium ne nomen quidem est auditum:is tam paratus quęstus multos allexit,ut perditis ac desperatis rebus alijs omnibus,ad hanc unam, ceu extremam & sacram anchoram confugerent,& uelut arenam in naufragio. At qui lucri gratia studebant,ea demum ex arte ac studijs omnibus collegerunt,quæ ad parandam pecuniam essent aptissima, nempe historiam remediorum cum leui, aut nulla etiam interdum cognitione philosophiæ, & iudicij illius, quem in adhibendis medicamentis clauum esse diximus. Nam errata illius impune sunt, imò etiam mercede compensantur: nec deest, quod flagitio suo prætexant: ægre inobedientiam,uim morbi maiorem,cp cui posset subuenire humana ars: facetijs nonnunquam & dictis iustas querimonias eludunt: cui unquam est dies medico de cæde dicta? Admiscuit se, ut in re omni, cupiditas gloriæ, quam alij ob augendum quæstum expetiuerunt, ut eo ampliora mererent operæpretia, quo eorum nomen esset illustrius: alij ob ipsum solum nomen & auram quandam popularem. Vnde nata sunt dogma

ta &

ta & placita medicãdi cum his pugnantia,quę in arte omni essent receptissima:qualia fuisse dicunt Thessali illius,qui se ἰατρονικὸν appellauit,in quẽ sunt tam multa à Galeno scripta,tum etiam aliorum,de quibus meminit Plinius in historia naturæ. Cæterùm linguarum casus & obscuratio huic arti, quemadmodum reliquis omnibus, atrocissimã attulit cladem. Amissa sunt omnia,quæ necessaria erant ad intelligentiam eorum quæ fuerant à ueteribus obseruata, & tradita posteris:id est ad notitiam fontium, atque eorum scriptorum, quorum fide posteriores artem exercerent, ut nomina partium humani corporis intus & foris,herbarum,animantium,lapidum, ponderum, mensurarum. Tum temporum & historiarum,qui morbi, quas aliquando regiones, quibus temporibus, quod genus siue hominum siue bestiarum inuasisset atque infestasset, quomodo sedati ac depulsi: adde huc quòd nec phrasin Græci aut Latini sermonis intelligunt,quæ soliti sunt prisci medici remedia præscribere. Libri magnorum autorum ut Hippocratis,Galeni,Dioscoridis uersi primum imperite,deinde confusissime & obscurissime: ut nec intelligi potuissent etiã si uersi fuissent doctissimè:unde multi errores extiterunt,Auicẽnæ, Rasis,& aliorum Arabum: ut in Aristotele enarrando eadem de causa multi sicut ostendi,Abenrois. Iam tot eorum opera nunquam in alienas uersa, unde plurimum fuerat eruditionis hauriendum.Cuiusmodi est uidere uel nuper ad nos translata,uel necdũ etiam Hippocratis, Galeni, Pauli Æginetæ. Quæ omnia Nicolaus Leonicenus,Hermolaus Barbarus, Thomas Linacer,Gulielmus Copus, Laurentius Laurentianus, Manardus, Ruellius patefecerunt,siue redarguendis falsis,siue asserendis ueris:quæ incipiunt iam esse passim nota,idcirco superfluum esset ea hic recensẽri,à me præsertim,qui medicinæ non plus attigi, quàm quantum illa speculationi naturæ rerum & alijs humanis disciplinis coniungitur,tum ex usu nonnihil,& communi uita.Medicis rerum ueterum ignaris, & earum que potissimum ad salutem humani corporis conducerent,aliquid tamen fuit agendum ex scholastica illa physicæ exercitatione. Ingentem & copiosissimam disputandi materiam in hanc quoque artem tanquam plaustris inuexerunt,de intensione & remissione formarum, de raritate & densitate, de partibus proportionalibus,de instantibus, ea quæ nec sunt, nec unquam euenient,uentilantes sua somnia,deserta pugna cũ morbis interea loci prementibus atq; occidentibus. Ea res fœcunda & infinita,nõ aliter quàm hydra quędam,diutissimè remorata est ingenia cum fructu alijs uacatura. Videre est cauillationes, & tricas Iacobi Forliuiẽsis, nec minus spinosas,nec minus inutiles,quã Suiceticas,nec prolixitate & molestia cedentes,quæ nobis Ioannes Dullardus non rarò solebat citare in exercitatione physica.Poterant hæc coli sine literis,faciebant ad ostentationem disputationum: nam altercationes non minus artem hanc, quàm reliquas omnes, uexauerunt: euehebant ad honorum gradus in scholis,qui gradus (de immaturis loquor) grauem inflixerunt plagam arti,ac proinde uitæ. Nam iuuenes atq; adolescentes instructi spinis illis,& captiunculis, nulla peritia herbarum,animantium,elementorũ, denicq; naturæ huius nullis experimentis,& cognitione rerum adiuti, nulla fulti prudentia,iudicio & consilio perquàm imbecillo admittuntur ad honores, & continuò emittuntur ex Academia in proxima oppida, & uicos, ad ponenda rudimenta artis, tanquam manus immitium carnificum: nec uniuersales nouerunt canones, nec deductionem artis uiderunt ad usum, nec ipsi ad opus mouerunt manum: iuuenes calidi et confidentes omnia temeritati casuum commendant.Admoneri se non ferunt tyrones à ueteranis, quibus se adæquatos uident honore nominis. Quòd si illi molesti esse pergant,aggrediuntur eos rixis, & tendiculis scholasticis: hinc clamore,& peruicacia asseuerationis, conuitijs, maledicentia cogunt sibi cedere senes moderatos, & pugnis huiusmodi desuetos, uictos effronti confidentia,importunitate,odio.Ad hæc fastidiuit ostentatio ueterem & uulgatam medendi uiam:nouam,insolitam quę siuit,quæ admirationem excitaret.Alij,uelut astra haberent in consilio, quicquid agerent dies,& horas,& momenta obseruarunt, ceu nihil nisi de consilio syderum aggrederentur:alij medium unguẽ syderibus ostenderunt,& se curaturos professi sunt

inuitis astris, quum astra nec omnia in corporibus nostris faciant, nam elementorum temperatio multum proficit, nec omnino nihil, & quæ efficiunt nec sciuntur omnia, nec nihil, etsi pauca admodum & maligne: quæstus & laudis auiditas ad ea impulerunt, quis hæc duo pararent ostentationem ac iactantiam sui: tum aliorum, qui rebus expetitis uiderentur posse officere acerbam insectationem, ac mordacitatem, ut malint uel corrumpi remedia, quàm præberi aliena manu. Quum eorum aliqui de morbo quopiam in commune consulunt, qua malignitate, quo liuore id faciunt, quanto fastidio & uultuositate accipiunt alienam sententiam, qua autoritate atq; asseueratione proferunt suam, qua pertinacia tuetur quisq; quod semel confirmauit, aut etiam est elapsum, ne cessisse uideatur: idq; eo faciunt obstinatius, quo sunt imperitiores: uidelicet nõ tam spectantium de se iudicium ueriti si quid concedant, quàm suæ ipsorum conscientiæ, cui satisfacere se non putant, nisi si omnino uictoriam alijs fecerint dubiam, aut uictores se, aut certe non aperte uictos: nam cedere appellant uinci. Vnde illa nata est nobilis inscriptio sepulchri, perijsse se medicorum turba. Quę omnia utinam, ut in alijs, artem concupissent solam, non item uitam. Sed necesse est arte hac corrupta, maxima incommoda in uitam inportari, quæ se momentis singulis arti huic credit, ac committit.

DE MATHEMATICIS.

TAs artes quæ circa quantitatem uersarentur, Græci μαθηματικὰς quasi disciplinatas nominarunt: quantitatẽ uero, hoc est ποσότητα, fecerunt duplicem: modi seu molis, & numeri. De quanto modi una est disciplina simplex, quam geometriam dixere, de terrę dimensu, de numero. Vna itidem quæ Arithmetica, cuius etymon materiã testatur. Geometria ad res cœlestes translata effecit Astronomiã: numerus ad harmoniam effecit musicam. Magnitudines ad uim cernendi traductæ eam partem mathematicæ dederunt nobis, quæ ὀπτικὴ nominatur, à nobis perspectiua. Itaq; harũ duę sunt artes simplices seu uniuersales, tres uero siue cõpositæ, siue speciales tãquam ex generalitate deriuatæ. Non sunt repertæ plures, qui nõ applicuerunt animũ ad quærendum, uel quia non potuerunt extudere, ut auditiuã quemadmodũ perspectiuam: de qua etsi aliud gentes quidã nõnulla uelut digito monstrarunt, ut quemadmodum se sonus per aëra porrigat, quomodo fiat echo, de ijs quę procul & propè audiuntur, de cauo sonante & pleno, tum alia quæpiã: de quibus Aristoteles inquirit in undecima sectione problematũ. Disciplinas has certissimas esse Aristoteles merito affirmauit: ex eis et ipsa et Plato ad philosophiã omnem, siue de natura disputent, siue de moribus, euidentissima sumunt argumenta, quæ uocantur demonstrationes, similitudines, exempla, itidẽ atq; imprimis apposita, quòd ætate illa tam ea erant inter ipsos nota, cẽq; inter nos de uictu, quo utimur quotidie, & uestitu, & habitatione. Qua de causa & Platonem in fronte Academiæ ferunt titulũ ac uelut edictum inscripsisse, quo uetaret eo ingredi harum artium imperitos. Abstrahũt mathematici formas, & figuras, & numeros à materia, in quas abstractiones non incurrit mendaciũ: nam neq; componunt affirmãdo, neq; negando diuidunt: simplices res cõsyderant, nõ coniunctas. Neq; enim punctũ esse aiunt aliquid in rerum natura, cuius pars sit nulla: aut lineam aliquid quòd longũ sit & illatabile, sed quod sic cõsideretur, nulla habita ratione partium uocetur punctum, ut sol in cœlo, in terra, in mũdo, quod uero ratione longi & non lati linea, ut quas sol conficit diurno suo cursu. Quem abstrahendi modum qui non cõsyderarunt, alij disciplinas has parum sunt certas arbitrati, ut Epicurus et Protagoras, quibus Laurentius Valla imperite est assensus: alij adducti autoritate uerissimarum ac certissimarum artium res tales esse in natura existimarũt, quales ipsi cogitatione sua imaginarentur, ut qui in scholis reales nominantur, non facturi, si priscos ullos philosophos legissent: aperte enim Stoici lineam & superficiem aiunt esse corpora, hanc sine altitudine, illam sine latitudine. Ciceronem & Senecam miror illum

illum in Academicis quæstionibus sic loqui: Geometræ prouideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere, & qui omnia quæ nobis describunt, & probant. Non quæro ex his illa initia mathematicorũ, quibus non concessis digitum progredi non possunt. Punctum esse, quod nullam magnitudinem habeat. Extremitatem, & quasi libramentum in qua nulla crassitudo sit, liniamento siue ulla crassitudine carentem. Hæc Cicero. Senecam uero sic: Mathematicus usu quodam & exercitatione procedit, impetranda illi quædam principia sunt. Non est autem ars sui iuris, cui precarium fundamentum est. Habet Geometria, quemadmodum uidere est apud Euclidem, tria principiorum genera: diffinitiones, anticipationes, postulata: hæc si eam non probare, precaria est habere principia, nulla ars non habet precaria, nulla enim probat, sed statuit tantum & ponit. Quid autem tu uocas mihi precarium. Num id quod durissimę sis frontis, imò præposterus & naturæ contrarius: nisi concedas, precarium tu appellas, quod possim meo iure sumere ac uindicare? diffinitiones tales sunt: si non placent, de uerbo sit controuersia, non de re. Quod nullius magnitudinis cogitatione ab animo capitur, ego punctum uoco: non libet, adfer nomen aliud, illo utar. Anticipationes quæ sint, dicat idem Cicero: anteceptæ animo rei quædam informationes, sine quibus nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari potest: quale est si æqualibus ęqualia adijciantur, omnia fient æqualia: hoccine uocet aliquis precarium? Si ergo disputaturus tecum posuero omnia esse aut non esse, tu si admittas, gratiam pro beneficio reposces, & me munere tuo dices procedere? Quasi uero si id ego abs te non impetrem, natura nõ sit uolenti nolenti extortura. Iam postulant aliqua, ut ab omni signo in signum rectam lineam posse duci, omni centro & interuallo circulum posse describi: doce tu aliter posse fieri, & uiceris hoc esse precarium. Hæc omnia certa atque indubitata sunt, & in cuiusuis animo & cogitatione à natura ipsa ingenita. Sed artes hæ quando ad usum pertinent, uersæ ad contemplationem usu remoto longissime, sunt ad ea euectæ, quorum nullus esset fructus, sed tantum sterilis quædam contemplatio, & inquisitio infinita: quoniam alia ex alijs sine modo ullo nascuntur: & sicut huiusmodi disciplinarum initia, & legitimi quidam progressus iuuant animos, acuunt, oblectant, sic magna & assidua exercitia, carnificinæ sunt generosarum mentium, & publico bono conditarũ. Astronomicæ adiuncta est diuinatio, quæ astrologia dicitur, nata penitus ex ostentatione, ac imposturis: non quin astra multum habere uirium credam in hæc corpora. Sed nec quantas illis uideri uolunt, nec quas habent potest quis assequi, nisi prætenuiter: ac ne dæmones quidem norunt, quamuis se multis uendicent, tanquam illarum consultissimos. Si diuinatio ars esset aliqua corrupta, multis hic argumentis facerem planum id quod modo dixi: sed quum ars non sit, sed fraus, prætereunda sunt nobis in præsentia. Neque est ex mathematicis, quum tamen diuinaculi à multis mathematici nominentur, alienissimo nomine ab illorum professione. Neque enim cœlestes magnitudines contemplatur astrologus, ac ne simulat quidem, sed uires tantum & efficientiã. Cæterum ueteres mathematicæ peritiæ integriores ad nostrã ætatem peruenere quàm reliquæ disciplinæ, nimirũ ab indoctis intactę, ac proinde incontaminatę. Has enim turba imperita radio contentas, & puluere, quæq; nõ facerent ad circulos, ad scenam, ad theatrum disputantiũ, tanquam rem sacram nõ attigit. Ita integræ seruatæ sunt ac incorruptę. Nam ut quicq; his superioribus seculis minus tritum fuit studentiũ manibus, ita purius ad nos peruenit, ut libri in antiquissimis bibliothecis puluere & situ operti: quo fit ut in Germania synceriores sint libri, quàm in Italia. In illa siquidẽ iacebãt omnia, in hac doctulorum audacia excussa, quæ omnia scrutabatur, & ad suum captum detorquebat. Quid quod mathematicæ hæ requirebant cognitionem, studium, diligentiam, aduertentiã, & super hæc omnia silentiũ, quod erat illis mortis instar. Recte Cicero: Non est philosophia similis artium reliquarum. Nam quid faciet in geometria, qui non didicerit: quid in musicis, aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur: hæc uero quæ sunt in philosophia ingenijs eruuntur ad id, quod in quoq; ueri simile est eliciendum acutis atque acribus, eaq; exercitata oratione politiũtur.

Seruatas

Seruatas uerò dico artes,id eſt,minus uitiatas,plurimum tamen illis perijt: quandoquidem & autores interciderunt iniuria temporum plurimi, & ea quæ uſu continebantur, aut peſſum ierunt, aut in deterius ſunt relapſa. Vt ratio ædificandi, quæ ex his manabat, ratio metiendi moles, & expedita uel ſublatio, uel impulſio. Quando Archimedes Siculus mathematicus inter primos nobilis aiebat: ſi alter foret terræ globus, ſe illum ad hunc tracturum, uel hunc ad illum impulſurum, ὑπερβολικῶς quidem, ſed ea erat artis exercitatio & fiducia, quæ tandiu obſidionem Marcelli diſtulit, & muros patriæ eſt tutata. Tum proportioni picturarum ex opticæ inſcientia multum deceſſit. Muſicam etiam ferunt uehementer mutatam,propterea quod uictores inuaſerunt Europam,qui harmoniam quam non intelligerent,aſpernabantur: ita intelligentiam carminum uidemus periſſe, niſi in paucis quibuſdam notiſſimi concentus, & genera proportionum, quæ apertè teſtantur obeſiorem eſſe nobis, & tardiorem aurem, quàm illis priſcis.Et hac de cauſa admirabiles effectus illi muſicæ, uel ad ſanitatem corporum, uel ad motus animorum excitandos ſedandósue, de quibus magni autores prodiderunt, iam olim nulli ſunt: uidelicet ſubtiliſſimæ atque abſolutiſſimæ illi animæ noſtræ harmoniæ minus congruit exterior hic noſtrorum temporum craſſus concentus ac rudis, quàm ille ueterum eruditus ac ſubtilis, ideo minus habet nunc uirium ad aliquid efficiendum in nobis, quod tum ex ſimilitudine obtinebat & conuenientia. Nec inſtrumenta retinemus, ac ne nomina quidem ſunt nota, quæ à Polluce, Athenæo, Diuo Hieronymo,& alijs recenſentur.Sed ne in totum noſtri in ſcholis homines mathematicas uiderentur ignorare, quaſdam ex illis uoces ſunt ſuffurati, quas ubique & in omne latus iactarent, ut aleam, idq; in Phyſicis Ariſtotelis, & prima philoſophia:in Ethicis quoque & locis alieniſſimis, quæ ſunt illis leuiſſime,& à limine (quod dicunt) ſalutata:punctum, linea, ſuperficies,corpus,triangulum,quadrangulum,circulus,centrum, proportio, ulterius uerò non ſunt auſi progredi, tanquam ab altiſſimo pelago deterriti. De illis uerò per ingentes clamores rixati pro mathematicis ſe uulgo uenditãt,quòd eadem quæ mathematici nomina uſurpent.

LIBRI QVINTI FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM LIBER SEXTVS, QVI EST DE PHILOSOPHIA morali corrupta.

SENTENTIA illa uetus,noſce te,tanti momenti uiſa eſt priſcis illis hominibus ad uitam omnem & ſapientiam, ut quum à ſapiente uiro ſit profecta,maius eſſe illius robur ac momentũ ſunt rati,quàm ut eam ſuſtinere poſſet autoritas humana:Deo attribuerunt,& ei Deo,cui reliqui omnes de ſapientia conceſſiſſent.Nimirũ ſuperuacaneam eſſe ac præpoſterã iudicarunt cognitionem cœlorũ,elementorũ,rerum denicq; omnium ijs,qui ſe ignorarent.Scilicet norit homo quid quicque ſit,quę eius efficiens cauſa,qui finis,quæ uis,de ſeipſo hæc ignorabit? Socrates ergo cum ita eſſet in omni philoſophia eruditus,ut tãquam acutus nimium inquiſitor,à uetere comœdia inceſſatur,tranſtulit tamen curam et contemplationem omnem ab alijs rebus ad ſe primum,ut ſe intueretur,& perſpectum atq; exploratum meliorem efficeret compoſitione animi: eamq; medicinæ ac ſanationis rationem in publicum

publicum bonum foras protulit,siue ad uitam priuatam, siue ad communem & publicam. Quæ disciplina nominata est Ethica,quasi moralis,qua mores hominũ componerentur. Ideoq; dictus est philosophiam in cœlis & elementis sublimem peregrinantem illinc in domos & ciuitates abduxisse: quo opere nullũ potuit cogitari præstabilius,nec alio ullo magis sibi humanum genus demereri. In qua contemplatione & disciplina inuenienda,reuocauit se ille à populi sensu atq; opinionibus introrsum ad seipsum. Populum habuit semper suspectũ, quem ille magnũ erroris magistrum nominare consueuerat,& peruersum interpretem ueri,quòd uideret ferè pessima placere pluribus. Itaq; illo acumine ingenij sui philosophiam hanc inquisiuit,credens se non receptę in uulgum deceptioni,non somnijs & insanijs illarum religionum,quas dementati homines cõfinxerant,& receperat error multitudinis,sed deo potius magistro,hoc est,lucernulæ illi naturali mentis suæ. Siquidem nemo est tam tardo ingenio,cui non lux aliqua in animo fulgeat ex Dei munere,quę rectis exercitijs illustratur,atq; augetur: ei si incorruptę ac publica ignorantia non contaminatæ se committeret,intelligebat se Deum ducem sequi,à quo illam accepisset,non hominum prauitatem,quos quum uideret cæcos esse,& à recto delirare, solum Deum sapientem & esse,& dici posse,ueram formationem arbitratus est imitationem numinis: si tales fierent homines,quoad eius fieri posset,qualem esse Deum ratio doceret. Iam quòd homines hominibus nõ magnam haberent fidẽ,nempe cæci cæcis,stulti stultis,scientiã sequendi numinis ad significationem & monitus numinis retulit,quod ille amicum se habere et familiare commentus est: quemadmodũ legumlatores quosdam ad deorum doctrinam leges ac instituta sua retulisse memoriæ est proditum,ut Minoem,& Lycurgum. Deinde quæ adiutus communi Dei beneficio excudisset, ea sic studuit tradere, non ut doceret solum, sed ut impelleret atque afficeret. Vt qui audirent, & quid faciendum esset scirent, & uellent facere oratione apta ad persuadendum & efficaci, cuius sermones à discipulis eius sunt grauiter & copiose perscripti Platone & Xenophonte. Hæc est uera uia, tum ad inquirendam rationem componendi animorum, tum ad tradendam: à qua qui abscedunt,longissime in auium se & errores conijciunt. Socrates maluit Deo credere, hoc est, naturali præceptioni excussæ, quantum fieri potuit, ac purgatæ,communi dementia: & alijs persuasit sibi credere,quod inuenta, & institutionem suam non sibi,sed Deo cuidam duci ac magistro acceptam ferret: à quo sibi pleraque omnia innuerentur, ac significarentur. At nos hominibus malumus credere,quàm Deo. Nam philosophiam eam,quam ab uno Deo doctore conuenit accipi, à Platone,ab Aristotele,Cicerone,Seneca,Plutarcho,Xenophonte requirimus & postulamus, non tam ad scisciandam illorum sententiam, quàm ad autoritatem summã dogmatum, uitæq; instituendæ: quum habeamus iam non solam illam naturæ lucernã malignissimam,non fictum Deum signis quibusdã innuentem,sed uerum Deum aperte loquentẽ nobis,& solem ipsum,qui in hoc illuxit mundo,ut non amplius de uia incerti uagaremur,& fluctuaremus inter humanas opiniones,sed uiam sciremus exploratam,rectam,infallibilem per ipsum,& in ipso,quam ipse posset solus demonstrare, ut uel gentiles ipsi intellexerunt. Heu quantam facimus soli iniuriam,quum ad illius iuuandum lumen clarissimum & serenissimum lucernulas admouemus? Illi suas religiones contempserunt,quæ essent ab hominibus confictæ: ingenijs suis audierunt, nempe ijs quæ putarent cœlesti menti esse conformia. Nos illis credimus luscijosis & lippis,doctrinam aperte cœlestem negligimus: quum præsertim,si omni remota autoritate ad examen reuocẽtur totius rationis & ingenij, tantum hæc nostra uincent illa gentilitia,quantum lux tenebras,& stultitiam sapientia. Quod si,ut par est,pluris facimus diuinam nostram philosophiã,quam esse à Deo nobis collatã pro certo habemus,quorsum attinet de uirtutibus,et uitijs ex illorũ hallucinationibus,statuere? Ex quib. fuere, qui res morũ obscuritate sermonis inuoluerũt,ut hariolandũ esset,quid sentirẽt,sicut Stoici: unde inter illos tot sunt natæ dissentiones de placitis sectę,dum argutijs & cauillis,& captionib. uberrimã suppeditabat materiam interpretatio nominum uolũtaria. Alij ex suo affectu statuerũt de uirtute,

quale

quale eſt quod Theophraſtus in luctu Calliſthenis dixit, Vitam regit fortuna, non ſapientia. Dionyſius Metathemenus quum eſſet Stoicus, uoluptatem poſuit finem bonorum, nam quum ex oculis laboraſſet, noluit dolorem in iſs collocare quæ ipſi ἀδιάφορα nominabant. Alij populo ſunt magiſtro uſi, ut in pleriſq; Ariſtoteles. Epicurus etiam pecoribus: tametſi nec id acute ſatis aut recte, quemadmodum eſt ab Stoicis reprehenſus: neq; enim uoluptatem primum expetunt beluæ, ſed ſui conſeruationem, hinc uoluptatem uelut conſeruationi conſentaneam. Fuerunt qui de cauillis, de rhetoricis ſchematis ac luſibus regulas uirtutis acciperẽt, ut bene crederẽt dici, quod belle uel argutule. Admiſcuit ſe his tenebris denſa imperitię caligo, quæ nõ paſſa eſt nos de illorũ ſententijs & ductu iudicare, ut ſaltem inter uocantes in diuerſa, cui potiſſimum auſcultandum eſſet, dijudicaremus. Quanta ſe inſcitia hęc prodit undiq;, de uirtutibus & uitijs, de fine bonorum & malorum: ad eandem rem utimur & Platone duce Academico, & Ariſtotele Peripatetico, & Seneca Stoico, & Cicerone Deſultorio, modo huius, modo illius factionis, & miramur diſſidere. Tum magno labore & conatu in concordiam redigere ſtudemus, lepidi pacificatores, non ex eorum libris aut cognitione antiquitatis, ſed ex noſtris ineptis coniecturulis. Iam ex omnibus gentibus Ariſtotelem ſelegimus, quem ſequeremur, ſiue quia is ſolus remanſerat in ſchola dialecticæ & philoſophiæ, ſiue quia apte præceperat ad diſcendum, & ad diſputationes diſtributis uirtutibus & uitijs in genera & ſpecies. Itaq; de alijs philoſophis taceo, loquar de hoc uno. Tametſi Diuus Auguſtinus Platonem, & Platonicos delegit, cum quibus de religione Chriſtiana diſputaret, tanquam philoſophorum omnium uel maxime ſanos, uel facillime ſanabiles. Et Hieronymus ſectam Stoicam ſimillim amdicit fuiſſe Chriſtianæ religioni. Ariſtotelem uerò tranſeo, ut Chriſtiani inſectentur, Origenes, Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius, et alij, certe gentiles ipſi habent pro impio, quod ex erroribus populi philoſophiam fingẽdi animos collegerit, & à ſanctiſſimis Platonis magiſtri inſtitutionibus receſſerit ſtudio cõtradicendi. Paucula quędam ex eo deſumpta uelut guſtus gratia exhibebo, ut cognoſcatur qualis ſit tota maſſa. Principio Socrates apud Platonem non uno loco clauſulas ſuarum diſputationum huc deduxerat, non eſſe in uita hac expectandam felicitatem hominis, ſed in altera. Hoc agit in Philebo, hoc in Conuiuio, idem & moriens in Phedone. Ariſtoteles in uita hac quærit beatitudinem, alteri nihil relinquit. Nec ſolum finem bonorum hic ſtatuit, ſed etiam ſapientiam: & Simonidem ut poetam deridet, qui dixerit ſolum Deum eſſe ſapientẽ: quod uidelicet inuideret Deus hominibus, ſi nollet eos aſſequi ſapientiam, bonum tantopere ab eis expetitum. Vbi eſt ergo illa uox modeſtiæ plena: mentem noſtram caligare ad manifeſtiſſima naturæ? Quanto rectius & religioſius Plato: humana ſapiẽtia aut nihil, aut perparum eſt, ſolus Deus ſapiens eſt. Addit aliud argumentum: Quid eſſet homine infortunatius, ſi iſta quæreret & concupiſceret, quæ nunquam aſſequeretur. Eodem utitur telo ad euincendum hic eſſe homines felices, uidelicet, quia quod omnes homines expetunt, naturale eſt. At naturalia fruſtra eſſe non queunt: expetunt porrò beatitatem omnes: qui appetitus inanis eſſet, ſi nullus eam nanciſceretur, nec fieret uoti compos. O argumentator Ariſtoteles ingredere aliâ, & peruenies ad uerum: conuerte ſic argumẽtum: Beatitudinem omnes expetunt, naturalis ergo appetitus, non ergo uanus. Atqui hic nulli aſſequuntur, ut res docet, alibi ergo eſt quærenda. Hæc uia Socratem & magiſtrum tuum Platonem ad uerum adduxit, qui in amore & cõiunctione illius pulchri, quo nihil fieri poteſt pulchrius, nec intermiſſiones ſentit pulchritudinis aut uices, nec finem illius habiturus eſt, extremum bonorum omnium & faſtigium ſtatuit. Qua ſententia nihil dici admirabilius aut diuinius poteſt. Ariſtoteles tria beatitudinis facit genera: unum impurum, & quaſi de fece uulgi, quod eſt ſecundũ obſcœnas uoluptates, & hoc prorſum abijcit, tanquam pecudi magis, quàm homini congruens: alterũ, ciuile: tertium contẽplationis, quæ duo probat. Quid opus eſt diſtinctione finiũ? quaſi uero de artium finibus quæratur, & non humanæ naturæ: quæ una atq; eadem eſt in omnibus: alioqui cur non etiam addit finem opificum? quin hæc quoque ipſa minutius diſcindit,

nempe

nempe felicitatem politici in democratia, politici in oligarchia, in monarchia: tum œconomici, hinc fabri, & sutoris: quis sic de humana beatitudine inquirit? quæ cùm una sit, unus eius finis bonorum. Tum addit tria bonorum genera ex sensu uulgari: animi, corporis, ac uitæ, his indigere utrũq; beatum, sed magis ciuilem, contemplantem uero minus, indigere tamen, tum diuturnitate uitæ ad felicitatem esse opus. Sitam quidem esse felicitatem ciuilis in uirtute, contemplantis autem in contemplatione, hoc est, actione mentis celsissimæ. Sed utranque prosperis rebus ornari & augeri, aduersis obscurari, diminui interdum etiam tolli. Hanc eius opinionem maximis argumentis Stoici exagitarunt, & quòd bona nominaret, quæ non essent talia, & quòd externa momenti aliquid adferrent ad beatitudinem, præsertim quum ipse perfectionem illius in animo collocasset. Quòd si illic est perfecta, non res externæ poterunt eam mutare, quæ ad animum non pertingent, sed ipse animus prout de externis rebus statuerit: quæ opinionis inconstantia notata est etiam in eius discipulo Theophrasto. Sed Aristotelicam felicitatem contrariam esse pietati nostræ, atque ideo rectæ rationi, neminem puto dubitare: nam pietas non in uita hac breui, & imbecillo corpore casibus & calamitatibus obiecto ponit felicitatem, nec tam male agit nobiscũ: sed in illo immortali corpore nostro iniuriæ omnis experti ad immutabilem firmitatem refecto: hoc est, munus amplissimum, & plane dignum Deo sempiterno ac præpotenti. Dicunt locutum eum de felicitate æui huius. Sed nec ad eam formam quisquam est beatus. Non illi quos uulgus pro beatis habuit Metellus, Curiones, Augustus, Alexander, Agathonius. Non quos pronuntiarunt dij beatos, Phedius, & Aglaus. Non quos philosophi exactiori iudicio beatos dixerunt, Regulus, Rutilius, Cato, Socrates, Zeno. Iam redit prima difficultas, appetitum nostrum in cassum optare, quod nunquam assequetur. Iam quæ est uerior uiæ beatitudo, quàm quæ inchoat illam sempiternam, de qua dicit Psalmista: Beati immaculati in uia qui ambulant in lege domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Dominus noster octo beatitudines uitæ huius recenset, multum ab Aristotelicis diuersas, imò aduersas. Cedo utras tu diuitias nominaris, sutoriam, aut rhedariam artem, quæ semper maligníssime ac sordidíssime possessorem suum sustentant? an oratoriam, ius ciuile, rationem reipublicæ administrandæ discere atque exercere, quæ facultates in præsens quum discuntur, nihil adferunt: cognitæ uerò ac perceptæ, ad honores ingentes opesq; sustollunt? At locutus est, inquiunt, ut gentilis & in lumine naturæ: minime uero istuc quidem. Nam non esse illud naturæ lumen, ostenditur, quod alij rectius ingressi sunt naturæ lumine adiuti & ducti, ut Platonici ac Stoici. Sed quid istuc tamen est, sumus'ne satis sani? habemus lucem, scimus quę sit uera beatitas, quà ad illam eundum: & disputamus adhuc de Aristotelica beatitudine. An duas facimus beatitudines, unam Christi, alteram Aristotelis? Ecce iterum blasphema de beatitudine dissectio, ut dudum de lumine. Si Aristotelica beatitudo expetenda hic est, Christi beatitudo non est hic expetenda: neque enim contraria possunt eodem loci & temporis ad idem & loci & temporis concupisci. Si Aristotelica beatitudo commentitia est, quid laboramus quomodo eam tueamur? Quin eadem ratione omnes omnium philosophorum de summo bono insanias in scholam adducimus, & eas consuescimus propugnare? An uerò ludimus in sententia de beatitudine, id est, de summa totius uitæ. Periculosum est contra ueritatem pro falso stare. Quanto periculosius in re tanti momenti, de religione, de cardine, in quo uita uniuersa uoluitur. Si ficta est Aristotelis beatitudo, ualeat, etiam gentilibus ipsis parum sana, & pia. Nos uera discamus & scire, & tueri. Sed pergamus ad reliqua. Virtutem finit habitum, id est, ἕξιν, quasi non sit quoq; ἐνέργεια, & quidem uerius: non aliter quàm salubris potio, & potestate est talis, & quũ operatur ac uires exerit. Tum uirtutem uult esse in mediocritate, nempe inter duo extrema, & cum utroq; pugnare: ut forti & timidus contrarius sit, & temerarius: & eiusdem uirtutis sint actus extremis his cõtrarij, ut fortitudinis & aggredi hostes, cum est opus, & cũ itidẽ opus est, cedere, ac se subducere: in quo nonnihil ei conuenit cum Platone. Sed in eo

merito est reprehensus à Laurentio Valla in tertio uolumine de uoluptate. Neque enim si cedam, aut etiam fugiam, ero fortis: nec, si permissis fruar uoluptatibus, temperatus: sed alia sunt earum rerum nomina: nec unum duobus contrarium est, sed unum uni, duobus duo. Qui à uoluptatibus impermissis non abstinet, incontinens: qui abstinet, continens, & moderatus. Qui fruitur licitis, uel humanus est, uel (ut Valla dicit) hilaris: tametsi hæc uirtus non est, contrà quàm Valla sentit: qui non fruitur, non intemperans, sed rigidus. Ad eundem modum in periculis, & pecuniæ distributione. Qui honesta fugit pericula, aut eis succumbit, timidus: qui resistit, fortis. Qui uitat, non necessaria præsertim, cautus: qui non uitat, temerarius. Qui dat quum res postulat, liberalis: qui non dat in loco, auarus, durus. Qui temere profundit, profusus, prodigus: qui nihil dat cum tempus non poscit, parcus, frugalis. Iam fortitudinem esse dicit circa terribilia, non quæuis: neque enim in tolerantia infamiæ, paupertatis, ἀφιλίας mortis, in morbo, aut mari uersari fortitudinem, sed in periculis bellorum: quo nihil dici potest, siue in religione nostra, siue in gentilitate peruersius. De religione: Quis non uidet nullos fuisse unquam fortiores nostris martyribus, & ijs qui illa omnia patienter ferunt in spem gratiæ Christi. In gentilitate autem non fortis Socrates in carcere, & haustu cicutæ? non Milciades in uinculis? non Themistocles & Rutilius, & Metellus in exilio? non Regulus in tormentis? non Cato in arenis & Syrtibus? Ira fortitudinem accendi, & sicut loquuntur Academici exacui tanquam cote: id quidem satis explosum atque irrisum est à Cicerone, & Seneca, & Stoicis. Magnificentiam uirtutem esse definit sitam in magnis sumptibus, ut templis & theatris extruendis, ludis publicis ædendis. Et sententiam illam nimis uulgarem ponit, impossibile aut certe difficile esse τὰ καλὰ πρᾶττειν ἀχορήγητον ὄντα. Quid uocat τὰ καλὰ, boná ne an pulchra? quæ uideo in linguis omnibus commisceri, & alterum pro altero sumi, uel alterum alteri ad rem magis explicandam iungi: ut καλὸς κἀγαθὸς, & καλοκἀγαθία. An tu pulchrum uocas, quod sensus iudicant, ut plebecula? an quod mens, ut sapientes? quæ plebes ab externis recta sensibus pulchra nominat, non difficile, sed omnino impossibile est pauperem præstare, nisi aliunde opes sumat: sin quod sapientes, quid pulchrius aut præstabilius quàm ingentia opera uirtutum, quæ melius ac sæpius exequuntur excelsi animi sine diuitijs, quàm in amplissima fortuna? Quid enim pulchrius quàm quod faciebat Socrates sua negligens, ut se & alios meliores redderet. An uerò καλλιόντι præstabat scopas? aut Xerxes pulchriora faciebat, quàm Aristides ille δίκαιος? uel aliquis ex ditissimis Romanis, quàm Fabritius, & Curius in re tenuissima? Et loquor non magis de contemplatiuo illo, quàm de eo qui in medijs ciuitatibus uiuit ac populis. Magnanimitatem esse ait, cupiditatem magnorum honorum. Rectius & prudentius Stoici, magnanimitas est scientia quæ habitum facit excelsiorem omnibus quæ contingere possint ex æquo bonorum ac malorum. Plato uerò, Cicero, Seneca & alij magnanimitatem esse diffiniunt in honoribus contemnendis magis quàm expetendis. Expetere cuiusuis est, etiam uiri perditissimi, & fœminæ stultissimæ. Contemnere, maximi est animi atque amplissimi & fortunæ altioris. Ideo tanta Catonis admiratio, repulsis tanquam indeptis honoribus gaudentis, ut inquit Plinius. Tantum Publij Africani decus, Quintij, Verginij, Fabij: qui quum possent honores uel assequi, uel retinere, comtempserunt. At non has fortasse dignitates, honores uocas, sed laudem ac reuerentiam ob uirtutem, in qua ambienda, speciem quandam uirtutis collocas, & si ἀνώνυμον. Tu ergo philosophum quem instituendum suscepisti, ad ambitum auræ huius excitabis? hoccine ais uirtutis esse ἆθλον, quasi præmium uictoriæ? Cicero eadem sententia, quamuis non in schola philosophica, sed in cœtu, ut dicit, hominũ doctissimorũ & humanissimorũ, gloria est fructus ueræ uirtutis honestissimus. Quàm piscamini aureo hamo? rei tam excellentis, & qua nulla est dijs propinquior, prẹmiũ statuitis honorem, temerariã rem ac uanam, nempe à uano ac temerario populo profectã. Sed non uolunt fortassis à quolibet honorẽ expectari, uerum à bonis, quemadmodũ Aristoteles dicit καὶ ταῖς ὑπὸ τῶν σπουδαίων. Vt sit quod ille apud Nęuium Hector, gaudere

dere ait se laudari à laudato uiro. Ideo gloriam Cicero dicit iustam, quę ab eo non senatore iam sed philosopho ita finitur, Est solida quædam res & expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute: ea uirtuti resonat tanquã imago gloriæ. Tu uerò quî scies illum bonum uirum & recte iudicantem de te iudicare? Nam quo sunt grauiores ac prudentiores uiri, eo magis assensum cohibent, & iudicij sui obscuriora ædunt signa. Deinde quî poteris habere exploratum, illum acute & sapienter iudicium facturum de te, quum de seipso uix possit: nihil est enim difficilius, quanto minus de alterius animo tot involucris clauso, & occultato? Sed fac illum bene & exacte iudicare fac te scire. Non credo expectabis dum cedatur tibi uia, dum deducare & reducare, dum tibi assurgatur, nudetur caput, magnifice compelleris. Ista enim & ridet uir sapiens, & fugit, tantum abest ut eis capiatur: acquiescesne ergo tacitis iudicijs. Quid ergo, alterius conscientia eris contentus, non eris tua? præsertim quum ipse sis nec uir peior, nec minus sapiens, & illa melius multo te norit, quàm alius quicunque. Ea uero gratia tantam operam in dura posuimus uirtute, ut aliquis nobis prætereuntibus apud se mussitet: ô uirum sapientem aut bonum. Iam autem quum honor in honorati manu nõ sit, sed honorantis, sicut ipse doces, fiet ut uirtus suo præmio & fructu nõ raro fraudetur: & quia sine mercede & fructu à uiro bono laboratũ est, ne quicquam sit & infructuose ab eo laboratum. Siquidẽ merces operæ nulla restat. Quanto melius Claudianus poeta docet, quàm philosophus & senator:

Ipsa quidem uirtus pretium sibi, solaq; late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuue petit claresc ere uulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis.

Quòd si uirtutis præmium est honor, & κατ' ἀλήθειαν, ὡς φησ, ὁ ἀγαθὸς μόνῳ τιμητέον: cur fructum & pretium uirtutis cum ijs communicas, quæ bona non sunt? Ais enim qui uirtutem habent cum opibus, magis esse honorabiles. Et uis magnanimum, & quem uis hominem probum iudicaturũ se, quo honore sit dignus. Quid audio? Tú ne iudicium cuiquam homini permittes de se, ut statuat quantũ honoris mereatur, præsertim qui alios non norit, & plerisq; honorum in comparatione sint positi. Vin'tu quenquam de uirtute sua æquum esse arbitratorẽ, quum eo uir sit melior, quanto de se moderatius sentit, quantumcunq; se habeat probe perspectum: neque enim idem est se nosse & se censere: multo diuersum explorare se, & cũ eo conferre, quem non explorarit. Quàm alienũ hoc est à uero iudicio, & proinde à nostra pietate, in qua audimus: Postquã hæc omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus. Noli altũ sapere, sed time. Beatus qui semetipsum non iudicat, in eo quod probat. Et alia ad arrogantiam minuendã innumera. Quid quod illud, unde in religione ac ueritate omni & meritum cuiusque & decus censetur, nõ solum de altero occultum est, sed cuique de seipso: grande arcanum uni diuinæ sapientiæ reseruatum. Sunt iusti & sapientes, inquit Solomõ, & opera eorum in manu Domini: & nescit homo amoréne an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Quo sensu & Paulus inquit, Nihil mihi conscius sum, sed nec in hoc iustificatus sum. An etiam sicut paulò antea, duas beatitates, ita nunc quoq; duas uirtutes fingimus, & duas fortitudines, & duas magnanimitates, unam Christianam, alteram gentilitiam, seu Aristotelicam potius? Pudeat uerò Christianos sic loqui, nisi fortè non aliud sit nobis Aristotelica, quàm picta, ficta, mortua: pro umbris uerò & mortuis quid attinet dimicare? Non possumus Christo seruire et Aristoteli contraria præcipientibus: illi attollenti nos ad cœlum, ad Deum patrem suum, & per contemptum uitæ huius ad curam illius sempiternæ: huic prementi animum nostrum ut arctius complectatur hoc corpus, curas & cogitationes suas omnes in hac æui breuitate consumat. Quantum hoc obfuit multis in pietate, dum obliti præceptorũ Christi, satis se recte ac sancte ex præceptis Aristotelis putant uiuere, & ad ea tanquam uitæ formulam, opera & actiones humanas examinant, atque in

flagitijs ac sceleribus sibijpsi & alijs indulgent, imposito pulcherrimarum uirtutum nomine ex doctrina Aristotelica: ut in ira, in ambitione, & honoribus affectandis, in luxu & profusis sumptibus, in ultione. Nam & hanc quoque in ordinem uirtutum Aristoteles admittit. Sed non possum singula excutere, neque est hoc loco necessarium: quod alibi etiam instituta est mihi peculiaris disputatio, pro pietate nostra contra omnem humanam sapientiam. Verum Aristotelem hunc, quem consertis & pressis manibus, atque adeo mordicus retinent, uideamus quemadmodum intelligant. Primum mentem illius difficile est eruere propter ambiguitatem, atque obscuritatem uerborum & sententiarum, qua semper est ille delectatus. Vbique est sui similis: ut de felicitate, quanto aliter in primo Ethicorum loquitur, quàm in decimo: quanto in hoc libro dissimiliter atq; in septimo Politicorum. Et isti parum animaduertunt duplicem ab eo poni felicitatem, contemplantis unam, alteram ciuilis, ambas confundunt: nec considerant in primo Ethicorum illum uelut inquirere, & crasse de omnibus loqui, ad sensum magis uulgi, quàm suum: in decimo uerò exactius. At hi nostri de felicitate Aristotelica dicturi, ex primo hauriunt potius, quàm ex decimo. Quid uerò facias ijs, qui fortassis ad decimũ hunc nondum peruenerunt? Sed nec in decimo satis est apertus, aut sibi constans. Hinc de felicitate priuata, et hominis rerum altissimarũ inspectoris dicturus, de uirtutibus prius disserit, sed de uirtutibus Politici toto opere: quod isti non intelligentes, permiscent ac inuertunt omnia: quamuis mirandum non sit confundi ab eis, quæ ab Aristotele ipso ita sunt confuse ædita, ut secerni ac distingui sit operosissimum. Transeo quàm hactenus lectus est à Latinis hominib. imperite uersus, ut facile miretur quiuis potuisse ad illius mentem, uel coniecturis, & diuinatione perueniri: uerba uirtutum multarum & uitiorum Græce relicta, quorum essent in Latino sermone aptissima & maxime propria: figurę & phrases Græcę seruatę in latinis uerbis multa praue ab interprete intellecta, praue etiam ad Latinos traducta. Sed nec in melioribus interpretibus est illum intelligere, nisi à peritissimis, & scriptorum ueterum, & linguæ illius. Quale est illud quod dicit, δοκεῖ γὰρ τιμὴ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ: uidetur honor magis esse in honorantibus, quàm in honorato. Ex quo dicto suspicantur plerique sentire Aristotelem in eo situm esse honorem, qui exhibet, non qui recipit, eaq; est uulgi opinio: uerùm illud εἶναι ἐν τοῖς, in potestatem magis significat, & quasi manum, quàm in loco: declarat id, quod sequitur, τ' ἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι καὶ ἀφαίρετον εἶναι μαντευόμεθα, oraculum est ipsum bonum proprium esse, nec adimi posse. Iam Aristoteles, ut est poetarum, oratorum, historiarum, & totius antiquitatis consultissimus, ad illorum dicta passim alludit, quæ tum erant ualde nota, & potissimum in scholis. Sæpenumero in ea allusione, uis est sententiæ totius. Quis hæc intelliget, nisi earum rerum peritus? quas res ne per somnium quidem uident nostri scholastici. Pergam de Ethicis dicere, sicut cœpi. In secundo, monet cauendum esse à uoluptate, ne illa se insinuet: & debemus, inquit, circa illam non aliter affici, quàm affecti fuerunt Troiani senes circa Helenã: ô quæ hic commenta? qui senes Troiani heri nati? atqui sensus petendus est ex Iliados γ. Tum in octauo, quum de utilitate amicitiæ loquitur, admiscet ex abrupto, σύντε δύ' ἐρχομένω, duobus unà euntibus: allusit ad dictum Diomedis de se & Vlysse, Iliados κ. Et paulò pòst, figulos dicunt esse omnes tales inter se, ad dictum Hesiodi de inuidia: ὁμοτέχνων καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. Transeunda sunt innumera. Sed neque hæc quæ attuli, aliò pertinent, quàm ad id quod dicebam, uelut exemplo declarandũ. Et quia Politica & Rhetorica magis eiusmodi scatent historijs, fabulis, cognitione antiquitatis, sententijs priscorum, quàm Ethica, ideo Ethica retinuerunt. Politica & Rhetorica rati sunt ad se non pertinere: ad hæc quòd Politica non multũ conferrent ad indoctas rixas: & illis maiore ui ingenij, iudicij, rerum usus erat opus. Tametsi non defuere, qui etiam Politicis auderent manus admoliri, & in ea scribere commentaria, sed qualia in reliquos omnes scriptores, quæstiones & argumenta ad altercandum. Huc enim tendunt uniuersa. Quid malũ futura tandem est infinita hæc disputandi rabies? Verterunt ad altercationes disciplinam morum, quæ ad agendum

esset

esset parata: & sic tractarunt, nõ ut meliores uel fierent, uel facerẽt, nec ut recte statuerent de uirtutibus & uita, sed ut cauillarentur. Et quo indignitati nihil fiat reliqui, etiam Suiceti spinas, & aculeata sophismata huc inuexerunt, de intentione & remissione uitiorum & uirtutum. Dialecticam quoq; non illam paulò saniorem, sed commenta paruorum logicalium, de ascensu, descensu, suppositionibus, ampliationibus, restrictionibus, appellationibus. Quid facerent miseri? exercebant ea, quæ sola didicerant: prẽstarẽt meliora si haberẽt. Atqui disputationes minime sunt idoneæ, uel ad persuadendum, uel ad reddendos meliores homines. Nam qui contra disputat, aut qui quæstionem audit, tanquã classicum, parat se continuo ad pugnam, et munit undique ut resistat, ne capiatur, aut uincatur: ita ægre admittit in animũ suum eum, qui dicit, ut sententiam eius quamlibet recte monentis, transeat. Etenim cauet sibi ab illo non secus, quàm ab hoste. Quo circa morali persuasioni, quæ non adeo docere uult ut hortari & incitare ad opus, nihil est ita inimicũ, atque altercationes, aut contrariũ existimari dicentem audienti. Et hoc est incommodius, quod hic non ut in naturæ disciplinis, adduci possint argumenta ex cognitione ac iudicio sensuum petita, sed omnia in ueri similitudine rationum sunt sita, quæ à peruicaci ac repugnanti aut eludi possunt, aut certè negligi. Quàm elegantes & acutæ, & ad persuasionem aptæ, ac concinnæ sunt Platonis, & Ciceronis, & Senecæ, rationes: quàm facile omnibus persuadent. At Lactantio minime persuadebant, quòd infensus legeret. Idem ipse Aristoteles prudentissime admonet ad ciendos sedandósue animorum motus dialecticam non esse adhibendam: quanto minus philosophia morum proficiet, utique quomodo in scholis tractatur. Ideo iuuenes inter morales illas altercationes, & tot strepitus de omni genere uirtutum ac bonorũ morum, nihil probitatis trahunt. Non in illo exercitio colorantur, quod in alijs solet contingere, contrà citius multis inquinantur uitijs: quòd scilicet illa omnia sic dicuntur, ut nec commendari excellentia possit animis, nec uitiorum fœditas esse odio. Quanto & ad perferendam iratam fortunam fortior, & ad prosperam regendam sapientior, denique ad uitam omnem commodior compositis animi tumultibus & tempestatibus, ex una Senecæ, aut Plutarchi pagina recedat lector, quàm ex uniuersis commentarijs Almeini, & Martini Magistri, quantumuis & moralia, & de fortitudine, ac tẽperantia inscribantur. Quid quòd ex illa consuetudine recipiendi in animos res præstantissimas sine ulla dignatione ducitur callus, ne ulla deinceps ad uirtutem exhortatio possit in pectus induratum penetrare: nec aliter non prodest animis hæc medicina animorum, quàm nec corpora iuuare potest pharmacum aut potio, cui citra necessitatem & per lusum assueuimus.

LIBRI SEXTI FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE CAVSIS CORRVPTARVM ARTIVM LIBER SEPTIMVS, QVI EST DE IVRE Ciuili corrupto.

HOMINEM res ipſa teſtatur cõditum eſſe à Deo ad ſocietatem,& in uita hac mortali, & in altera illa ſempiterna. Idcirco & glutinum ei ſocietatis addidit animum ad beneuolentiam mirifice appoſitum: quæ beneuolentia ex interno ardore foras ebulliens ac reſpectans,refrigerato ardore illo intrò ſe recepit ad ſeipſam,ut quiſque tenerrime ſe unum amet,in alios rigidus,atque aſper.Quæ eſſet maximorum in uita tumultuũ cauſa,quãdo ad ſe ac ſuas utilitates,quãtum quiſq; uel ingenio ualeret,uel uiribus pertraheret, niſi in locum mutuæ beneuolentiæ iuſtitia ſucceſſiſſet,quæ auidas manus comprimeret,atq; ab hominum conuictu iniuriã omnem arceret.Sed iuſtitia hæc quum cæca ignorantia obruitur,tum uerò affectu,ne ſe proferat,ne exiſtat quum oportet.Et quoniam ſine hac menſurę ęquitate nõ poteſt ſocietas hominũ conſeruari,neceſſe idcirco fuit,ut quam ex cuiuſq; animis pellebat uel tarditas cordis,uel praua affectio,cõfirmaret uis ac poteſtas maior.Ergo quod ex uſu erat ómnium ad quiete & iucunde uiuendũ, permiſſum cõmuni conſenſu iis,quos cenſebant ſapientiſſimos eſſe homines magni iudicij, & quietis affectibus,ut ipſi quam ęquitatẽ mentis ſuæ lumine eſſent intuiti ad publicas utilitates æderent,eam ſi uideretur acciperet hominum cœtus, confirmaretq;, & conſtabiliret magna poteſtate,pœnis,metu.Alij id ſibi negotij ultrò ſumpſerunt,ut ſi ſe approbaſſent,firmæ ac ſtabiles ſancirẽtur ſuæ leges. Magni iſti uiri,quibus hoc negotij uel erat ab alijs datum uel à ſe ſumptum,libenter ſi potuiſſent æquitatem ipſam poſuiſſent populis ob oculos,quo nihil fuiſſet cõducibilius congregationibus ac ſocietatibus hominum:ſed fontem illum uberrimũ non quiuerũt totum in tam anguſti aluei limites corriuare.Ex eo in ciuitatem deduxerunt,quantũ quidem uidebatur illi congregationi opus eſſe,easq; leges nominarũt.Æquitas, uniuerſalitas eſt quædam: lex,deductio & ſpecies.Sed iis riuis,& quaſi incilibus,aquã continenter ex illo ęquitatis fonte ſuppeditare oportet,ſine qua inciles continuo areſcerent.Etenim ęquitas, legum anima,uis,uigor,qua ſublata concidũt,neceſſe eſt leges emortuæ.Nihil eſt enim iniquius quàm leges,quę per æquum & bonum nõ ſpirant,ac reguntur.Lex,de omnibus cauere non poteſt.Æquitas,omnibus præſto eſt.Idcirco ſtatim initio iuris ciuilis.Ius finitur ars boni & ęqui.Prima ergo legum perturbatio in ipſis deriuatoribus fuit,ceu aquæ in tubulis:quòd qui leges ſanxerunt,ſiue imperitia atq; ignorantia tenerentur,ſiue prauis animi cupiditatibus ac concitationibus uexarentur,& obedirent.Ignorantia fuit,ſub qua incõſyderantia clauditur,quòd ingenio regionis,& ſuorum hominũ haud ſatis animaduerſo leges ferunt,aut quieti noxias,aut grauiores flagitijs quàm par eſt,aut ad diſtributionẽ ac cõmutationem parum æquas.Affectibus qui urgentur,ut affectus ipſi perquã uarij ſunt.Alij adducti ſunt amore quodã ſuijpſorũ:ut qui ad ſuas utilitates retulerunt leges:ſicut Tyranni,qui ſtatuerunt leges ſibi utiliſſimas,inutiles alijs.Aut qui leges utiles ſuæ ciuitati,noxias exteris: qui ita odio aliquorũ uitiorũ exarſerunt,ut illis iuſto maiorẽ pœnam imponerent.Quod Draconem Atheniẽſe:n feciſſe tradunt:quẽ Solon dicit leges ſanguine ſcripſiſſe:nam omnibus uitijs pœnam capitalẽ adiecit:quas leges poſtea Solon mitigauit. Fredericus tertius furtis ſuſpendium addidit,qua pœna nunc per Europam utimur.Eſt gens in qua furari habetur feſtiuum factum, ut pueris olim Lacedæmone, & in Ægypto. Eſt in qua adulteria ſunt impunita, ut ante potentiam Cæſarum Romæ. Poſtea pœna eſt dicta

dicta lege Iulia. Ducuntur legislatores aut populi studijs, aut necessitatibus. Apud nos pleræque leges fauent bello. In noua India aduersantur bello. Lacedæmoniæ leges erant omnino bellicæ, quo nomine à philosophis merito reprehenduntur. Quæ regiones sine mercatura tutari se uix possunt, ut Belgica in ijs leges impense fauēt negotiationi. Valuit in quibusdam odium hominum, uel ordinum, ut quæ Romæ cōtra plebem sunt à patritijs decreta, uel quę à plebe contra patritios scita. Quæ à L. Sylla contra tribunos plebis. Alios rexit spes, ut qui cupiditate pecuniæ fixit leges pretio atque refixit, sicut inquit Poeta ille. Quosdam coegit metus, ut qui leges per adulationem tulerunt, atq; acceperunt de immodica principum potentia. A principio enim coalita hominum congregatione, quum uelut moles quædam rectore indigeret, eligebatur ex eo corpore aliquis prudentia & probitate insignis, spectatus, cui parerent omnes: ut ille fultus consensu uniuersorum, quæ amplissimæ sunt opes ac potentia, tueretur bonos, coerceret malos, ius diceret, & illius probitate unusquisque quod suum esset obtineret. Cuius decreta ac iussa essent, ius ratum, ac leges dicerentur. Porrò quando talem eligebant, nefas existimarunt tam prudentem & probum uirum legibus alligari, quibus cæteros, qui nec male esset acturus uolens, quia probus: nec ignorans, quia prudens: nec coactus, quia constans, fortis, & tanta potentia subnixus. Itaque mos hinc manauit, & quasi abijt in ius & legem, principem legibus non teneri, sed quæcunque decerneret ac iuberet, legem esse. Procedente tempore, quum semper humanum genus in peius proficeret, successerunt alij principes, partim hęreditate, partim electione, aut consensu populi insanientis, & uel ira, uel cupiditate, uel metu, uel gratia, uel falsa aliqua existimatione corrupti: qui principes nec bonitate nec prudentia essent cum superioribus comparandi. Et isti uoluerunt licere non minus sibi quàm quod bonis & prudentibus, non magis multitudinis quàm naturæ beneficio ac munere fuerat tributū. Hinc quod licuit, liberius sunt quàm boni illi executi, qui parcissime utebantur eo, quod prolixissime licebat. Ita ut non solum in prouerbium abierit, Principem esse solutum legibus: sed quod peius est, principi licere quicquid libeat. Quem non terreat tanta uis ac licentia in uno homine posita, & plerunq; gladius datus in manum furentis? Licentiam talem seuerissime illi exercebant, tum quia mali, tum quia metuebant ne in periculum uenirent, in periculum ostentarent: ut L. Sylla dictator, de quo quum Valerius Flaccus interrex legem tulisset, ut quicquid dictatori liberet, id esset ratum, ipsa eam legem crudelissime exercuit: quòd occupata per uim potentia, per uim erat retinenda. Deinde Romani Cæsares uel in nouo imperio, & nondum populo seruire assueto, uel ipsi noui homines, qui imperium difficile tuebantur male partum. Ad hæc plerique omnes mali, male tutam dignitatem diligentissime atque exactissime studuerunt conseruare. Maiestatis lex seueriſſime obseruata et uindicata, quum non solum facta, sed dicta, uerba, nutus quoque, & leuissimæ suspiciunculæ ac coniecturulæ in crimen uocarentur, quæ omnia sunt crudelissime punita: quando principes in id unum operam omnem & cogitationes conferrent, quem admodum sisterent se eò loci, in quo ægre adhærebant. At uero iritatis semel ad inhumanitatem animis & proximorum sanguine delibutis, maleficia maleficijs fuerunt tuenda. Territus populus, territi magnates, etiam maxime familiares & amici, tanquam à fulmine subinde iaculato, quęcunq; poterant, effundebant in principem ad beneuolentiæ significationem: ut ea saltem parte essent tuti delinito sæuissimo principis corde, atque eblandito adulatione illa, eisdem signis, quæ solent à uero amore nasci, aut etiam maioribus: ut solertior est ad amoris ostensionem adulatio, quàm uerus amor. Leges aliæ super alias, de capite, de dignitate, de maiestate principis exquisita uerborum nouitate, & inauditis pœnis ac minis sancitæ usque ad communicationem diuinitatis. Cœlum ei deditis pœnis ac minis sancitæ usque ad communicationem diuinitatis. Cœlum ei dedissent, si in eorum fuisset manu, nedum urbem, & libertatem, & leges. Et dederunt cœlum, qua ipsis licuit, cōsecratione principum mortuorum in successoris gratiam. Augusto uiuenti aræ & templa sunt posita. Quum Domitianus formalē epistolam procuratorum dictans nomine sic esset exorsus: Hęc iubet dominus & deus noster,

Cautum eſt ut deinceps non aliter,ne ſcripto quidem ac ſermone cuiuſquam appellaretur. Quid facerent inter hæc iuriſconſulti, niſi ut tum eodem metu perculſi, tum adducti ſpe aliqua,quæ leges eſſent in fauorem principis conſtitutæ, eas ampliſſime dilatare: quæ non eſſent, ad fauorem principis detorquere: quæ pro libertate populi, extenuare,ac opprimere.Ita quum princeps eſſet lectus à populo,ut ipſos,tanquam pater filios regeret,tueretur, quòd pater patriæ & eſſet, & nominaretur, ipſe longe aliter pro hoſte ſe gerebat: quæ multitudini expedirent perfunctorie,& per alios obiens,quæ ſibi,accuratiſſime.Sic ſe atq; alios tractando perfecit,ut ius maieſtatis ac potentiæ ſuæ in immenſum auctum tutelam omnem patriæ exorberet,libertatem premeret,honeſtum otium & quietem(quę boni expetunt) funditus extirparet: ut permulti principes imago illa rectoris mundi magis à deo uideãtur creati ad perniciem ſubditorum,& tanquam carnifices regni ſui,quàm æqui moderatores, ac diſceptatores ſuæ ditionis.Non ſe eos præbebant,per quos quiſq; ius ſuum obtineret, ſed per quos nemo eſſet ab iniuria immunis:quod ſæpenumero propter populi ſcelera contingere ſacra oracula teſtãtur.Traianus Cæſar ſapientiſſime fiſcum principis ſpleni aſſimulauit,qui quo magis increſcit, hoc magis reliquum corpus diminuitur, ac extenuatur.Hęc potentia principum & moribus accepta & conſignata literis,tantas uires diuturnitate temporis eſt nacta, ut nunc poſt longam ſucceſſionem regni, quum Rex ab ultima origine deductus nec competitorem timet,nec populum,ut ſe aſſerat in libertatem tandiu aſſuetum agere ſub illius attauis:tamen ita ſe conatur extollere ſupra caput patrię,tam graui pondere in eam incumbere,ut eum putet eſſe fidiſſimũ ſibi,quiſquis de miſero populo detrahit,quod addat principis dignitati,quæ iam quo creſcat,non habet:et in ſeditioſis habeatur,quiſquis de commodis publicis, de libertate populi, de quiete eius audeat uel meminiſſe. Et loquor de his legitimis ac iuſtis: nam ciuitati nihil eſt æque pernicioſum, ut uulgi libertas effrenata, ex qua naſcitur ſeditio extremum malorum publicorum.Quapropter leges quas ex æquitate omnibus pari atq; utili oportebat elici,ex cupiditatibus ſunt principum deductæ,quæ quoniam æquæ in commune non ſunt,nec iuſtæ, haud aliter leges debent nominari,quàm auena hordeum,aut mulus equus, aut acetum uinum, aut adulterinus numus pecunia, denicq; quicquid à meliore degenerat illius appellatione.Sicut præclare à Socrate apud Platonem diſputatur in Politicis, & à Cicerone in libro de Legibus primo.Sed quoniam in hoc repertæ ſunt leges, ut homines inter ſe quiete & æquali quodam iure uiuant,primum legum munus eſſe debet,ut animũ conſtituant ac forment fontem actionum omnium:dentq; operam, nõ ut puniant malos, ſed ne qui uelint eſſe mali.Eam eſſe primã eorum curam cõgruit, qui leges ſanciunt:quẽ admodum ſapienter docent philoſophi, ut pueri aſſueſcant bonis rebus delectari, triſtari malis. Nam hoc ſi ſit perfectum,non multum ſanè negotij ſupererit legibus ad iubendum aut uetandũ,ad delictorum pœnas,ad præmia recte factorum.Ex hac aſſuefactione morum,etiam ſine legibus bene uiuitur.Sine illa uero,ne cum legibus quidem uel plurimis,uel accuratiſſime perſcriptis ac ſanctis.Horatius prudenter:

Quid leges ſine moribus uanæ proficiunt?

Iſocrates docet in Areopagitico,non beneficio legum bonos uiros Athenis fieri, ſed quod mores haberent honeſta educatione ad rectum compoſitos:amorem uirtutis & æquitatis pectoribus impreſſum,& infixum. Oportet,inquit,recte proſpicientes reipublicæ non porticus legum tabulis replere,ſed in hominum mentibus æquitatem defigere.Quippe non decretis,ſed bonis moribus ciuitas optime gubernatur. Male enim educatis atq; edoctis,nulla eſt legum,& ſi exacte perſcriptarũ,reuerentia. Contrà uero probe inſtitutis,recepta bonis moribus ſufficiunt. Hæc illis intelligentibus non ea fuit curarum prima, quibus pœnis male uiuentes afficerent:ſed potius quibus tandem rebus aſſequi poſſent, ne quid ciues pœna dignum uellent patrare. Id demum cenſebãt eſſe munus ſuum,maximeq; moderatores ciuitatis decẽs.Nam de pœnis cogitare, hoc eſt hoſtem agere,non ciuem.Hactenus Iſocrates.At Romanæ leges omnes, ſunt de conſtituendis litibus, de ijs quæ ad pecuniam pertinent,

ut ſua

ut sua unicuique manerent tuta: nullum est in eis caput de morum compositione, de animo ad uirtutem formando, quum tam multa sint ea de re in legibus Lycurgi & Solonis, unde sumptæ fuerunt duodecim tabulæ. Credo quòd Romani libertatem illam suam tam iactatam, eam demum existimabant, quàm pessime quisq; ut uellet, uiuere, modo sine alterius iniuria: quod tamen nunquam sunt illis suis litigiorum atque actionum formulis consecuti, consecturi forsitan, si studuissent suos meliores facere. Iam uerò quando lex est uelut quædam regula, ad quam unusquisque actiones omnes suas debet accommodare, par est ut leges sint & apertæ, ac faciles, & paucæ, ut sciat quisque quomodo sibi sit uiuendum: nec id propter obscuritatem legum ignoret, nec propter illarum multitudinem ei excidat. At ij in quorum manu est consultatio & responsio de iure, ne rem exiguam, & cuiuis obuiam uideantur præstare populo, curant ut obscurentur leges, ne promptum sit cuiuis qui sit sensus perspicere, adeundum uerò ad se habeant tanquam ad oraculum: qua in re merito iureconsultos incessit Cicero pro Murena. Quid quòd ea etiam, quæ si proponerentur, essent omnibus plana & obuia, reconderunt: ut fastos dies & nefastos, quibus diebus posset agi iure, quibus non: donec inuentus est Romæ Flauius quidam scriba, qui fastos euulgaret, maxima nobilitatis indignatione, in cuius manu erant, seu uerius tyrannide. Ergo quæ sunt ex se facilia & liquida, immissis interpretatiunculis, ita sunt reddita turbulenta, ut aqua ex agitatione uel cœno, aut puluere iniecto: & quæ recta erant, icta & percussa glossulis, deflexa sunt ad iniquitatem. Iam paucas conuenit leges esse. Nam si multæ sunt, euitari non magis potest crimen, quàm casus, si multis locis tendantur retia ambulantibus. Insidiæ sunt tot leges, non conditio uiuendi. Quum non bene essent populi instituti, nec sua sponte uellent bene agere, sed metus legum exprimeret, quod non ualebat probitas, aliæ leges super alias ferebantur ad coercendos morbos animi subinde erumpentes: non secus quàm in morbido & ulceroso corpore nullus est medicamentorum finis. Nam quum ulcus unum lata lege tanquam ceromate erat compressum, erumpebat ilico alterum, cui erat succurrendum, hinc aliud subinde atque aliud: & prima uulnera, quum exiccata erant ceromata, id est, silentio & antiquitate ferè abrogata, rursum erumpenti putri humore rescindebatur, cui iam uideretur cicatrix obducta: ferendà tum erat noua lex de re uetere, quæq; iam antea legibus esset sancita. Ita nullus modus, nullus finis fuit legum, & de eadem re multarum, & de diuersis. Tum per homines uafros ad obsequium suarum cupiditatum atque animorum facta est fraus legi, & detortum unum uerbulum, aut dispunctiuncula, aut proprietas loquendi, quo animus praue affectus imperaret: quæsita est interpretatio iurisconsulti: alijs hoc est uisum iudicio, alijs hoc placuit ex affectu. Et hæc omnia literis sunt mandata, ut nullus esset iam legum & interpretationum numerus: quæ res uel per tempora T. Liuij uix erat ferenda, ut ipse libro tertio historiarũ significat. Quid dicturus, si uidisset eos, qui post eum scripserunt? Nam Labeones, & Papiniani, & Vlpiani, & Herennij, & Caij, & Modestini, denicp illi quorum aliquid extat in Pandectis, omnes post Liuium fuerunt: nisi quis Sceuolam & Aquilium exceperit. Aquilij nomen nõ recordor legisse me prępositum legis capiti, ut cęterorum. Sceuolã, cuius extent aliqua in Pandectis, post Ciceronis ætatem Valla reiecit, idcp ex dictione satis apparet, atque eius meminit in Heliogabalo Lampridius. Quid uerò si nostros Baldos & Bartholos uidisset, atque alios huius notæ, quibus legendis decem iustæ uitæ non sufficiunt? Et quum tot sint leges, etiam obscuratæ sunt: & ipsi iurisconsulti ægerrime ferunt leges dici faciles, aut eas, quæ uulgo possint intelligi. Quæ est ergo æquitas, ignorantia iuris neminem excusari, & tamen leges esse & tam longas & tam difficiles, ut nemo eas tenere omnes ualeat? Vos ergo scribendis legibus, non mitem quandam ostenditis, & benignam degendæ uitæ rationem, sed insidias struitis simplicitati populari. Sed pergam de illis loqui, quos dixi post Liuium uixisse. Qui tamen non Legumlatores fuerunt, sed Iurisconsulti, contrà quàm aliqui opinantur, eorum libros prolixos existimarunt esse Iurisperiti illi, quos habuit in consilio Iustinianus Augustus. Ideo, ne

tam multa

tam multa ſtudioſi diſciplinæ huius haberent legenda, ſtatuerunt ſumere centones quoſdam ex illis ſex & triginta ſcriptoribus, tot enim nominantur, ex quibus libros conſuerent legum, ſelectis optimis quibuſq;, & legi digniſſimis. Illæ non erant per ſe leges, ſed interpretationes tantũ legum. Verum accedente iuſſu & autoritate principis factæ ſunt leges: quando is iuſſit, cuius iuſſa ſunt leges: fuit quidem conſilium illud prudentiſſimum. Vellem tamen reliquiſſent nobis origines illas, & quaſi fontes, unde ipſi illa deſumpſerant, nempe libros illorum ueterum, non futuros ſanè legum loco, certe uel interpretationes, uel iucundam quandam lectionem ex uarietate rerum & cognitione uetuſtatis. Quanquam non puto abolitos libros illos iuſſu principis, aut conſilio, & cura iuriſperitorum, ſed malignitate temporis, atq; hominum deſidia, ut alia multa: quum ſtudioſi, qui compendium quærerent, non deſcriberent codices, ex quîs quæ uſui ad diſciplinam forent, iam eſſent decerpta. Cæterum in facto hoc aliquot inſunt incommoda, quod plerunq; rectus ſenſus, & germana dictorum intelligentia ex collatione præcedentium ſequentiumq; elicitur. At quum detruncatus eſt locus, difficulter poteſt diuinari, quid autor ſenſerit. Tum quòd ut non erat unus Tribonianus, qui colligebat, ſed Theophylus & Dorotheus: Tribonianus collegit hoc aut illud ita eſſe ex Herennio: Theophylus nõ eſſe ex Papiniano aut Celſo, ut diuerſa inter ſe ſentiebant, et nonnunquã idem ſecum ipſe diſſentiebat. Erant enim priſci illi homines occupati negotijs, nec abſoluta eruditione ac ſapientia, tum etiam animi commotionibus impulſi. Sæpe reſponderunt & ſcripſerunt diſtricti negotijs, ſuſpenſo atq; alienato animo, ſæpe obſequentes amico, aut alicui affectioni, aut tangebantur ſtudio contradicendi ei, quicum non bene conueniret, uel oſtentandi ſui noua & inuſitata tractatione Iuris, non rati futurum ut pro lege acciperetur, quod dixiſſent: ſed in præſens ſeruitum eſt ab illis tempori: & uoluerunt cum libertate iudicandi ſua recipi, nec contradicenti ſuccenſuiſſent. Interdum hoc uiſum eſt uno tempore, aliud alio, ut mutantur hominum iudicia, quum cæteris in rebus, tum potiſſimum in ijs quæ ad mores, & uitæ officia pertinent, in quibus non poſſunt afferri demonſtrationes, ſed ueriſimilitudine quadam coniecturarum ducimur. Nec ſanè temporum illorum cõditio multum ipſorum ingenijs profuit, concuſſa & mutata toties ciuitate nouis principatibus hominum ſceleroſorum Commodi, Seueri, Caracallæ, Heliogabali, Maximini, qui non tam armatos hoſtes perſequerentur bello, quàm ſenatum, quàm doctiſſimum & prudentiſſimũ quenq; odio, exilijs, cædibus: inter quæ nemo erat tam conſtans, imò durus, qui animo poſſet conſiſtere, & artes ingeniorum pro debita tranquillitate exercere. Frangitur mentis ſolertia in publico timore ac tumultu, conuerſis omnium animis ad cogitationem unam mali impendentis. Quibus de cauſis conueniebat exactius perpendi ea, atq; examinari, quæ illi ut reſponſa ædiderunt, nõ ut leges: nam ſi deuitabant ab æquitate, iniquę leges erant: deuiaſſe autem interdum argumento eſt, quòd inter ſe quandoq; ſunt contrarij. Nam quod dicunt Tribonianum fuiſſe magnũ & eruditione, & prudentia, & iudicio uirum, non dubito, ſed hominem: nec optimum, & quem Suidas ait cõſueſſe leges uendere pretio, & tales figere, ac refigere, quales congruerent ijs, qui plurimum numerarent. Sed nec unus collegit, nec ab uno. Iuſtinianus ſeu Tribonianus potius negat ullas eſſe in iure ciuili contrarias leges, Codice de uetere iure enucleando, capite ſecundo. Antinomias quaſdam adfert Budæus ſuas et Vallę, in quibus nonnullę ſunt, quarum altera aperte dicit etiam, altera non. Sudant ſatis & ueteres & recentes Zaſius & Cantiuncula in concordia magis, q; qui receperunt ſe Platonẽ & Ariſtotelẽ in conſenſionẽ redacturos, & quaſi repoſituros in gratiã. Sed nihil eſt ita dilucide ac diſerte repugnãs, quin ſi permittatur tibi quocũq; libuerit flectere, & torquere, uideatur eſſe conſonũ: præſertim cum Accurſius & quidã ueterum impudenter ſibi ſumant quocunque uiſum eſt modo interpretari quamlibet abſurde: mutire in cõtrarium, eſt nefas: ne uidelicet contra fauorẽ ſacroſanctarũ legũ aliquid dicatur: ceu uerò pugna legum ea etiã ſit ex legibus. At dicunt recentiorũ Cæſarum & Iuſtiniani reſcriptis multa eſſe ex Pandectis in Codice & Authẽticis correcta. Ceu uerò minus ſit libidinum & corruptorum affectuum

affectuum in principum rescriptis, quàm in prudentum responsis. Principes plura concedunt temporibus, amicitijs, inimicitijs, impotentiæ motuum, ac perturbationum animi, quàm priuati: quòd altius à fortuna euecti, & maiores animos sumpserunt, & plus sibi iudicãt licere oportere. Et in plura extendit se cura ac ratio illorum, quibus necessario habent obsequi: alia persuadẽt, alia ducũt, alia trahunt, impellunt, cogunt: quibus priuati homines liberi ac soluti integrius possunt iudicium suum conseruare. Sed omissa disputatione hac, loquamur sanè de his ipsis centonibus ita consarcinatis. Maximam illis obscuritatem sequentibus seculis attulit ruditas duarum linguarum, quibus erant scripti. Ignorata sunt uerba Græca, quorum frequens est mentio, quum in toto corpore iuris ciuilis, tum potissimum in Codice, & ex eo tribus postremis. Multa citata ex Homero, & Demosthene, & alijs Græcis penitus omissa, in quibus erat uis sententiæ legis: pro quorũ expositione unum illud dictum arbitrabantur sufficere: Non potest legi, quia Græcum: quasi in perpetuum desperarent de eo, quod in præsens non assequerentur. Quanquam interdum sine fronte ponunt, quod primum in buccam: ut de contrahen. emptio. l. j. Sed hi uersus permutationem significare uidentur: glos. quia in prædictis uersibus non erat emere, sed comparare. Accursius: non pudet istos quum uersus non legerint, ea dicere: nec est in eis comparare, sed ἀνίζουρ. q. uinum quærebant. Iam leges permultæ sunt Græce scriptæ, & praue in Latinum uersæ ab interprete imperito. Idcirco & pleraq; omnia uerba simplicia Græca quæ in iure sunt ciuili relicta, confusa ad nos uenerunt ac deprauata. Inscientiæ Græcitatis accessit imperitia Latini sermonis, & eorum omnium, quorum est crebra mentio in iure ciuili, uestium, supellectilis, instrumenti rustici, tum rerum ac consuetudinum fori, ac totius ciuitatis Romanæ, in quibus sita est mens legum & sententia. Ad hæc historiam & temporum rationem obliuio oppressit. Quibus ex causis pro cœlo exposuerunt cucurbitam, & historias confinxerunt, quum ueras ignorarent. Quorum omnium fuse adferrem exempla, nisi ea nota essent iam uel mediocriter doctis facta, ex libris eorum, qui peritiam iuris aggressi sunt illustrare, adiuti linguis & cognitione antiquitatis, Budæi, Alciati, Zasij, Salonij, Nebrissensis. Detracta tanta parte iuris ciuilis, operta ignorantiæ tenebris, quantulum erat quod ad intelligentiam eorum fiebat reliqui? nempe quæ semper habita sunt facillima, & maxime exposita. Atqui & in his uersabantur hallucinanter, ac diuinabunde, ut non ex uerbis sensa deprehenderent, sed ex sensu uerba. Nec aliter nõ raro diuinarunt illi ueteres significationẽ alicuius nominis recondĩti, quòd uiderent ex sensu non posse aliud intelligi, quàm uidemus quotidie fieri in ijs, qui mediocriter linguam aliquam nouerunt in abstrusis eius uerbis. Et ut fuerunt illi indocti, tum libri legum frequentissimi illis in manibus, ut si qui alij, deprauarunt, quæ non intelligebant: & librariorum insectando insciti am, quemadmodum Quintilianus ait, prodiderunt suam. Ergo libros illos mendosissimos habemus, adeo ut plerunq; nullus omnino nec à doctissimis atq; ingeniosiss. elici possit sensus. Huic malo dicitur seruatum remedium in quadam bibliotheca Florentina, in qua seruantur antiquissimi quidam libri legum correctissimi, qui propter uetustatem ἀρχέτυπι nominantur, & uulgo libri Pisani, unde sunt Florentiam cum opibus illius urbis trãsuecti. Sed nũquam prodit illud remedium: quòd si prodiret, quod uir doctus multis annis quęrens, et se defatigans uix inuenit, id una hora patefieret: si modo tales sunt, quales prædicantur. Iam quum Iustinianus prolixitatis pertæsus detruncarit scripta iurisperitorum, ut labori studiosorum consuleret, uetuerit etiam, ne res eodem relaberetur, glossas fieri. Isti nihil legẽ illam pendentes, cum tamen sacrosanctas leges nominent, glossas addiderũt, siue ut explicarent quę obscura sibi & alijs essent per ignorantiam facta, siue ad ostentationem peritiæ, ac nomen proferendum. Et tamen quos non piget legere tam longos Bartholos, Baldos, Iasones, Albericos, piget legere corpus ipsum iuris. Age uerò qui ius ciuile profitẽtur, quid se & profiteri, & præstare oportere arbitrãtur. Vlpianus hãc professionẽ paucis est his uerbis complexus. Ius est ars æqui & boni: cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam nanque colimus, boni & æqui

& æqui notitiam profitemur,æquum ab iniquo ſeparantes,licitum ab illicito diſcernentes. At iſti obliti ſe iuris eſſe & iuſtitiæ interpretes, atque ideo ſacerdotes uocari æqui & boni,relicta pulcherrima omnium profeſſione explicandæ æquitatis, exiſtimarunt ſe ſacerdotes eſſe Romani iuris:& ex illa naturæ omniũ gentium tẽporumq; latitudine in has ſe unius populi,& unius temporis anguſtias compulerunt,fortaſſis conſcientia imbecillitatis ſuæ,tacito naturæ ſenſu. Nam ad cognitionẽ atq; interpretationem æquitatis,quatuor maximis rebus eſt opus,ingenio,iudicio,eruditione,uariarum rerum uſu atq; experientia. Neq; enim oculos facile immittet in arcanũ illud & ſanctum naturę lumen,niſi homo ingenioſiſſimus:nec qui uiderit diſcernet,et cenſebit,niſi maximi & acerrimi iudicij:tum in utroq; opus eſt uſu atq; experimentis,ne quamuis egregium atq; excellens ingenium nouitate rei fallatur:deniq; ad ea,quę ab alijs ſunt obſeruata,& ad lucem omnino maiorem opus eſt uaria notitia antiquitatis, quæ prudentia adiuuatur,res una in negotijs uitæ omnibus incomparabiliter neceſſaria. His rebus maximis fulti,priſci illi ueteres de iure audebant reſpondere:ad quos olim,& in foro ambulantes,& in ſolio ſedentes domi ſic adibatur,quod eſt à Ciceronẽ memoriæ proditum,ut non ſolum de iure ciuili ad eos,uerum etiam de filia collocanda,de fundo emendo,de agro colendo,de omni denique aut negotio aut officio referretur,de diuinis & humanis rebus uniuerſis. Idem & in ſenatu & apud populum, & in cauſis amicorum,& domi & militiæ cõſilium ſuum fidemq; præſtabant. Illi demum uere erant Iuriſconſulti,ſeu uerius(ut idem Cicero de Seruio Sulpitio dicit)iuſtitiæ conſulti,& æquitatis ſacerdotes,atq; antiſtites. Hoc erat pulcherrimũ in ciuitate munus,& utiliſſimum ſuis ciuibus præſtare. Illi uerò hoc tanto merito ſuo prudentię nomine decorati ſunt. Prudentes enim & habiti ſunt ſemper iuriſconſulti,& nominati,eaq; ipſa diſciplina iuris prudentia, & reſponſa prudentum:quippe eam profeſſionem nõ ſunt rati abſq; prudẽtia tueri ſe,ac prę ſtare ſuę ciuitati poſſe. Nam quis æquitatẽ rerum uidear,aut definiat ſine magna prudentia? Nunc uero quid cauſę dicemus eſſe,quod multi ſimul ſint imprudẽtiſſimi,& iuris peritiſſimi:& quod mirere magis, ſtultiſſimi exiſtimantur etiam ab ijs ipſis,à quibus & Iuris callentiſſimi. Videlicet facile eſt homini quamlibet tardo & ignaro rerum omnium memoriter leges illas complecti,& tanquã indicem ubi quicq; habeatur,oſtendere. Nam ego hos homines,qui leges alias ſuper alias accumulant, nulla addita ratione æquitatis, quæ ex ingenio,& multarum rerum experimentis ac ſcientia excuditur, non iuriſconſultos ſoleo nuncupare,ſed elenchos,aut indices legum. Miſelli quid facient ubi nullus eſt legũ Romanarum uſus,ut apud Turcas, apud Chriſtianos etiam ferè omnes? in quibus unaquæq; gens,alia mores ſibi obſeruauit,ſecundũ quos uiueret:alia leges inuenit commodiores ſibi, q; eſſent Romanæ illæ. Nec iniuria, quippe quæ Romanis olim congruebant,non omnibus iam congruunt:mutata eſt ratio uiuendi,ſtatus rerum mutatus. Dialecticus ubiq; eſt dialecticus. Medicus ubiq; eſt medicus. Philoſophus ubiq; eſt philoſophus,peritus æquitatis ubiq; eſt peritus æquitatis:multũ omni loco apud omne hominum genus pollet,ac poteſt. Iſti iuriſconſulti nõ ubiq; ſunt iuriſconſulti, imò iam penè nuſquam. Triplex,quadruplex eſt eis diſcendum ius ciuile,prout mutant locum:pro quibus omnibus una æquitatis ſcientia ſufficeret,addita leui cognitione conſuetudinũ & morum eius populi,in quo uiuerent. Acutius tum reſponderent de iure et melius,atque incorruptius. Iam quomodo citant has leges? non aliter utiq; quàm indices. Veteres illi antiſtites æquitatis adducebant quidem interdũ placitum aliquod maiorum ſuorum, qui ſcientia iuris ualuiſſent: ſed raro, ſed leuiter:& ratione magis acquieſcebant,quàm alterius ſententia atq; opinione. Leges uero multo rarius:nam de illis cõſtabat,de interpretatione erat quæſtio. Iſti nullum faciunt finem leges alias ſuper alias congerendi,quod eſt plures leges tenere,non plures intelligere. Et ſubinde occinunt nobis illud:erubeſcimus ſine lege loqui. Quid eſt ſine lege? ſi abſq; citatione capitis alicuius legis,quid poteſt dici imperitius, quid ineptius, quàm non eſſe ſine eiuſmodi loquendum lege? Sin uero,quod magis puto,ſine lege eſt,ſine ratione ac modo, erubeſcant qui ſine ratione ac modo ſemper loquuntur, &

ſine

ſine lege ſuas leges profundunt: quod eſt utique oſtentatio magis memoriæ, quàm legum & iuris explanatio. Dixi uobis elenchos eſſe iſtos iuris, non conſultos. Ceu uero ſit puer aliquis, uel muliercula tam rudis, qui ſi leges edidicerit, non poſſit, ubi de hoc aut de illo negotio aliquid legerit dicere, & multas leges coaceruare: duntaxat quomodo iſti leges ad negotia applicant: in quo non paruam, & imperitiæ, & torporis ſui partē produnt. Nam ut non legerunt leges ipſas, ſed epitomas quaſdam & ſummaria, quas uocant rubricas, atque utinam eas omnes. Rubricæ autem colligunt ſæpe priorem legis partem, poſteriorem relinquūt. Iſti ex rubrica citant legem, cuius prior pars utcunque uidetur pro eis facere, poſterior eſt omnino contraria: ita ut ſuo metipſi gladio crebro ſe iugulent. Alij proponunt longum ſermonem ex decem aut duodecim ſententijs conflatum, in fine uero adijciunt, et ad hoc faciunt illa et illa lex, cum eæ tantum ad ultimā ſententiā, & quidem leuiter, faciant: in qua tamen ſententia non erat cardo negotij. Alij quum dicunt longam aliquam ſententiam, legem adferunt, in qua ſunt duo uel tria poſtrema uerba illius ſententiæ. Sunt qui etiam omnino falſo citent, & alias ſuper alias impudenter, et confidenter: nam adeo multas ſimul aggerant, ut nemo ſit tam ferreus & patiens, qui eas ſigillatim ſuſtineat excutere. At quod male ab uno citatum eſt, fide illius citatur ab alijs plurimis peius. Neque uero in colligendis ex legibus argumentis ſunt feliciores, ſiue ex ignoratione ueræ dialecticæ, ſiue ex iudicio abſurdo, ſiue ex ambobus: ex facto alicuius quod refertur in lege, trahunt exemplum ad alia. Verbi cauſa, ut ex eo quod Flauius ſcriba uulgarit faſtos, & ideo factus eſt tribunus plebis .ff. de origine iuris, ſic annotat Accurſius, aliquem ex dolo ſuo prēmium conſequi, & facit infrà ad munici. l. Titio, & infra de ſuis & legit. l. inteſtato. §. is planè. Arguitur contrà C. de fur. & ſer. corrup. l. ſi quis ſeruo. uel dic quod hoc fecit populus ignorans, ſic ille: Miſer quid te torques? nec dolus fuit, nec populus ignorauit, nec leges, quas ſtultiſſime allegas, faciūt ad rem. Iam de rerum diuiſione .l. in tantum. §. cenotaphium quoque: magis placet eſſe locum religioſum, ſicut teſtis eſt in ea re Virgilius, ſed diui fratres contra reſcripſerunt. Glo. in uerbo Virgilius. Sed falſus teſtis eſt, ut inf. lege proxima; & de religione. l. is qui. Et eſt argumentum, quòd autoritates poetarum ſunt in cauſa allegandæ, ut ſuprà de ſtatu homi. l. ſeptima: & de ſolut. ſi pater. Sed in leg. proxima eſt argumentum contrà, quod ſint reprobandæ. Quis Chryſippus, aut Carneades potuiſſet tam acutum argumentum excogitare? Iuris conſulti alicuius opinio allegatur in iure, & reprobatur: iuris conſulti ergo autoritas alleganda quidem in cauſis, ſed reprobāda. Quid quod Virgilius non dicit debere eſſe honoraria ſepulchra ſacra, ſed Troianis temporibus, aut certe Andromachæ fuiſſe. Iſtis uero hæc dici, eſt ſurdis cani carmē. Lex, is qui, nihil loquitur de poetis. l. ſeptima: autore utitur Hippocrate ad fœtus naturā, l. ſi pater, Ariſtotele ad numerum fœtus. An hi etiam poetæ? nihil eſt frontis in hiſce hominibus, non pudet tantæ & tam craſſæ ignorantiæ? Iam quorſum pertinet allegari ea, quæ ſint reprobanda? Scilicet Martianus, qui pro ſe adducebat Virgiliū, iudicabat illius autoritate ſtari non oportere: talia ſunt iſtorum omnia. Et quemadmodum uiderunt altercantes dialecticos, & philoſophos in ſchola, ipſos quoque inceſſit libido ſui oſtentandi. Altercationes inuexerunt, id eſt, uelitationes & luctas. Hinc, quod proximum erat, placita & ſectas ex pertinacia. Hæc opinio huius, iſta illius, aut illius. Nempe de iure reſpondere, quum ratio ex æquitate non depromitur, facillimum eſt, ut inquit Cicero pro Murena: multo adhuc facilius ſi adſit impudentia, ut idem in L. Valerium iocatur: Cur hoc tibi iuriſconſulti nomen non gratificer neſcio, præſertim quum his temporibus audacia pro ſapientia liceat uti: & quo uberior eſſet diſputandi materia, excogitarunt caſus, non illos quotidianos, & crebro ſolitos uſu euenire, quorumq; eſſet mentio in legibus, aut de quibus eſſent latę leges, ſed inuſitatos, admirabiles, quiq; nunquam contingerēt, ac proinde nec eſſent uſui illi unquā futuri. Quæ res infinita eſt, quemadmodū Ariſtoteles docet in Ethicis. Quippe cauſarum & negotiorum innumera eſt uis ac multitudo, ut quæ leuiſſimis uariētur momentis, & ijs adiectionibus quas Gręci παρεκτάσεις nominant, Quin-

tilianus circunſtantias,quæ poſitæ ſunt in aliqua additione perſonarũ,locorum,temporum,cauſarum,modorum,caſuum,factorum, inſtrumentorũ,ſcriptorum, & non ſcriptorum: quarum rerum congregationem,negotium Valgius appellat. Quocirca ea perſequi operis eſſet nunquam finiendi: in quo declarant,quàm ſint artis impe riti,qui curam & præceptiones ſuas circa ſingularia conſumunt: quæ quoniam ſunt innumera,ad curam artis pertinere non poſſunt, ſed certe neque ulla ars ad iſtorum curam pertinet: & dum illis occupantur, quotidiana & neceſſaria prætermittimus. Sicut philoſophi,qui dum rerum naturã nouam excogitant amittunt iſtam. Res eſt alioqui nullius neceſſitatis,aut fructus.In medicina fortaſſe expediret præuiſa habere remedia ante morbos, ne hi quum derepente exiſterent,tum quærendum habere mus remedium, nec facile in anxietate & trepidatione inueniremus: morbuſq; inualeſcens ac urgens,abſumeret prius hominem,quàm medicina poſſit parari.In legibus multo eſt ſecus,nam quũ morbus apparet,id eſt ubi quis peccauit,ſatis tum mature de remedio & medicina conſultatur:neque enim adeo eſt feſtinandum ut puniatur qui peccat,quàm ut ſanetur qui ægrotat.Satisq; in tempore conſultatur de pœna & exemplo,ubi morbus totum ſe explicuit.Adde quòd in medicina, morborum remedia præuiſa non irritant morbos.In ciuitate leges latæ ante ſcelera, non raro ſcelera ipſa mortua & conſepulta exuſcitant, ſicut ille apud Paulum conqueritur in epiſtola ad Romanos.Quam fuiſſe cauſam perhibent, cur Solon de parricidijs nullam tulerit legem,ne admonere uideretur de eo,quod antea factũ non eſſet.Nec Lycurgus de adulterijs quicquam cauit,quod id facinus incognitum adhuc ſua ætate eſſet Lacedæmone.Quocirca mature ſatis poſt ſcelera rogantur leges.Nec immerito dicitur illud,omnes bonas leges ex malis moribus eſſe ortas.Quid quod ſicut medicinæ non deſunt dogmata,atquæ uniuerſales canones,qui nouis & repentinis morbis facile ſubueniant,ita neq; cognitioni æquitatis remedia,quîs ſcelera & flagitia cohibeat: quæ remedia excolenda æquitate ſtatim ſe oſtendunt,ac proferunt.Scrutatione uero ſcriptarum legum abdunt ſe magis & occultant. Natura igitur æquitatis examinanda iſtis erat, atque illuſtranda ad omne negotiorum & cauſarum genus,non torquenda ingenia,dum omnia quæ poſſunt contingere ad has leges ſcriptas (quæ comparatione negotiorum pauciſſimæ ſunt) inuita pertrahuntur. Præter hæc omnia, ut homines ſemper fuerunt attenti ad rem, extincta charitate mutua,& reſpectu Dei amoto,creuerũt lites et rixæ. Nulla fuit ciuitas adeo quieta, in qua unum forum ſufficeret: iudicia ſine modo alia ſuper alia: patronorum & aduocatorum magnum in ampliſſimo quæſtu decus:qui ubi iuſſi ſunt conticeſſere, & in reſponſa prudentum conceſſerunt omnia, ad luriſconſultos idem honor, & quæſtus deuolutus eſt. Quæ res permultos impulit, ut eam profeſſionem arriperent, in qua eſſet paratum lucrum,plenum dignitatis. In Academijs multi ad illos honorum gradus admiſſi, quibus quoniam non eſt fame pereundum, lites quærunt, ſemina earum ubique ſpargunt, mouent, augent detorquendis legibus, & controuerſias malunt conſtituere, quàm tollere: id que eo eſt factu promptius, quòd legum obſcuritas anſam prauis hominibus præbet inflectendi eas, quò uelint. Et differunt lites in longiſſimam diem, ut mali medici curas morborum,ſicunde uberior lucrandi ſpes affulgeat. Ita breui tempore, quæ erant facilia & liquida, inuoluta redduntur omnia, & perplexa.Et quod Quintus Cicero dicit:Sufficere uni familię unum oratorem.Iuſtius dici poſſet de hoc hominum genere,uni familię,imò uni ciuitati Iureconſultũ unũ ſufficere. In Pannonia, quemadmodum accepi, uiuebant olim ſine iuris interpretibus, non tamen ſine iure.Nam ſimpliciter & bona fide ex antiquis moribus, & paucis quibuſdam legibus res iudicabant, imò diſſenſiones ſuorum ciuium facile componebant. Et quemadmodum de Seruio Sulpitio dicit Cicero, tollere controuerſias malebant, quàm conſtituere. In Comitatu Beatricis Fernandi regis Neapolitani filiæ, quæ illinc fuit miſſa nuptum Matthiæ regi, uenerunt Iureconſulti aliquot, qui barbarum (ut ipſi dicebant) morem,magno uultus & ſupercilíorum faſtidio aſpernati homines,quos princeps & comites haberent pro ſapientibus,facile perfece-

runt,

runt, ut homines rudes ac ſimplices illorum ſe ſapientiæ concrederent. Cœperunt illi formulas præſcribere, quibus eſſet petendum, quibus reſpondendum atque excipiendum, dies legitimos notare, iudici quoque aliquid aſſignare quod diceret, ne muta eſſet perſona. Breui tempore, ubi nullæ prius erant lites, omnia uidiſſes feruere litibus, controuerſiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procraſtinationibus. Erat prorſus fabula, niſi quòd damnoſiſſima, cætera feſtiua in primis, & ad riſum mouendum apta hominibus utique otioſis, & quibus nihil eſſet controuerſiæ. Quod malum tantum, & tam ſubitum, quodq; late inuaſiſſet plurimos, quum animaduertiſſent homines prudentiores, ad Regem res eſt delata, qui re percognita iureconſultos illos continuo regni finibus iuſſit excedere, & omnia in priſtinum morem reuocari. Sedata eſt ſtatim tempeſtas illa, tanquam ſi uenti poſuiſſent. Scilicet utiliores ſunt leges populo quo ſimpliciores, ne cui imperitia fraudi ſit, ut uafricies lucro, quæ æquitate ſua rudibus, & circumſcriptioni expoſitis ſubueniunt: impoſturæ uerò atque aſtutiæ aditum præſtruunt, quæ ſe facilius inſinuat, quo exactius atq; accuratius omnia uolumus præſcribere: ut in contractibus, atq; inſtrumentis tot ſententiolæ, quæ ad cauillum excludendum conſtipantur, nihil ſunt aliud quàm anſulæ cauillorum. Propterea quòd ubi omnia explicare uolumus, nec æquitatis ſyncerę interpretationi locum relinquimus, iniquitatem introducimus: ut tantum quiſque conſequatur, quantum in uertendis atque detorquendis uocibus ualeat. Nos ipſi peſſime utique in nos conſulimus, qui non æquam, & bonæ fidei interpretationē prodeſſe nobis uolumus, ſed quantum uerbis poſſimus exponere. Atqui nemo eſt tam circūſpectus, qui omnia cauilla præuideat: nec tam diſertus, qui quæ prouidit, aptis uerbis poſſit eloqui omnia, ac munire, ne qua ſe calliditas inſinuet.

PRIMÆ PARTIS QVÆ CONTINET
libros de Corruptis artibus,
finis.

Secunda pars.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE TRADENDIS DISCIPLINIS, SEV DE INSTITVTIONE CHRISTIANA,

Liber primus.

QVVM ingenti Dei munere mentẽ & uim inquirendi homo esset nactus, qua ui non solum quæ adessent, aspiceret, sed oculos in futura & præterita mitteret, proprium tanti instrumenti opus esse duxit intueri omnia, colligere, componere inter se, & uniuersam hãc naturam quasi possessionẽ suam peragrare: tametsi euagatus est magis extra uiam, quàm in uia progressus. Sed quæ spacia confecerit, & quousq; peruenerit, mirabile admodũ fuerit, si quis per se contẽpletur. Sin uerò ad ea conferat, quę non est consequutus, uix eum existimet pedem extra limen posuisse: adeo quæ possidet, pauca sunt & obscura. Verũ nos, mendici huius pannos exponemus, quando amplissimæ uidentur nobis opes esse maiorum ignoratione, aut utique incogitantia. Primum omnium amor tuendi sui, quem illi indidit natura, extimulauit eum, ut animaduerteret se nec pũctum quidem temporis posse subsistere, si desint corpori alimenta: ergo animaduertit ante omnia quæ nam ad se alendum ac sustentandum sumeret: nempe quæ ad esum, quæq; ad potum pertinerent: ut utilia & à noxijs distingueret, & quemadmodum paranda & conseruanda essent, calleret. Iam quando corpus multis esset morbis tanquam renascenti subinde tyrannidi obnoxium, quæsiuit quibus & se muniret aduersus morbum, ne inuaderet, & posteaquam inuasisset, propelleret. Tum considerauit corpus sibi contigisse tenerum, iniuriæ cœli ac soli expositum, inuenit qua ratione aduersus uim frigoris atq; æstus, contra hyemẽ & tempestates munitus ageret, principio integumenta corpori admota: hinc quum parum in his esset aduersus uim maiorem præsidij, aggessit lapides, lutum, saxa, ligna, res duras, quibus se tegeret, iniurijs illis impenetrabiles. Quoniam uerò parum erant à noxijs feris tuti, ne in se ab illis fieret impetus uel inopinantes ac securos, uel somno oppressos, ea quęsita sunt quibus se clauderent, ut tutior esset securitas. Iam uerò quia in tanta imbecillitate & necessitate tot tamq; uariarum rerum nemo unus sufficiebat sibi, de primo aliquã multi eadem se clauserunt spelunca, hinc arctante se charitate, uir & uxor secesserunt cum liberis: & egressi ex speluncis casas & tabernacula è paucis lignis erexerunt, iniectis arborum ramalibus pro tecto. Cæterum hæ casæ sparsim initio extructæ, & in lato campo, quibusdam uelut maculis, non aliter quàm nunc sunt urbes & oppida: mox & hortante charitate ne longius abscederent, qui inter se bene cuperent, & urgente mutuæ opis indigentia, quidam contulere proprius casas in speciem uici. Verum in animali iniuriæ obiecto & suspicaci, quantacunq; uigeret apud eos simplicitas, querelæ tamen aliquæ existebant: has natura deferebant omnes ad antiquissimũ, haud aliter quàm filij ad patrem: qui natura minus etiã num apud eos corrupta imperium obtinebat in reliquos, quia præcederet ætate, & ea de causa usu, prudentiaq; præter cæteros ualere credebatur. Quum uerò experti essent non deesse aliquos, quibus cani & rugæ non multum attulissent bonæ mentis ac cordis, alios quibus ętate esset aucta malitia, prudẽtissimum aliquem & optimum quæsiuerunt. In hoc quoque erratum est: nam de prudente iudicium non potest facere nisi prudens: illi se summiserunt, quemcunq; aliqua ratione maxime reuererentur: nempe illa, quæ ipsis uideretur in rebus hominũ potissima:

his fuit

his fuit pecunia,illis pulchritudo,alijs robur corporis & animi,alijs eloquentia, alijs genus,alijs cognitio disciplinarum,alijs perspecta iustitia.Sed quum essent plurimi, qui eum honoris gradum ambirent, nec peiores melioribus cederent,quòd superbia unicuiq; persuasisset eum esse optimũ,scissaq; in factiones multitudine, non iam res iudicio sed concitatis affectionibus ageretur, ad componendas discordias consensu omnium electus est unus,qui iudicaret:aut certe post certamina necessario admissus victor.Priscis illis satis erat sic denuntiari,non debere fieri:uerbũ illud & manus,& uoluntates cohibebat:tantum apud illos ualebat iuris atque æquitatis respectus.Creuit contumacia:tum leges latæ,pœneq; legibus additæ:quum iam non satis esset prohiberi:et coercio pro potestate fuit denuntianda ad terrorem omnium,ne se effunderet impudentia. Verũ enimuero uoluntas male faciendi non unum aliquem aut alterum inuasit,sed manus hominum,& integros populos: ut publicum odium publica se expeteret clade satiare: ad quos repentinos cohibendos impetus, qui eadem communione rerum essent deuincti,cinxerũt se muris,& tela quæsierunt,quis propulsarẽt hostiles aggressus.Sed hęc occasionibus temporum parata:illa quotidiana contrahere,& uersari inter homines indiuisibili perpetua societate,quam arctissime deuincit sermo:cuius adiumento aperiunt sese animi tantis corporum intiolucris obtecti,atq; occultati:obseruata sunt uerba singula, tum phrases ac loquẽdi modi,ut apti essent usui,hoc est,ut consensu essent publico notati: quod est uelut communis monetæ signum.Maxime enim expedit communem esse sermonem,qui quasi uinculum paratum est societati hominum:nam si peculiares sint apud aliquos loquendi rationes, tanquam aliena utentes lingua parum sese intelligent:quo nihil est odiosius ijs,qui multum conuersantur,magnamq; inter se habent uitæ consuetudinem.At in societate hominum,quorum est proprium modo ac ratione uti,par fuit ut non temere,nec uiolente,nec ferarum ritu ac more res unusquisq; usurparet,sed modeste ac moderate, quãtum ratio suaderet bene ac ciuiliter institituta:unde prudentia omnis est nata uelut clauus quidam regendæ nauis,cuius multo maximus est in uniuersa uita usus,in uictu,uestitu,habitatione,erga seipsum unicuiq;,erga uxorem,liberos,familiam,erga ciues pares,priuato erga magistratum,& principem,aduersus inferiores ciues,si ipse sit magistratus,aut princeps.In quo est tota uitæ ratio constituta, priuata,& publica,& cuius nulla ætatis pars debet uacare, ac neq; potest, siquidem humano more uiuendum sit:quæ omnia sub genere quodam prudentię sunt posita: ex quo nascuntur illa,quæ à Græcis ethica,œconomica,& politica nominantur.Hęc sunt quæ necessario humanum ingenium, & uniuersa hominis natura stimulis quibusdã ab autore suo excitata inuenit,& cõstituit:quibus semotis partim homo nullo modo uiueret,partim non humanam uitam,sed ferinã et agrestẽ.His partis riteq; constitutis,transiit humana mens à necessitatibus ad commoditates,ut inuentis illis haberet non solum quo se à tanta et tam continua uiolentia tueretur,sed iucundũ quid dam,quo etiam post depulsam necessitatẽ iuuaretur.Interea quidẽ dum totus homo tanta ui & terrore premeretur necessitatis, omnia erant in hostẽ conuersa:nec de alia re in homine,q; de soluenda obsidione cogitabatur.At ubi omnia uisa sunt quieta & pacata,ex corpore uoluptas,ex animo superbia extiterunt:quæ sibi maximã humani imperij portionem repeterent ac quasi uendicarent.Seruitum est uoluptati, excogitata sunt ad delicias plurima:seruitum superbiæ,multa ad inane quoddã decus reperta, & ad parandam excellentiæ opinionem. Tum quæ aduersus necessitatem fuerant quæsita, quibusq; aliquid cõmoditatis accesserat, ferè uel ad delicias sunt traducta, uel ad superbiæ acerbissimã tyrannidẽ pertracta,ut uel corpus oblectarent,uel oculis intuentiũ tanquã in scena saltarent fabulam. Necessitati satisfactum paucis est & parabilibus, commoditas plura adiunxit,uoluptas & superbia sese complexæ, nullum modũ,nullum finem inuenerũt.Nam animus cura illa præsentia necessitatis solutus ac liber cœpit respirare,& otiosior uelut theatrum hoc cõtemplari,in quo esset à Deo positus:scrutari singula quæ in cœlo,quæ in elemẽtis,terra,aqua:nempe syderа,animantes,stirpes,gẽmas,metalla,saxa,quæq; in eodẽ ipso animo inessent.Proue-

xit eum curioſitas,& ſi quid uideretur ſibi exculpſiſſe,ingens gaudium tanquam ex uictoria:ea uoluptas identidem augebatur, dum alia ex alijs uiderentur inuentionẽ ſequi, uelut fili initio arrepto: quũ ſæpiſſime alterius longe diuerſi globi filum tenerent,quàm arbitrarentur.Tum oſtendendis inuentis ſuis,quaſi liberis à ſe progenitis, et alijs communicandis,non exigua item delectatio naſcebatur:tum ex aliorum de ſe admiratione initio quidem grande gaudium:hinc ubi oculos in ſe reflexiſſent, opinio excellentiæ,atq; huic cognata ſuperbia:quin ad maiorem admirationem ſui excitandã aucta eſt oſtentandi cupido importuna.Adeo ut quidam uniuerſa uitæ officia deſeruerint,ut huic ſe ſcrutationi cũctos dederent,ac uelut manciparent: unde ſi quis cõtradiceret,rixæ,& factiones,& ſectæ.Prouexit alios curioſitas cognoſcendi, quæ nemo alius:ut uentura,aut magnis tenebris obruta, & recondita. Fuere qui uel pecuniæ auiditate,uel potiũdi quas expetiſſent uoluptates,à dęmone,quod eſt maximum nefas, docere ſuſtinuerint,quæ nõ poterant à mortali.Iam erat longiſſime euecta infrenis auiditas ſciendi,quũ in medio tamẽ curriculo cœpit per excellentiſſima quędam ingenia retineri mentis ille impetus,ut parumper diſpiceret,quę tandẽ eſſet futura tam anxij atq; effuſi curſus meta,quod prędmiũ tam perpetui laboris.Quæſtio in primis digna humani generis cura. Nam quid prodeſt defatigare ſe hac ſolicitudine,ſi uotis nihil paratur aliud,quàm uota:ſi cupiditatis unius finis ſequentis eſt gradus,ſi agitamur perpetuo,nec ullus eſt finis aut requies.Quid miſerius quã præſtantiſſimum hoc animal? ſi ea modo quærit ac concupiſcit,quæ ſenſibus ſunt expoſita, quæq; omnino poſſunt in uita contingere: quæ non requiem aut delectationem ullam pariunt,non gaudium afferunt purum,ſolidum,diuturnum.Pulcherrima(uti dicebam)quęſtio,& ingenio noſtro multo dignior,congruẽtiorq;,quàm de modo uel materia cœlorum, de uiribus ſtirpium aut lapidum:ſed grauis tamen explicatu,& quæ ſui difficultate maxima quoque ingenia exercuit, uerius quàm edocuit:uidelicet quod illius extremi finis notitiam humana mens lucernula ſua inſtructa non poteſt aſſequi,niſi à fine ipſo illuceſcat: quemadmodum ijs euenit, qui ingrediuntur in locis obſcuris.Itaque Deo fuit opus,qui nos nõ modo edoceret ad ſe uenire,ſed tanquam manu duceret imbecillum & ſubinde caſurũ.Hęc eſt religio quam à Deo ipſo accepimus,à luce radium,uires ab omnipotentia. Hæc ſola reducit nos ad originem à qua egreſſi ſumus,& ad quam tendimus:nec eſt alia hominum perfectio:quandoquidem hoc demum eſt perfici unumquodq; finem cui conditum eſt,nanciſci.Nam hominum non uictui & cultui & habitationi cõditum,non arduæ cuinam,& reconditæ,& moleſtæ cognitioni, ſeu uerius cupiditati cognoſcendi, ſed participationi æternitatis, & diuinæ illius naturæ, quis non liquido perſpicit, qui conſideret uim & celſitudinem mentis, intelligentiam rerum præclariſſimarum? tum ex intelligentia amorem, & ex amore coniungendi ſe cum illis expetentiam? Quocirca quũ ea demum ſit cuiuſque rei perfectio,ſuisq; omnibus partibus abſolutio aſſequi finem, cui eſt condita: ſola utique pietas uia eſt perficiendi hominis: quare hæc una eſt rerum omnium neceſſaria:ſine cæteris expleri poteſt homo, & numeris ſuis omnibus conſummari, ſine hac non poteſt:etiam cibo & quotidiano uictu poteſt carere, pietate nullo pacto poteſt, niſi ſit futurus miſerrimus. Hoc eſt quod Dominus Marthæ dixit,ſolicitæ non utiq; de ſuperuacaneis, ſed de quotidiano alimento,turbari eam circa plurima, unicum eſt neceſſariũ,quod elegerit Maria, ſedere ad pedes Domini,& uerbum illius audire. Quocirca reliquæ artes ac diſciplinæ omnes, religione exceptа, puerileſ ſunt luſus.Nam quẽadmodum quas nos ſiue taxillorum,ſiue foliorum, ſiue acierũ,ſiue ſphæræ luſiones appellamus,inuenit,atq; exercet humanus animus, ſiue dum in rem aliquam uigorille igneus conatur eſſe intentus,melius tamen quod agat neſcit,aut nõ habet:uel deſidioſus eſt & piger,nec bonarũ artium laborem perfert:uel ut intentionẽ remittat à rebus grauioribus, quo recreatus laxatione illa refectusq; redeat ad ſua ſeria. Ita hominum mens in artibus ſe & ſcrutatione uariarũ rerum exercuit, partim religionis ignorantia, partim quòd nec pondere præpedita ad illam ualet aſcendere, nec pigritia conatur: in alijs ut reparet corpus huius neceſſitatis,

tatis, cui ipsa affixa est, uel se ad nouos religionis conatus & actiones intermissionibus reparet. Et sicut inter nos qui lusus non callent, modo usum uitæ & prudentiam norint, non uituperatur: imò contrà turpis & probrosus qui lusionum gnarus, prudentiam ignorat: sic qui artes omnino nullas tenet, cognitam tamen habet peritiam uirtutis, ad cuius normam animum formauit, ac composuit, tantum abest ut uituperetur, ut summis etiam euehatur laudibus: contrà ille ignominia est dignus & dedecore, qui humanis artibus edoctus ac instructus, inanis est à uirtute. Hoc uerò multis suis disputationibus Socrates planum fecit homo gentilis, & eum gentiles alij secuti. Idcirco filij Lamech, id est, primi spurij, prophanas disciplinas dicuntur inuenisse, ac consignasse monimentis literarum, quasi filij huius seculi, quemadmodum est in sacro Euangelio, filijs lucis prudentiores in generatione sua. Sed nostra omnis cognitio uelut inspectio est quædam: quæ uel ibi sistit in contemplatione cuiusque rei, ut dum oculus uarietatem colorum intuetur, et animus memoriam rerum gestarum: uel in finem aliquem respicit, ac scrutatur, ad quem si uniuersales aliquas normas colligit, uocatur ars: cuius inueniendæ hæc ferè fuit ratio atq; obseruatio. Initio una atq; altera experientia ex admiratione nouitatis annotabatur ad usum uitæ: ex singularibus aliquot experimentis colligebat mens uniuersalitatem: quæ compluribus deinceps experimentis adiuta & confirmata, pro certa exploratacq; haberetur: tradebatur tum posteris: addebant alij, quæ ad eundem usum finemq; pertinerent: hæc collecta per magni ac præcellentis ingenij uiros disciplinas siue artes effecerunt: nam hoc erit generali utendum uocabulo. Quicquid nunc est in artibus, in natura prius fuit, non aliter quàm uniones in concha, aut gemmæ in harena: sed quod hebetes multorum oculi non animaduersum præteribant, ab acutioribus indicatum est: illiq; inuentores dicti, non quasi rem, quæ non esset, fecissent ipsi, sed detexissent, quæ lateret. Itaque primi illi obseruatores experimentorum, quiq; aliquid sperarunt moueri in quaque arte posse, primi sunt inuentores artium. Plurimum, inquit Seneca, ad inuentionem attulit, quisquis sperauit posse inueniri. Tum qui de experimentis collegerunt dogmata, hos eodem dignitatis nomine prosequimur: uelut Hippocratem, qui sicut traditum est à M. Varrone, annotata medicamentorum collegit, quæ essent templo Æsculapij adscripta, unde formulas cõfecit, & imaginem quandam artis. Sed & qui sparsa congregãt, & degerunt confusa, & inuoluta explicãt, & obscuris lucem claritatemq; adferunt, idem sunt inuentionis nomen consecuti: ut Aristoteles in dialectica. Ergo experientia quemadmodum Manilius canit, per uarios usus artem fecit. Cæterum experientiæ temerariæ sunt ac incertæ, nisi à ratione regantur: quæ adhibenda est illis tanquam clauus aut gubernator in naui: alioqui ferentur temere, & fortuita erit ars omnis, non certa. Quod est in ijs cernere, qui solis experimentis ducuntur, de quorum natura & ingenio iudicium non censet rem, locum, tempus, & reliquas circumstantias inter se conferens: fieri enim conuenit quod in Gorgia dicit Plato, ut experientia artem pariat, ars experientiam regat. Et quemadmodum uis quædam indita est terræ ad producendas herbas omnis generis: ita animæ nostræ uelut potestate quadam omnium artium ac disciplinarum sunt indita semina, & ad prima illa ac simplicissima pronitas quædam, quò nutu suo fertur: ut ad manifestissima bona uoluntas, ad manifestissimas ueritates mentis acies: quemadmodum acies oculorum ad uiride, & auris ad concentus. Quem nutũ Aristoteles uocarit fortasse potestatem, Plato semina, nihil sanè repugno: alij προλήψεις, quasi dicat quis anticipationes, & monitiones animis nostris à natura impressas ac infixas. Ea est causa cur puer euidentissimæ ueritati statim consentit nunquã antea uisæ, non secus quàm agnus fugit lupum, nondum antea conspectum: hæc semina inertia, & socordia opprimit, extinguitq;: educit uerò in stirpem ac fructus exercitatio per usum rerum: excolit iudicium, & temperat: sicut multæ in natura fruges manibus atq; hominum cura meliores redduntur. Quocirca si iudicium uel nullum est, uel aperte fallitur, in fraudes & mendacia degenerant: haud multo dissimiliter atq; accessit tota massa ex acido frumento uel coagulo. Neq; artium aut cognitionis merentur nomen falsæ quædam imposturæ, quales

ſunt dæmonum,aut diuinationũ præſtigię:earum enim dogmata non iudicium moderatur,ſed libido:ut de pyromantia, de necromantia, de lineis manuum, de uiribus ſyderum,quæ prodita ſunt,ut quibuſdã uenit in mentem diuerſę ab Ægyptijs,quàm Chaldæis:nec eodem modo à Græcis & Arabibus. Vtiq; non magis,quàm inſpectio dicatur,ſi quis baculum in aqua fractũ aiat uidere,cum ſit integer:aut multos in iride colores,ubi nulli ſunt. Ego uerò cognitionem eam demum uoco,quę ſenſibus bene affectis & in apto medio accipimus:tum quò nos uel euidens producit ratio, & uel cum natura ingenij noſtri ita cõiuncta, ut nemo eam nõ admittat, uel ſimilis ueri experientijs ſiue noſtris, ſiue alienis deducta, confirmata autem à iudicio probabilitate coniecturarum impulſo:quarum illa ſcientia nominatur firma atq; indubitata: poſterior autem, perſuaſio quædã & opinio. Sed nec cognitio quæcunq; eſt ars, uerum ea ſola,quæ effectus cuiuſpiã ſit regula:quippe quę temere & caſu contingunt,arte non fiunt:ut impacta per indignationem à pictore ſpongia expreſſam eſſe equi ſpumam: ars enim certi ac deſtinati finis eſt facultas: nam unaquæq; ars primũ omnium finem habet,quò ſpectet,quò ſua omnia qua recte,qua oblique,mittat tanquã in ſcopũ iacula. Tum in materia uerſatur,ex qua exiſtit finis:nec aliud eſt eam in materia uerſari, quàm de illa tradere præcepta,quę exercentem quoad fieri poſſit,ad finem artis perducant. Finis quidem quemadmodũ in unoquoq; opere,ſic in artibus primus eſt cogitatione,executione ultimus. Sed nõ item in inuentione cuiuſq; artis. Nam ſunt artes in quibus propter finẽ quæſita eſt materia,ut in agricultura,in qua omnia ſunt ad uitam ſuſtentandã comparata. In alijs propter materiã deſideratur finis,ut in contemplatione naturæ,quando pulcherrimũ hoc opus in admirationẽ ſui intuentes rapuit: & intuitus rerũ atq; intelligentia tanti opificij expetita eſt,ad quod materia homines allicefecit. In alijs caſu quodam ars prodijt, ut cum artis illius opus exiſtit,præter deſtinatum artificis:ſicut in multis pigmentis,in intritis menſarum,& nuper in bombarda. Cognitionum finis eſt in alijs ipſa cognitio,quæ artes inſpectiuæ nominantur:ſicuti naturæ contemplatio,& molium,quæ eſt geometria. Aliarum eſt actio :uelut in muſica,quum poſt actionem nihil relinquitur,quæ actiuæ dicuntur:aliarum opus aliquod & effectio præter actionem,ut ædificatoriæ,& medicinę,quæ effectiuæ nuncupantur. Sunt quædam inſtrumenta tantum aliarum,uelut grammatica,& dialectica: quæ à Græcis ea de cauſa ὄργανα nominantur. Quæ uerò in regulas ac præcepta non coguntur,minime ſunt artes,ſed generali nuncupatione cognitiones & peritiæ quædam:uelut rerum geſtarum notitia,conſideratio diuinitatis:quare diffiniatur nobis ars collectio uniuerſalium præceptorum parata ad cognoſcẽdum, agendum,uel operandum,in certa aliqua finis latitudine. Quamuis relicta ſunt ſæpenumero quædam in arte parum uniuerſaliter obſeruata: ut in contemplatione naturæ. Ideoq; ars interim pro generaliore à nobis ponetur, nempe obſeruatione,uel etiam interdum cognitione quapiam,ubi nihil erit periculi. Sed admonendi certi ſumus. Materia uerò artium,non unius eſt rationis ac notæ. Eſt in alijs una & ſimplex, ut in Theologia Deus:in alijs una,ſed miſta ex uarijs:ut in ſtatuaria quo poteſt fingi ſtatua,metallum, ſaxum, lutum, argilla. Quædam materia eſt prorſum naturalis, ut in agricultura:nonnulla artificialis penitus,ut œconomicæ,ac politicæ:eſt alia materia naturalis quidem, ſed à nobis in uſum concinnata,tanquam pictura & ſtructura,& oratio. Artis exercitatio nihil eſt aliud, ac præceptorum eius executio: ea uerò artificis eſt, eoq; & eiuſdem ſunt potius inſtrumenta,quàm artis ipſius. Artificis finis,præceptorum eſt actio. Artis finis ſemper præſtantiſſimum eſt opus,ſcilicet quod ex illa actione exiſteret, ſi nihil prohiberet: ut medicinæ finis eſt ſanitas, medici uerò applicatio pharmacorum iuxta documenta artis. Ita quod medium eſt arti, præcepta ſcilicet, finis eſt artifici: qua de cauſa neuter unquam poteſt fraudari fine ſuo. Ars enim ſingula rerum non ſpectat, ſed omnes in commune, quæ ea ratione ſunt deuinctæ, de qua ipſa præcipit: nam id quod operatur nempe artifex, circa diductas uerſatur res ac ſingulares:ars nihil operatur, tantum docet. Quocirca non huius aut illius ſanitatem curat medicina,ſed in uniuerſum illam conſiderat,quam neceſſe eſt ex præ-

ceptis

ceptis atque institutione sua consequi, quæ postea ab artifice in singulos hominum tanquam ex fonte deducitur. Quocirca si artis documenta, quum nihil foris impediat, sanitatem adferre nequeunt, nondum perfecte est ars exculpta: sin sanitatem euenire est necesse, profecto plena est & suis numeris absoluta: eaq; ad certum aliquem finem adijcit oculum, quem nunquam non adipiscitur: quandoquidem appositissima ad illum uia intendit. Itaque non de arte est hic nobis sermo, quæ inter homines uersatur, sed de illa cuius perfectio & in naturæ rerum sita est potestate, & in hominum ingenijs: nam ea quam nos tarditate nostra inuenimus, assequimur, exercemus, plerunque non ars est, sed uel artis simulachrum, uel tenuis aliqua artis portio. Similiter sit mihi dictum de artifice, qui dolet quidem in hoc aut illo minime succedere, sine culpa tamen artis, quæ actionum impedimenta præstare nec debet neq; potest: sine culpa etiam sua, qui executionem modo et applicationem præceptorum ad finem habet pro scopo & profitetur: ut rhetoricæ est persuadere: rhetoris accommode ad persuadendum dicere. Quocirca ut appetitus & uiæ omnes fine separantur, ac insigniuntur, ita artes omnes fine distinguuntur, non materia: nam eiusdem materiæ esse diuersæ artes possunt, tanquam ferri & faber, & cusor: ligni tignarius, rhedarius, statuarius: artifices porrò actionis modo, materia, instrumentis inter se discriminantur. Præter artis & artificis finem, est finis hominis: finis uero omnis boni uelamento tegitur: quippe finis tanquam ultimum quiddam expetitur, expeti porrò nihil potest nisi quod credatur bonum. Bonum esse homines iudicant quod prosit, malum quod noceat. Iuuari autem sese ducunt in animo, & in corpore: & propter hęc duo, externa multa in utilitates sunt repositа: unde factum est, ut quum iudicia hominum sint diuersa, & ex iudicijs appetitus uarij, alij alios sibi artium fines statuerint. In his multum ualuit pecuniæ respectus, omnia huc referunt. Illi nomen & gloriam malunt, illi dignitatem, alij potentiam. Sunt qui artes quæsierunt ad commoda quædam corporis, sunt qui ad uoluptates & delicias. Alij prudentiam uenantur, & usum rerum. Alij pietatis cultum, atque incrementa desiderant: nonnulli horum singula, alij multa, alij pleraque. Sunt qui uolunt hæc parare, sunt qui conseruare parta: alij, sibi unis: alij ijs, quos habent charos, ut liberis: quemadmodum Zenobia Græce studuit, ut doceret filios: & Aristoteles operam dicitur dedisse arti medicę, ut amicis opem ferret: sic reipublicę quidam laborant, complures posteris, quos filiorum habent loco. Malum uitandum boni loco ducitur: nam effugere malum, inter utilia recipitur: ut nanciscí bonum. Et quemadmodum studeant multi, ut ijs prosint, quibus bene cupiunt: ita non pauci, ut quos oderunt, in his lædant rebus, quibus bonorum nuncupatio imponitur. Illud quoq; in nobis arbitror animaduertendum, à quibus, & quemadmodum discimus: tum exitus disciplinæ. Nam & Deus docet, & quos Deus misit, Prophetæ olim, hinc Apostoli, & uiri sancti: deinceps per scholas alij, quibus id muneris est mandatum: interdum angeli quoq; docent, hæretici docent, uiri flagitiosi ac probrosi docent, diaboli docent, patres, matres, senes, iuuenes, pueri, mulieres, uiri periti, imperiti: docent etiam nos muta animantia: ut clysterem Ibis Ægyptia: sectionem uenæ hippopotamus: ædificationem hirundines: & aliæ quarundam herbarum usum. Iam alij ita discunt, nihil ut relinquant temporis ciuium rebus, amicorum, propinquorum, familiæ, parentum, liberorum, omnia prolixe impendant studijs. Alij ut etiam de tempore, quod natura exigit, decidant, & de ualetudine ac mente ueniant in periculum. Non desunt, quod grande est nefas, qui nihil reliqui faciant pietati, aut minus quàm oportet, cætera facile exequuntur. Sunt quibus omnia prudenter dispensantur, quiq; suum cuique tempus attribuunt. Plerique tamen desidiosi tanquam id unum solum mandatum habeant negotium otiari, omnia succisiuis obeunt horis, & negligenter. Exitum disciplinæ uoco id quod ea in discipulo suo exercet, uel in alijs discipulus per eam: nempe ut animo fiat melior, peior, prudentior, stultior: in corpore ualidior, infirmior, pulchrior, deformior: aliquod denique

ex tribus

ex tribus illis commodorum aut incommodorum generibus uel sibi paret, uel alijs. Nunc illud est à nobis demonstrandũ, quæ artes, & quatenus noxię sunt homini, quę contrà utiles. Homo uerò ut unaquęque res, ex fine est censendus: uanus est enim ac miserrimus, si non assequatur finem: perfectissimus uero ac proinde felicissimus, si consequatur. Finis hominis, quem alium possumus statuere, quàm Deum ipsum: aut ubi potest homo beatius acquiescere, quàm in Deo uelut absorptus & in illum conuersus. Eadem uia redeundum est nobis ad illum, qua egressi sumus: amor causa fuit condendi nostri: nam ut se nobis tanta illa cõmunicaret felicitas, nos creauit, quo nullum esse euidentius amoris signum potest: amore ab illo nos seiunximus, nempe nostri ipsorum: amore reuocati sumus & erecti, nempe Christi erga nos: amore reuertendum est nobis ad nostram originem, quæ est eadem finis noster, nempe nostra in Deum charitate: spiritalia enim nulla res alia cõglutinare, nulla ex multis unum ualet facere, nisi amor. Amorem uerò necesse est cognitio antecedat. Deus nos antequam nobis nasceremur, iam diligebat, quia iam nouerat, iam illi geniti eramus: nos nati & cognoscendi uim atque usum adepti amamus. Quæ autem amanda sint fides monstrabit, traditis unicuiq; primis & simplicissimis elementis pietatis de Deo patre omnium, & filio eius Iesu Christo, qui ad redemptionem nostræ carnis peccati, carnem eandem nostram induit, sed sine peccato. Deinde hæc eadem explicatius quomodo sint & cognoscenda, & amanda, non ulla hominum inuenta, sed diuina declarant oracula, quæ satis sunt literis per spiritum sanctum prodita: in quibus literis, absoluta est intelligentia diuini cultus, quæ pietas & eadem religio nuncupatur, licet eius uis magis actione continetur quàm peritia. Prima illa elementa non adeo sunt simplicia, quin ad agendum sufficiant: ea neminem prorsus oportet ignorare. Perfectio uerò pietatis illorum est, qui altius sese attollunt per charitatem, quæ ut ignea est, ita ignis modo sublimes quos possidet rapit: hæc sunt eius cui cõmissus est grex, qui & à Domino audiuit, Diligis me plus quàm hi? hũc conuenit esse doctrina sana potẽtem, & eis qui contradicant, resistere: sicut Paulus Apostolus admonet. Hęc intelligentia diuini cultus per seipsa suis uiribus nititur, & cõsistit: nec ullis omnino eget adminiculis, imò in illa una cuncti thesauri claudũtur scientiæ ac sapientiæ, omniaq; quæcunq; ab alijs sunt gentibus uel diuersis de rebus prodita, uel quadantenus de eisdem, pueriles sunt balbuties, ac insciticæ meræ, si cum illa conferantur sancta et admirabili sapientia. Hanc oportet esse reliquarum institutionum canonem, sicut Deum spirituum, & hominem animantium: ut tales quæq; censeantur disciplinæ, quatenus huic materia, fine suo uel nostro, præceptoribus, discendi ratione, & exitu congruunt, aut non congruunt. Pietati nulla est ex se materies contraria, nulla cognitio. Contrarium appello, quod cum fide & charitate pugnat, nempe quod has uirtutes uel tollit funditus, uel certè minuit, importatis in animum sceleribus & flagitijs. Materiæ nanq; ex rebus sumuntur, quas omnes cõdidit bonus Deus, ideo bonas: nec ulli bono aduersatur pietas, quum ipsa boni totius sit caput: nec sit quicquam in nobis bonum, sine illa: nec quicquam potest ei esse inimicum, cuius autor sit ille idem, cuius ipsa cultum & religionem profitetur, & patefacit uoluntatem. Res uerò omnes quo exactius cognoscuntur, eo magis fores ad ingressum intelligendi numinis aperiunt, nempe causam supremam ex effectis, quod est cognoscendi genus captui mentis nostrę accommodatissimũ. Sic peruenisse Abraamum ad inuestigationẽ Dei, scribit Philo Iudæus. Nam ex cœlis atq; elementis, ex sempiternis motibus, ex ordine inuariabili, ex stata ratione annorum & temporum assecutus est profecto esse sapientiam aliquam, à qua ista omnia tam certa & constantia regerẽtur: ergo illam ipsam quæsiuit & coluit, abiectis spretisq; deorũ insanijs, quos ipse sibi homo erat fabricatus, ut opus suũ adoraret ipse autor. Basilius Magnus Mosen tradit à cognitione Ægyptiarũ disciplinarum ita mentẽ exercuisse, ut perueniret ad contẽplationẽ τῦ ὄντος. Hac de causa sanctus uates canit, cœlos enarrare gloriã dei, & opera manuũ eius annuntiare firmamentũ. Et Paulus inuisibilia dei per uisibilia intelligi. Prætereo quæ de naturali magia scribit Ioãnes Picus,

Pictus, quod utilis sit, ut manifesto deprehendatur miracula seruatoris nostri, naturæ uim & facultatem omnem excessisse. Equidem inimiciorem censeo pietati superbam ignorantiam, quàm modestam peritiam: idq; uidemus passim usu euenire, ubi sit inscitia, ibi non admodum uigere ueram synceramq; pietatem. Cognitionem autem ueram uoco, aut uero quantum liceat confinem ac similem. Nam rudes falsęq; coniecturæ pro fundamentis cognitionis positæ pietatē possent lædere: quod genus sunt Epicuri de uoluptate placita, quòd hominis summum sit bonum: tum de anima nostra, & de dijs, quæ ab eodem & alijs, sunt ut impie, ita etiam dementer affirmata. Ad hæc imposituræ dæmonum, quę omnia ex cognitionum numero paulò antea demoui. Nocet pietati cognitionis scopus, ut in artibus, quæ ad lædendos homines sunt paratæ: de quo genere sunt philtra, incantationes, & disciplinæ militaris ea pars, quæ ad uim hominibus & cladem inferendam pertinet: & tota confectio machinarum belli: reliquæ etiam artes malæ, quia maleficæ. Iam fines nostri impij sunt, quum ea gratia discimus, ut lædamus. Nec uirtutem non diminuunt, quæ ostentationi quærimus: cuiusmodi esse quidem possunt artes omnes, sed necessario sophisticæ, quæ aliorsum quàm ad uanam quandam iactationem ac libidinem non possunt referri. Curiosa etiam delectatio scrutādi nihil ad pietatem facit, quæ quidem nulli esse ualeat deinceps usui ad uitam. Magister gentium Paulus non patitur nos curiosis scientijs abduci: & in actis Apostolorum multi eorum qui artes erant sectati, non malas, inquit, aut impias, sed curiosas tantummodo, eiusdem apostoli doctrina adducti publice libros suos exusserunt, quorum pretium summam reddebat haud contemnendam. Huius sunt generis præstigiationes, chalchymia siue metallificium, diuinationes, & aliæ imposituræ. Quæ uerò fœdas corpori uoluptates conciliant per sensus omnes quātam pietati plagam infligunt? siquidem uniuersam mentis uim immergunt in corpus, coguntq; obrutescere, ut attollere se, ac de Deo cogitare principio ægre possit, mox ne ferat quidem. Periculosum est, si quis ab eo discat, cuius uerba et consuetudo peiores nos dimittant, quàm acceperant, & eo magis quum naturæ nostræ uitiatio conciliat autoritatem doctrinæ. A dæmone autem aliquid discere impium, cum quo nullam omnino uult nobis esse Dominus cōmunionem: quippe astus eius ac uafricies, quæ sunt plurimæ ac multifariæ, ad nos fallendos sunt instructæ omnes, auertendosq; à bono illo, cui sumus conditi. Huiuscemodi sunt artes, quarum dęmon & magister & inuentor fuit: quasiq; fœdus habent cum eo uel apertum, uel occultum, non defuturum ipsum exercentibus, ut in μαντέυεις plerisq;, sortilegijs, uaticinijs, quibus homines facile humano imponunt ingenio auido se in abstrusa aut uentura immittere. In discendi ratione, atque exercendi ualde illud improbari debet, deseri propter humanas artes pietatem uel in totum, uel magna ex parte: nec tātum ei impendi, quantum opus est nobis ad iter hoc conficiundum beatæ immortalitatis. Quum uitę etiam officia deseruntur necessaria uel publice, uel priuatim, si in morbum incurrimus, quem instantem iam atque impendentem facile prouiderimus. Tum enim non solum sunt disciplinarum exercitia seponēda, sed uitę inexcusabiles quoq; domi atq; in ciuitate functiones. Præter hæc omnia euētus non debet prætermitti. Quippe in multis artes atq; eruditio religionem solet deterere, ac peioris conditionis facere: uelut inquisitio rerum naturæ, rerum reconditarum, quæ uel locis secretis occultantur, uel temporibus uenturis inuoluuntur, quas Dominus sibi uni reseruauit: ut nec apostolis dignatus sit cōmunicare, uetans illos tempora, & articulos temporū rimari, quos pater posuisset in sua potestate: consueuerunt enim hæc à fiducia Dei traducere ad fiduciā rei conditæ. Sunt quæ augent ferè uitia, & plurimum de uirtutibus detrahunt, tanquam libri altercatorij, rixosi, contentiosi: in quibus contra ueritatem se armat ingenium: & impia laudis affectatione malit ueritatē obscurari, quàm ipse cedere. Eodē pertinent libri de uitiorum laudibus, nempe crudelitatis, belli, pecuniæ, tyrannidis, fraudum. Sed de rebus potissimum lasciuis, quales sunt Milesiæ fabulæ: quibus nihil est neq; insulsius, neq; impurius: tum multa in poetis, pleraq; omnia in cantiunculis ac libris uulgaribus linguis conscriptis. Quę omnia prout cuiusq; est ingeniū, censentur: nam alia alijs

alia aliȝs ingeniȝs conueniunt, ut palatis, & uentriculis. Neque eſt enim ulla adeo bona cognitio, quam nos nõ poſſimus corrumpere: ut nullus tam ſalubris cibus, qui peſtilentia correpto non fiat peſtilens. Sed quamuis nulla eruditio & peritia pietati non ſeruiat ex ſe, non hoc tamen eſt conſyderandum unum, ſed quid nobis conducit: quando quidem artes ac diſciplinas non propter ipſas diſcimus, ſed propter nos. Quemadmodum omnia ſunt in hoc mundo à Deo condita, ideo etiam bona & pulchra: bona uero hęc non omnia ubiq; ab omnibus ſumenda: bona quidem illa ſunt in ſe ubiq;, non tamen nobis. Ita in diſciplinis & cognitione omni ſtatuẽdum eſt. At uero ut ſit quiſq; affectus, quomodo contemplandus, ut cui rei ſit idoneus, iudicetur, à qua illi abſtinendum, ſicut de corporibus dicet peritus medicus poſt uſum cum illis aliquem, ita de animis uir prudens excellentia ingenij, iudicij, doctrinæ, ad tantum munus aſcitus: quibus tantis ad arbitrandum facultatibus conſuetudinem adiunget aliquam. Cui nos rei nonnihil adiumenti afferemus explicatione ingeniorũ, ſed hoc poſt paulùm. Nunc autem quæ artes Chriſtianis congruant ſalua pietatis ſuæ cuſtodia, oſtendamus. Nam hæc, quod ſæpe diximus, ſæpe eſt enim dicendum, prima ſemper debet oculos obuerſari: nec ab illa mentis intentionem dimouendum. Si cui uel in prima ſui origine, quũ à natura fingitur, uel deinde munere aliquo dei ampliſſimo ac proſperrimo tanta eſſet tributa mentis præſtantia, ut ad illud ſe faſtigiũ diuinę ſublimitatis attollens, in eo tanquam in iucundiſſimo & naturali ſibi quodam domicilio conquieſceret, & humanis omnibus deſpectis faſtiditisq;, ceu incola quiſpiam fieret illius inacceſſibilis lucis, quam incolit ſancta illa & præpotẽs natura, næ iſte maiorem humana ſortem nactus, uitam quandã in hoc corpore degeret angelicæ propiorem, quàm humanæ: huic nullis eſſet artibus, nulla alia cognitione opus, nulla huic neceſſitas minaretur, nulla terreret altiorem caſibus & neceſſitate omni. Ad hanc uitæ excellentiam quadãtenus uidentur acceſſiſſe illi, qui in ſolitudine & locis remotiſſimis ætatem tranſegerunt ſeparatam ab humanis commerciȝs, conditam & condulcoratam angelica cõſuetudine atq; colloquiȝs, Pauli illi, & Antonij, et Hilariones uel corporis ſui negligentes, nedum externarum rerum, affixi perpetuo et hærentes illi, cum quo beatiſſime erant infinita æternitate uicturi. Sed hi perpauci fuerunt, & ex quadam celſiſſima, ac planè diuina nota grãdi beneficio dei ſelecti. At reliqui quibus ad tantam aſpirare felicitatem non eſt datum, quum uel ut oculos à ſublimi illo intuitu demittunt, nõ debent ſeſe abdere in torporem quendam otij, ut penitus nihil agant. Dominus in mundi primordio labori addixit filios Adæ: ex qua ſententia, illud ſcriptum eſt à Paulo ad eccleſiam Theſſalonicenſium, Si quis non operatur, nec comedat. Solomon formicæ exemplo ſegnes ad opus extimulat: & Dauid beatum eſſe ait illum, qui panem edat labore manuum ſuarum quæſitum. Dominus noſter in Euangelio ſuo nõ laborem tollit, ſed anxiam ſolicitudinem de ſucceſſu, quod eſt μεριμνᾶν. Itaq; non decet quenquam in eccleſia otioſum & inertem uiuere. Nam etiam ſancti illi eremitæ, quum ſe ardor ille contemplationis interdũ remiſerat, exercebant ſe uariȝs operibus, pars manuum, quidam ingenij. Artes uero ac peritiæ quæ nam erunt? quæ nam aliæ, niſi quæ ad finẽ pertineant uel huic uitæ, uel ſempiternę neceſſarium? nempe quæ uel pietatem excolant, uel uitæ neceſſitatibus ſuccurrant: uel certe utilitatibus, quæ à neceſſitate non multum diſcedũt: pietatem porrò uel noſtram ipſorum dico uel alienam, quemadmodum etiam neceſſitates. Tanta eſt temporis unicuique aſſignati breuitas, & in breuitate hac tanta fugacitas uitæ. Tum ea quibus indigemus ad animi cultum, aut corporis ſuſtẽtationem noſtri, uel aliorum adeo multa & uaria, ut ad ſuperflua de tanta temporis penuria aliquid ſuccidere, manifeſtæ ſit dementiæ: ad utilia non ſatis eſt temporis, & uacat alicui redundãtia conſectari? Neceſſitatibus corporis ſubuenitur alimentis, medicina, indumentis, habitatione, peritia: eſt in his quemadmodum parentur, & conſeruentur, quis ſit uſus. Excolitur & purgatur animus iȝs, quæ illi uel lucem adferũt, ut noſcat, uel ardorem, ut quæ amanda ſunt, proſequatur, fugienda uitet: ad hæc partim aliunde tradita accipienda, partim excogitanda per nos ipſos atque exercenda, facultatem unam dedit nobis Deus mentem in animo:

animo:instrumentũ unum manuum in corpore:quis duobus reliqua omnia animantia longe anteimus: quantum enim inter animos mens excellit, tantum inter corporum instrumenta humana manus. Sed de ijs quæ hominum manus efficiunt, alibi erit dicendi locus: nunc de ingenij exercitamentis loquamur. In mente duo insunt potissimum, uis intuendi, quæ dicitur mentis obtutus, seu acumen: & eorum quæ mens aspexerit, uis quædam iudicandi, ac statuendi: quorũ illud prius ad spectationem solum pertinet, posterius ad ea quæ sunt homini agenda. Animus humanus uagatur per cœlos, per elementa, per lapides, metalla, stirpes, animantes, per hominem: non simpliciter, nam & eius corpus & animum scrutatur: & quæ utrisque accidunt uel perpetuo, uel intermissionibus temporum: hinc transit ad humana inuenta, quæ contemplatio patet latissime: hinc per spiritus ad Deum summum & præpotentem. Quæ omnia prout uires ferunt, accepta tradit iudicio: hoc uerò alia alijs confert, & inter se, & secum ipsa: tum ostendit, quæ utilia, quæ noxia, quæ neutra sint corpori in uictu, uestitu, sanitate, habitatione, ad necessitates, ad commoditates, ad copias: quemadmodum hæc paranda, conseruanda, sumenda in usum. Similiter prospicit animo, quæ prosint, quæq; obsint ad cultum, & lucem mentis, unde is melior euadat, uel deterior, eadem ratione qua prius diximus, ut parentur, ut conseruentur, ut utamur. Verumenimuero homines nati ad societatem sumus, nec uiuere penitus absque illa possumus: hoc enim sapienter est curatum à natura, tum ut arrogantia superbissimi animalis retundatur, postquã se tam multorum indigum circunspexit, tum ad conciliationem amoris mutui, qui usu & conuersatione coalescit, tanto & facilius, & tenacius, quanto minus se admiscet arrogantia, dissolutio totius glutini humanæ concordiæ. Societatis uinculum est bonitas, rector iudicium, in quo sita est prudentia, & moderatio uitæ uniuersæ. Prudentiam uerò auget usus à memoria conseruatus: parum quippe magnarum & multarum rerum proficeret cognitio atque experimentũ, nisi esset ubi hæc conseruarentur, ne effluerent, & quum opus est, præsto adessent: usus uel noster est ipsorum, uel alienus ad nos commonefaciendos, nobis relictus exemplis rerum gestarum, uel tanquam gestarum, quibus historia omnis continetur, & fabulæ, & apologi, & parabolæ: denique omnis memoria eorum, quæ dicta esse aut facta uel pro certo traditur, uel ad homines instituẽdos apta sunt & conficta. Eodem referuntur prouerbia, & sententiæ: omnia denique quę ex quorundam animaduersione annotata, in populo remanserunt tanquam publicæ opes in ærario communi. Ad exercitium societatis sermo est hominibus tributus: quando enim tecti sunt nostri animi tam denso corpore, quæ nam esset societas? quàm emortua & torpens, si tota esset in oculorum aspectu collocata? si tam uarios nostros cogitatus mutis solum nutibus promeremus? quod nec esset promere, sed magis accendere cupiditatem cognoscendi in alijs: sicut uidemus ijs contingere, qui inter se non intelligunt. Sermonis uicem literæ obtinent inter abiẽtes, siue locorum intercapedine, siue temporum separentur, grande subsidium memoriæ, & testimoniũ fidele rerum actarũ. In sermone duæ sunt artes, necessitatis altera, ut sit emendatus, quod non tam ad cultum quendam, & nitorem ualet, quàm ad intelligentiam: altera, commoditatis aut delectationis, in qua est omnis elegantia, cultus, ac splendor dictionis: huic adiungitur accommodatio sermonis rebus, locis, temporibus, personis, quæ nascitur ex prudentia, eaq; rhetorica nominatur. Sed quia effrenati animi nõ raro ad alienam iniuriam proruebant, leges sunt natæ: & iuris limitatio promulgata, id est carceres obiecti libidini, quam non cohibebat ratio tam uicina. Quæsita sunt quædã ceu ferramenta, quis facilius ac commodius in hisce uersaremur: ad moles & magnitudines uel explorandas, uel mouendas loco, uel constituendas ac figendas ubi esset opus, ars excogitata, quæ dicitur geometria: ad cõputationẽ qua nulla uitæ pars potest carere, arithmetica. In perscrutanda ueritate quæ nobis ita occultatur, adiuuatur iudicium inuẽtione probabilitatis: in censendis ijs, quæ ad coniecturã assumpsit, instrumẽto utitur dialectico, quę censura ueri nũcupatur. Accessit his omnibus laxamentũ & recreatio animi per harmoniã sonorum, quæ est musica: sub quã poesis omnis uenit,

quæ concentu numerorum constat:tametsi numeros quoq; suos habet oratio pedestris, non tamẽ lege definita & perpetua,sicut poema.Hæc quidem excogitauit animus sua industria,accepta munere huius opificij Dei,quod natura dicitur.Lõge omnia superat peculiare illud Dei beneficium,quod unum uice uniuersorũ,quocũq; dignatur accedere. Nobis tamẽ quibus propter magnitudinẽ flagitiorum non dignatur Deus illud ad singula præstare, adhibenda est diligentia,ut quę conducant eruamus,prælucẽte lucerna,quam ille humano generi reliquit. Ergo hæ sunt materiæ ac fines cognitionũ earum quæ cum pietate non dissident, imò uerò & prosunt corpori,& earum multæ excolẽdo animo uehementer pietati deseruiũt.Artes hæ,siue quis cognitiones malit nominare,pluribus rationibus ac modis limitari possunt,quàm explicari queat,ut cuiq; fines ac metas uisum erit defigere:nam & coniungi inter se separatæ quædam possunt,& coniunctę separari:ut si quis de natura unam artẽ,& cognitionis rationem faciat,quæ in animantiũ & stirpium contemplationem potest tribui:& de stirpibus in herbas, in frutices,in arbores.Sed nos ad discentium,nisi fallimur,commoditatem hunc in modum partiemur:ut quæ ad cognoscẽdum seu contemplandum pertinẽt,sint primum aspectus quidam faciei naturæ:qui plane est sensuum,uelut intuitus quidã picturæ:non aliter quàm quum urbes,populi,gentes, nationes, montes,fluuij in tabella proponuntur oculis:hæc nominentur aspectus siue contemplatio:qui uerò huius est peritus,aspector siue contemplator. Descendet altius mentis acies ad intimum naturę opificium,quod in penetralibus uersatur cuiusque rei,quò animo est magis aditus,quàm oculo, & si per oculũ tamen:is est primus philosophus,seu intimus:scientia autem prima philosophia,uel intimum naturæ opificium.Ex utrisque exteriores causas scrutatur uir sapiens,quæ oculis uiciniores sunt & reliquis sensuum: quæ peritia scrutatio nominetur, seu inuestigatio: peritus autem,scrutator,uel inuestigator.Post quæ ad ea transcendet, quæ omnem penitus sensum effugiunt, cogitatione sola inuestigantur,eas res spiritales nominare consueuimus,quarum disciplina sit spiritalitas:professores ipsi,spiritales.Ex quibus omnibus colligitur rerum narratio fusa iam & copiosa, & quæ non effecta solum, uerum causas quoque complectatur explicando potius quàm inquirendo,quæ est historia naturæ: & qui in ea uersatur, historicus illius.Accedat ad usum contemplatio: præscribet, quæ nam admittenda in mensas, quę à Grecis diæta dicitur: uocemus illum & nos dięticum,aut si quis alijs uocabulis delectatur,uescum, esualem:tribuat his quisque quantum uolet, modo res maneant.Tum ad salutem uel conseruandam, uel instaurandam medicina.Cuius partem Hippocrates esualem facit:atque huius inuentionem ad medicos refert.Satis prospectum est corpori, transeundum est ad animũ, & consuetudinem hominum inter se. Sunt præcepta, quemadmodũ quisque compositum & constitutum debet animum habere: quę ars de moribus ethice nominatur,& qui eam profitetur ethicus,seu moralis.Sunt præcepta,quę docent quomodo quis sese geret priuatim domi, quomodo publice in ciuitate: illa sunt œconomicæ, hæc politicę, unde œconomici dicuntur,& politici: uerba Græca sunt Latinis auribus non inaudita.In sermone sunt regulę, quę ad emendatam elocutionem faciunt, quę est grammatica.Sunt quę ad aptationem consentaneę orationis rebus,personis, locis,temporibus,quæ est Rhetorice. Scrutatio illa & rerum,& uerborum, & autorum ueteris memoriæ, obseruatio atque annotatio eorum diligens, quæ grammaticæ est coniuncta, philologia nominatur: & qui eam præstat, philologus. Vsus uitæ, exempla maiorum, cognitio præsentium facit eum, qui Græca uoce polyhistor dicitur,quasi multiscius:nobis sit sanè honestiore nuncupatione prudens:& eius tractatio prudentia.Sequuntur aliarum instrumenta,Geometria,Arithmetica:quarum calentes sunt geometræ,& arithmetici.Tum de inuentione probabilitatis,inuentor:de censura inuentorum,censor.Musicus uersatur in musica: in poesi,poeta.In rebus diuinis & sacris uel consideramus, quantũ licet mortali,sanctam illam naturam,uel ea, quę nos ad illam adducunt, nempe eius præcepta,& uiam, qui circa priora uersatur Theologus:qui circa secunda,theonomus appelletur.De his duobus aliàs, nunc de

prioribus disseramus,quemadmodum tradenda singula,atque excipienda existimemus.Cognoscenda sunt ex libris omnia:nam sine libris quis speret se magnarum rerum scientiam consecuturũ? Siquidem dei afflatus perpaucos docet,& quos docet, ijs solum ea perhibet, quę maxime sunt ad sempiternam illam felicitatem necessaria. Videlicet tanta numinis indulgentia perquàm rari præbent se dignos,hoc est idoneos:nec fas est ut diuini magistri doctrina ad exhibẽda hęc humilia sese demittat.Itaq; studioso homini uel libris est utendum,uel qui locum librorum expleant magistris, aut restat utique, ut arioletur. Sed sicut in unaquaq; re obseruationes infinitæ sunt, neque est enim res ulla tam exposita sensibus, quæ satis non sit ad multa ingenia diutissime exercenda:ita libri ad immensum numerum excreuerunt,singulis quę uel ipsi animaduertissent,annotantibus, uel quæ essent ab alijs prodita, compilantibus:ut iam nõ dico de multis artibus ac scientijs,sed nec de una aliqua,quæ scripta sunt monimenta, ijs legendis uita suffecerit, nedum intelligendis. Seneca autor est negare Ciceronem, si sibi uita duplicetur,suffecturam eam percurrendis Lyricorum uatum carminibus.Quod si illa omnia,quæ à priscis illis philosophis,historicis,oratoribus, poetis,medicis, theologis sunt ædita, peruenissent ad hanc ætatem, nihil esset nobis aliud habendum domi quàm libri: in libris fuisset sedendum, libri fuissent calcandi, incurrere in aliud non possent oculi, quàm in libros.Etiam ut nunc quidem est,non paucis terror incutitur, & odium studij, quum offeruntur eis in quaque disciplina inexhausti laboris uolumina. Despondent actutum animos, qui ea intuentur: & miseri intra se queruntur, quis leget hæc? Quibus de causis in unaquaque arte ac peritia libri debent assignari,qui enarrandi sunt in scholis,qui secreto studio legendi ac euoluendi: ne æuum adeo breue ac fugax in superuacaneis, & non raro noxijs quoque consumeretur: & prius auolaret quàm ad frugifera ueniretur.Hoc qui faceret,magna scientiarum notitia & acrimonia iudicij fretus,næ is mea sententia ingens in uniuersum hominum genus beneficium conferret.Nec contentus esset libros nota quadam insignisse, sed ex libris loca etiam indicaret unde singula essent petenda. Quod nos quadam ex parte facere aggrediemur:quo successu,non multum laboro, certe optima uoluntate, & qua multorũ ingenia excitabimus, eorum præsertim qui beneficium hoc prolixius & cumulatius præstare poterunt nationi studiosorũ, siue maiore mentis ui instincti, siue cognitione rerum uberiore instructi. Equidem neq; hoc, neque ullum aliud bonum inuidebo generi humano,à quocunque proficiscatur: & me in postremum aut etiam in nullum reijci locum iucundissimum mihi erit intuenti profectus humanæ sapientiæ: qua sapientia si quo alio tempore, certe hoc isto plus quàm credibile est,mortalitas nostra indiget, collapsa in altum flagitiorum ac scelerum.Persecuturum me scriptores omnes legi dignos nõ est fiducia,ac ne possem quidem impeditus non tam eorũ turba,quàm uel ignorantia uel obliuione mea. Libertatem hanc consuletis boni,memores rem esse studijs maximopere conducibilem,duntaxat quòd non tanti oportet æstimari meam censuram,ut ea satis sit ad mouendum ordine scriptorẽ ullum infimę classis,tantum abest ut primæ.Itaq; de singulis artium uerba faciemus,& quemadmodum uideantur nobis tradendæ, & quid in quaque earum bene ac utiliter existimemus ab scriptoribus proditum. Ante omnia quandoquidem necessitates sunt in uita uariæ, crebræ, & per momenta singula aliæ ex alijs succrescentes,ut nobis recte expẽdentibus nullum supersit tempus ad ludendum,referendæ sunt artes non ad inanẽ aliquam delectatiunculam,sed ad usum.Recte Galenus artes illas nuncupari non patitur,quę utilitatis nihil adferant uitę.Quare tametsi nonnullarum artium finis est, sicut ostendi,contemplatio,ea tamen sui ipsius finis esse non debet,sed ulterius in usum aliquem progredi.Quòd si arti alius nõ est propositus scopus,certe alium esse conuenit artificis.Contẽplatio naturæ immensa infinita est,cuius alto si quis se credat,nec quò cupit perueniet,& amittet uitæ fructum omnem,nisi quæ studio erit consecutus uel ad uitæ commoda,uel ad suspectũ atq; admirationẽ autoris traducat.Quin etiam in uita hac contemplatio Dei,qua mirabilius dici nihil potest, nihil amplius, aut præstantius, ad usum est tamen aliquem

conuertenda,ut accendamur, ut rapiamur,ut coniungamur illi. Admonebimus itidem nunc uelut in ueſtibulo, quoniamquidem conſuetudinem ſcelerum ſupra modum adoleuit humana malitia,multum inualuerunt prauæ animi affectiones,ut purius tradantur artes,ſimplicius,minus infectæ, ac imbutæ uafricie atque impoſturis, ut quod eius fieri ualeat, ueræ illi ac germanæ ſimplicitati Chriſtianus populus reddatur:& pauciores habeant diſciplinæ omnes ſcintillas,quibus ſuccendantur animi, uſque eo ad grandia per ſeipſos & fæua incendia parati. Elimata eſt nimium malitia, & ad cotem prauitatis iudicium exacutum, nihil opus eſt maiore acrimonia,ſed potius tanquam retuſione quadam:non quo imprudentes fiant homines, ſed ut ſynceri magis ac ſimplices,atque ea de cauſa prudentiores, non aſtutiores:eo enim futura eſt uita noſtra beatior,quo minus contaminata fraudibus & captionibus,ſimilis priſcorum hominum,quos animorũ rectitudo,& ſimplicitas diuinis colloquijs dignos reddebat. Adde quod diſciplinæ breuiter ac puræ oſtenſæ acumen, iudicium, prudentiam,communiũ rerum uſum adiuuant:longa earum tractatio retundit uim mentis,& moleſtiſſima eſt:de qua in concione uiri ſapientiſſimi ſcribitur:In multa ſapientia,multa eſt indignatio:& qui addit ſcientiã,addit et laborẽ.Hoc loco iuſtiſſima quæſtio occurrit de libris prophanorũ hominũ,nempe gentilium,Agarenorũ,Iudæorũ, legendos eos cenſeam,an ne reijci in totum oporteat? quippe in quibus eſt multum malitiæ ac fraudum,ad omnesq; animi motus inconſultos ac facinoroſos plurimum uenení. Grauior quæſtio,& cura dignior,quàm quiuis facile arbitretur: de qua nihil poſſit ſemel in uniuerſum dici. Poſitum eſt à nobis paulò antea nullam cognitionem rerum obeſſe pietati. Gentilium opera bene lecta nihil prorſum nocuerunt ex Græcis Origení,Iuſtino,Baſilio,Nazianzeno,Chryſoſtomo:ex noſtris Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Hieronymo, Ambroſio, Hilario, Auguſtino,Gregorio,Iſidoro, Thomæ: quibuſdam etiam uehementer profuerunt, ut Auguſtino Ciceronis Hortenſius.Nocuerunt multis ueluti Luciano,Iuliano Cæſari,Pomponio Læto, Domitio Calderino, Codro Vrceo. Multi in ſe experiuntur pietatem ſuam ab illiuſmodi literis aliàs uegetari,aliàs hebeſcere.Quapropter neceſſe eſt libros illos ceu latũ quẽdam eſſe agrum, in quo herbæ proueniant partim utiles, partim noxiæ, partim ad delicias paratæ,uel ornamenta, ut floſculi quidam. Habent utilia contemplationem atque inueſtigationem naturæ rerum ad dapes,ad ualetudinem,ad totam uitam: habent mathematicas diſciplinas ad multa conducibiles.Habent antiquitatis & omnis memoriæ cognitionem, exempla tot dictorum & factorum, acute,grauiter,feſtiue, ſancte:quibus excolitur prudentia atque adiuuatur:totam denique illam,quæ encyclopædia dicitur maximæ commoditatis ad uitam:in qua quæ obſeruaſſent, atque animaduertiſſent,diligenter conſignata poſteritati reliquerunt. Quo fit ut homines quamlibet ingenioſi non tam in multa uigore mentis poſſint peruadere,ſi ſint indocti,quàm qui mediocri ſint ingenio & doctrina prædíti:his enim uelut ſubſidio ſunt multi:illi uerò ut maximi ſint ingenij, certe ſinguli ſunt,& ſoli. His accedunt quæ ad eandem faciunt prudentiam,ueri & inueniendi & iudicandi inſtrumenta. Adferunt inſuper acutas & magni momenti inſectationes uitiorum,uirtutum laudes, quibus uti nobis licet ad rem noſtram,& contra noſtros uitioſos. Habent præterea dogmata & ſententias maiore quadam incitatione naturalis boni excuſas, quæ in uſum noſtrum traducta ingentia præbent nobis ad res multas adiumenta. Habent poſtremo ornatum omnem,cultum,elegantiam,ſplendorẽ ſermonis.Admiſcent tamen his tam ſalutaribus pernicioſa non pauca,et quaſi uenenũ melle aut ſuauiſſimo uino temperant.Scrupulos,et ſuſpiciones de rebus pietatis,quodq; eſt prçter cętera peſtilẽtiſſimum,deriſum etiam apertũ,& nonnunquã infectationẽ quoq;: quum luſcioſi ac infirmi oculi intendere in tantũ fulgorem,nõ ſuſtinerent.Tum multorũ uitiorũ laudes, ut ſuperbiæ,iræ,crudelitatis:admirationẽ atq; adorationẽ potentiæ, opum,uoluptatum:enarrationẽ eorũ uitiorũ quæ cõmemoratione ſola audiẽtes cõtaminant:ut libidinis,ultionis,uani decoris.Aperiũt ſcholas uerſutię,fraudũ,impoſturę.Vnde neceſſe eſt animo,uelit,nolit,multũ doli & captionũ adhærere,quas in occaſione exerceat.

Nam

Nam ut eorum curæ ac cogitatus ad ambitionem referebantur, uel quæstum, ea sequebantur modo, per quæ uel pecunia parari uel honor posset. Ei qui scit esse damnosa hæc, quiq; ea cognoscit, fortassis nihil foret periculi per hæc ingredi, & quæ uiderẽtur, decerpere: quin sapientes uiri haud secus noxijs utuntur interim contra noxia, ac periti medici uenenis contra uenena. Sic illi conferunt hæc cum nostris ad demonstrandam & illorum impuritatem, et excellentiam nostrorum: ut collatione tenebrarum illustrior appareat nostra lux. Denique omnibus bene utuntur uel pro se, uel contra illos: ut qui nostrates aduersum gentes scripserunt iugulantes eos suo ipsorum gladio: quorũ catalogum Hieronymus exponit Magno oratori respondens, quem Calphurnius Lanarius subornarat. Idcirco Iulianus apostata, quũ maxime persequeretur Christianos, artes eos liberales uetuit docere: ne scilicet de aquila pennas euellerent, quibus aquilam configerent: qua imagine usum esse illum aiunt, quũ se suis artibus imperitum deprehendisset. Periculosa sunt hæc curiosis: quales illi sunt, qui non dubitant cicutam gustare, & experiri cuius sit saporis, id quod hominem extinguit. Item imperitis, incautis, qui dextere uti nesciunt. Esset omnino consultissimum propter infirmitatem & tenebras nostri ingenij, hæc esse repurgata, ut nulla ocasio nocumenti foret reliqua: uel ut in ijs demum campis uersaremur, in quibus solæ herbæ utilitatis cuiusquam, aut honestæ uoluptatis crescerent à probo & prudẽti agricola illic satæ, ex tutis uiridarijs sanctæ religionis desumptæ, aut quę conuenirent, ex periculosis agris huc translatæ, tanquam thesauri Ægyptiorum ad ornatum templi conuersi. Quanto et fructuosius & iucundius hic in nostris pratis spacia mur, ubi nullas nec ab herbis, nec à serpentibus insidias metuimus, quàm in illa Asia aut Africa inter suspecta et periculosa. Sanctus Ambrosius sapienter ac pie, opus Ciceronis de Officijs, quod plenum esset bonarum rerum ac uitę cõducentium, ad pietatem nostram transtulit, tutius iudicans hauriri illa de Christiano pectore manantia quàm de gentilitio. Intelligentia ac peritia mali paucis prodest, præsertim si quemadmodum malo illo uti possimus, ostendatur cum aliqua nostra uel oblectatione, uel (ut uulgo solemus loqui) utilitate. Hac de causa infirmitatem nostram reputans Dominus, tum occultas & fraudulentas dæmonis insidias, uetuit nequid penitus nobis esset cum illo commercij: fortassis aliquibus posset esse citra damnum, sed commune periculum in commune prohibetur. Itaque nemini bono uiro arbitror in dubium uenturum, quin præstet uel à Christianis accipi doctrinam Christianam Christiane traditam, uel ex monimentis impiorum, resectis ijs quæ integritati bonorum morũ possent officere. Quod perfici si nõ potest, saltem præeat uiam uir aliquis non solum eruditione præditus, sed probitate etiam ac prudentia, cui nos credamus tanquam duci: qui à periculis dimoueat uel tacite extra significationẽ periculi, ne curiosorum cupiditatem iritet, uel quibus conueniet, aperte demonstret, quod malum delitescat: & percognitis eorum quos ducit ingenijs, tantum cuique permittat, quantum censebit expedire. Hunc in modum accipietur in connubiũ gentilis fœmina resectis unguibus & capillis, iuxta ritum filiorum Israëlis, sicut Diuus Hieronymus interpretatur.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE TRADENDIS DISCIPLINIS, LIBER SECVNDVS.

SEQVITVR iam ut dicamus,quæ,quomodo,quatenus, à quibus,quo loco sint tradenda singula.In omnibus il lud potissimum spectandum,ut syncere exhibeatur institutio,ne probi mores uel corrumpantur,uel utiq; retardentur & hebescant. Primum omniũ de loco uideo dicendum,nam is in constituenda schola primus etiam solet prospici.In quo hęc consyderari conuenit,cœlum ut sit salubre, ne subinde profugiendum sit scholasticis luis metu perculsis.Alexinum philosophum Eliensem quod in loco doceret insalubri, tum in rerum multarũ, quæ usui erant necessariæ, penuria, discipuli deseruerunt omnes: & quidem quum uehementer probaretur, ac placeret. Sed nec minus uernantem, aut amœnum elegerim, qui scholasticos ad prodeundum sæpe solicitet, nisi forte delicioſis disciplinis sit danda opera: ut poëticæ, musicæ, historiæ: hanc cœli grauitatem arbitror electam fuisse à Platone in Academia suburbano Attico. Nam si omnino insalubritatem est secutus, parum ipse cõsilium mihi suum probarit. Sanos enim necesse est eos uiuere,qui bonam & diligentem operam nauaturi sunt studijs doctrinarum.Spectatur de hinc, ut suppetat alimentorum & copia & utilitas: ne felicia ingenia in tenuitate fortunarum cogantur renuntiare literis, quibus uacarent magno & suo,& multorum bono:præsertim quũ disciplinas sæpius iuuenes sectentur in re modica,quàm opulenti,quos uanitas fortunæ ad longe diuersa studia traducit,uenationis,equorũ, belli,lusionum,libidinis,& uoluptatum omnium, ad quas adipiscendas arbitrantur se in diuitijs aptissimam habere facultatẽ.Sit item locus separatus à frequentia,& potissimum opificum,qui strepitum & magnos ędunt sonos in opere:quales sunt fabri, & lapidicidę,omnes deniq; qui malleo utuntur,quiq; rota & torno,& pectine textorio:nec sit tamen omnino infrequens, ne testibus ac uelut spectatoribus careant flagitiorũ,si quibus sint dediti:idcirco graues esse incolas atq; incorruptos uelim,quos scholastici reuereantur:non caupones,non malignos, qui ad prauas artes impellant: non sordidos,& exigui lucri captatores:illiberales enim reddunt studioſos ac sordidos, & quales sunt qui Græco uerbo μικρολόγοι nominantur, quo nihil est sapientiæ inimicius.Procul etiam à comitatu regio,& puellarum uicinia:alteri otio ac malis artibus inuitant rudes animos,& pertrahunt facile teneros,ac in quiduis flectiles:alteræ forma alliciunt ætatem blando illi malo obnoxiam. Consultius esset extra urbem constitui gymnasium,præsertim si uel ea sit maritima,uel mercimonijs dediti incolæ: modo ne locus caperetur, quo ex urbe consuessent otioſi deambulare animi gratia. Nec publico itineri adiaceat,ne animi scholasticorum nouitate commeantium auocentur ab opere instituto. Non in regionis limitibus, qui solent bello infestari:ne is metus non sinat quietos in studia intendere.Statuatur in unaquaq; prouincia Academia communis illius: prouinciam definio, non limitibus naturæ, nempe montibus, uel amnibus,uel mari,sed ditione ac principatu. Ne iuuenes si limites claudantur uicino bello, uel cum suo periculo & suorum cura,atque anxietate in alieno regno studeant,uel cogantur bene cœpta studia magno cum dispendio intermittere.Nemo sit admiratus ea cura locum quæri,ubi nascatur & adolescat sapientia, quum tam anxie locũ prouideamus apibus daturis mel,pretij quanto infra sapientiã?Sed maxime omnium ad locum faciũt homines:ideo magistri nõ modo sint ea doctrina,ut possint bene instituere,

re instituere,sed habeant tradendi facultatem ac dexteritatem.Mores sint in eis puri,prima est ea cura, nihil ut dicant,aut faciant, unde in auditorem malum possit exemplum transfundi:neu aliquid,quod tutum non sit imitari.Si quid uitij habent,uel laborent omnino seponere ac tollere,uel quod secundum est, licet grandi interuallo,præsente auditore diligenter ac strenue abstineant:nam hunc oportet se ad magistri exemplum componere. Nec probatis tantum erit moribus, sed prudens quoq; tum ingenium habeat accommodum ei,quam profitetur arti:atque ei generi auditorum, quos in disciplinam recepit,quo melius tum ipse tradat,tum illi percipiant: ut grammaticus ne sit rabiosus:non pertinax medicus,quiq; melius dicenti nolit cedere,non moralis philosophus arrogans,& flagitiorum manifestus.Prudentia uitæ totius rectrix maximas ualidissimasq; habet uires & ad recte artes tradendas,& ad uitia emendanda, & ad reprehensionem, & castigationem,quum est opus, & quatenus:multum enim efficiunt hæc suo loco, suo tempore,suo modo adhibita: intempestiua autem omnia odiosa atque inefficacia sunt. Bonus sit magister, & literarum amans: nam quia studiosus libenter docebit,ut se exerceat: quia bonus, ut alijs prosit. In discipulos affectu erit patrio, ut illi sint ei filiorum loco, nec quantum ab illis aut à professione redeat, spectabit. Nunquam bene traditur disciplina, quæ uendi-tur:quod in primis uitauisse Socratem Xenophon est autor in Commentarijs. Duo sunt uitia ab omni eruditione,atque eruditis longissime pellenda:Auaritia,& honoris cupiditas:quæ simul artes corrumpunt,simul literatos ac literas adducunt in contemptũ.Adigunt enim doctos homines ad indignissima,nempe ut subscribant sententiæ absurde,atque imperite sentientis:ut in disciplinam atque ad honores doctrinæ admittant dehonestamenta artium,ut pertinaciter stent pro falso:malintq; inuerti ac perire omnia,quàm fateri sese uictos, aut aliquid ignorasse: ut ea denicq; faciant, dicant,quærant,uenentur,non quæ doctrinam adiuuent, ac mores,sed per quæ pecunia uel gloria comparetur.Hinc fraudes,rixæ,periuria,odia,postremo sectæ impotenter defensæ: quomodo discipulos reget, qui laudem ab ijs uel pecuniam sperat? Ergo omnis quæstus occasio reuellatur ab scholis. Accipiant doctores salarium de publico quale cupiat uir bonus, fastidiat malus:ne si amplum sit,imperiti & mali eò se insinuent lucri cupiditate:probi ac eruditi qui ambire uel nesciunt,uel nolunt,excludantur.Nihil à scholasticis accipiant,ne illos captent, néue propter spem mollius ac indulgentius habeant. Nec alimenta sua discipuli à magistris emant:sed hebdomadatim eligatur unus ex sodalibus, qui sit uelut architriclinus, is curet diebus singulis emendas epulas,exacta uero hebdomade,subducta ratione, conferant symbola, addito quod præbeatur ministris pro opera. Cibus sit parabilis, purus,concoctu facilis:præstant hęc & sanum corpus,et ingenium uegetum. Omnis item iactantiæ,arrogantiæ, ostentationis occasio tollatur. Idcirco raræ sint disputationes publicæ,in quibus non eruitur ueritas: nam nemo uerius dicenti assentitur,quæritur modo laus ingenij, uel peritiæ:in qua contentione laudis crescunt rixæ, & conuitia, & simultates, quodq; sceleratius est, ingenium cõtra ueritatem sumit arma: & ad eam subuertendam cuniculos omnes agit,& machinas,quascunque potest,admouet, ut uelit ueritatẽ ab se superari,ac prosterni,non se ueritati summittere:quæ pugna adeo nefaria ac impia bonos uiros non decet,minus Christianos,quorum affectus purissimos esse conuenit, & obsequentes ueritati, qui est Christus ipse. Postremo ex illis disputationibus cauillosiores ac peruicaciores discedũt multi,doctior utiq; aut melior nemo.Gradus honorum in academia an erit satius nullos esse omnino?iuxta uerbum Domini:Nolite uocari rabbi, unus est magister uester:ut sit potius tẽporarium quoddam docendi munus,quàm perpetua dignitas: an præstabit esse aliquos ad discrimen imperitorum hominũ,ne hi omnes metiantur eadem uel approbationis uel reprobationis decempeda. Nam illud Christi dictum,ad cœlestẽ pertinet doctrinã, cuius ille est magister unicus.Ita nõ quod in abusus abijt,uidetur prorsum tollendũ, sed corrigẽdum ac sanandũ. Nullæ sunt satis bonæ leges,si eas malitia hominum uelit ad obsequiũ suarum cupiditatũ detorquere.Sanciendæ nihilominus sunt quantũ

quidē fieri possit,optimę.At uerò ad eos honores pauci admittantur:ne res amplissimi pretij uulgando uilescat: tum quia multorum crescit arrogantia, qui specie dignitatis turgidi recusant à doctioribus discere. Ideo consulit Diuus Iacobus, ne uelint multi magistri fieri.Detineantur omnes in quaque disciplina certo quodam tempore ac legitimo, ne leuiter quis degustata eruditione, sese pro absoluto instituto uendítet, quiq; periodum confecerit, ut aiunt in Græcis certaminibus. Addatur aliquid temporis tardiusculis,non enim unum esse omniū tempus expedit:nihil esset æqualitate illa inæqualius.Qui discunt, nuncupabuntur studiosi uel discentes.Tum post certum tempus, capto experimento fient professores. Profitebuntur aliquandiu apud auditorium frequens,cui & illi nonnunquam intererunt,qui iudicium de eo ferre possint,quod dicatur.Quod si approbentur,desinent professores esse,fient doctores,uel magistri.Ex his,qui commode poterunt,docebunt:quos appellabimus magistros professores, quibus præcipuus habebitur per uniuersam Academiam honor. Quod si quis uel imperitia uel flagitiosa uita ac probrosa doctoratui erit dedecus, abrogabitur ei publice dignitas haud aliter,quàm solēt magistratus ciuitatis in ordinem redigi.Qui ad magisteria euehentur,censeantur non ex doctrina modo,sed etiam moribus:doctrina enim cui non respondet uita, res est pernicioſa & turpis. Vita autem sine doctrina multum quidem meretur laudis,sed ad docēdum non ascíscitur. Itaq; non est hic ei locus,alibi habet maximum & honestissimum:qui designātur,aut honorem ineunt,nihil soluant omnino.Nec cœnam faciant,ne ulla penitus cupidine solicitent animos eorum,qui ad honorem admissuri sunt.De symbolis cōuiuentur si uelint,ad hilaritatis testificationem.Sed ita exhilarescant,ne se sapientię studiosos esse obliuiscantur.Faciant eos professores aut magistros,qui eruditione,iudicio,moribus,& docere alios,& in uulgus approbari possint.Non erunt huiusmodi uiri dedecori disciplinis,non eis peruerse abutentur,nec aliorum interturbabūt quietem,nec tanti lucrum ullum æstimabunt, ut ea gratia publicas utilitates affligant dandis uiarum ducibus ijs, qui sequentes in præceps deturbent. Misereantur generis humani cæci ac inter tot discrimina destituti: meminerint dominum ac magistrum cœlestem ad illos clamare, Vos estis sal terræ,uos estis lux mūdi:quod si obscuretur lumē,quis contuebitur? si infatuetur sal,quid salietur? Ergo professores ac magistri ipsi inter se quæstu neglecto,ostentatione semota,boni,docti, prudentes concorditer uitam degent,scientes se Dei negotium gerere,ut mutuo opitulentur. Neq; enim qui fratrem pro ueritate laborantem iuuat,hominē iuuat,sed ueritatem:& Dei se ministrum prębet,à quo omnis ueritas,seu potius qui est ueritas ipsa summa,pura,absoluta.Procul aberunt à sectis & rixis, qui sciant pleraq; omnia in disciplinis obscura esse ac incerta: furiosumq; esse odisse fratrem, propter id quod non magis compertum est tibi, quàm illi: tantum nescio quæ uerisimilitudinis lux aliis plus paulò, quàm aliis affulget. Professores eligentur non ab scholasticis, in quo permultum ualet ambitus uel gratiæ,uel pecuniæ:nec ab illis utilissimi præponuntur, sed gratiosissimi: & maxime populares,ac blandi, aut qui plurimum uel dederunt, uel promiserunt:aut à quibus licentiam sperant. Quanto minus probo, quod in nonnullis fieri Academijs intelligo, ut eadem hora duo de eodem argumento doceant,quos illi uocant Concurrentes:quo uerbo nullum audiui unquam apposititius: nam concurrunt planè, & congrediuntur,& pugnant conuitijs,amarulentia,rabie:seruitur auditorio tanquam scenæ:cui non placet uir melior,sed histrio melior. Neq; enim iudicare auditores de eo possunt,quod ignorant:hinc confligitur magno auditorum applausu,quibus est pugna illa ad spectandum iucundissima:perit respectus omnis & reuerentia præceptoris, atque hinc philosophandi tranquillitas, & studiorum profectus: assuescunt tam magistri quàm discipuli inuidentiæ,iracundiæ,uirulentiæ linguæ,impotentiæ factorum ac dictorum: & alijs uitijs bono uiro uehementer indecoris: unde ad rempublicam,ad rem priuatam,ad consilia, denique ad omnem uitæ functionem & ignari ueniunt, & inepti, ob affectus perpetuo tanquam in fera bestia iritatos. Quapropter deligantur professores,et approbentur,non turbæ imperitæ ac inconditæ suffragijs,sed

gijs, sed à paucis ex Academia de eruditione ac uita spectatis. Iam uero quum ad scholam deducetur puer à patre, ostendatur patri non literas debere quæri uelut instrumentum, quo paretur otiosus uictus: indignum esse id præmium labore tam præstanti: quam sententiam si ipsi re ac uita expresserint, facile credent alij ueram esse. Nam contrà, quam tandem habebit pater de prudentia et sanctitate filij sui spem, qui magistrum, id est, exemplar filij uel imprudentem uiderit, uel malum? Declaretur ei literarum finem esse, ut sapientior fiat iuuenis, ac inde melior. Maneat puer in pædagogio unum aut alterum mensem, ut ingenium illius exploretur. Quater per annos singulos in locum aliquē secretum magistri conueniant, ubi inter se de ingenijs suorum sermocinentur, ac consultent: et ei quenque applicent arti, cui quenq; idoneum uidebunt. Apollonius Alabadēsis dicendi magister, ut scriptum est à Cicerone, cum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non posse Oratores euadere, operam apud se perdere, dimittebatq;, & ad quamcunq; artem putabat esse aptum, ad eam impellere, atque hortari solebat. Faciant idem gratuiti doctores, quod mercenarius: quod rhetor, philosophi, ac Theologi: quod gentilis, Christiani: ne sinant illum tempus apud se ac pecuniam perdere: nihilq; aliud quæri literis, quàm ignominiam, & seminarium errorum, & tanquam bestiam lacessitam immitti in ciuitatem. Hæc si fiant, non aliter uenerabuntur indocti doctos, quàm diuos è cœlo delapsos, & eorum academias, ut sancta loca, & sacri horroris plena, quæ numine inhabitentur, ut quondam Heliconas et Parnassos. Quàm indignum reputanti uideatur, nos propter nostros mores ac nostras ineptias rideri ab imperitis, ac contemni? idq; quod grauissimum est, non iniuria nobis accidere? Enimuero ferendum non est moderatioribus esse plerunque affectibus agricolas, & sutores, & carpentarios, & homines de ima plebe, quàm eruditos complures. Ad eiusmodi scholam non solum deducerentur pueri, sed ipsi etiam senes tanquam ad portum se reciperent fluctuati in magna ignorantiæ ac uitiorum tempestate: omnes denique attraherent maiestate & autoritate quadam: plusq; apud auditores proficerent fide, ac uenerationе sui, quàm plagis, ac minis. Acutissimus erit stimulus ad studia, & ad parendum præceptoribus graue pondus, admiratio ingenij ac morum. Hæc est uera academia, scilicet conuentus, & consensus hominum doctorum pariter & bonorum congregatorum, ad tales reddendos eos, qui illuc disciplinæ gratia uenerint. Neque enim satis est unum aut alterum in ea esse bonum, si sint mali multi: numero & conspiratione & audacia mali superabunt bonum, quemadmodum uidemus passim contingere: atq; ad eum transibunt discipuli, quisquis plurimum indulserit suis. Quæsitum est ubi melius doceantur pueri, domi ne an foris? Si qua talis esset Academia, qualem depinxi, utique multo esset utilissimum illic institui, etiam exemplo à lacte, ubi optimos mores statim imbiberet, mali autem mores essent ei noui, ac detestabiles: ut ille qui apud Platonem educatus, quum iratum uideret patrem, admiratus uehementer ac offensus, nihil se uidisse apud Platonem tale affirmauit. Sed ut nunc sunt Academiæ, maior est deliberatio, quàm quis credat. Potest enim consultari de domo, de patria, & extra patriā. Ante omnia assuefaciendi sunt pueri bonis rebus delectari, atque eas amare, tristari malis, ac eas odisse: accommodentur tamen opiniones illorum captui: nam non statim summa illa & absoluta apprehendunt. Res est consuetudo dulcissima, & opiniones illa ætate acceptæ, diutissime nos in reliquum uitę prosequuntur, atq; eo magis, si procedente ætate rationibus affigantur, & confirmentur. Ad hæc sunt pueri naturaliter simij, imitantur omnia & semper, eos præcipue quos propter autoritatem & quam illis habent fidem dignos imitatione iudicant, ut parentes, nutricios, magistros, pædagogos. Itaq; multorum indolem corruptam ab alijs accepimus, à quibus correctam oportuerat, nempe ab istis eisdē quos modo nominaui. Magnam esse patri curam de filij moribus conuenit, tanto maiorem quàm de hereditate, quāto pluris sunt mores: & siue hæreditatē relicturus est aliquam, siue nullā, prima est habēda probitatis ratio, imò nihil est hæreditate opus, sed uirtute: nam fortunas celeriter & parabit bonus, & dissipabit malus. Dominū quoq; rationem de liberorum educatione à parētibus reposcere

poſcere,quum natura ipſa per ſe loquitur,tum nos myſticæ literę exemplis ac præceptis docent. Ergo ſi non alia de cauſa, certè ob hanc quæ eſt maxima, de filio noſcat ſe pater,& domum,ac familiam totam,præſertim quum de filij inſtitutione deliberat, etiamſi omni alio tempore ignoret. Si uiderit eſſe, qui pueri cereum ingenium fingant in peius,amoueat,ſi poteſt commode:ſin ſecus aut nec ipſi eſt,nec in familia habet cuius mores poſſit puer cum laude exprimere, foras illum ad eam rem mandet. Sic Romani olim filios ſuos ad ſenem aliquem mittebant principem uirum,grauiſſimum,& ſanctiſſimum, diſciplinæ gratia. Quemadmodũ Cicero deductus eſt ad Q. Scæuolam tanto maiorem ac præſtantiorẽ genere,dignitate,opibus.Nam ſenes non aſpernabantur eam curam,quam uidebant utiliſſimam eſſe ac cum primis neceſſariam ſuæ reipublicæ: quæ reſpublica non alia eſſet poſt ipſos futura, quàm quales ipſi pueros illos aut adoleſcentes reliquiſſent.Nunc ut paucos ac propè nullos tangit cogitatio communis boni,ita munus hoc omnes faſtidiunt miníme profecto faſtidiendum,ſed uehementer in primis pro patriæ pietate appetendum & complectendum, quæ hoc tempore quid ſit, apud pleraſq; nationes ne intelligitur quidem, adeo ſibi quiſq; uni uiuit,& ualet.Ergo pater ſi poteſt,pædagogũ aſciſcat filio ſanctum uirum & incorruptum:ab eo doceatur,ſi is ſit,qui docere poſſit,modo ne ſolus:minus enim proficiet,ut Quintilianus oſtendit.Si parare omnino non ualet,aut non talem,à quo poſſit bonam inſtitutionẽ accipere,aut ſi condiſcipulos non habet,mittat ad gymnaſium ciuitatis publicũ:et deligat ſibi propinquũ,aut affinem,aut neceſſariũ aliquem, ad quem ſubinde puerum mittat:à quo ille ſtudiorũ rationẽ exigat,et mores formet. Sed in gymnaſio eos habitare miníme placet: non enim illic adeo aluntur ſalubriter, nec tam inſtituuntur liberaliter, ac domi: ſi modo non animo parentes ſint deſpicabiles homines, & ſordidi, ac flagitioſæ uitæ: uel qui filiorum indolem proiectiſſima indulgentia corrumpant.Nam qui ob educationem comem, officioſam, ingenuam, pueros ſuos ad pedagogia quædã mittunt,uehementer ſunt animo falſi:quippe magiſtri ferè in illis ſunt auari,ſordidi,ſpurci,tum moroſi,difficiles,iracũdi,ſenſu peruerſiſſimo, interdum etiam, ſi deo placet, mulierculæ:pueri uerò inter ſe,quoniam non omnibus quæ agunt, præeſſe poteſt magiſter, alij alijs autores & exemplo ſunt ad obſcœnitates, & prauas quaſdam opiniones de rebus: ergo exeunt illinc adoleſcentes,quales nec intueri quiſquam in conuictu poſſit abſq; nauſea, nec perferre ſine odio. Mitti uerò ad publicam Academiam,ut nũc quidem ſunt hominum mores,non paſſim expedit. Principio explorandum eſt in patria ab amicis, qui noſſe id queant, ingenium ſit ne eruditioni ſatis idoneum.Ipſe de ſe multa quotidie præbebit indicia. Hinc an eruditione probe uſurus. Nam nihil eſt peius, quàm abuſus bonarũ rerum: & eruditio inſtrumẽtum rerum maximarũ,cõuerteretur ad ſcelera ingentia in animo prauo poſita.Merito Quintil.potiorem ſibi cauſam uideri ait uiuendi honeſte,quàm uel optime diſcendi.Ex malis atq; ineptis rari in bonum uertuntur:contrà potius naturæ degeneratione multi ex bonis mali fiunt. Mutantur enim homines à ſodalibus, quos habẽt chariſſimos affrictu quodã uelut contagie,dum nihil ſuſtinent illis refragari.Mutantur guſtu uoluptatũ, mutãtur deniq; quòd corpus ſemper in animum incumbit,atq; eum pondere ſuo deprimit, niſi magnis præceptorũ & recte exercitationis tibicinibus fulciatur. Qua de cauſa dictum eſt à Solomone,incertum eſſe curſum adoleſcentis.In academijs publicis ipſa ætas ad uitia procliuis impellitur,uel à ſodalibus & amicis perditis, uel praua quapiam animi libidine: atque ubi ſemel cœperit ruere,quicquid fit obuium,protrudunt,ac ſecum luctantur deuoluere. Si præceptores habeant aut pædagogos acres,ac in officio ſedulos & uigilantes,obdurãt ad uerba, & uerbera: quæ iam ex conſuetudine ducunt pro nihilo: ad quæ perferenda uel ſtimulantur à ſodalibus,uel à dulcedine uoluptatis.Hinc odium pędagogi tanquam obicis uotorum: & ubi ſe paulò ſolutiorem conſpicit, aſperum ſe præbet monitoribus, ut inquit Horatius. Tenetur non in officio, ſed in officij quadam ſimulatione: in qua manere eum cogit metus, peſſimus officij cuſtos: qui ubi in animo inualuit, reddit illum mancipium nequam: nam pulchritudine uirtutis adductus, nihil agit,

aut quod

aut quod ſecundum eſt, licet non proximum, ſpe laudis. Ergo non ponit operam in literis, nec id quod agere uidetur, agit: ſed præſente corpore animus ad deſideria ſua peregrinatur: qui etiam corpus ſecum eodem rapit, ſi paulùm modo metus abſcedat. Nec ſecus quàm nouus pullus perpetuo conatur excutere & frenum, & ſtratum, & ſeſſorem. Quòd ſi qua ratione pædagogum aut inſtitutorē queat à ſe dimouiſſe, præclaram uidetur ſibi nactus uictoriam, & liberatus graui ſeruitute: quod gaudium ipſius? quæ gratulationes, & applauſus ſodalium perditorum? tum uagatur, tum errat ſolutus in licētia omnium flagitiorum: & impingit ad omnes ſcopulos uoluptatum, non aliter ac nauis in ſumma fluctuum tempeſtate fracto clauo & gubernatore ſummerſo. Grandiuſculi adoleſcentes non cohibentur in academijs à præceptoribus, & magiſtris ludorum: ſcilicet non audent hi, ne mutent gymnaſium, & aliò transferant uilem quæſtum: quanto minus ſi ſint diuites? prædam enim ſuam plericp doctorum ſpectant, non inſtitutionem diſcipuli. Quibus ex rebus præter corruptum adoleſcentis animum, & mancipatum flagitijs, quod eſt grande ac præcipuum malorum, hæc etiam ſequuntur non exigua. Iactura rei familiaris pauperis patris, & cui fortaſſe alij ſunt ſudore ſuo liberi nutriendi. In hunc enim de ſua tenuitate largus eſt pater, quem alit blande, ac fouet tanquam ſenectutis ſuæ baculum, & familiæ totius columen: & magno olim cum fœnore compenſatum iri fratribus ab iſto ſperat, quod in præſens illis detrahat, ad faciendum huic uni otium ſtudiorum: ita longo pòſt tempore, & conſumptis pecunijs, apparet ratio, ac ſpes omnis ſenis parentis inanis & caſſa. Iacturæ numorum accedit iactura temporis irreparabilis: elabuntur optimi uitæ anni, & inſtitutioni aptiſſimi ſine fructu: creſcit ipſe, & cum eo ignorantia atcp odium diſcendi. Nec qui aliquando fuit ſcholaſticus, id eſt dominus, & liber, demitti ſe patitur ad artem aliquam ſellulariam, aut quæ manuum opera conſtet. Redit domum agreſtis fera atcp incondita, ſtipatus inſcitia, arrogantia, inciuilitate, ineducatione, ſordibus, animo ad libidines & flagitia proiectiſſimo, interim quoque ex uita illa in obſcœnitatem omnem ſolutiſſima morbis confectus. Excuſſerat prius quàm è ſchola egrederetur, pudorem omnem ac uerecundiam præceptorum primùm, mox parentum, & neceſſariorum, & patriæ totius, tum propter diutinum uſum peccandi, qui ex pectore ſibi addicto omnem uirtutis reſpectum eijcit, tum quod ex patria à ſuis omnibus amantiſſimas ac reuerentiſſimas ſæpe literas accepit, quæ ad eum tanquam ad uirum præſtantem eruditione ſcribebantur. Quòd ſi admoneantur meliorum, reluctantur, & ſpernunt alios tanquam rudes atque imperitos: nec ferunt ſe ab his moneri, qui ſe toties ſint faſſi inferiores ipſo, rerum peritia ac prudentia. Et quo ſolutius agant nulli ſubditi, emunt gradum aliquem honoris ſcholaſtici, id eſt, effrenem ac liberam arrogantiam, ſæpe applaudente & læto patre, qui quid agatur uidet, quorſum pertineat ignarus. Ibi uerò ſuis omnibus numeris perficitur inſolentia: fugiunt patriam, & parentes, quos quia ſui dedecoris conſcios metuunt, oderunt quoq; inimici ſunt doctis, quibus uident ſe adæquatos aut prælatos etiam dignitate, non doctrina: & iſtorum lux illorum tenebras manifeſtat clarius, & quaſi coarguit: eſt peſſimum hominum genus, quia indoctum, & ſuperbum. Omnia ſunt meliore conditione in patria, ſalubrius nutriuntur tenera corpora, & ad ualetudinem, ac naſcentes uires confirmandas utilius: educantur liberalius, ac purius inter ſenes, & prudentes: præter hæc etiam minoris. Quotidiana cum parentibus conſuetudo non patietur pietatem erga illos exoleſcere: facile enim conſeruabit pater, ac tuebitur ſui reuerentiam in filio, quem quotidie uidet, cui aliquid quotidie pro patria poteſtate imperat. Renouatur ſingulis diebus ius illud uelut uſurpatione poſſeſſionis. Augetur etiã charitas, ſi uel filius ſit natura bonus, uel in parente ſigna aliqua conſpicit probitatis, ac ſapientiæ. Pietas eadem ex parentibus in eos ſe diffundit, qui cum illis iuncti ſunt ſanguine. Ergo ſi malum eſt ingenium, metu eſt opus, quis maior quàm parentum, & propinquorum hauſtus cum lacte, & ætate confirmatus? Sin generoſum eſt ingenium, amore ducetur, quis maior quàm aduerſus parentes & conſanguineos? Quid quòd plericp non alia de cauſa ad bene agendum adducuntur, quàm parentum reſpectu, ut aliquod

ut aliquod illis de se gaudium præbeant. Sicut de Martio Coriolano scribit Plutarchus: et horum recordatio etiam in remotissimis regionibus maximum est multis incitamentum, ut se ex illorum gerant sententia. Poterit pueri ingenium à propinquis & necessarijs explorari, cui sit rei potissimum idoneum: & ipse quotidie puer multa sui ædet signa. Si literis non sit aptus, nec ludet in ludo rem, & quod re est pretiosius, tempus: transferetur mature ad id cui iudicabitur appositus, in quo cum ingenti fructu uersabitur: & erit ex illis, quos quasi absolute edoctos παιδομαθεῖς consueuerunt Græci nominare: occurretur pullulantibus ac teneris etiamnum uitijs: tum flectilis animus ad recta formabitur. Reuerentiam illorum in præceptores, facile in patria parentes, consanguinei, & paterni amici autoritate sua conseruant. Æquales minus habent ad corrumpendum uirium: nam & ille & sodales ipsi, si quò eant, incident passim in eos, quibus sint curæ, & à quibus retrahantur, priusquam ruant. Quod si labi cœperint, injiciet eis blandam manum amor suorum: hic si non sufficiat, reuerentia & metus succurrent, quem de prima infantia imbibitum usus confirmarit, & à quo spes non sit solui ut possint, sæpe ne uoluntas quidem. Ita enim naturæ impulsu ac lege addictus est filius patri, ut amet, & reuereatur: nec fas esse existimet cupere, non reuereri. Quæ si fiant, disciplinæ uirga perpetuo ante oculos pueri, & circum dorsum uersabitur: quod præcipuum illius ætatis bonum atque in primis salutare à Solomone sapiente ponitur. Simul ex uitæ consuetudine flagrantius in illius corde & parentum & patriæ pietas ardebit, cui ut rei iucundissimæ ac charissimæ optime cupiet consultum, eiq; quacunq; dabitur, bene faciet. Quibus de causis et rationibus sic faciendum censeo. Constituatur in quaq; ciuitate ludus literarius, eo asciscantur præceptores, uiri explorata doctrina, probitate, prudentia. Salarium repræsentetur eis de publico. Pueri atque adolescentes ab his addiscant eas artes, quas poterunt pro ætate atq; ingenio capere: mores uero patrios & totam educationem uitæ ciuilis à prudentibus senibus, quemadmodum olim Romæ. Antiquitas enim, ut à Plutarcho in Problematis traditur, honorificum existimauit propinquos & amicos erudire: qui propter acumen ingenij & bonitatem, apti erunt literis: hi post flexum ætatis, confirmato iam & rectis opinionibus de rebus parato & munito animo, mittantur bonis auibus ad academiam. Quòd si quis antea mittitur, quia domi non putatur posse commode doceri, eat cum pædagogo, quem ille reuereatur ut patrem: pædagogus uicissim & uenerabilem sese præstet prudentia ac dexteritate, & bonitate amabilem: caueatq; in primis, quãtum efficere poterit, ne se in odium alumni adducat. Sed iam de institutione ipsa pergamus dicere. Quum deducetur ad scholas puer, sciat pater, quem tandem existimare debet fructum laboris studiosi: uidelicet non honorem aut pecuniam, sed animi culturam, rem eximij atq; incomparabilis pretij: ut doctior fiat iuuenis, & per sanam doctrinam uirtute melior. Itaque etiamsi uiliorem illam cogitationem ad scholam adferebat, ita persuasus reuertatur, ut altiora iam & ampliora de filio suo speret. Suscipietur ea lege puer, ut eis capiatur experimentum ad aliquot menses: quod cum fiat de affectis & famulis lances aut scutellas mensæ illaturis, quàm absurdum est de illo non fieri, qui tanto maiore & suo & aliorum dispendio euadere posset doctus. In unoquoque ad tradendam ei eruditionem, spectandum est ingenium: cuius contemplatio ad inquisitionem pertinet de anima: nos illinc non nulla præsenti instituto delibauimus. Ingenij partes sunt acies ad intuendum, capacitas ad comprehendendum, collatio ad iudicium. Ingenio nihil est similius quàm oculus: hic est corporis lux, illud animi: in oculo uis est ea contuendi omnia, quæ colore sunt obducta, eaq; acies nuncupatur. Sunt tamen qui in singulis separatis diductisq; cernendis ualent plurimum, multa pariter non capiunt: aut si capiunt ad breue quoddam punctum, non tamen continent. Sæpe etiam qui intuentur, qui capiunt, & continent, non conferunt illa inter se: nec quale quicque sit, ex aliorum comparatione iudicant. Eundem in modum res se habet in ingenijs. Nam quidam acuti sunt, & perspicaciter singula intuentur, coniuncta uero uel non capiunt, uel non tenent: quorum captus est angustus, aut memoria breuis, ac fluxa: alij capiunt, non tamen

nõ tamẽ cogitationẽ reflectũt ad ea,quę ſunt intuiti,ut cuius rationis ac modi quicq; ſit cenſeãt,ac dijudicent: & ſicut ſunt oculi uel cęci, uel uitijs recurrẽtibus affecti, ita ingenia partim ſtupeſcũt demẽtia & torpore perpetuo, partim interuallis quibuſdã male ſana ſunt:niſi quòd cæcitatẽ & uitiũ oculorũ qui patitur agnoſcit, ingenij morbos ægrotus nec intelligit,nec ſi oſtendãtur,credit: quoniã in morbo corporis mens quæ de illo iudicatura eſt, nõ ægrotat:in morbo mentis ipſa eadẽ male affecta cẽſere de ſe ipſa nõ poteſt.Ingeniũ non eſt uel malis rebus, uel paruis ac puerilibus explorandum. Sed & oculus non continuo acutè cernit,q; aliqua ad ſerũ uel in tenebris acute cernit.Ita nec ingenium habẽdum eſt pro acuto, quod in rebus paruis aut leuibus multum pollet:uerum quod in luce & magnis rebus.Neque enim dubitandum eſt,minus nos nunc ualere ingenio,quàm ante primum illud ſcelus: at nunc aſtutiores ſumus in flagitijs, & ſicut Dominus inquit,Filij huius ſeculi, filijs lucis ſapientiores in generatione ſua ſunt.Itaq; egregia ingenia nihil ſunt plerunq; in nugis,ut oculi perſpicaces in tenebris,& in luſionibus uiri prudentes.In ingenio ſpectabuntur actio & materia,tum ſeparatim,tum coniuncta.Hinc affectus, ſiue mores.In actione ſunt duo,intentio & extenſio,id eſt,quàm magna aut parua,quàm breuis aut diutnrna,cita aut lenta.Sunt qui in res intente contuentur,ac ſedulo, quiq; ſe alligari gaudent operi.Sunt qui remiſſe ac uelut aliud agẽtes, nec aſtringi uolunt ſoluti ac liberi:ut Ouidius & Lucillius,teſte Horatio.Hi ſunt aereę conſtitutionis,aut qui calore immodico reſoluuntur,quiue oppreſſi carne & graui ſarcina corporis, laborem attentionis refugiunt,aut non ferunt.Obſcurius cernunt alij, alij perſpicacius: itaq; hi penetrant,unde acumen dicitur: illi in ſumma rerum facie ſubſiſtunt, unde hebetudo,ac retuſitas.Sunt qui primos ingreſſus habent faciles,mox cõfunduntur: quibus in labore offunditur mentis aſpectui quædam uelut caligo,quæ quũ recentes & noui ad opus accederent,non erat:alij urgentes ac ualentes perſiſtunt feliciſſimi: quidam ea quæ uiderunt,coniuncta ſumunt:nonnulli ſeparant & diminuunt ad ſcrutationem ſingulorum,quæ nominatur ſubtilitas.In tempore ſunt qui intuitu ſuo uelut punctim feriunt per multa uolitãtes,nec uſquã conquieſcunt: alij ſiſtunt,& quaſi figunt ueſtigia.Soluti ac liberi ſunt,qui celeriter quæ uolunt aſſequuntur:ut homines bonę cõtemperationis:quorũ aliqui eo uigore ingeniorũ ſunt prędĭti,ut omnia quę opus eſt,uno uelut contuitu diſpiciant, & tanquam ad manum habeant parata:de quo genere Vinicius ille fuiſſe memoratur, quem Auguſtinus dixit in numerato habere ingenium:quiq; extemporali facultate plurimum præſtant, interdũ plus quàm ſcribendo,& à cura: ſicut Caſſius Seuerus,& Sulpitius Galba. Quod contingere hominibus non tam ſtudioſis, quàm ingenioſis, Cicero & Seneca teſtantur: multa enim ante oculos ſubijcit ingenium calore excitatum, quæ idem ipſum refrigeratum abſcondit. Sunt qui tarde ac lente uadunt, ſed perueniunt tamen quò deſtinarunt: & de his nonnulli lento ſuo gradu peruadunt longius, quàm priores illi curſu. Actionis duratio in alijs perbreuis eſt,quibus eſt cõquieſcẽdũ ſtatim: ut calidis & ſiccis, quales ſunt Ægyptij & Perſæ: in alijs diuturnior, ac pertinacior, uelut in pictore illo,qui neſciebat manum de tabula: & in Didymo grammatico, qui cognominatus eſt χαλκέντερος. Sunt quorum uices otij & negotij ſunt breues, ſed crebræ. Sunt quorum longę ac uehemẽtes:quemadmodũ de Latrone Portio ſcribit Seneca: qui & accẽſi ardẽt pertinaciter,ut ignis in uiſcoſa materia, reſtricti autẽ diu frigent. Recipiunt hæc mutationes uel crebras & quotidianas ex cibo & potione,ex habitu cœli & loci,ex affectionibus corporum.Illum qui ſui ſemper eſſet ſimilis, uocarunt olim uirũ omniũ horarum.Recipiunt etiã ex uarietate naturæ uniuſcuiuſq; quòd ea eſt corporis conſtitutio & temperatura,ut modo magni & acuti ſint,modo ſui diſſimiles. Sunt & aliæ mutationes longę,nempe ex ætatibus. Quidam enim meliores redduntur annis,ut Scipio & Polæmon,& illi quorum Valerius meminit:peiores alij,ut Hermogenes rhetor temporibus Antonini Auguſti, qui ex puero facundiſſimo infantiſſimus factus eſt iuuenis.Mutantur in deterius præcocia ingenia, in quorum pueritia fuit moderatus calor, poſtmodũ ſi uel crapula uel corpulẽtia obruitur,

obſtupeſcunt:ſin uerò acuitur & augetur præſertim circum cerebrum,inſaniunt. In melius uerò quibus eſt de principio feruor immodicus, isq; ſenſim temperatur, ac tepeſcit: aut quibus corpus nimijs ac noxijs humoribus redundans mox purgatur. Expedit ijs,qui tenuiſsimos habẽt ac lucidiſſimos ſpiritus incraſſari:ut ingenijs præacutis, ne quò non oportet euolent, nec contineri in præſenti poſſint opere: quam fuiſſe cauſam autumo, cur Plato craſſum academiæ aerem delegerit ingenijs Atticis ſubtilibus ac leuibus conducibilem: ſcilicet inijciendæ illis erant uelut compedes. Non mutantur quibus conſtitutio corporis ſingulis ætatis partibus cõgruit.Iam ex materia,quidam in rebus quæ obeuntur manibus, quas Græci χειρουργικὰς nominãt, ualde probantur:quos uideas pueros ſemper pingere, extruere,texere, & hæc omnia decenter, & cum tanta gratia ut diu ea didiciſſe credas.Alij rebus ſublimioribus iudicij,ac rationis ſunt dediti,maiore atque altiore mentis impulſu incitati,qui à pueris manuaria illa inepte faciunt,aſſequuntur tamen, quæ dicantur, promptiſsime & acriter rationem colligunt:perpauci in utraque re ſunt boni: quamuis qui ſint eiuſmodi,non deſunt.Appoſiti ſunt quidam ad certum aliquod diſciplinę genus,ut Poetæ ſoluta oratione impediti ſſimi:uidi qui feſtiuiſsimè narraret, abſurde ratiocinaretur: ex rara quadam nota ſunt,qui in omni pariter ingenij materia, non illa quidem chirurgica,ſed ea quæ mentis agitatione conſtant,ac indagine probari poſsint: quale Plutarchus Ciceronis ingenium fuiſſe perhibet.Spectantur rurſum ingenia in materia atque actione. Aliqui in nugis & rebus paruis ſunt miri, captioſi, cauillatores, argutuli:in magnis,& ſolidis nihil efficiunt:ut qui in iocis dicaculi ſunt, & promptæ dexteritatis,in ſerijs alios iam eſſe dicas: quod genus ſunt poetæ quidam epigrammatarij, & ſcurriles homines: de quibus uetus fertur dictum,Facilius ſcurram futurum diuitem, quàm bonum patrem familiæ. De hoc numero ſunt, quorum ingenium uolat per ſumma rerum,& minutias quaſdam diſpicit, quæ alios effugiunt: ad intima uerò & tanquam rei nucleum non penetrat: ſunt acuti quidem, ſed illorum acies acui eſt perſimilis, quæ capillum unum latum in quatuor aut quinque fibras diſcriminet, non ut acies gladij, quæ ſolidam rem & duram diſcindat: gladij uerò ſunt ſimiles,qui in iocis & leuiculis rebus nihil præſtant,in ſerijs & ſolidis magni,ue lut Demoſthenes. Cicero in utroque genere fuit admirabilis. Sunt qui perferre nequeunt res graues,non adeo ex natura, uti ex delicijs: ſicut Mileſii,& Sybaritæ. Sic in artibus ac diſciplinis ad alias facti ſunt quidam, & appoſiti, ad alias minimè idonei.Sequuntur quidam docentem expedite, ut ingenioſi, & modeſte de ſe ſentientes.Alij præcurrunt,& ex his ineptè nonnulli,tanquam qui coniecturis ducuntur futilibus,quas ipſi habent pro firmiſſimis: nonnulli dextere ac feliciter, ut cõiectores optimi: qualem fuiſſe ferunt Chryſippum, qui à præceptore nihil requirebat aliud, quàm dogmata,inuenturum ſe aiebat rationes quibus illa fulciret. Alienis inuentis bene utuntur quidam,ipſi nihil pariunt:quales ſunt dediti imitationi,quę uitioſa eſt, quum ibi ſiſtit: quanquam in pueris,ingenij ſignum eſſe Quintiliano credamus,utique quum bona exprimunt.Aliqui melius inueniunt ſua, quàm utuntur alienis: ut acuti quidem homines,cæterum qui intelligendis atque ſcrutandis alienis nolunt animum adiungere.Non deſunt, qui utrunque quum eſt opus,efficiunt, quos in primo bonorum genere Heſiodus poeta collocat: hi ſunt acuti homines, quiq; aliena ſtudioſe animaduertunt: in pleriſque horum exempla poſſumus ad intelligendum ex oculorum intuitu ſumere. Nam quemadmodum initiò admonui, nihil eſt quod perinde ingenij rationem ac uim repræſentet nobis,ut oculus.Mores quoq; uariant ingenia,multum enim in uim mentis conſtitutiones corporis efficiunt,ex quibus affectus naſcuntur.Sed morum duplex eſt ratio, nam uel à natura accipiũtur corporis, uel à conſuetudine.Affectiones animorum alij habent iritabiles, alij magis ſedatas: & in his omnes quaſi per uices dominantur,ac ſæuiunt,in illis aliquę tantum,in quibuſdam ad bonum proclíues,in quibuſdam ad malum.Sunt, in quibus affectus aliqui uniuerſi animi regnum uſque eo occupant, ut ad ſe pertrahant,quicquid in animum ſubit:ſicut ſtomachus uitiatus,quęcunque ingeras,in noxium humorem conuertit:

uertit:ita iſti uel ad ſuperbiam atque arrogantiam atque oſtentationem detorquent, quos ſub arbitris pudet diſcere. Sapienter Bion elationem aiebat eſſe impedimentum ad res magnas: uel reflectunt ad libidines & obſcœnam cupidinem, uel ad ſuſpiciones prauas, & ſiniſtras interpretationes. Nonnulli rectum habent ingenium aliquatenus, ſed de repente conſurgit ex tranſuerſo affectus, qui illi uelut manum iniiciat, & cogat de inſtituta uia flectere. Sunt quidam ſimplices, integri, recti: ſunt uafri, obliqui: ſunt qui perpetuo ſe occulunt, ſunt qui obiecta materia continuò ſeſe produnt. Apud quædam metus ſolus proficit, apud alia beneuolentia. Sunt ſana, ſobria, temperata. Sunt inſana, furioſa, & hæc uel habitu perpetuo, uel interuallis: ſunt mitia, ſunt acria & uehementia, nonnulla etiam impotentis naturę. Aliqua magnis & iuſtis de cauſis ſuſcipiunt animorum motus, qui nominantur uiriles: ſunt quæ exiguis aut nullis, ſed tenui aurula mutantur, pueriles homines ac leues. O admirandum autorem tantæ uarietatis: tu qui ſolus hæc finxiſti, ſolus noſti cauſas. Sunt quidem aliæ ingeniorũ differentiæ. Sed hæc in preſens ſufficiunt. Puero adhibenda eſt materia, ut ſe ingenium motu, atq; actione proferat. Nihil enim cuiuſmodi ſit naturę, iudicari quieſcens poteſt. Arithmeticam obiiciebat Pythagoras, quæ acumen exploraret: nihil æque mentis aciem patefacit, ut expedita computandi ratio: & ingenij tarditas, tarditate computationis arguitur, ut in noſtris fatuis uidemus: & ſocordiſſimam Scytharum gentem ſupra quatuor numerum reflectere. Ariſtoteles eſt autor, ut nos ſupra decem. Idcirco inter Græcos ſapientiæ ſectatores fuere, qui hominem ea cauſa uocatum eſſe λογικὸν ζῶον exiſtimarunt, quòd ſolus ſciret computare. Nam ut apud Latinos, ſic in Græco ſermone λόγος & ratio eſt, & computatio. Memoriam ſignum ingenij Quintilianus ponit: quæ duabus conſtat partibus, facile percipere, & fideliter continere: prius indubitatum eſt acuminis indicium, alterum capacitatis: ſequetur poſtea paulatim iudicium: itaq; iubebitur ediſcere, tum imitari, de quo ſuprà dixi. Exercebuntur luſionibus, id etiam acumen retegit, & mores naturæ potiſsimum inter æquales & ſui ſimiles, ubi nihil finget, ſed omnia exibunt naturalia: quippe concertatio omnis ingenium educit, ac oſtendit, haud ſecus quàm excalfactio herbæ, aut radicis, aut fructus odorem, uel uim naturæ. Mandabitur ei per luſum munus regendi, ac imperandi. Magiſtratus, ut inquit Bias, uirum oſtẽdet. Hiſpani haud abſurde dignitatem & luſum coticulas eſſe animorum, prouerbio dicunt. Alternis menſibus aut tertio quoque congregati magiſtri de ſuorum ingenijs deliberent, ac decernant, paterno affectu, & ſeuero iudicio: & unumquenq; eò mittant, ad quod aptus uidebitur. Incredibilis per totum hominum genus utilitas ſequetur, ſi id fiat. Nihil tum tractabitur praue ac ſiniſtre à coactis, & repugnantibus, de quibus conſilium eſt prudentis poetæ:

Tu nihil inuita dices facies ue Minerua.

Omnia uerò optimè, & admirabili felicitate exequuntur ij, qui ad ea nati ſunt, ac apoſiti. Nam quia ad opera minime congruentia inuita ingenia detrudimus, ſiniſtra ac detorta uidemus exire pleraque omnia. Non oportet oculum ad frequentiam ſcholarum adijcere: quanto præſtat parum habere ſalis ſapidi, quàm multum inſulſi? Quot philoſophi contenti fuerunt exiguo auditorio, & apud hoc de magnis & præclariſsimis rebus acutiſsime ac ſapiẽtiſſime diſſerebant? Dominus noſter quum Dei ſapientiam & ſalutem mundo traderet, duodecim uirorum cohorte acquieuit. Sed nimirum tolle ſuperbiam & quæſtum, quantumcunq; auditorium ſufficiet doctori: non nego quin ad dicendum frequentia incitetur animus: ſed aliud eſt dicere q̃ docere: & in dicẽdo neſcio quibus nos à gloria uideo ſtimulis pungi. Verũ de ingenio dubio aut etiã malo nõ eſt ilico deſperãdũ, nec nimis tamẽ fidendũ bono. Mutationis ingeniorũ ac morũ multa ſunt exẽpla & in ciuitate & in ſchola: ſed uitio uoluntatis noſtræ crebriores ſunt in deterius. Nec idẽ eſt ingeniũ non eſſe ſatis aptũ, & eſſe deploratũ. Sunt etiã nonnulla ingenia, quæ reiecta ad frugẽ aliquãdo poſt ſe recipiunt. Principio ex multis filijs deſtinet literis pater non unũquemlibet, ut ouũ captũ de cumulo ad aſſandũ, aut frigendũ: ſed ſua & amicorũ ſentẽtia maxime factũ ad

literas & eruditionem. Quidam quo nihil est magis ridiculum, ineptos mercaturæ, aut militiæ, aut alijs ciuilibus munijs ad scholas mittunt, atq; initiari iubent: quodq; est grande nefas. Deo sacrant fœtum despicatissimũ atq; inutilissimum: & putant ad res tantas satis habiturum iudicij ac mentis, qui ad minimas & leuissimas non habet. Destinato iam literis puero, ut pater de filio spem debet optimam concipere, ita præceptor de discipulo. Sed hoc erit discrimen, quod patris amor plerunq; est luscioſus, atq; etiam cæcus: præceptoris charitatẽ acutissimos habere oculos conuenit. Deductus ubi fuerit ad scholam, nullus erit deploratus adeo, ut eueſtigio expelli oporteat, quo minus conentur illum refingere in melius, si non ad literas, saltẽ ad mores. Omnibus initio statim fundamenta sunt tradenda pietatis nostræ, ut noscat se, quàm est infirmus, et pronitate naturę malus: ut nihil nec sit, nec potest, nec ualet, nisi ope Dei: illum implorandum crebro & bona fide: nec speret se quicquam omnino assecuturum absq; eius auxilio. Quanta sit cæcitas & fraus in animis uulgi iudicantis de bonis ac rerum æstimatione. Integræ opiniones in uacuum pectus instillandæ. Nos inimicos Dei reconciliatos illi esse per crucem filij eius. Deum ut potentem metuat, ut conscium uereatur, ut datorem ac beneficum amet. Nos ad hæc exponenda libellum conscripsimus, cui titulum fecimus de Introductione ad sapientiam: & præceptori facile erit eiusmodi flosculos ex philosophis & sacris autoribus tanquam è pratis uernantissimis in usum discipuli decerpere: faciat ut sæpenumero recordetur bellum esse hanc uitam perpetuum, sæuum, irrecõciliabile: affectus animi contra rationem accinctos semper ac paratos in acie stare, qui si uincant, acerbissima sequetur in homine pernicies: itaq; multa sunt subinde aduersus eos dicenda, multa facienda, ne cogant uires. Dici nõ potest, quot prauas affectiones pueri imprudẽtes hauriant, nihil existimantes inesse flagitij: at eas quum notiores iam conantur depellere, difficile admodum suscipiunt negotium: egerunt enim radices, & crebro suppullulant. Et quandoquidem assueta omnia sunt iucunda, quæ uecordia est, & quàm perdita dementia non assuescere optimis? præsertim pari in bonis & malis labore, sæpe etiam minore in rebus bonis: qui etsi sit maior, certè tanti est honestatis pretium, quæ petitur: & per assuefactionem benefacere ex usu in naturam uertit. Sciant pueri Deum esse præmium omnium rectefactorum, eiq; mentes & cogitatus nostros esse perspicuos: ut quantum per ætatem dabitur, consuescant nihil propter humanam mercedem agere, sed propter diuinam illam sempiternã. Post hæc uideatur, qui apti sint eruditioni, qui secus. Inepta sunt ingenia, hebetissima, absurda, præpostera. Mira dictu res, atq; adeo etiam misera ingenia humana in uilioribus artibus & abiectis, facilius ad frugem bonã euadere, quàm in liberalibus & præclaris. Nam in mercatura, in fabrili exercitio, uel textorio: denicq; in chirurgicis & sellularijs artibus pauciores uidemus operã ludere, quàm in studijs doctrinæ. Quid dicemus esse causæ? an quòd in humilioribus curis ingeniũ non tantopere infestatur ab affectu, qui grandibus, & pulchris demũ studijs repugnat, an quòd nõ perinde in leuibus & expositis laborat mens, atq; in recõditis ac excelsis: ut in illis per decliue uideatur deuolui, in his ardua scãdere. Quòd si percipiẽdæ eruditionis curã excusserit, tanquã soluta & uaga cõtinuo degenerat in uoluptates, & alios animi motus indecoros. Nec idonei sunt, qui uitijs naturæ tẽtantur: ut furiosus, aut demens: hi sui experimentũ haud ægre dabũt, mittendi ubi coerceantur metu & plagis. Corruptæ indolis puer, aut corruptor corrigendus antequam admisceatur puerorum consortio. Ingenia uel acie nimis delicata & tenui, sed non solida, uel captus angusti, meliora sunt non fatigata & obruta literis: sicut non est adhibendum scalpellum scindendo ligno, nec debilis oculus intento aspectu fatigandus. Sunt qui uno tempore literis non sunt apti, alio sunt, & uice uersa. Vafro atq; impostori aut omnia ad suspicionem prauitatis inuertenti satius est non commendari peritiam, quæ in illo foret instrumentum multorum scelerum. Quem natura pudet discere, non sempet est ineptus, sed parum discet: hic sæpe est de ignorantia conuincendus, & pudefaciendus, ut uelit doceri. Si ne sic quidem

dem retundatur arrogantia, mittendus est ad artes, quarum ignorantiam non queat occultare, & sit ei necessum uolenti nolenti discere: hoc audiente, superbia est crebro uelut res stultissima confutanda, & castiganda. Contemptores magistrorum procacissimi sunt, aptiores aratro, quàm libris, & agro ac syluis, quàm cœtui hominum. Quem tandem reuerebitur, qui magistrum non ueretur animi, uelut alterum parentem? Ludibundus puer reuocandus, non expellendus. Et cæteris ingeniorum modis & quasi formis alia alijs sunt disciplinis congruentia, uti pòst demonstrabimus, nullū certe erit quod inutile sit saltē linguis discendis. Hucusq; uelut parabatur puer sacris atq; initiationi literarum. Iam admittitur ad mysteria. Magistri erga discipulum affectus erit patris, amabit uere atq; ex animo tanquam suam fœturam: an uerò plus in homine gignit, qui corpus, quàm qui animum gignit? Tanto scilicet præceptor est parens uerior, quanto uerius ex homine est animus, quàm corpus: non enim ex corpore homines sumus, quod cum brutis habemus commune, sed ex mente angelis, & Deo simillima. Ea de causa Alexander Macedo plus se Aristoteli debere profitebatur, quàm Philippo: ab hoc se habere corpus, ab illo mētem. Apostolus Paulus quos ad pietatem adduxisset, genuisse se ait in Domino. Sed erit paternus hic amor non cæcus, uerum uidens, & quidē acute: ut omnia quę sunt in discipulo uel confirmanda, uel mutanda atq; emendanda circunspiciat. Pueri persuasum habeant, quæ sunt in scholis accepturi, cultum esse animi, id est patris nostri melioris ac immortalis: eum cultum à Deo esse humano generi maximo munere ac patria indulgentia traditum, nec ab alio dari potuisse, nempe rationem ac uiam, qua Deo placeant, & ad illum perueniant, in quo est extrema beatitudo: sic fiet ut eiusmodi cultum & ut sibi necessarium ament, & ut sacrum ac cœlitus missum reuerean tur, ac adorent, tum in scholas tanquam in templa uenerabundi introeant. Quocirca quantum præstari poterit, dabunt magistri operam, ne gymnasia sua uel uilescere sinant lusibus, uel contaminari flagitijs. Magistros non aliter amabunt, colent, suspicient, ac ministros munerum Dei, & genitores animorum. Amorem facile magistri conciliabunt commoditate morum, reuerentiam uerò utilitate præceptorum, & uita incorrupta. Credibile non est quantopere affectus hi institutoris ac discipuli ad rectè tum tradendam, tum percipiendam eruditionem ualeant. In præceptione artium multa experimenta colligemus, multorum usum obseruabimus, ut ex illis uniuersales fiant regulæ. De quibus experimentis si sint quæ cum norma non congruant, signanda est causa, cur id fiat: sin ea nesciatur, & pauca sint, quæ non quadrent, annotanda sunt: sin plura sint, quàm quæ congruant, aut pari numero non statuendum de eo dogma, sed id transmittendum admirationi posterorum, ut ex admiratione, sicut fieri consueuit, philosophia nascatur. Artes omnes, quæ ad aliquid uel agendum uel faciendum pertinent, optime ex illorum actionibus atque operibus colliguntur, qui natura, studio, usu fuerunt instructissimi, ex quibus natas esse artes declarauimus: qui egerunt quidem sine arte, sed maiore quadam naturæ ui instructi, aut diligentia & usu adiuti. Sic ex Marci Ciceronis usu ac Demosthenis præcepta rhetorices petuntur, ex Homero & Virgilio poesis. Sed ei qui de quaque arte commentatur, & præcepta formet, subinde est oculus ab experimentis & usu ad naturam ipsam reuocandus, ut exactissima tradat magis quàm consueta: quod idem Cicero in optimo oratore instruendo facturum se prefatur. Exemplar enim absolutum est in natura, quod tantum quisque exprimit, quantum ualet ingenio, aut diligentia: alij plus alijs, nemo plene ac perfecte. In præceptis artium, ordo est res ad docendum efficacissima, ut facilius auditores tum percipiant, tum retineant: ducuntur scilicet rebus ita dispositis, & dum posteriora quasi ex prioribus uidentur nasci, accipiuntur omnia pro certissimis. Sed quis sit ordo, & qua utendum in artibus oratione, in libris de dicendo exposuimus. At quando pietas est, quò referuntur omnia, meminerit magister, quicquid exhibeat, Christianum se esse, ut quod bonæ menti sit contrarium, auertat, tegat, & subinde aliquid dicat moribus conducibile. Poetæ medio opere fabulantur, etiam quum de serijs agunt, sicut Virgilius & Lucanus: ne

lectori excidat poetas esse illos: nobis uerò num nõ subinde succurret nos esse Christo adiuratos? Auctoritas sanctarum literarum magna cum maiestate in auditorum pectora imprimatur, ut quum ex eis aliquid audient, Deum ipsum præpotentem audire sese arbitrentur: illinc nonnulla delibabit magister, tanquam ad morbos remedia, quantum quidem uidebitur sufficere: in quo opus est iudicio, ne parum adhibeat conuenientia, néue illa quæ intelligentiam illius ætatis excedant. Quod si Plato, Aristoteles, Xenophon, Cicero, & alij philosophi ad cõfirmationem suæ sententiæ ex Homero & cæteris uatibus testimonia desumunt, quanto congruentius est nos ab oraculis Dei non testimonium solum, sed supremam autoritatem repetere, in qua falli non poterimus, quum ab infallibili sint sapientia profecta? Sed quamuis in tradenda arte perfectissima semper atq; absolutissima sint proponenda, in docendo tamen ea sunt ex arte præbenda auditoribus, quæ illorum ingenijs competant: artifex enim summa contemplari debet, & ea in canones deducere, contendat unusquisque assequi: præceptor uerò in schola auditorium suum debet spectare, non ut ab arte deflectat, aut falsa tradat pro ueris, sed ut congruentissima captui suorum: utrunque diuinum illum artificem ac magistrum præstitisse sacra Euangelij historia declarat.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE TRADENDIS DISCIPLINIS,
liber tertius.

PRIMA in homine peritia est loquendi: quæ statim ex ratione ac mente, tanquam ex fonte profluit. Idcirco bestiæ omnes sicut mente ita & sermone carent: est etiam sermo societatis humanæ instrumentum, neque enim aliter retegi posset animus tot inuolucris & tanta densitate corporis occultus. Ac quemadmodum mentem munere habemus Dei, sic etiam loqui naturale est nobis, hanc uerò linguam aut illam artis. Itaq; & domi à parentibus, & in schola à præceptore dãda est opera, ut patriam linguam pueri bene sonent, quantumq; ætas illa patitur, sint facundi. In quo magno erũt parẽtes adiumento, si ipsi uel in filiorum gratiam curent, ut sensa animi sui castis uerbis & integra atq; apta oratione expromant, hinc ut idẽ nutrices, & nutricij faciant, & ij inter quos agũt, ne perplexe, absurde, barbare loquantur: ne uitia oris habeant, quæ facile teneræ ætati adhęrescunt. Chrysippus ea de causa etiã doctas uolebat nutrices eligi. Magni interesse ait Cicero, quos quisq; audiat quotidie domi, quibuscũ loquatur à puero, quẽadmodũ patres, pædagogi, matres loquãtur. Non leue est hoc momẽtum ad eas linguas discẽdas, quæ parãtur arte: tum ad facile cogitatus animorum, & percipiẽdos alienos, & exponẽdos nostros. Sacrariũ est eruditionis lingua, & siue quid recondendũ est, siue promendũ uelut proma quædam conda. Et quando ærariũ est eruditionis, ac instrumentũ societatis hominũ, è re esset generis humani unã esse linguã, qua omnes nationes cõmuniter uterẽtur: si perfici hoc nõ posset, saltẽ qua gẽtes ac nationes plurimæ, certè qua nos Christiani initiati eisdẽ sacris, & ad cõmercia, & ad peritiã rerũ propagandã. Peccati enim pœna est, tot esse linguas: eam uerò ipsam linguam oporteret esse quum suauẽ, tum etiã doctam & facundã. Suauitas est in sono siue simpliciũ uerborũ ac separatorũ, siue coniunctorũ. Doctrina est in apta proprietate appellãdarũ rerum. Facundia, in uerborũ & formularum uarietate ac copia:

quæ

quæ omnia efficerẽt ut libẽter ea loquerẽtur homines, & aptissime possent explicare, quæ sentirẽt: multumq; per eam accresceret iudicij. Talis uidetur mihi Latina lingua ex ijs certè, quas homines usurpãt, quæq; nobis sunt cognita. Nã illa perfectissima esset omniũ, quorũ uerba rerũ naturas explanarẽt: qualẽ credibile est fuisse illam, qua Adã singulis rerũ nomina imposuit, hæc enim ueræ sunt rerũ appellationes, de quibus in sacro carmine legitur: Qui numerat multitudinẽ stellarũ, & omnib. illis nomina uocat, magnus Dominus, & magna uirtus eius, & sapiẽtiæ eius nõ est finis. Ad hãc sententiã pertinẽt Cratylus Platonis, quẽ Aristoteles tamen aliorsum detorquet in lib. de interpretatione: & hoc demũ inuentũ Pythagoras præter cętera eximie admiratur. Sed ad Latinã linguã reuertamur: ea quoniã diffusa est iam per cõplures nationes hominũ, tum artes penè omnes illius sunt literis mãdatæ, est etiã copiosa, quia exculta, & aucta multis scriptorũ ingenijs, sono insuper suaui, tũ grauitatis cuiusdam nõ ferinæ & agrestis, ut in alijs nõnullis, sed fortis & prudẽtis uiri in ciuitate bene instituta nati ac educati, nefas esset nõ coli eam, & cõseruari. Quæ si amitteretur, & magna confusio sequeretur disciplinarũ omniũ, & magnũ inter homines dissidium atq; auersio propter linguarũ ignorantiã. Quoniã quidem ut D. Augustinus inquit, mallet quisque cum cane suo uersari, quàm cum homine ignotæ linguæ. Ad dilatandam etiam pietatem utilissimum est homines mutuo intelligere. Vtinam Agareni & nos communem aliquam haberemus linguam: sperarem futurum breui, ut multi sese illorum ad nos reciperent. Hæc eadem fuit causa, cur Dominus Apostolis suis donum linguarum contulerit: fides enim (ut dicit Paulus) per auditũ, cui lingua inseruit. Quocirca uehementer cuperem ut in plerisq; nostris ciuitatibus gymnasia instituerẽtur linguarũ, non solum illarum trium, sed Arabicę, sed earum etiam, quę essent Agarenis populis uernaculæ, quas addiscerent non otiosi homines, ad gloriam inde captandam & plausum, sed ardentissimi zelo pietatis, parati uitam pro Christo impendere: ut eis instructi Christum illis gentibus annuntiarent, quæ paucissima ac nihil penè de illo audiuerunt. Expedit præterea linguam esse aliquam doctorum sacram, qua res arcanæ consignentur, quas à quibusuis non conuenit contrectari, ac polluí: & haud scio an conduceret secretiorẽ esse hanc ab illa communi. Quanquam in communi illa recessus sunt quidam per metaphoras, allusiones, ænigmata, & eiusmodi cõfirmationes dicẽdi imperitis aut tardis hominibus inaccesi. Quibus de causis & rationibus addiscendus est Latinus sermo, & quidem exacte, ne corrumpatur. Nam corruptus continuo desinet unus esse, singulæ regiones habebunt suum: quo fiet ut homines nec mutuo intelligant, neq; artes illas, quæ Latino sermone cõtinentur: quod cõtigisse ipsi uidimus. Huic linguæ dabit operã puer, dum alijs percipiendis rerum disciplinis non est per infirmitatem ingenij satis idoneus: nempe ab anno septimo ad quintumdecimum: sed id præceptor ex cuiusq; ingenio, & progressibus melius statuet. Si quis Latinę linguæ Græcam adiunxerit, ex ambabus multa reliquarum artium semina accipiet, ut iam à linguis illis ad nullam artium rudis prorsum & nouus ueniat: quippe ab ijs autoribus sermonem hauriet, in quibus non sola erunt uerba, sed nec esse possunt: multa enim inesse ex alijs disciplinis consperſa, est necessum: & eadem opera Græcam Latinamq; linguã cognoscet. Adde quòd Gręca est erudita admodũ, & locuples: & quemadmodũ Latina lingua alias potest copia sua instruere, ac iuuare, sic Græca tũ Latinã ipsam, tum alias quoq; auget, & adornat: estq; perfectioni Latinitatis necessaria, non secus quàm Latina Italicæ, aut Hispanæ: nec ullus absolutè fuit Latini sermonis peritus, nisi & Gręco imbutus: ex sermone enim Græco Latinus, ex Latino Italus, Hispanus, Gallus manarũt: quibus olim nationibus Latina lingua erat uernacula. Itaque usu deprehendimus Latinam linguã fœcundiorem ac facundiorem ex Græca fieri, ex Latina reliquas Europę, sed potissimum tres illas, quas modo nominaui: quas maxime expediret Latino sermoni assuescere, tum ut eum ipsum & per eum artes omnes probe intelligerent, tum ut sermonem suum patriũ ex illo uelut aqua copiosius ex fonte deriuata puriorẽ atq; opulentiorẽ redderẽt. Quid q; multa sunt Gręcis literis memoriæ mãdata in historia, natura

rerum, moribus priuatis & publicis, medicina, pietate, quæ de ipsis fontibus & facilius hauriuntur, & purius. Si quis propter uetus Testamentum Hebræam uelit cum his coniungere, nihil impedio, his legibus: Si satis putat fore temporis ad omnia, si se incorrupte eam accepturum confidit: nam audio multa esse à Iudæis in suis codicibus deprauata, partim consulto Christi odio, partim inertia, dum toties mutant sedes, nec uacat iustam operam in literis ponere. Certe si duos Hebræos de eodem loco consulas, raro consentient. Et Latinam linguam exacte uelim pernosci, hoc enim ad conuictum & ad artes omnes expedit. In Græca magni sunt labyrinthi, & uastissimi recessus, non solum in dialectis uarijs, sed in unaquaq; illarum. Attica & Atticæ proxima communis maxime sunt necessariæ, propterea quod & sunt facundissimæ atq; excultissimę, & quicquid Græci habent legi ac cognosci dignum, istis dialectis est consignatum: reliquis utuntur autores carminum, quos non tanti est intelligi, præsertim quum non in dialectis modo, sed in appellandis rebus & colore loquendi tantum sit inter orationem numeris solutam & astrictam discriminis, ut non uideatur esse eadem lingua: nec immerito Antonius Ciceronianus poetas ait, non ausum se attingere, tanquam aliena locutos lingua: tametsi ex Poetis quoq; optimi, & quos operæprecium sit legere, Attici sunt Euripides, Sophocles, Aristophanes, & quod Menandri est reliquum. Si quis tamen ingenio ac memoria sit prędituś, adiutus ætate ac otio, instructus diligentia ac studio, huic nihil uelim negatum: imò hunc tam felicíter paratum ad capessendum linguarum & artiũ omnium laborem impendiò exhortor. Si ad literas aliquis uel serior uenerit, uel occupatior, uel ingenio aut memoria defectus, huic Latinus sermo sufficerit. Nihil est enim ostentationi dandũ, quæ præclaros uirtutis fructus tanquã pestilenti afflatu corrũpit, sed usus ac necessitati. Nec mihi exemplũ quis adduxerit M. Catonis Censorij, quẽ ad Græcas literas natu iam grandem ueniisse tradunt: utiq; non ad elemẽta & prima exordia sermonis, sed ad lectionẽ autorũ: declarant hoc ea, quibus Cicero facit illum loquentem in dialogo de Senectute. Nam quum ex præcipuis Græcię scriptoribus sententias quasdam desumptas attulisset, quæ intelligere nõ poterat, nisi sermonis illius bene gnarus, subiungit: Græce studeo, ut his utar, quibus uidetis me nunc uti. In sermone qui ore totius populi teritur, nihil necessum est artem aut regulas formari, ex populo ipso promptius ac melius discetur: quanquam sunt nonnulla à doctioribus ex analogia obseruata, ut in Populo Romano, etiã tum quũ illi rerũ domino sermo hic Latinus uulgaris esset ac patrius. Sed in quocunq; alio ascititio qui iã nullius est gentis, omnino formulę sunt opus ne fallaris, neu loquaris uitiose. Nam quum sermo in hoc sit paratus à natura, ut intelligare, & uicissim intelligas, grammatica hoc præstabit, ut ea deuites uitia, per quę efficitur, ut nec te alij intelligãt, nec tu alios. Qui enim probe loquuntur Latine aut Græce, probe inter se intelligunt, contrà autem qui perperàm: ut barbarissans Hispanus barbarus est barbarissanti Germano, & hic uicissim illi. Ars grammatica ex notioribus, ut aliæ omnes, tradenda. Principio ostendenda uocalium simplicitas. Tum compositio consonantium, quæ ex uocali fit, & sono quodam incondito ac imperfecto, hinc syllabæ, postea consuefaciendus est puer expedite, ac suauiter appellare literas, atq; eas coniungere. Iam ruditer ex analogia significationũ monstrabis, quæ dicantur nomina propria, cõmunia, substantiæ, adiacẽtis: hinc uerba, participia, pronomina. His addetur confusa aliqua aduerbiorũ ratio, itidem aliarum partium orationis ex significationibus ut prius. Hic inflectat nomina, pòst uerbum unum, deinde alia uerba. Tum incipiet substantiuum & adiectiuum compingere, nomen & uerbum. Succedent inflexionum regulæ, postea generis, inde cõiugationum uerborũ. His omnibus rite perceptis, dabitur ei in manus libellus aliquis Latinus solutæ orationis, iucundus, facilis, sermonis tersi: cõdiscet initio illius ordinare uoces, ut uocatiuus sit primus, tum nominatiuus, hinc uerbum & alia, qui ordo nominatur: est enim is maximè naturalis, & simplex, quiq; præstat, ut confuse ac permiste enuntiata, facilius possint capi ad eum ordinem redacta: quod etsi minus pueriliter quàm magistri ludorũ triuialiũ, faciunt tamẽ Donatus, Seruius, & alij

& alĳ Græcorum ac Latinorum expoſitores. Poſt hæc quaſi delineamenta à capite rurſus danda exactius omnia & accuratius: in quo multum artis expreſſit Theodorus Gaza, Ariſtotelicam quandam præcipiendi rationem ſecutus. Itaq; plenius de octo orationis partibus dicetur: hinc exponetur ſyntaxis, adiungetur Latinus aliquis autor paulò difficilior, & ſolidior, qui linguam uberiorem poſſit atq; excultiorem reddere, nõ in ſingulis modo uerbis, ſed in coniunctione & compoſitione: poſtrema ſuccedet tractatio de proſodia, cui adiungetur enarratio poetæ alicuius. Cognitionem hanc artis doctam uolo eſſe, magis quàm anxiam & moleſtam: nocet enim ut regulas negligere, ita illis nimium inhærere, atq; affigi: tametſi tolerabilius eſt malum nimiæ diligentiæ. Studium Græcitatis Quintilianus iubet Latinis literis prę poni: ſed in pueris, quorum ſermo naturalis eſſet Latinus. At quando is iam nobis paratur doctrina, econtrario eſt agendum, ut cum Græcitatis rudimẽtis exactior Latinæ linguæ diſciplina procedat: ut ſi quis attentius inſpiciat, ſimiles prorſum comperiat eſſe meam & Quintiliani inſtituendi rationes. Nam pueris olim, quum primum ad ſcholam uenirent, multa erant iam in ſermone Latino domi cognita. Poſt hæc, grauiores Latinæ linguæ autores, annotatis tropis, ac ſchematis exponantur, & maiora iam pueri exercitia loquendo atq; ſcribendo obeant. Quibus incipiat aperiri philologia, id eſt cognitio aliqua rerum: nempe temporum, locorum, hiſtoriæ, fabulæ, prouerbiorum, ſententiarum, apophthegmatum, rei domeſticæ, rei ruſticæ: guſtus etiam quidam ciuilis ac publicæ, quæ omnia maximam illorum ingenĳs lucem inferent. Latina uolui prius imbibi, ut magis hæreant, quorũ magis indigemus: & ſonus ac ſermo uniuerſus, plane Latinus ſit, nõ græciſſans. Quod ſi hoc de lingua Græca dico Latinæ tantopere uicina, imò uerius matre, apparet profectò, quid exiſtimari uelim de Hebræa, quæ horrore illo ſoni, tum phraſi tota tam diſſona eſt ab harum utraq;. Circa hæc quæ grãmatici munus eſſe dixi diligentiã uelim adhiberi: deſidia enim artes omnes perdidit: dum modo ne ſtudium ſit immodicum, ut ingenia nugis obruat, melius alĳs rebus & cum maiore fructu uacatura: quod uideo etiã Fabio Quintiliano probari. Sed habeatur in ſtudio delectus, ut prima cura ſit circa uerborum ſignificatus, & loquendi formulas, proxima circa intelligentiam autorũ non tam in rebus, quàm in ſententia dicti: ut aſſueſcat puer illorum ſenſa eruere, quæ obſcure dicuntur ac perplexe: in quo exacuitur iudicium. Tertia, circa ſententias ſumptas de uita, quæ γνώμαι dicuntur Græce: tũ dicta præclara, & prouerbia: quarta circa hiſtorias: poſtrema & leuiſſima circa fabulas. Ludi literarĳ magiſter ab ĳs uitĳs erit alienus, quæ adferre ſecum ſolet artis Grammaticę lõgum exercitium. Nam quod in ludo inter pueros deſident ad ineptias & puerilitates, tanquam contagio pertrahuntur, grauitatem ac moderationem omnem amittunt. Et dum in uitia puerorũ coguntur animaduertere, quæ ſunt innumera, & ſubinde renaſcentia, nec ea ſtomachus uirilis poteſt cõcoquere, coguntur prope ſæuire, atq; efferari: & in illud ceu piſtrinum detruſi cõmuni ſenſu multũ minuũtur: unde magna in illorum uita & conſuetudine exiſtit difficultas morum atq; incommoditas. Feſtiue qui dixit, mirandum non eſſe Grammaticos ĳs eſſe moribus, quos à primo ſtatim Homeri uerſu trahant, μῆνιν ἄειδε θεά. Iam ut nemo in ſchola contradicit præceptori, induunt ſupercilium atq; arrogantiam, & iniquiſsime ferunt repugnare ſibi quenquam: itaq; in ſententia pertinaciſſime perſeuerant, ne quid decedat autoritati, ſi ceſſerint: nam corona, quæ ferè conſtat ex pueris, non pro bona cauſa pronuntiat, ſed pro inuicto. Quid, quòd ſe magnos ſperant fore laceſſendo, atq; mordendo omne hominum genus: uidelicet agitur res puerorum iudicio, aut certe uirorum puerilium, quibus ſatisfacere magiſter laborat, ut retineat frequentiam: at qui puerili ſunt ingenio, antiſophiſtam maledictis obrutum derident, & contemnunt, & inſequuntur ut canem fugientem reliqui: quaſi ea in illum cadant conuitia, in quemcunq; effunduntur. Ad hæc, ex regno illo & ſæuitia puerili minas illas & terricula, & maledicta ſcurrilia in colloquia & ſcripta transferunt: nebulo, tenebrio, ſceleroſus, error fuſte eluendus, monſtrum maioribus hoſtĳs expiandum, cerebrum in Anticyram mittendum: qui tanti & tam

atro-

atroces tumultus de ſyllabula praue ſcripta excitantur, aut de hiſtoriola aut fabella non uſquequaque narrata exacte, ut non immerito Auſonius dicat felicem grammaticum nec eſſe ullum, nec unquã fuiſſe. A quibus omnibus magno & accurato ſtudio prudens magiſter abſtinebit: aſſueſcet comitati, atq; humanitati: intererit colloquijs & congreſſibus hominum moderate ac commode: & quantum poterit à pedore illo ſeſe uendicabit, non diſceſſu corporis, ſed morum cultura diligenti. Præſtabit ſe incorruptum & ſanctum, affabilem diſcipulis ut patrem, non diſſolutum ut ſodalem. Eruditio eius erit ampla, accurata, diligẽs: pura in ijs, quæ diximus: modo eodem ordine, ut primas partes obtineant ſermonis uocabula, ſecundas intelligentia autorum, & ita deinceps: memoria uerborum ac rerum fœcunda & felix, quam uegetabit cura, & aſsiduitate ediſcendi. Magnam breui tẽpore in animos audientium eruditionem inſtillat præceptor, qui in illa uaſtitate ſcriptorum tanquam domi ſuæ uerſatur, non ut peregrinus ſingula magno labore ſcrutans, quo aliquid unũ inueniat, ſed ut dominus, qui quo quidq; loco ſit repoſitum nouit, paratumq; & ad manum habet, quum res poſcit: qua potiſsimum facultate Rhemnius Palæmon princeps grammaticorũ eſt habitus, & uehementiſſime ætati ſuæ placuit, quum alioqui multis eſſet flagitijs intolerabilis. Non tam nefas eſſe ducet aliquid ignorare in fabulis ac nugis, quod nõ modo in rerum naturam peccatũ non eſt, ſed nec in artẽ: cuius generis ſunt, quænam fuerit Æneæ mater uera? quæ Anchiſæ nutrix? quænam Penelope, ex qua Mercurius Panem procreauit? quod Achilli inter puellas nomen? & alia quibus Tiberius Cæſar grammaticos exercere erat ſolitus: de quibus otioſus ille Didymus in immenſo illo uoluminum ſuorum aceruo diſputauit. Imò uero ſicut in ciuitate aut domo bene conſtituta flagitium admittit magiſtratus uel paterfamiliâs, qui locum malo & inutili homini relinquit, quẽ poſſet occupare bonus: Sic delictum eſt, ſi in ingenio ineptijs illis locus tribuatur, in quo reponi poſſent alia profutura: male agitur cum literis, & peracerba crux ſtudioſo labori figitur, ſi hęc quoq; ex eruditione eſſe exiſtimentur: profectò miſeri ſunt grammatici, qui hęc exquirunt. Vrbane Virgilius, qui quum rogaretur, quid ſibi uellent illa ex tertia Ecloga:

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cœli ſpacium non amplius ulnas.

Crucem ſe eo loci grammaticis defixiſſe reſpondit. Vernaculam puerorum linguam exacte cognoſcet, ut commodius per hanc & facilius eruditas illas tradat. Quòd niſi in lingua patria aptis & propriſs ad eam rem de qua loquitur, utatur uerbis, fallet ſubinde pueros: isq; error adultos iam & grandes pertinaciter comitabitur. Quid quòd pueri nec ſuam ipſorum linguam ſatis intelligunt, niſi explicatiſsime ſingula dicantur. Teneat memoriam omnem uetuſtatis linguæ patriæ, & cognitionem non uerborum modo recentium, ſed priſcorum quoq;, & quæ iam exoleuerunt: ſitq; uelut præfectus quidam ærarij linguæ ſuæ: nam ni ita fiat, quum unaquæq; lingua mutationes crebras recipiat, libri ante centũ annos ſcripti non intelligerentur à poſteris. Qua de cauſa multa in duodecim tabulis M. Ciceronem, & magnos iuriſcõſultos fugiebant: multa etiam quotidie in linguis uulgaribus fiunt ignota. Habebit amplam & copioſam uerborum Latinorum ſupellectilem, ſed uere Latinorum, ut ab eo poſſint pueri tãquam ex fonte incorrupto haurire: ne cogat eos per ambages quæ uelint eloqui, aut quod eſt turpius atq; incommodius, digito indicare. Hæc quidem earum rerũ, quæ ſub ſenſus ueniunt, appellatio neceſſaria eſt inter ponendũ prima rudimenta: illud tamen prouectioribus utilius, ut aſſueſcant abſtruſos animi cogitatus ſcite expromere, in quo uno ſita eſt uniuerſa eloquentiæ uis. Enarratio habeat multum facilitatis & lucis. Initio uerbis uulgaribus, hinc paulatim Latinis, diſtincta pronuntiatione, & geſtu intelligentiam adiuuante, dummodo ne ad hiſtrionicum deueniat. Quæ loca ex autoribus uel ad exemplũ uel ad dicti ſui corroborationem adducet, curabit quantũ fieri poterit, ne ſola habeãt uerba, ſed & ſentẽtiolã quoq; aut rem aliquã ingenio uel uitę cõducibilẽ. Verborũ quũ ſignificat⁹ exponet, adferet de probatis autoribus dictũ: in quo potiſsimũ ſpectabit, ut uim uocis apertiſsime audito-

ribus

ribus declaret,tum si licuerit,ut aliquid habeat cognitione dignũ:quę si nõ inueniat, utetur,quibus dabitur:ipse nõnunquã,ut melius ob oculos rem subijciat, exẽplum de suo finget,quod deformatum erit in speciem uel sententiolæ,uel fabellę,aut historiæ,aut prouerbij succincte comprehensi. Historiam aut fabulã inter prælegendum non ordietur à capite, sed quantum auditoribus ad præsentis loci intelligentiam erit satis: quod si prius illam audierint,paucis summonere suffecerit:quærũtur tamen interdum amœna & dicenti,& audienti diuerticula,ut historia,uel fabula leuandi tę dij gratia fusius explicetur:quam in partem malim grammaticum peccare, quàm ieiunitate quadam: dum Stoico quodam more punctim res indicasse satis esse putat. Nomen uiri,si quod incidit,ex illis quos fama celebrauit,nẽpe uel bellicis laudibus, uel sapientia,& cognitione rerũ clari,uel etiã nobilitati fœdis facinoribus, ostẽdetur unde is natus,quibus parẽtibus,& aliqua ex eius laudibus attingentur pręcipua,uel ea certè,quæ maxime ad propositum faciant: eodem modo de probro atq; ignominia. Tempora exhibuerit iam insignibus notis distincta, ut mox dicã: tum facile cui notæ uicinior fuerit, de quo loquitur, indicabit:urbs,mons, fluuius, fons,quo loco situs,quantum à notabili loco distet,nempe ab Alpibus,à Pyrenæis, ab urbe Roma, Athenis,Rhodo,Hierosolymis,Nilo,Rheno,Eurípo,supero mari,aut infero:quẽ uirum insignem ædiderit,quid potissimum pariat:tum si quid ad memoriam notabile in eo contigerit. Animans,aut planta,aut lapis breuiter describendus, & aliquid de illius natura & uiribus summũ & ad cognoscendum pulcherrimum,annotandum si rarum sit,aut regioni nostræ ignotum,docendum ubi proueniat. Sententia quæ γνώμη dicitur,exemplo aliquo adiuuanda, aut alia sententia uel clariore illustranda, uel maioris autoritatis fulcienda. Si quid sit in ea prauum,ad normã pietatis nostræ corrigendum. Prouerbij origo,& sensus germanus quantum fieri poterit, eruẽdus:tum quis usus,simul dictum alicuius allegandum,qui appositissime uideatur attulisse,& maximè in loco. De re altioris disciplinæ facilia quædã delibabit,& captui suorum adolescentiũ consentanea,tantũ ut autori suo quomodocunq; satisfaciat:reliqua difficiliora,aut altiore repetenda principio ad ipsarum disciplinarum traditionem remittet. Cõsilium autoris exponet, quod Donatus facit, licet in eo nimius:tum obscura scriptoris dicta per alia eiusdem similia, sed paulò lucidiora declarabit:quòd si eiusdem non habet,certè alterius eiusdẽ ætatis,aut proximæ: ut ostẽdat eam fuisse uel autoris sui,uel illius seculi rationem loquendi, aut sentiendi. Ad quæ omnia exemplũ, meo quidem iudicio, ex Seruio Honorato potest sumi: non disputo de ueritate dictorum eius, exponendi artem & uiam in primis probo: eamq; pro lege instituendi propositam uelim esse ludimagistro: tametsi copiosiorem hunc esse & prolixiorem in enarrando conuenit,quàm fuit in scribendo Seruius: minutiora quoq; in auditorio cõsectanda, quàm in libro cõponendo. Meminerit aptissimæ imaginis,quam de puerili ingenio Quintilianus expresit,esse ea uelut uascula angusti oris,quæ superfusam humoris copiã respuant,sensim instillatã recipiant. Itaq; initio pauca & facilia obijciet,mox consuefaciet pluribus,maioribus,solidis. Inter exordia subinde interroget, & eorum quæ audierint rationem reposcat. Nam magnopere expedit ea memoriæ affigi. Audiet puer attentus,& intueatur in præceptorem, nisi quum inspiciendus erit liber,aut scribendũ. Norit sensum disciplinæ esse auditũ,quæ animantes eo careãt,disciplinæ capaces nõ esse:nihil esse uel promptius quàm multa audire,uel fructuosius. Quæcunq; à doctore acceperit,credat esse mera oracula: & quia omnibus suis numeris existimabit esse consummata & plena, uelit se multo huiusmodi artificis esse simillimũ. Platonis discipuli curuũ eius dorsum referebant, Aristotelis balbutiem:quòd ea etiã pulchra & imitãda ducerent,quia magistrorum. Equidem imitationem uitiorum non probo. Sed malo ut uel uitia exprimant, modo cum uirtutibus,quàm ut ne uirtutes quidẽ. Discet rectè scribere, & celeriter: recte scriptionis iaciuntur fundamenta,quum docẽtur legere:ut quæ literæ,quæ syllabæ, quas uoces siue separatæ,siue cõiunctæ reddant, probe atq; ad manum teneãt:& persuadeãt sibi quod reuera est,nihil ad amplissimam eruditionem perinde conferre, ut & multa & mul-

multum ſcríbere, multum atramenti,& chartæ perdere.Itaque unuſquiſque puerorum habebit librum chartæ uacuum in partes aliquot diuiſum ad ea accipiẽda, quæ ex ore præceptoris cadent,utiq; nõ uiliora,quàm gẽmæ. In parte una reponet uerba ſeparata,& ſingula.In altera proprietates loquendi atq; idiomata ſermonis, uel uſus quotidiani,uel rara,uel non omnibus nota,atque expoſita. In alia parte hiſtorias. In alia fabulas. In alia dicta,& ſententias graues. In alia ſalſas & argutas.In alia prouerbia. In alia uiros famoſos ac nobiles.In alia urbes inſignes.In alia animantes, ſtirpes, gẽmas peregrinas.In alia locos autorum difficiles explicatos. In alia, dubia nondum ſoluta.Hæc initio ſimplicia ac uelut nuda,aliquãto pòſt cõueſtiet ac ornabit:habebit maiorẽ codicẽ, eodẽ referet tum quæ à præceptore acceperit copioſius dicta & fuſius,tum quæ ipſe ſua opera apud magnos ſcriptores legerit, uel ex alijs dicta obſeruarit:& quẽadmodũ in hoc ſuo ueluti calendario ſedes & nidos habet quoſdam, ita ſi uelit ſingulorum nidorum notas pinget ſibi, quibus ea diſtinguet in ſcriptoribus, quæ in quenq; eſt locum relaturus.Prima ætate exerceatur memoria, quæ excolendo augetur:multa ei cõmendentur cum cura,& ſæpe.Nam illa ætas laborẽ non ſentit, quia non expendit:ita extra laborẽ omnem ac negotiũ dilatatur memoria,& fit capacíſſima: tum rudimentis imbuuntur tenera ingenia, quæ rudimenta quũ ſint faſtidij pleniſsima,retineri tamẽ è re eſt,& imprimi animis: ergo quod uiris operę cẽſoribus eſſet ſubacerbum, pueríli ætati eſt etiã ſæpenumero ſuaue: quare tunc ſunt tradenda,à quibus uiri abhorrerent. Memoria duabus conſtat partibus, celeriter comprehendere,& fideliter cõtinere:celeriter comprehendimus,quæ intelligimus:continemus,quę attente & crebro memoriæ mandauimus.Vtrunq; ordine adiuuatur,etiam ad ea quæ elapſa iam ſunt reuocanda: in quo eſt illa recordatio, qua beluæ dicuntur carere. Quæ fuerint memoriæ credenda, in ſilentio alieno mandentur, noſtro nihil eſt neceſſe:nam non raro tenacius infiguntur,quæ altius legimus:quemadmodũ audita de alijs melius retinemus,quàm à nobiſmetipſis lecta:& in altiore lectione duobus ſenſibus patefacimus ingreſſum ad animum, intuitu & auditu. Quòd ſi cogitatio incipit digredi paruo murmure & reuocanda eſt prior,& quæ interpellat, excludẽda.Ac quemadmodũ cibus paulò ante ſumptus magis grauat ſtomachum, quàm auget uires, donec concoctus in uenas & corpus digeritur: ita lectio cõtinuo poſtquam eſt audita,parũ prodeſt quoad incipiat quaſi in uentriculo cõfici. Quę ſub ſonum ediſces,ea tibi de mane repręſentabũtur à memoria lõge promptius,quàm alio tempore: dum ne cubitum concedas uel crapula obrutus & nimio cibo grauis, uel inedia abſumptus & exhauſtus. Vtiliſsimum eſt quæ memoria contineri cupimus, ea ſcríbere,neq; enim aliter infiguntur ſtilo in pectus,quàm in chartam: uidelícet attentio in eo,quod ipſi ſcribimus, diutius immoratur. Itaque magis ſuppetit tempus, ut illud adhæreſcat. Quæ pueri de præceptore audiuerint, reddent primum uel condiſcipulorum alicui prouectiori,uel hypodidaſcalo,poſtmodum præceptori ipſi:ne magiſtri uerecundia rudes ac infirmos confundat. Et à primo ſatis erit ad uerbũ reddere:aliquanto pòſt cõferent ſimilia nominibus & uerbis,quæ didicerint. Iubebuntur proferre, quid putent ſe ex præceptoris dictis annotaſſe, quod in uſum ſuum uertant. Tum idem alijs uerbis mutabunt,& adferre paria tentabunt. Doctiores condiſcipuli eadem quę à præceptore ſint audita,indoctioribus repetẽt, ac familiarius explanabũt,ut & exerceãtur doctiores,& indoctiores excitentur: facilius uidelicet attollunt ſe pueri ad intelligentiam æqualium,quàm magiſtri: quippe parua & tenera citius apprehendunt,quo inuitantur:proxima, quàm excelſa: quod in arboribus uidemus contingere. Loquentur primum ſua lingua, quæ illis domi eſt nata, in qua ſi quid peccent, emendabit præceptor: dehinc paulatim Latine: admiſcebunt ea quæ de præceptore hauſerint, uel ipſi legerint: ut inter primordia miſtus ſit ſermo in ſchola ex patrio & Latino: foris patrium loquentur, ne omnino conſueſcant linguas commiſcere,ac perturbare.Curabit inſtitutor, quantum præſtare poterit, ut pura ſint uerba,& ſermonis Latini propria.In hoc ut omni alio exercitio admonendi ſunt tyrones,ut fidant magis canonibus,quàm uſui uel iudicio ſuo,quę duo rudibus

ſunt

sunt infirma,& facile imponunt.Sensim accrescet eruditio,tum erunt prorsum Latini. Conabuntur sensa animi Latinis uerbis exprimere:nihil est enim quod æque ad percipiendam linguam ualet,ut usus. Quòd si quis loqui erubescat, huic linguæ est facundia desperanda. Qui post annum quàm inceperit instituí, Latine recusabit loqui,multetur pro ætatis ac conditionis ratione.Lapsus in re difficili,corrigatur,data uenia,modo proficiat emendatio,in re autem facili puniatur.Nauabit operam,ut effingat uerbis ac sermone tum præceptorẽ ipsum,tum autores eruditos,quos ei præceptor indicabit. Viros quoq; doctos eiusdem magistri approbatione.Nam cum ijs qui corrupte loquuntur,consultius est ea lingua sermocinari,ad quam nõ possit transire contagium.Et quandoquidem sermo est, hominibus ut mutuo inter sese intelligant tributus,facilem esse eum ac dilucidum conuenit,ne interprete sit opus:claritas uero ex sermone ipso considerabitur, non ex audiente:qui si sit linguæ ignarus,neq; nos dicentes assequatur,non protinus obscure erimus locuti: imò uero aperte ac facile, si & uerba usurpemus usu bene loquentium trita, & compositio sit dilucida,id est,naturali quodã ordine disposita. Quocirca uitanda penitus uerba uetustate desueta,dure translata,& longe,nouiter conficta poetica,potissimum in Græcis,transposita, & traducta quò non oportet, seriem in longum dilatam. In sermone Græco, quandoquidem eum sumimus tantum ad cognoscendos autores, non perinde erimus de loquendo solliciti,ut de intelligendo. Si cui uerò tantum uacat, & per ingenium licet,assuescat eloquendi etiam facultati.Animaduertenda sunt in pueris oris uitia, ut corrigantur: uelut quum uox est nimium gracilis, & tenuis literæ explicatio: quo uitio qui sunt affecti, ἰσχνοβίται nominantur:contrarium huic πλατισμὸς, quum pinguis est sonus,& appellatio literarum crassior: quod in Sulpitio & Cotta Lucius Crassus apud Ciceronem notauit.Si uerba ex gutture tanquã recondita depromant, ut Arabes & Hebręi,dicuntur λαρυγγίζειν:quum in recessu oris uox auditur,est cœlostomia. Aristoteles tria facit uitiose loquentium genera : ἰσχνοφώνους, qui literam aliquam certam exprimere non ualent, quos Latinus sermo blæsos nominat. ψελλοὺς, qui in pronuntiando literam prætereũt,seu syllabam,quos balbos,quibus Cicero disertos opponit ad Papyrium Pętum.τραυλοὺς,qui hæsitantes appellantur.ὀρθοέπειαν est recta oratio,& uitijs carens pronuntiatio.Lãbdacismus fit & Iotacismus, quum literæ illæ ultra iustum decorem exprimuntur. Sunt literæ quibusdam nationibus peculiares. Vt p literam Erethrienses crebro inculcabant, & Germani sibilum sigmatis. Quæ uitia sunt ex consuetudine,tolli queunt:quæ ex natura,corrigi possunt,tolli nõ possunt.Sed certè licet usq; eo caute occultare,ne fœde existant. Videndum ne pueri spiritum per raritatem dentiũ non recipiant,sed resorbeant,neu præcipitanter consuescant loqui: neq; institutor ipse exemplo illis sit ad celeritatem sermõnis rapidã, ac uolubilem.Sunt enim ludimagistri quidam,qui se pro absolutis grammaticis habitum iri sperent, si cursu quodam citatissimo uerba non proferant, sed effundant: quæ res magnam imprudentiam parit in uita, & plerunque summum dedecus: non enim potest mens uolanti linguæ sensorum copiam necessariam suggerere,ita cogitur uel tacere turpiter,uel absurda & stulta effutire:quòd si hæreat,nihil est deformius,quàm in cursu illo mora,& difficultas ei,cui omnia uidebantur esse plana, seu prona potius. Satius est ut tarditate, quàm celeritate in loquendo peccetur : in tarditate licet sæpe,quæ dicturus es præmeditari,in celeritate uix raro. Est tamẽ quiddam inter ea medium,quod consultissimum fuerit tenere:& expeditam quidem uolubilẽq; loquendi rationem,etiam interim inconsideratam,ut non improbarim in puero tanquam uirorem ætatis,ita quum incipiet adolescere,mitigabo, & reprimam, ne incogitata uerba & in labris nascentia consuescat funditare. Scribendi exercitatio plurimum confert:stilus inquit Cicero,magister & effector dicendi optimus. Ergo postquam syntaxin didicerint,reddent uulgares orationes in Latinum,& has uicissim in uulgarem sermonem:sed eas perbreues, quibus addetur aliquid quotidie. Idem fiet in Græco : quanquam in his malim ut ex Græcis ad nos discant, quàm à nobis illuc traducere.Ad uertendum probe,uim linguæ utriusq; necesse est ut interpres teneat:

exercitatiorem tamen esse in ea oportet, ad quam transfundit. Sed nec integre uerba possunt transferri, quorum omnino ignoretur sensus: parum conuenienter Aristotelis uolumina, qui philosophus non sit interpretabitur, nec Galeni qui non medicus. Exercebuntur itidem sententijs magnorum autorũ difficilibus explanandis, intentione ad eam rem uehementer est opus, ideoq; excitatur, atque acuitur ingenium, & iudicium fit uegetius. Mira dictu res, esse nonnullos qui quod loqui sciant, idem ipsum scriptum si legant, non intelligent: quod accidit, uti ego quidem autumo, quia uagus animus ac sparsus satis habet ad loquendum intentionis, non satis ad intelligendum scripta: seipsum enim recolligere & quasi cogere non sustinet. Accedet exercitamentis collatio scriptorum cum formulis, in quibus congruant, in quibus dissideant: nam uastus usus non potuit in regularum alueum cunctos corriuare. Scribent epistolam facilem, aut fabellam: dilatabunt exemplum, apophthegma, sententiolam, prouerbium: soluent & diffundent carmen numeris astrictum, atque eadem efferent absque numeris: qua in re exercitauisse nonnunquam seipsum Crassus apud Ciceronem testatur: idq; Laurẽtius Valla & Raphaël Volaterranus fecerunt, Homerum uertendo. Quod tanquã puerile tyrocinium probo, tanquam interpretationem iustam tanti autoris non probo: prẽsertim quòd eo traductionis genere, maxima gratiæ pars præclarissimo operi detrahitur. Scribet in principijs pauca, accurate tamen, deinceps plura: compositio enim ab anxio labore non uenit, sed usu potius atque exercitatione attenta & diligenti, ne initio subtilia nos effugiant, quæq; ad rem maxime faciant, quum non credamus. Conseruabunt quæ prioribus mensibus scripserint, ut sequentibus comparent, & profectum deprehendant, eaq; insistant, qua se profecisse intelligent. Non est statim puero ad scholam deducto disputandum: nam quid tandem dicet rudis omnium? sed tacitus rationem scholæ consideret, seduloq; contempletur singula: postmodum incipiet aliquid ab alijs condiscipulis scisciari magis, quàm altercari, aut inquirere: hoc Pythagoras Samius reputans, annos aliquot iubebat puerum suum tacere, ne leuibus se quæstiunculis iactare consuescerent. Concertatiunculæ postquam fuerint concessæ, erunt initio crebriores, & de ijs quæ audierint. Æmulatio enim illa commouet pueriles animos, nec sinit otio obtorpescere. Idcirco Dominus tanquam pueros Iudæos prouocat, ut de regno cœlesti cum gentibus contendant, sicut est in epistola Pauli ad Romanos. Ergo pueri laude & præmiolis, quæ illa ætas capit, tum reprehensione, & obiectu æqualis melius dicentis sunt extimulandi: prouidebitur tamen, ne res longe in odia & rixas abeat: certabunt contente, sed citra acerbitatem: paulatim hi conflictus in studiorum collationem uertentur, & motus illi puerilium animorum sensim ponẽt. Quandoquidem consultius est adolescentes nihil scire, quàm ambitionis & superbiæ mancipia fieri. Nemo nisi expertus, credat facile, qui & quàm sæui ac importuni affectus ab adolescentibus alantur insciijs, tanquam uipera in sinu. Et puerili quidem ætati præmiola, laudesq; tanquam lusus permittuntur, quæ adolescentibus nugas esse pueriles demonstretur, haud secus quàm nuces, aut equos arundineos, uel ligneos, ut erubescant ipsi eadem expetere, qui iam pueritiæ nomen exuerunt. Præceptoris sententia atq; usus multum proficient, ut illa uelint contemnere: nam quum ipse in ea inuehetur sæpe dictis grauibus, & ostendet esse ridicula, tum uero uita sua, quæ dixerit confirmabit. Quæ porrò inter se conferent grandiusculi, hæc erunt ferè. Quàm conueniat canonibus cum usu, de autorum obscure ac intricate dictis, de explanatione sententiæ, prouerbij, apophthegmatis, fabulæ, historiæ, parabolæ: quę origo illorum, quæ mens, quæ accommodatio: de nomine uiri, urbis, montis, fluuij, fontis, prouinciæ, animantis, stirpis, lapidis, metalli: de ui uocabuli, & eius originatione: de prosodia eius, & orthographia, de loquendi formula, de structura, de lege carminis: omnia hæc quantum ætas illa feret, & studiorum ratio. Et quando homo à natura nihil est edoctus, omnia ei sunt doctrina, labore, usu, diligentia excudẽda: fallitur sæpe, & in diuersum abit, quàm oportet: itaque correctio est omni tempore, omni ætate necessaria: nec debemus sinere, ut aliquid adhęreat uitij, atque inua-

que inualeſcat. Sunt tamen nonnulla, quæ nondum capiet, ea in aliud tempus magiſter differat, præmonitis tamen diſcipulis, non ideo approbari, quæ faciant, quòd non reprehendantur, id enim condonari illorum infirmitati. Venturũ tempus, quo opportunius patefaciat, cur diſpliceant. Nec deſunt quæ ad præſens in pueris probemus, in uiris iam & confirmatis reprobãda. Sed in percipienda eruditione aliquid forte expediat diſſimulari, nec cenſeat culpam eis omnem præſtandam, mores certè omni uitio immunes eſſe conuenit: non ut in ætate illa omnibus ſuis numeris abſoluti ſint, ſed ne praui certè, atque ſtatim initio corrupti. Meminerit prudens inſtitutor, quantum inter exordientem, procedentem, & abſolutũ interſit: non id eſſe à puero incipiente requirendum, quod à iuuene longe in diſciplinis, & formatione morũ progreſſo: nihil adeo eſſe præpoſterum, ut fructum iam tum maturũ exigere, quum arbores germinare primo uere incipiunt: ne iraſcatur, & ſuccenſeat pueris, ſi non eadem præſtent, quæ iuuenes diu inſtituti, atque etiam interdũ, ſi Deo placet, idem ipſe: quo quum nihil ſit aliud dementius, non deſunt tamen præceptores, qui id atrocibus minis, qui plagis & uerberibus à puerulis efflagitent, ipſi uerberari digniores. Seruet in cenſura modum, ne uel ſe demittat, uel illos efferat: non franget acerbitate uerborum animos, nec ſeueritate confundet. Inter operis alicuius exordia, puta quũ aliquid incipient Latine effari: aut ſtylum mouere, conniuendum eſt ad errata quædam, quæ ſpes ſit paulatim poſſe emendari: etiam laudibus atque approbatione tanquam ſubdito calcari excitandi ad curſum, ne ſi noui ſtatim ac teneri irriſione præceptoris, aut ſodalium pudefiant, deſpondeant animos, priuſquàm periclitentur uires: nihil enim audebũt aggredi retardati eo metu, ne alijs riſum de ſe præbeant. Proiectiores nonnunquam de eo laudandi, quod inſtitutor præfertur, fore, ut quandoque diſpliceat. Atque id temperamentum in emendando ac corrigendo ſeruabit, ut etiam ſi nonnulla parum exacta tranſmittat tacitus, nihil tamen affirmet ita eſſe, quæ à diſcipulis ipſis ſecus habere poſſit deprehendi: magnopere id autoritatis pondus eleuat. At uero quoniam hominis ingenium ab incitatis animi morbis ad peiora deprimitur, coercendus eſt inconſultus ille motus, & compeſcendus reprehendendo, caſtigando uerbis, & quum opus eſt, uerberibus: ut beluarum more reuocet eum dolor, cui ratio non eſt ſatis: tametſi liberalem hanc caſtigationem, quantum fieri poſſit, eſſe malim, non aſperam, aut ſeruilem: niſi eiuſmodi ſit ingenium, ut officij ſui plagis ſit tanquam mancipium admonendum. Pueris, & ijs qui puerili ſunt natura, non admodum ſeſe magiſter familiarem præbebit: de quibus illud eſt in comœdia: Nimia familiaritas contemptum parit. Erit ergo grauis ſine acerbitate, & mitis ſine diſſolutione: non minabitur, niſi quum res flagitabit: nec conuitia ingeret in pueros, unde illis prompta ad maledicendum facultas atque exercitatio: poſt minas, niſi puer obtemperarit, uapulet, ſic tamen ut tenerum adhuc corpuſculum acriter in preſens doleat, nihil deinceps ſentiat incommodi. Nullo modo ita ſe gerat, ut aſſuefaciat pueros minas aut reprehenſiones ſuas contemnere: quas uelim ne extra tempus conſumat, reſeruet ſemper opportunitati, quæ rebus omnibus gratiam & pretium conciliat. Tum ne uelut callum obducant uerberibus. Grandiuſculi coërcendi quidem rarius plagis, interdum tamen. Plerunque uerò metu ac reuerentia præceptoris, & grauium uirorum de Academia, qui uelut teſtes adſunt, atque ſpectatores uirtutis aut uitiorum uniuſcuiuſque. Hinc reſpectu patris & propinquorum. Indicandum quanta ſit in ſtudijs dulcedo, quæ uoluptates, quàm ſolidæ, quàm perpetuæ, quàm diuturnæ, quibus nullæ omnino ualeant comparari: præterfluere reliquas omneis, & eſſe dilutiſſimas præ his: quod ſit etiam uiaticum ſenectutis rerum peritia: quantum ad uniuerſam uitam præſidium, ſiue ornamentum quæratur rebus lætis, ſiue ſolatium afflictis: contrà quæ tenebræ, & quę mala tam pernicioſa ex ignorantia naſcuntur: quas omnes ad res non poterit cuilibet non ampliſſima ſuppetere exemplorum copia. Subinde admonendi, ut quæ de moribus audiunt, ne ita accipiant, ut hiſtoriolam quampiam, quam ſatis eſt audiuiſſe: hunc eſſe animorũ pa-

ſtum ſaluberrimum, concoqui & digeri oportere, & in animi ſubſtantiam conuerti: quod ni fiat, ut cibum in corpore, ita res morales animo officere. Veniat illis crebrò in mentem præſidentis mundo Dei, nos omnes uenturos per mortem ad eius tribunal, cui nemo excipitur: mortem ex æquo inſtare omnibus, minari omnibus, ubique præſto eſſe, ac impendere: eodē momento adoleſcentes & ſenes efferri. Habebit præceptor communes aliquot locos breues, & maximè efficaces aduerſus ſingula uitia, quîs illa ætas infeſtatur, quam inſtituendam ac formandam recepit, ut adducat uitiū uel in odium, uel in contemptum. Sed quatenus & animorum & corporum noſtrorum uires non ſolum finitæ ſunt, uerum imbecillæ admodum ac tenues, concedēdæ ſunt illis quædam refectiones ac reparationes, ut diutius labori ſufficiant: alioqui exiguo tempore exhauſtę, nihil deinceps ualerent. Exercitamēta corporum crebra ſint in pueris, nā ætas illa incrementis indiget, ac confirmatione roboris. idcirco nec premendi ſunt nimium, nec ad opus urgendi, ſed permittenda laxamenta intentionis, ne ſtudia odiſſe incipiat, priuſquam amare: ſic tamen ut ne ad ſpurcas uoluptates delabatur, unde ſtudia ipſa infeſtius oderit. Mirę libertatis eſt humanū ingeniū: exerceri ſe patitur, cogi non patitur: multa ab eo facile impetres, pauca & infeliciter extorqueas. Luſus ſint, qui honeſtatem habeant cum iucunditate coniuncta, quales ſunt pila, globus, curſus. Si Cicero ciui ſuo honeſtos ac moderatos luſus prędſcribit, quanto magis philoſopho à nobis præſcribi par eſt: omnia fiant ſub oculis ſeniorum aliquot, qui illis ſint uenerabiles. His luſionibus hoc fini dabitur opera, ut corpus uegetetur, non ut ferociat. Valetudinis ratio uniuerſa eò pertineat, ut ualeat mens, & ſit, quod ille potiſſimum à diis precabatur, mēs ſana in corpore ſano: tum ut reficiatur, & recreetur animus, quo ferendo ſit oneri quotidiani negotij. Latine inter ludendum loquentur, ſtatuta illi pœna ex ratiōe ludi, qui patrio ſermone erit uſus. Latine facile loquentur, ac proinde libētius, ſi omnino quæ ludendo ſint dicēda, explicata habeant à prędceptore bonis & proprijs uerbis: inuiti enim eloquimur, quæ nos improprie aut inepte dicturos metuimus. At quum tempus exercere corpus non ſinet, aut quibus uel nō licebit, uel non libebit, magno oblectamēto erunt ſermocinationes feſtiuę & ſuaues: cuiuſmodi ſint fabellæ, aut hiſtoriolæ, aut eiuſmodi narrationes iucundę, lepidę, argutæ, facetæ: eodem referuntur dicta uel fuſe urbana, uel breuiter ſalſa & ridicula. Permittendus interdum quoq; luſus foliorum longiuſculus, qui ingenium & iudicium, & memoriam exerceat, quemadmodum etiam latrunculorū, & acierum. Habebunt porticus uel laxa atria, quibus ſe reficiant pluuio tempore. Prima ratio erit ingenij ac memorię, quæ nimia curatiōe corporis opprimitur. Sapiēter quiſquis dixit, Magna cura corporis, magna eſt animi incuria. Sic tamen ne corpus neglectum, ſquallore obducatur, ac ſordibus, quo nihil ſit ualetudini atq; ingenio inimicius. Victus ratio & ad mentis acumen, & uigorem memoriæ plurimum in omnem partem cōfert, ut moderata ſit, ut idoneis temporibus, ut congruens temperandæ cuiuſq; inſtitutioni, ne noxius aliquis humor radices agat in corpore: exucci humectantibus utantur, pituitioſi calidis & arefacientibus: melancholici contrarijs naturæ illi, quę extenuent ſpiritus ac hilariores reddant, quibus uinum paulò concedatur largius, quemadmodum Sapiens Hebræus conſulit, dandum uinum mœſtis: biliioſi refrigerabuntur, & tenuiſsimis ſpiritibus erunt craſſiuſcula tum ad ualetudinem ſalutaria, tum etiam ad cohibendam iudicij uim, ne ſubitò in præceps feratur: quo uitio multum infeſtantur ſubtilia nimium ingenia. Adoleſcentes ne ſubducant ſe, nam uel potabunt, uel magnas ſponſiones ludent, uel ſcortabuntur, ut cuiuſq; erit ingenij procliuitas. Hactenus linguarū inſtitutio. Arbitror iam à me expectari, ut quibus ex fontibus hauriendam eruditionem hāc exiſtimem, aperiam: faciam equidem pro uirili portione mea. Sed de autoribus tamen in uniuerſum quædam ſunt mihi præfanda. Scriptores non ſunt omnes eadem metiendi regula. Sunt, qui in tradēdis ſuis ordinem quendā ſunt ſecuti, & methodū breuem ac dilucidam, atq; ad percipiendum facilem: hi ſunt non modo relegendi, ſed ediſcendi quoq; ad uerbum. Alij exacte quidem perſecuti ſunt

ſuſceptum

ſuſceptum argumentum, ſed uel fuſius tamen, uel perplexius quàm expediat addiſcenti: hic relegendus eſt quidem, non tamẽ perinde ut prior uerſandus, & terendus manibus. Alios ſuffecerit legiſſe. Sunt quos nihil neceſſe ſit legi, ſed in bibliotheca tantum ſeruari ad conſilium, quum uſus poſcat. Ante omnia arcendus puer ab autore, qui uitium poteſt fouere, ac nutrire, quo is laboret: ut libidinoſus ab Ouidio: ſcurrilis à Martiale: maledicus & ſubſannator à Luciano. Pronus ad impietatem à Lucretio, & pleriſque philoſophorum, Epicureis potiſſimum. Glorioſulo non multum conferet Cicero, niſi oſtendas, uel quo pacto poſsit quis ſemetipſum citra odium laudare, uel quemadmodum ne in maximis quidem uiris & omni penè laude maioribus gloriationem feramus. Veniat iam ad lectionem gentilium, tanquam in agros uenenis infames præmunitus antidoto, per pietatem homines iungi Deo: eam eſſe à Deo traditam, quæ homines excogitarint, plena eſſe erroribus: quæ contra pietatem ſint, ex uanitate hominum orta eſſe & impoſturis diaboli hoſtis uaferrimi: hoc ſufficiet in genere abſque explicatione. Meminerit ſe per gentiles iter facere, id eſt, inter ſpinas, inter toxica, aconita, & peſtes præſentiſſimas, ut ex eis ſola ſumat utilia, reijciat cætera, quæ nec ipſe anxie ſcrutetur, nec præceptor laboret explanando. Bene Laurentius Valla de uerbo quodam obſcœno, ignorari malo, quàm me docente ſciri: itaque auertat potius, quantum poterit longiſsime, & ad ſenſum magis ſyncerum traducat. Hæc præfati, ad autores accedamus linguæ utriuſq; In quibus ſunt, qui oratione ſcribunt numeris aſtricta, alij ſoluta, quam proſam uocant, & pedeſtrem: priores poetæ nominantur, quorum concentus artis eſt muſicæ, materiam nullam habent certam, ſicut reliqua, quæ à Græcis ὄργανα nuncupantur, ut grammatica, dialectica, & ars dicendi. Magnum eſt in ea leuamentum animorum ex harmonia & concentu. Sed propter ea, quæ ſibi priſci poetę deſumpſerunt canenda, multis in ſuſpicionem ars uenit corruptelæ, quibuſdam in odium quoque apertum ac profeſſum: de qua quæſtione tametſi longa diſputatio eſt, & uaria, tamen ſententiam noſtram aperiemus paucis. Equidem quod ad uerſum attinet, dulces illos eſſe cenſeo propter eam congruentiam, quæ eſt melodiæ cum animo humano, de qua dicebam modo. Sunt in uerbis ſiue propriis, ſiue translatis grandes, ſublimes, ſplendidi, habent ingentium uirium argumenta, habent affectuum admirabilem expoſitionem, quæ energia dicitur: afflant magno quodam & excelſo ſpiritu, ſicut & afflantur ipſi, ut uel ſupra ingenij, ac naturæ ſuæ captum uideantur aſſurgere. Sed his tantis, & tam ſuſpiciendis uirtutibus admiſta ſunt uitia non parum exitialia, partim picta atque expreſſa, partim etiam commendata: quæ ſunt huius generis, uehementer poſſunt nocere, ſi quis habeat fidem dicenti, & neſcio quo pacto impetrant fidem ſuauitate uerſus in pectora audientium blande illapſi. Picta uerò alia ſunt animi, alia corporis. Animi non perinde nocent, niſi ſi addatur facientis autoritas, ac exemplum: quam ob cauſam pulſus fuit Homerus è Platonis republica, & Pythagoras uidiſſe ſe apud inferos illius animam retulit de arbore ſuſpenſam, & circundatam colubris, ob ea quæ de diis finxiſſet, multo ſanè incommodius acceptam, quàm Sillius Italicus, conſpectam à Scipione Africano fabulatur: etſi potuit hoc quidem olim nocere, nunc non adeo poteſt, quum ſciamus ſceleroſos ac facinoroſos homines deos illos fuiſſe, calamitatem meritos non cœlum: poſſunt tamen lædere ſi addatur operępretium, quod illo ex flagitio conſecutus eſt quis, uelut imperium per fraudem, aut hominum cædem. Corporis uitia uel commemoratione ipſa mentes corrumpunt. Quærat aliquis quomodo igitur legendum? quomodo colligendæ ſalutares herbæ inter tot noxias? qua cautione inter ſpinas incedendum? An potius ſpernendi atque abijciendi in totum? Plutarchus Cheronæus librum ſcripſit de lectione poetarum, in quo nihil agit aliud, quàm concinnare ac condire uenenum, quo minus ſit ſumentibus peſtilens, ut quum periculoſum boletum antidoto emendatur. Quid opus eſt? an non eſt conſultius uenenum nullo modo attingi? & fortaſſis hoc in illis poetis præſtiterit, atque eo magis quòd exiguum certè adferunt adiumentum ſiue ad artes, ſiue ad uitam, nec ad linguam quidem magnum. Docte quidem præcipit Plutar-

chus, adde etiam prudenter, ut solet, quo si quis attigerit, minus lædatur: quanquam sunt non pauca, quę antidotum afferunt infirmum, ut quum iubet admoneri pueros poesin esse picturam: quid tum? & illa ipsa pictura quam cernimus, si sit obscœna, præsertim subtiliter & artificiose expressa, num non animos cõtaminat? nec immerito eiuscemodi & pictores & picturas sapientes homines de ciuitate uolebant eiici. Tum addit, poetas ipsos in rebus turpibus subsignificare neutiquam probare se illa: at non omnes, imò quidam aperte comprobant, ut Ouidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Martialis, & eius notæ: alij obscurissime carpunt, ac improbant, & per nutus, quos intelligant perpauci. Iam uerò sententijs turpibus opponendas præcipit honestas aliorum sententias, tum alios alijs derogare ait fidem. Quid porrò facias, si bonæ sententiæ non sint ad manum? Quid quòd malæ sententiæ procliuitatem pro se habent naturæ nostræ ad malitiam? ut efficaciores sint, quàm bonæ. Eo denique deducit rem, ut confiteatur nocere lectionem poetarum, nisi cautissime utaris. Id si ita est, non uidetur attingenda puero, quem illic Plutarchus instituit, sed iam grandiori natu, & sanis opinionibus imbuto. Quibus de causis ac rationibus sic uideri posset faciendum. Quoniam quidem in eis & dulcia, & pulchra, & magna, atque admirabilia insunt multa, non tolli oportere, sed repurgari: non amputari affectum membrum, sed medicamento adhibito curari. Obscœna in totum rescindãtur, tanquam emortua, & pertractura in cõtagiem quæ tetigerint. Scilicet intolerabilem faciet humanum genus iacturam, si ex spurco poeta partem abscindas noxiam? & id facias in libello, quod in tuo ipsius corpore facere non dubites, si res exigat. Detruncauit Iustinianus Cæsar tot iuriconsultos, & nefas erit ex Ouidio detrahi eos uersus, quis adolescens fit nequior? Imò uerò amissa sunt tot philosophorum & sacrorum autorum monimenta, & graue erit, ac non ferendum facinus, si Tibullus pereat, aut ars amandi Nasonis? Vtique non de præsentibus modo, ac posteris præclare merebitur, sed de poetica arte, ac poetis ipsis, quisquis eam repurgationem erit aggressus: haud aliter quàm de hortis, qui uenenis illinc eruncatis, solas reliquerit herbas salutares. Ita & ignominia erit poetis detracta, & malum uirus legentibus. Cætera autem quum pingent, sciant, qui legunt, picturas esse & hominum sæpenumero pessimorum: quum deos audient, cogitent hos esse reges: quum heroas, proceres: quum homines, plebem. Interdum deos putent accipi pro illa ui quę illis attribuitur: ut Iuppiter Regni sit maiestas, Minerua sapientia, & consilium, Mars belli impetus, Mercurius interpretatio, Apollo dulcis quædam peritia, & lux mentis. Ipsis quoq; poetis fides eleuanda, multum quidẽ ualuisse eos natura, ac spiritu, sed homines tamen fuisse mediocri iudicio, doctrina uerò & usu rerum sæpe nullo, aut certè perquàm exiguo: tum animi perturbationibus obnoxios ac seruientes, uitijs inquinatos. Succurret fortasse alicui demirari, unde igitur tanta illorum autoritas nõ in uulgum solum, sed ad scholas etiam sectatorum sapientiæ. Cuius rei hæ sunt causæ: fuerunt primi & antiquissimi scriptores, ideoq; poetæ dicti: multum uero ab omnibus defertur uetustati. Suauitas dictionis conciliauit fidem, quandoquidem facilius credimus, quę libenter audimus. Quumq; homines uiderent semina disciplinarum omnium in illorum libris esse sparsa, crediderunt absolutos eos esse in illis omnibus. Nullum est enim humanum ingenium, quamlibet socors, & ab institutione humanitatis remotum, quod non semina artium omnium quædam à natura acceperit: siue re ipsa illinc sint ea, siue potestate, de quo non disputo. Id uerò si imperitis & tardis hominibus contingit, quanto illis magis, qui ingeniorum essent præditi acumine atque acrimonia. Idq; in nostris poetis experimur, qui carmina uernaculis linguis componunt, quos quum sciamus esse homines imperitissimos, tamen ea suis carminibus uidemus illos inserere, quæ etiam ipsi admiremur, qui illos nouimus: & quibus indoctis aut ignotis facile persuadeant se in omnium artium genere magnã & diuturnam operam collocasse. Aratum accepimus astrologiæ imperitum, & Nicandrum Colophonium hominem ab agro remotissimũ, carmina illis de rebus ornatissima cõscripsisse. Accedebat afflatus diuini numinis, quo credebantur instigari: ideo illorum

dicta

dicta non accipiebantur aliter, quàm Dei per hominem ceu pèr fistulam loquentis. Philosophi uerò recepta autoritate abusi sunt, ad persuadendum populo, quod uellent. Et quia inflammabatur illorum animus, lõgeq; ardore illo exerebat sese natura, quæ ex illis deprompsissent, putabant se tanquam naturæ doctrina comprobare. Sed dicamus iam de singulis nominatim. Ad formulas primorum rudimentorum habet institutor ex ueteribus Donatum, nouos autem Nicolaum Perottum, Sulpitium Verulanum, Antonium Nebrissensem, Aldum Manutium, Philippum Melanchthonem, sumet quem uolet, pares esse in tradendo uideo. De constructura indigemus exactiore aliquo opere, & deuincto numeris, quo melius commendaretur puerorum memoriæ. Nam quæ nunc quidem extant certè, uel exempla sunt solum absq; canonibus, uel canones à quibus excipiuntur plura, quàm ipsi comprehendant: opus esset ei, qui id uellet præstare lectione atq; obseruatione longa & diligenti autorum Latinæ linguæ: sed plurimum arbitror adiuuari posse sex libris Thomæ Linacri de emendata structura, item Mancinelli thesauro, & libris de non uulgari literatura Lanciloti Passij. Interea tamen utentur pueri præceptis Antonij Nebrissensis, uel Philippi Melanchthonis: adiungent libellum de constructione octo partium, qui nomine Erasmi circumfertur, quem Gulielmus Lilius peperit, Erasmus concinnauit. Latina lingua ut alia quæcunque, ex populi usu solebat olim disci, ea postquam in ciuitate est corrupta, ex autoribus peti est cœpta, ijs scilicet, qui à Catone Censorio ad tempora Adriani Cæsaris scripserunt: ut primus eius autor sit is ipse M. Cato, postremus Suetonius Tranquillus: hic est illius tanquam uitæ cursus: pueritia fuit sub Catone, senectus sub Traiano & Adriano, ętas optima & uis uigorq; illius circiter seculum M. Tullij: non quin & cæteri qui secuti deinceps sunt scriptores multa habeant apta, speciosa, exculta, atque exornata, quum propriis in uerbis, tum in translatis, & quibusdam ceu formulis dicendi. Sed nescio quo pacto maxime uidentur propria & naturalia quæ sunt æui Ciceronis, in eo ipso, in Marco Varrone, C. Cæsare, Sallustio, Tito Liuio, Vitruuio: post quos Latinus sermo ad luxum est & delicias cum moribus ciuitatis conuersus, ut fucata sint magis & adumbrata, quàm priora illa: & delectare potius uoluisse eos appareat, quàm dicere, aut animi sensa loquendo exprimere. Itaque quantum fieri poterit, dabitur opera ut illius sint seculi uerba, & phrases: non tamen in hac egestate & difficultatibus Latinæ linguæ repudianda sunt, quæ posteriores attulerunt, Seneca, Quintilianus, Plinius, Tacitus, & eorum æquales: nisi forte stet sententia obmutescere in tanta multitudine ac uarietate rerum, de quibus est singulis horis loquendum in artibus & tota uita. Qui autores sunt Latinæ linguæ probi, hi non omnes idonei sunt grammatico: quippe qui de omni rerum ac disciplinarum genere differunt, quò grammaticæ uel studiosus, uel esse professor non aspirat: neq; enim cognitione artium omnium professor unius obruendus est. Qui uerò in cõtemplatione eiuscemodi rerum uersantur, ij grammatici illinc annotent, & excerpant, quæ ad illius inquisitionem pertineant. Ex quibus uniuersis confletur dictionariũ Latinæ linguę, quod nullum est plenum satis & iustum. Istudq; sit duplex, alterum enumeratione tantũ uocabulorum breui interpretatione adiecta, alterum copiosius dictis autorum intermistis: quod faciet, non solum ut securus sit lector, & expositione acquiescat, uerum ut sciat quoq; quemadmodũ usurus sit, quod fortè eum sine exemplo lateret. Expediet in quaq; etiã uulgari lingua geminum pueris tradi, unũ quo Latina uerba reddantur uulgaribus, alterũ quo uice uersa uulgaria Latinis: quod in nostro sermone Antonius Nebrissensis fecit, opus non satis exactũ, tyronibus magis quàm prouectioribus utile. Ex dictionario absoluto & tãquam suis omnibus partibus cõfecto iam & pleno decerpet magister, quæ quotidiano sint usui necessaria: ut appositas uoces ijs, quę pueri uelint eloqui, colligat, quorum primordia erunt à leuibus, quæq; ætas illa facile sustineat, utpote à lusionibus: sensim ad maiora procedetur de domo, & tota supellectili, de uestimentis, de cibis, de tẽpore, de equo & naui, de templis, de cœlis, animantibus, stirpibus, de ciuitate & republica: cõdient hæc iocis salsis, fabellis scitis ac lepidis, exemplis atque historiolis iucundis, parœ-

mĩjs,parabolis,apophthegmatis,ſententiolis acutis, argutis nonnunquam & grauibus: ut ſic libentius hauriantur,& magno cum fructu non linguæ tantum, ſed etiam prudentiæ atque uſus uitæ. Sunt tamen quædam artium propria, ea non curabit attingere:ut de cauſis rerum naturę,de medicamentis,de legibus,&iure ciuili,de quantitatibus mathematicis: relinquet hæc, atque eiuſmodi ſuis quæque artificibus, magis uerſabitur in ijs,quæ ſunt uitæ communia,quibus nulla ætas,nulla conditio,nulla profeſſio eximitur: qualia ſunt ferè quæ modo connumerabam.Interea uerò dum dictionarium eius generis non habemus,inſtitutor ipſe ex ſua lectione hæc,ut poterit, ad utilitatem diſcipulorum annotabit.Tum exhibebit faciles autores captui ſuorum aptos, ut apologos, quibus delectatur ætas illa, & rebus ſolidioribus paratur. Verſiculos caſtos & ſimplices, ut Catonis, qui ſunt elegantes & eordatiſſimi, Michaelis etiam Varini, philoſophorum item ſententiolas, quæ omnia ediſcent. Sequentur epiſtolæ Plinij Cecilij, quę floſculos modo dicendi habent, & conueniunt illi comitati ſcholaſticę, ijſq; omnino rebus de quibus ſtudioſi homines & colloqui inter ſe conſueuerunt,&ſcribere:ita ut ſint qui ea gratia multas earum ad uerbum ediſcant, quidam etiam eiuſmodi dulcedine ac uerborum delicijs capti Ciceronianis prætulerint, quod penè eſt nefas. Sunt & epiſtolæ quędam Ægidij Calentij mire feſtiuæ,quibus pueri ualde oblectarentur.Ad uarietatem & copiam uerborum exponet librum Eraſmi de copia priorem. Tum de recta pronuntiatione in genere, traditis ſumma quadam uniuerſalibus normis. Hinc de figuris ex Quintiliano, aut Diomede, aut Mancinello,aut Ioanne Deſpauterio:quem in uſum tabulam quandā Petrus Moſellanus confecit,quę parieti affigi poſſit,ut deambulanti ſtudioſo occurrāt, & quaſi ingerant ſe oculis. Incipiet his ſtilum mouere, ita ut alienus ſit prorſum, & magnam habeat licentiam ex alienis non uerba tantum, ſed longas quoq; ſententias, & periodos excerpendi: in quo ſpectabitur quàm apte ſuis interſerat. Sequitur alter liber de copia rerum Eraſmi. Tradetur hic ſummatim cognitio rerum geſtarum temporibus per notas quaſdam diſtinctis,& conſignatis,ſicut in uijs ſolet fieri: ut ab Adam ad eluuionem, ab hac ad Abraam, inde ad Moſen. Tum ad bellum Troianum,ab hoc bello ad Romam conditam,hinc ad expulſos reges, inde ad Romam à Gallis captam. Tum ad Alexandrum Macedonem, deinde ad primum bellum Punicum,ad ſecundum, ad tertium. Iam ad Syllam & Marium, poſtea ad Chriſtum natum, à Domino noſtro ad Conſtantinum, ad Gothos deinde, tum ad Hunnos,ad Carolum magnum,ad electionem imperatorum,ad Gotifridum Byllonium, ad tranſitum Turcarum in Europam,ad captum Byzantium, ad recuperatam Granatam, poſtremo ad imperium Caroli quinti, ſub quo agimus: generatim in ſingulis ſpacijs exponet,quæ bella inſignia ſint geſta,quæ memorabiles ſint urbes conſtructæ, qui homines clari uixerunt. Addet his etiam breuem deſcriptionem orbis primum uniuerſi,& maximarum partium,tum prouinciarum, & quid in quaque commendatum famæ:utilis ad hoc Pomponius Mela. Iam hic accedet ad puriores illos ſcriptores,& imitatione digniſsimos: diu enim ſequendi ſunt ij qui ſequentem non fallant, donec aſſuefacti horum ductui ſine periculo poſſimus & alios audire. Cæſar quotidiano ſermoni egregie utiliſſimus, cui Cicero laudem tribuit puri & incorrupti ſermonis Latini, & Quintilianus elegantiæ, cui proprie ſtuduiſſe illum teſtatur: tum Cæſari adiunctæ Ciceronis ipſius epiſtolæ familiares: ſimpliciores ſunt tamen, & uſui magis congruentes, quas ad T. Atticum ſcripſit, niſi quod ſunt in eis quædam obſcuriſſima,partim ſic ſcripta ab ipſo Cicerone de induſtria, partim uitio atque ignorantia temporum ita deprauata, ut reſtitui iam non queant. Terentij fabellæ propter elegantiam ſermonis ſcribi putabantur uel à Scipione Æmyliano, uel ab eius amico C.Lęlio,is qui ſapiēs uſurpatur.C. Cęſar Terentiū puri ſermonis amatorē uocat:minus multo eſt puritatis in Plauto, antiquarius eſt enim, & licētioſe indulget ſibi perſonis ſeruorū,cū riſus, & exhilarationē theatri, atq; hinc multitudinis applauſum peruerſitate etiā loquēdi captat:ſed neq; in ſenſus eſt ſyncerior:ex utroq; cuperē reſecta, quæ pueriles animos ijs uitijs poſſent polluere, ad quæ naturæ quaſi nutu

nutu quodam uergimus. Poetarum lectio magis ad uegetãdum ingenium pertinet, & ad ſtellas illinc quaſdam & uelut inſignia orationis petenda, quàm ad alendum corpus ſermonis. Comici uerò propinquiores ſunt pedeſtri orationi, quàm uerſui. Tragici inter eos ſunt medij, multa habent grandia, turgidiora etiam quàm expediat communi ſermocinationi: plurima tamen, quæ apte ad uſum queant applicari. Latinæ linguæ ſolus remanſit Seneca tragicus: credo priſcos non conſeruatos, quod rudes eos atque impolitos eſſe exiſtimarent, nec tanti eſſe illos deſcribere. Simul cum poetis diſcet totam rationem proſodiæ, & quantitatis ſyllabarum exactius iam & ſubtilius. Audiet Virgilij Bucolica: in quo opere eſt illud animaduertendum, quod in omnibus dramaticis, id eſt, in quibus loquentes perſonæ inducuntur, eſſe quædam uerba, & dicendi formas, potius ex decoro perſonæ, quàm ex ſynceritate linguæ, ut autores aliter dicerent, ſi ſua, non aliena perſona uterentur: quod magis uſu euenit comicis, & ijs qui delectationi ſeruiunt lectoris, quàm ſerijs autoribus: idq; uidemus quotidie in linguis uulgaribus fieri. Quocirca non ſemper ex Plauto argumenta ſumenda ſunt ad comprobationem Latinitatis, ſed neque ex Terentio, quamuis hic eſt in eo parcior, néue ex Theocrito ad Doricam dialecton, aut ex Virgilio in Eclogis, de quibus iactatum eſt à quibuſdam, qui urbani uideri affectabant:

Dic mihi Dameta, cuium pecus? an ne Latinum?
Non, uerùm Ægonis: noſtri ſic rure loquuntur.

Ignari uel diſſimulantes captaſſe Virgilium gratiam ruſticitatis, quod & Theocritus fecerat indulgentius. Hinc Odas Horatij explicabit aliquot. Adiunget Poetas Chriſtianos antiquum Prudentium, & qui ætate hac ſcripſit Baptiſtam Mantuanum, magis copioſum & facilem, quàm terſum, aut ſublimitati argumentorum reſpondentem: etſi in Prudentij carmine, ſunt etiam quæ deſyderes. Poſt hæc, ſequentur Georgica Virgilij, & Politiani Ruſticus. Hic incipiet ipſe carmen pangere. Enarrabit inſtitutor ad cognitionem fabularum Metamorphoſin Ouidij, & ſex libros Faſtorum, non enim uenerunt ad nos plures: ſeligentur Epigrammata Martialis nonnulla: addet Perſium, quem digniſsimum legi antiquitas cenſuit, ut Quintilianus, Martialis, & Diuus Hieronymus teſtantur. His ſuccedet Æneis Virgilij grande opus, & plenum grauitatis ac rerum bonarum, & quod Iliadi non concedat. Lucani carmen plurimum habet uirium, ut etiam bellicis ſint propè pares, nec prælia uideatur canere, ſed committere, & intonare claſſicum, eodemq; ardore arma ſcribere, quo Cæſar tractauit: ita ut illum quorundam aures tanquam ſonum uaſtum ac immodicum non ferant. Illud tamen non ignorandum poëſi operis ſucciſiuis ſtudendum, ſumendamq; eam, non ut alimentum, ſed ut condimentum. Ingenium uerò Poeticæ appoſitum illud cenſemus, quod ingentes habet impetus, quibus interim ſupra ſolitum & ordinarium naturæ ſuæ modum aſſurgit, celſosq;, ac penè cœleſtes ſpiritus, elatione illa concipit: ut non grandes tantummodo, uiuidasq; ſententias mentis acies intueatur, & colligat, ſed in numerum conſtringat, harmoniam ex animo ſuo hauriens ſupra corpus concitato. Ex hiſtoria, libros aliquot deguſtabit Liuij: prælegetur item ei Valerius Maximus, qui ad orationis picturam multa ornamenta adferre uerborum ac ſententiarum poterit, quas habet initio & fine cuiuſque capitis, fortaſſis cõcinniores quàm interdum deceret grauitatem exemplorum. Poſtremum locum obtinebunt Orationes Ciceronis, in quibus ſunt ornamenta, lumina, & uirtutes omnes dicendi: è quibus deliget magiſter, quas uelit ſuis enarrare, neque enim perſequi omnes conuenit. Ex his quæ poſui, ediſcet ea diſcipulus, quæ inſtitutor præſcripſerit: ſed quicunque autores enarrabuntur, ſemel atq; iterum per hebdomades ſingulas de moribus audient nonnulla, quæ uitijs auditorum medeantur, uel ut pellantur, uel ut ne inuadant atq; inualeſcant. Hæc quidem magiſter enarrabit: ipſe per ſe diſcipulus poſt prima illa rudimenta, ubi clarius aliquid cœperit in literis cernere, priuato ſuo ſtudio hos leget: in arte grammatica Thomam Linacrum, à quo multa ſunt Latinæ linguæ myſteria oſtenſa, ac ſine impietate prodita. Tum duos Antonios, Nebriſſenſem, & Mancinellum. Ad elegantiam uocabulorum

primum

primum omnium Laurẽ. Vallam. Superſtitioſus eſt ille quidẽ certe in quibuſdam, ſed diſcentibus perutilis: quum aliquid negat in autoribus haberi, ſuſtinendum iudicium in præſentia, nec utendum eo quoad apud ſcriptorem indubitatæ fidei legeris: addet huic aliquos ex ijs, qui autores illos interpretantur, quos magiſter enarrabit, ut Seruium Honoratum, aut ſimiles. Hadrianus Cardinalis collectione illa exemplorum non parum proderit: & ſi eſt in docendo parcior, quàm oportebat: ſatis feciſſe ſe dictis autorum congerendis ratus, ab enarratione difficilium caute manum continuit. Gulielmus Budæus utroque opere in Pandectas, & quinque libris de Aſſe, plurimum opitulatus eſt rei Latinæ, elaborata illa ſcrutatione rerum ac uerborum linguæ utriuſque. Autores Romani ſermonis diligenter euoluendi: nam ſi id fieri iubebant priſci illi, quibus ſermo hic, quem nos arte conſectamur, hauſtus erat cum lacte, ut ex illorum lectione excoleretur lingua, & copia atque ubertas proueniret, quid nobis cenſes faciendum? quibus eſt aſcititius, quicq; illum guttatim colligimus. In hiſtoria leget Liuium, eum certe, qui reſiduus eſt, integrum: cuius Patauinitatem, quam guſtabat Pollio Aſinius nos non guſtamus: ſcilicet nõ habemus iam palatum uſq; adeo eruditum, ut certe moroſum. Hinc Cornelĩ Tacitum qui habet quædam duriuſcula & imitatu periculoſa, ſed eſt grandis, audax, multumq; ineſt in eo ſpiritus. Hic Salluſtium, qui multa eſt ab antiquis mutuatus, quemadmodum uulgato epigrammate inceſſitur: & Atteius philologus admonebat Pollionem, ut obſcuritatem uitaret Salluſtij: quo magis miror illum à quibuſdam tradi pueris: eſt tamen ijs qui intelligunt, iucundiſſimus, et cuius lectio minime exſatiet. Ad poetarum fabularumq; cognitionem, & ſi plurima ex Ouidio, atque ijs autoribus, quos recenſui, deſumpſerit, habet tamen Ioannem Bocatium, qui deorum genealogias in corpus unum redegit, felicius quàm illo erat ſeculo ſperandum: tametſi in interpretandis fabulis ſæpe eſt nimius, & frigidus. In Latinis uerbis quos ſequatur uelut duces, deliget Catonem, Varronem, Columellam, Palladium de rebus ruſticis, Vitruuium de architectura: in quibus permagna eſt ad res plurimas appellandas nominum puriſſimorum atque aptiſſimorum copia: antiquarius eſt Cato, ſed ea in illo reperias, quæ nuſquam alibi: durus Varro, et opificibus accommodatus. Columella elegantior, et terſior, item Palladius, niſi quod interdum habet uocabula & idiomata Latina utique, uerum ſui temporis, ſcripſit enim ſub Hadriano. Vitruuius græciſſat ſæpe, et eſt ad intelligendũ cum primis difficilis, ne cum picturis quidem lucundi Veronenſis: propterea quod ædificandi uetus illa ratio ex uſu abĳt: ut non iniuria de illo Budæus dicat, Non cuiuſuis eſſe hominis Corinthum adire. His adiunget Grapaldũ de domo, non ad phraſin, ſed ad explicationem uocabulorum: qui plus habet conatus quàm rei, huic omnia ferè ex illis ſunt, & Plinio deſumpta. In quibuſdam incertus ipſe, incertum dimittit lectorem. Tum orationes omnes Ciceronis, declamationes Quintiliani. Sunt inter recentes nonnulli, qui momenti aliquid adferre ad ſermonem poſſunt. Longolius, ſimiolus eſt Ciceronis, & Iouinianus Pontanus: hic tamen minus obtinet Tullianæ uetuſtatis, quàm Longolius. Angelus Politianus magnas habet argutias. Eraſmus admirabilem facilitatem ac lucem: & eſt quum uiuat potius recentioribus applicari, tanquam ſimilioribus, ac magis paribus, quàm priſcis illis tam à nobis & moribus & ratione quadam intelligentiæ ſemotis. Quos uerò in bibliotheca ad conſulendum collocabit, hi erunt: Varronis de lingua Latina libri tres, intricati, ex illo dicẽdi more ipſi peculiari, atq; ea de cauſa mẽdis à librarĳs inductis maculoſi, ac deformes. Feſti Pompeĳ decurtatio. Nonius Marcellus. Ex recentioribus Nicolai Perotti Cornucopiæ: quod ſi uacet legere, non pœnitebit collocatæ in eo operæ. Neſtor haud ſatis eruditus. Tortellius, ad orthographiam diligens. Ex quibus dictionarium ſuum Ambroſius Calepinus congeſſit, homo congerendis quidem illis idoneus, explendis uerò quæ deerant, non idoneus. Hic quidem Latinitatis curſus: cui aliquanto poſt initium æquari debet etiam Græcitatis, ſicut dixi, ut ambo conficiantur pariter. Ad prima rudimenta adhibebit tabellas aliquas Græcas. Aleandri puta, aut eiuſmodi, quo ſonos & uires literarum ſyllabarumq; pernoſcat. Hinc ad declinanda nomina & uerba

primum

primum librum Theodori Gazę,quem Erasmus uertit.Tum interpretabitur Æsopi fabellas,propterea quod & uerbis sunt faciles,& sensu ad ætatem illam apto:Grę corum quoque prouerbium de rudibus satis indicat,solitus illos ab Æsopo auspicari. His addetur liber secundus Gazæ,in quo illustrat coloribus,quæ primo libro adumbrarat solum, ac deliniauerat,Aristotelem secutus,& naturam rerum.Tum oratio aliqua puri scriptoris et facilis in manus dabitur.Isocratis scilicet aut Luciani,quod quidem sit certe sine corruptela:aut etiam Ioannis Chrysost.qui est tersus, & eximie dilucidissimus. Syntaxis parum est accurate à Græcis conscripta, quòd populum habuerunt diutius bene loquentem, quàm Latini, ut minus fuerit opus obseruatione ac regulis:& alioqui Gręca structura fusissima est,ut ægre in alueũ possit cogi.Theodorus aliquid attigit in quarto uolumine.Ioannes Lascaris canones ad imitationem Latinorum est commentus: parum hic uere,Gaza autem parum ad docendum apposite.Illud esset potissimum annotandum,quibus in rebus Græca & Latina inter se structura dissiderent.Iam hic transferre ad nos aliqua puer incipiet,propter noscendam linguæ utriusq; proprietatem,et copiam uerborum parandam,tum ut ornamenta illa & cultum Græci sermonis in Latinum eliciat. Discet prosodiam & orthographiam,quæ apud Græcos ut in quibusdam sunt apertissimæ atque indubitatæ, sic in multis usum modo sequuntur,uel quod uni alicui placuit:eas ad res facit tertius Gazæ.Gręca lingua diutius est syncera & purius conseruata quàm nostra,quòd illa barbararum nationum incursus minus sensit quàm Occidens.Sed uigor tamen eius & quasi inuenta tum fuit,quum maxime Athenienſium opes,imò Græciæ totius florerent:nempe à tyrannide Pisistrati ad exitum Demosthenis.Ante Pisistratum atq; etiam Periclem nihil scriptum est legi dignum:post Demosthenẽ plurima quidem,cæterum integritate sermonis cum ætate illa minime comparãda.Itaq; enarrabit præceptor epistolas aliquas Demosthenis, Platonis,Aristotelis.Orationẽ aliquam Demosthenis,& cuiusquã ex illis decem rhetoribus, quos eodem seculo Athenæ tulerunt. Lexicon Græcę linguę cõponendũ,quale de Latina diximus copiosum,& plenum. Antequam attingat poetas,præcipiendũ nonnihil de dialectis: qua de re extat opusculum Ioannis Philoponi, & alterum Corinthi. Tum audiet rhapsodias aliquot parentis poetarum omnium Homeri.Hinc Aristophanis primam & alteram fabulam, Euripidis aliquot:qui autores elegantes sanè sunt,& inter paucos Attici.Aristophanes festiuus, Euripides grauitate sententiarum etiam maximis philosophis par, ut Quintilianus ait.Ad sententias boni sunt Theognis Doricus,nempe Siculus,& Phocilides Ionicus.Post hos reliquus Homerus cõsequetur:qui attente ac diligenter est à discipulo & audiendus de præceptore,& separatim relegendus,multis in locis ediscendus quoq;.Magnæ sunt huius uiri uirtutes,quas persequi longum sanè atq; operosum esset.Primũ quæ scripsit,non dicere uidetur,sed ante oculos sistere,ea est quasi depingendi uis & efficacia:qua uirtute posteros omnes adhuc sine controuersia superat:nec corpora expressit modo,sed animorum recõditos illos motus,qui sub sensus non ueniunt:ut nihil uideatur esse aliud eius poëma,quàm imago uitæ humanæ. Communis sensus adeo est callens,& ita sunt rerum naturæ conformia,quæ dicit,ut post tot secula mutatis usque eo moribus,institutis,tota uiuendi ratione,tamen ætati etiã num nostræ & cuicunq; alij uerba,sententię,collocutiones,orationes illius consentaneæ sint:quibus de rebus facile tam longam diuturnitatẽ sustinuit,& per tot secula non solum autoritatem uetustatis,sed nouitatis gratiam cõseruauit, cum recens in unoquoq; uideretur.Sunt tamen sua & illi uitia,quę nos ut uitentur,indicabimus, sicut de uirtutibus fecimus ad imitandũ,si cui modo tantum est facultatis ac roboris. Hieronymus Vidas tanquàm superuacaneum & redundantem Homerum incessit, luxuriantem in narrando,& admiscentem superflua:nec dubitat Virgilium illi,& cæteros Latinorum anteferre,uelut astrictiores & sanctiores,quum Græci omnes uitio illi sint obnoxij,ut Homerum secuti nimij sint,atque etiam nonnunquam subputidi. Nec placent ei descriptiones medio prælio curruũ,& in iurgio Thersitæ:quanquam hoc posterius ad uim potest referri,& exemplũ,ut uideat lector,cuiusmodi uir,heroibus tacen-

bus tacẽtibus,regi maledixerit.Damnat etiam humiles ſimilitudines, ac ſordidas interdum:ut milites muſcis aſſimulari in mulctra, Aiacem aſino, qui neſcit è paſtu diſcedere abactus fuſtibus. Virgil. decentius, qui formicis & apibus exercitus facit ſimiles,tanto honeſtioribus,quàm muſcæ ſint, rebus. Ad hæc parum conuenit tam otioſe Diomedem & Glaucũ media pugna eſſe collocutos. Repetitiones poſſunt uideri illius æui,ſicut in ſacris literis.Sed epitheta non decet eſſe ubiq; eadem:tam nominat Paris Menelaum ἀρηίφιλον,quàm Græci:& ἐυκνήμιδας ἀχαιοὺς perſona Troianorum:& in media monomachia perſonaMenelai δῖον ἀλέξανδρον,quum eum dicat maleficum,& uiolatorem hoſpitij bene meriti:ut ſolum uideantur epitheta ad commiſſuram numeri quæſita, non ad uim aut gratiam. A quibus uitijs excuſare cum poſſit ædítio operis, non enim integrum illud dedit in apertum, ut omnia exacto iudicio perpenderet atq; elimaret:ſed ſeparatim ſingulas rhapſodias ad cantus & delectationem popularem:quæ omnia longo pòſt tempore collecta ſunt,& digeſta per grammaticos,iuſſu & procuratione Piſiſtrati Athenienſis:quæ etiam fuit cauſa cur nec patris,ac ne patriæ quidem uſquam meminerit.Iam uero illius duo ſunt opera,alterum calidum,alterum callidum:multa non ſatis probi exempli continent:& quæ de natura rerum,& humanis attingit moribus,torquentur,quocunq; eſt uiſum ijs,qui uatifaciunt immodice. Cęterum de Homero ſatis, addentur huic reliqua, ſi uidebitur, Ariſtophanis, & Euripidis:tum ἔργα καὶ ἡμέρας Heſiodi, & Græca aliquot epigrammata, quę argutias & ſalem habeant non ſpurcum. Poſtremo Pindarum obſcurum in primis,& reconditorum uocabulorum uſurpatorem:quem tamen Academicus Archeſilas idoneum in primis dicebat uocem implere, & uerborum magnam præbere copiam. Theocriti paſtoricia multum habent Venerum in illa dialecto Dorica,ſed quo intelligantur melius,explicandæ ſunt allegoriæ,ſicut in Bucolicis Virgilij,alioqui frigent pleraque omnia. Ad hiſtoriam pręleget Herodianum, ut cum uerſione conferat Angeli Politiani:eſt autor ille cãdidus ex ſe ac facilis,ſed ea gratia Politianus tranſtulit, ut non ab homine Græco uideatur genitus, ſed à Latino. Tum Xenophontis ἑλληνικά, quo nihil eſt purius, & inaffectatius. Thucydidis libros aliquot imperabimus,difficilis licet ſcriptoris,duri ac planè ferrei.Ipſe uerò ſtudio per ſe ſuo hos leget. In arte grammatica Oecolompadij dragmata. Ad inflexiones uerborum & nominũ Adrianum Amerotium: ad poëtarum & linguarum cognitionem Vrbanum. Interpretes eorum poëtarum,quos modo nominaui, multa ex linguæ arcanis patefaciẽt: quorum poëtarum nullus eſt qui non aliquem habeat ἄδηλον. Homerus principem omnium eſt nactus Euſtathium Conſtantinopolitanum. Addet Thomam Magiſtrũ de Atticiſmis.Ad res ciuiles commentarios Græcæ linguæ Gulielmus Budæus nuper conſcripſit paris diligentię,cuius ſunt Latina eiuſdem:multa eruit abſtruſa,compluribus tenebricoſis locis atq; obſcuriſſimis lucem inuexit.Autores linguę euoluet Iſocratem, quo ſimplicius ac purius cogitari nihil poteſt: Xenophontem, & decem Rhetores. Luciani uerba ſatis ſunt terſa,& phraſis dilucida. Aſianus eſt uerborum apparatu inſtructus ac tumens, rerum inanis prorſum: adiunget his Thucydidem Atticum, & faciliorem hoc Herodotum,licet Ionicum. Ad uarietatem rerũ habet libros Ariſtotelis de animalibus, & Theophraſti de plantis: quos ita Latinos fecit Gaza, ut utriſque legendis magnæ poſſint in linguis illis opes comparari: ſic porrò leget ut magis de uerbis ac ſermone ſit quàm de ſenſis ſolicitus. In Demoſthene,quem crebro habebit in manibus,abſoluta eſt linguæ illius uis, ac gratia, non aliter quàm de Ciceronis orationibus diximus. In bibliotheca tanquam ad conſulendum reponet hos,Lexicon Græcolatinum geminum, ex Græco in Latinum, & ex hoc in Gręcũ. Heſychium ad intelligentiam poetarum,Homeri potiſsimum.Iulius Pollux uarietatem & copiam uerborum ſuggeret,lectore tamẽ indiget doctiſsimo: nam innuit magis peritis,quàm docet imperitos. Sunt in his duabus linguis autores quidam miſti, qui ſimul & hiſtorias & fabulas, & uocum ſignificatus,& oratoria, & philoſophica attingunt:quorũ appellatio uera eſt & maxime propria philologi:huiuſmodi ſunt in Greca Suidas,& Athenęus: in ambabus Aulus Gellius,homo rhapſodus planè,con

geſtor

geſtor potius,quàm digeſtor,& oſtentator,quàm peritus, loquæculus ſine eruditione:in uerbis ac ſentẽtijs putidulus,quæ de ſignificatu uocũ diſſerit,ſunt friuola & plerunq; imperita,ac falſa:legendus eſt quidem, ſed ita,ut te rem leuem ſcias inſpicere: ſanior eſt æmulus eius Petrus Crinitus.Ad philologiã etiam pertinet opus Auguſtini de Ciuitate Dei,Eraſmi adagia:quod opus aſſuefacere poteſt lectioni magnorum autorũ,ut ad eos adoleſcens nõ omnino ueniat rudis ac nouus.Huius ferè notæ ſunt Budæi annotationes,& aſſis,de quibus ſum locutus.Cęlij lectiones antiquæ,quę interdũ uetuſtate horrent,non tam rerum,q̃ uerborũ.Macrobij Saturnalia multum habent bonarũ ac uariarum rerum.Petrus Textor leuidenſam texuit:licebit tamen officinam eius nonnunquã conſulere,quamuis perturbatã, nec ſemper certam:ut erat autor literarũ Græcarum prorſum ignarus,nec in Latinis magnæ dexteritatis:meruit tamen laudẽ diligentiæ aliquam.Raphael Volaterranus uariæ uir eruditionis ac latè patentis inter alios eſt mihi reddendus.In hunc numerum neſcio an patientur grammatici Iſidorum Hiſpalenſem interfericri. Adfert nonnulla ex antiquis hauſta haud prorſum aſpernanda,preſertim quòd fontes illi non peruenerunt ad hanc ætatẽ.Reſtant ſcriptores alij linguæ utriuſq;, quos partim in alijs diſciplinis propter rei argumentum neceſſe erit cognoſcere,partim leget alio tempore,uel in hac ipſa profeſſione remanens, uel quum in altioribus animi reficiẽdi gratia ad hæc uacabit reſpicere. Hic eſt curſus octo aut nouem annorum à ſeptimo ad quintumdecimum annum,uel etiam ſextumdecimũ,ut cuiuſque ingenium & progreſſus fuerint.Sentio me diu eſſe in hac de linguis præceptione immoratum,quòd eo feci quia multi praue ſunt à puericia inſtituti,quum tanti referat,quemadmodum in exordio hæc tradantur,unde reliquæ deinceps artes omnes ac diſciplinę dimanant. Hactenus linguarum inſtitutio uel ijs qui ad diſciplinas alias parantur, & quaſi formantur,uel quibus ea ſola per ingenium aut delectationem ſufficit,ut in earum rerum ſola cognitione uelint ſubſiſtere.Qui ingenio erunt uel tardo admodum,abſurdoq;, & inepte coniectante,uel ſuſpicaci inique,& in peiorem partem reijciẽte,quę audiat,his latinam linguam utcunq; didiciſſe ſuffecerit,& portiunculam Græcę aliquam, arcebitur lectione autorum; Sermonem uero ad commercium humani generis didicerit:niſi forte furioſus omnino ſit & uęcors,quem præſtabit à lingua doctorum ſummouere:ne quæ ſub illa ſunt abdita & concluſa,magno tum ſuo,tum alieno malo intelligat.Qui ſaniore ingenio ac iudicio nolet tamen,aut non commode poterit altius conſcendere,hic erit linguarum & autorum cognitione contentus. Huius porrò ad uitam uſus fuerit,ut ſit ſcriba ciuitatis publicus,capeſſat minores magiſtratus,fungatur legationibus.Habebũt & hi,& ſuperiores illi ſermonum peritiam,qua ſenectutis graue tædium autorum lectione leuent, quum iam alteris licebit,alteros ætas meliora docuerit, quodq; in eis adhuc erat acerbum mitificarit. Hi ſunt philologi,& eorum exercitatio philologia. Ex his deligentur, qui alios inſtituant:quos nolumus ijs tantum limitibus,quos deſcripſimus circumſepiri,ſed alia etiam omnia ſcrutari,& pernoſſe,quæ ad philologiam pertineant,abſtineant modo ab anxia atque inutili Græcorum ſubtilitate, quam in omni tractatione de ſermone ſunt perſecuti, ſeu commenti uerius,uelut in carminibus,& tota poetica,in contextu orationis,in ſchematis,ac figuris. Credat M.Fabij grauiſſimi præceptoris ſententiæ, ac conſilio inter uirtutes grãmatici poni illam,aliquid neſcire. Quos uerò ſcriptores ceu conſiliarios alijs reliquimus, huic tradimus legendos,ut pro ratione ſuſcepti officij unus ille multorũ laborẽ ſuſtineat.Itaq; in arte Grãmatica reſtant huic Priſcianus, Diomedes, Aſper,Phocas,Caper,Capella:parum quidẽ ad docendũ idonei,ſed qui moneant multa,quæ pręceptor in ſuum & diſcipulorum uſum facile depromet.Terentianus item de proſodia & carminibus. Ex uicinioribus huic ætati Perottus,Sulpitius Verulanus,Curius Lancilotus,Aldus,Ioannes Deſpauterius,qui ſunt multo quàm illi commodiores.In Græcis uerò Herodianus, Tryphonius, & qui patrum memoria Græcas literas in Italiam inuexit Chryſoloras, & Ioannes Laſcaris. Autores Latini & Græci ſermonis,ſi qui habent argumentum ex recõditis quęſtionibus altioris diſciplinæ,uidelicet primæ philoſophiæ,

aut ſcrutationis cauſarum naturæ,medicinæ,Iuris Ciuilis,Theologiæ,ij relinquendi ſunt penitus ſuis profeſſoribus:ſin de facilioribus differunt,nempe aſtronomia, coſmographia,philoſophia morum,prudentia,deſcriptione naturæ, aut in illis quidem prioribus,ſed expoſite tamẽ ac dilucide,non uideo,quo minus ſint philologo attingendi. Quòd ſi quis in illis locus altius ſe aperit,contentus,quæ ſui ſunt muneris,inſpexiſſe,ad alia trãſibit,examinationem illius modeſte ijs concedens,qui in ejuſmodi artibus operã ex profeſſo ponũt:ut ſuus cuiq; profeſſioni honor,ac dignitas conſtet,ne termini confundantur, & aliæ in aliarum ius ac poſſeſſionẽ temere inuadant. Itaque Senecam licebit euoluere,à quo multum adiuuabitur uerborum & proprio-rum,& tranſlatorum ui,tum copia & uarietate:ut rem eandem crebro ac ſine faſtidio poſſit expromere:multumq; alere poteſt facundiam Latinam metaphoris potiſſimũ præ cæteris ſcriptoribus dextere accommodatis. De M. Tullio quantum proderit,ſu peruacaneum eſt dicere, parente copiæ Romani ſermonis, ut eum Caius Cæſar appellauit. Ciceroni Quintilianum adiunxit Laurentius Valla,tanquam comitem aut uerius ſocium, paremq; : non omnino iniuria, quum uerborũ mundicie, tum tranſlationum & totius dictionis acumine. Quintus Curtius candidus eſt,ſed criticorum quidam eiuſdẽ illum eſſe coloris cauſificantur:non perinde eſt nitidus Iuſtinus. Poſt hinc periculoſa ſunt omnia. Gellius duriſſimarum elegantiarũ affectator, Apuleius in aſino planè rudit. In alijs ſonat hominem,niſi quod florida ſunt ridicula,ſed excuſat ea inſcriptio. Macrobius melior eſt his,atque explanatior,habet quæ nõ tam uulgari ſermoni ſint utilia,quàm philoſophiæ explicandæ. Tertullianus perturbatiſſime loquitur,ut Afer. Cyprianus & Arnobius eiuſdem gentis clarius,ſed & ipſi nonnum quam Afre. Auguſtinus multum habet Africitatis in contextu dictionis,non perinde in uerbis,præſertim in libris de Ciuitate Dei,quod unum ex eius operibus legendum cẽſeo philologo:id enim bona ex parte in media philologia uerſatur,quemadmodũ ſuperius admonui. Ambroſius nõ adeo Latinus eſt,ut ſuauis:Latinior Hieronymus,niſi quod nonnunquã ſacrum ſe autorem eſſe meminit,de re ſolicitus magis quàm de uerbis. Chriſtianorum omnium facundiſſimus eſt Lactantius, ſonum habet plane Ciceronianum:præterquam in paucis,imitandus cætera. Poſtremus Boëthus cuilibet noſtrorum ſuperiorum comparandus. In Symmacho,Sydonio Apollinare,Paulino parcam philologo,& eam illi operam remittam. Hinc longo interuallo eſt deſcendendum ad proxima noſtræ ætatis. Franciſcus Petrarcha ab hinc annos paulò plures, ducenteis bibliothecas tamdiu clauſas reſerauit primus,& puluerem ſitumq; è monimentis maximorum authorum excuſſit: quo nomine plurimum ei Latinus ſermo debet:non eſt omnino impurus,ſed ſquallorem ſui ſeculi non ualuit prorſum detergere. Ioannes Boccatius eius diſcipulus nulla ex parte eſt cum magiſtro conferẽdus. Rurſum linguarum ſilentium uſque ad memoriam auorum. In qua Leonardus Brunus ab Aretio ſatis fuit emẽdatus,ſimplex,naturalis,& nõnunquam in hiſtoria ſcribenda neſcio quem ex Liuio colorem ducit. Laurentius Valla egregiam præ ſe fert indolem,& uerbis quum puris, tum etiam proprijs utitur: qui ante Elegantias ſcripſit,ut de uoluptate minus ſunt accurata,quàm quæ poſt eas. Itaque meliora ſunt quæ de Græco uertit iam ſenex Thucydides, ac Herodotus. In Franciſci Philelphi uerbis planè nihil deſyderes: eius tamen lectio eſt moleſta,quòd motu omni & quaſi uita caret:& fortaſſe is eſt genus,quem in quoque libro uicturo Martialis requirit. Theodorus Gaza plurimum locupletare poteſt noſtram linguam uertendis ad nos Græcis:minus eſt felix Georgius Trapezuntius, & uerboſior,minore etiam uerborum delectu. Iouiniani Pontani uerba ex Cicerone ſunt deſumpta, & phraſis tota. Pomponius Lætus exiguæ eruditionis,tota illa eius celebris diligentia circa uerba,& hiſtorias aliquot,tum ſaxa eruta,& monimenta diruta conſumpta eſt. Campanus feſtiuus, & facilis,à rebus eſt inops. Hermolaus durus, ſtili genus quoddam affectauit ſubmoroſum ex uetuſtiſſimis & nuperrime inuentis uocabulis conflatum, ut Ennium, & Plautum Apuleio, Capellaq; uideatur miſcuiſſe. Politianus elaboratus, uerba eius bona, & uſui communi apta, officioſis duntaxat: nam gra-

uitatis

uitatis minus habet,quàm uellem:& dum selectas quasdam uel uoculas,uel dicendi formulas,quasi gemmas auet ostentare,longius circunducit lectorem,pluribus tum uerbis,tum sensis orationem onerans,quàm erat opus.Grauior Ioannes Picus,& satis castigatus,nisi quo loco altercatur cum Theologis.Antonius Sabellicus fluit quidem plenus, sed lutulentus quandoq;, similis ei autori,ex quo res desumit:ut colorem uideatur mutare cum solo,per quod omnino tanquã fluuius decurrit:quod nõ raro usu uenit solicitis de re magis, quàm de uerbis.Memoriæ nostræ sunt Erasmus, Budæus,Melanchthon,Sadoletus,Bembus,Franciscus Picus,And. Alciatus,ut alij multi uel iam magni uel aliquando futuri.de quibus quoniam uiuunt, nihil dicam: dicent sequentes,quum erit iudicare liberius.In Grecis autoribus leget Platonis pleraque omnia,quem Iouis sermonem Græci aiunt sonare.Aristoteles Ethica,& Politica,in quo est admirabilis loquendi proprietas.Plutarchi moralia,et uitas illustrium uirorum.Galeni quædam,ut de tuẽda ualetudine,uersione Linacri addita.Fusus est Galenus,& plenus uerborum,nempe Asianus,sed bonorum atque elegantium.Philostratus floridus ac picturatus:dilucidus magis & simplex Libanius.Ex nostris Synesius elaboratus & translationibus paulò obscurioribus frequens.Basilius& Gregorius cultu,Chrysostomus apertior & redundantior,in præfationibus Isocrati similis,in elocutione Luciano & Galeno.Et hi quidẽ prosæ orationis autores.Quibus omnibus si Plinium Secundum uoluerit adiungere,non iam autor unus aliquis accesserit,sed bibliotheca integra ac planè iusta,tantis rerum ac uerborum diuitijs. Quis se illo præterito philologum audebit profiteri?Poetæ restant,ad quos tanquam antidotum librum adhibebit Plutarchi de poetarum lectione, & alterum Basilij Magni de legendis ethnicis,breuiorem quidem illum sed pietatis refertũ.Ars Aristotelis poetica non multum habet bonæ frugis,tota in obseruatione antiquorũ poematum occupata,& in ijs subtilitatibus, in quibus molestissimi sunt Græci, quodq; cum bona illorum uenia dixerim,inepti quoq;.Palæphatus uetus autor poetarũ fabulas ad congruentem quandam historiæ ac ueritatis applicationem traducere est conatus, non omnino sinistre,nisi quod in nonnullis aliàs deficiunt eum coniecturæ, aliàs fallunt. Horatius numerosus,festiuus,trãslationibus,ut Quintilianus inquit,feliciter audax. Ouidij de illo testimoniũ est canere eum Romana lyra culta carmina:heroico carmine est planipes,nec obtinere poterit sonum & maiestatem illius.Catullus duriusculus,ut ait Plinius,& probe sarriendus:non minus etiam Tibullus,ac Propertius dulces, & Ouidius miræ facilitatis, quem Seneca seculum suum amatorijs non tantum artibus,sed sententijs implesse merito queritur.Manilij Astronomicon graue est,sed διδασκαλικὸν, & sine motu, quemadmodum de Arato Quintilianus inquit: etsi hic noster assurgit nonnunquam, & ardentius spirat.Sillius Italicus diligẽs, plus artis quàm naturæ habet, quod Plinio est uisum.Valerium Flaccum, ut Apollonium Rhodium,non uideo quid attineat legi,quasi nihil sit,in quod tempus consumatur potius: nõ tam illorum uel carmen uel dictionem improbo,quàm argumenti leuitatem. Iuuenalis multis in locis asper est ac durus,materiæ suæ conueniens,mollis & suauis Statius.Ex Martiale reijcienda obscœna, in reliquo cuiusmodi sit testimonio Plinij Cælij credamus. Longe est his posterior Ausonius Gallus ubique argutus,& excitans,nec lectorẽ sinit dormitare.Claudianus melior,& ingenij ac spiritus planè poetici.Iuuencus,Sedulius,Prosper,Paulinus lutulentæ & perturbatæ sunt aquæ, salubres tamen,ut de quibusdam fluminibus ferunt. Apollinaris minus in carmine deprehenditur orationis molestia,quàm in prosa:numerus enim illam uel operit,uel sustinet. Ioannes Hantuillensis, qui Architrenium propter materiam inscripsit, non omnino malus,certe melior,quàm pro seculo.Longo interstitio subsequuntur Franciscus Petrarcha,in quo si non tantum fuisset naturę iuxtà & studij,ætas illa orationẽ eius facile contaminasset.Franciscus Philelmus profusor carminum,ut prœcoces partus subinde agnoscas. Elaboratior & dignus magis legi est Iouianus Pontantus.Politiani musæ plurimum suauitatis habent,multo sale,argutijs,Veneribus cõditæ:sed ex eius Epigrammatis extirpanda sunt fœda illa gentili nedum Christiano indigna.

Marullus obſcurior eſt & gratia impari. Troſæ duo, pater ac filius ſatis exculti. Hieronymus Vidas, Actius Sannazarius Virgilianæ imitationi tanquam ſacratis legibus alligati. Acutus Thomas Morus, & plenus aculeis, ac ingenij. Eraſmus Horatio ſimilis, qualem ſe eſſe uoluit. Græci poetæ, præter eos de quibus meminimus, ſunt Quintius Calaber, qui παραλειπόμενα poemati Homerico aſſuit, ut Auguſtinus Vegius Æneidos decimumtertiũ. Genealogia deorum Heſiodi, ad intelligentiam Poetarum utilis, cætera futiliſſima. Sophoclis tragœdię, cuius non leue fuit ſemper pretium, etſi huic Euripides præfertur. Arati phænomena, quæ M. Cicero & Germanicus Cæſar ad Latinos uerterunt. Ioannis Laſcaris extant Latini & Græci luſus, ex argutijs breuibus & uelut punctis ſubobſcuri. Præcipui interpretum ſunt Valerius Probus, cuius perpauca ſuperſunt adhuc in Bucolica, & Georgica Vergilij Ælius Donatus, qui circa conſilij explicationem in Terentio & Vergilio eſt multus: ſed in Terentio magis ſe interpretem Latinorum uerborum recordatur eſſe, etſi in his non raro infeliciter aſſignandis præſertim differentijs, ſicut in conſilijs comminiſcitur plurima, quæ nunquam ſcriptoribus in mentem uenerant. Seruius Honoratus philologus eſt, ut facile credat quiuis, diligens, ſed multa affirmat incõperta: notas in eum aliquot Philippus Beroaldus compoſuit, homo nõ multo quàm Seruius ipſe accuratior: cæterũ ſunt in Seruio complura, quæ promptius ſit dicere eſſe falſa, quàm aperta ratione cõfutare. Acron & Porphyrion Horatij expoſitores pleriſque recentiorum longe ſunt impares, dormitant crebro, atque adeo ſtertunt quoq; . Meliores ſunt Beroaldus & Sabellicus in Suetonium: breuis Sabellicus, alter fuſior, ſed negligentior, qualis etiã eſt ad Aſinũ Apulei. Mancinellus ſuper Vergilij Bucolica & Georgica probe grammatici fungitur munere. Landinus in eundẽ poetam nimis philoſophatur, ut Petrus Marſus in officia Ciceronis, loquacitate pene intolerabilis. Parrhaſius ad raptũ Proſerpinæ Claudiani, & Nicolaus Beraldus ad Politiani ruſticum, & Frãciſcus Syluius ad Gryphum Auſonij, multum habent ex philologia bonarum rerum accurate depromptarum. Aſconius Pædianus utinam & integer ad nos perueniſſet, & ſyncerus, potuiſſet magnopere intelligentiã Ciceronis linguamq; adiuuare. Sunt enim in Cicerone haud ſane pauca perobſcura, & ijs tenebris obſita, quæ diſcuti iam nulla poterunt luce, propter ignorantiam actorum illius temporis. Multa in autoribus enucleant Hermolaus Barbarus Plinium ac Melam annotans. Angelus Politianus in Centurijs. Budæus, Alciatus, Sabellicus, Beroaldus, Ægnatius opere cui titulũ fecerunt annotationes autorum. Tum Ludouicus Cælius, Antonius Nebriſſenſis in quinquagenis. Ioannes Pierius Valerianus Vergilium collatis uarijs codicibus emendauit, labore profectò ad lectionẽ præcipui uatis perutili. De Baptiſta Pio, & Cornelio Vitellio piget loqui. Cenſeant de præſentibus poſteri.

LIBRI TERTII FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE TRADENDIS DISCIPLINIS, SIVE DE INSTITVTIONE Christiana, Liber quartus.

HACTENVS cognitioni linguarum uacauimus, quę fores sunt disciplinarū omnium atq; artium, earum certè, quæ monimẽtis magnorum ingeniorum sunt proditæ: itaq; ignoratio linguæ cuiusq; uelut hostium disciplinæ illius claudit, quę ea ipsa lingua est comprehensa & consignata. Sed meminerint homines studiosi, si nihil adiecerint linguis, ad fores tantum peruenisse eos artium, et ante illas aut certè in uestibulo uersari: nec plus esse Latine & Græce scire, quàm Gallice & Hispane, usu dempto, qui ex linguis eruditis potest accedere: nec linguas omnes labore illo propter seipsas dignas esse, hoc est, si aliud nihil quæratur: quippe propter exteriorem utilitatem tantummodo parantur, ut ad ea penetremus, quæ linguis illis includuntur uelut thesauris quibusdā pulchra atq; admiranda. Studio sermonis finitima est ratio examinandi instrumentū ueri & falsi per enuntiata simplicia & composita: quæ censura ueri nuncupatur. Adolescens ab studio linguarum huc traductus facile quæ proponentur, capiet: neque uerò quicquam oberit, quo minus ante finem peritiæ sermonis censuram hanc auspicetur: ut pariter & illud consummet studium, et in hoc decurrat. In hac siue arte, siue artium ferramento atq; organo primum ea uocabula explicabuntur, quę huius tractationis sunt propria. Hinc de simplicibus effatis, tum de compositis, postremo loco de argumentationum formulis: eaq; dialectica κριτικὴ nominatur, id est, de iudicio argumẽtationis: ad hanc libelli quidam extant hominum recentiū non omnino inutiles, ut Georgij Trapezuntij, Georgij Vallę, Philippi Melanchthonis: ij poterūt enarrari principio. Tum Aristotelis περὶ ἑρμηνείας, omissa disputatione futurorum cõtingentium, quæ & per se intricatissima est, & altioris contemplationis. Libri priorum multa eiusdem generis continent, & obscura, & mea quidem sententia parum necessaria: desumet illinc institutor, quæ uidebuntur ingenijs suorū, & arti quam tradit, conuenire. Exercitatio erit in his nõ rixosa: nam talis est hæc ipsa ars suopte ingenio, quòd si rixis addantur rixæ, quid aliud fuerit quàm oleum incendio aspergi? ut aiunt. Erit cõsultius, ut conferant sua studia per interrogationes, cũq; per argumentorū conflictum, neq; enim habebunt adhuc de quo argumentẽtur. Parabũtur iam nũc disputationibus aliarū artium, propositis thesibus, ut ex regulis obseruationis huius condiscant nihil repugnans admittere, nihil cõsentiens reijcere: quã exercitationẽ obligationes nostri uocant, quę neq; ars sunt ulla, neq; pars artis, sed tantum prȩceptorum executio, & applicatio ad opus. In his duo sunt solum uitanda, quæ modo attigi, nõ recipere pugnans positis, non respuere congruens posito. Socraticæ interrogatiunculę non modo per inductionem, sed eliciendo paulatim, uelut actis cuniculis aduersarij sensu, diuisionibus ac diffinitionibus, uehementer sunt ad multa conducibiles, ad uerū exprimendū, ad exacuendum ingenium, et ad reuincendū eum, qui contrà tendit. Leget ipse per se adolescens tacito studio Boethum, Capellam, Apuleium, Augustinum: etsi hi Græcissant. Politianus flosculos quosdam decerpit ad ostẽtationem, quam unam ferè uenatur: utilis est tamen suppeditare quædam artis uocabula. Cognoscet uniuersam Aristotelis dialecticam attentus. Aristotelis quidem libri multo aliter distinguuntur, citantur à ueteribus Tullio Cicerone, Laertio Diogene, Seruio Honorato et alijs, quàm à iunioribus: sed nos, quibus prisca illa sunt ignorata, acquiescemus ijs, quæ accepimus. Græci in Aristotelem interpretes Psellus, Mangenetus, Ammonius obruunt lectorem uerbis

inanibus, qui propè est mos enarratorũ illius gentis. Iacobus Faber tum in Aristotelem scripsit, tum Dialecticam ipse composuit: multaq; ex receptis suo æuo opinionibus tanquã ex cœno trahit. Sequitur rerum naturæ cognitio, eam facilius adolescens quàm res prudentiæ intelliget, quippe naturalia sensu & acumine assequitur. Res autem prudentiæ usu uitæ, & multarum rerum peritia, ac memoria. Quæ de natura exculpsimus uel sensibus sunt parta, uel phantasia, quibus iudicium mentis accessit rector sensuum, quocirca pauca & maligne sumus cõsecuti propter eas tenebras, quæ densissime animos humanos obsident, ac premunt: quocirca uerisimilia consectãur magis quàm assequimur, quæ pro comperto habeamus uera. Sunt quidã duri adeo ac difficiles, ut in omnibus rationem exigãt uel sensibus expositam, uel menti inuincibilẽ: ut Aristoteles, & C. Plinius: hi fiunt alienis inuentis increduli, & in rebus pijs impij: quum ipsi alijs tantopere inexorabiles in ijs tamẽ quæ probant, sępe rationi assentiantẽ leui, atq; infirmę: uel unicę autoritati eius, cui sunt adiurati. Idcirco ab studio hoc summouẽdi suspicaces, quiq; omnia uertũt in deterius. Nec quicquã disciplinæ huius tradendũ parum firmis in sancta persuasione, nisi etiã addãtur exactę causę primæ philosophiæ, quæ ad diuinitatis cognitionẽ pertingunt. In naturæ contemplatione ac uentilatione primum sit pręceptũ, ut quandoquidẽ scientiã ex his parare nullam possumus, ne nimiũ indulgeamus nobis ijs scrutandis & exquirẽdis, ad quæ nõ quimus peruenire: sed studia nostra omnia ad uitæ necessitates, ad usum aliquẽ corporis aut animi, ad cultum & incremẽta pietatis conferamus: siquidẽ intenta & accurata diligentia nihil assequimur aliud, quàm (ut Solomon sapienter dicit) afflictionem. Nec uacat sic occupato districto; cogitare de Deo: quod si tentet facere, ilico obuersatur ei ante oculos ea scrutatio, in qua est totus. Quare contemplatio rerum naturæ nisi artibus uitæ seruiat, aut ex notitia operũ sustollat nos in autoris notitiam, admirationem, amorem, superflua est, ac plerunq; noxia. Quapropter illa abijcienda sunt penitus, quæ ad curiositatẽ quandam solum pertinent, ne illis distentus animus meliora scrutari postmittat, & quę scire muneris est ueri ac germani philosophi. Magis sunt illa spernenda, quæ ad inanem ostentationem conficta, nihil in se continens solidi, & profuturi: de quo genere sunt Suicetica, quæ detinẽt obducuntq; à cura meliorum: quodq; est grauius, reddunt eis ineptos. Neq; enim est philosophus qui de instantibus & de motu enormi aut cõformi nugatur subtiliter, sed qui generationes & naturas nouit plantarum atq; animantium, qui causas cur quicque fiat, & quomodo. Nec attingenda Arabica indocta, insulsa, impia. Sed nec ueterum Gręcorum, Latinorũmue quãlibet doctorum hominũ rimandæ opiniones omnes, ac placita. Nam quorsum attinet scire, non defuisse, qui niuem atram esse contenderent, ignem frigidum? Scire quidem fortasse nihil interdum obesset, occupari autem dum id uel propugnas, uel labefactas, id uero est nimis liberaliter abuti tempore. Itaq; & in Aristotele molestas illas disputationes, seu rixas uerius, contra antiquos philosophos prætereundas censeo. Adde quòd nec Aristoteles ubiq; narrat fideliter, nam inuertit illorum uel sensa uel uerba, nec satis ualide confutat, & ex suis ipsius principijs illos refellit: deniq; non tanti est illa nosse. In omni philosophia quæ est de natura, illud prædicetur iuueni ea illum modo auditurũ, quem imaginem habeant ueri, quantum quidem ingenio, iudicio, usu, & diligentia potuerunt assequi, quibus curæ fuit illa indagare: nam quod nos uerum esse pro certo possimus confirmare, rarum est. Initio exhibenda sunt facillima, id est, sensibus ipsis peruia. Hi sunt enim ad cognitionem omnem aditus. Ideo primum inter hæc obtinebit locum expositio quædam, & uelut naturæ totius pictura, cœlorum, elementorũ, & earum rerum quæ sunt in cœlis, quæq; in elementis, igne, aẽre, aqua, terra: ut non aliter summa quadam sit comprehensa delineatio atque orbis uniuersi descriptio in tabula. Aristoteles eam ad rem libellum conscripsit de mundo, siue ille est eius autor, siue alius quispiam: phrasis quidem iucundior est, quàm pro Aristotelica seueritate: tum perspicua magis, quàm solitus est Aristoteles de natura disputare: sed illi opusculum hoc asserunt Iustinus martyr, & Ioannes Picus: certè ex Peripatetica schola prodijt. Apuleius illud pro suo uertit,

& inscri-

& inſcripſit coſmographiam: quædam ſunt tamẽ fuſius ac accuratius explananda: ut de cœlis enarrabitur ei ſphæra Ioannis Sacrobuſchij, tum Theorica planetarum Georgij Purbachij: liber etiam Plinij ſecũdus. De geographia uerò et hydrographia Pomponius Mela, & libri quatuor Plinij uſq; ad ſeptimum. Nihil eſt hic opus diſputationibus, ſed contemplatione naturę tacita. Quærent interim & rogabunt uerius, quàm altercabuntur, aut diſputabunt. Sunt nonnulli haud ſatis altiori cauſarũ inquiſitioni idonei, qui ingenio ſint pręditi tardo, & uelut capite demiſſo, quod uel non aſſurgat, uel in ſplendorem intueri non ſuſtineat, ut oculi luſcioſi, utiq; uel non libeat, aut non ſit per uitæ rationes integrum: his eſt hoc ſiſtendũ loco. Tum extra auditorium leget ipſe per ſe Arati phænomena & Iulij Higinij cœleſtem hiſtoriam. Manilij aſtronomicon multa habet de Chaldaica ſuperſtitione ac uanitate inſperſa: adeundum tamen non ſine iudicio & duce, qui quæ deuitãda ſint, ſubmoneat. Strabonem item euoluet deſcriptorem orbis & ſcriptorem rerum geſtarum: contemplabitur Ptolemæi picturas, ſi quas nactus ſit bene emendatas. Addet quæ noſtrorum nauigationibus in confinio ſunt Orientis & Occidẽtis reperta. Ariſtotelis item uolumina de animalibus, & diſcipuli eius Theophraſti de ſtirpibus, & Dioſcoridis de herbis, cum annotationibus Marcelli Vergilij, qui tranſtulit, et Corollarijs Hermolai Barbari: tum ad ruſticas res M. Catonem, Varronem Terẽtium, Iunium Columellam, Palladium, non iam ad uerba, ut antea, ſed ad res intuendas. Petrus Criſcentianas ſtilo & uerbis male cultus, non male agrum & uillam colit. Piſces utcunq; deſcribit Oppianus Dioſcoridis popularis: hanc naturę partem uehementer ignoramus, quòd & in ædendis piſcibus incredibile dictu quantũ ſibi natura indulſerit, & in nominandis conſuetudo: ut in maris regionibus, atq; oris diuerſis, diuerſi ſint ac perquàm diſſimiles, etiã qui eiuſdem ſunt generis atq; ſpeciei, uariæ ſint in uarijs plagis figuræ ac formæ: nec ſolum in eis appellandis linguæ inter ſe diſſentiunt, ſed urbes & oppida: atq; adeo uici eiuſdem linguę. De gemmis, metallis, & pigmentis Plinius ſcripſit, qui ea ipſa omnia eſt complexus, quæ modo recenſui: quod & Iulius Solinus fecit, Plinij ſimiolus, uel uerius ſuppilator: nec minus contemplationem hanc iuuare Raphael Volaterranus poteſt tertia ſuorum commentariorum parte quam philologiam inſcripſit, autor magnam ſanè diligentiæ laudem meritus. Hæc quidem ei qui hac in parte ſtudiorũ uolet permanere legenda ſunt hoc loco, & perſcrutãda diligenter: ei uerò qui porrò pergit ad ſequentia, poſt cauſas naturæ exteriores perquiſitas, in hoc erit uelut amœno diuerſorio conquieſcendum: ſtudioſum ſpectationis huius ut ſedulum ac diligentem requirimus, ita minime pertinacem, arrogantem, contentioſum, Nihil hic iam opus eſt altercationibus et rixis, ſed aſpectu quodam: itaq; contemplabitur rerum naturam in cœlo & nubilo & ſereno, in agris, in montibus, in ſyluis: tum ex ijs quæret, ac ſciſcitabitur multa, qui in locis illis ſunt frequentes: quod genus ſunt hortulani, agricolę, paſtores, uenatores: quod Plinius & alij harum rerum magni autores indubię fecerunt: neq; enim unus aliquis poteſt omnia hæc adeo tum multa, tum uaria intuendo obire. Ipſe etiam ſiue contempletur quid, ſiue narrantem audiat, non oculos modo intentos habeat uel aures, ſed animum quoq;: magna enim et accurata animaduerſione eſt opus in omni natura contuenda, obſeruatione hac temporũ, & ingenij ac uirium cuiuſq; rei. Magnam hi adferent utilitatẽ agro colendo, percipiendis & condendis frugibus, eſculentis, & poculentis, medelis ac fomentis in affecta ualetudine. Erit ſenum locupletum ingens delectatio, tum refectio animorũ ijs, qui uel priuata negotia, uel rempublicã gerunt. Quando non facile alia reperietur uoluptas ſenſuũ, quę comparari huic uel magnitudine uel diuturnitate ualeat: quippe quæ ſciẽdi deſiderium exhilarat, quod in omni humana mente ardentiſsimũ eſt. Quocirca dum contẽplationi huic datur opera, nõ eſt aliũde recreatio petenda, nec cibo huic cõdimentũ: deambulatio ipſa, atq; otioſa illa contẽplatio & ſchola eſt & magiſter: ut quæ aliquid ſemper quod cũ admiratione ſpeculeris oſtendit, unde eruditio increſcat. Sed reuertamur ad ſcholam & doctorem. Qui pergẽt ulterius diſcere, ijs poſt deſcriptionẽ illam rerum breuem ac facilẽ artificiũ naturæ occultum declarabitur, quæ eſt prima philoſophia,

ſcrutatio uidelicet & cõcretionis corporũ,& actionum omnium,quæ ex intimis rei cuiuſq; naturaliter oriũtur,unde ad ipſas cauſas exteriores egredimur,tanquã opera intimarum,& ad Deum uſque conſcendimus parentem cauſamq; uniuerſorũ,ſi modo recta inſiſtamus uia. Nam inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt oculis mentis ſeſe offerũt,ſempiterna quoq; illius uirtus & maieſtas.Quod ſi oblique incedamus,errabimus totã uia in diuerſum.Quapropter philoſophia hęc nõ temere,nec quomodocunque eſt tractanda,in qua tam grande paratum eſt periculum errori. Itaq; non eſt natura ad gentilitiã lucernam ſcrutanda obſcuræ lucis malignæq;,ſed ad fecem hanc ſolarẽ,quam Chriſtus mundi tenebris inuexit:eam ad rem nos tentauimus opus ſcribere,ne haberemus gentilitia conſectari tanto detrimento religionis,aut certè diſcrimine. Adde quod ſi non exactius, apertius certe ſunt omnia à nobis prodita. Nam Ariſtotelis prima philoſophia,quæ μετὰ τὰ φυσικὰ dicuntur,& libri de auditu phyſico octo,quæ ad idem argumentũ pertinent,euoluenda ſunt hoc loco:multum enim tum eruditionis habent,ut illius omnia,tum ingenij,ſed obſcuritatis quoq; plurimũ: quin illæ Ariſtotelicæ ſubtilitates,atq; adeo non raro quoq; prætenues minutæ,frangunt ingenij aciem,ac retundunt.Præbuit etiam nonnullis anſam,ut quæ nuſquã eſſent inquirerent, & ex diligentia atq; attentione quærendi immodica, aliquid ſe inueniſſe crederẽt,& uidere ſibi uiderẽtur,quæ non uiderent,ac ne eſſent quidem:non aliter quàm qui ſudo ac ſereno cœlo de medio die quærunt aſtra, ex hallucinatione putant ſe aliqua cernere.Octo libri Phyſicorum prælegentur iuueni,& quidem cum cura,ſiue ij ab Ariſtotele ipſo ſunt præſcripti, ſiue(ut quidam putant)dicente illo excepti,à Nicomacho autem filio qui Theophraſtum audiuit, collecti, & æditi:ideoq; περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως inſcribi. Nec minus tradentur accurate ſex prima uolumina primæ philoſophiæ:nam reliquos ſeu duodecim ſunt, ſiue ut nonnullis placet,quatuordecim,ipſe per ſe leget,ſelectis ſentẽtijs ac dogmatibus memoria dignis,reliqua difficultatis ſunt ut ingentis,ita etiam ſterilis:quæ tamen diligentius ac penitius magiſter ſcrutabitur,ut aliqua illinc et ſibi,& auditoribus utilia eruat.In quinto libro categoriæ explicantur:adiungendum opus Porphyrij de quinq; uocibus ex Ariſtotele decerptum,tum diffiniendi ac diuidendi ratio Boethi, quæ eſt eſſentiarum explicatio. Libellus circumfertur Speuſippi de diffinitionibus Platonis, unde ad omnia diffinitionum genera licebit exempla petere.In hac tanta inueſtigatione magiſtrum uolumus diligentẽ,moderatum, miníme arrogantem, aut in ſtatuendo præcipitem: nec aliter cunctabundũ atque ſuſtinentem ſeſe,quàm qui ſe in tenebris & per lubricum intelligit uadere.Deſiderat diſciplina hæc auditorẽ ingenij attollentis ſe,ac erigentis ſupra ſenſus ad cauſas rerũ ac primordia,ad collectionem uniuerſalis ex ſingulis.In quibus generalibus eſt doctrina,ſicut in ſingularibus delectatio:illud enim eſt mentis,hoc ſenſus.Ideoq; magis delectat Plinius,Ariſtoteles magis docet.Alienum eſt ab inſtituto hoc ingenium nugax,inepte coniectans,item contentioſum,ut rationem ad omnia euidentem atq; inuincibilem efflagitet,quæ non poteſt ubiq; exhiberi par: ſed conuenit unumquenq; contẽtum eſſe ea ueriſimilitudine,qua humanum ingenium integrum,hoc eſt,non affectione ac partibus imbutum,non contentionis, ſed ueritatis auidum,facile acquieſcat.Inſtitutor & hæc & omnẽ de natura cõmentationem ad mores excolendos referat,ut animos ad uirtutem fingat,pietatis reſpectũ, & curam inſtillet pectoribus:quarum rerum magnam occaſionem, & uberrimã copiam naturæ contemplatio omnis præbebit:ſic uidentur uoluiſſe ſua tradere Seneca, & Plutarchus,interim etiam Plinius Secundus.In præceptis primæ philoſophiæ ambages ſunt quædam obeundæ, progrediendum aliquo uſq;, inde eodem reuertendum,unde ueneras:ab a ad b,rurſum à b ad a:propterea quòd in hiſce rebus indagandis non ducimus mentem noſtram uia rerum,ſed uia ſenſuum,quæ hos habet Meandros.Itaque elaborãdum ſemper,ut priora ſint ſimpliciora,& magis rudia,id eſt,ſenſui magis expoſita,& cognita:ea uero expolientur paulatim, & ad cenſuram mentis uenietur,poſtquam ſenſu uſus fueris,quantum oportet.Vocabula non ſunt in natura ſatis apta,quandoquidem populus à quo manat ſermonis copia,rerum eſſentiam,

naturam

naturam,uim non capit, unde uera & maxime propria appellationum ratio deberet proficiſci:ſed tamen à uulgi conſuetudine recedere nos in totũ non conuenit,aut certè ſi quid exactius tentamus eloqui, receptus eſt uſus declarandus,ne alios fallamus. Diſputationes hic,& ſtudiorum quieta collatio potius,quàm altercatio, non iam ad uictoriam pertinebunt & gloriam,quod permittebatur pueris,ſed ad uerum intuendum, quod eſt pretium operæ ampliſsimum:ut ſit quædam quaſi militia ad eam aſſerendam:ergo aſſerta,continuo ſunt ponenda arma,& ubi illa procul emicuerit,haſtæ ſunt imperatrici ſummittendæ.Noli contra uerum ingenioſus aut doctus exiſtimari, non tu illi tenebras offundes,ſed luſcioſo ac infirmo humano ingenio,ſæpe alieno,ſæpe etiam tuo ipſius,non ueritatis uitio,ſed noſtro.Itaq; rectam ſemper uiam in his tenete,quantũ quiſq; iudicio integro aſſequetur: quæ uobis ſic incedentibus tranſuerſa ſeſe obtulerint,id eſt,quæ dubia ex ipſa re naſcentur,diſſoluite:nolite autem latam & regiam uiam egredi,ac in deuijs tramitibus impedimenta atq; offendicula quærere,quæ in media uia opponatis,hoc eſt,aciem mentis per totam naturã peregrinatum mittere,ut undecunq; conuerrat,quo ueritatis lucem & uobis & alijs obſtruatis.Seuocet quandoq; philoſophus ſeipſum à condiſcipulorum colloquijs,ut ſolus ipſe,ac quietus,quæ audierit,quæq; legerit,recognoſcat,& contempletur:clarius tum uidebit ſingula,& iudicabit acrius:plurimũ ea res tum intelligentiæ,tum iudicio confert. Chryſippus Stoicus ſolitus erat dicere,ſi inter plurimos me exercerẽ,nunquam philoſopharer.Exercitationes corporis aliquanto robuſtiores concedentur, nempe robuſtioribus iam & magis cõfirmatis,deambulationes intentiores,aut longiores,curſus,ſaltus,iactus,lucta,modo ſcholaſticè,non militariter,nempe ad reparationem uirium,ut ualetudo ſit in iuuenili corpore firmior,& ipſi alacriores,ne ingenium grauitate ualetudinis opprimatur. Eget etiam diſciplina hæc crebris animorum refectionibus,quæ ſubtilitate,ac difficultate ſui uehementer ingenia defatigat: ſed eiuſmodi recreationes præter eas,quæ de corporũ relaxationibus obueniunt, ex ſuperioribus repetentur ſtudijs,lectione poetarum, coſmographorum,hiſtoricorum ſiue naturæ, ſiue rerum geſtarum.Poſt expoſitã naturæ picturam,&intimum eius artificium,tum eſſentias rerum,ſtudium ſequetur inſtrumenti probabilitatis ſeu de ratione inuenien di argumenta,continuo mox de ratione dicendi: ſic enim optime hæc intelligentur: nec antea poſſent propter inſcitiam earum rerum,quæ in eiuſmodi obſeruationibus tractari eſt neceſſe,quæ quum ex alijs artibus,tum ex medio uitæ uſu depromuntur: ſed neq; debent diutius differri, quoniã alia maxima & perfectiſsima ſtudia hiſce inſtrumentis adiuuantur.Argumentorum inuentio pars eſt dialecticę una ex duabus, altera eſt enim,quam ſuprà de iudicio poſuimus,ſeu ueri cẽſura.Separauimus tamen tradendi loco,quoniam ſic intereſt diſcentium.Vtraq; ars & dialectia & rhetorica rixoſa ex ſe eſt,ad contentionem ac peruicaciam procliuis, ideo rixoſo & contentioſo ingenio neganda:item ſuſpicaci in peius,omnia enim illuc detorquebit: affert etiam utraq; ars malitiæ plurimum,idcirco nec malitioſum ingenium,& ad fraudem faciendam paratum inſtrui illis conueniet:ſed nec malo uiro tradendæ,nempe ſeditioſo,uenali,iracũdo,ultionis auido:fierent huic gladius in manu furentis,ſicut eſt in prouerbio.Quinetiam cuicunq; credentur,modice ſunt & exiguo tempore deguſtandę potius,quàm ebibendæ:reddũt enim ſpinoſos,rixoſos,fraudulentos.Nam quod dicunt uitio id euenire male utentiũ,ſit ſanè ita, ſed multi oblata occaſione in uitium labuntur.Facundiſsimum hic præceptorem requirimus,& quod magis exigitur,acuto ingenio,iudicio integro,& ſano,uerſatum in omni genere diſciplinarum atq; eruditionis,quiq; uitiorũ animaduerſor ſit ſubtilis et acer:quod Ciceroni uehemẽter profuiſſe teſtatur ipſe idem in Bruto,quum ait ſe Miloni Rhodio operam dediſſe,homini in notandis animaduertendisq; uitijs,& in inſtituendo docendoq; prudẽtiſsimo.Nihil eſt ſcilicet perinde difficile,ut orationis lapſus & flagitia animaduertere primũ, hinc uelut indicare digito,tum exprimere,poſtremo corrigere:deeſt interim aliquid,& te deſiderare intelligis,nec promptũ ſit tamẽ explicare,quid illud ſit:ut de L. Gellio, & alijs quibuſdã oratoribus Cicero ſcribit. Ad inueſtigationẽ probabilitatis enarrabit

doctor

doctor Ciceronis topica additis commentarijs Boethi, aut quod malim, Rodolphi Agricolæ dialecticã uoluminibus tribus facundissime & ingeniosissime expositam. Ciceronem uero & Boethum discipulus per se non semel leget, cui M. Tullio totam penè artem hanc debemus, quæ ab Aristotele quidem reperta rudis adhuc est ostensa, nec utẽtibus satis habilis. Leget item per se Quintiliani librum quintum, necnon Ciceronis duo de Inuentione uolumina, quod opus excidisse sibi dicit iuueni: adiunget Victorini commentarios. Aristotelis octo libros topicos attente, ut omnia illius philosophi, iterum atq; iterum euoluet, non tam ad expoliendum aptandumq; instrumentum hoc credibilium, quàm ut sententias & præcepta uariarum rerum, quæ in opus illud sunt cõgesta, annotet, & ad manum habeat, ubi res poscet. Magister uelut diligens apicula per omnia disciplinarum uiridaria circumuolitans undiq; decerpet discipulo suo, & colliget obseruationis huius exempla: sed in rebus uitæ magnam copiam oratores suggerent, & poetæ tragici, qui sunt omnis generis argumentis refertissimi. Tractatio erit primum, ut ea quę audierunt, magistro reposcente, reddant, additis uel eisdem, uel nonnunquam alijs pro ipsorum captu exemplis. Hinc examinatio quemadmodum magni & præstantes ingenio uiri credibilia sua inuenerũt, quis sit horum locorum in illis usus, & quàm conueniens. Tum propositis simplicibus rebus, quæ in illis sit argumentorum in omnem partem materia & quasi farrago per sedes rationum: ut homine signato, aut philosopho, aut principe, aut republica, idem in comparatione fiet duorum, aut plurium: ut si quis philosophum & uxorem conferat inter se. Hæc ubi diligenter trita erunt & percognita, sumpto iusto & quasi legitimo themate, ad partem utranq; excogitabuntur argumenta, quorum momenta uel separatim expendentur, uel ex collatione. Huic dicendi succedit ratio, quam à bonis & sapientibus uiris repudiari aut negligi minime conuenit: quãdoquidem efficacissima est ac potentissima & in omnes uitæ partes necessaria. Nam in homine ius, ac imperium summũ est pènes uoluntatem, ratio & iudicium uelut consultores sunt illi attributi, affectus autẽ ut faces: atqui et affectus animi sermonis scintillis accenduntur, & ratio incitatur, ac mouetur: quo fit, ut sermo in toto hominis regno ingẽtes uires obtineat, ac subinde ostendat: nec immerito Euripides τυραννικὸν uocat facundiam: & per sermonem amplissimas opes, potẽtiam, regnum quoq; assecutos esse nonnullos constat, ut Pisistratum, & Periclen. At dicunt, prolapsi sunt mores in deterius, idcirco non sunt hominibus ea committenda, quibus in perniciem aliorum uterentur. Equidem quibus ingenijs credendam esse facultatem hanc censerem, paulò antea exposui, & quantum mihi de ea sumendũ uideretur. Sed certè quo sunt corruptiores animi hominũ, eo ars hæc accuratius deberet à prudentibus & probis uiris suscipi, quæ in animos nostros dominatur tantopere, ut illos à flagitijs & sceleribus ad curam aliquam uirtutis traducerent. Necessitas uel ex eo ostenditur, quòd nulla omnino uitæ ratio atq; actio carere potest sermone, publica, priuata, domi, foris, cũ amico, cum inimico, cum hoste, cum maiore, cum minore, cum pari: is est maximorum, & bonorum, & malorum causa: quantum ergo est uti sermone decenti et consentaneo personis, rebus, locis, tẽporibus? ne quid exeat peruerse, pueriliter, indecore. Neq; enim aliò est tota hæc tractatio conuertenda, non ad inane uerborum studium, ut ea compta sint atq; splendida, ut concinna suauisq; structura coagmentata: sed neq; dicamus putide, inepte, ac ut minime dici conueniat: ut appareat artem hanc potissimam esse prudentiæ portionem. Quapropter sic meo quidem iudicio tradetur ut primum omniũ qui sit orationis finis procul spectemus: tum ad ea perueniendum quæ instrumenta, quæ uia: exempli gratia, finis est docere, persuadere, mouere. Instrumenta sunt uerba simplicia, composita, & eorum sensa, quæ omnia per singulas ipsorum qualitates aperienda sunt, & examinanda. Tum quemadmodum operi applicanda sint instrumenta uidebimus, id est, quæ cui fini, & quemadmodũ. Hinc speciatim de docendo, & eius partibus, de persuadendo, de mouendo & eorũ formis. Habebitur ratio dicentis, audientis, loci, temporis, negotij. Iam quæ instrumenta quibus rebus sunt apta, ad hunc finem, hoc loco, hoc tempore, hoc dicente, hoc audiente. De quibus nisi ego fallor, perturbate,

perturbate,confuſeq; eſt olim à maioribus noſtris præceptũ,minimeq; ad uſum congruenter.Poſſunt tamen à ſedulo inſtitutore multa ex illis colligi, nempe ex Ciceronis libris Rhetoricis,Quintiliani inſtitutionibus oratorijs,ex Hermogene, libro potiſsimum quinto,qui eſt de dictionum formis,& Hermogenis penè interprete Georgio Trapezuntio:de formis item multa præcipit Demetrius Phaleræus in libro περὶ ἑρμηνείας,& Ariſtides περὶ πολιτικῆ λόγε.Nam eſt eiuſdẽ ars rhetorica de ſermone ſimplici,ut Apſinis Cadaræi.Dionyſius Halicarnaſſæus præcepta quædam aggreſſus eſt tradere de orationum,ſiue argumentorũ generibus,ut de panegyricis, epithalamijs, epitaphijs, & eiuſmodi.Tum Latinos ſumet in manus Martiani Capellæ librũ quintum, Rutilij Lupi de figuris, quod opus è Gorgia uertiſſe ferunt,non Leontino illo, ſed alio quodam.Iulius Ruffinianus,& Rhomanus Aquila de eodem argumento libros reliquerunt poſteris. Sulpitius Victor præcepta quædam artis conſcripſit. Ex his omnibus decerpet tanquam floſculos,uel unde ipſe faſciculum,quem inuenibus ſuis exhibeat,concinnet,uel quos ſparſim tradat, dum aliquos artis huius præceptores enarrat.Enarrabit uero ſi quos uelit,primum facile aliquot ac breue artis compendium,quale eſt Martiani Capellæ,aut Philippi Melanchthonis,uel quatuor Rhetoricorum libros ad Herennium:quos qui Ciceroni aſsignarunt,equidẽ quid ſecuti ſint, haud uideo:ex Quintiliano uidetur poſſe colligi,à Cornificio eſſe compoſitos.Tum Quintiliani libros quinq;,nempe tertium,quartum,octauum,nonum,decimum.Oratorem Ciceronis,et Ariſtotelis Rhetorica ad Theodecten,opus magni quidem ingenij ac artis,quod in hoc autore eſt perpetuum, ſed ingentis quoq; utilitatis ad ſenſum & prudentiam uitæ communis.Leget ipſe iuuenis priuato ſuo ſtudio Quintiliani reliquum.Ciceronis partitiones ad filium,de oratore,et Brutum.Ariſtotelis uel cuiuſcunque alterius ad Alexandrum Rhetorica.Georgium Trapezuntium.Cæterum quando non habemus iam populum uel Latine loquentem,uel Græce,operoſum eſſet noua in elocutione illarum linguarum præcepta excogitare:uetera ſufficient, additis nonnullis ex natura ipſa catholicis, quæ in omnes linguas poſſint competere. Adiungetur ratio linguarum,quo pacto inuentæ, adultæ, perditæ, quemadmodum cuiuſq; cenſeatur uis,natura,copia,elegantia,grauitas,cultus,& aliæ ſermonis qualitates.Præceptis rhetoricæ non nimium adhærendum eſſe Ciceroni placet,uel ob hoc unum,quòd nullus ferè artis magiſter ipſe eloquens fuerit:quod mihi de inſtrumento omni dicendum uidetur,in quo adornando non perinde elegantia requirenda eſt, & accurata compoſitio,quàm ut apte uſui deſeruiat. Sed neq; exercitationes in arte dicendi diligentes admodum & crebras probarim:ne anceps inſtrumentum lædendi uoluntatem titillet, occaſione oblata: tum procliuitatem ad fraudem & malitiam pariat:tametſi initio frequentiores eſſe uelim, quàm quum de uario & multiplici argumento dicent. Primum faciliora quædam & ſimpliciora uerſabunt, quæ ſtyli nec ἀίνωσιν,nec compoſitionẽ magnopere deſiderant.Fabellis hiſtoriolis,dilatione contractæ rationis,contractione dilatæ ac fuſæ:quæ ſunt in ſcriptoribus percrebra.Tum in alijs docẽdi ac delectandi formis.Hinc in ijs quæ controuerſiam, & quæſtionem, & aduerſarium habent. Nouiſsime in motu & concitatione affectionum animi. In quæſtionibus primo loco tractabuntur eæ, quæ ſunt abſque negotio indefinitæ, de locis communibus & ſententijs(quemadmodũ Seneca inquit)tranſlatitijs,quæ nihil habent cum ipſa controuerſia implicitũ,ſed ſatis apte,& ei applicantur,& alio tranſferuntur,tanquam quæ de fortuna,de crudelitate,de ſeculo dicũtur:quod genus ſententias Portius Latro ſupellectilem uocabat. Fuere olim qui in uſum hunc communes locos cõſcripſerint:ut Q.Hortenſius,Protagoras,Prodicus,Traſymachus Chalcedonius:multis exemplis exercẽdi ſunt iuuenes, in ſuis & alienis, ut ſua explicent, aliena intelligant.Sequẽtur deinde quæſtiones cum circumſtãtijs,quę definitæ nuncupantur.Nunquã contra ueritatem aſſueſcent dicere,nec pro ea materia,quam rhetores infamem nominant: ut contra Socratem pro Buſyride, pro uoluptate, contra æquũ,& pium,ne ſi id quandoq; loco fecerint,faciãt aliquãdo ſerio,quũ praua animi libido illuc rapiet:ſtet tanquã in acie facũdia omnis pro bono & pio contra flagitium & nefas:

& nefas. Verba, quibus nullus subest sensus, cassa prorsum sunt, & uana quadam spe cie turgida: imprudẽtes sensiculos deridemus, atque aspernamur: prudentia semota probitate malitia est, & perniciosa fraus: itaq; uera & germana rhetorica diserta est sa pientia, quæ à iusto, & pio separari nullo pacto potest. Neq; uerò imitanda sunt no bis, quę fuerũt gentilitati recepta, maledicere, conuitiari, prauissimas suspiciones inji cere, recta inuertere, ex bona causa malam facere, ex mala bonam: satius est causæ de trimentum pati, quàm uirtutis: nec in profanis solum, sed nec in ullo penitus quam libet sancto, & inculpato uiro imitabimur, quę per se sunt mala. Iudiciali genere nihil omnino indigemus, in quo multum inesse malitiæ uel Aristoteles est autor, præter quam quòd res ipsa id satis loquitur. Litigare, nõ satis decet Christianum, quanto mi nus ea uersutia, impostutis, insidijs, fraude, quę in illis actionibus imprudentibus, atq; etiam inuitis surrepunt. Nam quod Quintilianus ait, quid si impetrari aliter æquum, atq; obtineri non possit: Quid si togam, nisi ferro, aut ueneno, recuperare non possis, utrum fuerit cõsultius, carere toga, an sic recipere: uitam sit satius perdere, nedum to gam, quàm sic cõseruare. Declamẽt iuuenes apud magistros de ijs argumentis, quo rum aliquis sit deinceps usus in uita: nõ quemadmodũ prisco illo seculo de ijs rebus dicebant in schola, quæ nunquam in uita contingerent: de quo merito Quintilianus conqueritur. Ad meditandas scribẽdasq; orationes in quietum locum secedant, un de uox nulla, nullus strepitus exaudiri queat, tum etiam subobscurum, ne quid ocu los uel aures percutiens, animi cogitatus interpellet: quod Demosthenem facere con suesse perhibent. Legent ipsi declamationes & suasorias, quas ex oratoribus sui tem poris Seneca collegit, mendosas quidem illas, & truncas, nam desunt Græca nõ pau ca, & Latina sunt deprauatissima, sed erunt nõnunquam adiumento dicentibus: nam plurima in illis sunt & inuenta subtiliter acuteq;, & lepide ac uenuste expressa: mul tæq; uerborum ac sententiarum conformationes & quasi lumina. Sopatris sophistæ διαιρέσεις ζητημάτων extant prolixę admodũ, eas institutor ipse scrutabitur, & ad scho lam, quę illinc uidebuntur, deferet. Pronuntiationis habenda ratio, nec in postremis: quam in dicendo pollere plurimũ Demosthenes sensit. Ideo iuuenes dicturi conser uent uocem diæta, & exercitatione, sed naturalem uocem, nõ simulatam & fictam, ut phonasco sit opus. Singulis hebdomadibus declamationẽ unam apud cunctum au ditorium institutor corriget: consyderabit primum, qua de re dicatur: hinc quis, quo tempore, ad quos fingatur dicere: tum examinabit uerba simplicia, & coniuncta, sen tentias, argumenta, ordinẽ: uniuscuiusq; horum omniũ per se qualitatem, hinc quàm commode rei de qua dicitur, congruant illo tempore, & loco, & auditore, & dicente, qui ponuntur: nec attendet adeo, ut omnia sint exacta, ut argumenta ualida & inuin cibilia, quàm ne inepta: quoniã quidem nihil est in arte hac indecoro turpius, nec im merito dicitur caput esse, decere quod facias. Videtis quo ingenio, quo usu, quanta prudentia, & attentione ad corrigendum sit opus: quare difficillimum hoc est magi stri munus, sed & ipsi tantum & scholæ longe fructuosissimum. Nam ex correctione una plus eruditionis & iudicij refert auditor, quàm ex prælectionibus atq; enarratio nibus permultis: ergo eam ad rem & frequentes & intentis animis interssint, nec sine pugillaribus, ut capita & summas rerum excipiant, quas actutũ in cubiculis suis dif fusius exponant, literisq; & memorię imprimant, ac insculpant, ut monstratum semel periculum in perpetuum uitetur. Sciantq; iuuenes propter copiam et uarietatem ma lorum, quibus undique & subinde infestamur, maioris esse iudicij ac operæ deuitare mala, quàm tenere bona. Verum enimuero quando loqui naturale est, sermo autem quicunq; artis, sine qua nascimur, & finxit alioqui hominem natura mire inimicum, quoniam rudem prorsum, & artium omnium expertem, imitationis indigemus. Imi tatio porrò effictio est rei alicuius ad exemplar propositum: quocirca proponenda sunt, quæ iuuet expresisse, optima scilicet, non simpliciter, sed iuxta præsentes uires: sapienterq; à Marco Fabio præcipitur, ne initio pueri ad magistri æmulationem co nentur assurgere, ne destituantur uiribus: sed quod illis erit facilius, ac promptius, ali quem de condiscipulis doctiorem exprimant, quo inniti paulatim se ad magistrum

exprimendum

exprimendum erigant: quod consilium agricolas in maritandis uitibus uidemus sequi. Et quemadmodū in homine, sic in oratione quoq; imitatio ut similitudo quædam è corpore atq; animo spectatur. In oratione uerba & compositio sunt pro corpore, sententiæ uerò, argumēta, dispositio, atq; illa ceu œconomia pro spiritu ac mente. Filius non tam dicitur patri similis, si lineamenta, si figurā & formam referat, quàm si mores, ingenium, sermonem, incessum, motum, & illam quasi uitā, quæ ex interiore animæ sede foras, per actiones emicat, & se nobis ostendit. Si inuenire posset aliquis, qui unus omnia haberet optima, Deo simillimus ac proximus, uel potius Deus ipse, is esset sanè imitandus solus, sed nullus est ab omni parte tam felix: quapropter recte Seneca, non est unus quamuis præcipuus sit, imitandus: quia nunquam par fit imitator autori: hęc natura est rei semper citra ueritatē, et minor est similitudo: & quo plura exempla ostensa sunt, hoc plus eloquentia proficitur. Eadē est Quintiliani sententia, qui non qui maxime imitandum, eum solum imitandum censet. Sunt qui ex omnibus Ciceronem unum deligant, quem effingant solum: habet quidem optima Cicero, sed nec omnia, nec solus: quum delectat, quum docet, admirabilis est præter cęteros: in colligendis argumentis acutus, in deuinciendis & iacendis non perinde dexter & ualidus: deficitur interdum uiribus propter fusum illud & Asianum dicendi genus, quod est in eo à quibusdam magnis ingenijs notatum Cęlio, Bruto, Attico, Tacito, Quintiliano, qui eum põdere ait pugnare, ut Demosthenem uiribus. Quanquam isti noui imitatores non tam animum orationis ad exprimendum cõtemplantur, quàm exteriorem uerborum ac stili faciem. Sed neq; ad hanc imitandam quiuis est factus: nam eo, qui ad imitationem hanc caloris & uirium non satis affert, nihil est frigidius: iacet enim tota oratio, motu & uita caret: qualis est Iouiani Pontani. Vtilis est imitatio uerborum Ciceronis, & tuta, dictionis uerò non item: hanc enim si quis non assequatur, in sermonem quendam degenerabit redundantem, eneruem, uulgarem ac plebeium, cui nicinus admodum est M. Tullius: à qua tamen uilitate uindicat ipse se & asserit admirabili dignitate orationi addita ex scientia & cognitione multarum & maximarum rerum, tum concinnis & uenustis numeris, aptissimis & naturalibus metaphoris, contrapositis, periodis gratia quadam inexplicabili, ac propè inimitabili. Sed certè non si Cicero optimus est atq; eminentissimus, alij protinus mali, aut spernendi. Non est unus eloquentiæ uultus, inquit Tacitus, nec statim deterius est, quod diuersum est. Cicero ipse in Bruto multos oratores in diuersissimo dicendi genere, summos tamē ponit: cuius rei si nõ alij, Cicero utiq; & Demosthenes exemplo esse possunt. Quamobrem acute inspici oportet, quibus tandē rebus appositum sit iuuenis ingenium, quod in omni uitæ institutione faciendum esse sapientes consulunt, ut eo se quisq; applicet, quò naturæ nutu quodā fertur, si modo in finitimum uirtuti uitium non propendit: ut ad Ciceronem, si copiam diligit: ad Demosthenem & Atticos, si parsimoniam uerborum: ad Sallustium, si astrictam breuitatem, & penè Laconismum: qua breuitate, ut Quintilianus testatur, nihil apud aures uacuas atque eruditas potest esse perfectius: ita fiet ut in ea re si non summus, certè neutiquam euadat cõtemnendus: nam in omnibus, aut etiam pluribus fastigium, uel proxima fastigio tenere loca, optandū est magis, quàm sperandū. Porrò quibus quisq; sit rebus appositus, cognoscetur ex delectatione, quæ de conformitate & congruentia quadam oritur obiecti & facultatis: faciet etiam sui periculum, quod in annis quidem rudibus magister spectabit, & arbitrabitur: postea uerò q; magis profecerit, idem ipse. Quod si ingenium ad uitium uergat: ut copia ad exuberantē redundantiā, parsimonia ad ariditatē, nerui ad maciem deformē, tum uerò diuersi generis imitatione ad rectum & sanum habitū deflectitur. Prudenter Quintilianus institutoris munus uult esse adiuuare, quæ in quoq; discipulorū inuenerit bona, & quantum fieri potest, adijcere quę desunt, & emendare quędam, & mutare. Idē magister qui sint in quaq; uirtute præcipui, signabit: ut ad sermonē familiarem Cæsar primas partes feret, & Ciceronis Epistolæ: nõ quin Cicero cuius sit electione uerborum, ne quid aliud dicā, par, sed fusa illa phrasis quotidiano sermoni, nõ satis cõuenit. Cõmētarij ab Hirtio additi

uel Oppio,planè ſunt alij quàm Cæſaris, minus & puritatis & maieſtatis habent: ut Cæſarianos à principe ſcriptos appareat, alteros à priuato. Ad comitatem Plinius Cæcilius,& Politianus. Ad hiſtoriam fuſam Liuius. Ad conſilia explicanda Tacitus. Ad commentarium hiſtoriæ Suetonius,& Florus. Ad præcepta artiũ in rebus, in ordine ac cuncta methodo Ariſtoteles. In uerbis & dictione Quintilianus, & Rodolphus Agricola. Ad paraphraſes Themiſtius,& Eraſmus. Ad carmen heroicum Homerus & Virgilius. Ad lyricum Pindarus,Horatius. Ad Tragœdiam Euripides, & Seneca. Ad comœdiam Ariſtophanes,& Terentius. Ad uertendum proprie Theodorus Gaza. Politianus opus facit ſuum: nec Eraſmus caret gratia etiam ad uerbum transferens. Sed exemplũ uertendi fuerit Ciceronis de uniuerſitate liber,quę eſt pars Timæi Platonici. Ad gratiã dialogorũ Plato, & Cicero. Ad aſtutam rationẽ capiendi aduerſarij Socraticæ inductiones,modo aſtrictiores ſint,quàm ut eas Plato perſequitur. Ad efficacem rationem argumentandi Ariſtoteles. Ad ciuilẽ,Ciceronis dialogi,& Lactantius. Adhortari ad mores probos,bonus Cicero: dehortari ab improbis Seneca: habet idem ſententias concinnas,argutas,breues, quas iaculatur tanquã ſpicula amentata. Ad præcipiendum de moribus breuiter & commentarij uice Plutarchus. Ad conciones in populo non perinde erudito Cicero. Ad ſcholam, Quintiliani declamationes,ſiue cuiuſcunq; ſint, illius certe ſeculi. Ad attentam aut eruditam coronam Demoſthenis orationes: itẽ Liuij,quæ ſparſæ ſunt in hiſtoria. Ad ſuauitatem & numeros Iſocrates: nam altiores habet Plato, quem inter proſam & uerſum fluere Ariſtoteles ait. Dicæarchus autem Peripateticus totum ſcribendi genus tanquam graue & moleſtum reprehendit. Ex his omnibus quod operi ſuo cõducat decerpet: & rationem ſequetur pictorũ, qui ex agrorum & campi aſpectu amœniſsima quæq; in opus ſuum transferunt. Nec immerito à Cicerone ipſo Zeuxis Heracleotes laudatur,qui Crotoniatis Helenam picturus ex multis mulieribus formoſiſsimis delegit,quod in quaq; uidiſſet pulcherrimum. Initio eſt ad bene imitandum opus acuto,& iudicio acri: adde etiã naturali quadam & occulta dexteritate. Itaq; recta bonarum rerum imitatio bonitatẽ ingenij arguit. Nam quidam ea ſunt uel tarditate iudicij,uel his in rebus abſurditate naturæ, ut eodem orationis ſtilo omnem ſe ſtilum referre arbitrentur: ſicut uno aliquo ſuo geſtu, quemcunq; alium: & eodem digitorum pulſu concentũ omnẽ. Sunt qui iuxta ſententiam Senecę: uitia ſua & intelligãt, & ament: tantus eſt in omnibus ſtudijs error, maxime in eloquentia, cuius regula incerta eſt. Inſtitutor id animaduertet: quòd ſi iuuenis inepte,quæ imitãda ſibi propoſuit,effingat,ab imitatione eum ad ſuam ipſius naturam ſequendam traducet, ut ſit ſuus,qui alienus non poteſt. Initio quidem,ſicut antea monui,facillima exprimet, atq; adeo concedam illi,ut quę reddere non poterit,ab exemplari ipſo in ſuum opus transferat, modo ne illum fugiat non id eſſe imitari, ſed ſuppilare: in quo errore plurimi uerſantur: paulatim autem uere imitabitur,id eſt,ad exemplar effinget,quæ uolet: non de exemplari centones ſurripiet, quos in opere ſuo conſuat. Propoſitio autem ante oculos exemplari attentiſsime æmulator contempletur, ac conſyderet, qua tandem arte ac ratione ab autore id putet confectum, ut ſimili artificio & ipſe quod animo deſtinarit, perficiat. Ars enim & opificium, quantum fieri quidem poſſit, idem præſtandum eſt,& quodammodo ſurripiendum, non materia eadem, uel opus idem. Velut ſi quis exempli cauſa gratias alicui acturus eadem dicat, quæ Cicero Senatui,quæ populo Romano,uel quæ Auſonius Gratiano Auguſto, furari hoc quidem certè eſſet. Imitari autem fuerit,ſi conſyderet, quid autor in orationis exordio uelit efficere, quid ſecunda parte, quid tertia,& ſic deinceps: quæ primo dicit loco, quæ alijs ſequentibus, quibus ſententijs in quaq; re utatur, quibus argumentis,& quibus ex locis petitis, quomodo colligatis, & cõnexis, quas ſimilitudines inducat, quæ uſurpet exempla, quos animi affectus attingat, ubi, quomodo, quibus autoritatibus ſua fulciat,& quorũ: non quo nos utamur eorundem, ſed ut eorũ, qui nobis loco eodem ſunt, quo illi erant autori noſtro: qua cõmiſſura priora poſterioribus cõpingat, quæ uerba ſingulis partibus accõmodet, quam uerborũ ſtructurã, hoc tu

artificium idem effingito,nõ eadem uel uerba uel ſenſa:ſubijciamus uerbi gratia breue aliquod exemplum.In oratore ſuo refert Cicero Carbonem tribunum plebis hæc in concione quadam dixiſſe,in qua Cicero ipſe ſtaret: O M. Druſe, patrem appello: tu dicere ſolebas ſacram eſſe rempublicam,quicunq; eam uiolauiſſent,pœnas eſſe ei ab omnibus perſolutas: patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit:quo dicto admirabilem ſequutum eſſe concionis uniuerſæ clamorem & plauſum. Si quis ita effingat.O diue Paule,Tharſenſem appello: tu dicere ſolebas ſacrã eſſe charitatẽ, quicunq; eam uiolauiſſent,pœnas eſſe ei ab omnibus perſolutas. Apoſtoli dictũ ſapiens ſcelerũ temeritas cõprobauit:nõ tam erit imitari,q; ſi quis dicat:O diue Paule, Tharſenſem appello,tu ſemp prædicare cõſueuiſti magnas eſſe uires charitatis, quicunq; ſecundũ eam non uiuerẽt,nec pertinere ad regnũ Chriſti. Apoſtoli ſentẽtiam piã conſuetudo ſcelerum abdicauit. In hac imitatione omnia illa ſunt quæ in uenuſtate prioris dicti,inciſa,membra,& dichorçus clauſulæ. Eorum quę imitationi ſunt propoſita,quædã nunquã poſsis ad perfectum referre, quod genus ſunt homini naturalia:ea uerò ſemper ſunt ſequenda,quoniã æquare non eſt conceſſum: furoris eſt enim hoc ſperare.Alia uerò poſſis,ut pleraq; omnia humana: quę effingi eadẽ ſpecie queant,uel genere,uelut orationis copia,breuitate,ſplendore,grauitate,gratia,argumentis,diſpoſitione,ac eiuſmodi.Sunt tamẽ ex humanis inuẽtis nõnulla, quorũ uel ars omnino perijt,uel uſus,hęc ægre perfeceris,qualia ij,qui tum uixerunt,quum ars aut uſus uigeret:quẽadmodũ in linguis Latina & Græca, quarũ quoniã populum amiſimus,mutuãda ſunt ſemper ex ueteribus uocabula,nec nos ulla,aut certe perpauca poſſumus nouare.Stilus non perinde eſt ab illis ſumẽdus,nã parta undecunq; materia artifex eã tractabit ad arbitrium:tametſi contendere,ut dictionis ornatu ac cultu antiquitatem ſuperemus, aut æquemus ſaltem,non tam malum & uituperandum eſt,quàm periculoſum,ne linquamur uiribus,& in abſurditates incidamus: uel certè difficile deſuefactis iam auribus à cenſura ſoni illius. Promptius eſſet ea de cauſa in linguis uernaculis,quibus eſt populus magnus ſermonis ſui autor,magiſter, iudex. Puerũ imitari,liberale eſt ac laudabile.Senẽ imitari,ſeruile ac turpe.Cõuenit enim ut puer magiſtrum & ducẽ habeat, quem ſequatur,non itẽ ut ſenex. Quocirca ubi ſatis te in imitationis hoc (ut ſic dicam) ſtadio exercueris, æmulari incipe,& te cum duce tuo conferre,qua parte accedas propius,qua longe à tergo relinquare:uirtutes illius & uitia æquus & diligens cenſor examina,quid in illo deceat,quid habeat uitãdum: quam uirtutẽ redditu facilem,quam gratiã penè propriam,& alijs inconceſſam: hæc comparabis cum tuis,& ex eorũ uel recte dictis,uel ſecus,ipſe corriges tua,ſiue dum uitium deuitas, ſiue dum te cõponis ad pulchra. Conare ut magnas uirtutes æques, mox etiã ut uincas:plenã hoc quidẽ negotij, & profecto arduum,magnaq; eſt opus induſtria,ſed in ſublimi ſita ex cuiuſq; rei præſtantia: & iuxta uerbum uetus,pulchra difficilia. Nec ſolum tua opera ad opera ductoris tui tãquam ad amuſſim arbitraberis,ſed tua ipſius priora cum poſterioribus conferes, ut ex comparatione deprehendas profectum. Cuicunq; dicendi generi diu aſſueueris, quamlibet id accuratum ſit & excultum,pro naturali habebitur: quod de Euripide Ariſtoteles tradit. Nam conſuetudo in naturæ conditionem tranſit:quapropter manifeſtę dementiæ eſt, non facili,dilucido,puro,eleganti ſermoni aſſueſcere,potiuſquã portentis uerborũ,aut horrori orationis,uel ſordibus:quoniã quidem pari labore conſtant omnia, non rarò etiam minora bona. Hę artes organa ſunt,ideo per ſe nihil efficiunt:admouendæ ſunt operi,hoc eſt alijs diſciplinis,quibus formant, & parant ingenia diſcentium. Inſtrumentum hoc ſi uſui atq; experimentis rerum publicæ ac priuatæ applicetur, rectorum eſt ciuitatum, imò conditorum etiam, & principum, & eorum qui ius dicunt, uel de iure reſpondent. Sin theologiæ, concionatorum,& illorum, qui homines ad rectum formant,ac meliores efficiunt. Quippe ſapientem uirũ decet non ipſum per ſe ſolum ſapere,ſed alios quoq; fingere ad uirtutem:idcirco non uita illum modo recta eſſe atq; inculpata par eſt,ſed oratione quoq; efficaci: efficax quidẽ eſt ſermo ueritatis,efficaciſsimus Dei ſermo (ut Paulus inquit) Apoſtolis quidẽ hoc ſatis abun-

deq; erat:nam fortiſsimorum argumentorum locum obtinebant prodigia,& ea,quę ſupra naturæ uires oſtendebant:tum uita innocens & in qua uel calumniator ſuſpicionem non inueniret criminis,quam nõ iniuria plurimum perſuadere aiunt:ad hęc peculiare Dei ſubſidium , quod ille clariſſimis ſibi ſubmittebat , quoties eſſet opus. Sed ut nunc ſunt & dicentium & audientium mores,præclare agitur cum ueritate,ſi facundiæ uiribus inſtructa & fulta fidem impetret:non quin malim multo etiam ad faciendã fidem res nudas ſermone, quàm ſermonem à rebus inopem ac deſtitutum. Sed certè res ipſæ conueſtitæ ac ornatæ oratione ſobrio utiq; cultu & moderato, altius deſcendunt in pectora audientium , quæ in aure ſtatim non offendunt tanquam in limine.Ideoq; ſancti uiri caſtam & puram eloquentiam nunquam ſunt aſpernati, niſi qui aſſequi non quiuerunt . Et Lactantius facundiam Ciceronianæ ſimilẽ optabat ſibi,quo ueritatem fortius propugnaret,& hominibus perſuaderet facilius. Anxia illa,& accurata,& picturis inſignis eloquentia,tum ſplendore,atq; apparatu omni illuſtris,ac præfulgens,fortaſſe res ſanctas minime decuerit:certe multo minus ſermo ſpurcus,& uitijs inquinatus : cãdidis & mundis linteis attrectari ſacra conuenit, non byſſinis aut ſericis,ſed neq; canabaceis aut lineis maculoſis.Cæterum de ſermone ſatis.Traducetur hinc iuuenis ad ſtudium mathematicarũ artium , ut loquacibus ſuccedant mutæ,& imponatur ſilentiũ linguæ tamdiu agitatæ: quare ab aurium munere ad oculorũ tranſibitur.Mathematicæ circa quantum uerſantur molis,& numeri : hæc Arithmetica,illa Geometria nominatur:quę ſunt primæ in illo genere,ac ſimpliciſsimę.Geometria in cœlũ ſublata Aſtronomiã efficit, uiſibilibus addita ὀπτικὴν, ſiue perſpectiuam.Arithmetica ſonis admiſta dedit Muſicam: & horum ſingulæ bifariæ ſunt,alteræ quæ intra contemplationem ſubſiſtunt,ſpeculatiuæ appellantur: alteræ in opus exeunt,quæ actuoſę ſiue effectrices.Ex prioribus poſteriores exiſtunt, quod eſt eis cum actione omni,atq; exercitio cõmune:mentis enim cogitatio actiones omnes humanas,& manuum opera antecedit,tãquam generans genitum .Sunt tamen qui ſtudia ſua ad altera ſeorſum adiungant , ut uel contemplentur modo citra executionem,uel exequantur inſpectione omiſſa . Sed nos ut hactenus fecimus , de contemplatiuis potiſsimum loquemur.De effectiuis quoq; interdum ſummonebimus. A diſciplinis hiſce uehementer leuia & inquieta abhorrent ingenia,quæ ſibi impenſe indulgent,nec laborem ſuſtinent aſſiduę intentionis.Aſtringunt enim hęc ingenia,& cogunt hoc agere , nec peregrinari patiuntur . Non ſunt etiam idonei obliuioſi,quandoquidem ſciri,ac teneri centeſima non poſſunt ſi exciderint prima,ea eſt in dictis illis ſeries,& confirmationum perpetuus nexus.Suntq; ea de cauſa magnopere labiles,niſi exerceantur crebro,atq; infulciantur animo. Sæpe alijs diſciplinis amœnioribus nõ ſatis appoſiti iſtis ſunt aptiſsimi ſeueris,ac tetricis.Cæterũ cognitiones hæ atq; obſeruationes,ſi quis progrediendo ſibi indulgeat, in infinitum abeunt: & ſolicita horum inquiſitio à rebus uitæ abducit,cõmunisq; ſenſus reddit expertes. Sapienter Socrates,ut alia,qui quum tantus eſſet mathematicus,ut Euclidem Megarenſem quantus fuit,effecerit, & ut minus hiſce rebus addictum Ariſtophanes ridet in fabula,eatenus tamen impẽdendã geometriæ operam cenſebat, quoad quis & dare,& accipere terram ad æquam menſuram poſſet : ſignificans referenda eſſe ad mores omnia,& uitæ uſum,non ad inanem ac infructuoſam quandam ſpeculationẽ anxiam,& moleſtiſsimam , quam parit diuturna in Mathematicis attentio . Primordia uerò,& progreſſus aliquos alijs maiores,alijs minores,ut cuiuſq; erit ingenium,& diligentia conducere ad res uitæ complures , & ad cognitionem philoſophiæ . Plato ex auditorio ſuo expellebat eos,qui illuc uenirent à Mathematicis deſerti,ac inopes. Apud eum ipſum,& Ariſtotelem,& reliquos priſcos philoſophos exempla ſunt de Mathematicis plurima,tum quòd aptiſſima ſunt & certiſsima:tum quòd illis temporibus longe eſſent notiſsima . Primo loco tradetur arithmetica , quippe quæ eſt ſimpliciſsima,ac ideo prima. Exercitium quoq; illius, & numerorũ tractatio non ſolum explorat ingeniũ,ſed exacuit,& alacrius reddit . Nec ulla uitę pars carere poteſt numeris,multa etiã naturę,ac rerum diuinarum myſteria numeris eſſe comprehenſa,& no-

notata sacri & prophani scriptores docent. Crassi quidam nobiles pulchrũ si deo placet, ac generosum esse arbitrantur, nescire omnino computare. Restat ergo ut generosum habeatur non esse hominem, sed leonem aliquem, aut ursum, aut aprum ex illis suis insignibus. Nam animantes omnes brutæ, computationis sunt ignaræ, solus computat homo. Non quòd pecuniæ contemptũ in principibus uiris incessam, aut à magnificentia opulentos deterream: sed uirtutes omnes ex scientia boni uenire uelim, non ex ignorantia mali. Initia numerorum, & nomina & figuras agnoscent iuuenes, hinc assuescent coniungere inter se ad eliciendas summas: tum diuidere coniuncta, & subtrahere, & quid reliquum sit ostendere. At quum multæ sint numerandi formæ per literas Alphabeti, per Latinas etiam figuras, expeditissimus uidetur mihi, qui de nomine inuentoris, ut quorundam est opinio, Algorismus nuncupatur. Arabicum esse inuentum credo. Tum addentur numerorum nomina, quę qualitatem, atq; adeo naturam indicant: ut de numero pari, impari, pariter pari, pariter impari, primo composito, de dimensu, & proportionibus inter se numerorum, & tota illa tractatione Arithmetices initima. In Geometria exhibebũtur primũ explicationes omnium rerum nominũ, de quibus ea in arte fit mentio. Tum dogmata illa, quæ cum natura mentis nostræ uidentur coniunctissima, eorumq; habere nos uelut impressas animo anticipationes. Hinc Theoremata, & eorum probationes, quæ principijs, ut oportet positis, non persuadent, sed cogunt, & uim adferunt. Ex ea Optice, siue perspectiua, & architectura nascuntur: quarum omnium multę sunt in communi uita ad tuendum corpora utilitates: nempe ex Geometria ad omnem mensuram, proportionem, motũ, & situm molium, siue mouẽdæ sint, siue spectandæ fixæ in uestigio, & immobiles: quemadmodum in dimensu agrorũ, montium, turrium, ædificiorum. Architectura quantas ad habitandum cõmoditates adfert? quam perspectiua adiuuat, sicut in picturis. Perspectiuæ specularia sunt annexa: utinã auditiua esset reperta. In Musica multum degenerauimus à prioribus, ob crassitiem auris, quæ subtiliũ sonorum iudiciũ omne funditus amisit, ut nec longa iam, nec breuia in cõmuni sermone dijudicemus: ideoq; & genera aliquot proportionũ amisimus, & magnas illas uires atq; admirabiles, quas de prisca harmonia memoriæ traditur. Hanc iuuenes & Theoreticen accipiẽt, nonnihil etiã practices, modo sobriæ, & castæ: quę fessos studẽtium animos Pythagoricorũ ritu demulceat, reparet, ac sibi restituat: tũ efferatos, atq; aspe ros ad lenitatẽ, mãsuetudinemq; traducat: q; à uetustate per integumẽta fabularũ dictum est mouere saxa, & feras pellicere, ut de Orpheo, atq; Amphione fama fertur. Astronomia de numero, magnitudine, motu cœlorũ, ac syderum, & de singulis quibusq; separatim, & inter se cõparatis: non referetur ad diuinationem uenturarum uel abditarum rerũ, quæ ingenti uanitate humanos animos detinet, & ad impietatẽ sensim allicefacit. Sed referetur ad descriptiones ac determinationes temporum, sine quibus rustica opera, quibus uita omnis continetur, exerceri non possent, tũ ad positus locorũ, quæ sit cuiusq; lõgitudo, quæ latitudo, qui abscessus: quod multum quidem Cosmographiæ cõducit, sed uniuersæ nauigandi rationi maximopere necessaria est, quæ citra cognitionem hanc incerta, inter maxima & grauissima discrimina erraret: ad altitudines, aut depressiones syderũ, ad recessus eorũ, atq; accessus uel nobis, uel inter se. Adhibebitur astrolabium siue quadrans, quale olim fuit Ptolemæi, siue orbiculare, ut nunc est nostrum. De Arithmetica exercitij, atq; speculationis, Iacobus Faber satis accommodate scribit, ut in schola tradatur discipulis, & ex seipso, & Iordano Nemorario, & Boetho Seuerino, quemadmodum ex hoc eodem de Musica. Nec minus de Geometria præcipit: quin sphęrã quoq; cõscripsit ad eam, quæ extat Ioannis à Sacrobusco, quam itẽ enarrari auditoribus cõueniet, nisi quis eam malit, quæ ædita est à Proclo Diadocho. Theorica item Planetarũ idem Faber cõposuit, quæ discipulus eius Iodocus Clichtoueus elucidauit commentarijs, argumentum & fundamẽtum totius operis ex Georgio Purbachio est sumptum. De usu uerò astrolabij Proclus paucissima quædã reliquit, sed scholarũ exercitationibus aptior est Ioannes Poblatio meus: quibus magister ex Ioanne Stoflerino Iustingẽsi, & Ptolemæo non-

nulla adiunget. Nec eſt ad ponenda harum artium rudimenta inutile, quod eſt in Margarita philoſophica de mathematicis traditũ: quæ ſi quis grauetur ſuis prælegere, ſaltem conſulat, ut ipſi per ſe inſpiciant. Introductionem ad geometriam & perſpectiuam Carolus Bouillus concinnauit: ſed & perſpectiua extat Ioannis cuiuſdam Cantuarienſis. Quæ omnia poſtquam fuerint cognita, tum ad Euclidem uenietur: hunc uelim accurate explicari, nam in eo magnarum rerum ſpeculationis huius exactior eſt, quàm in alio quouis tractatio: in eius libris de geometria, de Arithmetica, de ſpecularibus, perſpectiua, & phænomenis acutiſsime diſputatur. Studioſus ipſe leget per ſe Capellã de mathematicis, hinc Raphaelis Volaterrani Geographiæ initium, & uigeſimumquintum de philologia uolumen. Cenſorinus multa de muſicis diſſerit. In ſphæram Ioannis Sacrobuſcĳ Petrus Ciruelus cõmentarios reliquit. Item Franciſcus Capuanus in eandem & Theorica planetarum Purbachĳ. Erit in magiſtro ac diſcipulo harum diſciplinarum ingenium quietum, & quodam modo ſtatarium, ſedulum, attentum, incumbens atq; inſtans operi. Diſputationibus nihil eſt opus, interrogatiunculæ ſufficient, & reſponſiones breues, aut operis oſtenſio, & collationes ad picturam: radio enim ſunt & puluere uel abaco contentæ. Recolendæ ſunt ſubinde ac retractandæ ijs: qui memorię uolunt illas infigere, ſunt enim alioqui fugaciſſimæ. Qui diſciplinas alias Minerua aut fortuna auerſante non poterunt conſequi, hic ſiſtent: & ad uitam ea præſtabunt adiumenta, quæ modo commemoraui, ſi ſpeculationem in exercitium atque opus deduxerint. Tum etiam docebunt alios. Hi uerò autores eos cognoſcent, quibus nihil neceſſe eſt illos diſtineri, qui alijs artibus parantur: uelut in Arithmetica Cudbertum Tonſtalum, Ioannẽ Siliceum, Thomæ Brauardini geometrica: in Aſtronomia Ptolemæum, Georgĳ Vallæ mathematica. Archimedis opera non dubito quin ſint in genere illo abſolutiſsima, quæ ipſe non uidi: legiſſe ſe in Hiſpania, atq; adeo maxima cura & uigilijs de codice ſurreptitio deſcripſiſſe Ioannes Vargara meus mihi retulit. Hoc eſt adoleſcentię curriculum ad quintum & uiceſimum annum, aut eo circiter. Iam uir ætate, ingenio, rerum cognitione atq; experimentis inſtructior, ac maturior paulò conſyderare uitam humanam attentius incipiet, & hominum artes ac inuenta: in ijs, quæ ad eſum pertinent, quæ ad ueſtitum, quæ ad habitandum: in quibus ab ſcriptoribus agricolationũ adiuuabitur, tum ijs qui herbarum, qui animantium naturas & uires perſequuntur: ab ijs item, qui architectonicam tractarunt Vitruuio, & Leone Alberto. Hinc quæ ad conuehendum, in quo eſt equus, mulus, bos & omne genus uehiculi, cui nauigatio eſt finitima, nempe etiam uectio: hæc omnia perſequetur qua ratione ac modo ſint inuenta, quæſita, aucta, conſeruata, applicata uſui, & emolumentis noſtris. Iam quæ ad oblectamenta ſunt per ſenſus omnes reperta, quæ ſit ſocietas domi priuata uiri, uxoris, liberorum, conſanguineorum, affinium, aſſeclarum, ſeruorum, quę in ciuitate publica, quę ad eam per hominum ingenia excogitata, & inuenta, quę per ſtultitiam conficta nomine atque opinione ſine re omnino ulla. Quę ſunt omnia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας: de quibus carptim attigêre Plinius, Athenęus, Ælianus, Macrobius, meliusq; diſſerunt de his ſenes in circulis ſuis, & exedris, ſicut Cicero inquit, quàm homines eruditiſsimi in gymnaſijs, quod Plinius in prefatione ſua conqueritur. Ideo nihil eſt hic opus ſchola, ſed auiditate audiendi & cognoſcendi: ut non erubeſcat etiam in tabernas & officinas uenire, & ab opificibus de ſuis operibus ſciſcitari, ac edoceri: quod quia dedignati ſunt iam olim docti homines facere, idcirco hęc quę teneri ac ſciri tantopere referebat uitę, incognita illis penitus relicta ſunt, ac prętermiſſa: eaq; ignorantia in ſequẽtibus adhuc ſeculis increuit, nihilq; his annis quàm plurimis annotatum eſt de moribus, ac ratione uitę: ut melius ętatẽ Ciceronis aut Plinĳ nouerimus, quàm noſtrorũ auorum, quis tum uictus, ueſtitus, cultus, habitatio. Vellem ut docti aliqui delectarẽtur eo more, quẽ fuiſſe Caroli cuiuſdã Viruli narrari audiebam Louanĳ, hominis nõ perinde literati, ut boni: nec illi ingenium aut diligentia defuit, ſed locus & tempora: is Louanĳ gymnaſio Liliano pręerat, & quia ſub cura ſua pueros habebat cõplures, ad uiſendos uel filios uel propinquos quũ uenirent

uarĳ

uarij generis homines,colloqui illos cũ eo erat neceſſe,& ut eſt conſuetudo regionis cõuiuari etiam:inquirebat horas aliquot ante cõuiuij tempus,quibus in rebus plurimum & dextre eſſet conuiua ſuus uerſatus: erat alius nauta,alius miles, alius agricola,alius faber,alius ſutor,alius piſtor: de eodem ipſe artificio aliquid interea legebat, & meditabatur: tum ueniebat ad menſam paratus, ut & oblectaret conuiuam ſermone de rebus ipſi notis, & ab illo ita prouocato intima & ſecretiſsima artis facile cognoſceret: audiretq; breuiſsima hora, quæ illie uſu multorum annorum uix eſſet aſſecutus:ita diſcedebat de colloquio & conuiua lætior, & conuiuator prudentior, ac peritior: quantam prudentiæ humanæ opem ferrent, qui hæc mandarent literis, ut ab exercitatiſsimis in quaque arte accepiſſent? Erit hæc animorum leuatio ac refectio in diſciplinarum ſeueriorum ſtudijs,& in curis negotiorum: eſt enim occupatio honeſtiſsima,& planè uiro ciue digna, qua in omnes uitæ partes prudentia ſupra quàm credi poteſt,augetur:quibus hoc licebit,obſeruabunt, & tradent in uſum poſterorum,qui nobis filiorum loco eſſe debent: adiungent cenſuram ſuam uirtute approbanda,& rectis moribus, uitijs autem inſectandis breuiter & acute, quo facilius in animos legentium illos uelut aculeos infigant. Reuertamur iam ad ſcholam & auditoria. De rebus ſpiritalibus multa ſunt à ueteribus falſe conſcripta, ut ab Apuleio & Plutarcho in deo Socratis, à Porphyrio, Iamblicho, Michaele Pſello: propterea quòd dæmones plurima de ſe deq; angelis ſunt mentiti,partim inſtigati ſua ipſorum ſuperbia,partim cupidine fallendi homines: & quod diabolus (quemadmodum inquit ſpiritus ſanctus) mendax eſt, & pater mendacij: quum uera loquitur,ex alieno ſenſu loquitur, at quum mendacia,de ſuo ipſius proprio. Itaq; de angelis & dæmonibus ex noſtra pietate colligentur pauca, & ſobrie: nam accurata illorum cognitio neceſſaria nobis non eſt,imò ſæpenumero noxia,atq; ea ipſa de cauſa, incerta. Contrà uero ſpeculatio de hominis anima,maxima diſciplinis omnibus adfert adiumenta, propterea quòd ex animæ intelligentia & captu de omnibus ferè ſtatuimus, non ex rebus ipſis. Eius tractatio cum naturæ ipſius ordine pariter procedet, ut primum de uita diſputetur in genere, hinc de uegetatione, tum de ſenſu,de affectionibus,de mente:in qua de intelligentia,de memoria,de ratione,de iudicio. Hæc doctor potiſſimum decerpet ex ſacris autoribus, tum Ariſtotele,Alexandro Aphrodiſæo, Themiſtio, Platone, Timæo, ac Plotino. Quod ſi uelit Ariſtotelem, ut moris eſt, enarrare,habet eius libros de Anima, tres:omittat primũ,exhibeat alteros:de ſenſu ac ſenſili,de recordatione,de ſomno & uigilia,de iuuentute & ſenectute, de inſomnijs, de diuinatione per ſomnum:præmoneat gentilitatis, & pericula ut uitentur,indicet,opponatq; uenenis illis paria antidota.Ipſi per ſe Alexandrum, Themiſtium, & Platonis Timæum legent:item Timęum ipſum Locrenſem,Platonicos numeros Proclus, Chalcidius,& Marſilius Ficinus exponent. Plotinum etiam obſcurũ & intricatum Marſilius idem elucidat. Scindit ſe hic uelut in uias duas ſtudium, ut alteram hi teneant,qui corpora curaturi ſunt medici: alteram ij, qui animos:his rerũ hiſtoria tradetur hoc loco craſſior,minusq; ad ſubtilitates illas inquiſitionis cauſarum diducta: prioribus uerò differẽda eſt parumper,quoad cauſas naturę curioſius fuerint rimati: eas dico,quæ ſenſibus ſunt magis expoſitæ,de quo in uniuerſum,& ordine ad docẽdum apto nullũ eſt opus à quoquam cõſcriptũ, ſed ſparſim ab Ariſtotele octo libris Phyſicis,de quibus diximus,quatuor de cœlo,duobus de generatione, quatuor meteororum,ſectionibus problematum. Ab Alexandro in problematis: à Platone, & Timæo,quos paulò antè memoraui. Apuleio in dogmate Platonis. Alcinoo de doctrina Platonis. M. Cicerone in libris de natura deorũ,de diuinatiõe, de quæſtionib. Academicis:de uniuerſitate autẽ pars eſt Timęi Platonici ab eo uerſa:etſi M. Tullius magis aliorũ opiniones recenſet,q; oſtẽdit ſuã. Seneçę quęſtiones naturales ex Peripatetica & Stoica diſciplina cõmiſtę. Plutarchus multa habet naturalia in cõuiuijs,in quęſtionib. Platonicis,& alijs eius opuſculis: de placitis philoſophorũ quatuor eius uolumina, item Diogenis de philoſophorũ uitis, hactenus proderunt, ut cognitis tam uarijs,tã abſurdis de natura philoſophorũ ſententijs,ſtudioſi intelligãt illos etiã

fuiſſe homines,& falſos ſæpe in rebus apertiſsimis: ut rationi potius aſſuefcant conſentire,quàm humanæ autoritati: nec mirentur eos in reconditis rebus de Deo ſcilicet,de pietate,ac eiuſmodi lapſos,qui in facillimis uidentes ac prudentes ceſpitabãt: quas ſine offẽſione uel cęci præteriſſent,modo ne inſani,quales illi erãt,& in trãſuerſum acti ab impotentia animorum.Cenſorinus libellum reliquit de die natali,in quo inſunt quædam naturalia:plura in Macrobio, plurima in Galeno: ex recentioribus autem Alberto Groto non pauca,etſi audet quædã aſſeuerare periculoſiſsima. Hos omnes magiſtro huius contemplationis & tanquam à ſecretis naturæ euoluendos tradimus:ex quis concinnabit ipſe ſuis auditoribus opus de naturæ cauſis,ea perſpicuitate,breuitate,ordine,ut intelligi & teneri ab auditoribus queat:primum de quatuor principibus inhærentibus,tum de ijs omnibus quæ ueniunt ſub ſenſus: hinc de elementis ſimplicibus,de miſtis imperfectis & ijs quæ in aere gignuntur, quæ Græci μετεωρα nuncupant: de lapidibus, de ijs quæ uiuunt,& de uita: de metallis & cunctis foſſilibus,de herbis,fruticibus, arboribus, de animalibus quadrupedibus, de auibus, de piſcibus, de inſectis, de humano corpore: quæ non narrando perſequetur, quod opus eſſet infinitum,ſed inueſtigandis cauſis,unde conflantur, quomodo exiſtunt,adoleſcunt,manẽt,agunt,& ſuis muneribus funguntur,quæ proferant, & uice uerſa minuũtur,cadunt,intereunt,diſſoluuntur. Nihil habebit neceſſe uarias ſcribentium opiniones arceſſere:nec onerabit tanto pondere & doctrinam ſuam,& ingenia diſcẽtium,quæ ipſi certiſsima uidebuntur, & ualidiſsima fulta ratione tradidiſſe contentus. Quòd ſi colligere hæc uel non uacabit per otiũ,uel non adeo ſibi fidet,ut credat poſſe,explicet ſolum Ariſtotelica: nam aliorũ non ſunt perinde auditoribus utilia.In Platone multum eſt eruditionis,ſed recõditæ,ut quum ars occultatur in opere, eoq; diſcentibus non ſatis cõgruens:doctis uerò melior, etſi in natura arbitrãda non eſt cum Ariſtotele comparandus,ut in præceptis morum excellat: reliquos ſcriptorum auditores ipſi priuato ſuo ſtudio euoluent. Inſtitutorẽ deſiderant hæc acri quidem ingenio,cæterum in definiendo ac ſtatuendo cunctabundum. Iuuenes exercebunt ſe in his crebris diſputationibus,uerum quæ non luxurient in nugas,& cauilla. Condientur moderatione ſine arrogantia,atq; odio:haud ignari ſcientiam perraram eſſe,aut nullam potius,opinionibus ſtari:ut non ſit,cur quiſquã uel de peritia ſibi placeat,uel diuerſum ſentienti,aut tuenti ſuccenſeat. Qui ad artem Medicam trãſiturus eſt,uel cõmigraturus uerius,huic ſunt exactiſsime uires naturaq; pernoſcendæ foſſilium omniũ,quę ſunt uariorũ generũ,pigmentorum,lapidum,gemmarum,ſtirpium, animantiũ,humani corporis:unde obſeruationes duæ proficiſcuntur, eſualis & medicina: quas nõ duas eſſe, ſicuti ſuperius admonebam, ſed unã ex duobus membris concretam principi medicorũ placuit Hippocrati. Rerũ enim cognitis facultatibus naturisq;, & cum natura & conſtitutione animati corporis, & humani potiſsimum collatis,deprehenditur,quid fortius ſit,quàm ut ſuperari ab interna animantis potentia,& cõfici ualeat:quid tenuius atq; imbecillius, quàm ut uegetare ac ſuſtẽtare corpus queat:quid alienam atq; inimicam corpori qualitatem adferat, ut ſumptũ & uel affligat,labores doloresq; importet grauiſsimos,uel etiã interimat:quid contrà congruentẽ amicãq; corporis uitæ,ſenſibus,animo,menti,ut cõſeruentur, ut uigeant, ut corroborentur, ut iucundo quodam ſenſu perfundantur. In quo primũ uniuerſum humanum genus conſideratur,quid ei communiter conueniat, hinc per partes contemplamur corporaturam, temperationem qualitatum illarum principum, ætatem, locum,tempus, actiones, mores, atq; aſſuefactionem: eadem in rebus quæ ſumuntur adhibetur cenſura.Hactenus terminos ſuos eſualis prorogat,ſine qua, ut præclare docet Hippocrates, uita eſſet non agreſtis modo & ferina, ſed exiſterent ſingulis penè momentis labores & cruciatus repentini, tum ſubitæ atq; inopinatæ neces plurimorum: quin hebetarentur ſenſus, & animi ſtupeſcerent, aut in furores atq; inſanias miſerabiliter incurrerent. Difficilior inuentu exiſtimatur hæc à plurimis,quàm medicina, imò uero demirantur potuiſſe inueniri. Sed indubie prima inuentio diuinæ fuit opis, non in homine minus quàm in mutis animantibus.Periſſet profecto

maxi-

maxima humani generis pars, priusquã ad explorationẽ peruenisset huius obseruationis. At uero quum aliquid accessit corpori, quod constitutionẽ illam primã suam & solitam perturbat, affligitq́ꝫ, unde dolores consequuntur, impedimẽtum functionum huius constitutionis, hoc loco, hoc tempore, hac ætate, his moribus, affecta uocatur ualetudo, & ægrotans corpus: ex eadem illa consideratione rerum admouentur, quæ affectionẽ illam cohibeant, ne se effundat, neue inualescat: quæq́ꝫ deinceps tollant, tum quibus interea ita perculsus sustentetur, & uitam producat: hæc medicina nuncupatur. Itaq́ꝫ coniunctæ sunt artes istæ, & germanæ, ut medicina sit nonnunquam quæ esualis existimatur, aut uice uersa. Cæterũ esualis simplicior est, & in functione generalis magis: quippe quæ genera & formas tantum considerat, quum medicus ad singula, rem deducat, non præceptis, sed actione: nam circa singula quę sunt innumerabilia, nulla uersatur ars: pręter hæc medicina tẽporaria est, & quorundam, esualis omniũ, ac perpetua. Sed loquamur iam de medicina. Cui arti in hominũ corpora uitæ ac necis potestas, & ius summũ est permissum, nec ulli unquã uel imperatori, uel regi tãtum in homines licuit: quocirca & medicum ipsum nauare diligẽtem operã omnes diui atq́ꝫ homines postulãt, clamãt, requirunt, ut prudentissime atq́ꝫ amantissime quę suę sint & fidei, & potestati cõmissa, tractet: quãta & quàm pręsenta nea pestis est, si huic potentię adiungatur inscitia? quid si inscitiæ, ꝙ ferè fit, arrogãtia, & ex hac rabies oriatur, & pertinacia non cedendi? Itaq́ꝫ propter tã paratũ discrimen maximis artis huius autoribus placuit non uideri dignũ eum medici professione ac nomine, cui hęc nõ adessent omnia. Natura, ingeniũ, institutio lõga & diuturna, probitas morũ, sedulitas, usus. Ingenio est opus diligenti, attento, cõiectori optimo, prudẽti, moderato, non ambitioso, neq́ꝫ ostentatore, non pertinaci, quodq́ꝫ in sententiã nolit trãsire melius dicẽtis. Erit huiusmodi, si habuerit persuasum nihil sibi debere esse prius, aut charius uita & salute hominis, ut nec existimationẽ sui aut quæstũ anteponat ei, q ad illius manũ atq́ꝫ operã tanquã ad asylũ quoddã ex grauissimo periculo cõfugit. Id uerò est boni uiri & Christiani: nã si quẽ per ignorantiã aut peruicaciã inflexibilẽ occiderit, quomodo deinceps id dãni sarciet? quantã & q̃ꝫ exactam est deo redditurus rationẽ? si quid ab uno Theologo erratũ sit, ab alio corrigitur: si à iurecõsulto, succurritur ęquitate iudicis, restitutione in integrũ, deniq́ꝫ fit pecuniæ iactura, quod uerò à medico, quis corriget? homini extincto quis adferet remediũ? ut magis mirer inueniri tam multos, qui adeo periculosum munus suscipere ac profiteri nõ dubitent: sed nimirũ pleriq́ꝫ eorum prius in professionem inciderunt, quàm intelligerẽt quantum id esset quod susciperent. Id uerò tantum est, ut quidã ad reliquas boni medici uirtutes etiam felicitatem adiungendam ducerent, & uota esse facienda censerent, ut postquam rite artis pręceptis esset medicus perfunctus, res cederet prospere: ea est in natura nostra imbecillitas, in morbis impetus & peruicacia, in medicamentis infirmum ac lentum subsidium, in ingenijs hominum ignorantia: cõtra quos hostes armatos semper, ac in perniciem supra caput incumbentes, quibus existimamus esse uiribus pugnandum: ne nos opprimant? Magister principio enarrabit facillima & breuia, quæ auditores ediscant, aphorismos puta Hippocratis, aut Galeni artem. Habent autores hos principes Hippocratem quasi fontem & parentẽ omnium: hinc interpretem eius Galenum, Paulum Æginetam, Largum Scribonianũ, Celsum, Serenum, Psellum, Nicandrum: tum Arabes Auicennam, Rasin, Abenroen, Mesuen. Ex priscis scriptoribus artem ueterinariã nuperrime Ioãnes Ruellius composuit, & Latinam fecit. De hoc professorum ordine nihil equidem pronuntiabo, quod non sunt à me ea cura atq́ꝫ attentione lecti, nec ita in medicorũ illa uelut adyta penetraui, iudicium de eis facere ut possim: hoc uerò illorum esto, qui feliciter sunt in ea disciplina uersati. Ratio tamen tradendæ artis medicæ, quantum quidẽ ipse assequor, hęc est, ut primum expositæ sint nobis ac perspectæ partes omnes humani corporis, quę cuiq́ꝫ uires, quæ cuique natura, quæ inter eas proportio, & quasi harmonia. Hinc de ijs morbis, qui uniuersum hominem infestant: de ijs, qui certam unam sedem non habent: de ijs, qui certam: quæ cuiusq́ꝫ illorũ origo, sedes, auctus, progressus, effectio,

opus

opus,reliquię,ueſtigia. Cuiuſmodi qualitatis,ac uiriũ res aduerſus morbũ illum affecto corpori prodeſſet,quę cohiberet,ne inualeſceret,quæ penitus depelleret: tum diſquirendum,quæ nam ſit ea res in natura:ſi non ſit talẽ inuenire,quærenda eſt proxima:& quod in ea deeſt,alia ſupplendũ eius facultatis,qua prior caret. In his conſiderantur uires formæ uniuerſæ, tum ſi quid à locis uel temporibus acceſſit facultati agendi,aut deceſſit:ut herbæ in Italia,uel in Flãdria natæ,in æſtate aut uere,loco mediterraneo,maritimo,arido,uliginoſo:& declarandũ quo pacto applicabitur, ubi erit opus. Quòd ſi multis & uarijs ex rebus medicamentum,ut ſæpe fit,componatur, oſtendenda eſt cuiuſq; uis & cauſa cõtemperationis:cur hoc illi adiungitur, atq; admiſcetur:quid in eo uel iuuat,& ſupplet,uel corrigit,uel cohibet,uel excitat. Diſputationes erunt,quomodo uniuerſales canones in experimentum ſingulorũ operum deriuentur:ne curent mihi ſcrutari ea,de quibus dubiũ eſt etiamnum,an ſint:illa contemplentur potius,quæ eſſe conſtat,quæ ſunt permulta, & uel longiſsimum poſſent æuum occupare: ne diſtineantur inani quadã inueſtigatione ad nugas, & altercantium cauilla,inter quæ magna fit tẽporis iactura optimis & neceſſarijs in rebus conſumendi. Exercitia huius artis erunt trifaria: primum in agnitione eorum omniũ uerſabitur quę pro medicamentis cõſueuerunt uſurpari, foſſitiorum,pigmentorũ,lapidum,gemmarũ,ſtirpiũ,animantium,& eorum,quę ſunt in eis:quia uerò pręcipuę ad medicamenta omnia uires inſunt in ſtirpibus, eos cõtemplabitur nõ ſemel aut ſimpliciter,ſed ex uarietate temporis ac loci,uere, æſtate,autumno, hyeme, oriente ſole, occidente,meridie,cœlo nubilo,turbato,ſudo,ſicco,ſereno,in agris, in hortis, in ſyluis,in mõtibus,locis mediterraneis,maritimis,aridis,humidis:magnas enim uarietates ex his omnibus ſtirpes recipiunt,radice,foliis,floribus uel cõtractis, uel expãſis, uel alio atq; alio colore infectis,ut iam nõ eoſdẽ dicas autumno,qui ſint hyeme, non ſicco,& ſereno cœlo,qui humido, & in alijs ad eundẽ modũ: nec ſolũ uarietates hæ faciẽ mutant,ſed uires quoq; & ingeniũ:quin ipſam eandem herbã & naſcentem, ac pullulantem cõſiderari cõuenit,& grandeſcentẽ,& adultam,& ſeneſcentem:nec minus quę ex his apud pharmacopolia cõflantur,ſpectabit. Sectionem humani corporis quam ἀνατομίαν uocant,frequentes attentiq; diſpicient,unde uenæ,nerui,oſſa naſcantur,quò pertineant,& quà:quæ ſit eorum magnitudo, quis uſus in uiuente, qui inter illa concentus. Secundũ exercitium erit, ut ægros cum ueterano aliquo medico adeant,& obſeruent diligenter,quemadmodũ is præcepta artis operi accommodat. Tertiũ uerò,quum ijdem ipſum ſoli manum iam admouebunt operi,quod bene uertat. Et ſicut in frugibus quaſdam non cõſumimus, ſed reſeruamus ad ſemẽ, ita in medicis erunt plerique omnes:quos in executione profeſsionis,& in curandis corporibus ponere,quod reliquum eſt ætatis,cõueniet:erunt autẽ nonnulli, qui operatione alijs relicta,ipſi in artis contemplatione & tanquam illius myſterijs ſubſiſtent. Hi erunt homines qui uel ſuopte ingenio à commercijs abhorrebunt hominum,uel qui ſuſtinere nõ poterunt faſtidia morborũ,aut qui impares erunt labori cõcurſandi,aut tenerioris frontis, quàm ut perferri poſsint tam multa quæ medicis uidẽdo ſunt atq; audiendo deuoranda:deniq; quibus natura medicę artis deerit, quam primũ in medico deſiderari ſuperius oſtendi. Sed hi tamẽ erunt, quibus ad eam naturæ conditionem acumen ingenij & iudicij uigor ſit adiunctus, uaria quoq; & late diffuſa doctrina,ex qua impenſus quidam erga ſtudia amor naſcitur, ut non facile ab inſpiciendis ſeſe rebus emolumentis ullis ſinant auocari. Hi uelut antiſtites quidã artis in ipſis adytis & myſterijs uerſabuntur perpetuo:docebunt alios,ſcribent,conſulentur,reſpicient ſubinde ad linguas,ad philoſophiã,ad omne genus ſcriptorũ liberius. Nam illos qui artẽ in uſum generis humani conuertunt,ubi primũ ſeſe publicis utilitatibus dedicarunt,& quaſi cõſecrarunt,nolim amplius ad alias ullas diſciplinas,aut artes diuertere,eſt enim in hac una ſatis ſuperq;,quod agãt uel uita uniuerſa,quamlibet diuturna, ac longa. Itaq; non ferãt eum, qui ad opem hominibus ferendam accerſitur, Ciceronem,aut Demoſthenem, Vergiliũ aut Homerũ lectitare: multo minus autores aſpicere artis grãmaticæ:ſed nec hiſtoricos aut etiam philoſophos,niſi ſi qui adiumenti

menti aliquid adferre possint ijs, qui salutē suā ipsius curæ cōmiserunt. Didicisse hæc oportet prius certè hic nō addiscere: disciplinis omnibus atq; exercitijs literarum, æternū uale dicet, in hanc unā intentus & incumbens prorsus. Facilius tulero cuiusuis artis professorē diuersis nonnunquam occupari, quàm huius: quę adeo longa, uaria, obscura est, ut ægre quamlibet felix ingenium cunctū sit ei percipiēdæ, aut rite exercendę par: quanto minus ingenij portio aliqua. Hi tamē experimenta sua monimentis literarum ad usum posteritatis consignabunt. Sciatq; medicus, quicquid temporis huius unius studio subtraxerit, tantum surripere ac furari sanitati suorum ægrotantium. Aggressis bonis auibus experimenta artis, nihil potius habebit aut charius, quàm humanū corpus. Quocirca experimenta prima, quæ sunt plenissima periculi, non sumet in humano corpore: nec in dolio figlinam auspicabitur, quod est in prouerbio, sed in re uili, nempe in mutis animātibus: quod si necesse est in homine fieri, ne sint saltē tenera, & delicata corpora, quæ iniurias medicamentorum non sustinēt: sed ea, quæ uiolentia fomenti afficit fortassis, ac cōmouet, non extinguit: ut sit, quod ueteres soliti erant dicere, periculū in Care. Iam uerò ingressus ad ægrū uisendū medicus, quo habitu erit, quo cultu, qua diligētia, & sermone utetur, præscripta sunt omnia, quum ab alijs medicis, tum ab Hippocrate Coo breuiter ac prudenter comprehensa. Sed ego tamen nonnulla more meo explicatius ponā. Primū est omniū, ut curet se medicus, ne graui sit ipse ualetudine, neu pallens, & ore ipso morbū suum oculis obijciens obuiorum: ne illud protinus de sacro Euangelio audiat. Medice cura te ipse. Quā spem de eo medico æger concipet, cuius artem in illo ipso uidet nihil proficere? Tum ob ægrotorū fastidia uestiatur nitide magis, quàm splēdide. In ipso ęgro statim primo aspectu cōsiderabit habitū, & cōstitutionē corporis, ætatē, animū: quæret de ualetudine superioris tēporis, de moribus & consuetudine illius: hæc omnia humane, atq; affabiliter: tum audiet patienter, nec hariolandi gloriā captabit, ut diuinet quæcunq; circa illum contigerunt: graues patiuntur casus, qui ita se huic inanissimæ aurulæ concredunt, & ualetudines languentiū affligunt, ipsos etiā nō raro perimunt, dum medēdi arte nō contēti, diuinationē quoq; gestiunt ostentare. Neq; uero quæcunq; ab assidētibus mulierculis audierit, pro exploratis cōpertisq; accipiet, ipse iudicium suum uelut cōdimentū asperget. Admoneri se boni consulet, imò habebit etiā gratiam: ęquitatem animi obtineat in censendo, ne quo se sinat affectu abripi: præclare secum actū sentiet, si in illa ipsa moderatione sui nanciscatur quod cupit, nedum ut cōmotus ac perturbatus necessaria possit rite exequi. Cogitet bonus, & sapiens medicus, se uelut salutare quoddā numē in terris uersari: ut diuos imitetur integritate morum, & opum cōtemptu: castas manus, castos oculos ab omni impudicitia conseruet: sed nec quantum ex opera rediturum est in loculos, curiose repetet. Equidem uehementer admiror esse permultos medicos ad lucrū attentos, quum nulli magis intelligant, & experiātur quotidie, quāta sit uitę breuitas, cęp fugax, quàm incerta, quàm leues causæ ualentissimos homines absumāt, ac proinde quàm parum prosint diuitiæ, quarū exiguus est adeo usus, & breuis. Quid ergo de illis dicā, qui auiditate lucri morbos differūt, quo nihil cogitari potest inhumanius. Non priuatim uidētur isti admonēdi, sed publica seueritate puniendi, haud aliter quàm conuicti facinorum capitaliū. Cur in eum animaduertitur, qui hominē liberū cecidit? istis uerò impune est morbos cū certo ualetudinis exitio proferre? Si uel morbi ratio, uel infirmi ingeniū ab alloquio abhorret, paucis uerbis rem transiget, & maxime sobrijs: sin ferant sermonē, facunde aliquid narrabit, lepide, accōmodate ad captū audientiū, ad ægrum, & eos qui adsunt sine scurrilitate exhilarandos. Tentabit initio, an poterit ægrum suum curare uictus ratione, hoc est dięta: sin res poscat, addet medicamēta, sed simplicia: sin maior sit morbi uis & uaria, ad commistionem transibit. Si res exigat, ut ad capiendum consilium, alij sint acciendi medici, proponet sibi ante oculos non existimationem sui, non quæstum: quæ duo quanti sunt, si cum hominis salute conferantur? sed id quod ei expedit, qui ad fidem suā confugit: ut in eum patrio quodam esse affectu necesse sit, si uiri boni officio uelit defungi. An est aliquid, quod magis

nos

nos ad beneuolentiam & benefaciendum adducat, quàm fiducia noſtri? Quapropter eo ueniet animo ad deliberationem, ut in ſententiam melius monentis paratus ſit concedere: audiente ipſo, de quo agitur, non diſſerent, nec alijs præſentibus contendent: in illa enim diſſentione opinionum, qui iudicare ipſi neſciunt, nec poſſunt ſtatuere, cui ſe parti potiſsimum applicent: inde naſcitur deſperatio quædam ſui, & artis totius odium, quam habent pro incerta.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE TRADENDIS DISCIPLINIS,
SIVE DE DOCTRINA CHRISTIANA,
liber quintus & ultimus.

CONFECTA eſt nobis ea uia quę rerũ naturã contẽplatur, quęq; hominũ corporibus uel alimẽta demõſtrãt, uel antidota aduerſus morbos impendentes, aut cõtra iam incũbẽtes remedia. Nunc alterã illã aggredimur, qua tũ excoluntur animi, tũ ſanãtur, ut in hac quoq; ſit mẽtis illuſtratio, ne morbi inuadãt, atq; ubi inuaſerint, per rationis imperiũ depulſio ac reſtitutio ſanitatis. In uitę negotijs prudẽtia pręſto eſt nobis atq; auxilio: in rebus diuinis pietas, quę qui ſit Deus docet, & quẽadmodũ nos aduerſus illũ decet gerere: eamq; unã uere ac maxime proprie ſapientiã nominarunt: de qua non eſt hic dicẽdi locus, curã ſibi peculiarẽ tãta res poſtulat. Prudentia uerò peritia eſt accõmodandi omnia, quîs in uita utimur, locis, tẽporibus, pſonis, negotijs: hęc eſt moderatrix & clauus in affectionũ tempeſtate, ne hi ſua uiolẽtia nauẽ totius hominis in breuia aut ſcopulos impingãt, uel obruãt magnitudine fluctuũ. Duabus autẽ ex rebus prudẽtia naſcitur, iudicio atq; uſu rerũ. Iudiciũ opus eſt ſanũ & ſolidũ, interdum quoq; uiuidũ & perſpicax: experimenta rerũ uel noſtra ipſorũ ſunt, quę nos agendo cepimus, uel aliena cõſpecta à nobis, lecta, audita. Alterutrũ cui deſit, prudẽs eſſe nõ poteſt. Nã quę ad uſum referuntur aliquẽ, ea niſi aliquando ipſe obeas, quantũcunq; expoſita habeas, & percepta, nunquã tamẽ rectè exequeris: quippe quum manũ admouebis operi, non multũ aberit, quin tam uenias nouus, quàm qui nihil prius de eo ipſo cognouerat: haud aliter quàm ad pingendum, texendum, ſuendum, rudis penitus uidetur accedere, q inſtructus quidẽ uenit pręceptis, ſed inexercitatus penitus. Iam exercitatio per ſe ac uſus, niſi regatur à iudicio, proficiet quidem nonnihil, ſed manca erit prudentia hæc, & ſæpenumero in occaſione rerum agendarum infirma & inutilis. Multi enim uariarum rerum habent experimenta, & complurium cognouerunt mores nationum ac gentium, ſed quia ſegni, & præpedito iudicio, ſeu nullo potius, parũ admodũ prudẽtiæ ac interdũ nihil omnino collegerunt. Quocirca nec adoleſcẽtes aut iuuenes prudẽtes eſſe queunt, q experimẽtis carẽt: nec tardi ſenes & iudicio de rebus uel hebeti uel prauo. Quapropter facultatis huius tractatio magna de cauſa eſt à nobis poſt artes omnes perceptas collocata. Cæterum prudentiæ finis & tanquam ſcopus biceps eſt: una pars eò ſpectat, quum prudentia ad corporis & affectuum libidinem confert omnia, ut quicquid ſiue iudicij parauit, ſiue uſus rerum ad uoluptates, honores, opes, potentiam ſolerter conuertat: quæ eſt uafricies, & aſtutia: ſacris autoribus carnis prudentia nuncupatur, quod ijs ſit intenta, quæ caro concupiſcit: altera pars eſt, quæ ad mentem & ſuam & aliorum iuuandam actiones ſuas omnes, & cogitationes refert, hoc eſt, ut ſe & alios meliores reddat: & quoniam prior illa (quemadmodũ Paulus inquit) ſtultitia eſt, de hac altera loquemur. Cui non ſunt idonei natura ſtupidi, aut ſtolidi, nec inepti, & pueriles coniectores: quandoqui-

doquidem prudentię pars optima,in coniecturis ſita eſt,quas de rebus ſequẽtibus,è coniunctis & tranſactis ſumimus: ut genus ſit quoddã diuinationis prudẽtia,quem admodum priſca ſententia declaratur: Bene qui coniecerit, hunc uatem perhibeto optimum. Sed neque leuia ingenia,& ſibi indulgentia:non enim per ſummas eſt rerum facies uolitandum,ſed penetranda intima diligentia & aſſiduitate,quam ſibi indicere non ſuſtinent ingenia delicata. Minus multo ſunt apti ſcurræ, impoſtores, dicaculi,ioculares,qui res maximi momenti feſtiuitate & argutijs eludunt,magnamq; de rebus grauiſſimis cõſulentiũ ſpem ioculari licentia fruſtrãtur,et in ſerijs ineptiunt nuganturq;:ut ſapienter ſit illud à ueteribus animaduerſum,Facilius ſcurrã futurum diuitẽ, quam bonum patremfamiliãs. Pertinaces item & contẽtioſi hinc arcendi,uti mox oſtendam. Qui eiuſmodi ſunt ingenijs tanquam ad prudentiam,id eſt, regendi artem nõ facti & appoſiti,ipſi alios non regent,regẽtur ab ijs,quos natura ad prudẽtiam finxit. Iudicium porrò,ut quòd eſt in prudentia naturale,doceri non poteſt,elimari,& excoli poteſt:primum lectione eorũ autorum,qui plurimum bono illo ualuerunt,Platonis,Ariſtotelis,Demoſthenis,Ciceronis,Senecæ,Quintiliani,Plutarchi: ex noſtris autem Origenis, Chryſoſtomi, Hieronymi, Lactantij. Hinc inſtrumento ueri inueniẽdi, quo patefit,quid in quaq; re uel uerum ſit,uel eius ſimile,qua ex obſeruatione plurimum lucis accedit animis. Dicendi etiam ars recte percepta magnũ adferre iudicio adiumentum poteſt:uſus etiam,quod eſt alterũ prudentiæ membrũ, plurimum confert cenſendi facultati,ut manus manlui. Experimenta noſtra accedunt ætate,& rerum actibus:aliena ex cognitione prioris memoriæ diſcũtur,quæ hiſtoria nuncupatur. Eaq; efficit,ut præteritis nõ minus uideamus interfuiſſe,quàm præſentibus,illiſq; perinde uti poſſe ac noſtris. Merito ſacerdos ille Ægyptius Solonem & Græcos,qui recordationẽ priſcæ memoriæ non tenerẽt, pueros appellauit. Hiſtoria ſi adſit,ex pueris facit ſenes:ſin abſit,ex ſenibus pueros:quippe quæ teſtis eſt temporum,& lux ueritatis,ſicut à prudẽtiſſimis eſt uiris diffinita. Cuius præterquã quòd eſt iucundiſſima,incredibilis eſt non ad uitam modo,ſed ad artes quoq; omnes utilitas. Quãtopere humanos animos delectet & reficiat,indicio ſunt aniles fabulę,quas etiam cum ſumma uoluptate audimus attentiſſime,ob id ſolũ,quòd faciem hiſtoriæ aliquã præſe gerunt. Quis uero non aures illico et animum erigit,ſi narrari audiat inſolitũ aliquid,grãde,admirandũ,pulchrum,forte,libere factum,dictúmue,ex ijs quorũ hiſtoriæ refertiſſimæ ſunt. Videre eſt quoſdã,dum legunt,uel audiunt narrationẽ rerum quampiam etiam ſæpe falſam,immori cupiditati pernoſcendi,cibũ,et potum,et ſomnũ obliuiſci, earumq; rerum cupiditates naturales uincere, dum ad exitum perueniant. Vtilitas uero,imò etiam neceſſitas quotidie deprehẽditur in uita,nemo patrem,nemo maiores ſuos noſſet,nemo ius ſuum aut alienum uel ſcire poſſet,uel obtinere,nemo quam regionem incolat,quomodo illuc peruenerit,nemini ſua poſſeſſio certa eſſet & rata,niſi hiſtoriæ munere. Quid dicam,ad capeſſendã rempublicã & populi negotia adminiſtrãda quantum adferat momentũ? L. Lucullum Cicero ſcribit, profectum Roma rei militaris penè rudem ,quum totum iter & nauigationem conſumpſiſſet partim in percontando à peritis,partim in rebus geſtis legendis,in Aſiam ueniſſe factum Imperatorem tantum, ut Mithridates rex poſt Alexandrũ maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legiſſet aut uidiſſet,cõfiteretur. Alexander Seuerus,quod legitur apud Lampridium,in rebus dubijs hiſtoriæ gnaros ſolitus erat conſulere: Zenobiam reginã ſupra muliebrem prudentiam hiſtoriæ peritia extulit, quam etiam ſcriptitaſſe ferunt. Quid cauſæ eſſe credimus, cur philoſophi noſtri regẽdis ciuitatibus & populis iam pridem idonei non fuerint? niſi quòd hiſtoria carerent prudentiæ nutrice. Sunt tamen qui ueteris memoriæ cognitionem inutilem eſſe ſibi perſuadeant, quod mutata ſit uniuerſa ratio uictus,cultus,habitandi, gerendi bella, adminiſtrandi populos, & ciuitates:quæ opinio quoniam aduerſatur ſapientum hominum ſententiæ,magnum ſit argumentum, & rationi eſſe contrariam: nimirum negare nemo poteſt, omnia illa eſſe mutata, & mutari quotidie, nempe quæ ſunt uoluntatis noſtræ atque induſtriæ. Sed illa tamen

nunquam mutantur,quę natura continentur,nempe cauſæ affectuum animi,eorũq; actiones et effecta,quod eſt longe conducibilius cognoſcere,quàm quomodo olim uel ædificabãt,uel ueſtiebant homines antiqui. Quæ enim maior eſt prudẽtia,quàm ſcire,quibus ex rebus qui hominum affectus uel concitantur, uel ſedantur: affectus porrò illi quę adferant momẽta in republica,quos motus,quemadmodũ cõtinendi, ſanandi, tollẽdi,aut cõtrà exagitãdi,& cõfouendi ſiue in alijs,ſiue in nobiſipſis: quid magis uel rectori ciuitatis,uel cuiuis ciuium noſſe expedit: et quidem iucundiſſime, & genere prudentiæ felicíſſimo : quanto nanque felicius eſt alienis malis admonitũ ſapere,quàm propríjs: ut ſit hiſtoria uelut exemplum eorum,quę ſequaris,quęq; deuites. Quid illa ipſa quę mutata eſſe conſtat,quãta emolumẽta ſuppeditant: uel ut ali quid in tuum uſum reuoces, uel ut cauſam intelligas,cur quicquã tum ſic agebatur, quo eandẽ ipſam aut ſimilem rationem ad actiones tuas quum res feret,applices: nihil eſt enim ueterum adeo deſuetum et abolitum,quod noſtris uiuendi moribus accommodari quadamtenus non queat: nam etſi forma iam alia,uſus tamen idem manet,quod eunti per ſingula facile erit deprehendere. Iam artes ipſæ ne conſtare quidem poſſint,ſi hiſtoriã iuſtuleris. Hippocrates,Galenus,& alij medici quàm ſæpe hiſtoricos agunt: dum experimenti ſucceſſum narrant. Ipſa adeo medicina ex hiſtoria collecta eſt,ſicut Plinius ex M. Varrone perhibet. Quot morborum genera, quomodo,& ubi orta,aucta,compreſſa,ſedata,ſublata memoria uetus prodit: ſine quorũ notitia manca eſt medicina, & potiſſima ſui parte orba: quã ex tot undiq; experimentis neceſſe eſt colligi ceu aquas pluuias ſtillatim . In morali philoſophia plus exempla proficiunt,q; præcepta: ſcilicet libentius ac promptius imitatur quiſq;,quod admiratur . Quis nõ citius adducitur ad fidem uel cum præſentiſſimo periculo ſeruandam, quod M. Attilius tam conſtanter , & magno eam animo ſaluam præſtiterit,quàm uiginti de eadem ipſa re documentis: tum ad fortiter omnia pro Chriſti gloria patiendum magis accẽdimur martyrum exemplis , quàm Theologorũ monitis: magisq; à ſceleribus deterremur triſti ſceleroſorum exitu , quàm deteſtatione philoſophorum de uitijs. Mitto ſẽtẽtias tot,prouerbia,apophthegmata , quibus componẽdi mores impenſiſſime adiuuantur,quæ omnia è media hiſtoria petuntur. Ius totum ex hiſtoria manat , quod oſtendit caput illud Caij iuriſconſulti de Origine iuris . In eo enim ſitum eſt ius Quiritum,quid Quirites ſciuerint,ſtatuerint,egerint, quid Senatus decreuerit,magiſtratus pro poteſtate edixerint,principes iuſſerint,atqui ea omnia unde ſunt: an non ex hiſtoria: ut ius uel Romanum uel cuiuſuis alterius gentis nihil ſit aliud,quàm ea hiſtoriæ pars,quæ mores alicuius populi perſequitur,eos,quibus uitæ cõmunicatio comprehenſa eſt, quo pacto inter ſe agant, quo cum exteris. Quid uerò theologiæ quanta pars eſt narratio geſtorum populi Iſraelitici, Chriſti, apoſtolorum martyrum,deniq; ſanctorum omnium & totius eccleſiæ,quæ nos & docent, & ualidiſſime ad bene agẽdum inflammant. Equidem nolim in grauiſſimas diſcipli nas contumelioſius aliquid dixiſſe,ſed neſcio quo pacto hiſtoria uideri poſſet prę ſtare omnibus,quę una tot artes uel pariat,uel enutriat,augeat,excolat,idq; nõ per amara & moleſta præcepta,atq; exercitamenta,ſed per animorum delectationẽ: ut ſimul pulcherrima ac fructuoſiſſima haurias,ſimul animum recrees,ac reficias. Verum hiſtoria,cognita eſt iam nobis quadamtenus in puerili inſtitutione,ſed illa modo ad rationem temporum,& nomina præclarorum hominum noſcenda: nũc uerò exactius eſt ac plenius uerſanda,quoniã melius ab adultis iam cõfirmatisq; poſt rerum uſum aliquem intelligitur,ut in uitæ emolumenta conuertatur,iudicio adhibito: tanquam ſuccus naturali calore diffuſus per corpus,unde alatur homo,& uita producatur. At uerò in cognitione hiſtoriæ miníme cõuenit nos circa friuola & moleſta detineri,in quibus laboris eſt,& curę multum,fructus omnino nihil: preſertim quum bonarum & utiliũ rerum tanta ſuppetat copia: audiendus eſt prudens magiſter M. Fabius,qui in Inſtitutionibus,ſic inquit de futuro utiq; oratore,ſed nos ad prudentem uirum ac commodabimus. His accedit enarratio hiſtoriarum,diligens quidem illa,nõ tamen uſq; ad ſuperuacuũ laborem occupata: nam receptas,aut certè claris oratoribus memoratas

moratas expoſuiſſe,ſatis eſt, perſequi autẽ quod quiſq; unquã uel contemptiſſimus hominũ dixerit,aut nimiæ miſeriæ,aut inanis iactantiæ eſt:& detinet, atq; obruit ingenia melius alijs uacatura.Nam qui omnes etiã indignas lectione ſchedas excutit, anilibus quoq; fabulis accõmodare operã poteſt.Sic ille.Ergo tenẽda ſimt ex hiſtoriæprimum ratio tẽporum,hinc facta & dicta,quę exẽplum poſſint aliquod adferre, ſiue ut bonum imitemur,ſiue ut malũ deuitemus.Bella & prelia non accurati perſequenda,quæ tantũ inſtruunt animos ad nocendũ,et uias oſtẽdunt,quis inuicem poſſimus lædere.Notãda ſunt duntaxat,& leuiter qui arma ceperint, qui utrinq; duces, ubi cõgreſſum,qui uicti,quid illis actum:nec aliter dicenda uel legẽda hæc,quàm latrocinia, cuiuſmodi reuera ſunt pleraq; horũ omnia,niſi quę forte aduerſus latrones ſunt ſuſcepta,quod inter Chriſtianos utinã nõ tam raro uſu eueniret.Satius igitur & fructuoſius fuerit dare operã togatis rebus,quæ in uirtute præclare ac ſapienter ſunt acta,quę in ſceleribus atrociter,fœde:qui exitus,quàm lęti benefactorũ,quàm triſtes atq; infelices malorum facinorũ.Tum dicta & reſponſa hominũ præditorũ ingenio, ſapientia,uſu rerum,ea potiſſimũ quæ Græco uerbo ἀποφθέγματα dicuntur:conſilia etiam,cur quicquid ſuſceptum,factum,dictũ eorum potiſſimũ,qui probitate,ſapientia,ſtudijs bonarum artiũ reliquis antecelluerunt,quales ſunt philoſophi,& præſtãtiſſimi omniũ diui noſtræ pietatis: ut non ſolum quæ ab animi incitatis motibus ſint ædita cognoſcamus,ſed quę à ui mentis & iudicij:indignum profectò eſt affectionũ noſtrarum opera mandari memoriæ,non item conſilij ac rationis . Hiſtoriæ neceſſaria eſt imprimis locorũ notitia,ſine qua intelligi illa nõ poteſt,ſed ea eſt iam nobis alibi oſtenſa.Autores rerum geſtarum uetuſtiſſimi alij ab alijs celebrantur.Ægyptij ſacerdotes ſuos nobis ingerũt.Græci Cadmum Agenoris filium.Sed Abraamũ Vrenſem priorem illis omnibus hiſtoriã reliquiſſe multo eſt certius, ex qua ſunt origines cœli & terræ apud Moſen, atq; eam ipſam hiſtoriã Abraamus ex filijs Sethi accepit, quos Ioſephus ait duabus columnis lateritia & ſaxea conſignaſſe literis mundi exordia,& ſemina maximarũ artiũ:quo apparet hiſtoriç uſum cum ipſis penè hominibus cœpiſſe, nimirum ſic expediebat humano generi.Curſum hiſtoriç à primo uel mundi uel gentis alicuius initio continuatum,ad poſtremum uſq; præſtat inſpicere:idq; ſi fiat,rectius percipiuntur,ac tenẽtur omnia,quàm per partes interruptas,non aliter quàm ſi in deſcriptione orbis uniuerſitas terræ ac maris uno aſpectu ob oculos ponatur,facilius erit mundi faciẽ,& ſingulorũ ordinẽ ſitumq; intelligere.Polybius Megalopolitanus totius humani generis hiſtoriã ſimilem animãti facit integro,particulares uero narrationes diſiunctas eidẽ membratim diſcerpto,cuius figuram,pulchritudinẽ,uires nemo ex partibus ita laceris colliget.Quapropter & nos hiſtoriæ membra ſic copulabimus,ut unum exiſtimemur coagmentaſſe ex multis,ſi non ut animal unũ,ut ſtructurã utiq; umã cõpoſitione aptam,ſeruata,quantũ quidem per diuerſitatem ſcriptorũ licebit,ratione temporũ,quo nihil eſt hiſtoriæ aptius aut cõgruentius. Principio legẽdus aliquis qui ab ultimis tẽporibus ad noſtram memoriã,aut ei proxima hiſtoriam, tenore uno cõtexat,ut ſumma quadam proponantur omnia:is ſit ſanè uel Nauclerus, uel hoc copioſior & purior,& diligentior,adde etiam doctior,Antonius Sabellicus , Paulus Oroſius ab orbe condito ad ſua tempora ſummas rerum apte perſequitur. Hinc partes ſunt iam hiſtoriæ cõpingendæ per operã autorum integra,quòd erit commodius,quàm per partes illorum.Mundi origines Moſes tradit libro,qui ea de cauſa Geneſis inſcribitur.Libellus circumfertur Beroſi Babylonij titulo de eadem re,ſed commentum eſt:quod indoctis & otioſis hominibus mire allubeſcit,cuiuſmodi ſunt Xenophontis æquiuoca , tũ Archilochi,Catonis Semronij, & Fabij Pictoris fragmenta,quæ eodẽ ſunt libro ab Annio Viterbienſi conferruminata,cõmentiſq; reddita magis ridicula:nõ quin inſint quædã in illis uera,nam alioqui frontẽ nõ haberet narratio,ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitiũ eſt,nec illius cuius titulũ mentitur.Mãthon Ægyptius,& Metaſthenes Perſa ex Euſebio ſunt deſumpti.Sequũtur Exodus,Numeri,Ioſue,Iudices Iſraelis.Philo Alexãdrinus abAdamo ad necem Saulis regis hiſtoriã ſummatim deducit,Diodorus Siculus ab inundã

tione quæ ſub Ogygè fuit rege Beotiæ, ad ſua tempora, id eſt, ad C. Cæſarem Dictatorem: quem Plinius neſcio qua cauſa dicat primũ apud Græcos deſijſſe nugari, quũ nihil eo ſit nugacius, niſi forſan ꝙ nullum operi ſuo illecebroſum aut magnificũ titulum indiderit, ſed inſcripſerit tantũ βιβλιοθήκας. Græca hiſtoria fabuloſiſſima eſt uſqꝫ ad Olympiades, nec quiſquã uera à falſis diſcreuerit: ſed nec quæ deinceps ſequitur mẽdacijs caret, licet paulo uerecũdior: ad eam nõ nihil adiumenti Homerus adfert in utroqꝫ poemate, etſi cõueſtiũtur in eo fabulis penè omnia. Dares Phrygius & Dictis Cretẽſis figmenta ſunt eorũ, qui de bello famoſiſſimo uoluerunt ludere. Dion Pruſienſis Troiã nõ fuiſſe captã argutatur. Philoſtratus in Hiſtoricis magna Homeri mendacia maioribus mẽdacijs corrigit. Iliada Homeri compleuit Q. Calaber. Accedunt iam libri Regũ, & τ παραλειπομένων, Eſter, Thobias, Iudith, apocryphi. Eſdras, cuius in quatuor libros diuiſi priores duo ab Hebrẽis agnoſcũtur in canone, poſteriores apocryphi ſunt. Romanorũ origines obſcuræ ac tenues uenerunt ad poſteros, ꝙ ante urbem à Gallis captã rarus eſſet literarũ uſus, ut inquit Liuius. Eſt Ioſephi de antiquis aduerſus Appionẽ diſputatio, de qua D. Hieronymus miratur in homine Iudæo tãtam peritiã Græcitatis. Herodotus pater nominatur Hiſtoriæ, quod primus ad rerũ narrationẽ elegantiã & nitorẽ orationis adiunxit, habet fabuloſa permulta, ſed operis titulo excuſatur, inſcripſit enim Muſas: ꝙ ſignificauit quędã dici licẽtius, id enim Muſis permittitur, ut audiẽtiũ animos ſuauius detineãt, quod interdũ ſeueritate narrationis nõ aſſequerent. Religioſior Thucydides Atticus memoriã ſuã cõplectitur de bellis Pelopõ. Sequit Xenophontis hiſtoria, παραλειπομένα, Lycurgi leges, Cyri iunioris ἀνάβασις. Nã Cyri maioris παιδία informatio eſt principis, nõ hiſtoria. Æmylius Probus de ducibus exteris ad Atticũ, nullũ enim Romanũ attigit. Res Alexãdri Macedonis cõſcripſerũt Latine Curtius, Græce Arrianus. Iã latiſſime patet pelagus Plutarchi de uitis Græcorũ à Theſeo ad Philopemenẽ: plenus eſt autor ille rerũ, plenus monitorum ad uirtutẽ. Trogus xl. libros de toto penè orbe ædiderat, eius extat modo cõpẽdium, in quod Iuſtinus illum redegit. Pauſanias de gẽtibus Græcis multum cõfert notitiæ uetuſtatis illius nationis. Plutarchus idẽ uitas decẽ rhetorum ſcribit, multaqꝫ in eo inſunt opere de ciuitate Athenienſi, ut pleriqꝫ eorũ rem adminiſtrarũt publicã. Diogenes Laërtius philoſophorum uitas ad fœminã quandã cõpoſuit, magna eſt in eo opere rerum cognitio, multoqꝫ eſt legi digniſſimũ. Ælianum uidere mihi nõ cõtigit, citatur à nouis ſcriptoribus. Res Po. Rom. ut ſcite à L. Floro traditur, nõ minus gentis hiſtoriã cõplectuntur, ſed orbis uniuerſi, & totius generis humani: conducet ad eam intelligendã de magiſtratibus & ſacerdotijs illius ciuitatis cognoſcere, de quo libellus legitur Feneſtellæ nomine, ſiue illius eſt, ſeu cuiuſcũqꝫ alterius, & Põponij Læti ex eodẽ deſumptus: tum de urbis regionibus breuiter ſcripſit Fauſtus Victor nuda perſecutus nomina. Acta illius gẽtis à primordio urbis orſus eſt Liuius & ad ſua tẽpora cõtexuit, nempe ad principatum Auguſti, ſed multo maxima pars intercidit. Tres iam pridẽ ferebãtur decades è xiij. Acceſſerunt nuper libri duo: quũ hæc ædiderem us, v. alij ex quinta decade in antiqua bibliotheca ſunt reperti. Diligẽtiſſimus ſcriptor ad bene tum loquendũ, tum ſentiẽdum in negotijs quum primis utilis. Sunt qui eius opus nolint in decades partiri, ſed præfationes decimo quoqꝫ libro ita fuiſſe ab autore diſtinctũ teſtãtur. Eius Epitomẽ L. Florus contraxit, quam habemus, & alterum Flori eiuſdem opuſculũ de Romana hiſtoria, quo nihil poteſt fingi in illo genere uel acutius, uel lepidius. Dionyſ. Halicarnaſeus Græce de Ro. initijs et primis urbis tẽporibus, tradidit à M. Varrone hero ſuo accepta. In Polybio nõ minorẽ, quàm in Liuio iacturam fecimus, ex xl. eius hiſtoriarum libris quinqꝫ tãtum reſiduis. Libri Macabeorum tres ſunt, quorum duos habemus uerſos inter ſacros, tertius Græce nõ legitur, incertum quis illorũ autor fuerit: quidã Ioſepho aſſignãt, & Græce ab illo genitos, ꝙ phraſis nõ uidetur aliunde transfuſa. Salluſtius de bello Iugurthino, hinc de cõiuratione Catilinæ: tum Cęſaris cõmentarij. Bellũ ciuile Pompeianũ Lucanus cecinit hiſtoricis magis admirãdus, qꝫ poetis. Corn. Nepos, quẽ Catullus ait Rom. æuum tribus chartis explicaſſe. Iulius obſequẽs de prodigijs ad notationẽ ualet tẽporũ. Appianus Alexãdrinus & externa & ciuilia Ro. bella memoriæ mãdauit Græcus autor.

Paterculus

Paterculus Velleius.Plutarchi uitæ Romanorum à Romulo ad Othonem:eiusdem paralella. Valer.Maximus sparsim attingit historias multarũ gentium,dum exempla generatim colligit.Sanctum Christi Euangelium à iiij.scriptoribus expositum,liber uitæ,& historia humani generis instaurati adoranda:quæ tanta felicitas in principatus collata est Augusti,& Tiberij.Actus Apostolorum memoriæ consignauit Lucas idem,qui & Euangeliũ.Suetonius Tranquillus Græcorum & Latinorũ scriptorum diligentissimus atq; incorruptissimus,res xij.Cæsarũ uidetur mihi integerrime exponere, qui optimis principibus nec uitia,nec suspiciones uitiorũ tacet:in pessimis uerò etiam colores uirtutum non dissimulat. Pari fide ac diligẽtia Laërtius Diogenes philosophorum uitas composuit. Eiusdẽ Suetonij extat de grammaticis opusculũ. Cornel. Tacitus grauis ad consilia, ideoq; prudentiæ multum conferens,tum etiam quia domi magis uersatur quàm militiæ.Est & Taciti liber de Germanorũ moribus. Flauij Iosephi antiquitates,& bellum Iudaicũ,quod Vespasiani confecerunt:de quo & Ægesippus paulo post scripsit, Latinus factus ab Ambrosio Mediolanensi antistite.Dion Cassius Cocceius sub Alexandro Seuero Ro.historiam lib.lxxx. Græcis literis composuit:gesta itidẽ Traiani & Arriani uitã, ut testatur Suidas:historia eius non extat integra,Iulius Frontinus de aquæ ductibus,& ad locorũ urbis Romæ noticiam ualet,& ad notationẽ fastorum,meminit enim complurium consulum.Philostrati sophistæ inter quos sunt nonnulli philosophi & oratores, ab Eudoxo Cnidio, qui Platonem comitatus est in Ægyptũ, ad Aspasium,qui Romę sub Antoninis uixit. Eiusdẽ Philostrati Apollonius penè totus figmentũ est rabiosum ac blasphemũ hominis in fingendo non inexercitati, quiq; historias cõminiscereturde ijs quæ nemo unquã uel uidisset,uel audisset.Herodianus à Commodo ad Gordianum,Ælius Spartianus,Capitolinus, Lampridius,Volcatius Gallicanus,Trebellius Pollio,Flauius Vopiscus ab Adriano ad Carinũ.Ammiani Marcellini quod supereſt,opus nec oratoris omnino,nec historici.Pompon.Lętus à Balbino & Pupieno ad Heraclium. Paulus Orosius,si quis eum antea nõ legerat,hoc loco euoluet.Eutropiũ itẽ,qui epitomen cõfecit rerum Romanarũ à Iano ad Iouianum Cæsarẽ.Sextum item Aureliũ ab Augusto ad Theodosium. Flauius Blõdus libris decem Romã triumphantẽ depinxit,& alio opere instauratã Italiam. Petrus Crinitus poetas Latinos quinq; libris expressit à Liuio Andronico Salinatoris liberto ad Sidoniũ Apollinarẽ.Paulus Varnefridus Langobardus,qui Diaconus cognominat.Cæsares à Valentiniano ad Leonem.Procopius et Agathias res Iustiniani transmiserũt ad posteros: ex eisdẽ Leonardus Brunus Aretinus bellum Gotthicũ composuit:ab his ipsis bellis ad suam memoriam,id est ad Pium secundũ,pontificẽ Romanorum decades scripsit Blondus,quas ab inclinatione imperij nominauit.Res ecclesiasticas à Christo domino ad Cõstantinum Cęsarẽ Eusebius nouẽ libris explicuit,quę historia ecclesiastica dicitur,decimũ atq; undecimum uolumen Ruffinus addidit priorum interpres ad principatum Arcadij, & Honorij .Historiam alteram ecclesiasticã legimus trium uirorum,quæ ideo tripartita nuncupatur,in Epitomẽ per Cassiodiorum coarctatam à Crispo & Constantino consulibus ac Cæsaribus ad decimumseptimum Theodosij Augusti.D.Hieronymus scriptores ecclesiasticos recensuit à Petro ad seipsum Theodosio imperante. Gennadius eodẽ tẽpore suos addidit à Iacobo Episcopo Nesibenæ Persiæ,qui martyr sub Maximino fuit,ad Honoratum episcopũ Massilienſem. Beda presbyter Anglus narrationem ecclesiæ suæ literis mandauit.Habemus etiam acta conciliorũ,quę Ioannes Gerson collecta esse autumat ab Isidoro Hispalẽsi:alij post alia addiderunt, ut Pius Basiliẽse,cui ipse interfuit.Dissecto ac diuulso imperio Romano,unaquæq; gens suis nixa uiribus res sibi suas domi & foris gessit, inde sunt peculiares gentium historiæ.Eginhardus scriba Caroli magni uitã & acta illius commẽdauit posteris,de eodem Turpinus,& nuper Donatus Accioalus breuiter ac nitide.Gaguinus res Frãcorum ad sua tẽpora deduxit,id est ad Lodouicũ undecimũ,admistis,ut fama est,affectibus:meliore fide Paulus Æmilius nẽpe de rebus priscis, id est à primis Frãcorũ regibus post excussam Rom,dominationẽ ad Philippũ et Carolum fratres,Lodouie-

ci filios. Res Gotthicas posteris prodidit Iordanes Castalio. Hispanas Rodericus Toletanus præsul, Saxonicas Albertus Crãtus. Venetas Sabellicus. Aragonẽses Maria Siculus. Scothicas Hector Boethius. Pius Pontifex Bohemicas. Beatus Rhenanus Germaniæ origines, situm, mores. Saxo Grammaticus de Danis ea scribit, quæ fabulositatẽ resipiunt, ut in admirationẽ aliarũ gentiũ conficta credas. Sed mireris quoq; in illo seculo atq; illa regione uerba et elegãtiã dictionis. Fabulosa sunt magis quę de Britãniæ originibus quidã est cõmentus à Bruto illos Troiano deducẽs, qui nullus unquã fuit. De gentibus ad Orientẽ & potissimũ Tartaris Agythõ quidã Pręmostatensis librũ reliquit, qui in illis regionibus aliquãdiu egit ab hinc annos ferè ducẽtos. Platinæ Romanorũ pontificum uitas legimus à Petro ad Xystum quartum. Ioannes Tritemius Abbas Spanhemẽsis uitas Scriptorũ ecclesiasticorũ congessit, orsus à Clemente Ro. episcopo ad hæc tẽpora, multorũ enim meminit, qui adhuc uiuũt. Memoriæ mandauit sua tempora Leonardus Aretinus. Bellũ Neapolitanũ Alphõsi Pontanus. Michael Ritius reges aliquot Christianos collegit, in quo opere multa sunt locorum, hominũ, & familiarũ corrupta nomina, uitio credo describentium. Baptista Ægnatius Cæsares breuissime recẽsuit ad Maximilianum. Nauigationes Oceani & orbẽ nouum repertum suo tempore Petrus Martyr Mediolanensis monimentis literarũ consignauit. Sed postea sunt res ampliores consecutæ, & quæ fabulosæ uidebuntur ad posteros, quum sint tamen multo ueriſſimæ. Sigillatim quorundam uitas ædiderunt uarij, ut Tacitus Agricolæ soceri. Seuerus D. Martini. Paulinus Ambrosij. Pontius Cypriani, Hieronymus Paulæ, Hilarionis, Malchi. Nuper Laurẽtius Valla Fernandi regis Aragonum. Antonius Panormita acta & dicta Alphonsi Fernãdi huius filij. Cãpanus Brachij. Raphael Volateranus & in anthropologia, & in geographia multa de rebus gestis congerit, quæ illius opera uehemẽter historiæ proderũt. Sunt alij permulti, qui memoriam rerum iuuare poterũt, & si nõ ex professo historici. Velut Cicero, Seneca, Gellius, Macrobius. Lõge plus Polydorus Virgilius in libris de rerum inuentoribus, & Augustinus in ciuitate Dei. C. quoq; Plinius, & Plinij furunculus Solinus, Strabo itẽ et Pius Secũdus geographi. Ex Gręcis Plato et Plutarchus in moralibus opusculis. Suidas, Athenæus, & poetarũ interpretes, si non tam omnia confunderẽt. His omnibus iam percursis quædã uelut admonitoria habemius in bibliotheca, nõ quæ explicẽt fuse, sed quę uelut digitio indicẽt, & in memoriã reducãt: ea erit breuis annotatio temporũ, quale est supplementũ chronicorũ Episcopi Bergomatis parũ sępe accuratũ: meliores sunt Ottho Phrysingẽsis, et Rheginо. Eusebius Cæsariensis, plurimũ adiuuare partem hãc possit, si non tam mẽdosus uenisset ad posteros negligentia atq; inertia describentiũ. Producuntur illius tẽpora à Hieronymo per annos quinquaginta, hinc à Prospero Aquitanico per annos sexaginta, tũ à Matthæo Palmerio Florẽtino usq; ad annũ domini 1449. inde à Matthia Palmerio Pisano per annos xxx. adduntur his quædã Sigiberti Monachi Gemblacensis. Similis est Eusebiano labor Bedæ presbyteri, sed aliquãto explicatior: cui Hermanus Contractus successit usq; ad annum 1066. De rebus Cæsarum et Pontificum Romanorum, si cui uacat plura legere, addat licet Antonium Florentiæ Archiepiscopum. Hi sunt propemodũ Græci & Latini rerum gestarum autores, qui quidem ad nostrã notitiã peruenerint. Nam qui desiderãtur sunt penè innumeri, Gręci potissimũ, quorũ quos Plutarchus unus citat, iniri numerus nõ potest: idem ait Marathonũ bellum à tercentum scriptoribus mãdatum fuisse literis. Nec attigi, qui de exigua aliqua gente, uel de una quapiã ciuitate quædam cõscripserunt, uelut de Frãdria, de Leodio, de Traiecto: nec q linguis uulgaribus prodiderũt sua, ut Valerã Hispanũ, Frosardũ, Monstreletũ, Philippũ Cominiũ: quorum multi sunt, legi et cognosci nõ minus digni, cũ plerisq; de Gręcis uel Latinis. Sed mentio hæc rerũ à magnis uiris actarũ in mentẽ reuocat mihi eum dolorẽ, quẽ sæpenumero cepi animo maximũ, dum ipse mecũ reputo, cũ diligẽter, quanta cura Alexãdri, Annibalis, Scipionis, Pompeij, Cæsaris, & aliorũ ducũ, Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliorũ philosophorum acta perscripta sunt, & sempiternæ memoriæ infixa, ut periculũ non sit, ne unquam excidãt: acta uero Apostolorum,

martyrum

martyrum,deniq; diuorũ noſtræ religionis,& ipſius ſiue creſcentis eccleſiæ,ſiue iam adultæ operta maximis tenebris ferè ignorari,tanto ſiue ad cognoſcendũ,ſiue ad imitandum,quàm ducum aut philoſophorum fructuoſiora.Nam quæ de iſs ſunt ſcripta prẹter pauca quædã multis ſunt cõmentis fœdata,dum qui ſcribit affectui ſuo indulget,& nõ quæ egit diuus,ſed quẹ ille egiſſe eum uellet,exponit:ut uitã dictet animus ſcribentis,nõ ueritas.Fuere qui magnẹ pietatis loco ducerẽt mendacioſa pro religione confingere:quod & periculoſum eſt,ne ueris adimatur fides propter falſa,& minime neceſſaria:quomodo pro pietate noſtra tam multa ſunt uera ut falſa, tanquã igna ui milites atq; inutiles oneri ſint magis quàm auxilio.Hiſtoriæ accedat fabularum cognitio,ſed eruditarũ,quæq; ad uſum uitæ,quũ res poſcit,accõmodari queant: quales ſunt poeticæ,tum apologi Æſopici,prouerbiorũ & ſentẽtiarum,quibus ſenſus communis addiſcitur.Exclamet hic aliquis,ecquando tandẽ omnia hæc legentur:à uiris confirmata iam ætate tum etiã ſenibus eo tempore,quo uel ludendũ eſſet,uel nugandum.Nam ſi quis quantũ in luſionibus,quantũ in colloquiis inanibus ſæpe etiã noxiis, quantũ in torpenti otio cõſumatur tẽporis expẽdat,cõperiet planè his omnibus quæ dixi percurrendis,atq; aliis multo pluribus affatim ſupereſſe.Abundamus tẽpore,ſi prudẽter diſpenſetur,quod male impendendo fit arctiſsimũ.Quod ſi idem non poſsit per ſe legere omnia,habeat,ut moris olim Romanis fuit,lectorẽ,quẽ diſtincte, docte,expedite recitantẽ auſcultet.Cum hiſtoria cõiuncta & cõplicata erunt uitẹ publice ac priuatim inſtituendæ præcepta. Quæ uniuerſa inſtitutio eò pertinere debet, ut rectus quidã ordo cõſeruetur,& ſua cuiq; maneant debita officia: ne quod natura & recta ratio inferius eſſe iubet,fiat ſuperius:hoc autẽ quod autoritate prẹditum eſſe conuenit,uileſcat,nec ipſius imperia audiãtur:quodq; inſtructum eſſe prudentia par eſt,ſtultitiam in ſe dominari ſinat.Ego natura corporis atq; animi explicata,nemo eſt uſq; eo à ſenſu omnia ac iudicio alienus,cui nõ ilico manifeſtum fiat & certũ, corpus debere obſequi animo,in animo uero motus rationis expertes rationi ipſi dominẹ ac imperatrici,uidelicet unde homines ſumus:& ex iis rebus inter quas uerſamur,ſimillimæ cõiunctiſsimæq; diuinæ illi naturẹ, quẹ regit omnia.Nec dubitandũ eſt,quin ea ordinatio in homine fuerit,quum ille primum è manibus artificis exiret ſibi relictus: quippe opus quodcũq; ita eſt pleniſsimũ ac perfectiſsimũ,ut eſt eius opifex peritiſsimus atq; optimus. Sed enimuero omnia ſunt per ſcelus inuerſa, ut ſuperiores partes depoſcat ſibi inferius,affectiones cõtendant pro ratione audiri,ratio uicta & oppreſſa obmuteſcat,& ſeruiat affectuũ temeritati:hæc eſt æterna in homine militia,ſeu pugna ueriusinq; eo eſt perpetuo laborandũ, & cõnitendũ,ne dominã ſuperet ancilla, in quã tyrannidẽ exerceret acerbiſsimã,et ab homine degenerare cogeret in belluam. Ad ſuppetias ferendũ rationi cuncta moralis philoſophiæ prẹcepta ſunt cõparata uelut exercitus quidã. Quare noſcendus eſt homo totus intus & foris:intus uero in animo affectus & mens,affectus quib.incitãtur rebus,uel augeſcũt,quib.cõtrà cohibentur,ſedãtur,tollũtur:hoc demũ eſt hominẽ ſeipſum noſſe,quod ueteri ſapiẽtiæ monitu iubemur facere.Sed hẹc oſtẽſa eſſe iam oportet in diſputatione de anima.Quemadmodũ uero affectiones animi ſubdentur rationis autoritati & cõſilio,huius obſeruationis:mens autẽ noſtra ea tenebrarũ denſitate obducitur,ut id nõ diſpiciat:affectus eñ peccato incitati ingentẽ atq; obſcuriſsimã caliginẽ ob oculos rationis offuderũt. Opus eſt ratione quapiã liquida et minime perturbata,ea uero quænã eſſe uel poteſt alia,uel debet,q; diuina:multis, & maximis de cauſis:ſiue quia illa eſt omniũ ſapientiſsima,ſiue quia noſtrẹ cõditrix,atq; ideo canon illius & regula,ut ad nullã poſsit rectius dirigi:ſiue q uiã,qua ad Deũ ueniatur,qui eſt hominis creandi finis,qui melius aut certius quã deus ipſe indicarit?Ergo ex Dei doctrina præcepta diſciplinæ huius erũt nobis hauriẽda.Deũ nemo uidit unquã,dei interpretẽ,atq; internunciũ habemꝰ Chriſtũ Ieſum nõ eiuſdẽ cõditionis,cuius reliquos oẽs,ſed filiũ et quidẽ unicũ,quiq; ſemp eſt in ſinu patris: filij interpretes ſunt eius diſcipuli,tũ diſcipulorũ auditores & alij deinceps ſancti uiri:tãetſi hoc riuus iſte eſt purior,quo propinquior ſuo fonti.Ex horũ doctrina et dictis uelut remedia colligentẽ morbis animi,ut ſub rationis manũ et

poteſtatē affectiones ſubdantur:ordinatione hac cōſtituta, & quoad licebit fundata, probe ſeſe homo geret ſecū ipſe,& cum deo,& cum homine ſuperiore,inferiore,pari,ſiue priuatim,ſiue in familia,ſiue in re cōmuni omniū & publica,ſiue foris cum exteris.De inſtitutione hac conſcribetur liber aliquis breuis,perſpicuus,Chriſtianę pietati per omnia conſentiens,quē magiſter enarrabit.Scriptores humanæ ſapientiæ tractationem hāc de moribus quatuor in partes ſecuerunt:in eam quę priuatim cuiuſq; animum ac mores informaret,quam Ethicen: in eam quę familiā componeret,quam œconomicen:& quæ cœtus congregationesq; populorū regeret,quam politicen nominarunt.Addita eſt portio illius quædam de uitæ officijs mediis,quæ nō tam in formatione illa naturali cōtinetur,q; poſita ſunt in more & educattone cuiuſq; regionis & populi.Quæ ab eis ſunt his de rebus monimentis literarū poſteritati relicta,ea per ſe quiſq; priuato ſuo ſtudio euoluat.Sciat modo ſe inter ſpinas per loca obſcura ingredi,ut ſuſpenſo ueſtigio incedat,nec uſquā pedem ſecurus figat, niſi ubi lucē noſtram admouerit,eaq; oſtenderit tutum eſſe illic ſubſiſtere. Neq; enim plus illis tribuemus quamuis maximis et acutiſsimis ingenijs,quàm quantum illi cum Chriſtianitate conſentiunt,hoc eſt homo cum deo.Extant de Ethicis decē Ariſtotelis ad Nicomachum filium uolumina,quę quibuſdā non ad Nicomachum placet eſſe ſcripta,ſed à Nicomacho:quod Cicero in lib.de finib.v. ſubſignificat.Laërtius in uita Eudoxi autor eſt Nicomachū Ariſtotelis filium dicere Eudoxo,uoluptatē fuiſſe ſummū bonum,quæ ſententia eſt in Ethicis.Suidas ſex illum Ethicorum libros ait reliquiſſe:in quo ambigi poſſet ſint ne hi decē,qui Ariſtotelis inſcribuntur,an duo illa magnorū moralium, an viij.ad Eudemum.Sed cuiuſcunq; ſint autoris, certe Ariſtotelis nomine xx.habemus libros de moribus,quæ magis ad ſciendum et diſſerendū faciunt,quàm ut moueantur,qui audiūt, aut uelint ita uiuere.Simile eſt huic opus D.Thomæ Aquinatis ſecundæ partis ſummę,quod duos in tomos diuiditur,ſcriptoris de ſchola omnium ſaniſsimi ac minime inepti:hi libri cōcinnati ſunt partim ex ſacris,partim ex prophanis ſcriptoribus,tum receptis uulgo opinionibus : multis in locis facilē intelligas ſecutū illum eſſe alienum iudicium,ſuum non adhibuiſſe,quod fuit ei cōmune cum ſcholaſticis.Magis ad mouendum cōferunt Platonica,quæ ſunt de moribus.Xenophontis cōmentarij de rebus Socraticis.Plutarchi,quę ſunt item de argumento morū,Ciceronis de finibus.Tuſculanę quæſtiones.Lælius,& Cato maior.Senecæ de beneficijs,de clementia, de conſolatione ad Martiam,& ad Albinā matrem,de uita beata,de tranquillitate animi,de breuitate uitæ,de ira,Epiſtolæ ad Lucilliū:quę in hoc fuerunt ſcripte,nō tam ut mitterentur,quàm ut in unaquaq; quæſtio aliqua tractaretur de uita & moribus formandis. Boëthus de conſolatione philoſophiæ.Petrarcha de utraq; fortuna . Præceptor in his erit ſanctus, incorruptus, qui nihil det oſtentationi:tum prudens non modo in multis diſciplinarū generibus,ſed in uita etiam communi.Tradet ſic bene uiuendi præcepta,ut nō ſciant ſolū,ſed incitentur,& uelint bene agere,nempe erudito ſermone atq; efficaci multis tum ſentētijs grauibus , tum actorū exemplis fulto ac munito.Nec habebit ſatis indicaſſe hoc eſſe bonū,malum illud.Sed rationem addet,cur quicq; ſit tale,cur ab hoc fugiendum,perſequēdū illud. Vitia nihil habebit neceſſe curioſius,ac ſubtilius explanare:utinā malum ne ſciremus quidē.Sed quando in ciuitate & cœtu hominum alij alijs magiſtri ſunt ad flagitia,& malum quamlibet à pręceptoribus celetur,ignorari tamen ab hominibus nō poteſt,obuiū ubiq; aſpectui & auditui.Idcirco rationē hanc in eo uelim teneri,ut quū duæ ſint uitiorū formę,altera earum quæ animo continentur,utilitatis ac uoluptatis cuiuſq; expertia,altera quæ in corpus cum delectatione ſenſuum aliqua manant.Illa quæ ſunt animorū,explicentur,& retegantur fuſe,tanto ſcilicet apertius eorum fœditas ob oculos ponetur:ut in ſuperbia,ira,odio,liuore,quę animos hominum uexant,& cruciant:nec emolumenti quicquam adferunt,ut non iniuria furiæ nuncupentur:ea uero quæ uel delectant,uel hominum utiq; iudicijs proſunt,etiā ſi omni carent pulchritudine,tamen quia uoluptatem præ ſe oſtendunt,hoc eſt dulcem perniciē,& ſimulachrū quoddam naturalis deſyderij , malim obſcure & tectius tradantur , inſectando grauiter,atque oſtendendo,quàm

do,q̃ tetram & in præsens turpitudinẽ adferant,& in posterũ pœnitentiã relinquant: in quo exẽplorum deesse nobis copia nequaquã potest,nõ ueterum tantũmodo, sed quæ quisq; uiderit etiã homo perquã adolescens.Nec uelim periclitãdo esse cognita, trahent enim sæpe eum,qui semel de se gustarit:& in his est uiolẽta consuetudinis dominatio:facilius erit à nunquam gustatis abstinere. Ac quẽadmodum Lacedæmonij seruos ebrios liberis suis offerebãt,ut hi aspecta in temulẽtis fœditate oris,absurditate dictorum factorumq; ab ebrietate abhorrerẽt.Sic fuerit operæpretium monstrare iuueni tristeis exitus,quos uoluptates plurimis attulere.Eundem in modum sit mihi dictum de ijs uitijs,quę cum populari utilitate sunt coniuncta:quod genus habentur auaritia,astutia,fraus,ultio,quæ praua illa imitatione utilitatis nõ paucis allubescunt. Illa uero sunt omnium pernicioſisima,quibus laus etiam atque approbatio accedit: nam quum id, quod uirtuti est proprium, transfertur ad uitia, qui spei sit reliquum misero hominum generi et ad flagitia procliui? nisi ut dempta abominatione,qua deterrebat à scelere,ruãt omnes in capitalia facinora,de quibus etiã palàm perinde glorientur,ut de uirtute:huius notę scelera sunt cędes hominum,& crudelitas belli,& apud quosdã honestiſsimarum matronarũ constupratio.In hęc uitia ex ipsa hominum natura sumenda est oratio,& iudiciorũ deceptio patefacienda.Disputationes sint in his graues de quæstionibus uitiorũ & uirtutũ.Licebit hic plus paulò altercari,quàm in œconomicis aut politicis: sed de ijs potius quæ ad diffinitionẽ spectent naturæ affectuum,quàm ubi definitum iam & cõstitutum fuerit,quẽadmodum sit uiuendum. Vitæ officia ex prudentibus & bene educatis in populo discuntur.Sunt enim singulis nationibus sua.Sed à prudentibus in quoq; populo esset curandum,ut ex ijs ciuitatibus,quas ipsi adijssent,ea desumerent ad usum suorum, quæ rectis essent iudicijs consentanea,quæq; peruersos suorum mores corrigerent,prouiso ne ingenio suæ regionis aduersarentur.Nam sunt quædã Germano congruentiſsima parum apta Hiſpano.In his uero locorum,tẽporum,hominum distinctionibus moderatrix est prudentia,quã ubiq; præsto adesse conuenit.Græci olim de officijs scripserunt Panætius & Hecaton. Sed nunc sola habemus M. Tullij: quæ ad Christianiſmum diuus Ambrosius transtulit: Sunt & à Iouiano Pontano nonnulla de magnificentia, de conuiuentia,atq; huiusmodi tractata,non adeo, ut res tanta poscebat, plena.Rei familiaris cura non ad quærendas aut conseruandas opes referenda est, ut ferè gentilitas putauit, sed ad quietem & tranquillitatem familiæ:ut commode transigamus uitam,sitq; domus sua unicuiq; uelut portus quidã molestiarum & curarum.Itaq; assignandum est cuiq; in ea suum munus maxime aptum,ne quisquã sit in ea otiosus,nęue alienum officiũ inuadat labori aut cõmodis suis consulens.Tum ut bene ac salubriter pascantur,utiliter uestiantur,cõmode habitent,bene uelint inter se,domũ ipsam non minus quàm patriã diligant,nutricemq; quandã esse existiment,seu matrẽ uerius.Dominus sit prętectus & exactor omniũ,quẽ ut patrẽ ament omnes,reuereantur ut dominum: illiq; uni supremum sit ius in cunctã rem familiarẽ.Hæc est familiæ institutio, de qua præcepta ædet philoſophiæ moralis pars illa,quæ à Græcis οἰκονομικὴ nominat.Scripserũt de illa Xenophon Atticus,qui reliquis plurimorũ iudicio anteponitur.Aristotelis opus nõ extat integrũ.Multa hac de re sparsim à Platone & Plutarcho dicuntur, qui etiã præcepta connubialia cõposuit,ut Erasmus librum de matrimonio,& Franciscus Barbarus de re uxoria multis in locis inanẽ.Nihil est opus auditorio uel præceptore,non disputationibus,sed colloquijs cum patribusfamiliâs prudentibus,quale est Socratis cum Isomacho apud Xenophontẽ.Respublica ad quietũ,pacatũq; conuictum pertinet,ut ciues mutuo iuuent,& libenter,& beneuole.Charitas cõmunicatione utilitatum extenditur, quies ab eadẽ charitate cõseruatur. Verum ubi charitas abest,iustitiæ officium in eius locum succedit,nõ illius blandę ac inermis,sed armatę potestate ac uiribus,quæ frenos cõcitationi animorũ inijciat.Et quãdo sæpenumero nõ potest unus iustitię administer omnia obire,quæ in ciuitate iustitię opẽ implorãt, electi sunt alij potestate uel pari uel impari,qui magistratus & iudices nũcupantẽ.Hęc ergo est forma reip.hęc philoſophię politicę consyderatio & cura,quos affectus esse

conueniat

cõueniat ciuium inter ſe,ſubditorũ erga principes & magiſtratus,magiſtratuum inter ſe,& aduerſum ſubditos,quę ex his affectibus actiones,& opera naſcãtur.Quum uero dicitur,quod ius cuiq; in rem aut homines,iam leges inferũtur:nam politica diſciplina ſolos informat animos,& mores ciuitatis:quanquam attingunt non raro hęc mutuo,ut leges multæ ex politica ſint,& ecõtrario.Neq; hic magiſtrum requirimus, neq; diſputationes,ſed eam animaduerſionẽ, quam initio diximus de affectionibus animi ac moribus.Hinc uſum rerum in foro,& curia.Senes nonnunquam de rep.inter ſe differant ſeniliter,admiſsis eò iuuenibus,ut ab eis & rerum peritiam,& morum grauitatem accipiãt:quam grauitatem,quemadmodum præclare ait Cicero,minime contentiones decent. Quocirca cauillatores & pertinaces publicis conſilijs nequaquam ſunt idonei:quoniam nihil eſt in uita & moribus hominũ quod detorqueri ac inflecti à recto cauillando nõ poſsit.Solicitum uero magis eſſe de uictoria, quàm de ueritate prudẽtiam corrumpit,ut idem inquit Cicero.Adminiſtrationi reip.opus eſt iudicio ſano,integro,ſolido magis quàm arguto,aut acuto:ingenio frigido,& tardiuſculo potius,quàm feruido ac præceleri:ut ſimpliciter quæ ſint dicta in conſilio,àccipiat,multumq; de eo apud ſe cogitet priuſquam iudicium mentis ſuæ proferat:facile uero in ſententiam recte cenſentis tranſeat ſine cõtentione & ſpinoſis ſubtilitatibus, anxius magis de communi bono,quàm de exiſtimatione ſui.Ideoq; ad regendos populos Romanus quàm Græcus melior, & gentes ad ſeptentrionem quàm ad meridiem.Populari enim & carbonaria trutina appendendus eſt plerunq; populus, non exacta illa aurificis ſtatera.Rector conuentus hominũ haud ignorabit ſeſe uelut ædificij totius architectũ eſſe,quemadmodũ ſcite Ariſtot.docet,ut iubeat,ut uetet,quid in ciuitate fieri oporteat,aut ſecus:quare cõuenit eum ſi nõ ſigillatim exacte,generatim certe & ſumma quadam ſcire,quorſum diſciplinę & artes omnes pertineant,quę illarũ origines,fines,materiæ,actiones,& earum quæ manibus exercentur,& quę ſolo conſtant ingenio:ut norit,quid,quatenus,quo modo ſit in ciuitate admittendum, aut ab ea propellendũ.De repub.ſcripſerunt olim Plato primus:ſecũdum cuius inſtitutionẽ tum demum uiuent homines,quũ aliqua exiſtet ciuitas ſolis ſapientibus habitata.Idem Vtopiæ continget Thomæ Mori.Legenda tamen & Platonis reſpub.& eiuſdẽ leges,atq; hęc ipſa Vtopia,ex quibus nõ pauca annotabuntur regimini ciuitatum perquàm utilia.Ariſtotelis viij.libri politici,plus habent quę hominũ et ingenijs & uſu cõfirmatis iam moribus congruãt,ut fuit uir ille prudentiſsimus & callentiſsimus ſenſus cõmunis:Ciceronis libri de legibus iij.lectu ſunt periucũdi,nec fructu carent.Sed eiuſdẽ de repub. uolumina deſyderamus.Iſocrates Nicocli regi dat præcepta,tum ſubditis in συμμαχικῷ qui in tractatione locorũ cõmuniũ eſt cũctus,ut ſolet. Xenophontis Cyri educatio,quamuis à Cicerone & alijs ueterũ apprime laudata,timis tamẽ uidetur mihi militaris.Agapetus ad Iuſtinianũ Auguſtũ documẽta quædã cõpoſuit de rege.Chriſtiani Principis inſtitutionẽ Eraſmus ſcripſit.Franciſci Patricij de republ.& regno, duo legimus opera iuſtæ magnitudinis, in quibus dicta & facta multorum congeſsit,de ſuo penè adiecit nihil,otioſus multis in locis,ac ſegnis,q; ſine delectu aggregauit,& ſine cenſura,quæ duo in adducendis exẽplis potiſsimũ requirunt.Hæc eſt ars principũ,cõſiliariorũ,iudicũ,denique eorũ qui ciuitates et gentes moderãtur.Formæ ciuitatis adnexæ ſunt leges,quarũ origo & proceſſus ad hũc ferè modum habẽt.Hominũ ciuitates ac cõuentus omnes,æquitate ſunt uelut glutino deuincti,quippe quæ eſt cõſeruatrix & anima cuiuſuis humanæ ſocietatis.Quæ ſit uera æquitas,inueniet ratio,nõ quælibet,ſed pura & magna ui naturæ incitata,uel illuſtrata monitis ſapiẽtię.Nam qui uel perturbant affectibus,uel iudicijs ſunt torpẽtibus,nec ullis philoſophiæ præceptis erigũtur,ægerrime ad æquitatẽ intuendã perueniũt.Superiores illi,qui ſunt de rara in populis nota,æquitatis illũ ceu fontẽ in riuos deducũt pro locis,pro tẽporibus,pro ingenijs hominũ,ut præſentis ſocietatis uſui conducat, quę lex dicitur:qui uerò legi parere alios cum poteſtate cogit,iudex,ſiue lex loquẽs. Quocirca manifeſtũ ſit philoſophi eſſe de æqtate tractare,& ex ea deriuare leges:nec ullius artis alterius eſſe poteſt: quiq; olim populis leges ſanxerũt, philoſophos fuiſſe conſtat,

constat,Draconem,Solonem,Lycurgum,quiq; de repub.& ciuitatibus cõponendis documenta tradiderũt.Qui uero leges has latas iam & receptas tenent, atq; interpretantur,iurisconsulti sunt dicti,quòd ab eis quid sit ius in quacq;re sancitum,rogamus. Si quis satis putat se munere iurisconsulti facturum legibus his ediscendis,ut eas non aliter quàm index quidam teneat,is nimirum nihil aliarum facultatum indiget, ac ne ingenio quidem ullo uel iudicio.Sin uero id demum est ueri & perfecti iurisconsulti munus,ac professio,ut legum sensa & mẽtem explicet,ut quæ sit in quacq; lege æquitas,id est qui uigor,quę uita,quas cõseruari quoq; tempore expediat,quas antiquari, nimirum philosophia huic homini est opus,mediocriter quidem naturali,sed morali plene ac absolute:tum uero non sacerdos ac professor fuerit Romanarum aut Hispanarum legum,sed(quod Celso,& Vlpiano placuit)boni & ęqui.Cuius artem per magna aliqua excogitari ingenia equidem percuperem,quàm futuri iurisconsulti addiscerent,quæ ars iustitiæ uocaretur:ne tot subinde in unaquaq; ciuitate accumulandę atq; exaggerãdæ forent leges aliæ super alias sine fine & sine affectu.Cicero persona L.Crassi cogitasse aliquando se scribit,ut ius ciuile in artem redigeret,generibus primum assignatis hinc formis,quę à generibus penderent.Sed id breuiter percurrit,& per transennam ostendit,ut illic alia.Aristoteles initia signauit quædam,sed more suo intricate per geometricas & arithmeticas proportiones. Posset tamen aptius id fieri declarandis primum naturalibus, id est quæ essent uniuersorum hominum sensui ac iudicijs consentanea:hinc quę uarietatem opinionum recipiunt,de quibus alia rectis iudicijs in pleriscq; congruunt, alia in more tantum & consuetudine sunt posita, mutanturq; temporibus,locis,personis: habent tamen qui inter se dissentiunt,probabilem quisq; opinionis suæ rationẽ:hæc postrema ad iudicium hominum in quaq; ciuitate prudentiũ essent releganda. In duobus alteris cõtemplandũ quæ magistratus sit erga priuatũ cura,quod iussum,quod imperiũ,quatenus liceat & fas sit: quæ priuati erga magistratũ obedientia,qui honor,quę dignitas.Magistratus inter se qui quibus potiores,quorum partes in repub.magis necessariæ uel honestæ.Priuati inter se quo modo se gerent emendo,uendẽdo,locando,conducẽdo,permutando,donãdo,accipiendo,promittẽdo, ijs quæ prosint sibi,parãdis,& conseruãdis,ijs uero quæ obsint, auertẽdis:quæ præmia & honores ijs,q cœtui profuissent,quę pœnæ & supplicia ijs, qui læsissent:quę litiũ ratio,siue quid ultũ uelis,siue tuum repetas,quę tuendi,quę excipiendi,aut negandi. Ad quã singula istorũ accõmodari normam natura & recta doceat ratio siue in uniuersum, seu pro ingenijs generatim locorum,temporũ,hominũ. Ante omnia leges sint notæ omnibus. Quis enim libenter se uel duci uel custodi incognito cõmittit? Quæ uerò est iniquitas ignorantia legis crimen nõ defendi,quum leges tamẽ ignorentur:itaq; leges ignotas statuere,decipulas est tendere,nõ regulam uitæ tradere. Minus est cauillo & insidijs occasio in re omnibus perspecta:quippe in obscuris & occultis locis insidiæ fiunt,nõ luci,aut in frequẽtia sub tot oculis,testibus atq; arbitris eorũ,quæ gerãtur.Notæ erunt,si breui sint,ac dilucido sermone conscriptæ.Quales sunt leges optimi ac sapientissimi legũ latoris Dei,& discipulorũ eius.Si paucis & maxime proprijs uerbis res exponatur,tantum erit ad notationem æquitatis dictum,quantum fuerit satis: cætera benigne interpretationi relinquentur,ut ualidissimus ubiq; sit respectus æqui & boni. Quòd si longa & accurata oratione rem persequamur,omnia uidebimur uoluisse explicare,nec aliquid sanis interpretationibus reliquisse. Ita nec magis ualebit lex, quàm quantum eloqui constitutor eius potuerit:quumq; nulla sit tanta facundia,quæ uastissimum illud æquitatis pelagus possit cõcludere,fiet profecto ut exclusa ęqui boniq; moderatione in locum illius cauilla,doli,fraudes,insidiæ succedant,quod euenire quotidie uidemus in ijs legibus atq; instrumentis,quæ persequi minutim uolũt singula:ut nihil sit aliud hoc facere,quàm fenestras aperire fraudi cẽ plurimas. Vulgari prodãtur sermone & cum primis aperto ac perspicuo,qui si procedente tempore,ut fit,obscurior reddatur,declaretur,aut innouetur uocabulis seculi præsentis. Vidit hoc priscorũ hominũ & prouidentia,& æquitatis simplicitas,qui leges xij. tabularum pueris in ludo ediscendas dabant,etiam

ætate

ætate Ciceronis,id est,post annum penè quadringentesimũ: per quod & facilitas sermonis ostenditur, & quòd uitæ degendæ rationem unicuiq; familiarem esse uellent. Sint leges imbecillis blandæ,robustis robustę,pertinacibus feroces,quod est optimi rectoris ingenium,sicut eleganti uersiculo sapiens expressit poëta:

Parcere subiectis,& debellare superbos.

Publicã quietem alant,& foueant,aspere interturbatoribus illius,cuiusmodi sunt delatores,calumniatores,quiq; multo libentissime & facillima quaq; de causa lites suscipiunt:ut quemadmodum Isocrates admonet, damnosum homines sentiant litigare, contrà non litigare fructuosum.Nec solum dabunt operã ut ciuium cõseruetur inter se concordia,sed cum toto hominũ genere,quos regeneratio mystica tam iubet haberi pro ciuibus,quàm generatio intra limites eosdẽ.Nec quicquam hoc perinde effecerit,ac si ad Christianum unicum præceptum sint accõmodatæ charitatem hominum cunctorum mutuã:quam ob rem nec sanciendæ leges indigenis utiles,exteris noxię. Et quãdo in bonis ciuitatis moribus paucę ac propè nullæ leges sunt satis,contrà uerò in malis moribus quantocunq; numero non sufficiunt, non solum in reipublicæ constitutione, sed legum iussu,cui propter potentiam plurimum homines tribuunt, curandũ est,ut casta atq; incorrupta sit puerilis educatio: tum in uiris & ciuitate uniuersa honesti,& sobrij,& uerecundi mores,propositis ad hoc pręmijs ac pœnis.Prudenter in Cyri educatione inquit Xenophon:Pleræq; ciuitatum nihil omnino solicitæ,quemadmodum puerilia instituatur suorum ciuium,nihil ad hæc pręcipientes de grandiorum moribus,iubent illis tum non furari,non rapere, non uim domui cuiusquam inferre,non cædere,quem non est æquum,non adulterari,non contumacem se præbere magistratui,& alia his consimilia.Quòd si quis contrà fecerit,pœna est ilico parata.At leges Persarum facinora suorum antecapiunt.Siquidem à primo statim cunæ illis est,ne quod prauum,ac fœdum facinus uelint ædere.Sic Xenophon.Philosophus etiam ille non minus sapienter,qui rogatus,quomodo quis bonos haberet liberos,respõdit,si eos in ciuitate bene instituta tolleret.Et leges quidem antequam fixæ sint et sanctæ,rogari cõuenit,hoc est,deliberari cum multitudine an approbari oporteat:in qua consultatione tempus consideratur potissimũ, in quo præsens rerum status continetur:& feruntur uel infinite,uel ad certum aliquod tempus, & descriptum locum,uel etiã de uno aliquo homine aut municipio,quod priuilegium nominatur. Si lex placeat,proponatur publice dies aliquot:quod trinundino fiebat Romæ, ut si quid cuiquam parum uideretur æquũ,de eo magistratus admoneret:post id tempus firmæ sunto leges & ratæ.Perscribãtur accurate distincteq;:seruentur in tabulario populi loco maxime tuto,minime ruinæ obnoxio,uel quod est magis cauendum,incendio.Extent earum codices duo,in altero contineantur leges nudæ,cuius subinde fiat populo non legendi modo,sed describendi etiam,si uelint, copia. In altero leges sint cum earum rationibus & causis , ut ex eis prudentes uiri extiment, sit ne è republica abrogari legum illarum quampiã,uel aliquid in ea innouari.Nam ratio dux est legis: ea sublata & legem tolli par erit,quæ propter eam rationem est accepta. Adde quòd ratio efficiet,ut melius intelligatur lex.Sed in nostris ingenijs ea est hebetudo ac rudi tas,& in uerbis infantia,ut nihil ualeamus adeo dilucide explicare,quin multis id fiat implicatum,& obscurum:quare interpretibus est opus.Et quoniã ius ciuile spectare ad ciuium cõcordiam debet,ideo qui illud interpretaturi sunt,& quasi de eo æditturi oracula,quibus rebus ea concordia sarta tecta conseruetur,ediscent,cognitis tum humani generis communi natura,tum multarũ gentium animis,& moribus,sed potissimum suæ ciuitatis:quod fiet multa uidendo,audiendo,obseruando:gestis quoq; rebus maiorum legendis,et temporum mutationũq;,quę aliquando inciderunt in rem publicam uarietatibus.Quibus uelut cõdimento opus est magno & uegeto iudicio ad adnotanda & censenda singula.Nec iniuria prudentiæ nomen peculiare huic hominum generi olim fuit,& professio ipsa iurisprudẽtia nuncupata.Multi attem hanc teneãt,profiteantur pauci,illi uidelicet quibus à Senatu aut principe erit permissum, ut Romæ fiebat sub Cæsaribus.Interpretentur hi leges scripto quidẽ rogati à iudice, uoce con-

uoce consulti à litigatore. Interpretationes mandent literis, si uelint, sed lingua secretiore & tantum doctis nota, non ex suis uel alienis opinionibus ac placitis, sed rationе adhibita, ut non plus habeant uirium, quàm ratio ipsa impetrarit. Nihil scribatur aliud: neq; excogitẽtur casus, quæ res ut infinita est, & perplexa, ita etiam inutilis. Docendi & discendi hæc erit uia. Grauissimis uiris pateant libri illi legum & rationũ de quibus dicebam modo. Ipsi statis anni diebus quod commodo illorum fiat, placide ac moderate conueniant, decp illis legibus sermocinentur. Rationes conferant, quas leges ex usu sit antiquare, quas renouare, & quasi reparare exolescẽtes: decp eo principẽ, aut magistratus, aut Senatũ edoceãt: huiusmodi erãt Athenis Thesmothetæ, dũ illa respublica staret. Ad hos senes, quũ licebit, studiosi iuris uentitabũt, quod est memoriæ proditũ de Q. Scæuola: audiẽt eum respondentẽ consultoribus de iure. Seorsum uero exponet eis causas, & uelut fontes legum, uel quas ipsi ijdem dedere, qui tulerunt, uel suas, uel priorum interpretũ iuris. Ipsi inter se moderatis, ac grauibus colloquijs disputabũt, quàm congruant leges rationi, ac uelut uitæ suæ æquitati: an causæ & tempora imponendi legum præterierint: id fiet non in cœtu & corona ostentatione titillante ac solicitante: periculosum est hoc enim & dicẽtibus propter arrogantiam, & audientibus, quòd eorũ animi minus obsequentes legi fient, quam intellexerint fortem habere contra se rationem, cui uni humanũ ingenium suapte sponte obsequitur. Ad hæc altercationes multas ansas torquendi leges ostendunt, tum etiam lites excitandi, alendi, producendi, unde concordia uehemẽter affligitur præcipuum societatis bonum. Inter scriptas leges, quas quidẽ nouimus, Romanæ uidẽtur excellere. Sunt enim ad humanũ conuictũ aptissimę, nempe ad contrahendũ: tum ad quietem, ut homines à facinoribus deterreant, neu quis audeat cum altero consociare iniuriam. Sunt præterea docte & grauiter perscriptæ, uerbis puris, proprijs, euidẽtibus, splendidis: tum à collectoribus ordine quodam cõstructæ satis ad discendum apposito. Nisi quòd interdũ correctio illa priorũ per posteriores aliquid obscuritatis gignit, & inscitia superiorum ætatum multa, quæ nõ intellexit deprauauit. Sed corrigi possunt ex Codice, qui Pisis Florentiã dicitur esse trãslatus, quẽ autographũ esse quidã suspicãtur, sed est sanè peruetustus, & alijs emendatior. Addantur enarratiunculæ breues ac perspicuæ: quamuis iam locis aliquot factu esset propè impossibile, siue ob intricatum sermonis contextum, siue ob significatus quorundã uerborum, qui exoluerũt penitus. Exercitatio earum sit, in reddẽda earum ex bono & æquo ratione, cur quæq; cõstituta sit, & sancita, quod ut est magnorum ingeniorum, ita ad summã prudentiam cumprimis expedit, tum ut in alijs quoq; negotijs dux sit nobis ratio, cuius ope ad cognitionẽ ueniamus perfectę æquitatis. Non sunt in singulis artium ij legendi soli, quos præscripsimus, nam fugisse nos aliquos cognosci dignissimos non dubitamus: & existet post nos alij uel pares maioribus, uel superiores etiam. Magistrorum fuerit ea cura, ut ipsi degustent omnia, & suis demonstrent, quæ ediscenda, quæ legẽda, quæ habenda in bibliotheca ad consilium quum res ferat, interdum quoq; ad ornamentum modo loci, atq; explendos forulos. Qui maiore ui mẽtis instinctus diuinitus non humilibus detineri curis poterit, sed ad commercia sese cœlitum eriget, fœlix ille & superis charus, is ad Theosophiam & Theologiam ascendet. De hoc beato atq; admirabili, non est nobis dicendum cum alijs, & iam de cursu tanto fessis, propriam curam exigunt hęc. Dicemus aliquando si Deus dederit, per otium, renouato animo, & maiore Musarum ardore incitato. Nam ea res amplior atq; augustior, quàm homines opinantur.

DE VITA ET MORIBVS ERVDITI.

CONfecto curriculo artium humanitatis, declaremus iam, quid nobis uideatur faciẽdum docto uiro, quomodo reliquum ætatis transigendum siue separatim secum, siue cum alijs: In usu atq; exercitio suarũ artium: In traditione earum, quomodo inter professos artem ac disciplinam eandem: ut ille se erga illos geret, eorumq; de se opiniones accipiet, & cẽsuras: Quo pacto sua consignabit literis, & transmittet ad posteros. Non eo quo singula persecuti sumus ordine percurret, ut ad posterius studium transgressus, nefas esse existimet prius respicere: miscebit studia, & prima in tertijs repetet, tertia in sextis. Nam connexionem inter se habent omnia hęc & affinitatem quandam: alia in manus resumet, quia necessaria præsenti usui, alia qui leuamenta præsentis laboris. Erit sciendi studiosus. Nec se unquam ad fastigium eruditionis peruenisse arbitrabitur. Sententia Senecæ est animaduersa acutissime, potuisse multos ad sapientiam peruenire, nisi se iam peruenisse crederent. Idem ad Lucillium est autor. Tam diu discendum, quamdiu nescias, & si prouerbio credimus, quamdiu uiuas: quandoquidem nihil est in uniuersa natura tam promptum & facile, quod non totam hominis ætatem possit distinere. Non erubescet homo sciendi cupidus à quocunque discere, qui docere quid possit. Cur hominẽ ab homine pudeat discere, quũ humanũ genus multa à beluis discere non puduerit? Ita uero studendum, ut non obruatur ingenium mole operis. Valetudinis habenda in primis ratio, & deorum, qui nostræ sunt curæ commissi. Docti homines quum intelligunt se ingenio, consilio, cognitione rerum præstare cæteris, aut certè sic alios existimare, ingentes attollunt spiritus, tãquam ipsi homines inter pecudes uiuant: unde incredibile est dictu, quantopere arrogantia inualescat. Sancte illud à Paulo Apostolo dicitur inflari homines scientia, charitate ædificari. Sed reflectet in se oculos sapientiæ sectator, nec plus aliorũ de testimonijs, quàm sua ipsius acquiescet cõscientia. Reputabit quàm multa sibi est conscius se ignorare, quæ alij eum scire non dubitãt: quoties hallucinatur, labitur, fallitur, & à uero quàm longissime discedit, ut nõ sine grauissima ratione & causa Socrates, quem Græciæ consensus sapientissimũ nũcupauit, professus sit nihil neq; se neq; alium quenquã scire: quod placitum ingens deinde philosophorũ manus constantissime tenuit: & profecto si quis rite expendat & reputet singula, comperiet nihil certius à nobis quàm pietatẽ nosci. Theophrasti etiam sententia iure laudatur, quæ cuncti sciant, minimã esse eorum quæ ignorent portionem: quod diffusius persequi non est instituti huius. Quid si excutiat singula, & ad subtile examen reuocet, næ illi tam magnifici tituli sordere incipient. Linguæ quid aliud sunt quàm uoces? aut quid interest semotis disciplinis, Latine & Græce noris, an Hispane & Gallice? Dialectica & rhetorica instrumenta sunt artium non artes, meliusq; à natura traduntur, quàm à magistro: philosophia opinionibus tota & coniecturis uerisimilitudinis est nixa: sed neque hæc sigillatim exponere est huius loci. Age uero donemus te aliquid scire certum atque exploratum, an hoc ignoras alieni te habere beneficij? Cur tibi accommodata testis facit animos? Si quid habes boni, alienum est: si quid mali, id uero est tuũ unius. Vides te eruditum, munus Dei est, cui displices, nisi quam inde gloriam nanciscaris, in illum refers. Equidem haud repugno, quo minus uir doctus talem se esse intelligat & alijs sapientiorem, sed neq; esset doctus aut sapiens, nisi id facile perspiceret. Volo tamẽ agnoscat, cuius sit ea sapientia, illiq; uni referat acceptam, à quo uelut fiduciariã possidet: quũ se admonitioni esse cõspicit, ne sistat in se, quod est periculosissimũ, nec oculos deijciat in terrã, ut honore illo ab hominibus tributo sibi applaudat ipse, tanquã opera & merito suo cõsecutus, quod est manũ suam ipsius osculari, iniquitas maxima, quẽadmodum Iobus ait, & negatio cõtra Deũ altissimũ. Quatuor rebus cõstat eruditio, ingenio, iudicio, memoria, studio: tria prima, cedo unde habes? nunquid non ex Deo? Si qua est docti laus, de postremo petitur, quæ res infima est omniũ, & leuissima: quid quòd ad eã ipsam adiutus es cõstitutione corporis nõ grauí, nec

ui,nec torpida,tum etiã ualetudine,quæDei sunt dona.Quid ergo docti supereſt pro prium,quo gloriari possit:an quòd uoluit:at quàm multi uellẽt,si tam eis per Dei be nignitatem liceret,quàm tibi.Itaque inter laudationes sui erigat se uir sapiens ad con templationẽ sanctæ illius & diuinæ sapiẽtię,ad cuius infimũ,ut Paulus inquit,huma na omnis sapiẽtia cõparata,mera est dementia. Veniat illi in mentẽ,si homines unius aspectu guttulæ tantopere cõmouentur,quid facerẽt,si copiosissimũ illum & æternũ fontem daretur intueri,unde manãt uniuersa? Tum adoret demisso animo autorem bonorũ omniũ,& agat gratias,quòd munera sua copiosius dignatus est sibi,quã alijs impartiri:quodq; uoluerit se esse instrumẽtum alicuius partis consilij atq; operis sui. Nã nos omnes instrumẽta sumus uolũtatis illius.Quocirca nullus sit tãta eruditione uir,& rerũ peritia præditus,ut putet Deũ indigere ipso ad effectũ consilij sui. Primũ quòd solutissimę est arrogãtiæ existimare te aliquid posse pręstare,quod nullus alius possit, si eodem applicet animum. Deinde quòd nõ magis instrumẽtis ullis deus ad agendũ indiget,quã luto ad aperiendos cæci oculos:ex lapidibus suscitare potest fi lios Abrahę:& infirma elegit mundi,ut cõfunderet fortia.Quòd si tu uir sapiẽtia præ stantissimus & inclytus beneficio Dei tãtus euasisti,utiq; in quemcunq; ille fauorem transtulerit similem,fiet similis.Quapropter rogandus ille est, qui omnia largitur,& per nos operatur,quæ ipsi est uisum,ut nobis potissimũ eruditio nostra prosit:ne nos instrumentum faciat in bonum aliorũ,perniciẽ nostrã: ne idem accidat nobis,quod uel malis medicis,qui alios curant,se non curant:uel tubicinibus qui alios ad præliũ adhortantur,ipsi non pugnãt: uel candelis,quæ alijs quidẽ lucẽt,seipsas consumunt. Itaq; quoties ad studiũ accedimus,ab oratione auspicandũ est,quod fecisse Thomam Aquinatẽ, & alios permultos sanctos uiros memoriæ est proditũ:idq; est orandũ,ut sana sint nostra studia,ut nemini noxia,ut nobis & omnibus in commune salutifera. Cæterũ si omnibus uitæ actionibus propositus esse debet finis aliquis, quãto magis studijs:ut constitutũ sit nobis,quò pertineat labor noster.Neq; enim studẽdũ est sem per,ut studeamus solũ,nec ut se animus inani quadã contemplatione ac cognitione rerũ exlex & immunis oblectet.Negat Socrates uacare sibi ad interpretationẽ fabu larum poeticarũ,quoniã nondum norit se:& ridiculũ sit eum,qui se non norit,aliena scrutari.Multo minus studiorũ fructus pecunia ęstimãdus est:quẽ unum esse arbitrã tur homines ingenijs abiectis,quiq; plurimũ à uera studiorũ ratione absunt: nihil est enim tam diuersum literis, q; pecuniæ uel cupiditas uel cura:ut quocunq; hæc incu buerit,protinus studiũ rerum cognoscendarũ expellat:quod se bona fide nisi liberis ac morbo illo solutis pectoribus nõ cõmittit.Ditandũ inquiunt,postea philosophan dum minime gentiũ:imò cõtrà philosophandũ prius,postea ditandũ. Nã si prius di tère,philosophari mox noles, & de opibus solicitus,& in mille raptus uitia usum di uitiarũ ignorãs philosophiæ nescius.Quòd si semel philosophêre, expeditũ tibi erit postea ditari,quantũ sat erit. Nullã allegare causam quis potest,quo minus in philo sophia ponat operã, quin ea ipsa ad studiũ sapientiæ illum impellat:philosophandũ est pauperi,quia nõ habet, ut leuior ei fiat paupertas:philosophandũ est diuiti, quia habet,ut rectius opes administret: philosophabitur felix, ut felicitatem probe regat: philosophabitur infelix,ut infelicitatẽ lenius ferat.At uero ex artibus ut quæq; cum maiore hominũ malo uẽduntur,ita minime oportet ob quæstũ exerceri,ut ius ,medi cinam,theologiã.Non ingeret se uir doctus ad capessendã rempublicam,etsi optare debet,prodesse quàmplurimis,nam arbitrari se uni sibi natum,quod priscus philoso phus Platonem admonuit, unde est illud Apostoli:qui episcopatũ expetat,bonum opus expetere:tum ut occupet bonus eum locum,quẽ occuparet malus.Sed non ha bet idẽ & gratiæ & uirium ingestus quod ascitus. Si accersatur,contẽpletur diligen ter prius animos suorũ ciuiũ,sani ne sint,an sanabiles:ut si qua parte prodesse queat, nõ recuset laborẽ:sin uero inanẽ atq; irritã sumpturus est operam, omnino abstineat: quod fecisse Platonẽ perhibẽt,quia populi sui mẽtes adduci ad sanitatẽ aliquã posse desperaret. Corda uero plerunq; principũ adeo sunt corrupta, & magnitudine illa fortunæ ebria,ut nulla arte refingi queãt in melius,medẽtibus aspera atq; infensa.Si-

nendi sunt ualere illi cæci,ut Dominus dicit,& duces cæcorum:curam nostram traducamus in populũ magis tractabilem,quiq; se curãtis manibus faciliorem atq; obsequẽtiorẽ præbet.Quod & fecit idem Christus,apud quem non pluris est plebeius quiuis,quàm princeps.Nihil perinde artium omniũ decus cunctæq; eruditionis fœdauit,& abiecit,ut quorundam sciolorum leuitas,qui passim assentatur quibuslibet principibus potissimũ,nouo exemplo magis quàm uetere:sed nec homines uere docti hoc faciunt,populus tamen id discrimen non capit,pro doctis habent quoscunq; uident specie aliqua sermonis Latini uel scribere uel loqui.Atqui tuẽtur se,qui id faciunt,hoc colore,ut dicant,non se quales illi sint,prædicare,sed quales esse debeant ostẽdere:dilutus sanè color,& quẽ alij utiq; non discernant:quare assentationis damnant literatũ,atq; adeo etiã ipsas literas,illũq; abominãtur,qui sceleroſum principem tanq; optimũ cõmendet:quin etiã princeps ipse praua de se opinione imbutus talem existimari se arbitratur,qualis dicitur:unde arrogãtior fit indies & intolerabilior,inq; instituto uitę genere cõfirmatur,ex quo uidet se tantũ laudis nanciſci,ut id docti uiri monimentis literarum impressum infixumq; oportere esse censeant.Si studiosi assentare non cõsueuissent principibus,& eruditionem illi pluris facerent,& laudari se ab illis impensissime gauderent,uidelicet iuxta prisci poetæ dictum, laudatis uiris,tum reprehensio magni esset ponderis:nec aliter acciperetur docti hominis approbatio, quàm religiosissimi testis testimonium grauissimũ.Nec minus principes quàm alius quiuis amplissimũ uirtutis suæ in hac uita præmiũ duceret erudito se homini approbari.Nunc uerò pili non faciunt,quæ sciunt se numo uno sestertio,numo uerò,imò frusto panis empturos.Ergo quum res feret,ut sint à nobis laudandi,parcius laudandum,& ita,ut sentiant se potius admoneri,incitariq; ut pergant,quàm gratulationẽ cani tanquam curriculo absoluto: quumq; profecturum te speres,libere sunt reprehendenda uitia,modo acerbitas absit & rabies:sin odium solum quæras,neq; prosis, abstinendum est ab irrito labore.Nec potentum,aut omnino cuiusquam uitijs offundendus color præmij spe,aut cupiditate alia:quod est magnopere nefarium:nam effici cis ut & illi ipsi audacius male agant,& alij quum illorum exemplo,tum docti hominis assensu.Sunt alij qui studijs nõ pecuniam uenantur,sed gloriam:generosius sanè quiddam fateor,uerum quæ ut in adolescentia & iuuentute maximos subdit stimulos ad honestas actiones,ita multorum deinceps est malorum causa & origo,sicuti aliàs ostendi:quòd omnia oculis intuentium tribuimus, nihil conscientiæ,qua non aliud quicquam de nobis iudicat incorruptius.Ideoq; spe iam perceptæ gloriæ sæpe numero decidimus,quòd qui falso de nobis iudicarat,errorem suum pòst intelligit: aut falli incipit,qui recte:etsi crebrius euenit,ut deceptæ existimationes uetantur in melius,quippe res ueras solidasq; tempus confirmat, inanes autem dissipat,& absumit.Quocirca nemo se gloriam in posterum assecuturum confidat uano uiuentium fauore,& specie quadam præclarorũ operum.Nam extemplo simul affectus illi incitati subsederunt, in eorum locum iudicium subit,& quidem exactius. Itaq; multos in uita honoratos accepimus,ignobiles & contemptos post fata: accedit huc,quòd uti dicebam modo,opinionum commenta delet dies,recta iudicia corroborat. Age uerò,quàm incerta est fama,quàm lubrica:multi immortalitatẽ sibi pollicíti,ne diuturnitatem quidem assequi potuerunt:ut Appion grammaticus,qui (ut apud Plinijũ legimus)immortalitate donari dicebat à se illos,ad quos aliqua opera componeret: at ipsius ne litera quidem extat.Quàm etiam iniqua,ut benemeritis non contingat. Extant Ouidij opera,non extant Chrysippi nec Crantoris.Integer ad nos peruenit Vincentius Bellouacẽsis,non T.Liuius,non Polybius,non M.Varro,non ipse idem M.Tullius,ut non temerè Martialis dixerit,libro uicturo geniũ esse opus.Adde his, quàm est uaria: idem alio tempore & alijs locis pulchrum uidetur & fœdum.Quid quòd præclara inuenta ingenijs & diligentia sequẽtium obscurantur,ut multis priorum posteri magnitudine sua,& quasi altissimis substructionibus luminibus obstruant.Sed fac te nactum esse claritatẽ,laudem,gloriam,quid tibi proderit mortuo?qui nihil eorũ sensurus es,quæ hic agẽtur,utiq; non magis quàm equus,quum in Olym

pijs

pijs uictor prædicatur,aut Apellis pictura,quam cum admiratione contemplamur. Quid ad Ciceronem uel Aristotelem redit ex tanto nomine? quid ad alios uel literis illustres uel bello? Sed in ipsa eadem uita quid senties absens de gloria? quid dormiens? In præsentia uerò necesse erit,uel eos qui te in os laudant,esse uanos,uel te,qui illa coràm dicta libenter audias. Cedo autem,quid tandem dicent? ô doctum,ô facundum hominem,imò uerò ô leuem & uanum hominẽ,si tam leuem aurulam præmiũ tibi literati laboris proponis. Quòd si tu neglectis humanis laudibus,cõscientiæ tuę uolueris seruire,& per illam deo,quanto solidior tibi & diuturnior gloria cõtinget? si te laudarit Deus uiuens uiuentem,præsens præsentem,immortalis immortalẽ: qui te semper intuetur,qui de te non ex falso pronuntiabit iudicio,sed ex tuo ipsius testimonio: non qui seipsum commendat,is probatus est, inquit Paulus,sed quem Deus commendat. Viro docto cogitandum est frequẽter de migratione ex hoc æuo,deq; uita illa sempiterna,& ita meditandũ sæpe ac multum,ut familiarem sibi cogitationẽ mortis faciat,ne ad illius mentionem terreatur. Tum ueniet illi in mentem iudicis illius & remuneratoris singularum actionum,ad quem breui ueniendum ipsi est,finita scena,& hypocrisi uitę: cui se approbari unicum erit illius studium. Nam cui se uendicare cupiat uel reus uel patronus,si sapiat,nisi suo iudici? cui athleta,cui pugil,cui omnis qui aliquid agit sub iudice? Poetæ olim Græco poema suum recitanti,quem omnes deseruerant,Plato instar fuit totius populi Athenienſis, non erit nobis Christus Dei sapientia? Magnum est,inquit uetus prouerbium, Athletam placuisse Herculi: quantum ergo nos Deo? à quo toties laudabere,quoties aliquid egeris illi gratum. Porrò illi nihil esse potest gratius,quàm ut eruditionem,& quæcunq; sua munera in utilitates hominum proferamus,hoc est filiorum suorum,quibus ille ingẽtia impartitus est commoda,ut mutuo prosint in commune: & uult nos gratuito distribuere,quæ gratuito à se accepimus,quanquã ipse pro eisdem,quæ nobis est largitus,copiosissime refert gratiam,admirabilem Dei benignitatẽ: quæ ipse gratis nobis dedit, hæc eadem si ipsi reddamus,amplissime remuneratur. Hic est ergo studiorum omnium fructus,hic scopus,ut quæsitis artibus uitæ profuturis,eas in bonum publicũ exerceamus,unde merces immortalis consequitur: non ad pecuniam,non ad præsentem gratiam aut delicias,quæ fluxæ & momentaneæ sunt. An uerò pecuniæ causa recte uiuimus,recte monemus,& tam amplum Dei munus tam uili & contemnendo pretio commutamus? an propter gloriam? miser si illam tam auide cõsector,quæ per tot labores & curas ægre retinetur,incerta,fugax,ut nulla sit seruitus cum hac comparanda: miserior si populi uoculas re tam præstanti & sacra mercor,& laudari à mortalibus malo,quàm ab immortali: ab stultis,quàm ab ipsa sapientia: ô quàm aureo piscamur hamo,& quidem anguillas putres? bona ergo fide exercẽdæ sunt disciplinæ in eum ipsum usum,ad quem sunt à Deo collatæ. Neq; enim discendum est semper, nec ad uitam transferenda doctrina. Infinitum quidem ex se est studium quodcũq;, sed aliqua tamen eius parte incipere debemus illud ad aliorum cõmoditates ac emolumenta deducere: in quo prudentia est opus,quia exercitium circa singula & separata uersatur,quæ regit prudentia circumstantiarum omnium æstimatrix & arbitra. Proditurus ad hominum occursus & conspectum uir doctus meditatus & paratus exeat tanquam ad pugnam,ne qua à praua aliqua affectione capiatur,à quibus oppugnamur undiq;,atq; incessimur,& qui toties ab alijs auscultatur,auscultet ipse aliquã do se. Confirmet domi animum magnis & ualidis cogitatibus ad despicientiam honorum & dignitatũ: meminerit eius uocis quam à Domino audiuit,salem se esse terræ,lucem mundi: nihil conuenire minus,quam uel fatuum salem fieri,uel lucem tenebrosam,cuiusmodi illa existimamus fore,quæ hoc sale condientur,uel illustrabũtur hac luce. Exeat ergo rationibus munitus ac armatus,quibus resistere oppugnãtis assultui ualeat. Præstet reuera salem & lucem cõpositione animi,& moderatione perturbationũ,uerbis sapientissimis atq; opportunis,ne sit importuna sapientia,ac proinde putida & odiosa: sed quæ quoties se proferet,uelut salus quędã appareat ijs qui adsunt. Gestũ ipsius & corpus uniuersum modestia & moderatio decorabunt,dicta

uero et facta grauitas ac constantia: ut alijs ad similē uitæ rationē exemplo esse possit. Multū quidē persuadebit oratione, sed plurimū uitæ innocētia. Et quo ab illo accuratiora prodeant ac puriora omnia, illud animo eius perpetuo succurrat, nihil ab eo uel dici uel fieri, quod autoritatē non habeat, & in exemplū à beneuolis sumatur, putant enim eam esse legē uitę: à maleuolis autē & inuidis ad examē & censurā sinistram. Idcirco erit & in agēdo cautior, & in pronuntiando cunctatior, & omnino in loquēdo circumspectior. Propter hunc bene audiēt literæ atq; artes, multiq; eius æmulatione studijs sese disciplinarū dedent, quarum fructū tam pulchrum, atq; admirabilem cernunt. Quàm est pudendū uiris doctis, homines sæpe imperitos moderatiores habere animi motus, quā illos sapientiæ pręceptis constipatos: qua de causa literis frequenter grande fit à plerisq; conuitiū: multisq; in odium uenerunt, qui sese prudentiores fore arbitrantur, si illarū nihil prorsum attigerint. Cæterū ea bona quę uiri docti aspectui exhibebūt hominū, uerius re ipsa prędītēt, q̄ ostentatione. Prodit se tādē male simulatus animus, atq; eo fit magis inuisus ac detestabilis, q̄ diutius grauiusq; imposuit. Veritatis porrò ingentes & solidæ sunt radices: & lux quantūcūq; occultetur splēdorem suū foras emittit. Sapienter Epictetus: oues nō iactāt apud pastorē, quantum quoq; die comederint, sed id re testificātur, lacte, lana, fœtu. Turba studiosorū seculū uocat felix, in q̄ multa sit eruditio: non est uerò id felix seculū, sed illud quum homines docti re ipsa præstant, q̄d legerunt, quod profitentur, quod alijs prędscribunt: quū qui audiūt, & uident, coguntur exclamare: hi sunt q̄ loquuntur, ut uiuūt: & uiuunt ut loquūtur, quod philosophos illos de Origene Adamātio dixisse Eusebius est autor. Ne erubescas parum recte facere, quæ non potes melius: erubesce male facere quæ potes bene. Præbebunt se docti mites, affabiles, moderatos, prauis cupiditatib⁹ inuictos, & ostendent, quantū in hominis corde efficere possit sapientia, si regnet: quāq; longo interstitio sapiēs ab insipiēte distet. In rebus magnis & præclaris ualere ac polere sit eis satis: ne cupiant in quibuslibet haberi magni, non in armis, equis, uenatione, piscatione, saltationibus, lusibus, dicacitate procaci aut triuiali: hoc ardelionū est, non sapientum: & fiunt eruditi ridiculi, qui de illis non minus uolunt, quàm de sapientia iudicare. Nam quemadmodū à luce nihil in obscuro cernimus, nec ab obscuro in luce: ita mirādum non est sapientes hallucinari ad nugas translatos, utiq; & nugatores in sapientia cęci sunt. Est eruditi hominis opus eā ipsam eruditionē in alios transfundere, & quasi de suo lumine lumē in aliorum mentibus accendere: ideoq; in uisione Danielis dicitur, eos, qui ad iustitiā erudierint multos, fulgere sicut stellas in perpetuas æternitates: & Dominus noster magnū illum uocatum iri ait in regno cœlorum, q̄ iustitiæ præcepta & ipse fecerit, & alios edocuerit. In docēdo quē potius magistrū imitabimur quàm illū ipsum Christū, quē pater ad erudiendū humanū genus cœlitus demisit: post hunc magno interuallo eos, qui Christū sunt secuti. Is uero quū esset diuina sapiētia, illa tamē protulit sola, quæ audiētibus essent profutura, non quę quātus ipse esset, declararent: nam si gloriā suam affectasset, aut sese patefacere expetisset, quæ essent ab illo, & quàm admirabilia patefacta, sed quæ captum omnem exceſſissent, etiam angelorū. At uero nobis seruiebat omnis illius oratio, non ostētationi sui. Sed nec deliciæ quærendæ sunt, uel oblectatio. Plinius peculiarē in studijs sentit causam illorum esse, qui difficultatibus inuicti utilitatē iuuādi prætulerunt gratiæ placendi. Paucitate discipulorū contētus fuit dominus, quum Dei sapientiā & uiam æternę salutis monstraret mundo. Quis potest de discipulorū numero cōqueri, quū autor humani generis duodecim hominū schola acquieuerit: frequēti auditorio ambitio magis seruit, cui se ueritas institutionis. Cæterū de schola oracula hæc habentur ueterū, docendū sine inuidia, absq; rubore discendū, gratię semper habēdę docenti, aliena inuēta sibi nō usurpāda. Cogitabit uir sapiēs mundū hunc esse uelut ciuitatem quandā: cuius ipse sit ciuis, aut magnam quandam domum, cuius ipse sit de familia: non referre à quo bene aliquid dicatur, dicatur modo: hic parari opes illas, hic ad publicas relinqui commoditates: parentur, & communicētur, à quo autem, nihil interesse: quare & ipse sua pro uirili parte cōferet, & alios ut cōferant, benigne adiuuabit, & quatenus se ac suā imbecillitatē cognitā habet, & perspectam, alioqui nec sapiens

dici

dici posset,nec doctus:reputet cũ animo suo,quantã humano generi inferret iniuriã, si neminẽ se uel meliorẽ esse,uel doctiorẽ uellet.Porro de cursu institutionis Socratis sentẽtiam ex Platone adducit Cicero,quẽ solitũ dicere scribit,perfectũ sibi opus tum esse,si quis satis esset cohortatione sua cõcitatus ad studiũ percipiendę cognoscẽdęq; ueritatis.Sed nos similitudine utemur notiore:tamdiu esse cuiq; opus duce,quandiu uiã ignoret,eam ubi per sese possit peragere,animo indigere magis, q̃ magistro.Docti inter se concorditer ac humane cõuersentur.Enimuero turpissimum est nobis,latrones ac lenones maiore inter se cõsensione uiuere,quàm eruditos.Sed nec eruditis unanimitas ac beneuolẽtia deerit, si disciplinas integre ac sancte coluerint,nõ ad gloriam, uel quæstũ:nam ubi harum rerum cupiditas inualuit, difficile est sanctã seruare societatẽ.In studiorũ collationibus qui alteri melius dicenti cõcedit,ne uictus nominetur:alieniſsimũ est ab hac re nomẽ illud,neq; enim pugna est hęc,uel qui differunt, aduersarij:acerbissima atq; inimicissima appellatio in suauissimã rẽ,& beneuolentiæ natura ipsa plenã est trãslata.Nam quæ potest maior inueniri cõiunctio uel arctior,q̃ animi,& eius,qui illum ad prudentiã aut uirtutẽ excolit:nõ alia utiq; quã arui,& agricolæ,ut nõ immerito parẽtes sint animorũ,qui docẽt:& quẽadmodum in oculorum ita in mentis aspectu qui nõ satis cernit perspicue,acutis cernentis cedat iudicio,sine indignatione:oculos ille acutiores uel saniores est nactus,hic ingeniũ uel natura perspicacius,uel usu,ętate,diligentia expolitius:quid q; interdũ animaduertentię magis laus est,quã ingenij:casus nonnunquã,sicuti quũ elapsus numus à multis quæritur.Sed ut nuncupẽt sanè,quãdo ita inueterauit,cõgressus,& lucta,& pugna,et uictoria:quæso expendat quisq; secũ,quantũ sit beneficiũ liberari à tyrãnide ignorãtiæ:quæ seruitus est omniũ grauissima et teterrima.Sapienter Plato,tãto pręstat disputatione uinci quàm uincere,quãto est melius magno malo liberari,q̃ liberare:quid enim exitialius homini potest contingere,quã falsa opinio?Vt sit hoc fortasse liberatori glorioſius apud nõnullos,liberato certe utilius est.Verũ huic tãto ignorãtię malo libẽtius eximemur omnes,si disputationes minus essent scenicę,nec tãtum tribuerẽt coronæ,quę colluctantes cingit:esſetq; amica potius sermocinatio,quã pugna inimica:quod cum in genere omni disciplinę fieri decet,tum potissimum in theologia,ubi cõtra sacram ueritatẽ impie cõfligitur,& scrupuli gignũtur in animis audientiũ de rebus,quas certas,fixas,incõcussas haberi fas est:exasperat porro sparsos scrupulos dæmon hostis, atq; auget:accõmodant etiã homines suas manus,dum unusquisq; de ingenij gloria laborat magis,quàm de ueritate asserenda.Cedendũ ueritati omni nõ pię modo et sacræ,sed prophanæ quoq;:& præcepto sapiẽtis obtemperandũ,quo iubemur nõ contradicere uerbo ueritatis ullo modo.Candidæ ac prudẽtes censurę uehementer sunt studijs omnibus utiles,si animi iudiciũ citra damnum affectus profertur,ut inquit Tacitus:nec quicquã est in his damnosius,q̃ iudiciorum cõfundi signa,sicut in uita uoluntatũ:ut nesciatur quid quisq; aut probet,aut improbet:quod usu uenit hoc tẽpore,quũ periculosissimũ est de quoquã loqui,tam iritati sunt omniũ animi,& parati ad pugnãdum,ut uel attingere quamlibet leuiter nõ sit tutum,etiã si aliò spectes: tenera atq; infirma conscientia ilico sese peti suspicatur,haud aliter q̃ ulcerosi equi actutum cõcitantur,strigile audito.Quãquam uitio huic incitamẽta atq; incremẽta præbuere quamplurimi,qui acerbissime alios perstrinxerũt,nõ ut ueritatẽ exprimerẽt,sed ut sugillarent,ac infamarẽt nomẽ alienũ,uel odio impulsi,uel falsæ gloriæ spe adacti,existimantes tam se habitũ iri pulchros,& præstantes,quàm alios tetros esse ac uiles ostendissent:sed illis multo secus, atq; sperauerãt accidit:nam candoris etiam ineruditi sua est apud omnes laus,malignitatis uel eruditissimæ uituperatio certa.Quid,inter hæc odia quantum accipiunt plagam disciplinæ?detrahitur autoritas tam odiose rixantibus,& tam capitaliter inimicis:despondẽt animos excellentia ingenia,quum pertęsa rem adeo amaram nempe digladiationes perpetuas ab studijs resiliũt,ac abhorrent: profectus inter hæc studiorũ amittitur,atq; obscuratur ueritas, dum malunt quidam corrumpi literas,quam instaurari per suos inimicos.Quãtum scelus est eloquẽtiam, ingeniũ,& alia magna atq; admiranda Dei munera, hominibus à Deo ad utilitatem

hominum conceſſa in eorum perniciem conuertere: per bona malefacere, hoc uerò iam nec ferarum quidem eſt, nedum hominũ. Quanto religioſius Quintilianus ethnicus, quàm nos Chriſtiani: mutos naſci & egere omni ratione ſatius fuiſſet, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere: quid refert quomodo impetas alium, ferro an ſtilo, ubi uoluntas eſt eadem, & plerũq; lingua plus lædis, aut ſtilo, quàm gladio: quippe ferro corpus modò conſaucias, lingua uerò etiam animum. Artes humanitatis nominantur, reddant nos humanos: à Deo optimo ſunt traditæ, reddant bonos. Nam qui alteri inuidet, quod eſt ei Deus largitus, quid aliud quàm ſanctum Dei iudicium improbat, & diſtributionem munerum illius cõdemnat: tametſi quid eſt quòd queri quiſquam poſſit de Deo? an nõ tecum ille egit prolixe? aliquos ſupra te uides, at quanto plures infra te? Erit uir doctus in definiendo lentus, in aſſeuerando minime pertinax: quæ reprobaturus eſt, etiam atq; etiam leget, uerſabit, excutiet, ne quid ab eo temerè in damnando affirmetur: minus circunſpectũ eſſe uelim in laudando. Caueat ne non ſatis intelligat, quæ damnat: ne cui notam inuſturus eſt, maiorem pro ſe rationem habeat, quàm ipſe contra eum: conſultius fuerit nihil pronuntiare, quàm ut cõdemnatio in iudicem ipſum recidat. Quòd ſi hanc ſiue prudentiam, ſiue benignitatem animi in homine docto requiro, quid me ſentire par eſt de illis qui bene dicta inuertunt & deprauant, quo cauſatius exiſtimẽt conuellere: nam ſi flectere in melius & pium & utiliſſimum eſt multis, profectò magnum erit ſcelus in peius detorquere. Ego Adrianum Florentinũ illum, qui poſtea factus eſt ſummus pontifex, quum adhuc eſſet decanus Louanienſis, in publicis ſæpe diſputationibus quæcũq; autorum dicta à diſputãtibus citarentur, interpretantem pro ſe audiui, nunquam aſpernantem, etiam ſi ex ijs eſſent, qui adhuc uiuunt, nempe Iacobi Fabri, aut Eraſmi Roter. De uiuis cenſendum cautius: de mortuis reuerentius, qui ſunt iam inuidiæ exempti, & redditi ſuo iudici: eamq; ſubierunt cenſuram, quæ omnes manet, idq; potiſſimũ de illorum uita & moribus: nam de eruditione paulò licebit liberius. Eos per quos profecerit quis, citet benignè, nec uelit (ut ait Plinius) in furto deprehẽdi potius, quàm mutuũ reddere, præſertim quum ſors fiat ex uſura. Olim adeò erant in ſuum cuiq; tribuẽdo æqui ac liberales, ut ne uerbũ quidem unũ autori ſuo ſurriperent: declarãt id Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, & alij: nũc & uerba & ſenſa & argumẽta etiam integra, nonnũquam inuẽta & opera ſubtrahũtur: quod ſeruile eſt admodum, magnarumq; ſimultatũ in ſtudijs origo: cui enim non ſit graue ſeruos ſibi ſuos abduci, nedum filios. Vtinã & de hoc plagio aliquid cautum eſſet lege Fannia: nec ulla ſpectari cõuenit diſcrimina uel patriæ ſcriptoris, uel ſectæ uel ætatis: quemadmodũ ſtultus ille populus, qui ut prudenter ab Horatio carpitur, redit ad faſtos, & uirtutẽ æſtimat annis. Non quin par ſit, ut libri plus autoritatis mereantur, qui iam tot ſeculis placuerunt, illisq; tot ingeniorũ conſenſus approbationis ſuę calculũ adiecit: de quibus omnibus una illa de ſcriptorib. ſentẽtia proferẽda iudicatur. Quid quod nouitas omnis iudiciũ præpedit, uidelicet nõdum bene cognita. Qui in uerbo uno aut altero, aut multis etiam quempiã correxerit, ne cõtinuo uideri poſtulet ſe illo eſſe doctiorem, aut magis ad rem attuliſſe, quod multi ſibijpſi ſtulte perſuadent: ut ſi quid in magnis autoribus corrigãt, illis ſe protinus anteponi oportere autumẽt: uelut quũ memoria ſeu incogitantia magnus uir labitur, nã Horatio uel Homerus ipſe dormitare nonnunq; uidetur: aut quum linguæ ignorãtia fallitur, quæ errata Græce ac Latine ſemidocti captant, magna ſanè iniquitate, qui à nobis eam cognitionẽ Latini aut Græci ſermonis exigunt alieni atq; inſititij, quæ in Cicerone aut Demoſthene uix fuit, uel in quopiam ex illis, qui linguã ſuxerunt cum lacte, quiq; populo uniuerſo uti quotidie poterãt magiſtro, & de quibus dubitarent, à cerdone uicino aut fabro admoneri. Quòd ſi iſti tam acres cenſores ſubituri eſſent eandem conditionẽ iudicij, mitiores credo ſe præberent ſuis reis. Haud pauca iniquiſſimæ huius ſeueritatis habemus exẽpla, nõ tam priſca q; ſeculi huius finitimi, Vallæ, Politiani, Beroaldi, Mancinelli, nõ pauciora ætas noſtra tulit: ut prætereã in hoc genere calumnias, de quibus quum de corrupta grãmatica dicerem, ſum locutus. Equidẽ haud negauerim, quin notari

notari magnos ſcriptores interſit eruditionis. Sed non protinus plus aut idem adfert qui notas & qui opus compoſuit. In autore alicuius diſciplinæ, boni conſuletis erro res alterius: ut in theologo hiſtoriæ, in hiſtorico primæ philoſophiæ, modò muneri ſuo ſatisfaciat: multo benignius linguæ peccata condonabitis: bonam ſententiã Gallice aut Hiſpane dictã amplecteremur, nõ accipiemus uitioſe Latine? ego uerò cum M. ipſo Tullio indiſertam malim ſapientiã, quàm ſtultam loquacitatem. Auguſtinus recte, qui eo magis ait ſoloecismis & barbariſmis offendi homines, quo infirmiores ſunt: & eo eſſe infirmiores, quo doctiores uideri uelint, non rerum ſcientia, quę ædificat, ſed ſignorum, qua non inflari difficile eſt, quum & ipſa rerum ſcientia ſæpe cerui cem erigat, niſi dominico reprimatur iugo. Nolim tamẽ hoc ſibi nomine imperiti & ſordidi ſcriptores plaudant, tanquam res habeant, quia uerbis carent: imò duplici crimine ſunt iſti damnãdi, quòd quum rerum eſſent uacui, nitorem omnem atq; elegantiam uerborum abiecerunt: nam ſi res eſſent penes illos, indocti profectò atq; iniqui eſſet, de uocibus mouere illis controuerſiam ullam, aut querelam omnino aliquam: quo apparet multa eſſe uerba nequicquã Ioanni Pico profuſa in illa ad Hermolaum epiſtola nobili: non enim res ſunt apud Auenroem & Scotum, quod ipſe ſibi ſumit, qui à nobis non tam ut ſpurci, quàm ut inanes culpantur, in ſcholis & tota uita quantumcunq; ob ingenium, iudicium, ſtudium, eruditionem multiplicem, cognitionem uariarum rerum late patentem laudetur quis, de uirtute certe ac pietate laudari corã non oportet, ne leui illa extollatur aurula, & id ipſum bonum, de quo laudatur, dum laudatur, amittat: nec abſentem niſi parce, & de operibus quæ uidemus. Paulus non uult quenquam de ipſo iudicare, aut ſentire, ſupra id quod uideat in eo, uel audiat: & Sapiẽs neſciri ait ab homine, odio ne an amore dignus ſit: uidelicet finis eſt expectandus in unoquoq; hominũ, animali ad mutationem promptiſſimo. Viri docti eo inter ſe debent eſſe affectu, ut iuxta Pauli ſententiã, nec inuicẽ iudicẽt, nec iudicati ęgre ferant: ſed utriq; expectent patiẽter tribunal & forum illud Domini ſanctũ & iuſtum: iudicãs demẽter ac flagitioſe agit, qui de conſeruo ſuo cõmuni domino præiudicat: iudicatus autem tractet animo id, quo ſe Paulus cõſolabatur. Ego uerò nihili facio à uobis iudicari, uel ab humano die: Dominus eſt, qui uere & iuſte eſt de me ſententiã laturus: illius cognitionẽ reformido, illi quantũ poſſum, me ipſe paro. Non deerunt magnæ eruditioni, qui inuideant: res altas & pulcherrimas morſu appetit liuor, fœda & iacentia prætermittit illæſa. Themiſtocles Atheniẽſis homo, quod res eius docuerunt, acutiſſimus, rogatus à quodã, an præclara iam ſibi uideretur agere: nondum inquit, nam inuidos nõ habeo. Quòd ſi ea eſt lex, quam ſibi humana malitia impoſuit, ferat uir ſapiens cõmunem ſortem, nec indignetur ſibi accidere, quod omnib. Nec à deo contẽdat impetrare, quod ab eo patre filius non impetrauit unicus, chariſſimus, ut in ſuo mundo ḍeeſſent ſibi calũniatores & maleuoli, qui diuina illius opera in partem peſſimam raperent. Vult ergo lege hac ſeruus nequam domi alienæ ſolui, qua filias domi ſuæ tenebatur? Sed nec eſt tamen à benefaciẽdo propter inuidos & malefi cos ceſſandũ. Accipite Socratis orationẽ, quæ eſt à Platone in eius Apologia perſcripta. Si mihi uiri Atheniẽſes in præſentia cõcedatis uitã hac cõditione, ut ne poſt hac in ſapiẽtiæ inquiſitione uerſer, diligo quidem uos: ſed Deo certum eſt parére potius q̃ uobis, ac quãdiu uiuam & ualebo, philoſophari, atq; unũquẽq; ueſtrum exhortari ad uirtutem non deſiſtã. Et quando is qui eruditionẽ eſt nactus non præſentibus tantũmodo, nec ijs quibus cum uiuit, prodeſſe uoler, uerũ abſentibus quoq; & poſteris, ſenſa animi ſui monimẽtis literarũ ad diuturnitatẽ conſignabit. Principio noſcat ſe & uires ſuas expẽdat, quib. polleat reb. quib. ſit ſcribẽdis idoneus: aptiſſimi omniũ ſunt ad monimẽta ingenij tradẽda poſteris, qui iudicio prędĩti uegeto et acri, ad cõiectandum ſunt dexterrimi. Qui uerò diligẽtia ſolum ualent, ingenio non item, ea ſibi deſumant, in quib. diligentia ſit opus, non acumine: abſtinebunt ab orationib. ab hiſtoria, cui conciones ſint admiſtæ, à prima philoſophia, à prędceptis morum: tractabunt obſeruationes, collectanea, nudos annales, emendationes autorum, collatis codicibus, quod fecit Val. Probus, non addita ſua coniectura: nam hoc munus eſt iudicij. Non eiuſdem eſt & multa colligere, & de illis omnibus exactam ſententiã & iudiciũ promere,

mere. Idcirco ſtudioſi, qui nihil intermittendo multa legunt, multa audiũt, multa ſcribunt, & colligunt, iudicio ferè ſeipſos priuant præcipuo bonorum omnium in uita, Danda eſt ſua ſtudijs relaxatio, et uiuidius eſt iudiciũ animi nõ fatigati. Curſus, ſaltus deniq; labores omnes fortius ac ualidius ex interuallo exequimur. Scripturo multũ eſt legendum, meditandum, ſcribendum, emendandum, ædenda pauciſsima: harum actionum hæc eſt, niſi fallor, proportio: lectio ſit ut quinq;, meditatio ut quatuor, ſcriptio ut tria, emendatio redigat illa ad duo, ex his duobus unum proferendum in apertum. Ad hoc opus maximi momenti purior ab effectibus & ſedatior accedat, quàm ad aliud quodcunq;, etiam pacem à Deo, & ueniam precatus. Veniet illi in mentem uocem diſſolui ſtatim, exaudiri à paucis, ſcripturam omnibus innoteſcere, & ſemper: idcirco nunquam non lædere, quæ hic ſint mala: non ſument in manus ſtilum, quandiu ira, uel odio, uel metu, uel ambitione, uel qua alia praua cupiditate agitantur. Si eam deponere non poſsint, ſtilum citius deponant, ne quid ueneni in opus transfundatur animo, id eſt ex fonte. Poſteaquã ſcripſeris oſtende ijs opus, à quibus recte admoneri te poſſe confidas, eorumq; ſentẽtiam attentus ac patienter auſcultato, quam tecum æquo animo reputes, ut quæ uidebuntur corrigas. Quanto ſatius eſt ab amico priuatim admoneri, quàm ab inimico publice obiurgari? Sunt tamen noua quædam inuẽta, quæ melius poterit autor ipſe arbitrari, ac iudicare, q̃ alius quiuis. Primũ cum pariet, ne afficiatur amore fœtus necdum uiſi: quæ res uehementer iudicandi facultatem debilitat, quum priuſquã cognoſcamus, diligimus: quod parẽtes in filijs faciunt, qui nondũ natos iam amant, quo fit ut mox cenſere de natis non ualeant. Hinc quod Quintilianus conſulit, opus aliquantiſper ſeponat, ut ad illud poſtmodum refrigerato iam inuentionis ardore tanquã alienum redeat, lector, non autor: accedet multum iudicio ex dilatione, tum comparatione ſui atq; aliorum. Quæ omnia ſi probe ſit exe cutus, opus tamen pergat placere, bonam debet autor ſpem concipere, placitũ quoq; alijs. De emittendo in publicum uerſiculus eſt Horatij, Ne præcipitetur æditio, nonumq; prematur in annũ: ex cuius duabus partibus priori conſentio, poſteriori non item. Neq; enim uidetur mihi in tanta uitæ breuitate expedire, ut nonus demum annus fœtum nobis pariat: ſed neq; in uniuerſum poteſt dari certa regula propter uarietatem ingeniorum, & operum: ſatis fuerit admonitam eſſe cuiuſq; prudentiam, non oportere æditionem tanquam immaturum partum ante tempus eijci. Nam repoſita quacunq; neceſſe eſt, iudicium antequam rite de illa ſtatuat, quæ ad illam pertineant omnia attente ac ſubtiliter circunſpicere, quod fieri cogitationes præceleres non ſinunt, ut quæ intentionem mentis in unum aliquid rapiunt penitus, & à contemplatione totius auertunt: itaq; fallitur ſcribens ipſe, & falſus alios, qui ſe illius cõmiſerunt fidei, in eundem ſecum errorem trahit: quodq; ſemel erit prauum, ſi de eo admoneatur à quoquam, pertinaciter defendit, ne lapſus credatur, unde oriuntur ſectæ feraciſsimum rixarum ſeminarium. Sin ipſe errorẽ ſuum ſponte agnoſcit, non emendat ſimpliciter, ſed ambigue, ac perplexe, nomini magis quàm ueritati conſulens: hinc ſunt æditiones fictæ & refictæ toties, ut aliquanto poſt neſciatur quæ prima ſit illarũ, quæ altera, uel tertia, quæ autoris ipſius ſententia, qua ſtandum: idq; fit tanto confuſius & incertius, ſi quo ſecunda, aut tertia, & aliæ deinceps recognitiones non peruenerint. Neq; uero me fugit, eſſe nõnulla, quæ primo quoq; tempore neceſſe erit euulgari: de quo genere ſunt narratio rei geſtæ ad plurimos uiuentium pertinentis, tum quę inſectandi criminis in commune noxij, aut depellendę à nobis calumniæ componuntur: ea ſatis fuerit diligenter eſſe à nobis excogitata & perſcripta, nam dilationem res non ferunt: nec quæ ſunt eiuſmodi, præcipitata dici debẽt, ſed maturata. Non deſunt quæ deterit cura, nõ emendat: ſunt enim ingenia tam ſubiti ac uiuidi impetus, ut eorũ opera meliora ſint effuſa, q̃ refuſa. Quę poſt æditionẽ uidebũtur autori ipſi parũ recte expenſa, corrigat planè, apertè, ſimpliciter, magis de claritate ueritatis ſolicitus, quàm de ſua ipſius: ſed nec ipſe iacturã ullam fecerit exiſtimationis: quis enim eſt uſquam adeo rerum humanarum expers, & ignarus, ut neſciat optimos quoſq; & ſapiẽtiſsimos uiros tempore ac ſtudio in melius proficere? an ego excellentis ingenij uirum nihil plus credam

plus credam assecutum senem esse quàm iuuenem? iners profecto ac miserrimum est ingenium, cui non plus posterior dies, quàm prior adfert. si libri sint dogmatici sparsi iam & euulgati admodum, consultissimum erit librum correctionum exemplo diui Augustini componere: aut si quid erit addendum, secundam æditionem seorsim dare, ut fecisse uidemus Boethum Seuerinum. Sin opus uel non continet dogmata, uel non adeo est diffusum, licebit, quod est apud poetam, male tornatos incudi reddere uersus, & opus reconcinnare, atq; etiam si res ita ferat, retexere de integro. Quod si ab aliquo corrigatur, agnoscat beneficium, & palàm agat gratias. Veritas enim pro qua nos in acie conuenit stare, nullius est propria, sed communis omnium: quòd si ille in eam inciderit, irasci te non oportet, illi potius gratulare felicitatem, quam & tibi licet esse cum illo communem. Sed proculdubio ita res habet, qui pro ueritate certant, sic sunt animati, ut eam à quocunq; inuentam complectantur: qui autem pro suis inuentis, id est pro suo nomine ac gloria, tanquam aras & focos, quicquid ab eis prodierit, tueãtur: cuiusmodi sunt in omni quidem disciplina complures, sed in ijs potissimum artibus, quę circa sermonem occupatæ sunt, grammatica, poetica, rhetorica, & ea, quę cum his est coniuncta, philologia: primum quòd peritia uerborum, ut recte est ab Augustino scriptum, ualde inflat: deinde quòd horum opera magis uidẽtur esse illorum fœtus, quàm quæ philosophi aut theologi conscribunt: orationem enim orator peperit, poeta carmen: ueritatẽ non peperit philosophus, aut theologus, sed natura: ideoq; uerax philosophus contradictionem opinionis suæ, naturæ potius interpretatur esse iniuriam, quàm sui. At qui falsum comminiscitur, ægrius fert repugnari sibi: quàm qui asserit uerum: nam uerum nemo gignit, falsum ex mendace ipso nascitur: itaq; qui uerum affirmat, propugnationem sui dicti naturæ, tempori, Deo committit, qui falsum, ipse sibi illius tutelam sumit. Accedit his, quòd uerba uelũt facies & forma quædam sunt exterior, sensa autem interiora illa referunt, ceu ualetudinẽ et mentem: indignius uerò formosi accipiunt cutem & lineamenta sua perstringi, quàm boni suã uirtutem: citiusq; uir probus malum se appellari æqui boni faciet, quàm speciosus deformem.

Quæ ad mores non pertinent, ea graue est ad alienum nos stomachum aut iudicium formare. In ijs uerò, quibus homines uel meliores fieri uel peiores possunt, publicos præfectos esse aliquos examinandis libris expedit, uiros iudicio, doctrina, probitate in toto populo præcipuos ac spectatos.

PARTIS SECVNDÆ, QVÆ CONTINET
Libros de Tradendis Disciplinis, siue
de Doctrina Christiana,
finis.

Tertia pars.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE PRIMA PHILOSOPHIA, SIVE DE INTIMO NATVRÆ OPIFICIO,

Liber primus.

DE intimo naturæ opificio, hoc eſt quibus ex cauſis, qua ratione atq; actione oriantur ſingula, creſcant, exiſtant, intereant, diſſerendũ eſt nobis hoc opere. In quibus omnibus ſcrutandis, tametſi magnis tenebris premittur noſtra mens, tamen alium in hac uita haberi eorũ quæ ſenſuri aut dicturi ſumus ducem, nec poſſumus nec debemus, quàm quod illa et ui ſua naturali, & uſu ac meditatione conſequitur. Nec dum ea comminiſcimus quę ratione nulla demonſtrantur, in abſurda figmenta incidamus, & ſomnia ſequamur pro doctrina ſapientiæ. Cui quidem rationis noſtræ præceptioni ac monitis non ſolum auſcultabimus in ſpeculatione naturæ, ſed in rebus etiã diuinis cum omni cultu ac reuerentia uel ſpectandis, uel (ut dabitur nobis) exponendis. Habitat enim Deus lucem inacceſsibilẽ nobis, circumſeptã caligine, ita ut nos corpore hoc peccati obſeſsi lucem non ualeamus intrare, nec perrumpere caliginem: & qui proxime ad deum accedunt, offundi ſe uicina caligine ſentiant, & non aſſequi ſeſe atteſtentur, quemadmodum uir ille cœlitus etiam illuſtratus fatetur: ego, inquit, nondũ arbitror me cõprehẽdiſſe: tamẽ in illis ipſis quæ indicibili interuallo captum noſtrũ omnẽ antecellunt, & uerbis ac humano loquendum eſt more, & ut ratio & iudicium noſtrum aſſequitur, ſentiendũ. Ne ſi hunc ſpernamus ducem, in errores multos uagi atq; incerti prolabamur: furor eſt hominem relictis quæ homo capit, ea quæ nõ capit, affirmare, niſi quem cõſtet magiſtro edoctum humanitate omni maiore ac potiore, quod paucis admodũ tribuitur. Neq; uero uſq; adeo mẽtis noſtræ acies retuſa eſt, quin eatenus ueritates proſpiciat, quatenus hominum generi conducit: hoc enim beneficium eſt ingens hominum generi à deo tributum. Et humana quidem iudicia ſunt quædam naturalia, ſunt alia ſiue artificialia, ſiue arbitraria libeat appellare, ſiue etiam conſulta. Naturaliter dicuntur iudicari, quæ ab omnibus eodem modo & ſemper: ut quæ uſurpantur à ſenſibus. Item quæ à parte maxima, & ab iis quorum ingenium integrum eſt, ac rectum, id eſt planè humanũ, non deprauatum uel ſtupore, uel educatione quadã ferina, non ſtudijs ac perſuaſionibus infectum, & detortũ. Artis ſiue arbitrij, ſiue conſilij ſunt, quę ab alijs aliter & aliàs cenſentur. Quod naturale eſt, non poteſt eſſe ex falſo. Neq; enim falſas de rebus opiniones humanis ingenijs deus indidit: nec poteſt certius eſſe ueri argumentũ, quàm omnes naturaliter ſic ſentire. Nam ſi magni alicuius & ſapiẽtiſsimi uiri autoritas iure habet momenti plurimum, quanto habebit maius autoritas generis humani, & quidem à natura ueriſsimo, ac certiſsimo doctore inſtituti? Quid ignorat deus, aut quid eſt, in quo uelit nos falſos? uult ille nos opus ſuũ ueras de ſe ac rebus omnibus habere ſententias, nec inſcitia noſtra illi poteſt ulla ex parte prodeſſe. Auſpicate de hoc tanto ac tam admirabili opificio dicturi, ab illo exordium cepimus, à quo ſunt rerum uniuerſarum origines, in quo media, ad quem exitus, quemadmodũ à ſancto Apoſtolo eſt traditum. Apparet ergo à natura eſſe nobis inditum deum eſſe, quando nulla eſt tam barbara, atq; immanis natio, cuius non animum intelligẽtia atq; informatio imbuerit Dei. Quiſquis oculos in ſublime ad tantã tamq; admirabilem ſpeciem attollens conſyderat ordinem & conſtantiã cœlorum ac temporũ, profecto dubitare nullo modo poteſt,

poteſt,quin à præſtãti aliqua ſapientia hæc adminiſtrent. Tum quę ſunt naturalia,in ijs apertiſſime ſe produnt, quæ repentina conſilium omne excludunt. Atqui in lætis aut triſtibus ſubitis,ſæpe etiam in admirandis, quum affectus arte non poſſunt regi, oculos ſurſum omnes dirigunt, & opem illinc poſcunt,aut gratulantur aut ueneran tur, ac adorant: quod eſt clariſſimum ſignum, exiſtimare eos illic habitare potentiſ- ſimum autorem ac rectorem omnim. Nam quòd ſurſum oculos erigunt,quum prin- ceps naturæ ſit ubiq;,hoc ſignificant,digniſſimum eſſe locum illum, quæ ſedes dica- tur,& quaſi regia principis omnium. Tum illius et uis & ſapientia,potiſſimum cœlo declaratur,ſicut à diuino uate dictum eſt,Cœlos enarrare gloriam Dei. Verum quiſ- quis Deum nominarit,indubie rem putat ſe nominare ſapientiſſimã,potentiſſimam, optimã:magnumq; ducit nefas eſſe,ſi quis contrà de Deo ſentiat. Quid enim ſapien tius,quàm qui hæc regit,quæ uel ſola contẽplatione ſtupefaciunt omnium mentes? Quid potentius,quàm cui hæc ultro parent? quid melius,quàm qui hæc cõdidit om nia tam pulchra? tam grandia nullius rei indigus? quiq; tãtas cõmoditates rebus om nibus conditis ad ſe conſeruãdas progenerat? qui tam lentus eſt ad ſe de ijs ulciſcen dum,à quibus numen ſuũ nefandis facinoribus uiolatur: neq; enim inter hominũ ſce lera adeo tum crebra,tum etiam grauia,& abominanda momentũ temporis perſeue raret mũdus,niſi ille qui hæc regit,eſſet optimus,& proinde longanimus. Ergo quia ſapientiſſimus eſt,omnia in finem aliquem cõſtituit,& quia optimus in finem bonũ. Non enim ſapiens temere aliquid aggreditur, nullo præpoſito ſibi fine,quẽ ſpectet. Nec bonus aliud ſpectat,quàm bonum. Et quia potẽtiſſimus,facile quæ ſapientia ad finem illum eſſe congruentia iudicarit,exequutus eſt. Nobis quidem propter tardi- tatem ingeniorũ,& maximarum rerum inſcitiam,ortus,progreſſus, exitus, & cauſæ ſingularum ignorãtiæ ſunt. Fieri tamẽ non poteſt,quin ille maximas habeat,& in mi nimis rebus cauſas,alioqui nõ eſſet qualẽm natura ipſa docet,ſed neq; aliũ uel mens ipſa poteſt ſibi cogitatione fingere. Verum illius ſanctæ & reconditæ uoluntatis ra- tiones ac conſilia occulta ſunt nobis. Itaq; uæcordis eſt earum rerũ cauſas inquirere, quæ cauſæ non ſunt ab illo foras proditæ,ſed in conſilio ipſius reſeruãtur. De quo eſt in ſacris literis: Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Tales ſunt cauſæ eorum,quibus illa ſapientia pro inſtrumẽtis utitur ſui finis,nam hæc ſunt uoluntatis eius,ſicut artificis in paritate ſimilium inſtrumẽtorũ hæc ſumere ad opus magis quàm illud: omnia enim Deo ſunt ad quoduis opus paria,nec minus commo de alijs poſſet uti ad eundem finem,quàm illis quæ ſumit: ut ignem eſſe calidum,gla ciem frigidam,hominem ſic eſſe compoſitum,ſic ali,ſic uiuere,tot cœlos,tot ſtellas, non pauciores,nec plures. Hæc naturæ,id eſt,huic opificio ſunt prima,nobis poſtre ma,ut nec nos,nec illa ulterius progrediamur. Illa quæ ubi incipit,nos qui ibi ſiſti- mus. Deo uerò media ſunt,ac inſtrumẽta uoluntatis. Quippe non aliud ſunt rerum naturæ,quàm illius inſtrumenta. Quærere cur non plura aſtra,cur non pauciora,cur non aliter diſpoſita. Item de elementis,de formis animantium,deniq; de numero,ma gnitudine,diſpoſitione,utribus earum rerum,quibus conſtat hæc tanta uniuerſi mo litio,hoc uerò eſt uetita ſepta tranſcendere,& impudenter ingerere ſe in arcana diui- nitatis. Illa enim omnia uoluntatis ſunt illius,cuius conſilium neſcio an communica tum ſit angelis,certe nobis occultũ eſt. Quæ uerò his poſitis,ſequuntur,naturæ ſunt. Et naturæ legibus ſancitis,ut ignis lignum exurit,non ſaxum: ſtomachus humanus panem & carnes concoquit,nõ ſtupas. Luna plena deficit,ſilens uerò ſolem abſcon- dit. Longiores eſſe dies in ęſtate,quàm in hyeme. In quibus cõiecturas quaſdam in- uenit hominum inquiſitio: nam ſcientiam non meremur,& peccato contaminati,& proinde graui mole corporis oppreſſi: ſed neq; eſt nobis neceſſaria. Nã uidemus om nium quæ in hoc ſublunari ſunt mundo principem eſſe,ac preſidem hominem con- ſtitutum. Quando non beluis ſunt hęc parata,quę uti neſciunt: finem uerò quum ali quem etiam in minimis ac uiliſſimis eſſe rebus ſit cõpertum. Nec mirum,quando(uti diximus)à Deo nihil eſt temere aut fruſtra conditum,nempe à ſapientiſſimo. Homi- nis autem tam excellentis naturæ nullum hic uidemus,imò eum anxie & irrequietẽ

alio pergere,dum hãc uitam agit,apparet eum aliò tendere ac ſpectare.Nec quicquã homine eſſet uel uanius,uel miſerius,ſi huc tantum omnes illius actiones cogitationesq; referrentur:quũ eum palàm ſit nunquã quieſcere,ſemper in ſolicitudine,et cura futurorum iactari,nunquã potiri uotis, quibus in totũ acquieſcat:optare ſemper, quorum nunquam fiat compos:qua de re alibi erat copioſius diſſerendi locus.Qua propter aliorſum dubio procul, quàm ad uitam hãc pertinet,nempe ad alterã quam aſſequetur his uinculis corporis & peccati ſolutus.Vt quemadmodum in locis maternis tantis cõtectus inuolucris, per nouẽ menſes huic luci formatur, ſic in hoc corpore illi alteri paretur: quod tantum myſterium intellectum eſſe à L. Seneca magnũ eſt indicium,quantopere ad ueritatem omnẽ mentes noſtræ ſint à natura conformatæ,quæ ſi uelint ſtudioſe nauare operam,ad ea peruenient quæ impijs atq; imperitis incredibilia uidentur.Sed reuertamur ad id,quod cœpimus.Quemadmodũ ergo in utero ſenſim robur accipit,& condiſcit hanc lucem,atque aẽrem poſſe ferre,ſic nunc exercet ſe per uirtutem, ut tantæ illius lucis aſpectũ ſuſtineat,in qua eſt finis eius,ad quem eſt conditus.Nam in eo poſitus nihil requiret amplius,plenus gaudiorum & ſecurus.Sed hic eum contemplari eſt uelut præfectum huic orbi,religionis capacem ac Dei cognoſcendi.Et quia cognoſcit tantum bonum,etiam amat:nam uoluntas in bonum fertur,prona nutu ſuo,ut mentis acies in uerum. Porrò quod amatur expetitur,quid enim amatur niſi pulchrum, & ideo expetibile? Amor enim uinculum eſt unicum rerum ſpiritalium. Siquidẽ non alio glutino poſſunt illæ copulari.At quòd homo natura id expetit,euidens ſignum eſt poſſe aſſequi:quãdo ad impoſſibilia naturales cupiditates non accepimus.Ad hoc quidem habent omnes inſitam à natura expetitionem,quam reprimunt tamen nonnulli tanquam improbum uotum,& impoſſibile deſyderium,quum ſe tam puſillos reputant,illum uero tantum,ſicut in humanæ quoque fortunæ magnitudinibus uſu uenit: idcirco opus fuit medio aliquo, quod complexum in ſe ſublimis & infimi naturam deſperationem adimeret,fiduciã augeret,ut ab humili ad excelſum per illum aſcenderetur.Sed hominẽ hunc ſiue iam tantarum rerum dominum,ſiue tantis bonis deſtinatum inſtructum fuiſſe præclariſſimis à Deo ad tanta munera facultatibus credi par eſt: nam qui ſapientiſsimus iuſſit finem peti,idem optimis facultatẽ & inſtrumenta finis conſequendi uoluit attribui: potentiſſimus tribuit,fuit igitur ornatus & quaſi armatus uiribus,& firmitate corporis,ut ipſe mancipiorum ſuorum dotes excellẽtius poſſideret:celeritate intelligentiq; qua mũdana et diuina facile percurreret,quum uellet,quum eſſet opus:tum luce iudicij,& cõſilij, ut quid & cuius quidq; eſſet pretij momentiq; cenſeret,in ijs quorum erat dominus factus: æquitate etiam uoluntatis,ut quæ conformia eſſent ſummo illi & ſoli bono,cui erat uni pariturus,ſequeretur,quæ contrà deuitaret:ut hoc denique obſequio et amore coniungeretur ei,quo nihil habuit charius,& proinde neq; optatius.Nunc uero quũ & corpore hominẽ cernamus morbidum,& ſeruũ eorum,quæ illi Deus ſubiecit,tum intelligentia tardũ,& cõſilij tenebroſi:& uoluntatis prauæ,indubie degeneraſſe apparet ab illo homine,qui quum huic mundo erat à Deo præfectus,tum ad tanta bona conditus ac deſtinatus:nos peccatũ ſcimus eſſe cauſam,quo deſciuit à principe & imperatore ſuo Deo.Quidam philoſophorũ naturæ progreſſu eò peruenerunt,ut dicerent animas hominũ in iſtis corporibus,tanquã in ergaſtulis uinctas magnorum ſcelerum pœnas dare. Sed de imperio rerum & fine deſtinato utrum retinuerit, utrum amiſerit, ex relictis ac perditis facultatibus eſt intellígere. Ademptæ ſunt uires et celeritas cognoſcendi:hinc ad regendum potentia,tum obedientia ſubditorum,ergo & regnum cuius hæc erant inſtrumenta: & in eius corpore uelut nota quædam cenſoria inuſta eſt rebellionis primæ,ut menti nec corpus nec affectiones obtemperet,magna quidem & deploranda iactura, ſed huic maximam adfert conſolationem ſpes finis, quæ ſumitur ex facultate ad eum conſequendum relicta. Nam in delicto illo quum homo quantum in ipſo erat,ius ſibi omne præcideret ad finem, Deus tamen illius miſertus caſtigauit filium, non abdicauit.In illo utique ſcelere dominatum amiſit orbis, non tamen, quod magis expetendum eſt,

penitus

penitus eum reiecit Deus à fine:idcirco nec instrumenta & ueluti uiaticum sustulit, quo ad eum perueniret:tantumq; ei reliquit luminis,quantum sat esset ad ingredien dum illa uia,quæ rectà ad felicitatem deduceret. Nunquã eo lumine sustinuit Deus orbari prorsus hominem,quod ei de suo lumine quotidie accendit.Nunquam enim fuit ulla uel tam stupida & socors natio, uel tam cæca ætas & caligine oppressa, in qua homines ignorarint illa,quorũ scientia ad felicitatem eos perduxisset,si essent ex equuti.Ideo de filio Dei,quæ est diuina lux & sapientia dicitur, quod illuminat om nem hominem uenientem in hunc mundum:perdidimus ergo res & imperium,sed nobis uera bona diuino beneficio, seu uerius indulgentia relicta sunt.Ad cognitio nem quoq; rerum naturæ id reliquit facultatis,quo assequeremur,quod uitæ huic tu endæ satis esset,sed labore tamen, cura,intentione magna animi:non quod eruendæ sint res è tenebris ,sed quòd tardius est factum nostrum ingenium,& debilior men tis uis casu illo flagitij & discessu à lumine . Neque enim tenebris sunt res coopertæ, sed nostrę mentes:nonnulli tamẽ quæ sunt in nobis uitia,in naturam transferunt:ue rum neque hac ignoratione quicquam accepimus iacturæ ad eam perfectionẽ, quæ sita est in adeptione finis.Nam amplior causarum cognitio pulchra quidem est,et uo luptatem habet permagnã intuitu speciosissimi spectaculi,ut Virgilius felicem eum uocet, qui potuit rerum cognoscere causas . Sed tamen hactenus modo necessaria, quantum sat est ad parandam & conseruandã uel uitam uel uirtutem, & uitam pro pter uirtutẽ:quò uidetur etiam Virgilius eam ipsam deducere felicitatem intelligen tiæ causarum,

Atque metus omnis,& inexorabile fatum
Subiecit pedibus,strepitumq; Acherontis auari.

Atqui istud relictum est humano generi ex tanta opum iactura . Anxia uero illa cõ gnitio adeo nõ est ad parandum quod petimus,necessaria,ut non raro etiã illinc ab ducat.Multi enim acti dulcedine scrutandi cur quicq; fiat,et quomodo,à cœlestium rerum cura & cogitatione auocãtur,& à cultu uirtutis,dum illis suis studijs tanquã à Sirenis occupatis nec regere uacat populos,nec domos,nec suos ipsorũ mores com ponere,per quæ ad felicitatẽ illã cõtenditur,nec aliter licet:maximasq; & præcipuas uitæ utilitates deserũt,dum illis suis uoluptatibus immodice indulgent:non aliter q; qui ludendi aut libidinis delectatione,subtrahũt se à negotijs seriis . Atqui dicat ali quis,ut Aristoteles, naturale est hoc hominibus sciendi desyderium , & cognoscen di rerum primordia,progressus,exitus,quid ergo inane penitus euadet:minime ue ro:imò quia nequit in totum frustrari,expleri autem in uita hac uidemus non posse, colligendum tanto philosopho fuerat aliquid post uitam hanc restare ubi explere tur . Breuis est homini hæc uita concessa , ut in ea se ad alterius felicitatem exerceat per uirtutem,& paret,in hoc unum intentus,non impeditus alijs curis:si hoc rite fece rit,consecuturus quæ concupiscit.Nam quum illi erimus coniuncti , & quasi unum per amorem facti Diuinæ sapientiæ,in qua sunt thesauri omnes scientiæ & cognitio nis,dimota,qua nũc occultatur caligine,ibi permittetur nobis omnia ex pleno & pu ro haurire, ut animus noscẽdi auidus facile se expleat, sitimq; illam exsatiet,quod in Phædone Platonis docet Socrates , & Cicero ex Platone . Nos tamen interea dum hãc uitam degimus, siue quis eam peregrinationem,siue exilium nominet,quædam annotauimus huic itineri conducẽtia:earum causas inquirere & utile est in præsens, & quia nobis utile, ideo se in hoc nobis natura magis indulgentem præbet, quæ pa ratiora semper tribuit,quæ prosunt.Ex singulis enim aut quæ uiderunt oculi,uel au dierunt aures,& alij sensus in sua quisque functione cognouerunt,mens nostra præ cepta effecit uniuersalia,postquam illa inter se contulisset, nec quicquam simile ob seruaret in contrarium . Incerta quidem hæc sæpe, nam res & temporibus mutantur, & locis,& falsa deprehenduntur,quæ erant inter eruditos longo tempore receptissi ma.Sed qualiacunque è re hominum fuit consignari , & tradi per manus.nam satius est rara negligi, quàm non annotari,& tradi frequentia . Multi in unum contulerunt quisque sua , & simul præsentes , ne in colligendo fallemur , ne fieret uniuersalis ca

non ex uno aut altero experimento, & quia tempus res mutabat, uetuſtatem conſu-
luimus, cui proſpexerunt maiores prodendis ijs, quæ ipſi uſu ſuo obſeruaſſent. Tum
ne locorum uarijs naturis falleremur, quod operis quoque loco natura exerceret, &
quaſi miraculum oſtenderet, ſumus ſcrutati. Sic emendicauimus aliquid, quo hanc
egeſtatem ſuſtentaremus. Nam nihil eſt minus uerum, quàm quod prouerbio iacta-
tur, quorundam ore trito, Inter omnes ſciri omnia. Melius illud, quę cuncti ſciunt, mi
nimam eſſe portionem eorum, quæ ignorant. Et quandoquidem tam multi ad ſuſten
tandam hanc inopiam contulerunt, nemo enim eſt, qui non aliquid in ſuum uel alie-
num uſum inquirat: nam ad diſciplinas nobis utiles exculpendas uires & naturalem
quandam induſtriam unuſquiſque habet. Ideo diligenter ſunt animaduertenda uer
ba, quibus quiſque obſeruata ſua communicauit, ut intelligamus quid ſit id, quod
perhibetur. Prouide Diſcorides Cilix, quum herbarum hiſtoriam ſcriberet, ſingula-
rum nomina multis linguis expreſſit, ne ignoraretur, de qua herba diceret, quod tan
topere conduceret cognoſci. Ad hoc uis prope omnis ſciendi atque intelligendi in
uerbis eſt ſita: nam uerbis ſenſa conſignantur, & quæ quiſque mente ac cogitatione
aſſequitur, uerbis exprimit, ijſq; quantum facere poteſt coniunctis cum explicatio-
ne naturæ rei cuiuſq;. Itaque diligenter communis uerborum uſus eſt animaduerten
dus: ex quo plurimæ in omnibus diſciplinis & exiſtunt quæſtiones, & profligãtur.
Quod eſt uidere apud Ariſtotelem, Platonem, & alios. Quanquã quid Philoſopho
tribuendum ſit conſenſui loquentium, aliâs dicemus, ut ſpero. Teneat philoſophus
ſenſum communem in uerbis, ſed de illo diſſerendo adſit modus, ne non tam in re-
bus uideatur eſſe occupatus, quàm in uocibus, quod alienum eſt ab eius profeſſio-
ne. Tum ipſe, ut quiuis alius, quæ dicat, ea quoad eius facere poterit, lingua & uerbis
de uulgo ſumptis eloquatur. Quocirca communis ſermo exacte cognoſcendus eſt
is, qui ex collatione minutorum aſſium, aliquas diuitias corrogat qualeſcunq;, id eſt,
aquã ex ſtillicidijs. Ideo diſciplina hęc, quę à nobis in præſentia inſtituitur, accommo
da eſt principijs omniũ artium. Nam cauſas & origines rerum, quæ aliæ tanquã prin
cipia inexplorata accipiunt, principio enim nihil eſt prius, hæc contemplatur, & ex-
plorat. Tum uerba communis uſus enucleat, quæ cæteræ uelut tecta cortice accipi-
unt bona fide, nihil metuentes fraudis: hęc enim fraudem, ſi qua deliteſcebat, retegit,
quæ ſingula ſcrutatur. Ita aliæ hinc mutuantur illa prima, & quaſi fundamenta ſui ędi
ficij. Eſt etiam ad uſum uitæ apta, & ad bene ſentiendum iudicandum q; intellectis
ijs, quæ uerſantur in uſu communi hominum. Poſtremo ad uniuerſales ſtatuendas re
gulas animaduerſo quantum fieri poſſit, naturæ artificio, & ad experimenta adiun-
cto pro norma, quæ omnia de natura rerum uolo intelligi. Ingredimur ad cognitio-
nem rerum ianuis ſenſuum, nec alias habemus clauſi hoc corpore: ut qui in cubi-
culo tantum habent ſpeculare unum, qua lux admittitur, & qua foras proſpiciunt,
nihil cernunt, niſi quantum ſpeculare illud ſinit: ita nec nos uidemus, niſi quan-
tum licet per ſenſus, tametſi foras promicamus, & aliquid ulterius colligit mens,
quàm ſenſus oſtenderunt. Sed quatenus per eos conceditur. Aſſurgit quidem ſu-
pra illos, uerum illis innixa: illi ei aperiunt uiam, nec alia egreditur: alia quidem eſſe
iudicat, non tamen alia intuetur. Ergo nos quæ dicimus eſſe, aut non eſſe, hæc
aut illa, talia non talia ex ſententia animi noſtri cenſemus, non ex rebus ipſis: illæ e-
nim non ſunt nobis ſui menſura, ſed mens noſtra. Nam quum dicimus bona, mala,
utilia, inutilia, non re dicimus, ſed nobis. Et ſenſus interdum adeo ſequimur duces,
ut quomodo illis uideantur, ita etiam pronuntiemus uulgo, quamlibet mens contra
rium ſtatuat: ut non eſſe dicat ea Cicero, quæ tangi aut cerni non queant, animo ta-
men atque intelligentia comprehendantur. Quocirca cenſendæ ſunt nobis res non
ſua ipſarum nota, ſed noſtra æſtimatione ac iudicio: nec protinus ſententiæ accedi-
mus Protagoræ Abderitæ, qui talia eſſe dicebat quæque, qualia à quoque iudi-
carentur: de quo à Platone & Ariſtotele iure reprehenditur. Neque enim qui di-
cimus, ex iudicio nos noſtro de rebus ſtatuere, ijdem & ueritatem rerum ad no-
ſtrum iudicium detorquemus. Nos ergo cognitionem, ſeu iudicium habemus

ſenſuum

ſenſuum,phantaſiæ,mentis.Sunt quæ uiſus cognoſcit,ut colorata,& lucida:ſunt quę auditus,ut ſoni:ſunt quæ tactus,ut calida, frigida,ſicca,humentia, aſpera,leuia,dura, mollia,grauia,lenia,dēſa,ſubtilia : ſunt quæ guſtus,ſapores:ſunt quæ odoratus,quod nomen ipſum adfert odores. Sunt etiam communia quibuſdam ſenſibus,ut magnitudo,numerus,ſub quibus coniunctū,et ſeparatū,& hinc quadamtenus totum,pars: ad copulationem quidem,non ad unitatem,quies,motus,figura,ſub qua ſtatus,& diſpoſitio partium,ut ſedere,iacere:& quæ ſunt contraria tenebræ,ſilentium:& quæ aſſimulata ut colores Iridis,& palumbis in collo:quæ ſenſibilia dici poſſunt.Phantaſia ex coniunctione ſenſiliū aliquid colligit,quæ ferè ſunt hæc.Ex ſenſilibus ſine alia ratiocinatione,id in quo ſolent eſſe nempe ſubiectum illorum,ut ex colore,forma,ſtatu,figura,hominem,leonem,capram : ideo fallitur ſimilitudine accidentium,ut aues quæ ad pictas uuas occurrerunt : & ille,qui pictum uelum dimouebat tanquam uerum.Ita omnia compoſita naturalia huius ſunt notitiæ:tum colligit ex ſenſili exterio re actionem,ut ouis aut canis de forma maleficium:uel ex memoria, uel cæco ſtimulo naturæ neceſſario ſibi.Tum ex actione agēs cognoſcit,uelut ex calore ignē:quod poſſet ad primū referri:Quæ omnia uocentur ſanè phantaſtica: hæc homo cum brutis habet communia, atque ideo toties in illis decipitur.Cæterum ex ijs, quæ ſenſus attulerunt, quæq; commiſcuit & commenta eſt Phantaſia, quædam facile adhibito iudicio deprehendit recta & breui argumentatione:cuiuſmodi ſunt ex cauſa effectus,ex effectu cauſa,ex actione finis,ex inſtrumento actio,omnia denique quæ per inſtrumentum inueniendi ueri ſolent exculpi,adhibita cuiuſq; artis materia,idq; in rebus quæ omnino exterioris huius naturæ conſtant opere:quæ à nobis dicātur deprehenſa.Sunt quæ mens ardua quadā aſſurrectione ſupra ſenſus,& magna indagine inueſtigauit,nō ſolū recte,ſed oblique et ambagioſe,nō tātū quia aliquid eſſet,aliquid eſſe,ſed quia aliquid eſſet,aliquid non eſſe,aut contrà:huius generis ſunt Deus, angeli,dæmones,mentes,immortalitas,uirtus,uitium,ſcientia,prudentia,felicitas,& omnia quæ ſub ſenſus non cadunt:quæ dicantur indagata ſiue inquiſita.Et hæc quidem naturalia ſunt,id eſt,quæ natura ſua conſtant,non intelligentijs noſtris,aut operibus.Nam nos imitati ſumus naturā aliquid etiā agendo.Excogitauit mens noſtra, quod ageret ob finē aliquem,quæſiuit apta inſtrumenta,operata eſt,& partim ſubſtitit in effectione,partim opus ex ea peperit:omnia hæc ſint excogitata,in quibus continentur artes omnes ac diſciplinæ, prudētia tota,adminiſtratio rei priuatæ,& publicæ,geometrica,& arithmetica, & muſica,non quæ naturali conſtant effectione, ſed quæ humanis ingenijs, quæ perfectius intelliguntur à nobis,quo mens magis excolitur uſu rerum.Sunt quidē hæc in natura,ſed à nobis manarunt, & ſine nobis inania ſunt,nulliuſq; efficaciæ,quatenus quidē talia.Sunt quæ penitus confinximus, ſed in rebus,ut honorem,calamitatem,iniuriam,contumeliam : quæ ceſſante quadā noſtra perſuaſione,nulla eſſent:hæc nominentur conficta. Illa uero quæ commenti ſumus ſed extra res,ut chimæras,& centauros,nullo ſint nobis loco,nullo ordine. Quæ uero hactenus diximus,pertinent ad ea,quæ ſunt:nam & in futurū, & in præteritū quū ſe acies noſtra tendit,& alterutra contemplatur,memoria utitur in actis,proſpiciētia in his,quæ deinceps ſequuntur:appellemus hæc proſpecta,illa reſpecta.In præſentia ita expoſuiſſe uniuerſalitatē rerum ſuffecerit.Nam qui in obſcuris uerſantur locis,nō quid ſint res audent definire ac affirmare,ſed quid ipſis uideantur:utilis eſt hæc annotatio ad cognoſcendi exercitationem.Proſpecta dicimus fore,reſpecta dicimus fuiſſe,cætera dicuntur eſſe:quoniā ſicut poſui,ad cenſuram noſtræ intelligentiæ de eſſentia cuiuſq; rei loquimur,ſed quæ,& cuiuſmodi ſint ſingula procedenti opere ſubtilius explicabimus.Neq; enim omnia poſſunt ſimul tradi:paulatim ſunt rudiora elimāda, & ad ſuperiora eſt per inferiora aſcendēdū,ut figura quadā tradantur prima, hinc exactius reliqua,non tam ut ſe habent ipſa,quàm ut intelligi à nobis poſſunt.Quem admodū uera bona omnia ſunt in Deo,in rebus uero ab illo genitis imagine tantum quadā ad illam ueritatē efficta,ita eſſe uerum in Deo eſt,ab illo communicatur rebus alijs omnibus:& hoc eſt primū munus,quod à Deo datur rei conditæ,& tanquā fun

damentum aliorum munerum:omnia enim quæ Deus condidit,esse ab illo accèperunt:ut esse possit quodammodo sic crasse declarari,quòd Deus dat primũ omnibus quæ creat.Nam ut nihil est supra esse,omnia sunt sub eo,aut certè nihil est eo ulterius, ita mens nostra facilius nomen intelligit,quàm exprimit rem:imò illi alia omnia per ipsum uel additionẽ ipsius declarantur.Ab essentiæ nomine ens est deriuatũ.Rei nomen tritius est Latinis auribus.Ideo ex illa generali significatione in alias permultas distribuitur:ut significet modò statũ,sicut respublica,priuata,familiaris: & pecuniã, ut facis rem:& ut sit aliud à personis,quemadmodũ in causis forẽsibus:& aliud à uerbis,ut, Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.
Et aliud à futuris,ut de re dicas,non de spe:& aliud à præteritis de re morbi disserere, non de causa:& pro commercio & negotio quocunq;,ut res est tibi cum duro homine:etiam pro rebus gestis,siue actis,ut res Apostolorum scripsit Lucas:& pro commodo atque utilitate,ut in rem esse:est & quiddam generalius,quàm ut possis uerbo uno exprimere,uelut de re uxoria,de re rustica,de re bellica & nauali:quæ Laurẽtius Valla obseruauit:nec solum in Latino sermone,uerumetiam in alijs linguis,quod illi rem uocãt,in tam multa diffundunt.Sed certè ens modò sit receptum appositius,exprimit uim sui significatus,quale est Græcis τὸ ὄν,quod Seneca queritur se uno Latino uerbo non posse exprimere.Sed potest usu tritum fieri:quam Latinorum morositatem iure Quintilianus accusat. Pergamus porrò entis formas,modosq; declarare. Id quod sensili est tectum & quasi conuestitum, quod appellemus sanè sensatum,ut ab armis armatum.In eo est sensile,& moles illa exterior,quã sensile operit:tum quiddam intimum esse necessum est,quod nec oculis,nec ulli sensui est peruiũ,à quo manant actiones & opera,ut in homine cõsilia,& ratio:in arbore frondes,flores,fructus: in cane latrare,& leporem persequi.Quòd si intereat sensatum illud, & aliud pro eo succedat,ut quum homo perit,& existit cadauer,quũ aresçit arbor,& remanet lignũ emortuum,tum ex ligno fiunt cineres:restant quidem multa ex sensilibus,manet moles,aut coniuncta,ut prius,atq; eiusdem tenoris,ut in cadauere:aut sparsa,ut in cinere & fumo,actiones tamen amplius non sunt eædem:idcirco nec fons & quasi caput actionũ est idem,nempe uis illa intus latens.Nam in cadauere eadem est moles,& tota exterior facies,non tamen sensus,nec mens,nec actiones,quæ prius. Vis omnis ex actionibus deprehenditur,ut facultas artificis,& ciuilis potentia:neq; enim uim aut facultatem,aut potentiam ipsam cernimus,nec sensu ullo usurpamus,quæ in penetralibus sita est cuiusq; rei,quò non penetrant sensus nostri hebetes.Et quàm est generosa,& actuosa uis hæc,tã moles illa in qua residet abiecta & torpida:ideo nec actione ulla uel opere potest cognosci,quam non habet iners,& perpetuum segnis.Tegitur quidem sensilibus,quæ illam utcunq; spectandam præbent:sicut dicimus intueri nos hominem,cuius uestimenta solum intuemur:idcirco species illius iure dici possunt,& forma,quòd informem forment,& facies,quòd quasi faciant esse,sine quibus infecta esse uideatur ac rudis.Cæterum torpens illa & qualiscunq; eius natura melius capitur, quum res priores cadunt, posteriores surgunt:ut quum bos perit aut ligna comburuntur. Nam quod uiribus alijs discedentibus,alijs subeuntibus quasi hospitium illud temporarium præstat,moles hæc est,quæ materies nominatur.Ea est uelut ingens quædam massa,& sicut Græci dicunt, ὕλη,quasi sylua,per totum mundum diffusa: ex qua portiunculas assumens autor omnium,addit uim illam,& existit unumquodq; ex ijs,quæ tam pulchra & uaria in mundo disponuntur homines,animantes, stirpes,lapides,metalla,uires illas præstantiores Deus condidit,quarum unicuiq; aliquid de sua potentia & sapientia est impartitus, alijs plus, alijs minus,prout quodq; fecit suorum munerum capax.Nos autem in tanta re imago aliqua ad intelligentiam diriget.Quemadmodum pinsuri panem masse addunt fermentũ,& coacturi caseum lacti indunt coagulum,& ut uolunt,per panem uel caseum conficere:ita multum aut parum fermẽti & coaguli admiscent.In pastillis quoq; odoriferis stymmati,quod est corpus & materia succus infunditur,quod est ex olei generibus,quę nominantur hedesmata,unde uaria fiunt pastillorum genera pro ratione succi. Et sicut multa habemus sigilla,

mus ſigilla,quę eidem cerę imprimimus,ita Deus maſſa hac utitur,ut lacte,ut corpore ſtymmatum,ut maſſa farinę:fermenta autem,coagula,ſuccos habet uarios,quaſi in pixides diſtributos: ſumit partem maſſæ,adiungit particulam fermenti,uel coaguli: quibus maſſæ partibus ex eadem fermenti pixide applicat,hæ ſunt earūdem uirium: ut duo homines,duo equi,duæ arbores,quibus ex diuerſis,diuerſarum:ſicut homo & canis:illa dicuntur eiuſdem naturæ & rationis,hæc uariarum. Ergo diuerſitas hęc ex fermentis naſcitur,non ex maſſa: fermenta enim ſunt multa,maſſa uniuſmodi:nec eſt ulla,quę non quālibet uim poſſit recipere:ſubacta certè & parata recipit. Omnes ſunt ęque torpidę & ſegnes,ſedes tantum uirium:quarum quidem experimur quotidie caſus,interitus,ortus nouos. Materies quantumcunq; diſſipetur,manet tamen,& facilem ſe his mutationibus præbet:ut de eodem appareat eſſe fonte,quæ eiuſdē ſunt ingenij. In ſublunari mūdo facile id poteſt intelligi:de cœleſti materia dubitarit quis, ut quæ nō uidetur eſſe eiuſdem naturæ ac nationis,cuius hæc noſtra:nec enim fluida eſt,ſed firma & conſtans. An id ex forma ei uenit,nō ſuopte ingenio ac nutu:Sed hoc certe nullus mortalium definierit, qui in cœlis nunquam eſt uerſatus:adducor tamen uerbis diuini philoſophi,& quem illa ſapientia edocuerit opifex rerum,ut exiſtimem diuerſæ eſſe naturæ. Moſes enim librum originum mundi,ſic exorditur:In principio creauit Deus cœlum & terram:ut hoc dicto,duæ materiarum rationes ac notæ uideantur deſignatę,non duæ corporum eſſentię:addit terram fuiſſe uaſtam,atq; incompoſitam,& opertam tenebris. Quid potuit ſignificātius dici de hac noſtra materia eorum,quæ generationes ac interitus accipiūt:ea eſt fluctuans,inculta,& tenebris obſita cerni ut non queat:additur ei facies,formatur,& excolitur ſigillo impreſſo,uel fermento adiecto. Hæc ſunt duo fruſta ex quibus ſenſata omnia conglutinat,ſeu uerius commiſcet Deus. Idcirco primordia dicuntur ſenſatorum:neq; uerò neceſſariam eſſe uideo priuationē illam Ariſtotelicam,utiq; non magis,quàm noctem ad diem:ſed Ariſtoteles,ne in totum diſſentiret ab opinione ueterum,quæ pugnātia fecerant principia miſtorum naturæ,priuationem,id eſt,uim diſcedentē pro principio addidit materiæ ac ui ſequēti. Atqui non timide ſolet à priſcorum ſententijs diſcedere. Sed profecto non poteſt eſſe principiū rei cui aduerſatur,& quam impedit. Nec aliter ex priuatione fit ſequens uis,quàm ex ludis Olympijs Gymnici,dies ex nocte,& omne poſterius ex priore:quod ipſe idem fatetur generationem non eſſe. Iam cur potius compoſita naturę,ex contrarijs ſunt conflanda,quàm ex conſentientibus? quòd ſi contraria exiguntur,hoc eſt,diuerſa,tam ſunt diuerſa materia & uis,quàm duæ uires. Cæterum quando materies una eſt omnium,nō poteſt rerum diſcrimen ex illa ſumi ut ſint hæc,uel talia. Ex uiribus uarietates exiſtunt in rebus & inde in nomina. Porrò in nominibus rerum,alia eſſentiam rei ſignificant,alia affectionem modum quēdam quo res ſe habet:qui modi adferunt enti nomē aliud,quàm quod ex eſſentia ſua ſortitum eſt,ut materiæ huic ſi uis nutriēdi & emittendi frōdes,flores,fructus indatur,fit arbor, quod nomē eſt eſſentiæ illius:ſin humilis ſit,aut ruffa,aut uiridis,lenis,aſpera,hæc nomina modum quendā rei dicent,& proceritas,& color aliud ei nomē quàm pro eſſentiæ ſuæ ratione dabunt:hi eſſentiarū modi atq; affectiones à Grecis apto nomine συμβεβηκότα nominātur,quod eſſentiæ contingāt,à nobis uulgo accidentia:poſſunt etiam uocari accedētia,adiuncta,addita adhærētia,ſeu inhærētia. Sed hæc eſſentiā non mutant rei,cui adhęrēt. Et cui hæc adiuncta innituntur tanquā fundamēto primo ſubſtātia nūcupatur. Ea & recipit adhærētia,& mutat illa,aut certè liceret ſine caſu ſuo: nec ipſa cuiquā adhæret: addita uero cui ſubſtātiæ ſemel affigūtur in ea manēt perpetuo, nec migrare poſſunt,ſed inueſtigio interire. Quin ipſa inter ſe alia alijs prębēt fundamentū,ut olor cādori,candor extēſioni,& dēſitati:fundamētū tamē primū,& omniū eſt ſubſtātia,ideo ſic appellata,quòd alijs ſubſiſtat:Grece ὑπόστασις ut uideat aliud reſpicere,nēpe accidēs,ſicut & hoc ſubſtātiā. Duo enim hæc ita ſunt inter ſe cōplexa,ut nec accidēs inueniri poſſit ſeiunctū à ſubſtātia,utiq; in hac naturę inſtitutiōe,nec ſubſtātia nuda adhęrentibus,id eſt,ſine modo aliquo,& ratione qua ſe habeat. Quocirca à pleriſq; omnibus quæſitū eſt,eſſent ne ſubſtātia & accidens diſtincta,ſi nō loco certè eſſentijs:ut in pāno madido aliud pānū dicimus,aliud humorē. Quidā negarūt duo

esse:alij omnia distinxerunt,& interminabili adhærentiũ numero obruerunt non naturam,in quam illis nullum erat ius,sed ingenia discentium:alij quædam separarunt, ut colores,sapores:quædam unierunt,ut motum & figuram:difficili profecto discretione,in qua ægre dixeris quid sequantur.Ita res in uarias sectas est discissa & agitata affectibus,non scientia,quę in ea re nulla esse potest.Nam substantia & adhærens adeo sunt complicata,ut non modo sensu explicari non queant,sed nec cogitatione, ut imago utriusq; capi separata possit ab animo nostro tanto artifice imaginum. Quippe mens nostra clausa hoc corpore subsistentiæ imaginẽ non assequitur nudam adiectis.Nobis tamen omnia ea sunt,quæcunq; iudicamus esse uel res naturæ, uel earum modos,& adiũcta,siue in substãtia aliud ab ea,siue rationem quandã & affectionem illius hoc modo habentis.Quanquam ut solus Deus uere est, & omnia ab eo condita,si cum illo comparentur,non sunt:ita subsistentia inter res cõditas,sola est,& recte ὄσια nominatur.Adhęrentia tenuem quandam habent essentiæ participationẽ,quam debent substantiæ,siue aliud sint à substantia,siue non:nam quomodocunq; res censeantur nostri instituti,nihil interest. Neq; aliter substantiæ & inhærenti ens attribuitur,quàm hominis nuncupatio tibi & tuæ imagini in tabella pictæ.Ex substantijs materia proxima est nihilo, quemadmodum Augustinus inquit, quòd alieno prorsum munere faciem & cognitionem accipiat,nempe beneficio illius uis,de qua diximus: talem esse congruebat,quæ posset quascunq; uires receptare utiles, medias, præstantes:non aliter quàm oculus omni colore liber est,ut omnes recipiat:& auris omni sono externo,ne quem excludat. Nam si potestates infectæ sint energia aliqua,illa se & circa minorem præbebit ferocem,& circa maiorem contumacem: nihil ergo oportebat esse, quod erat futurum potestate omnia per uires quæ ex actionibus sunt inducendæ:idcirco materies nuncupatur. Nam materia est in quam unaquæq; operatio exercetur.Quicquid agit, circa aliquid uersatur, & in eo uult efficere, quod destinauit.Sic fabro ferrario ferrum est materia,& lignario ligni,& medico humanũ corpus, dicenti res & uerba:laudis materia est fortitudo,uituperationis ignauia,uel sordes:et materia libri dicitur,in qua scriptor elaborauit. Clodius materia gloriæ Miloni, Veientes Romanis.Ex materia omni addita cõgruenti actione ad aliquid,nascitur illud cuius materia est pars una,& id quod ex actione accedit altera.Nam illa Clodius materia glorię Milonis,& fortitudo laudis,sic habent:Quippe ex Clodio & actione hominum,scilicet ijs quæ homines de illo sentiunt, ac loquuntur, existit Miloni gloria, ex uirtute & hominũ de ea existimatione laus.Atqui nec Clodius illuc intrat nec uirtus:intrant utiq;,nõ aliter quàm sunt materia:neq; enim ipsæ res sunt materia uel laudis,uel gloriæ,sed in hominum mentibus:metaphora tamen illæ res dicuntur,ut imagines nomina eorũ accipiunt,quę referunt:ueluti dicimus,Scipio semper erat in ore. Cæterum quæ sine metaphora rem cõficiunt, proprie sunt materiæ huius propositi, nempe naturales,ex quibus aliquid constat adueniente eo,quod per actionem accersitur,& in eas est operatio agentis,ut in ferrum & ligna:alterę illæ potius sunt obiecta quædam,in quæ actio dirigitur:usus tamen quæ essent similia, eadem fecit, ut in alijs multis:eaq; diligenter sunt discenti animaduertenda,ne iudicium perturbetur.Idem usus unde aliquid proficisceretur materiã uocauit, sic diuitias materiam dixit ruinæ, Helenam belli. Quod ex actione Dei accrescit materiæ,geminum est,internũ & externum:exterius facies est,ut dixi,interius uis & facultas ad agendum.Sed ea non simplex.Nam quędam est pręcipua et uelut artifex,altera artificis instrumentum:omnia enim quæ agunt,instrumentis egent præter Deum : ut in animante anima artifex est omnium functionum uitæ,quas tamen obit per calorẽ,per humorem in organis corporis,nempe stomacho & iecinore: hæc instrumenta adfert secum artifex in corpus: ut pictor penicillum,faber serram & scalprum.Præcipuam illam uim & opificem recte Cicero effectionem nuncupauit.Aristoteles actum,id est,energiam:nõ quòd per eam quod erat potestate hoc,fiat actu hoc:neque enim fit unquam actu homo quod prius erat potestate homo,nempe materia concinnata & apta,quamuis de tali minus forsitan esset absurdum: sed certè quod erat potestate ad hoc, fit reipsa in hoc.Philo-

sophorum

ſophorum recentium ſchola & effectionem,& faciem,& inſtrumẽta,& omnia propè adhærentia formas uocat,recepto illis uocabulo : ſed de uerbis in diſciplina hac non conuenit nos litigare,intelligantur modo quæ uſurpentur . Illi enim formam diffiniunt,quæ adferat eſſe rei:& eam in illo conſeruet.Iam omnia penè accidentia aliquam rationem eſſentiæ adferunt rei,ſiue ſubſtantiæ,ſiue accidenti. Nam quemadmodum per effectionẽ rationalem homo eſt homo,ita per uirorem pannus eſt uiridis,per calorem aqua eſt calida, per paternitatem homo eſt pater.Et quemadmodum ſunt fermenta eſſentialium rerum , ita etiam adiunctorum , ut quæ ex eodem habent uiroris aut caloris fermento,eiuſdem ſint eatenus ingenij,naturæ,rationis,& (uti Philoſophi loqui conſueuerunt) ſpeciei,ac formæ:quanquam effectio & actus eſſentialis magis eſt ſimilis fermento,coagulo, ſucco : adhærens uerò,ſigillo impreſſo. Habet quidem effectio ad materiam imaginem quandam eorum,quæ de adiunctis diximus:nam uidetur illi hærere , nec ſeparari : quæ enim ſeparetur poſtmodum oſtendemus : adde quòd materia mutat effectiones. Verum ſubſtãtia eſt effectio magis & uerius, quàm materia:nam ſi per quod accidentalia ſunt,eſt accidens , per quod ſubſtantialia ſunt, non ne erit ſubſtantia ? per uirorem res eſt uiridis , per animam rationabilem res eſt homo.Si calor,exempli gratia , aut frigus eſt hæc effectio , non dicetur homo homo, ſed calidus aut frigidus:& peribunt appellationes, ſubſtantiæ,quæ ex effectione naſcuntur,nõ ex materia per quam nihil eſt hoc aut illud,uel huius aut illius modi . Iam materia bruta nũquam tantos effectus æderet,uti neq; inhærens eſſentiæ tenuiſsimæ & proximæ nihilo:reſtat ut quod operatur, ſit aliquid à materia diſtinctum, & ab inhærentibus,quæ non habet uires ad tanta ædenda opera:ſubſtantia igitur.Adhęrentia enim res ſunt leues,opera hæc magna,ſolida,maiora multo quàm ipſa accidentia: at quod efficitur,maius non eſt aut præſtantius ſua prȩcipua cauſa.Nec accidentia ipſa artifices ſunt,ſed artificibus ſe præbent:quibus porrò artificibus? non materiæ,quę iners & ad actiones nõ ſolum inepta eſt,ſed obturbans,& impediens torpore ſuo ac ſegnitie.Nec ſi quis adamantis inhærentia in ligno collocet,protinus lignum fiet adamas,et eaſdem habebit uires.Quotidie experimur diuerſa entia eiſdem adiunctis diuerſos effectus ædere,& multo diſsimillimos,non ſolum quæ inhærentia habent eadam torpida,& quaſi emortua,ſed illa etiam uiuida,quæ prima nuncupantur,humiditatem dico,ariditatem,calorem,frigus,unde tanquam ex parentibus oriuntur reliqua.Quid quòd entia naturalia ſubinde mutant adiuncta,& quidem in intimis, non modo in externis,non ideo tamen eſſentia uariatur:ut animantes omnes ætatibus,regionibus,uictu,morbis uehementer mutantur,in eadem tamen ipſa effectione: quid aqua quum feruefit,deſinit ne eſſe aqua? Neq; uero ſi quis equi ſimulachro cereo caloris atque humoris & reliquorum adiunctorum tantum addat,quantum eſt in uero equo,continuo equus exiſtet. Velim dicant mihi,quãtum caloris et humoris ſufficit conficiendo aſino? quantum equo,uulpi,cani,leoni? quę ſunt omnia eiuſmodi, ut ab ipſis repudientur ſenſibus:nec aliter faciũt quàm qui inſtrumentis attribuunt totum opus,ſi artificem non uideant . Scite ab Empedocle Ariſtoteles quęrit, quid illud ſit quod in materia tam uaria & diſſidentia inter ſe adiuncta contineat, & coerceat? niſi ſit uis illa effectionis : alioqui ipſa per ſe non conſiſterent , quoniam conatu ſuo unumquodque ab alio ſepararetur , & diſſiliret , præſertim quum inuita uideantur cohærere . Ergo miſtum naturale aliquid eſt , non per materiam penè nihil , nec per accidens , quod etiam minus eſt , ſed per affectionem , quæ inter inferiora hæc maxime eſt , & reliqua omnia perficit , quibus adiungitur . Quapropter & ſubſtantia eſt effectio , & per eam ſolam ſunt nomina ſubſtantiæ , per quæcunque alia ſunt accidentalia etiam per partes , ut frondoſus , lacertoſus , pinguis , materiatus : & per actiones quamlibet intimas affectioni , ut uiuens & intelligens , ſiquidem actionem dicunt non paratam ad id facultutem . Quas ob res haud recte illud dicunt uulgo, plantam non ſentire propter denſitatem materiæ , nam effectionum eſſentię non naſcuntur ex affectione materiæ : imò nulla eſt herba , quæ non ſit rarior quouis humano corpore : in materia , eſt effectio eo connexionis modo , ut nullum

habeamus

habeamus ſimilẽ,quo recte poſsit exprimi. Sed quadamtenus eſt ſimile ſuccо in pa-
ſtillo,& aquæ in maſſa farinæ:neq; hęret actus in materia,ut accidens:nam hoc magis
dicitur adhęrere,effectio inhęrere,ſeu uerius ineſſe,quę in intimis eius eſt,quamcũq;
partem ſpectes:adhęrentia ſuperficiei applicantur,etiam illa quæ in occultiſsimis ui-
dentur affixa:ſi enim retegeretur,quod eſt tectum,ut calor in uiſceribus,in extima ſu
perficie deprehẽderetur adiunctum,haud aliter quàm literæ in libro clauſo,uel aqua
in ſpongia,ſeu panno.Et quemadmodum effectiones per ſe carent materie,ita ſunt à
Deo eſſentiæ quædam conditæ etiam minus ſenſus noſtros ferentes,& propinquio-
res diuinæ naturæ.Nam effectiones ferè extendi uidẽtur per corpus:quod declarant
ſtirpes,& quædam repentia in modum annulorum compacta,quæ ſi patiaris,fruſtra
per ſe uiuent:porrò illæ alteræ eſſentię extendi nõ queunt,nec in materia ulla poſſunt
diffundi:refugiunt enim molem omnem,quæ ſpiritus à nobis nominantur,quoniam
inter ea corpora,quæ nos ſenſibus uſurpamus, nullum eſt ſpiritu tenuius: ideo illuc
quoq; id nomen tranſtulimus,ad ea notanda,quę nihil haberẽt craſſum,nihil expan-
ſum:hæc partes ſimiles Deo,qui omni prorſum caret corpore,ac commiſtione.Nam
ſi ſancta illa et immortalis natura corpus aliquod haberet,ut homo,iam non per ſe ui
ueret,ſed per aliud,uidelicet per animum,& aliquid in eo eſſet imperfectũ,quod uir-
tutem atq; abſolutionem aliunde mutuaretur, nempe corpus ex animo: & ſicut ho-
mo nõ ex materia hoc eſt,ſed ex animo,ita & deus nomen ſuum ab animo acciperet:
aliquidq; in eo inueniretur non deus,imò conflaretur ex ijs,quæ non ſunt dij,quem-
admodum homo ex ijs,quæ non ſunt homines.Si aliud haberet genus concretionis
et corporis,ex minutis dijs conſtitueretur ille maximus deus,non aliter ac tota aqua,
ex aquis particularibus.At uero humanum ingenium paulùm modo ſi ſe conetur eri
gere,ducente naturę luce,facile aſſequetur eſſe ſpiritus à deo conditos,diuerſę multo
conditionis,quàm ſunt hæc corpora,quæ ſub ſenſus ueniunt.Omitto quod ad mun-
di magnificum ornatum pertinet eſſe ſubſtantias aliquas molis,quas ſenſus capiant,
aliquas omnino molis expertes,quas ſola mens.Sed quemadmodum ſunt aliquę res
conditæ multum deo diſsimiles,ut quas uidemus et tangimus,ita par eſt aliquas eſſe
naturæ ſimplicitate ſimiles.Et ſicut deus quũ ſit uniuſmodi atq; impermiſtus, tamen
quadamtenus uidetur coniunctus mundo,quum illum moderatur: quadãtenus diſ-
iunctus,quum conſideramus per ſe ſine mundo: tum etiam contemplari eſt illum &
mundum temperantem,ſalutemq; illi præſentia ſua conferentem,æqualem mundo,
& ſine mundi adminiſtratione priorem mundo.Ita conuenit duo eſſe genera ſpiritu-
um, alterum corpori admiſtum, quod regat corpus,& uitam illi ac ſalutem præſtet,
ęquale corpori.Alterum corpori non admiſtũ prius omni corpore.Et ſicut deus in il-
la ſimplicitate res uniuerſas mente atq; intelligentia continet, ſic eſſe conuenit res ab
eo creatas,quæ omnia certe quadam ratione captu intelligentiæ ſuæ poſsint comple
cti.Iam in hoc ordine operum dei quum ea,quæ intuemur,tam ſint autori diſsimilia,
par eſt non deeſſe ſimiliora aliqua:unde etiam mens, ut plena ſint omnia,eam quoq;
ſimilitudinem requirit, quæ unum faciat, quod iam opus dici non poſsit, ſed idem
ipſe:uidemus tam remota ab illo,neceſſe eſt eſſe proxima,neceſſe eſt eſſe coniunctiſ-
ſimum aliquid.Nec fas eſt locum aliquem eſſe in hoc ſpatio & quaſi ordine rerum à
deo progenitarum uacuum,quo natura abhorret,nec patitur autoris ſapientia & po
tentia: uacuum dico,non rebus, ſed rerum cum parente ſuo ſimilitudine, ac confor-
mitate.Atqui mens à deo ad meram et nudam materiẽ progrediens in maximum lo-
cum inanem ſibi incideret rerum ſpiritalium. Quid quòd cognitioni & iudicio ſen-
ſuum,eſſet factum abunde,iudicio mentis nõ ſatis.Senſus haberent ſua propria,quæ
caperent:mens non haberet,quo ſine ſenſibus ſe attolleret. Volo autem poſt hæc di-
ci mihi,quantum quidem humanum ingenium poteſt aſſequi,quæ tandem conden-
di mundi cauſa:qui finis tantæ molitionis:ſiue conditus fuit aliquo temporis initio,
ſiue æternus eſt:nam de hoc mox uidero.Pythagorici & Plato bonitatem dei dicunt
eſſe cauſam, quod quum bonus eſſet, boni autem natura ſit nulli inuidere, uoluit
beatitudine ſua, non ſe ſolum frui, ſed alia procreauit, quibus ſe communicaret,

communicare

communicare se omnibus principem naturæ alijs magis atq; euidentius, alijs minus & obscurius etiam Aristoteles sentit. Videmus enim res omnes quantum ipsis per ui res naturæ suæ conceditur, assurgere ad imitationem, ad similitudinem, & participatum quendam æternæ illius atq; infinitæ perfectionis autoris sui: aliæ quidem magis alijs, prout nactæ sunt gradum sui erigendi, ut omnia uideantur illum pro modo suo suspicere, admirari, amare, & cupiditatem se illi cõiungendi, quibus possint signis, attestari. Quòd si se ille ac suam indicibilẽ beatitudinem cõmunicare aliquibus uoluit serio, ac bona fide, profecto aliqua necesse est procrearit, quibus se amplius ac perfectius communicaret, quàm istis, quæ sub sensus ueniunt. Vt enim tenuis est ac propè nulla communicatio rerum torpentium, & perpetuo manentium in uestigio naturæ suæ, sine mẽte ac sensu: quænam est etiam brutorum communicatio? quæ hominum, quandiu hic corpore hoc clauduntur? Hiccine est finis tantæ constructionis? conuerti certa lege astra & cœlos, inde inferius nasci omnia, tum ali, crescere aliquousq;, paulisper uigere, sensim relabi ac interire? Stati isti maximorũ corporum motus, surgentium, & cadentium uices, hæc quam Paulus iure uanitatẽ appellauit, cui creatura omnis in hoc seculorum cursu subdita est, quem fructum aut delectationem adferre potest sapientiæ ac grauitati dei? quum nec prudenti inter nos uiro ullam adferant: nec uelit homo sapiens ea gratia quicquam agere, nedum deus illa sapientia & altitudine mentis infinitæ. Ergo ad ueram & iustam sui communicationem progenuit indubie aliqua, quæ possent illum primũ qui & quantus esset intelligere, ex intelligentia amare, ex amore uelle illi coniungi, & ex coniunctione atq; unione consortes fierent ingẽtium bonorum illius, & in communionẽ uenire immortalis felicitatis. Quos ergo ad hæc condidit, tales utiq; condidit, quales esse conueniret, qui hæc possent assequi: ad intelligentiã immaterialis immateriales, et mente celeres, atq; actuosos, neq; enim bruta hebetudo rem adeo subtilẽ penetrabit. Ad unionem cum simplicissimo simplices, cum optimo bonos: quo modo enim aliter poterunt uniri sibi multo simillimæ? præsertim amoris copula, quæ dissimiles nunquam connectit? Quoniam similitudo amoris est sedes, dissimilitudo auersionis & odij. Ad hæc si gustata semel huiuscemodi felicitate, mortales se esse recordarentur, & aliquando deuolutum iri tantis bonis, amarissimum beatitudini admisceretur condimentum, adeo ut beatitudinẽ esse non sineret: ideo quos amori ac unioni suæ condidit, & capaces suæ felicitatis, immortalitatem quoq; est impertitus: tum quòd tales esse congruebat, qui immortalem intelligerent, quiq; immortali connecterentur, tanquam recepti in amicitiam, tum ne interitus memoria tanta illis gaudia, etiã quando perciperentur, eriperet. Quibus de causis & rationibus mentes esse aliquas necesse est intellectionis participes, simplices, atque in sui natura omni corpore liberas: quæ per amorem autoris sui fiant bonæ, illiq; in beatitudine uniantur ad æternitatem uicturæ. Certè mens nostra quemadmodum fieri aliter potuerit, ne comminisci quidẽ potest. Hos, sicut dixi, spiritus nominamus. Inter quos primo loco sunt illi, qui de officij nomine uocãtur angeli, quibus deus utitur ad ministerium mundi simplicissimis, & ideo agilimis, sapientissimis, optimis, fortissimis: tales esse decet administros dei ad res maximas. Pares istis sunt origine naturæ, impares conditione quidam, qui à deo desciuerũt, ideo defectores nominantur & transfugæ, nec cessant homines solicitare, ut etiam à deo deficiant: quanquam indubie peccatũ retudit eis uires, & aciem naturę, ut in hominibus. Secundo loco sunt animi nostri impares excellentia naturæ angelis: de homine enim dicitur in Psalmis, Minuisti eum paulò minus ab angelis. Spiritus hos esse οὐσίας non minus quàm nostra sensata, certum est: nam quum sint conditione ac natura sua præstantiora, certè non erunt minus aliquid, quàm illa. Sed an etiam substantiæ sint accidentium, quæri potest. Habent illa entia affectiones quasdam suo illo modo, quibus intelligunt, iudicant, uolunt, nolunt: nec aliter illis hærẽt pro ratione suæ naturæ, quàm sensatis sensilia, nempe foris: ut si anima nostra uel angelus fieri posset corpus, ita existerent in eo illa eius adhærentia, ut in nobis, quæ cadunt sub sensus. Sed quod de sensatis nescitur, an eorum sensilia, & reliqua adiuncta, re ab ipsis distinguantur, multo minus de spiritibus:

ſpiritibus:nos autem de his eadem figura pergamus loqui,qua cœpimus. Quęſitum quot ſint mẽtes illæ,quos nos angelos nuncupamus? Ariſtoteles quinq; & quinquaginta poſuit,uano Eudoxi commento adductus de orbium numero.Sed multo plures eſſe cõgruit,ſiue adminiſtratio ſpectetur tanti & tam multiformis regni,ſiue tanti principis maieſtas,ſiue communicatio felicitatis diuinæ,ac ſempiternæ,quæ fuit condendi mundi cauſa.Quanto ille uerius numerum accepit Daniel,qui uidit Deum in ſolio ſedẽtem regni ſui.Millia inquit,millium miniſtrabant ei,& myriades myriadum aſsiſtebant ei.Chriſtus hominum atq; angelorum dominus decem angelorum legiones paratas ſibi eſſe dicit à patre,ſi poſcat,ut pudeat homulum ei reſiſtere,cuius imperata obediẽter faciunt tanti exercitus,quorum cuilibet militi uel ſapientia,uel robore non ualet quicquid eſt hominũ comparari.Entia omnia ſiue ſubſiſtentiæ,ſiue adiuncta alia ueniunt paulatim ad eſſentiã,alia ſtatim totam ſimul eſſentiam nanciſcuntur: homo & animantia omnia,& ſtirpes,& lapides, & metalla, deniq; quæcunq; molem aliquam habent paulatim fiunt,atq; adoleſcunt:ea itidem hærentia , quæ ſenſibus intelliguntur,& alia ad eundem modum,ut artes,& prudentiæ,& uirtutes,& uitia.Accipiunt ſimul totum eſſe ſuum,quæ mole carent:ut angeli, mentes noſtræ,& quæ inhærentia partes non habent,nec creſcere dicuntur,nec minui.Et eorum quę ſunt,alia ſimul eodem momenti habent partes ſui omnes, ut ſaxum,homo,uiriditas:alia fluxu quodam feruntur,ut motus,& tempus,quæ nec unquam ſunt tota, & in quacũq; ſui parte dicuntur eſſe,ut hora,& annus.In his uerò quæ paulatim uelut in lucẽ hanc naturæ emergunt,ſunt quæ habent naturæ terminum,ſunt quæ noſtrum:homini enim, & rebus quæ natura conſtant,natura ipſa terminum ſtatuit,ad quem,quum peruenerint,recipiant eſſentiæ illius nomen:nempe hominis,quod prius erat embryo:aut cadaueris,quod prius homo:aut cineris,quod prius lignũ : & fructus, quod prius flos: atq; in his ſunt certi termini,& tanquam puncta,ante quæ nondum eſt hoc,ſed ſimul primum attigit metam illam,iam eſt hoc omni loco,omni tempore,quæ à nobis ignorantur.Nos uero limites ijs poſuimus,quæ ſunt multa,pauca,magna,parua,lõga,breuia,lata,anguſta,deniq; quæ numero & magnitudine cõſtant,hæc enim noſtris iudicijs metimur:ſicut illa per nos conficta,clarus, obſcurus,diues,pauper, quæ etiam ad priora referuntur,menſuræ, molis,aut numeri : omnis porrò menſura non rei eſt,ſed metientis animi.Quocirca hæc certum nullum habent terminũ,quandoquidem nos craſsius res determinauimus,quàm natura,alia alijs uidentur:nec quicquam ſtatuere potuimus:quod omnes reciperent propter uarietatẽ ſententiarum in humano genere.Itaq; difficile dictu eſt,quo termino indiuiſibili aliquid dicatur magnum,quo pauper,quo diues,quo aceruus,quo populus,exercitus,ſeges,fluuius, ita ut uel ſupra illum iam non amplius,uel infra illum nondũ ſit hoc:deniq; in omnibus,quæ illis conſtant,quæ dixi,multo,pauco,magno,paruo,& huiuſce rationis,quæ in noſtra ęſtimatione ſunt poſita. Qua de re non una eſt uelut meta inſectilis in nobis figenda, quod eſt naturæ:ſed latus eſt limes,in quo illud ſit hoc,& uel ſupra uel ſubter non ſit: uelut in aceruo tritici non per grana procedendum, quod faciebant Stoicorum & Academicorum cauilla ſpinoſa, nec in populo per hominũ ſingulos , ſed in illo per menſuras aliquas, in hoc per quinquagenos aut centenos:ita enim craſſo iudicio craſſa ſunt obijcienda,quæ cenſeat:tum in latitudine illa tanta uarietas iudiciorum & ſententiarum comprehendatur. Quæcunq; res ſemel eſt ad terminum illum eſſentiæ ſuæ progreſſa ſiue naturę,ſiue noſtrũ eſt illud, quod nanciſcitur ex eſſentia nomen:ut homo, ſaxum,prudens,bonus,diues,aceruus,populus,albor,uiriditas:& eſſe hoc nec in ipſo recipit magis,aut minus,ut uno tempore magis ſit hoc , quàm alio:nec ad aliud relatum ſimile:neq; enim duorum hominum,aut duorum uirorum alter magis eſt homo uel uiror,aut minus. In accidentibus uero , quæ recipiunt maius & minus , id eſt quæ creſcere et minui diximus,ad ſubſtantiam comparatis magis eſt ac minus : ut in albo & uiridi.Appoſita ſubſtantiæ ad accidẽtia pertinent, ſicut humanus quaſi manſuetus:marmoreus,quaſi habẽs in ſe marmor:uti album,habens alborẽ,unum eſt magis altero . Si quis tamen ſpectet eſſentiæ rationem in albo aut iuſto,magis quàm inhærentiam

hærentiam ſubiecto, nullum iuſtum magis eſt alio iuſtum, aut minus. Sed ex ſubiecto cui hæret iuſtitia huic plus, illi minus. Quum uero magis & minus ſumuntur pro potius, aut ſimilius, aut propinquius, uel nomina ſubſtantiæ pro accidentalibus, poſſunt tum quidem illa aduerbia eſſentiæ adiungi. Græci magis ſunt homines, quàm Scythæ, non pro eſſentia humanitatis, ſed pro actionibus illius: ceu quis dicat humaniores ſunt, plus ualent ingenio & ratione, et iis quibus cenſentur homines. Sic uiror hic magis eſt uiror quàm ille, id eſt plus habet præſtantiæ, nitoris, & actionis, nempe exhilarandi oculorum intuitum, & alia huius notę. Amazones magis ſunt uiri, quàm Phryges, magis exhibent actiones & opera uirorum: magis ciuis qui natus, quàm qui aſcitus: quaſi præſtantior, & plus exiſtimatur agere ea, quę ſunt ciuis. Crocodilus magis eſt ſerpens, quàm piſcis, id eſt ſimilior: & laterculus bene coctus magis petra, quàm crudus: hæc omnia ad accidens referuntur, nempe ad actionem, quæ ſe profert, aut inhærens aliquod occultum: quanquam uicinitate primi ac ueri entis ſunt quæ dici poſſint magis aut minus entia, ſicuti poſtea demonſtrabitur. Quas uires & facultates Deus uel ſpiritibus, uel effectionibus attribuit, uel adhærentibus, uel ſenſatis, denique omnibus ad agendum in alia, uel ut aliorum in ſe actiones recipiant, naturæ nominantur. Ita nihil eſt aliud natura, quàm uis indita unicuique rei à deo ad agendum, aut patiendum: ut natura ignis eſt calefacere, & ſtupæ accendi facile, ferri non tam celeriter. Et quoniam à deo hæ ſunt uires ingenitæ, uoluntatis illius ſunt, cuius cauſæ à nobis neſciuntur, quum ſint tamen maximæ, ſapientiſſimæ, æquiſſimæ. Sunt naturæ quædam minores, ſeu priuatæ, aliæ maiores, & publicæ. In unoquoque eſt ſua natura in effectione poſita: eſt uis quædam in cœlis, eſt uis ſparſa per orbē totum, leges uidelicet in origine à Deo ſancitæ: hæc eſt communis, quæ proprias connectit, & cōplectitur, ut unum tanquā corpus ex illis ceu membris coaleſcat mirifica cōnexione: easq; maioribus ſuis uiribus fouet, adiuuat, ut bonus princeps ſubditos, aut ut filios pater, quantū ei licet & quatenus ſe minores illi accōmodant, & præbent faciles: unde incredibilis naſcitur cuiq; charitas erga illā, tantopere, ut ſeipſas deſerāt, ſi ita naturæ publicæ expediat: neq; enim aſcēdet aer, nec deſcēdet aqua, ne ſit uacuū quod abhorret generalis natura: & membra noſtrorū corporum modo integra, pro toto corpore naturaliter ſeſe periculo offerunt, non leui hominū documento unicuique ſalutē publicam priuata debere eſſe antiquiorem, quandoquidē & in communi propria continetur, ſicut in iis, qui eandē uehuntur naui. Nam hoc etiam indidit omnibus natura, nihil priuatū ſaluum fore, ſi male ſit reipublicæ. Sed imagine quadam cuiuſmodi ſit natura commodius exponatur. Non aliter conſyderandum eſt naturā omnem eſſe à deo paratam ac inſtructam, quàm uidemus machinam aliquam automatam, horologium puta aut ſimiles ab artifice cōponi, ac per momenta ſui intendi, ut illa deinceps ultro moueatur, & aliquid efficiat: tale quiddam eſt in prima conſtitutione naturę: hoc modo eſt diſcrimen, quòd artifex homo à machina ſua abſcedit, & ſinit eam per ſe opus exequi. Deus adeſt ſemper ſuæ naturæ, inſtructionem illam præſentię ſuæ ope continēs: quam opem ſemper ei infundit, non ſecus quàm ab anima corporis harmonia conſeruatur: itaque aptior fuerit & propior imago, ſi uelut neuroſpaſtam quendam conſyderemus Deum. Cæterum de conditione mundi ingens fuit inter Philoſophos controuerſia, quos uel affectus agitabant ſtandi pro receptis inter ſe atque adiuratis opinionibus, uel ignorantia potiorum: quorum ſentētias alienum uideri poſſet huc adferri. Ego uero facile confido me oſtenſurum, tum eſſe à deo conditum, tum aliquo temporis principio non ab æternitate. Herbam exempli cauſa aliquam ſumo, quæro, quis eam procreauit? dicunt terram ui ſua: quis hanc uim terræ indidit? cœli: quis cœlis, & ſyderibus eam potētiam? ex ſe ſunt nacti, inquiunt. At uero qui id dixerit, rem adferet, quàm nec intelligere quidē poſſunt hominum ingenia: quod Philoſopho quum de natura diſſerit, faciēdum nō eſt. Et profecto nihil ſeipſum feciſſe, maximo eſt argumento ab aliquo uno eſſe facta omnia. Ad quam ego rem facile aduocabo generis humani teſtimonium: omnes enim eum, qui præſit mundo autorem uniuerſorum nuncupant. Nec aliud poſſunt ſibi cogita-

cogitatione comminiſci. Quod ſi cœli conditores ſunt huius orbis, quæro certa ne ac neceſſaria lege, an ne libera uolũtaria? Si certa, quis impoſuit? Quæ enim res aſtrin git ſe ad aliquid quæ poſſit eſſe libera? tum quo cõſilio in æternitatẽ diſpoſiti ſunt tot & tam uarij effectus: certa cõſilij fuit primũ & ſapientiæ tam multa, tam uaria in tantã temporis longinquitatẽ perpetua ſerie ordinare, conſiliũ autẽ & ſapientia neceſſitatem excludit actionũ. Nam quod dicũt, agunt ita nec aliter poſſunt, quoniã ſic mundo expedit. Quàm innumera ſunt, quæ non minus mundo conduceret aliter fieri? an etiam tot habere me pilos nec pauciores, nec plures, tot eſſe herbarũ genera ad ſalutem mundi pertinet, accepturi maxima detrimenta, ſi diuerſum accideret? At uero ſi libertate quadam, quur in tanta æternitate nullæ extiterũt aut pauciſſimę rerum ſpecies? imò uero quur nõ alius orbis? quũ uis eadem ſit nunc, quę prius. Iam interrogo iſtos utrum cœli tanquã machinæ quædam per ſe agitentur, nec ullum habeant conſilium, an habeant? Quid dici poſſet inſanius, quàm ſine mente, ſine conſilio agitari res ordinis & pulchritudinis admirandę? ſin habent, à quibus agantur & regãtur, uelim ſcire, quæ ſit cauſa tot, & tam uariorum affectuũ, quot ſe nobis oſtendunt per anni uices: reſpondent motum cœlorum: ergo illæ primæ & potiſſimę erunt cauſę, quę cœlos mouent. Nam ſi librario halterũ efficit, ut ad certas dimenſiones pulſentur horæ, nimirum magis erit horum pulſuum cauſa, qui halteres cõpoſuit, & librauit: & ſi torni conuerſio effecit toreuma, uerius id effecit toreutes: de his uero qui regunt cœleſtes illos globos, ille erit ſummus ac præſtantiſſimus, qui reliquos torquet, ac regit: quem ſanè deum appellent licet. Video quibuſdam aquam hęrere, quod aiunt, in materia, ut eam exiſtiment non eſſe à deo cõditam, ſed in ea uerſari, atq; exerceri dei opificium: ideo illum opificem, atq; artificem, & inſtructorem, & diſpenſatorem, & fabricatorem mundi nominant magis q̃ autorem: quod eſt oppidò quàm ſtultum. Placet illis effectiones omnes à deo condi. An non plus eſt effectiones tantæ excellentiæ cõdere, quàm materiam brutam & torpentem? omnes creati & finiti artifices in materia operantur, & ſe exercent: ſi ille incõditus atq; infinitus ad eundem modum in materie uerſatur, quid plus præſtat, quàm alij, aut ubi eſt immenſa illa ad efficiendũ potentia? Mundũ uero æternum non fuiſſe demonſtrant rerũ noua inuenta: quotidie enim aliquid prodit ueteribus inauditum, incognitũ, tanquã proficiente mundo: quot genera morborum, artium, regionũ uidit noſtra ætas, maioribus prorſum ne de nomine quidem nota: tum uetera inuenta nõ longe à ſuis initijs progreſſa, ut appareat noua eſſe omnia. Dicunt mutari uices rerum, & eaſdem infinities reuerti. Cur ergo illorum non meminerunt priora ſecula? Nam nec eluuies, nec exuſtio terrarum ulla uniuerſum orbẽ ſemel corripit: certe quæ alicui regioni perierint uel ipſa, uel earum reliquiæ, uel mentio ſaltẽ aliqua apud integras remanſerit, ſi non hominũ recordatione, at beneficio literarum, ſiquidem æternus eſt eius uſus, qualem eſſe in æterno mundo neceſſariũ eſt. Quòd ſi eluuioni uel incendio ullus eſt reliquus, is ad poſteros de clade ſuorum uelut per manus tradiderit. Sin nemo, ſed noui illuc migrant aquis exiccatis, aut conflagratione reſtincta, at iſti ſaltem aliquid de origine, antiquaq; ſua patria poſterorũ memorię cõmendarint. Quid cauſę eſt quòd nemo unquã huius nouæ Indiæ, alterius huius orbis meminit? Hiſtoria Gentiliũ nulla de ijs, quæ ante tria annorum millia cõtigerunt, ac ne literæ quidẽ ullæ, ut ante hoc ſeculũ nulli ænei typi. Nã quãuis Ægyptia & Chaldæa uanitas annos pro libito ſuo ſibi fingat, nõ tamẽ poſſet dicere aliquid geſtũ. Adde huc, quòd illorũ quę habent antiquiſsima de Iſide & Phoronço recẽtia ſunt apud Græcos, q̃ minus ſibi permiſerũt in annorũ cõputatione mẽtiri. Pertinet uero dei magnitudinẽ mundũ eſſe ab eo factũ, ut ſciremus quid, & quantum eſſet, q̃d poſſet facere. Nemo enim potentiã illius intelligeret in ęternitate mũdi, quantumcũq; diceretur autor illius: ex nihilo uero procreaſſe omnia, hoc demum eſt immẽſę facultatis. Nã in ęternitate uires autoris abſcõditur. Quid, quantũ, quatenus, quomodo fecerit, latẽt illic omnia uaſtiſſima altitudine dimerſa. Nec quãtus ipſe per ſe eſſet ſolus, ſatis iudicari poſſet in ęternitate operis. Pertinet ad dei bonitatẽ exiſtimari conditũ, ut intelligamus quẽadmodũ uoluerit ſe cõmunicare. Nã ſub ęternitate

neceſſitas

neceſsitas quędam occultatur,quæ pretium bonitati detrahit.Quis enim bonum eſſe cenſeat, aut ei habeat gratiam, quem quæ agat, aliter non poſſe agere arbitretur. Tum ut nos ſciremus,qua nobis eſſet cum illo beatitudine perfruēdum,nempe non ea,quæ eſt in conuerſione cœleſtium ſphærarum: aut rebus condendis,ſed quam in ſe habebat ſolus ſibi ſufficiens,ante mundum procreatum.

PRIMI LIBRI FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS
VALENTINI DE INTIMO NATVRÆ OPIFICIO, SIVE DE PRIMA PHILOSOPHIA,
Liber ſecundus.

DE natura & materia pergamus dicere. De quibus ita eſt ſentiendum,ut ſit uelut artifex quidam Natura,ſed conditus,edoctus,atq; inſtructus à Deo:cui Deus materiam aſsignauit, ut in ea uires & facultates illas exerceret,quas ab ipſo accepiſſet.Quocirca nō eſt quidem æterna materia,ſemel tamen cuncta eſt producta:nam quantumcunq; inter hæc naturæ actiones cadant, uel oriantur effectiones, & adhærētia,nihil materiæ perit: diſcinditur quidem et diſsipatur,et aliunde transfertur aliò,nec uſquam ſubſiſtit,nunquam tamē conſumitur, neq; partē ullam amittit ſui.Alioqui in tanta continuatione ac ſerie eorum quæ generantur,& intereunt,iam eſſet tota penè conſumpta : & conſtringi oporteret cœlum,ac terræ admoueri.Agens uerò eſt natura,& in hanc materiam:porrò agentis non eſt conficere ſibi materiam,ſed in aliunde acceptā operari: ita qui materiam opificio naturæ ſuppeditauit,prior eſt natura:ut prior qui cædit ſyluam,quàm qui nauem fabricatur.Quòd ſi crearet materiam natura,certe creando aliquid ageret:atqui actio naturæ omnis eſt in aliquo,et in aliquid.Cedo quid ſubſtituetur actioni parandæ nouæ materiæ? Quæ porrò eſſent actionis inſtrumenta? utiq; ex illis aliquid hæreret materiæ,quod eſſet illi cōgenitum,& proinde naturale. Ergo parens & effector materię ille eſt,qui nec inſtrumentis eget ad agendū, nec in aliquo aut in aliquid operatur:ſed per ſe in nihilo,cuiuſmodi nulla eſt natura condita,ſed ſolus Deus.Materia hęc nullam omnino habet uim,idcirco nec naturā præter hanc nullam habere uim, nullam naturam , ut omnium ſit capax:niſi quis fortè hanc uocet ad patiendum facultatem & naturam. Ergo quum uis illa ſit uelut artifex, ſiue ad actionem,ſiue ad paſſionē,nam paſsio quodammodo eſt actio,et artificio eſt opus ad commode ferendum, ne momento temporis actio paſſum abſumat, indiget uis illa ad utrunq; inſtrumētis:nam per ſe ſolus diuinus artifex operatur,cęterę res omnes inſtrumenta adhibent:nec quælibet inſtrumenta ſufficiunt,ſed certa,& ei quod efficiendū eſt conſentanea:ſicut nō quocunq; lignulo pictor pro penicillo utitur pingendo,nec ſcriba pro calamo ſcribendo.At quum omnia,quæ ſunt in actione,ſeruiāt fini,artifex ſuo opere intentus tota actione nihil conatur aliud,niſi parare uiam & facultatē fini, ut his ille,ſi ſit uis aliqua, utatur, quæ parata inuenit ad actionem ſuam exercendam, uel ferendam paſsionem:aut ſi nihil ſit aliud quàm forma, ut in artificialibus , habeat promptam materiem ſibi idoneam,in qua quieſcat:ut quodam modo uideatur pater filio theſaurizans naturæ inſtinctu,ſicut Paulus inquit.Sic natura in bulga matris organa fabricatur,uenturæ animæ congrua. Tum effectio illa,ingreſſa ea inſtrumenta,

quæ ipſi prior elaborauit facultas,elimat,aptat & reddit ſibi,quoad eius præſtare uo let,appoſitiſſima:uelut anima membra corporis calore fouet,auget,corroborat:niſi forte hæc quoque aptatio beneficij eſt prioris naturæ. Et non ſecus quàm artifex diuerſis inſtrumentis diuerſa,ac ſæpe contraria operatur:eiuſq; opus commoditate inſtrumenti adiuuatur,incommoditate impeditur,aut fit deterius,ita in natura eadem facultas diuerſis inſtrumentis tum uaria,& pugnantia efficit: uidelicet eadem anima in oculo intuetur,in aure audit,in appetitu quem ducit Phantaſiæ iudicium uult: in uoluntate,quã ducit ratio,nõ uult. Tum expeditius fit opus, uel impeditius: ut uiſio per oculum,operatio per manum quinque digitorum,aut trium. Nam effectrix utique eadem eſt,ſicut idem ſcriba,uel faber. Quocirca bene parata materia à natura priore inducitur natura poſterior, tanquam hoſpes in hoſpitium: eadem inſtrumenta & paratio quum deteritur ac minuitur,& ad agendum facultas fit tardior,& ad patiendum imbecillior:unde ſequitur facile à contrario corruptio. Non ergo generationes & corruptiones ſunt à materiæ pronitate & natura, quæ nulla eſt, nec magis ad effectionẽ aut faciem hanc uergit,quàm ad illam:neque mutationes deſyderat, neutra eſt enim ad quamcunq; effectionẽ,& formam:ſed ab hac materiç adornatione,et quaſi inſtrumentis facultatũ ac naturarum ortus ac interitus exiſtunt, quoniam effectiones quæ ſunt actuoſæ ex ſe ac uiuidæ,quum deſtituuntur agendi facultate,contabeſcunt,& extinguunt. Accedit huc quòd perpetuæ ſunt aliarum naturarũ in alias actiones,& quaſi pugnæ,quũ nihil ſit quod contrariũ non habeat,uel ex ipſo natum quando aliunde deeſt:per inſtrumẽta alia fortius agunt,alia infirmius reſiſtũt:quç natura infirmius reſiſtit,& quaſi deſpõdit animũ,facultatẽ inimicç præbet ualidius agẽdi in ſe:at quæ agit fortius,facultatẽ reſiſtendi conſtringit in altera:ita una generat,q; uult altera diſcedit uicta,& perit:ut corruptioni adiũcta ſit ſemper generatio,& huic illa. Prima præparatio materiæ eſt uelut pinſio quçdam conficiendis panibus,ut iam temperata ſit,quaſiq; mollita & ſubacta uſibus naturæ corporibus generandis,inducendis effectionibus,& uiribus exercendis: ſimul peculiaribus ſenſatis proſpexit Deus,ſimul uniuerſitati orbis, ut materia non informis iaceret,atque indigeſta, ſed concinnata recipiendis uiribus, & conducens ornatui atque uſibus mundi huius. Nõ eſt indurata multa ſubactione, & effectionibus inductis,quæ multis & fortibus inſtrumentis armatæ,negotium faceſſent naturæ operanti,nec facile concederẽt:ſed leuiter adiunctæ ſunt effectiones paucis inſtrumentis, & tanquam infirmis ſatellitibus munitæ,quæ non ſolum loco cederent naturæ manum operoſiori actioni admouenti,ſed illi etiam inſtrumentis ſuis quæ in materia relinquunt,auxilio eſſent. Principio quod non eſt uiſum autori uniuerſorum res omnes iacere torpidas, & quaſi emortuas. Nec in inuicem expediebat agi & concitari omnia,idcirco ignem actuoſum, uigentem, celerem condidit: quod uel aſpectu ipſo intelligitur ui & agilitate perpetua. Terram uerò firmam, atque ſtabilem: quod indicat denſitas,& frigus pigrum,& quies ſempiterna, & mundi locus medius,unde nihil neceſſe haberet aliis cedere,quò feruntur omnia quæ ſtabilitatem habent, & unde leuia diſcedunt. Itaque alter irrequietus ſemper ſurſum contendit,altera continuò ſidit, nec ſe poſtmodum ultrò commouet:erant etiam hæc idonea humanis ſenſibus,quod tamen eſt poſterius, nempe ignis aſpectui, terra tactui. Verum duo hæc, quum tantum inter ſe natura ſua diſtent,iungi non poterant,ſine medio. At qui eſt apud Timæum Pythagoricum,& Platonem uinculorum, id eſt aptiſsimum, atque pulcherrimum, quod ex ſe atq; iis quæ aſtringit,quàm maximè unum efficit: id optime aſſequitur ea,quæ Græce dicitur analogia, Latine comparatio, proportio ue dici poteſt: quod aptè uiſum eſt poſſe fieri non tam uno uinculo,quàm duobus,nempe aera & aqua:ut aer uicinus eſſet igni, aqua terræ. Aqua, denſitate & frigore conciliaretur terræ. Aer igni, raritate & liquore & lubricitate ſua, morigerum ſe illi præbens. Aqua humore ſuo friabilem terram, ne diſgregetur, contineret, cohiberétque. Simul humido rigore uelut frenos igni injicit,ne omnia prærapidus abſumat. Aer igni ſuppeditat leue alimentum ſeipſum, & quæ ſublata ex aqua, ipſe agitationibus ſuis extenuat,

extenuat,& prope in naturam ſuam conuertit,ne ignis ſpiſſum ac ſolidum nactus a-
limentũ,ita in eo inualeſceret,ut periclitaretur orbis iſte.Adde quòd ab igne ſuper-
ne concitatum,non ſinit aquam,& terram,& media corpora torpeſcere.Ad hæc inſi-
nuatus per loca omnia tenuitate & lubricitate ſua, facile ſine incommodo ſcindẽtis
diſſipatur:ſimul etiam auget corpora hac inſinuatione,dum aperit præcedens, & nu
trimenti receptacula aperta continet,donec ſolidiori nutrimento cedat,unde uiuen
tia ſuſtentantur,& creſcunt:denique quaſcunque impreſsiones aliunde inuectas fa-
cile in ſe admittit, quoniam ſic eſt uſu naturæ, ut qui ſit medius, & per inferiora hæc
omnia diffuſus. Iunguntur ergo & tanquam commiſcentur ſubtiliſsimum inferius
cum ſuperiore craſsiſsimo:& ita aqua aëri applicatur, ut ſenſim uideatur in aërem ra
reſcere:ita aër aquæ,ut ſenſim in aquam incraſſari, non aliter quàm uidemus in anno
fieri uel in hominum ætatibus,aut in habitu partium diei,fallente atque indeprehẽ-
ſibili tranſitu,niſi poſtquam tranſierũt.Corpora hæc ignis,terra,aqua,& aër primum
his inhærẽtibus,& quaſi uinculis ſunt inter ſe connexa & temperata calore,frigore,
humore,ſicco, ut humor aſtringat ariditatẽ,ne diſſoluatur: ariditas frenũ ſit humori,
ne uniuerſa inundet:frigus calori moderetur,calor frigus tẽperet:calor humore fiat tar
dior,ariditate acrior.Hæc eſt prima illius rudis materiæ pinſio ſpecioſa mundo & na
turæ, ſiue in præſens,ſiue ſi quid maius moliri, utilis. Sunt enim quatuor hæc ad agen
dũ, & ad patiendũ cõducibilia naturæ, & proinde generãdis ac corrũpendis rebus:
quæ ita à nobis ſumanẽ, non ut ſint corpora ſic affecta,ſed ut affectiones corporũ,&
adiuncta:unde ſtatim alia ex horum actionibus naſcũtur,uidelicet calor:ut eſt actuo-
ſus & ſubtilis,inferiorem locum refugit,qui eſt quietis,et torporis,ſuperiora appetit,
in quo diffundat ſe,& dilatet,& agat & uigeat proximus illis cœleſtibus motioni-
bus,quibus nullum eſt otium.Ideo multi locum aſsignant igni naturalem cõcauum
globi lunæ,ſicut terræ medium mundi,de quo eſt alibi diſputandum:ſed certe locus
ille eſt calidiſsimus omniũ,& ignitus. Calor humido paſcitur:idcirco omnia, in quæ
inuadit, quantum eſt uirium ſuarum,exiccat: quo fit ut in humido ſegnior ſit calor:
frenum eſt illi humor, non minus quàm paſtus:& calor occupatus intus in humore
conſumendo foras exit lentior,in ſicco acerrimus eſt: quum omnia ſint intus uicta,
foras erumpit ſeu famelicus,& rapax,& uorax,ut ſtomachus in eſurie. Qua de cauſa
difficile uideri poſſet multis temperationem qualitatum naturalium aëris,aut ullius
omnino elemẽti ex calido et humido miſceri,quippe quæ uiolẽte cohabitant.Quod
ſi naturaliter & pacatè poſſent in eodem conſidere, ea ſola commiſtura uitã animan-
tis efficeret,atq; ad immortalitatem fulciret animam in corpore alimento ſemoto. Se-
neca uerò, & alij Stoici aërem opinati ſunt non calidum eſſe, ſed frigidum: argu-
mento eſſe illius medium, ubi maxime purus & naturalis eſt, nam utrinq; ex uicinia
inficitur.Pythagorici quoque æthera frigidum uocant aërem.Sed profecto magis ui
detur aer alienarum qualitatum capax, quàm ſuam ullam propriam ſortitus:ut à ſu-
periore corpore accendatur,atque exiccetur: ab inferiore autem humectetur:in me-
dio uerò quòd ſit frigidus, non naturam ipſius demonſtrat, ſed quòd ex cœlo & ter
rarum uapore ſolis tepefacto radijs utrinque ad medium rigor pellitur, ubi cogit ſe,
ac corroborat actione cohibitionis,quam Ariſtoteles ἀντιπερίστασιν uocat:ita ut exiſti
mari poſsit inter ignem & terram unicum eſſe medium, aquam ſcilicet:eamq; ex na-
turæ commodo ſubtiliſsime extenuatam ſuperne aëre nuncupari,principibus quali
tatibus in tanta materiæ tenuitate aut eliſis prorſum,aut leuiter admodũ hærentibus.
Sed redeo ad qualitatũ opera. Frigus tardum eſt & pigrum, ideo ſubſidit,& is puta-
tur locus frigidorum,nempe imus:indicio eſt leuius eſſe ferrũ ignitum rigenti,& ho-
minem uiuũ quàm cadauer.Reliqua ita fiunt grauia & leuia,prout hoc aut illud par-
ticipant.Glutinum rerum eſt humor:qui ſi abeſſet,omnia friarentur in puluerẽ,ſicut
ſit in ariditiſsimis arenis:& quoniam caloris eſt paſtus,eum calor quum inuadit, diſra-
rat,ut in aëreum liquorem cõuertat,quo facilius & in ſeipſum:ſicuti cibus conficitur
in corpore,ut paulatim quàmſimillimus reddatur corpori,et à ſimilitudine fiat idem.
Itaq; calor humida reſoluit,extenuat,rariora facit,hoc ut minus ſit materiæ in æquali

loco,aut tantundem in maiore.Nam rarum & denſum ſicut paruum & magnum relatione dicũtur inter ſe: extenuato humore,& abſumpto in uaporem & auras,quod ſiccius ſupereſt abſcendente calore contrahitur. Quòd ſi omnino glutinum fit abſumptum,fit multo minus quàm antea:ut cernere eſt in cineribus,qui tanto minores ſunt quàm lignum: & in corio,& alijs, quæ poſtquam affectæ ſunt ui caloris integra manent,minora reſtant,inſtat enim,& extendit humidum excalfactum. Ita membra animantiũ tument in exercitio,& in æſtate:frigefacta uerò longe ſunt minora, quàm prius:nam reſolutus eſt humor,quem calor exuxit.Neq; uerò ita calor depaſcitur humorem ut corrumpat penitus: nihil enim materiæ perit in natura, ſed igne extincto, ilico in auras abit:quod humore eſt uelut illitum, fit leue ut coriũ,cutis iuuenum: is humor ſi abſit,& ariditas extremas partes occupet, fit aſperũ, inæquale,& rugoſum: quod uidemus contingere in corio igni admoto, in quo primũ omnium humor ille abſumitur ſuperne fuſus.Neq; enim ex inęqualitate ſola eſt aſperitas,niſi accedat ſiccitati:quid enim aqua leuius etiam in tempeſtate,& altiſsimis fluctibus? Et quum frigus ad centrum ſe cogat,calor uerò ad extima prouolet,fit, ut humori additus calor, ampla reddat extrema,humori additum frigus minora,denſiora tamen, uelut in glacie,& in hominum manibus ac pedibus, quæ membra ampliora ſunt in uiris, quàm in fœminis. Si quod eſt glutinum in corpore uel denſum diſraratur,uel abſtruſum foras elicitur,fit molle:ut in cera igni admota,in haſtis,in cornu,in ferro.Quod uerò denſius habet glutinum & plus ſicci, durius eſt.Durum eſt enim cuius partes tactui non cedunt,molle contrà:ita ſecundum comparationem hæc dicuntur ad actionem tangentis.Neq; uerò idem eſſe quis putet denſum,& durum: nec idem graue & durum,quippe plumbũ mollius eſt ligno,quũ ſit denſius,ac grauius,ſed in eo liquor eſt maior.quod humorẽ habet glutinoſum,ut partes denſę tenacius inter ſe compingantur,eſt lentum,tanquam corium,radices aliquæ,ut raphani multi,& napi:quod uero humorem habet aqueum,huius partes leuiter compinguntur,fit tenerum, quandoquidẽ partes infirmæ connectuntur,facile ſeparãtur.Sed hæc iam ſecundæ ſunt philoſophiæ,ſicut illa de coagulo,fractione,cõminutione,ſciſſione,impreſſione,& eiuſmodi: quæ Ariſtoteles pro ſolita ſua diligentia perſequitur in libro μετεωρολογικῶν poſtremo.Hæc ergo terra,ignis,aqua,aer,elementa ſunt mundi huius inferioris, & tanquam materia naturæ ad agendum apta:non ipſa ſunt materia,ſed ne illa rudis atque incondita iaceret,hiſce qualitatibus eſt ornata,quæ naturę operãti facile ſubſeruirẽt. idcirco elementa hæc fuſa ſunt per hoc totum quod cernimus,ut prompta ſit huic artifici materies,& ad manum in qua ſe exerceat,& unde opera ſua proferat: ut ſi quis domum alicuius opificis ingreſſus, aliquam conſpiciat materiam paſsim iacentem, nihil dubitet,quin ea ſit materia illius opificij.Sed de eo inter ſapientes diſputatur,an illa quatuor inſint in unoquoq; cõpoſito conſtante ex maſſa illa, de qua diximus,& ſpecie ſubſtantiali.Vetus quæſtio,& explicatu difficilis.In hac tamen noſtrarũ mentium cæcitate utendum eſt ſenſibus manuductoribus, ut mens iudicet ex ijs, quæ illi nuntiant,quæq; ipſi percipiunt uel in rebus ipſis, uel in earũ actionibus, uel in ijs, quæ ſimilitudinem habent cum natura,nempe artibus. Sed de artibus nihil nobis in præſentia illæ adferunt,quæ cõpoſitionibus non utuntur,ſed ſolitarijs rebus,ac ſimplicibus detrahendo aut formando:compoſitionum uerò quędam ijs rebus cõſtant, quæ inter ſe non pugnant,cuius naturæ ſunt gemma cum auro, lana cum ſerico, ſtannum cum plumbo: aliæ ex ijs quidem quæ poſſunt, ſed non commiſcentur, tantum applicantur:ut quum fiunt imagunculę ex ſaccaro,zinzibere,cynamomo,pipere integris:aliæ ex comminutis & commiſtis fiunt,non tamen copula,additur,qua uniantur,ut quum eadem illa contrita permiſcẽtur:deeſt enim humor,quod eſt glutinum: aliæ cõpoſitiones habent omnia,ſed proportione actionis,& paſſionis tam inæquali,ut celerrima ſit actio,ac prope momentanea:ſicuti quum paucæ guttæ aquæ in amphoram uini ſunt infuſæ. Quærendus eſt ergo opifex aliquis propoſito noſtro conformior,qui partes non ſolum applicet,ſed commiſceat,& mutuo inſinuet, confundatq;,& inter ſe pugnãtia cõmittat:quæ uires ad diuturnitatẽ pugnæ adferant,& glu

tino

tino compingantur ac coadunentur:tales miſtiones apud coquos & pharmacopolas eſt uidere,qui in hoc quoq; ſtudent, ut quemadmodum natura animantium corpora ſuis cõpoſitionibus finxit,ita ipſi ſuis conſeruent ac reparent naturalibus,quantum efficere poſſunt,ſimilibus.Sed de pharmacopolis dicamus,quorum temperationes uelut imagines quędam ſunt naturalium.Itaq; de pharmacis,quæ illi conficiunt, in alijs ſimplicia manent integra,ut in cataplaſmatis,quę uulneribus adhiberi conſueuerunt:ſic elemẽta integra uidemus in pruna ignis:in alijs ſunt penitus extrita,uires ſolæ & agendi aut patiendi facultates,quæ in illis prius erant,exiſtũt apertæ & promptæ,ut in theriaca ueteri:quod cernimus in corporibus animantium omnium.In alijs uires quidem ſunt reliquæ,ſed conſopitæ excitantur calore, nempe agitatu,uel igne admoto,ut in theriaca noua:ſic animaduertere eſt in uino,aceto,herbis multis:interdum reſolutione,ut ſi in aquam immittatur ſaccarũ,manifeſto cernentur partes quędam ſidere,nempe terreæ,aliæ ſuperiora petere,nẽpe aereæ uel igneæ:hoc deprehendunt quotidie qui reſoluunt miſta,& ſubſtantias ſegregant.In alijs unum aliquid exiſtit,uires aliorum in eo ſunt abſorptæ,ut nuſquam compareãt:ſicut in uno diluto.Ita in coagmentatis naturæ.Sunt in quibus ex manifeſtis qualitatibus omnia dicas terram,minimum reliquorum,quæ torpida ſunt & ſtabilia,ut metalla & ſaxa. Sunt quæ plurimum habent aquæ,torpida,fluida,mollia,tenera:non ſolum illa compoſita,quę inchoata nominantur, nix, grando,ros,pruina,ſed caro oſtreorum,& marinæ ſtellæ: ubicunque uerò manifeſtus eſt ignis in compoſito,manifeſta ſunt reliqua elementa. Nam ignis nunquã deſcendet ad terram ſine primis illis naturæ medijs:etiam in pruna quæ ardet,in flamma ipſa aliquid eſt humidiuſculi,quod ſimul primum abſumptũ eſt,ignis extinguitur,tum etiam terreni & aerei:contra aſcenſus à terra ad ignem,non eſt adeo euidens.& fortaſſis ſaxum nihil ignis habet,aut certe ſi quid habet,exiguum eſt admodum,quodq; ſenſum effugiat:an quia pauculum ignis,ut actuoſi & præſtantiſſimi ſufficit magnę portioni terræ,in qua occultetur,uix ut deprehendi queat:ſicut coagulum in caſeo,fermẽtum in maſſa.Nec uiſum eſt autori naturæ effectiones cum materia coniungere ſine illis principibus elemẽtorum inhærentibus,quæ ut obſcura ſunt in his,quæ ſenſu & uita carent,ſic in uiuentibus ſunt notabiles.Quæcunq; enim aluntur,neceſſe eſt habeant uim igneã:nihil enim uiuit ſine calore:ut intelligatur nec uicturos nos uitam alteram æternam ſine charitate:uis ignis in uiuente rapit,retinet, conficit,conuertit,expellit:hæc omnia animaduertimus in culinis noſtris ab igne fieri. Porrò ſi ignem habent uiuentia,ergo & humorem alimentum ignis,& humorem prius aqueum,hinc aëreum:tum ſolidum aliquid, in quod alimentum & recipiatur, & conuertatur ad incrementa,ad cõſeruationemq; illius igneæ rapacitatis,tanquam iniectis clauſtris:alioqui breuiſsimæ omnes eſſent uitæ,ac prærapidæ,nec ulla ſufficerent alimenta.Quocirca effectiones has igneas dicamus, quoniam ſine igne non tuentur ſeſe:& ignis quodam modo eſt quiddam uiuens:alitur enim & abſumit:idq; in uiuentibus promptum eſt,quæ quo plus habent caloris naturalis,hoc plus cibi & appetunt & conficiunt.Animales effectiones quoniam præter uiuendi munus ſentiunt quoq;,declarant & aliquid habere ſe ſupra ſtirpes:his ergo ineſt quiddam naturas horum elementorum excedens:quas ſanè dicamus animas cœleſtes:nam & eas animaduertimus mirifice ad habitus cœli ſuos uariare.Humanæ animæ mẽte ac ratione ſunt prædítæ,quod eſt plus quàm cœleſte,nempe diuinum,quo Deum & nouerunt & diligunt:ideo in deſcenſu omnia ſecum trahunt. Ergo prima & ſimpliciſsima initia,atque elementa rerum conditarum ſunt poteſtas & actus,ſiue materies & uis:in ſenſatis prima illa rudis atque ignobilis materia & effectio,quæ opificio naturæ inditur: ubi uerò eſt adhærens,ſubſtantia eſt ei pro materia,adhęrens illi pro ui & natura quadam.In ſpiritalibus ipſi ſpiritus mǫdo quodam materię ſunt ſuis adiunctis:accedunt primę materię,quæ uulgo nominantur elementa,tanquam initia rerum,ſed ſecunda, ut panis primum eſt farina & aqua,hinc maſſa iam piſta:elemẽta uerò ſunt ſimplicia, ex quibus conſtãt compoſita,ut uerbum ex literis,ciuitas ex hominibus:partes etiam ſenſati initia ſunt, non tam ſubſtantiæ quàm molis, aut numeri.Et entium ſingula

uires habent uel ex ſe,uel ex alio.Ex ſe dico habere ea,quibus munere Dei contigerunt,per illa quæ intus poſſident,utpote per effectionem ſubſtantiæ,aut formas inhærentes:unicuiq; maſſulæ fermenti,ut in priore ſimilitudine perſiſtamus,certas aliquas uires tribuit Deus,quas ſecum in maſſam illam materiæ inducunt,ut animabus aſinorum,animabus leonum,effectionibus adamãtium,uitium,oliuarum:has uires omnes participant res,quæ fermẽtatæ ſunt illo uelut fermento,quas eſſe eiuſdem ſpeciei ſeu formæ ſuperius eſt poſitum.Similiter etiam inhærentibus,nam ex calore,frigore,uirore,denſo,graui, certæ quædam uires naſcuntur:itẽ in ſpiritalibus : hęc quidem entibus ex unoquoque. Aliæ uires extrinſecus accedunt ex aliqua ratione ſoli, cœli,ſeminis,inſitionis,medicationis, nutrimenti , & eiuſcemodi , quæ applicantur, uel inſeruntur , ut Perſica poma in Perſia lethalia , hic ſalubria . In his ſunt uires effectionum non per ſpecies,ſed per rerum ſingula,quæ indiuidua nominantur, quæ ex priore ui & adiunctione huius peculiaris conflantur:ut illa ſpeciei ſimplex ſit & elementũ huius cõpoſitæ : quanquam & compoſitio huius peculiaris fit ex duarũ , aut plurium effectionum compoſitione,nempe alimenti, aut ſoli huius additi effectioni uitis,aut Perſici pomi , aut hominis : ut ex ſpecierum uiribus conſpirantibus fiat ſingulare quiddam : qua ex temperatione prior uis uel adiuuatur,uel impeditur,uel tollitur,uel aliò flectitur,uel noui aliquid accipit manẽs integra . Itaq; munera Dei ſunt hæc omnia,& uoluntatis eius: nec ſecus quàm ſi quis alteram libram in æquilibrio tangat,ea continuò uerget deorſum,ita omnia parata ſunt ad eas propenſiones,quas Deus in eis faciet,ea illis erit natura. Sed interiora illa per externas actiones aut paſſiones proferunt ſe ac oſtendunt : nam ad agendum uel patiendum datæ ſunt uires & facultas , quod hunc in modum facile erit cognoſcere : Lapis ſemper eſt idem , ac ſui ſimilis,intus ergo nihil habet,niſi uniuſmodi eſſentiã . Planta ſuis tẽporibus ædit folia,flores,fructum,creſcit,decreſcit, aliquid obtinet ſupra eſſentiam : animans non ſolum creſcit,& minuitur,ſed ſentit,& cognoſcit,aliquid affert ſupra plãtam. Homo pręſtat omnia,& pręterea intelligit,ratiocinatur,iudicat,aliquid ineſt huic ſupra brutum.Hæc ſunt Dei opera,quæ ille per uoluntatem deſtinat,per ſapientiam cõſtituit, per potentiam exequitur:quas agendi ac perficiẽdi facultates impartitus eſt ijs mentibus,quas ſui ſimiles condidit.Loquamur de homine,de quo quum dictum fuerit, facile de angelo etiam intelligetur.Habet ergo homo ad Dei quandam imaginẽ uoluntatem,conſilium ſiue rationem,& uires:ut conſilium ſuadeat , aut diſſuadeat uoluntati,quæ eſt imperatura:uoluntas imperet uiribus,ut ſe exerant ad opus:uires capeſſant iuſſa. Voluntas ergo domina eſt,ratio conſultrix,uires mancipium. Facultates hæ quidem naturales ſunt à Deo inditæ homini,quum naturam ſtatueret, & hæc naturale habent aliquid,quò nutu ferantur ſuo,uel à quo abhorreant,ac diſcedãt:dico uoluntatem,& conſilium:nam uires ut mancipium,nec ad iubendũ admittuntur, nec ad conſulendum, ſed tanquã corpus ſunt brutum,parens ſemper imperio, nunquam imperans. Vergit ergo ratio in uerum,auerſatur falſum: fertur uoluntas in bonum,malum deuitat:utiq; quod tale cenſuerit ratio,an fallatur,nihil intereſt, bonum certè,aut uerum exiſtimari ſufficit. Ratio hæc & iudiciũ quum ſe ad aliquid uel in ſe uel extra ſe uult applicare,habet ſępe,& finem quem petat ſibi propoſitum, & uiam & rationẽ prouiſam,qua ad illum perueniat:hęc ratio uocatur induſtria,& ars,quęq; ab arte dicitur ſolertia: quæ eſt ratio ſeu facultas aliquid agendi,aut patiendi in ſe uel in alijs ingenio,aut ſtudio quæſita:ut loqui naturę eſt,Romanę,aut Gręce artis.Deũ colere,humanis eſt mentibus informatum:ſed hoc aut illo modo,ex humanis perſuaſionibus.Non enim nos ſolum arte aliquid agimus,ſed beſtię quoq; à nobis edoctę: ut per funem elephantum ingredi , & canem ſic uenari , & equum gyros complicare,& explicare:quæ ipſi ſua ſpõte faciunt,naturalia ſunt.At quũ uel finis non eſt pręſtitutus,uel ratio,& uia hæc non eſt prouiſa,ſed temere aggredimur,quòd exit caſus eſt:ut fodiendo theſaurum reperiri: hoc enim propoſitum non erat:aut tegula de tecto lapſa,occiſum eſſe hominem.Quumq; noſtras extructiones imitari uolunt pueri, congerunt temere lapides & ligna: & exit ſæpenumero id in quo doctum ingenium

nium elaborasset,priusquam exprimeret:temeritas hæc est,uel quum nullus finis est præpositus, uel quum ad eum nihil omnino prospectum aut minus, aut aliter quàm oportet. Ideo in actiones hominum,qui tarditate cordis uel ad iudicandum impediuntur,uel rapida animi perturbatione impelluntur,multum ualet casus.Sapientes minimum casui relinquunt in ijs,in quibus casus solet interuenire,uelut in rebus & negotijs uitæ:nam in illis quæ non sunt in manu nostra,nempe naturalibus effectis, aut incertis euentibus plurimum Deo committunt,seu uerius omnia:quo fit ut casus interdum in artem uertatur,quum obseruatũ est, quomodo illud extitit.Sic multa sunt in artibus inuenta. In artificialibus, quæ sola ars facit, dicuntur talia,nam alia naturæ sunt quæ potestatem sequuntur: ut homini persuaderi indignitatem artis est, ex persuasione indignitatis inflammari ad iram,iratum diruere ædes, naturæ: in lyra sonus naturalis est,concentus artis qui si fiat sine arte naturalis erit, ut si cadat testudo: aut quum casu spongiæ fit pictura:compositio horologij artis,hinc cursus ille per definita quædam momenta naturæ est: hæc uel illa compositio pharmaci artis est, operatio in animante naturalis.Ars est naturæ æmulatio,eaq; quantum facere potest,conatur naturam exprimere:quod nunquam assequitur.Natura enim intima rerum penetrat, ars circa exteriora & supremas facies uersatur: id quoq; uidetur naturale, ut imitatio omnis circa exemplar subsistat: cum qua bene agitur, si quamproxime accesserit. Et quemadmodũ natura à rudissimis exorditur, postea paulatim educit ad perfectum, ita & ars sensim expolit:natura inditionibus,& ingignẽdo in intimis,ars uero addendo exterioribus,detrahendo,mutando:ut in cusorijs,nempe mutatione exteris figuræ. Veluti quum æs funditur, & ex statua fit lebes: tum applicatione & quasi contactu, ut quum pannus inficitur. Quæ non solum in ijs animaduertuntur, quæ manu constant,& χειροργικὰ nominantur, uerum in illis etiam quæ penitus sunt in animo, disciplinæ,prudentiæ,uirtutes,addendis quæ uidentur necessaria, resecandis superfluis,corrigẽdis,& castigandis inuersis nascuntur, & incrementa sumunt. Tum sicut naturę proposito illi tacito à Deo indito primum omnium occurrit opus perfectum, in actione uero simplicia primum quæruntur ad compositionem perfecti,ita humano artifici opus ipsum est primum cogitatione,primordia autem operis,& elementa prius exequitur. Quocirca animus in intelligendo iter sequitur,non actionis naturę, sed propositi illius:prius enim mista intelligit,et sensui obiecta,hinc magis simplicia, & recondita.Et quemadmodum se habet homo ad artificium naturæ,ita iners homo ad artificium hominis periti. Nam homini prius notum est opus absolutum naturæ quàm eius elementa: & imperito notius compositum artificiale, quàm eius partes. Nec aliter miratur homo ex illis initijs tanta opera posse à natura ædi, quàm imperitus hoc præstare artificem ex tam rudi materia tanquam aliena, ab eo quod per artem uidet æditum. Et sicut informi, & rudi materiæ accedens forma naturalis fit res naturalis, ferrum puta, homo,arbor, ita naturali accedens ars fit artificialis, nempe gladius,scamnum,grammaticus. Natura conatur ad optimum prouehere effectum suum, quantum cuique speciei concessum est, uidelicet ad imaginem, & participatum proximum uirtutis dei: ars ad absolutionem naturæ. Sed nec natura potest deum contingere, nec ars naturam, quòd utraque imitatio est: uis in unoquoque inclusa,siue naturæ,siue artis, quum se exerit atque explicat,fit actio, uel passio, modo ne quid obstet. Actio est explicatio potentiæ in aliud minus: passio,explicatio potentiæ ad aliud maius:minus uoce infirmius & inualidius.Itaque in actionibus naturalibus actio & passio terminis differunt,non re:ut uia inter Louanium & Lutetiam: actio enim est ab a in b:passio à b ad a: ex actione hac sequitur effectus.Sed hac lege, ut aliquid sit quod agat,& non temere,uerum propter finem:neq; enim temere suscipitur ulla actio:etiam pueri fines aliquos statuunt suis actionibus, non refert an assequantur:sed neq; uiri,nec natura semper assequitur:certè quidẽ fines habent,sed ad finem spectare ac tendere quum sit in his quoq;,quæ omni intelligendi facultate uidemus orba,apparet ab eo regi,qui ea facultate nõ caret. Quæ enim nõ intelligẽtia tanquã intelligentia operanť,ab intelligente necesse est moueri:quomodo cæcus ea quæ

oculis

oculis cognoſcuntur,cenſebit,niſi à uidente admonitus:Et hæ duæ tantùm ac propriæ ſunt cauſæ, agens,& finis:nempe à qua,uel propter quam aliquid fit:ut in motu,principium & meta.Nam materiam & formam,quia partes ſunt,cauſas nominari inuſitatũ eſt:magis initia & elemẽta nominaueris,ſicut cauſas principia & origines.Si quis tamen & has quoq; in cauſis uelit recipere,in uerbo erit ſita controuerſia. Efficiens cauſa actionem præcedit,finalis & actionẽ & effectũ ſuum ſequitur,hoc eſt id,quod propter illam fit:ut ędificãs,domus,habitatio.In eo qui agit,neceſſaria eſt facultas ad agendum quæ eſt uel interior,uel exterior,ut demonſtrauimus.Et aliæ res celeres ad agendum uires oſtendunt,ac proinde motus incitatos,ut calor:aliæ tardas,ut frigus. Contrà in patiendo calor exiguas habet uires,quum eſt inimico inualidior:frigus uerò ad ferendum multas. Idcirco citiſſime ignis penetrat, tarde rigor: expellitur uero calor leuiſſime,frigus lente:ut febres acutæ celerius uel extinguuntur ipſæ,uel extinguntur corpus:morbi frigidi pertinaciores ſunt:opium in theriace tardiſſime omnium cedit.Ex naturalibus facultatibus hæ ſunt neceſſariæ,ut mutari non queant,ſicut igni exurere:illæ uoluntariæ,ut quæ ab hominis uoluntate proficiſcuntur,tanquam comedere,bibere,currere.Ventriculum concoquere,naturale eſt,& alia quæ in hominis manu ſita non ſunt.Naturale eſt in unoquoq;,ad quod agendum uel patiendum potentiam à natura accepit.Iſtud uerò non uno modo,nec ſimiliter in omnibus dicitur.Nam uel ea uis eſt effectioni indita, ut ſemper agat,quoties in quod agat,admouetur:ut igni cõburere,iracundo iraſci: uel ut ſemper agat, quoties libeat,ut homini ratiocinari:uel eſt uis toti indita,ut homini ambulare:uel uis inhærẽti indita, ut aquã feruefactam calfacere:hoc uerò inhærens uel ex ingenio compoſiti eſt attributum,ut lapidi grauitas & duricies:uel ui intruſum,uelut in aquam feruor:uel caſu cõtigit, ut uenenum fungo,quod ex terra uenenata adhæſit:uel arte partum,ut pennæ ſcribẽdi commoditas,& gladio ſcindendi.Dicitur etiam naturale ad quod accepimus potentiam,& ad eius omnino contrarium non habemus:ut homini errare, falli, mori:non enim poteſt nunquam errare,aut permanere immortalis: quicquid enim origine inditum eſt,aut circa originem,naturale nuncupatur,ſicut cæcitas,& ſurditas in quibuſdam:& ſermo in unoquoq;,quem primũ didicit. Naturale etiã eſt,quicquid non eſt contra naturã:ita & artificialia omnia & uoluntaria, naturalia dici poſſunt. Nam etſi ad omnia,quæ ingenio atq; uſu exculpimus,potẽtiam à natura accepimus nobis innatam:tamen quod exercitatione,ſtudio, induſtria paramus,artis dicuntur,non naturæ,quum induſtriam noſtram ſpectamus: at quum potentiam,naturæ ſunt:ut homini naturale eſt poſſe pingere, non equo:& artificialia uel tota ſunt artis,ut ſcriptio: uel ratio quædam & modus,ut ſic ambulare,ſedere,comedere, loqui. Voluntarium quod à uoluntate libera proficiſcitur ut hominis,uel angeli:hoc aut eſt elicitum à uolũtate,ut uelle:aut iuſſum,ut ingredi.Naturale in ſpecie fit,uoluntarium in particulari,ut ambulare nunc.Sunt quædam præter naturam,ad quod illa non dedit potentiam:ſicut arborem in bruma flores fundere,ac fructus,ſaxum ab aqua excauari.Supra naturam,quum plus præſtatur, quàm illa conceſſerit:ut puerũ mouere grandem molarem.Alia contra naturam,quum contrarium fit, quàm illa dederit potentiã:ut glaciem ardere,ignem frigefacere,lapidem per ſe ſurſum ferri:nam iactum uiolentũ quidem eſt,ſed non contra naturam,imò ſecundum eam:extra illam ſunt hæc omnia.Verum hæ diſtinctiones à uulgari ſermone confunduntur:utile tamen uidetur in philoſophia obſeruari ad percipiendam diſciplinam. His accedunt poſtremo diuina opera,ut omnia quæ egrediuntur naturæ limites:cuiuſmodi Chriſti miracula, & quæ ille nos edocuit de arcanis ſuis.Sunt multa in natura quę ad euẽtum referuntur, ut ſpecies naturæ ſit,ſingulare autem euentus: ſicut aquã defluere,naturæ eſt,hac uero aut illac euentus:uſus & aſſuefactio etiam ſi artium ſit,& rerum induſtria quæſitarũ, ἕξιν efficiunt,hoc eſt habitum,qui in partẽ naturæ concedit.Nam maximas & penè naturales profert uires utiq; in ijs quæ ἕξιν recipiũt.Neq; enim omnibus de aſſuefactione ueſtigiũ relinquitur. Habitus eſt pronitas ad eadẽ, cui res aſſueuit:ſiue ſit agere,ut in digitis ad pulſandũ:ſiue pati,ut incendi febre,uel iracundia:ſiue negatio,ſeu priuatio

potius

potius alterutrius,ut tacere,non ridere,non latrare.Nec aliud cõsiderandum est esse habitum,quàm sigillum in materia impressum.Et quemadmodũ in rebus,quas contrectamus usu uenit,ut signum nõ imprimatur,nisi in re molli:ita in tota natura ex assuefactione uestigium dũtaxat adhæret rei molli.Possumus etiam ad explicationem figurare nobis res molles fluere in morẽ amnis, quòd si quà decursus detur, & quasi aperiatur alueus, illac defluunt,ut in fluuijs,in humoribus animantiũ.Ergo consuefactionẽ recipiunt corpora animantiũ & stirpium,animi etiã nõ ex se,uerum ex corpore cui sunt uelut alligati,& quo tãquam instrumẽto utuntur,quandiu eo sunt inclusi. At in quibus multum est humoris,citius adhæret impressio,quàm quibus parum:ut pueris celerius quàm senibus: sanguineis quàm cholericis: siccis non hæret signum, ut saxo uel ferro:nec in admodum fluidis conseruatur,ut in aqua aut aëre:cuiusmodi sunt hominum quidam leues & mutabiles.Quòd si mollia admisso habitu indurent, tenacius eum retinent:ut in cera,quum durescit:in ferro & argento,quod emollitum recepit notam aliquam,similiter quę à teneris animis imbibuntur diutissime perseuerant,quòd corpus solidius fit quotidie ac firmius. Quæ sunt ex natura totius speciei, aut contra eam,habitum non recipiunt:uelut igni ardere, saxo ferri sursum. Est & in habitu delectatio in ijs,quę alioqui dura sunt factu,& difficilia:nam in facilibus mutatio reficit: sed habitus delectatio est in illis, quia minus sentitur molestia actionis: promptius enim ac ideo facilius fit,quod sæpe est factum:quippe itur aduerso flumine in nouis,prono uero in solitis: nec leue adfert momentum delectatio ad id quod agendum,aut patiendum est:quod ue aut nõ agendum, aut non patiendum.Et quoniam habitus naturam resipit, fit ut quantumcũq; artis habeat actio,si ei diu & perpetuo assueuimus, naturalis uideatur:sicut accuratus & elegans sermo in Euripide, cauilla & sales in Plauto,et bonis benefacere ex usu in naturã uertit:ars enim in usum,et proinde in naturam uidetur cessisse:nam quicquid artem non præ se fert,naturale nominatur:quemadmodum et simplex,ut in omnibus actionibus,quum nihil est simulatum,ac fictum:& naturale à ficto distinguitur, ut flores naturales ac ficti:& quemadmodum fluuius per datum alueum decurrit, qui illi crebro agendo aperitur, ita si cesses,oblimatur:& primum maligne aqua defluit, hinc omnino auertit aliò iter: sic habitus,qui agendo altius imprimuntur,ac confirmantur,desidia exolescunt.Naturali proximum est necessarium ac possibile:ei uero quod cõtra naturam est impossibile.Necessarium est,quod aliter non potest esse,quàm quomodo est:idq; uel simpliciter,ut Deum esse:uel collatum alicui,ut hominem respirare si sit uicturus: & studere, si sit futurus sapiens:& anima necessaria est corpori ad uitam.Hoc necessarium uarie spectatur,Deo,naturæ,homini,huic homini,illi,hoc tempore, hoc loco,hoc statu rerum:& aliud magis alio,ut magis necessaria respiratio ad hominis uitã, quàm epulæ: magis necessaria anima,quàm respiratio quòd diutius liceat uitam prorogare sine alimento,quàm sine respiratione:& sine respiratione,quàm sine anima.Verum necessitas hæc non certi est momenti,sed alicuius lati temporis. In appellationem uenit necessarij,quod est conducibile:sicut homini uestis & tectum:quæ etiam à Græcis ἀναγκαῖα. Similiter quæ oportet fieri, ut posita in æquitate,lege,more,officio, instituto: & hoc necessarium est in re, ex re uero in pronuntiatis, ut Deus est omnipotens, & quod uiuit habet animã.Impossibile cõtrarium est necessario in pronuntiatione,non in re,nam in re nihil est possibile,sed in dicto,quum esse non potest,quemadmodum asseritur, aut negatur,ut hominẽ sine respiratione diu uiuere.Sed in re tamen impossibile contrarium est utili, & commodo, ut sine tecto & uestitu uitam degere impossibile.Possibile, seu quod tritius est Græcis δυνατὸν: nam nos Latino hoc rarius utimur,ac ferè nũquam:& si non uideo cur sit reijciendum in philosophia, præsertim quum ueteres non dubitarint aliquando impossibile dicere: sed certè eius significatio ad necessarium se habet, ut aliquando ad semper: ad impossibile uero,ut ad nunquam. Interdum possibile ijs quidem qui usurpant, pro facili sumitur: sicut impossibile pro arduo & difficili, & in hoc aliud magis est alio,prout est facilitati uicinius, sicut expeditum, & promptum: ut tres, & quatuor, & quot quisque uoluerit gradus, possit statuere. Ex ijs quæ aliunde ueniunt, quædam sunt contra naturam formæ

formæ uiolentia quadam externa inuecta:ut calor in aquam. Sunt quæ cogi & uerti non possunt,ut ignem hoc naturæ cursu frigefacere.Quæ contra naturã fiunt,sic cognoscuntur:effectus uelut inuitus extorquetur:& ipsa quum primum licet,sensim se in conditionem suam restituunt.Idcirco eiusmodi actiones postquam impetum cogentis euaserunt, debiliores sunt quàm antea:est enim aliquis in uiolentia terminus, quo transacto lentescit, & flaccescit actio. Verum nec uniuersa uis cogentis repente se explicat,sed paulatim inualescit,donec consumatur amplitudo potentię.Quocirca lapis sursum iactus minimũ habet uirium uno digito à manu,ad medium ferè plurimum, in fine perquàm parum. Contrà in descensu plus habet uirium iuxta terram quàm in medio aëre:hic est naturalis motus: undè apertũ fit ex nihilo omnia hæc inter quæ uersamur,esse à Deo cõdita, & tanquam ab ipso ui quadam iacta aliquo usq; ferri:tum sensim eadem reduci ad nihilum etiam maiore impetu ac nisu,quàm ascenderant,nempe ad naturam suam.Quòd si hæc est conditio singulorum,etiam mundi ipsius esse credi conuenit, quantum quidem ad uires istas motuum ortus & occasus pertinet.Efficiens sicut priusquam agat,finem aliquem sibi destinat,ita fine proposito instrumenta,seu media prouidet ad finem pertingendum.Instrumentum est, quo quis uel extra se,uel certè alio à se ad aliquid uel agendum uel patiendum utitur:ferrum instrumentum est hominis,itidem manus:ratio uero instrumentum animi, quæ facultas quædam intelligitur esse animi, & tanquam eius pars:quæ quamuis essentia nõ differat, differt uel facultate sua ac potentia,uel certè nostra intelligentia,quod ad sic definiendum nobis sufficit:& quoniam instrumenta omnia ad aptationem materiæ applicantur,aptatio materiæ opus est instrumentorũ:quod uero ex apta iam materia existit opus,artificis dicitur:ut serræ findere,ascíæ dolare,arca uero huius operarij,quatenus talis:nam hominis per se non est,neq; Socratis.In hunc locum uenit etiam exemplar,quod quis in agendo cõtemplatur,ut simile effingat: quod genus sunt apud pictores plurima. Platonis ideæ, quæ nullæ sunt apud Deum, extra illum quidem,aut aliud ab illo: nam maior & pollentior est illa sapiẽtia,quàm ut externis adiumentis indigeat:nimisq; Diuina illa magnitudo ad angustias nostrę mentis à sapientissimo philosopho contrahitur.Instrumẽtorum alia sunt animata,alia inanimata: ex animatis hoc rationis compos,illud impos.Tum alia libera,alia serua:quorum exempla sunt amici,clientes,assectæ,serui,filij,opes,arma,autoritas,potentia.Instrumẽtum si se contra naturæ suæ rationem accommodat agenti,inuitum est & coactum:ut lapidem ferri sursum, & auem occidere:aut moueri ascíam, & fieri mensam:sin secus,naturale est:ut lapidẽ demissum ab aliquo ferire eum,qui est subtus. Quæ secundũ naturam uniuscuiusq; instrumẽti facimus,nullis egent uiribus,ut lapidẽ demitti:quæ contra naturam,egent:naturalia sunt,ut in medicina.Iis quæ manibus exercentur,adhibetur uis,unde difficultas,& ex hac labor,& ex labore lassitudo.Spectantur in difficultate instrumentum, & qua agendum, & in quid:ut scribere penna plumbea, & per chartam asperam:aut grauem gladium per aduersum flumen trahere ad scindendum nodum ligni. Vires enim requirit instrumentum:tum alias per se medium,& alias id, in quod operatur,prout actioni ipsi repugnat,uel actioni, quæ hoc instrumento exercetur:uelut securi rubiginosa lignum scindi.Quare quum uires naturales uniuscuiusq; rei nihil sint aliud,quàm quas deus in eo ingenuit, neq; enim quicquam sibi fecit uires,necesse est,ut omnia se præbeant deo ad agendum naturaliter:& tam ignem frigefacere sit deo secũdum naturam,quum uult,quàm nunc contra naturam, quum non uult,id est,cõtra ipsum eundem.Neq; est aliud in unoquoq; natura,quàm quod ipse uult,quodq; ipse dat.Ergo quemadmodum lunæ lumen solis est lumen,quia ab ipso uenit,& cõseruatur:aut quod ex chalybe soli opposito in parietẽ reflectitur:ita uires naturales,Dei uires sunt, & adhuc propius ac uerius, quàm hæc ipsa: & eis ille utitur ad agendum minime necessarijs.Nõ enim qui per alium facit, continuo per seipsum non posset:ut magister quum iubet discipulum à condiscípulo cædi: quumq; ille omnia condiderit è nihilo,egit certè aliquãdo solus,quæ nunc per causas naturæ: ut hominem gigni,uel herbam ex semine:quòd si fit huius agentis naturalis opere ac

ui,eam

ui,eam uero uim totam largitus est ille,profecto eundē ipse effectū potuit solus æde re,qui præbet quicquid agens facultatis possidet,& potentiæ ad agendum illud.Imò uero si quis naturales causas consideret, quæ se deo ad aliquid efficiendum administras exhibent, inueniet nihil in eis ex se esse uiriū ad id uel perficiendū,uel quadantenus adiuuandū,sed esse omnia uoluntatis dei:quod ipse idē satis ostendit,quū luto aperuit oculos cæci.Quid lutū ad aperiendos oculos conferebat?imò potius ad obturandos uidebatur ualiturū: cæterū demonstrare uoluit,se ad hunc istum modū uti secundis causis ex uoluntate sua,nō ex necessitate.Quocirca quum omnia deo utenti naturalia sint,agit deus sine labore,sine molestia,sine resistētia.Nam si quid resistentiæ esset,contra naturam operaretur: siquidem est resistentia ex appetitu sui conseruandi,ideo resistet ei, qui corruptionem intentat, aliquid contra nutum naturæ suæ agendo.Nec conuenit potentiæ dei,quicquam illi posse resistere.Nam quæ tandem posset esse proportio inter uires dei condentis,& rei conditæ:ut uel momentū temporis ualeat subsistere inuito illo.Quare quum uoluntas eius sit natura cuiusque,uoluntate sola operatur, nempe indita natura:nam si uelit lapidem ascendere,eam faciet esse eius naturam:nec aliter tum ascendat,quàm nunc in hac eius uoluntate descēdit.Ex causis,si actio spectetur,aliæ sunt certæ,quæ semper ita agunt,ut ignem calfacere:aliæ incertę,quæ non semper ad eundē modum,ut lapidem iactum auem ferire. Sunt sine quibus non fit aliquid,etsi efficiendi hoc quidem naturam nullam habent: ut lucem non illustrare cubiculū,nisi aperiatur fenestra:quæ latissime patent.Nam ex eis nonnullæ sunt quietæ penitus, ac torpidæ,& ut Cicero uocat, stolidæ: quæ nihil prorsus in eo quod subiectū est,ipsæ exequuntur:ut pecunia iurgij,& latrocinij:aliæ quædā per se adferunt adiumenta,ut aspectus & collocutio beneuolentiæ. Sunt qui in genere hoc ferramenta& instrumenta omnia concludāt.Ad idem genus pertinēt, quæ remotione sua inducunt effectum ei contrarium,quod admotione sua solent:ut abscessu solis terrā frigefieri , quæ calfit accessu.Sin effectus spectetur & in eo locus, uel tempus :Sunt in loco & tēpore proximæ,ut ignis caloris in manu admota: Sunt remotæ,ut ignis caloris in manu,quæ incaluit tactu aquæ feruefactæ:& in his alias licet alijs remotiores dicere.Est enim ordo in causis,ut hæ sint primæ, secundæ illæ,tū tertiæ,& quartę. Sed neq; in infinitū tamen recta disceditur,nec in causis reipsa existentibus eodem tempore,nec in ijs quarū alię alijs tempore succedunt. Quippe infinitę non sunt res,nec tempus fuit infinitum.Sed quæ numero distant uel ordine,nō protinus loco distant,aut tempore,aut actione.Sol lunam illuminat,luna speculum, speculum cubile:simul existunt hęc omnia eodē puncto temporis.Referūtur quoq; causæ ad cognitionem nostram,ut aliæ sint cognitæ,aliæ incognitæ:in aduentu plerąq; omnes sunt ignotę,in recessu multę cognoscuntur.Finis est cuius causa aliquid fit:is mouet uim & potentiā ad agendum,quare ea est potissimum causa:nam & causa ponitur in eius diffinitione:& principiū omnis actionis ab eo exordimur: & in eo tota conquiescit actio:inq; illo est ratio quædam etiam efficientis:itaq; dicimus sanitas deambulationes has facit,& potentiā laborum, qui suscipiuntur propter eam.Finis omnis à cupiditate nascitur,uel ut adsit aliquid,quod abest:uel ut maneat, quod adest.Sic in negatiuis,ut absit quod adest, uel auertatur quod aderit.In præteritū nō est finis,neq; in præsens,semper in futurum:illuc enim actiones,& destinata dirigūtur,quò spes & cupiditates.Iam uero finis est semper cuiq;,quod ipsi uidetur profuturum:ideo quicquid obtinet locum finis,semper est specie quadā boni contectum, etiam si bonum reuera nō sit,certè tale esse existimatur:nec potest pro fine proponi, de quo quis desperat:nam alioqui numquam destinaret sibi,quod assequi se non posse haberet compertum.Media sunt ceu instrumenta quædam,quis finem licebit consequi.Finem oportet esse omnium preciosissimum,media uiliora sunt.Quippe finis, quòd ultimus est,quò appetitus tendit,per se amatur,amoris huius nulla est mēsura, ipse alia omnia metitur:ut unumquodq; ex medijs tanti à nobis fiat, quantum est ad nanciscendū finem idoneum.nemo quod pluris ęstimat pretiū uilioris facit:nam etiam qui aureo hamo piscatur, ut est in prouerbio , chariorē habet uel oblectationem

ſuam,uel oſtentationē, quàm aurū ipſum:nō quidem piſcem quàm aurum,ſed aliud, quod ipſe facit finē piſcationis:nec qui tonſor nouacula argētea radit barbam,numulum,quem mercedis loco accipit,finem ſtatū argēti:ſed aliud,nempe diteſcere,quum à pluribus,& plus q̄ alij collecturus ſit.Et ſicut uniuerſus nutus uoluntatis ad potiendum fine propendet,ita uehemētius fertur in ea media,ſine quibus cōſequi illum nullo modo poſſet, quàm cum quibus poſſet quidē,ſed nō perinde ex ſententia, ut cum illis.Quapropter ea ſola res finem ſibi præſtituit,quæ uolūtatis & cupiditatis eſt compos:cætera quæ ſunt harū expertia,ex eo pēdēt,quod habet uelle:quod q̄ cum uoluntate illis præeſt:atq; eò uergunt,quò ille iubet : ut res brutæ à deo,& ij nutus ſunt illis naturales quædā cupiditates.Nec aliquid eſt q̄d agat ſine fine:nā is ſemper excitat uires ad agendū,uti modo dicebamus. Nō quòd omnis ex actione effectus deſtinatus ſit illi,ſed quod nihil agit,niſi quod ſibi deſtinarit.Neq; enim aliter eligerētur ad certas actiones certa inſtrumēta:ſed ad quaſcūq; ſine diſcretione arriperentur quęlibet, eſſentq; actiones omnes uagæ & incertę.Atqui cōtrà experimur in omnibus uenire uſu,& hominē parata habere inſtrumenta uaria,& deū rebus dediſſe diuerſa ingenia ac facultates:ut ſi his utantur,fiāt hæc:ſin illis,illa:& alienis inſtrumentis nunquam ad exitus ueniri proprios,& eiſdē inſtrumentis eoſdem euentus ſequi,magnū hoc argumentū eſt aliquid eſſe in agēdo præſtitū ac pręfixū,pro ratione cuius deligātur inſtrumenta.Quòd ſi inſtrumenta finē arguūt, quid cauſæ eſt,quin intelligētia hominis,& uis mutuæ charitatis,& religio,ac Dei cultus ob oculos nobis ponāt,cui fini ſumus cōditi:neq; enim tantis et talibus inſtrumētis erat opus ad edendū,bibendū,ueſtiendū,habitandū.Præter hæc multū abeſt temeritas à ratione:quæ temeritas in Deo profectò eſſet,et in homine,ſi in ſua actione nullū ſcopū proſpiceret,ſed expectarent caſum.Nā quid dicitur fieri temere,niſi quod ſine cōſilio,ſine iudicio,ſine ratione:quæ omnia ſcopū ſemper proſpiciūt,euentui creditur incerto.Quapropter homini non ſola tributa eſt uoluntas,ut quid uelit agere,ſed mens & ratio,quę conſultāt agendū ne ſit,& quomodo quod cupit,conſequetur. Similiter Deo attribuimus ſapientem & prouidam uoluntatē,quę ſunt propter finē:quippe prouidentia finē ſpectat,adeo ut q̄ quiſq; ſit prouidētiſſimus,tam intueatur fines lōgiores.Iam in homine & rebus omnibus cōditis duntaxat quæ inter nos uerſantur,nō eſt actio ſine difficultate & labore,nēpe conatu perueniēdi ad finē.Atqui nemo laborē ſuſcipit nullo fine propoſito,quū dulcius & pretioſius ſit quieſcere,& moleſtia uacare. Mediū uero nunquā eſt eo pretioſius,propter quod ſuſcipitur:nec ſolū hoc comperimus in uoluntate hominis & ratione,ſed in uolūtatibus naturalibus.Nec homo perſiſteret in actione,ſed ſimul primū eſſet defeſſus,ad aliud trāſiret: q̄d pueri & leues homines factitant,quos non multū tenet deſideriū finis:quāto teneret minus,ſi nullū omnino defixiſſent. Iā uoluntas ſemel quieſcēs nunquā moueretur:nam à ſe nō mouetur,nunquā enim deſineret moueri:& ſi quid eā impelleret ac moueret,ut ad ſe ferretur, is eius eſſet finis. Nec uideremus eam cōquieſcere finē aſſecutā,nēpe ubi peruenit,quò uolebat:ceſſat enim motus ſublata cauſa.Nec ſemel mota unquā quieſceret,quū eadē ſemper eſſet motus cauſa,quę prius:nempe ſemper nulla,ſed caſus et temeritas.Quòd ſi omnia inſtrumēta ſunt illi principi opifici,& ab ipſo regūtur,ac mouentur omnia,nihil mouetur ſine cauſa & fine, quū caſus & temeritas lōgiſſime abſint ab illa infinita prouidentia: neq; eē fas eſt de deo dicere,quod de ſapiēte uiro eſſet,nefas ipſum quidē agere,cur uero agat,neſcire.Et ſi in regno mūdi maiora ſunt ordinata,finē habēt aliquē: etſi nullum minus agitur niſi per maiora,& hæc minora fine utiq; nō carēt.Nec eſt ſapientię eius nō uidere quid poſt actionē ſequet,nec cōſilij ſi uidet,nō magis in aliquē certū ſcopū dirigere,quàm temere iacere:& ſi omnia cōdit,quia uult,erit temeraria uoluntas eius,quæ ſine cauſa impelletur:quod eſt furioſum atq; impiū cogitare:& fines illius ad nos referūtur,nō ad illū,id eſt,ad noſtra bona,nō ad bona ipſius.Ille enim omni bono, quod expeti poteſt, cumulatus eſt:nam ni ita eſſet,peiore eſſet cōditione q̄ nos:quib.ſi qua deſint bona, ab ipſo poſſunt deſumi:illi quæ deforēt,à nullo:ita ſemper quo careret,requireret, nec poſſet adipiſci:nam quid tādē maius aut melius eſſet illo,quod

illo,quod ei de bono suo impartiretur? quũ bona omnia à deo & alia quæcunq; tanquam ex perenni quodam fonte continenter dimanent,nec aliunde possint. Quòd si sufficiens est sibi,est deus,nõ creauit res sibi,sed rebus:si bonus,non creauit malo,sed bono.Itaq; uidemus in his naturis,quæ quantum possunt,parentem omnium imitantur,ut priores ac generantes non laborent agendo sibi, sed operi suo ac sequenti naturæ.At quòd in mysticis literis scribitur,Omnia propter semetipsum creauit Dominus,impium quoq; ad diem malam:ostendit, cui fini omnia sint parata: nempe quæ rationem sortita non sunt propter hominẽ ratione præditum:hic uero ad deum refertur,ut cum eo sit beatus:sed ex hominibus qui à deo abscesserint,his calamitosus manet dies.Non est autem homo propter angelũ conditus, sicut est equus propter hominẽ:scilicet homine angelus non indiget,utiq; nec ulla re corporea:homo est qui illis indiget,ac utitur:etiam angelo ad ductum cæcitatis suæ,& custodiã infirmitatis:ni si illi unus deus uelit esse pro omnibus:quocirca melior est homo cunctis rebus corporis:uidelicet finis quàm media potior. Propterea etiam ad efficientẽ causam nonnunquam pertinet,ut Dominus mundũ hunc non produxerit propter aliquẽ,quòd aliquis hoc meruerit,sed propter se,quòd sit ipse optimus. At uerò finis,ut dixi, proposito primus est,executione postremus.Sunt alij fines propter alios,ut scribere propter opes,hæ propter iucundã uitam. Ideo finis in hoc medius, est in illo extremus: ut nauem perficere,finis est fabro,nautæ medium:huic in portum deducere post nauigationẽ negotiatori medium,finis quæstus.Sæpe etiam in eodẽ,ut finis huius hominis fabri mensam efficere, patrisfamiliâs uti:egeni pecunia mutare. Proprius cuiusq; operãtis finis est is,quem ubi assequutus est,desinit sic operari,aut quatenus talis:quum nauigat nauta hoc agit,ut nauta:quum bibit,aut comedit, ut animal:quum pecuniam recipit,ut auarus,uel usurus:quum Apelles pingit tabulam,agit ut pictor, et picta tabula quiescit pictor:quũ de pretio,agit ut negotiator,ubi conuenit de pretio quiescit negotiator, redit ad alia:hæc sunt propria & per se, quum alijs applicantur, per aliud dicuntur,ut pictor negotiatur,& finis huius hominis tabulã perficere. Ergo quo finis posterior est, hoc magis resipit naturam finis:& tanto est prior, & antiquior proposito,adde etiam maior,& potior. Tum quo quisq; prudentior,hoc magis postremos fines cogitatione spectat:nam in ultimũ illud intendit aciẽ mentis, & eò dirigit sua omnia.Contrà pecora id solũ intuẽtur,quod adest,quodq; præsens est, et huc modo tendunt.Sed in finibus ab uno ad aliũ in infinitũ non tenditur in rectũ, neq; in reflexũ:ut alij sint aliorũ fines numero interminabili.Nam si essent innumerabiles,quomodo finis gratia quicquã fieret,quod ab agẽte infinitis abesset gradibus? Neq; uerò finem huiusmodi uel incitatione mentis possemus consequi:media enim distinctione infinita,non est in tempore finito à definita celeritate pertransire.Nec aliquid esset finis extremus,quoniam in innumeris nihil est ultimum: at quum de fine extremo censeantur reliqua,nulla restaret interiectorum finium censura,neque pretium:ideo nec optimum quicquam:siquidem optimum est,cuius gratia reliqua omnia facimus. Hanc ergo inutilitatẽ & confusionem finium merito natura abhorruit, quæ quum ordinatissima est, tum semper ad utilitatem aliquam relata:itaque singula rerum naturalium metam aliquam habere certam uidemus,quam cuique fixit conditor prouidentissimus,in qua sisteret,inq; ea uidemus sistere:nec mens nostra infinita separata simul capit,idcirco ad innumerabilia se non extendit:quamuis fertur nonnunquã in unum aliquid, quod est infinitum cõtinuum,ut est appetitus infiniti:qualis fuit in ijs,qui æqualitatem dei expetiuerunt.Sed fortassis in hominibus non est ille unus appetitus cuncti immensi, sed per partes: ut hoc assecutus ad illud transeat, inde in aliud,ex quo rursum in aliud,nec uspiam sistat. At uerò in reflexum aut circulare infinitorũ est noster appetitus non unus,uerum ut dicebam modo,multi:quemadmodum si uelit quis opes ob honorẽ,hunc propter famam, at famam rursum propter opes,ut nõ singularia uideantur sumi,sed formæ & rationes:nec tamen miserius est quicquã quàm aliud ex alio fieri finem,nec unquã sistere,semper pendere. Idcirco nihil miserius hac uita,in qua nulla quies est,sed uana omnia. Vanũ enim est quod

intus nihil habet utile,quod proferat, ſicut uanæ bullæ,& uanis eluſit auenis,& homines uani uel de inani mente,uel de uerbis,quæ quum uideantur plena,uacua ſunt. Sic actio rerum contemptibilium uana,uelut in puerili luſu. Vanum eſt etiam quod finem nunquam aſſequitur:uel quod aſſequitur quidē,ſed minor eſt,& reipſa uilior nauata opera: aut ex eo eſt genere in quo nō acquieſcimus,ſed alium expetimus ex alio: quod arguit leuitatem & uilitatem exitus, ut in ſe non detineat, ſed tanquā nihil ſit actum,ad alia excitat protinus,tanquā priorū ſemper pœniteat. Quo ſenſu Paulus dicit uanitati creaturam omnē eſſe ſubditam. Quando quidē nulla uidetur eſſe poſtrema actionum meta in qua acquieſcāt, ſed ex alijs in alios irrequiete tranſitur: aut utique uilis eſt ac deſpicabilis, ut operæ in eo curſu poſitæ nos pigeat:cuius generis ſunt curæ omnes in uita dempta uirtute. In cauſis tā efficientibus, quàm finalibus cognoſcēdis,uehementer aberramus ignorantia,& tenebris,& infirmitate noſtri ingenij. Iam autor omnium plurimarū notitiam ſibi reſeruauit uni,ut ne angelis quidem, & beatis illis mentibus communicarit. Sunt omnia quidem expoſita,ſed mētes non tantum adferunt lucis,ut peruideant:nec tantū capacitatis,ut poſſint complecti. Nos uerò quoniam experimentis ſenſuum omnia collegimus,experimenta uero ſunt effectus et actionis,fit,ut hinc ad cauſas peruenerimus:tum uiciſſim retro à cauſis ad effectus commeamus. Ex calore intelleximus ignem calfacere:iam ubi ignē uidemus, calfacturum eum ſcimus:quòd hominē aliquem leo deuorarit,animaduertimus eam eſſe in eo naturam:itaq; quum leonem conſpeximus,deuoraturū, ſi quem ſit nactus, non ambigimus, atq; ea de cauſa metuimus,ac fugimus. Pluere ſæpenumero à meridie comperimus, quum in ortu ſolis rubicundum ſumus cœlum intuiti:iam ubi rubet cœlum,pluuiam prænuntiamus. In quo tamē frequenter fallimur:putamus enim aliquā eſſe cauſam,quia ſolet euenire,ut ſi quis decies aut duodecies ineat uiam plenilunio,putet forſan aliquis plenilunium eſſe illius itineris cauſam. Iam quum duo ſint pariter oculis expoſita,multi utram alterius dicāt eſſe cauſam,ambigunt:ut cum Romuli exceſſu ſol defecit:alij defectū ſideris cauſam dicunt fuiſſe mortis regis, alij contrà:quum non raro neutra ſit alterius cauſa,ut in hoc exemplo. Fines quoq; ignoratiſſimi ſunt,propterea quod nec nos eadē ingredimur in cognoſcendo,qua natura in operando,nec tam procul progredimur,idcirco eodē non pertingimus: itaq; uel citra conſiſtimus,uel abimus in diuerſum. Quicquid cauſa eſt prioris,exiſtimatur etiam eſſe cauſa poſterioris: ut perſuaſio uoluntatis,uoluntas operis, ergo & perſuaſio operis: ſic autor & conſultor cauſa operis, & principiū eius & caput. Ergo deus cauſa eſt prima,origo,fons,principiū,caput omnium cauſarū. Et ut nihil gignit ſe,ſed ſæpe ſimile,ita nihil eſt cauſa ſui ipſius,ſed ſimilis:ut calor motus,& motus caloris:non eiuſdē tamen caloris,ſed alterius,nēpe aucti aut diminuti:ut edacitas morbi,& morbus edacitatis,non idem uerò morbus aut eiuſdē edacitatis:conſulatum expeto propter honorem,& honorem propter conſulatū, non eundem tamen conſulatū, ſed in ſpeciem. Iam ergo & efficientē cauſam habemus inſtructā facultate, & finem qui ad ſe mouet,ſequitur ut ſit,quando & ubi fiat actio:neq; enim ſine loco & tēpore exercentur noſtræ actiones,nec earū rerum omnium quæ mole conſtāt. Nam quicquid ſub aliquem ſenſum uenit,extenſum eſt,& in quocunq; eſt ea ſiue extenſio ſiue quātitas eſt moles,quæ materiē illam primam & effectionem complectitur, eaq; ſi ſecetur,prodit numerus. Ita numerus poteſtate in extenſione includitur. Extenſio uel ſpectatur per exteriora molis,uel per intima:in exterioribus ſunt longū,& latum:in intimis altum,quod idem profundū. Geometra extenſiones has ſeparat à mole,id eſt à corporibus materiæ ad tradenda artis ſuæ præcepta:ut quod nulla expanſione conſideratur,ſit punctū:uelut ſol in cœlo,terra in mundo. Quod una tantū alicunde aliquo,longum uocat,non latū,neq; imum,lineā ſcilicet:ut quas ſol ſuo curſu deſcribit lineas imaginantur duci lapſu notæ:ut ſole cōficiente ambitus illos ſuos. quod uero duas habet extenſiones in eodē plano,nempe in rectum,& tranſuerſum,ſuperficiem uolunt eſſe,quaſi ſuperiorē faciē:eamq; diffundi imaginantur ex tranſuerſo fluxu lineæ:quod uerò in profundū deſcendit,corpus eſt:quod conſiderant fieri,ſi ſidat ſuperficies.

perficies.Quod una tantum productione ſpectatur,id longum eſt,ſiue in rectum ante nos iaceat,ſiue in obliquum,ut linea:quod duabus,ex iſs altera nempe maior,longitudo eſt:minor,latitudo.Sin æquales ſint,quod in rectum,eſt longũ:quod in tranſuerſum,latum.quare longum & latũ ex ſpectantibus cenſebitur:ut in quadrato, aut circulo:idq; in iſs quæ ſimiles habent partes:nam quibus ſunt diſſimiles aliquid naturaliter eſt longũ,aliud latum:ſicut aliud inferius,aliud ſuperius, initiũ, medium, finis, quorũ omnium in nobis ſunt exempla,& in quocunq; animante: in homine à capite ad pedes longũ protenditur,inter brachia ſeu latera eſt latum : in ſtirpibus initium à principio uitę ſumitur,nempe à radice,ſicut libri exordiũ eſt initium ſiue apud nos,ſiue apud Hebræos,quamuis diuerſa ſcribendi ratione.Molis atq; extẽſionis nulla eſt adeo exigua,quæ ex partibus non concreſcat,etſi ſenſum fruſtrentur:neque enim ex impartibilibus coagmentatur:quod Ariſtoteles acute colligit in ſexto libro de phyſico auditu : ut magis mirer Epicurũ poſt illius argumenta opinione eſſe complexum de atomis.Sed forſan Ariſtotelica non legerat,ut contemnebat omnia præ ſuis.itaq; diuidundæ magnitudinis nullus eſt modus in re,tametſi aliquis eſt in noſtra facultate:nam tenuiſſimæ quædam minuties non ſolum manus & inſtrumenta noſtra effugiunt, ſed aciem quoq; ſenſuum fruſtrantur.Quæſitum eſt tamen, ſint ne inſecabilia in mole aliqua,etiam ſi non ſint partes eius,punctum dico, lineam illatabilem & ſuperficiem ſine denſo: explicatu quidem haud facile, ſed certe non uidetur : nam qui adducti Geometrarum autoritate id cenſuerunt, falſi ſunt ignoratione principiorum illius artis.Non enim ulla dicunt illi eſſe talia,cogitatione ſolum à materia ſeiungunt.ideo Ariſtoteles ait eos non mentiri,quoniã non ſic ponunt eſſe,ſed ſic ſe imaginari,in quod mendaciũ non poteſt incurrere. Puncta lineã finiunt,non conſtituũt, lineæ ſuperficiẽ,hæ corpus.Ergo quiſquis ſecat lineã,quum ex duobus finibus quatuor faciat, etiam duo noua addit pũcta,id eſt profert terminos duarum linearũ,quæ prius erat una:qui termini antea latebant:non quòd naſcantur,ſed quòd exeant,& ſe oſtendant.quiſquis ſuperficiẽ partitur, quatuor ædit lineas:quiſquis corpus,ſuperficies plures.Et ſicut nihil eſt inſectile in extẽſione,ita nihil immenſum ſiue infinitum, ut finem omnino nullũ habeat.Infinitũ duobus modis intelligitur,aut quod nullum penitus habet exitum, aut quod nullum certum, ut linea in circum reflexa: quomodo infinitum imperium in magiſtratibus dicimus nullum omnino habet terminum corpus partiendo,quod eſt infinitum,non re ipſa,ſed poteſtate, quæ nunquam ſiſteret:nec perfici actione ulla poſſet,particulatim tantum carpitur:neque enim infinitũ eſt re ipſa in natura,non extenſione,non numero:ſed neque in alijs dici poteſt infinitum, niſi in quanto molis, uel numeri , aut in iſs quæ habent ſe ut talia . mundum ipſum uidemus finitum,quotcunque libeat aſtrologis cœlos conuolui:unumquodq; enim eorum proportionem habet ad terram aliquam.Quod uerò proportionem habet ad finitum,eſſe infinitum nequit.Solus deus eſt infinitus illa uelut magnitudine uirium ac durationis,tum etiam aliarum rerum,quas ex operibus illi attribuimus:de quo pòſt diſputabimus.Sunt quædam quę ſine materia & mole expanſionis habent quandam ſimilitudinem & proportionem magnitudinis extenſionisq;,nempe tempus,& motus. Tempus quid ſit, magnis uiſum eſt autoribus difficillimum dicere, ut Ciceroni & Auguſtino:nec Ariſtoteles ſatis explicauit, menſura motus & quietis, quamuis congruenter ſatis.nos uerò imagine quadam exprimamus,menſuram eſſe durationis & perſeuerantiæ eſſentiæ cuiuſq; rei:quod magis figura quadam adumbratum ſit nobis,quàm declaratione eſſentiæ temporis.Æternitas eſt quæ tota ſimul & ſemper ei adeſt qui in illa eſt tanquam menſura ſui,cuiuſmodi ſolus eſt deus,unde æternus nominatur.reliqua enim quæ æterna non ſunt,in tempore dicũtur eſſe,non in æternitate:quæ tametſi comprehendit omnia,non tamen menſura eſt,cui accommodari quicquam poſſit non æternum.In tempore eſt quidem momentũ nunc præſens,ſed quod fluit continenter,& tanquã labitur:eſt præteritum,quod iam effluxit, & abijt in nihilum:eſt futurum,quod appropinquat,quod appetit,quod inſtat atque urget præſens,ut ſibi cedat:hæ ſunt tres partes temporis.In æternitate eſt nũc unum

quod ſemper ſiſtit,fixũ atq; immobile,quod hodie exiſtimatur à Pſalmiſta dici:Ego hodie genui te.Sed nos hoc non aſſequimur.noſtra uerò tempora ex captu & comparatione noſtrarum rerum Deo accõmodamus:ut quod crearit,quod creet,quod creabit,quod fuit hoc aut illud agens,quod erit,quod eſt:quum nullum præteritum, nec futurum illi cõgruat:ac ne noſtrum quidem præſens, & nunc,ut Plato ſapienter ſenſit:nam quum nec dum futurum ſit, nec iam præteritum, nec noſtri quidem præſentis ſcias ſtatuere quid ſit:alij præſens latius capiũt,quàm alij,prout ſunt mente ampla. Deus quidem totam æternitatem:inter nos autem,alij magis,alij minus. beſtiæ exiguum admodum.ſed de noſtro,quum ex partibus conſtet,quantũcunq; ſit minutum,quoniã certe extenſum eſt,nemo facile dixerit,quæ pars reuera ſit,quippe illius aliqua iam præteriit, alia nondum eſt. quocirca nec hoc quidem noſtrum nunc ſatis competit Deo.Nec aliud uere eſſe dicitur,nam nos non ſumus, & ex natura noſtra, cui ſemper admiſta eſt mors,& ex tempore,in quo uelut torrente quodam rapimur, quod nunquã eſt,cuius etiam præſentis aliud iam abierit,aliud nondum uenerit.huius eſt naturæ tempus omne fluxum,& caducum,quantumcunq; prorogetur,etiam ſi in infinitum,quod in mentibus fit nũquam perituris, quæ quidem perpetuæ ſunt, æternæ non ſunt,quoniam illis prius eſt,& poſterius,quod ab ęternitate eſt alienum. ſempiternæ uticq; dicuntur,atq; etiam quadãtenus ęternæ,quod parte quadam fruantur æternitatis in illa felicitate deinceps ſequutura.ſed intelligantur modo,quæ dicimus,uerbis unuſquiſq; utetur arbitratu ſuo.Ergo tempus noſtrum de æternitate expreſſum eſt,& noſtrũ ſectile de illo inſectili,ſed ut fex è puro,& eam ob cauſam tam diſsimile,non propter id unde exprimitur,ſed propter id,in quod recipitur,quod ſtatim deprauat,& corrumpit illud puriſsimũ quod in ſe accipit,applicant ſe tamen inſectili illi æternitati partes noſtri temporis per illam fixam tranſeuntis, non diſſimiliter,atq; ad terrã partes cœli circumacti,quo ſenſu fuiſſe & fore accõmodamus Deo. Sed in noſtro tempore eſt quiddam,quod in infinitum dilatatur,ut ratio huius menſuræ triplex ſit,immenſæ antè ac pòſt,immenſæ in ſequens modo,definitæ utrinque. quarta porrò eſt nulla,nam quod exordium nunquam habuit,nec habere poteſt exitum.quænam enim exiſtere poteſt noua interitus cauſa,quæ in infinito tempore nulla fuerit?Et quoniam rectum menſura eſt optima ſui & prauí,ordinatum inordinati, neq; aliter prauum atq; inordinatũ deprehendetur,quàm ex collatione ordinati ac recti,idcirco noſtra omnia tempora ad motus cœlorum referimus,quí ordinem admirabilem obtinent.Temporis partes aliæ ſunt eſſentiales,ut futurum,præteritũ,momentum,punctum,hora,dies,pro ſpacio quo ſol circumagitur,menſis,annus.Nunc uerò & tunc noſtræ ſunt indicationis.Accedentiũ ſunt uel ex rebus quæ in tempore naturaliter dies,nox,hyems,æſtas,pueritia,iuuentas,ſeculum.Illa autem pluuioſum, ſerenum,non ſunt iam partes temporis, ſed habitus illius quidam. Noſtra tempora ſunt quæ ad actiones atq; opera hominum pertinent,feſtus dies,profeſtus,ſementis, uindemia,in quo eſt occaſio rerum agẽdarum,id eſt in quo ſolet aut poteſt commode aut debet aut oportet aliquid fieri uel non fieri,ſicut loqui,tacere,mouere ſe,aut quieſcere.occaſio eſt enim aptiſsimum ad aliquid agendum tempus.Actionis ceſſatio ſub actione ſit nobis in propoſito concluſa,ut tacere & quieſcere,quæ referuntur ad priuationẽ huius actionis,magis quàm ad negationem uniuerſalem,nam in negatione non eſt ſimpliciter occaſio,quippe infinite patet,& plurimarum rerum genera includit.Occaſio etiã tempus nominatur,ut à Græcis καιρὸς. occaſio ad nos ſpectat, & ex ratione rerum ſumitur,nam idem tempus huic eſt occaſio,illi non eſt.Et quem admodum res ſunt in tẽpore,ita etiam in loco.In alio eſſe dicimus,quod ab eo comprehẽditur.modus enim imaginationis noſtræ eſt,ut maius & capacius uideatur eſſe,in quo quid eſt,quàm idipſum quod ineſt in alio,tametſi reuera nõ ſit,quippe crebro uel par eſt,uel etiam maius. Quibus modis eſſe dicatur aliquid in alio,infinitum eſſet perſequi,non ſolum in uarietate linguarũ,quarũ cuiq; eſt ſua loquendi proprietas,ſed uel in una quapiã propter tropicas dicẽdi formulas.Sed nos ex lingua latina & græca quædã cõſignabimus ad intelligẽtiã philoſophię ac uitæ. Eſt aliquid in alio

quaſi

quasi intra illud,ut uinum in dolio,cor & renes in corpore:unde reliquæ oriuntur rationes eorũ,quæ ineſſe dicuntur.Sic condita omnia inſunt in tempore:quod tempus imaginamur uelut extenſum ſupra mundũ uniuerſum,nõ aliter q̃ cœlum:nam quomodo reuera ſimus in tẽpore,nemo facile eloquetur. Eſt aliud in aliquo quaſi illi applicitum, ſiue adhærens,ut homines in area, in terra,in naui,in lecto modo quodam fulcimẽti.Eſt aliquid in alio cuius maxima pars ab eo tegitur,aut potiſsima:ut homo in pallio,uel thorace:in quo ualde indulſit ſibi mos loquẽdi communis,ut etiam homo dicatur eſſe in pallio,quum ſolum tegitur dorſum & caput:in pileolo,quo uix operitur ſummus uertex:in ijs etiam quæ cingunt aut redimiunt,ut corpus in zona:& caput in diademate,ac ſertis. Sunt aliqua in alijs,quum eorum eſſentia eſt in illis,uelut inhærens in ſubſtãtia,anima in corpore,deus pater in deo filio,& hic in illo.Eſt in alio cuius producendi poteſtas eſt in illo,ſicut fruges & arbores in ſemínibus, in patre filius,atq; etiam nepos:quemadmodum Paulus dicit in lumbis Abrahæ fuiſſe Leui,quum ei occurreret Melchiſedec rex Salem:hoc modo in pictore eſt pictura nondum ædita:in deo mundus eſt,& omne opus in autore,priuſquam proferatur. Similitudo quæ reddit ferè idem,etiã efficit ut ſimilia inter ſe alia in alijs cenſeantur eſſe:ut pater in filio,amicus in amico.Nam etiã eadẽ ineſſe mutuo cenſent: ut puer in uiro, & conſul prior in poſteriore,& ciuitas quæ fuit ab hinc mille annos in hac quæ nunc eſt ſucceſsione,ſunt hæc eadem ut oſtendemus.Eſt in alio,quod ab eo tanquã generali comprehenditur,ut homo in animali,brachium in corpore.Generale etiam per diſtributionem in ijs eſt,quæ comprehendit,uniuerſale in ſingulis,totum in cunctis,ut animal in homine,homo in ſocietate, corpus in ſuis membris uniuerſis. Transfertur aliquid ad ſuas uires,tunc in eo eſſe dicitur, in quo ſuæ uires tanquam regnum in rege.In,etiam pro potentia ſumitur,ut hoc eodem loco, & quum ſic effamur,nõ eſſe in honorato honorem,ſed in honorante, quod ex Græcitate ducitur. Transfertur animans ad animi cogitatum,atq; intentionem, quo modo dicitur eſſe in eo,quod agit, & in quod intentus eſt:ſicut ſapiens magiſtratus in cõſtitutione reipublicæ.Theologus in contemplatione pietatis.Finis huc pertinet,in quo ſita ſunt cuiq; media,& inſtrumenta:ut auaro omnia ſunt in pecunia,Sapienti autem in ſe ipſo collocata. Intra quod quicq; cõtinetur locus eſt illius,ut cubiculũ hoc locus meus, & domus in qua eſt cubiculum:& hæc urbs,& aër,& cœlum,quo cuncta continentur.Sed citimus cuiuſq; rei,ac proprius locus,qui circundat illud proxime,nõ aliud:quod mathematice eſt intelligendum conſideratione corporis tanquam ſuperficiei, q̃ denſe uolet quis, modo ſub ratione ſolum lati atq; ambientis:moueturq; id comprehẽdens admotum comprehenſi,non aliter:quod à nobis additur in gratiã communis ſermonis,qui mutatum non dicit locum,etiã ſi reuera corpus circum ſepiens mutetur:ut ædes hæ non protinus mutantur,quòd ſubinde circa eas nouus aër ſuccedat,qui cum uento diffla tur.Quocirca locus nõ tam rationem habet corporis,quàm comprehenſionis,quod quidem ad motũ attinet,relatæ ad fixum aliquod:ut ſi exempli cauſa ea comprehenſio eodem ſitu eſt ad immotum parietem,quo erat prius,locus non cenſeatur mutatus.Poteſt nonnunquam conſiderari ſubſtantia corporis continentis,ut corpus:tunc uero non mutata comprehẽſionis collatione ad immobile mutatus dicetur locus:ut quum uinum eodẽ poſitu in apotheca de dolio in ſeriam tranſuaſatũ eſt. in quo nec deeſſent,qui mutatũ quidem uas dicerent,locum non dicerent:uas enim corporis habet rationẽ,locus ſuperficiei.Aſsignauit natura unicuiq; rei locum ingenio ipſius aptum,& proinde conſeruationi:ut nobis aërem,aquã piſcibus, aquæ ſuperficiẽ terræ, aëri ſupra terrã & aquã,grauibus mũdi mediũ,leuibus extremũ.qui loci quod à natura diſtributi ſunt,naturales nominant.Locus ille in ciuili ſermone pro ſtatu rerũ,non eſt huius inſtituti,neq; pro exiſtimatione, & uice,ut loco fratris. In loco quædã ſunt partes,quædã poſitus,alia inhærẽtia.Partes ſunt,quæ naturæ cõſtant ordine ſurſum, deorſum,ante,et ponè:poſitus uerò,quæ relatione ad aliqd poſitũ,ut dextrũ,ſiniſtrũ, hic,iſtic,illic,quę ad collationẽ noſtrã pertinẽt.In rotũdo locus medius eſt ſemper infimus,circuitus eſt ſuperior:ſic in mũdo cœlũ ſub nobis ſuperius eſt terra,licet nobis

uideatur esse inferius. fiunt sæpe ex partibus positiones, ut loci quarundã rerum consideratione ac respectu anteriores reddantur posteriores, inferni superni, sicut dextri ac sinistri. Inhærentium numero reponuntur nomina partium loci, quæ ex corporibus ambiẽtibus sumuntur, cœlum, aer, aqua, terra. Hinc terræ partes Italia, Hispania, Gallia, tum aquæ, hoc fretum, pelagus, portus. accipiunt & aër & cœlum terræ nuncupationes, ut hæc auis uolat in Hispania, hesperus lucet in Italia, duo soles apparuerunt in Græcia. Remotiora sunt ab loci essentia adiũcta illa, locus latus, angustus, planus, montosus, saluber, maritimus. Ex nobis sunt desertus, celeber, honestus, pudendus, sacer, prophanus, forum, templum, quæ nos facimus. Ergo in quibus ante & & retro in eisdem prius ac posterius, nempe in tempore, & loco. In tempore alia ordine ipso temporis, ut uetustiora sunt priora, alia nostro ordine, nam interdum propinquiora nobis dicimus priora, & uetustiora propinquiora, quemadmodum antiquiora uocantur ultima. Naturæ sunt priora tẽpore, quæ illius cursu alia antecedunt: ut Deus primus: & simplicia priora cõpositis, & partes toto, & cor cęteris membris, & genitis gignentia, & causæ effectis: denicꝙ unde quid nascitur, & sine quo aliud nõ possit esse, quũ illud esse possit sine eo. In loco prius positionis ordine, ut omne principium prius medio, & caput prius pedibus: prius nostro ordine, ut honoratius in honorato est prius: & locus medius apud alios primus, apud alios nõ item. ad hunc modum dignissima sunt cæteris priora, ut prior consul quàm prætor, & hic quàm quæstor: prior homo quàm bellua, effectio quàm materies. ideo etiam antiquiora nominantur meliora translatione à loco ad tempus, & quos habemus charissimos uel coniũctos sanguine, aut aliqua necessitudine, priores sunt alijs, ut patri filius prior quàm frater, loco scilicet & ordinatione affectus. Est etiã prius loco naturæ ordine, ut quod illa posuit principium in quaꝙ re: uelut in homine caput, radix in arbore: & quod est ei charius, ut quisquis sibi, & propria quàm aliena. eiusdem rationis ac modi quod illi præstantius, ut Deus, quàm res conditæ, & finis quàm instrumenta, & res uera quàm simulata, & totum parte, & cœlestia terrestribus, & ut uerbo uno concludam, ea quæ sunt mundo potiora. Sed res spiritales in quo sint loco, & quemadmodũ, non est explanare promptum. Illęꝙ uero nec nusquam sunt, quare necesse est esse alicubi, sed non ita sunt in loco, quemadmodum corpora, ut superficies aut corpus essentiã earum circumsepiat: quodꝙ intra huiusmodi corpus relinquitur, illæ impleant, futurum alioqui uacuũ. Nec possum aptius declarare qua ratione spiritus sint in loco, quàm si eos ita esse in eo dixerim, ut nos in tempore. Est ergo spiritus essentia in loco, nam non ubiꝙ: limites uero loci illius operatio eius exterior determinabit, quæ cꝝ lata se porrigat, tam præsens esse angeli essentia iudicetur. quocirca quum mens nostra corpore quanto inclusa quanta solũ possit imagine animi concipere, de loco operationis spirituum utcunꝙ possumus dicere, de loco præsentiæ nullo modo. Sed quid dicemus de immensitate dei, quæ capit & quod est, & quod non est: pauca utiꝙ, magis ut testemur nos nõ capere, quàm ut cõfidamus posse definire: sicut ex æternitate defluit tempus impurum ex impuro, diuisibile ex indiuisibili, ita ex immensitate locus: immensitas enim est præsentia tota ubiꝙ simul. & non aliter quàm ex infirmitate nostri iudicij Deus dicitur esse in tempore, ita etiam in loco: similiter enim se habent ad Deum locus & tempus. quocirca quæ de æternitate sunt nobis ad tempus dicta, immensitati ad locũ possunt aptari: æternitas mensura est immensurabilis, infinita infiniti: immensitas locus est immensi, & illud hic unum est atꝙ idem per quicquid est in mundo, & extra mundum, quod nos non capimus, nempe mundani. Deus tamen non minus illic est extra mundum, quàm extra nostrum tempus. et applicat se hic noster locus per partes immenso illi sine partibus: quomodo deum dicimus esse in hoc aut illo loco, haud multum aliter quàm humanam animam in toto corpore, & in quacunque eius parte. sed assensus iste arduus admodum est humanis ingenijs: quare ad alia transeundum. In disputatione de loco percõmode quæsitum est à philosophis, sit ne uacuum alicubi in mundo. De uacuo uarie homines loquũtur. Vulgus uacuũ appellat in quo nihil est solidi, ut mediũ hoc, quod idcirco inane nominant, ex qua loquendi ratione

Epicuræi

Epicuræi ſunt falſi, alio modo quum non ineſt quo debet, aut ſolet impleri, ut uacuum caput, in quo nihil prudentiæ: & uacuum pectus, in quo non eſt cor: crumena ſine numis uacua: urbs uacua, in qua non ſunt homines, & ſi crebræ pecudes: uacuus folliculus, quum non tumet uento. eſt uacuum locus in quo nihil eſt omnino: qua intelligentia loquuntur philoſophi, ut nullum ſit in hac rerum natura uacuum: quid ſit extra cœlum, norunt cœlites. In hac certe cuncta finxit deus conferta corporibus nihil inane aut uacans: ut hic mundus ſimilis eſſet autori ſuo, in quo plena ſunt omnia, nihil otioſum aut uacuum. Nam quod maxime uideri poſſet uacuum, medium hoc expletum cernimus aëre: aërem uero ſubſtantiæ lubricæ eſſe uoluit, & ſubtilem, ut facile quæuis penetraret, ac repleret: alijſq; diſcedentibus corporibus, ipſe ſuccederet. Et uniuerſitatis naturam uacuum abhorrere argumento ſunt peculiares naturæ, quæ illi communi ſeruiunt. Atqui in contrarium feruntur hæ ſuijpſarum, contra nutus ſuos agunt, atq; ingenia, ne uel temporis momẽtum aliquid exiſtat uacuum: ſic aquam uidere licet calamo aut fiſtula attractam ſurſum aſcendere: & cucurbitam irroratoriam quæ ſubtus eſt multiforatilis, continere aquam ſuperiore foramine obſtruſo: nec dolium quum perterebratur, uinum effundere, niſi aperiatur prius aliquod aëris ſpiraculum, magno documento hominum ut priuata commoda publicis poſtponant. Plana etiam ſe contingẽtia ui diuelluntur, donec aër ſubeat, ne ſit uacuum. Lucretius Epicuræus argumenta quędam colligit, quibus concludere ſe autumat eſſe uacuum, ſcilicet, quòd niſi id eſſet, nihil uel moueri poſſet in pleno, uel ali atq; augeri, refertis & cõſtipatis meatibus: imò ob ea ipſa nihil eſt uacuum: nam nec ullus eſſet motus in uacuo, ſed ſubita & momentanea à loco in locum migratio: nec alimentũ reciperetur ſenſim in uenas, ſed puncto temporis cuncta peruaderet: quod nutrimento & auctibus eſſet inimiciſsimum, omitto alia eiuſdem magis q̃ hæc ſunt ridicula. Quid quòd omnis naturæ mutatio per occultos fit & fallẽtes tranſitus ab hyeme in uer, ab hoc in æſtatem, tum in autumnũ, rurſum in hyemem: à die in ueſperũ, à ueſpero in noctẽ, ab hac in auroram, & diem: idem eſt curſus in hominũ ætatibus, ut nihil lacunoſum, uel hians relinquatur: quæ aperte plena eſſe omnia loquuntur. Priuſquàm de motu diſſero, addam quæ de quantitate reſtant dicenda, quæ etiam ad actionis cognitionẽ facient. Ea in quibus eſt quantitas habẽt partẽ & totum: pars eſt, quæ cum alio uel alijs facit aliud. pars omnis in ijs eſt, in quibus ſunt multa & pauca: & quamuis in mole continua ſint partes, nihilo ſecius tamẽ partis nomen magis ad quantitatem numeri uergit: nam quum partes in corpore ſignantur, congregatio efficitur, id eſt numerus. Sed partes neceſſe eſt congruenti quodam ſpatio eſſe coniunctas, coniunctæ nõ poſſunt nimis eſſe: nam quid tandẽ excogitari poteſt materia & effectione coniunctius? diſiungi uero uſq; eo poſſunt ut amplius nõ dicãtur partes: uelut ſi populus ciuitatis ſit ualde diſperſus. prima cõiunctio eſt materiæ, & effectionis, proxima inhærẽtis: nam effectio inſinuata eſt per materiæ intima: inhærens autẽ extima potius materiæ uidetur attingere, quàm penitiora: quemadmodũ eſt à nobis paulò antè declaratum. Sed certe eius eſt ſecunda coniunctio: hæ dicuntur partes eſſentiæ huius uel talis: quæ ſequuntur etſi eſſentiã rei conſtruunt, tamẽ partes uocantur quantitatis: nam magis ex congregatione rerum iam abſolutarũ inter ſe, aut extenſione uniuſcuiuſq; rei ſumuntur, quàm ex illa cõplicatione materię, ac ſpeciei, unde rei eſſentia cõflatur. Itaq; tertia coniunctio eſt eorum, quæ iam quidẽ ex materia conſtant & effectione uel forma, ita ſunt tamẽ uel apta inter ſe uel connexa, ut nõ coniuncta uideantur, ſed res unius tenoris: & tanquam alia uideatur ex alia naſci, quæ uulgo continua nominantur, nos unita nominemus: hæc non eſt ſimplex: nam alia nõ eſt connexa omnino ſed aptata, ut quæ nullo penitus medio, ſed per ſe ipſas cõgruentia unius ad alterum ita committuntur, ut unus ſit tenor nõ ſolum rei, uerum & nominum quoq;: ſic aqua, aër, os, neruus, & cætera huiuſmodi habent partes, quæ à Græcis ὁμογενῆ nuncupantur, quaſi eiuſdem naturæ cognatæ germanæ: nam unaquæq; pars extenſionis aquę eſt aqua, non autem eſſentiæ: neq; enim materia eſt aqua. Aliæ diſtant inter ſe & formis inhærẽtium, & facie ac figura: ideo nominibus quoq;, ut caput, brachium, manus: tum inter ſe caro, os

nerui,

nerui,cortex,rami,folia,flores,fructus,idcirco indigẽt copula,quæ talis eſt in eis,qualis in mundo:quæ ex iſs quæ compingit,& ſe ipſa unum faciat, naturam utriuſq; retinens,non formæ appellatione,ſed ingenio rei:ut cartilago quæ à carne eſt caro ,& fit ſenſim os,uſque ad os:ab hoc incipiens eſt os,& paulatim in carnem deſinit. Omnia uiuentia & artificialia penè habẽt huius generis partes,quas Græci uocant ἑτεροιομερῆ, quaſi diſsimilares : quæ uocentur à nobis membra: ipſa uero quæ priores partes habent,dicantur ὁμοιομερῆ,quæ poſteriores,ἑτερομερῆ,quaſi unipartia & uaripartia . In iſs inhærentibus,quæ creſcunt,quæq; minuuntur,auctus illi & diminutiones tanquam eorũ partes à nobis conſiderantur:ita enim parua eſt ira,quæ quaſi paucas & exiguas partes:magna quę contrà.& ſunt ὁμοιομερῆ ad hunc modum nigritia,prudentia.Sunt quædam artificialia, quæ habent partes diſsimilares , ut grammatica:non enim unaquæq; grammaticæ pars eſt grammatica . Quarta coniunctio eorum quæ attingunt ſe tantum,quæ ſunt uel applicita, ut cum tabulæ compinguntur , quæ commiſſa nominantur : uel connexa,ut in fune,in textura,in nodatione.in hoc reponũtur genere, quæ coniunguntur quidem,ſed glutino,quod non reſipit utriuſq; naturam:quę omnia uocantur contigua: ſic domus habet partes contiguas , & liber folia.Fit tamen ut illud glutinum procedente tempore in naturam eorum,quę conuincit,uertatur:ſicut calx in lapidem:tum ex contiguis fit corpus unitatis.Huius ſunt generis quæ miſcentur,aqua & uinum,tum pharmaca quouſq; fiant unum.Quinta cõiunctio eſt eorum, quæ certis quibuſdam interuallis congregata quiddam efficiunt, ut grana aceruum, ligna ſtruem,homines populum & ciuitatem,niſi quis ciuitatẽ cenſeat non tam conuentu intra eadem mœnia,quàm eodẽ iure,officio,magiſtratu, ut in bello ciuili Pompeiano,de quo nõ laboro,uerba et ſermo in hoc genus cadit:neq; enim quantũcunq; ſeparata grana facient aceruum,nec homines populum,nec literę uerbum,nec uerba orationẽ,nec domus ciuitatem,nec milites exercitum.hoc modo omnia quæ ſunt in mundo,efficiũt mundum.Sed numerus interdum eſt naturæ ac rei,interdum noſtræ cogitationis.Sic quatuor reges quantũcunq; ſeparati,coniunguntur à nobis mente, quum reges computamus,& numerũ reddunt. Eſt & alia coniunctio ſpirituũ,maior multo quàm quæuis corporum , etiam eorum quæ unita ſunt : quum ſcilicet ſpiritus nexu ſuo deuinciuntur,qui eſt amor:ſicut duorum amicorum animi cohærent, & unum fiunt . Quod conſtat ex partibus , totum eſt. Sed nec ſimpliciter totum dicitur, nam totum uel refertur ad minora,uel ad ſe,uel ad maius:ad minora nempe ad partes totum eſt , quicquid conficit pars cum alio , id eſt quicquid partem illam capit:ut ad manum & homo eſt totum,& brachium. Sin ad ſe,totum eſt quod conſtat ex omnibus ſuis partibus,ex quibus pro natura ſpeciei ſolet cõſtare:& hoc uocatur integrũ. Cui opponitur diminutum,ſeu truncatum:quum aliquid deeſt formæ illi à natura tributum,quæ mutilatio non eſt ſita in paruo & magno,ſed in congregatione partium, quas illa ſpecies naturæ munere accepit:quare in membris eſt mutilatio,non in partibus germanis:non enim diminuta eſt manus,ſi ſit parua,aut brachium exiguum, cæterũ ſi deſit unus ex quinq; digitis : nec ciuitas eſt imminuta, ſi unus aliquis priuatus moriatur : neq; ſinguli homines partes ſunt ciuitati à natura tributæ , id eſt rationi & eſſentiæ ciuitatis.Sed ſi non ſint magiſtratus,aut publicum concilium,aut plebes.Et quanquam omnis detruncatio ſingulorum eſt, quandoquidem detruncari , ac diminui formæ non ſolent , tamen eſt alia diminutio huius in nomine ſpeciei, & alia in re ſingulari.Manus hæc ſi pars minuſculi digiti decidatur, non eſt manus diminuta, eſt tamen hæc manus diminuta:ut non ſit iam quæ prius.Eſt quũ totum refertur ad maius,ita totum eſt,quod alterius pars non eſt:difficile inuentu,quod non ſit pars alicuius.Nam ad ſummum unaquæq; res eſt pars mundi.Sed ut conſideramus, ita exprimimus:uelut ſi quis de ciuitate nihil cogitet, unum hominem dicet totum:ſin cogitet,huius erit pars.Ergo totum quod de partibus ſumitur aut eſt ex complexu,aut ex unitate,aut commiſsione,aut connexione, aut innodatione , aut copula , aut miſtione , aut congregatione,omnes ferè eiuſmodi habet corpus animantis , nempe materiam ſimpliciſsimam , effectionem, inhærentia, caput,& truncum,nodos in ſpina,& annulos

annulos in collo, connexionem inteſtinorum, colligationem neruorum atque oſſium, ſanguinem, miſtionem humorum, & quaſi congeriem partium. Ex partibus ſunt quædam ad ſolam quantitatem ſpectantia omni ſecluſa mole: ut quæ ſunt mathematica, angulus, palmus, ulna, hæc enim extra materiam omnem intelligimus, alia inter ſe collationem dicunt quantitatis: ut quæ ſub comparationem eunt maioris ac minoris, ſimplum, duplum, dimidium, ſeſquialterum: quarum hæ ad numerum magis ſe applicant, illæ ad extenſionem. Et quędam rei partes eam habent in toto dignitatem, ut ſine illis totum non queat conſeruari: quale eſt in homine caput: & in omni animante cor, aut quod eſt cordis uice. Alię ſunt inferioris dignitatis, quibus remotis, etſi id totum quod erat antea, non maneret quod reſtaret, tamen nomen obtineret prioris eſſentiæ ac formæ, ut ſi homini abſcinderetur digitus, homo remaneret: & ciuitas unoquolibet priuato moriente. Ventilata eſt quęſtio inter captiones diſputantium, an partes aliquę animati eodem cenſeantur nomine, quo totum: ut brachium hominis animal ſit, & homo: nam in quo dicunt ineſſe animam, & quidem rationabilem, id uero ius eſſe aiunt & animal & hominem uocari. Sed enimuero quæ partes animalis, ſi eſſent ab alijs reſectæ, animal conficerent, eis liceat nomen idem competere: ut reliquum corpus digito aut manu dempta: in cæteras appellatio totius non competat: ſicut in brachium, uel crus: neque uero corpora ſunt animata, id eſt, animam habentia, ceu effectionem, etſi uim animę ſentiant: nam animatum id demum placet eſſe, in quo anima eſt effectio. Sit ſanè in hominis brachio rationalis anima, ut præſens, non tamen ut forma ſeu effectio, & tanquam artifex: uidelicet quod alicubi apta inſtrumenta non habet, id in eo artifex eſſe & effectio non poteſt: quocirca corpus neceſſarijs inſtrumentis ornatum, quod organicum dicitur, id ſolum eſt corpus animæ, id eſt, in quo animæ licet actionibus ſuis fungi: nec aliud uere animari dicitur, non magis quàm ſi in ſaxo poneretur hominis anima. Neque enim præſentia eſt animatio, ſed exercitium operationum. Reuertamur iam ad compoſitū quod ex partibus diximus coagmentari. Simplex et unicum eſt ens, quod partes habet omnino nullas, tanquam angelus: & quo quicque pauciores habet partes, minuſq; inter ſe diſſimiles, hoc eſt ſimplicius, & magis uniuſmodi: uelut aqua uel charta quàm homo, & arbor. Simplex etiam eſt, cui nihil eſt additum aliud à ratione ſuæ eſſentiæ, quomodo ſolus Deus eſt ſimplex: nam quicquid in eo conſideratur eſſe, de natura eſt ac ratione diuinitatis: qua mente ne angeli quidem ſunt ſimplices: nam eis bonitatem & intellectus plurimarum rerum addimus, quæ de natura ipſorum non ſunt: accedunt, recedunt, minuuntur, creſcunt. Sed nos Deum uocemus ſimpliciſsimum & uniuſmodi, angelos & mentes noſtras ſimplices ac immiſtas. Verum unaquæque res ſicut ſimilitudine quadam Dei eſt, ita ſimilitudine illius intra ſe eſt reducta: ut ſubſtantiam ſuam, & eſſentiam in ſe complectatur, ac contineat ab alijs ſecluſa: nec alienas eſſentias in ſuam admittat: alienas uoco, quæcunque ad illius abſolutionem non pertinent, ut ea ſit uel hoc, uel tale. Idcirco unaquæque quamlibet miſceatur ex uarijs, unum eſt ens, quemadmodum Deus unum eſt: nam etſi unum non ſit ſimplicitate eſſentiæ, ut angelus, nec complexu partium eſſentialium ut corpus & anima, nec unione ut charta, uel ſtirps, nec connectione ut pannus, nec conglutinatione ut paries, inueniet nihilominus formam unius aliquam qua ſe unitati uendicet: nempe in modum uel acerui, uel ſtruis, uel cœtus. Et quę ſunt rationes partiū ac tōtius, eædem ſunt unius etiā: quocirca ſicut unaquæque res eſt una, & autor rerum unus, ita opus illius quod capit uniuerſa unum eſt: unus mūdus, & unum in eo humanum genus, & unus Dei filius Chriſtus, unius humani generis collapſi magiſter, inſtaurator, ſeruator. Sequitur ut dicamus de motu, quē Ariſtoteles facit quadruplicē, à loco in locum oppoſitum: ab ortu ad interitum, uel contrà: ab adiuncto ad adiunctum maius, minus, aduerſum: uel à remotione adiuncti ad adiunctum, aut uice uerſa: à magnitudine maiore ad minorem, aut ab hac ad illam. Primus eſt translatio: ſecundus generatio, ſi ad hanc tendit, uel corruptio ſi ad eam: tertius uariatio, quam ille ἀτρέωσιν nominat, uulgo alterationem uertunt: quartus incrementum, ſi ad maius itur, diminutio ſi ad minus:

ſi ad minus:ut motum in genere diffiniri liceat tranſitum,ſiue mutationem ab hoc in illud:ita omnis actio atq; operatio erit motus,tanquam tranſitus ab eo unde proficiſcitur actio,ad id quò intendit.Sic angeli dicantur moueri, quum quid agunt:& animi noſtri non ſolum in illis tumultibus & tempeſtatibus affectionum,ſed in cognitione etiam & placida intelligentia,ſicut Platoni uiſum eſt:de quo à nobis alibi diſputabitur.Ita motus eſt trāſitus entis ad id conſequendū re,quod habet poteſtate: quocirca Deus non mouetur,quando nihil ei nouum poteſt accedere.Quies abſentia eſt ſeu priuatio motus,quemadmodum tenebræ lucis,ſilentium ſoni:ita quot modis dicitur motus, totidem quies. Iam quæ mouentur,alia mouentur per ſe,alia ad motum alterius , alia utroq; motu.Per ſe mouetur homo,quū ingreditur:ad motum alterius, quum geſtatur: ambobus modis,quū in naui ſatagit per tempeſtatē . Motus in rebus ſpiritalibus qua fiat, nemo facile dixerit . In molibus uero per medium eſt ab extremo ad extremum,id eſt à principio ad finem illius:nec unquam ſimul eſt in toto,alioqui momēto temporis idem eſſet in duobus locis,nempe in exordio & termino.Ad hoc ſi in medio nactū eſſet finem,ibi ſiſteret:itaq; foret finis motus in medio: nec iam id eſſet medium,ſed extremum:quod in infinitum reſtringeretur,ut quæcunq; eſſent media,fierēt metæ.Neq; actiones mentium noſtrarum aut angelorum expertes ſunt temporis:omnes enim rerum conditarū actiones tempus metitur,ſicut diuinas æternitas:quare tantum intelligitur eſſe de motu & actione in præſens,quantum de tempore:& quando tempus menſura eſt motus,ideo celeritatē quoq; motus tempus definit,ut quod plus ſpatij confecerit in pari tēpore,& ſic proportione temporis ad ſpatium peractum,celerius exiſtimetur motum:& in ſpiritalibus quod parem actionem uel opus actionis minore tēpore abſoluerit,citius dicatur moueri,quapropter admirabiles ſunt rerum ſpiritalium concitationes,ac celeritates:cōferuntur inter ſe, ut alia ingenia alijs dicantur magis cita,& actuoſa,nempe quæ idem uelocius aſſequuntur, aut maiora pari tēpore.In angelis magis dixerimus rapidiſsimos eſſe impetus,quàm motus:expeditiſsime enim quicquid inſtituerunt,perficiunt.Motus ad eundem conſideratur modum,quo lineæ:quarum aliæ ſunt directæ à puncto in punctum breuiſsimæ:aliæ ambagioſæ uel incuruæ: quæ quum ita ſe in ſeipſas reflectunt,ut punctum extremum attingat primum,fiunt circuli:& ſicut linea curua una eſt,linea fracta non eſt una,ita curuus aut orbicularis motus unus eſt:ſin rumpatur, fiunt multi,rumpitur motus morula atq; interſtitio,quòd ſi progrediatur ulterius ſemper ad oram ei cōtrariam,unde primum exiuit,motus ſunt recti: ſin uerſus eandem reuertatur unde uenerat,reflexi,ſeu reciproci:ſiue id per eandē lineam directam fiat,aut per aliam curuam ad idem punctum,ſiue per aliam omnino lineam ad aliud punctum in eandem regionem uergens,altius,depreſsius, par:ut ab a ad b,à b in a,uel in c,in his figuris quinq;: quæ nō ſolum contingunt in translatione molis, quum ea locum mutat,ſed in omni actione ſpiritus,ac corporis.



Porrò quod inter eos tranſitus intercedat ceſſatio aliqua, quum docet ratio,tum ſenſu in pleriſq; percipimus.Nam res omnis uel mouetur naturaliter,uel ui:ſi naturaliter , nacta igitur finem ſuum quieſcet : ſin ui,ergo inter finem uiolentiæ , & initium pronitatis naturę aliquam ponet intercapedinem,dum uiolentia flacceſcat,et natura ſe exerat:quemadmodum in lapide ſurſum iacto. Neq; ex motu uiolento & naturali unus motus fiet eodem tenore unitus:etiam in quibus uis altera ſubito excipit,ac retorquet,aliquid eſt interſtitij,etſi minus ad deprehendendum expoſiti,quo prior uis delaſſata,poſteriori nouæ,ac uigenti concedit:in quo eſt pugna,& contentio,quæ in momento tēporis indiuiduo non tranſigitur, tēpore aliquo eſt opus breuiſſimo quidem ad actionem celerrimā,ſed diuiduo tamen.Sunt in quibus ſenſu ipſo quietē annotamus,

notamus,ut in ſagitta ſurſum iacta, quæ ſe in momento quo deorſum retroagit, ceſſat pauliſper,ac nouum motum exorditur:idem in actionibus, & paſsionibus principum qualitatum corporis, idem in omni incremento ac decremento naturæ licet deprehendere:ut in tempore,in æſtu Oceani,in animantibus: idē in ipſis naturis ſpiritalibus,uidelicet in cogitatibus noſtri animi. Motus rectus nō poteſt eſſe infinitus, unus,cōtinuus:quoniā infinito eſſet opus ſpatio, in quo ſe extēderet, quale nullum eſt uſquam:circularis infinitus eſſe poteſt,quoniam in eodem ſpatio poſſet cōtinuari quamlibet anguſto,modo à ui aliqua,& potentia indefatigabili ſuſtineretur.Idcirco motus eiuſmodi attributus eſt cœlo,ut diuturnus eſſe poſſit:nec pauſam ullam interponit unquam,quoniam ita eſt ex uſu naturæ.Et ſicut magnitudinibus quoſdam affingimus limites,in corpore ſuperficies,in his lineamēta,in lineamentis notas, ſeu puncta,& hos omnes ratione quadam inſectili quatenus ſunt terminí:ſic in tempore quædam conſideramus puncta, quæ ab Ariſtotele uocantur τὰ νῦν, eaq; uelut initia ſunt & fines,non partes temporis,eius dico quod nos partimur, nam ipſum in natura unum eſt perpetuum, nec interſiſtit. In motu etiam quædam interualla & quaſi puncta imaginamur,quibus non aliter motum diſſecamus,quàm tempus: eaq; Ariſtoteles appellat κινήματα, mutata uulgo nominantur. Et quum actio omnis motus ſit ab aliquo in aliud,opus eſt ad eam mouente ad initium, & mouēte ad exitum: ad initium mouet finis deſtinatus,ab initio uerò ad calcem ducit efficiens:finis eſt in uoluntate,efficiens in uiribus: hac temperatione atq; harmonia, connexuit Deus omnia:nam & utrunq; tam finis,quàm efficiens in exordio,& medio operantur:efficiēs explicatione uirium,finis incitatione atque ſtimulatione: deſiderium enim finis,detinet agens in opere: ſcite Horatius,Animum, ſpe finis dura ferentem. Nam in quibus delectatio detinet, ea ipſa delectatio eſt finis. Quocirca duo ſunt in actionem neceſſaria,uelle & poſſe: hoc eſt uirium,illud finis: Voluntas in iſs,quæ mente, iudicio,conſilio ſunt prædita,libera eſt: nanque hac gratia attributi ſunt ei illi uelut conſultores, ut quid factu uideatur optimum, cum eis conſultet, ac deliberet: reliqua tantum habent inſtigationem quandam, & tacitum naturæ calcar, quo ſine deliberatione agitantur,atque impelluntur:nec poſſunt retrouertere, niſi cum ui maiore repelluntur,ut quum ignis feruor circumfuſo frigore impeditur: & auiditas cibi in cane metu fuſtis retardatur:in quo naturæ uires diuerſæ inter ſe pugnant: tam enim fertur brutum naturæ impulſu, quàm res in anima: itaq; conſilio non eſt opus, ubi non conſultatur:ſtimulo eſt opus intimo,& ſalutari illi,in quo eſt. In potētia ſeu facultate ſunt agentis uires,quæ conſiderantur aliæ ex dantis munere: hæ ſunt effectioni, aut cuicunq; formæ ingenitæ,uel aliunde inditę: pars ſunt acquiſitæ,ut artes hominum. Sunt uiolēte obtruſę,atq; impreſſæ,ſicut calor in aqua feruefacta.In partem uiriū uenit inſtrumentū, quod uires adiuuat: ut manus,uel gladius. Quòd ſi inſtrumentum accommodum non ſit, impedimentum eſt, non inſtrumentum: ut inualidum puerum graui & inhabili enſe armari. Cenſentur uires uel ex loco, & tanquam ſede, uel ex opere.Ex loco,nam alię ſunt ſpiritales in ſpiritibus,ut in animis noſtris uis ingenij ac memoriæ: alię corporales in corporibus: ex quibus nonnullæ ſunt in inſenſibilibus,aliæ in animantibus, quædam in nobis, uel extra nos,uel intra nos. Accedit his ex loco & tempore commoditas,quæ duo uiribus modo proſunt,modo obſunt:plura & maiora facimus illo aut illo,paruo, magno loco,& tempore.Adde his adiuncta tempori & loco,ut comedere, concoquere, ſtudere, laborare, ſalubri loco, die ſudo,& ſuffrigido.Ex opere autem:nam ſunt quibus utimur ultroneis, hoc eſt,ex pronitate naturæ, & tanquam libentibus: ut igne ad urendum, uentriculi calore ad coquendum.Sunt quibus repugnantibus, & coactis,ut gladio ad ſcindendum: ſeruo, qui ad officium pertrahitur: aliis precario, ut principe ad fauorem: alia tanquam ex officio præſto ſunt,ut leges,& boni magiſtratus, quorundam eſt eblandienda opera ſicut uulgi amicorum: ingenia etiam noſtra plerūq; ſunt allicefacienda.Sunt quibus autoritate ac iubendo utimur.Quibus rebus adiuuamur pro nobis,eiſdem lædimur atq; impedimur cōtra nos. Quanto facultas agentis eſt maior, hoc minore ac minus

appoſito tũ inſtrumẽto indiget,tum cõmoditate loci ac temporis: ualidius enim minus eget ope externa,alioqui non eſſet ualidius in ſe,nec quicquã à potentiore diſtaret infirmius. Quocirca magni artifices in cõmodioribus inſtrumẽtis exactiora perficiunt opera, & mediocres idonea inſtrumẽta nacti: ut Apelles carbone de foco rapto melius expreſſit,à quo eſſet ad Ptolemæũ inuitatus, quàm alius feciſſet apto penicillo. Quod ſi prẽſtantiſsima eſt Dei uirtus ac poteſtas,utiq; inſtrumento nullo indiget:quippe inſtrumentũ imbecillitatis eſt,ut quod per ſe nõ poteſt, aſſequatur per aliud. Condita omnis uis ac potẽtia certis limitibus clauditur,non modo ad cõtinuationem actionis,ſed ad impreſſionẽ & magnitudinẽ effectus. Hinc naſcitur agendi, & patiendi inæqualis quædam libratio,quæ proportio ſeu cõparatio nominatur:nihilq; eſt adeo facile, q à creato agẽte non agatur cum difficultate propter finitã eius uim,& repugnantiã patientis. Angelos uerò ſicut in eſſentię incorruptibilitate,ita in expedita actione adiuuari arbitror à Deo,ne quid ſubeãt moleſtiæ. Quocirca in quibus uiriũ agentis & patientis libratio,& quaſi contentio, conatu opus eſt, quo uiriũ ſuarũ tantũ colligat agẽs,quantũ ſufficere iudicet,idq; effundat deſiderio finis: opus eſt item tẽpore,in quo exerceat conatũ perueniẽdi ad finẽ. Nulla eſt ergo inter Deũ & eius opus cõparatio: alioqui tempore indigeret ad perfectionem operis inſtituti, nec in minore poſſet efficere:indiget etiã conatu,in quo à nemine poſſet adiuuari,ut ipſe iuuat alia. Iſtud uerò nullã rem illi, quæ habeat cõtuliſſe infinitã eius potentiam apertè loquitur. Nam ſi finitus eſt ac limitatus,uelim ſcire, quis ei limites præfixit? In conditis rebus facile hoc quiuis expedierit,in illo quis dicat? quis poſsit uel cogitando fingere? quum nec eo quicquã fuerit prius, nec in eo aliud ſit quàm Deus unus, merus,purus,ſimpliciſsimus. Quod ſi nemo uires illi eſt largitus,ſed ipſe ſibi ſumpſit, nec aliunde,ſed ex ſeſe,dubitari profectò non poteſt,quin ſumpſerit infinitas. Quis ſibi bonũ ſumit,niſi plurimũ,certè quantũ poteſt? Quid ergo ſecundũ finitã aliquam menſuram acceperit,nec accipere plus poterat? Quis illius manus conſtrinxit? Quæ res modũ ei potuit imponere? Cedo autẽ,num non id cõſtat Deũ eſſe,quo nihil maius cogitari poteſt,imò maius eſſe omni,q cogitari poteſt,& ut ſapienter addit Ioannes Picus,infinite maius:at ſi infinitus non eſt, minus certè eſt, quàm concipere poſſit noſtra mens:nullũ eſt enim finitũ, ſupra q illa nõ ualeat ſe erigere. Adde quod nõ poteſt ea ſupra primũ ſui autorẽ cogitatione ſe attollere: ſicut nec eſt aliquid, quod ultra ſuam originẽ queat regredi: atqui quocunq; limitato amplius aliquid illa concipit,maior eſt ergo conditor omniũ. Quorſum attinet,impietates comminiſci,quas nec ingeniũ noſtrũ capiat,quum interdũ id in pietate ipſa uix ferant nonnulli. Conſtituant iam iſti philoſophi,utrum malint factũ aliquãdo mundũ, an æternũ: ſi æternus eſt,infinita Dei uirtus declaratur conſeruatione per tempus infinitũ ſine laſſitudine:ſin aliquo temporis principio eſt exortus,infinita uirtus oſtẽditur productione de nihilo:omnis enim finita uirtus in aliquo ſe,& ex aliquo exercet. Quod autẽ ex nihilo aliquid educit,infinitũ ſit neceſſe eſt, nempe quod tantã habeat proportionem uirium ſupra opus,quantã aliquid ſupra nihil:quæ planè eſt infinita. Itaq; Dei opera quantus ſit opifex,teſtantur. Quæro autem quid egerit, ſiue in numero, ſiue in magnitudine,ſiue in modo,quo nõ poſsit aliter,& maius,& præſtabilius efficere? Quid tandem eſt in operibus Dei poſtremum, ſupra quod nihil eſſe poſſit? an in ſingulis rerum aliquid? an in formis,& quas ſpecies nominant? An non plures poteſt arbores cõdere? plures equos? plures homines? plures cœlos, ac ſtellas? & ut homo pomis alitur ac pane,ita lignis,& ſaxis: & ut cœlũ ab hoc Oriẽtis pũcto ad iſtud Occidẽtis conuertitur,contrario motu uolui. Ariſtoteles fieri aliter poſſe non putat,quoniã quemadmodũ factũ ſit,bonũ ſit mũdo:addas etiam licet optimũ,ſed ita ut melius fieri non poſſit,nõ autẽ ut hoc melius ſit,quàm quicquid ille poteſt facere:iſtuc enim optimum non in puncto inſectili eſt poſitum,late patet:ſi diuerſum feciſſet,id quoq; optimũ fuiſſet mundo. Sed Ariſtoteles perinde facit, ac ſi quis quod architectũ commodã ędificaſſet domũ uiderit, exiſtimet nec aliã,nec aliter poſſe eum extruere ęque aptã uſibus. Quod ſi de architecto homine cogitare demẽtiæ ſit,quale erit de architecto

tecto immensæ sapientiæ ac potestatis? Cœli Aristotelis seculo octo esse putabãtur. Apud illos contenta his erat rerum natura: imò non credebatur plures posse capere: nonus est à sequentibus astronomis adiectus: postea decimus. Stellæ quid agunt in mundo? Ad ornatum uult eas esse Aristoteles sparsas. Quęso te, una addita uel dempta uariaret hunc orhatum? Quòd si non plura esse possunt astra, neq; pauciora, nec ampliore nũmero esse homines poterũt, nec minore: quum magis hominũ genus ad mundi salutem pertineat quàm astra: quoniam semotò homine nullus est conditurę huius usus. Quòd si rerũ singula & plura & pauciora potest condere, quin etiam de formis idem existimamus? præsertim quum iam de adulto mundo non paucæ sanè extiterint nouæ rerũ species ex ueterum cõmistione, non minus inter ea quæ sensus sunt expertia, quàm inter animantia & stirpes quædam perierint. Quid quòd multa arte nostra fiunt meliora, quàm quomodo sunt à natura ipsa initio producta, ut triticum, & uuæ: nos ergo Dei opera poterimus (ut sic dicã) meliora facere, id est, aptiora nobis, ipse non poterit? imò aliquid poterit plus arte nostra adiutus, quàm solus, quæ uel cogitare, furoris est. Ad hæc interuallum excellentiæ formarum inter se alicuius est latitudinis, in quo noua species posset interiici: ab ultima etiam & illi proxima specie ad eum spatium est non modo magnum, uerũ infinitum quoq;: & esset infinitum etiam si centuplo præstantior aliqua species conderetur: ut appareat relinqui locum infinitis formis, antequã expleatur quod inter Deum autorem & quodcunque eius opus immensa intercapedine se porrigit. Meritoq; est à Platonicis reprehensus Aristoteles, qui illa uelut distributione publicorum munium uniuersitatis quum septem inferiores orbes assignasset mentibus, octauum Deo attribuit, iniqua proportione: etenim magis præstat Deus mentes omnes pariter, quàm octauus orbis septimum. Itaq; non habet princeps mundi peculiare opus, quoniã illius sunt cuncta, & ipse est supra omnia tãto interuallo, quanto immẽsus supra definita. Quid ergo, nam id requirat aliquis, si infinitus est Deus num omnia infinite exequetur? ad actionem quidẽ infinite, ad opus finite: ex nihilo procreare singula, infinitę est actionis, opera tamen quæ existunt, finita sunt. Non enim accõmodat Deus res potentiæ suæ, sed nostris usibus, ac cõmoditatibus: nõ spectat quid ipse possit facere, sed quid mundo conducat: ut quum nobis loquitur, non utitur infinita sua facundia & sapientia, quæ mentes omnes obrueret, ac confunderet, sed ea quę congruat cum nostra infirmitate. Si omnia fuissent infinita, nullus cõstitisset ordo: essent prærapida, immoderata, actiones subitæ, & momento temporis: interitus atq; ortus singulorum uel certè rigor perpetuus sine motu in eodem uestigio, atq; æternus torpor, nec iste ornatus, ordo, uices, distinctio ratæ, & constantes. Et quanquam ille in natura sua nec numerum habet, nec pondus, nec mensuram, omnia tamen perfecit his tribus consistentia, quemadmodum à nostro sapiente dictum est: quoniam ita est illi uisum, non quia aliter facere nec debuit, nec potuit. Nam si ad hunc modum necessario ageret, actio illius foret naturalis, nec esset actionum suarum compos & dominus: & quantumcunque delectaretur opere, non tamen aliter in eo uersaretur, quàm plãtæ, aut bruta, aut corpus nostrum, nõ ut mens. Sed libertas profecto nostrarum functionum, & libertas spirituum omnium dico in agẽdis, extrorsus declarat, quo res sunt illi uiciniores, eo maiore esse libertate prędĭtas: idcirco in eo esse fontem libertatis purum, quemadmodum essentiæ, unde communicetur reliquis. Quid minus conuenit quàm existimare nos esse actionum nostrarum dominos, illum non esse? Quòd si naturaliter ageret, omnia secundum absolutam suam atq; extremam uim produceret, ut in ijs uidemus, quæ naturaliter quid agunt: itaq; omnia ab eo exirent infinita, nempe ab infinita ui ac potẽtia totam sese in opus explicante. Nam quæ agunt naturaliter, nullum delectum habent uirium, nec partim explicant, partim reseruant sibi: sed quascunq; possunt, simul effundunt: id licet in nobis animaduertere in actione uoluntatis & actione mentis: quarum hæc naturalis est, illa libera. Tametsi nec natura sua Deus caret, & hac de causa neq; naturali actione: ex qua quod nascitur, quemadmodũ è potentia est infinita, sic illud sit etiam infinitum necesse est: & quia naturaliter gignitur,

ſimillimum ſit parentis ſui: huc enim naturaliſsimæ omnes actiones intendunt. Et quando Deum nihil habere poteſtate docuimus, ſed actum eſſe purum, fit ut otiari illum aliquando ſit nefas: quocirca ab actione nunquã ceſſauit, & ueriſimilius eſt ab actione naturali nõ ceſſare, quàm à libera: quemadmodum etiã ex nobiſipſis licet cernere, in quibus interquieſcit uoluntas aliquando, mens nunquam. Colligimus ergo deum aliquid produxiſſe naturaliter, infinitum, ſimillimũ ſibi, æternum: quod quia ex parte mentis uenire magis intelligimus, quàm uoluntatis, quoniam illuc ſe applicat natura, huc libertas, ſapientiam nuncupari, fas iuſq; eſt: hoc philoſophus quo nomine ſanè uoluerit, inſigniat: Chriſtiana ſapiẽtia, filiũ patris appellat: uerum hæc perſequi exactius altioris eſt cõtemplationis. Habet Ariſtoteles deum actum purũ, nec unquam ceſſantem, & aliquid naturaliter producentẽ: non tamẽ inſultamus tibi, tanquam aliquid nos eruerimus, quod te latuerit: nec iſta nos adeo plenè aſſequeremur, niſi ab eadem ipſa dei ſapiẽtia edocti: cui agimus gratias de ineffabili ſuo dono, non ingenijs noſtris, aut diligentiæ ſtudiorum. Redeamus iam ad finitas uires, quæ indigent ad actiones ſuas tempore, quum infinita non indigeant. Nam ſi finita eſt potẽtia, aliquatenus licebit illi: ſit hoc a b c: illud ergo conſumetur in tempore itidẽ a b c: partes igitur in partibus, nempe a in a tempore, b in b, c in c: nec ulla pars uirium eſt inſectilis, non ergo ſe explicat in tempore inſectili. Præter hæc ſi actio omnis eſt tranſitus, nec tranſitus eſt abſq; medio, non poterit fieri niſi in tempore ab ea quidem potentia, quæ ſimul nequit eſſe in ambobus terminis, nempe limitata. Et ſi in quacunq; actione ineſt conatus perueniendi ad calcem, certè aliquid diſtat initium ab exitu, in qua intercapedine conatus exercetur, alioqui non erit opus illo. In ijs quæ contra naturam aguntur patientis, ſemper eſt lucta initio, medio exitu: nunquam enim nõ pugnant agentis uiolentia, & patientis natura. In ijs uerò quę ſecundum naturam, nulla eſt motus initio contentio: nam is motus à natura excitatur, quæ eſt in unoquoque, quæ ſecum non pugnat, niſi forte admiſtum habeat impediens, ut animum ad ſpectandum conſurgere, deprimitur enim mole corporis. Sed quantumcunq; uis ſit naturalis, ubi eſt actionem ingreſſa confligit in quod agit cum agente: propterea quod agens nẽpe mouens, nititur penetrare ad finẽ: mediã uerò quantumcunq; molle penetrationi renititur: ſiquidẽ eſt penetratio omnis uelut diuiſio, diuiſio autem corruptionis initium, non aliter ac coniunctio conſeruationis adminiculũ. Et quo durius eſt mediũ, hoc habet partes conſtipatiores, & proinde auctiores uires: itaq; ualidius reluctatur: ideo motus in aqua difficilior eſt quàm in aere, & in luto, quàm in aqua liquida. Traducuntur hæc ad res ſpiritales, ut aciem dicamus ingenij, iudicij, ſenſum quaſi penetret interius: tum dura ſunt quę difficilia, atq; abſtruſa, ceu multa contecta cortice, & denſa, uel procul poſita, ut per longiorem motum eò ſit ueniendũ, & per aliorum gradus atq; adminicula. In hoc actionis medio materia cõponitur, & adornatur, inductioni eius ſpeciei, quam agens inſtituit, ſiue artis, ſiue naturæ, eſſentialis, aut inhærentis. Extrema ſunt, à quo ad quod res tranſit, medium eſt inter hæc. Tranſit uerò res ab uno loco in diuerſum, tranſit ab adiuncto ad adiunctum, tranſit materies ab effectione ad effectionem. A loco in locũ res tranſmittitur, uel quod nouũ habet locũ relicto priore, nõ mutata ſua magnitudine, aut mutata, ſi prius motus eſt loci: ſin mutata, uel dilatata, uel contracta: ſi dilatata, creuit: ſin contracta, diminuta eſt. Medium in motu locali eſt translatio, quæ fit uel ab ipſo moto, qualis eſt in animalibus ingredi, nare, uolare, ſerpere: uel extrinſecus expelli, attrahi, attolli, deprimi, uehi, uolui, ſeu cõuerti. Mediũ in incremento eſt additio extenſionis, in decremẽto eſt detractio. Ab inhærente ad inhærẽs uariatio eſt, ſeu ut uulgo loquuntur alteratio: quæ fit quum nouum inhærens quæritur, ſiue prius amittatur nullum, ſiue aliquod. Sed ſi orbationes, & quaſi ſpoliationes accedentium in accedẽtia reponamus, ut tenebræ, quies, ſilentiũ: erit ab accedẽte ad accedens, uel à toto accedente ad totũ, qui eſt ceu motus quidam loci à termino ad terminũ: uel à maiore ad minus, uel cõtrà: quæ ſunt incrementũ & decremẽtum. Ex inhærentibus alia ſenſim ſubeunt: ut quæ ſunt in extenſione, & in quibus ſunt cõſuetudines, quẽadmodũ uirtus ac uitiũ: alia repente, ut

pater-

paternitas, filiatio: tum quædã alia accedens habet contrariũ seu aduersum: cõtraria enim sunt inhærentia, quæ rationẽ actionũ, & effectũ significant sub eodẽ genere diuersissimorũ, ita ut magis diuersa aut remota non sint alia, eiusdẽ quidem generis: ut quorũ colorum hic maxime cogit obtutum, ille dissipat: hic plurimũ exhilarat oculos, ille cõtristat: ex saporibus qui gratissimus est palato, & qui ingratissimus: ex principibus qualitatibus, quæ uehementissime agit, & quæ remississime, quæ sursum attollit, & quæ deorsum deprimit: nec incõuenit sub una generis latitudine multa esse extrema, multa aduersa: ut quum genus est amplũ, sicut in tactili: aut quum uarie pugnarum naturæ spectantur. Sunt quæ aduersum habent nullũ, sed absentiæ illorũ nomen inditur, quæ est orbitas quædã (ut dixi) seu nuditas, seu priuatio, ut si absit uisus animanti, in eo est cæcitas: quo in loco non est lux, sunt tenebrę: ubi non est sonus, ibi silẽtium: ubi nõ est motus, ibi quies: quæ orbationes in uarijs linguis uarie exprimuntur, sunt quæ pauciorẽs habent, sunt quæ plures, prout sunt linguæ copiosæ. Atq; hæ certis nonnunquam, & impositis nominibus assignantur: nõ rarò tamẽ ea notãtur nominũ cõpositione, qua expers significatur, aut sine. Apud Græcos est τὸ ἄλφα: quod illis est promptissimũ, ideo plurimarũ habẽt aptiora nomina, quã Latini, apud quos est in, & quandoq; ex: tametsi ex his nõnulla cõtraria magis sunt, quàm orbantia: ut iustus, iniustus. Iam quæ uidẽtur, pro ijs cõsueuimus ducere, quæ sunt: ita oliuam dicimus & hominẽ exossem, quod in eis parũ sit ossis, & ideo nihil uideatur, lignũ insecabile, quia difficile secatur, materiã immortalẽ, quia post longũ tẽpus perit. Sed quę uera sunt priuãtia essentiã habent nullã, cõtraria habẽt. Non enim sola absentia caloris est frigor, nec frigoris calor, neq; sanitatis morbus, aut morbi sanitas. Nam est, quę facit sanitatẽ harmonia illa humorũ, est qui facit morbũ humor aliquis excrescens, nisi forte nõ ex illo humore redũdanti morbus nascitur, sed ex perturbatione concentus. At uerò quũ nõ sola alterius absentia facit alterũ, sed causæ sunt utriq; certæ, non dicũtur priuãtia: & si hoc facilius dictu est in genere, quàm explicare in singulis, quia pleræq; causæ sunt incognitæ, prẽsertim inter quæ nõ inuenitur mediũ. Quippe sunt quæ in substantia idonea si alteruter non insit, necesse sit inesse alterũ, ut in quocunq; homine stato quãdã tẽpore naturæ dentatũ esse, aut edentatũ, uidens aut cęcũ, neq; ẽnim uidẽs est lapis, aut cæcus, nec caniculus ante certã diẽ. Ægrũ & sanũ mediũ non habere Aristoteles affirmat: in quo est illi controuersia cũ medicis. In ijs quæ sensim fiunt, motus est per adiectũ uel detractũ adhærentis usq; ad terminũ maioris aut minoris, uel certè usq; ad aliud, ut quum ex albo fit candidũ, aut fuscum, uel ex albo ceruleum: ex cęco uidens, ex uidente cęcũ. In priuationibus fiunt omnia, per ea quæ aliquid adferunt, quę sunt positiones, siue habitus, Græce ἕξεις: ab illis plerunq; orbationes nomina sua accipiunt, diffinitiones autẽ semper, atq; adeo hæc est priuationis præcipua nota, quod per positionẽ suã tanquã absentẽ declaratur, nec aliter potest. Neq; uerò quisquã sit admiratus me à cæco ad uidens reuertisse, quandoquidẽ non uideo ubi locũ habeat, quod dicitur, à priuatione in habitũ non posse regressum fieri: etenim à silentio, à quiete, à tenebris fit: à cæcitate quotidie experimur, à morte ipsa etiã gentiles produnt. In ijs accedentibus quæ subito existunt, nõ est in ea ipsa actio, sed in illa, per quæ existunt: ut in paternitate gigni filiũ, in consulatu declarari consulem: in quibus tamẽ moribus necdum uel paternitas est, uel cõsulatus. Ab effectione in effectionẽ, migrat materies per expulsionẽ & tanquã reuulsionẽ prioris, nam radicata est omnis effectio in materia: & quo radicatior, hoc illam euellere operosius. Quanto agens est potentius, tãto celerius, & facilius, & aptius quantumcunq; sumit materiã, ei operi, quod destinauit, parat, ac proinde prõptius opus absoluit, Deo obsequentissima est quæcunq; materia, nobis multæ reluctantur. Aliæ pertrahi nõ possunt, quò uolumus, ut ex aere simulachrũ à nobis fieri, quod angelus faceret. Quare ista omnia uires, repugnantia, & eiusmodi relatione dicuntur, non per se, ac simpliciter: ut magnũ, parũ, robustũ, imbecillũ. Et quia in actione omni resistentia est ex eo quod patitur, agens ad eam uincendã colligit uires: tum minores, quum minus uidet obsistere, & lentius, ac remissius agit: tum maiores, quum ualidius putat patiens ob-

niti,ac repugnare.Idem uicissim patiens facit aduersum agens, quæ collectio uirium conatus appellatur,etiam si nihil sit opus,satis est tamen agens iudicare esse opus: unde est dictum illud, magno conatu magnas nugas agere, in eos, qui uel ingenij uigorem,uel eloquentiam in rebus nullius pretij consumunt. Ex conatu oritur labor, tanquam actio & passio ex potentia: nam magni conatus executio est labor, nempe actio in id,quod existimatur multum reluctari: uel passio in id,quod existimatur ualide agere:quo potentior creditur contentio, maior est labor.Ideo uiri magis uidentur sibi laborare,quàm pueri: quoniam magis expendunt actiones: pueri autem, ut qui sine consideratione ac reputatione se exercent,tametsi plus agant,tamen non uidentur sibi perinde laborare. Laborem sequitur defatigatio, quæ est debilitatio potentiæ,ut reddatur infirmior.Quocirca ij qui laborem respiciũt, ac facile metiuntur, quum se magis laborasse credant,remittunt uires:& defatigatos se esse sibijpsi persuadent,multo prius quàm ad metam uirium sit peruentum:qui laborem nõ respiciunt, nec perpendunt,ut quæ naturaliter operantur sine expensione actionis, cuiusmodi sunt beluæ,& pueri,non prius defatigationem sentiunt,quàm exhaustæ omnino sint uires. Quapropter tunc demum assuefaciendus est labori homo, quum laborem non sentit.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE PRIMA PHILOSOPHIA, SEV DE intimo naturæ opificio, Liber tertius.

VBI PERVENTVM est ad finẽ actionis naturalis, nulla est amplius resistentia,sed opus est perfectũ,& cõquiescit agẽs, uidelicet si etiã nũ supereſſet contentio in illo opere ac reluctatio,agẽs nõ quiesceret, quo ad eã sustulisset:quippe perfectũ nondũ esset opus,quod agẽs cupit. Nam ꝙ defessum otiatur, antequã opus perficiat, non cõsummat nec operis nec sui finis actionẽ,sed suarum uiriũ. Itaq; parata materia, sequitur ex natura ipsa parationis effectio,uel forma adiuncti citra omnẽ penitus laborem,non secus atq; in operatione naturali,tanquã ornata domo inducitur dominus, uel quæsitis instrumẽtis artifex.Neq; ars nostra ulterius progreditur,quàm quoad materies sit apta & cõcinna:ut pingendo aut struendo. Sed nos quemadmodũ perficiatur opus artis perspicimus,quoniã ars nostra:quemadmodũ opus naturæ nõ perspicimus,quoniã illa est dei,nos cõiunctione,& cõmistione,& detractione utimur extrorsus,natura in intimis uersatur: idcirco naturales ortus, auctus, cursus, diminutiones tacita sunt,& occulta omnia:nec prius intelliguntur,quàm sunt progressa:ut in cœlorũ agitatione, in mutationibus temporũ,ætatum,incremẽtis & damnis animantiũ, quæ fieri nemo potest deprehendere,facta intelligimus. Tum inter naturã & artẽ, hoc est discrimen quod natura perfecta actione, effectiones indit, quas habet munere dei ac lege, quã quum orbẽ conderet, sanxit:ars eis caret,quas si haberet,tam naturalia essent artis opera,nec minus suis partibus expleta,quàm naturæ:nunc uerò inchoatio nostri operis se prodit, quod illi deest effectio,id est, postrema illa absolutio & tanquam colophon,quod perspici potest in theriace,quam nos compositione inchoamus, natura uerò perficit operatione uirium suarum,quas uires commistis rebus indidit.Sed paratio materię non una est,& simplex:ut quum triticum in terra occatũ putrescit,hinc germinat,adolescit,inodatur geniculis, profert spicã,qui in medijs aptationibus uersantur,non dicuntur principes opifices,sed qui in postrema,quũ ultima manus additur,& opus relinquitur perfectũ:nam qui in officina pictoris colores terunt,& tabel

las

las leuigãt,& carbone imaginẽ delineãt monogrammã,nõ dicũtur pictores, ſed qui colores inducunt,qui adumbrant,& quendã uelut motũ,uigoremq; ac ſpiritũ addũt picturæ,quæ eſt ceu effectionis ſimilitudo quædã & imago. Eſt actio quæ relinquit poſt ſe effectũ aliquid,ut cuius finis nõ eſt eadẽ ipſa actio,ſicut in extructura ędium: eſt alia quę ſui met eſt finis,ut cantus in cicada:nam in homine delectatio uidetur peti,& in delectatione refectio uiriũ corporis uel animi. Effecta ſunt nõnulla cauſis ſimilia,ut homo hominis,calor caloris,quę paria uel ſimilia nominãtur,uel etiam germana,& cognomina,& cõformia:alia diſſimilia,ut ex igne cõpreſſo in luto, collatio in cera,quæ uocentur diſparia,diſſona,abſimilia,difformia.Alia effecta ſimul naſcuntur cum ſuis cauſis,ut lux cum ſole,calor cũ igne:alia pòſt,ut homo poſt hominẽ.Alia nõ diutius exiſtunt quàm cauſa eſt prẹſens,ut lux ſolis,imago in ſpeculo:de quorum numero ſunt res omnes conditæ, quas Deus ſalutari ſua præſentia à caſu in nihilũ defendit.Sunt quæ remanẽt quidẽ,ſed amota cauſa cõtinuo flacceſcunt:ſicut calor quem ignis reliquit, & motus rotæ digreſſo uertente: alij ex cauſa non pendent, ut animantia,ab animãtibus genita.Sed iam de operibus naturę cõcretis loquamur, nempe quæ ex materie illa rudi, & effectione intelligũtur cõflari.Eſt inter hęc quod ubi cõditũ eſt ſiſtit,ut lapides,gẽmæ:quæ ſunt ſanè rara. Nam creſcunt pleraq; omnia,quippe quæ ex paruis admodum initijs uidemus adoleſcere: quocirca elementa prona ſunt ad mutuam migrationẽ,labuntur,tranſeunt,permutantur facilè, quo ſuppetat rebus omnibus alimentorum copia: & quod relictum eſt ab uno, in alterius ius ac naturam concedat:quoniam noua materies mundo non accedit,ex uetere omnia pinſuntur,non tamen pari aluntur modo,alia quandiu ſunt aluntur,creſcunt,decreſcunt:quædã non ſemper:priora ſunt plantæ,& animalia: poſteriora ſunt metalla, ſaxa,alumen,ſulphur,lignum uel ab arbore deciſum, uel à terra euulſum, aut os animali demptum.Quæ aluntur,uel additione ad prius totum dilatantur, ut metalla, & calculi:uel ſubitu atq; inſinuatione materiæ occulta,ut animantes,& ſtirpes.Quocirca hęc cõuenit meatus tum plures habere,tum ampliores etiam,per quos nutrimentum commeet:ſed nec ita apertos tamen ac directos, ut quod inditum ſit, continuo tranſcurrat. Alendi uis ac facultas paulatim demutat eſcam in ſimilitudinem corporis naturæ ſuæ,quo ex gradu breuis eſt ad corpus ipſum tranſitus, nempe inter conformia:ideo dicitur uiuentia ex eiſdem fieri & ali:niſi enim ita cõuertatur cibus,non aletur uiuens, ut in quibus affecta eſt uis illa & debilitata. Hinc adoleſcunt uiuentia uſq; ad certã quãdam metam:poſtquã recurrunt,& diminuuntur. Sed alimẽta quantum efficere poſſunt per uim nutricem,ſarciunt,ac reparant, quod detrimenti eſt acceptum.Semper quidem uiuenti corpori detrahitur aliquid à calore naturaliter inſito,ſed minus tamen,uſq; ad illum creſcendi limitem,quàm ſit additum,ſi modo non deſit paſtus cõueniens.At uerò quemadmodũ rite cõpoſito ac librato horologo automato,uis illi & poteſtas eſt ab artifice inſtructa certo aliquo temporis ſpatio horas pulſandi,aut ſignandi:quæ uis ſtatis dimenſisq; interuallis ſe explicans profert, atq; oſtendit:haud aliter unaquæq; res uictura in prima conſtitutione originis ſuæ facultatem à natura accipit ad certos uiriũ,uigoris,incremẽti numeros,quos ratis tẽporibus per gradus ſuos explicat:uelut quum porrigit mẽbra,quum amplificat robur:ut in minutiſſimo corpore magnũ illud quod deinceps intuemur,latuiſſe credas: uelut fruges,poma,ingentes arbores,homines,elephantos, in tam exiguis ſeminibus præceſſiſſe,quę omnia nõ temere ſunt iacta & caſui ad indefinitum atq; incertũ aliquid quaſi cõmendata,ſed eorũ omniũ dimenſus in ſemine atq; ipſa origine à natura ſunt præſcripti: ut quibus curæ fuit hæc animaduertere inſpecto ſemine aut animante recens orto,facile prædicant,quos deinceps auctus,quas uires,quam ualetudinẽ habiturum ſit.Hoc tamen artifex & natura diſtant,quod ille horologiũ inſtructum relinquit,natura opus ſuũ nunquã deſerit,ſemper comitatur,ſeu uerius ducit:tantum initio fundamenta iacit operis deinceps futuri,& quaſi in exiguo ſpatio delineat cuiuſmodi uelit illud euadere.Res omnes ad ſtatum naturæ ſuæ faſtigium progreſſæ inſiſtunt aliquantiſper,prius quàm retro abeant.Muta enim inter duos cõtrarios motus

intercedit à nihilo ad certum aliquid,& ab hoc retro in nihilū, in quo intērstitio pugnat natura cum uiolentia, seu potius duæ naturæ inter se euectrix ad aliquid, & deductrix ad nihilum,prior enim quæ ascensum promouit,laborat conseruare, in quo statuit loco,at quæ descensum molitus,laborat reducere ad locū unde res est desumpta:sed hæc uincit,nempe naturalior, quoniam ex origine profecta cōsistentia eo est diuturnior,quo cōtentio est maior:uincēte autē natura nihili res deorsum reuoluuntur,partim æquis gradibus,quib.ascēderāt, partim lentioribus,partim plenioribus.prout ualida est natura alicuius.Sed quum nō procul uentū est ab exitu, uehemēter fracto atq; extenuato fulcimento prioris naturę, inualescit natura nihili,quę est originis cuiusq; rei:& citatissime rapit effectionē ad idē nihilū,unde erat desumpta.Nec singulę modo rerū,sed species quoq; crescendi ac minuēdi habēt terminos ratos definitosq; à natura. Neq; enim in mole ac incremento eorū quæ dilatantur in infinitū est abire, nec cohiberi ad minimum,sub quo nihil sit amplius:ergo meta est aliqua posita, & à certo ac prouido opifice certa ac definita. Siquidem equi effectio nec tam ingentem ualet occupare molem,quàm sunt Pyrenæi aut alpes:nec tam parua coerceri,ac constringi, quàm pulex. Nam in omni coniunctione effectionis cū materia adhiberi solent quædā inhærentia, quibus ceu instrumentis effectio ad exercendas suas uires utatur:ab effectione est astrictio,ab inhærētibus dilatatio. Potest enim & asini & equi effectio in leuissima poni minutie: potest & anima rationalis in puncto insectili: sed inhærentia per quæ uitę functiones obit,materiam exigunt extensam:cōtrà uerò inhærentia prorogari ac diffundi latissimè possunt,nempe adiunctione similium: effectio uerò quæ potentiæ est terminatæ dilatare se tantopere, ac uires suas per tantum spatium porrigere non potest.Ex quibus licet deprehendere, quàm diuersæ res sint effectio opifex, & effectioni instrumenta adiuncta. Nec solum magnitudinem aliquam materiæ inhærentium exercitatio postulat,sed densitatem quoq;, & constipationem certam,in qua tantum ualeat cogi uirium,quod agendum aut patiendū sufficiat.Itaq; non in quantumcunq; rara materie fungetur suis muneribus equi uel leonis anima,nec quantumcunq; pressa & densa : quippe in extenuata parū erit uirium ad agendum,in densa ad patiendum:quæ duo necessaria sunt ijs,quæ aluntur, & augentur.Quanto uires, & facultates corporales subtiliores sunt, & magis quasi spiritales,minus indigent materie ad sui exercitationem,& efficiendum aliquid:cuius est generis uis ignis, & eorum omnium quæ resipiunt illius naturam,atque ingenium, ut uenena calida,& gemmæ:non quin in maiori materia & spissiore potentiores sint, sed quod in exigua & prętenui id uigoris obtineant,ut facilè se ostendant,& cognoscatur illa inesse: cæterùm in tam minuta ramēta gemmam contriueris,aut uenenum tenueris,uel in tam rara materia ignem accenderis, ut insensibile uestigium relinquatur efficaciæ.Nam uires illæ sicut insectiles non sunt,ita detrahendo, uel tenuiter extendendo ad eam imbecillitatem possunt redigi, ut consopiantur penitus tanquam emortuæ: quod uidemus aquæ contingere, cuius humectatio non percipitur uel in gutta minutissima,uel in euaporatione ualde rarefacta. Non sunt ijdem formarū omnium limites,nec eiusdem ultro & citro certi,nobis utiq;: nec fortasis à natura in individuo quodam puncto collocati,sed latitudinem habent. Et sicut substantiæ crescunt,ita etiam adiuncta illarum:in quibus uel extensio consideratur,uel intentio, & quædam altitudo,ac quasi infectionis saturitas : in extensionem metam non habent sursum, deorsum habent, in profundo uerò utrinque: quoniam in extensione augescunt applicando,quod est infinitum : in intensione uiribus, quæ sunt finitæ. etenim adiungendę materiæ nullus est modus,detrahendæ est aliquis,ut illud possit hærere: profundum uerò per incrementum fit uirium,quibus aliquid esse extremum est necesse: ita uidemus candorem aliquem quo nihil fieri posset candidius,dulcorē, quo nihil dulcius.in altero uerò extremo si uehementer diluatur color, aut quodcunque aliud inhærens flaccescat, perdit formæ illius nomen:citius quidem censuræ nostræ, quàm naturæ rerū,sed ipsi quoq; aliquando.Eæ res,quibus nihil est alieni admistum, puræ nominantur:quę etiam simplices,& interdū merę,ut medicina simplex,aurum purum,

purum,odor muſci merus. Alienum eſt quod naturæ cuiuſq; compoſitionis non eſt neceſſarium,nec refert, etiam ſi ſemper inuenſatur coniunctum: ſatis eſt non eſſe de ratione illius temperamenti ac eſſentiæ:rationẽ eam dico, quam natura in ſpecie conſtituit: qua mente dicere conſueuimus nuſquam inueniri aquam, uel terram puram aut quid ſimile:& medici tertianam febrem aut quartanã puram aliam uocant,quandam non puram. Tranſit hic loquendi mos ad artes hominum, ut pura ſint, quibus nihil eſt additum,quod artis ratio addi non iubeat: ſicut theriacam puram aut nõ puram,cui abſynthiũ ſit admiſtum,uel menta:hoc enim adijci ars nõ prȩcipit. Miſtum non uno modo dicitur,nam eſt & quod de multis cõflatur,ut homo,ut pharmacum, & cui purũ eſt cõtrariũ,de quo loquebar modo:ſic mythridaticum aliâs purũ ac ſimplex nominatur,aliâs miſtum.Quod ſi adiunctum ſit peius,reddit ens corruptum ſiue deprauatũ.Quum uerò in procreatione ſimilium,quod genitum eſt gignente apparet peius,degeneratio nominatur: quod in adhærente potiſsimum,ſed in eſſentia quoq; non raro accidit:uelut in frugibus,in ſeminio animãtium,in hominibus:idq; fit uel ex eodem ipſo generante prius deprauato,ut quum ex ualente cane imbecillus naſcitur in morbo parentum progenitus:quum ex ouo aquilæ accipiter,ex ouo accipitris coccyx aut miluus:phaſellum ſi in hoc ſolo ſeueris,uicias colliges.uel ex praua qualitate accedente,dum fingitur & naſcitur:uelut quum optimum frumentũ ab immodicis humoribus in auenam mutatur.uel poſt natum à qualitate ſoli,cœli, uictus,à moribus & conſuefactione:ut capræ illæ interioris Aſiæ,ex quibus fit caprinum ſericum undis pictum,ſi in citeriorem Aſiam,aut in Ægades inſulas tranſportentur,bonitatem pili perdunt:earum autem ſoboles aliis indigenis omnino eſt ſimilis,canes ſi aſſueſcant domi iacere,& de aulicocijs uel menſæ analectis paſci,licet parentibus uenatoribus nati ingenium mutãt:quod in illis duobus canibus Lycurgus Spartanis monſtrauit.Res uniuerſæ deſumptæ ſunt è nihilo,& pleræq; illarum execrationi ſubditæ propter noxam hominis earum domini, ita non ſolum uergunt ad nihilum,ſed etiam quia deprauatæ,celerius eò feruntur,impellente deteriore illo admiſto.Quare ſi nulla adhibeatur cura & diligẽtia,hoc eſt,ſi quieſcant,& torpeant,occaſionem præbent,ut peius illud ad corruptionem inualeſcat.Ita aquæ immotæ cœnum contrahunt,terræ ſqualorem ac ſitum,aurũ obducitur ſcoria,frumenta acerres infeſtant,& his nocentior gurgulio:humanum corpus uexatur morbis,& animo noſtro multum ſeſe beſtiæ,ac bruti inſinuat,nempe ingenio torpenti ignorãtia,inertia, ſtupor:rationi & iudicio imprudentia ac impetus:quod fit quum in otio iacuit ratio diu languens ac diſſoluta,affectib.uerò impulſorib.geſta ſunt omnia,quo quid aliud eſt eſſe belluam? Artes etiam deprauãtur deſidia.Exercitijs purgãtur omnia,& uirescunt:ignis,aqua,terræ,frumẽta,libri,ueſtes,ædes.Idcirco Anneus Seneca prouidentiam ait,& diſpoſitorem mundi Deum aera dediſſe uentis agitandũ,illosq; ab omni parte iuſſiſſe ſpirare,ne quid remaneret ſitu ſqualidum & torpens.Euentilatio uegetat ſtirpes,euannatio mundat,conſeruatq; fruges.Exercitatio purgat aurum,argentum,ferrum. Exercitatio corroborat animantium corpora. Exercitatio animos noſtros ad humanitatem,omnemq; ſapiẽtiam excolit:& inhumanæ ſunt nationes illæ, quæ ſub cœli cardinibus torpentes ſocordiam ipſæ ſuam deſidendo augent.Sapienter in Theæteto Plato,motus inquit,facit uideri gigni rem,& eſſe:quies autem non eſſe,atq; interire.Agitatio enim & confrictio foris quidem noxia & damnoſa,quæ ſe extrinſecus continenter rei applicant,excutit,nec ſinit affigi,intus uerò quæ illuc ſeſe inſinuarant, concutit,ac reuellit: calorem autem ſalutarem tum deterſis ſordibus & tanquam exteriore quodam frigore purgat, ac proinde acuit,tum abditum elicit, & conſopitũ exuſcitat:qui inuadens in inimica abſumit illa,& tanto facilius,quòd ea iam ex cõcuſſu luxata minus adhærebãt rei.quies uerò per ceſſationẽ caloris ſinit frigus inualeſcere:quod nõ repugnãs cõtrarijs præbet multis corrũpentibus occaſionẽ & locum,unde res perimitur:magno & mirabili documẽto uiuificari per calorẽ corpora;mentes uerò per charitatẽ:frigore autẽ cõtabeſcere,ac interire.Quȩcũq; natura hoc agit fine,ut effectionẽ,ſeu formã importet,obiter priorẽ tollit,cum qua manere nequit,

nequit, quam uult inducere. Quocirca agentia naturalia non directe corrumpunt, tanquam is sit eorum finis, sed oblique, quòd aliter nō queunt quod destinarūt perficere: effectioni quidē nihil est pugnās, sed ijs qualitatibus formisq; quæ materiam ut effectioni apta fiat temperant, & quasi pinsunt, & sine quibus durare nequit effectio in materie, sicut homo in domicilio supellectili denudato. Nā quæ sunt in natura inimicitiæ hostiles, ut uulpi & cygno, tum amicitiæ, ut palumbi & perdici, quas historici naturæ persequuntur, etsi inter effectiones uidētur exerceri in cuncta specie, reuera inter illas sunt solum contemperationes materiæ, haud secus quàm inter homines ignotos primo occursu, & inter uenenū, & animal: scilicet qualitates petit uenenum, nēpe calorē frigus, humorē ariditas, et has uitiat, unde sequitur uiuētis mors: nam necesse est effectionem instrumentis & cuncto ornatu destitutā loco cedere. Non abnuo quin interdū agens uoluntarium malitia sua tantummodo spectet interitū rei: sed nos de naturalibus loquimur. Omnis actio contra rem uel incumbit extrinsecus, ut opprimens, ac comburens: uel intrinsecus quidem adoritur: insinuat se tamen ad penitiora, ut cibus, & uenenum, & caries, deniq; sua in quaque re uitia: aut intus est suborta, quoniam compositio rei ex contrarijs miscetur, foris uenienti quod plus habet roboris non ad agendum, sed renitendum, magis obsistit, ac proinde diuturnius sese conseruat, cuiusmodi sunt frigus, & ariditas. quod uerò irrepit ac se insinuat, si pugnam intus reperit, alterutri se adiungit parti, nempe conformiori suo ingenio, atque ita prægrauat alteram: unde temperatura illa damnum accipit. Temperatura enim ut harmonia, in rata quadam libratione partium est sita. Libratione disturbata, & temperaturam disturbari est necesse. Quapropter subueniēdum semper est laboranti, quod uelimus conseruatum. Nam ut actioni ac passioni omni difficultas est adiuncta, & ea de causa labor, continuatione illa agendi aut patiendi deteruntur ac delassantur uires: quas uel augeri conuenit, uel conseruari, uel saltem reparari. Augentur ijs rebus auctis & cōfirmatis, in quibus sedes est uirium: ut in animali neruis, qui torpescunt humore nimio, frigore contrahuntur, excitantur, & dilatātur calore moderato: ideo exercitatio multum cōfert ad uires, tum propter calorem, tum etiā propter assuefactionē, qua succus & spiritus uigoris eliciuntur ad neruos, tanquā alueo aperto, quo diximus omnia defluere, in animatis potissimum. Conseruantur uires si à contrario, & corrumpente uendicantur. Reparantur, atq; instaurantur, si quantum amissum sit, resarcitur: quod fit uel foris uel medicinis, & unctionibus, & fomentis, & alimento iniecto: aut intus sublato obice, ut cruditate, si ea oberat, & sumministrato salutari succo, ut brachijs fossoris, cruribus cursoris, cerebro studiosi. Internū fomentum est quies post laborem, sicuti Poeta ille dicit:

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat uires, fessaq; membra nouat.

Quanquam hoc non præstat quies, qua est laboris cessatio: neque priuatione sola fit refectio, quę priuatio ex se nihil est, sed adiectu & positu, nempe diffusione succi per concoctionē, & collectione eius in otio, in quo uires quod circa inimicū pellendum non sunt occupatæ, uacare possunt accersendis undiq;, quibus coadunatione atq; auxilio stabiliātur: ratione hac stomachi uires studio debilitatæ recreātur, ac reficiuntur quiete: eadem in laborante ingenio, in agro, in arcu: in quo tenso neruus & lignū continenter laborant, dum uterq; in alterum tanquam uiolentum contrà nititur. Quòd si crebro faculeris, atteruntur agitatione, & disgregantur partes: sin remittas, cogūtur, et coadunantur. Verū in rebus omnibus postquā ad metam illam, quo cursu & alacritate sua progredi uis naturæ potest, peruentum est, consumpto in unoquoq; uigore potentiæ, remanet nihilo secius inimicus, & pugna interitum minans: quo loco uires tanopere defessæ & afflictæ, nunquam usq; possunt aliunde fulciri, atq; adiuuari, quin plus semper sit quod perit, quàm quod restituitur. Nam hostis semper est recēs, uires autē de cōtentione fatigatę. Ita sensim ad casum nutāt, magnāq; corruptioni fenestrā aperiūt. Hic firmitatis defectus, quū nō subita ui aliqua & prærapida, sed sensim, & tanquā naturaliter post peractū uigoris iter irrepit, senium nominatur: quod

iter

iter alijs breuius datum est,alijs longius. quę distinctio etiam ijs contingit,quę sunt eiusdem formæ,ut hominibus,equis, prunis, cerasis,mentis,petroselinis: nonnulla etiam habent breuius,quàm ferebat ratio primarum uirium,ac ualentiæ à natura ingenitarum,quoniã aliquid illis accidit,quod eas affligeret,ac debilitaret, ut citeriore termino defatigatæ consistendũ haberent:quod euenit morbis corporis,ægritudine animi,immodicis laboribus,usu Veneris:denicp omnia quę ad ualetudinis rationem faciunt,ad senium quocp. Quæ res pugnam in se elementorum maiorem habent,magis sunt & mutationibus & casui obnoxia:ut omnia uiuentia,& de uiuẽtibus animalia:in hiscp manifestius est seniũ,in quibus uarietates & permutationes uidemus crebriores,magiscp ad admirationem notabiles. Et quando animi humani uisum,quæ phantasia nominatur à corpore tam uariabili regitur,uisum autem iudiciũ mentis agitat,fit ut magnas subinde uarietates ac mutationes in hominum sententijs ac uoluntatibus animaduertamus,ac proinde in humanis operibus,quæ ab illis oriuntur. In quibus non tantus est conflictus aduersorum sicut in inanimis,uariatio quidem longe minor,ac rarior,sed ferè est aliqua:ubi autem pugnãtium minor est temperatio,ibi firmitas ac stabilitas diuturnior:tanquam in saxis,auro,argento,ferro,gemmis. Quæ res fini est uicina uelut naturali quodam impulsu in præceps à natura datur,quę tum hoc rapit ad nihilum,tum materiam concinnauit iam,atque aptauit nouo enti,quod ilico existet. Cæterũ cũ naturali actione effectio expellitur,& iamiam abit,ad postremam luctam,& uelut dimicationẽ de summa rerum uires omnes suas reliquas foras euocat,quæ antea in intimis erant reconditæ & affixæ,unde corroborari appareat,et quasi reuiuiscere:quod in igne uidemus contingere,& morbis animãtium,sed eo impetu à fortiore ui compresso,ac cohibito,statim effectio exarmata penitus excedit. Inhærentium alia sunt natiua,quę simul cum re nascuntur,ut in igne calor,partim uel ex facultate rei accedunt,ut in homine scire aliquid,prouidere,scribere,uel causa quapiam externa. Tum alia paulatim prodeunt,& augentur,sicuti prudentia,uitium,uirtus,& sensilia:nõnulla subito & tanquam temporis momento,sicut paternitas. Sunt quædam sempiterna,ut natiua,quæ uim non admittunt: frigus tolli potest ex aqua, ex niue non potest,quemadmodũ necp ex igne calor,& omnes effectionis uires. Singula adiuncta nulla sunt perpetua,ut hic calor,hoc frigus. in specie possunt esse talia, ut calor frigus in igne & niue. sunt multa non natiua perpetua,multa diuturna. in utrocp genere infecturę,& consuetudines animi reponũtur,quędam breuis sunt temporis,ut calor aquæ igne amoto. quædam momẽtanea,ut rubor ex pudore,pallor ex terrore uano. Ad eundem modum alia accidentia tolluntur subito,ut paternitas. alia paulatim recedunt,sicut uenerant,siue contrarijs de causis,candor cõtractus frigore, calore eluitur,siue priuatione atcp absentia causę,uelut calor presentia ignis genitus, separatione paulatim restinguitur. sic animi assuefactiones desuetudine exolescunt primum,tandem abolentur,quasi obstructione elicis,per quam humor solebat decurrere. Quędam sola mora euanescunt,ut plerique animorum motus. quędam diuersas habent causas,uelut proferendi,ac subducendi sui,quas persequi nemo posset. Perpetua nisi subiecto pereunte,non pereunt. subiecto enim ablato,non solum perpetua,sed quęcunce inhęrentia extinguntur. Diligenter tamen intuẽdum quodnam sit cuiusque inhęrentis uerum & germanum subiectum,in quo situm sit,ne fallamur. Quandoquidem alia in effectione sola sunt affixa,quomodo in homine intelligere,in gemmis,in herbis,ac stirpibus,in animantibus uires illę multas ad res utiles. quę licet non exercentur sine mole,non sunt illius tamen, sed effectionis, quę sunt talia,ilicò cum effectione penitus fugiunt. alia sunt in materie per effectionem, ut in igne calor. hęc sublata effectione restant aliquantisper,sensim tamen uanescunt, ut calor animantis,haud aliter quàm rota eo cessante,qui conuertit. Quòd si sequens effectio non respuit eius formę adiuncta, conseruantur ea in materie,dum prior effectio aboletur,& effectionis nouę aduentu confirmantur, cuiusmodi sunt omnia penè sensilia. Hęrent nonnulla in copulatione materię, ac effectionis,seu formę, quod genus sunt sensiones, quæ quum illa duo dissoluuntur, & ipsa intereunt:

quędam

quædam materiæ ſunt infixa,ſed per quantitatem,ut omnia quæ ad figuram & formam pertinent:quæ pereunt uariata quantitate, ut triangulus,quadrangulus,rectũ, obliquũ,ſonus,quæ eſt uelut forma quædam aëri impreſſa,ita diſſipato aëre uel conquieſcit ſonus,uel notam aliam recipit: cuius rei exemplo ſunt uoces in uento. Sunt quæ in effectionem tranſeunt,ſed per materiem,& à materie,ut uiolenta agitatio,hęc quamuis effectio intereat,manent tamen,ut quũ homo in fluctibus ſuffocatur. Quæ adiuncta originem habent foris,utpote quæ per collationem dicũtur, poſſunt extrin ſecus perire, manente fundamento: ut paternitas filio mortuo. poſſunt quidem alijs multis de cauſis naſci & corrumpi adhærentia,ſed nos de eorum modo cum ſuis ſubiectis interitu uerba fecimus. Habet quicquid agit finem aliquem, quem ſibi quaſi ſcopum propoſuit:ad eum ubi peruenit,opus eſt. ei perfectum:tum ceſſat, aut ſe aliò conuertit,uidelicet ad aliud genus operis,aut in eodem ipſo opere ad aliud genus actionis: ut poſtquàm factus eſt homo, expletum eſt hoc opus naturæ in eſſentia:ad ornamẽta eius & incrementa ſeſe transfert,curat ut fiat maior,ut facultates quas ipſa eſt elargita,in uſum aliquem proferat:huc enim à natura inducitur,& occulto ſtimulo inſtigatur. Quo res fini poſtremò propius accedit,hoc eſt perfectior,ut in pictura, in colore,in ſapientia,in uirtute,in homine,quando corporatur in utero. Sed diuerſarum rerum diuerſi ſunt fines:ſunt noſtri,ſunt naturæ,id eſt,cauſarum naturaliũ,& huiuſce uis per uniuerſum extẽtæ diffuſæq;. Sunt dei. Arbor deo,ac naturæ opus eſt abſolutum,non ſtatuario,uel nauiculatori. homo qui unimanus naſcitur,uel ſedigitus imperfectus eſt naturæ, ſicuti eidem fœmina imperfectus eſt uir, quippe natura ad optimum in unaquaq; ſpecie intendit,idcirco & in humana ad uirum:nec fœminam niſi defecta uiribus gignit. Eſt quidem perfecta fœmina,non tamen perfectus homo. itaq; abſolutum & perfectum ad comparationem dicitur,ut perfectum enthymema, imperfectus ſyllogiſmus:abſolutus uir polyticus,inchoatus philoſophus. Dei,ut eſt in ſacris literis,perfecta ſunt opera:huic omnia ſunt cõſummata,& ſuis omnibus partibus expleta,atq; hac ipſa de cauſa,bona etiam:uidelicet bonum eſt cuiq; quòd ipſe uult aut tanquam finem,aut tanquam ad finem. Neq; enim uoluntas & appetitus omnis aliò fertur,quàm ad boni rationem ac ſpeciem:itaq; finis,& quæ ad finem ſpectãt boni ſemper faciem ac formam obtinent. Idcirco in ſacra hiſtoria dicitur, Vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant ualde bona:quod Plato in Timæo ſecutus dicit opificem naturæ,quum cõtemplatus eſſet abſolutum,perfuſum eſſe lætitia,illudq; approbaſſe: uidelicet rebus omnibus adhæſit aliquid ex ingenio cauſæ eius, qua mũdus eſt procreatus,nempe bonitatis Dei,quæ illum ad nouam hanc molitionem adduxit. Nobis ut diuerſi ſunt fines,ita & diuerſæ perfectiones ac bonitates,tum aliq; alio tempore. Hominem Deus in hoc mundo collocauit,inſtruxitq;,quibus opus eſſet ad nanciſcendam felicitatẽ immortalem. Ergo perfectus homo eſt Deo,qui ad hunc modum eſt adornatus: perfectus uerò ſibi,qui iam æternitate perfruitur, & quo illi propior, hoc perfectior: perfectus eſt nemo,quamdiu æuum hoc degit. Sed uir bonus qui in ſtadio ſeſe exercet pietatis, magis indies perficitur, donec per fidem & agnitionem filij Dei occurrat in uirum perfectum,in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: & uniatur imperfectum perfectioni uel quæ cogitari poteſt,ſummæ. Perfectio non raro pro excellentia & pręſtantia uſurpatur,de qua eſt nonnihil dicendum. In pręſtantijs oportet eſſe normam aliquam,qua cenſeantur: nam aliter quę quibus pręſtent,dici non poterit. Ac quemadmodum rectum menſura eſt & ſui & obliqui,non econtrario obliquum recti aut ſui,ſiquidem rectum unum eſt,ſimplex,& ſui ſimile:obliquũ uarium,diſſimile, multiplex:ita excellens minus excellentis erit menſura,non uerſa uice. Quippe non aliter iudicatur imperfectum,quàm per diſtantiam à perfecto. Imperfectum ergo reflexim eſt interdum abſoluti norma:ut pręſtans & ſui,& uilioris norma eſt recte,ac ſimpliciter. Quumq; alia alijs pręſtent,neceſſe eſt aliquid eſſe omnium excelſiſsimum,unde reliqua & excellentias ſuas mutuentur,& excellentiarum menſuram. At quando excellentię nihil ſunt aliud,quàm bona quędam cuiuſq; naturæ attributa munera,illic eſſe oportet excellentiarum fontem,unde in reliqua quic-

quid eſt

quid est boni, dimanat, nempe in optimo, qui alijs rebus omnibus largitur bona, non de alieno, sed de suo: qui est ipsa etiam bonitas, quã ex se possidet, non ex alio, aut per aliud. Adeo ut uel ipsius umbram & simulachrũ quoddam assequi bonum efficiat. quòd si uel sola eius similitudo bona reddit entia, multisq; excellẽtijs cumulata, quãtam existimari excellentiam illam par est? Infinita est nimirum eiusmodi præstantia, multisq; rationibus ab ingenijs nostris enumerata, ut complures esse uideantur. Sed quæ cum rebus conditis cõmunicatæ sunt, eæ cõsiderantur, quas habet ut conditor, nempe ut causa operis, uidelicet & quæ creauit, & propter quã est creatũ. De tantis arcanis, & tam sanis mysterijs modice loquendũ est, ac reuerenter, ne alicubi uel per prauitatẽ sensus, quod ille auertat, labamur, uel per imperitiã uerborum. Causa condendi mundi efficiens fuit eius bonitas, finis beatitas: nam quòd felicissimum se uidebat esse, et quòd bonus esset, uoluit alia etiam procreare, quibus beatitatẽ suam impartiretur. Est ille per se felicissimus, nec felicitatem suam aliunde accipit: nec uices ullas sentit felicitatis, ut uel loco aliquo, uel tempore quicquam felicitati accedat, aut decedat: una essentia, una beatitudo, simplex & sui semper similis, neque enim summa esset felicitas, quæ augeri posset: nec in ea summa lætitia, quę uices reciperet incrementi ac decrementi. Nec certe est aliquid unde possit mutari, de quo in sanctis oraculis legitur: Ego Deus, & non mutor. Apostolus Iacobus docet, apud Deum non esse ui cissitudinis obumbrationem: & Plato æternã illam pulchritudinem nullas uices ait recipere: nec in illa purissima bonitate cupido est nocendi ulla: qui enim lædit ur, à seipso lædit ur, non à Deo. nam si ad illum accedit, iuuatur, nempe à uicino bono: sin ab eo recedit, lædit ur, nempe à uicino malo. Communicat uerò se, quantum quicq; pro modo suo posset capere: paratusq; est cuicunq; quantum id uelit & possit: atq; ut declaret communicare se & uelit, & possit, si quis modo capiat, gignit similem sibi per omnia: & cum eo nexu utriq; per omnia simili se coniungit: in quo magna præbetur nobis fiducia, cuiusmodi futuri sumus cum illo in immortalitate. Scilicet filij et patris connexio, exemplar est, quo cognoscamus cuiusmodi nostra futura sit: quod Christus ipse declarauit, quũ à patre suo petit, ut sint unum quemadmodum nos sumus. nec bonus esset, nec felicitatem suam cognosceret, nisi uim haberet cognoscendi, & intelligendi: neq; aliter uellet se communicare, neu iucunda esset nobis illius cõmunicatio, si brutum esset, aut torpens. ad hæc sapientẽ esse necesse est, tum ad uiam communicationis inueniendã, tum quòd nõ esset absoluta beatitudo ex cõiunctione insipientis. Nec ullum potest esse bonum in re mortua, nec solida felicitas cum mortuo uersari: uiuit ergo, et quidem nunquam senescens: quum nec intus habeat, unde possit affici, qui sit omnino Deus: nec exterius queat existere, quum extra illum nihil sit nisi ab eo cõditum, & quod eius sola uoluntate perseueret. Immortalis igitur est, nec unquã beatitudo nostra deficiet: nec beatitudo esset timentibus illius casum: idcirco illi una terræ ac cœlorum uoce acclamatur, Tu autem idem ipse es, & anni tui nõ deficient. Est uis infinita, ut qui illo uno confidunt, quiq; illius sunt participes, certi sint, habituros se quicquid cupiant: nec aliquid posse interuenire, quod illorum gaudiũ perturbet: quum infinita uis eos tueatur. Merito Timæus & Plato inducũt autorem diuorum pollicentem diuis immortales illos futuros, non quidem natura ipsorum, sed consilio suo: quod potentius sit, quacunq; fraude ac damno: & Dominus noster confirmat eos qui ad se uenerint, neminem erepturum de manu sua. Quippe uis illius uoluntati est par: imò uis & facultas nihil est aliud, quàm uoluntas: de quo scriptũ est, Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Et facultas hæc tanta nullo est otio alternata, sed actus est merus, nunquam interquiescens. Nam si esset magis, tum oporteret nos qui illi essemus coniũcti, interdum cessare: ita beatitudo nostra ut quæ uices reciperet, non esset perpetua. Agit etiam expedite omnia. nulla eum difficultas attingit, nullus labor: nihil enim aut laborans, aut impeditum, aut in difficultates confectum, felix est: nec qui illius est particeps beatus, qualis esset nostra beatitudo delassata: sed nec unde defatigetur habet, quãdo omnia quod ille uult, agunt naturaliter, ut ostendi. Quòd si actus est purus, nihil admiscetur ei potestatis, & tanquã materiæ;

quo fit,ut quoniam ſine poteſtate cognoſcit, ſumme cognoſcat:impedit nanq; cognitionem poteſtas.Idcirco de illo ſcriptum eſt,omnia eſſe nuda & aperta coram oculis illius.Quapropter uenire nobis in mentem non poteſt,quo minus ſumme ſit ſapiens:quippe cuius intelligentiam nihil uel retardat,uel interturbat: quocirca nulla res eum poteſt fallere.Poſtremo quod fundamentum eſt omnium,uere ac abſolute eſt,à quo,& per quem reliqua ſunt:ergo à capite omnia generatim colligentes excellentiæ in eo hæ connumerantur, bonitas,beatitudo, immutabilitas,communicatio ſui, generatio,cognitio,ſapientia,uiuere,nec unquam ſeneſcere,immortalitas, uis,actus purus,actio expedita,eſſentia.Cui hæc adſunt tanta & tam admiranda bona, quibus nihil uel fingi poteſt maius,pulchrius,præſtabilius,eum neceſſe eſt ſeipſo eſſe cõtentum, ſuóque ſtatu acquieſcere, ac proinde infinite eſſe beatius,quàm nos explicare poſſumus,uel etiam cogitare:quin & nos etiam futuros beatiſſimos ſi in conſortium admittamur uel tenuiſſimæ particulæ tantæ beatitudinis.Sed non ſentiẽdum eſt præſtantias has uel re,uel ſpecie ac ratione aliqua,diſtingui in deo:una eſt modo quæ capit omnes,& ea eſt unaquęque illarum.Scilicet bonitas eſt omnes,& immutabilitas eſt omnes,& generatio eſt omnes,& actus purus omnes,atq; ad eundem in modum de reliquis:non per confuſionem aut permiſtionem,ſed per ſimplicitatem,& unitatem ſanctæ illius eſſentiæ:nos uero ad noſtram intelligentiam,& loquendi commoditatem ſeparamus.Quæ nos de diuino illo & omnipotẽti numine cum omni ueneratione ſentire fas iuſq; eſt,& ratio pręſcribit.Gradus inter has excellentias hoc modo eſt conſiderare,ut quando omnis excellentia in eo ſita eſt,cum illa excellentia immenſa coniungi,unde naſcitur beatitudo immarceſſibilis,id demum ſit excellentiſſimum,quod cum eo nos deuincit,atq; unum facit,quod eſt amor illius:nam amor rerum ſpiritalium eſt copula:ex amore naſcitur fiducia in eo ſolo,ut eum amemus,et illi uni fidamus,quãdoquidem uidemus nos & bonum & potentiſſimum amare:hæc appellatur bonitas,non illa,quæ à Deo generaliter per omnia,quæ condidit,eſt fuſa, ſed qua mens in ſimilitudinẽ quandam transformatur diuinę naturæ, quæ omnibus prodeſſe uult, nocere nemini, eiuſcemodi bonitas multas in partes diſtribuitur,de quo non eſt hic dicẽdi locus.Proxima eſt communicatio ſui,ſi quid habet utile, nam hoc maxime eſt cum bonitate coniunctum,nemini inuidere,ſua bona alijs impartiri. Hinc ſapientia conſequitur. Nam proximus gradus ad bene agere,eſt bene ſentire, ac ſapere de rebus.Neque ad ſapientiam niſi per intelligentiam uenitur:nec ad intelligentiam niſi per cognitionem tum animi internam,tum exteriorem ſenſuum,in ijs quidem certe,quæ ſenſus habent,ſicut in unoquoque noſtrum eſt uidere. Vita uero & uigor quidam initium eſt tanquam motus ad cognitionem.Generationis naturalis eſt cupiditas etiam ſine ſenſu,quæ eſt æmulatio generationis diuinę.Charitas uero fœtus altius ſpectat,nec eſt ſine ſenſu,qua imitamur nodum illum amoris,quo pater & filius connectuntur. Tum immortalitas uel certe diuturnitas uitæ eſt adiunctum. Sicut perſeuerantia eiuſdem ſtatus ac modi & immutabilitas ſine ſenio.Nam in his,quæ excellentiæ alias comprehendunt,ſuperiores ſunt, ut quæ plures habeant præſtantias: quæ ſine alijs eſſe poſſunt,inferiores ducuntur,ut quæ pauciores dudant. Sequitur iam uis & actio quæ ſine uita eſſe poteſt, quemadmodum & actio longa, expedita, minus delaſſabilis. Eſſentia, infimum eſt omnium quæ ſine alijs omnibus poteſt ſubſiſtere, ſine ipſa reliquorum nihil.Communicantur hæc creaturis, quantum ipſæ capiunt, larga quidem manu, quod eſt in Deo, ſed non amplius, quàm quod ualent recipere,& quo pacto ualent,quoniam excellẽtia Dei quum ad creaturam pertingit, ita fit in ea deprauata, & turbida, ut non ex fonte illo uideatur hauſta, ſed ex alio cœnoſo:ſicut aqua de liquidiſſimo fonte ſumpta,quum uitio amphoræ perturbatur, ex limo uidetur deprompta, non ex puro fonte. Quocirca perfectiones quæ ſunt in Deo, communicantur rebus conditis: & ex illis ſunt perfectiones,ſed imperfectę,ſi cum eiſdem conferantur in Deo exiſtentibus.Et in unaquaque excellentia degeneratio facile oſtenditur, uel ex collatione maioris in conditis rebus:ut cognitio bruti quàm degeneret,indicabitur, ſi quis admoueat humanam

nam conditionẽ:illa enim ultra uisum,seu phantasiam non progreditur:hæc uerò supra uisum se attollit,humanæ quoq; uitium ex angelica erit intelligere:nam nostra uaga,incerta est,operæ,ac negotij plena.Angelicam etiam facile degenerantem deprehenderimus,si paululum nos sustulerimus ad contemplationem diuinę.Deus lucem habet in se,& ex se,angelus à Deo mutuatur.Sed nos rem tantã figura aliqua ob oculos ponamus:imaginemur annulum aliquem,cuius signum imprimatur chartæ multiplici,expressiora sunt singula in prima charta,quã in secunda,& in hac,quàm in tertia,& ad hunc modum in cæteris,quousq; uentum sit ad postremas: in quibus imago quidem erit totius sigilli,sed confusa adeo,& perturbata,ut in genere potius dicas huius sigilli esse,quàm ut quicquam peculiare possis annotare,quin erit aliquã de postremis uel postrema ipsa.quæ potius habere imaginẽ sigilli alicuius dicetur, quàm huius aut illius,sed certe sigilli:nulla erit tamen,quę non aliquid retineat impressum: nam quæ nihil prorsum retinet,non est huius numeri.simile est huic si quis consideret circulos,quos in aqua efficit lapis immissus.Tales sunt perfectiones à Deo in creaturis consignatæ & impressæ, quantum ad earum distantiam attinet: quarum quæ propinquiores sunt Deo,expressius illius sigillum referũt:propinquiores uoco non loco,sed similitudine naturæ.quocirca alteram similitudinẽ sumamus fortassis aptiorem,non iam ex loco sed natura:obijciamus soli multa corpora uarie perspicua,nempe aquam puram & pellucidam,uitrum crystallum,laminam corneam,linteum,pannum lineum,ebur,lignum,saxum,ferrũ.Hic licebit intueri,quàm uario lumen transmittet:uidelicet per unumquodq;,ut est eius perspicuitas:eodem modo lux illa diuinæ excellentiæ uniuscuiusq; sese naturæ cõmunicat,quomodo ea est capax,& in alijs translucet radius,alia adumbrant:& umbra hæc densior est in minus perspicuis,& in solidissimis densissima, sicut quam lignum facit,uel saxum.



Poterimus fingere ad figuram aliquam angulum acutum, cuius lineę in infinitum abeant,hunc esse deum:creaturas in eo angulo aliquousq; progredi, ut exempli gratia sint lineæ a b,angulus c:infima sit in contactu,superiores latius se extendant,aliæ super alias,usq; ad d e.Quapropter excellentiarum mensura in nobis,ac norma gemina est,altera recta,altera reflexa:recta & uera cuiusq; rei,ut perfectius metiatur id, quod est minus perfectum,hæc est in præsentia non proportio uel accessus ad diuinam excellentiam,citra quam infinito interuallo cuncta subsistunt,quo fieret ut paria essent omnia,quippe finita ab infinito intercapedine pari separata. Sed similitudo quædam, imitatio,effectio,imago excellentiæ diuinæ,quam utiq; mentes nostræ capiunt,in his rebus,quas diximus,ut quæ propius nobis referant & expressius diuinam imaginem,quam concepimus animo,sublimiora censeamus,hinc quæ obscurius pro humilioribus habeantur.In quo ordine primi erunt angeli,secundi sunt homines,hinc rationis expertia,in quibus uestigiũ citius dicas adhæsisse quàm imaginem.Ita ut si quis cogitatione sibi pingat deum condentem mundum per opus suum transisse,iacentia statuet omnia præter hominẽ & angelum,hos rectos,ut in his aliqua similitudo imaginis dei adhæserit,in illis solum uestigia.Est altera cẽsura reflexa,qua nos sæpenumero propter imbecillitatẽ nostrorum iudiciorũ cõmodius,q; recta illa utimur:ita discessus à despicatissimo erit formula,ut quo quicq; discesserit ab infimo,hoc existimetur excellẽtius.Quæ attingũt altiores excellentias,excellẽtiora sunt:itidem quę easdẽ,sed copiosius & expressius ad exẽplar.Quòd si in ignobilioríb.excellẽtię sunt quædã,quæ non in superioríb.eæ perfectionẽ maiorem nõ arguunt: quia superiora sortita sunt plura,aut plus,aut meliora,& potiora:ut in animante generare,quod non est in angelo:in quo id esset creare,quoniã ex nihilo produceret:animans autem ex materia progignit,quæ nulla est in angelo,& lapis in essentia diuturna atq; immutabili præstat animans:& animaliũ complura homini in sentiendo præferuntur.In unaquaq; specie facultates excellentiæ sunt per singula rerum partes,nõ tamẽ actus:propterea quod facultas illa impeditur nonnunquã ac retardatur,ut per totum genus hominũ posse bonitatẽ assequi, etiã si bonus sit nullus:

modo ne sit bonitatis facultas sublata,ut in dæmone:in quo scelus tanquã impactus aries uehementer retroegit præstantiã nobilissimæ naturæ etiam usq; ad imum,quoniam longissime à fiducia & amore in deum abest,quem nullum habet: ideo is solus in sacris libris malus dicitur,multarũ quoq; rerum præclaras facultates peccatum homini detraxit.Longe est aliud in comparatione singulorum, aut aliquam multorum sicut populi, & nationis.Nationes nanq;,& populi, & quidem unumquodlibet entium aliquod nactum creditur peculiare à deo munus:quæ persequi ad nullam scientiam pertinet:nõ enim posset,quæ sunt infinita,& magis necessaria turbaret:ut si quis in medicina propriam cuiusq; herbæ,uel ægroti naturam insisteret perscrutari:generatim hæc aut speciatim sunt ab artibus tractanda, non sigillatim. Sunt in actibus tamen qui ex facultatibus nascuntur,limites quidã in unaquaq; specie stati, quos nullum eius singulare trãsgreditur:nempe quod est summũ in facultate formæ.Equi gestare non queunt pondus quodcunq;: nec in artibus abitur in immensum,quantum cunq; additio per alios fiat. Videlicet neq; additio proficit,quæ sit in re, si in ingenio nostro redundat, atq; effluit.Describere formarũ ordines,& tanquã in classes ad sensum uocare,hoc est,quæ species quibus præstant,& ordinare eas in speculatione nostra,quemadmodum ordinatæ sunt in natura,hoc uero solus ille potest, qui cõdidit. Nam nobis proprietates rerum,uires,excellentiæ ignorantur:nisi forte in genere, ut angeli sint primi propter bonitatem & felicitatẽ,quam copiosissime possident: hinc homines propter facultatem ad bona similia.Tum animantes integræ,quæ perfectæ nominãtur,nempe sensu & cognitione præditæ:tum inchoatæ,quæ sensu carent aliquo:stirpes dehinc,quia uiuũt:& ex his frugiferi infrugiferis,quorum censura est ex generatione ac uiribus:gemmę admirabiles facultates ad ordinẽ suum adferunt. Sequuntur metalla,quæ nõ omnino sunt inertia,uel torpida,hinc lapides & glarea,postrema in substantijs est materies,& proxima nõ enti: nam adiuncta uelut entia sunt picta,sicuti aliâs est expositum.Sed inter hæc prima sunt,quæ in mentibus sedem obtinẽt,hinc quę in animis & sensibus.Tum ex corporalibus sunt illa elementorũ quatuor propter uires agendi,ac patiendi:dehinc quę ex ijs nascuntur,quę ad tactũ pertinẽt.Inde quę ad reliquos sensus,post interiora,& quę minus esse deprehenduntur: sequuntur hęc priuationes : ultima iam & sine censu ac classe sunt inania,excogitata, cõficta.Scisciteturaliquis, unde nata sit rerũ distinctio:quãdoquidẽ autor est unus, simplex,ubiq; sui similis:graues & recõditas quæstiones subinde attingimus:uerendumq; est,ne nos multa temere ac inconsiderate iactemus:sed de hac timide,nec sine ueniæ præfatione paucis est dicendum: uidentur rerum differentiæ ex cõmunicatione desumptæ excellentiæ diuinæ , ut ea si uarie in uarijs eluceret, facilius à mente rationabili posset intelligi,quæ uni cõmunicata minus esset ad cognoscendũ æstimandumq; prompta . Tum uero ut maiores agnoscerent,quanto plus ipsis tribuit deus, quàm minoribus.Ornatus quoq; stupendus,& decor ineffabilis ex differmibus,ac dissentientibus est quæsitus.Adde quòd ad usum potiorũ rerum uiliores deus progenuit.Disposuit præterea ad similitudinẽ sui,ut alia faceret esse,alia uiuere,alia intelligere:& qui unus potest omnia,ita temperauit singula, ut ea imitatione quadam sui possent aliquid:quiq; unus quodã modo est omnia,uoluit ut singula essent aliquid, non aliter quàm doctus quispiam,qui artes omnes pernouit,alium librum de Grammatica scribit, alium de Dialectica,alium de Philosophia naturæ.Libri uero simulachrum quoddam sunt illius mentis,qui quemadmodum ea intus habita sit,loquuntur.Postremo quòd infinitus protulerit finita,unus multa,testatum esse uoluit,se ad hæc condenda uoluntate adductum, non necessitate ulla.Sed nos iam tenebris incipimus offundi,itaq; referamus pedem.Si quis philosophari cupiat,quantam hic deprehendet Philosophiæ partẽ hominibus ignotam:de ordine excellentiarum inter species,de similitudine,aut uestigijs entium creatorum ad Deum,quũ nihil sit in rebus conditis,quod nõ efformatũ,atq; effictum sit ad expressionẽ alicuius perfectionis Dei.nam cui procrearet similia nisi exemplari,quod est intuitus,nempe sibijpsi: quẽ unum noscit,& per se quæ sunt,quæq; non sunt,omnia tanquã essent,& reuera sunt illi.

ſunt illi. Itaq; hominem habere binas manus, quinos digitos, & ungues in ſingulis, leonem piloſum eſſe, murenam glabram, uirum barbatum, fœminam imberbem, laurum ſemper uirere, ceraſum rotundum, ac rubens, prunum oblongum, lupum uoracem, leporem timidum, uulpem aſtutam, ouem manſuetam, apiculam prouidam, omnia ad illius imaginem aliquam ſunt effecta. Quis hic non cogatur exclamare: O altitudo diuitiarum ſapientia & ſcientia Dei? Species inter ſe non ſunt ſicut numeri diſcretæ, ſed ſicut ſeries in magnitudine, in qua alia alijs copulantur: nec quicquam eſt proprius quàm uelut annulos eſſe in torque, nihil ut remaneat inane, nec tamen ut momentis, & uelut punctis inſectilibus diſtinguantur: conferta quidem ſunt ſpatia, ſed tamen interſeri aliquid poteſt inter proximas communicatione ambarum: uelut inter equum & aſinum mulus: quod innumeris contingere non poſſet: nihil enim inter quatuor et quinq; interieceris. Atqui nouas ſpecies ex commiſtione aliarum uidemus naſci. Ergo inferior excellentia aliquid attingit altioris, ſed erigit ſe quantum ualet, ut multum ſe in illius præſtantiam inſerat, plurimumq; de illa communicet: quod ſi aſſequatur, alijs eiuſdem notæ fit præſtantior: ut lapis ſi uitam agat ſtirpis, ſtirps ſi aliquid de ſenſu animantis referat, mutum de intelligentia & ſenſu hominis, homo de ſapientia angeli, angelus de bonitate et fœlicitate Dei. Nam ſimilitudo harum excellentiarum excellentiæ dicuntur, ſi cum ijs conferantur, quæ ueſtigium earum nullum habent: ut in ape & formica illa uelut in futurum prouidentia, in cane ſagacitas, in uulpe cautio. Quocirca ſuperius eſt ſemper norma & cēſura deiectoris. Deus omnium, angelus hominis, homo animalium, hę ſtirpium, ſtirpes metallorum, metalla ſaxorum: dico in eo, in quo excellit: nam in ſentiendo extrinſecus non eſt homo cenſura aliorum animantium. Itaq; elephas mutorum eſt præſtantiſsimus, quia proximus intelligentiæ rationabili. Quòd ſi hominis forma formarum eſt inter animantes pulcherrima, excellentior erit ſimiæ facies quàm equi: id niſi recipiatur, nulla erit regula præſtantiarum, nec iudicium firmum. Sed in ſimia offendit nos diſſimilitudo formoſæ faciei, nempe color teter, pili, ſimitas, perpetua geſticulatio: quæ etiam in Æthiope homine eſſent odioſa. Vnumquodq; entiū ea ratione agit, qua habet excellentiā, qua uero imperfectionem, & defectū à ſimilitudine ſummi, patitur. Loquor de paſſione perpellente ad interitum, non de adornante ad aliquid conſequendum melius. Hæc quidem eſt rerum præſtantia, ſed præſtans ſumitur nōnunquam pro bono, quo ſenſu ea ſunt præſtantiora nobis, quæ aptiora noſtris deſtinatis: appetitus enim, uti demonſtraui, de fine eſt, hic de bono: ita in rebus cōmoditates appellamus præſtantias, ut præſtat aurum argento, caro ueruecis carni lupi aut piſcis, & philomela gracculo: quæ ad nos referuntur. Quòd ſi omnia hæc à deo ſunt parata homini, utiq; reuera, & ſimpliciter præſtantiæ dici poſſunt: nam quo illi maiorem uſum adferent, excellentiora dicentur. Perfectum eſt etiam quod undiq; abſolutū, expletumq; per ſeipſum ſufficiens ſibi alienæ opis non indiget, quomodo nec homines, neq; angeli, nec cœli perfecti ſunt: ſed deus ſolus omnipotens, infinitus, æternus. Naturalis cuiuſq; rei cupiditas eſt, ut ad optimum illud, atq; excellentiſsimum ſpeciei ſuæ pertingat, quantū conſequi per facultatem ualeat: hoc ubi eſt nacta, conquieſcit, & ſtudet ſe in eo cōſeruare. Homo uerò quum ſemper ulterius appetat, & uiuat in futurū nixus, nec unquā in eo quod adeſt, uelit fixus perſiſtere, ſemper autem alia ex alijs concupiſcat, & quidem diuerſi generis, colligitur profecto eum in æuo hoc ſummum illud & perfectiſſimum nō habere, nec poſſe felicē hic fieri. Reliqui appetitus ex deſiderio perfectionis oriuntur, nempe tuendi ſui, & obſiſtendi inimico: nam niſi ſit quicq;, non poteſt perfectum illud aſſequi. Habet homo talem quoq; naturalem appetitum conſeruationis ſui ipſius, uerum ut non naturæ informatione iudicat, ſed ſua perſuaſione in errores incidit turbulentos, ignarus quid ſit ipſe, quæ ſui cōſeruatio. Itaq; alij ſe uocant ſuū corpus, alij ſuā potētiam, alij ſuas diuitias, alij exiſtimationē ſui: qua mente diuus Paulus homines illos dicit amantes ſui. Ex conſeruatione ſui, ſtatim naſcitur cōtrario corrumpēti repugnare, & coadiuuari cum eo, à quo aliquid poſſit uiriū accedere ad ſe defendendum, nempe cum ſuo ſimili: ea cōiunctio, et quaſi cōſpiratio ἀνπαθείας

dicitur uerbo Græco ab Aristotele, & Theophrasto: cohibitio à nobis uel coercio: quæ ijs potissimũ contingit, quæ lubrica sunt, ac proinde facile ad se mutuo trãscurrunt: quod genus sunt liquida omnia, aer, aqua, & quę sunt naturę horũ, oleũ, uinum, sæuum, sanguis, ac eiusce modi. Cuius rei plurima sunt in natura rerũ, & quotidiana experimenta. In aridis non æque hæc deprehendũtur. Est in bestijs quoq; hæc ad mutuũ auxiliũ conspiratio. Nec hominibus deest is qui syncretismus de uetere Cretensium more nominatur: de quo est illud, Cõiungunt homines mala. Nihil est felicius, quàm fieri uoti compotem: nihil acerbius aut miserius, quàm frustrari. Quapropter orandus est pater cœlestis, autor & rex naturæ, ut & animum præbeat, quo uelimus, & uires augeat, quis possimus ad summam ueri ac naturalis boni peruenire.

BRVGIS, ANNO M. D. XXXI.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE EXPLANATIONE CVIVSQVE ESSENTIÆ.

EX hac materie per uniuersum diffusa, sumit semper natura uelut ex sylua, & addit suum artificium quasi massę fermentum, uti aliàs dixi: quibus de eodem fermento indit, ea sunt eiusdem seu speciei, seu formæ: nam fermentum illud est pro effectione aut forma: sic utcunq; sit hoc nobis, imagine hac declaratum: sed pergemus tamẽ etiam aliter explicare, ut res fiat dilucidior: nam nõ hæc quàm dicantur exactè quærimus, sed quàm aptè ad intelligentiam. Quemadmodum pharmacopolæ & unguentarij dispositas domi habent capsulas, & narthecia, quorum alia piper continent, alia myrobalanos, sunt quæ theriacam, sunt quæ potiunculas, & cætera quæ ad eos artifices pertinẽt, & nomẽ superscribunt, quid in quoq; insit: ita natura omnia in suas uelut pixides distribuit, & cuique adscripsit nomen, illis quę cõtinerentur, cõmune homo, equus, adamas, pyrus, albor, nigror, uirtus, uitium. Rursus quemadmodum una est ciuitas, & in ea familiæ multæ Scipionum, Lentulorum, Ciceronũ, Fabiorum, unaquæq; ab uno aliquo pro autore sanguinis deducta: sic in mundo familiæ hæc hominũ, illa equorum, pyrorum, auri, argenti. Itaq; non loco sunt distincta hæc, sed ut in ciuitate Scipiones alij habitant in Saburra, alij in exquilijs, alij in palatio, sunt tamẽ omnes eiusdẽ familiæ: non aliter in natura similitudo, & cõformitas cõiũgit hæc nõ locus. Porrò similitudo hæc ad essentiã semper refertur, non ad hærentiũ rationẽ: quod est acutè ac subtiliter attẽdendũ: nam etiam inter inhærẽtia est cõmunicatio hæc & cõformitas, ut inter duo alba, inter duo nigra, sed ea tamen ad nigri & albi essentiã pertinent: est inter Æthiopem & coruum in nigricie, non tamẽ qua sunt hæc animalia, sed qua sunt colore hoc tincti: itaq; communio hæc similitudo est essentialis in multis: quod in schola uniuersale nominatur. Essentiã uero cuiusq; rei nõ per seipsam cognoscimus, sed per ea, quæ de illa sensibus usurpamus, nempe actiones et passiones cuiusq;: nihil enim agens, ut inquit Cicero, ne cogitari quidẽ potest quale sit: & in actionibus uel passionibus, nõ eas cõtemplamur, quæ ex constitutione sola materiæ nascuntur, quales sunt uiri & fœminæ in animantibus, & quibusdã plantis: nec temporarias & additicias, sed quæ maxime ex intimis ueniũt: ubi est effectio & essentiæ cuiusq; fons, quę actiones, passiones'ue perpetuæ sunt: nõ quòd semper sint in actu, sed quòd semper sit ad agendũ facultas parata: nanque has demũ uidet habere ex natura: atque hanc sequimur similitudinis uiã etiã in ijs rebus, quæ materiæ sunt expertes: cuiusmodi sunt omnia inhærentia, & angeli:

ut ex

ut ex intimis & perpetuis actionibus quæ similia sint dicamus, quæ dissimilia: neque enim uideo quid causæ sit, quo minus aliquot angeli in similitudine una ingenij ac naturæ congruant, ut animæ hominum, & multa inhærentium. Nam materies non efficit unum individuum, sed effectionem aut formam ad multa indifferētem astringit ad hoc unum: pergamus autem de ijs loqui, quæ sub sensus cadunt: uidelicet quę habent materiē hanc, quæ ipsa se oculis intuentium ostendūt, & formā sui exteriorem prębēt cognoscendā sensibus: ex qua ferè de interiore habitu licet iudicare, et ex qua primum nomen formæ, & speciei est ortū. Quippe imago illa & forma, & facies, & species in omnibus hominibus effecit, ut eiusdem dicerentur formę atq; speciei: in omnibus armatis sedentibus, nigris, albis. Cæterū ex actionibus difficile est iudiciū, propterea quòd unde nascātur, & quales sint nō satis perspectū habere, atq; explora tum possimus: sepe ex similibus siue affectionib. siue formis diuersæ nascūtur actiones, nonnūquā contrà: sed uel ipsas ueras & germanas tenemus, quod est sanè quàm rarū: uel quantū possumus, finitimas, et proximas: ratio enim distinctionis formarum ex his actionibus petitur: ideo hę sunt, quę & cuiq; speciei sunt proprię, et alię ab alijs species per has separātur. Itaq; & propria dicātur iuarū formarū, & aliarū differentia: quarū differentiarū nos ingēti laborare penuria merito Aristoteles est cōquestus. At uero sicut in ciuitate gens una in multas discedit familias, & harū unaquęq; adhuc in alias: ut de Cornelijs sunt quidā Lentuli, quidā Scipiones, & Scipionū partim sunt Africani, partim Nasicæ, partim Asiatici: sic in rerū natura sunt latiores quædā similitudines, quæ alias arctiores capiūt: sunt arctæ, quæ secari ac separari iam inter se ulterius nō queunt: ut omnia animalia similitudine quadā tenentur effectionis uiuentis & sentientis: sed homines inter se nō solum effectionis uiuentis sentientisq;, uerū intelligentis quoq; & ratione prædituę: colorata omnia hoc ipso sunt similia, quòd colorem habent superfusum: alba uero hoc eodē ipso, & quòd colorē disgregantē uisum. Iam ergo imponamus nomina, quo facilior sit deinceps rei intelligentia. Similitudo hæc uocetur natura, seu cōditio, seu ratio, seu forma, seu nota: usitatius est in latioribus genus, in angustioribus species: ea capit multa in uno aliquo cōformia, id est, de multis dicitur: quatenus in uno aliquo sunt similia, aut cōmunicant, quod unū est de illorū essentiæ ratione, id est, quatenus sunt hæc aut illa: sed ampliores similitudines collatæ ad suas arctiores dicuntur genera: quæ capiunt multas species, quatenus in uno aliquo essentiali cōmunicant: totū & partes nuncupantur: sed generis nomine pro ratione, & modo, & forma, & nota quadā abutimur, ut genus belli, cibi, dicendi: et pro natione aut gente, genus humanū, Troianū. Et generis uinculū, ut speciei cum uniuscuiusq; essentia est aptū & connexū: & essentia pereat si tollatur. Ergo genus & plures species cōplectitur, & de unaquaq; affirmatione dicitur: tum cuicunq; potest illa cōgruere, & genus: quin & omni dicitur tempore, nec potest nō dici. Cæterùm eædē ipsæ latæ si ad alias cōferantur latiores, fiunt species. Itaq; sunt latissime nonnullæ, quæ latiores supra se nō habent: uelut ultra quas nihil est, sicut res: ista dicūtur genera generum, seu suprema, prima, antiquissima: ex quibus cæteræ species suspensæ sunt, ut inquit Seneca: infimas nominemus meras, & arctissimas, & imas, sub quibus nihil est commune aliquibus, sed rerum singula, ut homo, equus. Nam Troianus & Romanus, si qua ratione sunt conformes in humanitate considerentur, una est similitudo: sin patria, segregantur, quæ ad hominem non pertinet distinctio, sed ad locum, uel nationem: neque enim sub humanitate comprehenditur ea difformitas, sicut rudere & hinnire sub uita. Videlicet idem homo esset Marcus Cato, etiam si alibi natus, quàm Romæ: non idem animal Bucephalus, si non hinniret. Species omnia quæ sunt naturæ ac essentiæ generis, cōtinet: addit insuper ex se aliquid, quod est suæ essentiæ, non inhærētis, aut materię: ut homo ei quod est animalis, nempe uitæ & sensui, rationem adiungit: & album colorato sparsionem intuitus. Troianus nihil essentiale adfert homini, ac ne uir quidem, aut fœmina, materie nanq; est sexus non effectionis. Ideo mutasse quosdā sexū minus est mirandum, quoniam nō migrabāt ab effectione essentiali in diuersam. Itaq; multo est aliud superius in Dialectica, & species uel ge-

uel genus in hac ſpeculatione: ſiquidem illud nuncupationem modo capaciorem ſpectat, hoc eſſentiam latiorem: utrobique nomina ſunt nobis propoſita, ſed illic nomina affirmanter dicta: hic res nominibus comprehenſæ, & conſignatæ: quandoquidem genus hoc aut ſpecies non modo in nominibus uel noſtris intelligentijs eſt ſitum, ſed in natura rerum eſt ea ſimilitudo, ac communio, etiam extra nomina atque intelligentias noſtras: eſt enim in ipſis rebus, ſeu potius res ipſæ ſimiles conformesq́, tum in facultate naturæ mundi lege ad productionem ſimilium, ut in ea ſit ui quadam, in rebus autem expreſſione: nos tamen ſimilitudines conferimus, & nomina alia à ſingularibus imponimus, quum res non ſit alia. Sunt quædam ſimilitudines mediæ, quæ ſubalternæ uiciſſitudinariæ dicantur: ut nec latiſſimæ ſint, nec arctiſſimæ, quibus aliquid eſt antiquius: hæ & genera, & ſpecies dicuntur: mediæ, ſiue interiectæ. Quod unicum eſt in ſe contractum, & à ſimilitudine capitur, nec ipſum capit alia, Græci ἄτομον uocant, à nobis dici poteſt ſingulare: uel rerum ſingula, unum, unicū, ex Græco uertentibus inſectile, uel indiuiduum: & quia etiam ὑπόστασις Græcè, ſuppoſitum à nonnullis appellatur. Seneca ſpeciales homines uocat Ciceronem & Catonem, generalē uerò, qui ſub oculos non uenit, unaquæq; res mundi tam ſubſtantiarum, quàm accedentium una eſt, & ſingularis imagine autoris ſui: neq; eſt ulla tanta inter res duas ſimilitudo, quæ unum ex duobus poſsit reddere, niſi quum figura aliqua & loquendi ratione tale quiddā dicimus: ut ex duobus animis amoris uinculo unū fieri, & duo candida eodem colore eſſe infecta, quia ſimili: quomodo ſingulare nominamus, quod par aut ſimile nō habet, ut ſingularis Chriſti erga nos charitas. Verùm in ſe contracta eſt unaquæq; res, ut non ſolum ſui abſimilis, ſed nec ea ſit, quæ ſibi eſt ſimillima: & quemadmodum in ſubſtātijs inſectile eſt unum, ac ſingulare, quod per ſe totum ſubſiſtit: ita in adiūctis, quod in uno inhæret, ſingulare eſt: prouidendum tamen ne nos fallant res in nominibus: nam ſunt quædam res, quæ ſolæ quidē & ſingulares ſunt, nomina tamē indiuidui nō habent: ut ſol, luna: in quo ratio ſignificationis nominū eſt attendēda: uideamus, quomodo uel ſit impoſitū, uel à nobis uſurpeť: utrū ut hoc unum ſolū ſignificet, nec aliud quicq;, ut Socrates: an ut hoc, & quicquid huic fiat eſſentia ſimile: ſi hoc, ſpecies eſt: ſin illud, indiuiduū: ergo ſol ſpecies eſt, Saturnus, aut Venus indiuiduū. Ille uerò gradus quo à genere in ſpeciem deſcendiť, uidelicet illa actionis facultas uel paſsionis propria unicuiq; ſpeciei, & qua abundat ſpecies ſupra genus, ſpeciei ſuę propriū eſt, aliorū differētia. Proprium cuique eſt, & quod eſt diuturnū, ac perpetuū: ut diuorum propriæ ſunt uoluptates, ait ille in comœdia: & proprium quod cum alio nō eſt commune, ut proprius Pauli mos: ita quod quiſq; habet ſolus, eſt illi propriū. Sic differentia eſt, qua inter ſe res differūt, uelut Plato & Socrates nobilitate, forma, ætate: in quo differentia tria diſtinctorū genera cōplectitur, diuerſa, uaria, ſeparata: ut diuerſitas ad eſſentiā referať, uarietas ad inhærentia, ſeparatio ad cōpagem, aut coniunctionem: ut duæ partes candidæ huius chartæ integræ diuerſæ ſint: ſi altera nigro imbuať, ſint uariæ, ſi diſcindatur, ſeparatæ. Sed in propoſito nos eſſentiæ rationē ſpectamus, ut ea facultas & uis quæ cuiq; formæ eſt attributa Dei munere per naturam conſtituto, nec ulli alij, proprium ſit illius, differentia aliorū: ſi aſſequimur, bene habet: ſin minus, conſectamur quantum poſſumus, proxima. Quæ arte & uſu ſunt quæſita, non dicunť naturę, neq; illa quæ aliunde extrinſecus acceſſerūt: ut medicamine aliquo, aut à ſoli uel cœli proprietate peculiari: quippe quæ nō ſunt muneris à natura conſtituti, & aſsignati illi formæ ſimpliciter, ſed ex addito: ut Perſico occidere in Perſia, non hic. Proprium ergo eſt, quo reſtringitur genus ad aliquā ſpeciem: differētia qua ab alijs formis ſiue ſui, ſiue alieni generis ſegregať, ſed proprior eſt & germana magis, quàm ſui. Cicero conſulit filio, ut ſi propriū non inueniat, cōmunium frequentia utatur loco proprij: nec ullius rei maiore laboramus inopia, quàm differentiarū: quocirca perdifficile eſt aſsignare genera & ſpecies, ſiue deſcendendū ſit à ſuperioribus ad inferiora coarctādo, ſiue laxando aſcendendum: tum ut rerū intelligētia, ita etiam nominib. deficimur, quæ nō ex rebus nobis naſcunť, ſed ex captu ingenij noſtri aptanť rebus: & quia toties inhærētis meminimus,

dicamus

dicamus & de illo nonnihil.Inhærens est, quicquid essentiæ accedit,id est quôd non est de essentiæ ratione ac ingenio : ut albor in homine,& in olore.Sunt inter hęrentia alia momentanea,quę ex subito aliquo affectu nascuntur:ut rubor,in eo qui uerecundatur:hęc etiam subito trãseunt:alia diuturniora,uelut candor in charta:alia sunt perpetua,sed quæ mutari possent, ut nigricies corui : nam possunt corui nasci medicatis ouis:alia quæ mutare nulla ui aut arte quæunt,ut calor in igne : his utiq; naturæ legibus.Similitudo accidentalis est, quum in eo res congruunt, quod non est de eorum essentia:ut Æthiops & coruus,germanus & olor,si quis tamen duo nigra dicat,similitudo est essentialis:nigricies enim de essentia est nigri, nempe forma eius.Itaq; Socrates & Plato sedentes similitudinem habent adiuncti:si quis autẽ dicat duo sedentes,quatenus sunt sedentes similitudinẽ habent essentię:& sedens species est illorum singularium:ita accedens uniuersale non est,quoniã non in essentia superius. Nominum alia sumuntur ab essentia, siue effectione, aut facultate illius naturali:ut homo, uel rationabile:hæc dicuntur essentialia:item albor,nigricies:nam adhęrentia essentiam quandam habent suo modo:quod uero de inhærentibus significatione trahit, id est accidentale:tanquam album,nigrum:in quibus sunt,& quæ materiam notant corpulentus:& quæ partem succosus:& quę inhærens dicunt,uel exterioris sensus:ut albor,ridere:uel interioris, ut intelligens , ridere aptus,bonus:in quo sunt uires rerum, ut herbarum,lapidum:uel quæ ex collatione,pater,filius: uel quæ applicita,ut herbidus,coronatus,uestitus,armatus:quæq; in loco & tempore,aut contrà,id est quæ capiunt,aut capiuntur:ut uinũ doliare,& dolium uinariũ : & quæ res admistas signant, & magis interiores,limosus,lapidosa uia,piscosus lacus:& quæ separata sunt,ut omnia quæ possidẽtur,uel possident,ut diues,uxorius,paulinus:uel ab ea uel in eã procedens,ut actio,& passio:quibus& si exempli gratia à nobis positis omnẽ tamen rerum distinctionẽ fermè cõclusimus,quãuis res naturæ in certas uelut sedes tribuere fortasse impossibile non fuerit:uerba autem quis poterit,tam sparsa,tam diffusa,translata,impropria,in tanta licentia sermonis,& tanta uarietate linguarum? Ex ijs conformitatibus nascitur idẽ & diuersum,seu aliud.Nam quæ uehementer sunt conformia, idẽ solemus nominare,aliud uel diuersum pro dissimili usurpamus,similitudo enim facit tanquã idem,quemadmodum de amico dicitur,quòd sit alter ipse,propter conformitatẽ animorum, tum sensuum & phantasiæ iudicium sequimur, cui multitudo plurimũ in appellãdis rebus tribuit, at hoc ex similibus unum apud se efficit.Sed ex eisdem alia eadẽ sunt,siue idem specie quasi similia specie,seu sub eadem speciei congregatione,& uelut familia,ut duo homines:alia idem sunt genere,ut hic homo,& ille equus,id est sub eadem gente animalis,aliqua idem sunt indiuiduo , hoc est unum sunt ἄτομον,una res singularis,quum dicimus hæc duo,aut tria idem sunt indiuiduo, uel duo nomina ostendimus,ut Socrates & Sophronisci filius, uel rem eiusdẽ nominis diuersis temporibus aut locis,ut Socratem heri & hodie,Tyberim Romę & propter Hostiã,aut quasi diuersę res ostenduntur, ut Aristoteles sedens & deambulans, siue eodem tempore et loco,siue diuersis.Res eędem aut idem sunt indiuiduo uarijs locis aut temporibus,quę mutatę non sunt:quę uero mutatę sunt,diuersę indiuiduo dicuntur. At mutatio hæc uel spectatur ex ipsa re & natura,uel ex nostris iudicijs.Ex ipsa re solus deus est immutabilis,quippe quæ idem omni loco,omni tẽpore.Socrates alius est hodie quàm heri,multa in eo uariantur.Sed mutatio uel ad ea pertinet ex quibus cõstat rei essentia,ut materiã & formã,siue effectionẽ.Et hæc mutata faciunt aliud ens , nẽpe si quid sit materiæ ademptũ,si quid additũ.Quocirca anima cuiusq; nostrũ,unusquisq; angelus,saxum in mari nõ est aliud ens quàm fuit superiore anno, homo est aliud hodie quàm heri, in uiuentibus enim fluit semper materies propter alimenta,inhærentia uero faciunt aliud tale,hoc modo angeli & animæ mutantur,& idem sunt Barcherus cãdidus et fuscus.Sed iudicijs nostris nõ est certa nec perpetua regula, ut quisq; cõsiderat,ita & sentit & eloquit , alia alius animadurtit, quæ cuiq; mutata nõ uidentẽ,eadẽ illi dicũtur,ut fluuij perennis aqua heri et hodie,quæ autẽ uidentur mutata,in similẽ tamen locũ et ordinẽ successerũt,apud plerosq; nõ amittunt

eiusdem

eiusdem appellationē:ut eadem sit nauis totos decem annos sæpius resarta,quemadmodū de naui Thesei Athenienses cauillabantur.In ijs quæ crescunt,quęq; minuunt, pleriq; uocant idē,ut in homine puero & uiro,in albore,in iustitia,in prudentia.Sunt qui aliud:illi ita uocant unum,tanquam explicuerit se,quod erat cōtractum in auctu: uel cōtraxerit,quod erat expansum in damno.Hi uero tanquā aliquid sit detractum, aut de nouo accesserit.Non desunt,qui etiam de mutatione accidentiū aliud ens uocent:ut alium hominem,alium equum,alium Socratem:in quo hi spectant faciem,illi mores,ingenium,fortunam,actiones. Adeo ut alium etiam deum quidam inconsiderate dicant,ex diuersitate actionū diuersum facientes agens. Ex descensu à genere ad speciē diuisio & diffinitio nascitur, duæ res omnibus artibus maxime necessariæ. Diuisio,nihil est aliud q̄ separatio coniunctorum.Diffinitio,est cuiusq; rei limitatio: coniuncta sunt partes in mole continua,& partes in numero, quæ congregatæ sunt, quum partes continui secantur,partitio est:quum partes numeri,distributio,segregatio,separatio,& alijs nominibus hunc in modum:sed sunt quædam partes congregatæ in cumulo uno conformitatis ac similitudinis,ut indiuidua in specie,species in genere,ideo & genus totum dicitur,& species partes:nam ita genus ex suis formis constat,ut corpus ex suis omnibus partibus:nisi quòd in alijs totis partes nomē sui totius non obtinent,species habent:unusquisq; enim hominum est animal,non quæuis hominis pars homo.At unaquæq; pars aquæ est aqua,sed non ea aqua,cuius est pars:unusquisq; uero homo est animal,non aliud animal,quod ipse est,aliud cuius est pars: nam conformitatis illius ratio fusa est æquabiliter per omnia,quæ eiusmodi conformitate, & quasi cognatione tenentur: ut in familia & gente unusquisque est Scipio, & Cornelius.Itaq; eadem etiam similitudo efficit, ut unaquæq; pars sanguinis,pars quidem molis sit sanguis, non is sanguis, cuius est pars, nec quatenus est sanguinis pars, sed quatenus illa ratione & natura est similis. Quæ uero ambiguitate nominis clauduntur,ea non separantur, sed declarantur: ut taurus mons,& animal:nam si aliqua similitudine colligantur, eatenus nomen similitudinis genus est illorum.ut si canis sit animal hac forma & figura,marinus,& terrestris sunt sub eo:& si Socrates significet,quicquid sic uocatur,species est ad omnes ita nuncupatos. Sin nulla tenētur similitudine,nō est genus,sed ambiguum nominatur:ut taurus mons & animal,aquila auis & sydus:quæ translationibus dicuntur, ad hanc de qua loquimur, similitudinem non pertinent:ut ignis, qui ardet & amor:item quæ per imaginem nomen recipiunt,ut homo pictus,& uerus:nam pictus non simpliciter homo dicitur,sed abusione quadā uulgaris sermonis,qui à sensibus regitur: ut ipsum uulgus sermonis dominus.Separatio ergo partium quæ sub toto genere clauduntur, diuisio à philosophis nominatur.Sed quatenus incommodum est in diuidendo multa persequi,ideo in locum formarum succedunt differentiæ,quæ in pauciores possunt contrahi,quàm species:ut si quis singulas ciuitates ad rationem administrationis persequi institerit, longum nimis fiet:ita comprehendet breuiter, Esse ciuitates alias quæ ab uno regantur, quæ est monarchia:alias à paucis regi,quæ oligarchia:alias à multitudine,quę democratia. Videndum ut quæ diuidunt,exhauriāt totum diuisum:ideo non est proba diuisio,animalium hoc bipes,illud quadrupes:nam sunt apoda.tum ne plura comprehendant partes,quàm totum:ideo neq; hæc est proba,de animalibus hæc quidem uiuere,illa esse extincta,quippe mortua non sunt animalia.tertio ne unum membrū de alio possit affirmatiue dici,quare neq; sic recte distribueris,animalium quoddā quadrupes,quoddam bipes,quoddam repens,quando sunt etiam quadrupeda,quæ repunt.Quapropter danda opera,ut membra quo inter se non congruant, sint uel opposita uel disposita,quæ dicuntur disparata : ex uirtutibus hæc quidem est pietas in deum.illa uerò iustitia erga homines,in metallis aurum,argentū, æs,stannum,plumbum,cuprum,argentū uiuum.In oppositis sunt contraria seu aduersa,ut quæ sub eodem genere remotissimas habent uires,album nigrum,dulce amarū,calidum frigidū, motus sursum & motus deorsum,hæc habent certa à natura & definita fundamēta, neq; enim lapis bonus est,aut malis moribus,nec æger aut sanus,& in fundamentis

tempus

tempus à natura constitutum:nec infans bonus est nec malus: & alijs aduersis medium interponitur,qualia sunt propè omnia,album ac nigrũ ambiunt ceruleum & uiride.Sunt quæ carent medio,ut sanum & ægrũ,ex Aristotelis sententia.Sunt alia opposita,quæ dicuntur priuantia,quorum unum nihil aliud uidetur quàm priuatio ac denudatio alterius:tanquam lux & tenebræ,uidens cæcum.Quædam sunt cõtradicentia:etiam,non:hoc,non hoc:relatiua nonnulla, de quibus alibi est à nobis dictum: ex his omnibus sit bona distributio:uidelicet aduersis inter quæ nõ est medium,animalium partim sunt sana,partim ægra:si habeant medium minus commode.Sed uidendum ne quid omittatur, nisi fortè exempli gratia fiat diuisio magis ad intelligentiam alterius rei, quàm ad eius ipsius accuratam expositionem: ut sapores sunt dulce,amarum, austerum, acidum, & eiusmodi: quod sæpenumero solet fieri præcipue in assignandis artium exemplis, ut nos interim fecimus:per priuantia hoc modo: locorum alij lucidi, alij obscuri: hominum alij uidentes, alij cæci. per contradictoria fit quum uel differentię nomen ignoratur,uel adeo multa sunt & uaria,ut non commode queant comprehendi: pars uolucrum est rapax, pars non est rapax. Relatiua locum habent prȩcipuum in rebus politicis:ciues omnes aut priuati sunt,aut magistratus.Hęc ratio diuidẽdi spectat & ad diffinitiones assignandas:nam superiore posito,& membro uno sectionis illi applicato, rectęq; ab alijs omnibus seiuncto, existit diffinitio. Nam ut rerum natura in certas formarũ similitudines cuncta disposuit, ita singula ab alijs omnib,secluſit,quæ illa similitudine nõ tenerẽtur.Quare diuisio cõducibilis est ad explicationẽ eorũ,quę sub illa cõformitate cõprehendunt:diffinitio uero ad segregationẽ à difformibus atq; absimilibus, ut ea similitudo tota intra se cogat, nec aliud admittat,quod nõ sit eiusdẽ ingenij,ac naturę:idcirco finitio seu diffinitio nominatur à Græcis ὅρος,quasi terminus,& designatio limitũ:ne uel res ipsa ad alienos egrediatur, uel alienũ aliquid intra illos se insinuet: alioqui magna sequeretur & in loquẽdo & sentiẽdo perturbatio:qualẽ uidemus accidere,quũ de rebus agitur,quarũ ignoratur diffinitio.Idcirco sapienter Plato prȩcepit,ut disputatio omnis & dissertio à diffinitione sumat exordiũ. Ergo finitio sit nobis intellecta breuis explanatio similitudinis & dissimilitudinis,communionis & proprietatis,illud in genere, hoc in proprio. Hæc quidẽ germana est diffinitio,quę essentialis nominatur:sed quatenus rerũ essentiæ per se sunt nobis ignotæ,quęsita sunt per quæ illę nobis innotescerent,nempe adiuncta:quippe ut intelligẽtię nostrę ex sensionibus nascuntur,ita essentiarũ cognitio, quæ est mentis,ex adhȩrentium cognitione,quę est sensus:nec solum in essentia substantiarũ hoc usu uenit,sed in essentia quoq; inhærentiũ.Cęterum explanationes istę per adiuncta magis declarationes,aut expositiones,aut explicationes dici debẽt, aut (ut uocant nõnulli)descriptiones,q̃ finitiones:quia uero non solum per illas essentię quædã monstratur ratio,sed etiam quadãtenus terminatur,ac intra certos fines redigitur, diffinitio uidetur posse nominari, modo quæ sit inter eas discretio sciamus,uidelicet ut illa diffiniat, hęc declaret,& quo penitius rei essentiã diffinitio attingit,hoc sit uerior quidem, sed tamen obscurior, quo fit ut essentiæ diffinitiones parum nos doceant,minimeq; sint nobis utiles,ac ea de causa,ut puto, rarę.At uero essentiæ finitione sola diffinitur species, qua est species, quæ & genus habet ad communionem, & ad segregationem propriam differentiam.Genus uero genere nõ capitur, nisi qua ratione est species.Sed neq; singulare habet propriam sibi distinctionem essentię,accidentibus figuratur, ut qui sit M. Cato, qui Bucephalus, quæ Portia, aut Lucretia. Dicamus ergo diffinitionem breuiter ac proprie comprehensam rei naturam,per ea quæ sunt illi intima:declarationem autem expositionem cognobilium inhærentium illi proprie congruentem,quod declarat,utroq; autem modo diffinitio est breuis atque apta rei limitatio seu circumscriptio. Sed multis modis explicatur,declaratur ue quæq; res.Aut enim ignorantia uocis clauditur:ut tuburcinari,id est, celeriter comedere:antigerio,id est,ualde: ἄνθρωπος, id est, homo: quod fit ab una lingua in aliam, uel in eadem:nihil ad hunc locum, interpretatio est hæc, non definitio.Proxima est huic etymologia,ut fides quasi fiat quod dicitur,quæ ex se non habet satis uirium ad

hoc quod

hoc quod quærimus,& uariatur apud uarias gentes,& robur,atq; autoritatem ſumit ab ijs,qui uel ſic appellant, uel ſic exponunt originem. Sunt tamen quædam etyma, quæ ex natura rei acute ac ſubtiliter deducta,diffinitionis habere locũ poſſunt: qualia ſunt uera nomina:& quæ ob eam cauſam naturaliter ſignificare dixit Plato in Cratylo:ſicut uipera,quòd uiuum pariat:in omni enim lingua ſic diffiniretur:hæ ſunt explanationes uocum, magis quàm rerum, ſicut in diuiſionibus.Philoſophi alij de inuẽtoribus ſumunt appellationem,alij de ſchola,ſunt qui de placitis ſectæ,quidam de uita.Tertia expoſitio fit per metaphorã:uer, anni eſt pueritia:homo, paruus mũdus: coitus, breuis morbus comitialis.Luſus ſunt hęc,etſi declarant interdum rem,ac circunſcribunt:ut affectus eſt ignis animi, cuius ardor cælari ægre poteſt. Huc pertinet ſimilitudo omnis,ſeu proportio,quę Græce ἀναλογία dicitur:mẽs eſt in homine,quod in mundo deus.Quarta eſt remouendis ijs,quæ cognoſcimus,ut ſciamus,quod non cognoſcimus,nihil eſſe illorum:animus eſt,quod ſolum ex homine nõ apparet, ædit tamen hæc opera tam admiranda.Interdum ſublatis ijs ſigillatim,quę nouimus,ſubiungitur aliquid aliud.Angeli ſunt nõ deus,non homines: ſed medij quidam ſpiritus inter illos.Sunt nonnulla,quæ aliqua rei nota inſigniuntur,ut cognoſcantur,tanquã oues ſignatæ aut merces.Paulus eſt,quem perſequentẽ eccleſiam Chriſtus ad ſe conuertit.Cæſtius eſt,qui dicebat Ciceronem neſcire literas:licet interdum haud ſcias ſtatuere,utrum potius alterius ſit nota.Cæſtius ſui dicti,an dictum illud Cæſtij.Sed non eſt iuſtus & tanquam legitimus terminus, niſi res quadranter ſit comprehenſa, ut ea concludatur ſola,& quicquid ipſa amplectitur:aliæ res omnes quæ eiuſdem nõ ſunt rationis ac naturæ,ſint excluſæ.Quapropter recte diffiniendũ,ſumendum eſt de principio nõ tam genus,quàm ſuperius quiddam accommodatũ exprimendæ rei,ſiue id eſſentiæ ſit,ſiue adhærentis,ſiue etiam metaphoræ:tum concinnandum,& coarctandum adiunctione inferiorum,dum illud totum quadret,ac fiat proprium:quod ex diuidendi ratione cõmode poſſe fieri Boëthus Seuerinus docet,ut diuidatur quicquid additur,& examinetur,num membrum uni rei propoſitæ congruat, alterum non,an utrunq;: ſi alterum non competit,aſtringendũ adhuc preſsius:ſin uero utrunq;, proprium eſt,ſiſtẽdum ibi,quoniam expleta eſt ſuis omnibus partibus diffinitio. Itaque hic non perinde propria & differentiæ ſunt eſſentiæ diligendæ, quàm declarationis. Superius uerò de quo dixi,id etiam debet eſſe,quoad eius fieri poterit,declarans, & remanente oculos ſubijciens: hoc ferè eſt proximi loci ſuperius. Nam quod recedit longius,propter amplitudinem minus eſt aptum.Exemplum inquirendæ diffinitionis eſt apud Platonem de Sophiſta,licet non ſatis ad docẽdum idoneum, magis erit, quod Rodolphus habet de iure,cuius hęc ſunt uerba:Sumamus,inquit,exemplo nobis ius diffiniendum:inueniemus primum ius uim quandam in ſe habere cogendi,& iuſſum,unde nomen uidetur traxiſſe: itaq; erit ius nobis uel placitum, uel decretum quoddam.ueruntamen non omne decretum ius erit:nam & domini ſeruis, & patres filijs,& philoſophi diſcipulis decreta ædunt, quę tamen ius nõ uocamus,cogitemus aliquid,quo iſta excludamus:uidemus poteſtatem quandam eſſe iſtis,ſed minorem, quàm ut iura facere poſsint:addamus ergo eſſe placitũ maioris poteſtatis,hoc eſt uel populi,uel in quem populus poteſtatem ſuam trãſtulit,ut ſenatus,ut principis: quid ergo?quicquid iuſſerit princeps,ſi ſeruis ut lectũ inſternant,ius erit?non uidetur: ſed quod ciuitati iuſſum eſt,idq; quod ad ſtatum eius tuendum pertinet,ſed neq; id quidem ius erit, ſi uel partem aliquam ciuitatis grauius premat,uel finitimos contra fas naturæ,gentium'ue lædat:æquum ergo eſſe oportebit.Circumferamus diligenter oculos,uideamusq;,ecquid intra complexum diffinitionis poſsit uenire, quod nomine diffiniti nõ contineatur?ſed & contrà quoq;,cõtineatur ne aliquid diffinito,quod diffinitio non admittat:quæ ſi non uidebuntur,colligamus iam à capite omnia,dicamusq;:Ius eſt decretũ maioris poteſtatis ad tuendum ciuitatis ſtatum ex æquo & bono inſtitutum.Hæc Rodolphus. Verumenimuero ei,qui recte diffiniturus, aut diuiſurus eſt rem eſſe perſpectam penitus,& cognitam oportet,intus,foris,ut in numerato atq; ad manum ea habeat omnia, quæ ad illam pertinent: quæ nos ad artem tantæ

utilitatis

utilitatis adiuuandam hunc in modum tribuamus,ut alia de ipsa sint rei essentia,uelut genus,forma,differentiæ,singularia,pars,totum:omnia hæc inter se in directa serie siue ascendendo,siue descẽdendo ad essentiam mutuam spectant,cuiusmodi sunt animal,homo,ratione præditus,Aristoteles,corpus,caput. Alia essentiæ sunt applicita & hærentia,ut quæ sensu comprehẽduntur,quæq; cogitatione ac mente,usq; adeo affixa rei,ut manere iam amplius sine illa non queant. Hinc sunt actio & passio. Tum causæ nempe efficiens,& finis,media etiam & effecta. Postea quæ rem capiunt arma, indumenta,locus,tempus,in quibus ordo,& in ordine prius ac posterius:contrà etiã quæ res ipsa complectitur,ut quæ in loco,quæ in tempore,quæ in corpore,quę in uestitu,denicq; quacunq; ratione existẽtiæ in alio. Iam quæ referuntur ad rem,in quibus sunt quatuor oppositionũ genera,pugnantia,orbantia,contradicentia,relata. est quũ ad dissita & separata egredimur,ea sunt duæ res diuersæ aut plures nullo comparationis uinculo inter se collatę:comparationem uoco quatuor illas oppositionũ formas. Sunt etiam addita quomodocũq; & applicita,ut cruor in ueste,lutum in facie,geometria addita rhetorice in eodem animo. Sunt à nobis attributa,ut conficta in uita,possessiones,& ij qui possident,facultates,opes,honor,dignitas,nobilitas,magistratus. His subiunguntur quæ sunt ante rem,quæ illam quomodocunq; censentur antecessisse,maiores,prędictiones,oracula,somnia. Postremò quę illi quocunq; pacto succedunt,ut fama,posteri,exẽplum. Hæc ferè in libris primæ philosophiæ explanauimus subtiliter,& quum de probabilitate disseremus,persequemur fusius. Ex his omnibus diffinitiones ac diuisiones depromuntur,quod uidere est in scriptoribus cuiusq; notæ,& cuncto uitæ usu. Speusippi circunfertur de Platonis diffinitionibus libellus,in quo multa eorum quæ diximus licet exempla animaduertere. Sed nos sigillatim de unoquoq; genere subiungemus,eodem quo posuimus ordine. A genere in formam sic partimur:Ciuitatis regimen aut democratia est,aut oligarchia,aut monarchia. Simiæ sunt simij,cercopytheci,cynocephali,cæpi,sphinges,callitriches,satyri,cynopsopi,manticoræ,crocutæ:ad differentes,ex animalibus hoc ratione præditum,illud orbum:ad singulas res,Christiani orbis reges Carolus,Fernandus,Frãcisc us,Henricus, Ioannes,Iacobus. A toto ad partes diuisio est huiusmodi: literæ aliæ pinguntur atramento,aliæ minio,aliæ creta,aliæ carbone:hæ sunt enim literarum partes,nempe materies. Ex adhærentibus,partim hominum sunt naso simo, quidam extante, quidam aquilo,nonnulli repando,aliqui retorto,multi recto:quæ aliorsum pertinent,nempe ad adiuncta:contrà uero à partibus in totum,à minoribus ad capaciora non est diuidere. finitiones inferiorum per superiora fiunt,sicut est declaratum:nonnunquã retrorsum uenitur,ut per inferiora finiatur superius,& maius,quum eo loci positũ est superius,ut ultra se nihil admittat,quo explicetur, aut certe non possit apte:ita magistum arctioribus tanquam exemplo quodam ostenditur,q; diffinitur:ut ens est quod est substantia,quó due substantiæ accedens:in quo quando ascendere non datur,descendimus. Huius notæ sunt diffinitiones illæ,qualitas est per quam quales esse dicimur, ut Aristoteles inquit: inhærens est, per quod res habet aliud nomen, quàm pro essentiæ suæ ratione. Assignatur etiam diffinitio à partibus totius, ut apud Ciceronem:ius ciuile est quod in legibus,senatusco sultis,rebus iudicatis,iuris peritorum autoritate,edictis magistratuum, more,æquitate,cõsistit:& Papinianus,ius ciuile est quod ex legibus,plebiscitis,senatusco sultis,decretis principũ uenit:homo est quod constat anima rationabili & corpore ita formato:corpus cõponitur ex capite & trunco. Domus ex fundamento,parietibus,tecto:ciuitas ex senatu,equestri ordine,ac plebe:quæ utiq; diffinitio tum demum assignatur,quum notiores sunt partes quàm totum. contrà ex toto fit partis diffinitio, materies est ex qua constant quæ generantur quæq; corrumpuntur omnia: quod genus diffinitionis difficile est aptum & simplex reddere,nisi aliquid sit admistum ex alio desumptum loco:uelut caput est in omni animante primum,ad ordinem refertur:facies est,ex qua homo cognoscitur, ac censetur,ad actionem,nam pars de se non satis potest totum explicare. Sequuntur inhærentia,quæ campum diuidentibus & diffinientibus aperiunt latissimum: oculi sunt

quidam nigri,quidam glauci,partim uirides,partim cerulei:animaliũ sunt alia simplícia,alia cauta,alia stolida:diffinitio hinc accipiẽ, homo est animal rectũ, lato pectore, expansum in brachia,diductis manibus in digitos, leui cute, ad prudentiã & bonitatem appositum,et factum,pietatis capax:bouis descriptio est apud Varronem, equi apud Virgilium.sed quid persequor singula? Animantes omnes,stirpes,lapides, metalla,gemmę, hoc ferè modo declarantur,utpote sensibus congruentissima.In actione diuisio est: animalia uel ingredi, uel serpere, uel natare, uel uolare: diffinitio,Delphinus est piscis celerrime omnium natans,& solus inter eos saliens:amor est condimentum,quo res omnes etiam amarissimæ dulcorantur.Ex passione: eorum qui bene uiuunt,ij multa sentiunt incommoda in uita,nempe qui agunt inter malos:illi honore afficiuntur,qui inter bonos.Iracundus diffinitur,qui ad iram leuissimis de causis celerrime rapitur.Accedunt his causæ:calor omnis aut est à sole ac cœlis, aut ab igne. diffinitio, dies est lux per hemisphærium nostrum à sole diffusa. Homo est animal peculiari dei opere conditum.In numerum causarum ueniunt instrumenta:eruditio paratur usu,paratur studio,paratur doctrina:persuasio omnis fit rebus, aut uerbis:triticum aliud molitur mola aquaria,aliud uentaria,pars asinaria,pars trusatili:oleum est liquor ex oliua trapetibus expressus. Altera causa est finis: eruditio ab alijs ad usum corporis quæritur, ab alijs ad usum animi, à quibusdam uero ad uanitatem ostentationis.diffinitur hoc loco homo,animal à Deo ad æternam beatitudinem genitum.Ius ciuile est æquitas cõstituta ijs qui eiusdẽ ciuitatis sunt ad res suas obtinendas.Media sub instrumentorũ rationẽ ferè cõcluduntur. Sunt causæ sine quibus effectus non sequitur:fames contigit aliàs sterilitate agrorũ,aliàs uastatione:bellũ Troianum est quod Græci cum Troianis gesserũt propter raptã Helenã. Est in causis ignotis fortuna:ut alijs hominibus cessantibus perueniunt omnia, alijs nihil nec uigilantibus,ac strennue laborãtibus,alijs tenuiter,ac maligne.diffinitio, honor popularis est locus dignitatis,quo cæca sors sine delectu euehit.quos ipsa nõ uidet.Casus est in ijs, quæ accidunt præter destinationẽ: duo hi foderunt,hic thesaurũ reperit,ille laqueũ. Thesauros partim bestiæ prodiderunt, partim homines terram uertendo, pars ruina extitit ædificiorum uel montiũ.diffinitio,orichalcum est æs auro simile, quod Orius metallarius produxit,dum studet ex ære aurum facere:bombarda est tormentum bellicum,quod metallario aliud agenti inopinato extitit.E causis nascuntur effecta. Est ira quæ alijs cogit manus afferre,est quæ sibimet ipsi.Diffinitio: Vipera est quæ sola ex serpentibus uiuum parit.Quæ rem capiunt uarij sunt generis,sicut in prima philosophia patefecimus:ex omnibus & diuisiones eliciuntur,& diffinitiones:quorum exempla ferè sic habent.In eo quod capit: homines hi uestiuntur panno, hi linteis, illi bysinis,aut sericis,sunt qui contextis frondibus,aut plumis:uinum aliud seria, aliud dolio, aliud utre seruatur.Ex loco animalium alia in terra uiuunt,alia in aqua,partim in aëre, quædam sunt amphibia: herbæ sunt agrestes nonnullæ, sunt aliæ hortenses. Crocodilus piscis est serpentinus in Nilo uiuens. Balsamum liquor est odoratissimus in sola Iudæa proueniens. Valentia urbs est in Hispania ulteriore miliari uno à mari reducta.Concio est oratio,quæ in loco publico ad multitudinem habetur. Tria rij sunt milites fortissimi in postrema acie collocati.In tempore:Flores nascũtur quidam primo uere,quidam adulto,quidam senescente,alij æstate ipsa,atq; etiam autumno. Amygdalus est arbor,quæ prima omniũ floret. Pyrus syluestris, quæ tardissime. Vegetatio est uis animæ,quæ prima se in homine profert:ratio quæ postrema.Cupiditas gloriæ est quæ ultima præstantibus uiris exuitur.Quæ sunt uelut inhærentia in substantia:intelligendi uis in hominibus est sita,uel in angelis,uel dæmonibus.Angina est morbus faucibus affixa, & podagra articulis pedum. Partes in toto: Digiti & manui & pedi sunt communes: folia tum arbores, tum frutices, tum herbæ habent. Intercalaris est dies,quẽ solus habet quartus quisq; annus. Quæ in alijs sunt potestate:fruges aliæ sunt in herba,alię in semine:picturę sunt quędã delineatę iã,aliæ adhuc in animo pictoris.Quæ in alijs ui,& potentia: Regnũ uel in uno est,uel in multis,uel in paucis,in optimatibus,aut plebe.Diffinitiones,quæ aliquid declarent nõ facile est

in his

in his generibus inuenire:propterea quòd quæ in alio sunt potestate uel potentia,ita latent ut ea sint potius per alia explicanda,quàm ut alia explicent.Sed de his satis:nã singulorum adferre exempla,quę in prima philosophia persecuti sumus,quum esset longum,tum uerò miníme necessarium: & uerendum esset,ne subtilis illa rerum minutarum concisio fastidium lectori adferret.Quę ab alijs capiuntur,eadẽ prope sunt in his,quę modo sunt dicta.In utre aut mel seruatur,aut aqua, aut oleum,aut uinum. In bulga mulieris uel puer nascitur, uel mola,uel bestia. Semina sunt quæ continent in se arborem,sunt quæ fruticem,sunt quæ herbam. Regum hi habent in se regnũ in uniuersum,hi bonam partẽ,alij exiguam.Diffinitiones sunt:Humana mens est sedes intelligentiæ,rationis consilij:ciuitas sine iustitia est receptaculum latronum. Maiestas reipublicę est in qua cõtinetur dignitas & amplitudo ciuitatis.Annus est in quo duodecim menses cõprehendũtur:pes est extrema atq; infima hominis pars: aurora principiũ diei:bonus princeps est,qui non in cogitatione suorum commodorũ, sed publicorum est cunctus.Iam quæ referunt,per se quidem inhærẽtia sunt, sed inter se comparata ad hunc locum pertinent,in quem diuisio non cadit:nam hęc si per superius patiuntur aliorsum spectant:ut colorum hic niger,hic albus:quæ sunt generis & formarũ.hominũ hi uident,illi cęci sunt,alij patres,alij autẽ filij:in adiunctis reponuntur. Sin unũ in aliud tentes diuidere,nihil proficies.Diffinitiones in his sunt:

Virtus est uitium fugere,& sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Sed propius & exactius,album est color,cui ex cõtrario maxime repugnat nigrum: cæcitas est uisus orbitas quæ etiã est essentialis.Nã priuationis essentia,est positionis absentia:ut tenebræ luminis.Hæ essentiales sunt quoq;:pater est,qui habet filium:dominus,qui seruũ: seruus,qui dominum.Idcirco minus quàm alijs ex locis notæ.Contradictoria & separata per omnia diuidẽdi genera sunt fusa: deq; earũ diffinitione iã est dictũ.In additis diuisio est:dicendi ars in quibusdã est sola,in alijs est cum philosophiæ cognitione cõiuncta.diffinitio:Parasitus est comes indiuiduus stultorũ ac profusorũ diuitũ:magister equitũ est dux,quem sibi adiũgit dictator.Attributa:inter homines inuenias diuites & pauperes:inuenias nobiles ac ignobiles:tum honestos, ac uiles. Pauper est,cuius census non ualet quinquaginta nũmis aureis. Eques est ciuis Romanus,cuius census est quingenta millia.Contrà sic:possessiones alię sunt paupe rum,aliæ locupletũ,aliæ nobiliũ,aliæ plebeiorũ. Nobilitas est dignitas,quę antiquitate diuitiarũ censetur.Ante rem:Qui nascũtur,alij patre uiuo:alij mortuo: ex ijs qui uiuunt,alij sunt patrimi,alij matrimi,alij utrunq;,alij neutrũ.Posthumus est,qui nascitur patre mortuo.Opiter,qui patrẽ quum nõ habeat,habet auum.Paris est Priami filius,de quo parentes somniarunt futurũ eum Troię facẽ.Post rem: alij obscuri moriuntur,alij claritatem post se relinquũt:felix mors boni ciuis est,quę cõtingit in limine calamitatis patrię.Miscentur ex diuersis locis diffinitiones,quas uel nominemus mistas,uel de loco censeantur pręcipuo,uel certè ab eo, quẽ quisq; potissimùm spectarit:quod ut in diffiniendo nõ est uitiũ,ita in diuidendo esset turpe: in quo est cauendum, ne rationes diuidẽdi in eadẽ diuisione confundamus: ut animalium alia terrestria,alia aquatilia,quædam aërea, nonnulla rapacia:herbæ sunt aruenses, hortenses, salubres,multifoliæ,paucifolię: incurrũt enim in se membra, quod uitandũ esse superius admonuimus. Verùm si ad uarias diuisiones pertinẽt, nõ miscẽtur:homines colore sunt cãdido,fusco,atro:naso aquilo,simo,repãdo:oculis nigris,glaucis,ceruleis: auium aliæ gregales sunt,aliæ solitariæ,aliæ feræ,quędã mansuetæ: alijs pastus est carnes,alijs fruges,nõnullis utrũq;.Difficile dictu,unde diffinitio elicitur, nisi ei qui prius uniuersam rei essentiã rationemq; interius ac exterius pernorit: quin & illi etiam qui exploratũ hoc habẽt,non perinde prõptũ statuere,unde petitur diffinitio, quàm diffinire.Leges diffinitionis sunt,ut diffinitio sit æqualis diffinito,nõ minor,neu maior. Tum ut rem explicet:idcirco parũ apta est,quũ in ea diffinitũ ponitur, nisi in relatis,quę sunt πρός τι.quod aliter nequit fieri.Mihi uerò cõtinere superuacaneũ uel redundans,id est,quod abscindi citra iacturã totius possit,non uideo necessariũ existi-

mari:neq; enim ingenijs omnibus breues sufficiunt.sed nec longas esse cõuenit,quę expeditæ intelligentiæ rei parantur.Et quando explanare ad ingenia audientiũ refertur,prospiciendum diligenter,qui audiant,ut quantum res patiatur,diffinitio eorum captui applicetur.Quocirca Cicero & Quintilianus ita diffiniendum censent,ut maximè pręsenti negotio cõgruat:aliterq; gloriam finit Cicero agens Cęsari gratias pro Marcello restituto,nempe ad populum populariter, quàm in Tusculanis quæstionibus Philosophice differens apud paucos.Et Aristoteles de iucundo loquens in Rhetoricis ad Thodectem,oportere ait existimari diffinitiones eas esse sufficientes, quæ neq; exactæ sint, neq; tamen obscuræ: quod dictum ad res morum ac uitæ pertinet. At uerò hæc quæ à nobis posita sunt,omnia percipere ac tenere,quum sit diuisuro & diffinituro necessarium, apparet profecto quàm sit diffiniendi hoc munus magni uiri & excellentis: quiq; nõ uniuersam modo eiusce rei, quam diffinituru est naturam explorarit,sed alia plurima non ignoret:neq; enim aliter poterit eam rem,quam limitandam suscepit,& in maiore includere,& in minora diducere,& à uicinis circumfusisq; secernere,ac separare.Neq; ulla nota alia æque doctum ab indocto,acrem à tardo distinxeris,ut peritia diffiniẽdi. Nam quibus multa sunt per ruditatem aut torpedinem confusa,ij discernere ea nesciunt, ita rebus finitimis & similibus falluntur, ut fraus omnis ex conformitate nascitur.Error autem quamlibet in diffiniẽdo exiguus, breui fit ingẽs,quippe procedẽte scrutatione ac dissertatione rei amplificatur. Quod si rite sit ab exordio diffinitum,omnia certiora existunt,& multa facillima.

DE EXPLANATIONE CVIVSQVE essentiæ,finis.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE CENSVRA VERI LIBER I.

INSTRVMENTVM examinandæ ueritatis singulis disciplinarum atq; artium idem accommodatur. Nec ullam habet certam materiam rerum,in qua uersetur:sicut nec illud alterum de quærenda probabilitate: adhibetur enim à quoq; artifice,dum in materia sua inquirit, quàm apte enuntiatum sit ad ueritatem expromendam: aut quàm rectè ueritatem per probabilia inuestigarit. Itaq; duo hic examinantur,simplicia effata, quæ nondum in argumentationem coguntur, & argumentationũ complexio.De quibus priusquã dicemus, aliquid est de eorum partibus loquendum. Quarum partium aliæ sunt minimæ ac simpliciſsimæ,aliæ compositæ: minutissimæ ac tenuissimæ sunt in grammatica literæ,in censura hac uoces integræ, quæ ad aliquid significandum sunt institutæ.Est autem significare,signum facere, indicare aliquid alicui. Sic homo homini aliquid significat literis,nutu,manu,gesticulatione:ipsa quoq; eadem signa nonnihil significant per quæ aliquid declaratur,aut ostenditur,uelut manus mota, index, nutatio,in uijs regijs mercurioli,& quæ tenduntur ante cauponas,& tabernas,& officinas omnis generis,quibus admonetur populus,aduentores recipi, aut hoc uel illud cudi,aut uẽdi.Ex hoc genere sunt uoces prolatæ,& scriptæ:utraq; aliâs uoces, aliâs uerba nominabo.Ergo significat animo id omne, quo animus quomodocunq; admonitus intelligit.Sed in hac intelligentia duo sunt, cognitio signi, & significati: ut uocis huius homo, & hominum: prior illa cognitio est imperfecta, atque inchoata, posterior plena & absoluta,illius quidem signi. Significare uerò non simpliciter sumendum

mendum est,aut uniuersaliter,sed semper respectu & ratione alicuius,sunt enim uoces quæ equis aliquid significant,uelut clogmi,& poppysmi:sunt quæ canibus,ut iubilatus,aliæ Græcis hominibus,aliæ Latinis,aliç Hispanis.Celebris illa apud Sophistas uox bux Latinis auribus nihil est, Catalano flatum designat: ut hæc Ægyptio uox erat incognita, Phrygi panem præcipuum edulium denotabat. Sunt uoces peculiariter paucis quibusdam notæ ipsorum uel conuentu uel tacito consensu, ut inter cæcos in Hispania lingua est quædam propria,quam uulgus non capit, etiam inter lenones: sic in negotijs principum ne deprehensæ literæ prodant arcana, & inter priuatos,ut Ciceronem & Atticum,unde fit, ut minus illæ epistolæ possint intelligi. Quocirca uoces quæ nihil significant in ea lingua qua loquimur,etiam si in alijs sexcentis significent,nihil significare eas dicemus.Præter interiectiones reliquç omnes uoces significant,ut Aristoteles dicit κατὰ συνθήκην,hoc est ex compacto,ex conuentione,& quadam loquentium conspiratione ac consensu, nullæ naturaliter significant,nisi interiectiones,nec eæ omnes: nam quædam Romani aut Græci sunt magis sermonis,quàm affectus,sicut euax,euge.Nisi quòd fortasse is motus corporis, & ea adhibebatur pronũtiatio,ut illinc potius,quemadmodum affectus esset animus,posset intelligi,quàm ex uerbo ipso.Neqꝫ uerò perturbat nos,quod Quintilianus naturalem significationem à translatione distinguit:ut uolare natura sua sit auium, translatione animorum,alia mente ille est locutus ac nos,ut in libris de dicendi ratione ostẽdemus.Sic ergo diffiniamus uocem significãtem,ut sit communis nota, qua inter se aliqui alijs notiones suas explicant,id est quæ mente concipiunt.Itaqꝫ usus est dominus significatuũ.Bouinari,& Iesum,& Latina illa nomina,quæ (ut inquit Ennius) fauni,uatesqꝫ canebant,aliquid illo prisco seculo significabant, ætate Ciceronis nihil. Quid opus est crassis argutijs in ijs, quæ pueri prope adferunt ex ludo illo suo? Quocirca uocum significatio, hoc est notatio animum spectat, non res. Nam Hector,chimæra, bellum Punicum,& cætera,quorum res nusquam sunt, aliquid tamẽ significant,id est animo sunt alicuius rei nota: quæ res etsi ex natura sit sublata, animo tamen supereſt etiamnum, & tanquam uiuit, dum intelligentia comprehenditur.Quare alia dicẽtur significare aliquid,quod in solo sit animo:alia aliquid,quod in natura rerum. Quanquam ex ijs quæ significant,sunt quæ animo significant aliquid,uel aliqua,ut homo,capra,herba,albus,niger,Hector,chimæra: deniqꝫ omnes partes declinabiles,præter pauca quædam,per quæ animus concipit uel rei alicuius imaginem,uel aliam eius generis ac modi,cuius sunt res:ut perHectorem hominem quendam,sicut per me,aut te:per chimæram animal quoddam uarium, sed certe animal,uel animalium partes.Alia non insigniuntur,atqꝫ imprimuntur animo tanquam rei quædam imago,sed tanquam modus rebus inuisus:ut omnis,aliquis,quidam:& omnes partes orationis,quæ non inflectuntur:licet inter aduerbia sint quędam,quæ aliquid significant,ut mane:quemadmodum quum dicit Persius,

Iam clarum mane fenestras intrat.

Et, multo mane. Reliqua omnia per se nihil sunt,nisi alijs applicentur: quæ tamen modum quendam & rationem illis adferunt, non aliter quàm inhærentia non subsistunt sine subiectis,faciem autem quandam,rationemqꝫ illis addunt.Priora illa significatiua, hæc posteriora consignificatiua nominantur, ab Hammonio σημαινόμενα καὶ συσσημαινόμενα, ab alijs categorematica,hoc est prædicatiua,& syncategorematica,id est cõprædicatiua,quo etymo mox declarabitur:illa primigenia possunt nuncupari,hęc posteriora seu secundaria.nam nec essentiam ullam habent sine illis,sicut de inhærentibus diximus:nec inueniri nisi illis inuentis potuerunt: ut prior fuit substantia quàm inhærens. Mirumqꝫ est,potuisse illa consignificatiua declarari:nam de significatiuis etsi magnum fuit,non tamen adeò admirabile. Itaque ueteres illæ & rudes linguæ,ut sermo puerilis,minus illis syncategorematis abundant,quàm recentiores excultæ iam usu atque expolitæ:& quo quisque est in quaqꝫ lingua facundissimus,ita usum horum exactissimè callet:contrà rudes aut tardi facilius rerum nomina assequentur,quàm hæc secundaria.Ex uocibus aliæ binæ aut ternæ aut quocunqꝫ

alio numero idem inter se comparatæ significant, aliæ diuersum. Idem quæ significant non uno modo: quippe aliæ idem sunt penitus, ut Socrates Socrates, equus equus: aliæ significatione incomplexa idem notant, ut ualde, multum: bellum, duellum: aliæ explicatione, ut Socrates Sophronisci filius. Scipio domitor Africæ. Homo animal ratione præditum. Illæ primæ eædem nominẽtur, postremæ pares, siue æquales, mediæ synonymæ. Reliquæ sunt diuersæ aut uariæ quæ non omnino idem significant. Quærat aliquis an uoces in diuersis linguis idem significantes, ut homo & ἄνθρωπος, synonymæ sint dicendæ? Non uidetur, nam non idem utriq; genti significant: nisi forte apud quam in usum sunt receptæ ambæ, sicut Zephyrus & Fauonius: phlegma & pituita: Pallas & Minerua. Diximus enim significare non simpliciter dici, sed secundum respectum. Ex ijs uocibus, quæ diuersum significant, id est quarum aliquis unius ambitu significatus clauditur, quod non alterius, aliæ superiores sunt alijs, quæ & illas, & aliquid ultra includunt: inferiores sunt inclusæ animal homo, coloratum album, homo hic homo, album hoc album, homo Troianus, fœmina Troiana. Aliæ nihil inter se habent commune, ut homo asinus, album nigrum: quæ dicantur diuersæ, seu distinctæ: inter quas aliæ sunt aduersæ, aliæ negantes, aliæ priuantes, aliq; collatæ, aliq; auersæ ac segregatæ. Aduersæ sunt, quæ sub genere uno aliquo adiunctorum extrema obtinent, ut album & nigrum sub colore, frigidum calidum sub tactili. Negãtes sunt duæ eædem, quarum alteri negatio additur, bonum nõ bonum: hęc propemodum in appositis contingunt, sicut priora, aut in ijs, quæ uim & naturam habent talium. Priuantes sunt, quarum altera priuationem tantum dicit alterius in subiecto iam apto positionem recipere, ut uidens, & cæcum. Collatæ sunt, quæ relationem ad aliquid habent, sine quo non intelliguntur, ut pater filius, duplum dimidium: neq; enim essentiæ suę rationem per se tuentur: ab Aristotele dicuntur πρός τι, à Cicerone ea, quæ cum aliquo cõferuntur, uulgo relatiua, nõ eo modo, quo quædam pronominum à grammatico uocãtur relatiua. cętera omnia nominantur auersa, & segregata, seu ut usus obtinuit, disparata. Ex categorematicis aliæ rem simplicẽ & unã significant sine adiecto, ut quæ cuiusq; essentiam denotant, homo, capra, lapis, aurũ, cuiusmodi sunt pleraq; nomina substantiua unius generis: quæ Quintilianus uocat rerũ nomina, philosophorũ usus absoluta. Alia cum adiecto significãt, ut quę dicuntur adiectiua, quę idẽ Quintilianus appositа nũcupat: itẽ nomina cõmunia, & unius generis nõnulla, quæ aliquid affingunt substantiæ, uelut magister, dominus, pater, dies, pauper, consul, iudex, appellationes nominãtur. Substantia uniuscuiusq; eorum uocatur cõcretũ, uelut in patre homo, in albo res ipsa, cui albor est affixus, quod non est ex se tale: neq; enim homo est ex se cõsul, id est, ex hominis essentia: nec charta ex chartæ essentiæ candida. Abstractũ est, unde fit tale, ut consul ex illo magistratu, candidus ex candore. Idcirco negant candorem dici candidum, & uirorem uiridẽ: quod sanè ita est, nisi cũ magnitudo qualitatis significatur: ut uiridissimus est in smaragdo uiror, & hic uiror uiridior, aut minus uiridis, quàm ille. Ex uocibus siue significatiuæ sint, siue consignificatiuæ, aliæ res significant, aliq; rerum sunt uocabula: hoc est, aliq; sunt rerum nomina, aliæ nominum nomina. Nihil quidem est quod nõ sit res, sed hic ego rem à uocibus distinguo, sicut apud Horatium,

Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Nec solum quæ aliquid uel aliquas res designant, sed quæ modum dicunt rebus innitentem, rem significare dico in præsentia, quemadmodum inhærens uoco rem. Vocum nomina sunt quæ nihil aliud quàm uoces significant, non quatenus sunt uoces tantum aut scripturæ, sed quatenus illæ aliquid significant: huius sunt generis ea, quę in tribus de sermone artibus tractantur, nomen, uerbum, inflexio, longa syllaba, breuis syllaba, tropus, schema, metaphora, enuntiatio, syllogismus, enthymema. Illa quę rem notant, appellantur primę rationis, siue intentionis, siue (ut Capella & Boethus loquuntur) impositionis, uel positionis: hęc altera secundæ. Sunt uoces quæ unum tantum significant, uel plura ut unum: unum significat Socrates, hic filius Sophronisci: plura significat populus: plura quidem homo, animal, sed ut unum: quod

fit du-

fit dupliciter, ut illa omnia unum efficiant tanquam corpus coniunctione, aut congregatione, ut in aceruo & ciuitate: uel unum, ut una sit impositio, unus intellectus, & ratio omnium in illa congruentia, & quasi similitudine. Sic homo Socratẽ, & Platonem eadem hominis ratione, quoniam uterq; est animal rationabile: animal bouẽ & equum, quæ unum sunt in una ratione animalis, nempe in substantia sentiẽte: hæc uocant uniuoca, siue certa, siue definita. Aliæ significant plura diuersis rationibus, causis, impositionibus, quę dicuntur æquiuoca, siue pluriuoca, & ambigua: ut taurus bouem marem & montem, diuersissima ratione. Asina fœmina asini, & illum ex gente Cornelia. Sunt qui ambigua hæc à casu dicant appellari, quod ea uelut casus quidam traduxit ad illam alteram significationem, non prima & naturalis nominis impositio, atq; attributio significationis: ut taurus Romæ bouem significabat primum, postea montem illum Asiæ: fortasse postquàm L. Scipio Romana arma illuc tulit. Asina prius significabat asinum fœminam, Cornelium uerò illum, non priusquàm is asinam duxit in forum ære onustam pro dote filiæ. Quæ nota aliqua distinguuntur, æquiuoca non sunt, ut prolatione, scriptione, genere, numero. Sunt quæ gradu aliquo transeunt ad res etiam alias signandas, ideo metaphora nominatur, siue translatio: in qua semper inesse oportet aliquid trãsitum præbens, nempe rerum quandã inter se conformitatem, aut proportionem, quæ Græce analogia uocatur: ideo & hoc analogum appellemus, quasi proportionale: ut ferreus de eo dicitur, quod ferro constat, sed propter duriciam de quibusdã animis. caro & os de animali: at illa similitudo quædam ad oliuam, & prunum, & cerasum traduxit. Quòd si marinus canis propterea sic uocatur, quòd similitudinem habeat huius nostri, analogum erit, nõ pluriuocum: nihilo secius utrunq; est ambiguum. Tenenda est hæc regula, quod in proposito nõ est ambiguum, non est habendũ pro ambiguo. ut si quis quærat, ex quibus elementis constat mundus, aut quomodo periturus sit: nihil attinet adferre aliquid de mundo muliebri, aut de Duce illo Iustiniani Augusti: uel de elementis literarũ. Voces simplices sunt octo orationis partes, aut quæ pro una aliqua sumuntur, ut paterfamiliâs οἰκοδεσπότης, magister populi, dictator, linguæ inopia, non solũ in nostra, sed in Græca etiam, quibus magis & diutius licuit fingere. Compositæ siue cõplexæ uoces sunt duæ, aut tres, aut plures orationis partes, uel uinculo colligatæ, ut Valdaura & Maluẽda: ego cum Ioannio: affectus est tempestas: uel cõgruentia adiunctę & applicatæ, ut substantiuum & appositum, uel duo substantiua in eodem casu appositiue, uel diuersis, ratione quadã grammaticæ structuræ, uelut possessionis, aut eiusmodi: nomen & uerbum, aduerbium, & nomen uel uerbũ, uel participium, interiectio: & id quo affectus tẽdit, ut ô factũ bene. Nam ista, Socrates per & cum, nihil sunt, nec simplices uoces, nec compositæ. Hæc crassius sint à nobis proposita, magis ut intelligantur tanquam fundamenta rudium, quàm ut subtiliter examinentur: sed nec sunt accurate exigenda, quæ ferè sunt primæ institutionis, & quorum dominus est usus populi.

DE ENVNTIATIONE.

EX compositis uocibus aliæ imperfectum reddunt sensum & quasi suspensum, in quo desideretur aliquid: ut homo in campo, Socrates & Ioannes, hominem amare. Aliæ perfectũ, & acquiescit qui audit: ut Petre lege: quæ orationes nominantur, & si non omnes orationes expletum habent sensum: ut si ueneris: an tu disputas? Ex perfectis atque absolutis quæ sunt de indicatiuo modo, id est quæ significant aliquid esse, fuisse, forè, ad hoc nostrum institutum pertinẽt: in eis enim est hoc, quod quærimus, uerum uel falsum: ideo indicatiuus modus, & demonstratiuus, & narratiuus nũcupatur, à Gręcis uerò ὁριστικὸς, quasi definitiuus, & à Quintil. fatẽdi modus, q; aliquid dicat, ac demõstrat, quẽadmodũ sit, erit, aut fuit: hę oratiões multis nominib. signant: ab Aristotele ἀποφάνσεις, id est ꝓnuntiationes siue ꝓnuntiata siue ꝓloquia, ab

alijs ἐπαγγέλλεσθαι, quasi enuntiationes: est enim ἐπαγγέλλειν, declarare, enuntiare, aperire: ab Stoicis ἀξιώματα, quod Cicero effata uertit. Sunt nonnullæ enuntiationes, in quibus etiã si sit alius modus quàm indicatiuus, tamen is intélligitur, ut uellem prandere, hoc est uolo: & modum subiunctiuum pro indicatiuo poni, & tempora illius pro temporibus huius, id uerò ludi est grammatici. Impediuntur interdum hæ pronuntiationes, quæ sunt indicatiui, aliqua adiectione, quæ sententiã suspendit: quemadmodum de orationibus diximus: ut quum tu hæc dices? & interrogationes ferquamuis sunt in eis quędam, quæ perfectum sensum obtinent, ut apud oratores, quũ non tam rogandi causa fiunt quàm urgendi: an est aliquis seditioso sceleratior? quis est homo qui uult uitam, dílígit uidere dies bonos? Sunt enũtiationum quædam genera implicita, & clausa, quæ ex priorum sensu patefiunt: ut superbia inuidiam parit, & contrà: ego semel huc ueni, atq; iterum: de quibus non aliter censendum, quàm si essent explicatæ. Quæ unum uerbũ habent indicatiui nominantur categoricæ, quasi prædicatiuæ: nam κατηγορεῖν dicunt Græci, aliquid de aliquo enuntiari, seu dici, à nobis enuntiatiuæ nominẽtur, seu simplices: quæ uerò duo uel plura habent uerba uel indicatiui, uel subiunctiui aliquo uinculo connexa, uocentur compositę, seu coniunctæ. In categorica duo sunt termini, quæ Aristoteles ἄκρα uocat, hoc est extrema: id quod de aliquo dicitur, seu enunciatur, & id de quo enuntiatur: hoc nũcupatur subiectum, illud prædicatum: prædicatum dicitur, quoniam sicuti modò admonui, prædicare appellant Græci κατηγορεῖν. subiectum uerò est, quod alteri subiacet, cui alterum superponitur. nam id est subiectum in enuntiatione, cui ratio significatus prædicati innititur, aut attribuitur per affirmationem uel negationem: ut iudex sedet, non sedet: dílígitur, non dílígitur. Ita subiectum ceu materia est, & fundamentum prædicati uelut accedentis. Quicquid reliquum fit in enuntiatione dempto subiecto, prædicatum esse magnis artis huius autoribus placuit: ut Socrates disputat bene mane in Academia deambulans, præter Socratem reliquum totum esse prædicatum. Sed sunt effata quædam, in quibus idem semper est subiectum, quomodocunq; uertantur, ut uoluptas est pernicioſa: aliæ, in quibus uariari potest situ, ut titillatio est uitiũ: non omnis homo est animal, non omne animal est homo. Simplicius fuerit, & huic proposito aptius subiectum diffinire, cui aliquid tribui aut tolli significatur, quod à nobis obiectum nominetur: prædicatum uerò, quod alicui applicatur, aut tollitur. quod sit sanè dictum. Neque enim minus non esse animal dicitur de lapide, quàm esse animal de homine. At interdum idem dicitur de eodem: Socrates est Socrates, gladius est ensis: nonnunquam par de pari, ut homo est animal rationabile: aliâs superius de inferiore, ut homo est uiuens: aliâs contrà, ut animal aliquod est homo, non omne animal est homo: uel inhærens de subiecto. Socrates est fuscus, parsimonia est utilissima: uel diuersum de diuerso. Socrates est Plato, homo est equus. Omnis uox quæ uergit ad dictum, pars est dicti, quæ ad obiectum, obiecti: ut lusus & magistratus sunt coticulæ: sunt uoces, quæ alijs adhęrent, non coniũctione aut nodo, sed quadratione & congruentia, sicut obliquus recto, appositum substãtiuo, aduerbium alij parti: quæ determinationes nominantur, siue affectiones, quasi limitationes quædam, & moderationes eorum, quibus adiunguntur: quæ uires suas uarie exercent. Nam aliæ astringunt, ut liber Platonis, aliquis equus hic equus. Aliæ laxant, omnis homo semper disputat, possibile, & eiusmodi. Aliæ auertunt à perfectione naturæ ad diuersum, hic homo uiuit uitam stirpis: partim ferè mutant, militaris clementia: sunt quæ explicant nomen, canis cœlestis: sunt quæ rem, hoc est rei essentiam, rationabilis homo, mortalis homo: quædam inhærentia declarant, male suada fames, & turpis egestas. Nonnulla tollunt penitus, uelut homo depictus in tabula: quæ affectio dicitur distrahẽs, uita saxi, ferè omnis, nõ enim est omnis. In partem dicti accedit uerbũ, in quo sunt duo, coniũgendi uis, & tempus: in priore sunt affirmatio & negatio, quę ad modũ & connexionẽ uerbi pertinent, & sunt uelut nexio & dissolutio: quę adesse aliquid significat, affirmat: quæ aufert, negat: hæc appellatur enuntiatio negatiua, illa affirmatiua. Boëthus affirmationẽ & negationẽ nũcupat. Cicero enũtiationẽ aiẽtem & negan-

& negantem,affirmantiam & negantiam.Capella dedicatiuam & abdicatiuam: nec eſt neceſſe negationem exprimi,ſatis eſt cluſam intelligi:ut arrogans eſt alius ſapiente bonoq; : rixoſus diſtat à philoſopho.ſunt miſtæ qualitatis, ut Socrates aliter diſputat quàm Plato : Socrates omnibus præterquàm pecunia abundabat:tantum habeo Titum mecum, careo pecunia : quibus aliquid ſignificatur eſſe, aliquid non eſſe,ad tempus pertinent aduerbia temporis,aut nomina,per quæ tẽpus deſignatur, ut iam, nunc,cras,nunquam,longo tempore,hoc die,neceſſario,poſſibile,impoſsibile.Nam illa prætor nunc,cras erit conſul:uictor iam poſtea uincetur.uerbum habent in ſe latens:qui nunc eſt prætor,qui nunc eſt uictor:etiam ſi dicas,iſte uictor aliquando fuit uictus,& ſedentem poſſibile eſt ambulare,in quo geminus eſſe poteſt ſenſus,aut totius,ut quod hæc ſit poſſibilis,ſedens ambulat,tunc unum eſt tempus : aut partium, in quo duo ſunt tempora,nẽpe quod poteſt ſedere, poteſt etiã ambulare : prius Ariſtoteles dicit cõponere,poſterius diuidere . Sunt tempora quæ habitum ſignificant, uel quæ loquendi conſuetudine aliorſum referenda ſunt, quàm ad ipſum tẽpus uerbi. Iſte pingit,actus eſt:iſte bene pingit,moris & cõſuetudinis: ut iſte ius dicit in hoc populo,iſte pingit hanc tabulam,roſa eſt flos,intelliguntur quum roſa eſt, & quũ tabula pingitur:in quo facile eſt cauillari,ſed per luſum & argutias:qui loquitur,& qui audit,multo ſecus intelligit:ut ſi quis dormientem roget,tu dormis ? is ait ſe dormire:& qui dixit,bona eſt uoluptas,& addit,ego mentior, de alio ſentit tempore : ſicut in quibuſdam uerbis quæ uoce eiuſdem ſunt temporis, re non ſunt . Socrates ubi libenter uixit,ibi eſt mortuus: in quo loco hic prandet, in eodem cœnat : idem ſolum & frumẽta profert,& legumina:eadẽ manus morbum & medicinam dabit, de uariis temporibus dicuntur:quemadmodũ non eſt unum tempus,ſi dixero, nudiuſtertius emi ædes meas,non enim erant meæ,quum emerem,ſed quæ nunc ſunt meæ.Itaque ad communem intelligentiã ſunt hæc referenda . Nam de ſermone omni nõ poſſunt in uniuerſum perpetuæ tradi formulæ,ut qui non ea quæ naturalia ſunt ſequitur,ſed quæ uoluntaria, & uarij ac ſubinde mutabilis iudicij . Quicquid in pronuntiatione ponitur aut ſumitur pro uno certo tantum, ut pro alio nõ poſsit : aut pro multis tanquam uno,ut quæ ſunt propria ex ſe,uel quæ nota aliqua proprietatis ſignantur. Socrates hic homo,hi homines,iſti homines,nunc,hic:ea reddunt effatum ſingulare ſeu certũ.Sunt alia,quæ ita pro uno ſumuntur,ut pro alio ſumi poſſint:aut quę pro multis ſumuntur diſiunctione,ut aliquis homo,nempe hic uel ille uel alius:aut pro unoquoq; ſui ſignificatus,illa particularem enuntiationẽ efficiunt,ſiue ſpecialẽ,hęc uniuerſalem:in plurali ad eundem modũ,aliqui homines,omnes homines: in illa pro aliquibus capitur ut diſtinctis diſiunctione,iſti,uel illi:in hac pro omnibus & iſti,& illi: miſtæ ſunt quæ ſimul iſtorũ habent aliqua.Quæ uero ſint uniuerſalitatis,ſingularitatis,particularitatis notæ,nõ eſt dialectici definire,ſicut nec quæ negationis,ſed uſus, & eius artis, quæ in hoc uſum obſeruat: ea ſi qua eſt, ſit grãmatica . Exempla horum omnium ſunt,quo res fiat notior,ut ſingulares dicantur hæ.Socrates diſputat,hic homo docet:uniuerſales hæ, omnis homo docet, nemo docet, nemo non docet, quis nõ docet ? Nam quũ dico nemo docet homo,pro omnib,hominibus accipitur,non minus quàm in hac,quiſq; docet.Sunt quædã enuntiationes,quę quum faciẽ habeãt uniuerſalitatis,ad aliud potius genus ex ſenſu referuntur: ut cuncti ſimul ore fremebant,quæ collectiua dicitur,& non aliter eſt ſingularis,q; ſi quis enuntiet, iſti omnes ſimul.Eſt & aliud uniuerſalitatis genus,quod appellari cõueniẽtię poteſt,id eſt eius, quod conuenit,expedit,par eſt, neceſſarium eſt, & huiuſmodi, exempla huius ſunt multa,ut apud M.Tullium,Omnia tua cauſa uolo,omnia profecta ſunt abs te in me. & in Exodo dicit dominus Moyſi,Oſtendã tibi omne bonũ.tum in Euangelio, Spiritus ſanctus docebit uos omnem ueritatem.Eſt etiã alia uniuerſalitas reflexa,ut Ariſtoteles omnia diligenter ſcripſit,nempe quæ ſcripſit.Vergilius,

—Ipſaq; tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Scilicet, quę ferebat omnia.Eſt & quędam imperfecta,quũ pro pluribus aut pleriſq; abuti-

abutimur.Cicero pro Sextio:lętitiam paucorum,luctum omnium.Particulares sunt aliquis homo disputat, non disputat.Nam quidam homo disputat,si quis uelit in singularibus reponere,cum hoc nō admodum contendam. Infinitæ sunt quæ ex se nulla nota attributæ sunt alicui generi, homo disputat, Athenienses pugnant, Romani hanc urbē condiderūt:quæ ex sensu transire uel ad uniuersales possunt, uirtus est bonum: uel ad singulares,homo adest, de aliquo prius locutus: uel ad particulares, Achiui hîc occultantur,homines habitant sub ęquinoctiali,dolus latet sub hoc uerbo. In quibus uerò uniuersalitas & singularitas insunt, uel qua alia, mistæ nominantur, utiq; ex se,nā alijs sic spectantibus uniuersales fiunt:alijs secus singulares,aut speciales: ut si quis dicat, Socrates semper deambulat in academia: alius Socratem modò considerabit, huic fiet certa, & dicet cur singulariter ais hoc de Socrate? & non item de Glauco, uel Hippia? alius illud semper, & respondebit uniuersaliter, istuc quidem ne dixeris, an nunquam sedet? ad eundem modum in his: hic homo possidet asinū, Socrates habet aliquot discipulos. Composita enuntiatio est plures simplices uel aliquo uinculo, uel per seipsas aptè connexæ: ut fortuna & dominos facit insolentes, & seruos meticulosos. Interdum ratio coniunctionis in proprietate linguæ postulat aliū modū à narratiuo, nec tamen non continuò est cōiuncta,siue composita.Nam in his sola spectatur connexionis ratio,ut si equus haberet alas, uolaret:tu es adeo eruditus, ut Aristotelem superes, nam indocti dicunt quod Aristotelem superas: idem tamen quod nos, intelligunt & nos, quod illi,sed hoc nostrum est secundum linguæ proprietatem. Multa etiam per indicatiuum Græci efferunt, quæ nos per subiunctiuum, & illi per infinitiuum, quæ nos per subiunctiuum, aut imperatiuum. Omnia coniunctionum genera, quæ à Grammaticis δυνάμεις earum nominantur,his sunt apta:coniunctiuæ,disiunctiuæ,illatiuæ,aduersatiuæ, approbatiuæ,& causales, quæ ex ludo sunt literario. Tum quædam aduerbiorum formæ, ut temporis,quum,quando.Loci,ubi.Similitudinis,ita,adeo,sicut.Comparationis,hoc quo,quanto,tanto,tam,quàm,& in ablatiuis absolutis, quæ ferè tempus significant, Stulto regnante sapiētes affliguntur: & per quàm, ut magis currit quàm deambulat, Adde his relatiuum quis, sine copula sunt aptè applicata, bona ingenia pudor debilitat,mala confirmat audacia:optare quæ libeat,potes:consequi quæ libeat, non potes:pauperi desunt multa,auaro omnia: quibus uetustatis gratia uinculum demitur. In his non aliter quàm in simplicibus,negatio in nodum incumbit,id est in copulam, non in partes: non &, non uel, non si, uel certè significatur incumbere. Cicero post nodum transtulit primo de Diuinatione,si non significant,nullas dant uias:pro,non significant,nullas dant uias. Omittitur interdum consequens per figuram Græcam, & potissimum Atticam:ut apud Thucydidem & alios:quod nostri quoque sunt imitati,ut Cicero in tertio de Oratore.Negatio & affirmatio pugnant inter se, sed ex ratione quantitatis,ut uniuersalitas cum uniuersalitate, omnis homo legit, nullus homo legit: uel uniuersalitas cum particularitate aut singularitate, omnis homo legit, aliquis non legit, Socrates non legit:& singulares, Socrates disputat, non disputat. Et inter se mistæ, Socrates semper disputat, nunquam disputat, aliquando non disputat, nunc non disputat. Quum singulares sunt, aut quicquid in una erat uniuersalitas, fit in altera particularitas, uel singularitas: aut econtrario, uocatur contradictio:& si has quoque contrarias appellat Cicero in libello de Fato:sed nos aptius ad artem distinximus. Quum uerò uniuersalitas in utraque remanet, contrarietas, seu aduersitas. In compositis pronunciatis affirmatio & negatio ad deuinctionem spectat,non ad uerba,unde censetur eis oppositio.Coniunctiuæ uniuersalitatem quandam uidentur præ se ferre, disiunctiuæ particularitatem: iustitia est uirtus, & fraus est scelus, non est uirtus iustitia, uel nulla fraus est scelus contradictoriæ: si remanet coniunctio &,fiunt aduersæ, ut iustitia est uirtus, & fraus scelus: non est uirtus iustitia, neq; ulla fraus est scelus, quæcunq; ad rationem coniunctiuarum se applicant,uniuersalitatē participant,quæ disiunctiuarum particularitatē.Regula est generalis in Latina lingua, contradictiones in omni genere enuntiationum proprias ac germanas

nas

nas fieri præpositione negationis: aut si fuerit præposita, subtractione, modo hærere possit commode. In Græca & alijs, tametsi ex proprietate sua repugnet lingua, sensu tamen idem fit.

DE CENSVRA VERI ET FALSI.

CENSERE quæ enuntiatio uera sit, quæ falsa, id nullus est artis certæ, sed uniuscuiusque in sua materia, & in ijs quæ sunt uitæ communis, uiri prudentis multum in negocijs & usu rerum uersati, quiq; communem sensum atq; intelligentiam acutè animaduertit. Instrumentum tamen hic trademus, quo quisq; in sua arte, rebus tamen præcognitis, uerum & falsum in pronuntiatis inquirat. Vera pronunciatio est, quæ enuntiat id, quod re ipsa ita est. Falsa quæ id, quod non ita est. Vera est, Deus est omnipotens, Adam fuit, Christus iudicabit homines, non est quidem Adam, sed uerum est fuisse: & hæc, Adam fuit, ita significat sicut est, nempe illum fuisse. Ad uerum & falsum multa consequuntur, alia ex re, alia ex nobis. In re sunt immutabilia, in quibus necessaria, & impossibilia, sicut in prioribus contingentia, solita, rara, crebra: possibilia fusa sunt per omnia, magis tamen uergunt ad mutabilia: quamuis necessarium non est simplex, ut nec possibile. Necessarium quod oportet fieri, ut necesse est esurientem comedere, & parêre legibus, uel quod fieri aliter nequit, siue immutabili rei essentia, siue ineuitabili aliqua ui, ut homini moriendum esse: Possibile est, quod legibus licet, quod est commodum, quod concessum, permissum: potest etiam fieri, quicquid naturæ rei non repugnat. Ex uerbis autem alia sunt certa, alia incerta, absurda, incredibilia, scita, ignorata, dubitata, & eiusmodi. Proposita enuntiatione uidendum est, num quid sit ambigui, siue in uerbo pluriuoco, ut canis est animal: siue in connexione uocum, ut aio te Æacida Romanos uincere posse: hoc statim distinguendum, quod nullius est artis, quemadmodum de uero & falso dixi, sed cuiusq; in suis, uel prudentis in communione uitæ. Explicanda etiam ea, quæ diximus implicita, ut iterum, contrà & eiusmodi: curris? non. Tum uerum falsumq; inquirendum ex quantitate, ex qualitate, ex copula, & affectionibus. Prima formula. Omnia quæ sub uniuersalitate comprehenduntur, ueram eam reddunt, si ei, quod enuntiatur, quomodo enuntiatur congruant: unum aliquid, si non congruat, fit falsa. Si quis ab uniuersalitate ad singularia rem deducat, descendere dicitur: sin à singularibus ad uniuersalitatem ascendere: hoc ad astruendam uniuersalitatem ualet, illud ad infirmandam. Videndum, ut singularia uerè sint illius uniuersalis, contemplandum tempus, & moderationes, & coniunctæ sumantur coniunctiue. In ascensu & descensu uniuersalitatis omnia cõprehendi est necesse ad uerum astruendum, aut putari aliqua generali clausula comprehensa: utpote sic in cæteris, nec est reperire quidnam obstet, in contrarium non est obseruatum, aut quid simile: in descensu unum sufficit ad dissoluendum, tanto scilicet facilius destruere, quàm construere: lædere, quàm iuuare: ut non sit magni uiri posse officere, sed prodesse. Est quum uno aut altero inducto, uniuersalitatem subijcimus, rati illa pro omnibus sufficere, quod exemplis agitur, more Socratico: ea q́ue dicitur ἐπαγωγὴ: ad nauem regendam non adhibetur nisi peritissimus, ad scholam, aut ad equum, ergo nec ad rempublicam administrandam ascisendus est, nisi peritissimus. Id genus inductionis latentem habet uniuersalitatem, hoc modo: ad æquum, ad nauem, ad scholam, nec est inuenire in contrarium aliquid, ergo ad ad omnia: si ad omnia, & ad rempublicam. Absurdum enim sit negare, quod ad hoc solum, quum ad alia omnia conueniat, præsertim quod de eo ipso est controuersia, ut tantummodo uideatur negasse temporis causa, non ueritatis. Quod si cui parum placet, sit sanè inductio non uniuersalitatis, sed similitudinis, & exemplorũ. Secunda formula. Particularitatem una singularitas pro ea confirmat, omnes contra eam infirmant: & sicut in uniuersalitate usi sumus coniunctiua, quæ naturam obtinet uniuersalitatis, sic in particulari

utemur

utemur diſiunctiua conſimilis ingenij. Sed eſt animaduertendum inueniri in particularitate acceptiones duas, hanc certam, illam incertam: certa eſt, quum ſub nulla delitescit, nec ad aliam refertur, ut alicui uni certo possit congruere, quod eſt effatum: ut orator aliquis hæc ſcripſit. Incerta eſt, quum ſub alio delitescit, nec de uno aliquo eſt ſenſus, nempe quum ſub uniuerſalitate ſignificabatur claudi: ut ad ſingula illius uniuerſalitatis referatur, non ad totam, hæc iunioribus ſuppoſitio confuſa nuncupatur, quæ ſic eſt Ciceroni expoſita in libro quinto de finibus bonorũ ac malorum: Quum dicimus, omnibus animalibus extremum eſſe ſecundum naturam uiuere: non ita accipiendum eſt, quaſi dicamus, unum eſſe omnium extremum: ſed ut omnium artium recte dici poteſt commune eſſe, ut in aliqua ſcientia uerſentur, ſcientiam autem ſuam cuiuſq; artis eſſe: ſic animalium commune ſecũdum naturam uiuere, ſed naturas eſſe diuerſas, ut aliud equo ſit natura, aliud boui, aliud homini, & tamen in omnibus ſumma communis. Sic ille. Fit etiam incerta, ut hic pane eſt opus ad edendum: neq; enim hoc aut illo, ſi modò opus eſſe id dicitur, ſine quo nequit fieri. Solus homo nouit religionem, non ſolus hic aut ille: ſed hæc perinde eſt, ac ſi dicas, quicquid nouit religionem eſt homo, ſicut in illa quiſquis edit, panem edit. Tum Romæ ac Spartæ conſiliũ publicum eſt ſenatus: & in peruulgato exemplo, Pariſiis & Romæ uenditur piper: quia ☉ & uniuerſalitas quædam eſt, ſicut ☉ utrobiq;. Hęc uerò ſiue incerta, ſiue confuſa, attingenda non eſt, quoad collatio illa uniuerſalitatis in ſingularitatem aut particularitatem ſit reſoluta. Tertia formula. Singulare unum probat ſuum commune particulare, non contrà: particulare inferius probat ſuum ſuperius item particulare, ſed retrorſus non idem ualet. Vniuerſale ſuperius probat ſingulare, & inferius tam particulare quàm uniuerſale. Quantum ad copulam in pronuntiato ſimplici attinet. Tria ſunt tempora, præſens, pręteritum, futurum, quæ ſunt naturæ tempora, & in hęc reducuntur artis tempora, ſiue Latinæ linguæ ſeu Græcę: præteritum imperfectum ſignificat non fuiſſe aliquid abſolutum, quum aliud fieret, aut eſſet factum: præteritum pluſquàm perfectum ſignificat fuiſſe abſolutũ. Sunt & duo futura perfectum, atq; imperfectum, legam, legero. Sunt quædam tẽpora uel conſuetudinis ac frequentię, uel conditionis, ut aliàs admonui: iſte pingit, iſte docet pueros huius urbis, iſte ius dicit, Roſa eſt flos ſuauis odoris. Alia non ad tempus quod prę ſe oſtendunt, referuntur, ſed ad quod intelliguntur: ut ſi quis dicat, Cicero eſt infans, uerum ego mentior: quęq; eiuſdem temporis in uoce, diuerſi in re eſſe docuimus: tum etiam hiſtorici quum narrant, Scipio uincit Annibalem, Pompeius naſcitur, Brugæ conduntur, intelligendum hoc tempore de quo ſcribo. Iſtis quoq; adduntur limitationes, quæ idem efficiunt, ut hic bene pulſat fides. Iſte ſemper garrit: in quo eſt uel frequẽtia, uel cõtinuatio longi temporis. Poſſibile quatenus pro non repugnanti ſumitur, amplius eſt tribus tẽporibus, ut quicquid fit, erit, fuit, ſit poſſibile: & quod nunquam erit, modo ne repugnet naturæ rei. Cogitabile, intelligibile, opinabile, & alia de quibus poteſt humanus animus comminiſci, etiam latiora ſunt, quàm quæ fieri poſſunt: nam animus noſter humanæ naturæ terminos excedit, unde apparet longinquiorem eſſe eius originem. Tempus præſens non eandem habet apud omnes latitudinem. Deo tota ęternitas eſt pręſens, & quo quis eſt propinquior illi naturæ, hoc eius animus capacior eſt temporis. Aliæ res fluunt, aliæ manent: quæ fluunt non aliter ſunt, quàm quum fiunt: quæ uerò manent, & fiunt paulatim, quum fiunt, nondum ſunt: illæ autem in quacunque ſui parte ſunt: hæ non niſi quum partes omnes habent abſolutas & coniunctas. Enuntiationes de futuro & de præterito interdum ſignificant ſimpliciter aliquid fuiſſe in præterito tempore, aut futurum in uenturo: nonnũquam etiam ex loquendi ratione denotant, iam non eſſe, aut nondum eſſe: ut fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidum, & campos ubi Troia fuit. Et quod Cicero de occiſis coniuratis dixit, fuerunt. In prioribus datur formula, de futuro uera eſt enunciatio, ſi aliquando uerum erit in pręſenti, ſin aliter falſa. In poſterioribus non ſolum idem requiritur, ſed negatio etiam huius pręſentis: tales ſolent eſſe de rebus fluxis, ut hęc hora fuit, ille annus erit: de quibus ſi ſint, ſolemus reſpondere, fuit uerò: imò eſt: erit uerò: imò eſt, quæ ſunt de præte-

rito

rito pluſquàm perfecto,& imperfecto, ad præſens reducuntur, cum collatione alterius temporis explicato & ſignato, quo ad exiſtentiam reducto, reducitur poſterius: quum ego ueni, tu legebas: in a tempore ueni, in a tempore legebas: nam in a uera erat, tu legis, quum ueniebã tu legebas: in a ueniebam, in a legebas: quum ueniebam, tu legeras, in a ueniebã, & ante a legiſti. In narrationibus utimur crebrò præteritis imperfectis, propterea quòd omnia uelut in curſu quodam oſtendimus, & tanquam fierent nondum cõſummata: quippe ad illud tempus referuntur, de quo uerba facimus. Futurum perfectum reducitur ad præteritum eius temporis, quod ſignatur, quum uenies, iam cœnauero, in a uenies: in eo iam hæc erit uera, ego ſum cœnatus: de poſſibili, ut ſi ponatur ineſſe, nihil ſequatur repugnans ei, cui eſt poſſibile, nempe deo, naturæ, homini, & eiuſmodi: de intelligibili, humanam mentem ſic concipere. Sed prouidendum, ne in explicando tempore fallamur, ut quod confuſum eſt tempus, ante uniuerſalitatem diſſolutam explicetur. Omnes Cæſares fuerunt Romæ: nõ enim ſic ad præſens reducetur, Omnes Cæſares ſunt Romæ: ſicut in hac, Auguſtus & Veſpaſianus fuerunt boni principes: nam coniunctionem Et, uniuerſalitatem quandam diximus cõprehendere, eodem modo pluratiua quæ ∴ & includunt: Catones fuerunt uiri ſapientes. Sunt in quibus uaria (ſicut dixi) includuntur tempora, quod eſt animaduertendum: nam quum ſic effamur, heri emi ædes meas, heri ſcribebam hoc opus, hic uictor aliquando erit uictus, duo ſunt tempora, præſens in eo hic uictor, aut certè anteriùs: futurum aut poſterius in illo erit: ita ergo redigetur, qui aliquando uicit nunc eſt uictus, ut quum futurum illud poſterius ſit præſens, iam præterierit illud prius. Eundem in modum quando enuntiamus, album poſſibile eſt eſſe nigrum, duo ſunt tempora: & iſte dux eſt ſapientior Pyrrho, quàm Pyrrhus fuit: ex qua pendent hęc atq; huius notæ. Scipio fuit omnium, quos unquam Romæ genuit, continentiſſimus imperator. Sic in alijs, de quibus communis ſenſus nos docebit. Sunt quæ facilius cenſentur ſine reductione, quàm reductæ, ut illæ de præterito imperfecto, & pluſquàm perfecto, & futuro abſoluto: tum etiam quum quid additur, iſte aliquando ſtudebat, bene pingebat, olim erat doctus, ſtatim ueniet, diu fuit in magiſtratu: ſed tamen ut reducantur ſpectandum tempus, quo quicq; refertur: conſiderandum hoc ex iudicio cuiuſq;, ut ſtatim ueniet. Sumamus dimidiũ horæ intra quod hæc ſit uera, uenit, diu fuit conſul: in toto hoc tempore eſt conſul. Affectio neceſſe eſt apte hæreat affecto: nec eſt iam affectum expendendum ſimpliciter, ſed ſic habens: omnis miniſter tyranni eſt crudelis: ferè omnes ſic uiuunt. Connotatũ connotatiuo adiunctum abſtracta coniungit, uel ipſa, uel quæ ad ea pertinent, non cõnotatiua: bonus pictor, non bonus homo deſignatur, ſed bonitas pingendi, ſi modo hærere poſſint, aut ex uſu ſoleant: nam alioqui diſſiliunt & aliò tranſeunt, ut ſutor cocles. Sunt ſchemata, quæ efficiunt ut interim ad utrunq; res pertineat, mœſtus poeta, & qui mœſtus eſt, & qui mœſta canit: orator inflatus, orator bene paſtus, talis oratione aut corpore, cecidi prætorẽ, uel hũc hominem, uel præturæ dignitatem atq; autoritatem: pictor uxorius, uel homo uxori deditus, aut qui ſemper uxorẽ pingit, aut qui omnes mulieres ſimiles uxori ſuæ, qualem nouimus quendam. In uerbis cognoſcẽdi idem euenire, autor eſt Ariſtoteles, ut cognoſco uenientem, cognoſco conſulem, uideo pontificem: eſt, quum cohærent, eſt quum non. Cæterũ nos uſum obſeruamus, non facimus: nouit ne illum noſtrum conſulem? fieri poteſt, ut non coniungantur cognitio & conſulatus, ſicut uidiſti pontificem. In compoſitis enuntiationibus intuendum in coniunctionem, in quam tota ueritas enuntiati compoſiti incumbit, aut contrà falſum: nam de ſimplicibus iam eſt dictum. Ad ueritatem coniunctionis & diſiunctionis eadem ſunt, quæ ad uniuerſalitatem & particularitatem neceſſaria: cõiunctionis ueritas omnes partes exigit ueras, falſo ſatis eſt unam eſſe falſam: quale eſt illud quod apud Quintilianum mater inquit, Manifeſtum eſt de duobus non dixiſſe uerum, quos de altero conſtat eſſe mentitos. diſiunctioni ſufficit uera una, ad corroborãdum, ad debilitandum uerò omnes oportet eſſe falſas. Diſiunctiua ſenſus cõmunis ſic ferè utitur, ut non putet ſe utrunq; confirmare, quemadmodum ponit, ſed alterum tantum ex dubitatione amborum: quem

uideo aut frater meus eſt,aut præceptor:nemo ſic loqueretur,ſi alterum ſciret uerum eſſe,aut utrunq;,niſi forte per iocum.Ideo Stoici,quos ſecutus eſt Cicero in Topicis, Ciceronem Latinorum conſenſus, aiunt in diſiunctione plus uno uerum eſſe non poſſe: dicentis quidem ea eſt mens, nam quum medici ſic præcipiunt, ad febrim proficere hanc herbam, aut illam, aut fomentum, aut pillulas, aut eclegma, aut potionem hanc, proſunt quidem omnia, ſed non ſentiunt adhibenda eſſe omnia, nec ſimul aliqua: uerum ut dicentis ignorantia poteſt partes diſiunctionis omnes falſas efficere, propterea quòd non omnia ita complectitur, ut nihil ſit reliqui, ſub quo uerum excludatur: ſic etiam poteſt ueras partes facere, quod non ita diſtinguit,quin inter ſe in ueritate congruant, uel ex ſua imperitia, uel quod interdum quoq; omnia uult confirmare, ſed ſeparatim, & diſiunctim.ita Stoici non ex re ipſa de ueritate diſiunctionis ſtatuerunt, ſed ex quorundam loquentium ſenſu. Vergilius in ſecundo Æneidos libro:

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos,uenturaq; deſuper urbi,
Aut aliquis latet error.

Omnia in re erant:ut quum dicimus,hic lepus aut ſibi timet,aut ſoboli: milites ſemper ſunt aut de ſuis, aut de hoſtium periculis ſoliciti. Proculus iuriſconſultus duo facit diſiunctiuarum genera,nempe diſiunctiuarum & ſubdiſiunctiuarum: atque has rurſus in ſpecies duas partitur, primum genus ponit, quum neceſſe eſt unum uerum eſſe,alterum falſum:ut dies eſt, aut nox:ſecundum, quum poteſt eſſe utrunq; falſum, non utrunq; uerum:ut homo ſedet,uel deambulat:tertium,quum utrunq; uerum,nõ utrunq; falſum: ut omne animal agit, aut patitur: quæ ſunt in libro quinquageſimo Pandectarum iuris Romani. Ad conditionalem exigitur,ut poſita conditione ponatur id, quod ex conditione ſequitur. Nam in hac, ſi uis uerum dicere, hoc uinum eſt generoſum, perinde eſt ac ſi quis enuntiet, ſi uis uerum dicere, fateberis hoc uinum eſſe generoſum, aut aliquid eiuſmodi. Ad rationalem, ut quod ſequitur, tanquam ex ratione uideatur inferri à propoſito. Cauſalis,non eſt unius generis & ſimplex:ſiquidem & omnia genera cauſarum continet, & effectus, & ſigna, denicq; fuſa eſt per omnia genera argumentorum. Temporales,ad tempus: locales, ad locum explicatum referũtur.Relatiua ſunt duplicia,aſtricta,& ſimplicia,ſiue in genere:aſtricta ſunt quæ referunt antecedẽs cum eo,quod de illo eſt dictum: ut aliquis homo eſt mutus, qui nouit literas, nempe ille idem, qui eſt mutus. Relatiua in genere ſeu ſimpliciter, ad antecedens pertinẽt ſolutum non aſtrictum limitationibus. Romanus uincit, qui ſe ſolum putat gubernandi peritiſsimum:non ille idem qui uincit,ſed Romani. Sunt quædam obiecta & dicta, quæ naturam reſipiunt complexorũ:fames & mora bilem ciunt:ceruiſa uel uinũ inebriat:habes pecuniam & famem,pecuniã,uel famẽ.Sumuntur hæc uel complexe, uel ſeparate: aut ſic,cunctim & ſigillatim:ſigillatim,ut unumquodq; ſeparatim & per ſe:crapula & meridiatio nocet ualetudini, hæc nocet, & illa nocet: quòd ſi numerus ſit pluralis,qui ad illos refertur in ſingularitatẽ cum illis diſſoluitur:mare & meretrix ſunt magnæ uoragines:eſt magna uorago,& eſt magna uorago. Si complexim, non reſoluuntur, ſed pro uno conuenit termino accipi, atque ita explorantur, an recte congruat obiectum cum dicto. Anima rationabilis & caro, unus eſt homo. Lac & piſces ſunt uenenum. Examinatur ueritas æquipollentia pronuntiatorum: omnis uniuerſalitas par eſt uniuerſalitati:omnis particularitas particularitati,certa certæ,incerta incertæ,quantumcunq; cõuertantur pronuntiata,modo ijdem maneant termini,eadem ſignificatio,& qualitas:itaque hæc recurrunt, nullum concretum ex elementis eſt immortale, nullum immortale eſt concretum ex elementis: aliqua uirtus eſt ſempiterna, aliquod ſempiternum eſt uirtus. Sunt aliæ æquiualentiæ peculiares linguis,ut in Latina plerunq; duæ negationes affirmant,nunquam non, id eſt ſemper: nonnunquam, aliquando:quantum eſt hominum,pro omnibus. Sicut in rogando, nónne pro etiam? num,pro non: ſed hæc linguæ ſunt propria.

pria. Oppositione etiam exploratur ueritas, ut contrarium contrario, album nigro. Lex est, contradictorias nec ueras esse posse, nec falsas. nam si omne a est b, fieri non poterit ut aliquod a non sit b: & si fiat ut aliquod a non sit b, iam fieri non poterit ut omne a sit b: quum hoc a non sit b. eodem modo necesse est Socratē esse uel nō esse: & aliter esse usque eo est impossibile, ut nec humanus animus capacissimus capiat, & in fingendo satis liber possit fingere. Idcirco hæc lex est præcipua, & notissima in omnibus artibus, in disciplinis, & in tota uita. Estq; fundamentū, & regula omnium. Altera lex aduersas, seu contrarias falsas esse posse, nunquā ueras: nemo enim esse potest ubiq;, & nusquam: potest tamen nec ubiq; esse, nec nusquam.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE ARGVMENTATIONE LIBER posterior.

ARGVMENTATIO est cōnexio enuntiationum, ut prius ex posteriori sequi & quodam modo nasci uideatur, & cum eo quasi necessario cohærere: homo aliquis disputat, ergo rationem exercet. Prius uocatur antecedens, ratio, argumentum, propositum: posterius, sequēs, consequens, intentio, illatio, totum uerò Ciceroni est, conclusio, uulgo consequentiam dicunt. Prius & posterius uoco non positione, sed sensu: id quod alterum inferre intelligitur, prius est: id quod infertur, posterius: sicut quum dico esse connexionē, ut prius ex posteriore sequatur, ad nos refero, non ad rem: neq; enim minus erit argumentatio, etiamsi non consequatur, ut dies est, ergo aurora splendet: sed tamen connexio est, ut consequi existimetur, id est quum ita connectimus, ut uideamus uelle gigni, ac inferri. In hoc confectionis genere ea est conditio, ut argumenti ueritas necessario intentionē reddat ueram, adhibebitur illa certissima regula de contradictoriis, ut contradictorium sequentis repugnet præcedenti: aut existant duo contradicentia simul uera uel falsa. Sed connexio hæc rectè fit uel ex significatione uocum, uel ex structura pronuntiationum: illa si bona est, priuatim in se bona est, non perpetuò in simili: hæc uerò altera, quæ ex constructione nascitur, uniuersalis est, ubiq; idem ualet, dummodo similis constructio siue compositio seruetur, id est similis sit nodus, & ratio colligādi: quod fit, ut sicut in una se habent inter se primum, secundum & tertiū, sic in altera. Si quis ita coniungat, omne c possidetur ab a, b est c, ergo & b possidetur ab a: similes sunt hæ, b est de numero c, b est unum ex c, ergo a possidet c, & a habet c: non tamē si quis inferat, ergo c conculcatur ab a: nihil enim habent commune possidere & conculcare. Cuiusmodi illud est apud Ciceronem: ij qui in morbo sunt, sani nō sunt, omnium insipientium animi in morbo sunt, omnes insipientes igitur insaniunt: proba est conclusio, & generalis: quando non aliud sunt insipiētium animi, quàm insipientes: nec insanire, quàm sanos nō esse. itaq; nō rectè occurreret, qui sic cauillaretur: qui in morbo sunt, sani non sunt: omnium sapientum mancipia in morbo sunt, omnes sapientes igitur insaniunt. Vniuersales argumentationes tribus constant terminis, ut mox dicetur, inter se aptè collatis. Priuatæ autem seu peculiares duobus, aut tribus, aut pluribus pronuntiatis, sed non ita aptè connexis. Et in particularibus sunt quædā temporariæ, aliæ perpetuæ. Temporariæ, quod sic usu uenit illo tempore: ut puerum doceo, nam filium tuum doceo: hic suscepit inimicitias cum Cæsare Octauiano, ergo morietur: ante constitutam monarchiam ita erat, postea non item. Sunt aliæ perpetuæ uel conditione, uel causa, uel rationali copula coniunctæ. Conditionalium aliæ

ſunt,in quibus ex cõditione ſequitur aliud pro ſtatu præſenti rerum,non pro natura perpetua:ut ſi ueneris,colloquemur:ſi uis adferre pecuniam,potes,inuenies me domi:ſi filius ueniſſet,ſalutaſſet patrem.Ex natura ſunt, quum quod inferri ſignificatur, naturaliter ad alterum denotatur ſequi,ac uelut naſci:in quibus pro ſi, poſſet poni ergo:ut ſi homo currit,animal currit:homo currit,ergo animal currit.iſtę ſunt cõplexiones, de quibus hic loquimur. Interdum rogatione ad urgendũ,quod eſt oratorum, & poetarum:ut apud Sillium,Cur uni patriam ſi affligere fas eſt,uni ſit ſeruare nefas? Complexio hęc uel de rebus ſumit uires,uel de noſtra intelligẽdi ratione,quę nihilominus fundata eſt in rebus.Inter res ſunt,quæ alias uelut pariunt,ut cauſæ ex quibus aliæ ſimul ſunt cum effectis rebus, ueluti ſol & ſplendor:aliæ præcedunt,ut pater filium. Tum effecta ſine cauſis eſſe quædam non poſſunt,alia poſſunt:de quibus in prima philoſophia diſſeruimus.alię ſunt res quæ alias ſtatim ſubſequũtur,aut præcedũt: ut prognoſtica,quæ etiam naſcuntur ex cauſis, & ordo rerum à natura ſtatutus.nonnulla nõ queunt,aut non debent,aut non ſolent eſſe ſine aliįs,unde oriuntur cõiecturæ prudentum,quorũ eſt ex įs quæ anteceſſerunt,de uenturis dicere:in quibus ſunt exempla, & comparationes.In his omnibus bonæ concluſiones componuntur ſeruata utriuſq; rei natura,ac ratione:ut ignis ardet,ergo fumus eſt: cœlum rubet ueſpere, cras ergo erit ſerenum:aurora eſt,ante horam erit dies.Sol lucet,dies eſt igitur.eſt homo,ergo habet caput, & cor, & uiuit.Catilina uir factioſus & nobilis propter egeſtatem ſumpſit arma contra rempublicam,ergo & hic egenus nobilis,inquieti animi ſumet.Naſica priuatus occidit Gracchum ſeditioſum, decet ergo Ciceronem cõſulem occidere Catilinam coniuratorem. In įs quæ mens noſtra è rebus accipit,ſunt ſigna rerum,nempe uoces,quæ inter ſe collatæ aut pares ſunt,aut impares,aut oppoſitæ:in quibus aduerſæ,priuantes,negantes,collatæ,auerſæ:in iſtis hoc modo inferimus par, & aſtruit par aſtructum,& tollit ſublatũ:eſt iuſtum,ergo æquum:non eſt iuſtũ,nec æquum. Superius diſtributũ aſſerit inferius aſſertũ,& deſtruit deſtructũ: nulla uirtus, ergo nec iuſtitia:omnis uirtus,omnis ergo iuſtitia.Inferius aſſertũ ponit ſuperius non diſtributum,ſublatum tollit etiã non diſtributum,homo ergo animal: nullus homo, ergo aliquod animal non. Quid ſi nullus ſit homo? dicet aliquis, iam nõ eſt animal ſupra hominem qui nullus eſt:ſicut homo ſuperius non dicetur Troianis, quũ nullus eſt Troianus:neq; enim hic omnia conĳcimus in intelligentiam, ſicuti quum de ſignificando ageremus,ſed ad res maxima ex parte. Hinc accipiunt uires concluſiones illæ,quæ à reſtricto exeunt ad laxius,ut à uoce affecta ad ſimplicem:eſt homo albus,ergo homo:eſt canis Socratis,ergo canis, nam moderatum anguſtius eſt ſoluto, niſi ſit affectio ex earum ordine,quæ auertunt,aut tollunt:ut uita ſaxi, ergo uita: homo pictus,ergo homo: ferè omnia, ergo omnia. Sic à uerbo ſubſtantiuo cui aliquid additur,ad diem ſimplex uenitur:ut eſt miſer, ergo eſt: quin etiam ab omni alio uerbo:nam eſt, omnia capit,præter ea, quæ non tam in rerum natura eſſe intelliguntur, quàm in poteſtate,aut in animo & cogitatione noſtra:ut ſignificat,denotat: quod genus eſt illud Ariſtotelis, Homerus uiuit ut poeta: & Ariſtoteles diſſentit à Platone. Philo platonizat,& Plato philonizat.Aliud eſt chimęra,quam Antichriſtus:ad mentem enim ſpectant hæc,non ad exiſtentiam rerum.Relata uox in eo,quo refertur, & ſublata tollit relatam,& poſita ponit:pater eſt, ergo filius eſt:non eſt pater, ergo nec filius.non tamen ſic,uideo patrem & filium igitur:in eſſentia enim relata ſunt,non in uidendo.Sic uerò rectè,ſi lædo hunc confœderatum, lædo & illum alterum: nam in hoc ſunt confœderati. Aduerſa,& auerſa,& priuantia magis ſe tollunt poſita, quàm uel ponunt poſita, uel tollunt ſublata: eſt album, eſt uidens,eſt homo, non ergo nigrum,nec cæcum, nec equus. Non tamen ſi non eſt album, eſt nigrum: multa enim ſunt media. non eſt cæcus,uidens igitur:nam catulus ante nonum diem non eſt cæcus:ſed nec uidens.Lapis itidem neutrum eſt. Si tamen ſint pugnantia abſq; medio, ut ſanum,ægrũ,quod dicit Ariſtoteles, & in ſuppoſito iam apto, & congruente, alterum confirmatũ interimit pugnãs,ac uice uerſa:nõ eſt hic homo cæcus,uidẽs ergo:

non

non æger, ſanus igitur. Ex iſtis complexionibus priores illæ quæ de rebus omnino ſumuntur, nullius ſunt artis certæ, ſed cuiuſq; in ſua: uidelicet de hac iudicabit medicus, acceſſio eſt febris, cor ergo palpitat plus iuſto: de hac nautæ, ludunt in ſicco fulicæ, ergo inſtat tempeſtas. Iſtæ poſteriores magis ſunt dialectici, ſed ita, ut id inſtrumentum unuſquiſque uſurpet in ſua arte, neque enim dialecticus de hac cognoſcet, triangulus omnis habet duos angulos rectis pares, ergo iſoſcheles, niſi illam quoque cognoſcat, & iſoſcheles eſt triangulus, quod docet geometria. Diſtinctæ ſunt hæ connexiones, & uaria acceperunt nomina, enthymemata, epicheremata, aſcenſus, deſcenſus, comparationes, exempla, epagogas, gradationem, ſoritas, dilemmata, antiſtrephontes. Enthymema quid ſit, non ſatis conuenit: ſed inter plures conſtat eſſe imperfectum ſyllogiſmum, id eſt omnia argumentationum genera quæ propoſuimus. Nam Rhetores quidam argumentationem ex contrarijs uocauerunt, propterea quòd quæ ex illis fieret, eſſet acutiſsima: ita nomen commune ceſsit in ius unius tanquam proprium: quemadmodum Poetam Græci Homerũ uocant, Latini Virgilium. ἐπιχείρημα aggreſsionem ſonat: non eſt genus argumentationis, ut uidetur, ſed ad ordinem pertinet, ut in acie primani: eſt enim intentio, qua aggredimur propoſitum thema. Aſcenſus eſt à ſingularibus ad uniuerſale, deſcenſus contrà: ſed in priore coniunctiue aſcenditur ad uniuerſale diſtributum, diſiunctiue ad non diſtributum: ſic etiam deſcenditur: de quo antea memini. Exemplũ eſt, quo aliquid perſimile probatur. Scipio maluit exulare, quàm libertatẽ patriæ imminuere: ergo idem eſt cuiuis bono faciendum. Nam illa quæ per negationem enuntiantur, ſimilitudinis ſunt, ille non fecit, tu facies? quaſi tibi non eſt faciendũ. Comparatio in quam frequens exemplũ incurrit, fit in tertio. Marcellus non ademit uictis libertatẽ in bello, tu adimes in pace? aut à maiore, aut à minore, aut à pari: non feretis uos exiguas contumelias propter Chriſtum, cuius gratia martyres profuderunt ſanguinẽ & uitam? multi ſola prudentia fulti affectiones ſuas habuerunt in ſua poteſtate, nõ habebit uir ſapientiæ aſſectator? Socrates philoſophus iniurias diſſimulauit, idem te decet facere philoſophum. Epagoge ſiue inductio, & aſcenſum & exempla capit. Socrates eſt in ea multus, tum artes omnes ſunt ſic inuentæ, ex ſingularibus experimẽtis, quę ſenſus oſtenderunt, collecta artis regula mentis artificio: & ſi nõ raro etiã ſingularia illa ad ſolum animũ pertinent. Socrates ad aliquid probandũ multa ſimilia cõferebat, ut quum in illis eſſet datũ, puderet non dare in eo, de quo agebatur, quum uerſaretur illud in cõtrouerſia. Rodolphus Agricola aſcenſum enumerationẽ, ἐπαγωγὴν inductionẽ uocat: quia ex aliquot inducitur auditor ad credendũ. Itaq; epagoge, eſt ſimiliũ enumeratio partiũ, quæ per collationẽ eo peruenit, quò intendit. Gradatio quum multa ſic ſumuntur, ut ex primo inferatur ſecundũ, ex ſecundo tertium, atq; ita quocunq; alio numero: quod Diophantus uult, mater uult: quod mater, Themiſtocles, populus Athenienſis, ergo q; puer Diophantus, & populus Atheniẽſis. Cicero primo de Legibus: quibus ratio à natura data eſt, eiſdem & recta ratio data eſt: ergo lex, quæ eſt recta ratio in iubendo, & uetando: ſi lex, ius quoq; : at omnibus ratio, ius igitur datum eſt omnibus: cuius norma ex Ariſtotele deducitur in categorijs. Quando alterum de altero prædicatur, ut de ſubiecto, quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicuntur: ut homo de homine hoc aut illo prædicatur, animal uerò de homine, ergo & de hoc homine: is enim & homo eſt, & animal eſt. Itaq; ſi duco genus à Cæſare, & ab Ænea: ſi ab hoc, & ab Anchiſa: quoniam Cæſar ab Ænea Anchiſæ filio. Item quicquid ſequitur ad illationem bonæ concluſionis, ſequitur etiam ad propoſitum eiuſdem. Coaceruatio eſt, quum adddendo uel detrahendo cumulo nuſquam ſiſto, ſed probo nec confici unquam, nec deſtrui: ut de cauda equi apud Horatium, & de populo, & de aceruo tritici: quem ſi unum granum nõ efficit, quid duo? ſi nec duo: nec tria, nec in quanto cunq; numero. Græci ſoron uel ſoritas nominant. Dilemma eſt argumentum cornutum, in quo duobus propoſitis quodcunque eligas, capiere: ſi ducis formoſam, habebis communem: ſin deformem, moleſtiam: ſi dues erit, ferenda: ſi pauper, alenda. eiuſmodi colligendi ratione uidetur ſignificare

Cicero Hortenſium permultum uti conſueuiſſe: nam in diuinatione aduerſus Verrem ſic inquit: Te uerò Cæcili quemadmodum ſit eluſurus, quàm omni ratione iactaturus, uidere iam uideor: quoties ille tibi poteſtatem, optionemq; facturus ſit, ut eligas utrum uelis, factum eſſe, nec ne: uerum eſſe, an falſum: utrum dixeris, id contra te futurum. Antiſtrephon, quod à Cicerone nominatur conuerſio, diſſolutio eſt dilemmatis: ſi ducis formoſam, habebis uoluptatem: at ſi deformem, non communem: ſi diuitem, alet te: ſin pauperem, nihil exprobrabit.

DE SYLLOGISMO.

SEQVITVR uera, & germana, & perfecta argumentatio, quæ à Græcis ſyllogiſmus dicitur, id eſt collectio, à Cicerone ratiocinatio: nos de nomine non erimus ſoliciti, ueteribus utemur uocabulis: ea non ſolum in iſs uerbis, & ea ſignificatione efficax eſt, ſed ſepoſita omni ſignificatione, & in aliis eadem facie ac forma, id eſt nodi ratione, & congruentia partium inter ſe: quemadmodum docuimus: ideo proprie ad dialecticum pertinet, & huius unius eſt artis. Diffiniatur autem nobis ſic: ratiocinatio, eſt collectio trium enuntiationum, in quibus tertia quæ inferri ſignificatur, ex duarum connexione naturaliter elicitur: naturaliter dico, ut aliud nihil ſit extrinſecus neceſſarium, ſed natura ſua ex eis naſcatur ſine ſupplemento intelligentiæ: nam qui eo indiget, perfectus ſyllogiſmus non eſt. uel ſic: Syllogiſmus eſt comparatio duorum ad tertium, ex qua naſcitur illorum duorum habitus inter ſe, ut uel nectantur, uel diſſoluantur. Huius hæc eſt in natura ratio: quoniam quæcunq; uni tertio congruunt, inter ſe congruunt: & quæ inter ſe congruunt, eodem modo congruunt tertio: ut ſi iſoſcheles ſit par duobus angulis rectis, & ſchaleron ſit item par duobus angulis rectis, iſoſcheles & ſchaleron pares ſunt. Et contrà: non tamen conſequitur, ut ſi tertio alicui non ſunt apta, nec inter ſe ſint: neq; enim iſoſcheles & ſchaleron congruunt circulo. Ideo ex mere negatiuis nihil infertur. Et quæ una in parte congruunt illius tertij: non neceſſe eſt congruere inter ſe: ut iſoſcheles & quadratum congruunt cum ſchaleronte, hoc in angulo recto, illud in acuto, nec tamen ullo modo congruunt inter ſe: ac ne ſi totum quidem, ut angulus acutus totus conuenit cum parte iſoſcheli, & rectus cum parte quadrati, illa tamen inter ſe ſunt omnino diuerſa: ideo nec aliquid efficitur, quum medium eſt in utraque particulare: de ſingularibus aliàs dicemus. Videndum etiam, ne quod in parte dictum eſt prius, in toto concludatur: quocirca haud rite ex non diſtributo diſtributum colligitur. Sed quatenus quum unum congruit, alterum non congruit, illa duo non neceſſe eſt omnino uel congruere, uel non congruere, ideo ex negatiua & affirmatiua negatiua elicitur: ex uniuerſalitate & particularitate particularitas, ſemper enim minus eſt ac deterius quod exprimitur. Tota uis ſyllogiſmorum in eo eſt ſita, ut ex uniuerſalitate inferatur uniuerſalitas, uel particularitas, ex negatione negatio, ex affirmationibus affirmatio. Videndum ut integre ſumatur medium, & quicquid in præmiſſis non eſt medium, nec pares medij, conferatur in intentionem nihil addendo, aut detrahendo, quod quidem ſenſum uariet, & ſeruata eadem ſignificatione uerborum, ne fiat æquiuocatio uel amphibologia. Ergo ſumuntur hæc omnino congruere, & partim congruere: nam ex non congruere, per ſe nihil efficitur. Quocirca ſint in medio pro omnino congruere, omne: pro partim, aliquod: in utroq; decẽ fiunt collationes ſeu connexiones, quas cõbinationes noſtri nominant: medium ſit a, extrema b c. Mediũ ut menſura eſt duorum, ideo poſtquàm perfunctum eſt metiendi munere, foris remanet: ratio & habitus quidam illorum duorum cõſideratur, hoc enim quærebatur per menſuram: quare in id quod efficere & comparare uolumus, mediũ non intrat. Terminus qui in prima ſumitur cũ medio, dicitur maior terminus: qui in ſecũda, minor: pronuntiationes ipſæ prima nominatur uulgo maior, minor altera, præmiſſæ ambæ.

Capella

Capella primam assumptionem,alteram propositionem,alteram propositionem,tertiam illationem:in quo sicut arbitror, commutatæ sunt uoces.Nam Cicero quem ille sequitur, contrà:item Quintilianus qui maiorem enuntiationem uocant propositionem,minorem assumptionem:alij maius & minus assumptum, siue sumptiones. Tum directe concludere,ut maius extremum dicatur de minore: indirecte contrà. Capella directum inferre, ac reflexim.Explanemus hæc per exempla apte ad usum. Comparationes sunt istæ:Si aliqua pars a capit totum b, & aliqua pars b capit totum c, c totum capietur ab a:ut si tres trianguli pingantur, quorum unus b sit maximus, & capiet alterũ a, tertius sit minimus intra a,qui sit c: ita dicimus si omne b est a, & omne c est b, omne c est a.Adhibeatur regula, quam diximus esse canonem artium omnium, & uitæ totius: si manente proposito, illatum infirmetur, duo contradicentia concedentur,uidelicet aliquod c non est a, & idem est a: nam si non omne c est a,sit sanè illud c,d:tum si omne c est b,etiam d erit b: & si omne b est a, etiam d erit a: alioqui non omne b erit a, nempe d:ita hoc d erit a:atqui idem ipsum non erit a.In ijs quæ concludunt directe ex contradictorio consequentis cum minore,infertur contradictorium assumptionis:hæc est uia ad facilius inueniendam rationem examinandæ bonæ connexionis. Verum capiamus, quo res fiat distinctior, & explanatior, non literas iam,sed uoces significantes:omnis uirtus est bonum,iustitia omnis est uirtus,omnis igitur iustitia est bonum:non quin sine significatione res sit ex sola structura ualida, sed minus perturbatur ingenium in significantibus, quàm in literis propter minutiam earum. Quòd si concluditur,omnem iustitiam esse bonum,inferetur etiam aliquam iustitiam esse bonam:scilicet ad omne sequitur aliquot: etsi aliquam iustitiam esse bonam,etiam aliquod bonum esse iustitiam:nam hic tantum transponuntur uerba,sensus restat idem.Quocirca de ijs quæ adæquantur, aut se subsequuntur, rarius loquar:putabo enim dictum de alteris, ubi de alteris præcepero.



Sequuntur octodecim formæ.

Itaque prima hæc forma uocetur à nobis,ut uulgo,Barbara:ne in eo, quod nihil refert,affectate uideamur discedere à trita & uulgari uia:in quo satis liquet ex uniuersalitate confici uniuersalitatem,ex particularitate non nisi particularitatem: quum b quod erat particulare in ratione,tale est in iudicio illationis.Licebit omnes formulas regulare per normam illam, quam posuimus de congruentia duorum ad tertium. Sed ut apertius & compendiosius præcipiamus, omittetur deinceps:satis fuerit de principio attigisse,unusquisque per se examinet:nam hæc seorsum melius intelligun tur,quàm in tumultu.

Secunda coniunctio: si omnis uirtus est bonum, & aliqua iustitia est uirtus, utique iustitia aliqua est bona:nam detur oppositum,nulla iustitia est bona:ergo neque hæc iustitia,quæ est uirtus per assumptum:ergo aliqua uirtus non est bona,& tamen omnis uirtus est bona:hæc dicitur Darij: ex particularitatibus collecta est particularitas,id est quæ in præcedentibus fuerant particularitates,manent in consequente.

Tertia,si nulla uirtus est bonum, & omnis iustitia est uirtus,nulla uirtus est bonũ: detur diuersum,aliqua iustitia est bona, & eadem est uirtus,aliqua ergo uirtus est bona:sit Celarent.

Quarta,si nulla uirtus est bona, & aliqua iustitia est uirtus, aliqua iustitia non est bona:sumatur oppositum,omnis iustitia est bonum:ergo hæc iustitia est bona, indico illam,quæ per secundam est uirtus:ergo hæc uirtus est bona, & tamen nulla uirtus est bona:sit Ferio.

Quinta,si omnis uirtus est bonum, & aliqua iustitia non est uirtus, nihil efficitur: collatio est ut uocant inutilis:quippe proceditur à non distributo ad distributum:bonum sit maius uirtute, & iustitia æqualis,aut minor bono:omnis homo est animal, aliqua substantia sensibilis non est animal:nisi quis sic colligat, ergo aliqua substãtia sensibilis,aliquod animal non est:ut animal nõ distribuatur.Sed nemo sic loquitur.

Ideo Petrus Mantuanus,& alij ſophiſtæ has uocant de inconſueto modo loquẽdi.

Sexta,omnis uirtus eſt bonum,nulla iuſtitia eſt uirtus,non poteſt hæc naſci, nulla iuſtitia eſt uirtus, nec aliqua iuſtitia non eſt uirtus : nam bonum quod non erat prius uniuerſalitas,nunc fit.Inſtaretur,ſi bonum ſuperius eſſet ad iuſtitiã:animal,lapis, homo.Sed ſic indirecte,aliquod bonum non eſt iuſtitia,tunc omnia remanent, ut oportet.cedo repugnans,omne bonum eſt iuſtitia:hoc igitur bonum, quod etiam eſt uirtus,ſecundum priorem aſſumptionem:quare hæc iuſtitia eſt uirtus, quod eſt contrarium ſecundæ:Fapeſmo uocatur.

Iam ueniamus ad ſextam,ſi omnis uirtus eſt bonum,& omnis uirtus eſt iuſtitia,aliqua iuſtitia eſt bona: detur aliud nulla iuſtitia eſt bonum,ergo neq; hæc iuſtitia:oſtenſa illa,quæ ſit uirtus per minorem:itaq; hæc uirtus non eſt bona, & tamen omnis uirtus eſt bona: uniuerſalis non poteſt inferri,omnis iuſtitia eſt bonum,ſumamus uirtutem minorẽ bono , & iuſtitiam maiorem bono . Sic omnis homo eſt animal , omnis homo eſt corpus:nec contrà:nam item contrà ſumam.Sit hęc Daraptí.

Septima,omnis uirtus eſt bonũ,aliqua uirtus eſt iuſtitia, aliqua iuſtitia eſt bona:repugnans enim eſt, nulla iuſtitia eſt bonum, ergo nec illa iuſtitia quæ eſt uirtus,iuxta ſecundam : quare nonnulla uirtus non eſt bona : & tamen omnis uirtus eſt bona. Sit Datiſi.

Octaua,omnis uirtus eſt bonũ , nulla uirtus eſt iuſtitia , ergo aliquod bonum non eſt iuſtitia:reducitur ad Fapeſmo cõuerſione minoris,Nulla iuſtitia eſt uirtus : & tũc facile probatur ad regulã,ut factũ eſt. ideo huic nomen ne imponamus , quandoquidem omnino pendet ex alio:ſi quis tamen nomen requirit,uocet ſanè Fapello.

Nona,omnis uirtus eſt bonum,aliqua uirtus non eſt iuſtitia,non producunt hanc, aliqua iuſtitia non eſt bona,ſi iuſtitia ſit minor bono:omnis homo eſt animal , aliquis homo non eſt Hiſpanus,ergo Hiſpanus non eſt animal : à non diſtributo ad diſtributum cõcluditur.ſed uel illa naſcetur de inconſueto loquendi more, aliqua iuſtitia bona non eſt:uel hæc indirecte,bonum non eſt iuſtitia.nam ſi quis non acquieſcit,tranſeat ad aduerſum,omne bonum eſt iuſtitia,atqui uirtus omnis eſt bonum,quare omnis uirtus eſt iuſtitia:quod eſt contradictorium aſſumpti, ſed accipit uires à Barbara, ideo etiam relinquatur:ſit tamen,ſi quis uelit,Barboco.

Decima , nulla uirtus eſt bonum , omnis uirtus eſt iuſtitia , non poteſt inferri uniuerſaliter,nulla iuſtitia eſt bonum,ſi iuſtitia ſit ſuperior bono : nullus lapis eſt homo, omnis lapis eſt ſubſtantia , ergo nulla ſubſtantia eſt homo : ſed ſic,aliqua iuſtitia non eſt bonum:detur oppoſitum,omnis iuſtitia eſt bonum,ergo et illa iuſtitia,quę eſt uirtus:itaq; aliqua uirtus eſt bonum,& nulla uirtus eſt bonum.Felapton dicitur.

Vndecima,nulla uirtus eſt bonum, aliqua uirtus eſt iuſtitia , aliqua iuſtitia non eſt bona:detur diuerſum,omnis iuſtitia eſt bonum,ergo & hæc , oſtenſa illa quæ eſt uirtus:& tamen nulla uirtus eſt bonum:dicitur Feriſon.

Duodecima,aliqua uirtus eſt bona,omnis uirtus eſt iuſtitia,ergo aliqua iuſtitia eſt bona:cedo oppoſitum,nulla iuſtitia eſt bona, ergo nec illa , quæ eſt uirtus : quocirca aliqua uirtus non eſt bona,& tamen omnis uirtus eſt bona:dicitur Diſamis.

Tertiadecima , aliqua uirtus eſt bona , nulla uirtus eſt iuſtitia , non infert , aliqua iuſtitia non eſt bona : nam aſcenditur à non diſtributo ad diſtributum:fit apertum, ſi uirtus ſit amplior quàm iuſtitia : aliquis lapis eſt ſubſtantia , nullus lapis eſt animal: ſed ſic indirecte concluditur,aliquod bonum non eſt iuſtitia : detur aliud,omne bonum eſt iuſtitia , ergo & illud bonum quod eſt uirtus: itaque uirtus eſt iuſtitia, & tamen nulla uirtus eſt iuſtitia:uocetur Feriſco,nã ad Ferio pertinet , ſi quis aſſumptionem conuertat,& de maiore fiat minor.

Quartadecima,aliqua uirtus eſt non bona,omnis uirtus eſt iuſtitia,ergo aliqua iuſtitia nõ eſt bona:concedatur oppoſitum, omnis iuſtitia eſt bonum , & omnis uirtus eſt iuſtitia , ergo omnis iuſtitia eſt bonum : quod contradictorium propoſitionis ex Barbara ſumit uires,ſed forma per ſe ſolet poni,Bocardo dicta.

Quintadecima, omne bonum eſt uirtus , omnis iuſtitia eſt uirtus , nihil efficitur ob me-

ob medij particularitatē in utraq;. Et,omne bonū est uirtus, nulla iustitia uirtus,nulla iustitia bonum:nam ponatur, aliqua iustitia est bonum, ergo aliquod bonum est iustitia: ostendo illud bonum,quod est uirtus, per priorem,ergo aliquod bonum est uirtus, quod est oppositum secundi assumpti:uocatur Camestres.

Sextadecima,omne bonū est uirtus, aliqua iustitia nō est uirtus,aliqua iustitia nō est bona: nam si omnis iustitia est bonum,ergo & ista iustitia,illam indico quæ non est uirtus:itaq; & hæc iustitia est bona,quæ non est uirtus,aliquod igitur bonum nō est uirtus,quod est contradictorium maioris: dicitur Baroco.

Decimaseptima, nullum bonum est uirtus,omnis iustitia est uirtus,ergo nulla iustitia est bonum:nam si non acquiescis,sit ergo aliqua iustitia bona, & omnis iustitia est uirtus:sumo hanc iustitiam,quæ est bonum,eadem est uirtus, ergo aliqua uirtus est bona,quod est contradictorium propositionis:uocatur Cesare.

Decimaoctaua,nullū bonum est uirtus, aliqua iustitia est uirtus,aliqua iustitia nō est bona:repugnat intentioni,omnis iustitia est bonum: indico ergo illam iustitiam, quæ est uirtus, aliqua ergo uirtus est bona, quod contradictorium assumpti prioris: Festino dicitur.

Sunt aliæ collationes,quæ tantum ab ijs quæ modò positæ sunt, transmutatione sumptionum distant:ut quum dicimus,omnis uirtus est bonum,& omnis iustitia est uirtus,si dicatur,omnis iustitia est uirtus,& omnis iustitia est bonum. In istis eodem modo cōcludet,quo in alijs,sed indirecte:ut apud illū,omne peccatū est actio,omnis actio uoluntaria,ergo omne peccatum uoluntariū: & apud Ciceronē,quod est bonum omne,laudabile est:quod laudabile est omne, honestum est: bonū igitur quod est,honestum est.Si quis tamē uelit directe concludere,hoc tantum deuitet, ne à particularitate ad uniuersalitatem transeat:omnis iustitia est uirtus,omnis uirtus est bonum,ergo aliquod bonum est iustitia.Quapropter collectiones sunt septemdecim: quas licebit in tres ordines distribuere:ut quum medium in altera est obiectum,in altera dictum existat primus ordo:quum in utraque dictum,secundus:quum in utraque obiectum,tertius. In primo ordine sunt hæ formæ,ac uelut gradus,Barbara,Darij,Celarent,Ferio,Fapesmo.In secundo,Camestres,Baroco,Cesare, Festino. In tertio,Darapti,Datisi,Barboco,Felapton,Ferison,Disamis,Feriso, Bocardo. Neque hîc spectauimus quæ effata possent inferri,sed quæ sunt comparationes,quæ aliquid inferant.Reliquæ omnes siue collationes,siue combinationes,aut sunt ex particularitatibus,aut ex negantijs,aut uniuersale ex particulari concludunt,aut detortam aliquam intentionem ad inconsuetum loquendi morem. Nec comparationes attigi, quæ non sunt in communi usu:omnis uirtus est omne bonum,iustitia est omnis uirtus:nihil sunt hæc,nisi ad hoc reducantur,omnis uirtus est iustitia:ut fiat secundi ordinis. & illa,omnis uirtus est omne bonum,par est huic, unaquæq; uirtus est quodcunque bonum:nec à singulari differt,neque aliter potest esse uera:nam si duæ sint uirtutes, & duo bona,non potest ullo pacto uera esse.Cæterum formæ illæ primi ordinis efficacissimæ sunt,propterea quòd paratam ostēdunt refutationem,si quis non assentiatur, & maxime congruunt naturæ:uidemus enim rudes atque imperitos homines plurimum illis uti, & acquiescere:idcirco alios etiam ordines ad illum uolunt reduci posse,hoc est illos per hunc examinari,probari'que:quod fit uel sumptis pronuntiatis paribus, seruatis eisdem terminis,uel minoribus, quæ à maioribus deducuntur conuersis uel commutatis propositis rationis, uel sumpto contradictorio illationis per aliquem illorum modorum, cum altera assumptionum inferre contradicentem enuntiationem alterius. Et unaquæque forma reducitur ad formam cum qua communem habet literam principalem sic, ut quam uocalem sequitur s, effati eius sumatur æquiualens:ubi p,sumatur quæ astrictior elicitur:ubi m,commutentur sumpta: ubi c, ad contradictorium deducitur: uelut Cesare, nullum animal est lapis,omne saxum est lapis,ergo nullum saxum animal: primæ æquipollens, quæ idem retrorsum ualet, est hæc, nullus lapis est animal; fit in Celarent, nullus lapis

pis est animal,omne saxum est lapis, ergo nullum saxum animal. In Baroco sic,omnis homo est animal,aliquod candidum non est animal,ergo aliquod candidum non est homo. Sic, omnis homo est animal, omne candidum est homo, ergo omne candidum est animal,in Barbara. Ratio horum omniũ est, quòd ad paria idem sequitur: ut quod ad bonum & iustitiam,idem ad iustitiam & bonũ:& quod ex minori exprimitur, multo facilius ẽ maiori:tum à contradictorio illati recurritur ad contradictorium propositi,tanquam coticula probæ collectionis. Et quod diximus de illis subiectis & dictis distributis, idem dicendum & sentiendum in omni particularitate, & uniuersalitate: ut,cuiusq; docti libri sunt accuratè perscripti, Budæus est unus è doctis, illius ergo libri bene & diligenter sunt perscripti: nullus superbus placet Deo, nonnulli hominum animi grati sunt Deo,aliqui ergo illorum non sunt superbi.Nullum æquum iudicem uideo,Morus est æquus iudex,illum igitur non uideo:ad eundem modum in cæteris.Si quis sumat semper,nunquam,aliquando etiam, aliquãdo non,omnia illa genera syllogismorum effinget, quæ prius: obseruabuntur,quæ modò diximus,ut omnia sint paria.Claymondus semper aliquid meditatur de literis,heri conueniſti Claymondum,ergo heri conueniſti aliquid meditantem de literis. Eodem modo ubi uniuersalitas intelligitur:uirtus est bonum, iustitia est uirtus,ergo bona.Seneca:Ebrio nemo committit secretum sermonem,atqui bono uiro committit, ergo bonus uir non est ebrius:in Felapton,nam & ebrius uniuersaliter capitur,& bonus uir.Quod de affectis quæritur possibile,impossibile,necessarium,per regulas est censendum.Possibile particulare est,particularius quàm quodlibet tẽpus uerbi: impossibile uniuersale est negans: necessario uniuersale aiens:meminerimus, quid superius de uniuersalitate & particularitate admonuimus. Sũt quędam uerba,quæ inuoluta rationem syllogismi perturbant,euoluta autem sunt facillima. Tota uoluptas est in sensu,totus sensus in parte animæ brutali, tota ergo uoluptas in brutali animæ portione:nam illud totum significat quicquid est eius.Similiter nullum animal præter hominem est capax religionis, elephas non est homo, quum sit animal,ergo non est religionis capax:sic enim explicatur,nullum animal,quod nõ est homo,habet religionem,nullus elephas habet religionem:nam solus uniuersalitatem ad alterũ extremum iacit:ut sit,omnes habentes religionem sunt homines,elephas non habet & cętera.Sunt qui ualent in certis uocibus,in alijs nõ: ut pauci homines sunt in hoc cãpo, exercitus nõ est pauci homines,ergo non est in hoc campo:nihil concludes, si dicas, albi homines sunt in hoc campo, Æthiopes non sunt albi,ergo non sunt in hoc campo,in quo sint ipsi & Germani.Singularitas perinde est, ac si esset quædam uniuersalitas: ideoq; in ea probos syllogismos contexueris, & quidem in tribus ordinibus. In primo ex aientibus:Ioannius legit,Gasparis filius est Ioannius,ergo Gasparis filius legit.Si maior sit negans: Socrates non disputat,Sophronisci filius est Socrates,ergo non disputat: non ualet in minore,Socrates est philosophus, Plato non est Socrates, ergo non est philosophus:nã arguitur à non distributo ad distributum:nisi dicatur,ut antea,aliquis philosophus nõ est.In secunda ex affirmantibus:Orator est Cicero,philosophus est Cicero, orator ergo aliquis philosophus est:ex negatiua, aliquis Theologus non est Vergara,aliquis Theologus est Vergara, nõ conficitur Theologũ non esse Theologum, sed Theologum aliquem nonnullum Theologũ non esse.Et ex minore negatiua ad eundem modum. In tertio: Aristoteles est doctus, & idem est maritus,aliquis igitur maritus doctus:& ex negatiuis:Socrates nõ fuit auri cupidus,Socrates fuit philosophus, aliquis ergo philosophus auri cupiditate caruit: at minore negatiua, Socrates est homo, & nõ est Troianus, non sequitur aliquem Troianum non esse hominem:sed sicut dictum est, aliquem Troianum aliquem hominem non esse. Sunt quidam syllogismi multiplices, qualis erat ille Socraticus: amicorum omnia sunt communia, dij & homines boni sunt amici, deorum sunt omnia, ergo & bonorum hominum: gradationem quidam uocant: ego ut sic non appellem, facit, quòd non semper posterius sequitur ex priore, sed est geminus syllogismus,

ad hunc

ad hunc modum: quorumcunq; amicorum omnia sunt communia, diij & boni homines sunt amici, ergo eorum omnia communia: rursum, quæcunq; sunt deorum, sunt bonorū hominū, omnia quæ sunt, deorum sunt, igitur & bonorum hominum: si quis uelit gradationem nominare, nihil impedio. Syllogismi qui fiunt in comparatiuis & superlatiuis habent peculiarem quandam rationem: ut quisquis animū excolit, melior est eo, qui negligit, studioso sapientiæ nihil est melius, & est, animum ergo excolit: quod optimum est, deesse beato non potest, sapiētia & uirtute nihil melius, his igitur uir beatus non caret: & apud Ciceronem secūdo de Legibus: Quum omnia, quæ rationem habent, præstent ijs, quæ sunt rationis expertia, nefasq; sit dicere ullam rem præstare naturæ omnium rerum, rationem inesse in ea confitendum est. In relatiuis quæ referunt exacte, sumendū est antecedens cum relatiuo, aliter nihil proficit conclusio: omnis homo qui se summittit, extolletur: uir sapiens est homo qui se summittit, ergo extolletur: non tamē sic, uir sapiens est homo, ergo uir sapiens qui se summittit extolleī: nam in simili obijcitur, uir stultus ac deploratus est homo, ergo uir eiusmodi, qui se summittit, extolletur: quum nullus sit talis. In ijs quæ referunt genus, satis est sumere antecedens: ut omnis sophista est rixosus, qui & cauillatur, Lucianus est Sophista, ergo rixosus, qui & cauillatur. Similiter omnis iustitia & fortitudo. Cato uel Cicero pro simplicibus sunt: coniunctio naturæ est uniuersalitatis, ac proinde utrunque necesse est esse uerum: quocirca ab illa ad utranque eius partem rite colligimus, non autem retroagimus. Obediendum est & Deo & homini in potestate, ergo homini in potestate. A negatione partis contradictorium totius concluditur: nulla est in dissidio respublica, ergo non & in dissidio est respublica, & magistratus auari recte administrant: quæ est disiunctio, à qua ad nullam partem ualet complexio, sed à parte ad illam. Similiter à disiunctiua, si quis tollat unam partē, ponet alteram: Theologus uel curat animum suum, uel alienum, non curat suum, ergo alienum: non reflectitur, nam potest utrunque facere. Sed qui disiunctionis alteram partem ueram uolunt, alteram falsam, bene putant argui à positione unius partis ad sublationem alterius: uel sedet, uel edit: sedet, non ergo edit. Sic Cicero pro Cluentio: Vnum quidem certe nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse iudicium, aut ab habito, aut ab Opianico esse corruptum. Si doceo non ab habito, uinco ab Opianico. Si ostendo ab Opianico, purgo habitum: non uidetur in genere bene colligi, nam potuit corrumpi ab utroque: etsi non in illis, certe in alijs: quemadmodum suprà demonstraui, posse partes omnes disiunctionis ueræ ueras esse. Iam à conditionali. Qui ponit conditionem, ponit sequens, qui tollit sequēs, & conditionem, non uice uersa. Si est uirtus, est bonum: est uirtus, ergo bonum: non est bonum, ergo nec uirtus. si est uirtus, non est bonum: est uirtus, ergo non bonum: est bonum, ergo non uirtus. si non est uirtus, est bonum: non est uirtus, ergo bonum: non est bonum, ergo uirtus. si non est uirtus, nec bonum: non est uirtus, ergo nec bonum: est bonum, ergo uirtus. Hi quidem syllogismi, quæ est mensura & regula, qua alias argumentationes censemus. Nam enthymema fiet uniuersaliter bonum, si ad eum reducatur. Sed enthymema est bifarium, aliud quod ex significationibus uerborum ualet, ut homo currit, ergo animal mouetur: aliud quod quadātenus ex uerbis, ut quod habet aliquid in utroque pronunciato idem, obiectum uidelicet aut dictum: sicut Socrates uere philosophatur, Socrates ergo cōtemnit opes & gloriam, Socrates nihil habet arrogantiæ, ergo philosophus aliquis nihil habet arrogantiæ: & hoc solum reducitur ad unum syllogismum: illud prius ad multa. quod fiet primum medij inuentione, proposito themate, quod uelis probare, aut improbare: ut homo est albus, non est homo albus. Videndum primū quid superius, quid inferius, quid oppositū, aut alienum ab ijs terminis, qui in argumētatione sunt positi: ut quum sumo homo & album, homini superius est animal, corpus, substantia: inferius Troianus, Romanus: nihil est aduersum: auersa aut separata sunt ea omnia, quæ non sunt homo, puta leo, lapis, odor, sapor: albor, coloratum superius, hoc album inferius: candidum par, nigrum contrarium: separatum, uiride, lætitia, odor, sapor.

Ad

Ad concludendum affirmanter aliquid,oportet id pro medio ſumere,quod utriq; terminorum competat. Ad concludendum neganter,non quod ab utroq; diſcrepet, neq; enim ex negantijs quicquam conficitur,ſed quod uni conueniat, alteri non. Ad uniuerſalem affirmatiuã medium oportet eſſe maius,aut par eò quod diſtribuitur:minus eò quod non diſtribuitur: ſi utriq; ſit æquale,omnia erunt in confecto æqualia: ut omne riſibile eſt corpus:medium erit homo,uel animal,ad hũc modum:omne animal eſt corpus,omne riſibile animal,itaq; & corpus:colligitur ſolum in primo ordine,ideo in altera oportet diſtribui,tunc erit minus aut par. Ad particularem annuentem nihil impedit medium minus eſſe utroq;: omnis homo eſt animal,omnis homo eſt ſubſtãtia,aliqua ſubſtantia eſt animal:hæc infertur in primo & tertio ordine:in primo ſic,omnis homo eſt ſubſtantia, aliquod animal eſt homo,ergo & ſubſtantia. Ad uniuerſalem abnuentem medium uni nullo modo cõgruat,atq; in hoc incumbat negatio:altero erit maius,aut par,& hoc affirmabitur. iuſtitia,uoluptas,bonum,iſtud erit medium.nullum bonum eſt uoluptas,omnis iuſtitia eſt bonum.nulla ergo uoluptas bona.hæc infertur in primo & ſecundo ordine.ideo in uniuerſali non diſtribuitur affirmatiua,tunc erit maius aut par,nam ea eſt aſſumptio. Ad particularem negantiæ,ut medium ab eo,in quod incumbit negatio,tollatur,uel totum à toto,uel totum à parte,alteri congruat quomodocunq;,fit in tribus ordinibus. ſi totum omnino à toto tollitur,fit in Ferio,Feſtino,Felapton,Feriſco,Fapello,in quibus prior eſt uniuerſalis abnuens.ſi à parte fit in Baroco,& Bocardo,& Barboco,in quibus altera eſt particularis negantia.Propriùs iam de enthymemate.In omni enthymemate,aut eſt maior cum illatione,aut minor cum illatione.hic deeſt maior,illic minor.Sermo communis,& oratores,qui ſermoni cõmuni ſe accõmodant,enthymematis ad perſuadendum magis utuntur,quàm expreſſis ac perfectis ſyllogiſmis.& omittunt eam potiſſimum partem argumentationis,quæ adeò eſt facilis ex ſe,& cuiuis expoſita,ut ſorderet,ſi explicaretur,ac generaret faſtidium,tanquam diffideret auditori, qui dicit,eodem modo in epagogis duo aut tria exempla pro omnibus putant ſufficere.Solent reduci enthymemata ad primum aut tertium ordinem: ad ſecundum uerò perraro, quum obiectum eſt idem,nõ poteſt reduci ad tertium ordinem.nam medium ingrederetur cõfectionem,reducitur ad primum.ſi dictum eſt idem,poteſt ad utranq;.nam ſi eius quod illi additur pro ſupplemento,obiectum congruit obiecto,exiſtit in tertio.ſi obiectum dicto,in primo.quando dictum dicto,in ſecundo. Quando uerò deſit propoſitio,quando aſſumptio,hoc eſt eius cognoſcere,qui uiderit,quid deſideretur ad perfectam probationem.Reliqua enthymemata,quæ nihil habent commune, ad plures ſyllogiſmos reducuntur.homo currit, ergo animal mouetur. infertur hæc ſic,homo currit, omnis homo eſt animal, ergo animal currit.tum ſic,animal currit, quicquid currit mouetur,ergo animal mouetur. Ad explorationem ſiue ſyllogiſmi, ſiue cuiuſcunq; conſecutionis nulla eſt certior coticula,quàm ut ſæpe admonuimus, contradictorium intentionis repugnare uel toti rationi,uel cum una parte eius repugnare alteri,& rem deduci ad conceſſionem duarum contradictoriarum,qua examinatione nulla eſt euidentior in natura. Hinc ſequitur hoc dogma. Conſequens ſemper meliore eſt conditione quàm antecedens,aut certè pari. Nam ſi quid boni habet ratio, intentioni communicat, non contrà. Si quid uerò habet incommodi conſequens,in argumentum refundit. ſemper liquidius eſt & purius, quod exprimitur. Si propoſitum uerum,& intentio. ſi propoſitum neceſſarium,& intentio:alioqui poterit dari uerum antecedens illati falſi. ſi poſſibile eſt antecedens.& quod conficitur. ſi quid congruit cum ſumptione,& cum intentione,non econtrario. quippe antecedẽs poteſt eſſe falſum,conſequente uerò,ut ſtudia ſunt bona, ergo ab omnibus expetuntur. Si quid ſequitur ad illationem,ſequitur ad præcedens,nam quod ad poſterius,& ad prius,unde poſterius. quum ſemper prius ſit potentius, quippe ex his omnis homo eſt albus,& omne rationabile eſt homo,ſequitur hæc,aliquod rationabile eſt album.ad quam non ſequitur omne rationabile eſt album, quod tamen ex prioribus naſcitur. Si quid repugnat ſequenti & præcedenti,non uerò inuicem quandoquidem

dem

dem cum antecedente illo priori pugnat hæc,aliquod rationabile non est album: non tamen cum intentione consequenti. Similiter in nobis ex rebus, si argumẽtum est scitum, est intellectum, est concedendum,& illatio:quum hæc neganda aut dubitanda,& ratio. Nam in hac collectione,omnem binarium scis esse parem, ergo & hunc, quem tego ueste: deest minor,& hic est binarius. Quòd si quis de consequente probæ conclusionis incipiat ambigere,ea dubitatio ad antecedens se porrigit,de quo fortasse nihil prius ambigebat: ut quæ duo sunt in tertio paria, sunt ipsa inter se paria: a & b sunt paria c, ergo & ipsa inter se,quum c in deprehensibili discrimine excedit a,& exceditur à b: b uerò perceptibili ipsum a. propositionem putat se scire,assumptionem credit se oculis cernere,in confecto intelligit se captum: refert pedem,& recurrit ad priora, ut fraudem inuestiget. Restant captiones pseudomenorum,quæ à recentioribus reflexa nominantur, propterea quod de se loquantur, & in seipsas reflectant ueritatem aut mendacium,sed hoc crebrius:ideo à Græcis dicta sunt ψευδόμενα: ut hæc enuntiatio est falsa, demonstrata ipsa eadem; omnis uniuersalis significat aliter esse quàm est. Epimenides dicit, omnes Cretenses esse mendaces,& ipse est Cretensis,ergo & ipse mendax: si mendax,ergo non ei credendum: & dicit Cretenses esse mendaces,ergo non credendum: sunt igitur ueraces,& illis credendum: at hic Cretensis,ergo ei credendum. quale est etiam quod Psalmista inquit: Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Apud Lactantium quidam admonitus est per quietem,ne haberet fidem somnijs: quæro habebit'ne illi fidem, an nõ: si credit illi,credit somnijs: si non credit somnijs,credit illi. Et crocodilinæ: utrũ reddã tibi filium an non reddam? dic uerum,alioqui non recipies: si dicis redditurũ,retinebo quia es mentitus: si non redditurum,retinebo,ut sit uerum: nam si redderem, esset falsum,& ita essem nihilo minus retenturus. De Protagora Sophista Abderitano, & Euathlo eius discipulo,notum est illud de pacta mercede, quod Aulus Gellius refert. Idem Protagoras dicebat, omnes omniũ opiniones esse ueras, Socrates Platonicus refellit eum sic,at multi opinantur hoc esse falsum,ergo ita est: falsum ergo opiniones omnes esse ueras. Idem Socrates dicebat se nihil scire,& hoc erat aliquid,non ergo nihil sciebat. Pseudomenorum meminit Marcus Cicero quarto Academicarum quæstionum,& in libello de Fato: à quibus dicit uehementer fuisse Stoicos perturbatos, qui ea inexplicabilia nominarunt,aculeos & tortuosum genus disputandi: quæ colligauit magis Chrysippus,quàm dissoluit: ita ut hæc à regula illa exceperint, omne effatum uerum esse aut falsum: idcirco etiam & à nostris hominibus insolubilia nominantur. Sed harũ omniũ quæstionũ una est profligatio: quoniã uerba,sicut instrumẽta alijs rebus accõmodant, nõ sibi: neq; enim cultellus sibi scindẽdo est repertus, aut malleus sibi tundẽdo, sed alijs rebus: sic in uerbis semper alia sunt censenda, per id quod dicitur,non idem ipsum. nisi forte in quibusdã iocosis & puerilibus: ut hæc scripta sunt minio: nam serio quum loquimur, hæc scripsi tibi ad Calẽdas Octobres, de superioribus significatur,aut sequẽtibus,non de eo ipso: ut sæpe Cicero ad Atticum, & alibi: Hæc habui de amicitia,quæ dicerem.

Hæc tibi dictabam templum post putre Vacunæ.

Similiter quũ dicimus,omnis homo mendax,alij omnes,& ego,sed non in hoc. Iam minime credendũ somnijs,alijs utiq; :omnes Cretenses mendaces præter illum,& ille. sed non in eo ipso, quod dicit. Quum uicero primam litem,reddam tibi mercedẽ, sed non de hac ista re. Crocodilinæ interrogationi nihil potest responderi: proponat alia, quæ in se non retorqueantur: nam ad illam nihil potest aliter uerius dicere, aut aptius,quàm se nescire: aut aliquid argutum ridiculum. Tum omnes omniũ opinionum esse ueras alijs de rebus. Quidam dixerunt se nihil scire,ne hoc quidem metu argumenti illius. Atqui nec Socrates ignorabat se esse, & hanc Xantippem esse uxorem suam,& hunc esse Platonem discipulum suum,cæterum ad perfectam quandam scientiam dictum illius pertinebat. Quidam minime necessariam exceptionem addiderunt, Socrates nihil sciebat præter id unum, ut Varro in Academicis quæstionibus Ciceronis.

IO. LVDOVICI VIVIS DE INSTRVMENTO PROBABILITATIS LIBER.

MENS humana, quæ est facultas ueri cognoscendi, naturalem quandam habet cognationem atq; amicitiã cum ueris illis primis, & tanquam seminibus, unde reliqua uera nascuntur, quæ anticipationes atq; informationes nominantur, à Græcis κατα λήψεις. Hinc Platonis est orta opinio recordari nos, non addiscere: & animas hominum magnarum multarumq; rerum habuisse cognitionem, priusquam in corpus mergerentur: sed profecto non magis, quàm habent oculi notitias colorum, priusquam ex matris utero in hanc lucem prodeant: potestas ea est ad ista, nõ actus. Ex principibus illis ueris, paulatim alia uera colligit, sicut ex seminibus stirpes crescunt. Sed nouitas omnis admirationẽ parit, quæ postquam aliquandiu in ea substitit mentis acies, stimulat ad quærendum, atque inuestigandum. Ea prouincia iudicio mandatur: unde assensio sequitur eius, quod iudicatum est uerum, & quasi accessio: dissentio autem & auersatio ab eo quod falsum est. medium quiddam, quum neutrum horum agit: quod contigit uel ambiguitate distracto iudicio argumentorum momentis in uarias partes, qui est motus & nutatio iudicij: uel quiescente iudicio, quum à quo impellatur, non habet: & assensio unius, est oppositi dissensio, ac uice uersa. Assentitur simpliciter, hoc est, hoc non est: assentitur, sed pedetentim, & caute, nonnihil addubitans, arbitror, opinor, credo: quum animus, quò argumentum impulit, ita adhæresceit, ut tamen securus non sit, & fieri aliter posse putet: infirmius etiamnum adhæret, quum illa exeunt, suspicor, coniecto, ni fallor, uidetur: & per negationem, non credo, non arbitror, non suspicor, non memini. Assentitur firme, & secure, & omni semoto dubio, quum dicit, scio, compertum, exploratum habeo. Aut per negationem, nempe assensum firmum contrarij: res est impossibilis, incredibilis, fabula, commentum: quis credat? tu id credis? quæ interdum habent dubitationem, & admirationem magis quàm assensum contrarij confirmatum. Ironia pro dissensione est, sanctus & diligens prætor Verres: homo infans et stultus Cicero. Ex admiratione nascitur quęrendi cupiditas: in qua primus aggressus uocatur quæstio, qua uolumus scrutari de essentia aut inhærente alicuius rei, siue foras exeat ad alium, siue intra seipsum subsistat, qui quærit. Quæstionum aliæ simplex quoddam responsum postulant affirmationis aut negationis sine argumento: ut, Dic mihi Dameta cuium pecus? quæ interrogationes nominãtur: aliæ rationẽ & argumentum requirunt, aut certè fusiorem explicationem, quæ propriæ quæstiones. Græci ἐρώτημα interrogationem, ζῆτημα quæstionẽ dicunt: quamuis hæc interdũ in linguis confunduntur. Rogat quisq; uel de re, quid sit, aut cuiusmodi, quemadmodum affecta, quæ sunt infinita: nisi quis fortè redigere ad ea loca argumentorũ uelit, de quibus statim loquemur: ut totidem ex rebus quæstio existat, ex quot argumẽta, per quæ satisfit quæstioni. Rogat item de assensu aliorum: quid tu sentis? quid populus? quid senatus? quid Aristoteles aut Cicero? Interdum seipsum. ego ne id credam? mane: expendamus acrius. Tum uenit ad inquisitionem eorum, per quæ uel probando uel improbãdo acquiescat: cuius hæc est uia: Mens nostra in extrema rerum facie sensuũ cognitionẽ, atq; arbitriũ uelut ducẽ sequit, sed quẽ ipsa interdũ deflexũ de uia iudicio suo reuocat: tum ex ijs, quæ à sensib. didicit, attollit se altius ac penitius se cõdit in rerũ intima: aliaq; assequitur, & eruit occulta atq; abstrusa: sic tamẽ ut aditus ad incognita, sint prius cognita: ad incerta uerò sint certa: credibilia quoq; ac ueriſimilia ad ea de quibus ambigit. Necesse est enim ut in assensu gradus attollat gradum, &

sequentium

ſequentium adminiculum ſint,quæ præceſſere.Neque fieri poteſt ut in curſu ad metam perueniat,qui medium prius non attigit:nec in tenebris ſpectari quid poteſt,niſi lucem admoueris:ita neque dubia & tenebris obſcurata cerni unquam poterunt, ſi nõ lux aliqua affulgeat ex ijs,quæ nos uelut ſpectata iam habemus ac certa.Eundem ad modum in menſuris,in ponderibus res ipſa nos docet,ut quę ſunt iam nobis comperta & explorata, quæ probabilia & ueriſimilia reddant ea, quibus pro cenſura admouerentur talia, ſiue quòd conſentanea ſibi ſint, ſiue quòd diſſideant. Incredibile memoratu eſt,quot,& quàm uarias ad ueri inueſtigationẽ rationes humanũ ingeniũ ineat, ac tentet, haud aliter quàm qui rem magnopere abditã in tenebris inquirunt. Confirmant dubia ita eſſe aut non eſſe duorũ modorũ altero, aut quia aliquid ſit, aut quia non ſit:ut,an charus quis deo? charus, quia pacis & concordiæ amicus, & quia fluxas res non amat: non charus, nam concordiam habet inuiſam, & amat immodice ſuum corpus.Ergo eſt argumentum id, quod iam creditum ad fidem rei nondum creditæ ſumitur.Ordo uerò eorum quæ creduntur,hic eſt:Primam fidem arbitramur eſſe ſenſuum,hanc uulgus certiſſimam eſſe ducit,nec falli ſe ab illa poſſe:unde ſunt illa,& uocem his auribus hauſi:ego hiſce oculis uidi.Et Dominus in Euangelio,Quæ uidimus,inquit, teſtamur: apud Plautum quidam pluris facit oculatũ teſtem unum, quàm auritos decem. ſed falli nonnunquam oculorũ obtutum & aliorum ſenſuum aciem res eſt quotidiana,uitio ſuo,aut medij, aut obiecti, aut communis ſenſus, qui niſi aduertat,nihil percipietur recte.Ideo in antiquis Romę teſtimonijs illud ſemper etiam rebus manifeſtiſſimis addebatur,ut credo. Verum hæc cauſa non erat,cur Academia in totum abrogaret fidem ſenſibus:quaſi nihil recte poſſit deinceps agere,qui ſemel egerit praue. Sed quod uno tempore erratũ eſt à ſenſibus, alio corrigit: quod ab uno homine, ſarcitur ab alio. Sunt paucula quædam in quibus neceſſario ſenſus labuntur,non culpa ſua,ſed rerum:his ſubuenit mens, cuius eſt certius iudicium atq; exactius,quæq; deprehenſo ſemel ſenſuũ errore,certius deinceps iudicat.Secundus fidei locus eſt,quod ſuus cuiq; affectus ſuaſit:qui quandiu dominatur animo,omnia ſui iuris facit,& quamlibet falſa exploratiſſima creduntur:nam acumen ingenij & acrimoniã iudicij nebula quadam obducit, ne quid ualeat inſpicere, niſi per eam ipſam. Interdum quoque tanta eſt cæcitas,ut qui perturbationibus tenentur, uidere ſe uel audire negent,quæ uident,atq; audiunt:quandoque reuera alienato mentis iudicio ſenſibus defungi non queunt: aliàs obſtinatione quadam non ferunt affectioni quicquam obſiſtere.Hinc amanti pulchra omnia, etiam deformiſſima, & in odio atque inuidentia nihil ſatis bene.Quanquam ſunt in affectu proni quidam ad deſperationem,ij nihil credũt,quod quidem optent eueniſſe: alij ſpem habent cum uoto ad credulitatem propenſiores,ad hos etiam quæ uana eſſe non ignorantur,tamen ſi affectum moueant,nonnihil impetrant fidei, ut fabulæ quæ delectationem afferunt: ita enim iudicij uim uoluptas occupat, ut nihil ſinat agere, nec expendere, cuiuſmodi ſint quæ dicantur,uacet:quippe anteceſſit affectio cenſuram, et excluſit.Dehinc ſunt argumentorũ,& rationis uires. Tum autoritas dicentis:ſed in ijs non omnes ad eundem ſeſe modum habent: ſunt qui omnia argumentis tribuant, non tam neceſſarijs, quàm ueriſimilib.alij neceſſaria requirunt,hi ſunt,qui plurimum ingenio ſuo fidunt. Nam apud eos qui non tam ſibi placent,maluntq; alienũ dictũ ſequi,quàm ſuũ ipſorum, maximi ponderis eſt autoritas:ſed autoritates tamen non omnes æqui ſunt momenti;de quib.erit peculiaris dicendi locus. At ſi quid eſt alicui perſuadendũ, id cui ille aſſentitur,ex probabiliũ eſt numero: & uti Quintilianus ait,ſi quid inter utranq; partẽ conuenit,& cuicunq; non cõtradicit aduerſarius.Hoc in opere omiſſis alijs fidei generibus ac formis,de argumẽtis atq; autoritate diſſerendũ eſt nobis.Nam ſenſus à natura ſunt,qui non docentur: eos homines & cæteræ animantes communiter poſſident ex beneficio naturę. Affectus rapiuntur impetu,antequã rationẽ audiant: quibus de cauſis excitentur,aut reſidant,non eſt inſtituti huius dicere,ſed de anima. Ergo quicunq; obſcuras atq; incertas res ex certioríb.& clariorib.inueſtigãt,eiſdem argumentorum inſtrumentis,ac uelut armis in diuerſiſſimo materiarũ genere utun-

tur. Quippe & iuriſconſultus, & medicus, & geometres, & rhetor aliquid in ſua peritia atq; arte quæſiturus, eſſentiam ſcrutatur, inhærentia, cauſas, effecta: ut eodem penicillo & in tabula pictor Cæſarem pingit, & in cruſta Alexandrum, & in linteo bouem, & in charta piſcem. Hæc omnia magnis quidem atq; exercitatis uſu & prudentia ingenijs in promptu ſunt: artis uice eſt illis acumen & celeritas mentis: uerum tardioribus fuit cõſulendum, ipſis quoq; feliciſsimis ſubeunt ſæpenumero obliuiones, aut difficultates in rebus maxime neceſſarijs, ut ſunt humana omnia infirma: optimũ factu eſt uiſum eam ipſam inquirendi rationem, & colligendi probabilia, quam omnes communiter uſurparent, obſeruare, annotare, in præcepta redigere, & artem conficere, quam de inueniendo nominarunt. Ne quoties aliquid eſſet ueſtigandũ, peregrinandum haberet ingenium humanum mole corporis uelut tricis retardatum per tantam immenſitatem naturæ: & obtuſo illi res eſſent denſæ penetrandæ, & obſcuræ perſcrutandæ in tenebris. Ergo digeſta ſunt ſingula, & tanquam in domunculas & ſedes redacta, quos locos dixerunt oppoſito nomine, quod & Ariſtoteli placuit inuentori, ſi Ciceroni credimus, facultatis huius. Eſt enim locus nomen inſtrumenti, quo rationem probabilẽ rimamur: ſunt horum nomina tanquã lemmata narthecioru̇ apud pharmacopolas et unguentarios, quîs illi admonentur, quid in quoq; inſit narthecio aut capſula, ne omnia euoluere ſit neceſſe, quum uno aliquo eſt opus. Verum illud initio ſtatim ignorari non oportet, confuſum hoc tempore & permiſtam quandã inſtrumentorum ſyluam à nobis tradi: quorum examinatio & iudicium, quid unumquodq; operi conducat, & quantũ, alterius ſit contemplationis: ut ſciat quiſq;, quantum in præſentia à nobis expectaturus ſit: ne fortè maiora aut plura animo præſumens, quàm quod dabitur ſatisfactũ ſibi non eſſe, indignetur ſua magis culpa quàm noſtra. Quæcunq; ergo res in dubitationem uenerit, eam oportet penitus inſpici interne, externe, ſurſum, deorſum, ante, retro, cogitatione & mente omnia perluſtrare: ut uerum iſtud, ad iudicium utiq; noſtrum tam multis coopertum et occultatũ inuolucris, detegatur, atq; in apertum ſe proferat: nam quum obiecto dictum additur, niſi quæ utrobique latent, expromantur ac conferantur mutuo, non facile utique ſcietur, quemadmodum illa inter ſe congruant. Quocirca multum ars hæc à prima philoſophia adiuuatur. Spectanda ſunt illa etiam quæ de diffiniendo & diuidendo diſſeruimus: ea enim hunc in modum habent: pro loco eſt rei eſſentia, hinc inhærentia, tum actiones, paſsiones, cauſæ ipſius, & ea quorum illa ipſa eſt cauſa, quæ rem illam capiunt, ſiue in quibus eſt & ea quæ res ipſa capit, quæ ad ipſam referunt, quę ante eam ſunt, quæ poſt addita, attributa, quæ humanis ingenijs excogitata, & in argumentum ſunt aſſumpta. Eſſentiã rei patefaciunt, & explicant diffinitiones: in quibus hæc inſunt omnia, genera, ſpecies, differentiæ, ſeu propria. Tum ea quibus quæq; res conſtituitur, & coagmentatur. Superius illud quod eſt generis uice, eſſentiam inferioris utcunq; demonſtrat, in quo non tam eſt ſumendum exactum illud genus, quàm ſuperius quiddã, ut de diffinitione diximus ☞ eſſe, ſuperius eſt ad omnia, eoq; Cicero primo Tuſculanarum Quęſtionum probat mortuos non eſſe miſeros, quia non ſint. Athenienſes iuuenes gymnaſiis ſe exercent: nam id eſt Græcis omnibus commune. Sic oſtẽdit Cicero, ſi acta Cæſaris cõfirmentur, potiſsimũ leges Cęſaris debere defendi ac confirmari: quoniã nihil eſt magis in actis, quàm leges. quære inquit, acta Gracchi, leges Sempronię proferẽtur: quęre Syllę, Corneliæ: ita enim leges ſunt inter acta, ut homines inter animalia: et recurritur ab inferiore ad ſuperius, hoc eſt ab indiuiduo ad formam, ab hac ad genus. Quî potes malum negare, quem mendacem uides? & quem tu bonum uocas, non uideo quem locum probitatis teneat. Ex proprietate & differentia. Nihil magis eſt hominis quàm iudicium, moderatio, conſilium, ingeniũ, peritia, diſciplina, quũ ſit animal rationabile, & diſciplinę capax: quid minus eſt eius, quàm furor, præcipitatio cõſilij, affectu rapi, rationi nõ obtemperare, præcipitẽ ruere in quodcunq; animo fuerit collibitũ? Mitio Terentij arguit ſe patrẽ eſſe, Demeã non eſſe, quòd hoc patriũ ſit potius cõſuefacere filium ſua ſponte recte facere, quàm alieno metu: Hoc pater, inquit, & dominus intereſt: hoc qui nequit, fateatur ſe neſcire imperare

perare liberis. At res ex partibus suis constant: nec aliud est pars, quàm ex quo cum alio uel alijs quicquam construitur: quarum aliæ sunt essentiales & simplices, ut materies & effectio: aliæ compositæ, ut quæ ad quantitatem uidẽtur referri. Ex materie deprehenderunt physici animantes omnes mortales esse: propterea quòd hæc instabilis esset & fluxa, facileq; mutationibus præberet locum. et Iuppiter apud Ouidium ex materia domus fatorum concludit ea esse immutabilia:

—Tu sola insuperabile fatum
Nata mouere putas? Intres licet ipsa sororum
Tecta trium.

Et quæ sequuntur. Cicero utilitatem funeris Clodij arguit, quòd tam multæ deessent partes, imagines, laudatio, & eiusmodi. Ex hominis effectione intelligitur hominem nõ posse terrenis & caducis expleri, cuius animus cœlestis immortalisq; sit. L. Crassus orator non esse mirandum dixit, si Domitius uocaretur Æno barbus, cui esset os ferreum, & cor plumbeum. Aristoteles colligit pisces respirare, quia habeant pulmonem, & apes non respirare, quia non habeant: nec suscipere disciplinam, quòd inaudi tæ sint. Ad partem dixerim pertinere sexum, marem, fœminam. Coniuncta sunt cum essentia ea, quæ solo casu & uocis mutatione distant. quæ à Cicerone coniugata nominantur: ut sapiens, sapienter, sapere, sapientia: homo, humanus, humaniter. Terentius: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. in quibus duę sunt cõcludendi formulæ: nam uel ad idem pertinent, uel ad duo: singula ad singula: prius est, si eloquens est admirabilis, eloquentia est admiranda: alterum, diuitiæ sunt beatitudo, diuites ergo sunt beati. Si cõiugata coniugatis referãtur sine adiectione ulla, ualida existũt plerunq; argumẽta: ut sapere, est recte uiuere: ergo sapiẽtia, recta uita: sapiẽs, recte uiuẽs. Sin quid addatur, pinguia & perquàm infirma. nec illa ipsa superiora satis in toto genere cõstant: homo est pulcher, ergo humanitas pulchritudo. Philosophi sunt mali, ergo philosophia est mala: hæc est bona, ergo illi boni. Sed hic inuentionẽ tradimus, nõ iudiciũ. Diffinitio postrema est huius loci. Persequitur C. Cassius Dolabellã: qua lege? Cicero diffinitione legis ostẽdit optima & maxima lege. Sic enim inquit in Antoniana, undecima: Quid C. Cassius pari magnitudine & animi, & consilij præditus, nónne eo ex Italia cõsilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellã? qua lege? quo iure? eo, quod Iuppiter ipse sanxit: ut omnia quæ reipublicæ salutaria essent, legitima et iusta haberent. Est enim lex nihil aliud, nisi recta & à numine deorũ tracta ratio, imperans honesta, prohibens cõtraria: huic igitur legi paruit Cassius. Nec refert diffinitio, ne sit essentialis, an quæ descriptiones nominãtur: nam plerunq; rei essentia non aliter, quàm ex adiunctis cognoscitur. Hinc sumũtur plurimę cõtrouersię quid hoc, quid illud nominetur: quid sit sacrilegiũ, quid telũ, quid postliminiũ. Alter locus capit inhęrentia amplissimo argumentorũ receptu. Primũ ex ijs, quæ sensibus sunt obuia, & ei sensui, qui cõmunis nominatur, hinc occulta deprehenduntur. Terræ ac stirpium uires ex colore, sapore, tactu, odore: ut apud Vergilium de iudicio soli:

Et sapor indicium faciet manifestus & ora
Tristia tentatum sensu torquebit amaror.

Animantum naturæ ex facie, quod est physiognomorum, medicorum quoq;: ut qui morbos etiam ex uoce deprehendunt: architecti locorum & ædificiorum rationem & commoditatem ex resonantia: & musici chordarum ex sono. Dicunt fuisse, qui de facie iudiciũ ferret ex uoce, credo de buccis & naso, nam ea sunt uocis organa. Tum ex odore anhelitus de ualetudine medici pronuntiant: ex oculorum & uultus habitu cognoscitur, quemadmodũ quisq; sit affectus. Alius est enim faciei habitus iratis, quàm placidis, lætis quàm tristibus, metuentibus quàm spei & fiduciæ plenis. Seneca in ludo negat Claudium debere deum fieri, quòd non esset corpore diuinæ maiestatis capaci. Et barbari formosissimos quosq; homines principes faciebant, quòd existimarent in eiusmodi corporibus habitare animos non dissimiles. Hinc illa: pulchros pulchra decẽt: nõ bene olet, qui bene semper olet. Et Dominus apud Prophetam exprobrat Iudææ genti impudentiam: Frons, inquit, mulieris meretricis tibi fa-

cta est:facies enim pudoris est sedes,& potissimum oculi, qui iudices sunt,quemadmodum animo affecti simus. Pythagoras ex magnitudine pedis Herculis, ut Plutarchus refert,assecutus est, quantus ille esset,quantumq; homines reliquos amplitudine corporis antecederet.Hinc prouerbiũ,Ex unguibus leonem:quę habent etiam nonnihil cõparationis. Ideo ad ea quoq; pertinent,quæ sunt ad rem.Ouidius hominem ostendit esse animaliũ præstantissimũ,quòd prona quum spectent animalia cætera terram, & cætera. Non ueniunt in hunc locum, quæ quis dixit, sed uocis sonus: nec illa ego uidi, ego audiui,autoritatis enim sunt hæc. Præterea externa inhærentia externorum sunt signa:ut ignis celeritas calorem arguit,& aspectus glaciei rigentem esse aquam testatur.Sunt alia adiuncta,quæ capiũtur animo,huc uenitur per externa: sed alia tamen fiunt uerisimilia per illa:uelut à leone magis quàm à cane discerptũ hominem,quòd ea est feræ sæuitia:toxico potius aliquem subito extinctũ, quàm bubula.Medici ex rerum uiribus,ac naturis quas ædit quis, si in morbum incidat, censent quid maxime ualetudini obfuerit. Huius nationis sunt illa,furenti gladiũ non tradendum:puero, aut impotenti,ac uiolento animo publicam functionẽ non credendum. utiq; nec ouem lupo.Actio sequitur,quæ ut ex interiore quadã ui & ingenio cuiusque rei proficiscitur,ita eam ipsam uim hominibus ostendit,& declarat,ut naturã fontis uel putei,quam inde hauseris aquam: eodem quasi conſubernio passionem colloco: quòd complicatæ ita sunt, ut actio esse non possit, ubi non & passio, & contrà:tum multa actionis creduntur esse,quæ ad passionem alij referunt:ut sensus omnes Aristoteles audire,uidere,olfacere,tangere,gustare. Hinc promuntur quæcunq; quis fecit,dixit,uoluit,cogitauit:nec solum in transacto iam tempore,sed in præsenti, & uenturo.Sedes signorum confertissima:conscius sceleris, nam expalluit, fugit,titubauit,odit.nam torsit os,minatus est,indignatus est,torue aspexit. Cicero arguit Clodium insidias Miloni fecisse,quòd dixisset triduo illum moriturum:qualis uir,inquit uetus uerbum,talis oratio:& Dominus in Euangelio, A fructibus eorum cognoscetis eos.Ex ijs quæ quis egit,qualia aget:uidelicet sumpto naturæ illius rei uelut gustu quodam:unde collecta sunt experimenta naturæ rerum,& efficaciæ eorum,quæ utilia nobis essent,quæ noxia. Ex actibus non solum interiora inhærentia,uires,potentiæ,imbecillitas,generositas,degeneratio:perfectus adamas,nam ferro nõ cesserit:ignauus canis,qui lupum metuit:bonus magnes,chalybem traxit. Sed exteriora eliciũtur quoq;:dulce hoc uinum,quod calfecit:& inter hæc numerantur, quæ quis non fecit, tanquam in quiete sit ratio aliqua actionis:conscius,tacuit enim:robur animi in Tito Annio Milone,quòd in iudicio capitali non perturbetur animo,non illachrymetur, non deprecetur iudices.Eadem sunt,sed φιλοσοφικώτερα in Publio Rutilio, & Socrate Platonis:adde etiam,ut puto, ueriora & accommodatiora ad formulam exactæ uirtutis,quæ ille persequitur in apologia eius,item Xenophon.Solemus item dicere, ne diuas,quæ ipse non extruxisti nõ uis prodesse, saltem ne obsis:quasi qui illa non facit, par sit eum,nec altera facere.in quo est ceu uis quædã autoritatis debiti officij,de quo mox uerba faciemus.Agamemnon apud Homerum uetat Achillem animi & corporis uiribus efferri: Dij,inquit, huic illa dedêre: ceu dicat,ne superbias ijs rebus, quas ipse nõ parasti tibi,sed habes alieno beneficio. explicatius apud Paulum apostolum, & piè magis:Quid habes quod non accepisti:sin autem accepisti,quid gloriaris quasi non acceperis? Actio quoq; actionem excludit: ne occidat,quandoquidẽ expoliauit.Modus actionis hic expẽditur, quomodo quicq; sit actum.Tum pro passione est qui patitur,nempe personæ,aut rei patientis qualitas: ut læsum hominẽ,& amicũ læsum,ac bene merentem magistratum,patrem:sicut in Propheta,Virga percutient maxillam iudicis Israel.& Demosthenes inuidiam conflat Midiæ,quòd in facie ab eo cæsus esset,& quidam coronatus. Coniunctissimæ sunt causæ actioni:nam causa est in proposito à qua fit aliquid,aut propter quam fit:illa efficiens nominatur,hæc finis poterat efficiens causa ad ea uideri, quæ ante rem sunt spectare: ut finis atque effectum post rem. Sed consultius fuit hæc separare,quòd nonnullæ causæ sunt simul cum effectis rebus,tum percipientẽ facilius hæc:nec est quicquã periculi,uti postea ostendam,

si eadem

ſi eadem pluribus interdum ſint locis comprehẽſa.Cauſarum alia naturalis eſt, cuius actionis principium ac uis eſt in ipſius effectionis natura: ut igni calfacere, aquæ frigefacere:aliæ quibus fit uis,ut aquæ ab igne feruefactę calfacere:lapidi excuſſo aſcendere:ſed hæc non diuturna ſunt, remoto eo quod uim affert, unumquodq; ad naturam ſuam actutum recurrit:unde eſt illud, Violenta non diuturna. Dionyſius quum matri ſuæ uetulæ diſſuaderet cõiugium,quod ipſa uehementer expetebat,Leges,inquit,humanas cogere poſſumus, naturę non poſſumus:nam ſunt quædam naturalia, quibus non fit uis, ut in curſu uitæ. Naturali cauſæ alia quadam ratione oppoſita eſt fortuita cauſa:in quam & caſus & inconſtantia incurrit.Hic malus uerſus non eſt Homeri,nam ille eſt optimus uates:ita eſt,ſed aliquando poëtæ doctiſsimi uerſus ædunt non doctiſsimos:quandoq; bonus dormitat Homerus, ut inquit Horat. Eſt & cauſa quędam propinquior,alia remotior,in quo multa ſunt interualla & tanquam gradus, uidelicet ut quęq; propius ad effectum accedit,aut longius.In homine primi ſunt parentes,hinc aui,proaui,et patria in quo eſt natus proprior,quàm patria parentum,aut illa,in quam eſt receptus & aſcitus.Nam duplicẽ facit patriam Cicero,ciuitatis & naturæ:ut ipſi ciuitatis patria ſit Roma,naturæ Arpinum: eſt etiam patria antiqua quæ parentes uel auos ædidit,ut Regillum antiqua patria Claudiorum apud Liuium.Patria quidem quatenus genuit,atq; educauit,in his reponitur:nam ſi locus ſit tantum, in iſs eſt,quæ rem capiunt:ex omnibus trahuntur argumenta: bonum ex bonis prognatum,malum ex malis:unde originem habuit nobilitas. Dominus in Euãgelio: Si filij Abraæ eſtis,opera Abraæ facite:uidelicet non decet filium boni uiri,malum eſſe. Apud Liuium Publius Sempronius Tribunus plebis connumeratis Appiæ gentis fœdis facinoribus,oſtendit,nihil mirandũ,ſi talis ſit Appius ille,qui contra leges cenſuram retinebat.Et Cicero ſecunda Antoniana docet,nihil fuiſſe opus Brutis & Caſſio cohortatione ſua ad occidendum Cæſarem, quum illis eſſent maioribus progeniti.In patria Pœnum perfidum,auarum Romanum:et comparationem habent cauſæ: non tam ſimilis nepos auo, quàm patri filius. Non ita mores induimus ciuitatis quadonati ſumus,ut in qua nati,& alti:at patrię noſtrę magis quàm parentum uel auorũ, non tamen eius in qua educati,ut in qua nati ſolum.Neq; genitores aut patria in ſolis excutiuntur hominibus,ſed multo magis in cæteris animãtibus,atq; inanimis rebus, quia in illis plus ualet natura, quæ uoluntate & electione non ducuntur. Leo Europæ animoſior quàm Africæ,hic autem ferocior.Adamas in Arabia repertus præſtantior Cyprio. Vua melior Sagũtina quàm Pariſienſis:melior hæc quàm Louaniẽſis:canes,oues,boues,ex hoc aut illo ſeminio optimi,aut peſsimi. Et quemadmodũ in hominibus,ita in cæteris rebus autor conciliat pretium operi,uel detrahit:uerſus peſsimus, quia Chærili, aut Meuij. Oratio optima, nempe Ciceronis: acutum inuentum, quia Ariſtotelis:ut ſint qui damnare metuant,quæ non probant ueneratione tantum autoris:ut quidam uerſus Vergilij aut Homeri, phraſim in Cicerone, argumenta Ariſtotelis,picturam Apellis:hæc enim qui non admiraretur,rudis haberetur ſpectator. Hinc illud,Malo cum Platone errare, quàm cum alijs bene dicere. In remotioribus cauſis, & in quibus eſt tranſitus, error ſolet ſæpe interuenire in gradibus, per quos rem deducimus:ut rixa cauſa cædis,nam ex rixa iurgia,ex his odium, hinc pugna, ex hac uulnera,unde cædes:nec ſemper hæc ſeſe ut poſita ſunt,conſequuntur. Ideo etiã cauſæ incertæ nominantur: nam aliæ certæ ſunt, ex quîs ſemper illud efficitur, quod ſub eis ſubiectum eſt:aliæ incertæ,quæ uarietatem recipiunt,ut

Non ſemper feriet,quodcunq; minabitur arcus.

Non omnes moriuntur,quibus mors eſt denuntiata: ex quibus hæ raro, illæ ſæpe,aliæ plerunq; officiunt. Eſt cauſa inuoluntaria, quæ ui naturæ ſine uoluntate & delectu agit:uelut ignis ardere et calfacere:primi impetus affectuum ſine ratione aliquò rapi:idcirco diminuitur illis culpa,ſicuti neq; animantes criminamur, ſi quid egerint ad quod inſtinctu naturæ ſuæ uidentur impulſæ. & minus culpamus ſtultos, quàm ſapientes,quia minus eligunt: & leges multũ ignoſcũt primis animi cõcitationibus. Aliæ ſunt uoluntariæ,in quibus uoluntas & electio habet regnum: ut in homine,in

coniecturis quum factum ne sit,aut fiet, quæritur, prima solet uoluntas considerari, an uoluerit,an uolet.Causæ adiungitur facultas,quasi dynamis & potentia rei faciundæ.Ergo res pro facta habetur,si uolũtas & facultas eidem adsint:quòd si alterutrum desit,nihil fiet. Cicero de Cæsare:Nihil habet fortuna tua maius, quàm ut possis,nec natura tua melius,quàm ut uelis cõseruare quàmplurimos.Plinius Tito Vespasiano, Nec quicquã mutauit in te fortunæ amplitudo in his, nisi ut tantundẽ prodesse posses,ut uelles:Thyestes in Tragœdia,omnia se ait timere,quòd Atreus frater tantũ,inquit,potest,quantum odit.Contradicimus,quod est apud Ciceronem:non proderit, quia nolet:nec oberit,quia non poterit,aut nesciet:& de populo Romano eiusdẽ ad Atticum,quum uideas uoluntatem ciuitatis solutam,uirtutem alligatam.In facultate sunt ars,peritia,exercitatio,usus.Idcirco ex anteacta uita coniecturã oratores faciunt de præsenti, aut uentura:ut Quintilianus de milite Mariano, Cicero de Marco Cælio,& Lucio Antonio,qui locus est apud eos frequẽtissimus.Et Plato non se quempiam ait reprehendere, quòd luderet, sed quòd assuefactionem sibi generaret, quæ postea uel inuitũ eodem protruderet.Est etiam in facultate instrumentum : uerisimilius Remũ uomere occisum,quàm gladio : quippe rusticis illis uomer magis ad manum:& fœminam ueneno intercepisse hominem,gladiatorem ferro. Est causa quæ sine qua nõ dicitur,ut apud Quintilianũ in apibus pauperis : In summa,iudices,quis dubitat,quin ei sit damnum imputandũ,sine quo non accidisset? Hæc quidem de autore siue efficiente causa,nunc de fine:etenim quicquid agit,finem aliquẽ spectat,cuius gratia aliqua parata,& quæsita sunt,quæ media dici solent:ex fine de mediis censentur,& de eo ipso ex mediis,quod & finẽ sibi illum statuit,& media propter finem sumpsit.Ergo de uolũtate & facto quum dubitatur,ex fine promũtur argumenta,unde est illud Cassij prætoris,qui quum fecisset,ne quis, an nõ fecisset,inquireret,rogare illum solitum ferunt,cui bono fuit? quid emolumẽti relaturus erat,si fecisset? quid incommodi,si non fecisset? existimabat enim homo acutus neminem gratis esse bonum,aut malum.Voluit Clodius Milonem occidere: quòd eo sublato uersaturũ se rempublicam pro libito sperabat:& alia quæ sibi præstituisse,ac cõcepisse animo explicat in ea oratione Cicero. Non est credibile Ligarium bello uoluisse se implicare, qui domum spectaret,qui redire ad suos cuperet: hæc uerò per bellum cõsequi non poterat. Credibile est Cæsarẽ ultro uenisse ad bellũ ciuile, qui sibi spem regni à puero fecisset,& cupiditatem tot uictoriis auxisset. Et qualitas rei arguitur ex destinatis, non modo essentia.Sanctum lucrum, quod in eleemosynis consumetur:pia patientia, quæ pro cœlestibus ac immortali felicitate suscipitur,etiam de qualitate eius,qui finem sibi proposuerat:uir bonus,nam hæc omnia pauperibus recipiendis extruxerat.Causæ & effecta mutuam sibi cõfirmationẽ præbent.Nam ut causę effectas res arguunt,ita contrà effectæ res causas:bona causa,bonum effectum,& ecõtrario:eadem causa,similia effecta, & hæc eandem causam:ignis calorẽ & calor ignem. quæ quum causis respondeant,ad eundẽ possunt modũ distribui,quo de causis est dictum. Sunt effecta naturalia,ut calor ignis:Sunt uiolenta, quibus adhibetur uis: ut apud Virgilium de opere,diligentia,labore assiduo,qui obeũdus est,ut terra aliquid fundat. Sic in multis hominum ingeniis ut aliquid discant,aut recte faciant,

Vidi lecta diu,inquit ille,& multo spectata labore
Degenerare tamen:ni uis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret.

Et illud Terentij, Redis ad ingenium, quasi tu non malis multo narrare hoc mihi, quàm ego audire.Fortuitum effectũ in quo est casus,ex inconstantia deprehenditur, quod semper sic nõ euenit.Cicero de Antonio : Quis dubitet hunc casu benefecisse, natura scelus esse,hic sunt euentus:melior dux Scipio Annibale,quia illũ uicit:in quibus uariat fors:nam sæpe meliorẽ uincit peior,ut Menandrum Philemon in certamine comœdiæ.Sic apud Ciceronem:Adde casus,adde incertos exitus pugnarũ, Martemq; communem,qui sæpe spoliantem iam & exultantẽ euertit,& perculit ab abiecto.Non est uerisimile tantum uniuersi,& tam constantem ordinem casu uel factum esse

esse,uel regi:quis credat tam elegantem tabulam casu pictam non arte? Est effectum proximum & remotum: ut uxorem nolle Pamphilum, quia Dauus timet, ne detur. Quoniamquidē maximus eorum amor præstat eis idem nolle,& idem uelle. Hinc timere Dauum planum facit,timere etiam Pamphilum. Si timet, non uult, est certus. Hercules probatur,uera Iouis proles ex facinoribus. Dominus noster in Euangelio Ioannis,ex operibus colligit cuius sint filij Iudæi,nempe diaboli, & non Dei, uel Abraæ. Cicero Antoniana decimatertia: Hæc si cogitas M. Lepide, M. Lepidi pontificis maximi fueris pronepos. Sic Germani olim liberos suos nascentes Rheno explorabant:& aquila pullum ad solis radium. Cicero in Sallustiū: Prætereo patrē tuum, qui si nunquam in uita sua peccauit, tamē maiorem iniuriam Reipublicæ facere non potuit,quàm quòd te talem filium genuit. Incertum effectum: ut hunc occisum ab illo,cum quo simultates exercebat,aut ex prandio largiore: punitur,ergo peccauit. Est uoluntarium,& inuoluntarium. Tantum & tam diuturnū flagitium meditatum est, et à malitia profectum,non ab effectu rapido. Facit etiam opus fidem facultatis: oportet,qui hæc pinxit,optimum esse pictorem: & qui sic orat,hominem indisertum. Tu nisi fingeres,non sic ageres,inquit Cicero. Instrumentum quoque iudicatur ex re facta: ut pro Milone,uulnus in latere,quod acu punctum uideretur,pro ictu gladiatoris putari. Et quemadmodum ab effectis ad causas reuertimur, ita ab alijs quæ sunt propter finem, aut ab eo qui destinauit,ad finem ipsum. Tanta materia naualis non est collecta nisi ad bellum,quæ fuit tertij belli Punici causa:& tanta uis telorum in domo Corn. Cethegi suspicionem auxit ciuilis belli & coniurationis. Iam ab eo qui destinat. Magna cæditur materia naualis, sed non ad bellum Romanū: nam Massiniſsæ cæditur nobis amicissimo. Non lucratur auarus homo, ut distribuat, sed ut custodiat. Sequitur id in quo est res, seu quod rem capit. Primum coniunctissima sunt inhærens & subiectum: quorum illud est in hoc. & quemadmodum per sensus ab inhærente ad subiectum progredimur, ita indagine quadam mentis ab hoc in illud: ut nō posse niuem esse calidam,quòd eliquabili sit materia, quæ calori admota in aquā resoluitur: non posse animum affectibus obnoxium sapientem esse,quòd affectus iudicium omne,ac sapientiā perturbāt. Cicero quinto Tuscul. ex subiecto colligit felicitatem esse in mente. Etenim inquit,quæ pars optatissima est in homine,in ea situ esse necesse est illud,quod quæris optimum. Capit etiam rem,quod est uelut indumentū, & uestitus quidam: ut in metallis scoria,in truncis cortex,in fructibus putamen & lanugo: quis sæpe probitas,improbitas,seminium,uires,patria iudicatur: in auibus pluma,in animantibus uilli,setæ,uellera,& robur leonis atq; ursi ex setis,item apri. In homine cutis & pili. Iuuenalis:

–Et duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum.

Nisi quis hæc partem malit dicere. Sed homo est in uestitu,armatura,& quicquid corpori circundatur: ex quo Turnus Virgilianus conuitium ignauiæ Phrygum fecit,

Et tunicæ manicas,& habent redimicula mitræ.

Et Lentulus apud Lucanum de Parthis: Illic & laxas uestes,& fluxa uirorum
Velamenta uides. Cæsar ex cinctu iudicabat mollis & effœminatus: hinc iocus Ciceronis interrogati,quomodo erraſſet in electione partium,præcinctura me decepit,& dissolutū Quintij animū: declarat idem Cicero ex amictu,& illa usq; ad talos demissa purpura,pro habito: & apud Ouidium frigus Scytharum,

Pellibus,& laxis arcent mala frigora braccis,
Oraq; de toto corpore sola uides.

Continentur etiam omnia loco & tempore. De loco: hoc uinum fuit in utre,ergo sapiet picem. Versatus est hic uir Carthagini, ergo didicit fallere: Athenis,loqui: Lutetiæ, altercari. à septentrione spirat uentus, ergo frigidus. Cicero pro Scauro,ex templis circa forū Romanū suppeditari sibi ait,quod pro Scauro dicat. Tempus: hic infans potest iam ridere,nam plures quadraginta dies natus. Adiecta & loco et tempori partim naturalia sunt,partim ex humanis rebus atq; operibus sumpta. Locus latus,

anguſtus,montoſus,planus,maritimus,ad ſeptentrionem, ſub hoc cœlo,iuxta aquã, prope ſyluam:non pugnandum cum equite hoc loco, quia eſt planus. Dicitur enim equum in planiciem uocare,contrahendus in anguſtias,de quo eſt illud,caue ne canterium in foſſam. Tum ſordidus,nitidus, ſplendidus:non eſt ueriſimile regem hic diuerſatum in tam humili & ſordido tuguriolo. Ariſtoteles deo attribuit cœlũ pro ſede,ob loci excellentiam,in libro de mundo,uel quiſquis eſt eius autor.Indignitatem mortis Herculeæ oſtendunt illi in tragœdia, quod non ſolus eſſet futurus in Charontis cymba. Lucanus cupidinem dominandi Cæſaris & Pompeij non poteſt manifeſtiorem facere, quàm quod tantum imperium duobus eſſet anguſtum. Idem Scythæ Alexandro apud Curtium exprobrant. Iam locus publicus, priuatus, ſacer, prophanus,noſter,alienus,frequẽs,deſertus:tũ quibus frequẽs, amicis,inimicis, armatis,inermibus,in caſtris,ruri,in urbe,in agro,in uia publica,quæq; ſunt in loco omnia, coniecturas hinc natas ſuggerunt: ut in oratione Camilli de templis Romanis, & ſacris apud Liuium:alia alios locos decent. Non in templo rixandum,non philoſophandũ in ganea. Aiax Ouidianus indignum factu ait eſſe, quòd quum cauſa agatur ante rates, conferatur ſecum Vlyſſes:quippe Vlyſſes perſequentibus Troianis naues deſeruerat, ipſe ſeruarat. Cicero timere ſe dicit, quamuis dicat pro fortiſsimo uiro, quòd inſolita fori facies diſpoſitis ubiq; armatis à Pompeio animos terreret:et in eadem oratione, inuidia cædis Clodianæ, quòd occiſus eſſet in uia Appia monimento ſuorũ maiorum:& in Antonium, quid faceres domi tuæ,quum alienæ tam ſis inſolẽs. Hinc illud Laconis ad Mileſium delicate nimis ſeſe gerentem, domi non hic Mileſia. Seneca in ludo ridet Claudium,quòd quum Romæ fuiſſet audaciſsimus, in cœlo non auderet hiſcere: gallum, inquit, in ſuo ſterquilinio plurimum poſſe. Tempus naturale eſt primum modi,ſeu quantitatis:ut prudens,quia diu uixit:quid potuit uno die fieri? unde ſunt excuſationes illæ ſcribentium, quòd exiguum ſit tempus ad componendum relictum:et tempus numeri quod re ipſa à modo non diſtat,ſed tantum noſtro uel loquẽdi,uel cogitandi more. Iudæi Domino noſtro obijciunt, quum nondũ eſſet quinquaginta annos natus, quî potuerit Abraam uidere, iam olim uita functũ? hic eſt ætas:hæc ætas aliam uitam, alios mores poſtulat: faciat, quia non eſt facturus diu:ut apud Ioannem in reuelatione: Tempus breue eſt, qui ſordet, ſordeat adhuc:& in comœdia,prope eſt pater quum alieno arbitrio uiuendum eſt mihi. Dicitur etiam cõtrà:quid iuuat cõgerere,quę ſis breui relicturus:ut Paulus, De cætero fratres tempus breue eſt,itaq; qui habent uxores,ſint tanquam non habentes. Apud eundẽ multa ſunt ex tempore deducta argumenta:ut Hortamur uos, ne in caſſum gratiã Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis audiui te. Et alibi, Scientes, quia tempus eſt iam nos de ſomno ſurgere: tametſi hoc illud pertinet, ut quando tempus eſt breue,illis nos paremus rebus, quæ poſt hoc tempus ſequentur. Sed à tempore ductum eſt argumẽtum. Cicero ſecundo de officijs libro, L. Craſſum ait magnam laudem ex accuſatione Carbonis eſſe adeptum, quòd ea ætate oſtendit id ſe in foro optime iam præmeditatum facere, quod etiã tum poterat domi cum laude meditari: & diſciplina atq; induſtria militaris Pompeij demonſtratur, quòd tantũ bellum,tam diuturnum,tam longe lateq; diſperſum,quo bello omnes nationes gentesq; premebantur,extrema hyeme apparuit,ineunte uere ſuſcepit,media æſtate confecit:hoc enim non ex qualitate tẽporis,ſed ex menſura pendet:qualitates enim ſunt naturales,æſtas,hyems,uer,autumnus,rigor,tepor,meridies,ueſper. Alia alijs temporibus decent & conueniunt:mane conſilium, ut decebat Socrates, ueſperi conuiuiũ. Hinc illa execratio Solomonis: Væ tibi terræ, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt,hoc eſt tum epulantur, quum de conſilio erat cogitandum, non de uoluptate. Et Horatius de rebus intempeſtiuis:

Penula ſolſtitio,campeſtre niualibus auris.

Tum ex nobis:ſementis,meſsis,uindemiæ. Non uexandi nunc agricolæ,quia uindemiæ,quia meſsis. Nundinæ,mercatus,feſtum,profeſtum, tempus pacis,tempus belli,tyrannidis,libertatis. Nam ſtatus rerum tempora ſolent appellari:ut difficilia,periculoſa.

cuiosa,facilia tempora. Sunt quædam quæ occultius uel tempus significant, uel locum:gaudendum,quia uenit maritus,quia bellum finitum,tempus est:quoniam amicus adest,locus. Iam quæ sunt in alio,uel fuerunt,argumentum de eo adferunt:mirandum non est uinum in hoc dolio acescere,in quo fuit acetum: & omnes esse Oratores, ubi Cicero uixerit. Ab alijs quoque rationibus ac modis, quibus esse in aliquo res dicitur,argumenta deducũtur: ut quod dominus Philippo respondit,roganti de patre, Qui uidet me, uidet & patrẽ meum:nam ego in patre, & pater in me est. Tum simile est in simili:uelut quũ prætori, aut senatui aliquid interdixisse eum uel statuisse dicimus,quod præcessores fecerint:& honorem Hephestioni habitũ pro suo Alexander duxit:nam et hic est inquit, Alexander. Qui corrupit femina,corrupit anni alimenta, quæ sunt in seminibus. Oratio hæc est acerba, & rabiosa, apparet ergo animum unde est profecta, non fuisse tum æquum & liquidum. Regnum praue ac perturbate regi,indicio est,Regem aut consiliarios uel imprudentes esse,uel malos. Rex hoc cõcessit,non ergo regnum refragabitur:nam in quo alio est regnum? Seges hæc uitiata,degenerans prodit,semen ergo fuit corruptum. Ad rem dico in præsentia differri separata, non solum ea quæ sunt ad aliquid, inter quæ sunt æqualia,ut amici,inimici,sodales,socij,uicini. Cicero ostendit Catilinam esse sentinam urbis, quòd nemo tota Italia fuerit nefarius homo & sceleros us,quin se cum Catilina familiarissimè uixisse fateret:oportet te esse malum uirũ,qui sis optimo uiro inimicus. Cicero pro Cælio: negat uelle sibi esse inimicitias cum Clodia, quam omnes amicã potius omniũ, quàm cuiusquam inimicam putauerũt:ex susceptis inimicitijs cum magno,arguitur uel magnitudo animi,uel temeritas:quanta sit furia Alecto declarat Virgilius, quòd nec Pluto,nec sorores sint illi amicæ:

Odit & ipse pater Pluton,odere sorores Tartareæ.

Et urbanus ille improbitatem atq; importunitatẽ Tyberij Cæsaris explicuit: breuiter uis omnia dicam,dispereã,si te mater amare potest. Sodales: Cum sancto sanctus eris:quales socij,talis ipse. Demosthenes qualis Philippus esset ostẽdit, ex ijs quibus eum uiuat,& quibus delectetur. Est enim uel cõformitas in hoc uel cõtagies. Vicini, ut Cyrenaici sunt superstitionib. dediti, uidelicet Ægyptijs cõfines. Sunt ad aliquid Maiora,ut Deus,patria, quæ & locus est & causa,atq; origo: quædã etiam relatio,ut parentes ad causas pertinẽt, & ad hunc cœtũ, diuersa tamẽ ratione,illic ut genitores, hic ut maiores,& quibus subditos esse liberos par est. Dominus,princeps,magistratus,maritus,tutor,patruus,magister. Itaq; illa omnia Dei perfecta sunt opera,nempe tanti artificis,& nihil temere fieri à tali præside,sed omnia iustissimè:& quod est apud Ciceronẽ de Demetrio Phaleræo,ut Theophrasti discipulũ possis agnoscere,et in comœdia,philosophos habet domi, & mali corui malum ouum. Causæ sunt,non secus ac si quis dicat,calidus,quia ad ignem accessit,illa uerò sunt nationis huius:Non decet sic uiuere,cui deus præest,et adest. Nunc Brutus amaret uiuere sub regno tali,succumbere et aulæ Fabricius,cuperent ipsi seruire Catones. Minora,quæ ad maiora referũtur,ciuis,subditus,priuatus, seruus, filius,uxor,discipulus: ex familiariũ moribus, quales sint ipsi domini conijcimus: ex populo bene aut secus morato atque instituto,quales ij qui reipublicæ præsunt,& ad quos pertinet morum cura. Terentius:apparet seruum hunc esse domini pauperis,miseriq;:quanquam hæc ad exemplar possunt pertinere,quod in causis numeratur. Sed illud Grassi ad Philippum propriũ magis est loci huius:non es meus Consul,cui ego non sum Senator. Alia sunt relata natura,ut similia,pater ac filius:alia uoluntate, amicus,inimicus:alia fortuna seu sorte,magistratus priuatus,dominus seruus:nõ uideo cur docere sit turpe,quum discere sit pulcherrimũ. Inter hæc sunt temporis lociq; differentię,seu positus,prius,posterius,ante,retro,sursum,deorsum:non decet te loqui primum,quum sis postremus:loquere maior natu, decet enim te:non cõuenit te hoc agere,qui sis princeps:nam hic ordo est loci. In quibus uidendũ ne fallat quis. Nam posterius cõcludit prius,si unicum sit prius posteriori illi,sin secus, non cõcludit. Euntibus hinc in Hispaniã prior est Lutetia,quàm Aurelia,possum tamẽ alià peruenisse Aureliam. In tempore non ita

res habet,in quo est uelut unica, simplex linea:ut necesse est autumnum æstati succedere,annum tricesimũ,uigesimo:unde iocus ille Ciceronis fieri non potest,ut quum declamaret,natus non esset.Hic liber non est Cypriani, in quo fit Pipini mentio,neq; hic Augustini,qui de Regibus Francorum loquitur,qui tanto pòst fuerunt. At uerò prius non euincit fuisse posterius,uel fore,uel esse:ut in procinctu stabant duæ acies, & priusquam cõcurrerent,facta est pax: non sequitur,cõcurrisse:ut in Euangelio de diua uirgine dicitur, antequam conuenirent, repertam gerere uterum:hoc uerò non significat conuenisse.Attributa quoq; ad fidem accersuntur,quæ ab externis sumuntur rebus:ut diues à pecunia, uel agris: gloriosus à prædicatione aliorum de uirtute: nobilis à progenitoribus: honestus ab honore,quem ei alij exhibent: & ijs contraria pauper,ignominiosus,ignobilis: maritus ab uxore: discipulus à magistro,quum non effectum aliquid aut efficientia illius coniunctionis significatur, sed aliud quiddam:nam si dicitur efficientia causa est. Seruus à domino, quum inter se non conferuntur, sed ad alia:ut nõ potest docere, quia est pater:non debet militare,quia nouus maritus,perinde est,ac si dicatur, est quod agat domi:nõ hoc intelligitur attributiue, sed relatiue. Huius uelut domicilij sunt fortunæ ac possessiones,& quæ habent,& habentur ciuili more & consuetudine:tum omnia adiecta extrinsecus: præclarum bellum,utilis triumphus,magnum argumentum multitudini ad res quàm plurimas.

Exulibus ne datur ducenda Lauinia coniunx?
O genitor,nec te miseret,natæq;,tuiq;.

Comparata habent & comparationem,quę est duorum uel plurium collatio in uno, similitudinem duorum in duobus,aut plurium in totidem. Exemplum coniunctum est cum superioribus,& species illorum,nisi quòd hoc tantum est factum uel dictum cuiusquam ad imitationẽ pertinens, ut decet nos superioribus parêre, sicut Christus patri suo:& rudiorum atq; infirmiorum imbecillitati se accõmodare,quod Christus fecit in discipulis.Nulla debent esse ad nos exempla efficaciora,quàm Christi. Exempla ad exhortandum proficiunt plurimum,ut quia se ille ita gessit,par est te idem facere:non tam probant esse quid,aut nõ esse,quàm suadent faciendum,uel contrà:itaque argumenta sunt æqui,honesti, utilis, decori, & aliorũ:quæ sunt in deliberatione posita.Parabolæ seu similitudines aliæ ad declarandam rem assumuntur,quæ sunt ex ratione dicendi,non huius tractationis:aliæ ad fidem faciẽdam, ita esse quid,aut non esse, quoniam nihil est in natura, quod non cum aliquo alio similitudinis nodo uinciatur.porrò quæ similia sunt,eandem habẽt ea ex parte naturam: alioqui non essent similia,at quibus eadem est natura,eadem illis conueniunt, quatenus quidem natura est illis una.Itaq; similitudo est par ratio,cur dictum hoc tam congruat huic obiecto,quàm illud illi.Petuntur exempla ex ijs quæ cõtigerũt, ut historijs:aut contingerunt,ut rebus naturæ:uel quæ uideri uolumus cõtingere,aut contigisse,quod genus sunt fabulæ,& apologi.Sciendumq; est,ut quemadmodum sol unus omnibus sufficit,ita uox una præceptoris cunctis discipulis. Comparata sunt à maiori ad minus, ab hoc in illud,& à pari ad par:ut nono Æneidos,

—An non uiderunt mœnia Troiæ
Neptuni fabricata manu considere in ignes? Lucanus,
Vis tu magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma iacet? & quod Iphicrates Aristophonti dixit:Tu id nõ fecisses, ego facerem? A minori ad maius: An tenor habet sedes,Æneas Iouis proles non habebit? Si Christi fimbria tam efficax,quanto magis mater? si fœmur Abrahæ sanctũ propter Christum,sanctior mater Christi. Cæsar apud Lucanum,

An ne fugam magni tanta cum classe sequentur
Hesperiæ gentes?

Et alia. Vtrunq; permiscetur:ut in primo Æneidos,

Pallás ne exurere classem
Argiuûm?

minor est Pallas quàm Iuno:et plus exurere quàm auertere,Comparatio alios quoq;

inter

inter se locos commiscet: mirandum non est iuuenem imperitum à sene ueterano ac ueteratore circunscriptum. Demosthenes in Olynthia, Mirari non oportet nos cunctabundos, & rem suffragijs decernẽtes, superatos à Philippo esse belligerante, præsente omnibus, nec occasionem ullam è manibus dimittente. In diuersis sunt contraria, contradicentia, priuantia, distantia: adde huc τὰ πρός τι. Hæc enim ex ijs sunt etiam quæ referuntur ad rem. Nam nisi collata nihil hic agunt: nigrum uel album per se inter inhærentia numerantur, mutuo uero commissa huc pertinent. Non faciet quia est seruus illius: non relatiuum, sed attributum. Est nigrum, non ergo album: aliquis potest esse sanus, ergo & æger: inimicus te fecit ægrum, amicus faciet sanũ: iniustitia malum, ergo iustitia bonum. Si oportet addiscentem credere, oportet eum minime repugnare. & à negantibus apud Liuium: simul quod non oportet puduerit, quod oportet non pudebit: quàm multa bona nascantur ex pace, ostendunt mala, quæ nascuntur ex bello: cæcus, non ergo uidet: nunquam profuisti, neq; nunc proderis. In relatiuis uidendum ut negantia eodem quo affirmantia pertineat: est pater, ergo non filius, intelligendum eiusdem: est duplum, non igitur eiusdem simplum. Cauendum, ne in quibusdam fallamur, quum relatiuum reddimus: ut in ijs quæ eodem nomine reflectunt. Simile similis simile: quod est ad hunc intelligendũ modum: est simile, nõ ergo suũ simile: nisi quid sit sui simile, ut dici uulgo solet, quod magis ad tropũ pertinet, quàm ad exactã normã philosophiæ: sicut magister suijpsius, & discipulus: quod de se Augustinus dicit, et Gulielmus Budęus: quanquã in his sunt uelut duo, ut alter officio præceptoris fungatur, alter discentis. Sunt probationes quædam per contrarij propositionem: si non esset nox, studeremus: sed est nox, non igitur studendum. cui argumento alio argumento est opus, nam per se imbecillum est, & ornat magis quàm probat: quamuis interdum quibusdam sufficit, ἀντίθετον ab Hermogene uocatur: sed propositio alio est argumento fulcienda: uidelicet nocet oculis lucubratio ad candelam, nocet capiti humor nocturnus, & eiusmodi. In adiectis incertiores sunt probationes, sed uel negatiuis utimur, uel contrarijs rebus. Si quem delectat magistratus, hic dolet, quum in ordinem redigitur. Atqui eidem pater & filius sunt grati: & albus & niger color: sed habent magnam ueri similitudinem in pleriſq;. Lux dulcis, cæcitas ergo acerba: æstas amœna, tristis igitur hyems. Quintilianus in geminis languẽtibus: Quantum facinus sit filiũ occidere, nemo magis fatetur, quàm qui uult uideri se illud fecisse pro filio: hoc enim ualet, seruare filium tantum est bonum, ut atrox sit pro eo facinus committendum, quantum ergo malum est filium occidere? Dicimus utroq; modo: hoc equi et bruta animantia faciunt, non ergo decet hominẽ: tum contrario quanto magis homo faciet: prius est huius naturæ, alterum comparatorum. Ante rem sunt, quæ illam quoquo modo præcesserunt, & ad eius argumentũ quoddam propter aliquam similitudinem atq; affinitatem inducuntur. Causæ uiderentur posse hoc loco comprehendi, uerum eis sedem, ac domicilium aliud assignauimus, quòd eæ latissime paterent. Sed si quis per causas argumentum aliquod non eruit, quod obscurius sit esse illã eiusce rei causam, sanè ex hoc loco eruat, nihil erit periculi, ut postea docebo. Nec ipse dubitabo exempla aliqua hic ponere, eorum quæ causæ uideri possunt, sed abdite. Signa quæ uocãtur plurima sunt in hoc loco & proximo, ut occidit, quia rixatus, minatus, trepidauit, nisi quis ad actiones potius referat, in quo non repugno. Quippe signa sparsa sunt per multa locorum genera, est hic illud M. Fabij, quis dubitet mathematicum uera de futuris dixisse, quum de præteritis appareat eum non esse mentitum? Sunt hoc loco signa temporũ, prænuntiationes & prædictiones. Serenũ postridie, quia uesper rubet, appetere uernum tempus, quia

Candida uenit auis longis inuisa colubris.

Inter quæ sunt, quæ haberi pro causis possent, sed latentibus, ut,

Ventus erit, uento semper rubet aurea phœbe.

Sunt quæ necessario alia antecedunt, tanquam aurora diem, uesper noctem. Sunt quæ ex conditione, si res procedat, iuuentus senectutem. Alia solent semper, sed non necessario: ut feriæ D. Stephani post natalem Christi, in bellis Romanorum triarij

post principes:in ædibus atrium post uestibulum. Sunt quæ plerunque,ut æstus post Maium,tepor post aduentum hirundinum. Alia nonnunquã ex coniecturis:ut prin cipem ciuitatis futurum Periclem, quòd Pisistratus ad eundem modum oraret Dio nysium fore malum,quando quidẽ omnes qui arcem Syracusis occuparũt, mali fue rint. Si quid antea factum uel dictum ad imitationem producitur, exempli est:sin ad argumentũ aliud,huius est ordinis. Ergo rationũ uires perinde erunt, ac illa fuerint, quæ antecedunt. Post rem sunt,quę quoquo modo illam sequũtur:nec interest post rem sint omnino,an post tempus præsens: id quod uelim quoq; in ijs,quæ sunt ante rem intelligi. Hic sunt posteri, fama, iudicia hominum, exempla, quæ quum ex alijs sumuntur,loci sunt exemplorum:quum ipsa ad alia applicantur,et argumentum prę bent in futurum,huius sunt notæ: non arripiendum à Sylla dictaturam, ne posteri i dem sibi putent licere:et Pallas Telemacho apud Homerum,sis strenuus,ut bene de te posterorum quispiam loquatur:& apud eundem Nestor dissuadet Agamemnoni & Achilli dissensionem propter sermones,qui erunt de ipsis in Græcia:& quod ge nera antecedentium posuimus, totidem in consequentibus existimari conuenit. In argumentum sumitur alicuius sententia eam ad rem,qua de agitur pertinens:hæc au toritas & testimonium à Cicerone nuncupatur. Itaque non solum dicta comprehen duntur hoc loco,sed nutus,sed facta,non facta,denicq; ea omnia, quis sententia decla ratur:ut legatos esse inuiolatos gentium iure,quia nemo eis nocet:& Seneca Troadi bus:Quis iste mos est,quando inferias homo est impensus homini? Quocirca & ex empla autoritate etiam censentur,ut mox aperiam: huius generis sunt symbola,& a pophthegmata,& responsa. In autoritatis uim,rationemq; illa ueniunt. Rumor popu laris,fama autore incerto,præiudicia,quod antea de simili causa uel in eadem, aut re bus ad eãdem pertinentibus ante legitimum atq; ultimum iudicium pronuntiatum est. Testes,tabulæ, tormenta, qui communes loci à rhetoribus nominantur, quòd in utranque partem magnam ueri similitudinẽ habeant. Autoritas fide æstimatur. Non omnis persona eiusdem est autoritatis. Nam eadem,sicut Euripides inquit,à diuersis dicta non idem ualent:fides paratur, si is, qui quid dicit, credatur id scire: tum non mentiri scire eos putamus,qui ualent uel natura, quemadmodum ingeniosos homi nes,& animo ac cogitatione celeres acresq;:uel peritia, ut artifices expertos, eos qui rei usum habent,atque experientiam: tum diligentes,studiosos. Non creditur falle re,qui nescit,aut non uult:non uult fallere,cui hoc non est futurum utile,cui non est fallendi causa:nemo enim gratis est malus. unde illa uehemens interrogatio,cur ego fallerem? & illud Græcorum,τί πλέον ἐξω ἀπατᾶν; Tum uir bonus aut amicus,qui opti mè cupit non decipiet: nescit fallere puer, demens, uinolentus, quorum motus ceu naturales uidẽtur esse. Ergo autoritas prima est Dei,& earum rerum,quas non dubi tamus à Deo profectas. Nam hunc & nosse omnia, & nolle quenquam in fraudem cõijcere,omnes scimus. Neq; enim est causa quamobrem id uelit:huius uoluntas ac sententia potissimum declarata est nobis ab unigenito eius filio, qui semper est in e ius sinu: hinc responsis, quæ patres acceperunt & ante Christum natum, & post: ex quibus mystici libri sunt compositi. his accedunt somnia, & signa ea, quæ pro certo habemus à deo mitti:uaticinia hominum diuino numine instinctorum. Habebant gentiles sua prodigia,ostẽta,auguria,exta,omina:hinc uidetur posse colligi eum non habere fidem Euangelio,quisquis non ex eius præceptis uitam instituit. Secundo lo co est consensus generis humani:in quo sunt naturales quædam animorum informa tiones,atq; inde existunt æquitas,& debita humanitatis officia omnium pectoribus ingenita. Ex genere humano præcipui, & grauissimi ad fidem ponderis sunt sapien tes,ac probissimi homines: uelut philosophi, quiq; humanum genus paterna qua dam charitate complectuntur: tales interpretamur esse rectores patriæ, legum lato res,et eos à quibus populi,atque ciuitates formantur ad uirtutem et recti custodiam. Nam hos quum prudentes esse,tum procul à fallẽdi cupititate abesse ducimus,quòd beneuoli sint erga eos, quibus bene consultum esse cupiant. Amicis enim multum tribuimus,dummodo bene de eorũ ingenio ac peritia sentiamus,à quibus nunquam falli

falli nos ſuſpicamur.Sic magnopere fidimus iſs,quę parentes dixerunt,quę nutrices, nutricij,conſanguinei,præceptores.In eundem locum cadunt,quæ magni & ſapientes uiri iſs præceperunt, quos chariſſimos habebant:ut Cato & Cicero filijs:& in uniuerſum poſteris,quib. nemo ferè male uult,niſi ſit uir peſſimus:ut qui dixit,me mortuo ardeat terra: uel qui aliquid ad utilitatem ſuam uelit eis perſuaſum,ut qui captârunt diuinitatis opinionem.Poſtremo uinolentis,et pueris,& mente captis multa ferè dimus:facere fraudem neſciunt:tantum obſtat,ut ſcire eos quæ dicant,ſuſpicemur:ita ſtantur hoc prouerbia,In uino ineſſe uerum,& Puerum ac fatuum uere fateri. Quocirca populus plurimum tribuit dictis hominum diuitum: quod eos ſapientiſſimos eſſe cenſet,qui rem quoquo modo auxerunt:eam eſſe unicam ſapientiam opes parare.Suffragia quoq; numerat,nõ appendit:quod plures cenſent,id pro ueriſſimo accipit:unde eſt morum,conſuetudinum,officiorum ciuilium, ſiue priuatim ſeu publice cuſtodia:prouerbiorum & dictorum, quæ uulgo feruntur,fides:exiſtimat enim plures minus poſſe decipi, quàm paucos: & minus eſſe cur tam multi uno conſenſu uelint alijs imponere.Sed ex iſs ſententijs,quæ ſunt receptę aliæ prudentiſſime ſunt animaduerſæ, aliæ ab ſtultitia populari manarunt. Et apud alias nationes, atque adeo alios homines alij habentur pro ſapientibus, & bonis:ubi eſt exemplorum efficacia. Græci barbarorum ſenſibus nihil tribuunt. Romani Græcorum exempla rident, ut Scipio apud Titum Liuium.Solos maiores ſuos graues homines, magno ingenio, iudicio,uirtute,probitate eſſe arbitrantur.Nos Chriſtianos non debent gentilium exempla ad æmulandum adducere: nec quorumuis Chriſtianorum, ſed eorum, qui pure ac germane Chriſtum exprimunt,potiſſimum Chriſti ipſius, qui ad hoc nos inuitat,Exemplum do uobis,ut quemadmodũ ego facio,uos faciatis: ideo Paulus ait, Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti.Si quid uerò eſt inter gentiles probe,mite, pie,ſancte actum,tanto nos excellentius præſtare conuenit, quanto excelſior eſt noſtra conditio,qui baptizati ſumus,luſtratiq; ſanguine illius,quem pater dedit inſtauratorem priſcæ perfectionis,qua non longe ab angelis diſcedimus. Eleuatur autoritas primum,quòd qui dicit,neſciat, atque ignoret de quibus loquitur: uel natura, ut ſunt mẽtecapti, pueri,tardi homines:uel imperitia, ut qui nullum huiuſce rei habent uſum,etſi artem teneant:hanc ſcilicet parum proficere citra aſſuefactionem: aut qui hanc quidem ſunt nacti,non poſſe tamen abſque arte bene cenſere: quòd ars in uniuerſum ſit de omnibus, experimenta de ſingularibus. Contradicere ſibi quempiam fortiſſimum eſt argumentum eum id neſcire,quod affirmet:& detrahit alijs ipſius dictis fidem: tum oſtenſum eſſe aliquid eum aſſeruiſſe falſum, graue præiudicium eſt poſſe decipi,& eſſe hominem,& nonnunquam aſſerere,quæ non habeat comperta. Aut ſtudium et diligentia defuit,ut qui non animaduerterunt,qui leuiter attigerunt, aliud agentes,homines uani,qui quicquid in buccam.Sic ſolemus dicere,doctus,ſed non in hoc.Iudex quidem ſanctus,& incorruptus, ſed male edoctus de cauſa: quod in præiudicijs affertur:ad quam defenſionis rationem mea quidem ſententia potuiſſet Cicero deducere præiudicium cenſorum pro Cluentio, conſeruata illorum gratia & maieſtatis autoritate:ut diceret ſolere eos uti teſtimonijs inimicorum,quos ignorent eſſe tales: ſimul propter multitudinem rerum, quas uno eos eodemq; tempore obire neceſſe eſt,non perinde omnia examinare,ac expendere, ut iudices decet facere,qui ad eam unam rem uacant:adde his in ciuitate,in qua tot ſunt inimicitię:ita ut culpa ab eis in rem & mores hominum deriuetur. Nam ut ipſe defendit, cenſores de leuitate ſuggillat.In ſcriptoribus ſi quid culpatur,ſic excuſare cõſueuimus,exempli gratia poſuit,non quòd expenderit,an ita eſſet: aut quòd ſic ſentiret: dixit aliena fide:& contra rumorem, quòd eſt credula multitudo, nec examinat,quæ confirmat. Loca,tempora,perſonæ,exacuunt diligentiam, & circunſpectionem,aut remittunt: in quo non tam autoritas conſideratur dicentis,quàm dicti:dixit inter pocula,in cubiculo,uni amicorum,inter nugandum, diſcinctus ad focum: contrà uerò in ſenatu, apud populum,die paraſceues,quum eſſet conſul. Spectatur modus: ioco dixit, ridens,dormitãs,detorto nutu,moto capite,motis manibus, ſerio,iuratus:quæ omnia

ſolent eſſe ſigna, quemadmodum quis ſentiat. Negligentiam Erucij inuaſit Cicero ad oſtendendum falſam illius accuſationem in Roſcium Amerinum. Præter hæc autoritati detrahitur pondus, ſi exiſtimatur uoluiſſe fallere. Ad id homines nunquam gratis inducuntur, niſi ſint praua quædam ingenia, quæ iam uſum mentiendi in naturam penè uerterint, ut ubi nihil intereſt ſic eos, aut contrà affirmare, ad mendacium deflectant. Idcirco quem aliquoties in mendacio deprehendimus, huic fidem neutiquam habemus, etiam quum uera dicit: quod Ariſtoteles feſtiue, & ſapienter reſpondit, eſſe lucrum mendaciũ. Sed ferè utilitatem aliquam ſuam ſectatur qui mentitur, hoc eſt, quod ſibi putat conducere. Quo fit ut his diſtinctis & ſeparatis prudentia & probitate, plus habeat uirium ad fidem probitas, quàm ſcientia: peritos enim & malos non ſapientes nominamus, ſed callidos, aſtutos, uerſutos, uafros: nec quiſquam ſe illis credit, niſi ſint amici: ſed ſi amici ſint, iam boni uiri eſſe exiſtimantur. Neque enim hic quæritur qualis ſit quiſque, ſed qualis credatur. Nec fruſtra illud dicitur, uita maxime perſuadet. Quæritur à mentiente utilitas pecuniæ. Hanc ſolam imperitum uulgus utilitatem nominat: ideo magnopere fidem abrogat tenui ac pauperi homini, arrogat diuiti: quòd huic putat eſſe ſatis, eoq; non facile adduci ad mentiendum ſpe lucri: pauperem nihil non dicturum & facturum exigui quæſtus gratia, quum contrà maior ſit ferè habendi ſitis in his, qui plus hauſerunt, & pauperes ſæpe præſentibus & qualibuſcunque acquieſcant. Si quis diuitem aut potentem laudet, ſuſpecta eſt laudatio, quòd numo uidetur tributa, non ueritati. Captatur etiam honor: multa & aſſentari, & mentiri coguntur, quos exagitat gloriæ cupido: cuius poſſeſſio non minus eſt, quàm diuitiarum moleſta & laboriоſa. Præterea in corpore eſt utilitas: mentietur quis, ut præſentibus doloribus eximatur, aut ne grauiores perferat, uel neci detur: quod in tormentis contingit: pro quibus neſcio quid poſſit dici, quum uel præſens dolor in imbecillis, uel ſequentis pœnæ metus in robuſtis, ueritatis uocem penitus intercludat: unde natum eſt illud, Tormenta & qui perferre, & qui non perferre poterit, mentietur. uoluptates item: plurima cogunt mentiri puellæ adamatæ, lenæ adminiſtris: quo in genere mentientium continentur paraſiti. Ex his omnibus declaratur maxima autoritas dictorum Chriſti, & eorum qui illum ſunt ſecuti, quòd non ſolum commoda uel pecuniæ, uel honorum, uel corporis nulla ſpectabant: ſed cum ingenti omnium harum rerum incommodo, ueritati parebant cœlitus patefactæ & oſtenſæ. Iam affectus ad mentiendum impellunt, uel ſui cuique, uel alicui, ſi inſeruire illis ſtet ſententia. Sunt qui ueritate parum ſe oblectaturos aliorum animos rentur, mendacia admiſcent: ut Homerus, & ferè Poetæ. Alij gaudent grandia, atrocia, tragica narrare, ut alios uel terreant, uel defigant ſtupore: & ſe fore admirabiles arbitrantur, ſi ſua dicta admirabilia ſint: itaq; his narrandis delectantur. In utilitatum noſtrarum numerum recipiuntur, quæ commoda ſunt, quibus bene uolumus, quæ incommoda, quibus male, amanti non credendum: amicus pro amico mentietur, ut mater pro filio, uxor pro marito, & in illũ quoque, quum eſt irata, ut inimicus contra inimicũ: hinc amici contra amicum, & inimici pro inimico inuincibile teſtimoniũ. Animo irato, inquit Mimus, nihil oportet credere. Dicta quum in cõtrouerſiam uocant, iam autoritati eius quem dixiſſe nõ ignoramus, non eſt locus. Sed ſæpe autoritate ſalua, negamus hoc eum ſenſiſſe, quod aduerſarius ait: aut confirmamus ſenſiſſe, quod ipſi uolumus, de quo prius eſt dictum: tum hoc non pertinere ad noſtram rem, aut pertinere. Locus & tempus mutant uim dicti uel facti: uere dixit, recte fecit, ſed illo loco & tempore. hoc uero uel poſt illa, nõ ita eſt, non expedit: notæ ſunt hæ quæſtiones. Nec uerò exiſtimo quenquam ad monendum, ſi Cicero referat Ariſtotelem dicere mundũ eſſe æternum, autoritatẽ huius ſententiæ Ariſtotelis eſſe, Ciceronis uerò Ariſtotelem hoc dicere. Rei appellationẽ in hunc locum reieci, quòd magna ex parte autoritatis ſit: ut cõſilium publicum non debere ex iuuenibus conſtare, ſed ſenibus, quod ſenatus nuncupetur: quæritur à quibus ſenatus nominetur: à Romanis: de eorũ autoritate agitur: à Lacedæmonijs: quanta ijs fides debeatur? Omnia etiam etyma, quas Cicero notationes uocauit, & ad uerbum

bum uerſiloquia,tanquã teſtimonia ſunt eorũ, qui ea utuntur lingua: uocabula enim alia in alijs linguis habẽt etyma.Ita Cicero melius dicit & cõmodius à Latinis conuiuium dici,quàm quemadmodũ à Grẹcis συμπόσιον,id eſt cõpotationẽ:uel σύνδειπνον, id eſt concœnationẽ:& in paradoxis requirere ſe ait maiorũ ſuorũ prudentiã,qui hẹc fluxa & contẽptibilia fortunẹ munera bona appellarint.In hunc ordinẽ uenit omnis appellatio ſiue nominis,ſiue prænominis,ſiue cognominis,ſiue tituli,et quod Grẹce ἐπίθετον dicitur, inſcriptionis,lemmatis. Ariſtoteles libro de Mundo,ex nomine ipſo τοῦ κόσμου, docet nihil eo eſſe pulchrius,aut ordinatius.Nam κεκοσμῆσθαι dicũtur cætera, quæ fiũt pulchre,atq; ordine: nõ iniuria appellatũ Draconẽ, qui tale uirus efflarit legum.Non decere eum affectib.perturbari, et concuti, qui uocetur ſereniſsimus:eum qui beatiſsimus nõ debere belli miſeriis implicari:non fœda & nefaria facinora deſignare,qui ſit ſanctiſsimus.Demoſthenes in Midiã,eum qui Theſmothetã lẹſerit,ciuitatẽ lẹſiſſe cõtendit:quod θεσμοθέτης nõ alicuius hominis nomẽ ſit,ſed ciuitatis ipſius. Tranſitur ab una lingua in aliam. Cicero Philipp.Lyſidicus ipſe in uerbo Græco: & Plautus,nolo des mihi damnũ in Epidamno.Sumitur argumentũ ex æquiuoco:ut ni propius huic picturæ aſſederis,nam eſt leo,uel ſcorpius.& amphibologia,ut

Quis neget Æneæ magni de ſtirpe Neronem,
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Quod eſt ſophiſtis aptum et dicacibus. Transfertur ad tropum,& in eo manemus,in quo ineſt ſæpenumero feſtiuus ludus. Noli in æſtate incendi: homo frigidus ne huc accedas in bruma: qui poteſt Maurus eſſe pectoris cãdidi? quomodo hæc percurres æger pedibus? domus opulenta & benefica, multos enim alit,de referta muribus. In nominibus quæ deſtinato & conſulto imponuntur,examinatur quantum momenti habet illorum autoritas, qui indiderunt: prudentem hominem eſſe Marcum Portiũ, quòd Cato cognominetur:quæritur uero à quibus? quantum illis tribuẽdum? ex ijs quæ de autoritate diximus repetenda hæc ſunt:in quo ſæpenumero eſt multitudo à philoſophis reprehenſa,quum in alio omni genere ſcientiæ atq; intelligẽtiæ, tum potiſsimum in ijs,quæ ad mores uirtutesq; dicuntur pertinere. In quibus uerò appellationibus non eſt conſilium,ſed recepta cõſuetudo nominandi, & uelut caſus quidã, ludere licet:argumenta colligere non licet, niſi diluta admodum: & hactenus, ut ex euentu oſtendamus conſilij potius fuiſſe nuncupationem,quàm caſus.Primus ille Iunius qui dictus eſt Brutus,primus qui Beſtia,qui Aſina,& ſimilia,reliquerunt has cognominationes poſteris ſuis:in illis primis cauſa cur ſic dicerentur fuit aliqua, in poſterioribus nulla præter morem familiæ, quo Romæ cognomines ſunt filij parentibus, non item Athenis & in Aſia. Hæc eſt immenſa illa, atq; adeo infinita argumentorum ſylua,quæ uariam & latiſsimam rerum naturam includit, non ſolum ad dicendum utilis, ſed ad uſum uitæ, & ſentiendum, & uiuendum. Puto me locum nullum præteriſſe, ſpecies non ſum omnes perſecutus,ſed neq; poteram. Sufficit genera conſignaſſe:citius periculum ſit,ne eadem diuerſis locis uideantur repetita,ut argumentum idem ex uarijs locis credatur depromi poſſe. Equidem non adeo cõfudi locos, ut fortaſsis illis uideri poſſet,qui harum rerum cognitionem diſtinctionemq; non ſatis accuratam & exactam perceperũt.Sed longe præſtat deſumi ex multis locis idem argumentum poſſe,quàm ex nullo, aut ægre ex aliquo. Non intereſt, quibus nominibus inſtrumenta nominentur,modo ſint apta uſui:& cõmodiſsimũ eſt artifici multa eſſe inſtrumẽta,quorũ unoquoq; ſi libeat,idem opus abſoluat.Eſt qui parũ dextre aliquibus utitur inſtrumentis: huic ſi ad idem perficiendum opus, alijs inſtrumentis ſuccurratur,ingens proculdubio adferetur utilitas. Ita quæri ac elici idem argumentum è uarijs argumentorũ ſedibus poſſe, fuerit ad inueniendũ longe conducibilius, quàm ſingula ſingulis tantum claudi: quippe quod quærenti hac uia non occurret, alia præſtò erit.Deinde nec in ferramentis cõtemplatur quis, quàm ſint expolita aut elegantia,ſed quàm ad utendum idonea.Verum ut exempla omnium magis ſint in promptu, ducamus hominem per locos argumentorũ:tum quia uariũ animal,& materia uberrima ad dicendum,tum quia de illo cognitio maxime neceſſaria eſt,nempe

quotidianæ tractationis.In ſubſtantia hominis eſt animal,& rationabile,unde conflatur eius diffinitio:hinc humanus,& humane coniugata:Tum partes eſſentiç,materia ſumpta de medio communis cum materia eorum omnium,quæ fiunt,et corrumpuntur:animus autem generoſiſſima res omnium,quæ ſub cœlo ſunt: partes item molis externæ caput,os,pectus,brachia,dorſum,crura,pedes:et internæ lingua,guttur,pulmones,cor,nerui,uenæ,caro,ſanguis,os,ſpiritus:tum cutis,pili,barba,næuus,uerruca. Inhçrentia ſunt in corpore color,forma,figura,filum corporis,macula aliqua,cicatrix, rectum,curuum,proportio membrorum,celſum caput,brachia expanſa,manus diducta,corde ad ſiniſtram,inceſſus,uox,uires,robur,imbecillitas,firmitudo,infirmitas, ſanitas,morbus:in animo,affectus:in mente acumen,hebetudo,memoria,obliuioſitas, eruditio,tot artes,& experimenta,prudentia,fatuitas,callidítas, uafricies, atque uſus rerum,uirtutes,& uitia.Actionum ſunt quæ dixit,fecit,uoluit,tentauit,innuit,pertulit,paſſus eſt:cauſæ eius ſunt efficientes quidem Deus,& parentes,& quodammodo ſolum natale:finis naturalis,quem Deus ei deſtinauit,æterna felicitas: ipſe ſibi ignorantia,& obedientia affectuum multos alios præſtituit uanos,& noxios ſibi,opes,honores,nomen,uoluptates:effecta eius ſunt magna profectò & admirabilia,cultura agrorum,ciuitates,leges,literæ,tot diſciplinæ,atq; artes,quarum aliæ corpore, aliæ ingenio exercentur,partim utroque:inſtrumentis utitur ingenio,memoria,artibus,ſermone, manibus, pedibus, & quæ extrinſecus ſibi parat, ut ſunt pennæ,calami, atramentum, penicillus, pecunia, culter, haſta,& alia quorum iniri numerus non poteſt. Ipſe idem homo eſt finis cæterorum animantium,& omnium quæ ſub luna ſunt condita.Eſt in tempore, in hyeme, menſe Ianuario, pridie calend.Februar.Principe Carolo quinto:ſereno, ſalubri tempore,in libertate,in republica,Brugis,in cubiculo,in armario,ueſtitus,armatus ſplendide,ſordide. Ad hominem referuntur Deus,princeps, & rector eius pater, mater, tutor, patruus, magiſtratus, Rex, patria, leges,dominus, maritus, filius, pupillus, filius fratris,filius ſororis,priuatus,ſubditus,ſeruus, uxor, amicus, inimicus,ſodalis, ſocius, commilito, uicinus,ciuis. Tum diuitiæ, poſſeſſiones, honores, fama, gloria, fauor, gratia, nobilitas: & his contraria paupertas, ignominia, obſcuritas,inuidia,odium, ignobilitas. Conferuntur inter ſe pater,filius, ſeruus, dominus. Denique ea quæ ſuperiora, inferiora, paria diximus: homini nihil eſt contrarium: contradictio eſt homo, non eſt homo.Diſſitum eſt quicquid non eſt homo, equus, lupus, color, magnitudo, liber. Pro argumentis adducantur maiores, exempla priorum, hiſtoriæ, fabulæ, prouerbia. Si quid prædictum de illo, aut præmonſtratum, quid dixit, aut ſignificauit quis: nomen, cognomen, appellatio. Ex his apparet non ſolum ad arguendum ualere hanc copiam, ſed ad dicendum de quacunque re uelis:ut non abſurde uideatur Agricola Rodolphus exiſtimare Gorgiam, Hippiam, Protagoram, Prodicum, & alios Græcos ſophiſtas qui in conuentu hominum paratos ſe eſſe profitebantur ad dicendum, de quacunq; re quis uellet audire,ex his fontibus ubertatem illam & redundantiam eorum, quæ dicturi eſſent, haurire,ut nunquam dicendi materia deficerentur. Duo reſtant conſideranda, quomodo in alijs loci deprehendantur, hinc nobis quemadmodum ijs utendum. Prius quidem, ut nos utamur, ſicut magni autores ſunt uſi: Tum ut cognita ratione argumenti,quod aduerſarius attulerit intelligamus,quantas habeat uires,fitq; facilius infirmari, ac diſſolui, ſi ſit opus. Eſt uerò locos argumentorũ ex alijs operoſius eruere, quàm nobiſipſis inuenire.Nam nõ habet quotidianus uſus rectũ illũ cõnectendæ argumentationis ductũ,in quo promptũ eſt cognoſcere,quid petat,quid uelit efficere, & quo modo:ad hanc autem obliquitatem & infuſcationem cõmunis ſermonis oratores, & omne ſcriptorũ genus addunt alias tenebras orationis, partim ne ars appareat, & manifeſtæ fiant inſidiæ, partim quòd maius robur accedit probationi: ſicut punctim ferire uel ex tranſuerſo,grauius interdũ eſt & letalius. Ita ad inuolucra,quæ res ſua ſponte ac natura habẽt,alia ipſi ſuperiecerunt artis & ingenij ſui, ergo interdũ uno uerbo cluditur tota argumentatio: ut cõſulatum petebat ſcurra. Nonnunquam totidem ſunt argumẽta,quot uerba,Cicero in Anton. Tu iſtis faucibus,iſta gladiatoria

ria totius corporis firmitate:quod in amplificationem cadit.Iam multis uerbis unica est argumentatio:uidelicet quum unum uerbum,in quo uis ineſt aliqua,uarie tractatur,atq; explicatur:an non erat reſiſtendum inſidiatori? Scilicet præbendum erat iugulum ei,qui uitam petebat? patiendum,quod latro cupiebat? Eſt quum pro tota argumentatione una pars attingitur:non occidet,nam quæ mater occidit filium? deeſt enim,& hæc eſt mater. Inuertunt ſæpe argumentationis ordinem:ut Quintilianus libro tertio:Partes ſuadendi quidam putauerũt honeſtum,utile,neceſſarium: ego non inuenio huic tertiæ locum::quantalibet enim uis ingruat,aliquid fortaſſe pati neceſſe erit,nihil facere.De faciendo autem deliberatur: quæ ſic reducitur,omnis deliberatio eſt de faciendo,nulla ergo deliberatio de neceſsitate: & paulò pòſt,Itaq; mihi ne conſilium quidem uidetur,ubi neceſsitas eſt:non magis quàm ubi conſtat quid fieri non poſſe. Omnis enim deliberatio de dubijs eſt: hæc ſic, omnis deliberatio de dubijs, nulla neceſsitas de dubijs, ergo nulla deliberatio de neceſsitate: hic aſſumptionem ubique poſuit propoſitionis loco Nonnunquam tranſiliũt relictis medijs.Brutos ego impellerem? ait Cicero,quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie uideret,alter etiam Halæ.Hic omiſſa ſunt illa de genere,de facinoribus generis,expulſione regum, & Sp. Melio occiſo. Sic etiam à loco ad locum: Homo ſapiens,quia magno corde:fortis,quia amplo pectore:partẽ ſumpſerant,ſed ad partis accidens tranſierunt.Quandoque ſolum,quod ab aduerſario dici poſſet,præoccupatione quadam notant leuiter:non occidet hæc filium: nam hoc ſola fecit Medæa. occultant etiam figuris, & ſchematis,, ut interrogatione enuntient, quod narratiue poterant. Sed feriunt fortius. Et uno ut uerbo finiam, ipſi idem maximi autores rationem ſui argumenti, unde prompſerint, quemadmodum concinnarint, aptarint,torſerint,interrogati neſciãt ſæpe explanare. Videndũ tamẽ quid efficere ſtatuerint,quorſum ſpectet argumentum,quid intendant.Ad id neceſſarium eſt cognoſcere, in quo uerſetur controuerſia, aut quæ ſit quæſtio, non ſolum illa generalis totius cauſæ, uel operis: ſed particularis, ad quam argumentum illud pertinet: eam ubi erimus nacti, uidendum multa ne ſint,quæ probent,an unum tantum. Si multa,utrum ſit aliud alius argumentum, an ad diuerſa tendant per ſe ſingula. Sumendum unumquodque illorum, eiq; aptandum, quod probatur: quoniam ex habitu & congruentia eorum probabilitas naſcitur,ac proinde inſtrumentum probabilitatis,& eius appellatio. Sunt in quis facile iudices, cui parti conueniat, quod pro argumento accipitur: nam quæ conſtant uno uerbo, expoſita ſunt cognitioni, ut quiuis dicat, cum qua parte quadrent pronuntiati, de quo eſt controuerſia: quæ uerò integra enuntiatione ſimplici aut compoſita, obſcuriora ſunt. uno uerbo conſtant,quum uis probationis uno in uerbo eſt ſita: pronuntiatio autem, quum per illud totum diffuſa: ut Socrates non ducet uxorem, quia philoſophus. Socrati hoc competit: uidendum quæ ſit eius proportionis ratio inter Socratem,& philoſophum,quod nomen: non ducet, quia eſt animal moroſum & querulum mulier uxori. Quæro an homo ſit equus, ſi colligo non eſſe,quia homo eſt rationabilis, ad hominem hoc pertinet. Sin uerò quia equus non eſt rationabilis, ad equum. Sin utrunque coniungo, duo ſunt loci: ut in hoc, Omnis homo eſt rationabilis, nullus equus eſt rationabilis, nullus ergo homo, à proprietate & à diſsitis rationem duxi. Quum in argumento duo aut plura ſunt uerba, & unumquodque ſuam habet proportionem & locum, conſideranda ſunt ſingula ſeparata. Plato non ducet uxorem, quia philoſophus, Socratis diſcipulus, ut neque Thales duxit: in philoſopho eſt inhærens, in altero cauſa, in tertio exemplum: non mouebit affectus in iudice, quia uir bonus, & Athenienſis, & perinde faceret, ut ſi normam, qua menſurus quid eſſet, prius inflecteret: primum eſt ex inhærente, ſecundum ex attributis, in tertio uis eſt ſimilitudinis, quam habet canonis inflexio ad motum animi. Sunt abſtruſiores loci alij, ad quos exercendo penetrabimus, ab his quæ diximus,uelut manu ducti, tametſi non perinde laborandum eſt eruere ex alijs locos, quàm nobiſipſis ad rem noſtram inueſtigare. Eſt enim res hæc, quæ uſu potiſsimum conſtat: ut nihil omnino ars tota, ſine diligenti & ſedula

tractatione profutura ſit: hæc uerò etiam citra artem multas habet uires & ualidas: quippe maximi fuerunt oratores & diſputatores acutiſſimi, antequam ars ulla eſſet inuenta, & ex quorum uſu ac operibus ars eſt obſeruata. Omnia illa quæ ſupra ſunt à nobis poſita tenēda in promptu, ut literarum elementa, non eodem utique ordine inueniendum, ſicut nec eodem ſcribendū ordine, quo literas didicimus: tametſi præſtabit initio eo ordine exerceri, ad excudenda è locis argumenta. Nec omnia omnibus congruunt, ſicut nec literas omnes in unumquodque uerbum infarcimus. Ac ut quæ literæ quibus uerbis neceſſariæ ſint, non queunt tradi regulæ, communis uſus docet: ita in hac obſeruatione contingit, ut qui quibus cauſis loci cōgruant, præſcribi non poſſit: uidendum tamen quid uelimus efficere. Cognoſcenda exactiſſime cauſa, & omnia quæ uerſantur in quæſtione animo & cogitatione complectenda: quocirca oportet eum, qui inuenturus eſt, uerſatum eſſe diligenter in præſenti quæſtione, & tenere ſaltem generalia in ea arte, de qua ſumitur materia dicendi. Si non ſit ex arte ulla, certè ſenſum communem uitæ, quid probabile ſit ijs, apud quos eſt dicturus, quid abſonum: ad quæ prudentia adiuuamur. Ergo propoſita quæſtione, ueſtigandum per ſedes has, quid ſub utroq; termino claudatur, deinde conferenda ſingula cum ſingulis, et cum omnibus: aſſuefactio præſtabit, ut uno quaſi intuitu peruidea mus neceſſaria, ſicut in coniungendis literis. An Clodius iure ſit cæſus, ex Clodio, ab inhærentibus, quia ſeditioſus: an omnis ſeditioſus iure occidi poſſit: ſi non omnis, an talis: hoc tempore: hoc loco: à tali uiro: Tum quia inſidiatorem: an omnem inſidiatorem fas ſit occidere: an hunc: hoc tempore: Nec aliter atq; in ſyllabis & dictionibus in infinitum ferè tenditur, ſic in locis. Sunt loci locorum: ut an Milo dignus exilio: non, quia uir fortis: an fortis dignus exilio: per omnia quæ ſunt fortis & exilij, quum Roma ſemper gerat bella, ij qui nullum reformidant periculum honeſtatis gratia retinendi. Iam an Romæ retinendi tales: & id quidem aſcendendo ad generaliora: nam in ſingularibus eſt ſtatus. An homini conueniat ſtudium: etiam, quia eſt animal ratione præditum: an ratione præditis conueniat ſtudium: Iam loci quærendi in rationabili. An philoſopho conueniat belligerari: non: quia eſt homo deditus literis, amicus hominum: per locos hominis, per locos eruditi denicq; eorum omnium, quæ ponuntur in probatione: ſi ſint in quæſito plura, loci inter ſe omnes committendi, & comparandi. An omni generi ſcriptorum commode poſſit hiſtoria admiſceri, & ratione ſcriptorum. Nam Theologiæ poteſt, & Philoſophiæ, & Medicinæ. Iam ab ijs quæ ex re, omni illi ſermoni qui quid docet: tum ex hiſtoria, omni generi ſcriptorum admiſcetur cognitio rerum præteritarum: iam commode: nam uenuſte, nam delectabiliter, nam ad probabilitatem, atque intelligentiam appoſite.

DE INSTRVMENTO PROBABILITATIS FINIS.

IOANNNIS

IO. LVDOVICI VIVIS
DE DISPVTATIONE LIBER VNVS.

VERITATEM non plene aut aperte acies mentis nostræ intuetur, multa & densa obscuritate corporis oppressa, atq; hebetata. Sed nos obscuritatem hanc à nobis in res ipsas traducimus, ut eas altissimis ac cæcis admodum tenebris dicamus obrui, & inextricabilibus inuolucris occultari. Quo sensu pronuntiauit Democritus, ueritatem in altissimo puteo demersam latere. Ad purgandos autẽ hosce cortices, ut nucleus prodeat purus: ingenium humanum examinandæ ueritatis facultatem à Deo accepit: cuius functio, disputatio nominatur. Nam quemadmodũ uires, nuces, ferrum, aurum putantur, reiectis inutilibus: ita in examine illo & inquisitione ueritatis remotis uel falsis, uel ambiguis ac incertis ad ea ueniatur, quæ dubio procul sint uera. Lux hæc est, quæ ingenio nostro infertur, ut per ea quę in confesso recipiuntur pro ueris, illa de quibus dubitatur, explanentur, aut ea refutentur, quæ nobis sub specie se insinuabant uera. Sit ergo nobis definita disputatio, argumentorũ ad aliquid probandũ aut improbandũ cõparatio. Nam ubi pro alterutra parte nullũ est argumentum, nec disputatio potest ulla existere. Duces animi nostri sunt uires illi à Deo ad cognoscendum, & de cognitis iudicandũ attributæ. Ioannes Philoponus ex republica Platonis quinq; nos habere animi functiones scribit, Mentẽ, Dianœam, Opinionem, Phantasiam, Sensum: horũ istæ sunt uires & opera. Sensus lentior est, quàm ut syllogismo discurrat, & aliquid colligat. Mens celerior, q̃; ut syllogismũ expectet. Opinio assensus est. Phantasia seu uisum apprehensio. Dianœa, quã sanè cogitationẽ dicamus, est motus: itaq; hæc ratiocinatĩ, & syllogismo utitur. Hæc quidẽ contẽplationis sunt de anima: sed de his nõ plura in præsentia dicã, nec accuratius, quàm quod instituto nostro erit satis. Ratiocinatĩ ergo cogitatio uel ex ijs, quæ mens illi suggerit, uel quæ opinio, uel quę uisum. Nam sensus uiso seruiunt: ideo sub ἐπαγωγὰς à Platone comprehenduntur. Mens ad cogitationem, quantũ assequi potest, uerissima & perfectissima adfert, uelut axiomata, naturales informationes, & in omniũ animis impressas insculptasq; notiones, ex quibus aptissimę ac firmissimæ rationis nectuntur syllogismi: in quibus est scientia, si alibi usquã. Opinio suppeditat credibilia aliâs uera, aliâs falsa: unde existunt syllogismi uerisimiles, qui secum nonnullam dubitationem important. Visum sumministrat uanas imagines, somnia, hallucinationes, imposturas: ducitur enim phantasia similitudine, quã ex ignorãtia, atq; incogitantia coniungit temere, et commiscet, ut unum ex duobus aut ex multis cõfundat: unde error nascitur ambiguitate uel uocis, uel sententię: ut quum uox plura significat, quæ cõmiscentur, et redduntur tanquã unum, nempe uerbi ancipitis, uel orationis amphibolæ: tum ex scripto quod non distinguitur accentu, aspiratione, scriptione recta. in sensu autem quum ab una significatus ratione ad aliam latenter subitur: nempe ab essentiali ad inhærẽs, uel contrà: uelut quum sic cõiungimus, homo est animal, animal autem est genus: mel est dulce, dulce uerò aliud alio magis. adde huc, quum praua conclusio pro uera recipitur, quòd aliquam illius præ se imaginem ostentet: de quibus uitijs superius admonuimus. Nam phantasia, ut leuiter ab uno in aliud mutatur, ita etiam leuiter assentitur: ut in quodcunque inciderit, ob segnitiem ulterius scrutandi subsistat illico, & acquiescat: itaque uehementer fallitur, quoniam neque ambigua distinguit, nec partes inter se confert, ut quemadmodum compositæ sint, & colligatæ animad uertat. Iudicium animi inter hæc tam diuersa uelut disceptator quidam sedens incipit eorũ

omnium

omnium uires,& uelut cauſam expendere,quę reprobat,omnino reſpuit,et damnat: quæ approbat,alia ſecure admittit, alia incertus. Sunt inter quæ anceps & animi dubius pendet,quòd ſimilitudo aliqua & ueri apparet,& falſi. Hi iudicij motus è tribus argumentorum generibus excitantur. In quibus & res debent ſpectari,& connexio. Argumenta omnia uel ex certis exploratis,neceſſarijs depromũtur rebus,uel ex probabilibus,& quæ de coniecturis pendent:non ſunt hæc rerum ipſarum nomina,ſed quæ cuique uidentur:alijs enim alia ſunt certa, & indubitata: eadem etiam non omnibus talia. Quæ eliciuntur ex certis, nexuq; iunguntur euidenti ac perſpicuo cum ijs quæ confirmant,iudicium ad ſe pelliciunt ſecurum:argumentatio huiuſmodi nominatur certa atq; euidens.quæ uerò uel probabilia ſunt,uel non manifeſta complexione cum eo cohærent,cui probando adhibentur,iudicium ad ſe inuitant nutans,et ſuſpectum: nec planè ſibi fidens ipſi:hæc argumentatio probabilis nuncupetur,ſiue credibilis:ab Ariſtotele dialectica. Ambiguum eſt iudiciũ,& quaſi ſeipſum ſuſtinet, quum pares ſunt argumentorũ uires pro utraq; parte in re cõtrouerſa, ac uelut paria in lancibus pondera. Quæ argumentatio iudicium fallit, ea uel de materia decipit,ex qua conflatur,uel de artificio,nempe forma,& colligatione partium:cognitio materiæ ad ſingulas artium pertinet:ut quum dicitur, omnis unius principatus optimus, Tyrannus eſt principatus unius,ergo optimus,forma,uerò & compoſitio huius ſunt loci: omnis uirtus ſuauis, & uoluptas ſuauis, uirtus igitur:hic proprie paralogiſmus appellatur: nam prior ille tametſi ex falſis,tamen bonus eſſe ſyllogiſmus poteſt,qualis eſt ille idem.Materiæ argumentorum generatim quidem ſic itur obuiam:Certa & neceſſaria oſtendũtur non eſſe eiuſmodi,ſi declaretur aliud ſimillimum neceſſarium non eſſe:interdum quoq; ex eodem illo argumento contrarium cõcludi.Si opponatur autoritas:fuiſſe,quibus non ſit uiſum tale,quorum ingenium & iudicium alijs in rebus pro ualido ſit habitum. Probabile eſt,quod cuiq; uidetur ita eſſe,non certa & euidenti ratione,ſed ueriſimiliore, quàm ſit contraria: ſumitur aliquando probabile pro cõperto & explorato,ſed de illo priore nunc loquimur.Probabilia uel infirmantur,uel tolluntur penitus:infirmantur,ſi planum fiat minus eſſe in eis robur,quàm putabatur.ſolere contrariũ plerunq; euenire. Tolluntur obiectione eorum quæ illi ſint uel neceſſaria uel magis credibilia:& patefactione circunſtantiarũ,cur in hoc loco,in hoc tempore,in his rebus illud non procedat. Probabiliora ſunt quæ efficaciora pro ſe habent argumenta,quæ ue pariter efficacia,ſed plura tamen ſunt, quibus quiſq; fidem habet, quo maiorẽ hoc ſunt magis efficacia. In coniecturis non ſatis labefactat, qui non neceſſarias oſtendit,aut non fortes, ſed qui non bonas:quod fit exponendo in pleriſq; uſu uenire contrarium,non ſimilibus tantum,ſed in hoc eodem loco,tempore, hominibus, rebus: ut erubeſcere hunc, & trepidare, & titubare, & perturbari pro ſigno conſcientiæ accipitur:atqui ſic ſolet in omni congreſſu,etiam apud amiciſſimos,tutis & ſecuris rebus, ut Cicero de quacunq; cauſa dicturus. Iam uerò argumẽtationẽ aptam & confectã uel repellimus,uel diſſoluimus,uel eludimus,uel retundimus.Repellitur,quum negatur bene colligi:diſſoluitur,quum proferẽ captio,quę quia ferè fit ex ambiguo et ſimili,idcirco uocatur diſtinguere:in quo tanquam re duas aut plures in partes diſciſſa,membrũ unũ ipſi nobis ſumimus,alterũ uel reliqua aduerſario cõcedimus:eluditur,quum adfertur abſurdũ,quod ſequeretur,ſi ita eſſet. Retunditur,& quaſi opprimitur, quum fortius contra id argumentũ opponitur. Qui uerò negat aliquid in argumento ita habere,nihil ad argumentationẽ dicit,ſed ad examen partium illius,de quo iam ſumus locuti.Eluſio à retuſione non multum diſtat:utraq; ab Ariſtotele appellatur ἔνστασις, Latinè ad uerbum inſtantia,ſed appoſitum rei uocabulum eſt obiectio,uel obex:qui uelut currenti argumento obijcitur,ut fit in fluminibus:quod eſt non cõnexionem argumenti diſſoluere,aut diſcindere,ſed uenienti occurrere,& quaſi curſum impedire.Idq; cogitationi noſtræ nõ rarò accidit. Nam quũ ex intentione argumẽtationis res ſequitur perabſurda,tum animus uelut iniecta manu ſiſtit primũ, hinc quum ſe non bene progreſſum fuiſſe deprehẽdit, unde cœperat reuertitur:& quamuis neſciat dicere,quónam ſit falſus loco,ubi ſit erroris cauſa,erro

rem

rem tamẽ ineſſe non dubitat. Opponitur obex argumentationi ex eodem, ex ſimili, ex contrario, ex autoritate. Ex eodem: ſi quis dicat amor bonum quia dulce: occurritur, imò malum, quia indigentia. Ex contrario: bonus uir amicis nocebit, quòd ab eis læſus, à quibus minime oportebat: nequaquã, quòd nec malus amicis noceat, etiam ab eis læſus. Ex ſimili: hic homo maleficio eſt ſemel affectus, ſemper igitur oderit: quî hoc? quum beneficio affecti non ſemper ament. Ex authoritate: ignoſcendũ his, quia ſunt pueri: obijcitur: imò Solomon iubet, ut uirga ne diſcedat à puero. In quo ſunt exempla dictorũ, & factorum. Parcendum huic, quia filius. Atqui Torquatus, & Brutus etiam occiderunt ſuos: & maluerunt orbi uitam agere, quàm habere improbos. In quibus non diſſoluitur uinculum prioris cum poſteriore, ſed fluxum atque inualidum oſtẽditur. Quanquam in multis elici poteſt, quod diſſoluat, ſed longiore ambage: ut quum dicimus, bonum uirum non læſurum amicos læſum ab eis, quòd malus non referat amicis maleficij gratiam: ſic ſoluitur prior probabilitas ex ſecunda, quòd læſio non debet eſſe cauſa ultionis in bono, quando quidẽ non eſt in malo: quod eſt argumentum à comparatione minoris. Tum maleficio ſemel affectus ſemper oderit, ex obiectione efficitur, amorem non eſſe perpetuũ, itaq; nec eſſe naturæ affectuũ, ut ſint perpetui: quare quum odium ſit affectus, mutabitur tempore. Dicẽdum iam eſt de ſingulis argumentationũ generibus. Et ſyllogiſmi quidẽ quæ ſit ratio, quæ deuinctio propoſiti cum intentione, alibi demonſtrauimus. Exempli uis eſt in ſimilitudine: nam ſimilibus cauſis ſimiles attribuit natura effectus, ſimilibus principijs ſimiles progreſſus atq; exitus: ſimilibus qualitatibus, atq; affectionibus ſimiles facultates, & eiuſmodi. Idcirco ad perſuadendũ non repugnanti, atq; ei, qui ultro ſequitur, aptiſſima eſt hæc probandi uia: ut quæ docet & oſtendit, magis quàm cogit: confirmatur ſimilitudine, diſſimilitudine infirmatur: quam difficile non eſt in omni ſimili inuenire. Neq; enim ſunt ulla tam conformia, quæ non aliqua in re diſcrepent: quin etiam ſi re pugnans eam differentiam non inueniat, haud in re culpam eſſe ſuſpicatur, ſed in ſe, qui uel non bene inquiſierit, uel non facile inueniat: examinandum eſt tamen an diſformitas ſit in eo, quo de agitur: ut Cato ſe occidit, ne Cæſari ſeruiret, ergo tu occide te, ne ſeruias tyranno: reſpondebitur non eſſe ſimile: nam Catoni ſummum erat malorum ſeruire, & illis prophanis: at initiatis Chriſtiana pietate non item: adijcitur, imò ſummũ malorum eſt ſeruire eum quem Chriſtus liberũ fecit. Ita eſt, non quidem homini ſeruire, ſed peccato & diabolo. Demoſthenes tantus euaſit Orator ſtudio, cur non & tu quoq;? Quia in illo ſtudium ardẽtius, ingenium uiuidius, iudicium acrius, ſermo patrius hauſtus cum lacte. In libello Ciceronis de Senectute, quũ Cato exemplo ſui docuiſſet nõ debere ætatem eſſe ſenibus, excipit Lælius: fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opus, & copias, & dignitatem tuam tolerabiliorem ſenectutem uideri: id autem non poſſe multis cõtingere. ſubijcit Cato: non dignitatibus, aut diuitijs fieri ætatem leuem, aut moleſtam, ſed ſapientia uel ſtultitia: nec ſolum triumphalibus uiris iucundam eſſe ſenectutem, ſed ijs etiam, qui pure ac eleganter ætatem tranſegerunt. Si diſſimilitudo non ſit præſto, conſilium erit ſequendum M. Fabij, ut dubia liceat dicere fabuloſa: quales ſunt apologi, poeticę narrationes, Mileſię fabulæ, res multæ Chaldæorum, Perſarum, Ægyptiorum: ſin uera & certa eſſe cõſtet, tentandum, an obtineri poterit, ne illa quidẽ rectè eſſe facta. Tum autoritas eius excutitur qui quid dixit, nõ dixit, fecit, non fecit, quanti oporteat eſſe momẽti apud nos: confirmat autoritas ad corroborandũ argumentum, eleuat ad debilitandũ: de quo in inquiſitione ueritatis diximus. Enumeratione deprehenſæ ſunt artes omnes, nempe ex multis experimentis collecta formula. Si hæc herba nocuit huic homini, profuit illi aſino, & huic & illi, ergo omni homini nocet, omni aſino prodeſt: ſi in aliquo inſtatur, ruit totum. Sed omnes ſingulares percenſere impoſsibile. Aliquas pro omnibus ſumimus, ad poſtremum uero adijcimus, quod ſit pro alijs: ut ſic in cæteris, uel non uidetur aliquid eſſe in contrarium, uel non eſt in contrarium obſeruatum. Infirmantem dare aliquid ad oppoſitum eſt neceſſe: tunc uel deſtruit, uel concutit. Scrupulum etiam inijcit addubitatione: fortaſſe non ſic eſſe in omnibus, rem eſſe nouam, necdum

ſatis

ſatis exploratam:ut de ligno hebeno,& multis rebus,quæ hac primum ætate in notitiam uenerunt:uel quod paucis eſt id deprehenſum. licebit tum ex ijs adferre aliqua, quæ quum crederentur eſſe certiſsima, tempus docuit non eſſe talia: quæ exempla non rara ſunt & in natura rerum,et in uita hominum. Alter uero uel oſtendet,quid ſit uitij in eo,quod ille obijcit,cur ab aliorum natura degeneret:ut ſi radix arboris ſit medicata uel ſaltem impetret in pleriſque:pro re noua, multa ſunt experimenta: pro uetere multos quæſiſſe,neminem inueniſſe in contrarium. Saltem ueriſimile eſſe,quandoquidem aduerſum nemo comperit toties ueſtigatum. Inductio Socratica argumentatio eſt conformis naturæ:quum in alijs ita ſit,quæ ſunt ſimilia,ita debere eſſe in hoc. Qui depellit,reddat cauſam differentiæ, quemadmodum in exemplo. Sed maiorem hic eſſe ac fortiorem conuenit, ubi tot ſunt exempla allata pro uno aliquo:uelut cui credas nauem in periculo,eligis non amiciorem, ſed peritiorem:cui rempublicã, cui equum domandum,ergo cui pecuniam:ex aduerſo occurritur, nõ eſt ita:nam in illis opus eſt arte,hic fide. Tum faciendum eſt planum & illic eſſe opus fide,& hic arte: quoniamquidem ſi inimicus ſit, prodet conſulto: & hic ſi imprudens, perdet neſciens: nam eandem illam adferre pro inſtantia de qua eſt controuerſia,perabſurdum eſt. Vtebatur etiam Epagogis Socrates, quòd aptiſſimæ ſunt ad capiendum: quum enim ſingularum rerum interrogatiunculæ proponuntur, minus apparet fraus: quæ profert ſe uelut acie explicata: minusq; circunſpicit is, qui reſpondet, quid ſequatur ad poſita ſibi, ac conceſſa, quid repugnet. In comparatione uis late eſt ſparſa: nec ad certam formulam poteſt redigi, quæ ad inuentionem argumentorum magis pertinet. Paria, aut maius, & minus inter ſe, in aliquo, uel aliquibus conferuntur. Intuendum an in eo ipſo ſint paria, uel maius & minus: priuatus homo gignit tot liberos,non gignet rex:non ſunt in hoc maius & minus. priuatus concionaberis,ergo & conſul: non ſunt maius & minus in concionando: quæ ſæpenumero præbent urbanitatis materiam. Quin ego uno uerbo cedam,cui cedunt in omnibus triginta legiones? inquit Phauorinus. In eo quod fit, quid maius ſit aut minus dicere eſt eius,qui uires rerum nouit:ut hoc efficit illa herba,ergo & illa alia:in eo autem quod decet,prudentis. A minori aptum eſt argumentum confirmationi. A maiori informationi. A pari utriq;. Similiter de relatiuis dicit Ariſtoteles,quòd poſito uno,ponitur & alterum:ſublato,tollitur. Sed hoc recte eſt intelligendum:ſi aliquis eſt pater,aliquis eſt filius:ſi nullus eſt pater,nec filius:& hoc quidẽ certè in eſſentia.nã in alijs non ſunt relatiua:nullum patrem uideo,ergo nec filium:nullus filius docet, ergo nec pater. Videndum ut rite aſſignetur relatiuum:eſt ſeruus,ergo ſerui ſeruus,nõ bene,ſed heri ſeruus:nam ut alibi eſt declaratum, ſunt quædam paria: amicus inimicus,ſimile diſſimile. Alia imparia:pater filius,herus ſeruus. neque uero proba eſt hæc collectio:eſt ſeruus, ergo comitatur herum: ſed ſic,ergo eſt ſub hero: ſicut eſt herus, ergo poſſidet ſeruum, quando in hoc eſt ſeruus, ut ſit ſub heri poteſtate, & herus, ut poſſideat ſeruum. Iſte non eſt pater,ergo nec filius,inualida eſt. non enim dictum eſt tollere mutuo in ſingulis,quod dictum eſt in uniuerſali,in ſingulis autem imparibus contrà ualent, ut reſpectu eiuſdem poſito uno, tollatur alterum, hic eſt diſcipulus huius, ergo non magiſter huius, nec ſolum comparatione eiuſdem relatiui, ſed eiuſdem rei,in qua committuntur, nam poteſt eſſe ſimul & diſcipulus, & magiſter in diuerſis rebus. In aduerſis,& priuantibus, & diſſitis ad infirmandum: cernamus prius, an illa habeat medium,an ſit tempus et ſubiectũ à natura definitũ,iſtuc uero aliunde petetur. Obſeruandum etiam in quo ſint talia:do cœnam hominibus,nõ ergo equis: non ſunt in hoc diſſita. hic homo habet ſeruos albatos,non igitur atratos: haud ſunt utiq; in hoc aduerſa. ſi quem delectat uiſus,huic eſt cæcitas inimica:in hoc priuantia: quippe quam delectationem poteſt afferre uiſus, hanc cæcitate neceſſe eſt amitti. In gradatione uis eſt,ut quod ſequitur ad minus,nempe ad illatum, ſequatur ad maius, nempe ad rationem. Cauenda eſt hic,ut in omni genere argumentationis, ambiguitas:ſtudioſi amant otium,qui amant otium,ſunt deſides: aliud eſt otium ſtudioſorũ, aliud deſidum. Quod hic puer uult,mater uult:quod mater,uult pater: quod pater,

populus

populus:pueruult pila ludere,ergo & populus.aliud eſt, quod puer uult matrẽ uelle,aliud quod mater patrem,aliud quod pater populũ. Tranſitus eſt obſeruandus, in quo ſæpe dolus deliteſcit: qui bene potat,bene dormit:qui bene dormit, nihil facit: tranſitur ad aliud tempus:nam non in eodem tempore potatur & dormitur. Qui nouit Laurentiũ Vallã,nouit & Theodorũ Gazã:qui hunc,et Politianũ:qui Politianũ, Eraſmum:ergo qui Vallam, Eraſmũ quoq;. Sed in hoc uniuerſalitas tuetur complexionem:neq; enim uerũ eſt illorũ aliquod in uniuerſali. In Sorítis multi erant Stoici & Academici noui illi ab Archeſila et Carneade in deprehendendo quę ſunt multa, pauca,magna,parua,longa,breuia,lata,anguſta:omnia deniq;,quę dimẽſu quodam animi ſunt per partes conſtituta,de quibus Cicero quarto Academicarũ quæſtionũ meminit.Res ualde eſt ſpinoſa & inuoluta,propterea quòd terminos qui conſiſtunt in diuiſibili,ipſi in inſectili puncto collocari poſtulant:nec aceruus cõſummatur ſingulis granorũ,nec deſtruit:ut nec pilis cauda equi,aut nũmatim eſt diuitias definire, ſed multis ſimul:ita adijciẽdo per indiuidua mirũ nõ eſt,nunquã attingi,quod quæritur. Adde quòd nec per diuiſibilia & quidem lata, qualia ſunt quæ mens noſtra in illis capit:itaque per modios tritici eſt agendum,per crines centenos, per ſeſtertia,& huiuſmodi. Dilemma aptũ eſt ad perturbandũ, quũ animus uelut indagine undiq; circumſeptus,non ſtatim proſpicit exitũ:aperitur effugiũ, ſi quid ſit mediũ, ut ſi duxeris diuitẽ,erit ferendũ:ſi inopem,alendũ:mediũ eſt aliquid,uel reflectitur antiſtrephonte:Si diuitem, lautius uiuam:ſin pauperem,quietius.Sed hoc non tam eſt refellere dictum,quàm regerere.Sunt aliæ probationes concluſionis,quæ reflexæ nominantur,quum negata illatione ſumitur eius oppoſitum, ex quo ſolo, uel eo cum una parte propoſiti res ad id quod eſt maximum,& grauiſſimum deducitur,duo contradictoria oſtendi ſimul uera:illi priores ductus ſunt recti ad docendum & dicendum apti,iſte ad refellendum:quemadmodum ſyllogiſmi,qui affirmatiue concludunt,ualent ad probandum:qui negatiue,ad improbandũ.at uerò in probationibus & quaſi putatione hac tam diu progrediendum, quoad ueniatur uel ad eam, quæ neceſſaria ſit, & omnibus cognita: uel ad probabilem, cui ſine abſurditate magna refragari non liceat: probabile dicetur,quod cuiq; eſt receptum. Hucuſq; poſtquã peruenerís,ſi pergas ulterius,periculum erit nimirũ,ne (ſicut eſt in prouerbio) nimium ſcalpendo ſanguinem elicias:& uiuum reſcindas, dum ſuperuacanea immodice conſectaris putando.Illud in primis animaduerti conuenit, non omnia rerum genera,quę poſita ſunt in dubitatione, paribus conſtabiliri argumentis poſſe. Quæ res ſub ſenſuum notitiam cadunt,aptiora argumenta admittunt,& ſenſui magis expoſita:cuius notæ ſunt effecta naturalium cauſarum. quæ uerò mente, ea informationibus, quas hominum mentibus natura inſculpſit,fulciuntur:ut multa in mathematicis,et prima philoſophia.porrò quæ mentis indagine quaſi eruuntur abdita & abſtruſa,credibilibus ſunt quibuſdam contenta,uel ſenſibus uel menti magis accommodatis. At quæ prudentia, & uſu uitæ, ea expoſcunt, ad quæ plura ſequuntur publice aut priuatim commoda, uel certe potiora, & ampliora, uel pauciora & leuiora damna,ſiue in futurum,ſiue in præſens.Multum ualet in his autoritas illorum,qui ſapientia & probitate præſtantes eſſe homines exiſtimantur: de quo numero ſunt ſtudioſi ſapientiæ, ſenes,negotiorum callidi,legumlatores,magiſtratus, ſenatores, populi, ac ciuitates, quas accepimus bene inſtitutas.In ijs quæ docentur cœlitus, quæq; ſenſum omnem captumq; humani animi exuperant,& à ſolo Deo cognoſci poſſunt & tradi,potiſſimas partes ferunt Dei ipſius autoritas,tum eorũ,quos à Deo illuſtratos & edoctos eſſe euidentia nobis ſigna oſtendũt:ut argumenta quibus dicta ſua cõfirmant,dictis ipſis ſint ſimilia,nempe diuina,& naturam excedentia.At quemadmodũ probabilia ſunt ad probationẽ ambigui admota,ita abſurda ingeruntur ad reuincendũ contradictorium eius,quod nos intẽdimus:ut pietas eſt ſummum bonorũ:nam ni eſſet,cedo quid aliquid in eius locum reponeres?id ne quod ſitum eſſet in animo?an quod in corpore?quæ in corpore,cõmunia ſunt nobis cum belluis:quæ in animo,cum dæmonibus,dempta pietate:ſummi ergo hominũ boni uel belluæ participes erunt,uel

dæmones,quod est nefas.Absurda eodē prope modo censentur,quo probabilia. Hactenus de tacita & uera cuiusq; secum disputatione. Nam in cōmissa illa & cōparata quæ est duorū,non perinde potest uerū cerni,ac excudi,ut in illa interiore.Conflictu enim externo mentis acies turbatur,uel affectionibus suscitatis, uel attentione ad ea quę sunt foris.Adde quòd quemadmodū prudenter inquit Aristoteles,duorū differtio,& sermocinatio per orationem fit: in qua multæ occultantur fraudes, & latenter irrepunt:quæ uerò disputatio est unius secū,fit per res,quę omnia liquidius ante oculos statuūt,ac apertius. Itaq; etiam in ea,quæ unius est disputatio,si per orationē exerceatur, multas se insinuare in animum fraudes est necessum. Quippe fraus omnis ex similitudine oritur ueri uel boni, at similitudo anceps maior promptiorq; est in intelligentia dictionū,quàm rerū. Sed de hac nobis aliquorū siue disceptatione siue altercatione paucula quædā uideo dicenda:ne hæc scholæ exercitatio desiderari tanquam prætermissa à nobis possit:tametsi de ea multa & in libris topicis,et in elenchis Aristoteles præcepta tradidit. Nos uerò breuiter more nostro ac dilucide summas cōtrahemus earum rerū,quæ nobis ad hoc institutum uidebūtur facere. Caput est in altercatione omni,ut sciatur quid positū sit in cōtrouersia,& de quo disputantes contendunt: alioqui enim temere ac ridicule multa ultro citroq; iactabūt: quod passim uidemus in disceptationibus cōtingere, ut alter aiat cœlū agitari, alter conetur euincere terram in mundi medio quiescere. proximū est,ut respondēs perspectā illorum omniū habeat naturā,de quibus agitur: ut ea nō solum à diuersis atq; absimilibus cogitatione ac animi iudicio seiungat,sed à cōformibus etiam,quęq; ex similitudine fucum possent facere ad fraudē:ex hac separatione nascetur,ut et distinguere ambigua, & diuidere,& diffinire recte ualeat. quorū trium ignorantia magnos in disputādo & turbulentos errores affert,clamoresq; absonos,plenos cōtentionis, quum uelut andabatæ,qui pedem cōtulerunt,oculis clausis dimicent.& plerunq; usu uenit, ut quæ quis ignorat,tueatur pertinacius,siue oppugnet, seu propugnet, ratus uera sese asseuerare:quum contrà qui à falso se stare non nescit,lentius agit,ac remissius ex cōscientia uidelicet, non ignarus captare se tantum. Quapropter ut hæc uterq; clarius perui deat, conseruandū est iudiciū integrum, minime perturbatū tempestate aliqua affectionum:quæ omnes incitatæ & accensæ uelut fumū quendā rationi & facultati iudicandi offundunt,quo ueri perspicientia impeditur.utilissimū est altercando nō commoueri animo. Idcirco bilioſi,feruidi,iritabiles,captatores inanis gloriolæ non sunt idonei altercationi,præsertim aduersus sophistam uafrum. Incenduntur enim facile, & censuræ tanq; deijciuntur de gradu eorū,quæ dicunt,ut quid uel antisophista obijciat,uel ipsi respondeant,non attendant. Tum studiosus glorię adeo est obseruandis omniū uultibus,gestibus,nutibus occupatus,ut ea quæ dicuntur, nō possit animaduertere.Confine intelligentiæ rerū earū,quæ in cōtentione uersantur illud est,ut aduersarij uerba probe intelligat, quo sensu ab illo soleant dici, quo ab auditoribus accipi.Sophista est,qui nō ueritatē sequitur rei, sed opinionē auditorum uenatur de se:in qua finem sibi statuit uel quæstum,uel gloriā,uel irrisionē aduersarij,aut aliquid affectus praui. Quare argumentis laborat efficere, ut quæ antisophista cōfirmarit, labefacta ab se alij credant,& ostendisse falsa esse,illum pro ueris cōplexatum:falsum id esse duorum modorū alterro cōuincitur, uel quū idem ipse qui affirmarat, uictus ratione & argumentis cōfitetur se falsum sensisse,quæ est repugnātia:uel quum id,quo argumentorum uiribus protruditur,contrariū est opinioni eorū,quibus fides iure debeatur,nempe sensui omniū,uel opinioni ac sententiæ eorū,qui adsunt,uel receptis uulgo opinionibus,uel eorū, qui pro sapientibus habentur censuræ ac iudicio:quæ pro falsis manifesto exibilantur,aut pro absurdis atq; absonis reprobantur,aut nō admittuntur tanquā paradoxa. Sed maxime omniū cupit sophista ab ipso eodem aduersario confessionē contrarij extorquere. Non enim perinde & glorioſum sibi ducit, & diuersam tuenti partem turpe, si ille falsum aliquod ultro admittat, quàm si quid paradoxum ac dubium pugnans cum eo,quod posuerat,altercando cogatur recipere, molē & uim rationū nō sustinens. Sed nos tamen momentaneā illā gloriā tantopere

affectanti

affectanti cõcedamus facile:modo ipsi ueritatis fructum teneamus:ut si aberrasse sentiamus nos,reuertamur in uiam siue ultro,siue ab alio admoniti.quippe satius & fructuosius est rectà ingredi,quò intendimus,quàm aduersario non cõcedere de uictoria,& pertinaciter tueri falsum:inuicti quidem persisteremus, sed cõtra uerum:à quo uinci longè præstat,quàm omnino cõtra illud tendere.uinci ab homine contra disputante leue est ac breuissimũ dedecus:falli autem & decipi malum ac miserũ:nec rarò uinci te ab altercante perpusillum honorẽ illi parit, tibi uerò emolumentũ grande:discedit ille inflatus uictoria,tu liberatus ignorantia tanto ac tam fœdo malo. Vitanda sunt tamẽ in sophista tria potissimũ captionum genera. Ambiguitas omnis seu uerbi unius,seu multorum,propositio falsorum dogmatũ pro ueris,nempe uniuersaliter dictorum,quæ tantum in parte ualent,& colligandæ argumẽtationis nexus fraudulentus.Nec eius inter disputandũ doli nos lateant.Nam ille in quibus situs est negotij totius cardo,agere se cõtemptim simulat,quo id negligẽtius à respõdente expendatur. Tum quæ perperàm sunt admissa,uel cõcessa,uel negata,blandis uerbis approbat,ac extollit,ut in eo cõfirmetur respondẽs,quod cum assensu & laude uidet accipi. Itaq; suspectus sit nobis siue negligentiã præ se ferens,siue approbationẽ. Proponit etiam quæstiones uarias:ut ex respõsionibus in eam demum inuadat, quam se ex animi sui sententia tractaturum confidat. Quocirca unam aliquam iubebimus eum deligere, quam uelit uentilari. Quòd si cœperit ex nostro campo digredi, sensimq; & dolose aliorsum pellicere, cogendus est,ut de statu quæstionis disputet, deq; eo in quo uersabitur cõtrouersia,idq; impense urgendum:ne imprudẽtes eò delabamur,de quo disceremus imparati.Quapropter si disceptatio certa sit ac finita,expediet in respondendo paulò plurib.explicare rem:ne ambiguitate obscurescat,& ignorantia claudat,unde breuissimo gradu dolus inuadat tanquã ex insidijs:ad quem patefaciendũ,si post longam altercationẽ reuertamur,credat aliquis nõ sponte nostra huc nos uenisse, sed deuolutos sophistæ impulsibus:sin autem disputatio incerta sit atque infinita,de eo, quodcunq; poterit ex uerbis nostris sophista arripere,cõsultissimũ fuerit breuissima responsa interrogationibus reddere,& maximè ad rem.Sed sophista interim sinit sese rogari,ut ostendat, quàm facile nos eludet,ac frustrabitur : itaq; responsiones ædit ancipites,ut semper sibi caueat effugiũ:operæpretiũ fuerit exigere ut apertius loquatur,& rem diffinitione ac diuisione planiorẽ faciat,ut omnia circunstantibus reddantur apertiora,ne & nos illi uideamur cauillando similes . Itaq; dabimus nos operam ne ludere atq; argutari in uerbis existimemur, sed ijs utemur naturaliter eo ipso sensu,quo ab spectantibus cõsueuerunt sumi. Sunt interrogationes nonnullæ multiplices,quarum simplex & categorica respõsio ambiguitatẽ ex quęsito trahit:fecisti sacrilegium? non feci:dubium est, quorsum ea responsio pertineat:utrum quòd nihil omnino surripuerit,an quòd non sacrum,uel non de sacro : hoc si sophista recusat exponere,ut captantẽ deludat,nos ipsi simplicius quærẽdo explicabimus:surripuisti hoc, an non? si negat,id est euincendũ.Sin fatetur,at hoc sacrum,itidem si abnuit,probandum:sin annuit,an de sacro. Idem accidit in quouis argumento multicipite,ut si quis persuadere uelit imperium unius esse optimum,quòd Romani in maximis quibusq; reipublicæ periculis ad creandũ dictatorem soliti essent cõfugere. Sophista hic inueniet,quo & Romanos perstringat,non fuisse illam bene constitutã ciuitatem:& de dictatoribus cauilletur,uertisse illos ciuilem & legitimã potentiam in tyrannidẽ,ut Syllam,& Cæsarem,& quòd nõ semper id sit factum:ut in cæde Clodiana, & aliàs nonnunquã: itaq; adhærebit,cui erit cõmodissimũ,uel ex uno in aliud transiliet:nos uerò in eo ut sistat,postulabimus,in quo sit caput cõtrouersiæ. Sed ille tamen,quum de re non habet iam amplius quod dicat,ad auertendam ab argumentis audientiũ intentionem,uel dicit de aduersario,uel ad res alias egreditur:quæ iam ad disputationem non pertinent,& ueri inquisitionẽ,sed ad rixam,aut inanem quandam uelitationem; in quibusdam uerò interim ad præsentem necessitatem elabendi.

BRVGIS, M. D. XXXI.

IO. LVDOVICI VIVIS
IN ALLEGORIAS BVCOLICORVM VERGILII RRÆFATIO.

POETÆ olim Græci maiore in precio ac honore fuerũt apud gentis illius homines, ſtudijs literarum deditos, q̃ Latini apud Latinos, adeò ut etiam ingenia Græcorum præclariſsima commentarios in Homerum compoſuerint, uelut philoſophorum plerique: inter quos fuit & Ariſtoteles, princeps mea ſententia, omnium. Noſtri uerò (taceo illos, qui ea fuerũt ætate, quum poeticæ ſtudium nihil dum haberet precij, homines qui nunquam de manibus ponerent uel aratrum uel haſtam: ſed qui proximis his ſeculis philoſophiã ſtudiaq; ſunt grauiora conſectati) adeò à Muſis manſuetioribus fuerũt alieni, ut nefas eſſe ducerent eas attingere: tanquam ſe de faſtigio illo ſapientiæ deuoluerẽt, ſi ad hæc blandiora ſemel reſpexiſſent. Fraudarunt ſe illi profectò haud ſanè exiguo ingeniorum oblectamento, magnaq; exhilaratione mentis, dum ad ſuauitatem illam poẽtarum aures occludunt. Huius rei culpam partim ingenia illa praua & abſurda ſuſtinent, partim tempora, & receptæ opiniones. Ego uerò quum Ariſtotelẽ habeam tantæ rei authorem, non dubitabo ſeueritati meorum ſtudiorum remiſsiones has animi periucundas admiſcere, & aliquid in feſtiuiores Muſas cõmentari: ſicut nuper in Vergilium, in cuius Bucolica ſenſa annotaui ſublimiora, quàm exiſtimet uulgus Grammaticorum. Neq; enim ſi nihil ſubeſſet magis reconditum, quàm quod uerba præ ſe ferunt, opus illi fuiſſet triennali expolitione, mutuanti præſertim pleraque omnia à Theocrito Siculo. Adde quòd maximis Romanorum ingenijs illa elaborabat: Cor. Gallo, Aſinio Pollioni, Varo, Tucæ, ipſi quoq; principi Auguſto, qui leuiculis rebus & paſtoricijs ſine altiore aliqua ſententia, haud facilè fuiſſent capti, aſſueti Græcis Latiniſq; grauiſsimarum materiarum ſcriptoribus. Quum uerò aditum gratiæ apud illos captaret Vergilius, & faceret ſibi hoc opuſculo, credibile eſt paſtoralis carminis luſu multa de illorum laudibus, deq; rebus cognoſci dignis obtexiſſe, quæ deprehenſa plurimum adficerent lectores, ut elegantes & artificioſæ imagines ſub Silenorum ſpecie latentes. Accedit huc, quòd res ipſæ pleriſq; in locis ſatis teſtantur, non ſimpliciter dici, ſed figuratè. quo magis miror, Seruium Honoratũ nullas allegorias admittere, niſi de agris deperditis: quæ alijs multis de rebus manifeſtiſsimę ſunt. Viſum itaque eſt mihi teſtari, ut haſce allegorias in uſum eorum exculperẽ, qui Vergiliana lectione delectant (quis autem nõ delectetur?) ut habeãt præſtãtiora ingenia, uelut paſtum quendam ſibi cõgruentem, altiusq; aſcendant, quàm pro ſenſis uerborum ſimplicibus. Poetæ etiam reddemus mentis ſuæ ſcopum, & oſtendemus non in rebus leuiculis cõſumptos illi eſſe tot uerſus: & quæ paſtoricio ſenſu Theocritus rudiori ſeculo cantaſſet, ea ipſum ad Romanos tranſtuliſſe, & quaſi feciſſe ſua, cum intelligẽtia eruditis auribus digna. Non dubito quin allegoriã aliquibus uerſibus aptauerim, de qua poeta ne cogitarit quidem: ut alias permultas, ad quas proculdubio reſpexerit, quum ſcriberet. ſed id nec ingratum erit Lectori, nec inutile. Fecerunt idem hoc iam ante nos in Homero explicando Græci ſcriptores, & in literis noſtris Donatus, Terentij & poetæ huius aperiens conſilia.

P. VERGILII MARONIS
BVCOLICA.

ECLOGA PRIMA. TITYRVS.

Melibœus, Tityrus.

TITYRE tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Sylueſtrem tenui muſam meditaris auena:
Nos patriæ fines,& dulcia linquimus arua.
Nos patriam fugimus:tu Tityre lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.
Ti. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Nanque erit ille mihi ſemper Deus,illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues,ut cernis,& ipſum
Ludere quæ uellem,calamo permiſit agreſti.
Me. Non equidem inuideo,miror magis,undiq; totis
Vſq; adeò turbatur agris.en ipſe capellas
Protinus æger ago:hanc etiam uix Tityre duco:
Hîc inter denſas corylos modò nanque gemellos,
Spem gregis,ah ſilice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis,ſi mens non læua fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
Sed tamen,iſte Deus qui ſit,da Tityre nobis.
Ti. Vrbem,quam dicunt Romam,Melibœe putaui
Stultus ego huic noſtræ ſimilem,quò ſæpe ſolemus
Paſtores ouium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram,ſic paruis componere magna ſolebam.
Verùm hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi.
Me. Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa uidendi?
Ti. Libertas,quæ ſera tamen reſpexit inertem,
Candidior poſtquàm tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen,& longo pòſt tempore uenit,
Poſtquàm nos Amaryllis habet,Galatea reliquit.
Nanq; (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat,nec cura peculi.
Quamuis multa meis exiret uictima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi,
Non unquam grauis ære domum mihi dextra redibat.
Me. Mirabar quid mœſta deos Amarylli uocares,
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat.ipſe te Tityre pinus,
Ipſi te fontes,ipſa hæc arbuſta uocabant.
Ti. Quid facerem? neq; ſeruitio me exire licebat,
Nec tam præſentes alibi cognoſcere diuos.
Hîc illum uidi iuuenem Melibœe,quotannis
Bis ſenos,cui noſtra dies altaria fumant.
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti:
Paſcite,ut antè,boues pueri,ſummittite tauros.
Me. Fortunate ſenex,ergo tua rura manebunt,

Et tibi magna satis, quamuis lapis omnia nudus,
Limosoq; palus obducat pascua iunco.
Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas,
Nec mala uicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hîc inter flumina nota,
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper uicino ab limite sepes
Hybleis apibus florem depasta salicti,
Sæpe leui somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Ti. Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Antè, pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrym,
Quàm nostro illius labatur pectore uultus.

Me. At nos hinc alij sitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.
En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot mea regna uidens, mirabor aristas?
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quò discordia ciues
Perduxit miseros? en quis conseuimus agros?
Insere nunc Melibœe piros, pone ordine uites.
Ite meæ, quondam fœlix pecus, ite capellæ:
Non ego uos posthac uiridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe uidebo.
Carmina nulla canam. non me pascente capellæ
Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.

Ti. Hîc tamen hac mecum poteras requiescere nocte,
Fronde super uiridi. sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis:
Et iam summa procul uillarum culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de montibus umbræ.

IOAN. LVDOVICI VIVIS BVCOLICORVM VERGILII INTERPRETATIO potissimùm Allegorica.

ECLOGA PRIMA.

TITYRE tu patulæ recubans.] Hac ecloga gratitudinem suam testatur Poëta aduersus Cæsarem Octauianũ. A primo fœlicitatem commemorat. est enim genus gratitudinis, agnoscere bene secũ agi: hinc perfecta gratitudo, à quo. Sed ubi fœlicitatẽ tuam recordaris, breuis est illius gradus ad benefactorem. Eam uerò inducta narrat persona, in quo uitatur species iactantiæ. nam quòd addit ipse deinceps alia, ex prouocatione facit, maleuoli & ingrati significationem præbiturus, si uel tacuisset omnino, uel leuiter esset assensus. Fœlicitas aũt hæc est, quod in omniũ trepidatione sit quietus ipse ac securus, in periculo tutus, quod recubãdi uerbũ ostẽdit. Locus ipse nõ solũ animi tranquillitatẽ notat,

notat,ſed delectationẽ,ſub tegmine,ſub umbra patulæ ac latè diffuſæ arboris, & quidem grandiferæ,unde olim gentib. cibus. ſimul attingit rem geſtam, de qua in Mœri:

Certe equidem audieram,quà ſe ſummittere colles

Incipiunt. Oblectamenti eſt ſignũ euidentiſsimũ, cantiones, nõ gemebundæ,aut querulæ,ſed de ſuis amoribus: quũ cæteri uelut relegati,aliam quærãt patriã, naturali atq; antiqua relicta. Tityrus autem in altiſsimo ocio requieſcit ſub umbra.

Dulcia arua.] Ad miſerationem maiorem facit. ut illic,

Et moriens dulces reminiſcitur agros.

Amaryllida.] Hæc Roma eſt: uel Octauianus,quẽ ipſe tenui auena canebat, hoc eſt bucolico carmine.

O Melibœe Deus nobis,&c.] Nondum quidẽ pro deo habebatur,colebaturq; Octauianus,quum hæc Vergilius caneret: propterea dicit Mihi. nam ſi iam tum fuiſſet,ſuperflueret pronomen illud emphaticon. quod poſitũ alioqui eſt magna de cauſa. Deus eſt homo homini à quo iuuatur, inquit Plinius: & antiquitas, deos ex beneficijs finxit, etiam brutas animãtes, ut Ægyptij feles, canes, boues, ibes. Græci uerò, inuentores rerum utilium, Mineruam oleæ, Bacchum uini, Æſculapium medicinæ.

Deus nobis.] Gratitudinem patefecit: ſimul inuidiam omnem ſubmouet à fœlicitate, licet propria. nam ſi Deus fecit, habenda illi gratia: non inuidendum Vergilio, ſed gratulandum potius. Quis enim uel Dei damnet iudicium, uel inuideat: aut oderit eos, quibus faueant dij?

Sæpe tener noſtris.] Non ſolũ animo & gratitudine erit mihi Octauianus deus, ſed cultu, & cæremonijs. Gentilitia ſunt hæc, nec Chriſtianis imitãda. quod quidam noſtræ profeſsionis impiè faciunt, qui in cõmunicabilem Dei appellationẽ, ac penè cultum, miſeris ac infirmiſsimis mortalibus communicant.

Ille meas.] Redit ad narrationẽ beneficiorum. quid ille nõ mihi reddidit, cui omnia erant belli turbine excuſſa? reddidit fortunas, nempe agros & boues, tum libertatem: nam permiſit boues errare, quò uellent: cultũ animi, nempe Muſas ipſas, ut cantem: non quæ ille præſcribit de ingentibus à ſe rebus geſtis, ſed pro arbitratu meo carmen paſtoriciũ, & agreſte. tu hæc cernis omnia, nihil neceſſe habeo multis explicare.

Non equidẽ inuideo.] Suſpicioni occurrit, ne inuidere uideatur fœlicitati, in tanta omniũ miſeria: ſed mirari ſe teſtat, quòd ille cõmunẽ calamitatẽ potuerit effugere.

En ipſe capellas.] Ego uerò non ſolum turbor, ſed exturbor, & expellor cum tenui re ac familia. et ad miſerationem maiorem oſtendit ſe abire, impeditum atq; onuſtum filia, & uxore recens enixa geminos, ſpem propagandi generis. Nam ſi uſquam eſt quies neceſſaria, maximè eſt puerperis, & teneris infantibus. Ad affectum autem paternum facit, quòd pueri illi ſint ſpes generis, quo grauius laturus ſit iacturam eorum: ideoq; periculum transferendi & migrandi laborioſius ſit, ac moleſtius. Hęc tanta amplificatio miſeriæ auget Vergilij fœlicitatem, ac proinde laudẽs Octauiani, ut ſe plurimum debere Auguſto manifeſtius conteſtetur, & per hoc gratitudinem ſuam declaret, quo ille maximi fieri ſuum beneficium gaudeat, optimeq; cenſeat eſſe collocatum, allicíaturq; ad benefaciendũ homini tam grato. Ad dandum enim inuitat, qui ſe accepiſſe profitetur.

Sæpe malum.] Auertit inuidiam crudelitatis huius à Cæſare, in fata & deorũ uoluntatem: quam prænunciatam ſibi ait oſtento, ſi animum uoluiſſet aduertere.

Si mens non læua fuiſſet.] Culpa mea eſt, qui potuiſſem obuiare huic malo, ſi uoluiſſem parêre cœleſtibus monitis, ſed obſurdeſcebam ad manifeſtas deorum uoces.

De cœlo tactas.] Effugere licuiſſet tantam calamitatem, ſi quum primũ uiderunt fulgure ictas quercus, hoc eſt Brutos, Caſsium, & alios Cæſaris percuſſores proſcriptos uictosq;, in quorũ partibus Cremonẽſes erant, longius diſceſsiſſent à contagio uiciniæ, tanquam à peſtilentia, aut uictorem conciliaſſent ſibi aliqua oratione.

Vrbem quam dicunt Ro.] Reſponſio paſtoralis. Rogatus de Cæſare, de Roma reſpondet, longis ambagibus, ſed acutè tamen & callidè. magnitudinem enim Octauiani effert deſcribenda Roma, quæ illius imperio regatur.

Quam dicunt Romam.] Et hoc ruſticè,tanquam illis non admodum ſit nota Roma,ſed ex leui quadã auditione:ut agricolis omnibus paululũ longinqua,quantũuis ampla & illuſtria,ignota ſunt.nõ enim curioſi ſunt,nec auidi cognoſcẽdi res exteras.

Huic noſtrę ſimilẽ] Vt eñ rudes ſunt atq; inexperti,omnia metiunt ex ſuis rebus.

Quo ſæpe ſolemus.] Vrbem plenam nobilitatis,ducum,herotum,ſedem Imperij,ſtultus exiſtimabat ſimilem paſtoriciæ urbis,& planè ouilis cuiuſdam:ut ingeniũ, eloquentiã,humanitatẽ,educationẽ Romani populi,Mantuani arbitrarẽt eſſe ſimilẽ.

Et quæ tanta fuit.] Ruſtica locutio,& interrogatio congruens paſtoriciæ admirationi.paſtores enim & agricolæ facile quiduis mirantur,quia cauſas ignorant.

Libertas.] Specioſus titulus,& qui facile uel in paſtorũ pectora penetret.nec magis poterat Octauiano blandiri, quàm quod per eũ fateatur ſe eſſe libertatẽ aſſecutũ, qui ſuſpectus eſſet,tanquam ademiſſet eam omnibus. Libertatem & opes auctas ſibi declarat,Auguſti beneficio:ſed libertatem, uti par eſt,anteponit.

Reſpexit inertem.] Meritò inertem. nam libertatem ipſe per ſe nunquam eſſet conſecutus,Auguſti eĩt nactus beneficio.

Candidior poſtquàm.] Bucolica ſcripſit Vergilius iuuenis, nempe ante annum triceſimũ.Natus eſt enim Pompeio & Craſſo primũ Coſſ.à quo anno uſq; ad triumuiratum ſunt anni uigintiquatuor.Porrò triumuiratus decem annos durauit. Itaq; hyperbole eſt ex affectu Vergilij, qui tamdiu ſine libertate & peculio uixiſſet,ut ſibi in ea ſeruitute cõſenuiſſe uideretur. Sed referri tamen Candidior,poteſt ad libertatem: quaſi pulchra,& ſpecioſa,& benigna:quod quibuſdam magis placet.

Nanq; (fatebor enim).] Mantuæ nec liber eſſe poteram,nec diues,quamuis non paucas ederem ingenij ſignificationes & eruditionis, haud utiq; pauciores quàm Romæ:ſed nullum erat precium uirtuti,& bonis artibus inter eos,qui illas ut non intelligerent,ita nec curarent.

Mirabar quid mœſta deos.] Senſus difficilis . ſed peculiaris ſignificatur Romanorum fauor erga Vergilium.Mirabar quid tantæ eſſet rei,cur Roma uniuerſa pro te deos inuocaret, ut eſſent tibi propitij, Auguſtum ſcilicet & proceres : & cui iuberet ſalua eſſe ſua poma in arbore,ne quis quid de bonis Vergilij raperet.

Tityrus hinc aberat.] Atqui quũ hinc es profectus Romã, magnũ tui deſiderium omnibus reliquiſti,ſummis,infimis,mediocribus:ut cauſa non fuerit,cur hinc diſcederes.uel Hinc,id eſt Roma:ut nõ referat ad locũ in quo ſunt,ſed de quo loquuntur.

Quid facerem?] Hoc ad illud uidetur pertinere, quod Vergilius Mantuæ eſſet omnibus chariſſimus:nec opus illi fuiſſet Romam proficiſci.ideo reſpondet,quid facerem,quo minus irem Romam? quid agerem potius,aut commodius? neq; enim libertatem eſſem unquã nactus,nec deos nouiſſem,hoc eſt Romanos proceres, adeò propitios & fauentes ingenijs.

Hîc illum uidi.] Tanti profectò fuit Romam adiſſe.Nam illum uidi magnum iuuenem,Octauianum,pro cuius ſalute duodenos dies annis ſingulis uota ſuſcipio.Iuuenis erat tum Cæſar Octauianus,nempe quinque & uiginti annorum plus minus. adoleſcentes etiamnum,qui eius eſſent ætatis nominabantur.

Hic mihi reſponſum primus.] Ipſe ultrò & primus,non rogatus ab ullo ex Romanis magnatibus.

Paſcite ut antè.] Pergite in ſtudijs cœptis,& augete illa,me authore.

Fortunate ſenex.] Tali authore & tutore, ingenij tui monimenta ſemper manebunt.uel ſimpliciter de agris intelligendum,in laudem Cæſaris.Senex dicitur ad decorum perſonæ.nam inducuntur ſenes paſtores.quò pertinere & illud poteſt,

Candidior poſtquàm tondenti barba cadebat.

Vel ſenex nomen eſt dignitatis paſtoralis, ſicut præcipuus, uel maximus,uel dominus,uel pater.

Quamuis lapis.] Simpliciter & ſine figura intelligendum,agros quidem Vergilij eſſe ſeptos undique,hinc monte,illinc palude,ſed ſuffecturos ipſi et gregi eius:nec futurũ opus,ut aliud foris quærat,ad ſe & pecus ſuũ alendũ.tũ addit ex ea munitione

ingentem

ingentem commoditatem, quod damna uiciniæ non peruenient ad ea animalia, quæ solent errare, cuiusmodi sunt pecudes, & apes.

Non insueta graues.] Vallatus his patronis, quantumlibet agri alijs tuis uicinis adimãtur, eris ipse incolumis: nec existimationi ingenij erit quod timeas, fauentibus tibi columnibus totius eruditionis.

Fortunate senex.] Descriptio est rusticarum uoluptatũ, quæ oculis, auribus, somno, & refrigeratione capiuntur, tum fructu pastionum.

Hic inter flumina nota.] Facit hoc ad fœlicitatem, consenescere in patria, uel ubi diu assueueris, ut est apud Claudianum:

Fœlix qui patrijs æuum transegit in aruis.

Ante leues ergo.] Huc pertinent superiora, ad testificationem gratitudinis erga Octauianum.

Quam nost. ill. lab. pe. uul.] Ille uultus, quo mihi & fortunas restituit, & libertatem dedit, & animum auxit.

At nos hinc alij.] Post gratitudinẽ sequit affectus commiserationis de alijs, si quo modo possit animũ Cæsaris inflectere, & alijs suis municipib. propitiorem reddere.

Diuisos orbe Britannos.] Orbem uocabant olim terram continentẽ, quæ Oceano alluitur. insulæ Oceani extra orbem dicuntur esse, non item insulæ maris mediterranei, ut Sicilia, & Sardinia, & Cyclades, & eiusmodi. Magna calamitas, quæ propinqua migratione reparari non quibat: quærẽdæ erant Romanis ciuibus sedes extra orbem Romanum.

En unquam patrios.] Affectus naturalis exulum & profugorum, ut spem quandam usurpent reuisendi aliquando quæ relinquunt: & quũ reuisunt, admirantur, atq; exhilarescunt. idem contingit post longas peregrinationes.

Post aliquot mea regna.] Rustica annorũm annotatio, non ex olympiadibus, ut apud Græcos: neque ex Consulibus, ut apud Romanos: sed ex temporum annuis qualitatibus. sicuti Claudianus inquit:

Frugibus alternis, non Consule computat annum.

Impius has segetes.] Magnæ indignationis est, quæ ciuis elaborarit, ea possidere barbarum, & quidem impium.

En quo discordia ciues.] Bella ciuilia non solum Romæ publica, & in summa imperij: sed etiã intestina, in singulis municipijs. Et est sentẽtia indignationi conueniẽs.

En quis conseuimus agros?] Ita euenit in plerisque humanis rebus, ut ij fruantur nostris laboribus, qui sunt indignissimi, aut quos minimè omnium uellemus: de quo Solomon conqueritur in Concionatore.

Insere nunc.] Omnia hæc sunt pathetica, plena commiserationis. mouent enim misericordiam mala, quæ nos urgent: & bona, quæ amittimus. Ostendit uices rerum humanarum, & ignorantiam futuri, En quis conseuimus agros? Hoc quum commune sit omnibus, unicuique pro statu & conditione sua, maxime misericordiam elicit. facile enim mouemur ijs malis, quæ ad nos peruenire posse existimamus.

Ite meæ quondam.] Discessus à rebus charis, etiam audientibus uel spectantibus miserabilis est.

Non ego uos posthac.] Tam erat graue pastori illi, consueta oblectamenta & uitam, cui à puero assueuerat, relinquere, quàm Cæsari suum imperiũ. hæc omnia ita canit Vergilius, propter eam causam, quam modo attigimus, ut Augustum ad misericordiam erga municipes suos Mantuanos adduceret.

Hic tamen hac mecum.] Benignitas, & hospitalitas rustica, & inuitatio ad dapes, quas suppeditat rus ipsum. Probitatem suam ostẽdit erga miserum, & Octauianum allicit ad miserandum exemplo suo. Noctem dixit impendêre, ideo quiescendũ: per quod innuit non procul abesse finem turbationis illius, & malorum.

ECLOGA II. ALEXIS.

FOrmoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini,nec quid ſperaret,habebat:
Tantum inter denſas,umbroſa cacumina,fagos
Aſſiduè ueniebat:ibi hæc incondita ſolus
Montibus,& ſyluis ſtudio iactabat inani.
O crudelis Alexi,nihil mea carmina curas,
Nil noſtri miſerere,mori me denique cogis.
Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant,
Nunc uirides etiam occultant ſpineta lacertos,
Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia,ſerpillumq́,herbas contundit olentes.
At mecum raucis,tua dum ueſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nónne fuit ſatius triſteis Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia?nónne Menalcam?
Quamuis ille niger,quamuis tu candidus eſſes.
O formoſe puer,nimium ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt,uaccinia nigra leguntur.
Deſpectus tibi ſum,nec quis ſim,quæris Alexi,
Quàm diues pecoris niuei,quàm lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æſtate nouum,non frigore defit.
Canto quæ ſolitus,ſi quando armenta uocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracynthо.
Nec ſum adeò informis:nuper me littore uidi,
Quum placidum uentis ſtaret mare, non ego Daphnim
Iudice te metuam,ſi nunquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi ſordida rura,
Atq; humiles habitare caſas,& figere ceruos,
Hœdorumq́,gregem uiridi compellere hibiſco,
Mecum una in ſyluis imitabere Pana canendo,
Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit:Pan curat oues,ouiumq́,magiſtros.
Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum:
Hæc eadem ut ſciret,quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula,Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens:te nunc habet iſta ſecundum.
Dixit Damœtas:inuidit ſtultus Amyntas.
Præterea duo,nec tuta mihi ualle reperti
Capreoli ſparſis etiam nunc pellibus albo,
Bina die ſiccant ouis ubera:quos tibi ſeruo:
Iam pridem à me illos abducere Theſtylis orat,
Et faciet,quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Hucades,ô formoſe puer:tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis tibi candida Nais
Pallentes uiolas,& ſumma papauera carpens,
Narciſſum,& florem iungit bene olentis anethi.
Tum caſia,atq; alijs intexens ſuauibus herbis,
Mollia luteola pingit uaccinia caltha.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneasq́,nuces,mea quas Amaryllis amabat:

Addam cerea pruna,& honos erit huic quoq; pomo,
Et uos ô lauri carpam,& te proxima myrte:
Sic poſitæ quoniam ſuaueis miſcetis odores.
Ruſticus & Corydon,nec munera curat Alexis:
Nec ſi muneribus certes,concedat Iolas.
Eheu quid uolui miſero mihi?floribus auſtrum
Perditus,& liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens:habitarunt dij quoq; ſyluas,
Dardaniusq; Paris.Pallas quas condidit arces,
Ipſa colat,nobis placeant ante omnia ſyluæ.
Torua leæna lupum ſequitur,lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella:
Te Corydon ô Alexi,trahit ſua quenq; uoluptas.
Aſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci,
Et ſol creſcenteis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor:quis enim modus adſit amori?
Ah Corydon,Corydon,quæ te dementia cœpit?
Semiputata tibi frondoſa uitis in ulmo eſt.
Quin tu aliquid ſaltem potius,quorum indiget uſus,
Viminibus,mollique paras detexere iunco?
Inuenies alium,ſi te hic faſtidit Alexis.

IN ECLOGAM II. ALLEGORIA.

COrnelius Gallus poëta fuit illa ætate inſignis,quem Auguſtus Cæſar adminiſtrationi reipub.& bellis gerendis admouit. Huius familiaritatē ambibat Vergilius,ut qui maximè.de quo eſt illud:

Gallo,cuius amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum uere nouo uiridis ſe ſubiicit alnus.

Sed impediebatur negocijs ab Auguſto iniunctis, & familiaritate ipſius principis, qui illum ſe cum quocunq; proficiſceretur,abducebat: tum aliquo fortaſſe contemptu Galli de Vergilio,quem poëta locis quibuſdam ſignificat, ut erat Gallus prouincijs atque exercitibus præfectus, Vergilius autem ruſticus & poëta, quæ ars apud maiores nullo in precio fuerat,temporibus Auguſti honorē cœperat nanciſci,quod ea delectaretur princeps:ut in Hiſpania carmen uernaculum ſub Ioanne ſecundo rege Caſtellæ. De his amoribus ac deſideriis,quibus frui nō poteſt,compoſuit hanc eclogam queribundam. *initium hoc eſt amicitiarum,& inuitatio.* nam etſi Gallus Cornelius amiciſſimus aliquando fuerit Vergilij,à primo tamen nondum tanto ingenio percognito,credibile eſt,principi uiro & eruditiſſimo ſorduiſſe ruſticum municipalem,leui tantum poetæ titulo commendatum.

Formoſum.] Quid formoſius,quàm animi lineamenta,ut dicunt Soici:et amico, ſuus amicus?& doctus docto, candido utique? aliter enim inuideret figulus figulo, iuxta uetus Heſiodi dictum.

Delicias domini.] Dominus apud paſtores eſt is, cuius eſt pecus:ſicut in conuiuio, qui præbet illud. Itaq; paſtoricio more principem Octauianū dominum appellauit:non quidem ex eius uoluntate, qui uetuit ſe & ioco & ſerio dominum nuncupari, ſed ex ruſtica conſuetudine. Charus admodū fuit Gallus Cornelius Auguſto, ſed poſtea reiectus eſt ab amicitia, ut Ecloga decima dicetur.

Nec quid ſperaret.] Nam aberat in negocijs Octauij bellis & reipub.adminiſtratione occupatiſſimus.

Tantum inter denſas.] Sæpe requirebat eum longis itineribus,profectione Romam,& alias ad ciuitates, tum prouocatione carminū ruſticorū: ſed ſurdis canebat.

O crudelis Alexi.] Et auertebant Gallum negocia principis ſui, nec ipſe magnifaciebat beneuolentiam poetæ.

Nunc

Nunc et pecudes.] In tãta pace Italię, in tãta quiete omniũ, et ſecuritate Octauiani uirtute parta, ego ſolus inquietus ago, cupidus fruẽdi tui. geris & procul cum alijs bella, in quib. uideor mihi militare: & geris mecũ, non reſpondẽs amori meo erga te.

Non'ne fuit ſatius.] Mihi quidem ad fructum familiaritatis, ſatius fuiſſet aliquem amaſſe inferioris notæ amicum, qui cum potuiſſem uerſari, miſcere ſermones, oblectare me ex animi mei ſententia. nihil enim iucundius, quàm pares amici.

Triſtes Amaryllidis iras.] Indignatio eſt, affectus ex amoris impatientia. Melius (inquit) fuiſſet, etiam moroſos & iracundos & difficiles diligere, modò datum eſſet non torqueri deſiderio, & conſpectu, atq; alloquio charo frui. ſciſſem enim accommodare me illorum moribus, illi autem humilitatem meam non deſpexiſſent.

Quamuis ille niger.] Quamuis ille imperitus, et ruſticus, et pauper: tu contrà eruditus, urbanus, locuples, potens.

O formoſe puer.] Ne nimium fidas fortunæ dotibus, ex quibus quæ ingentes ſunt, ſæpenumero concidunt, mediocres aut paruæ conſeruantur. Tum amicitiæ magnorum ſæpe diſſoluuntur, coluntur autem inter mediocres. quis enim appetat amicitiam eius, quo frui per magnitudinem nunquam liceat? Æqualitatem eſſe in amicitia oportet, ut alter altero ex animi ſui ſententia fruatur.

Deſpectus tibi ſum, &c.] Fortaſſe ingenio meo nõ perinde delectaris, at quæras ab ijs, qui hac de re iudicium ferre poſsint, qua ſim eruditione, quàm prædítus omni cultu animi, omnibus diſciplinis. Haſce animi dotes atq; opes, paſtoricijs opibus explicat, ut decet titulum ſuſcepti argumenti.

Canto quæ ſolitus.] Nec ſolũ artes humanitatis teneo, ſed pango etiam carmen antiquorum ſimile ac par, ita ut idem uideri poſsit. Viuentibus enim ſatis magna uidetur gloria, æquari poſſe cum ſuperioribus, quum non rarò ſuperent.

Nec ſum adeò informis.] Etſi ruſticis parentibus, non tamen moribus uel ruſticanis, uel aſpernandis: tum nec corpore pudendo. hoc eſt cultu corporis & formatione, ut pudere te poſsit, ſi inter Romanos proceres familiarius tecum uerſer.

Nuper me in littore uidi.] Nam & uerſatus ſum cum Octauiano, Mecœnate, Pollione, Tucca, Varo: & cepi experimentum mei ex illorum iudicio.

Quum placidum uentis ſtaret mare.] Proxima pace, quum in armorũ quiete omnes ſe domũ recepiſſent, poſitis armis, & ſummotis tumultibus: ut appareat, eos per ocium potuiſſe de me iudicare. Nam quemadmodum quieta aqua imginem recipit, & reddit, ita mens in quiete recte ſtatuit: non item in motu & agitatione. Apte uocauit Italiam, mare: & uentos, bellorum turbines.

Non ego Daphnim.] Aliquem alium poëtam, excultũ & expolitũ uſu urbano.

Iudice te metuã.] Si modò uelis uacare ad carmina utriuſq; noſtrũ cognoſcenda.

Si nunquam fallit imago.] Si mihi non imponunt iudicia illorum.

O tantum libeat.] Nihil reſtat, niſi ut non reſpuat ingenium ruri natum altumq; carmen quoq; de re paſtoricia. Sunt enim & in hac materia, atq; hoc uitæ genere ſuæ uoluptates, in dicendo grege & uenatu: ſumat ſolum experimentum conuerſationis huius mediocrium amicorum, uidebit quantum in ea inſit dulcedinis.

Pana canendo.] Nec deſunt nobis dij: ut hominem non pudeat, quòd Deus iudicauit ſe non indignum, illumq; habemus nos & authorem, atq; inſtitutorem uitæ huius, & tutorem, & ſocium.

Nec te pœniteat.] Aperte oſtendit, hunc eſſe Corn. Gallum, qui carmen paſtoricium cõpoſuit. Expertus quidem erat Gallus carmẽ ruſticũ, ſed nõ uitam ruſticanã.

Hæc eadem ut ſciret.] Poëta aliquis non parui nominis, nec ingenij, qui paſtoricium carmen affectabat, nec poterat tamen aſſequi.

Eſt mihi.] Magna in hoc genere facultas, non unus calamus aut fiſtula, ſed ſeptẽ coniunctæ & compactæ, & quidem diſpares: quas inflare ad cõcentum maximæ eſt artis. nam ſi in una peritia eſt laudabilis, quid in ſeptem pariter, & diſparibus?

Damœtas dono mihi.] Theocritus eſt hic Damœtas, uel ſi quis fuit Vergilij hac in re peritiſsimus magiſter, & præcipuus.

Dixit

Dixit Damœtas.] Non cuiuslibet iudicio ſecundus iudicatus eſt Virgilius, ſed illius ipſius, qui eſſet primus.

Inuidit ſtultus Amyntas.] Huic ſucceſsioni principatus inuidit Amyntas, meritò ſtultus, qui id affectaret, quod eſſet ſibi à natura uel à negligẽtia negatum: & inuideret, quibus eſſet conceſſum, uel qui ipſi paraſſent ſibi induſtria.

Præterea duo, nec tuta.] Duo poemata, Bucolicum & Georgicum, magna cura & difficultate excuſa, quæ ſtatuerat dicare Gallo Cornelio, quo munere quum ille non uideretur magnopere capi, dicit translaturum ſe inſcriptionem ad Polliõnẽ, aut Mecœnatem, à quibus rogatur.

Bina die ſiccant.] Elaborationem ſignificat operum: quaſi exhauriunt geminum ſtudium parentis, diurnum & nocturnum.

Huc ades ô formoſe puer.] Maximas ruris delicias oſtentat, ut eum teneat cupido ruſticãdi. Carminis ruſtici ſuauitates ſignificat, & uitæ agreſtis: quę quoniã naturales ſunt, maiores ſunt, ac diuturniores, quàm urbicæ, quæ conſtant artificio humano. imò urbanæ ipſæ ab ijs petuntur, quæ ruri & in agris naſcuntur.

Pallentes uiolas.] Delectatio eſt in colore atq; odore florum: fructus autẽ in malis, caſtaneis, prunis, & huiuſmodi. flores ad paſtoricum poema pertinent, fructus ad georgicum.

Ruſticus es Corydon.] Faſtidit Gallus Cornelius hominem ruſticum urbanus, humilem potens, locuples munera ſordida & humilia. & maiorem habet animi concitationem conuerſio ſermonis ad ſe, tanquam ad alteram perſonam.

Nec ſi muneribus certes.] Quid tu tãdem adferes ad alliciendum Alexim, quòd ille non copioſius & præſtantius Romæ inueniat, etiam in ipſo Cæſare? uel ſi bella ſint canenda, & magnorum heroum res geſtæ? Auguſtus enim poemata conſcripſit, inter quæ etiam tragœdiam Aiacem: de qua eſt illud, In ſpongiam decubuiſſe Aiacem ſuum, apud Tranquillum.

Eheu quid uolui.] Inanem operam ſumo, fundo carmina, ubi non eſt auris: ſpargo flores ſpiranti auſtro, quos rapiat, inutiliter perdo tempus, & corrumpo mihi aliarum amicitiarum pulcherrimas occaſiones, dum huic uni ſtudeo.

Quem fugis ah demens.] Dementem ruſtico more uocat, incõſideratum. uel reuera demens eſt, qui ſe potiorẽ eſſe retur quàm deos. fugis & hominem ruſticum, & carmẽ ruſticũ: atqui his duobus delectati ſunt aliquãdo magni principes, & heroes.

Dardaniuſq; Paris.] Heros propemodum æqualis dijs, filius tanti regis & formoſiſsimus, cuius iudicium tres deæ ſubierunt, ſi exemplum deorum imitari non potes, moueat te exemplum hominis.

Pallas quas condidit arces.] Canant alij ſanè res bellicas grandi carmine, uel iactent ſe rebus bello geſtis, ſuis aut maiorum ſuorum: nobis nec origo, nec uita ruſtica uidetur pœnitenda: nec conſilij noſtri piget, qui paſtoricia & agreſtia cantamus hoc uti maneat propoſitum, optat ſibi, ſicut illic:

Rura mihi & rigui placeant in uallibus amnes,
Flumina amnem, ſyluasq; inglorius.

Torua leæna lupum, &c.] Sententia generalis, collecta ab exemplis, quæ dicitur dialecticis inductio: & addita gradatione fit concinnior. Senſus eſt, Age tu mecum Corneli Galle, ut tibi libuerit, fugias, aſperneris me: ego tamen neſcio quo animi mei nutu, ad tui beneuolentiã feror: nec eam deponã, qualemcunq; te experiar aduerſum me. rapior enim naturę meę tractu, ut leæna ad lupum, lupus ad capellã, capella ad cythiſum: quiſq; ad id, quod naturæ ſuę ſentit eſſe congruum & expediens.

Trahit ſua quenq; uoluptas.] Voluptas propoſita, tãquam finis, trahit animum. finis enim eſt impulſor actionis, propoſito primus, executione poſtremus: in eo nanque ſiſtitur.

Aſpice aratra iugo.] Omnia quietem recipiũt, animata inanimata, etiam cœlum ipſum: ſenſu paſtoricio, qui exiſtimant illud humano more per noctem conquieſcere. ſolum amoris deſiderium quietem non nouit, donec re chara perfruatur. Talis eſt

hominum uita,quoad iungatur & unum fiat cum Deo.

Ah Corydon,Corydon,&c.] Magnitudinẽ amoris,demẽtiam nominauit,quòd sui sit oblitus,& extra se positus:& à philosophis furor nũcupatur. Colligit autẽ dementiã,quòd opera relinquat inchoata,& prætermittat occasiones perficiẽdi,sectetur inutilia:quo tempore posset ea parare,quæ paulò pòst futura essent usui.

Semiputata tibi.] Verte te ad opera tua cœpta,ex his pete huic desiderio solaciũ: absolue Georgica,& Æneidem,quæ opera pendent tibi inchoata.

Quin tu aliquid.] Aut leuioris operæ collige materiam,aut eorum quæ scis hoc tempore precium habere ac gratiam.

Inuenies alium,si te hic fastidit Alexis.] Tu quidem amabis Gallum,quia illuc te rapit pronitas animi tui: sed illis operibus absolutis, si ab hoc non redamare, inuenies alium cui sis charus.

ECLOGA TERTIA. PALÆMON.

Menalcas, Damœtas, Palæmon.

Me. DIc mihi Damœta:cuium pecus? an Meliboei?
Da. Non:uerùm Ægonis,nuper mihi tradidit Ægon.
Me. Infœlix ô semper ouis pecus,ipse Neæram
Dum fouet,ac,ne me sibi præferat illa,ueretur.
Hic alienus oueis custos bis mulget in hora,
Et succus pecori,& lac subducitur agnis.
Da. Parcius ista uiris tamen obijcienda memento.
Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hircis,
Et quo,sed faciles nymphæ risere,sacello.
Me. Tum credo, quum me arbustum uidere Myconis,
Atque mala uites incidere falce nouellas.
Da. Aut hîc ad ueteres fagos,quum Daphnidis arcum
Fregisti,& calamos,quæ tu peruerse Menalca,
Et quum uidisti puero donata,dolebas:
Et si non aliqua nocuisses,mortuus esses.
Me. Quid domini facient,audent quum talia fures?
Non ego te uidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs,multum latrante Lyciscа?
Et quum clamarem,quò nunc se proripit ille?
Tityre coge pecus:tu post carecta latebas.
Da. An mihi cantando uictus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipse fatebatur,sed reddere posse negabat.
Me. Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triuijs indoctè solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
Da. Vis ergo,inter nos,quid possit uterq; uicissim
Experiamur? ego hanc uitulam,ne forte recuses,
Bis uenit ad mulctram,binos alit ubere fœtus,
Depono:tu dic mecum quo pignore certes.
Me. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Est mihi namq; domi pater,est iniusta nouerca,
Bisq; die numerant ambo pecus,alter & hœdos.
Verùm id,quod multo tute ipse fatebere maius,
(Insanire libet quoniam) tibi pocula ponam
Fagina,cælatum diuini opus Alcimedontis:

Lenta

Lenta quibus torno facili superaddita uitis,
Diffusos hedera uestit pallente corymbos.
In medio duo signa,Conon:&,quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quæ messor,quæ curuus arator haberet.
Nec dum illis labra admoui,sed condita seruo.
Da. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circûm est ansas amplexus acantho,
Orpheaq; in medio posuit,syluasq; sequentes.
Nec dum illis labra admoui,sed condita seruo.
Si ad uitulam spectes,nihil est quod pocula laudes.
Me. Nunquam hodie effugies:ueniam quócunque uocaris:
Audiat hæc tantum uel qui uenit ecce Palæmon.
Efficiam posthac ne quenquam uoce lacessas.
Da. Quin age,si quid habes,in me mora non erit ulla,
Nec quenquam fugio,tantum uicine Palæmon,
Sensibus hæc imis (res est non parua) reponas.
Pa. Dicite:quandoquidem in molli consedimus herba,
Et nunc omnis ager,nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent syluæ,nunc formosissimus annus.
Incipe Damæta,tu deinde sequere Menalca.
Alternis dicetis:amant alterna Camœnæ.
Da. Ab Ioue principium musæ:Iouis omnia plena:
Ille colit terras,illi mea carmina curæ.
Me. Et me Phœbus amat:Phœbo sua semper apud me
Munera sunt lauri,& suaue rubens hyacinthus.
Da. Malo me Galatea petit lasciua puella,
Et fugit ad salices,& se cupit antè uideri.
Me. At mihi sese offert ultrò meus ignis,Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
Da. Parta meæ Veneri sunt munera: nanq; notaui
Ipse locum,aëriæ quò congessere palumbes.
Me. Quod potui,puero syluestri ex arbore lecta.
Aurea mala decem misi,cras altera mittam.
Da. O quoties,& quæ nobis Galatea locuta est:
Partem aliquam uenti diuûm referatis ad aures.
Me. Quid prodest,quòd me ipse animo non spernis Amyntha,
Si dum tu sectaris apros,ego retia seruo?
Da. Phyllida mitte mihi,meus est natalis Iola:
Quum faciam uitula pro frugibus,ipse uenito.
Me. Phyllida amo ante alias:nam me discedere fleuit,
Et longum formose,uale uale,inquit Iola.
Da. Triste lupus stabulis,maturis frugibus imbres
Arboribus uenti,nobis Amaryllidis iræ.
Me. Dulce satis humor,depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori,mihi solus Amyntas.
Da. Pollio amat nostram,quamuis sit rustica,musam,
Pierides uitulam lectori pascite uestro.
Me. Pollio & ipse facit noua carmina,pascite taurum,
Iam cornu petat,& pedibus qui spargat arenam.
Da. Qui te Pollio amat,ueniat,quò te quoq; gaudet:
Mella fluant illi,ferat & rubus asper amomum.
Me. Qui Bauium non odit,amet tua carmina Meui,

Atq; idem ſungat uulpes,& mulgeat hircos.
Da. Qui legitis flores,& humi naſcentia fraga,
Frigidus,ô pueri,fugite hinc,latet anguis in herba.
Me. Parcite oues nimium procedere:non bene ripæ
Creditur,ipſe aries etiam nunc uellera ſiccat.
Da. Tityre paſcentes à flumine reĳce capellas:
Ipſe,ubi tempus erit,omnes in fonte lauabo.
Me. Cogite oueis pueri,ſi lac præceperit æſtus,
Vt nuper, fruſtrà preſſabimus ubera palmis,
Da. Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo!
Idem amor exitium eſt pecori,pecorisq; magiſtro.
Me. His certe neque amor cauſa eſt,uix oſsibus hærent:
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
Da. Dic,quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Treis pateat cœli ſpacium non amplius ulnas.
Me. Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores,& Phyllida ſolus habeto.
Pa. Non noſtrum,inter uos tantas componere lites.
Et uitula tu dignus,& hic,& quiſquis amores
Aut metuet dulceis aut experietur amaros.
Claudite iam riuos pueri,ſat prata biberunt.

IN ECLOGAM III. ALLEGORIA.

NACTVS Vergilius gratiã Auguſti,Pollionis,Mecœnatis,Galli,& aliorum procerum,multos habuit doctos,qui ſibi eum fauorem inuiderent. Ecloga hæc eſt contentio ac iurgium Vergilij ſub Damœtæ nomine,& poëtæ alicuius ex eius inuidis ſub Menalcæ nomine,qui illius apud Romanos principes authoritatẽ gratiamq; eleuaret,anteferret autem ſuam.

Dic mihi Damœta.] Imitatio eſt Theocriti, ita ut eiſdem quoque utatur uerbis. Initium ſumitur ab inimica inſectatione, & quaſi contemptu: ut Menalcas Damœtam oſtendat non dominum eſſe gregis,ſed mercede conductum. Cuius eſt (inquit) carmen hoc paſtoricium? an Meliboei? poetæ alicuius ignobilis:Meuij puta, uel Bauij.Non,inquit, ſed Ægonis: per quem ſignificat inſignem aliquem poetam, nempe Gallum,aut Cinnam.

Infœlix ô ſemper ouis pecus.] Miſerum ſemper carmen paſtoricium, quod in manus indignas deuenit.dum enim Cinna & Pollio & Gallus,& alij qui eo multum ualent,ſuntq; eius quaſi domini, de gratia & authoritate principis populiq; contendunt mecum,alienus hîc inuenit locum, ut ſe Muſarum ſtudio ingerat: & canit carmen paſtoricium,ſine ſucco & gratia:& tanquam fur detrahit huic arti ſuam uenuſtatem,effutiens ex tempore qualeſcunq; uerſus.

Parcius iſta uiris.] Vir nomen eſt ſæpe dignitatis,refertur enim ad uirtutẽ,uimq; animi aut corporis,ut Cicero 11. Philip. Virum illa cauſa deſiderabat, itaque ſe uirum dicit:quaſi alter homo ſit nequam & uilis,non uir.

Obĳcienda memento.] Memineris,quæ de te poſſint dici,ne in maledicentia ſis adeò intemperans.

Nouimus & qui te.] Nam & carmẽ tuum uidimus ineptum,ac ridiculum, quod populus contemnens ac indignans legit,proceres autem faciles & generoſi riſerunt. Mirè expreſsit modum intuendi in contemptu aut indignatione, nempe limis oculis: quo modo tradit Plinius,leones aſpici ſe non ferre.

Tum credo,quum me.] Credo,per ſe poſitum,ironiam plerunq; ſignificat,quod apud Ciceronem & alios eſt frequens. Itaq; quod hic Menalcas dicit, non de ſe uult intelligi,ſed de Damœta inimico. Obĳcis (inquit) mihi carmen incompoſitum, & incommodum:quid faceres, ſi ego nouã & bonam materiã imperito uerſu cãtaſſem,

atq;

atq; infœlici, ut tu? Mycon de arboribus scripsit: itaque res agrestes persequebatur Vergilius, ut quidem est inimici sensus, malo & indocto carmine: tum etiam nouas uites, hoc est res Augusti & populi Romani.

Aut hîc ad ueteres fagos.] Recriminatur Damœtas Menalcam, quasi poetam aliquem bonum calumniatus sit, & fauori ac muneribus illi collatis inuiderit, lęserităq; eum quacunq; potuerit, magna rabie odij atq; inuidentiæ.

Quid domini facient, audent quum talia fures?] Dominus ad seruum refertur, & inter pastores ad alienum & conductitium: hîc ad augendum atrocitatem iurgij, dominis opponit fures: quod indignius est quàm mercenarij. quid non audeant dicere ac facere domini, quum fures & nebulones perditissimi audeant ista? quod est multò acrius, quàm si dixisset per propria relatiua.

Non ego te uidi.] Arguit eum esse furem, & compilatorem Græcorum ac Latinorum, reclamantibus alijs poetis, furtumq; exprobrantibus.

Quò nunc se proripit ille?] Bene expressit morem loquendi rusticum, & habet indignationis uim pronomen, ille.

Tu post carecta latebas.] Obtegebas te, & furtum tuũ obtentu aliquo tenui uersuum abs te uel ministrorum alienis, uel immutatorum. Ita enim latebas, ut non omnino falleres. nam post carecta, quæ sunt nec alta, nec densa, ut occultare possint.

An mihi cantando.] Omittit poeta reijcere crimẽ in aduersarium, & ad odiosam furti obiectionem respondet, idq; pastoricio more per interrogationem: se non esse inferiorem priscis poetis, uictosq; esse illorum pleroscp omnes ab se cantãdo: secq; artis præmium ac decus ab illis extorsisse, elegantia suorum carminum.

Si nescis meus ille caper.] Decus hoc poematis, quòd tu surripuisse me crimineris, ne sis insçius, meũ est, meo ingenio partũ: nec alij uates id negant, sed tribuere hoc mihi uel authoritate uetustatis præpediunt, uel recepta in uulgus opinione. populus enim nouis scriptoribus non multũ tribuit, peritiã æstimat annis, ut inquit Horatius.

Cantando tu illum?] Subticentia ex indignatione: nunquam tu eam habuisti eruditionis facultatem, nec maioribus assueuisti fistulis: sed uulgari ac triuiali peritia cantandi præditus, apud uilem plebeculam Mantuæ, alijsq; in municipijs frigidis, profundebas miseras cantiunculas. Operæprecium est annotare uerba singula, quæ habent magnam acrimoniam conuicij. Solebas tu homo indocte non canere, sed dissperdere carmen miserum, uile, ac miserandũ: uel miserum, quod in tuas manus incidisset. non inter eos qui possent iudicare, sed in triuijs, quò cõuenit turba mulierum, puerorum, opificum: idq; non fistula, uel canna, in quo est aliquid solertiæ, sed stipula: & ea non suauiter, aut leuiter recinenti, sed stridenti.

Vis ergo inter nos.] Nullus esset finis iurgij, & conuiciorum: sponsione est certandum de eruditione.

Ego hanc uitulam.] Ego, quem tu alienum appellauisti, & mercede conductum, depono hanc uitulam, ut scias me habere peculium: tu dic, quid depones?

De grege non ausim.] Vergilius ait se pecude sponsurum, hoc est de præstantia argumẽti, ac materia carminis. Menalcas negat sibi licere ea de re certare, sed certaturum libenter pro poculis affabre tornatis: id est, de nitore & artificio, & nouitate gratiæ. Necdum illis (inquit) labra admoui, sed condita seruo.

Descripsit radio.] Bene radio. nam mathematici formas suas in puluere delineabant radio.

Et nobis idem Alcimedon.] Nec elegantiã, facetumq; dicendi genus deesse sibi ait, & recentem expolitionem ac uenustatem, nec recusaturum super ea re certamen: sed nihil hoc esse, si cum solida atq; utili materia conferatur. splendor enim & ornatus uerborum, quasi flores sunt quidam: sensus autem, fruges.

Audiat hæc tantum uel qui.] Modò ne sine iudice, ne inficieris postea: & tergiuersaris, postquàm te uicero. sit quilibet iudex: uel hic Palæmõ imperitus, si alius desit: tanta est fiducia.

Dicite quandoquidem.] Aptissimũ tempus canẽdis uersibus descripsit, nempe

uer: & animi non tranquillitatem modò, sed etiam alacritatem.

Ab Ioue principium Musæ.] Vetusto more. ab Ioue enim exordiebantur orationes omnes, ut apud multos legimus, sic in decimo Æneidos:

Præfatus diuos solio rex infit ab alto.

Hoc est solenne carmen, præfari olim solitum, de quo in antiquis memorijs legimus. Quanto illi sapientius auspicabantur ab imploratione sui ficti numinis, quàm qui inter nos uerum numen ne nominare quidem sustinent? A quo iustius capiant Musæ principium, quàm ab authore ac parente suo Ioue, à quo ingenia humana, à Deo illorum conditore ac tutore.

Iouis omnia plena.] Ex Arato. Iupiter implet omnia munere ac beneficio suo, alioqui nō pdurarēt, quoniā ergô beneficij illius sunt omnia, à q̄ potius exordiamur?

Ille colit terras.] Illius nutu ac concessione excoluntur terræ.

Illi mea carmina curæ.] Scio illum ad curam suam peculiarem recepisse mea carmina, ab illo sunt enim sublimes quidam raptus ingenij mei, dum carmen compono: unde poema meum curæ illi esse sentio.

Et me Phœbus amat.] Ex contentione carminis Amœbęi, Ioui opponit Phœbū, patri filiū, summo deorū deum quidē minorē, sed qui peculiarius pastoribus præsit, ut qui fuerit pastor, unde νόμιος dictus: & cantantibus, est enim dux Musarū. Ad Augustū alludit, qui iuuenis rebus magnis gestis creditus est Apollinis filius, sequēti uerò ætate Apollo est dictus. Suetonius.

Phœbo sua semper apud me.] Hinc colligit se esse charum Phœbo, quòd illum gratis muneribus colat, nempe lauro & hyacintho, adamatis ipsi grati sunt Deo, qui illum ritè colunt accepto sacrificio, nempe puris animis.

Malo me Galatea petit.] Lusus & delicias suas cum Augusto subsignificat, malo est ab eo impetitus, quod est magnæ atq; arctę familiaritatis: & subduxit se ad salices, & tamē uult uideri quò abierit, ut is sequatur. omnia sunt familiarium colludētium. Multa & magna fauoris signa prębuit Vergilio Cæsar Octauianus, sed occultauit ea interdum: ostendit tamē, qua posset ille repetere, & ad se redire. quod est principum, quum in magnam gratiæ partem aliquem statuerunt sensim recipere.

At mihi sese offert] Amoribus amores opponit alicuius ex nobilibus Romanis, quem significat sibi esse familiarissimum: adeò ut uel ipsis canibus sit notior, quàm luna dea uenationum.

Parata meæ Veneri] Nō solū se diligi ostēdit, uerū se muneribus colere amicos, delectāq; sibi materiā, qua fauorē Augusti erga se magis & magis ꝓmereatur quotidie.

Quod potui puero.] Et se quoque misisse agrestia munera, carmen scilicet rusticum, breuiterq; missurum aliud. Per aurea mala decem, sunt qui decem Eclogas intelligant: nos id in medio relinquimus.

O quoties, & q̄uę.] Secreta Augusti colloquia significat, plena beneuolētiæ, quæ cuperet nota fieri Romanis procerib. ut ab illis fieret pluris, q tā gratus esset principi.

Quid prodest?] Eleuatio est, et irrisio iactantię fauoris Augusti: quid iuuat quòd Augustus tibi ex animo bene uult, si nō admouet magnis ac præclaris rebus, sed sinit te in ignobilitate & obscuritate studiorum consenescere?

Phyllida mitte mihi, &c.] Sine me Auguste, inuitare ad has meas epulas natalitias, hoc est ad conuiuiū rusticū, Pollionē, ut ei opus hoc pastoriciū dicem. Tu uerò inuitaberis, quū uitula sacrificabo pro frugibus: hoc est, carmine maiore cantaberis.

Phyllida amo ante alias.] Significat sibi quoq; esse charum Pollionem, & quum digrederētur, grauiter tulisse, & præ mœrore esse collachrymatum, longamq; salutationē dixisse, ut solet inter amicos fieri. Lachrymæ, & geminatio salutationis, & prolatatio, & epitheton formosi, charitatis sunt signa indubitata.

Triste lupus stabulis.] Non solum se amare Mecœnatem aut Pollionem, sed uenerari: nihilq; sibi esse tristius, quàm illius animum alienatum ab se.

Dulce satis humor.] Sibi uerò nihil esse illorū & alloquijs & cōspectu iucundius.

Pollio amat nostram.] Iam apertè sine figura Pollionem nominat, & grata esse illi sua car-

ſua carmina ruſtica. O Muſæ, Pollioni, qui tam libenter ueſtra legit, iſq; delectatur, alite uitulam ſuppeditate ueneres, ſiue carmine ſiue proſa.

Pollio & ipſe facit noua carmina.] Non delectatur ruſtico poëmate, ſed facit ipſe carmẽ noui generis, nouiq; argumenti, quo profligabit inimicos ſuos: & inuidos impetet cornu, uerſuum acumine: & ſparget pedibus arenam, ad terrorem æmulorum puluerem excitabit, ut tantam ferociam indocti metuãt, & puluis eis obiiciatur ante oculos. Fuit Aſinius Pollio uir ualde doctus, & acris iudicij, ſed moroſi, ac difficilis: Ciceronis æmulus, imitator ueteris elocutionis. ſcripſit orationes multas, & tragœdias. Liuium dixit Patauinitatem ſapere, & Porcium Latronem ſua lingua diſertum eſſe. de hoc multa in Declamationibus Seneca.

Qui te Pollio amat.] Vt ſe bene cupere oſtendat Pollioni, bene precatur eius amicis, fœlicitatem aurei ſeculi, quum omnia bona ubiq; prouenirent.

Qui Bauium non odit.] Iam ex rabie quia toties Vergilius amicitiã Pollionis iactarat, hominis ingenioſiſsimi, meminit Bauij & Meuij infœlicium poëtarũ: quaſi horum ſit Vergilius ſimilis. Et tacite etiam Pollionẽ prẽſtringit. nam hoc eſt naturale, ut amicos inimicorũ hac ſola de cauſa oderimus, alioqui bonos & amabiles. Et obiicit poetas inimicos, quò magis urat eum. Et quemadmodũ Damœtas erat copiã rerum ſuauiũ precatus, ita hic imprecatur rem inanẽ, & ridiculã: ut qui uerſibus ineptorum poetarum capitur, is iungat uulpes aratro, & mulgeat hircos. in Vergilium & Pollionem, quorum alter alterius probabat ingeniũ: quaſi mutuum muli ſcaberent.

Qui legiſtis flores.] Qui formoſis artibus datis operam, fugite hunc poetam uenenoſum.

Parcite oues.] Arrius Centurio collocatus erat in agris Vergilio adẽptis: ubi autem ex urbe Vergilius reuertiſſet cũ edicto Cæſaris, quo Arrius iubebatur agris cedere, Centurio militari iracundia percitus, diſtricto gladio impetum fecit in Vergilium. qui fugiens, quum alter non faceret inſequendi finem, coniecit ſe in Mincium amnem, & nando ad ulteriorem ripam peruenit.

Tityre paſcentes.] Monet uel mercenariũ ſuum, uel Mantuanos omnes, ut cautè agant, & deuitẽt periculũ. ad tempus ſe reperturũ occaſionẽ, quo apud Cęſarẽ ipſum efficacem reſtitutionem agrorum omnium impetret. nec eſſe opus tribunorum aut legatorum fauore, ſed illum ab ipſo fonte petiturum.

Cogite oues pueri.] Deſinite grandia uobis promittere, & ſperare quæ ſunt inania. tutius erit, ut cogatis oues, & quæ uobis reliqua ſunt, conſeruetis diligenter: ne ſi turbo aliquis belli rurſum ingruat, ut nuper, uniuerſus fructus peculij pereat.

Eheu quàm pingui.] Non credo ſignificari à poeta, res ſuas eſſe difficiles in tanto fauore Auguſti: imò ſatis ſibi ſuas res placare oſtendit. Itaq; inſectatio eſt aduerſarij: Miror te in tanta gratia procerum, in tanta eruditione & applauſu omnium, tam macrum pecus paſcere, tam habere rem tenuem. Amor ſcilicet, hoc eſt nimia de ſe fiducia, & ſibi plus ſatis placere, nocet poetæ, & rebus eius. uel ſic: Miror te in tanta ingenij ubertate, tam tenuè atq; exile carmen pangere. certè uel immodico tui metipſius amore dementatus es, uel captus alterius amore deliras: ut idem amor & ingenium tibi perturbet, & carmen deprauet.

His certè neque amor.] Demonſtrat Menalcas, Vergilij pecus. atqui his, inquit, quæ non ſunt admodum pinguia & curata, amor non obeſt. neque enim te in eo pecore eſt credibile, de quo me reprehendis. quid ergo eſt? faſcinum eſſe in cauſa dicit, per deriſum: ut quam cauſam Vergilius attulerit, in alterum quoq; poſſe competere, ne obiiciat maledictum commune.

Dic quibus in terris.] Satis iurgiorũ, nec ullus eſſet finis. proponit ergo quęſtionem more uulgari, inſolubilem, ad perturbandum aduerſariũ, ut ea cõfixus decedat.

Dic, quibus in terris.] Iſte ex fabulis proponit, tanquam imperito. quod paſtores faciunt, ſi quid ab urbanis audiuerunt, parum inter ſe tritum.

Et eris mihi magnus Apollo.] Vterque in alterum acerbe. Menalcas nihil affectabat magis, quàm ingenij gloriam. ideo Damœtas dicit, aſſequere quod optas

tantopere,eris mihi Apollo ipse. Vergilius autem gratiam & beneuolẽtiam Romanorum captabat.ideo Menalcas:& solus fruere tua Phyllide(quem alibi uocat Amaryllida) sine ulla contradictione,nam ipse tibi cedam.

Aut metuet dulces.¶ Grande præmium meretur, quisquis fauores principum & auram populi sapienter metuerit,uel despectum odiumq; pertulerit fortiter.

ECLOGA QVARTA. POLLIO.

SIcelides Musæ,paulò maiora canamus.
Non omnes arbusta iuuant,humilesq; myricæ,
Si canimus syluas,syluæ sint Consule dignæ.
Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit & uirgo,redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero,quo ferrea primùm
Desinet,ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina,tuus iam regnat Apollo.
Teq; adeò decus hoc æui,te Consule inibit
Pollio,& incipient magni procedere menses.
Te duce,si qua manent sceleris uestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Ille deũm uitam accipiet,diuisq; uidebit
Permistos heroas,& ipse uidebitur illis,
Pacatúmque reget patrijs uirtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistáque ridenti colocasia fundet acantho:
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera,nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens,& fallax herba ueneni
Occidet: Assyrium uulgò nascetur amomum.
At simul heroum laudes,& facta parentis
Iam legere,& quæ sit poteris cognoscere uirtus.
Molli paulatim flauescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella:
Pauca tamen suberunt priscæ uestigia fraudis,
Quæ tentare Tethin ratibus,quæ cingere muris
Oppida,quæ iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys,& altera quæ uehat Argo
Delectos heroas:erunt etiam altera bella,
Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi iam firmata uirum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari uector,nec nautica pinus
Mutabit merces,omnis feret omnia tellus:
Non rastros patietur humus,non uinea falcem
Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator,
Nec uarios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice,iam croceo mutabit uellera luto:
Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos.
Talia secla suis dixerunt currite fusis,

Con-

Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores
Chara deûm ſoboles.magnum Iouis incrementum.
Aſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq́,tractusq́ maris,cœlumq́ profundum
Aſpice,uenturo lætentur ut omnia ſeclo.
O mihi tam longè maneat pars ultima uitæ,
Spiritus &,quantum ſat erit tua dicere facta:
Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus:huic mater quamuis atq́ huic pater adſit,
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicet ſe iudice uictum.
Incipe parue puer,riſu cognoſcere matrem,
Matri longa decem tulerint faſtidia menſes.
Incipe parue puer,cui non riſere parentes,
Nec deus hunc menſa,dea nec dignata cubili eſt.

IN IIII. ECLOGAM ALLEGORIA. POLLIO, ſeu de ſeculi noui interpretatione.

SICELIDES Muſæ. Aſinius Pollio bellum geſsit cum Illyrijs. quo uerò tempore cepit Salonas illorum urbẽ, natus eſt ei filius, quem ideo Saloninum appellauit. Vergilius quum in uerſibus Sibyllinis legiſſet, naſciturum per illa tempora admirabilem quendam puerum, qui orbem renquaret, uaticinium accommodauit puero. nam ex alijs gentibus non arbitrabatur futurum,propter magnitudinem imperij Romani,ſed puer in tenera ætate mortuus eſt.Alterum enim Aſinius habuit filium, hæredem familiæ:qui dictus eſt Aſinius Gallus. Itaq́ omnia ſunt de Chriſto, de quo & nos interpretabimur,& uendicabimus ſuo domino poſſeſsionem. Taceant impij. nam uel ſimplici uerborum ſenſu,abſq́ ullis omnino allegorijs,de nullo prorſus alio poteſt intelligi quod hic dicitur,quàm de Chriſto.

Sicelides Muſæ. ¶ Propter Theocritum Siculum, quem in hoc carmine potiſsimùm æmulatur,Muſas Sicelienſes appellat carmen ruſticum.

Paulò maiora canamus. ¶ Non enim omnes paſtoricia materia delectantur, hoc eſt humili.

Si canimus Syluas. ¶ Quod grandem materiam ſylueſtri muſa canimus, mirandum non eſt.nam & ipſe ſyluæ prouincia ſunt ſæpenumero conſularis, dignæ quæ à conſule Romano curentur:ut Suetonius ſcribit, C. Iulio Cæſari prouinciam in conſulatu datam,ſyluas & colles.

Vltima Cumæi. ¶ De Sibyllis diximus fuſè in Auguſtinum. Aduẽtus Domini noſtri tanta res fuit,ut prænunciari conuenerit Iudæis & Gentibus, ut priores expectarent,præſentes reciperent,poſteri crederent.Ideo ſicut apud Iudæos fuerũt prophetæ,ita apud Gentiles Sibyllæ,dictæ quaſi conſciæ diuini conſilij. Vaticinij autem aduentare tempus colligebat Vergilius,quod Sibyllarum multa carmina ita erant compoſita,ut primis uerſuum literis,aut poſtremis,perſonam uel tempus deſignarent:ut Cicero in libris de Diuinatione,docet.Et apud Euſebium eſt uaticinium Sibyllæ, de iudicio Chriſti poſtremo,ad eundem modum,quod Auguſtinus citat in libro de Ciuitate Dei, XVIII.

Iam redit & uirgo. ¶ Dixerat aliquid forſan Sibylla de diua Virgine, id poẽta ad uirginem iuſtitiã transfert.aut forſan de ingenti iuſtitia Chriſti,& aureo ſeculo:quod etiam deſcribit Eſaias propheta,cap. IX. Erit in nouiſsimis diebus: & quę ſequũtur.

Saturnia regna. ¶ In quibus magna cum quiete & pace uiuebatur, in æqualitate omnium, ſine ſuperbia,iracundia,& inuidia,qualis eſſet indubiè populus,qui Dei iuſsis parêret.

Iam

Iam noua progenies.] Non potuit ab homine Christiano disertioribus uerbis explicari,descensus filij Dei ad nos.

Tuus regnat iam Apollo.] Lucina Diana est,à ferenda luce nascentibus. Apollo est eius frater,orat Dianam,ut faueat puero nascenti,libens ac propitia: nempe in regno fratris sui Apollinis.Augustus existimatus est Apollinis filius, postmodū etiam Apollo nominatus.

Te cōsule inibit.] Pollo Asinius cōsul fuit cum Cneo Domitio Caluino,in triumuiratu,anno Vrbis conditæ DCCXIIII. ante Christum natum XXXVII.

Te duce.] Peccatum originis delebitur uirtute Christi, ut in baptismo per fiduciam erga illum. Bene expressit uestigia sceleris,nam originis scelus,uestigium est,à parentibus transmissum in posteros.

Soluent formidine.] Fiducia enim erga illum, qui est Deus, omnem excludet timorem supplicij ob culpam,siue propriam,siue hæreditariam.

Perpetua.] Quàm bene:nunquā enim intermittebatur,quin nos uexaret. & hos uersus ad eundem modum interpretatur D.Augustinus in Ciuitate Dei.

Ille deûm uitam.] Puer diuinam uitam uiuet,& uidebit heroas,& semideos suos, quos ille cōstituet:& ipse ab eis nō corporeis modò oculis uidebit̄,sed (quod potius ac beatius est) mentis.de quibus est,Beati oculi qui uident quæ uos uidetis.

Pacatumq; reget.] Data omnia filio in manus à patre,frequens est in sacris carminibus,& alijs libris mysticis:&, patrem subijcere omnia filio.

At tibi prima puer.] Describit cursum ecclesię Christi,hoc est regni Christi in terris.Regnum enim Dei in Euāgelio inter cætera Ecclesiam quoq; significat.In nascente ecclesia,nullo cultu,sed opere spiritus Dei, nata sunt dona dulcissimi & suauissimi odoris,tot Apostoli,discipuli,martyres: bonus odor Domino in omni loco.

Ipsæ lacte domum.] Fructuosissimi fuerunt,nunquam prodibant,quin domum reuerterent cum magno prouentu Domino.

Nec magnos metuent.] Neq; grex Christi metuet principes & monarchas, minantes & frementes.inter ipsos autem incredibilis erat concordia,pax,nullum inuidiæ aut superbiæ uenenum.

Iam simul heroum.] Sequēti ętate,instituta doctrina Dei,exemplis Christi,disciplina Apostolorum,extendet se pietas latissimè:non iam ad munuscula, & res minutas,sed ad colligendā messem,uindemiā,mel.Ingrediētur Iudęi,& magna multitudo gentiliū.flauescet paulatim arista gentilis tenera, & in spinis humanæ cōtumaciæ colligetur uua suauis,& in dura ignorantia nascetur dulcedo mellis.

Pauca tamen suberunt.] Non ita poterit induci Christianismus in animos hominum,quin multa etiamnum remaneant uestigia ueterum errorum,diffidentiæ,auaritiæ,inimicitiarum,belli,crudelitatis, ambitionis, arrogantiæ. hinc nascetur studium nauigandi, & commutandi merces ad quæstum:hinc mœnia urbibus, ex simultatibus & diffidentia: hinc agricultura sollicita.hæc enim per se non mala sunt, sed prauus noster affectus est in illis.

Alter erit.] Redibunt pristina incommoda nauigationum & bellorum,unde mala tam multa in genere humano.

Hinc ubi iam firmata uirū.] Vel de cœlesti beatitudine,uel de perfectis Christianis id dicitur à Sibylla:in quorum animis est tranquillitas incredibilis,& ætas aurea. Nec ad cupiditates exercebūt res naturales, sed ad necessitates ineuitabiles: quēadmodū Paulus scenas faciebat, & patres in Ægypto exercebant humū.nec erūt de ijs rebus utilibus solliciti: sed eorum conuersatio erit in cœlis: contenti ad usum rebus qualibuscunque obuijs,facileq; parabilibus.quo fiet, ut copia sit rerum omniū,unoquoq; ad suos usus sumente, non trahente ad improbas cupiditates.

Talia secla suis.] Vel hoc dixerunt fata ex uotis hominū, ut talia essent secula:uel ipsa id iusserunt,regnum enim Christi,regnum omnium seculorum,nec unquam sumet finem.fatum enim uoluntas est & iussum Dei.

Concordes stabili.] Fortasse nimium curiosum uideri posset, si per hasce Parcas concor-

concordes numĩne & uoluntate fatorum, intelligí Sibyllam uoluiſſe díceremus, tres perſonas in diuinitate. ſed hæc ne attingamus, ne obtundamur uel impiorum uel moroſorum uociferatione ac quiritatione.

Aggredere ô magnos.] Optat initium tantorum operũ, & dicit inſtare tempus: ſiue tempus hoc eſt prænotatum à Sibylla, ſiue occaſio rerum gerendarum, quæ ex qualitate negociorum naſcitur.

Chara deûm ſoboles.] Nihil apertius de Chriſto, chara ſoboles Dei, & Patris incrementum. De quo enim mortali dici poteſt, quòd ſit incrementum Iouis? quis poteſt Deo dare incrementum? at Chriſtus Deus, Dei filius, gloria eſt Patris, quia ſapientia & uirtus illius.

Aſpice.] Tempus eſt remedij, quando ruunt iam omnia, & inſtat diſcrimen extremum, quod erat in genere humano planè proſtrato & afflicto: hoc eſt tempus, de quo loquebar modò.

Aſpice uenturo.] Vt non ſolùm homines, ſed angeli, & ipſę res mutę exhilarẽtur aduentu Chriſti. Nam ipſa uniuerſitas mundi, ut inquit Paulus, liberabitur à ſeruitute corruptionis.

O mihi tam longæ.] Infinita ſunt acta Chriſti, & ineffabilia: longiſsima uita opus eſſet, ad ea explicanda. Vtinam tam diu uiuam, dum tua facta cecinerim. uel optat ſibi longam uitam, ut talem poſsit materiam ſcribere. at ea eſt de ingenio tuo confidentia, reſpondet.

Non me carminibus.] Eiuſmodi materiam cantantem nec uincet Orpheus, nec Linus, nec Pan. quid enim ſunt, quæ illi canunt, præ his ipſis? fiducia eſt ergo in materia, non in ingenio.

Huic mater.] Etiamſi adiuuentur, Orpheus à Calliope, matre Muſa: Linus à Phœbo, deo carminum.

Pan etiam Arcadia.] Non oblitus eſt decori. paſtori enim maior & præſtãtior eſt Pan, quàm Calliope & Phœbus. Ita iam ad ſummum peruenit, non uidetur ei plus poſſe addi, poſtquàm paſtorum deum nominauit.

Arcadia.] Vbi natus, ubi educatus, ubi colitur, ita ut uel ſub iniquo ſibi iudice, & alteri fauente uicturum ſe confidat. magnum eſt, inimico iudici ſe approbare poſſe: ut inquit Plinius.

Incipe parue puer.] Illa quidem olim futura certa, & indubitata. nunc uerò incipe exhilarare matrem riſu tuo, ne des ei faſtidiũ tua triſtitia. ſatis ſit faſtidiorũ exhauſtum decẽ menſibus, quibus te utero geſtauit. Menſes hi lunares ſunt, non ciuiles.

Tulerint faſtidia.] Permiſſiuum eſt, cõcedentis præteritũ, ut retineat futurũ. uelut apud Ciceronem: Quæ malum ſeruitus hæc eſt uoluntaria, fuerit aliqua neceſſaria. & Salluſt. Egeris oro te Cicero, perfeceris quidlibet, ſatis eſt perpeſſos eſſe nos.

Qui non riſere.] Grammatici de his uerſibus ſatis multa diſſerunt, & nos in Auguſtinum. ſed breuiter, mea ſententia, per deum intelligi conuenit genium, cui mensa parabatur: unde Genio indulgere. & per deam, Iunonem, cui ſternebatur lectus, quum ablactabatur infans. ſignificat periculum eſſe uitæ in puerili triſtitia, quòd ijs dij infantium tutelares non faueant. Quod ita accidit. nam & puerulus hic celeriter eſt extinctus, nec paſſus eſt Deus illum uiuere, in quem Poeta magnæ authoritatis tranſtuliſſet, quæ prophetiſſa dixerat de filio Dei. Atq; hos uerſus poſtremos ſuſpicor à Vergilio additos, poſt pueri mortem.

ECLOGA V. DAPHNIS.

Menalcas, Mopſus.

Me. CVr non Mopſe, boni quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leueis, ego dicere uerſus:
Hic corylis mixtas inter conſedimus ulmos?
Mo. Tu maior: tibi me eſt æquum parêre Menalca,
Siue ſub incertas Zephyris motantibus umbras,

Siue

Siue antro potius ſuccedimus:aſpice ut antrum
Syluestris raris ſparſit labruſca racemis.
Me. Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.
Mo. Quid,ſi idem certet Phœbum ſuperare canendo?
Me. Incipe Mopſe prior,ſi quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes,aut iurgia Codri.
Incipe:paſcentes ſeruabit Tityrus hœdos.
Mo. Immo hæc,uiridi nuper quæ cortice fagi
Carmina deſcripſi,& modulans alterna notaui,
Experiar:tu deinde iubeto certet Amyntas.
Me. Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ,
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis:
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.
Mo. Sed tu deſine plura puer:ſucceſſimus antro.
Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant:uos coryli teſtes,& flumina nymphis:
Cum complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque deos atque aſtra uocat crudelia mater.
Non ulli paſtos illis egere diebus
Frigida Daphni boues ad flumina:nulla neque amnem
Libauit quadrupes:nec graminis attigit herbam.
Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum,montesq; feri,ſyluæq; loquuntur.
Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit:Daphnis thyaſos inducere Baccho,
Et folijs lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis ut arboribus decori eſt,ut uitibus uuæ,
Vt gregibus tauri,ſegetes ut pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis.poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros,atq; ipſe reliquit Apollo.
Granda ſæpe quibus mandauimus ordea ſulcis,
Infœlix lolium,& ſteriles dominantur auenæ.
Pro molli uiola,pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.
Spargite humum folijs,inducite fontibus umbras
Paſtores:mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite:& tumulo ſuperaddite carmen.
Dapnis ego in ſyluis hinc uſq; ad ſidera notus,
Formoſi pecoris cuſtos,formoſior ipſe.
Me. Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine,quale per æſtum.
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.
Nec calamis ſolum æquiparas,ſed uoce magiſtrum.
Fortunate puer,tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunq; modo tibi noſtra uiciſsim
Dicemus:Daphninq; tuum tollemus ad aſtra,
Daphnin ad aſtra feremus,amauit nos quoq; Daphnis.
Mo. An quicquam nobis tali ſit munere maius?
Et puer ipſe fuit cantari dignus,& iſta
Iam pridem Stimicon laudauit carmina nobis.
Me. Candidus inſuetum miratur limen Olympi:
Sub pedibusq; uidet nubes,& ſidera Daphnis.
Ergo alacreis ſyluas,& cætera rura uoluptas,

Panaq;,

Panaq́ pastoresq́ tenet, Dryadasq́ puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur: amat bonus ocia Daphnis,
Ipsi lætitia uoces ad sidera iactant
Intonsi montes: ipsæ iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus Deus ille Menalca,
Sis bonus ô felixq́ tuis: en quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq́ altaria Phœbo.
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterasq́ duos statuam tibi pinguis oliui:
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho.
Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra,
Vina nouum fundam calathis aruisia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, & quum solennia uota
Reddemus nymphis, & quum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit:
Dumq́ thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, nomenq́ tuum, laudesq́ manebunt.
Vt Baccho, Cereriq́, tibi sic uota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoq́ uotis.
Mo. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neq́ me tantum uenientis sibilus austri,
Nec percussa iuuant fluctu tam littora: nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina ualles.
Me. Hac te nos fragili donabimus antè cicuta.
Hæc nos formosum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit: cuium pecus, an Melibœi?
Mo. At tu sume pedum, quod me quum sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atq́ ære, Menalca.

IN ECLOGAM V. ALLEGORIA.

VT superiore Ecloga de ortu Seruatoris cecinit ex uersibus Sibyllinis, quos Saloníno applicauit male cohærentes: ita hîc de nece atq́ ascensu eiusdē Domini & Dei, ex alijs Sibyllæ carminibus, quæ C. Iulio Cæsari attribuit, tametsi sub Daphnidis nomine. Sunt qui aiant, defleri à poëta fratris sui mortem, sed uaticinia sunt Sibyllæ ab illis uersibus:

Extinctum nymphæ. Et pòst,
Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Admiscet poëta de suo nōnulla, ex ignorantia ueri sensus: ut quadraret uaticinium, quò applicabatur.

Montibus in nostris sol.] Quoniam Mopsus dixerat, potius esse ut sub antro cantarent, iocatur Menalcas senior cum iuniore, dicens non ausurum se id facere. Mopsū enim inuictū esse in illis montibus cantando: nec quenquā inter pastores illius regionis inueniri, qui cum eo certet in montibus, præter Amyntam. is erat adolescens æqualis Mopso, & æmulus.

Quid si idem.] Commotus est Mopsus ad mentionem æmuli, tam importunam: sed respondet comiter, ut seni non magna est laus certare, sed uincere. quemuis posse cum Hercule congredi, sed non superare.

Incipe Mopse prior.] Seriò iam loquitur senior, & ostendit materias cantatu dignas, siue de amorum impatientia, siue de artis præstantia, seu de pietate patriæ,

Tu deinde iubeto.] Cum ſtomacho. hæc ego poſteaquàm cecinero, uidebis eſſe talia, ut pudeat te de Amynta facere mentionem. Habet indignationem uox illa Deinde, ſicut Græcè ἔπειτα.

Lenta ſalix quantum.] Senſit offenſum eſſe Mopſum, idcirco oſtendit, ioco ſe illud dixiſſe, & præfert eum Amyntæ.

Iudicio noſtro.] Quod rem non uniuerſaliter pronunciat, ſed ita ſibi uideri argumentum eſt manifeſtius, non ſubeſſe adulationem, ſed bona fide illum loqui. Mopſum autem par eſt acquieſcere illius iudicio, de quo ſe læſum eſſe arbitrabatur.

Extinctum nymphę.] Daphnidis nomen inducit, ſiue quòd Daphnis fuit quidã Mercurio genitus adoleſcens formoſiſsimus: ſiue quòd uir Siculus, agris & pecore locuples, ad quem paſtoricij carminis inuentionem nonnulli referunt. Ait ergo, uniuerſam rerum naturam condoluiſſe Chriſto morienti: primùm nymphas ipſas, id eſt cœleſtes illas mentes.

Vos coryli teſtes.] Cœlũ & res inferiores, motu ac perturbatione ſua teſtatæ ſunt, quemadmodum ſuperiora eſſent affecta.

Quum complexa ſui.] Poſt deos ſtatim ſubijcit Romam, matrem diſs proximã.

Atq; deos atq; aſtra.] Hoc more Gentilitio, nobis abominando. Illi enim Iouem ſuum, quum non concederet res ex uoto, & ferum et crudelem nuncupabant. noſter uerò, hoc eſt uerus, attingit à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Non ulli paſtos.] Conſternatio paſtorum, hoc eſt Apoſtolorum Chriſti, & ceſſatio doctrinæ Euangelicæ in Chriſti morte: ut nec fuerint, qui docerent: nec ipſi auditores uoluerint audire, alienatis omnium mentibus à ſalute.

Daphni tuum Pœnos.] Vel leones, hoc eſt beſtiæ immaniſsimæ, & à ſenſu humanitatis abhorrentes, indoluerunt neci Chriſti. multi uidelicet Iudæorũ & gentiliũ, ut Centurio, & Pilatus, & qui reuertebantur Hieroſolymas, percutientes ſua pectora.

Montesq; feri.] Nam leonum mugitibus montes reſonabant, & ſyluæ, ut procul exaudiri poſſent ab hominibus. Coryli & flumina de luctu nympharum teſtata ſunt: quoniam aliter ſcire nequiuiſſemus, nõ enim inter illas uerſamur. montes & ſyluæ de leonibus, nam illi uſum & ſocietatem noſtram fugiunt. Fortaſsis & alluſio eſt ad ruptionem petrarum, & apertionem monumentorum, & terræ motum.

Daphnis & Armenias.] Chriſtus nouæ & ſempiternæ religionis fuit author, indomita & ferociſsima tigrium colla cicurauit, & aſſuefecit iugum ferre.

Thyaſos inducere Baccho.] Ad hiſtoriam hoc pertinere dicit Seruius, quòd Cæſar primus ſacra Liberi patris Romæ inſtituit. Non memini legere me hoc apud aliũquenquam, nec eſt ueriſimile. nam ante Cæſarem ſacra erant Bacchi Romæ: ſed nos propoſitam interpretandi rationem ſequemur. De Bacchi ſacris potiſsimùm meminit, quòd has antiqui ad animorũ purgationem pertinere crediderunt: & ideo Liberum appellatum, quòd curis & moleſtijs liberaret animos.

Vitis ut arboribus.] Chriſtus caput eſt mundi, & decus uniuerſarum mentium.

Poſtquàm te fata tul.] Non hoc eſt ita intelligendum, ut poſt Chriſti mortẽ ſint deſerta omnia: nam ſtatim ſubiungitur, Spargite humum folijs. ſed quod in ipſo Chriſti ſupplicio ceſſarit cœleſtis doctrina, & informatio ad pietatem, quaſiq; Apoſtolorum mentes exaruerint, & ſuccreuerit in illis pro fiducia metus, & deſertio, & fuga à uita & ſalute ſua, de quibus eſt quod ſequitur.

Grandia ſæpe quibus.] Apoſtoli, quibus primis doctrina atq; inſtitutione Chriſti excultis, mandata & concredita fuerant ſemina æternæ felicitatis, quum ipſis percipiendæ, tum tranſmittendæ in alios ac diuulgandæ, flores emiſerunt primùm, & à ſemine degenerantes, & à fructibus mox inſecutis.

Spargite humum folijs.] Poſt Chriſti autem reſurrectionẽ ſequitur rerum uniuerſarum innouatio ac reparatio, & noua lætitia paſtoribus oſtenſa: nempe Apoſtolis, quos Dominus gregi ſuo paſtores dedit.

Et tumulum facite.] Memoriam ſempiternam mortis Chriſti, quam eccleſia ſemper habet præ oculis. quid enim aliud eſt tumulus, quàm monimentum mortis?

Et

Et tumulo ſuperaddite carmen,&c.] Hæc erit mortis Chriſti ſuperſcriptio, hoc elogium.

Daphnis ego in ſyluis.] Ne adſcribatis ut reliquis mortuis: hîc ſitus eſt ille. Iſte enim uiuit, non ſolùm in terris, ſed etiam inter ſidera notus, & charus hominibus atque angelis.

Hinc uſq; ad ſidera.] Filius Dei de cœlo deſcendit, ut homo fieret: rurſus factus homo, è terra aſcendit in cœlũ. Chriſtus ergo homo, à terris cœpit eſſe notus, & peruenit uſque ad cœlum.

Formoſi pecoris cuſtos.] Ipſe formoſiſsimus, puriſsimus, optimus, nõ niſi formoſos, puros, bonos, ad paſcua & regnũ ſuum admittit. ipſe tales eos facit, qui ſe illi reformandos prorſum ac refingendos cõcredunt. De hoc eſt uerſus in Pſal. xv. quo Dominus ipſe loquitur: Sors hæreditatis meæ cecidit mihi in præclara, etenim hęreditas mea præclara eſt mihi. Sortitus eſt Chriſtus angelos, & ſanctos homines. iſti ſunt pecus paſtoris, ſpecioſiſsima forma præ filijs hominum, in cuius labijs gratia eſt diffuſa.

Tale tuum carmen.] Si carmen de nece Cæſariana, acerba alioqui amicis Octauiani, & quæ multis nocuit, nemini profuit, tam gratum fuit paſtori: quid erit nobis cõmemoratio ſupplicij Chriſti? à quo in genus humanũ redũdauit ſalus ſempiterna.

Nec calamis ſolùm æquiparas.] Quia Mopſus indignabundus æmuli mentione dixerat, Tu deinde iubeto certet Amyntas: nunc Menalcas ſpreto æmulo, parẽ illum magiſtro pronunciat. & hęc laus gratior eſt Mopſo. prior enim illa, Lenta ſalix quantum, &c. ad leniendum iritatum animũ uideri poterat prolata, & appoſita: nunc ſumpto carminis experimento, uerior eſt, & certioris iudicij, ex re nata, non ex tempore.

Fortunate puer.] Exclamatio, nõ ex approbatione ſolùm cantus, ſed admiratione quoque.

Nos tamen hæc quocunque modo.] Adeò Mopſi carmen probat, ut ſe paria facturum neget, ſed quocunq; modo uicem ſuum cantandi expleturum.

Daphninq; tuum.] Quia abs te prius cõmemoratum, & laudatum: uel quia tu illius hæredi Octauiano es familiarior.

Amauit nos quoque Daphnis.] Non poteſt hoc de Vergilio intelligi, quem credo Cæſari nunquam eſſe cognitum, ac ne uiſum quidem: erat enim Vergilius puer adhuc, quum Cæſar eſt occiſus. nec Cicero quicquam uidit uel audiuit Vergilij, qui uix duobus annis ſuperſtes fuit Cæſari. Commentitium porrò eſt illud, quod ſcribit neſcio quis in Vergilij uita, ut alia illic permulta, hauſta de uulgi ſermonibus et fabellis: exclamaſſe Ciceronem, Magnæ ſpes altera Romæ. Itaque ſub perſona dicuntur Menalcæ, ſenioris Vergilio: dubium tamen, uter eſt Vergilius. Meritò autem laudes illius celebrat, à quo fuerit dilectus. Quid non debet, qui diligitur? qui non fortunas amantis reſpicit, ſed amantem ipſum?

An quicquam nobis.] Reſponſio mollis, iuxta Sapientis ſententiã, frangit iram. Iam placatior Mopſus, et blandior, reſpondet ad id quod dixerat quocunque mòdo. Imò non dubito, inquit, quin cantio tua futura ſit optima, & quòd de tam fœcũda materia, & quòd iampridem laudata mihi ab Stimicone, quem ego exiſtimo poſſe ea de re cenſere. itaque magni muneris loco erit mihi, eam audire.

Candidus inſuetum.] Prius decantauit Sibylla mortẽ, hic aſcenſum ad cœlos, & æternitatem regni. Humanitas Chriſti in cœlum ſublata, gaudet ſpectare ſubiecta ſibi eſſe omnia: quod ex ſacris oraculis diſcimus.

Nubes & ſidera.] Cœleſtia omnia & terreſtria.

Ergo alacris ſyluas.] Ex aſcenſu Chriſti in cœlum maxima dimanauit lætitia, in Apoſtolos primùm miſſo ſacroſancto ſpiritu, inde in homines omnes: Aſcendens, inquit, in altum, captiuam duxit noſtram captiuitatem, dedit dona hominibus.

Nec lupus inſidias pecori, nec retia.] Pax Chriſti, quæ exuperat omnẽ ſenſum ſuperiorum cum inferioribus, ferocium cum manſuetis, aſtutorum cum ſimplicibus, exæquante omnia charitate, & reddente tuta omnia & ſecura.

Amat bonus ocia Daphnis.] Charitas enim peculiare præceptum eſt Chriſti, & pax, & hæreditas.

Ipſi lętitia.] Spiritus ſanctus diffuſus eſt in cordibus noſtris,per Ieſum Chriſtum, inquit Paulus. hac lætitia repleti, agnoſcimus qui ſit Chriſtus Ieſus, & profitemur Deum eſſe.Nemo enim dicit Domine Ieſu,niſi in ſpiritu ſancto.& in Euāgelio:Beatus es Simon Bariona,quia caro & ſanguis non reuelauit tibi,ſed pater meus, qui eſt in cœlis.Montes uerò,id eſt proceres Eccleſiæ, & doctiſsimi quiq; : rupes,id eſt mediocres:& arbuſta,hoc eſt plebs infima : omnes Chriſti diuinitatem apertè profitentur,& adorant.

Menalca.] Ad afflictum, & lugentem mortem Chriſti dicitur : quid tu fles? quin lætiſsimo es animo? Deus enim eſt ille.Quid quæris? uiuentem inter mortuos? Deus eſt, uiuens in æternum. Vnde & lætitia redit cordibus, & ſpes optima beatitudinis, quod & proximo precatur uerſu,ut omen confirmet,uelitq; ratum eſſe,quod nos de illo nobis pollicemur ex ipſius præceptis ac iuſſu.

Sis bonus ô felixq; tuis.] Bene tuis,qui tibi fidunt, qui ſe tibi quoad poſſunt adiugunt,& in tuum patrocinium confugiunt tanquam in aſylum:& fac planè tuos,illos omnes qui te implorant.

En quatuor aras.] Hoc fortaſſe Vergilius de ſuo addit, more gentilitio . Et multus eſt in mentione Apollinis,uel propter carmen paſtoricium, uel quia poetarū omnium eſt Deus,uel propter Cæſarem Auguſtū. Quòd ſi hoc quoq; eſt ex Sibylla, ſignificatur adoratio humanitatis Chriſti in Daphnide,et diuinitatis in Apolline.Idcirco de Daphnide aras dixerit,de Apolline altaria.hæc enim dicuntur eſſe deorum ſupremorum,ſicut aræ illorum qui ex mortalibus ſunt facti dij. Quin & Chriſtus ipſe Phœbus eſt,hoc eſt ſol iuſtitiæ,ac ueritatis.

Et multo in primis.] Sacra Chriſti,non ut mortui cum mœrore celebrātur, cum ſilentio & luctu : ſed cum lætitia & hilaritate, ut uiuentis, & regnantis, & interpretis ſempiterni pacis noſtræ,& gratiæ apud Patrem.

Hæc tibi ſemper erunt.] Sacrificium Chriſti, & cultus eius in Eccleſia, non accipiet finem,niſi cum humano genere,& uicibus naturę rerum.Hic eſt,inquit,calix noui & æterni teſtamenti.Paulus:Quoties panem illum edetis,& de calice bibetis,mortem Domini annunciabitis,donec ueniat.

Vt Baccho Cereriq;.] Vt dijs maximè neceſſarijs in uita, & ſine quibus homines propagare nō poſſunt æuum,ita & tibi fient uota.Nec tu minus quàm illi potes.nam quemadmodum illi annuunt optatis,ita & tu facies.

Hęc nos formoſum.] Hinc colligi aliquibus poſſet, Menalcam eſſe Vergiliū: ſed non uidetur.nam non ſolet Vergilius eam perſonam,quam ſumit,anteferre alteri.

Tu maior,tibi me eſt æquum parêre Menalca.

Et laus illa,

Nec calamis ſolùm æquiparas,ſed uoce magiſtrum.

In Vergilium potius competit . Fortaſſe duo ſunt paſtores alij, prætermiſſa Vergilij perſona.

ECLOGA VI. SILENVS.

PRima Syracuſio dignata eſt ludere uerſu
Noſtra,nec erubuit ſyluas habitare Thalia.
Quum canerem reges,& prælia,Cynthius aurem
Vellit,& admonuit.paſtorem Tityre,pingues
Paſcere oportet oues:deductum dicere carmen.
Nunc ego (nanq; ſuper tibi erunt,qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & triſtia condere bella)
Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.
Non iniuſſa cano:ſi quis tamen hæc quoq;,ſi quis
Captus amore leget,te noſtræ Vare myricæ,
Te nemus omne canet:nec Phœbo gratior ulla eſt,
Quàm ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.
Pergite Pierides. Chromis & Mnaſylus in antro

Silenum.

Sílenum pueri ſomno uídere iacentem,
Inflatum heſterno uenas,ut ſemper,Iaccho:
Serta procul tantùm capiti delapſa iacebant:
Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.
Aggreſsi(nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambos
Luſerat)iniíciunt ípſis ex uíncula ſertis.
Addit ſe ſociam,timidisq; ſuperuenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima,iamq; uídenti
Sanguineis frontem moris,& tempora píngit.
Ille dolum rídens,quò uíncula nectitis?inquit.
Sóluite me pueri:ſatis eſt potuiſſe uideri.
Carmina,quæ uultis,cognoſcite,carmina uobís,
Huic aliud mercedis erit,ſimul íncipit ipſe.
Tum uerò ín numerum,Faunosq;,ferasq; uideres
Ludere:tum rígidas motare cacumína quercus.
Quantum omnis mundus gaudet cantante Síleno.
Nec tantùm Phœbo gaudet Parnaſia rupes:
Nec tantum Rhodope míratur,& Iſmarus Orphea,
Namq; canebat,uti magnum per ínane coacta
Semína,terrarumq;,animæq;,marisq; fuiſſent,
Et líquidi ſimul ígnis:ut hís exordía primis
Omnia,& ipſe tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare ſolum,& diſcludere Nerea ponto
Cœperit:& rerum paulatím ſumere formas.
Iamq; nouum terræ ſtupeant luceſcere ſolem:
Altíus atq; cadant ſummotís nubíbus ímbres.
Incipiant ſyluæ quum primùm ſurgere,quumq;
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapídes Pyrrhæ iactos,Saturnia regna,
Caucaſeasq; refert uolucres:furtumq; Promethei.
His adiungit Hylam,nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent:ut líttus Hyla Hyla omne ſonaret.
Et fortunatam,ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaën niuei ſolatur amore iuuenci.
Ah uírgo infœlix,quæ te dementia cepit?
Prœtídes implerunt falſis mugitíbus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt
Concubitus:quamuis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe ín læuí quæſiſſet cornua fronte.
Ah uírgo infœlix,tu nunc in montíbus erras:
Ille latus niueum molli fultus hyacintho,
Ilíce ſub nígra pallentes ruminat herbas:
Aut aliquam ín magno ſequitur grege.claudite nymphæ
Dictææ,nymphæ nemorum iam claudite ſaltus.
Si qua fortè ferant oculís ſeſe obuia noſtris
Errabunda bouís ueſtigia.forſitan illum
Aut herba captum uiridi,aut armenta ſecutum
Perducant aliquæ ſtabula ad Cortynia uaccæ.
Tum canit heſperídum miratam mala puellam.
Tum Phaëthontíadas muſco circundat amaræ
Corticis,atq; ſolo proceras erígit alnos.
Tùm canit errantem Permeſsi ad flumina Gallum,
Aonàs ín montes,ut duxerít una ſororum,

Vtq; uiro Phœbi chorus assurrexerit omnis,
Vt Linus hæc illi diuino carmine pastor,
Floribus,atq; apio crines ornatus amaro.
Direxit:hos tibi dant calamos(en accipe)Musæ
Ascræo quos ante seni,quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus,quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar:aut Scyllam Nisi,quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias uexasse rates,& gurgite in alto:
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis:
Aut ut mutatos Terei narrauerit artus.
Quas illi Philomela dapes,quæ dona pararit:
Quo cursu deserta petiuerit,& quibus antè
Infœlix sua tecta superuolitauerit alis:
Omnia,quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas,iussitq; ediscere lauros,
Ille canit,pulsæ referunt ad sidera ualles.
Cogere donec oues stabulis,numerumq; referre
Iussit,& inuito processit Vesper Olympo.

IN ECLOGAM VI. ALLEGORIA.

ECloga hęc de reconditis rebus,nempe de primordijs rerum,& theologia gentilitia. Virtus Musarũ denotatur,quæ norunt omnia:celebrant deos,& heroës,& magnos uiros,ut Gallũ & Varũ: tum in intima naturæ penetrant. idcirco dictæ sunt ἀπὸ τοῦ μωσᾶσθαι,quod est perquirere & cognoscere,omniũ enim rerũ habent scięntiam. Nam ridicula est indoctorũ sentẽtia,qui Musas ad carmina & cantiunculas solũ pertinere existimãt. quippe peritia rerum diuinarum atq; humanarũ est Musa, quod & Vergilius declarat secundo Georgicôn:

Me uerò primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra gero,ingenti perculsus amore,
Accipiant,cœliq; uias & sidera monstrent,

Porrò Silenos duos fuisse accepimus:alterum uetustissimum,Bacchi pędagogum & institutorem:alterum multò posteriorem illo sapientem, Cyri temporibus, cuius illa fuit ad Crœsum Lydorum regem sententia:Optimum non nasci,proximùm citò mori. Bacchus deus est poetarum,ut Apollo:& Parnassus, mons Musarum,duos habebat uertices,alterum Phœbo sacrum,alterum Baccho.ad hæc tam foliįs lauri, quæ arbor erat Phœbi, quàm hederæ, quæ Bacchi, uates coronabantur. Itaq; per Silenum, Bacchi magistrum,Musam ipsam intelligi par est,à qua doctus sit deus poetarũ Bacchus.Idcirco & Eclogam hanc excedere aiunt materiam pastoralem.

Prima Syracusio dignata.] Hos uersus ego quidẽ sic intelligo:nostra Thalia, hoc est Musa quæ agris præest,primùm dignata est ludere uersu Theocritico,et ad res agrestes canendas se conferre. Nostram uocat, uel propter hoc carmen, uel quia ipse pastor tum origine,tum operis sui argumento.

Vare tuas cupiat.] Quintilius Varus,dux exercitus,qui magnos sæpe Germanorum exercitus fudit,ad postremum ab Arminio Germano ingenti clade est affectus, in qua ipse mortem sibi consciuit,non sustinens post tantam ignominiã uiuere,quod tamen quum accidit,iam Vergilius erat mortuus.

Captus amore leget.] Quàm modestè Vergilius de seipso:non quòd hæc lectorem,inquit,mereantur:nisi huc ueniat,beneuolentia mei adductus.

Te nostræ Vare myricæ.] Celebraberis, dum carmen hoc nostrum Bucolicum à quopiam legetur.

Nec

Nec Phœbo gratior ulla eſt.] Nulli carmini tam fauorem ſuum & gratiam & uenuſtatem Phœbus inſpirat,quàm ei quod de Varo cantatur.

Chromis & Mnaſylus,&c.] Adoleſcẽtes duo,qui dormientes ſopitasq; æuo ſuo excitant Muſas.

Inflatum heſterno.] Sic decebat comitem & pædagogum Bacchi,tum magnum poetam,de quo eſt in Satyra Horatij:

Laudibus arguitur uini uinoſus Homerus.

Tum Ennius,& alij.& prouerbium,Aquam bibens,bonum carmen non facies.

Heſterno.] Heſterno fœtẽre mero(inquit Martialis)qui putat Acerram,

Fallitur,in lucem ſemper Acerra bibit.

Serta procul tantum.] Seculum negligens poetici decoris, & humanitatis: nec quiſquam coronari cupiebat. Senſus huius uerſus eſt,nihil fuiſſe iuxta illum, niſi ſerta,quæ capiti delapſa procul iacebant.Iſtud uerò ad illud pertinet,quod poſtea dicit: Iniſciunt ipſis ex uincula ſertis.quoniã aliud ad manũ nõ habebãt,quo ligarẽt ſenem.

Nam ſæpe ſenex ſpe.] Non eſt ceſſandum in paranda peritia: ſi primus conatus non ſuccedat,alij tentandi.Labor omnia uincit Improbus.

Iniſciunt ipſis ex uincula ſertis.] Honeſtas ipſa eruditionis generoſa cepit ingenia,ut uellent detinere apud ſe Muſas, atque eas expergefacerent:alij gloriæ cupiditate,alij pręſtantiores cupiditate ſciendi.Serta enim ad honorem doctrinę pertinent, ſiue ea ſit pulchritudo cognitionis,ſiue excellendi deſiderium.

Addit ſe ſociã.] Virilibus illis animis admiſcent ſe molles ac fœminei, qui in quærendis diſciplinis quæſtum,aut aliquid ſimile ſpectent.

Timidisq; ſuperuenit Ægle.] Anxijs et ſollicitis,ne ſe Silenus exolueret,et abiret.

Sanguineis frontem moris.] Pueri ligant & detinent Silenum, ſed puella illudit, & deridendum præbet.Nobilia ingenia,cura & labore excolunt ac detinent apud ſe Muſas:uiles homines,& animis abiectis,deformant ac dehoneſtant,atq; ita tractant, ut ad uulgum irridendas exponant.

Iamq; uidenti.] Pueri excitant,ut canat:puella iam excitato illudit.Eruditionem, quã excellentes animi excudunt,degeneres ad uoluptates & pecuniam conuertunt.

Ille dolum ridens.] Cauſantur multi fugacem eſſe doctrinam, nec poſſe retineri facilè.culpa eſt in nobis,qui exerceri nolumus:non in rebus,quæ paratæ ſunt ſemper nobis,ac expoſitæ.

Satis eſt potuiſſe uideri.] Satis eſt Muſas eſſe à uobis ſemel inuentas:non fugient poſthac,ſed faciles ſe uobis ac libentes dabunt.

Carmina quæ uultis.] Vos uiri accipietis eruditionẽ, quam eligetis:hoc erit precium laboris ueſtri.animo autem fœmineo,pecunia erit curæ ſuæ precium.

Tum uerò in numerum.] Omnes exhilarat facunda eruditio,quod de Orphei lyra eſt traditum.& huic inuentionem ciuitatum aſsignat M.Cicero:

Faunosq; ferasq; uideres.] Cicurantur enim, & manſueſcunt ferocia ingenia ab eruditione.

Tum rigidas mot. cac. quer.] Alluſio ad ea, quæ de Orpheo dicuntur. Cic. pro Arch. Syluæ & ſolitudines uoci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque ſubſiſtunt.

Nec tantum Phœbo.] Phœbus quidẽ & Orpheus ſuauius cantant,ſed plus ineſt eruditionis & cognitionis rerum in cantu Sileni,ideo maior ex eo delectatio.

Nanque canebat uti.] Rerum initia, & origines ultimas ex reconditiſsimis philoſophiæ.Nulla eſt hic opus allegoria,ipſa per ſe ſunt ſatis magna,& cantari digna.

Diſcludere Nerea ponto.] Mari ſeparare Nereum à terra.

Hinc lapides Pyrrhę iactos.] Poſt mundum conditum,perſequitur curſum uitæ deorum,heroũ,hominũ.non diſſonant hæc à principio,ſed ſequuntur & cohærent.

Et fortunatam ſi nunquam armẽta fuiſſent.] Senſus obſcurus fortaſsis hic eſt.Inducit Paſiphaën, ſolantem ſe amore iuuenci, ita ut quæ ſequuntur uerba,ſint ipſius Paſiphaës,Ah uirgo infelix: quibus ſeipſam de abſentia tauri conſolatur, & furorem

reprehendit. in ſecunda autem perſona,ex affectu:ut,

Ah Corydon Corydon,quæ te dementia cepit?

Mox ſequitur prima perſona,

Si qua fortè ferant oculis ſeſe obuia noſtris.

Id eſt, ſi huc tentet uenire,ſi ad me iter conuertat.Claudite (inquit) ſaltus,ne ueniat. Forſan enim ueniet:& uel quærēs herbā uiridē,uel ſequēs uaccā aliquā: ideo arcete illū intra nemora,ut furor hîc tam fœdi amoris,abſentia ſaltē ſedeī,neu iriteī aſpectu.

Tum canit errantem.] Nihil eſt in hoc opere toto dictū uenuſtius, aut grandiore Muſarum afflatu decantatum. Magna laus Cornelij Galli, qui item poeta fuit:de quo in Alexi,& poſtea in Gallo.

Errantē.] Verſantē in ſtudijs ſapientiæ, uagantē ingenio per loca Muſis ſacrata.

Aonas in montes ut duxerat.] Studium diſciplinæ unius,paulatim ducit ad aliarum cognitionem.

Vtq; uiro Phœbi.] Ingeniū admiratæ ſunt Muſæ ipſæ,ſtatim uiſum cognitumq; cœperunt amare,ſeq; illi faciles,benignas,amiciſsimas præbuerunt.

Vt Linus hæc illi diuino carmine paſtor.] Diuinum carmen,quaſi excellens:uel quia heros ipſe Calliopes filius:uel diuinans,ut ait Seruius.

His tibi Grynæi nemoris dicatur origo.] Grynæū nemus eſt in Ionia,Phœbo ſacrum.De hoc nemore,& geſtis in eo,nempe de diuinatione Mopſi et Calchātis,tum de deo ipſo Apolline,ſcripſit poema Euphorion Chalcidiēſis.hoc è Græco magna felicitate Latinū fecit Gallus,magis argumentū & figuram tractationis ſecutus,quàm uerba:ut tam ſuū fecerit,quàm Vergilius Æneida uel Bucolica,in quibus Theocritum & Homerū æmulatus eſt. Teneamus hoc quod nobis proderit Ecloga decima. Ideo dicit,hiſce fiſtulis acceptis dicatur tibi origo laudū Grynæi nemoris,ut tu ſis author potius & inuentor illarum,quàm Euphorion: quo fiat,te cantante ac celebrante nemus illud, ut quum multa habeat Phœbus templa alia & nemora,nullo tamen glorietur magis,& ſibi placeat,quàm illo,ſic abs te commendato.

Omnia quæ Phœb.quondam.] Dubium eſt an hæc eadem quæ cecinit,ſint ex illis cantilenis Phœbi:ut cōcluſio ſit deniq;,illum hæc et reliqua omnia ceciniſſe,quæ Phœbus modulari ſit ſolitus. an ſeparatim præter iam dicta cantauerit Silenus omnia,quæ Phœbus cecinerit,quum paſtor Admeti greges paſceret. Magis hoc placet.

Beatus Eurotas.] Qui tali uoce fruebatur.

ECLOGA VII. MELIBŒVS.

Corydon, Thyrſis.

FOrtè ſub arguta conſederat ilice Daphnis,
Compulerantq; greges Corydon & Thyrſis in unum,
Thyrſis oues;Corydon diſtentas lacte capellas.
Ambo florentes ætatibus,Arcades ambo,
Et cantare pares,& reſpondere parati.
Huc mihi,dum teneras defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipſe caper deerrauerat:atq; ego Daphnin
Aſpicio,ille ubi me contrà uidet,ocyus inquit:
Huc ades,ô Melibœe (caper tibi ſaluus,& hœdi)
Et ſi quid ceſſare potes,requieſce ſub umbra.
Huc ipſi potum uenient per prata iuuenci,
Hîc uiridi tenera prætexit arundine ripas
Mincius,eq; ſacra reſonant examina quercu.
Quid faceremꝰ neq; ego Alcippen,nec Phyllida habebam,
Depulſos à lacte domi quæ clauderet agnos.
Et certamen erat,Corydon,cum Thyrſide magnum,
Poſthabuit tamen illorum mea ſeria ludo.
Alternis igitur contendere uerſibus ambo

Cœpêre:

Cœpêre:alternos Muſæ meminiſſe uolebant.
Hos Corydon,illos referebat in ordine Thyrſis.
Co. Nymphæ,noſter amor,Libethrides,aut mihi carmen,
Quale meo Codro,concedite (proxima Phœbi
Verſibus ille facit) aut ſi non poſſumus omnes,
Hîc arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.
Th. Paſtores hedera creſcentem ornate poetam
Arcades,inuidia rumpantur ut illa Codro:
Aut ſi ultra placitum laudarit,baccare frontem
Cingite,ne uati noceat mala lingua futuro.
Co. Setoſi caput hoc apri tibi Delia paruus,
Et ramoſa Mycon uiuacis cornua cerui:
Si proprium hoc fuerit,læui de marmore tota
Puniceo ſtabis ſuras euincta cothurno.
Th. Sinum lactis,& hæc te liba Priape quotannis
Expectare ſat eſt:cuſtos es pauperis horti:
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus:at tu
Si fœtura gregem ſuppleuerit,aureus eſto.
Co. Nerine Galatea thymo mihi dulcior hyblæ,
Candidior cycnis,hedera formoſior alba,
Quum primùm paſti repetent præſepia tauri:
Si qua tui Corydonis habet te cura,uenito.
Th. Immo ego Sardois uidear tibi amarior herbis,
Horridior ruſco,proiecta uilior alga,
Si mihi non hæc lux toto iam longior anno eſt:
Ite domum paſti,ſi quis pudor,ite iuuenci.
Co. Muſcoſi fontes,& ſomno mollior herba,
Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite:iam uenit æſtas
Torrida:iam læto turgent in palmite gemmæ.
Th. Hîc focus,& tedæ pingues:hîc plurimus ignis
Semper,& aſsidua poſtes fuligine nigri:
Hîc tantum Boreæ curamus frigora,quantum
Aut numerum lupus,aut torrentia flumina ripas.
Co. Stant & iuniperi,& caſtaneæ hirſutæ:
Strata iacent paſsim ſua quæq; ſub arbore poma:
Omnia nunc rident:at ſi formoſus Alexis
Montibus his abeat,uideas & flumina ſicca.
Th. Aret ager,uitio moriens ſitit aëris herba:
Liber pampineas inuidit collibus umbras:
Phyllidis aduentu noſtræ nemus omne uirebit:
Iuppiter & læto deſcendet plurimus imbri.
Co. Populus Alcidæ gratiſsima,uitis Iaccho:
Formoſæ myrtus Veneri:ſua laurea Phœbo:
Phyllis amat corylos:illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus uincet corylos,nec laurea Phœbi.
Th. Fraxinus in ſyluis pulcherrima,pinus in hortis,
Populus in fluuiis,abies in montibus altis:
Sæpius at ſi me Lycida formoſe reuiſas,
Fraxinus in ſyluis cedet tibi,pinus in hortis.
Me. Hæc memini,& uictum fruſtrà contendere Thyrſim:
Ex illo Corydon,Corydon eſt tempore nobis.

IN ECLOGAM VII. ALLEGORIA.

QVum esset Romæ,poetarum duorum certamini fingit se interfuisse Vergilius: ex quibus credibile est alterũ fuisse sibi charum,Gallum puta, uel Varum, aut Asinium:quem laudatione sua euehit,ut alterum deprimat,fortasse ex æmulis.

Hic mihi dum teneras.] Dum deditus sum studijs Musarum mansuetiorum,annu si præcipuam partem patrimonij.ea causa Romam ueneram.

Atq; ego Daphnim aspicio.] Aliquem ex eruditis amicis Cæsaris uult intelligi, qui illum bono esse iussit animo de amissis agris,itaq; ad securè ocioseq; cantantium certamen audiendum atq; arbitrandum inuitat.

Caper tibi saluus.] Non solùm quod perdidisti,sed id quod adhuc possides,omnia tibi salua,& plura his.

Et si quid cessare potes.] Si domo potes aliquandiu abesse,nec habes illic negocium, quod eò te necessariè reuocet, quiesce paulisper sub umbra: Romæ inter nos, in ocio & tranquillitate animi,procul à litibus & iurgijs.

Huc ipsi potũ.] Omnia negocia ultrò huc confluent,ut decidant. hîc aderit princeps ipse,& ductores omnes copiarũ:ipse quoq; Arius Centurio,expulsor tuus:omnia hîc reperies,& conficies ex sententia.

Mincius.] Ad tegendam allegoriam,nominatus est Mantuæ fluuius.

Quid facerem?] Ambiguitas et perplexitas: nõ equidẽ domi habebam,qui rem meam familiarem custodiret.

Et certamen erat.] Et alioqui certamẽ erat uatibus spectatu dignum,& præ quo meritò esset cura domus negligẽda: ita ut illa potius existimarem seria,pecus autem meum nugas. nec sine causa: plus enim poterat prodesse Vergilio attẽtio ad illa,quæ inter potentes illos Romanos inciderant de ingenio & eruditione certamina, quàm omnis circa rusticum censum diligentia.

Nymphæ.] Poeticus spiritus cœlestis est,ideo semper diuos aut Musas inuocãt.

Noster amor.] Vt,Ingenti perculsus amore,unde nascit diuinus furor,qui euehit animũ supra naturę suę uires. de quo Plato in Ione,q est de poetico furore dialogus.

Aut mihi carmen quale meo Codro.] Componit se ad imitationem maximi alicuius & probatissimi uatis.

Proxima Phœbi uersibus ille facit.] Deus est Musarũ Phœbus. Moderatius pastor,quàm illi per hyperbolen.de Homero Sillius:

Et cantu Musas,& Phœbum æquauit honore.

Et de Vergilio Propertius:

Tale facis carmen docta testudine,quale
Cynthius impositis temperat articulis.

Aut si non possumus.] Si non est cœlitùs datum. Etenim ut uulgatum est,nascuntur poetæ,non fiunt. Certa quadam ingenij qualitate opus est ad hanc facultatem,ita ut maximi sint sæpenumero poetæ,alijs in rebus omnibus ineptissimi. Ergo studiũ & diligentia non prosunt,nisi ad hoc sis à natura fictus & appositus.

Pastores hedera.] Corydon opem diuinam implorat, Thyrsis à maledicentia exorditur,& inuidum suum incessit.

Setosi caput hoc apri.] Quanto Corydon rectius, simplicius,& ex agresti pietate,rursum pergit deos colere? longè iste melius ac commodius quàm alter.

Suras euincta cothurno.] Quia uenatrix,& quæ in syluis inter spinosa & lutosa loca uersaretur.

Nerine Galatea mihi.] Post deos,ad suos amores de Augusto,quem optat Romam primo quoquè tempore redire,quum primum finem bello imposuerit, & exercitum deduxerit in agros.

Si qua tui Corydonis habet.] Si nos præciputos amicorum tuorum amas.

Immo ego Sardois.] Ait se non solùm optare reditum Augusti, ut Corydonem, sed absentiam non posse diutius perferre.

Hæc

Hæc lux toto.] Hic dies absentiæ tuæ optat noctem quietis à bello & negocijs, ut frui liceat Cæsaris alloquijs & fauore.

Ite domum pasti.] Rusticis non per horas distinguuntur tempora, sed per signa illis familiaria, per æstates, per messes: meridies per quietem pecoris, uesperus per reditum pecoris domum. uellet igitur pecus ipsum domum se referre, ut sciret noctem appetere: rustico planè more, quasi rerum signa sint etiam causæ.

Si quis pudor.] Consuetudo rustica. alloquuntur enim illi equos, boues, canes familiares, similiter ut si essent homines: & admonent, & laudant, & reprehendunt, & mittunt, & reuocant.

Muscosi fontes.] Ab amoribus ad pecus suum, quod defendi optat ab amicis Octauiani, in feruore distributionis agrorum, & irarum militarium.

Hic focus & tedæ pingues.] Ille defendi se postulat ab ęstu, hic se à frigore ait esse tutum: sibi esse opes & amicitiam potentum, nec metuere calamitatem ullam, aut aduersos casus: imô negligere, ac pro nihilo habere.

Stant & iuniperi.] Præsentia Asinij Pollionis omnia sunt tuta, quieta, florentia, iucunda, in Insubria, & Padana regione, cui ille præfuit. at si is discedat, arescent uel ipsi fluuij. Stant, inquit, iuniperi. Arboribus pax: nec inuenitur, qui uel fructus sponte sua de arboribus delapsos audeat surripere. si abeat Pollio, confestim sequetur ruina & tristitia.

Aret ager.] Ille de præsentia ad absentiam, à lætis ad mœsta: hic uiceuersa, de aduentu Augusti Cæsaris. quasi non præsentia Pollionis exhilarescant campi, & sint pacata omnia, sed Octauiani, quem per Phyllida uult intelligi.

Populus Alcidæ.] Alij dij alijs rebus delectantur, aut fauent: unde ijs ipsis rebus honos ac preciũ. sed interea dum Octauiano placuerit poesis, plus in ea erit decoris, quàm in reliquis artibus. Aut sic de Pollione: uarij uarijs carminum generibus capiuntur, sed dum Pollio amabit rusticum, nullum ei anteponetur, quantumuis à magnis diuis probatum.

Fraxinus in syluis.] Contemptum arborum præ se fert, quoniam aduersarius arbores laudarat. & malle significat honorem potentum, à quibus colatur ac uisitetur.

Hæc memini & uictum.] Corydon deos ueneratur, Thyrsis inimicum incessit, exorditur Corydon à pietate, Thyrsis à rabie. inuocat deam castam Corydon, Thyrsis deum obscœnũ. Corydon canit res lætas, alter tristes, ille optat, hic se deuouet, meritò igitur uictoria est penes Corydonem.

ECLOGA VIII. PHARMACEVTRIA.

Damon, Alphesibœus.

PAstorum Musam Damonis & Alphesibœi:
Immemor herbarum, quos est mirata iuuenca
Certanteis, quorum stupefactæ carmine lynces:
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis Musam dicemus, & Alphesibœi.
Tu mihi seu magni superas iam saxa Timaui,
Siue oram Illyrici legis æquoris, en erit unquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem.
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.
A te principium, tibi desinet: accipe iussis
Carmina cœpta tuis, atq; hanc sine tempora circum
Inter uictrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida uix cœlo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba est,
Incumbens tereti Damon, sic cœpit, oliuæ:
Da. Nascere, præq; diem ueniens age Lucifer almum:

Coniugis,

Coniugis indigno Niſæ deceptus amore
Dum queror,& diuos (quanquam nil teſtibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora,
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Mænalus argutumq; nemus,pinosq; loquentes
Semper habet:ſemper paſtorum ille audit amores,
Panaq;,qui primus calamos non paſſus inertes,
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Mopſo Niſa datur:quid non ſperemus amantes?
Iungentur iam gryphes equis,æuoq; ſequenti
Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ.
Mopſe nouas incide faces:tibi ducitur uxor.
Sparge marite nuces,tibi deſerit Heſperus Oetam,
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
O digno coniuncta uiro,dum deſpicis omnes:
Dumq; tibi eſt odio mea fiſtula,dumq; capellæ,
Hirſutumq; ſupercilium,promiſſaq; barba:
Nec curare Deum credis mortalia quenquam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Sepibus in noſtris paruam te roſcida mala
(Dux ego ueſter eram) uidi cum matre legentem,
Alter ab undecimo tum me iam cœperat annus:
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos,
Vt uidi,ut perij,ut me malus abſtulit error.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Nunc ſcio,quid ſit amor, duris in cotibus illum
Iſmarus,aut Rhodope,aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum,nec ſanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus:crudelis tu quoq; mater,
Crudelis mater magis,an puer improbus ille?
Improbus ille puer,crudelis tu quoq; mater.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Nunc & oues ultrò fugiat lupus,aurea duræ
Mala ferant quercus,narciſſo floreat alnus,
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ.
Certent & cycnis ululæ,ſit Tityrus Orpheus:
Orpheus in ſyluis,inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus.
Omnia uel medium fiant mare:uiuite ſyluæ.
Præceps aërij ſpecula de montis in undas
Deferar:extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine Mænalios,iam deſine tibia uerſus.
Hæc Damon,uos,quæ reſponderit Alpheſibœus,
Dicite Pierides:non omnia poſſumus omnes.
Al. Effer aquam,& molli cinge hæc altaria uitta,
Verbenasq; adole pingues,& maſcula thura,
Coniugis ut magicis ſanos auertere ſacris
Experiar ſenſus,nihil hîc niſi carmina deſunt:
Ducite ab Vrbe domum mea carmina,ducite Daphnim.
Carmina uel cœlo poſſunt deducere lunam,
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſsi.

Frigidus

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circumdo, terq; hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modò: & Veneris, dic, uincula necto.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemq; igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam: & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim: qualis cum fessa iuuencum
Per nemora, atq; altos quærendo bucula lucos,
Propter aquæ riuum uiridi procumbit in ulna
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara sui, quæ nunc ego limine in ipso
Terra ubi mando: debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta uenena,
Ipse dedit Mœris, nascuntur pluríma Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alió uidi traducere messes.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres Amarylli foras, riuoq; fluenti,
Transq; caput iace, ne respexeris: his ego Daphnim
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit:
Nescio quid certè est: & Hylax in limine latrat.
Credimus. an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab Vrbe uenit, iam parcite carmina, Daphnis.

IN ECLOGAM VIII. ALLEGORIA.

PAstores duo cantant. alter indignatur, quòd laus & honor & præmia Musarum ad indignos atq; immerẽtes deferantur, dignis posthabitis. alter quoniã quidem fauorẽ & decus simpliciter ac bonis artibus consequi se non posse animaduertit, technis, calliditate atq; astu quærit. in utroq; suam causam agit Vergilius. nam & malos poẽtas insectatur, & crassum sæpenumero nobilitatis iudicium reprehendit.

Immemor herbarum. ¶ Tale carmen ut Orphico par, muta & bruta moueat, querulum tamen est, nec uota sua consequitur.

Certantes. ¶ Non ad contrariam contentionem & inimicam, sicut in proxima Ecloga: sed ad manifestationem suæ querimoniæ.

Tu mihi seu magni. ¶ Ad Pollionem, qui res gesit in Illyrico, quò iter est per Venetam regionem à Gallia Padana, unde est ad illud bellum missus. Versus sunt lepidissimi, & supra nitorem rusticum.

Sola Sophocleo.] Non ſolum res tuas in bello geſtas celebrare, ſed ingenium & Muſas: nam ſcripſit Pollio tragœdias.

A te principium, tibi.] Principium mei carminis, huius uidelicet paſtoricij, abs te iuſſum, deſinet, quum libuerit tibi. Vel ſic: principium carminum meorum, abs te iuſſum, finis de te.

Atq; hanc ſine.] Hanc gloriam Muſarum patere inter triumphos tuos connumerari, & laudari te tanquam ducem inuictum, & tanquam poëtam excellentem.

Naſcere præq; diem.] Inuocat lucẽ aduerſus tantas tenebras iudiciorũ. & quòd auroram eſſe dicit, ſignificat initium eſſe mutandi iudiciorum.

Et diuos.] Proceres, purpuratos, craſſæ Mineruæ.

Extrema moriens.] Deſperatio ex indignitate, unde & impatientia.

Incipe Mænalios.] Mænalus mons eſt Arcadiæ, ubi poëtæ plurimi & optimi: & Pan præſes paſtorum, ac paſtoricij carminis inſtitutor.

Quid non ſperemus amantes?] Quis non quiduis ſe conſecuturũ ſperet? quando enim Mopſo paſtori ex nota infima datur nympha elegantiſſima: id eſt decus eruditionis, & fauor, ingenio craſſo atq; imperito: quid erit quod non quiuis conſequatur ſiue uiribus, ſiue meritis, contendat modò?

O digno coniuncta uiro dum deſpicis omnes.] O famam & laudem, & aurã popularem temerariam. meritò cadis in indigniſsimos, quoniam deſpicis dignos, & faſtidioſiſsima es aduerſus omnes: nihil enim publica laude moroſius, nihil abſurdius aut ineptius.

Dum tibi eſt odio.] Tranſit populus ad peſsimos, hoc eſt ſui ſimillimos, dum bonos odit diſsimiles: ut pop. Romanus à Catone ad Vatinium, in prætura mandanda.

Dumq; capellæ.] Dum ſunt odio tibi ſimplicia, uera, ſolida, profutura: falſa autẽ, & ſpecioſa ſolum conſectaris.

Nec curare Deum credis.] Ita iudicas, ita agis, ut nullũ numẽ cœleſte uidearis reuereri: adeò ut multi ex tuis operibus colligãt, nullã eſſe prouidentiã deorũ, quòd tu ad malos transfers bonorũ præmia, & innocentiã calumnijs, pœnis, ſupplicijs afficis. Atqui oſtendit ſe deorũ prouidentia, quòd tali marito nubis, qualem mereris: quòd propter tuam ſtoliditatem in damna incidis innumera, & imprudens à dijs puniris.

Sepibus in noſtris.] Primus amor ſtudiorum & gloriæ.

Alter ab undecimo.] Duodecimus, quaſi ſequens undecimum: ut, Tu nunc eris alter ab illo. & alter ac uiceſimus: quaſi uiginti unus. pro Milone, Centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodij, & ut puto altera: id eſt centeſima prima.

Iam fragiles poteram.] Iam aliquid poteram in literis commentari.

Nunc ſcio quid ſit amor.] Amorem nominamus omnem animi cupiditatẽ, ſiue auri, ſiue decoris, gloriæ, magiſtratus, ueneris. Et quũ illa inualuit animi carnificina, multa ſunt agenda & patienda fœda, crudelia, ſeruilia, ut quod cupis aſſequare: cupiditas uelut ſæuus tyrannus uexat, & torquet animum.

Nec noſtri generis.] Non eſt humanitatis hominum, ſed immanitatis belluarum.

Omnia uel medium fiant mare.] Ex indignitate deſperatio et odium in res humanas, ut Timonis, qui dictus eſt μισανθρωπος.

ECLOGA IX. MŒRIS.

Lycidas. Mœris.

Ly. QVò te Mœri pedes? an, quò uia ducit in Vrbem?
Mœ. O Lycida, uiui peruenimus, aduena noſtri,
Quod nunquam ueriti ſumus, ut poſſeſſor agelli
Diceret, hæc mea ſunt, ueteres migrate coloni.
Nunc uicti triſtes: quoniam ſors omnia uerſat:
Hos illi (quod nec bene uertat) mittimus hœdos.
Ly. Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollíq; iugum demittere cliuo,

Vſq;

Vſq; ad aquam & ueteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus ueſtrum ſeruaſſe Menalcam.
Mœ. Audieras,& fama fuit:ſed carmina tantum
Noſtra ualent Lycida tela inter Martia,quantum
Chaonias dicunt aquila ueniente columbas.
Quòd niſi me quacunq; nouas incidere lites
Ante ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris,nec uiueret ipſe Menalcas.
Ly. Heu cadit in quenquam tantum ſcelus,heu tua nobis herbis
Penè ſimul tecum ſolatia rapta Menalca.
Quis caneret nymphas,quis humum florentibus
Spargeret? aut uiridi fontes induceret umbra?
Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras.
Tityre dum redeo (breuis eſt uia) paſce capellas,
Et potum paſtas age Tityre,& inter agendum
Occurſare capro (cornu ferit ille) caueto.
Mœ. Immo hæc,quæ Varo necdum perfecta canebat.
Vare tuum nomen (ſuperet modò Mantua nobis:
Mantua uæ miſeræ nimium uicina Cremonæ)
Cantantes ſublimè ferent ad ſidera cycni.
Ly. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos:
Sic cythiſo paſtæ diſtentent ubera uaccæ.
Incipe ſi quid habes,& me fecere poëtam
Pierides.ſunt & mihi carmina,me quoq; dicunt
Vatem paſtores,ſed non ego credulus illis.
Nam neq; adhuc Varo uideor,nec dicere Cinna
Digna.ſed argutos interſtrepere anſer olores.
Mœ. Id quidem ago,& tacitus Lycida mecum ipſe uoluto,
Si ualeam meminiſſe:neq; eſt ignobile carmen.
Huc ades ô Galatea:quis eſt nam ludus in undis?
Hîc uer purpureum, uarios hîc flumina circum
Fundit humus flores:hîc candida populus antro
Imminet,& lentæ texunt umbracula uites.
Huc ades:inſani feriant ſine littora fluctus.
Ly. Quid? quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? numeros memini,ſi uerba tenerem.
Mœ. Daphni,quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?
Ecce Dionæi proceſsit Cæſaris aſtrum,
Aſtrum,quo ſegetes gauderent frugibus,& quo
Duceret apricis in collibus uua colorem.
Inſere Daphni piros,carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas,animum quoq;:ſæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere ſoles,
Nunc oblita mihi tot carmina:uox quoq; Mœrin
Iam fugit ipſa:lupi Mœrin uidere priores.
Sed tamen iſta ſatis,referet tibi ſæpe Menalcas.
Ly. Cauſando noſtros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor,& omnes
(Aſpice) uentoſi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeò media eſt nobis uia:nanq; ſepulchrum
Incipit apparere Bianoris:hîc,ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes,hic Mœri canamus.

Hîc hœdos depone,tamen ueniemus in Vrbem:
Aut ſi nox pluuiam ne colligat antè,ueremur,
Cantantes licet uſq; (minus uia lædet) eamus,
Cantantes ut eamus,ego hoc te faſce leuabo.
Mœ. Deſine plura puer,& quod nunc inſtat,agamus:
Carmina tum melius,quum uenerit ipſe,canemus.

IN ECLOGAM IX. ALLEGORIA.

ECloga hæc eſt de eo tempore,quo Vergilius procurabat ſibi agros reſtitui. tota eſt allegorica,& manifeſta eſt allegoria.

Certè equidem audierã.] Deſcriptio eſt agrorum poëtę,qualis eſt prima Ecloga.

Superet modò,&c.] Salua ſit nobis Mantua.ſicut in tertio Æneidos,

Quid puer Aſcanius? ſuperat ne & ueſcitur aura
Ætherea?

Et me fecere poe.Pierid.] Sentio in me poëticos ſpiritus, nõ tam ex inſtitutione, quàm diuino afflatu.

Nam neq; adhuc Varo.] Non iudico me poëtam,& ſi uulgus id afferat, quoniam nondum uideor mihi canere, quæ Varus & Cinna poſsint approbare. Cinna poëta fuit,qui ſcripſit Smyrnam,poëma triginta annis preſſum,ut Quintilianus ait.Sed uidetur admodum illo ſeculo placuiſſe.nam multi grammatici nobiles in illud ſcripſerunt commentarios,quos omnes uicit Cato Grammaticus,ut refert Suetonius Tranquillus in Grammaticis.nũc tanti operis nihil extat,præter uerſiculos duos, quos in primo Georgicorum citat Seruius.

Ignobile carmen.] Indignum quod noſcatur,quaſi incognobile.

Hucades ô Galatea.] Verſus ſunt Cyclopis ad Galateam, ſumpti ex Theocrito. Allegoria eſt ad Auguſtum,precantis ut ex bello maritimo redeat in Italiam,nam ſæpe Galateam pro Auguſto uſurpauit:ut in tertia Ecloga,

O quoties,& quæ nobis Galatea locuta eſt?

Daphni quid antiquos.] Nihil opus eſt ad arandum,ſerendum, metendum, obſeruare poſthac ueteres illos & conſuetos ortus atq; obitus ſiderum,ut arietis, uergiliarum,coronæ,caniculæ: ſufficit pro illis omnibus una ſtella Iulij Cæſaris. nec opus eſt ut alia imploremus numina,præter numen fauſtum & propitiũ Auguſti, ſub quo procedent nobis omnia feliciſsimè.Et quia de ortu et obitu ſignorum loquitur,rectè præpoſuit de nocte illum ceciniſſe, & ſerena nocte. tum enim optimè curſus aſtrorũ obſeruantur,ut fecerunt Aſſyrij & Ægyptij.

Proceſſ.Cæſ.aſtrum.] Ortum eſt iam pridem,& in curſu ſuo procedit.

Et nunc omne ſtratum.] Hortatur ut canat,ut dedat ſe ſtudijs Muſarum, in pace Italiæ.nam bello Actiaco,quod Octauianus geſsit aduerſus M.Antoniũ, tametſi ciuili,tamen Italia quieta erat in partibus Cęſarianis.Quanquam non erant bella impedimento poëtæ noſtro,ſed agrorum ademptio.

Hinc adeò media eſt nobis.] Arbitror hoc ad ueram deſcriptionem pertinere,ut ſepulchrum Bianoris media fuerit uia inter agros Vergilij & Mantuam.

Deſine plura puer, &c.] Vrgentibus negocijs familiaribus, omittamus cantilenas.tum canemus commodius,quum Vergilius recuperatis agris domũ redierit:uel poſtquàm redierit in Italiam Auguſtus, reddetur nobis cum illo ſtudium Muſarum,

ECLOGA X. GALLVS.

EXtremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo,ſed quæ legat ipſa Lycoris,
Carmina ſunt dicenda:neget quis carmina Gallo?
Sic tibi,quum fluctus ſubter labêre Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.
Incipe,ſollicitè Galli dicamus amores,

Dum

Dum tenera attondent ſimę uirgulta capellæ.
Non canimus ſurdis,reſpondent omnia ſyluæ.
Quæ nemora,aut qui uos ſaltus habuêre puellæ
Naiades? indigno quum Gallus amore periret?
Nam neq; Parnaſſi uobis iuga,nam neq; Pindi
Vlla moram fecêre,neq; Aonia Aganippe.
Illum etiam lauri,etiam fleuêre myricæ:
Piniſer illum etiam ſola ſub rupe iacentem
Mænalus,& gelidi fleuerunt ſaxa Lycæi.
Stant & oues circùm,noſtri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris,diuine poëta.
Et formoſus oues ad flumina pauit Adonis:
Venit & upilio,tardi uenêre bubulci:
Vuidus hyberna uenit de glande Menalcas.
Omnes,unde amor iſte,rogant,tibi uenit Apollo:
Galle quid inſanis? inquit,tua cura Lycoris
Perq; niues alium,perq; horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas,& grandia lilia quaſſans.
Pan deus Arcadiæ uenit,quem uidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis,minioq; rubentem.
Et quis erit modus,inquit? amor non talia curat:
Nec lachrymis crudelis amor,nec gramina riuis,
Nec cythiſo ſaturantur apes,nec fronde capellæ,
Triſtis at ille tamen,Cantabitis Arcades,inquit,
Montibus hæc ueſtris:ſoli cantare periti
Arcades:ô mihi tum quàm molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.
Atq; utinam ex uobis unus,ueſtriq; fuiſſem
Aut cuſtos gregis,aut maturæ uinitor uuæ.
Certè ſiue mihi Phyllis,ſiue eſſet Amyntas,
Seu quicunq; furor(quid tum,ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ uiolę ſunt,& uaccinia nigra)
Mecum inter ſalices lenta ſub uite iaceret,
Serta mihi Phyllis legeret,cantaret Amyntas.
Hîc gelidi fontes,hîc mollia prata Lycori,
Hîc nemus,hîc ipſo tecum conſumerer æuo.
Nunc inſanus amor,duri me Martis in armis
Tela inter media,atq; aduerſos detinet hoſtes.
Tu procul à patria:nec ſit mihi credere tantùm,
Alpinas ah dura niues,& frigora Rheni
Me ſine ſola uides,ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas.
Ibo,& Chalcidico quæ ſunt mihi condita uerſu
Carmina,paſtoris Siculi modulabor auena.
Certum eſt,in ſyluis,inter ſpelæa ferarum
Malle pati,teneriſq; meos incidere amores
Arboribus,creſcent illæ,creſcetis amores:
Interea miſtis luſtrabo Mænala nymphis:
Aut acres uenabor apros:non me ulla uetabunt
Frigora,Parthenios canibus circundare ſaltus.
Iam mihi per rupes uideor lucoſq; ſonantes
Ire:libet Partho torquere Cydonia cornu

Spicula:tanquam hæc sit nostri medicina furoris:
Aut Deus ille malis hominum mitescere discat.
Iam neq; Hamadryades rursus,nec carmina nobis
Ipsa placent:ipsæ rursus concedite syluæ,
Non illum uestri possunt mutare labores.
Nec si frigoribus medijs,Hebrumq; bibamus,
Sythoniasq; niues hyemis subeamus aquosæ:
Nec si,quum moriens alta liberaret in ulmo:
Æthiopum uersemus oues sub sidere Cancri.
Omnia uincit amor,& nos cedamus amori.
Hæc sat erit diuæ uestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet,& gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides:uos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo,cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum uere nouo uiridis se subijcit alnus.
Surgamus:solet esse grauis cantantibus umbra,
Iuniperi grauis umbra:nocent & frugibus umbræ.
Ite domum saturæ,uenit hesperus,ite capellæ.

IN ECLOGAM X. ALLEGORIA.

COrnelius Gallus magni fuit ingenij ac dexterrimi,poeta insignis:cõciliatus Augusto,euectus est ad Ægypti præfecturã, in qua quũ esset accusatus,quòd moliri diceretur quędam contra Augusti uoluntatẽ,ipse se interfecit.Mortem hanc Vergilius deflet,sub titulo amorum.

Sed quæ legat ipsa Lycoris.] Ipse Augustus,tantopere Gallo charus.

Neget quis carmina Gallo?] Vel tali uiro,uel tali amico,uel tanto poetæ.

Quę nemora, aut qui.] Vbi erat Galli studium erga poeticen.quòd si in eo perse ueratset, nec se dedisset tantoperè amicitijs potentum, nec ascendisset ad ea negocia, quæ illi necem attulerunt.

Habuere puellæ.] Detinuere,ne accurreretis ad morientem,opem laturæ.

Nam neque Parnasi.] Omnia enim Greca studia peruia sibi fecerat Gallus. Non ergo fuit impedimento cognitio literarum,& poetarum Græcię,quo minus perseueraret in cœptis tam fœliciter studijs.

Illum lauri, & fleuêre myricæ.] Omnes doluerunt mortem Galli. Lauri, hoc est poëtæ ac studiosi: myricæ,plebes: saxa, id est infimi in uulgo,& imperitissimi ac rudissimi.

Stant & oues circum.] Carmen bucolicum,quod ille cecinit.

Nostri nec pœnitet.] Nec illud carmẽ ita est à nobis tractatum, ut pœniteat illud in nostras manus incidisse.

Nec te pœniteat.] Non pœniteat illud nostri, nec te pudeat illius, licet tantus in poetica sis,& tam admirabilis,ut diuinus possis existimari.

Venit & upilio.] Describit omnium & plebis & procerum admirationem,quam ob causam periret Gallus. nam incredibile uidebatur, aliquid eum cogitasse contra uoluntatem Augusti,tantus uir,tam prudens, & tam Augusto amicus: aut Augustũ tali amico nocere uoluisse.

Galle quid insanis.] Apollinis erat arcanum detegere,qui esset uaticinio præditus. is iubet Gallum magno animo casum omnem expectare: Augustum Cæsarem esse ab eo abalienatum,opera eorũ,qui Gallo ipsi malè uellent.hoc est quod dicit, secutum esse alios in rebus inimicis atq; hostilibus,aduersus Gallum.

Ecquis erit modus?] Quis erit finis anxietudinis et mœroris huius? Amor dominandi in principe cæcus est: contra quem si quis fingatur aliquid tentasse, implacabilis est offensio,nulla satisfactio sufficit.

Nec graminari uis,nec cyth.] Similitudo est prioris dicti,Sensus est: quemadmodum

dum nec gramina ſaturantur riuis, ita nec amor lachrymis.

Triſtis at ille tamen.] Mœſtus de amiſſis, amico & uita: & iam mori certus commendat ſtudioſis memoriam ſui, quando ea ſola reſtat ex tanta fortuna.

Atque utinam ex uobis.] Vtinam manſiſſem in ſtudijs literarum, & uita priuata, fuiſſem uel eruditus: uel, ſi hoc conſequi non eſſet datum, ſtudioſorum aſſecla.

Certe ſiue mihi phyllis, ſiue eſſet, &c.] Non defuiſſent in uita illa oblectamenta, ſi non tam ſpecioſa, ut in hoc ſplendore dignitatis: at non minus ſuauia.

Serta mihi phyllis legeret.] Duo adeſſent ſerta, id eſt honor ingenij: cantus, id eſt delectationes.

Hic gelidi fontes.] Et cantarem hæc, nempe celebrarem res Auguſti: Veni Auguſte ad delectamenta Italiæ tuæ, ueni ad triumphos, & fructũ tuarum uictoriarum.

Nunc inſanus amor.] Sic ego in tanta pace & quiete uixiſſem: nunc ex amicitia Auguſti, uiuo inter hoſtes capitales, qui mihi conflarunt hanc calamitatem: & inter media arma, quæ caput & uitam meam impetunt.

Tu procul à patria.] Tu mutatus erga me procul à ſolita tua humanitate & benignitate, à ciuilitate Romana.

Nec ſit mihi credere tantum.] Nec ſit mihi fas credere tantum flagitium: ſed ſic narrant.

Alpinas ah dura.] Mutatus in duriciem barbaricam, non contra alios, erga quos clemẽtiſſimus es, ſed cõtra me unũ. De Auguſti clemẽtia, Seneca libro de Clemẽtia.

Ah te ne frigora lædant.] Iam de me non ſum ſolicitus, ſed de te: ne immutato ingenio iſto tuo clementiſſimo & manſuetiſsimo, ex chariſsimo fias inuiſus.

Ibo & chalcidico.] Scribam Auguſto, me rediturum ad uitam priuatam, acturum procul ab urbibus & congreſſu populorum, inter literas & ſyluas.

Inter ſpel. fer. malle pati.] Solari deſideriũ, quod me ſemper de Cęſare ſequetur, quocunque me recepero.

Teneriſq; meos in cid.] Poematis mãdare amores meos, qui creſcent ſimul cum ipſis carminibus.

Non me ulla uetab. frigora.] Venena detractionum & inſimulationum, non impedient meas delectationes.

Tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris.] Ironia eſt: quaſi uerò ſic poſſem mederi huic meo caſui, aut amori meo erga Auguſtum.

Iam neq; Hamadryades.] Inconſtantia tumultuantis affectus, ut aſpernetur concupita, & concupiſcat paulò antè damnata.

Non illum noſtri poſ.] Cupidinem dominandi & zelum, ne quis attingat principatum, aut lædat, aut imminuat eius dignitatem, & authoritatem: hanc inquam cupiditatem nulla res poterit mitigare.

Dum ſedet.] Dum agit in ocio literarum, ut illic,

Studijs florentem ignobilis oci.

Et gracili.] Exercet ſtylum tenuem ac demiſſum, nempe de paſtoricia materia.

Hæc facietis maxima Gallo.] Sunt hæc quidem ex ſe parua: ſed ſi uos aſpiratis operi, & additis Geniũ, quem liber uicturus debet habere, fient maxima in laudem Galli. Vel parua hæc, uobis fauentibus uidebuntur Gallo maxima, optanti, ut fiſtula poetarum canat amoret ſuos.

Gallo cuius amor.] Vergilius amicus uerus & conſtans, quem uiuum dilexerat, non diſsimulat ſe mortuum diligere: & quod plus eſt, augeri ſibi illius deſiderium, non in dies modò, ſed etiam in horas.

Subijcit.] Vel ſurſum iacit, hoc eſt profert: à ſubſum, quaſi ſurſum, more priſco, uel Subijcit, hoc eſt ſubtus iacit. Nam arbores tantum ferunt ſub terra extendere radices, quantum ramos ſupra terram.

BREDÆ BRABANTICÆ,
ANNO 1537.

IO. LVDOVICI VIVIS
IN GEORGICA P. V. MARONIS
PRÆLECTIO AD ANTONIVM BERGENSEM.

NOLO præfari multa quæ forsan essent præterrem, contentus quatenus ad expositorem attinet, tria dixisse: de authore ipso, de opere, de eius materia: et quæ delectēt, & quæ breuitate sua fastidium non moueāt. Author est P. Vergilius Maro, is quem Latini homines unica Poetæ appellatione agnoscūt: nec minus ei tribuunt, quàm Græci Homero suo, cui secundū Vergilium omnes addunt, propriorē tamen, ut Domitius Apher dicebat primo quàm tertio. Admirationem et tantam gloriam non ei tempora atq; antiquitatem peperisse, ut alijs pleriscq;, sed summū ingenium, immensam eruditionē, admirabilia & prope singularia opera, uel ex hoc certū est, quòd suo tempore miraculo fuerit in urbe Roma, quæ tum erat domiciliū imperij orbis, parensq; bonarū literarū: neq; hoc faciebat solùm ipsa plebs, sed equites, sed senatores, Pollio, Varus, Mecœnas, Tuca, Cornelius Gallus, atq; adeò princeps ipse Octauius Augustus: quod idem Vergilius carmine quodam Bucolico id significat, licet allegoria quadam occulta, cuiusmodi totum illud opus est plenum, inquiens:

Tityrus hinc aberat, ipsæ te Tityre pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta uocabant.

Si libet post eum tempora inquirere, nullam ætatē usq; ad hanc nostrā inueniemus, in qua Vergilius non fuerit maxima in ueneratione. Caius Iulius Higinius cōterraneus meus commentaria in eum scripsit, qui fuit eius penè æqualis. Asconius Pædianus nonnulla in ipsum ædidit, qui non multo post Vergilium uixit. Tum Ouidius, Propertius, Seneca, Liuius, Persius, Quintilianus, Columella, quàm frequentē, quàm honorificam eius faciunt mentionē, quàm pari & candido consensu de illo loquuntur? Caligula quamuis hostis eius, uersibus tamen illius tanquam gemmis sententiarum interim utebatur, uelut in expeditione Germanica ad socios:

Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

Quanquam belluam illam Vergilianę inuidisse gloriæ mirandū non est, quæ uniuersis hominib. uiuentibus, mortuis, dijs quoq; ipsis inuidit. Commētaria noctiū Atticarum Auli Gellij satis indicāt, nihil eius temporibus, quæ fuerūt Principibus Neruis et Antoninis, tam in manibus atq; studijs omnium fuisse, quàm Vergilium. Æmulus Gellij Macrobius, quid aliud est q̄ præco laudū Vergilianarū? Et quamuis breuitati studēs multorū de Vergilio præclara testimonia silentio transeā, illud tamē Propertij suauissimū carmen, q̄d est de ipso Verg. in quadā eius libri secūdi Elegia, quo minus adducā, nequeo mihi temperare: faciamq; id fortasis non magis ego affectatè, quàm ipse idē Propertius fecit, qui leui ex occasione in laudes excurrit Vergilij; canit itaq;,

Actia Vergilium custodis littora Phœbi
Cæsaris, & fortes dicere posse rates,
Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma,
Iactaq; Lauinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij,
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus,
Vtq; decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & in presis hœdus ab uberibus:

Felix

Felix qui uiles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat:
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias,
Quamuis ille suas lassus requiescat auena,
Laudatur facileis inter Amadryadas:
Tu canis Ascræi ueteris præcepta poetæ,
Quo seges in campo, quo uiret uua iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

Propertius quidem hæc. Quid quòd per omnes ferè ætates, sortes etiam ex Vergilianis uersibus petebantur. Sors exijt Ælio Hadriano:

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra,
Missus in imperium magnum.

Alexandro Mameę filio, in templo Vestæ Prænestinæ duo illa hemistichia extiterũt pro sortibus:

Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris.

Et quum de artibus uitæ sollicitaretur, fuit sors:

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem, uiuos ducent de marmore uultus,
Orabunt causas melius, cœliq; meatus,
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Ipsa etiam deorum oracula Vergilianis uersibus reddebantur, ut Aurelio Claudio in Apennino de filijs consulenti, responsum est uersu illo:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

De fratre uerò Quintilio:

Ostendent terris hunc tantùm fata.

Clodio Albino Baianus Apollo respondit:

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq; rebellem.

Principum cantiones, apophthegmata, peculiaria dicta, uersus erant Vergiliani. Augustus uisam pro concione pullatorum turbam, indignabundus illo uersu reprehendit: En, inquiens,

Romanos rerum dominos gentemq; togatam?

Hadrianus de Ælio Vero canere solitus erat:

Ostendent terris hunc tantùm fata, neq; ultrà
Esse sinent, Addens,
—Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamq; nepotis,
His saltem accumulem donis, & fungar inani Munere.

Prima illa Gordianus senex de filio cantitabat:

Ostendent terris hunc tantùm fata, neq; ultrà
Esse sinent: nimium uobis Romana propago
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Antonius Diadumenus Opilio Macrino patri coniuratis parcenti, illa scripsit:

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem,

Aſcanium ſurgentem,& ſpes hæredis Iuli
Reſpice,cui regnum Italiæ Romanaq; tellus Debetur.

Clodius Albinus,& in ſchola puer admodum,& iam maturior æuo, in principatu il lum uerſiculum frequentem in ore habuit,

Arma amens capio,nec ſat rationis in armis,
Repetens. Arma amens capio.

Tetricus ab exercitu qui in Gallia merebat factus imperator inuitus Aureliano Auguſto,hemiſtichium illud ſcripſit:

Eripe me his inuicte malis.

Sed longum eſſet omnia ſigillatim perſequi,quibus imperatores ex Vergil. uſi ſunt, idcirco plura huius loci prætermittam.At uerò Seuerus Alexander tanquam Deum Vergilium coluit,quem poëtarum Platonem nominabat,eiusq; imaginem in ſecundo lararío collocauit cum imaginibus Ciceronis,& Achillis,qui erant ipſi pro diis. Videte iam qui uiri fecêre cõmentaria in eum,quorum quidem aliquid extet,Donatus, Seruius,et ante hos Probus Valerius,principes omniũ grammaticorũ Latinę linguæ.Tranſeo Aſperũ, quem Hieronymus in Vergiliũ & Saluſtium cõmentarios ædidiſſe tradit.Nam nihil eorum ad nos peruenit,niſi perpaucula quædã,& ea citante Seruio grammatico.Placét ne accedere ad ſcriptores noſtrę religionis,et ad hanc noſtram tempeſtatẽ,& planè litterarũ fecem. Quàm affectatè Hieronymus utitur Vergilio,ita ut intermiſcendorũ aliquorum uerſuũ eius captet undiq; occaſiones,quàm putat ornari ſuam orationẽ,quantũ decoris exiſtimat accedere dictis illius? Auguſtinus idem facit,qui & teſtis eſt, à pueris propterea ſolere addiſci,ut teneris imbibibitus annis præclariſsimus atque optimus poeta, obliuioni nequeat dari.Iam politiſsimus author quem noſtra uidit ætas,Angelus Politianus,deliciæ muſarũ Latinarum, nõ modò in eum præfationẽ illam carmine elegantiſsimo ſcripſit,quæ dicit Ruſticus,atq; in hoc ipſum opus,quod nobis in manib.eſt,Georgicorũ,ſed publico interpretatus eſt auditorio,reliquos omnes penè innumeros placet ſilentio præterire, quippe quum tot animo occurrãt meo,ut illorum nomina expedire quî poſsim,non uideã. Sed quid eſt,quòd tot uiri,tot ingenia,tot ætatib. omnes tam admirati,tam uenerati ſunt,tam coluerũt noſtrum poetã? Ego ſanè quid aliud eſſe crediderim, quàm uerſibus eius admirabilem ineſſe uim docendi,delectãdi,ac mouendi. Nam hæ ſunt uirtutes ſummi ac abſoluti oratoris: quibus ipſe audientes omnes, quocunq; collibitum fuerit,non modò libenter hilariterq; ſequentes ducit,ſed inuitos atq; repugnantes,aut trahit aut impellit. Vergilius quum narrat, perinde ducit nos in rem prę ſentem,ac ſi eam oculis contueremur.Verbis enim aptiſsimis id facit,quæ ſi uel paulum commutes,non idem habeant uirium,non illam energiã.Liceat mihi à Quintiliano mutuare,quod ipſe de Græco Homero dixit, noſtroq; accõmodare Homero Romano.Hunc nemo in magnis rebus ſublimitate, in paruis proprietate ſuperauit. Idem lætus & depreſſus,iucundus & grauis,tum copia,tum breuitate mirabilis, nec poetica modò,ſed oratoria uirtute eminẽtiſsimus.Quid de mouendis affectibus loquar? quibus ipſe interim concitatur,ardet,rapitur illo poetarum furore,fulminat,tonat,ut de Pericle dicebat ille. Potéſt ne quicquam affectuoſius dici,ut reliquos omittam libros,ipſo quarto Æneidos? in cuius nõnullis locis teſtatur diuus Auguſtinus ſeſe nequiuiſſe lachrymas cohibere,ut illic,

Diſsimulare etiam ſperaſti perfide tantum
Poſſe nephas,tacitusq; mea decedere terra?

Et aliquanto pòſt:

Dulces exuuiæ,dum fata Deusq; ſinebant,
Accipite hanc animam,meq; his exoluite curis.

Quòd ſi delectatio quæritur,quid poteſt ne effingi quidẽ hoc ipſo Georgicorũ opere delectabilius? In quo aggredior ſecundã partem noſtræ diuiſionis. Atq; equidem inter maximos authores,ſic ferè uideo conſtare,quũ tribus ſuis operibus,Bucolicis, Georgicis,& Æneide,tres ſibi propoſuerit maximos Græciæ poetas,quos imitare-

tur,

tur,quos uerius æmularetur, & cum quibus certaret. In Bucolicis assequi nequiuit Theocriti gratiam,tametsi nõ longè abfuit.In Æneide multis uiribus luctat cum Homero, modò succũbit eius maiestati & uirtuti, modò pari cõtendit robore, & æquat Græca illius suis Latinis,interim superat illũ,aut Romana grauitate uincens ueneres Græcas,aut recẽtiore inuẽtione rudiusculã uetustatẽ. At in Georgicis Hesiodũ sine cõtrouersia superauit,et in cursu multis stadijs post se reliquit.Opus est in primis tam uariũ,q̃ est ipsa natura in frugib.in pecore,in apibus,plenũ multæ magnæq̃ eruditionis.Taceo fabulas poeticas,quãta ineſt cœli,syderumq̃ notitia, uentorũ,tempestatũ, tranquillitatũ,serenitatis,nubiũ,pluuiæ,q̃ certæ prænotiones, q̃ uaria cognitio historiæ,quanta antiquę religionis,quãta rustici iuris morumq̃,q̃ ampla secretorũ naturę cognitio,q̃ admirabilia rerũ ingenia. Fuit enim uir ille nõ Latinè solùm doctissimus, quod ad poetã satis hodie putãt esse indocti,uerùm summus medicus,summus astrologus,summè omnib.philosophiæ numeris absolutus:cuius rei,si quod q̃ eius monumentum esse potest argumento, hoc certè Georgicum est. Videat ne quis grammaticulus accedat ad eius enarrationem sine multa notitia antiquitatis,sine astrorum peritia,sine scientia historiæ, & quod in primis necessum est,sine magna cognitione linguæ Latinę,& Romani populi legibus,morib. ac institutis.Sed frustra præcipimus, nihil est tam grande, quod nõ audeat cõtingere,nihil tam sanctũ, quod nõ polluat & prophanet audacia grammatistica.Verùm nos rem nostrã agemus. Tum igitur sciat etiam tria esse apud oratores dicẽdi genera,quas nõnulli ex eis figuras appellãt,sublime,mediũ,& humile,qualia in tribus ex heroibus qui ad Troiam pugnarunt, fuisse tradunt:ut in Menelao,acuta humilitas,et Laconica pauciloquẽtia:in Nestore,mediocritas melle dulcior:in Vlysse,sublimitas illa cõcitatior,rapacior torrẽtibus,ardens affectibus,& nihil nõ efficiẽs astutissima illa eloquẽtia copiosa & Asiatica. Hæc tria genera Vergilius tribus effinxit operibus. Bucolico nihil humilius : quid concitatius, quid excelsius Æneide? Georgica nostra medium seruãt:in quibus ego cum plerisq̃ doctissimis uiris semper existimaui multo eum esse præstantiorem q̃ in Bucolicis & Æneide,pro suo quodq̃ genere accipiamus:sublimior est Æneis, at forsitã non illius sublimitatis culmẽ assecuta.Media sunt Georgica,at mediocritatis fastigiũ tenẽt.Cuius rei causas ego has esse arbitror : tum quòd maxima opus hoc scripserit cura, multum polierit,multũ elaborauerit. Quotidie nanq̃ cum è lecto surgẽs,traditũ est enim memoriæ,nõnullos uersus dictasset,eos deinde per diem totũ retractando ad paucissimos cæterùm optimos redigebat. Idcirco se more ursæ fœtus suos informes dicebat parere,ac postea lambẽdo formare atq̃ perficere. Deinde quòd emẽdauit Georgica simul cum Bucolicis:Æneidẽ uerò ah nõ,emẽdaturus si licuisset erat.Indicio est in calce Georgicorũ titulus appositus,licet more illorũ Græcorũ artificum pendens, sed tanquam testimonium authoris sua penè approbantis opera.Versus sunt hi:

Hæc super aruorum cultu pecorumq̃ canebam,
Et super arboribus,Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello,uictorq̃ uolentes
Per populos dat iura,uiamq̃ affectat Olympo,
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope,studijs florentem ignobilis oci,
Carmina qui lusi pastorum,audaxq̃ iuuenta
Tytire te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Denicq̃ quum Vergilius colonus in agris natus, ruri educatus,atq̃ inibi multũ uersatus fuerit,melius de agris,de pecoribus,tanquã de peculio suo præcipere ac disserere optimus paterfamilias potuit,quàm de alia quauis re,& quamuis alia bene,hoc tamen optimè,hoc summa felicitate exequutus est. Absoluam breuissimè tertiam partem de operis materia,ea est rerũ rusticarũ & planè totius humanę felicitatis,quam uitam illi ipsi maiores quos solos felicissimos iudicamus egere,tum quum nondũ urbanę delicię inuẽtę erãt.Hoc est planè carnificina uitę,quumq̃,ut Germanicus inquit,

Nondum uesanos rabies nudauerat enses,

Nec

Nec consanguineis fuerat discordia nota.

Iustitia cum hominibus uersabatur,& aureum erat sæculũ illud celebratissimũ. Vbi uerò primùm agros desiimus inhabitare cõclusi urbium sæptis iustitiam exclusimus, inueximus non tam miram quàm miserã uiciorum malorumq; segetẽ: ibi inuidia,dolus,frausq;,aliud ore promptũ, aliud pectore clausum gerere: ibi quæstus flagitiosi, periuria,homicidia,et reliqua humanę uitę tragœdia,quũ nulla esset ut sanctior,ita selicior,simplicitas agresti,nec melior quæstus. Vultis recipere Catonis illius senioris, id est,planè ipsius Romanæ grauitatis testimoniũ,quẽ unũ optimũ Oratorẽ,optimũ senatorẽ,optimumq; imperatorẽ suo tempore homines appellarũt.Is in lib.de Re rustica ad filiũ,sic inquit: Et uirũ bonũ maiores nostri quũ laudabãt,ita laudabãt,Bonũ agricolam bonumq; colonum:amplissimè laudari existimabaẽ,qui ita laudabaẽ. Mercatorem aũt strenuũ studiosumq; rei quærẽdæ existimo,uerùm,ut suprà dixi,periculosum et calamitosum.At ex agricolis et uiri fortissimi,et milites strenuissimi gignuntur,maximeq; pius quæstus stabilissimusq; consequitur,minimeq; inuidiosus,minimeq; malè cogitantes sunt,qui in eo studio occupati sunt. Hæc ille prudẽtissimus senex,qui de rusticis rebus primus sermone Romano tradidit. Ac ne sim ego in uita rustica laudanda iusto prolixior,nẽ ue præteruertã quæ in fine secundi libri Georgicorum,de illius fructu,oblectamentis,felicitate sumus dicturi,quem locũ mira cum gratia Vergilius tractauit,uno argumẽto claudam hunc meũ sermonẽ, quo solo satis superq; cõstare potest,nullum uitæ genus delectabilius,nullũ honestius,nullũ felicius esse.Maximi enim principes tædio negociorum affecti,nihil aptius duxerũt, quo illam molestiã animi leuarẽt,quàm in rus secedere:hinc illa Romanorũ quũ orbi præessent,tam frequẽs rusticatio.Nolo in testimoniũ aliquot adducere,ne cogar omnes. quis enim non rusticatus est,dum tædiũ,illamq; animi miseriam,quam in Vrbe acceperat,leuabat, ac deponebat? Quin & Diocletianus Romanus imperator,nisi quòd pietatẽ nostram odit,cætera inter egregios principes numerandus,tanti principatus onere magno affectus tædio,nõ in rus secessit tẽporariũ, sed posita purpura,quũ conuiuisset uiros prudẽtissimos,quę nam esset felicissima tranquillissimaq; uita,eorum consilio Salonis ruri iucundissimo in ocio priuatus & cõsenuit, & placidissimè mortuus est, reuocatusq; sæpe per literas à collega ad reip.curam imperiũ totũ cum suo splendore & gloria ignobili orto posthabuit. Non placuit Cyro, minori regnũ Asiæ relinquere,at maximã diei partem agricolationi impartiebat,ipse suis manibus repastinans terram,arboresq; multo artificio serens. Nec erubescebat quòd ea quisquam sciret,quin ipse potius cultissimus alioqui ac splendidissimus rex ea se facere gloriabatur,& opera sua exterarum gentiũ legatis ostentabat. Laertem Vlyssis patrẽ Homerus in Odyssæa,nõ epulis,non talis, nõ ludis alijs lenientẽ filij desideriũ scribit,sed agro colendo et stercorãdo.Attalus minoris Asiæ opulẽtissimus rex populo Romano regni hærede instituto,ipse ruri totus se continebat,quin & de ea re pleraq; conscripsit,quod etiam maximi principes ac duces fecêre, Hiero Syracusanus,Philometor,& Archelaus Reges,Xenophon,& Mago Carthaginẽsis Duces,ut intelligamus ea re præcipuè oblectatos.Non scripsit Deiotarus de illa,uerùm scribenda sibi multa à Diophane curauit ex libris Magonis Carthaginensis, & Cassij Dionysii Vticensis. Prætereo claros sapientia philosophos,qui de hac re monumẽta reliquere, quos M. Teren.Varro prolixo catalogo enumerat in principio sui de Re rustica operis,quod nobis etiam dabit obiter satis apertum argumentum.Nam cum M.Varro plura scripserit quàm quisquam Latinorum,nullum ex eius operibus ad nos peruenit præterquàm de Etymologia et Lingua Latina,mancum ac media plus parte truncum.id uerò de agricolatione perductum est, aut natura sanctissimam suam artem conseruante, aut hominũ diligentia, qui tantum huic utilissimæ exercitationi tribuebant, ut alia facilè sinerent perire,hoc colerent,frequenterq; transcriberent. An nondum hæc omnia argumenta satis probant,nihil oblectabilius, nihil sanctius, nihil felicius esse rustica uita? Quod maximi principes, quod sapientissimi uiri, quod prudentissimus & fortissimus populus dominus orbis terrarum Romanus,hanc unam uitam

& maximè

& maximè probarint,& egerint,quòd primæ ille nascentis primùm,deinde teneri & crescentis orbis ætates hanc uitam agentes ipsi tranquillissimè ac sanctissimè æuum transegerint,& nobis posteris suis in urbium corruptelis & perpetuis tormentis cruciatis admirationi sint. Indiciũ hoc magnũ est,duce natura, quæ rudibus illis primis hominib. fuit uiuendi magistra:neq; enim alium potuerũt habere doctorẽ:scientes rusticationẽ,hominis uerum esse exercitamentũ,quo bene beateq; (quatenus hæc mortalitas capit)uiui possit: siquidẽ nihil est aliud uiuere beatè,q; naturã sapientissimam uitę nostrę ducẽ,sequi. Non dissimulauit hoc Apollo ille,qui à Gyge Lydorũ potentissimo rege interrogatus quis nam esset beatissimus,Aglaum respõdit Prophodium agricolam quendam senem,qui aliam præter rusticam expertus non erat uitam,suiq; agelli nunquam excesserat fines. Versus nescio quot de hac re ex Politiano iuuat addere,quibus profiteor me uix unquam legisse politius,uix grauius quicquam:ij sunt in eius Rustico ad hunc modum,

Felix ille animi diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat,non fastuosi mala gaudia luxus
Sed tacitos sinit ire dies,& paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia uitæ,
Vrbe procul,uoti exiguus,sortemq; benignus
Ipse suam souet,ac modico contentus aceruo,
Non spes corde auidas,non curam pascit inanem,
Securus quò sceptra cadant,cui dira minentur
Astra,& sanguinei iubar exitiale cometæ,
Non illum fragilis fauor,indocilisq; potenti
Plebs seruare fidem,euectum popularibus auris
Casuro imponit solio,nec ducit hiantem
Huc illuc uanos ostentans purpura fasces,
Non mentem pauet ipse suam,nec conscius omneis
Exhorret strepitus,nec edaci pectora culpa
Carpitur occultè.

Hæc atq; alia eodem pertinentia Politianus in Rustico. Hactenus de oblectamentis & tranquillitate rusticæ uitæ sum locutus. Expectatis ut de utilitate eius aliquid etiam loquar. Atqui locus hic immensus est,& à quo uix me hodie queam explicare, & uidetis iam me plura quàm forsan æquum est,præfatũ. Verùm unum hoc pro tam multis esto satis,uitam hominum sine ludicris,sine sellularijs artibus, sine dialectica, sine rhetorica,sine grammatica,sine geometria,sine litibus,& controuersiis iuris,sine reliquis ferè omnibus artibus agi cõmodè posse: sine agricolatione et rusticis artibus, nullo mdo posse. Hæc igitur est nostri operis materia,ut intelligatis, quàm sit utilis, quamq; dulcis,ac humanis usibus necessaria,quàm etiam uersibus suis dulciorẽ multo Vergilius reddidit. Neq; uerò solum tanti authoris carmine fructũ cum uoluptate accipietis,uerùm etiam ipsa carminis materia,uel tenui,humillimaq; dicẽdi forma scripta,omne fastidiũ lectionis leuaret:ita ut mirari ego plerunq; soleam,res infimas abiectissimo cõscriptas stilo,uenerandam simul & admirabilem præ se ferre maiestatem. Quis character dicendi demissior Catone,Varrone, Columella,Palladio? De fossione disserũt,de rastris,de aratris,trahis, uindemijs, de inoccatione, repastinatione,semente,messe,de fimo,ac stercoratione ipsa,& nihil existimes dici posse suauius, nihil scribi sanctius,nihil præcipi grauius atq; sublimius. Idem in locis illis Iuri ciuilis usu uenit,de fundo instructo,de seruitutibus prædiorum rusticorũ,finium regundorum,de aqua quotidiana & æstiua,de fonte & riuis,& alijs plerisque, quos tamen quis intelligat, nisi qui rusticæ artis norit uocabula, quæ nobis omnia in hoc opere explananda sunt,& ex certissimo Romani sermonis fonte haurienda. Aggrediamur igitur,Deo bene fauente,summi Latinæ linguæ Poetæ elaboratissimum opus, de re, quæ uitæ mortalium & dulcissima,& fluctuosissima,& optima est.

IO. LVDO.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI IN SVETONIVM QVÆDAM.

AD HIERONYMVM RVFFALDVM.

SVETONIVM esse acephalum, ut Curtium, ut aliquot orationes Ciceronis, ut nuper etiam Tacitum, duobus potissimum argumentis colligitur. Tum quòd non solet gentis ac familiæ prætermittere Cæsaris eius, cuius uitam exordítur: de Iulia nulla mentio, quum sit maxime illustris, & memoratu digna. Tum quòd in uetustis exemplaribus hoc habetur initiũ, Annũ agẽs sextumdecimũ: prętermisso Cæsaris nomine: ut appareat prius fuisse de illo locutum. Nos igitur quandoquidem spes non est, quod desyderatur, fore ut aliquando existat, ex ueterum scriptorum lectione, quantum industria ac studio consequí potuimus, eum locum studiosæ iuuentuti expleuimus. Si quando id ipsum in lucem prodierit, quod Suetonius scripsit, facilis erit tantuli mei laboris iactura. Suetonij phrasim æmulatus sum, & obseruationis díligẽtiam. Cui non satisfecero, næ is haud magnum acceperit damnum exiguæ chartulæ, & breuissimi temporis, quod perdiderit, nostris legendis. Si cui placuero, is satis hoc ipso nobis præstiterit: sin displicuero, ab hoc ueniam petimus audaciæ. Dicamus tibi Hieronyme Ruffalde, auditorum meorum probissimo, ac proinde charissimo. Vale. Louanij, anno M. D. XXII.

IN VITA C. IVLII CÆSARIS.

DE GENTE IVLIA.

GEntem Iuliam pro indubitato creditur ab Iulo Æneę filio manasse, qui Lauinio relicto, Albam longam condidit, in qua & regnauit: eo mortuo, quum ad Ascanium Lauiniæ atq; Æneæ filium Latinum rediisset regnum, cura sacrorum cæremoniarumq; Latinę ac Troianæ gentis penes sobolem Iuli mansit, ex qua sunt Iulij: hos cum alijs quibusdam nobilissimis Latijs familijs Tullus Hostilius Romanus Rex postquàm Albam diruisset, Romam transtulit, ac in patres cooptauit. Serò ad magistratus ac honores emerserunt, nempe inter patritios maiorum gentium ferè postremi, anno Vrbis centesimo altero, & trecentesimo Cn. Iulio decemuiro legibus scribendis priore eiusce magistratus lectione: omnis dehinc generis honores & dignitates nacta, mansit in patriatu & ordine Senatorio, mediocribus opibus, nullo insigniter præstanti uiro, factisq; præclaris illustrior.

CÆSARVM FAMILIA.

IN Iulia gente, familia fuit Cæsarum: qua ratione cognominis, haud liquet, nec cui primùm contigerit. Nam ante Cæsarem dictatorem patremq; eius & auum, Iulij Cæsares fuerunt: ut illi qui Punico bello secundo, à Senatu ad Crispinum consulem de dictatore dicendo missus est. Cæsares uerò consueuit Romanus sermo cognominare eos, qui uel cæso matris utero, uel cum cæsarie nascerentur, uel oculis essent cæsiis. Addunt quidã de elephanto in Africa occiso, quem indigenæ cæsarem uocent, eamq;

camq; ob cauſam cognomen hoc primùm auo dictatoris contigiſſe:ſed qui hæc tradunt,infimæ ſunt authoritatis, nempe Spartianus & Seruius : neque enim ſola illius progenies ex Iulijs hoc cognomen habuit:ſed alij, & ante eum multi,& cum eo gentiles illius pleriq;.Conſules ante dictatorem fuerũt, Sextus Iulius Cæſar cum L. Martio Philippo,initio belli ſocialis:ſequenti anno L.Cæſar cum Rutilio Lupo.nec ante hos clarus quiſquam fuit Cæſarum, aut ſummo magiſtratu Romæ functus. Multis pòſt annis conſulatũ ex eadem familia adeptus eſt L.Cæſar,Sexti filius,frater patrueIis L.Iulij Cæſaris,qui dictatorem progenuit.Hic ad præturam tantùm peruenit .Piſis dum mane calciaretur extinctus,nullo manifeſto morbo.

ORTVS CÆSARIS ET EDVCATIO.

NAtus fuit Cæſar Romę C.Mario & Lucio Valerio Flacco conſulibus,ad quartum Idus Quintileis : qui menſis poſt eius mortem lege Antonia Iulius eſt ea cauſa dictus:educatus apud Aureliam matrẽ C.Cottæ filiam, & Iuliam amitam Marij coniugem:unde illi patritio amor plebeiæ factionis,& odium Syllæ.Literas Latinas Græcasq;,tum & præcepta dicendi edoctus eſt à M. Antonio Gniphone homine Gallo,qui magno ingenio uir, ac ſingulari memoria, præterea moribus comis, & natura facilis,primò in ædibus L. Cæſaris patris Græcam Latinamq; Grammaticam & Rhetoricen docuit,hinc in ſuis ipſius,multa dicentium liberalitate conſequutus, quum nunquam paciſceretur de mercede.Fuit Cæſar admirabili docilitate,& ad dicendi facultatem appoſitus.Sermo eius Latinus excultus eſt domeſtica conſuetudine ab Aurelia matre, quæ purè ac eleganter Romanè loquebatur, ut Mutiæ, Læliæ,Corneliæ,& aliæ primariæ matronæ,in quarum familijs inſignes oratores extiterunt.

LOVANII,
1521.

BASILEÆ, PER NIC. EPISCOPIVM
IVNIOREM, ANNO
M. D. LV.


EPISCOP.

M. DANIELI

D.

COCCIVS

L

Catalog

D F. I 8

f. T. 14.

Ulrich Koch
an
Daniel Wieland.

Monsieur, Fisc.

N. 100.

SECVNDVS TOMVS

IO. LODOVICI VIVIS VALENTINI

OPERVM, QVO QVÆ COMPLECTANTVR, VERSA facie cognoscere licet.



MUSEUM REM. FÆSCH BASIL.

Τῆς ὠλιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo ad quinquennium, & Regis Galliarum in decennium.

BASILEÆ, ANNO MDLV.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK BASEL

Catalogus librorum Io. Lodouici

Viuis, qui in hoc ſecundo tomo continentur.

De initijs, ſectis, & laudibus philoſophię, liber unus.	pagina 4
Anima ſenis, ſiue prælectio in librum de Senectute Ciceronis.	15
Somnium, ſiue prælectio in ſomnium Scipionis apud Ciceronem.	21
Vigilia, ad ſomnium Scipionis.	44
Introductio ad Sapientiam.	70
Satellitium animi, uel Symbola.	96
τριθλιακὸν Ieſu Chriſti.	118
De tempore quo natus eſt Chriſtus.	120
Veritas fucata, ſeu in Triumphum Chriſti præfatio.	127
Ieſu Chriſti Triumphus.	131
Clypei Chriſti deſcriptio.	137
Virginis Deiparæ ouatio.	141
In ſeptem Pſalmos pœnitentiales meditationes ſeptem.	147
De paſsione CHRISTI meditatio.	193
Excitationes animi in Deum.	199
Commentarium in orationem Dominicam.	209
De ſudore IESV CHRISTI, ſacrum diurnum.	258
De ueritate fidei Chriſtianæ, libri V.	286
De anima & uita, libri III.	497
De officio mariti, liber unus.	595
De inſtitutione fœminæ Chriſtianæ.	650
De concordia & diſcordia.	760
De pacificatione, liber unus.	863
De conditione uitæ Chriſtianorum ſub Turca.	882
De ſubuentione pauperum.	890
De communione rerum ad Germanos inferiores.	923
Epiſtolæ uariæ.	932

Omnia cum Indice, in quo nihil deſideres.

IO. LVDOVICVS VIVES VALENTINVS, HERMANNO COMITI NOVÆ AQVILÆ, VIRO CLARISS. S. P. D.

CREDO NEMINEM FORE, QVI ME FE-rat, si tuam istam tantam eruditionem, si probitatem incredibilem morum, quæ omnibus in illustri sunt, meis tentauero laudibus efferre, hoc est planè ἡλίῳ τὸ φῶς δᾴδα. Ideo & huic epistolæ præcipua illa deerit pars, quę esse solet in nuncupatorijs, de laudibus eius, cui opus dedicatur. Facies æqui & boni, ac æstimabis pluris uirtutes tuas per se omnib. esse probatas, quàm per alienum præconem. Ipsæ enim sese singulares, & planè diuinas suis actibus apud totum orbem prædicabunt atque ostendent, nec præcone indigebunt, ut olympionices illi, & cæteri Græciæ hieronicæ. Illud ergo solùm nunc dicetur, quum persæpe quæsierim occasionem, qua ostenderem tibi animum erga te meum, ea in re, quæ foret tibi gratissima, quam mihi iamdudum exploratum erat, librum aliquem futurum. Sunt enim unicæ quæ tibi placent literæ, oportunitatem mihi modò me nactum uideri, compositò à me de Philosophiæ initijs, sectis, & laudibus, inter nugandum (ut soleo) opusculo. Quod ego, quo minus quamprimùm ad te mitterē, qualiscunq; operæ esset, nihil cunctandum duxi: non ignarus, quicquid tandem fuerit, modò literæ, te consulturum optimè. Probauit etiam institutum hoc, auxitq; animū Pascasius Berselius, homo mihi per quàm amicus, Doctorum omnium, ut est ipse longè doctissimus, sed in primis tui admirator, adoratorq;. Dico ergo tibi hac lege, ut scias libellum non ad te ire censorem Persium, sed amicum Lælium.

Vale.

LOVANII, ANNO 1518.

IO. LVDOVICI VIVIS
VALENTINI DE INITIIS, SECTIS, ET LAVDIBVS PHILOSOPHIÆ.

INTER OMNES QVI ALTIVS MORTALI HVMIlitate exeruere ſanctiſsima atq; diuina capita, conſtat unam philoſophiã munus illud eſſe, quod à diis immortalibus maximum optimumq; nobis donatum eſt, quæ ſola homines reddere perfectos poteſt, & ad bene beateq; uiuendum (quæ ſumma eſt uotorum omniũ) perducere. Hæc uerò ſiue donũ, ſiue munus, ſiue (ut alij uocant) inuentum deorum, quale omnino ſit, difficillimũ explicatu. Veritas, ut Democritus aiebat, altiſsimo in puteo demerſa latet. Quónam uerò modo ad nos uſq; peruenerit, rerum ſcriptores intricarũt, obſcurumq; reddiderunt, dum aut ad ſuam quiſq; gentem trahit tantorum gloriam initiorum, aut ad eam cui maximè fauet. Nobis uero probatiores ſequi autores, & ueriſimiliora affirmare fuerit ſatis, quibus unuſquiſq; contentus nimirum erit, qui tantam rerum uſq; adeò procul à noſtra memoria poſitarum obſcuritatem paulùm conſiderarit. Fuêre olim primis illis renaſcentis terrarum orbis temporibus. Nam de mundi origine, uſq; ad eam inundationem, quæ ætate Noæ fuit, nihil attinet loqui, quarũ perexiguam quandam hiſtoriam, atque eam implicitam plenamq; myſterijs ex arcanis gentis Hebrææ monumentis erutã, in quibus illa inerant, quæ in columnis duabus ſunt à filijs Seth conſcripta, literis ipſe tradidit Moſes. Fuêre itaq; per ea tempora magni quidam (ut credi par eſt) uiri, qui beneficio Dei res iſtas inferiores contemnerent tanquam inſtabiles, fluxas, uanásq; : ac ſuperiora, utpote nobiliſsima, multóq; alijs præſtantiora demirati, totum ad ea conuerterent animum, ut corpus hoc hîc tanquam in domicilio deſerentes ſuo, ætherea ipſa mente ſuperuolarẽt, totiq; mente uiuerent. Quod hominum genus uarij uarijs nominibus appellauerunt. Apud Hebræos eius prophetæ nominati ſunt, quaſi futura uidentes. Apud Ægyptios uerò uates, ſacerdotésq;, ſemina, regiæ ſeminarium dignitatis. Habuêre ſuos Druydas Celtę ſyluicolas mortiſq; amicos, uelut uiæ cuiuſdam ad alteram immortalem melioremq; uitam. Brachmanæ Æthiopiam incoluêre. Indiam Gymnoſophiſtæ, id eſt, nudi ſapientes, quorum dogmatis Buddam fuiſſe principem ferunt. Hiſpanos tametſi de nomine parum liquet, antiquiſsimos tamen habuiſſe ſapientes magni ſunt autores qui tradant, & ſapientiæ ſtudio ante Græcos, cæterasq; gentes, præter Hebræam, deditos fuiſſe. Perſarum uerò fuêre magi, quorum primus Zoroaſtres extitit, is qui fertur quo natus eſt die riſiſſe. Magi, quaſi ſapientes dicti, quemadmodum etiam primi illi Græciæ Orpheus, Muſeus, Linus, Amphion, & ij qui à Thalete Mileſio ad Pythagoram Samium rerum ſe ſe cognitioni dederunt. Illi uerò ſeptem in primis, ad quos Apollinis reſponſo delata eſt aurea menſa, ceu ad totius Græciæ ſapientiſsimos, qui omnes de rerũ naturis multa licet hallucinatione diſſerebant, prorogata ſenſim eſt eruditio. Auſus eſt Gorgias Leontinus maximo Græcorum conuentu rogatores omnes prouocare, nullum reformidãs, ut quæret quiſq; qua maximè de re audire uellet, reſponſurum ſeſe ad omnia profeſſus. Idem ludis Olympijs Hippias fecit. Deinceps uulgare fermè Græcorũ fuit: quorum omnium ſtudij bona pars de cœlorum erat cognitione obſeruata multis ſæculis, traditáq; à primis illis Chaldæis & Ægyptijs, apud quos Vulcanum, qui primordia aperuerit philoſophiæ, è Nilo prognatũ affirmant Linum, item Eubœum à Mercurio & Vrania ob aſtrorum peritiam, lyræq; inuentæ laudem, genitum perhibent. Nam Mercurius lyræ monauliq; fuiſſe autor creditur, & Vrania apud Pœnos ipſa luna eſt, apud Græcos uerò Muſa, cui de cœleſtibus cantare munus obuenit.

Atlantem

Atlantem etiam Lybem ſuſtinuiſſe humeris cœlum produnt,& diſcipulum Herculem ei ſucceſsiſſe,quòd ille (ut Plinius ſcribit)aſtrologiæ ſphæræq; fuerit inuẽtor,hic uerò diſcipulus,& inuentæ artis hæres. Quæ in Græciam poſtmodum adducta,multa magnáq; accepit incrementa.Endymion nanq; uariam illam atq; inſtabilem Lunę naturam ſcribitur primus deprehẽdiſſe,captusq; ideo fertur eius amore,qui repudiatus primùm,pòſt depaſtis eius albis gregibus,ſi fabulis credit,cum in Lamio Cariæ monte obdormiuiſſet,à Luna ſuauiatus eſt,necdum tamen ex eo ſomno eſt experrectus.Thales Mileſius Cynoſuram illam paruam notauit,

Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe,
Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto.

Solis defectum Olympiadis octauę & quadrageſimæ anno quarto futurũ prædixit, qui fuit à Roma condita annus centeſimus & ſeptuageſimus. Eiuſdem Solis curſus cõuerſionésq; perſcrutatus eſt,cuius Lunæq; contulit inter ſeſe magnitudines. Huius uerò diſcipulus Mileſius Anaximãder Lunam luce lucere aliena cognouit,obliquitatémq; ſigniferi docuit,hoc eſt, totius cœli aperuit fores, γνώμονα horologium σκιοτέρικον ad horas ex umbra diſtinguendas à ſe excogitatum aprica patentiq; Spartani fori parte,non ſine magna omniũ admiratione locauit.Huius porrò generis machinulam Marcus Varro author eſt,non ante primum Punicum bellũ Romæ uiſam eſſe, translatam ex Catina Siciliæ ciuitate à Valerio Meſſala Conſ. parum ad horas cõgruentibus in Latio hemiſphærio lineis.Quamuis Fabius Veſtalis Lucium Papyrium Curſorem horologiũ primùm ſtatuiſſe ſcribat ad ædem Quirini,quam à patre ſuo Dictatore uotam Conſs. ipſe uictis Samnitibus dedicauit,annis ante Meſſalam Conſ.triginta. Sunt qui totam nauticam aſtrologiam eidem ipſi acceptam referant Thaleti.Pluribus Phæci fuiſſe Samij placet,cuius ciuis Pythagoras Veſperi naturam prodidit,obſeruauitq; eundem eſſe ἑωσφόρον & φωσφόρον. Signa in zodiaco Cleoſtratus oſtendit,primúmq; Arietis,à quo cœleſtium rerum periti nouum ſuum auſpicantur annum. Quantam æſtimamus hanc fuiſſe oblectationẽ? Quales homines illos, quos rectius immortales dixerimus deos,qui ſupra tecta noſtra,imò uerò ſupra corporis ſui elementa ſeſe extulerant. Et quod gygantes immani corporis robore aſſequi nequiuerũt,hi uiribus ſuorum ingeniorum nixi,cœlos ipſos penetrarunt. Quis credat ipſis totum hunc ſublunarem non ſorduiſſe orbem, præ diuino illo domicilio,in quo non modò quid rerũ in uniuerſo geratur mundo,ſed quid etiam futurum ſit,quibúsq; de cauſis proſpexerũt,tradiderũntq; ſocijs ſuis mortalibus eruta ex ſanctuarijs ipſius naturæ, tanquam antiſtites illius, conſiliorúmq; eius participes. Macti eſte ingenio, cœli interpretes, totius naturæ rerum capaces. Quorum ingens excelſáq; mens cunctas Regum atque Imperatorum opes longè ſuperat. Vos enim ſine illis beatiſsimè uiuitis, illi uerò populiq; omnes ſine ueſtris inuentis ne uiuere quidem poſſent.

Felices animæ,quibus hæc cognoſcere primùm,
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt,illas pariter uicijsq; iocisq;
Altius humanis exeruiſſe caput.
Non Venus,& uinum ſublimia pectora fregit,
Officiúmq; fori,militiæq; labor,
Nec leuis ambitio perfuſaq; gloria fuco,
Magnarúm ue fames ſollicitauit opum,
Admouere oculis diſtantia ſydera noſtris,
Ætheráq; ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur cœlum,non ut ferat Oſſan,Olympus,
Summâq; Peliacus ſydera tangat apex.

His oblectamentis ut tantiſper cœlum deſiſterent perambulare, ut tanto interquieſcerent conſcenſu,nec dulci tamen uacarent uoluptate,ſucceſsit Muſices,id eſt ſonorum concentúsq; peritia, quam quum ad cælorum harmoniam inueniſſet, quiſquis

fuit ille tam mirandæ inuentor rei, siue Thubal, siue Dionysius. In rerum quoq; altissimarum contemplationem concentus illius dulcedine permulcti miro cum desyderio efferebantur, et ipsas res excelsas cæterasq; non minus admirabiles ex illis tamen profectas lyræ, citharæ, fistulæ sonis modulabantur. Sic Orpheus, sic Linus, sic Vergilianus: —Cithara crinitus Ioppas

Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas,
Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores,
Vnde hominum genus, & pecudes, unde hymber & ignes
Arcturum, pluuiasq;, hyadas, geminosq; triones,
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, uel quæ tardis mora noctibus obstet.

Atq; ita musicis oblectabantur, ut hæc illorum animos è corpore ferè educerent. Pythagoram ferunt quoties cubitum iret, quoties cubitu surgeret, lyræ sonis animum demulcere ac componere solitum, ut altius saperet humanitatem, quem morem ex Pythagoreis Pythagorici per manus excipientes diutinè tenuerunt. Hinc prima olim hæc sapientia credita est, qua, ut Horatius canit, molliti ac mansuefacti homines cicuriores ex efferatissimis redditi, in sententiam musici bene monentis iere, ut relictis specubus casisq;, quas seorsum singuli inhabitabant, coirent in conuentus iura communia ciuitatum, & in societate, ad quam sua sponte humanum ingenium fertur, uiuerent ueri iam homines facti. Tanto ex beneficio Orpheum lapides mouisse finxit antiquitas, & feras feciſſe cicures. Idem præstitisse aiunt & Amphiona Iouis ex Anthiopa filium, cui citharæ inuentionem nonnulli attribuunt Pontico Heraclidi Platonis discipulo astipulanti, qui ex parente Ioue artem illum didicisse perhibet, quanquam Eusebius Zetum ipsius fratrem eius gloriæ participem facit: alij in Linum, plerique in Orpheum referunt. Et ne semper fabulas, quamuis neutiquam indoctas consecter, ad uires harmoniæ transibo. Timotheus Milesius modulis suis, quos uolebat, in Macedonem Alexandrum immittebat affectus, aliàs incitabat torpentem, aliàs incitatum atque adeò furentem reuocabat. Fama est & Empedoclem Agrigentinum cantiuncula quadam furibundum adolescentem nudoq; ferro hospitem impetentem suum compressisse atque sedasse. Verisimum quoque illud fuisse affirmant Apollinem certis quibusdam citharœdicis nomis à se inuētis uitam multis mortalibus produxisse, abstulisseq; feritatē. Et quamuis inuentio huius tam suauis tamq; amœnæ artis angustis primùm finibus fuerit cōclusa, diffudit se tamen brevi quàm latissimè. Nam ex testudine ad uocum humanarum cantus itum est, in quibus tot modulaminum, tot subinde carminum genera excogitata, tam uaria & mirę tamen omnia suauitatis, cuius rei principes Linus & Anthes Anthedonius fuere, quorum ille lamentabile carmen scripsit, elegum quantum conijcio. Hic uerò hymnos, quibus nō ita multo pòst succeſſere, Pierius, qui de Musis pleraque cecinit: Philamō & ab eo Thamira genitus, quem cum Musis certasse uetustas fabulata est, quiq; bellum Titanum uersu lusit. Demodocus item Corycæus, qui ante Homerum Iliada & Martis Venerisq; cantauit amores, uerùm in sonis, cum numeri egerent multitudine. In cœlis uerò, & ijsdem numeris & figurarum uarietate adiectæ sunt disciplinæ quæ de illis differerent, ac traderet. Arithmetica à numeris dicta, & Geometria, quæ à terræ mensura, cui etiam percommoda est, nuncupatur. Quæ porrò quatuor inter se artes quum tam uicinæ tamq; attiguæ sint, conflarunt unam studij atque oblectamenti rationē, quam dixēre Mathesin, quę nobis à discēdo disciplina nominata est. Quod ea essent una priscorum studia, quodq; certissima esset hæc sciendi uia. Nam philosophorū nationes & sectæ quum de rebus alijs ἐκ διαμέτρου dissentiāt, quum temerè ac fortuitò iactentur, hîc omnes in unam eunt sententiā, & non similia, sed eadem omnino tradūt præcepta. Quin eam primam scientiā & scholarum, id est humanorum exercitamēta ociorum, ferūt hominibus discēda Ægyptijs à Theut, ut Platonis Socrates in Phedro refert, simul cum literis data. Quem ego Theut (uerius Abrāamum esse crediderim) qui quum in Ægyptum ex Chaldæa transiisset literas illos, qua-

los,quatuorq́ has matheſeis edocuit,quæ à filijs Seth Adæ illius primi nepotibus in columnis duabus,lapidea una,lateritia altera,literarum cõſignatæ monumentis per Noam & Semum ad Hebræam gentem primùm peruenere. Ita literas, diſciplinas, mores,leges,Abraam in Ægyptum ſecum inuexit,quæ omnia pariter & circũciſionem ex Abraamicę familiæ inſtituto Ægyptij accepere. At uerò ſapientes deinde uiri ab eminẽtiſsimis illis rebus ad imas atq; adeò deſpicatiſsimã naturę partem ſenſim delapſi ſunt. Ne quid in hoc eſſet uniuerſi huius mundi horto,quod diuinus eorum animus tanquã ſolers quædã apicula non luſtraſſet atq; guſtaſſet. Vnde diffinita philoſophia eſt rerum & humanarũ & diuinarum cognitio. In hac itaq; parte,quę in uentis,quæq; in mari fiunt,magno ſunt ingenio percepta,hymbres, nubes, niues,grandines,fulgura,trabes,globi,faces,ardores,& reliqua ſerenarum ſpectacula noctium, uiciſſitudines lucis,tenebrarum,æſtus,rigoris, nubili,ſereni,effluxus, refluxúsq; maris,tempeſtatũ,tranquillitatũ. Tum & ad terram deſcenſum,in qua admirandũ naturæ ſeu Dei potius ſapientiſsimi intellexerũt adoraueruntq; artificiũ, uiriũ ſcilicet herbarũ,lapidum,metallorũ,quæ tam ſtupendæ ſunt,ut uix uel audiri,aut ſine horrore aut ſine ſumma admiratione queant. Hanc ſibi medicina partẽ uendicauit, quòd medendis hominũ corporibus, uires illæ à natura benigniſsima atq; indulgẽtiſsima matre tributæ uidentur, quæ mediusfidius res nõ tam admirabilis eſt, quàm toti noſtro generi ſalutaris. Obſeruata atq; deprehenſa partim magiſtris brutis ferisq;, partim audaci hominum experimẽto, partim Deo monſtrãte uiam. Hinc ars atq; inuentio eius in deos ipſos relata eſt. Ab Ægyptijs enim Mercurio defertur,atq; Api ſuis dijs,à Græcis Arabo Apollonis & Babylonis filio,quẽ nõnulli Æſculapiũ fuiſſe exiſtimant eum, quem ob Hippolytum uitæ redditum,fulmine ictum interijſſe tradũt.

Nam pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumen ſurgere uitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Quanquam non deſunt, qui negent hunc Æſculapium Apolline natum, illum quem fulmen interemit, ſed alium quendã Valentis & Pheonidis filium Mercurij Tryphonij fratrem, cuius ſepulchrum adhuc ætate Ciceronis uiſebatur Cynoſuris, qui etiam Cicero tertiũ addidit Æſculapium Arſippo & Arſinoe progenitũ, qui primus purgationẽ alui,dentisq; euulſionẽ inuenit,cuius in Arcadia nõ longè à Luſio flumine ſepulchrum & lucus oſtenditur ſed hos tres Æſculapios,ut & homines cõplures,& res alias permultas cùm longa uetuſtas,tum Græca ſcribendi licentia cõfudit. Æſculapij uerò filij Podalirius & Machaon bello Troiano uitalibus auris mortuos reſtituiſſe ferũtur, non alia de cauſa quàm quòd difficillimis et periculoſiſsimis uulneribus præſentanea remedia adhiberẽt,edocti ab Æſculapio parente, qui & ipſe à Chirone Saturni ex Philiria nato, centaurorũ æquiſsimo inſtitutus erat: cuius inuentũ medicinã herbariam atq; medicamentariã fuiſſe Plinio placere uideo. Non uacat fabularẽ hiſtoriam perſequi,ac referre artem hanc ad Zoroaſtris illius tempora, qui Bactrianorũ rex fuit,cuius opes Ninus fregit: nec Apis regis Ægyptiorũ, de quo ipſe modò memini,quem Phoronei,Argiuorũ regis Pythonis filium faciunt. Quamuis hunc ego,quem eundem Oſirin Serapinq; eſſe dicunt Apollinem, qui & idem Sol eſt, eſſe crediderim. At uerò etſi Pythagoras Samius, Agrigentinus Empedocles, Abderitesq; Democritus medicinæ haudquaquam ignari fuerunt. De illa tamen nullus Hippocrate Coo prior ſcripſit. Tranſeo quod hic Æſculapium Apollinis filium librum cui Nauiculæ nomen eſt, ſcripſiſſe affirmat. Verùm Hippocrates ipſe mirè hanc artem auxit. Et ex uulneribus ad reliquis quoque morbis opem ferendam uocauit, orationéq; illuſtrauit & clara & copioſa, ut qui Gorgiam Leontinum, & Prodicum Chium maximos ætatis ſuæ rhetores diligenter audiuit. Eum ſecuti ſunt eadem arte nobiles Diocles Cariſtius ætate & fama ipſi ſecundus, Praxagoras, Chryſippus, Herophilus, qui primus de arteriæ pulſu nonnulla obſeruauit, Alcmeon Crotoniata, Eudoxus

Gnidius Pythagorici. Hi omnes maximo olim in precio habiti sunt, magnisq; à principibus donati itipendijs, quos secutus Erasistratus, Aristotelis ex filia nepos, is qui se ab experimẽtis ἐμπειρον siue ἐμπάϛριον cognominauit, à Ptolemæo ob Antigonum patrem sanatum talentis centum donatus est, drachmis uidelicet centũ quinquaginta millibus, id est aureis numis nostratibus quindecies millibus: erant enim Syria talenta. Et Stertinius, qui fuit sub Neronibus, ignauia principum sestertijs quingenis annuis contentum se esse profitebatur, quæ sunt numũm nostrorum duodecies millia & quingenti. Par & fratri eius merces à Claudio Cæsare Drusi filio infusa est. At hæc ipsa quis miretur? Quippe quum duo sint, quæ optanda parandaq; præ cæteris uniuersis rebus sapientissimi quiq; duxerint, Mens sana in corpore sano. Malè enim affecto corpore, malè animo affecto, reliqua omnia, opes, copiæ, potentia, nihil planè sunt. Quæruntur ingenti opera corporis quàmplurima oblectamenta, at illis frui non licet, nisi corpore sano: quæruntur animi, at nec his nisi animo sano. Nam tum demum sentimus unumquodque illorum quantum in se habeat uoluptatis, cum sensus, cúmq; mens, iudex illius uiuens, syncerus ac purus dijudicat inter illud & aduersum. Quòd si magno negocio, multa cura, per tot pericula, per mortes etiam, diuitiæ, opes, copiæ, uoluptates, aliaq; eius generis tantum non innumera, ut delectemur, quæruntur, quis inficietur requirendam prius, parandam, retinendamq; maiore etiam labore, maiore cura sanitatem esse, quam & omissam restituit medica ars, & restitutam corroborat confirmatq;, uerùm quo est animus corpore suo excelsior diuiniorq;? Neque enim est in terris maius aliquid homine, nec in homine maius est quicquam ipsa mente: eo sanitas illius, sanitate huius: eo etiam medicina animorum, medicina corporum longè melior est. Quòd si huius inuentores pro dijs olim habiti cultiq; sunt, quales inuentores illius existimari, qualibus nos honoribus eos persequi par est? Hi sunt illi qui rebus familiaribus, qui publicis, qui populis gentibusq; sanctissimas saluberrimasq; tulêre leges, quarum beneficio unusquisq; quietissima & suauissima in pace, gratissima in tranquillitate benè beateq; perpetuo uiuit. Ex horum numero sunt sanctissimi illi uiri Mercurius Ægyptius, Rhadamantus, Minósq; Cretenses, atq; eorum æqualis Ioannes Hispanus, Draco, & Solon Athenienses, Lycurgus Lacedæmonius, Zeleucus Locrensis, Turius Charondas, Gnidius Eudoxus, Numa Pompilius Romanorum Rex, & alij, quos dubites homínes ne, deós ne appelles, ut de Lycurgo dixit Pythia illa. Nam populos gentésq; suas ita prudenter, ita sanctè instituerunt, ut non ferendis solùm profuerint legibus, sed exemplo uitæ omnibus ad imitationem exposito, multo suis legibus augustiore. Neque enim soluti ijs legibus esse uoluerunt, quibus alios deuincierant & obligarant, quin illi potius latiorem cæteris tulerunt uiuendi rationem & legem, quàm ipsi præscripserant sibi: ut reliquos solutos, ipsos uerò deuinctos dixisses. Sed quo te piaculo Theologia mater præteribo, suprema atq; purissima philosophię ne pars dixerim, an ipsa potius tota philosophia, quę nõ corpusculis et caducis rebus intenta, sed in animis tota sita, tota totis animis uacas, eos detergis, eos multis perpurgas maculis sordibusq;, illos insanissimos reddis sanitati. Quam prisci homines tanta sunt prosecuti uenerationе, ut non nisi paucissimi, atq; ij præstantes summo excelsoq; quodam animi uigore te attingere ausi sint. Nec ipsi uulgò notis uocabulis, sed mirabilibus uerborũ involucris, & non tam aperuerunt quàm cõtexerunt, quàm ab iniuria & cõtaminatione prophanæ plebeculę subtraxerũt, ueriti ne à quoquam polluto cõtrectaretur nitidissima res. Sic Orpheus, sic Musæus, Plato, & reliqui de diuinis scripsere. timuerunt alij ne nõ possent indignos homines ænigmatibus satis arcere, qui adhæreret aliquãdo libro, aut temerarius, aut sceleratus lector, qui arcana detegeret, qui recõdita mysteria stultæ proderet plebeculæ, nihil Theologiæ sunt ausi scriptis posteritati relinquere, uerbis nõnulla in discipulorũ sinus silentij fide data & accepta effudere. Hanc ob causam iubet Plato Syracusano Dionysio, ut epistolã quandã quam ad eum de diuinis rebus scribebat, simul perlegisset, eueſtigiò cõbureret, ne fortè in parum dignas

manus

manus aliquando deueniret. Hæc omnia admirabili ueneratione Theologiæ,quam utpote rem præstantissimã atq; sanctissimã nefas ducebant ab omnib.passim attingi. Nunquid iniuria? Tu enim diua mater es,quæ nos religione separas à brutis.Tu uera m certamq; uiam indicas bene & beatè uiuẽdi,in eaq; nos ducis. Tu Deum nobis exponis cognoscendum, quæ uel ueritatis ipsius testimonio,unica est æterna & felicissima uita. Tu à nobis integris accepta mentib. supra nostrã nos effers mortalẽ naturã,adiungis angelis,unũ facis cum ipso Deo. O salue perfectissima sapiẽtia,quę ex ore altissimi prodijsti.Salue tanti momẽti doctrina, ut etiam Deo docẽte,nos te scire oportuerit.Neq; eñ nouisse potuissemus,nisi tanto magistro,et te tamẽ nosce necessariũ omnino erat.Hactenus exposita est à me paucis ea philosophiæ pars,quæ de rebus ipsis inquirit.Illa supereſt,quę tota est de sermone,multoq; est q̃; altera illa recentior.Nam quũ ea in tria uelut membra sit secta,Grammaticã,Dialecticã,atq; Rhetoricen. Hæc quæ sororũ est natu maxima,cognita primùm est ab Empedocle Siculo, ædita uerò ab eiusdẽ insulæ uiris Corace magistro,& Thysia discipulo,de quibus illa est in ambigua & inuoluta causa populi exclamatio,quæ postmodũ in prouerbium abijt,κακὸς κόρακος κακὸν ὠόν. Dialecticæ uerò artis posse nõnulla tradi præcepta,qui ante Aristotelẽ fuêre,deprehenderũt potius quàm uel ipsa tradiderũt,uel quæ saltẽ esse possent,quaq; uia et ratione explicuerũt. Quorũ primus fuit Eleates Zeno ex Italica philosophorũ natione,Parmenidis discipulus.Aristoteles totius eiusce artis et inuentor fuit,& cõsummator.Grãmatica quædã cœpit primus Plato obseruare.Epicurus de illa ante alios omnes scripsit,quas tres artes haud dubiũ est,ut reliqua ferè omnia, ex obseruatione deprehensas intellectasq; esse,earũ rerũ,quæ sunt in sermone uulgari.Nam quæ in eo propriè rectèq; dicta sunt,quibus oris sonis prolata,quibus literis cõsignata,ea docet grammaticus.Quæ elegãter,quæ splẽdidè magnis orationis luminibus & fulgore,hæc rhetorice.Quæ uera,quæ falsa,quæ quib.adiũctis sint probabilia,quæ pugnãtia, quæ cõsequentia,qua lege inueniẽda,qua lege inuenta iudicanda docere,eæ demum sunt dialecticæ partes. Quæ tres artes simul cum reliquis illis,de quib.paulò antea sumus loquuti,cõficiunt illũ quem Græci dicũt τὸν παιδείων κύκλον. unde illa est nobilis ἐγκυκλοπαίδεια. Omnis enim doctrina harum ingenuarũ & humanarum artium uno quodam societatis uinculo continetur,ut præclarè à Platone traditum est:cuius est etiã illa philosophiæ sectio,quam ab Hebræis eum accepisse uult Eusebius,ut essent quoq; illius quasi tria membra:quorum primum, disquisitionem naturæ rerum complecteretur,quę in cœlo,quæq; toto in mundo essent:secundum, quod de uerbis disputaret: tertium,quod mores hominum componeret. Hæc à me breuiter atq; compendio de philosophiæ initijs sint perstricta. Reliqua etiam de philosophiæ nomine, de sectis, déq; laudibus non multo à me dicentur prolixius, gratiámq; superioris breuitatis etiam in sequentibus seruabo. Pythagoras ille Samius Philontẽ quum uenisset, sicut ab Heraclide Pontico memoriæ proditum est, fertur à Leone Phliasiorum tyranno rogatus qua ipse arte maximè ualeret,& quo se nomine insigniret:se artem ille respondit habere nullam,uerùm esse philosophum: admiratus nominis nouitate tyrannus. Nam superiores, quorum erat Pythagoras similis,nec fortè impari,σόφους sese,hoc est sapientes appellarant.Pythagoras uerò nomen illud ipse sibi confinxerat. Rursus quæsiuit quid nam philosophus,quidq; discriminis esset inter eum & sophum? Tum Pythagoras præclarè reputans non magis ad sapientiam, quàm ad ueram beatitudinem mortalium,quenquam posse in uita hac peruenire, tantum nomen sapientis uelut inuidiosum, non ausum se contingere dixit, quum suas uires eiusmodi appellationi satisfacere non posse sentiret, imparq; esset nomini tam augusto, idcirco sese φιλόσοφον nominasse, quasi amantissimum, uel quasi studiosissimum sapientię,non socium eius,quod priores utpote sophi profiteri uisi sunt, sed clientem atque sectatorem, sed eum qui ex illius præceptis & institutis uiuere, qui edictis illius parêre maximè gaudeat,secúmq; actum præclarè putet,si id assequatur. Ita uerecũdiore posthac maioriq; modestię, minoris inuidiæ nomine appellatũ est philosophiæ studium,quod prius sophiæ: & studiosi philosophi,

qui

qui antea ſophi dicebantur. Ipſe uerò, Pythagoram intelligo (nam ſic eum diſcipuli nuncupabant) ſui frequentiſsimo inter ſe ac firmiſsimo argumento αὐτοθεφε, quod eſt, ipſe dixit: quum in ea Italiæ ora, quæ nunc Calabria, magna tum Græcia diceba-tur, ingenti & diſcipulorum frequentia & ciuitatum regionis illius omnium uenera-tione philoſopharetur, Italicam diſciplinam dicitur inſtituiſſe. Ante id enim tempus Ionicam omnes ſequebantur, quæ Thaletem Mileſium principem habuit & autho-rem. Eſt nanq; Miletus in Ionia finibusq; Cariæ, Italica uerò diſciplina à Thelage Xe nophani Calophonio, ab hoc Parmenidi à quo Zenoni Eleati, ab eo Leucippo Ab-deritæ, à Leucippo Democrito ciui ſuo, à Democrito Nauſephani, per manus tradi-ta eſt, at Nauſiphanes Epicurum docuit, in quo hæreſis illa finem accepit. Ex Ionico autem Anaximander à Thalete ipſo inſtitutus eſt, à quo eſt eruditus Anaximenes, quem Anaxagoras audiuit, cui diſcipulus fuit Archelaus Phyſicus Socratis magi-ſter. Socrates primus philoſophiam in cœlis elementisq; uerſantem & diuagantem ad ciuitatum atq; hominum ſingulorum uſus uitamq; deuocauit, ut ea primum mor tales ſcirent, quæ ſcire & expediret, & oporteret, ne quum alia permulta magna qui-dem noſſent & admirabilia, ſeipſos prætermitterent incognitos, quod maxime dede corum eſt, contrariumq; illi Apollinis oraculo primo ad ſapientiam gradui γνῶθι σε-αυτόν. Turpe ducens ea non doceri, quæ neſciri ſumma ſine turpitudine non poterāt. Neq; enim diuinus ille uir congruum exiſtimabat ea magno labore quæri, quæ præ-termiſſa nullum afferrent malum. illa uerò ignorari, quæ neſciri grande flagitium ne-fasq; eſſet. Et ne homines, moribus deſertis, ad res illas naturales, quæ noſtris animis magis arridere uidentur, propenſiores fierent, quod & ante ſuam ætatem ubiq; factū erat, quum eſſet unus omnium conſenſu & approbatione rerum eiuſmodi ſcientiſsi-mus, affirmauit tamen, ſe illorum omnium ignarum eſſe, nihilq; penitus ſcire, præter hoc ipſum: ut cæteri deſperata tanto autore naturę arcanorum ſciētia, illis relictis, ad morum compoſitionem (quæ non tam ſpecioſa quàm in primis ſalutaris & neceſſa-ria res eſt) totos ſeſe cōuerterent. Hanc ipſe ob cauſam tanto Deo ſententiam ferente habitus eſt totius Græciæ longè ſapientiſsimus. Secuit ſe poſtmodum philoſophiæ ſtudium in uarias, quaſi factiones et tanquā riuos quoſdam à Socrate, uelut à ſacro & auguſto quodā fonte deriuatos. Alij enim philoſophi dogmatici dicti ſunt, quòd ali-quid aſſerant doceantq;. Alij uerò nihil aſſerentes refellunt aliorum ſententias, et opi niones, quod Socrates ipſe fecit, quod noua etiam Academia, cuius principes Laci-des & Carneades extitêre, ita diſſerentes, ut comprehendi poſſe res negent: ac perin-de neminem uel affirmare iure, uel ſcire quicquā poſſe, tum ex ipſa rerum difficulta-te, tum ex imbecillitate atq; caligine mentium noſtrarum. Iam alij dici uoluerunt Pla tonici, de nomine magiſtri, alij Academici, qui ex eodem fonte manarūt, de nomine Academiæ, quod eſt ad Athenas gymnaſium. Academiorum uerò non una, ſed tres quaſi familiæ traduntur. Nam quidā ueteres ſunt à Platone & Xenocrate geniti, alij noui à Carneade, qui fuit acer ſubtiliſq; diſputator: alij medij, quos Archeſilas, qui Crati ſucceſsit, inſtituit: quamuis hi omnes longa licet progenieí ſerie in Platonem tamen Socratemq; ſui generis exordia referunt, continuata diſciplinæ uelut hæredi-taria ſucceſsione. Quippe à ueteribus medij, à medijs recentes orti ſunt. Idcirco Cice ro nō tres, ſed unam facit Academiam, profectam à Socrate, repetitam ab Archeſila, confirmatam à Carneade. Iam & ex eodem Socrate gentis authore Stoici ſunt non ignobiles philoſophi, quibus στοὰ quædam, id eſt porticus, in qua philoſophabantur, nomen dedit. Pœcile hæc appellata eſt inſignis pictura Miltiadis & Marathoniæ pu-gnæ, nobilis etiam philoſophis illis, qui & Zenonij prius nuncupati ſunt, à familiæ parente Zenone Cittico ſummo Socraticæ illius rigidiſsimæ uirtutis æmulo, quo-rum præter ſanctitatem, innocentiam, uirtutemq; illam numeris ſuis omnibus abſolu tam, nihil erat finis bonorū, nihil extremum malum, extrema nihil præter uitium mi-ſeria. Stupidum ſaxum ſuum reddebant. ſapientem firmitate animi incredibili, & om nium affectuum extirpatione. Admirandum mea ſententia & diuinum potius eiuſ-modi ſapientem, ſi modò ullus unquam inter eos fuit, cui ad unam uirtutem, quæq;

agat,

agat,quæq; dicat, referãtur,quam adeptus quum fuerit,tum demum se bene beateq; uicturũ arbitretur.Nec minus beatus futurus sit,si in equuleo torqueatur,uel in Phalaridis tauro, quàm si maximis uoluptatibus hilariter ducat ætatem, nullum uerio-rem hoc sapiente Christianum fore puto, persuasis ei præceptis nostræ religionis, quo facilius ne sit alter assensurus: haud sciam, aduersa fronte, atque infestis signis in istos pugnant Epicurei, quorum est ab Epicuro Athenienſi origo, qui dialecticen relegãtes, ad res Physicas tuendas legionibus insectilium corpusculorum,quas uocant ἀτόμους in aciem prodeunt, & de summa rerum pro uoluptate dimicantes etiam præstantissimam & pulcherrimam rerum omnium uirtutem ei subijciunt,atque illam rerum dominam, brutali titillationi fœdè iubent ancillari. Prætermittam minus nobiles philosophorum sectas,quarum fama in obscuro est,Cyrenaicam cuius author Aristippus Socratis discipulus, cuiusq; fuit ultimus sectator Lybs Anyceris ille Egesiæ mortiferi auditor, cui Plato libertatem suam acceptam refert Eliacam, cuius institutor Phedon, Megaricam cuius Euclides, Eretricam, cuius Menedemus, de nominibus patriarum eorum à quibus constitutæ sunt, ita appellatas,Herilla uerò à principe ipso Herillo dicta est. Quæ omnes ui & disputationibus nobiliorum sectarum iam diu fractæ & extinctæ sunt. Instituit Cynicam Antisthenes Athenienſis prius Peripateticus, mox Cynicus appellatus. Cuius discipulus Sinopæus Diogenes admirationi toti Græciæ fuit,ob tantum rerum omnium humanarum contemptum. Ex huius ludo egressi sunt illustres Nomius Onesicritus, Crates Thebanus, cuius uxor Hipparchia,Metroclis soror, uirilem animum in muliebri corpore nacta,contra fœmineum morem spretis repudiatisq; opibus, disciplinarum & philosophiæ splendore præstincta, sordes mariti non uidit, Scholam ac uitam illam Cynicam sanè quàm duram, sedentarijs mollibusque fœminarum artibus pertinacissimè prætulit,& dedignata plerosque nobiles procos, solus hic placuit, quia philosophus. Cratis istius auditor sectatorq; fuit Menippus Phœnix homo natus ad risum mouendum, plenus salium, plenus dicacitatis uiciorum summa cum gratia insectatricis. Hi etiam Stoici dicti sunt, uerùm κυνικοί, id est canini, ex ipsis moribus. Nam illi de quibus paulò antè loquebar, qui & ab his originem duxere. Zeno enim Cratem audiuit, uiriles nuncupati sunt, quasi homines uerè saperent, atque eos non molles aut effœminatos, sed uiros. A Xenophane uerò Colophonio Cleanticum manauit dogma, quod Eusebius Ionio & Italico tertium addidit, quamuis Xenophanes, ut antè diximus, Pythagoricos habuerit præceptores. At uerò nostrates philosophi, quorum princeps idem philosophorum omnium facilè sapientissimus Aristoteles Stagyrites fuit, aut quòd deambulantes in Lycio dissererent, aut quòd περίπατος, quod est siue deambulatio, siue deambulatorium fuerit eorum gymnasium, Peripatetici certè appellati sunt, qui de triplici illa philosophiæ parte, multo quàm reliqui omnes cunctorum consensione & sententia melius accuratiusq; disserunt, ac inquirunt. Partibus enim ex istis quam Peripatetici non attigerunt modò, uerùm copiosè non sunt executi, plenè non absoluerunt.Si enim desyderantur naturæ arcana & secretissimæ rerum rationes,præstò sunt, tam multi, tamq; uarij Aristotelis de rebus physicis libri. Sin uerò dialectices subtilissimæ rationes ac formulæ, & callidi sophistæ astuta cauilla, adsunt logica eius uolumina, quæ ars ab eodem & incepta & perfecta est. Sin orandi & poesis uia atq; inuentio.Duo sunt de Rhetoricis opera,& unum de Poetica arte. si quis autem mores sibi poscit componendos,parata sunt ei moralium rerum uolumina uiginti. At gubernanda est siue respublica, siue res familiaris, conscripti sunt ad ipsum institutũ libri de Republica octo,de Re uerò familiari duo. Verùm enimuerò aliquis quærat hæc omnia quo nam sunt tradita modo? an pauciſsimis præceptis, ut quidam fecere, quibus nihil ferè eius rei de qua præcipitur,sciri possit? an uerborum caliginosissimis inuolucris,& densissimo cortice, demersa re illa, de qua loquuntur, in profundissimo mari, ut lectoris ingenium,nisi sit planè diuinum, penetrare nequeat ad sensa, opusq; sit in tantis tenebris magna face,& ut dicebat Socrates,

in tam

In tam alto pelago Delio natatore, qui progressus aliquantum obrutus non suffocetur. Quod prisci sese de industria facere profitebantur, ne passim ab omnibus intelligerentur. Nihil profectò istorum omnia copiose, omnia dilucide, perspicueq; Torpor uerò ac negligentia nostra efficit, ut nõnullæ tenebræ in Aristotele esse uideantur, qui superioribus collatus, ipse quoq; meridie clarior est. Cedò ueterum philosophorum aliquem, quis nam nisi diuinans sensus ænigmatum illius extorquet, quæ mihi interdum ex his uidentur, quæ inter lusus pueri sibi nuicẽ obiectant. Videas in illis uocabula tam procul quæsita, ut non magis id declarent, ad quod notandum posita esse dicũtur, quàm anserem canis, aut asinum homo. At in Aristotele quid non appositissimè dictum est, quid non suis ueris expressisq; nominibus signatum. Desidia mihi credite nostra, & ignoratio Græcarum literarum effecerũt, ut eum quibusdam in locis obscurè locutum existimemus. Est enim multo apertior, multo clarior, multo lucidior Græcus ipse, quàm Latinus. Nam interpres noster, cùm conaẽ singulis uerbis Græcis singula uerba Latina reddere, cespitat, inuertit, obscurat, cõfundit & dictionẽ totam, & sensa. Nam quæ bellè dicuntur Græcè, non ea semper eodem ordine, eadem figura, paribusq; nominibus, bellè dicuntur Latinè. Et ediuerso, quis hoc nescit in linguis omnibus usu uenire, sua sunt cuique idiomata, suæ loquendi figuræ. Sed ut de Peripateticis dicere pergam, nihil est aut quod ad cognitionem rerum, & naturæ oblectamenta, aut quod ad bene & dicendum & uiuendum, aut quod ad reliquis imperandum, legesq; ferendas pertineat, quin id ipsum Peripatetica schola consummatissimè sit executa. Vnde, quæso, nunc tam uariarum cognitio rerum, tanta omnium artium eruditio, nisi ex Peripatetico fonte? à quibus omnia ante sua tempora fluctuantia, temerè iactata, nullo ordine, nullis finibus composita & definita, dispersa, atque dissipata, certa in præcepta, certasq; formas redacta, ratione apta & connexa, suis quæque artibus, suis limitibus discreta, ac reddita sunt. Ex eorum enim scriptis & institutis, utar non meis, sed Ciceronis uerbis ac testimonio. Quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum uarietas tanta est artium, ut nemo sine eo instrumẽto ad ullam rem illustriorem possit accedere, ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes extiterunt. Vt ad minora ueniam, Mathematici, Poetæ, Musici, Medici denique, ex hac, tanquam ex omnium artium officina profecti sunt. Hæc & alia permulta in eandem sententiam Cicero Marci Pisonis persona libro de Finibus quinto, & plerunque alibi. Verùm laudes horum hominum huius diuinæ disciplinæ finem nunquam acciperent, & oratio tamen destinatum iam egressa modum, finem aliquando tandem inueniat necesse est. Idcirco redeo ad philosophiã ipsam studiumq; sapientiæ, quam diuinarum humanarumq; rerum contemplationem esse dixerunt, ut planè solutus hoc carcere corporis animus, per inferas, perq; superas sedes, liber expeditusq; spatiaretur, lustraretq; mentis aspectu uniuersa: neque mole ista corporis detraheretur, quo minus ab eo, quasi in repudio aut in diuortio coniugatorum sepositus uiueret. Idcirco Plato, mortis cogitationem eam uocat, quæ est corporis animiq; seiunctio ac dissociatio. Neque illam temerè Deum optimum, maximum inuenisse, donoq; hominibus dedisse aiunt, quòd tam excelsa, tam sublimis, tam recondita res est, ut nisi aditus ad eam ipse patefecisset, nequicquam noster sese attolleret animus, quamlibet per se uiuidus, quamlibet perspicax, industrius, solers. Non enim admirandæ inuentionem rei, nisi præstitis seminibus, nisi patefactis exordijs, nisi introductus ab artifice ipso, quasi per manum in uestibulum ipsum fuisset unquam assecutus. Sed uideo me iam in Philosophiæ laudes ingressum, quæ tam amplæ, tam magnificæ, uariæq; sunt, ut non uerear, ne hoc loco uel infantissimo cuiquam deesse possit oratio, uereat potius ne orationis modus atq; exitus haud facilè inueniatur. Illud uerò in primis à me efficietur, ut in arctum nonnullas uirtutes philosophiæ complexus (nam omnes quis possit) institutæ breuitatis rationẽ habuisse uidear: & nemo sit, qui non mente sua de hoc summo summi Dei munere, ex ijs quę dixero, intelligat & existimet maiora, quàm fuerint à me explicata. Atq; ego quidem

ad hunc

ad hunc modum existimo, non posse breui sermone, qualis noster futurus est, dilucidius laudes philosophiæ declarari, quàm si summa quadam ostenderimus esse ipsam pulchrã, iucundámq; animis humanis, esse commodã, & in primis utilem, atq; adeò unam rerum omnium maximè necessariã usibus, totiq; uitæ nostræ. Illúdq; ante omnia positum sit nobis oportet, quod nemo sapiens ignorat, non esse nos ad ludum iocúmq; natos, non ad puerilem uitam, semper inter nuces, cæterósq; agendam lusus, hoc est inter nugas atq; ineptias à natura genitos, sed ad grauitatem & sapientiam: ad ea quæ non tam hac nostri corporis sarcina, quàm mentis nostræ præstantia, quæ est planè diuina, digna sunt. Quæso igitur, id ita si est, ut esse constat, quid animo nostro dulcius suauiusq; esse potest? quid quod maiorem afferat uoluptatem, quàm in illas æthereas sedes sese attollere? quàm lustrare ipsum, tanquã incolam quendã, domos illas admirabiles syderum? nosse quando defectus futuri solis lunæq;? quo tempore coitiones, separationesq; astrorũ? quando pluuiæ, uenti, niues, grãdines, tonitrua, fulgura, glacies, oceani æstus, uentorũ, marisq; tempestates, brumæ rigor, æstatis feruor, flores, ac species illa tam grata ueris? quando autumni frugum omnium maturitas, et perceptio? ac nosse non quibus modò temporibus, sed quas ob causas hæc omnia futura sunt? Quid hac re pulchrius? quid admirabilius uel excogitari potest? ut cum cæteri homines tanquam bestiæ proni semper terram spectẽt, ipse unus uerè os habeas hominis sublime, cœlum uideas, et ad sydera tollas uultus: cumq; alij uilia sint opum fortunæq; mancipia, ipse solutus ac liber, uerus sis huius mundanæ spectator scænæ. Vult fortè sensim animus ad terram se demittere. Quantæ delectationi sunt auium, piscium q; perspectatæ naturæ, cæterorũ animalium, aut fera, aut mansueta ingenia, actus eorũ omnes, quibus quicq; ex fontibus & initijs manãt? Accedet tum ad illam admiratione dignã naturę partẽ, de plantarũ, herbarum, arborũ, uirgultorũ, fruticum, florum, frondium, foliorũ, fructuum, radicũ uiribus. Tum ad lapides & metalla ipsa, id est opes humanas transibit, in quibus cognoscet, quàm uilia, quàm se indigna, homines summis laboribus per tot pericula quærant, quo modo rerũ uniuersarũ domini, erugini futilissimæ miserrimè seruiant. Tum ipse incipiet & inania mortalium desyderia misererì, & uana ridere gaudia, eritq; ex illo præstantissimo genere hominũ, qui ad ludos Olympios, non lucro, quæstui aut gloriæ addictissimi serui ueniebant, uænibantq;, sed eo solùm cõmeabãt, ut studiosè quid ibi ageretur in tanto hominum cõuentu, in tanta rerũ uarietate, & quo modo, cõtemplarent: quibus ex rebus quãta sequatur utilitas, quantus fructus. Videtis, ut per hæc homo, qui despicatissimũ erat fortunæ mancipiũ, supra ipsam sese efferens, suæ ciuitati suisq; natalib. restituat. Iam uerò et illa, commoda ne dicã, an in primis necessaria, ut sciamus cœli uias & sydera,

Defectus Solis uarios, Lunæq; labores,
Tempora, quæ messor, quæ & seruet curuus arator.

Quæ oriantur cœli astra, quæ occidant, quantũ qualiúmq; sit unumquodq; uirium,

Quis sine nec potuere seri, nec surgere messes.

An putatis sine his uitam nostram ordinem aliquem seruare posse, quo minus temerè fortuitoq; iactaretur, quum hæc ignoraretur certa dierũ noctiúmq; partitio, mensium, annorúmq; rati cursus, & in omni æternitate statutæ progressionum mensuræ? quando futura hyems, quando uer, quando æstas, quando autumnus nemo sciret: quando uerò sementem facere oportet, quando agrum colere, quando demetenda seges, agricolæ ipsi ignorarent? At hęc putatis tam uitę humanæ cõducere, quàm esse necessaria. Age uerò uiuat mihi aliquis, nisi animaliũ pernouerit ingenia, quæ cicurari possint, quæ perpetuò fera persistant natura, quæ in cibos inferenda, quę uirus exitiabile morsibus inspirent, quorũ oporteat rabiem declinare sçuitiémq;, cum quibus, quo tempore, qua ratione sit homini certa pax. Tum & stirpes nihil uidelicet uitæ nostræ conferunt: atq; usui sunt nihil dignoscere necessum est, qui salutares, qui letiferi, qui cibis apti, qui inepti, qui quibus malis, quo tempore, quo loco afferãt remedia, quibus interitum adducãt? At hæc omnia, quo (quæso) magistro accepimus, quo retinuimus, nisi philosophia? Iam & illa Deus immortalis, cuiusmodi sunt de

moribus uniuſcuiuſq; componendis, de gubernandis rebus & publicis & priuatis, ſine quibus non uideo qua in re genus hominũ à beluis ferisq; ipſis abeſſet. Per hæc enim uita noſtra humanitati ſuæ reddita eſt, per quæ docemur iuſticiam, prudẽtiam, fortitudinem, adde etiam modeſtiam in omnibus rebus & temperãtiam, in dictis & factis conſtantiam atq; modũ. Hæc eſt illa Ethice philoſophia, quæ mores uerè humanos in ciuitates, domos animósq; ſingulorum inuexit, imò uerò domos & ciuitates ipſa fecit, animos noſtros cõpoſuit: ſine cuius inſtitutis atq; præceptis, non res ulla priuata, non reſp. conſiſtere, non ullus hominum cõuentus coli et celebrari poſſet: ac ſicut medicina illa corporibus, ita hæc noſtris affectiſsimis animis remedium medelámq; præſentiſsimam affert. Itaq; quum per totam rerum naturam latè fuerimus peruagati, illum tandem ex uiſibilibus iſtis rebus, inuiſibilem mundi principem, omnipotentem, æternum, immortalem inueniemus: quem cũ nouerimus, magno tum animo atq; excelſo, quęcunq; uanis mortalibus inania afferunt gaudia, deſpiciemus; Tranquillitatem noſtras in mentes adducemus tantam, ut nulla poſthac agitari tempeſtatum procella poſsint, nulla ui de loco illo ſuo quietiſsimo dimoueri, nullo fortunæ ictu placidiſsima queat turbari pax, uiuemus læti, uiuemus ſecuri. Quę profectò, aut nulla eſt, aut hæc eſt una bene beatéq; uiuẽdi norma. Quod uniuerſum genus humanũ ſemper in ore habet, omnib. omni tempore expetit uotis, ratio & uia, quæ ad illam ducit infinities meliorẽ ſempiternã uitã, in qua animus diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus ulla nec mors, oneroſi corporis uinculis exolutus, ad ſedes ſuas & cognita cognataq; ſydera, ſumma cum felicitate recurrit. Eant nunc alij, & ſuas titillantes uniuerſas uoluptates, cum huiuſce philoſophiæ uel minimo conferant oblectamento: dicant opes uitæ humanę utiliores eſſe, quum abſq; illis melius uiueretur, ſine philoſophiæ dogmatis, ne uiui quidem poſsit. Aſſerant homini aliud quicquam magis philoſophia neceſſariũ, quum ſine cæteris rebus, homo equidem ſit ſemper, abſque philoſophia uerò fera ſit, non homo. Et dubitat quiſquam in hac ſapientia, in hoc tanto bono, quo amplius, quo præſtantius, quo excelſius mortalibus adeò maximo dari uix poterat, totam impendere ætatem: quam non poſsit uerè cõſumptam contritamq; dicere, ſed ad fœnus ingens mutuatam. Eſt'ne aliquis, quum hęc uideat, qui nõ malit uel paucíſsimos cum hac uiuere dies, quàm ſine ipſa diutiſsimè magnis alioquí comitatus opibus, magnáq; potentia: quum ſit unus dies bene & ex præceptis huius actus, toti etiam immortalitati anteponendus.

DE PHILOSOPHIÆ INITIIS, SECTIS ET LAVDIBVS FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI, AD CATONEM MAIOREM, SIVE DE SENECTVTE CICERONIS, PRÆLECTIO, QVÆ dicitur Anima ſenis, ad abbatem S. Iacobi.

ANTEQVAM Ciceronis Catonem enarrare incipio, deſcribam uobis, quàm potero aptiſsimè, ſenis animã, quę ſeſe mihi nuper obtulit forma, non minus admirabili, quàm iucunda & etiam grata. Nam quũ optaſſem plerunque (tametſi non ſum ſenex) annoſi tamen hominis animam uidere, quo poſſem nonnihil coniectari qualis illa ætate eſſem futurus, ſi ad eam uoluntate Dei peruenirem. Ac aliquãdo quum altius de ſenecta, multa cum animo meo reputarem, atq; repeterem, ecce rem quandam mihi uidere uiſus ſum, quæ interroganti mihi, Senis animam, ſe eſſe reſpondit. Credo quòd ex interiore illo animi uiſu, quemadmodum ſapientes dicunt, ſpectrũ quoq; exterior obtutus aſpicere ſibi uiſus eſt, cœpitq; mecum de antiquiſsimis actis & extra omnem gentium memoria poſitis, incultis, horridis, rancidis quibuſdam uerbis, uelut Appianis, Liuianis, Ennianis, Neuianis, Plautinis diſſerere, quib. facilè apparebat corpus illius iam ultra liminũ fati eſſe. Ego ut illis modũ poneret, exorauí, referretq; quid eſſet, quidq; picturæ illæ (quibus tam formoſa reddebatur) ſignificarent. Miror, inquit, illa hæc omnia te ignorare, ni te ſcire modò diſsimulas, qui ita multum Ariſtotelea ſapere te iactas, quando hæc omnia ab eo, ut fuit uir ille admirandæ lateq; patentis ſcientiæ, ſunt quàm optimè uarijs ſcriptis tradita. Sed audi, & quæ de me dicam, memoriæ manda, ut quũ ad ſenectam ueneris, ſi te illuc perduci fata Deusq; ſiuerint, re ipſa experiri poſsis, quæ nunc ex me diſces. Sum equidem ego Senis anima, prouida, ſagax, multiplex, acuta, memor, plena rationis & conſilij, quam uos uocatis rationalem, idq; rectè. Sola enim ſum ex tot generibus animarum atq; naturis particeps & cogitationis, quum reliqua omnia ſint expertia. Quam in me uides partem demiſsiorem, qua corpori commiſta ſum, hæc eſt, qua nihilo à feris uideor differre, hic gaudiũ eſt, hic mœror, metus, terror, hic ſpes, ira, miſericordia, hic inuidia, hic libido, hic illud affectuũ æſtuoſum fretum, hic curæ cordis edaces, & illæ quas poetæ furias appellarũt. Hic, quoniam magnum rerum uſum habeo, atq; experientiam, falſaq; ſum ſæpius à pleriſq;, ut eſt ingenium hominum ſubdolum, uanum & fallax, omnia in peiorem partem interpretans multa eſt malicia. Suſpicor enim ſemper aliquid in re ipſa fraudis mali doli ſubeſſe: ſumq; incredula, neminem facilè in amicitiam meam recipio, neminem aut nimis amo, aut nimis odi, ſed ut præcepit ſapiens ille Græciæ, Odi ut amatura, & amo ut oſura. Remiſſoq; in me illo iuueníli calore, abieci quoq; iuueniles animos, nihil geſtio magnum, nihil ad faſtum & pompam, non ludos, non comœdos, non tragœdos, non mimos, non ullos hiſtriones, ſcurras, paraſitos, circulatores, ſed ea ſola quæ ſunt ad uitam in primis neceſſaria, eáq; uix ſatis, cuminum etiam in duos uſus ſeco, boues non immolo, ſed paſſerculos, atq; utinam dijs ſatisfieri poſſet culicibus aut muſcis, illas captarẽ. Non uides, ut quemadmodum in uita, ſic nec in oratione hac mea ullæ ſint delicię, ulla ornamenta, ulli aculei, nõ ſpiritus, non nerui robúrq;, nec calor ille ſuperioris ætatis. Facit & me eadem ſanguinis tepefactio ſeu frigefactio, potius parcam, tenacem, auarã, quàm ipſam ob cauſam & genus omne mulierum auariſsimũ eſt. Adde etiam, quòd expertam me nõ fugit eſſe, opum longè difficillimum quæſtum. Iacturam uerò profuſionem facillimam, et paſsim ultrò ſeſe offerentem. Nuſquam non eſſe occaſionem impenſæ, lucri uerò rariſsimam eſſe. At feſto die ſi quid prodigeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris. Quot poſſem ego commemorare, qui à ſe uel à maioribus ingen

tes copias opésq; ſummis laboribus, multo tempore partas & congeſtas, ſummis uigilijs auctas & conſeruatas breui ita dilapidarunt, ut ne teruncium quidem ſibi reliqui fecerint: quid opus eſt exemplis in re quam qui ignorat, is ipſe uitam cõmunem uſumq; omnem rerum & experientiam ignoret neceſſe eſt, quem admonere abundè ſatis poteſt illud prouerbium, quod apud ueſtrates frequens eſt, Auaro & congeſtori prodigus hæres. Iam propter eundem, quem dixi, caloris defectum, timida & uitare cuncta, quæ periculi ſpeciem præ ſe ferunt, intenta & parata ſemper ſum, nullíq; me quamlibet exiguo diſcrimini cõmitto, matérq; mea ſecura mei quieſcere poteſt. Mater enim timidi, ut uulgò aiunt, flere non ſolet. Atq; hæc quidem omnia ex refrigerato proficiſcuntur cerebro, quæ cauſa & mulieres quoque timidas facit. Ad hæc quo magis capulo & ſepulchro inſto, eo fio uitæ & corporeæ ſocietatis auidior. Eſt enim abſentium rerum deſyderium, & earum maxime, quæ nobis expertis dulces uiſæ ſunt. Timor hic & puſillitas animi accuſandi, conquerendi, expoſtulandi, plus æquo ſtudioſam me effecerunt. Etenim exiſtimo canos meos ab omnibus deſpici atq; contemni, quod iniquiſsimo animo fero. Tum nimis quoq; laudo, cum res laudatur, nimis etiam uitupero, cum uituperatur, apud eos præcipuè, à quibus aliquid commodi me puto reportaturam, mutóq; & uultus & uerba (ut Gnato ille Terentianus) ad nutum motúmq; benefactoris: aucupantes enim uoces auium imitantur, pennisq; auium ſe inſtruunt, ut uenatores ceruinam pellem induunt. Inuerecunda ſum quòd nihil ex ijs quæ ago, puto ætatem meam dedecere. Huc ſpectat, quòd & utile plerunq; honeſto præfero. Nihil in me eſt ſpei, quia uidi omnia ferè

In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Viuo potius memoria quadam, quàm ſpe. Nanq; futurum uitæ mihi perbreue, præteritum multum eſt. Porrò ſpes futurorum, memoria (ut noſti) præteritorũ eſt. Reddor proinde multo quàm fuerim antè loquacior, quippe uoluptate affecta ex recordatione anteactæ uitę perſeuero ſæpiſsime præterita narrans, ut de Neſtore credo te apud Iliada Homeri legiſſe. Deferbuerunt iam in me priſcæ cupiditates, & mecum ſenuerunt. Auaricia uerò, & ardor habendi renata & iunior in me facta eſt. Nam, ut inquit ille apud Terentium Mitio, Ad omnia alia ætate ſapimus rectius, ſolum hoc unum uicium affert hominibus ſenectus, Attentiores ſumus ad rem quàm ſat eſt. Ne expectet quiſpiam in me κέρας (quod aiunt) ἀμαλθείας, unde poſsit uel lac gallinaceum haurire, citius è ſaxo, niſi ſi quis fortè putatur Darij ſimilis, ut experiamur, an continget nobis quod Solyſonti pro amiculo, Conda ſum, non proma. Pumex non æquè aridus eſt: aquam ploro, cum lauo, profundere: ſic facit quoque nepos meus Plautinus Euclio, qui famem etiam utendam, ſi roges, nunquam dabit, quiq; à prætore poſtulauit plorans, ut miluum liceret ſibi uadarier, qui pulmentum pridem eripuerat. At uerò ego ſicut dicere incœperam, querula maiorem in modum ſum, moroſa, ac rerum omnium impatiens, quòcirca ſenium pleriq; pro tædio ſæpe dixere, Quoniam ſum faſtidio tædióq; alijs. Actius amici mortem ſenium ſibi eſſe dicit, & Turpilius nuptias ſibi ſenium uocat, nec iniuria. Ex ſenio enim tædium, & ex tædio ſenium fit, ut ex aqua glacies, & rurſus ex glacie aqua. Cuius documento eſt affectos tædio, etiam in flore iuuentutis caneſcere, ac rugari, uti hac ætate Iacobo cuidam Oſorio ueſtrati nocte una, qua in carcere fuit, canicies contingit Erigini. Contrà uerò quid eſt, quòd iuuenes ſenum ſodalitates tam fugiunt, niſi quia hi non modò ſibi, uerùm alijs omnibus odioſi ſunt. Ah quàm id uerum eſt, quum uenit (ut ait Boëtius) properata malis inopina ſenecta. Multa enim tunc ſenẽ, ut canebat Horatius, circũueniunt incommoda. Ea certè ſenectus eſt, de qua Auſonius dicebat,

Expectata diu uotisq; optata malignis.

Tunc omnia ſeni ſunt grauia, moleſtáq;, & ipſe omnibus omnium cõqueritur, & omnes ipſius. Non placet ipſi quiſq;, nec ipſe cuiquam. Hæc uerè ſenectus morbus eſt. Illa illa una eſt bona ſenectus, ut tuus Ariſtoteles ait, quæ cum tarde inuadit, etiam dolores non infert. Ea eſt quam Auſonius iuuentæ parilem gratam homini ex Lacedæmonij ſapientis ſententia cecinit. Nam qui citò conſenuit, & qui tardè, ſed non

abſq;

absque dolore, uterque incommoda utitur senectute. Senium autem senectam, ac senectutem defectum naturalis caloris, & principis uitalis humidi esse diffinierunt. Idcirco qui atra bili abundãt, sanguineis citius senescunt: illæ pariter animantes, quæ frequentem dant liberis operam, castis. Quamuis enim humorum senes sint pleni, excrementa tamen illa sunt pituitosa, quæ nihilum natura conferant, auferant citius & obsint, putredoq; illa, quam Peripateticus philosophus senectam dixit, cutem nostram nigriorem efficit, quàm fuerat in iuuentute, siccescensq; sanguis, ut ipse nigrior fieri solet, ita etiam formæ corporum nostrorum nigritudinem dat. Is enim est, qui calore suo natiuo corpora nostra intingit, uitaq; placidissimè fouet: quo fit, ut illo sensim consumpto, anima ipsa quæ ab eo, tanquam uinculo quodam & copula detinebatur, soluta euolet: fiatq; illa corporis animiq; disiunctio, quam uos mortem appellatis, cum sit potius ingressus ad uitam quandam, non modò mortis, sed morborum quoque expertem. Nunc uerò postquam partem meam inferiorem perspexisti, oculos tantisper erige ad superiora, & alteram suscipe partem, quam tibi attento breui sermone declarabo. Ea enim est qua me nosco, quod est in sapientia primum: qua, uti decens est, habeor ab omnibus in precio, meq; ipsa in hac infirmitate ætatis consolor. Vides tantam rerum cognitionem, tantum usum, tantam experientiam, ut etiam callos in ea habeam, ut in manibus longo ex labore agricolæ, unde callida dicor, harum rerum beneficio sum prudentiam consecuta: quam, ut docuit Aristoteles, uix absque rerum experientia nanciscì quis potest, propter quod & adolescentiores facile prudentes fieri posse negat. Hinc & sapiens appellor. Nam ut uos palato escas, quales sint iudicatis: sic ego mente quæ sint res & quales, dignosco. Nec uerò refert, senex quis sit moribus, an ætate, de quo forsitan si suppetierit tempus, postea disputabimus. At illud in optimis & sapientissimis quibusque ex nobis usu uenit, quod paucis, nescio quibus Græcis, & in primis æquali meo Socrati ferunt contigisse. Omnia nos ut ambigamus, nihil scire putemus, nihil planè affirmemus, quærentes omnia, dubitantes plerunque, & nobis ipsæ diffidentes, forsitan omni sermoni adijciamus, perpendamus cuncta, præstò semper sit illa assensionis retentio, quæ ab Academicis ἐποχή dicta est. Nihil præpropere, nihil præcociter, ac immaturè agamus. Idcirco nec consequitur consilium nostrum pœnitentia, quoniam callidum & præceps non est, ac sumus constantes, grauesq; iudicatæ, multaq; nos principio uidisse, progressu exitúque rei apparet. Hæc de sapientibus, & si sunt inuentu perquàm rari, sum locuta: quando is ipse de quo dixit Socrates, ut est in eo sermone, quem facit illum Plato loquentem pro morte, ita disputat, utar potius uerbis Ciceronis, ut nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat, nisi id ipsum: eoq; præstare cæteris, quòd illi quæ nesciant, se scire putent. Ipse se nihil scire, hoc unum sciat: ob eamq; rem arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quòd hæc esset una omnis sapientia, Non arbitrari se scire, quod nesciat. Certè equidem & ego, quanto magis ætate prouehor, tanto me pauciora scire deprehendo. Nam quum eram iunior, quid non me scire arbitrabar? Nihil planè. Sed redeo ad nostram prouidentiam, prudentiam, ad nostram sapientiam: ob quas aptissimas regnorum prouinciarum, ac rerum publicarum rectrices, nationes omnes ad unam nos constituerunt: penes quas, quamdiu ciuitatum imperium manet, faustè felicissimeq; illæ gubernantur. Sit hoc tibi unum argumento, quòd Romanum imperium tam longè lateq; propagatum est, quoniam eius gubernatores, ut nomine (nam Senatores sunt dicti) ita & re uera senes fuerunt: aut cura, aut ætate Patres appellati: uiri (ut scribit Salustius) quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia ualidum erat. At quum sunt & moribus, & ætate iuuenes, pugnaces, contentiosi, uiolenti, seditiosuli, ambitiosi, asoti, adulatores, furibundi, stulti, insani, ut semel finiam, ad res alias omnes inepti, ad ineptias apti, in Senatum introducti: illa respublica, quæ consilio in cœlum fuerat sublata, temeritate illorum concidit, & funditus deleta est. Non uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur, sed consilio, authoritate, sententia, quibus non modò non orbari, sed augeri

olet ſenectus. Catonis eſt hæc Ciceroniani ſententia, cuius ſimilis eſt ſanctiſsimi pronepotis apud Salluſtium inquientis, Nolite exiſtimare maiores noſtros armis rempublicam ex parua magnam feciſſe: ſi ita res eſſet, multo pulcherrimam eam nos haberemus, quippe ſociorum, atque ciuium, præterea armorum, atq; equorum maior nobis copia, quàm illis eſt. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neq; delicto neque libidini obnoxius. Hactenus ille. Vides uti regimen reipublicæ iure ad nos pertineat? Vnde nobis honor, nobis authoritas, unde dicta ſeniorum dicta ſapientum dicuntur. Et reuerentiam nobis exhibendam ob tantam animi poteſtatem nemo non nouit. At qui non faciunt, ipſi cauſam uiderint, faciundum tamen non ignorant: ut ſenex ille de Athenienſibus queſtus eſt,

Credebant hoc grande nephas (ait Iuuenalis) & morte piandum
Si iuuenis uetulo non aſſurrexerat.

Et in quinto Faſtorum Ouidius:

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inq; ſuo precio ruga ſenilis erat:
Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros,
Nomen & ætatis mite ſenatus habet.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.

Quid quòd Deus ipſe in Leuitico, cano capiti aſſurgi iubet, & ſenilem perſonã honorari? quid etiam illud eſt apud Eſaiam, Loquere grandior natu, decet enim te. Verùm quod inferiorem, quam uocant affectuum turbationum partem, ita multis infectam maculis me habere contemplatus es, nihil in ſene prudente aut uariationis bonorum morum efficiet, aut minuet dignitatis maieſtatisq;. Conferrem ego iuniorum partem illi, ubi omnia aut in paruitate aut nimietate ſita cerneres, quæ duo uitia uirtutem ambire dicuntur. Illic ingentes cupiditates, præcipuè libido uenerea, illic multa ira, multum odium, illic inconſtantia & præceps conſilium, illic nulla ſuperiorum temporum memoria, illic ſpes uanæ, quædam & umbratiles, illic immoderata lætitia, temeraria exultatio, profuſus riſus, illic iactantia, & magna tragœdia commentitiorum honorum, quæ omnia ſubticeo, ne noſtra uitia ueſtris ſtultitijs uidear tegere uelle. At uerò ut illa uiris iunioribus moderari datum eſt, & compeſcere, ſic ſenioribus: quod quum faciunt, utrique uerè ſenes ſunt appellandi: utrique autem iuuenes ac pueri, quum non faciunt. Honor quoque, reuerentia, dignitas, maieſtas, authoritas, conſultatio, non minus ſenibus ſenſu, quàm ætate tribuitur. Moribus uerò ſenem puerum ſacræ litteræ execrantur, & ſenſu mentéq; pueros ne ſe faciant, Apoſtolus Paulus Corinthios deprecatur. Quàm turpis, quàm ridicula res eſt, ut inquit Seneca, elementarius ſenex: hoc eſt bis puer, ut eſt apud Varronem. Sunt enim huiuſmodi grauiſsima cenſura notandi, qui poſiti ut poſteris ſequentibúsq; luceant, potius cæcant, atque obtenebrant, ducésq; præmiſsi uiarum per anfractus, per ſaxeta, per aſperrimas ducunt rupes. Sed ex hoc diuerticulo in uiam quam inſtitueram, ipſi nos reducamus. Dictura ſiquidem de ſenilis animi nobilitate eram, quod ut compendio utar, ſic habe. Nihil annorum numerus, nec canorum albor, grauitatis autoritatis'ue credas afferre uiris, nec ex eo ſenes eſſe iudicandos: ſed ex multa tamen in primis rerum quum experientia, tum memoria, ex inſita quadam ad bonum honeſtúmq; propenſiore natura, ex morum & uictus probabili ratione, ex magnitudine conſilij, & rerum quàm rectiſsima perpenſione: quæ qui habent, hi demum uerè ſapiunt, ut Thebanus ille uates apud inferos, cæteri non magis parui, quàm grandes natu, uelut umbræ uolitant: hos ego ſenes appello, hos aſſero, non alios, ſenatum, qualem optauit Roma, & Geruſiam Lacedæmoniorum poſſe conſtituere, quod itidem nomen à ſenectutis uocabulo ſumptum eſt, in qua urbe maximè expedire ſeneſcere uulgatum eſt. Ideoq; & poeta quidam, ſenes Stoicos nominauit, non dierum uel annorum numeroſitate, ſed ijs rebus quibus maximè debent

bent ſenes aliſs antecellere, conſilio, temperantia, grauitate, moderatione, conſtantia, & animi propter uirtutem immobilitate, quæ omnia fuiſſe in Stoicis magna atq; admirabilia, nulla philoſophorum familia inficiatur. At uerò cui non notus uerſiculus ille apud Menandrum,

πολία χρόνος μήνοσις, ὁ φρονήσις.

Senectus enim, inquit Sapiens, uenerabilis eſt, non diuturna, neq; annorum numero computata. Cani em̄ ſunt ſenſus hominis & ætas ſenectutis uita immaculata. Et idem eam ſenectutem coronā dignitatis eſſe dicit, quæ in uiſs iuſticiæ reperietur. Concionator etiam ille eodem alluſit, quum coronam ſenum multam peritiam & gloriam illorum ait, eſſe timorem Dei: quocirca ſenectam morum inueniri etiam in pueris recte Ambroſius affirmat, & innocentiam infantium in ſenibus. Hæc quum ita ſint, hominem meum ad hunc compoſui modum, ut fœdiſsimam in primis ſibi putet libidinem, uoluptatem minimè perſequatur: lenior & melior ſit, accedente ſenecta, ne, ut ſenex ille Plautinus obiurgatus, audiat uacuū eſſe, Iſthac te ætate his decebat noxiis: idemq; ſibi cōtingere ſciat, quod ibi Ægyptiæ aui ferunt, quæ eiectis in ſenectute ſuperuacaneis quibuſdam humoribus, & a tetra pituita perpurgata odorem ſpirat ore, qualem aromata contuſa: ita & ſeniculus meus qui renunciauit libidini cæteris q; intemperantiis, haud dubiè ſuauiſsimè redolet. Felix ætas quę aduenientes pellit ea, quę in iuuentute maxime reprehendūtur. At corporis labores minuat, mentis plurimum augeat: neq; enim tarda ſenectus

Debilitat uires animi, mutátq; uigorem,

Vt ait Vergilius: neq; quod iners ſenectus adiuuat baculo gradum. Et ſicut eſt apud Ouidium,

Membra leuat baculis tardisq; ſenilibus annis

Doleat, quum tantum animi uigorem adeptus ſit. Perſpicias tum ipſum, tum ingentem meam formam & pulchritudinem, quamuis habeam

Deformem & tetrum ante omnia uultum,
Diſsimilemq; ſui deformi pro cute pellem,
Pendentesq; genas, & tales aſpice rugas,
Quales umbriferos, ubi pandit Trabaca ſaltus,
In uetula ſcalpit iam mater ſimia bucca.

Vidiſti, ut credo, & ſpecioſos & robuſtiſsimos iuuenes. Interrogo te, num illorum aut uires aut pulchritudinem meis æquares, nedum præferres? Nam quo ſum ego corpore præſtantior, eò hæ meæ uires & pulchritudo illorum ualidis neruis & nitida cute anteſtant. Verùm tu aliiq; tui ſimiles iuuenes, quàm eſſetis diſi immortales felices, ſi cum iſto ætatis robore, cum ui & ualentia corporis hunc quoque animi uigorem, hoc robur, hanc ſapientiam adiungeretis: quod uobis ne exiſtimetis factu eſſe difficile, nihil enim facilius quàm ſtudiis diſciplinarū rectis & bene compoſitis moribus huc peruenire. Vitia enim atque uirtutes & in iuuenta & in ſenectute, morum omnia ſunt, non ætatum. Quid enim grauius, quid conſtantius Catone poſteriore iuuene? quid prudentius, quid ſenilius Scipione Æmyliano etiam ante conſulatum quem iuuenis admodum geſsit? Quid crudelius Mario & Sylla ſenibus? quid fœdius obſceniúsq; libidine illa Tiberij Cæſaris uetuli capri? quid ineptius atq; ſtultius Claudio Cæſare etiam ſexagenario? in quem iactū eſt illud à Græculo, καὶ σὺ γέρον ἂ, καὶ μωρὸς, ut dubium nō ſit, nullam ætatem mores adducere, ſed ab educatione, aſſuefactione, ingenio accipere. Hæc habui de mei deſcriptione, quæ tecum diſſererem. Cætera ſi noſſe plenius aues, & Ouidij ſequi præceptum, qui ſic monet,

Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ,
Sic nullum uobis tempus abibit iners.

Ciceronis Catonem maiorem conſulo lectum relegas, in quo non ſolum ſenectutis moderandæ cedro digna conſilia accipies, uerum etiam grauiſsimum cenſorium ſenem illum, quem ſui temporis homines Portium Priſcum uocarūt, de conſtituenda rep. quam ipſe optimis artibus moderatus eſt, et qua maxime re, qua arte, quaſi clauo

quodam ſalua felixq; gubernetur: de animorũ immortalitate,ex Platonico Socrate: de fugienda corporis titillatione,quam uoluptatem uocant, cuius nunquã ipſe ſpecie atque dulcedine eſt tactus: de agricultura ſimplici illa et prima arte,quam hominum genus bona parens natura docuit: de fortitudine,de uiribus & ualetudine bona,quas ipſe ad poſtremam uſq; ætatem ingenti continentia uitæ, continuis exercita mentis integras perduxit: de contemnenda morte, cuius nunquam ipſe metu eſt ab aliquo opere reuocatus maieſtate ſua diſputãtem cum antiquitatis multa memoria, quæ in ipſo quanta fuerit (origines eius teſtantur)uidebis. Idq; ad eum modũ,ut Catonis ne ea ſint propter ſermonis grauitatem,ſententiarum pondus,et tam aptè ſeruatum decorum:an Ciceronis,propter ſuauem dulcemq; eloquẽtiam, politiorem, atq; uberiorem orationis formam, nequeas dijudicare. Hæc cum dixiſſet, diſceſsit. Ego admiratione,qua me ipſius affecerat ſermo,ſolutus ſum.

ANIMÆ SENIS, FINIS.

Ioannes Lodouicus Viues reuerendiſsimo D. ERARDO A MARCA EPISCOPO LEODIENSI, ET ARCHIEPISCOPO VALENTINO designato, S. D.

VTRIS prius gratulabor R. Pater, princepsq; illuſtriſsime, quòd Valentinus Archiepiſcopus factus ſis,tibi ne an mihi, ciuibúsq; meis: utriſq; nanq; eſt gratulandum. Et tibi,cui is cõtigit epiſcopatus: quitum animis populi tui,tum amœnitate regionis,nõ poterit tibi non iucũdiſsimus gratiſsimúsq; eſſe:multitudo enim illa eſt natura læta, alacris, facilis, tractabilis, obediens:in principes magiſtratúsq; ſuos fauore et beneuolentia ſingulari:eccleſiaſticam rem incredibili curat diligentia,ſacerdotum iuſſa neq; ſegniter,nec contumaciter exequitur. Nobilitas quæ eſt in ea ciuitate ſi in alia ulla numeroſa,mire ſplendida,magnifica,comis humanáq; eſt,cuius familiaritatis & conſuetudinis nunquam uel odium te uel ſatietas tenebit:iam ipſa regio illa eſt quam interluit ille, ut inquit Claudianus,

Floribus & roſeis formoſus Thuria rupis.

Tam fertilis ager,ut nullum ferè ſit uſquam gentium uel fructus, uel frugis, uel ſalutaris herbæ genus, quod non producat ac fundat uberrime:tam ſpecioſus,atque amœnus, ut nulla anniparte non ſint & prata & arbores complures frondibus, floribus,uirore,ac uarietate colorum ueſtitæ ac pictæ. Cœlum nitidum, purum,mite,clemens, neq; rigoribus concretum, neq; nebulis caliginoſum, neq; uaporibus & ardore extenuatum incenſumq;, quo temperamento uſq; adeò admirabili proſperrima eſt, toto illo tractu uiuentium omnium ualetudo, uegetus, ac firmus uigor. Sed hæc forſan nec huius loci, nec huius temporis maiora ſunt, quàm quæ epiſtola comprehendi uel poſsint,uel debeant. Ego de patria mea tanquam de meis bonis uerecundius loquor,ne ſuſpicio ulla iactantiæ de uerbis meis ſuboriatur. Verum nobis etiam & quidem permultum gratulandum eſt,quibus tu talis,ac tantus contigeris Antiſtes, quem ſperamus omnes, ita adminiſtraturum eccleſiam illam, ut hæc tempora poſteris continentiæ, doctrinæ, charitatis,ſanctitatis facibus præluceant, quas uirtutes non dubito te in noſtra eccleſia adaucturũ:idq; tuæ uitæ exemplo,quo nulla poſſunt eſſe ſacerdotibus tuis efficaciora præcepta,fortiora iuſſa. Sed hæc nõ minus tibi uerecunde dico in os, ne ut illic iactãtiæ crimẽ,ita hîc aſſentationis obtrectator aliquis nobis impingat,quũ utraq; tamẽ ſint ex æquo uera atq; perſpicua. Diuinãs itaq; ea ſecula quę et tu nobis,et alij(ſicut ſpero) alijs ſunt reducturi tã felicia,tã totius uirtutis et lęticię referta,luſi ea de re ſomniũ quoddã,quod uice eſt pręfationis in ſomniũ Scipionis,addidi et uigiliã meã in idẽ ſomniũ Scipionis,quo libello perfectus et abſolutus in rep. princeps inſtituit,

atq;

atque formatur. Nullumq; est in tota philosophia præstabilius opus, atque diuinius. Neque excogitaui sublimes, & magna pollicentes inscriptiones, Somnium appellaui, quo nomine quid potest inueniri minutius? quid humilius? quasi quis dixerit, nugas. Neque enim uolo pluris ea quæ ibi dico fieri, duntaxat si quis iraſcatur. Tum & Vigiliam, quod simile est illi Lucubrationem, quem titulum Bibaculus facetissimus poëta, suo indidit operi: & re uera uigilandum nobis fuit in enarrando illo Somnio, quòd multa uariaq; sapientia sua & uigilantem, & bene sobrium interpretem coniectoremq; sui expoſcit. Vtrunq; meum opus optimo iure tibi à me, princeps illustrissime, dicatur: prius quidem quoniam tu pro tua parte, eaq; non exigua, autor & adiutor eris eiusce temporum felicitatis, quam ipse orbi prænuncio, quamuis somnians. Posterius quoniam recturo ecclesiæ nostræ rempub. quam ego omniũ beatissimam esse uellem, meritò optimi & absolutissimi principis, uelut expressum simulacrum & exemplar proponi uelim, ad quod se cõponat, quódq; (ut & ipse facis) imitetur. Vale. Louanij, quinto calendas Aprileis, M. D. XX.

IO. LVDOVICI VIVIS
VALENTINI SOMNIVM, QVÆ EST PRÆFATIO AD SOMNIVM SCIPIONIS Ciceroniani.

HESTERNA nocte, studiosi iuuenes, quum de enarrando uobis Scipionis somnio cogitarẽ, Somnus me suam in ædem repentè induxit, ipsumq; somniantẽ ostendit Scipionẽ, ex quo me iusſit percontari totius illius lucubrati & uigilati somnij enarrationem. Operæpreciũ fuerit singula à capite ipso cognoscere, & describere uobis templum illius dei, cui uos tam crebrò tam libenter sacrificatis: ne ignoretis eum locũ, in quẽ pijs animis operaturi sacris sæpe cõuenitis. Arripuit me igitˇ somnus, seu uerius ultrò secuturum placide blandéq; aduocauit, & per anguſtas uias receſſusq; à luce & die remotissimos ad paludes Mæotidas perduxit, immersusq; densiori caligini profundisq; tenebris ibi me statuit, ubi tum perpetua nubiũ, imbrium, nymborũ, niuium, caliginis opacitate, tum altissimis montib. tum etiam subterraneis cauernis atq; habitaculis, neq; Sol, neque Luna, neq; sydus aliquod aliud conspicitˇ, gens illa Cimmeria nuncupat, quæ nostras istas dierũ noctiumq; uicissitudines ignorat, una semper ipsa est eademq; & sui similis mundi cœliq; facies, nigra uidelicet. Ibi ferũt Noctẽ antiquissimã reginam regni sedem fixisse, quæ quũ ex Herebo liberos liberásq; alterũ & uiginti suscepisset, amorẽ, gratiam, laborẽ, inuidiã, metum, dolum, fraudẽ, pertinaciã, egestatẽ, miseriã, famem, querelã, morbũ, senectutẽ, pallorẽ, tenebram, mortẽ, Charontẽ, diem, æthera, et hunc nostrũ Somnum ipsaq; Nox, terræ filia regnũ maternũ obtineret, cæteras quidem regni ditionisq; prouincias cum Die filio suo cõmunicauit, imperio ambobus æquato: nõ ut Q. Fabio et Minutio Ruffo, sed ut Æmylio Paulo & Varroni bello Punico secũdo, uicibus enim uterq; imperat suis. certis uerò munerib. & officijs earundem prouinciarũ cæteros liberos suos præfecit: nullãq; uoluit esse ciuitatẽ, nullũ oppidum, nullũ pagum, nullũ cõuenticulũ, ac ne quidẽ ullam domũ, in quam illi sui filij ius ac potestatẽ non haberẽt. ubiq; enim est amor, ubiq; labor, ubiq; metus, dolus, miseria, egestas, inuidia, fames, querela, et reliquę: præter Louaniũ, à quo exulãt inuidia, dolus, fraus, pertinacia: amoris et gratiæ plena sunt omnia. Cimmeriã uerò regionem solã sibi nox seruauit, nec in ea ditio est diei ullæ, in qua est tamẽ particeps regni atq; imperij Somnus filius, quemadmodũ erat Titus Vespasianus cõsors imperij paterni.

Eo igitur

Eo igitur in loco regiã sibi ædificauit somnus ex Hebeno constructã, neq; enim uel ipsi Somno, uel parẽti Nocti alius placet color quàm niger. Atriensis & domus præfectus sunt quies & silentium, qui procul à limine fragores, sibila, susurra, murmura, uoces omnes, sonos, strepitus, arcent: nulla humana illinc uox exauditur, nullus equorum hinnitus, rugitus leonum, latratus canũ, grunnitus suum, barrhitus elephantum, garritus auium, gallinaceus gallus si cõticescentiã illam & altissimũ noctis silentium ruperit, extẽplo sacer est Nocti, gratissimáq; ei dea mactatur uictima. Anserum etiam illic non alius est usus quàm in sacrificijs, lustrales enim istæ sunt hostiæ, nec ranæ ullæ sunt nisi Seriphiæ, nec cicadæ nisi Acanthiæ. Nullum ibi forum est, nulli causidici, nulli aduocati, non iurgia, non lites, nullus clamosus rabula, nullus rixosus zelotypus, & quamuis incolæ bonum bibant uinum, nullus est tamen præco, nisi siquis forsan est, qui gestibus indicet, quale sit uinum, nõ boatu. Ac ne ullus sit cardinis stridor, nulla est in tam ampla domo ianua, neque enim fures illic timentur, nec sunt aliquæ uigiliæ uel excubiæ. Vnus est autem perlenis strepitus & gratissimũ Lethei fluminis murmur, decidentis inter lapillos & præterlabentis cum maxima inuitatione soporis, eiusce fluuij aqua temperatur uinum, reliqua omnis aqua ominosa illis gentibus, atque execranda est. Sed de culicibus præterij, admittuntur & ij à deo Somno post maiora conuiuia, quum uino & Letheo flumine madent omnia. Sed mites isti culices inermésq; sunt, sine aculeis ullis, tenuissimóq; cum susurro circumuolitant lectum somni. Est enim lectus ipse dei etiam ex Hebeno contectus furuo, in quo ipse iacet, cũ uxore sua Securitate, proximóq; in thoro sunt filiæ iam nubiles ignauia, inertia, torpor, obliuio, desidia. Tertio in lecto magister ueternus altum stertens effusus decumbit. Is quem ferunt bonum atque opulentum fuisse ante Iouem natum regem potitúmq; rerum cum Saturno & Iano. Nunc ex quo Iupiter cœpit gerere bella, Grẽci contentiosum aperuere forum, Seruius Tullius æreum signauit nummum: Phædon & Lydij argenteum & aureum: Romani tot leges accumulauerunt: Accursius, Bartholus, Baldus tot glossas: Cepola, tot cautelas; reliqui meras uafricies & malos dolos, exulat: & suo deuolutus regno tanquam alter Dionysius inferior, aperuit ludum, docetq; somnum: & nonnullos ex nostris spaciatoribus Louaniensibus Somnus ipse interdum oscitabundus oculis identidem conniuentibus surgit, ut domum suam componat, ut ius dicat. Non quòd lites sint aliquæ aut accusationes, sed ut singulos quæ faciunt, facere perpetuò iubeat: quòd si lites ullæ afferrentur, nullus est hodie iudex æquior Deo illo. arcta cognatione ac gentilitate iusticiæ tenetur, nullus est illi nostrarum personarum respectus, siue rex sit, siue mendicus, seruus, liber, uir, fœmina, puer, senex, omnibus pro meritis ius reddit, ut si bona sit quis ualetudine bene pastus, bene potus, etiam si sit seruus, humilis, abiectus, bene dormiat. Sin secus, etiam si sit diues, & rex ipse uigilet, & crucietur, omnesq; quandiu in illo uersantur foro, pares sint, nec aliquid inter beatissimum et miserrimum intersit. Nescio quid in somnum peccauerat C. Mecœnas, deprecabantur eius crimen apud Somnum, Vergilius, Horatius, Propertius, omnes poëtæ, Asinius Pollio, Valerius Messala, omnes oratores, princeps etiam Augustus, Mecœnas ipse sacrum quotidie Somno cum tibicinibus & seruis symphoniacis faciebat, iacebat in sacrificio tota illa domus & familia abiecta, sordidata, mœrens & supplicans ad pedes Somni. Hæc omnia rigidam illam Somni iusticiam nunquam flectere potuerunt, & quum per tres continuos annos innumeras immolasset uictimas, ne una quidẽ horula litare potuit, & pacem dei inuenire. Quæ quum ita essent, nec Somnus Mecœnatem suam in domum admitteret, soror somni Mors, aliquanto facilior, & quæ sæpe numero adest non uocata, illum suum in regnum detulit. Hæc est causa cur reliqui poëtæ, ne crimen patroni in se quoque permânet, toties Somni laudes decantarũt, quas didicerant, à Somni sacerdotibus Endymione Care, Epimenide Theologo Cretensi: illi enim in sacris deum ipsum aliâs uocant mollem, aliâs suauem, aliâs dulcem, placidum, benignum, nutricium, gratissimum deorum munus, mirabilium artificem: canuntq; ei uersus illos, quos mihi uidetur Ouidius memoriæ mandasse,

Somne

Somne,quies rerum,placidíſsime Somne deorum,
Pax animí,quem cura fugit,qui corpora duris
Feſſa miniſteríjs mulces,reparasq; labori.

Tum & laudant eum, quod tam mitis manſuetusq; ſit,ut eos quíbus ſit propítius, ta les reddat:alíos quos oderit, præferoces, ímmites,inhumanos, refractarios,crudeles efficiat:quod intelligens exemplum illud Romanæ grauitatis & ſapiẽtiæ Cenſorius Cato, ſeruos quantum uellent ſinebat dormire,ne nimíjs uigilíjs animí atq; ingenia eorum efferarentˉ.Hinc ſomnus deligit ſibi ex tota rerum natura miníſtros. Primũm ut in íſtis maximis domíbus fieri ſolet,ut ſint plericq; ocioſi,oneri magís, honori dí= xerim,quàm neceſsitati:qui ſi rogentur,cui ſint illic uſui? reſpondere poſsint,ne do mus ſit infrequens,neque aliud agunt,quàm intrare,exire,ſpectare,& comedere. Ita ſomnus habet pleroſque amplís in íllís ſuís ædíbus,tales,ij ſunt omnia animalia:ſtir= pes uerò,& ea quæ nihil ſentíunt,excludunˉ,ut à domíbus príncípũ íj,qui aſſentandi & adulãdi ſenſum nullum habẽt.Iam ſunt ad ſecretíora munía famuli,qui feriati neu= tiquam ſunt,hos habet ex hominíbus infantes,quamdíu ſunt in maternis locís, præ= ter paucula quædã momenta,tum et recẽtes ab ortu. Ex reliquís animantíbus,glyres hyemẽ totam:urſas XIIII. dies perpetuos à concepto fœtu:uitulos marinos,magna temporís parte:íſtís familiarius utiˉ,quíbus bona dat ſtipẽdia,reliquos uerbo tenus famulos ſatis habet,modò alat,nec omnes tamen in íllís ædíbus quamlíbet ſpacioſis díuerſantur.Sed ut uídemus in domíbus íſtorum procerũ diſperſi habítant,totosq; dies,noctes etiam uaganˉ,malè feriati,anſati homines,trahentes prælõgos enſes effe rato uultu,interim bene cõpti,præſertim quũ amant magnificís promíſsis ac uerbís, tam ínaní crumena,q; cerebro inſanía differto:& quanq; ſe alere totam ciuitatẽ poſſe iactent, hora tamẽ prandíj aut cœnę citius deſerãt quoduís uadimoniũ quàm domí= ní aulã atq; ollam,ita et ſomnus famulitiũ ſuum permittit,quocunq; uoluerit loco ha bitare,modò tempore pabuli ne deſint:alíj famulorũ incolũt ædítos mõtes,proceras arbores,alíj terram,alíj antra,& ſpeluncas,alíj nídulos aut ſub terrís aut in parietíbus, alíj aquas & ipſum mare,homines & quadrupeda clauſis oculís et ſtertentia paſcunt ſomnos,quos delphíni & balenæ ímitanˉ píſces,& inſecta ſola quies indicat paſci,et quamuis tantis ſit famílíjs ac clientelis, nunq; tamen (quod raro inter nos cõtíngit) bellum gerit. Nam ſi quis ſuis parẽre iuſsís,ſiue mortalis is ſit, ſiue Deus,detrectat, protínus uírga illa ſua tactũ uincit,proſtrátq; : ſic dedit manus aliquãdo Iupiter ipſe, ſic domita ſunt pleraq; monſtra Meduſa. Argus & uelleris aurei ſerpẽs cuſtos:illam eandẽ uírgam ſomnus Mercurio plerunq; accõmodat. Mercurius uícíſsim ipſi tala= ria ſua,quo fit ut frequẽter Somnus nõ minus q; Mercurius,nũcius ſit Iouis ſummi. Porrò domeſticis reb.ita cõſtitutis,ſomnus ipſe ſe ſibi breui deãbulatiuncula reficit, uſq; ad hortulos ſpaciatus ſuos,in quíbus mater Nox omne genus herbas ſoporife= ras ſeuit primùm parentís ſuæ Cereris papauer perfuſum Letheo líquore,hinc lactu cas atras,et mandragoras,et ex legumíníbus fabas,píſa,phaſella:lentes uerò illic non creſcũt,ac ne ſeruntur quidẽ,et ſi hoſtia cædiˉ ueſpertílio, protínus cauent ne domi ſicceˉ caput.Neſcio enim quas tragœdias ferunt illic eſſe excitatas,propter caput ari dum cuiuſdã ueſpertílionis.Itur hinc ad cõuiuium,in quo frequẽtes adſunt Bacchus & Silenus & M. Antonius ,& filius Ciceronis & Torquatus Tricongius & L. Píſo curator urbís,& ſi qui alíj ſunt,qui capitale bellum indixerũt aquæ. Sedet ipſe Som= nus medius inter uitam & mortem, ſed propíor tamẽ morti q; uitæ:nec mirũ,quum mors ſit eíus ſoror germana,uita nõ ſit germana ſoror,ſed patruelis,idcirco ex fami= liarıbus cõplures paruam eum mortẽ uocant. Somno poſtq; iuit cubitũ,cohors uigi lum ad cuſtodiã excubat,admirabíles rerum formæ,quæ cõmuní uocabulo Somnía dicũtur,id enim eſt gentile nomen,cognominíbus & prænominíbus ut Romaní di= ſtinguũtur:eorũ enim eſt qui uoceˉ φάντιον,latinè inſomniũ,cuius eſt munus ut falſa gaudia,triſticias falſas humanís animís ingerat,ut quod in uigília optent uel timeãt, per quietem ſe conſecutos ſibi ue accidiſſe putent. Hoc φάντιον regnum habet in eos qui amant,qui ipſi ſibí ſomnía fingunt,in meticuloſos,qui ſemper ſua feriri dorſa

putant

putant,fugere perſequentem,& ſub linteamínibus delitescere male tutos:in auaros, qui ſingulis noctibus beneficio ſomni ditati,poſtridie maleficio diei & lucis pauperes ſurgunt:in eos quibus non adeò uel uinum uel ceruiſia diſplicet, qui ſibi integra exhaurire quadrantalia,et iucundiſsime alios ad bibendũ prouocare,prouocariq; ab eiſdem,quum ſunt inſomni,domo putãt.Eſt ex ſatellitibus alter,qui uocatur φαντασμα. Cicero qui Latinè loquit̃,uiſum dicit,quod ſenſibus noſtris ſe offert ſemiſomnibus,quũ nec uigilamus, nec planè ſomni obſequio totos adhuc noſtros artus tradidimus.Sed in confinio ſumus duorũ potentiũ regnorũ Somni Vigilię q;. Hic filiam ducebat ponè ſequentem ὑπαλτην, quæ cum aliquẽ ex ſomni miniſtris & famulis complectitur, & enim magnum ſcortum eſt, & cubitat libenter cum uiris, ita opprimit eum,ut ſibi magnis turribus atq; põderibus grauatus uideatur,nec inſpirare,nec reſpirare queat,ac ne clamare quidem,uel quiritare, & opem fidemq; deorũ atq; hominum implorare.Ad hæc eſt etiam grauis quidã & peritiſsimus Promethei cõſanguineus,qui uocat̃ Morpheus,potẽtior etiam quàm ipſe Prometheus. Nam hic ex luto finxit homines,ſublato furtim igne illo cœleſti. Morpheus uerò de nihilo facit homines,nec eos mutos aut nudos,ſed ornatos ſericis & aureis ueſtibus,loquentes,diſertos.Oratores etiã,quũ nunq; declamarint. Theologos,qui nec Louanij unq;,neq; Parrhiſiis fuerint,nec ſcholas intrarint uel uiderint. Reges quoq;, principes, mendicos,ſeruos,dominos:eos q ſunt Louanij,facit cõuiuari Romę:qui Romę ius dicunt, medio in foro Louanienſi facit ſaltare:circulatores ipſi non ſunt tales artifices, qualis Morpheus ille. Proximus huic eſt Icelos magnus auceps & uenator,incredibile dictu eſt, q; multa genera ferarũ & auiũ quotidie capiat, leones, urſos, capras, damas, ceruos,apros, lepores, cuniculos.Tum ex auibus ſiue ad eſum ficedulas, perdiculas, turdos,anates,pauones,anſeres,gallinas,pullos gallinaceos,capos,coturnices,turtures,colũbos,ites:ſiue ad cantũ luciniolas,paſſerculos,merulas,ardeolas,caſsitas: ſiue ad imitationẽ uocis humanæ pſittacos,coruos, picas,ſturnos,carduelis,monedulas, ſiue ad alias capiẽdas,aquilas,uultures,circones, buteones, arſaloes,cymindes:ſi hic ſemel ueniſſet Louaniũ, nunquam poſtea ad forũ ſancti Petri iretis ad emẽdas aues, quãquam uenit,ſed incognitus abijt.Poſtremò Phantaſos ſigilla habet rerum uniuerſarũ quæ anima & ſenſu carẽt,quanta regna hic habet dij immortales? quantas opes? Quàm multũ auri,argenti,margaritorũ,gemmarũ,quæ opes hoc,ab ijs quas ueras appellare ſolemus diſtant,quod hæ ut ueræ ſunt,ita ueros pariunt dolores & cruciatus non fictos.Illæ,ut ſunt inanes fictæq;:ſic gaudia ſibi ſimilia,inania uidelicet gignunt fictáq;: tametſi ſunt qui ficta hæc & adumbrata ueris illis atq; expreſsis anteponant. Atq; his quidem omnibus ſunt ſua ſacra, ſuæ ceremoniæ,ſui ſacerdotes, ſunt oraculorum interpretes:nam etiã prædicunt uentura,multi quidẽ coniectores,qui ex ſomnijs admirabilia fata unico in manũ accepto aſſe: aſſe autẽ immò ſextante aliquo numo,uel unciaria ſtipe pollicentur,quos nonnulli ὀνειροπόλους appellant.Sed honoratiſſimi tamen ὀνειροκριτικοὶ Ioſephus Iacobi filius, Amphictyon, Tireſias Thebanus, Democritus Abderites, quos ego aſpexi interdũ deſtomachantes & execrantes reſponſa illa ſuorũ deorũ,deierãtes, nihil eſſe ueri,nihil ſynceri,nihil certi,omnia mendacio rum & uanitatis eſſe referta: nullus mihi uiſus eſt certior cõiector Tireſia Thebano, hic eſt ſeniculus quidã iucũdus, quẽ ſuperba illa & rabioſa luno, quod iudicio quodam inferior diſceſſerit,luminibus orbauit. Is quoties rogatur, illud præfatur, quod uaticinabor,aut erit,aut nõ erit.Atq; eo modo nondũ audiui eum mentitũ.Verſabantur & in eadem ſomniorũ cella medici pleriq;,qui de ualetudine ex oraculis ſomniorum iudiciũ ferebant, idq; non uſq; quaq; male . Sed cuncta ſomnia erant adeò pota, ut mirareris quã funderent,nec cohærentia, nec uera,nec uero ſimilia:interim tamen certiora etiam, quàm quæ interdiu uigilantes uidemus ac tangimus, ut de cane illo qui ſomniabat ſe fuſtibus cædi, & cædebatur: & de illo homine, qui quum de lecto deuolueretur,ſomniabat id ita accidere. Is quoq; Cornelium Rufum, qui cõſul cum M.Curio fuit,narrari audiebam,uiſum amiſiſſe,quum id ſibi accidere ſomniaret.Sed hæc rara exempla, frequentiora illa, quod uſq; adeò ſunt ſomnia illa fallacia, ut nihil tam exi-

tam exiguũ ſit, quod non ingens ipſa prædicent, de rebus quoq; quæ adſunt, quæq; ſentiuntur, non erubeſcunt apertiſsimè mentiri. Auditur ex illis aliqua uox, tonare, corruere montes, frangi & decidere grandes arbores, ſubuerti domũ ipſam dicunt. Aſcendit ad palatũ aliquid dulcioris liquoris, quicquid eſt ſacchari & mellis te comedere canunt. Supereſt in gutture aliquid uini, aut cereuiſiæ ex pridiana potatione, totos cerui ſiæ culeos, ſolida uini dolia ſequiculeria te bibere aſſeuerant: incaluerunt paulò plus ſolito certæ quædam corporis partes, circundatũ te ignibus & per uiuas ambulare prunas iurant. Hic de oraculis ſomniorum magnam uidebam in curia diſſenſionem, non inter ſenatores ſolum & doctos philoſophos, ac uelut maiorum gentium patres. Sed inter minorum quoq; gentium, & conſcriptos allectosq; conſulebatur ſenatus à Manio Somnorino Conſule inter curas uarias, inter ſpem atque metum ſedent. Et quoniam in trepidis rebus ſententiæ erant dicendæ, non acceptis pignoribus, ſed datis per deos omnes, qui ei templo in quo ſenatus habebatur, præeſſent P.C. Conſul obteſtatus eſt, ut quod quiſq; ſentiret, quodq; è Rep. futurum exiſtimaret, id fortiter conſtanterq; diceret. Primi igitur rogati ſententiam uiri conſulares, & multis maximisq; honorib. functi Pythagorici, Socrates, Plato, Platonici, Stoici, ueriſsima illa & ſacroſancta uideri ſibi oracula dixere: nec in eis uiciſ quicquam, in nobis culpam ineſſe omnem, qui cibo potúq; infracti & obruti quieti nos tradamus. Quo fit, ut ea pars animi, quæ mentem conſiliumq; obtinet, ſopita ſepultaq; crapula iaceat cæca, nec intueri quicquam ualeat. Nam qui ſalubri & moderato cultu dicam Platonis ſententiam Ciceronis uerbis, qui inquam eiuſmodi cultu atq; uictu quieti ſe tradiderit, ea parte animi quæ mentis & conſilij eſt agitata & erecta, laturaq; bonarum cogitationum epulis, eaq; parte animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti, quorum utrunq; præſtringere aciem mentis ſolet: ſiue deeſt naturę quippiam, ſiue abundat atque effluit illa etiam parte animi, in qua irarum exiſtit ardor ſedata atq; reſtincta. Tunc eueniet duabus animi temerarijs partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & ſe uegetam ad ſomniandũ acremq; præbeat, tum ei uiſa quietis occurrent tranquilla atq; ueracia. In hanc ſententiam non pedibus ſolum, ſed manibus quoque & capitibus tranſierunt, ex Græcis quidem Alexander magnus radiculã qua Ptolemæus ſanatus eſt, manu geſtans: Dionyſij ſuperioris & Phalaridis Agrigentini matres filiorum magnitudinẽ fæuitiamq; oſtendentes: Xenophon præuiſa per quietem militia ornatus inſignisq;: Eudemus Alexandri Pheræi mortem indicans, ſuumq; poſt annos quinq; in domum patriamq; reditum æternam: Sophocles Herculis admonitu magnificus. Simonides dilata nauigatione lætus & exultans: Crœſus Lydorum rex Atym maiorem filiorum haſta transfixum, lugens: Alcibiades Athenienſis amiculæ pallio inuolutus: Chryſippianus ille ſomniator inuento per oui indicia theſauro, diues repẽte factus: Himæra Syracuſana, cuius nocturnum uiſum Syracuſæ magno ſuo malo nimis uerum fuiſſe expertæ ſunt: Archas ille Stoicianus uindicaſſe mortẽ ſocij glorians. Ex Romanis uerò Tarquinius ſuperbus, rex nimis magno impetu arietatum ſe ab ariete illo lamentans: P. Decius Mus, & T. Manlius Torquatus uictoriam de Latinis, & deuotionẽ pro patria ſuam ſubinde commemorãtes: L. Attinius homo de plebe, quem neſcires triſtiorẽm ne diceres amiſſo filio, an lætiorem recuperata ſalute: C. Sempronius Graccus in ſimile ruens fatum, inuitus & reluctans, quo Tib. frater. Arterius Ruffus eques Rom. ceu pia cularis pro mirmillone trucidatus, & ſe minus monitis deorum parentem, & amicos nimis importunos execrans. Ciceronis nutrix, ſalutem reip. primumq; & uerum patriæ patrem à ſe alitum iactans. Calphurnia Cæſaris dictatoris uxor, coniugem ſuum multis confectum uulneribus, in gremio ſuo depoſitum eiulans & lugens. Cn. Octauius, & Accia Auguſti parentes, filium mundi dominum ſuccollantes. Artorius Auguſti medicus, principem orbis uno inſomnij ſui oraculo ſeruatũ demonſtrans. Ad hæc ex barbaris Hecuba Priami uxor incenſam face ſibi oſtenſa Troiam cum rabie cõmemorans. Cyri ſuperioris mater Mandane urinam ſuam Aſia tota tanquã matella exceptam præferens. Cyrus ipſe uitæ ſuæ annos digeſtis in ordinem numeris colli

gens. Hamilcar Pœnus longe alio q̃ animo præſumpſerat apparatu atq; affectu mœ ſtus Syracuſis cœnãs. Captiuus Hanníbal,itidẽ Pœnus tot prælia,tot Romanos,tot Italos partim cæſos,partim captos,tantã Italiæ uaſtitatẽ Romanis exprobrãs. Multi tudine uidebanẽ & autoritate hi uincere,itaq; ſenatus con. in eorũ ſententiã iam inci piebat ſcribi,quum ſubito Volupius Epicurus,trib.pl.intercedere ſe profiteẽ:quo fa-ctum eſt,ut Conſul in exquirẽdis patrũ ſentẽtijs pergeret.Ita rogatus Ariſtoteles lon ge ſibi aliam eſſe mentẽ dixit, ſomnia ex ſe nihil habere ueritatis,ſibi uideri: ſi quãdo uerũ prænunciẽt,nõ id protinus uera eſſe ſomnia,arguere quippe quũ ſingulis ſom-niemus noctibus,mirandũ non eſt,ſi aliqua uerum dicãt, collimet aliquando,uel to-tius artis iaculandi rudis omnino ac ignarus neceſſe eſt, ſi totũ diem iaculaẽ. Quidq; nos uarijs interpretationibus pro libito noſtro cõfictis efficimus, ut uerũ prædixiſſe ſomnia uideanẽ. Hinc Carneades cum magna Academicorũ manu,quũ aſſurrexiſ-ſet:Et licet,inquit,Somnorine loqui de republica? negare plericq; conſulariũ extra or dinẽ,ius eſſe cuiquã in ſenatu ſententiã dicere timebãt,uidelicet inuictã illam homi-nis eloquentiæ uim,qua eſſent plerunq; cõuicti & cõfutati:quem uirum tanti eſſe in diſputando acuminis affirmabãt, tantæ artis, ut nullã unquam eſſe defenderit, quam non probarit:nullã oppugnarit,quam non euerterit.Conſul uoluntatem principũ ſe cutus,quieſcere illum iuſsit:appellat tunc ipſe trib. Epicurũ, qui quod eſſet Carnea-des legatus ad Romanos deſignatus,poteſtatem ei quæ uelit dicẽdi facit,ille inuitis aduerſarijs,in hunc modũ diſſeruit,ut totã penè fidem oraculis ſomniorũ adimeret, Si enim,inquit,uera ſomnia P.C.mittunt à deis falſa à quibus mittuntur, an ab uulpe culis,quæ fallere & aſtu eludere conſueuerũt, an potius uera ſunt à Ioue deo ueraci, falſa uerò à Mercurio mendaciorũ præſide? Quòd ſi dij uoluntatem ſuam ſomnian-tibus declarãt, quanto magis eorũ & maieſtatem deceret, & beneficentiæ congrue-ret non dormientibus ea,ſtertentibusq; nunciare,ſed uigilãtibus atq; attentis. Quan to etiam beneuolentiæ illorũ erga nos magis eſſet cõſentaneum,non obſcuris & fle-ctilibus ſignis, quçq; coniectore indigeant ludere genus humanum,ſuſpenſumq; cu ra & metu,ut tu nunc eas Somnorine irridere,uerũ aperte & dilucide mentem nobis ſuam enunciare.Productus eſt ab eo ſub finem orationis protheſaurius quidam Car boni inuentor,qui fletu & lachrymis ſuis magnopere ſenatũ miſericordia mouit, in-gentemq; ſomnijs inuidiã fecit. Querebatur enim ſe de theſauro mane inueniendo ſomniaſſe,nõ ambigioſe & per inuolucra,ut fecerat ille Chryſippianus,cui per uitel-lum albumine contectũ, aurum argento circundatũ ſignificatum eſt, ſed ſimpliciter & aperte:at quum lætus ſurrexiſſet, inueniſſe carbones quauis pice atriores. Siccine uos ſomnia iuuat nobis illudere,& ueteratorijs ueſtris artibus ſimplicitati noſtræ im ponere.Emerã iam apud me,ex theſauro mihi à uobis oſtenſo fundos, uillas, hortos, ædes:paraueram ſplendidã & delectabilem uitã:deſtinaram filiabus ſuas dotes, filijs amplum patrimoniũ:iam me inter principes meæ ciuitatis, atq; adeò totius regionis cõnumerabã.En ad quantã inopiam fucis & mendacijs ueſtris hæc omnia reciderũt. Quis ergo poſt conditũ æuum afflictus & proſtratus poterit dici, ſi nõ ſum ipſe im-mani calamitate de faſtigio opum dignitatisq; deturbatus? ſi non ſum unus ex omni memoria miſerrimus,repente ex feliciſsimo factus:minuit hæc oratio apud pleroſq; patrum, non mediocriter ſomniorum autoritatem. Pyrrho uerò & Herillus incertæ erant mentis,atq; ſententiæ,multum animaduertebant,multum cogitabant, magno-pere conſiderabant, diu cunctabantur quid eſſent acturi, in utram ſe partem prore-pturi, modò iſtis decreuerant aſſentiri, & toto impetu in eorum ſubſellia tranſibant. Sed medio in curſu,neſcio quo ipſos altrinſecus,quaſi unco retrahente ſiſtebant ali-quantiſper,& in diuerſam ſe partem pòſt paulùm conijciebant,neq; perueniebant ta men:nam utrinq; quantum trahebantur,tantum expellebantur. Quumq; id fieret pa ribus hinc inde uiribus,neceſſe erat eas uelut ferrum in conditorio Arſinoë ſuſpen-ſos,in medio conſiſtere, ne quicquam alterutris ſe coniungere conatos, idq; non ſe-mel. Vix hæc fueram intuitus,quũ uideo duos cãtillantes uiros,alterũ Græce,eumq; cæcum:alterum Latine,& cornua neſcio quæ,ac elephantes prædicabant,

Græcus

Græcus dicebat,

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσιν ὀνείρων.
αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχατε, αἱ δ' ἐλέφαντι.
τῶν οἱ μὲν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται ἐπ' ἀκράαντα φέροντες,
οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.

Quos uersus Latinus poëta hunc in modum suos faciebat:

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt in somnia manes.

Ita asserebant fore, ut si per cornu illud quod splendorem lucemq; admittit, facies illæ & formæ eorum, quæ in quiete uidentur, exirent, certa essent omnia perspicua, clara, indubitata: sin uerò per elephantem, cuius quamlibet tenuissima lamina densitate sua, lucem omnẽ excludit, confusa, turbata essent. Memini hoc dictũ uehemẽter esse à complurib. probatũ, sed dolebant cornua ista nusquã penè inueniri, nisi in illo cornucopię ubi etiam lactis gallinacei haustus esset, erant qui crederent de cornibus lunæ Virgiliũ loqui: qui sibi uidebantur facetiores de cornibus hominis currucæ, nescio quid cauillabantur. Æethiops quidã Iouis Hammonij sacerdos poëtas de Hammonis cornu loquutos censuit, quæ gemma est inter sacratissimas Æthiopiæ, colore aureo, quæ arietini cornu speciẽ reddit, quale est cornnu Iouis Hammonis, quem illi arietem esse putant, eam gemmam pro comperto habent, tradúntque: Æthiopes nocturna uisa oraculi modo, certa ueráque efficere. Dum hæc aguntur, rixoso altercatorum clamore excitatus somnus, quietem silentiũq; grauiter increpat, quod tam garrulum genus hominũ intromiserint. Proinde antequã serio succenseat: amoliantur illud protinus, quies & silentiũ ante somnitorũ prouoluti culpã flebili uoce cum lachrymis deprecantur. Narrãt sophistas esse illos Parrhisiẽses, à quibus sibi esset infeliciter impositũ, quòd quũ nec græce loquerẽtur, nec latine, nec lingua aliqua, quam ipsi nossent, nouerant autem humanas omnes, diuinã uerò solã ignorarent, putarunt istos plus esse, quàm homines, deos planè quosdã, qui sic loquerentur, nõ potuisse aliter facere. Quin & reuerentissime eos, nõ ad ipsius quidẽ somni, sed ad somniorũ cubiculum, quò peruenire magnis conatibus cõtendebant, introducerẽt. Hic somnus, sit satis semel peccasse, posthac scitote illã non esse linguã humanã, multo etiã minus diuinã, sed strepitũ & interpellationẽ totius quietis, eijciantur hinc primo quoq; tempore. Et quũ ipse Deus in se relaberet, dixit uerbũ quoddã, quod ego non satis potui percipere an esset Græce εἰς κόρακας, an Latine in cloacas. Simul ac auditum est iubere quietẽ, uerbis Somni ne intra neomenias mensis Pirocali, quæ erãt postridie futuræ, sophista ullus in Somni regia esset, pertumultuosa excitata est seditio: omnia propè somnia abitura se cum cõgerronib. suis professa sunt. Ibi sophistæ amplexari charissima sua somnia, & dicere illud amarũ ualete, somnia retinere amicissimos suos. O triste spectaculũ, cõfusus iam erat fletus: & utrinq; exortus plangor horribilem reddebat audiẽtibus sonũ, ibi manifestò intellectũ est quàm grauis & acerbus esset amicorum discessus, & quasi diuulsio à sese. Fuere ex somnijs qui & Noctem & Herebũ & quicquid est deorũ iurarẽt se, nisi libere cum sophistis abire permitterentur, claustra ipsius regiæ refracturos. Somnus, modo aliqua ad ministeria necessaria obeunda superessent, alijs eundi quò uellent, fecit potestatem. Ita sophistę cum magna parte somniorũ, à quiete exclusi sunt. Quumq; quærerẽt, quónam gentiũ essent omnes ituri: sophistæ responderũt se nihil magis ignorare, quàm mundũ quem incolerẽt, si in cœlo essent, nulla uia, nulla semita, nullũ compendiũ, oppidũ, uiculus, mons, flumẽ, palus, fons, lacus, ignoraret: omnia illa cœlestia tenere se in digitis. Quot autẽ millibus distet sanctus Dionysius à Parrhisiis id omnino se nescire. Ne ex Paruo quidẽ ponte satis cõpertum habere quâ uertendũ sit ad nostrę Dominę. Proinde orare atq; obtesta

ri ſomnia,ut ſe ducant.Ex ſomnijs nonnulla in Bactra cõtendere,ad inueſtigandã Eu metridem gemmã ſilici nõ abſimilem,quæ dormientis capiti ſuppoſita certiſsima facit uiſa.Alia in Ægyptũ profecta ſunt ad uenãdos crocodilos, quorũ ſiniſtrũ armum præſentaneã uim habet,ad immittenda quę uelis et quibus uelis ſomnia.Alia ea quidem quę ſimultates,partim occultas,partim etiam apertas cum quiete præfecta prætorij ſomni exercebant, quæſitũ ierunt ſemen pygmocomi ad tumultus & turbas in quietẽ ſomni cõcitandas.Iam percurrerãt ſomnia orbem totũ,reſtabat inſula Thaſos una ex Cycladibus,& Atlantici in Aphrica populi.Thaſii ſomnijs illis gentẽ ſuã infici nolebãt:uineas idcirco à ſole inuentas plantarunt,quæ omnia depellerent ſomnia. Sed nox tantã miniſtris filij ſui iniuriã fieri pati nõ potuit.Quo factũ eſt,ut quæ uites interdiu plantarent, eæ ſomnia propellerẽt:quæ uerò noctu, cõciliarent.Tum ad Atlantes feros homines,atq; adeò uix homines,nõ fuit conſiliũ ire.Quumq; impenſius rogarẽt ſophiſtæ,Quinã hominũ eſſent Atlantes iſti: dictũ eſt eis, gentẽ eſſe beluinã in Aphrica,quæ ritu humano non uiuat:ſolẽ & naſcentẽ execrent & occidentẽ,neq; nominibus proprijs ſignati & diſtincti ſint.Proh ſumme Iuppiter,inquiũt,cuiuſmodi genus hominũ ad ponendos caſus, omnes poſſent uocari,a & b. Hæc eſt peregrinatio ſomniorũ,in qua cum omnib.populis gentibusq; fœdus & amicitiã iniuerunt, præter q̃ cum deteſtabilis illis Atlantib.Nec ſolũ cum hominib. ſed cum beſtijs etiã pleriſq; iuncta ſocietas eſt.Declarãt hæc latratus canũ dormientiũ,caudæq; agitatio. Ex hominib.uerò aliarũ gentium q̃ Atlantice ſunt quidã,ingenio uſq; adeò cõtumaci,ut cõprehendi in amicitia illa & fœdere cum ſomnijs noluerint,quos interdũ pœnitet ſui erroris,& pœnas dant illius,ſeras quidẽ,ſed permagnas:neq; enim cõciliantur niſi prægraui indicta multa,alijs uehementi aliquo morbo,alijs etiam morte ipſa: quã rem ad terrorẽ inimicorũ ſcribi ab Ariſtotele iuſſerũt,& in publicũ nundinis omnibus proferri. Atq; in hunc modum cõpoſitis rebus antequã hyeme opprimerẽtur, autumno cuncta ſomnia domũ rediere:oſtẽſa unicuiq; ex amicis & ſocijs uia, qua facillime eò peruenire poſſet.Magna erat in domo illa lętitia,reuerſis ijs,qui peregrinationem pro repub.ſuſcepiſſe ſe iactitabãt.Nam iactantiã didicerãt à comitibus ſuis ſophiſtis,quorũ pleroſq; reliquerãt prope Athenas in Cynoſarge,eoſq; ſenes maxime. Nam iuuenes uſq; adeò cum ſomnijs cõplexi ac cõplicati erãt,ut citius ab igne calorem,quàm à ſomnijs ſophiſtas abſtraxiſſes. Et quanquã edixerat quies,ne ſophiſta ullus Somni aulã introiret:iuuenes tamen iſti uſq; adeò ſe totos ſomnijs tradiderant, ut niĥil differre iam ab ingenio,natura, effigie ſomniorũ uiderẽtur. ouum nõ eſt tam ſimile ouo,q̃ iſti ſomnijs.Ita decepto cuſtode qui illos niĥil præter ſomnia cernebat eſſe,ac propemodũ nõ fallebatur,immò uerò planè nõ fallebatur, ſe illuc iuuenes inſinuarunt,ſenes eodẽ uti dolo nequiuerunt. Quoniam tametſi magna ex parte ſomniorum faciem induiſſent,tamen reliquerant detecta nonnulla,quę humana eſſe facile erat cuiuis deprehendere. Iuuenes uerò illi aſtutuli totos ſe à uertice ad pedes, intus,exterius ſomnijs ſe nõ modò ueſtierãt,ſed recõcinnarant, refinxerãt, reformarãt, maiore cũ ſimilitudine, quàm uel illi Seruilij gemini, uel Menechmi Plautini, mater quos nõ internoſſet ſua,quæ mammã dabat.Neq; adeò mater ipſa quæ illos pepererat,ita ut dignoſci nulla ratione poſſet,iuuenes ne ſophiſtæ eſſent uerſi in ſomnia, an ſomnia potius in iuuenes ſophiſtas. Cæterum quomodo res cunq; haberet ſatis conſtabat,& iuuenes ſophiſtas eſſe ſomnia,& per conuerſionẽ ſimplicẽ ſomnia eſſe iuuenes ſophiſtas. Iam me incipiebat tædere tantæ in domo illa ſomni moræ. Et ſomnus ipſe in ſoporem totus reſolutus immemor iam erat mei,tum ad ipſum deum accedo per quàm reuerenter, præfatusq; pacem & ueniam,oro, uti mihi Scipio oſtendatur. Arriſit ſomnus,ut eſt deus humaniſsimus,& cum primis comis.Iam tibi,inquit, longa uidetur iſta in æde noſtra mora.Bona,inquam,uenia,ſecure ſomne oppidò quàm libenter domi tuę uerſor:Sed ſollicitum me reddit iuuentus Louanienſis,quę eſt mecras auditura,noſti hominum genus uigilantiſsimum.Apage,inquit,iſtud dictũ,nulla iuuentus mihi eſt acceptior, nulla libentius miniſtrat nobis. Aſpice, inquit, ad dextram,et oſtendit mihi complures ex uobis,qui identidem annuebãt,Sed tu φώπιον

duc

duc iſtum Viuem ad cubiculū tuum. Accepit me inſomniū, & quum attentius perſpexiſſet, agnouit congerronem. Papæ, tu es Viues, inquit, cui ego ſoleo ſæpe perſuadere eum modò cum Cicerone, modò cum Quintiliano: tum Parrhiſiis, tum Valentiæ, tum Athenis cum Ariſtotele, Platone, Socrate uerſari & ſuauiſsimè diſputare: Ipſiſsimus, inquam. Sed ad Scipionē, quæſo te, celerius. Patebat cubiculū, ibi innumera iacebat turba, ex qua tota ſomniū, quum alios permultos delegerat ſibi colluſores, compotores, compranſores, conſabulones, uelut Ochamū, Suiſethum, Gregorium quendam Ariminenſem, Paulum Venetum, Hentisberum, conterraneū meum Petrum Hiſpanum, Accurſium, Bartholum, Baldum. Tum uerò ad ſingulares ſummaſq; delicias, Ioannem Scotum acceperat, quo homine ferebant ſomnium uſq; ad inſaniam delectari. Nec Scotum ipſum faſtidire ſomniū, ſed cum eo uerſari longè libentiſsime, ſociare cum eo ſermones, conferre ſeria, ioca, triſtia, læta, præterita, præſentia, uentura, luſitare, certare, luctari: ſomniū uiciſſim credere ipſi ſacra et prophana, publica & priuata, ſomniantes ei cōmittere & cōmendare: ut ueteranus ſomniator tyrones in eo ludo doceret, atq; exerceret. Reliqui illi omnes iam huic, etſi ſodali, etiam multorū de illo cumulo magiſtro perditè inuidere, captare reprehendendi & detrahendi locum. Sed ille ſomnij artibus bene inſtructus, non tutus ſolum erat: uerum ſe curus quoq;, illosq; contemnebat omnes præ ſe, & magno cum faſtidio, oculis, ore, uerbis aſpernabatur. Si inſtabant procaciores, unica ex ſomnianis nebulis, quàm poterat maximè uana obiecta illis ob os, non ſecus atq; oſtenſo Gorgonæ capite, ſic ſtupefaciebat, ut nec uocem emittere, nec anhelitū recipere, nec annuere quicquam, & ſignis quæ uellent declarare poſſent. Niſi ſi qui fortè erāt, qui diſcuſſa caligine illa, & nebula, & uelut Ægide quadā Palladis, totius ſapientię deæ obiecta, ſomnij cōmentum intrepidi ac ſine periculo perſpicerent. Cum his erant illi moleſtæ rixæ, contentio eiuſmodi in pugnos fuſtesq; ſolet exire. Erat hoc quidem ſpectaculū iucundum. Sed mihi non uacabat ſingula diſpicere. Ita quum ſomniantes alios luſtrarem, quendam ex toga prætexta & ſeueritate uultus, ex querna corona, & gemina laurea, ex habitu toto corporis, & filo, alijsq; non malis coniecturis deprehendo Scipionem eſſe: excitatusq; à me, quum rogaſſet quis nam eſſem, reſciſſetq; Viuem eſſe Hiſpanum. Viuem non agnouit. Hiſpanum uerò cum audiſſet, ſubueritus nonnihil eſt, ne Numantinus aliquis eſſem, qui pœnas deletæ patriæ à ſe repeterem. Quem ego bono eſſe animo iuſsi, et ut quę ſomniauerat declararet, rogaui. Ille indignatus, quòd bono animo ut eſſet, dixiſſem. Abi hinc, inquit, cum tuo iſtoc uerbo: tot hoſtes armatos, totam concionem populi Rom. infeſtam non timui, timuiſſem te? Abi, inquit, quàm primum. Nam nec ſatis ſcio quæ ſomniarim, nec uacat mihi in præſentia, ut ſomnijs animum intendam. Totus ſum in Papyria rogatione diſſuadenda, obſiſtendoq; conatibus Gracchi & Fuluij. Sed quum illum enixius orarem, indicauit hominē exerta aurea lingua, quem Arpini natū pater tenerū adhuc in Vrbem tranſtulerat, ut tantas dicendi opes colligeret, quantę ſatis eſſent ad regnū occupandū: quibus effecit ut & ſenatum, & forū, & totā rempub. gubernaculo linguę uerſaret ac regeret. Quumq; homo eſſet imperioſus, nemo tamē nō parebat ei uolens & libens, extorquebatq; à ſubditis ui, quæ uolebat: illi orando impetraſſe eum, ſe uerò ſponte ſua conceſsiſſe arbitrabantur. Hic mediusfidius, inquā, eſt Cicero ille, cum quo ego ſomnians iucundas ſæpe noctes tranſigo. Cantillabat uerſus neſcio quos, quorū principia teneo, cætera exciderunt: O fortunatam, Cedant arma. Principio æthereo. Tum & ex ſoluta oratione: O præclarā laudē mei conſulatus. O ſolē ipſum beatiſsimū: aliaq; nōnulla, quæ dicens minimè conſiſtebat, ſed citato gradu neſcio quò celerabat ire. Cicero, inquam, Marce Tulli, orator, princeps patronorum, rex forenſis. Non reſpiciebat. Pergo eum alijs nominibus uocare, Conſularis, Catilinicida, Imperator, Vindex coniurationis, Antonij proſcriptor, patrię pater. hanc demū uocem exaudiuit, conuerſusq; rogauit mox cuiās eſſem, & quarum partiū. Quæſo te (inquam) Cicero, cuiās tibi uideor? Mihi uerò, inquit, ſermo tuus, neſcio quam Romani faciem uidetur præ ſe ferre, uocis concentus peregrinū quiddam reſonat. Nihil eſt (inquam) Orator, quod ob eam rem

non iudices me ciuem tuum. Nam ipsi etiam nati hodie in umbilico Romanæ urbis Gotthicum potius, aut Vandalicũ quippiam concinunt, quàm Latinum: uel quod tu uis esse exactius & urbanius Romanũ. Omitte ista, quæso, inquit: dic potius, an ciuis Romanus sis? Minimè, inq;, sed Valentinus. Latine, inquit, uoluisti dicere, quod ego dixeram Græce: nec ignoro Romã nostram à Latina iuuentute Valentiam esse olim nuncupatam. Verùm núnc ne rectà è Roma? inierunt consulatum D. Brutus & Plancus? Quid moliuntur Brutus & Cassius, quid Sex. Pompeius? Filius meus non parat uindicare mortẽ meam? L. Antonius amores et delicię Po. Ro. petit consulatũ? Fusius Calenus dominatur in senatu? O tempora, ô mores. Ego uerò Ciceronem sine meo ullo mẽdacio facile sum passus decipi, usuramq; illam opinionis & beneuolentiæ erga me eius gaudens accepi. Ac quo maiorẽ ad eum gratiam captarem, Pompeianum me esse professus sum, obortisq; lachrymis et excitatis singultibus narro illi interijsse D. Brutum Lepidum Triumuirũ pro Bruto factum esse Consulem cum leuissimo homine Munatio Planco. Brutũ & Cassium magnos & instructissimos exercitus habere. Sex. Pompeiũ ædificasse numerosam & fortem classem. Ciceronem eius filium occidisse C. Antoniũ in castris Bruti. In hos quatuor reipub. animum, mentem, oculos conuersos esse. L. Antonium designatũ esse Consulem, cum Seruilio Isaurico. M. Antoniũ dies & noctes perpotare in uilla Fusij Caleni, in qua quũ M. Varro proscriptus delituisset ab Antonio, in gratiam hospitis seruatus est. Hæc ut intueretur Cicero in domum fatorum repente prorupit se. Nam Zeno et Chrysippus Stoici, quoniam Cicero tam multa aduersum ipsos de fato & diuinatione disputarat, à Ioue multis precibus impetrarant, quo disputatio tota finiretur, fidemq; haberet Cicero, ijs saltem rebus quas conspiceret, ut liceret ei fata cernere, non ea solum quæ sub terris uitas statusq; hominum, animantum, regnorum, populorum nent atque regunt, sed illa etiam superiora cœlestia. Ex quorũ notis signisq; tum præterita, tum futura incognita uates canunt: assectabar & ego Ciceronem, quanquam non passibus æquis. Ianitor arbitratus me unum esse de eius famulis me nõ exclusit. Ibi primũ ingressus ingentes audio clamores, acerba conuicia. spectabat res ad ferrũ & pugnã. mirũ quàm pœnitebat me inermẽ uenisse, nec tulisse mecum saltem meam semispathã. Quid est, inquã, quid est? Tace tu, inquit quidã, ne sis domi alienæ tam ardelio. Clothò est, quæ domi suæ insanit: tu quũ fueris in tua, euertas eam si uolueris, licebit tibi. Licebit, inquam. ne studere quidẽ per quosdam homines licet. Non licet sanè, inquit, magnis & claris ingenijs, ne ab his facibus illæ candelulæ obscurentur, ac opprimantur. Tuo uerò ingenio stupido bardoq;, & quod ipsi suo non timent quiduis licet. Verũ, ut dixerat ille, insaniebat planè Clothò. Nam persuadere Lachesi omnino connitebatur, ut ne dissimilia unquã præsentibus fila traherentur. Atropos incredibili molestia & tedio sexcentorũ ac propè mille annorũ affecta, quibus omnia tam obscura, tam sordida, uana, stulta, absurda, puerilia, indocta, iniqua, misera fuere, talia reuocari secula, qualia ante mille fuissent annos uolebat. Multi mortales Clothò, multi Atropo fauebant: res maximis cõtentionibus studijsq; agebatur, intentusq; cunctus ille populus erat, quem tandem euentum res ea esset acceptura. Ad suadendũ dissuadẽdumq; innumeri prodibant, obscuri homines, filij terræ, de Atlantũ (ut credo) genere, sine ordine proletarij capite censi cum Clothò faciebant: nihilq; clamabant aliud, quàm non oportere aliquid mutari: nõ esse uetera propter noua relinquenda. Coierant apud Atropũ optimi & nobilissimi quiq;, Paulus apostolus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, Aristoteles, Plato, Demosthenes, Cicero, Vergilius, Plinius, Seneca, Liuius, Quintilianus, omnes deniq; magni & clari primæq; classis uiri. Qui quum capita simul cum Atropo contulissent, communis uniuersorũ consensio atq; sententia Ciceroni mandauit, ut pro causa ipse publica diceret. Gaudebat Cicero, quòd sibi optimo patrono non pro Gabinio aliquo, aut Vatinio, aut Horesti no, sed pro optima causa dicendum esset. Ita ex consilio rectà ad rostra illa fatorũ discessit, in quibus ubi primùm eum Clothici conspexerunt, magno cum murmure cœperunt indignari, dehinc compellare eum grammaticum. Atque huic honorifico

quidem

quidem nomini,ſed quod ipſi grande putarent eſſe conuitium, addebant alia, quæ reuera & conuitia & probra erant. Nam iſtorum hominum natura talis eſt, ut loqui nequeant niſi ſui ſimillima.& clamabant identidem Clothò. Quod quum eloqui ſatis diſertè non poſſent (ſunt enim omnes partim infantes,partim blæſi,partim balbi) pro Clothò,Clodium ſonabant.Ad quam uocem Cicero perterrefactus eſt, arbitratus aliud ſibi iudicium Milonianũ ſupereſſe,ac ſubinde circumferebat oculos, ut uideret an armis circumſepiri cõcio inciperet,ſederét ue Pompeius ad Saturni. Hocq; quum uiderẽt patritij,refectum prius eum ac recreatum,aut de ſcripto dicere more uetuſtiſsimorum Oratorum, more etiam quorũdam ſententias in ſenatu dicentium, aut perbreuẽ orationẽ habere iuſſerunt,ut antequã iterum accla maretur,finiret.Hoc maluit Cicero. Et quum ſe ex terrore illo recepiſſet, alijq; eum eſſent magnificis, ſed nõ minus ueris cohortati uerbis,præfatus ſolenne carmẽ ad hunc modũ uerba fecit:

ORATIO CICERONIS AD LACHESIN.

IN omni repub.conſtitutione prouida & ſancta,Lacheſis,bonos mores in ciuitatem introduci duplicem fructum affert. Alterũ,quod rei pub.ſtatus melior eſt,& ciuibus iucũdior. Alterum,quod magis eſt, firmus ac diuturnus. Quocirca in ordinatione hac noſtræ reipub.magnopere uidendum eſt,ut optima quæq; eligamus prius, deinde teneamus.Duos uideo Coſs. duas tibi Lacheſis tuoq; populo promulgaſſe leges,eaſdem maxime diuerſas ac contrarias.Clariſsimus conſul patritius Atropos conſtitui uult rempub. & leges illas ueteres in uſum poſterorum reuocari. Plebeius cõſul, ſed homo multarum uirium Clothò nihil mutari ſinit. Hic rerum ſtatus, hic tenor perpetuus uti ſit,laborat. Prius de tota cauſa pauca loquar, hinc reſpondebo etiam breuiter ſtrepitibus ueſtris boni Getę,qui pro Clotho conclamaſtis. Nunc uos Lacheſii,quæ dicam,nõ affectu me aliquo nec factione credatis dicere. Nam & plebeius natus,& inter plebeios altus ſum, ideo eis nõ poſſum male uelle:dignitatis tamen optimatum ſtudioſus ſemper fui.Hoc enim temperamento exiſtimaui me & placere & ſatisfacere omnibus poſſe,qua ratione uitæ per cunctos honorum gradus ad conſulatum ipſum perueni. Primùm ergo memoriam noſtrã ad uetera illa tempora referamus,præſentiaq; cum illis conferamus.Nam id dicunt eſſe hominũ maxime prudentũ.Eſt in illis multa ſapientia, in iſtis mira ſtultitia & fatuitas eſt: in illis omne genus eruditionis,in iſtis unum aut alterũ ſophiſma puerile: in illis cognitio linguarum & totius antiquitatis,in hoc uix quid heri factũ ſit ſcitur:lingua Latina ne de facie quidem eſt cognita,totáq; philoſophia,& reliquæ bonæ artes cum ſeminario ſuo Latino Græcoq; ſermone in tenebris obſcuræ,ignobiles iacent. Si de religione libet loqui,de Chriſtiana uidelicet, quã poſt Tiberij Cæſaris tyrannidẽ didici unã eſſe omnium ueriſsimã & optimã,illis temporibus pura erat,his turbata:illis uerũ erat dictũ illud Chriſti,Iugum meũ ſuaue:nunc nihil uidetur inſuauius tanto pondere addito. Tunc ſoluta erat myſtica illa aſina cum ſuo pullo. Nunc nodi illi Gordij nõ ſunt magis illigati & impliciti. Tum uerũ erat finẽ eſſe impoſitũ ceremonijs,nunc plures habemus,q; ulli unq; habuerũt Iudæi.Denicq; tum uigebat & ualebat Euangeliũ: nunc mihi,nec Demoſthenes Græcus, nec L. Craſſus ex noſtris perſuaſerit populũ iſtum tuũ ſancta Clothò eſſe eum,qui ex Euangelij legibus & præſcripto uiuat. Viuere tamen ueriſimile eſt,quoniã ſe Chriſtianos eſſe iactãt,quanq; ſatis interdũ eſſe nõnulli putãt,ſi intincti ſacra illa & myſterioſa fuerint aqua. Proinde hoc mihi clarius illo, in quo ſuperi uerſantur die uidetur,melius eſſe illa tempora priora reduci,q; hæc manere tam infelicia,tam ex omni ſeculorũ memoria reuelanda. Nunc conſiderare operæprecium eſt,quæ ſit cauſa,quamobrem uos boni Getæ ſtrepatis reclametisq; non eſſe faciendum, niſi oportere mutari inquitis. Nam & ſi uos non intellexi, iſtud ta-

men uoluisse uos dicere suspicor. Vos ergo, cur omnia per hos quingẽtos annos mutastis, atq; adeò inuertistis? cur eam licentiã accepistis uobis, meliorem facultatem et libertatẽ aliis cõcedi non uultis? Ne sequanẽ tumultus, inquitis. An mundus, quum ex luce in tenebras per uos immergi quiete passus sit, è tenebris ad lucẽ per alios uobis, si non meliores, certe nõ peiores emergere, id demum ægreferet? & turbas idcirco ciet? Quid quod uidetis hunc rerum statum diutius sine magnis turbationibus retineri à uobis non posse. Videtis Lachesim quamuis precibus Clothûs fatigatam, magis tamen ad uoluntatẽ Atropûs propendere, nec aliquis ex Lachesiis est, qui pati possit se eisdem obrui tenebris & sordibus, quibus ipsi & uos inuoluistis & inuolui posteros laboratis, ne meliore uidelicet cõditione sint quàm fuistis, quamq; estis ipsi omnes. Quid quod consuli Atropo magis in hac causa quàm Clothi credi consentaneum, aut necessarium potius est. Clothò enim quoniam sola præsentia hæc nouit, ea sola diligit, ea sola manere uult: nec mirum. Quî potest enim ea malle quę ignorat? longè aliter sensura, si prisca illa nosset: quæ quũ sint Atropo explorata atq; perspicua, simul cum his recentioribusq; quæ sunt omnino Clothicis istis similia. Vtri per Christũ Opt. Max. assentiri potius decet, atq; expedit? Nam quod dicitis, præferenda esse nouis uetera. Hoc si quale esset intelligeretis, si aliquãdo cum Atropo uersati essetis, nunq; profectò effudissetis, quod unicũ uerbum totam uestrã euertit causam. Vetera sunt ea quæ nos uolumus, cum cõmodo, cum æterno reip. decore redire. Noua sunt abiecta ista & sordida, quæ cum ignominia & macula reipub. manere cõtenditis. Quæ quũ ita sint, te Atrope magnopere laudo, quòd aliquando reipub. tam bene consultũ uelis, hortorq; ut in tua uolũtate persistas, perferendamq; legem quam cœpisti ferre, cures, & cõnitaris, nullius q; minas & inconditos strepitus pertimescas. Ego atq; hi omnes opem, auxiliũ, consiliũ nostrũ, quicquid denique in nobis uiriũ est, id omne tibi ad hanc rem, sine qua respub. stare diutius nõ potest, conficiendam pollicemur, & deferimus. Tu uerò Lachesi, quod faxis Christũ ipsum uelim fortunare. Hæc oratio satis persuasisset Getis, ut sententiã mutarent, si uel audita, uel intellecta esset. Verùm ex Getis maxima pars audire nolebant, & aures obstruebãt, ue lut ad incantatoris carmẽ. Alij reclamabãt & perstrepebãt, alij quicquid diceretur libenter audijssent, miselli non intelligebant. Quorum me miserebat uehemẽter. Sed quid ad rem? Non canebat hoc carmẽ ipsis desperatis iam & deploratis, sed soli Lachesi, de qua est tota spes. At uerò Clothò abiectis suis cõsultoribus Getis, à promulgatione sua destitit, dixitq; si sui colligendi gratia aliquot sibi darent dies, paucis mutatis assensuram collegæ suo Atropo. Sin properantius agerent, permissurã quidem se ut edictis Prætorum aliqua nouẽtur. Senatus tamen consultũ quod in uniuersum de omnibus caueat, nullum futurum ante annum uicesimumquartum. Esse enim ex Getis aliquot Tribunos plebis, qui intercessionẽ suam se interposituros minati sint, quorum pertinaciores ante eum annum abibũt magistratu. Qui sunt mansuri, erunt faciliores, pollicitiq; sunt in potestate senatus se futuros. Dolebant ex Atropicis complures, quòd per hos quatuor, qui superessent annos, carituri essent usura melioris reipub. Cato Censorius hoc sermone illo mœstos consolabatur, abiectos excitabat.

SERMO CATONIS CENSORII AD SENATVM.

SI quatuor annos Patres conscripti, præsentem rerum statum pertulerimus, meliori deinde illo fruemur diutius & magis. Est enim maximis et pulcherrimis rebus proposita difficultas: ita uidemus à rerum natura comparatum, maxima animalia et diu uictura, tardius in utero absoluũtur. Flores multum uernaturi, lentius è suis tunicis erumpunt. Fructus qui in autumnũ hyememq; cõdendi sunt, nunquam leguntur præcoces: animalia eodem die inchoata & absoluta, etiam eodem die, aut postridie

poſtridie intereunt,ut illa ad Hypanim amnem:poma quæ falſa maturitatis ſpecie læ tificarunt agricolam,nihil tale adhuc ſperantem,uel ſuſpicantẽ,antequàm ad miracu lum rei carpantur,concidunt putria:& fidem facit agricola uicino ſuo illa maturuiſſe, quia iam putruerunt.Tum & odi puerulum præcoci ſapientia. Omnis deniq; nimis feſtinata maturitas ſuſpecta mihi eſt.Quare,P.C.bono eſte animo,et pergite quò cœ piſtis,nec de uiribus aut conſilio quicquam remittatis.quanquam certum habeo res ipſas ſuo ſe curſu & gradu confectũ ituras .Nec eſt quod miremini,ſi uobis difficile ſancti illi ueteres mores referri uidentur,minus quod mereatis. Etenim conſiderare opus eſt,cum quibus nobis eſt res,& quid conamur perficere.Saxa ſunt P.C.in quæ nos uolumus imaginẽ hanc imprimi:facilius fieret in cera,atq; ea emollita et eliqua ta fateor.Sed citius etiam eluereẽ,atq; euaneſceret.Hìc uidebitis quàm tenaciter hæ rebit,quod ſemel adhæſerit. At per deos omnes immortales,uos P.C.eſtis ſenatus ille,qui per tam uaria bella ærumnasq;,quum tot non annis modò,ſed ſeculis laboraſ ſet,is imperiũ illud priſcũ ex minimis initijs, quale nõ fuit poſt natos homines,effe ciſtis,nunc longi uobis uidentur quatuor anni.Etiamſi antehac quidam fuerunt iſtis non abſimiles? Cogitare debetis ad hoc imperium nouum conſtituendũ laboribus opus eſſe,nec fieri ſine turbationibus,tumultibus, ſeditionibus,interceſsionibus tri bunitijs poſſe:quemadmodum nec illud quod amiſimus, eiuſmodi carere rebus po tuit,antequã ad eam magnitudinẽ peruenìret. Quarum rerum cauſa durandũ eſt P. C.& non concidendũ animis.Nam qui nec Porſenę occupato Ianiculo,nec Anniba li obſidenti urbem,nec Gallis,quum ſolam nobis reliquiſſent arcem, ceſsiſtis,turpiſ ſimum eſſet à pauculis quibuſdam fumoſis deuinci Getis, atq; ijs etiam nõ uiris,ſed infantibus.Quid quod non hortor uos ne bellum geratis:tantum ne in tempore uo bis ueſtræq; occaſioni deſitis,uſq; dum Clothò ſententiam mutarit:retinete ueſtram dignitatem,manete in ordine,ne tranſeatis ad illos.Cætera ipſum tempus citra labo rem,uel arandi,uel ſerendi afferet, próq; hac breui admodum moleſtia,iucunditate fruemur ſempiterna.Hæc quum dixiſſet,nunciatũ eſt patribus Lacheſim conceſsiſſe quatuor annos Clothi,ut quæ uellet de ſententia mutaret Atropûs,modò rei ſum mam relinqueret integram,neu tangeret caput illud de ſanioribus iudicijs,clariori bus ingenijs,melioribus diſciplinis.In quo iurauit per Styga Lacheſis ſe nihil muta turam,quo minus eiſdem perferretur uerbis, quibus eſſet ab Atropo rogatũ.Cæterę multitudini Getarum eadem eſt dies præfinita,antequàm liceret ſine fraude in aliam ſententiam tranſire,præterquàm rerum capitaliũ condemnatis:uelut ingeniti ſtupo ris,inflectilis duritatis,immedicabilis inſaniæ,quos Lacheſius populus tranſire ad ſe non ſinet,quoniam plus tum officerent bonis,quàm antea.Quum ad eum populum hæc ferrentur,narrabant unum de Getis illis cõdemnatis,qui in cõcione aderat,ſuc clamaſſe,Etiam ſi reciperetis nos,nõ tranſiremus.Et cum dicto correptus tanto furo re eſt,ut morſibus Lacheſios impeteret.Sed cõtinuò datum eſt tragicis à populo ne gocium,ut ad Herculẽ,Oreſten, Alcmæonẽ, & alios deduceret,ne ſolus eſſet,aut in Anticyrã deportaret.Ille ſe Oreſtem habere ſocium malle dixit,q; ad Anticyram ire, ubi elleborum naſceret.Audito Lacheſis decreto,totus Senatus populusq;,& Atro picus,& Lacheſius ingenti lætitia perfuſus eſt. Vergilius arrepta cithara cecinit:

Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis,
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Seneca uerò tanto eſt percitus gaudio,ut exultaret,ut penè inſaniret,quod oſtendũt uerſus quos tum repentè concinuit.Nam ex philoſopho ſubitò factus eſt poeta.

Iam Lacheſis redimita comas,ornata capillos,
Pieria crinem lauro,frontemq; corona,
Candida de niueo ſubtegmine uellera ſumit,
Felici moderanda manu,quæ ducta colorem
Aſſumpſere nouum:mirantur penſa ſorores.
Mutatur uilis precioſo lana metallo,
Aurea formoſo deſcendunt ſecula filo:

Nec

Nec modus est illis,felicia uellera ducunt,
Et gaudent implere manus,sunt dulcia pensa:
Sponte sua festinat opus,nulloq; labore
Mollia contorto distendunt stamina fuso,
Phœbus adest,cantuq; iuuat,gaudetq; futuris,
Et lætus nunc plectra mouet,nunc pensa ministrat,
Detinet intentas cantu,fallitq; laborem.

Nunciatũ & istud est in cœlis,ad quos etiã permissu Iouis ascẽdit Cicero, admissusq; & ipse sum tanq; Ciceronis uel comes uel assecla.Cunctaq; sydera usq; adeò sententiam comprobarunt,ut eo ipso uicesimo quarto anno ad mundũ è sordib.illis tam inueteratis perpurgandũ constituerint magna ui aquæ terras alluere,ac mũdare, * quo tempore miseros illos quibus aqua est uenenũ. His omnib.conspectis, quũ Ciceronem iam paulò uiderẽ ociosiorẽ,oro te, inquam M.Tulli, quid sibi uult somniũ illud Scipionis,quod cõfinxisti? aueo ex te aliquid ea de re audire,si modò uacat,& si uis, idq; sine cõmento aliquo,sine fuco,sine colore,aperte,expositè,simpliciter. Tum ille,Nihil mihi cõtingere gratius potest,q; quũ in uita reipub.nostræ tantũ profuerim, etiam me mortuo ex libris nostris aliquã ad iuuenes nostros utilitatẽ,ad nomẽ Pop. Ro.dignitatis non parũ accedere. Quo fit, ut quũ monumẽta mea in manibus haberi,euolui q; à uobis,cæterisq; hominib.audio,incredibili lætitia, uoluptateq; afficiar. Quare nec tibi id me roganti deero, nec ulli mortaliũ alteri:qui ex meis libris uel copiam facundiámq; sermonis nostri,quæ per nos,quantũ potuimus,tum exculta,tum aucta est:uel philosophiã,præceptáq; bene & beate uiuẽdi parare sibi studeant.Quę nos effecimus,ne inaudita ignoratáq; auribus nostri populi essent,néue quũ reliquis penè maximis & præclaris artib. Græcis essemus superiores atq; præstãtiores,hac una ab illis plurimũ uinceremur.Nam pro uirili parte mea opes illas literis & sermone Græcorũ recõditas & abstrusas, in nostrã ciuitatẽ transferre conatus sum. Ne quum alijs propè rebus omnib.nostræ Reip.consuluissem,hac sola ipse, qui inter alios non omnino nihil poteram,illi deessem.Et perfeci,nisi uehementer fallor,ne quicquid esset philosophiæ, solis Græcis literis cõtineretur, quæ iam uelut Romana ciuitate per me donata est. Qui nisi de ea scripsissem,tota etiã num apud Græcos remaneret, Latinóq; sermone elinguis & muta prorsum esset. Pro quo beneficio audio dementes, nescio quos,homines ne an beluas, & hominum prodigia atq; portenta, pessima mihi referre gratiam : qui nihil quod meum sit,philolosophiã esse uolunt,omnia grammatica esse unica sententia pronunciant. Ita est,inquam,ut dicis,sed nõ credo te ignorare,ex quo sint isti hominũ genere.Ex illo nempe Getico,aduersum quod dudum habuisti orationem,eorum iudicium mouere te nihil debet:quippe quum tua nec legant,nec intelligant,si legant.Ego uero,inquit ille, uel hac ratione insaniam eorũ molestius fero,quod indictam & inauditam causam damnẽt. Quid enim potest fieri iniquius,aut indignius?Perfer,inquam,tantisper quæso te M. Tulli,ut hortatus est uos Cato senior.Nam breui constituetur,quemadmodum scis,respub. & perge ut cœpisti.Quum igitur,inquit ille,philosophiã in nostram ciuitatem transferre multũ,diúq; cogitarem, non mihi minorum gentium philosophos proposui, quorum præcepta scriptáq; exprimerem, Latinisq; literis consignarem atq; mandarem. Sed principes illos,Platonem,Aristotelem, Zenonem,Theophrastum, qui omnes ex sacro illo, & perenni Socratico manarunt fonte, quumq; permulta ad eorum imitationẽ scripsissem, locum illum prætermittere non statui,qui est de formanda Repub. magnus & philosophiæ proprius,ab illis,quos modo nominaui, totáq; Peripateticorũ familia tractatus uberrime.Itaq; primis temporib. mei consulatus cum occulta essent adhuc consilia Catilinæ,coquereturq; secretò tanta coniuratio,tantum ciuile bellum pararetur,tanta pernicies strueretur patriæ, ego succisiuis horis, quantũ per immensas Reip.occupationes licebat,de Repub.cœpi scribere.Nec enim putaui ullũ esse possè aptius tempus, quo de ipsa uel scriberem, uel legerem, uel commentarer, quàm quum ea me totum ad suam curam tutelámq; imposita,cõsulis persona reuocabat & trahebat,

trahebat, moreq; ac modo Platonis, quemadmodum alijs in libris meis feceram loquentes introduxi eos,quos existimaui optime de eo ipso quod ageretur,posse disserere.Illosq; accepi,qui paulò antè,sed proxime,nostram memoriam fuissent:ne hęc mea tempora & memoriam communium miseriarum attingere & tractare cogerer. Dedi igitur sermonẽ Scipioni Aphricano posteriori,& amico eius C.Lælio illi,qui cognominatus est sapiens,& Manlio,& Furio Pilo uiris consolaribus,quibus omnibus non tulit ullos Ro. ciuitas,aut gloria clariores, aut autoritate grauiores, aut humanitate politiores. Scipioni uerò ipsi nemo post conditam urbem fuit,siue prudentia,siue autoritate,siue innocentia, siue belli gloria par. Occasionemq; collocutionis accepi,quod quum Sempronio Tuditano,& Aquilio Cos.geminatus sol esset conspectus, quod portendebat oriri alterum in cœlo solem, pro eo quem nostra respu. perditura esset.Eo enim anno Scipio ciuitatis nostræ sol extinctus est.Ad id expiandum de consilij & pontificum sententia nouendiale sacrum est indictum, quibus ferijs fingo Scipionem in hortos suos cum Lælio secessisse, cum quo & seria & ioca & publica & priuata,domi foriscq; tractare cõsueuerat,uenisse eódem Manlium Pilum Tuberonem,Aphricani ex sorore nepotem,& duos Lælij generos Fannium & Scæuolam,ibiq; esse illos de optimo statu ciuitatis, deq; optimo ciue commentatos.Sermonemq; in nouem & libros & dies primum distribueram. Sed quum postea hi libri mihi in Tusculano legerentur, audiente Salustio nostro, non illo flagitiosissimo adultero,& turpissimo ganeone,qui historiam scripsit,quiq; probri gratia ordine nostro motus est,sed alio quodam probissimo ciue,amico nostræ familiæ maximo.Admonitus sum ab illo multo maiore autoritate illis de rebus dici posse:si ipse loquerer de repub.præsertim, quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is, qui in maximis uersatus in Repub. rebus essem, quæ tam antiquis hominibus attribuerem ea usum iri mirifica esse. Nam Oratorum sermonem, in libris de Oratore meis, Crasso & Antonio me assignasse neminem mirari, quod ad eos retulissem, quos ipse uidissem.Aristotelem deniq;,in ijs quæ de repub. & præstante uiro scribat, ipsum loqui.Cõmouit me,& eo magis, quod maximos motus nostræ ciuitatis attingere non poteram,quod erant inferiores,quàm illorum ætas,qui loquebantur.Ego autem idipsum tum eram secutus,ne in nostra tempora incurrens offenderẽ quempiam. Hæc me ambiguum nonnihil reddiderant, constitueramq; ipse loqui cum Q. fratre. Sed postremo redij ad primum consilium,nihilq; ex eo mutaui aliud, nisi quòd quum nimis multi,& dies, & libri illi uiderentur. Neq; enim fuisset uerisimile nouem continuos dies uiros illos fuisse simul,semperq; sermonem eorum in eodem argumenti genere esse uersatum. Idcirco dies ad tres contraxi, libros ad sex, quibus eo genere dicendi usus sum,ut dignitati illorũ splendor & eruditio orationis defuisse non uideatur.Quod quanquam scire uos non potestis,ad quos temporum inuidia,ut alia permulta,tum mea,tum etiam aliorum,ita et illi sex libri nõ peruenerunt.Ex ipso tamen Scipionis somnio,quod de tanto,uelut naufragio, submersis tot opibus solum enata uit,peruenitq; ad littus,cõiecturam facere satis firmam atq; certam potestis,in quod mihi tantum rerum, tantum sententiarum, tantum reconditæ & arcanæ eruditionis coniecisse uideor, quantum totidem uerbis capi & comprehendi, quauis ratione & uia poterat,dictionis formula.Quæ tantum habet maiestatis,quantum et res ipsæ de quibus agitur: & ipsi tres,Scipiones duo, & Paulus Æmylius,principes omni æuo nostræ ciuitatis,qui dixerunt. Cuius argumentum cum consilio meo breuiter accipe.

ARGV-

ARGVMENTVM SOMNII SCIPIONIS CICERONIANI.

ITSI professus sum,ne illos,à quibus aliquid sumpsi,dissimulem,reddamq; mutuũ eis,à quibus acceperim me in his de repub.libris Platonis comitem esse.Multo tamen quàm ille aliam meæ ciuitati clausulam adieci, alia etiam hominum respectans ingenia. Nam si est unusquisq; homo animal uariæ ac multiformis naturæ,quanto magis in ipso humano genere diuersa & lõge dissimillima esse ingenia par est? Hæc enim ad uirtutem seruiliter metu trahuntur, seu deterrentur potius à uitijs: alia,ea quidem generosiora,præmijs inuitata sequuntur. Inuenias nonnulla præstantissima atq; excelsa, quæ suapte natura ad ipsum uerum & genuinum bonum propensa sunt. Quocirca Plato in ordinatione suæ ciuitatis homines à facinoribus atq; flagitijs absterret,ostensis ijs cruciatibus & pœnis,quæ malos homines uita iam functos manent.Ego uerò Romanorum animos nobiliores in spem sempiternę felicitatis erigo,ac tanta proposita mercede hortor,ut patriæ benefaciant, atq; in placidissima pace ciuitatem regant,& tueantur. Excitat à mortuis Plato Herum quendã Pamphylium militem,qui in acie ceciderat,quo sit dictis maior fides,eo narrante, qui uiderit. Ego grauissimas personas induco, Paulum Æmylium, & duos Scipiones Aphricanos:quibus sit penè nefas nõ credi. Et ex ijs,quæ per quietem Scipioni fututa prædicuntur,quorum ueritatem euentus ipse comprobauerat, ad sequentia fides captatur.Porrò ne inscitia uideantur errare,qui futura illa bona pollicentur, disserũt ex intima philosophia de cursibus,& conuersionibus cœlorum,& syderum:de iusticia, de æquitate,ex quibus,uelut fontibus,uires suas recta,ueraq; fortitudo accipit.Ita ut non aliam ob causam uideatur hæc quæsita & parata, quàm ut bonum & sanctum suo in statu perpetuo contineri,atq; seruari possit. Nec debet alia res arma porrigere uiro forti,quàm iusticia,quàm in deos, in patriam,inq; totum genus humanũ pietas. Cuius rei non opes & gloria sunt præmia,sed uita illa sempiternam felicitatem comitata.At uerò ne homines uideri quàm esse boni malint,totiq; ex populi sermonibus pendeant, quo fieret, ut sæpe ambitione transuersi agerentur, tota gloriæ cupiditas, qua plerunq; magni atq; excelsi animi accensi feruntur,ex mente Scipionis, qui ad diuinam illam uirtutem instruitur & formatur, fortissimis eluitur argumẽtis. Et ipse ueram expressamq; iubetur gloriam sperare, quæ & latissime patet, nec unquam cassura est.Postremò ne si interitus ullus animorum timetur, inania uideantur hæc tanta promissa,& uanitatis plena,manifestis argumentis animæ immortalitas colligitur. Atq; obiter ne securitas, atq; impunitas malefactorum neglectum pariat uirtutis: ijs duntaxat animis,qui nihil altum,atq; excelsum cogitantes,præsenti corporum oblectamento sunt contenti. Cruciatus & pœnæ spurcis,flagitiosis,conscelcratis hominibus proponuntur:ut omnes aut uirtutem ultrò sectentur, aut à uitijs deterreantur.

SOM-

SOMNIVM SCIPIONIS, EX CICERONIS LIBRO DE REPVBLICA SEXTO, excerptum.

CVM in Aphricam uenissem Marco Manilio consule, ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum, nihil mihi fuit potius, quàm ut Masinissam conuenirem regem, familiæ nostræ iustis de causis amicissimum. Ad quem ut ueni, complexus me senex collachrymauit, aliquantoq; pòst suspexit ad cœlũ. Et grates, inquit, tibi summe Sol ago, uobisq; reliquis cœlites, quòd antequã ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & in his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipsõ recreor: ita nunquam ex animo meo discessit illius optimi, atq; inuictissimi uiri memoria. Deinde ego illum de regno suo, ille me de nostra Republica percunctatus est, multisq; uerbis ultro citróque habitis, ille nobis consumptus est dies. Pòst autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus: cum senex nihil nisi de Aphricano loqueretur, omniaq; non solum eius facta, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me & fessum de uia, & quia ad multam noctem uigilassem arctior quàm solebat somnus complexus est. Hic ergo mihi (credo equidem ex hoc quod eramus locuti. Fit enim ferè, ut cogitationes, sermones'que nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo uidelicet sæpissimè uigilans solebat cogitare, & loqui) Aphricanus se ostendit ea forma, quæ mihi ex imagine eius quàm ex ipso notior erat. Quem ut agnoui, equidem cohorrui. Sed ille, ades (inquit) animo, & omitte timorem Scipio, & quæ dicam memoriæ trade. Vides'ne illam urbem, quæ parêre Reipub. coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere? (Ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum illustri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc uenis penè miles. Hanc hoc biennio consul euertes, eritq; tibi id cognomen per te partum, quod habes adhuc hęreditarium à nobis. Cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censorq; fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciamq;, delegere iterum Cos. absens, & bellum maximum conficies, Numantiam excindes. Sed cum eris curru in capitolium inuectus, offendes Rempub. perturbatam consilijs nepotis mei. Hic tu Aphricane ostendas oportebit patriæ lumen animi, ingenij, consilijq; tui. Sed eius temporis ancipitem uideo quasi fatorum uiam. Nam cum ætas tua septenos octies Solis anfractus, reditûsq; conuerterit, duóque hi numeri, quorum uterq; plenus, alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum, atq; in tuum nomen se tota conuertet ciuitas. Te Senatus, te omnes boni, te socij, te Latini intuebuntur. Tu eris unus in quo nitatur ciuitatis salus. Ac ne multa. dictator Rempub. constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamauisset Lælius, ingemuissentq; cæteri uehementius, leniter arridens Scipio, quæso inquit, ne me à somno excitetis, & pax sit rebus. Audite cætera. Sed quo sis Aphricane alacrior ad tutãdam Rempub. sic habeto. Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo ac diffinitũ locum, ubi beati sempiterno æuo fruãtur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm consilia, cœtúsq; hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. Harum rectores, & conseruatores hinc profecti, huc reuertuntur. Hic ego (etsi eram perterritus, non tam mortis metu, quàm insidiarum à meis) quæsiui tamen, uiueret'ne ipse, & pater Paulus, & alij quos nos extinctos arbitrabamur. Imò uerò, inquit, hi uiuunt, qui è corporũ uinculis, tanquam è carcere euolauerunt. Vestra uerò, quæ dicitur uita, mors est. Quin tu aspicias ad te uenientem patrem Paulum. Quem ut uidi, equidem uim lachrymarum profudi. Ille autem me complexus, atq; osculans flere prohibebat. Atq; ego ut primùm fletu represso, loqui posse cœpi. Quæso, inquam, pater sanctissime, atq; optime, quoniam hęc est uita, ut audio Aphricanum dicere, quid moror in terris? quin huc ad uos pro-

pero uenire? Non est ita, inquit ille. Nisi enim cum Deus is, cuius hoc templū est omne quod conspicis, istis te corporis custodijs liberauerit, huc tibi aditus patere nō potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globū, quem in hoc tēplo mediū uides, quæ terra dicitur, hisq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellas uocatis, quæ rotundæ & globosæ diuinis animatę mētibus circulos suos, orbesq; conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus animus est in custodia corporis. Nec iniussu eius à quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrandum est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse uideamini. Sed sic Scipio, ut auus hic tuus, & ut ego qui te genui, iustitiam cole & pietatem, quæ cùm magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima est. Ea uita uia est in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam uixerunt, & corpore laxati, illum incolūt locū quē uides. Erat autē is splendidissimo candore inter flammas elucens circulus, quem (ut à Graijs accepistis) orbem lacteum nuncupatis, ex quo omnia mihi contemplanti præclara certè & mirabilia uidebātur. Erant autē eæ stellæ, quas nunquā ex hoc loco uidimus, & eæ magnitudines omniū quas esse nunquam suspicati sumus. Ex quibus erat ea minima, quæ ultima à cœlo, citima terris luce lucebat aliena. Stellarum autē globi, terræ magnitudinē facile uincebant. Iam uerò ipsa terra, ita mihi parua uisa est, ut me imperij nostri, quo quasi punctum eius attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer, quæso (inquit Aphricanus) quousq; humi defixa erit tua mens? Nónne aspicis quæ in templa ueneris? Nouem tibi orbibus, uel potius globis, connexa sunt omnia, quorū unus est cœlestis extimus, qui reliquos cōplectitur omneis. Summus ipse Deus arcens, & continens cæteros, in quo sunt infixi illi qui uoluuntur stellarum cursus sempiterni. Cui subiecti septē qui uersantur retrò contrario motu, atq; cœlum. E quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde hominum generi prosperus, & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tum rutilus, & horribilis terris, quem Martem dicitis. Deinde subter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce cōpleat, & lustret. Hunc ut comites cōsequūtur, Veneris alter, alter Mercurij cursus. In infimoq; orbe luna radijs solis succensa cōuertitur. Infra autē iam nihil est, nisi mortale, & caducum, præter animos munere deorum hominum generi datos. supra Lunam sunt æterna omnia. Nam ea quæ est media, & nona tellus, neq; mouetur, & infima est, & in eam feruntur omnia nutu suo pondera. Quæ cum intuerer stupēs, ut me recepi. Quis hic, inquam, est qui complet aures meas tātus, & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu, & motu ipsorū orbium conficitur, & acuta cum grauibus temperans, uarios æquabiliter cōcentus efficit. Nec silentio tanti motus incitari possunt, & natura fert ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè sonēt. Quam ob causam summus ille stellifer cœli, cuius conuersio cōcitatior est, acuto, & excitato mouetur: sono grauissimo autem hic lunaris, atq; infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium locum mundi. Illi autē octo cursus, in quibus eadem uis est duorū, septem efficiunt distinctos interuallis sonos. Qui numerus, rerum omniū ferè nodus est. Quod docti homines neruis imitati atq; cantibus aperuerunt sibi reditum in hunc locum, sicut alij qui præstantibus ingenijs in uita humana, diuina studia coluerunt. Hoc sonitu completæ aures hominum obsurduerunt. Nec est ullus hebetior sensus in uobis. Sicut ubi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus: ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic uerò tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem aduersum nequitis, eius radijs acies uestra, sensusq; uincitur. Hæc ego admirans referebam tamen oculos ad terram idētidem. Tunc Aphricanus: Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum, ac domum contemplari: quæ si tibi parua (ut est) ita uidetur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim

enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam conſequi gloriam potes? Vides habitari raris & anguſtis in locis, & in ipſis quaſi maculis ubi habitatur, uaſtas ſolitudines interiectas: hoſq; qui incolunt terram non modò interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab alijs ad alios manare poſsit, ſed partim obliquos, partim tranſuerſos, partim etiam aduerſos ſtare uobis, à quibus ſpectare gloriam certe nullam poteſtis. Cernis autem eandem terram quaſi redimitam & circundatā cingulis. E quibus duos maxime inter ſe diuerſos, & ipſis uerticibus cœli ex utraq; parte ſubnixos obriguiſſe pruina uides. Medium autem illum & maximum, ſolis ardore torreri. Duo ſunt habitabiles, quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, aduerſa uobis urgent ueſtigia, nihil ad ueſtrum genus. Hic autem alter ſubiectus Aquiloni, cerne quàm tenui uos parte contingat. Omnis autem terra quæ colitur à uobis, anguſtata uerticibus, lateribus latior, parua quædā inſula eſt circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quàm ſit paruus uides. Ex his ipſis cultis, notiſq; terris, num aut tuum, aut cuiuſquam noſtrū nomen uel Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit: uel illum Gangem tranatare? Vel quis in reliquis Orientis, aut abeuntis ſolis ultimis, aut Aquilonis, Auſtríue partibus tuū nomen audiet? Quibus amputatis cernis profectò quantis in anguſtijs ueſtra ſe gloria dilatari uelit. Ipſi autem qui de nobis loquuntur, quàm loquentur diu? Quin ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcuiuſq; noſtrúm à patribus acceptas, poſteris prodere, tamen propter eluuiones, exuſtionesq; terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt: non modò non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid enim intereſt ab his qui poſtea naſcentur ſermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit qui antè nati ſunt, qui nec pauciores & certe meliores fuerunt uiri, præſertim cum apud eos ipſos à quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit? Homines autem annum tātum Solis, id eſt unius aſtri reditum metiuntur, re ipſa autem cum ad idem, unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eandemq; totius cœli deſcriptionem longis interuallis retulerint, tunc ille uere uertens annus appellari poteſt, in quo uix dicere audeo quàm multa hominum ſecula teneantur. Nanq; ut olim Sol deficere hominibus extinguiq; uiſus eſt, cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetrauit, quandoq; ab eadem parte Sol eodemq; tempore, iterum defecerit, tūm ſignis omnibus ſtellisq; ad principium reuocatis, expletum annum habeto. Cuius quidem anni nondum uiceſimā partem ſcito eſſe conuerſam. Quòd ſi rediēū in hunc locum deſperaueris, in quo omnia ſunt magnis & præſtantibus uiris, quanti tandem eſt gloria hominum, quæ pertinere uix ad unius anni partem exiguam poteſt? Igitur alte ſpectare ſi uoles, atq; hanc ſedem & æternam domum contueri, neq; te ſermonibus uulgi dederis, nec in præmijs humanis ſpem poſueris rerum tuarum, ſuis te illecebris oportet ipſa uirtus trahat ad uerum decus. Quid te de alij loquantur, ipſi uideant, ſed loquentur tamen. Sermo enim ille omnis & anguſtijs cingitur his regionū, quas uides, nec unquam de ullo perennis fuit. Et obruitur hominum interitu, & obliuione poſteritatis extinguitur. Quæ cum dixiſſet: Ego uerò, inquam, Aphricane, ſiquidem benemeritis de patria quaſi limes ad cœli aditum patet, quanquam à puerítia ueſtigijs ingreſſus patris, & tuis decori ueſtro non defui, nunc tamen præmio tanto propoſito enitar multo uigilantius. Et ille: Tu uerò enitere, & te habeto non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſq; is eſt quiſque non ea figura quæ digito demonſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe, ſiquidem eſt Deus qui uiget, qui ſentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit & moderatur & mouet id corpus cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundū ille princeps Deus. Et ut ipſe mundum ex quadam parte mortalem, ipſe Deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. Nam quod ſemper mouetur, æternū eſt: quod autem motum affert alicui, quodq; ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſe mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit, quin etiam cæteris quę mo

uentur,hic fons,hoc principium est mouendi. Principio autem nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest, nec enim id esset principium,quod gigneretur aliunde. Quòd si nunquam oritur,nec occidit quidem unquam.Nam principium extinctum,nec ipsum ab alio renascetur,nec ex se aliud creabit. Siquidē necesse est à principio oriri omnia, ita fit,ut motus principium ex eo sit,quod ipsum à se mouetur.Id autem nec nasci potest,nec mori. Vel concidat omne cœlum,omnisq; natura consistat necesse est.Nec uim ullam nancisçatur, quæ à primo impulsu moueatur. Cum pateat igitur id æternum esse, quod à seipso moueatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimatum enim est omne, quod pulsu agitatur externo. Quod enim est anima, id motu cietur interiore & suo.Nam hæc est propria natura animæ atq; uis. Quæ si est una ex omnibus quæ sese moueat,neq; nata certe est,& æterna est.Hanc tu exerce optimis in rebus. Sunt autem hæc optimæ curæ de salute patriæ,quibus agitatus & exercitatus animus,uelocius in hanc sedem & domum suam peruolabit. Idq; ocyus faciet, si iam tum cum inclusus erit in corpore eminebit foras, & ea quæ extra erunt contemplans, quàm maxime se à corpore extrahet.Nanq; eorum animi qui se uoluptatibus corporis dediderunt, earumq; se,quasi ministros præbuerunt, impulsuq; libidinū uoluptatibus obedientium deorum & hominum iura uiolauerunt, corporibus elapsi circum terram ipsam uolutantur.Nec hunc in locum,nisi multis exagitati seclis reuertuntur.Ille discessit,ego somno solutus sum.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI IN VIGILIAM SVAM IN somnium Scipionis,præfatio.

NON dubito futuros pleroſq;, qui simul ac me enarrare Scipionis somnium,quæ est pars libri de Repub.Ciceronis sexti,uel uiderint,uel audierint, mox putent actā me rem agere, quum in illud ipsum somnium Macrobius eruditus sanè scriptor,nec inelegans,duo iusta uolumina scripserit, quod & mihi iam à quibusdam amicis meis obiectū est. Quibus quum rationē cōsilij atq; instituti huius mei declarauero,si ea nō satisfecerit, minime molestè feram ipsos in eadem opinione persistere, audita causa, in qua erant prius quàm audirent me: certe causam dixisse, hoc demum iuuabit. Ego quum in Ciceronis libello,quo nullum scimus scriptum ab eo,neq; elegantius, neq; eruditius,me uellē more meo ludens oblectare, nō deterritus sum magnis Macrobij commentarijs. Tum quòd uideo ueteres permultos scriptores ausos esse in eodem uersari argumento,quod à prioribus erat iam uberrime tractatum.Nec id in hoc solum enarrandi munere, sed in orationibus,in philosophia,in omni genere artium & disciplinarum, ociosum esset in re aperta nullicq; ignorata exemplis uti. Tum quòd Macrobius certos quosdā sibi delegit locos, in quibus se effunderet & iactaret, multos prætermisit,quos alij tractare possent.Ad hæc,ex ijs quos ipse explicat,nonnulli sunt qui mihi aliter uidentur tractari posse: alij qui fortè melius. Neq; id dico, quòd obiectum & obtrectatū quicquam uelim memoriæ clarissimi & doctissimi uiri, quod quum nusquam alibi decet,tum uerò hîc esset turpissimum,nec inuidiæ careret suspicione,illudq; Hesiodium in mentem protinus lectori ueniret,Figulus figulo. Sed ut sciat lector relicta esse à Macrobio licet copiosissimo autore, quæ in Somniū Scipionis dici adhuc possint.Dissero igitur ipse de ijs quæ Macrobius omisit:de quibus disputauit,aliter ego disputo,aliâs fusius,aliâs arctius & compressius.Et quia id dixi,ne quis

quis putet me ab illo esse pleraq; mutuatum,profiteor me nihil ferè ab illo sumpsisse: quòd si fecissem,mallem(ut inquit ille) ingenue profiteri,per quē profecissem,quàm seruiliter in furto deprehendi. Postremò de me & Macrobio illud unum,mea quidem sententia,possum dicere,quod de se atq; Homero Vergilius:

Illius immensos miratur Græcia campos,
At minor est nobis,sed bene cultus ager.

Cuius rei nulli mihi erunt iniquiores iudices,quàm qui uel me,uel Macrobiū nō legerint.Nam reliquis facilè me hoc probaturū confido.Ac de Macrobio quidem hæc erunt,ut arbitror,in præsentia satis.Nunc de hac mea enarratione pauca loquar.Non concidi eam minutim more aliorum interpretū,sed perpetua oratione & unico uelut dictionis contextu,simul cum Ciceronis sensu ac uerbis progressus sum. Quod quū ob alias nonnullas causas feci,quas paulò pòst ædam:tum uerò,ne ad reprehensionem obnoxia & obiecta duobus generibus hominū esset,quorū alterum minimè grāmaticum uideri uult,alterum nimis.Nostri enim recentes philosophi nullum scriptorē enarrare illa ratione cōmentarij potes,etiā si ex intima philosophia de recondi tissimis disputes rebus,quin opus tuum inauditum, incognitum, grāmaticum pronuncient,& tanquam rem uilem nimis abiectamq; cōtemnant atq; aspernentur. De qua ipse insolentia & loquar aliàs quàm plurima,& paucula quædā alijs meis operibus iam dixi.Grāmatici porrò nostræ ætatis,ut magna pars istorum hominum,uicio parum sani iudicij laborat,si quid prætereas,quod dici potuisset, necessarium tamen non sit,tam iniqui sunt & sæui rerum omnium æstimatores,segnem,dormitantē,oscitantem,sterilem interpretē appellant:sin alicui non satisfacias loco,hallucinatū mox clamant.Si quo(ut nemo unus potest omnia)fueris falsus,ibi,dij immortales,quibus uerborū ponderibus exaggerant rem,& ex leuissima faciunt grauissimam atq; intolerabilem:Ibi tum Pericles omnes dicas,ita fulminant,& tonant. Quem non terreant ista:error fustuario dignus,erratum uix flagro eluendum,prodigium maioribus hostijs expiandum,insania cui nullæ Anticyræ suffecerint,hallucinatio carcere & exilio digna,cōmissum furca eluendum & cruce, & alia,quorum sola cōmemoratione horrescit animus. Et quum grammaticus ille unum aliquod dictum diligentius se putauerit examinasse,atq; excussisse,quàm tu feceris,uult maiorē sibi partam illo solo gloriam quàm tibi totis solidis cōmentarijs,in quibus multū operæ,multumq; olei non tam collocasti, quàm(siquidem tam iniqua refertur gratia)perdidisti.Quas ob res sæpenumero defleui conditionem miseram enarrātium, quorum opera tam insanis & furiosis iudicijs subiecta essent.Et eram ipse in multos Ciceronis, Vergilij, Plinij, Quintiliani libro ęditurus cōmentaria,quę domi perfecta seruo,nisi tam me illarum dementiarum & rabiosarum annotationum tæderet pigeretq;. Statim enim grandia annotationū proferuntur uolumina,quibus interpretes miserrimè lacerantur, & omnium rerum ignorantiæ arguuntur.Quid uerò si uoculā aliquā deprehendant,quàm se apud aliquem ex antiquis scriptoribus parum meminerint legisse: ibi nulla excogitari possunt tam impio & nefando sceleri satis cōdigna supplicia, omnes apud inferos omnium & Sisyphi & Tantali & Ixionis & aliorum simul pœnæ non suffecerint.Hîc,dij uestram fidem,quantæ excitantur tragœdię:liber ille cum autore suo ex toto consortio generis humani eliminandus est,& deportandus in insulam ubi solæ degeāt feræ,aut in illas Aphricæ desertas harenas, ubi nihil nascitur præter uenena. Quum interim uocabulum illud,aut loquēdi proprietas,qua mouetur tam atrox tumultus,quo tota rerum natura confundi debet,apud Ciceronem sit,uel Cęsarem,uel Liuium,uel Plinium,uel Quintilianum,uel aliquem ex illis illorum temporum,idq; non semel.Neq; est mirum:non enim potuit grammaticus ille omnia uel legisse, uel attentus legisse,uel complecti ac tenere memoria: multa sunt ei non lecta, atq; utinā non plura quàm lecta:multa legit aliud agens,parum cōsiderans,parum animaduertens:multa excidunt partim ob tantam rerum & uerborum copiā,partim ætate,quæ aufert omnia.Sed argumentum hoc destinatum mihi est alijs uoluminibus quę spero me de lingua Latina æditurū,ubi ostendā quanta nostris temporibus per recentes

grammaticos inuecta in Latinum ſermonem ſuperſtitio eſt, ueterum autorum religioni aduerſa atq; contraria. Hæc uerò ſint à nobis dicta ad noſtros grãmaticos commonefaciendos, ut ſi fieri poſſit, ne uelint pro lege eſſe in Latino ſermone, qui latius patet, quàm putent, quicquid ipſi ſe legiſſe non recordentur. Nunc ad id quod inſtitueram redeo. Hoc ergo commentarij genus & philoſophis non tam grãmaticum, & grãmaticis magis rhetoricum uidebitur, ſimul illi dignã rem exiſtimabunt, quàm legant, ſimul hi minus dignã quàm reprehendant, utpote ſua profeſſione ſuperiorem. Et quanquã non particulatim ſingula ſum perſecutus, nihil tamẽ tacitum dimiſi. Lector ſi opus hoc meum ſeparatim, ſolumq; legat, facilè credat nouum eſſe argumentum à me excogitatum. Sin uerò cum Cicerone cõferat, tum demum intelliget, quid agam, illamq; ad ipſum peruenturam cõmoditatem arbitror, quod ſine tædio interrupti toties curſus orationis poterit hæc noſtra percurrere, & precium operę referet, non ſolum ex narratione ipſius ſomnij Scipionis, ſed fortè aliquantum etiam ut ſpero ex ſtilo noſtro, de quo mihi loquendum neutram in partẽ eſt, nec ſine pudore tria illa uerba dixi. De hoc uerò ſomnio illud poſſum affirmare, Nulla unquã hominum memoria ſcriptum eſſe librum, ſacros noſtræ religionis ſemper excipio, in quo plus rerum, plus artis, plus eloquentiæ ſit comprehenſum atq; infarctum. Nulla portio cuiuſquam partis aut ſpeciei philoſophiæ in tantillo deeſt libello. Ratiocinationes, inductio enthymemata, cęteraq; argumentationũ genera uarie ex ſedibus illis, & uelut probationum adytis producta, quæ ſunt ex dialectica, paſſim ſunt ſparſa: ſed illic creberrima & denſiſſima, ubi animæ immortalitatem oſtendit. moralem diſciplinam ex profeſſo, & quæ ad priuatos affectus conducit, quam dicunt ethicen, & quæ ad regendã rempub. quam politicen, tam pure, tam integre, caſte, religioſe, ſancte tractat, ut incredibile penè uideatur ab Ethnico illa potuiſſe proficiſci, quæ etiã à Chriſtiano uiro dicta non poſſemus non admirari & adorare. Porrò naturę, ſumme Deus, quam partem non excutit? orſus à primo illo & altiſſimo cœlo non abrupte in terram deſiliuit: ſed gradatim ſingula quæq; perſecutus ac perſcrutatus ad terram delapſus eſt, in qua non una reſedit ciuitate uel regione, ſed eam totã diuiſit prius, deinde finibus ſuis atq; limitibus deſcripſit ac definiuit. Nec ex Mathematicis artibus prætermiſit aliquam aſtrorum rationem, totam percurrit. Multa ſunt ex Muſica, eaq; præcipua, ex Arithmetica & Geometria quædam, cęterum recõditiſsima. At de dictione ipſa piaculum eſt aliud iudicium ferre, quàm illud unicũ Ciceronis eſt. Hoc enim ſolo nomine quicquid artis, quicquid uirtutis dicendi poſſet explicari claudítur & continetur. Hunc igitur libellũ uerius appellari cornu copiæ liceret, quàm illud capræ nutricis Iouis. In hoc nanq; quicquid uſquam eſt in tota rerum natura eſt coniectũ. Ita ut Macrobius uir eruditiſsimus, etiam ſi & aliud in tota non egiſſet uita, in qua re uera pro uirili ſua literariæ reipub. bene laborauit. Sed ſi aliud præterea non egiſſet, quàm ſeruare nobis hunc omnis eruditionis theſaurũ, optime de ſtudijs omnibus fuiſſet meritus. Eius enim opera ad noſtram uſq; peruenit ætatem. Nam alioqui cum ſuo corpore ſex illis Ciceronis de Repub. libris uel intercidiſſet, uel certe lateret adhuc libellus, quem ego quidem & pręfero magnis multorũ philoſophorum libris, & aio difficiliorem multo eſſe uel intellectu uel enarratu, quàm totos octo de phyſica auſcultatione Ariſtotelis libros, quamlibet intricatos & obſcuros. Quos qui noſtris in ſcholis audierunt, & philoſophos ſe & conſummatos quidem eſſe exiſtimant, & pro talibus paſſim ſe defricta fronte rudi plebi uenditant. Nemo me ſuggillare Ariſtotelem credat, quem ego uniuerſis philoſophis nemine excepto antepono, ſed illos pſeudariſtotelicos. Neq; enim mihi conſilium eſt ex uituperatione aliorum aliquid ad Ciceronem commendationis deriuare, inuidioſa enim eſt eiuſmodi laudandi ratio. Ideo nec Platonis narrationem Heri Pamphilij, quæ eſt in eius uolumine de Repub. decimo, ad cuius exemplum Cicero ſomnium hoc tanquam coronidẽ, ſuis de Repub. libris adiecit, cum hoc noſtro libello componam, & comparabo. Æmulatus enim eſt Cicero ferè ubiq; Platonem, multaq; ex illis philoſophia in ſuam partim reconcinnata & mutata, partim integra ad uerbum tranſtulit. Quod quum pleriſq; alijs in ſcriptis

ptis ſuis fecit,tum in hoc ipſo totus eſt Platonicus,præterquàm ubi de cœlis diſſerit, in qua diſputatione ad Pythagoram & Ægyptios magis deflexit de ordine ſyderum uagantium,& concentu cœlorum. Quocirca & ego ex Platone ipſo, Platonicisq; ad Platonis ſententiam explicandam nonnulla mutuatus ſum, nec quod ipſe ſentirem interdum protuli,ſed quod uel Cicero,uel Plato, quem Cicero ſequitur. Hoc nunc in principio admoneo,ut ne lector, quum omnino Platonice rem aliquam tractaro, quę melius forſan Ariſtotelice diceretur,conſilium meum ignoret,quod in naturalibus potiſſimum rebus contingere aliquando arbitror. Nam moralia non poterant ſanctius tradi quàm à Platone & Cicerone,in iſs quę nunc ſunt in manibus,ſcribuntur. Quæ ego,ut fructus eſſet uberior& amplior,leuiter ad Chriſtiana noſtra accommodaui,non oblitus tamen quid agerem,& cuius perſonam induiſſem.Sed iam tempus eſt, ut hæc præfati P. ipſum Scipionem Aemylianum dicentem audiamus. Is enim uerba faciet ſolus, non qualis eſt in Somnio noſtro Cicero, quem ego induco præſentium rerum non ignarum, utpote qui fata uiderit, ſed qualis tunc erat paulò ante mortem, qualem eum Cicero fingit diſſerentem, ideo nec de re aliqua inferiore ſua ætate atque memoria loquetur. Quum ergo nouendialibus feriis C.Sempronio Tuditano, C. Aquilio Coſs. in hortis Scipionis poſt colloquium duorum dierum, tertio die,poſteaquàm multa de optimo reipublicæ ſtatu eſſent ab ipſo Scipione,C. Lælio (qui appellatus eſt ſapiens) Manlio& Furio diſputata iuſticiæ cauſa eſſet à Lælio contra accuratam Furij orationem defenſa,inuentumq; longis eſſet diſputationibus,iuſtitiam eſſe in primis in optima Repub.colendam. Tum de illius deq; cæterarum uirtutum mercede ac præmio cœpit Lælius inquirere,mirariq; quod P.Cornelio Naſicæ nullum eſſet datum præmium optimi illius facti,quo Rempub.ſeditione & tyrannide Tiberij Gracci liberauit. Aphricanus uidens Lælium ex uulgari illa & populari ſapientia,non ex perfecta atq; diuina,id quærere, ut quæ bonos uiros manent bene actæ uitæ præmia: quæ ipſe non à mortali aliquo, & in tenebris corporis uitæq; huius ignorantia laborante,ſed ab immortalibus iam & diuinis Scipione Aphricano & Paulo Macedonico accepiſſet, doceret, huiuſmodi orationem habuit.

PRÆFATIONIS
FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS IN SOMNIVM SCIPIONIS, EX SEXTO DE REPVBLICA CICERONIS, VIGILIA.



VCIO Licinio Lucullo, Au. Posthumio Albino Cos. quum per Gulussam Masinissæ filium patribus nuncia tum esset, delectus Carthagini haberi, ea causa satis magna iustaq; Catoni uiro consulari atq; Censorio, Carthaginēsiumq; peracri hosti uisa est, propter quam bellum Aphricæ inferretur P. Scipio Nasica ille, qui iudicatus uir optimus, bis consul & censor fuit, ad pacē, misericordiā, clementiam magis propensus, nihil temere, nihil contra fidem & fœdera mouendum censebat. Ita is annus concertationibus patrum, dissensioneq; duorum principum cōsulariū extractus est. Consules post-ea sunt creati noster hic M. Manlius & L. Martius Censorinus, quo anno quum nostris legatis Carthaginenses non paruissent, sed contēptis Senatus iussis prælio cum Masinissa amico uetere & summo nostro cōmisissent, Cato Senatui persuasit, ut per magistratum aliquem ad populum ferendum censeret de bello Carthagini inferendo, idq; plebs iussit. His ego consulibus ex Hispania in Aphricā ueni missus à Lucullo, sub quo tribunus militum ad quartā legionē eram, nihilq; in mandatis habebam aliud, q; ut à Masinissa ad Hispaniēse bellum elephantos aliquot nomine imperatoris mei peterem. Eodem die quo ad eius castra perueni, Hasdrubal imperator Carthaginensis cū Masinissa contulit signa. Isq; à rege ingenti prælio superatus est, duos uerò potentissimos exercitus concurrentes secutus, ipse & lætus ex ædito colle uelut è theatro despectaui, ingentiq; uoluptati spectaculū mihi illud fuit, digressum à bello Masinissam conueni uictorem, qui incredibile commemoratu est, quantū congressu nostro sit lætatus. Non aliam ob causam quàm quod me Aphricani amici sui nepotem uideret. Acceperat enim Regē hunc Aphricanus in amicitiā Populi Romani, nostraq; Respub. & in pace & in bello bono ac fideli socio semper illo usus est. Nec degenerat à uirtute patris Micipsa hic qui Numidiæ nunc imperat. Erat igitur Masinissa multis beneficijs, ut scitis, affectus ab auo meo Scipione, reuerebaturq; rex eum simul & amabat mirifice. Ita quum primū me uidit, complexus me arctissime cœpit præ ingenti gaudio collachrymari, pauloq; pòst suscipiens ad cœlū gratias egit Soli, Lunæ, Ioui, Marti, cæterisq; dijs & deabus qui cœlestia illa delubra incolūt & ornāt, quòd antequam ex hac uita ad eos cōmigraret, frueretur ea uoluptate, quam post discessum scilicet Scipionis ex Aphrica semper primā concupisset, ut uideret aliquem de familia & gente nostra, quam ipse ita tenere uniceq; diligebat, ut nō modò Scipione aliquo, sed ipso solo audito nomine recrearet, & uelut repubesceret, usq; adeò hęrebat infixa eius memorię admiratio illa & amor Aphricani. Quo uiro nullū hęc respub. tulit meliorem domi, feliciorē in castris, ut ad conseruandū hoc imperiū natus fuisse uideatur. Hunc ego, quē tametsi iuuenē, non tamen iuueniliū rerū multa tenebat cura, sed nostræ Reipub. sed regnorū nobis sociorū nostrarūq; ,puinciarū, rogaui primū, q; feliciter eius regnū ageret? Ibi de iniurijs illi à Carthaginensibus illatis plenius cognoui. Ille me uicissim de Senatu nostro, deque populo perconctatus est: ita dum ipse mihi de bello cum Carthaginensibus suo, ego illi de nostro cum Hispanis narro: quod supererat diei consumpsimus. In sequenti nocte eo apparatu sumus excepti, & qui reg ēuictorē decebat, & quem ille decere arbitrabatur, nepotem Aphricani, filium Æmylij Pauli, multa in eo cōuiuio locutus est penè nonagenarius ille senex. Sed de ijs rebus omnia, quæ Scipioni cōtigerāt. Sumus nos senes omnes natura loquaces, libēterq; prēterita nostra facta, aut nostrorum amicorum narramus. Talis fingitur ab Homero Nestor, talis erat Panætius noster, talis Cato. Commemorabat

igitur

ſgitur ſenex,nõ facta modò Aphricani,qualis in pugna ad Trebiã fuiſſet,quum penè prætextatus in uno homine tot perſonas ſeruaſſet,ciuis,conſulis,Imperatoris, patris clariſsimi & ſanctiſsimi uiri,ut quernã coronã repudiaſſet, quod officium ſe illo immortali facinore præſtitiſſe,non beneficiũ contuliſſe exiſtimaret. Illi enim attulit uitam,à quo ipſe acceperat. Quid poſt Cãnenſem cladem? quũ iurare iuuenes nobiles coegiſſet,ipſos Italiam non relicturos,qualis Imperator in Hiſpania, qualis in Aphrica,quàm pius legatus fratris,quàm mitis in exilio,nõ hæc tantùm facta referebat,ſed dicta etiam,uelut illud, Nunquã ſum minus ocioſus,quàm quũ ocioſus: & alia permulta.Prouecta erat nox, & me,quamuis hominem non admodum ſomnolentum, feſſum tamen de uia,& quia tantum poſt laſſitudinẽ uigilaram,grauior ſolito ſomnus fatigabat.Diſcedere tamen non decebat me iuuenem,antequàm hoſpes meus,in cuius regno eram,ſenex uenerabilis ſuapte ſponte cubitum cõcederet.Ille autem laborum patientia iuuenes omnes ſuperabat.ſumma erat in eo corporis ſiccitas,admirabile neruorũ robur:omnia Regis obibat munia,nihil ex ijs operibus,quę aduleſcens ſuſtinere aſſueuerat,ſenex remiſit:ſed iam tãdem cubitum diſceſſimus,me altiſſimus ſomnus totum complexus eſt,placidiſſimoq; ſopore ita ſum perfuſus,ut non mirer, quum tam uaria partim læta, partim triſtia, partim admirabilia, partim horrenda per quietem uiderim,me non eſſe affectu aliquo excitatum:erant nimirum omnia ſomni uinculis bene illigata atq; diſtricta,nec facile fuiſſent ſoluta. Ac quoniam uigilans de Aphricano fueram tam diu locutus,is mihi dormienti ſe oſtendit.Hoc enim nulli noſtrûm non uſu uenit,ut ſi de re aliqua multum uigilans aut cogitarit,aut fuerit locutus,hęc ei res quieſcenti in mentẽ ueniat,præſensq; obuerſetur.Simile mihi quiddam Q.Ennius ſibi narrabat contigiſſe,quem ego ſenem peradoleſcens interdum audiui. Nam quum natura ſua ad carmen & poëſim eſſet propenſus, & ſi artem non multum in hoc populo honoratã,uelletq; noſtrã linguã hac parte mancam non eſſe. Nam antea præter Liuiũ Salinatoris libertum nullum habebamus:niſi quis Saliorum carmina,& quędã indigitamenta,& alia nonnulla,qualia Fauni,uatesq; canebant,multum ad rem pertinere credit.Dabat igitur Ennius multã Homeri operibus operam, ut diuitias illas Græcas in hanc,ſi poſſet,urbẽ transferret.Nam Liuij carmen relegebat ille quidẽ frequenter,quoniã ſcripturus erat:cõſulebat tamẽ nobis,qui non eramus ſcripturi,ne lectũ relegeremus,nõ eſſe tanti carmẽ,ut bis legeretur. Idẽ de quibuſdã poematis Næuij cenſebat,quæ tum primũ in apertum proferebantur.Itaq; quum per aliquantũ temporis,nihil illi in ore,nihil in mente præter Homerũ eſſet,uiſus eſt ſibi cũ Homero in Parnaſſo Phocidis bicipiti mõte uerſari: cuius alterũ uerticem,quẽ Thitoreon uocant Græci,Baccho ſacrũ dicunt:alterũ Hyampæum,Apollini. Totũ uerò Muſarũ eſſe domiciliũ,tum & potare ſe affatim de fonte illo Caſtalio exiſtimauit,cuius liquorẽ ferunt poeticos illos ſpiritus atq; furorẽ infundere. Hocq; ſomnium tale fuit,ut poſtridie annales & præclara illa poemata,quę nunc ſunt in manibus cœperit ſcribere,quod ſomnium ſcriptum uidetis illo carmine, uiſus Homerus adeſſe Poeta, alijſq; deinceps uerſibus permultis. Eodẽ penè modo & mihi Aphricanus eſt uiſus, ea facie,ut illum eſſe potius ex ſtatuis & imaginibus eius,quas in atrio uetere conſuetudine habemus, conijcerem, quàm ex memoria ipſius à me uiſi. Neque enim poſſum eius meminiſſe,qui anno poſt me natum obijt,L.Portio Licinio,P.Claudio Pulchro Coſs.Catone cenſore.Quo anno mortuus eſt etiam Plautus.Et Annibal ueneni hauſtu ſeipſe in Bithynia ſuſtulit, quũ ego natus ſim Tuditano & Appio Claudio Coſs. Sed ut Scipionem eſſe cognoui, non tam quòd mortuus homo ſe oſtenderet, quàm ueneratione tanti uiri nõ mediocriter cohorrui,ac perterritus ſum.At ille, Nihil eſt quod hîc timeas Scipio,reuoca animum tuum, qui extra te eſt pauore perculſus,ſis præſens,mandaq; memoriæ quæ tibi euentura prædicam. Erat uerò Scipio in altiſſimo quodam loco,non modò per ſeſe claro, ſed etiã admirabilibus illuſtrato facibus,illinc indicat mihi Carthaginẽ. Vides,inquit,urbẽ illã, quæ altero Punico bello,quod cõtra fœdus,contra æquum nobis Annibal intulit,à me uicta & ſubacta eſt, obedire noſtræ Reipublicæ ac ſtipendium pendere Populo Romano,nunc priſtina illa

illa duo reuocat bella, nec sua pace contenta quiescere potest, nata ad exercendã uirtutem Romanam, ad rumpenda nostra ocia, ad eam tu nunc oppugnãdam uenis tribunus militum, hoc est paulò plus quàm miles. Quãuis in eo munere, ita te geres, ut sæpe saluti sis militibus nostris, nosterq; consul Manlius cum suo exercitu magno ex discrimine per te liberetur atq; seruetur, coronaq; ab ipso & cohortibus eius graminea doneris, monumentum uitæ & salutis consilio & uirtute tua receptæ. Ita ut Catoni homini ingenio maledicentissimo illa uox de te exprimatur: Hic sapit solus, reliqui in Aphrica militantes umbræ sunt. Talisq; erit in Vrbe sermo ac opinio de te, ut cõtra ueteres leges populus te cõsulem creare nitatur, etsi non perficiet. Nam Martius qui comitijs præerit, omnino in ea sententia perstabit, ut ne nomen hominis tam iuuenis recipiat. Ita consules erunt Calphurnius Piso, & Hostilius Mancinus. Proximo anno petitor ædilitatis descendes in campum, renuntiabere consul ingenti suffragiorũ consensu, non tribuum modò, sed singulorum etiam hominum, addito de plebe quidem collega: cæterùm ex honorata familia Liuio Druso, quem ob egregiam pro Senatu, proq; optimatum dignitate aduersum nepotes meos operam, Patronus senatus uocabitur. Quumq; de te ortæ fuerint contentiones, quòd contra legem Annalem factus sis consul, legibus te populus soluet, tibiq; extra sortem Aphricum mandabitur bellum. Quo anno magna uirtute & summa disciplina militari atq; imperatoria Carthaginem expugnabis, & urbem quæ à Phœnicibus condita, magna & in pace & in bello gloria per septingentos annos claruerat, euertes incendesq;. Durabitq; decem & septem dies incendiũ illud. Tum nomen istud Aphricani, quod per filium meum, qui te adoptauit, simul cum hæreditate ad te transiit, erit tibi tua uirtute & armis quæsitũ. Tunc appellabere Aphricanus, etiamsi in familiã nostram ascitus non esses. Romam regressus C. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico cos. incredibili omnium ordinum lætitia triumphum illum ages, quo imperium pop. Rom. certum atq; securum confirmabitur ac stabilietur. Illa enim urbe deleta, nihil supererit quod nostris armis orbem inuadentibus, tanquam moles obijci possit, maria & terræ nobis patebunt, parebuntq;. Fies post hæc cum L. Mũmio, qui Corinthum euertet, censor. Et quamuis futurum sit, ut ita tuus tibi uileat & displiceat collega, ut in cõcione te omnia pro maiestate pop. Rom. in censura fuisse gesturum dicas, si tibi in eo magistratu collega datus aut esset, aut omnino non esset, cũ illo tamen magnæ cõtinentiæ uiro summa cum laude & gloria cẽsuram geres, lustrumq; condes multis & factis & dictis insigne. At quum sublato eo populo, qui unus metum nostræ reipub. facere poterat, senatus populusq; noster, orbis terrarum imperium mente & cogitatione inuaserit, nihilq; nisi altum, nisi excelsum cœperit cogitare, quomodo leges uerè humanas cunctis gentibus & nationibus ferat, quomodo uictus & humanitatis rationem barbaris & efferatis populis communicet, quomodo linguæ commercio & tanquam uinculo dispersum genus humanum congreget & deuinciat. Mitteris ipse legatus ad Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciamq;. Nam quoniã Antiochus iunior Alexandri Asiæ regis filius aduersus Demetriũ bellum in Syria geret, cui bello Ptolemæus Euergetes rex Ægypti se immiscebit, uexabunturq; Ionathas & alij Iudæi socij atq; amici nostri, delatis istarum rerum querelis ad senatum. Mitteris tu ad eas regiones, eo quidem prætextu ut autoritate tua uideas componasq; res sociorum: sed re uera uti prudentia tua speculeris, qualé nam genus hominum ea regna terrasq; incolat, bellicosum an imbelle, armatum an inerme, simplex an uafrum & astutum, opulentum an inops, frequens an rarum: ut deliberari facilè possit, quibus copijs atq; exercitu debellari gentes illæ, nostroq; imperio & Romanis legibus adiungi queant. Ibis ad legationem, comitatus unico amico Panætio, qui cum de grauibus differis rebus, quem consulis, & si consilij minimè indigus, à quo philosophiam doceris, maximasq;, & præstantissimas artes:

—Qui cum benè sæpe libenter
Mensam, sermonesq; tuos, rerumq; tuarum
Comiter impartis.

Necnon,

Cui res

Cui res audacter magnas,paruasq;,iocumq;
Eloqueris,quæ tincta malis & quæ bona dicto
Euomere,si quid uelles tutóq; locare,
Quo cum multa uoluptas,ac gaudia clamq; palamq;.
Vt noster,inquit Ennius.Comitatus quoq; ad tuarum rerum necessarios usus seruis quinq; proficiscéris,è quibus quum unus morietur,alterum è domo ne tibi sit emendus,accersés:per totam enim tuam uitam,tanta futurus es parsimonia,cum pari grauitate coniuncta,ut nihil unq; emas,nihil uendas,nihil alienes,nunquã cantes, nunquam saltes,hæredi libras argenti relinquas triginta,auri duas. Defunctus legatione inuenies Remp. graui bello & ignominioso implicitam atq; intricatam. Sedigenses enim(qui est in Hispania populus)manus nostrorũ Imperatorum elapsi, ad Numantinos socios, ueteresq; consanguineos suos refugiẽt. Est porrò Numantia in Vracis sita,acclíui colliculo,Sparthę Lacedæmonię uiris munimẽtisq; urbis non absimilis, nisi quòd Spartha aliquanto maior est. Sed in utraq; fortissimi sunt uiri, neutra turres habet,neutra muros.Hæc ciuitas quum Sedigenses illos hostes Pop.Rom.in urbem,domósq; suas acceperit,illósq; protexerit,rebus uniuersis iuuerit,armis etiam, Magara duce fuerit tutata,bellum ei à uestro Pop.indicetur,multósq; annos ita à nostris illic pugnabitur,ut maxima cum ignominia & dedecore recedamus uicti,interdum(quod non minus horreo,q; pudet dicere)à quatuor millibus triginta millia nostra fundentur,fugabuntur,adigenturq; ad pacem fœdúsq;, quæ erit nota & macula nostræ Reip.diuturna,idq; non semel,nec uno Imperatore fiet.Confugietur ad te, tanquã ad eum qui natus sis ad terrores Reip.tollẽdos, ad securitatem tuæ patrię parandam,obtrudetúrq; tibi secundus consulatus recusanti obijcientiq; legem Annalem,quæ eundem magistratũ,ni intersint decem anni, capi ab eodem homine uetat. Verùm ingẽti consensu,& una totius ciuitatis uoce,solueris iterum legibus,ut consul cũ Cn. Fuluio Flacco ignominiam labemq; patriæ abstergas,ad bellumq; in Hispaniã profecto tibi maior cũ tuis militibus quàm cum hoste certamen negotiumq; erit, in illis ad ueram illam disciplinam militarem,qua nos tot reges,populos,gentes domuimus reducendis.Verũ nihil non perficiet & uincet tua uirtus,tuum consiliũ, ostendesq; rem Romanã,scientia Imperatorum potius,quàm fortitudine militũ stare. Eisdem enim illis uictis & profligatis à Numantinis, quicq; antea nõ arma solùm, sed ne uocem quidem, & terribilem hominis Numantini aspectum sustinere poterant,tu Numantinos franges, urbem ipsam Numantiam per quatuordecim annos à quatuor uirorum millibus fortissimè propugnàtam atque defensam dirues & incendes,triumphabisq; iterum de gente post Carthaginẽsem ferocissima,& quæ fœdiores Romanis clades attulerit,q; alia ulla.De gente,inquã,triũphabis, sed quòd nunquam antea contigerat, nunquã postea continget, nomẽ dũtaxat tecũ in Vrbem inuehes,non captiuũ aliquem,non aurũ, non argentũ,uel factũ uel infectũ, nõ prædæ genus aliquod,nihil denique pręter ipsius oppidi simulachrũ.Tuisq; militibus usq; adeò & uenerabilis erit tua maiestas, & ad imitationẽ proposita continẽtia, ut sedecim millia pondo à te post uictoriam eis omnibus diuisa satis sint, nec mirũ, quippe qui te Imperatorẽ suum prius conspicient,quũ munera à puero Antiocho Syriæ rege accipies, nõ illa more cæterorum occultare Imperatorũ, sed in publicas referri à quæstoribus tabulas iubere,professum ex ijs te fortes uiros donaturũ. Hic erit finis tuarum militiarum.Et ætas deinde tua,& usus necessitásque Reip.te ad res urbanas totũ uocabunt.Nam de duodecim liberis,quos Cornelia probissima & sanctissima filia mea ex minore T.Gracco illo,qui bis consul,bis triumphalis,& censor fuit,progignet.Duo illi qui supererunt uirilis sexus obliti & paternæ & meę uirtutis,ac gloriæ,quũ possent tum generis nobilitate,cõmendatione{que},tum etiã eloquentia,bonísque artibus & ingenio, quibus imbuti ac prędíti erũt, magni & clari in Rep.esse, splendorẽq; à maioribus relictũ suis gestis rebus augere:mallent tamẽ ita populares uideri,ut quietam & bene constitutã Remp.turbare atq; labefactare connitantur rogationibus legum Agrariarum, quæ in nostra ciuitate & fuerunt semper & posthac

erunt

erunt magnorum motuum malorúmque cauſæ. Et maior quidem illorum Tiberius ab agnato & gentili noſtro Scipione Naſica pōtifice maximo, in Capitolio pro Republica occidetur, te in Hiſpania gerente bellum, cædemq; eius uerſu illo comprobabis Homeri,

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅς τις τοιαῦτα γε ῥέζοι.

Cum minore Caio milite tuo propoſitum tibi certamē eſt, iuuene impigro, ſtrēnuo, factioſo, uehementiore & calidiore fratre ſuo. Cuius Caij in triumuiratu collega C. Papyrius Carbo rogationem Tr. pl. feret, ut eundem tribunum populo quoties uelit reficere liceat. Hanc tu grauiſſima oratione diſſuadebis, ſuaſuq; & hortatu Caij Graci à tribuno, homine populari, turbulento, diſertiſsimo, ad inuidiam tibi atrocē concitandam rogabere. Quid de Tiberij Gracci nece ſentias? reſpondebis iure tibi uideri cęſum, reclamantem atq; obſtrepentem ferociter, ut nunquam aliàs, concionem uultus autoritate uocéque increpabis & ſedabis. Sed illud tuum de Tiberij cæde uerbum atq; iudicium altius in pectus Caij Gracci, Carbonis, Fuluij, uxoris etiam tuæ Semproniæ, Graccorum ſororis, aliorumq; affinium tuorum, quàm quiſquam ſuſpicabitur, deſcendet. Hinc Caius Graccus Tiberij fratris ſui ueſtigia ingreſſus, excitatis intermortuis illius reliquijs agrariam illam, per ueterem Liciniam legem de quingentorum agri iugerum poſſeſsione, de centum maioris armenti capitibus, déque quingentis minoris olim à Licinio Stolone latam, addito capite, ut agri ad id tempus inique poſſeſsi ſimul cum fructibus ueteribus ueris germanisq; reſtituantur poſſeſſoribus. Quam frater eius aliquot ante annis per ſummam contentionem atq; uim perferet, ita tuebitur: ut uir ipſe cum Flacco & Carbone turbet, atq; affligat domi foris'que omnia. Déque cauſis agrarijs cognoſcere ac iudicare cum collegis cōtra ius omne, contra bonum æquumq; uelit. Quis commemorare uel poſſit, uel ſuſtineat, quantas turbas, quos tumultus importuna illa tempeſtas in ciuitatem importabit? qua tempeſtate agitabitur & concutietur, non modò populus noſter, ſed uniuerſa etiam Italia, atq; omnes propè gentes & nationes? His tu fluctibus, hac procella oſtende Scipio patriæ noſtræ, quantus ſis gubernator, quanta ſit in te regendę in tempeſtate nauis peritia. Nam te unum tuum ſapientiam, ingenium, conſilium, tanquam ſydus aliquod ſpectabunt omnes, te duce uelut Cynoſura illa, uel Elice, omnes ſe nauigaturum, atq; hanc tempeſtatem euitaturum ſperabunt, ad te tanquam ad ſalutem, portum, aram unicam ſubſidij, uelut non minus ſalutarem, quàm Tindaridas illos Dioſcuros refugietur, in tuum ſinum tuàmq; fidem tota ſe Reſpub. effundet & tradet. Verum hoc uitæ tuæ curriculi ſpoco ita conſtitutam & diſpoſitam rationem ſyderū uideo, ut quū uitæ tuæ ſepties octo nos anfractus accliues arduósq; aſcenſus & ambagioſos progreſſus, regreſſusq; hoc eſt ambitus perfectos ſolis, quos ipſi annos appellatis, impleueris. Tunc à fatis præſcriptū tibi numerum uidearis attigiſſe. Sunt enim iſti duo numeri, qui in ſeſe aucti, magni fortisque ac ſapientis uiri, & in Repub. cum ſumma ęquitate, innocentia, laude uerſati ætatem impleant, pleni ipſi atq; abſoluti, quamuis nō eadem ratione pleni ſint ambo, ſed uterq; peculiari ſua. Octo enim ſoliditatem illam cuborum præ ſe ferunt ſine uacuitate ulla, ſine fucis, omnia oſtendentes atq; exponentes, recta, ſyncera, ſolida, expreſſa, nihil fictum, nihil adumbratum, ſubdolum, fraudulentum, uafrum, impoſtorium. Qualem ciuilem illum in Repub. principem eſſe decet, non aliud habentem ore promptum, aliud corde contectuum, & occultum. pectus illud debet eſſe apertius cādidiūsq;, quàm togę illę candidæ, quibus nos comitijs noſtræ ciuitatis petere magiſtratus conſueuimus, qui color commonefacit nos, ſi quid modò eſt in nobis ſenſus, & pudoris, qualis animus ipſe debeat eſſe. Tum & in eo ipſo octonario numero diſtributio illa prima eſt ęquiſſima iuſtitiæ, ut in omnes partes ciuitatis fructus cōmodáq; deriuentur. Octo enim in duo ſecernitur quaterna, ſingula horum in duo bina, & hæc in puncta illa unanitatis inſecabilia, quæ nec refugerent ſe alijs impartiri, ſi uel natura ſua pateretur, uel eſſent qui aut peterent, aut caperent, ſi daretur. Hæc eſt cauſa quamobrem à Pythagoreis iuſtitia eſt numerus hic appellatus. Iam ſeptenarius ille admirabilis myſterijs eſt,

mirum

mirum quàm tota ueſtrorum corporum conſummatio ſeptenarijs conſtet, in locis maternis incremento, in ætatum moribus atq; ingenijs, in meatibus ſenſuum, capitis, geminis & auribus, & oculis & naribus, ore unico, quo omnia nō iniuria & à ſeptem oriri planetis, & à uicibus ipſius Lunæ uideri poſſunt, quæ totæ ſeptenis diebus conclusæ & contentæ ſunt. Verum hæc forſan non uſque adeò ad preſens inſtitutum accommodata, ut illud quod numerus hic qui dicitur à Græcis ἑπτὰς, Mineruæ, hoc eſt fortitudini & ſapientiæ ſacer eſt, quas uirtutes per Mineruam intelligi mortales uoluerunt. Eſt enim unus infra decem, qui nec generatur à quoquam, niſi à monade, nec alium ipſe gignit. Virgo enim fingitur Pallas ipſa, & de ſolius cerebro Iouis, unici dei ſummi principis rerum progenita. Huc accedit, quòd ex duobus numeris, ternario & quaternario, muliebri hoc, maſculo illo conflatus eſt. Porrò Minerua uirgo dicta & habita eſt, planè uirilitas ipſa & fortitudo, conſilio, ratione, ſapientia apta & temperata. His enim rebus Mineruam præeſſe ſtudioſi ueſtri perhibent. Quum tu igitur ad faſtigium ipſum probitatis, iuſticiæ, ſanctitatis, fortitudinis, ſapientiæq; perueneris, quod anno tuæ uitæ ſexto & quinquageſimo futurum eſt, Sempronio Tuditano, Aquilio Coſs. ſunt aſtra, quæ tibi uiuendi finem uiolente acerbeq; præſtituant. Erunt ſiquidem in cœlo non minus quàm in ciuitate noſtra ſyderum pugnæ, fatorumq; diſſidia, quæ oſtendet terris Sol ille geminatus, qui eo ipſo anno mortalibus ſe oſtendet. Nec uerò de illis ipſe loquor fatis, quæ in mente ſunt ac prouidentia rectoris huius uniuerſitatis, quæ cauſis alijs ex alijs definitis atq; profectis ſempiternam ueritatem continet. Nam hæc & non minus nobis iam hic ſumma in fœlicitate & rerum plurimarum, maximarumq; ampliſsima, certiſsimaq; agentibus cognitione, quàm uobis incognita ſunt, nec lege ulla uel euitari queunt, uel immutari. In illis autem eſt hæc ambiguitas fatis, illorum eſt anceps duplexq; uia, quæ à uiribus orta cœlorum, ita conſtituta ſunt, ut quamuis difficile poſsint, tamen arte aliqua & ratione uitari. Quæ re uera fata dicenda non ſunt, ſed potius, quaſi fata quæpiam, ſolum enim imaginem quandam habent fatorum. Hæc ergò tempore illo egreſſum tibi ex iſta mortali minantur uita. Sed quemadmodum in repub. noſtra interceſsione & unica illa Tribuni Plebei uoce, ueto, antiquātur rogationes, impediuntur leges, turbantur ſenatuſcōſulta, tolluntur decreta iam & conſtituta, ita in cœleſti illa Repub. multorum aſtrorum certum propoſitum, conſiliumq; unius ſtellulæ interuentu & tanquam interceſsione euaneſcit. Interim dictator ille princeps mundi aliter fieri iubet, quàm minores magiſtratus ſtatuerāt. Iuſſumq; illud uerè eſt γνησίωςq; fatum, reliquorumq; fatorum lex. Quod ſi beneficio aliquo & ſingulari in noſtram rempub. ſiue aſtrorum ſyderumq;, ſiue optimi illius & ſummi Dei amore fata illa uiam nō exitium tibi corporiſq; mortem portendentem, ſed alteram illam fuerint ingreſſa, mitiorem ac benigniorē, totius noſtræ ciuitatis ſalus ac uita, in te uno innixa ſitaq; erit, te unum tuúmq; præſidium S.P.Q.R. implorabit, in te tuúmq; nomen, autoritatē, conſilium, uirtutem cunctus ſenatus, boni omnes, Sempronijs legibus perculſi atq; afflicti, Latini, ſocijq;, qui colonijs nouis prementur & uexabuntur, totum deniq; noſtrum imperium ſe conuertet, deſperatis & comploratis rebus omnibus, niſi tu ſalutarē opem afferas, ſisq; omnibus propitium proſperúmq; numen. Ac ne multa hic mihi uerba conſumantur, memoria reuocabitur dictaturæ, qui magiſtratus in principio libertatis ad graues & difficiles noſtrę ciuitatis caſus magnáq; pericula & diſcrimina inuentus, poſt bellum iſtud quod ego confeci Punicum intermiſſus, tibi mandabitur. Vt ſummo imperio inſtructa & adiuta incredibilis tua uis animi, atq; uirtus, Rempub. lapſantem ac propè cadentem ſiſtat & fulciat, ægræ ac ſauciæ medeatur, eámq; refectam & recreatam in priſtinū illum dignitatis quietisq; gradū reducat, inq; eo repoſitam confirmet ac ſtabiliat. Si modò, C. Carbonis C. Gracci, uxorisq; Sempronię, cæterorúmq; affiniū ac propinquorū tuorum, quos iudiciū tuū de Tiberij Gracci cæde exagitabit & accendet, manus atq; inſidias uitare potueris. Quid ſibi uult iſta exclamatio, mi Læli? Quid uos Manili, Pile, alijq; ingemuiſtis? quid eſt Tubero? quid Muti? timetis mihi illas inſidias, & doletis me in tantum uitæ diſcrimen alieniſsimo reip.

tempore uenturũ? an non potius gaudetis aliquando tandẽ mea opera atq; induſtria reip. ſtatũ fore meliorẽ & cõmodiorẽ. Verũ ambo uos ne me ſtrepitu & clamore ueſtro à ſomno excitetis, patimini me diutius ſomniare, audite iam reliqua, pergit enim Aphricanus idẽ, uenitq; ad id, quod ut referrẽ uobis, idcirco altius ſomniũ iſtud repetij. Quanta mala Tiberius Graccus in Repub. excitarit, quid attinet cõmemorare? quantã pernicieẽ moliebat, non libet dicere: nolo uulnera illa male illigata ſoluere, & renouare. Cunctantib. ergo cõſulibus & tardius Reipub. quàm illũ magiſtratũ decebat cõſulentibus, Scipio Naſica priuatus ſenator ſequentib. patrib. in capitolio exitiũ illud ſuſtulit. Quæ nam fuit igit per Deos immortales, quærebas Læli, huius tam pręclari facinoris merces? quo ipſe perpetuò hanc ſibi Remp. deuinxit, totamq; poſteritatẽ demeritus eſt, odiũ intolerabile populi, legatio libera qua Aſiã petijt, ut oculos ingratorũ ſuorũ ciuiũ uitaret, nec illi uiro locus in ſua ciuitate, quo ſepeliatur erit, per quem effectum eſt ne libertas totius populi uno horæ momento ſimul cum ipſa Repub. ſepeliretur. Quid ergo iuuat benefacere, quum maleficijs & ſceleribus præmia ſint opes, atque honores: beneficijs uerò dedecus, exiliũ miſeria? Non eſt ita? Audite maximũ magiſtrũ Aphricanũ. Sed ut ſis, inquit Scipio, alacrior ad defendendã tutan damq; Rempub. Nec te Naſicæ caſus terreat. Scito, non ſtatuas iſtas ueſtras, neq; magiſtratus, neq; honores, neq; poſſeſsiones, neq; diuitias, & opes eſſe uirtutis & benefactorũ mercedẽ. Hæc putãt qui per exiguã iſtam ueſtrã ſolũ curant uitã, nec de ſempiterna hac uita unquam cogitant. Illa enim omnia fluxa ſunt & caduca, quæ aut unica belli, ignis, inundationis, etiam uenti uis unicus impetus euellit & perdit, aut certè pauculi anni diſſoluunt, & abſumunt. Eſt ergo longe ſecus quàm populi uanitas arbitretur. Nam omnibus qui patrias ſuas, in extremis caſibus ac iam propè ruẽtes conſeruauerint, laborantes feſſasq; adiuuerint, exiguas tenuesq; auxerint atq; inſtruxerint opibus, dignitate, iuſtitia, pace, bonis legibus atq; inſtitutis, ijs ſua eſt certa merces, non cum laudibus S. C. non in celebri loco ſtatuæ: ſed certus ac cõſtitutus in hoc cœlo locus, in quo extra omnẽ ſortis uiciſsitudinẽ beati nõ aliquot annis, ſed æuum immortale agant cum ſumma & perpetua lætitia. Princeps enim ille mundi, qui unicus omnipotens eſt parens, primũ reliquarũ mentiũ & tanquã minorum deorũ, deinde cœlorẽ hominumq;, Atq; huius quem uidemus uniuerſi mundi uoluntate ac iuſſis illis ſuis ęternis hanc mundanã ciuitatẽ temperat, ac gubernat. Nec ulla res eſt tam exilis in hoc toto uniuerſo, cuius non ipſe curam agat, diuinæq; illi rationi, menti, legi, uoluntati, terræ, maria, uenti, cœli, mentes, homines, animantia cuncta, atq; inanima, omnia denicq; obtemperant, eius uniuerſum, hoc eſt templum & quidem natura non auſpicijs, neq; ſimilitudine. Quo circa ſancte religioſeq;, & ſacerdotũ ritu ac more uiuendum illis omnibus eſt, qui ipſum ingrediuntur, in eo toto deus ipſe eſt, id totum ipſe complet, in eo toto adoratur, & colitur. Nihilq; illi gratius iucundiusq; in terris eſt, quàm quòd homines ipſius progenies parentis, quo ad eius fieri poſsit, imitari uirtutem, atq; conſilium, deriuata ad ſe parte aliqua illius æternæ legis & gubernandæ Reip. rationis ac prouidentiæ concilia ſibi & conuentus inſtituant, coagmentent, ac uinculo illo iuſticiæ copulent. Quod omnem ſocietatem & bonam reddit, & ſtabilem continet. Hæ enim congregationes ciuitates appellantur, quæ ad exemplum diuinę huius ciuitatis, quam nos incolimus, formatæ & compoſitæ mirũ quàm principi noſtro arrideant. Atque illæ demum ſunt, quæ uel immortales, uel profecto diuturnę admodum permanent. Ii qui eas in tanta iuſtitia uel regunt uel conſeruant, non ad inferos, ut Poetarum dementia cõfinxit, populusq; magnus erroris magiſter perhibet, ſed huc reuolãt, nempe ad domicilium ſuum ueram germanamq; patriam, ex qua ad terras uelut ad exilium quoddam deiecti ſunt. Eſt enim origo noſtrorum animorum cœleſtis, non ex terra, quos procreator ille mundi ex ſua mente et diuinitate genuit. Quo circa æquius multo eſt, ut boni uiri ad ſuam originem, naturalemq; locum ingenti cum gaudio tanquam ab exilio in patriam redeant, quàm ut in alienum maximeque à ſuo remotum detrudantur, hoc eſt, longius relegentur, ſintq; à patria ſua magis extorres, quod fieri niſi cum graui dolore cruciatúque non poſſet.

Nam

Nam cum eo maiorẽ percipiãt uoluptatẽ,quo propius ad hanc ſuã patriã accedunt: profecto mœror,quo longius abceſſerint, erit grauior. Hæc quũ dixiſſet, tametſi erã ipſe cõmotus ac perturbatus,non mortis quidẽ metu,quam ſcitis me toties contem pſiſſe,ſed quod tendi mihi inſidias à meis indigne ferrem,dolebámque illos tam ſce leſta futuros mẽte, tum & exemplum in rempub.induci pernicioſiſsimũ horrebam. Facinus deniq; impium, etiamſi nec à me, nec in me concipiendũ eſſet, non poteram ſecurus audire. Venit tamen in mentem mihi patris mei,qui me genuit,rogauiq; an ipſe,an pater Paulus cæteriq;,quos nos mortuos extinctosq; dicimus,uiuerẽt. Quę re,inquit,potius an uos uiuatis. Nam nos planè uiuimus, qui tenebris illis carcere ac penè continua corporis morte dono Dei exoluti ſumus,ac liberati. Vos uerò nõ om nino quidẽ mortui,ſed nec prorſus uiui poteſtis appellari. Verũ tamen mediũ quod dam inter mortuos & uiuentes genus. Parum enim putas de uera uita detrahere ſar cinam iſtam corporis ueſtri,uos ſcire nõ poteſtis, quos illa ita premit, ut ſenſum alia rum rerũ auferat,nos qui depoſuimus,quibus ſenſus rerum omnium eſt acutior,libe rior,certior ſcimus. Quid tu,non uides uenientẽ ad te patrem tuum Æmyliũ Paulũ? dij ueſtrã fidem,illum ſimul ac conſpexi,quàm ſum uarios ob affectus lachrymatus. Videbam uirum illum qui me genuerat, qui me tam unice dilexerat, tanta cum ſan ctitate & uirtute educarat,uirum, quo fortiorem & maiore excelſioreq; animo nun quam hęc Reſpu.habuit,qui mihi fuerat pater,nutricius,Imperator,magiſter,qui me ſemper in oculis ferebat.Ille me chariſsimũ filium,quanto putatis cum gaudio,com plexus & oſculatus? Quid fles,inquit,mi Publi,an quòd ſum mortuus? At qui cernis me uiuentẽ. Compreſsi, ut potui, ſingultus & ploratũ,qui non uocẽ tantũ, uerum & rationẽ mentemq; ita turbabãt,ut nec loqui poſſem, nec quid loquerer,ſcirẽ, tum ad patrem:Ego uero,inquam, pater mi ſanctiſsime atq; optime,tibi et uitam iſtam felici tatemq; gratulor,& tecum perpetuò eſſe uellem. Deſideriũ nanq; tui diutius iam fer re non poſſum,uellem idcirco huc ad uos continuò uenire,tum ut tecum mi pater & & cum auo meo Scipione uerſarer. Tum quod noſtrisq; maioribus, ſicut de eo mo dò audiebam, iſta ueſtra ſola eſt uera,non adumbrata uita, facile mortem ipſe inue niam,quæ eſt uia,ut puto,quà huc ad uos uenitur. Eſt quidem mors, inquit ipſe, uia, ſed non quæuis,non illa uiolenta & accerſita,quam ipſe tibi obtuleris. Cæterùm illa, qua dominans ipſe & moderator mundi te ad ſe reuocarit. Si in uigilia,aut in ſpecula tione,aut in acie Lucullus te tuus Imperator locarit,auderes niſi idem iubeat,inde a bire? Non,ſic à te ſum edoctus mi pater, inquã, hoc enim eſſet rumpere diſciplinam militarem, prodere exercitum, remq; publicam. Macte uirtute, inquit: Ita à deo illo Imperatore uniuerſorum,ſuæ ſunt rebus ſingulis aſſignatæ ſtationes, duræ quidem illæ. Et enim tota uita ueſtra, grauis quædam eſt militia. Sed tamen neceſſariæ,& quas non ſine magno periculo deſeras. Sunt enim confecti & conſtituti homines ex duabus partibus diuerſis, atque adeò contrarijs, animo corporeq;. Quorum il lum habemus cognatum mentibus, naturæ ingenio aſtrorum, quorum forma & ſi interior iſta, quam uos ſpectatis, quemadmodum & cœleſtis caua eſt: exterior ta men, tumida eſt & globoſa, quæ figura ſpeciésque eſt, qua cœlos, ignésque iſtos æternos, prædítos eſſe dicimus, quos ignes ſydera uos ſtellásque appellatis, duo bus nominibus, quorum illud, amplius eſt hoc, atque capacius. Sunt enim ſtellæ omnes ſydera, ſigna uerò cœleſtia ſingula, ſingulæ ſtellæ non ſunt. Sydera ſunt, quæ omnia ex puriſsima ætheris parte Deus ille mundi ſolertiſsimus effector procreauit, quæ nihil habent aduentitiũ atq; alienum admiſtũ,calidaq; ſunt & perlucida,ignesq; illi uitales & ſalutares conſortes mentis & diuinitatis. Id circo ut illa non ceſſant mi care,agitariq;,& perpetuò uiuere, neq; extinguuntur, uel intermoriuntur: ita nec a nimus noſter interquieſcit unquam. Quin dies & noctes ſiue uigilante corpore, ſiue dormiente,ipſe continenter aliquid cogitet, meditetur,moliatur, agat,nec uiciſſitu dines illas ſentiat uel requirat,laboris requietisq;, quando quidẽ nec eget quiete, cu ius actuoſa uita eſt, alimentum & cibus opus, motusq;. Mors autem eſſet ei ceſſare, ſed nec ceſſabit unquam,neq; extinguetur,et tandiu futurus eſt quandiu gens illa,ex

qua ipſe eſt aſtrorum ſyderumq; uiuet, uigebit, curſus orbesq; ſuos celeritate illa ſua conficiet, quod ſine dubio æternũ futurũ eſt. Altera hominis pars longe diuerſi generis ingenijq; grauis, moleſta, pigra, tarda, de terra ſumpta, & prouidæ terræ ſimillima, quæ toties intermoritur, toties reſurgit, toties illuſtratur, toties obſcuratur, planè carcer quidam, & uincula animis ueſtris circundata: qui animi ideo hinc ad terram delapſi ſunt, definito unicuiq; & certo temporis curriculo in ea morantur, ut imperante domino illo & autore huius uniuerſitatis excolãt, tueantẽ terrã ipſam, nec obſoleſcere & ſitu carieq; cõtegi patiantur. Quæ terra in hac uniuerſi orbis hominum deorumq; cõmuni ciuitate, ſeu potius templo, nam omnia ſunt ſacra, media ſita eſt. Itaq; ignis ille animorũ de cœleſti deciſus cõſeruat, alit, auget, ſuſtentat ueſtra corpora, uitaq; afficit & ſenſu. Siue igitur miſsi ſunt animi noſtri in corpora, tanquã legati ad munus aliquod peragendũ, ſiue tanquã milites ad cuſtodiendũ & præſidendũ loco alicui, ſiue tanquã ſerui in uincula ergaſtuli coniecti & detruſi, manendũ ibi eſt, nec uoluntariò abeundũ, nec fugiendũ, neu perfringenda uincula, ſed expectandũ quoad uel reuoceris uel à magiſtratu illo & legitima poteſtate emittaris eximarisq;. Ne uel tanquã legatus, qui delegatũ munus cõtempſerit, uel miles qui locũ et ſtationem deſeruerit, uel fugitiuus, quod omniũ miſerrimũ eſt, ingentia ſupplicia luas, proq; loco illo quẽ turpiter ſiue dereliquiſti, ſiue refugiſti, ſiue uitaſti, in aliũ trudaris (quod omen princeps auertat mundi) acerbiorẽ, in quo des æternas ſceleris tui pœnas. Et dum uitã per uoluntariã corporis mortẽ quæris, in aliã incidas mortem ipſius animi quamlibet immortalis. Sempiternus nanq; apud inferos cruciatus, non is tibi ſatis magna uidetur animi mors? Quæ quũ ita ſint, deſine de uia illa cogitare mi Publi, quæ nõ huc ducit in deorũ conciliũ, ſed præcipitẽ agit ingredientẽ in tenebras locumq; tetrũ, calamito ſum, horribilẽ. Perſta in loco tibi à Deo cõſignato, neu cõtumaciter quicquã, neu ſegniter egeris, ac negligenter, ſed quàm poteris optima fide, atq; induſtria officiũ tibi demandatũ exequere. Ac interim dum agis iſtic, in copula, & tanquã nodo humanæ ſocietatis coniunctionisq; iuſticia, qua eximia uirtute tota Reſpublica continetur, quæq; uiuendi diſciplinam mortales edocuit, te exerce: & ex ea, in illa præcipua eius ſeu parte, ſeu ſocia & comite pietate, quæ magna quidẽ eſt erga parentes atque amicos, ſed multo profectò erga patriam maxima. Patria enim & parentes ipſos & amicos, & uniuerſos ciues complectitur comprehenditq;, nec ſolum eos qui in præſentia ſunt, uerum & poſteros quoque, eaq; una omnes omnium charitates pietatesq; continet. Ita ut de noſtris ſanctiſsimis ueteribus fuerint, qui filios ſuos pro patria occiderent, aliſq; ſeipſos certis uerbis deuouerẽt. Illos tu igitur in diligenda patria, in omni etiam iuſtitia imitare, quanquam nihil opus eſt domũ exeas, ut quos imiteris quæras, domeſticis enim abũdas exemplis. Scis quanta continẽtia, quãta æquitate, quanta animi moderatione fuerit auus hic tuus, ut maluerit in exiliũ ſua ſponte Linthernum ire, quàm patriam turbare, & cõcitare. Ego uerò fili quid fecerim, tu ipſe cõſcius & teſtis es. Ex Macedonica Gaza Perſa deuicto, quum ita Vrbem atq; ærariũ repleſſem, ut ab eo tempore tributũ ſolui deſitũ ſit, quid inde in domũ penatesq; noſtros, præter nomen gloriamq; deriuauimus? Ex auctione meorũ omniũ bonorũ uix redactum eſt, unde dos uxori meæ redderetur. Duorum tuorum fratrum intra ſeptẽ dies mortem, quod pro patria inuidiæ fortunæ obiecti uidebãtur, quanto animo tulerim, quid opus eſt dicere? quum ipſe tu totusq; ſenatus & Pop. noſter tam probe ſciatis. His auus tuus, his ego uirtutibus, his alij, quum ex cæteris gentibus populisq; permulti, tum uerò ex Romano quàm plurimi, in hoc noſtrum unde deceſſeramus domiciliũ rediuimus. Hæc una nõ honores, non opes, nõ uani plauſus, non ſuperbia & faſtus eſt huc uia: in has ſedes, eorũ qui uita iſta ueſtra optime & innocentiſsime peracta, nunc uerè & beatiſsimè uiuunt, illumq; inhabitant circum, quem uides, fulgentiſsimum inter aſtra illa flammasq; cœleſtes: qui quoniam eſt ſtellarum refertiſsimus, ideo tam inſigni eſt præter cæteros ſplendore, nec mente ſolum cogitationeq; capitur, & comprehenditur, ut illi paralleli, ut ſignifer, ut Orizon, ſed oculorum ſenſu percipitur & notatur. Cuius latitudo ab eo profecta ſydere, quam uos Caſsiopeiam

dicitis

dicitis,ad caudam illius,quem Scorpium pertingit,longitudinem plerique à circulo eum boreali ad terminos tantum australes ambire rentur. Sed totum re uera circuit, cingitq; cœlum,non satis tamen uobis conspicuus,quoniam procul à sedibus abscedit uestris,quum in australes illos borealesq; se tractus immergit,γαλαξίαν Græci,Latini lacteum orbem à fulgore dicunt,tam denso ut lactis prę se speciem ferat.Quin et more illius gentis, ne nihil sit fabulis maculatum & fœdatum, commentum tradunt Iunonem Mercurio infanti insciam,quis esset, lac præbuisse, quem quum è Maia natum resciscet,subtraxissetq; subitò mammam,effudisse inter astra multum de lacte ubertim defluente,idq; esse illius uestigium quod uos serenis noctibus spectatis. Alij non Mercurio,sed Herculi fabulam attribuerũt,qui quum è Iunonis nouercæ mamma auidius sugeret,non capiente infantili ore tantum lactis in cœlum decidisse,quantum à nobis nunc cernitur.Sunt qui de Rhea & Ioue,nescio quæ, referãt. Sed ea omnia ociosis,ut puto,sunt auribus conficta. Quid mirum eiusmodi esse ab ijs inuenta, quorum totum erat studium uanitati & stultitiæ multitudinis seruire. Quum plerique philosophi,etiam de grauissimis,parum scite de eo ipso circulo diffinierint.Pythagorici nanq; uiam illam existimarunt esse,quã incendit errore suo Phaëton Solis filius. Primum rem afferunt commentitiam, tantisq; philosophis indignam. Deinde ut in gratiam illorum totam illam Phaëtontis fabulam ueram esse fingamus,si solis currus usq; adeò partem illam, qua aberrauit ualuit incendere orbita illa, qua Sol perpetuo per duodecim signiferi commeat signa,quamobrẽ non multo est incensior, multoq; candidior? Anaxagorici uerò & Democritici, ea quæ Sol splendore suo collustrat astra fulgentia micantiaq; esse perhibent, quæ secus, hæc uelut concretum obtinere lumen & ceu lacteum quẽdam nitorem,qui est stellis omnib. propius,idcirco quem cœli tractum obiectu terrenæ umbræ Sol non aspicit,eum ita lacteum per noctem à nobis conspici. Verùm id quomodo fieri possit,non uideo. Tum quod terræ umbra supra eum non extenditur,quem Mercurium dicitis.Tum quod mutatio sole circulum ipsum lacteum aliò transferri necesse esset. Non sunt ergo hæ quas illi attulerũt, tam lactei splendoris causæ, sed ea cuius paulò antè memini, quod scilicet densissima sint eo loco minorum agmina stellarum.Hęc ille quidem dixit,ego uerò in eo mè quũ statuissem loco,cœpi & circumspectare & despectare singula,faciesq; ipsa mundi,tum demum mihi pulcherrima uisa est,& meritò iudicaui κόσμον à Gręcis dictum, quasi ornatum & elegantem,à nobis mundum,quasi lautum,purum, nitidumq;. Nihil erat obtutui meo,tanquam obex oppositus,non mons,non syluæ,& nemora,non nebula uel caligo, non terra ipsa, quæ exiguitate sua impedimento mihi neutiquam erat, quo minus ex illo excelso loco aduersum illum australem uerticẽ despectarem, omnia mihi erant exposita & patefacta.Itaq; eas stellas uidi, & quæ in inferiore hemisphærio fixæ conspici à nobis è terra non possunt, & quas etiam in superiore illo hebes noster obtutus nõ cernit.Quum sint ipsæ uel quæ à nobis existimantur minimę, incredibili magnitudine & uastitate. Quis enim fuisset unquã suspicatus, minimam illarum omnium stellarum maiorem esse hac tota nostra, quam tot gentes populiq; incolunt,terra? At qui ita esse illic perspexi, risiq;,ut alijs plerisq; in rebus:ita & in ea ipsa Epicurũ,qui solem stellasq; non multo quàm uideantur maiores esse uoluit, & ipsa terra perexigua mihi perq; angusta uisa est.Adeò, ut pœniteret,pigeretq; me maiores nostros,nosq; ipsos propter rei tam angustæ angustissimam tenuissimamq; partem,tot bella suscepisse,tot tumultus,labores,ærumnas perpessos esse.Hæc mecũ reputans contemplabar terram,conijciebam oculos in Italiam,in Siciliam,Hispaniam, Aphricam,minorem Asiam,Illyrium,Græciam : quas ego uix in terra discernere poteram,quæ exilia puncta tot nobis mala peperissent,uidebamq; omnia non fuisse uel minimo bello,ex ijs quę gessimus,digna.Tum Aphricanus:Mi Scipio,inquit,etiamnum te illa humana despicatissima tenẽt, & ad se retrahũt? nec reputas tecum, quem in locum ueneris,in quæ tam ampla tamq; magnifica et augusta templa adductus sis, quæ nemo potest incolere, nisi sacris bonæ mentis & erectæ, illaq; uilia despicientis sit initiatus. Hic omnia sunt sacra, tu prophana illa adhuc spectas, ad illa fereris?

An non cõsideras,quibus ex rebus sancta hęc mundi domicilia cõstent,delubrumq́ hoc ex uniuersitatis natura compactum,quod totum Deus ipse progenitor eius dominúsq́ replet,in quo toto sacra illi & ceremoniæ perpetuę ac sempiternę fiunt. En tibi omnia tanquam corpus unum ex nouem cõposita & connexa sunt orbibus,seu ut aptius dicam,ex nouẽ sphæris siue globis. Latinè enim sic uocant qui formã hanc rotundã sortiti sunt,tanquã sibi cum primis decoram & cõgruam. Siquidẽ ea sola figuras omnes cõtinet,nihilq́ habet asperitatis,nihil offensionis,nihil inclusum anguli,nihil anfractibus,nihil eminens,nihil lacunosum. Neq́ hanc æqualitatem motus, cõstantiamq́ ordinum in alia forma facile seruare posset. Primus est ille supremus nidus,ut ita dicam,totius naturæ rerum, atq́ adeò natura ipsa,extra quem nihil omnino,intra quem sunt uniuersa,quæ ipse circunflexu & ambitu suo tegit,atq́ fouet,magnum & uenerandũ numẽ,tot stellis,hoc est animis,mentibusq́ diuinis atq́ immortalibus ornatum & aptum,quod motu suo cæteros secum rapit & circũagit globos, uicissitudines diei noctisq́ ostendit,sparsam orbe toto naturã moderatur,ac temperat,uirtute illa sua immensa atq́ admirabili per uniuersitatem orbis diffusa, & singulis rerum pro suo cuiq́ captu distributa,in eo & cum eo torquentẽ,uertunturq́ syderа illa inerrantia, & fixa cursu æterno,nec quiescũt unquam. Quando ea est illorum ignium uis & natura,ut in uigore,motu,actione uiuant,extinguanturq́ si torpeãt,si cessent,si uel momentũ temporis resistant. Ab hoc summo globo,quem et mundum & cœlum uocant,septem illi cõprehensi sunt,qui quanquam illa insuperabili cœli ui quotidie rapiuntur,in occidentemq́ ex oriente supra uos,sub uobis ex occidente in orientem cõtorquentur & cõuoluuntur,suis tamen quisq́ passibus,progressibusq́ longè diuersa atq́ adeò cõtraria itinera spaciaq́ conficiũt:uidelicet supra uos ab occasu in ortum,sub uobis ab hoc in illum,errantesq́ à nobis eæ dicuntur stellæ,quoniam è Græco uertimus planetas, quum nihil minus agant,quàm errare. Certi sunt enim illarum syderum meatus definitaq́ lege & ratione cõprehensi, uerum errant,id est uagantur. Quod quum singula statis suis temporibus aliâs recedant,aliâs antecedant,aliâs abeant,aliâs subsequantur,aliâs celerius moueantur,aliàs tardius, aliâs ne moueri quidem,sed ad quoddam tempus insistere uideantur,fit ut tum inter sese coeant,tum se obliquè respectẽt,tum à se longis interuallis dissita et disiuncta sint. quis ipsorũ mos & modus causam Græcis,nobisq́ ea uocandi errantia præbuit:quorum altissimum, eamq́ ob causam minimũ uidetur illud.,quum sit ingenti mole,etiam aliis collatũ,quod Saturni esse uos mortales dicitis. Talia enim nomina nos hîc in cœlo nõ noscimus,sed feriata Græcorum leuitas,non cõtenta templa illa uestra marmorea eiusmodi impijs fœdasse & cõspurcasse deliramẽtis,etiam hæc in nostra cœlestia uoluit penetrare,ne quid illa non cõtaminaret insania. Neq́ uel Saturnus ille rex Cretæ,neq́ eius impius in patrem filius Iupiter, neq́ cruentus & crudelis Mars,neq́ turpe illud scortũ Venus,neq́ Mercurius ille fur,nec quis alius ex cœtu illo facinorosorum & conscelleratorũ hominũ, non dico stellæ non sunt, neq́ enim possunt,quum hæ sempiternis fuerint seculis,illi paulò ante excidium Troię uixerint,sed nec in has beatorum sedes cõscendere,ad quæ nisi optimis & innocentissimis uiris aditus nulli patet. Quòd si quis ueteres illos,et ut noster Ennius solebat appellare Cascos,tum nostros,tum Græcos aliquid nominibus illis intelligi uoluisse crediderit,quod uulgus imperitum ignoret,ut Panætius tuus reliquiq́ Stoici arbitrantur,libens eam priscis hominibus sapientiam in gratiam nostrorum maiorum tribui patiar:ita ut sit stella illa Saturnus,quasi saturans se annis,uel quòd inter uaga sydera plurimos ipse consumit annos, anteq́ cursus orbesq́ peragit suos,triginta uidelicet. Vel quòd ipsum esse uoluerunt,qui rationes temporum contineret. Idcirco κρόνον esse dictum,quasi χρόνον. Ex se ergo natos annos uorat, quia consumit ætas temporum spacia, annisq́ præteritis insaturabiliter expletur:φαῦνον quoq́ à Græcis uocatur,hoc est apparens, quod mirabiliter se aperiat atque occultet, modò antecedendo, modò retardando, modò uerspertinis temporibus delitescendo, modò matutinis rursus se ostendendo, nec pauciorĩbus per singulos annos diebus triginta nobis se subducit, nec pluribus

ribus quadraginta: cuius candidus est fulgor liuore admisto, gelidæ ac rigentis naturæ, iratæ atque infestæ terris, & corporibus humanis. Hunc sequitur Iouis, ut populus existimat, siue Saturno & Ope genitus Cretensis ille, siue Arcas ille patre Æthere, siue alius Arcas item patre Cœlo, qui Athenis regnauit, populósq; illos simulacra deis ponere docuit. Quorum nullius est stella illa, quam Iuppitrem multi uocant, quasi iuuantem patrem. Et utrunque enim est Iuppiter & Iouis, hinc sui sunt utriq; casus. Est enim haud dubie sydus illud iuuans pater, claro illo splendore benignum, amicũq; generi humano: duodecim annis percurrit spacia, uiamq; ex æterna lege rectoris omnium præstitutã. φαέθων à Græcis hæc stella quasi lucens dicitur, addunt q; fabulatores illi hunc fuisse pulcherrimum omnium eorum hominum, quos Prometheus de luto finxerit, idcirco immortalitate esse donatum. Solis filiũ alij perhibẽt, qui insciria aurigationis de curru delapsus incẽderit maria & terras. Post hunc est rutilus ille atque igneus, uiolentusq; Mauors, quasi magna uertens: inde elisis aliquot litteris Mars, & Marspiter uocatus: qui præsidere ui atque ardore suo bellis creditur, nec sine ratione magna uertens nominatur. Quę nanq; res maiora uertit & commutat quàm bellũ? Quid quòd nullius syderis minus est obseruabilis cursus, quàm istius? Et bello profectò est aliquid magis uarium, anceps, lubricum, præceps? Herculis esse nonnulli hoc astrum dicunt, quòd ille bellis, uiolentijs, raptibus, direptionibus, latrocinijs, & alijs quæ bellum fieri gaudet, multum delectatus fuerit, multũ infestarit orbem. Qui quum talis fuerit, quis nisi & ipse cum illo eodem Hercule insaniat, in hæc sanctissima domicilia & innoxiorum hominum sedes peruenisse credat. Neque enim per cruorem stragemq; generis humani ascenditur in cœlum, quum humanitas benignitasq; sola pene sit in hunc locum uia. Quocirca mihi maximè uersus illi displicent, quibus me loquentem Ennius facit:

Si fas cædendo mortalia scandere cuiquam,
Mi soli cœli maxima porta patet.

Quanquam non insciтè per conditionem quandam et ueluti addubitationem est locutus, nõ multo secus ac si diceret. Si latrocinando, si leges omnes iuraq; & humana et diuina polluendo peruertendoq;, fas est cuiquam cœlestia scandere: quî nanq; fieri potest, ut officio illo suo hominũ generi à Deo commisso & mandato, is rectè fungatur homo, cuius facta quàm longissime ab humanitate, hoc est à natura ipsa hominum, distent. Inducti sunt in mundũ homines, ut alijs alij prosint, opemq; et auxilium indigẽtibus ferant. Quomodo igitur potest uel homo esse is, qui tam multos lædit? uel non esse crudelis fera, cui est cum tanta humanæ gentis parte susceptum bellum, quiq; illi per magnã attulit iacturã clademq;? Neq; uerò ipse tam multa Carthaginensium millia occidi: sed cum patriã tueri ac seruare conor, illi cæci atq; furentes in mortem irruerunt, ut nocerent. Nihil enim mihi magis erat in uotis, quàm illos omnes, ad saniorẽ præsertim reductos mentem, cõseruare: sed ipsi in mucronẽ gladij mei, quem pro patria tanquã murum opposuerã, neq; enim alius proderat murus, ira atq; odio dementati se coniecerunt. Cæterum ad stellam redeo, πυρόεις hæc stella à Græcis nominatur, quod exiguo corpore non dissimilis sit flammæ, ex cuius nimio ardore Saturniq; frigiditate Iuppiter ille eis interiectus temperatur, fitq; usq; adeò mitis, mansuetus, beneficus Deus. Situs est in medio stellarum erantium loco, sanctus ipse Sol, cuius permagnam uoluit pater ille uniuersitatis in tota natura uim esse et potestatem. De quo astro nunquam possent pro dignitate satis multa dici. Accendit enim Deus ille summus solem, tanquam facem, non mortalibus tantum, sed uniuerso etiam mundo, ipsisq; adeò syderibus cunctis. Omnia enim ab eo lumen mutuantur, etiam quæ ex sese lumine non carent. Ipseq; Sol uelut ductare uidetur choream hanc cœlestem, ac moderari regereq; hæc diuina lumina. Etenim tanquam præfectus mundi, terras, elementa, cœlos, tempora gubernat & tuetur. Ab eo uicissitudines istæ dierum & noctium, hyemis æstatisq;, caloris, frigoris, frondium, florum, fructuum, mensium, annorum proficiscuntur. Hunc sapientissimi uiri meritò mundi esse animum, seu uerius mentem affirmarũt, omnia exaudientem, omnia intuentem, prouidentẽ omnia,

& lumine caloreq; illo ſuo maſculo & ſaluberrimo uniuerſę rerum naturæ conſulen tem. Ita ut nõnulli ex Græcis philoſophis nõ aliam ob cauſam inductos eſſe in mundum mortales cenſuerint, quàm ut ſolem admirandum Dei opus intueantur, & contemplentur. Falſo quidem, ſed tamen ſic opinati ſunt ex admiratione ſyderis. Sol dictus eſt à nobis, uel quia ſolus ex omnibus ſyderibus eſt tantus, uel quia quum eſt ortus, obſcuratis omnibus ſolus extat & apparet. Græci multis uariſq; eum nominibus nuncupant. Eſt enim Delius, quod omnia δῆλα, hoc eſt aperta & manifeſta ſuo lumine et ſplendore faciat: et Phœbus, quod omnia φοιβᾷ, hoc eſt purget: et Nomius, quod uniuerſa νεμῇ, hoc eſt uel paſcat, uel ſuis certis temporibus diſtribuat: & Velios apud Mileſios, quod omnia ἀλῇ, hoc eſt ſanet. Huic noſtræ Veſtales indigetant. Apollo medice. Sed Apollo, quod frequentius apud illos eſt, nominatur uariſs de cauſis, tum à iactu radiorum, quæ iacula illi confingunt eſſe, tum à pernicie, quam in peſte affert animantibus. Ex tuis Stoicis ſunt qui putent ἀπόλλωνα nominatum, quaſi non plures ipſe, uel aliį ſimiles ſint, ſed unus ſolummodo, ex quo fonte perhibent nonnulli à nobis eſſe ſolem dictũ. Sub Sole Venus eſt non Cypria illa è ſpuma procreata, flagitioſum & probroſum ſcortum, nec illa è Cœlo & Die nata, nec ex Ioue & Dione progenita, nec Syria Cirthóq; concepta, quæ dicitur Aſtarte. Ex quibus quæ fuerit peſsima, deliberari non poteſt, omnes (ut puto) fuerunt nequitia & flagitio pares. Sed cœleſtis illa hominum & diuũm uoluptas, quæ diurno exortu genitalem illum ſpargit rorem, quo non terrarum modò cõceptus implet, ſed animantium quoque ſtimulet. Ideóq; etiam alma, ab alendo nuncupata. Conſpicua magnitudine & luce: ita ut ad ſerum Lunæ, ad matutinum Solis æmula ſit. Sequitur enim occidentẽ Solem, & tunc Veſperus uocatur, ut dicit familiaris noſter Ennius, ut Plautus Veſperugo. Peruertit Solem orientem tunc Lucifer à nobis, à Græcis φώσφορος. Claritas in hoc eſt tanta, ut unius huius ſtellæ luce umbræ reddantur, quæ fulgori emergentis Solis aliquandiu conſpicua non cedat: neq; is nitor eiuſdem eſt & ad ueſperum coloris & ad mane. Matutinus nanq; eſt candens, & gratiſsimo refulgens albore, Veſpertinus eſt rutilus, taliſq; conſpicitur, quoniam diurno Solis feruore aer ille ueſter incenſus eſt. Græci aſtrum hoc aliį Iſidi, aliį Iunoni dederunt, aliį Veneri. Sunt qui nõ Venerem uelint eſſe. Cæterùm quendã Auroręt Cephali filium qui de forma cum Venere certauit. Sed ſatis erat à ſeriis negociis Græculis illis ociį, quum hæc cõminiſcerentur. Proximum Veneri eſt ſydus, ut uos dicitis Mercurij. Nos Mercurium illum ex Maiæ ſtupro genitum paleſtræ inſtitutorem, furtorum deum, nunquam hîc uidimus. Neque enim furtis fauent diį. Minus eum cui Cœlum fuit pater, Dies mater, quo quid dici poteſt obſcœnius? Nec impoſtorem hominum Triphonium, Valentis et Pherondis filium, Græci ſtellam hanc Stilbontem nominant: bene illi quidem, ſi modò à lucendo uel ſplendendo dictam putant. Sin uerò hunc è Dionyſio et Proſerpina productum uolunt, illum, qui in Nyſa recens à patre cõdita educatus ſit, tale eſt hoc qualia reliqua, ineptũ ſcilicet & puerile. Paruum eſt hoc aſtrum ſi cum Lucifero componatur, acuto & radiante lumine, uerſatili ingenio atque natura. qualiſcunq; enim fuerit comes quem nanciſcitur, tale & ipſum cõtinuò redditur. Ea res locum aperuit fingendi nuncium eſſe Mercurium miniſtrumq; deorum, quando eorum uiribus poteſtatiq; obſequitur. Atq; hæc quidem duo ſydera Mercurij & Heſperi ita comitantur Solem, ut quum tria reliqua interdum quarta, interdũ tertia ſigniferi circi parte, interdũ ſignis ſex, hoc eſt, medio ſignifero, partibus ue centenis octogenis à ſole abſcedãt. Veſperus uerò, nunq; pluribus ſenis, quadrageniſq;, hoc eſt ſigno & medio. Sunt qui plures huic cumulo partes addant, ſed nulli duo ſigna excedunt, ne attingunt quidẽ integra. Mercurius modò ſeptẽ et uiginti: ut quum occidentalis eſt in Leone, modò duodetriginta, ut oriẽtalis in Capricorno, in quo ipſi altiſsima abſis eſt, nunquã longius partib. triginta, id eſt ſigno uno ſeſe abducit, tum anteuertens, tum ſubſequens. Tantáq; hæc Solis uicinitas ab incurſu turbinis terrenæ illius umbræ Mercuriũ tuetur. Itaq; deficere nulla ratione poteſt. Siquidem ſol in aduerſam ſibi partem terræ umbram ſemper iaculatur: qua in parte nunquam Mercurius

curius inuenietur comes perpetuus solis et assectator. Vltima ex syderibus est Luna, instabilitate & mutatione perpetua sua penè monstro similis, à lucendo appellata. Eadem enim est Lucina, & Diana: quòd noctes quasi dies efficiat. Nam in remedium tenebrarum ab architecto mundi Deo inuenta est, quæ ex se nihil omnino lucis habet. Solida moles est densaq; admodum, sed læuis tota, æquabilis tersa. Quo fit ut uibratum in se splendorem, quoniam asperitatis nihil habet ubi hærere queat, totum refundat ac reuibret: quemadmodum in gladijs armisq; prænitentibus uidetis fieri. Accipit igitur, quicquid blandæ illius, & fœmineæ lucis ad nos transmittit à fratre suo sole. Hauriunt quidem & reliqua omnia sydera lumen ab hoc luminis copioso, puro, perenni fonte, sed non id totum quod habent. Luna uerò totum, nam ex se obscura est, quod uobis à terra sereno cœlo recentiq; luna attentius spectantibus cognitu perdifficile non est. Quumq; impari celeritate Sol & Luna meent, cum Luna Soli subijcitur, tum præuertens paulùm ab eo seponitur, tum aduersa illi est, tum sequens ad coitum redit, qui cursus Lunam tam multiformem mortalibus ostendit. Nam quum coëunt, Lunaq; silet, ea ipsius facies quæ uobis conspicua est, non illustratur, illa tota nitet, quam nos hinc intuemur, ut quintodecimo hinc die, quum è regione opposita aduersaq; omnino soli est, signisq; ab eo sex distat. Cœlestis facies obscura est, terrestris tota fulget. Interlunium porrò maius nunquam est duobus diebus. Tertio die nouam, formosamq; faciẽ ostendit terris, idq; ab occasu solis, nec unquam illa nocte integram horam sese fruendam præbet, quantumq; tunc uobis illuxit, tantum in singulos dies sibi ad moram uobis cum addit, usq; dum plena est: ita ut interim nascentis adiuuet solis lucem ex pleno suo orbe cõtrarijs gradibus, illis quibus uenerat, ad coniunctionem solis regreditur. Vnde fit ut cornua crescentis orientem, occidentem decrescentis spectent: auersa uidelicet à sole semper. Huius enim splendor in quam partem Lunæ incurrit, totam eam semicirculo maiorem ita collustrat, ut contingere se coni uideantur. Incidit enim lux ingentis globi in multo minorem. In altera uerò portio illustrata metas suas iacit, effigiemq; cornuum reddit, uulgoq; sic appellatis, intra quæ lux illa non penetrauit, quæ cornua, quum nulla putatis esse tunc nos uidemus. Neq; enim ullum tempus est, ac ne horæ quidem momẽtum, quo Luna omnes eas facies, quas uobis intra quindecim dies profert, non retineat, simul & corniculata, & æqua portione facta, & dimidio maior, & plena est, sed uarie uarijs in locis: nisi dum mucro terrestris umbræ in eam ingruit. Quo tempore, ut Sulpitius Gallus cõmilito in Macedonia tuus, patre hoc tuo Imperatore uos docuit, laborat, lumenq; amittit. Quo magis miror fuisse, non qui hæsitarint modò, uerũ & qui affirmarint, Lunam terra maiorem esse, quum tota ipsa Luna terrestris umbræ inuerso turbine, etiam tam procul extenso, quũ is quo longius abeat, hoc arctior atq; acutior fiat, comprehẽdatur. Hoc est igitur sydus, quod quum sit remotissimum à cœlo mortalibus caducisq; rebus proximum, minus de uirtute illa & præstantia diuinitatis sortitũ est. Ideo nec lucẽ ex se ipsa habet ullã, & qua beneficio solis ornatur, & instruitur, maleficio umbræ illius tenebrarũq; spoliatur et orbatur. Infra Lunam omnia sunt fluxa, decidua, senio, morbis, uitijs, casibus, mortiq; exposita atq; obuia. Nec natura eorũ etiã si externa uis abesset, sineret illa esse admodũ diuturna, ne dum sempiterna. Sunt enim ea cõditione ac lege progenita, ut suis statutis certisq; temporibus, uitã illam suã, tanquam mutuũ deponant, & ei quæ credidit naturæ reddant atq; soluant. Soli humani animi, quoniã de mente illa æterni Dei desumpti sunt, etiã æternũ perdurãt, & uiuũt, nõ minus quàm ignes hi cœlestes, quorũ gente et agnatione tenentur. Neq; enim fas est, nec unquã erit, partem aliquã diuinæ mentis & naturę interire. Essent em̃ hi omnes cœli, omnia hæc astra in luctu, si quis ex gẽte & familia sua extingueretur. At in hoc cœlesti templo, nõ modò perire nihil, sed neq; mœror, neq; planctus, neq; lachrymæ, neq; affectus ullus tristis excitari potest. Hæc in terris sunt multa, & uaria, & perpetua: huc nemo uenit nisi purgatus earũ rerũ, nõ tantũ uolũtate, uerum facultate etiã ac potestate. Ecce tibi sedes & templa nostra, in quibus geniti sumus, ad quę uirtute duce remeamus. Hæc quũ molitor ille ac fabricator tanti operis,

coniungere

coniungere connectereq; cum terrena soliditate uellet,nullũ inuenire potuit aptius uinculũ, quàm id quod proportione quadã ex se atq; ex ijs quæ copulat,unũ efficit. Tunc enim demum perficitur,ut coniunctio ac cõstructura dissolui haudquaquam facile possit. Quumq; unicum medium inter tam diuersa extrema quæ coagmentari cohærereq; deberent,nullam satis congruam proportionem obtinere posset,duo sunt media quæsita, & interiecta,aer & aqua,tam commodè inter se apta & commista,ut si ex hoc loco in terram descendas,totum istud interuallũ unum dicas esse corpus,quod sensim fit terra. Si ex terra huc ascendas unum putes esse corpus,quod sensim fit cœlum,usque adeò nihil ex abrupto cum alterius dissidente natura compingitur,& cõponitur. Suprema enim aeris pars raptu feruoreq; cœlorũ inflammata, cœlum adhuc uidetur,sed degenerans & tanquã nothum. Media non omnino ignis existimabitur,sed neq; nebula prorsus,caligoq; infima densitate sua aquæ simillima sit. Extima porrò aquæ facies aer potius habeat,quàm terra. Aquæ illa pars,quæ terram attingit & lambit,sic lutum est,ut citius terra uideatur quàm aqua. Hæc est mundanæ uniuersitatis atificiosa structura, callidissima & ueneranda machina. Nouem sunt globi,cœlestes octo,terrenus est nonus,aqua et aer & hic proximus cœlo ignis, qui spirabilis naturæ pars est,sed incensa & ardens media siue uincula sunt cœlorum atq; terræ. Quæ mediũ locum totius mundi occupauit & insedit, qui in rotunda forma infimus est,quum ambitus sit supremus: quacunq; enim ex parte terrã spectes, humillima omniũ est. Cœli semper sunt excelsi,sublimes,summi. Idcirco undiq; ex omni mundi parte res leues euolant assurguntq; in cœlum,pondera uerò suapte nutu ad terram præcipitantur ac detruduntur, & utrunq; lineis rectis, paribus angulis. Neq; enim per latera terræ altrinsecus grauia deferũtur,alioqui uel ad cœlum usque peruenirẽt,uel pensilia aere hoc medio subsisterẽt, quod fieri nequit. At uerò moles ipsa terræ in medio naturæ locata,sempiterna quiete torpet. Nam moueri eam uel antè uel ponè, uel ad læuam uel ad dextrã, uel ad id quod uobis uidetur,sursum,uel deorsum,ingenium mundi non sinit: quia quoquò uersum inclinaret,ascenderet. At in se torqueri & reuolui parum cõuenit,quoniam uestigia hominũ cæterorumq; animantium consistere in illa continua uertigine firmariq; non ualerent. Hæc mihi profectò omnia usq; adeò magna mirabilia q; uisa sunt,ut stupens & attonitus mei obliuiscerer,dum ea contemplor. Quum ergo hæc dixisset Aphricanus,paulumq; institisset,ego uelut eius excitatus silentio ac quiete: Scitis enim quibus ex tranquillitate & contiscentia obrepserit uel somnus, uel stupor,eos sonitu aliquo solere expergefieri,quibus ex strepitu ac murmure eos expergiscì,si is strepitus conquieuerit. Quum igitur ex altissima illa admiratione ad me redijssem,audissemq; concentum, cum quo nullus ex nostris istis mortalibus siue magnitudine,siue suauitate cõparari ulla in parte potest. Rogaui,quis nam esset is sonus? Hic est,inquit Aphricanus, qui ex motu confrictuq; cœlestiũ corporum excitat. Rerum enim ipsa natura fert,ut omnia quum agitantur ac sese contingũt corpora,sonitum emittãt,siue ea dura sint densaq; & compacta,uelut ferrea,aurea,argẽtea,terrea,saxea,lignea: siue mollia,rarãq;,uelut aquea,aerea. Quòd si illud usu uestris in prętenuibus,perq; exiguis cõsueuit molibus cõtingere,quanto magis ex istis tantis magnitudinib. sonus incredibilis reddetur. Tanto profectò maior,quanto hæc & maiora sunt,& celerius q; illa agitant,maioreq; sese atterũt ui. At soni isti,quum à diuinis corporibus oriant,optimaq; diuina atque immortali naturę parte absurdos esse,horridos, tetros, incõpositos,inconditos, inconcinnos,existimare fas non est,quum de crepitaculis,crotalis,cymbalis, fidibus uestris dulcissimi concentus oriantur. Nanque maximus ille uniuersitatis huius autor & ædificator inferiora ista uestra abiectissima & despicatissima numeris quæq; suis quum distinxerit,suauiq; consonantia & harmonia, uti Græci dicunt, instruxerit & decorauerit,pulcherrimas istas moles immortalibusq; & diuinis mentibus animatas sine harmonia, sine cõcentu, sine cõpositione illa cum recta & undiq; secum cõsentiente numerorũ proportione reliquerit. Quum ne corpora quidẽ uestra,quæ ex terra uinculisq; temerè agitatis & caducis cõflata & cõcreta sunt cõcentu hoc ca

rere

rere posſint.Admirabilis enim cõcinentia eſt in corde,pulmone,cerebro,oculis,neruis,uenis,omnibus deniq; membris corporis & partibus. Quanquam conſonantia hæc ab animo in corpus demanat.Quod uel ex eo manifeſtum apertúmq; eſt,quod in cadauere totus hic concentus & tam apta ſibi numerorum iunctio & cõſtructura extincta prorſus atque diſſoluta conſpicitur. At qui animus ex hoc ſuo domicilio in terram corporáq; hominũ deturbatus ac depreſſus, & muſicos motus certa ratione numeroq;,quos,hinc ſecum detulit,ſeruat,in corpúsq; transfundit,& muſicis cantibus ita exhilaratur,atq; excitatur,ut memor domus ortúsq; ſui,ad eum ſe redire exiſtimet. Quod uehementius faciunt pueri,qui quum recentes hinc diſceſſerint melodiam & concentũ ſupra modum attenti auſcultant admirantúrq;. Nam quum ſimile quiddam illis ſonis percipiũt,quos hic ſoliti erant audire:tunc uelut admoniti & tacti recordatione harum rerum,ſtupefactiq; cõprehendere & dignoſcere nequeunt, quem in locum tam ſuæ naturæ alienum,atq; contrariũ,tam inſolitum & perturbatum demerſi ſunt.Eóq; magis animi noſtri de hac ſua patria cogitant,& memoria repetunt, quo & cantus illi cœleſtibus iſtis ſimiliores ſunt,& ipſi animi generoſiores & ſublimiores ſunt.Effert nanq; cõcentus nobiles præſtãteisq; animos,abiectos uerò & colluuioni ſordibúsq; corporis immerſos,ad uoluptates magis ſpurcitiásq; detrudit,ac deprimit.In cœlis porrò omnis ſuauiſsimę ſymphonię,quę cõcludi & comprehendi inter acutiſsimũ et grauiſsimũ poteſt ſonum,ratio modúsq; ineſt.Princeps enim ille totius naturę ſtellifer orbis incitatiſsimo quum rapiatur curſu,acutiſsimum ſua cõuerſione ſonitum elicit.Sic enim ingenijs rerum cõparatum eſt,ut quicq; uelociſsimè fertur, ita acutiſsimè ſonat. Et cõtrà,ut tardiſsimè & maximè lente,ita grauiſsimè atq; hebetiſsimè. Quo fit,ut Luna ipſa,quæ omniũ lentiſsima eſt,grauiſsimũ ſonitum emittat.Nam de terra,quam dixi dudũ, nonam eſſe nihil attinet dicere . Quippe,quæ ſegnis omnino,muta ſurdaq; eſt,hærens medio mũdi affixa loco,neque inde uel tranſuerſum digitũ abſcedens.Ideo ad conſonantiã hanc mundiq; totius cantum conferre nihil poteſt,quũ omnino nihil ſonet,uel ſtrepat . Ex iſtis autem cœleſtibus globis,& ſi ſunt octo,ſeptẽ tamen duntaxat diſtinctæ rationes differentésq; uocum ſonorumq; moduli cõſurgunt.Sunt enim interualla hæc ſonorũ imparia. Nam ſi paria eſſent,una ſolùm ex illis & tanquã ſimplex incompoſitaq; uox exiſteret, nec harmonia cõſtaret ulla,quę in uarietate ſonorũ modorumq; propoſitione deuinctorum ſita eſt.Quemadmodum ex Mercurio & Venere unicus modus tenorq; naſcitur ſoni Hi ergo globi inæquales,illi quidem æqualitatẽ tamen comparatione proportioneq; ſeruant inenarrabilẽ,ex qua dulciſsimus ille et ſempiternus concentus efficitur ſeptem diſtinctus uocibus ſonisq; cõmiſtus,& temperatus.Nam in Mercurij Veneriſq; orbibus,ut dicere incipiebã,eadem eſt ſoni uis,idem modus.Idcirco una eſt dicenda uox,tametſi geminata. Ambitus conuerſionesq; eorum ſyderũ hoc indicant, quorum Mercurius qui eſt inferior,nouem diebus ocyus quàm Venus peragrat & cõficit ſuum orbem.Tum & illa duo circuitu ſuo non ambiũt totam terram,ſed eius tantum latus quodpiam circunſcribunt, contrariásq; habent reliquis ſyderibus abſidas : nempe ſub terras,hoc eſt domicilia ueſtra. Nam re uera ſupra terram ſemper ſunt. Verùm enim uerò tantum de orbibus iſtorũ ad auſtros eſt,quantũ de alijs ad ſeptentriones.Quo fit,ut quum reliquæ errantes ſtellæ quando à terra maximè ſublimes ſe efferunt,tunc demũ pigerrimo agantur motu,hæ contrà,tum demũ incitatiſſimo.Illæ celerrimæ ſunt in occaſu ueſpertino,hæ nunquã,aliàs tardiores & ſegniores.Quumq; illæ ſimul ac exortu matutino ſunt defunctæ,reprimere motũ feſtinationémq; incipiãt,hæ tum primum addũt gradus & effuſius ſeſe cõcitant & cõuertunt. Quapropter una eſt ratio uocis ſoniq; in utraque. In alijs ſingulæ ſunt ſingulis,quas Plato ueſter Sirenes appellauit.Neq; enim uidit quibus uocib. has ipſas poſſet conferre,niſi illis quæ uulgo dicunt eſſe omniũ ſuauiſsimæ atq; dulciſsimæ: ita multum ut nauigantes ab inſtituto queant curſu auertere,& amiſſo periculorũ ſenſu,in mille diſcrimina mortésq; ſuauitate ſua tranſuerſos agere ac præcipitare.Hos uerò cœli ſonos,ex quib.ſimul omnib.unus cõſurgit exiſtitq; cõſonans cõſentiensq; cantus,Py-

thagoras

thagoras,alijq; permulti maximi & præſtantiſsimi uiri neruis fidibusq;, quantum à caducis firmiſsima & ſempiterna referri poterant,expreſſerunt,lenitiq; dulcedine illa concentus ac demulcti. Ita dum inter homines agerent,uixerunt,ut ſibi uiam munirent,qua ingreſsi,rectà in has ſedes ueram germanamq; ſuam patriam reuerterentur.Sicut & ſibi eiuſmodi fecerunt uiam ij,qui clariſsimis & optimis ingenijs,in corpore incluſi quum eſſent,non corporalibus ſe ſtudijs exercitamentisq; dediderunt, non uoluptatibus,non affectibus,non uitijs, nõ ſceleribus:ſed ijs agendis,quę ex his cœleſtibus animis nata,in eiſdem alta & exculta, ueſtros quoq; iſtis gentiles decent animos, iuſtitiæ, continentiæ, prudentiæ, pietati, ſcientiæ,ſapientiæ,quæ iure diuina ſtudia nuncupant. Vides enim diuinas has mẽtes uirtutibus illis præditas,ornatasq; eſſe, quod imitantur animi ueſtri, ſi modò non uſque adeò in corporis naturam ſtuporemq; ab hac ſua pulcherrima degenerant origine. Nam ut quiſque animus excelciſsimus & generoſiſsimus eſt, maximèq; diuina mente præſtans,cogitationiq; multæ ac crebræ,loci huius ex quo profectus eſt, & à quo peregrinatur deditiſsimus: ita & plurimum uirtutibus illis dat operam, & citiſsimè atque facillimè huc redit.Nempe compendiariam in primis expeditiſsimamq; gradiens uiam. Verùm ſonitus hic quem admiraris,intelligi à uobis in terris non poteſt. Nam,ut audiatur à uobis,præſtantior tamen eſt & ſubtilior, quàm qui à ueſtro ſtupidiſsimo craſsiſsimóq; capi dignoſciq; auditu poſsit. Eſtis enim ad illum uelut aſini ad lyram,ſed quod magis credo nõ exauditur illa de cauſa,quòd facultas & uis auditus ueſtri exilis & perquàm anguſta quum ſit,nequit amplitudinem hanc ſonorum capere.Neq; uerò ſenſus ueſtri poſſunt alia percipere & ſentire, niſi quæ latitudine ſuarũ uirium cõcludere poſſunt & comprehendere.Reliqua quæ & ipſa maiora complecti & ſentire uelint,neque aſſequuntur,quod capiunt. Et quum nequicquam fuerint cõmiſsi,ac tanquam colluctati,ſuccumbũt.Ac tum uel magna ex parte debilitantur,uel interim etiam extinguntur atq; intereũt.Velut ſi quis fulgentem in meridie ſudo ſerenóq; æthere Solem intueri conetur,id diutius ſi fecerit,uſque adeò oculorũ eius acies caligine exim modico illo fulgore effuſa retundetur & langueſcet, ut aliquandiu poſtea nihil poſſit cernere.Quòd ſi pergat id crebro facere,totã ſine dubio cernendi uim uirtutemq; amittet, peribitq; ſenſus ipſe. Quod cum in oculis ueſtris,quorũ tantus uigor eſt,ita eueniat,quid in auditu fieri credendum eſt? Quo ſenſu nullus eſt in uobis nec obtuſior,nec imbecillior,magisq; obnoxius ac expoſitus offenſioni atq; iniuriæ.Apertus enim eſt,& puluere,ſtipulis,floccis, ſordibúsq; oppletus & obrutus. Tum uel uenti uel humoris lenis offenſa illum ita lædit,ut ſæpenumero hac ſola de cauſa amittatur. Iam ſonorum immaniũ uis atque impetus intolerabilis ei ſenſui eſt,non ſecus quàm alijs etiam omnibus ſuorum ſenſilium exuperans & ſupra modum uehemens uigor magnitudóq;.Omnes enim ſenſus non uitiantur modo & deteruntur,ſi ea quæ ſentiunt captum excedant ipſorum,ſed plerunque, tanquam uaſta in eos cadente mole confringuntur & comminuuntur. De ſonitu ut loquamur,quod ad rem noſtram magis facit,quum alij permulti obſurduerunt uehementia intolerabili ſtrepituum et fragorum. Tum tota gens quæ ad Catadupa Æthiopiæ partem habitet,hac una de cauſa ſurda eſt.Nilus enim nobiliſsimus amnis,qui Aphricam ab Aſia diſiũgit,poſtea quàm Meroën Æthiopiæ, quam ipſe diuiſus inſulã facit,prætergreſſus eſt,aquas omnes ſuas in eundem alueum recipit:tum impactus rurſum inſulis his obicibus,& quaſi offenſionibus irritatus fertur rapidiſsimo curſu, ſuisq; iterũ coniunctus aquis, incitatiſsimus decurrit uſque ad eam Æthiopiæ partem, quę ex re Catadupa Græco uerbo nominatur. Ruit enim Nilus ex illis ſcopulis atq; rupibus immenſo ac terribili fragore.Gensq; loci eius accola iam ſemel olim urbem ſedésq; ad fugiendum tantum incommodum mutarat: ſed alij bonitate agri,cœliq; inuitati,in eam regionem immigrarunt,quæ nunc tota natio inaudita eſt. Hæc quidem ex Nili ſonitu accidũt. Conſidera tu nunc quid ex hoc cœleſti ſono,tanto quàm ille ſit maiore fieri par eſt. Et conſiderabam ipſe,id quidem admirabundus,terramq; identidem deſpectabam, mecum ipſe cogitans & reputans, quàm eſſent hæc noſtra uilia,abiecta,ſordida,indi

gna non

gna non ſolùm quæ incoleremus,ſed quę uel uideremus,uel etiam calcaremus cœle ſtibus illis compoſita & cõparata. Aphricanus uerò ratus me aliquo adhuc iſtarum rerum deſiderio teneri: Video,inquit,te ſedes illas humanas,terramq; adhuc ſpectare. Quæ ſi quantã ipſam eſſe cernis,tanta etiam tibi uidetur,ne ſis oro te tam exiguo atq; anguſto animo,ut leuib.illis ac tenuib.rebus implearis. Erige animũ mentemq; ad hæc cœleſtia,ea deſiderato,ea cõcupito,quæ ſola poſsint te & capere & implere, reliqua ne pluris facito,q; ipſa re uera ſunt. Quod ut es natura ſummo & præſtantiſſimo animo,facile te perfecturũ nõ dubito. Vnum eſt quod uereor,ne nõ facile poſſis excutere & repudiare ambitionem illam et glorię cupiditatem. Quæ gloria quoniam nonnullam habet cum honeſtate ſimilitudinem,formamq; illius induit & præ ſe oſtentat: idcirco ab excellentibus quidem ingenijs, ſed quibus tamen nondum extrema eſt à uirtutibus manus addita, nondum perfectis atq; abſolutis magnopere exoptatur & quæritur. Ac plericq; omnes,qui nec opibus,nec imperijs, nec potentia, nec delicijs et uoluptatibus capiuntur,cupidine quadam glorię ſolent irretiri,moleſteq; ferũt,quum pro laboribus periculisq;, pro meritis & benefactis aliam omnem mercedem contempſerint, gloriam non reportare. Quin & interdum nonnulli parum admodum uirtutis, & gloriæ intelligentes, dum nimia cupiditate rapiuntur ad gloriam, uitia & flagitia ſuſcipiunt haud ſanè parua. Qui & ſi ſermonem celebritatemq; hominum, quam tantopere expetierũt, conſecuti ſunt, non protinus gloriam ſunt adepti. Neq; enim gloria de uitijs unquam naſcitur, neque gloria eſt quod imperita multitudo ſtulta & leuis plebes iudicat, uel non iudicat potius. Quod enim iudicium eſſe poteſt,ubi nulla ſanior eſt mens,ſed qua parte plurimum ualet, loquitur? falſa eſt ea gloria,ficta,adumbrata,praua,ueræ gloriæ imitatrix. Vera nanq; gloria uirtutem ſemper tanquam umbra corpus cõſequitur,ſermonibusq; & uoce conſtat,eorum qui optimè de ſummis uirtutibus iudicant. Altera illa,inconſiderata eſt et cæca,quę ut temerè ſine ullo iudicio multitudinis aura et rumuſculis excitatur. Ita temerè ſilentio eiuſdem tabeſcit & extinguitur,neque poteſt conſtans firmaq; eſſe. Quippe quum de nihilo exorta nullis fundamentis innitatur ac ſuſtineatur,nullis dixi,imò uerò innititur,ſed contrarijs ſæpe,& ijs quæ nullam ſtructurã breui non ſubuerterent:nempe ſceleribus & flagitijs. Quum uerum maximeq; firmum gloriæ fundamentum ſit uirtus. Quod quum ita ſit,difficile eſt uiris excellẽti præditis ingenio, poſtea quàm in uirtutis ueluti campo ſeſe exercuerunt,hanc gloriam,quę ex illa proficiſcit,negligere. Sed profectò illud eſt planè perfecti & conſummati uiri,etiã ipſam gloriam cum cæteris humanis aut deſpicere,aut certe negligere. Eſtq; illius qui non ſolùm ſuam ciuitatem,breuesq; illos ſuæ regionis patriæq; terminos ſecum reputat & ſpectat,ſed orbem ipſum non terrarum modò,uerùm etiam cœli totiusq; naturæ, qui quàm latiſsimè patet. Nanque is primùm ex latibulis unius ciuitatulæ egreditur ac effert ſeſe,& tanquam de ſpecula,uel æditiſsimo aliquo loco,qualis hic eſt,in quo nos ſumus,totam ſibi ſubiectam terram contemplatur. Videt eos terræ tractus, qui huic boreali uertici,illiq; auſtrali ſuppoſiti ſunt, pari ratione æternis frigoribus immerſos rigere,niuibus,pruinis,glacie perpetua infeſtari, quod & à cœlorum conuerſione,motuq; celerrimo,& à ſolis orbita duobus totius caloris fontibus quàm maximè remoti & ſegregati ſint. Qui duo fontes ſubiectam ſibi regionem continuis uaporibus exurunt,quæ certè regio non equidem parua eſt. Nam ſignifer ille circulus medio cœlo iacet obliquus,per quẽ ultro & citro Sol anfractibus ſuis ductibusq; commeat,aſcenditq; nobis in ſolſtitio uſq; ad cancrum,bruma in capricornum nobis depreſſus. quicquid duobus his ſignis Solisq; metis ſupra infraq; contentum concluſumq; eſt,& rapidiſsimo cœli ambitu,& perpetua ſolis torretur uicinitate. Quo fit, ut nec extremæ illæ duæ oræ uerticib.cœli ſubnixæ,præ nimio gelu atq; algore continuo,excoli atq; inhabitari ab hominibus queant. Quum neq; miteſcere unquã cœlum,neq; frugem aliquam ædere ager,qui caloribus nunquam mollitur et fœcundatur,poſsit. Nec media illa celebrari & frequentari hominum cõuentibus cultibusq; poteſt. Quoniam ut illæ prę nimio frigore ſterilitatis damnatæ ſunt:ita et hæc prę ni-

mio æstu. Neq; mortales in tanto feruore respirare,& uitalia tepido spiritu refrigerare possent. Ita subitò quũ æstuantes eos deficeret anhelitus,præfocarentur. Quæ mediæ porrò sunt inter torridũ rigentesq; tractus oræ duobus cõtrarijs calore & frigore, sensim tepefiunt & temperantur, sic ut quo magis ad extremos illarũ limites accedas,hoc magis naturã uicini uel æstus,uel rigoris sentias atque percipias,in medio sit summũ temperamentũ. Quod effecit, ut ubi commodas sedes mortale genus cæteraeq; animãtes, stirpes etiam possent statuere ac figere. Vbi tum uicissitudines sunt gratæ annorum,et temporũ,tum agri suis definitis statisq; temporibus concipiũt,fœtificant,interquiescunt, ac uires uigoremq; recipiunt,ad futurumq; reficiuntur laborem. Tum homines clementia cœli ualent uigentq;, arare, serere, plantare, colligere, condere suis quæq; temporibus possunt. Hæc omnia nõ sine admiratione spectat & contemplatur perfectus ille (ut dicebam)sapiens,uidetq; tria esse quæ in gloria expetere soleatis. Vt quàm latissimè pateat,ut immortalis sit, ut apud quàm plurimos uersetur, eosq; quàm optimos. Angustias in quibus se uestra gloria diffundere & extendere conatur, considerat, & contemnit. Aspicit enim primùm terram ipsam, exiguum quiddam esse puncti instar,quod in globo hoc mundi mediũ defixum est, ut centrum. Ex illo puncto quinq; in partes,quæ cingula dicũtur,secto, duas solummodo humanis usibus à parẽte mundi esse attributas,quas uitæ uictuiq; uestro commistio illa rigoris ardorisq; benigniores præstat. In his duabus homines sibi conuentus,concilia,cœtus instituisse,urbes,oppida,pagos cõdidisse raros atq; in morem macularũ dispersos. Et quoniam tota terra globus est;ideo homines inter se partim sunt obliqui,quos periœcos, hoc est circumcolas Græci nominãt. Qui idem inhabitant cingulũ,sed contraria latera alteri ortũ spectantes,alteri occasum,subiecti hemisphæriis diuersis, seu aduersis potius, pariáq; agunt anni tempora,& pariter,uicibus tantum dierum noctiumq; distinguũtur. Dies enim his est quando illis nox,& econtrario. Tametsi non in uniuersum. Neq; enim quocunq; tempore dies alteris est,nox est alteris. Nam alioqui quum æstatem utriq; agerent,dies hi haberent breuissimos,longissimos illi,quod fieri non potest. Cæterùm de mediis omnia intelligi conuenit,ut media nox sit horum mediis, dum meridies est mediis illorum. Si quis extrema cum extremis conferre uoluerit,obseruata proportione,siue (ut Græci dicũt) analogia,facile quod quæsierit,assequetur. Partim etiam homines sunt transuersi,quos antœcos nominant. Qui in boreali australiq; cingulis,quæ incoluntur,uitam degunt. Tegũtur tamen eodem hemisphærio, nec magis alteri alteris ad ortum uel occasum uergunt. Sunt autem propiores Aquiloni,uel Noto, hi quàm illi,pariaq; agũt anni tempora,sed nõ pariter. Vices tamen lucis tenebrarumq; simul habent, nisi quòd æstate uestra borealibus maior dies,australibus maior nox est. Contraria sunt hęc in uestra hyeme. Sunt & homines sibi aduersi atq; è regione collocati,quos antipodas uocant Græci:quod aduersis inter sese stent uestigijs,interpositumq; inter eos est terræ mediũ punctũ. quod centrũ dicitur, diametérq; terræ ab alteris ad alteros agitur. Quibus in uniuersum omnia sunt cõtraria, & plagæ cœli, & uices temporum dierumq;, hyems horum illis est æstas,nox horum illis est dies. Quæ omnia tum cõuersio diurna solis,tum annuæ descriptiones,ascensus & descensus eiusdem,tum rotunditas terræ efficit. Quæ quum sunt cognita atque perspecta ei, quem sapientia atque uirtus ad perfectionem adducit,tum is intelligit totum illum habitabilem Austri tractum, quem Græci ἀντίχθονα nominãt,ad suam gloriam nihil posse pertinere. Est enim exusta mundi parte,uastissimisq; solitudinibus, desertissimis & insuperabilibus harenis à uobis separatus & remotus, ut inhospitalis terra neminem peregrinum aut uiatorem admittat,qui à uobis ad australes illos aliquid de uestris præclaris rebus gestisq; perferre possit. Recisa est igitur ex duabus,quæ supererant humano cultui partibus una,in quam peruenire & penetrare fama uestræ uirtutis nequit. Superest una, ex qua quis possit dicere, quàm pauca inhabitentur, quàm plura sint inculta, deserta,uasta,uel montibus,uel paludibus, uel harenis. Age uerò,accipe ea quæ frequentantur,et celebrantur. In illis quàm lentè,quæso,rumor pulchrè factorum serpit? Tot

bella

bella geſsimus,tot reges,ciuitates,regna,prouincias uicimus & cepimus. At fama & ſermo iſtarum rerum non potuit unquam uel altitudinẽ Caucaſi huius Aſiani montis ſuperare & præterire,uel hunc fluuium Gangem tranatare. Quum tamẽ arma noſtra Ægyptijs,Syrijs,Parthis etiam formidabilia iam ſint. Indis igitur Seribuſq; ignoti omnino ſumus. Quis enim apud tam feros populos,tam à noſtris moribus,ſermone, cõmercio alienos atq; abhorrentes, tam tota ratione differentes & cõtrarios aliquid de nobis prædicabit. Quis pari ratione apud ultimos illos,qui uel occidentẽ ſolem uident,uel Vrſis illis Trionibuſq; operiuntur,uel ad meridiẽ mundiq; feruorem ſunt expoſiti,nomẽ tuum laudesq; audiet? Quis illuc perferet,quis narrabit,quis intelliget, quis magnifaciet,quis admirabitur? Quibus omnibus ex tam breui terræ globo circumciſis & amputatis, quæ uobis per optimum Deum area, quis campus relinquitur,in quo decurrere & diffundere gloria ſe ueſtra uelit,quibus dij immortales in anguſtijs conflictatur? Inter quàm arctos fines reuoluitur & ſudat,quàm de exigua poſſeſsione certat? At ſempiternam gloriam. Nam id erat ſecundũ ex illis tribus,obtinere uos uel etiam diutinam,nec uoluntas hominum,nec rerum natura patitur. Aut enim nolunt homines quæ à maioribus de cuiuſquam benefactis acceperunt filijs ac nepotibus narrare,partim odio,partim inuidia:aut obliuiſcũtur,quæ audierunt,aut ſegnes torpenteſq; illa negligũt,aut alijs intentis non uacat. Sed fac uelle,fac meminiſſe,fac uacare. Rerum certe natura, gentis regnaq; nunquam ſinit eſſe ſempiterna. Tranſeo bella,uaſtationes,populationes,quæ humanis iniurijs et furore inferuntur. Certis uerò definitisq; temporibus coitiones aut ſeparationes ſyderum, tum nimiam humoris uim terris immittunt,coguntq; Oceanum ſolitos ſuos limites perfringere & inculta habitataq; à uobis inuadere. Tum uel fulminibus iaculatis, uel ui & ardore ſuo,uel ex leui ueſtrorum ignium ſcintilla in fomitem ſuum ſiccaq; excidente nutrimẽta incendia ſuſcitant permagna,quale illud fuit quum Phaëthon ignotos currus inſciè ductaſſe fertur. Ita uel alluuie,inundationeq; merguntur urbes,regiones,homines, & cætera quæ mortales chara habent,bona appellant, quum nihil ſint minus. Vel ignibus exuruntur, abeuntq; in cineres, non magis illa omnia quæ dixi,quàm fama gloriaq; uniuſcuiuſq; noſtrũm extenuato uero humore,aut mitigato incendio,homines alij ad incolendas eas terras rudes,ignariq; earum rerum quæ in illis aliquando factę ſunt,deducuntur. Quo fit,ut memoria præteritarũ rerum non modò æterna eſſe nequeat,ſed ne diuturna quidem. Quid dicam,expetere uos celebritatem nominis inter eos qui poſthac erunt? Quum ignoti fueritis illis,qui antea uixerunt,in qua etiam re magna pars de amplitudine ueſtræ gloriæ detrahitur. Nam illi nec pauciores fuerunt, quàm qui poſt hac naſcentur,& meliores ſine dubio fuerunt uiri, inter quos famam propagare id demum pulcherrimũ omnium eſt. Magis enim multo gaudendum ab uno laudari (ut inquit apud Næuium Hector) laudato uiro, quàm ab infinita uulgi multitudine laude omni carentis atque honore. Quid quòd breues iſtæ ueſtrę exiguæq; temporũ menſuræ efficiunt,ut uobis quorundam hominum gloria aliquantum durare et manere uideatur. Pudet dicere quos ambitus circuitusq; temporũ uobis deſcribitis,quos à conuertendo ac refluendo annos,quaſi anulos appellatis. Alij dies undetriginta, quem Lunæ annum dicunt, & menſem à Luna quæ ex Græco uerbo μήνη. Nec deſunt, qui ut annum uertentem, ita menſem quoq; uertentem dicant: ſicut in Perſa Plautus. Alij uelut Ægyptij, duorum menſium annum,qui fuit antiquiſsimus. Nam Piſo eorum rex quadrimeſtrẽ eum fecit. Additi ſunt longo poſt tempore tot dies, quot ad Solis abſolutum curſum congruerent. Arcades tribus menſibus ſuum annum claudunt, ſingulos annos,ſingulis anni ſolaris partibus:uerè,æſtate,autumno,hyeme. Sunt qui hoc numero duplicato uelut Cares & Acarnanes, Albanis & primis illis noſtris Romulo rege,decimo quoque menſe redibat annus,Calendis Martijs:quibus & Veſtæ ignis,& laureæ curiarũ flaminumq; recentant. Eiusq; menſis Idibus uetere more atq; inſtituto, Vt proſpere & annetis,& perennetis,Annæ perennæ publicè priuatimq; ſacrificatis. Atqui Græci duodecim menſibus lunarem annum terminant,medio menſe addito fit ſolaris, hîc

à nobis dicitur uertens. Quod tunc omnia in orbem acta redeant, hyems, æstas, uer, autumnus, aratio, satio, maturitas, perceptio, et cõditio fructuum, frigus, calor, tepor, glacies, niues, nebula, serena. Idcirco à renouando, sunt qui annum de Græcis uerbis ἀνὰ & νεῶ nuncupatum esse autument. Nisi quis ab ἔτος malit. ἐνιαυτὸς, interim ab illis dicitur, eodem intellectu, quod in sese cõuertat, explicetq; nobis, quæ secum conuoluerat, rursus implicans euoluta. Tum sequũtur magni anni, quales sunt isti, obsecro? Nam magnificũ nomen nihil non promittit. Apud Græcos menses quinq; & uiginti, ut Lunæ ratio ad Solis cursum cõgrueret, qui sunt anni duo intercalati. In quorum fine Thebis trieterica sacrum celebrabatur Bacchi. Sunt & alij eo tempore geminato, quas Olympiadas uocant, nostri lustra. In quorum termino, ludi illi fiunt, maximo totius Græciæ conuentu atq; apparatu, & nos censum agimus, lustrum condimus. Aiuntq; illi cõmodiorem hunc magnum annum esse. Est et alius, ut ipsi uolunt, uerè magnus, quantus tandem est? Olympiadis in se geminatæ octo annorum. Quę quoniã uerè magnus est, multas religiones summis ceremonijs peragendas secũ reducit, & tum Pythia solenne Apollini sacrum, ludiq; aguntur. Nugæ omnia quis nescit? Nec Chaldæis suus deest magnus annus, qui ex uestris solummodo complectitur duodecim. Sunt & magni quos Lunares dicunt, qui mensibus ducentis duobus & triginta conficiuntur. Quanquam hi non omnino malo iure, magni Lunares dicti sunt. Siquidem eo temporis spacio Luna Soli collata, ad eandem notam remeat, unde exisse eam uolumus. Quòd si sic & de alijs stellis syderibusq; existimaremus, ut cursus ambitusq; omnium attenderemus, illudq; metiremur interuallum, quo ad Solis Lunæq; et quinq; errantium ad eandem inter se comparationẽ confectis omnium spacijs est facta conuersio, hoc uerum est tempus. Is uerè possit annus uertens appellari, in quo omnia, non similia modò, ut in isto uestro, quamuis in eo plura sunt dissimilia, sed eadem penè uertuntur et redeunt, eiusq; anni hyems summa est proluuies, æstas summa terrarum inflammatio, in quo non dico quot ex istis uestris annis, sed quot ex uestris seculis capiantur, et comprehendantur. Proferre uix audeo, ne fidem oratio non admittere uobis uideatur, quippe qui seculũ, quod centum ex uestris annis complectitur, magnam & longissimam rem esse ducitis, quo spacio nulla est tam longa humana uita, quæ nõ finiatur. Quam ob causam in ludis Secularibus, qui centesimo quoq; fiunt anno, præco ad ludos inuitat, ut hoc anno, si Romę fueris, audies, Ad ludos, uti cõueniant, quos nunquam antea spectauerint, nunquam pòst spectaturi sint. At in hoc anno mundano, & si nõ satis inter mathematicos inueterata ipsorum consuetudine, quot sint secula, conuenit. Nam alij centum et octo, alij centum serè & quadraginta, alij trecenta & sexaginta, alij centum & quinquaginta præscribũt. Sunt qui trecenta & sexaginta sex. Quanquam hi non mala prorsum ducuntur ratione: singulis nanq; seculis & globus totus Solis & stellifer ipse orbis uniuersus partem unam, quem dicitis gradũ promouet. Quum sint igitur toto in cœlo gradus trecenti sexaginta sex, totidẽ in magno illo capi teneriq; secula uerisimile est. Cæterùm omnium uerissimũ est, esse centum & triginta plus minus, quæ à Sole uoluuntur. Interea dum stellæ omnes, & errantes & inerrantes orbibus suis, & ductibus sursum deorsumq; conuersæ eisdem locis signisq; undecunq; uolumus eas decessisse, se sistunt & cõparent. Vt si quis ibi incipiat annũ, quum cõditoris nostræ urbis Romuli animus ad hanc alteram meliorem & sanctiorẽ patriam magnis atq; diuinis in terra perfunctus operibus redijt. Qui quũ anno, ut uos cõputatis à cõdita Roma, septimo & tricesimo ad exercitũ ad Capreæ paludem recensendũ concionem aduocasset, subitò exorta tempestate cum tonitribus, fulminibus, nimbisq; & densissima nubiũ caligine, sol interuẽtu atq; obiectu Lunę deficere mortalib. extinguiq; uisus est. Quum re uera ipse nõ deficeret, nos potius lumine eius deficeremur. Ipse uerò rex inter hæc sublimis ablatus, in has sedes immigrauit, nec amplius in terris cõspectus est. Quũ igitur ad easdẽ quibus tunc erant loca syderibus omnibus reductis Sol rursum eodem modo defecerit, tunc demum hic mundanus & iure uertẽs erit expletus annus. Quo medio tempore sydera cursus omnes, coitiones, separationes, aspectus, respectus,

ctus,anteceſſus,progreſsiones,regreſsiones,aſcenſus,deſcenſus, & ante, & pone, & ad dextrã,& ad lęuam,quas facere ulla ratione & natura ſua poſſunt,peragent. Cuius anni nondũ uiceſima pars confecta eſt,annus enim hic eſt ex ueſtris ſolaribus à condita urbe ſexcẽteſimus tertius,à Romuli exceſſu quingẽteſimus ſeptuageſimus plus minus,in quo ſunt ſecula pene ſex:aliquanto quidẽ minus,ſed ad rei totius ſummam non admodũ refert.In hoc uerò noſtro anno quum ſint ſecula centum triginta,uides quinq; uiceſimã eſſe partem è centũ,unum uerò nõ eſſe è triginta uiceſimã portionẽ. Hæc eſt illa ampla ueſtra & præclara ſcilicet gloria,quæ unius anni minimã portionẽ uix durat.An ea uel præferenda ſine impio ſcelere,uel cõferenda ſine maxima temeritate atq; ſtultitia, cum hac noſtra uita eſt ? In qua omnia quæ expeti à magnis & excellentibus uiris poſſunt,abunde inſunt: de gloria loquebamur,agamus de eadẽ hoc loco, cuius minima pars latius tota ueſtra terra patet,tota ſeſe gloria diffundit atque extendit,quotquot enim hic ſumus, noti inter nos omnes ſumus.Nemo eſt, de cuius uirtute & præſtantibus factis cuncti non audierint,quem alij non cognoſcant,aperte ſine fuco aliquo,ſine prætextu.Neque enim corpora hic ſunt,quę multas animorum maculas & labes occultant,animi ſumus omnes clari,conſpicui, expoſiti, aperti. Ad hæc gloria iſta immortalis eſt,quæ cũ cœlis ipſis ſempiternis perẽnat,nec unq; intercidet. Quoniã nec animi,nec ipſi cœli,uel morbũ,uel caſum, uel mortẽ timẽt,confirmati in æternitatẽ ab ipſo naturę inuẽtore deo.Tum multitudo hęc mẽtiũ apud quas laus & fama meritorũ,rectęq; factorũ uiget,numero & cogitatione capi ac comprehendi nõ poteſt:ad quam ſi mortales omnes quotquot uſquã terrã incolũt,uel etiam incolent,atq; incoluerũt,cõparentur, uix uniuerſi unus aut alter uidebunt. At cuiuſmodi, quæſo, mentes non barbarorũ hominũ,non operariorũ,non ueſanarũ multitudinum,ſed à quibus laudari longe dulciſsimũ et gratiſsimũ eſt,optimas,ſanctiſsimas, diuinas. Hic enim præter cœleſtes iſtos,diuinis mentibus præditos ſempiternos ignes,ſunt et animi illi puriſsimi & optimi noſtri,uidelicet maiores, Claudij,Bruti,Valerij,Fabij,Fabricij,Decij,Æmylij,Cornelij,Curij,Attilij.Sunt & Græci illi,Socrates, Platones, Ariſtoteles, Theophraſti, Zenones, Ariſtides, Solones, Codri, Lyſandri, Lycurgi.Sunt & alij innumerabiles. Quorum omnium immortales cum incredibili uoluptate atq; felicitate in hoc templo uitas ſpectare ſi uolueris, ſi cœlos hos mundiq; uniuerſitatem, nec incluſeris te anguſtijs illis Italiæ,Hiſpaniæ, Aphricæ, ſed totum mundum putaueris tibi unam ciuitatem eſſe. Atque has beatiſsimas ſedes illas eſſe ad quas tibi reuertendum eſt,totum te abſolutæ uirtuti formandum, componendumq; trades. Quæ cum corporeas iſtas uoluptates prauasq; uel diuitiarum,uel potentiæ cupiditates abluerit & abſterſerit,tum ultimam cupidinem mortalis gloriæ te exuet,perſuadebitq; tibi ſicuti ſe res habet,magnum & perfectum ſapientem non benefacere ut laudetur,non expectare inanem inanis turbæ ſermunculum ac plauſum, quæ ſæpe de nihilo,plerunq; de flagitioſis & ſceleratis rebus ignorantia meliorũ excitatur,maximũ habere ſe acremq; iudicem,uigilantẽ arbitrum,ueriſsimũ et religioſiſsimũ ſuorum omniũ conſiliorũ atq; factorũ teſtem conſcientiã mentis ſuæ. Quam ab deo illo naturæ principe atq; opifice accepit, à qua una laudari ſe & plaudi ſibi id pluris faciat,quàm iudicium uniuerſi populi. Neq; enim uel præiudicia uel teſtimonia multitudinis recipit dominans & tanquam iudex mundi Deus,ſed uni conſcientiæ fidem habet, illius uel laudatione boni uiri in hæc remigrant domicilia, uel uituperatione ac reprobatione mali ab eis excludunt. Hæc quum perfeceris, totumq; te contemplationi & exercitamentis uirtutis dediderís, cognoſces formam illam honeſtatis tam omni ex parte pulchrã & ſpecioſam,ut ea ſola ſua pulchritudine,quam nemo unquam malus uidit, ſine ullis alijs præmijs atq; inuitamentis ad ſe colendã atq; tractandam allicere & pertrahere poſsit. hoc ipſum eſt uere germanumq; & non fucatum decus, non inchoatum honeſtum, ſed omnibus ſuis numeris abſolutum. Eſt enim facies illa uirtutis & decoris ex ſe perfecta atq; abſoluta, unaq; rerum omnium pulcherrima maximè laudanda, admiranda, expetenda, quæ ſi oculis corporis cerni poſſet,dici nequit quantos amores excitaret ſui. Quum gloria quæ tantã habet ſpe-

ciem ſimilitudinemq; honeſtatis, quantam umbra corporis, tam multos ſui ſectatores, per æqua, per iniqua, per facilia, per difficilia habeat. Quis igitur futurus ſit de te apud homines rumor, ipſi uiderint. Tu neglige, ſolam uirtutem cura, eam tibi præmium ſolatiumq; tuorum laborum eſſe cogita, loquentur illi quidem neceſſariò ſi bene feceris. Nam à uirtute gloria dirimi & auferri nulla ui poteſt, non magis quàm umbra à corpore. Neq; eſt ulla magis compendiaria uia, nulla expeditior ad conſequendam gloriam ſemita, quàm per uirtutem, quam ſi tenueris, ut maximè fugies gloriam, ita te illa uelociſsime perſequetur. Verum ea gloria quæ in hominũ ſermonibus fundata & conſtituta eſt, & circumſcribitur anguſtis, ut dixi, limitibus illius terræ perquàm exigui tractus quem uides, & de nullo diuturna admodum fuit. Opprimitur enim & interit cum populis, nationibus, urbibus, regnisq; uarijs, tum naturalibus, tum fortuitis caſus. Et ſegnis, ingratáque poſteritas ſuorum maiorum, oblita gloriam eorum, ſilentio ac tenebris obruit, & ſepelit. Tempusq; ueſtris omnibus rebus inuidum aliquid quotidie derodens de ſplendore ueſtrę glorię atq; detrahens, ante pauca ſecula funditus eam conſumit. Hæc ille quum dixiſſet. Tum ego quàm potui maximè modeſte demiſſo nõnihil uultu blandaq; oratione pauca hęc locutus ſum. Profectò mi chariſsime aue, ſimul ac primùm per ætatem res tuas patriſq; & aliorum de noſtra Repub. cognoſcere ac intelligere potui, eiſdem ueſtigijs progredi ad bene faciendum patriæ cœpi, quæ tu & pater impreſſa ad ingentem gloriam laudemq; reliquiſtis, neq; de hac tanta uirtutis mercede quicq; cogitabã. Neq; enim hoc eſſe tam amplum & diuinum præmiũ ijs qui patriam tutarentur, eiq; ſalutariter conſulerent, propoſitum & paratum arbitrabar. Quod quum ſciam, uideamq; uirtutes illas, quas in Repub. exercemus, ad illas ducere perfectiſsimas & ſummas quę animum in hunc locum quàm ocyſsime reuehunt, ſuæq; priſtinæ diuinitati reſtituunt. Nunc maiore conatu, toto pectore, quæ cœperam non inaniter facere, perficiam uti ſpero. Et ille: Tu uerò quàm poteris diligentiſsimè enitere. Neq; enim mortalia tibi curæ eſſe debent, ſed immortalia, quum ſis ipſe immortalis, uenturus in hanc uitam, felicitatemq; immortalem. Neque uerò caſus & mors corporis te mouere uel tantulum debent; quippe quum non ſis ipſe corpus, ſed animus. Nam neque ea quiſq; eſt quæ extrinſecus apparent, & cernuntur, quoniã nec ſuæ ueſtis eſt, quibus induitur, minus etiam ſuum eſt corpus, quo uelut circumdatus, atq; amictus eſt. Eſt enim corpus hominis ſeu amiculũ, ſeu uas, ſeu receptaculũ, ſeu uincula, ſeu carcer, ſeu quo alio appellari libet nomine. Quod intellexit ſapiens ille, quiſquis fuit, qui poſti ædis Apollinis, Noſce te, inſcripſit. Cuius præcepti tanta uis eſt, tanta ſententia, ut non ab homine aliquo profectũ putetur, ſed immortali Deo attribuatur. Neq; is iubet, ut quis ſtaturã aut faciem ſuam, uel manus, pedes, crura, cor, pulmonẽ, cætera exta, reliquosq; cognoſcat artus, quæ omnia medicis inſipientibus notiora plerunq; ſunt, q; ſapientib. uiris. Sed ut animi præcipuã noſcat partẽ, quæ eſt diuina mens, in eamq; frequenter intueatur, uideátque quibus inſtructa artibus, quibus ornata uirtutibus ſit, quàm exercitata, quàm ad reuolandum breui tempore in has ſedes & priſtinum domicilium apta & parata, ut conſideret & contempletur uim memoriæ, inuentionis, mentis, cogitationis, quibus ſapit, iudicat, ratione colligit, aſſequitur & inuenit, & recordatur tam multa atq; admirabilia, quæ à nulla exiſtis corporeis & concretis naturis fieri ullo pacto poſſunt. Sed à ſola diuina, idcirco non modò te diuinum eſſe ſcito. Sed ut dicere auſus eſt Euripides, Deum. Quid enim non ſimile Deo tua habet mens? An uigere, ſentire, intelligere, meminiſſe, prouidere, ſapere, comprehendere, ac tenere cogitatione atq; intelligentia mundum ipſum rerumq; totam naturam, id demum non diuinum exiſtimandum eſt, ſed craſſum, ſed commiſtum, & ex terra atq; illis quibus terra cœlumq; cõnectuntur, coagmentatũ & conglutinatũ? Quid uerò, gubernare, mouere, agere, uegetare id corpus cui præfectus es, nónne ſimile eſt illius prouidentię omnia adminiſtrantis & regentis Dei? Præclareq; à ſapientibus uiris dictũ eſt, id totũ quod uos uocatis hominẽ, hoc eſt mentem animumq; cum ſuo corpore, paruũ eſſe mundum: ipſum uerò mũdum, magnũ eſſe hominem. Mortale enim eſt corpus, tuum ni-

mirum

mirum terræ,humorí,animæ,igni ſimile,ex quibus cõpactum & conglutinatum eſt, quibus quatuor corporũ principijs et cauſis,perpetuis uicibus ſemper aliquid decedit,ſemper accedit,mortésq; & uitas,ſi non in ſe totis ſemel atq; in uniuerſum,in ſuis certe ſentiũt partibus,easq; cõtinuas. Animus porrò tuus immortalis & de diuina illa cœlorũ deſumptus natura,par eſt eis atq; cognatus. Mens uerò,qui eſt planè deus, ea & mortale corpus & animũ ipſum temperat ac moderat:nõ ſecus atq; optimus ille maximus genitor naturæ,tum fragiles illas caducasq;,tum ſtabiles has æternasq; mundi naturas & partes. Et quemadmodũ architector ille mundi,cuius numine reguntur cuncta,nec natus & immortalis eſt:ita & animus tuus initio caret,nec fine ullo terminandus eſt. Immortalis enim ea uis eſt quæ ſemper mouet, id eſt,quę ſemper intelligit,cogitat,ſentit,uiget,uegetat:hæc ſiquidem omnia intelligi uolo,cum moueri dico. Etenim quum ſint nõnulla,quę ipſa alias quidẽ res mouent,ſed ab alijs etiam mouentur:uelut in hoc magno mundo planetę mouent ipſi quidẽ elementa,ſed mouentur tamẽ à primo illo impulſu cõtorquentis omnia,ſecumq; rapiẽtis cœli. In paruo uerò mũdo calor & humidũ illud atq; ſpirabile totũ corpus ſalutari atq; uitali motu cient cienturq; ab ipſo animo ueſtro ac mẽte. Hæc ergo quę quod alijs impartiuntur,ab alijs accipiũt, ſi quando beneficiũ deſinũt accipere,etiam deſinũt conferre,& tunc deniq; marceſcũt & pereunt,à quo periculo remotũ & tutũ eſt id,q̃d à ſe ipſum agitur ac mouet. Neq; enim metuendũ eſt,ut ne ipſum à ſe deſerat:quod ſi ſemper ſe mouet, ſemper uegetat,ſemper uirtutẽ, uigorẽ,uitamq; affert:mori igitur nunq; poteſt. Nam ſi quãdo morereť,non ſemper ſibi uitam ipſe cõferret atq; motũ. Quippe cum ea nõ daret,quæ exanime iacẽs atq; proſtratũ nõ haberet,reſolutũ enim abijſſet iam tunc,uel in nihilũ,uel in alias certe ſpecies ac formas. Imperitũ igiť & abſurdum eſt affirmare aliquid perpetuò moueri, ſed interire tamen nonnunq;,hoc eſt moueri ſemper,ſed quieſcere aliquãdo,quod de animo dicũt minuti quidã et plebei philoſophi,qui tam impia opinione reditum ſibi hæc in loca præcluſerũt. Neq; enim mundi dominus & gubernator admitti eos in ea loca ſinet,ad quæ ſe uenturos deſperarũt: q̃deſperarũt autem, imò uerò cõtemſerunt atq; irriſerunt,nullaq; putauerunt eſſe ijs qui bene ac ſanctè uixiſſent parata,noſtrosq; animos, tanq; capite damnatos morte mulctarũt,nõ aliam ob cauſam, q; quod qualis animus ſit corpore uacãs, intelligere ac mẽte & cogitatione cõprehẽdere nequiuerint. Cuius rei nõ animi noſtri,ſed ipſorũ hebetes cogitationes et intelligentiæ in culpa ſunt:q̃d ſi alia deerãt omnia,illa profectò Platonis philoſophorũ principis ratio facile eos ab errore atq; ignorantia reuocaſſet,ſi acumẽ aliquod habuiſſent ingenij. Omnibus enim quę mouenť,quę uigent, uiuunt,ſentiũt,intelligũt,meminerũt,motus huiuſmodi anima origo et principiũ eſt. Neq; enim hæc ab inanimi aliquo manare fonte poſſunt. Principio uerò prius nihil eſt,à quo gigni potuerit & procreari. Siquidẽ id ipſum prius,non hoc quod generať principiũ eſſet appellandũ. Ea nanq; uis eſt principij,ea natura,ut cum à nullo generatum ſit,ipſum ex ſe alia progignat. Quo fit,ut nec interire poſsit, quoniã ortũ nunq; eſt. Quæ nã enim in æterno quod poſthac futurũ eſt tempore interitus eius cauſa poterit inueniri,quę nulla fuit in æterno tempore,q̃d peractũ eſt? An nouę poſthac rerũ naturę procreabunť quales antea nullæ fuerunt? accedit huc,q̃d ſi occidit principiũ hoc,ſpes tota cæterorũ omniũ reciſa eſt. Quandoquidẽ quod à principio cõſumpto atq; extincto fluere & proficiſci queat, nihil erit. Nec reperieť ulla res,quæ id principium reparet,atq; reducat,quippe ingenerabile eſſe oſtendimus. Eſt igiť motus,uitæ,uirtutis,ſenſus,uigoris q; principiũ ac uera origo,in eo quod tũ ſibi hoc,tum alijs præſtat,atq; largiť,nec beneficio fruiť uel mutuato,uel precario. Illud porrò nec naſci poteſt,quoniã principiũ eſt:nec mori, quoniã æternis nulla unq; accidet ſiue morbi, ſiue caſus,ſiue infirmitatis,ſiue mortis cauſa. Alioquí fieret nõnunq;,ut cõcideret cœlũ ipſum cũ uniuerſa natura rerũ,quieſceretq;,& interiret,ceſſante ac quieſcẽte mortua etiã mẽte illa excelſiſſimi cœli,cum ab eiuſce mẽtis impulſu, quæ aut quieſceret, aut extincta eſſet,nec cœlũ ipſum,nec reliqua natura motũ,uim,uitã reciperet. Quòd ſi hoc de cœlis uel cogitare nefas eſt, quòd quieturi aliquando ſint, atq; adeò,ſi dijs

placet, ruituri casuriq́, quoniam mentes illæ indissolubili uinculo & societate cum eis copulatæ atq; coniunctæ nunquam moueri desinent. Non minus profectò nefas est de animis nostris idem arbitrari, cum sint ex illarum mentiũ natura & gentilitate, quæ etiam est ratio, quamobrẽ animi & ex se mouent, & semper mouẽtur: neq; enim torpent, aut feriantur, aut interquiescunt, aut insistunt ullo temporis momento, quin semper cogitent, intelligant, contemplentur, imaginentur, meditentur, moliantur ali quid etiam corpore ipso somno presso et grauato, quo tempore ipse minime dormit animus, sed uigilans agit illa quæ dixi. Quæ omnia tunc longè liberius, facilius, dexterius, melius faciet, quũ corporis cõpagine ac põdere laxatus solutusq; erit. Quandiu enim in isto uestro est carcere, in istis tenebris, in isto somnio, quam uos uitam nominatis, sarcina corporis obrutus ac pressus cibi & alimoniæ, uaporibus, nebulis, caligineq; offuscatus, tum cupiditatibus, affectibusq; actus & incensus, nõ potest mentis & cogitationis ui ac uirtute uti. Hic uerò quũ nec corpore impediet, nec pastum sumet, nec affectibus perturbabitur: excussus nanq; & purgatus erit illis omnibus, faciet id quod uos in uita uestra cõsueuistis, cum et integra estis ualetudine, quum cibo somnoq; non grauamini, & leuati curis, negocijsq; uacui estis, tum publicis, tum priuatis, nec percellemini & conflictamini uel æmulatione, uel cupiditate, uel ira, uel metu, totũ uidelicet se perquirendis cõtemplandisq; rebus dedet. Hæc omnia Plato quidem scripsit. Socrates uerò cum Phædro suo ad platanũ illam nobilissimã disputauit, aliaq; eodem spectãtia quàm plurima cum amicis eo disseruit die, quo è uestra uita innoxius ille & sanctus eius animus egrediens huc ad deos lætus alacerq; remigrauit: ut non disputasse eum, sed uaticinatum esse appareat. Quemadmodũ solent ij, qui morti sunt proximi. Quæ ego poteram quidem pressius & spinosius more ac modo uestrorum Stoicorum dicere, sed malui tamen fusius Platonicam imitari orationem. Ex his itaq; omnibus dilucidè planum (ut arbitror) factum est animum, neque ortum esse, nec finem habiturũ. Quod si ita est, sicut re uera est, ne inquines obsecro immortalẽ ac diuinum atq; adeò Deum animum tuum mortalibus sordidisq; curis atq; operibus: fac semper & meditare aliquid non abiecto & mortali, sed Deo sempiterno dignum, nec rerum futilium uiliumq; teneat sollicitudo, quas omnes negligere te & aspernari oportet. De salute ac tutela patriæ, cura, quod opus longe est ei, qui uniuersitatem hanc fabricatus est principi ac præpotẽti Deo gratissimum, qui animos in humana corpora sparsit atq; conseuit, ut essent qui terrã illam uestram tuerentur, creatiq; estis natura & ingenio ad ciuilem cõciliationem apto, ad incolendas ciuitates, frequentandosq; conuentus ficto & formato. Isq; contra naturam pugnare, armaq; aduersus humanitatem sumpsisse uidetur, qui suæ utilitatis gratia communem utilitatẽ negligit, & uiolat, societatemq; humanam dissoluit: dignus, qui tanquam hostis ex illa pellatur, eaq; ipsi negetur humanitas, quam alijs ipse denegauit. Illeq; uerè est magnus in primis uir & omni laude dignissimus, qui commoda priuata sua cõmodis totius patriæ postponit, mortemq; cum salute & emolumento patriæ uitæ suæ cum aliquo illius damno præfert. Ideo iure & in nostra ciuitate uenerabilis est sanctaq; memoria L. Bruti, Marci Curtij, duorum Deciorum, totidemq; Scipionum, patris & patrui mei, aliorumq; complurium, qui pro patria interempti sunt, & in hoc templo, tum illi ipsi, quos modò dixi, tum etiam Codrus & Lysander & Themistocles & Meneochus & Dion Syracusanus, & fratres illi Carthaginẽses Phileni, ac reliqui permulti partim Græci, partim barbari, qui mori pro patria non dubitarunt, gradum habent dignitatis honestissimũ. Illæ enim de patria curæ tam secundũ naturam humanã sunt, ut ad naturalem hominũ locum reducant, illáq; ciuitas atq; illæ uestræ humanæ leges ad harum cœlestiũ exemplum cõpositę, seu hinc potius per sapientes & diuinos uiros in terrã deriuatæ, ueros suos cultores & seruatores ad fontem suum locumq; unde ipsæ defluxerũt, reuehunt. Hæc igitur mirè est cõpendiaria in cœlũ uia, quæ etiam facilior breuiorq; fiet, si animus uester tantisper dum in mortali uita agit, de hac subinde cogitarit, ad hanc se pararit, neq; se uoluptatibus corporis, cupiditatibus, libidinibus immerserit ac operuerit, sed abducens frequenter se

à ſenſuum affectuumq; conſortio,primum corpus egredi uideatur,& à mortuo non admodũ differre.Et enim illa, quæ à uobis uocatur mors, nihil aliud quàm diſceſſus ac diſſociatio corporis & animi. Tum ita ſuperior ſuo corpore efficiet,ut calcatis primum humanis rebus atq; deſpectis,quas omnes ad magnũ excelſumq; uirũ nec pertingere,nec pertinere exiſtimabit.Et enim res equidem ita ſe habet,deinceps corpus ſuũ,ita ſuum faciet,ut totum in manũ poteſtatemq; ſuã redigat,eoq; non tanq; charo ſocio,ſed tanq; frugali mancipio utatur.Mox aderit eiuſmodi ſapienti pulchritudo illa interior,quæ nec cõmemorari,nec credi à malis,turpibus,tetris hominibus poteſt, & cõcentus ille ſuauiſsimæ harmoniæ audietur in tam diuino uiro, quũ interioribus pulcherrimis exteriora cõſonabũt. Quod Socrates à Deo uniuerſæ naturæ optabat, ac uoto petebat. Quid iam ſupereſt homini tam expurgato & perpolito tamq; agili faciendum,niſi ut acceptis alis animi duabus,cupiditate ueritatis diuinæ inueniendę,cupiditate boni diuini nanciſcendi. Quandoquidem in ueſtra uita omnia mendacio,tenebris ignorantiæ,tum flagitijs,ſpurcitijs,ſceleribus ſunt ſepta & cõtecta,ac uelut in profundo puteo(ut dicebat Democritus)demerſa:ita ſeſe leniter pennarũ remigio ſublimem attollat, ut quum huc uſq; diuiſo illo craſſo & caliginoſo aëre perrupe rit & penetrarit, corpus quod in terra reliquerat,ualere ſinat:ipſe cõſortij eius deſiderio nõ tangatur,nec ad iſtam ueſtrã uitam curet remeare. Nam ſi uel uoluptatum, uel opum,uel libidinũ,uel alicuius ex uitæ humanæ uanitatibus & ſcelerib.memor eum deſiderat ac repetit,magno impetu ad terrã deturbatus alas frangit, quod ſi uel is hic ita iacens & cœno uolutatus ac inquinatus,uel alius quiuis eodem hęrens in luto,eadem infectus contagione iubetur tunc ab Imperatore mundi è uita quàm primũ excedere.Non poteſt in hæc beatorũ beata domicilia corpore egrediẽs aſcẽdere. Tum quia nihil immundũ & cõtaminatũ huc poteſt ulla ratione peruenire, tum quia pondus illud terreni cœni abſq; aliquo alarũ adiumento nõ patitur animos illos in altum exurgere,deprimit enim nutu & grauitate ſua,deiicitq; ad terram.Circa quam multis ſeculis uoluuntur & iactantur,pœnasq; ſui erroris dant,alij quidem minores, alij uerò maiores,ut ſunt uitia cuiuſq;,omnes tamen ingentes & peracerbas.At ſi tam tetra ſunt aliquorum fœdaq; ſcelera,ut inexpiabilia ſint,nec elui ac purgari adeò concretę & infixæ eorum ſordes queant,quales ſunt patriæ,parentum,deorumq; uiolationes, quas cum ſemel ſuſcepiſſent,nunquam illarum eos poſtea pœnituit:hi tanquã complorati & conclamati in Tartarum deijciuntur,unde nulli unquam pòſt ad ſuperiora reditus patere poteſt. Alij qui minoribus peccatis ſe conturpauerunt, aut maioribus etiam,ſed pœnitentia acti,uel ignoſcentiam ſupplices petierunt, uel aliquo meliore opere damnũ iniuriamq; quam ipſi fecêre compenſarunt & reſarcierunt,ij purgationibus,emũdationibus,excoctionibus adhibitis puri,puti,idoneiq; huic diuorũ concilio redduntur.Sed ſupplicia quæ interea ſubeunt tam dura & grauia,tam etiam diuturna ſunt,ut maluiſſent quemuis in humana uita dolorem, quamlibet ſiue longum, ſiue aſperum & acrem perferre,quàm minimum ex illis cruciamentis quæ poſt mortem coguntur tolerare.Quod non ignorans ſapientiſsimus uir & iuſtiſsimus M.Attilius Regulus,ut fidem ſuam hoſtibus datam liberaret,retinẽtibus & ſupplicantibus filijs,cognatis,neceſſarijs ut ſe ipſum ſeruaret,quum ſine iactura ulla dignitatis poſſet quod ſupererat ſenectutis molliter & honorate & in ea Repub. traducere, de qua duobus conſulatibus magnis bellis rebusq; geſtis erat quàm optime meritus, conſtanti & inuicto animo non dubitauit ad ingentes pœnas & cruciatus redire.Quippe qui probè ſciret maiores ſe poſt uitam daturum,ſi magnũ fidei præſensq; numen uiolaſſet,quę fides ſocia & indiuidua eſt iuſticiæ amica,ſeu uerius ſoror.Quæ quum ita ſint,Publi,ne feſtinato è mortali uita exire,neu tibi ea longa nimis uideaẽ,quæ tota citius euolabit,quàm credas:ac te in ea,tanquam in hoſpitio,totum te huic tuæ domui,his penatibus,ad quos tibi ueniendum eſt,para & compone. Neu hoc tam exiguo tempore de uoluptatibus, de libidinibus, delicijs, opibus,flagicijs, ſceleriб. cogita. Quæ ab inſtituta in has ſedes domumq; auertunt uia.In ijs eſto totus,quæ expeditiſsime & facillime huc reducunt,in iuuanda patria,in benefaciendo tuis,primùm

ciuibus,deinde cunctis mortalibus,in colenda iuſticia,pietate, fide, in te inſtruendo ac decorãdo,tum hiſipſis,tum reliquis illis ſummis & diuinis uirtutibus,quæ quum à te intellectæ fuerint & cognitæ, ipſæ per ſe ſine ullis gloriæ ſtimulis ad ſeſe pertrahẽt,additaq; tibi poſtrema ab illis manu omnia tua in te uno ſita eſſe,duces,nec opes alias requires uirtutes,quæ in te erunt,nec alium ſermonem de te præter illum quem recta tua loquetur conſcientia.Cuius unius laude atq; elogio contentus eris,nec alia expetes:quæ ſi feceris,ut te facturũ confido, neq; uitiorũ ſecibus ſqualoreq; preſſus circum terram,ut mali uiri,torqueberis atq; affligeris,& purus expeditusq; eodẽ momento & corpus tuũ exanime in terris iacebit,& animus tuus ſuæ origini ad immortalem beatiſsimamq; uitam reſtituetur.Hæc quum dixiſſet Scipio, hortati etiam atq; etiam ambo, ne dicta hæc mihi unquam exciderent, diſceſſerunt. Ego admirans ea omnia quæ uideram,quæq; audieram,ſomno ſolutus ſum.

SEQVENTIS LIBRI CAPITA XII.

continentes DXCII introductiones.

Caput 1	De ſapientia.	capit Introductiones	11
2	Rerum diuiſio.		5
3	Rerum naturæ ac precia.		64
4	De corpore,& animo.		41
5	De eruditione.		80
6	De uirtute,& affectibus.		53
7	De religione.		99
8	De charitate.		68
9	De hominum conuictu.		21
10	De uerbis.		60
11	Quomodo hominibus utendum.		54
12	Quomodo ſe quiſque gerat erga ſeipſum.		36

IO. LVDOVICI VIVIS AD SAPIENTIAM INTRODVCTIO.

1 DE SAPIENTIA. 1

VERA ſapiẽtia eſt,de rebus incorruptè iudicare, ut talem unamquamq; exiſtimemus, qualis ipſa eſt:ne uilia ſectemur,tanquam precioſa:aut precioſa tanquã uilia reiũcia mus: ne uituperemus laudanda, neue laudemus uituperanda.

2 Hinc enim error omnis in hominũ mentibus,ac uitium oriẽ. nihilq; eſt in humana uita exitiabilius, q̃ deprauatio illa iudiciorũ,quũ rebus nõ ſuũ precium reddit.

3 Quocirca pernicioſę ſunt uulgi opiniones,quę ſtultiſsimè de rebus iudicant.

4 Magnus erroris magiſter,populus.

5 Nec aliud magis laborandum eſt,quàm ut ſapientiæ ſtudioſum à populari ſenſu abducamus,& uindicemus.

6 Primùm omnium ſuſpecta illi ſint, quæcunq; multitudo magno conſenſu approbat:niſi ad illorum normam reuocarit,qui ſingula uirtute metiuntur.

7 Aſſueſcat unuſquiſq; iam tum à puero, ueras habere de rebus opiniones, quæ ſimul cum ætate adoleſcent.

Et

8 Et ea cupiat,quę recta ſint:fugiat,quę praua,ut aſſuefacto hæc bene agere,uertat ei propè in naturam:ut non poſsit,niſi coactus et reluctans,ad malè agendũ pertrahi.

9 Eligenda eſt optima uitæ ratio,hanc conſuetudo iucundiſsimam reddet.

10 Tota reliqua uita ex hac puerili educatione pendet.

11 Ergo in curriculo ſapientiæ, primus gradus eſt ille ueteribus celebratiſsimus, Seipſum noſſe.

12 DIVISIO RERVM. II.

HOmo ex corpore conſtat,& animo.Corpus habemus ex terra, & his elementis, quæ cernimus ac tangimus,corporibus beſtiarum ſimile.

13 Animum diuinitus datum,angelis & Deo ſimilem,unde cenſetur homo:et qui ſolus meritò eſſet homo appellandus,ut maximis uiris placuit.

14 In corpore ſunt forma,ſanitas,firmitas,integritas,robur, celeritas, delectatio:& his cõtraria,deformitas,morbus,mutilatio,imbecillitas,tarditas,dolor,& alia corporis ſeu commoda,ſeu incommoda.

15 In animo eruditio,& uirtus:& contraria,ruditas,uitium.

16 Extra hominẽ ſunt diuitiæ,potentia,nobilitas,honores,dignitas, gloria, gratia: & contraria his,paupertas,inopia,ignobilitas,utilitas,dedecus,obſcuritas,odium.

17 RERVM NATVRÆ, AC PRECIA. III.

REgina & princeps rerum omnium prętantiſsima eſt Virtus:cui reliqua omnia, ſi ſuo uelint officio defungi,ancillari oportet.

18 Virtutem uoco,pietatem in Deum & homines,cultum Dei & amorem in homines,uoluntatemq; benefaciendi.

19 Reliqua ſi quis ad uirtutem hanc referat,non mala uidebuntur.

20 Nec qui primùm hæc nuncupauêre bona,ſic de illis ſenſerunt, ut nunc uulgus: quod ueros illos ac naturales ſignificatus corrupit,unde & rerum æſtimationes mutatæ ſunt.

21 Sic enim ſunt intelligenda hæc,quatenus cenſentur bona.Diuitiæ ſunt nõ gemmæ,aut metalla,non magnifica ædificia,uel ſupellex inſtructa:ſed non iis carere,quæ ſunt ad tuendam uitam neceſſaria.

22 Gloria,bene audire de uirtute.

23 Honor,ueneratio ob uirtutem.

24 Dignitas,recta hominum opinio de magna uirtute.

25 Potentia & regnum,habere multos quibus probè ac rectè conſulas.

26 Nobilitas, excellentia actuum eſſe cognitum : uel à bonis prognatum, ſimilem parentum ſe præbere.

27 Generoſus eſt,ad uirtutem à natura optimè compoſitus.

28 Sanitas,talis habitudo corporis,ut ualeat mens.

29 Species,lineamenta corporis,quæ animum formoſum oſtendant.

30 Vires & robur,ut exercitijs uirtutis ſufficias,ne facile defatigeris.

31 Voluptas,delectatio pura,ſolida & diuturna, qualis capitur ex iis ſolis, quæ ad animum pertinent.

32 Si quis hæc aliter,ut à populo uidelicet intelliguntur,diſcutiat ac expendat,reperiet inepta,uana,noxia eſſe.

33 Primùm externa omnia uel ad corpus referuntur, uel ad animum:ut diuitiæ ad tuendam uitam,honor ad iudicium uirtutis.

34 Corpus ipſum nihil aliud eſt, quàm tegumentum uel mancipium animi, cui & natura,& ratio,& Deus ipſe iubent ſubiectum eſſe,ut brutum ſentienti, mortale immortali ac Diuino.

35 Porrò in ipſo animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum uitium facilius fugiamus,cognitã uirtutem facilius perſequamur, teneamusq;, alioqui ſuperuacanea eſt.

36 Quid aliud eſt uita, quàm peregrinatio quædam, tot undiq; caſibus obiecta & petita? cui nulla hora non imminet finis,qui poteſt leuiſsimis de cauſis accidere.

37 Quare ſtultiſsimũ eſt,cupiditate tã incertæ uitæ fœdũ aliquid, aut prauũ agere.

Et

38 Et quemadmodum in uia, sic in uita, quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitus, hoc leuius & iucundius iter facit.

39 Tum natura humani corporis ita cõstitutum est, ut paucissimis egeat: ut si quis animaduertat, haud dubiè insaniæ damnet eos, qui tam multa tam anxiè congerunt, quum sit tam paucis opus.

40 Diuitiæ nanq;, & possessiones, & uestimenta in usum tantum parantur: quem non adiuuant immensæ opes, sed opprimunt, ut nauem ingentia onera.

41 Nec aurum, si non utare, à cœno differt: nisi quòd magis angit eius custodia, & efficit, ut dum ubi uni studes, ea negligas, quæ maximè sunt homini curanda.

42 Est enim pecunia, idolorum seruitus, quum ei reliqua posthabẽtur, nempe pietas, & sanctum.

43 Vt transeam, quot insidiæ diuitijs tenduntur, quot & quàm uarijs casibus pereunt, in quàm multa uitia detrudunt.

44 Culta uestimenta quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumenta?

45 Vtile indumentũ excogitauit necessitas, preciosum luxus, elegans uanitas: suborta est in uestitu contentio. hæc multa docuit superuacanea, & damnosa, dum homines etiam ex eo quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

46 Ita diuitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa & opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis & comparantur & exponuntur, non possidentium usibus.

47 Iam nobilitas quid est aliud, quàm nascendi sors & opinio, à populi stultitia inducta? ut quæ sæpenumero latrocinijs quæritur.

48 Vera & solida nobilitas à uirtute nascitur. Stultumq; est, gloriari te parentẽ habuisse bonum, quum sis ipse malus, & turpitudine tua dedecori sis pulchritudini generis.

49 Sed certè omnes ex eisdem constamus elementis, et idem omnium pater Deus.

50 Ignobilitatem contẽnere, hoc est Deum nascendi autorem tacite reprehendere.

51 Potentia quid est aliud, quàm speciosa molestia? in qua si quis sciret, quę sollicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorũ mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut grauem miseriam,.

52 Quantum est odium, si regas malos? quanto maius, si malus ipse?

53 Honor si ex uirtute non oritur, prauus est: sin ex uirtute, hoc præstat uirtus, ut is negligatur. aliter uera non erit uirtus, si quid honoris facit gratia: sequi enim debet honor, non expeti.

54 Dignitates, quis potest sic appellare, quũ indignissimis quoq; hominibus contingant? nempe fraude, ambitione, præmijs, pessimis artibus quæsitæ?

55 Et gloria, est ne aliud, quàm (ut ille dixit) aurium uana inflatio?

56 Ex qua, ut honore & dignitate, nihil omnino ad eum pertingit, de quo sunt: & incertæ, uagæ, iniquæ, momentaneæ sunt, similes parentis suæ multitudinis: quæ eodem die eundem hominem & commendat atq; euehit summè, & uituperat ac deprimit extreme.

57 Quid dicam nasci ex his rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis, sicut ludo pilæ, profusione patrimonij in comessationes, scurras, mimos: bello potissimum, hoc est impunito latrocinio, quo magis uulgi dementiam agnoscas?

58 Secedat in se unusquisq;, ac solus cogitet: inueniet quàm parũ ad se attingat ex fama, rumoribus, ueneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

59 Quid in somno, quid in solitudine, inter summum Regem interest, & infimum seruum?

60 Denique sic unusquisque sentiat, nobilitatem, honores, potentiam, dignitates ex prisca hominum persuasione, quam Christus animis suorum ademit, nata & relicta esse: & in Christianos homines inuecta, tanquam lollium, quod hostis diabolus aspersit bonæ segeti Dei.

61 In corpore ipso quid est forma? nempe cuticula bene colorata, si intraria cerni possent,

possent,quanta uel in corpore speciosissimo cerneretur fœditas?

62 Lineamenta & corporis decor quid iuuant,si turpis sit animus?& sicut Græcus ille dixit,In hospitio pulchro hospes deformis?

63 Robur quorsum pertinet in homine,quum res maximæ & homine dignæ,non uiribus neruorum gerantur,sed ingenij?

64 Nec uires quantumcunq; augeantur,maiores erunt,quàm tauri uel elephanti: ratione illos,ingenio,uirtute superamus.

65 Transeo quòd forma,uires,agilitas,& cæteræ corporis dotes, ut flosculi, celeriter marcescunt,exiguis casibus diffugiunt: uel una febricula ualidissimum quandoque hominem concutit,& summum decorem tollit.

66 Vt nihil accidat,certè necesse est illa omnia, cum ætate flaccescere, ac decidere.

67 Nemo ergo potest externa iure sua dicere,quæ tam facilè ad alios transeũt: nec corporea,quæ tam citò auolant.

68 Quid quòd hæc quæ multi admirantur,magnorum uitiorum sunt causæ,uelut insolentiæ,arrogantiæ,socordiæ,ferocitatis,liuoris, æmulationis, simultatũ,rixarum, bellorum,cædis,stragis,cladis?

69 Delectatio corporis,ut corpus ipsum,utilis ac pecudina est,qua sæpius & uehementius & diutius pecora quàm homines perfruuntur.

70 Ex hac quum morbi pleriq; ad corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna:tum ad animum certa pœnitentia,& hebetudo ingenij,quod delicijs corporis extenuatur,ac frangitur:deniq; odium uirtutum omnium.

71 Nec apertè frui licet: nam ut dedecent generositatem nostræ mentis,ita nemo tam perditus est,quin eas erubescat apud arbitros capere.pariunt enim ignominiam: idcirco tenebras & latebras quærunt.

72 Quid quòd sunt fugacissimæ,& momentaneæ,nec retineri ulla ui possunt, nec unquam ueniunt puræ,cuiuscunq; amaritudinis expertes?

73 Ergo exclusis uulgi sensibus, maximum malum putato,non paupertatem, aut ignobilitatem,aut carcerem,aut nuditatem,ignominiam,deformitatẽ corporis, morbos,imbecillitatem:sed uitia,& his proxima,insciti am,stuporem,dementiam.

74 Magnum bonum credito horum contraria,uirtutem,et quę huic sunt finitima, peritiam,acumen ingenij,sanitatem mentis.

75 Reliqua uel externa,uel corporis,si habes,proderunt tibi ad uirtutem relata:oberunt,ad uitia.Si non habes,caue ne quæras,uel cum minimo dispendio uirtutis.

76 Prolixus quæstus est,pietas cum sufficientia. Fama, tametsi nihil agendũ est ut uidearis, conseruanda tamen est integra, quod interdum ea cura à multis nos turpibus cohibet,sed præcipuè in exemplum cæterorum.

77 Vnde præceptum illud sapientium & sanctorum uirorum,Nec malum faciendum,nec eius simile.

78 Quòd si hoc assequi nõ possumus,conscientia debemus esse contenti.& quum tam deprauati erunt hominum sensus, ut quæ sunt optima, putent esse scelestissima: tunc laborandum erit, ut interna & externa soli Deo approbemus, idq; abundè nobis sufficiat.

79 Etiam mala,quæ dicuntur corporis,uel fortunæ,licebit in bonum uertere, si patienter feras: & tanto sis ad uirtutem promptior, quo minus tibi in illis succedit, ac proinde es expeditior.

80 Sæpenumero ex damnis corporis,uel externorum,magnæ sunt accessiones uirtutibus natæ.

81 DE CORPORE. IIII

ET quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum,maximasq; opes in uasis fictilibus: non omnino repudiandum nobis est & contemnendum corpus.

82 Sic curandum tamen, ut se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium:nec sibi pasci,aut uiuere,sed alteri,

83 Quo curatius est corpus,hoc animus neglectior.

84 Quo mollius habetur corpus,hoc acrius menti reluctatur,& ut equus delicatè pastus,sessorem excutit.

85 Grauis sarcina corporis,animum elidit:acumen ingenij,sagina corporis,aut indulgentia retunditur.

86 Cibi,somni,exercitationes,tota corporis curatio,ad sanitatem referenda est,non ad uolûptatẽ: ut animo promptè inseruiat, nec ferocia cultus insolescat,neu uirium inopia decidat.

87 Nihil est quod æquè & uigorem mentis debilitet, & robur ac neruos corporis infringat,ut uoluptas:quippe uires omnes & corporis & mentis, opere ac labore uegetantur,ocio & mollitie uoluptatis langueſcunt.

88 Mundicies corporis & uictus citra delicias aut morositatem, ad ualetudinem & ingenium confert.

89 Ablues subinde manus & faciem frigida,detergesq; mundo linteolo.

90 Repurgabis crebrò eas partes, quæ sordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.

91 Hæ sunt,caput,aures,oculi,nares,axillæ & pudenda.

92 Pedes mundi & calidi foueantur.

93 Arceatur frigus quum ab alijs partibus,tum uel maximè à ceruice.

94 Ne statim edas à quiete, nec ante prandium,nisi tenuiter.

95 Ientaculũ enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori,nõ satietati.

96 Ideo tres aut quatuor panis bucceæ sufficiunt,sine potione,aut certè exigua,atque ea tenui.salutare hoc non minus ingenio,quàm corpori.

97 In prandio & cœna assuesce non uesci, nisi ex uno obsonij genere:eodem simplicissimo,& quantum per facultates licebit,saluberrimo,quamuis multa mensæ inferantur:& si tua sit mensa,noli admittere.

98 Varietas ciborum homini pestilens,pestilentior condimentorum.

99 Munda & pura parsimonia,temperatis & castis animis congruens, conseruatrix rei familiaris:& quæ sola efficit,ne multis indigere nobis uideamur,nec suscipiamus pessima facinora quæstus gratia,quo gulæ morem geramus,iritatæ uel luxu,uel lauticijs,uel delicatis nimium & exquisitis cibis.

100 Tum præstat,ut quæ adsunt,non modò nobis sufficiant,sed ex eis liceat egentibus impartiri.

101 Ostendit hoc Dominus exemplo sui,qui post exsaturatam multitudinem,reliquias perire panum & piscium non est passus.

102 Natura necessaria docuit,quæ sunt pauca, & parabilia. Stultitia superflua excogitauit,quæ sunt infinita & difficilia.

103 Naturæ si des necessaria,delectatur,& roboratur,tanquam propríjs:sin superflua,debilitatur,& affligitur,tanquam alienis.

104 Stultitiam necessaria non explent:superflua quum obruant,non satiant.

105 Potus erit, uel naturalis ille,uniuersis animantibus in cõmune à Deo paratus, pura & liquida aqua,uel tenuissima ceruisia,uel uinum bene dilutum.

106 Nihil est quòd iuuenũ corporibus magis officiat, q̃ calidus cibus, aut potus. incendit enim & exurit eorum uiscera, agitq; in libidinem & temeritatẽ præcipites.

107 A cœna ne bibe:aut si id admonet sitis,sume humidum aliquid & frigidiusculum,aut perpusillum tenuis potiunculæ.

108 Inter eam potionem et quietem,interpone quum minimum,horę dimidium.

109 Leuaturus animum,fac cogites,quàm exiguum tempus datum sit uitæ hominum:ex illo non oportere multum descindi ad lusus,ad comessationes, ad puerilitates,ad ineptias.

110 Breue spacium esse uitæ nostræ,etiam si totum bonæ menti impenderetur.

111 Non esse nos à Deo creatos ad lusum,aut nugas: sed ad seria, ad moderationem,modestiam,temperantiam,religionem,omne genus uirtutis & laudis.

Morbos

112 Morbos corporis,morbis animi ne curaueris.

113 Exercitationes corporis non erunt immodicæ, cæterùm aptandæ rationi uale tudinis,in quo ſequenda erunt medicinæ conſultorum conſilia.

114 Sic tamen,ne quid habeant turpe, immodeſtum,obſcœnũ,flagitioſum. etiam in remiſſionibus & refectionibus animi,adſit aliqua memoria uirtutis.

115 Abſit arrogantia,contentio,rixa,inuidia,cupiditas:quî enim conuenit crucia re animum,dum delectare ſtudes:non aliter,quàm ſi fel infundas in id mel,quod cupis eſſe quàm dulciſsimum.

116 Somnus ſumendus eſt tanquam medicina quędam,curando corpori,tantum modo quantus ſufficit.immodicus enim reddit corpora redundantia noxijs humoribus,ſegnia,pigra,lenta,& celeritatem mentis tardat.

117 Nec eſt exiſtimandum uitæ id tempus,quod ſomno impenditur.uita enim uigilia eſt.

118 DE ANIMO.

IN animo duæ ſunt partes:illa quę intelligit,meminit,ſapit,ratione,iudicio,ingenio utitur ac ualet.Hæc pars ſuperior appellatur,& proprio nomine,Mens:qua homines ſumus,qua Deo ſimiles,qua cæteris animantibus præſtamus.

119 Eſt altera ex coniunctione corporis bruta, fera,atrox, beſtiæ quàm hominis ſimilior:in qua ſunt motus illi,qui ſiue affectus,ſiue perturbationes nominantur,Græcè πάθη, arrogantia,inuidentia,maleuolentia,ira,metus,mœror,cupiditas, ſtulta gaudia.pars inferior nominatur etiã Animus:qua nihil à belluis differimus, & quàm longiſsimè diſcedimus à Deo,extra morbum & perturbationem omnem poſito.

120 Hic eſt naturæ ordo,ut ſapientia regat omnia, pareant homini cætera quæ uidemus:in homine uerò corpus animo,animus menti,mens Deo.Si quid hunc ordinem egreditur,peccat.

121 Ergo peccatum eſt,in homine perturbationes illas tumultuari,ſæuire ac trahere ad ſe ius & ditionem totius hominis,ſpreta & contempta mente:mentem etiam relicta Dei lege,animo & corpori ſeruire.

122 DE ERVDITIONE. V.

IDcirco menti indita eſt uis intelligendi,ut ſingula expendat,ſciatq; quid factu bonum ſit, quid ſecus:et uis uolendi ſumma,ut imperio huius nihil ſit in animo,quod non pareat,ſi illa contendat,nec de iure decedat ſuo.

123 Ingenium multis artibus, & humanis & Diuinis excolitur & acuitur: inſtruiturq; magna & admirabili rerũ notitia, quo exactius ſingulorũ naturas & precia cognoſcat: poſsitq; uoluntatem docere,quid ſequendũ bonum, quid uitandũ malum.

124 Igitur fugiendæ artes illæ,quæ cum uirtute pugnant.quales ſunt diuinatrices omnes,quæ à Græcis μαντεῖαι dicuntur:ut chiromantia,pyromantia,necromantia,hydromantia,etiam aſtrologia:in quibus eſt plurimum exitiabilis uanitatis,excogitatæ ab impoſtore noſtro diabolo.

125 Tractantq;,& profitentur id,quod ſibi uni Deus reſeruauit, futurarum & abſtruſarum rerum peritiam.

126 Nec inquirẽdum in Dei maieſtatem, & arcana à cognitione noſtra procul remota,à quibus Deus hominem arcuit.

127 Qui ſcrutatur maieſtatem,opprimetur à gloria.

128 Et Paulus iubet nos nõ plus ſapere, quàm oporteat:ſed ſapere ad moderationem.Hebræus quoq; cõcionator inquit:Altiora te ne quæſieris,& fortiora te ne ſcrutatus fueris:ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.

129 Et arcana illa,quæ uidit,negat licere homini eloqui.

130 Vitanda ars omnis à dęmone tradita,cum quibus uelut Dei hoſtibus nullum debet nobis eſſe commercium.

131 Nec expedit uel philoſophorum, uel hæreticorum opiniones, pietati noſtræ cõtrarias, cognoſcere: ne quem ſcrupulũ ſubtilis artifex diabolus in animos noſtros

inijciat,qui nos nimium torqueat,etiam adducat in exitium.
132 Non attingendi autores ſpurci, ne quid ſordiũ animo ex contagio adhæreat.
133 Corrumpunt bonos mores collocutiones malæ.
134 Reliqua eruditio munda eſt,& frugifera,referatur modò ad ſuum ſcopum,uirtutem,hoc eſt rectè agere.
135 Eſt diuina eruditio à Deo tradita,in qua ſunt theſauri omnes ſcientię et ſapientiæ reconditi, hæc eſt uera mentium lux. reliqua omnis ad hanc collata, denſiſsimæ ſunt tenebræ,& ut res hominum ludicra & puerilis.
136 Legitur tamen uel in hoc,quo tanquam ex comparatione fulgentior appareat noſtra lux.
137 Tum ut teſtimonijs hominum aduerſus eos utamur,qui diuinis parũ acquieſcunt,ut uitioſi oculi auerſantes ſolis ſplendorem.
138 Ad nos quoq; commonefaciendos,quum in multis gentilium tanta præſtantia fuerit uirtutis, quantã eſſe cõuenit in homine Chriſtiano, diſcipulo magiſtri Dei, cui ex luce pietatis,quam profitetur,magna eſt impoſita neceſsitas bene uiuendi.
139 Suppeditant quoq; facundiam & uſum, ac prudentiam uitæ communis, quis nonnihil interdum indigemus.
140 Tribus uelut inſtrumentis fabricamur eruditionem,ingenio,memoria,cura.
141 Ingenium exercitatione acuitur.
142 Memoria,excolendo augetur.
143 Vtrunq; eneruant delitiæ, bona ualetudo confirmat, ocia & diuturnæ remiſſiones profligant,exercitamenta ad manum & in promptu ponunt.
144 Siue legis ipſe quid,ſiue audis,attentus id fac: nec uagetur mens tua,ſed coge illam ibi eſſe,& agere quod adeſt,non alia.
145 Si incipit digredi,paruo murmure eam reuoca,cogitationes omnes ab ſtudijs alienas,in aliud tempus differ.
146 Scito te operam & tempus perdere,ſi quæ legis,uel audis,non attendas.
147 Quæ ignoras,ne pudeat quærere.Ne erubeſce à quouis doceri,quod maximi uiri non erubuerunt. erubeſce potius ignorare,aut nolle diſcere.
148 Quę ignota tibi ſunt,ne iactes te ſcire:ſciſcitare potius ab ijs,quos ſcire credis.
149 Si uideri uis doctus,da operam ut ſis:nulla eſt cõpendioſior uia. quemadmodum non alia ratione facilius conſequeris ut exiſtimeris bonus,quàm ſi ſis talis.
150 Deniq; quicquid uideri cupis,fac ut ſis.aliter fruſtra cupis.
151 Falſa tempus infirmat,uera corroborat.
152 Nulla ſimulatio diuturna.
153 Magiſtrum ſemper ſequere,noli præcurrere. & illi crede:ne repugna.
154 Ama illum, & parentis loco habe: putaq; ueriſsima & certiſsima eſſe, quæcunque dicit.
155 Attende,ut quod ſemel erraſti, emendatus iterum aut tertiò,ne idem pecces: labora,ut proficiat emendatio.
156 Illorũ decet te præcipuè meminiſſe, in quibus falſus es, ne te rurſum decipiãt.
157 Cuiuſuis hominis eſt errare:nullius,niſi inſipientis,perſeuerare in errore.
158 Scito nullum eſſe ſenſum,per quem promptius docemur,quàm auditum.
159 Et nihil facilius,quàm audire multa,& nihil utilius.
160 Nec malis leuia,aut inepta,aut ridicula audire:quàm ſeria,grauia,prudentia.
161 Pari labore utraq; diſcuntur,quum ſit adeò commodum diſpar.
162 Ne labores quàm multa reſpondeas,ſed quàm aptè,& in tempore.
163 Prandio tuo & cœnæ illos adhibe,qui te poſsint inſtituere, quiq; ſuaui ac docta collocutione pariter & exhilarent te, & peritiorem reddant.
164 Scurras,paraſitos,imperitè loquaces aut ſpurcè,moriones,nugatores,bibaces, & id genus hominum aptum ad riſum mouendum uel uerbis uel factis, nec honore menſæ tuæ digneris:nec illi te,dum reficeris, oblectent:potius iucunda aliqua,& ingenioſa confabulatio.

Non

165 Non os modò à turpibus cohíbe,ſed etiã aures, tanq; feneſtras animi: memor dicti ueteris,quod citat Apoſtolus:Corrumpũt mores probos cõfabulationes malę.

166 Siue ad menſam,ſiue alio quouis loco,diligenter quid quiſq; dicat auſculta.

167 Ex ſapientibus diſces,quo fias melior.

168 Ex ſtultis,quo fias cautior.

169 Quæ ſapientes probarint,ſequêris.

170 Quæ ſtulti laudarint,uitabis.

171 Si quid uideris à cordatis recipi, tanquã uel argutè,uel grauiter,uel ſapienter, uel doctè,uel ingenioſe,uel urbanè dictum,retinebis,ut & ipſe in occaſione utaris.

172 Habebis librum chartaceum,in quo annotabis ſi quid legeris, uel audieris dictum feſtiuè,aut eleganter,aut prudẽter:uel uocabulum aliquod exquiſitum,rarum, utile ſermone quotidiano,ut quum uſus poſcat,habeas paratum.

173 Annitere,ne ſola uerba intelligas,ſed præcipuè ſenſa.

174 Quę legeris,uel audieris,fac alijs narres,tũ tuis condiſcipulis Latinè,tum alijs lingua tibi uernacula:& conare, ne minus ipſe uel lepidè, uel uenuſtè referas, quàm audieris,aut legeris:ſic & ingenium exercebis,& linguam.

175 Eſt etiã tractandus & agitandus ſępenumero ſtylus,optimus dicẽdi magiſter.

176 Scribe,tranſcribe,reſcribe crebrò,atq; annota: cõpone alternis diebus, aut ad ſummũ tertio quoq;,epiſtolã ad aliquẽ,qui tibi reſpondeat:& tuã oſtende inſtitutori emendãdam,mendarũ,quas ſuſtulerit,fac recordere,ne rurſus ad eaſdẽ impingas.

177 Poſt cibum,uelut à prandio et cœna,ceſſet ſtudium:ſumpto prandio ſede,confabulare,audi aliquid ſuaue:aut ſic luſita,ne nimium corpus exagites & concutias.

178 Poſt cœnam, quam uolo eſſe modicam, deambulato cum iucundo aliquo & docto confabulatore,qui te ſermone oblectet,cuius uerba & ſententias imitari cum decore poſsis.

179 Inter cœnam & quietem,uita omnino potum:nihil pernicioſius ſimul corpori,memoriæ,ingenio.quum urgebit te ſitis,ſi biberis,pone inter potum & lectum interuallum,quum minimum ſemihoræ.

180 Memoriam quieſcere non ſines.

181 Nihil eſt,quod æquè labore gaudeat,& augeatur.

182 Commenda ei quotidie aliquid.

183 Quo plura commendabis,hoc cuſtodiet omnia fidelius: quo pauciora, hoc infidelius.

184 Quum aliquid ei crediderís,ſine eam quieſcere, & aliquanto pòſt ab ea uelut depoſitum repoſce.

185 Si quid uis ediſcere,id de nocte quater aut quinquies attẽtiſsimus legito:hinc ito cubitum,de mane exigito à memoria rationem eius,quod pridie crediderís.

186 Cauendum à crapula,à cruditate,à frigore,potiſsimum ceruicis.

187 Vinum,memoriæ mors.

188 Optimum eſſet,ſingulis noctibus,paulò antequàm cubitũ concederes, in ſella te ſine arbitris ſedentem,quæcunq; die illo uidiſſes,legiſſes,audiſſes,egiſſes,in memoriam reuocare.

189 Si quid feciſſes honeſtè, moderatè, prudenter, cordatè, cum decore & laude, gauderes:ſcires q; id eſſe Dei munus,& ſimilia pergeres facere.

190 Si quid turpiter, immodeſtè, flagitioſè, puerìliter, inepte, uituperio dignum, ſcires ex tua malitia profectum,doleres,& uitares in poſterum.

191 Si quid uel audiſſes,uel legiſſes elegans,doctum,graue,ſanctum,retineres.

192 Si quid uidiſſes probatum,imitare:ſi quid improbatum,fugeres.

193 Nulla tibi abeat dies,in qua uel non legeris,uel audieris,uel ſcripſeris aliquid, quod ſeu eruditionem,ſeu iudicium,ſeu uirtutem augeat.

194 Cubitum iturus lege,uel audi aliquid dignum,quod memoriæ mandetur, & de quo ſalubre ac iucundum ſit per quietem ſomniare: ut etiam nocturnis uiſis diſcas,& fias melior.

195 Studio ſapientiæ nullus in uita terminus ſtatuẽdus eſt, cum uita eſt finiendũ, ſemper illa tria ſunt homini, quamdiu uiuit, meditanda: quomodo bene ſapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.

196 Ab ſtudijs arrogantia omnis arcenda eſt. nam ea quæ uel doctiſsimus mortalium nouit, non ſunt minutiſsimũ eorum quæ ignorat. exiguum quiddam & obſcurum & incertum eſt, quicquid homines ſciunt, mentesq; noſtræ in hoc corporeo carcere deuinctę, magna ignoratione et altiſsimis tenebris premuntur: aciemq; adeò retuſam habemus, ut nec ſummas penetremus rerum facies.

197 Tum profectui ſtudiorum plurimum nocet arrogantia: multi enim potuiſſent ad ſapientiam peruenire, ni iam putaſſent ſe peruenisſe.

198 Vitanda etiam contentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc ſequamur ſtudia, ut illa fugiamus.

199 Nihil excogitari poteſt iucundius cognitione multarum rerum, nihil intelligentia uirtutis fructuoſius.

200 Studia res lætas condiunt, triſtes leniunt, temerarios impetus iuuentæ cohibent, ſenectutis moleſtam tarditatem leuant: domi, foris, in publico, in priuato, in ſolitudine, in frequentia, in ocio, in negocio comitantur, adſunt, imò præſunt, opitulantur, iuuant.

201 Eruditio paſtus ingenij ueriſsimus, ut indignum ſit, paſci corpus eſuriente animo: ex qua uoluptates, & oblectamenta, & ſolida & perpetua: quæ alia ex alijs naſcentia, & ſe renouantia, nunquam nos deſerunt, nec laſſant.

202 DE VIRTVTE. VI.

PRæſtantiſsima illa rerum uniuerſarum uirtus, neque dono ab hominibus datur, neq; accipitur: diuinitus contingit.

203 Idcirco à Deo ſupplíciter ac pie petenda eſt.

204 DE AFFECTIBVS.

SVmmum in literis omnibus atq; eruditione eſt ea Philoſophia, quæ ingentibus animi morbis remedium adfert.

205 Magna cura adhibetur curando corpori: maior adhibenda eſt animo, quo huius morbi & occultiores, & grauiores, & periculoſiores ſunt.

206 Hi non iniuria tempeſtates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiæ animi humani nuncupantur. maximam hi adferunt calamitatem, & indicibiles dolores, ſi regnent, ſi agitentur: incredendam tranquillitatem, & beatitudinem, ſi ſedentur, & cohibeantur.

207 Huc tendunt, quęcunq; à maximis ingenijs de uita moribusq; acutiſsimè ſunt excogitata, atq; perſcripta.

208 Hoc eſt ingens præmiũ literati laboris, cuius ueriſsimus fructus eſt, ut non in admirationem, aut oſtentationẽ uanam ſit nobis magna illa rerum ſupellex collecta: ſed ut tranſeat in uſum uitæ, & primùm omnium proſit poſſidenti: nec in eius mente ſit tanquam in pixidicula, unde petitur res alios iuuatura, ipſi uaſculo inutilis.

209 Nec aliud conatur pietas Chriſtiana, quàm ut ſerenitas humanos animos exhilaret: & tranquillitate animorum, compoſitisq; affectionibus ſimus Deo angelis quàm ſimillimi.

210 Remedia his morbis, uel ex rebus ac nobiſipſis, uel ex Deo, uel ex Chriſti lege ac uita petuntur.

211 Natura rerum eſt, ut incerta & fluxa, & momentanea, & uiciſsitudinaria, & uilia ſint omnia, præter animum: qui eſt unuſquiſq;, aut certè potiſsima eius pars. reliqua ab alijs ad alios transferuntur, ne quis extra animũ quicquã poſsit ſuum dicere.

212 Quæ habet, non donata eſſe putet, ſed accommodata.

213 Quocirca ingentis dementiæ eſt, graue aliquod crimen, & magna luendũ pœna, ob res minutas ſuſcipere.

214 Nec ſe quiſquam efferat, quod aliquid de externis aut corporeis contigerit: quum id omne breue futurum ſit, ac incertum. nec proprium, ſed alienum: quod ut

conceſſum eſt,ſic etiàm repoſcetur,ad ſummum in morte,ſæpe in uitâ ipſâ.

215 Nec dolendum, ſi quod accommodatum ac uelut depoſitum eſt, repetatur: quin potius agendæ gratiæ,quòd tantiſper uti licuit.

216 Intolerandæ ingratitudinis eſt, ſi ſis aliquando affectus beneficio, iniuriam te credas accipere,quòd id non ſit perpetuum:nec quid habueris ſpectes, aut quãdiu, ſed quid,aut quamdiu non habueris.

217 Nec lætandum,quòd fortuita tibi acceſſerunt,aut amicis,adempta ſunt inimicis:quum in omnibus tanta ſit celeritas,& ambiguitas, ut plerunq; inani lætitiæ proximis ſit acerbus fletus.

218 Nec deſpondendus animus,aut cõtrahendus reflante fortuna:quippe aduerſis matutinis,interdum ſuccedunt proſpera ueſpertina.

219 Iam quæ conditio corporum,quę ratio uitę fictis ex tam uili initio,tam fragili, quum ſit anceps uita,ſepta tot undiq; periculis:& ut ſit aliquantiſper certa utiq; non eſt diu duratura:quid habemus,cur in tanta infirmitate ferociamus?

220 Quumq; nihil ſit aliud hæc uita,quàm peregrinatio, qua in alteram ſempiternam tendimus,pauciſsimisq; rebus ad hoc iter conficiendum egeamus.

221 Quid eſt quam ob rem his quæ huc atq; illuc uolui & iactari cernimus,ſollicitemur,aut omnino moueamur?

222 Cupiditati quare ſeruiendum eſt, quum ſint futura incertiſsima, & præſentia paucis contenta?

223 Liber ille,qui cupit ſolùm,quæ ſunt in ipſius manu:ſeruus,qui contrà.

224 Iam fortunæ muneribus expleri,quid aliud eſt,quàm peditem multis ſarcinis impediri ac obrui?

225 Nemo eſt tam ſtupidè amens,qui non ſe illi ciuitati,ad quam tendit,& ubi morari deſtinat,potius quàm itineri adornet,componatq;.

226 Vita hæc noſtra,quum ſit natura ſua fugax,& arcta : maxima eius pars, ac ferè tota perturbationibus perit. neq; enim uiuimus,quamdiu affectibus concutimur, & in primis mortis metu.

227 Quæ quum ex infinitis cauſis immineat,& appropinquet,expauenda non eſt ex una & altera : quum neceſſariò peruentura,fugienda nõ eſt per ſcelus, aut mœrendum quod accedat.

228 Quum ſit uita innumeris tędiis ac miſeriis referta,cur eſt tam arctè retinenda? quum ad alteram æternam proficiſcamur,ita nos comparemus,ut rectà ad illam euolemus,pleniſsimam bonorum omnium.

229 Ergo premimur ſæpius noſtris erroribus,quàm rebus ipſis:quum magna mala aut bona cenſemus,quæ non ſunt.

230 Natura & conditio,& uera rerum precia illa ſunt,quæ initio poſiti: quo appareret,nihil præter uirtutem pulchrum aut magnum eſſe,aut etiam noſtrum.

231 Nos uerò in conſilium mentis amorem corporis,& cupidinem rerum uitę huius accerſimus,quæ à multis uocari ſolent Amor noſtri.

232 Hic animos uiriles eneruat, ut nulla res tam minuta ſit, quæ in eos non penetret:nec ulla tam exilis aut tenuis,quin eos concutiat.

233 Hinc tenebræ oboriuntur oculo mentis. & ubi regnum affectus occupauêre, iam illis tanquam dominis blandimur,indulgemus,parêmus.

234 Ita aliena mordicus tanquam noſtra apprehendimus:& ſi detrahantur, lamentamur & afflictamus noſipſos.

235 Et noſtra tanquã aliena negligimus,et auerſamur profutura, ceu in primis noxia:& nocitura amplectimur pro utilibus.

236 Aliena mala nobis uidentur leuiſsima,noſtra illis non maiora intolerabilia:& ſemper queruli nec aliena deſideria ferimus,nec noſtra.

237 Nec iam nobis placemus ipſi, nec hic mundus cum ſua lege nobis ſatisfacit. immutatas uellemus rerum naturas:tanta eſt ex deliciis impatientia.

238 Quæ cruces poſſunt cũ his cõparari? nec ſunt alia apud uita functos tormẽta.

239 Nec dæmones alijs ſupplicijs ſunt miſerrimi,quàm ſuperbia,inuidia,odio,ira.

240 Cernere eſt uultus eorum,qui his affectibus tenentur, quàm uarij ſunt, quàm anxij,anheli,truces,horridi:ad eundem modum & animi ſunt affecti.

241 Ira,perturbationum omnium atrociſsima,maximè hominem dedecet.

242 Naturam hominis in truculentam mutat feram.

243 Et quum quæuis perturbatio mentis aciem & iudicium omne obſcuret, tum ira tenebras denſiſsimas offundit, ut nec uerũ,nec utile, nec decorum poſsit cernere.

244 Arrodit cor,& ualetudinem affligit.

245 Id cogit facere,quod illicò pœnitentia conſequatur.

246 Iam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempeſtas? oculorum ardor? dentium ſtridor? deſpumatio? & totius oris pallor? fœda in lingua titubatio,& clamor?

247 Vt ille qui iratum ſe ad ſpeculum uidit, non ſine cauſa dicatur ſe non agnouiſſe.

248 Ob hanc toruitatem uultus,atrocitatem dictorum,crudelitatem factorũ, adimitur uiro omnis autoritas,omnis beneuolentia,diffugiunt amici,recedunt obuij, ſolitudo undiq;,omnes oderunt,omnes deteſtantur.

249 Quo fit,ut maximi uiri nihil uel cauerint magis,uel texerint,quàm iram,& irati opera:adeò ut Naturæ etiam ſuæ repugnarint,ac uim attulerint.

250 Quid enim ridiculum magis,quàm tantulum,tam imbecillum animalculum, ſic ferocire,ac furere?

251 Et tantas tragœdias,tam atroces,de uiliſsimis rebus excitare, ut de corporeis, de fortuitis:etiam,ſi Dijs placet, de uno uerbulo?

252 Iram facilè domabis,ſi illud animo perceptum & fixum tenueris.

253 Iniuriam nõ fieri, niſi lædatur animus:cui à nemine noceri poteſt, niſi à poſsidente,introducto in eum uitio.

254 Hæc ad hominẽ,ex homine,nunc altius,nempe ex Deo,etiam ſi & illa quoq; ex Deo:ſed hæc aliquanto expreſsius,ac propius.

255 DE RELIGIONE. VII

NIhil potuit hominum generi dari maius,aut præſtabilius,quàm religio:quæ eſt cognitio & amor Principis & parentis uniuerſitatis mundi huius.

256 In nullos homines æquè eſt beneficus Deus,ac in illos,quos docet, qui ſit uerus ſui cultus.

257 Idcirco Pſalmiſta inter maxima Dei in populum Iſraeliticum munera,illud ponit,Qui annunciat uerbum ſuum Iacob,iuſticias & iudicia ſua Iſraeli.

258 Non fecit taliter omni nationi,& iudicia ſua non manifeſtauit eis.

259 Per religionem Deus cognoſcitur:cognitus fieri nequit aliter,quin ametur.

260 Vnus Deus eſt princeps,& autor, & Dominus uniuerſorum, qui poteſt, qui ſcit omnia.

261 Mundus hic,eſt uelut domus quædam eius, uel potius templũ: ipſe ex nihilo in hanc faciem atq; ornatum protulit,unde nomen accepit apud Græcos,ornati.

262 Idem regit atque adminiſtrat, non minore conſeruationis miraculo, quàm creationis.

263 Et quemadmodũ in domo prudentiſsimi patrisfamiliâs nihil iniuſſu eius agitur:ſic in omni mundo nihil iniuſſu Dei geritur,omnia potentis & ſcientis.

264 Illi angelos,dæmones,homines,animantia, ſtirpes, lapides, cœlos & elementa,cuncta deniq; curæ eſſe,ac parêre.

265 Nihil fieri,nihil moueri,nihil contingere,ac ne ſtipulam quidem attolli ullam, aut floccum uolitare,extra illius præſcripta & iuſſa.

266 Hanc eſſe uniuerſi legem, non alium eſſe in rebus caſum, non fortunam, aut ſortem.

267 Omnia ab eo fieri cum ſumma æquitate & ſapientia,tametſi uijs nobis ignoratis.

268 Quæcunque cuiuis contingunt,ad eius referri commoda, ſi ſit bonus:non ad iſta

ista pecuniolæ,aut mundi huius momentanei,sed illius æternæ salutis.

269 Ergo quæcunq; in hoc mundo accidunt, tanquam ab autore Deo profecta, æquis animis accipienda atq; approbanda sunt, ne affectu nostro, & tanquam iudicio consilium damnare uideamur,& improbare uoluntatē iustissimi illius & sapientissimi rectoris omnium Dei,quia non assequimur.

270 Ei nos obsequi ac subditor præbere,laudare atq; approbare cuncta quæ facit, fas piumq; est.

271 Nos pueri, & meliorum rerum inscij, quæ damnosissima sunt, deflemus non dari,tanquam utilissima:quæ utilissima,horremus tanquam aduersissima.

272 Vt nihil sit nobis sæpenumero pestilentius,q̄ fieri uotorū nostrorū cōpotes.

273 Quumq; in tantis tenebris ignorationis uersemur,sic Deo uisum est,ut nobis sola sit præstanda culpa,cætera omnia illius curæ remittantur.

274 Nobis,uelimus nolimus, exequendum est, quod de nobis statuit ac iubet rector huius tanti operis:quorsum igitur spectat malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi,quàm hilariter & ultrò duci?

275 Certè amicus omnis Dei,legibus & uoluntati amici obtemperabit.

276 Hæc potissima ratio est Dei amandi,sicut Christus inquit: Vos amici mei eritis,si feceritis quæ ego præcipio uobis.

277 Pacificator humani generis cum Deo, & autor salutis nostræ est Iesus Christus,homo Deus,Dei omnipotentis filius unigenitus,quem ad hoc ipsum Pater misit,quum ei uisum est misereri generis humani,quòd maximo suo malo inimicum se fecerat Deo.

278 Nullum excogitari potest malum pestilentius,aut exitiabilius,quàm per peccatum à Deo separari,à perenni bonorū omnium fonte, ad pernicios issimam cōuerti miseriam,& à dulcissima uita in acerbissimam mortem.

279 In hoc inter cætera Christus uenit,ut rectissimam uiam nos edoceret,qua insisteremus proficiscentes ad Deum,nec ab ea uèl pilum deflecteremus.

280 Hanc ipse & uerbis indicauit,ac patefecit,& exemplo uitæ suæ muniuit expeditissimam atq; certissimam.

281 Humana omnis sapientia, si cum religione Christiana conferatur, cœnum est & mera stultitia.

282 Quicquid graue,prudēs,sapiens,purum,sanctum,religiosum: quicquid cum admiratione,exclamatione,plausu apud gentiles sapientes legitur: quicquid ex illis commendatur,ediscitur,in cœlum tollitur:id totum purius,rectius, apertius, expeditius inuenitur in pietate nostra.

283 Hanc nosse,perfecta est sapientia:iuxta hanc uiuere,perfecta uirtus:sed nemo uerè nouit,qui non sic uiuat.

284 Vita Christi testatur humanam eius probitatem:miracula, omnipotentiam diuinitatis:lex,cœlestem sapientiam.

285 Vt ex probitate accedat exemplum ad imitandum, ex autoritate uis ad obediendum,ex sapientia fides ad credendum.

286 Probitas amorem eliciat,maiestas cultum,sapientia fidem.

287 Si quis quæ Christus præcipit expēdat, comperiet omnia ad nostras utilitates referri,ut nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere.

288 Vt nihil est homini gratius,quàm fidi sibi,ita nec Deo:nec quisquam bene de illo cogitat,cui timidè seipsum credit.

289 Fundamentum salutis est,credere Deum esse patrem, & huius filium unicum Iesum Christum legislatorem nostrum: & ex utroq; spirari sanctum illum afflatum, sine quo nihil agimus,nihil cogitamus excelsum,aut profuturum nobis.

290 Verus Dei cultus est,animum morbis & prauis affectibus perpurgare,& in illius quàm proxime possumus transformari simulachrū,ut puri & sancti simus, sicut & ipse est,neminem oderimus,omnibus prodesse studeamus.

291 Quo magis te à corporalibus ad incorporea transtuleris, hoc uitā diuiniorem uiues.

Ita

292 Ita fiet, ut Deus cognatam & similem sibi naturam agnoscat, eaq; delectetur: ac uelut in uero & germano templo habitet, multo sibi acceptiore, quàm ista sunt lapidum & metallorum.

293 Templum Dei sanctum est, inquit Paulus, quod estis uos.

294 Tantus hospes conseruandus est: nec tetro peccatum fœtore expellendus.

295 Corporalia opera fatua sunt ante Deum, nisi conditura ex animo addatur.

296 In occultissimis recessibus, & procul ab omnium oculis, atque adeò in corde ipso, atque in animo tuo scito te habere Deum, arbitrũ, testem, iudicem omniũ, etiam cogitationum tuarum: ut illius præsentiam reueritus, nihil non modò facias, sed nec in animum admittas nefarium, aut turpe.

297 Charitas erga Deum hæc esse debet, ut illum cæteris rebus uniuersis anteponas, honoremq; & gloriam illius chariorem habeas, cunctis uitæ huius honoribus et commodis.

298 Et quemadmodũ amicus, quum amici memoria occurrit, beneuola quadam afficitur & pia lętitia: sic curare te decet, ut Diuina omnia amicissima tibi sint, & proinde gratissima, uersarisq; in illis multo libentissime.

299 Quoties nominari audis Deum, maius quiddam & admirabilius occurrat, quàm quod possit humana mens capere.

300 Quæ de illo & Diuis dicuntur, audi, non quomodo humana, sed cum magna animi admiratione.

301 De Deo ne quid temerè censeas, aut de illius factis pronuncies aliter, quàm ueneranbundus & timide.

302 Impium, in res sacras iocari, aut dicta sanctarum scripturarũ ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata conuertere: ceu quis medicinæ ad salutem paratæ cœnum aspergat: ad obscœnitatem autem trahere, id uerò nefarium & intolerabile.

503 Omnia decet illic esse admiranda: & cum ingenti dignatione in animos recipienda.

304 Sacris interfis attentè ac piè, non ignarus, quæcunq; ibi seu uides, seu audis, esse purissima & sacrosancta, spectareq; ad immensam illam Dei maiestatem: quam adorare facilè est, comprehendere impossibile.

305 Ita ut in Diuina illa sapientia altiora semper existimes latere, quàm quò possit uis ulla humani ingenij pertingere.

306 Dicta sapientum hominum etiã non intellecta ueneramur, quanto id æquius est Diuinis deferri?

307 Quoties nominari audis Iesum Christum, toties ueniat tibi in mentem charitas illius in nos inæstimabilis, & recordatio illius sit tibi dulcedinis & uenerationis plena.

308 Quum titulum aliquem, aut epitheton Christi audis, extolle te in eius contemplationem: & ora, ut talem se præbeat erga te. uelut quum clementem, mitem, placidum: ut talem illum experiare: quum omnipotentem, ut id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium, ex nihilo aliquid: quũ terribilem, ut eos à quibus terrere, terreat.

309 Quum Dominum uocas, fac illi seruias: quum Patrem, fac ames, & te dignum præstes tanto patre filium.

310 Nulla res est in toto uniuerso, cuius si uel originem, uel naturam, uiresq; intuearis, non suppeditet, quo autorem omnium Deum admireris, & adores.

311 Nihil exordire, non inuocato prius numine. Deus enim, in cuius manu sunt progressus & exitus, optatos eos tribuit ijs actibus, quos ab ipso auspicamur.

312 Quicquid aggressurus es, finem spectato: et ubi tu rectum consilium præstiteris, de euentu ne sis sollicitus.

313 Illi fide, in cuius potestate sunt rerum euentus.

314 Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris, preces da operã ut intelligas: & caue, ne ore tantùm permurmures, sed quum oras, totus & animo & mente

mente & cogitatione & uultu in hoc sis,ut omnia secum consentiant,& excellentissimæ respondeant actioni.

315 Execrantur illum cœlestia oracula,qui opus Dei facit negligenter.

316 Si in citharœdo turpe est,aliud ipsum ore,aliud fides eius sonare:multo est turpius,quum Deo psallimus,aliud linguam dicere,aliud animum cogitare.

317 Vota nostra sobria sint,& digna quæ à Deo petantur,& quę Deus det:ne stulta illum,aut inepta offendant.

318 Sumpturus cibum,recordare omnipotentiæ Dei,qui cuncta ex nihilo condidit:sapientiæ ac benignitatis,qui ea sustinet: mansuetudinis & clementiæ, qui etiam inimicos suos pascit.

319 Expende quantum illud sit, tot uitis uniuersitatis mundi huius, tam uariam quotidie alimoniam sufficere, conseruare omnia, & uindicare ab interitu, quò nutu suo tendunt.

320 Nullam neq; hominum,neq; angelorum sapientiam non modò hoc non posse præstare,sed nec intelligere.

321 Itaq;,quum scias te de illius bonis uiuere,cogita quàm execrandæ sit ingratitudinis,quàm perditæ temeritatis,audere te cum illo inimicitias exercere,cuius beneficio & uoluntate consistis:non amplius,si nolit,futurus.

322 Ad mensam sint casta omnia,pura,cordata,sancta:qualis ille est,inter cuius munera tunc uersaris.

323 Omnis detractio, uirulẽtia, atrocitas,crudelitas à mensa arceatur,in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suauitatem & clementiam.

324 Quo intolerabilius est,eum te locum asperitate aut odio in fratrem contaminare,ubi tu benignam & largam in te lenitatem percipis.

325 Quod nec Gentiles ignorarunt,qui eam ob causam mensæ sacra nominabant læta & festa:ad quam triste aliquid aut atrox dici,fieri ue nefas erat.

326 Quumq; sis omnipotenti,sapiẽtissimo,largissimo Deo curę,tu immodicã sustentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffisus:unicam curam suscipe, quomodo illi placeas,ac satisfacias.

327 Stultissimum est,alimenti causa prauum ullum facinus admittere:& illum offendere,à quo solo alimenta ueniunt,ut eum tibi iratum facias,à quo aliquid contendis impetrare.

328 Præsertim quum non alimentis conseruetur uita,sed uoluntate Dei,quemadmodum Diuinis oraculis declaratum est, Non pane hominẽ uiuere, sed uerbo Dei.

329 Habemus syngrapham Iesu, uniuersorũ in cœlo & in terra Domini:Nihil eorum, quæ opus sunt homini, defuturum ijs, qui quæsierint regnum Dei, & iustitiam eius.

330 Tum ex Dei donis, quæ ipse arbitrio suo & largitur, & tollit,quum is in te tam benignus fuerit,tu in fratrẽ tuum,illius filiũ, malignus ne esto,reputans uos ex æquo esse Dei filios:nec Deum plus tibi debere, quàm illi: tantùm uoluisse te dispensatorem & administratorem esse,& à quo secundum Deum frater tuus peteret.

331 Nihil uerius datur Christo, quàm quod egenis datur.

332 Sumpto cibo,considera cuius sit sapientiæ,cuius potentiæ, uitam nostram ijs rebus quas edisti,sustentare,& ruentem fulcire.

333 Itaq; habeas Deo gratiam,non quantam haberes illi,qui tibi pecunia sua cibarium emisset:sed quanta habenda est ei,qui te & cibum ipsum cõdidit,& cibum propter te,& cibo te sustentat,non ui illius,sed sua.

334 Quum petis quietem,& quum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, non in te solùm,sed in totum genus hominum,atq; adeò mundum uniuersum.

335 Cogita quantæ sint hostis hominum per licentiam quietis insidiæ,dum homo uelut cadauer iacet,impos sui:quo instantius orandus est Christus,ut nos tam imbecillos tueatur.

336 Nec ullo nostro peccato iritandus est custos & præses noster.

Et

337 Et frons & pectus,crucis nota exterius muniendum: interius uerò,pijs precibus,& sanctis meditationibus.

338 Vbi iam lectum ingrederis,fac cogites,unumquenq; diem imaginem esse humanæ uitæ:cui succedit nox & somnus,simulachrum mortis expressissimum.

339 Itaq; rogandus est Christus,ut in uita & in morte adsit semper propitius ac fauens,illamq; ipsam noctem præbeat nobis placidam atq; tranquillam.

340 Ne ue insomnijs terreamur:semperq;,etiam sopitis,ille menti nostræ obuersetur,illius solatijs recreati ad matutinum tempus, sospites & læti perueniamus, cum pia memoria sanctissimæ mortis ipsius precij,quo genus humanum redemptum est.

341 Cubile seruabis castum mundumq;,ne ius ullũ in id inueniat autor ille & caput totius spurcitiei.

342 Signo crucis,& sacra aqua,& inuocatione Diuini numinis, sed in primis sanctis cogitationibus,& statuto custodiendæ pietatis,omnem ab eo diaboli ditionem pelles.

343 De mane surgens commenda te Christo:cui & age gratias,quod illius ope ac præsidio non es illa ipsa nocte oppressus dolis & inuidia immanis hostis.

344 Et quemadmodum de nocte dormijsti,postea euigilasti:sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda uitæ à Christo, quum apparebit iudex uiuorum & mortuorum.

345 Quem supplex obtestare, ut sequentẽ diem uelit ac faciat te in obsequio suo totum consumere,ne quem lædas,neu à quo lædatur tua probitas:sed septus undiq; ac munitus pietate Christiana,sospes et integer tot euadas retia,tot pedicas,quot per uias omnes & aditus humanos sparsit tetenditq; insidiosus diabolus.

346 Sanctissimam Dei parentem Mariam, & reliquos diuos, diuasq; uenerare, tanquam charos amicos Christi Dei,uiuentis in secula seculorum.

347 De illorum uita & actis crebrò uel legito,uel audito attentissimus & libentissimè,pio & uenerabundo animo,ut tibi ad imitationem prosint.

348 De illis sic senti,sic loquere,tanquam non iam hominibus,sed supergressis naturam omnem & fastigium humanum,diuinitati proximis & coniunctis.

349 Inter homines uerò quum tanta sit cognatio similitudinis in corpore, & toto animo,simusq; omnes pari iure in mundum inuecti,ad societatem & uitę cõmunionem facti:ad hanc conseruandam lex est à Natura proclamata,Ne quis alteri fecerit, quod sibi factum nolit.

350 Hoc unũ instaurator ille Naturæ collapsæ suum esse dogma professus est, sed explicatum & illustratum.

351 Nam ut humanam naturam ad similitudinẽ Dei, quoad eius fieri potest, sublatam suis omnibus numeris consummaret,non modò mutuum amorem imperauit, sed eorum quoq; qui nos oderunt.

352 Vt simus cœlestis patris similes,qui suos quoq; inimicos amat:quod declarat beneficijs illos prosequendo,& quidem maximis:neminem odit.

353 Quid quòd hominum ingenium ita fert, ut beneuolos in se illos uelint, etiam in quos ipsi sunt maleuoli,

354 DE CHARITATE. VIII

SApientissimus uitę nostrę magister,nempe & autor,unicum dedit ad uiuendum documentum,ut amemus: gnarus uitam nostram, si amemus, fore felicissimam, nec alijs opus esse legibus.

355 Nihil felicius quàm amare: idcirco Deus & Angeli felicissimi, qui amant omnia.

356 Infelicius nihil quàm odisse,quo affectu miserrimi sunt diaboli.

357 Verus amor omnia exæquat.ubi is uiget,nemo alteri quærit præferri, nemo à dilecto rapere:quum apud se esse censeat,quæ apud illum.

358 Non litem mouere fratri charo, ac neq; se unquam iniuria putat ab illo affici: ideo nec ultionẽ meditatur, nemo inuidet ei, quẽ amat:nec quisquã malis amici gaudet,

det,nec bonis indolet. contrà potius gaudet cum gaudentibus (iuxta dictum Apostoli) flet cum flentibus:idq; non ficte aut simulate,sed ex animo. quoniam amor omnia reddit communia,suaq; esse existimat,quæ sunt eius quem amat.

359 Documẽti huius solidum & uerissimum exemplar oculis nostris ad imitationem propositum,sunt Christi actiones.

360 Venit enim Dei filius,non ut uerbis modò, sed exemplo uitæ suæ rectam nos doceret uiuẽdi rationem, ut illustratis sole illo suo animis nostris,aperte qualis quæque res esset cerneremus.

361 Primum exercitus per omne genus patientiæ, quantam ostendit animi moderationem,in quanta potentia? impetitus tot tam grauibus contumelijs,nemini remaledixit:tantũ docuit uiam Dei,aduersam detestatus,uinciri se est passus,qui mundum euertere uel unico poterat nutu.

362 Calumniam quàm patienter tulit?

363 Denique sic gessit sese,ut nemo in eo potentiam nouerit,nisi ad iuuandum.

346 Rex & Dominus uniuersorum, per quem fecit Pater hunc mundum, quàm æquè tulit æquari se infimis mortalium? & propriam sibi domum, & charis suis ministris deesse alimenta?

365 Conditor rectorq; Naturæ,malorum naturę nostræ expers non fuit,esurijt,sitijt,delassatus fuit,& mœstus.quorsum hæc,nisi ad exemplum nostrum?

366 Tam amicus pacis,concordiæ, charitatis, ut nullum uitium magis sit insectatus,quàm superbiam: & quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambitionem,contentionem,dissidia,simultates.

367 Ostendens nihil esse,cur quis uel ab externis sibi quicquam arroget,uel à corporeis,quum sint aduentitia & aliena.

368 Nec ab internis,& uirtute,quũ à Deo dentur,& ob hoc ipsum tollũtur, quod quis eiusmodi muneribus sese efferat,nec fontem atq; originem agnoscat:despiciens eos ad quorum utilitatem hæc à Deo accepit.

369 Et ad superbiam infringendam,ne quis tanquam ritè subditus religioni,& seruator legis Euangelicæ sibi placeat,audiuimus ab eo:Quum omnia quæ uobis præcepi feceritis,dicite,Serui inutiles sumus.

370 Quanta stultitia est eorum,qui se exactè Christianos gloriantur,& alijs in obseruanda lege sese anteponunt?

371 Quum nemo de se norit, an uirtutem habeat, utrũ odio Dei an gratia dignus sit:an ille,cui sese præfert,uirtute sit locupletior: an ascitus & destinatus in cõsortium cœlestium,quum sit ipse miserijs sempiternis assignatus.

372 Idcirco iudicium omne de homine homini ademit, cæco & ignaro recessuum cordis,ad se transtulit scrutatorem pectoris humani.

373 Exteriora enim quæ sola oculus hominis intuetur,infirma & incerta sunt interiorum signa.

374 Non ergo uno congressu, quod nonnulli faciunt temerarij, non centum, non longissimo conuictu, de ingenio,uitijs,aut uirtutibus cuiusquam,sententiam in totum feras.

375 Longissimę & obscurissimę sunt in humano corde latebræ,quę humana acies in tantam caliginem penetrabit?

376 Et quum Christus uniuersum genus hominũ morte sua sibi asseruerit,tantoq; precio de seruitute diaboli redemerit,nemo ausit contemnere,nemo ludere animam quam ita Dominus amauit,ut nihil cunctatus sit uitam suam pro illa effundere.

377 Pro uniuersis crucifixus est Dominus,& pro singulis.

378 Nec speres fore Christo rem gratam,si tu oderis,quem ille amat.

379 Hanc uult sibi referri gratiam, ut quemadmodum ipse Dominus nos seruos nequam & pessimè meritos amauit,ita & nos conseruos nostros.

380 Hîc inchoauit mutuam hominum inter se & cum Deo charitatem, hoc est humanæ beatitudinis iecit fundamenta,in cœlo absoluit.

381 Hæc est uita & gratia Christi, sapientia humanum ingenium excedens: æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

382 Nemo se Christianum esse putet, nemo se Deo esse charum confidat, si quem odit: quum Christus nobis homines omnes commendarit.

383 Hominem tibi à Deo commẽdatum, si dignus est, ama, quia dignus est quem ames: sin indignus, ama, quia Deus dignus cui pareas.

384 Non ieiuna, nõ erogatæ opes omnes in pauperum usum, hominẽ Deo gratio sum reddunt: sola hoc præstat, hominum charitas. hoc nos Apostolus eius docuit.

385 Nullũ uidebis hominẽ, quẽ nõ existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut eius rebus prosperis gaudeas, aduersis doleas, iuuesq;, quantum erit opis tuæ.

386 Non natio affectum hunc minuat, non ciuitas, non cognatio, non professio, non conditio, non ingenium. unus est omnium pater Deus: quem tu edoctus à Christo quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscet, si tu eius filios fratres agnoueris.

387 Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

388 Pacem & concordiam & amorem inuexit Deus.

389 Partes, & factiones, & priuatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dissidia, rixas, contentiones, bella, diabolus, peritissimus horum artifex.

390 Deus, quia uult nos saluos, spargit beneuolentiam: diabolus, quia perditos, inimicitias.

391 Concordia etiam pusilla coalescunt, discordia maxima dissipantur.

392 Qui pacem, qui concordiam student inter homines uel conciliare uel conseruare sartam tectam, ij filij Dei uocabuntur, teste Christo: hi uerè sunt pacifici, de quibus ipse loquitur: qui uerò discordias serere, charitatem hominum inter se rescindere, ij filij diaboli.

393 Summum inimicitiarum, quo belluarũ feritatem omnium homo superat, bellum: scito rem esse non hominum, sed quod uerbum ipsum loquitur, belluarum.

394 Quàm detestatur natura, quæ hominem inermem genuit, ad mansuetudinem & communionem uitæ: auersatur Deus, qui penitus uult & imperat mutuam inter homines omnes charitatem.

395 Nec quisquam homo homini uel bellum facere, uel nocere potest sine scelere.

396 Si quem arbitreris iniquo aut infenso esse in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacunq; ratione lenias, & places tibi.

397 Neq; in ea re uel precibus, uel obsequio, uel fortunis parcas, modò tibi gratiã omnium pares, celerem uiam ad gratiam Dei.

398 Neminem irriseris, cogitans quod uni alicui accidit, posse cuiuis accidere. age potius Deo gratias, quòd te extra eam sortem posuerit: & ora, tum tibi nequid tale accidat, tum illi sic afflicto saltem remedium aliquod, uel æquum animũ: & ipse subueni, si potes.

399 Crudelis animi est, alienis malis gaudere, & non miserari cõmunem naturam.

400 Esto hominibus misericors, & consequêre à Deo misericordiam.

401 Fortuna & casus humani, sunt omnibus communes, unicuiq; minantur, unicuiq; impendent.

402 Hoc amore hominibus debito, nihil existimato posse te facere aptius & congruẽtius, quàm si maximum bonum, hoc est uirtutem, eis procuraueris: si studueris, ut omnes si potes, utiq; quàm plurimos reddas bonos.

403 Nihil magis amori dissonũ, nihil damnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos reddideris, uel suasibus, uel exemplo, uel ullo alio incitamento.

404 Primum omniũ & fœliciſsimum est, si ames etiã odiosus: sed iucundissimum quoq; est, & maximè tutum amari.

405 Nullæ certiores opes, quàm certæ amicitiæ.

406 Nullum potentius satellitium, quàm amici fideles.

407 Solem è mundo tollit, qui è uita amicitiam.

408 Sed uera & ſolida & duratura amicitia,tantũmodo eſt inter bonos,inter quos facile amor coaleſcit.

409 Mali nec inter ſe amici ſunt,nec cum bonis.

410 Vt ameris,certiſsima eſt & breuiſsima per amorem uia:nihil enim ſic amorem elicit,ut amor.

411 Conciliatur quoq; uirtute,quæ natura ſua amabilis eſt,ut uel ignotiſsimos ad ſe amandam inuitet & trahat.

412 Tum etiã uirtutis ſignis,manſuetudine,modeſtia,pudore,humanitate, comitate,affabilitate:ſi nihil uel dixeris,uel feceris,quod arrogantiã,aut inſolentiã,aut petulantiam,aut obſcœnitatem reſipiat:omnia ſint dulcia,mitia,lenia & pura.

413 Amicitiæ uenenum,ſi ames tanquam oſurus : & amicum ſic habeas, ut putes poſſe inimicum fieri.

414 Salutare illud,Odi tanquam amaturus.

415 In amicitia nulla ſit inimicitiæ cogitatio.quem habes amicum,ne credas futurum unquam inimicum,alioqui infirma & fragilis erit amicitia.

416 In qua decet ineſſe fidem, conſtantiã, ſimplicitatẽ, ut de amico nec ipſe ſuſpiceris,nec ſuſpicantibus aut deferentibus aurem accommodes.

417 Vita,non eſt uita ſuſpicacibus aut timidis,ſed aſſidua mors.

418 Ne in alienas uitas inquiras, néue curioſius ſcruteris quid quiſq; agat: multæ hinc ſuboriuntur ſimultates.

419 Et qui hæc faciunt, ſuorum ſolent eſſe incurioſi, alienorum ſolliciti. Stultum eſt,alios tam probè noſſe,ſeipſum ignorare.

420 Nec amare tantum homines debes,ſed etiam quos æquum eſt reuereri,ac inter eos honeſtè uerſari,& cum dedecore:in quo eſt officium uitæ communis.

421 Ne putes nihil intereſſe,ubi,cum quibus,apud quos agas.

422 DE CONVICTV HOMINVM. IX.

SIT tibi inter homines modeſtia,& moderatio in uniuerſo corpore:& præcipuè in oculis,ac ore toto,à quo abſit ſpecies omnis faſtidij & contemptus,abſit geſticulatio & laſciuia: ſerenitas illud & quietudo exornent, argumentum animi ad eum modum affecti.

423 Solum humanæ faciei tegumentum decorum in primis & fauorabile,modeſtia & uerecundia,qua nudis nihil dici poteſt fœdius aut deteſtabilius.

424 Deſperanda illius ſalus,quem deſiit pudere malefacere.

425 Nec uultus ſit in atrocitatem, aut ſeueritatem nimiam compoſitus: unde colligitur ſæuus & impotens animus.

426 Riſus,ne ſit frequens,aut immoderatus,aut cum clamore & conceſsione corporis,ne in cachinnum aut irriſum exeat.

427 Nullam eſſe rem talem exiſtima,quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere riſum cogat.

428 Sed riſus poteſt eſſe cauſa aliqua,irriſus nulla.

429 Irridere bona nefas,mala crudelitas,media ſtultitia, probos impiũ, improbos ſæuum,notos immanitas,ignotos dementia,deniq; hominem inhumanum.

430 Oculi ſint quieti,manus ne ludibundæ,ne geſticulatrices.

431 Nec aſſueſce quenquam cędere,ex talitro uenitur ad pugnum,hinc ad fuſtem & ferrum.

432 Solos bonos uero ac germano honore proſequere, qui ex ueneratione animi naſcitur.

433 Magiſtratibus exteriorem honorem exhibe, illiſq; audiens eſto, etiamſi grauia & moleſta imperent,hoc enim uult Deus,propter publicam quietem.

434 Diuitibus cede,ne iritati & tibi & alijs bonis noceant.

435 Seni aſſurge,reueritus ætatem & rerũ uſum,prudẽtiamq;,quæ in illa eſſe ſolet. Honorationi alienę non modò paria facito, uerumetiam iuxta præceptum Apoſtoli, præuerte. Salutantem non reſalutare, nec fœliciter precanti fœliciter reprecari,ſi id

factum cognoscas,aut extremę barbariei est,aut incurię socordissimę.Quàm exiguę res sunt & nullius impendij,salutatio,affabilitas,comitas, honor? at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitę,dissoluunt prætermissæ? Quanta est bonarum rerum ignorantia,nolle multorum beneuolentiã tantulo redimere? Generosissimè ut quisque est & optimè educatus, ita se maximè mitem omnibus & comem præbet: ut fastidium & ferocia ex uilitate sunt,aut hebetudine,aut imperitia: unde in bonas artes eruditio,Humanitas,nuncupata est. Ipse si non salutare, aut resalutare, negligentiæ magis ascribito,uel inconsiderantiæ,quàm contemptui. Parum blandè aut honorificè appellatus,seu moribus,seu naturæ attribue,non malitiæ,uel odio.Hisce interpretationibus ac similibus, sanctam tibi ac iucundissimam parabis uitam, quippe omnes diliges,nec à quoquam te offensum arbitrabere. Vetus dictũ, Vt uerax, ne suspicax:hoc uerbis nouum,sententia priscum, Vt quietus,ne suspicax.

436 Neminem contemnere uidearis,non uultu,non uerbo,non facto aliquo.

437 Si inferiores,quis superiorum ferat se contemni abs te? sin maior,iritas,& auertis minorem contemptu.

438 Intolerabilis est contemptus, propterea quòd nemo uidetur sibi tam uilis, ut contemptum mereatur.

439 Multi laborant,à contemptu se uindicent,sed plures ut de contemptu.

440 Nec quisquam tantus est,quem nõ aliquãdo fortuna indigere minimis cogat.

441 Præter hæc omnia,nullus est contemptibilis,quem Deus filium dignatur,nisi in hoc Dei iudicium contemnas.

442 Et sæpe quem homines contemptu dignum putant,si perscrutarentur, ueneratione & admiratione dignissimum comperirent.

443 DE VERBIS. X.

LInguam dedit Deus hominibus, ut sit instrumentum societatis communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.

444 Hæ magnorum & honorum & malorum etsi causa,prout utaris. scitè Iacobus Apostolus assimilauit eam clauo nauis:freni sunt illi inijciendi, & cohibenda, ne uel alijs noceat,uel sibi ipsi.

445 Nullum est peccati ut facilius instrumentum,ita nec crebrius.

446 Nemini conuicium feceris,neminem execreris,nemini noceto, non modò in re,sed nec fama atq; existimatione.

447 In neminem petulantius aut procacius debaccheris, uel effusius ac immoderatius inuehare,etiam lacessitus & læsus:magis enim te & apud Deum, & apud homines cordatos lædes,quàm illum ipsum cui maledicis.

448 Conuicium conuicio regerere,est lutum luto purgare.

449 Minitari,mulierc ularum est,nec probarum.

450 Nec sis tam tener,ut uerbulis transuerbereris.

451 Nec facundiam exerceas caninam, nec diserti laudem affectes in alienam contumeliam,in quem infantem & mutum esse satius est.

452 Alios reprehendere ne sis solicitus.hoc cura,ne in te sit, quod alij possint meritò taxare.

453 Verùm reprehendens ne utare acerbitate, aut atrocitate ulla uerborum. fac ut obiurgationis amarori aliquid admisceatur dulce, quod plagam leniat, si quam fortè facis.

454 Modò ne fructus pereat reprehensionis, dum rem studes nimium mitigare: neu in assentationem prolabaris.

455 Assentatio,deforme uitium:turpe illi,qui dicit:pernicioſum ei,qui audit.

456 Nec putes rem ullam esse tantam,ut à recto & uero propter eam sustineas deflectere.non hoc abs te opes,non ullæ necessitudines,non preces,nõ minæ,non mortis metus,& certum periculum extorqueant.

457 Sic tibi & autoritatẽ parabis,& fidem,ut oracula putentur esse, quæcunq; dicas,aliter despicieris,& indignissimus iudicaberis,qui uel audiãre.

Ser-

458 Sermone utitor modesto,ciuili,comi,non aspero,non rusticano,uel imperito, sed nec accurato aut affectato nimis:ne,quum loquẽdum sit,ut intelligamur,sermoni tuo interprete sit opus.

459 Nec contumelioſum usurpes sermonem, aut reprehensorium, aut rigidum, sed neq; blandum,aut fractum,aut adulatorium.

460 Est quiddam mediocre,quod nec suam dignitatẽ abijcit,nec alienam tollit.

461 Lasciuia & spurcities à sermone extirpanda,ut à cibis uenenum.

462 Nec celeritatem in loquendo nimiam suscipias, nec ut cogitationem præuertant uerba:nec respondeas,antequàm qua de re agatur,plenè intellexeris: & quid ille cui respondes dixerit, senseritq;.

463 Rarissimum debet esse illud Ciceronis, Quicquid in buccam: & meritò soli Attico dictum: ac nescio an usquam admittendum, quum inter amicos cauendum sit,ne quid dicamus,quod amicitiam dirimat aut lædat.

464 Quàm turpe illud & periculosum,Lingua quò uadis?

465 Christus Dominus noster, sciens ex loquacitate plurima oriri mala, & illa in primis,quæ pugnant cum capite legis suæ,rixas,discordias,simultates:

466 Ad circumspectionẽ loquẽdi interminatus est:De omni uerbo ocioso, quod homines fuerint loquuti,reddituros eos rationem in disquisitione illa mundi.

467 Idcirco Psalmista inquit: Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.

468 Ne sis in sermone immodicus, ac ne multus quidẽ:neue audiri uelis solus. est enim in loquẽdo uicissitudo:etiam si cum imperitissimis agas,aut uilissimis, sed nec adeò rarus aut tardus, ut ipse te auscultare existimeris, idq; facere, quòd singula tua uerba singulæ tibi rosæ uideantur.

469 Inter prudentes præstat audire,quàm loqui.sed est locus ubi tacere tam est uitium,quàm loqui,quando non oportet.Nulla uoluptas est tanta,quę cõparari queat colloquio prudentis hominis ac diserti.

470 Ne sis nimius percontator:est enim molestum & odiosum.Noris & illud Horatij:Percontatorem fugito,nam garrulus idem.

471 In differendo ne sis contentioſus,aut pertinax. si uerum audias, hoc protinus silentio reuerere,illiq; tanquam diuinæ rei assurgito.

472 Sin non audias,nihilominus concede hoc uel amico, uel modestiæ tuæ: præsertim ubi nullum neq; probi mores detrimentum accipiunt,neq; pietas.

473 Superuacanea est contentio,si non adsit proficiendi spes.

474 Arrogantiam, aut iactantiam, aut superbam & fastidioſam autoritatẽ non ferunt homines,ne in maximis quidem uiris,& omnem laudem meritis.

475 Ne uerbis,quod scis ostentes,sed rebus te ostende scire.

476 Nec quicquid est iucundum tibi dicẽti,idem credideris esse alijs audiẽtibus.

477 Caue ne quid facias,quod securus non sis,nisi celetur: sed si fecisse contingat, nemini detexeris.quod taceri uis,prior ipse taceas:si in detecturus es, uide etiam atq; etiam cui.Arcanum quid,aut celandum, maxime amico, quum committis, caue ne iocum admiſceas,ne ille iocum ut referat,occultum retegat.

478 Tibi uerò arcanum creditum,accuratius & fidelius custodi,quàm depositam pecuniam.

479 Nihil erit in humana uita tutum,si tollatur secretorum fides.

480 Si quid promiseris,præsta,etiam si res sit ardua in primis,& difficilis,saltem ut obligatam alteri tuam fidem soluas.

481 Si quid tibi sit promissum,ne exigas:acrior semper in te iudex, quàm in alios.

482 Existimare decet te,homines habere sensum,rationem,mentem,iudicium, ne speres te illis posse persuadere,malefacta esse benefacta,aut contrà. nec falli posse rebus simulatis,tectis,fucatis, adumbratis:quæ tandem produnt se, & fiunt tanto fœdiores ac inuisiores,quanto prius occultiores fuerant.

483 Infestis enim animis accipimus ea,quibus sumus decepti.

484 Ideo consultius est omnia esse aperta,nuda,simplicia.

485 Nam etsi aliquando ueritas initio odiosa sit,deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius.

486 Laborat aliquando ueritas,nunquam opprimitur.

487 Nec mendacij utilitas solida est,ac diuturna:nec ueritatis damnum diu nocet.

488 A mendacio tanquam corruptela quadam abhorreto:nihil est enim humana conditione abiectius,ut quod illam procul à Deo separat,diabolo similem ac mancipium facit.

489 Deinde,seu tardè seu celeriter mendacium deprehenditur,uertiturq; mentienti in turpem ignominiam.

490 Quid despectius,aut uilius mendace?

491 Si mendacem te norint,nemo credet tibi,etiam si affirmes uerissima.

492 Contrà si ueracem, maiorem habebit fidem nutus tuus,quàm aliorum sanctissimum iusiurandum.

493 Si non uis loqui repugnantia,si uis inesse uerbis tuis constantiam,nihil opus est memoria,aut arte alia,quàm ut dicas semper,quod credis uerum esse.

494 Verum uero consentiens,falsum nec uero,nec falso.

495 Sed si uis in opinione tua uerum inesse,ne facile credas nisi comperta,uel magnam ueri faciem præ se ferentia.

496 Neu sis suspicax:unde illud sapienter dictũ,Si uis esse uerax,suspicax nõ eris.

497 Miserum illum qui id egit,unde extricare se non potest,nisi per mendacium.

498 Iurare ne consuescas. Sapiens enim ait: Vir multum iurans replebitur iniquitate,& non recedet à domo eius plaga.

499 Et Dominus in Euangelio suo uetat nos penitus iurare,tantùm affirmare,ita est:aut negare,non est.

500 Magna est Dei reuerentia,non illum passim, aut facile testem adducere. non hoc debet,nisi ab inuito & coacto fieri.

501 Qui facile in seriis iurat,in iocis iurabit:qui in iocis,& in mendacio.

502 Si qui tibi credituri sunt,æquè iniurato credent,ut iurato:si non credituri,magis etiam si iureiurando auertentur.

503 QVOMODO HOMINIBVS VTENDVM. XI.

INter homines est aliquod faciendum discrimen. Sunt enim ex eis alij domestici, alij noti tantùm,alij ignoti.

504 Domesticos uoco consanguineos,affines,& quibus cum in eadem domo & familia degis.

505 Omnes sunt diligẽdi,etiam in ignotos talem te ostendes,ut sentiant te in uniuersum toti generi humano amicum esse,omnibusq; bene cupere.

506 Non tamen te eũdem præstabis omnibus,ut lineam albam in albo saxo:alios adhibebis consilijs,alijs parebis & obsequêre,alios reuereberis ac coles,alijs gratiam referes,si quod ab eis tuleris beneficium:& ijs potissimum,quorum opera usus es uti li tibi,aut diligenti,aut fideli.

507 In quo animus pro opere computandus est,non in multo peiore loco uideatur esse qui conatus est,qui uoluit prodesse,quàm qui profuit.

508 Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo & compensando sollicitus, quàm si pecunias mutuas.

509 Nec putes minus esse operam dedisse,duntaxat honestam,& à sincero profectam animo,quàm pecuniam:quin hoc maius,quo cuiq; corpus quàm externa charius debet esse. Ne expectes,dum necessitates ad te suas familiaris deferat:tu illas odorare,& eis ultrò subuenias. Honestis precibus occurre,& antequàm oreris,exorare.

510 Parentes non amabis solùm,sed secundum Deum unicè uenerabere:illorum iussis tanquam diuinis imperijs obtemperabis.

511 Persuasus id,quod res habet,illos uicem tibi referre in terris Dei,nec te uel chariorem cuiquam esse,uel maiori curæ.

His pro-

512 His proximi sunt præceptores,pædonomi,tutores,denicp quibus commendata est morum tuorum cura,quîs nihil est in homine precioſius,aut præſtabilius.

513 Iſtos uelut alteros parentes ama & reuerere,his modeſtè,imò cum alacritate quadam pare,reputans quæcunque præcipiunt,non ad ſua illos referre commoda, ſed ad tua.

514 Quod quum ita ſit,peſſimam tu illis gratiam redderes,ſi ubi ipſi commodis tuis intentiſſimi ſunt,tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

515 Crede te illi eſſe charum,à quo amicè reprehenderis.

516 Nec unquam reprehenſionem obeſſe,uel inimici.nam ſi uera obijcit,oſtendit quod emendemus:ſin falſa,q̃d uitemus.ita ſemper uel meliores reddit,uel cautiores.

517 Quos familiares tibi facturus es,explora prius quibus ſint moribus,& quemadmodum ſe cum alijs amicis geſſerint,ne te poſtea neceſſitudinis pœniteat.

518 Ne familiaris illi fias,cuius familiaritatem bonos uides auerſari.Eos etiam uita,qui non te amabunt,ſed tua: quales ſunt paraſiti,& quorum conſuetudine,ac tanquam affrictu uel peior fies,uel labem aut periculum contrahes.Illos quoq;,qui amicis fœlicioribus inuident:tum qui iocorũ ſtudioſi,nihil penſi habent,in uitam & maximè arcana amicorum ludere,ac dicta dicere:aut innata loquacitate reticenda cum primis effutiunt,ſed illos potiſſimùm qui ob leuem rixulam grauiſſimas inimicitias cum chariſſimis ſuſcipiunt,acriũsque in eos ulciſcuntur,quos aliquando amarunt, quàm quos ſemper oderunt,Barbarica quadam perſuaſione,Minus ferendam eſſe iniuriam quæ fit ab amico,quàm quæ ab inimico. in quo ſe oſtendunt,nunquam amaſſe:alioqui non putarent ſe tam citò læſos. Eiuſmodi præſtat inimicos,aut certè ignotos habere,quàm amicos.

519 Eſto in admittendis ad familiaritatem cunctatior,in retinendis ſemel admiſſis conſtantior.

520 Familiares elige,non placituros tantùm,ſed & profuturos: non eos qui omnia loquentur ad gratiam,ſed qui ad commodum: nec qui ſuauiter aſſentabũtur,ſed qui uerè admonebunt.

521 Si conſueueris aſſentatoribus delectari,nunquam uerum audies.

522 Ex beſtijs exitiabiles maximè,inter feras inuidia,inter manſuetas adulatio.

523 Quàm amandæ ſapientia & uirtus,tam execranda aſſentatio,quæ impedit ne illuc perueniamus,dum ſuadet iam peruenisſe:tam diligenda recta admonitio,quæ illuc prouehit,dum quantum ſuperſit,& quemadmodum conficiendum ſit,docet.

524 Si reprehendi fers ægrè,reprehendenda ne feceris.

525 Miſerum illum,qui admonitorem quum eget,non habet.

526 Malorum hominum conſuetudinem non ſecus atq; ictos peſte deuita,utrinque enim metuendum contagium:

527 Niſi talis ſis,qui confidas te poſſe illos meliores reddere:

528 Sed huic fiduciæ non eſt nimis fidendum,præſertim quoniam natura noſtra in malum fertur prona:ad uirtutem autem,accliuis eſt atque ardua ſemita.

529 Explora & ipſe qui ſis,quo loco,qua conditione:nec putes rem ullam eſſe tantam,ob quam tibi plus quàm cæteris liceat.

530 Quo tibi plus cõcedẽte more licet,hoc minus retrahẽte moderatione libeat.

531 In minores præbe te comem,in maiores reuerentem,in pares facilem ac tractabilem.

532 Sic ut uitio ſis ſemper durus,rigidus,inexorabilis.

533 A potentioribus contemni te ne iniquè accipias,potiusq; id crede fortunæ uitio fieri,quàm hominis.

534 Si quid à minore proficiſcatur,quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam eſſe,ſed libertatem.

535 Te etiã nimis eſſe delicatũ,cui leues titillationes,grandes uideãtur eſſe plagę.

536 Nec,oportet,exiſtimes te ſolum eſſe hominem,reliquos pecudes,quibus nec mutire liceat,homo es,uiue æquo cum reliquis hominibus iure.

537 Immo uerò si sapientior es,si melior,hoc indulge,hoc concede magis de iure tuo cæteris:tanquam imperitioribus,aut imbecillioribus.tibi uerò minus uelis ignoſci,cui tantum rubor sapientia & uirtus attulere.

538 Si uirtute non excellis,cur postulas uideri alijs potior:si excellis,cur affectibus moderandis non plus quàm uulgus præstas?

539 Iniuriam accipere,quàm facere:decipi,quàm decipere,satius & præstantius: quod nec humana ignorauit sapientia,ut Socrates,Plato,Aristoteles,Seneca.

540 Memineris humanæ imbecillitatis esse falli,errare:ne te grauiter aliorum delicta offendant,præsertim aduersum.

541 Ignoscere,generosi pectoris:iram retinere,atrocis,sæui,degeneris,uilis:quod & natura in mutis animantibus ostendit.

542 Quumq; Deus nihil uel crebrius faciat, uel libentius quàm ignoscere,quis est tam demens,qui negare possit illud esse pulcherrimum atque excellentissimum, quo tam propè ad naturam illam accedimus summi & præpotentis Dei?

543 Eris in homines talis,qualem cupis Christum erga te.

544 Et est profectò æquum,ut eam tu des hominibus ueniam,qua in eisdem delictis,aut alijs non paulò leuioribus ipse eges.

545 Nulla oratio præstantior,aut efficacior apud Deum illa,quam edocti sumus ab eius filio Christo Domino:quæ idcirco Dominica nominatur.

546 At illam non potes uerè ac puro animo dicere,nisi toto pectore homini condonaris,quicquid ipse condonari tibi à Deo petis.

547 Hac lege remittitur nobis ingens debitum,si nos exiguum remittamus.

548 Quicquid unquam homo in hominem peccauit, minutissima pars est eius, quod quiuis hominum singulis momentis in Deum peccat.nimirum tantum,quanto maior & excelsior est homine Deus.

549 Si cui es iratus,fac iuxta monitum Apostoli, Ne sol occidat super iram tuam.

550 Concessurus cubitũ,omnes ex animo rixas,iras,offensiones,cupiditates,sollicitudines depone:ut composito & tranquillo animo placidissimæ te quieti tradis.

551 Cui semel ignoueris,cura ut ille sentiat bona fide id esse actum,ut nec ipse iniuriarum memineris, & experiatur te amicum, si qua in re iuuare aut commodare illi potes.

552 Affectus iniuria caue, ne ultionem tuis manibus de quoquã sumas,nec eam ulli mortalium mandes.non est tibi ius in seruum alienum,imò in conseruum tuum, Domino tuo iniuriam facis,si non illi cognitionem relinquis de conseruo tuo.

553 Atqui Deus est omnium Dominus,uniuersi sumus eius serui: sit satis,te quæstum: ac ne queraris quidem. oculus Domini singula intuetur:& iuxta sacrum uerbum,ipse nouit & facientem iniuriam,& patientem.

554 Idcirco sic ipse omnibus edicit:Mihi uindictam,& ego retribuam.

555 Nam quum in animo sit iniuria,non in facto, solus Deus scit,qui fuerit animus,& quod ei debetur supplicium.

556 Plerunque putamus eam esse iniuriam,quæ non est:ut sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula ritè examinare, sed ad iudicandum transuersos ui sua rapiunt.

557 QVOMODO SE QVISQVE GERET ERGA SEIPSVM. XII.

COnuenit te non charum modò esse tibi ipsi,sed etiam uenerabilem præbere,ut pudeat te tui ipsius aliquid facturi uel ineptè uel imprudenter uel impudenter, fœdè,flagitiosè,sceleratè,nephariè,impiè.

558 Pluris facias iudicium conscientiæ tuæ,quàm uoces omnes ingentis multitudinis,quæ imperita & stulta est:ignota temerè ut probat,sic & damnat.

559 Conscientia est,quæ turbata maximos affert animo cruciatus:tranquilla,maximam beatitudinem:cui nullæ opes,nulla possunt regna comparari.

560 Hoc est quod Dominus in Euãgelio pollicetur suis,multò plura etiam in hac uita recepturos eos,quàm quæ pro se repudiarint.

Fama

561 Fama nec profutura malo,nec læſura bonum.

562 Mortuus quid plus referes de fama,quàm pictura Apellis laudata,aut equus in Olympia victor:nec uiuo quidē prodeſt,ſi eam ignorat:ſi nouit,nihil adfert aliud, niſi ut ſapiens contemnat,inſipiens ſibi magis placeat.

563 Conſcientia uerum & ſolidum & duraturum reddit teſtimonium,plurimum in illo Dei iudicio ualiturum, uitæq; huius magna eſt magiſtra. Et quemadmodum ſcitè ille dixit,murus aheneus,quo & tuti agimus inter innumera uitæ pericula,& ſecuri:nec ullus eſt tantus terror,qui eum commoueat.eſt enim mente defixus Deo,illiq; fidit uni,ac ei ſe nouit peculiari eſſe curæ,cui ſcit parêre uniuerſa.

564 Turpe eſt alijs notum eſſe,ignotum ſibi.

565 An non tibi ſufficit,te & tibi notum eſſe,&(quod maximum eſt)Deo?

566 Qui tamen nominis curam abijciunt,ut audacius & ſecurius peccent,ij dupli citer ſunt mali,quòd nec homines reuerentur,nec Deum.

567 Et in conſcientiam iniurij ſunt, quam derident ac delurdunt,tanquam ob id ſpreuerint famam,ut ſe conſcientiæ ſuæ liberius uendicarent: quæ hac de cauſa effuſius delinquit,quod iam nullo metu coërcetur.

568 Hoc eſt amare ſe,conari,laborare,magnis precibus à Deo petere ac contendere, ut excellentiſſima noſtri pars ornata atque exculta ſit ueris germanisq; ornamentis,nempe religione.

569 Non is amat ſe,qui opes,qui honores amat,qui uoluptates,deniq; quæcunq; ſiue extrinſecus ſunt,ſiue in corpore:quum potiſſima hominis pars ſit mens.

570 Nec amat ſe,qui ignoratione ſui ſeipſum fallit,uel falli ſe ab alijs patitur:interdum gaudet,quum ea ſibi perſuadet intereſſe bona,quæ nulla inſunt.

571 Hic non eſt in homine amor ſui,ipſe ſit animus: ſed amor corporis inconſultus,cæcus,ferus,pernicioſus ſibi & alijs.

572 Quem non iniuria caput eſſe ac originem malorum omnium Socrates pronunciauit: quippe tollit charitatem mutuam, unde in genere humano mala omnia naſcuntur.

573 Nimirum qui ſe hoc modo amat,is nec alium amat,nec ab alio amatur.

574 Superbus mitibus diſcors,ſuperbis multo etiam magis.

575 Seruator noſter breui declarat documento,quid ſit amare ſe,quid odiſſe:Qui odit(inquit)animam ſuam.nihil illi in rebus iſtis fortuitis aut perituris indulgendo, is uerè amat eam,& ſaluam cupit:qui uerò amat indulgendo,is odit,is uult perditam.

576 Laborem pro æterno & cœleſti præmio,quis niſi amens refugiat? quum nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur.

577 Hæc eſt lex eorum quibus pater eſt Adam,ut laborent:hæc eorum execratio, quibus mater Eua,ut affligantur.

578 Quanto præſtat anniti, ut maxima merces opera noſtra quæratur:quàm exigua,uilis & euanida,atque hinc ſempiternus cruciatus & mœror?

579 Quid,quòd facilius & tutius & ſecurius,ac proinde iucũdius leuiusq; eſt,bene agere:quum peccatum,timoris & ſollicitudinis ſit plenum?

580 Peccatum,hominis mors:ut iugulare ſeipſum uideatur,quiſquis peccat.abducit enim ſe à Deo,uita noſtra:& à quiete conſcientiæ ſuæ,qua nihil eſt beatius.

581 Peccati ſordes ablues lachrymis,pœnitentia,& inuocatione diuinæ clementiæ,multum huic confiſus.

582 Occaſio omnis peccandi,& cauſa,intentiſſima cura uitanda eſt. Sapiens ait: Qui amat periculum,peribit in eo.

583 Et imminet ſemper occaſioni ſuæ diabolus,per quem nunquam nobis licet ſecuris agere.

584 Semper eſt cum eo belligerandum, ut uerè Iob dixerit:Militia eſt uita hominis ſuper terram.

585 Et quum ſit hoſtis tam potens, robuſtus, uafer, tam callidus,ueteranus,exercitatus, tot uires habeat, tot ſtrategemata: nulla ratione aut arte, aut ui noſtra

propria

propria possemus pares illi,nedum superiores è conflictu excedere.idcirco diffisi nostris copijs,ad Deum accurrendum est,ad opem implorandam.

586 Hac causa Dominus ac magister noster suis illud subinde præcipit,orent,& religiosis affectibus à Patre omnium petant,ne in tentationem ducãtur,hoc est in prælium,quo manus cum diabolo conserant.

587 Et in oratione,quam ipse nos docuit,illa est coronis:Et ne nos inducas in tentationem,sed libera nos à prauo illo insidiatore.

588 Sic ergo amamus semper,tanquam in acie armati: uigilantes,accincti,intenti, occasionibus nostris non indormientes. & quũ tanta sit uitæ fugacitas,in tanta incertitudine,ut ne crastinum quidem possit sibi quisquam polliceri,stultum est & pericu losissimum,si spes nostras in longum tendamus,differamusq; nos adornare futuro itineri,quò singulis momentis uocamur,inscij quando (uelimus nolimus) in illud pertrahemur.Quam ob rem paremus nobis thesaurũ ad futuram uitam,cui aliquid quotidie accrescat,quo instructi & confisi,nunquam per segnitiem aut socordiam inopinantes opprimamur,aut discedamus mœsti,sed parati abire,& uitæ huius pleni,agentes præ nobis magnam & optimam spem uitæ,innocenter sanctèq; transactæ per fidem filij Dei & pietatẽ,quam nos edocuit, quo munere nullum potuit homini Deo maius aut pulchrius dari: quo Deum noscimus,& quantum effici à mortali potest, æmulamur,sequimur,consequimur.

589 Sine hoc quid est homo aliud,quàm immortale pecus?

590 Vt unus dies humanæ uitæ præferendus est longissimæ ætati cornui,aut cerui: ita dies unus ex religione actus,hoc est diuinæ uitæ,toti æternitati sine religione anteponendus.

591 Hæc est uita æterna,inquit Christus Dominus,ut agnoscamus Patrẽ,& quem ille misit,Iesum Christum.

592 Hîc est cursus absolutæ sapientiæ, cuius primus gradus est Nosse se, postremus Nosse Deum.

Regi seculorum immortali & inuisibili, soli
Deo honor & gloria.

BRVGIS,
1524.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

D.Mariæ Cambriæ principi,Henrici octaui Angliæ regis filiæ, S. P.

SOLITVM est Principibus adhiberi satellitium, quod pro custodia corporis ac uitæ illorum perpetuò excubet, recepto magis more, quàm sapienti aut probo: quum Principes eo ipso metum suum testentur,qui ferè ex conscientia nascitur: nec ulla certior custodia sit, aut fidelior,quàm innocẽtia,& populorum amor,qui non armis aut terrore extorquetur:amore,fide,diligentia,cura communium commodorum elicitur.Nec immeritò laudata est Agasiclis Lacedæmonum regis sapientissima uox,posse quemuis sine satellitio regnare, qui sic subditis imperaret,ut filijs pater. Sed si consuetudo tot annorum usu comprobata,tolli tam subitò non potest, ne custodibus corporis istius careas,parentes tui curabunt.Ego uerò à matre tua,inclyta & sanctissima fœmina rogatus,Satellitium circundabo animo tuo:quod te securiorem ac tutiorem præstabit, quàm hastati aut sagittarij quicunque. Nam hæc corporea

porea custodia, corrupta nonnunquam uel precio, uel metu, uel delicijs, Imperatorem sirum aut deseruit, ut Neronem: aut prodidit, ut Galbam: aut etiam occidit, ut Pertinacem. Hi abs te semel bona fide asciti, pectora sua pro salute tua aduersus impetus assultusq; & insidias omnes obijcient. Est enim maius animo periculum à uiribus & astu uitiorum, quàm corpori ab externis aut intimis simultatibus: quanto cuique charior esse debet animus quàm corpus, & uitiorum callidiores insidiæ atque occultiores, & eorum tyrannis grauior, & interitus animi acerbior ac terribilior.

Accipies igitur Satellites ducentos, aut paulò plures, quos sic tibi facies familiares, ut nec noctu, nec interdiu, nec domi, nec in publico sinas à tutela tui uel latum unguem discedere, ne his, aut certè similibus destituta, prædæ sis diabolo: qui, ut Petrus ait, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Symbola appellaui, quasi notas quasdam, cuiusmodi mos uetus erat Principibus se insignire, quod & fit hodie. Sed latius res patuit, ad uulgum etiam progressa: unde tanquam ex stultitiæ fonte manarunt illa stolidæ cuiusdam arrogantiæ, quæ hoc tempore Principes usurpant, indigna non modò Christianis, sed etiam Gentilibus: quibus illi omnibus minantur, omnes terrent: & sibi ipsi plus tribuunt, quàm homini est concessum, maioremq; in potentia sua fiduciam collocant, quàm in Deo. Intelligi potest, de quibus loquar, nec mihi explicatius quicquam dicere necesse est. Eiusdem ferociæ sunt insignia leonum, ursorum, pardorum, luporum, serpentum, draconum, molossorum, aquilarum, uulturum, gladiorum, ignium, & huiusmodi: tanquam pulchrum & magnificum, & uerè Principe dignum sit, talis esse ingenij, qualis sunt illa, atrocis, rapacis, sæui, cruentiq;. quanto præstaret, aliquid pro insignibus ostendere, quòd humanitate, comitate, lenitate, dulcedine alliceret, atque inuitaret, aut grauitatis & præstantiæ magnitudine ac maiestate detineret? Porrò symbolorũ hæc est lex, ut sententiã absoluant uerbis ad summum quinque, & quo breuiora sunt, hoc uenustatis plus habeant. quale est illud Augusti, Matura. Obscuritatis aliquid & allegoriæ symbolum condit, ut paulùm à naturali sensu deflectatur: modò ne tanta sit, quanta Pythagoras est usus, ut ab intelligentia dictorum suorum arceret imperitos, qui symbola sua longissimè uerbis abduxit illinc, quò sensus spectabat: adeò ut Tyrrhenos induxerit, illis citra omnem allegoriam parêre, quum eam non assequerentur. idcirco & expositiunculas addidi, breues quidem pro rei argumento, sed in hoc tantum, ne te in multis ambiguitas uel remoraretur, uel falleret. Mihi pro hoc satellitio nolo stipendiũ aliud numerari, quàm ut lex Christi, unde sunt nobis hæc desumpta, utcunq; uoluimus, in tota uita atque actionibus tuis regnet: magno exemplo priuatarum, si talis sis Princeps ipsa. quod facile consequeris, matris tuæ imitatione. Homini enim Christiano, quod potest amplius præmium aut præstabilius in hac uita contingere, aut ad futuram fructuosius, quàm uidere rectas suas admonitiones, non irritas cecidisse, & opera sua auctam aliquorum pietatem? Impartiat tibi Dominus Iesus spiritum suum, ut & fœlicissima quamdiutissimè uiuas, & fortunis omnibus probitatem anteponas.

BRVGIS,
Ad calendas Quintiles,
1524.

IO. LVDOVICI VIVIS
SATELLITIA CCXIII.

PRIMVM SATELLITIVM.



COPVS VITÆ CHRISTVS.

Sit hoc primum Symbolum, tanquam fœlix auſpicium cæterorum, quo monemur, omnia referenda in Chriſtum, & in eum dirigenda, ut iaculantium ſagittas in ſcopum.

2 Pax Chriſti.

Hæc eſt, quæ in totum hominem placidiſſimã concordiam & quietem intuebit, ne quid in ipſo tumultue tur: ne cum alio intus aut foris pugnet, uel diſſentiat.

3 Murus æneus ſana conſcientia.

Impenetrabilis eſt enim, & qui maximè hominem tutatur. Ex Horatio: —Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

4 Fœlicitas unica, intus nil ſtrepere.

Fons humanæ fœlicitatis & miſeriæ in animo eſt: qui ſi tranquillus ſit, ſuauiſſimè agimus: ſin commoueatur, inſuauiſſimè. ut ſi fons turbetur, cœnoſa eſt aqua: ſi quieſcat, liquida, & guſtui grata.

5 Bonis omnia in bonum.

Homo probus & ſapiens, quæcunq; ſiue bona contingant, ſiue mala, ad ſuam utilitatem uertit, dexteritate ſapientiæ. Deus etiam omnia, quæ dat charis ſibi, conuertit in ſalutis inſtrumentũ: ſicut Paulus inquit, Diligẽtibus deum omnia redeũt in bona.

6 Suſpicionibus ſecuris.

Non indulgẽdũ ſuſpicionib. non leuiter auertẽdæ, ſed ſecuribus ſunt reſcindẽdæ.

7 Virtus inſtar omnium.

Nulla enim re ad bene uiuendum indiget, qui eam habet, quod Stoici ſenſerunt: & id ſentire Chriſtianos magis decet.

8 Virtus citra fortunam ualida.

Et hoc ex Stoicis, & Chriſtianis.

9 Tibicen fortunæ uirtus.

Infirma ſunt ſine uirtute, quæcunque uel exterius contingunt, uel corpori: ideo ſuſtentaculum fortunæ eſt uirtus, hoc eſt enim in ædificijs tibicen.

10 Sanus intus & exterius.

Iuuenalis ex Socrate: Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

11 Antidotum uitæ, patientia.

Horatius, Cuius dolori remediũ eſt patiẽtia. hoc eſt uerum antidotum contra tot uenena uitę huius, quibus undiq; intrinſecus & extrinſecus inuadimur, ac urgemur.

12 Sal uitæ, amicitia.

Inſulſa eſt enim uita ſine amicitia, & maxima quæque oblectamenta inſuauia, ut Cicero in Lælio declarat.

13 Oculus uitæ, ſapientia.

Sapientia, eſt rerum humanarum & diuinarum notitia: qua ſublata, cæca eſſet uita noſtra, & in denſiſſimis tenebris deſtituta.

14 In uirtute oculi & manus.

Inſpicienda enim uirtus, & agenda.

15 Multi nimium, nemo ſatis.

Habent, intellige. Ex Seneca: Fortuna multis nimiũ dedit, nemini ſatis. Nam multi quum

ſi quum plus quàm ſufficit,aut oportet,poſsideant, nondum tamen uidentur ſibi habere ſatis:quod ad cupiditatem uiuunt,quę inſatiabilis eſt.

16 Satis hoc contento.

Nihil tam exiguum,quod non ſufficiat ei,qui amplius non requirit.

17 Satis relicturo.

Quid iuuat tam multa congerere,aut tam anxiè cuſtodire: quũ uelimus nolimus, relinquenda ſint?

18 Intus quàm exterius formoſior.

Vera pulchritudo eſt in animo, idcirco Stoici ſolum ſapientẽ uocabãt pulchrum. Cicero tertio de Finibus,et Socrates apud Platonem in Alcibiade de Votis,optabat, ut intus pulcher efficeretur.

19 Intus quàm exterius ornatior.

Ornamenta interiora ſunt uirtutes,eruditio,acumen: quæ excellentiora ſunt ueſtimentis,aut forma corporis.

20 Harmonia interna.

Vt nihil ab alio diſſonet, ſed ſit concentus in animo dulciſsimus, hanc ueram eſſe Muſicam dicebat Socrates.

21 Velle inſtar omnium.

Apud Deum ſufficit uelle,et gentilium ſunt illa celebrata:Si deſunt uires,tamẽ eſt laudanda uoluntas.&, Voluntas pro facultate.

22 Natura quis pauper?

Nulli poteſt deeſſe,quo ſe ſuſtentet:ſic enim prouidit Natura, ut facilè ſuppetat animantibus alimonia,modò ne quis putet ſe non poſſe uiuere ſine pane ſiligineo, & piſciculis ex mari Ægeo aduectis, aut auiculis multo parandis.Panis & aqua,uitæ ſufficit,interim ſolum olus.

23 Opinione quis diues?

Nemo eſt humanis opinionibus diues:quæ in immenſum noſtros uſus auxerunt, ut tam habeat multa,cui non aliquid deeſſe uideatur.quo fit, ut diues non ſit, quum aliquid requirit amplius.Ita ſi errorem cõmunem recipimus,nec ſua opinione quiſquam erit diues,nec aliena.

24 Nec malum,nec frontem.

Nec mali quid feceris,reueritus Deum:nec quod malum eſſe exiſtimetur, reueritus homines:tum ne alios offendas,aut exemplo ſis ad malum.

25 Sapiens ſolus longæuus.

Vita enim ſtultorum, non eſt uita: ea demum eſt uita, quæ per ſapientiam agitur. ita præferendus eſt dies unus ſapientis,longiſsimæ æternitati ſtultorum. ex Ciceronе quinto Tuſculanarum quæſtionum.

26 Nocere promptum,ut peſſimum.

27 Prodeſſe abſtruſum,ut optimum.

Nihil eſt tam imbecillum,aut tenue, quod non poſſit aliqua nocere. ſed prodeſſe difficillimum,non eſt hoc cuiuſuis.& nocere peſſimum, nempe diabolicũ: prodeſſe uerò,utpote diuinum,præſtantiſsimum.idcirco nemo explicare debet uires ſuas nocendo,quum aranei morſus poſsit hominem necare.ſed iuuando,quod rarum eſt,& pulcherrimum,diuinæq; naturæ cognatum.

28 Pauper egens,non carens.

Non eſt pauper, qui caret: ſed qui eget, qui deſiderat. Socrates forum ingreſſus, Quàm multis ego,inquit,non egeo?

29 Alienis lachrymis cautior.

30 Alieno riſu lætior.

Non eſt gaudendum alienis malis,ſed danda opera,ut illis fiamus cautiores, ne in illorum cauſam incidamus: nec inuidendum alienæ lætitiæ, ſed gaudendum, tanquam ſi tibi contigiſſet.

31 Cor canum in iuuenili corpore.

Vt sit prudentia senilis in iuuenta: cor enim sedes est ingenij & mentis, unde cordati homines.

32 Pedica nimia fiducia.

Decipitur facile, quisquis nimium fidit alijs: sed potissimum, qui sibi ipse, ne uirtuti quidem suæ: unde facile nascitur arrogantia, & uanitas, quæ sæpissimè uirtutibus succrescit.

33 Columbi oculus in serpentino corde.

Hoc ex Euangelio: Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut colũbæ. Decet enim nos corde sapere, sed oculo in iudicando uti minime maligno, aut uafro.

34 Oculus in sceptro.

Nulla uirtus magis decet principem, quàm prudentia. Quid enim aliud est potentia in stulto, quàm gladius in manu furentis? Istud sumptum ex Hieroglyphicis Ægyptiorum.

35 In uirtute delphinus.

Narrant nullum animalium celerius esse delphino. Admonemur non debere nos differre bene agere, sed uti in eo aggrediendo magna celeritate.

36 In ultione Callipedes.

Suetonius in Tyberio refert, hunc seu hominem, seu animans aliud, quum diẽ totum se cõmouerit, non promouere tamen cubitum unum, ut tarditas illa in prouerbium uenerit. Significat symbolum, lentissimos debere nos esse in ulciscendo.

37 Temporis minister.

Allusio ad uetus oraculum, Tempori pare de quo Plato & Cicero, & Seneca. Accommodare se debet unusquisq; tempori, nec speret coacturum se tempora, ut suis rebus seruiant: ipse potius præsenti rerum statui subseruiat.

38 Tempori parcus dispensator.

Et istud uetus, Tempori parce. Nihil charius debet nobis esse. quippe nihil est aliud tempus, quàm uita, quam unusquisq; tantum se amare profitetur, quũ nullius rei magis sit prodigus quàm temporis. Seneca de breuitate uitę, eódem spectat.

39 Magno uendendum tempus.

40 Gloria Crocodilus.

Animal est in Nilo, amne Ægypti, cuius hanc ferunt naturam, ut persequentes fugiat, fugientes persequatur. sic gloria quęrentes fugit, negligentes sequitur. Salustius de Catone: Quo minus gloriam petebat, hoc eam magis assequebatur.

41 Hemerobia uana gloria.

Aristoteles scribit, ad Hippanim Scythiæ fluuium nasci bestiolas, quę ad perendinum diem nunquã perueniant, quę hac de causa dicuntur ἐφημερίδες & ἡμερόβιαι, quasi diariæ: sic inanis gloria citò extinguitur, nec diuturna esse potest.

42 Disce uiuere.

43 Disce mori.

Vtrunq; ex æquo discendum, & rectè uiuere, & rectè mori. nemo rectè moritur, qui non rectè uixerit. hoc est totius uitæ exercitium, ut bene uiuamus, nec iniquo moriamur animo.

44 Viue, ut pòst uiuas.

Sic est hîc uiuendum, ut ad alteram perueniamus meliorem, atq; adeò ueram uitam. nam præsens uita, quid aliud est, quàm peregrinatio?

45 Virtus exercetur, non perit.

46 Generosa uirtus flatu accenditur.

47 Virtus, inimicitijs fortunæ crescit.

Eódem pertinent, Virtutem maiorem fieri aduersis, tanquam materia suorum incrementorum. Medium referri potest, uel ad flatum iratæ fortunæ, uel ad laudem.

48 Extorquet quies.

Nullum imperium grauius aut potentius quieto, in quo inest plus autoritatis & maiestatis, quàm in uehemẽti & turbulẽto: tale describit Vergilius primo Æneidos,

Acue-

Ac ueluti magno in populo. & Claudianus de consulatu Manlij Theodori. Imperiũ concitatũ ut multũ habet impetus, sic minus uiriũ: citius contẽnitur, facilius frãgitur.

49 Terret imperium.

De imperio uehementi, quod metũ quidem incutit, sed debilitat subditorũ uires.

50 Blandum imperium imperiosum.

Maiores enim habet uires, & fortius cogit. Ausonius: Blando uis latet imperio.

51 Domitrix omnium patientia.

Vergilius, Vincenda omnis fortuna ferendo est. Fortuna & casus humani, & impetus hominum retunduntur, si opponatur moles patientiæ: quod ostenderunt martyres nostræ pietatis.

52 Nobilitatem non dat unus dies.

Nemo est nobilis, quòd his aut illis parentibus natus sit: nec sors nascendi, quæ uno die cõtingit, facit nobilem, sed præclari uirtutis actus. Iuuenalis:

Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ Atria, nobilitas sola est atq; unica, uirtus.

53 Generositas uirtus, non sanguis.

At idem tendit. Inductione ad eam rem utuntur. Quis equus generosus? quis canis? nónne qui optimus? & sic in cæteris animantibus, ac stirpibus. Ergo & generosus homo non alius, quàm optimus.

54 Fortuna nimis blanda, hamata.

Publius in Mimis: Fortuna quum blãditur, captatum uenit. Nulla est alia fortuna, quàm Deus: sed admonemur, non efferri, non fidere corporis aut diuitiarum successibus: hi enim fortunæ nomine solent intelligi, nec Deus nos fallit: ipsi nos fallimus, stultè utentes rebus.

55 Fortuna fallacior, quo blandior.

Quod ego ad moderationem animi Cardinali Cronio dederam: sed non tam symbolum id fuit, quàm uaticinium: nam quum se effusissimè fortuna in illius & Ceruiani patrui sinum effudisset, repentè utrunq; absumpsit: sed Cardinalem adolescentem adhuc, alterius & uiginti annorum.

56 Stabilissima fortuna stultissima.

Idem Mimus: Fortuna nimium quem fouet, stultum facit. Adimit enim mentem, & tantis successibus insolescit animus humanus, ut iam nec alios ferre possit, nec se. Memini matrem tuam sapientissimam fœminam dixisse mihi, quum à Sion ad Richemundiam cymba reueheremur, Se quidem temperatã & mediam quandam fortunam malle, quàm uel asperrimam, uel lenissimam: alterutrum tamen optandum si esset, electuram citius tristissimam, quàm blandissimam. infœlicibus non deesse consolationem, fortunatissimis deesse mentem. Quod dictum uerè pudici pectoris, & sapientis, ego apud multos in hac regione celeberrimum feci.

57 Corpus excors fragile.

Horatius: Robur sine consilio, mole ruit sua. & apud Ciceronem sæpe, Nihil esse uires citra consilium.

58 Cor uel incorporeum firmum.

Consilium magnas per se habet uires, etiamsi corporeæ uires desint. quod ostendit natura in formicis, & apiculis. Sallustius: Non uiribus, aut uelocitate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate. Eadem est sententia Ciceronis in Catone maiore.

59 Fideli nullæ feræ.

Omnia ei concreduntur, nihil est ei clausum. Theognides: O Cyrne, argento fidelis præstat & auro. Contrà, infideli nihil est satis clausum.

60 Autoritas rerum gerendarum, telum.

Plura perficit autoritas, quàm uires, aut etiam cõsilia. Declarari hoc potest in principibus, qui magnas res gerunt, non tam opibus aut sapientia, quàm autoritate & maiestate. Bella, dicebat Cæsar, fama plurimum confici. multum quoq; interest, quis dicat, honoratus an inhonoratus: ut ait apud Euripidem Hecuba.

61 Veraci creditur,& mentienti.

Propter autoritatem,& præceptam fidem.

62 Mendaci non creditur,& iurato.

Aristoteles interrogatus,quid lucrarẽtur mendaces,respondit, Vt quum uera dícant,nemo credat.

63 Magnes amoris,amor.

Nihil est quod sic elíciat amorem,ut amor.Martialis: Hoc non fit uerbis, Marce, ut ameris ama. Est naturalis quædã in rebus coniunctio & harmonia, ut nemo illum oderit à quo dílígitur. De hoc Plato,Seneca,& alij.

64 Philtra amor.

Itaq; non est opus alío poculo amatorio ad amorem exprimendum,quàm amore.

65 Magnum satellitium amor.

Claudianus:Non sic excubiæ,nec circumstantia pila, Vt tutatur amor. Sallustius: Non arma,aut opes præsidia regni sunt, sed amici. nemo enim uult nocere eí, quem amat. Símile est quod sequitur,

66 Firmissimæ opes amor.

Non modò ímpía, sed stulta est etiam in rebus mundanís illorum uox, qui aiunt, omnia in pecunia esse constituta, amorem parum posse: quum uideamus maximas opes propter odium subuersas: minimas uerò & infirmas,in amicitijs constabilitas. Hinc uerbum uetus: Vbi amici, ibi opes. Apud Germanos & Scythas nullæ fuerunt olim opes aliæ.

67 Vbi terror,ibi timor.

Necesse est eum timere,qui terret alios. Ex uetere sententia, apud multos celebri:

68 Vbi uber,ibi tuber.

Apuleius in Floridis: Nihil quicquam homini tam prosperum Diuinitus datum quin & tamen admistum sit aliquid difficultatis, ut etiam in amplissima quaq; lætitia subsit quæpiam uel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis: V bi uber,ibi tuber.

69 Omnia proposuit labori Deus.

Horatius:Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus. & Vergilíius:Labor omnia uincit ímprobus. Ferunt fabulę,Iouem hominibus omnia uenalia exposuisse,preciu m esse laborem. Dici non potest,quantum in re omni ualeat quantulacunq; sedulitas,ut de formicis scribit Plinius.

70 Immodica imbecílla,

71 Modica firma.

Quum Theopompus rex Lacedæmoniorum Ephoros regio ímperio opposuisset,querenti uxori,quòd minorem filijs potentiam esset traditurus, quàm à patre accepisset. Atqui firmiorem,inquit. Modicũ uerò cum mediocre est, tum moderatum, utroq; dictum pertinet. Et in omni uita res mediocres iucũdiores ac stabíliores sunt, quàm uastæ atq; immanes. unde illud Hesiodi:Dimidiũ plus toto, quia mediocritas nimietate præstabílior. & Claudianus: Viuitur exiguo melius.

72 Magnus ope minorum.

Nemo ad magnitudinem peruenit, nisi auxilio minorum: quo grauius est illum infirmiores despicere, quorũ adiumento eò euectus est, unde hoc ipsi facere liceret.

73 Vicit uim uirtus.

Virtus ut Deo cognata,uires omnes hominum infringit.

74 Strauit fortunam uirtus.

Multis exemplis ostensum est,potentiorẽ esse uirtutẽ opibus & casibus fortuitis, ut magni & excellẽtes uirtute uiri humanos casus sublimes & intrepidi calcarint: & quibus opes succubuissent,ea uirtus superauit,uelut carcerẽ Socrates, Rutilíus exilium,inimicitias potentum Cato:sed atrocissima dictu nostri martyres.

75 Fortitudo in fortunam,non homines.

Non est fortitudo,cædere,sternere,cladem hominibus afferre. hoc belluarum est,

non

non hominum. Vera fortitudo est, uitia cohibere, fortuita despicere, nihil nisi probitatis timere iacturam.

76 Optima, cibus inuidiæ.

Inuidia non arrodit nisi excelsa & optima: humilia, abiecta, uilia negligit, non sunt illi esui: molestum est inuidiam ferre, & tamen molestius, nihil habere inuidendum.

77 Inuidia sibi & alijs uenenum.

Alia perimit, sed primùm se ipsam: in cæteris, inuidia est iniquissima: in hoc, æquissima: quod & illum tanquam ueneno consumit, in quo est: & eum ulciscitur, quem impetit.

78 Inuidia, uipera.

Ferunt hanc edi, arrosis matris lateribus: ita priusquàm exeat, matrem perimit, sic inuidia, primùm omniũ enecat eum in quo gignitur, tum prodit uenenatissima fera.

79 Quod Deo, & homini.

Æquum est nosipsos uoluntati Dei præbere morigeros, ac obsequentes: nobisq; idem placere, quod Deo. ne quis indignetur, aut improbet, res sic aut aliter euenire, quum autor omnium sit Deus: nos quorsum tendant ignari.

80 Da cæcus.

81 Accipe oculatus.

Decet eum qui dat, non meminisse beneficij: nec multum spectare cui det, certè cõtinuò oculos auertere: ne exprobrare aut imputare uideatur, aut laudem quærere. eum uerò qui accipit, intueri non tam munus, quàm dantem, & semper meminisse gratiæ. Idcirco fingunt tres esse Gratias, duas nunquam retrospicere, tertiam semper priores intueri.

82 Bonus bonis & malis.

83 Malus nec malis, nec bonis.

Bonus & admirabilis & charus est bonis & malis: malus uerò, neutris.

84 Præsidium in innocentia.

Inter tot uitæ huius pericula, quũ reliqua omnia iniuriæ obnoxiæ sint, innocentiæ noceri nõ potest. tum & reliqua fluxa, & euanida, & infirma sunt: sola innocentia efficit, ne aliqua uiolari possimus. nec quisquã alia re magis fidere, aut alia debet comparare suæ salutis munimenta, quis non tutus modò agat inter pericula, sed inter maximos terrores securus. Innocentia humanorũ summum, inquit Plinius in præfatione.

85 Matura.

Quod aliter dicitur, Festina tarde: Augusti uerbum apud Suetoniũ. Per quod intellige, debere in negotijs gerendis celeritatem tarditati admisceri, nec quicquam nimis properanter agi, nec nimis lente. Hęc duo, uerbo unico significari putant, Matura: ut apud Sallustium, Nam prius quàm incipias, consulto: & ubi consulueris, maturè opus est facto. Quanquam in consulendo uelim suscipi plus tarditatis: in agendo autem, modò sit satis grauiter deliberatum, plus celeritatis.

86 Ciconiæ beneficium.

Ciconiæ hic est mos, ut unum è pullis relinquat ei domui, in qua est nidulata. tum & parentes senio defectos tandiu & nutrit & gestat humeris, quàm ipsa eis fuerat paruula atq; imbecillis educata. unde ἀντιπελαργῶσι. Ita optimè in eam collocatur beneficium, & in homines gratos, qui eius significantur nota: tametsi commodandum est, cuicunq; possis. Quod uulgò nostrates dicunt: Benefac, nec spectes cui, sed gratis, potissimum propter exemplum.

87 Comœdia, uita humana.

Est enim ceu ludus quidam, in quo unusquisq; agit personam suam. Danda est opera, ut moderatis affectibus trãsigatur, nec cruenta sit catastrophe, aut funesta, qualis solet esse in tragœdijs: sed læta, qualis in comœdijs: ideo additur,

88 Ne uita tragœdia.

In qua turbulenta, & sæua sunt omnia.

89 Confide rectè agens.

Neminem metue innocens. Nam probo animo nemo potest nocere: & si corpori noceat, hactenus nocet, ut animam ex eo, tanquam è carcere, in libertatem emittat, uerámque uitam.

90 Veritas, temporis filia.

Verum quod diu latuit, procedente tempore existit & apparet, ne quis fidat mendacio, uel putet in occulto semper ueritatem fore. Cicero, Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

91 Lupus mendacio tempus.

Vorat enim, & absumit.

92 Veritas premitur, non opprimitur.

Laborat uerum, sed eluctatur tandem.

93 Mendacio comites tenebræ.

Tandem enim obscuratur: tum & amat tenebras, quibus tueatur sese.

94 Veritatis splendor comes.

95 Exilium inter malos.

Non est exilium, à patria abesse, sed à bonis, & inter malos agere. Relegarant Sinopenses Diogenem Cynicum: & illos relegaui, inquit Diogenes: quum hic Athenis uiueret, illi in Pontica barbarie.

96 Ne hilarem insaniam insanias.

Ex Seneca. quum quis mente abiecta, uel submersa, uoluptatibus se & delicijs mancipauit.

97 Inter spinas calceatus.

Admonet, non incautè agendum inter inimicos: quumq; inimicis septa sit hæc uita, circunspectione & magna cautione opus est ad eam transigendam.

98 Deum sequere.

Vetus dictum, ἕπου θεῷ. potest sic dici Deus dux: ut illius & ductui atq; auspicijs te totũ in hac uitę militia permittas, & imperijs obtemperes, & exemplum æmuleris.

99 Fama pluris quàm opes.

Et iucundior est & utilior: multos uidemus magnis spoliatos opibus, propter aduersam famam: alios propter secundum & fauorabilem rumórem locupletatos.

100 Virtus pluris quam fama.

Res solida & firma, & perennatura, pluris æstimãda est, quàm ficta, atq; adumbrata: & corpus quanto maioris quàm umbra?

101 Virtutis umbra gloria.

Ex Socrate. ideo compendiosa est ad gloriam per uirtutem uia.

102 Oculos in pectus.

In pectore est cor, sedes cogitationum. Perinde est ac si dicas, Nosce teipsum.

103 Non extorquebis amari.

Claudianus in Panegyrico sexti consulatus Horatij. Cætera extorquẽtur ui, amori non potest uis inferri.

104 Tempus edax rerum.

Ouidij in Metamorph. xv. & Aristoteles: Omnia tempore contabescunt, & decidunt, præter Deum, & spiritus, quibus ille immortalitatem communicauit.

105 Subiecta Dei manu consistimus.

Nec angeli, nec animæ nostræ sunt natura sua immortales, sed uoluntate Dei: nec res ulla uel momentum duraret, nisi eam regentis Dei cura sustineret. quo intolerabilior est in tanta infirmitate superbia, aut ingratitudo, si non agnoscas cuius munus sit uita, & ea quibus intumescis.

106 Gloria uento discutitur.

Quum aliud non sit, quàm flatus quidam.

107 Propter inuidiam uela opulentiam.

Inuidia, inquit Sallustius, ex opulentia orta est. ideo opes celãdę sunt, ne inuidiam nobis pariant. graue est enim eam seruare, quamuis innoxiam.

Ho-

108 Honores, onera.

Multæ curæ & sollicitudines susc ipiendæ sunt, multi labores adeundi constitutis in dignitate, aut honore: maximè quum illum studeant conseruare. Non minus erit uenustum si dicatur, Fasces fasces. Erant fasces magistratuum Romanorum insignia, sunt & fasces sarcinæ ac onera.

109 Virtutis radices altæ.

Ad stabilitatem uirtutis pertinet, quum reliqua uix summo solo hæreant.

110 Mortalibus mortalia præferenda.

Vt uirtus & eius æternum præmium, diuitijs aut honoribus, aut quibuslibet humanis affectibus.

111 Alata ætas.

Celerrimè enim auolat: & fugiunt freno non remorante dies. Et hoc citius, si sit bona ætas, nam mala diutius immorantur, & premunt.

112 Fidens, non confidens.

Sperandum est bene, sed non stolidè, aut imprudenter: quumq; incerta sint omnia futura, nec in fœlicitate attollendus est animus, nec in aduersis contrahendus: nec id tamen sperandum aut aggrediendum, quod maius sit uiribus, aut uerecundiæ terminos excedat.

113 Cuius pudebit, pigeat.

114 Ne feceris, quod factum nolis.

Finis in re omni spectandus est: stultumq; est id agere, quod postea multo redemptus sis, ne feceris, quum parum proderit pœnitentia.

115 Stulta de alienis superbia.

Videtur enim absonum, si ob eas te res extollas, quæ tuæ non sunt: porrò quid sit alienum, declaratur proximo symbolo.

116 Alienum, quicquid adimitur.

Quod tolli potest, nostrũ non est, ut fortuita & corporea: solus animus est noster.

117 Quod commodauit fortuna, tollet.

118 Quod mutauit natura, repetet.

119 Quod parauerit uirtus, retinebis.

Commodata uidentur à fortuna, quæ eadem redduntur: mutuata à natura, quæ similia, non eadẽ. sed utraq; non diutius futura sunt apud nos, quàm creditor aut commendator permiserit. At uirtutis præclara facinora (quemadmodũ inquit Sallustius) sicuti anima ipsa, immortalia sunt.

120 Princeps priuatis sublimior sentiendo.

Non decet principem aut opibus modò aut potentia priuatis excellere: sed sensu quodam, & opinionibus, supra popularem captum sapientissimis. ut non moueatur exiguis & uilibus reculis, sicut plebecula: sed sit in eo ut dignitas, ita sapientia quædam singularis. indignum enim est eos, quibus cæteri parent, nõ melius de rebus censere, quàm uulgus imperitorum hominum.

121 Princeps multis consulendo.

Hoc demum est principẽ agere, publicas utilitates suis anteponere, existimareq; neminẽ esse inter subditos, cuius cura peculiariter ad se non pertineat. Itaq; princeps officium suum implet, propria commoda & proprios affectus exuendo, induendo communes. Ideirco enim electi sunt principes, ut essent, qui satis priuatis soluti curis publicis excubarent. Licebit & sic dicere: Officium est imperare, non regnum.

122 Tu tibi uenerabilis.

Ne quid turpe uel agas, uel cogites, reueritus teipsum.

123 Malum occultum, pernicioſissimum.

Non enim potest aut pœnitudine deleri, aut castigatione tolli, aut explicatione leuari, aut consolatione leniri, siue sit delictum, siue affectus aliquis.

124 Non quàm diu, sed quàm bene.

Ad uitam & actiones omnes pertinet. Multis breue tempus seu uitæ contigit, seu

quid aliud agendi: nemini adempta est in quantulocunq; tempore facultas rectè se in eo gerendi, quod instituit: ideo non refert, quanta sit ei diuturnitas, sed qualis administratio: nec uitam ut sit bona, longam esse oportet: uel in uno momento sanctissimè licet uiuere.

125 Nomen præ opibus.

Pluris enim faciendum est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, iuxta sententiam Solomonis.

126 Odiosus, modò immeritò.

Ne cures, quòd odio habearis, modò id culpa tua nõ contingat, quòd aliquid ipse feceris odio dignum.

127 Ingratitudo multis immerentibus noxia.

Cessant enim homines benefacere, si in ingratos inciderint: ita gratos recusant experiri, ab ingratis læsi: idcirco lex erat in Græcia aduersus ingratos, quod id uitiũ uideretur communioni & societati hominum uehementer damnosum.

128 Iniuria obliuione ulciscenda.

Non est uerior aduersus iniuriam ultio, quàm si obliuiscaris eius: sic enim nec animum uret, nec magis lædet, quàm si facta non esset.

129 Præcipitis consilij assecla pœnitentia.

Multum enim cogitandum & deliberandum est, antequàm statuas. sententia ex Platone sumpta.

130 Quod uni, & omnibus.

Pari sumus omnes creati lege. quicquid uni euenit, potest & omnibus euenire: ne quis quum aliena uidet mala, securus agat.

131 Ne ferrum igni.

Non est ira ferro armanda. ex Pythagoræ symbolis.

132 Lachrymis ignis extinguendus.

Iram contra te lachrymis, & pœnitentia, & petitione ueniæ placato, non solum Dei, sed etiam hominum. nõ est turpe ueniam precari: turpe est, Deum aut hominem habere inimicum.

133 Fastigio caput summitte.

Potentiæ cede: ne cum opulentiore, aut maiore, aut meliore contendito.

134 Falso nomine non gaudendum.

Fluxum est enim, & momentaneum: nec iuuat, qum reclamet conscientia.

135 Amicus, ut non alius.

136 Inimicus, ut non idem.

Amicus sic amandus est, sic colendus, sic cum eo uersandũ, ut non putes posse inimicum fieri: inimicum uerò sic oderis, tanquam aliquando amicus sit futurus: in quo damnatur à Cicerone sentẽtia Biantis Prienæi, quam sequutus est in Mimis Publius.

137 Quod uideri uis, esto.

Nulla uia facilior, non idem ualent fucata & simulata, quod uera & solida, magna inest istis uis, infirma sunt illa.

138 Oculum in metam.

Spectandus est in rebus omnibus finis & exitus, ne præsentibus periculose decipiamur.

139 Nocens metuit pœnam.

140 Innocens nec casum.

Nocens stimulante conscientia, metuit paratam legibus pœnam, innocens fiducia conscientiæ nec humanos casus pertimescit: quum sua omnia in se uno, hoc est in animo & uirtute, posita esse ducat: tum & illum sequitur, illi fidit, in cuius manu casus omnes.

141 Excusanda seruitus sub necessitate.

Non dico honesta, ut Publius: sed excusanda: causam enim probabilem potest afferre, cur seruiat, quia necessitate impellitur: sed multum interest, quam quisq; fingat sib

gat ſibi neceſſitatem.

142 Ne à pudendo uincaris hoſte.

Vt uoluptatibus,libidinibus,cupiditatibus,ira,& cæteris uitijs.

143 Turpibus ne ſeruito.

Vt uitijs, & malis hominibus, quorum conſuetudine fis peior, & eorum ſceleribus uideris eſſe adminiſter.

144 Amicum inimicum fugito.

Hoc eſt aſſentatorem,fucatum amicum,& eum qui ſub amicitiæ nomine odit,aut contemnit,aut inuidet.ſunt enim qui amicos infelices diligunt, fœlicibus inuident. Tum illos potiſſimè fugito,qui amorem ſimulant, quum inſidientur probitati & uirtuti:aut qui familiaritate oſtenſa, labem & ignominiam afferunt: quiq; ad flagitia & facinora uel exhortantur, uel incitamento ſunt exemplo ſui.

145 Ne lingua mente celerior.

Cogitandum prius,quid loquaris: uelociſsimus datus eſt animus, ne quid poſſit eum præuertere,ſi uelit:debet hic eſſe linguæ clauus.

146 Bellum cum uicijs.

Non cum hominibus debet geri bellum,nec uires ac robur in eos oſtentandæ:ſed in uitia,qui ſunt ueri hoſtes,nobis exitiabiles.

147 Diuitiæ,iniuriæ pignora.

Ex Eucherio Lugdunenſi,Multis fit iniuria,tantum ut tollantur opes: expilantur à furibus,ſpoliantur à latronibus,& cęduntur.in hos calumniatores inuadunt,in hos iudices acriter cognoſcunt, & animaduertunt: præſertim in ijs criminibus, ob quæ fortunę adimuntur.in quibus nulli tutiores ſunt,quàm qui quod perdant nõ habent, nulli periculo propiores diuitibus.

148 Bona ad benefaciendum.

Non conuenit bona uel animi, uel corporis, uel externa data eſſe homini ad nocendum, nec ad malefaciendum tributa ſunt: quod nomen ipſum indicat, ut & ſibi proſint, & alijs.

149 Maximæ opes,prodeſſe.

Nihil iucundius ipſi,qui id facit:nihil eidem tutius. nam qui profuit multis, hunc tuentur multi.

150 Theſaurus gratia boni.

Magnus eſt theſaurus gratia,quam uir bonus debet pro beneficio.

151 Quod uides,non diu.

Quæcunq; in uita cernis,non diu cernes:aut enim illa interitus auferet,aut te.

152 Vt uerax,ne ſuſpicax.

Ex Eucherio.qui enim ſuſpicax eſt,facilè quæ comperta non habet,affirmabit: ita mentietur affectus impulſu.

153 Non diues,ni contemnas.

Ex Seneca.Nemo enim ſuis diuitijs ut oportet,utitur, nec fructũ ex eis ullũ capit, qui noctes & dies pro illis eſt ſollicitus: qui uerò poſsidet tanquam alienas, hic demum tanquam ſuis fruitur. nullum bonum iuuat animũ, niſi ad cuius amiſſionẽ ipſe præparatus eſt.hinc illud Mimi:Deſpicere oportet,quod poſſis deperdere.

154 Expende.

Singulorum pondus & precium æſtimandum,tum quæ dicturus,quæq; acturus, exordia,progreſſus,exitus rerum.

155 Sine querela.

Viuendum ita,ut non ſit cur uel de te quiſquã cõqueratur, uel ipſe de quoquam, aut de fortuna:nec ipſe cuiquam facias iniuriã, nec factã tibi credas.Seneca de Tranquillitate uitę:Aſſueſcendum itaq; conditioni ſuæ, & quàm minimum de illa querendum,& quicquid habet circa ſe commodi apprehendendum. Nihil tam acerbũ eſt, in quo non æquus animus ſolatium inueniat.Hoc eſt ſymbolum noſtrum.

156 Frenum in lingua.

Ne

Ne ſoluta dicat, quod noceat: unde infrenes nominantur.

157 Ne bos in lingua.

Alluſio ad uetus prouerbium. Bos moneta erat nummi Attici, & hinc ipſe nummus ſic appellabatur. Qui tacebant precio cõducti, dicebantur loqui nõ poſſe, quòd bouem haberent in lingua. Simile eſt illud, quod in Demoſthenẽ mercede tacẽtem, quum anginã cauſaretur, quidam dixit: Non anginam patitur, ſed argentanginam.

158 Accuratè cogita immutabilia.

Multum deliberandum eſt, antequàm facias, quod factum mutari non poterit: ut ducere uxorẽ, ſacris initiari, aut bellũ ſuſcipere, aut pręliũ committere. Poteſt etiam aliò referri: ut multum de æternis illis poſt uitã cogitemus, quo ſanctus hîc uiuamus.

159 Longius, modò tutius.

Ad uitam ſpectat, ad tempus etiam, ne ſectemur diſpendioſa compendia uel in eruditione, uel in parandis opibus, aut eiuſmodi. Auguſtus ſolitus erat dicere: Sat citò, ſi ſat bene.

160 Populo cede, non pare.

Non eſt cum multitudine pugnandum, belua multicipiti: ſed nec eius opinionibus aſſentiendum.

161 Et pilo ſua umbra.

Nullus eſt tam contemptibilis, qui non & prodeſſe in loco, & quod facilius eſt, nocere poſſit: ideo nemo contemnendus.

162 Hoſpes ne curioſus.

In aliena domo, in aliena ciuitate decet unumquemq; modeſtè ſe gerere, nec curioſè ſe interponere in adminiſtrationẽ. multo magis conuenit nos in hoc mundo minimè ſollicitè aut curioſè agere, in quo planè hoſpites ſumus, ſeu exules uerius.

163 Cæde, modò doce.

Ex amore ſciendi dictum à Diogene Antiſtheni, quum is ſuſtuliſſet baculum, ut diſcipulum cæderet, moleſtum ſciſcitatorem.

164 Magnum hoſpitium, magni hoſpitis.

Non poteſt eſſe exiguum hoſpitium, quod implet magnus hoſpes: nec contemnendum id corpus, quod inhabitat excellens animus.

165 Tota uita, dies unus.

Ex Quintiliano in Mathematico. Si omnia uitæ huius diligenter excutiãtur, quid aliud eſt uita tota, quàm dies unus? aut quid eſt in uniuerſa uita, quod non ſit in quouis die? ut mirandum ſit, non exſatiari homines eiſdem toties redeuntibus?

166 Diarij omnes.

Ex ſuperiore pendet, & ad breuitatem ætatis refertur.

167 Ex uſu, non collatione, fortuna.

Vt ſis diues, non ſpectandũ eſt tibi quantum alij poſſideant, ſed quanto tu egeas.

168 Maiores ſuperbus, minores mœſtus.

Ad minuendam ſuperbiam ſpectet quiſq; pręſtãtiores ſe, in eo de quo intumeſcit: ad leniendum mœrorem, infeliciores, in eo de quo triſtatur.

169 Foris Argus, domi talpa.

In eos, qui in aliena mirè oculati ſunt, ad ſua cæci. Argus centoculus fuit, talpa eſt cæca. Fabella eſt de mantícis apud Æſopum & Perſium, quarum altera dependet ad pectus, in qua ſunt aliena uitia: altera ad tergum, in qua noſtra. Poteſt etiam dici: Domi Tireſias, foris linx.

170 Ne nimium ſcrutare.

In eandem ſententiam & ſic, Ne moleſtus percontator.

171 Certum in incerto.

Nihil eſt uita incertius, in hac paranda eſt uirtus, certiſsima poſſeſſio: intuenda altera illa immortalis, cogitanda mors, qua nihil eſt certius: uanæ & incertæ ſpes & ſollicitudines dimittendæ, quibus (quemadmodum Manilius inquit) dum quærimus æuum, perdamus.

Volupta-

171 Voluptates ſpecta abeuntes.

Nam quum aduenĭunt,delectant:ideo pulchræ iucundæq; exiſtĭmantur.receden tes,turpitudĭnem ac fœditatem ſuam produnt.Poſſet ſic afformari, In uoluptate dor ſum,non faciem. Vĭdebis fœditatem earum,& pœnitētĭam,quam relinquunt,ſic fiet, ut eas auerſeris,ac deteſtere.

173 Voluptas, malorum eſca.

Platonis ſententia:Malus capĭtur uoluptate,bonus conſilĭo. Bono uĭro Deus eſt lex,malo cupĭditas.

174 Falle uĭuens,ſed non te.

Vetus erat,λάθι βιώσας. Putant fuiſſe dictum Epicuri,de quo Plutarchus,& Hora tius:Nec uixit male,qui natus moriensq; fefellit.addendum tamen, ne quis ſeipſum in uita ignoret,& ſi ab alĭis ignoretur.

175 Non refert quà,ſed quò.

Nihil refert quà tranſeas in hac peregrinatione uitæ, ſed quò peruenias. In omni loco,in omni fortuna licet rectè agere,& illò peruenire,quò intendĭmus.

176 Scopulus in undis.

Vt ſit in animo tanta firmĭtas,quam undæ omnes & fluctus humanorum caſuum concutere non ualeant,ſemper immobĭlis,& altĭor fortuna.

177 Miſerrĭmum pendêre.

Inter ſpem & metum ſuſpenſum eſſe,miſerrĭmum.

178 Ne bis puer.

Antĭquum prouerbĭum,Bis pueri ſenes:de ſenĭbus deliris & dementĭbus. admo net,ne in grandĭore ætate uĭuamus aut ſapĭamus pueriliter.

179 Ne laborem citra præmĭum. &,
Ne laborem laboris præmĭum.

Laboris in res mundanas uel præmĭum eſt nullum, aut certè uanĭtas. uel alter la bor honeſtĭor quidem, ſed moleſtĭor: ut qui dignĭtates dignitatĭbus mutant. ſic cla mat Hercules ille in Tragœdĭa, Finis unius mali,gradus eſt ſequentis.
Interĭm præmĭum horum laborum eſt, ſempiternus cruciatus. ſicut Paulus inquit, Stipendĭa peccati,mors.

180 Pertuſo dolio nihil infunde.

Alluſio ad dolĭum Danaĭdum apud inferos,ut habent fabulæ.Ad multa tendĭt,ne quid des prodĭgo & profuſo: ne rimoſæ auri & loquaci arcanum credas, ne cupidĭ tatĭbus inſeruias,ne uoluptatĭbus obſequaris,ne inſatiabilĭbus largiri aſſueſcas.

181 Turpe gigantem in nano.

In tam puſillo corpore, quantum natura dedĭt hominĭbus, tam fragĭli & infirmo, turpiſſĭmum eſt eſſe tam ferum & ſuperbum animum,qui ſtultĭtia & ſuperbia cœlos etiam contingat.

182 Difficilis gloriæ cuſtodia.

Quàm multa perferenda ſunt ſtudioſo gloriæ,ut paretur,ut parta cõſeruetur. ma ior perpetienda eſt ſeruĭtus, quàm emptis de lapide: quum gloria niſi fundamentis uirtutis innitatur,fugaciſsima ſit.

183 Malus potentiæ cuſtos metus.

Fragiles opes, quas multi metuunt,ac proinde oderunt. Sententĭa eſt omnium fe rè ſapientum,quam tractat in Officĭjs Ciceronis.

184 Neſcis quid ueſper ſerus uehat.

Futura incertiſsima,ne quis nimĭum uel confidat,uel deſperet. dictum eſt Varro nis,qui ſic Satyras aliquot ſuas inſcripſit.Eódem refertur,Inter os & offam.

185 Faciem ne aperias.

Tecta eſt facies humana uerecundĭa, quod ſolum uelamentum reliquit ei natura: non eſt exuenda tam honeſto tegumento.nihil enim uerecundĭa deteſtabilius.

186 Manum per frontem ne ducito.

Alluſi ad illud,Perfricare frontẽ,ſiue faciẽ,ſiue os.de ĳs dictũ,q̃ pudorẽ excutĭunt.

Splen-

187 Splendor ſummus non intuendus.

Solem ſi ſereno cœlo intuearis, nocet oculis, interdum excæcat: ſic ſi diuinitatis fulgorem tentes contemplari, oculos mentis amittes. Qui ſcrutatur maieſtatem (inquit Sapiens) opprimetur à gloria. non capiunt anguſtiæ mentis humanę rem tam ſublimem atq; amplam. Non uidebit me homo, & uiuet: ait Deus. Adoranda ſunt hæc, non ſcrutanda.

188 Linguas ne præſcinde, ſed caue.

Non eſt libertas hominibus tollenda, nam ſicut Auguſtus dixit: Decet in liberis ciuitatibus liberas eſſe linguas, ſed ſic uiuendum, ne ſit cur homines ſuam in te libertatem uelint exercere.

189 Ora uirtute obtura, non metu.

Eódem ſpectat. Non claudenda ſunt ora metu, operculo fragili & inualido: bene agendo efficies, ne quis male de te ſentiat, ac proinde nec loquatur.

190 Cogitatus liber.

Nemo prohibere poteſt quenquam cogitare.

191 Cogitatus quis coget? uis ueritatis.

Hęc enim ſuſpiciones omnes tollit, & tanta eſt, ut ultrò in mentes hominum ſe inſinuet: efficiatq; ut nemini aliter libeat cogitare, ſæpe nec liceat, ideo rectè agendum eſt, non aliter aſſequemur, ut omnes de nobis rectè ſentiant.

192 Homo homini par.

Ne quis ſupra hominem ſe efferat, ne contemnat, ne deſpiciat, ne ſe pręferat alteri, quum ſimus omnes à Deo parente omnium æquo iure conditi, & in hanc uitã miſſi. Poteſt etiam ex Seneca ſic dici: Deo imperium, homini conſortium.

193 Suauiſsimus poſt laborem fructus.

Sic demum frui iuuat, quum res labore quæſita eſt, ut moleſtia præterita uſu præſenti leuetur. Vulgare eſt, Parta labore iuuant.

194 Animo corpus fulciendum.

Non ſuccumbendũ operibus honeſtis. & deficiẽtibus corporis uiribus, animi conatus tantus ſit, ut labens ac decidens corpus ſuſtentet. ex Seneca lib. de Vita beata.

195 Nocens ſe iudice nunquam abſoluitur.

Semper enim accuſatur & condemnatur à conſcientia mentis ſuæ, Iuuenalis:

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipſi
Diſplicet autori: prima hæc eſt ultio, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur.

De hac re Cicero in Piſonem & pro Roſcio Amerino: & Seneca multis in locis, apud Quintilianum eſt illud prouerbij loco, Conſcientia mille teſtes.

196 Ebrietas nec madida, nec ſicca.

Ebrietas madida eſt, quæ fit ex uino aut ceruiſia: ſicca uerò, quæ affectu aliquo immodico, quum is uim omnem mentis & iudicij conſopiuit, ut ira, lætitia, metus, inſolentia, ex immodicis fortunæ ſucceſſibus: arrogãtia, uoluptates, & omne delectamentorum genus, quam ebrietatem Græci uocant ἀοινοψ, quaſi inuinam. utraq; cauenda, utraq; hominem extra ſe pellit, & impotem ſui reddit.

197 Potentiorem in te ne admittito.

Conſuetudo uitiorum, & qui à philoſophis habitus dicitur, à Græcis ἕξις, uiolentiſsimus eſt tyrannus, quum animum occupauit. ideo magnopere laborãdum eſt, ne quis talis in nobis inualeſcat. non erimus noſtri iuris illo admiſſo. idem dicendum de multis perturbationibus, ut ira, ut auaritia, ſed potiſsimùm ludi cupiditate, amore, & uoluptate.

198 Precibus emptum, carum.

Vulgare dictum. Cicero: Emere malo, quàm rogare. idem Apuleius in Florid. Magnum precium ſunt preces, quippe illis additur uerecundia. Sic igitur te compara, ut paucis egeas, quo pauca roges. & rogatus magnum te credito accepiſſe preciũ eius, quod rogaris, ne ſis exoratu difficilis.

199 Quiescе nihil acturus.

Dictum Attilij,quod citat Plinius Nouocomensis : Satius est ociosum esse, quàm nihil agere.Nihil agere,est rem inutilem,aut non successuram tractare. consultius est quiescere,quàm id agere.

200 Ingenium inexercitatum,torpidum.

Cato ingenium hominis dicebat ferro esse simile,quod ex usu splendescit: at in ocio rubigine obducitur, & exeditur.Exercendum semper ingenium:ocia enim feracissimum uitiorum seminariũ : sed honesto aliquo & pulchro opere,uelut eru ditione & uirtute. nam rebus flagitiosis,aut turpibus exercere,hoc uerò non exercere est, sed corrumpere:de quo est sequens symbolum,

201 Ingenium situ pereat,non sentibus.

Præstat ociosum degere,quàm malis exĕrcitamentis occupari.

202 Nullus sine linea dies.

Ex uetere dicto,& more Apellis Coi pictoris,qui tanta fuit in arte sua diligẽtia,ut nullus præteriret dies tam alijs rebus occupatus, in quo non ipse saltem lineam aliquam penicillo duxisset. Et erat olim maxima pars artis, in lineis tenuissimè ducendis sita.admonet, non debere diem ullum abire, in quo non aliquid dignum homine egerimus:opus uidelicet ingenij,uel ad eruditionem,uel ad prudentiam,uel ad probitatem & pietatem spectans, quem dicunt fuisse Censorij Catonis morem. Iis uerò qui alijs artibus uitam quærunt,aliquid esse in sua cuique arte quotidie exercendum.

203 Calumniæ morsui remedium nullum.

Nullum ferè est tantum malum,cui natura remedium non parit,saltem fuga.atqui calumnia & clàm mordet:& antè occidit,quàm sentiatur.

204 Beneuoli multi,consiliarij pauci.

Ex Salomone.Multis bene & uelis, & facias. arcana tua ne cuiuis committas, nec quemlibet consule.delige,quo possis in hanc rem tutò & cum fructu uti.

205 Iustitia gratuita.

Ex Cicerone,primo de Legibus:Nihil est iniustius,quàm iustitiæ præmium quærere. & qui mercede est uir bonus,mercede etiam erit malus.

206 Misericordia uenalis,crudelis.

Crudele est,eum qui sic affectus est,ut misericordia indigeat,cogere aliquid pendere,quo subleuetur.est enim acerbus & immitis animus,quem non flectit hominis calamitas,sed suum commodum.

207 Bonorum rector,malorum uictor.

Ex Seneca, Epistola octuagesima quinta,In sequundis rebus regendum est;in aduersis pugnandum:fortuna prospera gubernanda arte, consilio, prudentia,ingenio; irata,retundenda magno robore,& inuicto animo superanda & calcanda.

208 Quod inuenisse pigeat,ne quæras.

Satius est ignorari, ut probrum domesticum, tristem sortem à diuinaculo : quæ si prædicatur,nihil aliud quàm angit assiduò cor.

209 Tantum scis,quantum operaris.

Ferunt uerbum hoc fuisse frequens Diuo Francisco. Ita est. Verius scit uir bonus & rudis,quid sit uirtus,quàm malus & doctus : & in rebus sacris,Christi spiritus copiosissimè præbet se pijs.Quid prodest malo sciẽtia? nec uerè scit, tametsi argutè disserat:nam in peccato semper inest cæcitas.An non melius nouit quid sit pingere,qui imperitè de pictura disputãs,peritè pingit,quàm qui doctissimè disputans,indoctissimè & lineas ducit,& colores inducit?

210 Persona publica priuatam depone.

Cui magistratus,aut imperium,aut principatus mandatur,is sciat iam non sibi suas utilitates quærendas, sed populi, cui præest. sic optimè publicum officium administrabit, alioqui fiet tyrannus. Deberet pro curiarum foribus dictum aliquod in hanc sententiam inscribi,quo admonerentur magistratus,& eorũ consultores:Huc ingrediens,personam priuatam relinque in limine,publicam sume.

211 Paruo fames constat, magno fastidium.

Naturæ paucis rebus satis fit, fames exiguo cibo placatur, & tollitur. ingẽtes mensæ fastidium afferunt, & morbos.

212 Vnum est necessarium.

Verbum Domini & Seruatoris nostri Christi, ad augendam curam pietatis, & minuendam sollicitudinem rerum perituraru: procuratio & cibi, & potus, & rei familiaris, in qua Martha uersabatur, utilis quidem homini ad tempus: at sedere ad pedes Domini, & uerbum illius puris animis haurire, quod erat Magdalenæ munus, id demum necessarium, & quod nunquam aufertur. Quum omnia siue ingenij decora atq; ornamenta, siue corporis atq; externa commoda expẽderis, intelliges unum esse homini necessarium.

213 Mente Deo defixus.

Hoc symbolum tam fausto omine ponetur ultimum, quàm illud primum, Scopus uitæ Christus. ipse est initium, ipse finis, ab ipso proficiscuntur omnia, in ipsum tendunt. Huic oportet nos affigamus, si uolumus beati esse, non alio clauo, quàm mente ipsa. Possunt alia permulta symbola deduci ex Platone, Cicerone, Seneca, Horatio: sed præcipuè sacris literis, fonte ut copiosissimo, ita liquidissimo ac purissimo: & scriptoribus nostræ religionis adsunt prouerbia tot, & metaphoræ, & allegoriæ, fabulæ quoquè & historiæ, quæ suppeditare magnum numerum possunt: & nostra hæc mutari, atq; in alias uerti formulas licebit, & ex scholiolis alias desumi. quocirca nec illa attigi, quę sunt omnibus in ore: Nosce te ipsum, Ne quid nimis, Sponde, iactura præstò est, quę dicuntur tria Apollinis oracula: et Dimidiũ plus toto, quod Hesiodi: tum, Sustine, & abstine, quod Epicteti. Hæc quæ posui, sufficient siue ad sententiarum copiam, quæ omnes penè his sunt conclusæ, siue ad rationem ostendendam, quemadmodum alia possint innumera excogitari.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

Ioanni Briardo Attensi Theologo, Louanienſis Cancellarij Vicario S. D.

VETVS consuetudo est, à gentilium iam usq; ducta temporibus, Calendis Ianuarijs amicos amicis dare, strenas, indices mutuæ beneuolentiæ. His ego Calendis Ianuarijs, quas perferrem strenas Briarde Theologe sapiẽtissime, tibi uiro simul mei quàm amantissimo, simul longè doctissimo cum reputarem, optima deprehendi cõiectura, id tibi fore longè gratissimũ, quod tu summa tractares obseruantia, & in quo plurimũ ualeres. Quare quum te unum (absit uerbo iniuria, absit inuidia) sacrarum literarum huius gymnasii noscamus studiosissimũ enarratorẽ: quæ res omnibus in cõfesso est, tantum abest, ut eam dubiam uideamur affirmare. Strenulas ex agro Christianæ religionis collectulos flores mittimus. Nam hisce diebus, quum prophanis in literis nõ satis pium uersari duceremus, quo mens, inquies (ut dicebat Liuius) opere pascerẽt, nec ingeniũ sineremus ocio diffluere, cõiecimus hæc paucula in unum, ut saltẽ in sacris nobis uersari uisi, cõscientiæ scrupulũ non iniiceremus. Christi Iesu fecimus γενεθλιακόν, eo duntaxat tempore quo & ipse natus est, & alij rerum humanarum passim fata prænunciant. Decreueram id ludere carmine, sed modò uariæ, interim etiam frigidæ occupationes, modò tarditas mea atq; infelicitas stili in uersibus scribendis propositũ auertunt. Adieci tamen in fine nonnullos uersiculos, quibus assigno cantantes pastores, ex quis uersificationis meæ gustum accipies, & agnosces me sanum esse poetam. Quæ tu omnia cum leges, dabis mihi hanc ueniam, si non satis multa dixero pro ratione suscepti argumenti. Nam ipsum arduum est. & præter quàm quòd mihi ingenium est perexiguũ, nondum ego multum sum uersatus in istis sanctissimis studijs. Idcirco non assecutis nobis, nullũ existimo fore

uituperium,

uituperium, Voluisse, laudem fauoremq; merebitur. Ita & si nihil est, cur expectem opus ipsum tibi probatum iri, de instituto tamen nō diffido: quod unum uelim oblatum tibi, hoc in libello censeas. Vale.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ IESV CHRISTI.

QVVM è plaga mediterranei maris ad nostram Valentiam spectante, quæ paulò ad orientem inclinatior è cōspectu Lybiæ fretum ad occidentem relinquit Herculeum, munita naui soluissemus ora, perpetuo cursu Baleares, Sardiniam, Siciliamq; præteruecti, Asiaticam Cretam adnauigauimus, ubi cōmeatibus pauculis comparatis, nō uiso Dictæo mōte, Gnoso, incunabilis Iouis, & tota illa impia fabula insalutata, regressis quos miseramus in insulā, aura secunda ad dextram uiam, quà sese Nilus hostijs septem in mare mergit, flectebamus: quum ecce turbines uentorum furentesq; austri, & uis ingēs tempestatis paulò ante Canopum sistere coëgerunt. Vah gentem immundis cæremonijs pollutissimam, quam tot Niliacæ inundationes perpurgare non potuerunt. Illic & si comi, ut præferebant, benignoq; hospitio nos receperunt, nescio tamen quid uafriciei in fraudulentissima ac mendacissima gente latêre deprehendi: iussiq; nautę, quę breuiuscułæ alioqui nauigationi usui fore scirēt, emere: rem absq; negocio quàm citissimè peregerunt, & nos ad maris littus iter agentes, Canopum profectos (turpissima Serapidis celebrabantur sacra: idcirco quamuis inuiti, impudentissimos tamen canentium saltantiumq; cōspeximus cœtus Alexandrinos) postero die gens colona multijugis uehiculis in Palæstinam adduxit. Derelictus ego à socijs uarijs negotijs complicatis serena nocte eo cœlo (quo prisci philosophi magna ex parte astrorum cursus deprehenderunt) quæ orirentur sydera, quæ mergerentur, quæ ue mediam obtinerent cœli plagam, intentius perscrutabar, commodùm mediam noctem & tenebræ ad diei speciem maiorem in modum illustrantur. Nihil ad tantam lucem illa, quæ momenta nea, halitu quopiam cōflagrante Cn. Papyrio, & C. Cæcilio Coss. in Gallia uisum est, quo tempore Cimbri & Teuthones Alpes sunt transgressi, aut quæ Romæ M. Lepido Munatio Planco Coss. fulsit, ut Iulius Obsequēs, tradit. At ego ex ædito quodam colliculo circumspectare singula diligenter incipio, mihi ipse ob tam ingentem rei nouitatem uix satis certus utrum dormirem an uigilarem, quippe ipse mihi uigilare uidebar: ac res, quæ si crebrò soleret euenire, grandem mentibus atq; sensibus hominum lætitiam ingeneraret, sui tam absona nouitate eximium mihi terrorem incussit, primumq; ad fabulas me cōuerto, utpote fabulosissimam regionem paululum prætergressus, caderet ne iterata aurigationis ignoratione Phaëton ille antiquus, Sole prognatus? An pater ipse Iuppiter, seu ex dijs aliquis cum suo ad nos astro delaberetur? Sed ad me rediēs quæ in sacris legeram literis, unico in aduersis casibus, eodem maximo perfugio atq; solatio reputabam. Gentium populus, inquit Esaias, qui ambulat in tenebris uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est. Et Psalmistes, Exortum est in tenebris lumen, rectis misericors & miserator Dominus. Quare aduenisse tunc horā illam existimaui: neq; sum falsus, quæ uiderēt Gentes expectatum sæculis omnibus assertorem, ex inuisibili factum uisibilem, ex intractabili tractabilem, ex altissimo infimum, ex rege seruum, opus ex authore, & quem uniuersa rerum moles nō circumscribebat, uterus caperet puellaris. Hæc mente cogitabundus uersans, casulam uix pecori accōmodam fortè conspicor, ruinosam

malè materiatam,quam longe maxima claritas colluſtrabat,& cõcentus inde dulciſſimus toto illo ſeſe diffundens tractu aures meas ſono gratiſsimo replebat. Ad eam opilionulos neſcio quos quum cernerem properare, celeri curſu ad eos cõtendo. Et bona (inquã)uenia,pij uiri,quò pergitis ire? Ad hoc(inquiunt) tuguriolũ,ut uerbum qui factus eſt homo,uideamus.Si uenire nobiſcum uolueris,maximum uidebis numen,quod ut nobis angeli eius adminiſtri modò nunciarunt,paruos confluxit in artus,mundiq; repertor pars iam eſt humani generis. Et quid,inquam,libentius ego, quàm iſtud tantum miraculum uiderim? ac me comitem illis addo. At ipſi fidenter patentem caſulam ingreſsi,occinere incipiunt infantulo uagienti, ego etiam à quopiam illorũ per manum ductus,metus atq; admirationis plenus,intrò uocatus ſum. Illic primum Ioſephum contemplor ſtupentem, illic deinde uirginem tam præclari facinoris cõſciam,caſtam,puram,pudicam,uirgineo pudore affectam,ruboreq; perfuſam,quod in oculis totius cœleſtis militiæ tanto ſe honore cœlorum ſoliq; rex affecerit,quodq; in ſe factum hominem ab humanis incommodis tueri non poſsit: non ſecus ac qui de ſe humiliter ſentiunt, ſi magno à rege quopiam in conſpectu uel exercitus,uel maximatũ afficiantur honore, rubore nimio ſuffunduntur:aut ſi ad ſe principibus declinantibus,quo illos,ut decet,excipiant,parum habent.Aſpicio deinceps circunuolitanteis (ut ſic expromam) ſanctiſsimos illos ſpiritus,omnes infantuli uoluntati famulantes. Ipſum deniq; cœlorum authorem & terræ,non niſi conniuentibus oculis audeo cõtueri, quòd in obtutu ad tantam lucem, quæ ex ipſo dimanabat, longè magis quàm ad Solem oculi præſtringebantur caligabantq; mei. Nec mirum cum illa infinities ſit maioris,quàm Sol ipſe fulgoris,ita ut eam demum expreſſam & germanam lucem, Solem hunc noſtrum, qui mundum illuſtrat pictum, quinimo ac tenebroſum dicas: etenim re uera Sol iſte ex illa ſplendorem hunc totum ſuum ita mutuatur,ut ab ipſo Luna. Adde etiam quòd terrebat me ſceleſtũ hominem, uel infantuli ſeueriſsimus uultus. Verum ad blandã benignamq; matrem conuerſus: Quã tibi dulcis & ſacra uirgo placeret,inquam,ſi ex aſtris quid ſit tuo iſti filio fati euenturum prænunciarem.Illa uerò me tam delirantem limis nonnihil intuita (qui uirginis mos ſemper fuit) in uiam reducere breui ac facili compendio uolens:Et qua, inquit, hunc putas natum coniunctione? quibus ſignis? Tum ego :Dicam equidem,tametſi uarietas uiſa eſt in cœlis nocte hac aſtrologis uix comprehenſa,partim enim iam decanum Virginis primum aiunt aſcendẽtem,partim uerò Libræ tertium,alij & qui ueritatem propius uidentur accedere, decimam Libræ partem affirmant,quæ Veneris domicilium eſt, cuius portioni Iuppiter illuceſcit, Veneremq; in Aquario ſitam, & Martem in Ariete domo quidem ſua. Alij ſic cecinerunt:

Nox erat & Capro iunctus tellure ſub alta,
Sol gradiens noſtro radiabat ſidera cœli,
Cancer in excelſo ſtellati cardine mundi
Stabat in occaſu,qui fert in uertice delta.
Dux ſignorum Aries,Libræ duo brachia in ortu.

Non deſunt, qui Martem eſſe aſſerant in mortis contubernio, idcirco hoc momenti natum,cruci candidatam præfantur. Tum illa ingenio mitiſsimo puella:Et quam, inquit,toto (ut dicitur) erras cœlo? an tu ſolus ignoras huius eſſe utranque geneſim inenarrabilem,ineffabilẽ? de cœleſti qua genitus eſt à Patre, quid attinet loqui? quum rerum natura, totusq; cœleſtis exercitus uel ſolo ſtupeſcat auditu, uiſaq; illa ſumma incomprehenſibili generatione ſummittat haſtas,corruat pronus adorabundus,non ſuſtinens directum intuitũ tantæ maieſtatis. At uerò hanc quam uides temporalem,ne ſalutiger quidem angelus Gabriel in pacificatoria legatione mihi exponere ſciuit,ſed negocium ſpiritui ſancto remittẽs interroganti mihi, quónam modo res ea quam in mandatis afferebat, eſſet gerenda: Paracletus in te ſuperueniet, reſpondit,& uirtus altiſsimi obumbrabit tibi. Quid quòd cognatus meus Ioannes Baptiſta ſuper omnes mulierum natos,hoc ipſo afflatus diuino ſpiritu negabit ſe calcei fibulam ſcire diffibulare? quaſi diuinæ ac humanæ uſiæ, quónam fuerit modo facta

connexio,

connexio,non capiat.Admiratur Natura,me nullo ex uiríli ſemine,abſque quouis ſenſu doloris,illæſa omni tempore, uirginea textura filium ædidiſſe. Deinde quod nouo & inaudito prorſus coniugationis modo Deus ipſe,cuius nutu ac ditione ſola terrarum & hic uniuerſus regitur orbis, humanum ſibi aſciuerit corpuſculum, quo & Deum credamus quem cernimus hominem,increatum quem creatum,immortalem quem oculis noſtris uidebimus morientem.Hic ego inter utraſq; manum uolas, compreſsis temporibus,deflexo capite,ſimul admirabundus, ſimul rei perterritus, nouitate gnara,preſertim matre referente ac cõprobante:Quæ iſta ſunt,inquam,quę narras uirgo? Tum illa: Atqui nouum nunc cœlum creatum eſt,& noua terra,noua ſidera,noui curſus,& coitiones:et ſi ſcire uis,quę ſit in cœlo coniunctio planetarum, quæ itidem horoſcopum occupent ſigna, audi. Quis enim melius me huiuſmodi referre queat? quæ una uirum noua ſuper terram facientem fœmina circundedi.

Nam qui non ſpacijs terræ,non æquoris unda,
Nec capitur cœlo,noſtros confluxit in artus.

In ſupremo igitur cœlorum, imò ſupra omnem uniuerſi orbis ambitum, ubi & illæ fuerunt ſtellæ ac luna, quæ quoniam in conſpectu eius non ſunt mundæ, illinc deturbatæ ſunt, nunc uero illa inhabitant,Deum perenni uoce laudantia, aſtra matutina. Inaudita ſæculis omnibus ſigna ſideraq; deſcendebant, & aſcendebant. Nam ſupracœleſti ſolum influxu,id eſt,ſua ipſius ſola uoluntate ducitur, qui cœlos omnes creauit,ſupra quos habitat.Illic (ut per typum quendam tibi etiamnum paruulo rem tantam aperiam) totius præſides mundi, quum ſeſe negocium tractaturi longè gratiſsimum in conclaue recepiſſent, arcuerunt ab illo res alias uniuerſas, ne tanti ſecreti particeps ulla fieret,& uerum illum zodaicum, qui uitam rebus omnibus largitur, circumagere incœperunt. Oritur primùm eo conuerſionis in illo hemiſphærio pax quædam inter Deum & hominem æterna,occidit tam atrox inter eoſdem bellum:oritur beatitudo hominisq; finis, ad quem erat creatus, occidit ſumma miſeria, & rei tantopere expetitæ fruſtratio:oritur adoptio filiorum Dei, fieriq; particulones regni cœlorum, occidit adoptio filiorum diaboli & particulones inferni pœnarum:oritur certiſsimæ uiæ cognitio,occidit tam cæcus mortalium error:oritur mentis illuſtratio noſtræ, occidit fuliginoſiſsima offuſcatio:oritur dies,occidit atra nox: oritur lætitia, occidit mœror: oritur ſpes, occidit timor: oritur charitas, occidit liuor: oritur ſecuritas, occidit metus: oritur cautio, tamen occidit calliditas: oritur requies, occidit labor: oritur riſus, occidit fletus: oritur ſatietas, occidit fames: oritur fons aquæ uiuæ, occidit ſitis: oritur animi ſanitas, occidit ægritudo:oritur uirtus, occidit uitium: oritur fortitudo, occidit ignauia: oritur firmitas, occidit imbecillitas: oritur huius hominis luctus,occidit ueſter: oritur huius inedia, occidit ueſtra: oritur huius laſsitudo, occidit ueſtra: oritur huius labor,occidit ueſter: oritur huius mors, ut ueſtra non modò cadat, uerum conſumpta penitus intereat, & denique occidit ipſe atque deſcendit,ut uos aſcendatis,& oriamini. Hæc ſunt emergentia ſigna,hæc ſe condentia. Coniunctio qualis à mundi primordio nunquam fuit,nunc eſt planetarum. Summus Rex omnium Deus, huius à me nati corpus,& anima ſic eodem tempore coierunt, ut ex meo integro, puro, caſto ſanguine,uerum ueri hominis corpus membraretur.quod omnis prorſus eſſet labis exors,quod animaret anima omnibus dotibus, quammaxime fieri poteſt, refertiſsima, innocens, inſons, pura, ſacroſancta, nullius maculæ capax, exiſtentium præteritorumq; conſcia,futurorum præſcia,qualis nunquam creata eſt, nunquam creabitur, & tamen duplex non ſecus ac aliæ ob corporis implicationem ingenium admittens, immenſæ uidelicet particeps rationis,& fluctibus obnoxium primarum ſubitarumq; perturbationum. Hæc ſiue animi pars ſiue natura numulariis in templo, & hebeti ſcholæ ſuccenſebit. Hæc Lazari morte, & periturę ciuitatis aſpectu mœrebit,lachrymasq; dabit caſum illius miſerata. Hæc in horto impenſe triſtis mire expaueſcet, hæc ærumnarum pertæſa tam acerbiſsimum interitum deprecabitur. Abeant Græci philoſophi, neſcio qui, ſola decretorum &

uitæ nouitate admirabiles. Stoicos mihi uidebantur illos appellare, qui omni animi affectione ſapientem hominem uacare ſuis placitis ſtatuunt. Nam ſi animal eſt, animales humanoſq; motus habeat, eſt neceſſum. Neque enim naturam ſuæ formæ poteſt exuere quamdiu in ea fuerit, erit autẽ in ea, quoad uiuet. Hoc itaq; corpus, hanc animam ſic apta atque coniuncta Deus optimus, maximus, qui æternum in ſinu patris eſt, eo modo complectitur, quo nullum creatorum poteſt aliud creatum, quamuis ſimilitudinem quampiam à rebus craſsis mutuabimini, quo uos lippis ueſtris oculis hæc utcunq; procul poſita, uidere poſsitis. Nec inuenietis tamen aliquam tantam ſimilitudinem in hac mundi uniuerſitate, quæ non complures longeq; diſtantes habeat uarietates. Eſt itaque ſic Deus huic animæ, corporiq; coadunatus, ut uerè dicamus eum corporeum, uerè animalem, uerè rationalem, uerè hominem, uerè paſsibilem, creatum, mortalem, uerè grauem, loco definitum, eſurientem, ſitientem, timentem. Ac ediuerſo totus dicatur incorporeus, inuiſibilis, increatus, impaſsibilis, creator, immortalis. Mutuant ſibi Deus & homo nomina ſua, dat homini Deus ſuam immortalitatem, nec eam amittit: dat homo Deo titulotenus ſuam imbecillitatem, quam ſibi retinet, ea tamen lege, ut nec accedente, nec diſcedente, ſed ſolo nutu deſiſtat is homo eſſe, qui prius: nec tamen Deus mutetur: quiq; prius fuerat immortalis, Deus increatus, inuiſibilis, incipiat ſolùm mortalis, creatus, & uiſibilis homuncio eſſe: & qui fuit homo, afflictionibus caſibus, morbis, morti denique obnoxius & expoſitus, deſiſtat hoc ipſum eſſe, ſit tamen idem: & quemadmodum animæ præſentia corpus uiuit, ualet, uiget, perſiſtitq; in eſſentia ſpecieq; ſua, ſic aſsiſtente Deo, homo hic eſt Deus, & immortalis. Illa eſſe dat naturali corpori, Deus huic inauditæ ὑπόστασι, quæ tota homo eſt, ut totus homo ſanetur: tota Deus, ut totus Deus homini permaneat reconciliatus: filius ipſe Dei eſt, imago, & ſubſtantia patris, ut per quem fecerat ſæcula, per quem hominem, per eundem, & hominem & ſæcula inſtauraret prolapſa. Ad hæc nunquam Deus hunc deſeret hominem, ne fortè qui hominem ad hominis ſalutem ſibi coniunxerat, ſuſpicionem relinquẽs daret, non ſibi poſtea homines eſſe curæ, quod ab eo longe alienum eſt benefico totiq; noſtro generi ſalutari. Sed quoniam ſemper adoptione futuri ſumus filij Dei, ſemper naturalis filius homo erit, uelut ſtrenuus anteſignanus ſpem confirmans, ut ipſo naturali Dei filio exiſtente ac homine, nos de adoptione ſaltem filiorum Dei minime deſperemus. Hæc eſt tantorum trium planetarum coactio. Hoc tres illi paulò antea ſoles bis uiſi ſignificarunt, qui paulatim in unum coierunt, quaſi trium illorum in hac hypoſtaſi connexio, & patris, filij, ac paracleti in ſumma triade una ſimplex deitas, breui ad poſteros eſſet diffamanda. Tu nunc his ſignorum ortibus, & obitibus, his uagantium fixorumq; ſyderum coniunctionibus, uarijsq; aſpectibus, quis erit puer hic, ſi uales, conijcito. His ego: Quamuis mihi, ô ſacratiſsima uirgo, hominem ingenio monſtrares celerrimo & perſpicaciſsimo, & ſi nonnihil ſanè diuinam hauſiſſet ſapientiam, eum ego haudquaquam puto uel mediocri modo enarrare poſſe, quantus infantulus iſte tuus futurus ſit: tantum abeſt, ut ego uir nihili, neque litteras doctus (ut aiebant) neque narrare, ea ipſa contingere ac penetrare ſatis tutò myſteria queam. Atqui, inquit illa, ne hinc nihil tecum deportans diſcedas, attentis auribus accipe, & quæ prius diximus, identidem reputa. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium Dauidis, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia. Poſthac uſque in ſempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hæc. Vides pacem, quam ita multum priores expetebant. Fiat, precabatur Dauid, pax in uirtute tua, & dabis requiem temporibus meis. Vides eam, inquam, iam cõceſſam & firmatam. Oritur enim in diebus huius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Quid, quæſo, ſibi uult Iani Quirini,

ſeu

ſeu potius monſtri cuiuſdam tertiùm ab Octauio clauſa noſtris diebus porta: uelut non mox ſæuiſsima bella Romanis ſequutura ſint. Hinc, hinc pax orietur ex humili lutea caſula, nõ uaſto marmore, auro ac gemmis refulgenti Romano capitolio. Non uocant hanc regiam, at naſcitur in ea Rex Iſraëlitici populi: non prætorium, at naſcitur in ea prætor uiuorum & mortuorum: naſcitur in ea, imperatur & Dominus ille Deus exercituum, qui non bello Punico non Macedonico pyratico, aut ciuili Quiritium finem imponet, ſed bello plus quàm ciuili: bello in quo nec uictoria erat, nec ſpes illius, qui militibus ſuis præſtantiſsima donatiua largietur, poteſtatem nimirum filios fieri Dei, fieri deos, & filios excelſi omnes, ac ſubinde uitam ſempiternam. Ipſe lux erit eis, & pedibus illorum ingens lucerna. Ipſe illis erit in exemplo, quà ingrediantur uia, ueritas in promiſsis. Fidelis eſt enim, & quicquid pollicetur, optima fide præſtat, uita erit in præmio, ac bene peractæ ſtationis ſtipendio, quæ eſt uita cum perpetuo gaudio æterna. Via eſt profectò non fallens: ueritas non errans, nulli affinis mendacio: uita non deficiens, ſine fine ac morte ulla. Ipſe primus uincens mundum, fiduciam alijs dabit, qua & ipſi ad illum uincendum connitantur. Iugum eius ſuauiſsimum erit, & onus eius leue. Ac erit uſq; adeò manſuetus, benignus, pius, clemens, miſericors, ut ne calamum quidem quaſſatum conterat, & linum fumigans nõ extinguat. Ipſe erit panis angelorum, qui de cœlo deſcendit (quocirca & in Paneo tuguriolo naſcitur) quem qui manducauerit homo, in æternum non morietur. Ipſe fons aquæ uiuæ ſalientis in uitam æternam. Ipſe non homo ſolùm, nec ſolùm Deus, ſed θεανθρωπος admirabilis quidem, ærumnas omnes ſubire non recuſabit, ut quàm gratiſsimus patri effectus, ab omni nos ærumna explicet atq; labore. Hic primum in nuda humo deiectus iacet, ut uides, pedibus manibuſq; deuinctis flens, ut nos longè à ſolo erecti ſolutiq; libere rideamus: alget, ut nos algentes caleſcamus: ieiunabit, ut ſatiemur: habebitur odio, ut nos peroſi diligamur: cõprehendetur, ut nos comprehenſi ſoluamur: ægrotabit, ut nos ægroti ſanemur: pauper erit, ut pauperes diuites reddat: nudabitur, ut nos nudi contegamur: ſitiet, ut nos ſitientes potemur: in eſcam eius dabitur fel, & in ſiti eius aceto potabitur, quo eſculenta noſtra melle ſint dulciora, & poculenta quouis ſuauiſsimo ſuauiora uino. Eſaiam ueriſsimum uatem auſculta, quem dubites Prophetám ne, an Euangeliſtã appelles. Nam non magis uidetur tanquam diuinans futura prædicere, quàm uelut rerum ſcriptor præterita narrare. Non eſt, inquit, ſpecies eius neq; decor, & uidimus eum, et non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectũ, et nouiſsimũ uirorum, uirum dolorum et ſcientem infirmitatẽ, et quaſi abſconditus uultus eius, et deſpectus, unde nec ęſtimauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portabit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatũ. Ipſe autem uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiã ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo, iniquitatẽ omnium noſtrũm. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit, & nõ aperuit os ſuum: uelut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, et non aperiet os ſuum. Heu quàm illam uocem iam nunc timeo, quàm iuſtus Simeon proferet, nihil ſanè mihi præſagiet noui, cladẽ mihi tantam futuram non ignoro: uerùm quaſi attrectatione quadã teneri uulneris dolorem exulcerabit meum, pendulis brachijs bimeſtrem uix ſuſtinẽs infantem, ſermonem illum ſenilem ad me ſuum diriget: Ecce poſitus eſt hic in ruinã, et in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Putas & hunc infantulum, quem in ſolo uagientem uides, eorũ quæ in ſe futura ſunt ſenſum habere nullum? habet profectò, & uerſantur ipſi ob oculos aſsiduò quę futura ſunt: neq; uerò illi eſt exiguo talis cogitatio cruciamento, non ſecus nimirum, quàm graui mortis genere morituro, atq; id ſcienti reputatio eiuſce rei longè acerbiſsima eſt. At unum mihi matri ſupereſt tantæ miſeriæ ſolatium, quod ni eſſet, haud ſcio quo'nam modo agere uitã diutius poſſem? Et quid tandem iſtuc eſt, inquam? Adhæc illa: Poſtea quàm

hic meus dulcíſsimus filius ob mortem ueſtram, mortem obierit, illo mihi quàm amariſsimo die, ſpiritus ad infernas deſcendet ſedes. Decumbet in duro tumulo mortuum cadauer. Hoc tamen iuxta atq; illa Deo ipſo operoſæ mundanę molis fabro comitata, non enim quod ſemel aſſumpſit, unquam dimittet: diei tertij aurora rutilante multò ipſe pulchrior illa uiuus, & morbis affectibusq; noſtris iam poſthac nunquam obnoxius exurget, corpore longe, non lucifero ſolum, cum quo pariter redibit, ſed ſole etiam nitentiore, ſplendentiore, agillimo, & quum uolet ſpiritibus ipſis ſubtiliore, ac penetrantiore ipſe primus è ſomno ſurget, ut ſopitis alijs uiã faciat, ipſe erit omnium reſurrectio: & tunc innumeris penè hoſtibus fuſis, fugatis & cæſis præclariſsimum in patriam triumphum referet. Quanta deuictarum urbium ferculat quàm decorus ipſe inuictus fortiſsimus candidis quadrigis inuehetur trium uerborum titulo adiecto: ut de C. Cæſaris Pontico triũpho narrant: ille, Veni, uidi, uici, hic uerò, Ego uici mundum. regni eius poſthac non erit ullus finis, quippe quod eſt regnum omnium ſæculorum. Quoniam hic eſt Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi, & ipſe reget nos in ſæcula. Rebelles imperioſe reget in uirga ferrea, & quaſi uas figuli confringet eos. At manſueti qui terram hæreditate poſsidebunt, non eſurient, neque ſitient, neq; percutiet eos æſtus, aut Sol, quia miſerator eorum reget eos, & aquarum fontibus potabit eos.

Ipſi enim erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Hic ille eſt, qui uenturus eſt, nec alium futuræ ſperent ætates. Ipſe hic eſt expectatio gentium, ligans (ut uaticinatus eſt Iacobus moribundus) ad uineam pullum ſuum, & ad uitem ô fili mi, aſinã ſuam: lauabit in uino ſtolam ſuam, & in ſanguine uuæ pallium ſuum: pulchriores ſunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores. Sub uini prætextu credibili quidem, ſed non intelligibili myſterio uerus eius ſanguis latebit, ad quem quaſi ad uacerram alligati (ſi ea dici ligatio rectè poteſt, & non potius ſolutio, & ſumma libertas) affatim depaſti ſaginabuntur, uetuſteſcentem ſanè aſinam tam inuolutam explicabit, & ſolutum pullum populum Ethnicorum maieſtate imbuet ſuã, gentes proinde petijt hæreditatem ſuam, & poſſeſsionẽ ſuam terminos terræ. Tu uerò gentili populo ſalutiger eſto, perfer ad eos nuncium quàm gratiſsimum, Natum iam eſſe, in quem ipſi ſperabunt: natum iam qui futurus eſt pater multarum gentium natum qui gentes in terram cœleſtem diriget: natum luculẽtiſsimum illum in cuius lumine gentes ambulabunt, & reges in ſplendore ortus ipſius: natum illum cuius gloriam gentes propediem uiſuræ ſunt, qui ponet in eis ſignum, mittet ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam, tenentes ſagittam in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui nomen ipſius nequaquam audierant, & gloriam ipſius gentibus nunciabũt: natum eum, qui auream referet ætatem, & Saturnia regna. Nam

Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo,
Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Vergiliũ neſcio quem poëtam magni apud Romanos nominis, his & ſimilibus, Sibyllinis uerſibus multa de Saloníno Pollionis filio ferunt promiſiſſe, quæ omnia quàm fuerint in eo uana, præcox & repentinus interitus miſelli oſtendit infantis. Hic ego: Quo nam uis modo, ô uirgo, gentibus mortuorum audeam ſuſcitationem affirmare? quæ hoc ita multum exhorreſcunt. Vis ut me tanquam ridicule inſanum ſectentur, pueri exhibilent, explodant ex hominũ conuentibus atq; cõſortijs grandiores natu uelut ſenſu cõmuni carentem, iubeant omnes ad animi morbũ ſanandum Anticyras relegari? Quid ita, inquit illa? iniuria quidem, mea ſententia. nónne & ipſi Iouis illius flagitioſiſsimi beneficio Archadẽ Caliſtonis filiũ concíſum, & pro epulis iam tũ appoſitũ aſſerũt reuixiſſe? nõ & Hippolytũ nouercali ſcelere ab equis diſcerptũ, quod etiã nomẽ ſonat, & Glaucũ Minoe natũ, & Pollucẽ Tyndaridã, Æſculapij opera? & aliũ quendã, cuius nomẽ nõ eſt proditũ, cõploratũ, & tantũnõ in rogo iam

poſitum

positum Asclepiadis beneficio. Non & Plato Herum Pamphilium quẽdam militem in acie interemptum pòst diem decimum uitæ redditũ affirmat. Sed ut hæc quæ plerisq; ut sunt, ita etiam uidentur fabulosa, prætermittamus, Heraclides certè celebris apud Græcos author, fœminã tradit post diem à morte septimum reuixisse. Bello Siculo, quòd patris mei memoria inter Octauium Cæsarem, & Sex. Pompeiũ Magni F. gestum est, Gabienus Cæsaris classium fortissimus à Pompeianis militibus captus incisa ceruice & uix cohærente iacuit in littore diem totũ, quumq; tenebræ fieri desiores inciperent, gemitu precibusq; congregato uulgarium cœtu, petijt uti ad se iuberent Pompeium quàm primum uenire, se autem ab inferis remissum habere quòd nunciaret. Misit ex familiaribus Pompeius cõplures, quibus Gabienus dixit, Inferis dijs placere Pompeij causas, & partes pias. argumẽtum fore ueritatis, quòd peractis mandatis protinus expiraturus esset, idq; ita euenit. Accedit huc quòd uiginti uiris agros apud Romanos diuidẽtibus, Capuæ, quæ urbs est Campaniæ prima, quẽdam qui feretro efferret, domum pedibus perhibent remeasse. Hoc idem Aquini accidisse. Romæ quoq; quendam funeris choragio locato reuixisse, & aliquanto pòst funeris locatorem ab eo ipso elatum. Huc spectat quòd Xanthus herba quadam cui nomen est halin, & leonis catulum occisum & hominem à dracone interemptum uitæ redditos scribit. Iuba quoq; est autor, in Aphrica quendam ope cuiusdam herbulæ reuixisse. Hæc & innumera similia quàm uera sint, non ad uiuum (ut inquiunt) rese co: id uerò his omnibus satis fuerit me illis persuasisse, non adeò exanimatorum ad spiralem auram reuocationem contingere non posse, ut ipsi arbitrabantur. Si enim immortalis anima est, ut eorũ optimi & sapientissimi quiq; fatentur, quid obstat quo minus seiuncto semel spiritu, rursus à corpore ceu à uagina gladius recipiatur? Hermotinij Clasomenij animam relicto corpore multas lustrare solitam regiones perhibent, & quæ uiderit referre, quæ nisi à præsente nosci minimè poterant, corpore interim semianimi, donec eo cremato hostes qui Cantaridæ uocabant, remeanti animæ, quasi postliminio quodam uelut uaginam ademerũt. Quid mortis similiusq; quàm somnus? at uiuit in eo anima, sensusq; omnes sunt sopiti. Verum quum exurgimus, ijdem sumus qui ante soporẽ. Iacet enim corpus dormientis, ut mortui, quemadmodum inquit Marcus quidam Cicero, uir apud Romanos consularis & oratorum (ut aiunt) princeps, pater huius, qui nunc Asiæ præest. Viget autem & uiuit animus, quod multo magis faciet post mortem, quum omnino è corpore excesserit. cur tantũ in illa ad uitam reditione, hæremus, quũ hanc tam simillimã uideamus? Exuitur cubiturus uestimẽtis unusquisq;, quasi internus homo corpore externo, & sub thoralibus per noctem requiescit, posteroq; die recipit indumenta: quo quid posset effingi conuenientius? Quid de semine dicam prius moriente antequã in tantã herbæ, florũ, frugumq; speciẽ reuiuiscat? Quid de fruticibus & arboribus autumno languentib. hyeme penè extinctis reuiuentib. uere nouo maiorem in modũ uegentibus sub solstitium? Vtrũ, quæso, maius est ex nihilo aliquid creare? an creata seiũcta cõponere? quod uos quidẽ facitis, cum in studijs opera, nescio quæ, conflatis, seu cõpilatis potius. Possunt resurgere apes, si intra tectũ totam hyemẽ asseruentur, deinde uerno Sole tostæ & ficulneo cinere sint solidũ perfotę diem, & nõ post gelidã mortẽ potest reuiuiscere homo, quando mundo cum quodã insolito uere renouato ad iusticiæ Solem torrebit unusquisq;. Resurgẽt mortui, præcinit Esaias, & qui sunt in tumulis suscitabuntur, & spiritus Domini per Ezechielem nudis aridisq; ossibus neruos, carnem, uitamq; promittit, quo tempore seueriss imus hic (quem nunc clementissimũ & benignissimũ contueris) aduenietiudex cum senatoribus terræ. In igne Dominus ueniet, & quasi turbo quadriga eius. Reddet in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & gladio suo omnẽ carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino: uidebit eum omnis oculus, & qui eum acriter antea pungent. Quã uel ego ipsa regi tam proxima (quid alij si modò sapiũt, sensum ue ullum mentemq; habent, facient) diem illum exhorresco,

—Quo cum compage soluta

Sæcula

Sæcula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia miſtis
Sydera ſyderibus concurrent, ígnea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi, totaq; diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Illic inſontes Chriſto per aera apparebũt, illic flagitioſiſsimi rei, illic actores acerbiſſimi, teſtes & iudex irrefragabiles: patronus ſola meritorum & bene actæ uitæ recordatio, nulla perſuadebit eloquẽtia, nulla pecunia corrumpet, nullus amor flectet, nullus à rectiſsimo iudicio detrahet terror. Erit malis pro ſegni turpiq; ſtatione exagitatio innumera cruciatuũ, terror & mors immortalis perpetuò necans. Erit bonis pro fideli opera cõſummatiſsima merces, ſecurum gaudium, uita perennis. Hæc omnia, ut percenſui fore dubitet nemo, nec impedire quicquam iſtorum, quominus efficiatur, nec cœlum ipſum poſſe, neque elementa omnia cunctusq; orbis. Hæc ſunt prognoſtica certiſsima, quoniam ex certiſsimis aſtris, certiſsima obſeruatione ſunt deprehenſa, quorum ſingula diligenti attentione perpende, quando ne minimum quidem uerbum ſum locuta, in quo myſterium quodpiam complexa non fuerim. Quę quum diſſeruiſſet, admirabundus ego ſuſpirium partim ex gaudio noui mundi, partim ex admiratione ac perturbatione ingens ædidi. Paſtores etiam aliquanto poſt ſermonem ipſum ad ſe redeuntes. Nam ſtupefacti & attoniti iſs quæ tam miranda uirgo narrabat, extra ſe erant, tenuibus & ſemiruptis auenis modulantes, ad hunc cecinere modum:

CARMEN PASTORVM, AD DEVM.

MAgne Deus, genitor, Verbumq; ex mente parentis
Æternum naſcens ante omnia ſæcula mundi,
Hocq; die genitum, claudit qui tempore cuncta,
Sanctum & ab utroque procedens pneuma Deusq;,
Quem non humanus potuit comprendere ſenſus,
Non mens, non animiq; uigor, naturaq; tota:
Sed tu te nobis monſtraſti ſumme magiſter,
Quòd ſis mundi huius pulchri pulcherrimus author,
Qui mare, qui terras, ſtirpes, animalia, cœlum,
Quiq; animos noſtros, omnes qui denique mentes,
Cuncta tuo rector contorques numine ſancto:
Da Pater, æternis nos ducere legibus æuum,
Vtq; tuæ ſemper ſit conſors noſtra uoluntas.

AD CHRISTVM RECENS NATVM.

SAlue ſancte puer, ſummi pulcherrima procles
Ætherei Patris, ſanctaq; ex Virgine natus,
Summus & ipſe Deus, ſæcli melioris origo:
Qui genus humanum miſerando in carcere clauſum
Morte tua ſolues, patriam dabis ipſe uidere,
Æternam ac tecum felicem ducere uitam:
Nos eſſe ut facias ex illis, Chriſte, precamur.
Diuorum ad ſedes, quos tu poſt fata uocabis.

AD DIVAM VIRGINEM.

VIrgo,quæ magnum generas tonantem,
Nec tuus candor maculatur unquam,
Quam theanthropos uocitat parentem,
Quam colet orbis.
Alma,quæ totum genus ipſa noſtrum
Actibus uincis ſuperasq; uita,
Sola quæ patri placuiſſe ſummo
Virgo uideris.
Diua,tu nobis petimus,precamur
Supplices,natum facias amicum,
Crimini ut noſtro ueniam det,atque
Viuere ſecum,

GENETHLIACI IESV CHRISTI FINIS.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

Seraphino Centelli Comiti Oliuæ, uiro clariſsimo,

S. P. D.

MITTO ad te Heros præſtantiſsime,duo mea opuſcula,tanquã ad eum qui in urbe noſtra cum ſumma nobilitate ſummisq; opibus ſummã quoq; adiunxit eruditionem. Quod principes omnes facere ſi pergerent,foret haud dubie breui,ut pulchra illa Græcorũ Romanorumq; redirent tempora,in quibus ĩjdem erant genere,opibus,et diſciplinis inſignes. Qui et nomen ingenuitatis libertatisq; ſuę,in artes etiã quibus ualebant,transfuderũt,unde illæ liberales ingenuęq; appellatę ſunt.Et quoniam memoria rerum geſtarum, quæ eſt præcipua prudentiæ mater, prudentiſsimus ipſe, pariter & ſanctiſsima religione tu pientiſsimus oblectaris,uterq; libellus admiſtam cum hiſtoria habebit pietatem,ut religionis fructus dulcedine comitatus. hiſtoriæ altius legentis animũ penetret. Prior eſt de pace in qua natus eſt Chriſtus, cui tu quietiſsimæ ac placidiſsimæ uirtuti iam inde ab adoleſcentia deditus ſtudioſusq; fuiſti, utpote quę tuo mitiſsimo maximè cõgruebat ingenio. Et exiſtimo te eo magis nunc eſſe illius uirtutis cultorem, quo grandior iſta & maturior ætas à bellorũ tumultibus magis quàm iuuenilis ardor abhorret. Alter uerò libellus deſcriptionem continebit clypei Chriſti, ad cuius arma tua omniumq; Chriſtianorum arma aptanda ſunt. At ſi quis operum ſolam ſpectet molem, ſcio nihil eſſe quod tua uideat magnitudine dignum.Sin uerò & animum meum & ipſius argumentum rei,neminem fore arbitror, qui meam hãc dedicationem improbet.Tu hæc duo poſteriora ſpectato,& animum ſcito meũ tibi eſſe tuas ob egregias dotes & propè ſingulares uirtutes,quàm deditiſsimum. Vale.Louanij,menſe Decembri,

M. D. XVIII.

IOAN.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI, DE TEMPORE QVO NATVS EST CHRISTVS.

SANCTVM ſanctorum, Regumq; Regem Chriſtum Ieſum ſumma pacis, tranquillitatis naſci, pacis authorem conueniens fuit. Deſcribam prius fæuorũ tempeſtates bellorum, ut inſecutam ſub ipſum Chriſti natalem, admiremini pacem. Nec id altius repetam, ne hiſtoriam potius Pop. Rom. ſcribere uideamur, quàm de natali loqui Chriſtiano. Tacebo de acerbiſsimis bellis ciuilibus, quæ à duobus Mariis, patre & filio, L. Cornelio Sylla, Cornelio Cinna, Carbone, Bruto, Norbano, Scipione, Perpenna, Octauio, Lepido, Sertorio, & Pompeio geſta ſunt. Prætereo bellũ ſeruile, cõiurationemq; L. Catilinæ. Nihil dicemus de luctiſsimo & exitiali bello ciuili inter Pompeium Magnum & Iulium Cæſarem, quòd ardore ſuo Italiam, Hiſpanias, Græciam, Ægyptum, totam Aphricam, totam Aſiam, omnia maria incendit. A Cæſaris dictatoris cæde initium dicendi faciam. Quem inciuiliter nimis et impotenter dominantẽ in curia Pompeiana C. Caſsius, duo Bruti, Decius & Marcus, Caius Trebonius, Seruilius Caſca, Tullius Cymber, aliiq; complures Romanę libertatis uindices quum cõfodiſſent, uelut ipſo Pompeio ſcelerum pœnas exigente, ex eius uulneribus ſemina bellorũ, quæ terrarum orbem ad interitum ferè generis humani uexarunt, exorta ſunt. Mox enim Antonius in ſpem principatus erectus, pro roſtris Cæſarem uita functum quum laudaſſet, Pop. Romanum furore accenſum in bona, poſſeſſionesq; tyrannicidarum immiſit, totaq; Vrbe ingens metus & trepidatio exorta. Ipſe paulò pòſt inimicitijs acerbis cum Cicerone acceptis, Roma egreſſus eſt, & ad occupandã Galliam citeriorẽ, unde tanquam ex arce ſignum daret bello ciuili, animũ adiecit, Deciumq; Brutum, qui Senatus iuſſu prouinciæ prius à Cæſare ſibi datæ præerat, Mutinæ acri obſidione premit. Hinc agente aduerſus eum apud Patres populumq;, eodem Tullio Cicerone homine patriæ ſuorumq; amantiſsimo ciuiũ, & immenſa ui eloquentię & ſumma authoritate, quã ei conſulatus & detecta nefaria Catilinæ coniuratio perpetuaq; togæ dignitas, multiq; eius opera defenſi pepererant, hoſtis eſt à Senatu iudicatus. Miſsiq; ad eum opprimendũ infœliciſsimi cõſules duo, Hircius & Panſa: additusq; eſt C. Octauius adoleſcẽs pro prætore cum his legionibus ueteranorũ, quæ nomine patris Cæſaris ad eum cõfugerant. Iuit totus populus eodẽ ſuadente Cicerone ad ſaga, ne conſularib. quidẽ exceptis, quibus geſtus honor uacationẽ illius cultus dabat. Ac cœpit orbe toto ſæuus Mars flagrare, et uarijs ubiq; cõfligi prælijs. Nam fortuna, quæ plus q; ſui ferãt mores, ſucceſſus tolerauerat Pop. Rom. nulla potuit ualidiore arte imperiũ tantum cõminuere, q; efficiẽs, ut illud ſuas in ſe uires cõuerteret, & remp. duorũ fortiſsimorũ cõſulũ affligeret orbitate, cõmiſſa ad Mutinã ab Antonio pugna prius cum Panſa, mox cum Hircio, extincta ſunt duo libertatis lumina. Nihilo tamẽ his Antonius prælijs felicior, ſoluta obſidione in Galliam ulteriorẽ ad M. Lepidum cõtendit, tanta rerum omniũ inopia, ut Imperator ipſe, arborũ corticibus ueſci cogeretur, & uoluptuoſiſsimus alioquí homo aquam cœno turbatã potaret. Per idem ferè tempus Dolobella C. Treboniũ, quem Senatus Aſię præfecerat, Epheſi noctu de repente oppreſſum atrociter interemit. Ob tam immane facinus hoſtis & ipſe iudicatus, Caſsio & Bruto datũ negociũ ut Dolobellam perſequerentẽ. Tum ut faciliore uteretur fortuna, compendio acerbitatis inuidię ſuæ aduerſus populũ fœliciſsimum explendæ, ne quæ pro conſtantia inconſtantiam pertinaciſsimè tenet, culpari poſſet ſuis ipſam legibus nõ ſtare, duos cõſulares exercitus C. Octauio tradidit, et ipſi puero talem

ro talem mentem ut cum hoſte nefario nefandiſsimum iceret fœdus. Admouit tum ipſe ad patriam legiones,in patriæ ſubſidium conſcriptas. Et trepidatione ac terrore puer pædagogo & flagris dignior,patriam,penatesq; cõpleuit:ita ut nec Cicero,qui erat illi tanquam pater, nec Acciæ matri & Octauiæ ſorori, tutus fuerit habitandi in Vrbe locus,turbatione rerũ,quam ſuis prauis conatibus faciebat.Tum Decius Brutus deſertus ab exercitu,quem in Græciam ad partes ductabat à latronibus fœdè interfectus eſt,conſul deſignatus Pop.Rom.Et adiuncti Lepidus Plancusq; et Ventidius Antonio, formidabilem eius potentiam effecere. Ita conflatus eſt ille Octauiꝰ, Antoniꝰ,& Lepidi triumuiratus,id eſt exitiabilis furia,fax,& peſtis ciuium omnium Romanorum. Quod lupus ille per mediam uagatus Vrbem præmonuerat.Ingreſsi triumuiri Romam,non tam metu animos hominũ concuſſerũt,quàm defixerunt ſtupore. Nam malum tantum,quantũ ne cogitatione quidem uiſum ullum fuerat,ſenſum omnem abſtulerat humanum.Proponuntur in foro tabulæ proſcriptionum,ſimul et præmia ijs qui ad triumuiros damnatorum retuliſſent capita.Hîc iam ulterius comprimi nulla ui publicus dolor potuit.Mutatæ paſsim ueſtes,luctus ingens totius promiſcuè populi exortus,matronarũ,uirginum,uirorum,puerorũ,canum inſoliti latratus,ipſum quoq; ſanguinis ſitientiſsimũ Antonium modò flectebant,modò terrebant. Fuêre qui ſibi fuga conſulere tentarint,ſed aditus omnes,portæ, flumina, pontes præſidijs exercitus triumuiralis obſidebanꝫ,ut nemini effugium ab illorũ armis pateret,niſi unica à ſeipſo illata morte, quam & illuſtres pleriq; uiri ſibi arceſsiuêre ultrò,uexationi atq; ignominiæ ſe ſubtrahentes. Cicero ſanctiſsimus ciuis in Formiano ſuo à Popilio Lenate,quem capitis reum olim defenderat, contrucidatus eſt, uotaq; eius impleta,ne ſuperſtes reipub. eſſet.Caputq; ſacrum & manus tot inſigniũ operum authores,Antonius ex menſa in roſtra deferri iuſsit. Quæ membra populus quum uidit,lachrymis illi & ſummo planctu poſtremos funeris fecit honores,

Tum redeunt animis ingentia conſulis acta,
Iuratæq; manus,deprehenſaq; fœdera noxæ,
Patritiumq; nephas,eſt tunc & pœna Cæthegi,
Deiectusq; redit uotis Catilina nefandis,
Quid fauor aut cœtus pleni,quid honoribus anni
Profuerunt? ſacris & uita quid artibus acta?
Abſtulit una dies æui decus,ictaq; luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ,
Vnica ſollicitis quondam tutela,ſalusq;,
Egregium ſemper patriæ caput,ille Senatus
Vindex,ille fori,legum,ritusq;,togæq;.
Publica uox eius æternum obmutuit armis,
Informes uultus ſparſamq; cruore nefando
Caniciem,ſacrasq; manus operumq; miniſtras
Tantorum.

Et quum immenſus ille cupiditatis M.& L.Antoniorũ Oceanus impleri tot proſcriptis non poſſet uiris, ad ſexum ab omni ſemper uexatione damnoq; uel ſæuiſsimis imperantibus tyrannis,immunẽ, crudelitas uerſa eſt : clariſsimæ fœminæ quadringentæ ſunt proſcriptę.Num non etiam Sol ipſe tantam generis humani cladem horrere uidebatur? quum toto illo anno malignam lucem mundo reddens,tetro ſeſeſe ac horribili pallore operiebat. Tum in Græciam exercitus traducti, ut Caſsium & Brutum qui ex uera illa Romana generoſitate ſupererant, abſumeret quoq; fortuna. Erat in armis Libya, quam Cornificius & Lælius Caſsianarum partium obtinebant,miſſus eſt aduerſus eos Sextius auxiliantibus Arabione Regulo et Sittio Romano,Laodiceæ Dolobella,acerba obſidione incluſus à Caſsio tenebatur, qui Dolobella paulò pòſt à ſeruo quodam Marſo,ipſo iubẽte,iugulatus eſt. Caſſius interfecto Dolobella Rhodijs Lycijsq; bellũ intulit.Triumuiri in Macedoniam exercitum tranſportabant.Mucro uerò et Domitius Ænobarbus Brutianarum partium, & Sextus Pompeius Gn.Magni filius,totum mare infeſtũ reddebant.In Macedonia

igitur quũ essent Bruti & Cassij castra Antonij & Octauij castris collata, ceu parum pinguissent Thessalici campi nobilissimo sanguine Latino, Cæsare & Pompeio bellum gerentibus, rursus paruis plerisq; certaminibus, duobus deinde iustis prælijs ampliore cruore sunt irrigati. C. Cassius prior, celeri desperatione rerum, seruo se interficiendum præbuit. Dehinc M. Brutus multa prius conquestus de patriæ fortuna, de Antonij scelere & flagitio, de casu tam pulcherrimæ reip. testatus Deos per se non stetisse, quo minus pristinæ dignitati Senatus populusq; Rom. restitueretur, suis præclaris conatibus successus defuisse, sanctum illud pectus auunculi & soceri uirtutem æmulatus transfodit. Ita impendentibus libertati Romanæ fatis, tales ciues à scelera-tis latronibus uicti sunt. At neq; Hierosolyma, Iudęa, totaq; Syria per id tempus quietæ erant. Nam Herodes Antipatri parentis necem ulturus, Hierosolymam cum exercitu irrupit, Malchumq; unum ex ciuitatis principibus interemit. Mox aduersus Antigonum egressus cum eo in Galilææ finibus conflixit, ipsumq; fuga in Iudæos montes compulit. Qui ad Parthos confugiens, cum magna Barbarorum manu in palæstinam regressus Hierosolymã occupauit, medioq; in foro cum Herode ac Phaselo fratribus sæpe atrociterq; dimicauit. Phaselus paulò pòst & Hircanus Pachori Parthi iussu, in carcerem coniecti sunt. Herodes uerò sibi suæq; multitudini fuga, nec tamen incruenta, consulit, regia tota deflagrauit, urbis bona pars ab equitatu Parthorum fœdè direpta est, & cum exigua barbaræ auaritiæ urbana uideretur præda, suburbana regio miserè est omni cladis genere afflicta. Ipse Phaselus quũ ex grauibus se euasurũ uinculis desperaret, capite sæpe parieti illiso animam egit, Hircano auriculæ ab Antigono præcisæ, ne idoneus pontificatui foret, quem antea gesserat. Herodes Romam profectus Antonio egregiã operam nauante senatusconsulto iussus est in Iudæa regnare. Ita illuc regressus, ad Hierosolymã copias admouit, eamq; corona cinxit, pressamq; per æstatem graui obsidione hyeme respirare passus est. Nam milites ut in hyberna deducerentur, neq; obscure neq; segniter plerunq; flagitauerant. Ipse Herodes ne nihil ageret, soluta obsidione Hiericonta primo impetu occupat, & fratri opem aduersus Antigonum fert, qui solutus nõ multo pòst in insidias incautus quum incidisset, ab hoste confossus est. Herodes ex Antonij castris subito nuncio perculsus, tumultuaria exercitus parte collecta hostes persequutus, eos tota ex Galilæa expulit. Multis deinceps prælijs cum Antigono conflixit, sæpius feliciter, nisi quòd interdum graiter saucius pugna excedere coactus est. Rursus uere appetente obsidio in Hierosolymos est uersa, maioribus operibus quàm superior fuerat, ut eo terrore ciues ad deditionem inclinarent. Supplementum ab Antonio frequens erat Herodi missum. Iudæi obstinato animo Regem alienigenam tanquam lege uetitum pollutumq; auersabantur, & creber aries murum feriebat, & cuniculi permulti in urbem acti, nihil proficiebant. Anno uerò qui ex gentis uetere instituto dicitur requiei, urbs in potestatem Herodis uenit. Cędes per omnes ętates sexusq; latè uagata in gentem Iudęis stragem dedit, & tam miseranda clades totam ciuitatem deformauit. Ita iudæum regnum grauiter prius afflictum Herodi tandem stetit, quinquaginta ex proceribus diuersarum partium morte palàm mulctatis summo cum dolore totius populi. Atq; hęc quidem in Iudæa sic se habebant. Ex Philippensibus uerò pugnis Antonius ad orientem contendit, & inde ad Cleopatram delicias mox suas. Octauius uerò ad occiduum solem atq; ipsam urbem copias reducit. Et ut appareret omnibus tam infaustã nefariamq; societatem non futuram diuturnam, incęperunt pullulascere magnorum occasiones bellorum. Fuluia in Octauium Leuirum Lucium triumuiri fratrem cõcitauit, hominem per se fratris similem, temerarium, cupidum rerum nouarum, & in apertum bellum simultas processit. Compulit Lucium Antoniũ per id tempus consulem Octauius Perusiæ, quæ urbs est in Hetruria, sese includere, qui ad postremum fœda fame fatigatus deditionem fecit. Ipsi fœdifrago & sceleri authori in fratris gratiam ignotum est, urbs crudeliter prius direpta uexataq;, ingenti mox incendio ad solum exusta est, opibus olim florens, & nobili uetustate gentis insignis, multiq; mortales contrucidati. Hoc illud est, quod in suburbano bos illa locuta significauit, quam aratori

instantius

inſtantius operas urgenti dixiſſe ferunt, Fruſtra ſeſe urgeri, breui nõ frumentum defuturum, defuturos qui illud edant homines. Non minorẽ accepit Antonius apud Parthos cladem, qui Labieno Pompeianarũ partium impulſore, diſcordia ciuili freti, fines imperij ingreſsi, Syriam ferro igniq; uaſtarant, Didióq; Saxa Hiſpano M. Antonij legato oppreſſo totam occuparant prouinciam, quorum impetum Antonius per Ventidium legatum repreſsit: illum inquam Ventidiũ, cuius triumphus & conſulatus, quid aliud quàm fortunæ ludibria fuere? Deinde M. ipſe Antonius imperatorijs artibus ab impudicis amoribus extinctus, temerè in Parthiam irruit, unde fœde pace dedecora, parum etiam duratura pacta, pedem referre coactus eſt. Et in inſidias præcipitatus, exercitũ ſua inſania & fami & temporis ſæuitiæ, & hoſtium obiecit ferro. Ibi ſanguis Romanus abundè ſparſus eſt. Coëgit inedia herbis quoq; ignotis, nam notas cõſumpſerant omnes, exercitum ueſci, inter quas inuentum eſt cuiuſdam genus, quod homines dementatos prius et defodiendis lapidibus intentos, eiecta uomitu cholera ſubitò necaret. Nec Romæ quidem, quæ alere urbanam poſſet multitudinem, annona erat, ut quibus pepercerat fatigatus gladius, eos abſumeret fames. Nam Sextus Pompeius, cui maris imperium, ut olim patri, erat decretum, mare infeſtum reddẽs, cõmeatus intercluſerat omneis. Quæ res cauſa fuit magnorum in Vrbe motuum. Latrocinia non noctu modò, ſed in clara luce medioq; foro fieri: ita non Vrbem eam diceres, ex qua ſint natæ leges, & quæ iura toti reddiderit orbi, ſed nemus crudelium prædonum. Et quamuis multa inimicitiarum ſemina inter triumuiros iam altius hæſerant, radicesq; egerant, non tamen dirimere ſimulatam & inuitam ſocietatem uacabat, homines externa mala in tam diuturna qualibet fragili amicitia detinebant, ac malè cohærentem toties reſartam gratiam exterus metus utcunq; focillabat, ut prius quàm in apertam irrumperent diſſenſionem, ireturq; ad arma, remedium quacunq; poſſent tantis malis adhiberẽt. Sextum Pompeium conſtituunt ſibi conciliare. Fictæ erant amicitiæ, pacis, fœderis, inducíarum, ſocietatis nomina, nihil ſuberat ueri, nihil ſolidi, non fides, non ueritas illa priſcorum temporum Romanorum. Metiebantur hæc omnia non religione iuramenti aut probitate, ſed commodis ſuis: eatenus idcirco durabant, quatenus ſuadebat ratio utilitatis. Amicitiam igitur Sexto triumuiri obtulerunt, ut hominis impetum retardarent, eiusq; etiam comminuendi cõmodiora ſibi interim tempora captaturi. Amicitiam Pompeius nõ recuſauit. Sed ut primùm ciuitas inopia illa leuata recreataq; eſt, rupit protinus Octauius fœdus contra omne ius æquumq;. Quod fuiſſe iniquiſsimè factum, uel ipſe Antonius utilitatis particeps, homo alioqui iniquiſsimus, non diſsimulauit. Ibi ergo utraque ex parte ſæpe nauali certamine dimicatum, multis nauibus mari inſolita tempeſtate diſiectis, magna hominum ui fluctibus abſumpta. Terra etiam magnæ acceptæ ſunt clades. Poſtremò Sextus patris fratriſq; ultimã ſecutus fortunã, et copijs & imperio ac dignitate exutus, fœdè in Aſiã profugit, ut illic interiret, quũ pater in Aphrica, frater in Europa mortui ſint, ut domus illius totus orbis exciperet ruinã. Quę paulò antea orbi etiam toti à ſe triumphato imperauerat. Parturiebant odijs aduerſus ſeſe turgida triumuirorum pectora bellum inter ſe futurum acerbum: & apparebat, quod euentu comprobatum eſt, uictis adeſſe finem. Non enim poterat orbis, tribus eiuſmodi parẽre dominis, ſed neceſſariò imperium totum uni, quicunq; ille tandem futurus eſſet uictor, ceſſum erat. Neque enim tres illos impuriſsimos & omni flagitio delibutos gladiatores orbis diutius capere poterat, qui clementem ſocerum & modeſtiſsimum generum non cœpiſſet. Erupit igitur primum ex Lepidi pectore odium tam diu malè diſsimulatum, & exceptus ab Octauio fortunæ alumno totus eius conatus protinus cõpreſſus fractúsq; eſt, dignitate Lepidus ſpoliatus Circeios, cum ex triumuiro priuatus remiſſus eſt. De tribus uno ſemoto inter Antonium & Octauium nemo ignorabat breui de ſumma rerum ſine diſsimulatione apertis odijs magno decertatum iri bello. Trahebat nepotinis conuiuijs & luxurioſiſsima uita tempus Antonius cum ſua Cleopatra, quum Octauius adiecto ad Antonij potentiam oculo, undiq; ocaſiones ſanctæ illius ſocietatis tot ciuilibus ſancitæ hoſtijs di-

rimendæ captans mittit ad Antonium sororem suam Octauiam illius coniugẽ, haud dubius quin ab Antonio in gratiam Cleopatræ reiceretur, unde ansam dissidij, si non ueram iustamq; , at fucatã saltem arriperet. Dum uxor nihil horum scia, ad uirum in Ægyptum contendit, ne ab armis ulla intercessatio fieret, Octauius in Dalmatas mouet, & bellum à Cæsare patre aliud in tempus dilatum absoluere instituit. Docleatæ, Carni, Narisii bello sunt primùm impetiti, secundum hos Melitini & Corcyræi iuuentute armis apta, tota ad unum ferro absumpta, cætera multitudo sub corona miserabili spectaculo uænijt, iuxta hos cum Salassis lapidibus, Segestanis, Dalmatis, Darisiis, Pannonibusq; immaniter pugnatum, nullo crudelitatis genere prætermisso. Quædam ex his gentibus funditus sunt excisæ, ut ne ad semen quidem sit ullus relictus, ex alijs uerò urbes pleræq; ad solum cum tota multitudine igni ferroq; absumptæ. Neq; uerò sine lachrymis & cruore hæ Romanis stetere uictoriæ. Nam gentes illæ sanguinem suum bene prius ultæ ceciderunt. Ita flerunt uictores, interiêre uicti. Ipse Imperator utrunq; brachium & alterum crus saucium ruina pontis retulit. Deinde genu in Setoniæ oppugnatione saxo est grauiter percussus, ex quo morbo simul ac conualuit, Romam reuersus est ad consulatum petendum, ut in magistratu Antonium opprimeret. Tum repudiata ab Antonio Octauia matrona & prudenti & casta, nactus est quam tamdiu optarat Octauius occasionẽ. Comparataq; ingenti classe magnisq; copijs in Epirum ad occurrendum Antonio ire pergit.

Hinc ope barbarica uarijsq; Antonius armis
Victor ab auroræ populis & littore rubro
Ægyptum uiresq; Orientis & ultima secum
Bactra uehit, sequiturq; nefas Ægyptia coniunx.

Ita coactis ex orbe toto copijs, ad Actium Ambraciæ promontorium ambo gladiatores compositi sistunt. Et ruptis totius amicitiq; affinitatis, fidei legibus instruunt classes suas, parati decertare,

Quem dominum mundi facerent ciuilia bella.

Ambo non poterant, unum esse oportebat, qui solus rerum omnium potitus aut terrarum orbem pro libito laceraret, aut suis certè lacerandum nefandissimis hæredibus per manum traderet. Stetit pro alumno suo, ut semper antea, fors: & fractis Antonij & Cleopatræ opibus, eos Octauius in Ægyptum fugiens persecutus est. Antonius à suis desertus, seipsum ferro interemit: Cleopatra morsu aspidis, cui nudatum brachiũ porrexerat, fato est defuncta. Tunc apparuerunt uera tam multa de Octauij magnitudine prænunciata. Abiecta senatus authoritate, cœpit grauissimus ordo seruiliter principi adulari, tradito Augusti cognomento, & in anno mense eidem consecrato, qui proximus erat paterno. Peperitq; tandẽ natura Pop. Rom. Regem quem tandiu parturierat. Per eosdem dies tam uehementi Iudæa terræ motu afflicta est, ut ædium ruinæ ad quinq; millia hominũ oppresserint. Arabes rati oportunum esse Iudæos tanta concussos clade bello lacessere, usq; ad Iordanem armis late omnia populantes progressi sunt. Illic occurrens eis Herodes, iusto prius superatos prælio, ad quinq; millia eorum occidit. Dehinc reliquos ad deditionem faciẽdam compulsos, domũ cum ignominia remisit. Erant adhuc in armis, Bastarni, Mæsi, Thraces, Daci, Sarmathæ, Hispani, Salassi, Græci, tota Germania, Rheti, Norici: quas omnes gentes Octauius partim suo, partim legatorum ductu, Crassi, Lentuli, & Furnij, partim per Tiberium & Drusum priuignos domuit, cruentis sanè uictorijs & multo Romano emptis sanguine. Accedebat terrarum orbi pulcherrima rerum omnium pax, ut gentes tot bellis fatigatæ nonnihil interquiescerent. Sed mortales tam multis assueti bellis, nondum illam perferre poterant. Descíscunt igitur Germani post Drusi mortem, à quo subacti & in prouinciæ formam redacti erant. Ac sine dimicatione ulla Quintilium Varum cum toto exercitu, qui ex tribus constabat legionibus multisq; auxilijs ad unum cædunt. Et ut maior cura Romanum Imperium premeret, Illyrici quoque defecerunt, qui tanquam belli morientis acerrimus fuit morsus, sicut de quibusdam bestijs rerum naturæ periti tradunt. Sunt qui bellum hoc grauissimum extremorum

morum pòst Punica fuisse affirment. Argumento est quindecim legionibus pari etiam auxiliariorum numero rem in Illyrio à Tiberio Nerone geri oportuisse, omissa tota per id tempus de Germania pacanda, cura, sæpe ad desperationẽ rebus adductis, ita ut difficultate belli summaq; frugum inopia deterritus Augustus priuignum plerunq; ad Vrbem ex Illyrijs reuocarit. Nec ante triennium uarijs belli casibus prouincia illa perdomari, redigiq; in ditionem potuerit. Germaniam biennio haudquaquam facile in priorem prouinciæ formam Tiberius idem restituit. Parthi suo more in Armeniam excurrerunt, eamq; sibi occuparunt, qui post nonnullas minoris momenti dimicationes, fœlicitati Augusti & temporum tranquillitati cædentes, Armenia excesserunt, signis in cladibus Crassiana & Antoniana ab eis captis, Tiberio restitutis. Scythæ ac Indi, ne quid ad concordiam generis humani deesset, in Cæsaris & Pop. Rom. amicitiam per legatos petitam recepti sunt. Incredibili pace toto orbe terra mariq; parta, restinctis tot bellorum ardentibus facibus, clausa est tertiùm porta illa Iani bifrontis, quam bellorum pacisq; Pop. Rom. indicem rex Numa Pompilius, qui Romulo in regno successit, ad infimum constituerat Argiletum. Edixit secundum hæc Imperator, ut quando tranquillæ res toto in imperio gerebantur, non solum Romæ census haberetur, sed toto etiam in orbe, qui Romano imperio parebat, ut illius summa quadam uires cognosci possent. Et ut censum unusquisq; suam in ciuitatem profiteretur, Cyrenius Syriæ præerat, quum Iosephus Mariam desponsatam sibi gerentem uterum, uiro tamen incognitam, in Bethleẽ oppidum tribus Iudæ, mil libus ab Hierosolymis duobus distans, ducebat. Nam ex illa erant ipsi ciuitate, utpote progenies Dauidis regis. Iam eo in loco erant, iam in eo erant tempore, in quibus omnia prophetarum futurum Messiam prœcinuerãt oracula. Micheas enim ad hunc prædixerat modum: Et tu Bethleem Ephrata, paruula es in milibus Iuda, ex te mihi egreditur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Et erat equidem congruum, ut qui stirpi gentiq; Dauidicæ secundus ille expressus & uerus Dauid, cuius prior fuerat figura, promittebatur, in eadem quoq; nasceretur ciuitate, quę ille. Tum et hebdomades ille Danielis absolutę iam erant: regnumq; de Iuda in Herodem, cuius pater Ascalonita fuit Antipater, mater uerò Cypris, Arabica, translatum iam erat, quòd nõ futurum moribundus Iacobus præuiderat, antequàm Christus Domini ueniret. Itaq; & plenitudo tum erat temporis omnium earum rerum, quę à uatibus cæterisq; sanctis hominibus de Messia uenturo conscripta erant: quem & Zacharias ille, captus alioqui his corporeis oculis, oculo tamen mentis multo penetrantiore uidit, quum filium aduentus proximi iam regnis nuncium metatoremq; prophetico carmine destinauit. Cognouit & sanctus Simeon, qui postrema licet in senecta, sperabat tamen in uita sua, quam fore perbreuem non ignorabat, se Christum Domini uisurum, quem simul ac primum est in templo contuitus, nihil se postea mortem morari professus est. Pax erat non Romæ solum, sed toto in genere humano, quanta omnium seculorum memoria nunquam fuerat:

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securæ peragebant ocia gentes.

Quod futurum aduentante Christo Sibyllæ uatesq; uniuersi præsignificarant. Atq; equidem eius regnum nullo alio notatur quàm Pacis titulo. Est enim ipse Salomon ille rex pacificus, & Melchisedech, quod est rex pacis: in cuius temporibus futurum Dauid præuiderat, ut iustitia, & pacis oritur æterna copia. Hic nanq; ille est, qui pacem secum in orbem,

Aureaq; retulit sæcula, quo ferrea primum
Defuit, ac toto uenit gens aurea mundo.

Nemo itaque per illos dies ipsum nasci dubitabat. Nanque omnia in id ipsum tempus, inq; eum erãt locum, uatum oracula collata. Quum sine solutione illa uiscerum, quæ incredibilem parienti afferre dolorem solet, inuiolata uirginitatis maternæ textura, Christus Iesus alma ex uirgine, cui Mariæ nomen fuit, toti orbi salutaris natus

est. Adeò Deus ipse æternus genitus, & ab homine genitrice homo in tempore ortus, lucis authorem lux etiam ipsa secuta est, & ut huius cœli atq; orbis, ita & humanæ mentis tenebræ insolita atq; admirabili claritate discussæ sunt. Quem rerum omnium parentem humano contectum corpore satius erit pia uenerari cogitatione tacentes, quàm nostris uerbis qualis quantusq; sit, enarrare. Illud enim possumus, hoc uerò is unus potest Deus, qui solus suam diuinitatem nouit, quam ingenia capere nostra non ualent.

DE TEMPORE QVO NATVS CHRISTVS, FINIS.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

uenerando admodum patri Ioanni Curuimosano, abbati Sancti Iacobi apud Leodios,

S. D.

EXIGIT haud dubie amicitia nostra ex communibus studijs pro tua benignitate, facilitate morũ atq; modestia, primo congressu non conciliata modò, sed etiam summopere aucta, ut pignus aliquod, atq; id litterarium, mutuæ inter nos charitatis monumentum à me accipias. Scribo idcirco tibi amplissime pater, duas prælectiones meas: quarum una est in meum Christi triumphum, quam appellaui Fucatam ueritatem, ab argumento: eam ego Parrhisiis feci, ut iuuenes quosdam uanæ & spurcæ poëesi deditos ad sanctiores musas disciplinasq; pleniores & fructus & pudicitiæ reuocarem. Musas ibi non damno, quarum ego studio mirificè teneor, & uix homines eos credo qui ab illis penitus abhorrent. Sed ab eis retraho, quæ nihil habẽt præter inania nomina sceleratorum hominum, quæ etiam, ut Paulus ex Menandri sententia inquit,

φθείρουσιν ἤθη χρῆστ' ὁμιλίαι κακαί.

Altera prælectio est in Catonem maiorem Ciceronis, qui est de Senectute dialogus. Hanc festiuitate nominum ludens, ex argumento etiam rei, Senis animam nuncupaui, quam ego noui, qua parte sapientissima atq; optima est, tuæ persimilem esse. Quo in opusculo stylũ, quamuis non ignoro quàm sit mihi penè nullus, quantuscũque tamen est, demisi, nec instruxi pigmentis lenocinijsq; orationem, ut senilem frigiditatem etiam dictione ipsa exprimerem. Hęc utraq; qualiaqualia sunt, grauissima tibi fore certò scio: non tam ipsum ob munus, quod alioqui est exiguum & leuioris operæ, quàm quod ab amico datum est. Neq; enim istis exterioribus oculis muneris tibi inspiciendum est præmium, sed interiore illo mentis multo acutiore certioreq; oculo dantis animus intuẽdus, qui unus maioris est, quàm multa magnaq; dona. Vale. Louanij, calen. Aprilis,

M. D. XIX.

LODO-

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI IN SVVM CHRISTI TRIVMPHVM PRÆLECTIO, QVÆ DICITVR Veritas fucata.

SI quis, iuuenes, fortè nũc adsit umbratilis, inanis, & mendax, mirer profectò quid sit, quòd in suggesto, in gymnasio, ubi ab hinc multos annos, annos certè etatis suę, non Christianum nomẽ additum: omnia Ioue, Iunone, Mercurio, Marte, Hercule, Itiphallo, Cupidine, Venere, & fœdissimis id genus nominib. referta, nihil uerũ: omnia cõtecta mendacio: nunc uerò principes, capita, lumina nostræ religionis Christum & Mariam, tam sedulo, tam crebro à nobis nominari. Quum audierit ueritatem fucatã quandã loquentem, & desinet mirari, & subfusus rubore (si quid sensus habet) nostrã hanc scholam exibit. Vidistis uos unq; Iuuenes apud uestrates fucatas mulieres? Hę nanq; sunt deformes quædam in primis, quæ quum uolunt uiris uideri pulchriores, quũ uolunt uniuersorũ oculos in se cõuertere, quum uolunt à singulis quibusq; expeti, id nanq; præcipuũ est quod quærũt, antimonio, minio, ceruſa inunctæ, reticulis, mitris tenuibusq; ac melitensibus flammeis capite redimitæ, collo monilibus & torquibus, margaritis, unionibusq; insertis, auribus inauribus, brachijs armillis & dextrocherijs, digitis annulis, manibus chirothecis ornatis, ad ludos, ad templa, ad conciones, ad nuptias, ad cõuentus, ad celebritates hominũ uadunt: sic sese in eminẽtibus cõspicuisq; locis, in feneſtris, pergulis, protectis, podijsq; transeuntibus ostentãt: si quis forte illac præteriens intentus aliò eas nõ uidet, tunc uicinis altius loquuntur, ut ille conuersus fecernat: flabellũ in manibus assiduo gestant, ne nimio æstu minium, ceruſaq; liquefiat. Siquidẽ concreta illa retinẽt frigidiusculo spiritu. Ad speculũ sese quàm frequentissimè conferunt, ibidemq; contemplantur, ut si quid uel minimum natiuæ cutis perspiciatur, fucent quàm primũ. At nocte aqua gelida fucum delẽtes, totam faciem sapunculo, nescio quo (sic enim unguinem illum ipsæ appellant) illiniunt, quo sit postridie ad fucum recipiendum aptior. Intempesta deniq; nocte, dum cubant cum uiris ob corruptum sapunculi fœtorem ab illis è cubili deturbantur, & propelluntur. Hi uerò molestissimam agunt noctem, in qua opus erat quiescere, quod & sensum fœtore grauatum habeant, et mentem conuitijs maledictisq;, & suis, & uxorijs. Hæc est descriptio atq; imago mulieris fucatæ, ad cuius speciem cacodæmones quidam (nam homines uix possim eos appellare) nobilissimam ueritatem fucarunt. Fuit enim, cum Deus mundum, & hanc uniuersi faciem attingens à fine usque ad finem fortiter, suauiter, disponeret rudibus formam, confusis ordinem, sedesq; daret, quædam formosissima puella, quam tum Dei sapientiam, tum Dei ueritatem, tum Dei uerbum, Deum quoque ipsum appellant. Erat hæc, uti & adhuc est, sereno, liberali, regio, benigno, affabili quodam uultu: in quo scripsit calamus ille scribæ uelociter scribentis, Candor hic est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis. Oculos habet uiuacissimo, acutissimo obtuitu, omnia circumspicientes, omnia circumlustrantes. Spiritus quem naribus efflat, & anhelitus oris, uapor est uirtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis. Brachia illi sunt robusta longeq; fortissima, quæ Regem, uinum, ac mulierem uincebant. In illis legitur, Hæc brachia Dei uiuentis robusta, fortissima, omnia aggredientia, omnia uincentia, atterentia omne falsum. Manusq; candidissimæ, sine maculis, sine rugis. Teretes digiti, & extensi ad pyramidem conotenus leniter cum decore turbinati. Vngues semper nitidos, onyces credas. Hæ manus illæ sunt, quæ cœlum terramq; crearunt, quæ solæ mirabilia

ſtupenda faciunt.Hi digiti,in quibus Moſes miracula coram Pharaone agebat.Hi digiti,quos Ægyptij magi horrebāt. Hi ſunt tanquā illi multicipites Mercurij,regiarū indices uiarū,hi deducunt iuſtos per uias rectas.Eſt et illi lingua diſertiſsima,qua loquente omnia tacent,cuius ſunt uerba æternæ uitæ,qua nihil eloquētius,nihil facundius,nihil dulcius,ſuauius nihil.Illa lingua & calamus ſcribæ, de quo modò loquebar,uelociter ſcribētis.Vox eius eſt candida,lenis,clara,elata,ſuauis,nihil habēs horribile,nihil aſperum,nihil triſte,quæ unumquenq; quid agendum ſit docet,qua inſonante mouetur terra,cœli & elementa reſpondent,et uerè immaniſsimæ beſtiæ ſemper flectuntur atq; conſiſtunt.Pedes eius tempus uocarunt, quo haud requiſita tempore ad nos ueniat,Ciceronianus erat locus in illis ſcriptus.Opinionum commenta delet dies.Dorſum eius præſtantiſsimū quidem illud, ſed nihil ad faciem & pectora ipſius. Hanc ab ore altiſsimi ferunt prodijſſe primogenitā ante omnem creaturam. Scitis iam aduerſa agentia quæ ab ſe producūt,atq; efficiunt contraria aduerſaq; eſſe. Dæmon itaq; Deo Deiq; amicis publicus hoſtis, etiam improbiſsimā quandam filiam ueritati oppoſitam & infeſtam genuit.Hanc alij ſimulationē,alij diſſimulationem,alij fraudem,alij impoſturam, alij commentū,alij dolum malum,alij (& aptius) mendacium uocarūt.Ea non erat fœmina,non uir aliquis, non noſtri uel generis uel ſanguinis,ſed horrendū quoddam & formidandū monſtrum, ſine pedibus, ſine capite,inane corpus,& nihil habens ſolidi,umbilico tenus crus unicū obfrictum habebat, quo tardius Callipede mouebat,unde apud quoſdā uulgare illud eſt,Citius cōprehendi mendacē quàm claudum.Calore ueritatis,luceq; aduentante liquefiebat è ueſtigio,ac euaneſcebat tota.Simulachrum nephandiſsimi parentis ſupra pectus geſtabat exaratū inſcriptione teſtante: Hic mendax eſt,& pater meus.In pectore legebatur elogiū monſtri,Gentiū & orbis terræ peſtis acerba.At uerò quàmplurimi ſanguine cacodæmonū nati, uano illo corpore permultū delectati,ueritate uiſa ita turbabant & inhorreſcebant,ut capitū eorum capilli dirigerent,atq; in iſtricis ſætæ modum dureſcerent,cumq; eſſet ab eorū authore atq; parēte imperatū, uti ueritatē omnes colerent,ueritatē omnes diligerent, ueritatē omnes intuerent, uenerarent,ſectarentur,ne candidiſsimā illam et ſplendentē faciem ſimpliciter ſine medijs ueloq; aſpicerent,quo forſitan illius fulgore molles ac obtuſi oculi eorum liquefacti caligarēt, illam cōſanguineo mendacio fucare decreuerūt. Ipſamq; ita nō ornatā,ſed deformatam,atq; equidem reclamantē utcunq; receperūt.Hanc ſic fucatam ueritatē,ad hunc modum loquentē,conquerentem,atq; expoſtulantē audite.De rebus ipſa magnis locutura ſum, & aperient labia mea, ut recta prædicent, ueritatem meditabitur guttur meum,& labia mea deteſtabunt impiū.Iuſti ſunt omnes ſermones mei,non eſt in eis prauū quid,neq; peruerſum . Ego ab æterno ordinata ſum,& ex antiquis, antequàm terra fieret:nondum erant abyſsi,cum ego iam concepta eram,necdum fontes aquarum eruperāt,nec dum montes graui mole cōſtiterant,ante omnes colles ego parturiebar,adhuc terram non fecerat et flumina,& cardines orbis terræ:quando præparabat cœlos aderā,quando certa lege & gyro uallabat abyſſos,quādo æthera firmabat ſurſum,& librabat fontes aquarū,quando circundabat mari terminū ſuum,& legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos,quando appendebat fundamenta terræ,cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.Me genuit altiſsimus omnipotens unam omnium formoſiſsimam, amictam Sole, & Luna ſub pedibus meis:Soli nanq; comparata,inuenta ſum prior:mecū ſunt diuitiæ & gloria,opes ſupernæ,& iuſticia. Si enim diuitiæ appetuntur in uita,quid me locupletius? quippe cuius ſunt uniuerſa, quæ ſum egomet ipſa fabricata,iudicata itidem ſum in Eſdra meo rerum omnium fortiſsima, cuius brachium inferos ſpiritus potentiſsimos, mendaciſsimósq; proſtrauit atque contriuit. Scientiam ac doctrinam quis me habet copioſius,quis fœcundius? Quæ doctrix ſum diſciplinæ Dei, & electrix operum illius? Quid quòd omnes ſcientiæ,me tanquam ſignum ſibi proponunt, me ſolam intuentur & quærunt. Hinc & Ariſtoteles mihi amiciſsimus, quem ego docui, & optimi quique alij mei uiri,ueram rerum noticiam ac euiden-

ac euidentem ſapientiam appellarũt. Eſt enim in me(ut compendiario ſermone laudes meas quoquo modo tempus patietur,cõplectar)non uanitatis,nõ iactantię gratia,quæ omnia ex diametro à me diſtãt,tam uerè, tam ſimpliciter,quàm ipſa ſum ſimplex ueritas. Eſt ergo ſpiritus intelligẽtię ſanctus,unicus,multiplex,ſubtilis,diſertus, mobilis,incoinquinatus,certus,ſuauis,amans bonũ, acutus,qui nihil uetat benefacere,humanus,benignus,ſtabilis,certus,ſecurus,omnem habens uirtutẽ,omnia proſpiciens,& qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles,mũdus,ſubtilis. Quum primum igitur animal quoddã pater meus inter cætera prędſtantiſsimũ creaſſet, quem hominẽ rationalemq; nuncupauit. In eo ut ſui noſtrámq; effingeret ſpeciẽ,memoriã,mentẽ,uoluntatemq; afformauit, intellectus ſiue mentis, circa quam uerſetur materiã,me eſſe uoluit. Quocirca Ariſtoteles meus, intellectus argumentũ me eſſe perſæpe tradidit,& ſcientias omnes pariter atq; fidẽ penes me eſſe demõſtrauit. Hinc quũ ſit uelle patris,uelle meũ,ac paracleti,uolui homines inter quos uerſarer,& delicię meæ ſunt, eſſe cum filijs hominũ. Vos uerò procelloſiſsimæ huius tempeſtatis mortales,cum me ita ueſtro fuco deformaritis,malè meritos de me eſſe omniũ patri Deo conteſtabor & querar,plus fuci formã, quàm meam dilexiſtis,quando me purã uidere,germanam atq; expreſſam noluiſtis. Ac niſi noſcerẽ me uniuerſa quàm rectiſsimè calleꝛe,etiã num (fateor) hæſitarẽ. Sitis'ne uos eiuſdẽ generis homines,cuius illi,quos primus parẽs meus in mundũ inuexit? Cognouerint'ne genus ac rationẽ ingenij ueſtri priſci & graues illi philoſophi,qui hominis mentẽ rationemq; natura uerum quæꝛere,atq; id ſolum aſſeuerarunt? Quàm uos malè ſeductos dæmones habent, qui cum ſint mihi & ego illis hoſtis capitalis, mendaciũ filiam ſuam,pro me uobis ſupponũt, fertisq; id longè libentiſsimè. Neutiquam uos de illorum ſanguine ortos ego dicere poſſem,qui nihil nec loqui,nec audire uultis,niſi mendacia immiſceatis. Quando enim homo fit Dei ſimilior(ut reſpondit rogatus Pythagoras)niſi uera quũ loquitur? quando principis tenebrarũ ſimilior, niſi quũ mendacia & uere mentiũ tenebras exſe fundit? Dæmonũ cibus ſunt(inquit Hieronymus meus) carmina poetarũ,illorum quidẽ qui & ſibi mentiri didicerũt,& alios docent,authore illo ad mentiendũ (ut ait Dion Pruſenſis)ſtrenuiſsimo cæco & inſano ſene Homero,quem ſemper mendacio delectatum hoc erit indicio, quòd Vlyſſem illum erronem delicias ſuas,omnia ferè mentientem inducit: & hunc,ſi diis placet, eius ſimiles homines uaniloqui,ingeniorum & fontem & parentẽ appellant. Non ualetis itaq; (utar Boetij mei uerbis tantiſper) oculos tenebris aſſuetos ad lucẽ perſpicuæ ueritatis attollere,ſimilesq; iis auibus eſtis,quarũ intuitũ nox illuminat,dies cæcat. Nos uos patrũ ueſtrorũ uera progenies eſtis, qui in hoc mihi ſacrato gymnaſio, in hoc meo domicilio florẽtes, me purã, ſyncerã,ſimplicẽ ſemper coluerũt,qualẽ ipſi à prioribus acceperũt,qualẽ poſteris tradere ſunt conati. Quis uos in domũ meam induxit mendaces? quî hoſtem mihi mendacium uobiſcum detuliſtis? quî cum mei nihil ſapiatis,mendacia obiectãtes aliquid ſcire uultis uideri? Atqui hoc malum excitatum ab eo tempore uideo,quo neſcio qui poetaſtri,tanq; porcus Troianus referti anilibus fabellis huc migrarunt. Et quàm uereor,ne poſteriores,uelut ſimiæ,illos uelint nõ imitari modò,ſed etiã mentiendo uincere,quod iam paſsim fieri uideo,atq; adeò ut ipſa domo mea prorſus expellar. Vbi nunc uos iacetis philoſophi, quibus hoc conſtitutũ gymnaſiũ fuit, quibus ſolis hæc parata eſt palæſtra? Quin ex domicilio ueſtro iſtos poetiſtas & uanos homines auellitis? uosq; ueſtram hanc nobiliſsimã rempub. mundam, florentem,nulla fece hominum cõtaminatam & pollutam,in pace & iuſtitia gubernatis? Nam et me Iuſticiæ filiam,Tullius Cicero meus fecit. Quàm Platonicum illud, ut alia eiuſdem permulta, uerum eſſe experior,Beatas fore reſpub.ſi eas uel philoſophi regerent,uel earum rectores ſapientiæ contingeret ſtudere. Vtinam huius hominis, & diuini illius Socratis nunc ualeret authoritas, qui Homerũ,& mendaces hos poetas,tanquã publicos morũ corruptores,è ſua ciuitate propulerũt: quos etiam à ſacris certaminibus arcendos Heraclitus Epheſius cenſuit. Quid in me maculę,miſeri mortales uidiſtis,ut me ſine fuco nolitis recipere? quæ ſum una res omniũ pulcherrima,& eo quidem fuco

quæ

quæ ueſtri non mei eximia eſt (mihi credite) corruptela,Fuco qui non modò inutilis eſt,nullum enim mendacium eſt utile, uerum longe perniciosiſsimus. Nam quũ ſint quædam mendacij genera quę non admodũ in ſe occultant mali,hoc profectò mendacium,quo me fucaſtis,omniũ peſsimũ eſt, quippe flagitioſam & nephandã ſecum impietatem affert,in quo ſi quid boni eſt,illud ſine tanto malo & tradi & accipi non potuit: quaſi uerò medicina dari non poſsit,niſi commiſta ueneno. Coëgiſtis me uti apud uos flabello,ut charitatis Dei calorem à fuco mendacio ſemper fugarem.Nam niſi ueſtra tanta cura fucus hic teneretur, ego uno momento totũ diſſoluiſſem.Quod & faciam,uel uobis inuitis,ut noctu ſapunculo ungerer, coëgiſtis, quo uobiſcum poſtea intempeſta nocte,id eſt,mortis hora cubitũ iens fœtidiſsimè adflarem,uosq; propterea obq; infeſtationes diabolicas in morte quieſcere nequeatis.Diſcite ideoq; me ſolam ſimplicem,puram,expreſſam complecti mortales,quo nihil facilius:diſcite me ſolam loqui,quo nihil nobilius nihilq; ingenuũ magis: diſcite me ſemper uelle audire,quo nihil ſolidius,nihil ſuauius,dulciusq;. Ego uobis amictus ero, ego fortiſsima lorica,ego clypeus, quo tuente nocebit nihil: ego uos per uias rectas ducam, & memetipſam tandem oſtendã uobis,in quo uno felicitas,in quo ſtatus cõſiſtit omnium bonorum aggregationis perfectus.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

ampliſsimo patri Bernardo Menſæ, antiſti Helnenſi, S. D.

NOVI ego pleroſq; uenerande præſul, qui ſi opus aliquod tibi dicare conſtituerent,oppidò quàm erubeſcerent, tam exigua mole id dare, quàm meum conſpicis. Nam & ſi eorum (ut ipſi dicerent) ingeniolum rem maiorem neſciſſet excogitare,negarent tamẽ eam fore operam tanto uiro dignam,quamuis cedro crederent digniorem.At ubi materiam ingentem in gurguſtium quoddam nugarum cõiecisſent, uideres eos etiamnum ſeſe quàm plurimum excuſare. Si non eſt quale decens te eſſet,ſuadere non muneri reſpiciendũ,ſed uoluntati. Inducere deniq; uulgares ex Plinij præfatione locos.Nec ulli fuiſſe uicio,quoquo modo poſſet deos colere, mola ſalſa litare, quibus non eſſent thura. Quum tamẽ opinentur ipſi nuſquam nec maſculinius nec odoratius thus quàm in eis inueniri. Quæ omnia procul à me aberunt.Nam & maxime aliter atq; ſentio,loqui abhorreo, & id uellem ab alijs omnibus in primis uitaretur. Eſt enim hoc hominis planè liberi atq; ingenui,contrarium uerò doloſi cuiuſdam ingenij fallacis,& nebulonis.Ego itaq; de noſtro Dei opt.max. triumpho ſic ſentio. Argumentum eſt in quo noctu & interdiu uerſari Chriſtianus meus,potius quàm in mendacijs pernoſcendis deberet.Sanctum eſt & quolibet homine ſine diſcretione dignum.Nam ſi Titi Liuij,Lucani,Suetonij libri legendi relegendiq; iudicantur,tranſeo Q. Curtium, Cheronenſem Plutarchum,Tacitum,Trogum,& id genus alios. Quòd bella, quòd triumphos, quòd geſta uirorum fortium narrant,quid de noſtri Chriſti, de noſtri Dei, de noſtri liberatoris? quid de parentis optimè de nobis meritæ bellis,ouationibus,& triumphis cenſebimus? Num erunt reijciendi? num aures cum legentur,aut oculos,quum offerrent ſeſe, quaſi uenenum quodpiam uel mera deliramenta occludemus.Atqui eorum nugis & ſtultitijs, ipſe id iudico faciundum.Verum paruus eſt liber,inquis:& eum unica manus capiet, fateor. Quin quod intus habet perſcrutare? Introeas,nam & ibi dij ſunt deæq; omnes. Chartæ certè copiam ſi deſideras, à bibliopolis tibi quantilibet comparato. Cæterùm bona materia inuentu eſt perquàm rara. Iactant ſe quidam equeſtri ac pedeſtri oratione, plura quàm credi poſsit, ſcripſiſſe. Eſto ſanè. Et tabelliones quidem, innumeras habent in ſinguli cuiuſque anni fine, ſchedas à ſe ſcriptas, quibus minimè (ac neque debent)

debent) gloriantur, Et grammatistæ nostri calendis octobribus gymnasiorum atria, atq; impluuia ineptissimis carminibus refertiũt. Hoc igitur opus tibi dicamus, quòd illud & istum tuum Christianum animum & istam dignitatem in primis decere puto. Vale. Parrhisiis, mense Aprili, anno Domini M. D. XIIII.

IOANNIS SALMONII MATERNI carmen.

HEus qui Romuleos gestis spectare triumphos,
Et Capitolino lata trophæa Ioui,
Victoremq; togæ clarum palmaris amictu,
Cinctum laurigeris undiq; militibus,
Sublimen sceptro populiq; per ora superbum,
Dum trahitur niueis currus eburnus equis:
Isthæc, quæso, pedem retrahens nugalia temne,
Sunt etenim gerris uana magis Siculis:
Ante tuos sit magni oculos uictoria Christi,
Et partæ domitis hostibus exuuiæ:
Hæc tibi Romano cecinit modulamine nuper
Hesperiæ Viues gloria uiua plagæ.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI, CHRISTI IESV TRIVMPHVS.

FESTVS est resurrectionis dies Christianis, ubique terrarum celebratus: isq; quàm maximè, quòd resurgẽs à mortuis Iesus eo die redemptoriũ opus exegerit, & nos omnes fecerit immortales, uitæ participes. Postquàm igitur ante meridiem operã sacris dedissemus, ego & Ioannes Fortis contubernalis meus, ac Petrus Iuorra Philosophi sanè quàm acuti, cõuenit inter nos uti in eodem templo, quod pomeridiano tempore supererat, diuinarũ lectionum, et legeremus, et audiremus. Quibus peractis quàm optimè à nobis potuit, ciuitatem obambulantes Gasparem Laxem Sarigienęum pręceptorem nostrum in gymnasii uestibulo offendimus, uirum ingenio quàm acerrimo & memoria tenacissima, quem quum (uti decens erat) salutassemus, isq; nos resalutasset, adiecit, ut est omni in re, cum primis officiosus, cœnám ne secum agere nobis liberet, quam renuimus primùm, deinde illi subinde suadenti obsecuti sumus. In eius uerò cubiculum quum nos recepissemus, Michaël Sanctus angelus Frangensis, & Franciscus Christophorus ciues meus horarium deferentes, quod Laxi ostensuri erant, aduenêre: inuitati uerò ut cęnarent, & annuentes discubuêre nobiscum. Inter cœnandum autem quum eum librum sæpius ego cõtemplarer, ageremusq; de ipso miniando, Et hîc, inquam, Cæsaris Dictatoris triũphus est depictus. Præstantius multo (Lax ait) fuisset, si Christi nostri opt. max. pro C. Cęsaris uiri haud quaquã boni foret. Mirantibus alijs quòd Christi triumphum dixisset, mihiq; quis ille fuisset, subinde roganti, Parcite paululum, inquit, cibis animosq; mihi attentiores exhibite, Cœpitq; disserere ad hunc modum:

ORA-

ORATIO LAXIS.

BEllum inter Christum & hostes eius, arbitror, audistis plerunq; , quàm fuerit omnibus copijs, omnibus uiribus, terra mariq; , ac aëre ab hostibus gestum: quantumq; tempus durarit. Annos enim treis & triginta bellatum est, quæ fuit nostri imperatoris ætas, & constitutus terminus inter mortales uiuendi. Militia est profectò uita hominis super terram. Porrò bello cõfecto, quòd iure triumphorũ debeat triumphare, sic ego colligo. Lex enim triumphandi hæc est, consensu & approbatione Senatus Populiq; Romani lata. Si imperator hostium quinq; millia cæciderit acie una, maioremq; exercitus partem saluam reportarit, triumphato. Perhibetur à Suetonio Tranquillo, itidem à Plutarcho, Iulium Cæsarem dictatorẽ bella quinq; gessisse, ob quæ feliciter peracta quinquies clarissimè triumphauit. Bellum illi fuit Gallicum unum, Alexandrinum alterum contra puerum Ptolemæum, Ponticum contra Pharnacem regem tertium, quartum Aphricanum, postremum Hispaniense. De ciuilibus nulla mentio, in his nanq; non triumphabatur. Fuit & Christo nostro eximio imperatori bellum in dæmonas primum, alterum contra mundum, tertium contra carnem, in Iudæos quartum, in mortem postremum, quæ omnia ad hunc esse gesta modum scitote. Dæmon simul ac primum fortem quendam imperatorẽ sibiq; uel aspectu solo formidabilem, nostrum uidelicet, armari uidet: an is esset cum quo apertum bellum gerebat nescius, optimum factu ratus dolis insidijsq; illius ingenium pernoscere, ac animum totum intus, ut aiunt, & in cute explorare. Quod cum aggressus esset, nihilumq; illa uia profecisset, rem infeliciter tentatam paulisper reliquit. Ipsius uerò animus nihilo secius inquies & callidus, quæcunq; credebat instituto satisfacere posse, excogitabat, certus extrema omnia experiri. Itaq; quos sibi familiaritate coniunxerat antiqua sollicitat, uti technis, dolis, omnibus modis, breui quis sit tantus imperator explorẽt: si is, cum quo sit sibi publicum ac per fecialem & patrem patratum indictum belllum, foret. omnibus detrectandum conflictũ omnino censet, nec conserendam unquam cum eo manũ. De summa enim tunc rerum dimicatum iri, uictosq; absq; spe aliqua se et socios omnes futuros. Sin alius quispiam, strenuum certè fateba tur, qualem nullum inuenisset inter barbaros imperatorem, nullũ apud Græcos, nullum, quod fortissimũ est, apud Romanos uictores orbis optimos & probatissimos uiros caduceatorem ad eum mittendum, qui ad ineundam cum tantis principibus amicitiam, fœdusq; percutiendum inuitaret, aut collatis utrinq; signis denunciaret esse dimicandum. Quod cum in manibus esset negocium, sæpius, multum, uarieq; tractatum, nunquam optatum finem obtinere potuit, nunquam quis esset dæmonei socij, ne ipse quidẽ dæmon sagacissimus tunc q; diligentissimus dignoscere potuerunt: nec mirum. Quis enim eum inuitum cognoscet? quo nolẽte, seipsum nemo unquam quid sit, dijudicabit. O immensam tuam Christe Iesu potestatem, quæ omnes alias, & eam nullæ de gradu uel deijcere, uel dimouere possunt. His difficultatibus circumsæptus atq; impeditus dæmon, nihil cunctatus socios ad pugnandum propédiem expediri hortatur. Nunciatur à sancto sacro illo spiritu nostro imperatori prælij destinatus dies. Monet tunc ipse primùm suam uoluntatem, ut in tantum patiatur se conflictum adduci, cuius læuã manum natura sua infirmam & meticulosam, pugnæ ingentem acerbitatẽ expauentem, et dulcissimo sermone consolabat nuncius minister mœstam, & conturbatã excitabat reficiebatq; . Ipse noster imperator summus alioqui & fortissimus homo, patrẽ tamen identidẽ cõfusissimo cũ pauore ac cõsternatione deprecatur, ne tam atrocẽ sinat se pugnã subire. Quòd si minus id impetrari posset, propatris uoluntate, nõ pro sua euenire omnia erat cõtentus. Ac ne parum multa prauis mortalib. immensi patris charitas in nos fuisse uideretẽ, quã esse summã certissimũ est, néue causandi cuiq; offerretẽ unq; ulla quãlibet iniqua occasio, filio ipse suo minimè pepercit, sed eum pro nobis omnib. tradidit. Delectus itaq; & armorũ, & loci, Pilato extero uiro creditus esse uidebat, cuius ministri mastigophori in eo certamine fuêre, ipse agonotheta: qui etsi Iudæus nequaq; erat, partib. tamen & dęmonis, & mundi, & carnis fauebat, territus una circunstantis uulgi succlamatione, quæ Tyberij Cæsaris

inimicitias

inimicitias illi minabatur,ni pro his partibus faceret. Cum uerò apud Caluariũ montem omnes constitissent,iudicium tunc erat mundi, mox princeps mundi huius erat foras ejciendus. Ecce conseritur utrinq; manus, acrem caro refert dolorem spiritui. Mundus nuditatis, ac indignissimi supplicij uerecundiam objcit. Ferit graui telo, quam ita multum diligebat Iudæa:Si filius Dei est,inquit,descendat de cruce,et credimus ei. A diabolica fraude & astutissima pharetra iaculum hoc emissum erat. Nil aliud iure poscis imperator,nisi ueram gentis Hebrææ fidem:eam nos pollicemur te habiturum,si ab hoc certamine desistis. Instat terribilissimũ omnium mors,quæ uinci uere nequibat, ni prius uictrix discedere uideretur. Quæ omnia ubi nequaquam dæmon aspicit proficere hilum,assequiturq; maiore & certiore coniectura Imperatorem illum esse,cuius mors esset uictoria eius futura. Quemadmodum de Codro Decijsq; narrant. Ad eam quæ totius causa belli extiterat, confugit. Qui labor cum in cassus nihilo secius esset, exitum belli decreuit intentius expectare, & more strenui Imperatoris nõ prius ex acie excedere,quàm esset depugnatum. Mundus, caro, atq; Iudæi iam ceciderant. Mors sola luctabatur adhuc, qua in lucta, cum erectissimam dæmon agnoscit ducis,quem fore iam pridẽ suspicabatur sagittam charitatis (cuius ardebat ignem) plenam,Sitio:cuius ingens calor est causa, intra suæ urbis mœnia furens ac rabidus sese recepit. Miserum militibus suis casum exponit,qui omnes dentibus stridentes,frendentes frementesq; in se inq; suum execrati caput deierabant,si à principio cognouissent,fore uti nunquam Christus crucifixus fuisset. Verum præterita corrigi non facile posse, prospiciendum esse, ne quid detrimenti sathanæ regna caperent. Duces itaq; admouendas muris machinas curant,obserari fores, & æneas cataractas demitti iubent. Ad hæc præsidia pro singulis arcibus locari. Timebatur enim uictor in ipsorum excidium quàm primùm uenturus. At Christus dux noster opt. max. quum planè hostes omnes superatos uictosq; esse uidit,ac debellatũ esse, signum receptui dedit,cõsummata omnia dicẽs. Post quæ etiam in tentoriũ sese contulit, ut amicula quæ supra modum & lacera ictibus, & adhuc sanguinantia educebat, reficeret,absterget, longè pararet insigniora triumpho, quippe ex sago & lacerna prætextam, trabeam, togamq; palmarem fecit. Interim mussitantes adhuc Iudæi eorum summis labijs spiritus male hærens, Christum mortuum quoque arbitrantes (omnes enim mortuis moriuntur) Pilatum uti castrorum locum in quem se imperator noster receperat, obsignari iubeat, custodesq; adhiberi obsecrant, ne tyrones illius,futuri olim fortissimi ueterani,cadauer inde furentur,asserantq; etiam dum auras uesci. Stulta sanè,mea sententia,petitio. Si enim solum extaret cadauer,quo argumento,quo testimonio milites imperatorem uiuere possent probare. Relictis uerò in castris sago,caligis,abolla,paludamẽto, cæterisq; uestimentis, expeditior Plutonis confestim adit regna. Disturbat præsidia, effringit & machinas, & portas, & cataractas. Expugnat Vrbem,ferit omnia suo illo incredibili fulgore:recipit,educitq; ex seruitute eos,pro quorum libertate bellum gestum erat. Triduum uerò antequàm triumpharet,de more triumphantium in Vrbem suam non introiuit. Tertio tandem die immortalis ipse togam pictam indutus, omnis expertem mortis,ingenti pompa præclare triumphans ciuitatẽ ingressus est. Ea sanè ciuium est (ut nostis) conuentus,quem diui tyrones cum sanctissima uirgine constituebant. Atqui mors,quæ sola uictricem ex toto prelio persistere se putabat,uictam plus cæteris se agnouit. Mortis uerè mors fuit & morsus. Resurgens nanq; Christus à mortuis,iam non moritur,mors illi ultra non dominabatur. Milites igitur tantus in omni genere belli imperator domum incolumes uniuersos reduxit, quando neminem ex his qui dati sibi fuerant, perdidit, quin longè quàm domo discesserãt præstãtiores,opulentioresq; redierunt. Hostium quoq; quinq; millia una acie interemit,illos uidelicet quinq;, quorum unusquisque mille ualebat hostes,quippe qui mille occidere poterat. Saul enim (qui est abutens) occidit mille,quinq; illi planè omnibus abutentes. Nec uerò hic, de quo disserimus, triumphus impediri,differri aut turbari calumnia potuit,ut Horatij, ut Pauli Æmylij,ut L. Luculli,Metelli,Marci regis,aut aliorum,cum in Christi regno omnia et tran

quilla ſint & quieta, iuſtitia certaq; ubique uniuerſa regantur pace. Quamobrem quum & omnia triumpho neceſſaria, ut uidetis, extiterint, & nulla res quo minus triumpharet, obſtiterit. Leo ille de tribu Iuda, qui uicit, & Cæſare quidem quàm iuſtius, tam etiam clarius, triumphauit. Hæc poſtea quàm Gaſpar Lax diſſeruiſſet, rurſus ad epulas reditum eſt. Ipſe tamen plurimum Michaelem Sanctum angelum obteſtabatur, ut idipſum argumentum perſequeretur, quòd uir eſſet in ſacris litteris non parum eruditus: uerum Michael (ut eſt in huiuſmodi rebus impiger) nihil cunctatus, ſic exorſus eſt:

ORATIO SANCTI ANGELI.

VEllem mihi nunc quantum eligerem oratio in tanta re enarranda ſuppeteret, daretur q; mihi quicquam oratorij dulcoris, quo mellita eſſent etiam uerba quæ de re tam dulci prolaturus ſum. Nec uerò nunc Laconica gauderem breuitate & Menelai pauciloquentia, qua ſum alibi plurimum delectatus, ſed Ciceronis oratio, ſeu Vlyſsis, & id Aſiaticum dicendi genus copioſum ac luxurians quodammodo mihi mutuaretur, optarem. Verùm ſi defuerit oratio, efficiam tamen ne animus defuiſſe uideatur. Chriſtus reſurgens à mortuis, uita noſtra, penetranti, agili ac immortali corpore ſenſuali animæ portione ab affectibus omnibus & perturbationibus libera, famis, ſitis, æſtus, algoris, doloris, fatigationis expers aſcenſurus templum illud ſupernum, quaſi cliuum uiamq; quæ ad capitolium rupemq; Tarpeiam ducit: templum profectò, quàm recte noſtri maiores triumphantem eccleſiam appellarunt, quum hanc militantem dixerint, quòd primus Chriſtus in hac militarit, triumpharit in illa, quòd nos etiam ſumus facturi curru quadrijugo, ut mos ueterum fuit imperatorum, uehebatur, indutus purpura, multo tamen uiuacioris cuiuſdam fulgoris, quàm aliorum. Vnde occurrentium complures admirati, rogabant, Quis eſt iſte qui uenit de Edom tinctis ueſtibus de Boſra? Quatuor candidiſsimi equi currum triumphantis trahebant, in quibus filij quatuor inſidebant. In prudentia enim militantis eccleſiæ regimen & ſtatus. In iuſtitia pax quædam & tranquillitas interna. In fortitudine martyrium, conſtantia in tentationibus, in aduerſis animus excelſus, humillimus uerò proſperis in rebus. In temperantia diuinæ legis obſeruatio, continentia, & quaſi quidam ornatus uitæ, modeſtia, omnisq; ſedatio perturbationum animi: in omnibus denique optimus modus. Virgines aliæ præcedebant, aliæ ſequebantur omnes, triumphalem uocem, Sanctus, Sanctus, Sanctus perſonantes. Milites & priores & poſteriores, quoniam utrique manus hoſtium per illum euaſere, Benedictus qui uenit in nomine Domini, clamabant. Cunctis uerò crucifer præibat, qui ſignifer dicebatur. Eum qui minora portabant ſigilla, ſequebantur, ueluti clauos, haſtam, flagra, columnam, arundinem cum ſpongia, & id genus cætera. Argentum aurumq; ſignatum tantum in ærarium inuexit, ut inde noſtra reſpub. aliena pecunia nunquam tempore belli indiguerit, nec (ſi eſſet in æternum duratura) egeret. Ciuitatum quas uicit, ſimulachra itidem præcedebant. Ea erant haud dubiè & cœlorum & terræ effigies, quorum quippe deuicit, data eſt illi omnis poteſtas. Qui ab eo ſunt ſaluati, curru clariſsimi uiri ſequebantur. Qui mos etiam in alijs triumphis Romæ eſt obſeruatus, ut de Terentio Culeone Senatore: in Aphricani de Annibale, Carthaginenſibusq; triumpho, memoriæ proditum eſt. Egreſsi ſunt illi obuiam grauiſsimi conſules duo, Pater, & Sanctus paracletus. Senatores deinde Cherubini, Seraphini, atque Throni. Hinc equites per arua diffuſi, Dominationes, Virtutes, Poteſtates. Plebs denique, quæ maxima turba eſt, Principatus, Archangeli, Angeli, omnes faciem optimi conſeruatoris intueri deſyderantes. A conſulibus uerò poſtquam eſt à patribus cõſcriptis et plebe receptus ſalutatusq;, Pater patriæ appellatus eſt. Spolia quòd eſſent opima, utpote apud inferos detenti maiores, Deo opt. max. dicauit, ſicut Ioui Feretrio Romulus, & Aurelius Coſſus. Poſtridie epulum ſenatoribus & plebi dedit, innocens, immaculatum, ſanctum corpus ſuum, panem angelorum quem manducauit homo. Vinoq; plenos appoſuit calices. De imperatoris calice, terræ Senatores biberũt: ij quidem pij diſcipuli, quorum ſucceſſores Senatus nobis Romani antiqui

tiqui illius,quem ex regibus constare dixerunt,speciẽ reddunt.Et imperatoris successor Romanum dictatorem siue principem refert.Ad hæc ut in honorem Furij Camilli recepta Roma plurimi & arcus,et obelisci hominum memoriam in tantum bellum inducentes sunt extructi incisumq; in illis omnibus Patriæ assertori:sic in tantæ rei memoriam indelebilem,ne bellum tam strenuè, ac feliciter gestum unquã iniuria æui obrueret obliuio,templa,arcus,statuæ,columnæ, obelisci plurimi sunt erecti, incisæ literæ diuinæ uirtutis testes sempiternæ, in his Patriæ conseruatori,in illis Parenti patriæ,alijs uerò quod maximè placet)Patriæ saluatori,ac liberatori.Nunquam de tanto beneficio grauissimus sermo conticescet,nunquam non erit recens tam singularis et admirandæ rei memoria.O felix mors, quam talis uita & tam immarcessibilis gloria est consequuta.Excrescit mihi admodum saliua (quod aiunt) cõsumeremq; in hoc sermone diem hunc totum,& tempus me citius quàm oratio deficeret. Itaque si quis uestrûm aliquid quod dicat habet,proferat. Nam & ego postmodum si tempus suppetet,de hac ipsa re agam.

ORATIO FORTIS.

EGo uerò,inquit Ioannes Fortis,uir ingenio probo ac uerè philosophico, id est,sapientiæ amatore.Mallem tuam orationem,mi Angele,non tenebrarum quidem, sed sanctè audire, quàm meas forsitan ineptias audiri, quanquam tu aliquid putas esse nugas meas.Hoc tamen unum me reficit,& recreat,quod de re tam pia loquuturus,non uereor, & si nutem, decidere. Quippe qui uidere mihi uideor Deum opt. max.de quo loquimur,porrigentem manum unicuiq;,religiosa mente huiusce modi tractanti materiam.At quando tu Christi triumphum exposuisti,ne quid uerò militi ac imperatori illi defuisse,quod in militia decorum sit, ostendamus. Narrabo uobis, quæ ego ipse mecum sæpius reputaui, quum Auli Gellij noctium Atticarum commentaria legerem,author est uobis notus,et probatus omnibus.Is ut pleraq; alia oppidò quàm bellè,ita de militaribus coronis,quę in honore apud Romanos gentium uictores fuêre,disserit.Eas ego longè uerius,longè præstãtius Christo Iesu sentio conuenire. Triumphales ,inquit, coronæ sunt aureæ, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur,id uulgo dicitur aurum coronarium.Hæ antiquitus è lauro erãt, pòst fieri ex auro cœptæ. Triumphauit certe dux noster,ut uos dudum ostendistis, missaq; est illi & aurea, & laurina corona. Laurina profectò : nam & ea animarum & corporum omnium pesti saluberrimũ exhibet remedium,contraq; dæmonum tempestates ac fulgura immensam uim habet. Cuius est oleum incredibili illa charitate calidissimum. Maiorem nullus nimirum habet charitatem, quàm qui animam suam pro amicis ponit.Aurea itidem nõ minus donari debuit corona, quàm is qui primus tali est insignitus honore. Ab Au. Posthumio Latinorum castris apud lacum Regillum expugnatis,ut L.Piso refert. Illa corona est,quæ sola tartareo igni,quæ sola mundano sali,& aceto mortis acori domitoribus omnium resistit.Atq; in hoc fortunæ incendio,nihil illi deperit,tutoq; durat materia,quin imò quo sæpius ęrumnis aduersis arsit,proficit ad bonitatẽ.Auriq; huius experimento infirmitas,labor,ignisq; casuum est.Tum magis ardore rubet rerum diuinarum, fitq; tandem purissimũ ac synceris-simum obrizum,nihil fecis habens,nihil alienæ commistum materiæ. Quod cum sit cunctorum fortissimum metallorũ,inuicti insuperabilisq; Regis sæculorum, inuisibilis ac immortalis, nullum tamen in humanos usus laxius benigniusq; uenit, in bactreas strigilesq; ad ornatum, & numorum usum discinditur, minutum concisum à paruulis sese sinit attrectari. Sinite (inquit) pueros ad me uenire. Purum deinde ac immistum uelut lana netur,& texitur,quasi idem semper ac immutatus omnipotens componi,ut libet amicis suis,minime refragetur. Altera militaris corona,obsidionalis dicta (ab his qui obsidione premebantur) datur liberatori, solitumq; obseruari, ut è gramine fieret, quod eo loco productum esset, intra quem (qui obsidebantur) clausi erant . Eam imperatorem nostrum mereri, hoc est indicio, quòd cuiusq; animam à dæmone,à mundo,à carne,à morte intra corpus obsessam liberauit. Non erat contentio de imperio, uti cum à Romanis Hannibalis oppressione solutis grami-

nea corona Q.Fabij Maximi capiti imposita est. De patria planè, de omnium fortunis,de monumentis maiorum,de uita denicp tunc agebatur.Ipsam coronam offert anima Christo,omnium ex affectuum pace ac tranquillitate, quæ in corpore ubi obsidebatur, nascitur, compositam. Verum gramen, in quem locum humanus sanguis ceciderit,admodum crescere C. Plinius testatur.Eam excrescere plurimum quis nõ uidet,si uel stilla una Christi sanguinis corporis cutem penetrarit. Videtis quàm omnia perfunctorie attingam. Tempus enim nos cogit summatim solùm paucula quædam dicere. Tertiam uerò coronam, ciuicam uocant, quam ciuis ciui, à quo seruatus est in prelio,testem uitę salutisq; perceptę dat,quæ sit è querna fronde. Hanc primus liberatus in cruce latro,patres deinde apud inferos mœsti,sperantes Christo exhibuere,quam sine controuersia dignus recepit. Siquidem & duos hostes in ea pugna interfecit,& quem semel occupauerat locũ,nunquã amisit. Non enim est Deus, ut homines, mutabilis. Constans est semper, & in accepto semel proposito firmus, quo eodem manente,cœlum & elementa mundi mutantur.Accedit huc,quod ab ortu suæ humanitatis accepta cruce, in cruce semper uersatus, in cruce prælium confecit. Erat optimo maximo Ioui quercus ab antiquis dicata. Nunc Christo nostro illo meliori,illo maiori,modo bonus ille fuerit ac magnus. Victus diu fuit ueterib. glans fructus,ceu iusti tunc fide & spe uenturi uictoris uiuerent.Nunc uerò mitiore diuini tus tradito cibo, pane illius, seu illo potius, quem qui purgato stomacho manducat, nunquam moritur. Huius nostræ quercus folia & baccæ, utpote fides ac spes bona, per quam fructus expectatur. Cortex item quæ operit multitudinem peccatorum, charitas. Succus quoque, mens sibi conscia recti, quæ dulcoris sempiterni præmij liquorem gustat,sicut scribit Augustinus,contra toxica prosunt. At muralia castrensiaq; serta ei dantur,qui uel primus hostium murum conscendit,uel aduersa in castra pugnans irrumpit. Nullus antea mortem, aut dæmonem ex equo iaculis multis ac magnis deijcere, ne ut referret quidem pedem,ualuit.Nullus eius castra potuit ingredi pugnans,sed uictus.Hic uerò liberator primus muros hostium ascendit,oppidum populatus,castra,ut opinio erat,munitissima atque inexpugnabilia,funditus disiecit atque deleuit.Non est hæc pessimi spiritus terrestris potestas, non est aquarum, non aeris, non ignis, non cœli,quæ omnes (ut dixit Iobus) uestræ uix sunt comparandæ, supercœlestis est,& diuina,quam tanto uestro malo in uobis sentitis,& contremiscitis,grauius, ualidiusq; (ut spero) etiamnũ sensuri, ni ab isto uestro pertinaci atq; proteruo in nos liuore,qui nostri generis est πανολεθρία,quod aiunt,desistitis.Auro ea corona fieri consueuit, utpote metallo humano cordi lætitiam afferente. Quanta enim istius inuisi oppidi expugnatione, quanta molestorum castrorum excisione lætitia captiuis,proximum inhabitantibus oppidũ,afflictum sæpius à castris uicinis, posteris itidem, qui sine mœtu securi ac tuti poterunt terræ labori quantumlibet operari. Locus est in uisionibus diui Ioannis, qui hæc testatur, quem (quia soleo plerunque illo delectari) referam.Et absterget, inquit, Deus omnem lachrymam ab oculis eorum,& mors non erit ultra, neq; luctus,neq; clamor,neq; dolor erit ultra,quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno:Ecce noua facio omnia.O nos mortales iam nunc felices,quos antiquissimi ac perquàm fessi mundi nouatorem, quos monstrorum & pestis humani generis extirpatorem,quos post immortalis animæ gloriã corporum etiam nostrorum,quę corpori claritatis Dei configurabuntur,reformatorem præcedere contigit.Hunc ego uerum Herculẽ solitus sum appellare, non illum uiolentum ac furentem, quem in cœlo Iouis filium ueteres collocarunt, quòd defecato mundo esse de humano genere benemeritum assererent.Postremo nauali corona donabatur, qui primus in hostium nauem ui armatus transilibat. Nauis totius generis humani ecclesiam refert. Vnde Petri nauicula scribitur periclitata,quæ est Christi ecclesia.Idolorum itaq; pyratica quædam nauis in uilissimam seruitutem, quoscunque ex alienis ratibus corripere poterat,redigebat:plerosq; autem tum alliciebat,tum ad se blandè illectos præstigijs quibusdam & hallucinationibus oraculorum (quæ sub ueri prætextu,qui fucus est mendacijs aptissimus reddebantur) detinebat. Mitto si

qua

qua fortè Dei præcepto (quo Christo testimonium perhiberent) dabantur. Aut ueritatis uirtute coacti, ipsam uel inuiti sunt confessi. Nam quicquid agant, quicquid ue dicant cacodæmones, decipulas hominum fore existimant. Nullus itaq; opes has maritimas confregerat, nullus prælio nauem illam, quæ terras omnes & maria peius quàm ulli unquã Cylices infestabat, armatus fuerat ingressus. Eam uerò cui dæmon præsidebat, Christus ad certamen prouocauit, à qua primùm prætoris consilia ac stratagemata expulit, ei perpetuo impositio silentio. Deinde quum singulum quenq; de nauis robore ac firmitate suum traheret iudicium, nec omnium ne duorum quidem eadem foret uel sententia uel uoluntas, cumq; in eo periculo cui parendum esset nesciretur, discordia inter ciues orta, quando & erat nauis tota offricta, & fragilior illa solutili Neroniana, clauus carie consumptus, carbasa & dolones laceri, sentina multis iam inde ab annis non purgata intolerabilẽ spirans fœtorẽ, fori carina, transtra friabilia, tota supellex quassata & rubiginosa, rudentes atque cameli computrefacti, nauis primo ac leui certamine in ditionẽ nostram uenit, primusq; qui in eam armatus desiliuit Christus Iesus naualia serta reportauit. Quam postea nauem suo illo ex ligno concinnatam, sua instructam supellectile, ac communitam, commeatibus sui panis uiniq; attributis, mirum quàm fortem, inexpugnabilemq; reddiderit. Admonet me dies hic suo discessu tenebras iam nobis relinquẽs, ut finem imponam sermoni de re tum illustri, tum immensa. Quod eo libentius faciam, quoniam nunc primum hoc argumentum tractamus, idcirco nolim in eo admodum uideri uerbosus. Eruntq; hæc ceu præludia quædam eorum, quæ aliàs copiosius, ut spero, à nobis dicentur.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI, CLYPEI CHRISTI DESCRIPTIO, AD SERAPHINVM CENTELLVM, COMITEM Oliuæ, uirum clarissimum.

DECET eum, qui Christum summum imperatorem, dominum exercituum, pugnantem, uincentẽ, triumphantemq; scripturus est, illius scutum prius depingere diuino fabrefactum ingenio, quemadmodũ Vergilius Æneæ clypeum describit Vulcani opus, non fabrili solum subtilitate ac arte, sed uaticinio quoq; insigne. Itaq; Imperatori nostro militiam introeunti clypeus quidã simplici cõfectus ex corio ab opt. max. Deo datus est. Qui ut sua mole consistens uniuersa sulciebat, & tuebatur, ita etiam imagines, formasq; rerum omnium complectebatur, reddebatq;. In eius enim posteriore parte cuncta priscorum patrum progenies, quibus omnia in figuris contingebant, expressa erat. Illic uirorum fortium prophetarum & sanctorum hominum dicta & facta. Illic cœli terræq; semina, & origo. Maximus uti Domini spiritus chaos illud primum incompositum, informe, perambulans mundiq; seriem & ornatum architectans attingensq; à fine ad finem fortiter, suauiter omnia disponebat. Homo deinde ad similitudinem atq; imaginem Dei erectus, cui uni, data est religionis cognitio, cui os sublime, quiq; cœlum tueri

Iussus, & erectos ad sydera tollere uultus.

Cui soli tributa mens & ratio, quum cætera animalia huiuscemodi tanto munere sint expertia. Tum uiro socia fœmina ex eodẽ genere copulata, ne solus uiueret, sancti quoq; concubitus, & dulces, secundũ quos spiritu Adam cognouit ecclesię sponsum fore Christum Iesum. Respexit tum ipse auersans hominum angelorumq; princeps delictum, propter quod illi candidissimas sunt exuti uestes, hi nunquam in-

duent. Vnde tanquam è quodam perenni fonte, alia cuncta ſcelera dimanabãt. Huic malo proximos concubitus uetitos et nefandiſsimos, quos hominum, pecudum, pictarum uolucrũ, ferarum genus omne, præter pauciſsimos uniuerſa delens inundatio excipiebat. Ignorationẽ poſtea religionis, & optimi Dei, hoc eſt hominũ degenerationem in beluas ſceluſq; nefandiſsimũ. Quod linguarum tanta uarietas ſequebatur, quæ homines magis multo alienos facit à ſeſe quàm à beſtijs ſuis, duntaxat cicuratis. Iuxta hæc fidens ille erat Abrahamus, ex cuius ſemine coriũ clypei ortum erat, qui monita ſecutus ſupera patriã reliquit, ciues, gentem, larem, propriosq; penates, quiq; decimas regreſſus à cæde regum, pientiſsima mente Melchiſedech & ſacerdoti & regi pacis atq; iuſticiæ obtulit. Hinc deſideratũ Iſaacum gaudente naſcentẽ domo uideres, eundẽ poſtmodũ oblatam omniũ patri hoſtiam, nec hæſitantẽ futurum caput multarũ gentium aliquid utilius mentem diuinã moliri, conſtantiq; animo ac firmo ſtirpem, in qua ſaluas fieri multas gentes promiſſum erat abſcindere properantem. Sequebatur ſenem filius faſce onuſtus adoleſcentulus ætate, ſed donatus iam ſenum ſapiẽtia, parentẽ ne quoquã modo ſacrificiũ detrectet hortans, eſſe nanq; ſenſum Domini hominibus incognobilẽ & uias illius non ueſtigabiles. Quibus dictis cruciat filius patrem præter opinionẽ, quippe quum uideat ſapientiſsimã prolem digniſsimã uita à ſe auferri, quamuis ipſe repeti potius credat, quàm eripi. Sed hæc omnia lætiora fecit diuina benignitas. Parentis enim filijq; probata & percognita fide uterq; ſoſpes gaudensq; domũ regreſſus eſt. Additur & Iacobus electus, Eſau uerò repudiatus. Naſcuntur ex Iacobo duodecim illa deſignata capita multarũ gentium, populiq;, quem nemo poterit dinumerare. Chariſsimæ uerò Rachelis filium imaginem ſuam ſumma cum uoluptate Chriſtus aſpicit. Ægyptijs negotiatoribus uenditũ, clariſsimoq; loco ac dignitate in Ægypto honeſtatũ, eiusq; agnitionẽ à fratribus triticũ petẽtibus habitã, deſcenſum quoq; Iacobi cum liberis numeroſaq; domo propter filium in Ægyptũ. Vbi ſenex in lætiſſimo congreſſu ubertim præ gaudio lachrymatur. Quippe qui ad inferos cum luctu & mœrore canos ſuos deſcenſuros quum arbitraretur ingenti & quiete & lætitia ituros iam auguratur. Nonnullis poſtea uertentibus annis liberam gentem gratumq; Deo populum ignorata ſtirpe Ægyptij Pharaones oneroſæ atq; amaræ ſeruituti addicunt, ut genus illud per multas ærumnas afflictum perderẽt. Coniecti ſunt alij in latumias, alij in calcarias fornaces, alij in harenaria: multi laterem coquebant, molliebant gypſum, argillam lutumq; cum ſtramine conciſo macerabant: plures accepta ſociorum opera conuehebant in urbem, alij operoſo labore domos, mœnia, reliquaq; ædificia cõſtruebant, urgentibus miſerè operas regijs architectis & redemptoribus. Donec miſertus Dominus generis Abrahami, Moſen tribui Leui donat, qui educatus in aula, ab eo qui eſt, dux eligitur populi ſui. Quo per mare rubrum ſicco pede traducto, currus cum exercitu Pharaonis Chencris undis turbineq; obruit aquarum. In ſyluis uerò, ſaltibus deſertisq; Arabiæ cœlitus miſſis populus paſtus eſt cibis: ſacerdotiumq; ac totius miniſterium templi conſtitutum atq; formatũ, tanquam arra quædã uenturi amplioris melioris æterni etiam ſacerdotij ſecundum ordinem non Leui neq; Aaron, ſed Melchiſedech. Quod myſteriũ ſub panis uiniq; ſpecie peragat. Secundum hęc Ioſues Moſi ſucceſsio uiſebatur. Tum fortiſsima bella, tum fata fortunæq; uirûm, moresq;, manusq;. Præſtitit Deus Abrahamí cę ſtirpi quod olim pro autoribus gentis fuerat pollicitus, Paleſtinamq; & Syriam Iudæus colonus incolit. Iudicum prima fuit adminiſtratio, pòſt uerò leuis ille, inquietus & ſtultus populus cæterarum gentium more regem ſibi efflagitauit. Datus Saul, mox electus ex multis fratribus Dauid ſecundum cor Domini, delectaq; Hieroſolyma ciuitas magni regis ubi regnaret, promiſſumq; uti Hieroſolymis Dauidis domus cunctis eſſet annis dominatura, Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Tum fortiſsimos conſpicit reges ac populos dominosq; Prophetas, tam multa de illo ſuo uaticinantes clypeo,

Et ſimul heroum laudes & facta parentis
Iam legere, & quæ ſit, uoluit cognoſcere uirtus.

Seruiebat

Seruiebat rursus populus ille Babylone,liberabatur rursus à merita seruitute,Domini benignitate atq; clementia. Stabant Romanorum amici fortissimi, Machabæi, ne uetitos ederent cibos crudelissimè concisi. Quæ omnia iam olim eo facta fuerant, ut in corio illo describerentur,et absoluerentur. At priorem clypei partem uertit:ea nanq; est,quæ ictibus & toto conflictui erat obijcienda.

Hic genus antiquum Christi pulcherrima proles,
Magnanimi Heroës nati melioribus annis.

Hic illi à uetustissima æternitate præsciti niueas omnes induti uestes, nonnulli purpura respersas. Ostendit se primus Petrus, qui caput princepsq; aliorum, uoluntate ac uoce Dei electus est,pro fide instanter ardenterq; clamans,nihil arduũ,nihil difficile,quod esset pro Christo suscipiendum iudicãs. Inde grauissimus Paulus assiduò cum gentibus rem agebat:quas modò argumentis fortissimis uincebat, modò suauí, sed efficaci ad se ducebat persuasione,modò uitæ suæ exemplo editisq; miraculis ad Christum,cui seruiebat uni,pertrahebat. Nemini adulator, & omnibus charus, liber & seuerus,& omnibus seruiens propter Christum. Ne obiurgationi quidem parcẽs aduersus Petrum ipsum pro libertate nostra,ne cibis alligaretur uera pietas. Hostis sacræ ecclesiæ Herodes Iacobum Zebedæum,quo plenius uiueret, necat. Romanus ipse princeps Senatus,populus,plebs,Roma,orbis terræ domitores arma contra imbelles discipulos ne quicquam cient. Et qui gentes uniuersas uicêre,à XII. inopibus, imbellibus, adiuuante ueritate uincuntur. Hinc duorum luminariũ corpora Romæ, id est,per id tempus in domicilio omnium tenebrarum extincta,quę post suam hanc mortem caliginem illam Romanam discussserunt, lumenq; ipsi clarum attulere, atq; perenne. Adduntur ad extremos Garamantes & Indos,ad ultimam Tulen indefatigabiles peregrinationes. Super quæ omnia Diocletianus Salonæus post afflictum à Domitiano,Seuero,Maximino,Decio,Christianũ nomen ac tantumnõ extinctum, uolens ipse funditus illud delere,eo quo Christus mortuus est die,omnia quæ sub Romana ditione erãt,uerę pietatis templa demoliri iussit & interfici Christianos innumeros. A bellis deinde exterorum ad internas intestinasq; discordias & oppugnationes sese conuertit,quæ multo ualidius quàm illa postes,ecclesiæ,bases, totum ædificium cõcussere. Hic Arrium attollentem se in Alexandriæ præsulem Alexandrum intuetur,ac ipsum Dei filium patre minorem creatumq;,ac incœpisse quandoq; esse, per cõpita, per uias, per templa, per scholas, per ganeas, per tabernas diuagans prophano uulgo persuadentẽ. Et inuaserat pestis illa cõplures sacras personas,sed proxima erat tanti mali medicina Nicena corona præclarissima,gratusq; cõfessus. Vbi acutissimos dialecticos,eximios Philosophos, uiros omni sapientia mundi præditos illiteratissimi quiq;,cæterùm sancti & diuini homines disputatione deijciunt, deq; suis erroribus deturbãt. Hic magnus Athanasius manifestius quid credendum sit,reddit Christicolis:hic Eusebius & Theognius facilitatẽ exorabilitatemq; sanctissimæ conscionis experti,habita de pœnitẽtia mentione,in gremiũ cõplexumq; pientissimę matris recepti sunt. Postea Nestorius ac si ab homine hominem seiungeret,aut equũ ab equo,sic à Christo Deum auferebat,id est,planè Deum à Deo. Heu q; flebat acriter, q; ubertim lachrymabat,hæc singula reputãs quantũ impendere uidebat excidiũ suę gentis? q; multos à mensa,à libertate sua charissimos,tunc filios auelli,subijciq; crudelissimi tyranni seruituti,fieri deniq; perpetuos sibi inimicos? Quàm sese ad patris genua assiduus deuoluebat,ne nauicula hæc, quæ tot iactabat fluctibus,submergerẽt. Ego (inquit) rogaui pro te Petre,ut ne deficiat fides tua. Sed hoc leue uulnus præ illo grauissimo Sergiano ac Mahometęo acerba peste generis humani. Verùm ad lætiora oculos uertit,fortissimumq; Imperatorẽ Constantinũ Maximũ pro uexillis crucem ducentem, clauos pro amuletis cernit,& eam quæ prius erat supplicium latronum,positã in frontib. Imperatorũ. Hic aras,hic templa à pio principe tanta cum religione cõstructa,tam magnificè donata decorataq;. Ipsum orbis caput subditũ sibi:& quod olim ignominiæ summæ ducebat, iam Christianum factum, surgentes ipse alacriter fortissimos milites ad pugnam aduersus dissimulatos hosteis hortatur, inui-

ctisq; ſtylis pro gladijs haſtisq; uti. Tubam illam Hieronymianam tam multilinguẽ, tam diſertam, hominem uerè polyhiſtorem, dulciloquum Cyprianum, acutum doctumq; Auguſtinum, facundum Ambroſium, Ciceronem Chriſtianũ Lactantium, aurei & uerbi & oris Ioannem, duos eruditiſsimos Gregorios, Nyſſenum et Nazianzenum, Magnumq; Baſilium, aliosq; complures tam ingenij acumine uarijsq; conſpicuos diſciplinis, quàm ſanctitate uitæ. Tum mundi dominam Romam, ſui uicarij pedibus ſubiectam quàm placidiſsimè aſpicit: hic adorantẽ ſe alumnam terrarũ Italiam, hic ſe fortiſsimam Hiſpaniam, hic ſe nobilem & amœnam Galliam, hic ſe robuſtam Germaniam, diuitem formoſamq; Britanniã, gemmis auroq; fertilem Indiam, hic gentes alias ad ueri Dei agnitionem ducere has cõnitentes & quidem proficientes. extabat ultra Oceanum occidentalem, ubi nihil eſſe noſtri maiores arbitrabãtur, alter quidam orbis noſtris inuentus diebus, & uera pietate continuo inſtitutus. Poſt hæc omnia perfidum & pertinacem Iudæum iam meliorem ſupplicem baptiſma petentem uidit & recipit. Neminem enim aſpernatur ad ſe cõfugientẽ. Tum & librum ex quo ſacra leguntur quæ ad læuam ſunt, & ad dexteram collegiſſe. Fieriq; ouile unum unumq; paſtorem, ac orbem totum intra ſæpta caulasq; eccleſiæ cõtineri. Mox eminebat ipſe ueniens in immenſa maieſtate uiuentes & mortuos uniuerſos iudicatum. Vbi & erant cõſcientiarum omnium libri aperti, & manifeſtum ſingulis reddebatur quàm quiſq; uel bene uixerat, uel malè. Ipſe ſuper Cherubinum ſedens, ſenatoribus terræ comitatus, cum bonis bene agi, cum malis uerò malè iubebat. Poſtremò fœlices electos interna beatitudine intuitu Dei, cui omnia inſunt fruẽtes, ubi æuum ducunt nunquam terminum accepturum: in quo nihil moleſtiæ, nihil inuidiæ, nihil tædij, aut iræ, nihil aut belli aut laboris. Omnia huiuſmodi uita contenta, omnia in quiete, omnia in placidiſsima pace, omnia in perfecto gaudio atque lætitia æuum agunt ſempiternũ. Hic eſt Clypeus ille, copula totius generis humani, ædificijq; orbis terrarum, columna, & lapis angularis. Cuius ſi ſpes omnis, ueſtigiumq; tolleretur, non ſecus mundus ipſe rueret, quàm collaberentur decideréntq; parietes, ſi Ancon in quem ipſi innituntur, aut columnæ ſcaphus auferretur. Eſt profectò Clypeus hic lapis ille, qui uelut inutilis prius ab architectis & officinatoribus reiectus, paulò pòſt parietum uerſurà, id eſt princeps in toto ædificio factus eſt. Hic clypeus eſt illa columna nubis, quæ nepotes Iſraelis in eremo protegebat. Illa in qua deſcendit Dominus, in qua eſt thronus gloriæ ipſius, columna eccleſię Dei uiui, firmamentum ueritatis, columna templi Dei facta, quia uicit. Hic ille eſt ſermo Dei, clypeus ignitus omnibus ſperantibus in ſe. Hoc eſt ſcutum, quod homini qui eſt in tutela omnipotentis Dei, à ueritate ipſius aduerſus nocturnos terrores circundatur. Hoc eſt fidei ſcutum, quod ad extinguẽda omnia ignea dæmonis in nos iacta tela nobis accipiendum eſt. Hic eſt clypeus qui excepit plagam illam, quam iratus Deus mundo ſuo acerbiſsimam inferebat, quæ toti uniuerſo miſerandum interitum attuliſſet. Et ipſe innocens, optimus, ſanctiſsimus, noſtrum ob ſcelus pœnas luit, afflictusq; eſt. Hunc ergo clypeum ſummus ipſe atque fortiſsimus Dei filius, lætus alacerq; humero attollit: ac genus noſtrum propugnaturus, magna cum fiducia, certiſsimaq; uictoriæ ſpe, bellum aduerſus dæmonas aggreditur.

IOANNIS

IO. LVDOVICI VIVIS
VALENTINI VIRGINIS DEI PARENTIS OVATIO.



VM Franciſcus Chriſtophorus,qui ſub Fortè proximus ſedebat, ſermonẽ excepit. Video uos (inquit) expectare, optimi uiri, ut & ego de ipſa re quid ſentiam, exponam. Atqui de ſacroſancta illa Dei parente, quando de Chriſto diſputatum à uobis eſt,uidetur modò mihi meritò eſſe à me dicendum,non ea cuncta,quę de illa poſſem huc afferre,ſed ſolùm quæ temporis anguſta patiẽtur ſpacia. Nam &ſi uos omnes ad audiendum paratos conſpicio ac animatos,noui tamen me ſatis ſuperq; facturum, ſi pauca dixero, ſi multa perquàm parum,quippe ſuperficietenus rem tractans, interiora ingredi noluiſſe uidebor.Secretiora tamen attingens & referens pedem immenſo territus pelago dicar reuertiſſe, ignoraſſeq;, quanta eſſet, quam ſuſciperem prouinciam, immemor præcepti illius boni magiſtri Flacci:Et uerſate diu,quid ferre recuſent,quid ualeant humeri. Primùm itaq; ſcitis ſcripſiſſe Liuium Patauinum ſecundi Punici belli hiſtoriam, in qua M. Liuium Salinatorem de Aſdrubale Hannibalis fratre narrat triumphaſſe: at Claudium Neronem conſulem Salinatoris collegam de eodem Aſdrubale ouantem Vrbem introiiſſe. Strenuè certe uterq;, & utriuſq; miles ſeſe in eo cõflictu geſſerat,uterq; eodem fungebatur magiſtratu. Cæterùm quòd fuerit in prouincia Liuij certamen commiſſum, quòd detulerit ſuos ſecum milites Liuius, non Claudius Nero, triumphus à Senatu illi decretus eſt; huic ouatio. Sanctiſsimi filius atq; mater multis laboribus, multis ærumnis in cõmunem omnium hoſtem feliciſſimè tam diuturnum bellum geſſere.Non pro ſe pugnabãt,quibus licebat,nec laceſſito à ſe hoſte, nec laceſsiti ipſi ab eo liberè agere. Pro obſeſsis, pro afflictis pugnabatur: nullus excogitari poterat ad ſalutem aditus, nullũ in militia ſtratagema quod pro ciuium liberatione non exequerentur.Deſinant Gręci ſua mendacia paſsim nobis obiectare, à quibus & Latini poëtæ mentiri dedicerunt,Pantheſilæam Martis & Eutroiæ filiam,quaſi omnia ſubeuntem appellantes.

Ducit Amazonidum(ait Vergilius)lunatis agmina peltis
Pantheſilæa furens,mediiſq; in millibus ardet,
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix,audetq; uiris concurrere uirgo.

Atqui noſtra hæc uirgo uerius Pantheſilæa,quæ Amazonum,hoc eſt, ſine mammis mulierum eſt ductatrix. Ea ſiquidem prima hanc uirginitatis uiam & iniit & fecit,quam ingentes puellarum copię ſine mammillis ſunt ſequutæ,ſorores omnes angelorum,de quibus ipſi cantant apud Salomonem,Soror noſtra paruula eſt,& ubera non habet. Hæ omnes ductatricem illam Deiparam uirginem quócunq; ierit comitantur, ut in Apocalypſi Ioannis centena illa & quater undena millia Chriſtum agnum in monte Sion. At hæ caſtiſsimæ peltas geſtant lunatas,quaſi pudicitia & carnis integritate,quibus Lunam perhibent maximè delectatã,tueantur. Princeps candidiſsima quædam arma,in quibus ne maculæ quidem ullum ueſtigium extabat, induta, charitate incredibili erga nos ardens inter confertiſsimos hoſtes ſe immiſcet, mirandam eorum efficit ſtragem.Serpentem illum humani generis antiquã peſtem, qui uirginis calcaneo aſsiduus erat inſidiator,qui mulierem,quæ maſculum peperit inſectabatur, acribus uulneribus cæſum,agentem pœnæ animam reliquit. O uates Deus optime,maxime perquàm uerax,qui atrociſsimo nequiſsimoq; ſerpenti cõtrituram illius caput mulierem prædixiſti. O puellam,ô nuptam,ô uiduam,ô parentem

ſemper

ſemper uirginem hoſti noſtro multum inuiſam ac formidabilẽ,dulcem nobis et perſuauẽ,quàm delectabilis, quàm plena uoluptatis tui memoria,quàm fortis nobis clypeus tuus,quàm tutum in te nobis refugium noſtrum. At uerò inter pugnandũ eum ſolum uirgo dolorem accepit,qui ex acri filij conflictu ad ſe dimanabat. Tuam animam (præuidit,mater,iuſtus Simeon) doloris gladium tranſuerberaturum. His tantis bellis confectis,poſtquàm à conſulibus et patribus cõſcriptis in Vrbem ſacra parens aduocata eſt. Primùm quod in prouincia,quam Chriſtus liberãdam ſibi aſſumpſerat,eſſet dimicatum. Deinde quòd nullum ſecum militem duceret,quum tamen ſtrenuè ac fortiſsimè rem geſsiſſet,Ouatio illi decreta eſt.

At quoniam Iuorram noſtrum quodam die de hac ipſa re plurima diſputantẽ audiui,uelim quid de illa habeat, explicet nobis,ſi uacat,& ſi uult.

ORATIO IVORRÆ.

NOn ſum,inquit Iuorra,nec haberi uolo uir, quem omnium horarũ (ĩj qui exoptant paulò elegantiores uideri) appellant,qualẽ ueteres Aſinium Pollionem dixerunt eſſe. Nihilo ſecius tamen rem quam aliquandiu tractauerim, uideor mihi poſſe alijs (abſit uerbo inuidia) in centeſimum annum recẽſere. Quare ſi nihil aliud uos nunc negocij habetis,mihi certe uacat. De te quidem (inquit Franciſcus) mi Petre,non modò id compertum habemus,ſed et diuino quodam pollere ingenio et eſſe moribus probatiſsimũ,bonarum artium ſtudio admodum deditum,& ut omnem penè uirtutem more priſcorum Romanorum uno complectar uerbo,frugalem. Verùm Gaſparis præceptoris noſtri memoriam ſoleo frequenter cum hoc Viue admirari. Sum enim plerunque expertus uetuſtiſsimas quaſdam res ab hominum memoria obliteratas, illum eo quo actę fuerunt ordine,eadem ſerie retuliſſe,ut eiuſce rei etiam minutiſsima quæq; non anxiæ memoriæ mandaſſe,ſed literis cõſignaſſe uideatur,atq; ea recitare. Vnde nec ſatis quanta uerborum in Q. Hortenſio rerum,in Themiſtocle Athenienſi,utrorumque in L. Lucullo omniũ,in Simonide poeta memoria fuerit, cogitare ac comprehendere queo. Sed tu interim Iuorra perge,nam de hoc aliàs. Sabinus, inquit, ille Maſſurius apud Aulum Gellium pedibus ingredi ouanteis in Vrbem,ſcribit,ſequentibus eos non militibus, ſed uniuerſo Senatu. Ego uerò noſtram ouantem non pedibus, ſed equo pulcherrimo atque fortiſsimo inuectam affirmo. Nec idcirco ouandi leges ac morem quoquo modo uiolaſſe,præſertim quum plerique id aſſerant in ouationibus fieri licere: & Claudius Nero,de quo paulò antea ſermo erat, Vrbem Romam inſidens equo legatur introiſſe. Hic profectò uirginis alatus equus, ut Pegaſus ille apud Iulium Higinium & Aratum,Neptuni & Meduſæ filius,rerum omniũ humanarum & ſui ipſius eſt contemptus,per quem duas alas aſſecuti,frequentem diuinorum meditationẽ, perpetuumq; eorum ardorem terreſtria præteruolamus,idem ferè cum Deo facti in luce illa inacceſsibili cum eo quieſcẽtes. Qui manet,inquit Ioannes,in charitate,in Deo manet,& Deus in eo. Hoc ſolum erat illud pernicibus alis animal,quod unum mundi laqueos ſuperare poſſe Antonio eremitæ in ſolitudine monſtratum eſt. In hoc equo imperatrix puella ſedens, myrteam de triumphantium more inſtitutoq; coronam geſtabat. Scitis enim de Sabinis Poſthumium Tubertum ouantem ea corona (primus enim fuit) donatum eſſe,quaſi ramo Veneris uictricis coronareẽ. Militares præclari complures ab hoſtibus manu captum, ſiue oppidum, ſiue ducem aliquem ob rem feliciter fauſteq; geſtam ſolent eo loco inſculptum ſecum deferre,qui omnibus conſpicuus obuiusq; ſit,quo notior ſua induſtria ſtrenuitasq; fiat. Inde ſunt trophæa uiris fortib. data. Hinc etiam nomina de prouincijs urbibusq; à ſe deuictis,ſicuti Aphricanorum. De hoſtibus quoque trucidatis,uelut Druſorum. Hinc uinctũ Iugurtham Lucius Syllam in annulo geſtabat,& torquem militis Galli Manlius. Deipara noſtra caſtiſsima, quũ prima de Venere eſſet triumphatura, quo celebrior clariorq; inauditi ac plus q̃ heroici belli ad poſteros fama dimanaret, Venerea inſignia ſuo capiti ſuperpoſuit,ut intuẽtes cęſam Cythereidẽ et ſignis armisq; noſcerẽt ſpoliatã. Hinc eſt ramus ille,qui nullo anni tem

pore

pore flaccescit. Virorem illum spei fidei uel in maximis algoribus nõ amittit. Quum in discipulis omnibus, sicca frigeret fides, in Virgine nihil de illa amissum, nihil mutatum est. Non eras in eo albo imperatrix, in quo discipulos omneis suos filius tuus Iesus se negaturos scribebat. In huiusce myrti oleo inesse quiddam uiui saporis perhibet C. Plinius: dulcissimæ uirginis contemplationes atq; refectiones, quarum uirtus est non secus quàm olei, contra frigus extinctarum uirtutum munire, sanguinẽ Christi sapiunt: simillima nanq; sunt omnino. Adde quòd uirgæ myrtorum gustatę, uiatori prosunt, apud eundẽ Plinium, longo itinere pediti. Quis nobis uerior uiator, qui extra patriam omnem positi, irrequieto patriam repetimus cursu. Quis itidẽ nobis uerior pedes? quibus omnes peræ, sarcinæ nostrę omnes, super nos ipsos portandæ sunt: quibus pedibus, id est, bonis operibus & immaculata conscientia rectum hoc iter peragendum est? Nobis igitur uerè gustata uirga, hoc est, amarore primo uirtutis & Venereæ titillationis interitu proderit. Nam nec huic malo alia est adhibenda medicina, quàm ipsa myrtea uirga de radice Iessæ, quæ inguinum tumori medetur. Obuiam itaq; ouanti, duo illi cõsules prodiêre, charissimus quoq; filius prætor designatus iurisdictionis mundanæ uiuorum & mortuorum. Qui tres, seu unus potius, post sacratissimos complexus, & oscula tenerrimæ adolescentulæ, uirtutem mirati, eam paulò se inferiorem consistere iusserunt. Transeo populi plebisq; cœlestis immensam lætitiam, cantus, salutationes, plausus, acclamationes, & omnium sine liuore ullo congratulationes. Tunc ad eam, omnium Pater fatus est hæc: Euge fortissima imperatrix, quam neminem rebus gestis in meo futurorum speculo uideo superare: qua nemo difficilius iter aggressus, nullusq; mortalis ita strenuè iter quodquam exegit. Quisquis ideóque piam gestorum tuorum memoriam recoluerit, age fac tu pro illo uerba, nos in tui gratiam eius uotis annuemus. At ipsa quum per hæc uerba adhuc staret, postquàm mundi Princeps perorauit, sedem nulli parem sortita est. Supra eam nanque, solum Dei tribunal: sub ea uerò, cætera cuncta persistunt: soluta uerò concione, à ministris strata incredibili gloria cathedra sedit, æternumq; sedebit.

Hæc habui de Virginis Ouatione, quæ dicerem facturus finem, nisi uiderentur mihi referenda nunc uobis quę Valentię in nouo gymnasio pręceptor olim in grammatica tuus, Ludouice, Daniel Siso de hac ipsa re disseruit. Locus est in primo scholarum aditu, qui facilè pluuia, puluere, frequentiaq; scholasticorum fit cœnosus: eum ubi paululum superaueris, altas offendes schalas, quæ ad ornata cubicula, aulasq; ferunt, in quibus docetur. Paratissimum certè optimis institutoribus, uti spero, uenturis locum. Vestibulum, est sæpe subobscurum, at porticus non inamœnæ lapis, ingens est, sub schalas ceruleus, ad quem interpolæ plerique, si quid noui habent, confluunt, ut libros, tanquam seruos, de lapide uendant. In illum, cum se Daniel reclinasset, ad eum Michaël Ariguus & Parthenius Touar poëta accesserunt: uenerat enim ille paulò antea è Sagunto. Ego qui tum eram admodum adolescens, Parthenium assectabar. Scis tu Christophore, scis & tu Viues, quàm sit uir ingenuus, grauis, & facundus poëta, nec multò inferior cognomine illo suo, quem sibi Tiberius Cæsar imitandũ proposuerat. Is ergo quum multa de Tyndaridis, Polluce & Castore, omnia singulari quadam & planè Romana eloquentia disseruisset, id in primis, uti essent plerunque in bellis Romanorum & Græcorum opem ferentes uisi. Vtebatur testimonijs Titi Liuij, Trogi, Plutarchi, Maximi, uerissimorum historicorum, ut fidem nondum credentibus faceret. Addebat illud Græcorum prouerbium, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ σάγρα, cuius autoritate Lucilius Ciceronianus idem persuadere contendit. Dæmonum, inquit Daniel, præstigiæ illæ erant, nec credendum sanè cuipiam Castorem & Pollucem: quamlibet Dioscorides, apud inferos impotentes sui sese cruciantes, generis humani, & suum quidem interitum exoptantes, suppetias aut Græcis aut Romanis uenisse. Atqui ego uerius nostrum Castorem, nostrumq; Pollucem, Christum nostrum, atque parentem in hoc perenni bello nobis uel maxima subsidia præstare, ne ruamus, censeo. Quis enim, ni adiutrices porrigerent

rigerent ipſi manus, aduerſus ſatanam ualeret ſubſiſtere. Illæ duæ ſunt oliuæ,& duo candelabra,quę Ioannes apoſtolus uidit in cõſpectu Domini terrę ſtantes. Duę profectò oliuæ,cuius oleum ſtomachum conſcientiæ malè digerentis lenit laxatq; uentrem, & emittuntur feces:hinc clariores cum exteriores,tum uerò interiores oculos reddit,malam febrem mundi huius pellit, diuturnam ſanamq; præſtat uitam humano corpori perfuſum. Infirmatur quis in uobis,cõſulit Iacobus,inducantur ipſi preſbyteri eccleſię,& orent ſuper eum,ungẽtes illum oleo in nomine Domini. Hæc duo candelabra inextinguibili luce, noctu & interdiu ſemitas, imò regias uias ueritatis, quo ab unoquoq; perſpiciantur,illuminant. Reciſamentum ſeu radius quidam eſt illius perennis ſplẽdoris ea,quam ſyntheſim nos Græco uocabulo, ſed uulgò ita uocamus. Legite precor,cũ Attilij Reguli,Themiſtoclis,Camilli uitis: Iudæ, uiri fortiſſimi geſta duobus libris inter ſacra narrata, ibi pugnaturo cum Dei hoſtib. Iuda Machabæo cõfitentẽ & ſe percutientẽ intelligo (utar enim Hieronymi interpretatione) Hieremias & Onias per quietẽ apparuerũt,filius certe altiſſimi,& mater illius, quorum alter Onias uidelicet,id eſt mœrẽs Domino,uir bonus, benignus,uerecũdus,uiſu modeſtus,moribus, eloquio decorus,qui à puero uirtutib. eſt exercitatus:tale eſt honeſtæ uirginis filum & ingeniũ, ſi quam uidiſtis,& ſi ſunt inuentu perq; raræ,ſupinas ad Deum tendit palmas. Expectabas,ut ad ſydera dicerẽ. Atqui eſt ſupra ſydera cuncta,& pro populo ſancto ſemper orat. Hæc filiũ cõplexa, ſanctiſsimos ſuſceptos labores profuturos nobis per immẽſam maieſtatẽ obteſtat,& obſecrat. Nec credatis accepiſſe uncq; parentem à filio repulſam. At uerò ſublimitas Domini,ait Hieremias, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantię eius,per quẽ fecit & ſæcula,per quẽ & in quo eſt Deo patri uniuerſorũ ſublimitas,honor & gloria:Iudæ aureũ gladiũ, qui fortiſsimo cuiq; reſiſtit, tradit, dicẽs:Accipe ſanctũ gladiũ,munus à Deo,in quo deijcies,cædes aduerſarios populi mei Iſrael. Gladius hic ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei,uiuus & efficax,penetrabilior omni bipenni, omni romphæa,& pertingẽs uſq; ad diuiſionẽ animæ ac ſpiritus,cõpaginis quoq; ac medullarũ,& diſcretor cogitationũ & uoluntatũ, omnia aggredit,nihil exterorũ timet,omnia ſperat,omnia penetrat,omnia ſuperat & uincit. Hinc quæcunq; nobis erunt agenda, in uerbo Domini perfici iubemur Caco dæmones (pia mens hæc ni faciat) maria ac terras cœlumq; profundum. Quippe ferant rapidi ſecum, uertantq; per auras. Verſùs ſi calumniaris Partheni, delitescam in authoritate,utpote qui ſunt Æneadis Vergilianę. Hæc,uir bonus ille,et grauis theologus,uerendo quodam uultu ac geſtu pientiſsima quadam mente pronunciabat.

Iam,inquit Gaſpar Lax,ut eſt urbanus,age Viues,tuas fabellas audiamus: tuas,ut tu ſoles appellare,gerras. Erunt ex Virgilio,an ex Ouidio, an forte ex Valerio Flacco. Nam Græcorum hiſtorias,ubi uix eſt delectus,taceo. An ex illo inſano ſene Homero,nugarum omnium parente? Quin potius, inquam,ex Apuleio Mileſiæ illæ ſine affabulatione aliqua,affectatiſsimis & rancidis uerbis depictæ,quas ſi narrare incœpero, intelligetis homini illi bonam materiam, quam ſcriberet defuiſſe, dum illa ageret. Verùm haud ſcio an ſit Chriſtiano uiro diſputatio ulla dignior ea,qua de ſaluatore, de Domino,de Deo noſtro Chriſto Ieſu, deq; ſuauiſsima Virgine & matre, quorum memoria renouat triumphos noſtros,agimus. Tractet obſcœnas res quilibet,& quas ſola uerecundia debuit obliteraſſe. Intendat carminis & eloquentiæ neruos,dum ſceleſtiſsimos quoſq;,cæterùm opulentos laudat,& pancratiaſtes luctatur cum laruis. Tempus enim quo à ueritate aures auertent, & ad fabulas conuertentur, quis appetere nequaq; proſpicit? Atq; utinã noſtrę tempeſtatis principes, eos præceptores admitterẽt,qui Chriſti & Deiparæ triumphos imitãdos cuiq; eſſe monerent. Habet quidem ſuum Adrianũ noſter princeps: utinã frater eius Fernandus Eraſmũ Roterodamũ amicum meum probatiſsimũ & eruditiſsimũ uirum nanciſcereẽ. Qui unus,pace aliorũ dixerim,noſtra ætate mihi uideẽ,qui ſummã illam indolem in puero tantæ ſpei poſſet educare. Verùm nos de triũpho dicere pergamus. Conaris triũphum in patriam qualẽ Cæſar,qualem Scipio,qualẽ Pompeius,qualẽ Paulus Æmylius de Perſa,qui celebratiſsimus fuit,reportare:quod præclara, quod digna uiro forti,quod

ti, quod præstantium fuerit imperatorum, desine de ciuibus tuis, de corpusculis, de compagine elementorum uelle triumphare, Christi regis regum summi imperatoris triumphos & honores æmulari studet. Hos tibi uelut album sagittariorum ad quod collineas, in omnibus negocijs præstitue, ac destina: in quo si spiculũ fixeris, amplam & indelebilem gloriam sine tergiuersatione nanciscere. Et ut compendio, Socratico more concludam, sic arctius perstringam. Longè clarior est triumphus, frequentior de uirtute sermo quum pugnacissimũ hostem & munitum armis quis deuicit, quàm quum inermem aliquem & effœminatũ, ut de triumphato Romano Macedone uel Partho milite maior gloria, quàm de Asianis & Persis uoluptuosis, effœminatis, seruire solitis, aut thuriferis mollibusq; Sabæis. Qui uerò affectus & renascenteis curas, qui mundi fallacissimum florem, qui dęmonicas artes & calliditates, cui quę comparetur potestas non est super terram, subigit, longe ualidiorem hostem eo cædit, cui ratio est cum terra, quæ nunquam imperium recusat: utar uerbo Catonis, cum hominum corporibus quę cătharides morsusq; muscularũ necant. Glorioſior ergo triumphus, honor, pompa ex illis, quàm istis subactis. Adde huc, quod omnium maximum est. Nam hic triumphus tres durat ad summum dies, momẽtaneum plane quiddam, etsi quid est minus. Cæterum ille totam æternitatem. Hæc & similia si uos principibus referre ueremini, palpones, assentatores, certè non ueremini dolos, & tam animorum quàm corporum corruptelas: sinite saltem dum rebus Venereis & perditis essent occupandi, hæc legant, graues autem sanctosq; præceptores (cum admonitricem habent, bonam mentem, deiq; zelum) submonuisse non oportet. Quippe qui his magno diuini amoris feruore procerum aures ferè obtundunt, & hæc sedulò exhibent, quum legenda, tum imitanda, in quorum numero primus est magnus uir, de quo modò memini, Hadrianus Florentius Traiectẽsis Caroli principis nostri institutor. Hæc quũ essent dicta, surreximus: reliquumq; tempus ante obscurã noctem per diuæ Genouefæ ad Marcellina suburbia deambulationibus consumptum est.

Ioannes Lodouicus Viues Valentinus

Gulielmo Croio, designato Archiepiscopo Toletano, & nostræ religionis Senatori, S. D.

INcredibilem accepi meæ diligentiæ, quum uoluptatẽ, tum uerò fructum, mi suauissime patrone: quum eam tibi, cui uni dicabatur, placuisse cognoui: quanquam quod elegantissima epistola tua de illa dicis, hoc non agnosco, sed tuæ in præceptorem pietati tribuo: & spero pro ingenio tuo, pro eruditione tam indies in te crescente, breui fore, ut quæ in me modò admiraris, nulla prorsus sint, si cum tuis conferantur. Tu semper esto macte ingenio, macte cœptis studijs atq; uirtute. Quod uerò me hortaris, precarisq;, ut nonnulla in sex quoq; reliquos Psalmos agam, quis id recusare possit? quum adeò modestè petas, ut immodestissimus ego sim, si à me non impetres. Tum etiam nefas existimarem tuo isti tam sancto desiderio deesse, isti iussui tam uerè episcopali non parère. Quare succisiuis sacrisque temporibus in reliquos quoq; sex psalmos paucula hæc, quæ ad te nunc mitto, meditatus sum. Et quoniam non uno eodemq; tempore sex hæ meditationes sunt à me conscriptæ, idcirco stylus nonnihil, inuentio uerò multum in unaquaq; aliarum dissimilis est. Nam perinde ut mihi pro tempore in mentem aliquid ueniebat, ita id protinus scripto mandabam, quanquam pleræq; in modũ forensis orationis factæ sunt. Cuius hæc est causa, quòd quum eo tempore inter oratores uersarer, frequenterq; de rebus alijs profanis in genere iudiciali declamarẽ, ad ista stylum quum uerterem, ille ad assueta sibi ferebatur, digressus interdum sum ac mihi indulsi, & in amœnioribus quibusdam locis expatiatus aliquantum me oblectaui. Sed non tamen ita, ut instituti obliuiscerer psalmi, quod nec mihi facere licebat, ac ne fortè uel tu, uel lector aliquis, si modò huius rei

quiſquam fuerit alius quã tu lector, miretur ſe hoc in opere nouum quippiam inuenire, aut à me locum aliquẽ expoſitũ non eum ad ſenſum, quem ipſe Pſalmiſtæ fuiſſe credat, paucula quædã, antequã ad ipſam rem uenio, ſunt mihi præfanda. Quum pſalmorum liber à Hieronymo ad id exemplar, quod hebraicam ueritatem appellant, ſit ex Hebræo ſermone, quo ab ipſo Dauide decantatũ eſt, ad nos uerſum, deinde iuxta ſeptuaginta etiam interpretes ex Græco, quæ eſt ea latina interpretatio, paucis admodum mutatis, quam uulgo eccleſia in ore habet. Tum & extet Latinum Pſalteriũ ex Chaldæo Targo traductum, quod ex Hebræa lingua in Chaldęam Ionathan Abenuzielis filius non ſine numine, ut Iudæi arbitrantur, uertit, ac ideo eiuſmodi interpretatio ſumma eſt apud illos in ueneratione, cui haud multo minus, quàm ipſi Hebraicæ ueritati tribuunt, quamuis non tam interpretem ille uerborum egerit, quàm Paraphraſten. Has ego traditiones omnes non diffiteor me legiſſe, non equidem aut hebraicæ, aut chaldææ, quæ mihi linguæ planè incognitæ ſunt. Sed latine & græce: nec diſſimularim me plerunq; ad Hebraicam, ut uocant, ueritatem & Chaldæam paraphraſin alluſiſſe. profiteor tamen mihi ſemper magis probari, quod Græca illorum ſeptuaginta ſenũ perhibet interpretatio, atq; eam cæteris ferè prætermiſſis me ſequi, quæ, ut dixi, exceptis pauculis quibuſdam uerbis: cætera eadem eſt cum illa, quam Latina quotidie perſonant templa, cuius rei cauſam grauiſsimam profecto, non eſt hic explicandi locus, alias eam, ut ſpero, declarabo. Nec uerò ſum ſenſa cõmentariorum anxie conſectatus, ſed pro exiguo captu meo, quę mihi uidebãtur explicui. Conſulet boni benignus lector illud conſiderans, non uni ſenſui ſpiritus ſancti uerba eſſe alligata ſacras literas, idcirco agrum appellari ſemper uernãtiſsimũ, feraciſſimũ, uberrimum, quod ſenſus in eis ſint plures admirabiles, & ueri tamen omnes, idq; in eodem ſpiritu, qui illas dictauit. Quod ſi hoc non ſatis lectori probatur. At ſaltem relicto ſiue enarrationis, ſiue expoſitionis nomine appellentur ſanè meditationes, quaſi quis dixerit uel cogitata, uel exercitamenta. Titulos uerò ſeu inſcriptiones pſalmorum quas græci ἐπιγραφάς uocant non attigi, quia illæ ſepoſitæ ſunt à Prophetæ uerbis, mihi uerò ipſum Pſalmiſtæ ſermonem una perpetua cõtexere oratione in animo fuit, in qua paulò cautius lectori eundum eſt, nec uarietate loquentium perſonarum fallatur. Modò enim loquor ego, modo Pſalmiſta, modo peccator, modo alius quiſpiam, tametſi in his omnibus diſcernendis paruum admodum mediocri ingenio erit. Illud uerò nunc ante operis initium hortor, & obſecro, ne orator artificiũ, elegantiam, ſplendorem, copiamq; orationis, concinnitatem uerborum, & ſententiarum, ne acuta dialecticus argumenta, ne captiones dolosus ſophiſta, ne ſcholaſticus Theologus argutias anxie expectet, ſubtilesq; diſputationes exquirat, agnoſco nihil hic tale eſſe, quod ipſis, in id ſolum intentis aut ſatisfacere poſſit, aut placere. At uir Chriſtianus unam Chriſtianam ſpectet mentem: accedat benignus, & quid dicatur animo accipiat pio: quomodo dicatur, ſolicitus ne quærat. Quòd ſi quiſquam eſt, qui operi non propter ipſum, ſed propter me, parum fauerit, me magnum illud in rebus humanis ſolatium, recta conſcientia candidus eſſet animus ſanctumq; inſtitutum, quo hæc ſcribo, conſolabuntur, recreabunt, atque reficient: pro quibus ſcio paratum mihi eſſe à Domino pretium multo ampliſsimum, atq; eo amplius, quo minus me ab hominibus accepiſſe ſenſero, quin etiam ex fidelibus Domini promiſſis fuero perquã beatus, ſi humanum odium pro benefacti gratia reportaro. Tu uerò mi dulciſsimè patrone accipe opus hoc, eo animo, quo petiiſti, & ex profanis oratoribus atq; philoſophis, tanquã ex gradu quodam, ad diuina hæc aſcende, quæ animum nõ in perturbationes affectusq; homine Chriſtiano frequẽter indignos rapiunt, ſed in illos euehũt, adeò excelſos, adeò ſublimes, ut in ipſam etiam Dei ſedem penetrẽt, quæq; reddunt mentes animosq; noſtros tam pio charitatis igni ardẽtes, quã ipſi illi ſunt ſupremi ac deo proximi Cherubini: quorũ uos ordinẽ, in hac noſtra eccleſiaſtica militia refertis, amicti purpurea illa palla indicio planè abſolutiſsimę charitatis, quam in actibus totáque uita præſtare debetis, ut ſicut dignitate, ita uirtutibus uobis ſit nemo ſuperior. Quæ omnia te & non ignorare, & probè exequi, ſpero toti orbi ante multos menſes decla-

declaratum iri. Eruditionem tuam, monumenta tuorum ſtudiorum, indolem, mores tuos, quamuis copioſe poſſem, quippe res ipſæ tam amplæ materiam orationi fertilem ſuppeditarent, hic certè non laudabo, ne quis maleuolus, cuiuſmodi hominum plena ſunt omnia, me aſſentari diſcipulo putet: quod aſſentationis uicium, quum in quouis homine turpe eſt, tum in præceptore, qui modice ac rarò laudare, quem inſtituit, debet, eſt multò turpiſſimum, multóque pernicioſiſſimum. Iſta enim tua, quæ quotidie moliris, quum in apertum proferentur, abunde magna erunt præconia laudum tuarum. Vale. Louanij, M. D. XVIII.

IO. LVDOVICI VIVIS
MEDITATIONES IN SEPTEM PSALMOS, QVOS VOCANT PŒNITENTIÆ.

MEDITATIO PRIMA
IN HVNC PSALMVM SEXTVM.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripies me.

Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt ualde: ſed tu Domine, uſquequo?

Conuertere Domine, & eripe animã meam: ſaluum me fac, propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem, quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubeſcant ualde uelociter.

PAVCOS admodũ eſſe arbitror, qui ſimul ac pſalmi huius prima uerba legerunt, ſi modò quicquam ingenij habent, non illud intra ſeſe taciti admirentur, iram Deo furoremq; à Propheta tribui: quum nihil minus conueniens uideatur, quàm quietam illam & ſanctam maieſtatem concitari, perturbariq; affectu illo ſapientibus etiam hominibus indigno: uerum ſi res ipſę diuinę ita nobis notæ eſſent, ut ſunt humanæ, poſſemus illas tam appoſitis certisq; uocabulis nominare, quàm nominamus noſtras, & tunc ſingula eſſent nec minus certa, nec minus perſpicua, quum de Deo loquimur, quàm quum de mortalibus. Nunc quia diuina illa per collationem ad noſtra utcunq; imaginamur, idcirco & ea uerbis male cum rebus ipſis cohærentibus à nobis proferuntur. Sed loquendum eſt tamen, & uocabula ſi non propria, proxima ſaltem uſurpanda. Itaq; quemadmodum ſapientem ſanctumq; iudicem ſuccenſere atq; iraſci dicimus, quum homines conſceleratos uerbis caſtigat, quum tortori carnificiq; iubet, ut in eos lege agant, quoniam hæc tametſi abſq; perturbatione illa, tempeſtate, procellis, tenebris animi immodica ira perculſi, quæ tanta ira mentem de

ſtatu dimouet ſuo fieri poſſunt,ſine ulla tamen iræ ſcintilla exigua,licet leuiter etiam animum mouente non poſſunt. Quis enim nocenteis, modo ſit ipſe bonus,abſq; ullo prorſus animi motu uidet? idcirco iram rerum naturæ peritiſſimi cupiditatem eſſe ulciſcendi diffinierunt,motumq; animi ad coercenda peccata inſurgentis. Sic Deus ipſe mitiſſimus,optimus,quũ flagitioſos homines patientia ſua tam diu uidet abuſos ut amplius non ſint ferendi,tempusq; iam eſſe cenſet, ut pro malefactis ſuis plectantur,nõ equidem ſicut nos tenuiter modiceq; permotus, ſed immotus omnino in ſua illa placidiſſima & æterna tranquillitate iraſci dicitur. Quòd ſi pœnas ingentes à nefandiſſimo quopiam exacturus eſt, hæc tam æquiſsima nocẽtiſſimi hominis plècten di cogitatio, hic animus nulla quantumuis leui commotione affectus,furor appellatur,qui eſt uelut ipſius iræ faſtigiũ. Hinc iratus,hinc furens, hinc terribilis Dominus. Ad quem accedenti peccatori meliorem ad mentem redeunti,cauſam de criminibus tam multis dicturo,nec integrum eſt procœmio ad conciliandam beneuolentiam uti tam iniqua tam turpi in cauſa,nec uacat ſe prece aliqua inſinuare, quippe qui timet, ne priuſquam primum protulerit uerbum,furore omnipotẽtis Dei corripiatur, quæ cuncto igne longe ardentior eſt & omni acutiſsima romphea penetrabilior. Principio igitur ut reliqua liceat commodius agere,ut tempus ſit flectendi eius quem offendit,auerti tantiſper obſecratur furorẽ Domini. Simul ne prius illo rapiatur, quàm pœnituiſſe poſſit ſceleris: ſimul ne tanto terrori ſit, ut pœnitentiam agere nequeat, uenię ſpe ſublata. Quid eſt quod exorabilem optat iudicem? niſi ut in pœnitentiæ labore ſpe placabilitatis eius confirmetur,quæ tota aufertur,ſi Dei furorem ſpectemus ſolum, nullam uerò clementiam. Obſecrat itaq; ſibi tempus inducias q; concedi, in quibus commiſſa mœrore ac luctu expiet, quæ facere certum ipſi eſt, ſed in ſpe. En quantus eſt Domini terror? ut Iobus ille fretus ſanctiſsima conſcientia quum diſſererе cum Domino aggreditur,dicat: Auferat à me uirgam ſuam, & pauor eius non me terreat,loquar & non timebo eum,neq; enim poſſum metuens reſpondere. Facia mus hinc coniecturam, ſi iuſtum Dei terret ira, quanto acrius hominem conturbabit malum? qui iam uel una conſcientia, nulla alia agitante,pauet ſuam ipſe mentem, & eſt ei mille teſtes unica ſcelerum recordatio. Verum mouet, deinde à perſona ſua commiſerationem Pſalmiſtes: & patri rerum omnium Deo,filij obijcit infirmitatem. Amant enim parentes debilitates natorum, amplectuntur illum morborum ſuppliciorumq; pallorem: & in uires charitatis accreſcit ipſa miſeratio. Miſerere,inquit, mei (pater) afflicti,ſana me (maxime medice) infirmũ,cuius ſunt oſſa cõturbata. Nec uerò mirum eſt illius eſſe oſſa conturbata, in quo rectus ordo conturbatus eſt. quid eſt quod interturbantur oſſa tua, & locis ſuis abeunt? niſi quod ſenſus non paruit rationi,minor maiori,inferior ſuperiori: & miraris quod in oſſibus tuis dextrum eſt,fieri ſiniſtrum, quod anticũ poſticum, quod ſummum imum: quũm ipſe tu quod ſuapte natura ſuperius eſt,feceris inferius,& econtrario,quod fortius eſſe debueras, uinci ab imbecilliori ſiueris. At quid tandem eſt, quod oſſa peccator ita multum turbata ſentit? Nam credibile eſt in tanta oſſium affectione neruos carnemq; non melius ualere,baſes ipſæ ſui corporis ſentit dimoueri,uno uoluit uerbo complecti,nõ multum fuiſſet ædificium turbari,firmo fundamento,carnem minui,& poſt augeri, adhærere pellibus oſſa,debiliores fieri neruos,& reſtitui priſtino uigori, uires etiam poſtea augeri,hæc omnia uulgaria ſunt. At uerò morbus ubi ad oſſa penetrauit, ubi hæc praue affecta ſunt,certum eſt peius ualere neruos & carnem, hominemq; ipſum uita periclitari,acerbum peccati uirus, ut celerrime,ut uno etiam momento & extima corripiat,& intima quæque penetret: hoc ſatis fortè fuiſſet ad ægrotationem ſuam manifeſtandam,ſed animam ipſam affectam etiam dicit,ut intelligamus nihil in eo ſani ſupereſſe,facilè clari ſapientia plericq; corpore ſe non bene ualere paſſi ſunt, modò animo ualerent optimè. Plato enim ſanctiſsimus philoſophus Academiam, quæ eſt ad Athenas uilla,cœlo habituq; loci minus ſalubri,ſibi ſcholam delegit, ne nimia ſanitate luxuriaret corpus,præcepsq; ferretur in libidines omnes & uoluptates, néue nullo mentis imperio cohiberi contineriq; poſſet. Ita ſanitatem animi, etiam corporis

morbo

morbo mercabatur. At noſter peccator nec corpore ualet, & animo inſaniſſimo eſt. quod eſt iſtud uenẽni tam pręſentaneum uenenum,ut mox totum corpus atq; adeò animam ipſam inuadat? Nam aſpidum,ceraſtum,baſiliſcorum,dipſadum, neparum, bufonum,uiperarum morſus,uirus utiq; malum inſpirant:illud tamen ſenſim per uenas, perq; alios corporis latẽtes meatus ſerpens,uitalia tandẽ exitiali inficit humore,

Atq; ſubit uirus tacitum,carpitq; medullas
Ignis edax,callidaq; incendit uiſcera tabe.

At uenenum iſtud quale eſt obſecro? quàm horrendum, quàm terribile? ut ſimul ac infuſum in corpus eſt,ſummo cum dolore,uno temporis puncto hominem letho afligat amaro. Illud quid ſit, uno accipite uerbo,una intelligite nota,ut perpetuò uitetis. Peccatum eſt corporis & mentis humanæ diuæ,alioqui peſtilentiſſimus morbus, pulcherrime macula uultis(quod miremini)audire? immortalis mors,idcirco ut animo properanti nihil ſatis feſtinat, ne fortè ſi diutius tardetur remediũ, corpus ſimul cum anima duplici morte intereat,clamore inuocat medicũ: quouſq; expectet,quærit,feſtinanter uenire precatur, expoſtulat, quòd abſentia ſua in longum trahat acerbiſſimos cruciatus,in dolore eſt,uritur,qui tam anxie, tam inſtanter accurrere medicum orat. Fer tamen peccator acrem hunc dolorem tantiſper, ut iterum non tam facilis te cõijcias in culpam,ſentias tardatione medelę morbi acerbitatem,& intelligas in quam incideris uoraginem,ut ſemel inde explicatus,uites, quæ ad illam perducũt uiæ,non te Dominus deſeret. Sed quid cęcus feceris,uult nunc uidens intuearis,nec uerbum irritum faciet ſuum,qui ita promiſit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Aperi iam per pœnitentiam oculos tuos paulatim, & intelligas quid ſibi admirabilia admirabilis Dei uerba uelint. Putás ne auerti à te Dominũ, quum tu auerteris ſorde flagitij tui ab illo? ut quemadmodũ tu prius uirtute in eum obtutum defixum habebas,peccato deſiſtis contineri,alioq; aſpicis,ita & ipſe te ceſſet intueri,uertatq; ſeſe ad alia quæpiam? Bona uerba, id tu forſitan uoluiſſes quum peccabas,ne te uideret malorum uindex: neſcio an interim, quum ſubinde peccare pergis, optaris illum non eſſe, ut flagitioſiſſimi quiq; ex philoſophis deum ſuis opinionibus aut ſuſtulere,aut talem reliquere,ut à non Deo nihil abeſſet,ac de uotis ſuis aſtruxere commenta ſectarum,& ſolatium malæ conſcientiæ fecerunt credere id futurum impune: ut quam uolebant,uoluptas eſſet: quæ oblectaret,non eſſet aliquis, qui male acta puniret Deus. Eſt utiq; Deus unicus, nec dij cum eo, optimus, iuſtiſſimus,ut ſimul & premium complectamur & ſupplicium. Is te intuetur aſſiduo,non ut humanus oculus, nõ ut Argi,aut lyncis,ſed ut ſeipſum animus tuus,melius etiam. Nam quàm multa in tuo ſunt animo,quæ is non uidet? ſunt'ne prompta tibi ſemper tam multa, quæ memoria tua complectitur? minime. Nam aſſeruas illic recondita tanquam in theſauro,at illa omnia ſemper intuetur maximus Deus, ſcitq; quid habeas, quum tu ignores,quumq; is æternum eodẽ tenore perſiſtat immutabilis,tu mutaris, quo uno motu auertis te ab illo. Et ille proinde nihil tamen motus à te,conuertere ad eum,& quę tua ſolueras diſiunctione, rurſus tua coniunctione copulabis, ipſe eodem ueſtigio perſiſtit: in te uno eſt,ut ad te uertatur,ſi tu te uerteris ad ipſum. Iam igitur cognoſcit pœnitens in quod nemus inciderit,inter quos prædones,dum deſcendit ab Hieruſalem in Hiericonta. Audite uocem eius iam faucij,dum identidem maximis plagis ferítur, eripe animam meam. Quid loquitur iſte de anima? ſceleratiſſimi ſunt prædones iſti,quibus nulla eſt de pecunia,nulla de ueſtimentis cura, quæ ultrò aiunt ipſos offerre uiatori, corpori nonnulla quidem, ſed animæ certe maximam inferunt uim. Idcirco pſalmiſta,nõ regni opes,quę erant (ut traditum eſt memorię)numeroſiſſimę, non clientelas,nõ familias,non denique corpus, ſed animam Domino ex tanto uiolentiſſimorum periculo graſſatorum commendat,ut inde eripiat. Et ne ab hoc periculo liberans in aliud forte maius tranſmittat, ſed ut ſic auferat hinc, ut omnino ſaluam in perpetuum faciat, obteſtatur non per iuſtitiam illam ultricem, nihil peccatori, ac ei qui faſſus eſt crimen, cum ea, deprecatione utitur, miſerationem implorat, ne ſe ita deſerat,ut mors prior,& mox ſecunda ſequatur,qui eſt infernus,in quo quis Domi-

num agnoscit? quis illi confitetur? ubi nulla spes est, sed simul cum supplicio certa desperatio euadendi,ita Domino utilitatem proponit,quæ consequatur ex uita,memoria &cõfessione ipsius,ut Ezechias rex ille,ex hoc ipso Dauidico sanguine ortus, eadem utilitatis utitur prece, inquiens,Quoniam non infernus confitebitur tibi,neque mors laudabit te,non expectabunt qui descendunt in lacum ueritatem tuam: ui uens,uiuens ipse confitebitur tibi,sicut & ego hodie, pater filijs notam faciet ueritatem tuam,sciebat propheta noster hanc unam esse itidem iustam causam cur tam differret uindictam suam Dominus in peccatores, ut scilicet ad meliorem redirent frugem,sicut scriptum est,Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.Idcirco ipse alio quodam loco ait:Non mortui laudabunt te Domine,neque omnes qui descendunt in infernum.Sed nos qui uiuimus benedicimus Dominum. Hæc est causa, quare prauos homines sinit Deus uiuere, quod quandiu uiuant usque ad extremum spiritum,resipiscere certè possunt,uel minimo momento.At eorum semel in infernum morte deiectorum, nulla postmodum est spes:quæ inquit idem propheta,utilitas in sanguine meo,dum descendo in corruptionem? hæc ego cogitans ut uel tantillum temporis impetrarem, ne me tanquam leo raperet furor iste tuus,nec esset qui eriperet,sudo,laboro,gemo, ploro, peto mihi licere aliquot dies procrastinare:& quum magnitudinem uindictæ tuæ, non ad scelera mea collatam,sed simpliciter reputo,turbatur non modo oculus exterior,sed interior ille mentis,cuius amaritudine,cuius lachrymis ablui,dissolui & concreta constipataq; nimis crebro usu,oblectamenta,uoluptatesq; delicti mei in noctibus diffraraui,dissipauiq;,quum semotus à frequentia, quæ non affert aliquid pœnitenti, cum nihil mihi lucet exterius, sedeo in tenebris, & mœrore. Obsecro te Rex Israel, quæ est istius tuæ tantæ mœsticiæ causa? cur tu in angulo solus mœres totos dies,& planctu consumeris? quid est,quod te matutinus flentem conspexit Eous,

Et flentem paulò uidit post Hesperus idem?

Quod nimia peccandi consuetudine inter uitia prauos homines, sathanam & cacodæmonas inimicos meos consenuerim. Et dum unumquodq; flagitium minoris æstimari facit proximum,plurima tandem coadunata consenescere delinquentem inter uitia, coegerunt scelerum onus non sentientem. Ascisit enim nephas socium ac contubernale sibi aliud nephas, & constructo semel exercitu parum referre uidetur quid admittatur, ut quod semel canis ulcus ipso principijs non obsistente possederunt muscæ crotonesq;, non sentit deinde incrementum illorum. Etiam si uel aculeatissimæ uespæ sese intermiscerent: at sentit aculeorum cessationem, & tyrannidis leuamen, si abeant: hoc est quod uult, hoc quod clamat, hoc quod se in libertatem uindicat,discedere iubens omnes quotquot iniquitatem exercent, & diuina misericordia diuina adiutus ope armatusq; expellit de sua ciuitate tyrãnum occupatorem. Admisisti tu quidem in tuam rempublicam inuadentem tyrannum, corruptus largitionibus,& inualuit multo te potentior: ita non potis es educere, quem inducere potuisti. Videas ergo posthac cui,quo precio uendis tuam libertatem,seu uideas potius ne ullo unquam uendas precio, ne cogaris seruire peccato peiori te,nec queas te in libertatem eadem pecunia asserere iam nexus. Et quem non aduocasti in uendendo,eum implores,dum redempturus es:discedite, inquit, à me omnes qui agitis iniquè:uox sancta,uox strenui,uox magni & excelsi animi,uox tyrãnicidq,uox Hermodij & Aristogitonis,uox Arati Sicyonij, Thrasybuli,Dionis Siculi,uox brutorũ. Sed quibus tu tandẽ armis ita resurgis tam ualens? qui iacebas paulò antè in humilitate,uinctus in ergastulo,in squalore,in situ ac pedore miserrimæ seruitutis. Sunt ne hæc tua? unde modo tibi,quæ paulò antè nõ habebas? q; si habebas,cur nõ cognoscebas? si cognoscebas,cur nõ utebaris? cur per ignauiã, perq; secordiã tuã seruire malebas,q; imperare? Exaudiuit,inquit,Dominus preces meas,Dominus orationẽ meam accepit.Agnosco quantũ in me erat ipsum, me perpetua dãnasse seruitute, tradidisse arma ambitioso tyrãno corruptũ uoluptate,quę præsens erat,dum q; latebat grande malum,non considerabam: sed fleui,sed clamaui,sed precatus sum: imploraui eum

qui

qui pecuniam unus habet huius redemptionis ampliſſimam,qui locupletiſſimus eſt, qui benignus. Nam præſto adeſt implorantibus ſe in ueritate, qui eſt dapſilis, apud quem copioſa redemptio,ijs ſuis uirtutibus, quum in eo maius nihil eſſet, quàm ut poſſet,neque melius quicquam,quàm ut uellet. Adfuit & ſurrexi ab humilitate, roboratus ab imbecillitate, manicis compedibuſq; ſolutus reſtitui emptori precium pro uoluptate quam dederat,mœrorem, & inermis antea,mox armatus. Iam par crudeli domino factus, cœpi cum eo congredi,multumq; aduerſus illum pugnando inualeſcens,glorioſum refero de crudeli ac impotente tyranno triumphum. Audi uocem exercitus obſeſſi,quum miſſo extrinſecus ſubſidio,intrinſecus uerò collectis uiribus longam poſt obſidionem eruptione facta multa uirtute repellit, fundit, fugat, perſequitur hoſtem,& militari ſtrepitu inclamat:Erubeſcant & conturbentur hoſtes iſti,perſequimini,comprehendite quàm primum,reſiſtentes cedite,capite ſe dedentes,& uincite,ut gratiam illis referamus,ut patiantur à nobis,quę immanitate ſua nos perferre coegerunt,ut acceptas dent ipſi modo pœnas. O uera lætitia, ô uera exultatio uincentis, quæ ſuperat omne toleratæ militiæ faſtidium:imò quæ delet omnem memoriam tot grauium exantlatarum ærumnarum, tot perpeſſorũ tædiorum, non eſt qui pugnare nollet,ſi certa eſſet uictoria. Sed quoniam hæc certiſsima eſt, caueamus,ne faciamus ea, propter quæ bellum nobis grauiſſimum neceſſario ſit ſuſcipiendum,& adeundum de illa periculum: uiuamus contenti, uiuamus ſecuti, ſi quidem licet.ſit ſatis ſemel pugnaſſe,non ſemper temeritas fœlix eſt. Et ne curemus toties arma tractare,toties diſcrimẽ ſubire prælij,ut experiri aliquando cogamur,quàm amarum ſit (quod auertat Deus) in perpetuum uinci.

MEDITATIO SECVNDA
IN HVNC PSALMVM XXXI.

BEATI, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus uir,cui non imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea,dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci,& iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi,Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac,orabit ad te omnis ſanctus:in tempore opportuno.

Verumtamen,in diluuio aquarum multarum:ad eum non approximabunt.

Tu es refugiũ meum, à tribulatióne quæ circumdedit me:exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo,& inſtruam te,in uia hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus,in quibus non eſt intellectus.

In camo & freno,maxillas eorum conſtringe:qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris:ſperantem autẽ in Domino, miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino,& exultate iuſti:& gloriamini omnes recti corde.

CHRISTVS uita noſtra in Euangelio,inquit,neminẽ ad ſe uenire poſſe, niſi pater Deus,& Dominus rerũ omniũ traxerit eũ. Non eſſe igiũ hoc aut uolẽtis aut currẽtis,ſed Dei miſerẽtis,certũ eſt. Cuius rationẽ ut inquirat infirma mortalitas quãtũlibet,certè nõ inueniet.Et tamẽ nihil à deo fit abſq;

maxima ratione,quàm qui assequi nequiuerunt,nullam esse dementissime dixerunt, quasi finem illic res omnes caperent,ubicunq; scientiæ nostræ subsistit infirmitas, & angustijs mentis humanæ diuina immensitas concluderetur. Heu miserrimos illos, qui cum suæ mentis non agnoscunt exiguitatem, maximum aspernati Deum,traditi sunt in reprobum sensum. Et ne pateret illis reditus ad salutem, obstruxerunt sibi aditum omnem ad illam scelere maximo,nolle cognoscere scelus. O quanto sunt feliciores illi paruuli,illi stulti,qui sine prudẽtia mundi adepti sunt diuinam sapientiam, quæ absq; discretione personarum prẽsto est implorantibus se,quin & dignos se ipsa circuit quærens:qui aliud nihil sapiunt nisi Christum,& eum crucifixum,Iudęis quidem scandalum,gẽtibus uerò stultitiam. Sed quid dixi? aliud nil sapiunt. Quid aliud saperent,qui omnia sapiunt? An non uniuersa sapit, qui Deum uniuersorum sapit? quales sunt,qui fide pleni charitate ardent,spe fouentur,decidunt utiq;, nam septies cadit iustus in die,cæterum toties confessione,toties pœnitentia resurgunt. Verè beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum peccata tecta sunt charitate, quæ operit multitudinem peccatorum. Qua una Domini commiserationem mouent, & iuxta fidele promissum,Misericordiam consequuntur ipsi misericordes, quibus nec imputat Dominus peccatum. Nunquid non illi uerè sunt beati qui flagitiorum consequuntur ueniam antequam rei agantur illorum? Quæ potest maior esse beatitudo, quàm ubi peccaris,ignosci tibi ante iudicium. Et cuius criminis alius sit reus, de te nullam quæstionem fieri,quum idem feceris. Cur tu ita beatus? Cur tu gallinę (quod aiunt) filius albæ? quod non est in tuo spiritu dolus, quod non,ut populus ille prauus,uerbis honoras Dominum,cor autem tuum longè est ab eo, quod non iuras uerbo (ut ait Græcus nescio quis) mentem uerò retines iniuratam. Et Romanus alius, non aliud clausum in pectore, aliud promptum in ore geris:quod idem intus es, qui exterius. Et iuxta præceptum Apostoli,corde credis ad iustitiam, ore autem confessionem facis ad salutem. Tu idcirco uerè beatus, uerus Israelita, in quo dolus non est:tu tam simplex, tu tam unicus confitens. Audi quàm duplex, audi quàm multus sit peccator? Tacui,inquit,& clamabam tota die. Quis tacet? peccator, quis clamat tota die? peccator. Auscultate hoc dialectici, audite philosophi. Clamat hic tota die, & nõ clamat,quoniam tacet:quod prodigium istud est,Aristoteles? En tibi duo contradicentia duo uera. Scio tamen quid respondetis omnes, non unus est, multiplex est,multi sunt. Alius est,qui clamat, alius qui tacet: bene dicis. Nam conscientia scelerum domesticus testis,& delator assiduis delationibus,assiduis furijs,assiduis rugitibus ira furorisque plenis ac plusquam leoninis, clamat scelestum flagitiosum. At mala caro tacet, peccata occultat, de lege Domini nihil loquitur, nihil meditatur, obduruit,occalluit ad sanctissima monita,& tacita fruitur assiduo suo scelere:hęc est quasi diuisa respublica dissidens magna seditione, dum intercedentem bonum plebis tribunum non audit consul iniquus,non audit sęuissimus dictator,sed graue seruitium populo nefarie inducit. Hæc est lex, quam Paulus in suis membris sentiebat obsistentem æquissimæ illi legi mentis. Ita putrefacta carne malum uirus protinus ossa corripuit, carięque consumpsit, quod tum demum cognouit, quum tetigit furor Domini se peccatorem,non is quidem, qui ex iudicio postremus sine uenia punit, sed qui ex affectu Patris sopitum altissimo ueterno scisscitat, pungens grauiusculo aculeo,ut ad se tandem aliquãdo redeat. Et putatis aliquem esse læthargum,qui huic peccatoris somno possit comparari? Non papauera,non ipsum Letheum in fabulis flumen gustauit, aliud maius, aliud prodigiosius est, peccatum scilicet, quod qui hausit,non clausis corporis oculis, sed uidens, ambulat: sentiens ita dormit, ut parentis Dei,ut sui ipsius obliuiscatur: mortuum dicas,si speculeris hominem attentius. Glires ferunt solidam dormire hyemem,ursas diebus quatuordecim,tanto implicitas ueterno, ut ne uulneribus quidem excitari queant. Et putatis minorem hunc esse somnum peccatoris? quem non tot sanctissima monita, non exempla,non spes proximæ fœlicitatis, non mortis, infernique terror, excitent? quoad acrius instat Dominus, & ignem admouet charitatis, ut eius saltem suscitetur sensu.

Qui

Qui quum aduenit suauissimus ille,non absumens sed fouens efficit unus,quod non fecerãt ferrum & uulnera, quæ nihilo secius tam graui ueterno adhiberi necesse fuit. Hoc est quod dormiens peccator sentit,hoc est quod patiẽs ille querebatur,inquiẽs, Miseremini mei,miseremini mei, quoniam manus Domini tetigit me. O quàm miræ,quàm uariæ uirtutis omnipotens manus? Hæc est,quæ cœlum & terram ex nihilo fecit, hæc eadem sustinet, regit, moderatur, hæc uitam dat, hæc adimit, hæc fouet, hæc sanat, hæc tamen tangit & afficit, hæc flagitiosos excitat terrore, consolatur in pœnitentia spe,hæc cum excitat pungit.bene sentit Psalmistes, qui ex usu rei energia multa exponit,dum configitur (inquit) hæc pungens spina,conuersus sum in dolore meo,nunquid non hoc uidimus omnes? Si quem iacentem pupunxerint sentes, totus confestim uertitur, si deambulantem quis retro imprudẽtem percusserit, mox eo respicit: ita hominem ipsum ad se semper aduocat dolor, oculus semper ubi dolor;manus in uulnere,in dolore assiduus est:huc ergo sese totum conuertit,quum tabificus quidam humor lethalisq; in corpore sanies æstu hoc admoti amabilis ignis exiccatur,& tanquam summa in æstate spina confrigitur, torreturq; ac discussa huius caliginis densa nebula fumoq; perquam spisso, quo sensus obducti perpetuò in somno erant,salutaris ille solus uitalisq; relictus est humor suauissimo calore temperatus & fotus, reliquũ malum uirus uehementi saluberrimi ignis calore absumptum est.Audite maxima excitationis huius opera, uidete quàm mox sanari uelit, uidete quàm protinus detegat uulnera. Vulgare enim est,si operam medici expectes,necessum esse morbum ut detegas tuum,prius itaq; ipsi summo medico Deo uulnus aperit, & se curari petit. Nedum tacitus plagam solutam,incuratam diutius celat, increscat tabifica sanies,quæ toto corpore serpens extremum afferat periculum.Audi maximum fidei,maximum conuersionis ad Dominum fructum, sanatus es uel eõ ipso, quod te ita ægrotare uerè doluisti,& sanari petijsti.surge,surge paralitice,tolle grabatum tuum & ambula, & curre semper proficiens, ut uirtutum omnium in horas accipias incrementum: ac ut lætior hic tibi sit nuncius, ita sanatus es ab hoc supremo medico,ut hoc isto quo nunc liberatus es morbo,nunquam posthac sis ęgrotaturus. Nam remissa est tibi in perpetuum iniquitas criminis tui, non est hæc tua cum Domino reconciliatio, ut cum hominibus, apud quos simul ac malè sarta gratia cœpit rescindi,præteritæ omnes in memoriam redeunt iniuriæ,& nouissimæ quæq; inimicitiæ superiores omnes complectuntur:tua uerò hęc tam firma mansura est,quam tu uolueris:& ut scias, quid actum ea sit, nunquam de his tuis sceleribus, quorum tibi modo uenia data est,quantumcunq; fias rursus inimicus,mẽtio ulla fiet. & quod magis mirere,is qui nihil obliuisci potest, criminum istorum in æternum non recordabitur. Nondum fortè mihi credis: syngrapham huius tãti beneficij à Domino petis,accipe, quod dictũ est ab spiritu sancto: si egerit impius pœnitẽtiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia prȩcepta mea,& fecerit iudicium & iustitiam,uita uiuet,& non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor,in iustitia sua quam operatus est,uiuet.Admiraris scio, & rationem quæris,quî fieri possit,ut is rem aliquam obliuiscatur, cuius ante oculos sunt semper omnia nuda & aperta.aliâs scies,nunc à tanto magistro rationem ne requirito, una tibi authoritas dicentis satis sit,an illud ignoras ὠὼὸς ἐφα. Sed heus tu Dominum interim audi,quid te facere iubeat: uade,& ostende te,inquit, sacerdoti: quanquã huius psalmista memor præcepti, illud secundo loco facere cõstituerat, ut prius peccatum Domino suũ aperiret,deinde sacerdoti eius. Neq; uerò se putat manifestare, tanquã antea nesciẽti,tanquã nõ uidẽti:uidet profectò Deus, uidet iugiter hominũ peccata, qui unus renes cordaq; nostra scrutatur. Ostensio tamẽ hęc est non tam Deo, q; tibi. Nam quẽadmodũ ostensuri medico uulnus,illud soluunt,ut & ipsi quoq; uideãt, ita & hic profers ulcus,ut tuũ tu tibi flagitiũ ostẽdas, detegas,uideas:quod nõ uidebas, cognoscas:quod non cognoscebas,q; turpe sit,q; uile,q; malũ,& fecisse doleat. Deinde fecisse fatearis sacerdoti,nõ tanq; homini,sed tanq; auri diuinæ cõfiteris iniustitiã

tuam

tuam Domino. Perge psalmista, uideamus quid sequatur? audiamus ist thæc tua tam modulata uerba, tam uerè carmen ad numerum appositissimum. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiã meam Domino. Et tu remisisti impietatẽ peccati mei. O uere salutiger nuncius. O uerba lætissima. O semper nobis in ore & corde tractãda. Quis est hic animo tam pusillo, qui desperat? quis est tristis iste, qui mœret? qui non potius exilit lætitia, exultat. Videte quàm pauxillum exigit iudex, uidete Domini facilitatem, gustate iam obsecro, & uidete, quàm suauis sit Dominus. non uult, nisi ut sibi dicamus confessuros ipsos aduersus nos iniustitiam nostram. Et confestim peccati supplicium remittet nobis. Quis Dominum dicit asperũ iudicem? quis seuerum? quis non mitissimum? quis non clementissimum patrem? Magna tua confessio uis. Nondũ te facere cœpit, facturum promittit pœnitens: & iam illi Dominus ueniam tribuit delicti. Hæc est ad quam impetrandam omnis quãlibet iustus, quamlibet sanctus orat, quum resurgit septies in die, quoties ceciderat, nec sinit copiosius affluere scelera, cæcutit, imbecillis est, iam est partim lubrica, partim etiã scabra & saxosa, uestigia nequit figere. Cadit, sed mox tempestiue dum erectio prodesse potest, resurgit. Non desidet in casu, non uult in cœno, dum exiguum est, dum ipse uiuit uigetq; iacere, & uolutari, ne fortè copiosiore hymbri accedẽte operiatur fœdiore cœno, tum frustra sese conetur attollere. Protinus itaq; inde abit, lutum excutit, conscendit altiora, & ex casibus surrectionibusq; gradum sibi facit ad excelsa, ut etiam aduenies seu ex mari uehementior æstus, seu ex cœlo largior hymber nequeant ei nocere, nequeant eum contingere. Hoc est quod pręcipi debet in primis ipsis hominibus, ne in imo sibi domicilia construant, id est inter mundi delicias & pestes, atque eas marinis fluctibus obnoxias: sed ut transmigrent ad montem uelut passeres, ad eum, in quem ascendens Christus Iesus discipulos sæpe docebat, quem non pertingit uis Oceani erumpẽtis, nec nocet maior aquarum copia è cœlo delapsa, quæ fertur tota deorsum, quæ utraque in colentibus camporum plana nocent. Despicit ille ex loco celso miseros stultosq; mortaleis tot malis afflictari, dũ mordicus mundi huius delicias tenent. Ipse uerò in monte, in Christo, in refugio, ad quod ex calamitate, ex afflictione, ex ærumnis confugit, exultat maxima in spe futuræ fœlicitatis æternæ. Et si non abnuo, non eam ita iam euasisse periculum, quin possit & detrudi ad imam uallem, & affligi maximis miseriis, quibus quamdiu hic ambulat, circunsæptus est. Hoc est quod ipse nondum ante cursus consummationem securus interdũ anxie Dominum implorat, Erue inquit, me à circundantibus me, ne quisquam ita se omnia supergressum pericula putet, dum uiuit, ut nullum supersit, quod timeat. Non patitur quenquam Deus sic agere secure, ut desideat, ut curam rerum omnium negligat & abijciat, nullã metuens necessitatem. Ita ut agamus, ut uigeat animus, & ingenium, aculei necessitatis nobis suppositi sunt, quæ una rerum omniũ doctrix est.

Et labor ingenium (ait quidam) miseris dedit, & sua quenquam
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

Sed uerba ipsa prophetæ diligentius attendamus. Erue, inquit, me, à circundantibus me. En quam prope adest necessitas, quàm non procul uidetur? ne longe absens pariat securitatem, à circundantibus me, inquit: Ita ut si à monte descendat, adsint, propiores, frequentiores, maiores, acriores. Sin aut ad dextram abeat, aut siniſtram, antè procedat, aut retrocedat, incidat in eas, unus patet apertus semper locus, unus exitus ab obsidione, loco scilicet superiore, quem petendo magis liberamur, à quo omnis liberatio, auxilium omne. Conetur idcirco illac euadere, is quẽ circundat, quem obsidet oppugnatq; hic exercitus nefarius, illuc sese attollat, efferat primum oculos in montes, in quibus cum fuerit mox in cœlos, ut propior factus Domino, qui in cœlis habitat, facilè exaudiatur, impetret copias auxiliares à Domino exercituum, quibus uim omnem possit hostilem uincere ac cõtemnere. Quæ nimirum sunt intellectus, instructio in uia, qua gradiatur, firmatio oculorum Domini super eum. Deus immortalis qui tres duces, seu qui potius tres exercitus tã fortissimi, quib. insipiẽtiã propulsemus,

ſemus, quibus lætiſsime & ſanctiſsime uitam agamus, uel omnibus circunſepti hoſtium copijs. Prima ſunt illa in ſapientiæ uia, intelligere cuius donum ea ſit, agnoſcere, te indigere, ſcire quomodo aſſecuturus ſis. Idipſum eſt quod ſapiens inquit, & hoc ipſum erat ſapiẽtia, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum & precatus ſum illum. Hæc fuit cauſa cur cæci illi, qui cum ſibi ſapientes uiderentur, & lyncei, in maxima licet luce, ambularent tamen miſelli in tenebris cimmerijs, ac in ipſis etiam lolio (quod aiunt) uictitarent & ſtultiſsimi eſſent, quomodo quum neſcirent, quis ſapientiæ dator eſſet, ab eo ſolum petierunt, qui dare non poterat, ab ingenio uidelicet ſuo, in quo uno cõfidebant. Idcirco uoto fruſtrati, nihil aſſecuti ſunt & impẽſam cum opera perdiderunt. Quàm uerè perdidit Dominus ſapientiam ſapientum, & ſcientiam ſcientum reprobauit, quàm mirè apprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & poſuit humiles in ſublimi: audiamus tamen à quo, & quonam modo hęc ſit petẽda ſapientia. domini diſcipulus Iacobus ex præceptis ſcholæ illius ſapientiæ Dei ſic tradit: Si quis ueſtrûm indiget ſapientia, poſtulet ab eo, qui dat, à Deo certè, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. En à quo petenda eſt, intelligamus iam quomodo ſit petenda? Poſtulet, inquit, fide nihil hæſitans. Mira domini liberalitas, ut non aliud ipſe largiturus pro ſuo à nobis exigat munere, quàm ut petamus, nullam ſibi aliam referri gratiam, quàm ut fidentes petamus. Quis non peteret à ditiſſimo? quem ſciret non magis dando cunctaturum, quàm nos petendo. Atqui uides, & quid petas, & à quàm locuplete, & quàm det affluenter, quàm ſimpliciter, & qui nunquam donum exprobraturus poſtea ſit, ut homines faciunt, qui tam frequenter commemorant ijs quibus bene fecerunt, ſua beneficia, ut (iuxta prouerbium) uinum perdant aqua infuſa, id eſt benefacti gratiam meritò amittant, ſuperfuſa iſthac frigida commemoratione, & quaſi exprobratione beneficij. Audi deinde, quid quum fueris adeptus ſapientiam ſequatur: ut inſtructus à Domino & munitus gradiaris uiam hanc ſolitudinis, peragas iter hoc uiæ ad hoſpitium, imò ad patriam uitæ. Diriget enim ad te oculos, quos tu ſequeris duces, ut illorum nutu certiſſimo tramite, facillimo compendio ambules. Nec ad mala diuerticula iniquasq; ſemitas, quæ tam multæ auocant ab hac uia, delires. Hoc eſt quod ipſe Pſalmiſta alio loco precabatur, inquiens, Ne auertas faciem tuã à me. Iſti ſunt oculi Domini, qui ſuper iuſtos ſunt ſemper. Iſtæ lucernæ ſunt pedibus ſanctorum, quandiu hic peregrinantur, ambulantes per fidem ad patriam ab exilio. Hæc eſt illa maxima fax, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hæc eſt illa luminis ardentiſſimi lucerna, quam afflictus Iobus à ſe abijſſe lamẽtabatur. Quis, inquit, mihi tribuat, ut ſim iuxta menſes priſtinos ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me, quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? Iam intelligit, cui hæc diuina lux affulſit, quàm uile ſit ad uoluptatum iſtarum ſordes abijci, quàm id ſit planè equum & mulum agere, ut uiliora, ut deſpicatiora tranſeam animalia, ſit ſuis auribus habitus honor, immundiſſimum ſuem, & ſtolidum aſinum, in quis omnibus non eſt ille intellectus, quem Dominus pœnitẽti dedit, ut ſe noſcat, quæ una eſt æterna uita. Exuite iſtas belluarum ſpecies, induite hominem, accipite intellectũ, cognoſcite quàm uana ſint omnia, quàm mala ſine Domino. Quónam modo iſtæ diuitiæ, opes, copiæ, honores, gloria, ſtultiſsima, uaniſsima ſint ſine hoc intellectu? magnum ingenium capax tenax'que memoria, uigor & amplitudo animi, hebetiſſima omnia ſunt, quæ ſuum, non ipſa noſcunt authorem. Philoſophia & omnis mundi ſapientia, mera eſt inſcitia, amentia, inſania, furor, quum eum, quem primum cognoſci decet ignorat. O uerè equi, ô muli, ô aſini omnes illi, qui capite ſemper in terram deiecto, non coluerunt, non agnouerunt parentem rerum omnium Deum. Hæc eſt cauſa, cur tradunt Nabuchodonoſora ſeptem annos in belluam deformatum, quòd Dominum Deum'que ignoraret, quòd ſupra ſe nullum alium eſſe exiſtimaret, quod eſt ex homine in beſtiam degenerare. Et Antonius ille eremi cultor præuiderat, multo antequã contingeret dementiã Arrianam, ſpecie mulorum altare deijcientium. Pote

rat

rat aptius uideri quicquam, quàm mulorum formas? illi omnes, qui à uera Dei absunt religione, qui Dei negligunt legem. Idq; non aliam ob causam, quàm quòd qua ratione lata sit, homuli isti ex argilla hebetissimo suo humano ingenio non capiunt, retusissima suæ mentis ui non penetrant. Horum, tu Domine, cõstringe maxillas, in freno & camo, qui non accedunt ad te: rege illos ut belluas, quos quum homines creasses, ipsi sua non intellecta sorte belluinam potius elegerunt. Hi sunt homines, quibus quũ tribuerit Dominus amplissimas, & animo & corpore dotes, ingratissimi non intellexerunt, nullam habuerunt gratiam. Hi sunt comparati iumentis insipientibus, & tam similes facti sunt illorum, ut nihil interfit inter ipsos & illa, præter membrorũ formam, quos etiam Dominus tanquam iumenta, tanquam tardissimos asellos, non modò capistro & freno, uerùm & flagello durissimo iracundiq; suæ agitabit: sed nos istos cum sua infelicissima & ignoratione & insana cæcitate faciamus missos. Sit exitus nostri Psalmi, qualis esse reliquorum solet, consolatione ac lætitia pœnitentis plenius, quem quoniam in Domino sperauit, pro exercitu illo, quo prius se lamentabatur cinctum, obsessum: nunc illo profligato circundabit misericordia, illa quæ ab omnibus tuetur hostibus, ab omni ui, impetu, afflictione, in pace, in quiete placidissimè continet. Quocirca lætentur iusti, non in aliqua re huius uanissimi seculi, sed in Domino. Et omnes recto corde, in eo solùm glorientur, quòd sciant, & noscant eum.

MEDITATIO TERTIA
IN HVNC PSALMVM XXXVII.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus sum: usq; in finem tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei, impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam, à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desideriũ meum: & gemitus meus, à te nõ est absconditus.

Cor meum conturbatum est: dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & uim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebãt mala mihi, locuti sunt uanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem, tanquam surdus nõ audiebam: & sicut mutus, non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, sperauí: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouẽtur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego, in flagella paratus sum: & dolor meus, in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ,

Si pecca-

SI peccatores omnes Dominus ostensione furoris sui terreret, quàm multos abiectissimus quidam pauor retraheret à flagitio, quos non reducunt benignissima parentis monita? Naturaliter enim apud plerosq; plus ualemalorum timor, quàm spes bonorũ. Idcirco ijs animis tam humilibus, tam abiectis, tam fractis, ne quicquam inculces crebro redamandum Deum, qui nos ita multum amat, ad eum potius parentem adeundum, quàm ad hostem generis humani diabolum, eiusq; ministros sociosq;, uoluptates, mundi dolos, & reliqua scelera. Frustra coneris in spem summorum bonorum attollere animum in ipso penè tartaro iam obrutum atq; sepultum. Non persuadebis dormienti & luscioso, ut sua sponte fulgentissimos solis radios intueatur, tanquam Cerberus extractus à tenebris infernis, ut est in fabulis. Vnica est serui huius uilissimi medela, ut quoniam generosum animum non habet, qui rectius ducitur, quàm trahitur, plagæ illi & flagella commostrentur. Videat compedes, uideat pistrinum, ostendantur illi tristes latumiæ. Sentiat hæc, irascatur Dominus eius, cognoscat ille furorẽ, audiat minas, loquatur: loquatur paulisper ei in ira sua, & in furore suo conturbet illum. In illo inquam, in illo furore, qui transfert montes: & nescierunt ij, qui subuertuntur in ipsis, qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Fiat plagis melius nequissimum istud mancipium. Hic est furor Domini, quem non horret, nisi qui non noscit, quem non habet semper præ oculis, nisi quem aliquãdo uere tetigit. Sciebat hoc probe Psalmista, qui iam semel principio cuiusdam alterius sermonis quum esset Dominum deprecatus, ne terreretur illo, nunc iterum eodem pauore canit idem. Miratur quispiam? appellat quis prophetã, & regem istum timidũ? appellet sese potius temerariũ, qui nihil considereat, nihil æstimet. Nam Dauidem nostrum constat fortissimum fuisse uirum, uel qui nõ cessisset strenuitate aut fabulosis Hectori & Achilli, aut superbissimo Alexandro, aut immani Annibali, aut Atheniẽsi Cabriæ, aut Lacedæmonio Leonidæ, aut cuiuis ex amplissimo Romanorum numero. Sed audi, obsecro, num hæc timẽda non sit ira? num hic non horribilis furor? descendit Deus ipse in igne rapacissimo, quatit cœlorum ordinem, & compaginem elementorum dissoluit, immittit austros furentissimos, uentorumq; cohortes inter sese pugnantes. Opacat densissima caligine hoc solis & diei lumen, laxat maris habenas, & reserat signatas abyssos, concutit terram, & tremore maximo dimouetur, totaq; in altissimos pauores dehiscit. Infert animãtium omnium animis confusissimum pauorem, et absonos illorum clamores, nec ipsa perferunt durissima saxa. Deserit catulos leæna, fugit agnum ouis ipsa, errãt per syluas et montes animalia, & in solitudine magis turbantur. Irrumpunt agminatim feræ in ciuitates, confunduntur magis in solito urbis aspectu. Errant per uicos fugientes, et rugitibus atq; ululatibus cuncta commiscent. Ac dum exitum ab urbe petũt, discursibus magis penetrant intima urbis. Ardet atra flãma pars uniuersi, quod nõ absumit ignis, late inundat Oceanus, fremunt furentes uentorum tempestates, fremunt insani fluctus marini, crepitat uorax flamma per agros et urbes. Ædunt uarias uoces animantia, tonitruis crepitat cœlum horrẽdis, et ex tam dissono rerum omnium strepitu cuncta replet terribilis exortus fragor. Rogo te, ò uir fortissime, quæ tibi est in his omnibus mens? non tutantur homines ab horrore tecta domorũ, & intra penitissima concluſi ædium maiore sternuntur pauore. Auget terrorem mœsta solitudo, auget societas, id est metus alienus, additus proprio. Hic est ille diuinus furor, qui superat, qui frangit omnem temeritatem. Non pugnat hic ut homines, eminus & ferro, à quibus uel interiectus tutari nos potest seu amnis, seu murus, aut clypeus & arma defendere, aut potest certe celerrima fuga parere salutem. Intrat ille animum tuum & complexus te inermem nullum interpositioni aut muri aut clypei dat locum, & quò libuerit abeas, semper illum feres tecum, citius à te tu ipse fugeris quàm ab illo. Quid, quòd ne si uelis quidem, magno perire animo, sinet totam enim ipsam animi uim ac uirtutem, simul ac te complexus fuerit, prorsus extinguet, & quem animum germana sua Dei benignitas excelsum tibi fecerat, illum ipse prosternet, eiusq; cursum & uitam comprimet atq; retardabit, infixis sagittis ueneno intinctis, ut in apris ceruisq; duri

faciunt uenatores.Idcirco propheta alio loco ceruo animam suam comparauit.Saucius enim ille accurit ad fontes aquarum, saucia hæc ad fontem illum aquæ uitæ salientis in uitam æternam,qui Deus est.Et si is uulnerauerit, etsi graui percusserit manu,ita ut non summo tenus solum & in transcursu impegerit ictu præceleri, unde nec caro adliuescat, nec uibices attollantur,sed librata & confirmata manu, plagam incusserit,ut descenderet altius.O grande uulnus,quid totum transegit corpus,quod totum affecit,quod à toto abstulit sanitatem. Percurre omnes tui corporis particulas tu,quem tetigit terribilis ira Dei,uide sit ne aliqua immunis uulnere sana,integra, ualens,an ipsa sint ossa quieta?Audi responsum tu temerarie,qui non curas furorē Dei, audi sus philosophorum Epicure,insane Lucreti audi,tu qui de Deo dicis,

Non bene pro meritis capitur,nec tangitur ira.

Vide quid expertus dicat, & oculato tu crede testi. Non est inquit, sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Intellexti'? uis loquamur forte Romanius. Scelera tuis similia sunt, quæ concitarunt irā furoremq; Dei omnipotētis,qui uindex fuit illorum tam acer, ut ne minimam quidem in sceleſto reliquerit particulam sanam, & hærens etiam ossibus malum hoc,quietem ab illis abstraxerit. Num id immerito in homine factum est? cuius flagitia tam multa fuerunt ut obruerint,ut sepelierint eum copia sua.Cœperunt paulatim circunsæpire ipsum, & inualescentes numero & magnitudine supergressæ caput illius, immerserunt eum in se,tanquam in altissimo pelago.Vbi ita eum oppressere,ut ne gemere,ne suspirare,ne respirare quidem posset prelius onere tam immani. Neq; hic tantum finis tanti mali,nam stipatus undiq; & inuolutus ueneno tam tetro cœpit mox confici tabe.Putrescere cœperunt & nonnulla uulnera, quæ priorū etiamnum peccatorum supererāt male sana recrudescere,& sanies inde tetro fœtore profluere,sed cuius hæc est culpa peccator?num medici Dei, qui tua uulnera, qui tuas contritiones alligauerat ualidissimis fascijs,optimisq; colliuerat medelis?tua insipientia est in causa,qui te iterum passus est feriri,qui relaxasti pannum bene alligatum.I nunc idcirco miser incuruus &nouis uulneribus acceptis,& exulceratis ueteribus. I tam pressus pondere flagitiorum. I mœrens tam ægrotus,tā omnibus membris affectus. Fer sic hūc diem, qui iam in uesperem uergit,iam accēdit lumina ferum, iam prima noctis fax, quo ad nouus ille matutinus rutilante aurora lucifer seu sol potius exoriatur. Quum tu noctem hanc in maximo licet dolore prætergressus conualescs, & renouabitur tua iuuentus ut aquilæ.Erunt interim haud dubie properanti tibi ad salutem graues in animo inferiore pugnæ.Succurret carni tuæ uoluptatum dulcis consuetudo, eritq; perquàm amarum antiquos socios, id est delicias, & peccata relegare. Idcirco uide in mœstissima hac pœnitētiæ nocte,quomodo te geras?Nam illusiones miræ miseræq; animum sollicitabunt,torquebuntq; tuum, affliget carnem tuam Sathan, & ad solitam ipsa uitā suo nutu relabi nitetur,lactaberis his fluctibus in dolore. mox uerò dejicies superbissimum istum animum tuum,ac uere tum pœnitebit tuis te manibus in quietam alioqui & pacatam domum tuam induxisse tam nefandum, tam atrox, tam cruentum bellum.Ingemisces,suspirabis, confugies potentissimum illum, qui nihil nec maius habet,nec libentius largitur,quàm pacem,quas unas opes terris decedens filijs suis pro hæreditate reliquit. Audite sanctissimum testamentum: Modicum, & iam nō uidebitis me,quia uado ad Patrem. Quas tu igitur locupletissimus relinquis hæredibus tuis opes?Pacem, inquit,meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Ioquere iam tu paulisper pro te peccator,ætatem habes,uideamus quid in hac tristitiæ ac pœnitentiæ nocte ad Dominum loqueris? ad quem sunt omnes sermones tui, audiamus quid dicat?Possem equidem,inquit, uel tacens expressisse tibi renum mentiumq; humanarum exploratori Deo,quæ sentio,quæ gemit cor meum,quæ desidero.Poteram uti silentio,& compendio facere istorum uerborum, quippe loquor tibi, cui desideria curæ, gemitus, affectus, cogitata nostra, nos ipsi notiora sumus omnia,quàm sibi ipsa. Volo tamen mihi,satisfaciendi gratia,dolores meos infelices, afflictiones, miseras calamitates, apud te parumper lamentari. Scio te antequàm

uerbum

uerbum proferam,non ignorare,ſed ita demum contentus abſcedam, ſi me audiente quaſi arbitro quodã explicuero. Iuuabit uel hæc totius rei ſumma Domino me fuiſſe loquutum. Loquar igitur ego,cuius cor,cuius animus,cuius denique mẽs ipſa conturbata eſt,cuius ratio infirmata,cuius extincta tota ingenij uis.Nam tota uirtus corporis atq; animi me deſeruit.Procul enim à te fonte illorum omnium diſceſſi. Et miror deeſſe huic meæ piſcinæ dulciſſimum liquorem totius boni? qui meatus illius tubi,per quos à fonte huc ueniebat,fecibus uiciorum meorũ intercluſerim? Mirer potius tam craſſum,tam uiſcoſum,tenaxq; cœnum poſſe mundari,& reſtitui me in priſtinum illum uigorem,ex hac uirium omnium & neruorum defectione atq; imbecillitate,ex hac,oculorum omnium & horũ exteriorum & interni illius cæcitate. Quæ dum nihil cerno,prẽcipitem me exigit in caſus miſerandos.Fugerunt ab hac tam fœtida,tam tetra camarina amici mei omnes,& quam decebat me complecti, me exoſculari uxorem meam,halitum ea meum exhorruit.Accedebant quidem ad me proximi mei,ſed tam peſtilẽti odore,qui ex ſentina corporis mei exhalabat, arcebantur, ſiſtebant in ueſtigio, & tanquam denſiſsimus paries mihi erat putrefactio ueterum peccatorum,ne illos ad me ſineret peruenire. Retulerunt continuò pedem, qui propius acceſſerant, afflati ſpiritu putrium corruptarumq; cicatricum & uulnerũ recentiore tabe ac ſanie confectorum.Nemini tam charus eram, quem ex uomicis perpetuo profluens & aſpectu & olfactu inſuauiſſimum pus non offenderet, non procul fugaret. Ita intolerabilis quum omnibus eſſem, mortem quoties mihi ſunt imprecati? quoties uim inferre animæ uoluiſſent meæ? Alij ut nõ eſſem, quem perire uoluiſſent uel muſcum,amaracinum,balſamum olentem: alij ut moleſtia liberarentur, qui nec diſcedere audebant,nec accedere poterãt.Ita illi odio mei,hi uerò ſui amore quærebant,quodammodo animam in complexu corporis ſui hærentem, & in ſuo uolutantem ſe luto, tanquam in roſis & ſuauiſſimis floribus inde cõuellerent. At ego inter tot intus ac forinſecus mala nihilominus fœda uiuacitate durabam,et in omnium inuidiam dies proferebam longiſſimos,nihilq; minus cogitabam quàm mortẽ.Muſſitabant illi,altius interim clariusq; loquebantur uaniſſima. Et ad quem tandẽ finem reſeruas nobis iſtud ſilicernium? iſtud omnium fœtidiſſimarum ſordium receptaculum? plenum ſputis,plenum excreationibus,muccis,excrementis,hirco,odore latrinali,ac pluſquàm tartareo,moroſum,querulum,intolerabile. Vincet ne cornicis & Neſtoris ſenectam? quæ malùm iſta eſt tanta uiuacitas? Viuet ne mortuum iſtud cadauer ultra lina? quod aiunt,an cõtinget nobis hic alter Mathuſalem, alter Priamus? qui nos omnes ſepeliat iuniores malis diebus,quos hic perferimus,enectos. Vellem iam tandem ſtrangularet eum ſua iſta nobis omnibus tam moleſta,tamq; perennis pituita.Aut quum deſcẽdit,aſcendit ue,deuolueretur per ſcalas.Aut id,quod in iſta ſenectæ ariditate ſuperuitalis uaporis, depaſceret breuis aliqua febrecula. Aut denique quauis uia liberaret nos Deus ab iſto ſupplicio.Perueniebant nonnullæ ex his uocibus ad me,ſed ego nullum putabam aptius illis eſſe reſponſum,quàm ſilentium. Calorem multorum uerborum temperabam taciturnitatis refrigeratione. Sapientum pleriſq; hæc,ut arbitror,fuit cauſa cur ſeſe ſurdaſtros eſſe ſimularent, qui quamuis acutiſſime audirent, expedire tamen cenſebant multa nos audijſſe diſſimulare, ut & non uidiſſe complura utile eſt.Cato minor quum eſſet Vticę cum exercitu, quem ex reliquijs partium Pompeianarum collectum contra Cęſarem ductabat,& milites ad deditionem eſſent propenſiores, uoces quibus id ſe uelle ſignificabant, audire ſeſe diſſimulabat,ſurdaſtrumq; ſe finxit,cum illas ita claras uel ipſi audiuiſſent ſurdi.Prudentiſsimus uir id ſatius duxit agendum,quod aiunt uulgo, ſtultis uerbis ſurdas aures.Ita & ego illos omnes, tanquam ſurdus me audire diſſimulabam,& perinde tanquam mutus nihil eiuſmodi reſpondebam dictis.Ne parum apte perſonam egiſſem, ſi lingua mea calliditatem detexiſſet ingenij, & quod aures ſe non audijſſe uolebant perſuadere,aurium mendacium lingua teſtata fuiſſet.Fiebam tanquam ij, quos natura ſurdos ex matrum utero in lucem produxit, qui quum inauditi ſint, etiam uoces humanas ediſcere nequeunt.Ita ſurdi perpetuò ſunt atq; muti. Ideo nec à me pro ma

lèdictis acrem reportarunt obiurgationem,& ſolatio mihi erat,eos aliquando factu-
ros finem dicendi.Fruebar ego ſcelere meo, retinebam in ſordibus animam turpiſſi-
mo corporis complexu,allatrabant mihi catelli mei,quid ad me? ſiquidem non mor
debant.Emeritum ferunt equum militia longa,in lętiſſima immiſſum prata, opera ua
cuum,ut pro laborioſa iuuenta quiete frueretur ſenectutis, illum quum clamoribus
ac ſtrepitu abigere conarentur, uiatores quidam iuſto curioſiores:nihil enim ad eos
in illis pratis,equus paſcebat,nihilq; mouebatur,adueniens fortè dominus miles ue-
teranus. An non(inquit)uos inepti eſtis,qui militari tumultui aſſuefactum equum,
uoculis ueſtris à paſtu conamini deterrere? Sic & ego in mediis ipſis flagitiorum uo-
luptatibus aure duriſſima,qui iuniorum ardentes ſæpe audiueram expoſtulationes,
& querelas eiuſmodi,nihil erat quòd moueret illis,& niſi ſpes hæc tui tam me iuuiſ-
ſet,in duritie mea,uelut marmor obriguiſſem,periſſemq;. Verum inter inimicitias
tam graues,inter uitia mea cumulum ualidiſſimo numero indies augētia,ſpes neſcio
quæ in tenebris lucens,& mortuis rebus omnibus ſola ſuperſtes effecit,ut tu me mu-
tum alioqui audires. Quum ad te uox interna clamauit.Effecit te,ut miſeret mei,ut
excitatus,ut uitæ potius redditus ac officijs ſenſuum,inciperem & uidere,& audire,
& clamare ad te,ne unquam uotis faueas inimicorum meorum,ne intempeſtiue mo-
riar etiam iam ſenex,& annoſiſſimus,antequàm ueros hominis canos aſſequar,& æ-
tatem ſenectutis uitam immaculatam.Hoc precor,hoc peto, hoc unum omnibus uo
tis ac precibus expoſco, ne de ruina mea gaudium præbeas meis inimicis. Proſpe-
ctant illi mi Deus hanc meam ſupplicationem,& ſi fortè fortuna labitur, nutat,com-
mouetur pes meus,confeſtim extrema quæque loquūtur, ominantur de me,iam de-
cidit, iam derelictus eſt à Deo, nunquam reſurget,poſthac actum eſt de ipſo. At qui
ego mi Deus culpam deprecor,pœnam nullam recuſo,redire cupio tecū in gratiam
quālibet magna indicta mulcta,dolebit perpetuò,feram flagella,nihil quod tibi pro
redimenda gratia placuerit detrecto,libens accipio.Habes uoluntatem, quæ pecca-
uit,habes reum confitentem crimen,qui de flagitio perpetuò cogito,perpetuò de il-
lius euētu ſollicitor angorq;. Qui abdico,qui nuncium mitto delicijs,uoluptatibus,
opibus,honoribus,cæterisq; mundi uanitatibus,atq; decipulis. Quæ qui poſſident,
eos ex ſocijs amiciſſimisq; mihi facio inimicos propter te. Qui uiuūt hic,qui uigent,
augentur,qui ſoli terra fruuntur,regna, imperia penes ipſos ſunt, rerum ipſi potiun-
tur,& me tanquam contrariarum partium & transfugam odio iniquiſſimo oderunt.
Iſti ſunt, qui me perſequuntur, qui non bonum pro malo, quod optimorum maxi-
maq; uirtute præſtantium eſt,referunt:non item bonum pro bono,quod etiā faciunt
homines mali,ſed malum pro bono peſſimi ac nefarij reddunt. Audi ſummam iſtius
odij,quia ſequebar bonitatem:uſq; adeò inuiſa eſt hæc pulcherrima omnium res, ijs
quibus non ineſt,ut quiduis pati potius ſint parati, quàm illam non inſectari:ut ma-
lint interim ſui ſimiles prauos ſocios eſſe ſibi, quamuis nocituros ſciant, quàm diſſi-
miles ſui bonos,etiam profuturos.Si diligentius perquiras,non illos hominem infe-
ſtum habere comperies, ſed probitatem, dum nimio ſui amore acti, inuiſum eſt eis
quod ipſis abeſt:maluntq; in uitio perſiſtentes odiſſe bonos,quàm illorum exemplo
prouocati imitari,ac eniti, ut eos uel ſuperēt uel æquent. Hoc erat pulchri ac excelſi
animi,non pati ſe uinci uirtute. Non erat certādum cum diuite diuitijs, nec factione
cum factioſo, ſed cum ſtrenuo uirtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſti-
nentia,ubi uinci non turpe eſt,modo tu nihil remiſeris de tua uirili, & ſuperare præ-
clarum.Et quoniam non eſt hic locus deplorandi,quàm ſit uirtus ubiq; inuiſa,quàm
ſemper fuerit ab inuidia primi fratris,eritq;, quoad mundus iſte totus ab irrequieto
labore quieſcat:quid tandē tam multis obtinere uelim uerbis? epilogo perbreui clau-
dam.Duo tantummodo petam,unum ne facias,alterum ut facias. Prius eſt,ne deſe-
ras me in hoc acri cōflictu,ne uel latum unguem abſcedas à me,ne imbecillitate mea,
ne (ut uires meæ exiguæ ſunt) uel minima concidam plaga.Alterum,ut tu,qui unus
es Dominus meæ ſalutis,in mei ſemper proſpicias auxilium,mihi conſulas,atque in-

hac

hac uita lumine tuo mihi perpetuo præeunte sic deducas, ut ex his tenebris ad æternum tuæ beatitudinis lumen expeditissimo compendio perueniam.

MEDITATIO SECVNDA
IN HVNC PSALMVM L.

DIALOGVS.

VIVES, PSALMISTA.

MISERERE mei,Deus:secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum,dele iniquitatem meam.
Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui,& malum coram te feci:ut iustificeris in sermonis tuis, & uincas quum iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim ueritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me,Domine,hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium & lætitiam,& exultabunt ossa humiliata.
Auerte faciem tuam à peccatis meis,& omnes iniquitates dele.
Cor mundum crea in me,Deus:& spiritum rectum innoua in uisceribus meis.
Ne proijcias me à facie tua:& spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui:& spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos uias tuas:& impij ad te conuertentur.
Libera me de sanguinibus,Deus,Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine,labia mea aperies:& os meum annuntiabit laudem tuam.
Quoniam,si uoluisses,sacrificium dedissem: utique holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo,spiritus contribulatus:cor contritum & humiliatum,Deus, non despicies.
Benigne fac, Domine, in bona uoluntate tua, Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.
Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,oblationes & holocausta:tunc imponent super altare tuum uitulos.

VIVES. Volo paulisper cum Psalmista sermonem instituere,quem tãto cum dolore gementem uideo,deprecantemq; (quantum conijcio) culpã suam.
Quid tu tam mœres,ô Rex sapientissime? quid opertus sacco sedes in cinere,à ploratu non interquiescens? Non hic mihi mors regum esse uidetur. Vbi tibi purpura illa? Vbi cõuiuium instructissimum,& adipalis cœna? Vbi tam multi scurræ,qui cõuiuas exhilarãt? Vbi profusus risus regis usq; ad cachinnos? Vbi purpurati,longaq; ministrorum series,magnus cõcursantium strepitus? Vbi funalia illa lychniq;, qui tenebras nocturnas instar diei collustrant? Atqui tu in tenebris sedes,lucem, hominumq; conspectus aspernatus & fugiens: tibi lachrymæ tuæ panes sunt toto die lamentabili uoce.atq; eiulatu potius non exhilaras te,sed tristificas. Insueta hæc quis non miretur? quis causas non requirat?

PSAL. Si ferret magnitudo doloris mei, ut aliquid de se loqui possem, aut sceleris mei pudor sineret, ut auderem,facile fieret,non ut minueretur mihi quicquam ex

mœrore(nam id nefas esset optare)sed ut ego complures haberem,qui meum casum mecum dolerent,foretq; diuturnior dolor quem multi augerent, quantus modò esse non potest, omnibus illum minuere conantibus, multis nitentibus me consolari. Desineres etiam tu cum plerisque mirari, nec mihi exemplum obijceres cæterorum Regum. Quid enim ad uirum sapientem, considerare quæ stulti faciunt, nisi dedita opera,ut illa uitet. & ex uitio alterius emendet suum,cui tamen attentius perspiciendum est,quomodo sapientes uiuant,ut imitetur. Quòd si hæc quæ in me modò conspicis insueta tibi,in alijs Regibus uidentur, in me certe non sunt. Num tu solus non audisti, uersatus quantum intelligo,in Hierusalem,quàm multis ego iam inde à pueritia mea fuerim aduersis exercitus? quomodo semper finis unius calamitatis principiũ fuerit sequentis? Non accepisti nunquam me in securitate comedisse panem? Ad quem inter cæteros homines spectat, quod Deus,Adæ comminitans dixit, fore ut sudore uultus sui pane suo uesceretur. Homo agricola ego sum, quoniam est Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

VIVES. Hæc ego omnia satis abundeq; audiui, uerum accepi etiam te his & proximis diebus regiam,id est,uere delicioſam uixisse uitam tranquillè & sine cura,ut aiebant,cum tua illa Bersabee.

PSAL. Heu heu attigisti uulnus,& exulcerasti dolorem,hoc ipsum est,adulteratus sum,atq; interfeci,& nunc reus capitis agor.

VIVES. Reus tu? & apud quem iudicem? Apage. Rex & reus capitis? hoc quàm iniquum sit, nescio. inusitatum certè,usque adeò est, ut ante hunc diem non sit auditum. An apud regem alium? qui te nullus est maior, nullus bello potentior. Decerne bello, quàm multa capitum millia cadent, an tequàm ad tuum perueniatur. Sin apud aliquem ex ijs qui tibi parent in regno,nónne insanus is erit, qui contra te pronuncia rit,minare illi,minare actori, occide illos omnes? Non hoc tibi humanum uidetur: at corrumpe auro, quo abundas, iudicem: facile id erit factu. Quòd si tam sanctus ille fuerit, ut corrumpi nequeat,sine, pronunciet,faciat quidlibet,dic te postea nolle sententiæ ac iudicio stare,quis coget?

PSAL. Bene tu illa quidem,si res ista se haberet,ut existimas. Verum est alius quidem iudex,multo me maior,multo fortior,cuius uel minimus minister totum meum exercitũ,quamlibet magnum,quamlibet ueteranum & robustum,horæ momento occideret occidione. Qui me fecit,qui me sustinet, quo uolente nullus ulterius futurus sim. Intelligis iam,quisnam sit?

VIVES. Admirabilem iudicem narras,Deum mihi uideris dicere. Durum,ut credo,sontibus est istud forum. Sed quid? nulli ne in regno tuo patroni optimi? qui pro te dicant apud illum iudicem,qui defendant crimen, qui in alium transferant, homicidium præcipuè. Quum tam callide iusseris illum Vriam in prima acie collocari, ut uix uel criminis suspicio tibi obijci possit. Ego si pro te dicturus essem, istis equidem agerem: Esse stultum Regem aut Imperatorem homicidij accusari eorum omnium, qui occidunt in prælio: quid insanius? Nam quod aiunt te literas scripsisse, nõne tibi licet,in prima acie quem uolueris constituere, quem uolueris in media, quem in postrema? Quòd nõ modó tibi,sed & Ioabo licet,præfecto militiæ tuæ. Volebas in fronte consistere uiros fortissimos, ut primus hostium impetus ualenter frangeretur, ubi est totum uictoriæ momentum. Idq; nõ eo fine, ut ab hostibus trucidaretur ille: quid enim à te uiro humanissimo ac benignissimo magis alienũ? quid tibi regi minus utile,quàm amittere talem tam strenuũ militem, qui unus,quod euentus docuit, instar erat multorum. Postremò quis unquã regem postulauit? quòd interfici iusserit subditum, quocunq; tandem modo id fuerit transactum, quacunq; de causa, quis? quòd sit adulteratus. Nunquid non Reges Domini sunt? licentq; illis omnia quæcũq; collibita fuerint in subditos: occidere, quos nocentes existimant reipublicæ, regnoq; suo parum commodos. Oblectare se cum liberis uxoribusq; inferiorum. In usus regni exigere solito ampliorem pecuniam, quæ placeant, uestes, agros, domos, possessiones aut blanditer elicere, aut artibus callidis exprimere, aut quũ id nequeũt, quod postremum est, ui rapere. Quòd si hæc regi non licerent, nõ uideo qua in re à priuato differret

differret, quin & tãto pondere regni grauatus infeliciſsimis homũculis infelicior eſſet futurus, ſi nõ liceat ei paulò plusq; reliquis. Quid tã ſubinde gemis? quid ſuſpiras?

PSAL. Quia te uideo deliramenta colligentem, neque ijs tamen culpam meã minui, nec cauſam fieri meliorẽ. Sapiuntq; iſta quæ dixiſti, non Iſraeliticum quippiam, neque regium, ſed gentilitium planè quiddam, atque tyrannicum. Et tu oppidò iuuenis es, & inexpertus rerũ, putasq; in hoc foro ita agi, ut te docuit magiſter in ſchola? Quàm tu faceres facile defenſionibus criminum ex optima cauſa malam? Et ignoras hunc iudicem, ne uoluntatem quidem, qua quicquam actum ſit, ignorare? Nec affectibus moueri, nec callidis argumẽtationibus falli, teſtibus nec alijs indigere, nec aliijs uti, quàm conſcientijs ſcelerum uniuſcuiuſq; ſceleſti, quarum unam quanq; non iniuria mille teſtes, prouerbio dicunt eſſe.

VIVES. Quid igitur, certús ne iudicij euentus damnari? In hoc tandem foro abſolui nullos contingit reos?

PSAL. Quàm uellem ut ſingultus hi gregatim erumpentes pauliſper interquieſcerent, aperirem tibi quæ ignoras, ſed quoniam impedit me dolor, eloquar ut potero, paucis tamen. Eſt rerum omnium quaſcunq; mortales agunt, ſeu in abditiſsimis tenebris paucis comitati, ſeu ipſi ſoli, quas etiam ſecum intra ſe cogitant, ſpectator atq; idem iudex Deus Opt. Max. Is tamen æquiſsimus, adeò ut ne ad tribunal quidem eius adducantur rei, niſi euidenter nocentes, & iam antè ipſa flagitioſiſsima uita damnati. Nullus enim adhuc tot annis in foro illo inſons cuiuſquã criminis accuſatus eſt. Ac quoniam eſt tam ſanctus, tam incorruptus iudex, non eſt apud eum reſpectus ullus perſonarum noſtrarum. Regibus, ſeruis, ſummis, imis, opulentis, mendicis, æquus idemq; eſt. Nam & hæc nomina re uera inania ſunt, atq; ab humanis ſtulticijs inuenta, & eſt tanta iudicis magnitudo, tam immenſa, tam incredibilis, ut inter noſtras magnitudines & exiguitates ad illã relatas nulla ſit prorſus diſcretio. Qui igitur illic cauſam dicunt, uoluntq; crimina ſua tueri (nam inficiari nullo modo poſſunt) & legibus iuriq; ſtare, hi protinus cauſa cadunt: nam pertinaciter malunt errorem non agnoſcere, quàm delicti ueniam petere: cuiuſmodi ſunt illi, qui ſibi inaniter uerba cõfingunt maliciæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Qui aut non eſſe peccata pueriliter cauillantur, aut ſibi illa facere licuiſſe aſſeuerant. Idq; propter ſuſceptam perſonã ueluti regiam, uelut diuitis. Quemadmodum principes terræ, qui quo ſunt potentiores, idcirco ſibi putant plura licere, quàm inferioribus. Perinde acſi apud iudicẽ illum ullus eſſet altero uel ſuperior, uel inferior, & non potius omnes æquales. Faciũt non ſecus ac ſi in ſcena hiſtrio, qui regem agit, putaret, quòd perſonam illam induerit, licere ſibi plura quàm ſocijs, qui pauperum perſonas induerũt. Velletq; illos pulſare, uexare, interficere, uiolare ipſorum coniugia, liberos parum pudice tractare, domos ui ſpoliare, exiſtimans id abiturum impune. Quòd ſi hæc inſaniſsima eſſe, uel ipſi (ut uocantur) ueri reges inſaniſsimi plerunq; ſciũt, ſciant ſe non ſaniores eſſe, quum eadem illa in minores ſibi putant licere, & ſceleſtiſsimos, in primisq; nefarios, quum agunt. Heu nefas, fui ego aliquando tanto correptus furore, ut illa agerẽ, & putant me immeritò tam uehementer modò pœnitere, quũ nondum ſciã, quis me maneat iudicij horũ ſcelerum exitus. Itaq; ſicut de illo dicere incœperã, qui tam ſapiunt ut defenſiones nihil tandẽ profuturas omittant, confugiantq; ad deprecationem, qui confitentẽ confeſtim crimen, & petũt illius ueniam uero dolore, uera pœnitentia, ij demũ abſoluũtur. Mirumq; quàm illud iudici placeat: mirũ q; ea ſola re flectatur clemẽtiſsimus ille, qui ut eſt, ita & ab omnibus clementiſsimus, mitiſsimusq; uult exiſtimari. Nec alia in re confidere reos, quàm in ſua clæmentia & miſericordia. Quam ſi tibi explicare incœpero, ſi referre, quantam in ſe ſint omnes nationes, populi, gentes, ipſe orbis expertus, quantam quàm incredibilem ego in me ipſo, dies me deficiat, & uerba. Citius percurram hiſtoriam cœlorum, elementorum, totius naturæ, quæ admirabilis eſt, quàm miſerationes, quàm clementias, quibus ex quo mundum creauit, uſus eſt, ut taceam, quibus eſt uſurus. Nam ſunt ab æterno in æternum. Quæ certe ſuperioribus nec pauciores futuræ ſunt: neq; minores: neque uerò eſt in eo maius quippiam nec admirabilius, nec melius, quàm quod & miſereri omnium poteſt, & uult. Quo-

circa nec ego quicquam cithara, psalterioq; libentius psallo, quàm eius miseratio-nes innumeras, immensas, admirabiles, paratas, obuias, quæ sunt super omnia ipsius opera, quibus uiuimus, quibus durat hoc uniuersum, quibus nos, quibus nostra omnia debemus accepta referre. Quod uel unam horulam uiuimus impij, quod ualemus, uigemus, gaudemus: quòd in hominum sceleſtisſimorum alioqui quæcunque tandem in hoc mundo progenita sunt, ueniunt usus: quòd non totum genus nostrum simul cum ipso mundo concidit, quid aliud est, quàm misericordia illa immensa, diuina? Quamobrem ad illam ego meam orationem aptaui, qua sum modo usurus in iudicio.

VIVES. Audirem ego illam longe libentisſime, sed uereor ne sim tibi iusto moleſtior.

PSAL. Eam ego tibi pronunciabo, ut te instituam me multo minorem, ut si quid tibi usu uenerit huic simile, quod nolim, quod quantum poteris, fuge: si tamen acciderit, edoctus iam sis, sciasq;, quidnam sis acturus.

ORATIO PSALMISTÆ.

SI magnitudo siue clementiæ, siue misericordiæ tuæ ignota mihi foret Deus Opt. Max. nihil esset, quod aut oratione aliqua uellem apud te agere, aut sperarem impetrare ueniam tãtorum scelerum meorum. Quæ neq; negare possum, nec aliquo tegere colore. Sed quum sciam, ante quem iudicem sim constitutus, cuius tot recolo misericordiæ opera, quot non generationes modo, non homines, sed quot momenta fuerunt à condito orbe, tam innumeras uenias peccatis nefandisſimis tributas, non putaui causam esse, cur unus ego desperarem, cur me esse existimarem in peiore conditione, quàm cæteros. Non quod flagitia mea, aliorum flagitijs minora esse credam, quo mihi de uenia fiducia crescat, sed quòd uideam mensuram clementiæ tuæ capere tam ingentia flagitia, quam non modo ab homine non committi, sed ne excogitari quidem possunt. Is ergo deterreatur, qui considerans solum, quæ tu hominibus tribueris, delicta uideat sua esse illis omnibus maiora. Nam qui non ea, quæ feceris modo, sed etiam quæ & possis, & uelis contẽpletur, erit tam ab omni sensu, ab omni mente alienus, ut desperet? Qui sciat (neq; enim scitu difficile est) etiam si totus hic mundus in scelera conuertatur, nondum tamen superaturum misericordiam tuam, non impleturum, non absumpturum, non peruenturum ad fundum: non effecturum, ut nullus aditus pateat ad ueniam, ad ignoscẽtiam, ut inexorabilis fias, ut ad preces obsurdescant aures tuæ. At latet apud te forsitan hæc tanta clementia, hæc misericordia ociosa, nihil habet ipsa negotij, nihil nobis prodest? Absit, ut rem tam impiam quisquam uel imagine sibi fingat, quamuis ei nõ assentiatur. Nam id qui crederet, is ne dignus quidem esset, qui experiretur quantum ipsa ualet, quantum nobis prodest. Vixisset ne uel temporis punctum parens ille primus Adam gustato pomo, nisi præsto ipsi adfuisset propitia diuina siue clementia siue misericordia. Cui cum fuisset cõminatum moriturum eum, idq; ipso te Deus tuis uerbis ferẽte legem, edictum pronunciante, sciens & uidens uitam cum morte unum ob pomum commutabat. Superstitisset diluuio genus humanum? & non potius cunctas animantes simul cum ordine tenoreq; ipsius uniuersi: sic aquarum uis, sempiternis sæculis obruisset, ut spirabilis hic aer, aquæ terræq; circundatus est. Exisset unquam Iudæus populus miseram illam Ægyptiam seruitutem? transisset mare rubrum? superfuisset uel unus in deserto uiolatis toties diuinis legibus usque ad defectionem ad idololatriã. Si tantisper interquieſcere, ac à suo munere solito cessare misericotdia uoluisset, potuissent pares esse tot fortisſimis exercitibus, pauci, ignaui atque inermes? Extaret modo uel ueſtigiũ huiusce gentis? uenirent gentiles, qui à Patre Deo ad suum ipsorum hostem diabolũ desciuerunt? cui & seruiũt, nisi hæc omnibus esset propitia, fauens, benefica misericordia. Quę tam magna est, tam capax, ut omnia cõplectatur tam copiosa, tam infinita, ut impartiens se omnibus nunq; tamen minuatur: tam fortis, ut quotidiano usu non

ſu non debilitetur, non fatigetur, non atteratur, tam erga nos amica, mitis, benigna, ut innumeris noſtris aduerſum ſe offenſis non fiat nobis uel pilo auerſior. Tam facilis, ut pauciſſimis egeamus precibus ad eam nobis reconciliandam. Quin ſemper ipſa ſe nobis offert. Vſque eo nobis indulgens, nos patiens, ut à nobis contempta, ſpreta, repudiata, ferat tamen æquo animo, parata quo ad nobis tandem aduocetur. Veniť que tum non querula, non muſſitans indignabunda, non offenſa, quod à nobis fuerit uſque adeo contempta. O miſericordia dulcis, ô benignitas admirabilis, ô clemens patientia, ô patiens clementia, quam nec ſcio quomodo adorem: nec ſcio, quo nomine appoſitiſsimo nominem. Intelligere te uellem, ſed præſtinguis lucernulam mentis meæ ſolari tuo lumine. Diffinirem lubens, ſi poſſes ullis terminis concludi, ſi aliquid te ſuperius fieri poſſe intelligerem. Illud tamen unum eſt, quod quum habeam, reliqua non me magnopere ſollicitant, quod tametſi comprehendere te non poſſum, frui tamen te certe poſſum. Tu quidem ſancta & humani generis ſoſpitatrix perpetua, ſemper fouendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miſerorum caſibus tribuis. Nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue tuis tranſcurrit beneficijs ocioſum, qui mari terráque protegas homines, & depulſis uitæ procellis ſalutarem porrigas dextram. Ad hoc aſylum, ad hanc ego aram, mi Deus Opt. Maxim. qua neſcio an ſit in te maius quippiam, confugio. Huius magnitudinem imploro, per huius multitudinem te precor ut mei miſereariſ, ne qui tã innumerorum es miſertus, in peiore me facias eſſe forte, quàm reliquos omnes, ne de te præbeas ſuſpicionem, aut fatigatum iam eſſe te bene faciendo, aut tuam miſericordiam non omnibus paratam eſſe, qui petunt, qui ad eam refugiunt, quæ duo quàm à te ſint aliena, nemo ignorat, qui te uel de nomine duntaxat nouit. At obijciunt mihi aduerſarij immania crimina, illa ego libenter aut negarem facta, ſi in hoc foro aliquid ignorari poſſet, aut aſſeuerarem recte facta, ſi poſſes, tu ſapientiſsime Deus, aliquo argumento falli. Quare quid mihi faciendum ſupereſt? niſi omiſſa controuerſia, omnem orationem ad miſericordiam tuam conferre. Nihil hic ad ueniam impetrãdam ſcio tã ualere, & delicti ſyncerã confeſsionem cũ dolore, qua una abſtergũtur ex flagitij turpitudine ſordes animo hærẽtes. En igitur laua me largiter, aufer iniquitatẽ meã, mũda me à peccato meo. Siquidẽ agnoſco crimẽ, confiteor delictũ, tam dolens, ꝙ fecerim, quàm lætus, quũ faciebã. Adeò ut nihil magis nũc ſit aduerſum, nihil magis inuiſum, quàm & illud peccatum & ipſius recordatio, nihil quod me magis angat, cruciet, diſtorqueat, enecet, quàm cum in memoriam eius incido: incido autem quàm frequentiſsime. Nam ferè uerſatur mihi ob oculos. Quoniã enim nihil magis profuturum ſciebam, ne tu noſtrorum memor eſſes ſcelerum, quàm nos eſſe perpetuo memores. Idcirco manticas illas, quæ ſunt uulgo in prouerbio, inuerti, ut errores mei ante pectus mihi aſsiduo dependerent, reijcerentꝙ aliena peccata ad tergum, quæ nihil mihi profuit, ante pectus praua curioſitate conſpicua mihi ſemper geſtaſſe, uidiſſeꝙ in alienis malis tam acutum, quàm aut aquila, aut Epidaurius ſerpens, ne lippis quidem oculis mea conſpiciens. Cuius erat illud in primis in cauſa, quòd & regiæ opinionis ſtoliditate & perditiſsimo applauſu adulatorum, nulla in re mihi uidebar malefacere. Quod nulla lex eſſet, quæ in me delinquentem animaduerti iuberet, & in faſtigio rerum humanarum à te conſtitutus, quia pœnæ obnoxius non eram, culpa me uacare credebam. Nihil de te mi ſumme Deus, cogitans, cui uni regi omnium ſæculorum rerum uniuerſarum temporaneus, ego regulus paucorum corpuſculorum peccaui, & quod mecum animo reputantem maximo afficit pudore, quæ coram hominibus, qui me non erant puniturí, facere erubeſcebam, feci te ſpectante eodem & teſte & iudice, nec ſum ueritus ſanctiſsimos tuos oculos mea turpitudine offendere, quin turpiſsimos alioqui homunculorum oculos refugiebam. Verum quum tu ſolus meus iudex ſis, & qui me unus peccaſſe noris, nihil eſt quòd iſtas ſtulte plebeculæ uoces uel pili facias. Fremit, inſanit more ſuo. Negat mihi ad tuam gratiam patere regreſſum, reciſa eſſe ait pacta promiſſa omnia mihi tua, quid ad te, obſecro, cum his uerbis? Num ego ſubditus multitudini

male

maleuolorum? & non potius beneficio tuo illa mihi? num coram illis peccaui? num non coloribus argumentis maximis crimen ego meum defendere possem, si illa disceptante esset agendum? Ignosce modo tu unus mihi, qui unus potes, cui uni, ante quem unum (heu me) peccaui, ne sint, oro, irrita illa promissa mihi tua tam magna, tam admirabilia. De huius hærede regni, de templi constructione, de Christo meo, & alia permulta quàm maxima. Tum nec illa toti hominum generi, de uenia flagitiorum, quibus pollicitus es te peccatorum nostrorum sordes abluturum. Iustifica igitur me in his sermonibus tuis, & emunda, emacula, perpurga me, quum omnia iudicabis: nec tunc in illa rerum omnium censura immundo mihi tristissimam aliquam notam inuras, nec efficere possint scelera nostra, quo minus tu stes promissis, nec idcirco tu pactis nihil actum putes, quòd nostra ex parte infringantur. Neu uelis perfidus haberi, quòd nos simus infidi. Non enim mutaris tu, ut homo: non es uti nos, leuis, instabilis, qui tam facile à proposito susceptoq; consilio discedimus, quam tu nescis unquam discedere. Noli eleuare criminis mei grauitatem, quam mihi sum conscius tantam esse, ut uerbis eam consequi nemo possit. Quum te immense Deus contemplor, in quem deliqui, ego ipse tam nefaria mea scelera exhorresco, & ad tuam magnitudinem illa referens nullas inuenio cogitatione pœnas, quibus expiari possint. Quod nisi tua mihi præsto esset clementia, desperarem posse tibi satisfieri, actum esse de me existimarem. Dicam tamen, non deriuandi criminis gratia, sed ut tu ipse scis rem se habere, qui nos finxisti. Miratur quispiam nos tam crebro, tam facile peccare? consideret ex quibus initijs in lucem prodijmus. Et miretur potius esse aliquem tam tibi charum, qui beneficio tuo possit & à parentum moribus & ab illis nostræ conflationis rudimentis degenerare, totam uitam sanctissime atque innocentissime traducens, nulla parte ab amussi, quod aiunt, deuians. Quis non miretur leones mites? quis non immanes oues? quis non lupum à grege manum continentem? quis non simplicem uulpem? mutas lucinias? uocales pisces? Vsque adeo ualent in unoquoque plurimum & ingenium & parentum mores, & educatio. At in nobis non modo parentes pleni sceleribus, sed ipsa etiam conceptio in flagitio. Ipsa nostri corporis massa quum corporatur, quum membratur, quum animatur, & quasi pinsitur, peccato maceratur, sicuti massa tritici aqua. Vt causatius miretur quispiam, nos aliud olere, aliud ex nobis reddere, aliud sapere, quàm prauitates, flagitia, facinora nefanda. Quis hæc non credat? quis ignoret? quum ipse tu dixeris, sensus cogitationesq; omnes humani cordis iam inde ab origine sua pronas in malum esse. Quo ex uerbo certum habeo nos apud te magna ex parte purgatos esse, quippe qui ingenio malo prauoq; nos omnes esse cognoscis, non educatos modo inter mala, sed factos, non institutos, sed imbutos. Neque enim illa prima originis nostræ peccata didicimus, sed accepimus, non fecimus ipsi, sed adhæserunt nobis, & saporem duximus nobiscum, quo infecta erat mulctra in quam mulcti, in qua coacti, in qua formati, ex qua iam absoluti in hanc lucem eiecti sumus. Idq; quanta cum miseria? quantis cum ærumnis? Quanto cum planctu affulsit & nobis & parenti nostræ natalis ille dies? Vt uere cognoscas conceptum fuisse in peccato, quem sic pœnas dantem pœnas dans parit ipsa mater. Transeo quanto infeliciter natum, infelicius educatur? quomodo uitam totam lõge infelicissimam agit? Et ut nihil sit homine admirabilius, ita nec miserabilius quicquam. Et dignum tamen ducis tantillum animalis, quod tecum uersetur. Vt pacta, ut fœdera cum illo sancias, ut promissa omnia præstes, quippe qui nihil magis diligis, quàm ueritatem, quum sis ipse tu ueritas. Vt illum doceas arcana sapientiæ tuæ, quæ mundus, quæ tota natura non capit, & stupet. Longum esset illa omnia percensere, quæ tu homines docuisti, quæ etiam si complecti uellem oratione, tam possem, quàm scire, quæ unusquisque hominum te doctore didicerit. Quod sane impossibile est, utpote immensum. Loquar tamen de me ipso, non mei iactandi gratia: quid enim hic conuenit minus? sed ut animum meum quomodo possum, tibi gratum ostendam, nec oblitum, quanto me sis honore dignatus. Quem decueris stupenda mysteria diuinitatis tuæ citra studium ac literaturam. Ad quæ immensis laboribus &

iugi

ſugi ſcholarum ſudore neaſpirare quidem poſſunt huius ſæculi ſapientes. At tu me ex abiectiſſimo rudiſſimoq; opilione & Regem tantum feciſti, & ſapientiſſimum prophetam, quippe cui oſtēderis, quòd ſis pater, quòd filius, quòd Spiritus ſanctus. Quod filius hic tuus Deus ipſe olim hominē induet, quem naſciturum meo ex ſemine mihi es pollicitus. Qui multis in uita innocentiſſima exercitus laboribus docebit humanum genus admiranda tuæ ſapientiæ ſecreta. Ac poſt ſummos cruciatus indigniſſimam feret mortem inſontiſſimus & ſanctiſſimus rerum omnium Rex, & Dominus. Cuius pientiſſimi cruoris effuſione & nos omnes è tenebris liberamur infernis, & reconciliabitur tibi ſummo omniū Deo inimicum genus humanū. Naſceturq; nouus quidem populus in noua eccleſia, nouaq; lege, multo purior, multo ſanctior, multo tibi gratior iſto duræ ceruicis atq; incircunſi cordis Iudæo. Te igitur ego ſummi patris filiꝫ te Deus futurus, & filius & Dominus meus, per carnem illam quam ex genere meo aſſumpturus es, oro & opto, miſerere canorum meorum, miſerere aui & ſeruí fortunis omnibus & capite periclitantis. Adſis ô agne immaculatiſſime, & tuo illo ſanguine futuro precio mundi, laua me, munda me abundè, uel una aſperſione illius, quo ſignatæ fores domunculæ meæ nihil paueant angelum percutientem. Idq; hyſſopo facies illo, quo ſine neq; apud nos neq; apud gentiles fiat ulla maxima expiatio. Intelligis quid loquar, qui meos omnes contueris cogitatus, nec me tamen continebo, quin faciam planius, quod uolo. Illo inquam hyſſopo, illo humili corpore tuo, quod uſq; ad probra, contumelias, calamitatesq; omnes uitæ propter nos deijcies. Illo quod inter petras apoſtolos tuos creſcet, adhærens tenaciter radicibus petræ diuinitati tuæ, in quam fundamenta iacies ſtabilis in perpetuum Eccleſiæ tuæ, à qua hyſſopum illud nunquam ulla ui diuelli poterit. Illo, quod fructus lectioni, maturos atq; tempeſtiuos in æſtate ſummæ charitatis facit, qui pectoris noſtri ſordes omnes repurgat, quas ſordes ex frigitate contraximus. Illo hyſſopo ſtomacho, inteſtinis, dentibus, auribus, toti capiti, toti homini ſalutari, quod hydropiſim aufert, lumbricos necat, liuorem mundat, colorem faciei noſtræ nitidiſſimum affert. Hoc me, oro, aſperge hyſſopo Domine tam ſaluberrimo, animæq; meæ poſtibus pauculis guttis tui ſanguinis conſecratis, totus mundabor. Immergam me inibi totum & in ſanguine lotus, nihilo minus tamen albior emergam ipſa niue. Nam ut nigrius nihil eſt anima ipſa, atra ſcelerum fuligine infecta, ita nec aliquid candidius eſt ipſa ſuæ puritati ſuo candori, ſuæ probitati reſtituta. Age igitur clementiſſime Deus, audiam ex te illud plenum gaudio, plenum immenſa lætitia uerbum: Remittuntur tibi peccata tua. Et ſurgam ex hoc cinere, exuam ſacrum & cilicium, ut eam tibi gratulatum. Tunc oſſa tunc intraria omnia mea perfundentur tanta lætitia, ut etiam exultent, quæ tu terrore, miniſq; concuſſiſti tuis, quæ attriuiſti, quæ penè comminuiſti. Ita ut etiamnum non dico tua præſentia, quam iſti omnes ſpiritus ſanctiſſimi miniſtri tui tremunt, ſed tuo ſolo nomine horrore miro concutiantur. Et ipſe quidem ego totus in ſolito tremore perturbor, quum magnitudinem iuſticiæ tuæ conſidero. Pudore ſummo, quum te arbitrum meorum ſcelerum, me non erubuiſſe ſuccurrit. Quàm ego beatus, ſi aut tanti ſper, dum peccabam, temporaneos ſumpſiſſes oculos carneos, hominum oculis ſimiles, qui craſſos parietes, qui denſas tenebras non penetraſſent, quos multa latere, multa præterfugere, multa fallere potuiſſent. Aut nunc oculos illos tuos acutiſſimos, uiuaciſſimos nunquam conniuentes, qui extantia, qui futura, qui præterita, qui poſſibilia omnia cernunt, nec poſſunt non cernere, à meis auerteres peccatis, & ea tanquam nunquam fuiſſent, futurá ue eſſent inter poſſibilia ſolum contuereris. Nam in eo cumulo parum ad rem attinerent. Sed quid ego? Abſit mi Domine, ut optem aliquam rem de tua magnitudine detrahi. Augeri potius uellem, ſi poſſet. Nec te, aut mea peccata, quum fiebant, non uidiſſe: aut nunc facta, non cernere optarem: ne aut non omnium eſſet tibi curæ, aut pœna carerem, qui culpa prorſus non careo. Sed quod inter cæteras meas moleſtias ea eſt una præcipua quòd tua mandata tranſgreſſus, læſerim maieſtatem tuam: & quòd ſisà me offenſus, à quo minime decuit. Hoc eſt, quod me angit: hoc eſt quod me ad laqueum impelleret, ſi non

tanta

tanta me docuisses,de clementia,de benignitate, de misericordia tua. Hæc est causa, cur paulò antè optabam ea,quæ forsitan ne loqui quidē fas est,ignosces insciti æ nostræ.Nam quum te uix ultra,quàm de nomine noscamus, tuas res admirabiles accōmodamus ad nostras,iactamus temere quàm plurima,& in cimmerijs tenebris etiam Andabatæ disserimus. Heu dementiam eorum, qui homuli ex argilla & luto ficti,de te tuisq; rebus admirande Deus, tanquam secretarij tui, nihil se nescire putant, nihil non audent temerarij affirmare. Quas præstat adorare silentio,quàm stulta loquacitate contaminare.Inuitus facio,ut tam multis uerbis apud te utar,qui me tacēte,quic quid dicere uelim intelligis:sed dandum est etiam aliquid coronæ, quod & tu iubes, quæ me non capiet,nisi aliquanta oratione,quæ sentio,fuero elocutus.Dicam igitur quàm potero rectissimis maximeq; proprijs uerbis, quæ fuerit satius optare, quæ te precari, quæ contendere supplicijs omnibus à te impetrare. Non potes non uidere scelera mea. At in me qui feci,ne animaduertas.Non potes non cōtueri,at ea tanquā non scelera contuere.Sint sane scelera nata, sed tanquam in aliam iam translata naturam,tanquam ea quæ quum fiebat,mali colore erant intincta,nunc colorem illum in alium commutarūt.Vultis hæc spectatores manifestius explicem?Vultis clarius uos cœlites audire?Nam tu mi Deus,etiam antequàm fari inciperem, me capiebas,ignosce tu mihi Domine,& ea peccata,quæ te prius offendebant, propter quod tam tetrū odorem spirabant,tam tristi erant colore, tam tartareum sapiebant gustū, non te post modum offendent,amittentq; saporem, colorem,odorē illos, quos habebant antea tam execrabiles & pestilentes.Aspicies tum quidem illa inter præterita,sed quemadmodum flagitia multorum,quibus iam nihil offenderis. Quæ effecisti, ne plus uiriū in authores suos haberent,quàm si facta nunquam fuissent. Itaq; non peto ut infecta facias,ut non aspicias,sed ne tu illis offendaris,& proinde ne noceant mihi. Hoc modo iniquitates omnes meas delebis. Non equidem ne fuerint, sed ne hoc impurissimo iniquitatum indumento uestiantur. Et ne cui uestrūm nimis dialectice loqui uidear,accommodabo meam orationem magis ad populares aures forēsemq; loquendi consuetudinem.Fuerunt quidem,fuerunt heu me illa flagitia mea,abierunt,nō extant.Petere modò ab hoc summo iudice,ne unquam fuerint,nescio an liceat? At spirant etiam num tartareum quendam odorem, quem ex se tanquam uestigium reliquerunt.Ille extat,ille hunc Deum,hunc iudicem benignissimum offendit. Hoc certe petere licet, ut tu omnipotens odorem illum teterrimum destruas, illum nihil esse facias:illum,si libet,fuisse facias,modò etiam facias nō esse. Sine quo nulla est uis peccati mei,nullæ sunt inter te & me inimicitiæ.Me miserum,quòd illa una est detestabilis causa èxitij mei,quòd illa una,quæ me fortunis omnibus,bonis,uita,me deniq; ipso spoliat, quæ omnia eo die amisi, quo tibi Deus inimicus factus sum: recepturus, quum primum me tibi reconciliaueris,creato in me corde quodam alio carneo pro hoc saxeo ferreoq;,quod à te potuit descisscere,alio blando,miti,benigno,obsequēti, pro hoc duro,ferino,reluctante,rebelli.Atq; utinam illud faceres ex alia massa,quàm ista est nostra,omnium peccato macerata,essetq; illa,& quæ posset satis dolere tātum delictum,& quæ nihil parēti suo Deo præferret unquam. Nam uis uerum,mi Deus, libere fatear, spero me pro tua erga nos patria benignitate,tibi reconciliatum iri, enitar:certum mihi est nihil aduersus tuas leges unquam committere,sed uereor,ne parum obsistere ualeam huius mei cordis prauissimo ingenio, parum eius facinorosos conatus retardare,flagitiosam naturam comprimere huius cordis,quod dedisti mihi ex genere illius terrestris Adæ,cuius sensus,mens,oculus,ardor animi,desiderata,optata,totum ingenium ab ortu originēq; sua,pessima quæq; spectant,& ad ea toto suo feruntur nisu.O si ex carne illa tui secundi hominis,mi fili,mi Deus,mi Domine, decisa particula quadam mihi corculum quoddā confingeres, nō me suo nutu,ut nunc meum hoc terrestre, ad infima deijceret,sed cœleste ad originem suam,ceu alæ quædam efferret. Nihil nisi altum saperem, nihil nisi cœleste, nisi planè tuum meditarer. Non uererer,ne impedimento mihi esset custodiæ iussorum tuorum. Haberem socium,haberem adiutorem,atq; adeò hortatorem,ac ducem sanctissimæ uitæ. O paraclete

raclete, quem ſpirant pater & filius, unus Deus, uterq; Deum eundẽ, quiq; illos nobis ſuppeditas ſpiritus, quo nil ſapimus non rectiſsimum, qui dictas nobis prophetis, quæ admiranda mortalibus uentura præcinimus. Cuius afflatus umbra gentes de ueriſsimo te Deo concipiunt mente, quæ non intelligentes attonitæ demirantur. Tu me nouo quodam recto ſpiritu obſecro affla, tu me noua quadam mente indue ſtabili, fixa, in uirtute ſanctitateq; confirmata ac roborata, quę nil unquam prẽter rectum, præter bonum cogitet, nunquã caſura. O mi fili, ô mi Domine, nihil nõ deſidero, non exopto. quoniã nulla re non careo, quæ equidẽ uere bona ſit, & egeo multis. Quàm uellem, ut Adæ reſtitueres hoc ſuum corpus, ex cuius ſemine ortum eſt, & tu mihi ex illo tuo, quod ex mea gente pollicitus es naſciturum, fingeres nouum quoddam, iſtudq; miraculum ageres prægrande, ut ex illo corpore mihi corpus circundares, cuius auos ſum ego generaturus, & eſſet mihi genus à poſteris meis. In quo eſſet cor rectum, in quo ſana illa & integra uiſcera, in quo ſpiritus mundi ſimplices, ſynceri, recti, ſtabiles, in quo diuina omnia. Quòd ſi minus tibi dignus uideor, in quẽ tantum beneficium conferas, at ſaltem etiam atq; etiam obſecro Domine, ut ne auferas à me quod ſemel tribuiſti, ne me nunc regem deſpicias et repudies, qui me iacẽtem, ſordidum opilionulum ad ſolium et regiam uſq; purpurã ſubleuaſti. Ne me à facie tua reijcias in faſtigio rerum humanarum conſtitutum, qui me tam benignè oues agentem contuitus & complexatus es. Ne dicas me tibi modò non placere, quem unum in tota gente noſtra dixiſti te inueniſſe ex animi tui ſentẽtia. Eheu quàm multo ſatius fuerat gregem paternum me inglorium, licet tibi tamen gratioſum perduxiſſe, quàm ad Iſraeliticum regnum euectum tam turpiter ex illo culmine inuiſum tibi deturbari. Si tu me reijcis, dic quæſo Domine, quò ibo, quò confugiam, ubi mihi uel minima ſalutis ſpes appareat? Iubes ne ut ad domum Saulis me conferam? quæ nunquam finem facit imprecandi mihi quicquid eſt malorum, quem uiolentum, prædonem, atque occupatorem nefarium ſui regni, ſuæq; poſſeſſionis nominat. Ad populum ne meum? qui me iam prouerbio raptorem ouis, occiſoremq; paſtoris appellat. Qui unus ſum illi in ganeis, tonſtrinis, tabernis omnibus atq; conuenticulis fabularum argumentũ. Qui tantum abeſt ut mihi benefaceret, ut te mihi benefacere iniquum & exiſtimet, & clamet. At confugiam ad regem aliquem uicinum? quis tandem eſt, quem te imperante bello grauiſsimo non laceſsierim? Hanc ipſam occaſionem iam olim inimici omnes expectant mei, ut abs te excludar & abijciar. Quàm ſimul ac primum reſciuerint, frementes furentesq; in me irruent, exiſtimantes fore nullũ, qui me tutari, qui me ex manibus eripere ſuis poſsit. Ne obſecro Domine, tam mecum agas crudeliter, ut à facie tua in qua una eſt mihi refugium & ſalus, me ſupplicem atq; abiectum reijcias. Ne primus ego experiar quanta infelicitas ſit, aditũ ad faciem tuam præcludi uenienti. Quem enim auerſatus, quem aſpernatus unquam es? qui ad te toto animo, tanquam ad unam ſummamq; ſpem ſalutis, ex multis caſibus & calamitatibus ſeſe conferret. Recordare te, oro Domine, illius feliciſsimi temporis, quum me unum tibi placere profitebaris: quum citra ſcholas & humanos præceptores docebas me tam admiranda tuæ diuinitatis arcana: quum mecum tam amicè colloquebaris: quum mihi tanta pollicebaris, quanta uel optare uix ſani hominis eſſet: quum carminibus illis, quę mihi dictabas: quum mea cythara tam te aiebas oblectari: quum nihil non placebat, non quàm maximè uoluptati erat tibi, quod meum eſſet, cuiuſmodi amicorum omnia amicis eſſe ſolent: quum unus ego eram delitiæ tuæ: quũ mihi tum putaſſem nocituram unquam infelicitatis procellam, quàm exiſtimaſſem tantam fore uim, quæ me ab arctiſsima illa diuellere ualuiſſet amicitia? Quoties illa intra me tacitus cogitaui? in perpetuum ab hac tanta felicitate non dimouebor. Felicior ſum quàm uel intelligere, uel credere poſsint, qui me uident. En regnum tam ſublime, tam proſperum: en imperium tam amplum, tam forte. Hoſtes pauci atque imbecilles. Intus foriſq; feſta pax. En ego propheta unus omniũ ſapiẽtiſsimus, quiq; plura uiderit Deo mõſtrante. En ego apud Deum longè gratioſiſsimus, amicum, integrum, candidum, ſtabilem, firmum, qui nunquam mutatur. Quid ad hanc tantam

felicitatem uel cogitatione addi poteſt? O ſpes fallaces,ô inanes cogitationes,& con tentiones peccantium. O gaudia ſceleratis inſtabilia. Nunc ego bonis illis omnibus ſpoliatus,non de fortunarum iactura,non de maxima diminutione illius cumuli feli citatis, ſed de uita, de anima ſollicitus extrema perhorreſco malorum.Ne qui tibi eſ- ſe ſolebam familiariſsimus,à facie tua reijciar,indignumq; ducas qui tecum redeam in gratiam,ne ue ſpiritum illum ſanctum tuum illam uiarum mearum magiſtram tui luminis lucernam auferas à me, rraditumq; in reprobum ſenſum relinquas occæca- tum in perpetuis tenebris. Ne Domine,ne tantum aduerſum me odium exerce, ut extincto illo,quod mihi dediſti lumen,nequeam in uijs tuis ambulare,ne aufer à me obſecro ducem illum meorum omnium operum bonorum ſpiritum tuum. Heu ſi feceris,ad quid tandem me de matris utero eduxiſti? Ad quid me ſuſcepit egredien tem aura uitalis? quin ego potius natali die uterum cum ſepulchro cõmutaui? Nón- ne fuerat melius, aut non naſci, aut aboleri quàm citiſsime, quàm orbatum lumine, ſine duce,inter tot miſerias uitæ,inter exitiales uoragines ſolũ deſtitui? Quanta pre- mit cor meum cura? quanta anxietas? quàm omnes ſpiritus aciemq; meorum ocu- lorum obſcurat grauis ex mœrore atra bilis,& tam triſtis harum rerum cogitatio mi- ſerè urit,coquitq; animum,ſpiritum,cor meum, ut ne momento quidem liceat mihi reſpirare, compreſſo anguſtiſsimo mœrore, & conſternato pauore confuſiſsimo, abiecerimq; animum in tam uehementiſsima triſticia, dormitaritq; anima mea præ tædio immemor omnino ſui? Vbi nunc illa eſt alacritas,mea illa lætitia, in qua toties exultaui, de Chriſto tuo,meo generi promiſſo? Vbi de ipſo plenæ ſapientia, plenæ gaudio cantiones? Redde mihi,obſecro Domine,alacritatem & lætitiã illam ipſius, in quo uno Iudæorum & gentium omnium ſalus futura eſt.Redeant cantus,redeant uiſiones,prȩcinamus ut ſoliti ſumus,hominibus uentura,ſpirituq; illo tuo generoſo, forti,potenti,cui nihil reſiſtere poteſt:confirma me,ita ut ad optimam illam priorem frugem redeam, nec putreſcam unquam,ſed ſpiritu tuo tanquam cedro & balſamo oblitus,integritate ſuauiſsima perdurem.Te non offendam odore tetro, ſimq; ſocijs meis mortalibus gratiſsimus, pariter & utiliſsimus. Qui cum fraganti odore ducti acceſſerint,dulciſsima ego uoce modulabor illis mirabilia ſapientiæ & bonitatis tuę, quæ mihi monſtraueris. Quantus tu es, quàm immenſus, omnipotens, generiq; no- ſtro ſalutaris? quanta mecum te geſſeris clementia? quónam modo maior nulla ſit ſtultitia, quàm ueniam ſceleris ſui quenquam deplorare, quàm ingens miſeran- dumq; malum à te diſcedere, quàm inæſtimabile bonum tibi amicum eſſe.Nemini non patêre aditum ad tuam amicitiam. Nullos apud te magnos eſſe præter bonos, nullos paruos præter malos, in quorum etiam manu eſt, ad te redire, quum uolue- rint. Redire autem quàmprimum,longe præſtare, atque adeò expedire. Neminem tam crudelem eſſe, tam inhumanum, tam alterius hoſtem, qui ſi ſciret, quantum ma lum ſit inimicum eſſe tibi, non maximè miſereretur illius,qui in eiuſmodi triſtiſsima conditione eſſet, qui non eum hortaretur, iuuaret, conaretur uijs modisq; omni- bus, ut quàmprimum à tanta miſeria ſeſe extricaret:ſiquidem tam cito id licet, quàm libet, quàm ſaltem uera pœnitentia ducti,implicitos ſe fuiſſe dolent,explicari ſuppli citer petunt. His atque alijs eiuſmodi docebo iniquos uias tuas. Nec uerò in caſſum ſcio me docturum,non ſurdis canam,expertus ſum quantus ſit rex in populo aut er- roris magiſter, aut bene uiuendi. Nam qualiſcunque is eſt,talis & tota continuo ci- uitas efficitur. Is enim unus exemplo ſuo bonos fere omnes reddit,quum bonus eſt: aut malos, quod facilius frequentiusq; eſt,quum eſt malus.Scio quàm grauiter delin quant principes mali, uel hoc præcipuè nomine, quòd ipſis magiſtris diſcunt tam multi male facere.Nec ſolùm principes uicia concipiunt ipſi,ſed ea infundunt in ciui tatem:neque obſunt modò,quod illi ipſi corrumpuntur,ſed quod etiam corrumpũt, plusq; exemplo quàm peccato nocent.Ita ſi ego docuero,habebit plus energię mini mum meum uerbum,quàm totæ prophetarum et ſapientum orationes,longiſsimiq; clamores. Quid quòd etiam ſi tacuero, ſola mei imitatione plurimos reddidero bo- nos,ſi bene uixero. Locaſti enim principes in eminentiſsimis conſpicuiſq; locis, ad

cuius

cuius mores, suos quoque multitudo ipsa componit. Nec si edicta omnia hominum sensus inflectere possunt, ut regentis uita. Mutatur enim semper, ut choræa cum musicorum cãtibus, ita cum suo principe mobile uulgus. Qui princeps aut tanto totius orbis bono sapit, aut tanto malo insanit. Hæc erit igitur utilitas mei reconciliati, uteris me Deus optimè, posteaquàm mihi peperceris, certè non minore præcone rerum tuarum, non minore institutore plebis tuæ, quàm quouis alio propheta. Redibo ad pristinam illam tibi gratissimam uitam, & quum uerbis meis, tum exemplo mei prouocati atque inuitati impij, tum uel maximè facilitate, benignitate, misericordia tua ad te cõuertentur. Tuæ igitur partes erunt, mi Domine, mihi parcere, ueniam tribuere meis tam nefandis delictis, abluere me totum aspersum humano cruore, quem fudi. Meæ uerò postmodum & uerbis, & regia uita docere, quónam modo in uijs tuis ambulandum sit, quomodo ex auijs ad illas redeundum, ne malè pereant errantes. Tum accepta cithara, & modulatis meis carminibus cantans, sublime feram ad syderа iustitiam hanc tuam huius fori, adeò temperatam, adeò coniunctã, & indiuiduam, sociamq; clementiæ, ut & tum clementissimè iudices, quum seueríssimè: & à iustitia non discedas, quum uteris clementia. Ita ut quum nusquam nec maior nec uerior sit iustitia, quàm in hoc foro, nunquam tamen hic iudicatum sit sine summa clementia & misericordia, nunquam pronunciatum summo iure quicquam, nunquam parcitum alicui, nisi longe iustissime, nunquam damnatus discesserit quispiam cum quo clementissime non sit actum. Hanc igitur tam clementem iusticiam, hanc tam iustam clementiam misericordiamq; cantabit lingua mea, & quantum poterit uoce contendet, ut quicquid usquam est, atque ausim pelliceri, quicquid usquam erit populi tui exaudiat. Cæterùm nisi & me ab hac tam atroci fœdaq; cæde fortissimi atque innocentissimi uiri, ab his sanguinibus quibus sum pollutus & inquinatus tuo pijssimo sanguine laueris, nisi os mutũ aperueris, non ausim aliquid de tuis laudibus prædicare. Quippe scio solos rectos decere collaudationem, & dulcissimum plenumq; oblectationis esse tibi carmen tuarum rerum ex ore iustorum: scio munda non debere attrectari, nisi à mundis. Album pannum contingere non audent, nisi qui prius manus lauerint, ne quid sordium hæreat nitori, & tuas purissimas, tuas candidissimas laudes illotus & sordidus contrectabo, & contaminabo potius? Absit. Nam & horreo uehementer illam disquisitionem, illud acre iudiciũ tuum, illam increpationem, illam comminitantem castigationem peccatoris. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu uerò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Os tuum abundabat malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Quis tam ferreus, quem hæc tua uerba non moueant? quis tam temerarius & pertinax, quem non arceant, ne laudes tuas impia mente conquirat? uiolatis oculis legat, inquinata lingua proferat, contaminatis & impuris manibus attrectet. Ita Domine ut ad priores redeam mores, & redeant cantus illi quàm suauissimi. Ignosce flagitijs meis, aperi labia mea carminibus tuarum rerum, iam propter mea scelera desueta, qui illa eadem rudia & insueta prorsus tam mire aperuisti ac docuisti. En me ad pedes tuæ maiestatis prouolutum, supplicem tuæ misericordiæ, seruum potestatis. En sacrificium tibi longè gratissimum, cor peccatoris contritum atque deiectum. Vt eum pœniteat qui peccauit, non credo te posse melius placari alio sacrificio, quàm meipso, qui deliqui. Nam si sanguine taurorum aut uitulorum placareris, si facinora mea cruore pecorum abluí atq; expiari possent, per millia ante tuas aras cecidissent, replesset fumus, replesset nidor non urbem solam Hierosolymam, sed Iudæam uniuersam continuis multorum dierum uictimarum sacrificijs, quoad nullum superfuisset pecus in tota Palestina, in tota Syria. Cæterùm noui parum ad rem facere cruorem, & corpora cæsa pecorum, quæ nihil commerita sunt, quum is interim qui commeritus est, spectet ridens atque securus. Quare meipsum offero hostiam pro peccato meo, ut is lugeat qui peccauit, ne de alieno corio ludat, sed ut peccare metuat, qui sciat de suo corio se pœnas daturum. Atque illud demum sacrificium est, quod scio te non despicere, ut cor præfractum & æneum, quod potuit discedere à te, redeat ad

te contritum,mollitum,carneum mœrens,quòd à te parente ſuo defecerit,ad diabolum capitalem hoſtem generis noſtri. Habes clementiſsime iudex confitentẽ reum, pœnitentẽ, humilem, demiſſum, ſordidatũ, opertũ ſacco,oppletũ cinere,ieiunantẽ, affligentẽ ſeſe, ſtratum,abiectum,ſupplicem,ad pedes tuos prouolutũ, ad tua genua porrigentẽ, optime pater:has olim tuę uoluntatis,nuper flagitiorũ miniſtras manus, petentem ſcelerum ſuorum ueniam, quod eſt tibi longè gratiſsimũ ſacrificium. Per iſtud oro Domine, ignoſcas mihi:per filij tui ſanguinem te obſecro, ut me illo ipſo aſpergas, illo laues:ne me à facie tua abſterreas & excludas. Reſpice,precor,& tu fili canos aui tui. Reſpice meam ſenectutẽ,cuius tibi iuuenta tam grata fuit,cuius uox tibi iucundiſsima hominibus, tam multa de te prædixit:cuius manſuetudine nihil tibi erat inter mortales acceptibilius: cuius cithara cantuq́ nihil ſuauius: cuius omnes deliciæ, omnia ſolatia caſuum, curarũ leuamenta in tui cogitatione ſemper fuerunt. Quando uenturus? quomodo uicturus? quàm multa mirabilia acturus? quàm immania paſſurus innocens tormenta? quomodo redempturus nos omnes eſſes? Miſerere obſecro auitæ ſenectutis, miſerere ſimplicitatis meæ. Valeat apud te præteritæ amicitiæ aliqua recordatio. Quæ amicitia ſi dulcis aliquando uiſa eſt,ut aiebas,ignoſce mihi, & redeamus ad eam. Redde mihi integros, ſanctos, ſimplices, ſapientiſsimos illos tuos ſpiritus: reſtitue mihi tui lætitiam. Nihil nouum nunc à te peto,nõ fortiſsimos exercitus,non uictorias gloriæ plenas,non regna,non immenſas opes. Hæc mihi,hæc tum dabas quum eram ego deliciæ tuæ, nunc unicam ſalutem meam peto. Erraui benigniſsime Deus, temere feci clementiſsime pater, pœnitet: ad miſericordiam tuam,delicti ueniam peto,ut ignoſcas oro. Si pauci impetrarunt, arroganter peto,ſi omnes quotquot petierunt,tu idem fer opem,qui ſpem dediſti. Quod unum ſi dederis,quo nil facilius,nil libentius facere ſoles,abundè omnia mihi à te tributa eximabo. Age igitur,clemẽtiſsime Deus,age benigne cum Sion, nec caſſa ſit promiſſio illa tua de templi ædificatione, deq́ incremento & murorum & urbis huius Hieroſolymæ typi atque imaginis tuæ illius maioris & melioris Hieruſalem: cuius templum licet ex lapidibus & cæmentis huius,extra hanc tamen paruam ueterem ſynagogam ædificabitur,in area hominis Iebuzei,id eſt populi gentilis,quum incipiet regnum filij mei regis pacis in placidiſsima pace illa inſolita,quam mirabitur orbis,in tranquillitate illa incredibili,quæ tot ſæuas tempeſtates ſequetur,initio temporis feliciſsimi,quum incipient ſæcula noua,& mundi melioris origo. Conſtruentur muri huius Hieroſolymæ ſuper calcem & harenam ex mortuis lapidibus: at illius tuæ ſupra tuam,ſeu potius ſupra te petram,ex uiuis lapidibus & ſaxo quadrato. Tum uerè in illius templo acceptabis illud iuſticię ſacrificium,nunquam non tibi multo gratiſſimum corporis huius filij tui,precij,quo uenditus ſeruusq́ mundus redimẽdus eſt, aſſerendusq́ eſt in libertatem. Illic erunt tibi ſummæ iucunditati oblationes, non ex nidore pecorum, ſed ex mentibus ſynceriſsimis atq́ ſanctiſsimis, in quibus unis eſt tota religio,tota pietas. Oblectaberis holocauſtis illis,animis prorſus ardẽtibus igne illo charitatis,ad quem orbi immittendum chariſsimus filius tuus, & ſi hoc tibi placet,meus ad nos deſcendet: qui tam accendet uiuas illas hoſtias,animos noſtros,ut nihil crudum,nihil non maximè toſtum & redactum in cineres relinquat. Quis referat quàm ille tibi placeat nidor,quanto ſit tui uerior ille cultus,quàm pecorum mortes,quàm perpetua cruoris beſtiarum aſperſio,quàm (ut uno dicam uerbo) animalium laniena. In illo tuo ſanctiore templo uituli offerentur multi, ſed longè præſtantiores quàm iſti noſtri:ille in primis rufus,cuius ſanguine ſemper litabitur,fieriq́ ueriſsimæ peccatorum omnium expiationes,ſummus ſacerdos ſua ſponte oblatus neci,ut nos omnes à nece ſubripiat,fugetq́ mortem morte ſua. Cuius uituli,cuius agni, & (ut ſine translatione loquar) cuius θεανθρώπου filij tui morte nullum tibi oblatũ eſt, nullum offeretur unquam gratius ſacrificium,nullum maioris uirtutis. Imitabuntur & huius præceptoris exitum alia multa uitulorum millia, qui uituli ad aras non tracti,non ducti,ſed ultro uenient, non claudicantes, aut lento gradu, ſed currentes atque alacres,exiſtimantes agi ſecum præclarè,quòd ex ſe fiat tibi ſumme Deus ſacrificium.

ficium. O templum, ô pacis ſæcula feliciſsima, ô noua Hieruſalem demiſſa de cœlo, excitata atq; conſtructa ab optimo illo architecto ſponſo tuo, ornata diuitijs & opibus inauditis, incredibilibus. O pompæ, ô triumphi tam uictricis ciuitatis, quæ tot exercitus, tot imperatores ex te ad dulce bellum dimittis, quot milites. Bellũ inquam contra naturam reliquorum expertis, dulcius quàm inexpertis, in quo certa uictoria, ſi quidem minimo negocio pugnatur, & uincitur. O qui me ad illa uſq; tempora reſeruaret? Viderem ego ſemel gloriam, uictorias, pacem, atq; ocium illius ciuitatis: uiderem magiſtratus, conſilia, ſtatum reipublicæ populi gentium Domini. Viderem ſacrificia & cæremonias illius templi, et poſtmodũ æquo animo, atq; adeò libenti, plenus gaudij, ſecuritatis gratias agens ad mortẽ irem. Quid loquar ego de tertia Hieroſolyma illa quæ ſemper fuit eritq; in cœlis ſæculis infinitis, ad quam itur per hanc, de qua modò dicebam, O uoces, ô ſermones, ô linguæ omnes & hominum & angelorum? Quibus ego uerbis, qua oratione uti poſſem, uel de illius ueſtibulo dicturus? Nam quæ intus ſunt bona, nec uidit oculus humanus, nec auris unquã audiuit, nec in cogitationes ullas uenerunt, parata omnia iam inde ab æterno feliciſsimis illis, qui te Deus amantes metuent, & metuentes amabunt. Hic tu me principem in terra, hic me tu regem, hic ſupremum eſſe uoluiſti. O ſi me in ciuitatem illam aſcriberes: non regem, non magiſtratum, non ex primoribus, nõ ex nobilitate, ſed plebeium ciuem, ſed capite cenſum, proletarium, inglorium, in turba proſtremũ & infimum, agentem in angulo quopiam, quamlibet ignobili, æterna cum quiete, gaudio, & abſoluta felicitate uitam immortalem.

PRÆFATIO AD GVLIELMVM CROIVM CARDINALEM, EPISCOPVM CAMERACENSEM.

CAMERACI cum eſſem, mi ſuauiſsime Patrone, eo ieiunio, quod uocamus quadrageſimale, et noctu cõcluſus domi, prẽter Gallicũ quẽdam librum nihil (quod animum leuaret) haberẽ, decreui, quatenus mihi nihil mihi erat alieni fœtus, quo oblectarer, ego mihi ipſi aliquid párere. Septem pœnitentiæ pſalmos recitabam frequenter, & delectabar in primis ipſo quinto: eum aggreſſus ſum ludi cuiuſdam uice interpretari. Eo animo, ut ſi proceſsiſſet, forſitan modò per occupationes liceret, perſequerer: ſin minus, in ocio ſaltẽ honeſto & ſancto, horas illas collocaſſem. Placuit prima pagella, & ductus magnorum uirorum exemplo unum ſeiunctum ab alijs omnibus pſalmum interpretatus ſum, in quo nec omnia dixi quæ potuiſſem. Nam ſi ducente orationis filo ſcripſiſſem, uolumẽ in immenſum excreuiſſet. Res enim eſt ipſa Chriſtiana religio, ſunt ſacræ literæ, tam undiq; ſibi conſonæ, tam concolores, tam ex omni ſui parte aptæ atq; connexæ, ut ſi de aliquo ipſarum loco ſermonem incipias, tanquam ſi caput perpetui traxeris fili, totæ ultro ſequantur. Satis mihi fuit uelut capita quædam præcidere, & periclitari ſtylum in eo ſcribendi genere, cui nos aliquando totos ſumus tradituri. Tum ſi fauerit uoluntas diuina, ſine qua ne unum quidem uerbum loqui de his poſſemus, tendemus uela, et credemus nos latiori pelago. Neq; uerò ſum aliquem eorum qui de hac ipſa re ſcripſerunt æmulatus, quippe qui nullum uiderim, & forſitan longè ab illis diuerſum ſectatus ſum iter. Nemo mihi hanc obrem ſuccenſeat, qui ſciat tam latos, tam ſpatioſos eſſe campos ſacrarum litterarum, & perinde tam multiuios, tam fertiles etiam agros, tam uberes fundos, ut ubiq; uarij flores naſcantur, uarij accipiantur fructus, hinc interpretes tot, & ſenſa tot, neq; tamen reprehendenda. Spiritus enim eſt intelligentiæ ſanctus, unicus & multiplex. Qui uerò me interpretem aut ſterilem, aut aliqua mei parte parum copioſum contempſerit, meminerit ſe in ocio ſtipatum libris hæc dicere, & ſe unum multorum ſcriptis atque inuentis fertilem eſſe, me uerò & negocioſum, & ſine libris, parum etiam adhuc uer-

ſatum in commentarijs ſacrarum literarum, ſub ſecundarijs & pauculis quibuſdam horis hæc lucubraſſe. Quòd ſi neq; hæc ualere poteſt apud eum excuſatio, damnet ſanè diligentiam atq; opus, modò pium probet inſtitutum. Debetur hic tibi, qualiſcunque tandem eſt fœtus, mi Patrone: tum quòd ego ipſe, qui illum peperi, tuus planè ſum: tum quòd in ſolo tuo natum, Cæſareo iure tu tibi uendicare potes. Reddo ego tibi, ut quod boni uiri eſt, debitum bona fide ſoluam.

MEDITATIO QVINTA IN HVNC PSALMVM CI.

DOMINE, exaudi orationem meam: & clamor meus ad te ueniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunq; die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunq; die inuocauero te, uelociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus, dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A uoce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nicticorax in domicilio.

Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer, ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans allíſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Tu exurgens, Domine, miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia uenit tempus.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificauit Dominus Sion, & uidebitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.

Scribantur hęc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominũ.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Vt audiet gemitus compeditorum, ut ſolueret filios interemptorum.

Vt annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hieruſalem.

In conueniendo populos in unum, & Reges ut ſeruiant Domino.

Reſpondit ei in uia uirtutis ſuæ, Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.

Initiò, tu Domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum, ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes, ſicut ueſtimentum ueteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem ipſe idem es, & anni tui non deficient.

Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

FACTVRO

EACTVRO uel ad concionem uel iudicem aliquẽ uerba, profanus iubet orator,ut auditorem exordio & conciliet ſibi,& reddat futuræ attentũ orationi.Fruſtra enim alioqui conetur,fruſtra multa dicat & clamet, aut inauditus,aut non intellectus,aut certe non perſuaſurus.Ingerit ſe tum ille mo dulata oratione,& pollicitus de rebus ſummis, de nouis, de admirabilibus,de cõmodis ſeu reipub. ſeu rei familiaris uniuſcuiuſq; ſe diſſerturum,detinet rudem plebeculam, detinet ſollicitum iudicem de ore pendentem ſuo: deinde comminiſcitur,aut commemorat uera multa uel ſuorum uel ſua in populum aut iudicem beneficia. Docet in ijs unis ſpem ſe repoſitam habere rerum ſuarum. Queritur miſerũ, imbecillẽ, circumuentum à potentioribus, bonum atq; fortem obiectũ inuidiæ improborum, & alia in eum modũ penè innumera.Quibus continuò flectitur animos audientium, & parat ſequenti orationi,quales optat. Dicturo noſtro ſancto prophetæ ad deſignatum iudicem uiuorũ & mortuorũ,parũ eſſet tota oratio profutura,niſi et aures prębe ret iudex,& benignior quæ ille petit perſuaſus concederet. Hic tamẽ longè aliud eſt artificiũ,quàm in prophana dictione ſeruandũ.Non hic iudex res ſummas aut nouas admiratur,cui antiquiſsimo nihil nouũ,cui maximo nihil magnũ, cui rerũ omniũ architecto nihil admirabile.Non hunc iudicẽ flectunt lenocinia illa,quę homines.Preces hic ſolæ proſunt,precibus audit,precibus flectitur,precibus eum aggrediẽ Pſalmiſtes:Domine exaudi orationẽ meã,et clamor precũ mearũ ad te ueniat:neq; ſolum ut orationẽ audias meã obſecro,uerùm etiã ut exorere,ut efficias quę peto per ipſam. Eſto mihi benignus,eſto cõciliatus,dilige me,neq; à me tanq; ab exoſo diuertas aliò faciẽ tuã.Non curat,nõ aſpicit,quæ quis cõtemnit aut odit,præſertim quũ minor eſt qui habeẽ odio.Mirũ enim q; is tum uileſcat:defixo tamẽ oculo atq; aſpectu intuetur quæ diligit.Illuc enim feruntur oculi quò amor aſpexit:ita Deus ad Abelem, utpote ad gratioſum,& ad munera eius. Non aſpexit ad Caim,quippe quẽ minus diligebat, nec ad munera ipſius.Hæc deducta ſimilitudo ab affectibus noſtris,qui motu faciei, qui uultu,qui oculis maximè, aſpectuq; ipſo quæ animo intrinſecus gerimus, exprimimus,indicamusq; ac declaramus.Munera ſibi non grata offerentẽ minus charũ & uilem non aſpicit Deus:ab ijs auertit faciẽ ſuã,uti & à precibus eorũ aures. Idcirco ne in caſſum clamet Pſalmiſta principio ſuæ orationis tam uehementis,ut ſit uerſa in clamorem,petit in quacunq; die angatur,afficiat aduerſis,inclinari ad ſe aurem Dei. In die calamitatis eſt refugiũ ad unũ Deum, qui eam affert, & auferre ſolus poteſt in eo die quo plus ad Dominũ clamaturus eſt:precatur,aures ut ſibi porrigat ſecundas.Et ne oſtenderet ſolum ſe eo die Domino indigere,neque eo ſolum ad Dominum preces dirigere, etiam in quocunq; alio inuocauerit,Dominum orat ut ſine mora exaudiatur. Nam in die malorum precamur,ut illinc auferamur, ducamur ad bona:in die uerò bonorum deprecamur,ne illinc auferamur,neque retrahamur ad mala. Hactenus exordium eſt conſequentis orationis, qua oſtenditur humanæ breuitas uitæ,& diuinæ æternitatis ſtupenda duratio, tranſitusq; eſt ad proximam continuatamq; dictionẽ, ex eo quod dixit, Velociter exaudi me. Nam ni quàm celerrime accurreris, parum proderit paulò pòſt ferre ſuppetias. Dies enim noſtri uelut fumus defecerũt. Dies humani fumi ſpeciem præ ſe ferunt,qui ab igne egrediens tenui aura diſſoluitur, exiſtit paulùm,& ſenſim diſgregatur,ut ſi aduerteris oculos, uideas paulatim euaneſcere:ſi auerteris,&mox requiras,mireris,quò tam celeriter aufugerit? Dies hominum igneo ſtomachi calore fouentur, fumus ſunt,qui prodeunt ab eo,cuius breue alioqui tempus mirum quàm fugax extrema ſua præcipitet, Et fugiant freno nullo morante dies: ut ait quidam poeta. Omnis enim nos hora per tacitos fallentesq; curſus applicat fato,& in hac turpiſsima perpetuitatis cogitatione diſtricti, per exigua feſtinantis æui momenta præmorimur.Dies itaque noſtros ſi abeuntes conſideres, mireris tam alatis uolare pedibus. Si prætergreſſos requiras, doleas tam alatiſsimis auolaſſe. Nam præterquàm quod eſt omnibus breue tempus uitæ, eſt etiam irreparabile.Percutiuntur dies noſtri tanquam fœnum à meſſore, & quod pauculis creuerat menſibus,id totum breuiſsima deciditur horula. Quàm planè omnis caro

fœnum eſt,et omnis gloria eius quaſi flos campi.Hominem ſanctus ille patiens,flori comparauit.Non enim cuiuſquam rei inueniri poteſt breuior ætas. Nanq; dum immaturum exterior alligat cortex, nondum dixeris florem,paulatim deinde uiuidiore ſucco tumeſcit uterus,& albentes accipit rimas,necdum tamen flos eſt. At quum ſe ruptis iam tunicis in patulum capita fuderunt,et uelut fixa in orbem,iamq; eorum uidetur maturitas,& ignotus occaſus eſt. Etiam ſine uentis quoq; ſoluta natura,labitur gratia floris,qui aurora pulcherrimus naſcens, accedẽte ſole exiccatur, occiditq; abſorpto humore.Sic & cor noſtrum areſcit, ſic & oſſa medullis exiccatis tanquam phrygium & titio quidam fiunt. Sed attentius de peccatore conſideremus hæc dici, qui toto uitæ tempore nihil aliud neque cogitans, neq; agens præter uanitatem, tranſigit dies ſuos ſine liquore ullo diuinæ charitatis. Atqui ſanctus Iobus ait,Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi,et uiſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.Iuſtus enim non tam uiuit uita,quàm miſericordia, quàm fide. Non tam alitur pane, quàm uiſitatione,quàm omni uerbo progreſſo ab ore Dei.Hic uerus eſt panis,qui plus ſatiat,quàm ille ſaturat. Conſcelerato itaq; homini aruerũt oſſa et cremij,lignĩ ue exiccatiſsimi ſimilia reddita ſunt:quia nullus inerat nẽ ue bonorum operum,nẽ ue miſericordiæ liquor.Aruit cor & induruit,quia non erat in eo dulcis roridaq; Domini uiſitatio.Et ipſe peccator oblitus erat uerum panem comedere,idcirco nõ uiuebat,ſed uidebatur hebetibus oculis uiuere,ſepulchri ſimilis,culta extrinſecus,nitidaq; cute, aridus putridusq; intrinſecus. Quin etiam terrena iſta ſitienti atque ſuſpiranti curis cordis ædacibus atq; furijs agitato,marcidæ carni adhæſit os ſiccum. Arefacto enim pinguiuſculo humore macræ uiſcoſioriq; carni adhæret os, quod equidem contingit,cum anhelans flagitioſus,exardensq; deſyderio mundanæ,aut oculorum,aut carnis concupiſcentiæ atq; libidinis, aut ſuperbiæ uitæ,non quiete ſumit cibum,nõ dulces accipit ſomnos,non ſinit eſcam intus concoqui,macreſcit,liuidoq; colore eſt,fœtusq; ueneno æſtuat, atq; aliena oculis bona limat acutis,turbatus atq; anhelus ueſtigat opes,ueſtigat delicias,ueſtigat honores & inanem quandam populi auram. Horum eſt cor quaſi mare feruens,quod quieſcere non poteſt: horum, eſt illa uox, Laſſati ſumus in uia iniquitatis: hic gemit, ſuſpiratq;, uana edoctus à populo, magno erroris magiſtro, qui iſthæc tanquã præclara atq; admirabilia ſuſpicit:hinc etiam impio oſſeus uigor,oſſea uirtus carnis delicijs prorſus affixa ſunt. At uerò iam conuerſus per pœnitentiam,amarumq; dolorem noſter peccator, quónam modo inter improbos ſe gerat, quidq; agat oſtendit, attingitq; triplicem diei partem, & operto ac miro artificio indicat quid interdiu in luce,quid in ſero ad ipſum crepuſculum,quid noctu in tenebris agat. De die itaque hominum fugiens conſortia per latos campos ſolus,perq; auia rura recogitãs Domino annos ſuos in lachrymis,planctu, amarore animæ ſuæ,ſit ſimilis pellicano auí ſoliuagæ,luctuoſæ,querulæ,gemebũdæ. Ad ueſperũ autem regreſſus domũ,illic uiſitur tanquã nicticorax,hora inter lucem & tenebras dubia:tunc ingreſſus conſpicitur, tunc nonnulla canit hominibus,triſti licet atq; lamentanti uoce:tunc ea, quibus infirma humanitas indiget, diſponit atq; conſtituit: ſed mox in penitiſsimum cubiculum ſecedens à cõmercio & conſortio gentium abducẽs ſecum uxorẽ,paruosq; liberos quos inſtituat,uigilat,& ſit quaſi paſſer à uicinis ſocijsq; noctu ſegregatus in nido ſola cum cõiuge paruisq; pullis. Hæc erat cauſa cur bonus ipſe nullũ ferè uerũ haberet amicũ,quòd longè pauciſsimi ſint boni, inter quos ſolos uera eſt amicitia. Maximum enim eſt in ea uinculũ, morum ſimilitudo bonorũ. Oderunt hilarem triſtes,triſtemq; iocoſi, Sedatum celeres agilem,nanumq; remiſsi. Ita hominum pars aperti erant eius inimici,pars adulatores fictiq; amici. Illi exprobrabant quæcunq; ageret: hi aduerſus eum conſpirabant coniurabantq;.Apertis inimicis nullus eſt cõiurandi locus, quippe cauemus illos:ſimulatis amicis et familiaribus,ipſis denicq; ciuibus opportunitas adeſt cõiurandi:non cõiurabant Pontici aduerſus Romanos,nõ Parthi,aut Indi:cõiurabat Piſo,cõiurabant Lentulus,Cethegus,et Catilina,& denicq; peſtilẽtiſsimi inimici hominis domeſtici eius. Neq; uerò aliã ob cauſã cõiurabant aduerſus hunc noſtrũ pœnitentẽ,niſi quia fiebat

bonus,

bonus,quia uiam ipſorum relinquebat,quia cinerem amarum pœnitentiæ,& ipſum panem manducabat ſubcinericium. In cuius fortitudine ambulauit Helias quadraginta dies, & totidem noctes uſq; ad montem Domini Oreb, itidem & quia potum ſuum lachrymis aſpergebat diluebatq;,memor aſsiduus malæ actæ uitæ,& metuens iram indignationis domini. Quippe qui eleuans peccatores ac omni honore, copia, gloria ſublimans, poſtmodum uidens inſolentiores ſuperbioresq; effectos neq; homines,ne ſe quidem Deum curare indignatus eorum non ferendam arrogantiã atq; temeritatem altos deturbat,allidítq; ad petram & conterit. Tolluntur in altum, Vt lapſu maiore ruant. Hoc eſt tam anxiæ profanorum philoſophorum quæſtionis manifeſtum reſponſum. En paucis uerbis explicuit Pſalmiſta, quod illi tam multis uerbis exponere contendebant. Quærebant enim ſi Deus eſt, unde mala? ſin uerò non eſt, unde bona? Ecce tibi & unde bona, & unde mala, quum tamen Deus ſit. Fuſior eſt huius rei Pſalmus ſeptuageſimus ſecundus, ubi & hanc quæſtionem aliquot uerſibus proſecutus diuina etiam ſolutione concludit. Indulſerat Deus Pſalmiſtæ pluribus annis,ſucceſſuq; præbuerat peccati rerum omnium ad uotum,quo ipſum poſtea cauſatius puniret. Lento nanq; gradu ad uindictam ſui diuina procedit ira,tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat. Dies idcirco peccatoris ceu umbra ſine corpore,ſine ſolida ſubſtantia aliqua,ficta ac adumbrata uita declinauerũt. Stulti enim corporum umbras uera exiſtimant eſſe corpora & res inanes tanquam ſolidas quærunt et perſequũtur,ut ij qui in illa ſpelunca deſidebant aduerſis dorſis apud Iamblichum Platonicum nota eſt fabula. Horum dies in pompis,in faſtu,in uanitate,tanquam umbra declinant, euaneſcunt,non in ijs gloriæ corpus,ſolida & expreſſa uirtus,non ulla recta cogitatio, ſed ſolutus in omnem ſtoliditatem animus, quorum uitam pecuniæ ſimillimam,mortem iuxtà exiſtimari par eſt. Hi etiam tanquam ſterile fœnum,quàm primum arent, neq; adoleſcunt in ſanctam aliquam frugem. Hic iam conuerſus pœnitens in perſecutione conſtitutus, uti narrare cœpit,orare incipit,non utiq; pro ſui liberatione,ſed pro totius eccleſiæ tam uexatæ libertate ac quiete, quemadmodum præcipitur. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & tanquã ciuis optimus, reipublicæ bonum præfert ſuo familiari,quanquam ipſius reipub. bonũ cum ſuo ipſius,& cum quouis priuato coniunctum indiuiduumq; eſt, uti & malo participes omnes ſunt,quemadmodũ ij qui eadẽ in naui uehuntur. Et à fece iſta humanæ miſeriæ, à ſui cõtemptu aſſurgit ad diuinorũ meditationẽ. Homo ſanctificatus atq; mundatus,cui quiſquiliæ iſtæ noſtræ uileſcũt, efferẽ in rerũ altiſsimarũ contemplationẽ,fitq; unum cum ipſo Deo,ex humano diuinus, ex immortali mortalis, qualis eſt ipſe Deus, qui ab æterno in æternũ perdurat,nullã ſentiens temporis mutationem,acta conſequentiaq; ita intuens ut præſentia. Quamuis nos cum de Deo loquimur, inſtanti præteritoq; abutimur, cum ſit nullũ horũ in Deo, ſed adſint omnia aperta & nuda corã illis oculis diuinis,tam perſpicacibus,tam circumſpectis,ut nihil nec eorũ quę fuerũt,nec quæ ſunt,nec quæ erunt, ne eorũ quidẽ quæ eſſe poſſunt, illorũ obtutũ ſubterfugere queat. Oculus eſt Deus,omnia uidens:auris,omnia audiens. At tam clemens,tam benignus,tam orbi beneficus,et ſalutaris,ut ipſius beneficio durẽt perſtentq; omnia. Et ipſæ hominũ generationes ſingulę,innumeros & ampliſsimos miſericordiæ eius fructus acceperint,quas miſerationes,quos fructus narrat filio pater,& auus nepoti,& hic ijs qui à ſe naſcuntur. Hæc memoria miſerationum Domini,tum monumentis literarum ſempiternis conſignata,tum tradita quaſi per manus filijs à parentibus,perdurat à generatione in generationem uſq; ad conſummationem huius uniuerſi. Ob has uſq; adeò immenſam clementiã, quæ in te Deus nunquã ſentietur uel cõſumpta uel cõminuta. Et ſiquidẽ perſtas æternus aliquando tandẽ exurgens,non quòd dormias, nõ quòd iaceas aut ſedeas,ſed quòd uim brachij tui terrẽtis aliquãdo nõ ſentit gens hoſtilis,opẽ auxiliumq; brachij tui nos ſublimãtis aliquando nõ ſentit populus tibi deditus,& in te uno fidens:ideo tu exurgẽs externa iudicatione pręclare efficies utrunq;, quũ alterũ effeceris:miſereberis enim Sion, id eſt,eccleſię tuæ naſcentis oppugnatæ tam uaria perſecutione. Tempus eſt nanq; iuuandæ illius tam afflictæ. Iam

enim

enim ſentis, iam percipis ab ea inundata alioqui ac penè oppreſſa innumeris calamitatibus tantam frugem, ut ipſi etiam lapides, ipſi parietes placeant & ſanctis tuis in cœlo & angelis qui tibi perpetuò miniſtrant. Lapides ſunt uiua quædam membra huius eccleſiæ, cuius Chriſtus eſt caput, ex quibus tanquam lapidibus conflatur & conſtituitur. Qui mirum in modum angelis placent, quibus incredibile dictu eſt, quàm oblectẽtur, uſque adeò ut terræ, ut ſolo illi ſuper quod fundata eſt, utpote martyrio tam multæ ſanctiſsimi ſanguinis effuſioni miſereantur cupiantq; & obſecrent, ut iam aliquando tandem pacatè & tranquillè caſtiſsima pudiciſsimáque mater noſtra & uirgo tranſigat æuum ſuperatis tot millibus hoſtium, deuicto & calcato uaſtiſsimo Romano imperio ſuperemineat ſponſa tua ſancta, integra, inuiolata, domina gentium. Quòd ſi benignitas brachij tui hoc effecerit, oſtenta eſt potentia & uirtus illius. Te unum ſtupebunt gentes, tuum nomen in quo tanquam in gladio ſpiritus illa pugnauit, timebunt: quin etiam neque reges terræ ſuum faſtum, ſed tuam gloriam admirabuntur, quippe qui ipſe operoſæ mundanæ molis author ædificaueris Sion, fueriſq; uiſus in gloria maieſtatis tuæ, quam quis uidere poterit, & huic mundo uiuet? Ignis eſt comburens, & gladius penetrabilior omni mucrone rompheæ, machæra, bipenniq; qualibet acuta. Quòd ſi permiſeris te uideri in gloria tua, te unum ipſam tuam ineffabilem gloriam horrebunt principes terræ, non ſuas fariſſas, non ſua geſſa, non pila, quæ omnia contra humillimos & infimæ ſortis homines prævalere non potuerunt, non quòd fuerint ipſi per ſe ſatis aduerſus illa confirmati atque muniti: uerùm quia acceptaſti, quia grata tibi fuit humilium oratio, nec abieciſti, nec contempſiſti preces eorum. En quàm multum eſt preces noſtras à Domino exaudiri? Ecce cur prouidus Propheta in exordio huius ſermonis exaudiri precabatur orationem ſuam. Siquidem propter eos, quorum ſibi grata eſt oratio, tam ipſe agit ſtupenda, atque eo magis timebunt nomen gloriamq; tuam, quo uiderint te per infirmiora mundi uiciſſe fortia. Hæc tam multa tamq; ingentia admirabilia conſignabuntur monumentis literarum ſempiternis, mandabuntur æternæ memoriæ in generatione noui populi Chriſtiani, qui procul bellis auerſis quietus, amotis propulſisq; aduerſitatibus & erroribus, reſpirans aliqua libertate, liberè ac pleno, quòd aiunt, ore, laudabit Dominum. Hæc una eſt libertas, hoc unum regnare eſt. Verum enim uerò attentius conſideremus hanc dulciſsimam libertatem, hanc placidiſsimam quietem, hoc in gentes inq; dæmones imperium aſſecutam Dei eccleſiam continuis precibus, multis lachrymis, profundis gemitibus atque ſuſpirijs: quæ omnia niſi audiſſet Dominus, fruſtra clamaſſemus, fruſtra gemiſſemus, nequicquam lachrymas profudiſſemus, uana fuiſſent ſuſpiria. Dominus itaque deſpexit de ſancto excelſo loco ſuo, de igne, de caligine, de luce illa quam habitat, inacceſsibilem admouit aurem, ut gemitus uinctorum eccleſiæ audiret. Seu hi ſunt in carcere martyres, ſeu in clauſtro monaſterij uincti compedibus diſciplinæ, uinculis catenisq; intellectus & ſapientiæ, quæ ſapiens concionator protectionem fortitudinis, baſes uirtutis, ſtolam gloriæ, & ſalutis alligaturam eſſe affirmat. Aſpexit itidem Dominus de cœlo in terram, ut libertate donaret filios martyrum. Hi nanque interempti pro Chriſto ſui uerbi perſuaſione, ſui ſanguinis uirtute, ſuæ uirtutis exemplo atque incitamento plurimos filios progenuerunt. Pro patribus tuis (dicitur eccleſiæ) nati ſunt tibi filij. Quum igitur bella ab ſponſa ſua Chriſto placuit auferre, aduertit oculos, admouit brachipotens, ut quos interempti martyres generant filios, proximos etiam ſorti parentũ ſolueret reſtitueretq; libertati, ut hi liberius, ſecurius, tutius in eccleſia clament, annuncientq; admirabilia Domini Chriſti Ieſu, & uirtutem magni eius nominis tetragrammaton. In ciuitate uerò ſancta, in conuentu regum congregatis principibus terræ, libera eccleſia, uti nunc, cõuenientibus in unam ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, ut obediant & ſeruiant Domino, doceant eos illi martyrum filij laudem magni domini Dei noſtri. Hoc fecit Deus, ut & filij martyrum ſint etiam teſtes, ſint nunc ij, annuncient in eccleſia nomen Domini, id eſt, Ieſu: annuncient quæ ille ad eruditionẽ noſtram egerit, dixerit, paſſus fuerit,

fuerit. Et reges congregent cum populis, ut seruiãt ei de Christo Iesu, cui dedit Deus omnem potestatem in cœlo & in terra: quocirca dominus est uiuorum & mortuorum. Hoc caput est huius ecclesiæ, cuius nos sumus membra, quæ à calamitatib. externis ac internis persecutionib. liberata, posita iam medio in cursu felicitatis, in uia uirtutis, in uia uigoris & fortitudinis suæ: anxia tamen etiam num paucitatẽ dierum huius felicitatis suæ ab sponso supplex petit prædici sibi, utpote quę tot aduersa perpessa, respirans aliquandiu timet rursus breue intra tempus reuocari ab illa. Tum etiam doctissima sponsa & uirgo ab hinc multos annos præsciuerat, postremis suis diebus instare tempora periculosa. Idcirco trepidula, memor adhuc accepti uulneris, quando sit finis futurus tranquillæ felicitatis percontatur, obtestaturq́, ne medio in prospero cursu iterum ad carceres reuocetur, neue in illo tam acri cruciamento futuro destituat se, sinatq́ animam efflare, ac penitus interire. Hæc itidem ipse ad terram prouolutus, ad pedes immensæ patriæ maiestatis filius & sponsus Christus Iesus Deo supplicat lachrymis & clamore ualido, ne unquam deficiat fides ecclesiæ, et exauditus propter suam reuerentiam. Audite, quódnam reportat à patre respõsum: Calix fili mi charissime tuus, calix est noui et æterni testamẽti, nihil est quòd in hac re ipse uereare. Ego enim uobiscum sum usque ad consummationem seculi: quibus uerbis difficile dictu est, quàm se consoletur nostra dulcissima omnium mater, quæ alioqui pauida tremensq́ supplicabat, ne se medijs huius nostri sæculi diebus in perpetuum reuocares, nõ reducturus unquam in ullis hominum ætatibus, in ulla generatione generationũ huius anni tui, huius temporis à te creati. In cuius initio tu Domine terram fundasti, quemadmodum à Mose in Originibus mũdi nobis traditum est, qui in principio creasse te cœlum & terram refert, quam terram tu fundasti in stabilitate sua, & manus tuæ cœlum fecerunt. Verbo enim tuo manus et potẽtia tua cœlos firmauit. En maximum inter nostrum uerum Deum, commentitios uanosq́ gentilium deos discrimen. Hi enim in cœlum multis antea sæculis factum introducti fin guntur, domum iam tum ædificatam inuenerunt, quam (ut dicunt) possederunt meritis. At noster optimus, maximus Deus cœlum longam post suæ æternitatis æternitatem quum creasset, nõ meritis adeptus est illud, sed bonitate sua dignatus est illam sedem esse suæ infinitæ maiestatis. Hinc tam frequenter Psalmistes Deum nominãs, addit: Qui fecit cœlum et terram. Neq́ uerò hæc atq́ alia quæcunq́ sunt creata subsisterent, nisi fouerentur, nisi ab interitus iniuria, cura diligentiaq́ regentis defenderentur. Quæ uniuersa & si perirent, permaneret tamen artifex ipse, neq́ posset nõ esse. Et equidem ut indutimus uestimenta noua, quæ usu atterunt, & interpolamus reficimusq́ illa: ita facies hæc uniuersi, ueterascet longa die, obsita situ & carie, amissis senio uiribus, quod deprehendi quotidie in frugum terræ uirtute, & perinde in uita, in corporibus, in uirtutibus animalium cunctorum. & Vriel angelus Domini sacerdoti Esdræ ostendit, & multis antea sæculis cõqueri cœperunt rerum scriptores. Verùm parantur hæc omnia renouanda instaurandaq́ purgatorio igni, qui præcedet diem illũ magnũ uenturi iudicis Christi Iesu. Tunc apparebit nouũ cœlũ, tum noua terra: quippe immẽsus Deus iudex, ille qui super thronũ sedet, noua se omnia facere profitetur. Quod non modò populus Dei monstrante Deo nouit, sed etiam fatidicæ quædam mulieres Ethnicis prædixerunt, & eorum philosophi maximè timuerunt.

Esse quoque in fatis (ait ille) reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq́ regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

At uerò tu magne Deus in hac tanta rerum mutatione immobilis immutatusq́ perstas, neq́ alius Deus, nec aliud quidpiã unq́ es. Tu fons perennis, purusq́ omnis essentię, nihil quod aut non sit essentia, aut nõ sit mera essentia receptãs, in eadem æternum persistis: hoc enim extanti utendũ est tempore, ut noster propheta facit: quoniã tota in æternitate nihil est Dei aut fore aut fuisse, sed esse. Ecce quanta in his pauculis uerbis mysteria! Cœli, inquit, uelut uestimentũ ueterascẽt, & uelut amiculũ mutabis eos & mutabuntur. En nobis tempus futurũ, quo fiet illa cœlorũ instauratio. At tu,

ait,

ait, permanes, & idem ipſe es. Iam uerò ne quis putet deſiturum aliquando Deum, immenſam Dei poſt hac durationem illo futuro cõcludit, dicens: Et anni tui nõ deficient. Nunquid anni tui, quærit afflictus ille Iobus, ceu humana ſunt tempora, quæ aut deficiũt, aut certè deficere poſſunt, quippe quæ ex corruptibili principio utpote cœlis defluunt? Quos inquam cœlos filij ſeruorum tuorum poſsidebũt? hæc pars & hæreditas eorum, ipſi in ſempiternum habitarunt in illis. Nouus is profectò eſt populus Chriſtianus, qui ſeruis tuis Iudæis tanquam filius patri ſucceſsit. Et noua noſtra eccleſia, ueteri ſynagogæ ſemen eorum ſunt, qui ab ipſis orti pro patribus naſcuntur quotidie filij eccleſiæ. Perinde ac id Pſalmiſta diceret, quod Poëta quidam:

Hic genus iſtorum cunctis damnabitur annis,
Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Quin etiam ut patrum ſimiles ſolent eſſe prognati, ita & angelorum muneribus atq; ordinibus illius triumphantis eccleſiæ ſimiles ſunt noſtræ militantis exercitus atq; acies. Ideo et Chriſtiani, filij ſunt ſeruorum Dei, id eſt, angelorum, qui omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus maieſtatis Dei, cui aſsiſtũt decies centena millia, & cui millia millium miniſtrant. Talis exitus perennis gaudij abſolutis rebus omnibus decebat hunc Pſalmum, utpote peruagatum, per peccatorẽ, per pœnitentem, per militantem eccleſiam, per ipſam Dei maieſtatem. Ad quam unam intuendam & creatus eſt homo, & per tot ærumnas, perq; tot exercitus aduerſa rectè, honeſtè, ſanctèq; hic uiuit, ut tandem tanto donatus præmio in quiete, in omnium, quę ne excogitari quidem poſſunt, bonorum copioſo cumulo agat æterna letitiæ ſæcula.

MEDITATIO SEXTA IN HVNC PSALMVM CXXIX.

DE profundis clamaui ad te, Domine: Domine, exaudi uocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes, in uocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris, Domine: Domine, quis ſuſtinebit?
Quia apud te, propitiatio eſt; & propter legem tuam, ſuſtinui te, Domine.
Suſtinuit anima mea in uerbo eius, ſperauit anima mea in Domino.
A cuſtodia matutina uſq; ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.
Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius.

MVNDVM hunc uniuerſum eſſe, unam communemq; & deorum & hominum ciuitatem Platonica & Stoica ſchola teſtata eſt. Nos ſpiritus ſanctus docuit, omnia hæc inferiora propter hominum corpora, ſuperiora illa propter angelos animosq; noſtros facta eſſe. Angeli equidem illam incolunt huius ciuitatis præſtantiſsimam partem, ab omni turbine, ab omni tumultu, ab omni miſeria ſeiunctiſsimã. Animi uerò noſtri tanquam ſerui, hic in ergaſtulis quibuſdam corporis et teterrima mundi habitatione, non tam uitã agere dici poſſunt, quàm perpetuò affligi et diſcruciari. Nam præterquàm quòd ſarcina corporis mens noſtra obruitur & premitur, agit hic in terra, in quam fertur uelut in ſentinam quicquid eſt fœtens, quicquid immundum, quicquid ſordidum in toto mundo. Huc uenti, huc niues, imbres, pruinæ, gelua, rores, fulgura, grandines, huc rigores, huc æſtus, huc ariditates, lues, ſterilitates, huc puluis, huc lutum, huc alia quàm plurima ſolo dictu fœda: & quòd omnium infeliciſsimum eſt, quum hic Deus ille rerum omnium cõditor & parens hominẽ creauerit rectum, ſeſe ipſe quæſtionibus miris immiſcuit. At quanq; locati ſumus in loco turbinis pleno, in loco caliginoſo, ſentibus uoraginibusq; horribili, ducem tamen nobis Deus tribuit talem, ut eum ſequi ſi uelimus, aberrare nullo

nobis

nobis liceat modo. Bene beateq; uiuemus, & expeditissimo compendio ad beatitudinem ad quam totis uotis ferimur perueniemus. Dedit naturam bonæ rationi coniunctam, & de facie illa sua, quæ omnem hominem illustrat uenientem in hunc mundum, accēdit nobis lucernam quandam, quæ syntheresis dicitur, à qua nos duci si sineremus, si ducentē perpetuò sequeremur, nec esset cur nos hîc creatos quereremur, & liberati ab ergastulis restitueremur nostræ ciuitati. Quin ne cuiquam ulla præberetur occasio cauſandi, quam legem ipse in cordibus nostris scripserat, eandē uoce exerta claraq; apud totum mundum pronunciauit. Verùm nos ita hac in diuersorio, in carcere morula abutimur, ut unde nobis confestim discedendum est, ibi relicta tota patriæ penatumq; cura sedem figamus, & contra leges omnes peregrini & aduenæ immiſceamus nos diuersorij negocijs, et pro familiaribus domesticisq; nos geramus. Ita capimur ineptis opibus, stultis & uanis honoribus, atq; adeò pernicioſis illius turpissimi carceris, cum amplissimos illos uerissimos & perpetuos patriæ non recordamur. Quam sibi rem maximæ iniuriæ locō ducūt ciues illi nostri angeli, & Deus princeps uniuersorum, qui præest illi ciuitati, ex qua nos sumus cum uident præferri suæ reipub. uanissimum nescio quid diuersoriolum, seu potius ergastulū tetrum atq; horridum, ex quo sumus postridie migraturi: cuius quantalibet mora nobis deberet esse odioſissima, ut primo quoq; tempore ad libertatem, ad nostram rempub. ad dulcissimam patriam, nostramq; originem reuolaremus. Idcirco ut ij, qui sua ciuitate contempta atq; spreta in aliam sese scribendos curarunt, in suam ij redeant, non recipiuntur. Neq; enim licet cuiquam duarum esse ciuitatū ciuem, ei duntaxat, qui sua meliore aut despecta, aut illa non contentus, in minorē peioremq; transiuit. Ita & qui illam supernam diuinamq; unde nostra est cognatio, unde genus nostrum, despexerunt, & in hanc mundi ascisendos sese optarunt, quum ex hac in morte migrant, nō in sedes illius cœlestis, sed in profundā tartaream noctem, quæ sunt dignitates, honores, & stipendia huius, recipiuntur, quāuis hæc non uno simpliciq; modo agantur. Neq; enim omnes eadem metiri decempeda æquum est, distinctè quadratimq; tractantur. Nam quidam sunt, qui ita ciuitatem commutarunt, ut eos facti nunquam pœnituerit, ac perinde neq; crimē agnouerint, neq; Deum principem melioris illius ciuitatis clementissimum, & suorum omnium ciuium amantissimum, unquam tantum scelus fuerint deprecati. Hi edicto immutabili luent flagitij sui perpetuas pœnas, & sunt

—Æternos damnati ad ignes,
Quos spes nulla fouet, quos nulla piacula soluunt:
Hi sunt, qui scelerum moriuntur opacis
Impliciti tenebris: hi sunt, qui tartara & altum
Præcipites Acheronta petunt.

At sunt nonnulli, quib. melior aliquando mens datur, quos facti pœnitet, agnoscūt crimen, & ad meliorē redeunt frugem, ueniamq; delicti sibi ab illo benignissimo Deo petunt. His quamuis ignoscatur, pœnam tamen aliquam superesse necessum est, qua & ipsi mulctentur, & reliqui admoneantur deterreanturq;, ne eiusmodi facere pergant. Et enim si omni prorsus supplicio carerent, uerendum esset, ne hac facilitate principis Dei quamplurimi atq; adeò omnes abuterentur. Et hæc quidem tradita à spiritusancto Israeliticæ familiæ, Philosophi & Poetæ, ut etiam alia permulta, acceperunt. De his enim animis ad hunc modum Vergilius loquentem facit Anchisem:

Ergo exercentur, pœnis, ueterumq; malorum
Suplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos, alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisq; suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, pauci læta arua tenentes,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Æthereum sensum, atq; aurai simplicis ignem.

At quum in illis sunt purgatorijs pœnis, operepreciũm est audire quibus utantur apud Deum precibus, quas utcunq; referam, non uersibus cuiusquam poetæ, quales fuerunt hi quos paulò antè adduxi ex Vergilio, non carmine uel Orphei, uel Mercurij, uel illius Apollinis uersuosissimi, sed diuina cantione sanctissimi Regis Dauidis, de quo in Græcorum monumentis ad hunc modum scriptum est:

Orpheù iam reticeto, lyram confringito & Hermes,
Tuq; tripus sortes Delphice conde tuas:
Nam citharam Dauid cœlesti pectine pulsans,
Æterni nobis pandit operta Dei:
Plurima & antiqui signat miracula sæcli,
Inq; Dei laudem cuncta creata canit:
Imbutos omnes sacris custodit & auget,
Erigit & lapsos, atq; albare uetat:
Iudicium referat uenturi iudicis, idem
Sordentes animas elui ab igne docet.

Harum ita atq; animarum dum digne parantur illi cœtui diuorum cœlestium, ita precantem unamquamq; inducit diuinus Deiq; perfamiliaris Rex & Propheta.

ORATIO ANIMÆ IN PVRGATORIO.

EGressam me ex illo ergastulo mundi, in quo inter umbras uolitans, quæ credidi uera esse corpora, nimium oblectata prætuli uanissimas res solidis, ueris atq; expressis, iusto tuo Deus iudicio in hanc abyssum detrusisti, in quam coniecta cœpi ob acerbissimum dolorem atq; eum insuetum lachrymoso eiulatu clamare. Neq; enim uisus mihi est dolor apud superos homines ullus tam acer, tam uehemens, tam penetrans, tam intolerandus, tam penè singulis momentis enecans. Nam si illic qui secantur, qui uruntur, quid hæc dico, qui punguntur, qui uellicantur, qui calcantur, qui premuntur, clamant dolore affecti: quantum putas fuisse clamorẽ meum in his tormentis? ad quæ illa mortalium si conferantur, picta esse uidebuntur, non uera, & hæc corpora, illa uerò corporum umbrę. At quid eiulaui? quid clamaui? non quę homines in uita, minima quaq; mali opinione tecum ceu cum minore se grauissimè expostulantes, te blasphemantes, tibi maledicentes, non ut qui sunt in perpetuo tartaro inclusi faciunt: te, me, parentes, omnia deniq; sum execrata. Sed illam auxilij uocẽ summis in periculis, calamitatibus, ærumnis, angoribus, mi Deus, mi domine. Non aduersus te, mi Domine, non de te quicquam, non aut aduersus alia, aut de alijs, aut ad alia, sed ad te, ut orationẽ meam, ut uocem hanc plenã amaroris audias, ut mihi subuenias, quo quàm primùm ex hac abyssо ad te mundata euolem, ut aures illæ tuæ tam coniunctæ misericordiæ tuæ, ut nihil illæ audiant, cui non hæc præstò adsit, adhibeantur orationi meæ. Vt quãuis ego ex profundissimo clamem loco, ex ipsa infima abyssо & medio terræ quæ à cœlis & domicilio glorię tuæ quàm longissimè abest, tu tamen ex sede maiestatis, ex luce illa quam inhabitas malis inaccessibili, quam prauorum prauæ non penetrant uoces, me exaudias. Ne ego hic tam diuturno cruciatu afflicter misella atq; distorquear. Vt citò mihi eam ciuitatem tua clementia reddas, quam meis ego flagitijs amisi. Neq; enim congruum est te Deus, quicquid ipsam commisi ad inquisitionem reuocare, & acri perpendere examine, omniaq; exactè persequi. Non decet te summo nobiscum agere iure, ut de tuo multum remittas necesse est, ne istud tuum sanctissimum tribunal tristis atque acerbus reorum scopulus nominetur. Nam si tu singula nostra delicta apprehendere, punireq; uolueris, non satis unus is erit in pœnas, qui peccauit, ille tibi in multos transformandus, imò in innumeros erit, ut æquas condignasq; suis sceleribus tibi Deus det pœnas. Nolumus hanc ἀκριβοδίκην, nolumus hoc, tam exactum ius, cuius opera, ut Sapiens inquit, quis annunciabit, aut quis sustinebit? Quòd si tu uoce tua nos increpare tentaueris, quũ uix paruam stillam sermonis tui audire ualuerimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis tuæ intueri? Non dico, aliqui nostrũm, sed ne uniuersa quidem terra sermones tuos poterit sustinere. Quid terram dixi? ne angeli quidem uel temporis momentum te increpante consi-

stere

ſtere potuerunt. Tam enim ualet idem iſtud tuum uerbum ad conuellenda omnia in ira tua, quàm ualuit ad omnia in tua benignitate creanda. Non enim gladijs aut haſtis eum qui tibi non placet, deijcis, ſed uno tui oris ſpiritu interficis impium. Tuum nutum uniuerſus ſpectat orbis à quo numen tuum ſua ſumma prudentia cuncta gubernat, & torquet. Itaq; quum is tu ſis, ut nos omnes ad te collati non penè nihil, ſed planè nihil ſimus, non decet te ad diſquiſitionem noſtrorum omnium ſcelerum deſcendere, nec aduerſus nos te tantum ſæuire, iramq; & potentiam tuam exercere. Ne dicamus omnes, contra folium quod uento rapitur, te oſtendere potentiam tuam, & ſti pulam te perſequi ſiccam. Fac itaq; quod benigni maiores in minores, quod parẽtes erga liberos: caſtiga, mulcta nos, ſed non quantum commeriti ſumus. Fac quod periti muſici, qui diſſonantes chordas non continuò aut reijciunt, aut concidunt, ſed paulatim modò tendentes, modò remittentes ad harmoniã accommodant. Verùm quid ipſa loquor? ſum'ne ſana? quid ago? quem moneo? An non eum qui aliud agere de more nõ habet, quàm id quod ego hortor? An fuit unquã aliquis, qui ſeueriſsimam illam tuam mi Deus iuſticiam ſit expertus? qui admirabilibus tuæ benignitatis clementiæ beneficijs non ſit uſus? Adſint illi, qui tua in ciuitate feliciſsimã atq; æternam agunt uitam, an hi uel minimã partem ſuæ beatitudinis meritis ſuis adepti ſint? Quæ omnia ſi ad bilancem reuocentur, adde etiam uniuerſa noſtra uiuentium merita, futura illa gloria, quæ reuelabitur in nobis, pondere ac ualore uincet. At nos quæ hîc torquemur ſummopere, quę purgamur, quis dubitet, quin ingratiſsimę ſimus, niſi tuum erga nos immenſum beneficiũ agnoſcamus? Num præſentes pœnæ flagitijs ſatis magnæ? nũ digna merita certiſsima illa futura beatitudine? Quid quòd ipſi ſempiternis ſupplicijs addicti, miſerrimi illi quidem, ſed quamuis ſecum agi peſsimè credant, teq; iniuſtum, te crudelem iudicem ſemper querantur, clementia tamen incredibili tua utuntur. Vix enim pro milleſima portione commeritorũ pœnas luunt? infinities nanque maior eſt ſceleris eorum culpa, quàm pœna. Eſt enim apud te mira noſtri indulgentia, dulciſsima noſtrorum criminum uenia, gratiſsima et fructuoſiſsima propitiatio, facillima expiatio noſtri. Tuum eſt illud propitiatorium templi aureum atq; pulcherrimum, ſuper quod ſtabant duo aurei Cherubini gloriæ tuæ, qui ſeſe atque propitiatorium contuebantur, iuſtitia ſcilicet tua & miſericordia, quibus omnia moderaris, omnia temperas. Suntq; illa tua, quæ eadẽ eſt ratio, ſapientia, benignitas: eſt etiam lex illa æterna, quæ neq; hominum ingenijs eſt excogitata, neq; ſcitum eſt aliquid populorum. Quæ ſæculis omnibus fuit antequàm ſcripta lex ulla, aut quàm omnino, ciuitas conſtituta. Sed eſt admirabilis illa tua uoluntas ſummæ ac perfectiſsimę rationi commiſta, quæ uniuerſum mundum regit imperandi prohibendiq; ſapientia, quam duo Cherubini referebãt ardentiſsimi charitate, ut intelligamus legem ueriſsimam, tuam legem eſſe ſummæ clementiæ, ſummæ benignitatis & miſericordiæ, ſummæ æquitatis, ſummæ quoque charitatis. Quæ quoniam operit multitudinẽ peccatorum, quoniam promittit uel nefandiſsimorum ueniam ſcelerum: idcirco te, quem in furore uniuerſus orbis non ſuſtineret, ego planè nihil in tanta clementia, lenitate, manſuetudine ſuſtinui. O lex ſacra, lex mitis, lex benigna, cuius beneficia, cuius opem homo neq; ſperare, neq; optare per ſe auderet, niſi tu tecum & inuentũ, & inuenti fiduciam attuliſſes. O lex admirabilis: ſiue tu es mandata ſermoq; Dei uiuus & penetrantior omni acutiſsimo mucrone: ſiue teſtimonium à prophetis, qui uiderunt exhibitum: ſeu teſtamentum Chriſti, quod ipſe ſanguine ſuo ſanxit: ſeu Dei uolũtas, cui noſtram aptari id demum eſt bene beateq; uiuere: ſeu iuſticia Dei, ad quam reliquæ ſi conferantur, iniuſticiæ eſſe uidebuntur, cui parentem ſanctiſsimæ ac certiſsimæ legi, iuſtè ac legitimè neceſſe eſt uiuere: ſeu iuſtificationes illæ pientiſsimæ, quæ iuſtificant impium: ſeu iudicia Domini, quæ omnia ſunt ex æquo et bono miſericordię plena: ſiue tu es uia, quæ per te ingredientem nunquam fefelliſti, quæ in patriam exules expeditiſsimo compendio reducis, quam ſe Chriſtus eſſe teſtatus eſt: ſeu ueritas, quæ eſt initium uerborum Dei: ſeu pax illa quam reliquit eccleſiæ ſuæ hæreditariam Chriſtus, quę omnem exuperat ſenſum humanum: ſiue tu illa es dilectiſsima uinea quæ iucun

diſsimos palmites,et gratiſsimã frugem Domino attuliſti,cuius torcular quod Chriſtus calcauerit ſolus, nec fuerit de gentibus uir cum eo,idcirco rubrũ eſt indumentũ eius,et ueſtimenta ipſius uelut calcantium in torculari:ſeu tu es,quod magis experimur,miſericordia Dei tam lata,tam magnifica,cuius munere factum eſt ne ſimul omnes interierimus.Quoquo nomine te inuocare ius fasq; eſt,certè diuino quodam & ſacroſancto.Tu illa es,ob quam unam nõ deſperamus,quæ nos quocunq; in loco ſimus,reficit recreatq;,cuius nutu ordo conſiſtit,atq; perennat huius uniuerſi.Nec aliquid prorſus quamlibet magnum,quamlibet minimũ uſquam agitur,quod tuo ex preſcripto nõ adminiſtretur.Te ſatius erit adorare tacentes,id quod certè poſſumus, quàm narrationẽ aggredi tui,quod utiq; tam fieri poteſt à nobis,quàm rem immenſam menſura noſtra finita atq; exigua metiri. Non ut te exprimeret, optabat regius propheta oculos aperiri ſuos.Nam id ne facere quidem potuiſſet, niſi ipſe idem fuiſſet Deus,cuius tu mens,cuius es tu uolũtas,uerùm ut conſideraret mirabilia tua,quę tam eſt dulce contemplari,quàm ſunt illa & ſumma, & intermina, & gratiſsima dulciſsimaq; nobis.Quibus nos nihil diffidere iubemur,nihil non ſperare in eo qui potens uolensq; eſt,omnes in ſeſe confidentes à crudeli morte ſaluos facere. Quæ niſi fuiſſet aſsidua mea meditatio,forſitan in humilitate mea perijſſem.Videbam enim te ſummum,me infimam:te omnipotentem, me imbecilliſsimam:te iudicem,atq; eundem æquiſsimum,me uerò nocentiſsimam ream ante te,imò aduerſus te adductam: quæ mihi poterat eſſe ueniæ ſpes?quum idem eſſes & teſtis, & actor,& iudex, atq; is ſine prouocatione,quem ego ſcelere meo offendiſſem.Audí tu inauditam ô terra miſericordiam,audí tu orbis incredibilem benignitatem.Acccuſat hic,teſtatur, ſedet iudex,è cuius manu nihil eſt quod eripere poſsit. Et tamen cum primum incipio agnoſcere crimen,& deprecari,iubet me animo eſſe bono,futurum ſe patronum meum,ſe ignoturum mihi,non recordaturum flagitiorum meorum. O miſericordia,ô clemẽtia,ô benignitas,ô lex, ô uerbum Dei toti noſtro generi proſperum & ſalutare. Hoc eſt uerbũ quod uult Deus,hoc quod nobiſcũ paciſcitur:hoc quod iurat,et eius poſtmodum neutiquam pœnitet. Hoc quod procedit de ore eius,nec facit irritum. Hoc quod mittitur, & ad te Deus uacuum nunquam regreditur, ſed quicquid ipſe tu uis ſubitò peragit.In hoc ego uerbo ſperaui, in hoc ego hîc inter tam acerba uiuo, & me ipſa cõſolor:in hoc confido fore,ut nos breui liberes,adducasq; in ſedes illas beatas. Tum & in illo tuo uerbo fiducia mihi ingens,quod unum eſt tecum in excelſis fons ſapientiæ & à te perpetuis æternitatibus generatur,

—Quod fundis ab alta
Mente pater,tanti & donas conſortia regni.

quod uerax eſt & fidele,quod nos ſanauit, quod grauem conglaciatamq; liquefecit noſtram pituitam,quo nos tanquam face præeunte profectę ſumus,quod miſiſti Domine Iacob,quod egreſſum eſt ex Hieruſalem, qui ſanctus ſanctorum ob unum noſtri amorem Summo delapſus olympo,

Et Deus humana luſtrans ſub imagine terras,

exemplo ſuo docuit,iuſsitq; confidere,quòd innocentiſsimus pro nocentibus oblatus mundum primus ipſe uicerit. Et quoniam tam ſtrenuè ueterem hoſtem bello fudit fugauitq;,ac impotentem et nefarium tyrannum hærentem tam multis annorum millibus in poſſeſsione mundi huius in tartara detruſit, nosq; omnes aſſeruit in libertatem.Ideo data eſt ei poteſtas omnis in cœlo et in terra.Princeps eſt pacis,pater futuri ſæculi, mundi melioris origo & Dominus uniuerſorum . In hoc nos omnes uerbo ſuſtinuimus,in hoc nos omnes Domino ſperauimus : in hoc & patres illi noſtri, qui ſub nube atq; adeò ſub caligine & nocte fuêre, ambularunt & caſtramentati ſunt: in hoc & nouus ille, pulchrior populus oriẽte procedẽteq; die creatus, ideſt in iſta tua luce Deus,quæ mentibus hominum denſiſsimis in tenebris repentè affulſit. In iſta luce,quæ ambulantibus in mortis umbra ſubitò exorta eſt,incredibilemq; lætitiam,uitam,ſalutem attulit,omnes inquam in hoc ſperauerunt,neque ſunt ſuo uoto fruſtrati. Circumfuſa enim tota turba,& quæ anteibat & quę ſequebatur,eadem clamabat uoce trium-

ce triumphi, quam perpetuò in cœlis angeli illi tui uoce quadam humana maiore personant, Sanctus sanctus, sanctus. Itaq; & à die illa clarissima, in qua primus creatus est Adam in multarum magnarumq; rerum certissima gratissimaq; luce ac cognitione, quam originalem natiuamq; iusticiam nominant, à qua ipse nos secum trahens, tam turpiter se excluſit, ad exitum usque noctis mundi huius obscurissimi, in te uno perfugium, in te oculi, spes, uota, desideria omnium coniecta. Nos quoq; ab exortu nostro, quo in lucem eiecti sumus, ad hanc usq; noctem, quam dormiunt corpora nostra, usq; ad sæculi innouationem atque instaurationem, et hîc in tantis tormentis iugi ac propè intolerabili dolore, quid aliud quàm una tui pascit spes: quæ excussis rebus omnibus in fundo solo superstat, quæ si cum alijs quoq; rebus euolaret, actum de nobis omnibus esset. At nos ne hoc quidē loco tam acerbi mœroris pleno diffidimus, in hac quoq; nocte, quòd tu per tuum sanctum prophetam iussisti, te laudamus, tibi bene precamur, & supinas ad te manus tendimus in sancta, quod est sacrificium uespertinum, in quo sacrificio filius charissimus tuus, manus suas in crucem leuans occisus est, agnus immaculatus: & ceremonijs deuinctissimo populo finem imposuit, ut solueretur in postrema mundi ætate asina illa ad acerram miris modis deuincta. O salue admirabilis Deus homo, sæcli melioris origo. Salue omnium animis desyderate rex, immortalis omniumq; sæculorum, cuius regnum finem nunquam accepturum est. Salue tu quoq; regnum immense, pacis, quietis, clemētiæ, & omnium miserorum diuinum asylum, tutissima ara. Quod Christus ipse, ut alieno tyranno seruiens redimeret, suæq; pristinæ restitueret libertati, in eaq; te firmaret, non unam atq; alteram sacrosancti sui sanguinis stillam impendit, quæ satis superq; fuisset ad quantumuis precium persoluendum: sed tanquam riuos liquescentibus uisceribus omnibus, ardentissimo charitatis igne quicquid diuini sanguinis inerat, profudit, ne quid in sanctissimo supereſſet corpore, quod adhuc dari potuisse quisquam causaretur. Tam enim eam rem serio ipse agebat, tam optabat liberam hanc suam ciuitatem uidere, ut neq; operæ, neq; sumptibus ullis pepercerit, modò aurea illa libertas rediret, uera & sæculis omnibus permansura. Quis desperet ciuium? quorum princeps tam unumquenque dilexit, ut quod pro uniuersis, etiam pro unoquoque haud dubiè fecerit. An aliquis uel tam ingratus est, uel tam stupidus, qui quum hæc uideat, de principis benignitate, clementia, ope desperare possit? Et tu quoq; mitissime Princeps, clementissime Rex, indulgētissime Pater, charissime frater, salutaris liberator seruatorq; noster, eodem illo precio nos populum Israeliticū à te redemptum ex nostris omnibus sceleribus breui perpurgato, mundatasq; ex illa carceris superioris fece, sordibus, squalore, ex labe concreta, quam è uolutatione in fœdissimo contraximus cœno, excusso quicquid ex terra graue adhæsit, quod suo pondere morari conscensum posset, tributis alijs duabus nos libratas, leues agileisq; per mundi huius plagas perq; cœlos candidas candentibus togis amictas, in cœtum illum beatorum spirituū inducito. Atq; in ciuitatem nostram quasi postliminio restitue, ut cum cęteris nostris ciuibus unum factæ omnes, sicut tu paterq; unum estis, immortali fœlicitate fruamur.

MEDITATIO SEPTIMA
IN HVNC PSALMVM CXLII.

DOMINE, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam: in ueritate tua, exaudi me, in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra uitam meam.

Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorũ, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua, tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te sperani.

Notam fac mihi uiam, in qua ambulabo: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine: ad te confugi: doce me facere uoluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, uiuifi cabis me in æquitate tua.

Educes me de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

MENTEM diuinam, æternam esse, non modò nos quos ipsa eadem docuit, scimus, sed unicuiuis hominum ex rerum natura exploratum esse potest. Neque enim aliquid tantum ante ipsam fuit quod eam producere, progignereq; ualeret, sed ipsa potius post æternam suę illius æternitatis partem mentes sui similes. Deinde cœlos, elementa & decorem ornatumq; huius ornati uniuersi creauit. Locarat in purissima mundi parte, ab omni sepositа turbine, in eminentissimis cœlis mentes illas: unde contemplari despectareq; reliqua possent, & secum beatissimè sempiterno æuo fruerentur. Verùm istarum maxima pars oblitæ ueteris illius præcepti, quo se unusquisq; nosse admonetur, personam solùm exterioremq; sui faciem considerantes, sese non inferiores esse parente rerum omnium Deo, stultissimè arbitratæ sunt. Et inter conscelerataS illas protinus coaluit nefandissima coniuratio, ut ex æquo mundi regnum inter se ac principem Deum diuideretur, & par esset utriq; parti rerum administratio. Aut hæc Deo, hæc illis coniuratoribus obueniret, & suo utriq; in regno imperarent, ut Q. Fabius prudens dictator, & eius temerarius magister equitum Rufus Minutius, seu ut legitimus Micipsæ filius mitis Adherbal, & nothus nepos, immanis Iugurtha, uel quemadmodum (ut fabulantur ueteres) tres illi Saturnij fratres orbem sibi sunt partiti. Aut alternis diebus moderarentur, ut apud Cannas nobilissimus uir Æmylius Paulus, & seditiosus atq; ignobilis Terentius Varro. Quo ruitis dementissimæ mentes? quid moliris Lucifer cõiurationis istius nefariæ princeps, crudelior Catilina, & quouis immanissimo immanior gigante? Partiri certè non potes orbem, monarchiæ enim est. At uelle diebus alternis imperare, quis iste furor est? ut tuo secundo quoque die parens ipse tuus omnipotẽs Deus tuis dictis audiens sit, & quod uel ipso dicto horrendum est, pareat tuis iussis, & nefaria exequatur imperata. Vix rescierat princeps ille rerum omnium Deus hac esse perditissimos istos spiritus mente, quum caput concepti flagitij pariter et socios omnes magna cum ignominia è cœlo deturbat, cœlestibus traditis sedibus alijs illis melioribus, qui suas secuti fuerant sanctissimas partes, atq; in illis edicto perpetuo confirmatis. Ad eas ei Deus ipse fatur hæc: Vos qui deorum fatu orti estis, attendite, quorum operum ego parẽs effectorq; sum. quæ per me facta non sunt, dissoluta, me inuito, quanquam omne colligatum solui potest, sed haudquaquam boni est ratione uinctum uelle dissoluere. Sed quoniam orti estis, immortales uos quidem esse indissolubiles non potestis. Nec unquam tamen dissoluemini, nec uos ulla mortis fata prement, nec fraus uiolentior quàm consilium meum, quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, quàm illa quibus estis cum gignebamini colligati. Vos itaq; in summa atq; eadem sempiterna felicitate, agite hîc mecum immortalitatem, & ut bene cœpistis, parete semper æquissimis sanctissimisq; uolitis ac iussis meis. Cæterùm ut supplementũ ascisCamus huic ciuitati, quam ego absolutam quum creassem, magna eius pars, ut uidistis, pelli ex ea in infernas sedes merita est. Statui animal quoddam

quoddam duabus ex partibus,corpore ſcilicet atq; animo componere, quorum illud quidem ex elementis iſtis conflabo,animum uerò ueſtri,non abſimilem mei uerò imaginem,uti & uos eſtis,faciam.Hoc erit mihi huius ciuitatis ſeminarium.Homines appellabo. Huc ego poſt bene peractam ſtationem meritisq; ſtipendijs militiæ cuiuſdam,quam illi uitam appellabũt, eos transferam, donabo ciuitate, ſociosq; adiungam uobis. Dixit, & læti hæc omnia meliores illæ mentes audiuerũt.Extitit confeſtim homo ipſe animal pulcherrimum et diuinum,quod diui ſpiritus ſimul conſpexerunt, extemplo ſunt ipſum utpote agnatum ſuum complexi & exoſculati. Nam gentiles ipſi omnes ſunt:homines enim illorum agnatione ac gente tenentur. Tum etiam ſuum futurum ciuem non poterant non amare, & illi omnia precari bona, ut ortus eſſet ipſi fauſtus & felix, ut breui in una communi ciuitate lætarentur omnes. At quàm erat homo gratus mentibus illis bonis, tam erat inuiſus mentibus malis: quippe quem eo fine creatam uidebunt,ut ſuis poſſeſsionibus, quas ipſæ per nefandiſsimum ſcelus amiſerant,is frueretur. Tum itaq; conſtituit dæmon inimicitias atroces,capitales & ἀσπόνδους cum illo gerere, bellumq; penitus internecinum, in quo ſe quouis Lacedæmonio Archidamo acerbitate ſæuitieq; ſuperiorem futurum minatus eſt. Et quo iure,quaq; iniuria, quocunq; poſsit loco,quocunq; tempore,quauis arte,quouis dolo,fraude,aſtutia,palàm,clàm, hominem fallere decreuit,homini nocere, hominem lædere. Quin & ſi poſsit de promiſſa et expectata ciuitate depellere, ac in ſuas ſecum deuoluere horribiles ſedes,ut illic non minus, quàm ipſe,pœnas,ſimul omnes æternùm dent. Hæc praua mens quæ noſtrũ genus perpetuò inſectatur atq; infeſtat,eſt Ata illa,quam ex ſacris literis,ut alia pleraq;,Homerus mutuatus eſt, et ſolo nomine mutato rem ipſam tradidit.Facit enim hanc deam dæmona generi hominum infenſiſsimũ,qui turbas omnes,diſsidia, noxas noſtris rebus immittat,quem deturbatum quoque de cœlo canit,inquiens:

Protinus abripuit ſpecioſis crinibus Atan
Iuppiter,adiuratq; inſtinctus ſanctius ira,
Haud iterum poſthac ſtellantis culmina cœli
Scanſuram eſſe deam,quoniam eſſet noxia cunctis,
Ilicet hoc dicto ſuperis ibi feruidus Atan
Sedibus exturbat,mortalia lapſa laceſsit.

Et ſiue ex eodem ſacro fonte,ſiue ex dæmonum narrationibus, qui ſuos ipſi frequenter caſus ijs hominibus quos ſocietate ſibi ac familiaritate deuinctos habent,inuolucris quibuſdam referunt, Ægyptij ſuis in myſterijs perhibent, Iouem impuriores dæmonas è cœlo deieciſſe,qui & homines pro uirili ſecum quoq; ad ima demergere cõnitantur. Pherecides etiam Syrus plurimos ab Ioue rebellaſſe dæmonas tradit, quorum exercitus ductor ὀφιώδης, id eſt ſerpentinus appellatus ſit. In hunc itaq; modum quum continuas dæmon hîc inſidias homini pararet,plagasq; quacunq; is ingreſſurus eſſet tenderet, incidit ille illaqueatus, & miſerè in leges editaq; patris Dei commiſit.Ibi continuò exultat dæmon,& grandi ac uirulenta conſcripta dica ſit ilico diabolus,eamq; parenti & iudici rerum omnium porrigit,reumq; hominem factum amariſsima poſtulat accuſatione. Cuius ſumma erat,hunc hominem non eſſe meliorem conditione quàm ipſe fuerit dæmon,ſe nobiliorem unum ob crimen depulſum de felicitate illa cœleſti:hunc etiam hominem,multa quum commiſerit flagitia,in eadem peiore etiam debere ſorte eſſe,quàm ipſe ſit. Non fore Deum iudicem æquum,niſi eidem adiudicet pœnæ eum, qui idem cõmiſerit facinus. Poſtulare omnibus modis,ut ſocius fieret homo ſuarum pœnarum, qui ſocius fuerit criminis. Ibi trepidare,ibi tremere reus, deſtitutus iuſticia et ueritate, quibus antea inſtructus,quibus patronis innixus, tam potens pollensq; erat.Ibi flere,ibi ad iudicem ſupplices tendere manus,ibi agnoſcere,ſed deprecari ſcelus.

Poſtremò in hunc modum ipſum pro ſe locutum accepimus,

ORATIO HOMINIS REI.

QVanquam adductus sum in hoc forum Pater, si te hoc à me nomine compellari fas est: sin minus, Domine, reus tantorum criminum, quæ nullus me cõmisisse ignorat, ut indicta causa, damnationem me commeruisse confitear. Illud tamen à facilitate benignitateq; tua me impetrare nõ iniquum est, ut antequàm sententiam proferas, me paucula pro meipso uerba faciẽtem audias, qui accusationem aduersus me diaboli audire non dedignatus es. Illud quoq; in primis mi Pater, mi Domine, peto, ut quod tuum maximè propriũ est, stes promissis. Et quoniam aduersarius iusticiam implorauit tuam, ego illam non recuso: imploro etiam, modò quæ de ueritate filio tuo, in quo uno mihi omnis spes salutis sita est, in ueritate apud te iam inde à tua æternitate constituisti, mihiq; ac meo generi es pollicitus, rata sint omnia. Et quamuis ego in aduersarium nihil peccarim, qui nunc inusitata & noua omnino cura in solito tui zelo me, quod aduersus te commiserim, accusat. Tu tamen Pater & Domine, in cuius leges ego me miserum peccasse agnosco, ad quem unum accusatio huius criminis pertinebat, ne descendas oro in iudicium cum seruo tuo, noli tu me huius criminis agere reum, ne contendas mecum, ne sis aduersarius mihi. Constitutus es iudex, age susceptam personam: noli ex iudice fieri actor. Nam si tu aduersus me causam agere uolueris, nõ dico ego, qui nihil sum, sed nec ullus mortalium, nec cœlum, nec terra poterit te accusante absolui, nihil non amarissimo capitis iudicio protinus damnabitur. Quæ res erit tibi satis munda? satis innocẽs? satis iusta? Ecce luna etiam ante te non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu tuo. Quanto minus homo, & putredo, & filius hominis uermis. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit uir? Ecce qui seruiunt ei, nõ sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem, quanto magis qui habitãt domos luteas, qui terrenum habent fundamẽtum. Sede igitur disceptator iudexq;, ne sis aduersarius, et ex iusticia tua de causa hac cognosce, atq; pronuncia. Modò admisceantur ea, quę de immensa tua erga nos misericordia, in ueritate tua promisisti. Quamuis quid attinet hoc precari? quum summa iusticia summaq; clemẽtia tua ita sociæ, ita germanæ sint, ut nusquã non sint coniunctæ, ac perpetuò indiuiduę. Neq; uerò illud me quoquam modo perturbat, quòd dico apud eum de facinore, contra quem commissum est: re enim apud nos iniquum est: nemo enim ferè est, qui de negocio ad sese spectante iudex non sibi se æquiorem, quàm reo præbeat. Sed quum te penitus recognoui, quid est cur expauescam? quum sit apud tuam sapiẽtiam rectissimamq; iusticiam clementia misericordiaq; temperatã, quàm æquissimũ. Illud uerò me maximè mouet, quòd accusat me diabolus iste, qui esset iustius à me omnibus accusandus legibus. Quippe qui uijs, artibus, fraudibus, consortis dolis uniuersis me aggredi non destitit. quousq; me impulit in facinus hoc, quod aduersus tuas leges commisi. Nam is quum me suo in loco substitutum à te pater uideret, usq; adeò mihi meisq; illis pulcherrimis dotibus, quibus me totum ornaras, inuidit, ut nullam prætermitteret occasionem persequendi animam meam, alliciendi mei, ut ex Hierosolymis descenderem in Hiericonta, ubi spoliatus opibus tam copiosis, uulnera lethalia reportarẽ. Atq; hæc omnia, ne meliore essem conditione, quàm ipse est. Num non hic à me causatius accusandus esset? cuius ego callidissimis dolis, cuius latentibus plagis in hanc incidi inexplicabilem uoraginem, qui mihi & causam & damnum hoc capitis & fortunarum dedit. Quis enim dubitet, quin damnum sit ei imputandum, sine quo non accidisset. Illam quoquè uitam meam, illam tam gratam, tam speciosam immortalitatem, quanta à me fraude eripuit? quomodo in terram, ex qua sumptus sum, me deiecit? Quomodo effecit, ut qui puluis eram, sed tuo beneficio immortalis, euectus à te tantum ad honorem, ut prius ipse fecerat, ita & ego, neque te, neque me nossem, ac similis belluarum factus, in puluerem redirem? Nam tunc fit homo mera bellua, quum te ac sese ignorat. Neque uerò huius inuidiæ hic meus tam turpis casus satis fuit, quæ summum inimicum ad misericordiam reduceret, non spoliatio ueritatis,

tis,iuſtitiæ,mentis eruditiſsimæ atq; optimæ,mulctatio uitæ perpetuæ. Non hæc iſti ſatis,quorum fui ego author,fuit ſuaſor & impulſor ipſe,niſi et me in carcerem illum tetrum atq; miſerrimum infernum cum primis illis ſceleratis ſocijs ſuis cõijcere,ſua nitatur accuſatione. Non eſt hac corporis,quod erat alioqui futurũ immortale,morte contentus,de animæ quoq; ſecundo peiore illo interitu agit. Non quòd eum iuuare, quod prodeſſe tantulum modò poſsit, ſed quia ſubmerſus ipſe pedem arripit, & conſtringit meum,ut & ego ſecum quoq; ſub undas ferar, ut detrudat me inter reliquos dæmones mortuos à principio mundanæ originis in æuum ſempiternum demerſi in tartareas tenebras,

Vnde non unquam remeauit ullus.

Vnde nunquam uitalibus auris reſtitutus quiſquam eſt. Quæſo te nefandiſsime dæmon quæ erit tibi uoluptas? quæ utilitas in ſanguine meo,ſi deſcendero in corruptionem interitumq; poſteriorem multo priore peiorem? An ſocietate mea minuentur tibi iuges illi dolores,perpetua cruciamenta,quæ in æternum lege nõ abrogabili,neq; antiquabili ſententia, reſcindi enim mutari ue ex ordinatione uniuerſi latisq; mundo legibus non poteſt,tibi deſtinata ſunt? An uel fient minores pœnæ uel tu quum me ſocium tui acerbiſsimi tormenti feceris,ſolatium aliquod in leuamen doloris accipies? nihil iſtorum. Quid igitur tua iſta tam amara inſectatione,tam capitali odio tibi,uis? quum ne uerbo quidem ſis à me uiolatus? An ego de cœlo te deturbaui? an ego in tartareum carcerem te conieci? minime. Credo tamen, quòd te illud ſolum urit, quòd ſis me tua in ſede locatũ uiſurus. Ideò tam ſollicitè tam anxiè laboras,non modò ut ego hac fruſtrer tanta ſpe,ſed ut pro ſupernis illis ſedibus beatiſsimis, iſtas tuas infernas miſerrimas conſequar. Hęc me reputantem ita deficit ſpiritus,ita turbatur mens, ita angitur ſummum ob mœrorẽ cor,ita quantus quantus ſum,ingenti tremore concutior,ut interdum uix ſciam,ubi ſim, quid agam, ante quem dicam,ut mirer etiam num me uel tria uerba dicere potuiſſe. Quòd ſi ille,quoniam uirgultum ex quo rubicundi humoris ſtillæ defluebant,uidit, de ſe affirmat uir (ut aiunt) fortiſsimus,tertio Æneidos,

—Mihi frigidus horror
Membra quatit,gelidusq; coit formidine ſanguis:
Obſtupui,ſteteruntq; comæ,& uox faucibus hæſit,
Alter,quòd ſolum uertere cogitur. Ouidius in Triſtibus,
Non aliter (inquit) ſtupui,quàm qui Iouis ignibus ictus
Viuit,& eſt uitæ neſcius ipſe ſuæ.

Aliús ne dominum mutet,cœlum terramq; confundit, poſtremò manum ſibi affert ipſe. Quis miretur me tot modò copijs,tot opibus affluentem, ſanum, ſoſpitem, immortalem uno momento illis omnibus ſpoliatũ atq; afflictũ,ita mente turbari,ita animo deijci. Nam qui modò eram is,cui nemo ſe neq; honore,neq; gratia,neq; fortunis anteferret,repente nullũ ueſtigiũ retineo priſtinæ dignitatis. Teipſum dæmon calumniator expletũ contentumq; his tantis meis miſerijs oportuit. Quid enim erat mali, quòd mihi ſpoliato honore,fama, fortunis deeſſe uideretur? aut cui nouæ calamitati locus ullus relictus eſt? Verum urget idem hoſtis,qui cœpit odio plus q̃ nouercali, plus quàm Vatiniano,repetit nouũ membrũ. Non patitur me calamitoſum uno modo afflictum,uno in luctu perire. Vult me per innumeros ſingulis temporis punctis cruciatus morte ſecunda cõfici,morte quæ quũ per omnia momẽta ſummo cum dolore enecet, in eodem tamen homine ſemper quod occidat,uiuẽs aliquid ſentiensq; inuenit. Quid eſt quòd me à deſperatione à laqueo aut ferro temperare perſuaſiſſet? niſi foueret me inter tot calamitates una ſpes,in qua miſerã & afflictã animam traho. Niſi inter tot denſiſsimas tenebras lux quædam tua mihi procul exorta eſſet. Repeto enim memoria & cogitatione qualis eram,quũ primùm è tuis ſum manib. egreſſus, quũ in me erectũ ſpiraſti ſpiritũ uitæ. Quàm pulcher, quàm formoſus, q̃ intus, q̃ exterius ſpecioſus. Animal ſumme Deus,tot uirtutib. tot dotib. immortalitate etiã conſpicuum,hominẽ gentilẽ,agnatũ,ciuem angelorũ. Erepta ſunt hæc omnia, ſuperſe-

deo

deo modò repetere. Quod tamẽ diabolus in tot malis reliqui fecit, ut tua etiamnum miſericordia pateat, ut impetrare liceat, ne cum mortuis ab exordio huius ſęculi in tenebris collocer. Hoc pacem ueniamq; petẽs ſupplex oro, hoc per te ipſum iterũ atq; iterum obſecro. Id ne mihi eripias pater, obteſtor, quæ una eſt in tot malis ſpes. Memini enim quum recolo, quæ tu me meliore illo tempore filium tibi chariſsimum docebas, meditatum fuiſſe annos æternos, dies illos antiquos, dies qui formabantur, et nemo in eis meditatum ſedulò omnia quæ creaſti, quæ ex nihilo in tantam eduxiſti pulchritudinem. Ex quibus à mundi origine inuiſibilia tua, quæ tum, quæq; æternũ fuerunt, & quæ poſthac erunt, te magiſtro conſpexi. Ac uidi operam hanc mundi huius, quem oculis contuemur figuram umbramq; eſſe illius melioris, quem ſolo mentis inſpiciemus obtutu. In quo ſecundus ille Adam de cœlo cœleſtis, hunc priorem de terra terreſtrem adiudicatum tantiſper uinculis ac cuſtodiæ publicæ ſoluet, liberatumq; in ſuam reſtituet ciuitatem, ſecumq; in ſuo triumpho ex ſeruitute uindicatum ducet. Sequeturq; ille liberatorem ſuum gaudens & exultans, quem (ut par eſt) tota ſua uita, quæ ſempiterna erit, colet. Mortem illius, ſeu ſoporem potius, quo nos omnes à morte ſoluemur, ego ſopore meo cognoui. Ad hunc ego filiũ tuũ, qui & idem eſt quod ipſe tu, manus ſupplices tendo. Huius ſanguinem copioſum maximiq; precij, huius gratiæ humorem, huius tormentorum affluentem fontem ſicca anima mea expetit, diſſoluta in aridum puluerem, exciccata tota uirtute, hunc fœtiferum rorem ſanè quàm deſyderat. Hoc mi pater, hoc mi Domine, quàm primum effice, irriga me aqua tua perquàm ſalutari, illa Iordanis aqua quę leproſum mundat, illa natatorij Syloe, quæ diei huius ac luminis uſum fructumq; cęco pręſtat. Nam alioqui arefactis uitalibus omnibus meis, defecto in me ſpiritu, qui per corporis meatus diffuſus tepido uapore uitam continebat, ne ſpera me uel momẽtum uiuere poſſe. Agam confeſtim animã, niſi mihi miſericordia tua uitam tribuerit, et uiſitatio tua reddiderit, cuſtodieritq; ſpiritum meum. An non uides ut occupet ora pallor? ut membra omnia quatiat frigidus horror? ut ob oculos obuolutũ mihi glaucoma ſit? afflatus nullus, nullus reflatus, moribundoq; ſimilis ſim. Quoniam ſpiritus miſerũ me ſimul ac tua iuſſa prætergreſſus ſum, me defecit. Te idcirco pater ſummopere oro et obteſtor, ut ne miſericordiam illa tuam incredibilem, ne bonitatẽ, quam omnia expectãt intenta, in quam uniuerſa intueri uehementer cupiunt: illam, quæ uitam cunctis rebus præſtat, à me auertas. Nam alioqui ſine ulla ſpe ueniæ mei criminis, quod horret animus dicere: quod ipſe tum omen auertas, ſimilis eſſem illorum, qui in tartareũ lacum æternamq; noctem deſcenderũt: ita & te (quod procul abſit) uoto tuo diabolus iſte fraudare, potens eſſet, ut quem tu deſtinatum patrię ciuem creaſſes, eum illic ſuis dolis in exilium ageret ſempiternum, ex quo nullum in patriam unquam reuocari continget. Hæc tu mi Pater, cuius tanta eſt poteſtas, quanta uoluntas, obſecro ne ſinas ut fiant. Quin potius noctem hanc & obſcuriſsimas peccati tenebras primo quoq; tempore illuſtra. Oriatur Phoſphoros ille matutinus: reddat nobis ablatum diem Eous: accedat roſea illa & pulcherrima aurora, ueniat uirgo caſta, uirgo munda, alma ſalutis parens, & uiri neſcia, pariat nobis admirandæ lucis Solem, qui mundo caligine afflicto, mundo tenebris obruto & oppreſſo, ſalutiferũ gratiſsimumq; diẽ adducat. In hoc tu (mi Pater) matutino tempore, quod precor q; citiſsimè deſyderanti orbi oſtendas. In hac aurora iucundiſsima quæ cœli mœſtitiã diſcutiet, lætã reſtituet faciẽ, da mihi filiũ iſtum tuũ audire, qui ſui non miſerebitur, ut omniũ tu miſereariſ. Qui quoniam efficiet ut ne quiſquã in te ſpes ſuas fruſtra collocarit, en ego cogitationes omnes cunctas ſpes meas in te unũ tuamq; probitatem confero. Peccaui, mi Domine, grande ſcelus flagitiumq; cõmiſi, fateor, agnoſco. At ego qualis tandẽ cumq; ſum, qualis fui, nocẽs, innocens, bonus, malus, tuus, tibi deditus ſemper fui. Etiã dum peccabã, mihiq; in mentẽ ueniebat tui, de tua clementia benignitateq; nihil deſperabã, in tua miſericordia cõfiſus audebã uiuere. Miſerere mei miſerrimi, illumina meos oculos, qui cæcus, quâ ingrediundũ mihi ſit, non uideo. Accende rurſus lucidiſsimã illam intra me lucernam, quam ego in tuas æquiſsimas leges peccans extinxi: quæ me clara in luce ambulare faciebat,

faciebat, quæ notas apertasq; omnium meorum greſſuum uias reddebat, anç ulosq; omnes non publicarum modò uiarum, non compitorum, ſed domus quoq; meæ mihi illuſtrabat. Et quoniam tantam ducem acerba mea ſorte, & ut apertè dicam, mea inſaniſsima culpa amiſi, at ſaltē uias, oro, me (Pater) edoce, quibus mihi ambulādum ſit. Ne dum cæcus uiarumq; ignarus ingredior, ut ſunt omnia ſcrobibus, uoraginibus, innumerisq; periculis plena, qui antea uidens ſciensq; tam fœdè corrui, nunc in calamitoſum aliquem inexplicabilemq; & extremum incidam caſum, in quo & ſolus, et cæcus, et imbecillus uitam miſerrimè finiam. Et quod miſerabilius multo eſſet, hanc animam quam ego tibi commendo ſoli, quam ad te ſemper erigo, perpetuum ad ſupplicium è corpore emittam. Quis mihi tam hoſtis eſt, cui hoc poſsit eſſe iucundum ſpectaculum? qui uoluptatem ex tantis calamitatibus meis fructumq; aliquem accipere poſsit? qui non potius lachrymas det miſericordia uictus, quum res paulò antè florentiſsimas, modò tam afflictas uideat. Verùm ſi à diabolo non impetro ut opibus dignitatibusq; meis ab ipſo per nimiam fraudem ademptis contentus ſit, animam ne petat. Si ille adduci non poteſt ut quum ademerit mihi omnia, quę tua in me benefica patria charitas contulerat, ne lucem quoq; hanc & ſpem exiguam uitæ eripere cupiat. Si non ſatis habet odium in me ſuum meis tantis malis expellere, niſi etiam me æternis addictum uelit ſupplicijs. Vnum perfugium, mi Pater, una ſpes reliqua mihi eſt, tua illa perantiqua bonitas & miſericordia. Quæ ſi manet, ut ego manere certum habeo, ſaluus etiam nunc eſſe poſſum, ad iſtam igitur immenſam miſericordiam, ad hunc tutiſsimum tranquilliſsimumq; portum ex tanta tempeſtatum ui, ad hanc unam ſalutis aram confugio, mi Pater. Ad te unum uenio, tanquam ultimam eamq; maximam uitæ ſalutisq; ſpem. Qui ſi eieceris, actum eſt de me, nemo recipiet: ad te perfugio, ut tu unus defendas, & tuearis, quē tua benignitate creaſti: cui rationem, cui dediſti notitiā ſummę tuæ maieſtatis, quē ad id feciſti, ut ciuis tuæ eſſem ciuitatis. Ad te conſulē ciuis confugio, ut mihi cōſulas: ad te parentē patriæ, ut pater filio prouideas: ad te Imperatorē, ut obſeſſo militi tuo feras opem ſubſidiumq;, ut ex manibus cruentiſsimi hoſtis liberes, & eripias quàm primùm, glorioſamq; ciuicam reportes. Et quomodo tu meus es Imperator, te precor, ut tua me doceas edicta. Omnium princeps, obſecro, tuas mihi leges oſtendas. Quoniam Deus, obteſtor, ut uoluntatem tuam indices mihi, desq; modum, des cōſilium, des etiam uires facultatesq;, quibus me totum illi tuæ uoluntati poſsim aptare, dictis parēre, iuſſa libens alacerq; capeſſere, & omnia ita exequi, ut tibi, cui maximè ſtudeo placere, grata ſint. Procul à me tam nefarium ſcelus aberit, ut exciderint mihi, quanta ſint à te mihi collata. Scio neminem unquam tam impudentē fuiſſe, qui à te, optime, maxime Deus, tot & tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas tu mi Pater, ad me cōtuleris. Teneo etiam memoria, me aliquando tam occæcatum præcipitem ruiſſe, ut tuis iuſsis contra ire fuerim auſus. Verùm quòd etiam num ſpes ſuperſit, quòd uerba facere auſim, tibi imputabis: tu enim præſtas, qui benignitate & clementia tua hanc mihi audaciam præbes, qui nobis aditum ad miſericordiam ueniamq; noſtri delicti aperuiſti, qui modò nos criminis pœnituerit, bono eſſe animo iuſsiſti. Quòd ſi hoc diabolum hoſtem meum malè habet, ſi ſe nobiliorem natura quàm ego ſum, peiore cōditione eſſe queritur, ſi te iniquum iudicem appellat, uno uerbo huic ego dicto occurrā. Faciat idem ille, quod modò ego, qui feci antea, quod ipſe: & idem is quoque ſperet, quod ego quoque ſpero, quod peto, quod requiro: uide quid dicam fretus benignitate ac clementia tua, poſtulet ipſe, quod & ego meo quaſi iure nunc poſtulo, & confidat ſe aſſequuturum, quod ego confido. Neq; enim æquum eſt ut uenia proſit illi, qui ſe peccaſſe aliquid non agnoſcit, ueniamq; non requirit, qua ſe non credit indigere. Tu ergo idem fer mihi opem calamitoſo, qui opis ſpem dediſti. Adſit modò tua illa miſericordia mihi precanti, quæ occurrere miſeris afflictisq; ſolet, nullius oratione euocata.

Ome

OMe fortunatum, ô me uerè beatum, uerè felicem, ô bono & fausto illos die natos, qui suarum omniũ rerum spem & rationem in te uno ponũt. Miserrimos illos, qui à te fonte dulcissimo totius boni, totius salutis, totius felicitatis scaturigine, ad alias uilissimas, friuolas & momentaneas diuertunt regulas. Quantum me pœnitentiæ meæ fructum, quantam uoluptatem cœpisse putatis? Per eum qui mihi tam inenarrabile gaudiũ tribuit, per eum qui me uno suo uéniæ nutu beauit, iuro, me orationem nullam habere, qua uel minimam tantæ lætitiæ partem queam explicare. Ita exulto, tanta sum uoluptate perfusus, tam mihi sunt modò uniuersa iucunda, cui paulò antea nihil non displicebat, nihil non erat molestissimum. Nulla est in uita delectatio, nulla sanitas, nulla iucunditas, nihil dulce, nihil gratum, quod mihi nunc adesse non uideatur, meq; ita oblectamentis adeò multis frui, ut extra me mihi positus esse uidear. Neq; hanc credo me mortalem uiuere uitam, sed cum angelis inter illas hominibus incognitas delicias. Proh mi pater, mi Domine, mi Deus, mi liberator, omnia mea. Tu ergo mihi quicquid optaui præstabis, eo amplius, eo copiosius meliusq;, quo tu nobis omnibus melior, quo nostri diligentior es, quàm nos tui. Spiritus ille tuus omnium bonorum operum author, illa charitas, illa lux, ille totius felicitatis salutisq; dux, per exilium hoc in terram meam, in patriam, in ciuitatem reducet: ex hac terra tenebrosa caliginisq; oppleta, ad terram illam quam tuum perenne colluſtrat lumen: ex terra in qua

Carduus & spinis surgit paliurus acutis, quæ
Infelix lolium & steriles producit auenas.

ad illam, quæ mollem uiolam purpureumq; procreat narcissum: ex terra quæ data est in manibus impij, ad terram in qua tu dominaris omnium optimus: ex hoc aspero saxeto in amœnissimos & uberrimos campos: ex hac terra uallosa, montosaq;, curua, obliqua, turbinis & tumultus plena, ad rectam illam quietissimam, in qua tu me hîc mortuum uiuificabis, atq; ita uitali restitues luci, ut mori postea nulla ui, nullis dolis, nulla fraude queam. Confirmatus enim iudicio illius tuæ humanis mentibus incomprehensibilis iusticiæ, ita firmus in sede meæ ciuitatis constituar, ut auelli eradicariq; inde non possim. Etiam si orbis iste totus, & quæcunque in eo sunt, ad me de loco exturbandum meo conspirent, nisi tu uoluntatem consensumq; tuum illis adderes. Quod futurum uerendum mihi non est, quippe uolita illa tua ut æterna, ita & sunt immutabilia. Itaq; de ærumnis, de miserijs, de calamitatibus, de tempestatibus peregrinationis & somni huius, quam nos uitam appellamus, animam meam ad te reuocabis, hoc est è tenebris ad lucem, è nocte ad diem, à morte ad uitam. Atq; hunc istum diabolum tu mei misertus, in suas tartareas sedes profligatum ita cõuincies, ut maleficiorum suorum det perpetuas pœnas. Nec filios ciueisq; tuos unquam posthac uerbis lacessat, artibus suis infestet, inuidia odioq; suo uexet. Videbo ego uindictam horum, quæ ipse mihi attulit malorum, & eum qui me miserum calamitosumq; esse uoluit, talem ego conspiciens lætabor, securusq; in eius luctu ridebo. Et ipse ego à te in tuam clientelam receptus, in quam me perpetuò dedo, deuoueoq;, tuas illas inhabitabo ædes, in quibus fruar placidissima pace, fruar gratissima tranquillitate & ocio, fruar omnibus gaudijs, omnibus uoluptatibus, ero undiq; lætitia constipatus. Quócunq; oculos circumtulero, nil non gratissimum dulcissimumq; occurret. Omnia erunt iucunda, omnia suauia, omnia plena illo florenti semper & immarcessibili oblectamento. Quæ uniuersa in tui unius (mi pater) cõspectu sita sunt, atq; alia permulta his omnibus longè augustiora, longè præstantiora. Quæ quoniam nec uidimus, nec audiuimus unquam, & excogitare cunctæ mentes humanæ non possunt, idcirco nos illa, quę aut quanta sint, nec explicare dicendo, nec animo & cogitatione hîc cõsequi ualemus. Qui tamen eiusmodi rerum post uitam hanc bene sancteq; actam, in altera illa meliore ac immortali compotes fiemus.

Amen.

IO. LVDOVICI VIVIS
MEDITATIO ALTERA
IN PSAL. XXXVII.
DE PASSIONE CHRISTI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: sicut onus graue, grauatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curuatus: usq; in finem tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei, impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam, à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meũ: & gemitus meus, à te nõ est absconditus.

Cor meum conturbatum est: dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & uim faciebant, qui quærebãt animam meam.

Et qui inquirebãt mala mihi, locuti sunt uanitates: & dolos tota die meditabãtur.

Ego autem, tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus, non aperiẽs os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, sperauí: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus, in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo, pro peccato meo.

Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniqué.

Qui retribuunt mala pro bonis, derrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

QVæcunq; in hac uniuersitate mũdi condidit author ille, & Princeps huius immensi operis, subdita esse uoluit ijs naturis, quæ ualerent ui cognoscendi atq; intelligendi, qua nihil est in toto ipso mundo præstantius. Nam ea demum uidentur & debere imperare, & posse: quæ sensu, & intelligentia sunt prædita: ut inter homines ij sunt imperio, & cæterorum excellentia digni: qui plurimum inter eos acumine, iudicio, consilio ualent, pollentq;. Oculus enim dux est corporis. dux oculi mens. dux mentis sapientia: tanquam præstantissima, & regina omnium. Quæ quum sit in Deo absoluta & infinita, hunc decet meritò mundi regnum obtinere: & obtinet quidem: nam ei à bonis defertur, quia est optimus: à malis uerò, quia potentissimus: ita omnia regnum illius in se experiuntur, quæ uolentia libentiaq;, mite & mansuetum, nempe probissimi: quæ irata & repugnantia, graue & durum, nempè potentissimi, atque

æquíſſimi. tametſi potentiæ ſic admiſta eſt bonitas, ut nemo alteram ſine altera ſentiat. Sed nulla res tam facilis eſt, quin fiat difficilis, quam inuitus facias. Imperiū hoc, quamuis huic quoq; cœli, elementa, ſtirpes, ſaxa denique uniuerſa obtemperēt: ipſe tamen mauult peculiare quoddam & proprium in ea quæ ſentiunt, quæq; ratione, intellectu, iudicio ſunt ornata, inſtructáque obtinere, & uelut ipſis Regibus imperare. magnum utiq; & ſtupendum: mutas, inſenſatas res præcipienti eſſe dicto audientes, ut quò uelis, tranſeant montes, tibi maria ſternantur, ad tuum nutum uel ſurgant uenti, uel furorem ponant. Sed maius animos ſentientes, intelligentes, liberos, diuinę naturæ uicinos ducere, & trahere: tua illos uolita, ſiue ultrò, ſiue inuitos exequi: te intueri, te admirari, te uenerari, & ſequi. Si uoluntario, tui ſint ciues: ſin repugnātes, tui ſerui, tui quocunque pacto. Sed tu ciues, quàm mancipia mauis: & filios patris tui, & cohæredes tibi. Idcirco hominem, qui à gratia tua deſciuerat (etſi à potentia non poterat) tanta tu cura quærendum, & reducendum cenſuiſti. Inimicitias cum illo ſuſceperat, in cuius ſemper poteſtate erat, uellet, nollet, futurus. triſte uulnus ipſe inflexerat ſibi, & ei ciuitati, quam tu cōſtitueras: in qua uolebas æquam eſſe omnibus, honeſtiſſimamq; libertatem: ſeruire neminem. Et quoniā eum amabas uerè, ac ex animo, hoc uehementius doluiſti, ipſum ſibi tantam eſſe manibus ſuis miſeriam fabricatum: tantoq; magis miſertus es, quòd dolis & uaframentis captū eſſe intelligebas, ipſumq; ſe falſum deceptumq; eſſe, maximopere ingemiſcere. Idcirco dignum qui reſtitueretur, duxiſti: idq; per hominem tam gratum tibi, quàm ille qui te offenderat, inuiſus & inimicus erat, quum tua iuſſa negligeret. Ergo adiunxiſti ipſe tibi hominem, peccati omnis & culpę immunem, quem patri pro noxio et conſcelerato dares. & quum ad continendum eum ſtatum, in quo reponebatur homo, pura & immaculata illius eſſet uita opus: tulit, per quam ſancte uiueret, legem autoritas diuinitatis tuæ, hortamenta uero, exempla humanitatis, & eæ humanitatis, quæ nō quod eſſet numini adiuncta, idcirco noſtrorum malorum expers fuit: ſed quæ infirmitates, & incommoda naturæ noſtræ grauius, quàm nos ipſi, perpeſſa eſt. nec in ſe peccata noſtra ſolū tranſtulit, factusq; eſt peccatum, & conuicium, & execratio, ut omnia extingueret cum ſuo corpore: nempe qui quæcunq; nobis erant noxia, crucí cum carne ſua affixit, ut omnia abolerētur, ibiq; interirent, unà cum morte: etiam & mors ipſa. Verè languores noſtros in corpore ſuo tulit, & morbos noſtros ipſe portauit. Vidimus eum alienum à maieſtate ſuæ diuinitatis, & planè reconditus erat decor ille natiuæ faciei. Exiſtimauimus illum uelut leproſum, & percuſſum à Deo: ipſe autē uulneratus eſt propter ſcelera noſtra, cæſus eſt propter iniquitates noſtras. Omnes nos ſicut oues deerrauimus, unuſquiſq; uiam ſuam longè à recta diuerſam ingreſſus: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrūm: tantumq; acceſſit innoxio illi uiro, & piaculari hominum hoſtiæ ex infœlicitate noſtra oneris: ut penè intolerabili preſſus pondere, infimus & deſpicatiſſimus hominum omniū cēſeretur. ut nemo per id temporis fuerit Hieroſolymis tam abiectus & uilis, qui non recuſaſſet ſortem ſuam ſorte filij Dei cōmutare. Vel latrocinij condemnatus, & iam in arbore infœlici pendens, illum præ ſe contemnebat, conuicijs & contumelijs afficiens. ipſe etiam inter tot cruciatus, & mortem ignominioſam, deſertum ſenſit ſe uirtute illa, quæ à diuinitate ſolita in hominem demanare, mortem omnem propellit, uitę origo & conſeruatio. idcirco uicinus ſupplicio, ſupra modum conturbatus, & confuſo pauore perculſus, à patre ſuo intentiſsimis precibus poſtulabat, ut liceret alio quouis modo hominē redimi. quin & in morte ipſa, quæ omnem humanam fidem doloris facibus excedebat, derelictum ſe à Deo queſtus eſt: ingentiq; cum clamore ſpiritum patri cōmendauit, concuſſa & debilitata carne: deſertus à mundo, irriſus à ſuis, ſcandalum Iudęis, ludibrium gentibus: ut iam non putaretur homo, ſed uermis, & fex infimæ atq; extremæ plebis, ac quiſquiliæ reiectæ, quas ne calcare quidem eſſent dignati, quos mundus honeſtos habebat. ipſe ſui quidem ſecurus, de ijs, quos in corpore geſtabat ſuo ſollicitus: non ſibi, ſed oneri timens, iram & furorem Domini deprecatur: hinc conijciens ſe filium tam charum, quòd in ſe peccata populi ſui recepiſſet, ſic eſſe acceptum. Quid futurum

nobis

nobis uilibus,& infrugiferis mancipijs:quum in eum tam ualida & certa manu, infixæ essent sagittæ iracundię Dei,quas ille in culpas nostras eiaculabatur? In ipso,à uertice capitis usq; ad pedis uestigium,nulla est sanitas,omnia fame,siti,æstu,algore, flagris,sputis,colaphis,calcibus,ictibus,plagis contusa & confracta. Non multa in illo corpore uulnera,sed totum corpus pro uulnere uno. In corpore uerò, cuius ipse est caput,omnia inualida, & innumeris scelerum formis fœdata: omnes à recta, & uera defleximus uia:nullus in tot milibus utilis:nullus qui rectè agat,inter ipsos nulla charitas,nullus respectus humanitatis.Iudęi gentium contemptores,gentes uicissim Iudæorum:apud utrosque mira uel generis,uel rerum gestarum arrogantia:tota in humanis uiribus fiducia.Dei nulla mētio: impostura ac fraudes diaboli latè per orbem sparsæ,& efficaces.Iudæi ad quæstum, uanitatemq; honorum conuersi, desertis Dei edictis:gentium sapientes in inquisitione naturę multi,ad plausum & admirationem theatri,totam Philosophiam transtulere. Inter hæc honor omnis,& gloria,& uirtus, & rectè ac præclarè facta bello,multas nationes,gentesq; strauisse,ac deleuisse. Nulla sanitas in humano genere:nulla pax,nec inter patrem & filiū, nec cuiquam secum: quum unusquisque in peccatis habeat inimicam conscientiam. Hoc Christus metuit,& iustæ iræ Domini occurrit: quum uideat redundātiam scelerum humanæ gentis,quæ ipse in se transtulerat,ipsum quoq; obruere & superare,ni subueniat altitudo diuinitatis:ipsum illis opprimi,tanquam iniquo fasce, ni uires suppeditet maximum illud,quod in pectore latebat, numen. Diuturnum erat uulnus generis humani, & curatum male,sanie ac purulentia intolerabile: & siquid in eo pœnitentia,sacrificijs, cultu Dei & religione erat cicatrice,uel splenio obtectum: id totum recisum est, discetiu à cognitione & obseruantia Dei:ceu uerò parum fuisset hominum gēti Deum, quem nouerat,offendisse:nisi etiā illum uel omnino ignoraret, uel si tenuiter nosset, tamen sperneret:& sic ageret,ut eius obliuisceretur.qui dicūt Deo, discede à nobis: scientiam uiarum tuarum nolumus. & (quòd omnium impientissimum,ac sceleſtissimum est) debitum Deo cultum uel ad mortuos detulerunt,uel ad res mutas, brutasq;.Hæc est prima & summa insipientia: fontem atq; originē sapientiæ totius ignorare:ut absoluta sapientia,illum nosse:quem si teneas,nullus ex hoc fonte manans riuulus ignotus erit.Quæ poterat esse humano generi spes à Deo,quem nec nouerat, nec uolebat nosse? nec illo fidebat,sed uiribus, lacertis, sariſſis, pilis suis, & disciplina militari:ut is esset potentissimus,quem reliqui ex iniuria timerent? Hæc gentiles. Iudæi quoq; non parum bellis gloriabātur, sed in primis notitia præceptorum Dei: quæ quum scirent,nec exequerentur:tanto erant deteriores, quàm qui ignorabant. Propter hæc hominum scelera percussus est filius à patre in mundum demissus: ubi ijs rebus,quas mundus primas censet,inferior esset infimis hominum futurus: diuitijs,possessionibus, uestimentis, amicis, clientelis, genere, honoribus, dignitate: ut, quum uulpeculis non desint foueæ,& uolucribus cœli niduli, regi & Domino seculorum deesset non domus modò,sed uel cubile humani moris. Proh mundi pudor, quum Tiberio hominum impurissimo supereſſent aurei & eburnei lecti: in quibus eius canes cubarent:tibi angelis meliori lectus defuit humanus. Sed nec mirum, te humana non capiunt,humanum omne fastigium supergressum,transi ad angelos, imò ad Deum:cuba hodie, dum inter mortales agis, in grabbatulo durissimo crucis tuæ:& ab ima rerum humanarum humilitate, magno saltu angelos transcende. ibi quiesces,ibi sedebis,eorum,& nostrum,& uniuersorum Dominus:regnumq; tuum nullo fine terminabitur. Despicis tu nostras opes,quas Dei scis esse dare,non uti,magnumq; imitari uolentibus circumfers exemplar: per earum contemptum ad angelorum consortia peruenīri.talis quisq; est qualem se facit. fortuna suis cuiq; fingitur moribus,cuius est(ut ille dicebat)faber sibi unusquisq;.Ille uoluptatibus uult stipari, & circunfundi:referetur inter pecudes.alter opibus,imperio,potentia excellere,numerabitur inter homines. hic calcata fortuna, ad uirtutem, sanctitatem, diuinam quandam sese attollit uitam: ad filios Dei perueniet. Sic tu pleno gradu ad regnum æternitatis uadis, & dum regnum in orbe contemnis: orbem ipsum, cœlos,ange-

los conſequeris, ibi corroborabuntur lacerti tui: &, quemadmodum de te ſcriptum eſt, ardens ſplendensq; eris ſub lumbis, & ſupra lumbos: quos lumbos nunc iſte populus tuus, tam fractos & inualidos gerit, ut elumbata ſit omnis noſtra fortitudo. Roboris, continentiæ, temperantiæ ſymbolum, eſſe iubes lumbos accinctos. hac de causa diſcipulus tuus Petrus hortatur: Succincti lumbos mentis ueſtræ, ſobrij, perfecti ſperate in eam, quæ uobis offertur gratiam, per reuelationem Ieſu Chriſti, tanquam filij obedientiæ. non in morem priorum ignorantiæ ueſtræ deſyderiorum: ſed ſecundum eum, qui uocauit nos, ſanctum, ut & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis: ſicut ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Nos multo diuerſius: ſoluti lumbis, & incontinentia uitæ, in quos imperium conceſsimus Sathanæ (ſicut Iob inquit) fortitudo in lumbis: polluimus primum noſipſos: deinceps genus noſtrum, quod illinc propagatur. Hinc ſumpta ex uiribus noſtris temeraria confidentia, ſtulti filij ſapiẽtiam patris pro nihilo ducimus. unde uox illa: Amplior eſt digitulus meus lumbis patris mei. ſic in genere ignominia. ſic in infirmitate noſtra deriſio: dum in tanta imbecillitate tantam ferociam oſtentamus. Hæc tua caro, Chriſte: hoc tuũ corpus, qui nos ſumus, nihil ſapit ſani: ut meritò uereri poſſes, ne ſolus relinquere caput ſine corpore: conſumpto hoc & ſublato tanquam mortuo, & iam nullius ſenſus à patre tuo, indignato propter ſuperbiam intolerabilem in nobis diarijs animalculis. Quo te rapit beneuolentiæ uis, mundi princeps: ut in te cauſam tam parum fauorabilem transferas: & ipſe tantum flagitiorũ, facinorum, turpiũ rerum & abominandarum reatum in tuum puriſſimum caput admittas: ut in tam fœda cauſa & terra, nihil allegare poſsis, præter uires amicitiæ? Sed honeſtiſsimus eſt hic prætextus: & dignus, ob quem à quocunque iudice abſoluaris, potiſſimum à Deo patre tuo: qui cur huc ueneris, cur hæc mala noſtrorum uitiorum ſubeas, & perferas, non eſt ignarus. ſcit te nihil eſſe commeritum: imò uerò uirtute, & dignatione tua meritum terræ & cœlorum principatum, qui tibi dabitur. amicitiæ autem, charitati, beneuolentiæ hoc tribuere. ergo uiuant tui: non quia meriti, ſed quia tam fortunati, ut talem ſint nacti amicum. exaudiris propter immenſam tuam maieſtatem. Aſcendant, fiant magni, & excelſi iſti tui homuli, contempti antea & ſpreti: quandoquidem reperierunt tantum Deum, qui pro ipſis ſe demittere, & contemni ſuſtinuerit. & ita te deieciſti princeps, ac Domine uniuerſorum, ut acerbiſſimum ſupplicium, exquiſitos cruciatus, ignominioſiſſimam mortem uolens & lubens adieris: non tamen citra perturbationes ſæuas animo tuo, atrocesq;. Cor tuum, ſedes & caput uniuerſæ ſapientiæ, agitatum, & concuſſum, ac ſuo penè loco diuulſum eſt. ipſa lumina, imò duo patentiſsima charitatis & miſericordiæ oſtia concluſa ſunt, & quemadmodum oculi noſtri immodica luminis uiolentia extinguuntur: ſic illi tui inualeſcente immenſæ ui amoris ac miſerationis noſtri, tanquam ab igne quodam exuſti ſunt. Ibi periit tuus ille decor, qui ſpectantes in ſui admirationem ducebat. ibi angelis celſior, pendentibus latronibus inferior uiſus es: cornua in manibus tuis: ibi abſcondita eſt fortitudo tua. corpus tuum animis tui populi ſimillimum: afflictum, cæſum, raptatum, tractum. in quo nulla pars erat, quæ nouam poſſet plagam recipere, arcuit & fugauit à te non modò turbam illam toties à te cum tanto miraculo pauciſſimis alimentis ſaturatam: ſed diſcipulos ſic indulgenter habitos, pro quibus etiam pectus tuum opponebas. Conſanguinei & affines obſtupuerunt tam probroſa morte: nec auſi ſunt accedere, ne ipſos contagium læderet ſanguinis tecum communis. miniſtri præfecti & Pontificum, autorem ſuæ uitæ neci dedebant. Te Phariſæi & Pontifices, & principes populi, à quibus accuſatus & traditus Pilato fueras, irriſerunt: tanquam de illo triumphantes, qui arcana ipſorum ſcelera, ſæuámque ambitionis & auaritiæ coniurationem retegeret: quique ab ipſis multitudinem ad Deum traduceret, & hoc, ubi primum mundo cœpiſti illuceſcere, fulgentiſſimus ſol, & ſanis oculis clariſſimus dies, egerunt: ut te penitus, antequàm per orbem lux iſta ſpargeretur, opprimerent: mundique auerterent ſalutem: nec nouus illuſtratus populus naſceretur: nec ceremoniæ ipſorum, & ſacerdotium, & nox legis finem inueniret: ſed te hærede ſublato,

lato, hæreditatis, iure quodam usucapionis ad ipsos deuolueretur. In hoc cum alio tempore, tum maximè quum reus esses, ac etiam condemnatus, & supplicio admotus: operam intenti ac sollíciti nauabant. Tu autem magis illorum uicē, quàm tuam dolebas. nam tu id peragebas iter, quod tibi erat æternis legibus præstitutum. Ipsi odio & inuidia cæci in te, incidebant lapidem offensionis, positum in Israel, propter eos qui se morbis animi excæcauerunt. In hunc si quis ceciderit, confringetur: sin hic in aliquem, comminuet eum. Et quando quidem eo loci nihil erat admonitio profutura: silentio & dolorem tuum testabaris, & innocentiā approbabas. Nec maledicentibus remaledicebas: nec comminabaris cædentibus (quum posses omnes uel unico nutu perdere) sed mansuetissimus & clemētissimus de tortoribus & percussoribus tuis anxius, ueniam illis à patre postulasti inter ingentes cruciatus, in nuditate, in dedecore, in cruce pendens. sollicitus uidelicet, ne in illos primum, tanquam grauissimo sceleri alligatos, patris animus iniustam filij mortem atrociter uindicaret. Siccine hominum meministi, oblitus tui? declaras non ad tua negotia te huc esse missum, sed ad nostra. iudicaris, & condemnaris, & occideris, tanquam non audias, tanquam mutus ab ortu suo, tanquam is qui reuincere calumniantes, & oppro brantes refutare nequeas. atqui potes tribus uerbis planum facere, te honore ac gloria esse dignissimum: illos uerò à quibus crucí adfigeris, mille cruces esse meritos. ergo quum nec respondes, & indignissima perpeteris: ostendis te non inuitum ad mortem trahi. Nemo eripit tibi animam tuam: nec cuiquam est in te inuitum ius, aut potestas. ipse eam ultro ponis, ipse tibi per te resumis. non uenisti, ut quenquam iudices, aut condemnes: nec gloriam tuam quæris. habes in cœlis patrem, qui quærat, & iudicet, & damnet. Quid opus est tibi responso ullo, quum talem habeas patronum tuæ causæ? Ipse pro te respondebit, & actorem in te confutabit, & examinabit testes, & iudices ipsos grauissime nota censiora ob iudicium corruptum inuretur. autores incitatoresq; mortis tuæ diabolos seueriſſime comprimet, ac puniet: nec sinet illis lætam esse necem tuam, quam tanta diligentia procurarunt. nec bene eis uertet, quod tam magnificè & locuti sunt, & sperarunt: quum te cernerent tanquam à Deo derelictum, & repulsum. Largiris tu quidem libenter animam pro eo populo, quem tuendum suscepisti: sed is dolor infixus, tuis hæret præcordijs: quòd hostes tui de peccatis hominum tuorum crescunt: magnique sibi uidentur esse, & uelut dilatasse pomœria suæ ditionis, si multos in similitudinem sui, & cōsortium pertrahant uitæ turpissimæ, atque fœdissimæ: si quàm longissimæ abs te abducant. Putant te inimicum sibi, si hos seruas: quasi malefacere sit obuiam ire iniuriæ. At tu nec illos odisti. nam aliter uiuere uel momentum, non possent. ipsi te oderunt, quia qui potentiorem læsit, timet: qui timet, odit. & quia sic te oderunt, nihil possunt præ se amare. quę est infelicitas extrema. Adiungunt se his, qui affecti sunt abs te tot beneficijs, qui eam tibi gratiam referebant: ut pro saturitate, famem ac sitim: pro sanitate, omnis generis morborum supplicium & plagas reponerent: mortemq; tibi indignissimam afferrent, quibus tu salutem & uitam attulisses. Illi mortem meriti, uitæ sunt tua ope restituti, tu uitam sic meritus, uitæ autor, durissima ab illis morte per tot cruciatus mulctaris. Neq; hoc est eis satis. tanto ac tam seruili supplicio conuitia & contumelias addunt. Fungeris legatione à patre mandata, incorruptus & altior fortunis, ac mundo ipso: doces mortalis uiam patris tui: nec potentia regum, nec minis pontificum, nec autoritate sacerdotum deterritus, aut ab instituto cursu retardatus. addis doctrinæ tot in promiscuum populum, in reges, in principes sacerdotum beneficia, nullus à te excluditur, qui uti uelit. Sentiunt te in iuuando esse omnipotentem, cætera mansuetissimum & innoxium: tantum quòd homines ab hominibus ad Deum conuertis, & extollis. Non cares, qui tua maligne ac impie interpretētur, qui te premant testimonio capitali: qui, quum sic affectus esses, ut hostibus quoque misericordiam & lachrymas posses elicere, probris & irrisione tuam mortem prosecuti sunt. Hi sunt planctus tuæ ludeæ. Hi honores in tuo funere extremi: desertus à discipulis, ludibrio habitus à popularibus, illusus à gentibus, execratus à pontificibus, precario de cruce

deponeris, ſepulchro es illatus alieno. Sed mirum non eſt, te ſepulchrum tuum in morte non habuiſſe, qui mortalem uitam ſine domo tranſegeris: & multominus ſepulchro eges, in quo ſeruetur depoſitum mortalitatis tuæ uſq; in diem tertium, deſtinatum tanto myſterio. Commendas animam tuam Domino, & in diebus carnis tuę imploras illum, qui poteſt te ſeruare à morte: & exaudiris pro tua reuerentia. Sine lachrymis & funere contumulaberis: ſed irriſa fata tua admirationem olim totius humani generis, laudesq; immenſas excitabunt. Nec tibi planctus, & luctus deerit. planget ſeipſam Iudæa ſuper te, idq; ueris lachrymis funditus exciſa & eiecta. Plangemus & nos omnes tui te, non tua, ſed noſtra culpa tale ſupplicium adiiſſe. Exaltaris à terra: ideo trahis ad te omnia, non recuſaſti ſanguinem, uitamq; pro peccato impendere: longiſſimam idcirco & feliciſſimam ſtirpem uidebis: translatusq; in cœlum ad regnum & beatitudinem te dignam: tanto es angelis maior, quanto hîc in morte minor hominibus uidebare. Precamur te Princeps, & Pater noſter cœleſtis, nos ſoboles tua feliciter à te regenita: quę ab Adam illo mortalium primo infeliciſſimè genita fuerat: ne peccatis noſtris, quibus te toties in animis & pectoribus noſtris crucifigimus, iraſcare. ne nos furore tuo nocentes punias: ſed manſuetudine tua mitis expurges. Agnoſce nos filios tuos: nam nos agnoſcimus indignos eſſe nos, quos ipſe agnoſcas. Sana mentes, & conſcientias noſtras: ut iam hîc incipiamus guſtum quendam accipere cœleſtis tuæ beatitudinis, & centuplum illud etiam ante mortem: quod iis refunditur, qui aliquid in tui gratiam contempſerint. Hæc obſecramus, non per noſtram erga te pietatem, ſed per tuam charitatem erga nos.

BRVGIS, ANNO M. D. XXIX.

VITA HOMINIS CHRISTIANI.

I

MEmoria beneficiorum Dei perpetua.

II

Gratitudo erga benefactorem.

III

Amor erga optimum.

IIII

Veneratio erga potentiſsimum & ſapientiſsimum.

V

Ex amore Dei, amor hominum.

VI

Amor Dei, retractio à uanitate, ſtimulus ad ſancta opera.

VII

Amor hominum, retractio à nocendo, ſtimulus ad beneficentiam.

Ioannes Ludouicus Viues Valentinus

Ioanni Barroſo, inclyti Regis Luſitaniæ à negocijs Indicis, Viro clariſsimo S.

DISTINEMVR omnes adeò curis & cogitationibus alienis à pietate, ut cuiq; noſtrûm opus ſit crebra reuocatione animi, tanquam militis emanſoris,& in officio ſuo ceſſantis,ut cõſueſcat homo ſe ad cœlum atque originem ſuam attollere. Quiſque exiſtimet dictum ſibi à Domino,quod Marthę,Sollicita es,et turbaris circa plurima,porrò unum eſt neceſſariũ. Quocirca exercitamẽta reliqua,occupationis ſunt à nobis quæſitæ,hoc unum eſt neceſsitatis à Deo indictæ, ad illum exitum, cui eſt homo miſſus in uitam. Eam ad rem compoſui mihi pridem libellum, quem quo tempore uiſum fuit communem multis facere, habuit apud me amplam atque honorificam tui mentionem, Chriſtophorus Mirandius meus: declarauit nobilitatem tui generis,tum ingenium,eruditionem,probitatem,quę ego ex opuſculo quodam tuo ueſtrati lingua conſcripto facilè perſpexi, non potui non complecti, & ſuſpicere dotes animi, exercitas inter negotia tam uaria & magna. huiuſmodi ingenia uehementer gratulor Luſitaniæ: & prudentiam bonitatemq; Regis, quum alijs argumentis colligo permultis,tum quòd tales uiros publicis muneribus præficit. Adiecit idem Chriſtophorus de ſtudio erga me tuo ſummo & propè ſingulari, teſtato & quaſi conſignato literis tuis ad Andream Xuarium,hominem tui amantiſsimum. Quibus de rebus omnibus alius erit commodior dicendi locus: nunc anguſtijs excludimur Epiſtolæ dedicatoriæ. Quapropter Libellus hic, qualiſcunq; fuerit, certè maximis de rebus,maximeq; neceſſarijs, ſub tuo nomine prodibit: nec tu aliter dedicationem hanc accipies,quàm amoris inter nos mutui pignus. Vale. Antuerpiæ, menſe Auguſto,anno M. D. XXXV.

IO. LVDOVICI VIVIS
EXCITATIONVM ANIMI IN DEVM
PRÆFATIO.

SANCTA illa & præpotens natura,quem Deum appellamus, & in ſui admirationem magnitudine nos rapit, bonitate ad beneuolentiam inuitat, & quotidiana beneficentia ad gratitudinem. Tum naturæ noſtræ imbecillitas, neceſſitatesq; non quotidianæ modò, ſed ſingulorum quoq; momentorum, uti ad illam confugiamus,nos docent: quoniam is unus poteſt omnia, immenſa ui ac potentia prędítus: de bonitate autem illius nihil non ſperamus,toties experti. Itaque ſiue contemplamur præſtantiam, ſiue accendimur ad amandum tantam bonitatem, illúmque, qui prior amore prouocauit,ſeu quid poſcimus neceſſarium,ſiue compotes uoti gratulamur,attollit ſe animus ad Deum. Hæc, oratio ſeu precatio dicitur, per quam tacentibus nobis, uel uerba in ore formantibus, cor noſtrum Deo loquitur. Ille autem qui ſcrutatur renes & corda Deus, uerba fermonemq; eiuſmodi intelligit. Sed ſapientem oportet eſſe precationem noſtram, & ſale conditam: ne nos Deum faciamus hominis ſimilem, ut illum capi & delectari exiſtimemus audiendis ſuis laudibus, & tanquam

rebus gestis, ut quòd sit omnipotens, quòd cœlum & terram condiderit, quòd magna ædiderit atq; admirabilia, quæ nemo unquam mente & cogitatione consequi ualeat, nedum dicendo explicare. Hominum est hic affectus, nec planè sapientium. At non pauci, quando Deum orant, interrogati quid agant, respondent, Laudo Deum. Quid tu Deum esse uanum aliquem principem censes, te autem assentatorem illius, & quasi parasitum, qui adularis, & subblandiris, ut aliquid impetres? Precatio omnis non Dei gratia reperta est, sed nostra, ad quorum utilitatem refertur. Nam & petitio ad necessitates nostras pertinet, ut sciamus, quis sit omnium largitor: gratiarum autem actio, ut agnoscamus beneficium, & amemus beneficium: consideratio bonitatis, & charitatis, ad redamandum adducit: magnitudinis autem, ad cultum & reuerentiam, adde etiam ad amandum illum, qui quum sit tantus, dignatur nos tamen respicere, & in partem admittere magnitudinis, & beatitatis suæ. Itaque quum potentem nominas, quum uniuersitatis authorem, uenerare maiestatem, ama in tanta magnitudine, tantam bonitatem, benignitatem' que effusissimam. Quocirca oratio, quæ ad Deum fit, eò spectat, ut contemplatione magnitudinis & bonitatis nascatur, & adolescat in nobis charitas erga Deum, cultu & reuerentia admixta, quasiq; contemperata. Charitas, quoniam certissima est uia, atque adeò unica ad nostram beatitudinem, maximopere est è re nostra, ut augeatur quotidie. quod fit, recordatione & cogitatione crebra, atq; intenta. etenim si rarò aut segniter ueniat in mentem, flaccescet utiq; ignis, & extinguetur prorsum. Hac de causa, qui multiplicare in orando uerba prohibuit, & longum facere de eo quod petamus sermonem, idem nos filios suos monet, atq; hortatur, ut semper ac continenter oremus, hoc scilicet orationis genere, quo mens nostra per contemplationem Diuinæ uirtutis maiores indies concipit amoris flammas, magnoq; & pleno gradu ad felicitatem suam contendit. Nihil est ergo maius, nec homini Christiano utilius, quàm precari Deum: nihilq; in prima illa, & uera Christianitate uel factũ est crebrius, uel ardentius, quod Pauli epistolæ indicant, & conciones sacræ, quibus hodie quoq; utimur, recepto ab priscis illis ritu ac more. Nec dubium, quin inter epulas, inter studendum, in opificio quocunq; exercendo, in sequundis, in aduersis rebus idem factitarint, nihil sit denique absq; numinis imploratione transactum. Sed quibus tamẽ rationibus ac modis attollamus nos in hanc contemplationem, ad amoris flammas suscitandas, maioris est speculationis & ocij, aliud q; in tempus differamus. Hoc uerò loco de petitionibus tantùm dicemus. Vult nos Dominus omnia ab se uno expectare ac poscere. In quo uno fontes sunt atq; origines bonorum omniũ. nec nobis potest nocere, quicquid ab illo in nos manarit, nempe optimo, & nostri amantissimo: nec est quod præstare non ualeat potentissimus. Non habet eam facultatem angelus, ut sit omnipotens: nec dæmon in eo quod efficere potest, probam uoluntatem, qui pessimus est, & hostis noster. At homo infirmus & miser, nec potentia ualet, & uoluntate incertus est, ac mutabilis. Iubet ab se peti Dominus, non ut gratiam habeamus benefactori, sed quia nostra ipsorum interest, ut amare illum condiscamus, à quo sunt nobis bona uniuersa. Protrahit interdum ille uota nostra, ne apud imperitiam atq; inconsiderantiam nostram, quod leui opera exorauimus, uilescat: sed ut munus diu desideratum, & quasi emptũ carò, magnifaciamus, ac proinde etiam largitorem: quod nobis uehemẽter cõducit ad cultũ & amorẽ comparandũ. Quocirca non est desistendũ illicò, nec inter primas cõtinuò petitiones, si differamur, abijciẽdus animus, tanquam non impetraturis: imò uerò ad petendũ instantius ardẽtiusq; cõsurgendũ, exemplo uetulæ illius, quod nobis magister noster ad imitationẽ proponit, quę sedulitate sua iniquũ & deorũ atq; hominũ neglectorẽ iudicem, ut de sua causa cognosceret, perpulit, & sententiã ferret secundũ ipsam. Quapropter reputans ego cum animo meo petitionem, si amore, atq; eius comite fiducia cõdiatur, ualidam esse indubiè, ut uoti compotes fiamus, tum Precationem Dominicã canonẽ precationum omnium commentariolo mihi extẽdi, tum alias inde preces deriuaui, in quibus petitio esset haud nuda prorsum, sed reputatione uel maiestatis, uel bonitatis, uel infirmitatis nostræ adiuta.

adiuta,non quo ſic Deo exiſtimarem perſuaſurum me facilius,quæ cupiam: quæ enim eſſet cogitatio demẽtior,aut inſanior? ſed ut me purgatione ac ſublatione animi aptiorem ad impetrandum exhiberem.Breues precatiunculas confeci, ſiue quia interdũ iuſtis, & à Deo attributis occupationibus diſtinemur,per quas non licet longis precationibus immorari. Aliasq; animus noſter pondere hoc corporis obrutus, & retardatus,longa intentione delaſſatur,& flacceſſit.Imitatus ſum in hoc ueteres illos ſanctos patres,quos in ſolitudine uitam tranſigentes,& operi manuum intentos, Caſſianus refert,breues quaſdam precationes, & tanquam amentata iacula ſolitos ad Deum tranſmittere,dum animus incaleſceret,continuò pòſt redire ad opus. Poterunt hæc mea locum inuenire inter preces illas, quas compoſuerunt homines ingenij ac peritiæ nullius,frigidè atq; ineptiſſimè, ſine ulla prorſum tantis in rebus uel uerborum uel ſententiarum dignitate:& leguntur tamen à plurimis,allicefactis ſolo orationum titulo, qui penſi nihil habent, ut ad Deum ſe animis ſuſtollant dum precantur,ſed ut grãdem profundant uerborum aceruum, quomodocunq; collectum. Equidem non arbitror referre, quibus ores uerbis, ſed quàm te ad Deum orando erigas.Itaq; quæcunque id demum præſtat oratio,apta eſt & conducibilis, neque enim ſpectat Dominus eloquentiam dicentis, aut artificium, quæ in nobis, quod ad Deum pertinet, infirmiſſima & caliginoſa ſunt:ſed precantis mentem, quam unam ille exaudit,etiam prius quàm incipiat fari. Sed illa tamen uidentur eſſe eam ad rem uerba accommodatiſſima,quæ menti lucem aliquam,de eo quod poſcit,adferunt,& exuſcitant affectum iacentem,quod me,quantum pro uirili parte mea potui, & pro inſtituta breuitate ſecutum profiteor.Adieci excurſiones quaſdam,ſeu indicaui uerius,in quas animus precatione excalfactus expaciari poſſet,ſi uellet, quamdiu saluberrima illa pietatis aurula ſpiraret,quæ ut pleriſq; noſtrûm rarò contigit, quia nec uotis eam accerſimus,nec illi excipiendæ ac detinendæ nos paramus, ita quum datur non eſt prætermittenda, quin fructus ex illa colligamus, quàm poſſimus uberrimos,pareamusq; adiurationi ſponſi in Canticis,ne ſoporatam dulciſſimo & ſalutari ſomno ſponſam ad uitæ huius occupationes & curas excitemus, donec ipſa ultro expergiſcatur.Itaq; ut copioſior ad meditandum ſuppetat materia,prẽter orationes, in quibus eſt haud ſanè parua,excurſiones habebit paratas, quaſi quædam ad expaciandum diuerticula.Præmiſſa eſt ad orandum præparatio,quoniam ad hoc tantum & tam præcipuum opus pietatis,magna eſt animi purgatio neceſſaria,ut propius ad Deum accedentes exaudiamur,in caſſum alioqui clamaturi. A primo uni mihi hæc compoſueram,quibus me præter lectionem ſacrarum literarum, in rebus æui huius aſperis conſolarer,quæ permultæ quotidie tum extra nos,tum in corpore, atq; animo accidunt:opem à Deo poſcerem,in hac iugi neceſsitate mortalitatis noſtræ. poſtea uiſum eſt communem facere hanc meam operam, ſi cui etiam alteri prodeſſe queam, ad promouendum in pietate gradum, quod ego ingentis quæſtus loco deputo.Primum enim eſt,ut ipſe ſis bonus: proximum, ut alios facias. Indigemus iam olim profectò Chriſtiani omnes, humi perpetuò repentes, ſtimulis & incitamentis ad mentes noſtras erigẽdas,quæ abiectę prorſum in aſpectum rerum uiliſſimarum,quas calcare cõueniebat,ita expetunt,ut immortalitati ac beatitudine anteponant.

¶ Sequuntur Excurſiones CXLVII.

Pro animi præparatione. 117
Et pro acceſſu ad orandum, 30

PRÆPARATIO ANIMI
AD ORANDVM.

1

AD diuinam maiestatem contemplandam, quum se animus accingit & præparat,id faciat liber ad tantum ascensum,atq; expeditus: nempe iusis tãtisper curis uitæ huius absistere,& motibus animi sedatis.

2 In quiete est locus Domini,non in commotionibus.

3 In illam contemplationem sublatus, ne te impudenter aut temere ingeras,ne cum ignominia & damno repellaris.

4 Nec singulorum causas inquiras, quæsitæ sunt in diuina sapientia, quam ne angeli quidem assequuntur.

5 Quòd hominibus sapientibus tribuimus, ut impares fateamur nos illorum rationibus ac consilijs,quanto reuerentius concedendum est Deo.

6 Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria:non aliter, quàm qui intentis & inconniuentibus oculis,serenum solem intuetur.

7 Nolite plus sapere,quàm oportet sapere,sed sapite ad sobrietatem.

8 Altiora te ne quæsieris,fortiora te ne scrutatus fueris:sed quæ præcipit tibi Deus, ea cogita semper,& in pluribus eius operibus ne fueris curiosus.

9 Non est enim necessarium tibi ea,quæ abscondita sunt,uidere oculis tuis.

10 In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus.

11 Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.Multos enim supplantauit suspicio illorum,& in uanitate detinuit sensus eorum.

12 Ergo de diuinis rebus senti reuerenter:fac ueniat tibi in mentẽ, te esse puerum, & sapientiam Dei non assequi,qui etiam in humanis passim cæcutias.

13 Esse rudem, nec arcana Dei didicisse, quum etiam humana te propè omnia lateant.

14 Esse angustum,& amplitudinem diuinorum pectore tuo non capi.

15 Esse malum,ideo hæsitare,& malitiam uelut pondus trahere te à Deo ad se, ab spiritu ad carnem,à sublimitate cœli ad terræ humilitatem.

16 Esse suspicacem,& ex te alia metiri: diuina ex humana mensura censere, sæpe etiam ex tua ipsius,hoc est parua & praua.

17 Quum contrà,si Dei opera cum eius facultate & potentia cõpares,minima tibi uidebuntur,& longè illi factu faciliora,quàm tibi cogitatu.

Summitte ergo te maiestati omnipotentis,iusis omniscij, monitis amantissimi ac beneficentissimi.

18 Illæ sit scopus uitæ tuæ,ad illum rectà tendito,siue calcandæ sunt opes,siue dejiciendus & prosternendus,uel obstans filius,uel parens.

19 Fidelis sermo,& omni acceptione dignus, quòd Iesus Christus uenit in mundum ad peccatores seruandos.

20 De Iesu Christo cogitabis,nõ ut de bono quopiã & sapienti uiro,sed tanquam de uirtute & sapientia & bonitate Dei, quem pater dedit reconciliationem & salutem hominum,magistrum atq; exemplar generis humani.

21 Illius fiducia,erit lapis ædificij firmissimus.

22 Vita eius pro antidoto cuiusuis morbi,atque affectus:suppliciũ pro solatio incommodorum,& calamitatum uitæ:resurrectio pro spe uerorum bonorum.

23 De diuis senties tanquam de egressis mortalem sortem,iunctis Deo, & (ut sic dicam) membris Dei.

24 Ad coniunctionem Dei, hoc est ad summam beatitudinẽ & finem humanum uenitur per charitatem Dei.

25 Quæcunq; sunt in mundo, cœnũ esse duces præ charitate & gratia Dei: fœlix si illam

si illam conciliaris tibi,etiam rerum quæcunq; in mundo optari possunt iactura.
26 Sine illa nihil est dulce,nihil lætum:cum illa nihil amarum,aut triste.
27 Peccatum auersio est & separatio à Deo,id est à fonte uitæ,ac boni uniuersi.
28 A peccati actione, occasionibus,causis , etiam imagine & specie longissimè fugito:id est,quàm proximè fieri poterit,accedito ad Deum.
29 In tentatione ne cõfidas tuis uiribus:nec cum tanto potẽtiore,quàm tu es,congrediare,te uno fretus.
30 Sed illius opem implora,qui dixit:Confidite,ego uici mundum.
31 Itaq; tibi diffisus,ad sapientiam crucis te recipe, ac uerbo fidei te sepi, tanquam ualida armatura.
32 Noueris te ipsum,quàm infirmus es corpore,quàm insscius corde,q; prauus uoluntate,quàm seruus eorum possessor quæ habes.
33 Itaq; modicè,ac potius demisse de te senti,conscius infirmitatis tuæ:hæc est uera animi modestia,non illa quæ in gestu aut cultu,aut uerbis est sita. uera cuiusq; animi demissio ante Deum est,ut illum intuitus,planè intelligat illũ esse omnia,se ipsum uerò nihil penitus:aut si quid sit,minimum quiddã esse,& uelut guttulã, atq; eam ex immenso illo mari destillatam,nec futurã diutius quàm dum ab illo conseruetur.
34 Quandoquidem à Deo sunt bona omnia,nec aliunde ueniũt,quum quid feceris boni, ilicò erige te ad recordationem unde sit bonum illud, eiq; habeto gratiam, qui eas tibi dignatus est uires impartiri,quibus rectè ageres: alioqui immemor iudicaberis beneficij,ac proinde ingratus.
35 Caueto etiam atq; etiam,ne tibi in mẽtem ullo modo ueniat, posse te Deo prodesse.neu tibi de bono opere blandiaris, tanquam eo sis tibi Deum promeritis : quæ cogitatio pestilentissima est,& sæpenumero optimorum operũ corruptela,ad quam tollendã Dominus noster dixit:Posteaquàm hæc omnia feceritis,dicite, Serui inutiles sumus.
36 Reputa cum animo tuo,te Deo nec cõmodare posse,nec nocere. siue enim bonus siue malus fueris,tibi eris,ne tua rectè facta tanquam ad rationẽ cum Deo ineundam in cogitationem reuoces,& ad expensionem precij cuiusquam, unde tibi uana & pernicioſa fiducia nascatur,qualis Pharisæo illi Euangelico.
37 Acutus tibi uideris: tanto peior,ni & bonus.
38 Hebes:tarditatem Christus boni consulit,modò adsit uoluntas recta.
39 Doctus:frustra,nisi tibi prosit doctrina tua.
40 Nequicquam sapit sapiens,qui sibi non sapit.
41 Rudis:atqui Christo magna est eruditio,facere,quæ ipse iubet.
42 Tantum scis,quantum operaris.
43 Animosus:aude igitur contemnere,quæ alios terrent,fortuita.
44 Timidus:imò nimis audax, si uiolare audes Dei leges, hoc est, inimicitias cum Deo suscipere.
45 Formosus:frustra,si deformis insit animus.
46 Vide,ne in formoso hospitio habitet hospes deformis.
47 Deformis:Christus solam spectat formam animi.
48 Sanus:quorsum,si mens insana?
49 Æger,admoneris tuæ mortalitatis.
50 Et hàc ibis illuc,ubi nullis deinceps morbis attingere,sempiterna erit sanitas.
51 Perfrueris delicijs ac uoluptatibus:delicatè alis grauem tyrannum.
52 Laboribus exerceris,sic uinces,& domabis hostem tuum.
53 Ærumnis premeris,ea est uia expeditissima ad fastigium uirtutis.
54 Validus es,exercere robur tuum ad maximum præmium.
55 Inualidus:uirtus animo eget,non lacertis.
56 Celer:effuge ergo uitium,quod te persequitur.
57 Tardus:satis celer es,si animo cœlos transcendis usq; ad Deum.
58 Longæuus:solus uiuit diu,qui bene.

59 Vitæ breuis:tam facile in cœlum itur per breuem,quàm per longam uitam.
60 Morbos,casus humanos,mortem neque tibi neque alij cuiquam optaueris,uel timueris:sed æquo animo expecta, quid Christus,cui sumus curæ,de nobis statuerit. & id quicquid fuerit,ferendum moderatè,considerantibus à quo mittantur,non sine causa nostri boni.
61 Quid iuuat anxium esse de morbo,aut morte,nihil profecturum? quod ergo te inuito euenturum est,eueniat libente.
62 Laborandum est tota uita,non ut ne moriamur, nam id nec fieri potest,nec optari debet:sed ut ne malè moriamur.
63 Fratres ama,uel quia digni sunt,uel quia commendati à Christo:illisq; opta, ac pro uirili procura maximum illud bonum,Dei gratiam ac fauorem,& ea per quæ illud facile nanciscantur.
64 Malos noli perditos,sed emendatos.
65 Non mentiendum cuiuscunq; lucri gratia,non assentandum.
66 Non irascendum,quicquid contingat: nemini succensendum,non malè dicendum,non obtrectandum,non execrandum,quæ omnia sunt contra hominis naturalem habitum.
67 Ambigua aut incerta ne in sinistram interpretationem rapias, quod est uoluntatis prauæ.
68 Non insolenter aut arroganter uel sentiendum, uel loquendum, quod est & Deo & hominibus odiosum.
69 Nemini immortalia inuidendum, quod est hominis non reputantis fragilitatem & fugacitatem earum rerum.
70 In ignominia memineris quid obiectum sit Christo in os: & ea non raro exhibetur tanquam morbi alicuius medicina,ut Dauidi.
71 In laude fac animo succurrat,quæ habes bona,non tua esse, commẽdari à Deo, huic habendam gratiam.
72 Mala tua sunt,bona autem Dei.
73 Quòd si homines guttam admirantur quandam, quid facerent, si ad illum se fontem uberrimum contemplandum erigerent?
74 Iam uerò reflecte in te ipsum oculos:uidebis quàm exigua res sit homo, quàm leuia humana omnia,& nulla prorsum laude digna.
75 Fac ueniant tibi in mentem lapsus tui frequentes, siue in uirtute, siue in sapientia, & ingenio: qua cogitatione uelut frigida suffusa, dilues fallacem laudationis ebrietatem.
76 Ne illa uel sumas,uel optes in uita,quæ occupatione ac cura sui abducere à cultu pietatis solent:ut uaria & grauia negocia,procurationes rerum asperarum, grauium,difficilium,intricatarum.
77 Quid prodest homini,si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur?
78 Nobilis tibi uidere,utinam uirtute & decore bene parto:sed ut ita sit,aliena certè uirtute nihil mereberis.
79 Ignobilis:non potest esse ignobilis,cui Deus est pater.
80 Boni nominis:non es,si male à Christo audis.
81 Infamis,Christus uidet an meritò:& da operam,ut illi te approbes.
82 Affectus iniuria:fortasse amore tui nimio falleris,sed Deus ultor.
83 At tu potes ipse ulcisci: melius te ulciscetur Deus, sine tuo periculo, et ubi læ denti dolebit magis.Sed noli optare alteri ultionem, ne in te redundet. An tu putas nihil commisisse te ultione dignum?
84 Gratiosus:unus est uerus & sempiternus amicus Deus.
85 Inuisus:si tua culpa,corrige:sin minus,acquiesce Dei amicitia.
86 Desertus ab amicis:at(si modò uis)non à Deo,firmissimo amico.
87 Refrixit amicorum amor desuetudine: optimè,quod semper Christus nobiscum

cum uerſatur,nec deſueſcit.
88 Charus potenti, ſæpe homini peſsimo:ſed quid hoc, ſi inuiſus Chriſto, potentiſsimo,ſummo,æterno?
89 Inuiſus potenti:at potentibus dominatur Chriſtus.
90 Diues:uide ne ad paucos dies diues,ad æternitatem pauper ac miſer.
91 Pauper, & pannoſus:nō eſt ad longum tempus diuitijs, & eam perſonam non reſpicit Chriſtus.
92 Famelicus: non alit nos panis, ſed uerbum Domini. Et ſatur es, ſi paſtus pane, hoc eſt doctrina Chriſti.
93 Opulentus,potens:uoces tantum audis circumſtrepentium, non cōſcientiam tuam,quæ clamat te eſſe inualidiſsimum atq; infirmiſsimum.
94 Sed quid potes?malefacere magis quàm benefacere,lædere potius q̄ prodeſſe.
95 Et in quos potes? in eos ipſos,qui ſi obſequium ſubtrahant,nihil poteris.
96 Iam quale eſt,in alios poſſe,non in teipſum?
97 Amicitijs fultus, memineris amicos omnes eſſe homines, id eſt mutabiles, & mortales.
98 Sed quid iuuat infirmorum & miſerorum animantium beneuolentia, niſi & ab illo ameris,cuius te amor poteſt beare?
99 Propinquos habes,et cōſanguineos multos,ac magnos,an nō iniuriā facis deo, qui talē habēs patrē, cōſanguineos de quibus gloriere quæris,mortales miſerrimos?
100 Refertur tibi pro beneficio gratia:ſi ea gaudes, quàm bene Deo creditur, qui nunquam non remuneratur,& prolixiſsimè.
101 Memineris tu uiciſsim referre,quam potes Deo,cui tam multum debes.
102 Non refertur:optime Deo fiditur,qui ſemper refert.
103 Et caue,ne committas ipſe,quod culpas in alio.
104 Viuis in patria:imò in exilio,ni adſit Deus.
105 In exilio:nuſquam eſt exilium,ubi adeſt.
106 Deus,qui eſt nobis omnia.
107 In ædibus ſplendidis:tanto tu deterior,ſi locum nitidum flagitijs contamines. In ſordidis ædibus,in carcere:at in mundo Dei templo,& quod ille uniuerſum præſentia ſua complet.
108 Morieris:hâc ad illum ibis,qui te amplius non ſinet mori.
109 Per cruciatus:eo libentius ad immortalitatem illam reuolabis.
110 Omnia ſi habes præter gratiam Dei,perniciem habes,non bona.
111 Qui eam habet,huic nihil bonorum deeſt.
112 Eam ſi nactum te credis, caue ne efferaris animo. nam ſublatus à teipſo,amittes illam.
113 Tu qui ſtas,uide ne cadas:ne iudices fratrē tuū,ne tu peior eo fias, ille te melior.
114 Oſtendam tibi ô homo,quid te oporteat facere: facere iudicium & iuſticiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Non propter illius moroſitatem, aut difficultatem,quæ nulla eſt:ſed propter tuam fragilitatem,quæ maxima.
115 Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius.
116 Quanto magis abominabilis et inutilis homo,qui bibit quaſi aquā iniquitatē.
117 Agnoſce ergo teipſum malum,ô homo:Deum autem bonum,& bonitatis, ſi quam habes,authorem.

I ACCESSVS AD ORANDVM.

SPiritus adiuuat infirmitatem noſtram.
2 Nam nos quid oremus,ſicut oportet,neſcimus.
3 Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.
4 Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.
5 Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ,& ſperate in Domino,

6 Accedenti ad orandum Deum,cogitanda est in primis tanti principis maiestas, qui nos finxit,qui etiam cogitata nostra intuetur, & oblita nobis recordatur, conferenda cum nostra humilitate,ut meritò possimus dicere,Loquar ad Dominũ Deum meum,quum sim puluis & cinis,& putredo consumenda.

7 Quoniam quidem actionum nostrarũ omnium spectator est Deus, sic te gere, ut illius oculis dignum est.

8 Memineris non esse linguam quæ precetur,sed mentem.

9 Quid si mens aliud agit? quæcunq; uerba lingua pronunciet,nihil oras.

10 Inanis est strepitus,& proinde Deo ingratus.

11 Orabo spiritu,orabo & mente:psallam spiritu,psallam & mente.

12 Oratio,collocutio est cum Deo,in eum oportet esse mentis nostræ oculum intentissimum,non aliter quàm oculum iaculantis in album,ut collimet: alioqui in diuersum,quàm quò destinarat,abibit.

13 Fructus ueræ, atq; in id quod conuenit intentæ orationis amplissimi sunt atq; uberrimi:refert enim ad nos bonorum omnium,quæ optamus,copiam.

14 Si oculũ à Deo uel ad tuos affectus,uel ad aliena iudicia deflectas,ô quantam facis iacturam? quàm leui re ac uana,quàm solidam & perennem commutas?

15 O quàm excellentis operæ,quàm uile precium proponis? quum liceret,si uelles,maximum & præstantissimum consequi.

16 Idcirco Dominus noster præcipit nobis filijs suis,ut quũ quis nostrûm ad tam sacrum colloquium se accingit,secedat in seipsum prorsum,hoc est in penitissimum pectoris sui conclaue,in altissimum mentis suę silentium,quò nec adfectus admittat suos,nec respectum alieni iudicij.Ibi secluſus omnibus,solum Deum cogitationũ & uotorum suorum conscium roget. Hunc uerò,qui uni sibi uiderit fundi preces ac uota,nec aures oculós ue spectari hominum, remuneraturum puram illam simplicitatem cordis plena manu.Alioqui perit ingẽs ab oratione fructus,homini te approbari concupisti:habes quam expetieras mercedem,quid aliam uel expectas à Deo,uel quæris?

17 Quiescant omnia,& cedant operi, quo maius nullum esse potest in uita, nec præstabilius.

18 Abscedite uiles ac degeneres curæ: cum principe atque authore omnium loquendum est.

19 Discede malitia,nam ad optimum accedo.

20 Abi odium,nam ad amorem ipsum.

21 Cessate nugæ ac res leues,nam ad seria & solida,& permansura uadimus.

22 Meditationi nostræ magna insit attentio,cum pia ueneratione.

23 Petitioni magna fiducia,non ex meritis nostris,sed ex illo qui sic iussit nos facere,cuius in hanc sententiam sunt syngraphæ.

24 Petite,& accipietis.

25 Quæcunq; orantes petitis,credite accepturos uos,& fiet.

26 Omnia quæ petieritis in oratione,credentes accipietis.

27 Si uos, quum sitis mali,nostis bona dona filijs uestris dare,quanto magis Pater cœlestis dabit spiritum bonum petentibus à se?

28 Si manseritis in me,& uerba mea in uobis manserint,quodcunq; uolueritis,petetis,& fiet uobis.

29 Sed addamus tamen ad cautionem:quod est apud Iacobum.

30 Petitis,& non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in concupiscentijs uestris insumatis.

PRÆPARATIONIS ANIMI AD ORANDVM FINIS.

Ioannis Lodouici Viuis Valentini ad Commentarium in orationem Dominicam Præfatio.

PAVLVS Iesu Christi Apostolus negat scire nos, quemadmodum sit orandum, quid petendum à Deo, quibus uerbis: uidelicet in maxima uersamur ignoratione tum Diuinæ naturæ, tum nostri ipsorum, & rerum futurarum. Itaq; metientes Deum ex nobis ipsis, non aliter sæpenumero infinitam illam maiestatem adimus, quàm ex nostris principibus quempiam, cui abblandimur et adulamur, ut auferamus quę cupimus, tum illi bene optamus, ac precamur, et saluum esse iubemus adeuntes, & ualere discedentes, à quo uno salus est omnis & ualentia. Iam quę nobis ipsis optemus profutura & salutaria, profectò nescimus. Multa enim facimus uota, usque adeò nobis noxia, ut execrationes potius uideri possint. Postulamus à numine ingenium, literas, facundiam, robur, animum, formam, sanitatem, diuitias, opes, connubia præclara, potentiam, liberos, dignitatem: nec sunt ista hominum uera bona, & plurimis sæpe exitio fuerunt. Quocirca, ut religionis, ita etiam precationis, quæ religionis cultus præcipua est pars, is demum esse author & magister potest, qui naturam & nostrã & diuinam pernorit, ut quid homini salutare sit, teneat, quid à Deo expetendum, dignum & Deo ipso & petente: iam quibus uerbis, non tam Deo congruentibus (ille enim uerborum omnium uim & significantias excedit) quàm dicentis animo, ut quemadmodum ritè sit de Deo sensurus, non ignoret, amorq; nascatur ex intelligentia, & confirmetur. Magister cœlestis sapientię, imò cœlestis ipsa et Diuina sapientia, in nouitate suæ gratiæ nouam precandi Deum formulam suis præscribit. Erant quidem in Lege preces, haud sanè paucæ: erant Psalmi, sed in illis omnibus sapor quidã inerat ueteris ruditatis & caliginis. Dominus autem uerbum abbreuiatum suis protulit, purgatum nouitate luminis transcœlestis, in quo uerbo inessent thesauri sapientiæ, deprompti ex libro illo septem sigillis signato, quem ipse solus dignus inuentus est qui aperiret. Oratio hæc qualis tandem sit, quid opus est coniecturas inquirere? Illa una sit instar plurimarum, quod à tali sit authore profecta. quid enim potest ab illo exire non summum, & suis omnibus numeris cõsummatum? At uerò si uirtutem atq; excellentiam precationis huius, quantum ingenium nostrum sinit, uelimus expendere, animaduertamus primum breuitatẽ: nam quando uniuersis uelut quædam exhibeatur regula, conueniebat breue esse, ut capi & contineri posset à pueris, à senibus, ab ægrotis, à mulierculis, ab occupatis, à rudibus, à tardis, ab obliuiosis, à segnibus. Iam uerò nullum est uerbum, in quo non innumera occultentur mysteria, nimirum à Diuina sapientia dictatum. Contempletur quiuis attentè ac piè, sentiet uerum hoc esse. nam profani, qui uerba hæc frigidè ac oscitanter, atq; aliud agentes pronunciant, quî possunt in recondita penetrare? utiq; haud magis quàm in alio quocunq; seu Aristotelis seu Platonis opere, seu cuiusuis alterius hominis ingenio atq; eruditione præcellentis. Quàm multa sunt de explicatione orationis huius à sanctis uiris, à magnis ingeniis perscripta, nec tamen uarietatem et multitudinem sensorum potuerunt exhaurire? quotidie inueniuntur, quæ dicantur noua, nec unquam pertingetur fundum. Est ad hæc precatio moderata, digna certè, quę ab opere dicatur opifici suo. Quid enim in illa poscimus à Patre, quod non auderet quiuis ab extraneo postulare? quid poscimus à beneficentissimo, quod erubesceret quis à durissimo rogare? Age porrò, quę desideria, quàm nobis utilia, quàm digna, quę apud Deum exponantur, qualis eorum ordo atq; descriptio? Vota & desideria omnia humani pectoris ad bonum feruntur, ueluti ad scopum quendam ipsis propositum: fugiunt uerò malum atq; aspernantur. Hîc à Domino, & postulamus bona & mala deprecamur. Primum omniũ qui rogat, cum spe ac bona fiducia quo exoraturus sit, debet rogare: alioqui

ut ne uerbum quidem omnino faciet,aut quod proximum est,frigidè petet,ac subdubitans:quæ causa est,cur multi,quod optant,non assequantur. Fiducia autem,ex consideratione duarum rerum nascitur,quòd is à quo aliquid expectamus,& potest facere,& uolet. Voluntas in paternitate declaratur,potentia in fede cœlesti. Prior uerò est paternitas,ut pium nomen bonitatis nos alliciat,antequàm deterreat magnitudo, & de uoluntate sumamus fiduciam prius quàm de potestate cogitemus. Sublati ad celsitudinem potentiæ statim maiestate illius imbuimur,& proni ueneramur, atq; adoramus excellentiam naturæ. Sanctificetur nomen tuum:quo uerbo sanctum illius regnum testificamur, & nos illi cum angelis perlubenter subijcimus. Extemplò autem precamur,ut faciat nos ex illo regno felicitatis,qui nos profitemur esse ex regno potentiæ. Postquàm uenerati sumus maiestatem, adimus bonitatem: à qua postulamus,uti nos efficiat tales, qui uerè ac bona fide sanctificemus nomen Domini. Tum ut ille in nobis regnet solus,quo nos abdicata nostra uolũtate insciа, praua,pernicio sa nobis ipsis,induamus uoluntatem illius rectam,sapientem & nobis salutarem. Hactenus bona mentis,iam bona corporis,ut non sinat nos necessarijs ad hanc uitam rebus deficí:in quo etiam subest sensus spiritalis,ut sancto & salubri pane doctrinæ suæ pascat animos nostros. Sequitur malorũ euitatio, ut à malis præsentibus purgemur, ut condonentur nobis noxiæ in Deum:nec ab ijs purgemur duntaxat,quæ aduersus Dei leges parauimus,sed à noxia uoluntate contra proximum, ut liberi atq; expediti ab ira,odio,liuore, similes fiamus diuinæ probitatis, quo chariores illi simus, nempe propinquiores uirtute. Tum ut deuitemus uĕtura mala animi in hac uita,oramus ne nos adeò inualidi oppugnemur ab hoste tam forti ac potente. Postremò rogamus,ut à malis uitæ huius,quæ mentem nostram perturbant, liberemur, & à consortio illius mali,qui destinatus est igni ac supplicio sempiterno. Nihil reliqui fecimus,quod non petierimus,utiq; quod nobis expediat: & ostendimus obiter, nihil habere nos à nobis ipsis,omnia et corporalia et spiritalia ab uno Deo expectari à nobis,ac rogari. Possumus quidem alijs uerbis orare,ut psalmis,hymnisq;:sed quicquid rectè dixerimus, hinc ceu riuulus è fonte dimanabit. Sermonem quidem usurpabimus alium,sensus uerò ac mens,idem erit prorsum. Quòd si nos quid petendum, aut quemadmodum orandum sit, ex nobis nescimus, hæc certè oratio sapientissima est, quoniam ab ipsa Dei sapientia præscripta,non est hic periculũ,ne illud ab eodem ipso Dei filio audiamus,Nescitis quid petatis:uel quod apud Iacobum legitur,Petitis,& nõ impetratis, quoniam in id petitis,uti ex animi uestri libidine consumatis. Ille scit,quid petí conueniat,errare tanto duce,falli tanto magistro non possumus. Quid uerò tutius,quàm ut illum ipsum adeamus, & compellemus ijs ipsis uerbis,quibus se à nobis appellari uelle nos docuit,& præscripsit? exaudiri nos necesse est,quando quidem uerba sunt eius ipsius,qui est exauditurus:nos eo sermone utimur, quo uti nos ipse idem iussit, ut exoraremus. Illum ergo tanquam ex sua ipsius formula cõuenimus, addamus modò uelut ex nobis ea,sine quibus oratio omnis fatua est atq; insipida, attentionem, fiduciam,& pro uirili parte accensum igne diuino spiritum. Nulla est precatio æquè à nobis attentè ac diligenter uel proferenda, uel meditanda, atque hæc. singulæ particulæ,singula sunt expendenda uerba,atque adeò literulæ ipsæ atque apices. Referta sunt mysteriorum omnia, sicuti & ipsæ,& tota eius uita, omnesq; illius actiones,qui dictitauit. Exponemus nos quidem in præsentia,quę ille in pectus nostrum instillauerit,infinitæ sapientiæ tenuem portiunculam. non dubium,quin ex uena tam diuite multi alia eruent,& plura & præstantiora:sed nos tamen aliquid ex Dei munere ad communem usum protulisse,abundè magnum fuerit curæ atq; studij precium.

IO. LV=

IO. LVDOVICI VIVIS
IN IPSAM PRECATIONEM DOMINICAM COMMENTARIVS.

1 PATER noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur Nomen
2 tuum:
3 Aduenìat Regnum tuum:
4 Fiat Voluntas tua, ſicut in cœlo, ìta in terra.
5 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:
6 Et remitte nobis Debita noſtra, ſicut & nos remit-
7 timus debitorìbus noſtris:
Et ne nos ìnducas in Tentationem,
Sed libera nos à Malo. Amen.

PATER.

OMNIS paternæ appellationis ratio & cauſa, in nullum competit ue-
rius, quàm in te, Pater Deus. Nam & qui progenuerunt, & qui alue-
runt, & qui educant, tum qui inſtituunt formantq; animorũ cultum,
parentes nuncupanť. Es tu Domine pater uniuerſorũ, quæ in hanc
eduxiſti pulchritudinem, non de aliqua prius eſſentia ut homo, ſed
prorſum (quod nemo alius poteſt) de nihilo. Tu alis & cõſeruas ca
ſura alioqui ſtatim in ſuum nihil. Tu gubernas, doces, inſtigas unũquicquid ad ſuum
bonũ. Condidiſti tu quidẽ omnia, idcirco omniũ es pater: ſed ſpecialius hominem,
quem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ tuam. Regis quidẽ cuncta, & gubernas, ſed tanquã
mancipia: hominẽ autem, ut filiũ. Largitus es de tua immenſa copia alijs animãtibus
munera, homini uerò ampla manu, quũ alia quàm plurima, tum mentẽ, qua nihil eſt
præſtabilius, quodq; unũ inſtar eſt aliorũ uniuerſorũ. Pungis reliqua omnia cæco &
latenti quodã ſtimulo, nos autem doces, atq; inſtituis. Trahis cætera, nos ducis præ-
ceptis, admonitionibus, conſilijs. In hiſce omnibus paternitatibus & potentiã tuam
admiramur, & adoramus ſapientiã. Sed alia reſtat paternitas, quam nos dulciter con-
templamur, uidelicet utiliorem nobis, nempe bonitatis tuę, qua nos in numerũ filio-
rum ſortemq; per Ieſum Chriſtum adoptaſti, filium omnipotentis eſſentiæ ac naturę
tuæ. Mira Chriſti bonitas, & dulciſſima charitas erga nos: nõ timeri uult, nec præſcri-
bit, ut te patrẽ ſuum Dominũ noſtrũ appellemus, quod eſt nomen poteſtatis: ſed pa-
trem, quod eſt amoris, ſubticet de magnitudine, demonſtrat probitatẽ, per quam eli-
citur beneuolentia. Quis noſtrûm & abiectiſsimã naturã ſuam, & prauiſsimã uolun-
tatem ritè contuitus, patrẽ te auderet uocare, niſi abs te iuſſus? Quis ſeruus nequam,
& extremæ conditionis regem ſuum appellarit patrem, niſi forte ebrius, aut inſanus?
At quanto inter te ac nos diſcrimẽ ingentius, quàm inter hominẽ Regem, ac ſeruum,
qui ſola diſtant non Naturæ conditione, ſed Fortunæ? Nos uerò abs te in Natura col
lati, quàm longè receſsimus? Tu res, & res ſumma, infinita: nos planè nihil. In cõditio-
ne uerò dignitatis, nos mancipia, & quidẽ (quod eſt indigniſsimũ) peccati, & diaboli
peſsima ac miſerrima, ut heri noſtri: tu omniũ Dominus, et beatiſsimus. Nos ignoran
tia & tenebræ, tu ſapientia & lux. Sed nullus unquã foret uel nominãdi excellentias
& decora tua, uel probra noſtra modus. Maius eſt inter te ac nos ſiue in natura inter-
uallũ, ſiue in cõditione, quàm uel fingere poſſet humana mens. Sit ergo finis in com-
memoratione mea, quum non ſit tamen in ueritate. Sed nos ad paternæ nuncupatio-
nis fiduciã erexit filius tuus unicus, qui eam appellationis dignitatẽ, quam ipſe ſolus
natura ſua poſsidet, uoluit, ut per fauorẽ ſuũ cõmunis eſſet nobis adoptione. Quan-
to iam propius ac uerius pater es baptizatorũ in nomine tuo, & purgatorũ per ſan-
guinem Chriſti tui, quibus reconciliatis tecum, & in tuam repoſitis gratiam, arrabo-

nem ſempiternæ beatitatis dediſti,charitatẽ tui,& ingentẽ de te fiduciã,eaq; de cauſa gaudiũ mentis. O quoties paternitatis huius indulgentiã maximo cum noſtro bono ſentimus,atq; experimur,quum præfers nobis facẽ in tenebris,ruentes impete in mala,abducis,auertis,transfers ad bona, inq; eis conſtabilis, ac conſeruas. Quid iuuant nos reliquæ paternitates, quæ in nomine ſolo ſubſiſtunt? per quas nihil habemus aliud,quàm quòd ſerui aut mercenarij,alimenta præſentis uſus. Hæc demũ eſt uera, & de qua iure gloriemur,paternitas, per quam patris hæreditatẽ cernimus. O admirabilis filij tui candor,qui nobis eam dignitatẽ,quæ eſt ipſius propria,nõ inuidit. Quid iam non largiatur filijs ſuis pater, quod quidẽ utile ac ſalubre illis futurũ arbitretur? Maximũ adepti munus ſumus,ut tu Pater noſter dici à nobis dignareris,& eſſe. Reliqua ſunt in prono, affectus paternus, educatio & tractatio liberalis filiorũ, proſpectio hæreditatis. Hæc quidẽ nobis ex te paterna munera. Sunt etiam patres alij exemplo atq; imitatione, qui nobis propoſiti ſunt ad æmulandum,de artis aut uirtutis cuiuſpiã excellentia. Eſt & hoc quoq; nomine pater Deus, quem ſequendũ atq; exprimendũ, quatenus immortalẽ mortalis poteſt homo Deum, docet ac præcipit nobis Chriſtus,charitate uidelicet,qua una perficiũtur animi,ut amemus non amicos modò,uerum etiam inimicos: ex qua uolũtate probè affecta,naſcitur in nobis diffuſa in uniuerſos beneficentia,quo ſimus perfecti, & illius patris ſimiles, qui diligit omnia, nec odit quicq; eorũ quæ ſunt,quiq; pluit ſuper iuſtos & iniuſtos,& ſolem ſuũ tam bonis,q; malis quotidie profert. Cæterùm nullius harum paternitatũ filij nomẽ quiſquam meretur,qui non ſe pro uirili parte ſua dignum præbet filium tanto patre. Solicitè uti nos ipſi obſeruemus, ac cuſtodiamus,cõuenit,ne quid uel in cogitationem ſubeat,propter quod illum immeritò patrem nuncupemus,eiq; faciamus contumeliam, qui eiuſmodi filiorũ uel dicatur Pater uel exiſtimetur,qui indigni ſint,ut uel homines habeant patres. Quid quòd ſicuti nos illum patrem iniuria nominabimus,ita nec exaudiet ſic uocatus atq; imploratus,niſi & affectũ filialem ſumpſerimus,ut honoremus,ac ueneremur Patrem uerbis et operibus,quotieſcunq; res poſcet,ſed corde potiſsimũ, ut amemus bonitatẽ illius, redamemus charitatẽ, grati erga beneficia? Poſtremò,ut cuncta noſtra fiducia in illo uno ſit nobis collocata,illumq; beneficentiſsimum atq; indulgentiſsimũ eſſe cenſeamus,omniaq; in nobis ad noſtras illum utilitates efficere. Qua ex reputatione naſcetur id,quod eſt etiam uerè filiorũ,ut & iuſſis eius libenter alacriterq; obtemperemus,ut leue ac ſuaue fiat quicquid ille iniunxerit,ſiue quia ille præcipit,ſeu quia nihil eſt amori difficile. Quum caſtigarit,æquo feramus animo,perſuaſi,quod ueriſsimum eſt,id demũ nobis uehementer expedire. Quis alioqui Patrem nominabit Deum,qui ſe illum actionibus ſuis teſtetur non habere pro Patre? O Pater,oramus te,ut paternam hanc erga nos indulgentiam patefacias,præſtesq; dignos,qui te iure Patrem nominemus: & quemadmodum tu paternum affectum cœpiſti,ita filialem in nos,atq; iſti tuo congruentem infundas.

NOSTER.

DVo uerba,Pater & Noſter,quę nos recolendo ad incredibilẽ tui rapiant amorem. Quid maius tua paternitate,quid optabilius? Nam ſi nos filij ſumus Dei, deos quoq; eſſe neceſſe eſt. Si tu Pater noſter,omnes ergo quorũ tu et pater,fratres ſumus,quo propinquitatis nexu iam nõ cum hominibus modò,ſed cum angelis quoque ipſis deuincimur. Quid dixi Angelos,cum ipſo quoq; Chriſto Ieſu, cuius ſolius eſt dicere,Pater mi? Illum tu enim ex tua eſſentia progignis,nos autem feciſti opifex, receptos per adoptionẽ in conſortiũ nominis illius. Parens es, colẽdus igitur,amandus,uenerandus: homines,fratres,mutuum ergo amorẽ debemus, & ex amore ſubſidium mutuũ & benefica opera, qui riuuli ſunt ex beneuolẽtię ſcaturigine dimanantes. Nemo enim adeò impudens fuerit, qui amare ſe affirmet: quum uerò uſus poſtulat,nõ benefaciat, ſi poſſit: haud aliter,quàm ſi ignem aiat quis inueniri non ardentẽ. Quocirca nemo uerè ac meritò poteſt tibi dicere Pater noſter,qui reliquos eadẽ ratione ac iure,Dei filios,fratres eſſe ſuos uel nõ putet,uel dedigneẽ. Sed quis tamẽ fuerit tam proiectæ inſolẽtiæ atq; arrogantiæ,qui fratres eos aſpernetur,quos non aſper

natur

natur Deus filios? nisi fortè conditionis suæ oblitus,& uel magnitudinis tuæ,uel humilitatis suæ immemor? En tota Lex et Prophetę primis duobus uerbis Pater noster concluduntur,quibus pietas declaratur erga Deum patrem,erga homines fratres.Et quandoquidem amoris nodo uniuersi cõnectimur,iam non diuersi sumus,sed unius corporis membra,atq; adeò res una.Ideoq; quod pro semetipso unusquisq; nostrûm abs te optat,pro illo et precatur,quem charitas alterum ipsum reddit.Magister amoris totius ac miserationis,ut ipse cunctorũ delicta in corpore suo pertulit,& secũ affixit cruci,ita et nos esse eodẽ inter nos animo uoluit,ut nos mutuis iuuaremus operis, aliorumq; noxias pro nostris ipsorum haberemus,quo nõ minus oraremus pro illis Patrem, quàm pro nobis ipsis.Pro se orare quenq; cogit necessitas,singulis nos urgens ac premens momentis:pro altero autem hortatur charitas fraternitatis.Gratiores autem sunt preces ac lachrymæ,non quas necessitas nostra exprimit,sed quas elicit amicitia,tam dulci nomine cõmendatas. Remolli Domine durissima nostra corda,fac ex lapideis carnea,ex immanibus humana,ut initia inter nos omnes gratia mutua,non falso te nomine Patrem nostrum appellemus.

QVI ES IN CŒLIS.

TV solus es,nos nõ sumus.Et si modo aliquo sumus,hîc sumus in terra,idest inter medias tempestates,& fluctus calamitatum omnium ac miseriarum ingentes,reciprocos,perpetuos.Tu autẽ & uerè es, & in cœlis es:hoc est,in loco,ad quem nullus labor,nulla molestia potest pertingere.Non inuocamus progenitores horum corporum,uel iam defunctos uita,uel inualidos,quiq; ipsi sibi opem et subsidiũ afferre,quãdo egent,nõ queunt.Non ad eos accurrimus,qui cura, qui functione atq; administratione publica, uel decursa iam ætate, patres nominantur:non minus, quàm priores illos infirmos,atq; imbecilles.nõ Patrem Iouem, aut patrem Neptunum, aut Liberum patrem,aut alios deos patres,quos in orbem inuexit hostis maiestatis tuæ, quos uel nominare,penè grande est nefas, figmenta magnitudini bonitatis ac sapientiæ tuæ opposita.Est,qui Patrem suum putat esse diuitias in arca repositas,aut in possessionibus collocatas,obnoxias mille casibus & periculis. alius potentiam, in consensu & fauore subditorum:quibus nihil est instabilius.alius gratiã sui principis, hominis,& natura mortalis, & potentia infirmi, & uoluntate mutabilis. Quisq; sibi patrem fabricatur eam uanitatem,qua stultè cõfidit.Nos uerò,quos tu per amplissima tua munera ad filialem dignitatẽ uocas & inuitas,in cœlum oculis sublatis,te patrem dicimus,atq; imploramus,qui es in cœlis.Cuius quidem prȩsentia uniuersitatẽ mundi adimplet:Regni uerò sedes propter loci excellentiam in cœlis fixa esse dicitur, & constituta:qui cœli forma & decore suo,tum ordine stato atq; certissimo,enarrant sublimitatem essentię tuę,amplitudinem potentię,immortalitatem naturæ.O miseros, qui te tantum nacti patrem,ad alios adhuc patres,de quibus uel erubescant,uel glorientur,respiciunt.Tu te nobis patrem offers : taceamus de reliquis, qui uel contecti iam sunt humo,& computrefacti,uel humi etiamnum reptant,graui corporis sarcina oppressi ac miserabiles.Cęci,quid humanos patres iactamus,à quibus infirmitas,malitia,miseria omnis est nobis? à te autem uerè Pater potentia,bonitas,beatitudo. Omnia,inquit tuus Apostolus,possum per illũ, qui me corroborat. & alio in loco,quum de sua imbecillitate quereretur,audit ex oraculo tui numinis:Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea in infirmitate tua perficitur. Tu nobis es semper in cœlis, ut patrem nostrum illic sciamus esse, & ibi paratũ nobis refugium, quò nec fraus ulla penetrat, neq; uis inimica:omnia sunt secura & tuta,quia tu illic Rex es magnus, & Deus magnus.nam hîc in terra multis neq; Rex tu es,neq; Deus:sibi quisq; regem & Deum affingit,pro libito cupiditatis. O Pater,qui es in cœlis,conditor eorum, & Dominus sempiternus, exaudi nos, qui in terra fluctuamus, atq; agitamur coloni & inquilini, non temporarij solum, sed plerunq; etiam momentanei. In cœlis est Pater noster, ibi ergo hæreditas nostra & felicitas. Quid in terra quærimus, nisi id, quod illa suapte natura profert, morbos, curas, sollicitudines, ærumnas, cruciatus, tormenta? Sunt quidem hi cœli, qui ambitu suo tegunt, arcentq; uniuersa, sedes excellentiæ tuæ re-

galis. Sed habet quoque tua bonitas alios, quos inhabitet, cœlos. Primum ſanctos tuos, quos tu adhuc in corporis huius carcere incluſos eo fauore complecteris, adeò es in illis charitate tecum cõiunctis et unitis, ut in rebus alijs omnibus, quęcunq; uel cernunt uel tangunt, ſi cum illis cõferantur, non uidearis eſſe. Cœli ſunt iſti, quorum mens, cogitatus, ardor animi, uota, deſideria, uita denicq; ipſa, & cõuerſatio nõ hîc eſt in terra, ſed in cœlis. Sunt item cœli, ſancti tui, iam eò recepti, unũ tecum cõmunicatione tuæ beatitatis, ut in rebus alijs non exiſtimeris eſſe præ illis. Ad hæc uerò cœli ſunt, ſempiterna illa tua bona, quę nobis in cœlis paraſti. Ibi te quærimus, quoniã ibi potiſsimũ es nobis. Ibi te inuocamus, quoniã qua es nobis, in tantis es bonis. Ibi te amamus, ac colimus, quia bonitas tua, quę nos ad te amandũ allicefacit, ac inuitat, quę tua erant unius, propoſuit nobis cõmunia. Ibi ergo & bonitas eſt tua, amoris author, & beatitas, amoris fructus. Docet nos filius tuus, & conſuefacit ſurſum ſpectare, eò ſemper uota & deſideria noſtra mittere, ubi ſunt amores noſtri, et ueræ ac proprię delitiæ. Rapiunt quenq; amores ſui: miſeri, qui in noxiorũ amorem inciderũt: fœlices, qui in bona. Grande in nos Chriſti beneficiũ doctrinæ, qui uera nobis demõſtrat bona & permanſura, in quibus cum magna noſtra fœlicitate animos amoresq; noſtros defigamus. O Pater noſter, erige nos ad cœlos tuos, injice noſtris pectoribus ardorẽ, ut bona illa tua toto cõcupiſcamus animo, tota ſequamur uolũtate, quorũ bonorum magnitudinem atq; præſtantiam nec cogitatione quidem ulla poſſumus capere.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

VErum cuiq; nomen, atq; aptũ eſt, quo illius declaratur uis & ingeniũ. Quis tibi Domine cõgruens indet nomẽ, cuius magnitudo eſſentiæ, & infinitas naturæ, mentes omnes & hominũ & angelorũ tranſcendit? Sed eſt tamẽ nobis nomẽ tuum, quo tu utcunq; cogitationibus noſtris exprimeris, uel potentiæ conſideratione, uel probitatis, uelut omnipotẽs, conditor, immortalis, Rex & Dominus uniuerſorũ, iuſtiſsimus, ſapientiſsimus, optimus, beatus, beneficus, ſeruator. Sanctificetur Pater nomen iſtud tuum in nobis, ut nihil exiſtimemus uenerabilius, nihil ſanctius aut ſacratius: hoc reuereamur ſolũ, huic ſoli nos ſummittamus: reliquis aũt propter illud, ut ad nomẽ ſalutis noſtræ Ieſu, quod excelſius eſt quocunq; nomine ſiue ſeculi huius, ſeu uenturi, omne genu flectat, cœleſtiũ, terrenorũ, et ſubterraneorũ. Declaratur et nobis uis tua per res cõditas, ita in myſticis tuis literis, & petra es, & ignis, & colũba, & lux. Omnis tui memoria & recordatio cum ingenti dignatione animos noſtros ſubeat. Tuum itidem nomẽ gratia eſt, fauor, præſidiũ tuum, quod in rebus duris ad tutelã noſtri inuocamus. Immitte noſtris pectoribus tuum lumẽ, ut te unũ ſemper imploremus, à te ſolo expetamus opem ac ſubſidiũ, nec alijs rebus fidamus caducis, fluxis, peritu ris, fallacibus, niſi te uno, qui ſolus & potes, & uis, & ſoles ſeruare. Eſt item nomen tuum auxiliũ, eſt uia qua nobis ad te proficiſcẽtibus eſt eundũ, quam bonitas tua beatitudini noſtræ muniuit, pietatis forma, & ſacramẽta, quæ nos per charitatem Chriſti tui recõciliant tecũ: ad hæc ſalutis diſciplina, ac præcepta, quę tu ſanctis tuis dictaſti, quibus præceptis incredibili bonitate & amore dignaris præbere te nobis ducẽ uiæ huius, magiſtrũ uitæ. Effice Pater, ut ea ſancta ſint nobis, idq; nos cuncto expetamus uoto, nihilq; eorũ ſumamus, niſi ueneranda, et puris animis, ſiue dum illa tractamus, ſiue dum de illis uerba facimus, omnia exequamur ſeriò, et cum ingenti reuerentia. Nam qui hæc contemnit, aut deridet, quod eſt indigniſsimũ: uel qui neglectim attingit, quiq; ad nugas cõuertit, aut riſum captandũ, ſanctũ tuum nomẽ, per ſe quidẽ incõtaminabile, ipſe in ſe cõtaminat, aut (ut aptius dicã) ſeſe per illud, quia & ſapiẽtiam tuã, quæ illis continet, deſpicit, & bonitatẽ aſpernat. Omnino Domine ſic nos geramus erga illa, ut nihil ſit nobis ſanctius, utq; per ea ipſa, quæ uerè ſunt ſancta, ſancti et ipſi reddamur. Profer, atq; exhibe nobis ad noſtrã ipſorũ ſanctificationẽ lumẽ mentibus ad aliorũ doctrinã efficacẽ linguæ facundiã, ad exemplũ uerò actionib. atq; operibus uires, ne deprauata noſtra & cõſcelerata uita, malè audiat in gentib. ſanctũ tuũ nomẽ, atq; admirabile: neu malè de tua pietate ſentiant, qui illã ex nobis cenſent, prauamq; eſſe ſuſpicantur, quia nos illius profeſſores praui ſumus. Sed ita luceat lux noſtra

ſtra coram hominibus,ut intueanť opera noſtra bona,& laudēt,ſuſpiciantq; te patrē noſtrū,qui in cœlis es.Nam ſi propter res in hoc mundo uel ſpecie ſua abblandiētes, uel utilitate noſtra,ad uenerationē diuinæ uirtutis animi cōſurgunt,quanto id eos facere impēſius eſt credibile,quū alios homines fauore tuo ſanctos,& quaſi ſemideos animaduertūt. Dicunt enim,aut certè intra ſe rectè ſtatuētes cogitant,O adorandam Dei poteſtatē,quæ rem uſq; eò humilē ſic poteſt euehere:ô amabilē bonitatem, quæ uult.Neq; nos ſoli ſanctificemus tuū nomē,ſed adiunge ad hanc noſtrā fœlicitatē alios q; plurimos. Expande lumē tuū ſuper genus humanū,illumina mentes,accende affectiones,ut omnes ſicuti par eſt, nomē tuū ſanctificēt:nō profeſsione tantū,ſicuti nos mali,ſed cultu quoq; pietatis tuæ,tanq; unicę ſanctæ ac ſalutiferæ.Tum demum ſanctificabať nomē tuum,quū filius tuus Ieſus Chriſtus,quæ eſt gloria tua, omnibus erit cognitus, ac proinde charus.Accedūt his tuis nominibus imagines aliæ probitatis ac maieſtatis tuæ, uelut quæ relucet in angelis & ſanctis hominibus, in principibus,et magiſtratibus,quosq; tu regendis tuis populis publicè prę feciſti:tui enim ſumus omnes,ſiue quia cōdidiſti,ſiue quia cōſeruas & tueris.tum in ijs,qui nobis priuatim præſunt,à te etiam cōſtituti,parētes,educatores,nutritij,magiſtri formādis animis aſciti.Hoſce omnes cōuenit nobis uenerabiles eſſe ac ſacroſanctos,ob hoc unū, quòd nomen tuū referūt,nempe uicarij tui. Bonis tribuemus beneuolentiā illis debitam,rectoribus aūt honorē atq; obtemperantiā,cuiq; pro ſua portione,eo ſcilicet maiorem,quo tibi quiſq; uicinior fuerit,ac propinquior. Qui hos contēnit,qui cōtemerat ſimulachrū tui,hoc eſt nomen tuum cōtemerat,ſibi ipſe iniurius ac perniciosius, nō tibi. Sic ab illo ſumus edocti,quē doctorē hominū miſiſti,tum ab uniuerſa illius ſchola.In te Deus laudāda, & ſanctificāda omnia tam plena maieſtatis,ut quocunq; modo animis occurras, nefas ſit nō illos cōtinuò in genua procūbere: hoc eñ debeť tibi à quo ſunt bona omnia,nō quia tibi expedit,qui nō eges,ſed quia nobis magno pere.laus et gloria nominū humanorū caſſa & inanis eſt, abſq; ullo fructu,nec ei qui laudať prodeſt,neq; laudanti. Laus uerò nominis tui,& ſanctificatio fructuoſiſsima, quia per illā ſanctificās ſanctificať,& ſalutē immarceſsibilē cōſequit, ac ſempiternā.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

TV ſolus Domine regnum mereris,qui unus cōditiones habes regno idoneas, ſapientiā,& æquitatē. Tu regna in nobis,rege tu nos.nam ſub te nō poſſumus nō agere fœliciſsimè.Regis tu quidē omnia,ſed tanta clementia,ut ea ſæpenumero mali et demētes homines abutanť,deq; te ac regno tuo ſubdubitēt,quòd nō more ipſorū impetuoſus ſis,et ultor abſq; dilatione. Tu uerò manſuetudine tua perfers omnia,reſeruans in futurū promiſcua atq; incerta,quoad iuſtitia tua conuertatur in iudicium. Profer Domine,atq; oſtende ſpecimen aliquod tantæ magnitudinis ac imperij, qua tam mali q; boni regnū tuū intelligāt,et agnoſcāt.Mali egent,ut te exhorreſcāt,quem non diligūt:& metu pertrahātur,quò nolūt uenire blandè inuitati.Boni hoc rogāt,et expetūt malorū charitatē,ut omnes tandē fiamus tui ultrò ac uolētes potentię tuæ iuſtiſsimæ ſubditi,quam effugere non poſſumus, quamlibet repugnātes. Habes & regnum alterū ſempiternū,potiſsimū,maximeq; expetendū, in quod filios tuos à mundo condito cœpiſti recipere. ibi tu regnas extra repugnantiam omnem carnis,extra cōtradictionē ſatanæ,abſq; ſolicitatione inuentę à nobis uanitatis,quem mundū appellamus. Hic nos regimur,imò undiq; uexamur tyrannide,ac premimur à cœlo,à ſolo,ab aquis,ab igne,à feris,à uenenis,ab hominibus,à noſtris ipſorum corporibus, à noſtris affectionibus,nos noſtris poſſeſsionibus ſeruimus .Nos ſubditi ſumus ijs rebus,quæ & natura nobis ſunt,& conditione ſubiectæ. Omnia nobis reſiſtunt,omnia reluctantur.In illo tuo regno abſunt prorſus uitæ huius miſeriæ,fames,ſitis,nuditas,labor, infirmitas, morbus, infamia, inopia, odium, inuidia, ſimultas, bellum,calumnia,ſenium, mœror, metus, luctus, fletus, mors, omnia læta, & gaudij referta ac conſtipata,ſalus ubiq;,& pax, & copia, & quicquid expeti atq; optari poteſt promptum paratumq;. Illud ad nos perueniat tuum regnum precamur, in quo deuicta morte,& ſub noſtros pedes ſatana per fortitudinem Chriſti proſtrato, tum reformato

mato corpore mortalitatis nostræ,ad imaginẽ corporis præstantiæ filij tui,certi ac se curi æternitatẽ totam tecum regnabimus.Ea bona tam immensa,tam ineffabilia,qua lia nec oculus uidit,nec auris audiuit,nec fingi animo & cogitatione queunt:ea sunt inquam,quorũ reputatione ac spe sola fulcimur hîc inter tot assultus,& uim,atq; impetum hostis perpetui:quin & æquis animis damna æui huius,incommoda,& molestias perferimus.Vilescũt nobis præ recordatione regni illius,sordentq; omnia,quęcunq; in orbe hoc uel pulcherrima iudicantur,uel maximi precij.Tolerabiles atq; etiam leues fiunt nobis dolores corporis,ægritudines animi.& dicimus cum Apostolo tuo,quãtula res,sunt tandẽ calamitates omnes & afflictiones curriculi uitæ huius, præ magnitudine sequuturæ mox beatitudinis? Ad istud tantũ regnum tamq; optabile,per regnum uitæ huius temporariũ uenitur.Nam si tu hîc in nobis regnaris,nos illic tecũ regnabimus per te.Regnas tu in nobis,quum in animis nostris nullus respectus dominat uel præstigiarũ mundi huius,uel uoluptatũ,dolorum,necis corporis: non dæmonis fraudes atq; astus,sed tui unius respectus ualet,ut omnia faciamus tua gratia:quoniã te plus q̃ nos ipsi diligimus.Hoc regnũ mite ac salutare,omnẽ à nobis tyrannidẽ depellet.Non regnabit unquã Christus,ubi & satanas.Si in nos uolumus Dei regnum inducere,eijciendũ est prius regnũ satanę,regnũ carnis,superbiæ quoq; uniuersum apparatũ & quasi armamentariũ, opes,honores, dignitates,famã,decus, gloriam. Libera est ciuitas principatui Christi relinquẽda,qui cõsortiũ in regno suo nõ patitur cum alienis,nedũ cum hostibus.Sed regnũ illud tuũ,quò oculi nostri spectant,quò animus,quò mens & cogitatio nostra fertur, regnũ est filij tui, quia hæres tuus unicus,seu uerius cõsors:is iudicaturus est permissu tuo,qui sint regno illo tuo digni,qui cõtrà.Rex est Christus,sed eum dæmones oderũt,& procuratione dæmonum mortales nõ pauci aspernant̃,clamantq;:Nolumus hunc regnare super nos. Veniet aliquando manifestus,ut inuiti agnoscant Regem,cui noluerũt se ultrò subijcere.tunc erit tempus uniuersę rei,quę omnes in futurũ seruant̃ incertę:& statim finis, quum tradiderit regnũ tibi patri Deo,et aboleuerit omnẽ principatũ,et omnem potestatẽ.Regnum hoc expectat creaturæ anxiũ desideriũ,ut liberet̃ à seruitute corruptionis.Regnũ hoc optãt,atq; ingemiscũt boni,tum ut fiat corporũ suorum instauratio,tum ut de omniũ hoste consumet̃ uictoria,& palàm ostendant̃,qui ad regnũ hoc pertinẽt filij tui.Hoc nos etiam imploramus atq; optamus,ut absoluti ab hac laborio sa statione,immortalitatẽ cum Christo degamus. Veniet quidẽ regnũ illud, uelimus, nolimus:sed obsecramus te Pater, ut ueniat nobis, non contra nos. Veniat nobis Iudex amabilis,non formidãdus,ut fœlicitatẽ illius regni sentiamus,non uim et potentiam.O quãta imponit nobis bene uiuẽdi necessitas,qui hoc regnũ docemur optare atq; inuocare,ut ita nos illi paremus,ne criminũ nostrorũ quęstionẽ trepidi cum terrore expectemus, sed cũ gaudio & bona spe,uelut cursus nostri metã,uelut præmiũ certaminis,et salutarẽ ex undis ac tempestate portum,in quo cum illo cõiungemur, quẽ tantopere amamus. O Pater, libera nos ab hac tyrãnide impotentissima,quam nostris capitibus scelus nostrũ imposuit. Adapta nostris ceruicib,mite iugũ filij tui, nostris humeris onus leue:regna tu hîc in nobis,quo & nos æternũ regnemus in te.

FIAT VOLVNTAS TVA.

ESt in te Domine uoluntas quædã omnipotẽs,cui nihil omnino potest obsistere,fiet quicquid illa iusserit,uel inuito mundo uniuerso,nedũ nobis homũculis miseris atq; infirmissimis. Rogamus atq; obsecramus te,ut nobis gratia tua opituleris,quo uolũtate acquiescamus tua, quodq; euenturũ est, quia tu uis eueniat quoq; secũda nostra uolũtate.Est et altera tua uolũtas,quã magnis atq; euidẽtibus signis nobis patefacis ac declaras,nõ potẽtiæ,sed bonitatis & amoris,qua uis ut homines omnes ad finem,cui eos destinasti,perueniãt:quem in finem donasti nos mente et cognitione tui,ut te amemus:misisti ad nos eruditorẽ filium,qui nos uoluntatẽ hanc tuam edoceret,& quem in modũ perfici posset,ostenderet.Impleat̃ in nobis Domine hæc tam sancta tamq; salutaris uolũtas tua,ut per fiduciam filij tui iustificat,per charitatẽ illius, & quoad eius fieri possit, nostram, tecum iungamur. Da Pater eam mentem,

ut non

ut non modò effectū huius uelimus ac desideremus,quę nobis tantopere conducit, sed illius quoq; maiestatis tuæ ac sapientiæ,idq; prorsum absq; ulla exceptione. nec partiri tecum euentus rerū fas iusq; est,ut alia fiant,quia tu uis:alia,quia nos. fiat omnino quicquid tu iubes,nō in nobis modò,sed in rebus uniuersis,nobis uolētibus,in lumine,ui,& uigore,in signis cœlestibus,in salubritate ac temperie aeris,in tempestatibus,tranquillitate, alluuionibus aquarū, in cultu terræ,in percipiendis ex ea frugibus,in omnibus nostris alimentis,et medicamētis:quacunq; uerò elementorū parte, in ualetudine,uictu,cultu,uestitu,habitatione,statu,cōditione uitę,qua publicè,qua priuatim;in alienis,in ijs qui nos oderunt,in amicis, propinquis,necessarijs,parentibus,uxore,liberis,familia,subditis,in omnibus ubiq; et semper. Tribue hoc nobis,ut quicquid tibi placuerit,fiat nobis non inuitis,non gemētibus,non qua possimus reluctantibus. Est hoc profectò uehementer congruens, ut uoluntas nostra & scientia cæca,& desiderijs praua,sequatur per omnia uoluntatem tuam, qua nihil uel fingi sapientius potest, uel melius : & quæcunq; de nobis statuit, etiam quæ nos remur esse aduersissima,ad exitus spectant maximè nobis utiles, si modò non recusemus obsequi. Suscipe me Pater,uolentē:in me uerò nulla est parēdi mora. Duc quò tibi libuerit,libentem. nam certum habeo,non ducturum te,nisi ad ingentia mihi bona.

SICVT IN CŒLO, ITA IN TERRA.

ANgelis tuis,Domine,nihil est antiquius & sanctius, nihil etiam gratius,quàm imperium tuę uoluntatis,cui illi alacres atque expediti parent,quid capessunt atq; obeunt dicto citius, ut aiunt. Voluntas tua est,ut homines fiant beati. ea iam perfecta est in sanctis illis,qui te sempiterno æuo perfruuntur. utinam non minus perficiatur in nobis,terrenis adhuc,quàm in cœlitibus . Sunt & hîc inter nos quidā,quos cœlestes non iniuria quis nuncupauerit : illi uidelicet uera & solida pietate prædiți, quorum cogitatus & curæ omnes in cœlis sunt, ueluti contrà, terrestrissimos habemus quosdam,quorum mens & cupiditas omnis animi in rebus est terrenis posita, & defixa. Est & in unoquoq; nostrūm mens,à cœlesti ac diuina tua sede ad nos demissa. Est & corpus,de quo scriptū est:Finxit Deus hominem de terræ puluere. O si quàm facilè ac libenter boni uiri dicto tibi sunt audientes, tam etiam mali ac terreni sublati ad te,& quasi ardore tuæ charitatis abrepti,ut uapor à syderibus,sanctā tuam uoluntatem intelligerent,amarent,exequerentur. O si caro hæc exuta uetere Adam, qui de terra factus est, subderet se uoluntati tuæ tam promptè, q; homo ille interior, qui profitetur quidem cōsentire se ac delectari lege Dei sui,sed lamentans conqueritur impediri ac irretiri se à carne sua uelut manicis & pedicis,quo minus quod bonū esse intelligit,quodq; tantopere cōcupiscit exequaī. O si uinctū hunc & cōpeditum fracta et debilitata ui carnis solueres atq; extricares,ut summoto eo quod cōsensum cum uolūtate tua retrahit ac retardat,nihil omnino essemus aliud,quàm quod tu uis. O Pater,utinam nos terra onustos atq; obrutos efficias cœlestes,ut sanctificetur nomen tuum sicut in cœlo & in terra:ut optemus aduenire regnū tuum,sicut in cœlo et in terra:ut uelimus uoluntatē tuam perfici sicut in cœlo et in terra:ut incipiamus iam hic esse in terra,quod in cœlis aliquando sumus ex tua munificentia futuri.

PANEM.

FInxisti nos autor noster,& coagmentasti ex corpore & animo utrunq;,quoniam in nobis uiuit,alimento, quo sustentetī,indiget. Antiquissimum & præcipuū homini,fundamētumq; aliarū epularū est panis, uel quod panis uicem obtinet. Idcirco panis nomine id declaraī,quo necessitates uitę huius ineuitabiles tolerantī,siue in ijs quæ edimus,siue quibus tegimur,quibus fouentī membra nostra,& ab iniuria uel rigentis cœli defendunt,uel ardentis,quibus à morbo cōualescimus,aut certè ad morbum ferendū suppetūt uires. Reliqua superuacanea sunt,quæ inuexit partim superbia,partim uoluptas,et ex ea ortæ delicię. Nos illa abs te poscere, quę cura atq; ebrietate sua obliuionē tui humanis mentibus infundūt,nefas est. Nihil in hunc mundum intulimus,utiq; nec auferre quicq; possumus:habentes ergo quibus alamur atque amiciamur, ijs contenti sumus. Quid opus peregrino farcinis & impedimentis ? Iter

hoc uitæ

hoc uitæ facilius ac iucundius peraget liber atq; expeditus. Sed neque in his ipsis ne ceſsitatibus opem imploraremus tuam, qualicunq; rerum ſtatu acquieſcentes inten ti ſemper in te, niſi nobis illæ pondere ſuo ac moleſtia ita plerunque diuexarent cor pus, ut animũ à tui contemplatione inuitũ quidem et repugnantem, ſed certè abſtra hant ac diuellant. Petimus ergo abs te Pater, panem neceſsitatis uitę huius, nõ quem ipſi nobis uanitate ac peruerſitate noſtrorum ingeniorum ſæpenumero nobis con fingimus, ſed quem ipſe ſcis eſſe talem, qui tanto nos melius nouiſti, quàm nos ipſi. Hic quidem corporum eſt panis. Eſt & mentium alter quidam, ſine quo minus ua leat animus noſter uitam propagare, quàm corpus abſque illo: nempe doctrina filij tui, & eſus carnis ac ſanguinis illius: per quem unum, & lux accedit ingeniorum no ſtrorum tenebris, & animorum morbis ſalus, & tempeſtatibus quies, & libertas ſer uituti, denicq; morti reuiuiſcentia. Hic eſt magis neceſſarius mentium panis, quàm il le corporum: hunc potiſsimum petimus, hunc in primis præbe Pater, uel ſolùm, ſi ita tibi uideatur. Nam alterum illum, ſi non porrexeris, quid fuerit tandem periculi? cer tè extinguetur corpus. at ſi hoc careamus, peribit anima: quanto grauiore caſu, & ma gis horribili quàm ſi corpus intereat? Corpus hoc, uelimus nolimus, morietur tan dem, uidelicet mortale: at uerò anima immortalis non poteſt ſecundã mortem ſine acerbiſsima infelicitate experiri. Aperi Pater locupletiſsime, uberrima illa ſapientiæ tuæ horrea: da uiaticum affectis noſtris animis, ne in hoc itinere auxilij collabantur, ſed refecti ac refocillati ad te perueniant, patriam noſtram, in qua nulla erit amplius eſuries aut ſitis.

NOSTRVM.

AMbo hi panes, tui tantum ſunt munere, noſtri tantum neceſsitate. Illis tu nõ eges, omnibus perfectionis & abundantiæ numeris ple nus, atq; abſolutus: neq; angeli & dæmones, corporalibus incorporei. Inſtitutio au tem filij tui ad beatitudinem adducit, quam angeli iam ſunt adepti. Dæmones uerò ſcelere occæcati, quod eſſet illis maximè cõducibile, non recipiunt. Noſter igitur eſt panis corporatus, qui ſumus corporati. Noſter etiam panis, & cœleſte uiaticum, qui ſoli ſumus ad cœlũ uiatores perpetui. Da Pater paruis tuis liberis panem noſtrum, quo maximè eſt nobis opus: quo remoto, perficere iter inſtitutum non ualemus. Hic demum panis noſter eſt. nam ſuperflua uanitatis ſunt, non noſtra: quæ ſi detinemus, planè uſum aliorũ de illis occupamus, ac auertimus: eaq; de cauſa fures ſumus, quod alienum eſt rapientes arcentesq;. Publica ſunt abs te procreata omnia: dominum fa cit, non ius poſſeſsionis, ſed neceſsitas uſus. Tu Domine nihil cuiquã debes, qui om nibus affatim largiris, nemo tibi. Panem hunc nõ debes nobis, cui nos debemus noſ metipſos. Quid enim efficere nos poſſemus, ut tu quicquam deberes? Sed tu ad de pellendam noſtram ſocordiam, non ſinis nos eſſe ocioſos: iubes ut per ſudorem uul tus noſtri ueſcamur pane noſtro. & Paulus apoſtolus tuus denunciat, ne in eccleſia tua edat is qui non laborat: & Rex uates, Beatum illum pronũciat, qui ex laboribus manuum ſuarum quæſito pane ueſcatur. Vis ergo, ut quodammodo noſter dicatur is panis, qui labore & recta legitimaq; noſtra induſtria ſit paratus: noſter eſt opera, tuus munere, tribuentis quia uis, non quia debes. Panis ergo, quem nos, quum utili in commune ſolertia, & iuſto ac legitimo labore poſſemus quærere, ſi blanditijs eli cimus, ſi precibus & cõmiſeratione conquirimus, odio atq; importunitate exprimi mus, fraude auferimus, aſtu interuertimus, impoſtura aut malis artibus ſurripimus, uiolentia extorquemus, noſter non eſt, ſed per iniuriam raptus. Quid de illo dicam, qui nec ulli omnino operi admouere uult manum, nec ulli probæ cogitationi appli care animum, ſed alienis ſudoribus frui poſtulat, ſegnis atque ocioſus, tanquam fu cus inſidens apum diligentię, graue atq; inutile terræ pondus? Quomodo hi omnes rogant te panem uel tuum, uel ſuum? Iniqui ſunt, & in conſortium iniquitatis ſuæ cupiunt te precibus adducere. Tu uerò, ô Pater noſter, da nobis panem, qui uerè dici poſsit noſter, ne nos alienus non paſcat, ſed ſtrangulet.

QVOTI-

QVOTIDIANVM.

VNusquisq; dies, imago est uitæ, cui succedit nox, & somnus, quo nihil est morti similius. Itaq; reducti à somno in uigiliam, ueluti à morte reuocamur in uitam, in qua statim primum omnium cibum poscimus, quo carere nos diutius non patitur præsens hæc necessitas, semper urgens. Quod de die petimus, de uniuersa est uita intelligendum. Nec solum pastus hîc corporum à nobis quæritur, sed medicina exterior & interior, ut utrumq; uiuat. quod alimentũ, quoniam quotidie uexamur, quotidie animo deficientes, & corpore, quotidie dari nobis postulamus. Interpositio est nox, & interuallum lucis, quod in nostris accidit mentibus, quum illæ à te conditore Deo ad res abs te procreatas uel æstimatione descendũt, uel beneuolentia & delectatione auertuntur. At quum hîc rursum Christi beneficio in Deum reuocantur, orto Diuino sole dies illis renascitur, in quo refectionẽ nostram, ac uelut demensum diurnum continuò petimus, doctrinã filij tui, per quam nobis lux reuertitur. Reducit nos in auroram ex noctis tenebris Christi pacificatio. Sed ille tamẽ pascit semper, et quiescit in meridie, plenus lucis & ardoris, non retinens præcedentis uel caliginis uel frigoris uestigia, nunquam tendens in occasum. Est hic panis præcipuus, egregius, summus, peculiaris, hoc est ἐπιούσιος, excedens substantias omnes nobis necessarias. his enim carere omnibus possumus, hoc non possumus: de quo Seruator noster pronunciauit, quòd unus ille esset necessarius. Da pater, ut panẽ hunc esse nobis necessariũ, & à te petendum uno, planè intelligamus.

DA.

TV unus potes dare, tu unus soles: & hoc tuum unius esse munus, uis nos non ignorare, haud quidem ad promerendã à nobis gratiam, qua non indiges, sed quia nobis ad consequenda, quæ opus sint, à quo quicquam petendum est, scire, et quemadmodum, prodest. Postulet (inquit Iacobus) fide, nihil hæsitans. Certus amor certam parit fiduciam, quæ dubitationem omnem de animo extrudit. Da panem hunc Princeps ditissime, ac munificentissime, qui largiris omnia, à quo uno speranda sunt omnia: non modò spiritalem illum panem summũ, & te patre spirituum perquàm dignum, sed hunc quoq; corporatum, corporibus nostris congruentem. Frange tu pater panem filijs, da tu nobis, ne sumamus ipsi. Nos enim iudicio nostro, uel libidine potius inducti, nec in tempore sumimus, nec quantũ, uel quatenus, uel quemadmodum expedit. Rapimus nos in nostras cupiditates, in auaritiã, in superbiã, in luxum, & prauas animi libidines: hoc est, semota utilitate sumimus in nostrã perniciẽ, haud secus quàm qui intemperanter uel epulis, uel uoluptatibus abutuntur. Si tu dederis, dabis in loco, dabis in tempore, dabis qua conuenit mẽsura, non poterit non esse suauissimus ac saluberrimus. At multi & materiatum habent panem, & spiritalem, nempe opulentiam, amplamq; eruditionem: sed nihil eos hic panis iuuat, quia tu non das. Scilicet nec nutriet dapibus hoc corpus, nec cognitione doctrinæ tuæ nostra mens, nisi tu porrexeris, atq; annueris. Edit nobis terra frumentum, tradũt magistri cultum animorum, sed quò hæc nobis? nisi enim uerbum tuum uiuificans accesserit, neque corpus sustentabitur cibo, neq; animus disciplina. Quocirca sanctis tuis muneribus, ut ea nobis prosint, gratia & numen tuum precamur accedat.

NOBIS.

DA Pater non carni huic brutæ, mancipio nostro nequissimo, profusuræ in uoluptates et spurcas delicias: non cęcis ac temerè incitatis animorum nostrorum motibus, qui nacti uel occasionem, uel incitamentum, ingentes toto homine tempestates concitarent: non menti arrogantia turgidæ, uerfurę antidotum in uenenum, salutem in exitium. Non ita nobis, ut per nos ad alios sine utilitate nostra transmeet, tanquam per infundibulum. Tribue Pater indulgentissime, ac prouidentissime, panem necessarium menti nostræ intelligenti, placidæ, gratæ, quæ & munus & largitorem agnoscat, quæq; te opitulante panem, quem ipse porrexeris, ad usum sibi salutarem accipiat. Sunt quos tu uelut nutritios atque educatores, pani nobis infantibus frangendo ac distribuendo præfeciſti, quum homines locupletes, tum magistros inge-

niorum,& morum formatores. Aperiat munificentia tua immenſos iſtos ſapientiæ ac diuitiarum tuarum theſauros, impartire illis largam & puram facultatis copiam: adde ingenium,ut ſciant:animum,ut uelint in nos,qui egemus,transfundere: nobis quoq; eam tribue mentem,qua et alacres ad ſuſcipiendam doctrinam,et dociles reddas,tum aduerſus beneficia beneuolos ac gratos.

HODIE.

PRæſens uita quid aliud eſt cuncta, quàm dies unus? nihil habet plus longũ ſeculum,quàm breuis dies:nec minus hic, quàm illud. diei elementa ſunt ueſper & mane,ſicut & in myſticis literis ſcriptum,Factum eſt ueſper & mane, dies unus. Vtique haud alia ſunt menſium,annorum,æui totius uel elementa,uel partes. Quid iuuat ſeculum dici longum? nos certè in die ſumus, atq; in eius perexigua quapiam particula. In hoc æui noſtri die, panem hunc poſcimus ſemper neceſſarium, quo carere nulla ætas,nullum tempus,nullum momẽtum poteſt,ab ortu ad occaſum. Hoc etiam die petimus,qui curſu uno & cõuerſione ſolis efficitur,non extendẽtes in craſtinum curas & ſollicitudines noſtras Sicuti ab unigenito filio tuo iuſſi,atque adeò edocti ſumus,quoniam cura ſuſtentandi noſtri, curam pietatis uehementer è pectore depellit. Quid porrò peteremus ad incerta? ignari an uiuemus cras,cur quicquam ad craſtinum petemus? Quid,quod qua de cauſa curam extenderemus in poſterum diem,eadem in dies ac annos plurimos, ita ſemper animi penderemus, nunquã acquieſcentes præſentibus? Ideoq; ut animus anxietate hac ſolutus,et metu,ad pietatis exercitamenta uacet,iubetur à ſapientia tua,hodiernis contentus eſſe. Iam qui modò aduenire cœleſte tuum regnum optabamus, in quo ſpes noſtras & omnia deſideria collocauimus,intenti ac ſolicitè expectantes diem illum,quorſum quæremus craſtinum? quid nobis cum futuris uitæ huius? odioſæ ſunt peregrino quæcunq; moræ uiarum,qui chariſsima amoris pignora in patria reliquit.

ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.

DEbemus celſitudini tuæ uenerationem, debemus paternitati obedientiam & obſequium, bonitati beneuolentiam,ut amantem redamemus: debemus pro beneficijs atq; ampliſsimis muneribus gratitudinem,debemus ueraci fidem,optimo ac potentiſsimo fiduciam. Hæc quoties non præſtamus,quum res poſcit,& poſcit quàm creberrimè:debitum non diſſoluimus,ſed alienũ detinemus. Verùm quis hæc præſtat omnia? nemo eſt,qui non multa,& multum ſingulis momentis debeat. Si dixerimus,quòd peccatum nõ habemus (inquit diſcipulus tibi charus) ipſi noſmet ſeducimus,& ueritas in nobis non eſt. Et qui propoſuit nobis hanc formulam cunctis communem, cunctos pronunciat obnoxios eſſe debito, hoc eſt peccato. At ſi quis non eſſe ſibi cuiuſquam delicti conſcium dicit,audiat is alium Apoſtolum,Nihil mihi conſcius ſum, ſed non protinus iuſtificatus ſum. Oret autem is pro occultis cum Pſalmiſta. Ab occultis meis munda me Domine,et ab alienis parce ſeruo tuo. Quòd ſi cui remiſſa ſunt peccata omnia,de peccato tamen propitiatio uult nos ſapiens non eſſe citra curam:precetur pro ſeminario noxiarum & ſcelerum,quod unuſquiſq; noſtrûm ſecum circũfert,ut radix illa execrabilis cohibeatur,ne ſuppullulet. Et quemadmodũ pro peccatis ſuorum orauit Chriſtus, quæ ipſe in myſticis literis ſua uocat, omnia ſcilicet inter caput & membra cõmunicante charitate: ita & nos pro delictis fratrũ deprecemur cõmunem patrem,transferente illa in nos amore. Chriſtus caput eſt noſtrum,quod nobis amore copulatur:nos uerò inuicem membra,ſimili nos beneuolentia aprante & compingẽte. Exemplum eſt nobis Chriſtus charitatis,exemplum ſit etiam operum,quæ ex charitate naſcuntur. Oramus te Domine,ut bonitas tua ad delicta noſtra conniueat. quæ ſi ad examen uolueris reuocare,nullus uel iuſtitiæ tuæ manſuetudinem,nedum ſeueritatem ſuſtinebit. Subueniat nobis tua miſericordia, quos multorũ eſſe iam à iuſtitia ſcelerum damnatos agnoſcimus. Purga nos igne fauoris tui,repone in tuam gratiam,recõciliare nobis. nanq; hoc demum eſt,remitti nobis abs te debita noſtra.

Sicut

SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

DEbitores ſumus tibi, non reddimus, quod eſt tuum. debitores ſunt nobis, qui idem aduerſum nos peccant, quod nos in te. Debemus alij alijs beneuolentiã & charitatem, debemus pietatem, obſequium, beneficentiam, tributum, ueneration-nem, mercedem, mutuum, nec perſoluimus tamen. Non deſunt, qui nos lædunt cogitatione, uerbo, conſilio, opere, exemplo, in fortunis, in corpore, in animo, in amicis, in exiſtimatione. Priores illi non reddunt quod noſtrum eſt, iſti eripiunt, utrique debitores ſunt. Quid faciemus iſtis debitoribus Pater? Cedò, quid uultis uobis à me fieri, ô filij? Pater ignoſce nobis, fac nobis gratiam debitorum. Filij, facite & uos gratiam ueſtris fratribus, eorum quæ uobis debentur. Quid iſtuc eſt Pater? non ſatis intelligimus. An non uis reuerentiam impendi ijs quibus debetur, non pietatem, non beneficiũ? Id uerò ego uolo, et diſertis uerbis præcipio, iubeo, impero. Sed quid uultis uos intelligi, quum ut remittam uobis ueſtra debita, oratis? an recuſatis exhibere mihi cultum, qui ſum Deus? amorem, qui ſum bonus? quiq; uos amo? gratum animum, qui grandibus uos quotidie beneficijs proſequor? non idem ſum præteritorum ignoſcentia, & peccandi licentia in poſterum: non conuenit ad maleficium exacui animum benignitate facientis gratiam, ſed inuitari ad probitatem ac gratitudinem. Admoue Pater ſapientiſsime tuum lumen, aperi noſtras mentes, & inſtitue. Homo quidẽ homini & facere poteſt gratiam & debiti, & parcere, & ignoſcere, ſi quid aduerſum ſe uel cogitauit, uel tentauit, uel etiam perfecit, & poteſt inimicus inimico, & remiſſa eſt pœna, manente in uoluntate odio mutuo. Deum uerò ignoſcere, & remittere noſtra debita, nihil eſt aliud, quàm reconciliari nobis, recipere nos in ſuam gratiam. Itaque remittere nos fratrum debita, eſt illos ad beneuolentiam noſtram admittere: & ſi quid irati illis ſumus ob iniuriam, deponere animum, eisq; bene cupere. neque enim fuerit ignoſcere, integra intus maleuolentia, teſtari ſe uerbis gratiam iniuriæ facere. Nos dicimus, Pater, repone nos in tuam gratiam, à qua per delictum excidimus. Reſpondet ille, Repone & tu in tuam gratiam fratrẽ tuum. Optimam oſtendis artem reconciliandi tui, ſi nos fratribus reconciliemur. O amabilem tuam bonitatem, ô amorem tuum Domine dulciſsimum: & tuo loco hominem reponis, & hominis loco teipſum. quis Rex id faceret, homo de hominibus? quàm in obuio atq; expoſito aditum ad pacem, ad ueniam, ad beneuolentiam tuam collocas? Non in cœlis, non in extremis terrarum, aut maris, ſed iuxta te ô homo, atque in uicinia, atque in teipſo, quod homini feceris, fiet à Deo tibi: ut acceperis fratrem, accipieris à patre. Quantulum eſt, quod à te poſcitur? quantum tu poſcis? quantulum quod tu das? quantum quod recipis? Accipe tibi theſauros immenſos, da modò nummulum. Age porrò, quid tu tandem petis à patre? gratiam & fauorem illius. Atqui ipſe idem pater, à quo tu id poſtulas, uiciſsim abs te tuum erga fratrem fauorem ac gratiam requirit. da mihi lutum pro auro, da ſtipulam & accipe margaritam. O tenebras earum mentium, ô cæcitatem deplorandam, quæ commutationem hanc aut non intelligunt, aut recuſant. Num non pudet gratiam Dei petere, qui tuam denegas homini? Quid es tu præ Deo? quid Dei gratia præ tua? Dementiſsime omnium miſerorum, ubi tu in gratiam receperis hominem, quid illi contuleris? quid illi beneuolentiæ tuæ arrogantiſsimum ſomnium profuerit? At tu in gratiam Dei repoſitus, ea ipſa de cauſa perditus antea, & mortuus, ad ſalutem uitamq; reduceris. Expeditam, Pater, certamq; ad amorem tuum monſtras uiam, ut nos per patientiam & amorem fratrum purgatis animis, grati fiamus tibi, quia ſimiles. es enim tu Deus pacis, concordiæ, amoris, nihil odiſti eorum quæ ſunt, foues & ſeruas omnia. Quàm mirè & negociũ noſtrum agis, & omnium? omnibus proponis hanc precandi regulam, omnibus ea eſt utendum, & quidem quotidie, quia tua. Itaq; deuincis omnes mutuæ & innocentiæ & charitatis neceſsitudine, ut qui fratri iraſci ac malè cupere perſeueret, non pro ſalute ſua tibi ſupplicet, dum hæc pronũciat, ſed caput ſuum diris atq; execrationibus deuoueat. Quid, quod reconciliatio ei, qui ponit iram, utiliſsima eſt? euehit enim animum ad perfectionẽ ſuam, quam per ſolum Dei

amorem nanciſcitur. Simul & fratribus conſulis, ut ij à nobis ueniam, quietem, pacem, amorem, ſubſidium accipiant per te, & quo nihil eſt omnibus iucundius ac ſuauius, placidè inter nos quieteq; conuerſemur. Da pater mitiſsime, ac placidiſsime, ut nos uerè atq; ex animo offenſas noſtri omnes deleamus è pectore, faciamusq; earum gratiam noſtris debitoribus, non hæc ad uulgi trutinam & carnis normam æſtimantes, ut offenſas eſſe arbitremur, quæ ab inimico animo non ueniunt, quæq; ad nos nihil attinent, tum leuia fortunarũ incommoda, uerba parum grata, aut quod peius eſt, ipſa etiam magna ſæpenumero beneficia, ueluti admonitiones, correctiones, cõſilia ſalutaria. Ad hęc, ne pro debitoribus habeamus, qui nihil retinuerũt, nihil eripuerunt noſtrum, atq; adeò quibus ipſi nos debemus, ut quos ipſi affecimus iniuria, ijsq; quibus quod pro accepto nocumẽto ultrò ſupplicatũ non ueniũt, indignamur, quodq; gratias nõ agunt pro dãno. Nam ſunt nõ pauci, qui iniuriã ſe credunt accepiſſe, quod pro libito ſuo nõ fecerint. O fons luminũ, errorẽ et tenebras haſce noſtrorũ cordium prolato ſole tuo diſcute: da ſimplicem & mitem animum, ut uerè debitores noſtros non ad repoſcendum debitum agnoſcamus, ſed ad remittendum.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

MAgnum, & atrox, et horrendum prælium inſtructũ eſt contra nos: artes quoq;, blanditiæ, tum minæ promiſsis mixtæ, terror ſpe confuſus, ut abs te deſciſcamus, à bono ad malum, à ſalute ad perniciem, à uita ad mortem. Dæmon hoſtis noſter perpetuus, ruditati ac fragilitati noſtræ innumeris dolis atq; artibus tendit inſidias. Pandit latiſsimè quoquo uerſum ſua retia, & indagine nos circumcludit. Adfert ſecum, et ſubinde ſenſibus noſtris hanc mundi ſcenam oſtentat, cõmodis atq; incommodis permiſtam. Iam nos ipſi corporis titillationes uoluptatesq; nobiſcum circumferimus, aut rurſum cruciatus & dolores. Itaq; perlicit nos ſuauitate, terret aſperitate, ut pertrahat reluctantes, quos ultrò non poſsit ducere, hæc non uno aliquo uel loco, uel tempore, ubiq; per ſingula momenta mira calliditate & aſtutia. Ab his nos urgemur improuidi, impellimur imbecilles, his ſuccumbimus dementes. Sed inter tot diſcrimina illud eſt ſolatium unicum, illa fiducia, quòd machinæ omnes & tela uniuerſa nihil poſſunt aduerſa tua uoluntate, inualida ſunt prorſum: quę etiamſi ad nos pertingant, nocendi tamen uim amiſerũt. Non ergo ad hoſtes confugimus, tanquam inſperabiles, ut per conditiones pacis utamur eis placatioribus, qui miteſcere neſciunt. Non iam illos ueremur, ſed te, qui unus potes omnia: nec in noſtra deditione ſalutis collocamus fiduciam, ſed in ope tua ſeriò imploranda. Ad te unũ pater confugimus, ne ſinas nos in tam anceps prælium deſcendere, in quo imbecillitati noſtræ caſus eſt paratus certiſsimus: ne auxilio deſtituti tuo, uel inimici fraudi conſentiamus decepti, uel uiolentiæ cedamus afflicti. Ne ſinas nos deuenire in tentationem, uel faciendi malum, uel, quod proximum eſt, non faciendi bonum. Quòd ſi omnino ut manum conſeramus, ſtat ſententia, ne diſcedas latum à nobis pilum, accende in noſtris mentibus lumen tuum, ut inimici quò pertineant inſidiæ cernamus, quantum bonum ſolicitet nos leuiſsima umbra commutare. Suggere uires, ne nos robore ſuo proſternat. Auge in rebus lætis conſtantiam ſanæ mentis, in triſtibus fortitudinem. Inſtrue & circumualla nos charitate erga te, qua nullo modo ſinamus nos abs te diſiungi. Sed ſimili fiducia dicamus qua Apoſtolus tuus: Ecquis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu? certosq; eſſe nos ac perſuaſiſsimos, nullam eſſe uel in ſuperis, uel in imis, uel in medijs tantam potentiam, quæ id poſsit perficere.

SED LIBERA NOS A MALO.

MAla ſunt in hoc æui decurſu permulta, ſed ea ſunt hoc præcipuè nomine conſignanda, quæ adeò urgent corpus, ac premunt, ut à recordatione tui nos abripiant. Huiuſce generis ſunt neceſsitates quotidianæ, eſuries, ſitis, nuditas, æſtus, algor, tum morbi, & cruciatus corporis, uel in nobis, uel in rebus uoluntatis nexu nobiſcum coniunctis. Ad hæc animi motus concitati ac perturbati, tum tenebræ & cæcitas mentis. Libera nos Pater, ab his malis, quæ uiolentia ſui uel contrahunt animum, uel auertunt, uel opprimunt, ut de te non queat, ſicuti expedit, cogitare. Es tu quidem

quidem ſolus bonus:quæq; fabricatus es,bona, quia tu illorum creator. Sed is qui ti bi perpetuò aduerſatur dæmon,prauus ac malus eſt.Hoſtis eſt tuus, & ea ipſa de cau ſa noſter quoq;,quia nos habes pro filijs.Nocere ille quidem tibi nulla poteſt ratione ac uia: nobis uerò & poteſt uariè, & uult, ſemperq; exitio noſtro imminet,nunquam occaſioni ſuæ indormiens.Quis noſtrûm ulla ex parte reſiſtendo illi erat par?Siue e= nim res agatur uiribus,robuſtiſsimus eſt,nec inuenitur in terra potentia,quæ illi que at, ſicut Iob ait, comparari: ſin uerò aſtu, callidiſsimus, etiam fauorem & charitatem erga illos ſimulabit,quos maximè perditos cupiet,quibusq; momentis omnibus pe= ſtem machinatur: quin & ueritatis uirtutisq; approbationem præ ſe feret, quas gra= uiſsimè odit, & probitatis ſe magiſtrum profitebitur, damnans prauos mores, quo= rum ipſe author eſt & caput: quod auebit,toto ſe niſu ſignificabit aſpernari,ac defu= gere:quod abominabitur,uehementer affectare, quo facilius nos ex animi ſui ſenten tia capiat. Illius artis eſt,commemoranda tua iuſtitia ægritudinem animo importare, & deſperationem ſuadere:contrà uerò,oſtenſa tua clementia,confidentiam & ſegni= ciem,ex conſideratione ſuæ cuiuſque dignitatis inducere arrogantiam, & contra le= gem tuam,hoc eſt cõtra teipſum,odium,quod carnis cupidinibus aduerſeris. Quòd ſi operta fraude ac dolis nihil profecerit, uniuerſam ſuam officinam terroris explica= bit,inferet fortunis,amicis,corporibus,animis noſtris damna:aget,rapiet,trahet, diue xabit, quodq; omnium horribiliſsimum eſt, offundet ob oculos noſtros caliginem, ut uel ueriſsimis cogat abrogare fidem,uel de certiſsimis dubitare. Quis tenebit Pro tea tam uerſipellem?quis tam ſubtiles & occultas inſidias deprehendet? quis uitabit tam minuta retia,& obtutum omnem ſubterfugientia?quis tantam lædendi uim ex= pectabit intrepidus?Nos ô maxime ac potentiſsime pater,nos puſilli,inualidi,impe= riti, imbelles, inermes, in fidem nos & præſidium tuum recipimus. Tu ſolus adferre nobis ſuppetias potes, qui illo infinities plus polles ualesq;: qui es optimus, ut ille peſsimus:ut ille fraudulentiſsimus,ita tu ſapientiſsimus. Ille hoſtis capitalis, tu pater amantiſsimus noſtri:& ſi quid habet uiriũ, te uno habet ſinente. illum enim, quoties tibi eſt collibitum,manibus & pedibus arctiſsimè conſtringis,commouere ſe ut non ualeat.Libera nos pater à praui huius ſæuo dominatu,à tyrannide,quam propter pec catum noſtrum in nos exercet: auerte immanem illius truculentiam à noſtris capiti= bus,& oppugnationem,cui tantopere ſumus impares.Ne permittas ullum nobis eſ= ſe cum eo in hac uita commerciũ, ſiue expreſſum, & nobis cognitum,ſeu occultum & fallens. Libera nos à conſortio conditionis illius æternæ, qua igni eſt inextingui= bili deſtinatus.

AMEN.

EN pater,uerba noſtra qua potuimus balbutie expreſsimus,ut nos ipſi intellige= remus, quid abs te petamus, quid ſperemus, quid accipiamus ad gratitudinem animi,ac beneuolentiam. Functa eſt infans noſtra ratio ſuo munere,quoad eius face= re potuit,exprimendi uerbis.nunc uniuerſum ad te deſiderium ſemel ſine uerbis ef= fundimus,ut tuo nutu approbes,quæ abs te nobis euenire optamus. His uti annuas precamur,non indignitatem noſtram intuitus,ſed dignitatem Ieſu Chriſti filij tui Do mini noſtri, quem unicum filium unicè amas,quemq; participẽ eſſe uoluiſti diuinita tis & regni tui æterni,cum ſpiritu illo ineffabilis amoris,qui ex uobis pro= cedit mutuò, eſtisq; uos tres unus atq; idem Deus, ſine exor= dio ullo & fine ſempiternus.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI PRECES ET MEDITATIONES DIVRNÆ.

1 ¶ Quum expergiſcimur.



EVS, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem nemo niſi ex tuo ipſius munere cognoſcit, effice, ut ad alia ingentia tua erga me beneficia, accedat hoc quoq; maximum, quod generi hominum pręſtari poteſt: ut quemadmodum corpus ſomno conſopitum excitaſti, ſic & animum à ſomno peccatorum et tenebris mundi huius liberes: quodq; ex ſomno ad uigiliã reuocaſti, poſt mortem reddas uitæ. nam eſt ſomnus tibi, quæ nobis mors. Oramus atq; obſecramus te, ut per benignitatem tuam ſocium ſit corpus in uita hac, atq; adminiſtrum pietatis animæ, quo ſit & in altera illa uita particeps beatitudinis ſempiternæ. Per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, per quem omnia nobis tribuis bona & ſalutaria.

Exurge qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

¶ Excurſus ad meditandum.

Reuocanda in mentem lætitia illa, & beatitas reſurrectionis æternæ: tum clariſsimum & ſplendidiſsimum illud mane, & lux noua corporum poſt tenebras, quæ omnia plena ſunt gaudiorum.

2 ¶ Ad primum intuitum lucis.

LVx maxima & ueriſsima, unde lux iſta naſcitur diei ac ſolis, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: lux, cuius nulla eſt nox, nulla ueſpera, meridies clarus ſemper, ac ſerenus, ſine qua denſiſsimę ſunt tenebrę, per quam ſunt omnia lucidiſsima: mens & ſapientia tanti Patris, illuſtra mentem meam, ut tua tantum uideam, cæcus ad reliqua: & per tuas uias ingreſſo, nihil præterea mihi luceat, aut ſit gratum.

Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum.

¶ Excurſio contemplationis.

Quanto potior lux animi, & præſtabilior mentis oculus, quàm corporis? quàm conuenit magis curare, ut acutius cernat mens, quàm corpus, oculum corporis beſtiolæ habent, mentis autem ſoli homines, & quidem ſapientes.

3 ¶ Quum ſurgis.

PRimus parens ex præclara & præcellenti ſublimitate, deuoluit ſe in cœnũ ignominiæ, & abyſſum flagitiorum ac ſcelerum, ſurrexit manu abs te Chriſte ſublatus. Ita & nos, niſi abs te ſuſtollamur, in perpetuum iacebimus. Chriſte, generis humani patrone indulgentiſsime, ut graue hoc onus beneficio tuo erigis, ita & animos noſtros ad cognitionem amoremq; euehe tuæ ſublimitatis.

¶ Excurſus ad meditandum.

Quàm acerbus caſus Adæ propter peccatum, tum etiam cuiuſq; noſtrũm à faſtigio gratię Dei? Quantũ beneficiũ Chriſti, cuius ope toties quotidie à caſu ſurgimus.

4 ¶ Quum exuis ſubuculam.

NAſcimur graue ac moleſtum induti onus, primi hominis terreſtris, qui per delictum ad partes carnis defecit. Exue nos Chriſte, uetere hoc & corrupto Adam qui peccato maceratus, in animi formatur perturbatiões, morbosq; à te alienos, cum tota illa ſua tentatrice Eua, quæ ab obſequio patris tui auertit.

Quum

5 ¶ Quum induimur.

INdue me Christe te ipso,homine secūdo,qui per iustitiam factus es Deo patri tuo adiuratissimus, ad exuendas concupiscentias omnes, & crucifigendum regnum carnis.Tu nobis aduersus frigus hoc mundi esto indumentum,quo foueamur:qui si absis, omnia fiunt protinus torpida, infirma mortua: sin adsis, uiuida,tuta, fortia,uigentia. Et ut corpus amiculo hoc circundo, ita tu me totum,sed animum potissimū, te ipso uestias.

¶ Excursio.

Quomodo incorporamur Christo,ille nos induit,et regit,et fouet,ut sub alis eius seruemur,& regnemus.

6 ¶ Indutus pro auspicio diei.

DEus & Domine Iesu Christe,tu scis,imò tu docuisti nos, quanta sit hominis imbecillitas,quàm nihil possit absq; tua ope.Si ipse sibi fidat,et credat,necesse est ruat in mille exitia.Miserere Pater infirmitatis filij tui,adsis propitius & dexter,ut te illuminante uera bona uideam,te hortante expetam, te ducente cōsequar:mihi diffisus,me cunctum tibi uni trado,commendoq;.

¶ Cogitatio cuiusq; intra se,pro auspicio diei.

1 Conditus sum homo ex corpore terreno,caduco, mortali:ex animo cœlesti,firmo,immortali.

2 Præditus mente,hoc est intelligentia,ratione,iudicio: quibus intelligam supremum bonū,qui est Deus:intellectum amem:amore coniungar ei,fiamq; unum cum illo,immortalis,beatissimus.

3 Ego uerò tantum bonum negligo.

4 Ad cupidines corporis uergo.

5 In rebus uilissimis omnem uim mentis consumo.

6 Obruo me terra,& ex cœlesti fio terrenus,ex diuino belluinus.

7 Non deest mihi Deus,qui primùm uocauit me in partem sui regni,& maximo eius munere ablutus sum aqua,in fide ac nomine Iesu Christi. Illi gratia pro tanto, tamq; ineffabili suo beneficio.Neq; hoc illi satis. etiam lumē suum offert singulis penè momentis,ut uideam:accendit pectus,ut amem.

8 Ego uerò mihi desum ipse,surdus & cæcus & saxeus nihil sentio.

9 Ingratus,tantis beneficijs non utor,aspernor.

10 Malo abiecta,& peritura,in illis uersor,& me cunctum occupo.

11 Ducit me Deus, ego auerto meipsum:porrigit manum,& reijcio:trahor,& repugno.

12 Ingredior quandoq; uiam,& continuò pòst respicio,cesso,procrastino.

13 Age anime expergiscere, erige te, ne semper in cœno uolutemur: sume uires aduersus prauam consuetudinē: aude contemnenda despicere,abiecta calcare:summa,præclarissima,optima appetere.

14 Vocat Deus,audiamus:ducit,sequamur.nam ad sua bona perducet,offert se ac sua,accipiamus.Monstrat maximorum bonorum uiam,ne auertamus faciem,quin illac ingrediamur.

15 Sint hæc semel certa & deliberata, ne sint uani & inefficaces cogitatus,exequamur re ipsa.

7 ¶ Egrediens domo.

INterlaqueos à dæmone & ministro eius mundo extentos, gradiendum est mihi, & circumfero stimulos carnis meæ, duc me certissime Dux,ac tuere à plagis atq; insidijs,ut quæcunque occurrent,non pluris faciam quàm ipsa sint,in te unum aspiciens,ac intentus sic pergam, ut unumquidq; eatenus à me sumatur,quatenus ad te referendum est.

Vias tuas demonstra mihi,& semitas tuas edoce me.

¶ Egressio ad contemplandum.

Quàm uana est occupatio filiorum Adæ, quàm uariè distinetur ac distringitur,

quomodo mentes ſuas ad cognitionem & cogitationem ſui maximi boni tributas, in tam diuerſa diſſecant & diſsipant, ut eius quod primum & potiſsimum eſt obliui ſcantur, ut alij alijs ſint offenſio, & Satan.

8 ¶ Ingrediens iter.

PEregrinatio eſt hæc uita noſtra, à Domino diſceſsimus, ad Dominũ tendimus, ſed inter uoragines, & præcipitia: quæ malus ille hoſtis per uiam fabricatus eſt nobis, peccato exoculatis. Porrige nobis manum Chriſte, uerus, certus, uidens, amicus & fidelis dux. Aperi oculos noſtros, illuſtra regiam illam uiam, quam tu primus ingreſſus ex hac corruptibilitate uitę, ad immortalitatẽ alterius muniuiſti. Tu es hæc uia, duc nos ad patrem per teipſum, ut omnes ſimus unũ cum illo, ſicut tu & ille eſtis.

¶ Altera.

MIſericors Pater, tu ſanctis hominibus, qui puro & ſimplici corde tibi placent, mittis angelos cuſtodes, à quibus ducantur, tanquam imbecillioribus filijs filios natu grandiores, ac magis ualidos. omnes enim & angelos & homines, paterno affectu complecteris. Ita Thobiæ probi patris filio modeſtiſsimo, iter ingreſſuro Raphaelem miniſtrum tuum miſiſti uiæ comitem. nobis uirtute quidem Thobię longè inferioribus, ſed bonitate tua confiſis mitte ſanctum angelum tuum, qui nos & magno animo eſſe faciat, quoniam te fidimus, & per uias deducat tibi gratias.

¶ Digreſsio.

Quomodo peregrinamur à patria, à domo, à noſtra origine, nempe Deo? quàm libenter immoramur & intricamur in peregrinatione, hoc eſt in miſeria, immemores bonorum.

¶ Sumpturus cibum.

9 ADmirandum myſterium operis tui fabricator & rector mundi, ut cibis iſtis hominum & animantium uitas ſuſtentes, profectò non eſt in pane atq; obſonijs ea potentia, ſed in uoluntate & uerbo tuo, quo uno uiuunt & cõſiſtunt omnia. Tum & illud quantum eſt, te in annos ſingulos ſufficere, unde tot animantibus alendis ſit ſatis? quod ſanctus Propheta tuus in enarratione laudum tuarum dixit, Spectare ad te omnia, ut des ſibi eſcam in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Hæc ſunt mirabilia omnipotentiæ tuæ opera. Rogamus te Princeps et Pater munificentiſsime, ut qui uitam noſtris corporibus ſubminiſtras cibis per uerbum tuum, animos quoquè noſtros gratia per idem uerbũ tuum uiuifices, ut digni ſimus, quos meritò, tanquam pater chariſsimos filios, ſaluberrimis alimẽtis enutrias, donec ad perfectionem illam uentum ſit filij tui Ieſu Chriſti, in qua mortale hoc induet immortalitatem, nec amplius alimoniæ indigebimus, facti unum cum te ipſo.

¶ Digreſsio animi.

Quantæ potentiæ, condidiſſe nos: quantæ ſapientiæ, tueri ac conſeruare: quantæ bonitatis, immerentes? Quàm multa data noſtris uſibus: quàm admirabile, ſuſtentari illis uitam: quanto admirabilius, animæ uitam ad immortalitatem propagare ſolo ſuo nutu.

10 ¶ In conuiuio.

BEnigniſsime munerũ tuorum diſtributor, qui donas bona omnia ad utendum, purus pura, ſanctus ſancta, fac adſit nobis auxilio tuum, ne prauè abutamur ijs, quæ tu ad noſtros rectos uſus condidiſti. non te amemus, quia illa das: ſed illa diligamus, quia ueniunt abs te, & ad tempus ſunt nobis neceſſaria reuertentibus ad te. ſobriè, purè, moderatè, ſanctè uerſemur inter tua dona, qui es talis: ne, quæ tu largiris nobis tanquam medicinam uitæ corporeæ, nos in uenenum conuertamur mortis animæ, quin potius rectè ea ſumendo, & animo grato, fiant nobis corpori ac animo ſalutaria.

¶ Egreſsio.

Ad uſum data eſſe illa nobis, non ad abuſum: ut proſint, non ut noceant: nõ nobis ſolis, ſed alijs etiam per nos.

Sumpto

11 ¶ Sumpto cibo.

COrporalibus cibis corporalem uitam fulcis ruentem. grande hoc opus: sed illud utilius,& sanctius,quod gratia tua,Christe Iesu,mortem nostrarum animarum arcet. multum quidem pro æuo hoc debemus tibi:& quoniã id muneribus tuis prorogas,habemus atq; agimus tibi gratias. sed hæc modò uia est ad æternam illam, quam obsecramus te per mortem tuam,ut beneficio quoq; tuo immortali beatitudine dones. hîc pro re temporaria gratias quidẽ agimus, sed temporarias, uidelicet ut possumus:illic pro æterna,agemus æternas.Rogamus te,ut huic uoto annuas, qui uiuis cum patre & spiritu sancto,Deus in æternum.

12 ¶ Reuertens domum.

NIhil est,Domine,tuæ illi sanctæ naturæ similius, quàm animus in tranquillitate compositus.Tu nos ex mundi tumultibus in quietem illam et pacem tuam uocasti,ceu ex tempestatibus in portum,pacem qualẽ dare mundus non ualet, quæ omnem exsuperat hominum sensum. Domicilia nobis constituta sunt,in quæ confugeremus ab iniuria cœli,à sæuitia belluarum,à fluctibus turbæ, & mundi negocijs. Fiat Pater indulgentissime, tuo maximo beneficio, ut in hæc se recipiat corpus nostrum ab externis actionibus,quo sese animo præbeat morigerum:nec reluctetur, quo minus hic se in quietem illam tuam altissimam extollat, nihil obstrepat, nihil obturbet, omnia sint per pacem illam tuam placida & tranquilla.

Pax Christi huic domui,& omnibus habitantibus in ea.

¶ Excursio animi.

Qualis,& quàm lętus erit reditus in domum illam sempiternã,quietissimam,beatissimam: molestia omnis abest,si quid est hîc lætum & iucundum,umbra est præ illis uoluptatibus.

13 ¶ In occasu solis.

MIseros,quibus sol tuus occidit Domine,ille sol,qui sanctis tuis nunquam occiduus est,meridianus semper,serenus,ac fulgens. Grauis nox etiam in meridie incubat illorũ mentes, qui abs te discedunt.at ijs, qui tecum uersantur,nunq; non est dies lucidissima.Habet sol hîc uices suas: tu,si te uerè diligamus,non habes. Vtinam obicem hunc peccati à nobis remoueas,quo sit semper in nostris pectoribus dies.

¶ Digressio.

Non dolere nos quòd sol occidat, quia rediturũ scimus:ita non dolendũ discedere animam è corpore,quam scimus esse reuersuram.

14 ¶ Quum accenduntur lucernæ.

MAgnæ ac densissimæ animos nostros premunt tenebræ,nisi tua lux eas dispellat.fax est corporali mundo sol tuus,artifex sapientissime: fax spiritali mundo sapientia tua, per quam animorum & corporum lux est orta. Post diem succedente nocte,in remedium tenebrarum lucernas dedisti:post peccatum in remedium ignorantiæ doctrinam tuam, quam ad nos filius tuus nostri amantissimus detulit. fac nos author & magister totius ueritatis utraque luce ea cernere, quibus caligo mentium depellatur.

Signatum est super nos lumen uultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Lucerna pedibus meis uerbum tuum,& lumen semitis meis.

¶ Excursio.

Lucernas huius noctis esse scientiam & sapientiam à Deo hominibus traditã, quibus ea cernant in hac corporum nocte, quæ ipsis expediant:quantopere doctrinam huiusmodi optandum esse,& ubi contigerit,diligenter ac piè amplectendum.

15 ¶ Quum exueris.

COrpus hoc per peccatum,fluxum & malè cohærens,sensim dissoluetur, ac redetur terræ,de qua sumptum est:ibi erit finis uanitatis huius,quam nos stultitia nostra nobis confinximus.Sic dissolue me Pater mitissime,qui & compegisti,ut dissolui me sentiam, & à quo uictus fuerim recorder, & quò eundum mihi sit considerem,ne imparatus rapiar ad tribunal tuum.

Excur-

¶ Excurſio.

Non ponimus ueſtes grauatè, quas ſumus recepturi tranſacta nocte: ſic corpus poſt hanc noctem curriculi ſeculorum reſumendum, ne poſuerimus inuiti.

16 ¶ Quum intras lectum.

PEracto die, tradimus nos quieti de nocte. ſic uita hac finita, quieſcemus in morte. Nihil uitæ ſimilius, quàm quiuis dies: nec morti, & ſomnus: nec ſepulturæ, quàm lectus. fac Domine præſes, & propugnator noſtri, ut & nunc iacentes nos, ac noſtri impotes, ab aſtu & incurſibus crudelis hoſtis tueare: et tunc finito uitę curricu lo, magis adhuc inualidos, non meritis noſtris, ſed clemẽtia tua ad te uoces, ut tecum ſemper uiuamus, æternumq; uigilemus. Nunc uerò obdormiſcamus in te, tu ſolus, tua illa bona ingentia, incredibilia, per uiſum nobis obuerſentur, ut ne dormientes quidem à te abſimus: quæ ſomnia tum cubile ipſum, & corpora noſtra pura conſeruent, tum animos exhilarent beata illa tua lætitia.

In pace in idipſum obdormiam, & requieſcam.

¶ Excurſio.

Peracto tumultuoſo hoc die, ſuccedit nox & quies, & lectus, & ſomnus dulciſſimus, qui ſummos reges & infimos ſeruos pares facit: ſic poſt tumultus & tempeſtates uitæ huius, fidentibus Chriſto, portum & quietem gratiſsimam eſſe paratam.

¶ Quum obdormiſcis.

17 SVſcipe me tuendum Ieſu Chriſte, præſidium noſtrum. fac, ut ſopito corpore, animus in te meus uigilet, & felicem illam lætiſsimamq; cœleſtem uitam, lætus atq; alacer contempletur, in qua tu es princeps cum patre & ſpiritu ſancto. Angeli uerò, & puri ſanctiq; animi, ſunt ciues ad æternitatem beatiſsimi.

PRECES ET MEDITATIONES GENERALES.

1 ¶ Pro uenia peccatorum.

SCELERVM noſtrorum is eſt cumulus & uarietas tanta, ut niſi quis ſe ad conſiderationẽ attollat tuæ bonitatis, deſperet neceſſe eſt. Te nos offendimus, tibi flagitijs noſtris inimicitias indicimus, potentiſſimo, nullius rei indigo, & cui nocere nihil poteſt: & tamen abs te pacis, ac reconciliationis initium. Nulla re magis egemus, quàm medicina indulgentiæ tuæ, quia nihil crebrius nobis accidit quàm in hunc morbum incidere: eam uerò tu ſemper obuiam offers nobis atque expoſitam. Da mitiſsime ac placabiliſsime Pater, ut mala noſtra, & remedia malorũ agnoſcamus, eaq; abs te uno, uti conuenit, petamus, quæ tu rogatus tam facile ſoles elargiri.

¶ Altera.

CLementiſsime Ieſu Chriſte, qui factus in ſimilitudinẽ carnis peccati, peccatum noſtrum in te portaſti, ut mala noſtra omnia, morte tua deleres, nosq; purificatos nouam inſtaurares creaturam Deo gratam, abſterge nos à maculis, quas candori, quem per te ſumus nacti, nos ipſi uitijs noſtris quotidie aſpergimus, & repurgatos iam in ea nos mundicie gratia tua conſeruet, quo digni ſimus, ut tui dicamur profeſſione ac nomine.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.

¶ Alia.

DEus pater indulgentiſsime, atq; optime, oro te, ne malitia mea alijs noceat, ſed aliorum potius bonitas mihi proſit. Tu es metuẽdus, ille Deus zelotes, qui reddis iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, ijs qui oderũt te: es uiciſsim exorabilis, & manſuetiſsimus, qui facis miſericordiam in milia ijs, qui diligunt te, & cuſtodiũt præcepta tua. Ad ingentẽ tuam munificentiam iſtud quoq; accedat,

accedat,ne in me patrum carnalium noxiæ redundẽt:ſed Chriſti filij tui, qui pater eſt noſter,benefacta mihi ſubueniant.ne mihi propter eos,qui genuere corpus hoc, iraſcaris:ſed propter Ieſum,qui animum regenuit,ſentiam te placatum.

¶ Alia.

ANte actam uitam reſpiciẽtibus,quantum ſe pandit ſubitò errorum,flagitiorũ, ſcelerum barathrum, ut nullus ſit,quem ſui non pudeat,quum in ſemet reuertitur,quiq; non exhorreſcat de ſceleribus ſequentis ætatis.Nam quis erit nobis ſponſor,aliam fore hanc,quàm quæ præterijt? tuam uerò Pater clementiam admiretur ac adoret,qui ultionem tuam tam diu diſtuleris? Accedimus ad te perterrefacti, magne iudex, & ſupplices obſecramus, ne illorum uniuerſorum cumulata iam uindicta in nos redundet,ſed ea operiat tua erga Ieſum Chriſtum charitas, filium tuum unicum, Dominum noſtrum,cuius gratia nobis extrema commeritis ignoſcis. Si iniquitates obſeruaueris Domine,Domine quis ſuſtinebit?

¶ Excurſio.

Quanto accuratius paremus humanis legibus, quàm diuinis,quum in his ſit tanto maius præmium obſequij,& pœna delicti? Quantam conſuetudinẽ duximus peccandi, ut penè iam nec aliter poſsimus facere, nec quod admittatur facinus, ſentiamus? quàm pro nihilo habemus? iacemus humi in cœno, in ſterquilinio, nec unquã nauamus ullam operam,ut ſaltem erigamus caput,ne omnino cõputreſcamus.Quis pater,ferret nos,toties contemnentes ſua iuſſa?fert tamen Deus,et diſsimulat peccata hominum,ut bonitas & tolerantia illius ad reſipiſcendum nos alliciat.

2 ¶ Pro fide.

EXcæcatus eſt homo à peccato:ſed miſeratione patris tui,appoſitus es tu Chriſte dux huic cæco, magiſter rudi.Illud tamen atrociſsimum in cæcitate hac,& rudi-tate malum,quod ſubinde trepidamus,ac mutamus,aliàs optima prçceptoris monita non capimus,aliàs hæremus,& ambigimus de ueritate. Miſerum cæcum,quomodo paratam perniciem euades,ſi te ſubtrahis? ſi nec ipſe noſti uiam, nec fidem habes monſtranti? Chriſte ueritas pura & ſempiterna,dignare ita pectoribus noſtris illabi, ut te, ac tua omnia,ſicuti ueriora ſunt, ita pro certioribus habeamus, quàm quæ uel oculis noſtris cernimus, uel digitis contrectamus, fallacibus corporis ſenſibus,quibus ſtolida & bruta caro tantoperę confidit: ſeda & compone motus iſtos carnis, detrudentes nos ſubinde ad mutationem eius,quod firmiſsimum atq; ſtabiliſſimum oportet eſſe apud animos noſtros. donum eſt luminis tui fides, hoc tu Chriſte benigniſsime ita cordibus noſtris inſtilla, ut uitioſi iſti oculi,uel reluctantes & inuiti, cogantur illud aſpicere.

Credo Domine,ſed tu adiuua incredulitatẽ meam:Domine,adauge nobis fidem.

¶ Egreſsio.

Quàm facile credimus homini malo,mendaci,inſcio? quàm ægrè & cunctabundè Deo, optimo, ueraciſsimo, ſapientiſsimo? & credimus homini de iis quæ nobis non expediunt, non credimus Deo de ſalute noſtra. Homo nihil poteſt, Deus nihil non poteſt. ſenſus ſequimur toties deceptos, dubitamus de Deo, qui nec fallere poteſt,nec falli.

3 ¶ Pro fiducia in Deum.

INitium ruinæ hominis, ſibi fidere: initium reparationis,ſibi diffidere,Deo confiſum. Optime ac ſapientiſsime dux,qui uerè ac bona fide credentes ſemetipſos tibi rectiſsimo cõpendio deducis ad immortalem beatitudinem, fac,ut quemadmodum reipſa cæci ſumus atq; inualidiſsimi,ita & ille nos putemus.ne hoc nobis ſumamus, ut ipſi nobis uelimus proſpicere:hactenus uerò uideamus,ut intueamur te unum:hactenus poſsimus, ut te & præcedentem uelimus ſequi, & uocantem adire, & parêre ducenti,concredamusq; nos cunctos tibi.ut tu,qui ſolus,quà eundũ ſit noſti, ea nos deducas uia ad uota noſtra,quam nos ſponte noſtra nunquam ingrederemur.

¶ Digreſsio animi.

Quemadmodum offert ſe nobis, qui poteſt omnia,& uult,nos cunctamur ſequi,

& conuer

& conuertimus nos ad ea quæ nec possunt ex sua imbecillitate, nec uolunt ex sua malicia: fiduciam in illum habeamus qui offert, qui libentius dat quàm nos accipimus. Recole animo, quoties hortatur, monet, incitat, ut petamus fidenter, quicquid nobis expediat. quàm placet illi fiducia, displicet diffidentia.

¶ Pro charitate Dei.

4 MEntes nostras ita condidisti author naturæ, ut pronæ ferrentur ad pulchrum, qui affectus amor dicitur. O utinam dignareris oculos nostros aperire, ut cerneremus te unum esse ueram, summam, absolutam pulchritudinem. Reliqua omnia, etiam quæ nos de forma admiramur, & suspicimus, deformissima esse, si tecum conferantur. Effice pater, ut hæc, sicut reuera sunt, ita & sentiamus, & sint nobis persuasa, quo rebus alijs cunctis pro nihilo habitis, & contemptis, in te uno mens, animus, cogitatus, affectus noster omnis sit defixus.

¶ Altera, pro amore Dei.

INitium fœlicitatis est, te optimum amare: absoluta fœlicitas, tecum optimo ita cõiungi, ut unum fiamus tecum, etenim hic est amoris finis. Ergo auspicamur hîc nostram beatitatem in amore tui, absoluimus in cœlo in coniunctione tecũ. O Christe amicissime, utinam tanta erga te charitatis corripiamur flamma, ut in te penitus absorpti & consumpti, quemadmodum pater & tu unum estis, ita simus nos tecum, non iam nos, sed tu: non homines, sed dij quodammodo, quoniam quidem unum cum Deo, quæ est summa & perfecta beatitudo. Deus charitas est: qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Viuo ego, iam non ego, uiuit autem in me Christus.

¶ Excursio.

Rem esse penè incredibilem, ut Deus uelit à nobis diligi, ut summus, & Dominus, & fabricator mundi huius postulet, exigat amicitiam nostram: ut non immeritò exclamet Psalmista, Quoniam uidebo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti. Quid est homo, quòd memor es eius? Nos uerò tardi & uecordes, ad tantam coniunctionem uel non accedimus omnino, uel lenti, et quasi repugnantes trahimur, & non quamcunq; occasionem, rebus omnibus prętermissis arripimus. Qui amorem dat, seipsum dat. Nos damus nosmetipsos rebus nobis inferioribus & uilioribus, quæ uel exitium nobis afferunt, uel certe fruſtrantur nos, & eludunt Deo uero minimam nostri partem, & sæpe nullam impartimur, à quo, & in quo sunt bona omnia.

¶ Pro charitate proximi.

5 ILlumina Domine ac edoce mentes nostras, ut unumquidq; suo precio æstimemus: nihil pluris faciamus te, quando nihil potest fieri melius te. secundo loco sit nobis homo, quo nihil est in rebus mundi huius præstabilius, illum secũdum te diligamus, siue quia simillimum nostri, siue quia filium tuum, ideoq; fratrem nostrum, siue quia destinatum ciuem communis patriæ. & mutua charitate meditemur iam hîc cœlestem illam uitam, à qua procul exulat odiũ, omnia sunt amoris, ac proinde gaudiorum referta.

¶ Egressio.

Quanto dignius est amari à nobis similem nobis, & parem, quàm inferius, & dissimillimum? Quanto precio amamus hominem? ita ut Deus cultum & sacrificium suum, humanæ beneuolentiæ iubeat posthaberi. Quàm dulce, amare, & homini congruens? quàm acerbum, odisse, quamq; ab homine alienum?

6 ¶ Pro misericordia proximi.

REmolli cor hoc nostrum Domine, ut necessitatibus & incommodis proximorum non aliter moueamur, quàm si ad nos, aut ad res nobis cõiunctissimas pertinerent, & charissimis nostris existimemus accidere. misereamur in illis nostri ipsorum, & in communi calamitate communis sit erga alios quoq; miseratio, ut qua de causa misereamur nosmetipsos, eadẽ ipsa moueamur erga illos, quos eisdẽ uidemus aduersis premi. O Christe mitissime ac misericordissime, affla nos quęso spiritu man

suetudinis

ſuetudinis & bonitatis tuæ, ut quemadmodũ te miſericordia noſtri ad cruciatus impulit,& mortem amariſsimam,ita nos proximorum miſeratio ad eis pro uirili ſuccurrendum adducat.

¶ Egreſsio.

Quàm contra naturam hominis eſt odiſſe? quanto inhumanius,non miſerari afflictum,quum etiam belluæ irritatæ & ſauciæ proſtratis parcant,& quæ ſenſu omni amoris & manſuetudinis carent,miſericordiam præſtent.

7 ¶ Aduerſus mundi uanitatem.

HEu quibus ludibrijs præſtigiator hic mundus debiles noſtros atq; obtuſos oculos ludificatur, quales oſtentat procul rerum ſpecies, ut magna appareant, & expetenda,quæ ſunt re uera parua, inania,contemnenda: ut formidanda,in quibus nihil eſt periculi:fugienda,quæ conueniret appetere.uocat,inuitat,allicit,abblanditur.quum hac parum proficit,terret,impetit,uexat. O lux fulgentiſsima Diuinæ ueritatis,ſimul nebulas has diſcute & diſsipa,ſimul ſenſus noſtros illumina,ne alia deuitemus,quàm tibi contraria, hoc eſt planè nobis noxia, & pernicioſa,neu alia ſequamur uel appetamus quàm ſolida & uerè magna ac pulchra, nempe te unum,perennem atque æternum fontem totius bonitatis ac beatitudinis. Omnis caro fœnum,et omnis gloria eius quaſi flos agri:exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos,quia ſpiritus Domini inſufflauit in illud.

¶ Excurſio animi.

Quàm citò tranſuolant omnia? nullum ueſtigiũ poſt ſe relinquũt, niſi tædium & moleſtiã,nullius ſunt omnino fructus. quàm parũ alijs profuerũt,tam tibi proderũt. Qualis fuit uitæ pars tranſacta,talis erit quæ reſtat,& peior indies,uitio ætatis, non tales feciſſe Deum has res,ſed nos ſtultitia noſtra in uſus prauos detorſiſſe.

8 ¶ Aduerſus cupiditatem opum.

HVmanæ diuitię quid queunt nos iuuare,niſi tu Pater benigniſsime,tuas in nos effuderis? Aperis tu liberalem manum tuam,& imples omne animal affluentia. Quorſum parãtur nobis tam multa, quibus pauciſsima ſunt opus? Quid ſumus anxij de futuris, quæ tu præſtare potes ſolus? O inſtitutor & conſeruator uitæ noſtræ, tu qui unico tuo uerbo nos finxiſti, eodem unico nos ſuſtenta,illuſtra mentes noſtras,ut cognitis umbris te unũ concupiſcamus,in quo ſunt theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ, tuam gratiam exoptemus,qua una cuncta perſeuerãt,& uita noſtra propagatur.

Non ex ſolo pane uiuit homo,ſed ex omni uerbo quod procedit de ore Dei.

¶ Altera.

O Maximam mentium noſtrarum cæcitatem, ut noxia tam ſollicitè expetamus, fugientia perſequamur,retineamus inuita, quę nos in exitium noſtrum ſumus commenti.& dum alimenta quærere nos putamus, illum offendimus, qui nos alit,à quo ſolo pendet uita noſtra,haud aliter quàm tenuiſsimo filo alligata. O tutor,& altor noſter, da noſtris cordibus ad cuſtodiam legis tuæ curam,ad nos uerò alendos ſecuritatem: quandoquidẽ curam hanc ipſe & in te profiteris recipere,& remitti ad te iubes,ne nos de euentu ſimus ſoliciti,quem tibi ſoli reſeruaſti.

¶ Alia.

QVoniam tu nos abs te diſcedentes reliquiſti,& neceſsitates ſunt in immenſum auctę,quia procul abs te omnia inualida atq; infirma,ſine te in nihilum ſuum recidunt,& quia orbatos nos ſenſimus tuo præſidio,creuerũt neceſsitatum metus, ex metu autem maior neceſsitatum opinio.Reuoca,et reduc nos ad te,Pater clementiſsime:& tanto muniti auxilio,neq; neceſsitates nos impetent,& neceſsitatum formidines tollentur: ita omni alia cura explicati & ſoluti, id ſolum curabimus,ut amicitiam tuam,quantum erit uirium noſtrarum,conſeruemus,eamq; curam tu adiuuabis,qui ſi deſis,nihil poterit conſiſtere. Et benignitas tua conatibus noſtris manum ſtatim porrigere conſueuit.

¶ Alia.

QVotidiana corporis neceſsitas animum ad ſe trahit,ac detrudit. Mitte nobis Pater,cui ſcimus eſſe de nobis curam,panem illum quotidianum,quem nos abste iuſsit & petere & ſperare unicus tuus Chriſtus:da neceſſariis contentos uiuere,ſuperuacanea aſpernari,ut nos neq; ineuitabilis neceſsitas uincat,neq; obruat affluentia. Atq; ea ipſa neceſſaria ita mitte,ne per offenſam tui paremus, quã nos grauiorem & magis cenſeamus deuitandam,quàm huiuſce corporis mortem.

Melius eſt modicum iuſto,quàm diuitiæ peccatori multæ.

¶ Alia.

QVo mihi ad tam breuem uitam tantum uiaticum? & quo minus reſtat uiæ, hoc uiaticum uel ſolicitius quæro,uel arctius complector. O quanta mihi perit occaſio ex ærugine hac non mea,fœliciſsimum mihi et immortalem theſaurum quęrendi. Confirma me fortiſsime Domine,ac corrobora, ut magno animo audeã nihil profutura contemnere,pernicioſa reiicere. Fac me,ſicut tu admonuiſti,ex mammona iniquo parare amicos,qui me recipiant in æterna tabernacula. Transfer cor meum à ſeruitute idolorum,ad ſeruitutem tui:cui ſeruire,regnare eſt. nam diuitijs ſeruire, ea eſt ſeruitus conditionis extremæ. Immitte pro cupidine harum diuitiarum, quæ & tempori & iniuriæ hominum,& caſibus ſunt obnoxiæ, cupiditatem tuarum, quæ ſempiternæ & inuiolabilis ſemel acceptæ poſsidentur.

Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Non tuebantur nos diuitiæ in die ultionis. In imagine pertranſibit homo,& fruſtrà conturbatur. Theſaurizat, & neſcit cui congregat. Et relinquet alienis diuitias ſuas: & ſepulchra eorum, domus illorum in æternum.

¶ Alia.

QVis eſt hic furor? quid uolo? quid requiro? ut conſpectum & uerecundiã Dei, charitatem hominum,libertatem meam,quietem animi,uitam,quũ hanc temporariam & breuem, tum ſempiternam illam, cui ſum à Deo conditus poſthabeam ærugini uiliſsimæ, cuius uſus uel nullus futurus eſt prorſum, uel prauus & noxius. Redde mihi oculos Pater, & fons luminum,da & neceſsitatibus ſubuentum, & animum acquieſcentem præſentibus.

Nihil intulimus in hunc mundum,utiq; nec ſumus quicquam ablaturi. Habentes igitur quibus alamur,& ueſtiamur,his contenti ſumus. Magnæ diuitiæ ſunt,pietas,et præſentibus acquieſcere.

9 ¶ Contra ſuperbiam.

QVid facit mihi animos? Externa incerta ſunt, & ad breuem uſuram accommodata. Corpus caducum,putre,fragile,fœtidũ:animus prauus,mens cæca. Quicquid habeo meum, malum eſt: ſi quid boni,quod eſt prætenuè, atq; utinam aliquid, id uerò alienum eſt. Tantæ meæ infirmitatis conſcius, cur me extollo, cur alijs me anteponо? certè non peioribus me: ſcilicet, quia huc me protrudit caro peccato coinquinata, niſi tu feras opem. O Chriſte,in tanta potentia manſuetiſsime, & in tanta excellẽtia demiſſe,ac tua ſponte humilis, imparti mihi animum, atq; ſpiritum tuum, ut agnoſcam infirmitatem meam malitia fermentatam, & exemplo tui moderatus ſim, qui nullam habeo efferendi mei cauſam, quum ipſe tu Dominus cœlorum ac terræ, cui tantum ſeſe licebat extollere, ad infimam te hominum deiectionem ſubmiſeris.

¶ Altera.

OPater ſapientiſsime atq; optime, qui ſemper excogitas quemadmodum nobis proſis:quum nos ſemper cogitemus, quemadmodum te offendamus: dediſti humano generi ſuperbiſsimo,indomito,rebelli, cœleſte filij tui exemplum moderationis,atq; obedientiæ. Conuerte mentes noſtras ad te,atq; illud tuũ exemplũ,ut nos tam demiſſe nos geramus,mali atq; imbecilles,q; ille optimus atq; potentiſsimus.

¶ Egreſsio.

Percurrat homo per ea quæ ſubdunt ei ſpiritus: expendat,inſpiciat origines, progreſſus,

greſſus, exitus: intelliget quàm ſint leuia & indigna, ut de ijs nos extollamus. Vera bona in animo ſunt, de quo nullus hominum poteſt iudicare, ſed ſolus Deus. Ita ſuperbia ex animi tenebris naſcitur, nempe uel hebetudine, uel ruditate, uel inconſiderantia & temeritate.

10 ¶ Contra inuidentiam.

TV Domine repertor & conditor es omnium, tu munerum tuorum diſtributor, quæ pro immenſa tua libertate elargiris, nomini non tribuens pluſquàm meretur, nemini non quantum ſufficit. quæ ergo inuidendi cauſa nobis relinquitur, quando tu omnibus das de tuo, & immerentibus das, & unicuiq; quod eſt ad beatitudinem ſuam ſatis? Adde pater hoc quoq; ad cætera, beneficiorum tuorum iudicio & diſtributione acquieſcere. Pro ijs quę accepimus, agamus gratias. Pro ijs, quę in alios contuliſti, ne tacitè apud noſmetipſos, & ſacram tuam uoluntatem damnemus, & conſilium non inueſtigabile. Sed amemus potius, & in bonis aliorum tuam munificentiam, qui tam es in omnes benignus, nullius rei egens, à nullo nec accipiens quicquam, nec ſperans.

¶ Excurſus.

Quàm uile uitium, & ignobile, quàm inutile: nec tu ideo habes melius, nec inuidioſus peius. Immo tu peius, qui arroderis præcordijs, & exhauriris toto corpore, nec tamen confiteri audes morbum, conſidera quid inuides, uilia, caduca, breuia, miſeranda, potius quàm inuidenda.

11 ¶ Contra iram.

CÆca hæc noſtri indulgentia, quantum in animos noſtros errorum importat, ut iniuria exiſtimemus fieri, quod fit iuſtiſsimè: ut in eo alijs denegemus ueniam, in quo nos ſingulis momentis labimur. & uenia indigemus, ut nobis ultionem ſumamus, pueri, dementes, furioſi, iniuſti: & præripiamus illi, qui ſolus ſapiens eſt & iuſtus, quem & propter ſapientiam nulla res fallit, & propter æquitatem nihil abducit à recto. O Chriſte mitiſsime, exemplar moderationis, fons manſuetudinis, aliquid in nos aſperge de lenitate iſta tua, quo nos imitatione tui conuitijs impetiti, iniurijs affecti, calumnijs & contumelijs oppreſsi atq; afflicti, beneficium tamen pro maleficio rependamus.

¶ Altera contra iram.

QVid dignum ira exiſtimari par eſt, niſi quo lædimur? quum ergo potiſsima noſtri pars ſit animus, quo cenſemur uno, quæ animo illæſo poſſunt adimi: ea uerò tanquam nihil ad nos pertineant, negligamus: nec damno ducamus affici nos, ſeu ablatione fortunarum, ſeu incommodis corporis, aut doloribus. O Chriſte, ſecundo Adam, qui conditus es in ſimilitudinem terreni, ſed cœleſtis: aufer iudicium hoc, quod peccatum primi patris nobis indidit: immitte noſtris pectoribus tale de rebus iudicium, ut lædi probitatem noſtrā, id demum iudicemus malum, atq; ira dignum.

¶ Digreſſus.

Quàm alienum uitium à manſuetudine humanę conditionis, ut in feram uideatur degenerare homo: quàm obſcurat mentem, ne quid cernat. Et ideo quot malorum cauſæ, quot dolores adfert, & irato, & alijs permultis, quantam & quàm perpetuam pœnitentiam conſilij præferuidi.

12 ¶ Aduerſus prauos omnes affectus.

SVbieceras nobis author prouidentiſsime, affectus animorum noſtrorum, tanquam praua & nequam mancipia. Sed nos peccatum, quod à te ſeparauit, ſubiecit illis tyrannis impotentibus. meritò libertatem, imò dominatum amiſimus, dum à te diſceſsimus omnium Domino, cuius unius fauore regnabamus. Nunc nos ad te reuertentes ſuſcipe Pater mitiſsime, & à ceruicibus noſtris tam durum & ſæuum iugum depelle. Reddat nobis tua bonitas, quæ malitia ademit noſtra, ut mens tui ſimillima in regnum totius hominis repoſita, regat iuxta præſcriptum tuum, quæ in nobis ſunt, uolentia & libentia, ut ſubdita tibi mens, ſubditos ſentiat ſibi quoſcunq; pectoris ſui motus.

¶ Excurſio.

Homo,ex mente eſt homo, exaffectionibus brutum: qui ergo iuxta mentem uiuit, homo eſt, & ratione utitur, & ea agit quæ ſunt digna homine:qui uerò iuxta affectus,brutum,nec ratione utitur,& ea agit quæ ſunt à Deo alieniſsima, in uiliorem & peiorem naturam degenerans.Miſerrimæ ſeruitutis uitam deges,ſi tu ſis in manu affectuum:felicisſimæ autem libertatis,ſi illi in manu tua.Hoc eſt ſemper & ſedulò elaborandum,ut motus noſtrorum animorum quàm minimum habeant uirium.

13 ¶ Aduerſus carnem.

ALligata eſt caro ſpiritui,brutum & ſpurcum ratione prædito,ſed ratio præſtabat ſpiritum dominum,in innocentia: nunc ſcelus à primis parentibus hæreditarium, rebellem carnem dominæ atq; imperatrici menti obiecit. O ſi tu Chriſte, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, reſtitueres nobis benignitate tua,quod nos malitia noſtra nobis ipſi detraximus,ut uel parêret rationi rectæ atq; incorruptæ caro alacriter ac libenter:uel certè quamlibet belligeraretur et repugnaret,maiores eſſent rectæ rationis uires, & robur potentius, ut id domaret in nobis,ac cogeret,quod duci ſe ac gubernari indignatur.

¶ Excurſio.

Ingratiſsimum & nequam mancipium corpus quo habetur indulgentius, hoc fit deterius & nequius:plagis,ac dura tractatione emẽdatur,& fit frugalius.ſi obſequamur illi,in exitium nos detrudet,auertẽs à Deo ad terram & putredinẽ ſuam.Quàm eſt pudendũ nobis illud certamen,quo mens cum carne,hoc eſt dominus cum mancipio ſuo commiſſus,de uictoria & præſtantia contendit,interdum uincens, plerunque uictus.nec potis eſt ſeruí nequiſsimi audaciam cohibere, proteruiã atq; inſolentiam retundere,quia nimis illi,& diu,& ſæpe indulſit.

Quanta fœditas, quàm ſpurca & obſcœna? ut homo obbruteſcit, debilitatis fractiſq; & corporis & ingenij neruis? Quàm momentanea uoluptas,tam carò hic empta, tanto in altera uita cariùs?

Momentaneum eſt quod delectat,æternum quod cruciat.

Qui in carne ſua ſeminat,inquit Paulus,de carne metet corruptionem:qui autem ſeminat in ſpiritu,de ſpiritu metet uitam æternam.

14 ¶ Contra diabolum.

IEſu Chriſte Domine Deus noſter, hoſtis irruit in nos, qui niſi tu ſubuenias, facile nos & aſtu ſuo fallet,& uiribus proſternet,et ſęuitia dilaniabit.Sed ſi tu uel procul appareas,qui illum fregiſti,ſolo aſpectu tuo perterritum fugabis.dignare nos in tutelam tuam recipere,infantes,inualidos,imbecillos,imperitos, ne nos tam truculẽta & immanis fera diſcerpat. crucem uexillũ tuum, crucem trophæũ tuum, in hac pugna præferimus,ac oſtendimus,ut hoſtis ſciat ductu atq; auſpicijs tuis rem geri.

Per ſignum ſanctæ crucis,ab inimicis noſtris libera nos Domine Deus noſter.

¶ Excurſio.

Hoſtis noſter eſt, quicquid fingat, quicquid ſimulet, diſsimulet,perniciem nobis machinatur,cauendus eſt,quicquid uel apertè ſuadeat,uel clàm inſtillet animo:& circumſpectiſsimè agendum,ne quà irrepat,& inualeſcat.

Aduerſarius ueſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret,cui reſiſtite fortes in fide.

15 ¶ Contra tentationem.

QVàm imbecilla arx,& caduca,tot impugnata atq; impetita machinis:ſed unico tuo Chriſte robore munita,inexpugnabilis perſiſtet.Fuiſti & ipſe tentatus,ut eos qui tentantur,ſcires miſerari.Expertus es, quæ iaciantur tormenta. infirmitatem noſtram non es expertus,ſed neq; ignoras.Ne ſinas nos oppugnari,quandoquidem tantum ſubimus diſcrimen,ne proſternamur.Quòd ſi ita iuſtiſsimæ uoluntati tuæ uideatur,ut omnino ſit dimicandum, ſentiat unuſquiſque noſtrûm opem illam, quam Apoſtolus tuus de te audiuit:Sufficiat tibi gratia mea. nam uirtus mea quàm ſit ualida,in tua infirmitate declaratur.

O guber-

O gubernator nauis huius, tam agitatæ & concussæ, ne nos deseras.

Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animã tuam ad tentationem.

¶ Egressus.

Nullas habemus uires, ideo quantum possumus, fugiamus pugnam: ne credamus nos periculis, quia sumus tam imbecilli, & imbelles.

Quanta est dementia, inermem & debilem ultro iter appetere inter gladios & tormenta?

Qui amat periculum, peribit in eo.

16 ¶ Pro gratia Dei.

NAtura nostra fragilis ex se, atq; imbecilla, dictu acerbum, quantam à peccato accepit plagam, quantum amisit neruorum ac uirium: non attollere se, non insistere, non ingredi ualet sine ope atq; auxilio tuo. Neq; efficax est, aut cuiusquam momenti, quicquid seu cogitat, seu extruit humana mens, ni subsit fundamentũ fauoris tui. Nihil ualidum est, nisi tua beneuolentia opituletur. omnia absq; illa ruunt protinus: illa nos purgat, & detergit sordidos, corroborat infirmos, artifices reddit uirtutum omnium peritissimos. Obsecramus te Domine, ut ea nobis adsit semper tua gratia, quo nec excogitari potest donum ullum maius, nec tu aliud promptius aut libentius largiris, ac proinde crebrius. Ipsa in nobis efficiat, ut quantum sui indigeamus agnoscentes, et in petenda simus uotis assidui, et in conseruanda pijs operibus soliciti.

¶ Excursio.

Quantum præsidiũ in solo fauore Dei, in quo sunt nobis omnia. labores nostros omnes irritos esse, si Deo non simus amici, & chari. consumuntur enim in rebus inanissimis, & nulla opera, nec cura dignis. Nos uerò per delictum fracti prorsum, & debilitati, nihil præstare possumus sine fulcimento gratiæ Dei.

17 ¶ Pro imitatione filij Dei.

PEr filium tuum Domine ostendisti, quantæ tibi essemus curæ, qui illum dedisti nobis salutis nostræ inuentorem perditę, reparatorem lapsæ, magistrum pietatis, exemplar uitæ, innocentia atq; integritate animi, patientia sæuissimorũ cruciatuum, obsequio tuorum imperiorum. Tribuat hoc nobis tua bonitas, quæ tanta nobis singulis momentis elargitur, ut nos per nomen illius baptizatos, & insertos sancto illius corpori, ad incredibilium uirtutum illius imitationem aliquam, quantum præstari à nobis poterit, nos componamus, sitq; nobis admirabilis eius uita, exemplar cogitationum atq; actionum nostrarũ omnium: ut eadem insistentes uia, qua ille, ad eandem qua ipse perueniamus hæreditatem, & simus, quemadmodũ hic membra eius, ita etiam illic regni cohæredes, felicitatis eius adoptatione participes, quam ille possidet per naturam.

¶ Excursio.

Quanta bonitas Dei, quanta benignitas, & nostri indulgentia, quoniam exempla hominum uel praua erant, uel nos aspernabamur: nec diuinam naturam facile est reddere atque exprimere, humanam assumpsit Deus, nostræ infirmitati parem, quum ad alia multa, tum ut in ea haberemus certissimũ & rectissimum exemplum, quod non dubitaremus imitari: & nefas esset non imitari, nempe optimum & exactissimũ. Nec est ulla uitæ pars, siue ad minuendam arrogantiam, siue ad consolationem ægritudinum, siue ad actionum directionem, ad quam non inueniamus exemplum, et disciplinam in Christo Iesu.

Venite post me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris.

18 ¶ In lætis gratiarum actio.

SI pro singulis tuis erga nos beneficijs gratias tibi essemus acturi, Christe Iesu benignissime, ac beneficentissime, tota esset in eo uno uita consumẽda, ut nulla alia de re conueniret nos cogitare, à te sunt læta nostra, à te bona omnia: da nobis Domi-

ne hoc & firmiter credere, & ſæpe meminiſſe. ſed pro eo quod hoc tempore uiſum eſt, ſacro tuo conſilio largiri, ago gratias. Fac oro te, ut ne lætitia hæc, læuis ſit remuneratio exigui benefacti, ſed potius uelut guſtus quidam immenſæ tuæ lætitiæ, ac fœlicitatis ſempiternæ.

¶ Egreſsio ad contemplandum.

Si nos hęc exhilarant læta, quid illa quorum hoc eſt uelut exemplum ex infimo, et abiectiſsimo deciſum? Et ſi ſuauia ſunt foris læta, quid lætitia, ſanæ mentis, nulliuſq; ſibi delicti cõſcia? Hæc læta, diluta, et breui peritura: illa læta, ſolida, ſempiterna. quid opus eſt tanta lætitia in re tam leui, & tam citò peritura, incertò quid poſthac ſequetur? ne efferaris de rebus caducis.

19 ¶ Pro acceptis muneribus.

QVid habemus, quod à te non acceperimus? imò uerò quid ſumus, niſi per te? quid ſtaturi, ſi non manu tua fulciremur? Tu hactenus dignatus es nos conſeruare, tu mactos tuis ſanctis muneribus effeciſti quum in corpore, tum (quod optabilius eſt) mente. Da nobis Domine, nõ tam agere gratias tibi, quàm habere: hoc eſt, benignitatis ac munificentiæ tuæ erga nos continenter recordari: ut quum nos experiare non ingratos, pergas dona tua in nobis augere, quouſq; per hæc tua ueniamus ad te fontem bonorum omnium perennem, & totius beatitatis.

¶ Altera.

DOna tua Domine, quoniam à te ſunt maximo & uberrimo fonte bonorum omnium, quantumcunq; uoraginem noſtrarum cupiditatum non impleant, non poſſunt tamen non eſſe ampliſsima. Itaq; infunde nobis moderationem animi, ut illa accipiamus læti, & gratiam habentes, uerſemur inter ipſa hilari: quoniam ea tu nobis tribuis munificus magnificè parens libenter, ſapiens & bonus accõmodè, & cõducibiliter ſimus boni ex tuis bonis, ne tua bona malos nos reddant culpa noſtra, quemadmodum ſalutares cibi noxij ſunt ægrotis: ne illud abs te exprobrãte audiamus, cur te mea bonitas malum facit, & benignitas mea te exaſperat? Sed illud potius, Euge ſerue bone ac fidelis, qui in modico fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.

¶ Excurſio.

Quàm multa nos ſingulis momentis à Domino accipimus, & tranſglutimus ſine ſenſu, ſine grata recordatione, nihil damus, aut quàm minimum ijs, quibus ille uult dari de ſuo. Si propter hæc munuſcula bonus Dominus, quid propter magna illa, & uerè ipſo, ac nobis digna? Sed conſideremus rationem largiendi, qua ille utitur, ut uerius magisq; ex animo habeamus gratiam. utar Annei Senecæ uerbis: Non uoluntatem tantum iuuandi habet, ſed cupiditatem. accipere uidetur beneficium, qui dat. largitur autem tanquam non recepturus, recipit tanquam ipſe non idem ipſum dederit occaſionem, qua prodeſſe poſsit, & occupat. & quærit.

20 ¶ Pro rectè factis.

NOs nutu carnis noſtræ in præceps ferremur procul à te, hoc eſt ad uitia, & extrema noſtra mala. Tu nos erigis iacentes, tu illuſtras tenebris obrutos ac oppreſſos, aperis clauſos oculos, & non rarò cęcos. Tu addis animũ, & ſuggeris facultatem, ut agamus, quæ tibi placent: ideſt, quæ nobis conducunt. Tuum eſt id munus, tibi acceptum referendum. Agimus tibi, & habemus gratiam, qui nos ſponte noſtra malos, bonitate tua dignatus es adiuuare, atq; inſtruere, ut aliquid ageremus boni.

Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis tanquã ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

¶ Excurſus.

Nos malos, & in malitiam pronos, Deus docet bonitatem: admonet, ducit, ſtimulat, impellit, reducit, retrahit. quis pater tantũ indulget filio unico? quid nobis in uirtute arrogamus? noſtrum in ea opus quantulum eſt? penè nihil: ſcilicet non aſpernari, recipere & admittere animo, ac uoluntate, quæ ille largitur. & tamen ea ipſa, quorum ipſe eſt autor & tributor, tanquam nobis accepta referet, & ſua ipſius munera remuneratur. quantum illi debemus quia dat? quãtum uerò, quia quæ dat, tanquam

ſi ipſi

si ipsi daremus,tam ingenti præmio compensat.quin etiam hoc ipsum agnoscere tantum Dei beneficium grato animo,Dei munus est.

21 ¶ Contra hypocrisim.

OPera humana omnia quid aliud esse possunt,quàm qualis est quisq; hominum ineptus, uanus, puerilis? Quanto uaniora, si ad eam conferantur æternitatem beatitudinis,qua tu pater munificentissime illa ipsa opera remuneraris.sicut Apostolus tuus dicit:Non sunt cõdigne afflictiones æui huius uentura ista tua beatitate.Sed tua bonitas & amor erga nos efficit,ut aliquo habeas in precio quæ alioqui ex se nihil habent,& præmium proponas incredibile. O quanta cæcitas mentis, quis furor animi,ut opera nostra,quæ tu tanti facis,quibus nos parare possumus regnũ immortalis beatitudinis, conuertamus ad quæstum rerum momentanearum,uilissimarum, inanium,uelut pecuniæ,laudis,existimationis.& qui seruientes tuis unius oculis maxima cum mercede possumus operari,seruiamus humanis oculis frustra. O Christe, bonitas uera,solida,sine simulatione & ambitione,inspira nobis eam mentem,ut tibi uni uelimus nos approbare, nec alium spectatorẽ & iudicem quæramus nostrarum actionum,nec curemus.

22 ¶ Ad tristia.

VIta hæc nostra peregrinatio est, ad patriã ab exilio, hoc est, ad te beatitudinem ab omni miseria quæ longissimè recessit à te. Ac ne detineat nos dulcedo, uel amœnitas uiæ,quo minus ad te rectà & celeriter contendamus,excitas nos stimulis, pungis spinis,ut concupiscamus requiem,& finem itineris. Sunt ergo morbi,fletus, luctus, mœror, denicq; aduersa omnia, uelut calcaria, quis urgetur segnis iste equus, uel uerius asinus,ne uelit semper in uia subsistere.Fac nos Domine obliuisci uię, meminisse patriæ. & si adijcis pondus aduersorũ,adde etiam robur,quo nec succumbamus oneri,sed fortiter portemus, ad te perpetuò intenti & erecti. Cæterum tua sunt Domine omnia,fac de omnibus sine exceptione,quod inscrutabili tuo consilio cordi fuerit:hoc dempto,ne me tibi inimicum esse patiaris.

¶ Altera.

TVum est Domine oraculum,uisitare te,ac castigare quos diligis. quid potest nobis contingere felicius? quàm ut tu uelis paternã erga nos curã exercere,eamq; ostendas nobis signis euidentissimis? quid potest tanto beneficio comparari? ut te adeò tangat cura nostri, qui per nos ipsos penè nihil sumus,ad te uerò collati planè nihil: non minus debere nos sentimus pro hoc munere, quo nos à uitijs subducis, quàm quum læta concedebas,quibus & tui & nostri ipsorum non raro obliuiscebamur.Oramus te Pater optime & clementissime,ut pergas nos paterno affectu ad uirtutem instituere ac erudire,tollas per quæ simus peiores:tribuas sanè aduersa,si per illa tanquam per amaram medicinam sumus purgandi, modò etiam efficiat in nobis tua gratia,ut admonitiones hæ à quo ueniant,& cui sint usui agnoscamus, ne nobis per ignorantiam tam utilis rei fructus pareat.

Non sunt dignæ res tristes æui huius uentura illa beatitudine, quæ manifestabitur in nobis.

¶ Excursio.

Nihil est quócunq; te uertas,quod nõ sit in uita hac graue ac molestum,etiam ipsa quæ iucundissima,quæ oblectamenta nuncupantur,possessiones,pecuniæ,opes, dignitates,fama,gloria, liberi, uoluptates. Si leuamen ex his rebus petimus, est lutum luto purgare, & ardentissimum caminum sulphure, aut oleo uelle extinguere. inferius pungũt omnia,& solicitant:in Deo quies certa,& uera, ubi bona omnia sine termino,sine mixtione contrarij.

¶ Altera excursio.

Iudicium nostrum falsum, quoniam non ex mente rectè instituta iudicamus,sed ex affectu ignaro & prauo.Quòd si res omnes ex fine & usu censendæ sunt, non res sunt aduersæ & tristes, quæ lætissimos habent exitus, uel saluberrimos effectus, ut

morbus & inopia & ignominia,per quæ fimus meliores,hoc eſt amiciores Deo,maximoq; in poſterum ſunt bono.

23 ¶ Ad omnia uitæ huius incommoda.

COndideras tu quidē nos autor naturæ rectos, ſimplices,ſinceros,integros:collocaueris in uia latiſsima ac rectiſsima, qua placidè ingrederemur & peueniremus ad te.Nos uerò ultrò digreſsi ad auia,miſeris calamitatum ambagibus nos implicuimus. Et quoniam abs te receſsimus, qui unus es noſtrum bonum,in uaria & multiplicia mala corruimus. Attenuatum & debilitatum corpus noſtrum,etiam leuiſsima & minutiſsima ferre non poteſt:iritati & efferati affectus ſtatim ad reclamandum & reſiſtendum rationi conſurgunt.Eò deuenimus, ut nulla humana ſolertia ad cauendum ſufficiat,nulla uis ad propugnandum ualeat. Nos quidem nobis ipſi acerſimus tanta hæc mala,& manibus noſtris ſumus fabricati. Sed in culpa noſtra ad te,ut ſolemus,accurrimus,ut tu morbis medearis,quos ipſi fecimus:quæ nos deprauauimus,tu corrigas:quæ corrupimus, inſtaures. Nos deſtructores,tu conſtructor: nos ſæui & crudeles aduerſum noſmetipſos,tu mitis,miſericors,clemens. O Chriſte beneficentiſsime,& collapſæ naturæ reparator, fer opem,& uel in priorem illam reducito uiam tutiſsimam, à qua aberrauimus:uel auia hæc ſalebroſa & duriſsima explana,& faciliora redde.

Renuit conſolari anima mea,memor ſui Dei,& delectatus ſum.

24 ¶ In morbo.

OBliti ſortis mortalitatis noſtræ, admonemur Domine abs te per infirmitatem noſtri corporis,quæ eſt uelut acceſſus quidam ad finem:docemur patiēter ferre incōmoda, & aſſueſcimus non tam charū habere hoc corpus,unde tot nobis exiſtunt dolores,atq; acerbitates. Da noſtris animis eam mentem,ut quemadmodū læti ac alacres ſanitatem è tua manu accipimus, ita quos tu morbos nobis mittis,æquo animo perferamus: nec minus perſuaſum ſit nobis, quàm ſancto Iob, eſſe afflictiones de manu tua bono animo tolerandas, qui res proſperas libenter accipimus, te largiente.

¶ Excurſio.

Affligitur quidem & debilitatur animus in morbo, confirmatur autem & robora tur mens prudentia & ſano iudicio,quoniam in ſe ipſam redit corpore inualido,quæ temerè uagabatur ſano corpore, & quaſi aqua illa cogitationum, effuſa & ſparſa in alueum cogitur ægrotatione.Illud quoq; in damnis corporis reputandum,quod eſt apud Apoſtolum:Seruatorem de cœlis expectamus Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum,qui reformabit corpus humilitatis noſtrę,configuratum corpori claritatis ſuæ.

25 ¶ Mulier prægnans.

IN omnibus tuis operibus quàm relucet Domine tua ſapientia,& potentia? quanto uerò ſunt illæ & perſpicuæ magis, & admirabiles in formatione hominis, ex quàm paruis initijs,quantum & quàm admirandum animal infuſa in illud mente ex cœleſti origine,ut eódem cupiat ſemper reuerti, tanquam in patriam. Quod me dignatus eſt facere officinam tam inſignis operis,habeo gratiam:& precor,ut qui facultatem dediſti concipiendi,prębeas ad perfectionem fœtus uires,quo geſtare poſsim incolumis,& párere. Tua quidem bonitas Pater optime,facile nobis inſtituerat hoc opus enitendi ad propagandū humanum genus,ſed peccatum noſtrum fecit ærumnoſum,& periculi plenum. O artifex clementiſsime,reficiat tua clementia,quod delictum corrupit: & uel detrahe de labore, ut non ſit opus tot uiribus,tanta ſedulitate ac induſtria: uel auge uires, animum, mentem, quibus facile laborem omnem ſuperemus.

26 ¶ Pro ſanitate corporis.

VEra atque unica eſt ſalus, id ualere in nobis, quod noſtri eſt pars potiſsima, tuiq; Domine ſimillima. hoc eſt fieri eam, quoad eius perfici queat, cultu atque amore uicinam coniunctamq; tibi, qui ſolus es ſalus noſtra. Sed ea ipſa mens, quatenus

quatenus corpori est annexa,sentit illius affectiones, atq; eis commouetur. pharmaca, & medicinæ omnes,ex iussu tuo ac nutu prosunt:superflua atq; inania futura,nisi tu annueris,& illorum & naturę uniuersæ opifex. Voluntas tua unica author est uitę ac mortis, ualetudinis prosperæ & aduersæ, quam tu sæpius immittis nobis propter castigandum & cohibendum corpus hoc,effundens se in libidinem rerum omnium proiectissimam,ueluti belluam immanem ac effrenem,quod uiribus et felici habitudine obliuione nos obruit ueræ salutis. Da pater, ut rectè ualeamus corpore,quo integra & sana sit mens. Aut si bene esse corpori non est è re nostra,tribue saltem fortem animum. præbe uires ac robur,ut morbum possimus tolerare,ne corporis dolor atq; infirmitas in ipsam mentem redundet.

¶ Egressio.

Occasio præclarorum operum, quam nos sinimus è manibus elabi, sine fructu, & sine sensu, nec deprehendimus nos uiuere, sed uixisse. Quàm simus quotidie differendo minus apti,& habiles ad res necessarias, nempe uel segnicie indurati, uel in utilibus occupationibus detorti.

27 ¶ Pro sana mente.

PRopheta quidam tuus Domine dixit,Excęca cor populi huius,ut uidentes non uideant,audientes non audiant. O lux & doctrina nostra,ne à nobis discedas, ne nos deseras:duc ad te uolentes,trahe reluctantes,quales plerique nostrûm sumus. Nos uerò simús ne cæci,an cernamus,equidem haud scio. Certè in apertũ ac manifestum exitium luce media,uidentes,uigilantes,prudentes ruimus. Vadimus ultrò quò non expedit,& quod facimus damnamus, nec tamen sistimus, adeò nos ludificatur caro: deprimit graue hoc onus,auertit abs te peccatum. Itaque, quod uideo bonum aspernor,& fugio:quod uideo malum,sequor:qui gemitus,quæ suspiria ijs,qui tantam infelicitatem sentiunt? Profluuia aquarum effuderũt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Miserum me,quis me liberabit è corpore hoc mortis? Beneficium Domine fauoris tui, quem nobis assiduò impendis larga manu per charitatem filij tui Iesu Christi. O maxime medice,tantum hunc animi morbum,et tam penè deploratum, sana tu,qui solus potes.

¶ Digressus.

Dicunt uulgò, fortunas omnes nõ esse cum sanitate corporis comparandas:satius esse carere quouis alio sensu,quàm uisu:nihil esse miserius,quàm orbari luminibus .et meritò dicunt. Quòd si præcipua & uera hominis pars est animus, & in animo mens, ut propémodum ea sola mereatur dici homo: quantum erit sanam esse mentem, hoc est bene institutam, ualente ratione, solidam iudicio, rectè & sanè statuentem de rebus? Quantum erit, illo oculo acutè cernere? ut nihil miserius, quàm caligo ac tenebræ illius.

28 ¶ Pro Ecclesia sancta catholica.

O Amicissime nostri Christe,ô sponse,cui est unicè chara tua ecclesia,quicq; pollicitus es te illi nunquam defuturum,auge eam,& fac lætissimã bona sobole patris simillima,nempe tui:fac nos omnes idem & de te sentire,et in te:ut simus uerè unum corpus illud,cuius tu es caput, cõglutinati & compacti charitate mutua, de tuo illo perpetuo igne accensa:qui ita nos amasti,ut sanguinem et uitam tuam pro nobis impenderes. O Christe,author & suasor charitatis,pacis,beneuolentiæ,emolli durissima nostra pectora,& planè ferrea,calefac corda nostra glacie concreta & durata, ut mutuò bene cupiamus:quo agnoscant omnes, discipulos tuos esse nos, & iam nunc incipiamus uitam illam cœlestem exprimere,in qua nulla est dissensio, nullũ odium, sed pax & amor omnium inter omnes.

29 ¶ Pro pace & coadunatione populi Christiani.

VNum corpus est Ecclesia,à Christo capite, per membra omnia descripta & coagmentata,compagine charitatis mutuæ membrorum inter se,et cum ipso capite,grande mysterium diuinæ bonitatis. O caput,ô parens noster,tibi uni ex suppetũt uires,quibus quodcunq; cordi tibi fuerit perficias. Congrega nos dispersos,coniunge tot

ge tot opinionibus dissidentes, dissectosq;. Vni, quos odia & inimicitiæ reddunt diuersissimos: fac ut nos omnes, qui baptismate nominis tui regeniti atq; innouati sumus, uerè in unum corpus coeamus, dignum te tanto capite, quo uel fingi nihil potest melius, aut maius: unũ sentiamus omnes, unum sapiamus, nempe te unũ Deum omnipotentem, & nostri beneuolentissimũ, hominem mansuetissimum, affixum cruci propter scelera nostra, redemptorem humani generis, instauratorem mundi uniuersi. Seda Domine tot fluctus, quibus nauigium hoc tuum tam uariè impetitur & concutitur. Expergiscere Christe Iesu, seruа nos, quia instat atq; urget naufragium atrox: nullæ iam hominum uires, nulla sapientia, nullæ opes possunt opem ferre, nulla restat remedij spes, solus aspectus tuus propitius procellam hanc sæuissimã serenare potest, & tranquillare.

¶ Egressio.

Quantum bonum est charitas, & coniunctio, et pax, tantum malum dissensio: unde odiũ. Illius author Deus, huius autem dæmon. Quid potest fingi beatius, quàm ecclesiam terrestrem imitari concordiam cœlestis? nihil miserius contrario, quæ est imago inferni.

30 ¶ Pro ijs qui nos regunt.

REgentium omnium tu es solus Domine exemplar, quod æmulentur, quod studeant referre, quippe qui es optimus, ac sapientissimus, eaq; de causa nec errare potes, nec alia facere quàm bona. Eos Christe, quos tuo loco regendis tuis populis, tanquam ouium pastores dedisti, lumine tuæ claritatis illustra, igne tui amoris accende, ut luce præeunte quæ sunt optima uideant, & amore sancto incensi ea concupiscant: in teq; unum semper intenti, non quod ipsis collibitũ sit sequantur, sed quod tu præcepisti, omniaq; sua ad te propositum exemplar dirigant, ut & ipsi probè fungantur munere abs te mandato, & nos sub illis quietam piamq; uitam transigamus.

¶ Digressio.

Ii sunt inter nos, quod clauus in naui, quod cuiq; oculus in corpore, mens in animo. Ideo fauendum eis ope, auxilio, uotis: et optandum, ut sint sapientes, optimi, non aliter quàm menti nostræ & oculis. Multum utilitatis ad res pulcherrimas adferunt boni principes, multum lædunt mali: sub bonis principibus uirtus, & bonæ artes omnes uigent: sub malis iacent hæ, regnant uitia & scelesta facinora. Deinde quantum onus sustinent bene administrãdi cœtus hominum, cuius reddituri sunt Deo rationem, quum nos illius curæ ac periculi immunes simus. Ideo ope, opera, cura, consilio adiuuãdi, tum etiam prosperis ominationibus apud Dominũ, ut is adsit illis propitius, & dexter.

31 ¶ Ad concionem iturus.

IN tantis nostris tenebris, uarijs tu modis Domine lucem tuam præfers nobis ac ostendis: sed nusquã efficacius ac copiosius, quàm per Apostolos tuos, & eos qui eorum muneri successerunt. Messis quidem magna, & ampla, ut tu ipse dixisti, operarij autem pauci. Plericq; omnes ignari, plericq; cæci in caligine: qui uerè doceant sicut oportet, paucissimi. Rogamus te Domine messis, ut mittas operas in messem tuam: mitte Domine doctores ad nos abs te edoctos, & spiritu sapientiæ ac bonitatis tuæ instructos, ut non se ac res suas, sed te unum & prædicare uelint, quia boni, & sciant, quia sapiẽtes. Largire huic de sapientiæ tuæ thesauris, quod in nos ad salutẽ nostram transfundat. In nobis uerò aperi cordis nostri fenestras, ut lumẽ tuum sanctissimum & saluberrimum admittamus: & quod in nos inciderit bonum semen, ne præfocetur sentibus, neu exaresçat siti, nec diripiatur ab auibus cœli, sed germinet in terra bona, & ad frugem uberrimam perueniat.

32 ¶ Pro fratribus in calamitate positis.

VItam hanc singulis penè momẽtis experimur calamitatibus refertam, quæ unicuiq; uel ex carne peccati suppullulãt, uel ex malitia sua, aut aliena. In hoc quoquè indulge nobis Pater indulgentissime, ne ad res nostras tristes examicorum aduersis accedat tristitia. Exime illos è calamitate, ut & ipsis quietioribus cogitare de te uacet,

te uacet, & nos munere tuo non parua ſolicitudinis leuemur parte. Quòd ſi hoc uel illis non expedit, uel nobis (nam quid cuiq; expediat, tu noſti ſolus) at certè da illis uires in animo, firmitatem in corpore, quo res duras & graueis facilius ualeant perferre, ne corpore ſint impares dolori, neu animus ſuccumbat ęgritudini, unde uel per impatientiam, uel per deſperationem aliquid faciant, dicant, cogitent, parum tibi gratum, ipſis peſtiferum.

¶ Egreſsio.

Aliena calamitas exemplũ eſt noſtræ, cuiq; enim poteſt contingere, quod uni alicui: & nos ſimilibus caſibus ſumus obnoxij, qui eiſdem cõſtituti elementis, inter eadem pericula uerſamur. ideò miſerendum illorum, & orare debemus pro eis, memores noſtri, ut talem illi ſentiant Deum erga ſe, qualem ipſi uellemus erga nos.

33 ¶ Pro egenis.

INtricati & diſtenti neceſsitatibus huius corporis, nec tui Domine meminiſſe poſſunt: & non aſſecuti quod tam ualidè cupiunt, deijciunt ac deſpondent animos in ægritudinem. Miſerere illorum Pater mitiſsime, & incredibili tua opulentia ſubleua eorum miſeriam, ut ſemota neceſsitate adeò premente, ad te poſsint mente conſurgere. Tu quidem Domine, largiſsima & benigniſsima tua manu cunctis proſpicis, nos tua munera de bonitate ac munificentia tua communia, malicia & diffidentia noſtra reddimus priuata & propria. Corrige tu, quod noſtra lęſit iniquitas: ſuppleat bonitas tua, quod noſtrą malicia ſubſtraxit. Præbe cibum famelicis, potum ſitientibus: ſolare mœſtos, confirma territos, corrobora debiles, libera captiuos, adde ſpem & animum deſperatis. O Pater miſericordiarũ, miſerare tantam miſeriam. O fons bonorum omnium, & totius beatitudinis, uel gutta una iſtius tuæ aquæ, tam uarias, multiplices & magnas miſerias noſtras elue.

¶ Excurſus.

Nulli debet Deus: quod uni dat, omnibus dat per illum. Nos peius inter nos uiuimus, quàm belluæ, qui bona ad uſum omnium à Deo condita & propoſita occupamus, & recondimus, nec ſubleuamus neceſsitates, quas in fratribus noſtris uidemus. adiuua tu pro tua parte, de reliquo ora Dominum ut ferat opem: miſerere tum egeſtatis inopum, tum crudelitatis eorum qui neſciunt in tanta calamitate proximorum miſereſcere: utriq; enim miſeri ſunt, & miſericordiæ indigui.

34 ¶ Pro ijs, qui nobis male uolunt.

IVſiſti nos pro ijs orare te Pater mitiſsime, qui nobis et male cupiunt, & quatenus poſſunt, male faciunt: idq; tu non uerbis ſolum, ſed factis etiam tuis ſanxiſti, ad imitationẽ nobis propoſitis. Oramus te ut ſpiritum nobis infundas tuæ manſuetudinis, quo inimicorum & maleuolentiã & maledicentiã & maleficia patienter toleremus, ſicuti & feciſſe te accepimus, & quotidie facere animaduertimus: nec opere reponamus iniuriam, nec uerbis ultionem uſurpemus, nec optemus animo & cogitatione, tantumq; à uindicta abſimus, ut etiam cõmodemus illis, adiuuemusq; eos, quantum ſit uirium noſtrarum, illisq; optima cupiamus, & precemur, et à te petamus, ut eis bonam mentẽ tribuas, quæq; ipſe noſti utilia illis fore ac ſalutaria: ut uerè filij tui ſimus, qui non probis modò ac gratis, uerum ingratis quoq; & ſceleſtiſsimis beneficẽtiam tuam impartis, ut germani ſimus diſcipuli tui, qui patrem tuum orasti, ut iniuſtiſsimis carnificibus tuis ignoſceret.

¶ Altera.

MAnſuetiſsime & clementiſsime Pater, qui nihil odiſti eorum quæ creaſti, qui ſuſtines & ſuffers hominum delicta, diſsimulans ea propter pœnitentiã, etiam atq; etiam te precamur ſupplices, ut inimicis noſtris ea largiaris plena manu, quæ ſcis illis profutura: in primis uerò ſanam atque integram mentem, qua noſcant te, & quærant uera charitate, ac toto pectore. nos autem filios tuos diligant tua cauſa, ne illos odium noſtri lædat, ne ue nos quodammodo nocumento illis ſimus, qui nequam & imbecilles adiumento eſſe non poſſumus. ne perdas illos Pater, propter odium noſtri, ſed ſerua propter preces noſtras. emendationem illorum cupimus Domine

mine,non ultionem. ne ſepares illos à nobis ſupplicio,ſed coniunge & coaduna clemẽtia. & quandoquidem nos omnes uni ciuitati æternæ deſtinamur ciues,iam hic per amorem mutuum incipiamus eam uiam ingredi, quæ rectà illuc perducit.

¶ Digreſſus.

Malitia aliena ne reddat nos malos,neu quia ille eſt æger,qui te odit, uelis tu item æger eſſe,qui te odit,quia es filius Dei,filium Dei odit:quo quid poteſt eſſe miſerabilius? quàm crudelis es,ſi tantam ei calamitatem optas,uel ea gaudes.

35 ¶ Pro fratribus uita functis.

AMiciſsime ac benigniſsime Chriſte, qui ades tibi fidentibus, & illos ab omni eximis periculo,cuius miſerationes & infinita bonitas uniuerſa hominum ſcelera exuperat: quæ omnia ſi quis in clementiã tuam conĩciat,uelut igne ualidiſsimo conſumentur.animos fratrum noſtrorum corpore ſolutos maculis deterge,quæ illis ex uitæ huius actionibus adhæſerunt.Frigus eorum, quod illos à te arcet, ac ſeparat, ſanctiſsimo charitatis tuæ igne diſpelle.ure atq; accende illos flammis tuis, ut emundati,ac perpurgati, celerrimè ad te reuolent, tecumq; ad ſempiternam beatitudinem uniantur.

¶ Excurſio.

Quàm graue & laborioſum,differri ſpem,& quod ualde cupias,non aſſequi:ſic illis aſperrimum eſt, ſpem ſuam prolatari & arceri ab eo bono, quod ipſi ſupra quàm credi poſsit,deſiderant, quàm cupiunt,& implorant opem omnium, quotquot ferre poſſunt:adiuuemus nos eos, quando alia re nequimus, certè uotis noſtris, & fauſtis ominationibus.

¶ De morte.

36 QVid agimus aliud quotidie in uita,quàm delictis delicta accumulare, facinoribus facinora aggrauare:ut peior ſit ſemper poſterior dies priore. augemus offenſarum cumulum,& indignationem contra nos. Elapſi uerò ex hac corporis cuſtodia,ſi ſemel nos ad contubernium tuum receperis, ſecuri erimus de immortalitate ſalutis. non peruenient ad nos morbi, egeſtas,labor. non, quod horribilius eſt, animi uitia quæ abſunt procul à cœlis omnia. Admoue pater fidei lumen,ne in rebus ueriſsimis titubemus. da charitatem tui,per quam iſtuc uenitur. confirma per charitatem fiduciam, quæ uiciſsim incrementa ſæpe præbet charitati, nosq; in exequendis piis operibus fulcit,ac corroborat. Et quoniã quidẽ ſtatio hæc noſtra,cõſtitutaq; ad grande præmiũ militia morte finitur, nosq; ignari ſumus futurorũ,ut qui illa pernoſti, eo me potiſsimum tempore hinc euoca,quo maximè conducat exire de uita.

¶ Egreſsio.

Cogitatione mortis uelut tenebræ obuoluuntur animis, & opprimimur, quia ſolam corporis noctem in mentem reuocamus,obliti lucis animi,et reſurrectionis.Sed ſi,quæ poſtea bona ſequuntur,uera & certa fide conſideremus,tranſitus ille à calamitate ad fœlicitatẽ leuior nobis erit,atq; optabilior. Haud aliter quàm medicina, quæ reddit uitam: & partus,quo infans in amplam hanc mundi lucem prodit ex gurguſtiolo uentris.

37 ¶ Pro deſiderio alterius uitæ.

CArcer eſt animi hoc corpus,& quidem obſcuriſsimum ac teterrimũ. Orbis exilium,uita ęrumnę,ac miſeria. Vbi tu es Domine,patria & libertas,& beatitudo ſempiterna. Vellica ſubinde mentes noſtras ad recordationem tantę fœlicitatis,inſtilla noſtris pectoribus rerum optimarum deſiderium,ac proinde maximè expetendarum, præbe tranquillitati mentis guſtum iam nunc aliquem tuorum gaudiorum,per quem ſordeant & faſtidio ſint nobis iſta,in quæ tanto impetu ruimus, quæ nacti confertis brachijs amplectimur, compreſsis manibus retinemus, ut auerſati atque aſpernantes hæc tam aſpera & amara,nihil æque concupiſcamus,ac dulcedinem tuę familiaritatis,ſub qua una bona omnia continentur.

¶ Egreſsio.

In altera uita non unum aliquod bonum cogitandum, quo fruamur,ut in hac: ſed omnia,

omnia,& pariter,quæcunq; & cogitari, & non cogitari possunt. quoniam Deus est, quo fruemur, qui unus est uniuersa:amor uerò nos faciet unũ cum Deo, ita uelut diij quidam erimus. O quando erit finis afflictionis huius, initium illius lætitiæ: quando desinam uiuere,cum malis,cum odiosis,molestis,inimicis:incipiam uiuere cum commodissimo,optimo,& amantissimo mei Christo.

38 ¶ Ad angelum custodem.

QVantum debeo communi nostro Domino,& parenti,qui te mihi dedit, ut duceres uidens cæcum,sapiens stultum,fortis imbecillẽ, gnarus uiæ ignarum,& quidem inter tot pericula,& præcipitia. O quoties me discriminib. exemisti,quoties in pernicie ruentẽ seruasti.Maximas tibi ago gratias pro eo,quod præstas mihi quotidie.Et uehementer peto,ac obtestor,ut seruare me pergas,ac perseueres, abducas à malo, retrahas ad bonum. coge etiam nolentem,adiuua uolentem, impelle euntem: denicq; sic ducito,ut tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper iam frueris:ut quemadmodũ hic uel pupillus fui tuus,uel cliens,sim illic ciuis et socius:gaudeasq;, creditum commissumq; tuæ curæ,tam fœlici portui appulisse.

¶ Digressus.

Cogitemus qui simus ipsi,qui mundus,qui dæmon:inuestigemus ex quàm multis nos eximunt periculis Angeli nostri.nos cæci,mundus tenebræ,hostis acer,uigilans, astutus,ubiq; tendens insidias capitales.quis tanta discrimina euaderet,nisi ductus à uidente,ac forti? Quantæ curæ sumus Deo,ut ducem & custodem homini apposuerit angelum, tanto & natura & conditione status potiorem,præstantiorẽ,fœliciorem homine, ut quasi hominis ministrũ fecerit angelum, quis hoc præstitisset nobis, nisi amor,& ex amore miseratio?

39 ¶ Coram imagine Christi crucifixi.

CVius hominis imaginẽ intueor,toto corpore sanguinolenti,undiq; liuentis uibicibus,undiq; tumentis & cõcussi,capite præ imbecillitate ad humerum pendenti,spinis coronato, perforantibus craneum usq; ad cerebrum, cruci affixi clauis? quod potuit esse uel huius tam graue scelus,uel iudicis tanta fœuities,uel carnificum tam immane facinus, & animus crudelissimus? memoria reuoluo,non agnosco quis sit.Christus est.Tu ne es ille speciosus forma præ filijs hominum,in cuius labijs diffusa est gratia,& quidem plenissima Dei manu? Vbi ergo species tua? ubi gratia labiorum? non inuenio,non uideo. nimirum oculi carnei non capiunt tantum mysterium: sume oculos mentis,accede propius ad lucem diuinã,& contemplare intentius. Hic est Iesus Dei filius,agnus immaculatus,sine scelere,sine flagitio,sine noxa:qui scelus tuum in se recepit,ut tu liberatus & purgatus scelere,in gratiã redires cum Deo,abiectus surgeres, exul reuertereris in patriã, & compos fieres finis, cui eras conditus: quod tu merebaris,hic pertulit:quod tu nunquam ualuisses consequi, hic tribuit. O mi redemptor, ô uindex, ô seruator, trahe me ad te, ut huius tuæ mortis semper memor,hac tua tanta bonitate cõfisus, indicibili beneficio non ingratus,particeps fiam tanti muneris, ne ingratus & alienus à tuo corpore, frustra sis mihi natus, frustra tot cruciatus sponte tua susceperis, & mortem acerbissimam.

¶ Altera.

VIdeo tuum corpus pro animo meo cruci affixum, ô si me quoq; tecum crucifigeres:si uiuerem ego,iam non ego,uiueres tu in me Christe,quis daret mihi,ut et ipsi tecum morerer,quo resurgerem in uitam sempiternam? Tu pro me moreris,ego per te uiuerem. Crucifixa est caro tua,crucifige tecum Christe regnũ carnis,quod in me dominatur, ut exutus priore Adamo, in te secundum Adamum ad nouitatem uitæ transformer,concussa & fracta iniquitate, incredulitate, & tota tyrannide Satanæ,sit mihi per crucem tuam,& iugum tuum mite,& onus leue,ut libens ac lætus sequens te eódem perueniam,quò tu,nempe ad patrem Deum beatissimum atque immortalem,unde nos deinceps nihil possit separare.

¶ Alia,de cruce.

O Sublimitas obedientiæ, qua caput tuum innumeris cruciatibus, mortiq; acer-

bissimæ ac probrosissimę, quia patri placuit, subiecisti. O profunditas moderationis, quum Rex & Dominus uniuersorum, infra infimos te homines demisisti. O meridies ardoris tui, solisq; nunquam in occasum uergentis, ostende nobis ubi pascis in meridie, ubi arces oues tuas ab omni frigore. ô aquilo rerum asperrimarũ, in quo fluctus omnes in te redundarunt, utinam transformari liceret nobis in crucem istam, ut habitares Christe per fidem in cordibus nostris, radicatis fundatisq; in charitate: ut possemus cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit crucis tuæ longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, quæ uires, cunctamq; mundi sapientiam excedunt.

¶ Alia.

ADmirabilem cerno speciem amoris, caput inclinat tua celsitudo, ut nos exaudiri & possimus, & speremus: porrigo osculum ad pacem & reconciliationem, quam tu offensus, læsusq; nobis offers ultrò, qui fecimus iniuriam. expandis ad complexum brachia: ostendis perforatas manus, ut omnia dilargiaris, nihil retineas. Apertum est latus cordis tui, ut illuc nos recipias, si uelimus per ostium patens ingredi. fixos habes pedes, ut sciamus nunquam te à nobis recessurum, si ipsi non recesserimus. O pater noster & Domine, uides duritiam nostri cordis, nedum lentitatem, non satis est nos tam blandè, tam dulciter, tam amicè allici atq; inuitari, trahe, rape nos, finge nouum cor, & obsequens: nam hoc nostrum lapideum est, nullas sentit blanditias, nulla ingentium bonorum spe mouetur.

1 ¶ Excursus ad contemplandas afflictiones Christi.

ERat olim homo Deo coniunctus fauore, & maximo numinis beneficio erga illum. Auertit uerò se à Deo, & nexus ille delicto, uelut gladio quodam discissus est. Peccata uestra, inquit Esaias, diuiserunt uos à Deo uestro.

2 Et quoniam à bono discessimus, in omnia mala incidimus quum animi, tum corporis: illud tamen grauissimum & atrocissimum omnium, quod inimici facti sumus Deo.

3 Sed Dei bonitas ultimæ ac deploratissimæ nostræ miseriæ miserta, recõciliatorem ad nos pacificatorem misit de cœlo, Iesum Christum filium suum.

4 Huic pater dedit mandatum, ut causa nostra in se translata & recepta, grauem asperamq; uitæ mortisq; conditionem, quam noxia nostra merebatur, subiret.

5 Ille & amore nostri eximio, & obsequio atq; amore in patrẽ incredibili, tam triste & amarum ministerium non æquo solum animo, uerum libenti complexus est.

6 Excepit non corpore modò, uerum animo quoq;, morsus & faces doloris aspe ritatisq; inæstimabiles: ita per ingentes cruciatus & animi mœrorẽ occisus est agnus purus, immaculatus: resurrexit ad beatitudinẽ nostram leo fortis, & triumphator de tribu Iuda.

7 Expendamus singula ad nostras utilitates, ut gratias agamus Patri, & Domino nostro Iesu Christo, ut amore accendamur in tam inenarrabilem bonitatem, & beneuolentiam nostri.

8 Nec quicquam possumus gratius Deo facere, quàm filij sui ærũnas ac tormenta ipsi offerre, pia gratag; nostra memoria recolendo ac retractando.

9 Hic est salutaris calix, quem nos pro magnis infinitisq; acceptis muneribus retribuimus Domino, cum inuocatione nominis & auxilij ipsius.

10 Hic est arcus fœderis, inter Deum & homines.

11 Hæc arca & propitiatorium legis ac templi.

12 Hic sine magnis inuolucris significationum serpẽs ille æneus, in cuius aspectu & meditatione sita est salus lætaliter saucijs, nobis scilicet omnibus, qui inter nepas & uiperas quotidie ingredimur, uersamur, uolutamur.

13 Ne igitur ista leuiter aut perfunctoriè decurrerimus, sed subinde insistentes, immorantes in singulis beatitudinis nostræ gradibus.

14 Princeps Dei & bonitas & charitas in eo se exeruit, quòd charissimum suum tradidit pro inimicis, filium unicũ pro seruis, optimum pro pessimis ac nequissimis.

15 Neq; uerò quantũ, quamq; eximium sit hoc Dei munus, facile quisquam intellexerit,

lexerit, niſi qui reputauerit humanitatem ipſam Chriſti chariorem eſſe Deo, cæteris omnibus rebus conditis. Quod ex æſtimatione & precio corporis cuiuſq; noſtrûm facile fuerit conijcere: cuncta enim dabit homo pro uita ſua, ſicuti legimus apud Iob.

16 Iam quanta filij manſuetudo, benignitas, amor in patrem, & ex amore obedientia, ut difficilē prouinciam, quam ei pater impoſuerat, ſubiret: Vt cognoſcat, inquit, mundus, quòd diligo Patrem: & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Quanta charitas erga nos, ut pro nobis mortem oppetierit.

17 Maiorem charitatē nemo habet hac, quàm ut animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quis non diligat tantam bonitatem? quis non redamet talem amorem?

18 Pro omnibus tales cruciatus & mortem indigniſsimam obijt Dominus, iuſtus pro iniuſtis, filius pro ſeruis: nos nec pro fratribus noſtris, nec pro ipſo eodem Domino, cui tantum debemus, non dico mortem, non graues dolores, aut moleſtias (nam hoc ne audire quidem ſuſtinent aures noſtræ delicatæ) ſed nec inediam horæ unius, non remiſsionem iniuriæ, non abſtinentiam ferremus breuis uoluptatulæ, non iacturam exiguæ pecuniæ.

19 Habemus in Chriſto ſalutem, reconciliato nobis patre. Habemus exemplum uitæ, ſolatium incommodorum, doctrinam formandis moribus: quid amplius dari nobis potuit, aut maius? dicat aliquis, ſi quid addi potuit: ſed nemo certè inueniet.

20 Genus mortis illius & tormenta ſi quis recolat, cuncto profectò corpore & animo cohorreſcet, & miſeratione cenſebit digniſsima uel in latrone, & ſeditioſo, & incendiario: quanto magis in ipſa eadem bonitate, unde manat? ſi quam aliquis noſtrûm habet.

21 Prætereo illa, quæ conſiderare eſt ab ipſo nato per totam uitam, famem, ſitim, algorem, æſtum, laſsitudinem, fugam, infamiam. Veniamus ad noctem illam, quæ præceſsit diem magni myſterij.

22 Proditoris nomen exhorrēt & deteſtantur omnes iure optimo. Quàm miſeranda ducimus, proditos eſſe nos à familiaribus, ab amicis, quib. benefecimus? quàm imploramus ad ultionem tanti facinoris fidem deorū atq; hominū? At Chriſtus à diſcipulo eſt proditus, quem eodē honore, eadem charitate proſecutus fuerat, qua reliquos. & quidem amicum eum uocat, quum uenditum ſe ad talem mortem cerneret.

23 Exiguo autem prodi precio, auget atrocitatem ſceleris. Iuda, quanti indicas naturæ Dominum, quanti addicis? triginta denarijs, hoc eſt minus ſelibra argenti, uix quadrante. At ille, quę cernis, quæq; cōtrectas omnia, in tuum omniumq; uſum protulit, et ipſe pro te paratus eſt non ſolùm metalla terræ uniuerſa, ſed ſanguinem & uitam ſuam impendere.

24 Vehementer triſtis eſt digreſſus amicorum, & quidem eo acrior, quum de illo in eorum cœtu inter epulas aut hilaritate quapiam uenit in mētem. Dominus noſter poſtremam illam cœnam fecit cum diſcipulis, quos habebat unicè charos, & de tranſitu ſuo meminit, & inter dapes & calices quis eſſet ſibi paratus cibus, quis calix recordatur, & immane ſibi ſupplicium imminere prædixit, & diſcipulos deſerto magiſtro fugam capturos, & ex eis non defuturum à quo eiuraretur.

25 Quis erat Domino noſtro ſenſus, quum ex tormentis, quæ ſe paſſurum præuidebat, tum ex metu, & fuga, & perturbatione ſuorum, quibus ille erudiendis & conſtabiliendis tantum impendiſſet temporis, tantum operæ inſumpſiſſet?

26 Venit horror noctis, & tenebrarum.

27 Nox attributa ad ſomnum & quietem omnibus animantibus, à famula Domini noſtri natura, electa eſt ab inimicis, in qua ſenſus Domini, impendente tanta uidolorum, grauius percellerentur. Eſt in unoquoq; noſtrûm, quod & in Chriſto Domino, corpus & animus: & in animo pars ſuperior robuſta, & foris, quæ mens dicitur: tum inferior delicata, & mollis, in qua ſunt affectus animi. habet ille pluſquàm nos omnes diuinam naturam. Hæc ſublimior eſt mundo uniuerſo, omnipotens, ſempiterna: mens quoquè rectiſsima eſt, & inconcuſſa, nempe adhærens ſemper & adfixa diuinitati.

28 Corpus,& inferiorem animi partem reliquit Deus expoſitam aſſultibus, incurſionibus,ictibus,plagis Sathanæ,ut tantum ea diuexaret,quantum poſſet. data eſt ei à Deo poteſtas: & odium illud dæmonis in Chriſtum inexplebile, quod propugnatione diuinitatis erat alligatũ, ſolutũ eſt, ut in agnũ deſæuiret.Hæc eſt,inquit Dominus,hora ueſtra,& poteſtas tenebrarũ. Hinc dolores & tormenta,& cruciatus in corpore:in animo uerò ſolicitudo,mœror,pauor,angor,perturbatio & conſternatio.

29 Quæcp paſſus ſit Dominus noſter,plus quàm cæteri unquam hominum, quod ſenſit ſupra cæteros homines, hoc & charitatem illius docet erga me, & quantum ei debeam oſtendit,& ingratitudinis me arguit,ſi non habeam gratiam.

30 Nam quid ille pro me egiſſet magnum,aut quid illi deberem, ſi non aliter ictus illos & uulnera corpore ſuo excepiſſet, quàm quum aliquis noſtrũm clypeo, uel thorace impenetrabili?

31 Plurima & maxima ſunt,quæ debeo Chriſto, quia ille pro me plurima & acerbiſsima pertulit.

32 Memetipſum debeo Chriſto, quia ille ſemetipſum pro me impendit. Qui emptus eſt, non ſuus eſt, ſed alienus, atque eo magis emptoris,quo emptus carius.Nos Chriſtus nõ emit liberos,ſed redemit ſeruos,& redemit ſe toto.Quod ſi illius ſumus, non iam cogitare debemus,quæ noſtra ſunt,ſed quæ ipſius. Tametſi rectè expendentibus ſatis hoc liquet,nõ alia eſſe illius,quàm noſtra:nec aliud nobis expedire, quàm quod illi placet.quæ præcipit,quæ iubet,quæ imperat,omnia propter nos, non propter ipſum.

33 In horto orans dicit tribus diſcipulis,quos de duodecim elegerat,Triſtis eſt anima mea uſcp ad mortem. Homo altior humanitate noſtra, cuius omnia ſolatia erant in colloquijs cum Deo, qui curas ſuas omnes & cogitationes ſolitus eſſet ad Deum ſolum referre,uictus immanitate ægritudinis, diſcipulis ſuis conqueritur, & ne ab ſe diſcedant,poſtulat.Ecquando hoc lectum eſt in ullo alio Chriſti incommodo? in ſiti,in laſsitudine,in alijs infirmitatibus naturæ? ad alium ne ipſe referret ſollicitudines ſuas,quàm ad Deum?

34 Quantum ergo exiſtimamus fuiſſe tunc in Domino noſtro pauorem? Ah quis terror erat,quæ confuſio animi,quæ contractio,quæ anxietas,quod tædiũ,quę æſtuatio? ut hæc ſola,omnes in corpore doloris faces,quantumuis acerbas,ſuperarent.

35 Quæ poteſt cogitari triſtitia & angor animi maior,quàm qui ſudorem ſanguineum exprimit? En unquam hoc fando eſt de alio auditum?

36 Sed confortatus alloquio angeli, proceſsit ad cohortem ſatellitum,captus eſt, uinctus. Quàm indignum factu eſt,uirum bonum & honeſtum, uitæcp inculpatæ capi publicè,& uinciri,& trahi ad cauſam capitis è uinculis dicendam? at Dominus noſter illa eſt perpeſſus.

37 Facinus capitale, deſeri in periculo patrem à filijs, dominum à ſubditis, magiſtrum à diſcipulis,patronum à clientibus.ille in ſe expertus eſt omnia:deſertus,eiuratus,abnegatus,& quidem ab eo,qui conſcius tot miraculorum, & oſtenſæ in monte beatitudinis,& profeſſæ diuinitatis filij Dei, negat iureiurando diſcipulum ſe illius eſſe,ac ne noſſe quidẽ illum, damnans eum præiudicio ſuo, tanquam uir ſit nefarius & impius,cuius ipſe nec aſſectator uelit eſſe,nec notus.

38 Tractus eſt, raptatus eſt proteruitate & petulantia famulorum, ſtoliditate atcp inſolentia militari.

39 Siſtunt eum non ad unũ aliquem iudicem,quod ipſum per ſe ſatis eſt odioſum: cui enim reo non moleſtus ſit iudicis conſpectus,& auerſandum tribunal?

40 Et uni quidem iudici non deſperant multi innocentiam ſe ſuam poſſe approbare.tot uerò,& tam diuerſis ingenijs quis ſperauerit, quum præſertim quod uni rectè factum uideatur, damnet alter. Ad abſolutionem conſentire omnes erat neceſſe, ad condemnationem uerò ſufficiebat uideri uni illorum.

41 Age quid in homine cauſæ illis inuiſæ, magniſcp & euidentibus odiorum notis prædamnatæ?

In ho-

42 In homine tenuis fortunę,uel nullius potius,ſine ope,ſine præſidio humano,ſine patrocinio cuiuſquam,ac ne ſuo quidem ipſius.

43 Latet diuinitas, afflicta eſt humanitas: ipſe tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt,& quaſi ouis coram tondente ſe obmutuit.

44 Rapitur ergo primùm ad Annam, hinc ad Caiapham, tum ad Pilatum,indè ad Herodem,ab hoc rurſum ad Pilatum: iudices omnes uel iniquos affectu,uel de humilitate rei negligentes,ac ſecuros.

45 Quis ferat,iudicem ipſum deſcendere ad partes actoris? circumquirere teſtes, & in reum ſubornare? Tales fuerunt pontifices in Dominum noſtrum.

46 Exercuit tandem caput uipera calumnia,& mortiferum infixit dentem.

47 Nemo non miſeretur patientis calumniam: quiſq; noſtrûm miſcet cœlum terræ,ſi ſit calumnia impetitus.

48 Dominus noſter ad manifeſtiſsimum accuſationis mendacium tacuit,nec dolor uocem expreſsit: ſed obſequium erga patrem linguam cohibuit. Ego uerò tanquam ſurdus non audiebam,& tanquam mutus non aperiẽs os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens,& non habens in ore ſuo redargutiones. Poſui ori meo cuſtodiam,quum conſiſteret peccator aduerſum me:obmutui & humiliatus ſum,& ſilui à bonis,& dolor meus renouatus eſt.

49 Iuuat & ad rei ipſius pulchritudinem atque honeſtatem intuendam,& ad regimen noſtrorum animorum in rebus difficilibus,contemplari,quemadmodum Pontificibus & Pilato reſponderit.Inter tam confuſas uoces,inter tam abſonos clamores accuſantium & depoſcentium ipſum in pœnam,in tanta inuidiæ ac calumniæ rabie, inter plagas atq; ictus,impendente tanti ſupplicij atrocitate & morte probroſiſsima, qua moderatione ſemper eſt loquutus,quanta ſapientia? Non exacerbarũt eum indigniſsima quæ perpetiebatur, & infanda, ut aliquid ex eius ore prodiret immodeſtum,arrogans,durum,inſolens,cõtumelioſum,maledicum. Non detraxit iudicibus ſuam autoritatem,non ſuam ipſius extulit.Nec fregit ac debilitauit eum tantum pondus ærumnarum, ut in preces, lachrymas, ſupplicationes ſeſe abijceret,aliquidq; uel ageret humiliter,uel diceret. Quo temperamento eſt ſemper uſus? qua prudentia in ſenſis? qua circumſpectione in uerbis? quantum ſatis eſt reſpondet, nec amplius, ut dicta eius neque aſperitate aut arrogantia offenderent,neu deiectione uileſcerent & ſorderent.Dehinc ſequũtur fœda denudatio, & flagris conciſum corpus,coronatio, ſpinis craneum perforantibus,colaphi,ſputa, irriſio,illuſio,alia ſuper alia,& omnia ſimul & pariter.

50 Contemni ſe,derideri,affici contumelia, quis non indignetur,& quidem à potenti? Herodes cum cohorte ſua,& amicorum & prætoria, Dominum ſpreuit,& talem regno ſuo deſtinari pro nihilo habuit,ac riſit,eumq; in contumeliam regalis nominis purpura iuſsit indui, quod eſt regium inſigne: ut contemptibilius eſſet illius ſupplicium,qui regio cultu indutus raperetur ad crucem.

51 Ecquis unquam audierat,aut uiderat Dominum noſtrum petere, aut affectare regiam potentiam,quis de illa unquam loqui? Recidunt in inuidiam eius,quæ dixerunt aut fecerunt alij.

52 Quàm enim præter dignitatem & decentiam illius fuiſſet,ut de regno Iudaico aut Herodis tetrarchia uerbum ullum is faceret, cui Pater cœli ac terræ dediſſet principatum?

53 Iam illud quàm plenum extremæ ac intolerabilis indignitatis? præferri Domino cœlorum ac terræ Barabbam latronem, ſicarium,ſeditioſum? ut illum Iudæus populus mallet ſaluum eſſe,quàm Ieſum.

54 At quis populus? mitto quàm indulgenter acceptus habitusq; à patre Domini noſtri,ſed quomodo ab ipſo eodem Chriſto?

55 Ingratitudinem omnes maximi ſceleris loco ponunt,adeò ut(quemadmodum ſapienter quidam arbitrantur) non ſit huic tanto crimini pœna legibus conſtituta, quod maius ſit,quàm ut ab homine poſsit uindicari:ad ultionem Dei remittitur.

56 Vbi quis aliquem in se expertus est ingratum, audire est uociferationem & cla mores,rumpi præ iracundia & indignatione, execrari eos qui benefaciãt, deierare se nunquam ulli commodaturum.quod tandem ob beneficium? paulùm pecuniæ da tum,aut remissum, exceptũ aliquoties prandio uel cœna,donatam tunicam uel pal lium,aut aliquid eius notæ.

57 Populus Iudaicus,quæ à Domino nostro acceperit beneficia,quis ualeat recen sere? In corpore pastus est cibo nouo & suauissimo,bibit uinum ex aqua factum ex quisitissimi saporis.tot inter illos sanati à cæcitate,à surditate,à lepra,à paralysi,à febri bus,à morbis deploratis,reuocati à morte ad uitam,liberati à dominio et horribili ue xatione noxiorum dæmonum:filij,fratres, propinqui, necessarij efflagitantiũ ad cru cem,& fortasse inter ipsos eosdem aliqui,adeò beneficia Christi latè patebant.

58 Sed in animo certè, acceperũt omnes doctrinam sanam,ueram declarationem legis obscurissimæ:illustratæ sunt illorum tenebræ,annunciatum regnum cœlorum: & hæc omnia gratis, ac libenter, & Iudæis solis, tanquam filijs & fratribus. nam nec ipse unquam Dominus prædicauit nationibus, nec passus est suos ante resurrectio nem suam ad illos adire, ut tam egregium & singulare beneficium solius Iudææ limi tibus clauderetur.

59 Horum omnium compẽsatio quæ tandem erit? agatur in crucem,& moriatur, qui uitam,qui salutem plurimis attulit:soluatur Barabbas,uiuat latro,pergat occide re,& concitare ciuitatem O mentes cæcas,in exitium suum cursu ruentes.

60 Prodit Iesus,crucem humeris suis baiulans,hoc est trophæum fixurus uictoriæ sempiternæ.

61 Etiam latrones,qui maria & terras infestarũt,qui multos abduxerunt captiuos, multos iugularunt,quum ad extremum supplicium trahuntur, parcitur eorum infir mitati,subleuatur lassitudo,porrigitur sitientibus optimum,quod sit ad manum po culentum.Dominus noster defatigatus raptatur, truditur,impellitur,conculcatur,si tit,& datur ei acetum.

62 Erigitur patibulum grande,angelis et hominibus futurum spectaculũ,in quod sustollat humani generis salus,ut nõ unius ciuitatis mœnibus, sed per gentes se om nes possit diffundere.attollitur sublimis,ut ad uniuersa sciant omnes eam salutẽ per tinere,tum alta,tum humilia,quo & hæc ascendant ad illa,& illa istis adæquentur.

63 Expansa brachia,protensa & protracta crura suspenduntur in cruce,manus & pedes clauis acerbissimis configuntur.

64 Quis uel cogitatione possit assequi,quanta sit dolorũ immanitas & sæuitia,uo lis manuum et pedum transfixis clauis? quanto maior,pendente & innixa mole uni uersi corporis in manus & pedes sic affectos.

65 Accesserunt corpori ad eum modum excarnificato, ægritudines animi nõ pau cæ,nec sanè exiles.

66 Delectus est ad supplicium illius dies festus & celebritas Iudæorũ,quo hilares Iu dæi ac læti ferias suas agerent,ipse uerò in publica lætitia affligeretur:& quo die alijs parcitur,accusaretur,atq; impeteretur:tum eriperetur ei uita,quando alijs donatur.

67 Expectatum est tempus, quo ex orbe toto cõfluerent Iudæi ad celebrationem Paschæ,ut spectaculum necis Christi esset frequentius.

68 Ibi occurrebat animo illius,se qui paucis antè diebus receptus esset,tanquam Rex & Messias,qui habitus fuisset propheta magnus, cui oblata dignitas regni,quẽ multi adorassent,nudum in arbore execrationis pendere,mediũ inter duos latrones, quasi eiusdem criminis conuictum & manifestum,spectantibus attonitis necessarijs, confusis & pudefactis cognatis ac propinquis,astante discipulo charissimo,pleno la chrymarum & mœroris extremi, astante matre:quis possit dicere, quanta mœstitia perculsa? cruciatus filij materna uiscera uelut grauissimo telo cõsauciant, matris do lor dolorem filij renouat,exulcerat,exacerbat.

69 Quid restat? quid aggregari ad hæc potest? Pontificum & Pharisæorum o dium ex inuidia conceptum,et rabies teterrima,nondum satiata pœnis et tormentis,

nihil

nihil poteſt iam apponere cruciatibus corporis,addit opprobria et ſubſannationem. Quem tu (inquit) percuſsiſti,perſequuti ſunt,& ſuper dolorem uulnerum meorum uerba adiecerunt.Chriſto uerò aſperior ex illorum praua uoluntate erat dolor,quàm ex iniuria conuitiorum. uidebat enim illos, quos etiamſi crucifixores & carnifices ſuos, diligebat tamen, perditum ire ſeſe inimico erga ipſum animo. quum malediceretur,non maledicebat: quum cæderetur, non comminabatur. tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.

70 Pendet in cruce corpus illud corporum omnium ſupremum:corpus diuinitati annexum,pendet colliſum,tortum,cæſum,luxatum,flagellatum,fœdum cruore:plagis autem,uibicibus,tuberibus,liuore,uulneribus horrens. Quis in tanta deformitate ſpecioſiſsimum agnoſceret totius uniuerſitatis,quis in illa humilitate Regem ſeculorum, in tanta ignominia gloriam patris, filium Dei, principem mundi? Cornua in manibus eius,ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

71 Et Eſaias propheta de illo inquit,Non eſt ſpecies ei,neq; decor. Vidimus eum, & non erat aſpectus:& deſiderauimus eum,deſpectus eſt, & abiectiſsimus uirorum habitus, uir dolorum, & infirmitates expertus : auertimus faciem ab eo, contempſimus illum, & pro nihilo habuimus. Verè languores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portauit : & nos exiſtimauimus eum plagis illis percuſſum à Deo,& deiectum. Ipſe autem conſauciatus eſt propter flagitia noſtra, attritus eſt propter iniquitates noſtras. Caſtigatio pro pace noſtra ſuper eum,& liuores eius ſanitas noſtra.

72 Si quis cum animo ſuo diligenter reputauerit,quanta ſit diabolicæ conditionis poteſtas, à Deo illi in origine naturæ ipſius attributa, næ is apertè perſpiciet, nullum calamitatis & afflictionis genus non eſſe in Chriſti corpus, & teneram animi portionem profuſum,utique extra peccatum, & ea incommoda,quæ certorum ſunt hominum,non naturæ.

73 Solutus fuit dæmon à Deo,expedita eſt tempeſtas tenebrarum, cui nulla inuenitur ſuper terram,quæ poſsit comparari,ſicuti Iob inquit.Permiſſum illi, ut tantum ſæuiret in Chriſtum, quantum uellet & poſſet:uoluit autem quantũ potuit, qui multo plus poſſe uoluiſſet.

74 Nam quemadmodũ nihil magis amat Deus ſecundum ſe, q̃ hominẽ Chriſtũ, nec quicq̃ magis Deũ quàm Chriſtus,ita nihil infenſius odit diabolus, q̃ Chriſtum.

75 Et oſtendit mihi Dominus,inquit Zacharias,Ieſum ſacerdotem magnum,ſtantem coram angelo Domini,& Sathan ſtabat à dextris eius, ut aduerſaretur ei. dexteram Chriſti oppugnabat Sathan, id eſt bona illius præcipua, Eccleſiã ſponſam eius, & regnum illius ſempiternum.

76 Sed de hac impugnatione ſecurus erat Chriſtus, ſepimento uallatus opis diuinæ, de qua ipſe idem dicit in Pſalmo:Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper,quoniam à dextris eſt mihi,ne cõmouear:ſiniſtram partem,quæ ad inferiora humanitatis deuergit,infeſtauit dæmon.

77 Itaq; uelut inundatione ac proluuio quodam proruerunt in Dominũ labores, ærumnæ,dolores,cruciatus,tormenta,plagæ, tædium, ægritudo, perturbatio, æſtuatio,horror,anxietas,amaritudo.

78 Permiſſa diabolo hac poteſtate à Deo,meritò conqueritur Dominus noſter patri,illum omnes ſuos fluuios induxiſſe ſuper ſe. Tentatus per omnia in ſimilitudinem abſq; peccato.

79 Si in quenquam noſtrûm aliquod tantorum malorum ingruat, quæ commiſeratio ipſi ſuimetipſius? quanta aliorũ erga illum? accurrunt,opem ferunt omnes qua quiſq; poteſt:alius iuuat re,alius conſilio,alius procuratione, alius cõſolatione, alius uotis,& bene precando. Quis eſt tam infimæ inter nos ſortis, aut tanto popularium ſuorum odio grauatus, cui hæc deſint ſubſidia & alleuamenta? At Dominum noſtrum quis dignatus eſt uel grato aliquo uerbo, ſi non aliud, certè ad cohortationem animi, ut fortiter ferret tam immites cruciatus? conſolationis loco fuerunt grandia conuitia, execrationes, illuſiones, deriſus.

80 Ecquis erat in Iudæa uniuersa adeò egenus & inops, & miseriæ extremæ ac deploratissimæ, qui sortem conditionis suæ, si esset data optio, cum filio Dei commutasset? uel ipse latro eidem addictus supplicio, pendens iam in cruce, & moribundus illum irridet, oblitus sui.

81 Formosa facies, ait uetus uerbum, muta commendatio: quis non erga formam egregiam afficitur? quis non miseratur uirentem ætatem decuti, uelut florem quendam formosissimum, uel flatu aquilonis, uel ex conculcatu pedum languentem et emarcidum? Rapitur Iesus, speciosissimus uirorum omnium in primo iuuentę uigore. & quo maior esset ijs qui eum nouerant, miseratio: ea fuit diritas tormentorum, ut nec formæ iam, nec ætatis gratia appareret.

82 Ponit tandem animam suam Dominus, et inter dolores cruciatusq; nulli tolerabiles, obit mortem uoluntariam. Nemo, inquit, animam meam à me aufert, sed ego ultrò pono illam. nimirum eadem potentia deponit, qua resumet.

83 Reliqua iam usq; ad resurrectionem conformia sunt uitæ superiori. sine foco & lare uixerat, ne in morte quidem sepulturam habet, nisi alienam, ut sepeliri autem liceret, precibus impetrarat à præside Ioseph us Arimathites.

84 Tum ad mortis confirmationem confixus est à milite quodam lancea inter costas, unde statim defluxit sanguis & aqua.

85 Adæ dormienti educta est cõiunx de costa. Christo item dormienti (quid enim aliud fuit mors illius, quàm somnus quidam) prodijt sponsa Ecclesia de latere.

86 Aspersa est Ecclesia aqua & sanguine Domini nostri. aqua purgatio est Ecclesiæ. sanguis autem participatio laborum Christi, & per labores regni ac beatitudinis.

87 Hoc est graue atq; immane supplicium Iesu Christi, morborum omnium humani animi, quorũ iniri profectò numerus non potest: panaces quædam certissima, modò id non simpliciter solùm ad considerationẽ sumatur, tanquam de iusto aliquo & insonti narratũ: sed ad nostros quoquè usus relatum: etenim quæ de illo erant, finem acceperunt. extincta est humilitas mortalitatis, uiuit regnum sempiternum.

88 Nos tamen ad hunc intra nos ipsi modum cogitemus. Non est sibi passus Christus, qui nihil eorum erat commeritus: nos illi tantorum cruciatuum, mortisq; indignissimæ fuimus causa.

89 Nam quod nostram personam, causamq; in se transtulisset, etiam mala, quæ nos per delictum nobis contraxeramus, in illum absq; delicto redundarunt.

90 O quàm ualidæ sunt uires charitatis. nõ immeritò illud dicitur, Vinci ab amore omnia: nec esse quicquam in animo nostro potentius. quid est tam magnum, tam arduum, horribile, quod amor non peruadat, & superet? si alia omnia desunt documenta, sufficiat hoc Christi unum, imò uerò taceant omnia præ isto.

91 Quæsitum est inter patres, an filius Dei carnem induisset, si homo permansisset in fauore numinis? non constat hoc quidem inter omnes. illud constat, non fuisse illum molestias, labores, ærumnas, angorem, tormenta, necem acerbissimam subiturum, si puri atq; integri perseuerassemus.

92 Nostrum ergo peccatum in hominem illum innocentissimum, tantorum malorum cumulum importauit.

93 Placatus est per amorem & obedientiam filij Pater, imò Patris & Christi amor mutuus in nos omnes redundauit.

94 Amat quidèm nos omnes Deus uerè, ac planè (quod dici solet) bona fide: nos illum, sicuti oportet, non redamamus. Frigus hoc nostræ uoluntatis à gratia nos illius seiungit, arcet ab aditu. Christi autem charitas immensa, huius nostræ defectum supplet per fiduciam sui, ut qui ipsi non tantùm habemus amoris, ut accedere per eum possimus ad Deum, accedamus per charitatẽ filij, adhærẽtes ei, quanta maxima possumus fiducia, gratitudine, beneuolentia.

95 Hoc est ingens & diuinum meritum Christi, quod in locum nostri meriti succedit: hæc illius solutio pro nobis, quam nos per nosipsos non ualebamus præstare. Ex hoc patris et Christi amore mutuo, grandi, flagrãtissimo, inæstimabili, nata est magna illa

gna illa & uniuersalis reconciliatio, cuius amoris respectu & causa maiores fuerunt Christi afflictiones, quàm omnia omnium peccata meruerant, & merebũtur. etenim amoris illius complexus ingentem immensamq; dignitatem affert personæ.

96 Verè igitur appositeq; de Christo seruatore sunt uerba illa Iobi, Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi harena maris hæc grauior appareret.

97 Ex hac uerò reconciliatione generali singulares oriuntur recõciliationes in nostris offensis, quas nos omnibus temporis punctis admittimus.

98 Sublatæ sunt inimicitiq; nostræ cum Deo, deleta est Christi sanguine syngrapha seruitutis Adæ, quam Christus secum sustulit in crucem, reliquit in sepulchro, ut resurgeret nouus Adam, assertus in libertatem.

99 Inæstimabilis magnitudo redemptionis, liberationis, restitutionis, reductionis in patriam, repositionis in gratiam numinis, unico sacrificio peracta, sed nimirũ propter infinitam excellentiam & sacerdotis, & hostiæ.

100 Surrexit unica cruoris aspersione humanum genus prostratum, excitatum est dormiens, reuixit emortuum: ut mirandum non sit, prodidisse olim quosdam è patribus, cranium Adæ primi hominis in eo ipso monte sepultum fuisse, quo Dominus est actus in crucem sub scrobe, in qua stetit crux ipsa. cruorẽ autem Domini defluentem os illud contigisse, unde sanata sit per primum parentem gens humana, quæ fuerat per illum lethaliter consauciata. Verùm quia id ab alijs reijcitur, nec nos contendamus, sed ascendamus altius à monte, ab scrobe, ab osse, quæ non sunt nobis necessaria: omnia sunt enim in Christo cœlestia, spiritalia, diuina.

101 Illud certè indubitatum est, ut per unum hominem Adamum mors intrarit in orbem terrarum, ita per unum hominẽ Christum reconciliationẽ & gratiam esse reditam. & sicut per inobedientiam unius hominis peccatores cõstituti sunt multi, ita per unius obeditionem iustos constitui multos.

102 Quanta est latitudo, longitudo, profunditas mysteriorum supplicij & mortis huius, quæ Iudæis est offendiculũ, nationibus dementia & irrisio, sanctis autem Dei amicis sapientia admirabilis, atq; adoranda?

103 In hac, & per hanc nacti sumus condonationem delicti inueterati, purgationem nouorum, regressum in patriam, accessum ad principem et Patrem, hoc est principatum æternæ beatitudinis.

104 In illa habemus doctrinam & exemplum. Quippe Christus passus est pro uobis, inquit Petrus, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.

105 Videlicet ut quæcunq; in uita hac euenerint aduersa, firmiore & æquiore animo feramus, memores, grauiora passum esse Christum immerentem pro nobis, quorum sceleribus quid pœnarum esset satis?

106 Quis tam ægrè ferat accidere aliquid sibi ex ijs, quæ tam multa in filium Dei sunt congesta, & quidem ita, ut nullæ nostræ calamitates & ærumnæ cum illis ualeãt comparari? ne quis tractari se durius possit conqueri, quàm filium unicũ hæredem, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

107 Pudeat nos querulos agere de conditione nostra. Pudeat seruos non parêre Domino in rebus leuissimis, qui recordemur filium in grauissimis paruisse usq; ad talem exitum mortalitatis.

108 Quin & læti debemus agere, inter molestias ac incommoda, reputantes quòd Domino & capiti nostro aliqua ex parte conformamur: quo nihil esse pulchrius potest, aut expetibilius: ut similitudo nos paulatim coniungat, coniunctio faciat unum. facilè enim & citò cohærent, atq; uniuntur similia.

109 Hæc autem similitudo tanto est propinquior & cõformior, si nos etiam consimili de causa affligamur, nempe propter obediendum patri nostro Deo, propter iustas leges à superiore impositas, propter multorum salutem, pro tuenda ueritate ac iustitia. Nam occasio mortis Christi, ob prædicationem ueritatis ac religionis quæsita est ab ijs, quibus ea ipsa ueritas odiosa erat, ac inuisa. Christus autem atrocissima illa

illa tormenta & sæuissimos cruciatus maluit perpeti, quàm deserere ueritatis ac pietatis patrocinium, quod maximopere nobis conducebat. Itaq; per omnia se saluti nostræ deuouit, tormentis & neci.

110 Exeũdum quoq; nobis est cum Christo extra ciuitatem, si cum illo uolumus crucifigi, hoc est, extra omnem carnis & uitæ huius respectum ac concupiscentiam, despiciendę uoluptates, delicię, blandimenta, posthabendi propinqui, affines, necessarij, contemnenda ambitio honorum & opum, dignitatis, potentiæ, alioqui non extra castra cõcrucifixi erimus cum Christo: sed in ipio castrensi fremitu ac tumultu rapiet nos secum diabolus in crucem. habet enim diabolus crucem suam longè à Christiana diuersam, cum pugnâ quidem, tormentis, dolore, ac morte: sed sine uictoria, sine resurrectione & beatitudine.

111 Pugnandum est item nobis eisdem, quibus & Christus pugnauit, armis: nempe agninis, patientia, tolerantia, moderatione, mansuetudine, benignitate, beneuolẽtia, quibus Christi imitatione ualidus & efficacius uincemus, quàm iracundia, pertinacia, contumelijs, ferro, crudelitate, impatientia.

112 Lauandæ sunt stolæ nostræ in sanguine agni, ut ab illo purissimo atq; immaculatissimo purgemur. at ij demum lauãt, qui illum sequuntur: sequuntur uerò soli, qui imitantur operibus. hæc enim uia animis, nõ pedibus initur. qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

113 Hæc est enim gratia, docet Petrus Apostolus, si propter Dei cõscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. quæ enim est gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.

114 Et tamen laborum atq; ærumnarũ Iesu Christi talis est uis ac potentia, qualem inesse ferunt cornui monocerotis, ut quantumuis uenenatas & pestiferas aquas purget, si attigerit. quanquam quid opus est exemplis aliunde petitis, quum habeamus in sacris historijs appositissimum? lignum iniecit Moses in amaras aquas, quæ ilicò redditæ sunt suauissimæ. Ita si incõmodorum damnorumq; uitæ huius, etiam quæ contracta sint nostra culpa, cogitationes ad contactum reduxerimus afflictionum Christi, quas in mentem cum beneuolentia & gratitudine reuocantes inducamus animum fortiter ea pati, quod similia quãdoq; sit passus Dominus noster, nosq; ea de causa imaginem quandã induimus illius, profectò damna illa non solùm fiunt nobis leuia & tolerabilia, sed in grandia quoq; cedunt emolumenta. nam & ad solatium ea contemplatio proficit, & ad purgationẽ mentis, incrementaq; pietatis: quippe qui prius merito tuo affligebaris, incipis de iustitia & meritis Christi in te deriuare: & concrucifixus antea, cum latrone transis ad crucem Christi, confixus iam eisdem clauis quibus ipse, moriens cum illo, cum eodem surrecturus.

115 Habent & fortunati homines doctrinam, ne fœlicitate sua efferantur, atq; insolescant, neu illam magnifaciant, quam uident recusatam ab eo, in cuius manu et uoluntate sunt omnia: suspectasq;, atq; adeò plerunq; inuisas quoquè habeant suas res prosperas, & ex animi sententia uotoq; cedentes, per quas uident se dissimiles fieri conditioni filij Dei in hac mortalitate.

116 Olim semel est illa omnia Dominus noster à Iudæis & gentibus passus, à nobis autem quotidie, et omnibus penè horis, et quidem grauius, & leuioribus de causis. Nos illum prodimus, nos uendimus, & plerunq; quàm Iudas minoris. Sed quod tandem precium æquari potest Christo & saluti nostræ? Quid opes queunt iuuare perditos ac desperatos? imò illis iam nullæ sunt omnino opes. Nos deserimus illum, abnegamus, eiuramus, non utiq; mortis metu, ut Apostoli, et Petrus, sed propter numulum, propter uoluptatulam, propter molestiolam, propter uerbulum, per lusum & iocum, interim sine ulla penitus causa, sed ex nefaria consuetudine malefaciendi. Nos illum irridemus, pro nihilo ducentes illius iussa & doctrinam: nos auersamur, despuimus, impingimus colaphos. Nos agimus in crucem, & producimus crucifixum populo ad ludibrium, quum non pudet publicè contrauenire sacris illius præceptis, quæ ipse sanguine & morte sua sanciuit. Nos ingerimus crucifixo conuitia,

quum

quum ſcelera noſtra honore uerborum proſequimur,& ſubſannamus leges, quibus illa facere uetamur,aſpernantes ac maledicentes ijs,qui nos Chriſti nomine atq; autoritate dehortantur, ne quid tale committamus. Denicq; ne ſingulis recenſendis immorer,nos illum intra noſmetipſos occidimus,& ſepelimus,quũ perit in nobis prorſum reſpectus omnis illius.

117 Eſt & altera Chriſti conſideratio ex unoquoq; hominum. Nam ut ille uniuerſorum conſtitutus eſt à Deo caput,ita & membra ſui corporis omnia compage charitatis coagmentauit,ut unumquodq; ſenſu alterius tangeretur.

118 Nec uoluit ſolum quenq; noſtrum ipſum fieri per amorem,ſed ſemetipſum locõ uniuſcuiuſq; ſubſtituit, ut hominem, quemcunq; cernimus, Chriſtum ipſum eſſe exiſtimemus.Amicorum enim ſunt cõmunia omnia,& amicos idem eſſe facit amor.

119 Quocirca quemcunq; ſic afflictum aſpexeris,ut aliqua ex parte, Chriſti ſit ſimilis, ipſum Dominum tuum uidere te credito : & affectum illum,quem tantis beneficijs debes,in hunc transfer,ſeu huic potius communica, qui tibi Chriſtum ipſum refert,quaſiq; ob oculos ponit.

120 Nec ipſe aliter accipiet,quicquid in hominem egeris, quàm in ſeipſum,ſiue ad remunerationem beneficij,ſiue ad ultionem prauæ uoluntatis.

121 Si proximum tuum aſpernatus eris,Chriſtum irriſiſti. ſi nõ benefeceris, ſi non iuueris,ſi non ab eo prohibueris iniuriam pro uiribi, ſi non eris conſolatus, Chriſtum neglexiſti.ſi afflixeris,uexaueris,cæcideris,Chriſtum ſuſtuliſti in crucem.

122 Hę demum crucifixiones debent nobis eſſe multo acerbiſsimę,& uera cordis mœſtitia lugendæ.Hæ noſtræ ſunt pernicies,quum prima illa fuerit ſalus:has timere nos conuenit,& cauere.

123 Has deflere,quum accidunt non fictis utiq; lachrymis : & nauare ſtatim ſedulam operam,ut reſurgat,qui in nobis cruci eſt affixus & mortuus.

124 Moriatur caro noſtra in Chriſto,uiuat Chriſtus in animo noſtro.Nihil uiuit in frigore,omnia in calore,& charitate. Viuit amãs in amato,& uiciſsim amatũ in amante: ita nos,ſi Chriſtum tanta pro ſalute noſtra perpeſſum uerè & ex animo dilexerimus,ſi proximum, qui nobis exprimit Chriſtum præſentem , beneuoli erga eum & benefici,uiuet Chriſtus in nobis,& nos in illo,& per illum, quia ipſe ſolus noſtra eſt uita interminabilis ac beatiſsima.

40 ¶ Coram imagine Chriſti ſeruatoris,ſiue in cœlo regnantis.

O Frater noſter,ô fili naturalis eius patris, cuius nos facti ſumus filij adoptionis per te,ô caput noſtri corporis,uidemus te regem cœlorum : ne obliuiſcaris terræ tuæ,in quam te deduxit amor noſtri inæſtimabilis.tu ex loco iſto ſpem nobis tuis membris præbes,poſſe nos eódem peruenire, quò tu es euectus.ô munimentum, & præſidium noſtrũ,quid nocere iam nobis poterit in te confiſis? miſerrimi,qui te non norunt : fœliciſsimi,qui in te ſemper intuentur.Beati,qui te hîc agnouerũt in diebus carnis & mortalitatis tuæ : ſed beatiores,qui te in cœlis uidẽt,ac uidebũt regnantẽ in potiſsimis bonis patris tui.O amor & delicię generis humani,ô fiducia noſtra unica, amplectere nos tuo fauore,oſculare nos,et infunde in noſtra pectora tuum ſpiritum, fac ad grande ſolatium noſtrum, ut tu occurras mentibus noſtris creberrimè. Erige nos iacentes humi, aperi oculos noſtros,& attolle ad te.aperi os tuum,ut nos uoces: aperi aures noſtros,ut te audiamus:ut te uno nobis pro ſigno uitæ totius propoſito, quæcunq; agimus,dicimus,cogitamus,in te dirigantur.

¶ Altera.

A Rces ab oſculo tuorum pedum Magdalenam, quoniam illius iudicio nõdum erat exaltata caro tua,& uiuẽtem quærebat etiamnum inter mortuos, nec eras illi patri æqualis.Idcirco uel pedibus tuis non paſſus es imprimi oſculum,indignum tua maieſtate. Tu nobis rex omnium ſempiterne, iam ſurrexiſti à morte, iam aſcendiſti ad patrem tuum & patrem noſtrum,iam ſedes ad dextrã Dei omnipotentis . ſine nos propius ad te accedere,uel potius accede ipſe,deoſculare nos oſculo oris tui.

quòd

quòd ſi panxeris, multis alijs nos oſculis atque amplexibus dignos facies, & regni tui cohæredes.

Quandocunq; occurret Chriſtus aliquid agens, aut dicens, aut perferẽs, ſi proſpera, roga, ut te admittat in id conſortium: ſin triſtia, ut te inde abducat, & auertat.

¶ Excurſio.

1 Peruenit Chriſtus ad regnum cœleſte, per ignominiam terreſtrem.
2 Ad æternam maieſtatem, per breuem huius æui abiectionem.
3 Sublimata eſt caro, quoniam deiecta & irriſa, & conculcata fuerat caro.
4 Sic oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.
5 Chriſtus factus eſt pro nobis obediens patri uſq; ad mortem, mortẽ autem crucis: propter quod Dominus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum.
6 Quod aſcendit autem, quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiores partes terræ?
7 Habent hæc quoquè diſciplinam & exemplum nobis, ut ſi aſcendere uolumus cum Chriſto, deſcendamus prius cum illo, ſubiecta noſtra omni uoluntate, uoluntati patris noſtri Dei.
8 Ita per obedientiam ſimilem Chriſti, pater exaltabit nos cum Chriſto.
9 Crucifigamur, ut ſublimemur.
10 Moriamur, ut reſurgamus.
11 Participes laborum, participes erimus ſolatij.
12 Per carnem deiectam & afflictam, ad excelſam & regnantẽ carnem ueniemus.
13 Si Chriſtus afflictus, exemplar noſtrum fuerit in uita mortali, Chriſtus regnãs, exemplar noſtrum erit in uita ſempiterna. qui imago fuerit terreſtris, erit & cœleſtis quoquè. Vides, quò peruenit Chriſtus, ut hac uia, quò perueniatur, nec ignores, nec dubites.
14 Habet nunc Chriſto in cœlum recepto uniuerſitas mundi caput ſuum, habet familia primogenitum ſuum, habet ciuitas ſuum regem, habet Eccleſia ſuum Pontificem, habet interpretem & pacificatorem inter ipſam & Deum.
15 Nunc ſtabilita eſt uerò ciuitas, conſtitutum regnum, templum extructum, poſitus lapis in capite anguli.
16 Regnum eius, regnum omnium ſeculorũ. In cuius ueſtimento & fœmore adſcriptum eſt, Rex regum, & Dominus dominantium.
17 Et pater de filio ſuo dicit, Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.
18 In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentũ meum fidele ipſi.
19 Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.
20 Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta, et teſtis in cœlo fidelis.
21 Nihil proficiet inimicus in eum, & filius iniquitatis non apponet nocere illi.
22 Inimicos eius induam cõfuſione, ſuper ipſum autẽ efflorebit ſanctificatio mea.
23 Iam nos depulſa omni tyrannide et hoſtili uiolentia, tuti, ſecuri, læti ſub tali agimus Rege, cui omnia data ſunt à patre, nec quiſquam potentiæ illius ualet reſiſtere.
24 Hic eſt agnus occiſus, dignus aperire librum myſteriorum, clauſum ſignaculis ſeptem.
25 Hic leo de tribu Iuda, hoſtis noſtri uictor & triumphator.
26 Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabit. quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem uiuit, uiuit Deo.
27 Hic nos & fortitudine ſua tuebitur, & manſuetudine reget, & beabit bonitate.

41 ¶ Contemplatio audituri Sacrum.

NOs omnes debitores ſumus Deo, filij iræ ac ſupplicij. Chriſtus pro omnibus dependit ac ſatisfecit Patri. Hoc tantum ſacrificium et beneficium generale, incluſum in myſterio, celebrat quotidie Eccleſia, alioqui ingratiſsima futura. Nos quoquè piijs animis & gratis adeamus ad memoriam tanti boni, tantæ lætitiæ: ſed puri ad

pura,

pura,ut per ſancta ſanctificemur, non inquinemur. Quicquid ibi uideris, uel audieris,repræſentatio eſt diuini illius beneficij. Quàm animus tuus eſt excellens,immortalis,ad æternitatem cœleſtemq; beatitudinem conditus. Quàm item Deus ſummus, omnipotens,infinitus,tam te hîc exiſtimare conuenit omnia eſſe præſtantiſſima maximeq; ſublimia,ut in animum tuum cum ingenti dignatione admittantur. Delectare ſpiritu ijs quæ intelligis,uenerare etiam quæ non intelligis,attentus ſemper ad omnia:& da operam ut intelligas,non ad curioſitatem,ſed ut ames ardentius. Amandi enim boni origo & cauſa, eſt cognoſcere. Si Chriſtus non ceſſauit in bono tuo, nec alias res egit,quum illud operaretur,cedò quantam te adhibere curam par eſt in tuo ipſius bono? Ille tantum præſtitit operæ,præſta tu aliquid cogitatione: ille effectu,tu ſaltem affectu,& in tuo tanto bono eſto cooperator Chriſti.

42 ¶ Ad myſterium corporis & ſanguinis Chriſti.

O Admonitio eius rei,quam nos nunquam obliuiſci conuenit,quam præſentem ſemper ob oculos nobis obuerſari unicè noſtra intereſt,nempe ſupplicij ac mortis Chriſti,qua redempti liberatiq; ſumus è uinculis mortis,reſtituti primæ innocentiæ,redditi uitæ. Pignus eſt hoc amoris illius, erga ſponſam ſuam Eccleſiam. Nexus charitatis,& cum Chriſto,& inter nos mutuæ,qui eodem cibo ueſcimur, non tam utique corporali, qui ex lubricitate materiæ curſu ſuo breuiter effluit, quàm ſpiritali, quo ſpiritus noſtri quamdiu uolumus, connectuntur. Symbolum corporis Chriſti myſtici,quæ eſt Eccleſia,in qua iam nemo ſibi uiuit,ſed contuſis & commixtis granis fide aquæ baptiſmatis,tum cocto pane igne charitatis, iam nullum amplius apparet granum,ſed una eſt panis maſſa. eundem in modum acinis uuæ preſsis, unum fit uinum. talis eſt Eccleſiæ totius compago per charitatem, ut uiuat quiſq; iam non ipſe, uiuat autem in eo Chriſtus. Incorporatio hæc, eſt noſtrorum animorum in Chriſto, quum illum intra nos ſumimus. Quietatio animi cuiuſq;, quũ non ſolum mente, ſed corpore quoq; ſentit in ſe Chriſtum habitare. Salus & uita eſt uniuſcuiuſq;, quia uitam intra ſe recipit. Hic eſt Chriſti Domini noſtri corpus,quod à Patre pro nobis eſt traditum,quod ipſe idem obtulit pro nobis. Eſſe certum eſt,quod docet fides: eſſe expedit nobis,quod docet charitas. Eſſe non magis dubitandum, quàm Chriſtum eſſe bonum, & nobis amiciſsimum. O memoriam rei nobis ad recordationẽ dulciſsimæ & iucundiſsimæ, quia per illam uera & certiſsima ſalus eſt reddita. O mors Chriſti, precium humani generis captiui, comprehende me redemptione tua, & adoptione filiorum Dei.

¶ Excurſio.

1 Nihil eſt Chriſto poſt Deum iucundius aut charius, quàm ſponſa ſua Eccleſia. Ideoq; memoriam ſui ſempiternam, quamdiu ea peregrinatur in terris, non in rebus alienis,ſed in ſemetipſo reliquit, & cõmendauit. neq; uoluit ullam eſſe talem tantãq; rem,quæ inter ipſum & ſuam Eccleſiam ad memoriã mutuæ beneuolentiæ interponeretur,præter ſeipſum.

2 Hoc eſt uiciſſim ingens gaudium,& perenne ſolatium Eccleſiæ,quo ut ipſa conſtat ex corpore ac ſpiritu,ita nõ ſpiritaliter modò,ſed corporaliter quoq; habet ſponſum ſuum,eundem illum,qui ſedet ad dexteram Patris.

3 Quomodo illic ſit Chriſtus, quomodo à nobis ſumitur, excedit ſenſus noſtros, tum corporis, tum mentis: ſed conſiderato tamen quid non ſenſus noſtros in natura uniuerſa ſuperat,& tranſcendit? qui ſunt limites noſtri ingenij quàm breues,& anguſti: non miraberis hoc extra illos eſſe,intra quos ſunt tam pauca.

4 Omnia ſunt in hoc myſterio plena charitatis,fide uerò (ſi quis ad illum oculos attollat mentis,qui poteſt omnia) non eſt opus tanta.

5 Quòd ſi ad nos referamus Diuina, nihil non erit difficile, atq; incredibile: ſin ad Deum,omnia facilia,plana,credibilia.

6 Ipſa inſtitutio huius ſacramenti,amorem Chriſti erga nos teſtatur.

7 In cœna nouiſſima trãſiturus Chriſtus à mundo ad Patrem, inter eos,quos tener rimè amaret,pignus hoc reliquit ſui,infixum memoriæ noſtræ ſempiternæ.

8 Hoc si tanquam panem comederis,nec plus tibi proderit,quàm panis,& oberit: quod quum medicinam non ut talem sumpseris, nec obseruato tempore,nec modò in uenenum conuertisti,iudicium tibi manducas,& bibis,quòd inter corpus Domini,& quemuis alium cibum nullum ponis discrimen.

9 Sin uerò ut medicinam capis, sanabere: si ut salutem,seruabere. ergo prius sume animo Christum,quàm palato.

10 Prius quidem est,ac potius,spiritaliter sumere,quàm corporaliter.

11 Sed Christus,qui prius apud Patrem in æternitate merus spiritus fuerat, charitate nostri adductus,descendit in terras corporeus, & corporeum sui monimentum testamento nobis legauit:is amor inuitat nos,ut & spiritu sumamus,& corpore.

12 Amor quoq; noster erga Christum ex prouocatione illius natus,atq; ideo charitatis illius quadãtenus similis,non contentus rebus solis spiritalibus foras,dimanat ad sensus,cunctum se undiq; cupit in amatum immergere.

13 Spiritalis sumptio ad hoc corporale conuiuium inuitat. Corporalis autem refectio auget & accendit spiritalem refectionẽ,per gratam tanti beneficij memoriam.

14 Et quẽadmodum Dei filius spiritus fuit semper,atq; erit,in tempore autẽ carne est indutus:ita spiritalis sumptio crebra debet esse,quotidiana,diuturna,& propè perpetua, ut quantum facere possimus, æternitatẽ spiritalis illius imitemur. Corporalis uerò habet sua tempora,atque interualla.

15 Sumitur ergo intra nos Christus corporaliter, ut spirituũ coadunatio per hanc corporum exprimatur.Et quàm sitis tu & Christus amici, intelligas qui pariter intra eiusdem substantiæ limites habitetis: iam non amas illum,qui procul abest à te, non illum,qui extra te,sed qui in te ipso.

16 Vide uerò,ut ames,& fidas.nam & sic retinebis,nec aliter:hisce enim xenijs delectatur hic hospes,hisce epulis detinetur.

17 Quàm gratum esse cõuenit,quod detur ab amicissimo, quod legatur testamento:quod ultimum commendatur:quod ad memoriam mouẽdam relinquitur, ut ea crebrò tam dulcis beneuolentiæ recordetur? si charus,si gratus, si suauis est amicus, chara utiq; sunt,grata & suauia amicitiæ monimenta,& eo chariora,quo sunt coniunctiora ipsi amico,magisq; nos in memoriam illius reducunt. quid autem,quũ est ipsius amici pars uiua & uigens, nec solum propter mutuam amicitiam amabilis, sed quia salutifera,expetenda, nullum profectò inueniri aut cõmendari poterat præstabilius genus mnemosyni,quàm istud,quod est maximè mansurum,& minimè mortale.

18 Hic in æui huius decursu sumimus nos mortales Christi corpus,memoriã mortalitatis eius:in illa autem æternitate, sumemus efficaciam & fructum resurrectionis eiusdem. Christus per mortalitatem suam transijt ad immortalitatẽ, per ærumnas ad beatitudinem,per deiectionem ad regnum omnium seculorum. Ita & nos per piam afflictionum eius recordationem, sumentes hic mysterium corporis illius mortalis, transferemur ad uitam sempiternam:& coniuncti cum Diuinitate,atq; uniti, similes fiemus corporis claritatis illius.Itaque temporaria hæc,gradus sunt sempiternorum, imagines,simulacra,quibus & deificationem nostram intelligamus animo, & re consequamur, impleaturq; quod est Christus ipse pollicitus: Sicut misit me uiuẽs pater, & ego uiuo propter patrẽ,& qui edit me, & ipse uiuet propter me. qui comedit meã carnem,& bibit meum sanguinem,habet uitam æternam.

¶ In sumptione Sacramenti.

VEneror immensum Sacramentum,ago gratias pro munere inæstimabili.

Tu solus potes purgare:purga,ne ego mihi noceam,sumens inutiliter.

Quid iam potest mihi nocere, tali recepto hospite? certus sum habere me corpus Christi:fiducia autem efficit,ut habeam totum Christum.

¶ Ad diuam uirginem Mariam.

OQuæ gaudia,quanta tibi lætitia,uersari cum tali filio:in quem desiderant angeli intueri,tu non intuita solùm es,sed baiulasti utero,ædidisti mundo,atque hominum saluti,contrectasti,nutriuisti tuorum uberum fontibus sacratissimis, fruita es

oscuits

oſculis,fruita es amplexibus, tu primam balbutiẽ ridens ac læta excepiſti,balbutiẽ eloquentiæ Dei patris ſummi,ſapientiſsimi, immortalis:ſubditus fuit tibi, tibi inſeruiuit, tu ius habuiſti iniungendi miniſteria tuorum uſuum, cui mundus uniuerſus miniſtrat. Tu ergo angelis hoc iure potior,huic enim angeli obtemperant,hic tibi:& ut prima fuiſti coniunctione ac familiaritate,ita princeps es fauore ac gratia. O meritò igitur feliciſsima & beatiſsima generis humani,impetra nobis à filio, ut guſtum & nos percipiamus aliquem iſtius felicitatis,quam tu adeò largiter hauſiſti, quo nobiſcum etiam uerſetur Chriſtus,nosq; præſentia ſua tueatur ſemper,& exhilaret.

¶ Altera.

POſſumus nos quidem animo Deum concipere,corpore autem concipere & párere:id uerò decus tuum unius,ô uirgo. Sed & te corporaliter peperiſſe euidenter oſtendit,neminem unquam mortalium tam plenè atq; excellenter genuiſſe ſpiritu. Tu ergo ingenti ſuper omnes præſtantia & ſponſa ſpiritalis es, & mater:ſola uerò mater,quæ tectum humanitate paris. O uerè germaneq; heroina ac ſemidea,quæ filium habes Deum: hoc apud illum nobis confice, ut qui & animo & corpore eſt tuus,aliqua certè tuarum uirtutum æmulatione ſit etiam noſter.

¶ Ad memorias martyrum.

OQuæ ueſtra certamina, quàm grauia & difficilia: quæ pugnæ tam atroces, ex quibus uos per patientiam & tolerantiam uictores diſceſsiſtis, per mortem ueniſtis ad uitam? fractum & dilaceratum eſt ueſtrum corpus & concidit: at animus ſtrennuus uictor,ad originem ſuam lætus alacerq; reuolauit. Nunc ueritatem,quam uita eſtis ac ſanguine teſtificati,perſpicitis, exuti tenebris ſempiternam intraſtis lucem. Nunc præmio & decore tantæ uictoriæ perfruimini. Labori propoſuit Deus omnia:æquiſsimum uidetur,ut quiſque aſſequatur,pro quo magna contentione laborauit:feliciſsima ueſtra mors,quæ Naturæ debita,pro Chriſto eſt potiſsimum reddita. O fortiſsimi athletæ, ô milites inuictiſsimi, utinam nobis à chariſsimo uobis Chriſto aliquantulum conſtantiæ & patientiæ ueſtræ, pauxillum promptæ uoluntatis impetraretis, ut tum crucem iſtam ueſtram magnam atq; excellẽtem cuperemus uobiſcum portare, tum minutas has, quæ in hac uitæ noſtræ quietudine ac ſecuritate quotidie incidunt,auidè complectamur libenter,& ſine detrectatione geſtemus, ut quatenus nobis conceditur,laborum atq; ærumnarum Chriſti temporariũ quoddam ſumamus experimentum: ut regni illius, quod ipſe per crucem ſuam aſſequutus eſt,conſortes ſimus in æternitate.

¶ Ad memorias diuorum.

BEati qui ſoluti hoc carcere teterrimo, læti ſecuriq; reuolaſtis in patriam, qui nec malis urgemini amplius uitæ huius,nec infeſtamini à Sathana,nec ſollicitamini uariis artibus, ut deſciſcatis à Chriſto, quibus iam licet intrepidè ac ſecurè exclamare,Quis nos ſeparabit à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu? Nos hîc iactata tot caſibus,fluctuamus inter undas præſentiſsimi periculi:uos iſthic certi ſecuriq; de beatiſsima ueſtra ſorte,æuum cum ſumma lætitia degitis:orate Patrem cœleſtem, cui eſtis iam inſeparabiliter coniunctiſsimi,ut nos iſthuc quoque uocet,& ſiue ultrò,ſiue renitentes pertrahat,ut unum & uobiſcum ſimus & cum illo.

¶ Egreſsio.

1 Conſideratio amicitiæ ſanctorum cum Deo,quæ auget uehementer dignitatem perſonæ:unde enim eam cenſeri conuenit, niſi ex propinquitate numinis? quæ maxima,immo ſola eſt in amicitia illorum.

2 Iam & ſimilitudo diuorum cum Chriſto multis uiis occurrit menti, quòd ſunt filij Dei,quòd imitatores uirtutum illius,quòd explent ipſi ea, quæ deerant afflictionibus Chriſti,ut ait Paulus. Par enim eſt,ut labores capitis redundent in membra:& poſtquàm afflictum eſt caput,reſtat ut in corpus quoq; afflictiones permanent.

3 Quod lumen Eccleſiæ,diffundenda ſaluberrima doctrina? quod exemplum uita & actionibus imitari uolentibus? quàm multos uerbis atq; oratione, quàm multos exemplo uitæ,quàm multos precibus adduxerunt ad meliorem frugem,& lucri

fecerunt Christo,seu(ut loquar appositius)lucrifecerunt ipsis Christum.

4 Quantum erat solatium,hominibus in rebus suis aduersis,uel ex sola eorum prę sentia & conspectu:quum se innixos illis populi existimarẽt,quasi columnis firmis simis,& habere se quodammodo Christum ante oculos corporis.

5 Nec falsi sunt opinione sua: quoties enim illi precibus suis & ultionem auerte runt iusticiæ Diuinæ,& impetrarunt populis suis bona ingentia ab illo, apud quem propter fiduciam & charitatem nihil non poterant.

6 Quid dici potest conformius Christo:aut quæ illius expressior imago?

7 Agendæ sunt sanctis gratiæ de tot eorũ beneficijs,tam grandibus, tam assiduis.

8 Amanda tanta bonitas,ueneranda tam excellens atq; ornata mens, mundo uir tutum omnium.

9 Adoranda in illis similitudo Domini & Dei nostri Iesu Christi:hoc est,ipse in eis Christus adorandus.

10 Recepti autem cœlo,& coniuncti Deo,atq;(ut sic loquar)deificati,excesserunt humanum omne fastigium.

11 Adoramus & in illis Deum,& illos absorptos in Deo,magna cũ fiducia, quod qui benefici & salutares fuerunt in hac mortalitatis egestate ac miseria, multo erunt largius ac prolixius in illa copia æternorum bonorum: & qui tales se exhibuerunt planè homines,quid nunc erunt semidei?Enimuero non restrinxit benignitatem eo rum melior conditio,sed auxit,ut nunc in abundantia & facultate illa bonorum om nium constituti,prodesse tantum possint,quantum uelint.

12 Quòd si mulieris,quæ sanguinis defluxu uexabatur,affectio erga uestem Chri sti adeò fuit grata Domino,ut sanitatem illi adferret, qualem putamus fore nostram erga sanctos Dei?quàm gratam ipsi,quàm acceptam,quàm ad impetranda quæ po scimus,ualidam atque efficacem?Neq; enim coniunctior est,nec charior Christo sue uestis,quàm suus apostolus aut martyr.

¶ De Martyribus.

47 QVæ diritas tormentorum?quæ carnificina insontium corporum, quanta sæui tia atque immanitas & imperantium tam atrox ministerium, & exequẽtium? quantus in martyribus suimetipsorum neglectus, imò aspernatio?ut non aliter cor pora sua respicerent,quàm lapides aut ligna,animo & cogitatione uniuersa in Chri stum semper intenti, tanquam oculus iaculantis in album, ad collimandum.Quàm uerè testes ueritatis,non eam asseueratione sola sancientes aut iureiurando, sed suo metipsorum sanguine,ac uita,& asperitate cruciatuum intolerabili.Et tamen in istis tam immodicis ærũnis, quibus nos uel in memoriã reuocandis cuncto corpore atq; animo cohorrescimus, quàm moderatè ac modicè seu demissè uerius de se sentie bant?reputantes intra se quod Dominus præcipit,Quum hæc omnia feceritis,cogi tate,serui inutiles sumus:&Apostolus illius,Tu qui stas,uide ne cadas,sed time.Itaq; solliciti semper & anxij exercebant se ad pietatẽ,& implorabant fauorem Christi, si ne quo in cassum laboratur à nobis,& contenditur. Quid ergo fiet nobis, qui uitam in omni mollicie ducimus,in delicijs,in uoluptatibus desides ac securi?qui intolera bile censemus,si quid duriusculum acciderit, aut contra animi sententiam, corpora & animos gestamus delicatissima?nihil est tam leue à quo non impatientissimè per cellamur.Qua tandem freti fiducia Christi nomen audemus ferre?& illum appella re patrem?& tribunalis illius expectare censuram?Si non coronatur, nisi qui legiti mè certarit,ecquam tandem nos coronam uel petimus,uel speramus?qui nunquam certamus,qui certamen non aliter defugimus,atq; exhorremus,quàm rem omnium longè miserrimam. Hi martyres & profuerunt olim testificatione ueritatis constan tissima,& prosunt quotidie exemplis,ad cohibendos effrenes animos,& proiectos in uitia,ad excitandos iacentes dormientesq; in omni genere laudis.

¶ Quum ad ad studium nos paramus.

48 NOs & in tenebris densissimis uersamur,& tenebras nobiscum circumferimus? tu Deus es lux nostra,illumina mentem meam,ut ueritatem,quæ tu ipse es,co gnoscam,

gnoscam,sequar,teneam:fac me sapientiorem,& meliorem,ut in alios quoq; de isto tuo lumine transfundam, quod mihi impartiris: quæ uerò me docueris, da eam mentem,ne in uana ostentatione consumam,né ue alios bonos reddã, memetipsum arrogantem & malum, sed primum ad meam utilitatem conuertam, deinde proximorum,ut lucis ac beneficij tui effectum in me potissimum sentiam,à me in alios dimanet,quos tu per me instituí iusseris.

¶ Quum quid aggredimur.

49 NOs in obscurissimam caliginẽ à peccato deturbati,futurorũ improuidi,quidq; nobis expediat ignari, opus hoc quidem aggredimur tanquam nobis conducibile. O immensitas diuinæ bonitatis, lucis, sapientiæ, cui sunt uniuersa cognita & perspicua,quod mihi, hoc est menti meę potissimæ parti mei uideris officere,id oro atq; obsecro te, amoueas, meq; inde quàm longissimè uel abducas sequentem, uel etiam repugnantem abstrahas,& auellas:quæ uerò profutura sint, ad ea me impelle, me cunctum & inscium trado,commendoq; tibi scientissimo, & cæcum uidenti, & optimo ac præpotenti malũ atq; infirmum,ut te tanto moderatore,& rectore,omnia ritè instituam ac pergam.

BVRGIS, ANNO
M. D. XXXV.

Ioannis Lodouici Viuis Valentini

illustrissimæ Principi Margaritæ Augustæ,Maximiliani Cæsaris filiæ,&c. S. P.

QVANDO in calamitatibus nostris omnibus, in quacunque sollicitudine ac morbo, accurrendum est ad unicam humani generis medicinam ac salutem Christum Iesum : nihil mihi uisum est congruentius,quàm in hoc tam subito,tam horribili malo,quod nuper regionem hanc penè totam,cui tu præes,inuasit, pharmacum illud cœleste implorare. Nam si in istis communibus morbis, illius consilium opemq; postulamus,qui aliquando sit in se illos expertus:cuius potius petamus præsidium in hoc sudore,quàm illius diuini ac æterni medici,qui ipse nostra causa sudauit sanguineum sudorem? Cuius rei memoriam cuperem singulis annis à nobis pie recoli,ac celebrari:siue remedium precemur malo urgenti (quod ipse clementia sua auertat)siue antidotum,ne inuadat,siue gratias agamus periculo liberati. At uellem in tota hac ditione iuberes fieri. Scripsi diurnum sacrum de Christo sudante, adieci concionem,dicaui tuæ celsitudini:quando nullum mortalium magis tangit cura regionis huius,quàm te:quæ illam administras pro Carolo Cæsare,fratris tui filio, hoc est,filio tuo. Principibus nihil potest offerri uel exiguum, uel illis indignum, quòd sit de illo Principe Principum Christo. Quòd si naturalẽ medendi morbi huius rationem non dubitaret tibi medicus aliquis offerre:cur ego dubitem de cœlesti medicina,tanto,quam naturalis est, efficaciore saltem admonere? Neq; enim tu existimas corpora esse tibi tantum credita & commissa,non item animos ac mores.Si hoc sacrum placuerit, uteris: si non placuerit,habes hîc plurimos: quicquid iniunxeris, præstabunt maiore tum iudicio, quàm ego: tum eruditione,ac pietate. Ipse enim ad te affectum tantum,ac uotum meum adfero, ad alios uerò incitamentum. Vale.

BRVGIS, X. NOVEMBRIS,
ANNO M. D. XXIX.

IO. LVDOVICI VIVIS

SACRVM DIVRNVM DE SVDORE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

AD MATVTINVM.

INVITATORIVM. Recipe nos Christe, in participatum laborum tuorum.

Psalmus 94. Venite exultemus Domino.

HYMNVS.

CHristus est, quem rex sacerdos
Ad futurum protinus
Infulatus concinebat
Voce, chorda, & tympano,
Spiritum cœlo influentem
Per medullas hauriens.
Facta nos etiam probata
Pangimus miracula:
Testis est orbis, nec ipsa
Terra, quod uidit, negat,
Cominus Deum docendis
Proditum mortalibus.
Corde natus ex parentis,
Ante mundi exordium,
Alpha & O cognominatur,
Ipse fons, & clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt,
Quæq; pòst futura sunt.
Ipse iussit, & creata,
Dixit ipse, & facta sunt.
Terra, cœlum, fossa ponti,
Trina rerum machina,
Quæq; in his uigent sub alto
Solis, & lunæ globo.
Corporis formam caduci,
Membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret
Primo plasti ex germine,
Merserat quem lex profundo
Noxialis tartaro.
Gloria tibi magne rex,
Nostros labores sustinens,
Cum patre, & sancto spiritu,
In sempiterna sæcula.

Hucusq; Prudentius.

Antiphona, Qui sunt isti labores tui, ut guttas sanguinis sudes?

Psalm. 15. Conserua me, Domine: quoniam speraui in te.

Antiphona, Ne miremini me sanguinem sudare, qui laborem uniuersorum hominum solus sustineo.

Psal. 16. Exaudi Domine, iustitiam meam.

Antiphona, Quis est iste qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? Esa. 63.

Psal. 17. Diligam te Domine, fortitudo mea.

Vers. Et factus est sudor eius.

Resp.

Reſponſ. Sicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.
Benedic. Puriſſimus ſanguis Ieſu Chriſti à uitijs nos abluat,ac delictis.

LECTIO I.

FRatres,depulſo torpore omni,ac ſomno, attenti alacresq; auſcultate, quæ de ſalute & uita communi omnium ſumus dicturi. quæ nos crebrò cogitare ac recolere,tam eſt animæ cuiuſq; ſalutare,quàm cibus & potus corpori fulciendo. Vnigenitus Dei filius & Dominus uniuerſorum,quum ad reconciliandũ patri humanum genus, humanam ſe hoſtiam facere ſtatuiſſet, corpus mortalitatis noſtræ induit, ut per ſimilitudinem carnis peccati,peccatum in ſe hominũ aboleret. Sed ad maiorem naturæ ſuæ puritatem,ex matre naſci uoluit ſine uiro patre.Nefas enim erat,ut uir aliquis eſſet illius pater, qui patrem haberet Deum immortalem atq; inuiſibilem, qui eſt ſanctus & benedictus in ſæcula ſæculorum.

Tu autem Domine,miſerere noſtri.
Reſponſ. O miranda amoris uis, Deum fieri hominem, & hominem Deum: nec hominum,nec angelorum mens capit.
Verſus, Id effecit amoris copula,ſalua utriuſq; naturæ ſubſtantia.
Reſponſ. Quod nec hominum,nec,&c.
Benedic. Labores pro nobis à Chriſto ſuſceptos,faciat nobis prodeſſe Pater, qui eos iniunxit.

LECTIO II.

ITaq; corpus illud redemptoris noſtri ex ſanguine puriſſimæ ac tenerrimæ puellæ deſumptum, ipſum quoq; fuiſſe puriſſimum ac tenerrimum neceſſe eſt. Quo fiebat,ut quantuluſcunq; in eo doloris morſus longè eſſet acerbiſſimus,grauius q; cruciatibus urgeretur,quàm craſſa hæc noſtra corpora uulgaria,peccato corrupta,& ex denſitate ac ſpurcitie materię in torpidum ſtuporem uergentia, & in peiorem degenerantia naturam.Hoc erat ſacrificium patri multo gratiſſimum: dum uideret filium nihil quamlibet aſperum recuſare,ut illi obtemperaret. Hoc auget debitum meum erga Chriſtum, hoc charitatem patefacit illius erga nos omneis ingentem, immenſam,indicibilem. Quid enim mihi magnum præſtas,ſi quæ ſunt alijs amariſſima, ipſe perfers,ſed extra ſenſum doloris? Maiorem charitatẽ nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.At tu animam tuam ponis pro me,Chriſte:neq; uerò ita quemadmodum ueſtem, ſed cum incredibili cruciatu. Hoc eſt amoris robur, ut aſpera omnia,& dictu atrocia ſuperet,uincat,proſternat:nec aliter in ſe abſorbeat, quàm ualidus ignis aſperſas in ſe aquæ guttulas. Tu autem,&c.
Reſponſ. Debuit dolorem ſuſcipere, ut uinceret. Neq; enim habent fortitudinis laudem,qui ſtuporem magis uulnerum tulerunt,quàm dolorem.
Verſus, Vulnerum enim umbras patiuntur,non uulnera.
Reſponſ. Qui ſtuporem magis uulnerum tulerunt,quàm dolorem.
Benedic. Per mœſtitiam tuam Rex Ieſu, duc nos ad beatitudinem regni tui.

LECTIO III.

ADfers ſimul ad caſus humanos exemplum,ut me ſortis extremæ homulũ craſſum,& ſceleribus penè belluam,non pigeat propter Deum Dominum meum aliquid tolerare:quum tu filius,& natura hæres inſons, inculpabilis, tanta perpeſſus ſis,dum patris obedis. Teneritudini Dominici corporis,& ſenſui adeò delicato accedebat intelligẽtia, ac cognitio futurorum. Videbat appetentem ignominiam,nuditatem,ſubſannationes,flagra,uerbera, crucem amariſſimam atq; atrociſſimam. Ea ſcientia metum carnis ita confundebat, ut illa contraheret ſe: & tam acerba guſtatu refugeret ac reformidaret. Mens quidem ſubinde conabatur erigere decidentem carnem, ad obſequium paternæ uoluntatis. Aderat angelus, qui conſolaretur afflictam,& præſentiæ diuinitatis admoneret.Sed Chriſtus qui homo eſſet, infirmitates quas culpa contraxerat, ipſe ſine culpa geſtabat: unde tanta eſt in carne orta conſternatio, ut in diſcrimen imminens prorſus intenta, in eum ſudorem reſoluta ſit: unde ex toto corpore, uelut ſanguineæ guttæ in terram diſtillarent. Quippe &

periculi magnitudo quod prouidebat,& corporis puritas uniuersam firmitatis compagem diuellebant. Tu autem.
Respons. Quantum oportet fuisse debitum,quod sic exigebatur,ut sponsori sanguine esset,ac uita dependendum?
Versus, Securi sunt,qui debent:laborat,& sudat,qui fideiussit.
Respons. Sponsori sanguine est,ac uita dependendum.

IN SECVNDO NOCTVRNO.

Anti. Tu sudas in morbo nostro, nō ut tu reualeſcas sanissimus,sed ut nos ægroti.
Psal.38. Dixi,custodiam uias meas.
Distillans in terram cruor tuus,antiquum serpentem interemit in herba occultum.
Psal.40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.
Hic est sudor ueteris morbi,medicina noua,remedium sempiternum.
Psal.56. Miserere mei Deus,miserere mei.
Versus, Disciplina pacis nostræ super eum.
Respons. Et liuore eius sanati sumus.
Benedic. Qui per sudorem suum sanauit humanum morbum, nos semper sanos ac incolumes conseruet.

LECTIO IIII.

QVanta erat futura supplicij crudelitas, ut sola cogitatio sudorem in eo sanguineum,exprimeret,qui appropinquare sciebat? Sed sudor hic pestilētissimam humani generis febrem sanauit.In morbis,sudorem appellant medici,crisin:hoc est, iudicium ualetudinis.Inde nanq; natura ostendit,quas habeat uires aduersus inimicum. Quid porrò aliud fuit sudor Domini,quàm iudiciū morbi nostri discedentis? Incumbebat in exitium humani nominis serpens ille,magna potentia,& magna astutia fretus, congressus cum illo est leo noster potentissimus. Nunc, inquit, iudicium est mundi:nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Declarauit natura satis se habere uirium,præsidio diuinitatis adiutam,ad hostem pellendum.Sanatus est hoc sudore magnus ille ægrotus, qui in morbo immedicabili quinquies millesimū annum iacuerat.Sed alieno sudore,& eius qui nūquam ægrotauit. Verè languores nostros ipse tulit,& dolores nostros ipse portauit.Surrexit ergo humanum genus, non modò sanum & ualens,uerum etiam liberum ac solutum: quamuis & morbus illius nihil erat aliud,quā miserabilis captiuitas, & seruitus postremæ indignitatis. Tu autē.
Respons. Hoc demum est pastorem,& Regem agere:unum pro omnibus esse sollicitum,unum omnium subire laborem.
Vers. Pastorem bonum animam suam decet pro ouibus suis ponere.
Respons. Vnum pro omnibus,&c.
Benedict. Mentis & corporis sanitatem per infirmitates Christi consequamur.

LECTIO V.

IN monte legitur dominus noster sudasse, & sacratissimis corporis sui liquoribus agrum oliuis consitum irrigasse. O herbæ,ô flosculi,ô uirgulta & arbores,ô solum felicissimū sparsus est.Quid producetis? Quid progerminabitis?Non rosam ex candida factam purpuream,fabuloso nescio cuius sanguine: non uiolas aut hyacinthos inutiles,celebritate magis nominis expetitos,quàm re:sed salutem,uitam,beatitudinis æternam copiam hominū,quotquot uoluerint uti. Vbi sunt sancti illi,qui aspergi se,qui irrigari siccitatem suam suauissimo aliquo rore postulabāt? Vbi sunt isti nostri aridi in æstu mundi,siticulosi & siti perituri? Omnes sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum,sine argento accipite,bibite,ut fugiētem iam, & amissam recuperetis uitam. Tu autem,&c.
Res. Debemus ergo tibi Christe uitā,debemus salutē,medelā,doctrinā,exemplū.
Versus, Quando,aut quemadmodum poterimus gratiam referre, cui omnia debemus?
Respons. Medelam,doctrinam,exemplum.
Benedic. Morbis & ægritudinibus nostris dignetur adesse medicus æternus.

Lectio

LECTIO VI.

ARethusas,Eurotas,Alphæos,Hebros,Meandros, & nescio quos fontes, quæ flumina implorant poetæ seculares,mirari definite.Miseri,quid umbras consectamini,relicta ueritate rerum? Illa omnia nec sitim uestram sedant, & ægris periculosa sunt. O si quis sub hac distillatione iacuisset, qua terra & cœli fœcundantur? Et æger continuò reualuisset,& redijsset ad uitam mortuus, & uiuentem nec mors unquam attigisset,nec morbus.Sed accedamus modò.Nam quandocunq; eò peruenerimus,recentem adhuc madentemq; inuenimus liquorem illum,pharmacum,& uerissimam panacæam ad morbos omnes. Tu es Christe,tu solus es uita populi tui, tu salus:te uno fisus habet omnia,quæ expeti, quæ desyderari possunt. Sine te nihil iucundum,nihil tutum,nihil salutare: tenebræ,ac mors sempiterna. Si cui sit eundum, tu es uia.Si sapiendum,tu es ueritas.Si uiuendum,tu es uita. Tu autem.

Respons. Non est nobis committendum,ut quum Christus nobis omnia abunde suppeditarit,nobis ipsi defuisse uideamur.

Vers. Sanati ergo,opera exerceamus sanorum,non ægrorum.

Respons. Ne nobis ipsi,&c.

IN TERTIO NOCTVRNO.

Antiphona, Obediamus patri,ô caro:ille nos liberabit,qui solus potest.

Psal.72. Quàm bonus Israel Deus.

Antiphona, Absterge sudorem tuum uictor athleta: & in patriam coronatus, ac triumphans inuehete.

Psal.71. Deus iudiciũ tuũ regi da,pater meus laborẽ meũ uertet in requiẽ uestrã.

Psal.88. Misericordias Domini.

Vers. De angustia,& de iudicio sublatus est.

Respons. Generationem eius quis enarrabit?

Bened. Qui uicit diabolum & mundũ, is subijciat pedibus nostris regnũ Satanæ.

LECTIO SANCTI EVANGELII
secundum Lucam.

IN illo tempore:egressus Iesus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum: secuti sunt autem illum & discipuli. Et quum peruenisset ad locũ,dixit illis: Orate,ne intretis in tentationem. Et reliqua.

Homilia de eadem lectione.

LECTIO VII.

IN sinu patris gratia,& pax, & felicitas æterna, absq; ulla uicissitudine:foris autem peccatum,& miseria.In sinu patris erat filius,dum ad nos egressus est, ut eodẽ nos secum reduceret.Neq; enim aliter poteramus ingredi,nisi quis illinc exiret, qui nobis oppessulatum ostium reseraret. Sed ita egreditur ac descendit, ut redeat tamen iuxta consuetudinem suam ad montem paternæ celsitudins,ad sublimitatem suę diuinitatis:in qua semper quidem habitat Deus, homo uerò in diebus carnis, & afflictionis suæ,ab illo fastigio se demiserat:ad quod tamẽ interdum reuertebatur. Nam & gloriam eius discipuli uiderunt in monte,gloriam quasi unigeniti patris Dei omnipotentis. Sequuntur ascendentem discipuli,quantum humana ualet imbecillitas. Neq; enim beatitudinem unquam assequentur,nisi unicum beatitudinis ducem sequantur Christum.Quumq; iam in alto uiderentur cõsistere,nempe in monte etiam uberi (oliuis enim erat consitus) admonet eos Dominus,ut ibi se per orationem firment,ne per tentationem deturbentur.Et tum potissimũ à tentationibus cauendum significat,quum ipse est parumper ab eis discessurus. Tu autem.

Respons. Coctus sum amore generis humani,& liquefactus est sanguis meus admotis facibus ardentissimis.

Versus, Adiuro uos filiæ Hierusalem,si inueneritis dilectum meum, nuncietis ei: quia amore langueo. Canticocantic.5.

Respons. Admotis facibus ardentissimis.

Benedi. Det nobis Deus solam iram suam nobis esse formidabilem.

Lectio

LECTIO VIII.

DIscedit à ſuis Dominus,ſed non procul,quantum iactus eſt lapidis. Lapis quis alius eſt, quam Chriſtus? de quo ſcriptum eſt in ſacris carminibus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt caput anguli.A Domino factum eſt iſtud,& eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus. Iactus eſt lapis ab ijs,qui ædificabant, non ſecundum Deum. Tandiu ergo Dominus reliquit ſuos,dum hîc iactus mortis,& ſepulturæ ſuæ finiretur: donec animam, quam ultrò propter infirmitatem noſtram poſuerat,per potentiam ſuam reſumeret. In hoc lapidis proiectu orat,qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere,cum clamore ualido,& lachrymis offerens,exauditus eſt pro ſua reuerentia.Sed nec orat tamen,ut cogat: non ut uiolenter extorqueat. omnia remittit ad paternam uoluntatem. Tu autem,&c.

Reſponſ. Propoſuit Chriſtus,uolentibus imitari exemplũ,imitantibus pręmium.

Verſ. O expoſita omnibus beatitudo: quando in exemplo ipſo imitationis,eſt etiam præmium conatus.

Reſponſ. Volentibus,&c.

Benedic. Participes uictoriæ ſuæ ac gloriæ faciat nos,qui pro nobis uicit.

LECTIO IX.

VT appareret ſub tanta deiectione cœleſte regnum occultari,ſoli ac deſerto cœleſtis miniſter adeſt,angelus de cœlo uenit cõfortans eum. Vnus uenit ex illis, quorum milia milium miniſtrant ei, & decies centena milia à dextris illius: omnes ſunt ſpiritus miniſtri regni illius.Nam eorum, qui illum noluerunt regnare ſuper ſe, ciuitas eſt ſubuerſa. Sed ueræ diuinitati uerus erat homo adiũctus:& in uerò homine,uera caro:non alia, quàm hæc eſt noſtra caro peccati, ſed ſine peccato. quandoquidem uniuerſalis peccati erat expiatio,non tamen ſine metu,ſine mœrore, ſine affectibus mortalitatis noſtræ. Hæc ergo caro quum intelligeret iam immane ſupplicium non auferri,imò nec differri quidem,perculſa ſubito ac confuſo pauore,nõ potuit uitales humores intra ſe continere: foras ſunt omnes eliquati, qui cohiberi intra corpus non quiuerunt, ita ſudor profluxit ſanguineus. Hoc eſt tanti agonis exordium: in quo ſtatim admirabili commutatione exeruit ſe ex debilitate potentia, ex humilitate maieſtas: & ex illa conſternatione, glorioſa uictoria de hoſte antiquo, ſæuo,potente.Ne committamus fratres,quin ſaltem pia tanti in nos beneficij memoria,ingratitudinis notam deuitemus. Tu autem,&c.

Reſponſ. Adoranda nobis charitatis natura, qua & ad nos Dei filium pertraxiſti, & nos ad illum euehes,ſublatum iam ſuper cœlos,& ſuper angelos.

Verſus, Si modò participes ſimus afflictionis,ut ſimus etiã cõſortes regni Chriſti.

Reſponſ. Sublati ſuper cœlos.

Gloria patri, &c.

Verſus, Hic lauit nos in ſanguine ſuo.

Reſponſ. Vbi candidiores niue ſumus effecti.

LAVDES.

Antiphona, Torcular calcaui ſolus,& de gentibus non eſt uir mecum.

Pſal.26. Dominus illuminatio mea.

Antiph. Lauaui per ſingulas noctes lectũ meũ, ſtratũ meũ lachrymis meis rigaui.

Pſal.6. Domine ne in furore tuo.

Salus noſtra in tempore tribulationis. Eſaie 33.

Pſal.138. Domine probaſti me.

Antiphona, Cruore ſuo purgauit,& ſanauit nos. Abacue 3.

Pſal. Domine,audiui auditionem tuam,& timui.

Antiphona, Laudent te creaturæ omnes,tuo ſanguine inſtauratæ.

Pſal. Laudate Dominum de cœlis.

Capit. Quis eſt iſte,qui uenit de Edon, tinctis ueſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua,gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Eſaie 63.

Hym-

HYMNVS.

ECCE quem uates uetustis
Concinebant sæculis,
Quem prophetarum fideles
Paginæ spoponderant,
Emicat, promissus olim,
Cuncta collaudent eum.
Cantharis, infusa lympha,
Fit falernum nobile:
Nunciat uinum minister
Esse promptum ex hydria:
Ipse rex sapore tinctis
Obstupescit poculis.
Membra morbis ulcerosa,
Viscerum putredines
Mando, ut abluantur (inquit)
Fit ratum, quod iusserat,
Turgidam cutem repurgant,
Vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris
Iam sepulta lumina
Illinis limo salubri,
Sacri & oris nectare,
Mox apertis, hac medela
Lux reducta est orbibus. Gloria tibi, &c.

Prudentius, ni suo καθημερίνῳ.

Versic. Venite ad me fessi & arentes.
Respons. Et sudore meo perluti, quiescetis.
Antiphona, Quid nobis esset futurum miserius, si in ueteribus semper sordibus essemus uolutati?
Psal. Benedictus Dominus Deus.

PRECES.

Deus, cuius unicus & sacratissimus filius, mœstitia impendẽtis grauissimi supplicij, in sanguinem sudorem resoluit: da nobis, ut per consortium crucis eius, ad consortium gloriæ ueniamus: Qui uiuis, & regnas, &c.

AD PRIMAM, HYMNVS.

INcrepas uentum furentem,
Quòd procellis tristibus
Vertat æquor fundo ab imò,
Vexet & uagam ratem:
Ille iussis obsecundat:
Mitis unda sternitur.
Extimum uestis sacratæ
Furtim mulier attigit:
Protinus salus secuta est,
Ora pallor deserit,
Sistitur riuus, cruore
Qui fluebat perpeti. Gloria tibi, &c.

Prudentius.

Antiphona, Scuto circundabit te ueritas eius, non timebis à timore nocturno.
Psal. 76. Voce mea ad Dominum. Psal. 90.
Psal. 3. Domine quid multipl.
Psal. 85. Inclina Domine aurem.
Capit. O uis peccati nostri horribilis: qui hominẽ solo uerbo fecerat, nunc eum sine sudore non reficit, & quidem sanguineo.
Ver. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22.

Præ-

PRECES.

Concede Domine, ut ſicut filius tuus pro hominum quiete laborauit, ita nos beneficio laborum eius, ab omni inquietatione quieſcamus.

AD TERTIAM, HYMNVS.

EXitu dulcis iuuentæ — Prudentius.
Raptum ephebum uiderat,
Orba quem mater ſupremis
Funerabat fletibus:
Surge, dixit: ille ſurgit,
Matri & aſtans redditur.
Sole iam quarto carentem,
Iam ſepulchro abſconditum
Lazarum iubet uigere,
Reddito ſpiramine:
Fœtidum iecur reductus
Rurſus intrat halitus.
Gloria, &c.

Antiphona, Quaſi morientes, & ecce uiuimus. Paulus.
Pſal. 93. Deus ultionum.
Pſal. 100. Miſericordiam.
Pſal. 51. Quid gloriaris?
Cap. In diſciplina perſeuerate. Tanquam filijs offert ſe uobis Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?
Verſ. Ego, quos amo, arguo, & caſtigo. Chriſtus.
Reſponſ. Æmulare ergo, & age pœnitentiam.

PRECES.

Fac nos Domine intelligere meritò nos à te caſtigari, & caſtigationum tuarum perpetuò memores, ut ſint nobis tanquam antidotum uitiorum.

AD SEXTAM, HYMNVS.

AMbulat per ſtagna ponti, — Prudentius.
Summa calcat fluctuum,
Mobilis liquor profundi
Pendulam præſtat uiam:
Nec fatiſcit unda ſanctis
Preſſa ſub ueſtigijs.
Suetus antro buſtiali,
Sub catenis frendere,
Mentis impos efferatis
Percitus furoribus
Profilit, ruitq; ſupplex
Chriſtum adeſſe, ut ſenſerat.
Gloria, &c.

Antiphona, Vt caſtigati, & non mortificati.
Pſal. 14. Domine, quis habitabit?
Pſal. 74. Confitebimur tibi.
Pſal. 19. Exaudiat te.
Cap. Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & uiuemus?
Verſus, Dum iudicamur à Domino, corripimur.
Reſponſ. Ne cum hoc mundo damnemur.

PRECES.

Deus, cuius iram ſcelera noſtra merentur, interpone filium tuum inter te ac nos, tanquam clypeum noſtrum: in quo tibi acceptiſſimo furor tuus miteſcat.

Ad

AD NONAM, HYMNVS.

PVlsa pestis lubricorum
Milleformis dæmonum,
Corripit gregis suilli
Sordida spurcamina,
Seq; nigris mergit undis,
Fit pecus lymphaticum.
Fertq; qualis ter quaternis
Ferculorum fragmina,
Affatim referta iam sunt
Accubantum millia,
Quinq; panibus peresis,
Et gemellis piscibus. Gloria,&c. Prudentius. Matth.14.

Antiphona, Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati estis,& ego reficiã uos.
Psal.118. Beati immaculati.
Psal. Retribue seruo.
Psal. Legem pone. Duplices omnes. Ioan.11.
Cap. Ego sum uia,ueritas,& uita:qui credit in me,etiam si mortuus fuerit,uiuet.
Vers. Non est aliud nomen super terram. Actor.2.
Respons. In quo oporteat nos saluos fieri.

PRECES.

Da Domine, ut nos ad unigenitum tuum Iesum Christum, qui uera est morborum omnium medicina:firmo,ac fidenti animo,facias in omni difficultate cõfugere.

AD VESPERAS.

Psal.109. Dixit Dominus Domino meo.
Psal.103. Benedic anima mea Domino.
Psal.117. Confitemini Domino.
Psal.107. Paratum cor meum.
Psal.131. Memento Domine.
Antiph. Portans omnia uerbo uirtutis suæ,re[illegible]emptionem peccatorum faciens.
Cap. Ex toto corpore Domini profluens sudor,quid est aliud, quàm significatio laborum ecclesiæ illius,cuius ipse est caput?

HYMNVS.

TV cibus,panisq; noster,
Tu perennis suauitas,
Nescit esurire in æuum,
Qui tuam sumit dapem:
Nec lacunam uentris implet,
Sed fouet uitalia.
Clausus aurium meatus,
Et sonorum nescius,
Purgat ad præcepta Christi
Crassa quæque obstacula:
Vocibus capax fruendis,
Ac susurris peruius.
Omnis ægritudo cedit,
Languor omnis pellitur,
Lingua fatur,quam ueterna
Vinxerant silentia,
Gestat & suum per urbem
Lætus æger lectulum.
Quin & ipsum,ne salutis
Inferi expertes forent, Prudentius.

Tartarum benignus intrat,
Fracta cedit ianua,
Vectibus cadit reuulsis
Cardo dissolubilis.
Illa prompta ad irruentes,
Ad reuertentes tenax,
Obice retrorsum pulso,
Porta reddit mortuos,
Lege uersa,& lumen atrum
Iam recalcandum patet. Gloria tibi,&c.
Vers. Et posuit Dominus in eo.
Respons. Iniquitates omnium nostrorum.
Antiphona, Maximum oportet fuisse mœrorem Christi, qui erat cuncti generis humani. Magnificauit.

PRECES.

Precamur te Domine pater clementissime,ut idē filij tui cruor, qui morbos humani generis pepulit,& animorum sit,& corporum nostrorum medicamentum.

AD COMPLETORIVM,

Psal.4. Quum inuocarem.
Psal.30. In te Domine sperauí.
Psal.70. Qui habitat in adiutorium,&c.
Psal.133. Ecce nunc benedicite.
Antiphona, Et enim quæ de Christo sunt, finem habent, ut possessiones ueniant in regnum omnium sæculorum.
Cap. Si laborantem & sudantē oportuit Christum ingredi in gloriam, nos quoq; propter gloriam alienā,quæ nobis cōmunicabitur, ne pigeat laboris aliquid subire.

HYMNVS,

Prudentius.

ADbreuem se mortis usum
Dux salutis dedidit,
Mortuosq; olim sepultos
Vt redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum
Vinculis peccaminum.
Hunc patres,sanctiq; multi
Conditorem præuium
Iam reuertentem secuti,
Tertio demum die,
Carnis indumenta sumunt,
Eq; bustis prodeunt.
Cerneres coire membra
De fauillis aridis,
Frigidum uenis resumptis
Puluerem tepescere,
Ossa,neruos,ac medullas
Glutino cutis tegi.
Post,ut occasum resoluit,
Vitæ & hominem reddidit
Arduum tribunal alti
Victor ascendit patris,
Inclytam cœlo reportans
Passionis gloriam. Gloria tibi,&c.
Versus, Non sunt condignæ passiones huius uitæ.
Respons. Ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis.

Antiphona,

Antiphona, In tanta imbecillitate uirium noſtrarum, ad potentiſsimum eſt confugiendum.

Nunc dimittis. Lucæ 22.

PRECES.

Deus, cuius unigenitus filius in nocte ſudauit: da nobis, ut illius ſudor nocte ac die nos & à morbis tueatur, & purget à delictis.

MISSA.

INTROITVS.

CHriſti redemptoris noſtri ſudor, pro laboribus gentis ſuæ ſuſceptus, quietem & ſalutem adfert omnibus, quoſcunq; attingit.

Verſ. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Pſ. 126.

Gloria, &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

PRECES.

Largire clementiſsime Pater, ut cuius unigenitus filius Ieſus Chriſtus, pro ſalute hominum ſanguinis guttas ſudauit, illius ſudor ſit nobis ad morbos omnes animi corporis, & prementes remedium, & aduenientes antidotum.

EPISTOLA, ESAIÆ LXIII.

QVis eſt iſte qui uenit de Edom, tinctis ueſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & ueſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt uir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper ueſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ uenit. Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non erat qui adiuuaret. Et ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui in indignatione mea, & detraxi in terram uirtutem eorum. Miſerationum Domini recordabor, laudē Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorū domus Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.

Reſpon. Si Chriſtus ſolus ſudauit pro ſuis omnibus, ad illum nos recipiamus: ne ſit nobis ſudandum, ſed ille noſtras ærumnas pertulerit.

Verſ. Hoſtia piacularis pro populo, litatio uniuerſalis ſacrificij, interpres pacis, finitor belli, autor uitæ.

Reſpon. Agnoſcamus ſaltem tantum beneficium, & conemur præbere nos, ad illud recipiendum idoneos.

EVANGELIVM LVCÆ XXII.

ET egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem oliuarum. Secuti ſunt illum & diſcipuli. Et cum peruenisſet ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis quātum iactus eſt lapidis. Et poſitis genibus orabat, dicens: Pater, ſi uis, transfer calicem iſtum à me. Verumtamen nō mea uoluntas, ſed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & uenisſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.

Credo.

OFFERTORIVM.

Suſcipe mentes, & corpora noſtra, quæ tibi offerimus, Chriſte: & quæ per ſe ipſa te non ſunt digna, tu fac per ſanguinem tuum digna.

SECRETA.

Viuifica Domine populū tuum, & ab afflictionibus quas meretur, redde ſecurum: animoſq; illorum lumen gratiæ tuæ ad te conuertat. Nam non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui deſcendūt in infernum. Sed nos abs te uiuificati, & per ſa-

lutare tuum uiuentes,laudamus te: & unigenitum filium tuum, redemptionem nostram,cum Spiritu sancto,unum Deum,uiuentem, & regnantem per omnia sæcula sæculorum.

PRÆFATIO.

Qui unigenitum tuum pro nobis tradidisti, quumq; languores, & ærumnas nostrûm omnium in illo posuisses,sanguinis guttas in agonia mœroris sudauit. Nec tamen illa nostra causa tantum recusauit supplicium, cuius uel solus ingressus & cogitatio,talem sudorem exprimebat.Per hunc,maiestatem tuam laudant angeli,&c.

POST COMMVNIONEM.

IN sudore uultus tui,uescéris pane tuo omnibus diebus uitæ tuæ: donec reuertaris ad terram,de qua sumptus es. Genesis 3.

PRECES.

Da quęsumus omnipotẽs pater,ut qui unigeniti tui sudore sumus refocillati, per eiusdem mortem in æternum tecum uiuamus.

CONCIO DE SVDORE NOSTRO, ET CHRISTI.

QVantum uos ad attentè audiendum excitat, atq; accendit uox illa: agi de cuiusquam salute,capite,uita:tantum præsens oratio debet ad attentionem erigere.in qua nõ modò de uita hac breuiter peritura, sed quàm nos tam arctè complectimur,ita diligimus,imò ardentissimè ac unicè amamus, ut nihil existimemus horribilius, quàm uel mentionem ullam de amittenda fieri: non solùm,inquam,de hac loquemur. Scitis enim qua de causa hodiernum sit sacrum institutum, & quid nos huc congregarit ad memoriam sudantis Christi celebrandam. Verùm altius uos spectare conuenit: etiam de uita uitæ huius,de salute sempiterna temporariæ salutis huius est agendum.Quid sunt opes sine corpore? Res,quæ utilitate sui, nomen non inuenit. Quid corpus sine anima, id est, uita sua? mortuum cadauer:res non abiecta modò & despicabilis, sed tetra quoquè & abominanda.Quid porrò anima sine sapientia,sine uirtute? Tale mõstrum:quòd si oculis corporis cerni posset,non aliter intuentes fugaret,quàm basiliscus, aut aliquod ex illis portentosis Africæ uenenis. Hæc anima peccato deprauata & corrupta,trahit secùm in corruptionem corpus sine coniunctione societatis,sine iure possessionis, sine deriuationis natura. Nam ex anima defluit sensus, ac uita in corpus: & legem quam aduersus rectorem suum Deum statuit, continuò domi suæ sentit in subdita carne.ut quemadmodum se anima parum morigeram Deo exhibet,ita caro reluctetur menti,consilia eius spernat, iussa paruifaciat,imperia reijciat, clamores irrideat & contemnat.Ita fit totus homo,uelut segnis quidam & torpẽs equus. equus uerò,imò asinus tardissimus,ac pigerrimus:qui subinde est calcaribus, fuste, uerbere officij admonendus.Rector mundi huius ac Princeps omnium,cui præcipuè curæ sunt ea,quibus ille de suo lumine,lumen est rationis impertitus: admirabili artificio,seu paterna uerius indulgentia uariè nos admonet ac stimulat in officio necessario cessantes. & illas potissimùm parteis pungit, quibus nos à cura rerũ æternarum semouemur.Nam quemadmodum euangelica est similitudine demõstratum,à conuiuio regio,hoc est,à cœlesti fœlicitate alios abduxit recens fundus, alios nouum pecus,alios suæ, uel alienæ nuptiæ. Quomodo potuit appositius inanes nostras curas effigiare? Sunt quibus sollicitudine augendæ rei familiaris impeditis, nunquam de cœlestibus uacet cogitare.alios amici,alios uxoris,filij,propinqui, alios anxia tuendi corporis cura ab intẽtione auocat:finis illius,cui est homo destinatus. Nunquam nec qui ipsi sint,nec quæ hæc uita,nec quò iturí sint,consyderant.Feruntur cursu effusissimo,ignari quò sit eundum, uel quà:uix in ipsa cursus meta memores sui. Hoc est unum illud,quòd se uir sapiẽs inuenisse ait,quòd Deus fecerit hominem rectum, & ipse innumeris se miscuerit quæstionibus.Quid mihi est in cœlo? exclamat Psalmista,

missa & à te quid uolui super terram? Cuius uersiculi sensum Diuus Augustinus sic explicat: mirari Regem illum stultitiam, ac uæcordiam hominum: qui talibus nugis, & uanissimis impedimentis sinant se super terram irretiri, quibus talia sint à Deo in cœlis bona præparata. Ergo nō secus quàm sapiens pater filio puero, lusionibus dedito, & propterea ludum literarium fugitanti: ne uana illa occupatione, & cura infrugifera, à potioribus abstrahatur, frangit nonnunquam bacillos, spargit nuculas & talos, adimit strigmenta, proijcit pilas, & alia quibus ad ludendum ætas illa capi consueuit. Ita Deus lusus hos nostros fortunarum, necessitudinum, sanguinis, corporis, non minus quidem quàm pueriles illos & uanos & ineptos, sed magis tamē noxios ac nefarios, uel diminuit, uel prorsum tollit, ut sic reducat nos ad id unum, quod est necessarium, superuacuis resectis. Vnum est necessarium, ait Dominus noster: quod sibi munus Magdalena desumpserat, ut sederet iuxta pedes Domini, & audiret uerbum illius. Verbum, quod cœlum ac terram stabilituit. uerbum, quod multi Reges & Prophetę desiderarunt audire, non tamē audiuerunt. uerbū, quod qui uerè semel, ac bona fide auscultat, dicit deinceps, Quò ibo abs te? uerba uitę æternę habes. capitur non tanquam à Sirenibus, ut fallatur: sed tanquā à maximo bono, ut beetur. Hæc est uita ęterna, ut cognoscant te Pater, & quem misisti Iesum Christum. Quid alijs est opus? superuacanea sunt omnia, in quæ Martha turbabatur, de quotidiano alimento, ac ministerio sollicita. Quæ si ea causa uerbum audire omittat, & in eiusmodi opere euagetur, & tanquam mandatam sibi stationem deserat, conuicio ac fuste admonetur flagitij. Nihil necesse habemus ueterum rerum gestarum monumēta euoluere, aut rogare à senibus, quid sua, & auorum memoria sit actum. Res nostri temporis, res nostræ memoriæ repetamus, in quibus plurima inueniemus Dei flagra, atque ea atrocissima, patribus & auis nostris noua, atque miranda. Ecquando per hos triginta annos Europa à bello cessauit? Quod genus improbitatis, inhumanitatis, sæuitiæ est prætermissum? Mitius pugnasset homo cum fera, quàm cum homine, & quidem fratre suo: quando fratres omnes efficit communis parens Christus, & per eius sanguinem innouatio creaturæ. Vidit nostra ætas ultima crudelitatis exempla, incēdia urbium, populationes agrorum, uastitatem regionum, fontes ueneno infectos, assos pueros, depapillatas fœminas, tortos inhumanissimè homines, ut pecuniam proderent, sæpe quam non habebant: omissam, imò uerò irrisam uerecundiam, & despectum sacrorum, sexus, ætatis, ualetudinis. omnia promiscuè uexata, compilata, rapta, uiolata, cæsa, & (quod superat indignitatē omnem) ab ijs, qui dum illa agerent, Christum & implorabant ipsi, & implorari ab ijs, qui patiebantur, audiebant. Turcica pestis discordia nostrorum principum ad suas utilitates abusa, paulatim uiscera Christiani orbis depascens, quātam partem exedit, & à nobis auellit? Accesserunt fames: ut, quo nihil est auditu horribilius, homines in publico præ inedia sternerentur mortui, & bucceam panis implorantes, spiritum exhalarent: nec erat qui dimidio pane uitam hominis uel posset redimere, uel uellet. Mox paulò integræ ciuitates terræmotu sunt absorptæ. Et ne quis esset à periculo immunis, morbi uniuersi sunt Europam peruagati, non illi modò ueteres, & peruulgatæ febres, pleuritides, lues epidimiæ, sy nanchæ, & alij iam usu facti notiores medicis: sed noui, insoliti, inusitati, horribiles, abominabiles. Primum scabies Indica, quam aliæ nationes in alias nominatione rejiciunt. Sed quid iuuat, si re non ab se dejiciunt, ac depellunt? Nam ira Dei effecit, ne cuiusquam sit peculiaris: omnium est communis facta. Quàm est fœdus morbus? quàm contagiosus? quātum in eo fastidij, molestiæ, periculi? quàm infinitus? Quando auditum erat homines perire tussi? At perierunt, annos ab hinc circiter uiginti in Gallia, ubi tum ipse eram. Quæ monumenta, quæ literæ medicorum non sudorem, uelut rem omnium saluberrimam commendarunt? Quid lætius audiebant, quibus curæ erat salus ægri, quam sudare eum? quod signum prosperum magis, & faustum? At nostro sæculo medicina uersa est in uenenum, salus in perniciem, uita in mortem. Nihil tristius, nihil formidabilius, quàm sudare eum, qui nobis sit charus. Equidem non ignoro exercuisse aliquādo Dominum Ecclesiam illam suam meliorem, quam

multo habebat charissimam: obiecisse eam sæuitiæ atq; immanitati principum, qui eam ferro, igne, bestijs, noui & exquisiti generis supplicijs, ac cruciatibus sunt persecuti. Sed ita illa omnia tum contingebant, ut appareret blandiri, ac indulgere Deum, non punire. Exercebatur patientia sanctorum, corroborabatur fides, augebatur in Deum fiducia. Fiebant in horas, in singula momenta chariores, atque acceptiores imperatori suo Deo. Currebant alacres in mortem, currebant læti, tanquam ad breuissimum sempiternæ beatitudinis gradum. O fœlices, ô magnanimi heroes, nati melioribus annis, ut ait de sæculo, poeta nescio quis. Illi exercebantur, ut filij à patre. nos punimur, ut serui nequam à Domino, toties per nos offenso atque irritato. Illi ceu in nobili quodam agone certabant spectaculum: quemadmodum Paulus inquit, angelis & hominibus. nos tanquam in uilissimo ac sordidissimo pistrino molimus, ac ferimur: peiores quotidie ac nequiores. Non persequitur nos tyrānus Christo inimicus, propter Iesum Christum. Beati essemus, si id fieret: quemadmodū promisit in Euangelio suo Christus ipse. Sed cœlum, sed elementa, omnis nos denique creatura urget, ac premit: irata filijs immorigeris, mācipijs nequissimis, subditis rebellibus, affectis tanto beneficio, & ingratissimis. Sanctis illis martyribus certamen exacuebat uirtutem, ignis purgabat aurum obryzum. Nos calamitates indurant, & callum obducunt consuetudini peccandi: ne castigationes sentiamus, & fructum amittamus diuinæ reprehensionis. Humanum genus miserius est indies, & peius. O fratres: utinam uel nos essemus nati illis temporibus, uel hæc nostra in illa mutarentur. Non quòd optem ecclesiæ persecutionem, in qua scio esse tam multos male firmos: sed ex uoto & animo meo, ac quorūdam loquor, ut id nobis eueniret. Mallem enim uitam hanc, quam uelim nolim naturæ debeo, quam natura singulis penè horis, tot casibus, tot discriminibus, tot morbis, tot doloribus armata & minabunda, à me reposcit, Christo potius reddere, quàm naturæ. O fœlix mors, exclamat disertus ille, quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita. Nostra autem patria, quæ alia est, quàm cœlum? noster princeps, libertas, beatitudo nostra, quæ alia quàm Christus, & pater Domini nostri Iesu Christi? Non beabit me Cæsar, aut Pompeius Romæ consul: non Themistocles, uel Alcibiades Athenis Archon: non Athenæ ipsæ, aut urbs Roma: in quibus plerique omnes erant mali, ac proinde serui miserrimi: sed cœlum, et immortalitas, & Deus, fons bonorum omnium. Venit ad nos filius ipsius. Vidimus illum, & diuinam eius maiestatem non remittentem modò peccata, id est, sanantem animos, uerumetiam omnibus morborum generibus ac modis præsentissima remedia adferentem. Nihil illi opus pharmacis & fomentis, non dieta, non cauterijs, & carnificina chirurgica: sed unico uerbo oris sui. Nimirum eodem illo uerbo instaurabat hominem, quo condiderat. Vidimus non confirmantem modò tristem, ac profligatam ualetudinem: sed mortuum, deploratum, sepultum, iam escam uermium, iam obliuioni traditum, integritati restituentem & uitæ. Quid alium quærimus medicum? quid alia remedia, præsertim in morbis? quibus ille testatum uult nobis esse irasci se, mores sibi nostros uehementer displicere. In eiusmodi morbis profugere ab illo, nihil prodest: perfugere ad illum, hoc demum prodest. O dies illos atros ac funestos, quum uiri animosissimi, relictis domibus ac familijs, fugerent: nec quà, nec quò fugerent, uidebant. fugiebant tantum uiri, quorum pleroſq; scio quantumlibet periculosum, & graue prælium nihil cunctaturos aggredi: qui & circa se strages hominum peste absumptorum aliquando uiderant: qui se peste ictos non semel: qui etiam in Britannia bis, ter sudauerant. Quid ergo illud erat? Nimirum & in bello terrent homines, & in alijs pestilentijs natura. hic terror non humanus erat, non naturalis, diuinus erat: Deus tantæ continuationi delictorum infensus, non oculos modò, & sensus omneis corporis indignatione sua hebetabat: sed fortes animos, atque animosos spiritus debilitabat, ac prosternebat. Quæ formido? qui discursus? quæ anxietas? quæ tenebræ? quæ nox circum oculos, circum animos, ac mentes? ut nemo unquam uerius deprehendisset, quod scrutator quidam naturæ rerum

rerum dixit: Nulli animantium pauorem esse confusiorem, quàm homini. Sed perterrefaciebat eos ille terribilis, qui aufert spiritum etiam principum: fuga undiq;. Sed quid iuuabat, si non effugiebant? uidelicet quod & seipsos circumferrent, quos debuissent effugere, & ab ipso fugerēt suffugio. Vitabāt urbes & frequētias: abdebāt se in agros, in solitudines, ac deserta loca, sed illa tam aperta, & frequētia erāt persequēti Deo, q̄; fora & tēpla, & celeberrimæ urbiū partes. Quò ibo à spiritu tuo? aut quò à facie tua fugiā? Si ascēdero in cœlū, tu illic es: si descēdero in infernū, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebrę occultabūt me: Et nox, illuminatio mea in delicijs meis. Quum ille nos castigat, quum ferit, non ab se repellit: sed ad se reuocat. Quid ergo uitamus accersentem? quid reformidamus inuitantem? quum iracitur, ne humanis fidamus uiribus, non naturæ totius: sed illius infinita bonitate, & clementia paterna. Quis est enim, qui nos de manu eius possit eruere? quis resistere uoluntati eius? Non cœli, non elementa, non angeli, nō cunctus hic mundus in unum consentiens, ac conspirans: qui nutu & uoluntate illius conditus, eadem uoluntate perseuerat: nec punctum quidem temporis amplius futurus, si nolit. At dicunt quidam fugiendam esse iram dei, quòd ego ita esse faciēdum & fateor, & admoneo, & uehementer exhortor: si modò recte intelligatur quid sit iram Dei fugere, aut quomodo fugienda sit. Ne quis diuinæ ultioni ita subducturum se arbitretur, ut humanę. Nam homo quamlibet princeps, & opinione sua, atq; adulatorijs nuncupationibus potens, nos iratus uel in saltu aliquo, & solitudine latentes non inueniet, uel alienam ditionem atq; imperium ingressos non capiet, uel receptos à maiore aut pari potestate non audebit lædere, uel non poterit. At Deo mundus hic uniuersus, & quem uidetis, & quem non uidetis, minutissima est portio illius regni, ac potestatis infinitæ. Cœlum & terram ego impleo: dicit Dominus. Consyderate quemadmodum in iram eius estis ingressi, facile quemadmodum egressuri sitis, scietis. Animi flagitia & delicta inimicos uos illius fecerunt, uirtutes amicos faciēt. Violatio diuini iussus hominem reddit filium iræ, custodia eiusdem iussus reconciliat eum patri suo. Vos amici mei eritis, inquit Christus, si feceritis, quæ ego præcipio uobis. Sic effugitur ira Dei per pietatem, quam per impietatem lacessiuimus. Hæc una est ab eius ira declinatio, hoc solum effugium: obsequentes nos præbere illius monitis uerius, quàm imperijs. Non loca, non pharmaca, & medicamenta, & antidota, non natura quanta quanta est, ab eius ira præstabunt nos tutos: sed gratia & pax illius, quam conseruabimus, si simus filij obedientes, imitatores illius filij naturalis, qui factus est obediēs patri usq; ad mortem: amittemus uerò, si rem ullam creatam uoluntati illius prætulerimus. An non æquum est, ut quisque eius rei opem & auxilium imploret, atq; expectet, quam habet potissimam? Si, cui nihil est in uita potius, quàm Deus, Deo fidat: Deum sibi præsidem postulet ac precetur: indubie aderit. Sin pecuniam, aut uanum honorem, aut affectum suum, aut amicum, aut filium Deo antepositi: ab illis speret salutem, quæ habet: quàm Deum, priora & antiquiora. Humanum genus in rebus bonis quotidie segnius, atq; inertius, mirum quàm in malis omnibus proficiat. Omnes bonæ artes ac disciplinæ, ingenijs & sapientiæ profuturę facent: incultiores sunt hodie, quàm quum primum proferrentur. Videas illa omnia (sicut ait Poeta) In peius ruere, & retro sublata referri.

Omnes praue artes, & in mutuam perniciem ab hominibus excogitatę, augentur, excoluntur, uigent: inueniuntur semper magistri earum, semper discipuli alij alijs succedunt, imò uerò magno prouentu succrescunt. Sapientia & pietas desertæ ac neglectæ: nisi paucorum quorundam opera & diligentia fulcirentur, prorsum concíderent. Ergo nouum uirtutis genus iam pridem nullum extitit. noua uitiorum, flagitiorum, scelerum genera quotidie: etiam, quum rem credebamus ad ultimum esse perductam: nec locum esse amplius nouo inuento. Quot sunt sæcula, quum maiores nostri conqueruntur ad fastigium scelera peruenisse? At proximum quodque seculum demonstrauit, ne ad medium quidem ascendisse: quum superiores in

cacumine clamarent consistere. At hęc ætas prioribus ostendit, nimis præmaturè illos esse conquestos: uix cœpisse nasci flagitia, quum ipsi tanquam adulta deflerent. Quotidie nouæ uitiorum, improbitatum, scelerum facies sunt cum magno bonorum gemitu spectandæ. Nouæ statim morborum formæ subsequuntur. Nimirum morbi, qui in humanum genus propter humana delicta inuaserunt, non aliter quàm delicta ipsa existunt. Nouitatem horum trahit illorum nouitas, copia copiam, atrocitas atrocitatem: ut nullum esse possit certius aut euidentius argumentum scelerum, quàm ualetudo per gentes tam affecta. Taceamus in præsentia de pestilentia, de fame, de terræ tremoribus, de bellis. Quemadmodum noua & insatiabilis libido, Indico est malo punita: ita sudore hoc lætifero duo uitiorum genera uidentur mihi esse uindicata, noua, effrena, inexplebilia, infinita: Gulæ intemperantia, & Auaritia. quæ duo mala diuersissima, ac propè contraria & inimica, mirum quanta hoc tempore consensione sint sese mutuò complexa. Brutas omnes animantes condidit Deus capite in terram deuexo, abiectas ad curam uentris & corporis. hominem erexit ad suspectum cœli, ad cultum animi, ad captum diuinitatis, & proinde ad immortalitatis curam. Quale est, quàm contra naturam, animalia omnia pastui nata & condita, obuijs esse ac à natura paratis cibis contenta: & potu illo, quem idcirco uidemus esse ubiq; promptum, atq; expositum? Solum hominem aspernatum salutaria naturæ, seu Dei potius munera, ex ultimis terris ac mari accersisse: quòd lassum atq; languens palatum non satiet, sed irritet: uellicet ac lacessat, non confirmet: & magis se declarare natum esse ad corporis seruitutem, quàm pecora: quæ (ut inquit ille) natura prona, & uentri obedientia finxit. Non sufficit quicquid est in cœlo uolucrum, quicquid in terris quadrupedum, siue ferarum, siue cicurum in esum nostrum, & patinas ueniisse: nisi etiam uarijs, & subinde nouis condituris atq; apparatibus mensæ inferantur. Non periculum tuetur pisces, non locus in extremo mari, non labor aucupandi aues, non cursus leporem, non defendunt apros sui dentes, non ceruos cornua, uel pes in uenere pernicios⁹, nō serpentes uenenum, omnia scrutata est ingluuies insatiabilis: nec contenta uel luxuriam suam satiasse, uel oculorum cupidinem, herbas conquisiuit undiq;: & ex alio orbe extra solis & cœli uias, attulit piper, cinamomum, zinziber, macidem, nuces muscatas, gariofilos, ad condimenta. Quid facturi, si hæc essent aut uilia, aut salutaria: sic præsertim quemadmodum à nobis sumuntur? Quid sibi uult tanta ciborum diuersitas & aduersitas: ut iam non necessitati, uel delectationi, sed ostentationi comedamus. Miseri, hæc omnia uel aspectu solo satiant. Minus ex multis ferculis comeditur, quàm ex uno, & salubrius uno uiuitur. Nihil aliud clamant literæ medicorum, quàm uarietatem ciborum homini esse pestilentem, pestilentiorem condimentorum. Quid sunt factura tot aromata in corpore? Non cibum coquent, sed iecur & pulmones inflammabūt. Age uerò, cuiusmodi accedit potio? Aqua, credo, saluberrima ex puro uel fonte hausta, uel gurgite: ut quòd sufficit bestiæ, sufficiat homini tanto minus corpori dedito. Quid æque & ad refrigerandos ardores illos ciborum conueniret? & ad eluendam tantam uariarum rerum colluuiem, quantum in stomachum coniecimus? Procul absit is furor: ne uinum quidem dilutum: & modicum, quale Paulus Timotheo indulget propter stomachum, & infelicem ualetudinem. Nihil tale, imò igni ignis additur, flamma flammis accenditur. Primùm generosissimum & fortissimum uinum ex Creta, uel Chio, uel Bethica aduectum: quod satis sit etiam glaciei accendendæ. Tum accedunt Gallica, & Germanica: quæ quoniam sunt tenuiora, & minus putantur habere roboris, uiantur melle, calce, sulphure, alumine, & alijs rebus dictu detestabilibus: ut pugnatiora uideantur. id est, citius inuadant caput: nec restingant sitim, sed accendant: ut tanquam si aquam intercutem patiare, sitis irritetur potu. Prętereo quę per ebrietatē in pocula ingerūtur: caseus recens coactus, lac, poma, caro concisa, piscículi: ut appareat nihil magis laborare illos, q̄ ut miserrimè pereāt. At sunt loca, in quibus uites nō proueniūt, ibi excogitarūt ceruisiā: sed quam coquūt ex lacuna, & obscœnissima turbis totius aqua: in q̄ plurimæ cloacæ, atq; etiā foricæ influant. Nam eam demū in primis

primis probant. Quòd si quà sit fluens,& paulò nitidior: quemadmodum equos ferunt non solitos de flumine bibere, ni prius aquam pedibus turbarint: ita isti arte, quod est liquidum incrassant,& quod purum,corrumpũt fimo,lotio, & rebus alijs, non sine honoris præfatione nominandis. Addunt ea,quæ ceruisiam non minus ualidam ad inebriandum reddant, quàm quodcunque uinum ubicunq; natum. Tum se uerè beatos rentur, si eo se genere uini aut ceruisiæ expleant & infarciant,ebrietatem sibi eiusmodi potionis imprecantur. Olim ebrietates legimus apud sæculum prius,sed paucorum:quæ commemorabantur tanquam monstra: & ij uinum bibebant merum,non meras pestes,ut nostri isti. Qui quum plurimum potent,uiuere tamen sibi nõ uidentur,nisi etiam potent sępissime. At quomodo se mutuo accipiũt? Nisi discedant omnes ita distenti,ut parum absit,quin rumpantur:nisi ita uino obruti,ut nihil sit in toto homine, quod officium suum possit facere, non sibi amicus satis pro amicitia uidetur amicum excepisse:id est,nisi belluam remittat,qui homo uenerat. Tum tristis demittit tristem, & ille in posterum non satis humanus ac scitus conuiuator iudicatur:quam notam non minus timent,quàm mali uiri. At uerò si sub mensas conuiuas suos omneis constrauerit,ut ibi totam eam noctem stertant, & semisomnes iam multo die surgant,potum poscentes:is demum optimi, atq; humanissimi domini meretur nomen: illum ut magnum uirum reuerentur: ab illo inuitari, ducunt felicissimum. O pudendam mentium cæcitatem. Tam speciosum est hominem exire de potestate mentis, exuere hominem, induere belluam, imò uerò stipitem & saxum? O gulam desperatam,ut in uentrem uenena illa inijciant, mori non recusant. At qua morte? cruciatuum,& perpetui supplicij plena. Hinc enim totum corpus,uelut grauissimo in illud tormento adacto concutitur,& tremit: caligant oculi, obsurdescunt aures, caput in uertiginem rotatur, impletur corpus aqua intercute, dissoluitur paralysi, innodatur ac frangitur morbo articulari,cadit morbo comitiali, scatet fœdissimis papulis,pustulis,ac ulceribus teterrimis: ut non immerito sit à multis dictum, Plures gula perire, quàm gladio. An ulla est cuiquam mortalium uoluptas tanti, ut eam non recuset, qui sciat certissimum cruciatum statim post illam secuturum? At isti qua hora illis sunt tam acerbis doloris facibus liberati, ad potum recurrunt. Si quis ad necessaria uocet officia,si operam illorum roget, excusant ualetudinem: manus & pedes ostendunt fascijs deuinctos:& se commiserantur. Sin ad ganeam aut popinam, portari se illuc gestatorio iubent, qui ingredi non ualent: in lectum paulò post recasuri, & medicorum imploraturi opem: graues sibi,uxori, toti familię: impotes sui,inepti ad omnia uitæ munia. Negant se propter hęc omnia incommoda tanta uoluptate priuari uelle. Tanti ne tantulam delectatiunculã? quam equidem in illis compotationibus nullam perspicio. Nam donec sedata sit fames, donec sublata sitis, sit sanè aliqua ex desyderio naturalis uoluptas. At postquàm est naturæ desyderãti factum satis, quæ potest esse ex superfluo delectatio? utiq; (mea sentẽtia) non maior, quàm si quis pannos aqua madefactos in os ingerat, quod genus est in carcere quæstionis. Itaq; alios credo ad potandum consuetudine adduci, ut ad aleam inuitentur: alios inflammari laude (nam est huic furori apud quosdam suus honos) alios specie quadam comitatis: quod inhumaniter uideãtur facturi, nisi in conuiuio largius potent: scilicet quòd sic obtinuit grauis tyrãnus consuetudo, ut in conuiuio & dominus ad potandum inuitet, & alij pareant: ut iam cœnæ istorum, ac prandia, humanum conuiuij nomen continentiæ, ac moderationis admonitionem prorsum amiserint: monstra sunt, non uno digna nomine. Compotationes primùm, hinc conuitia, postremò insaniæ, & degeneratio ab homine. Deniq; nullam esse uoluptatem uel hinc licebit cognoscere, quòd post medium conuiuium sine sensu uorant, non edunt: glutiunt, non bibunt: nec aliter in corpus ingerunt ceruisiam & uinum, quàm lapides in puteum. Quid sentiant, qui mentem iam omnem & sensum crapula demerserunt, ut nihil eorum existat? Istós ne ego credam delectari unquã? Non magis utiq; ẽ lapides, aut ligna. Etiã si omnis Dei cesset ultio, atq; indignatio: & naturæ uniuersi uirib⁹ res tota administretur: an nõ hæc satis sunt, ad creãda quotidie noua, grauissima

uiſsima,execrabilia morborum genera? Miramur nunc demum ſudorem hunc natum? Ego uerò miror hos centum annos non continenter regionem hanc uexaſſe, atq; afflixiſſe. Quis furor eſt tam cæcus ſe ire perditum? nec exiſtimare ſe eſſe hominem,niſi quotidie fiat bellua? ut tranſeam rixas,cõtentiones, plagas,cædes, quæ per ebrietatem quotidie deſignantur:cæſas uxores,liberos,inquietatam familiam, profuſa patrimonia,dirempta connubia,iacturam pudicitiæ,adulteria:& alia fœdiſsima facinora,quæ homo in ebrietate perpetrat,dum ſibi uidetur ludere. Magiſtratus nõ deberent ſic de ſuo ſentire munere,ut ſe ad tuendas modò ciuitatis pecunias creatos cenſerent. Non ſunt Conſules,non Senatus,cuſtodes pecuniæ:cuſtodes ſunt ciuitatis, in qua præcipua pars, ſunt animi:hinc corpora, minima & poſtrema, cura pecuniæ. Itaq; quem rerum ordinem in natura hæc obtinent,eundem in cura deberent obtinere:ut præfecti ciuitatibus adminiſtrandis,ac populis, primum omniũ darent ſtrenuam operam,ut uiris bonis imperarẽt. Quid enim operoſius,aut grauius,quàm malos regere? Tum ut ſana, & ualentia eſſent corpora in cœtu illo ac multitudine. Nam quid poteſt recte geri afflictis corporibus,& triſti ualetudine profligatis? Quis ſanus non admiretur adulteratum,& corruptum numulum,hominem diro,atq; immani incendio tradere: uitiatorem uerò & corruptorem eſculentorum ac poculentorum ſecurum eſſe,atq; adeò, ſi Deo placet,honoratum quoq; ? Quãtulum eſt numus præ ijs,quæ ingrediuntur in corpus? Nulli nocet adulterinus numus, ſi in tabernis admittatur:at cibus,aut potus ſimul corruptus in corpus admiſſus,lædit:& id lædit,propter quòd pecunias expetimus tantopere. Et quum in utroq;,nempe cibo & potione,magna eſt adhibenda diligentia, ne quid ſit corruptum, ne quid noxium: quod uidemus à ueterum prudentia factitatum:& fit in Italia atq; Hiſpania:tum uerò in ijs,quæ bibuntur, exactiore ſunt omnia cura ac prouidentia animaduertenda: propterea quòd noxius cibus nocet quidem, ſed lẽte:ita ut antequàm uim illã ſuam animantis naturæ inimicam queat omnino exerere atq; explicare, occurri poſsit artis beneficio,& uis illa graſſans nondum in totam poſſeſsionem corporis admiſſa,ſalutarium aduentu pelli:at potio ſtatim in uenas penetrat, ſtatim in uitalia, & continuo præliatur:ut incautum atq; inopinantem hoſtem opprimẽt, antequàm ſubueniri poſsit. Ad hæc dabunt magiſtratus operam monendo,hortando,exemplo,minis, pœnis,ne ciues habeant uinolentos,id eſt,non ciues,ſed ſaxa in foro,aut ædibus affixa. Quid enim intereſt, quum ebrium habes domi, talem ne habeas hominem, an ſtatuam mutam è marmore? niſi quòd ſtatua,& minus adfert moleſtiæ, & non minus habet hominis. Tum etiam curabunt: ne opifices, quicquid in tota hebdomade aſsiduo labore congeſſerunt, una hora, in caupona effundant: quum interim uxor,& parui liberi inedia contabeſcant domi, & ipſe quum morbus inuaſit, ilico ad emendicandam ſtipem manum impudenter porrigat. Naſcitur ex tam immodicis atq; immanibus uoluptatibus,ex tam profuſo proiectoq; gulæ luxu,auiditas pecuniæ inexplebilis,immenſa,furor & rabies mera potius,quàm auaricia. Nam ut nullus eſt edendi,potandi finis,nec onerandi menſas omnibus: quæ uſquam terra,& mari,& cœlo proueniunt: hæc tanta corporis cura iuxta ueterem ſapientũ ſententiam,maximam animi incuriam parit:relinquitur animus deſertus,incultus, ſpinis & ſqualore obſitus ac horrens:corpus & caro excoluntur, illis indulgetur, omnia in illorum ſeruitutem occupata. Hinc,quòd caro potiſsimum requirit, atq; efflagitat,totus hominis amor in illam conuertitur,ne quid emicet,atque exiſtat foras:fit quiſq; carnis ſuę amator,oſor aliorum. Extincta hominum charitate inter ſe,& incenſa ardentiſsima face in cuiuſq; pectore erga ſemetipſum, imò erga id quod uilius ac obſcœnius eſt in unoquoq;, ut illi ſatisfiat quęruntur undiq;,& conuehuntur inſtrumenta uoluptatum corporis:nempe pecunia,& quicquid pecunia parari conſueuit. Vnde acquiratur,unde rapiatur,nihil ad rem cenſent facere:prædas undecunque agunt (tanquam in hoſtico uerſentur,quum iam nullus ſit amicus)ex alienis, ex ciuibus,ex neceſſarijs,ex propinquis, ex parentibus, ex filijs, ab uxore,à marito, à ſua quiſq; mente, ſi quid poſsideret: quanquam etiam id quod poſsidet, ſeruire uoluptatibus

ptatibus ancillæ carnis cogunt:nempe iudicium,rationem, artes, & consilia omnia: A diuitibus clàm surripiunt,pauperes propalam spoliant:non aliter, quàm latrones in saltu. Vt quisq; est opulentissimus,& ad pellendam,& ad referendam iniuriam paratissimus:ita est maximè in hoc latrocinio tutus. Lupus non est lupinam, nec coruus coruinam,ut est in prouerbio. Quibus nullæ sunt uires ad amouendam ab se, ac declinandam iniuriam: hi sunt uenationis huius præda certissima: ut lupis oues, & uulpibus gallinæ. Cibus diuitum,inquit Salomon,substantia pauperum:id quidem semper. sed nunc tamen ea est negociandi excogitata ratio, & rei faciendæ:ut diuites in immensum augeant suas opes, & omnia ad perpaucos quosdam contrahantur. Nam quisque quam per facultates potest,latissime tendit retia:pauperes uerò breui tempore nihil omnino habeant. Et qui semel cœperit labi,eum nullæ humanæ opes possint sistere. Nulla ęrugo,nulla gangręna,quod inuaserit,ita exedit:ut horum temporum negociatio, quem semel cœperit arrodere. Ergo tenues homines diuitibus sunt iam,non pro hominibus:sed pro asinis,aut bubus:atq; utinam pro his,nam asino & boui ad meridiem & serum quiescenti ab opere datur pabulum: pauperi post assiduam & grauem operam: & cibus adimitur,& cogitur cum uxore,ac familia fame conficiac interire. Quis hoc unquam audiuit, operam, simul & famem indici? Christiani,ubi est Christus uester? ubi charitas legis? ubi mansuetudo gratiæ? ubi exemplum Dei nostri:ut sic diligamus inuicem,quemadmodum ille dilexit nos? qui quantum potuit,pro nobis dedit, nempe semetipsum totum: ut nullam particulam reseruaret,quæ non in tolerandos cruciatus perferretur nostra causa. Transeo leges ciuiles,mores,atq; instituta maiorum,ius ciuitatis, præcepta philosophiæ, hæc non audistis,quamobrẽ patior. (Nam ignorare literas,imò nihil scire, alij nobilitatis esse ducunt,alij opulentiæ)Certe baptisati estis. Christiani nominamini: Euangeliũ profitemini: hæc dissimulare non potestis: baptismi igitur uos admoneo: Christum in memoriam reduco,ad Euangelium aduoco,omnia hæc sunt referta charitatis: proximus est cuiq; alter ipse. Cur ergo quisq; seipsum arrodit, exedit, consumit? Sed uos clamante auaricia,tinniente numo,nihil auditis:fulgente auro,nihil cernitis. Periit in uobis humanitas,respectus omnis charitatis,uerecundia Christi,metus potentiæ numinis:omnia sunt unica uoragine auariciæ,& uelut charybde quadam absorpta. Pater filio,filius patri,uir uxori,uxor uiro propter pecuniam renunciat: nullum charitatis pignus,nullum adeò sacrum beneuolentiæ nomen,quod non separet, dirimat,diuellat sordidissima hæc terræ ærugo,unde pecunia cuditur. Qui habet subditos,exugit,deglubit eos:& quum potest,etiam deglutit:possessor agri exprimit & uexat suum colonum:colonus exhaurit oppidanum. Negociator, tanquam hirudo,quemcunq; arripit:non mittit cutem,nisi plenam cruoris,ut poeta dicit. Idem ut se expleat:non solum ipse edit,& uorat: sed alios quoq; à cõmunibus herbis & pascuis expellit,ut iuuenis & robustus equus uetulum ac strigosum. Iam non solũ mercimonium parit numum,sed numus numum:quod esse contra naturam res ipsa clamat,& gentilium philosophi intellexerunt. Nuper nomina quærebantur, quæ prætenderentur tantę impudentiæ,tanquam Deus tam hebeti esset uisu,ut sic tecta non cerneret:paulatim inualescente auri fame,excussus ac proiectus est omnis pudor,& nomina detracta. Falces,sunt falces nominatæ: ficus ficus. Pater filio non iam numulum unum sine spe fœnoris mutuaret, & quantum sit sorti accessurum, disertis uultuerbis in literis poni:ex ijs,qui ea sunt ausi facere. non defuere qui optarint licere:ex ijs qui optarunt,inuenti sunt, qui auderent pronunciare licere. Sic uidelicet pleræque,imò omnes prauæ,ac nefariæ opiniones ex desyderijs ortum habent. Quomodo potest inter Christia nos licere,quod est contra charitatem, contra Euangelium? Quomodo potest inter homines licere, quod est contra ciuilem societatem, contra naturam? Sed nõ est opus longa confutatione:quoniã ea res non tã ignorãtia claudi tur,quàm prauo affectu. Vobis quidẽ oculos cupiditas obstruit,imò etiã eruit. Cæci estis: sed Dominus uestras uidet insanias, uestras fraudes. Vos surdi: sed Dñs audit gemitus pauperum,& querimonias de uobis. Dominus ultor est uiduarum, dominus

nus tutor orphanorum,protector pauperum. Ille uos castigauit, ille terruit,sed adhuc ut filios pater.Sudorem immisit:quomodo potuit clarius ostendere,quid puniret? Sudant distenti crapula, sudant distenti sudore. An non uultis eos resudare, qui sudorem comederant, & biberant: non suum, sed alienum, sed pauperum iniuriæ obnoxiorum? Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.At uos labores manuum alienarum,quia manducastis, miseri estis, & male uobis erit.Dominus humano generi operam iniunxit pro cibo:In sudore uultus tui uesceris pane tuo.Vos uerò in sudore alieni uultus uescimini pane uestro: tametsi nec uestro, sed alieno, nempe rapto, & cuius uos iniqui estis possessores. Sed uos quicquid semel domui uidistis uestræ, uestrum dicitis:& iniuriã non ferendam interpretamini,non modò si quis repetat,sed si quis uel audeat suum nominare.Cogitis diuitias,quæ satis sint non uni homini,non uni ætati,sed uiginti:nec spes uestra usquam sistit:in longissimum,in infinitum eam mittitis.Quot putat se unusquisq; uestrûm esse:aut quamdiu uicturum? credit ne diuitias à morte uindicaturas, aut profuturas post mortem? Occupati conquirendis,quæ uel in corpus inijciant, uel in arcam:nunquam de uilitate sui corporis,de incerta æui celeritate recordantur. Declarat Deus hoc morbo,& eum qui sese ingurgitat:prẽsentaneum uenenũ in corpus immittere:& qui trans maria & montes accerlit,quòd per gulam transmittat:eum operosum laborem ac irritum uermibus & putredini suscipere,nõ sibi ipsi.Et cui,quum unicus sit alendus uenter,unum uelandum corpus,mille patrimonia non sufficiunt, debitores habet, quorum tantum nouit nomina, pecuniam suam per terras omnes uexat,& maria,precia numorũ,& mercium totos dies speculatur,& cõputat,semper in manibus aduersarium habet uel calendarium: tantum in syntheſi uestium, in abaco argenti,redituum,prouentuum ex inquilinis,ex colonis,euerriculum substantiæ pauperum:huic ostendit breuissimẽ eum uiẽ longum & molestum uiaticum parare: de quo est illud in Psalmis elogium: Et relinquent alienis diuitias suas,& sepulchra eorum domus illorum in æternum. Et in Parabolis Solomonis: Non proderunt diuitiæ in die ultionis:imò uerò lacessent,ac irritabunt ultorem pauperum, quum illorum iniuste ac uiolente rapta spolia penes diuites aspexerit.Et ne quis me hæc,propter augendam rei atrocitatem, de his duobus potissimum uitijs dixisse suspicetur: ostẽdamus in sanctis quoq; literis hæc mala esse,cum suis originibus, ad euitandum indicata.Apocalypsis Ioannis,id est, uenturorum temporum præmonitio sic refert: Et quartus angelus effudit phialam suam in solem,& datum est illi æstu affligere homines,& igni.Et æstuauerunt homines æstu magno: causam subdit: Blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. Quæ autem blasphemia uerior, aut maior, quàm auaritia? quæ iuxta Dei doctrinam Idololatria est,id est,seruitus idolorum. Et quum multa essent per Iudæam facinorosorum, ac flagitiosorum hominum genera: nulli tamen cœlestem Christi doctrinam, nisi pharisæi, deriserunt: causam Euangelista non tacuit: quod essent, inquit, auari. Neque agit scelus hoc pœnitentiam, contrà uerò quotidie inualescit, quotidie fortius fit, ac durius. Ad omnia alia ætate sapimus rectius, inquit ille in fabula, illud malum senectus adfert hominibus:attentiores ad rem sumus, quàm sat est: cadente corpore excitatur ac inardescit habendi sitis: & quo minus restat uiæ, hoc sollicitius uiaticum paratur. Iob paulò quàm Ioannes apertius atq; explicatius: Iuxta multitudinem adinuentionũ suarum sic & sustinebit:quoniam confringens nudauit pauperis domum,rapuit, & non ædificauit eam,nec satiatus est uenter eius.Et quum habuerit,quæ concupierat, possidere non poterit. Non remanfit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.quum satiatus fuerit,arctabitur,æstuabit,& omnis dolor irruet super eum.Quę pictura tam ad uiuum nostra hæc tempora potuisset exprimere? Quid Paulus scribens ad Corinthios? nónne declarat solere duo illa flagitia coniungi, & coniuncta morbis & morte à Deo configi,ac uindicari?Narrat enim,non pudere quosdam, & crapula se in ecclesia Dei opplere, ac obruere: quòd est intemperantiæ: & esurienti

fratri,

fratri de reliquijs nihil mittere,quod est inhumanæ auaritiæ. Quod ille tum à paucis fieri indignabundus fremit, hoc in plerisq; omnibus hodie deprehenderet: ut inebriare se in ecclesia,in cœtu fratrum, in locis sacris inuerecunde audeant: & esurientem fratrem non modo cum despectu prætereant cibo & non potu distenti, uerum etiam irrideant,ac illudant. Quid porrò addit? Ideo inter uos multi infirmi, atq; imbecilles,& dormiunt multi. Sunt & alia uitia,que ex his,tanquam ex duobus capitibus nascuntur. Nam ut omnes uirtutes connexione quadam iunguntur, quemadmodum est à sapientibus proditum:ita uitia,tanquam annuli in torque, mutuo se deuinciunt. Quis satis deploret hominum inuidiam,& superbiam diabolicis pene iam pares? quis rabiem irarum,& impotentes in Deum blasphemias? quis fraudes,imposturas? de queis omnibus in præsentia non uacat sigillatim dicere. propter quæ tot mala orbis quotidie patitur,dum Deus alios præsenti pœna punit, alios periculo castigat,alios aliorum exemplis admonet ad frugem redire. Nemo hic cœlum, nemo aerem alleget,neu in uires naturæ,morbi huius originem referat: quod non aliud esset,quàm si quis eum,qui sit ab homine iugulatus gladio,à ferro occisum diceret, nõ ab homine:tam sunt omnia & cœlum,& elementa, & natura, uniuersa instrumenta Dei,quàm nobis gladius: & ea,quibus opera exercemus,ad autorem refero, quæ aguntur,non sisto in instrumentis. An non esset in eodem salutis ac uitæ libro? An nõ fomenta his morbis, & tantis malis sunt monstrata remedia etiam? Audite. In libro Paralip.ij.orat Rex ille sapiẽs,seu potius uotorum formulas præscribit: Fames si orta fuerit in terra,& pestilentia,& ærugo,& aurugo, & locusta, & bruchus, & hostes uastatis regionibus,portas obsederint ciuitatis,omnisq; plaga & infirmitas præcesserit: si quis de populo Israel fuerit deprecatus,cognoscens plagam & infirmitatem suam,& expanderit manus in domo hac,tu exaudies de cœlo,de sublimi scilicet habitaculo tuo. Relinquamus ergo fratres iter nostræ infelicitatis,ac sempiternæ miseriæ rectissimum ac breuissimum. Transeamus ad iter beatitudinis æternæ,hoc est unum medicamentum. Dominus uocat nos,eamus. Quò propius accesserimus, hoc erimus ab eo uerberante tutiores. Similitudine id uobis explicabo. Quemadmodum si quis feriatur prælongo baculo,quo se magis ferienti coniunxerit, minus lædetur: ita quum à Domino cædimur, cuius uirga longissima est, & manus eius per mundum totum,& extra mundum, quãto nos magis in eius sinum receperimus,eo uerberabimur leuius,& minus graues erũt plagæ. Accedamus igitur, imò cursu nos proripiamus illuc ad eũ, in eius sinũ:nõ solũ nos, q̃ hic relicti & seruati sumus in hac Belgica:sed eæ regiones etiã, ad quas uerberis huius plaga nõ peruenit,quas Dominus noster Iesus placatior iam suo generi humano liberas hac tanta consternatione, & immunes uelit persistere. omnes & nos,& illi alienis exẽplis moneamur:&,quod est discendi genus felicissimum,alienis periculis simus cauti. Nos hic meminerimus continenter tam repentinas nostrorum propinquorum,necessariorum,parentum,liberorum mortes. ut quibus cum paulò eramus antea collocuti,& iucundissime conuersati,paucis pòst horis contumulauerimus. Illi absumpti sunt in exemplum nostrum,quibus optime precemur. Nostra hæc regio exemplo sit alijs:nisi uelint ad se quoq; increpationem domini transire,tanquam segniter ociosos,& ad proximas uoces surdos,atq; ad uicinum periculum securos. Nam hic morbus Angliam primum iampridẽ inuaserat. Nos tam propinqui Anglis, qui exiguo ab eis freto dirimimur, illorum non mouebamur discrimine, ut inde ad meliorem mentem reuocaremur. Sed eramus quemadmodum annosus ille asinus,& durus apud poetam: qui in pastum ingressus,quantumlibet à pueris fustibus,calcibus cædatur, pungatur aculeis, non discedit tamen:ut qui occalluit ad uerbera,& præ dulcedine edendi, plagas uel non sentit,uel negligit. ita nos in res inanes uitæ huius, & breui casuras intentos & abiectos,tam uicina documenta nihil mouebant. Repetijt Angliam idem morbus superiore anno,nos cæci & surdi,imò cautes meræ nihil sensimus. Clamabat Dominus:adsum pro foribus,& quidem iratus,armatus, ulciscens. Mille mundanarum rerum curæ obturabant nobis aures,ne quid exaudiremus. Ergo transijt ad nos,& teti

git quod ſentiremus:amicos,neceſsitudines,corpus unicè charum. Sentiant aliæ na tiones,priuſquàm tangantur.Sentiamus nos,& meminerimus uulneris.Optimè fue rit nobiſcum actum,ſi uirgæ huius ictus tales reddiderit, ut eam deinceps & metua mus,ut amaram:& ferientis indulgentiam pia recordatione uſurpemus: ne ſit cur in nobis Dominus eandem habeat in poſterum repetendam plagam.Caſtigatione do mini nihil eſt utilius:ſignum eſt fauſtum, & bene auſpicatum. declarat enim Domi nus ſe adhuc paterno eſſe in nos affectu:nos ſibi eſſe curæ ut filios. Sic teſtatum eſt diuinis oraculis.In reuelationibus Ioannis ſcribitur:Ego quos amo, arguo, & caſti go.Et in epiſtola ad Hebræos:Quem diligit Dominus,caſtigat:flagellat autem om nem filium,quem recipit.Gratulabatur Thobias Deo, quòd eſſet ab illo caſtigatus: & Pſalmiſta memor deliquiſſe ſe,antequàm humiliaretur ait:Bonũ mihi quia humi liaſti me,ut diſcam mandata tua.Demus tamen fratres operam, & in hoc ſtrenue in cumbamus,ne crebrò ſimus caſtigandi,ne toties ad eundem impingamus lapidem. Bona eſt caſtigatio,modò proficiat:alioqui nihil intereſt, caſtigetur homo, an ſilex: & uertitur caſtigatio in uindictam & punitionem, à qua nõ eſt receptus in gratiam: Siquidem furor ſit,læſa ſæpius patientia.Caueamus,ne quos non excitarunt clamo res hi domi,non ſtimuli,non punctiunculæ, & uellicationes: excitent pugiones, & cauteria. Vehementer metuo, ut callum obduximus conſuetudini delictorum, ne breui tempore grauiorem ſentiamus manum Domini:aut etiam (quod eſt omnium triſtiſsimum atq; amariſsimum, & quicquid eſt omnis in eo, procul auertat Chri ſtus)ne penitus reſciat nos, & repellat ab ſe,tollens in totum caſtigationem à nobis ſuam, tanquam inſanabilibus, & quos indignos ducat, qui à ſe corripiantur ut filij: donec in die iræ puniantur ut ſerui,atq; adeò inimici: & exhæredemur atq; abdice mur: quemadmodum filij, quos nulla arte ad ſanitatem poteſt pater retrahere: aut equus, cui ſe impotenti curſu abripienti ſæpius illum remorari ſeſſor nequicquam conatus,indignatus tandem habenas laxat,& premit calcaria. Dicite fratres,quid fu turum cenſetis,ſi tot monita, minæ, correptiones,caſtigationes,uerbera alia ſuper a lia tandiu nihil proficiant?An non timetis,ne alterum duorum nobis accidat: aut ne ullam in poſterum caſtigationem Domini ſimus ſenſuri, tanquam ab eo repudiati, ſed admiſſo equo,& ſolutis habenis decurramus in mortem ſempiternam:aut ut ali quàm ſentiamus plagam,qua uniuerſum hominũ nomẽ deleatur, ut uita indignum. Graue eſt de re tanta ſtatuere. Sed mihi non uidentur leuiora nunc noſtra crimina, quàm quum dixit Deus: Pœnitet me feciſſe hominẽ,delebo eum de facie terræ. O uocem acerbiſsimam, & terribilem.quis nõ animo cõſternetur, quum eam recolit? Nos fratres in hoc communi metu,ne ſpem noſtram,aut fiduciã,in ulla humana ope collocemus. Vana eſt enim ſalus hominis,non in cœlis,non in elementis,non in her bis,& omnibus pharmacopolarum lenimentis,fomentis, & quicquid illi in narthe cia digeſtum oſtendunt:ſed in Chriſto,qui eſt diuinus, atque æternus medicus, qui eſt medicina,qui eſt ſalus, qui eſt aſylũ, & perfugiũ ab irato patre. Quid aliud docet nos ſancta Euangelij hiſtoria,quàm pacificatorem huc ueniſſe noſtri belli: & maxi mè ægroto, qui iacebat in terris,maximum medicum deſcendiſſe de cœlis? Quid il le tota uita agit aliud, quàm medicamentum, & remedium ualidiſsimum adferre morbis animorum,morbis corporum ueteribus iam & deploratis, & à quibus ho mines medici manum ſuſtulerant:ne opera & impenſa cum artis opprobrio peri ret? Nec ſolum morbis habemus eum ſalutarem,ſed caſibus,& calamitatibus noſtris omnibus ducem,exemplar,ſolatium:ut per omnia ſic nos geramus mali, quemad modum ille optimus: nos ſerui, ut ille filius, & quidem primus, & unicus, ac pro inde multo chariſsimus.Chriſtus,inquit Petrus, paſſus eſt pro nobis, ut ſequamur ueſtigia eius.Habent eum pauperem pauperes,afflicti afflictum, exules exulem.Ca ret quis domo:& ille caruit,etiam conductitia:quum tamen ueniſſet in propria:nem pe & Deus in mundum, & homo de familia Dauid in Iſrael: exercitus per famem per ſitim, & per labores omnes.Acceſſerunt his ignominia & dedecus: ut etiam con-

consanguinei tentarint ei manus iniicere, & ad tutelam, & curam suam reducere: etiam uincire, ac cõstringere, tanquam furiosum, & qui exisset de potestate, de mente, de ratione, de consilio: potestas, & mens, & ratio, & consilium patris Dei æterni ac præpotentis. Tot iniurijs, tot conuicijs impetitus, tam atrocissimis: quod blasphemus esset in Deum, uiolator legis, socius dæmoniorum, & consors: quem ipsis dæmonibus uidebãt bellum indixisse. Patitur quis calumniam: graue id quidem, (nam quid intolerabilius, quàm immerentem accusari, & culpari inculpatum?) sed & hi habent accusatam bonitatem Dei, & reum illum, quem pater constituit iudicem uiuorum & mortuorum. Nec tamen humana malicia intra calumniam quieuit, uinxit eum, nudauit, irrisit, flagris cæcidit, posthabuit seditioso latroni, affixit cruci, sepulturæ est traditus alienæ. Quid quærimus aliud solatium nostris casibus? quid aliud remedium? ex hoc fonte tam nitido, copioso haurite, quotquot uel bibere uultis uel abluí, & purgari. Quàm egregie Paulus: Habentes pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei: teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Si merentes aduersi quid patimur, (quis enim non est extrema meritus?) accurramus ad eum: ut qui innocens pro nobis est passus, nocentibus opem & auxilium ferat. Sin uerò insontes, accurramus nihilominus ad eum: ut nos similitudine exempli consolemur, & similitudinem precemur euentus, ut quemadmodum illum ad regnum mundi euexerunt immerita supplicia: sed quę ille fortiter tulit obsequens patri: ita & nos faciat magno animo perferre propter se. & qui participes sumus laborum, non per nostra, sed per eius merita, simus etiam mercedis. Audiuistis fratres aquas, quæ erant amarissimæ in Marath, iniecto ligno factas esse dulcissimas: sic nihil non sit nobis in hac uita suauissimum, si lignum illud crucis & supplicij Christi addatur ceu condimentum. Idem si auferatur, amarissimæ sunt aquæ, nec possunt gustari. Hæc quidem ubiq;, hæc semper: sed in præsenti tempore, & in hac regione, sudantes tanto cum periculo accurramus ad eum sudantem: propter tantum periculum, uicinum morti dirissimæ atq; amarissimæ. Etiámne huic morbo, Christe, tam raro, tam nouo, insolito, inuiso, inaudito, tam multis annis post te futuro prospexisti: ut haberent homines ad quam medicinæ partem, per exempli similitudinem confugerent? Videlicet non unus tibi dies, aut alter, quemadmodum miseris & momentaneis hominibus: sed æternitas tota curæ est. Totam uides præsentẽ, & oculis tuis subiectam totam complecteris, toti cõsulis infinita tua & immensa prouidẽtia. Sed iam fratres à malis nostris ad bona ascendamus, & sacra Euangelij uerba audituri, altius animos erigite, ac in maiorem componite pietatem. Nam melius hæc assequitur pia contemplatio, quàm scrutatio curiosa, & superba. Narratio Lucæ sic habet: Egressus cœnationem Dominus, secedit in locum à frequentia remotum, ad orandum, in montem oliuis consitum, quemadmodum consueuerat. Consuetudo ostenditur orationis: siue ea significetur in monte, tanquam in solitudine: siue post epulas, ut refectionem corporis, animæ subsequatur refectio. Et quo magis in se oraturus se colligeret, totumq; traderet, ac dedicaret Deo, exemplum ostendens nobis, seiũxit se à discipulis, quantum iactus est lapidis, ut non uideatur in totum eos relinquere, sed aliquantulum separari, & iubet ut in nocte, & soli, ac deserti, & tentatione impendente, orent: ut per orationem propinquiores Deo effecti, discedant à diabolo, & eius retia euitent. Tum & hoc orent, quod in calce dominicæ orationis ponitur, ne intrent in tentationem, incerti an euadent. Et ipse positis genibus orabat. Mens quidem parata erat ingenti alacritate subire mortem tantæ utilitatis: caro autem, quæ se unam aspiceret, recusabat supplicium tantæ immanitatis. Spiritus erat promptus, caro infirma: & tamen in pauore illo ad paternam uoluntatem omnia remittebat, nihil reseruabat suæ. Scibat quamuis perturbata, & confusa, se non posse errare: si iustissimam esset

ſecuta uoluntatem,qualis eſt Dei.Ideo ait:non mea uoluntas fiat,ſed tua. Et ne meticuloſa caro deſertam ſe interpretaretur:adfuit Angelus de cœlo, qui eam conſolaretur,qui confirmaret cœleſti præſidio demonſtrato. Illa tamen (quæ eſt hominum infirmitas)ab omni alia cogitatione in diſcrimen iam proximum, iam premens conuerſa,maximopere deiecta & conſternata eſt:ac ſolutis præ terrore cõpagibus,commaduit Chriſtus,& ſudoris unda ex eius corpore profluxit , qui & craſsitie ſua ſanguis uideri magis poſſet,quàm ſudor:& colore ſanguineo erat tinctus.Nam apertis meatibus tam teneri corporis , credibile eſt etiam ſanguinem eſſe exudatum . Subiecit manum diuinitas cadenti homini , & iam collapſo:ita reſumptis uiribus redijt ad diſcipulos,qui & inuitante tempore,nempe intempeſta nocte, & premente mœrore,ſomno erant impares. Dominus inſtante tentatione , docet nõ eſſe dormiendum: orandum potius,& ante illam ne intremus:& quum inuaſerit,ne ſuccumbamus.Au diuiſtis fratres euangelica uerba?Nunquid non etiam annotaſtis ſacramenta? Innumera ſunt in ſingulis,non ſolum ſententijs & uerbis , ſed ſyllabis quoq; , & apiculis. Egreſſus(inquit)Ieſus. Vnde ille egreſſus,niſi à patre? de quo dicitur:Exultauit ut gigas ad currendam uiam:à ſummo cœlo egreſsio eius . Et in uaticinijs Micheæ: Et egreſſus eius ab initio,à diebus æternitatis.Sed ipſe idem,unde egrediatur, & quò regrediatur,nos docet:Exiui,inquit, à patre,& ueni in mundum: & iterum,Relinquo mũdum,& uado ad patrem.Quid eſt aliud mũdus,quàm homo ? quid aliud homo, quàm mũdus ? de quo ſcriptũ eſt:Vniuerſa uanitas,omnis homo uiuẽs.Et enim alia ſuis curſibus uadunt,nos à uia deflexímus. In nobis duo ſunt: peccatum nobis intimum,& uiſceribus noſtris hærens,atq; affixum. tum propter peccatum,natura uitiata:ut aer ab ægro corruptus.quæ ſic affecta , multa importat & animo incommoda, & corpori:moleſtiam,metum,ægritudinem,ſitim,eſuriem,algorem,æſtum,laſsitudinem.Egreditur Chriſtus,fratres,à Deo ad nos , iterum à nobis ad Deum rediturus: prodeundum eſt illi obuiam,ut & nos in illius occurſum à nobis exeamus.Ille ponit maieſtatem,& felicitatem ſuam:& per incredibiles ſuas uirtutes , uſq; ad incommoda noſtræ infirmitatis progreditur . Ne expectemus , ut interius ueniat ad malitiam noſtram,exuamur & nos malicia noſtra:ut per infirmitates noſtras,ad uirtutes illius ueniamus:ad charitatem, obedientiam, manſuetudinem. ut ille per calamitates noſtras ad uirtutes ſuas , & inde ad patrem , unde uenerat,reuertens,nos quoq; ſecum eadem uia reducat.Orat Dominus à cibo, ut ne ſaturo & refecto corpore , animam eſurientem relinquat,ſed utriq; præbeatur ſuum pabulum,quo ſuſtentatur. Verùm non ita orat poſt cibum ſumptum,ut nos:qui in frequentia conuiuij, feruente adhuc ſermone,riſu,impudentia , atq; etiam non raro impudicitia , excitamus puerum aliquem,qui male intellectas preculas peius pronunciet. nos interea aliud agimus , & uerba illa non audimus,ſed ferimus,defungendi tantum gratia: quod id ad officium exiſtimetur pertinere.Quid aliud poſſumus facere,demerſi epulis & potione,ignari noſtri,commotis ac effuſis uniuerſis animi perturbationibus? Sobrium & caſtum Chriſti conuiuium facile dimittit,imò hortatur hominem ad precandum. Itaq; Dominus uere ac ſerio ſe orare uelle declarat:nam in montem aſcendit, & à ſuis ſe abducit. Quid eſt eum,qui oraturus ſit,montem conſcendere? Nõ debere circa res humiles orationem uerſari:non hæc terrena tantum & caduca, & ſtatim peritura poſcere. Aſcendendum eſt in montem oraturis. Quærendum eſt primùm regnum Dei, & iuſtitia eius tum illa alia adijcientur nobis.Oranda eſt pax Dei,roganda gratia, poſtulanda charitas,magna ſunt illa,& celſiſsima petẽda . Et tum demum uere orat mens, quum aſcendit : quum non orat , cura infimarum rerum grauata & depreſſa . At in quem montem aſcendemus oraturi? non in illam ſterilitatem Gelboæ : in quem nec ros propter execrationem cadit,neq; pluuia:ſed in montem oliuis plenum,quod eſt argumentum ſoli præpinguis & feracis . Oratio noſtra fratres ſit fertilis , adferat fructum in nobis:ne ita per animos noſtros trãſeat, ut aqua per marmor,aut ferrum delapſa,quæ perparum humectat.Ne ueniamus ad poſteriorem orationem , tanquam

nihil

nihil sit priore actum, relinquat in nobis unaquæq; oratio impressum uestigiū. Attente recitetur: consyderemus, quid dicamus: admiremur magnitudinem Dei, uereamur potentiam, amemus bonitatem: & prior oratio tradat sequenti mollitū ac subactū animū, paratiorē pietati. Sequūtur discipuli. Quid sequuntur, nisi, quòd est nobis omnibus sequendū, exemplū? Quomodo enim perueniēt quò intēdunt, & quò Christus anteceſsit, nisi Christū sequātur, qui est solus dux uię, & uia ipsa? Quod uerò relinquit eos oraturus: quid mōstrat, nisi quod dicitur, Sedebit solus, & extollet se supra se? Nō parum ad bonā mentem conducit, hominem interdū esse solum: in seipsum se recipere, secum loqui, & in se respicere quid sit: quò iturus, cuiusmodi sint quæ cupiat, quæ sequatur: orare tum Dominum, ut applicet nostris tenebris suum lumen, nostræ debilitati tam oppugnatæ suum auxilium. Simul doctrinam tradidit, quomodo sint amici, quomodo propinqui, & affines possidendi: quomodo opes, parentes, & alia præsentis necessitatis. ea enim omnia ad usus uitæ huius habes: illis utere, quum est opus. At quum oras, quum ad Deum accedis, quum de Deo agitur, quum diuinū nobis negotium, relinquito humana negotia: sed quantum est iactus lapidis: id est, tādiu, & tam procul, dum Dei opus, in quo tum uersaris, nō impediāt. Positis orat genibus: ut doceat quanta debeatur Deo reuerentia, quàm modesto, & demisso sit à nobis animo adeundus, quum omni alio tempore, tum uerò quum oramus, quum ab eo aliquid petimus, ac precamur. Iam orationis quanta doctrina nostra? ingens, utilissima, multum ad totam uitam profutura: quid sit, & quemadmodum orandum, quo quid potest cogitari fructuosius? ut sciamus, quid ab illo petendum sit, qui habet omnia, qui potest omnia. ne pro utilibus & salutiferis, noxia & pestifera postulemus. Nos enim, quemadmodum orandum sit, nescimus: ut Paulus testatur. execrationes sunt sæpenumero, quæ nos remur esse uota, ea optamus, & Deū poscimus: quæ si impetremus, nihil sit futurum nobis calamitosius. Solus Deus nouit, quid simus petituri. Pater, inquit, fiat uoluntas tua. Quod aliquando discipulis præcipiens dixerat, nunc confirmat actione sua, & tradit in exemplum. Nos qui nescimus quid nobis ipsis expediat, quid nominatim rogabimus? Tu qui scis, dato quę nobis conducunt. Neq; uerò nesciebat Christus quid sibi expediret: qui est patris sapientia. aut si uoluntas patris fieret, non fiebat & filij, qui est unum cum patre. Sed homo tum orabat: & pro hominibus, institutionem nobis dabat, & exemplum: ut imperfectio nostra imitatione operum perfectionis illius corrigatur. Fiat, inquit, uoluntas tua, non mea. Voluntas nostra, quæ cæcum habet ducem, nempe mentem nocte & tenebris obrutam. cęca est. Tum delicto macerata & corrupta, mala est. Quid ergo conducibile potest uidere cæca? quid boni optare mala? Dei uoluntas & sapientissima est, & optima. Videt quæ sunt utilissima: uult quæ sunt bona. Si nostra uoluntas fiat, tam expediet nobis, quàm cæcum in præcipitio deseri solum. Si fiat in nobis uoluntas Dei, tam erit utile, quàm ad uiam difficilem ducem esse nactos nos, & uiæ gnarum, & bonum, & nobis amicissimum. Quod additur, Angelus de cœlo uenit confortans eum: consolatio est, & subsidium quod cœlitus mittitur ijs, qui uoluntatem suam diuinæ uoluntati subijciunt, & euentus rerum patienter Deo permittūt: nec anteuertere ac præcurrere Deo uolunt, ut, quod illius est modò, præripiant. Dominus autem in atrocitatem ilicò secuturi supplicij intentus, sudauit tāquam sanguinis guttas in terrā decidentes. Quousq; prouexit te amor nostri, Christe: ut eam mortem subires, cuius uel sola reputatio sanguineum tibi sudorem exprimebat? Sed neque ex metu modò supplicij erat is sudor. horror eum toto inuasit corpore ex eo, unde plus angebatur, quàm ex cruciatibus & morte. Horret Dominus tantum esse peccatum filiorum Adæ: ut tanto innocentis sit supplicio expiandum. Quid futurum, si illis ipsis qui peccarant, per seipsos fuisset satisfaciendum? Dolet in futurum, & mœret tantos suos dolores, illud supplicium immanissimum pro toto humano genere perlatum, non toti humano generi profuturum. etenim unius animulæ iactura magis mouebatur, quàm omnibus clauis, & coronis spineis, & crucibus, quippe qui

etiam propter unam animam descendisset. Ne nobis fratres tam uilis sit una quæuis anima, quam Christus Deus noster tanti æstimat. Iam Christi corpus quid est aliud, quàm ecclesia? Sudor uerò ex labore nascitur. Itaque sudore illo, ærumnæ sunt ecclesiæ totius præmonstratæ. de quo Paulus dixit: Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Augustini est hæc interpretatio his uerbis: Orans etiam cum sanguineo sudore Dominus, significabat de corpore suo toto, quod est ecclesia, manatura martyria. Ergo quam pœnam Deus Adæ pro delicto indixerat, Dominus noster propter delictum pertulit: ut in sudore uultus sui uesceretur pane suo. omnibus est uescendum in sudore uultus nostri pane nostro: & Adam, & nobis, & Christo. Panis est quo nutritur corpus, & panis quo reficitur animus. Corpus sustentatur pane, labore brachiorum quæsito, ac penè extorto: fodiendo, arando, seminando, occando, metendo, terendo, molendo, pinsendo, coquendo. Panis nostrorum animorum, est Christus: de quo ipse ait: Ego sum panis uerus, qui de cœlo descendi. Et est granum illud frumenti: quod cadens in terram, quia mortuum fuit, fructum attulit uberrimum. Panis Christi, est obedientia paterni præcepti, & impletio tanti operis suscepti: de quo inquit: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius, qui misit me: & perficiam opus eius. Christū panem edunt mentes nostræ, in sudore uultus sui: id est, per consortium laborum Christi: quum nos aliquantum sudamus: quandoquidem ille plurimum, & grauissimè sudauit. Iam & uultus noster, quis est alius, quàm qui est & caput Christus? quàm ille, qui est etiam uultus Dei? de quo referti sunt libri sanctarum literarum. In illius sudore nos illum ipsum comedimus panem Angelorum de cœlo ad nos missum: quum ex eius medicina remedium quærimus nostris malis: tum exempli cõsolatione, tum innouatione gratiæ per pacificationem illius. Per eundem sudorem Christus paret patri: & comedit eum panem, quem ei pater manducandum apposuit: & bibit calicem, quem ei dedit bibendum. omnes ergo diuino obtemperamus edicto: & in sudore uultus nostri uescimur pane nostro: præter istos, qui in sudore uultus alieni, uolunt uesci pane suo. Fratres, non possumus, quod est in prouerbio, alienis dentibus uuam acerbam mandere: non alienis sudoribus sustentari, nisi uelimus nobis esse statim pòst tanto tristius & periculosius sudandum. Præmium alieni laboris ne cõuertamus in rem nostram. quoniam cessante omni humano uindice, Dominus iudex & uindex est. Ad panem hunc quærendũ, quo breuissima uita hæc producitur, laboret unusquisq; suis manibus, ut pater noster Adam. Audiamus (quæso) non unum quemlibet de uulgo, sed Apostolum doctorem gentium in fide & ueritate, attendite singula uerba, quæ ab illo scribuntur ad Ecclesiam Thessalonicensium. Nam & quum essemus apud uos, hoc denunciabamus uobis: quoniam si quis non uult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter uos quosdam ambulantes in quiete: nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu, ut cum silentio operantes, suum panem mãducent, Hæc apostolus. Neq; enim satis est operari, si opere tuo alienum panem iniquè ad te pertrahis. Tuus est tibi panis meritò per laborẽ quæsitus, cum silentio comedendus. Panis uerò cœlestis, quo uno mens reficitur, ac uiuit: sudore nobis est parãdus, & uultus nostri. Si uolumus uti sudore uultus nostri Christi, ille supplebit, quod nobis deest. Sin nolumus, sudandum erit nobis, & frustra: & longe alio sudore, quàm Christus sudauit. Illius sudor est saluberrimus ac fragrantissimus. noster odoris tartarei pestilentissimus. illius sudor omnes sanat, & seruat. noster contaminat & occidit. Si ad illius sudorem pio accedamus animo, ut membra efficiamur, quo ex salute capitis aliquid in nos descendat: is sudor iam est illi exsiccatus, regnumq; ac nomen peperit, quod est super omne nomen. Etenim quæ de Christo sunt, finem habent. semel mortuus per infirmitatem pro peccato, per potentiam uitę redditus, amplius nõ gustabit mortẽ. Christus resurgẽs à mortuis, iã nõ moritur: mors illi ultrà nõ dominabit. Quod eñ mortu⁹ est peccato, mortuus est semel: q; aũt uiuit, uiuit deo. Sed nobis idẽ sudor adhuc madet, adhuc recẽs & uigẽs: nõ quemadmodũ herbę istę nostrę paulatim exhalãt uim suã, & ꝓcedẽte tẽpore penit⁹ amittũt,

ille

ille in totã æternitatem ad publicas utilitates idem eſt, ac ſui ſimilis: uiuidus, efficax, præſentiſsimus. Quod uerò rediens ad diſcipulos, dormientes inuenit: quid eſt, niſi naturam corporis noſtri pronam ſemper, in terram uergere ad cupiditatem eorum, quæ ex terra orta ad exiguũ nobis tempus florent, atq; adblandiuntur, ſtatimq; pòſt ad originem ſuam recidunt: id eſt, ad nihil? Dominus adductus habenis equi huius adeò ſegnis cohibet eum: ne capite contingat terram, ne cadat. Quòd ſi pauluſũ modò abſit Dominus tanquam ſeſſor, ſi uel tantulum remittat lora: nutatio ilicò, & ſomnus, & ruina. A quibus enim parumper ipſe diſceſſerat, reuerſus dormientes deprehendit. Orandus eſt Dominus (quod illi fecerunt diſcipuli, qui ibant Emauntem) ut maneat nobiſcũ, quoniam adueſperaſcit. Semper enim, quãdiu hanc uitam agimus, ueſper eſt nobis nocti uicinus, ſemper imminet, ſemper incumbit nox. mane nobiſcum Chriſte lux meridiana: quando nox appetit, & minatur ſomnum: nam ſi ulterius tranſeas, magno diſcrimini indormiemus. Dominus reuertens, iubet eos ſurgere. Quoad capite nutamus, & ceruicem demittimus in terram, aſpectu & cupidine harũ rerum: quas propter ſui humilitatẽ, proni magis intuemur, quàm recti: aſcendit ſuper nos ſpiritus poteſtatem habens, & incumbit in totum corpus noſtrum. Quòd ſi nos Dei gratia atq; auxilium de terrenorum deſyderio, ad cœleſtia erexerit: excutietur imperium maligni ſpiritus, qui in nobis per occaſionem noſtræ ſtultitiæ dominabatur. Surgite, inquit, ſuſcipite ea, quę uos ſuſcipere ille uoluit, qui rectos creauit: & orate, ut ne intretis in tentationem. Hoc monet, qui tum noſtras, tum hoſtis noſtri uires habet cognitas, & perſpectas. Scit, quemadmodum ſcriptũ eſt in libro Iob: non eſſe poteſtatem quæ comparetur diabolo ſuper terram, qui factus eſt ut nullum timeret: omne ſublime uidere illum, & eſſe regem ſuper omnes filios ſuperbiæ. Nouit infirmitatem & fragilitatem noſtram: conſulit, ſuadet, hortatur, ut omnino refugiamus, ac reformidemus congreſſum cum hoſte tam ualido, tanta potentia armato, tot artibus inſtructo. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum: contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Hoc eſt quod quotidie precamur (ſi modò uocem ipſimet noſtram audimus, ne inducamur in tentationem. Nõ debet tanta hominum imbecillitas in tam graue periculum ultrò deſcendere, aut leuiter impulſa ſe deijcere. Fugite fratres: auerſamini manibus, pedibus, toto corpore: toto niſu recuſate, ne admittatis tentationem, ne qua ſe in ueſtra pectora inſinuet, quam ſtatim auget ſuis artibus, & efficit ualidiſſimam ſerpens aſtutiſſimus. Vitate quantum in uobis erit, aditus tentationem. Claudite oſtia ſenſuum, cogitationum. Ne ſit uobis ludus uenenum guſtare, gladij aciem in iugulo experiri. orate ne qua irrepat tentatio. Si irrepſerit: tum inſtanter & anxiè orate: petite, ne uos uincat: ſed ut eam uos uincatis auxilio Domini, & fiducia illius, qui iubet nos bene ſperare ac cõfidere. quoniam ſicut ipſe uicit diabolum & mundum: ita omnes, qui ſe in præſidium & tutelam ipſius receperint, eoſdem hoſtes uincẽt in ipſo, qui eſt unigenitus Dei filius Rex regum, benedictus in ſæcula, Amen.

BRVGIS, MENSE NOVEMB.
M. D. XXIX.

Ioannis Lodouici Viuis Præfatio.

MAGNAS & graues admodum plagas accepit humanum genus per primum illud primi hominis Adę peccatum, non in corpore solùm, quod tum factum est imbecillum, & morbis, senio, mortiq; obnoxium: sed etiam in animo, parte hominis longè diuiniore. & quod supra modum dolendum est, grauissimum uulnus accepit in ipsa uoluntate: quæ quum antea recta ferretur in amorem summi maximiq; conditoris, tum demum auerti cœpit ab illo uero perfectóque bono, & ad res uanas nihiliq; deflexit. Tum in mente, suprema hominis ueluti specula, caliginem quãdam tenebricosam, hoc est ignorantiam cæcitatemq; contraxit, ut iam inde per sese non satis perspicere ualeret quid rectum sit, & quò debeat pertingere. Ex qua rerũ ignoratione subinde nascitur in hominibus suspicio, ut etiam si à præstãtioribus admoneantur meliorum, ea tamen eiusmodi esse non credant, neque facilè pareant: ac ne tum quidem, quum Deus ipse quidpiam docet aut imperat. Nam uel non credunt homines Deum tale quiddam præscripsisse, uel obliuiscuntur, uel certè negligunt: aut sese non satis intellexisse suspicantur, qualia sint quæ de cultu sui ipsius Deus in uetere nouoq; Testamento nos docere non est dedignatus. Ad quas res quum alij planè sint increduli, alij suspicaces & dubij, nunquid erit operępretium, ut eas humanis ratiocinationibus fulciamus ac corroboremus? ut ad credendum adducantur ij quibus sola Dei dicentis authoritas non uidetur ad persuadendum satis adferre momenti. Nam sunt plerique uel inter Christianos, quorum fides ueluti pictura quædam exoleta uidelicet uetustate, ualidioris persuasionis penicillo renouãda uideatur. Admirabuntur fortasse nonnulli, quum audierint diuinas prędscriptiones rationibus fulciri, quasi diuina rebus humanis tueri cõstituerimus: & iactabunt, fidei meritum fermè tolli & abrogari, si humana ratione firmetur ac corroboretur. Sed intelligant, rationes quidem fore humanas, quibus in hoc opere sumus usuri, sed tamen ex diuino fonte sumptas atq; petitas. Tales enim sunt, ut nemini unquam quãtumuis ingenioso, quantumuis erudito ueniissent in mentem, nisi pro sua ingenti misericordia Deus ipse nos ueritatem iam tum in abstruso, & (quod aiunt) in Democriti puteo delitescentem, per Seruatorem nostrum Iesum Christum docuisset. Verùm tradita iam & patefacta ueritate, resolutisq; signaculis illis septẽ, quibus olim obsignatus erat liber ille mysteriorum, quem solus agnus ille immaculatus dignus est habitus ut aperiret, iam non admodum difficilè est rationes quoq; ad eam ueritatem explicandam adhibere: non sic tamẽ ut humanis diuina fulciamus, quid enim uideretur absurdius? sed ut pro uiribus ostendamus, quàm sint hæc inter sese conformes atq; concordes. Nihil enim est aliud humana ratio, quàm radius quidam diuinę lucis: ut regius ille Psaltes meritò dixerit Deo, Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. Non igitur dissident, neq; sibi mutuò aduersantur, si quis aptè norit excutere ac perueștigare. Nec uerò metuat quisquam, ut fidei meritum sit amissurus, si hæc nostra perlegerit. Non enim rationes adferentur eiusmodi, quæ perhibeant (ut inquit ille) experimentum sensuum. Et tamẽ inter has quædam sunt efficacissimæ: in spe tamen & charitate maius esse meritum fatendum est, quàm in sola fide. Nam uel dæmones, ut Iacobus ait, credunt & contremiscunt: sed nec sperant, nec amant. Neq; uerò timeat quispiam, quòd hîc de fidei ueritate disputetur: sic enim melius apertiusq; dignoscẽtur diabolicæ fraudes atq; præstigiæ, quibus irretire & abducere in gehennam miseros cupit. Quòd si spiritũ illum sanctum omnes haberemus, & sacram illam unctionem spiritalem, quæ nos omnia doceret, hoc ipsum satis esset, nec ullis opus esset rationibus. Quòd munus quum tam sublime sit, ut nec omnibus, nec omni tempore detur, utemur sanè huius loco exquisitis rationibus: quod nec primi, nec sine exemplo facimus. Sic enim hactenus plurimi uirorũ uitæ sanctitate nobiliũ facere cõsueuerunt, quorũ dicta, ueluti sequẽtes post terga messorũ, in manipulos collegimus, & in hunc

usum

usum coaceruauimus. Nec uerò quisquam existimet, fidem humanis hisce rationibus perfici, aut in nobis posse generari. Isagoge tantum est, siue introductio quædam, ut ab ipso summo atq; optimo Deo fidem postulemus, quę prorsus est donum Dei: ut non sine causa dixerint apostoli, Domine adauge nobis fidem. Quanquam illud nobis certum ac firmum esse debet, minimeq; dubitandum, quin det illam omni petenti, beneficentissimè simul ac liberalissimè. Fides profectò donum est altissimi. At nos his libris omnibus nihil aliud egimus, nihil conati sumus, nisi ut ueluti manu duceremus, & ostenderemus, à quo ea sit petenda, quomodo postuletur, & per quē, nempe Christum Dominum. Nec ista scripsimus, ut extolleremus Christianam fidem, quæ nullius commendatione aut præconis indiget: tantum abest, ut nostris operis egere uideatur. sed ad fratres confirmandos, & exteros quoq; perducendos ad tanti boni communionem: id quod nescio quàm magno cum fructu, optima certè spe, atq; animi promptitudine fecimus. Quanquam uideamus hodie rem potius affectibus geri, sicut in partibus & factionibus ciuitatum, quàm ratione ac iudicio. Sic Iudæus adhæret mordicus suæ sectæ, sic Saracenus, & cæteri, quoniam eas à parentibus acceperunt: nec excutiunt, quò mens & ratio si aptè in consilium adhiberentur, eos essent tādem perducturę. Nos autem in hoc Opere uniuerso dedimus operam, ut argumenta quibus utimur, quiuis etiam possit intelligere, si mentem aduerterit. Nam quædam nimis uel intricata, uel arguta, circulis scholarum relinquimus, quibus ea uidebantur magis conuenire. Vtinam autem liceat nobis omnia tam commodè, tamq; dilucidè prorsus explicare, ut ab optimo quoq; possint intelligi. Lactantius ille Firmianus ad hisce similia differenda, dari sibi optabat eloquentiā Tullianæ proximam. Ego uerò longè aliter de M. Tullio Cicerone sentio: qui si de hisce rebus aliquando dicturus pulpitum cōscendisset, intellexisset profectò, quanto facilius esset de causis forensibus, de bello & Republica coram populo Romano in alteram partem dicere, quàm de summo rerum omnium parente Deo, & rebus ab hominum sensu remotissimis persuadendis, apud uniuersas orbis terrarum nationes cum dignitate disputare. Sed iam ad rem ipsam accingamur, precati in primis Christum optimum maximū, ut ipse manum admoueat operi, ne sine fructu tantum laboris frustra suscepisse uideamur.

PRÆFATIONIS
FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS DE VERITATE FIDEI CHRISTIANÆ LIBER PRIMVS, QVI EST DE HOMINE ET DEO, SIVE DE FVNDAMENTIS TOTIVS PIETATIS.

DE FINE RERVM OMNIVM.

INTER multa quibus sapiens ab insipiente distat, illud est præcipuum, quòd sapiens quæcunque siue agit, siue dicit, in finem aliquem certum refert: stultus uerò, & demens fertur temerè, nec quorsum euasurus sit, considerat. Ac de ipsis sapiētibus quo quis acutior est, ac cordatior, eo certiorem habet in re omni finem, magisq; fixum: et quoad eius potest perficere, minimum relinquit casui. De quo est illa Aristotelis celebratissima sententia, Vbi plurimum ualeat prudentia, ibi fortunam minimè ualere. scilicet quòd illius ditioni atq; arbitrio non multum permittit, quisquis rerum exitus diligēter prouiderit, & expedierit consilia. Est enim proprium maximè uiri sapientis ordinare ac præscribere omnia, quoad eius fieri possit. id autem nunquam assequetur, nisi oculos & mentem coniecerit in finem, tanquam in album iaculator. Quocirca quum authore mundi nihil sit sapientius, nec fas est aliter de illo existimari, fieri profectò non potest, quin singula ad suos quæque exitus ac uelut scopulos direxerit: neq; inueniri in natura temerè quippiā factū, aut frustra sine ullo metæ respectu, ad quam tenderet. Quod iam olim ab excellentibus ingenijs deprehensum, magna argumentorum ui ostensum ac patefactum est, ut superuacaneum sit eorum hic à me rationes repeti: in promptu est ex eorum libris cognoscere, adeò ut nihil in physico aiant esse turpius, quàm dicere, factum quid esse sine causa. Grande utique piaculum esset humanum ingenium de illo sentire atque existimare, quisquis uel cōditor est huius tanti operis, uel rector, quod est de homine sapiente penè nefas, ut aliquid aggrediatur temerè, hoc est nulla ut destinata causa opus suscipiat, atque in eo uersetur. Admonent ac docent nos cursus conuersionesq; cœlorum, tum uices rerum statæ ac indubiæ, omnia in genera & formas separata descriptaq; similitudine nascentium per uices & cadentium perpetua atque inuariabili, ut ratas firmasq; esse singulorum causas pro certo habeamus, siue condantur, siue conseruentur, siue intereant: alioqui uel non fierent hæc, uel non perseueraret tanta constantia. Non enim firma esse possunt ac stabilia, quæ mittuntur temerè, nec in certum exitum diriguntur. qua de re in prima philosophia est à nobis disputatum, & mox nonnulla attingemus. Sapientia igitur finem statuit certum ac solidum, bonitas autem bonum ac utilem. Neque enim uel sapientis est incertos aut leuiculos fines sibi proponere, instituenti actionem aut opus: neque eos persequi, in quibus præmium sit opera indignum. Nec boni est, fines rerum proponere animo suo malos & noxios. quippe si hoc fecerit, desinit iam bonus esse. sin uerò prius illud, sapiens: ut cuius uel mens in stultitia uersetur, uel uoluntas in malitia. Quum autem nihil sit Deo sapientius, nihil melius, utique omnia is in exitus certos parauit & magnos & solidos & rebus ipsis cum primis salutares: quales scilicet & sapientia & bonitate illius digni sunt. Quòd si docent nos uel sensus ipsi, magnos atq; admirabiles esse rerum minutarū fines atq; usus, quantum esse hominis ipsius existimari par est, tanto reliquis omnib. prestātioris? Agens quū in actionē ingreditur, finē sibi præstituit, à quo ad agendū uelut stimulo quodā instigatur, & detinetur in opere. id nemo nō quotidie tū in seipso experit, tum in alijs. Nam qui pecuniæ cupiditate nauigationē suscipit, hūc pecunia animo ꝓposita & in nauē deduxit,

deduxit,& in naui retinet. Ad metam hanc uel agens ipſe perducit opus, nec relinquit donec ſit eò peruentum: uel uires & facultatem attribuit, quibus ipſum idem ſe perducat. Moles ſtatarias ac torpentes artifices ipſi perficiunt, machinis uerò neceſſaria apponunt adminicula, quibus motus ſuos curſuſq; conficiant. Statuam ut quæ immobilis eſt, nec conſummare ſeipſam poteſt, plaſtes aut fuſor abſoluit. Horologium aut piſtrinũ opifex ſuus uſq; eò deducit, ut decurrere iã deinceps per ſeipſum ualeat. Motus & actiones quódnam initium habeant, & uelut fontem unde proficiſcantur, nomina ipſa declarãt, & quaſi tacitus generis humani conſenſus. Sunt enim motus alij naturales, hos edit naturæ uis ac poteſtas. Sunt uoluntarij quidam, qui & humani nuncupantur: hos homo, ſeu quæ in eo pars eſt potiſsima, uoluntas. Illos ergo facultas naturæ ad finem peragit, hos facultas hominis ſeu uoluntatis. Cuius poteſtatis munus eſt ſupremum in homine imperium, omnia in illo regere ac temperare. Summæ poteſtati adiuncta eſt mens, tanquam conſultrix. Eius porrò qui conſulit, nihil eſt tam proprium, quàm ea tenere ac noſſe, de quibus ſolet cõſultari, alioqui nullo pacto rectè conſulet. Quare mens hæc, cuius uolũtas conſilio utitur, quæq; illam quid ſequendum tenendumq; ſit docet, quid contrà fugiendum atq; aſpernandum, nihil aliud eſt quàm lux animi, in qua neceſſe eſt finis eius cui ſumus cõditi, informatam atq; ingenitam à Deo ineſſe notitiam & comprehenſionẽ quandam. Nam ſi ſecus foret, parum magiſter hic atque conſultor ſufficeret, quærendusq; eſſet alius magis idoneus, qui nos de re adeò neceſſaria edoceret, quam unam neſcire grauiſsima eſſet pernicies ac peſtis. Nec credi ullo modo licet, magiſtrum hunc qui uoluntati noſtræ tanquam pædagogus ſit appoſitus, mancum & deſtitutum ab ijs eſſe rebus quæ nos ſcire prorſum oporteret. Nec abſoluiſſet opus ſuum Deus artifex ſapientiſsimus, cui non adieciſſet à quo duceretur ad finem quem ignoraret. Nos quoq; ab ſcopo noſtro deflectere nullius eſſet culpę, nẽpe ab eo quod naturaliter neſciremus. Verùm nos qua tandem cõditione miſsi in uitam ſimus, mutæ animantes facilè declarant: quas omnes quum ad finem ſuum abũde inſtructas ornatasq; uideamus, nimirum neceſſe eſt copioſius eſſe homini collatam facultatem metæ ſuæ pertingendæ. Maior eſt utiq; finis hominis, & potior, quàm rerum cæterarum, quanto ſcilicet excellentior is quàm reliqua omnia. Quapropter ſi fini ſuo conſequendo parum res aliæ fictæ eſſent idoneæ, leuis fortaſſe foret iactura: grauiſsima autem, ſi homo tum in uniuerſitatis ratione, cuius princeps cõditus eſſet optima & præcipua ſui parte mancus: tum in diuino opificio, cuius ſapientia notam reciperet, & in ea deſideraretur aliquid. Si reliqua igitur uires ad deſtinatam ſibi cauſam ſunt ſortita, quę ſunt creata hominis gratia, nimirum homo ipſe omnium caput, princeps, cauſa: maiorem ut ſit facultatem nactus neceſſum eſt, ne fruſtra ſit cõditus, & cum aliqua ſui authoris (quod abſit) querela. An in ijs quæ ad tuendum corpus, uitamq; hanc temporariam propagandam pertinent, tantam curam diligentiamq; Deus adhibuit: tot ſtirpes, animantes, fructus edidit certo ac ſtato tempore, in ijs quæ immortalitatem nobis pariunt, fuerit parcior, & non plenius nos copioſiusq; inſtruxerit? Itaque cùm de Deo omnia par ſit credi, imò pro certo ac comperto haberi ſumma optima perfectiſsima: etiã pro comperto exploratoq; eſt habendum, hominem cæteris rebus quę cõſtant corpore potiorem, potiore ac præſtabiliore cõditione eſſe prædituṁ, ut uoluntati propenſio ſui finis ſit indita, & menti doctrici ac conſultrici uolũtatis, informata cognitio illius ipſius finis. quæ cognitio augetur & profert ſe uſu, experimentis, doctrina, conſideratione mundi huius, & reputatione eorum quæ ſunt in homine, quæq; extra. nec aliter indita illa cognitio per hæc adoleſcit & prodit foras, quàm ſemẽ à ſolo & cœlo adiutũ, herbas, flores, fructꝰ producit. Nec uelim mihi de nomine moueri cõtrouerſiã, ſiue ingenita cõprehenſio nominetur, ſiue ſemen, ſiue lux, ſeu facultas, ſeu naturalis pronitas, qualis eſt in ingenio ad manifeſtiſsima, quæ etiã quũ primũ offerũtur, ſtatim arripimꝰ: ut totũ eſſe dimidio maius: ſi ab ęqualibꝰ ęqualia detrahãtur, quę reſtãt eſſe ęqualia, illis eñ ita puerí cõſẽtiũt, ut appareat informatã eos habere de illis ueritati-

ueritatibus notitiam: quodcunq; horum nominum placuerit, res tamen erit eadem. Apoſtolus Paulus quemadmodum ſeu ſemina illa noſtrarum mẽtium augeſcant & prodeãt,ſeu lux in animo quę neceſſaria ſunt mõſtret,ſeu facultas exerceaẽ,& actionem ſuã educat,docet ſcribẽs ad Romanos:Inuiſibilia(inquit) Dei per ea quæ foras edita ſint,conſpici intellecta.idq; non à Moſe uſq;, uel Abrahamo, ſed à prima mundi origine:nec illa tantùm inuiſibilia prima,& ceu expoſita, uerùm illa quoque intima, & tanquam in receſſu de ſempiterna ui numinis ac potentia, ut excuſari nemo poſsit,deflectens à ſigno propoſito. Vitio enim peccamus non naturæ,ſed uoluntatis,quæ uel relictis bonis monitis applicat ſe ad deterius,uel monitorem ſuum ducemq; aſpernatur,aut negligit,nec curat exerceri in ijs quę eſt docturus,ne per ignorantiam aberrans à uia in præcipitia & exitium certum ducat,quorum uitiorum hoc eſt ignorantiæ,illud uerò alterum prauitatis,ut monitori ſuo non obtemperet. Cæterùm neque ignorantia purgat flagitium, quæ deſidia tua,uel alienatione ad res leues,inanes,ſuperuacaneas contracta eſt: non magis quàm ſi in leges humanas deliqueris,quas per ſocordiam ac ſegnitiẽ ignores. Hæc enim mentis facula, quam Dei munere accepimus,uel otio langueſcit,uel cum ad res uiles cuncta conuertitur,obtenebreſcit,nec metam oſtendit,nec uiam quà ad illam itur:& ſemen malignitate ſoli,aut quia ſentibus,uel quia lapidibus obruitur, præfocatur. Vnde praua & perniciosa conſuetudo inuadit animum, non aſſurgendi ad contemplanda neceſſaria, ſed ſuperflua modò & nihil profutura. Quòd ſi mens negligentia uel uitijs obducatur, & tanquam ſylueſcat, præcluditur aditus luci: iam non in auium transferunt nos tenebræ,ſed in contrarium prorſum,& planè in exitium.Animaduertere eſt errores,& quàm pernicioſi exiſtant quotidie in hominum uita,quum cæca mens ducit cæcam uoluntatem.

QVANTVM EST DOCERE FINEM.

QVod olim magni illi uiri reputantes, qui Dei beneficio maiorem adepti ſunt uim illã, facultatemq; mẽtis,de qua modò loquebar,quàm alij,eamq; ipſi uſu & exercitatione expoliuerunt auxeruntq;, aggreſſi ſunt denſiſſimam hanc ſyluam repurgare,& luci præbere aditum, quo tandem homo aſpiceret quid eſſet,qua gratia miſſus in uitam,quò illi & quà contendendum.Hoc opere nullum duxerunt pulchrius ſe aut præclarius poſſe efficere,nec quo amplius aut uberius demererẽtur ſibi uniuerſam hominum gentem.Nec fallebantur indubiè.nam quid eſt in quaq; re maius aut pluris faciendum, quàm uſum illius monſtrare, & qua cauſa ſit parata? Homo enim,ſi quamobrem poſitus ſit in uita,neſciat, neu quò eundum ſit ſibi, an non fruſtra uidebitur procreatus? Meritoq; conſenſu omnium laudatur Socrates Atheniensis,qui primus philoſophiam in cœlis atq; elementis naturę immerſam ac errantem deuocarit in terrã ad inquiſitionem uirtutis,& in ciuitates domosq; introduxerit ad uſum hominum,& ut quiſq;,qua tandem cauſa eſſet cõditus ſcrutaretur. Non ille philoſophiam detraxerat è cœlo,ſi modò ueram germanamq; uirtutem tradidiſſet,ſed potius uagantem ac uolantem temerè, magnasq; ambages nequicquam ſuſcipientem in cœlum retulerat, ut eam ibi homines quærerent, quò eſſent per illam reuerſuri. Neq; enim tributa eſt hominibus diuino munere uis ueri intelligendi ac inquirendi,ut in ſcrutatione rerum infructuoſa conſumatur,ſed ut nos in cœlum reuehat,hoc eſt ad noſtram originem. Hinc factũ eſt, ut caput & cardo uniuerſæ philoſophiæ exiſtimetur ſententia de finibus bonorum & malorum:qui ea diſcreparẽt, tota ſecta iudicarentur diuerſi. Illa erat ceu nota, qua nationes inter ſe philoſophorũ diſtinguerentur ac dignoſcerentur idq; optimo iure.quippe ſi philoſophia lex eſt uitæ ac ratio,neceſſe eſt eam eſſe uiam quà ad metam peruenitur: ubi diuerſæ ac cõtrariæ propoſitæ ſunt metæ, non poteſt uia eſſe unica. Exculpſerunt iſti non pauca, ad quæ peruenisſe eos facilè quiuis noſtrũm admiretur:quoniam naturalem lucem uel nacti ſunt maiorem,uel repurgarunt atq; exercuerunt diligentius. Sed in pleriſque hallucinati ſunt & lapſi,& in ijs propter quæ uiciſſim mirandum ſit, authores atque inuentores rerum maximarum & pulcherrimarum non uidiſſe ea, quæ ex illis ipſis

sequebantur quæ iam inuenissent, ita ut uocem ipsi suam non exaudisse uideantur, & casu potiùs incidisse in uerum, quàm ingenij solertia eò peruenisse. Sed falsa est humana infirmitas, partim tarditate cordis ac torpore, partim inscitia atq; inexercitatione, tum ab alijs praue instituta, uelut à parẽtibus, educatoribus, magistris ipsis humanitatis, et formatoribus animorum, à consuetudine publica, et receptis uulgò opinionibus, quas perdifficile est in totum reijcere, ubi semel inhęserunt. Accessit his quoq; contradicendi studium, & proferendi nomen, ut & ipsi in inuentoribus haberentur. Fuerunt qui ex uotis ac desiderijs suis opinationes & disciplinam confingerent, ut homines facinoribus, sceleribus, flagitijs mancipati, nollent esse Deum ullum uindicem malefactorum. ex quo affectu per uitiorum illecebras eò delabuntur, ut nec credant esse. Tot machinis impugnata atque impetita humana imbecillitas ruit: sed casu uel ignoscendo, uel certè miserando. Hinc discissum sapientiæ studium in tot disciplinas & philosophias, atque adeò in tot sapientias. nam unaquæque gens illorum & factio apud se unos sapientiam esse clamat & contendit: unde tot rixæ inter illos & digladiatio, atque ex omni parte rationes acumine ingeniorum exculptæ: magnam ueri speciem præ se ferentes, quæ oculis mentis præstigias facerent, & tenebras humani ingenij condensarent, incertioresq; studiosos ueritatis domum ab schola remitterent, quàm acceperant. Nam ingenij uis tota dum in hoc solum incumbit, ut malum esse bonum, falsum esse uerum euincat, excudat aliquid necesse est, quo id nonnullis uideatur perfecisse. In his cæcæ ignorantiæ fluctibus multum & diu est iactatum humanum genus, donec Deus dignatus est nos respicere, & ueritatis suæ lucem puriorem humanis oculis patefacere. Abrahæ primum, propter magnitudinem & constantiam fiduciæ: tum illius stirpi, per Isaac & Iacob: procedente autem tempore posteris Iacob ualde aucto in Ægypto, data per Mosen lege, sed id paucis. Illi enim quota humanæ gentis erat portio? Postremò autem aperuit thesauros bonitatis suæ, quos uniuersis hominum nationibus proponeret, misso in terras filio suo Iesu Christo, quæ est ipsius ueritas & sapientia. Hunc humanitate nostra uestitum, dedit nobis magistrum & ducem uiæ, exemplum uitæ, expiatorem scelerum, interpretem pacis, authorem salutis. Sed impij ad tam lætum & salutarem nuntium obturant aures, & quod illis sicut & alijs omnib. fuerat maximè optabile, uotisq; omnibus expetendum, reijciunt, & bonitatem ac miserationes Domini repudiant, quibus tantopere indigent: atque ex seipsis metiuntur Deum, ut quia ipsi sunt & immites, & inuidi, & mali, non alium esse Deum credant. Hi ex uia recta, quæ unica est omnino ac simplex, in auia recesserunt: quorum iniri numerus non potest. Fecit enim sibi unusquisque uiam qua ingrederetur, relicto q; duce Deo, ducem seipsum sibi constituit: neque uerò meliorem sui partem, nempe mentem puram purgatamq;, sed prauas animi cupiditates, uel rationes turbulentas ac infirmas.

RATIONIBVS AGENDVM.

MEdelam quam Deus humano generi saucio attulit, literis consignarunt sancti uiri, dictante spiritu Dei: eaq; demũ uera sunt oracula cœlestia. Sed neq; huic rei fidem habent impij, qui eas literas ut alias quaslibet inuentum esse hominum suspicantur, ad quos parum proficient sacra dicta. Et tamen dandum est operam, ut hi quoque ad intuendam ueritatem, quoad eius fieri possit, adducantur: ut ministri simus Dei, qui uult omnes homines uenire ad agnoscendam ueritatem, nempe seipsum. Nihil ergo restat aliud, nisi ut qui ad nouam hanc lucem claudunt oculos, utantur uetere illa & prima, quam homo ingratus naturalem & suam uocat, quasi non etiam à Deo acceperit, sicut hanc alteram, sed quia facultatem eius ab utero secum educit, communisq; est omnibus, non agnoscit authorem illius: ut non frustra uideantur admonere nos sententiæ ueteres, Beneficium in puerum non collocandum, non enim meminerit. & altera: Qui uniuersis benefaciat, à nemine reportare gratiam. Sed supersedeamus nunc de impiorum loqui ingratitudine: neque enim hic est locus. Naturali ergo luce uerum indagabimus, quando hæc sola inter nos & repugnantes relicta est, tanquam uia qua insistamus ad aliquam uestigationem ueritatis. Cæterùm

priuſquàm id aggredimur,reſpondendū eſt quibuſdam piorum hominum,qui nefas eſſe ducunt rationes adhiberi fidei, aut fidem rationibus confirmari. & adducunt illud ſermone uulgi protritū. Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.Quod quemadmodū intelligatur, permagni refert. neq; enim in totum uel rectè dicunt, uel à recto diſcedunt. Ante omnia conſtet nobis quid ſit ratio, quid fidem rationibus fulciri,à quibus & quatenus. Ratio, ut alibi alio modo exponatur quid ſit, in præſentia ſic commodiſsimè declarabitur,ad hoc utiq; inſtitutū. Ea eſt uelut radius quidā, quem Deus de fonte illo perenni ſuæ lucis in humanā mentem deriuauit. de quo Ioannes dicit in Euangelio, quòd illuminat omnē hominē uenientem in hunc mundū.Eſt ergo noſtra ratio ueluti riuulus è fonte Dei,quo is amplior ex fonte manat,eo decurrit plenior: quo eſt propior, eo purior: ut quum malignus fluit & cœnoſus, euidentiſsimum ſignum ſit longè à fonte ſuo diſcedere,parumq; illi ſuppeditari ex ſancto illo humore.Ita quo ratio eſt aperrior & dilucidior,hoc propinquiorem & conformiorē origini ſuæ Deo eſſe manifeſtū eſt:quo minor & obſcurior, tanto longius diſcedere,ac proinde diſsimiliorē fieri.Quòd ſi propinquior ſit,melius ac facilius cernet diuina, quæq; ſunt uera de Deo. Experimentū huius rei nō eſt procul petendum.docti enim homines multo plus de rebus diuinis aſſequuntur,quàm uulgus. Nec poteſt uerū ullū à ratione eſſe alienum,quod eſt conforme Deo,fonti rationis:imò ab eodem fonte uerum & ratio ſcaturiunt,idemq; Deus lux eſt & rationis & ueritatis,ut quum ipſe contrarius ſibimetipſi non poſsit eſſe, nec unquam uera ratio quantacunq; hominū aut dæmonū calliditate atq; aſtutia peruertatur, atq; obſcuretur,ueritati poteſt repugnare.mutuò ſe potius adiuuātes fulciunt,ut per rationem facilè perueniatur ad ueritatē,per hanc autem purgetur ratio. Illud nemo ignorat, quæ ſint de Deo uera,innumera eſſe & ampliſsima:ingenij autē noſtri captum anguſtum, in quod cœleſtis illa infuſa eſt rationis lux ad eius menſuram. ita fit,ut in noſtra mente non poſsit eſſe eadem ueri ac rationis menſura. Maior eſt ueritas rerum,quàm noſtra ratio:ſed non quod rationē noſtram ſuperat,protinus eſt & contrariū,inimicum repugnans.Multo eſt aliud ſuperari,quàm aduerſari. Quocirca quę contra pietatem noſtram finguntur rationes,uel uanę ſunt prorſum,& primo ipſo aſpectu deridiculę & contemnendæ,uel doloſa aliqua et fraudulēta ſpecie contectæ atq; inuolutæ.Porrò Dei myſteria quantū quidē ad captum noſtrū attinet,duorum ſunt generum. Altera ad noſtrā ſalutem pertinent,hoc eſt,illorū cognitio neceſſaria eſt huic conficiundo itineri,quod ad felicitatē noſtrā ducit:altera ſunt arcana,recondita,quorum intelligentia non eſt nobis neceſſaria.Ita ſumus à Deo indulgenter tractati,etiā poſtquam ab illo diſceſsimus,meriti pœnas & ſupplicia grauiſsima,ut ad minimè neceſſaria minimū quoq; lucis acceperimus:contrà ad ea quæ nobis noſſe expediebat, plurimum haud aliter quàm utiliſsima nobis in natura in promptu ſunt cunctis,cœlū,aër,aqua; fruges,animantes cicures,aditus eſt cuilibet ad illa non operoſus:ſuperuacua uerò ſe poſuit Deus longiſsimè,raras aues,piſces exquiſitos,feras,purpurā, gemmas, metalla. De abſtruſis illis myſterijs dicitur, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne fueris ſcrutatus. tum illud, Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. & Paulus iubet non plus ſapere,quàm oportet ſapere. De neceſſarijs uerò eſt apud eundem Apoſtolum: Quod notū eſt Dei,manifeſtū eſt illis,Deus enim illos edocuit.Operępretiū eſt animaduertere,cuiuſmodi à Platone,Ariſtotele,Cicerone, Seneca ſunt ſcriptis prodita, quæ in tenebris illis reperta admirari ſatis non poſſumus, nimirū ſapientia Dei, quæ eſt eius ratio & filius,illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Iam de ratione non eſt definiendum ſimpliciter.Homo enim quum è manibus egrederetur ſui opificis,pulcherrimus erat,inſtructus,ornatusq; ijs rebus omnibus quibus eſſet opus ad uitam, nimirū ut tanto authore dignum erat:mentē illius incredibilis fulgor lucis opplebat,quę illi monſtrabat quicquid expediret. At ubi ſeparans ſe à Deo lapſus eſt in hanc calamitatē,obſcurata eſt lux illa,cæcitas & caligo menti obducta,ut nec uera nec utilia ſatis perſpiciat:et ſi quando intueatur,confeſtim oborta nubes uel affectuum,uel ignorantiæ, uel inconſiderationis denſiſsima, conſpectum omnem adimit.

dimit. Quocirca rationes de pietate tantopere ſibi neceſſarias, iam ex ſe non inuenti, aut inuentas per tenebras animi non intelligit, aut omnino aſpernatur, carne obruta, aut motibus animi concuſſa & afflicta. interdum quoq; ab affectu & tarditate cordis prauiſsimis conſultoribus tranſuerſa impellitur, ut faciliùs adhęreat & aſſentiatur iſs quæ ſtant pro malo contra bonum, ſicut quæ pro falſo contra uerum. Ex qua mentis caligatione non iniuria dixit Ariſtoteles, multa falſa multis ueris eſſe probabiliora. Sed non protinus ratio eſt illa, quæ armata eſt contra uerum & pium, quod à mente noſtra proficiſcitur, & rationis ſpecie quadam contegitur, ſed rationis inane ſimulachrum: nec riuus ex diuino fonte, ſed aqua cœnoſa ex lacunis dimanans noſtræ cæcitatis. Nam quemadmodum oculis corporis uſu uenit, ut magnum lucis ſplendorem intueri non ſuſtineant, caligentq;, & tenebris inuoluantur: ita oculis mentis in fulgore ueritatis. nec tamen deſinit eſſe lux, quia oculus in eam nequit intueri, aut tenebræ fiunt, quia oculis ita uidetur: ita nec ueritas aut perit, quod eam humana mens non aſſequitur, aut fit falſitas, quia menti uideatur. Miſſus eſt ad nos cœlitus Chriſtus Ieſus magiſter ueritatis, repurgator tanti cœni, corrector prauitatis, inſtaurator naturæ lapſæ, qui hominem puritati illi atq; innocentiæ primæ in ſentiendo & ſapiendo reſtitueret. Depulit ergo è mentibus ſuorum ignorantiam & caliginem, quam inuexerat peccatum, & reſtituit ueros illos atq; integros ſenſus naturæ ſynceræ atque incorruptæ. Ergo apertis ſemel à Chriſto theſauris ueritatis, eæ deinceps rationes ab iſs qui doctrinæ illi cœleſti paruerunt, ſunt de pietate inuentæ tam liquidæ, tam apertæ, ualidæ, efficaces, inexpugnabiles, ut miremur non incurriſſe illas in oculos eorum, qui inter gentes ſapientiam profitebantur. Sed nimirum lux addita eſt rebus à Chriſto, quam ille cœlitus ad nos detulit, quæ lux illis deerat: quæ ſi affulſiſſet, maiora & pulchriora indubiè quàm nos excogitaſſent, ut erat illorum in diſciplina omni tum ſolertia, tum ſtudium ardentius. quod ex iſs licet colligere, quæ ſinè hac luce inuenerunt. Adhibita enim rebus luce, facile eſt quid quæq; res, & cuiuſmodi ſit dicere, & pro iſs quæ dixeris argumenta congerere. Parit, ſicuti paulò antea dicebam, rationem cognita ueritas, & ueritatem confirmat adhibita ratio. Quòd ſi nihil eſt fide noſtra uerius, quid rationes reformidamus? quarũ nulla eſt contra nos, omnes ſtant à nobis. Rationis quidem umbra & imago pugnare quandoque in nos poteſt, ratio ipſa non poteſt, & illas umbras leui momento lux noſtra diſpellet. Aurea eſt pietas noſtra, aurea, non deaurata. quo magis ſcarificatur & retegitur, hoc pulchrior & præſtantior exiſtit. puriorem ac nitidiorẽ illam reddit bellum quàm pax aduerſus gentes, aduerſum hæreticos, qui ſcoria & rubigine conabantur eam obducere. puritatem excellentiæ ſuæ magis oſtendit, quo eſt acriùs agitata & concuſſa. Hæc eſt ſapientia quam Dominus daturum ſe ſuis eſt pollicitus, cui artes, ingenia, calliditates, fraudes, atq; aſtutiæ omnes hominum non poſſent obſiſtere. Non eſt ergo nobis metuendum, ne pietas noſtra detractis uelamentis fœditatem ullam oculis contuentium oſtendat. Metuant hoc aliæ religiones falſæ, atq; umbratiles, in quibus nihil eſt ſolidi, ideoq; attingi ſeſe non ſinunt. Iudæus grauatur cum Chriſtiano de lege ſua conferre. Mahumetes de ſecta ſua diſputari omnino uetuit: ne attingatis uitrum tenuiſsimum, falſum, inane, leuiſsimo contactu ſtatim friatur. Noſtra religio intus etiam eſt quàm exteriùs formoſior, ſolidior, firmior. Accedat quiuis, tractet, agitet, ſcalpat, modò cum ingenio & iudicio: theſauros inueniet latentes ſub ſpecie egeſtatis, ſapientiam in ſimplicitate, diuinitatẽ in humanitate. quod & planũ fecerũt multi alij, et ſpero me Chriſto Domino & magiſtro meo propitio, hiſce libris patefacturum.

Refert præterea non parum, qui utantur hiſce rationibus, et quemadmodũ, ut ſunt hominum ingenia & mentes diuerſiſsima. Alij ſunt ſegnes & tardi, alij imperiti, alij ratione infirma, alij uitæ negotijs (quæ plurima nos confinximus) occupati, alij pueri, ſenes, ægri, mulieres, inexpertes rerum: ij nec inuenire rationes has de quibus iam dudum loquimur, nec inuentas poſſunt intelligere: ſed tanquam in excelſis locis, ita in rebus tam ſublimibus turbantur illorum oculi, & intuendo tam fulgentem ſolem perſtringitur eorũ acies, quumq; multitudo ex craſsis hominibus, & ad uſum ratio-

nis inexercitatis constet, ea de causa sancti authores ab hac tantarum rerum inquisitione illam arcuerunt: haud aliter quàm affectis oculis præcipiunt medici, ne surgentem aut cadentem solem inconniuenter aspiciant, ne uisus hallucinetur, & detrimentum accipiat. Nos tamen non fiducia ingenij aut eruditionis huc adduxit, sed exercitationis tantùm, quæ beneficio Dei aliquoties tentata non infeliciter cessit. Simul ut experirer, an aliquam rei utilitatē præbere possem hominibus iuuandis: & in hoc gratificarer Patri illi cœlesti, cuius uoluntas est, ut omnes homines ad sese ueniant. In ijs quoquè qui rationibus huiusmodi utuntur, non parum est positum. Res enim optima et saluberrima, si aliter sumas quàm oportet, nocebit, atque in contrarium uertet naturam & uim cui est parata. Vel ex ipsis mysticis literis originem errorum multi traxerunt. Sunt qui non minus rationem in abstrusis illis mysterijs, parumq; (ut dixi) ad nos pertinentibus requirant, quàm in ijs quæ nosse ad pietatem spectat: imò uerò in illis quæ nostra non sunt, curiosius & subtilius scrutantur, quàm in hæc quodammodo nostra, in quo non pauci nostrorum theologorum culpa non carent. Sunt qui parem in omnibus rationem efflagitent: quodq; indignius est, non plus de religione crediturí, quàm ratio euicerit. & quod in disciplina earum rerum quæ sub sensus cadunt non facerent, exigunt in pietate, ut ratio sit fidei mensura. Quid, quòd eorum multi non lucem & rationem diuinam ad diuina hæc uolunt adhiberi, sed humanam istam tot infectam & deprauatam sordibus, ut ea sit uelut fundamentum totius pietatis. Hinc nata est importunissima illa distinctio de lumine fidei, & lumine naturæ, ut quòd alia uera sint hoc lumine, falsa in illo: alia è contrario. quis hæc re & natura coniuncta discreuit, nisi homo aliquis impius & imperitus? An est in rebus nisi una ueritas? Hanc si naturæ uiam ingressus non assequor, an protinus alia existet ueritas, quàm naturæ lumen confinget? Age uerò quis est tanto ingenio, tanta eruditione & usu rerum, qui metas possit naturæ assignare, ut confirmare certò audeat non ulterius naturæ uiam se porrigere? Ridiculum est, in quo ingenium alicuius perscrutantis sistat, ibi ut naturam dicas etiam sistere, & imbecillitatem humani ingenij transferre in uires naturæ: de qua dementia nihil satis dici potest pro indignitate. Quem porrò uolunt esse mensuram tantæ rei? Platonem, at is ab Aristotele deprehenditur. Aristotelem, at is Academicis & Stoicis non placet, & acriter redarguitur. atq; hæc omnia non in lumine fidei, ne quis quid caussificetur, sed in naturali, ut loquuntur. Sed redeamus ad alias causas percensendas. Ex disputationibus & contentionibus circulorum scholasticorum orta est pertinacia, & irritatio omnia scalpendi. progressi sunt quidam longissimè, & ratiunculis sophisticis, uanis, inualidis, magnum pondus rebus grauissimis detraxerunt. Nostrum hoc institutum multò est aliud. nam de diuinis solùm disseremus mysterijs, quorum cognitione ac fide salus nostra continetur: tum ex luce quam Dominus noster attulit suis, cuius illustratione omnia redduntur perspicua & certissima. nec postulabimus ut canon & norma fidei sit nostra ratio, sed tantùm introductio quædam exteris, & quibusdam nostrorum stabilimentum. Hoc uidemus iam inde ab ipsis Domini nostri temporibus in hunc usq; diem actitatum. Christus ipse rationibus egit cum Iudæis, ad eis persuadenda quædam, quibus satis non erat tanta rerum admirabilium multitudo & uarietas: uelut se esse Christum filium Dei, maiorem Dauide rege, inimicum dæmonibus, amicum Deo. Petrus Apostolorum princeps paratos nos uult agere, ut possimus de spe ac fiducia nostra rationem reddere, & quidem omni poscenti. Paulus grande columen Ecclesiæ non in humanæ sapientiæ uerbis ad persuadendum idoneis fuisse prædicationem suam ait, sed in spiritu Dei & uirtute. Planè ita congruebat fieri ut lux quæ ad intuendam fidei ueritatem adhibebatur, non ex rhetorum pigmentis & coloribus, non ex humana illa sapientia cœno et fimo uiciorum corrupta desumeretur, sed ex uirtute et spiritu Dei, quæ est doctrina Christi Iesu, de qua subdit: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, quæ perit: sed loquimur Dei sapientiam, mysterio inclusam & reconditam. Ex hac schola hausti rationibus agebat cum Iudæis & Gentibus, euincens Iesum esse Christū Domini, & alia quæ sunt pietatis: quod est

in eius

in eius Epistolis uidere. Timotheo præcipit, ut episcopus potens sit doctrina sana, & eos qui contradicant refellere. Equidem non ignoro paucissimis, & penè nullis rationibus nobis forè opus, si Dominus dignaretur nobis eas uires in sermone dare, quas per spiritum suum dedit suis Apostolis, & ijs qui ab Apostolis erant edocti. Quàm plana, quàm simplicia erant illa quæ à primis Ecclesiæ proceribus fuerunt tradita: at quàm efficacia ad persuadendum, quod effectus demonstrauit. Nimirum inerat in illorũ uita & uerbis uigor spiritus diuini, addebantur quæ naturę uim superarent prodigia, ea erant ualidiora quàm innumeræ rationes. Posteriores autem, quibus diuina illa facultas defuit, quia eorum uita ab Apostolica & martyrum degenerauerat, coacti sunt plures coaceruare rationes, & pro fulcimento uitæ ac miraculorum quo destituebantur, ingenij uires atq; exercitationẽ substituere, quo in numero fuerunt Tertullianus, Irenæus, Iustinus, Origenes, Anastasius, Chrysostomus, Gregorij, Basilius, Eusebius, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Thomas Aquinâs. Hinc recentiorum theologorum cœtus & scholæ omnes, quorum nos & sequemur exemplum, & tuebimur nos authoritate contra istos uel immodicè atq; interdum quoq; imprudenter pios, & in pietate meticulosos, uel malitiosè aut arroganter deterrentes alios. quorum pars ita de se sentiunt magnificè, ut credant quò ipsi non penetrarint, in uia esse reliquis omnibus. pars nollent ab alijs proferri in lucem, quæ ipsos latuissent. hi uerò ignominiam suam interpretantur, Dei erga alios beneficium. Sed quis possit tandem dubitare: quo minus inter eas quæ humanæ facultates uiresq; nominantur, ad ducendos homines in eam quam uelis sententiam, maximum robur habeat ratio? quæ sola flectit humanam mentem, liberam alijs uiribus omnibus, atq; inuictam, quæcunque admoueantur. Quid, quòd aliquot interdum locis & temporibus, & apud nonnullos hominũ efficacior est quoq; quàm fides prodigiorum? Hæc enim in controuersiam uocari aliquando possunt, atque etiam in calumniam: ratio in oculos atque in ipsum animum ut lux se ingerit, omnia peruadit ac uincit, modò ne quis uenientem excludat, & uelut oculos claudat ad splendorem. Ergo sicut facultas uegetabilis ad sensus est uia, hi uerò uelut gradum substernunt quò ascendamus ad mentem: ita humana hæc & naturalis ratio manum præbebit exteris, ut ad diuinam lucem contuendam sese erigant & confirmentur: ut postquàm potentia & bonitas Dei ostensæ illis & percognitæ fuerint, ad illum solum suspiciant, omnia incipiant de illo credere, ac bene sperare optima, pulcherrima, salutifera, perfecta. Stirpis uitæ succedit in nobis brutalis, post hanc humana: humanæ adiungetur hæc diuina. finis unius, initium est sequentis: quę ita se contingunt, ut unum prorsum esse uideantur extrema. Humanã rationem quid appellem, ex superioribus liquere potest: eam quæ homini relicta est post casum miserabilem. Quapropter necessarię sunt rationes ingressuris, sicut ingressis superuacaneæ, si modò uerè ac bona fide introierunt: quẽadmodum alibi docebo. Tametsi rationes sobrias, & magno iudicio expensas, arbitror multis etiam Christum professis bona fide non fore inutiles, & ad corroborandos imbecilles, & ad delectandos firmiores. Libenter enim intelligimus quæ credimus, & fortius assentimur. Legantur modò piè ac prudenter, sine curiositate ac scrupulis, non ut his censeamus uel confirmari fidem, uel crescere, sed aperiri ac declarari. Vtinam orbis uniuersus uerè cognosceret atque intelligeret Deum, & Dei sapientiam ac bonitatem Christum Iesum, nihil esset alijs opus rationibus atque argumentis quàm quod ipse dixit. Sed immensus hominum numerus filium Dei & salutem suam partim non noscit, partim non agnoscit: qui sunt extra Ecclesiam. In ipsa quoq; Ecclesia quàm multi infirmi & nutantes, partim hoc ipsi non dissimulant, partim (quod magis est dolendum) etiam profitentur. alij sic se gerunt in uita, ut aliter appareat eos sentire, quàm loquantur: nec ea uideantur seriò habere persuasa, quę de bonis malisq; æternitatis sancta docet religio. Itaq; uidetur mihi in pietate uicijs hominum inualescentibus, illud usu euenire inter eos qui Christo dedimus nomina, quod in speciosa quidem & scitè depicta tabula, sed tamen peruetusta, quæ lucem illam & nitorem coloris primi sensim amisit, locisq; aliquot est subdeleta. quæ si non

est pingenda denuò, est certè & puluere ac situ detersо illustranda, & quod interlitum est, instaurandum. Multum obscuritatis & caliginis induxit prauorum morum diuturnitate consuetudo radicata, consensusq; multitudinis in scelera tam pertinax & obstinatus, tum negligentia atq; imperitia doctorum Ecclesiæ, omissa ueræ ac germanæ religionis cura inuectæ superstitiones plus q̃ aniles. Iam dissensiones & cum hæreticis, & inter nos ipsos plurimis de rebus, dici non potest quantũ in animis nostris attulerunt detrimenti. Postremò authoritas Ecclesiæ diminuta: & uerbum Dei, aliàs neglectũ, aliàs etiam suspectum, turpissimo initiatorum exemplo, ut oratio eorum careret fide, quorum esset uita exosa, grauem nostris pectoribus plagam inflixit. Renouanda est fides, hoc est corroboratio ueritatis illius producenda atq; ostendenda, ut hoc tanquam nouo nitore uetus color resplendescat: nec solis iam diuinis oraculis standũ, ut olim quum firmissima esset, altasq; in mentibus sanctorũ hominũ radices egisset. Expendat hoc quisq; in seipso, & ijs quibus cum uersatur. intelliget non me frustra admonere, negotiumq; maioris esse quàm pro hominũ opinione momenti. Equidem aggredi me arduum opus, & longè uiribus meis impar non ignoro: sed indicibilis tantæ rei fructus ingẽtes animo meo faces subdit, cogitq; bene sperare de Domino Iesu, qui adesse huiusmodi conatibus consueuit propitius et dexter, sine cuius ope nos omnino nihil possumus, imò nihil sumus. Itaq; iam nunc operis initio doctorem illum diuinæ sapientiæ, hoc est suũipsius, imploro & obsecro, ut lucem illam suam dignetur admouere propius, tum mihi ad ea quæ conducant inuenienda & tradenda, tum lectoribus ad eadem ipsa intelligenda, ut ego & illi consentiamus ueritati. Et sancta fides ita in nostris cordibus stabiliatur, ut artes omnes impetusq; hostis nostri ad eam siue reuellandã, siue etiam commouendam, minimũ habeant roboris ac uirium. Quòd si fauorẽ hunc uel excludunt mea scelera, uel extrudunt, ego uerò nihilominus iam nunc initio profiteor, sententiã mutaturum me edoctũ meliora. Ecclesiæ uerò iudicio & sto & stabo semper, etiam si mihi pro parte contraria apertissima uideatur facere ratio. Ego enim falli possum, & fallor sæpissime. Ecclesia, in his rebus quæ ad summam pietatis pertinẽt, nunquàm fallitur. Vos autem fratres qui hæc legitis, per immensam Christi beneuolentiam erga nos oro & obsecro, ut negotium fraternæ charitatis iniunctũ nobis à Domino, reducendi aberrantes in uiam, purè ac simpliciter cũ concordia mecũ geratis, ne quis in personas respiciat, sed in rem ipsam tanti momenti. In alijs disputationibus de natura, de rebus gestis, de dicendi ratione, de cognitione literarũ, contentiones & humani affectus tollerent sanè: quia quod fit ex controuersiis iacturæ leue est. In pietate deuitent prorsum, quia perniciosissima.

QVALES ERVNT NOSTRÆ RATIONES.

ARgumenta omnia uel ex rei essentia petuntur, uel ex adiunctis, quæ inhærentia nominantur, uulgò accidentia. Et quoniam mens nostra non ad omnium essentias æqualiter penetrat, neq; accidentia planè ac liquidò cognoscit, fit ut rationes de rebus omnibus non queant esse pares: quod quum est ab Aristotele traditum, tum facilè res ipsa animaduertenti monstrat. Neque enim in scrutatione naturæ tam euidentes probationes afferuntur, quàm in mathematicis: nec in prima philosophia, quæ est de reconditis naturæ, ut in secunda, quæ de expositis sensui disputat. Sed in prima tamen philosophia fortiores sunt probationes, quàm in disciplina morum. de qua meritò Aristoteles dicit, Satis abundeq; illi factum, si rationes adducantur uerisimiles, atq; in speciem probabiles: nam perspicuæ atq; inuincibiles non possunt. Ita in disputatione hac de pietate, erit quum argumenta inducemus euidentia, atq; inconfutabilia, erit quum probabilibus tantùm coniecturis debebimus esse contenti. Nec quisquam adeò fuerit uel impudens, uel excors, ut sensui subiecta uelit esse ea quæ de tantis arcanis traduntur, quod in nulla omnino arte aut disciplina potest præstari. Hoc sensit ille, qui noluit fidem habere humanæ rationis experimentum, hoc est sensuum euidentiam: & Paulus, res quæ per fidem sperentur, negauit sensibus apparere. Erunt autem in summa rationes omnes nostræ longè manifestiores ac fortiores, quàm quæ pro parte contraria possent afferri, uel in maximè reconditis & sublimibus

ſublimibus myſterijs. Quin etiam adeò erunt plurimæ illarum probabiles ac inuictæ, ut nec tot, nec adeò firmæ ſint pleræque earum, quibus freti magni philoſophi dogmata & principia ſcientiarum immutabilia conſtituunt: quæ adeò cenſent naturaliter eſſe hominum ingenijs perſpicua & certa, ut hominis appellatione indignum eum ducant, qui refragetur. Nec ſunt pauca in pietate noſtra adeò congruentia cum hominis mente atq; ingenio, ut cognita ilicò amplectatur, ut ſòla illarum expoſitio ſufficiat nuda & quaſi inermis. Plurimos arbitror non ſe nobis aggregare hac una de cauſa, quòd de fide noſtra uel nihil prorſum audierunt, uel perparum. De quibus Paulus ait: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? quomodo audient, ſine docente? Cæterùm boni ac ueri unica eſt uia, mali & falſi innumeræ, uidelicet quot quot ab illa unica aberrant. Quocirca nec uacabit mihi, nec operę pretium lectori fuerit, omnes omnium uel receniere opiniones, uel refellere. Nam quę cuiq; uenire poſſent in mentem, curare aut perſequi infinitum eſt, & hominis nimium otio ac ſtudio ſuo abutentis. Sunt enim quamplurima minuta profectò & cura indigna: quæ ut ratione nulla fulciuntur, ita nullo in aduerſum impellente argumento ipſa per ſe concidunt. cuius generis ſunt quæ à nonnullis ſine argumento ullo, ſine probabilitate iaciuntur, in hunc modum, Fortaſſe ita eſt, fortaſſe ſecus, quis ſcit, quis nouit, fieri poſſet, neſcio, ſuſpicor. Quę ſi in humanis ut temerè dicta exploduntur atq; exibilantur, quanto magis in ijs quę cœlitus tradita fulciuntur diuina authoritate, captumq; omnem excedunt humanum? Quare illa ſolùm deſumam mihi ad confutandum, quæ minimum ſunt peruerſa & corrupta, ſpeciemq; rationis aliquam præ ſe ferũt, tametſi fictæ & fallaces. Hinc, quæ ad multos recepta ſunt, de quo genere ſunt celebres ſectæ, & hominum de colendo numine inuenta. Tum, quæ ad paucos, ſed eos præſtanteis, magnæq; de ſapientia authoritatis: qualia ſunt philoſophorum placita. Neque perſequar ex ijs niſi ea tantum, unde uidero iacturam religioni importari, uel ut frigeat, uel nutet, uel omnino cadat. Nam abolita iam, uel ſatis à maioribus exploſa & profligata, ne attingã quidem: ut de Ioue, de Iunone, de Hercule, de Venere, de Marte, alijsq; huiuſce notæ. Quis enim adeò nunc inſanit, ut illos eſſe deos ſuos credat, quales nemo uelit habere liberos aut ſeruos? Et ad errorem illum conuincendũ ſatis ſunt olim à ſanctis uiris dicta multa, quum is adhuc hominum animos occuparet. Interdum quoq; præteritis ſilentio aduerſariorũ opinionibus, pro noſtris diſputaſſe ſatis habuero, quippe corroborandis noſtris quę cum ueritate ſunt cõiuncta, ruent aliena quæ à ueritate diſcedunt. Nec poſſunt omnia cõmemorari ſigillatim, nempe infinita. Veritate poſita & conſtabilita, facilè huius contraria cadent atq; euaneſcent. Et in negotio, quo uno uera & permanſura cõtinetur ſalus generis humani, nihil agam uafrè ac aſtutè, nullo utar doloſo aut captioſo argumento, nõ aſſeuerabo niſi quæ ſint mihi primum perſuaſiſsima: nec contendam ut ratio recipiatur ulla, niſi quę priùs mihi fuerit probabiliſsima. non aliter alijs conſulam, quàm ut mihi priùs conſuluerim. Enimuero quid eſſet immanius alieniusq; ab omni humanitate, quàm fraudẽ ac fallaciam in eo ſtruere, quod tantopere omniũ intereſt ſciri, & ſine cuius notitia ſalui eſſe nullo modo poſſumus, imò miſerrimi ut ſimus neceſſe eſt. Nec illa inducã argumenta uel intricata & nimiæ ſubtilitatis, uel cauilloſa & fucata, cuius generis excogitata ſunt in circulis & diſputationibus noſtrorum hominum plura quàm deceret. Omnia erunt, ut ſpero, facilia & dilucida, quæ intelligi à quouis animaduertente queãt, quantumq; à me utiq; præſtari poterit, efficacia. Atq; utinam operis huius non niſi doctus atq; ingenioſus mihi lector contingeret. Citius enim et promptiùs ſperauerim me ab huiuſmodi impetraturũ argumentis meis aſſenſionẽ & fidem. Cùm imperitis et craſſis hominibus plurimum mihi proſpicio futurum negotij. Videlicet creduntur ægrè quę non ſatis intelliguntur. Quòd ſi nec eruditione multum ualuerit lector, nec corde, at ſaltẽ ualeat diligẽtia: præbeat ſe attentũ diſputationi, in qua de ſalute agitur ſempiterna. Et quandoquidem Deus in humanos animos de ſua luce lucem deriuauit, etiamq; poſt naturæ caſum tantum reliqui fecit nobis, quantum ſi conſeruaretur & excoleretur, in uia nos profectò ſiſteret ſalutis, pro comperto à nobis ponetur, quod

uniuerſo hominum generi in commune iudicatur ita eſſe. Rectè Cicero, De quo (inquit) omnium natura conſentit, id uerum eſſe neceſſe eſt. Nam quemadmodum mutis animantibus cõceſsi ſunt à natura ſtimuli quidam, inſtinctusq;, quibus ad utilia impellantur, retrahantur à noxijs: ita in hominum mentibus inditas atque informatas eſſe notiones credibile eſt, quibus ad ea quæ ſibi profutura ſint, adducantur. Neque enim peior eſt belluarum conditio quàm noſtra, etiam nunc poſt ruinam illam miſerabilem. Quæ res efficit, ut iuxta Pauli ſententiã excuſari malitia hominum non poſsit: quæ nimirum eſſet excuſabilis, ſi non ad ueritatẽ bonitatis inſtructi ſatis, informatiq; eſſemus in uita, natura duce ac magiſtra. Quo ſuapte ſponte leones omnes feruntur, id dicimus leonibus naturale: quo canes, canibus. eundemq; ad modum in cæteris. Quid ergo dici poteſt probabilius, quàm eſſe hominibus naturale, quò nutu ſuo omnes homines ferantur? Quòd ſi eſt naturale, non ergo falſum. nam falſum nos inuenimus: natura non indidit, caligo atque hebetudo noſtrorum ingeniorum illud peperit. Quæ ueritas humani generis in ſententia de uniuerſalibus intelligenda eſt. Nam in ſingularibus falli poteſt. Communes enim illæ animorum conceptiones de generalibus ſunt. Secundo loco uidetur poſſe poni, quod parti maximæ probatur, quod optimẽ, quod ſanctiſſimẽ, id eſt ijs qui lucem animi uel cõſtitutione ſuorum corporũ hauſerunt maiorem ac puriorẽ, uel ipſi deinceps ſtudijs, doctrina, meditatione, experimẽtis, uſu rerum probè ac diligenter annotato repurgarũt: quorum interdum utemur teſtimonijs ad noſtra confirmanda, ut qui humanis tantùm fidunt, libentiùs & ſecuriùs acquieſcãt, quum rationem noſtram ijs uidebũt conſentire, quæ naturę ſunt uiribus per excellẽtes uiros exculpta: & eo utemur crebriùs, quo potiores rationes in ſuam illi ſententiã attulerint, ut ratione ſtemus magis quàm homine, ne eligere uideamur noſtro arbitratu ſuffragatores: atque ea de cauſa ſi manifeſta ratio illorum dictis reclamauerit, corruptũ illorum iudicium oſtendemus. Quòd ſi humanæ ſapientiæ ſectatores inter ſe diſſenſerint, quod faciũt ſæpiſsime, & ratio à ueritate ſtabit, & nos ſecundum rationem pronũtiabimus de cauſa. Aliquibus enim diſſentiẽtibus, ut uerum nullus eorũ teneat, quandoq; euenit, ut autem plures quàm unus teneat non euenit. quia uerum unicum eſt, falſum uariũ & multiplex. Quæ porrò ſenſibus ſunt obiecta, ea ratione non indigent, ſed experimento, prouiſo, quod docerí à philoſophis ſolet, ut ſenſoriũ ſit bene affectum, tum ſenſile ac medium ad ſenſionem cõgruentia. Poſtremò rationes eas in pietate debemus pro potioribus recipere, ad quas potiora & meliora conſequuntur: eas autem reijcere, ad quas mala & damna. Nam ut de Deo optimo optima quæq; debemus cogitare ac ſentire, ita credibilius eſt fieri ab eo ſemper quę nobis ſint utilia, quàm quę damnoſa et noxia: et ut opus illius eſt natura & rerum ueritas, utriq; cõformius eſt quod bonũ ſit & cõducibile. Sunt in rebus diuinis penitiſsima quædã myſteria, ipſi ſoli Deo nec alteri cuiq; explorata, ad quorũ rationẽ et cauſam humana mens nõ aſſurgit: uelut de generatione filij, de proceſſu ſpiritus ſancti, quomodo mundus in hanc pulchritudinẽ & admirabilitatẽ extitit è nihilo: quomodo ſuſtentatur, cur non prius cõditus, cur nõ pòſt. tum in ijs quę ſub ſenſus noſtros ueniũt. Quî fit, ut grauia deorſum, ſurſum ferantur leuia, non potius è diuerſo: tot cœli, tot ſidera, nõ plura aliquot, neq; pauciora? quamobrẽ homo ſit editus, cur imbecillo corpore, et tot rebus indigo, ſollicitatus animi affectionibus & cõmotus? & alia, quæ ſunt Dei unius, ingeniũ noſtrum excedunt. Sapienter Socrates, Quæ ſupra nos, nihil ad nos: id eſt, quæ humana mens capere & inueſtigare nũlla arte poteſt, prætermittamus. Hæc tamen quæ rationẽ omnem excedũt, ea dicentis authoritas, quum fuerit oſtenſa & confirmata, faciat credibilia. Quid, quòd ſæpenumero non ſuccurrit animo ratio in ijs quæ altiſsima & ſupra omnem ingeniorum aciem credebantur, poſtea offert ſe ultrò non quæſita. Sed in his adeò occultis ſuffecerit & contrarios refellere, & dilucidè exponere noſtra, quantum quidem res ipſa patietur. Diuini conſilij, ſi quam attulerimus nonnunquam coniecturam probabilem, erit uelut gratuitum auctariũ. Nam quum homines & angeli omnes, tum cœli ac mundi uniuerſitas opera ſimus Dei, non poſſumus per nos ipſos ſanctum illud

conſilium

consilium assequi,quod creationem rerum anteceſsit.Eò enim ad res producendas adductus est Deus. Quę uerò priora sunt re quaq;,ea non potest res illa comprehendere,nisi doceatur ab eo qui ipsam præcesserit. Quapropter diuina illa intima nō attingit suis facultatibus nostra mens,non modò hæc quæ nunc est uitijs deprauata,& oppressa densa caligine,sed nec illa purior,quæ principale scelus admisit. Si quid peculiarius à Deo traditur, id cum actione gratiarū accipimus, reliqua in occulto sunt nobis, Deo soli summo & præpotenti exposita & aperta. Mosi petenti diuinam ad cōtuendum faciem & maiestatem responsum est cœlitus:Non uidebit me homo, & uiuet: posteriora mea uidebis, faciem autem meam uidere non poteris. Posteriora Domini,opera sunt illius,per quæ alij alijs sublimiùs aut demissiùs ad cōtemplationem illius quandam,uelut per gradus ascendimus. Solem si rectà intueamur,caligabimus: sin obliqui illius utamur splendore, cernemus facilè quæ cupimus, & ipsum eundem considerabimus sine offensa nostri. sic Deum nemo rectè intueatur, ne à fulgore ingenti amplitudinis & maiestatis opprimatur. Per res ab ipso conditas,in cognitionem illius quampiam non difficulter perducemur. Quæcunq; enim ab authore fiunt aliquo,ad imaginem illius existunt, qui edit:siue ea sit corporalis similitudo, ut in gignente animali,in igni comburenti, & eiusmodi: siue inhærentium corporis, ut quū quid ab alio calefit,aut refrigeratur:siue spiritalis ea sit imago,qualis est in pingente, in ædificante, & quæ sunt eius generis. Loquor de ijs quidem qui in operando non feruntur temerè, atq; ut fors tulerit, uelut pueri & dementes: sed qui aliquid animo suo præstiterunt,quod sequantur & petant. Non quòd domus animo sit architecti similis, sed ei formæ ac figuræ quam ille animo concepit, sibiq; uelut exemplar proposuit,ad quod externam structurā accommodaret. Quapropter quum nihil sit,quod sapientius quæcunq; est collibitum instituat & peragat,quàm Deus, fit, ut nec finis certior sit cuiquam,nec magis destinata, idq; si ita est, omnia quæ ab illo exeūt,ut cogitatibus illius respondeant, & similia sint necesse est. At cogitatus illius non sicut in nobis inhærentia sunt,sed ipse idem.nihil enim est in illa sancta natura,ni si ipsa eadem pura simpliciſsima, sui semper & ubique similis, nihilq; est in Deo nisi Deus.Illius ergo similia sunt omnia, expresſius quidem aut dilutius aut alijs alia, sed certè quidem similia,& uero. haud aliter quàm quæ imagines ab eodem sigillo & in cera,& in luto,& in membrana,& in argilla imprimunt,& si non æquè perspicuè omnes,sigillum tamen uerò referunt.Licet ergo ex conditis rebus conditorem aliquatenus cognoscere atq; intelligere,ut patrem ex filio,corpus ex imagine,pictorem ex tabula,architectum ex domo.Et quæ de mundo hoc sumuntur ad Deum argumenta, eiusmodi sunt ad ueritatē Dei,quales rerū imagines sunt Dei, tenues certè ac obscuræ,sed tamen ueræ: tametsi turbatur crebrò mens nostra in hac collectione, dum uel non satis quod cōueniat attendit,uel parum rectè iudicat de rebus creatis. Nam qui collecturus cogniturusq; est per effecta causam,si in natura effecti fallatur,et in causa uti fallatur necesse est, quoniam prauum fundamentum posuit. Vnde tot errores de Deo,quòd in censendis illius operibus uehemēter est erratum. ut quòd cœlum agat omnia,quòd fortuna multum dominetur, quòd nō prospiciat Deus rebus humanis, & huiusmodi absurdissima: propterea quòd cœli & hominū & siderum naturas atq; ingenia non satis cognita haberent & explorata.Hęc Dei per opera ipsius intelligentia & consideratio augetur luce admota,& arte quæsita, uel acumine ac bonitate ingeniorū,uel doctrina & institutione, uel usu & experimentis,uel Deo ipso docente. His enim Dei muneribus maiores inueniuntur & efficaciores rationes,tametsi nunquam ad plenū & perfectū.Nam quis perfectionē cognitionis in tanto interuallo postulet,quæ non est in ijs quæ cernimus,quæq; manibus contrectamus & uoluimus? ausuri tamen spondere certiora fore quæ in hac disputatione afferemus, quàm quæ in omni philosophia asseuerant: quæ philosophia nō opinionib.se & cōiecturis gloriatur niti,sed scientia & cognitione certissima et cōpertissima.Quòd si furori existimatur,proximum pro falso & uano repudiare quicquid in disciplinis uel naturæ,uel rerum humanarum non assequimur, quanto erit in rebus diuinis furiosius? Nihil est

quidem

quidem in fide noſtra reconditum adeò & abſtruſum myſterijs,pro quo non ſint rationes magnæ,multæ,ualidiſsimæ : ſed nos parem ad omnia lucem non accepimus.

Meminiſſe quoq; lectores uelim,me et hominem eſſe,& unum hominem:nec omnia per me aſſequi,nec omnia quę alijs Deus oſtendit legi aut recordor:ne plus à me uel ſperent uel exigant,quàm ab homine mediocris ingenij atque inſtitutionis:néue tantam tamq; indignam faciant iniuriam ueritati,ut illius uniuerſæ,unius ingenium uelint eſſe menſuram.Itaq; fieri poterit,ut rationes aliquando inueniat lector in hoc opere nõ ſatis animi ſui expectationi reſpondentes : non erit hoc pietatis uitium,ſed uel meum proprium,uel tenebrarum humanæ mentis.

CONSIDERATIO HOMINIS ET RERVM HVMANARUM ad inueniendum finem.

HÆc præfati paulò fuſiùs quæ in rem uehementer erat prædixiſſe, aggrediamur iam diſputationem ipſam, Chriſto propitio. Ad hominis uerum germanumq; inueniendum finem,operæpretium fuerit,ut hominem ipſum,humanaq; omnia ſingulatim euoluta atq; explicata proponamus nobis ante oculos. Primùm omniũ naſci hominem uidemus, tum ali, & creſcere, quod uiuere nuncupatur : hoc ei eſt cum ſtirpibus cõmune,diſtinctum à non uiuentibus. Vis ergo & facultas eſt in eo aliqua, per quam uiuit, quæ ijs negata eſt quæ non uiuunt. Ad hæc utitur ſenſibus externis & internis, in quo à belluis nihil differt, differt à ſtirpibus. Aliquis ergo in eo eſt uigor,cuius ope actionibus illis fungitur,qui nõ ineſt plantis & herbis. Veniamus iam ad ipſius proprium. utitur conſilio,ratione,iudicio,ſermone,quæ belluis non ſunt attributa,uti eſt à philoſophis declaratum,et res ipſa oſtendit. Aliquid ergo habet,quo carent reliquę animantes:per quod animal eſt hoc rationale, cætera ſunt bruta,muta, & rationis expertia.Ea uis & facultas Mens dicitur,ſeu Ratio, qua una homo cenſetur,alijs omnibus non diſsimilis rebus tanto ab homine interuallo ſeparatis,ſaxis,arboribus,belluis.Habet in mente functiones duas:alteram, qua in bonum tendit, uoluntatem:alteram,quam huius uelut conſultricem eſſe nuper diximus,iudicium,ſiue ingenium,quę quid uerè et bonum & malum ſit, inquirit. Voluntas ex ſe qualitatem habet nullam, talis ſit omnino quale id quod amplectitur : ſi bonum, bona : ſin malum,mala.Illic eſt uirtus,hic uitium.In ingenio ſuccreſcit,quum non exercetur,ignorantia,quæ eſt uelut tenebræ.quum autem probè exercetur,peritia,quę eſt tanquàm pura lux.quum autem prauè,peruerſitas & corruptela,quæ eſt ceu lux quæ in lucerna ex oleo ardens medicato, uarias rerum imagines obijcit oculis, ut capita aſinina, uitulina, uineam per parietem expanſam, fallitq; intuentes ea ipſa quæ uera deberet oſtendere . In animo, quem communem fecimus cum beſtijs, ſunt ſenſus interni, imaginatio,phantaſia,exiſtimatio,memoria.hinc affectus uarij de opinione boni & mali, præſentis ac uenturi, lætitia, mœror,cupiditas,metus,& alia quæ ſubtiliùs exequi non eſt loci huius. Iam in corpore ſunt ſenſus interni,in illis integritas & uigor. tum integritas membrorum, ſanitas,uires,robur,ſpecies,habitudo, & per ſenſus uoluptas infuſa.Foris ad nos ueniunt quibus conſeruetur corpus,ea ex quibus eſt concretum & coagmentatum.Sumimus enim ex terra,aqua,aëre,& igne,quæ huic tuendæ ac fulciendæ compoſitioni conducant,tum quibus recuperetur ſanitas amiſſa uel nutans, & dubia confirmetur, quibus ſinguli ſenſuum uoluptatibus & delicijs ſibi congruentibus titillentur motu quodam ſuaui et iucundo.Hæc prębuit natura.Nos adiecimus noſtra, primùm pro teneritudine atq; imbecillitate corporum neceſſaria, indumentum,habitacula,inſtrumenta exercendæ terræ,& quodammodo cogendæ, ut fructus fundat, ac ueluti debitor reddat creditum : tum quòd uires nacti eſſemus perexiguas, addidimus nobis adiutores,ſocios,amicos,adminiſtros, tum ex bellorũ rabie ſeruos,& alioquí nati et cõpoſiti eramus à natura ad ſocietatẽ,q̃d beneuolentia et ſermo indicãt.Iam ad procreationẽ ſobolis ſtimulat nos natura,ut cõſeruetẽ genus, itaq; uxores aſciuimus,unde nati liberi.ab uxorib. affinitates ortæ, à liberis cõſanguinitates & propinquitates,& charitatis mutuæ nexus.ex ſociabilitate cœtus & cõgregationes hominũ concelebrati : unde pagi primùm, inde oppida urbesq; extiterunt

non

non solùm amore coniungente homines,sed interdū malis et necessitatibus,dum co gunt se in unum,ij quorū alij alijs usui possint esse.Ex malitia et iniquitate hominum leges sunt ortæ,& ad legum æquitatisq; conseruationem magistratus cum potestate constituti ad cōprimendam audaciam malorū,ad propulsandam uerò uim hostilem & iniuriam externam arma inuenta sunt,& multitudo armata effecit bellum.Qui cœ tui & multitudini illi profuisset,honore afficiebat,tum ad referendā ipsi gratiam,tum ad exemplū aliorum.Communicationi autem rerum à primo seruiebat cōmutatio, in cuius locum quum res esset uisa impedita & inexplicabilis, succesit numus, qui omnia exæquaret. Tum ut homo inter homines agebat ex naturali quadā Dei simi litudine,quam nos deprauauimus,orta est cupiditas excellēdi:sed excellentia dege nerante ad res inanes ac falsas,dum corruptè de bono decernimus.alij enim bonū po suerūt,ac proinde præstantiā in forma,alij in robore,alij in animositate . fuerūt qui in rapinis & cæde hominū,qui in lusionibus,qui in honestate generis,qui in nihil sapiē do,et uita belluarū proxima.alij etiam honorē captarūt,non in sua solùm ciuitate,sed procul apud exteros:nō suo tantū æuo,sed ad posteros,quæ gloria nuncupat. Signa honorū & excellētiæ excogitata permulta,in uerbis,in nutu, in gestu,in toto corpo re,in loco,dum sedemus,dum assurgimus,ambulamus,transimus.In his omnibus im mersit se & iudicandi prauitas,& cupiditas insatiabilis permiscuit omnia, confudit, torsit ad fines tum à natura ipsa,tum à recta inuētione hominum alieniss imos . Non possum persequi singula, quod esset operis immensi,& in præsens minimè necessa rij. Quis hîc non cogatur exclamare: O hominem miserum iumentum, quis te adeò onerauit: sed non eit ei onus ab alio impositum,ipse sibi asciuit,& suis manibus im posuit. Hic est homo,hæc humana . Dispiciamus iam ubi est eius finis. Finem uoco, ad quem referuntur cætera omnia, ipse ad aliud nihil . Quod ut exemplo fiat mani festum,præparationi nauis finis est nauigatio, sed non postremus:neq; enim ibi sistit destinatio animi.nauigationi proposita est pecunia, neq; hæc postrema,quam uideli cet alterius rei gratia quærimus:nempe ut uestē paremus & alimēta.alijs uerò,ut ser uos,domos rem familiarē amplam:alijs ut gerant bellū,uel decus sibi conciliēt & au thoritatē,ut est cuiusq; animus & cupiditas.Et cibū expetimus,quò rectè ualeat cor pus,aut animus:et rectè uolumus habere, ut probè fungamur actionibus quas cupi mus.& hæ aliorsum tendunt,uel unde uenerant reflectūtur. Non sunt itaq; hi fines, quos hîc quærimus, sed ultimū illum in hominū actionibus inuestigamus,ad quem tanquā summum & præstantissimū tendunt omnia: ipse sui tantùm gratia quæritur, non aliorum,qui finis bonorū nuncupatur. Olim qui philosophiā profitebantur,par tim cōtradicendi studio, partim sui ostentandi, partim quòd non eodem omnes mo do cōsiderarent hominem,uarios depinxerūt fines . Fuerunt qui uoluptatem pone rent,quòd ad eam bestię omnes,ut & nostra animalis pars,ceu nutu suo ferrent pro næ.Adiecerunt alij indolentiā,eamq; præcipuā esse uoluptatē dixerūt:alij sanitatem. Quidam sensu magis populari, nihil esse potius aut præstabilius arbitrati sunt opi bus,honore,potētia . Alij penitius inspexerūt hominis naturā,finemq; in animo esse oportere statuerūt,nempe uirtutē,qua componit ac formatur animus, ne in motus il los incōditos ac turbulētos intumescat ac tumultuet:hi fuerunt Stoici. Aristoteles al tius ascendit ad mentem,et quod in ea existimet esse optimū,uidelicet cōtemplatio nem rerū maximarū,id postremū esse censet in bonis.addit uelut appendices corpo ris & animi,& uitæ seu bona, ut ipse uocat,seu cōmoda,ut Stoici . Hæ duæ nationes ex disputationibus Socratis sunt natæ, quas literis mandauit discipulus eius Plato, qui in cōstituenda beatitudine hominis uarius est et incertus,tametsi quibusdā locis plus uidit quàm reliqui omnes philosophi . Ait enim alicubi,uirtutem doctrinamq; præcipuū esse bonū:alibi uerò,cōtemplationem optimi,nempe Dei:alibi sublimius elatus,amorē eius atq; imitationē esse affirmauit. quod dictū quia ueritati est proxi mum,ad postremum disputationis reseruabimus . Reliquæ omnes opiniones ac sectæ iam olim aliæ aliarum telis confixæ, & argumentationibus refutatæ sunt . Faci lius enim cuiq; fuit contra falsum dicere,quàm uerum inuenire.Eorum rationes huc

adferre

adferre,operoſum eſſet nimis,& ſuperuacaneum. Attingam tantùm aliquas non ex illis ſubtilibus atq; intricatis,ſed cuiuſuis captui aptas et congruentes.Conſtat homo (uti nullus ignorat) ex animo et corpore.Finis ergo illius in externis rebus nõ poteſt ſitus eſſe, quæ nec ſunt in homine, nec quicquam ſunt hominis. Et ea cum hominis gratia ſint quæſita & parata omnia, non poſſunt profectò finis eſſe hominis, contrà potiùs homo eſt illorum finis & cauſa. Neq; enim uel pecuniam uel poſſeſsiones & opes alias quærimus propter ſeipſas, niſi quod adferunt uel delectationem, uel decus,uel uſum aliquem ad neceſſaria.Hæc igitur ulterius poſita ſunt,& diuitiæ. Quòd ſi hæc abſq; numis liceat conſequi,pauci numos attingerent:ut reges & proceres magnanimi, quibus cum pecuniarum uſus omnis abundè ſuppetat, ipſi pecuniam nec contrectant unquam, ac ne uident quidem. Quòd ſi externa quia homini ſeruiunt, eiusq; gratia ſunt inuenta,non ſunt curſus huius meta & ſcopus actionum, eadem ipſa de cauſa nec in corpore utiq; ſitum erit hoc de quo loquimur bonum. Corpus enim omnino ſeruit animo,ut ueſtis corpori,& animi gratia corpus curatur.Elegantèr Saluſtius: Animi imperio, corporis ſeruitio magis utimur: alterum nobis cum dijs,alterum cum belluis commune eſt.Et uolumus bene ualere corpus,& ſenſus habere integros,uoluptatibusq; perfrui,ut meliùs & ſuauiùs ſit animo,& liberiùs ac rectiùs fungatur ſuo munere mens. Quis eſt enim qui quid dementia,ſi non ignorans, ſi daretur optio,eligeret firmiſsimam ualetudinem,uoluptates & oblectamenta ſenſuum omnium cum dementia, quiq; non multò malit rectè ſapere quàm rectiſsimè ualere? imò conſenſu generis humani conſtat nullum eſſe grauiorem morbũ quàm inſaniam animi, & morbos omnes animi ſæuiores atq; atrociores eſſe, quàm corporis, magisq; deuitandos. Denique uel ipſo aſpectu hominis & leui animaduerſione eorum quæ agat,perſpicuum fit cuilibet,in animo eſſe dominatum,in corpore miniſterium. Quòd ſi corpus mancipium eſt uel adminiſtrum,uel (ut alij loquuntur) inſtrumentũ animi,quis in eo quod uilius & abiectius eſt,beatitudinem collocet præſtantioris? Porrò ſi animi gratia ſunt corporalia, finis horum animus erit, non è contrario. Sed finem profectò cuiuſq; rei proprium ad eam pertinere partem oportet, quæ eſt cuiq; rei maximè propria. nam ſi in re cum alijs cõmunis eſſet poſitus, idem eſſe poſſet diuerſarum rerum finis,& communis illis cuiq; illarum proprius,quod fieri nequit.Itaq; finem homini peculiarem & proprium ex ea eſt quærendum hominis parte,qua homo eſt homo à cæteris rebus omnibus diſtinctus. Hoc poteſt exemplo commonſtrari ſi cui uerſato in uita cõmuni,homini acuto et prudenti,qui nunquam tamen cultellum aut gladiũ uiderit,cultellus offeratur,nec ullo indicante quærat gladij uſum, & quem in finem inſtrumentum illud ſit paratum, non in eo ponet uſum quòd ſit oblongus,non quòd mucronatus (nam & multi bacilli ſunt tales) ſed in eo quod ei eſt proprium,nempe in acie: ſic in homine quis ſtatuat ultimum bonorum in corpore,quod cùm ſit ei cum belluis commune, etiam beatitudo hominis brutorum eſſet beatitudo. quod ijs accidere neceſſe eſt,qui indolentiam, qui ualetudinem rectam,qui uoluptatem fecerunt extremum in bonis,ut in beatitudine belluas & homines æquarent, quos natura tanto interuallo ſeiunxerat. Eſt ergo ſummum bonorum ad mentem pertinens, & in ea collocandum. Quid magis conuenit,quàm ut id quod homini eſt ſupremum & optimum,in eo reponatur quod eſt in homine optimum & præſtabiliſsimũ? Id ſatis intellexerunt Ariſtoteles,Academici,Stoici,& alij, qui in animo repoſuerunt hunc finem.Stoici,uirtutem dixerunt eſſe qua mores componuntur,& reguntur prauæ animorum perturbationes:ſed hæc in parte humili uerſatur animi,quę nobis communis eſt cum belluis.Nec uirtus eſſe poteſt ultimum bonorum,qua nihil eſt propter uitæ incõmoda laborioſius, ærumnoſius, calamitoſius. Bonum enim in quiete ſitum eſt,& delectatione.Ariſtoteles ſpeculatur aliquanto ſublimiùs & longiùs.Huic duas eſſe placet beatitudines,ciuilem & politicam unam,alteram ſapientis priuatam:& tria bonorum genera,animi,corporis,& uitæ, ſeu externa.Summum illud ſapientis bonum,quodq; nomen hoc mereatur ſine addito, perfectum ſuisq; omnibus numeris conſtans dicit eſſe in mente,quę excellentiſsimum eſt

in homine

in homine,& maximè diuinum.Huius uerò prȩcipuum opus est contemplatio.hanc ergo esse summam fœlicitatem cõcludit. Aliquid fortasse diceret de animis corpore solutis: sed loquitur de hac uita,in qua quid tandem potest contemplari animus tanta mole corporis onustus & obrutus, tam densis tenebris oppressus? quanto minus pulcherrima illa & præclarissima,præsertim quum eius ipsius uox sit in prima philosophia magno applausu ab omnibus comprõbata,aciem mentis nostrę non aliter ad manifestissima naturæ caligare & hallucinari, quàm noctuæ oculos ad fulgorem solis.Iam quantumlibet uel contemplari connitaris,uel uirtutem sequi,auertunt,aut saltem interpellãt te molestissimę necessitates corporis ineuitabiles,quibus succurrendum est uelis nolis. Ita speciosa illa & fœlix contemplatio uel exercitatio uirtutis rebus abiectissimis cedit, & cogitur de culmine illo beatitudinis uel deuolui, uel descendere.Quàm uerò consentaneum est in eo ponere fœlicitatem,quod est penè nullius?& in primo libro Moralium dicere, non dari beatitudinem à fortuna, quòd beatitudinem par sit communem esse humani generis, & ad omnes pertinere? Quòd si tibi Aristoteles in mente fœlicitatem collocare est uisum, cur uoluntatem solam desertamq; omittis? præsertim quum ipse fatearis cognitionem omnem propter appetitum esse à natura tributam,tam in bruto quàm in homine.cognoscimus enim bona & mala,ut hæc auersemur,illa expetamus.Stoici noluerunt bona appellare,quę corpori essent utilia:& quæ sunt reperta à nobis in uita,commoda nuncuparunt, & utilitates.Sed à Cicerone & alijs satis est ostensum,quæcunq; usurparent nomina, rem tamen eódem recidere.Quòd si in hac uita uelut concentus quidam & harmonia exigitur omnium bonorum ad fœlicitatem, talem utiq; fœlicem confingũt, qualis nondum quisquam fuit,nunquam erit,ac ne esse quidem potest.Quippe fœlicitas hæc et consummatio bonorum in uita hac, nulli potest euenire:et si quis hominem intus ac foris inspexerit,facilè intelliget finem nullum habere in uita homine dignũ,et in quo possit conquiescere.Quòd si quæ fine carent ipsis congruenti frustra sunt parata,necesse est profectò aut hominem frustra esse à tanto authore Deo cõditum, & in hanc uitam quasi in peregrinationem missum,aut in exilium.Vana sunt quæ usum sui atq; utilitatem uel nullam prȩstant,uel perexiguam,req; ipsa indignam,quæ nihil habent intus quod prosit,nihil quale præ se foris ostendunt,ut uanæ bullæ fontium, & auenæ,& lusus pueriles.quid creatum esset à Deo uanius & inutilius,si præter uitã hanc nihil haberet?id uerò si de sapientissimo Deo nefas est existimare,alibi ergo quærendus est hominis finis,non hîc:& ne res uerbi ignorantia claudatur,finem ex consensu omnium philosophorum (quod res ipsa docet) appello, quod perfectum hominem ac beatum reddit. Huius conditionis sunt hæ, ut sit homini proprius, ac ea de causa in optima illius & præstãtissima parte situs,ut qui unus satis sit ad fœlicitatem: quod autem fœlicitatem beatitudinemq; allaturum, maximas ut delectationes importet sine ulla molestia uel perturbatione necesse est.Adde his,ut sit perpetuus,nec auferri potest. Nam si quis metus interueniat ne amittatur, is metus fœlicitatem diluet & corrumpet.Ideo in sua cuiusq; manu positum esse oportet,aut certè illius de quo exploratum habeamus, daturum eum quoties nobis libuerit. Si quis hominem contempletur in hac uita,inueniet nihil minus assequi finem suum, quàm illum. Corpus est imbecillum fortitus,fragile,et morbis ac mortis generibus innumeris obnoxium: æui breuis ac incerti,cui exitus singulis momentis plurimis & uarijs de causis impendet. Brutis uerò firmiora sunt corpora, minus concussa morbis, & ætas diuturnior: quæ fuit Theophrasti,& quorundam aliorum querela, dum in sapientiæ curriculo multas paterentur moras, & interciperentur priusquàm metam attingerent. Forma opinionibus constat.unicuiq; animanti sacra est sua forma,& omnium pulcherrima: uetusq; dictum est,Suum cuiq; pulchrum. per quod significatur, non consentire inter se hominum iudicia in statuendo de pulchritudine. Quòd si res coloribus censetur,pauonibus cedamus,& multis auicularum, atque etiam uermiculorum.Deinde quænam fœlicitas est,quæ minimum prodest possidenti, plus delectat spectantem quàm habentem? Quid,quod est res momentanea, corrumpitur mille casibus, mor-

bo, ætate, plaga, hulcere, papula, à ſole, à uento, ab æſtu, à rigore. Voluptates corporis breues, & planè momentaneæ, nec unquam meræ, ſemper moleſtia commiſtæ et contemperatæ. Relinquunt uerò poſt ſe mœrorem & morbos. Bruta illis & pluribus, & maioribus et diuturnioribus perfruunt: quippe quæ undiq; uoluptates conquirunt, & abiectiores ſunt ad eos ſenſus quibus potiſsimùm uoluptates capiuntur, nempe guſtum & tactum. Adde quòd eas ſumunt ſecurè, ſine reuerentia, ſine reſpectu Dei & hominũ, ſine repugnantia mentis, quæ prauis cupidinibus reclamat. Quòd ſi in illis eſſet fœlicitas, fœlicior fieres quo eis & diutius & crebrius utereris. Atqui tum fis miſerior. frangitur enim & debilitatur corpus, animus autem in belluinam naturam degenerat: ut fœlicitas tua nihil ſit aliud, quàm uerti in pecudem. Nec illos ipſos ſuos ſenſus delectatione afficit uoluptas, niſi moderatus ſit eius uſus, & rarus: quemadmodum eſt apud quendam poëtarum, Voluptates commendat rarior uſus. Cuiuſmodi porrò ſit uoluptas exiſtimanda, declarauit conſenſus generis humani, qui tegi illas, qui diſsimulari atq; occultari uoluit, nec eſt ullus qui de gulæ aut libidinis perceptis uoluptatibus glorietur: niſi fortè inſanit, & pudorem omnem excuſsit, hoc eſt (ut Cicero dicit) nomine ſit homo, non re. Nam quiſquis humanum habet ſenſum, quærit tenebras, & ubi deliteſcat, etiam in ijs quæ ſunt lege ac iure permiſſæ, ut quum coniuges dant operam liberis. Quinetiam philoſophi Epicurei, qui in uoluptate beatitudinem ſummam collocarunt, & ſi à primo de corporeis uoluptatibus loqui ac ſentire ſe eſſent profeſsi, ut Epicurus ipſe, non tamen & aliorum philoſophorũ uexationem & uerecundiam humanitatis ſuſtinuerunt. Itaq; uelum ei addiderunt honeſtę matronæ, præcipuas, & ueras, & ſolidas eſſe uoluptates animorum: de illis ſe loqui, non de hac abiecta & bruta. Contra quos diſputant quum alij, tum M. Tullius. Sed ad nos nihil, quibus ſatis eſt corporeæ uoluptati pretium & dignitatem detraxiſſe. Iam comedere ipſum, & bibere, quàm res eſt moleſta, toties, tam diu repetendũ: & ubi finitum eſt, abit delectatio, relinquuntur ructus, excreatio, meiere, excernere, grauitas ſomni, in quo nihil homo differt ab arbore. Si nimium ederis, aut biberis, aut naturæ parum cõgruentia, labor, moleſtia, morbus, dolor, mors. Ædificatio, res ridicula, lapidem lapidi ſuperponere, tignum tigno addere, bacillum bacillo, ſtipulam ſtipulę. Veſtes pudori conſulunt. Quod bonũ eſſe poteſt in eo, quo fœlicius careremus, ſi liceret? Hæc enim noſtra infirmitas inuenit, nõ præſtantia. Quanto ſunt meliore conditione, quibus hæc non ſunt opus? Deniq; quid poteſt eſſe circa corpus, aut in corpore bonum aut expetẽdum, quum ipſo noſtro corpore nihil ſit turpius, nihil tetrius & fœtidius? Tollat quis cuticulam, uidebit quanta ſubitò exiſtet fœditas, quæ undiq; per omnes corporis meatus, tanquam per cloacas continenter ſcaturit. Quæ externa ſunt præternaturalia, quæ naturalia perpauca ſunt & exigua, nempe quis corpus alitur & tegitur: cætera humana uanitas inuenit, & nos deinceps delicijs & prauo uſu auximus in immenſum, & effecimus ut illis indigeremus. Multæ gentes his dementiæ noſtræ inuentis non utuntur, nec indigent, faciliusq; ac fœliciùs ætatem degunt tanti ponderis expertes. Nam opes, honores, dignitates qui quærunt, aut qui quæſitas tueri ſtudent ac conſeruare, quàm multis & uarijs ſeſe moleſtijs inuoluunt? Quid, quòd non ſunt in manu & poteſtate poſsidentis, fortuita ſunt: qui deſiderat & affectat, plerunq; non conſequitur. Confluunt uerò ad negligentem, atque etiam interdum aſpernantem. Adde his, quàm multarum inimicitiarum ſunt cauſæ ac fomenta, inuidia competitorum. Vnde non ſingulorum modò hominum turbatur quies, ſed uniuerſæ ciuitatis, ac regni, & prouinciæ totius. minoribus uerò quanto ſunt odio, qui ſe ab illis premi cenſent?

Age uerò, quibus tandem de rebus eſt tanta digladiatio, tam acerba contentio? de leuiſsimis ac minutiſsimis, de pecunia. Atqui ea per ſe nihil eſt. alibi eſt ex auro, alibi eſt ex argento, ex ære, cupro, orichalco. fuit aliquando ex ſoleis calceorum, eſt in quibuſdam Orientis ciuitatibus ex fabis, certo numero diſtributis arbitrio magiſtratus aut principis. Et modò uſus ſit idem, quid refert quæ ſit pecunia? quæ ad paranda ea eſt excogitata, quibus corpus quotidie indiget. Nam & gemmis prima conciliatio

pretij

pretij dicitur fuisse, quòd uim dicuntur habere salubrem corpori. Itaque in multas medicinas adhibentur. Ergo semoto usu, nihil refert aurum habeas an saxum, adamantem an scrupum ex glarea sumptum. Quòd si instrumentum est pecunia, res est utique quum ibi sistitur inanis: ut si quis pennas coaceruaret diligenter multas, & uarias, nunquam scripturus. Vsus porrò necessarius, exiguus est. Quid faciunt centum millia ducatorum, ubi duo aut tres sufficiunt? Vsus superuacaneus prauitatem demonstrat iudicij. Quisquis enim superuacaneum dicit, eo ipso nomine uanitatem coarguit uacantem & redundantem. Accedit honor, quid rei hoc est? nam euanescit protinus, si quid ex ea coneris attingere. Aperiri caput, de uia cedere, blandè appellari, duci, & reduci, hæc nihil sunt. Stulta opinio & inconsiderantia efficit, ut aliquid esse credantur. Adde quòd alieni prorsum sunt arbitrij, nempe populi, belluæ multorum capitum. is, ut uariè de præstantia iudicat, ita honorem quò non decet applicat, unde non decet detrahit. Quę potest esse fœlicitas in alieno arbitrio sita, atque eo rudi, crasso, ac proinde iniquo? De nobilitate uerbum nullum faciam: quoniam nihil puto ab hominibus stultius & inanius excogitatum, quodq; minus haberet solidi quod apprehendas. Magistratus cura est & solicitudo, si uelis esse uir bonus: sin malus, quæ potest esse fœlicitas in tyrannide & odio plurimorum? Si sunt hi hominum fines, si ad hæc est homo conditus, quid eo potest fingi miserabilius? quanto beatius uiuitur sine his? quæ aliud prorsum non sunt, quàm fontes omnium curarum, molestiarum, cruciatuum animi perennes & copiosissimi, contra quæ sigillatim multa sunt ab excellentibus ingenijs collecta, ut operæ sit superuacaneæ illa persequi. Quæ sunt cuilibet obuia. Denique omnia hæc quæ ad uitæ huius excogitauimus subsidia, quomodo beabunt nos, quum ne tueri quidem possint à morbis, doloribus, molestijs, anxietatibus, fame, siti, algore, æstu, morte? Hæc circa corpus, aut in ipso corpore. Scrutemur, si placet, animum. In cuius parte ima, & ea quæ corpus attingit, sunt motus illi, perturbationesq;, qui affectus uocantur. His uerò quid turbulentius, atrocius, sæuius? qui minimo excitantur flatu, sæuasq; tempestates in toto homine concitant, ut non uideatur iam homo esse, sed planè pecus aut fera: uitamq; uniuersam tantum abest ut beatam efficiant, ut reddant prorsum insuauem atq; amarissimam. Omnisq; moralis philosophiæ in hoc uersatur cura & labor, ut sedentur, ut conquiescant hi motus. Altera superior pars ac melior, mens dicitur. Quæ sunt illius bona? Duo, uti & functiones duæ. In intelligentia est peritia, in uoluntate uirtus. In intelligentia humana tantæ sunt tenebræ, ea nox, ut quod acutissimus & peritissimus homo assequitur, non multum abesse uideatur ab eo quòd nocte obscurissima cernimus lucernis remotis. Scilicet memoria est angusta, fluxa, infidelis, acumen autem ingenij retusissimum, segnis diligentia & tarda? Quomodo constitues in eo fœlicitatem, quod uel nullum est prorsum, uel adeò tenue atq; exiguum, ut pro nihilo sit habendum? Quo magis Aristotelis sententiam miror, qui quum non ignoraret quàm infirmæ essent etiam circa corporalia quæ sub sensus ueniunt ingenij nostri uires, finem hominis in contemplatione posuit rerum supremarum, & quidem in hac uita: ut nihil uideatur fecisse aliud, quàm excitare hominibus cupiditatem eius rei, quam consequi non ualerent. Ecquis tandem in cæco, aut homine uisus hebetissimi dicat fœlicitatem esse, multa acutè cernere? hoc irridere potiùs fuerit uitiũ, quàm ostendere quid habeat optimum natura. Quanto sapientius Plato? qui fœlicem eum uocat, cui uel in senectute contigerit, non ut scientiam habeat, sed ut rectas opiniones de rebus. Altera pars est uoluntas, atq; ea potior. Huius perfectio est uirtus. quocirca in excelso loco residere dicitur, domina & regina omnium. Equidem ad uirtutis nomen non possum non assurgere, & multum ei deferre. Agnosco rem esse unam omnium pulcherrimam & præstantissimam, cui omnes meritò plurimum tribuant: sed ipsam non propter se, uerùm propter beatitudinem illam sempiternam, ad quam per uirtutes uenitur. Nam si ad hanc uitam referantur omnia, nec ulla sit alterius spes, memoria, respectus, profectò nihil est uirtutis nomine inanius, nec aliquid intus continet, nisi fortè apud callidos astutiam commodè ac suauiter uiuendi. Virtutes censen-

tur hæ,Iuſtitia,fortitudo,continentia.Accedit prudentia,quę magis rectrix eſt & moderatrix uirtutum, quàm uirtus ipſa. Non eripis cuiquam ſuum, reddis depoſitum, non fraudaris,non circumuenis,pręſtas pietatem patriæ,parentibus,propinquis,neceſſarijs,benefactori gratiam. iuſtus es:ad hunc eundem modum in actionibus aliarum uirtutum. ſubis pericula intrepidè, perfers incommoda fortiter, obijcis te morti animoſe,fortis es.Si hęc facis omnia,ut uir bonus habearis,ut ſis in pretio,ut beneuolentiam,ut honorem,ut decus colligas,quibus ex rebus dignitas,opes, & uita iucundiſsima comparatur:ex contrarijs autem ignominia,dedecus,damna, pœnæ legibus conſtitutæ:án non uirtus tua cautio eſt,ſeu cauponatio ueriùs,non aliter quàm nauigatio & negociatio, & bellum quod milites mercede perferunt?Ita habebo in bono opere uoluntatem peſsimam,nec minus aſſequar:imò magis multò quàm is qui ſimpliciter habet optimam,& ſequitur bona fide rectam conſcientiam. At dices hic eſt uerè uir bonus,non illę:uanæ ſunt uoces.Quid eſt enim uir bonus,ſi hęc uita ſola ſpectetur,niſi inane nomen?quis eſt iudex,quis eſt uindex rerum intra cuiuſque pectus occultarum?Non minus diu uiuit uir malus quàm bonus, & magis ex animi ſui ſententia ac uoto.Confecto autem curſu,nihil utrinque remanet:imò ſæpenumero mali hominis reſtat fundatum patrimonium aſtutia & calliditate honeſtati,liberi etiam fama illius tanquam boni ac præſtantis uiri. Sed natura tamen & imago ueritatis adeò ſunt apud animos noſtros fortes,ut uel falſam & degenerantem uirtutem propter uerę ſimilitudinem quandam & uelut umbram,non poſsimus non admirari,quia uerę uirtutis uenerationem ac beneuolentiā Deus humanis pectoribus indidit. Itaq; contra ueram uirtutem,cuius ope ſempiterna bona conſequimur,nihil dici poteſt: contra fictam hanc & adumbratam, plurima acutè ac uerè. Nanq; ſi ad hoc ſolum æuum reſpexeris,utique uita noſtra,uita erit corporum. At corpori nihil eſt perinde inimicum,ac leges & præcepta uirtutis,per quam omnia illa prohibentur & interdicuntur quæ corpori allubeſcunt: ut non immeritò carnem & uirtutem in duabus lancibus ſtatuerint,quarum altera alteri conaretur prægrauare quantum poſſet. Quòd ſi corpori uirtus eſt contraria,& huic uitæ:ſi huic uitæ, profectò & ipſi homini. Equidem de ijs qui omnia uita concludebant, libens audierim, quorſum illæ uoces pertinent magnificæ ſanè & amplę ſed uelut bullæ:ſi deos atque homines ſperemus poſſe nos fallere,nihil tamen agendum iniuſtè,nihil prauè, nihil non ex uirtute. Cuius tandem rei gratia?Vt ſimus (inquiunt) boni. Quorſum ea bonitas? quis eius fructus? Nam bonitas moleſtia eſt, cui corpus & animi affectiones repugnant. Atqui nihil moleſtum ſecundum naturam,& proinde nec efficiens beatitudinis. Sin ea captatur bonitas, ut compoſitis animi affectibus iucundiùs uiuatur, ea certè ſpectatur & captatur iucunditas,non uirtus: quæ negligetur prorſum, ſi iucunditatem hanc conſequi detur ſine uirtute. Dicunt præterea: Nónne ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minimè uerò. Non enim eſt mihi uita mea utilior, quàm animi talis affectio, neminem ut uiolem commodi mei gratia. Mirum eſt,eos quibus ſpes eſt poſt hanc uitam nulla,non ridere, quum hæc ſcribunt aut loquuntur. Quid,quæſo,tantopere profutura eſt talis animi affectio ſapiēti,ut mortem is malit ſubire,quàm illam uiolare?aut quomodo eſt magis contra naturam,quæ uocatur iniuſtitia, quàm mors,quum prima naturæ cōmendatio ſit cuiuſq; erga ſemetipſum? Sed pergunt loqui magnificè:Præſtare diem unum bene, & ex uirtutis præſcripto tranſactum, quàm totam immortalitatem uirtute ſepoſita. Tum adhortantur nos,uel relictis rebus omnibus ſequamur uirtutem,& citò ſequamur,& ſatius eſſe aliquando tandem ſerò,quàm nunquam. Omnia hæc ſunt uana,& infructuoſa Cedò, paucis antequàm morior diebus renuntio uoluptatibus & uitæ delicioſæ, dedo me ſeueræ atque aſperæ uirtuti,paulò pòſt decedo è uita, quid nanciſcor ex uirtute?quis fuerit illius fructus? In tauro Phalaridis (inquiunt) exclamabit ſapiens, Non curo, non ſentio: quorſum id,ſi ilicò totus moritur? profectò fundunt uoces inanes,& uidentur uelle grandia quædam effundere, ut in tragœdijs quæ populus admiretur. Quantò rectiùs apud Xenophontem Cyrus, & ſenſui communi appoſitiùs? Equidem,

dem,inquit, ita ſentio,nullam ab hominibus exerceri uirtutem, quo nihil magis habeant probi,quàm improbi. Quiq; uoluptatibus ad tempus abſtinent,non id ea gratia faciũt,quo ne unquam poſtea delectentur, uerùm ut per huiuſmodi cõtinentiam amplioribus deinceps uoluptatibus perfruãtur. Sic ille. Quapropter cordatiores ex philoſophis ſatis intellexerunt,uana & infrugifera eſſe omnia, ſi huc modò referrentur:ideoq; uirtutum & uitiorum præmia ad alteram uitam remiſerunt,ut Socrates,et hunc ſequutus Plato,& Platonem Cicero,et alij complures. Quod quia natura duce ac magiſtra probabile erat in uulgus,poëtę quoq; tenuerunt,Sed hæc ita ſunt leuiter dicta ac frigidè,ut idem ipſi non ſatis uiderentur credere quæ affirmabant, quemadmodum alibi docebo. Sed profectò ita eſt,nullũ habet homo finem in hac uita ſe dignum. Quòd ſi nec habet in altera,fruſtra eſt,non eſt autem fruſtra:conditus eſt ergo ad alteram,& ibi eſt quies,& finis,& beatitas illius.

QVI SIT HOMINIS FINIS, EX IPSO HOMINE perſcrutatio.

VErùm ex homine ipſo probè attenteq; conſiderato,non fuerit profectò operoſum,quis illius ſit finis,aut quæ certè eius ratio,inuenire. Nõ aliter quàm ſi quis in extremis illis Oceani inſulis, ubi nullum eſt ferrum, gladiũ uideret ab aliquo noſtrorum hominũ allatum,multum uoluendo & uerſando, & ad rem aliquam accommodando atq; experiundo,uſum tandem illius inueniret,in quem eſſet paratus. Sic homo inſpiciatur diligenter intus ac foris. Quæ in ſe,quæq; extra ſe habeat recenſuimus paulò antea. Ex naturæ præſtantia & ratione uſus facilè intelligetur, non huc eum ſpectare,neque huic eſſe uitæ conditum. altior enim eſt naturæ conditio, quàm pro his rebus, nec uſus earum tam præſtans inſtrumentum poſtulat, nec uſus inſtrumenti huius hiſce eſt rebus aptus & accommodatus. Dicamus hæc apertius & explicatius, ut ab omnibus poſsint intelligi,modò mentem atque intentionem adhibeant. Nihil unquam aſſumitur in uſum & finem alterius, quod ſit potius & præſtabilius eo propter quod ſumitur. Id nec in uita contingit unquam inter ſapientes, nec in natura, quæ ſumma ſapientia regitur. Semper enim quod alterius gratia ab aliquo expetitur,minus eſt illi quàm id quod expetit, alioqui contrario potius modo expeteret. Omnes pecuniam damus propter cibum, & hunc uolumus propter uitam. uita ergo melior cuique quàm cibus, & hic quàm pecunia. nam qui uitam impendit propter honorem & famam, charior & melior eſt huic fama quàm uita. Appetitus enim noſter natura ſua in id fertur, quod ſibi cenſet eſſe bonum. Quo ergo melius & potius exiſtimarit,eo ferretur pronius & uehementius. Itaq; in quod potiſsimum, & propter quod aliud faciet, id cenſebit ſibi eſſe omnium optimũ. Quòd ſi ſit uoluntas ſapientis, non falletur: & id re uera erit optimum, quod maximè omnium expetet,& in cuius gratiam ſumet alia.Natura ergo quæ eſt ſapientiſsima omnium,nempe à ſapientiſsimo compoſita,conſtituta,inſtructa,ea quæ re uera ſunt præſtantiſsima & optima ſtatuit ſummo loco,et horum gratia cætera,nõ uice uerſa. Creauit ergo quicque, & ei attribuit hunc finem,ut bene ſit illi. hoc enim non poteſt dari aliud potius aut melius,& in eo cuiuſque rei appetitus conquieſcit, dignumq; id eſt in quod ſumantur & referantur alia.Senſuum ergo corporalium finis eſt, ut bene ſit eis: mentis uerò,ut bene ſit illi. Senſus meritò in rebus uitæ huius occupantur,in eſu,potu,calefactione,refrigeratione,& huiuſmodi : quoniam per hæc bene eſt ipſis. integriores ſunt enim,acutius noſcunt,& perfruuntur ſuis uoluptatibus. Mens uerò ſi in rebus uitę huius occupetur,quis erit fructus:non ei bene erit,ut quæ nec clarius intuebitur res excelſas uel abditas,nec perfruetur uoluptatibus cognitionis:imò longius aberit ab intelligentia rerum ſe dignarum, quo attentius & diligentius innauauerit rebus uitæ huius,nempe parãdis ijs quę poſtulat corpus. Itaq; quod melius eſt, fieret inſtrumentũ deterioris, nempe mens corporis:& ſenſibus ſeruiret intelligentia. cum omnibus è cõtrario potius natura informationẽ hanc indiderit,extrema eſſe cõdita propter corpus,hoc propter animum:& in animo quæ ſunt inferiora propter ſuperiora,uidelicet propter meliora ſunt minus bona, Adde quod eſt huic uitæ orga

num minimè neceſſarium mens. Senſibus quidem eſt animanti opus ad uitam, homi ni eundem in modum ad parandum uictum: nihil aut quàm minimum eget intelligentia, certè non maiore quàm habet uel canis, uel elephas. argumento ſunt fatui ho mines, qui non minus uiuunt, nec minus perfruuntur uitæ gaudijs, quàm ſapientes, nec illis mente eſt opus: imò ſi uitam hanc ſolam ſpectes, non iniuria dixerit Græcus ille, In nihil ſapiendo uita iucũdiſsima. Vbi enim multa ſcientia, ut inquit Salomon, multa afflictio, & curę, & cogitationes, et ſollicitudines graues ac moleſtę, queis de mentes carent. At neceſſaria eſt intelligentia (nam hoc dicet quiſpiam) ad hunc uitæ cultum, in ueſtibus, in condituris ciborum, in poculentis, in habitatione, in ſupellectili, in nauigatione, in uecturis, etiam (ſi Deo placet) bello ad honores & dignitatem, & alia quæ ſunt huius generis. Hæc non dedit natura, ſed excogitauit uanitas, graue onus ſuper filios Adam. Imò hæc ipſa ſunt de quibus conqueror, quę auertunt mentem à cognitione ſua, & cogunt ancillari rebus indigniſsimis, & quod erat in res altiſsimas conſumendum, conſumitur circa uiliſsima. Profectò opus eſt ad illa intelligentia, ſed miſera, & de excellentia ſua deturbata. Si quis Melitenſe lintheum, ut olim dicebant, aut quod hodie Hollandicum dicitur, tenuiſsimum & candidiſsimum uiderit, num exiſtimabit paratum ad cœnum inuoluendum, aut uerrendum pauimentũ? minimè uerò, ſed ad uſum honeſtiorem corporis. ſic intelligentiã mentis noſtræ ſi quis attentius contempletur & conſideret, erit ne tam ab intelligentia & mente alienus, ut uſum exiſtimet fuere calceum, macerare piſcem, extruere lapides? Quid, quòd nec opulenti & primores dignantur illa facere aut ſcire, & ſapiẽtes aſpernantur, excutientes curam illarum rerum omnium, ut uacent potioribus. Anne tanta rationis & cogitationis uis eò eſt homini tributa, ut paret metalla, ut cædat lapides & ligna, quærat alimenta & tegumenta corpori, ut paret per quæ alij aſſurgant ipſi, & nudent caput, & cedant de uia? O miſeram & deplorandam conditionem uitæ. Homo res omnium nobiliſsima, & princeps mundi ſublunaris, occupatur toto die in conficiendo calceo, in tondendo crine, in uerrenda toga, in coquendo cibo, in uoluendo ſecum uel ultionem, uel fraudem, uel cædem & ſtragem. Vah miſerum genus ſeruitutis. huccine te conditum exiſtimas? Quid ergo? dicet aliquis. nihil omnino agemus, ut Indi illi otioſi ſine habitationibus, ſine cultu agrorum, pecorum more? Eſt quidem uita illa ſuauiſsima, & procul ab omni cura. Sed eam natura damnat, quæ nos actuoſos condidit. Nec iſtis hominibus opus erat mente. Itaque nec hi utuntur mente, ut nec noſtri bene utuntur. Perget forſan urgere: Erit quod (ait Ariſtoteles) exercebitur mens, in cõtemplatione ac ſcientia rerum maximarum. Quorſum id uerò, nihil profuturæ? Luctabitur cum difficultatibus ingenij ſui, cum quo duriſſima erit illi contentio. Itaque magis ſe torquebit, quàm delectabit, nec finem unquam & requietem inueniet in eo quod inquiret. Sed rectà ſpectemus iam hominem. in eo eſt corpus, cui ſeruiunt externa. non ergo in externis finis, quandoquidem non ibi ſiſtitur: ſed ulterius eſt progreſſus, nempe ad corpus, hoc eſt ſenſuum gratia. non ergo ultimum, corpus. Senſus ad animum referuntur, quæ in animo ad mentem. mentis autem eſt cognoſcere: erit ergo ex notitia appetitus aliquis menti coniunctus. Nam cognitio omnis in animali propter appetitum eſt. Non enim expetit quis ut norit, ſed nouit ut expetat. incognita enim expetere non poſſumus. Is appetitus mentis uoluntas nominatur, cuius eſt ipſa mens conſultrix & ductatrix. In uoluntate ergo tanquam poſtrema & ſumma eſt finis, & uoluntatis finis, hominis eſt finis. At uoluntatis finis & beatitudo eſt, illi eſſe optimè. Non eſt autem ei optimè in ceſſatione ab omni actu, alioqui torpenti & dormienti melius eſſe poſſet quàm uigilanti & agenti. Quòd ſi ceſſanti eſſet optimè, quorſum ſpectat uis, & uigor, & uita, & motus, & pronitas ad actionem, quæ ſunt naturæ munera pulcherrima, quæq; nos meritò tanti facimus. ut uiciſsim torpor, & ſtupor, & otium, & ceſſatio turpiſsima ac deuitanda ſunt, illorumq; munerum orbitas ac priuatio. Nec ad eam fœlicitatem quæ eſſet per torporem, opus eſſet mente, & cognitione, & uoluntate, ſed ſaxo aliquo. Quum' que à uolendo ſit uoluntas dicta, quomodo optimè erit ei,

ſi deſinat

si desinat uoluntas esse? Velle ergo melius ei quàm desidere,& melius uelle quàm nolle. Velle enim, uoluntatis actio ad suum bonum, nolle auersio à suo malo. Itaque & amare, quod est uolendo adhærere, melius quàm odisse, quod est nolendo auerti. In amore igitur, optima & præstantissima uoluntatis actio. Amor autem desiderium habet coniungendi & fruendi re chara. Quod si uoluntas assequitur, acquiescit, & bene sibi esse putat. Quale ergo fuerit quod amat, & quo fruetur, tale erit bonum eius, et talis fiet ipsa. Non ergo optimè erit ei, nisi fruatur re optima, et quę implere possit amplitudinem desiderij eius. Nihil autem implere desiderium illius potest, nisi solus Deus. Reliqua enim quibuscunque potest capi & teneri, uilia sunt, diluta, breuia, momentanea, exigua. In coniunctione ergo sola & fruitione Dei optimè est illi. ibi ergo finis eius, & proinde finis hominis. Ex cognitionis quoquè ratione idem ipsum potest colligi. Habet homo sensus corporis, per quos facies rerum externas præsentes cognoscit. Habet sensus internos, per quos res easdem, sed absentes. Habet rationem, quæ per causas & abditissima naturæ totius uagatur, & discurrit, per cœlos, per elementa, per mista & compacta ex elementis, per effectiones rerum, per ea quæ corporis sunt immunia, spiritalia nominantur. Dicant mihi, an hæc cognitio, quæ est pulcherrima, aliquid ad uitam hanc degendam faciat? nihil profectò. Iam homo erectus super res conditas transcendit cœlos, & uniuersitatem mundi, usq; ad authorem omnium Deum. Maligna quidem & perobscura notitia, sed tanta quanta satis est ad consulendum uoluntati, & eam excitandam, ut sic erga quicque horum efficiatur, quale ipsum sit. ita & ex ijs omnibus cognitionibus amores nascuntur, nempe rerum corporaliũ pręsentium, rerum corporalium absentium, rerum spiritalium, Dei denique ipsius. Deus est ergo optimum & præstantissimum quod mens assequi potest, quodq; ostendere potest uoluntati, & huc tendunt omnes cognitiones. nam cognoscimus præsentia, per quæ uenimus in cognitionem absentium: cognoscimus corporalia, ex quibus transitur ad incorporalia. cognoscimus composita, ex quibus ad simplicia, ex mortalibus ad immortalia, ex rebus conditis ad conditorem. Summum ergo cognitionis est simplex, incorporeum, immortale, conditor, nec est quicquam ulterius, & hoc implet solum. nam reliqua immensum relinquit uacui. Porrò id efficit beatum, quod implet, & satiat, & quietat, idq; est optimum & supremum, quod illa potest amare. Et quemadmodum per cognitiones alias ad Deum ascenditur, ibiq; sistimus, ita per amores aliarum rerum ad amorem Dei, supra quem nullus est alius. Quòd si amare potest Deum mens nostra, quia cognitum amare debet, quia optimum (amor enim ad bonum semper tendit) assequi profectò potest: alioqui uanos appetitus indidisset natura menti nostræ, & in præcipuis defecisset. Neque enim amor beatum facit, nec quiescit, nisi per coniunctionem fruatur re amata, torquet uidelicet absentia & desiderium. Nihil reliquorum nos satiat, inter manus elabuntur, quum possidentur: quum delectant, diluta sunt & diffugiunt, ut in eis bonum illud quod quærimus non possit esse comprehensum. Atqui coniunctio cum Deo non potest esse in hac uita talis, qua efficiamur beati. Restat ergo altera uita, in qua sit. Quippe in uita hac, propter magnas huius corporis tenebras: nec tantum nouimus Deum, nec tantum amamus, quantum esset opus: & subinde à notitia & amore reuocat nos corpus uel esuriens, uel sitiens, uel dormitãs, uel languens, uel dolens, uel delassatum. Nec fruimur bonis illis Dei: imò quo ardentiùs hic amamus, eo torquemur acrius desiderio coniunctionis. Illic uerò deposito corpore, aut mutato, & clariùs cernemus, & ardentiùs amabimus, & coniunctissimi erimus, & perfruemur bonis incredibilibus. Hic est hominis finis, aut nullus est alius. Atqui ostensum est esse aliquem, hic certè est. Ergo & argumentum hoc, quo conficitur, non esse hîc hominis bonum, & aliquod utique esse, tantum est, ut multos philosophorum coëgerit affirmare post hanc uitam futurũ bonum quod expetimus, tametsi timidè, & quasi diffidenter. Adstipulatur huic nostræ sentẽtiæ corporis nostri status rectus, et spectans in cœlum, tanquã in patriam ex peregrinatione aut exilio. Iam uitæ nostræ ratio quæ nusquã sistit, nec acquiescit præsentibus, intẽta semper & pro-

na in futurum. Beſtiæ acquieſcunt præſentibus, & fruuntur hac uita: quod ſenſus noſtri declarant, qui præſentibus ſunt contenti. mens uerò perennis in modum fluminis nuſquam ſubſiſtit, ſemper in futurum agit ſuſpenſa & anxia. Pueri parãt ſe iuuentæ, hæc ætas, ſenectuti, ſenectus ulteriùs mittit cogitationes. nulla ætas ſibi proſpicit, ſed uenturæ. Patres de filijs ſunt ſolliciti, hi de nepotibus, hodiernus dies ſeruit craſtino, hæc hora ſeruit ſequenti, hoc momentum alteri momento. Etiam in medijs uoluptatibus ſi quid cogitationis & mentis admiſcemus, nunquam præſentem carpimus niſi cum expectatione continuò mox ſecuturæ, quouſq; eſt penitus conſumpta. Ita priùs receſsit, quàm deſiit ſperari. Omnino quęcunq; in uita cogitamus, dicimus, molimur, agimus, non ſtant recta in præſens, ſed prona in futurum, & pendent ex ſperare, ſerere, ſcribere, legere, comedere, bibere, & reliqua omnia: ut ſciamus peregrinari nos atq; aliquò tendere irrequieto motu, nõ huc pertinere. Iam uerò naturæ ſummi illius, in quo eſt finis bonorum, omne malum excludit, ac proinde curas, mœrorem, dolores, quod contingere in uita non poteſt. uel ipſa certè cogitatio ſi cui bene ſit, illud tamen mutari poſſe aut finiri oportere in morte, non ſineret uitam eſſe iucundam, nedum beatam, niſi quis obliuionem uellet animo infundere, ne unquam de uarietate caſuum & exitu uitæ ueniret in mentem: quod fieri non poteſt in tot exemplis quotidianis. & ſicut corpus erectum admonet nos cœli, ita compactio moleſtiæ ac uanitatis huius. Habemus corpora multarum rerum indiga, obnoxia caſibus, morbis, moleſtijs, uarijs de cauſis, & penè quotidie. Quid animum? perturbatum, irritabilem, mentem ignaram: quæ poteſt inter hæc eſſe fœlicitas? Illa quoq; eſt inſita perſuaſio toti ferè generi humano, aliquid aliud futurum poſt mortem melius hac uita: & id commune deſiderium expectat, ut exiſtimari neceſſe ſit à natura eſſe inditum.

DE VITA VTERI, ET DE HAC NOSTRA, ET ALTERA.

QVemadmodum in matris utero paramur huic luci ac uitæ, ita in hac uita (quæ ad alteram relata ſimilis eſt utero) anguſtia & tenebris illi alteri paramur ſempiternæ. Quam ſentẽtiam nemo exiſtimet elegantiùs eſſe uel ſubtiliùs excogitatam, quàm ueriùs. Quippe in ſtirpibus uitam ineſſe unam deprehendimus, quæ uegetatrix appellatur, qua nutriuntur & augentur: in brutis duas, illam ipſam uegetabilem, & alteram ſenſus: in homine tres, illas ſcilicet duas priores, & rationabilẽ, quę eſt mentis. Et in mente gemina eſt actio, ſiue intelligẽtia, quemadmodum Ariſtoteles docet, & cæteri ſtudioſi ſapientiæ, resq; ipſa oſtendit. altera eſt quæ in faciendo uel agendo eſt occupata, uelut in artibus quæ manuum exercentur opere, & in prudentia, & circumſpectione locorum, temporum, perſonarum, quibus quęq; res aut negotium accommodari conuenit: hæc rationem adhibet ijs, quæ ſenſuum cognitione percipiuntur. altera eſt ſuperior, & excelſior, quæ naturæ cauſas, & abditas procul à ſenſibus ueritates inquirit, ſcrutatur, eruit, cõtemplatur, quę θεωρ nominatur, hoc eſt diuinũ quiddam. Ea uerò rationem & iudicium adhibet ijs quæ ſenſuum limites excedũt. Videmus hominem aliquãdo degere uitam uegetabilem in locis maternis, hinc egreſſum uitam ſenſualem, hoc eſt bruti. Progreſſus autem ætate diſcit artes, exercet ſe in re priuata aut publica, & uſu atq; experimentis colligit prudentiã. Reſtat ut aliquãdo proficiat homo ad diuinã illam mentis ſuę portionẽ, quod nunquam fit in æui huius decurſu. Pauciſsimi enim mentẽ excolunt, aut de illa prorſum cogitãt. pleriq; omnes habeant mentẽ nec ne uix ſciunt. qui uerò ad curã mentis aliquã magna ui et cõniſu ſeſe erigunt, nõ ſiſtunt ibi, ſed retrahente mole corporis relabunt ad curas et cogitationes uitæ huius. Qui pauliſper ſiſtunt, impediente corporis caligine denſiſsima nihil uident, nihil aſſequunt. Vita ergo hæc alterius eſt æui melioris ac præſtantioris, alioqui fruſtra eſſet nobis conceſſum tantum bonum. Quòd ſi rerum uiliorum uſum & perfectionẽ aliquam uidemus, utiq; huic adeò excellenti deeſſe ſua perfectio non poteſt, neq; enim peritior aut melior eſt Deus artifex in paruis ac uilibus, quã in magnis & præcellẽtibus: aut uilia perficit, præſtabilia relinquit manca & inchoata. Et quemadmodum homo quum in utero formatur, quia uiuit more plantę, clauditur anguſto

gurgu-

gurgùſtiolo, quod eiuſmodi uitæ generi ſufficit: ita egreſſus ex utero, quia ſenſibus eſt uſurus, prodit in amplitudinem & lucem functioni atq; officijs ſenſuum neceſſariam: ſic etiam hinc diſcedens, quia uſurus mente tranſit in tanto maiorem & præſtantiorem lucem, quanto eſt mentis cognitio amplior & capacior & excellentior quàm ſenſuum. Naſcẽs fœtus deponit inuolucra, quibus erat tectus in utero, & ea per quæ alebatur, exit nudus: ſic homo abiens ex uita deponit hîc illa ſua ceu inuolucra. moriuntur fœtus naſcentis inuolucra, moriuntur & hominis ad alteram uitam migrantis. Naſcitur infans quaſi inuitus cum labore & cruciatu, ita et qui ab hoc corporis domicilio diſcedit. Egreſſus autem infans longè alia utitur uitæ ratione, quàm priùs: ſic animus relicto corpore. Cæterùm ſic habitudo ac tota penè uitæ huius ratio ex illa in matris utero formatione & conſtitutione ducitur, ut tali quiſq; ſit corpore, habitudine, ualetudine, ſtatura, forma, uiribus, qualem in prima illa fictione accepit. ſic etiam uitæ ſequentis conditio plurimum exactionibus huius ſumitur, ut talis ſit illic deinceps animus, qualem ſe formauit & inſtruxit in uita corporis, nempe humilis, abiectus, miſer, ſi cœno & ſordibus ſe dedit corporis, aut prauis cupiditatibus ac libidinibus: ſublimis autem erectus, cœleſtis, fœlix, ſi menti præclaris cognitionibus uirtutibusq; excolendæ. Conſpicit infans modò natus lucem, & in ea formas rerum nouas ſibi & inuſitatas, eoq; admirabiles. Conſpicit item animus renaſcens, hoc eſt diſcedens è corpore lucem, & in ea nouas omnino atq; admirabiles rerum facies, quales nunquam hîc eſſet antea ſuſpicatus. Et in utero quidam fœtus adeò ſunt uiuidi uigentesq;, ut ſubinde ſe commoueant, & quaſi ſenſum quendam uideantur præ ſe ferre: alij torpentes, penitus immobiles, nunquam aliter ſentiuntur, quàm timore. ita & in hac uita, alij nullum oſtendunt alterius uitæ ſenſum, caligini huius immerſi, & tanquam obruti alto gurgite: alij intelligentia & uirtutibus innixi, iam hîc quales poſtea futuri ſint declarant, & guſtum quendam nobis præbent æui uenturi. Huius quoquè & in ſequentis uitæ magnam quotidie cernimus imaginem in ijs quæ per ſomnum, quæq; per uigiliã aſpicimus & cognoſcimus. In quiete regnum eſt phantaſiæ, illa ſurſum & deorſum uerſat, miſcet, confundit, perturbat omnia, quales ſunt uitæ huius cogitationes, deſideria, cupiditates, in quibus omnibus ſenſibus ducimur, ac proinde phantaſia & ratione ualde tenui, atq; ea turbulenta. Ad quam cõfuſionẽ & tenebras ſi hæc conferas, quæ uigilantes cognoſcimus atq; intelligimus, in promptu erit colligere, quàm alia futura ſit altera illa uita mentis, quàm hæc noſtra ſenſuũ. Somnus eſt hæc uita noſtra, nec aliter tranſit quã ſomnus, & ſimiliter prætereũtia hæc aſpicimus, ut quæ animo per quietẽ obuerſantur. Multa etiã uidemus ſomniantes, quæ non minus certò & efficaciter iuremus nos intueri & agere, quàm quæ ſpectamus uigilãtes agerimus. Itaq; & qui ſomniauit, putat ſe uidiſſe: et qui uidit, ſomniaſſe: uidelicet nõ minus uigilantibus denſa offundit animis caligo, quàm dormientibus: & memoria noſtra nõ pauca in ſe cõdita reſeruat, quæ neſciat cognitio dijudicare dormiẽs' ne illa aſpexerit an uigilans. adeò ſunt pleraq; omnia in noſtris animis preſſa obſcuritate, & confuſa. In ſequẽti uerò æuo lux erit maior, & mentis cognitio atq; exercitatio expeditior atq; liberior, eoq; erunt omnia perſpicua magis, diſtincta, certa.

QVID SIT DEVS.

PAranti mihi explicare amoris huius uim & rationem quo cum Deo coniungimur, obijciũt ſe mihi quæſtiones aliquot: quas priùs cõuenit ſummouere, quàm ad alia pergamus, ne ſint nobis in uia impedimento. Multa diximus, & bonam fecimus ſpem de uita altera immortali, tum de Deo ipſo ſummo & præpotenti. Quærat aliquis, cuiuſmodi hîc ſit Deus: tum, an aliquid remanet noſtri poſt fata? Nam ſi nihil plus reſtat quã oculis cernimus, quomodo eſſe altera uita poterit? De Deo dicamus priùs: nã id expoſcit ordo diſputationis. Multa ſunt nobis in prima Philoſophia aduerſus eos diſputata, qui de ſumma illa & infinita natura parũ rectè ſentirẽt. Hîc dicemus, quantũ propoſito ſatis erit: reliqua illinc petentẽ. Agemus hoc loco ſimpliciùs & apertiùs: quippe diſputatio illa doctorum erat accommodata auribus, hæc uerò etiam uulgi. Primùm omnium, de Deo facilius eſt quid non ſit, dicere, quàm quid ſit:

ſuperat

ſuperat enim ingenij noſtri captum, meritoq; reſponſum Simonidis commendatur, qui quid eſſet Deus interrogatus à Hierone Syracuſano, dies aliquot dicitur ad cogitandum poſtulaſſe, his tranſactis, alteros tantò plures: ita duplicaſſe ſubinde numerum. quum tyrannus cur id ageret admiratus quæſiuiſſet, Quoniam, inquit, quo magis inquiro, eo minùs inuenio. Plura indies occurrunt animo, & difficiliora, uidelicet ingreditur mens noſtra pelagus immenſum, in quo nullæ prorſum apparent terræ, ſed quemadmodum Poeta inquit, Cœlum undique & undique pontus. Et tamen magnos & pernicioſos errores ignoratio diuinitatis parit in hominum uita, non quidē inſcientia quid ſit, ſed uel ignorātia ſocors prorſum & ſecura de numine, ut non libeat illud qua datur cognoſcere: uel praua opinio eius quod nō eſt, quę pernicies latè per humanum genus ſeſe diffudit. Nos tamen ex rebus ab eo conditis utcunq; illum inueſtigabimus, nempe authorē ab opere, uti aliàs diximus, & ex ijs rebus, quæ nō eſt id quod eſt eliciemus: obſcurè ſanè ac tenuiter, ſed quantū nobis ſatis erit ad eum & colendū & amandum. nam hoc ut neceſſe eſt nobis, ita etiam ſufficit. Quæ porrò erimus cōſecuti, expromemus uerbis noſtris. Nam propria quibus uerè aptèq; eſſentia illa declaretur, nulla habemus. nec mirandū eſt non ſuppetere homini uerba, in eo quò eius intelligentia non peruadit. Eas quidē quæ hîc inter nos animaduertimus excellētias attribuimus Deo, ille autem excellētias noſtras omnes longiſsimè ſub ſe relinquit. Nec protinus falſæ aut reijciēdæ ſunt nominationes noſtræ, quæ nobis cōgruentes ſunt, & ad qualēcunq; intelligentiā de illo noſtrā appoſitæ ac ſufficientes, certè ad illam quæ illi amando ſit ſatis. Sit hoc principiò nobis poſitū, quicquid in ſpecie aliqua ſeu forma, ſeu quo alio nomine appellare libeat, quicquid inquam in ea ſit naturale, id imaginē aliquam uel ſimilitudinē uel ueſtigium authoris ſui referre. quod in noſtris opificib. annotamus, ut quæ arte aut ingenio ab illis ſunt perfecta, imagines ſint interiorū animi cogitatuū. Jam primū Deum eorū omniū quę ſunt præcipuū quiddam eſſe ac ſummū aimus, nec eo aliquid poſſe maius eſſe. Quippe ſi quid inueniri maius poſſet, nō iam hic Deus eſſet Deus, ſed illud alterū amplius atq; pręſtātius. Aimus quoq; eſſe unicū. Hæc nanq; eſt ſummi ratio, ut unū ſit ac ſolū, nec eſſentiarū pluralitas uel entiū uel rerum. Exponenda ſunt hæc uarijs uerbis, quo intelligantur facilius. Hæc igitur pluralitas in natura illa et regno eſſe non poteſt, ut à multis eſt oſtenſum. quomodo autē, aut quæ ſit illic pluralitas, mox aperiemus loco ſuo & proprio. Omnia uerò ſiue naturalia, ſiue quæ arte conſtant, referri, quoad eius facere poſſunt, ad unitatem cernimus. Entia naturę ſectio ac diuiſio tradit corruptioni, ideoq; quoad eius poſſunt efficere, coniungunt ſeſe ac coadunant, atque in unione ad ſui tutelam perſiſtūt, uidelicet hoc indidit eis opifex natura, ut norint quodāmodo in unione poſitam eſſe ſalutē, contrà in diſtinctione pernicię. Quin & ea quæ ex ſeipſis plura ſunt numero, ad unitatē quandam redigūtur, ut ligna et lapides in domo uel in cumulo, & grana in aceruo. Domus ad unum familiæ patrē reducitur, ciuitas ad unum principē, etiam quæ ariſtocratia uel democratia utuntur, unum nihilominus ſibi præficiūt magiſtratum temporariū: aut ſi plures, hoc certè ſpectant, ut conformitate ſententiarū ac uoluntatū, plures illi unum fiant. Quòd ſi quemadmodum corporibus, ita & mentibus diuerſi ſint, intereat ciuitas neceſſe eſt, excitatis in ea factionibus atq; inteſtina diſcordia. Belli gerendi ratio quæ exactam cōſeruandi exercitus diſciplinam præcipit, imperatorē unum requirit, ad quem rei totius ſumma referatur. Quòd ſi ſint duo, uel partiūtur exercitum, ut Q. Fabius, et Minutius: uel alternis diebus imperāt, ut L. Paulus & Terentius Varro: uel cōmuni utuntur cōſilio & uno, ut alij permulti. Hic autem Deus unicus, qui mundo quem condidit, præeſt, potentia maximus eſt ac ſummus: & quemadmodū unus mundus, ita & rector illius unus, ac uice uerſa, ſicut unū corpus uni animæ, & una anima uni corpori. Neq; eſt aliquid quod Dei uiribus queat obſiſtere. Eſt item omnipotēs, ut omnia quæcunq; ſit collibitū, poſsit perficere. Nam ſi nō efficeret, in eo eſſet impedimentū, aut in rebus. Ipſe quidem ſibi non repugnat, qui ſimplex eſt, & ſui ubiq; ſimilis: neque ex rebus conflatur uel aduerſis, uel diuerſis. Porrò ſi eſt in entibus reſiſtentia, aliquid foret ei

par,

par,quod nefas eſt cogitare,neq; eſſet maximus & ſupremus omnium. Quid,quòd in rebus omnibus reſiſtentiæ cauſa & ratio hinc oritur,quia contra naturam ſuam aliquid patiuntur. At qualem Deus quamque rem iubet eſſe,& uult,ea eſt cuiuſque rei natura,uis, pronitas, neq; enim aliud eſt natura. quicque ergo is in re quapiam uult fieri,id fit ſecundum rei ipſius naturam, non quidem iuxta hanc conſuetam ordinariam,ſed ſecundum extraordinariam naturam,tamen non ergo uiolentè, nec adhibita ulla reſiſtentia. Cæterùm illius omnipotentia in eo ſita eſt,non ut patiatur quod nolit,ſed ut efficiat quod uelit. Neq; enim corpus eſſe poteſt,aut moueri, cædi, dolere, augere,minui,delaſſari,obliuiſci,cogi,uim pati,uinci,interire. Non ſunt hæc potẽtiæ, ſed imbecillitatis, quippe nihil horum pateremur nos,ſi poſſemus. Sed neq; illa ſunt potentiæ,facere aliquid,& eſſe & non eſſe album pariter ac nigrum, quæ Plinius Secundus non poſſe Deum facere cauillatur,unde ineptè ſe contra eius omnipotẽtiam collegiſſe aliquid autumat. Hoc uerò inconſtantiæ foret, non uirium, nempe eodem temporis puncto uelle ac nolle,approbare & improbare. Nam ſi quid facit currere, uult id currere: ſin idem ipſum ſedere,non uult currere. Nec poteſt duos habere motus uoluntatis contrarios:& duo aduerſa iudicia, faciendum & non faciendum,hoc tale & non tale. Sed nec poteſt agere,quod non poteſt uelle,ut ſeipſum occidere,aut miſerum facere. non enim accidere quid poteſt, ut id uelit. Quòd ſi omnipotens eſt, nec aliquid ei uel nocere poteſt, uel obſiſtere, nec uoluntatem habere poteſt ut intereat,immortalis certè eſt,tum etiam æternus. Nam ſi quis hunc creaſſet Deum,ille utique Deus fuiſſet & mortuus. quod eſt nefas. Hic item Deus beatiſsimus eſt,& bonis omnibus cumulatus. Nam ſi quicquid uult efficit,quid cauſæ unquã fuerit,quominus beatiſsimus ſit? Miſeria eſt enim in ijs quæ aduerſa noſtra uoluntate accidunt, nec re ulla extra ſe indiget,per ſe ſufficiens & plenus: alioqui eſſet quod fœlicitatem eius poſſet impedire,nempe res illa exterior: nec eſſet beatiſsimus, cuius beatitudinis fons atque origo non in ipſo eodem eſſet,ſed foris adueniret,quod in homine nemo concederet, ut beatum eum quæ exterius ſunt reddant, quanto minus in Deo. Accedit his ſumma ſapientia. Nouit enim omnia, nec ulla cognitioni illius interponitur nubecula,quo minus omnia liquidò proſpiciat. Quòd ſi ſapientiſsimus nõ eſſet,neq; omnipotens, aliquid uidelicet poſſet uelle, quod perficere per ignorantiam non ualeret,quemadmodum pueri,aut rudes atq; inexperti,aut etiam homines prudentes,quos tamen latent & fallunt permulta. Et quia beatiſsimus eſt, fit ut ſit optimus quoque,hoc eſt beneficentiſsimus ac munificentiſsimus abſque omni prorſum inuidia: nec res ulla naturam illam poteſt peruertere, ut ſit malus, hoc eſt,noxius ac maleficus. tales enim ſumus uel irati quia læſi,uel metuentes ne lædamur, uel ex malitia,uel errore mentis. Deum nihil poteſt lædere,beatiſsimum & omnipotentem,& magnitudinis ſuæ probè conſcius nihil timet. Quid,quòd uel ipſa lædendi cogitatio acerba eſt animo,& quietem illius interrumpit. At quemadmodũ infinita illa ſapientiã non fallitur,ita nec poteſt fallere. fallunt enim qui aliquid concupiſcunt,quod obtinere niſi à deceptis non queunt. Bonitatem uerò habet, quam ſingulis momentis experimur: quam quod ab alio non acceperit,fit, ut natura ſua habeat. neque enim à rebus conditis poteſt accipere, quæ poſteriores ſunt illo, quæq; omnes ab illo acceperunt,nihil dederũt ei,pleno per ſe,& perfectionis numeris omnibus abſoluto: nec ante illum præceſsit Deus aliquis, cuius tanquam hæreditatem adiret ſapientiæ aut bonitatis. Cui uerò bonum eſt naturale,malum erit profectò cõtra naturam. nihil autem facit contra ſuam naturã: id enim faceret inuitus & coactus,& uim patiẽs, quod cõtingere non poteſt. Et quoniam Dei uoluntas cauſa eſt rerum,uoluntatemq; eius mouere non poteſt malitia,ſed bonitas omnia facit, ut proſit,ut iuuet,ut benefaciat. Itaque ex eius operibus atque effectibus quos uidemus, colligere eſt rationem uoluntatis illius,quòd ita decebat moderante ſapientia,quòd ita expediebat hortante bonitate. Ex alijs ad alia uenietur quaſi per gradus,quorum omnium erit bonitas ſuprema.

QVOD

QVOD DEVS CONDIDIT OMNIA, QVOD'QVE PROuidentia omnia reguntur.

NOn capit humanæ mentis cogitatio,rem ullam feciſſe ſemetipſam:facta eſt igitur ab alio.Neq; uerò extitit fortuitò,& caſu quodam:cui cõmento Epicureorum ordo & conſtantia uniuerſitatis, magna uoce reclamat:& conſenſus generis humani hoc atteſtatur, eum qui ſummus ſit in mundo, authorem parentemq; eſſe omnium.Ratione ſunt certè condita omnia,& maxima ratione:qualis in eo eſt ſolo,qui eſt maximus. Sapienter M.Tullius: Non ſolùm ea quæ ſunt in mundo,ut fierent,ratione eguerũt,ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione nõ poſſent. Hunc qui hæc omnia confecit,par eſt eſſe æternum,ut ſuperius diximus,à nullo æditum,& immenſæ poteſtatis.Etenim eum qui omnia hæc quæ intuemur in hanc faciem & pulchritudinem produxit ex nihilo,uirium eſſe oportet infinitarũ. Quippe à nihilo ad aliquid interminabile eſt ſiue ſpatium,ſiue interuallum: ſicut uiciſſim terminabile eſt ab aliquo,quantumcunq; maius ſit,ad aliquid quantulumcunque minus.Quo autem res eſt ſeparatior & longinquior, hoc maiore opus eſt ui ad eam perducendam quò agens deſtinauit: ut maior eſt uis adhibenda ad lignum craſſum & uiride uel accendendum,uel ſecandum,quàm ſtipulam arentem. Quocirca præter diuinam poteſtatem nulla omnino poteſt de nihilo aliquid producere, quod noſtri creare uocãt. Sed ea operatio,qua ens à non ente prodit, ut maxima & ſumma, ita eſt etiam ſummi agentis ac potentiſsimi. Sed non in his tantùm, uerùm in aliis etiam permultis hallucinati ſunt homines mundanæ ſapientiæ ſtudioſi: quorum alij omnia reuocarunt ad ſenſus corporeos, tanquam mentis penitus expertes: alij uiribus ac limitibus naturæ huius,claudunt ea quæ ſunt diuinæ omnipotentiæ. quæq; naturam hanc omnem excedunt. Vetuſtiſsimi philoſophorum nihil conſiderarunt aliud, quàm mera corpora.itaque omnia exiſtimabant è corporibus fieri ac conſtare, mutatis ſolùm inhærentibus:uelut Democritus,Leucippus,Anaxagoras.Democriti ſententiam Epicurus eſt ſecutus:poſteriores,uelut Plato & Ariſtoteles paulò plus habuerunt mentis, hoc eſt hominis,ſtudioq; et induſtria penetrarunt introrſus ad contemplationem effectionum,quæ ἰδέας nuncupantur,formæ à noſtris,ſiue effectiones:de quibus in prima Philoſophia diſputauimus.ſicut & illud eſt à nobis eodem loco tractatum,nihil in mundo temerè aut fortuitò agitari,omnia diuinæ mentis geri conſilio:quod etiam maximi & nobiliſsimi philoſophorum docuerunt. Nam caſus & fortuna ab ijs eſt nata, qui cauſas rerum uel non perpendunt, uel non aſſequuntur: quæ plurimorum eſt origo errorum in omni uita & cognitione. Hi uerò quam cæcitatem in ingenijs ſuis geſtant, transferunt ad regimen naturæ, ut nulla ex cauſa fieri opinentur, quorum ipſi cauſam non inueniunt, terminisq; ſuæ ipſorum ignorantiæ adminiſtrationem mundi diffiniunt: haud aliter quàm pueri aut fatui,de operibus ſapientum cenſent. Sed meritò,qui deos aut nullos poſuerant prorſum,aut ſegnes ac torpentes,caſui & fortunæ permiſerũt omnia,ne dij meliores habeant miniſtros, quàm ſint idem ipſi. Nam ſi mentem aliquam & rationem attribuerent adminiſtram,hanc certè omnes mallemus Deum eſſe. Et quemadmodum qui particulam quampiam magni regni contemplantur, quia non omnia uident euenire, quemadmodum ipſis expedit, damnant ilicò procurationem & conſilium regni illius,quum tamen optimè & saluberrimè, & ſicuti uniuerſo corpori conducit, gubernetur: quiq; unum aut alterum diem accepti ſunt hoſpitio in ædibus prudentiſsimi ac ac diligentiſsimi patrisfamiliâs, animaduertunt nihilominus aliquid quod parùm probent,damnant ilicò apud ſe cõſtitutionem illius familiæ, quum rector domus non ad unum illum aut alterum diem referat rationes & conſtitutionem domus ſuæ, ſed ad totum annum, aut longius tempus:ita qui portionem aliquam mundi ad breue quoddam tempus conſiderant,aut ad utilitates ſeu libidinem potiùs aliquorum referunt,ſic improbant, ut agi temerè arbitrentur & ſine numine: quum diuina illa ſapientia non omnia ad unum aliquem angulum, uel ad certos aliquot homines, nec in unum annum aut ſeculum deſcribat & referat ſua opera, ſed incredibili ratione ac conſilio ad omnes regni ſui partes

partes in æuum omne, quæ si perpenderemus, si interrogaremus sapientes, & priscam consuleremus memoriam, multo iudicaremus tantis de rebus & uerecundiùs & cordatiùs. Nunc uerò pueri nati heri aut nudiustertius, imperiti, inexperti rerum, inexercitati, pleni prauis studijs atq; animi affectionibus, uacui atq; inanes ab omni doctrina & eruditis cogitationibus, sententiam ferimus de maiestate tanti opificis: & quos pudere oportebat de rebus humanis uerbum ullum facere, non pudet de diuinis quicquid collibitum est statuere, abrogare Deo regnum mundi, & tribuere fortunæ temeritati, quam nullã quidem uiderunt in mundo, sed ex inconsiderantia suarum actionum, ex impatientia euentuum inuexerunt, ut meritò illos satyrica maledicentia Iuuenalis perstringat, dicens:

Nullum numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Et Aristoteles: Vbi plurimum sit prudentiæ, ibi minimum fortunæ. Sicut rursum, Ibi fortunæ plurimum, ubi prudentiæ perparum. In multis ea est superbiæ atq; arrogantiæ impotentia, ut curã omnem terrarũ in se unos conuerti oportere censeant. si quid ipsis accidat quod nolint, continuò faciant ingens Deo conuitiũ, imò ipsum præesse mundo negent, aut prauè atq; iniquè res administrare, et audent illum iurgio lacessere. Prætereo insanorũ regũ demẽtias, ut Xerxis & Caligulæ, qui simultatẽ sumebant cum Ioue & Neptuno, quos esse Deos rebantur. Lucanus uerbis Cæsaris dictatoris, quàm aptè ad arrogantiam principis ex fœlicitate insolentis:

–Nunquam se cura deorum
Sic premit, ut uestræ uitæ, uestræq; saluti
Fata uacent, procerum motus hæc cuncta sequuntur:
Humanum paucis uiuit genus.

Quasi uerò regi naturæ, cuius leges sunt fata, aliquid sit in mundo uniuerso magnũ, aliud paruum, nedum in hominum reculis ac negotiolis. Ille enim immensus, infinitus, æqua proportione excedit reliqua omnia quæ sunt definita, magnum, paruum, humile, excelsum. nostra sunt hæc omnia inuenta, non illius: quæ non solùm ipse non nouit, sed nec eius ministra natura in plurimis. cui tam facile est aurum producere, quàm plumbum, ligustrum quàm rosam: sicut pictori æquè est leue togam sericam pingere, ut laneam: & in hominibus creandis tanta difficultate nascuntur plebeij, ut nobiles. ex eisdem omnes constamus elementis. Regit quidem Deus ciuitates & populos per principes ac proceres: sed non minus priuati hominis cura tangitur, quàm principis. & si præsentius ostendit se adesse rebus principum, non propter eos, quorum quiuis unus est homuncio, sed quia illis tam multa hominum millia continentur. Et tamen si quis expendat uniuscuiusq; priuati hominis uitæ cursum, manifestam deprehendet curam Dei de illo. Quidam uerò nollent esse Deum tam ubiq; præsentem, prouidentem omnia, cernentem omnia, testem, iudicem ac uindicem malorum, tanquam obseruatorem quendam actionum nostrarum, uerborum, cogitatuum. & quemadmodum mali facinorosiq; homines libertatem esse ducunt abolitionem magistratuum & legum, ne à quoquã scelerum suorũ pœnas expectent aut metuant: ita & hi libertatẽ incredibilẽ fore sperant, si nullum consiliũ præsit mundo, sed omnia casu & temerè ferant, & sine arbitris peccent. Ea mente Lucretius Carus poëta Epicureus, Epicurũ ait magno metu liberasse humanas mentes, quòd superstitiones sustulerit, et fortuitu geri omnia cõfirmarit, deos ipsos nempe beatissimos, nec habere negotij quicquã, nec exhibere alijs: scilicet in diuis adeò delicatis interruptum iri quietem illã beatissimã, si quid rerũ molirent. Age uerò, ánne est libertas ciuitati, nullum habere à quo regatur? est libertas naui, sine clauo et gubernatore undis ac uento permitti? libertas ergo erit, nullũ esse in schola præceptorẽ, nullum in domo patrẽ familiæ, nullam mentẽ in homine, sed solas cupiditates, miscere ac turbare omnia pro libito. Id uerè nec pecudes cuperent, quarũ interest pastores habere, à quibus deducantur in pascua, atq; in eis defendant ab iniuria ferarũ. Deniq; dicant mihi, cuius cœtus libertati cõducat sine magistratu, sine rectore, sine consilio & legibus uiuere. Ira sanè

magno metu liberauit Epicurus humanas mentes, ſed peſsimas & flagitioſiſsimas. Nam bonis quid nuntiari poteſt acerbius, quàm Deum terras non reſpicere, nec homines curare? quanta licentia præbetur malo ad omne facinus, quanta deſperatio bonis omnibus, quòd careant, eo, cui mentem & conſcientiam ſuam ſint approbaturi: quam hominibus approbare uel nō poſſunt, uel non curant. Vir bonus ſiue exulet, ſiue expiletur, ſiue affligatur, ſiue pro beneficio maleficium recipiat, quanta eſt illi & quàm efficax cōſolatio, ſcire præeſſe mundo, qui falli nō poſsit, optimus ac potentiſsimus, cui mentes noſtræ apertæ atq; expoſitæ ſint, ſub illius oculis atq; arbitrio fungi ſe officio probi uiri, illos mali. At moleſta res ſuperſtitio eſt, fateor: eam ſuſtulit Epicurus. Rectè Cicero, quaſi difficile ſit tollere ſuperſtitionē, ubi religionē ſuſtuleris, perinde ac ſi quis dicat, Liberaui hūc profuſione, auarū enim reddidi, liberaui temeritate, quia timidū: liberaui dolore, nam occidi. Sed opinio hæc minutorū eſt philoſophorum. illi uerò quaſi maiorū gentium, Socrates, Plato, & Socratici omnes, aſſerūt diuinæ mentis procuratione terras & cœlos gubernari, nec quicquam ferri caſu aut fortuitò. Nam quid magis temeritati fortunæ aut caſus contrarium atque inimicum, quàm ordinis perpetui ſeries & conſtantia? In toto uerò mundo uidere eſt ordinem inuariabilem atq; admirandum. Facies uniuerſi qualis eſt nunc, talis fuit omni hominum memoria. Non aliam uidêre patres, aliámue nepotes Aſpiciēt: inquit Manilius. Motus cœlorum & actiones ſui ſemper ſimiles, rerum inferiorū ſpecies eodem modo procedunt. Nam & ſi in ſingulis rerum uarient nonnunquam inhærentia, ut in aliquibus hominum, in aliquot frugibus, hoc aut illo tempore uel loco, in uentis, inundationibus, incendijs: natura tamen ſpeciei eadem eſt perpetuò, & inuariabilis, eædem formæ, eædem facies rerum, eædem cupiditates, appetitus, actiones, opera. Vbi ergo eſt caſus, ubi temeritas in natura, in qua eſt tanta & tam perpetua conſtantia, tam omnia certis adeò legibus deſcripta & conſtituta? temeritatis enim & fortuiti caſus propria ſunt uarietas, inconſtantia, mutationes crebræ ſine cauſa, & diuerſiſſimæ. Nam ſi tu quòd uenti mutētur, quòd facultates & fortunæ hominum & regionum, protinus caſum colligis: caſu etiam dices fieri, quòd in æſtate aliud ſumas pallium, quàm in hyeme, & alijs utare ciborum generibus. Ad eundem modum caſum eſſe affirmabis mutationes quatuor anni temporum: non enim ſemper eſt idem habitus cœli & ſoli, quum nihil ordinatius cogitari poſsit aut deſcriptius. mutantur enim rerum perpetuarum & immutabilium actiones, prout expedit ijs ad quæ referuntur. Quàm illud prudenter & magno eſt ab Ariſtotele iudicio animaduerſum, ſi quis ex tenebris prodiret in hanc lucem cœli & mundi, quem nunquam antea conſpexiſſet, nec de illo audiuiſſet, conſideraret autem curſus & actiones rerum, nullo penitus modo dubitaturum hunc, quin hæc omnia cura conſilioq; tenerentur principis ſapientiſsimi et potentiſsimi. Addam his Marci Tullij argumentum: Quæcunque conſilio reguntur, melius & aptius reguntur quàm quæ ſine illo, nihil uerò melius, nec pulchrius mundo regitur: conſilio ergo non fortuitò regitur. Aſsignet uerò mihi aliquis quippiam in mundo uniuerſo, quod non ordine & ſapientia procedat, ſiue cœlos, elementa, ſiue animantes, herbulas, plantas, & alia quæcunq;: omnia ſuos habent curſus, ſuos fines deſtinatos ac certos. Regere autem eſt, rem in finem dirigere, & quaſi curſum eius moderari, quo finem pertingat. hoc idem eſt gubernare, ut nauem aut equum. Quis ergo uerius res conditas regit ac gubernat, quàm qui condidit, qui metam aſsignauit, qui uires attribuit, quibus ad metam perueniāt? an non regit equum, qui illum in uia dirigit? non nauem, qui clauum torquet & moderatur? Vnde ſunt initia, progreſſus, fines, uires, facultates rerum, ſi non à ſeipſis? ab aliquo ergo ſummæ uirtutis atq; artis, quæ temeritatem omnem excludit. Is ergo ſummæ potentiæ, ſeu uerius immenſæ, conditor eſt, rector, gubernator, moderator omnium. neque enim temerè reliquit ab ſe condita, ſed attribuit cuique uires, quibus ſe tuerentur, & actiones exercerent, ſibi utiles, ut uiuerent, uigerent, ualerent. Videmus annis tribui à Deo, per quæ uita propagatur, per quæ ſenſus oblectantur, mentes pulcherrimo atq; admirabili ſpectaculo detinētur. Age porrò, ponamus Deum

qualis

qualis est à nobis euidentissimis rationibus descriptus. quęramus iam ab aduersarijs, quid causæ esse dicant, quo minus qui sit eiusmodi, non regat, & procuret mundum. An deerit ei regendi scientia, qui est sapientissimus? an uis & potentia, quæ est in illo immẽsa atque interminata? Quid ergo? cœlum, aut fortuna, aut casus poterit & sciet mundi procurationem sustinere & exequi, princeps mundi tanta illa ui & sapientia nesciet, aut non ualebit? Quidam Epicureo more, nimis occupatum fore Deum atq; anxium causantur, si in eius humeros uniuersitatis administratio incũbat. qua ratione prouidentiam Iouis deridet Lucianus Sophista, & Plinius Secundus, in regnum mundi frigidissimis cauillis uterq; ludens. Idcirco pœnas euenire maleficijs feras ait Plinius, quòd princeps naturæ occupatus tanta regni mole, non potest omnibus pariter consulere. Omitto Lucianum, hominum & deorum subsannatorem. nam irridere omnia, multo est facillimum. Loquar de Plinio. An non uidetur uobis homo grauissimus in re tanta scurrari? Si Deus est homini similis & par, & ad normam nostrarum uirium diuinas metimur, iure prouidentiam Dei rident, & illius miserentur, in quam tanta premat regni moles, atque adeò molestia. Sed quis fingit sibi cogitatione talem Deum, nisi qui nec cogitationem, nec mentem omnino habet ullam? Aristoteles quoquè non minus inptè ac absurdè in libello de Mundo, si modò eius est hoc opus, cuius phrasis reclamat titulo: sed cuiuscunque est, is Deum facit similem magno Persarum regi, Xerxi puta, uel Cambysi, uel Dario, qui ipse per se maxima & pulcherrima regni obeat munia, minora & sordida mandet alijs, indignum ducens, tantum principem manus ollæ, aut scopis, aut strigili admouere. Ita principem naturę affixum cœlo extremo per ministros procurare hęc terrena, à quibus certior fiat quid agatur. Cui simile est illud apud Ciceronem 2. de Nat. Deorum: Magna dij curant, parua negligunt. Malè profectò agitur cum pietate numinis, quoties humana infirmitas ad Deum transfertur: non enim fit homo Dei potentissimi ac optimi similis, sed è contrario creditur, Deus malus atque imbecillis homini similis. Hic est error Homeri & poëtarum de dijs, confutatus à philosophis, explosus atq; eiectus illustratione ueritatis, quam Christus attulit secum è cœlis. Ecquid tandem simile aut commune habet Deus cum Xerxe? Xerxes homo delicatus, uitam quandam instituerat uoluptariam: quam lædi & interturbari autumabat, si ipse uel culinam suam, uel equile aspiceret, uel uestes suas detergeret, aut se ipse pecteret. ille ita agebat. Cyrus autem rex eiusdem gentis, multo aliter: & Fabricius, & Annibal, & Marius, & Cæsar, & Alexander, qui primi in exercitu duris & difficillimis operibus admouebant manus, & quid militi agendum esset exemplo sui edocebant. Sed quid hæc tamen ad Deum? quasi illi quicquam sit maius aut minus, sordidum uel nitidum, & spiritui æquè munda. At indigna sunt tanto principe eiusmodi ministeria. Quis fecit indigna? Nam digna et indigna, non natura separauit in Deo, sed superbia in hominibus. Indignũ est, ut locuples malus & inscius uerrat cubiculũ: non est indignũ, si uir bonus & sapiens pauper id faciat. Vides esse prauitatis iudicij, & superbiæ, quæ ex opulentia nascitur. Sed quæ tandem sunt istæc sordida atque indigna manibus Dei, ne coinquinentur? sublunaria scilicet uaga, fluxa, inconstantia, mille mutationibus per horas singulas obnoxia, tum ortibus & casibus perpetuis. Ceu uerò non supra lunam motus sint incitatiores, & mutationes crebriores, quàm sub luna. Nasci autem & interire multa, ea est mundi huius ratio: sicut oriri solem & reliqua sidera, tum abscondi, coniungi, & separari. Nec magnitudo & sapientia minus elucet in his paruis, quàm in illis uastis corporibus. Quanta est admiratio artificij diuini, & ueneratio maiestatis, ex contemplatione apiculæ, aut formiculę? quod idem ipse Aristoteles in libris de Animalibus fatetur. Quid, quòd cœli & sidera stabilitate sua, cognitisq; authoris sui legibus uadunt, ut parum uideatur esse opus prouidentia. Hæc uerò quæ tu fluxa, & uaga, & inconstantia nuncupas, nisi magno consilio & prouidentia temperentur, confundentur breui & peribunt: ut magis se quotidiana Dei prouidentia in infernis quàm supernis proferat. Non ergo sunt indigna Dei procuratione, quæ illa tantopere indigent, quæq; sapientiam procurantis ad cultum & ue-

nerationem illius euidenter præ se ferunt & monstrant. At regit hæc, & nouit per interpretes. Difficile est cogitare, quemadmodum illa perfectè norit. Si aliorum relatu intelligit, quis terminauit scientiam illius? qui locus, quæ regio potuit impedire, ne illius cognitio progrederetur ulterius? Hæc præscribere homulum aliquem, & definire, quantæ & quàm proiectæ est insolentiæ? Tu ergo quum ingenio tuo coneris penetrare terras & maria, etiam cœlos ipsos transcendere, diuinam mentem cœli carceribus coërcebis? quanto esset congruentius, affirmare alias omnes mentes per illum nosse, quæ nouerint, quàm è diuerso illum per eas? aut sic ipsum in se nosse omnia, & alias mentes in eo, & per eum quantum ipse permittat. Quamuis ipsum ministris uti uerum est, attestante diuino oraculo: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. & alio in loco: Millia millium ministrabant ei. quemadmodum instrumento cœlorum inferiora hæc gubernari, opinio est multorum. Ille tamen qui omnium est conditor, nullis instrumentis indiget. Nam si id continuò fit, quicquid ipse uult, uelle illius erit author atque instrumentum, nec magis ad hęc regenda astris indiget, quàm quum luto aperuit oculos cæci: sicut refert historia Euangelica. Lutum enim magis uidebatur obturaturum oculos quàm aperturũ. Sed ipse ostendere nobis uoluit omnem naturam esse sibi instrumentũ ad quiduis, quantumcunque alienum. Itaque si princeps ille naturæ uellet, tam regeret mundum saxis quàm sideribus. Archimedes Syracusanus mathematicus sphęram composuit automatam, quam multi adhuc imitantur. Poterit ergo sine angelis mouere sphæram suam homo, non poterit Deus? Ministros ergo ad ordinem & concinnitatem naturæ Deus condidit, non ad necessitatem suam. Neque enim est Deus uel imperitus, uel inualidus, ut homo. Quas res ipse per se absque instrumentis creauit, eas res solus potest tueri ac regere. Quàm alienum esset ab omni ratione, ut quod maius est, posset, impos eius quod esset minus ac leuius. Iam uerò quæ ipse per ministros suos, quæq; per instrumenta sua gerit, num non ipse idem dicendus est gerere, ut princeps à quo iussus minister aliquid agit? An non ego scribo, quia penna in scribendo utor? Quocirca curat terras, qui per ministros, quiq; per instrumenta curat: non aliter, quàm qui horologium & quamcunque machinam automatam instruit. uires enim & motus instrumenti ab eo ipso sunt. De scientia & potestate diximus, restat de uoluntate: quæ etiam duabus illis prioribus propémodum est manifestior. Quid enim potest despicere, aut sua cura indignum ducere, qui procreauit omnia? Non enim procreasset, quod inter opera sua nollet reponi: non conseruaret, quod indignum duceret sua cura. Quis enim uel obsistere eius uoluntati potest? aut ab eo rationem reposcere, cur ita agat? qui omnia agit iustissimè, refertq; omnia ad utilitates nostras, nihil ad suas, quas nullas prorsus habet. Cedò autem, quid ille usquam condidit tam abiectum nostra existimatione, & despicatum, in quo non uarijs modis reluceat similitudo sapientiæ, maiestatis, bonitatis ipsius? ut appareat nihil ab eo contemni atque sperni, quod tanto artificio crearit. Ad hæc causæ omnes effecta sua curant, & quantum est uirium suarum conseruant: atque eò diligentius, si cognoscendi facultate sint præditæ quod quum sit naturale, profectò ad aliquam Dei similitudinem est rebus insitum. Neque enim aliunde sunt naturæ nostræ omnes, quàm ab eo: omnia illuc se dirigunt & referunt, ut quantum efficere possint, Deum in se reddant ac repræsentent. Accedit huc, quòd opifex omnis sapiens, opus quod fecit quamdiu approbat conseruat, si potest: certè ad curam suam censet pertinere. Deus uerò non solùm sapiens est, sed etiam optimus: omniaq; illius opera, quoniam illius bona. At quo quis excellit probitate, eo pluribus uult prospicere, & plura in curã suam recipit, eáque dexterè & scienter tractat gubernátque, si bonitati adiuncta sit industria. Adde quòd amor causa fuit condendi mundum. Amat Deus omnia, quia sua, & idcirco bona. Quid porrò amatur, quod non etiam curetur, & quidem sedulò? Quòd si curat omnia, si nihil omittit penitus, si etiam procul (ut sic loquar) dissita, & tenue sui uestigium referentia: quanto magis & peculiarius hominem, qui magna de causa quum reliqua sint opera, is unus propter communicationem mentis filius

dici

dici illius posſit? Itaque in ſacris literis non ſolùm dicitur conditus ad ſimilitudinem Dei, quod eſt commune omnibus, ſed ad imaginem quoq; quumq; illi uni ex rebus omnibus quæ corpore eſſent ueſtitæ, curam indiderit colendi & amandi ſui, manifeſtior eſt cognatio Dei ac hominis, à quo uult noſci ſe, coli, diligi, eumq; idcirco peculiari eſſe etiam Deo curæ. Quòd ſi quæ magis amantur, curantur diligentius: profectò apparet, magnam curam gerere Deum de rebus hominum. Quid enim manifeſtius oſtendit ſe Deus diligere, quàm nos, quibus omnia hęc inferiora tanquam domeſticam ſupellectilem parauit? Nam ſi quis brutorum uitę rationem, conditionem, mores contempletur, facilè deprehendet illas non domi ſuæ habitare, ſed noſtræ, illasq; propter noſtros uſus eſſe conditas: & ſi quid habent ſuum, hactenus habent, quia nobis inſeruiunt, ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt: Qui dat iumentis fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Nec aliquid ſumunt ex mundo ad uitæ cultum, ſed in diem uiuunt, atq; adeò in horam: & ea ſolùm capiunt, quæ ſuſtentando corpori ſufficiant: omnisq; illorum opera & labor, & fructus uſibus noſtris ſeruit, non eorum: ut canum, ouium, equorum, boum, apum. uel quæ noxia exiſtimantur, uſum ſui aliquem uel in edulijs præbent, uel in medicinis. At uerò cùm curam Dei dico, loquor hominum more: nam proprijs & appoſitis uerbis diuina illa exprimi à nobis non queunt. non enim cura eſt in Deo, qualis in nobis, cum labore, anxietate, defatigatione: ne maior aut minor de alijs rebus cura. Sed de rerum euentis transferimus in Deum ea quę ſunt propriè noſtra, ut aliàs declarabitur. alioqui nemo poſſet rectè de diuinis uerbum unum uel proferre uel intelligere, ſicuti dudum dicebam. Curæ autem præcipuæ ac beneuolentiæ Dei erga hominem hæc ſunt ſigna, quòd monet, quòd docet, quòd aſſuefacit eum uiæ quà peruenturus ſit ad ſe, hoc eſt ad immortalem beatitudinem, cui eſt conditus. Docet ad ſe unum accurrere in proſperis gratulatum, in aduerſis remedium, in neceſſarijs opem atq; auxilium petitum, ab illo enim ſunt nobis bona omnia. Nam ſi Deus terras negligit atq; aſpernatur, quò tandem miſerum hominum genus confugiet? quanta in calamitatibus afflictio, imò deſperatio? ſi rex naturæ nos non exaudit, ſi eſt inexorabilis, quid nobis opus eſt tali Deo? qui (ut rectè dicit apud Ciceronem Cotta) ſi nulla gratia, nulla in nos charitate tangitur, ualeat. Accurrere autem ad Deum in rebus difficilibus, eiusq; fidem atque opem implorare, tam eſt uerum ac naturale, ut omnes afflictione preſsi ad cœlum ſtatim, monſtrant natura, oculos attollant & manus. illic enim propter loci excellentiam reſidere putant ſanctam illam & omnipotentem maieſtatem. qui ſi non audit nos, nec precibus & affectibus noſtris tangitur, ſed ſedet durus atq; indeprecabilis, quid poteſt hominibus triſtius accidere, uel acerbius? an non meritò cum eiuſmodi Deo ſic expoſtularet homo? Siccine deſeris nos rerum omnium parens & author ſanctiſsime? ſiccine ualere nos iubes fœturam tuam? Cedò igitur, cui nos tandem tradis? temeritati ne caſuum & fortunæ? quid cogitari poteſt crudelius? Genuiſti hominem, quo pulchrius aut præſtabilius nihil eſſe uoluiſti inter omnia quæ cernuntur, & tam excellentem fœtum tuum tradis educandum non nutrici probæ, non ſapienti pædagogo, ſed ſtultiſsimæ fortunæ & caſui dementiſsimo, per mille pericula & calamitates miſerè iactandum, caſui, inquam, quo nihil eſt magis ſapientiæ tuæ contrarium. Iubes coli te, ſectari uirtutem: quorſum, ſi nihil inde præter ærumnas expectamus? nam uitæ huius commoda impij, conſcelerati, audaces occupant: iſtis fortuna eſt blandior atq; indulgentior, quàm probis & moderatis hominibus, hoc eſt tui ſimilibus. Quas ergo agemus tibi gratias, quòd in mundum inuexeris, quos neceſſe ſit uel malos eſſe, uel afflictos, rectricemq; omnium noſtrarum actionum temerariam fortunam eſſe iuſſeris? Hæc quidem querela iuſta eſt de iſtorum Deo: in noſtrum uerò non competit, qui nos egregia & ſingulari conditione miſit in uitam, inq; ea conſeruat, ut ſummo ſuo beneficio facile ſit nobis, ſi uelimus, dij eſſe unà cum illo. Porrò quidam ex iſtis dilemma ſe adferre putant ſanè quàm acutum & indiſſolubile, quo homines de ui & mente diuina incertos dimittant. Si Deus eſt, inquiunt, unde mala? ſin uerò

non est, unde bona? Versiculus est Græcus, quem citat Cicero in eandem propè sententiam: Si curent dij, bene bonis sit, malè malis. Quid potest dici in uerborum contrarietate concinnius aut uolubilius? quum nihil sit inanis in sensu. Quænam sunt tandem bona ista, & mala? Bona uocant nostris corporibus utilia, nostro appetitui congruentia: mala autem, contraria, ut eluuiones, incendia, pestilentiam, sterilitatem, famem, bella, euersiones urbium, captiuitatem, paupertatem, infamiam, dedecus, dolorem, morbos uocant mala, & miseriam. Rursum affluentiam, diuitias, libertatem, gratiam, decus, dignitatem, prosperam ualetudinem, bona & beatitudinem: ut bona dicantur utilia, mala incommoda & noxia, non menti, sed corpori, & ijs qui affectu annexi sunt motibus animorum inconsultis. Creat hæc quidem Deus omnia, sicut Esaias uerbis illius dicit: Ego sum Deus creans lucem, & faciens tenebras, bonum & malum: hoc est, & aspera & iucunda sensui. Sed refert consilio suo inæstimabili in finem aliquem nobis utilem, ut nos uel meliores reddat, uel à sceleribus deterreat, transferatq; ad frugem meliorem. Non enim copias, uel sterilitates agrorum, propter animantes mutas creat. Nunquid curæ est Deo de bubus? inquit Paulus. Ad nos ea cura dirigitur, non ad boues, equos, asinos, qui in usum nostrum sunt conditi, quemadmodum modò declarabam. Quid, quòd mundi rector non uni aut alteri anno prospicit, sed diuturnitati seculorum. Prouidentia illius ad longè pòst uenturos se porrigit, ut diutina continuatione in aliquem egregium exitum perueniat eorum, qui digni sunt illa ipsius cura: nempe hominum bonorum, à quibus amatur, & quos redamat: hisq; omnia per ambages & circuitus admirabiles in bonum semper, atque id quod ipsis maximè conducit, uertit: non ad ineptias præsentium utilitatum, sed ad sempiternam fœlicitatem, quod unum est hominis bonum, certum & uerum. reliqua enim, sicuti philosophi uocant, ἀδιάφορα, seu neutra, ut uerò Paulus, nihil. Non malè Cato senior, stultos dixit multum sapientibus prodesse, quòd ab ijs cautiores ac meliores fierent: prudentes nihil conferre stultis, qui illorum rectè facta non animaduerterent. Quæ qui considerauerit attentiùs, inueniet, quocirca nullum esse cupiam querelæ locum relictum, ut bonis mala, malis bona eueniant: quod dictum, ex malorum & bonorum ignorantia est natum. in quo sapientes à uulgo uehementer dissentiunt. Vulgus enim omnia metitur corpore, sapientes animo. ideoq; inter illos mira diuersitas, dum aliàs populariter, aliàs philosophicè loquimur. Aiunt enim, Socrati Athenienſi & M. Regulo in medijs tormentis ac morte non malè fuisse, nec Sardanapalo regi Syriæ in rosa bene. Sed de horum in loquendo & sentiendo inconstantia, infinitum esset dicere. Nimirum uersabantur in tenebris: Christo gratia, à quo deducti sumus in lucem & diem. Itaque homines qui in tantam latitudinem consilij non mittunt oculos, nec bona & mala, uera regula dignoscunt, statim ex uno uel altero exemplo, quod ipsis parum probatur, damnant in uniuersum cuncta. tanto autem proiectius & desperatius, si ipsis, aut ijs quibus bene cupiunt, contra sententiam res cedant: quemadmodum pueri delicati, quum quid à parentibus eorum fit, quod ipsis displiceat, ilicò in eis & prudentiam requirunt, & charitatem erga se. Nihil est in rebus quidem, quæ sub cognitionem nostram ueniunt, regno mundi similius, quàm uita, quæ corpori nostro ab anima præstatur. Nam ut anima corpus uniuersum singulasq; eius partes sustentat, uegetat, uiuificat: ita Dei præsentia salutē uitamq; adfert rebus omnibus. magnumq; Dei simulachrum, mundum gubernantis, est humanus animus, corpori suo uitam & sensum tribuens: atque adeò hic ad imaginem illam est conditus Dei mundum temperantis, sicut angelus ad imaginem Dei, seiuncti à cura mundi corporalis, de quo mox loquemur. Et quandoquidem ille præsens est omnibus, omnia intuetur, uidetq; non solùm corpora, sed animos item quos ipse condidit: isq; est demum uerus & iustus iudex, cuius sapientiam nulla res potest fallere, cuius æquitas singula perpendit, cuius potentiæ nemo poterit eximi. Nam humanis legibus & magistratibus potest fieri fraus atque impostura per uafros & callidos homines, illi non

potest.

poteſt. Cato apud Aulum Gellium in oratione quam habuit pro Rhodienſibus, negat legibus puniri uoluntatem, ſed actionem: nec legibus ad hunc modum caueri, ſi quis tantum agri uelit poſsidere, ea mulcta eſto, ſed ſi quis poſsideat. At Cicero & alij philoſophi, peccata multa ſola uoluntate fieri, non negant: quale eſt illud ſecunda Actione in Antonium: Si occidiſſe Cæſarem ſcelus eſt, & uoluiſſe erit ſcelus. Dic mihi, quis erit ſceleratæ huius uoluntatis iudex & animaduerſor, niſi is ſolus qui eam intuetur? nam homo externa tantùm cernit. Sunt etiam quædam crimina, quæ illi ad Dei ultionem remittunt: ueluti apud Senecam ingratitudo, primo libro de Beneficijs, & Cicero de Legibus ſecundo: Ad diuos adeunto caſtè, pietatem obſeruanto, opesa mouento: qui ſecus faxit, Deus ipſe uindex erit. Atqui uindicare hæc omnia non poteſt Deus, niſi cogitatus perſpiciat, & noſtrarum rerum cura tangatur, & imperium habeat in uita functos. Ita eſt profectò: alioqui nihil fuerit uita hominum, niſi merum latrocinium, aut uirtutum ſimulatio, ſuorum commodorum cauſa. Plinius in Hiſtoria naturæ ait, Deorum numine cuncta agi, ex uſu eſſe uitę, ut credatur, ideoq; inductum per homines ſapientes. O proditorem generis humani. Nam ſi id ſecretum tanti refert noſtra ignorari, tu qui profers, an non prodis nos omnes, & uinculum illud diſſoluis, quo ſocietates cœtusq; hominum continentur? Valerium quendam Soranum doctiſsimum togatorum in crucem eſſe actum, ſcribit Macrobius, quòd uerum urbis Romanæ nomen enuntiarit: tu Plini, qui tantum & tam ſalutare arcanum euulgas, quàm multiplici dignus es cruce? Impij ſunt, & dijs ſacri, qui myſteria Eleuſinæ Cereris in Attica terra diuulgant: tu qui tantum myſterium profanas, quam tandem mereris pœnam? Sed non eſt myſterium, nec arcanum, neque ab ingenioſis uiris excogitatum ad utilitatem uitæ, ſed à natura inſculptum, & infixum omnium animis. Quid tu, an cenſes tam malè agi cum genere hominum, ut homines eſſe homines niſi per mendacium non poſsint? Neq; enim relinquitur in uita quicquã homine dignum, ſi Deus à cura noſtri eſt auerſus. An iuſtitia, an charitas hominum inter ſe, & amicitiæ, an pietas in patriam, in parentes, an gratitudo in benefactores? Quid opus eſt illis omnibus ficta ſimulatio? pro illis omnibus ſuffecerit, quantum rebus atq; uſibus tuis expediat: ut mercaturæ ſint uirtutes omnes, non uirtutes. Quorſum enim aliud, quandoquidem nemo eſt qui animum ſpectet, aut iudicet? An non pudet philoſophos, poſt ſublatam prouidentiam uerbum ullum de uirtute & pietate facere, aut omnino eam nominare: quæ nulla omnino ſit amplius, ſi Deus nos in ſuam curam non recipiat? ſed pergunt ineptire: Etiam ſi nulla ſit (inquiunt) remuneratio uirtutis, ſi nullus ſit Deus, tamen quietiùs & iucundiùs & ſecuriùs uiui ſecundum uirtutem, quàm ſecundum uitium. O uoces hominũ ſeipſos non exaudientium uæcordes. Si nihil habiturus ſum unquam aliud quàm uitæ huius curſum: ſi nullum reſpicio qui cõſcientiam meam ſpeculetur, aut norit, iubetis me relinquere mea commoda propter res fictitias? quod ſatis eſt à nobis ſuperius oſtenſum. Eſt etiam qui pronuntiet, nullum ueriùs colere uirtutem, quàm qui miſit famam boni uiri, ne amitteret conſcientiam. Hoc nihil poteſt dici uerius, ſed parum congruenter, ſi Deus nõ ſit ſcrutator cordium. Quid enim hoc illi prodeſt, aut quem habet fructum, aut cui ſe tempori reſeruat? Sequitur enim ſolùm ſpecioſa quædã nomina, ſed inania, & floſculos amœnos ſine fructu. At iucundiùs uiuitur cũ uirtute, & ſecuriùs: ita planè, cum ſimulatione uirtutis, cum externis actionibus ad obſequiũ humanarũ legum accommodatis. Neq; enim pœnam metuis, quia leges non uiolas, & haberis uir bonus. Vnde accedit tibi pretiũ, & decus, & bona opinio. Fidunt tibi omnes, credunt & cõmendant negotia publica & priuata, itaq; ars ea quæſtuoſa eſt: uolũtatem qualem inter hæc geras, nihil refert. Quid, quòd ſi uirtutem ſequeris, ut iucundiùs & quietiùs & ſecuriùs uiuas, iam ut alij opes ad quietem ſuam, alij rura & hortos parãt, alij uxores diuites & induſtrias, alij ſacerdotia: ita tu uirtutem conſectaris tanquam quietis tuæ inſtrumentum, ut appareat, nundinari te uirtutem, & pluris facere quietem, quàm illam. Ita apparet, ſi aliter quietem & ſecuritatẽ poſſes nanciſci, te longum

uale dicturum uirtuti,qua dicis nihil esse in mundo pulchrius,amplius,præstabilius. Est hoc planè eneruare in animis hominum Dei & pietatis respectum, si uirtutem censeas debere parari ad uitæ certissimã utilitatem, etiam si nõ esset Deus qui nostra cerneret. refrigescit enim cura Dei colendi,& uirtutem omnem non ad animi probitatem,sed ad ostentationem quandam transfers.

Quid,quòd multi non bene agere uirtutem esse hanc censent,quę laboriosa est & difficilis : sed nemini malefacere,ne uicissim mali quid accipias, quæ uirtus non est, sed ad uitæ quietem cautio & callíditas:de quibus etiam uolumine quinto dicemus. Iustitią ergo,& pietates omnes & amicitiæ,& gratitudines, & fortitudo, & cõtinentia,& quæcunq; sunt in hominibus magna & præclara,respectu Dei cõtinentur atq; exercentur quemadmodum decet:quæ omnia uana,stulta,ridicula sunt,illo semoto.

QVOD MVNDVS ESSE ALIQVANDO CŒPERIT.

CÆterum nonnulli ut concedant facilè Deum omnium cõditorem rectoremq;, negãt tamen mundum aliquo temporis initio incœpisse,sed esse æternum,conditori suo parem. Huic sententiæ Aristoteles accedit, instructus suis axiomatis : Ex nihilo nihil fit:cuius est generatio,est interitus:& eiusmodi. Quàm stultũ est de mundi creatione ex legibus naturæ huius statuere, quum creatio illa naturam antecesserit? tum enim natura est cõdita,quando & mundus:nec aliud est natura,quàm quod iussit Deus.alioqui minister esset Deus naturæ, non dominus. Sed progressus mundi apertè nobis illius originem ponit ob oculos, quo progressu uidemus eum haud aliter quàm hominem unum uel populum aliquem adolescere. Reuoluamus ueterem omnem memoriam,& seriem ac continuationem rerum:uidebimus liquidò ab hinc tria annorum millia hominum genus adeò rude atq; impolitum,ut à feris non multum distaret.Habitabatur in speluncis,in solitudine,sine rege,sine lege, sine iure ullo, & confœderatione æquæ consociationis : seorsum quisque per se, aut ad summum cum uxore & liberis,erexerunt paulatim tentoria è ramalibus arborum,& cœperunt casas & tabernacula conferre. Vnde uici & pagi extiterunt:qualis fuit habitatio non ferarum modò & barbararum gentium, sed ipsorum Græcorum per tempora Troiani belli, sicut Thucydides refert. Apud scriptores Græcos inuenio heroas illos, qui exercitus Græcorum ductarunt ad Troiam, literas nescisse, ac ne fuisse tum quidem,nisi rarissimas:quod Homerus subsignificat in tesseris eorum,qui singulari certamine erant cõgressuri cum Hectore.Certe ante Homerum ipsum nec scriptores fuerunt ulli penè gentilium, neq; literæ, nisi apud Hebræos : quemadmodum ex ratione temporum manifestò colligitur.Secutæ sunt urbes, & ingenia literis disciplinisq; exculta:& quotidie noua prodeunt inuenta,ut in re bellica,in ædificijs. Chalcographiã habemus, gentes & insulas inuenimus cunctæ uetustati incognitas & inauditas,& reliqua eiusmodi permulta,tanquam mundo semper proficiente, ut homine quantumuis sene. Augetur quotidie uniuersus uitæ cultus atq; expolitur. Videlicet mundus,ut homo senex,pluribus indies uitæ instrumentis indiget. Olim, ut iuuenis, facilè se quocunq; cultu uictuq; tolerabat. Iam & morbi sunt plures, & corporũ infirmitas indies maior, eoq; necessitates etiam graviores ac plures. Quid, quòd rerum omnia inuenta, quorum sint,annotatũ est memoriæ:quæ omnia in mundi æternitate,non nunc primùm, sed ab infinito tempore oportuit reperta,aucta,exculta. Adde huc,quòd si æternus est mundus,& gentes nationesq; æternæ erunt,ut Iulut Italia, Hispania, Gallia, Germania . Atqui nos origines earum gentium, auctus progressusq; nouimus, & ex inuentis quàm non diuturnæ fuerint, facilè deprehenditur.In Italia rarissimę erant literæ,quo tempore cœperunt Romam Galli Senones. eodem tempore nullæ erant uites in Gallia . Quàm multarum rerum notitia atque usus in Gallia, in Hispania natus est memoria patrum, aut nostra,in uestitu,in habitatione,in uictu,in omni denique cognitione rerum necessariarum,in herbis,in animantibus.Pueri sumus, planè nunc incipimus : omnia hæc cum infinita diuturnitate pugnãt. Et infantia, quam in multis mundi partibus annotamus,quid aliud testaĩ,

quàm

quàm mundum ipſum non modò infinitum non fuiſſe,ſed nec admodum uetuſtum? Hominum in iſtis nouis inſulis uictus nihil differt ab illo qui erat toto orbe ab hinc tria millia annorum,ſupra quod tempus nulla eſt hiſtoria gentilium. Vnde refutatur Chaldæorum & Ægyptiorum uanitas,qui tot millia annorum confinxerunt:in quibus ſi quid geſtum dicerent Græci ſcriptores,ut alia ab Ægyptijs,ita & res eas geſtas cupidiſsime ſumpſiſſent & retuliſſent in literas.Sed anni illi erant inanes,& ſomniati. Nam antiquiſsima Ægyptiorum de Phoroneo & Iſide, non multum ante Troiana bella contigerunt.Quid,quod lingua Hebræa, quæ multis & euidẽtibus rationibus oſtenditur fuiſſe de primis,mõſtrat clariſsimam infantiam mundi.ea enim ſimilis eſt linguæ puerorum,pleriſq; uerbis amphibola parum diſerta,non benè coniungit partes,& uerborum tempora confundit. Quin & ex ea quæ eſt antiquiſsima,licet ſumere teſtimonium antiquitatis mundi, quam ipſa non ante quinq; millia annorum ponit.Dicunt infinities eadem eſſe reperta, & toties cõcidiſſe nationibus ſublatis,apud quas illa uigebant, partim incendijs, partim eluuionibus, quæ ſtatis temporibus admotus & progreſsiones ſiderum neceſſe eſt accidere,ita hominibus extinctis perire illa inuenta, rurſum uſu, atque ingenio paulatim reparari ac redire. Quiduis potius, quàm ut cum pietate conſentiant: & quam ſemel arripuerunt opinionem, tuentur, mordicus per fas & nefas. Commentum hoc ad eludendas inuincibiles rationes eſt excogitatum. Quæ enim apertiſsimè de condito aliquando mundo proponuntur, quæq; coguntur ipſi admittere ſine mutatione ſententiç,per eluuiones et exuſtiones recipiunt:ut hoc non ad ueritatis inquiſitionem excogitarint,ſed ne de ſententia cogantur diſcedere.Primùm,quî ſciũt neceſſe eſt eſſe eluuiones illas et exuſtiones euenire ex curſibus ſiderum? Vt donem illis,coniunctiones aut ſeparationes errantium ſiderum modò ad humoris redundantiam uergere,modò ad ſiccitatem & incendia. quî ſcient tamen hæc fore uniuerſo orbe,ut id poſsint aſſeuerare tam intrepidè? nam cõſtare inter eos uideo, qui huiuſmodi rerum cognitionem profitentur magis quàm præſtant,certa quædam orbis loca coniunctiones has reſpicere, & illis uel bona uel mala portendere,non cuncto orbi. At fortaſſe experientia duxit eos ad hoc affirmandum. Nihil minus. Quam enim eluuionem orbis, aut incendium uiderunt,aut legerunt,aut eſt omnino traditum ulli memoriæ? Nos ex ſacris literis unum habemus diluuium,quod pleriq; gentilium ignorant.Poſtea eluuiones & terræmotus & incendia contigerũt, non orbis, ſed regionis cuiuſpiam:ut in diluuio Ogygis inundata eſt Attica & Bœotia,ſub Deucalione Achaia.Lugdunum Neronis temporibus una nocte cõflagrauit:Delphi in Batauia paucis horis.Similes deinceps calamitates multas legimus,uel audiuimus.Sed his caſibus ſuperfuerunt earum regionum atq; urbium plurimi,qui ſecum literas artesq; ac memoriam inuentorum conſeruatam & exercerent ipſi,& poſteris traderẽt:ut iactura facta eſſet ædificiorum & diuitiarum, non artium,neq; inuentorũ humani ingenij.Illud quoq; Noë diluuiũ non ſiderũ commiſtionibus aſsignatur,ſed ultioni numinis. Verùm iſti ſolita temeritate ſub certũ horoſcopum reducunt eluuiem illam orbis, & ſimilem horoſcopum contigiſſe ferunt anno uicesimo quarto,qui annus orbem ferè totum inſanis iſtorũ prædictionibus terruit, quum nullus annus memoria eorum qui uiuerent aut mitior aut ſerenior fuerit, aut ſuis omnibus partibus tempeſtiuior? Primùm in tãta uarietate,tamq; incertis ijs qui annales ſcribunt,quem annum poſſunt ipſi annotare quo diluuiũ cõtigerit? Ita non dicunt hoc euenisſe,quia hic erat aſtrorum coitus:ſed quia id contigerit,talem affirmant fuiſſe. Hoc uerò non eſt ab experimentis ſcientiam colligere, ſed ad tuendam temeritatem aſſertionis confingere ſibi experimenta. Verùm irriſit iſtos natura, qui quo tempore natatura in aquis omnia erant minati,ſereniſsimi ut ſi quando antea fulſerunt ſoles,et uer fuit omniũ amœniſsimum. Iam ut nos eluuionem unam terrarum oſtendimus,proferãt ipſi uel alteram,uel exuſtionem terrarum quampiam. An uerò nulli erunt tanto malo ſuperſtites,án ne aliqui? Si nulli,quomodo reparabitur humanum genus nullo ſemine? hoc difficilius erit explicare,quàm mundum non eſſe conditum. Sin aliqui,hi certè de ſuis maioribus, de artibus atque ingenijs illorum poſteros

ſteros edocebũt, quod & fecit Noë, qui poſteritati ſuæ mũdi exordia uſq; ab Adam ipſo patefecit. Etiam ſi hi qui remanſerunt, ignorarent eas artes, certè fuiſſe eas non poterãt ignorare, & hoc ſaltem tradidiſſent poſteris. Quid, quòd literarũ uſus, quem neceſſe eſt in mundi æternitate æternum fuiſſe, non fuiſſet uitę mores ac conſuetudines ignorari. ex quarum tamen narrationibus apparet, mundum adhuc nouum acrudem fuiſſe. Conchas marinas dicunt longiſsimè à mari repertas: Mela & Ouidius id tradũt. Quid inde colligitur? mare illic fuiſſe aliquando. Quid tum? Prætereo, quòd in montibus poſſunt fieri cruſtæ aliquando conchis ſimiles, & quòd illæ potiùs ſunt diluuij, de quo ſacræ loquũtur literæ, ueſtigia atq; indicia. Quid uerò ſequitur, etiam ſi mare demus illic fuiſſe aliquando, ubi nunc agri ingẽtes à mari procul reducti? an hoc arripient pro argumento æternitatis mundi? quali uerò non quotidie hoc uidea mus in Galliæ huius Belgicę æſtuarijs cõtingere. Quid, quòd terrę motibus ſæpe eſt factum, ut ingentes amnes exaruerint, cõciderint montes, ex quorum ruinis repletæ ſunt ualles, alibi uerò montes ſubitò extiterũt. Requiruntur hodie mõtes, fontes, amnes, urbes, maria, quæ ueteres in mũdi deſcriptione poſuerũt, nec eſt opus ad tantam mutationẽ ſeculis infinitis, una uel altera ætate contingũt. Quærunt tamen de nobis iſti, ſi Deus ante mundi fabricationem æternus fuit, quid agebat immenſa illa æterni tate? quid moliebatur rerum? quid ei derepente non accidit, ut quod nunquam antea nouam mundi molitionem ſuſciperet, cur non antea multis ſeculorum millibus mundum protulit, cur nõ póſt. Maximum additur impietati & falſis opinionibus robur, ſi homini ad confirmandũ negandúmue quicquid libuerit, ſatis eſt cõtrariam rationem non aſſequi, aut non inuenire. Tu ergo quia tantum diuinę uolũtatis myſterium non capis, ilicò in aduerſam tranſibis partem, ut eundem habeant limitem ueritas & ingenium tuum, quodq; indignius eſt in rebus diuinis. Non eſt fas homini cauſas & rationes ſcrutari, quibus Dei uoluntas uelut adducitur ad agendũ: nam ſcrutator maieſtatis, ut inquit Sapiens, opprimetur à gloria: ſed uelle & parere & adorare quicquid illa iuſſerit. Verùm hoc tamen quod in præſentia à nobis quæritur, non relinquemus dubium & alligatum, ne homines queruli & iniquè ſuſpicaces deeſſe rationes putent ueritati, quas illorũ quæſtionibus opponat, tametſi deeſſe nobis quis poſſet mirari. Quòd nõ intelligamus diuina, ea præcipua cauſa eſt quòd de Deo ſentimus nimis humanè, & illius tempora metimur ut noſtra, & cõmotiones animi adiungimus ut noſtris principibus, & indigentia uel neceſsitate premimus. Niſi quis enim ſe ad cõſiderationem erexerit æternitatis, ut illam uniuerſam quatenus fieri poteſt complectatur cogitatione ac mente, impiè in multis ſentiet, et non dignè ad illam ſempiternam maieſtatẽ ac naturam. In æternitate nec prius eſt, nec poſterius, nec antè, nec pòſt. omnia ſunt, nunc etiam multo magis quàm explicari ſermone ullo humano poteſt: quin etiam hoc noſtrum Eſt, uix Deo cõgruit, ut Plato affirmat in Timęo. Qui hoc ergo in animo ſuo reputat, non habet quod tempus ut durationem ullam in æternitate patiatur, ut quædam ſint antè, alia pòſt: ſicut in uacuo illo immenſo atque incõprehenſibili quod eſt extra mundum, neq; eſt hic, neq; illic. Nanq; ad eundem modũ quæri poſsit, cur hîc potiùs mundus poſitus quàm alibi? hæ nanq; loci & temporis diſtinctiones in mundo ſunt ſolò, & cum mundo genitæ, antè aut extra illum nullæ ſunt. Quod uerò quæritur, quid agebat antea? idem rogari poſſet, quid agit Deus extra mundum? Non erat antea, ſed ſi quod antea, tu imaginaris homo in tempore genitus & uiuens. Agebat ante mundum, et ſine mundo, quod nunc cum mundo, in ſua fœlicitate ſeipſo contentus, & ſufficiens, plenus bonorũ omnium, & ab æterno cõſtituit mundum procreare, atq; ea condere, quibus beatitudinẽ communicaret ſuam: ſed tunc, non antea, nec pòſt, quia ſic illi eſt uiſum. Quòd ſi nos uix aut nullo penè modo quæ ab illo ſunt condita intelligimus, quomodo rationem uoluntatis eius capiemus anteq; conderet, ſed iam in illa reuoluimur Dei æternitate indigna. Et mundũ ab æterno eſſe compoſitũ ac conſtitutum magis defendebatur olim philoſophorũ concertationibus, quàm perſuadebatur populo. Simul primùm Chriſtus aperuit quis creaſſet, quando, quomodo, id cõtinuò ab uniuerſo eſt humano ge-

nere

nere receptũ,non Christianis solùm,sed Iudęis,Agarenis,etiam philosophis de mundo. Facit ad Dei magnitudinem,scire mundum esse à Deo aliquando cõstitutum,ut intelligamus quid & quantum sit,quod ille possit agere.Quis enim potentiam illius queat expendere in æternitate? quæ æternitas uires authoris abscondit,quasiq; obruit. Quid, quantum,quatenus, quomodo fabricatus sit singula, latent omnia hæc in æternitate,uastissima altitudine demersa:nec quantus ipse per se esset,satis iudicari posset in æternitate operis. Pertinet quoq; ad Dei bonitatem, existimari aliquando conditum,ut intelligamus quemadmodum se uoluerit communicare. Nam in æternitate necessitas quædã includitur, quæ pretiũ bonitati detrahit. Aristoteles, quum mundum æternum affirmasset, Deum supremo affixit cœlo naturaliter operantem, pressum necessitate, ne quid aliter possit agere, quàm sicut agit, ut fata & leges non ipsum minus quàm res astringant,& sit quod Poëtæ dicunt,

Fato stat Iuppiter ipse. Et Lucanus:

Se quoq; lege tenens,& secula iussa ferentem.

Adimit Deo Aristoteles id quod in entibus ratione atq; intelligentia præditis est optimum,libertatẽ:& ex principe mundi facit ministrũ naturæ, cui in agendo seruiat. At uerò ubicunq; sunt actio naturę & uoluntatis,potior semper atq; antiquior est uoluntaria:ut in homine.At tantus rerũ scrutator,quod potius est & melius Deo detrahit,cogitq; in ordinem,non saltem à seipso admonitus cùm politica scriberet, regem non esse legibus subditum:quam sententiam à iure & cõstitutione iustitiæ,ipse idem acuta ratione quare id fieri oporteret,communiuit. Quòd si par est humanũ principem ignorationi, imbecillitati, mutationibus subditum, non teneri legibus, quanto minus decet illum teneri sapientissimum,omnipotentem,& in bono immutabilem? Iam quòd sepsit necessitate,abstulit ab eo cultum omnem,charitatem,gratiam.Quis enim ei quicquam debeat,qui quæ agat,non possit aliter agere? quis igni habet gratiam, quòd carnes coxerit,& aquam feruefecit,aut aquæ quòd nos humectarit ac refrigerarit? naturalia sunt eorum opera,nec possunt aliter agere.Coco & ministris gratiam habemus,qui quæ poterant non præstare si libuisset,præstiterunt tamen nostra causa.Si quis Deum illum Aristotelicum imploret atq; oret supplex, ut quid uel tribuat commodi uel auertat damni,quid censetis illum responsurum? Tu uerò frustra consumis tempus & uerba,qui mihi supplicas. Non enim ea quæ tu poscis, in manu mea est tribuere,legibus definitis præfixisq; uado, nec minore premor necessitate in agendo,quàm tu in patiendo.Si quæ largiar,proderunt tibi,utere:sin secus,fer tu necessitatem tuam æquo animo,sicut ego fero meam magno.O sortem natura & maiestate Dei indignam. Et cæteris quidem mentibus inferiores cœlos Aristoteles attribuit: Deo uero summo, præpotenti, immenso octauum,hoc est supremum, eam illi quasi prouinciam delegauit, quàm inæquali proportione? Quanto enim maiore interuallo excedit Dei natura reliquas mentes,quàm opus Dei opera aliarum,& orbis Dei orbes reliquos? Quod nec poëta Homerus non animaduertit,qui Iouem suum facit denuntiantem reliquis dijs omnibus,ut si restim è cœlo demittant, è qua dij omnes pendeant,se unum tracturum in cœlum restim cum uniuersis dijs. Sed ab Aristotele libens quæsierim, si mentes cœlorum motrices sunt finitæ, quomodo mouent tempore infinito,quandoquidem sempiternus & fuit mundus, & erit posthac? Sed hæc magis ad philosophiæ disputationem pertinent, quàm pietatis, sicut illa de numero mentium. Dicat aliquis forsan, Quid uos? num non Deum ab æterno statuisse omnia affirmatis? ergo aliter non possunt euenire. Statuit quidem, uerùm liberè, ut hoc posset agere & diuersum. Hîc est quæstio de fato & necessitate. Si enim ille facit, omnia necessariò euenient. nam quis poterit mutare? si præuidet, necessariò eueniant, alioqui falletur: nihil ergo est medium, ut Cicero concludit in secundo de Diuinatione. Hæ opiniones de fato & fortuna & necessitate,adeò sunt in tota gentilitate uariæ ac pugnantes,ut quid dicendũ de illis aut sentiendum sit,non possis eliere. Vulgus aliter sentit, quàm poëtæ, hi aliter quàm philosophi,isti inter se discordes. Democritus necessitate censet omnia euenire. Peripatetici idem propè aiunt,

casum

casum enim & fortunam nõ rerum esse,sed nostrarum actionum ac deliberationum. Plato necessitatem ponit,& fatum,& casum.Stoici nõ admodum ab hoc discrepant. Epicureis fortuita placent omnia.Facilè in tanta discordia magnam uersari ignorantiam deprehendas,& alij alios suis telis confoderunt. nimirum quæ esset Dei natura & uis ignorabant, idcirco tantis in tenebris alios alias uias esse ingressos, mirandum non est.Nos uerò Deum ostendimus authorem esse uniuersorum,& liberè actiones suas obire,& exequi: tum esse sempiternum,in cuius æternitate si quis more nostro, ut dudum explicabam, fuisse aut fore contempletur, in multos & graues errores incidat,necesse est.Neq; enim est in illo aliud quàm solum esse,& uix illud ipsum. Quo circa omnia sunt Deo præsentia,nec egit aut aget,nec uidit aut uidebit,aut præuidet, sed agit aut uidet, ne quis semel illum iussisse arbitretur, deinde sepositisse curam, quam in naturam cœlorum & elementorum reiecerit. Qui ad hanc se cogitationem atq; intelligentiam non sustollit,nec cogitet quidem de fato aut de prouidentia Dei, aut uerbum omnino faciat.nam pernicioſum hoc ei fuerit, si humana mensura, aut etiam angelica Deum uelit metiri. Et quandoquidem ille agit omnia siue solus, siue per instrumenta,minimè tamen necessaria, quid aliud potest esse fatum, aut fortuna, quàm eius uoluntas,quæ naturam rebus statuit? Sed urgent odiosius. Atqui ex hoc ipso fit,omnia necessitate euenire. Necessitas autẽ uel est id quod nulla prorsum ratione fieri aliter potest: ita nihil naturale,nec solẽ oriri,nec cœlos uerti est ex necessitate.sed ea tantummodo quæ sunt Dei,ut esse illum bonum & beatissimum & æternum:ostendimus enim ipsum liberè in suo uersari opere,et posse aliter agere,si sit col libitũ. Vel necessitas est id quod ille iussit,definiuitq; in ordine naturæ ac cursu,quæ sic semper solent procedere,& perpetuis naturæ causis constant. ita cursus hic naturæ necessarius est:mutatur tamen,etsi rarò, at nõnunquam,ut solem sistere,mortuum resurgere,lucem rursus eum aspicere cui sint oculi effossi. Necessitas etiam est in eo quod aliter non solet euenire,etiam si possit, ut non ningere sub æquinoctiali.Adde huc necessitatem conditionis: ut sit homo, habere rationis facultatem. Necessitas quoq; naturæ gemina est,altera simplex ex prima constitutione,ut solem uolui in zodiaco:altera ex causa,quum causa parit causam,uelut delassari qui ualde laborarit, ira sci eum cui sanguis efferuescat.In ordinatione naturæ uoluntates nostræ liberę sunt, ut cogi à nulla omnino causa possint, non ab his inferioribus,nec à cœlis ipsis,quia origo nostra excelsior est,sicuti mox differemus. Et loquor,tanquam cœli agant, regantq; hæc inferiora. nam quidam hoc aiunt. contrà alij significare solum, sunt qui neutrum:quæ disputatio non est huius instituti.Itaq; cogi non possunt mentes à causa inferiore ipsis,licet possint incitari & sollicitari,ut à corpore ac sensu. Libertas uerò nostræ uoluntatis ipso experimento ostenditur. quam ad rem pertinet uis consultandi & eligendi,quam Aristoteles iure quasi superuacaneam damnauit,si non sit libera humana mens. Nec esset ulla seruitus maior aut grauior quàm animi humani, si non haberet imperium in eo quod est propriè ipsius, nempe in intima uoluntate. Non enim tam est seruire nihil possidere in fortunis, nihil habere iuris in suum corpus,quàm non habere in uoluntate. Qui mœror, quanta desperatio, si nos teneri & alligari nodis insolubilibus crederemus,ut non essemus quales uellemus, sed præpediremur plagis necessitatis,ut belluæ:quibus hoc molestum non est, quia non intelligunt.& ex hominibus quo quis ingenio & iudicio minus ualet,hoc alligatiorem habet uoluntatem, minusq; libertate utitur, sed fertur plerunque, rarò ipse sua sponte ingreditur. Quapropter uoluntas nostra ex necessitate naturæ, hoc est certis constitutisq; naturæ legibus libera est,& liberè se huc applicat,uel in diuersum. Itaq; multa eueniunt,quæ possent non euenire: quæq; solent euenire, neutra sunt, uel indifferentia.Falletur,inquiunt,Dei scientia & prouidentia, si quid homo agat quod possit non agere. quippe si Deus uiderit nauigaturum Paulum cras, is uerò non intret nauim,falsus est Deus opinione sua:imò uerò falsus est, quisquis futurũ attribuit Deo. Non enim uidet Deus aliquid euenturum, sed iam esse. Quo fit, decipi ac errare ut nullo possit modo, nec continuò ex necessitate id euenit, utique non magis quàm

quum

quum te deambulantem cerno, aut necessitatem ipse tibi adfero, aut tu mihi deceptionem. Deambulas tu, & potes quiescere, & utrunque Deus intuetur, nempe actum tuum & potestatem. Nec quia prædixit Christus fore aliquid, ideo contigit: sed quia futurum nouerat, prædicabat. Hæc quum ita se habeant, nihil profectò est in rebus fortuna. nectuntur enim causis causæ. nec quicquam accidit sine ulla causa. Nos uerò ex causarum ignorantia fortunam finximus, sicut quod euentus rei alicuius non erat nobis destinatus, casum: ut fodientem incidisse in thesaurum. causa enim fuit, reconditum illic fuisse thesaurum & me ligonem aut palam in eum impegisse. Nam & quæ à nobis proficiscuntur, quæ uoluntaria nominamus, causis carent, nempe nostrum uelle. hoc uerò aliàs magnas, interdum & graues, nonnunquam leues, sed aliquas tamen non necessarias, uerùm quas uoluntas tanquam sibi expedientes approbat, quum possit diuersas, aut etiam aduersas. Preces etiam fiducia erga Deum quantum proficiant, intelliget liquidò, quisquis ad ueram Dei considerationem se sustulerit. ille enim in statuendo rerum cursu pias preces multis pòst annis futuras, iam cernit præsentes sibi, ideoq; accommodat ad eas nō pauca, quæ rogatum iri ab se amicos suos uidet. Mutantur quoq; ad preces ea quæ ex naturæ causis erant sequutura, quemadmodum in Ezechia contigit, rege Iuda, cui quòd naturales causarum progressus mortem minabantur, dictum est à Propheta Dei, Morieris, & non uiues. sed is decursus naturæ ad regis preces mutatus est, & mutaturum se Deus præuiderat, et non tum moriturum regem, id quod in serie rerum posuerat, sed quasi diuerticulum à trita atq; usitata naturæ uia.

QVÆ FVERIT CONDENDI MVNDI CAVSA, & de spiritibus.

QVi magnitudinem & sapientiam Dei, maiestatemq; illam Dei immensam consideret. tum corporum uilitatem, sordes, abiectionem, eaq; sola inter se conferat, quo magis ea uersarit et compararit, eo minus causam inueniet condignam, cur conditus sit à Deo mundus tanta solertia, tanta molitione, tam uisendo atque admirando opere, quid aliud in eo reperiet quàm uanitatem meram? Sicuti duo sapientissimi homines exclamarunt, Solomon & diuus Paulus. Maior ergo aliqua & Deo dignior erat causa, quæ illum ad talem adduxit structuram. Nempe quod quum esset optimus, uideretq; se beatissimum, uoluit eam beatitudinem communicare aliis. Natura nempe boni est, ut se diffundat & impartiatur multis. Præbet ergo sese Deus ad bonitatis & beatitudinis participatum uniuersis entibus, quantum cuiusque uis & capacitas capere ac sustinere potest. Sed communicatio rerum uita carentium prætenuis est, adeò ut nulla esse uideatur: quæ autem mutis animantibus, exigua & leuis, & in qua exprimi atque apparere non queat tantæ beatitatis communitas. Alia ergo procreasse illum est necesse, capaciora suæ fœlicitatis atque aptiora, quibus se ueriùs tribueret ac pleniùs, & in quibus imago existeret illius tanti boni expressior ac manifestior. Dei beatitudo nihil est aliud, quàm ipse Deus. neque enim ita est ea cōsideranda, ut quam in hominibus beatitudinem appellat uulgi ignorantia, pecunias, possessiones, amicos, patriam, decus, quæ extra beatum sunt. neque beatus esse Deus potest re ulla ab ipso aliena, ut per se non esset plenus perfectusq;, sed per accessum rei alterius. Quòd si ipse est sua beatitudo, seipsum communicando, communem facit sortem illam suam & conditionem fœlicissimam. Communicatio autem hæc fieri non potest partitione aliqua, quam Deus nullam habet. Vnus est enim simplex, absque omni prorsum mole. Communicat igitur, quum sibi adiūgit & applicat, ita ut in se qui est infinitus absorbeat, ut sic loquar, & unum secum reddat. Tum enim simillimi effecti naturæ ac conditionis diuinæ, quasiq; deificati, uerè participes fiunt fœlicitatis illius inæstimabilis. Et quoniam quidem non est Deus corpus, nec molem aliquam habet, uel magnitudinē, non tangitur per partes, nec adhærere quicquam parti alicui potest, in quo nullæ sunt partes. Condidit ergo entia idonea huic coniunctioni, seu unioni ueriùs. Vnionem hanc facit similitudo naturæ, quæ duplex est: in essentia, & in qualitate: in essentia, ut simplicia sint

& ſpiritalia, quemadmodum Deus ipſe: in qualitate autem, ut eam habeant qualitatem, quæ maximè & arctiſsimè ſpiritus coniungit, & facit unum. Corpora quidem multis modis uinciuntur, ſpiritus autem uno tantùm, nempe amore: quemadmodum uiciſsim odio diſtinguuntur & diſſeparantur. Et entibus quæ erant amatura, rationem & mentem dedit, unde amor & charitas naſcitur. nam quæ eſt brutorum charitas, cęcus eſt potiùs impetus, quàm certa & iudicio deſtinata beneuolentia. Explicemus ſingula eorum quæ propoſuimus, paulò diffuſiùs. Congruebat res condi ſpiritales, ut creationis circulus ab ſpiritu Deo per corpora rediret ad ſpiritus qui Deo coniunguntur atque uniuntur. Tum ubi erant tenuiſsimæ ac confuſiſsimæ opificis imagines, par erat edi alias expreſſas, & quaſi ad uiuum affictas, quæ ſunt ſpiritales, et ratione prędite. Etenim igni huic maior eſt cum igne altero ſimilitudo, quàm cum ſuo ipſius calore. Similitudo autem diuinæ mentis duplex eſt: altera Dei in æternitate ſine mundo, altera eiuſdem mundum gubernantis. illam angeli referunt incorporei, hanc humani animi corpore ueſtiti, cui præeſt. Angelis cœlum attribuit, dignum locum illa excellentia. hominibus, quamdiu in corpore agunt terreno & corruptibili, locum illis congruentem, nempe terram, quoad reparetur atque inſtauretur ſpiritalius & Deo digniùs. Omnia deprehendimus horrere & torpeſcere, niſi habitentur, atque excolantur. Annotare eſt in omnibus mundi huius partibus uitas eſſe poſitas & conſtitutas, non dubium quin & cœlis uitas quoque attribuerit author naturæ, à quibus habitentur tantò præſtantiores aliis uitis, quantò locus eſt amplior ac præſtabilior. Deo uerò nihil opus eſt cœlo, nec ullo loco, fœliciſsimo in ſeipſo & perfectiſsimo. Nec eſſet cauſa congruens extendendi ſuprà nos cœli tanti operis, quod uidendo & contemplando exatiari non poſſumus, ſi nullus eſſet eius alius uſus quàm ut his reculis inferioribus ſeruiret, gignendis pluuiis, uentis, tempeſtatibus, frugibus, atque eiuſmodi. rei certè maiori & excellentiori tanta & tam ſpecioſa moles eſt parata. angelis ſcilicet, & animis noſtris, item corporibus noſtris puris & defecatis per renouationem uniuerſitatis mundi. Non eſſe ergo res alias quàm quas uſurpamus ſenſibus, omni profectò mentis iudicio repugnat. Nam ſi Deus eſt author horum, non eſt opus dignum tanta potentia & ſapientia. ſin rector, non eſt hoc regnum illius maieſtati congruens, & condignum. Vel ipſe intuitus cœlorum abundè teſtatur, non ſeruire tantam pulchritudinem huic deformitati, nec humilitati excellentiam. Nos quoquè ipſi ad utrum mundorum ſpectemus, in promptu erit iudicare, ſi quis animum aduertat. Sunt enim ſenſus ex hoc mundo corporali, mens autem ex illo ſpiritali. Oſtendunt hoc appetitus, cognitio, & delectatio. Senſus expetunt, cognoſcunt, delectantur iis ſolis quæ materia ſunt & corpore ueſtita. mens autem ad ea ſemper fertur, quæ nuda ſunt molis: in iis libenter uerſatur, eorum cognitione & quaſi uſu delectatur magnopere, quod uidere eſt in præſtantibus & generoſis mentibus. Nam quæ in peiorem naturam degenerarunt, non præbent iudicium ingenij, & naturalis ſuæ qualitatis: quemadmodum in natura uel belluæ cuiuſquam, uel ſtirpis, uel radicis, uel floris, uel fructus inquirenda & perueſtiganda, non facimus cenſuram ex iis quæ in deteriorem conditionem degenerauerunt, ſed quæ in illa ſunt nota perfectiſsima. Ex horum etiam duorum ſenſus mentisq; comparatione licet colligere, quantò eſt incorporeus mundus excellentior, quàm enim humilia & abiecta ſunt craſſa hæc, circa quæ ſenſus occupantur? quantò altiora & nobiliora, quibus mens ornatur? Quæ opes ſunt illæ noſtri ingenij, collectæ ex mundo ſpiritali, & quidem tenuiter ac malignè, tanquam aquæ pluuiæ guttatim deſtillantes? quid fiet quum ex pleno & uiuo gurgite hauriemus? Declaratur quoquè mentem noſtram non hinc eſſe, ſed è mundo incorporeo, quod in hoc corporali poſita tanquam in loco alieno, non poteſt quieſcere, ſemper aliquid deſiderat & requirit, uelut deſerta & deſtituta: intelligit ſibi deeſſe aliquid, ſed ignorantia & tenebris huius corporis ac mundi obſtupefacta, quid illud ſit nō aſſequitur, quoad lux ei admouetur aliqua quæ caliginem illam diſcutiat, & ignorantiam edoceat: tum demum ſe totam ubi ſit, unde uenerit, quò tendat ſpectetq;, recognoſcit, & magna hæc, ſublimia

limia admiranda tanquam cognata sibi intuetur, ad quæ sensus non modò non pene trant, sed tanquam fabulas, & rem impossibilem aspernantur ac derident, quoniam eò non possunt ulla ui assurgere. non aliter quàm si leonibus, aut ursis, aut lupis, aut alicui brutorum nationi daretur loquendi facultas, & sermonis aliqua intelligentia. si quis in eorum cœtu de rebus hominũ, de eo quod mente iudicio ratione consequuntur & conficiunt, differeret, irrideretur, ac reijceretur tanquam fabellarum incredibilium confictor, nimirum à metientibus homines ex sese. At spiritus & angelicos & humanos amore coniungi Deo, seu potiùs unum cum illo fieri, id uerò existimarit quispiam tale esse, quale quum medicorum quidam ad curationem morbi difficilis ac penè deplorati, iubent nos herbas aut ossa animantium ab extrema India uel Scythia petere. Quomodo utrientur tam diuersa, angelus & Deus? & quod plus est, homo & Deus? dicet aliquis. Cæterum Deus non ideo à nobis procul abest, quia non cernitur, quia in cœlis dicitur habere sedem suam: ille autem re uera ubique est præsens, atque adest: nec minus est cuique nostrûm intimus, quàm anima ipsa qua uiuimus, atque etiam penitior. Neq; uerò nobis tantum est præsens, sed cœlis, sideribus, elementis, arboribus, animantibus, quippe qui magis uita cuiusque & essentia, quàm animæ uel effectiones, per quas quisque est id quod est. Nihil ergo loci interuallum obstat. Ratio autem connectendi spiritus, & nodus aptissimus est amor: sicut uicissim resoluendi & discindendi, odium. Omnis enim facultas quæ cognoscit, ob hoc ipsum cognoscendi uim est nacta, ut si quid iudicarit esse bonum, appetat & sequatur: sin malum, auersetur & fugiat. quæ diffuse sunt in amoris natura explicita: non enim sunt loci huius. Appetitio hæc boni, uocatur amor: mali autem auersio, est odiũ. Quæ expetimus, assequi uellemus, ut coniunctio illius desiderium nostrum impleret. quæ odimus, ab illis uellemus fugere, ne per præsentiam illius torqueremur. Amor ergo applicandi et connectendi uim habet. quod non tantùm in hominibus, sed inferis quoquè ipsis animaduertimus, quæ sobolem suam diligunt, nollentq; ab ea discedere. Feræ bestiæ, in syluis & solitudine natæ atque educatæ, hominem, quia metuunt, tanquam sibi noxium oderunt: & quia oderunt, defugiunt ac deuitant. cicures autem, ut feles & canes, quia nos diligunt, uersantur inter nos placidè: & si quò recedamus, sequuntur. Homines etiam quid coniungit, quid detinet, nisi amor? quid separat, nisi odium? ita ut absentiam instar mortis esse ducant, quumq; absunt, quantum possunt efficere, reducunt se in præsentiam memoria, literis, mentione: & quem odimus, de eo non libenter meminimus. Sed hominis amor qui ratione est præditus, longè diuersę est rationis, quàm brutorum. horum enim charitas uel ex impetu est quem natura indidit, uel ex delectatione sensuum. & in hominibus qui non aliter uiuunt quàm belluæ, amicitia amorq; omnis ex eodem fonte manat, nempe sensuum, absq; iudicio rationis. Qui uerò amor ex consilio & mente oritur, ex eo bono trahit originem, quod mens iudicauit esse tale. ideo liber est amor, & scit quid amat: & quum amico suo fruitur, nouit quantum est quo fruatur, et quale: nec est ulla satietas, ut in sensu. Iam amor mentis ut est in intimis, ita ad intima amati penetrat. amor sensuum exteriore hac facie est cõtentus, sicut in mutis animalibus: nec quale quidq; intus sit considerat, nec alijs uult coniungi quàm externis, non intimis. Ideo canes, feles, & homines aspectu tactuq; acquiescunt. Mentis autem amor ad unionem ducit. uellet enim amici animus in amicũ immigrare. Scienterq; ficta est à uiro sapiente fabella, Vulcanum reperisse amicos duos, qui optimè inter se cuperent. eo amore delectatũ Deum, obtulisse illis quicquid optassent. illos respondisse: O Vulcane, tu qui faber es deorum, fac ex nobis duobus unum prorsum. Aristoteles acutè amicum amico alterum ipsum esse dixit. Huiusmodi charitas est coniunctioni cum Deo & beatitudini illius idonea, non charitas sensuum. Primùm rationem, mentem, iudicium, cõsilium Deus largitus est spiritalibus naturis, per quæ intelligerent quod tandem esset uerè suum bonum, ut illud expeterent, expetitum sequerentur, & cuperent cum eo copulari atque uniri: ad quod sequitur æterna beatitudo, quam adepti, scirent quantum essent

assequuti, & uerè fruerentur coniunctione Dei. nam ubi non est hoc iudicium, nec ratio atque expensio tanti boni, quæ potest esse beatitudo? Quid, quòd beatitudo illa quum sit Dei incorporalis, non congruit solis sensibus, qui corporalibus solùm capiuntur, sed mentibus: & amor qui efficit unum, is demum est qui spiritus beatos reddit, nempe unione cum beatissimis, in qua redeunt ad illum spiritus eadẽ uia qua erant profecti. Amore scilicet impulsore nos condidit, amore reuocat ac reducit, amoris ianua ab illo exiuimus, eadem ipsa est reuertendum. Nam gignendi mundi causa non fuit aliqua indigentia authoris Dei, sed copia, affluentia, diuitiæ summæ & incredibiles: quòd quum se beatissimum uideret, bonitas adduxit eum, ut conderet res illius beatitudinis: quo in opere & bonitas apparet communicantis sua, & amor erga illa quibus tanta bona statuit largiri, haud secus quàm declarat mater charitatem erga fœtum quem gestat in utero, quum illi parat crepundia, nutricem, cunas, ludicra, & alia quæ ætati illi censet conducere. Amor autem creationis patefit in conseruatione. Quæ enim non amaret, neque conseruaret. uoluntas illius omnipotens, & creatio est, & conseruatio. Aliquid horum procul aspexerunt uetustissimi sapientes, Mercurius, Orpheus, Hesiodus, Parmenides: qui amorem antiquissimum dixerunt esse rerum omnium, à se ortum, consultissimum, & locatum in sinu Chaûs antequam mundus conderetur. Cum quibus Plato consentit in Timæo, & in Conuiuio. Habemus connexionis & coadunationis rationem ac modum. Eam uerò nos posse consequi, argumento est qualitas ipsa & conditio mentis nostræ, quæ ita est facta & informata, ut naturaliter in bonum & pulchrum feratur: qui motus, ut dixi, amor nuncupatur. Quòd si data est homini intelligentia Dei obscura quidem & maligna, sed aliqua tamen, cognoscit utique nihil cogitari posse pulchrius, præstabilius, maius, melius. Ergo in eum qui talis esse iudicetur, accenditur statim amor. nam si has nostras leues & dilutas uel probitates, uel formas diligimus, quid de fonte, de origine, de copia decoris, bonitatis, sapientiæ, potentiæ infinita existimandum est? Hunc si amat, coniungi profectò cum eo cupiet. id uerò si assequi nulla queat ratione ac uia, non superuacanea tantùm fuerit eiusmodi cognitio, sed molesta quoq; & acerba. Quorsum attinet gladium ad scindendum diligenter exacuere, si nihil potest scindi? Quid famelico aut sitibundo edulia uel potiones proponere, tanquam Tantalo, quæ non ualeat attingere? Tale esset hominem condi cum intelligentia, & ex eo, desiderio æternę felicitatis, si peruenire ad eam non posset, quid foret aliud, quàm eum crudeliter eludere? monstrare quæ expetat bona, & in quæ toto nisu feratur, arcere tamen à possessione & usu illorum. Bestijs quòd est datum illis bonis frui, ideo nec desiderare, illis se bonis carere non ferunt grauiter, ac ne intelligunt quidem. Illud porrò animaduertisse operæpretium fuerit. nos & per calorem esse in utero matris paratos huic luci ac uitę, & in ea per calorem uiuere ac conseruari, & per calorem ad alteram illam redire: sed ut hæc uita est corporalis, per calorem hîc corporalem, ad alteram uerò quę spiritalis est, per calorem mentis. Homo à Deo prodit per amorem, admonetur, ut ad eum se conuertat luce adhibita. Si id faciat, accenditur positis ob oculos tantis bonis. Accensus autem, toto nisu illuc fertur, ut uniatur. Vnitus, fit beatissimus, quia uelut Deus quidam. Conuersio est amoris ortus, illustratio est amoris alimentum, accensio est amoris incrementum. sequitur actio animi ipsius in expetendo, in unione uerò est absolutio bonorum omnium.

DE SPIRITVVM IMMORTALITATE.

SEd quando spiritus omnes ad sui cognitionem et amorem, indeq; ad unionem et participatum sempiternæ suæ felicitatis Deus condiderat, immortales quoque esse uoluit, quæ est in beatitudine illa non exigua gaudij pars, scire se nunquam nec bona illa sibi defutura, nec se illis bonis. Nec fas erat, ut qui semel ad tantam unitatem coniuncti essent cum Deo, amplius ab illo ad interitum diuellerentur, qua affectione uniuersa penè dilueretur beatitudinis lætitia. Creauit ergo Deus mentes sui capaces immateriatas, ne quid haberent inimicum aut contrarium, cuius uiolentia perimi possent,

possent, nisi idem ille Deus uellet, qui procrearat. Quemadmodum Plato loquentem inducit Deum supremum dijs minoribus atque inferioribus, quos ipse procreat, futuros illos uoluntate sua æternos: quæ uoluntas Dei maius sit uinculum ad eorum perpetuitatem, quàm illa quibus essent quum gignerentur connexi & colligati. Eadem est humanæ mentis conditio & natura, quæ non ut reliquæ brutorum animę cum suo cadit corpore, sed proprio ac peculiari munere ad æuũ est immortale à Deo condita mens ac spiritus, ut superiores illi cœlestes. Sed hæc tamen disputatio molestior est facta, atque intricatior, ex hominum partim ignorantia, partim malitia & praui tate, qui omnia corporis sensibus metientes, induxerunt animum nihil credere, nisi quod sub illos caderet. Alij delicijs immersi ac uoluptatibus, omnia cuperent cum illis pariter concidere, hoc est cum corpore, nec esse ullum iudicem, qui uitæ huius rationem à nobis reposceret. Sed nos quando locus hic in uniuersa uita & pietate, imò in hominũ beatitudine aut extrema miseria tanti est momenti, fusius paulò eum prosequemur: neque est attingendum leuiter, quod periculosum est non perfici. Nec pigebit me disputationem integram in libris de Anima à me tractatam, hîc retractare. Si solis sensibus habetur fides, & intra illorum limites concluduntur omnia, ut quibusdam uidetur nimis crasse de rebus statuentibus, nec animas tribuemus mutis animantibus, quippe quas nec cernimus, nec sensu ullo percipimus: neque effectiones siue formas esse in rebus naturæ censebimus: nihil denique præter molem, quam aspicimus & attrectamus. quod est disciplinę omni contrarium, tum ab omni iudicio humanę mentis uehementer alienum ac abhorrens. Parui pueri si uideant armatum patrem, postea ea ipsa arma constituta recta in stipite, existimant esse eundem ipsum patrem, adeunt, colloquuntur, & non moueri ac respondere admirantur, terrentur, indignantur, denique etiam in fletum prorumpunt. Pueri ijdem, & homines fatui, picta imagines in tabula uel tapete uiuos esse homines iudicant, & ad loquẽdum prouocant, & ad epulas inuitant, et de cibis offerunt ut edant. Idem iudiciũ est de bestijs, ut ficta & simulata pro ueris accipiant. Alios quoque fallit circa hæc communis loquendi forma. Nam ut populus est sermonis dominus, et ducitur magis sensib. quàm iudicio mentis, fit, ut ex præscripto sensuum loquamur. Itaque picturam hominis, & cadauer hominis, hominem dicimus: & iam multi eum uestitum qui totum corpus amiciat, eum ipsum uocãt qui uestitur, & iacere illum cùm iacet uestitus. Verùm qui in statuendo de abditis rebus sensibus tantùm ducuntur, ab infantibus & morionibus nihil distant, ne dicam à belluis, qui corpus hoc torpẽs ac brutum hominem esse aiunt: & quum cadauer proiectum aspiciunt, nihil fuisse aliud hominem suspicantur, tametsi oculi & sensus isti corporei, quomodo aliquid in clauso loco deprehendunt latêre, nisi ex ijs quæ foràs prodire conspiciunt: ut ignem ex fumo, animans ex uoce, morticinum ex fœtore. Quis uerò non annotat, quantum sit inter hominem et brutum interualli, ut inferiora alia præteream. Homo tot artes manu exercet, tam uaria profert, tot opera admiranda magno ingenio inuenta et exculpta: uagatur mente per naturam uniuersam, habet rationem & sermonem, in quis omnibus diuini ingenij uis quædam atq; imago elucet. Quòd si hominem propter similitudinem corporis parem in nascendo et moriendo facimus belluis, necesse est, ut propter mentis tam tam tamq; euidentem differentiam, faciamus præstantiorem. Etsi renuntiatur tanto bono immortalitatis, renuntiandum est quoq; ingenio, rationi, menti, per quam sumus immortales: & si ea uidemus signa in homine, quæ testantur illum cœlestis ac diuinæ esse originis, consequens profectò est, ut aliquid in eo insit maius ac præstabilius, quàm quod spectari possit oculis, aut manibus tractari.

Nullus, inquiunt, redit ad nos ex altera illa uita, qui nos certiores reddat, qui sit illic status rerum, quid agatur. Hoc quidem dicit uulgus, aliquid se acutum inuenisse ac protulisse existimans: sed hoc est, qualia eius fere omnia. Transeo quòd multæ animæ fato iam defunctæ, in sua sunt reuersæ corpora, aliæ uiuentibus sunt locutæ, & aliquid eis significarunt, quæ sunt nostræ pietatis, hoc est supra naturam. Cæterùm

ſi nullus in Indiam commearet,nullus ab Indis ad nos, nec India eſſet protinus, neq; Indi: tot annorum millibus uſque ad hanc ætatem nemo ad nouum iſtum orbem na uigauit, nec ullus ad nos eorum, neque ultro & citro alteri de alteris audiuimus, aut cognouimus: quid mirum, ſi nec inter animos corpore ſolutos, & nos corporeos nullum ſit conſuetudinis commercium? Magna quidem & uaria & difficilis inter nos & nouos iſtos homines uia: ſed confici tamen poteſt, & eſt confecta. Inter nos uerò,& cœlos,aut inferos,naturæ legibus impoſsibilis.Inter corporea & incorporea nulla eſſe poteſt conuerſatio,neq; nos illorum conditioni apti ſumus, quàm diu corpore hoc claudimur corruptibili. Adde quòd mortuorum animi maioribus uel bonis perfruuntur,uel premuntur malis,quàm ut de rebus terrenis, hoc eſt de nugis uacet cogitare,uel libeat.Quid,quòd nos alij nolunt reuiſere,alij non poſſunt.Si quis in ſua ciuitate factus eſſet magiſtratus,nollet utiq; ad exilij ſui inſulam reuerti. itaq; hic non expetit.qui uerò in carcere aut ergaſtulo detinetur uinctus,non poteſt. Sed ſane quocunque nos conuertamus,ſurſum deorſum, circum circa, omnia docent, teſtantur,clamant immortalem eſſe animam humanam:natura & neceſsitas cauſarum, proportio & ſimilitudo, uita & congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas noſtra ex illius beneficentia.Principiò rerum omnium ueræ germanæq; eſſentiæ ipſæ per ſe non cognoſcuntur à nobis, abditæ latent in penitiſsimis cuiuſque rei, quo mens noſtra in huius corporis mole & tenebris uitæ non penetrat. Ex inhærentibus & actione potiſsimum, quid & quale quicq; ſit, ratio noſtra colligit. Nam ſicuti eſt ab Ariſtotele animaduerſum acutè,res omnis ſic habet ſe ad eſſe, quemadmodum ad operari,eius uidelicet opera et actus qualitatem quantitatemq; & ingenium eſſentiæ declarant.Primùm omnium actiones ipſas animæ perpendamus,de quibus actionibus prima eſt cognoſcere: id uerò eſt quodammodo capere,comprehendere,concipere,hisq; nominibus conſignatur.Nulla eſt porrò cognoſcendi facultas,& uis quæ id cognoſcat,quod proportionem non habeat cum natura ſua aliquam. Cognitio enim uelut imago eſt quædam rerum in animo expreſſa,tanquam in ſpeculo.Non poteſt autem reddi ab ſpeculo corporali quod ſit ſpiritale, aut quæ aliorū ſunt ſenſuum quàm uiſus,neque id exprimetur,quod proportione eſt ipſo ſpeculo maius,ut mons totus proximè admotus,niſi procul recedat,ut ex interuallo naſcatur proportio:neque id,quod non eſt ei obiectum è regione. Senſus noſtri externi, nempe extenſi & prædiți quantitate, non capiunt quæ ſunt quantitatis immunia: nec quæ molem habent ampliorem,quàm pro eorum ambitu,neq; abſentia. Senſus interni non capiunt ſpiritalia,nempe angelos & Deum.Mens ergo quę hæc capit,cognoſcit,comprehendit ſola ex rebus ſublunaribus,ſpiritus eſt,ut illa ipſa:& quæ intelligit illorum immortalitatem,immortalis quoq;,alioqui nullo caperet modo id,à quo infinita amplitudine excederetur. Apertiùs hoc oſtēdit,quod ex uniuerſa æternitate illam,quæ immenſa duratione nos præceſsit, non poſſumus cogitatione comprehendere, & obruitur magnitudine mens noſtra.hanc uerò quæ interminatis poſt ſeculis ſequitur, facilè capimus & intelligimus:ut liquidò appareat illam uaſtiorem eſſe noſtra anima, nec ullam habere cum ea ſiue proportionem,ſiue analogiam:hanc uerò alteram habere, illi non eſſe aptam,huic eſſe. Ex eodem cognitionis fonte facilè colligitur, plantarum & brutorum animas ex ui & potentia materię aptas inſtructasq; produci,mentē noſtram peculiariter à Deo gigni in corpuſculo ſupra uires materię ac naturæ huius.Nihil enim aſſurgit aut tranſgreditur id,à quo accipit eſſentiam & uires. alioqui nō iam ab illo acciperet,ſed à priore aut ulteriore aliquo,in quo tenderet. Senſus noſtri interni atq; externi,tum belluæ,quæ illis ſunt ſolis prædităe, nihil cognoſcunt aliud, quàm quæ ſunt naturæ huius quā cernimus,non aſcendunt ſuperius.Mens noſtra non contenta cœlis,ſideribus,angelis, uſq; ad Deum ipſum peruenit:nec ulteriùs poteſt progredi. Quid hoc arguit aliud,quàm animas mutorū à natura hac progigni, ſupra quā ſe nō attollūt:noſtrā uerò à deo ſupra naturę huius poteſtatē? Itaq; animę noſtrę contingit,quod de aqua fontana dicitur,ut tam altè aſſurgat, q̄ deſcenderat,nec poſsit altiùs.

tiùs. Nec aliter quàm mens noſtra nõ modò intra Dei cognitionem ſiſtit, uerũ etiam multò inferius. Sic ſenſus multùm infra naturæ huius opera ſubſiſtunt, neq; intima illius penetrant, ſed in extima ſemper facie uerſantur. Moſes in mundi originibus non obſcuris uerbis uidetur hoc ſignificaſſe. Nam quum alia omnia ſolo Dei dicto narret eſſe condita, ubi ad hominem uenit, non naturæ eam tribuit potentiam, ut hominem procrearet, ſed Deo ſoli. dicit enim, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. & paulò pòſt, Inſpirauit Deus in faciem Adæ ſpiraculum uitæ. per utranq; ſententiam & originem à Deo propriam, & animorum immortalitatem denotauit. Cæterùm ne quis in hoc fallatur, tametſi ſupra uires naturæ huius ſiue elementaris, ſiue cœleſtis, ſiue angelicæ ſit, animam hominis à Deo creari, naturaliter tamen creatur à Deo, hoc eſt lege ab illo ordinata atq; ſtatuta, non ſecus quàm alia omnia. Non enim quoties homo conditur, nouum edit Deus miraculum, hoc eſt præſcriptæ legi uel contrarium uel diuerſum: niſi quis fortè naturæ huius miraculum uocet, in quo non diſſentio. ut nõ immeritò Mercurius Triſmegiſtus, ſiue quis eſt alius, magnum miraculum eſſe hominem dixerit. Deus in materiam præparatam iam atq; aptam immittit animã, ſupra materiæ ipſius & opificis naturæ uires, ſed lege ab ipſo ſtatuta. Quocirca & genitis in adulterio ac fœdo inceſtu animas tribuit, quoniam hi, quanquam contra bonum & pium, non tamen contra legem illam à Deo poſitam gignuntur. quod fieret, ſi cinædis id quoq; concederetur, aut eiuſmodi. Et animam noſtram non à naturæ facultate, ſed Dei unius procreari beneficio, nõ ſolum eſt uerum, ſed intereſt humani generis uerum eſſe: & quia intereſt, uerum eſt indubiè. Inducta enim anima in corpus, non naturæ ope, ſed propriè ac peculiariter à Deo, debet homo præcipuam & potiſsimam partem ſui non naturæ, ſed Deo, illumq; tanquã unicum mentis ſuæ parentem agnoſcit, quam ſoli ipſi deuoueat, & cõſecret, neq; in eam iuris quippiam alteri ulli impartiatur, quàm Deo, ſummo & præpotenti patri ſpirituum unico. Multum in corpus hoc & ſenſus omnes uendicant ſibi poteſtatis & iuris parentes corporum, tum libori, natura ipſa, patria, neceſſarij. mens uerò ſolius eſt Dei, eamq; ſibi uni reſeruari iubet ad fœlicitatem noſtram, quoniam illius ipſe unus eſt author & progenitor. Quòd ſi anima non à natura hac Dei adminiſtra & opifice profertur, ſed à ſolo Deo, conſequens profectò eſt, ut nihil in natura ſit, quod eam poſsit extinguere, ſolus id poteſt Deus. Non eſt autem credibile Deum ipſum perſe condere, quod mox ſit perempturus. quid enim attinebat id fieri? Quin potius humanæ animæ & progignendæ & corrumpendæ, ſicut aliarum animantium potentiam naturæ concedebat? cur ſibi uni reſeruabat, quod communi legi ac conditioni erat ſubditurus? Hæc de cognitione, iam de appetitu. Cognitio omnis, ut aliâs eſt ſæpe & à nobis, et ab aliis ferè demonſtratum, propter appetendum aut fugiendum eſt animanti indita. Eſſe nunc ſenſus noſtri capiunt, quemadmodum et muta. Nam quale ſit belluarum ingenium, et quemadmodum ſint affecta, ex noſtris tum externis ſenſibus, tum internis, certiſsimam coniecturam licet ſumere: uidelicet quos habemus cum illis communes, ac prorſum ſimiles. Itaq; feruntur pecudes ſolùm ad nunc. appetitus enim conſeruationis eſt in illis non ex cognitione rerum, ſed ex artificio naturæ. Ideo facultas progignendi non eſt principalis officij, nempe cognoſcentis, ſed uegetantis, hoc eſt infimi. Homo autem eſſe interminabile cognoſcit, quod quia uidet cõducibile ſibi eſſe ac bonũ, expedit quoq;. Itaq; naturalis eſt hic appetitus. ſi naturalis, ergo de re nobis cõgruente atq; apta, nec fruſtra ingenitus. Expleri igitur poteſt, & ut expleat aliquando neceſſe eſt, alioqui nõ ſolùm inanis eſt tanti boni oſtẽſio, ſed crudelis. Expetitionis huius eſſentiæ perpetuæ, quę nunq; intermoriatur, indiciũ eſt auiditas prorogãdi nominis in omnia ſecula pòſt uentura. quòd adeò eſt à natura inſitum humanis pectoribus, ut etiam qui extingui omnia arbitrantur cum uita, famã nihilominus affectẽt, & bene audire uelint iam ſepulti. uelut ſignifer impietatis Epicurus, natalẽ ſuum diem celebrari teſtamento cauit, & epulũ ſectatoribus ſuis dari luna uiceſima. Naturalis enim illa uerę immortalitatis cupido infecta et corrupta tenebris

mentis prauis animorum cupidinibus in hanc alteram degenerauit cupidinem famæ:haud aliter quàm quum bonum semen in solum uitiosum incidit. Affectus item ipsi, qualis sit & mentis nostræ & sensuum natura, declarant: quodq; sit inter illos discrimen, & sensus dico tam internos quàm externos. Si enim incipiat animus de morte sua cogitare, sensus interni & phantasia modò longam uitam hanc fore imaginentur, de altero illo interitu nõ admodum permouentur, imò facilè eiusmodi cogitationem sine sensu aliquo deglutiunt, mens uerò ipsa ijs tenebris inuoluitur, tantopere cõfunditur, ut nihil magis expauescat, & refugiat. Vel ipsi illi qui in maximis uersantur malis, & impetu quodam animi cæco mortẽ appetunt, cuperentq; sese aboleri penitus, si paulisper à desperatione in se uacaret redire ac conquiescere, decq; animi extinctione cogitarent, damnarent prorsum sententiam priorem, interitumq; illum horrerent, maiusq; id esse malum ducerent, quàm illa omnia quibus uexantur atq; affliguntur. Contrà uerò quum de hac morte corporis uenit in mentem, sensus omnes ilicò percelluntur: mens uerò si sana sit & quieta, stat immobilis, & errorẽ trepidationemq; illam sensuum ridet & castigat. Idcirco apud Platonem in Apologia acutissimus philosophorum Socrates, ad iudices & populum Athenienſem uerba faciens de morte sua, quòd multitudo sensibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantùm usus. Si non moritur animus, maiora me expectant bona: sin moritur, nihil sentiam. In carcere uerò inter discipulos rerũ cognitione excultos, et sapientiæ studiosos, nihil posuit in dubio, sed constanter, multisq; argumentis conatus est euincere, ac persuadere, animos nostros corporibus suis superstites perseuerare. Quid ex his efficitur? an non manifestò mortem mentis contra ipsius naturam esse? idcirco illam eius mentionẽ reformidare ac exhorrere: sensus uerò de hac tantùm uita esse solicitos. mortem hanc corporũ ad mentem nihil pertinere: corporis esse, & eorum quæ sunt corpori annexa, sensuum uidelicet internorum ac externorum. Quid, quòd mens in prauo habitu corporis, uelut si affectu sit perturbata, phantasmatis confusa, imperita, flagitiosa, sceleſta, impia, magis ad recordationem corporeæ mortis concutitur, quàm quum sobria est, sana, serena, quieta, docta, innocens, pia. Quæramus iam utrius iudicium certius sit ac uerius, perturbatæ an quietæ, ægræ an sanæ, indoctæ an eruditæ, in recto corporis statu an praue affecto, sceleratæ ac impiæ, an piæ & sanctæ. Ex delectationibus quoq; essentia deprehenditur humanæ mentis. delectationes enim eo sunt maiores, suauiores, diuturniores, magisq; stabiles, quo res eæ quæ uoluptatem adferunt, similiores sunt facultati animi, quæ oblectatur, maioremq; cum illa & uicinitatem & proportionem habent. Quum de genere est aliquo uel forma iudicandum, ab ijs sumitur specimen ad pronuntiandum, quę sunt in illo genere optimè affecta et constituta, id est, maximè secundum generis eius ueram atque incorruptam naturam. Non ignoro multos esse homines brutali ingenio, qui uoluptatibus sensuum capiantur unicè. sed nos pręstantissimas ac generosissimas mentes contemplemur. Illæ uerò plus delectantur internis sensibus quàm externis, plus mente quàm phantasia: & ex mente potissimùm contemplando, et ex rebus quas contemplantur: illæ eas iucundissimè capiunt, & diutissimè tenent, quæ sunt supremæ, quæ corporeæ molis expertes, quæ æternæ. has enim animus auidiùs expetit ac retinet, minusq; illis perscrutandis atque intuendis defatigatur. Hæ igitur spiritales res & sempiternæ, cõformiores sunt menti, quàm corporales. illarum naturæ ac ingenij magis est consors & particeps, quàm istarum. in illis enim mirificè acquiescit, tanquam suis similitudine ac proportione: quemadmodum interiores & exteriores sensus rebus corporatis capiuntur, nec alias uel coniectando assequi possunt. Quòd si mens tam esset quàm sensus mortalis, nõ minùs mentes excellẽtissimę & diuinis proximæ, caducis rebus tenerentur ad uerã & solidam uoluptatẽ, cq; sensus ipsi. Iam ipsa corporũ nostrorũ cõstitutio, et facies in cœlũ erecta, cœlestes nos esse testificatur, intentos semper illuc tanq; in patriã, ad quã proficiscimur. Et corpus ipsum quemadmodũ se habet animus, ostẽdit. erectus est enim hîc et sublimis magis multò

quàm

quàm corpus,ascendens per gradus rerum inferiorum,nec conquiescens,donec ad cœlestia & diuina peruenerit: ibi demum sistit & acquiescit,ut ex motu,& ex quiete manifestum fiat,quemadmodum in rebus omnibus naturæ,quis sit ei locus naturalis. Cæteræ animantes,ut terrestres,terram semper intuentur,in qua est bonũ ipsarum,nostrum uerò bonum,si non est in illa cœlesti æternitate,quorsum pertinet excelsum caput in homine,& oculi in cœlum suspectantes? an ut in tanta uitæ huius calamitate, & asperrimis rebus locum illum speciosissimum,atq; à miseria omni remotum intuentes,magis nos uita discruciet,& exacuatur uanum illius fœlicitatis desiderium? atque eò uehementius & acrius,quo quisque ingenio uel eruditione plurimum est præditus atque excultus,uel uitæ huius incommodis ac miseriis pressus, et diu uexatus.nam fortassis hominum aliqui,pecorum more sine sensu hæc prætereunt,siue ex mentis torpedine,siue ex ebrietate fauentis fortunæ. Et de nascendi modo in hac mortalitate intelligi potest,qualis sit modus ille renascendi in æternitate. Nam sicut in locis maternis huic luci fingitur ac formatur homo,ita in hac luce paratur illi alteri,præ qua lux hæc nostra tenebræ sunt,& nox obscurissima. Nec aliter quàm quum tempus nascendi appetit,flaccescit uita uteri,quasiq; infans emoritur,illo utique uiuendi genere:ad eundem modum quum homo è uita orbis huius excessurus est,& tanquam pariendus ad uitam alteram,moritur ac uitæ ratione,ut uiuat altera tanto præstantiore,quanto hæc est lucis huius melior,quàm illa uteri. Itaque paramur in utero uitæ corporis,in corpore autem uitæ mentis. Horret animus discessum ex hac uita, propter ingentem mutationem:& sic est affectus,quemadmodum infans nasciturus,si ei sensus aliquis daretur noscendi & cogitandi. Exit enim & infans nascens,& homo moriens,uterque in lucem nouam,faciemq; rerum admirandam.qua nouitate uterque perterrefactus,nollet ex suo gurgustiolo prodire,nisi ageretur artificio naturæ. Non est profectò dubitandum, quin hominis mors magnam habeat cum ortu cognationem & similitudinem, propter eam imperfectionem quæ est infanti in utero, & homini in hac uita. Nam si perfectus esset suis omnibus partibus, atque absolutus infans in locis maternis, nihil ei esset opus ortu: sed quum ei sensus sit tributus,& facultas cognoscendi,quæ exercere non potest in utero, egreditur in hanc spatiosam lucem, ubi sentire possit & cognoscere. Hactenus quidem communia nobis omnia cum belluis. At uerò quia belluæ hic funguntur muneribus suis omnibus et facultatibus à natura inditis,hîc uiuunt ac intereunt.homo, cui donata est mens,qua nihil aut parum utitur in hac uita,profectò ortũ alium habet,in qua mentis obeat munia,quod in libris de Anima docuimus. sicuti & de illo quoquè disputauimus,si anima sit mortalis,omnia ad uitam hanc pertinere, frustraq; hominem esse conditum: quandoquidem nullo penitus fine proposito, uel non eo certè qui excellentia eius sit dignus, atque adeò res omnes in casum essent à Deo productæ. Quorsum enim creare attinebat? scilicet ut postea quàm paulisper sese ostendissent, subducerentur? ut bibat homo, edat, dormiat, uoluptuetur, nihilq; absit à bestijs, longè etiam quàm illæ miserior? qui quod potissimum ipsi est, atque optabilissimum, nunquam assequitur: quod Aristoteles & Theophrastus fatentur. Quòd si homo, cui corporea sunt parata omnia, qui solus uti potest,& uult, & nouit,frustra est inductus in uitam: quanto magis ea omnia quæ illius sunt gratia procreata? Vana ergo omnis creatio,& Dei maiestate immensaq; sapientia indigna. quod absit. imò nec ulla est rectoris mundi prouidentia.Hæc enim tria ita sunt connexa & coniuncta existimatione ac persuasione, diuelli ac dissociari,ut nullo modo nec possint, nec fas sit, Dei religio, Dei prouidentia, animæ nostræ immortalitas. Quisquis unum istorum tentarit labefactare, aliorum quoquè fidem concutiet. Nam si animæ non sunt immortales, bene aut secus factorum nullæ sunt pœnæ, nulla præmia. Hæc enim omnia in decursu præsentis æui permista & confusa cernimus,ut nihil aliud sit hominum uita,quàm merum latrocinium.Nulla est ergo Deo cura de nobis. Quòd si nos non curat, quorsum à nobis coletur? uana & stulta per-

ta persuasio fuerit religio Dei ac pietas. At nos tamen homines omnes & nationes quantumcunque barbaras, & ab humanitatis instutione alienas atque abhorrentes, animaduertimus adduci naturaliter ad religionem aliquam, laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mansuetudinem, patientiam, æquitatem. Fieri ergo non potest, quin hæc sint bona, & contrarijs potiora. cuius rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac iudex. testantur igitur nos illi curæ esse, & pietatis præmium alibi expectandum. Quòd si illic est uirtutis pretium, & hominis finis, anima profectò illic uiuet, & retro idem ualet: si anima illic uiuet, finis hominis illic est. finis enim ad ultimum & perfectissimum pertinet, qui ea de causa nominatur finis. Quòd si plurimorum & sapientissimorum hominum authoritatibus aliquid tribuimus, præter tacitum illum humani generis consensum, habemus expressum alterum & manifestum. quandoquidem non solùm doctis & ab humanitate instructis nationibus, sed feris ac barbarismis, ut Getis, Scythis, Indis, & in hunc nouũ orbem tam diu sepositis & latentibus, persuasissimum est, animas hominum hinc in alia emigrare loca, digna ijs rebus quæ in uita gesserint. Ex professoribus autem sapientiæ ignobilissimi, & qui in delicijs extremum bonorum suorum posuerant, animam fecerunt mortalem, scilicet ijdem illi, qui religionem omnem, qui cultum & amicitiam diuorum, qui prouidentiam, qui diuos ipsos funditus extirpauerunt. Post hæc autem per prauam persuasionem euersa, non erat animorum immortalitas incolumis mansura, quæ coniuncta & complicata est cum causa prouidentiæ & pietatis. Sapientissimi uerò & sanctissimi philosophorum nunquam sustinuerunt animam mortalem affirmare, & quasi damnare capitis: ut Pherecydes Syrus antiquissimus in Græcia mentis cultor, Pythagoras, eius discipulus, Socrates, Plato, Zenon Stoicus, & innumerabiles qui ab his ueluti fontibus dimanarũt. Socratis unum ex argumentis est in Phædone Platonis, naturale esse hominibus desiderium sciendi et sapientię: quæ quum in uita hac contingat exigua, uel nulla potius, futurum esse absque dubio, ut desideriũ hoc alibi expleatur. Quippe quod naturale est, de nihilo esse, ac superuacaneum, non potest. Nam quemadmodum frustrà essent oculi astructi animalibus, si nunquam daretur cernere semper in nocte ac tenebris uitam acturis: ita et cupiditas ueritatis, si nunquam essemus illam assequuturi, superuacanea res esset, ac deridicula. Qua in reputatione ac persuasione certissima cessat Theophrasti querela, quòd natura longissimam mutis animantibus uitam cõcessisset, quarum nihil interesset diu uiuere: homini uerò perbreuem, cui tantum expediret longam uitam degere, ad assequendam sapientiam, maximum hominis bonum. Nunc uerò cum incipimus sapere, morimur. non hæret in diuinam sapientiam & bonitatem iusta ulla querimonia. Satis longam ætatem accepimus, ut hîc quantum conueniat discamus. in altera erit copia sapientiæ, & satietas. In hoc enim æuo quantulum esset, quod in sapientiæ curriculo promoueremus, etiam si quadruplicaretur nobis uita, & ad quingentos aut mille annos perueniret? Non perfert sapientię fulgorem mens nostra, angustijs huiusce corporis & obscuritate oppressa, haud aliter quàm noctuæ oculi lumen solis: quę est Aristotelis magistri similitudo. Quocirca tantus philosophus non accusatione naturæ, hoc est Dei sapientissimi & optimi, debebat sistere, sed ex ea admoneri sapientiæ huius, cuius tantum & tam acre desideriũ humanis pectoribus natura indidisset, alibi profectò esse locum, & explendę auiditatis oportunitatẽ. De Aristotele, quid senserit, nihil habeo dicere. obscurus est, lubricus, uafer, in hoc etiam, ne à more suo discedat. Vno in loco dicit, Si intelligere potest mens absq; phantasia, separari potest ab ea: sin secus, non potest. quod ab eo non satis est pro acumine ingenij illius animaduersum. Anima enim in hoc corpore nõ potest nisi corporaliter omnia intelligere, hoc est per corporea instrumenta, quæ exteriora sunt, sensus. Interior autem imaginatio, non aliter, quàm qui per uitrum aliquid intuentur, non possunt aliter cernere, quàm ut illud sinit uitrum. Alio tamen in loco idem ait Philosophus, separari mentem à sensibus ac corpore, ut immortale à caduco. In hanc præstantissimo-

ſtantiſsimorum philoſophorum,imò philoſophiæ totius ſententiam optimus quiſq; mente ac ſenſu uadit. Nam mortalem eſſe animam malis & deſperatis hominibus optatur,& expedit:boni auerſantur,& tanquam noxium refugiũt.Si enim(quod paulò antea dicebam) cogitatione reuoluat quis,abſumi prorſus omnia in morte, quaſiq; in perpetuas tenebras abſorberi, quis bonus & generoſi cordis non exhorreat mortem? quæ huic conſolatio ſuffecerit, aut animatio,quo minus mortem reformidet,& refugiat modis omnibus,eamq; cum ſumma impatiẽtia expectet, & perferat, quum neceſsitas coget? Vel in ipſis mediis cruciatibus, quum in uotis eſt mors, & inuocatur tanquam portus è tantis tempeſtatibus, eſt tamen quies in illis aliqua, & interceſſatio, & concitatus animus mortem inclamat: qui ubi paulùm reſedit,conſolatur ſemetipſum ſpe, uel quòd ceſſabit dolor, uel quòd tempus & aſſuefactio leuiorem reddet.

Denique grata eſt quomodocunque lux hæc,etiam miſerrimis. quid illis,qui nullis corporis aut uitæ incommodis uexantur? Age porrò,quę deſperatio homini probo,ſi ueniat illi in mentem ſuorum rectè cogitatorum aut factorum, qui nullum in uita præmium ceperit: imò contrà, quod ſæpius euenit, malam pro beneficio gratiam, uelut paupertatem, infamiam, dolores, morbos,cruciatus, ſupplicium,nullam uirtutis compẽſationem reliquam eſſe poſt uitam, nec plus eum accepturum,quàm improbum & ſceleratũ? Nam memoria nominis ne ſemper contingit, & iniqua eſt, quæ & prauis facinoribus laudem & gloriam tribuit, & uirtuti ac probitati uel neglectum, uel (quod indigniſsimum eſt) dedecus. Nec ampla eſt propter diuerſitatem ingeniorum, morum, ſententiarum in nationibus. alijs enim alia uidentur pulchra,& laudabilia.Nec diuturna eſſe poteſt,omnia conſumente uetuſtate. Nec quicquam ad uita functos pertinet. Nec Achilli prodeſt ſua gloria, uel Socrati. Nec Catilinæ aut Therſitæ nocet ſua ignominia. Quid porrò? poſtea quàm uir ſapiens per cœlos, per ſidera, per elementa omnia ſit animi intentione ac uigore peruagatus, per ſtirpes, animantes, homines, angelos, uſque ad regem mundi, per res ueteris memoriæ quæ geſta ſint, quæ contigerint, quid illi acerbius poteſt nuntiari,aut quod minus conſolationem admittat, quàm ſi in hac tanta pulchritudine,tam amœno atque admirabili ſpectaculo extinguenda ſit mens tantarum diuitiarum ſpectatrix,receptaculum, theſaurus? ut nullo amplius futura ſit ſenſu, nullo in loco, non magis quàm bruti animus abiectus,uilis, torpens, nulliusq; capax excellentiæ? Quis eſt qui poſt hanc conſiderationem mortem non pertimeſcat, etiam in grauiſsimis uitæ malis poſitus? Contrà uerò, quanta bono & ſapienti conſolatio ad caſus omnes uitæ atque infortunia, ſcire paratum eſſe locum quietis, non priuationis atq; orbationis omnium,ut ſomniarunt ſtulti (quomodo enim quod non eſt, quieſcit?) ſed fœlicitatis conſtitutæ à Deo æquiſsimo,potentiſsimo,optimo? quam eis largietur,qui ad bene & ſanctè uiuendum bonam uoluntatem attulerint uerè atque ex animo. Hæc quæ de hominum ſententijs atque authoritate attulimus,eò pertinent, ut fiat liquidum, ab ea parte naturam & uerum ſtare, à qua ſtant boni & ſapientes, nempe à noſtra. Rectius uidelicet atque integrius eſt horum iudicium,quàm malorum aut dementiũ. Accedit iudicio & maximorũ hominũ & maximæ partis humani generis iuſtitia, probitas,religio,& uirtutes omnes,quæ omnia immortalitate animæ nitunt̃. Ad hæc quam in partem inclinãt,& ueritatẽ eódem inclinare neceſſe eſt. pro his enim citius faciet ueritas,quàm pro ſceleribus, flagitijs,improbitate atq; impietate:quæ mortalitatis animæ comites ſunt certiſsimæ. Sed nec mirandum eſt magnopere,in definienda atq; ſtatuenda animę natura falſos philoſophorum quoſdam minutos, ut inquit Cicero,ac ignobiles, quum alij amplioris nominis in ijs quæ ſenſibus uſurpamus, tam fœdè ſint prolapſi. ut quòd nix eſſet nigra,quàm uiderẽt candidiſsimam: quòd ignis frigidus, quo nihil tangerent ardentius. Illud porrò eſt uitæ negotijs ſententijsq; miſerrimum,& non fictis lachrymis deplorandum,quòd ad uerum & bonum nulli ſunt authores ſatis locupletes, & firmæ fidei: ad falſum & malum quiuis ſufficit. Vt nõ iniuria ſit illud à Mimographo dictum,Ad triſtem partem

ſtrenua

ſtrenua eſt ſuſpicio. Nimirum, ut Ouidius inquit, quòd nos in uitium credula turba ſumus: mali uidelicet, & obſcuri, idcirco ad falſum & malum tanquam noſtri ſimile procliues. Quàm multi ſunt, qui Epicurum derident, Plinium refellunt, imperitos uocant, ut ea quæ in rebus uel uitæ, uel naturæ adferrent, non ſatis habere explorata. At eoſdem ipſos quum prouidentiam & religionem tollunt, ijdem illi amplectuntur & collaudant: adeò inualuit in eorum mentes caligo uitiorum & ſcelerum. Sunt qui aiant eſſe è re uitæ, credi animam eſſe immortalem, quemadmodum etiam deos eſſe, quòd aliter homines nec conſeruaturi eſſent ſanctam ſocietatem, nec quicquam rectè facturi, niſi cohiberentur metu illo: reſtare alteram poſt hanc uitam, & deos uindices: quos ideo à metu δεισς eſſe nominatos, quaſi Δεισς. Quid dicitis? Magno igitur mendacio opus eſt, ut homines uelint benè agere. O miſerandam conditionem uirtutis, ſi nō poteſt hominibus, niſi per ingens mendaciū perſuaderi: quum nullæ duæ res tam ſint inter ſe amicæ & concordes, quàm uirtus & ueritas: nempe germanæ à Deo genitæ, & humanis mentibus, ſicut utiliſsimæ, ita etiam integris iucundiſsimæ. Ergo Deus potentiſsimus, ſapientiſsimus, optimus, ea lege & conditione creauiſſet hominum genus, ut induci per ueritatem ad bene agendum non poſſet, ſed per mendacium: & tantus artifex ad perfectionem operis ſui inſtrumentum non è domo atq; opulentia ſua ipſius deſumpſiſſet, ſed ab inimico ſuo diabolo mendacium, quo nihil eſt à Deo alienius: qui eſt mera ueritas. Quid reſtat igitur, niſi ut qui ingenij aut doctrinæ bono deprehendiſſet mendacium, ueluti qui hoc dixerunt, & ab eis edocti ac moniti ſoluti eſſent eo metu, quo priùs alligabantur: & ut quiſq; eſſet doctiſsimus uel acutiſsimus, ita & peſsimus quoquè, quando ſuperſtitione iam eſſet liber, nec deos ullos metueret, nec aliud quicquam niſi pœnas legum. Ita quo propius accederet ad hominis perfectionem cultu ingenij atque inſtitutione, hoc & ad malitiam & ſcelera eſſet armatior ac procliuior: quippe cui arcanum eſſet detectum, ficta & ſimulata eſſe omnia, quæ præciperentur de uirtute ac probitate. Atqui exiſtimatio hæc maxima, eſt humani animi corruptela, & à perfectione auertit. Ideóque ſententia hæc ſemetipſam refringit, ut quo quis ſit perfectior, eo imperfectior: quo melior, tanto peior: quo magis homo, ac uerius, hoc naturæ ferarum ſimilior, & ab homine remotior. En quanta rationum acies pugnat pro nobis, id eſt pro ueritate. Nam nos quid ſumus? Veritas eſt fortiſsima, maximis uiribus fulta & communita. Quid expectamus? An ut animas ipſas exilientes cernamus è moribundis corporibus, tanquam fumum è flamma? Neque tum deeſſent, qui præſtigias ſe dicerent metuere, & impoſturam oculis ſuis fieri: ut quum niuem albam cernerent, & ignem ardentem. Quid enim ſatis fuerit ei, qui animo obſtinauit non aſſentiri? ut iam non agatur res apud tribunal rationis, ſed affectionis prauæ, ac pertinacis. An tot unquam adducta ſunt à philoſophis argumēta ad id corroborandum, quod tam exploratum certumq; nos habere credimus, quàm ea quæ manibus contrectamus, aut cernimus oculis? Si decima argumentorum pars ſtaret ab aduerſa parte, quis poſſet iſtorum ſuſtinere importunitatem atque inſolentiam, qui nunc inopes ac deſtituti ab omni ratione, iudicio, mente, magno tamen adhuc faſtidio nos aſpernantur & contemnunt, noſtramq; ueritatem quaſi ſtultitiam derident, quòd rationibus habemus fidem? quum illi nihil aliud pro ſe habeant, niſi Forſan non ita eſt, ſuſpicor, aut credo non ita eſſe. Quibus de cauſis & rationibus adducor, ut exiſtimem ſententiam hanc de animæ immortalitate, quum ſit tanti ponderis, totius probitatis ac religionis fundamentum, non eſſe inter fidei articulos relatam, quod ſcientia poſsit comprehendi. Nam quibus tandem, aut quot argumentis aſſequemur ſcientiam, ſi hæc non ſuffecerint? Quidam affectantes uideri philoſophi, aiunt in fide pietatis animam eſſe immortalem, in lumine autem naturæ mortalem. Quo quid dici poteſt imperitius aut dementius? Quaſi nos quid uideatur diſputemus, non quid ſit. Nos uerò nec fidei lumen, nec naturæ inquirimus, ſed ueritatem ipſam: quæ non gemina eſt, ſed unica. Age uerò, quid eſt naturæ lumen? num non humana ratio? Cedo, an plures aut euidentiores inuentæ rationes ſunt pro ijs quæ ſcire nos arbitramur

arbitramur ex cauſis naturæ, ut ſententia noſtra fert, certiſsimis ac perſpectiſsimis: & adferri aliæ poſſent permultæ, & allatas eſſe ab alijs non dubitandum. Latiſsima enim res eſt, ueritas. Sed ego eas tantùm poſui, quæ mihi in mentem uenerunt. Velim autem mihi ad poſtremum dici, cur alia omnia quæ de anima traduntur, pauciſsimis & leuiſsimis coniecturis fulta, recipiuntur pro indubitatis: hoc unum tanto rationum agmine ſtipatum ac munitum pro infirmo habetur. Et illa quidē ſtabilia atq; indubitata nobis eſſe, noſtra nihil intereſt: hoc unum tam ualde intereſt, quantum eſt iam declaratum. Profectò liquidò apparet, uim eſſe aliquam homini infeſtam atq; inimicam, quæ ueritatem nobis tam neceſſariam procuret uertere in controuerſiam, à cuius pernicioſiſsimis tenebris tueatur nos Deus, lux uera & immenſa.

DE FIDE HOMINIS.

INuentum eſt tandem quod tantopere & quæſierunt ueteres, & ſciri totius humani generis intereſt, qui ſit finis cui conditus eſt homo. Hunc demonſtrauimus eum eſſe, qui ſit animæ, & ex anima qui ſit mentis, & ex mente in uniuerſum hominem dimanet. Mentis autem eſt id, per quod fit beata. Beata uerò effici non poteſt à rebus iſtis ſublunaribus, caducis & diarijs, quum ſit ipſa immortalis. Porrò nec ea immortalia, quæ ipſa in ſe beatitudinem non habent, reddent eam beatam, ut cœli & ſtellæ. quomodo beata fiet coniunctione illius quod beatum non ſit? Sed nec angelus poteſt ei ſuam beatitudinem communicare, quam ipſe per ſe nō habet ſuam, ſed alieno beneficio. neq; enim angelus aliunde eſt beatus, quàm ex coniunctione atq; unione cum Deo. quòd niſi eam ipſam unionem communicet, nec beatitatem poterit communicare. quòd ſi coniunctionem impartiatur, non iam angelus eam fecerit beatam, ſed Deus per coniunctionem ſuam. Quumq; & cœli & angeli finitas uires habeant, non poterunt mentis noſtræ captum implere, qui ad recipiendum immenſus eſt. Neq; enim quantolibet terminato ac finito expletur. Quod uidere eſt in multis, qui maiorem potioremq; fœlicitatis conditionem expetunt, quàm angelicam: dij fieri cuperent, & ſi quātus eſt Deus poſſent dimetiri, etiam plus appeterēt. certè expetunt, quo amplius non poſſunt cogitare. Condidit Deus hominem non propter ſuperiora, quæ illo non indigent: nec propter inferiora, quod eſſet indignum: nihil ergo inter hominē & authorē ſuum eſt interpoſitum. Creatus eſt igitur homo propter ſeipſum, ut à ſolo conditore ſuo bonum omne ipſius & beatitudo dependeret. Quocirca ſolus Deus, qui ſolus implet mētis noſtræ limites & excedit, ipſe animam noſtrā poteſt beare qui eſt beatiſsimus, qui immortalis, qui infinitus, qui quam beatitudinem habet, ex ſeipſo habet, non nactus aliunde: & communicare poteſt, nec communicans deperdit. Et in omni peregrinatione quaſiq; exilio reditus in patriam dulciſsimus eſt atq; optabilis, eo magis ſi moleſta ſit peregrinatio & turbulenta, uel exilium turpe ac difficile, patria autem quieta & ſuauis. Animi noſtri in hanc uitam ceu in peregrinationem & exilium à Deo egreſsi, quàm multa perferunt grauia, iniqua, laborioſa, acerba, & dignitate ſua indigniſsima: ut philoſophorum quidam non iniuria corpus hoc uincula & carcerem animi nuncuparint. In Deo autē quieta omnia, pulcherrima, beatiſsima, plus quàm poſſumus non eloqui modò, uerùm etiam optare. Illuc ergo mirè cupit animus reuerti, & ſuſpirat, & clamat. Sed interdum nec poteſt diſertè quæ ſentit proferre, neq; ſeipſum intelligere, obrutus denſiſsimis tenebris ignorantiæ. Quòd ſi eò perueniat, compos fit uoti, & expletur eius deſiderium, nec poteſt aliter. Adde his, quòd quę opera authori ſuo poſſunt eſſe ſimilia, eorū operum perfectio eſt, illi effici multo ſimillima. Nos uerò mentes ſumus ad intelligendū & amandum idoneæ, ad beatitudinem aptæ, ut author noſter: noſtra ergo abſolutio eſt, ijs ipſis dotibus, intelligentia, amore, & ad poſtremū beatitate, deo fieri perquàm ſimiles. Ad hæc motus circularis perfectiſsimus eſt omnium. Nos non à natura exiuimus, ut eſt ſuperiùs oſtenſum, ſed à Deo ipſo. Quòd ſi ad illum eundem reuertamur, perfectum utiq; curſum confecerimus. Cæterùm nec ſimiles poſſumus Deo fieri, neq; ad illum redire, niſi cum eo iungamur, & unum fiamus (ſicuti demonſtratum eſt) & quaſi dij: quod ſupremum eſt eorum quæ uel optare uaſtiſsimus atq; ardentiſ

simus appetitus potest. Is est ergo hominis uerus finis & dignus, quum eo recipiente, tum largiente authore ac principe uniuersorum.

DE MVLTITVDINE SPIRITVVM.

QVæstionem hanc Peripatetica schola nobis obijcit, Quot sint angeli, quot animæ? Aristoteli haud plures esse placet, siue mentes, siue (ut nostri homines loquuntur) intelligentias, ipse appellat νοῦς, quàm quot sint orbes & motus cœlorum. Quasi in hoc unum conditi sint angeli, ut cœlos circumuoluant. Ipsi uerò, quemadmodum & homines, ad immensam illam beatitatem sunt ex authoris bonitate progeniti. Angeli autem ex ministerio, quod regi suo prębent, nuncupãtur. Omnes sunt administratores spiritus, inquit Paulus, propter eos qui hæreditatem accipiunt salutis. Quamdiu enim durat cursus æui huius, angeli sunt, & famulantur in negotijs regni huius. Id uerò non est naturæ illorum finis, sed functio temporaria. Numerum illorum & munus multò melius expresit Daniel, qui uidit. Millia, inquit, millium ministrabãt ei (de Deo loquitur) & decies centena millia à dextris illius: de quo sanctus Dionysius sic inquit, Supremos humanos numeros in semetipsos replicans per hos cœlestium ordines mentium, numerabiles nobis non esse docet. Hæc tam numerosa multitudo Aristotelicos offendit, sed multò magis animarum, si sint immortales. Quò enim abit tanta illarum multitudo, nascentibus & cadentibus tot corporibus in morem foliorum, quum uestiuntur & exuũtur arbores uere atq; autumno? Quòd si mundus æternus sit, ut autumant, infinita erit animarum multitudo: quod est principi sectæ contrarium, qui negat infinitam esse multitudinem posse entium per se existentium separatorum. Primùm non esse æternum mundum, iam est à nobis demõstratum. Deinde magna est & intricata in scholis disputatio de axiomate illo Aristotelico, nõ posse existere interminatam entium summam: quod ad corpora, non ad spiritus referri, consensus est penè omnium. Sed tanta animarũ multitudo obruit illorum animos: & Deum ipsum obrueret, si esset eorum similis. Verùm non considerant, infinitati Dei quantamcunq; multitudinem esse exiguam. Nam & istos nostros reges, propter quandam humani animi cũ Deo siue cognationem, siue similitudinem, & si tenuissimam & longinquam, quantumcunq; magna regna non exatiant. Quis eorum non putat se regni amplioris capacem? quis non optat, & quantum est uirium suarum, procurat? Alexandro in regno Macedoniæ nato, hoc est Græciæ angulo, orbis hic non erat satis. Illachrymasse dicitur ad mentionem plurium mundorum, quum de hoc ipso philosophi apud eum disputarent. At philosophi illi qui nõ plures modò mundos, uerum infinitos quoq; in infinito posuerunt uacuo, quanto uerius & propius Dei magnitudinem conceperũt animo, quàm hi nostri pusilli, qui multitudine hac animorum perturbantur? quasi sollicíti & anxij uicem Dei, ne nimium sit occupatus & districtus tot animorum cura. O stulti, in regno agitis illius, cuius potentia & sapientia nullos terminos habent. Etiam si infiniti sint spiritus, pauci sunt Deo. Prætereo intimam illam uim & magnitudinem, cuius uel portio tenuissima omnes hominum & angelorum intellectus exuperat. Quiescant mentes nostrę quando tam crassæ sunt & segnes. Attollite in cœlum oculos corporis, ac reputate cuius multitudinis sit capax tanta moles, quæ orbe hoc quem incolimus ea proportione est uastior, cuius iniri numerus nõ potest: nec unum est cœlum, sed multi: quãtò magis, quòd spiritus loco non indigent, ac ne ipsa quidem corpora, si Deus uelit illa ubicunq; uisum fuerit constipare.

DE PECCATO ANGELI ET HOMINIS.

VT autem spiritus illi amarent uerè, atq; ad beatitudinem quam illis parauerat, congruenter dedit illis parens omnium Deus mentem, qua cognoscerent, intelligerent, iudicio & consilio uterentur, & ex libertate consilij ac deliberationis sequerentur quod amandum censuissent, nempe sibi bonũ & conducibile. Is demum & uerus est amor (nam sine libertate impetus est potiùs quàm amor) & aptus beatitudini, ut nec inuitus reluctãsq; teneat in bonis, & sciat quãta sint ea bona. Scire enim,

& libenter

& libenter morari,facit beatos: inuitos autem detineri,uel in summa fœlicitate face-
ret miserrimos. Verum & naturalem amorem, quiq; delectare summè possit, & ex
Deo beatos reddere,ex iudicio cuiusq; amantis nasci est necessum. Si humanum ani
mum Deus ad se amandum cogeret,non is amor esset,sed animi uiolentia: quemad-
modum contingit in amoribus per philtra & artes maleficas extortis. nec talis amor
delectationem posset amanti adferre, ut qui non oritur ex iudicio rei pulchræ, dele-
ctabilis,expetendæ,sed cæco impetu rapitur: nec gratus esse Deo posset,qui non eli-
cuisset, sed extorsisset: sicut nec hominibus cordatis & intelligentibus rerum gratus
est amor, quem amatoria pharmaca expresserunt, ex nostro autem sensu de diuino
possumus facere cõiecturam. Qui amatur ex iudicio,gaudet amatorem suum existi
mare bona ipsi inesse amari digna,eaq; reputatio allicit ad redamandum eum qui ita
de nobis sentiat. Illud uerò iudicium non est in eo qui impulsus,qui tractus,qui coa-
ctus amat. Quid quòd etiam circa belluas eadem ualet ratio? quæ quum erga nos
sunt bene affectæ,uelut canes,feles,pulli gallinacei,aut columbini,equi,muli,placẽt
nobis,quia ideas aliquo cum iudicio facere arbitramur: uidelicet quòd credant bo-
nos esse nos sibi,& aliquam à nobis ad ipsas manare utilitatem. Quòd si quæ alienæ
& ignotæ nobis blandiantur,minus est id gratum, quia casu & errore id scimus con
tingere. Itaq; & angelis & homini tempus aliquod attribuit Deus, in quo iudicij ac
deliberationis usum exercerent,quid sibi foret bonum & expediẽs,quid persequen
dum,ubi adepti essent tenendum ac conseruandum. Non dubium quin homini ma-
ius multo concessum sit tempus,quanto mens nostra segnior est & tardior,quàm an
gelica. In eo ipso tempore quantulumcunq; fuit (nam neq; nos scimus,neq; scire at-
tinet) edocti sunt à Deo atq; illustrati,ut magnam admirabilemq; illam naturæ diui-
næ maiestatem,uim,sapientiam,bonitatem, quantum suarum esset uirium concipe-
rent animo atq; intelligentia: ut eum solum ducerent esse suum bonum,illiq; magno
amoris ardore adhærerent,ut unum fierent cum illo. Expediebat & angelo & homi
ni nusquam omnino oculum mentis diuertere,quin in lucem illam & bonitatem in-
tentissimum haberent sine conniuentia: quousq; tantas concepissent ardoris flam-
mas,per quas Deo suo unirentur immortali æuo beatitudinis, nec usquam amplius
possent diuelli. Sed homo & angelorum non pauci oculos à Deo in semetipsos re-
flexerunt. intuiti autem excellentem suam naturam,grande conceperunt ex sui con
templatione gaudium: unde à Deo in semetipsos amorem conuerterunt. amoti à lu-
ce oculi,prolapsi sunt in tenebras,& excæcati sunt,ut Dei obliti,fœlicitatem quam à
Deo erant expectaturi,naturę & uiribus suis arrogarent: & quum quãtus esset Deus
in eorum animis excidisset,pares se illi esse sunt rati. Amor ea coniungit inter quos
commeat. angelus amorem suum si in Deum misisset, iunctus fuisset illi: misit ad se,
iunxit se sibi,separauit à Deo. Abiunctus ergo à luce,collapsus est in tenebras. abiun
ctus à Deo bono & beato,in malitiam & miseriam. Idem accidit homini,ut pòst dice
tur. Alij uerò angeli nihil de se cogitarunt,sed de suo uero bono,illum semper habue
runt præ oculis,& plusquàm seipsos amauerunt. Hi sunt immortaliter beati,illi autẽ
immortaliter miseri: qui deprehensi in cæcitate illa mentis atq; ignorantia, in prauo
& peruerso amore sui,in eo manent perpetuò,nec unquam resipiscunt, nec se peccas
se agnoscunt. Habent quidem illi ad alia acumen ingenij magnum,cognitionem at-
que intelligentiam rerum promptam, & amplam: sed quoties amor ille sui furiosus
opponit se ante uigorem mentis, rapit eos transuersos ad prauissimas sententias, ut
quoties de Deo cogitant,& de seipsis,ita enim se amant,ut adduci non possint ad a-
gnoscendum scelus,nec ut se uel malos fateantur,uel aliquid commeritos,tantæq; il
lius suæ cladis culpam non finit amor sui,ut in seipsos conferant,sed in Deum. ab il-
lo iniuriam sibi fieri conqueruntur,eumq; uocant iniquum,& quantum possunt co-
nantur uoluntati illius resistere: & homines quos Deo uident gratiores quàm se, in-
festare uexareq; multis malis ac incommodis, partim odio, partim inuidentia erga
nos,aliàs quoq; rabie quadam aduersus Deum,ex qua res uniuersas oderũt, quia ab

illo conditas. In casu autem illo è cœlis alij remanserunt in aere, alij in aquis, alij ad ima terrarum detrusi sunt. Nocent quacunq; illis permittitur, & homines ad defecis. cendum à Deo in mille scelera sollicitãt uarijs & incredibilibus astutijs atq; artibus. Norunt enim uel naturæ suæ solertia, uel diuturno ac uario usu rerum atque experimentis uim cuiusq; herbæ, arboris, lapidis, animantis. per hæc mouent humores humani corporis, per quos mouetur phantasia, à qua solicitantur ratio & uoluntas. Ipsi quoq; ut spiritales in facultates inferiores animæ, occultas quasdam actiones possũt inuehere, quod in libris de Anima fusiùs declaratur. Hæc uerò infestatio & sollicitatio ad deficiendum, tentatio à nostris nominatur. Hæc ita contigisse, ita est ab ultima uetustate traditum per manus humano generi, ut dubitari non magis possit, quàm de re gesta, qua nihil existimetur certius. Homerus antiquissimus scriptor Atan ponit, hoc est Damnum deam, turbantem cœlum: eamq; ob causam deiectam illinc à Ioue in terras, ubi infestat & inquietat hominum genus. Ægyptij in suis mysterijs perhibent, Iouem impuriores dæmonas è cœlo eiecisse, qui & homines pro uirili parte sua, secum quoque ad ima conantur detrudere. A Plutarcho quoquè ponitur Typhon quidam dæmon Ægyptius, qui terras ac maria infestarit. Pherecydes Syrus scribit fuisse dæmonem serpentem, qui maxima terris damna attulerit, eúmque nominatum ὀφιογενῆ. Hunc casum uel à primis authoribus humani generis patres quasi per manus tradiderunt filijs, uel ipsi ijdem dæmones ijs quibus essent familiares, ut alia de se ac natura sua permulta, & hoc quoq; retulerunt. At quidam totam eam rem derident, quia Homeri & poëtarum fabulis sit similis: ipsi magis ridiculi, qui ignorant id quod doctorum omnium consensu est receptum, fabulas omnes ex rei gestæ ueritate ortas esse, nec aliud esse fabularum poëticarum fundamentum, quàm uerum. Quàm uerò esset peruersum & ineptum aliquid fabulosum existimare, quia fabulam uideat ei similem: quasi ueritas pro mẽdacio habenda esset, quia mendacium ueritati est plerunque simile. an non ea quæ finguntur & simulantur ad imaginem, quantum efficere authores possunt, & ceu normam ueritatis accommodant? Ita ergo si quis uirum aliquem fingat magna sapientia, probitate, rerum contemptu, quæ de Socrate scribuntur, fabulosa erunt, quia fabulæ illius similia: aut quæ de patientia & moderatione probæ alicuius matronæ dicentur, uana erunt, quia fabulę de Gryselide similia, quam Boccatius est commentus. Nec Homero & alijs scriptoribus hæc potuissent in mentem uenire, ad fingendum rem tantam, tam reconditam, tam admirabilem, nisi aliqua auditione eam à suis maioribus accepissent. Sed dimittam⁹ poëtas & fabulas. Plutarchus & Pherecides philosophi sunt. Addo his Euclidem, Platonem, Ciceronem, Apuleium, Iamblichum, Plotinum, Porphyrium, Martianum Capellam, & uniuersam gentilitatem, cui dæmones fuerunt familiarissimi. Spiritus omnes gentilitas, & philosophorum scholæ dæmonas nuncuparunt, hoc est sapientes, medium quoddam genus inter deos & homines. Horum duo fecerunt genera, ἀγαθοὺς δαίμονας & κακοὺς δαίμονας, bonos ac malos. bonos colebant ut prodessent, malos, ne nocerent. Eidem generi sunt nuncupati & lares, & manes, tam boni quàm mali. Euclides: geminum cuique genium attributum esse ait, bonum & malum, malus importat quæ potest damna, bonus à uiolentia mali tuetur. Plutarchus refert, M. Bruto in bellis ciuilibus apparuisse uelut faciem Æthiopis terram & horribilem: quam quum Brutus rogaret quisnam esset, responderit, se illius esse malum genium, quem uisurus esset in Philippis Macedoniæ, ubi commissum est prælium, & Brutus uictus. Cacodæmones sunt lemures, & terricula nocturna, quę turbis miscent omnia, & tumultibus: quorum philosophi omnes meminerunt, & in unaquaq; ciuitate sentiuntur, ut nihil sit notius atq; exploratius, ut mirum sit esse aliquem qui dubitet, nisi qui nihil esse credat, pręter id quod ipse uiderit aut senserit. In insulis fortunatis, quas Canarias uocant, priusquàm in ditionem Christianorũ uenirent, dæmones in idolis apertè loquebantur populo, & se iubebãt adorari ac coli. In nouo hoc orbe recèns inuento nihil est tritius aut uulgarius, quàm nõ de nocte solùm, sed medio die ac luce occurrere manifestò dæmonem in urbe, in

agro

agro,qui aliquid loquatur,iubeat, uetet, infeſtet, terreat, feriat? Quid inter nos? an non omnes ſæpenumero uidimus homines à nefario dæmone arreptos, loqui linguas alieniſsimas,quorum ne uerbum quidem noſcent ſibi reſtituti? Qui rem ignorant,furori atque agitationi mentis concitatiſsimæ tale monſtrum aſsignant: quod nulla ratio patitur.nam loqui unum aut alterum ignotum uerbum,fuerit ſanè mentis emotæ: eloqui uerò totum ſermonem,atque etiam comptè, & uerſus in eo facere, & ſenſum & numerum, maioris eſt potentiæ ſeruare, quàm furoris humani animi. Dæmon eſt, qui per inſtrumenta illius edit uoces illas tanquam per fiſtulam. Miretur porrò aliquis cur Deus, è cuius ſolo nutu pendent omnia, patitur hos ſuos inimicos uiuere. Si tam Deus illis eſſet inimicus,quàm ipſi ſunt Deo, punctum profectò temporis non perſeuerarent. Sed dæmones quidem oderunt Deum, Deus illos non odit.abeſt enim à ſancta illa & beata natura odium,affectus tam teter & deformis. Nocere illis Deus poteſt,ſed non uult:illi contrà nocere Deo cupiũt, quod non poſſunt. Amiſerunt illi quidem,quantum diſceſsione à Deo poterant amittere,nempe magna & æterna bona:retinuerunt autem, qua eſſentiæ naturæ illorum Deus erat in ipſorum origine elargitus,ut eſſent ingenioſi,& immortales. Quæ ergo acceperunt damna & detrimenta,à ſeipſis acceperunt,non à Deo: qui quum ſit mera bonitas,prodeſt omnibus, lædit neminem. Malus eſt dæmon, & mala eius opera omnia,& de Deo male cogitans. Deus tamen artifex ſapientiſsimus,malum hoc in bonum eorum conuertit,qui ipſi ſunt amici. Corporalia ſeruiunt ſpiritalibus, ſpiritalia omnia propter participationem beatitudinis ſuæ cõdidit Deus.eos ergo habet chariſsimos,qui eiuſce ſunt beatitudinis conſortes. Ideóq; omnia propter iſtos ſunt, & bona & mala,qui hæredes ſunt æterni boni:bona iſtis proſunt,& mala in bonum cedunt,Deo procurante,& ipſis præbentibus ſe obſequentes, ſicut à Paulo apoſtolo ſcriptum eſt:Diligentibus Deum,inquit Paulus,omnia cooperantur in bonũ. Quo circa habent ſancti angeli ex dæmonum ruina gaudium ingens, quod in partibus Dei permanſerunt. Habent hîc homines exemplum,ne à Deo deſciſcant:habent iuſti,à quibus eorum exerceatur uirtus:& quum uident ſe manus cum tam ualido hoſte conſerere,diffiſi ſuis uiribus,quæ nullæ ſunt,diſcunt Deo confidere,ad eum confugere, illius opem ſeriò ac bona fide implorare, ſeq; illi magis & magis adiungere,agnoſcere auxilium,& illum diligere,qui nos à ſæuitia tam potentis atque immanis hoſtis propugnat. Et quoniam opera Dei omnia iuſtitia & bonitate ſunt temperata,in ſanctis elucet eius bonitas,in ſceleratis iuſtitia.

DE HOMINIS CORPORE ET PECCATO.

CReatio rerum talis fuit,qualis impreſsio ſigilli in multis materijs,ut prima quæque maximè referret annuli figuram,poſtremæ diluiſsimè. Ita Deus ab angelo ſibi propinquo progreſſus eſt ad molem illam inconditam atque informem, quæ eſt à Deo remotiſsima,proxima nihilo. Et quũ ſe omnibus uellet impartiri,communicauit ſe plenè ſpiritibus,qui erant eius capaces.ut ſi autem materialibus etiã,quantum eorũ uis & facultas caperet,communicaret,adiunxit materiale corporali, nẽpe hominis corpus animæ:quod ſanè corpus omnẽ rerum naturã,materialium quidẽ, in ſe cõplectitur,ignẽ, aërem, aquam, terrã,uitam uegetabilẽ, cui additus eſt ſenſus. Itaq; in hominis beatitudine uelut beata redditur tota uniuerſitas. Et hominẽ Deus à principio unum procreauit,cui nomen fuit Adam.ex coſta eius eduxit uxorem Euam,ſicut antiquiſsimæ Hebræorum literæ referũt, de quibus ſtatim loquemur. Ex his duobus reliqui homines promanarunt. nam materiæ huius ratio generationibus eſt apta. Porrò qui apti eſſent ad generandum,eos non oportebat condi uniuerſos pariter.nam ſuperflua fuiſſet generandi facultas attributa. Angeli,quibus gignere datum non erat,uno ſunt uelut partu editi. Accedit huc,quòd homines quoniam geniti erant rationales,& ad amorem idonei, coniungi inter ſe amore congruebat. Huic porrò nexui reſiſtit corpus.ideo ex uno uelut trunco producti ſunt omnes,ut tanquam propinqui & iuncti ſanguine omnes inter ſe bene cuperent,nec ullæ uide

rentur esse naturales inimicitiæ. Hic conditus est homo, & data ei uita corporalis, tum quòd esset corporatus, tum quòd par erat ut uiueret quoquè corporeum inter corporea, postea spiritus inter spiritalia cum Deo. & qui amore erat unum futurus cum Deo ut angeli, huic quoquè tempus est assignatum, in quo intelligentia amorem extimularet, amor autem inflāmaretur, plus temporis homini quàm angelo propter affectus & corpus, quæ impedimento sunt rationi: non utique tāto ut nunc, sed alicui certè impedimento erant. quod quidem hinc nascitur. Conditor enim ut omnium est parens, omnia diligit, omnibus se uult impartiri, quantum uniuscuiusq; essentiæ uis & facultas capere ac perferre potest, quúmque sit ipse spiritus, ut id fieret facilius, aptius, plenius, corpus adnexuit spiritui, nēpe animæ rationali, quæ Deum intelligeret, amaret, caperet, quæ beatitudo redundaret in corpus. Animæ cœlestes sunt, & diuinitati propinquæ, spiritus scilicet: corpora uerò crassa & densa à cœlo & diuinitate remotissima. Fertur quicque ad suam naturā & originem. Anima spectat sursum ad res cœlestes ac diuinas: corpus in terram, & procul à diuinitate animā detrahit, & quantū potest detrudit. Affectiones autem, quæ uelut mediæ sunt, & quasi nexus inter corpus & mentem, ad partem corporis deflectunt. unde tanta in animis nostris procliuitas ad corporalia, id est ea quæ sensibus corporis usurpantur, tanta segnities ad pulcherrima & cœlestia quæ sola mente comprehenduntur, tanta sollicitatio ad descíscendum à lege spiritus, hoc est Dei, ad concupíscentias corporis & uitæ huius: & eo maior, quo grauius est pondus noxiarum, ut post peccatum, & inualescentibus in humano genere uitijs. Ergo tametsi appetitus erat tum ante delictū menti subditus, non tamen adeò, quin haberet obiectum suę delectationis aut auersionis, quo incōsulta mente impetu impelleretur. Nō enim mutata est prorsum essentia naturæ, etsi deprauata & prolapsa longissimè à puritate atque excellentia primæ originis. Sed si tum mens aliquid iussisset, fuisset ílicò appetitus audiēs dicto: quod nunc est multo secus. Et erat homo conditus ea lege, ut quemadmodum quum ex utero post nouē menses in nouam lucem uenit sine morte, ita & tum postquàm hic aliquādiu uixisset, transferretur in cœlum. In hac uita ut assuescéret conditorē suum nosse & amare, multa sunt ei ostensa per quæ ad illū se erigeret. Varietas rerum cōditarum propter illius corpus: quod ut est compactum ex uarijs, ita uarijs eget, siue ad usum, siue ad delectationē. Tum mens ex illa uarietate facilius authorem intelligit. ille enim est tantus, & in simplicitate tam multiplex, ut unico opere nō posset humanæ menti declarari. Pluribus opus fuit & ad manifestationem atque expressionem illius naturæ: & tanti támque uarij artificis fuit multa fabricari, quoniam multa animo conceperat. Illa autem animi similitudo expromenda fuit operibus. Tota quidem filio exprimitur: sed quantum sat illi est uisum, per res creatas, in quarum unaquaque impressit uestigium aliquod sui, hoc est bonitatis, potentiæ, sapiētiæ. Horum autem corporalium usus nō est illis datus qui non indigerent, ut angelis. Sed neque ijs qui uti nescirent, ut belluis. Ei ergo solùm cui esset opus, ut homini ex corpore: quíq; uti sciret ex mente. Quocirca propter hominis usum hæc sunt condita omnia. illum Deus præfecit dominum principémque horum omnium, cuius gratia sunt ex nihilo producta. quibus de causis amor in Deum, & reuerentia, & cultus nasci atq; augeri poterat: quòd tam bonus Deus, qui tā multa condidisset propter ipsum: quòd tantus & tam admirabilis, qui de nihilo protulisset, & conseruaret. Ex tam multis sensui obuijs, tum causis occultis, quas industria sua humanum ingeniū inuestigat, melius se hominis contemplatio attollit ad cognoscendum Deum, ut amet & colat, quàm faceret ex una aliqua, aut altera: propterea quòd cognitio nostra, ut corpore incluſa, sequitur corporis naturam. Ex uarijs melius subsistit & roboratur, quàm ex aliquo uno: ex uariorum atque sparsorū collectione facilius peruenit quò intendit. Et quia nō expediebat hominis seipsum scrutari, ac pernosse, nec quantum uel posset uel nō posset in se ac res alias expendere, ne (quod dæmoni acciderat) ex ea reputatione insoleſceret, solummodo autem uniuersam suam intelligentiam in authorem suū conuertere, ita demum futuro beatissimo: uetitus est de fructu arboris scientiæ gustare,

siue

siue is fructus eam habebat uim,ut ad considerationem rerum conferret,sicut multa sunt etiamnum quæ spiritus cordis & cerebri dilucidant,& mentis subtilitatem pariunt:siue illud submonebantur, ne à Deo ad dotes suas contemplandas, rerumq; sibi subditarum experimentum animum deflecterent: debere confirmari primùm in cognitione Dei,ut illum amaret solum,hinc ad usum rerũ aliarum transiturus,quum esset iam extra periculum. Sed ille instigatus est arte mali genij, qui serpentis forma illum aggressus, ex gustu pomi scientiam & magnitudinem Deo parem promittebat:nec aliam fuisse aiebat Deo uetandi causam, quàm ne in regno naturæ uelut socium habere hominem cogeretur.Calumniatur apud homines Deum,apud Deum homines,ideo λάθολος dictus. Verba stulta,sed apud animum cupidum tantæ magnitudinis facilè nacta sunt fidem.Iam uxor re ipsa accesserat consilio dæmonis, & pomum ęderat,offerebatq; coniugi Adæ. Ita superbiæ adiungebatur amor societatis. Nam Euam ex costa Adæ dormientis Deus eduxerat,dederatq; ei uelut adiumentum uitæ,forma ac ingenio similibus,adiumenta enim dissimilia habebat haud sanè pauca. Ergo gemino stimulo instigatus Adam,consensit in partes & factionem contra Deum:tanto præmio opinione sua proposito,gustauit de pomo scientię,hoc est, uertit oculos à Deo ad se, ut dæmon fecerat,ilicò obtenebratus est, & se dilexit oblitus Dei. Quo admisso, separauit se à complexu illo diuini fauoris. Conditio erat dicta in lege,ut quacunq; hora ex uetito fructu ederent,morerẽtur. quod ita contigit. Nam si quis hominem nunc cõsideret,planè uideat grauissimo laborantem morbo & insanabili,ut iam desperatus & deploratus sit. Corpus infirmum,omnium rerum iniuriæ obnoxium,morbi singulis corporis partibus cum acerbissimis dolorum facibus horis omnibus minantes atq; impendentes:mens sicut in extrema ualetudine inualida,cæca,improuida,nec se illustrari sinit uoluntas,ut palatum ægri noxia semper appetens,profuturis inimica,sananti aspera atq; intractabilis: affectus commoti omnes. ipse homo seruus rerum quibus eget, quarum erat natura dominus. In hac ægrotatione paucos annos moribundi agimus, donec omnino efflamus animam, quod mori dicitur:quum ueriùs ortus ipse dici possit mors,ut acutè dixit Manilius,

Nascentes morimur,finisq; ab origine pendet. Talis mors data est Adæ pro supplicio sceleris acerbior multo,quàm ilicò extingui corpus.Statim peccatum,hoc est cognitio sui,ostendit ipsis,non esse tales eos quales rebantur:nam qui se excellentissimos esse existimabant,eos puduit sui ipsorum,& erubuerunt suam nuditatem: tales se esse iudicarunt tam fœdos & turpes,ut existimarent alios libentiùs ipsorum tegumenta conspecturos, quàm ipsos eosdem. decerptisq; foliis ex arbore, texerunt ea quæ ab illo tempore fuerunt pudenda, priùs nõ erant.& intelligentes se peccasse in legem authoris sui,inter arbores confertissimas abdiderũt se,fugientes illius conspectum.Clausi erant priùs eorum oculi ad alia, præterquàm ad Deum: nunc clausi ad Deum,aperti ad alia. amissa est simplicitas illa innocentiæ. & iam qui solùm curaturi erant Dei iudicium de se, relicto diuino curant humanum. operiunt pudenda: & qui erat antea in mundo liber,incipit alienis iudicijs seruire.sequitur caligo, & tenebræ mentis,fugiebant Domini conspectum, obliti omnia esse nuda & aperta coram oculis illius,uimq; illius omnia regere, omnia replere. hoc enim ante miserabilem illum casum non ignorabant. Tum Deus denuntiauit homini,amisisse illum potestatem in res inferiores, & laboriose quæsiturum necessaria. terram ipsam pro bono semine,pro mercede laboris repensuram ei spinas & tribulos,res prorsum inutiles atque insuaues. Quæ noxa non solùm de terra intelligenda est, sed de ijs omnibus in quæ patet humana diligentia, aqua & aëre, siue naturaliter proueniant, siue arte fiant atq; industria. omnibus propositus est labor & sudor, si uelit uti. Et quoniam parens est Adam omnium mortalium, in eo fuit uitiata natura nostra, ut nunquam deinceps integra ueniret ad posteros.

QVOD HOMINVM NATVRA EST CORRVPTA.

COrruptam esse naturam nostram, tam manifestò ipsamet ostendit & clamat, quàm ægrotare se quum tenetur graui morbo. Quę enim condidit Deus,ea in

uſum aliquem parauit.nam quid minùs cadit in ſanctam illam & æternã ſapientiam, quàm temerè & ſine fructu & ſine ullo quicquam procreaſſe? In familia bene inſtitu ta nullus uacat officio, ut eſt uetus uerbum.uacabit in mundo, quo nihil eſt ſapien- tius deſcriptum atq; ordinatum? Porrò uſus non poteſt eſſe, niſi eius qui & indiget, & poteſt uti.Deus nulla prorſum re indiget, extra ſe angelis qui meri ſunt ſpiritus nullus eſt uſus mundi corporalis. Belluæ uerò paucis contentæ, nempe ſatisfeciſſe uentri,reliquis omnibus nec uti ſciunt,nec poſſunt,ac ne curãt quidem. Homini er- go ſunt parata hæc,qui eget propter corpus, & mente ac ingenio præditus ſciet uti. Sapiens & optimus artifex Deus,homini, cui ex bonitate ſua mundum ſuum attri- buebat corporeum, ex eadem ipſa bonitate facultatem quoq; erat largitus, ea inter quæ uerſabatur accommodandi ad uſus ſuos,nempe cognitionem & ſcientiam eo- rum,imperium quoq; in illa ipſa & dominatum, quo non minus aptè poſſet uti qui- bus uellet,quàm facile & quandocunq; libuiſſet. Dominum ergo illum cõſtituit eo rum quæ propter ipſum creauerat.Quale enim eſſet hæreditatem filio parare,eamq; ita recondere, ne uel inueniret, uel poſtquàm inueniſſet, eam addere difficultatem poſſeſsioni,ut capere & tenere uix poſſet? Tale eſſet omnino munus à Deo homini conceſſum plantarum,animantium,lapidum, ſi ipſe quid & quatenus ex ijs ſumen- dum haberet,quum uſus poſceret,ignoraret.Iam autem ut ſciret aſſequi illa,non poſ ſet tamen magnis uiribus renitentia ac repugnantia.Eſt ergo diuinæ bonitatis ac ſa- pientiæ,omnia hæc muneri homini tradita cum facultate,hoc eſt ſcientia & domina tu. Atqui nos & miſera illorum omnium cæcitate atq; ignorantia ab uſu eorum ex- cludimur atq; arcemur,tum ea ad quæ peruenimus capere & poſsidere non poſſu- mus,quia procul diſsita,quia recondita,quia reluctantia,quia damnum nobis mor- temq; adferentia.Dicunt, Voluit nos Deus exercere. imò quantumcunq; exercea- mur uniuerſi,minimam partem eorum quæ ignorabimus,nõ aſſequemur.At ſaltem neceſſaria ſciremus,ut belluæ.Quid,quòd non ſolùm ea non obtemperãt uoluntati noſtræ & iuſsibus,ſed inſidiantur omnia, ut noceant, ſi qua poſsint. Æſtus & rigor cœli nobis,frugibus, & animantibus noſtri uſus,ignes,incendijs,aquę eluuionibus, ædificia quæ nos ad tutelam noſtram extruimus ruina ſua nos opprimimur, in mari mergimur dum piſcamur,dum aliquò traijcimus, ueſtes arrodit tinea, puluis & hu- mor corrumpit metalla,rubigo cõſumit.Nullæ ſunt fruges quibus terra eadem non producat hoſtem,à quo ſuffocentur & pereant. Aues,talpæ,mures,formicæ,uermiũ incredibiles formæ fructibus & frugibus peſtiferæ.Feles & canes inter nos educati penum uniuerſam diripiũt,inſidiantur corti martes,uulpes,muſtelę,caulibus lupus: ut tranſeam rariores feras,leones,urſos,apros,tigres,pardos,pantheras, nobis & no- ſtris gregibus hoſtes capitales. Quid referam uenena tam multifaria, tam præſentis exitij? Ex homine uerò quanta homini mala? plura ex illo uno,quàm ex cæteris om- nibus,domi,priuatim,publicè,in ciuitate,calumnijs, pugnis, digladiationibus, fur- tis,rapinis,mutilatione.Poſtremò foris bellum,quod unũ omnes facies &formas cru delitatis,immanitatis,inhumanitatis complectitur,ut id ſolùm euidentiſsimo atque efficaciſsimo ſit argumento deprauatæ ac uitiatæ naturæ noſtræ.Quę animantes in- ter ſe turmatim ad internecionem concurrunt? nullæ ſanè: ſed,ut Plinius inquit,Con gregari uidemus,& ſtare contra diſsimilia.Quæ fera tanta rabie ſæuit in feram ſui ge neris? nimirum manet in illis primigena illa natura,in nobis degenerauit in peius.Ita que non nos domini ſumus rerum,ſed illæ noſtri:& nos illis ſeruimus, quanto labo- re,quàm aſsidua ſollicitudine? ut hominum pleriſq; nihil ſit omnino aliud negotiũ in uita,quàm quęrere quæ futura ſint uſui corpori,& quæſita cõſeruare,uel ne perdã tur,uel ne pereant.Quòd ſi amittantur,quis dolor,quanta afflictatio? ita nihil minus quàm id agunt,,ppter quod miſſus eſt homo in hanc uitã:& ſicut Ennius loquit,præ ter,ppter uitã uiuitur.Aliquid ergo egimus,aliquid cõmiſimus,propter quod amiſ- ſa ſunt ea munera,quæ excellenti naturæ noſtræ fuerãt ab authore cõceſſa.Iam uerò in re omni eſt aliquid optimũ & præſtantiſsimũ,unde res ea nomẽ ſpeciei ſuę ſumit. Beſtię omnes ſtatim ut natæ ſunt, uel breuiſsimo pòſt tẽpore pręſtãtiſsimũ illud ſuę

naturæ

naturæ uſurpant,& opera edunt illi præſtantiæ cõformia,& ut quædã paulò diutius tardent,uſurpant certè tandem, & re ipſa demonſtrant ſe huius eſſe naturæ ac ingenij. Quòd ſi non faciũt, certè indubitatum facimus iudicium, corrupta ea eſſe ac deprauata ex cauſa aliqua uel interna uel externa. Homo autem quandiu bona mente non utitur? quàm pauci aliquando, quàm multi nunquam? ut appareat, à rectitudine naturæ ſuæ declinaſſe. Quid, quòd animantes omnes ſtatim uergunt quaſi nutu quodam ad inclinationem perfectionis ſuæ, ſoli homines à ſua ſunt auerſi & abhorrent, nempe à cultu mẽtis & ſapientia. Beſtiæ naturæ ductu nollent uiuere uitã plantarũ, & ne illuc relabantur exercent ſemetipſas. At quàm multi hominũ cupiũt uitã brutorum agere, immerſi delicijs & corporeis uoluptatibus, ſine ulla cura aut reſpectu mentis, ac ne cogitatione quidem, ſit ne mens aliqua, an nihil homo diſtet à beſtia. Quòd ſi ſibi ipſi homo permittatur & commendetur ſemota educatione ac diſciplina, quomodo ferretur pronus præceps ad ea quæ minimè ſunt hominis? Cuius rei ſtatim ab ortu ſuo tota infantia & pueritia manifeſtiſsima edit ſigna. Quid enim quærit aliud quàm delicias, uoluptates, luſus, indulgentiam? Quid ei magis eſt inſtar mortis, quàm prima illa ad literas & formandos mores inſtitutio? mens noſtra natura expetit uera, uoluntas bona: adeò ut Quintilianus mirandum eſſe ducat, malos eſſe tam multos, quòd ſit contra naturam. At quanta eſt facta inclinatio à ueritate ad fabulas, à bono in malum? Degenerauit ergo natura noſtra à recta ſua conditione ac uia. Age uerò, quæ tandem natura integra expetit interitum ſui? Atqui in ſolo hominum genere ſunt qui ſibi manus adferant, multi qui mortem optẽt & inuocẽt, plurimi ſani & ualẽtes, tædio uitæ ob leuiculam agitationem bilis. Accedit his, quòd homines poſiti ſumus à principe naturæ inter beſtias & angelos, propinquiores tamẽ angelis mente ac intelligẽtia, propinquiores brutis corpore. At uidere eſt, quàm maiore nos interuallo ſuperant angeli, quàm nos bruta. Et loquor de angelis in ſua natura, nec miſeria deiecta, nec ſublimata beatitate. Corporis uerò dotibus à multis beſtijs ſuperamur, integritate, uiribus, celeritate, agilitate, ualetudine, uita, ſenſuum acumine ac uigore. Deinde nõ eſt credibile, à Deo optimo & nobis amiciſsimo cõditum eſſe de principio hominem tam infirmo corpore, obiectum tot incommodis uitæ, & animam nobiliſsimam intruſam in uincula, ubi torqueatur perpetuò: ſed eſſe indubiè quod ſapiens ait, ſe id ſolùm inueniſſe, à Deo eſſe factum hominẽ rectum, ſyncerum, integrum, & ipſum ſe his calamitatibus inuoluiſſe quibus premitur. Aliquid iſtorum uiderunt in ſuis illis tenebris Pythagorici, & eos ſequutus Plato, ut ſolet, quum dixerunt corpus hoc ſepulturam eſſe & carcerem animæ, eamq; hic deuinctam dare magnorum ſcelerum pœnas. Hîc uideo adeſſe quoſdam multis quæſtionibus, tanquam tendiculis inſtructos. Atqui Adam peccauit ſolus, cur in nos redundat flagitij illius ſupplicium? Planius eſt faciendum hoc quod de primæua noxa & principe dicimus. Mens hominis & illuſtrata erat magna luce Dei, & amore accenſa, ut ſurſum ferretur: caro uerò beneficio illius lucis & ardoris ſubdita menti, & omnia homini. Homo uerò per peccatum auertens ſe à Deo, trãſiit à mente in carnem. Caro, cuius natura eſt deorſum trahere, nempe ad ſuam originem, procul à Deo trahit, nempe ab ſpiritu. Habet enim caro natura atque ingenio ſuo deſideria ſua & cupiditates alienas ab ſpiritu, ſed quæ beneficio fauoris diuini reprimebantur. Ita amiſit homo ea munera, quæ gratia numinis erat nactus, & ex ſpiritali ac diuino factus eſt carnalis terrenúsque. Inde caro omnis ex illa carne deſumenda, damnata, tanquam Deo inimica: & caro omnis propter conſortium & coniunctionem cum illa inimica Dei carne, non tam facta eſt inimica quàm aliena. Ita in Adã propter peccatum, tanquam in ſemine uel radice omnis humana caro damnata eſt. Et quemadmodum, uitiato ſemine aut radice omnes deinceps fructus naſcuntur uitiati, ſic in uitio Adæ, quoniã ex eo omnes ſumus. Quapropter generatio hominis facta eſt pudenda: quod oſtẽdit naturalis pudor in oſtẽſione genitaliũ: ideoq; ea ſolùm texerũt Adam & Eua. Nanq; ubi ſenſerunt uitium, de illis erubuerũt. Atqui ſacris oraculis eſt proditũ, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: pater nõ portabit iniquitatẽ filij. Ita

eſt,

eſt. Sed omnes quodammodo in Adam peccauimus, non aliter quàm omnes futuri fructus uitiati ſunt in uitio ſeminis aut radicis. Iuſtitia autem illa prima quæ originalis nuncupatur, non erat munus à Deo Adæ peculiariter tributum, ſed humano generi. Ideoq; cum ij qui erant tum humanum genus, facinus commiſerunt, uniuerſum humanum genus beneficium illud perdidit: quemadmodum quod ciuitas puſilla adhuc & infrequens decreuit ac ſtatuit, eadem mox aucta & numeroſa ſeruat, & pauci, patres copioſam ſuam in poſterum ſobolem obligant & deuinciunt. Adde huc, quòd qua peccamus ratione, conſimili punimur, nõ acrius. Omnes quidem in Adam hactenus peccauimus, ut fauoris & gratiæ Dei, dona amitteremus, per quæ ad coniunctionem illius uenitur. Cares tu illis, non cruciaberis propterea, ſed carebis illa coniunctione. Nihil fit ergo iniuriæ cuiquam, quandoquidem non punitur acerbo ſenſu, qui ipſe peccandi ſenſum non habuit. Quærit alius, Si Adam uno crimine tam immanem fecit caſum, cur nos tot flagitijs, tot ſceleribus cooperti & obruti, non grauiùs multo cadimus, quàm ille? Quia unicuiq; rerum dedit Deus eam naturam, per quam eſſet res illa: quam ſi tolleret, non iam ampliùs ea res eſſet, ſed alia quæpiam diuerſæ formæ. ita dedit Deus homini, quo eſſet homo: tum ornauit eum atq; inſtruxit ampliſsimis donis, ut diximus, ſcientia & cognitione rerum, latiſsima ditione in res omnes, ſano & integerrimo corpore, & uita pro libito diuturna, prima illa debebantur naturæ hominis, ſine quibus homo non eſſet: hæc autem poſteriora gratuita ſunt, ex fauore conditoris. Quo ergo die à gratia & fauore principis ſui homo eſt deuolutus, eodem ipſo amiſit ea quę gratia & fauor dederant, & conſeruabãt. qui enim ab igne calorem recipit, ſi abſcedat refrigeſcit. Itaq; cecidit Adam ex faſtigio illo beneficiorum Dei: nos qui humi iacemus, nullam habemus unde cadamus altitudinem. amiſimus enim dona gratuita, ideoq; alterum Adæ flagitiũ, ſi quod admiſit, non nocuit nobis: nec noſtra ingenium tollunt naturale, tametſi non pauca important incommoda, grauia profectò & peracerba, obſcurationem mentis, & quandam uelut in belluas degenerationem, morbos, debilitates, procliuitatem ad peſsima, tarditatem ad optima, quæ omnia uidemus indies gliſcere, ea uerò ſcelerum eſſe ſupplicia dubitari non poteſt. Quantum eſt enim, & quàm dolendum, circuncludi hominem tenebris ignorantiæ, & quidem rerum maximè neceſſariarum? uinciri manibus & pedibus morbo & debilitate, auerti innumeris cogitationibus à cura colendi & amandi numinis, angi tantarum rerum quas quotidie augemus ſolicitudine? Sed pergunt quidam interrogare, an non peccatum omne uoluntatis eſt? Ita planè, & peccatum hoc uoluntatis fuit in Adam, hoc denigrauit illius animam, & corpus contaminauit. Huius autem corruptio dimanauit ad poſteros, & orbatio puritatis illius, quam noſtri iuſtitiam originalem uocant. Quocirca priuatio magis eſt in alijs boni, quàm contractio mali ſeu culpæ, & animę infectio ex cõtagione corporis quia illi iungitur, ut corpus noſtrum in aerem peſtilentem ingreſſum, noxam ſibi à loco accerſit. Quęrunt hic alij: Quid ergo fiet de ijs qui fato ſunt defuncti ante annos quibus poſſent Deum cognoſcere? Ad ſempiternam beatitudinem non peruenitur, niſi per charitatem Dei, ut anteà dixi. Pueri qui hanc beneficio Chriſti non ſunt adepti arcentur ab æternis illis bonis: nec ulla tamen fit illis iniuria, ſi nõ aſſequuntur, quod nec illis eſt promiſſum, nec ſentiunt tamen plus incommodi, quàm ex ſutore aut fabro natus ſi non fiat rex, aut homo quòd alas & pennas non habet. Fruuntur tamen, ut credibile eſt, ampliſsimis bonis: nempe naturalibus liberis atq; expeditis. Non enim uerſantur in malis, graui & tetro corpore exuti: uigent animæ cognitione libera, gaudent contemplatione aperta rerum omnium & dilucida. Additur aliud quæſitum: Peccatum Adæ nocuit tantopere, quid illius reconciliatio? cur non per reconciliationem eximuntur ea noxa quam propter delictum merebantur? Si execrabiles filij Adam, cur bonorum uirorum filij grati? Quia in reconciliatione Adæ non eſt execratio carnis ſublata, ſed anima à ſeruitute carnis liberata, & repoſita in gratiam cũ Deo. Ita cõtigit ei quod alijs bonis uiris, ut manente uitio in ſemine, fructus ſit ad meliorem odorem aut ſaporem concinnatus. Aſcendunt quidam altiùs, & ſe in

pene-

penetralia diuinæ ſapientiæ ac uoluntatis temerariò ingerunt. Cur, inquiunt, dedit Deus homini præceptum, quod ſciebat irí ab ipſo uiolatum? Simile eſt illud, Cur eos creat quos malos fore prænouit, & ſibi inimicos? Hoc uerò nimis eſt impudenter, Deum ad reddendam eorum quæ agat rationem accerſere: quod à principe aut uiro prudentiſsimo facere reformidares, deterritus uel magnitudine uel authoritate. Tu uerò in rege mundi omnipotenti & ſapientiſsimo, nec magnitudinem reuereris potentiæ, nec ſapientiæ authoritatem? Peccat homo non uoluntate Dei, ſed ſua ipſius. belluis libertatem non dedit mentis, homini dedit, & ante eum propoſuit uitam & mortem, ad quod cũq; uoluerit porrigat manum. Sed nec deſunt qui bonum hoc libertatis animi, quo amplius aut præſtabilius dari nullum potuit, calumniẽtur, quaſiq; Deum in ius uocent, quòd id dederit per quod peccamus: quaſi uerò non etiam bona omnia, ut mentis intelligentiam, phantaſiam, ſenſus, ualetudinem, robur, diuitias, potentiam, decus in peſsimos uſus cõuertamus. Nihil ergo dediſſe fuerat ſatius, quia nos bonis & bene attributis praue abutimur: & quod ingentium eſt exſe bonorum inſtrumẽtum peruertimus malorum omnium. Sic ille Ciceronianus Cota quaſi deos uocat in ius, quòd hominibus rationem ſint largiti, quam multi tanquam in artificium uertunt ſcelerum & flagitiorum. Eſt ne author in culpa, ſi tu inde es malus, ſine quo eſſe bonus non poteras? Et dæmonibus naturæ excellentia occaſionem præbuit miſeriæ. Culpet igitur diabolus Deum, quòd ſe tam excellentem condiderit. Atqui ſciebat, inquit, me malè uſurum. Atqui & alios ſciebat bene uſuros, idcirco dedit omnibus eiuſdem generis eadem: & malos tolerat propter bonos. omnia enim ſunt propter hos, qui hæreditatem accipiunt ſalutis, ut Paulus inquit. Sed oculi noſtri in comparatione noſtri temporis & æternitatis non ſolùm caligant, uerùm denſa nebula inuoluuntur. Imaginandum eſt, in illa æternitate perinde eſſe Deum facere aliquid & præſcire, ut nos agere aliquid, & actum uidere. Trado tibi gladium, hoc prius eſt natura: tu traditũ uertis in tuam perniciem, hoc poſterius eſt: tum uideo te malè uſum. ſic Deo prius eſt dare tibi ampliſsima munera, poſterius te illis abuti, & eum hoc cognoſcere nõ quidem tempore, ſed curſu quodam rationis, & uelut gradibus naturalibus exiſtit ad poſtremum. Quid ergo tam ſæuus eſt punitor Deus, ut tanta bona unius illicò præcepti tranſgreſsione eripiat? hæccine eſt illa à uobis nunquam ſatis deprædicata bonitas? Non eſt conſiderandus Deus, ut iudex aliquis humanus, qui maleficium punit. Homo enim infligit pœnam, & ira percitus, uel abductus odio ſcelerum in corpus noxium exercet legem, aut exerceri imperat. Deus uerò mitiſsimus, mãſuetiſsimus, optimus eſt: qui ut uerè & appoſitè loquamur non dederat præceptum Adæ, & pœnam addiderat: ſed ut pater amantiſsimus præmonuerat, ne ab ipſo oculos deflecteret ad res alias: futurũ ſi id fieret, ut in maximas calamitates & miſerias ſeſe induceret. haud ſecus quàm qui uoraginem digito indicat, in qua ſit præſentiſsima pernicies cadentibus. Itaq; Adam prauitate & dementia ſua in id exitium incidit, à quo præmonitus fuerat ut caueret. Non finxit Deus præceptum, nec ante pedes Adæ tetendit ut pedicam: neq; poſt tranſgreſsionem impulit Deus illos in tantas calamitates, tanquam uiolatores ſuæ legis: ſed ipſi quia ultrò receſſerunt à bono, neceſſariò in malum inciderunt, quoniam à beatiſsimo in miſeriam, quod oſtendit ſacræ narrationis ſeries. Nam ubi de uetito guſtaſſet fructu, ſtatim ſenſerunt quid admiſiſſent, & antequàm Deus illis loqueretur, & fœdum facinus exprobraret ad manifeſtationem ſupplicij, iam inter ſe ſupplicium experiebantur, & præ ſe ferebant. Nec Deus damnauit terram & carnem, ſed damnatio ſecuta eſt ex peccato, & diſceſſu à Deo ad diabolũ. Sacræ uerò literę humanis uerbis & more huminíbus loquũtur: & præſertim uulgo gentis Hebrææ, q; erat ad altiora myſteria cõſequenda tardiſsimum. Et tamen ruinam hanc adeò miſerabilẽ & acerbã, pater indulgentiſsimus Deus in grande illi bonũ cõuertit. Nã homo perculſus morbo grauiſsimo, quo per amorem ſui cæcũ atq; immodicum à Dei amore ac fiducia diſceſſerat, quo alio erat curãdus modo, quàm ne in ſui amorẽ recideret, & ad amorẽ Dei aſſueſceret redire? Cæca mẽs, multisq; tenebris obruta admonent atq; ſtimulant eum,

ut ſibi

ut ſibi diffiſus quærat ducem uiæ,magiſtrum actionum ſuarum omnium,qui nec fallí poſsit,nec uelit fallere:nempe Deum, cui uni fidat. animus tanta perturbationum tempeſtate concuſſus,cogitur ſedatorem & tranquillatorem implorare, & quietem optare aliquam,qualis contingere in hac uita non poſsit, in ſolo Deo eſt ſperanda. Corpus infirmum,tot morbis & doloribus afflictum, uita tot moleſtijs impetita adducit hominem,ut minus ſe amet,aſſurgat fiducia atq; amore ad illum,à quo dabitur nobis requies tantis malis,etiam inter has ſpinas,inter tam grauia incommoda multi uitam hãc mordicus tuentur,& ab altera abhorrent,& in Dei cognitione rariſsimi ſunt ac ſegnes,in amore autem frigidiſsimi. Quid facerent,ſi hîc & corpus eſſet firmiſsimum,dolorum & defatigationum expers, & delectationes in uita plurimæ ac perpetuæ,omniaq; ad uoluntatem noſtram fluerent? Si ergo ſanari ſe hic ęger cupit, quomodo erat aliter ſanandus? pater amantiſsimus quod aliud potuiſſet remedium excogitare præſentius? Quærunt, Cur ſi peccatum Adæ tantam inuexit cladem & ruinam,reconciliatio Chriſti nõ eximit nos ea noxa,& in priſtinum ſtatum reducit? Chriſti aduentus & reconciliatio reddidit quod expediebat, nempe uiam ad æterna bona:non reddidit ea bona quæ non expediebat nos recuperare. Si enim homo eſſet ſolùm ad uitam hanc conditus,bonus & beneficus Deus tum Adæ ipſi iam reconciliato,tum alijs qui ipſi ſe peccato ſuo nõ cõtaminaſſent,prima illa ſua excellentiſsima munera reddidiſſet.Sed quoniam nos ad cœleſtem immortalitatẽ Deus creauit,bonus & liberalis Deus ſpecimẽ etiam horum bonorum in primo homine protulit, fecit illum non ſolùm dignitate naturæ admirabilem, ſed inſtruxit & ornauit ampliſsimis uitæ bonis.& ſic illum poſterosq; eius reliquiſſet,ſi in Dei gratia perſeueraſſet.Sed Adam tam celeri defectione à Patre ac Domino, fecit & angelis & hominibus poſtea naſcituris manifeſtum,non conducere & illi & nobis omnibus tantam patris indulgentiam:melius nobis eſſe omnibus,ut hîc tanquam peregrini uerſemur,non tanquam ciues in patria,ut alteram illam ueram & perpetuò duraturam patriam toto pectore concupiſcamus & quæramus:ne ſi bene ſit nobis peregrè, patriæ nos non ſolùm capiat obliuio,ſed neglectus & auerſatio.In illo enim rerum ſtatu tam fœlici,& tam undiq; bonis conſtipato & accumulato,quotuſquiſq; uel cogitaſſet ad cœlum ſe eſſe factum & appoſitum? uel curaſſet uel expetiſſet,niſi uis mentis magno conatu altè ſpectãtis,ſenſum tantæ fœlicitatis ſub ſe reliquiſſet? quod fuiſſet factu difficilimum in tanta dulcedine rerum uitæ.Itaq; experimentum ſumptum eſt in uno,quid uniuerſis expediret:& Chriſtus Dei filius iacturam quam nos in caſu Adæ fecimus,reſarcijt:non repoſuit ea bona quæ & illi fuerunt cauſa ruinæ, & nobis omnibus fuiſſent:reponet tamen,cùm iam ampliùs non poterunt eſſe ad noxiam occaſio:nempe quum euecti in cœlum ita erimus cum Chriſto, & per Chriſtũ cum Deo,ut nullus ſit deinceps caſus timendus, nec uis ulla poſsit nos à Deo diuellere. Occurritur hîc à pertinacibus alia quæſtione. Quandoquidem ad cœleſtem uitã eſt homo factus,cur Deus hîc eum poſuit in terra, hoc eſt in peregrinatione, & non in patria ubi erat permanſurus? quorſum opus erat hoc decurſu uitæ? quorſum hoc corpore tanti & tam mirabilis artificij? Hoc uerò perinde eſt ac ſi quis quærat, Cur format nos Deus priùs in locis maternis, & non potius in hac luce in qua ſumus uicturi? cur creat flores ante fructus,cur fructus crudos ante maturitatem? cur animalia oriuntur paruula,ſenſim deinceps adoleſcũt? quæ perſequi eſſet infinitũ. Voluit Deus res quę materiam haberent,& contineri dimenſu loci,& fluxu temporis procedere. Corpus autẽ ad hãc uitam magnum & mirificum habet opificium, uidelicet omnia deinde opera etiam minutiſsima ſolertiam ſapientiamq; teſtantur conditoris. Miramur artificium huius corporis ad uitam,id eſt,ad rem temporariam:quãtum eſt artificium fœtus in utero ad nouem menſes? quantum formicæ & muſcæ,& papilionum,& floſculi eodem die perituri quo naſcuntur?

LIBRI PRIMI
FINIS.

Ioan-

IO. LVDOVICI VIVIS DE VERITATE FIDEI CHRISTIANÆ LIBER II. QVI EST DE IESV CHRISTO.

NOVVM mihi oritur uolumen cum aduentu Dei, & Domini noſtri, in quo oſtendendum eſt, quemadmodum lapſo homini Deus ſtatuerit ſubuenire. Quantopere afflixerit Adamum acerbiſsimus ille caſus, reputare quiuis facilè per ſe poteſt: quum ex eo uideret ſe ingentibus Dei tam corpore quàm animo donis orbatum, & incredíbili cum ægritudine tranſegiſſe ætatem, calamitatem reputantem quum ſuam ipſius liberorum & coniugis, tum illam quam in cunctam ſuam poſteritatem inuexiſſet. Mouit eum acerrimè inter alia mors Abelis filij, quæ fuit in hominum genere prima, poſita ob oculos imagine tam horribili ſpeciei illius, quam quiſque eſſet propter delictum illud ſuum ſubiturus. Sed conſolata eſt eum Dei bonitas, oſtenſa procul mentis oculis reparatione atq; inſtauratione tantæ ruinæ ampliſsima & copioſiſsima: qua ſpe fretus maiore animo ferebat tantum pondus laboris, eamq; ipſe ſpem & fiduciam filijs ac nepotibus quaſi per manus tradidit, ſimul cum aliqua ratione pietatis, quæ illi tanquam ſtellula inter nubes denſiſsimas conſeruata eſt: Deum unicum qui uniuerſa condidiſſet, colendum eſſe ac reuerẽdum, huic obtemperandum, hunc amandum, in illo ineſſe bona omnia, procul autem ab illo calamitates, labores, cuncta mala. Sed poſteri illius cùm ruditer ætuum degerent, ſine diſciplinis & cultu animorum, ſolis corporis ſenſibus ducebantur, quumq; nec præſens numen aſpiceret, neq; ea per quæ intelligi poſſet, conſiderarent, ſubijt in eorum mentes grandis obliuio Dei, tum & iuſtitiam illius neglexêre: eadem cauſa qua etiamnum plurimi, quòd non cernerent paratam illicò malefactis ultionem. Ergo uelut repagulis omnibus pudoris ac diuini reſpectus amotis, effuſiſsimè ſe in flagitia omnemq; turpitudinem proiecerunt, non illa quidem animi flagitia, arrogantiæ, odij, iracundiæ, inuidentiæ, quæ apud illos nondum inualuerant: & hæc enim orta ſunt & aucta cum hominum cœtibus, opulentia, honore, dignitatibus: ſed in ea quæ corporis libido expetereret. In has obſcœnitates & maximi & minimi, uelut facto agmine irruerunt, adeò ut & qui nomihil ingenio ualerent, haberẽtque eas animi dotes, quibus ſe ad Dei cognitionem cultúmque facilè extollerent, quos angelos & Dei filios appellant myſticæ literæ, etiam cum alijs obbruteſcerent ſectandis uoluptatibus. Depreſſa ui omni mentis ac iudicij, & quaſi demerſa in corpus, longiſsimè à ſimilitudine Dei receſſerunt: eaq; fuit continuatio flagitiorum, ut quum nihil reſtaret amplius bonæ ſpei, ultione numinis deleti ſint uniuerſi laxatis aquis undique, ſupernè, inferne, à mari, à fontibus, à fluminibus. Cuius inundationis gentium quoq; ſcriptores meminêre, uelut Pomponius Mela, qui Ioppen Ægypti conditam ante diluuium tradit, quod de diluuio uel Deucalionis uel Ogygis accipi non poteſt, quorum neutrum attigit Ægyptum. fuerunt enim utraque in Græcia Deucalionis in Achaia, Ogygis in Bœotia, & huic uicina Attica. Repertus eſt tamen in tanta multitudine Noë, qui à rationibus uitæq; aliorum inſtituto longiſsimè recederet, & numen purè ac ſanctè coleret. Hunc cum uxore & tribus filijs, ac totidem nuribus à clade illa Deus ſeruauit: unde poſtea humanũ genus reparatum eſt, tanto breui prouentu, ut quin gentis annis pòſt & amplæ urbes ſint frequentatæ, & magni exercitus ad bellum gerendum collecti. Sed hoc non de quingentis modò annis, uerùm nec de ducentis fuerit mirandum, ſi quis ad comparationem reuocet, quanta poſsit ex uno cõiugum pari breui tempore multitudo procreari. Ab uno intra uiginti annos, ut pauciſsimè dicam, uiginti: à uiginti poſt annos totidem, quadringenti: ab ijs deinceps ea turba, cuius iniri iam numerus non poſsit. & hęc ante annos ſexaginta, quod facile eſt computatione colligere. Verùm dubitarit aliquis, quemadmodũ ex hac noſtra regione culta & habitata ad diuerſam, ſeu aduerſam potiùs, tranſierint homines per loca inuia, exuſta perpetuis cœli ac ſoli ardoribus. Sed ea quæ-

ſtio ex uetere ignorantia naſcitur. Oſtenſum eſt enim noſtra ætate, uniuerſam terram cum ipſo Oceano adiri & penetrari poſſe, etiam ſine difficultate, nec obſtare uiam illam ſub ſignifero à ſole ſemper tritam & accenſam. At ſunt etiam homines in mari, ſicut in terra: quod pro indubitato eſt habendum, uiuere homines integros in mari, ſicut Plinius tradit: quorum unus captus eſt ante annos duodecim in Batauia, quem uiderunt plurimi: etenim detētus eſt ſupra duos annos mutus, & incipiebat iam fari, quoad ictus bis peſtilentia in mare eſt remiſſus gaudens & exiliens. Sed iſti quoquè ex terreſtribus ſunt hominibus progeniti. Nam ſunt in quibuſdam locis maritimis homines maximopere dediti natatui, cui exercitationi aſſuefaciunt pueros ſuos, ut hi diutiſſimò poſſint durare ſub aquis. Filij horum in aquis penè geniti, nati, educati, habitatione huiuſmodi non aliter delectantur quàm piſces. ita quemadmodum alij homines in arido, ſic hi uiuunt in mari. cuiuſmodi eſſe in extremis illis inſulis Oceani, locis calidiſſimis, ex ijs quæ relationibus noſtrorum hominum accepimus, coniecturare licet. Raphael Volaterranus refert, fuiſſe in Apulia ab hinc annos ducentos iuuenem quēdam, aſſuetum ab infantia in mari agere. Itaq; inter marinas belluas complures dies uerſabatur. & cōuiuebat illæſus, haud aliter quàm ſi una eſſet ex eis. penetrabat maris intima & remotiſsima, reuertebatur ſæpe ad litus & nautas de futuris tempeſtatibus præmonebat: Nicolaus prius dicebatur, poſtea Colapiſcis, quaſi Nicolaus piſcis. Sed ad curſum redeamus hiſtoriæ.

DE RELIGIONE PRISCORVM HOMINVM.

POrrò Noë filios ſuos quam ipſe à ſuis accepiſſet maioribus pietatem, & colendi numinis rationem edocuit. Sed illi cum liberis & familia ad diuerſas mundi partes digreſſi, quod erat naturale facilè retinuerunt: colendum quidem eſſe numen modum tamen & uiam mutauerunt, quiſque arbitratu ſuo, unde deorum & religionum tanta multitudo ac uarietas exorta. Religionem uerò à natura eſſe humanis pectoribus inditam, oſtendit conſenſus generis humani: dicam hoc uerbis Ciceronis, lib. de Legibus primo. De ipſis quidē hominibus inquit: Nulla gens eſt, neq; tam immanſueta, neq; tam fera, quæ non etiam ſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Deprehenſum eſt hoc non ſolùm in nationibus terræ huius noſtræ, quam cōtinentem uocant ſcriptores, ſed in nouo hoc orbe, ad quem magnis nauigationibus Hiſpani penetrarunt. Inuenerunt enim noſtri homines gentes permultas, quæ ſine literis, ſine legibus, ſine rege, ſine republica, ſine artibus æuum degerent, non tamē ſine religione. ut appareat uerius eſſe ex natura religionem, quàm reliquas hominum artes atq; inuentiones. Nam ſicut facultates omnes atq; appetitus animi & corporis inditas à natura cenſemus, quoniam tametſi non eadem ſemper appetunt aut agunt, aliquid tamen & agunt & expetunt: ita de religionis eſt cura ſentiendum, non eadem omnibus religio, aliqua tamen cuiq;. ſicuti non omnes eadem comedunt, nec omnes rebus eiſdem capiuntur & delectantur: quia tamen eſſe omnes ac delectari animaduertimus, id eſſe naturale pronuntiamus. eundem in modum religio naturalis eſt in genere, ſpecies autem formæ, qualitates hominum ſunt. Olim religio ſola habita eſt pro ſapientia, nec ſapientes alij, quàm qui illam mortalibus traderent atque explicarent, apud Æthiopas, Indos, Ægyptios, Græcos, Romanos, quorum catalogum longum eſſet recenſere. Nec Deus de ſui cognitione humanis mentibus plus conceſſit ac reliquit, quàm quod pietati ſatis eſſet. Peſsimè Lucianus Samoſatenus ſophiſta, qui adimens hominibus ueterem ac receptā religionem, non ſaltem reponebat nouam aliquam. Quod irrideret antiquas dementias ac infanias, rectè id quidem: ſed alia debebat ſubſtituere potiora. Sublatis enim prorſum religionibus, quid aliud quàm hominem ſine humanitate relinquebat? Sed quid aliud decebat Epicureum facere, & eum qui à luce ſe in tenebras recepiſſet? idem faceta rabie philoſophiam irriſit, & curam omnem uirtutis. Cedò ſi potes aliquando loqui amoto ioco, quid tandem uis homines facere? tollis deorum cultus, ſubſannas eruditionem, etiam uoluptates corporis quas ſecta tua profitetur inſectaris, quam humano ingenio relinquis occupationem? & tamen hic nonnullis (ſi Deo placet) ſa-

piens

piens uidetur,nempe ijs qui magna inuidiæ rabie oderunt quicquid nõ habent, aut per quod alios magnos & claros effectos esse uident:ut Lucianus ipse, quem ad insectationem & proscindendam philosophiam inuidia Plutarchi Cheronensis impulit,quem in magno esse honore apud Traianum Cæsarem inuitus & dolens cernebat.Ergo ut ad propositum sermonis reuertamur, pietatis cura indita est naturaliter homini.Quòd si ita est,monstrum profectò est hominis non homo,qui sine religione ulla uiuit.Sed posteri Noë homines crassi ac rudes, non Deum illum naturæ dominum uenerati sunt, quem non uiderent, sensibus tamen omnino ducerentur, sed quæ intuitu pulchra atq; admirabilia in orbe spectarent,aut utilia deprehenderent, iudicio illo suo hebetissimo ac tardissimo pro dijs habuere.Is error à parentibus manauit in posteros,& actus indies, magnas de uetustate uires accepit:cui ætates insequutæ nefas existimarunt repugnare.nam posteri maioribus suis tanquam filij patribus eam se reuerentiam censent,debere. Ergo alij propter speciem & magnitudinem cœlos, sidera, elementa adorauerunt: alij animantes brutas, à quibus aliquid commoditatis acciperent,sicut Ægyptij boues, & feles, & ibes: alij homines quos honoribus diuinis uel ob beneficium, uel ob metum atq; assentationem affecerunt. Hæc omnia magna & miserrima humani generis calamitate in deorum numerum atq; existimationem uenerunt. Ita indies augendis huiusmodi insanijs religionum, magnum densumq; sibi homo murum circundabat,ne ad uerum Dei cultum perueniret,& ad uiam suæ beatitudinis.Eos uerò qui uel bonitate aliqua ingeniorum, uel disciplina atq; informatione humanitatis uidebat dæmon ad saniorem mentem posse peruenire,magnis occupationibus propositis auertebat ab ea cogitatione ac cura, Græcis & Romanis ingenijs dedit poësim,historiam,studium bene dicendi,cognitionem naturæ,mathematicas,exercitamenta corporis,bellica negotia,nobilitatem, rem publicam,rem priuatam,opulẽtiam,decus,dignitates,ambitionem,famam,gloriam.Inter hæc tam multa & uaria ecquæ tandem esse poterat religionis cogitatio,& cura seria & bonæ fidei?Assentiebãtur modò receptis iam olim opinionibus de dijs, & eorum cultu,reliquas omnes cogitationes ijs occupationibus impendebant,quę satis essent quibuscunq; ingenijs distringendis & obruendis.Lõgo æuo post Noam extitit Abraam Chaldæus,qui cœli numen & naturæ regem coluit,adorauit,illi obsequutus est,ac toto fidit pectore.Erant indubiò ætate illa,& prioribus fuerant, qui more ac ritu Noë Deo cœli offerrent sacrificia,uelut Melchisedech,qui in primis illis Hierosolymorum fundamentis regnabat,sacerdos Dei excelsi:sed quę esset Deo habenda fides,quanta fiducia,quæ charitas,fortasse nec præstarent, nec assequerentur.Primus inter illos Abraam deprehẽdit authorem rectoremq; uniuersitatis mundi,non solùm externis sacrificijs colendum,sed amore & fiducia,ut illum chariorem habeas quàm teipsum,illiusq; uerbis & bonitati fidem non minorem præstes,quàm ijs quæ cernis aut tangis.Qui quum ea esset mente abominatus deos patrios,& magna inuidia apud populares suos fuit, & Deus illum colloquio suo dignatus est. à quo monitus,ut domum & rem familiarem transferret.sine ulla cunctatione Deo se se cunctum concredidit, & cum uxore ac familia transiit in Mesopotamiam priùs, inde in Palæstinam.Hunc tantum uirum,tam promptum obsequio,tam fiducia constantem ac stabilem delegit sibi Dominus,ex cuius progenie nasceretur Christus,salus orbis perditi ac profligati.quumq; ex Sara uxore sua nullos genuisset liberos,dedit ei seni admodum, & coniugi sterilitatis siue natura à principio damnatæ, seu ex æuo iam decurso, filium Isaac quem patris non absimilem uehementer dilexit Dominus.Hunc duo fuerunt gemini precibus à Domino impetrati,Esau, & Iacob, qui postea de lucta nominatus est Israël:hic fuit uir quum uitæ imitator pietatis,tum uerò mansuetudinis incredibilis, quæ illum magnopere commendabat Deo. Itaque ex duobus, & si erat Esau natus paulò antè quàm Iacob, tamen hic est à Domino electus, ad propagationem sanctæ sobolis. Huic filij fuerunt duodecim mares, cum quibus urgente publica annonæ penuria, in Ægyptum migrauit, pastoritiam uitam agens cum filijs: quod uitæ genus Marcus Varro ex Dicæarcho scribit anti-

quíſsimum fuiſſe, priorem quàm agricolarum. Vnde apparet uetuſtiſsimam eſſe Hebræam gentem, quin & Hebræum nomen nonnulli exiſtímant à paſtura pecudum deductum eſſe. Cæterùm Iacobi propago mirificè eſt multitudine aucta, adeò ut terrori iam eſſet Ægyptijs, edixiſſetq; is Pharao, qui tunc Ægyptum tenebat, ne mares Hebræorum tollerentur, ſed abijcerentur in Nilum. Et Hebræi ipſi quotidianis ſubſtructionum operibus, ſuprà quàm dici poſsit premebantur, erigendis ut puto inſanis illis regum extructionibus, quarum multa eſt mentio apud rerum ſcriptores. Contraxerant illi quoquè ex Ægyptiorum conuictu, plurimum impietatis: & oppreſſi laboribus, intentiq; ſemper præſenti neceſsitati, longa hauſerant obliuia Dei illius, cuius religionem à ſuis maioribus acceperãt. Quumq; maturum iam conſilio diuino uideretur, & Palæſtinam ſtirpi Abraæ ſicuti erat pollicitus tradere, & populum ſuum à ſeruitute corporum atq; idololatria liberare, Moſen Hebræum de tribu Leuitica delegit, ducem ſui populi. Hic Pharaonem tum prodigijs & portentis uictum, tum damnis & afflictione fatigatum atq; obrutum, coëgit populo ueniã dare, ut ad ſacrificandum Deo ſuo Ægyptum egrederetur. Quumq; ad mare rubrum peruenijſſent, mutata ſubitò Rex ſententia, decreuit illos reducere, & ingenti armata manu perſequutus eos, quum ueſtigia illorum urgeret, ingreſſus per ſiccas in mari rubro apertas uias, Hebræis iam in aduerſo litore conſiſtentibus, ipſe Dei nutu inuolutus eſt, mari in priorem curſum reuerſo. Hæc omnia, tametſi huic rerum ſtatui, ac proinde captui noſtrorum ingeniorum grandia atq; admirationis plena, quantula ſunt tamen, ſi ſpectetur is à quo fiebant? nempe ille qui nutu ſolo ſuo cœlos atq; elementa & de nihilo protulit, & conſeruat, ne ad nihilum, hoc eſt originem ſuam relabantur. In Arabiæ deſertis, quadraginta annos ſub tẽtorijs tranſegêre, & legem acceperunt quam Dominus Moſi dedit. Poſtea duce Ieſu filio Naue ingreſſi ſunt Palæſtinam Syriæ, quam poſſederunt uſq; ad Nabuchodonoſorem regem Chaldææ, qui populum illum Babylonem traduxit, unde ſeptuaginta annis poſt domum ſunt edicto regis Perſarum reducti. Ibiq; manſerunt uſq; ad Veſpaſianum imperatorem, à quo gens illa eſt penè internecioni data. Sed res tanto temporũ decurſu geſtas longum eſſet breuiter enarrare, quæ quum à profanis compluribus, tum à ſacris authoribus memoriæ ſunt mandata, noſtra uerò aliò properat oratio. Annis autem aliquot ante captas & dirutas Hieroſolymas, miſit Deus filium ſuum Ieſum Chriſtum, per quem hominis miſerabilem ruinã fulciret ac repararet. Qui humano generi lucem, ſapientiam, redemptionem ſecum è cœlo attulit. Is Chriſtus & homo eſt & Deus, Dei filius, patri æqualis & par, eadem cum illo eſſentia & natura.

DE DIVINA TRINITATE.

IS ad nos cœlitus ueniens attulit ea, quæ nec habebat in ſe homo, nec in terra erat inuenire. Illud inter cætera, qui & cuiuſmodi ſit Deus in ſua illa intima eſſentia, quòd ſit pater, filius, & ſpiritus ſanctus: hoc nulla unquam hominis ratio, nullum iudicium, nullus mentis uigor eſſe per ſe conſequutus, Chriſtus edocuit. Iuxta diuinam Ioannis Apoſtoli ſententiam, Deum nemo uidit unquam: qui autem eſſet, tradidit nobis filius, & quidem unus, conſcius paterni ſecreti: quippe qui habitat ſemper in ſinu patris, id eſt, in intimis & recõditiſsimis arcanis illius, quò ne angelis quidem eſt acceſſus. Ne expectemus dum hæc nobis ab humano ingenio demonſtrentur, credamus ei qui loquitur de proprijs. Quod enim maius ſolet eſſe inter nos argumentum, aut fortius, quàm ſi quid uir bonus de rebus ſuis affirmet? Nec deſunt tamen pro hac tam abſtruſa ueritate rationes, & quidem complures: quæ illam efficiant aduerſarijs probabiliorem. Anteaquàm ueritatem eam Chriſtus retegeret, neque ueritatis, neque rationum ueniſſet ulli unquam hominum in mentem. Sed poſtquàm ueritatem à cœleſti, ſeu potius magiſtro Deo accepimus, rationes ſe nobis cœperunt oſtendere atq; aperire, quarum nos aliquas ex grandi numero proferemus. Qui conſcij cauſæ ſuæ malæ, rationibus ſuis diffidunt, dant operam ſedulò ut perturbent iudiciũ lectoris, & tenebras offundant ei ob oculos, ut ne poſſit quid uerum & rectum ſit, iudicare. Nos ueritate confiſi, contraria uia inſiſtimus. Attentionem poſtulamus,

ſtulamus,& ut expergiſcatur quicum diſputamus, hortamur, & præmonemus periculum, ni uigilans & attentus expendat quæ attulerimus. Sit nobis poſitum ante omnia,quod eſt ſuperiore uolumine declaratum, res omnes conditas aliquid authoris ſui referre.Deum ſcholæ omnes ſapientium merum eſſe actum confirmarunt. Poteſtas enim in quocũq; ſit ente,imperfectionẽ quandã in eo notat, quæ procul abeſt ab excellentia diuinæ eſſentiæ. Quòd ſi merus ſit actus,nunquam ceſſauit.Egit ergo quandiu fuit.in otio enim & ceſſatione ſtatim poteſtas locũ inuenit. Iam inde igitur à tota æternitate (quando quidem eſt æternus) egit aliquid. In Deo autem eſt natura,nempe uis & uirtus.Eſt etiã facultas,ſeu quo alio placet conſignare nomine, quo res intelligatur, per quam naturam agit iuxta intimam & propriam uim ac potentiam.Eſt etiam in eodem Deo uoluntas libera,per quam agit ubi & quãdo uult.Huius rei ad declarationem de homine poteſt ſumi exemplum, qui uim & naturalẽ habet,& liberam,ſeu uoluntariam. Vi naturali quotieſcunq; poſſumus agimus, & agimus non ſtatuto modo ad arbitrium noſtrum, ſed magnitudinem menſuramq; facultatis ac potentiæ. Vi autem uoluntaria agimus loco,tempore, & modo, quibus nobis eſt uiſum.Eodem modo actio naturalis Dei ſempiterna eſt, quia ſine poteſtate eſt actus merus,& non ſolùm tempore infinita, uerùm modo quoquè ſeu menſura. Itaque quod ab eiuſmodi actione exiſtit, ſeu ipſa potiùs actio,uel actus, & æternum et infinitũ eſſe neceſſe eſt,id uerò quod eiuſmodi ſit,quid aliud eſſe quàm Deus poteſt? Habemus ergo iuxta Dei naturam Deum de Deo.Pergamus ulterius.Deus mentem habet,imò eſt mens ipſa,qua nouit omnia.ex cognitione naſcitur uoluntas poſterior,ſicut eſt in quauis mente.Ergo ſapientiſſimus,& qui errare nulla ui, nullo caſu poteſt,diligit naturaliter ſe,quia nouit naturaliter ſe, & uidet atq; intelligit nihil ſeipſo melius uel fieri uel cogitari poſſe.Duo hi actus,in Deo cognitionis & amoris ſui,uoluntatis ſcilicet ac mentis,naturales ſunt Deo,ac proinde ſempiterni atq; infiniti.Ceſſare enim nõ poteſt natura illius diuinæ mentis.Sunt ergo actus duo in deo, illi coæterni, & (ut ſic dicam) coinfiniti: eaq; de cauſa Deus eſt uterque illorum, ut Deus ipſe.Nec enim in Deo uniuſmodi & ſimpliciſſimo res ulla poteſt eſſe alterius naturæ & eſſentiæ,quæ eſſet miſtura & compoſitio, qualem in immenſam illam naturam poſſe cadere ſapientes omnes negauerunt.Neq; tamen plures ſunt dij,ut nec plures eſſentiæ in illa ſimpliciſſima & unica.Non enim per aliud intelligit,aut amat, quàm per ſeipſum,ita nec quod ex uolũtate & mente in ipſa naſcitur,aliud unquam erit,quàm idem ipſemet. Vnica igitur eſt ſiue eſſentia, ſiue natura:& in illa tres ſunt eiuſdem eſſentiæ,ipſe intelligens & intellectus & amor,qui ſunt non eſſentia diſtincti & diuerſi,ſed actionũ rationibus intelligentiq; ac amoris. Sed nec plures eſſe poſſunt.Nam & ſi extra Deum plurimæ ſunt Dei actiones uoluntariæ,in Deo ipſo intimæ ac naturales.Plures eſſe quàm duæ nõ poſſunt,intelligere & amare:ſicuti nec in mente noſtra,quæ Dei eſt certa & expreſſa imago.Memoria enim quæ eſt in nobis, poteſtas eſt potius quàm actus,cuius actus eſt intelligentia.In deo autem ſemper eſt actus,ut quæ eſt memoria in nobis,intelligentis dei ſit imago,unde intellectus naſcitur,& ex duobus amor:primus dicitur pater,alter filius,tertius ſpiritus ſanctus: perſonæ ſeu hypoſtaſes tres,una eſſentia, natura, quæ Græcis eſt οὐσία. Vnde uerò ea illis indita ſint nomina, hæc eſt cauſa.In ijs quæ cognitionis munere ſunt prædita, quod quicq; eorũ ad ſui effigiem atq; imaginem producit,id ei eſt filius.Intelligentia uerò intelligentis ſe Dei tantopere eſt ei ſimilis & compar, ut nihil inter res conditas tam ſit parenti ſuo.Se enim deus per ſemetipſum intelligit.filius eſt igitur intellectus,nec illi appoſitius inueniri potuit nomẽ,q; quod dedit Ioannes Euangeliſta,λόγος,quod noſtrũm alij uerterunt ſermonem,alij uerbũ.Eſt etiam eadem uox oratio, & computatio: ſed nulla uoce exprimitur Latinè quidem tam aptè, quàm ſi rationem dixeris, aut mentem.Appellatur quoq; patris ſapientia. Vbi enim ſapientia eſt cuiuſq;, niſi in mente? Amor uerò qui eſt in Dei ſimplicitate, & in deitatis unitate tertius, nomen ex operibus accepit,ut Spiritus ſanctus nuncupetur.Amor enim Dei erga ſe per bonitatem eius & candorem rebus creatis cõmunicatur:unde fit,ut fauorẽ ſuũ & dona

largiter impartiatur angelis & hominibus. Et quia intus in mẽte hæc inſpirantur nobis amoris diuini beneficio, idcirco Spiritus ſanctus nominatur, non autem filius ut intelligentia. Tametſi enim unius ſunt omnes οὐσίας, hoc eſt eſſentiæ, quia tamen intelligentia magis rem ipſam effingit, exprimit, repræſentat, quàm uolitio, non amor dictus eſt filius, ſed λόγος. Adde, quòd ut cognitio ſeu intelligentia uolitionem antecedit, ita filius prius conſideratur genitus, quàm ſpiritus procedens: non quòd alter alterum anteceſſerit tempore, qui ſunt coæterni, ſed cognitionis noſtræ ratione quadam, & naturæ ordine, ut ſi initium uterque ſumpſiſſet, antiquior eſſet filius futurus. Naſcitur autem amor ex amante per cognitionẽ, ita ſpiritus à patre oritur per filium. ſed ab hoc quoq; eadem ratione oriri dicitur, ſed procedere, qua ex cognitione uoluntatem profectã dicimus. Tenenda ſunt in tanto myſterio recepta iam olim ab Eccleſia uocabula, quæ ſola à diuina ſapiẽtia edocta ſemper & gubernata, quemadmodum loquendũ ſit ſola nouit, appoſitè non ad rem ipſam (quæ enim hominũ uel angelorũ linguæ id ualerent?) ſed ad diſciplinã certè & pietatẽ noſtrã. Filius nõ gignit alium filiũ, nec ſpiritus alium ſpiritum profert, quoniã nec filius aliam habet intelligentiã, quàm eam ipſam qua Deus ſe cognoſcit, qui eſt ipſe filius: nec ſpiritus alium amorem, quàm quo Deus ſe amat, qui eſt ipſe ſanctus ſpiritus. Vna eſt enim eſſentia diuinitatis, ideoq; & intellectus, qui ex eſſentia illa de ſe naſcitur unicus, & amor qui erga ſe unicus. Pater intelligens ſe λόγον illũ ſiue intelligentiã parit, qui eſt filius. Hic uerò non extrà egreditur, ſed ad patrẽ ſeſe conuertitur, & ſiſtit in beatiſsimo. qua de cauſa nec generat, quoniã ad patrẽ conuerſus, nec aliorſum poteſt reſpicere. Generatio uerò eſt ulterior proceſſus ad ſequentia. Ex hac conuerſatione, & quaſi intuitu mutuo naſcitur amor eorũ mutuus, & tanquam connexus quidã, qui eſt ſpiritus ſanctus. Hæc eſt Dei eſſentia, natura, ſubſtantia intima à ſe & in ſe, nec aliud quicquam poteſt interuenire. Prouidendũ eſt diligenter, ne diſcindatur unitas ac ſimplicitas eſſentiæ, nec numerus perſonarũ confundatur. Nam quæcunq; in illis uocabulis ſeparantur, ad relationẽ quandã inter illas hypoſtaſeis pertinent, ut gignens, genitũ, procedens, pater, filius: cætera quę eſſentiæ ſunt, nomina unica ſunt, ut Deus, Dominus, Conditor, & huiuſmodi. Et quẽadmodũ opus omne imaginẽ quandã & ſimilitudinem refert ſuis opificis, adeò ut ex opere qualis ſit opifex, et ex opifice quale ſit opus futurũ in promptu ſit intelligere: ita in rebus omnib. animaduertere eſt diuinæ trinitatis effigiẽ, in unitate ſubſtantiæ. Eſt enim in qualibet rerũ eſſentia quaſi pater, unde oritur potẽtia, hoc eſt filius, & ex utriſq; actio, hoc eſt ſpiritus ſanctus. In animãtibus autẽ paulò dilucidius, in quibus quicquid gignit, rem gignit ſuæ ſpeciei ac formæ, alioqui monſtrũ eſt error naturæ. Tum charitas genitũ & gignens copulat, ac cõglutinat. Sed in mentibus eo eſt expreſsior imago, quãto illæ propinquiores ac ſimilores ſunt Deo, nempe etiã menti. eaq; de cauſa Moſes in hiſtoria creationis mundi, cùm ad hominẽ uenit, uerbis Dei inquit: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã. idẽ de angelis dicturus, ſi de illis eſſet apertius loquutus. In mẽte autẽ ſiue angeli ſiue hominis, eſt mens ipſa tanquã pater, eſt intelligẽtia quę ex mẽte ꝓficiſcitur, hoc eſt filius, tũ ex ambabus uolitio ſpiritus ſanctus: nec plura ſunt, neq; pauciora, & in homine aut angelo. Diſputatur à ſcrutatoribus naturę rerum, an tria illa eiuſdem ſint ſubſtãtiæ ſeu eſſentiæ, propterea quòd in hominẽ aut angelũ uidentur poſſe cadere qualitates, ſeu inhærẽtia alterius naturæ uel eſſentiæ, q̃ eſt mentiũ, de quibus multæ & uariæ ſunt, & ualde inter ſe diſcrepantes ſententiæ. In Deo autẽ quæſtio & diſputatio huiuſmodi non poteſt locum inuenire, in quem nulla competit compoſitio, nulla eſt in eo qualitas, nullum adiacens ſeu appoſitum. unica eſt in illo eſſentia ſimpliciſſima, & uniuſmodi, ut Deus ſit ipſe, & idem Deus, quicquid eſt in ipſo. Tranſeo alias in rebus ſimilitudines cõplures, quas ſancti olim patres annotarũt. Hi tres in orbis creatione ſunt deſignati: pater opifex: filius ſapiẽtia ceu inſtrumẽtum quoddam: ſpiritus ſanctus, hoc eſt, amor & cauſa quæ ad opus adduxit atque incitauit. Sancti & ſapientes ex Iudaiſmo, intelligentiam quandam, exiguam quidem & malignam, ſed nonnullã tamen habuerunt huius ſanctæ Triadis, quod quarto huius

operis

operis uolumine Christo adiuuāte ostendemus. Illuxit quoq; & gentilitati ueritatis huius radiolus. Zeno Stoicæ scholę inuentor, λόγον dicit factum & necessitatem, & Deum, & animum Iouis. Plato in sexto de Republica, quendam esse ait boni ipsius filium, ei simillimum per omnia. bonum uerò esse tanquam solem, filium autem eius ceu uidendi uim, quam per solem habemus. Et in Epistola ad Herniam: Iurantes, inquit, studio Musis apto, & sorore studij eruditione, per Deū ducem omnium quæ sunt, quæq; futura sunt, itidem per ducis & causæ omnium patrem dominum. Et in Epinomide meminit λόγου τῶν πάντων. θειοτάτου, hoc est rationis omnium diuissimę. Tertium quoq; dicit ineffabile. De filio etiam Dei, multa apud Trismegistum mentio. Poëtæ uero qui philosophis sunt antiquiores, resq; uetustissimæ memoriæ inuolucris fabularum operiunt, Mineruam suam habent deam ingeniorum & totius sapientiæ, atq; adeò eam ipsam sapientiā, quæ sit Διὸς νοῦς, hoc est Iouis mens: eamq; ex Ioue solo prognatam sine matre, & quidem ex suprema Iouis parte, nempe ex cerebro. Sed hæc sint obiter perstricta paucis, quæ solùm ob id unum attigi, ut ij quibus diuina sunt incredibilia, quia incomprehensibilia, magis se nobis tractabiles & æquos præbeant ad mentionem ac disputationem diuinæ trinitatis. Philosophi certè, qui post Christum fuerunt, diuinæ trinitatis mentionem non omnino exploserunt: quam quum animaduerterent maximis rationibus fulciri, & rerum naturæ consentaneam, conati sunt à nobis ad Platonica commenta detorquere. Sed ueritas sub furto non diu latet, ea semper præ se fert domini sui signa, & cuius sit testificatur. Etenim Plato, & alij omnes, si quid de filio dicebant, loquebantur magis, quàm quid loquerentur sciebant, uel intelligebant. Cognitio mysterij huius doctrinæ est non gentilitatis, sed Christianæ. Verum enimuero utinam res esset iam eò progressa, ut doctrina plenè admissa & approbata à nostris aduersarijs, non ampliùs de ueritate illius disideremus, sed de authore.

QVOD DEVM CONVENIEBAT AD NOS VENIRE.

SI quis hominem penitius consideret, tantum in eo dignitatem inueniet naturæ, tanta miseria peccati infectam & contaminatam, ut mirandum non sit, dignatum esse Deum respicere opus suum adeò pulchrum & præstans, & quando restitui collapsum poterat, dedisse operam ut instauraretur. Quibus hoc alijs modis fieri à Deo potuerit, non est humanæ mentis perscrutari. certè quemadmodum factum est, congruentissimè ac sapientissimè factum animaduertimus, nec quicquam nos excogitare commodius possumus, ac melius: nisi fortè uniuersam rerum naturam & mundi huius leges uellemus inuersas & sublatas, atq; id optaremus quod fieri uel nō potest, uel fas non est. Itaq; ordinem, rationem, causas, quemadmodum actum gestúmque sit quicq; inspici, curę profectò ac studij magnum pretiū fuerit. Per semetipsum uoluit nos Deus redimere captiuos, erigere iacentes, seruare perditos: nec aliter fieri uel par erat, uel expediebat nobis. Ipse nos per se creauerat ad suam fœlicitatē, nos ab ea per delictum nostrum discessimus. Maius & amplius bonum est ad illam beatitudinis æternitatem reduci, quàm omnino esse procreatos: quoniam grauius & intolerabilius est in sempiterna illa miseria iacere, quàm omnino nihil esse, quemadmodum de Iuda Dominus noster pronuntiauit. Gignit infantem parens in utero, natura ex utero educit in lucem hanc & uitam. plus facit in eo natura quàm parentes, & plus puer naturæ debet, quàm parentibus: hi enim in gurgustio posuerant, & tenebris, natura in id, pfert quod est sine ulla cōparatione præstabilius ac melius. Quòd si hominis perfectio est in beata illa immortalitate, quanto plus ei confert qui ad illā deducit, quàm qui in hanc imperfectionem ac calamitatem exilij & ergastuli? Quòd si nos per se Deus in hāc misisset uitam, alius uerò ad alteram deduceret, quod pulchrius & magnificētius est, hîc dedisset nobis, & huic quod maius atque optabilius est deberemus, Deo autem quod uilius & minus. Quum Deus hominem cōderet, tam excellentē naturā, ipse per se uoluit creare. ideo dicitur, Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostrā. & quotidie humanas animas, quēadmodū superiùs demōstrauimus, ipse infūdit corporib⁹. Quod ergo p se nō dedignat facere, nefas est

existimare,non dignari per se reficere. Nobis id quoque uehementer conducebat, & obfuisset aliter. Humanus nanque animus infectus & coinquinatus est superbia, quam per delictum contraxit, à qua stimulatus dedignatur subijci & parêre homini: tum quòd habet hominem aliàs de ignorantia suspectum, aliàs de affectu prauo: idq; uel ex seipso colligit, uel ex aliorum experimentis. Quòd ignorantem esse suspicatur, ne non satis quæ dicit, explorata habeat & cognita, subdubitat ac uereretur. Ex peruersa autem affectione illius, suspicatur eum uelle fallere, dicere hoc aut illud, ut aliquid sibi comparet pecuniæ, potentiæ, gratiæ, authoritatis, admirationis: uel rapi transuersum odio, inuidia, amore, spe, metu, Enimuero sensurum aut dicturum aliter,si esset nostro loco,si diues, si pauper,si seruus,si princeps, si miles,si opifex,maritus,cœlebs,parens,filius, æger, senex, puer, pressus necessitate, peregrinus, captiuus, exul, & huiusmodi quæ sunt infinita. Quis unus hominum, imò qui homines tot caussificationibus obuiam ierint,ac satisfecerint? Itaque populus Israëlites Mosi detraxit, & obloquutus est tantæ uirtuti charitatiq; erga gentem ipsam, excussa memoria omni, eiecto tantorum prodigiorum respectu. Horum posteri à Deo uero ad cultum idolorum desciuerunt, irriserunt, insectati sunt, occiderunt prophetas. Philosophos suos gentilitas subsannauit, partim quòd doctrinam sapientiæ non caperent, partim quòd inuoluti flagitijs & sceleribus disciplinam melioris mentis odissent.aliàs quòd philosophos ipsos aliter ac præciperent uiuere animaduerterent, quibus de caussis non in philosophos modò multa sunt dicta,agitata,conscripta:sed nec defuêre, qui totam ipsam philosophiam uituperarent ac condemnarent. Habet homo multos ad uerum doctores,cœlum, sidera, elementa, stirpes, animantes: omnia nos de conditore suo docent,si uelimus præbere aurem,sicut in Psalmo dicitur: Cœli enarrant gloriam Dei,& opera manuum eius annuntiant firmamentum.Sed homo ab ijs omnibus auertit aurem, mentem, cogitationem. datus est homini homo institutor, & hunc aliàs neglexit, aliàs contempsit, aliàs habuit suspectum.Iam ergo nulla nobis proderat doctrina. bonitatis ergo Dei fuit,rebus tam desperatis opem per semetipsum ferre,quam frustra per res alias tam multas tulerat. E re ergo nostra fuit, ipsummet nobis loqui, nec aliter conueniebat fieri.hunc certè nosse omnia nemo potest dubitare, nec libidine ulla animi aut prauis cupidinibus impelli, nihilq; ad sua commoda referre, qui non eget, omnia ad nostra,qui sit bonus. Accedit huc, quòd motus nostrorum animorum ilicò aduersus legem sibi contrariam insurgunt, cuiuscunque tandem sit hominis, eámque ut prægrauem ac iniquam accusant,& quoad facere possunt, reijciunt, tanquam pueri, quæ à magistris, aut parentibus, aut uiris sapientibus aduersus eorum lusus & affectiones iniunguntur:de quibus si inter æquales pueros conquerantur,omnes continuò sapientem illum, difficilem ac morosum pronuntiant, non rarò etiam stultum ac imprudentem. Ratio uerò inter tot clamores, & tantam repugnantiam animorum cedit plerunque & transit in sententiam peruersæ cupiditatis. Quòd si quis affirmet se à Deo missum, non id credit sinistra nostra interpretatio, & suspicatur aliquid illum affingere de suo, nec mandata explicare bona fide. Quum uerò dicitur, Eum ipsum qui argumentis compluribus signisque euidentissimis Deum se esse patefecerit ac demonstrarit, hoc præcipere atque imperare, commouetur quidem animi affectus, & nonnihil detrectat, sed erubescit tamen, & retunditur contumacia superbiæ, quia pudet Deo rebellare, & uidet esse periculosum. Ratio interea quietior ac liberior iudicat de eo quod præcipitur, & inuenit nihil esse iustius, sanctius, congruentius. Adde his quod olim philosophi, quoniam nullum ferè uirtutis præmium pollicebantur, paucos qui obtemperarent, inueniebant:ut non immeritò exclamarit quidam: Quis enim uirtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas? Quis est fuctus uirtutis, quis finis religionis uerus, & quo acquiescat sapiens homo & bonus? sempiterna beatitudo. Quis hominum præmium hoc posset polliceri, ut fidem impetraret, nisi idem ipse Deus, cuius coniunctio beatitudinem illam efficit? Nam de hominibus quis descendit

dit de cœlis, ut ea referat? quis tantæ rei author esse & sponsor potest? Ideóque nec Moses alia quàm terrena, etiam Dei uerbis ac nomine popularibus suis promisit. Et quæ philosophi de altera uita disputabant, nec ipsi explicabant quæ dicerent, ut qui non satis intelligerent: nec pro certo confirmabant, sed iactabāt fortuitò, quæ ipsis eisdem & incognita erant, & uehementer ambigua: aliis uerò partim ridicula, partim uel falsa omnino, uel magnopere suspecta. Accedit huc, quòd humana uita ut non potest agere sine recto iudicio, ita nec sine recto amore, ut amemus & auersemur unumquicq; pro merito ac dignitate. alioqui non solùm in miserandis tenebris cæci ac ignari omnium uolutabimur, sed in asperrimis cõflictabimur calamitatibus, quod uoluntatem in loca indignissima abiecerimus, ubi non fruatur eo quod cupit, sed torqueatur & det pœnas, quod praue quę non oportebat, concupierit: relictis & pro nihilo habitis, quæ complecti maxime è re fuerat. Atqui amores rectos, ut iudicia recta solus potest tradere, qui falli non potest: solus uult tradere, qui est optimus. Quapropter hoc demum magistro potuimus quę essent necessaria discere. Is lucem attulit hominum tenebris, & ueritati sub dubietate compulsæ ac inclusæ claritatem inuexit, detraxit uelum, & confirmauit prophetarum dicta: & si quid rectè gentiles philosophi monuerant, hoc magistro enucleata, hoc authore approbata & recepta sunt. Lex Iudæorum erat magna, & obscurissima caligine cooperta: is eam caliginem dispulit, & quæ erant in arcano illius mysteria recluſit & protulit, tanquam author totius ueritatis, & dominus uniuersorum. Ad hęc naturæ legem situ obductam detersit, & omnium oculis spectandam proposuit, nitidam iam & decorã. Lex enim bona & recta, insita erat à Deo humano cordi, quæ quòd primis humani generis inijs fuerit æqualis, naturalis est nuncupata. per primum autem delictum, & per reliquorum delictorum continuationem inualuit sęuus dominatus iræ, ac concupiscentiæ, sub quo tanquam sub tyrannide bona lex uim & uigorem suum amisit, obscurata est, oppressa, afflicta ab iniquitate. Itaque necessum fuit, ut idem ipse naturæ legem repurgaret ac confirmaret, qui condiderat, nec sufficiebat alius. Omnes enim & homines & angeli sub natura sumus, nec tantarum uirium, ut quæ fracta, debilitata, laxata, inuersa sunt in natura, componere, consolidare, reparare possimus. Deus solus supra naturam est, conditor illius & dominus. hoc magistro legem naturæ integram accepimus, hoc eodem accipere conueniebat nos detersam, emaculatã, instauratam: alioqui humana & ignoratia & suspicio semper an ea esset lex naturæ subdubitasset, quibuscunq; humanis magistris edocta, nunquam secura, quemadmodum ante Dei aduentum accidit: neq; id est mirum. Nam humana quantumcunq; magna & fortia, imbecillia sunt, quòd ab imbecillo & corrupto uase prodeunt, & debili brachio infiguntur. Deus autem potens est, & dat uoci suæ robur ualidissimum. Docuit ergo nos Deus quæ esset malorum uitæ huius origo & causa, nempe natura per primam culpam uitiata, & diabolus instigator solicitus & uafer. quod philosophi quum ignorarent, unde in hominibus tata existeret cupiditas ad flagitia, quum ingenium humanum naturaliter ad bonum deuergat, magnopere demirati sunt. Poëtæ furias quasdam confinxerunt, quibus agitari dicerent homines conscelerato s. Attulit Deus remedium contra dæmonem, fiduciam sui: contra naturæ autem uitium, donum spiritus sui. Philosophi ignorabant prorsum quæ esset ad Deum uia: de gratia & spiritu illius, de fiducia erga illum, altum apud illos silentium. Recentiores Platonici, ueluti Plotinus, Iamblichus, Porphyrius, uirtutes quasdam posuerunt purgatiuas, sed spurias atque adulterinas, scilicet alienum fœtum surreptitium: illa enim scriptoribus nostræ pietatis erant suffurati. nanque eiusmodi uirtutum nulli omnino ante Christum meminerant. Surripit nostra diabolus, inquit Basilius, & suis ea largiri conatur, ut scrupulos in hominum mentes iniiciat, tanquam philosophia sufficiat ad omnia, & superuacanea sit religio. Sed hæc tantæ quæ nos manifestissimis rationibus communimus, nulli unquam mortalium uenire potuissent in mentẽ, nisi Deus humanos oculos aperuisset, & latentẽ abstrusamq; ueritatem in lucem cõspectumq; hominũ protulisset. Lex Iudaica data est uni populo,

ideo

ideo per hominem illius populi.quæ autem uniuerso humano generi dabatur, meritò per omnium authorem est promulgata,qui omnium nosset ingenia,qui unam haberet normam, quam omnibus appositissimè attemperaret: atque accommodaret. Indignatur Lucanus,quòd Ammon oraculum delegerit sibi in extrema Africa, Vt caneret paucis, mersitq; hoc puluere uerum. Aliquem igitur existere è re fuit omnium,qui ueritatem uniuersis demõstraret,ac uelut ἐνθουσιασμῷ,uidetur sectatoribus suis præcepisse,standum eatenus suis decretis, & obtemperandum præceptis,quoad sacratior aliquis homo appareat in terris,qui fontẽ ipsum aperiat ueritatis, quem omnes sequantur. Ergo uenire ad nos Deum magistrum præceptoremq; ueritatis, & erat bonitatis illius,& salutis ac beatitatis nostræ.

QVOD FILIVM CONVENIEBAT VENIRE.

EX tribus autem personis diuinitatis filio potissimum congruebat instaurationis huius munus,& functio:id est ei proprietati,per quam Deus est filius.Filius quidem ipse ad nos uenit & nos asseruit, sed Deus ea ratione non est,qua est pater aut spiritus sanctus,sed qua filius,de quo prius est tractatum.Nam per quod genus hominum est procreatum, per idem par fuit recreari. Filius Dei mens & sapientia est patris sui,uti declarauimus:per hanc sapientiam genus humanum est conditum,per hanc eundem erigi & fulcri debuit lapsum,omnia enim sapiẽtia sua, uelut quodam (ut ita dicam)instrmento,Deus procreauit.Quid quòd omnia producta sunt à Deo ad imaginem quandam filij sui,quippe qui est primogenitus patris,patri unicus:reliqua sunt opera, quæ ex hac primogenitura dependent. Primus enim actus & initium actuum omnium,est Dei filius. Quæ autem foràs prolata sunt ab opifice, similia ijs sunt quæ prius erant intus in animo. quod in nobis licet deprehendere,qui sic operamur quemadmodum animo concepimus.Intelligentia autem patris est filius. omnia igitur eius esse similia necessum est, quæcunque sunt creata. Quòd si ita est, exemplar profectò erat adhibendum ad corruptam & deprauatam imaginem instaurandam.Adde his, quòd peccatum omne in hominibus fit per auersionem humanæ mentis à diuina sapiẽtia,ficut rectè factum omne fit per cõuersionem ad eam. Nam Dei sapientia illuminat & docet unumquenq; quid agendum sit. qui illam sequitur,ingreditur quà oportet:qui ab ea discedit, errat, & uagatur temerè per deuia, & obtenebratur ei mens,ne uideat quæ conducunt,& leuissimas commoditates bonis ingentibus anteponat:ut dubitandum non sit, quin prauis omnibus actionibus error & obscuritas,& ignorantia sit admista.Itaq; quisquis ex orbe uniuerso,siue inter Iudæos,siue inter Græcos, Romanos, Scythas, Indos, & quascunq; alias nationes rectè agit,sapientiæ Dei hoc debet: neq; enim alio magistro utitur. Atqui ea est Dei filius,de quo Ioannes ait,illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.Per filium ergo decens erat fieri reconciliationem,hoc est purgationem peccatorum,ut conuersio ad eum gratiam fauoremq; pareret Dei, sicut auersio peccatum & culpam importauerat.Huic ergo Dei filio salutem suam debet, quisquis est assequutus,quocunq; loco, quocunq; tempore. Missus est autem filius à patre non aliter,quàm cùm in eadẽ anima uolũtas mittit ingeniũ ad cõtẽplandũ & cognoscendũ.

QVOD CONGRVEBAT EVM HVMANItate ueστiri.

VEnit autem ad nos Dei filius humanitate,ut sic dicam,uestitus & tectus:quo nihil erat aptius& congruentius,nihil magis expediebat ei operi quod agebatur, nempe saluti nostræ.ParcereDei non est ut hominum.homo enim homini gratiã potest facere iniuriæ,manente in utroq; inimica inuicẽ uoluntate:Deus autẽ non ignoscit homini,nisi is cum ipso in gratiã redeat,quod fit beneuolentiam & charitatẽ.hoc uerò,quoniã homini nõ est alterius animus perspicuus, Deo patẽt omnia. Sed neq; homo homini ignosceret,si iratũ eius in se animũ,& malè cogitantẽ inspiceret.Charitas hæc & reconciliat nos Deo, & cõiũgit ad unionẽ,ut superiore libro declarauim⁹, Hanc uerò charitatẽ quod humanũ genus onustũ hoc corpore peccati,ad libidines & cõcupiscẽtias suas prono & magno põdere incũbenti,tũ curis uitæ hui⁹ distractũ

non

non potest tam habere idoneam,& congruentem, ut cum Deo iungatur: uenit homo qui unitus Deo, & illi gratissimus, suppleret in ijs qui se illi uerè ac toto animo applicarent atq; adiungerent,quod illorum amori ad beatitudinẽ deesset,ut illos incorporatos in Christo, & iam quasi eius membra Pater haberet charos ex charitate immensa filij.Itaq; hoc desiderabat natura ipsa & ratio reconciliationis,salutis,fœlicitatis nostræ.Iam uerò homines cum Deo iunguntur charitate seu amore,& ea quę amoris est comes fiducia. Amor autem & fiducia quũ ex bonitate illius elicitur qui amandus est,& cui fidendum,tum ex amore illius in nos. Hunc uerò affectũ Dei erga nos homo non intelligebat,propter distãtiam naturarũ humanæ ac diuinæ.Deus factus homo ostendit nobis,& ob oculos posuit amorem Dei erga nos, ut eum iam non solùm mente,sed oculis quoq; corporis cernamus.Præter hæc delictum hominis impulerat ipsum in tria mala ingentia, infirmitatem,ignorãtiam,malitiã, per quæ ineptus factus est ad uirtutem diuinam imitandam,ad ueritatem cognoscendam,ad bonitatem amandam. Venit Deus homine indutus,ut se homini præberet iam imitabilem, cognoscibilem, amabilem: quod facere commodiùs non potuit,quàm ex propinquo,ex uicinia,ex similitudine eiusdem naturæ.Pertinebat hoc quoq; ad robur & uires doctrinæ illius,id est ad nostras necessitates, ut qui agenda præciperet, idem ipse manus admoueret operi primus,& exequeretur quæ iubebat,minore alio qui futuro põdere in doctrina.Nam si dissimilis uenisset nobis,hoc est in forma Dei, unusquisq; nostrũm imparem se esse Deo causaretur, nec posse illa obire quæ is iniungeret.Apparuit ergo homo,per omnia cuiq; nostrũm similis & par,quantum uti que ad naturalem constitutionem pertinet: & præbuit uitæ exemplũ indubitatum, quod nec cunctaremur æmulari & deberemus:optimum,quia solus non potest fallere:certissimum,quia nec falli. Homo enim per peccatum corporalis factus,& carneus,Deum iam(ut sic dicam)carneum,facilius & capere ac intelligere potest, & sequi.Accedit huc,quòd quũ beatitudo nostra sit unio cum Deo,grande attulit Christus exemplum,& incitamentum fiduciæ,ut uidentes hominẽ Deo unitum in Christo,de unione nostra incipiamus optimè sperare, & sempiternam eam futuram sciamus, qualem in Christo ipso animaduertimus.Maior quoq; est reconciliationis nostræ cum Deo fiducia, qui interpretem illius, & pacis nostræ sequestrum habemus Christum Dei filium.De cuiuscunq; alterius hominis gratia cũ Deo possemus subdubitare,& subuereri, omnis enim homo mutabilis, unde magna fiduciæ debilitatio.De Christo non possumus, qui inseparabiliter Deo est unitus, sedens ad dexteram patris sui. Adde quòd cuius charitas uniuersorum erat suppletura charitatem, eum & amare & amari infinitè par fuit:quod cadere in alios non potest, quàm inter Deum patrem & Deum filium. Nec ullus merus homo in eum posset diuini fauoris gradum conscendere,ut omnia quæcunq; optaret,posset à Deo impetrare: cuius rei magna habemus exempla in sanctis & prophetis,& ijs qui Deo gratissimi atque intimi fuerunt,Mose & Abraam.Crescit hæc nostra fiducia,& amor in Deum accenditur,quòd uidemus nos Deo esse curæ,qui pro salute nostra filium suũ nobis exhibuerit,filium pro seruis,charissimum pro inimicis.Quibus de causis Deũ & hominẽ oportebat esse uindicem,assertorem,instauratorem nostrum, ad doctrinam & exemplum,& solutionem à uinculis peccati & mortis.Quicquid de Christo detraxeris,siue humanitatem,siue diuinitatem,de bonitate Dei,de consilio sapientię illius,de salute nostra detrahis.Iustissima hoc loco occurrit quæstio, quo ex genere, aut qualis omnino sit illa Dei & hominis in Christo coniunctio: difficilis sanè explicatu,nam nihil est hîc in rebus conditis,quod coniunctionem illam per omnia referat. Similis est tamen,ut D. Athanasius dixit,copulæ animæ rationalis & corporis, ut diuinitas in Christo sit,ut est anima in corpore aliorũ hominũ,humanitas autem ut corpus.Et quẽadmodũ in hoc hominis nexu tot homo ,ppter animã dicit rationalis, ex corpore aũt mortalis & infirmus:sic quę sũt diuinitatis & humanitatis in Christo,toti Christo attribuunt,ut sit deus omnipotẽs cœli & terrę cõditor,homo edẽs,bibẽs,dormiẽs,

lassus

lassus, passus, mortuus, & sepultus. Similis est etiam hæc coniũctio amoris nodo, & ipsa est ex genere quodam amoris. Nam quemadmodum patrem & filium in diuinitate immensus ille amor iungit, qui item est Deus, ita Deum & hominem amor iungit in Christo, altioris & excellentioris notæ, quàm quæ humana cogitatio ualeat consequi. Ergo sicut amor omnia reddit communia, & amicum facit alterum ipsum, ut Aristoteles diffiniuit: ita connexio hæc quę amicitiã omnem cunctasq; charitates excedit, transfert diuina ad hominem, & humana ad Deum: Ita homo dicitur Deus, immortalis, omnipotens: & Deus passus, ac mortuus. Ne commoueantur ad hoc dictũ aures imperitę, nihil patitur Deus in sua essentia, nec pati potest: sed nec Christi humanitas condidit cœlum & terram. In coniunctione hac integer manet Deus, integer homo. Non facta est hæc connexio, ut alterutri quicquam de dignitate, de maiestate, de essentia, de natura sua detraheretur ac periret: non ut minor esset Deus, sed ut homo excellentior, non tamen supra suam naturam. Nec Deus in homine conclusus, ut anima in corpore: citius est homo conclusus in Deo. Sed sicut anima exit extra corpus per intelligentiam, & per orbem uniuersum se expãdit: ita quòd Deus essentia & præsentia sua complebat ante Mariam, complet adhuc post partum Mariæ, nempe totum quod est, & quod non est. In nexu ergo & coniunctione est hæc communicatio diuinarum atq; humanarum rerum, non in naturis humana, & diuina. Dicat aliquis, si essentiæ re uera sunt distinctæ, nodo tãtùm deuinciũtur, cur quæ sunt unius, transfertis ad alterã? Quia nõ aliter coniunctio illa posset à nobis aptè exprimi, nisi per eiusmodi communicationem attributorum denotaremus unum prorsus esse illa duo. hoc & uult Deus, & nobis expedit ad efficacius immensam Dei erga Christum, & per Christum in nos omnes charitatem exprimendam, qua sibi hominem dignatus est adiungere, ut ei nos omnes per illum uniamur.

DE ADVENTV IESV CHRISTI.

ADuentus Christi, uita, mors, doctrina, & ea quæ postea sunt consecuta, fœta sunt sanctis mysteriis, & diuinitatem illius manifestò ob oculos ponũt, si quis uelit attentionem adhibere. Non misit Deus filium suum statim post delictum, nec medicinam nascenti morbo adhibuit, quę quòd fuisset incognita, parum admodum habuisset gratiæ, ac proinde efficacitatis. Homo enim quod tam citò, tam liberaliter esset oblatum, uel fastidisset, uel duxisset pro nihilo. Reliquit Deus hominem ad longam suimetipsius experiẽtiã, ut uideret, an qui malitia sua ceciderat, posset se uiribus suis erigere. Nam in Genesi Mosis, quum Dominus crimen obiiceret homini, nõ uertit se homo ad Deum ad agnitionem sceleris, ad precãdam ueniam ac pacem, sed reiecit culpam uir in uxorem, uxor in serpentem. Accedit huc, quòd tributa sunt homini à natura corpus, animus, mens: & hæc duplex, prudentiæ altera, altera sapientiæ. Initio exercitus est homo rebus corporis, uenationibus, agricultura, prima illa & antiquissima ætate, sine artibus uitæ, planè carnaliter: eaq; de causa obruit eos eluuio aquarum. Erexit se animus post diluuium in bellis, & honore fortitudinis, in potentia & imperiis. Successit his prudentia, artes uitæ, administratio ciuitatũ, facundia, scrutatio naturæ. Omnia hæc occuparunt quidem hominem, sed nihil eorum illi profuit ad cõsequendam eam fœlicitatem, cui erat destinatus. Venit filius Dei, ut hominem solueret ac liberaret, quem dæmon & peccati premebat seruitute, & obsidebat opibus, potentia, honoribus, bello, humanis artibus, inquisitione naturæ, ut non posset caput erigere. Christus superiorem hominis partẽ liberauit, edõcuit, instruxit, ut ad Deum sese cõuerteret ac sustolleret. Dei enim cognitio, & colendi scientia, quæ religio dicitur, uera est sapientia, & habita semper ab omnibus fuit nationibus. Itaque homo iam sibi ac ingenio suo diffisus, in quo tam parum ineſſe præsidij cerneret, à quo uno petendum haberet, opem intellexit. Hoc quoquè est obseruatum, ut Rex pacis, pacis tempore nasceretur: quæ tum erat in uniuerso imperio populi Romani, quo maxima orbis pars tenebatur. Addũt nostri, tum uenisse Christum in terras, cùm ad summum peruenissent hominum malitia, & ita corruissent mores, ut differri iam non posset amplius correctio atq; instauratio. Hoc quidem in incerto est: sed illud

lud profectò certius,ueniſſe illum mundo maximè edocto excultoq; ſcientijs, diſciplinis,uſu, experimentis,notitia rerum omniũ,ne quis impoſturã ſimplicitati factam eſſe poſſet ſuſpicari. Magnam rem conſecutũ eſſe Romulũ ſcribit Cicero, qui non rudibus & incultis temporibus, ſed eruditis habitus ſit pro Deo. Quod miror equidẽ ab homine profectum antiquæ memoriæ callẽtiſsimo. Quid enim erat illis Romuli temporibus Romæ præſertim imperitius? factus eſt deus à conuenis illis ſceleroſis latronibus,aut nequã mancipijs. At Dominus noſter in media Græciæ philoſophia, in ipſa Italia referta literis,ingenijs,artibus prædicatus eſt. Nihil in eius aduentu debeturaſtris, opus eſt enim illud cœlis & ſideribus maius, ac excelſius: ideoq; non ab aſtrologis prædictus eſt Chriſtus, ſed à Sibyllis gentium, & uatibus Iudææ nationis. Tanta res eſt aduentus Chriſti,tam utilis uniuerſo hominũ generi, adeò neceſſaria ut prænũtiari expedierit,quo præcedentes expectarent cum fiducia, proximi pararent ſeſe,præſentes agnoſcerent, ſequentes eueniſſe iam crederent: ne quẽ præteriret aut falleret ea medicina, quæ ſaluti omniũ in commune promebatur. Nihil enim triſtius, uel acerbius, quàm graui morbo teneri, medicinam autem ignorare.

DE VETERE TESTAMENTO.

SEd Sibyllarũ carmina uetuſtas ipſa fortè aboleuit,nec attinebat conſeruari obſcura,multisq; abſurdis ſuperſtitionibus:quales erant ab ijs receptæ,inter quos uiuebant implicitæ atq; inuolutæ. tametſi illa interpretes eorũ aliorſum ſæpenumero tendentia,ad ſenſus quos uellent detorquebant:cui rei magnã illis facultatẽ & licentiam præbebat obſcuritas ſermonis,& ſententiarũ ambiguitas. Iudaica uaticinia ſanctiora & excelſiora multo,ad omniũ utilitatẽ reſeruata ſunt,quę hunc ſe in modum habent. Deus quum hominẽ condidiſſet, edocuit illũ ſine uoce & literis. Sed per peccatum irrepſit ignorantia,oblitus eſt magnæ illius eruditionis. duo tamen illi Deus reliquit, alterũ ad ſpem ac ſolatiũ,alterum ad utilitatẽ uitę. Prius fuit,uenturũ Chriſtũ ad redimendum humanũ genus. Alterũ,legis naturalis ueſtigia:quæ ſi ſequeretur,rectà inſiſteret quà oporteret. Vtrunq; quia homini neceſſariũ,ideo datum homini à Deo creditur,quòd Deus & bonus eſt qui uoluit, & potens qui potuit. neq; enim ignorauit homo ſe non poſſe per ſeipſum aſſurgere:nam ſi hoc credidiſſet,nõ minore ſuperbiæ ſe inuoluiſſet ſcelere,quàm priùs. Et inualiditatem ſuam multis experimentis deprehenderat,quàm nihil poſſet,nihil ſciret,nihil eſſet. Sin autem redemptum ſe iri deſperaſſet,quantus mœror? Itaq; de Chriſto Domino primus uates fuit Adam. Hoc uerò uenturũ aliquando à Deo redemptionis beneficiũ, non ſolùm patres tradebant per manus filijs,ſed adumbrabat ſubinde multis euentis rerũ,ad ſolatiũ præſentiũ malorũ,ut in morte Abelis figura Chriſti,in arca Noë figura baptiſmatis & eccleſiæ. Tum lex naturæ multis actibus confirmabatur, qui exitus manerent pios, qui impios:uelut in Cain,in diluuio,& eiuſmodi. Sed inualeſcente ignorantia, & per hæc malitia, cæci homines ad omnia,nihil conſiderabant. Tum miſertus hominũ Deus, excitauit ſpiritum ſanctorũ ſuorum,qui ſcriberent admonendũ atq; edocendum hominẽ,quis eſſet omniũ horum conditor,quomodo peccatum ſit in homines natum & propagatum,quomodo Deus punierit malos. Huius rei hiſtoriam habemus à Moſe conſcriptam,ſiue is eſt illius primus author,ſiue ab Abraam acceperit,quem opinio quorundam eſt,illis de rebus nonnulla Chaldaicis literis conſignaſſe. Etiam filios Seth in columnis duabus generationẽ expoſuiſſe cœli & terræ, tradit Ioſephus: fides ſit penes illum. Geneſis autem mundi ita eſt à Moſe deſcripta, ut maximi deinceps uiri & admirati ſint in ea profunditatẽ ſapientiæ,& ueritatem narrationis amplexati. Pythagorici,& hos ſecutus Plato in Timæo,procreationẽ illam mũdi æmulati ſunt,interdum quoq; eiſdem penè uerbis. Poſtquàm autem totum ferè genus humanum à Deo diſceſsiſſet,illum qui bona fide Deum quærebat, elegit Deus, in quo homine oſtendit magnitudinem bonitatis & retributionis ſuæ: & elegit progeniẽ eius,per Iſaac & Iacob,unde ipſe naſceretur,& qui alijs exemplo eſſent ad religionem: & conſideraret homo,quàm eſſet pronus in malum, quàm ſubinde erigeretur manu Dei, quàm autem pleno fauore adeſſet, ſi quis ſe præberet ducenti obſequentẽ. Tum horum acta

ad pietatem, & ſpem Meſsiæ, & adumbrationem illius uitæ iuſsit ſcribi: perſecutus eſt ea idem author, qui ſuperiora, Moſes. Et quando homines carne immerſi non curabant bonitatem, ſed uires & potentiã, oſtendit eis qua potẽtia uteretur ipſe quum uellet. Eduxit poſteros Iacob ex Ægypto, tot ſignis & portentis & brachio forti deiecit gentes Palæſtinæ, ut ibi eos collocaret, in terra quã promiſerat patribus eorum. & hæc item omnia tradita monumentis literarum, ad pietatem poſterorum. Dedit illis eam legem, quæ & in præſens auerteret eos à flagitijs & ſceleribus, & ſi uellent ſe in ſpiritum attollere, quales omnino eſſent futuri, intelligerent. Tum perſcripta ſunt facinora illius populi. Sub Ioſue ingreſſus in terram promiſſam. Iam in illa terra ſub ducibus & iudicibus. Creatio deinde regum, captiuitas Babylonis. Omnia hæc ad doctrinam, ſpem, fiduciam in Deum: & ſimul imagines erant maximarũ rerum, quæ mox eſſent euenturæ, & quaſi umbræ corporũ. Miſit prophetas tanquã magiſtros, & admonitores populi, per quos uelut uiſitaret Dominus gentẽ illam. Hi & in præſens docebant legem, atq; explicabant, & hortabantur ad eius cuſtodiã: tum exemplo ſuę uitæ ſanctiſsimæ multos admonebant atq; inuitabant. Prædicebant quoq; nationi illi euentura uel triſtia, quum rebus proſperis laſciuiret, aut oblita eſſet Dei: uel læta ad eius conſolationem, ut doctrina legis & uitæ probitate quam cernerent, fidem haberent ijs quæ illi promittebant. Acceſsit moralis informatio, qua homines illi uterentur in uita communi: cuius authores ſunt Iob, Solomon, & Ieſus filius Sirach. addunt quidam Philonem Alexandrinum, quem authorẽ uolunt libri Sapientiæ, quæ non eſt inſtituti huius quæſtio. Et quia uniuerſa uita pij hominis meri ſunt amores, habet anima noſtra delicias & amores ſuauiſsimos cum ſponſo ſuo Chriſto in Canticis, quæ colloquia referunt eorum qui purè amant. Conſtat ergo uetus inſtrumentum hiſtoria rerũ geſtarum ad exemplũ & doctrinã, lege ad obſeruationẽ, prophetia ad præparationem uenturorũ, præceptis morũ ad uitæ officia. Habent quidẽ hi libri intelligentiæ difficultatẽ propter ambiguitatẽ Hebræi ſermonis, & tropos uetuſtate obſcuros, tum de Deo ut loquitur hominibus craſsis, omnia ſunt ad hominũ mores ac ſimilitudinẽ translata, aliter illi nõ intellexiſſent. Dionyſius rectè ait in cœleſti Hierarchia, Congruentius eſſe, ut res diuinæ exhibeantur ſub metaphora rerũ corporalium et uiliũ, quàm nobiliũ. Primò, quòd per hos liberatur magis humanus ſenſus ab errore, manifeſtũ enim eſt, quòd hæc non ſecundũ proprietatem dicũtur de diuinis: quòd utiq; poſſet eſſe dubium, ſi ſub figuris nobiliſsimis corporaliũ deſcriberentur, apud illos potiſsimũ, qui nihil maius corporibus nobilibus excogitare nouerũt. Accedunt huc phraſes, quæ multos offendunt, nempe alienæ ab ijſce linguis quibus aſſueuerũt, habent etiã translationes illis hominibus & temporibus gratas, nunc frigidas, nempe ab operis actionibusq; illorũ hominũ. erant enim ferè agricolæ & paſtores: nos aũt bellatores, amatores, litigantes. ſicut antiquiſsimæ translationes latinę ruſticæ erant, poſtea caſtrenſes aut forenſes. Sed cõſiderare par eſt hoc uſu euenire in linguis omnibus, etiam maxime cognatis & uicinis, ut in latina & græca, in latina & hiſpana. Repetitiones tam crebræ illius ſunt æui: quod eſt uidere in Homero, in quo ſunt plures & moleſtiores. Tum in Canticis ſunt collaudationes & translationes longiſsimè petitæ, quibus nihil æquè refert animũ amore percitũ & inflammatũ, qui per totam naturã peregrinus, quod amato cõferat longiſsime adducit. Tametſi linguæ illius periti, uenuſtatẽ, gratiam, proprietatẽ eius miris laudibus efferunt, maximamq; habere grauitatẽ & maieſtatẽ aiunt, ſimul etiã profunda myſteria. Sunt tamẽ quidã, qui à ſacrarũ literarũ lectione abhorrent, non ob difficultatẽ intellectus, & recondita myſteria, quæ nunquã ipſi attigerũt: ſed quemadmodũ delicati quidã aut deprauati ſtomachi, non poſſunt uel maxime ſalutaria recipere, niſi cõdituris ſint & intritis concinnata. hi niſi adſit ſermonis ornatus & deliciæ, nihil poſſunt audire, uel in animum admittere: ita ut malint fabellas eleganter narratas, quã ſimplicẽ ueritatẽ, nec delicias quidẽ orationis ferunt, niſi quibus aſſueuêre. Nam alioqui ſi quis ſcrutetur, multas et magnas inueniet in ſacris literis. Omnia enim inſunt genera ſchematũ & troporũ illorum naturaliũ, quæ nouitatis gratiã nullo ſeculo amittũt, ſicut Homerica. Sed non negamus

negamus esse simplicitatem sermonis. An par est, ut conuiuiũ quod omnibus instruitur ac paratur, unius solùm aut alterius attemperetur palato? an istis æquũ uidetur, ut Deus homini loquatur subtiliter & argumentose, quo paret sibi fidem: an, quemadmodum loquitur Seneca, qui semper uidetur sibi uersari in schola declamatoria, argutijs, acclamationibus, argumentatiunculis contortis, alijsq; huiusmodi flosculis uerborum & sententiarum, quo nomine placet plurimis. Non sic par est Deum loqui homini, sed ut dominũ seruo, ut patrem filio, ut principẽ subdito, ut magistrum discipulo. Apud Senecam sunt multæ sententiolæ magis concinnæ, & magno impetu dictæ, quàm ueræ: uelut, Vir bonus maior est Dijs, Deus est extra patientiã malorum, sapiens supra patientiã: & controuersiam facit dijs de fœlicitate. Sed nec Seneca istis satisfacit, quoniam nimis seuerus exactor uirtutis. Quid quod ipse Aristoteles, tantus & bene dicendi, & rectè sentiendi magister, tradit res grauissimas nitore atq; ornamentis orationis immodicis deformari, & tanquam corrumpi. Ita res nostræ pietatis nulla in phrasi maiestatẽ illam referre quam habent in sacris literis. Sunt qui historias Abraæ, Isaac, Iacob aspernãtur. Quid ita? non ne in illis magna est uarietas casuum, & series rerũ, & alia quæ legentes uel audientes detinent? Ita planè. Sed dicunt esse pastorũ, & priuatorũ hominum. Vide hominũ ineptorũ delicias. An non pastor fuit Apollo, Paris, Pan? quorũ non dico historias, & res gestas, sed fabulas confictas tam libenter cognoscitis. Quid illa pastoricia Vergilij & Theocriti, quàm suauiter legitis, et cantillatis? Vtra est uel iucundior narratio, uel fructuosior, de uenatione apri Calydonij, an de Iosepho filio Israëlis? At fuerũt pastores. At ij pastores meliores fuerunt quàm quiuis reges, & præstantiores, nempe chari Deo. Age uerò de Iudicibus & regibus, quid deest huic historiæ? Quid tu malis legere de Nerone crudelissimo, an de Dauide mitissimo? de Caligula stolidissimo, an de Solomone sapientissimo? Sed mouent istos opes. quænam uerò ampliores aut admirabiliores quàm Dauidis, & Solomonis? Cæterum cur de Fabijs, cur de Fabricijs, Curijs, & Quintijs, Coruncanis legunt, de Aristide, de Miltiade, de Phocione, de suis philosophis? Quid, quod in illis narrationibus sunt affectus simplices, ueri, sinceri, atq; ea de causa magis capiũt: nec desunt casus uarij, subiti, inexpectati, grandes, admirabiles, omnia denicq; quæ in cursu rerũ gestarum legentium animos solent tenere. Fuit memoria patrũ Romæ Petrus quidã Calaber, adeò deditus linguæ Quiritiũ Romanorũ, ut Græcã nõ ausus sit attingere, ne qua peregrinatione cõtaminaret Latinam. hinc incipite æstimare hominis iudiciũ: quasi uerò nõ ut quisq; olim Romę fuit Latinissimus, ita non etiam fuerit Græcissimus, tantus admirator illius Romanæ uetustatis, ut Petri nomen mutarit in Pomponium, quasi uerò sit in nominibus aliquod discrimen: nisi fortè, quòd Pomponius, propter P & M grandius quiddã sonat. ita nõ significatu uocũ, sed ipsis uocibus mouentur, ut belluæ. Sicut alius quispiã exclamauit, O te felicẽ P. Maro, cui non fuerit in carmine Petrus aut Paulus inserendus. O homines pueriliter delirantes, an non Paulus nomen est Romanũ, & Marius, & Maria? Petra dicis: quin etiam Petrus. Num non hæc nomina literis & syllabis consignantur, et constant temporibus? Nisi fortè illud sentiebat, deorum gesta & heroum & hominum sceleratissimorũ atq; impurissimorũ aptiora esse carmini, quàm in sacra: in quo illi assentior. nam pia hæc grauitatem suã desiderant: illa crudelitatis, tumultus, auaritiæ, iactantiæ, libidinum, motus illos recipiunt inconditos ac procellosos. Sed altius latet hoc hulcus. impietas affixa est præcordijs, quæ non solùm insipidam eis reddit pietatem, sed etiam inuisam. Verùm de Pomponio Læto, uti cœperam. Celebrat natalẽ urbis, & colebat Romulum, & se dictatorem nominabat: Phædrum autem, alium eiusdẽ metalli magistrum equitum, & alia quæ nescias impiane an ludicra nomines. Is autem quoties marmor aliquod uetus effodiebatur ex ruinis urbis illachrymabat. rogatus cur id ageret, Admonitu (inquit) temporum meliorum. O hominem, ut ipsi uocant, excerebratum. Ecquæ tandem existimabant meliora tempora? An sub Maximino, sub Caracalla, Commodo, Domitiano, Nerone, Caligula, Claudio, Tiberio? qui uirtuti omni bellum indixerant? an ulterius, bellis ciuilibus Antonij, Pompeij, Marij, Syllæ, quibus

nihil toto terrarum orbe miſerabilius urbe Roma. Age uerò an non malis opus aliquod legere Ciceronis de philoſophia,Senecæ,Plutarchi,Platonis,quàm carmẽ Valerij Flacci? Quî iſtud? quia de philoſophia & moribus. Atqui ea quæ hîc traduntur, de moribus ſunt,& non hominum magiſterio,ſed Dei. Angelus Politianus totam ſacram lectionem aſpernabatur. Domitius Calderinus ne miſſam quidem uolebat audire,& quum ab amicis eò duceretur,dixiſſe fertur,Eamus ad communem errorem. Sciamus quæ tandem erant occupationes iſtorum,præ quibus ſordebant eis ſacra & pietas:nã maximas & præclariſsimas fuiſſe oportet. Domitius erat occupatus in exponenda Priapeia Vergilij,ſeu Ouidij potius: quid poteſt dici fœdius,ac deteſtabilius? Politianus quærebat,dicendũm ne eſſet Carthaginenſis an Carthaginiẽſis,ſcribendum primus an preimus,Vergilius an Virgilius:& de hiſce nugis inſtruebat centurias,quibus ordinandis defeſſus,transferebat ſe ad cõponendum feſtiuũ aliquod epigrammation de maſcula Venere Græcum,ut haberet plus Veneris,& Latini nõ intelligerent. O hominum curas,propter quas meritò pietatem uel cõtemnerent,uel negligerent. Sunt tamen quidam,qui in Vetere inſtrumento offenduntur illis legis præſcriptis,tam indignis Dei maieſtate. Ego uerò nõ miror hoc aliquos mirari. Nam lex Iudæorũ,ut quæ pueris dabatur,in ſpecie quam Iudæi erant tunc uiſuri,& quam ſolam etiamnum ſuſtinent intueri,puerilis eſt,& planè indigna Deo. Imò niſi Chriſtus eam à Deo affirmaſſet traditam,multi ex nationibus nõ potuiſſent adduci,ut id crederent. credunt tamẽ tanto teſtimonio:tum patefactis à Chriſto corporibus,quæ latebant ſub imagine & uelo,oſtenſaq; ea facie legis,quæ digna eſt legislatore Deo, nempe ut omnia ad ſpem futuræ redẽptionis & ſalutis pertineant. Chriſtus enim eſt finis legis & prophetarum. Itaq; Moſes incognitus antea,& multis irriſus,cœpit beneficio Chriſti non ſolùm noſci à gentibus,ſed illis placere,atq; allubeſcere. & hoc ingratiſsimi Iudæi Ieſu Chriſto debent,nec agnoſcunt. Ergo quæ legem præceſſerũt, uariis modis Chriſtum præfigurabant,eiusq; actiones,uitam,mortem,regnum,& ecclesiam, ut in morte Abelis inſontis,in diluuio,et reliquijs humani generis à Noë ſeruatis:in fide Abrahę,in obediẽtia Iſaac,in ſimplicitate Iacob,in inuidia & exaltatione Ioſeph,in agno phaſe,in egreſſu Ægypti,in tranſitu maris rubri,in introductione ad terram promiſſam patribus. Quæ omnia quòd umbræ eſſent regni Chriſti,idcirco tam diligenter eſt ea Moſes perſecutus. Lex autem tota,umbra eſt, & delineatio eius ueræ legis,quam daturus erat Chriſtus,dignam Deo dante,& homine accipiente,de quo aduerſus Iudæos diſputabo. Hiſtoriæ autem quæ ſacro canone leguntur,figuræ ſunt Chriſti certiſsimæ. Oſtendit hoc,quòd reliqua eorundem regum dicta & facta,quæ ad imaginem ſalutis non pertinerent,in alios ſunt prophanos libros reiecta,de quibus eſt illud ſubinde in libris Regnorum & Paralipomenôn:Reliqua autem ſermonum huius aut illius Regis,& omnia quæ fecit,nónne hæc ſcripta ſunt in libro uerborum dierum regum Iſrael? Prophetæ omnes quicquid de rebus præſentibus loquerentur,admonerent,reprehenderent,laudarent,ſtatim ſe ad cõtemplationem ſuſtollebant æternæ ſalutis ac fœlicitatis. & de iuſtitia,de maieſtate,de beatitudine Meſsiæ aliquid commemorabãt,uel ad conſolationem afflictionum,incitationemq; ad uirtutem & laudem: uel ad retundenda uitia,& impietatem coërcendam. nec aliter quàm amatores quicquid dicant,agant,cogitent,quicquid uideant,quicquid occurrat,protinus ad amores ſuos cõuertunt:ſic prophetæ quacunq; ex re atque actione,occaſionem capiebant loquẽdi de Meſsia ſibi chariſsimo,in quem mentes eorum ſemper ferebantur,adeò ut interdum ſeipſos pro Meſsia ſubſtituant. Credas de ſemetipſis loqui,quum de Meſſia ſit intelligendũ,eodem prorſus modo,quo amicus quum de rebus amici loquitur:& in plurali,multum hodie egimus,multum profecimus:& in ſingulari,perfeci negotium,non perfeci:de his,in quibus qui dicit non eſt uerſatus,ſed amici res pro ſuis habet. Sunt autem prophetæ difficiles & perobſcuri multis de cauſis,ſiue quòd admiſcent præſentibus cognitis uentura ignota, ſiue quòd intuentes animo et cogitatione res maximas & præclariſsimas euenturas, nec ſatis aptis uerbis enũtiare poterant,quæ ſub ſenſus non ueniũt,quæq; ipſi nonnunquam

nunquã parum intelligebãt,quod & uatibus gentilitatis accidebat.Adde quòd ut ea cernebant mente tanquã ſpeculo,interdũ uelut præſentia,aliàs ut uentura,aliàs quoquè ut præterita iam & tranſacta expromebant,quæ adhuc erant ſecutura.mutant enim crebrò perſonas.Has omnes obſcuritates illuſtrauit Chriſtus,& figuris atq; umbris ſuũ corpus oſtendit uerũ germanumq;, ut quum corpus hoc habeamus,nihil ſit opus amplius imaginibus et adumbratione. Iudæus literã adhuc tanquam corticem mandit duriſsimum,& exuccum: & ea complectitur, quæ nec Deo digna ſunt, nec homine. Chriſtus ſalutarem nucleum protulit.ille eſt ſal & uita & lux Veteris teſtamenti,qui mortuis rebus uitam attulit,& ſaliuit inſipida:de quo argumento alio uolumine diſſeretur.nunc ad id quod inſtituimus.

DE EVANGELII SCRIPTORIBVS.

VMbris ergo & caligini Veteris teſtamenti tanquam nocti tenebræ ſucceſsit ſol Chriſti,& dies Euangelij. in quo quæ de Chriſto perhibentur, grandia de immenſo, & de Deo diuina, mirantur quidam à ſolis eſſe Chriſtianis prodita,non item ab aliquibus ætatis illius uel gentilibus,uel Iudæis. Tertullianus,& Lucianus Antiochenus,& Euſebius Cæſarienſis,authores ſunt,multa eſſe tum à præſidibus Syriæ ac Palæſtinæ,tum à Cæſaris procuratoribus ad Senatũ & ad Principem ſcripta de actis Chriſti,quę ſcriptores illi affirmant,ſuis etiam temporibus in ærario ſeruari inter alia ſcripta publica Po.Ro.nec credi aliter poteſt,quin res tantas,quę publicè agerentur, multi mandarint memoriæ,partim libris & commentarijs, partim epiſtolis ad ſuos. Documẽto eſt caput illud Ioſephi in libro Antiquitatum decimooctauo, in quo Iudæus homo de Ieſu filio Mariæ facit mentionẽ ad hunc modũ:Fuit autẽ eiſdem temporibus Ieſus,ſapiens uir,ſi tamẽ uirum eum nominare fas eſt. erat enim mirabilium operum effector,& doctor hominum eorum qui libenter quæ uera ſunt,audiunt.Et multos quidem Iudæorũ, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorũ noſtræ gentis uirorũ,quum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet,non deſeruerunt hi,qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum uiuus, ſecundũ quod diuinitus inſpirati prophetæ uel hæc, uel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant.Sed & in hodiernũ diem, Chriſtianorum,qui ab ipſo nuncupati ſunt,& nomen perſeuerat,& genus.Hęc ille.Sed libri, & epiſtolæ & acta Po.Ro. uetuſtate & inclinationibus temporũ interciderũt, ut alia maiore etiam cura cuſtodita:ſicut Ciceronis multa,& Varronis undecunq; doctiſsimi penè omnia.Menandri,quem omnes ediſcebant,nihil extat,nec Ennij, Actij, Pacuuij, Taciti Cornelij, quem imperator Tacitus, quod ſe de illius ſtirpe ſatum iactaret,toties iubebat deſcribi, & in publicis bibliothecis collocari, multi nihilominus deſiderantur libri. Sibyllina carmina penitus interciderunt, Romanis ſacroſancta:& leges duodecim tabularũ,quas etiã pueri pro elementis ediſcebant. ut tranſeã,quod philoſophorum,qui tam multi Athenis claruerũt, præterquàm Platonis,Ariſtotelis, Theophraſti,nihil prorſum ad nos peruenerit, quum immenſam librorũ multitudinem dicantur reliquiſſe.Rerum Romanarũ ſcriptores,qui ſoli extant,tantum perſequebantur publica illius populi,& acta principũ.Grauiter de ſcriptoribus rerum geſtarum Latinis et Græcis conqueritur Cornelius Tacitus,quod Arminium tantũ ducem Germanorũ,quiq; Varum Quintiliũ tam inſigni clade affecerit, uelut ignotum præterierint.Iam uerò quę in Iudæa cõtingebant,aſpernabantur gentiles omnes,tanquam uanæ & anilis ſuperſtitionis, nec ea curabant cognoſcere. Tacitus & Suetonius coguntur interdũ uerba de Iudæis & Chriſtianis facere, quia narrationis ductu neceſſariò in eos incidebãt.at ita de ijs loquunt,tam falſò,& negligenter,tanquã ſi nihil de illis audiuiſſent, niſi à pueris inter luſus. Erant uidelicet illis Iudaica omnia & Chriſtiana tanquã in altero quodã orbe acta,& ab alio humano genere,referebantq; illa uel ad magiã,uel ad impietatẽ uanam & maleficã. Inſecutis deinde temporibus, quum Chriſti nomen tanquã ſol quidã latiùs radios ſuos inciperet diffundere, excitato plurimorũ odio contra inuiſam ueritatẽ,multa à uarijs de Chriſto cõſcripta,ſuppreſſa ſunt & abolita ab ijs qui & Chriſti nomen cupiebant & conabantur abolere.

Non defuerunt qui de Christo quum non malè sentirent, tacuerint tamen omnia ea quę nec improbare poterant, nec probare audebant. Age uerò, quid tandem, etiam si soli Christiani res Christi & discipulorũ suorũ literis mandassent? An quia Iudæi soli Iudaica scripserunt, protinus sunt habendæ pro suspectis? Soli Gręci scripserũt Græca, soli Romani sua illa prisca, quis ea de causa res illas uocat in controuersiã & ambiguitatẽ? quasi uerò uel alienis tantũ, uel inimicis liceat certa atq; indubitata tradere: & nõ promptius sit ueritati periculũ uel à maleuolentia & iniquitate inimici, uel ab ignorãtia & negligẽtia alieni? Quid, quod plurimũ interest inter scriptionẽ uitæ atq; actionũ Christi, & aliarũ cuiuscunq; nationis, sectæ, disciplinæ. hæc enim omnia scribi & tradi possunt ab exteris, qui nõ sint eius ritus, moris, legis, instituti, uoluntatis. Res autẽ nostræ pietatis nemo potest uerè ac diligẽter mandare memoriæ, quin ilicò ad nos transeat, & fiat Christianus. Intelliget enim eam esse doctrinã, & Dei cultũ, in quo uno sita sit hominũ salus, extra quẽ indubitata pernicies. Quid de scriptione aut cõmentatione loquor? sola auditione, sola meditatione, sola pietatis huius cognitione, & uno quasi intuitu, quàm multa millia dederũt Christo sua nomina, neglectis femel ac pro nihilo habitis uniuersis uitæ huius utilitatibus, etiam uita ipsa? Cæterùm quantumcunq; profani homines de Christo scripsissent, nõ passus tamen esset Deus pietatẽ suã extraneorũ testimonijs niti. sic enim illi fuit cordi, ut summa nostræ fœlicitatis non nisi à sanctissimis optimisq; uiris traderentur: ne rei huius, quã esse firmissimam certissimamq; uniuersorũ interest, aliquid authoritatis decederet ex indignitate authorũ. Christus ipse nihil penitus scripto reliquit: quia nõ uenerat, ut legẽ suam in tabulis aut membranis exararet, sed in humanis cordibus, quemadmodum idem ipse in mundi initio legẽ uirtutis in hominũ pectoribus insculpserat: eamq; ob causam spiritũ sanctũ hoc est patris & suũ misit, qui uelut perpetuus esset cõmonefactor suę doctrinę, et magister præsens. nec cõueniebat ut alibi Deus scriberet, quàm in ijs ipsis quos docebat, in ipsis eisdẽ cordibus quæ ipse finxerat, ne diuinę uoci tanquam parũ efficaci scriptura opitularetur, ac suppleret quod uiribus illius deesset. Nec personæ Christi congruebat, ipso in cœlũ sublato, aliquod ostendi posse ipsius scriptũ, ne in eo humana infirmitas peccaret, alij nimio cultu, alij offensione: quòd (ut sunt hominum ingenia diuersissima) aliquibus uideri potuisset nõ omnibus suis partibus & numeris absolutissimũ, hoc est Deo dignũ & cõgruens. Satis Christo fuit, egisse quæ alij meminissent, aut si uidereẽ, aut opus esse existimarent, consignarent chartis ad recordationẽ. Doctrina quidẽ Christi in cordibus exarata est, qualẽ gerit ecclesia Christi sponsa, spiritus sancti discipula, insculptã in suo corde, atq; infixã. Sed quoniã diuinæ uocis homo obliuiscitur, & diuini spiritus fauorem ac monitus malitia sua uiolat, ac extrudit, placuit diuinæ benignitati ut ex Christi actionibus ea mandarentur literis, quorũ cognitio ad hominũ sufficeret salutẽ: & mandarentur ab ijs, quorũ fides meritò approbaretur ab Ecclesia. Qui uitã atq; actiones Christi, qui prodigia, qui doctrinam erant humano generi tradituri, eos & uidisse conueniebat singula, & diligenter obseruasse, atq; annotasse, tum etiã uersatos esse cum eo familiarius. non poterat hæc præstare turba populi, cuius sententia & testimoniũ incertũ est, plerunq; uanum, uagum, inconstans. Christus ergo quũ plurima ageret, & potissima publicè, non tamen multitudinis testimonio acquieuit, septuaginta delegit sibi uiros. quibus uerò propius cõmunicaret sua, & tanquã intimorum amicorũ cohortem, duodecim, qui cum eo domi & foris, in publico & priuato familiarissime cõuersarent, & consilia eius sacratissima cognoscerent. Si quid hoc ad rem existimatur facere, numerus hic duodecim deorũ iam olim apud gentes sacer erat, sacrumq; hoc collegiũ principũ diuorũ pietatis nostræ uidebatur adumbrare. Duodecim fuerunt dij Athenis, duodecim dij selecti Romæ, & duodecim dij Consentes. Apostoli sunt nominati, quòd tanq; nuntij cœlestis regni à Christo mitterentur. fuerũt hi homines de plebe rudes, literarũ & magnarũ artium ignari, simplices, qui nec fingere aut dissimulare, nec astu ac uafricie ulla scirent uti: lenti et tardi, nõ solum ad percipiendũ res maximas, sed etiã ad credendum, de quorũ tarditate ac duritie cordiũ sæpenumero Dominus est cõquestus. Ta-

les

es uoluit cõscios & testes esse suorum actorum, ut postquã intellexissent, & credidissent, fides esset & in illis stabilior, & apud reliquos certior, nõ aliter quàm signum in dura materia impressum. Ad exhibendas humanas doctrinas, nempe naturales, opus est lumine naturali, hoc est ingenij acumine & cultu: ad cœlestem autem & diuinam, uidelicet supernaturalẽ, supernaturali lumine, quod diuinitùs infunditur. Tales fuerunt Apostoli. rudes illos ac tardos accepit Dominus, sed quod ad pietatẽ altissimaq; attinet mysteria, doctissimos & sapientissimos reddidit, taliq; instruxit ingenio & prudẽtia, ut sapientiã illorũ omnes admirarẽtur, nec quisquã falsos eos in illis rebus fuisse posset suspicari. Scire autem illos quę asseuerarent & compertissima habuisse, non affirmatione, aut iureiurãdo testificati sunt, sed iactura omnium quæ existimantur chara in uita, insuper etiam perferẽdis doloribus, tormẽtis, morte acerbissima, & probrosissima. Quis credat eos indignissima, & malorũ extrema subire non recusasse pro eo quod haberẽt incertũ? nam pro certissimis et cõpertissimis quotusquisq; uel existimationis, uel fortunarũ discrimẽ adire sustineat, nedum mortẽ oppetere, & tam acerbam? Iam uerò quisquis mentit, aliquod sibi proponit animo emolumentũ mendacij, alius pecuniã, alius uoluptatẽ, alius famã aut decus, alius ultionẽ, alius ut animi prauam aliquã cupidinẽ expleat. Apostolis autẽ Christi doctrina prędicanda et propaganda quid optabile uel uiuẽtibus quærebatur uel uita functis: uiuentibus quidẽ ea omnia, propter quæ deuitanda et propulsanda mentiri homines consueuerunt, inopia, labores, sitis, fames, cruciatus, ignominia, extremũ supplicium, post mortem uerò infamia, & si doctrina uera ac cœlestis nõ erat, pœnæ apud inferos tam impij mendacij. His credo illicefacti præmijs, facilè essent ad mentiendũ adducti. Iam uerò cuius sæuitiæ fuisset atq; immanitatis, discipulos Christi, tum semetipsos periculis, tormentis, ignominiæ, morti crudelissimæ obijcere: tum id tanta cura & diligentia agere, ut tanta generis humani pars, per rei falsę & cõfictę persuasionẽ, in eadẽ mala protruderetur? Ex ijs ergo qui Dominũ agẽtem hic in terris comitati sunt, & propius ac familiarius nouerunt, quidã facta & dicta illius prodiderunt memoriæ, consignatis locis & temporibus, quibus quęq; res essent actę, etiã nominatis ijs qui affuissent, ut certior esset atq; indubitatior ueritas. nec ausi fuissent illa sic scribere, si quid fingerent, uiuentibus etiamnũ multis qui uidissent Dominũ, à quibus potuissent refelli, si quid mentirentur: præsertim quum essent plurimi, qui nihil magis cuperent ac laborarẽt, q; ueritatem nostrã quacunq; possent uia & ratione cõuellere ac labefactare. Ex omnibus tamen ijs qui acta Christi & doctrinã literis mandarũt, antiquissima illa & prima Ecclesia illorum temporũ penè æqualis, solos quatuor tanquã sacrosanctos & firmissimæ fidei ac ueritatis approbauit, ac retinuit: Matthæi & Ioannis, qui rebus omnibus interfuerunt: Marci, ex relatione Petri: Lucę, tum ex Pauli reuelatione, tum relatu aliorum qui erant cum Domino uersati. Sapienter Augustinus: Ac ne putaretur, inquit, quod attinet ad percipiendum ac prædicandũ Euangelium, interesse aliquid, utrum illi annuntiẽt qui eundem Dominũ hîc in carne apparentẽ secuti sunt, an alij qui ex illis comparata fideliter crediderunt, diuina prouidentia procuratum est per spiritũ sanctum, ut quibusdã etiam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, nõ solum annuntiant id, uerum etiam scribendi Euangelium tribueretur authoritas. Sic ille. Has historias & necessarias duxerunt esse, & sufficere: in quibus recipiendis duo potissimum secuti sunt, tum ueritatem rei, de qua facti erant uel ab ipsis eisdem Apostolis, uel à discipulis Apostolorum certiores. Itaque tum recepta approbataq; est Euangelicæ historiæ ueritas, quum adhuc supereſſent, qui Dominum ipsum in sua mortalitate cognouissent, aut qui eos audiuissent, qui illi fuerant familiares: tuncq; & conueniens fuit, & conducibile, approbari quod sequentes ætates tenerent pro indubitato, quum omnes acta illa & doctrinam non tam ex scriptura cognoscerent, quàm ex traditione eorũ qui ipsi uidissent ac interfuissent, hi demum iudicare poterant, quid in illis rebus probandum esset ac tenendũ, quid contrà refellendum, ac reijciendum. Secuti sunt etiam patres illi iudicium spiritus san-

cti,qui eos docuit Euangelia hæc maiore sapiẽtia atq; spiritu esse cõposita, quàm humano,diuinitùs esse illorũ pectoribus infusa:de quo statim disseram.At quatuor illi nonnunq; inter se dissentiũt.Huic quæstioni sic respondet Ioannes Chrysost. Paruæ interdũ in Euangelijs dissidẽtiæ argumentũ præbẽt ueritatis,ne ex cõposito uideant scripsisse,si per omnia cõsentirẽt.Fuit Ioannes apostolus Ephesi eodẽ tempore quo etiam Paulus,alter tamẽ nullam in suis epistolis de altero mentionẽ facit,nec multum cõueniebant & colloquebant,postquã satis erant ab spiritu Dei edocti,instructi,& quasi armati,ne de cõmunicata sententia & cõsilio uiderentur annũtiare Christum, sed ex ipsius Christi doctrina & monitis cœlestibus. Ergo in fundamẽtis & summa nusquã discrepant,nempe Christũ esse Dei filium,natum de Maria uirgine,edidisse miracula ingentia,docuisse contemptũ rerum mundi huius,fiduciam et charitatẽ erga Deum et homines,uocasse cunctos mortales ad sempiternam fœlicitatẽ,passum, mortuũ,surrexisse,ascendisse ad cœlos,sedere ad dexterã patris sui,uenturũ iudicem hominũ uniuersorũ. hæc una uoce,una sententia cõstanter referunt,& docẽt.Discrepant quandoq; in circũstantijs,quas Græci περιστάσεις nominãt,quæ rei summã non uariant.hic astrictius rem narrat,ille fusius:hic perhibet sanatos duos,alter tres:unus in egressu portę,alius in ingressu.quod illa de causa sæpe euenit,quod est tanta miraculorũ Christi multitudo,ut quæ sunt diuersa,nos tamen propter aliquã inter se similitudinẽ eadem esse existimemus.Eundem in modũ usuuenit in dictis & sentẽtijs doctrinæ.eadem dixit Dominus uarijs locis,uarijs uerbis: hic refert quæ hic dixit hoc modo,ille quæ illo in loco paulũ diuerse. colligũt uidelicet centones concionum & uerborũ Christi,quæ ad institutionẽ & salutem nostrã facerent.Et ut congerunt acta Christi,magis eorũ habentes rationẽ,quàm ordinis temporis,uidentur sæpenumero alia quæ sunt eadẽ,et eadem quæ sunt diuersa.Hoc uerò etiam scriptores seculares soliti sunt facere,quale est illud(ut unũ pro plurimis exemplis ponã)apud Verg. in undecimo: Vidimus ô ciues Diomedẽ,Argiuaq; castra, Atq; iter emensi casus superauimus omnes.Tale etiam apertis uerbis apud Lucam in Actibus Apostolorũ:Et sic, inquit,uenimus Romam.Et inde quum audissent fratres de nobis,prodierũt nobis obuiam usq; ad forum Appij & Tres tabernas. Vsus quoq; uerborũ nonnunquam præ se fert uarietatẽ, dum alius idem uocabulũ alia in significatione ponit.quarum rerum omnium manifesta sunt exempla legenti Euangelium,huc autem adducendi nõ est locus,huiusmodi enim melius demõstrantur in re præsenti,& oculis subiecta.

DE VIRTVTIBVS ATQVE EXCELLENTIA EVANGELII.

CÆterùm si quis Euangelij uirtutes gratiamq; admirabilem propius attentiusq; cõtempletur,intelliget haud dubiẽ nõ hominis esse opus,sed Dei,nec potuisse ab humanis ingenijs sine proprio & peculiari numinis afflatu cõponi. Vtinam mihi res nunc esset cum ijs qui attentius diligentiusq; librum illum uersassent atq; inspexissent:intelligerẽtur melius quę dicerent,& facerẽt non mediocre cõpendium uerborum. Omnia habet,quæcunq; par est habere diuinũ librum,hoc est humanæ salutis.Primũ omniũ nõ de humanis artibus atq; opificijs,nõ de speculatione causarum, non de circũspectione & prudẽtia uel publica,uel priuata,præcepta continet,sed de immortalitate,ac bonis æternis. Idcirco Euangeliũ nuncupatur,hoc est bona & læta annũtiatio.Disciplinę alię sapiẽtię,artes quæcunq; ac prudẽtię mundi huius nuntiãt uenire ad imperiũ,ad regnum,ad opes,ad potentiã æui huius fragilis ac breuissimi, ad epulas opiparas,ad ludos,ad uoluptates,ad decus,ad laudem,ad rigidam atq; inanem uirtutis umbram,ad terram fluentẽ lacte & melle,ad puellas formosissimas,& quotidianas compotationes.Euangelium autem Christi uenire celeres atq; expeditos ad amandum Deum,ut cum illo ad æternitatem iungamur,unde existet beatitudo inæstimabilis. Hinc ut Deus homines omnes absque ulla exceptione aptos idoneosq; condidit suę fœlicitati,ita & legem quam ipse traderet,hoc est fœlicitatis huius uiam certissimam communem esse omnibus uoluit. nulla ab ea ætas excluditur aut repellitũ,nullus sexus,natio,conditio:eaq; de causa catholica est fides nuncupata. Quòd si omnibus sine discrimine tradebatur tanquam ægris medicina,par fuit,ut ab

omnibus

omnibus etiam capi teneriq; posset,ad rectam obseruantiã & cultum. Non est traditum Euangeliũ obscurum & difficile ad intelligendũ,tanquam paucissimis profuturum,sed facile,dilucidũ,apertum,expositũ omnibus,ut nemo esset quin petere illinc posset,& tanquã de fonte haurire,quæ saluti suæ expedirent. Pythagoras, Parmenides, Heraclitus, Plato, & alij ueterũ,si quid sibi de diuinis,uel abstrusis in natura rebus uiderentur exculpsisse,occultabãt sedulò:uel si ederent, paucis admodũ cõmunicabant,ijsq; amicissimis & adiuratissimis, non cõmittebãt monimentis literarum: aut si id facerent,obuelabant uerbis raris,exquisitis,obscuris. Plato scribens Dionysio de quibusdã sacris mysteriolis,iubet ut epistolã è uestigio concerpat,ne deueniat in manus indignorum. Alij philosophi atq; oratores locuti sunt excultiùs,ornatiùs, subtiliùs in omni genere artium:uidelicet nõ scribebant omnibus,aut ex ingenio uel facundia decus & gloriam captabant. ergo illa ipsa tam elaborata pauci adeunt,pauciores intelligunt.Nihil est scilicet periculi,si illa tenebris obruta sub ignorantia delitescant.At quod scire omnibus expedit,et est necesse,quod extremæ calamitatis est nescire,utique congruum est,ut ab omnibus quantum sat est inelligatur. Deus enim non solum ingeniosorum,aut doctorum, aut diuitũ est pater,& rector, sed omnium promiscuè, omnium miseretur,omnes ad se uocat atq; allicit,omnibus uult optimè consultum . ideoq; Dominus noster magistris ecclesiarum præcipit. Quod clàm audiuistis, palàm diuulgate. Homines hominibus inuident, aut ad suam gloriam, aut suas utilitates referunt,quæ dicunt:Deus non sua spectat commoda quum nobis benefacit, sed nostra ipsorum simpliciter ac benignè.Quæ causa est,ut quum rationes de Deo multæ sint & efficacissimæ,ingeniorum naturali ui ac facultate deprehensæ,uoluerit tamen Deus omnia nobis conducibilia doctrina sua comprehendi,facili & aperta.Nam quum ad rationes illas non penetrẽt & perueniãt, nisi homines ingeniorũ acumine præditi,idq; post longũ studiũ & usum, tam sano & ualido iudicio ne fallant:quid ijs fieret, quibus nondũ licuit studere per ætatẽ, nõ licet per morbos, per imbecillitatẽ,per negotia & curas uitæ necessarias, nõ licebit per ingeniũ torpẽs & segne,uel auersum pronitate naturæ suæ & alienum ab eiusmodi cõtemplatione? Quapropter diuina institutio statim omnibus proponitur,& semel tota ea quam scire expedit,ex illius authoritate qui nec falli potest,nec fallere:ne si rationibus & speculationi ingeniorũ relinqueretur,graue homines adirent periculũ in ea re, sine qua salui esse nõ possunt.Rationes enim & argumenta nõ semper ex ui sua efficiunt, sed prout est ingeniũ in quod inciderunt,ut semen in terrã. Alijs ratio fortissima suspecta est,sunt qui uerisimilẽ pro certissima atq; indubitabili recipiũt. Proposita est autem Dei disciplina ea facilitate,quę apta esset omniũ ingenijs,quã omnes facilè caperent, simplici uidelicet narratione,exemplisq; & similitudinibus sumptis de rebus notissimis. At in hac ipsa facilitate & simplicitate tã utili,tam cõgruenti quibuslibet, quanta occultatur altitudo mysteriorũ,quæ diutissimè exercere possint magna atq; sublimia ingenia,ac pascere bona ac religioni dedita? Nullũ est in Euangelio uerbũ, quo non tegatur grande aliquod & admirabile arcanũ . Quî librũ illum nõ euoluistis diligenter,& consideraſtis subtilius? credite expertis,aut certè uos ipsi experimini. Atq; hoc ipsum ẽt manifestò ex Dei operib.quæ omnia hoc maximè artificio sunt magna & miranda,quòd sub specie facili & aperta ingentes utilitates adferũt,ita res occultãt profundissimæ speculationis, & quæ ingenia quantumuis excellentia ingenti defigant stupore,nec unquã exatient cõtemplando. uelut in formica,in apicula,in rebus minimis,in cœlo, in sole,in astris, in elemẽtis,& rebus magnis,in brutis, in stirpibus, in humano corpore,& rebus mediocrib.quibus omnib.nihil pulchrius,amœnius,iucundius,nihil utilius ac cõducibilius:ad scrutationẽ aũt & uestigationẽ quid profundius aut remotius? Sic in Euangelio quæ nobis sunt necessaria,obuia sunt omnia & ad manũ:cõtemplatione illarũ rerũ nihil animo gratius,inquisitione uerò et perscrutatione nihil excelsius aut admirabilius, nihil quòd diutius sublimes mentes pascere ac detinere possit cum summa uoluptate et fructu,ut pręclarus ac generosus animus nihil necesse habeat alibi pastũ præstantiæ suæ cõgruentẽ quærere. Grandia sunt hæc

quæ

quæ dixi,ſed profectò dignitate ac magnitudine illarũ rerum minora:hoc etiam ſine experimento,ſine attenta ſacri Euangelij lectione facilè quiuis aſſequetur manifeſta coniectura. Nam ſi nihil eſt penitus à Deo profectũ,quod non ſit refertũ ſecretis & admirabilitate,quanto eſſe magis par eſt Dei in humano corpore & in terris uitam, functionẽ,adminiſtrationemq; humanæ ſalutis ac beatitatis,qua homines (ut ſic loquar) deificantʼ,quẽadmodũ Deus ipſe eſt humanatus.Iam quantæ admirationis eſt in toto Euangelio,& quidẽ ab imperitis humanæ ſapientiæ conſcripto,non inueniri quæ in monimentis maximorũ ingeniorũ,magnaq; eruditione & cognitione rerum atq; uſu excultiſsimorũ,ut aliquid ſit uariũ & pugnans,ut aliquid ineptũ,puerile,frigidum,abſurdũ,ridiculũ,& ubi ſcriptori danda ſit uenia quòd dormitarit; quemadmodum de Homero inquit Horatius.Nihil in eis tale:ut appareat rectorẽ moderato remq; illarũ mentium & manuũ fuiſſe Deum,illisq; id beneficiũ eſſe collatum,quod nulli humanorũ ingeniorũ,naturæ quidẽ relicto. Quanta in illis narrationis conſtantia,qui tenor perpetuus,facilitas autẽ inaffectata,et ubiq; ſui ſimilis. Grauitas uerò et ſeueritas diuinis rebus cõgruens,nihil in illis prorſum iocoſum,aut ridiculũ,non delapſi ſunt ad ullã ſui oſtentationẽ, non ad citandos eruditos nationũ, non ad aliquid inſerendum ex ſapientia mundi,quæ tum maximè erat in pretio,nõ ad deſcriptiones regionum ac locorũ,nõ ad inanes ullas atq; otioſas digreſsiones, aut quæ amœnitate ſua detinere poſſent lectorẽ.nihil in illis uacans,aut aliorſum pertinens, nullũ eſt uerbum quod ad ſummã inſtituti nõ pertineat,hoc eſt ad rationem pietatis, & quum in his quæ mediocria poſſent exiſtimari, ſic eluceat diuini conſilij effectus, minus erit profectò mirandũ nihil in eis eſſe obſcœnũ, & turpe, ut in Alcorano Mahumetis, & apud gentiũ uates:nihil anile,delirũ,blaſphemũ,ut in Thalmud Iudęorũ,& apud pleroſq; philoſophos.In expoſitione autẽ eorum quę Chriſtus uel dixerit uel egerit,eadem admirabilitas maieſtatis quæ in cæteris, ſeu potius amplior & ſublimior.Nam Dei ratio & filius naturã ſibi hominis aſſumpſit,qua uelut inſtrumento uteretʼ noſtrę doctrinæ, exemplis redemptionis, quo peracto munere uoluit eam oculis humanis ſubducere,ne ibi amor ſuorũ ſiſteret,ſed tranſiret ad diuinitatẽ. Quocirca ut manifeſtum omnib.fieret opus hoc Chriſti cœleſte eſſe,nõ terrenũ,ad Deum ſpectare, non in res mundi huius:de Chriſti maioribus modice memorarunt,contenti ſolùm oſtendiſſe,referre illũ genus ſuum in Abraham et Dauidem,quibus erat priuatim promiſſus. De matre autem quàm pauca:at de qua matre,quàm digna,ut de illa longè plurima mandarentur memoriæ? Ipſe porrò matrem & fratres ſuos affirmat,qui patris ſui cœleſtis uoluntati iuſsisq; obedirent: non repudians quos haberet ex ſanguine,ſed illos potiores ſibi docens,qui per ſpiritum accederent:atque adeò conſanguinei qui illum ſunt ſecuti,non prælati ſunt alijs nexu corporis,ſed cognatione ſpiritus,hoc eſt excellentia uirtutum. De ipſo autem Chriſto nihil retulerunt qua eſſet ſtatura, qua facie,qua forma,qua uoce,quomodo indueretur,incederet, eſſet,biberet, quieſceret, quæ ſolent rerum ſcriptores etiam de uiris mediocribus memoriæ poſterorum tradere:eoq; accuratius ac ſubtilius,quum propriè de illis ſuſcipiũt narrationem.quod altiſsimo Dei conſilio effectum eſt,ne quæ de rebus filij Dei corporalibus haberemus,ea putarentur ſumma, & abſolutiſsima, & in rebus neutris ac indifferentibus propè ſola, ſic ueſtiri, ſic comedere, aut hæc uel illa ſic loqui, ſic ingredi. Inde quanta illis obſeruandis,& quàm accurata ſuperſtitio, quàm placeret ſibi qui ſic ageret:& eo magis, ſi eſſent ſibi naturalia, ut cognationem uideretur habere aliquam cum filio Dei. quæ cura negligentiam eorum importaret,quæ uerè ſunt Deo grata:qua planè ſiſteretur in homine, non tranſiretur ad Deum. Niciam Athenienſem ducem ferunt manumiſiſſe ſeruum,quem dicerent Baccho eſſe ſimilem:tactus eſt ſcilicet religione,quòd nefas exiſtimaret mortali ſeruire,qui ſimilitudinẽ haberet cum immortali. Quid fieret inter nos de ijs qui Chriſtum facie uel uitæ actionibus naturalibus referrent? Nec uiciſsim deeſſent,ut ſunt hominũ uaria & pugnãtia iudicia, qui res illas Chriſti nõ putarẽt eſſe ſummas & perfectiſsimas:unde offenſio de Chriſto,qua nihil eſt humanis & angelicis mentibus peſtilẽtius. Nihil ſcripſerũt prorſum quod noſtra

non

non referret cognoſci,nihil omiſerũt quod referret. nam quicquid ẽ re noſtra eſt nos ſcire,euangelijs eſt explicatum:curioſa,hoc eſt quæ ad ſalutem noſtram non faciunt, prætermiſſa ſunt.Et hæc omnia non tractant tanquam encomiũ,ſed narrationis modo purè,ſimpliciter,nudè:ex qua promptiſſimũ ſit iudicare,illum et uirum fuiſſe optimum,& Deum ipſum ſummum ac præpotentẽ. Quibus de cauſis & rationibus hoc poſſum affirmare,non minus audacter quàm uerè:Si cuncta humana ſapientia conſpiraret,ut hominem aliquem Deum eſſe uellet oſtendere, & eius opera & dicta diuina,fingeretq; de illo homine quicquid animo eſſet collibitũ,& in id quod finxiſſet adhiberet orationis cultũ,diſſerendi uim,& acumen rationũ,non poſſet tamen Euangelium unum quale eſt noſtrum cõponere,hoc eſt conſcribere,quo id poſsit euinci, ac perſuaderi,quemadmodũ Euangeliſtę noſtri fecerunt ſolo hiſtoriæ cõtextu,detractis quibuſcunq; humanę ſapientiæ uiribus atq; ornamẽtis.Hoc uerò ut profanis atque imperitis fortaſſe uideatur incredibile,aut nõ ſatis probabile,quiſquis tamen altius in Euangelij ſenſa penetrarit,facile mihi aſſentietur.Homerus finxit arbitrio ſuo in Achille optimi ſeu principis ſeu imperatoris effigiẽ, in Vlyſſe uiri prudentiſsimi: quid exijt? Achillem fecit ſæuum,ſanguinariũ,immanem, inhumanũ: Vlyſſem aſtutum,fraudulentũ,mendacem. Xenophon Cyrum maiorẽ ad imaginẽ,ut inquit Cicero,iuſti ac moderati imperij:& dixit quæ uoluit,quæ omnes ſciebant in regem illum non cõpetere.quid tandem protulit? principẽ bellacem, bella ex bellis ſerentem,artium pacis uel oblitum,uel negligentẽ.Philoſtratus Atticus rhetor Apollonium Tianeum deſcribit in odium Chriſti,uirum diuinitate plenũ: qua narratione nihil eſt fabuloſius,incõſtantius, nihil à mente omni & ratione inanius: & profert tandẽ nobis magum uaniſsimũ, arrogantiſsimũ, & iactantiſsimũ. cuius mendacia & dementiam quum Euſebius Cæſarienſis paucis uerbis patefecit, tum nemini ſano non eſt facillimum perſpicere. Sed ad ſaniores redeamus. nam Philoſtrato illa ſcribenti nemo eſt tam abſurdo iudicio,qui non intelligat mentem omnino & ſanitatem defuiſſe.Plato rempub.eſt commentus,irriſam atq; exploſam ab omnibus. Minos Cretenſis leges ſuas à Ioue ſe accepiſſe finxit,Lycurgus Lacedæmonius ab Apolline:quę à Platone, Ariſtotele,& maximis quibuſque philoſophis ſunt reprehenſæ ac confutatę.Cicero ipſe reipublicæ iuſtæ ac legitimæ imaginem,quaſiq; idæam ab illa republica Romana uetere mutuatus eſt,quæ fuerit per bella Punica,& paulò antè: qua ciuitate nulla unquam fuit poſt hominum memoriam iniquius,aut certè turbulentius inſtituta. At qui uiri hæc fingebant? quibus ingenijs,qua eruditione,prudentia,facundia? ſed apparebat protinus humanum eſſe opus,hoc eſt debile,& ruinoſum. Hic undiq; reluceat ars & conſilium Dei.Idem M.Tullius qua cura,qua anxietate animi,quanta molitione conſecraturum ſe ait memoriam filiæ, omniumq; excellentium ingeniorum & Græcis & Latinis monumentis effecturum,ut pro dea habeatur? qua ſolicitudine ſcribit ad Atticum,ut ager ſibi ematur loco celebri,in quo fanum extruatur Tulliolæ? Quid ſequutum eſt? Scripſit libros duos de morte filiæ,quibus, ut credibile eſt,profuſis ingenij illius tanti tamq; in dicẽdo exercitati opibus, argumẽtis,ſchematis,cultu et ornatu orationis conatus eſt perſuadere poſteritati.Tulliolam eſſe deam. ſed inepti patris aniles lachrymas & commentum fragile præſentes poſteriq; deriſerunt.Redeamus iam ad libros omnes ſacros,ueteres ac nouos.Princeps & caput & regula diuinorum oraculorum,& ſalutiferæ ac neceſſariæ ueritatis eſt Chriſti Euangelium,quo cæteri ſacri libri omnes cenſentur,& pretium accipiunt tam ueteris inſtrumenti, quàm noui. Epiſtolæ apoſtolicæ uelut explicatio quædam ſunt aliquot ſententiarum Euangelij, & earum fuſior expoſitio per ſpiritum ſanctum dictata, ut eius ſpiritus doctrinã Euangelio conformẽ & conſonam,ſeu ut aptius dicam,unam atque eandem in Apoſtolis incipiamus deprehendere & agnoſcere.Acta apoſtolorum primum eſt ædificium ſurgens ſuper Chriſti fundamentum, quod ſequens Eccleſia imitetur,quoad peragatur ædificium hoc in reditu Domini,quantum quidem fieri poſsit per tempora, regiones, & ſtatum Eccleſiarum. Hi omnes ſunt libri fœderis pactiq; Dei cum hominibus, quod teſtamentum Hebraica loquendi proprie-

tate

tate nominatur. est enim fœdus diuinæ misericordiæ, & reconciliationis eius cum humano genere. Vetus instrumentum huius confœderationis umbras continet eius corporis, quod est in nouo explicatum, atque ostensum. Nouum enim ad cognitionem apertam ueritatis est datum, uetus autem ad præparationē noui, ut haberent homines in nocte illa, quoad sol oriretur, doctrinam cultus diuini, speculationem rerum altissimarū sub caligine infimarum latentem, exempla Dei bonitatis ad fiduciam, & magnitudinis ac seueritatis eius ad timorem, ut uagi & fugitiui timore tanquam iniectis compedibus detinerentur: ne uerò desperarent, parata essent illis tot opera miserationum illius. In uetere sermo est & sententię puerorum, in nouo autem uirorū. Tametsi interdū Christus loquutus est discipulis suis, nempe adhuc Iudæis, Iudęorū uerbis, ac more, de mensis in æterna beatitudine, de epulis et cōuiuio, aliisq; eiusmodi nonnullis, licet perpaucis. Formabat scilicet Dominus pueros suos puerili ter primum, nec uoluit eos ad plenum perfectumq; doctrinæ perducere, ut fulgor illis ueritatis proponeretur ante oculos, quoad absoluto humanę uitę decursu tantam iam authoritatem apud illorum animos parasset, ut splendorem illum ingentium mysteriorum intueri & cuperent & inciperent posse. Ille quidem semina uniuersæ ueritatis & sanctæ doctrinæ in illorum pectoribus iecerat: quæ illi parum à primo intelligentes, edocti mox ab eodem spiritu Christi, manifestò sunt postea intuiti. Non attulit spiritus sanctus nouam apostolis doctrinam, sed explicationem acceptæ, de quo sumus antea loquuti. Homo ratione ac mente præditus, ad disciplinas cultumq; animi factus, aptusq;, disciplina aliqua indiget, ne otio ac situ uis illa animi actuosissima obtorpescat. Ad peritias disciplinasq; non sunt omnes eodem modo appositi: alij aliis uel tenentur, uel sunt dediti, una est quæ uniuerso hominum generi congruit, necessaria uidelicet. Necessarium uoco, sine quo uiuere ac tueri se non possit. Nam quemadmodum ad corporis uitam, etiam si artes actionesq; omnes homini adimas, tum illa omnia quæ uel delectationi sunt, uel utilitati comparata, alimentum certè ut relinquas est necessum, si modò uis eum uiuere. sic una est disciplina, unus animi cultus, sine quo animi uita non posit fulciri, propagari, quum absque reliquis uniuersis possit. ea certè est ars, qua homo post uitam hanc corporis breuissimam, alteram illam æternitatis consequitur, & finem illum ad quem ex bonitate authoris sui est conditus. Hæc est scientia colendi Dei, quæ pietas nuncupatur, ea uerò libris diuini fœderis explicata est. Qua pietate quoniam homo plus indiget, quàm cibo, bonitas illa & benignitas eius qui cibum prouidit ac parauit, non neglexit, quod tanto erat magis conducibile ac necessarium. Ea enim est Dei bonitas et sapientia, ut nemo dubitare possit, quin & ille prospiciat nostris necessitatibus, & remediū illarum sit ab eo. Quæ ergo uel delectamentorum sunt disciplinę, uel ornamenti, uel usus huius temporarij, ac fugacissimi, ingenijs sunt hominum inquisita, & tradita, fluxa atq; incertæ authoritatis. Hoc uerò quod certum esse oportet, sine quo salui esse non possumus, Dei esse par fuit, cuius sapientiæ infinitæ, nec falsæ, nec fallentis authoritas certa, indubitata, firmissima est. Fundari ergo conueniebat super immobilitatem æternæ ueritatis: quod nisi esset stabile, grauissima consequeretur perturbatio, & pernicies acerbissima. Quapropter quisquis sacris literis detrahit, quisquis eis derogat, detrahit ac derogat bonitati ac benignitati Dei, fiduciæ atq; amori erga illum nostro, id est, saluti & bono nostro supremo & unico, haud aliter cogitans aut faciens, quàm si quis in graui & periculoso morbo unicam medicinam à sapientissimo & amicissimo medico oblatam, uel tanquam noxiam calumniaretur, uel tanquam inutilem sperneret ac refutaret. Tametsi hoc quod tantopere nobis expedit firmum esse, certum, stabile, liquidum, plurimi sunt qui uel malitia concutere atq; exagitare tentant, uel errore obscurant, & obruunt tenebris, ut inter tot conantes deprauare, periclitetur ingenij nostri imperitia atque infirmitas. Eiusdem bonitas qui illa dictauit sanctis suis, reliquit normam & lucernam duraturam usque ad extremum æui huius, quæ dux sit nobis in tenebris, & in dubijs atque incertis mensura. Ea uerò est Ecclesia, cui in æternum præfecit magistrum & ductorem spiritum suum, ut per illius regimen

gimen uerè sit Ecclesia (quemadmodum Paulus ait) columna & fundamentum ueritatis. Illa scrutatur, examinat, expendit libros mysticos, probat aut reprobat singula uerborum sensorumq; per spiritum sanctum, alioqui confusissima sequeretur rerum omnium perturbatio. Ecclesia uerò solos libros illos qui in sacro continentur canone, tanquam saluti nostræ necessarios recepit atque approbauit, quoniam eorum authores spiritu Dei dictante scripsisse. ab eodē illo spiritu est edocta. multos alios comprobauit, ut utiles, non tamen necessarios, de quorum spiritu incerta est: qui etiam si magisterio sacri spiritus sint in scribendo usi, à quo sunt dona omnia sancta, non tamen ea spiritus in hoc dictauit, ut uellet aut perpetua esse, aut omnibus ad salutem immortalem necessaria.

DE ACTIS IESV CHRISTI.

ACcedamus iam propius ad acta & uitam Iesu Christi, ut intelligant omnes, diuino eam fuisse consilio rectam, nec conuenisse aliter in illa quicquam fieri, nec humanas omnes cogitationes meliorem salutis rationem formamq; posse inuenire. Primùm omnium poterat sibi Dominus corpus nouum omnino è terra confingere, quale Adæ. sed qui charitate nostri adductus in terram descenderat, sanguine & cognatione uoluit nobiscum iungi, quum ad maiorē inter nos & ipsum conciliandam gratiam, tum ut uerius peccatum in se ipso deleret, quod infixum carni nostræ adhęrebat: ad exemplum quoq; nostrum, quod ualidius est in eo, qui homo à natura cæterorum hominum non differret. Itaq; electa est uirgo de tribu Iuda, & familia Dauid, Maria, quæ Christum Dominum pareret, non dubium quin magnitudine uirtutum ad tantum munus euecta. Nam cui facultas erat deligendi ex omnibus quam uellet, dubitandum nō est, quo minus eam delegerit, quæ omni uirtutum & pietatis genere esset præstantissima, nempe sibi quantum fieri poterat simillima. Hæc desponsata erat Iosepho, eiusdem tribus & familiæ uiro, ut custos esset uirginis, & sexus infirmi, in quo non castitati modò uirginis est prospectum, sed etiam famę, ne quis extra coniugium puerum natum, statim ut adulterinum abominaretur. Sed illa ante humanas nuptias admirabilem illum hominem concepit, insciа prorsum uiri. Nam qui ad testificationem ueniebat totius integritatis, non decebat hunc integritatē in matre dissoluere ac uiolare. tum ad significationem spiritalis nostrę regenerationis. Sicut enim de uirgine matre nascitur nostrum caput, ita & nos de uirgine renascimur Ecclesia. Et desponsata fuit uirgo Maria, in hoc quoq; similis Ecclesię, quę & uirgo est & sponsa. Virgini mysterium est ab angelo declaratum. Quàm consentaneum erat rem tantam ab angelo nuntiari, quando minores olim res patribus nuntiabantur per angelos. Virginem quoq; id non ignorare decens erat, ne intumescente, ignota de causa, utero, pauore percelleretur cōfusissimo. Et ad uirginem par erat mitti angelum similis conditionis, ac proximæ: ad hæc, ut sciret non rem agi uulgarem, quæ sic cœlitus denuntiaretur. Iosephus quum ad conspectum increscentis Mariæ uteri perturbaretur, admonitus est diuinitus, quid rei Dominus pararet humano generi. Itaq; uir per omnia & iustus & pius, reliquo omni tempore abstinuit ab ea, nihilq; fuit aliud in domo, quàm prætextus famę uirginis, minister infirmi sexus & tenerę ętatis pueri. Non est quòd quisquam continentiam hanc Iosephi & Mariæ miretur: fecerunt hoc idem multa coniugum paria, quæ memoriæ sunt prodita, uelut Iulianus martyr & Basilia, Chrysanthus & Daria Alexandrini, Henricus Cęsar & Sinegunda, Amos, Malchus, & alij penè innumeri, qui literarum monumentis non sunt mandati. Exemplum Mariæ peperit imitationem, imitatio confirmat fidem exempli, ut quia fecerunt illi maximi, ad faciendū incitati sint minores: & quia hi fecerunt, non dubitetur de illis. Quòd si in minoribus causis constat fides, cur in maioribus hærebitur? uerisimilius est potuisse id contingere in matre Christi, quàm in uxoribus seruorum. Siue id erat Iosepho iam tum, quum illam sibi desponderet, fixum & destinatum animo, non commisceri fœminæ, sed ab eius contactu conseruare se purum, ut Deus cuius consilium ad grande illud arcanum deducebat uirginem, talem illi socium applicarit: qui illi ut in uita omni, sic in proposito animi esset concors. Siue ille uir religiosus horrore diuinæ

maiestatis, non ausus est turpitudinem in locum sacrum inferre, in templum uidelicet longè quàm illud Hierosolymorum sanctius & sacratius. Siue utrunq; est, & propositum firmauit occasio. Philippum Macedoniæ regem memorię traditū est, quum haberet persuasum, Apollinē draconis imagine cum uxore sua Olympiade cubuisse, non est deinceps ad eam ausus accedere. Quiddā de Platone Athenienſi haud absimile accepimus: nisi fortè hoc de Philippo, & Platonis patre, sit credibile, non sit de Iosepho: & ualidior sit apud stultorum animos superstitio, quàm religio uera apud sapientes: & umbræ pietatis apud impios, quàm apud pios solida ipsa & uera. Sed certè leuissimum erat numini, matrem conseruare integram. Desponsam autem esse Dominus uoluit uirginem: noluit enim ex infamata nasci matre: maluit aliquos de origine sua, quàm de matris pudicitia dubitare. Quippe originem ipse suam magnitudine atq; admirabilitate operum facilè erat asserturus atq; approbaturus. Nitori autem uirginis non conueniebat, ullam prorsus quantumuis leuem maculam aspergi: quæ res puellarem animū suprà quàm dici potest conturbasset & confudisset. Quid, quòd ij qui filium Iosephi faciunt Dominum, ut Iudaicus furor ac rabies, Mariæ castitatem non putant se accusare, ut quæ nihil censeatur fecisse contra legem: qui uerò de uirgine malè sensissent, etiam Christi infamassent originem, ita uirginis dedecus commune fuisset ambobus. De Christi uerò patre dubitatio nullam alterutri parit ignominiam, quia nihil existimatur commissum contra legem coniugij. Pertinet hoc quoq; ad exemplum Ecclesiæ, ne aliæ fœminæ opinionem de se negligant, tanquam in hoc matris Domini sui non dissimiles, quę de pudicitia malè audiuissent. Cęterùm ex matre sine patre nasci, grandi hoc mysterio nō carebat. Alioqui cur fuisset turpius patrem habere quàm matrem, cum præstantior sit uir, quàm fœmina? Sed nefas erat, ut homo quisquam diceretur eius pater, qui patrem haberet Deum. Theologia poëtarum ex antiquissimis auditionibus profecta, Mineruam refert Iouis filiam, ex cerebro illius natam, ἀμάπορα, hoc est Dei sapientiam: & Bacchum, id est mundum hunc, ex Iouis crure, quæ est illius pars infima: & Vulcanum ex sola Iunone genitum, ἀπάτορα, quæ est Christi humanitas. Partu appropinquante, edixit Cæsar Augustus, qui tum orbi Romano imperabat, ut in sua quisque ciuitate censeretur, unde esset illi origo. quumq; essent illi familiæ Dauidicæ, Bethleemum uenerunt, antiquam illius gentis patriam. & cum non inuenirent locum in diuersorio, redundante ibi multitudine illius familiæ, quæ eadem de causa eò conuenerat, peperit Maria filium suum Christū Iesum, octauo calend. Ianuarias: & pannis inuolutum reclinauit in præsepi. Sensit statim infans frigus & inopiam, hoc est incommoda eius naturæ, quam sumpsisset. Angeli cum grandi è cœlo splendore, pastores ad gratulationem inuitant nati numinis. Stella uerò magos eódem adduxit. Ad Iudæos pastores angeli mittuntur, qui alloquijs angelicis essent assueti. Magis autem gentilibus si angelus esset loquutus, suspicionem præbuisset dæmonij, hæc enim loqui & uersari consueuerūt cum gentilibus, non angeli lucis. Itaq; de cœlo eis signum ostenditur manifestum, & propter ipsos, nempe homines in rerum cœlestium perscrutatione uersantes: sunt enim apud Assyrios magi, quod philosophi apud Græcos. & propter rem ipsam, ne terrenum, aut ex hoc elementari mundo negotium esse crederent, sed cœleste & diuinum. tum etiam nouæ rationis, speciei, decoris stellam, nouum mundo natum numen scirent portendere, homines in cognitione cœlorum & naturæ totius exercitati. Sed altius contemplantes, quid est hoc totum aliud, quàm de populo Iudaico accessuros ad Christi adorationem & cultum pastores, hoc est homines simplices ac rudes, eosq; Ecclesiæ pastores futuros? de nationibus uerò magos, hoc est sapientiæ affectatores, homines magno ingenio ac doctrina? & prius Iudæos uenturos, hinc gentes: utrosq; autem à cœlesti lumine adductos. Et ad magorum ingressum turbatum & trepidatū esse Hierosolymis, siue zelo, quod in gratiam Dei reciperentur gentes: siue admiratione multiplicationis Ecclesiæ: quorum utrunq; in Actis Apostolorum legimus. Attentè considerate singula. nam sicuti à principio præmonui, nullum uerbum uacat grandi mysterio. Circunciditur puer solutus lege, & ad purificationis solenne adducitur, mundus

dus ipſe,quiq; alios omnes erat purgaturus: ut doceat nos patrijs legibus obedire, nec cuiquam uel querimoniæ,uel ſuſpicioni locum faceret. Imponitur ei nomen rei congruens Ieſus, hoc eſt σωτὴρ, quod nos ſeruatorem poſſumus dicere. Rex autem Herodes,quum ſe à Magis fruſtratum uidit,timentis ſucceſſorem regni,occidi iuſsit pueros omnes Bethleemiticos intra bimatum, in quibus & filius eſt eius comprehenſus. quod Auguſtus Cæſar quum cognouit, ioco notauit immanitatem: Satius eſſet,inquit,Herodis porcum eſſe quàm filium.alludens ad Iudaicum ritum,quo porcinam eſſe uetabantur.Rem magnam, admirabilem, metuendam ſibi uidiſſe atq; audiuiſſe de Magis Herodem oportet, ob quam nihil ſit cunctatus ſæuitiem non in ciues ſolum tantam exercere,ſed in ſuum quoquè filium naturalem. Ad hanc deuitandam cladem angeli monitu Ioſephus in Ægyptum cum puero & matre ſeceſsit. Docet nos Dominus,perſecutiones, quoad ſalua iuſtitia & pietate licuerit, defugere:& per Chriſti pueri perſequutionem,naſcentis Chriſti Eccleſiæ perſequutio denotatur. Quærebat Herodes Chriſtum,ut occideret:at is euaſit,iugulati ſunt infantes,floſculi martyrij. Vbi uerò accepiſſet Ioſephus,fato eſſe Herodem defunctum,angeli iuſſu in Galilæam reuertit. Duodecimo ætatis ſuæ anno remanſit in templo, inſcijs matre & Ioſepho:& contulit cum magiſtris Hebræorum de lege & Meſsia,quod ille maximis de cauſis fecit.primùm ut patefaceret ſe iam tum ad quid ueniſſet ſcire,& quę à patre mandata accepiſſet: & ſuppetere ſibi, ſi docere uoluiſſet,ſapientiam: nec temerè aut ſubitò ad ingentia opera delectum ac aſcitum,ut Moſen,& alios permultos,nec fortuitò in id munus docendi incidiſſe: ideoq; & in eius ortu tot ſunt edita prodigia, ut iam tum ſciretur hunc eſſe illum à Deo ad mundi reparationẽ electum, deſtinatum, miſſum. Vſque ad annum triceſimum, nihil legimus egiſſe Dominum publicè, non docuiſſe,non ſignis & portentis diuinitatis ſuę maieſtatem detexiſſe:non minoribus hæc,nec paucioribus de cauſis,quàm reliqua omnia:ne ſi à puero tanta illa tamq; ſtupenda eſſent acta,ſuſpecta fuiſſent quàm plurimis,alijs auerſantibus & abominantibus uelut magica, alijs irridentibus & illudentibus tanquam puerilia:& ad poſteros dimanaſſet ſuſpicio, ne temerè fuiſſent illa à præſentibus accepta atque approbata. ad hæc ſublatus fuiſſet immaturo tempore,nempe priuſquam plenè docuiſſet, priuſquam maturum ſui exemplum potuiſſet relinquere: ne quis res magnas ante iuſtum ætatis tempus aggrederetur agere. Denique decebat amplitudinem tanti officij, ut à uiro exerceretur. Et qui huc uenerat exemplum allaturus omnibus,omnem uiuendi rationem legitimam quidem expreſsit,auſteram,& ſolitariam,& comem,& ciuilem: nec ſe tamen opificio ulli,uel arti addixit. Illa enim uitæ genera uirum bonum, quiq; multis ſit in commune profuturus,obire congruit,artes autopificia non item. Præuidebat etiam futurum, ut ſi qua eſſet uſus arte, exiſterent plurimi qui eam arriperent, conſtituentes in eo pietatẽ. Hoc ergo deuitauit, quod imitati eſſent multi cum damno. Prius illud alterum non deuitauit,cuius imitatio atq; expreſsio nihil adferret incommodi. Seruauit perpetuam caſtitatem, neq; uxorem duxit. non erat fas eum habere ſponſam mulierem,cui deſponſata eſſet Eccleſia,cui ſingulæ noſtræ animæ:nec gignere corporaliter liberos,qui tot gigneret quotidie ſpiritaliter. Decebat quoque hominem ſpiritalem caſtitas,& mundities corporis. Adde quod uenerat ut homines non terreſtres faceret,ſed cœleſtes:& à contagio liberaret carnis, ad cœleſtem puritatem & munditiem traductos. Poſtremò noluit diſcrimen aliquod inter ſobolem naturalem & adoptatam relinquere,omnes uoluit ſpiritaliter creare:ut ſciant omnes ad gratiam ſe atque adoptionem hæreditatis filij Dei pertinere, non ad naturam. Quid ergo,dicat aliquis, exemplúmne præbet omnibus ut cœlibes uiuant & caſti? Præbet certè, quantum quiſque poteſt conſequi. ſed quemadmodum ipſe idem de caſtitate dixit,Non omnes capiunt uerbum hoc,niſi quibus eſt cœlitus à patre conceſſum.Incurrunt in uitam uniuſcuiuſque multa temerè et fortuitò,multa alieno acta conſilio, multa priora à poſterioribus conſilijs & rationibus aliena atq; contraria. Vitam Domini noſtri ſi quis uel cunctam cõtempletur,uel per partes,intelliget totam eſſe conſilio & ductu actam ſuo ipſius,hoc eſt diuino, & liberrima eius uoluntate, adeò om-

nia sanctè & sapienter sunt acta, & prima cum medijs, media cum postremis consentiunt: ut appareat ab eadem mente instituta fuisse superiora, à qua etiam sequentia. Principiò natiuitas ipsa, quæ non est in manu nascentium, in Domino nostro quàm consona cum austeritate totius uitæ? media bruma, de nocte, in exiguo & frigido oppidulo, atque in eo non in diuersorio, sed in casa uel tuguriolo, & reclinatus in præsepi. In eadem natiuitate, sicut in reliqua uita, animaduertere est humilitatem terrenam cum maiestate ac gloria cœlesti coniunctã, hoc est hominem cum Deo, ad præsepe, & inter pastores cantant & ministrant mentes illæ cœlestes: summittunt se magi, hoc est mundi sapientia. Nato Domino continuò aduersus eum consurgit persequutio, & pro eo timor ac terror, & eius custodum fuga & trepidatio. hinc cædes infantium ab Herode rege facta, dum Christus quæritur ut opprimatur. Quid conformius, aut quæ expressior imago tum uitæ eius, tum Christi in sua Ecclesia nascentis? Conspiratur à potentia mundana aduersus Christum Domini, occiduntur martyres à principibus & regibus molientibus Christum opprimere. Christus autem subductus est à parentibus, hoc est à patre suo, positus in tuto, collocatus scilicet in cœlis ad dexteram ipsius. Propter puerum mactantur pueri, propter uirum uiri, propter innocentem innocentes. Offertur templo, præsto illi adsunt testimonia sanctorũ, & non minus fœminæ quàm uiri. Quo autem consilio ignaris parentibus in templo remanserit, quàm profundo & admirabili, paulò antea explicaui. Iam uerò per totam uitam nihil eum possedisse legimus ex ijs quæ bona nominantur, non agrum, non uillam, non pecuniam, non domicilium uel suum uel conductitium. Non decebat illum aliquid habere peculiare cuius essent uniuersa, ac ne uestem quidem habuisset, si decorè potuisset inter homines uersari nudus. Cuius consilij fuit posse præstare, ne quid ab ortu ad interitũ suum possideret. Non desunt, qui adulta ætate abijciunt à se procurationem & possessionem rerum omnium uitæ: hi tamen aliquid aliquando habuerunt. Nihil autem unquam habuisse non emptum, non donatum, non relictum, non conductum, iam inde ab ipsa infantia ad extremum uitæ diem, ac ne in morte quidem sepulturam, certi fuit consilij, quod uitam totam moderaretur. Quid illa, quòd nec ullam uitæ artem aut opificium exercuit, nullum habuit nec magistrum peritiæ, nec actionum uel admonitorem uel consultorem, quod adulti quidem præstare fortasis possint, quia ita placet: in puero autem quantum est, non deductum esse à matre, à Iosepho, à propinquis ad aliquod opificium, aut ad literas? neminem in Galilæa extitisse, qui uel ex coniunctione sanguinis, uel ex publico munere, uel ex curiositate reciperet puerum edocendum? neminem qui adulto iam & confirmato consuleret, quæ facto essent opus, cuius admonitioni ille auscultaret. imò contrà si quis tentabat monere, in contrarium monebat eius rei, quàm exequi negotio illius diuino conueniret, eoq; seuere ab ipso repellebatur: quod est annotare in sacra Euangelij lectione. Non utique fuisset nefas doceri hominem ab homine, & admoneri, & consilium capere. Nam Moses, cui Deus & loquutus est, & legem ac sapientiam dedit, tum à sacerdotibus Ægyptijs est institutus, tum admonitus à socero, & consilium accepit à senioribus Israel. Sed grande nefas erat, Dei sapientiam ab humanis tenebris uel doceri, uel etiam quantumuis leuiter admoneri.

DE DOCTRINA CHRISTI.

ORsus autem docere, initium disciplinæ suæ sumpsit à refutatione receptorum errorum, de opibus, de uoluptatibus, honore, dignitatibus, gratia, potentia: quæ omnia spernere suos, ac pro nihilo existimare iussit, tanquam fluxa, uana, commentitia, breui peritura. Caput doctrinæ suæ & fundamentum uniuersæ suæ pietatis, amorem esse dixit erga Deum & homines, in quo ostendit homini, quis esset finis & exitus bonorum omnium, & quemadmodum petendus. Amor enim Dei quia nos iungit Deo beatissimo, beatos efficit. Amori erga Deum amores rerum istarum officiunt, inter quæ uersamur, minus enim amat singula, qui amat plura: & sensus usu aut uoluptate rerum mundi huius citerioris delinitus, à rerum altiorum amoribus mentem quasi manu iniecta retrahit. Contemnenda sunt igitur hęc quæ uidemus & contre-

contrectamus,si uniuersum amorem nostrum in eo quod oportet collocare cupimus:non est charitas nostra in res plures partiẽda,quæ tota ipsa adeò est exigua.Christi ergo disciplina fuit hæc, omnia ita esse à nobis possidenda & sumenda, ne in animum penetrent:non debere uoluntatem ad se pellicere, quæ præsenti tantùm necessitati seruiunt, & subinde nos à cura æternitatis abstrahunt:cui curæ quicquid noceret,rescindi atque abijci imperauit,opes,honores,amicos,parentes,& liberos,si esset necesse,& proprium corpus.quicquid eam adiuuaret,asciscí & amplecti,sobrietatẽ, patientiam,tolerantiam,animi æquitatem.Ex Dei amore amor proximi nascitur,tanquam filium necessariò amet, qui patrem. & eædem res utrique charitati simul sunt noxiæ,atq; utiles.Ex opum,& potentiæ,& claritatis cupidinibus nascuntur lites, rixæ,iurgia,pugnę,cædes,odia.ex illarum neglectione quies,et pax,& amicitia.Vicissim quoq; magnum est argumentum charitatis Dei,charitas hominum.Et quoniam quidem ad cœlestem illum amorem ficti ac instructi sumus, uetat nos hic Christus odijs & simultatibus assuescere. uult amore iungi, ut immortalem illam uitam iam nunc incipiamus meditari.Nec solum redamãdum esse amicum,sed non habendum inimicum odio: quod præceptum arduum nimis, & factu asperũ inueteratæ nostræ consuetudini, unumq; ex difficillimis Christianæ pietatis. Fractæ quidẽ & corruptæ naturæ sententijs atq; opinionibus id uidetur.Nam sensui naturæ integræ, quam Dominus restituit,nihil est probabilius, nec æquius, nec facilius factu. Quicquid enim est affectum contra naturæ suæ rationem atq; habitum,prauum est,distortũ, & in uitio.Mentis nostræ habitus est,ut ad ueritatem directa sit semper,& spectans:uoluntatis,ut ad amorem,charitatem,beneuolentiã.Deprauata ergo est mens, quæ in falsum tendit:uoluntas item praua,quæ ad maleuolentiã & odium. Est enim odiũ uoluntatis distortio,& quasi morbus quidam,sicut mendaciũ,mentis. Qui ad errorẽ igitur,qui ad prauitatem,ad peccatũ ex humanis pectoribus rescindendũ uenerat,nõ debebat hunc tantũ & tam graue omittere,hærens in potissima hominis parte,& præstantissima,quod etiã tale esset,ut hominẽ assuefaceret cõtrariæ uiæ,atq; illa est quà in cœlũ, & ad Deum ipsum peruenitur.At dicis,Ille odit me,et malè uult mihi,malè precatur, quacunq; potest nocet. Vis ergo,quia ille est malus,tu etiam malus esse? Vis insanire tu,quia ille insanit? an sanabit tuum morbũ morbus illius? & quasi non sit satis unum esse malum,uis esse duos? Quid furiosius,quàm te arietare caput ad parietẽ,quia inimicus tuus arietat? an non hoc est contra mentem,contra rationem,contra iudicium naturæ rectæ? Christi Domini nostri uita conformis fuit doctrinę,admirabilis,& planè diuina.Nec possedit ullas opes,nec ambijt,contentus tegmentis corporis,et uictu in diem quæsito,qualiscunque contigisset.Oblatum est ei regnum,spreuit & reiecit, nullam uoluptatem unquam captauit,nullum in uita eius crimẽ,nulla criminis suspicio uel leuissima,inter tantam inuidiam & odium. Nulli est unquam assentatus, nec loquutus ad gratiam, semper rectum ac uerum, etiam cum præsentissimo periculo & capitis discrimine. Vel Marthæ, quæ ipsi & discipulis eius ministrabat & parabat cibum atque hospitium,officium Magdalenæ prætulit,nullam aliam in rem intentæ, quàm ut illum audiret. De modestia & mansuetudine illius infinitum esset dicere, quanta æquanimitate & excepit iactas in se contumelias, & pertulit quæcunq; euenissent. nemini maledicenti remaledixit, nec mordentem remomordit. Asperius interdum increpauit uitia,non sua causa,sed publica:imò eorum ipsorum quos ita obiurgaret,ut nihil uel utilius uel lenius esset tali asperitate.Nulli in eius sermone admissi ioci,nulli uel in dictis uel in factis lusus,omnia semper (quod Deum decebat) seria & seuera.Magnitudinem suam & paternum in nos affectum patefecit,quòd in loquendo captui se illorũ accommodauit, cum quibus ageret. nec dixit quicquam ad ostentationem suæ sapientię:quod feciſſet,quisquis in tam nouis & mirabilibus præceptis uitæ captasset authoritatem & fidem:quod fecerunt Mahumetes in Alcorano,Rabini Iudæorum in Thalmud,& philosophi gentium. Quicquid uerò diceretur mundanum,Christus ad negotium salutis nostræ referebat, propter quod unum

uenerat. Vt quum narraretur ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum eorum sacrificijs:& de octodecim illis,quos ruina turris Siloë oppressérat:non est illorum casus miseratus,aut execratus impij hominis sæuitiam, sed erexit suos ad meliorem mentẽ:Putatis,inquit,nullos fuisse in illis oppidis peiores homines,quàm interfectos:ita & uos omnes graue exitium manet,ni resipiscatis. Et cùm rogatus esset,an liceret Iudæis populo Dei,tributum Cæsari pendere,homini profano, ostenso tributi numismate: Si Cæsari (inquit) reddítis quæ dicítis esse Cæsaris, reddite Deo quę sunt Dei. Interrogantibus quoq; superuacanea uel curiosa,respondit profutura: ut Petro de conditione mortis Ioannis Euangelistæ,& discipulis alijs de regno eius.

DE CHRISTI DIVINITATE AC MIRACVLIS.

SOcrates, Plato, Seneca, & alij de nationibus uiri præcipui, modice ipsi de se loquuntur,ac promittunt,interdum quoq; plusquam oportet demisse:Christus autem contrà,qui amplissima et maxima de se dixit,& est professus inter cætera autem, quòd salus esset hominũ,missa cœlitus in terras à patre: & se quoq; esse Deum cum patre suo,qui cœlum sit & terram fabricatus. Sed homines decet de se modicè sentire ac loqui, Deum uerò decet quis & quantus sit nos docere. Homo de homine & humanis rebus potest iudicare: & quantuscunq; sit aliquis, semper inuenietur alius, qui de eius magnitudine ac præstantia queat censere ac æstimare. Itaq; qui de se est loquutus moderatè, posteaquam est uirtus eius intellecta, maior ac præstantior existimatur, & modestia illa in gloriam ei cedit tanto maiorem,quanto prodit uirtus inexpectatior. De Deo autem nisi idem ipse apertè enunciet qui sit,& quantus,quis omnino uel hominum uel angelorum id assequi ualeat ac deprehendere? Ergo in priscis eius oraculis sunt illa,Ego Deus omnipotens,&c. Et ex ijs qui Christum tantùm uidebant,quotusquisq; esset qui reputans Dei magnitudinem atq; excellentiam naturæ,hunc hominem cernens, adduci posset, ut crederet Deum esse summum illum & omnipotentem? In quo graue impenderet periculum. Nam Socratẽ,& Senecam, & Platonem præteriri non intellectos, sine damno & iactura contingit generis humani: at Deum non cognosci & ignorari,à quo proficiscantur tam ingentia beneficia, omnibus periculosissimum est. Incidit enim homo in ingratitudinem, non habens benefactori gratiam:nec amat ut fas est illum, à quo nescit tot se momentis singulis,accipere beneficia : & minus paret præcipienti, ignorans esse Deum. Deo autem nihil est opus honore & existimatione ex modestia,sicut homini:nobis est opus cultu illius, reuerentia, timore, charitate ex scientia & cognitione potentiæ ac bonitatis illius, quas nemo unquam sicuti conueniret intueretur, nisi illo ipso monstrante. Itaque Christus & in futurum maxima de se & sua Ecclesia est pollicitus, de quorum euentu certus erat. Alioqui in tam nouo tamq; admirabili instituto, támque à communi hominum sensu abhorrenti,si aliquid falsum esse fuisset deprehensum, reliqua omnia tanquam uana et fictitia irrisa essent,ac explosa. In pręsens autem Deum se Dei filium dixit: quod quia erat stupendum,in eius rei confirmationem res quoq; edidit stupendas, quæ illum Deo esse amicum declararent, per quæ authoritas est comparata, ut non esset credibile tantum & tam nefarium de se mendacium talem hominem fuisse dicturum. Addita sunt autem ea prodigia, quæ ab animaduertentibus promptum esset intelligere, ab eo solo posse effici qui Deus esset, author & dominus naturæ: & tanto intelligerentur melius, & crederentur certius, quo quis esset sapientior, & uirium facultatisq; naturæ rerum consultior. In cæcitate & surditate natis, uidendi & audiendi usum non quem amiserant reddidit, sed largitus est omnino nouum. Deambulauit super tumentes undas, ut nos super solidam terram: imperauit uentis, mari, tempestati, & paruerunt dicto. Expulit dæmones ex humanis corporibus,abstulit lepram,roborauit membra & compages humani corporis dissolutas,sanauit omne genus morborum. Reddidit lucem & uitam mortuis. Multis modis miraculũ superat potentiã naturę:in ipsa actione,ut solent sisti,uel retro agi ab occidẽte in oriens,lapidẽ uel hominis corpus tolli in cœlũ,graue in aqua

non

non demergi:tum in ſubiecto actionis,ut cæco reddi lumen,mortuo uitam. Lumen enim & uitã natura poteſt tribuere,ſed nõ his. In ordine quoq; ac ratione qua fit,ut repentè ſanari ægrum,ſereno cœlo dari pluuiã,ſubitò ſterni uentum & mare turbatum:hinc in agente, ut hominem inſpicere hominum cogitatus: uel in inſtrumento, ut luto ſanari cæcitatem. Omnis generis acta ſunt à Chriſto prodigia,ut ſi cui unum illorum, ut ſunt hominum mentes diuerſiſsimæ,uel ſuſpectum eſſet,uel non plenè ſatisfaceret, addita ſunt tam multa & uaria, ut iam omnis dubitandi materia & occaſio ſit ſublata. Et egit uariis modis. Aliàs ſolo iuſſu,ut ſe oſtenderet regem naturæ: aliàs inuocatione patris, ut indicaret à quo haberet omnia, tum calumniæ occurreret eorum qui in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia illum aiebant expellere. Interdum re aliqua adhibita, ut luto uel ſputo: ut oſtenderet quemadmodum Deus operetur quandoque ſolo uerbo & nutu,aliàs tactu ueſtis eius: quandoq; inſtrumentis quibus uult, etiam parum aptis, ut luto ad curandam cæcitatem. Sed illi naturæ domino nullum eſt ineptum inſtrumentum, qui nec inſtrumentis indiget. Nonnunquam manu impoſita:interdum abſens ſolo iuſſu. Nec unquam occaſionem ipſe edendi miraculi captauit,ſemper uſus eſt oblata:non ad uſum artis ſuæ cepit tempus aut locum,quod præſtigiatores faciunt,ſed ſubitò ſemper,& pro re nata. Nec utilitatem ſuam,aut commoda ſua unquam ſpectauit,ſed aliorum:ut appareret nõ illum glorię ſuæ ſeruire in miraculo,ſed adduci ad hoc approbatione fiduciæ eorum qui peterent,ut homines fidem habere ſibi & Deo aſſuefaceret. Nec ullum unquam egit miraculum corporale,quod non magnas ſignificationes haberet ſpiritales:quod ſigillatim referre hic eſſet longum & ſuperuacaneum,præſertim quum hiſce de rebus noſtrorum hominum libri ſint referti.

DE MIRACVLIS DÆMONVM.

MIracula quæ ſunt à Deo, multis notis diſtinguuntur à fictis miraculis dæmonum. Nam dæmon, ut qui Deum odit, & nos à Deo uellet auertere, omnia quæcunque poteſt diuina æmulatur: & tanto accuratius miracula,quòd uidet eam rem maximè ad potentiam diuinitatis accedere,quæ eſt ſupra naturam. Itaque ut eſt uiribus ſuis naturalibus potentior quàm homo: tum uirium & facultatis naturæ rerum conſultior,facilè ſenſus noſtros eludit ad nos fallendos & abducendos à uero. Itaque & edit opera ſtupenda, & ſe (quod eſt etiam diuinitatis) conſcium fingit rerum abſtruſarum, præſentium, præteritarum, & uenturarum, uel ipſorum quoque cogitatuum:quum Deus dicatur ſcrutator cordium, ut homo in contemplanda diuina potentia titubet & uacillet. Eſt enim ueritati res damnoſiſsima (ad nos quidem) mendacium ſpecie ueritatis tectum. Itaque fidem uerorum miraculorum & diuinorum magnopere eleuant ac diminuunt falſa miracula, per dæmones & dæmonum miniſtros ædita. Quo execrabiliores ſunt, nempe ſatanæ ſimiles,ij qui in templis noſtrorum diuorum fingunt miracula propter quæſtum, efficiunt enim, ut quum eorum uanitas eſt patefacta, de ueris miraculis incipiant homines dubitare. Ergo miracula has habent notas rei ipſius,ueritas eſſentiæ,qualitas,modus actionis, cauſa efficiens,cauſa mouens ante rem,finis. Ad hos tanquã ad lapides Lydios examinanda ſunt miracula,tum Chriſti & ſanctorum, nempe diuina:tum ficta & diabolica,qualia ſunt uel quæ per ſemetipſum facit Satan,ut quũ non uiſus loquitur:aut aliquid agit,ut quũ affligit aliquem morbo,& ſanat,quũ pluit ſanguine,carne,quum in aëre cõmittit armatas acies,uel quum aſſumpto aëreo corpore exhibet ſe conſpiciendum hominibus,ut paſsim in hoc nouo orbe, & antea in Canaria, & inſulis illis Fortunatis.uel quum loquitur in idolo,ut quondã gentilibus:aut in arbore,ut quercus Dodoneæ: uel in homine,ut in ſacerdotibus templorum uiris ac fœminis. Habet quoquè ſuos miniſtros magos, incantatores, lamias, ueneficas, & omnia genera diuinaculorum, augures, aruſpices, interpretes ſomniorum & omnium, chiromanticos,gæomanticos,hydromanticos,& alias dicendi de rebus occultis impoſturas,quæ numerum nõ habent. Ex quibus omnibus collecta ſunt ab ſcriptoribus gentium miracula,quibus dæmon & à ueritate abducit animos,& in ſua fallacia confir-

mat ac detinet. Sed in his primum est cõsiderare, quòd eorum multa non habent ueritatem essentiæ, sed præstigias & illusionem oculorum, ut non uerè ægrotare eum qui uideatur, non uerè uiuere: sicut ferunt magos quosdam certis incantamentis effecisse, ut cadauera sine anima ambularẽt, loquerẽtur, & alia uiderentur obire uitæ munia. Alia non sunt miracula, propterea quòd ui naturæ fiunt, herba uidelicet adhibita, aut osse, aut lapide: quę occultè potest dæmon admouere. Et multa quæ sunt peritis naturæ cognita, ab imperitis pro miraculis haberentur: qualia sunt quæ per eam magiam fiunt, quæ naturalis nominatur. Alia ineptissimis fiunt modis, & planè ridiculis, ut satis appareat à quo fiunt. Nam dæmon ne quis ea naturæ potentia fieri suspicetur, iubet adhiberi uerba à re alienissima: ut si est sanandus equus, dicatur, Mare est falsum, & in hyeme congelatum, aut aliquid absurdius. Interdum lupus ille induit pellem agninam, uult addi uerba ex sacris literis, uult uersum aliquem Psalterij, aut etiam (si Deo Placet) sentẽtiam ex sancto Christi Euangelio quampiam, aut recitari missam uel missas, & sub sacro linteolo poni fabas aut cicera certo numero: aut funiculum tot nodis astringi, quoties recitatur nomen Iesu in passione. Gratia Deo, qui non sinit nobis tam occulta ab hoste nostro tendi retia, quin ratione aliqua possint ab attendentibus deprehendi: nec sinit tentari nos supra id quod possumus. Alia fiunt per eos, qui etiam si uera exhiberent miracula, eorum tamen indignitas fidem illis detraheret, per flagitiosos, per cõsceleratos, maleficos, impuros homines, per magos, per lamias, per homines perditos, quos nemo dubitet facere impostura m. Alia fiunt nemine postulante, alia sine ullo condigno, siue solum ob quæstum, ut à magis & ueneficis: uel ludicrum aliquod & risum, aut leuem admirationem ad delectandum, aut etiam ad terrorem, ut quæ fiunt in arẽre: uel ostentationem, ut quæ à Philostrato scribuntur de Apollonio Tyanæo, de Brachmanibus, & nudis sapientibus, cuiusmodi quotidie patrantur à magis, à lamijs, ab incantatoribus, qui inter nos uersantur: ut lac ex una uacca transire in aliam, segetem ab agro in agrum, quod antiquissimis temporibus solitum fieri, & Vergilius significat, & aperte carmen duodecim tabularum, Ne'ue alienas segetes auerteris excantando. Prætereo alia maleficia, quę in infantes exercet dæmonis crudelitas per lamias.

In prædictionibus & patefactionibus rerum abstrusarum nõ minus manifesta est satanæ uanitas & fraus. Res quidem præteritas facilè potest nosse, quibus ipse interfuit, & præsentes eadem ratione. Cogitatus mentis nostræ solus nouit Deus: sed dæmon ex coniecturis exterioribus illos colligit, ex uultu, ex gestu, ex phantasia quoquè, quæ illi est peruia. certi tamen nihil habet: quemadmodum in rebus uenturis, quas ille in magnis coniecturis uenatur, astrorum peritia, qualitatibus elementorum, quod faciunt agricolæ & nautæ cum admiratione eorum qui ea ignorant. tum multas prædictiones rerum futurarum tradunt philosophi naturales, multa in sua arte medici. Cursu rerum & experimentis, ut ex prioribus colligat sequẽtia, ut faciunt inter nos prudẽtes: de quibus est illud, Qui bene coniecerit, hunc tu uatem perhibeto optimum. Aspectu etiam sanctorum angelorum, quibus similes sunt in natura, & comprehendendi intelligendiq; ratione. & ut sunt omnia coniecturis & notis collecta, sunt eis incerta, & reddunt responsa ambigua: ut,

Aio te Æacida Romanos uincere posse. Et,
Crœsus Halim transiens.

Modus autem quo exequũtur has diuinationes, ineptus est, & meritò à maximis ingenijs etiam inter tenebras derisus: per garritus aut uolatus auium, per pastum pullorum, per exta animantium, per stridorem foricum, per uoces temerè iactatas.

RVRSVS DE DIVINITATE CHRISTI.

TRia consideranda sunt in Christo, sapientia doctrinæ, probitas uitæ, & diuinitas essentiæ. Sapientiam satis declarat doctrina, quæ breuis, dilucida, explicata omnibus philosophorum scholis & disputationibus silentium imposuit. Bonitatem declarat uita acta innocentissimè. Miracula quæ essent supra hominum captum, uiderentur tamen, ei sunt probandæ rei data, quæ captum quoq; hominũ transcenderẽt,

nec

nec tamen uiderentur. Ipsa quidem miraculi occasio semper hominum utilitates spectauit. sed per hæc à maximo & sapientissimo artifice Deo maius quiddam & hominibus cunctis in cõmune salubrius parabatur, nempe & diuinitatis & doctrinæ Christi confirmatio atq; approbatio. quantulum enim est, hunc aut illum hominem uel sanitati reddi, uel uitæ? ceu uerò non multa quotidie millia & afflictentur morbis, & defungantur fato. Illud maximum, uniceq; expetendum, ut per fidem doctrinæ Christi immortales animæ seruentur. Christi miracula tanta & tam manifesta fuerunt orbi, ut nulla unquam gens fuerit uel tam impudens, uel tam Christo inimica & infensa, ut ea sit negare ausa. Itaq; gentiles, Iudæi, Agareni, omnes grandia & mirabilia esse à Christo edita opera confitentur. sed alij alias in causas referunt. Agareni Deum authorem illorum fatentur, Iudæi & gentiles dæmonem. Sed res ipsa clamat apertissimè Deo authore atq; approbatore illa omnia esse acta. Qui enim primi relictis patrijs ritibus ac lege, qui abiectis & repudiatis rebus omnibus, quæ solent esse hominibus in uita gratissimæ & charissimæ, Christum sunt sequuti, qui illi noua atq; admirabilia dicenti fidem tribuerunt, grauia, dura præcipienti obedierunt, denique ceruices suas obtulerũt pro illius doctrina & gloria, aliquid certè in eo maius & excelsius animaduerterunt humana sapientia & potentia. Nam ob communem uitæ rationem, & quæ nihil super cæteros haberet egregium, quis sanæ mentis renuntiaret suis omnibus, nulla proposita spe, nisi paupertatis, calamitatis, ærumnarum, infamię, ac mortis? Istud uerò quod in loquendo & agendo maius erat humana sorte, à ui & potentia necessum erat proficisci, quæ fortior ac ualidior esset quàm humana. Tales esse duas tantum comperimus, diabolicam malam, & diuinam bonam. Positum sit nobis quod de diabolo est receptum, & à nobis declaratum superiore libro, esse illum natura angelum, uoluntate Deo inimicum. Sub diuina potentia angelos bonos comprehendo, qui sunt Dei administri. Diaboli mens, animus, desiderium, ardor mentis est, Deo resistere, quatenus potest efficere à Deo homines auertere blandimentis, astu, fraude, præstigijs, illusionibus, minis, terrore: nihil omittere, dum ne homo Deo se adiungat. Quæ Christus ostendebat miracula, perinebant ad authoritatem personæ, & proinde corroborationem doctrinæ. Doctrina erat, ut omnes rebus omnibus uitæ huius sine exceptione repudiatis, contemptis, pro nihilo habitis, Deum sequerentur, illi suos animos, mentes, corda deuouerent & consecrarent, quicquid hoc impediret aut remoraretur abscinderent atq; amputarent, quicquid esset adiumẽto arcesserent ac fouerent. diabolum tanquam Dei inimicum odissent, abominarentur, execrarentur, nihil cum illo haberent consuetudinis ac commercij, quicquid ab illo esset putarent uenenũ & pestem, caput esse omnis mendacij & fraudis. Dicat iam aliquis, an possit quicquam diabolo cogitari magis infensum atq; inimicum Deo? Ad huius ne doctrinæ robur & stabilimentũ uires & artes suas adiungeret diabolus, & accommodaret, quæ doctrina & uitæ institutio tantopere cum desiderijs suis pugnaret? Malus quidem est diabolus, sed non stultus aut imprudens, ipse ne, ut præstigias suas & fucos concederet atq; accommodaret, ad fulciendam disciplinam suis cupiditatibus tam aduersam? Dicet forsan aliquis malitiosissimè suspicax. Adiuuabat Iesum dæmon hac sola de causa & spe, ut insideret in hominum animis ea blasphemia & impietas, hominem illum esse Deum. Dictum hoc plus habet malæ uoluntatis, quàm mali nocumenti. longissimè non à uero tantum abest ea coniectura, sed à ueri similitudine. Nam si Christus nõ est Deus, haberi à nobis pro Deo pia est blasphemia, nec diaboli desiderijs utilis, nec Deo inimica. Primum Christus nihil nos iubebat indignum Dei maiestate credere, aut sentire. Doctrina Deo erat conformis, mundabat nos uitijs, ornabat uirtutibus, erigebat à carne ad spiritum, à mundo ad Deum, Deo uni & summo nos cunctos cõsecrabat. Quæcunq; ageret magna & mirabilia, & ipse in Deum referebat authorẽ, & illi ut gratias agerẽt adhortator erat atq; incitator: unde populus nõ rarò ad gratulationẽ Dei extollebat, quod prophetã magnũ suis diebus excitasset, per quẽ uideret suum populũ. Quid in his omnibus Deo nõ dignissimum? Humanitatem quam uidebant, nunquã dixit Deum esse, aut Dei filium, sed

filium

filium hominis. Iunctum uerò Deum esse homini ad liberationem nostram, ad salutem omnium, quis possit blasphemiam nominare? an non rebus omnibus Deus est iunctus & intimus? huic uerò homini ita esse annexum & applicatum, ut idem sit Deus & homo, quæ tandem est blasphemia? nónne salua manet utriusque natura, substantia, dignitas? Nihil indignum patitur Deus, tantum ad communicationem diuinæ excellentiæ humanitas erigitur. hoccine est impium, quod arguit bonitatem Dei, & amorem erga nos ineffabilem, quod fiduciam nostram de uita & salute sempiterna adauget & corroborat? Imò quid est pietas, si hæc non est. id de Deo sentire ac existimare, per quod crescat mihi de illo fiducia, & amem illum ardentius? Hiscine deseruiebat dæmon? quo fine, qua sua utilitate, quid cupiebat, quid petebat? Nam dicere Christum sese esse Deum, si non erat, ea uerò iniuria est Deo facta à Christo, ad nos nihil pertinet prorsum, qui per eius doctrinam & exemplum meliores & sanctiores simus, recedimus à diabolo, accedimus ad Deum cultu, charitate & imitatione uirtutum. Quis hoc credat de diabolo, uoluisse illum, conatum esse, perfecisse, ut tantam in regno & ditione sua plagam acciperet, quo inter Deum & hominem unum inimicitias fereret? In Iudaico populo nihil quærebatur dæmoni. Christus enim nunquam uetuit cuiquam ne parêret legi, sed ut uerius magisq; ex animo Deo obsequeretur, nec fiduciã collocaret in corporali actione, sed in bonitate mentis. In nationibus autem utro tempore florentius fuit regnum diaboli, ante Christum cognitum, an postea? Nec ignorabat dæmon, Christi doctrinam idololatriæ subuersionem esse. His omnibus accedit, quod miraculorum ratio ac modus aduersus prorsum & cõtrarius est dæmonibus, ut modò explicaui. Et quemadmodum Christus longissimè abduxit suos à commercio dæmonis, ab imitatione mentis prauissimæ ac sceleratissimæ: ita inuicem dæmones quacunq; potuerunt arte ac uafricie conati sunt homines à fide in Christum abstrahere, ac diuellere. ubi dæmonum authoritas suspecta erat & inuisa, ut apud Iudæos, ibi eum illi commẽdabant & laudabant, ut fidem illius eleuarent: ubi multum ualebant authoritate, ut apud gentes, ibi uituperabant atque insectabantur. Quòd si non fauebãt ei dæmones, imò erant infensi & inimici & hostes capitales, restat ut fautor & adiutor illius in rebus tantis Deus fuerit. Quòd si Deus, quum Christus ipse Deum se esse profiteretur, Deus ergo erat. alioqui enim nullus unquam maior, nullus infestior fuisset hostis Deo. Quantulum enim fuisset diaboli crimẽ præ isto? diabolus Dei tantum æqualitatem expetiuit, hic essentiam et naturam usurparet. Quòd si angelus tam grauiter est punitus de affectata Dei æqualitate, quid factum esset usurpatori illi & raptori substantiæ ac essentiæ ipsius diuinitatis? Dei ergo est filius, eiusdem qua ille naturæ ac essentiæ, missus in mundum ob salutem nostram. Hoc uerò nihil dubitabo addere atque affirmare, si falsi & decepti sumus in Christo, Deus nos fefellit. is enim tribuit Christo tantã sapientiam doctrinæ, tantam probitatem uitæ, opera tam mirabilia, negotium tam salutare omnibus, tam dignum Dei bonitate, ut si falsi sumus, meritò conqueri possimus nos à Deo falsos, sed nec fallere Deus quenquam uel uult, uel potest: nec nos falsi sumus, quoniam Christus, quo uno confidimus, Dei filius est, & Deus, doctor & author salutis ac beatitatis nostræ nunquam terminandæ.

DE TORMENTIS ET MORte Christi.

SI homo in prima illa integritate mansisset, qua erat à parente suo Deo in sua origine donatus, nihil ei fuisset gratius, nihil iucũdius lege Christi, nec quod libentius accepisset. Sed obtenebrata & concussa mente, excitata lege cõcupiscentiæ, & temerario ac uiolento regno carnis, nihil uisum est ei inimicitius quàm id quod ipsi maximè expediret, ut lux assueto in tenebris degere, & ægro medicina. Itaque & dæmon antiquissimas suas inimicitias est persequutus, & homines inconsultis animorum motibus dediti ac mancipati, quod eis esset contrarium, non solum repudiarunt, sed persequuti sunt: nec aliter in Christum insurrexerunt, quàm si quis luscioſis hominibus in obscuro sedentibus, fenestras derepente ad solem admittendũ aperiret. Fugerunt

gerunt ab eo uoluptarij homines,irriserunt diuites,persequuti sunt ambitiosi ac superbi,hoc est planè diabolici: ij potissimùm qui quũ dignitates & honores amplissimos specie sanctitatis captarẽt,nihil sibi magis rebantur obstare,quàm doctrinam & castigationẽ Christi,quæ illis personam illam theatricam detrahebat,& proponebat eos populo spectandos nudos,& in ea cuius opinionem uenabantur sanctitate infimos ac postremos,ne quis eos uellet imitari,tanto apud Deum peiores,quo se hic nomine maximæ ac præstantissimę uirtutis uendítabant. Itaq; simulatores hi probitatis odio et rabie obcæcati,tametsi magna eius cernerent et admiranda opera,uarijs sunt eum insidijs aggressi,uarijs modis conati sunt eum è medio tollere. Sed nec ante tempus,nec alio in loco,aut alio modo passus est se occidi,quàm ut essent omnia illi à patre præscripta et definita:hoc est,ut saluti nostræ expediret. In tempore expectatum est dum absoluisset instituendi ac docendi prouinciam, dum ea edidisset miracula,quæ stabiliendæ pietatis suæ fidei sufficerent, dum oraculorum quæ de se præcesserant pręstaret fidem,& eximpleret umbras figurasq;,quæ de se auorum memoria præcessissent. Mortuus est in iuuentæ uigore, hoc est annos treis & triginta natus,ut magis charitatem erga nos ostenderet,& paternis iussibus obsequentiam. tum enim posuit uitam,quum erat uiuere iucundissimum. Sed nec cõgruebat,ut ulla in sacro illo corpore existeret diminutio ætatis,uirium,ualetudinis:idcirco est his omnibus integris & ualentibus sublatus. Demonstrata est quoquè in specie sanctissimi corporis qualitas nostræ resurrectionis. tales enim resurgemus,qualis ipse: nos per reformationem corporum nostrorum,ille per naturæ suæ cursum. In loco autem placuit, ut Hierosolymæ deligerentur: ibi enim peractum est uerum hoc & summum sacrificium,ubi reliqua legis sacrificia,umbræ istius. Sed extra ciuitatem. nam quorum animalium,ut inquit Paulus,infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus,qui sanctificaret per suum sanguinem populum,extra portam passus est,ne illius tanti beneficij fructus ad unam ciuitatem existimaretur pertinere, sed in commune ad orbem totum. Et cruci affigitur extra conuersationem ciuitatum,& uanitatis ab hominibus inuentę,ad nostrum exemplum:sic enim debemus nos concrucifigi Christo,cura & amore harum rerum abdicato. In ligno moritur Dominus,hoc est mysterium peregit salutis, quoniam & lignum pernicíem ac mortem attulerat. & de ligno multæ sunt in Vetere lege figuræ,ut in disputatione contra Iudæos explicabitur. Genus est etiam mortis non solum ignominiosum, sed durissimum, & propè intolerabile. Crucifixus est inter duos latrones,ad maiorem ignominiam: & hoc auget atrocitatem calumniæ, & immanitatem inuidentium. Eorum latronum alter est ad beatitudinem seruatus à Christo,alter perijt magno & exemplo & mysterio. Quid magis uniuersis hominibus conduxit, quàm certos esse nos in extremis nostris rebus ac penè deploratis,salutẽ esse paratam per solam fiduciam in Christum,si nos illi uel puncto uno temporis uerè ac ex animo commendemus? Datum est eius rei certissimum ac manifestissimum exemplum in altero latronum, in altero uerò ostensum est,nihil proficere societatem laborum & crucis Christi,nisi adsit etiam fiducia in illum. Nihil iuuat crucifigi cum Christo, si Christum non diligis. Hi latrones duo,significatio sunt totius generis humani, quod uniuersum propter sua scelera pœnas pendit. in eo alij sunt boni, qui adhærent Christo, ijsq; Christi mors est salutifera. alij sunt mali, qui corpore quidem afflicti cum Christo,ab eo se auertunt animo: his Christum esse crucifixum nihil prodest. Cessit Dominus noster uita sua haud aliter, quàm si ueste aut calceo cessisset. In nobis quæ sunt naturalia,uolũtatis arbitrio non subduntur: quoniam nos ipsi intra limites naturæ uiuimus. Voluntati autem Christi ut natura erat subiecta, ita naturalia illius omnia sub eius arbitrium erant posita: itaque & relinquere animam, & resumere relictam, in eius manu fuit ac potestate. Idcirco clamans expirauit, quod admiratus est Centurio. Nam alij acti in crucem, profuso sanguine tormentis & cruciatibus fracti, afflicti, pessundati, per silentium cedunt è uita, ut mortui iam credantur multo antea quàm expirarint. Dedit

Dominus

Dominus in se locum & potestatem causis mortis, passusq; est in se fieri quæ in alijs mortalibus, ut ea ipsum occiderēt quæ alios occidissent, alioqui quid magnum fuisset, conseruare ipsum sibi uitam, qui alijs amissam reddidisset? Quid, quòd facillimū illi fuisset uel è uinculis discedere? uel quod aliàs fecerat, occultare semetipsum non in remoto loco, sed palàm medio foro & die, caligine ac tenebris cōspicientium oculis, ne ipsum cernerent, offusis? nam ipsi ad edendum miraculum nec instrumentis erat opus, nec tempore, uerùm id hominum saluti non cōducebat. Admirabile est plane, & aliorum eius operum simile, quemadmodum se in accusatione & damnatione sui habuerit semper in sua potestate, quàm manserit mens eius diuinitati concors & obsequens: ut appareat planè ipsum nō tractum, sed ultrò ad necem suam uenisse. In uinculis indignissimis, in calumnia mendacissima atq; impudentissima raptus, ad inimicos & iniquissimos iudices, inter tot accusantium clamores, & deposcentiū eum ad supplicium tractus, raptatus, cæsus, irrisus, quantam & quàm planè diuinam moderationem animi præstitit: non se proiecit in lachrymas & eiulatus, non in afflictionem sui ipsius, in supplicationem iudicum, in deprecationem pœnarum. Nec uicissim indignitate contumeliæ ac iniquitatis irritatus atq; incensus est, ut maledictis calumniatores, aut iudices, aut satellites inceſſeret: nihil prodijt ex sacro illo ore asperū, cōtumelioſum. Neq; in ostentationē uel loquutus est grandia & admirabilia, uel edidit prodigiū aliquod, præsertim apud regem Herodem, qui id tantopere tam diu desiderauerat. non longam de se, ac rebus suis, & accuratam habuit orationem, non abiecit suam ipse dignitatem, nec ademit iudicibus suam, incredibili temperamento usus in rebus tam angustis & difficilibus. Quum nihil se profecturum uideret, tacuit: quum autem opus fuit, respondit rogatus paucis & modestè, ne silentiū in contumaciam raperetur, neue allegare ignorantiam ullam possent, declarauit quis esset, sine cuiusquā iniuria. Quum autem raperetur ad supplicium, non fuit conciunabundus, nec de cruce loquutus est ad circunfusam turbam purgans se, & testes accusatores iudices culpans. Hæc illi in tanto tumultu, in tanta rerum omnium perturbatione confusissima suppetijt sapientia, modestia, moderatio, constantia, ut facile regi omnia diuinitùs appareret & mandatum se habere à patre, cui nefas esset non obtemperare, ut ita se gereret. Et quemadmodū animam suam ultrò relinquebat, ita se offerebat tormentis & neci, certus rerum suarum et præscius, quem essent omnia exitum habitura. Nam quis unquam inermis, paruo comitatus grege inermium, imbellium, ignobilium, indoctorum, ignauissimorū, quos ipse diffugituros prædixisset, incumbentibus in eius & doctrinæ ipsius perniciem cum odio sæuissimo & capitali pontificibus & principibus Iudæis cum populo, qui procerum uoluntate ac nutu mutabatur: quis, inquam, talis sperare esset ausus futurū, ut se sublato existeret quispiam deinceps, qui auderet nō dico prædicare, sed illum uel nominare omnino, uel fateri fuisse se illi notum? Nam uel eo uiuente, quod sacris interdiceretur, quisquis illum Christū esse diceret, non defuerunt, qui & doctrinam, & familiaritatem, & notitiam illius abnegarent. At Dominus nunc uicinus morti & Euangelium suum diuulgatū iri, prædicatumq; toto orbe prædixit, & testamentum suum fore æternum.

DE MYSTERIIS PASSIONIS ET MORTIS CHRISTI.

HÆc est illa crux Christi, Iudæis quidem, ut Paulus inquit, scandalum ac detestatio, gentibus autem dementia: uera tamen sapientia cœlestis, & ijs qui seruantur salus. Neq; est aliud æquè mysterijs & contemplatione rerum celsissimarum uel plenum, uel altum. In ipso Christo ostensa est & approbata obedientia erga patrem, qua non solum carnem induit, et se quodammodo exinaniuit Dominus, indutus forma serui, sed paruit usq; ad cruciatus & necem indignissimam, propter quod pater exaltauit illum, & præfecit angelis, hominibus, dæmonibus, ut omnes illius nomini ac potentiæ se summittant in cœlis, supra et subter terram. Declarata est charitas Dei aduersum nos, qui filio suo non pepercit, sed pro nobis mancipijs nequissimis & sceleſtissimis tradidit unicum suum unicè charum. Declarata est item Christi charitas, qui in illa omnia tam aspera & acerba, quoniam nobis conducebat, uolens & libens consensit.

consensit. neq; enim iniuncta illi & imposita essent, si noluisset. Cognoscitur liberationis & redemptionis liberalitas, & benignissima magnitudo. Noster enim reditus in gratiam cum patre ex amore patris & Christi est ortus, cuius amoris immensa copia quod nostro deerat suppleuit. Addita est tanta filij obtemperatio, tam immane & ignominiosum supplicium nostri gratia. Ne si paruo & leui essent omnia labore transacta, parum fortasse nos debere existimaremus Christo, cui non magno stetissemus. Nunc uerò debemus illi gratiam immensam, qui tot in suo innocentissimo corpore cruciatus pertulit nostra causa, tanto grauiores, quo illud corpus tenerius erat, & delicatius. Debemus nosmetipsos illi, qui semetipsum pro nobis impendit. Augetur inuicem charitas nostra erga Deum & Christum, à quibus nos tantopere intelligimus amari, & tantæ esse illis curæ. Crescit fiducia, non posse nos non esse Christo charos, qui nos tanto pretio redemit, & asseruit, qui tantum pro nobis egit. Naturale est enim, ut beneficus eum diligat, in quo beneficium collocauit: & eo ardentius diligat, quo plura & ampliora dederit beneficia. Oritur erga proximum charitas, pro quo uidemus Christum tantum dependisse, nempe seipsum, ne pro nihilo ducamus animam, pro qua Christus mortuus est. Norimus quanta sit peccati uis, quæ turpitudo & macula, quæ sic fuerit eluenda, & quidem ab homine iustissimo, & flagrantissima apud Deum gratia. Seruemus nos à uitijs puros, ne rursum crucifigamus in nobis filium Dei. Sciamus nos à seruitute diaboli extrema & abiectissima per sanguinem Christi esse liberatos, ne rursus in tam miseram conditionem relabamur. Fracta est diaboli tyrannis & potestas, in humanum genus minus iam habet uirium, non tantum illi permissum in nos sæuire atq; insultare. Vbicunque diuulgatum est Euangelium Christi, cessarunt continuò illius impostura: ut in Græcia, Asia, & uniuersa continente, simul audita est sancta illa uox Apostolorum, scriptores illorum temporum omnes conqueruntur cessasse oracula, desiisse deos dare responsa admirantur, quia causam ignorant. Auorum memoria in Canaria & alijs insulis Fortunatis dæmones uarijs formis exhibebant se illis populis conspiciendos, & eos alloquebantur, inducebantq; ad multa genera sacrificiorum sæua & horrenda, ut ad paruos filios iugulandos, exurendos, & alia huiusmodi: postea quàm deuicti sunt armis Hispanorum, & Christiana pietas illis est audita, fraudes illæ omnes tanquam caligo luce immissa discussæ sunt, atque euanuerunt. Sed ne quæramus exempla superiorum ætatum: nostra hac memoria in insulis occidẽtalibus, & Nouo hoc orbe Hispanis nauigationibus reperto, dæmones per uias omnes & compita frequentissimè homines illos alloquebantur, & quæ fieri uellent admonebant: ubi uerò Christianæ doctrinæ magistri eò uenerunt, magnum ilicò silentium omnium, magna fuga. Videlicet tenebras dispellit lux, mendacium ueritas. Et quia doctrina inualida est, quum aliter uiuit præceptor ac loquitur, & mores sunt doctrinæ contrarij: ualidissima autem est, cùm ipse qui præcipit actionibus suis eam constabilit & sancit: par fuit, ut Christus, sicut in disciplina salutis doctorem se exhibuit, ita in uiuendi ratione exemplar, ut qui antea de alijs imitandis dubitabamus, de hoc isto amplius non possimus dubitare, sed sequamur intrepidè optimum & sapientissimum, ut eadem uia insistentes, eódem quò ille perueniamus. Itaque proposuit se Christus exemplar nostrum, ut nihil cunctemur aspera omnia & grauissima adire ac perferre, ut obediamus Deo, ut illius in nobis amor augescat, ut proximo commodemus. Offenduntur quidam, quòd Deus in tanta humilitate ac deiectione uenerit, qua de causa multis præteritus sit ignotus, ut ipse idem causam uideatur præbuisse erroris ac impietatis erga se. Quàm uerè id ignorantia & cæcitas affectionum loquitur, non rectum iudicium rationis, ipsi idem quid dicant non intelligunt. Primùm quid uocant humilitatem, quid sublimitatem Dei? Si enim in sua ipsius forma atque specie uoluissent eum uenire, uniuersa id natura non cepisset, incomprehensibile illud est etiam angelis. Demisisset se ad ingenium & conditionem angelorũ: at hi nec apti sunt humanis conuersationibus, nisi corpore contecti: nec exemplum nobis possunt adferre, quum sint formæ superioris. At ex hominum qualitate ac conditione uoluissent isti, ut detulisset secũ opes, uires, potentiam,

exercitum, nulla esset passus incommoda, mortem deuitasset. Tum quidem agnitus fuisset prauis cupidinibus, incognitus rationi & iudicio mētis. Quid fuisset uel Christo uanius uel humano genere miserius, si ille exhibuisset se talem? Qui enim ueniebat, ut homines à cupiditate peruersa, à malis libidinibus, à tumultu & tempestate rationum, ad modestiam, sobrietatem, continentiam, ad æquitatem, tranquillitatem, pacem mentis reuocaret: idem ipse uita, actionibus, exemplo sui ad dementiam à sana mente reuocaret ac retraheret? Nihil pulchrius uel optabilius omnibus, quàm fieri quantum concedatur Deo similem. Si ille mundanas secum opes inuexisset, quid aliud quàm exacuisset nostras cupiditates? unde & obliuio religionis, & superbia, arrogantia, inuidia, rixæ, simultates, odia, pugnæ, & cædes uel inter fratres, dum illas uel paramus, uel retinemus, uel ne amittamus, sumus solliciti. Ita Deus nos in mala hæc omnia proclíues alioqui per nos ipsos, & propendentes præcipitasset. Qui spiritus, quæ arrogantia diuitum, pro dijs uoluissent coli: quæ desperatio pauperum? Iam uerò quid nos Christo deberemus, si comitatus uenisset tanta potentia? si placidè, si molliter, si inter uoluptates ac delicias, quod erat æui huius à patre iniunctum, transegisset, quid de nobis esset benemeritus? Minuis profectò, seu potius tollis prorsum gratitudinem erga Christum nostram, & proinde beneuolentiã et charitatem. Quanto ille melius ac sapientius? qui cùm esset mundi dominus, & rex uniuersorum, ut & bonitatem suam et amorem in nos ostenderet, demisit se ad nostram humilitatem. Tum demum uere amor sese profert & declarat, quum æqualitatem facit inter summa & ima, ut quemadmodum in legibus amicitiæ ait Cicero, Minor ascendat, maior se summittat. Non benè conueniunt, inquit Poëta quidam, nec in una sede morantur, maiestas & amor. Si rex posita personæ maiestate casulam uel tuguriolum subeat amore ductus puellæ, tum demum & se amare declarat, & multum ei puella debet. Deum, qui tantus est, adiunxisse sibi hominem hominis amore, summi, singularis, immensi est amoris signum, & homo illi seipsum debet, nec erit unquam soluendo. hoc uere coniungit nos cum Deo, non opulentiæ & diuitiarum arrogans ostentatio. Iam uerò ad exemplum. non considerant isti aptum esse exemplum non posse, quod accommodatum non sit ei qui sit imitaturus. omnes quotquot docent, ad captum se discentium summittunt. In Domino nostro, omnium animi morborum medicina est prompta, atq; ad manum exposita omnibus incommodis consolatio. Is in se expertus est frigus, æstum, lassitudinem, famem, sitim, uigilias, paupertatem, inopiam, persecutionem à suis, ab alienis, ignominiam, contemptum, conuitia, siniſtras benefactorum interpretationes, insidias, proditionẽ etiam à familiari, desertionem à suis, uincula, calumniam, flagra, uerbera, irrisionem, sputa, alapas, nuditatem, cruciatus, crucem, mortem, depositionem de cruce precariam, alienam sepulturam: & hæc innocentissimus, qua patientia, æquitate animi, modestia, moderatione, silentio? quanta existit hinc consolatio miseris? quantũ frenum fœlicibus? quæ utriscp disciplina sapientiæ? Hæc est uia & disciplina, & salus, & uita generi humano, non quod stultitia affectionum sibi confingit, quæ & diluit amorem Christi, & bonitatem eleuat, & pietatem nostram diminuit, et salutem sempiternam impedit ac auertit. Sed uolo iam undique hanc stolidæ cupiditatis amentiam apertius patefacere, & liquidum facere penitus quàm desipiat. Aio enim, quòd si Christus uenisset in opulentia, minus fuisset agnitus à rectè statuentibus. Metalla enim & uestes & mancipia & honor & dignitas & potentia, illa omnia humanæ sunt ambitionis, unusquisq; expetit, & quantum potest ad se rapit & trahit, per fas, per nefas. Non est hæc Dei possidere, sed contemnere. Cedò, quod regnum dedisses Christo, qui dominus est omnium regum? credo Israeliticum, in quo est natus. Maius ergo regnum habuisset Augustus Cæsar, maius Alexander Macedo. Non decuisset Christi dignitatem, ut regnũ sibi aliquod eligeret in terra, cuius esset terra ipsa & cœlum. Et in potẽtia nec iusticia, nec charitas, nec obedientia illius potuissent perspici & cognosci: omnia sub illa potentiæ uoragine, ut in nostris principibus, fuissent contecta et obruta: nec qua de causa quicq; uel loqueretur, uel ageret intellexissemus. Sunt enim & uerba & cõsilia principum obliqua. Omnia

in Christo

in Christo oportuit esse simplicia, plana, explicata, ne quid esset tectū, & simulatum, omnia essent ei qui uoluisset animaduertere obuia & facilia Iam uerò de potentia & magnitudine Christi audet quisquā conqueri, quòd occultata sit, & quasi celata? ecquid tandem apertius, aut manifestius? Quæ tandem fuit Alexandri potentia? adolescens egressus patrium regnum, comitatus quadraginta millibus delectissimorum militum, uicit Darium, cepit Asiam. Quę Iulij Cæsaris? milite Romano ueterano, uincere semper assueto, decem annorum bello Galliam subegit: mox imperator exercitatissimus in cursu uictoriarum superauit Cn. Pompeium, desuefactum bellis longa pace, & tyronem eius exercitatum: uicit Ptolemæum, Scipionem, filios Pompeij. At quæ Christi potentia? Venit iuuenis, filius Mariæ, sponsæ Iosephi fabri, solus et inermis, solo nutu suo quotiescunq; uoluit sanauit morbos omnes, expulit dæmones, minimo cibo saturauit multa hominum millia, reuocauit mortuos in uitam, imperauit uentis & mari, & obtemperarunt, etiam mortem eius cœlum atque elementa luxerunt. Quę est hodie, aut fuit unquā potentia huic similis, nedum par? huic quisquam potentiæ comparauit uniuersas quæ sunt, erunt, fuerunt? Si hoc non est infinitam & diuinam potentiam ostendere, atque ante oculos ponere, dicant mihi quid erit? Doceant isti quemadmodum uerius declarari queat potentia. An omnia sita esse ducent in numis et in armis, quorum possessores miserrimi sunt homines, propter motus animorum & tumultus concitatissimos. Alexandrum Macedonem (ut de hominibus loquamur, qui istis mirificè placent) quum Parmenio illi diceret, si essem Alexander, hoc aurum acciperem, quod pro uxoris & filiæ redemptione offert Darius: respondisse ferūt, Et ego, si essem Parmenio: sed ego memini me esse Alexandrum. Ita Deus si esset istorum similis, uenisset qualem ipsi cuperent, sed ille se Deum esse recordatur, hoc est ut potentissimum, ita mitissimum et benignissimum: ideoq; potentiam illam tantam prodigiorum nemo est suo malo expertus, omnes utilem sibi & salutarē senserunt. Ecce iam uobis Christum non in humilitate, non in occulto, nō ut ansam prębuerit ignorantiæ, sed sublimem, potentissimum, manifestum, ut prætendi ignoratio à quoquam nulla amplius possit, quod ipse idem est testatus: Si non uenissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem nullam habent de peccato suo. Vita eius testificata est bonitatem et innocentiā, doctrina sapientiam, miracula potentiā. Agite quem tandem iudicem nobis fertis? nullum recusabimus. Ad cuius censuram & iudicium, magnitudinem, potentiam, sublimitatem Iesu Christi uultis æstimari? Vultis sensus iudices? uidete miracula. Vultis mentem? expendite doctrinam. Vultis affectus? si ullus est in uobis erga pulchritudinem iustitiæ, probitatem innocentiæ, considerate dicta eius & facta. Manifestius ergo Dominus uenit, sed uitiosis oculis, sed imperitiæ aut inconsiderantiæ nimium opertus: ut alia omnia quantumlibet magna & excellētia, si absq; attentione prętermittas, uelut cœlum, solem, stellas, naturam ipsam rerum & eius opera.

DE SACRAMENTO IN CŒNA DOMINI INSTITVTO.

QVum uerò præsentiam suam discipulorum oculis esset subtracturus, quid magis illum decebat, qui tam nos tenerè atq; indulgenter diligeret, quàm eam sui memoriam nobis relinquere, quæ nos & amoris illius erga nos obliuisci nunquam sineret, & solatio esset, uelut parente destitutis, quæq; illum nobis quoad fieri posset, exhiberet, ac repræsentaret? ea uerò animis nostris est spiritus Christi, qui idem est & patris Dei: qui ut inuisibilis, cum inuisibili Ecclesiæ mente semper maneret, monens & docens eam quæcunq; sint opus. Quoniam uerò non solam habemus mentium cognitionem, sed etiam sensuum corporalium, istis admonitio relicta est Christi sub signis, quę in sensuum notionē caderent, panis scilicet ac uini: ut tam intus quàm foris uerum sit quod ipse pollicetur. Ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Irridemur hic à profanis, & incessimur acriter, quòd panis crustulam corpus esse Domini nostri asseramus, & uinum eius sanguinem. Quid non miraculo fuit, quum primùm proferretur? ut inquit Plinius. Nihil est quod non uideatur absurdum ignoranti modum, rationem, causas eiusce rei. Nihil tam graue, se-

rium,excellens,quod non ad calumniam et irrisionē pertrahi possit,si tu ex eo solùm colligas,quod est stultitiæ aut absurditati quadātenus simile.Sic Dei prouidentiam, ordinem uniuersi,religionem omnem,ortus,occasus, decursus mundi huius,quæ uidendo nunquam exatiamur,semper admiramur: Epicurei,homines ipsi maxime ridiculi,quia non intellexerūt,derisere,& Lucianus Epicurissimus subsannauit: quasi uerò non etiam nos rideremus, si talis esset Deus, si talis mundus & uniuersorum ordo,qualem ipse confingit.Sed reuertamur ad propositum.Ad ueneration em tanti sacramenti,ad habendam pro tali munere gratiam, causæ sunt explicandæ,& tota ratio negotij. Sapienterq; atq; etiam piè olim factitatum est à patribus, ut mysteria hæc non patèrent nisi ijs qui edocti iam essent, quæ nam sit cuiusque illorum uis & natura.Primùm considerandum est,hoc esse ab illo institutum, cui nihil nō solum impossibile, sed nec difficile uel arduum. Corpus Christi in eo est sacramento, modo quodam nobis incomprehensibili.nec mirum.quota enim quæque est res ex istis naturalibus quas cognitione sensuum usurpamus,& contrectamus manibus, quarum essentiam,rationem,qualitatem,uires intimas assequamur? Tributum est sacramētum hoc ab amante ad memoriam sui,à patre ad consolationem desolatorum ac quasi orphanorum, à miti ac misericorde ad fiduciam trepidantium, à medico ad salutem ægrorum.Idcirco & corpus ipse suum reliquit,ut hæc omnia essent certiora ac firmiora:nec enim res posset inueniri alia,quæ ita & memoriam ipsius cōseruaret integram, & affectionem uigentem. Quis enim erga rem ullam quantumcunque excellentem et admirabilem ad eum posset modum affici propter Christum,ut erga corpus ipsius met Christi? Nec par erat, ut qui tantum Ecclesiam amaret, alia in re fundaret recordationem amoris,ac beneficiorum suorum,quàm intus in suo spiritu,foris in suo corpore. Quiq; sic nos diligebat,& illo tenebatur zelo, ut nos ad se unum traheret,& per se ad patrem, ne quóquam aliò animi nostri deflecterent, nunquam profectò sustinuisset, ut in alias res:ad cultum, ad ueneration em, ad renouationem charitatis intenti essent animi nostri, quàm ad eum ipsum. Indubiè ita est, quia sic esse & Deum decet,& nobis expedit.Formæ autem electæ sunt panis & uini,quoniam sunt res maximè puræ,tum quòd eas intra nos sumimus, ut sumpsisse nos sciamus Christum: ut quod amanti maximè est optabile,non solum nobiscum,sed intra nos habeamus rem unicè charam. Habent etiam hæ duæ substantiæ rerum altissimarum significationes, & tanquam simulacra duo:alterum materiale, quòd sunt alimentorum præcipua:alterum spiritale:quod fiunt, panis quidem ex granis contusis tritici, uinum autem ex uuæ acinis pressis.Priore declaratur,præcipuum quoquè & saluberrimum omnium alimentorum esse sacramentum hoc,quod uitam immortalem adferat,& suffulciat rite sumentibus.Posteriore autem intelligimus charitatem corporis Ecclesiæ & membrorum inter se:ideoq; à Græcis synaxis nominatur,à nobis communio.corpus enim hoc ex nobis omnibus componitur,ut panis ex granis, uinum ex acinis,sed contusis prius & pressis charitate,ut iam nullum existat granum,nullus acinus.sic in communitate hac Ecclesiæ nemo est suus,sed aliorum:nemo suum per se habet sensum & affectum,sed alienum,id est,conuersum in substantiam corporis communis. Itaq; ad alias sacramenti huius utilitates accedit hæc, quòd docemur qualis sit Ecclesiæ compago,& cuiusmodi esse unumquenque nostrum decet,& quomodo affici erga cęteros homines.

DE RESVRRECTIONE, ASCENSIONE, MISSIONE Spiritus sancti.

NOn erat congruens,ut corpus illud Christi sacratissimum, tam obsequens animo & rationi instrumentum diuinitatis ad tantum bonum, iaceret in puluere & putrefactione:nec ullo prorsum modo expediebat nobis ad ueneration em atque amorem in Christum.Quis enim æquè reueretur,aut diligit mortuum, ac uiuentem? ad spem uerò nostram quum in Christum,tum resurrectionis corporum nostrorum, ut nos haud aliter speremus redituros ad uitam,quàm uidemus salutis nostrę authorem atq; inuentorem.Christi enim resurrectio initium est nostræ. Nam Deus Christi humani-

humanitatẽ excitauit à mortuis,quæ ipſi eſt proxima: per hanc ad remotiora, hoc eſt ad alios homines ueniet. Oſtendit Chriſtus potentiam ſuam morti inimicam,authorem ſalutis & uitæ,quæ non ſolum alijs uitam largiretur,ſed ſibĩpſi.etenim ipſe idem nullius ope aut procuratione adiutus,reddidit ſeſe uitæ,& refellit conuitium ludęorum:Alios ſaluos fecit,ſeipſum nõ potuit ſaluum facere.Reſurrectio enim ſpõtanea, mortem quoque ſpontaneam fuiſſe oſtendit manifeſtò.Sepulchrum Chriſti nouum prorſus, & grande ſaxum ad oſtium obiectũ,tum cuſtodia militaris, argumenta ſunt certa reſurrectionis, & corporis ad immortalem beatitudinem commutati. Nouum ſepulchrum declarat,non eſſe alium qui ad uitam ſurrexerit.Vaſtum ſaxum declarat, nihil iam illius corpori quo minus penetret quácunque libuerit obſtare.Militaris cuſtodia,illum ſi collibitum ſit,non poſſe perſpici.Sed illud certiſsimum uitæ eius argumentum, quòd oſtendit ſe uiuentem diſcipulis, collocutus cum illis ſæpe, uerſatus, contrectatus. Ideoq; qui illum poſt reſurrectionem uiderunt, ceruices ſuas indubiè morti obtuſerunt pro fide reſurrectionis eius.Quòd ſi non apertiſsimè conſpexiſſent eum diſcipuli uiuentem, renuntiaſſent uitæ inſtitutæ, inuiſæ mundo, fucum ſuſpicati & fraudem ineſſe.Quis illorum adeò uecors fuiſſet & inſanus,ut mortem non dubitaret oppetere pro fide reſurrectionis illius,qui ſpem eſſet eorũ fruſtratus?quid enim expectaret amplius,à quo ſe deluſum in tanto promiſſo recordaretur?quis potius nõ execraretur eum,qui hominibus in negotio pietatis ſic imponeret? At non exhibuit ſepoſt reſurrectionem oculis multitudinis ſpectandum,ut antea. Vulgus enim rude, & tantorum myſteriorum ignarum,credidiſſet uel phantaſma aliquod eſſe, uel magicis artibus ac pręſtigiatorijs deludi oculos ſuos.Nec diſcipulis id prędicantibus eam habuiſſet fidem, quæ ſi ipſi ſoli quum uidiſſent, & contrectaſſent eum, tormentis & nece ſua confirmarent. alioqui enim ſuſpicax in deteriora populus, ſe quoquè aſpexiſſe diceret, ſed non ſibi illum eſſe uiſum, aut fucum aſpectui eſſe factum. Et quum expediret Chriſtum ad patrem aſcendere,nihil conueniebat minus,quàm relinquere ſuſpicionem de reſurrectione ſua ullam.ideoq; ut alijs in rebus,ita in hac quoq; teſtimonium in ſequentes ætates propagandũ noluit eſſe promiſcuæ multitudinis,quod inconſtans & temerarium eſt,ne leuitatem in eo poſteri poſſent ſuſpicari.nec ulli uoluit apparere,qui poſtea eſſet dubitaturus,eamq; dubitationem extenſurus tanquam contagione in uenturas ætates:nec ulli qui non eſſet poſtea paratus,ſanguinem & uitam pro eiuſce ueritatis teſtimonio profundere.Quid,quòd reſurrectionis perſuaſio non conſpectum requirebat modò,ſed collocutionem,conuerſationem,contactum, ut Thomas dixit.at ea non poterant uulgò fieri:multóque erat aliud ſe natum hominem,uiuentemq; omnibus oſtendere, quàm à morte ſuſcitatum.Ad prius enim pauciſsimis eſt opus argumentis, ad hoc uerò alterum permultis. Quapropter illud datum eſt turbæ,hoc uerò paucis, atque ijs ſelectis. Non conducebat nobis, Chriſtum hìc in terris poſt reſurrectionem ſuam agere, & inter ſuos uerſari. magis enim de illius præſentis magnitudine dubitaſſemus.Non facilè capit humana mens,ut quẽ hominem ſibi ſimilem conſpicit, Deum eſſe credat, qui omnia condiderit & ſuſtineat. Nec erat iam corpus illud beatiſsimum diuturnæ inter homines conſuetudini idoneum.Expedit uobis,ut ego uadam,dicebat Dominus ſuis:quippe ſi non abiero,paracletus non ueniet ad uos.Nam niſi enim deſijſſent apoſtoli uidere Dominum,non facti fuiſſent apti & capaces ſpiritus ſancti. nunquam enim ſe ad illius ſuſtuliſſent diuinitatis contemplationem, capti præſentis humanitatis conſpectu iucundiſsimo. permanſiſſent in amore rerum corporalium,nec ſe ad ſpiritales erexiſſent.Apud oculum corporis abſorbetur Chriſti diuinitas in humanitate, apud oculum uerò mentis humanitas in diuinitate:ſicut ſi hominem oculus corporis intueatur,totus uidebitur corporeus,& animus deliteſcet ſub aſpectu corporis:ſin uerò oculo mẽtis, nihil tam exiſtet,quàm animus,& mens, ut corpus non iam ex homine uideatur eſſe, ſed uelut tegmen quoddam & appendix.Eodem ſe res habet modo in contemplatione Chriſti Dei & hominis. Itaq; aſcendit is in cœlum, ut eò aſſueſcamus mentẽ, deſiderium, uota noſtra omnia, ubi ipſe eſt,mittere: & monſtretur uia, quà nobis eſt eundum, &

perueniendi fiducia. Melius quoq; nobis est, ut Christus in cœlo ad dexteram sedeat patris, unde plura & maiora ad nos bona euentura facilius confidimus, quàm si hic semper moraretur in terris. Ascensu Christi reseratum est sanctis animabus cœlum, quod ante illum erat clausum. Neque ullus patrum illuc ascenderat. hic est aduentus Christi, & redemptionis ac liberationis nostræ fructus amplissimus. Æquum erat etiam, ut qui ad homines in cœlum mittendos huc uenerat, primus ipse in tanto bono esset dux reliquorum, nec cuiquam alteri fas est eam gloriam & decus tribui, quòd primus hominum in cœlum intrarit, ut qui princeps uiam aperuerat, instruxerat, munierat, primus ipse ingrederetur, primus aperiret ostium, ne si quis alius prior ascendisset, illi uel uiæ factę, uel reserati ostij beneficium posset imputari. Primus ergo Christus in resurrectione, primus & caput Ecclesiæ, primus in beatitudine. Reliquis autem dux ipse, & author, & causa. Cæteri ut ab illo, & per illum, ita post illum. In rebus alijs humanis facilè quiuis Christum præcesserit: in suis autem ipsius bonis, in sua hereditate, nefas est. Ascendens in cœlum Christus, discipulos suos manere Hierosolymis iussit, donec cœlesti ab se missa uirtute confirmarentur & corroborarentur. Ante id tempus erat illis Christi præsentia maximo solatio, qua una acquiescentes nihil requirebant aliud. hanc quum expediret ab eorum oculis subduci, missus est illis spiritus sanctus, qui præsentiam illam suppleret docendo, admonendo, consolando, inflammando eorum corda. Noluit eodem momẽto temporis aut die mittere, ut assuescerent patienter expectare opem Domini, & illi fidere, etiam si differenti & procrastinanti. Spiritus sancti effectum in Apostolis manifestò sentimus, in doctrina mentium eorum, & animorum confirmatione: adeò ut etiam si de eo nulla esset scriptura, indubitabilis esset & certissima cõiectura. Discipuli enim ante Domini mortem tam indociles, post eius resurrectionem tam docti & sapientes magistri orbis terrarum: quumq; admiranda eius cernerent opera, trepidi tamen semper & diffidentes in periculo deseruerunt eum: atq; etiam qui uidebatur animosissimus & constantissimus, iureiurando abnegauit: post resurrectionem ultrò se pro illo offerebant, & glorioßissimum existimabant sanguinem pro eo profundere, uitam ponere. Indubie multum effecit resurrectio. nam ubi uiderunt eum uitæ sese reddidisse, reuocarunt in memoriam ingentia & diuina illius opera. unde magna erga eum reuerentia, fiducia, & charitas. Sed nec tam facilè essent omnia recordati quę ab eo audierant, nec intellexissent ea, quorum multa quum ab eo dicerentur, præterierunt nõ intellecta: nec tam conformiter fuissent firmi et constantes in tuenda fide, quam ab eo acceperant, etiam per infamiam, damna, cruciatus, mortẽ, nisi uirtute aliqua diuina & edocti & corroborati. Res facta ostendit liquidò suam causam. Tum illis decem diebus, quibus dilatus est spiritus sanctus, agentes in eisdem ædibus trepidi, & extrema metuentes malorum, cœperunt sui metipsorum experimentum, quàm nihil essent omnino sine præsidio diuino, & condiscerent illum expetere uotis omnibus atq; implorare. Pòst uerò præsidio illo muniti, quàm fortes atq; animosi euaserunt? Magna est hęc ad ingressum diuini spiritus animorũ nostrorũ purgatio, si agnoscamus nos nihil esse, Deum in nobis esse omnia, ut nos ipsi contẽnentes atq; aspernati, ad Deum solum nos cunctos conferamus ac recipiamus, illum unum inuocantes atq; implorantes magna cum fiducia & charitate. Quæ Christus suos edocuit, ea ipse ut magister & dominus tradidit. At spiritu sancto mittendo uoluit nos cognoscere, & ad intelligentiã doctrinæ omnis opus esse cœlesti lumine, et ad executionẽ præceptorũ cœlesti ui ac uirtute. Pertinebat spiritus sancti missio ad doctrinã uenturæ Ecclesiæ, ut consuesceret sursum spectare. inde mentẽ sanam, inde uoluntatẽ rectã optare: & se quemadmodũ apostoli accepissent, acceptura certũ haberet: nec quia Christo ipso immortali non erat magistro usa protinus abijceret animũ, memor, se posse habere spiritũ sanctũ eundẽ, quem apostolorũ doctorẽ & tutorẽ post magisteriũ & tutelã suam Christus esse uoluit. Et quemadmodũ in primitijs Ecclesiæ expositor, doctor, admonitor, conseruator fuisset eorũ quæ tradidisset Christus, ita in sequenti Ecclesia esset futurus, ut nullo unq; tempore uel magistrũ mutaret Ecclesia, uel doctrinã, sed eandem ab exordio peregrinationis

ſuæ retineret uſq; ad terminũ, eundẽ inſtitutorem, qui à Chriſto exhibita ſuggereret ſemper atq; explanaret. Quid magis ad cõſolationem noſtram, ad inſtitutionẽ pietatemq; conſeruandã, ad ſalutẽ deniq; cõgruebat? Quid aliud à tanto amico erat expectandũ: à tam pio & indulgenti patre? Datus eſt ſpiritus ſanctus ſenſibiliter apoſtolis, ut & ipſi accipere ſe ſcirẽt, & reliqui deinceps accepturos ſe ſaltem ſpiritaliter non diffiderent, quod alios ſenſibiliter accepiſſe uidiſſent, uel audiuiſſent. Magnarũ enim rerũ, fidẽ manifeſtiorẽ eſſe inter initia cõuenit, ut inde in reliquũ ad occultiora proficiat. Apparuerũt ſuper ſingulos igneę linguę, inquit Lucas. Ignis ad inflammandum & illuſtrandũ facit, lingua uerò ad explicationem eorum quæ mente conceperis. Ad opus Euangeliſtę Chriſti neceſſaria eſt mens, quæ capiat myſteria, & animus, qui intrepidè admoneat: & lingua quæ diſerte. Linguarum uerò donum ad uarietatem nationum edocendam eſt tributum. Fides enim, ut Paulus inquit, per auditũ. tum ex linguarum pronuntiatione, & accipienti manifeſtus fiebat ſpiritus Dei, & audienti.

DE APOSTOLIS ET MARTYRIBVS.

QVæ poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, poſtq; ſpiritus diuini miſsionem ſunt conſequuta, non minus Chriſti diuinitatem nobis ponunt ob oculos, quàm quæ præceſſerunt. Nam ſi quis quæ facta cernimus, futura prædixiſſet, nemo habuiſſet fidem, niſi ope ac opera peculiari Dei, ac propria, factum iri haberet perſuaſiſsimum. Tanta enim ſine humanis ullis uiribus nec ingenij, nec corporis, nec uitæ, quanta Chriſtus, nemo potuiſſet profectò perficere, niſi eſſet Deus. Principiò, quæcunq; facit Dominus, iuſta ſunt: nec quiſquam ei poteſt dicere, Cur ita facis? Sed quoniam homini mentem atque intelligentiam tribuit ad libertatem uoluntatis, placuit ei hactenus ſe approbare, ne quam in eo occaſionem relinqueret querelæ ueriſimilis. Ergo ne qua conqueri poſſet natio non ex ſe natum Dominum, non ſe ab eo edoctam, & naſci ex ea uoluit, quæ cognitionem ac legem accepiſſet Dei: nec ad gentes eſt egreſſus, quibus regnum Dei annuntiaret. ſi qui enim Chriſtum audiuerũt è gentibus, intra ipſos Iudææ terræ limites audiuerũt. Quin nec ſe uiuo paſſus eſt diſcipulos, quos ad ſalutem nuntiandã hominibus quoquò uerſum dimittebat, ad ciuitates gentium proficiſci. Rediturus tamen ad patrẽ iuſsit, ut apud omnes immortales ſine exceptione ulla uel diſcrimine diuulgarent Euangelium regni cœlorum, Deum eſſe omnium patrem, nullam apud illum diſtinctionem fore, illum eſſe eundem omnibus. Chriſti pietatem & gratiam iam non ad unum aliquem pertinere populum, ut legem Moſis, ſed ad uniuerſum humanũ genus. neq; enim eadẽ eſt hominis unius, & filij Dei cauſa. Moſes bonus fuit miniſter Domini, ſed populo Iſraëlitę. Filius Dei, qui & idem eſt Deus, omnium eſt dominus, omniũ pater, æqualis ad omnes, idem ſemper & ſui ſimilis. Qui ergo Deus intra fines unius populi non cõcludebatur, huius miſericordiam non oportebat illi ſoli populo patêre, ſed tam latè ſe extendere ac propagare, quàm potentiam & ſapientiam. Ideoq; fides Chriſti catholica nuncupatur, hoc eſt uniuerſalis, quòd omnium ſit gentium, omnis ſexus, omnis conditionis, continens quæcunq; ſunt ſaluti adipiſcendæ neceſſaria, nunquam ceſſatura. Et quo facilius prædicatio hæc apoſtolorum per orbem ſeſe diffunderet, maximam orbis partem ditioni uni atque imperio ſubiecit, Romano ſcilicet: quæres facilem præbebat inter nationes tranſitum, commeatum, communicationem omnium inter ſe. Adiuuabat eam rem linguę communio. plurimi enim ſub Romana ditione loquebantur Latinè, plerique Græcè, ita breui tempore fama rerum omnium atque auditio latiſsimè ſe diffundebat. Elegit Deus Apoſtolos ſuos ad tantum & tam admirandum opus, quibus nulli omnino uideri poterant minus idonei: ſed elegit infirma mundi, ſicut Paulus inquit, ut confunderet fortia. Scientiſsimi atque apertiſsimi eſt artificis, malo & inepto inſtrumento idem efficere, quod alius aptiſsimo atque appoſitiſsimo uix poſſit. ſicut Apellem carbone de foco ſumpto, ita eum à quo eſſet ad Ptolemæi prandium inuitatus expreſsiſſe tradunt, ut omnes inuitatorem illum ad primam delineationem agnoſcerent. Sed mirandum non eſt, Deum quæ uelit incongruentibus

præstarę instrumentis, qui instrumentis omnino nullis indiget, quicquid fingere statuerit. Itaque misit pauciſsimos ad quàm plurimos, rudes ad peritiſsimos. erat enim mundus ingenijs atque artibus excultus, ſi unquam aliâs: ne quis fucum factum, aut dolo captos esse homines posſit ſuſpicari. misit infantes ad diſertiſsimos atque eloquentiſsimos, misit ſimplices ad aſtutos, inermes ad armatos, imbelles ad bellicoſos, inopes ad imperium populi Romani. Expediebat tantam esse in primis illis ædificij huius extructoribus humilitatem, ne ipſi humanis uiribus artibuſcę aliquid tribuerent, aut in eis ſpei quicquam aut fiduciæ collocarent: ſed ſibi penitus diffiſi, ab ope ac præſidio penderent Dei. Tum ne quis ſtultè ac dementer aliquid ex ijs quæ facta eſſent, humanæ potentiæ attribueret. Ne ipſi quoqę apoſtoli humilitatem ullam poſſent aſpernari, memores ſuę. Diſcerent manſuetudinem & miſericordiam alijs impartiri, quam à Deo eſſent conſequuti. Ciuitas hæc eſt Chriſti, regis mitiſsimi ac manſuetiſsimi: nihil conueniebat primis illius fundamentis, ac ædificio, ex cemento contrariæ ciuitatis, nempe diaboli, admiſceri ſuperbiæ atque arrogantiæ. cuius ipſe author eſt, inuentor, caput. Et ut magis & ipſi ad Dei opem ſubinde implorandam conſuescerent accurrere, & ueritas doctrinę purior exiſteret, ac purgatior, aduerſarios dedit diſcipulis principes, proceres, milites, philoſophos, orbem penè cunctum. Pugnabāt multi aduerſum paucos, omni præterquàm diuino præſidio deſtitutos & deſertos: pugnabant (inquam) odijs, inuidentia, rabie, maledictis, inſectatione, tormentis, occidione: propoſita erat ijs qui inſtitutum amplecterentur Chriſtianum infamia, dedecus, paupertas, cruciatus, mors, ignominia toti generi ac poſteritati. Et quemadmodum electum eſt ad prædicationem apoſtolorum imperium Romanum, ita & ad cruciatus ac martyrium, ne regulos haberent Chriſtiani ad quos confugerent, ſed abiratо principe Romano nullum relinqueretur ſuffugium. Quis enim auſus eſſet tutari, quos omnium dominus rerum capitalium damnaſſet? Prædixerat hæc eis Chriſtus omnia, ne quum acciderent terrerentur, ſed memores eius à quo eſſent præmoniti, forti animo ſubirent pericula. Quanto & quàm diuino conſilio hæc ſunt acta omnia: ne quid ſuorum incrementorum deberet pietas mundo, ex Deo penderet tota, quæ ſciret originem ſuam, auctus, progreſſus, exitus, omnia habere ſe ex ſolo Deo, uel uniuerſo mundo inuito ac repugnante. Initiò quum ſanctæ pietati fundamenta iacerentur, ſatis eſt diligenter procuratum aſtu & calliditate ſathanæ, ut Chriſtus ſecum coniungeretur: ut in aliquam uel ſocietatem, uel portionem admitteretur ſancti regni, effecit, ut Tiberius Cæſar Senatui Romano ſcriberet de Chriſto inter alios deos recipiendo. idem edicto Adriani, idem uoluntate Alexandri Seueri tentauit: nihil profecit. non poteſt ſathan coire ſocietatem cum Chriſto, non congruit, non expedit nobis. Quòd ſi tum Chriſtus pro uno ex dijs eſſet habitus, beneficiaria uiſa eſſet illius diuinitas, data ab imperatoribus Romanis: nec ea quæ ſumma eſt religio & ſola, non talis fuiſſet credita, ſed una ex bonis. Conueniebat ergo ad eius uirtutem atque excellentiam cognoſcendam, per omnem contradictionem examinari. Quo ore commendant philoſophi tolerantiam: & eius rei ad nos cohortandos, paucula quædam colligunt præcepta, atque ea fortium uirorum, nempe philoſophorum, aut militum, quos ætate in laboribus duriſcę rebus exercitata, mirandum non erat aliquid in patientia corporum ſuper cæteros præſtare. At nos permulta poſſumus exempla noſtra inducere, quibus ſanguinem ſuum profundentibus ſancta & conſtabilita eſt noſtra pietas. nec hi ſunt ſolum fortes ac robuſti uiri militares, uel philoſophi, per cogitatus & exercitamenta animo ac corpore indurati, nam his quoquè abundamus: ſed fœminæ, pueri, puellæ, ſenes. At qui cruciatus? qui ad ſui miſerationem impellebant eos, qui Chriſtianos aiunt extrema omnia commeritos: ut Tacitus Cornelius. ut inter cætera miracula non ſit illud habendum in poſtremis, potuiſſe à teneris corpuſculis tam immania tormenta perferri. Sed quod natura nullo prorſum modo ualuiſſet, perfecit Deus. Tulerit Caius Marius, uel Alexander Macedo, aut uir aliquis bellis & laborum patientia obduratus, ictum unum

atqę

atque alterum lethalem: quid puella tenerrima, quid tam multos toties cum acerbiſſimis doloribus morſibus repetitos? Nec fruſtra cruor ille ſacroſanctus fundebatur. Nulla in terram cadebat gutta, ex qua multi Chriſtiani cõſurgerent: ut expreſſa in ueritate uideatur fabella de ſerpentis dentibus à Cadmo in Bœotia ſparſis, unde armatæ acies naſcerentur. O magna uis ueritatis, exclamat eorum Cicero; quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq; fictas omnium inſidias facilè ſe per ſeipſam defendit. Ita Chriſtiana religio, quo acrius & rabioſius eſt oppugnata, hoc è prælio fortior, præſtantior, gratior excedit. Planè eſt quod ille pronuntiauit, Veritas eſt rerum omnium fortiſsima. Itaque diſceſſerunt noſtri martyres, etſi mortui, uictores tamen. Nec uideatur hoc uobis abſurdum, qui M. Attilium Regulum necatum à Carthaginenſibus, in tormentis uictorem dicitis eorum ipſorum, à quibus iniquè & immeritò tortus fuerit, & neci deditus. Idem affirmatis de Zenone Eleate, & de alijs uiris præſtanti uirtute, qui iniqua ſunt morte ſublati. Quanquam uos, ſicu timodò dicebam, pauciſsima poteſtis commemorare exempla eorum, qui mortem ultrò pro ueritate & iuſtitia obierunt: & in ijs alij effugiſſent ſi licuiſſet, ut Zeno. Nam Anaxagoras fuga ſibi conſuluit, alij ſeruierunt ſuæ gloriæ, ut Attilius. Socrates quid de dijs ſentiret, criminationi apud iudices reſpondens, diſsimulaſſe creditur. Maccabæi fratres propter patriam legem, mortem obierunt: ut Phileni fratres pro patriæ terminis defodi ſe uiuos paſsi ſunt, ſicut Saluſtius & Valerius Maximus tradunt. Curtius quoquè in lacum medio foro Romano ſe coniecit, & Decij in medias acies. hæc pietate patriæ. At pro pia ueritate mortem conſtanter perferre, non ſubterfugere, nõ diſsimulare, inſtitutum eſt quod Chriſtus è cœlo ad nos detulit, accenſis ſuorum pectoribus incredibili charitatis flamma erga Deum, ut omnia, etiam uitam ſuam & ſanguinem Deo poſthabeant. nec id unus excepit, aut alter, ſed tot millia: ut totidem homines in id conſenſiſſe, pro grandi eſſet habendum miraculo. Poſt noſtrum uerò martyrium, profani aliquot in re falſa imitati ſunt, quod nos in uera, ſcilicet nauat diligentem operam dæmon, ut in id ſuis malis exprimat, quod in ſuis bonis operatur Deus: ſed ille inefficaciter, ſicut omne genus uirtutis & ſpecimen ingentis pietatis conatur effingere. Verùm quales tandem ſint diabolici martyres, quales Chriſti, à fructibus utrorumque non obſcurè dignoſcitur. Quid dicemus, quantum miraculum eſt, quàm planè Dei opus, quod martyres noſtri præſtiterũt, ſiue dum ipſi inuicti tam immania ſupplicia perferũt, ſiue dum homines priuati, humiles, imbelles, imperiti, infantes, ab ijs omnibus quibus uis aliqua fit hominidestituti ac inermes, præter quàm diuino præſidio, doctis indoctiſq; perſuaſerunt res adeò ſublimes? Quum philoſophi difficile perſuadeãt moralia, difficilius multo naturalia, arte, eloquentia, exercitamentis, atque uſu inſtructi & armati. Nunquam eam habent uim ficta, quæ uera. ſi res ſimulata eſſet noſtra fides, atque adumbrata: non eum in humanis pectoribus effectum, ſiue ad credendum, ſiue ad agendum, ſiue ad patiendum, oſtenderet tot ſeculis, tot hominum millibus, non coactis, ſed ultrò uenientibus, quum tam multa in contrarium à nobis retraherent. Videamus iam quàm contra ius & fas omne, tam grauia pertulerint ſupplicia. Meritò & ſapienter, quiſquis dixit: Si accuſari ſuffecerit, quis erit innocens? At Cornelio Tacito ſatis grande & legitimum eſt præiudicium, damnatum fuiſſe Chriſtum à Pontio Pilato præſide Iudææ. Quæſo te Publi Corneli, ſi ita eſt, quid fiet Socrati? quid tuo Ciceroni? quid Rutilio? quid hiſtoriæ tuæ numinibus Heluidio Thraſeæ, Senecæ? quid alijs multis? Audiamus crimina, prodeant actores, ſedeant iudices. Actores multi ſunt, & crimen non unum, ſed pro ingenio cuiuſque. Philoſophis diſplicet, quòd ſuis principijs contradicitur, & natura neglecta altius ſeſe humanus animus attollit: ut Athenis irriſus eſt Paulus ab Stoicis & Epicureis, ad mentionem reſurrectionis mortuorum. Mordebat illud acrius, quòd inuecta meliore doctrina, uidebant ſe minore in pretio futuros, & contemptum iri ſuam caliginem luce fulgente. Superbo infenſum eſt, honores & decus & faſtum conculcari: diuiti, pro nihilo haberi opulentiam. Principi odioſum eſt, maiorem potentiam allegari,

legari,& oſtendi alium eſſe,cui ſit potius parendum:quem affectum ſuperbiſsimum adhuc in quibuſdam eſt deprehẽdere Chriſtianis principibus, qui non parum æquis auribus de diuina omnipotentia accipiunt,præſertim quum de illorum humana eſt mentio. Voluptarius adimi ſibi ſuas delicias fert moleſtè: Pontifices & ſacerdotes, decus,authoritatem,opes. Parentes indignantur liberos ſuos honore,nobilitate,hæreditate,cõnubijs,pro nihilo habitis ac ſpretis,ad nudum & pauperem,& humilem Chriſtum, tanquam ad certiſsimum aſylum confugere. Sed quis ſigillatim perſequatur ſingula? quum non defuerit Epheſi ſtatuarius, qui in Chriſtianos populum concitaret,quòd idola tollerent,unde ipſe magnum faciebat quæſtũ. Quenque ſuæ rapiunt ſcelerata in prælia cauſę,inquit Poeta.Prætextus tamen communis omnium erat,uiolari religiones patrias,& cõtemptum eſſe numen deorum immortaliũ. Hoc uidelicet erat ad omnes ſpecioſiſsimum. Tacitus & Tranquillus nihil profectò eorum legerent,quæ tam temerè damnarent,ſequuti uulgi opinionem ac uoces. Et ſatis apparet, eos curam omnem ſuorum ſtudiorum in excolenda lingua, non mente conſumpſiſſe. Quomodo enim religionem noſtram uocant maleficam,cuius caput eſt omnibus bene uelle, bene conſulere, bene facere? Quod,inquam, in commune Chriſtianorum aliud eſt unquam crimen intentatum, niſi quòd Iouem non colerẽt? Nam quædam rabioſiſsimè & acerbiſsimè conficta ſunt,& tradita pueris legenda,ediſcenda, cantillanda publicè: ſed quia falſa & conficta, non hæſerunt in nobis, ipſa per ſeſe diſſoluta ſunt.Audite ſodalem ueſtrum Plinium Cæcilium,qui huius criminis inquiſitioni præfuit,dum Aſiam prouinciam regeret:nam uos ex populari uociferatione iudicatis.Plinius ergo in epiſtola quadam ad Traianum ſic inquit: Propoſitus eſt libellus ſine authore,multorum nomina continens,qui negant ſe eſſe Chriſtianos,aut fuiſſe,quum præeunte me appellarent,& imagini tuæ,quam propter hoc iuſſeram cum ſimulachris numinum adferri,thure ac uino ſupplicarẽt,præterea maledicerent Chriſto,quorum nihil cogi poſſe dicuntur,qui ſunt re uera Chriſtiani,dimittendos putaui. Alij ab indice nominati,eſſe ſe Chriſtianos dixerunt,& mox negauerũt:fuiſſe quidem,ſed deſijſſe,quidam ante triennium, quidam ante plures annos,non nemo etiam ante uiginti quoquè.Omnes & imaginem tuam,deorumq; ſimulachra uenerati ſunt,ij & Chriſto maledixerunt. Adfirmabant autem hanc fuiſſe ſummam, uel culpæ ſuæ,uel erroris,quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſeq; ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia,ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe,rurſusq; coẽundi ad capiendum cibum,promiſcuum tamen,& innoxium. Quo magis neceſſarium credidi,ex duabus ancillis,quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet ueri et per tormenta quærere.Sed nihil aliud inueni,quàm ſuperſtitionem prauam & immodicã. Hæc ille. Sed erat tamen præter iam dictas alia cauſa, cur ſcriptores illi de Chriſtianis non ſine ignominia facerent mentionẽ.Exarſerat enim tantopere & principum et uulgi odium aduerſus nouam pietatẽ, ut quiſquis de illa paulò moderatius meminiſſet,in ſuſpicionem raperetur,antequã uideretur fauere ei, cui nõ malediceret,quamq; non proſcinderet graui conuitio.Qua calumnia ut ſe omnino ſcriptores liberarent, cum probro & contumelia nominabant Chriſtianos, quoties in eorum mentionem inciderent.Quod etiam hodie fieri à quibuſdam animaduertimus in damnatis opinionibus, quas multi non audent abſq; præfatione contumeliæ nominare,ut ſe probent longè ab illarum factione abeſſe.Quòd ſi priſcis receptisq; maiorum cultu religionibus contrauenire tantum erat nefas, cur impuniti relinquebantur philoſophi,qui nõ ſolùm ueteres illos ritus cultusq; irridebant et damnabant,ſed eorum multi ne deos quidem eſſe arbitrabantur:alij animas noſtras affirmabant mortales eſſe,& deorum curam ad terras ac res humanas nunquam ſe demittere: quibus dictis religiones omnes,non illæ ſolùm fictæ,& ab errore humanæ ignorantię introductæ,ſed quæcunque aliæ ueræ ac ſanctæ funditus extirpabant. At qui ea diſputabant atq; aſſerebant,nõ ſolùm magni erant in ciuitatibus,& honorati,

ſed

sed eorum libri in pretio & manibus omnium. Quòd si nostri contra religiones anti quas loquebantur, at audissent saltem quas alias adferebant, & utrasque inter se con ferrent ac reputarẽt. Nihil tale, sed clamore imperitæ multitudinis damnati sunt, exo si uoluptatibus, diuitijs, potentiæ, honoribus, dæmoni, quîs omnibus bellum indixe rant, ut homines per horum inimicitias ad amicitiam Dei sustollerent. Cedò autem qui iudices cõdemnarunt, & addixerunt supplicijs, sancti & incorrupti? Primus om nium Nero, hinc Domitianus, Seuerus, Maximinus, Maxentius, Diocletianus, De cius, & eorum ministri. Istis uidelicet curæ erat deorum religio, quos gentiles ipsi fa tentur deorum fuisse contemptores: aduersus homines autem teterrimas belluas & crudelissimas, flagitijs & facinoribus sæuissimis coopertos & obrutos, hostes uirtu tis omnis, probitatis, honestatis, laudis: ut euidentissimum argumentum sit, fuisse bo num, quicquid illis displiceret. Vel ex ipso iudice, cõdemnati rei colligatur innocen tia. Habebant hi principes, ut fieri solet, similes sui præfectos prouinciarum, & mini stros. Torquebantur & dilaniabantur martyres immaniter, partim à sæua iudicis na tura, partim ambitione quadam, ut se principi suo uel ad multitudinem uenditarent, tanquam ultores publici odij, & edictorum principis sui diligentes exequutores: a liàs quoque pietatis odio, quæ cum eorum moribus grauiter dissideret ac pugnaret: aliàs contentione quadam, uter uinceret, uiolentia iudicis, an patientia martyris. Vo luit Christus, ut quemadmodum suo sanguine, ita & suorum, quam ille de cœlis attu lisset pietatem, sanciri. Primùm, quòd par erat, ut labores atq; ærumnæ capitis redun darent in membra, ita implentur quæ desunt afflictionum Christi, ut inquit Paulus, tum ut certius confirmaretur pietas, quam non uerbis modò, & inani cõtentione as sererent, qui adferebant, sed morte probrosissima & crudelissima, haberent quoquè exemplum sequentes, quid facere illos patiq; oporteret pro diuina ueritate.

DE CVRSV ECCLESIÆ SANCTÆ CATHOLICÆ.

HIc decursus Christianę Ecclesiæ perpetuus erit, quoad tota hæc terrestris in cœ lum sit translata, & ex mortali facta sit immortalis: ex afflicta, beatissima. D. Au gustinus, & Ioannes Picus, referunt fuisse qui terminos quosdam statuerent ætati Ec clesiæ, qui omnes iam olim præterierunt, magna illorum uanitate atque ignominia, qui limites uolebant ponere in eo quod Deus iussit esse sempiternum. idq; illi ex po situ siderum uolebant colligere, quum nec religio, nec hominis uoluntas cœlo sit & sideribus subiecta. Neque ulla est siderum coitio, quæ efficaciam suam in tot regio nes tam diuturno tempore possit extendere. Argumenta pia super ea re hæc sunt. Cœlum quandoquidem à Deo bono regitur, non potest esse malarum legum atque impietatis causa, eorum denique quæ bonitati ac sapientiæ Dei contraria sint atque inimica. Contemplari est in uniuersa natura, qui ordo, qui consensus, quàm sapiens institutio. quàm absonum ergo fuerit, ut quæ ratio naturæ nollet fieri, ab ijs tamen procurentur sedulò quæ partes naturæ sunt magnæ, potentes, optimæ, principales. Quòd si uirtute magnæ alicuius coniunctionis religio aliqua nascitur: abolita illa uirtute, aboleri quoque religionem est necesse. Nulla autem siderum est coniun ctio, cuius uirtus durare per tot annos fingatur etiam ab astrologis, quot annis & cultus idolorum, & Mosaica religio, & Christiana perdurant. Triplicitates uerò si derum quæ olim erant, hodie sunt: etiam quas authores esse religionum Ptolemæus ponit. Quur igitur nemo nunc colit idola, ut olim? Sed hac de re non uidetur mi hi necessarium esse anxiè disputare, postea quàm ostensum est authorem religionis nostræ esse Deum, hunc uerò bonum & clementem, qui benignitatem suam in uni uersas generationes effundit usque ad consummationem generis humani. Si quid ille naturaliter est acturus, ut in causis, sic in naturalibus informatum concedi potest. Sin uerò supra naturam est acturus, nihil necesse est, ut sit in causis naturalibus, nem pe cœlo & sideribus uel insertum uel indicatum. Sunt qui miracula etiamnum ad confirmationem suæ fidei requirant, seu si apertius auderent loqui, ut credant om nino, dubij plus nimio & incerti in persuasione sanctæ ueritatis. Primùm miracula dubium non est quin sint facta innumera, quorum plenę sunt historię, & fatentur uel

inimici

inimici noſtri,quarumcunq; ſint ſectarũ,Iudæi, gentiles,Agareni.Alioqui hoc eſſet maius omnibus miraculis miraculum,ut ait quidam,Sine miraculis adductum eſſe mundum inuitum & repugnantem ad opiniones,adeò à receptiſsimis & inueteratis alienas & contrarias, per tantam repugnantiam & perſequutionem potentium.Nec dubium, quin edantur quotidie ex fiducia petentium: ſed non ſcribuntur omnia, non omnia perferuntur ad nos.Multa etiam ſcribuntur, ſed ſuſpicio falſorum miraculorum aſpergit ueris ambiguitatem. Auaritia enim quorundam, falſas miraculorum impoſturas comminiſcitur,ex quibus deprehenſis ac manifeſtis, quæ ueriſsima ſunt redduntur incerta:quod eſt in religione peſtiferum,& execrandi qui ea confingunt, maioresq; pœnas meriti, quàm qui adulterant pecuniam, aut antidoto admiſcent aconitum.Cæterùm qui tandem exigunt prodigia? qui indigni ſunt qui uel uideant naturalia, prono ſemper in terram capite, ritu belluarum:aiunt ſe uelle intueri etiam ſupra cœleſtia,qui nunquam cœlum aſpexerunt.Rapi uolunt in altum portentis,ut inquit Ficinus,non uirtutum gradibus aſcendere.Nunquam utuntur ratione, & uolunt quæ rationem ſuperant intueri.Nam ſi ratione, ſi conſilio,ſi iudicio uterentur,aliquando hæc eſſent eis ad confirmationem pietatis pro magnis & admirandis prodigijs. Illud eſt in hac miraculorum poſtulatione ridiculum ne an indignandum maximè, quòd inſani homines ita à Deo poſcunt ad religionis firmamentum miracula, quaſi negotium agatur Dei in eo, ut ipſi ueræ pietati accedant: & non potius eorum ipſorum, qui ex miſerrimis & perditiſsimis ad ſalutem & fœlicitatem tranſeunt. Simile eſt hoc dicto illi principis cuiuſdam, Sufficiat Chriſto, quòd nos principes illi exhibemus fidem. Quantæ erant in eo qui id dixit tenebræ inconſiderationis? iſti Deum ſibi fingunt, ut unum aliquem de noſtris regibus, cui expedit fidem ſibi haberi, ſe diligi & coli à ſubditis. Miraculorum ſatis eſt factum,credat qui uolet: ſuam rem aget,non Dei.Adde quòd miraculorum fides ſeu fiducia eſt effectrix.Vbi eſt nunc ea in nobis erga Deum fiducia, quæ impetrare poſsit à Deo, ut miraculum uel faciat,uel accipiat? quanquam ſi quis rectè expendat,non deſunt nobis miracula in rationibus pietatis,ſi quis ad exactum iudicium referat.Nec dubium quin ſancti illi patres, Eccleſiæ naſcentis creſcentisq; proceres Apoſtoli ac martyres, rationibus ſint potiſsimum uſi,intermiſtis nonnunquam miraculis uelut gemmis, quæ fides & feruor tum prædicantis, tum concionis ipſius impetrabat. ſed illa oculis dabantur, rationes autem menti. Nam quum homo cognitionem habeat ſenſuum, quæ eſt ei cum mutis animantibus communis,& cognitionem mentis,quæ eſt ipſi propria,magis decet illum rationibus mentis formari ad uirtutem ac cultum diuinũ, quàm prodigijs,quæ oculis alijsq; ſenſibus oſtenduntur, in admirationem ſtuporemq; impelli. Hoc eſt quod Abraham diuiti illi nepoti petenti,ut aliquis ex mortuis reſurgeret, qui uiuentes admoneret meliorum,reſpondit:Habent Moſen & prophetas,ſi illis fidem non adhibuerint, nec ſi quis illuc à nobis reuertatur,credent. Validior certè eſt ratio rectè reputanti,quàm miraculi ſubita admiratio. Miraculum enim & ſuſpicionem & calumniam patitur, tanquam impoſitum ſit ſenſibus: uera ratio non patitur, quæ quo magis tractatur, expenditur, excutitur, eo inuenitur firmior, ſolidior, certior. Dedit ergo olim Dei benignitas prodigia,dat quotidie,dat cuiq; quod ualidius ſit prodigijs ad colendam ſanctam pietatem, nulli probetur excuſatio malitiæ. uitio quiſq; ſuo eſt malus,beneficio Dei bonus.

DE RESVRRECTIONE NOSTRORVM corporum.

DEmonſtratum eſt antea multis uerbis hominem à Deo eſſe ad ſempiternam beatitudinem conditum.eos igitur homines,qui ipſi fiducia & charitate adhæſerint,beatos efficiet. Quòd ſi homines beati atq; immortales erunt, animi reddentur corporibus.non enim ſolus animus eſt homo,aut ſolum corpus, ſed quod ex ambobus conficit.Alioqui nihil attinebat corporatos cõdidiſſe homines:ſpiritus ſuffeciſſent nudi,ut in angelis,ſi corpora ſemel in morte occũbentia nunq; eſſent ſurrectura.Adde quòd nos in homine animaduertimus uitam uegetantem in utero matris,

uitam

uitam ſenſuum in infantia,uitam affectionum & rationis inferioris reliquo uitæ huius decurſu.reſtat uita mentis & rationis ſuperioris,quam quia hic non uidemus, alicubi certè futura eſt non ſolum in anima, ſed in ipſo etiam toto homine, in quo & reliquæ ſunt oſtenſæ ac exercitæ.Rectè Athenagoras:Appetitus æternitatis quoniã toti eſt homini inſitus,fit,ut totus homo immortalis ſit,reddetur ergo corpus luci ac uitæ.Et hominem totum non in alienum uſum Deus retulit, ſed ad actum procreauit naturæ ſuæ intimum & congruentiſsimum,ut deum amet,imitetur,fruatur. Corpus autem & anima communiter ſunt in his operata, aut in contrarijs: communiter igitur uel prȩmium accipient,uel pœnam.Quòd ſi homo integer non reſurgeret,fruſtra eſſet anima à corpore impedita,& corpus ab anima:hæc dum regit corpus,illud dum paret,Vnde multa utrique & grauia extiterunt,& permoleſta. Itaq; dura conditione alterum eſſet alteri alligatum,& uenirent corpora in ſocietatem malorum,non bonorum.Adde quòd leges in commune ſunt corpori & animo impoſitæ.Iam uerò uniuſcuiuſq; rei certus eſt finis:hominis nullus quidem certè eſt,niſi fœlicitas:homo ergo totus eius eſt capax,& ea fruetur.Sic colligit Athenagoras, ſapiens in Eccleſia Chriſti adoleſcente.Cæterùm non eſſe poſsibilem reſurrectionem contendunt, qui Deum ipſum ſummum ac præpotentem limitibus naturæ huius concluſerunt, & tanquam carceribus coërcuerunt:abſurdiſsimumq; id uiſum eſt philoſophis Athenis,Paulo de religione diſſerente.Atqui redditos uitæ permultos ex Chriſtianis,annalibus conſtat,hos nõ admittunt,admittamus nos ſuos ipſorum. prætereo fabulas, ut Caliſthonis filium in uitam eſſe reductum à Ioue, tum etiam Pelopem: Alceſtem, ab Hercule:ab Æſculapio multos, uelut Hippolytum,qui dictus eſt Virbius,Glaucum Minois filium,&Pollucem Tyndaridem.Sed Plato Herum quendam Pamphylium reuixiſſe ait, in extremo de Republica. Idem Plato ex diſciplina Pythagorica μετεμψύχωσιν ponit, genus quoddam reſurrectionis. Theopompus ſcribit Zoroaſtris fuiſſe opinionem, omnes aliquando reuerſuros in uitam. Plinius in lucẽ rediſſe tradit plurimos,quorum duo exempla ſubiecisſe ſuffecerit.E duobus fratribus equeſtris ordinis Corfidio maiori accidiſſe, ut uideretur expiraſſe,apertoq; teſtamento recitatum hæredem minorem funeri inſtitiſſe:interim eum qui uidebatur extinctus plaudendo concinuiſſe myſteria,& narraſſe à fratre ſe ueniſſe commendatam ſibi filiam ab eo. Demonſtratum præterea,quo in loco defodiſſet aurum nullo conſcio,& rogaſſe ut ijs funebribus quæ comparaſſet efferretur.Hoc eo narrante,fratris domeſtici properè annuntiauere exanimatum illum,& aurum ubi dixerat repertum eſt.& paulò pòſt:Bello Siculo Gabienus Cęſaris claſſiarius fortiſsimus captus à Sex.Pompeio,iuſſu eius inciſa ceruice,&uix cohęrente,iacuit in litore tota die.Deinde quum adueſperauiſſet, cũ gemitu precibusq; cõgregata multitudine petijt, uti Pompeius ad ſe ueniret, aut aliquem ex charis mitteret: ſe enim ab inferis remiſſum, habereq; quod nuntiaret. Miſit plures Pompeius ex amicis, quibus Gabienus dixit: Inferis dijs placere Pompeij cauſas, & partes pias. Proinde euentum futurum quem optaret,hoc ſe nuntiare iuſſum.Argumentum fore ueritatis,quod peractis mandatis,protinus expiraturus eſſet. idq; ita euenit. Non diſputo de horum ueritate, ſatis eſt his exemplis non oportere uideri impoſsibile: & gentiles quidem quum illa dicebant, nemo commouebatur.nos quum dicimus,non poſſumus ferri.Audiamus iam cauſam,cur nemo poteſt mortuus in uitam remeare. A priuatione in habitum impoſsibilis eſt regreſſus.Axioma fragile, ad quod fulciendum ſexcentis eſſet opus tignis. an non à tenebris ad lucem eſt regreſſus,à ſomno ad uigiliam,à quiete ad actionem, à cæcitate ad uiſum:Sed cauillantur,non à priuatione ad eundem habitum.quid refert,modò ad ſimillimum,ut idem prorſum uideatur. Qui enim amiſſum recuperat uiſum,recepiſſe dicitur alioqui nec uiſum meum hodie eundem eſſe dixeris qui heri fuit. Argutiæ ſunt iſtæ ineptæ ac pueriles. Quòd ſi poſsibilis eſt reditus à priuatione ad eum habitum qui periit,aut certè ſimillimum, quanto erit magis à diſiunctione ad coniunctionem:neq; aliud eſt mors, quàm diſiunctio, & diſſociatio: uita autem, cõiunctio & nexus,itaque manente anima & corpore, perinde eſt ac ſi lapides

in pila ſeparentur, poſtea rurſum componantur. Velim iſti intra ſe reputẽt atq; expẽdant, utrum eſt difficilius dare animam nouam ei corpori quod antea nunquam habuit, an reddere illam ei quod habuit. Sed iſti quia alterum uident contingere, alterum non experiuntur, ſine cogitatione rationis ſequũtur ſenſus, & prius ducunt facillimum, alterũ impoſsibile. Atqui philoſophi eſt, ratione magis moueri quàm ſenſu: quam rationem ſi imbecillitas ingenij eorum nõ poteſt exculpere, certè ſtudium ſapientiæ oblatam atq; oſtenſam debet amplecti. Sed quorſum attinet ex principijs naturæ diſputare de eo, quod naturæ omnem latitudinem excedit? & quidẽ ex principijs non manifeſtò naturæ, ſed quæ ſibi homo aliquis confinxit ueriſimiliter ad id quod ſe aſſequi exiſtimabat. Quæſtio autem illa multos torquet, an idem reſurget homo, eadém ne materia, eadem facie ac forma. Quî fieri poteſt? inquiunt. nam forma ſæpe eſt in homine eodem mutata: materia uerò fluit in modum amnis. quæ erat ab hinc annos quatuor, iam non eſt. ſucceſsit alia atque alia, ut aqua in flumine, & tranſit ad diuerſas formas: ut quum ex cadauere fit uermis, ex uerme anguis, ex angue lutum, ex luto herba, rurſum ex herba comeſa ab homine caro humana, & homines alij alios deuorarunt, & quotidie in quibuſdam regionibus deuorant. Hæc & alia permulta congerunt quidam, partim admirantes quónam corpore redibimus ad uitam, partim de uniuerſali reſurrectione multum ambigui. Verùm omnia, ut aliæ ferè quæ de ueritate ſuboriuntur ambiguitates, originem capiunt ab ignorantia. non enim conſiderant quid ſatis ſit, ut idem dicatur homo uarijs temporibus, quod ſermo communis non neſcit. Idem eſt homo exhauſta per morbum carne, colore diluto, cæcus & ſurdus, qui prius ſucci plenus, colore uiuido, compos uidendi atque audiendi ſenſu. Itaq; formæ ac faciei uariatio, tum mutatio materiæ ac corporis, non efficit alium hominem, niſi alius ad adhærentia referatur: quemadmodum alius dicitur qui ſententiam mutauit, aut affectionem aliquã. Redibit igitur eadem anima ad materiam quam Deus dabit, & erit idem homo qui prius quàm moreretur. materia autem erit eius rationis ac generis, cuiuſmodi eſt humanorum corporum, nempe ex quatuor primis qualitatibus confecta, hac facie & figura, his ſenſibus, his membris internis ac externis, hac compoſitione, contextura, proportione, harmonia, intus & foris, qua nunc ſunt homines. alioqui non eſſent idem homines, ac ne homines quidem, ſed aliud quoddam genus. Audiamus Paulum, conſcium maximorum arcanorum, de quo philoſophus Æneas ſic loquitur: Paulus ſimilitudinem adfert de ſemine, ut quiſq; ex eo quod uidet, intelligat quod nõ uidet, & qualis fit à Deo quotidiana generatio, talis erit illa extraordinaria. ex ſemine arbor naſcitur & animans, ſic ex parua cuiuſq; corporis parte creſcet corpus, ut ex coſta Adæ corpus Euæ. de quo uir dicit: Ecce nunc caro ex carne mea, & os ex oſsibus meis. ſic ille. Iam & in illo hæretur, quid ijs fiet qui ſenſum adhuc habebant exiguum, ac propè nullum? an ita reuertentur in uitam, quales ſunt infantes & fatui? Infantes uelut in herba habent ſuum ſenſum, accipient qualem erant in iuſta ætate habituri, quaſiq; herba ad frugem perducetur, & uiriditas ad maturitatem. fatui uerò, ſtupidi, dementes, non habent nullam mentem, ſed oppreſſam, atque impeditam: ſoluetur ac liberabitur, quemadmodum oculi reddentur cæcis, & manus ac pedes mancis. perfecti homines reſurgent omnes. hoc nemini debet uideri admirabile, qui conſideret authorem illius reſurrectionis. Quippe imperfectiones corporum, atq; inde ſenſuum, & mentium humanarum in hac uita, uel exiſtunt ab imbecillitate artificij naturæ, uel à caſu aliquo, uelut morbo aut læſione. Si ad uitã illam reduceremur à natura ipſa, & obnoxij eſſemus iniuriæ uariorum caſuum, talesq; haud dubiè eſſemus, quales hîc. Sed ſine miniſterio naturæ reddet nobis corpora & humanã uitam rex ille & dominus naturæ, in quem non cadit ignoratio, non infirmitas, ſupra caſus omnes. quocirca nihil eorum nobis tum accidet, quæ hîc uel ab infirmitate, uel à caſibus eueniunt. Et mutatum iri humana corpora in conditionem longè hac noſtra potiorem, reputanti ſtatus illius excellentiam manifeſtiſsimum eſt. non enim magnitudo beatitatis animorum infirmitate, horum corporum uilitate, miſeria poſſet contineri & conſiſtere. Quid, quòd nec

cœleſtis

cœlestis ille locus quem sumus habitaturi, hanc ignobilitatem & turpitudinem corporum posset perferre.

DE CESSATIONE VICISSITVDINVM.

CORpora nostra immortali deo in sempiterna beatitudine unita, immortalia erũt ut animæ ipsæ. Homo enim ex corpore constans & anima, medius inter mentes illas qui angelis dicuntur, & corpora sublunaria: ut angeli, ita & ipse ab animo immortalis est conditus: à corpore autem, quemadmodum hæc subcœlestia: caducus & mortalis, quo ad uaga hæc infirma & peritura: subcœlestia statuentur firma, stabilia, sempiterna: tum & nostra corpora, sicut res illæ unde est desumptum fictumq; firmabitur in æternitate uitæ. Nec beati essemus, si rursum esset nobis in uitam reuertendum. Nam uel morituri reuerteremur, & iterum surrecturi, uel post mortem nunquam reuicturi amplius, si rursum exurgeremus eadem ratione & sepe & infinities, quod est ridiculum. Sin absumptis corporibus soli remanerent animi, iam non homines essemus, sed animi corporibus exuti. Quòd si ad eadem essemus uitam reuersuri quid miserius, quàm iterum eosdem labores, easdem calamitates subire? si ad aliam incertam, quid possit illis mentibus nuntiari tristius, quàm uenire rursum in aleam infœlicitatis, in qua incertus sit exitus, utrum ad eandem reuolabunt fœlicitatem, an in eam detrudentur miseriam, qua uident inimicos Dei plecti? Hinc quum non possent se Pythagorici extricare, & philosophi alij, qui reditus animorum in hanc uitam illis authoribus posuerunt, uelut Plato & Platonici, ijsq; non pauci poëtarum assensi, flumen Letheum excogitarunt apud inferos, ex quo bibẽtes animi, obliuionẽ haurirent omniũ rerum actionumq; transactarum, rursus & inciperent in corpora uelle reuerti. Itaq; quoniam beati illi animi si se à beatitate illa casuros scirent, non possent plena fœlicitate perfrui, nescire illos hanc sortem, uoluerũt. Quæso cuius est impudentiæ, affirmare mentes illas corporibus, hoc est tenebris atq; ignorantia exutas, in illa rerum omniũ luce ac scientia nescire quid sit sibi euenturũ: nos in tanta caligine, seu uerius cæcitate ad omnia, profiteri nos, quæ est hæc tam proiecta ad mentiendũ impudentia, scire? quis id edocuit? quis nuntiauit? Sed fortasse non omnino nec sciũt neq; nesciunt, sed dubitant. atqui uel ea ipsa dubitatio gaudia illa tam immensa diluit. Et si alios uident ad uitam hanc redire, ex illis possunt de se indubiam cõiecturam capere. Quæro iam, quod ob crimen ex tantis illis bonis, rursum ad ergastulum hoc, extremæq; miseriæ conditionẽ deuoluuntur? nam nullo eorũ cõmerito, nõ est credibile ab optimo Deo in mala hæc à fœlicitate illa deturbari. Delictum omne ex ignorantia aut imbecillitate nascitur in illis animis purissimis ac purgatissimis, quæ in scientia rerũ omniũ uersentur, in quibus nullæ sunt prauæ cupiditates, nulli affectus qui uoluntatem sollicitent contra rectũ, ubi nulla ignorantia, nulla infirmitas in statu rerũ, quo nullũ neq; possent meliorẽ optare, neq; uellent, quæ potest subire uel occasio peccandi, uel causa? Adde his, quòd reditus animorũ in hanc conditionem corporũ ac uitæ, cõtrarius uidetur esse rationi & causæ, cur Deus hunc mundum condiderit, de qua sumus superiore uolumine loquuti: quæ quidẽ est, ut mentes multas participes facere suæ beatitudinis. quod ubi esset iam perfectum cuius foret libidinis puerilis ac lusus, rursus infectũ facere, & ita uicibus cadendi & surgendi fœlicitatis ac miseriæ capi ac delectari? uelut quum pueri domunculas ex bacillis & ruderibus cõponunt, quas subinde cõstruunt & diruunt, atq; in uarias facies conformant, quarum nulla diu placet. Quòd si nostra corpora immortalia erunt in cœlis, & Deo immortali summo ac præpotenti iuncta, quasiq; in eo absorpta, in quo uno sunt bona omnia, non indigebunt profectò fulcimentis uitæ, nec ad crescendũ, nec ad morbum propulsandum, nec ad mortem uel deuitandam uel differendã. Cibus enim & medicina propter uitam sunt reperta, quæ uita si propter coniunctionẽ cũ ipsa immortalitate nunquã est defectura, nec externis alimentis aut adminiculis indigebit. Quocirca quæ ad uitæ huius nostræ transigendæ usum ac rationem pertinent, stirpium, animantiũ, florum, frugũ ortus, maturitates, interitus, opportunitates arandi, serendi, metendi, uigilandi, dormiendi: hæc cessabunt omnia, uidelicet quie-

cet opus fine ſublato, finis enim natura & conditio eſt, agentem inſtigare ut inſiſtat & perſeueret in opere. Nihil ergo opus uere, æſtate, autumno, quæ ad percipiendas res hiſce uſibus neceſſarias ſpectant: non die, nec nocte, quæ ad actionem & quietem horum corporum. Curſus ergo & conuerſiones cœlorum ſiſtent. neq; enim erit opus amplius ijs quæ per eiuſmodi motus fiunt uel ab uitæ neceſsitatem, uel ad contemplationem ingeniorum, ut inde qualis eſſet author & rector uniuerſorum intelligerent, eumq; reuererentur piè ac colerent. Ea uerò non abolebuntur, quæ nõ ſunt noſtra, ſed mundi, ut cœleſtia corpora & eorum ſpecies ac ornatus, tum elementa mundi inferioris. Quale autem nunc cœlum perdurare cernimus, talis erit poſt reſurrectionem uniuerſalem mundus ſublunaris. In cœlis enim iam eſt munere conditoris ſui eſſentia immortalis cum qualitatibus mortalibus, nempe motibus & uiciſsitudine conuerſionum. ſub cœlo autem ſemina ſunt tantum immortalitatis, quæ tunc in ſtirpes & fructus conſurgent, quum erit Deus (ſicut Paulus inquit) omnia in omnibus, id eſt, Dei uita atq; immortalitas per omnia communicata & diffuſa. Quòd ſi mortale ad immortalitatem adducetur, purum certè ac defecatum, & in ſua naturali eſſentia conſtituetur, detractis ſordibus. eluit quidem aqua, & emundat, ſed extima: ignis uerò etiam intima perpurgat, ut experimur quotidie in aqua, uino, oleo, metallis, carnibus. Emundatio igitur horum elementorum à permiſtione ſordium, quas ex perpetuis generationibus & corruptionibus contrahunt, eo inſtrumento fiet, quo mundiſsimè perpurgantur omnia, nempe igne. Tunc erit quies cœlorum, ſiderum, elementorum: & quemadmodum ille inquit, maximorum arcanorum conſcius, liberabitur creatura omnis à ſeruitute corruptionis, id eſt ab eo labore, quem propter res corruptibiles perpetitur. Exuſtionis huius mũdi ſublunaris odor quidam etiam ad gentes manauit. Panætius Stoicus (ut Cicero tradit) metuebat, ne ad extremum mundus igneſceret. Et Plinius ait, Vergere mundum iam in uices ignis: & Ouidius, ex fatis indubiè Sibyllinis ait, ſed poëticè,

Eſſe quoq; in fatis reminiſcitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

DE IVDICIO IESV CHRISTI.

IN uita hac, & mundi huius decurſu, omnia uidemus permiſta & confuſa, bona malis, parua magnis, bonis damna accidere, malis commoda, & uice uerſa. quæ res magnopere multorum perturbauit iudicia: adeò ut de prouidentia, qua uniuerſitas continetur, malè exiſtimarent, & inducerent pro æterna illa & immenſa ſapientia fortunam, & caſum, & temeritatem. Par eſt ergo, & ſapientiæ æquitatiq; rectoris omnium ualde congruens, oſtendi hominibus, angelis, dæmonibus, diſtinctionem aliquam bonorum ac malorum: itaq; iudicium illud extremum & uniuerſale. Iudicauit quidem Deus initio mundi huius ſathanam, & totam eius factionem, conſcijs quidem angelis, ſed non conſcijs hominibus. Iudicat unumquenq; ſtatim à morte, ſed in occulto. Aliquod ergo reſtat iudicium uniuerſis mentibus manifeſtum, ut boni iuſtitiam Dei laudent, mali de illa non poſsint conqueri. & in eo iudicio patefaciet Deus omnibus, quo conſilio ea egerit, quæ ſtulti homines reprobabant quum non intelligerent. tunc ſimul ipſe de uniuerſis iudicabit, ſimul oſtẽdet quàm praue ſit de ſe à multorum dementia iudicatum. Conſcientiæ omnium omnibus patebunt, ita momento temporis unuſquiſq; de ſe pronuntiabit. bonus accedet ad Dominũ cum fiducia, malus autem metuet Deum, & ex metu oderit: odium autem inducet mœrorem, inuidiam, rabiem: & odiũ hoc nunquam reſtinguetur, quia in tãta acerbitate ac diritate tormentorum nemo ad ſe unquam reuertetur, nec ad reputationem ſuorum ſcelerum, & diuinæ iuſtitiæ. ſed quod uidemus hîc inter nos contingere, ut nemo ſit tam nocens ac nefarius, qui in tormentis & cruciatibus meminerit legum, iuris, æquitatis, tum ſuorum commiſſorum ſceleratè, impiè, nefariè, ſe iniuſtè torqueri clamat, & conqueritur: ita & dæmones, & impij dæmonum ſocij, in tormentis illis iniuriam ſibi à Deo fieri clamabunt, & illum uelut iniquum inceſſent conuicijs, ac ode-

oderint. Odium uerò æternum, æternam quoq; pœnam efficiet. Res hæc est horrore plena, non solum illis miserrimis, sed nobis etiam, quorum exitus est incertus. Iesus Christus uelit nobis adesse propitius & misericors, qui est futurus iudex uiuorum & mortuorum, cui pater dedit omne iudicium, multis de causis. primum, quia ipsi pater subiecit omnia, & dedit eum caput uniuersitatis rerum, tanquam dominus igitur & princeps, & caput iudicabit reliqua. Ipse redemit humanum genus à seruitute diaboli. libertos ergo suos iudicabit patronus. Ipse est legislator supremus, de custodia suarum legum iudicabit. Veniet iudex corporalis ad iudicandos corporales: ueniet homo ad homines, ut similis natura similem possit iure arguere, absoluere & condemnare, non ignara eorum quæ soleant in eiusmodi natura incidere. Sed quid fiet ijs, quibus non est Euangelium prædicatum? aut quibus propter uetustatem excidit, iam pronepotibus, nec aliud audiuerunt quàm mores patrios? Hãc quæstionem proponunt homines curiosi, qui relicto penso sibi iniuncto respiciunt ad aliorum labores. Audi Sapientem: Altiora te ne quæsieris. Tantum quę præcepit tibi Deus, ea cogita semper, &c. Dominus in Euangelio huic curiositati prospexit. Nam quum dixisset Petro, Sequere me: is conuersus, uidit discipulum quem diligebat Iesus, & dixit ei, Domine, hic quid? reprobauit curiositatem eius Dominus, nec respondere dignatus est, quid de illo esset futurum: sed, Si sic eum uolo manere, donec ueniam, quid ad te? tu me sequere. Quomodo autem in iudicio quisq; tractabitur, non est ingenij nostri dicere. Dominus ait, quòd remissibilius erit Tyro & Sidoni in die iudicij, & Niniuitis, &c. Non dubium est, quin auditores & neglectores uerbi grauius punientur. Paulus quoq; ait: Gentes quæ legem non habent, & naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex. Omnes seruat filius Dei, uel sine humanitate, uel cum humanitate, per amorem & fiduciam in se.

DE PRÆDESTINATIONE.

MAgnus scrupulus & magna querela multorum, soli electi consequentur beatitudinem. Sunt quidam prædestinati, alij reprobati. Sicut scriptum est à propheta: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Magna disputatio apud Paulum ad Romanos. Quid ergo prodest mihi labor, si non sum prædestinatus? nihil proficiam. Et cessanti offeretur beatitas, si sim prædestinatus. Hęc omnia, ignorantia inuoluuntur. De hac quæstione loquutus sum libro superiore. Verba nostra pauca cõgruunt deo, fore & fuisse non est in eo, omnia sunt præsentia, cui hoc esse nostrum uix competit, ut Plato, & Gregorius Nazianzemus, dicũt. Opera quæ nobis sunt ignota, nẽpe futura post decẽ annos, Deo sunt iam prȩsentia. Itaq; elegit Iacob, quia uidet eũ bonũ: reprobat Esau, quia uidet malum (dicit Propheta) quum nihil adhuc boni aut mali egissent ante Deum: id est quum nascerentur, & nondum quicquam uel egissent, uel cogitassent. Locutio est Hebraica. Mundo erant paruuli, Deo iam senes: sed ante Deum dicitur fieri, quod foràs prodit. Omnes ergo uocat Dominus, quoniam omnibus ostendit, & proponit magna bona. Electus autem, prædestinatus, præscius, nostrorum sunt operum. Deus omnibus se offert, hæc est uocatio: si quis utitur, est electio: si usq; in finem, prædestinatio: si quis reijcit, induratio. Ex euentu ergo ista iudicantur, ut quum dicimus iram Dei, furorem Dei, pœnitentiam Dei, &c. ex effectis. Tu ergo te facis prædestinatum, electum, aut præscitum, induratum, &c. At gratia Dei est quæ agit. Ita est, sed ea parata est omnibus. Ego sto ad ostium, & pulso. Et illuminat omnem hominem uenientem in mundum. Non quin aliquibus offeratur maior gratia propter publicas utilitates, ut Paulo, & apostolis: sicut nonnullis perspicacius & fœlicius ingenium, corpusq; ad uirtutem flexibilius, ut qui sortiti sunt animam bonam. Omnibus tamen tantum offertur, quantum si excolerent, & gratia dei in eis uacua non esset, ad perfectiora eueherentur, ut Abraam, & Centurio. Naturalia uaria sunt, & ea quæ uocantur indifferentia, alij sunt claudi, alij cæci, alij muti, alij longæui, alij breuis uitæ. Quantum autem ad necessarium illud attinet, omnibus est prospectum. Deus enim omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Sed in his omnibus satius est Domini consilium adorare, quàm scrutari,

ideo Paulus considerãs nostrorum ingeniorum tenebras atq; imbecillitatem, quanta autem firmitate & contentione mentis, tum etiam luce opus esset ad hæc reputanda, seuerè reiecit eos qui se temerariè ingerebant in eam quæstionem. Cuius conclusio est, O altitudo diuitiarum.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

IO. LVDOVICI VIVIS DE VERITATE FIDEI CHRISTIANÆ LIBER III. QVI EST CONTRA IVDÆOS QVOD IESVS EST MESSIAS.

DIALOGVS. CHRISTIANVS, IVDÆVS.

MOLESTA pars huius operis & perplexa sequitur, disputandi aduersum Iudæos, genus hominum impudentissimæ peruicaciæ, quam odium exacuit contra nos & Iesum Christum Dei filium. Ea uerò difficiliùs retunditur propter obscuritatem sanctarum literarum Veteris testamenti: in qua tamen obscuritate postulant illi atq; exigunt, ut à nobis ex prophetarũ uaticinijs & patrum figuris fiat liquidùm, Iesum Mariæ filium esse Christum à lege & uatibus promissum: nec patiũtur nos quicquam iudicio ac ratione adhibita interpretari in illis oraculis, sed ut doceamus apertè & disertis ac simplicibus uerbis citra figuram id esse expositum & declaratum. In quo facilè quiuis rectè statuens intellexit, stomacho illos atq; odio ferri, non mentis iudicio aliquo & sententia. Ita enim obstinarunt animis aduersari Christo Dei, ut ad fulgorem lucis occludant oculos, & quæ apertissimè ac manifestissimè sunt dicta nolint audire, ne cogantur id confiteri quod abominantur. Capti uerò & deprehensi, in mille sese formas conuertunt ut euadant, comminiscuntur nouas lectiones scripturarum, admittunt atq; asseuerant absurdissima, & Deo ac lege sua indignissima, modò uel contra nos faciant, uel ne pro nobis. Operosum est hos sanare, qui & medicinam oderunt, & medicum non aliter detestantur, quàm carnificem aliquem ad occidendum inductum. Nos tamen de causa ita disputabimus, ut si quis non sit aliorum similis, malitia & maleuolentia sua perditus & deploratus, reduci ad mentem melior posit. Et quo manifestior fiat nostra ueritas, Christianum introducemus & Iudæum, sectam suam quàm fieri poterit, acerrimè ac fortissimè propugnantem: sic tamen, ne obstinarit animo pernegare omnia etiam ueritatis manifestæ, sed qui cedat apertæ rationi. & homo cum homine humana ratione ac iudicio disceptante contendat. CH. Quisnam est liber iste, quem habes in manibus? IV. Est liber ueritatis, liber sanctus, lex nostra Hebraicè scripta. CH. Intelligis' ne quæ isthic legis? an est liber tibi clausus, quemadmodum ille apud Esaiam: Et erit uobis uisio omniũ prophetarum sicut uerba libri signati, quem dabunt scienti literas dicendo: lege nunc istum. & dicet, Non possum, quia signatus est. IV. Nauo certè operam, & id quanto possum studio laboro, ut aliqua intelligam. CH. Si eò usq; peruenieris, ut uerè & quemadmodum decet intelligas, illicò eris Christianus, & baptismum petes, ut sis de grege Ecclesiæ catholicæ. IV. Quî isthuc? CH. Quoniam abs te & Iudæis omnibus nihil equidem aliud requirerem, quàm ut de Deo non sentiretis aliter quàm & illum decet, & uosmetipsos, qui estis homines. IV. Rem tãtam promittis, ut uix mihi uel audisse, uel intellexisse credam. Dic quæso te denuò, & explicatius. CH. Aio & confirmo unicam rem obstare, quo minus ad professionem Christianæ fidei accedatis, quòd de Deo non sentitis ut dignum est illo, & ut dignum est homine mente ac ratione prædito.

IV.

IV. Atquí Deus id nobis iniungit, & nos id ſtudemus, & præſtare nos arbitramur.
CH. Equidem præcipuam eſſe errorum atque impietatis ueſtræ cauſam reor, quòd de Deo indignè ad maieſtatem illam ſentitis. Nam ſi uti par eſt ſentiretis, quis ueſtrûm ferret literas ueteris Teſtamenti ad humillimos atque abiectiſſimos ſenſus inuitas ac repugnantes eſſe detruſas? quis librum Thalmud, quo nihil excogitari poteſt in Deum contumelioſius? Cedò uerò, quid tu cenſes eſſe hominem? IV. Id quod uides. CH. Facilius ac melius tu reſpondebis mihi docenti, quàm ſimpliciter roganti. An non homo ex corpore conſtat & animo? corpus eſt hoc concretum & aſpectabile: animus eſt qui non uidetur, niſi per actiones quas edit in corpore magnas atq; admirabiles. IV. Ita eſt. CH. Penes animum eſt ratio & imperium uoluntatis, in corpore autem ſeruitium. IV. Facilè eſt hoc animaduertere. CH. Nemo eſt qui hæc non poſſit & euidentibus rationibus declarare, & multis uerbis extendere: idcirco à me dicentur breuius, quia nulli dubitata. In ipſo uerò homine non annotaſti aliquando motus illos & tempeſtates iræ, inuidiæ, mœroris, odij, metus, cupiditatis, quæ perturbationes uel affectiones nominantur? IV. Quis non hæc ſingulis momentis & in alijs cernit, & in ſemetipſe experitur? CH. Poteſt' ne inueniri aliquid miſerius aut calamitoſius, quàm ſit iactari & agitari illis intemperijs, & quaſi furijs? IV. Nihil planè, quoniam quidem nihil poteſt beatius fingi, quàm illis carere, ſedata & trãquilla eſſe prorſum omnia in humano pectore. CH. Eſt ita ut dicis. Eaq; de cauſa ſapientes quidam de gentibus, humanam beatitudinẽ in pace & quiete animi collocarunt, quàm illi Græco uerbo εὐθυμίαν nominabant. IV. Nos quoq; ex uetuſtiſſimo patrum noſtrorum more nihil poſſumus cuiquam optare fœlicius, quàm pacem, exiſtimo de cordis pace eſſe intelligendum. CH. Quid corpus, quale uidetur tibi eſſe? IV. Fex & ſordes. CH. Planè olidum ſterquilinium pellicula contectum. quanta in eo miſeria, quàm uaria, quàm ſingulis urgens momentis, quàm inexplicabilis neceſſitas edendi & bibendi, egerendi, dormiendi, morbi, debilitates, mutilationes, infirmitates? Talis eſt homo. Qualem porrò cenſes eſſe angelum, an ijs miſerijs ſubditum? IV. Non ſat ſcio. CH. Atquí ratio ipſa facilè te deducet ut ſcias. Angelos nónne illos eſſe exiſtimas, qui in cœlis aſtant Deo beati iam, & de ſorte ſua certi ac ſecuri? IV. Eos uocant angelos ſacræ literæ non uno in loco. CH. Si Deo ſunt proximi in cœlis, & ea cauſa beati, iam ad eos non poteſt malum pertingere, nec ulla ex noſtris his miſerijs: futuros alioquí non beatos, ſed miſeros, uti nos ſumus. Non ergo ſentiunt corporum noſtrorum incõmmoda, non animorum ſæuos motus atque agitationes. Aſcendamus iam ad cognitionem Dei aliquam. Quanto uos illud ore detonatis, Notus in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius. Atquí pudet dicere, ſapientius & religioſius philoſophi quidam gentiũ ſentiunt & loquuntur de Deo, quàm Rabini ueſtri. Nam plerique ueſtrûm Deum ſibi fingunt, regem quendam paulò potentiorem Alexandro aut Iulio Cæſare, paulò ſapientiorem Salomone, paulò meliorem Abrahamo uel Dauide. Sunt etiam qui hominem eſſe arbitrentur, & humanis membris compoſitum, & ſedem eius eſſe in cœlis ſupra Hieroſolymas, quæ ſint terræ umbilicus, ut olim apud gentiles Delphos. Quòd ſi corporatus eſt, imaginem habet. contrà eſt apud Eſaiam: Cui aſſimilaſtis (inquit) Deum, & quam illi imaginem ponetis? Cur autem uetamini ſimulachrũ ullum in templo ueſtro ponere, niſi quia ſolum Deum iuſſi eſtis colere? Huius autem nulla eſt facies, nulla forma, qui ſpiritus ſit corporis omnino exors. Quæram autem de ipſa forma. Non dubium, quin dicetis eſſe humanam, iuxta illud', Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. quòd ſi ea ſit figura & compoſitione corporis. quid reliquí eſt, quo minus ſit homo, & hominis imago grata ſit illi, & ſub ea coli & adorarí ſe non uetet, nempe ſimili eſſentiæ ac naturæ ſuæ, quæ que ipſum uerò ac propriè referat, & ad memoriæ ueſtræ monitionem tale ſimulachrum ne reijciat, neque dedignetur? Quomodo autem ſedet ſuper Hieroſolymas, qui dicit per Hieremiam: Cœlum & terram ego impleo? IVDÆVS. Iſthuc quidem certè ad uim & potentiam illius pertinet, quæ ſe per mundi uniuerſitatem latè pandit, ut Regis per regnum. CH. Si uis & ma-

ieſtas præpotentis Dei per cunctum orbem ſe tendit, cur peculiariter ſedere dicitur ſuper Hieroſolymas? quid refert ubi ſedeat? niſi forte in potentiæ immenſitate melius auditurum eum aut uiſurũ opinemur de propinquo, quàm de longinquo: quod eſt dementiſsimum dicere. Quomodo enim gubernator eſſe mundi poſſet idoneus, aut iudex omnium rectus, ſi non ſe æqualiter in omnia impenderet? multa profectò uelut derelicta prætermitteret, & negligentius curata: nec iudicare de omnibus poſſet æqualiter, qui non omnia æqualiter cognoſceret, audiret ille ſcilicet & uideret exactè & ſubtiliter quę agerentur, dicerentúrue Hieroſolymis, craſſius & neglectius quæ Romæ, aut in Perſia: quod cadere in uim illam ſapientiamq; infinitam, non dico philoſophi & homines ingenio aliquo prædiți, ne aniculæ quidem imperitæ, aut rudes pueri exiſtimarent. Quorſum uerò attinet ſellam illi ponere? nunquámne ſtat, non deambulat, non à ſede diſcedit ſua, nunquam ſe commouet? Quę autem magnitudo corporis infinitæ illi naturæ conueniet? finitum eſt enim, quicquid limitari ac determinari poteſt. Equidem uehementer miror in eo falli multos ueſtrũm unius ueri Dei cultores, qui legem ab eo & præcepta accepiſtis, qui tot habuiſtis prophetas, & ſanctos uiros, in quo gentiles non falluntur, homines ſine Deo & pietate. IV. Quid uos, an non idem ſentitis? CH. Deus meliora. IV. Nónne Chriſtum hominem Deum eſſe dicitis? CH. Ita planè. Verùm membra illa humana non Dei ſunt, ſed humanitatis Chriſti: nec Deus habet corpus, ſed adiunxit ſibi corpus, non ut eo ueſtiretur, quemadmodum hominis anima, ſed ut haberet ſibi applicita atque admirabili quodam nexu coniuncta, liber tamen illis & ſolutus per ſe. IV. Veriſimilius eſt quod dicis de ſpiritu Deo, & immenſa illa maieſtate condignius. CH. Pergamus porrò, an non eſt uirium ac potentiæ interminabilis? IV. Sic uidetur, quia fecit cœlum & terram, & quæcunque uoluit. CH. An non regit & gubernat omnia? IV. Quid ni? CH. Inſpicit ne cogitatus hominum? IV. Scrutans corda & renes Deus. CH. Ergo eſt ſapientiæ immenſæ. IV. Magnus Deus noſter, & magna uirtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. CH. Audi Eſaiam, ut una concludamus ſententia. Deus, æternus Dominus, qui creat terminos terræ, non deficiet, nec laborabit, & non eſt inueſtigatio intelligentiæ eius. Quòd ſi omnia poteſt, nihil ad eum accedet mali, nihil incommodi. ille enim poteſt auertere, ne ad ſe perueniant. Nam quibus mala contingunt, ex imbecillitate ac potentia contingunt. quippe nollent ea perferre: ſed non tantum habent uirium, ut ualeant deuitare aut reſiſtere. Si uerò eſt ſapientiæ infinitæ, præuideret omnia. IV. Mille anni in conſpectu Domini ſicut dies heſterna quæ præterijt. CH. Præuidet ergo, & prouidet, ne damna ulla ad ſe perueniant. Malum ergo & incommoda & damna, & res triſtes, quæ omnia ſunt ex infirmitate, longiſſimè abſunt ab illa infinita ui & facultate. Nemo ſibi accerſit malum ultrò: at inferre illi malũ inuito, qui ſit immenſus potentia & uiribus, nulla res poteſt. ſicut ſcriptum eſt, Voluntati eius quis reſiſtit? IV. Nõ uidetur aliter poſſe uel fieri, uel cogitari. CH. Ergo quæ ſunt infirmitatis ac miſeriæ humanæ, non cadunt in Deum: contrahi mœrore aut odio, dilatari lætitia, exultare, efferueſcere in iram, contabeſcere liuore, extolli ſuperbia & arrogantia, quæ nos miſerrimos ac infœliciſſimos efficiunt. IV. Non uideretur beatus, ſi hiſce tempeſtatibus quateretur, quibus nos. CH. Hæc quæ poſuimus omnia ſi uera ſunt, ſi maximè rationi conſona, & ingenijs rectè de diuina illa natura ſtatuentibus, quomodo animi ueſtri ad Thalmudi blaſphemias atque impietates non cohorreſcunt, in quo libro deſcribitur Deus propèmodum miſerior homine, dolens, flens, lachrymas, pœnitens, afflictans ſe, iratus, ſæuus, pœnitet propter mala Iſraelis, & lachrymatur ſemel quotidie. An non ipſe ſciebat ea euentura? & ſi ſciebat ſe tantum doliturum, cur permittebat? quæ erat ignorantia, ſi neſciebat? uel impruden tia, ſi non norat modum euitandi? uel impotentia, ſi ultrò in eam ſe miſeriam conijciebat, modò præſenti animi impotentiæ obſequeretur? Et iracundus eſt Deus, ſemel quotidie iraſcitur, quũ galli criſta expalleſcit: quia legitur apud Iob, Quis dedit gallo intelligentiam? Qualis eſt autẽ ſapientia, quotidie aliquid legere in Thalmud tanq; diſcipulũ, nempe primis quatuor horis diei: & quũ Hieroſolymis templũ fuit euer-

euersum,non remanserunt Deo nisi tres cubiti soli,aut quatuor,ubi sederet lecturus in Thalmudo. Ergo uel rabini qui Thalmud conflarunt, sapientiores sunt Deo: uel Deus obliuiosus est,qui non recordatur, quæ ipse illis inspirarit. Additis Deo inuidentiam & metum,ut quum reliquit foramen ad Septentrionem ad experimentum diuinitatis,si quis alius se Deum esse iactaret: ut iuberet lacunã illam implere. Quid referam uos Deum dicere mẽtitum, & peccasse,quòd lunam minorem fecisset sole? Descẽdit eadem cæcitatis procacitas ad angelos,ad cœlos,& lunã facitis calumniam de sole ad Deum detulisse,unde sit lumine diminuta. Tum de Adam, quòd fuerit geminæ naturæ,& quòd rem habuerit cum omnibus animantibus: quòd uerò nullum esset ingenio suo satis aptum, creatam esse fœminam. de zelotypia corui aduersus Noam in archa,quę portenta uos non pudet in literas sacratas mittere,me in hac dissertatione pudet referre. Et transeo nugas plusquàm pueriles, ut de conuiuio omnium circuncisorum,quæ omnia breuiter præcurro:nam tibi multo sunt quàm mihi notiora.tum historias rerum, & rerum narrationes nõ solùm apertissimè mendaces, sed ineptissimè ac stultissimè narratas: uelut de Og rege Bassan, de Tito Vespasiano, déque excidio Hierosolymorum. & ad hæc adeò ridicula non ueremini detorquere matestatem sanctarũ literarum. Congeritis loca ex Iob, Esaia, Psalmis, & quæ sancti homines per metaphoram,ut mos erat tum loquendi,ad spiritalem referebant intelligentiam,uos in cœnum carnalitatis impiè atque impudenter detruditis. quæ ne pueris quidem aut uetulis possent persuaderi, nisi consuetudo & affectus recto iudicio officeret. Et hæc non docent cerdones,aut culinarij,aut fæx uulgi, quod uix esset tolerabile: sed proceres & rabini,ingenti supercilio atque arrogantia, de qua nemo possit satis loqui pro dignitate rei. Fuerunt enim inter uos rabini,quos in uenera tione atque admiratione habetis,fatui,temerarij,impudentiæ proiectissimæ,qui auxerunt impietatem & tenebras uestras,blasphemi in patriarchas,in prophetas,in sanctos omnes.in legem,in Deum ipsum. alij tradiderunt prophetas mentitos, alij se audiuisse Deum plorantem.alius uidit eum afflictantem se, quòd iurarit se nociturum Israëli,& quærentem à suo iuramento absolutionem. alius se ait adeò iustum & sanctum esse,ut posset in die iudicij diuini liberare mortales omnes,qui post se essent nati.quòd si unà iungeret Ionathan Vziel, possent genus humanũ uniuersum seruare, ab Adam usque ad postremum hominem. Esset ne inuenire furiosos, mente captos in uinculis, quibus in uiolentia furoris talia uenirent in mentem? qualia hæc uidentur tibi? IV. Per Deum pudenda. CH. Vide quid facit affectus,& quantopere iudicium inflectat. nullus est Iudæus, qui quum hæc audit in synagoga in calore illo animi, in flamma odij aduersus Iesum & Christianos,à quo sacrificia uestra omnia auspicamini, non suspiciat & adoret. eadem si ardore illo refrigerato foris audiat, suffundetur rubore,quod huiusmodi recipiat & approbet. Profectò si quid haberetis mentis ac iudicij,si quid in priscis scriptoribus legissetis, si ingenium haberetis in re aliqua sublimi ac prestanti uersatum & excultum,is unus liber Thalmudi satis esset ad animos uestros à Iudaismo auertendos,& à doctrina & fide uestrorum rabinorum. Sed uos ad omnia estis cęci & surdi,præterquàm ad quæstum pecunię. Leuior mihi & expeditior esset cum gentili concertatio. adferunt hi ad disceptationem ingenium, iudicium,cognitionem rerum uariarum, omnis que memoriæ antiquitatis notitiam, attentionem animi ac moderationem. uos nihil nisi obstinatam pertinaciam, ignorantiam uniuersorum, & rabiem cuncta damnandi. IV. Omitte ista, quæso,odiosa: & ad institutum reuertere. CHRIST. Colligamus ergo nos ipsos. Est æternus Deus,immensæ potestatis, sapientiæ, bonitatis, sibi per se sufficiens, bonis que uniuersis ex se cumulatissimus,atque hac de causa summè beatus: maior denique & melior per omnia, quàm uel cogitari ab humano possit animo. Si optimus est, nemini inuidet: nec est causa cur inuideat. Si potentissimus, & cuius uoluntati nihil potest obsistere, obtemperant cœli ac terra. Mitissimus est igitur, & mansuetissimus. Quòd si est optimus, uult benefacere omnibus: & quia potest & uult, profectò

fectò benefacit ijs omnibus,qui se illius beneficijs nō subtrahunt,liberalis est, igitur & mitissimus.Quæ omnia non ut de homine dicuntur aliquo, sed de natura infinita infinitè,non admistione contrarij cuiusquam,ut in nobis, sed pura sunt illic omnia, nec aliusmodi esse possunt. non enim optimus est Deus,ut homo, in quem aliquid incidit malitiæ,uel potest incidere.pura sunt in illo omnia,& perfectissima. talia fuerunt ab æternitate,talia perseuerabunt seculis interminabilibus.an non talis uidetur tibi infinita illa & suprema natura?IV. Ita profectò. CH. Nec aliud est dignum de illa uel sentiri,uel cogitari,uel existimari.IV. Mea quidem sententia nefas esset inexpiabile,aliter de illo cogitare.CH. Planè grande nefas. Sed nec te rem credas maximam præstare, quòd ita de Deo sentias, ut par est. fecerunt hoc idem non pauci de gentibus,quorum patribus nec erat Deus loquutus,ut uobis,nec legem tulerat.IV. Atqui res est mihi utique non parua, ut sunt plerique nostrûm in hac de diuinæ substantiæ sententia crassi,& nonnihil,uti iam intelligo,si modò eloqui liceat,impij ac in Deum blasphemi.CH.Atqui pietatis totius fundamentum primum & basis est,de Deo, uti dignum illo est,sentire:tum de homine,de quo quid existimes, peruelim audire.IV. Quid existimarem aliud, quàm de animali infirmo & misero? quemadmodum Iob eum describit: Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs.CH.Etiam,sed aliquid maius esse ac præstabilius oportet, de quo idem uir Dei dicit:Etiam super hunc aperuisti oculos tuos, & me adduces in iudicium tecum. Et Dauid: Quum uideo cœlos tuos,opera digitorum tuorum,lunam & stellas, quæ tu es fabricatus: quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quòd uisitas eum? Res est profectò excellentissima,cum qua Deus dignatur loqui,uersari,legem ei ferre,pactum & fœdus cum eo ferire.Cedo, ex quibus tandem partibus homo est compositus? an non homo ex animo & corpore? IV. Nemini hoc est dubitatum.CH. Corpus nónne caducum est,& mortale? IV. Ita planè est.CH. Animus an non sempiternus? IV. Nondum id quidem inter nostros satis constat,propter dictum illud Solomonis in Ecclesiaste:Quia exitus est filiorum hominum sicut exitus brutorum.CH. Totam ipsam sententiam mihi excute,& expende diligentius,quæ altius repetita sic habet:Et uidi amplius sub sole,in loco iudicij impietas, & in loco iustitiæ iniquitas, quod quum ad rationis æquitatisq; normam reuocarem, intellexi non esse diuinæ iustitiæ hæc ita præterire, sic confusa. itaque iustum & impium, quos humana censura non distinguit, sed permiscet, Dominus ipse iustissimus iudicabit. & ueniet tempus,quum de singulis rebus pronuntiabitur iustum iudicium à iusto Deo. Interea uerò dedit Deus homines in uita hac similes brutis, ut qui rem oculis tantùm corporis animaduertat,nihil existimet inter hominem & belluam intereſſe ortu, occasu,progressu, nec post mortem uidet spiritum filiorum hominum ad conditorem suum redire. cogitatio hæc,tentatio est Domini, ut uideat an homo sic reputans supra belluam se eriget, an abijciet se in uoluptates corporis, & in curam solummodo rerum præsentium. Hic quidem uidetur mihi esse sensus loci illius,nam idem Solomon in eodem opere apertius, & quidem ubi se colligit, & loquitur iam sine personis & dialogismis:Et reuertetur (inquit) puluis in terram unde fuit, & spiritus reuertetur ad Deum, qui dedit illum. Itaque de animæ immortalitate non quæro quid aliqui ex plebe uestra delirent, sed quid ipse cum sanioribus uestrorum rabinorum sentias.IV.Animos profectò nō interire cum corporibus,ex pietate nostra est. Nam in aduentu Messiæ resurgent pij omnes, & in terra promissionis affluent copijs bonorum omnium, uiuentq; tranquillissimè ac beatissimè. CH. Quid mali, non etiam resurgent? IV. Non omnes,sed quidam ex illis, ut sit iudicium Domini, & uideant mali beatitudinem bonorum, qua crucientur. quemadmodum est in Psalmis: Peccator uidebit,& irascetur. CH. Multa uideo esse in ista opinione absurdissima & impia.Primùm quòd Solomon in Ecclesiaste, sicut dicebam modò, posteaquàm uniuersa dixisset esse confusa in hoc æuo & permista, ad postremum ait reseruari omnia ad iudiciū Dei futurum,quod nō posset esse uniuersale & æquum,si aliqui malorum resurgerent,non omnes.& in Psalmo sexagesimosecundo,Tu Domine reddis cuiq;

iuxta

iuxta opera ſua. Quid uerò neceſſe eſt malorum aliquos reduci in uitam, uidelicet ut ſpectatores ſint fœlicitatis bonorum? an non plurimi ſemper erunt adhuc mali & profani, ritus impios ſectantes, qui id uideant, ſi quid, hoc ad rem facit? Iam & malos iſtos, qui uiuent Meſſiæ temporibus, qui perſequentur pios, & illorũ fœlicitate torquebuntur, quando iudicabit Dominus? Adde his, quòd ſi omnes qui aduentum Meſſiæ ueſtri expectarunt, reuerſuri ſunt ad hanc lucem, ut fruantur uitæ bonis cum Meſsia, quæ Palæſtina illos capiet, etiam ſi conſtipentur, ut fici aridæ, uel uuæ paſſæ in fiſco ſparteo? quæ alimenta illis ſuffecerint? nec minus caperet mundus malos, ſi multi eorum redderentur uitæ. Age uerò, quid facient boni in terra promiſſionis? I V. Fruentur bonis. CH. Quibus tandem bonis? IV. Voluptatibus per uniuerſum corpus, copijs rerum omnium, auro, argento, domibus, ſupellectile, et inſtrumento domeſtico, cibis, iucundiſſimè ſine ulla interpellatione per ſummam quietem & ſecuritatem. CH. Atqui ſancti & prophetæ & optimo quiſque ingenio ac præſtantiſſimo, eiuſmodi corporis uoluptates maximè ſunt ſemper aſpernati: unde ampliſſimam aſſequuti ſunt & laudem apud homines, & apud Deum commendationem: ut Hieremias, Eſaias, Heliſeus, Daniel, & alij quamplurimi. Quòd ſi illa eſt hominis beatitudo, profectò Deus in hac uita guſtum eius aliquem charis illis ſuis præbuiſſet, ut ſcirent iam nunc quid eſſent ab eo poſt fata expectaturi. Quæro autem, an in illis hominibus, qui bonis eiuſmodi fruentur cum Meſſia, menſurá ne ſit hæc naturæ conditio, an penitus ſint immutandi? I V. Hæc eadem. CH. Ita uidetur, nam alioqui non ducerentur ijs rebus, quibus nunc natura hæc noſtra capitur, ac delectatur. Si ergo ingenium hoc idem in illis erit, neceſſe eſt ut exurgant animorum motus, in alijs arrogantiæ, in alijs inuidiæ, in alijs prauæ cupiditatis, aut iracundiæ, quæ interturbẽt requiem illam & beatitudinem. I V. Non erit ita, nam omnes erunt boni. CH. Quantumuis ſint boni, non erunt meliores quàm Adam, cuius tamen probitas & recta ratio ab animi perturbatione uicta & proſtrata eſt. Age uerò, num non exiſtimas Meſsiæ temporibus futuros aliquos in alijs ſectis & religionibus, qui cum animi quiete maximis uitæ huius bonis perfruantur? num non & inter uos eſſe aliquos cenſes? Iſti ergo fœlices ſunt ſine Meſſia, & aliæ res poſſunt dari homini, maximum illud quod uos per Meſſiam unicum aſſequuturos uos ſperatis. I V. Quid uos de Chriſto ueſtro? nónne conceditis poſſe ſeruari aliquos, qui nihil de illo audierint? fruſtrà ergo uenit. CH. Nihil hoc habet cum eo, quod dicebam, commune. Nam qui ſeruatur, Dei munere ac ope ſeruatur, qui Deus eſt Chriſtus noſter, ita quod nos colimus apertius, ille colit obſcurius & tectius, quid ſimile habet in illis uitæ copijs Meſſias ueſter? De fœlicitate autem bonorum Eſaias dicit, quòd nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor & cogitationes hominum aſcendunt, quæ ſuis præparauit Dominus. Sunt ne hęc corporalia, quæ nec cogitatione poſſumus conſequi? Sed Meſsias tamen iſte uiuet perpetuò, an morietur aliquando? I V. Noſtrorum eſt ſententia, moriturũ eum, ſed progeniem illius ei fore perſimilem, quæ in illis nos bonis tuebitur ac cõſeruabit, ad quę Meſsias nos adduxerit. CH. Atqui in pſalmo ſeptuageſimoprimo dicitur, annos illius per omnes generationes duraturos, ut in perpetuũ ſedat coram Domino. Quid uerò obſtat, quo minus & poſteri illius ſint etiam Meſsiæ? quandoquidem non parum eſt, parta ſemel bona conſeruare. Quòd ſi Meſsias morietur, non dubiũ eſt, quin ſitis uos etiam tum morituri. non enim meliore eritis cõditione, quàm ille. I V. Nihil dubium. CH. Quæ ergo eſt fœlicitas hæc, diluta metu amittendi? Iam ergo & erunt illic connubia, & ortus ac interitus: quid attinebit mortuos in uitam reuocare, quũ progenies per generationem poſsit reparari, ut in hoc mundi curſu? & de mortuis redibit eadem quæſtio, & tota res eódem recidet, ut inter uitam hanc, & alteram illam ſempiternam, ſuperflua ſit illa reſurrectio ad edendum ac bibẽdum, ceu quis ex ſuaui & continuo ſomno ſurgat de media nocte ad potandum, ut rurſum obdormiſcat. Animus enim poſt hoc Meſsiæ regnum nónne permanebit in omnem deinceps æternitatem? I V. Sic credunt multi noſtrorum rabinorum. CH. Neceſſe eſt omnes id

credere

credere, quod est sacris literis apertè traditum & explanatum. in Psalmis enim dicitur, iustos in perpetuum uicturos, & pretiosam esse in conspectu Domini mortem sanctorum eius, & mortem peccatorum pessimam. Cur hæc pessima, si nihil postea sequitur? aut cur illa pretiosa? Imò uilissima est, si non aliter iustus extinguitur, quàm animal mutum, cuius nihil restat. Daniel quoq; duodecimo, Et multi dormientes in terræ puluere expergiscentur, hi ad uitam æternam, illi ad opprobrium & contemptum sempiternum. Balaam item gentilium propheta, nõ delicias uitæ huius optat, sed, Moriatur (inquit) anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Postremò ex consideratione humanæ conditionis ac præstantiæ, tum diuinæ magnitudinis ac potentiæ satis declaratur, non in corporis huius cõmodis sitam esse beatitudinem, sed in eo quod in homine est potissimum ac excellentissimum, nempe in animo: & nõ in uitæ huius curriculo laborioso atq; ęrumnoso, sed in bonis sempiternis: idq; magnitudinem illam & munificentiam Dei amicis suis dare pro pietate erga se, æquius est ac decentius. IV. Nullum ne præmium dabitur corpori, socio atq; administro laborum animi? CH. Dabitur sanè, sed teipsum uelim consultũ, quale præmium dares corpori obsequundãti animo suo in omni probitate ac religione? nónne quod esset ei optimum & optabilissimum? IV. Quid ni? CH. Perpende quæso, utrum sit corpori melius esse, bibere, dormire in hac conditione uitæ uilissima ac miserabili, an solui iugo isto seruitutis, transire ad conditionem uitæ liberam, sine afflictione morborum, absque necessitate edendi & bibendi, ut se tueatur? Quis est hominis sensu præditus, & animo ad humanitatem informato atq; imbuto, qui non uideat hoc esse potius atque optabilius? Viuet igitur uitam beatiorem quàm ut cogitari possit, non in cura & solicitudine uersabitur, quo prementibus hisce necessitatibus satisfaciat, & expleat inanes semper uoluptates, sed tranquillissimè, & suauissimo quodam sensu in æternitate sua perseuerabit, non amplius mãcipium animi sui, sed socium & compos fœlicitatis. Huic animi & corporis beatitudini est ne aliquid quod possit comparari? sicut Esaias scripsit, quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec assequi mens potest, quæ Deus amicis suis præparauit. IV. Non uideo quid possit dici sublimius aut præstabilius. mihi uerò præclarè uidentur hæc dici omnia, atq; etiam optabiliter. CH. Isthuc ergo maximum est & excellentissimum, quod homini dari à Deo potest munus. IV. Ita uidetur. CH. Iam ne intelligis, nihil tam conuenire uel hominem à Deo beneficentissimo poscere, ac sperare, uel Deum amicis suis tanquam beneuolentiæ suæ summum ac absolutissimum donum promittere, atq; elargiri, quàm uitam illam in cœlis immortalem: & hoc est utroq;, tum dante, tum accipiente, dignum. cętera inferiora sunt multo et hominis dignitate, & maiestate Dei: haud secus quàm si quis à maximo & potentissimo principe pro ingentibus suis erga illum meritis ac officijs, uel fiducia regalis munificẽtiæ fretus, calceos aliquot poscat ueteres ac detritos: rex uerò in eo concedendo munere intentus esset atq; occupatus. Quid enim humana omnia uitæ huius prę illa immortalitate sunt aliud, quàm nobis ueteres calcei, aut panni uilissimi, quæ Deum promittere pro religionis præmio, uel hominem postulare, quid aliud est, quàm & diuinam & suam dignitatẽ conculcare, atque habere pro nihilo? IV. Repugnant quidem nostri, & furẽter reclamãt, sed mihi certè isthuc fit probabilius. CH. Hæc ergo crebrò apud animum tuum recole, reuolue, reputa. Nam si tenueris, maxima erit tibi ad Christianissimum uia confecta. IV. Teneo equidem, sed eam istam de Christianismo uiam nondum perspicio. CH. Faciam ut uideas. Nónne ponebatur nobis dudum, spiritum esse Deum simplicissimum, incorporeum, nullius omnino rei indigum: rerum autem uniuersarũ, quarum conditor est & gubernator, potentem? IV. Positũ est. CH. Quòd ergo ut ne uescaris porco, néue linum & lanam consuas præcipiat, quæro an referat ad utilitatem aliquam & usum suum? IV. Absit, ut ille his uel utatur, uel indigeat. CH. Quid porrò ad tuum usum, illum dico præstantiæ tuæ, hoc est animi ac mẽtis tuæ immortali ac propè diuinæ congruentem ac condignum? Tu æternæ beatitudinis es conditus, illuc tendis: illuc ut peruenias, Deo te adiũgis cultu & amore, quæso te, quid ad iter illius fœlici-

fœlicitatis uel esus porcinæ facit, uel lana lino assuta, & alia quæ sunt in lege uestra eiusmodi innumerabilia? Nam si è dignitate & decentia est cum magnitudinis & bonitatis Dei immensæ ad beatitatem illam uocare, tum hominis ratione prædíti, & ad immortalitatem facti, eam quærere ac sectari, reliqua sunt infra dignitatem. Ista profectò quę ad fœlicitatem illam nihil omnino pertinent, uilia atque abiecta sunt, & cura Dei præcipientis indigna: nimis enim hominem deijcitis, nedum Deum ipsum, si occupatũ utrunq; in re tanta quanta est immortalis & sempiterna beatitudo, Deum ut tradat, hominem ut accipiat, ad res reuocatis ac retrahitis à tanti boni cura alienas atque abhorrentes, & quidem sub specie religionis, quæ uia est ad immortalitatem unica. Quòd si Deus tantus est, quantum eum existimari fas iusq; est, non de rebus uilissimis aut superuacaneis tradiderit uobis præcepta pietatis, sed de maximis, & se, & uestris animis, qui immortales sunt, dignus. Hoc si ita est, apparet profectò illa omnia de sue, de lepore, de cibis, de uestimentis, non corporaliter esse accipienda, sed spiritaliter, non ad carnem, sed ad mentem referenda: ita demũ fiunt & Deo apta, & homini. IV. Atqui utile est non uesci porco, ex cuius esu fiunt homines leprosi. CH. Ridiculũ prorsus, quasi de eo quod corpori est utile, uel noxium, constituta sint præcepta religionis summi Dei. Mitto disputare de esu porcinę, quam Hippocrates, Galenus, & medici super cæteras omnes commẽdant: & alius est sapor porcinæ in alijs regionibus, alia utilitas. Quid de lepore, quid de alijs auibus & piscibus? sed prætereo hæc, quæ medicorum sunt præscribere. Neq; enim tradebat uobis Deus rationem uictus, sed legem mentis, qua ipsum coleretis. Quid dicam de oblationibus, de cæremonijs? quæ consideret quis quantum uoluerit, & uertat omnem in partem, nullam rationẽ inueniet, cur ita potius præceptum sit quàm aliter: nec Deo sunt accommoda, nec animis nostris ad probitatem conducunt, nec ad ualetudinem corporibus, nec in ullum uitæ usum ualent, nisi interpretatio altior & sublimior spiritalis accesserit, quę faciat bonis nostris cõgruere, Deo & mẽtibus nostris esse cõsentanea, quæ antea ex crasso literæ sensu, ne pueris quidem erant uel digna uel congruentia.

DE INTELLIGENTIA SACRARVM literarum.

IVD. Atqui nolo ego in uerbis Domini mei iniquirere, sed obseruare ea quæ scio mihi esse à Deo tradita: nec uolo rationem meam efficere mensuram & normam uerborũ Dei, sed subdo eam Deo. Nã Deus est sapientissimus: ego uerò, sicuti est in Psalmis, Vt iumentum factus sum apud te. CH. Ista tanta simulatione modestiæ uel socordi, uel uafra ac subdola (nam non ad modestiam spectat, sed ad odium nostri, uel ut torpori ingeniorum uestrorum in rebus præclaris indulgeatis) efficitis, ut dum timetis ne aspiciatis illicita, nec necessaria. Nullo modo potestis legere sacras literas, quin adhibeatis mentem, & iudicium, & rationem tanquã ducem intelligentiæ. Alioqui non esset legere, sed ludere puerorum more, qui grandia trutinant uerba sine sensu ullo. IV. Nos seruamus ea ut iussa sunt nobis, & tradita. Nolumus interpretatione humana, diuina uerba quò nobis libitum est detorquere. CH. Dictum ridiculum, & eo magis, si ex animo diceretis, & non temporis gratia. Cur ergo apud maiores uestros fuerũt scribæ & pharisæi, qui legem enarrarent? cur deinceps tot rabini? ex quibus collectum Thalmud: quorum si interpretationes persequi cœpero, fiet infinitum. Quisque uia sua insistit: & qui inter eos paulò sunt saniores, Christianizant. Ergo inter uos sacrę literę admittunt ex iudicio sapientum enarrationẽ ad nos non admittunt. Num non sentitis loqui uos ex animi libidine, non ex ratione? At uerò cuiusmodi in lingua non uultis explanationem adhiberi? Primum an non in uestra, sicuti in quauis alia, uocabula sunt rara & inusitata, quæ non omnes capiunt? ea uerò an non egent explicatione? Iam loquendi formulæ obscuræ, iam distinctio, & interpunctio. Quid, quòd olim carebatis uocalibus, in quarum loca successerunt punctula, tanta ambiguitas, & tam breuis transitus ad significationes uerborum diuersissimas, notula una uel elemento addito, detracto, inuerso. Quid orationis concisio & infantia? adde his translationes tam crebras, adde ænigmata, quæ si sunt in lingua

ulla,maximè in ueſtra. Quo fit, ut nulli ferè duo Hebræi in ſenſu ſacrarum literarum paululum obſcuro conſentiant.Hæc omnia ſimpliciter ſunt recipienda,& nudè,explanatione quacunque ac declaratione detracta & reiecta: Quid autem illa figurata:quę ſi ſimpliciter,& naturaliter,et ſine tropo intelligantur,nihil ſit non modò abſurdius,ſed nec magis impium,nec cauſa plurium errorum,& maiorum. Faciamus, inquit,hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.Habétne Deus imaginem hominis ſimilem:Brachium,oculus,auris,digitus,cor,ira,pœnitentia,labor Domini:quoties in ſacris literis occurrunt,intelligemus iſthæc omnia ſimpliciter, naturaliter,ſine figura: IV.Omnia illa ſunt per translationem intelligenda. CH. Ita eſt planè, & hoc ſolùm uolebā ex te audire. Ergo eſt opus ſanctis literis explanatione aliqua. IV.Ita planè uerborum,non ſenſorum.CH.Ex quibus uerò conſtant ſenſa, niſi ex uerbis:Quid autem,an non in ſenſu eſt obſcuritas pleriſq; in locis:ut in illo ipſo, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:&,Pœnitet me feciſſe hominem:Laborare me feciſtis in ueſtris excogitatis,feſſus ſum.& alia, quæ in Deum nullo modo poſſunt competere:gladius Domini,arcus Domini,ſagittæ Domini.An etiam gladium habet Deus omnipotēs,& arcum,& pharetram cum ſagittis, ut Cupido gentilium: Quòd ſi brachium Domini per translationem dicitur de eius potentia,& oculus de ſcientia rerum uniuerſarum,& gladius de iuſtitia & ultione, quî ſcis an etiam quum uetaris ueſci porco,porcus pro immunditie ſumatur,ſicut leo pro atroci,lupus pro uoratore:IV.Non ſumitur.CH. Quî ſcis: quæ norma diſtinguet hæc: IV.Magiſtri ſunt qui docent.CH.Magiſtri iſti nónne docent adiuti ratione,iudicio,doctrina,quæ ratione elicitur:IV.Etiam.CH.Senſim ad me deflectis.Hæc ipſa erit dux in ſacris literis intelligendis.IV.Atqui debet ratio noſtra ſubdita eſſe rationi diuinæ.CH. Etiam profectò,dum de ratione diuina cōſtat,deq; eius ſenſu. Sed interea dum non conſtat,non habemus aliam ſeu intelligendi uiam,ſeu normam, quàm mentem noſtram IV.Vín' tu ergo rationem tuam menſuram rationis diuinę facere:CH.Abſit.Nolo ut ratio mea plus ualeat apud me,quàm ratio Dei.Sed in omni præcepto conſiderantur duo,intelligentia & cauſa. Vt, Diliges inimicum tuum: quid ſit diligere,& quis inimicus,ſi Deus diſertè non explanauerit,ratio me mea docebit. Cur uerò diligam,& cur mihi præcipitur, non inquiram. IV. Atqui ego tanto melior atque obſequentior,qui pareo iſs quæ non intelligo,nec inquiro in rationem Dei.CH. Quomodo ergo ſcis te Deo obtemperare,ſi non intelligis,& ratio repugnat eſſe à Deo: Age enim,ſi dicat tibi Deus nunc eſſe medium noctis, oculi uerò tui uident eſſe medium diei,quid facies?IV.Non credam eſſe Deum,qui id dicat.CH.Fac conſtare tibi non minus,quàm conſtat, Deum dediſſe legem uobis per Moſen. IV. Quæram ex eo dicti ſui intelligentiam,ſenſum,mentem.CH.Fac receſsiſſe ſtatim,ſicut data lege,ne ſit amplius facultas conueniendi.IV.In anguſtias me redigis.CH.Age uerò, quum dicitur tibi uerbis Dei,Populus hic in tenebris ambulat, quid intelligis: an ambulare illos in nocte obſcura ſinè lucernis & facibus: IV. Nihil tale, ſed cæcitatem & ignorantiam mentis.CH. Sic illud intelligas par eſt, eſſe mediam noctem, tenebras uerſari in animis denſiſsimas.IV.Quid ni: CH.Quis te id docet: IV. Video quò me adegeris,ratio. CH.Hæc eſt ergo doctrix, hæc uia, index,canon.Id autē minus eris admiratus, ſi ſcias quid ſit ratio noſtra.IV.Quid tandem eſt: CH.Radius quidam immenſæ illius diuinæ lucis deriuatus in nos.Eaq; de cauſa quo hic radius purior eſt & copioſior,hoc conformior fonti ſuo: & quo conformior,hoc ad ueritatem propinquior.Ita mens exercitata & exculta recta inſtitutione altius ſe attollit,quàm deiecta & torpens. Atq; eo magis,ſi affulgeat aliquid diuinæ lucis,quæ ſe per uniuerſum genus humanum ſpargit.Sicut in Pſalmo dicitur,Qui docet hominem ſcientiam.qua ſcięntia bene uſi multi extra Iſraelem ad fauorem Dei peruenerunt,ſicut Iob, & princeps omnium Abraham.IV.Atqui uetant ſacræ literę,ne quid uel addatur,uel detrahatur uerbis Dei. Vt in Deuteronomio & Prouerbijs & Eſaia.CH. Cur ergo Thalmud auxit præcepta ad numerum centum et ſeptemdecim quę ſeruatis accuratius,quàm diuina illa expreſſa in lege: IV. Et uos quid feciſtis? an non ad Euangelium adieciſtis quàm plurima:

CH.

CH. Multo diuerſa eſt noſtra cauſa, neque nunc id agimus. De illa enim, quum uoles. Nunc de ueſtris pergamus dicere, ſicut inſtituimus. Nos quidem fatemur, mente & iudicio, & ratione opus eſſe ad noſtra intelligenda atque inueſtiganda, quemadmodum ad res alias omnium artium & diſciplinarum quaſcunque. Expende porrò uerba ipſa legis ueſtræ: Non addetis, néue detrahetis ad uerba hæc. Interpretatio uerò & declaratio dicti alicuius nihil addit, nihil detrahit, nec ſenſum mutat, ſed explanat, & intelligentiam obſcuritate oppreſſam profert in lucem, quo melius quod iuſſus es facere exequaris. Si quis enim dicat, tege caput galero, ignoret alter quid ſit galerus, ſi ego id explico, uideórne tibi apponere aliquid præcepto, uel auferre, & non potius præceptum clarius reddere, & ad obeundum expeditius? Si quis dicat procliui in uoluptates ac libidines filio, ne fias porcus: expiano ego, ne fias ſordidus, obſcœnus, immundus: non muto conſilium, ſed efficio, ut poſſit prodeſſe expoſita intelligentia. Deus enim, qui populo ueſtro dedit legem per Moſen, & nobis gratiam ſuam per filium ſuum, idem dedit homini mentem, & opus mentis præcipuum rationem. Itaque præcepta ſua, quum dicat ea menti (loquitur enim ad cor) uult ut mens non examinet atque expendat menſura ſuæ intelligentiæ, ſed ut intelligentia tanquam manu porrecta accipiat, ratione recolat, meditetur, tractet, uerſet, & in opus quum uſus poſcit, transferat. Quoties ipſæ ueſtræ ſacræ literæ uos coarguunt, quòd capite in terram deiecto more pecudum, non uultis mentes ad intellectum diuinorum præceptorum attollere? Quod uelut conquerens Dei nomine ac perſona dicit Dauid: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in uia hac qua gradieris, & firmabo ſuper te oculos meos. Quoties Deus & ſancti eius prophetæ intelligentiam ſuorum dictorum in uobis deſiderant, & conqueruntur de uobis, quòd oculis quidem uidetis, & auribus auditis, intelligentia tamen caretis eorum quæ oculis & auribus non percipiuntur, ſed ſola mentis agitatione atq; exercitatione? Id ſi quando aliàs, hoc certè tempore maximè in uos competit. Dominus per Eſaiam dicit: Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quòd non haberet ſcientiam: & populus gloriоſus eius, populus famelicus: & multitudo eius, populus aridus ſiti. Et per Oſeam 4. Suceiſus eſt populus meus, quia eſt abſq; ſcientia: quia tu ſacerdos ſcientiam repulisti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Quanti uerò facienda ſit ſcientia atque intelligentia ſacrorum oraculorum, per Hieremiam Dominus demonſtrat, qui magni muneris loco promittit: Dabo uobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent uos ſcientia & intellectu. Et quidem de tempore Meſsiæ hoc dicitur. Prius enim dixerat: Conuertimini filij rebelles, dixit Dominus, quia ego dominatus ſum uobis, & aſſumam uos unum de ciuitate, & duos de familia, & introducam uos in Sion. An non affirmatis uos futurum iuxta Eſaiæ & Hieremiæ uaticinia, ut in aduentu Meſſiæ omnes ſint docti à Deo, nec proximus neceſſe habeat proximo ſuo dicere, doce me. Omnes enim cognoſcent Dominum, à maximo ad minimum. Ergo interea dum ille uenit, hac doctrina mutua & intelligentia caretis. Quomodo illius particulam poteſtis aliquam aliter conſequi, quàm ductu rationis? quæ quum ſit hominis maximum in hac uita bonum, profectò ſi cui eſt uſui tributa à Deo, non tam ad cibum aut potum, ad tegumenta & ædificia paranda pertinet, quàm ad ſcrutationem inuentionémque rerum maximarum & excellentiſsimarum. Quorſum enim datur optimum inſtrumentum, niſi ad optima? Quid uerò eſt inter res præſtantes religione præſtabilius? Huc ergo ratio, uis, claritas eſt humanæ mentis applicanda & accommodanda, ut illud probè intelligamus, quod intelligi exerciique tantopere noſtra refert. Quid dicam, quòd prophetæ ipſi uiſiones ſuas uix intelligunt? Daniel enim ait: Et audiui, & non intellexi, & dixi, Domine quid in nouiſſimo horum? & dixit, Vade Daniel, quia clauſa ſunt & ſignata uerba uſque ad tempus finis. Nónne inter uos alij alijs plus ualent ingenio, plus iudicio, ſtudio, induſtria, diligentia? quos uos tanquam magiſtros & doctores aliorum recipitis: & quæ omnes in ſynagogis ueſtris de lege Domini auditis, illi interpretantur, explanant, & iudicio ueſtro lucem obſcuritati adferunt. IV. Vera ſunt hæc omnia, Sed quorſum pertinent? CH. Ad rem

maximam,ut ratione & explanatione uerisimili adhibita legantur tractentúrque sacræ literæ, non rudi illa intelligentia uerborum, qua nihil potest fieri absurdius. Et hæc fuit causa cur nec uos nec patres uestri agnoscitis Messiam, quia non uultis erigere uos ad considerationem rationis spiritalis,sed hærere crassitie literæ puerilis ac ineptæ,contra id quod decet hominem ac Deum. Quòd si tantum malum patribus olim uestris accidit cæcitate uoluntaria, quum adhuc obtinerent Hierosolymas,& haberent peritiam legis,& doctores, qui dies ac noctes in scrutatione sanctarum literarum uersabantur,in patrijs sedibus, præsentibus ac integris tribubus, quid fiet uobis in isto exilio dispersis tribubus, ac penè extinctis, in ignorantia quæ uos premit, imò opprimit? præsertim quòd post Iesum Christum,& Hierosolymorum excidium,non dederunt operam Rabini uestri,ut explanarent sacros libros, & diluciores traderent legentibus,sed ut omnia detorquerent, ne quadrarent in Iesum. Is fuit scopus interpretationum ac declarationum omnium. Quòd si in hoc unum operam suam impenderunt, ut dictis per se obscuris caliginem atque obscuritatem offunderent,cogita tu quantas effecerunt illas tenebras, quàm deflexerunt quæ erant recta,& quæ explicata intricarunt? præsertim quod exoleuit paulatim inter uos lectio sanctarum literarum,illas tanquam rem uetustate exanguem & languidam reliquistis,amplexi enarrationes commenta & somnia uestrorum rabinorum, ex quibus conflatum est Thalmud, quod maioris esse apud uos authoritatis cœpit, quàm ipsa Dei oracula.Et inter cętera ignorantiæ ac malitię uestrę inuenta,illud est unum, nullum esse locum in mysticis literis, qui non possit septuaginta modis exponi. Accessit tantis dementijs authoritas rabini Salomonis Galli, hominis non solùm stulti, sed etiam furiosi, qui interpretatiunculis partim impijs, partim ridiculis libros omnes sacros fœdauit. & aiunt uestri, non posse illos intelligi sine huius explanatione. Hæc quum scias esse uera omnia,quo ore audes à me poscere ac exigere,ut ex dictis sanctarum literarum sine ulla interpretatione,sine coniectura uerisimili, sepositaratione omni,euincam ea quæ proposui? Si ergo meministi te esse hominem, ad mentem debes reuocare tua omnia, quæ est optima & præcipua tui pars, & ex qua sola omnia in homine nascuntur bona & mala. Si rectè sentitis de Deo, ad spiritalem intelligentiam debes attollere eius uerba, non ad carnalem ruditatem,ac crassitiem. quanto esset pulchrior & magnificentior perscrutatio mysteriorum sanctarum literarum ad sensum excelsum & cœlestem, in quo ipsa inquisitio cum admirabili delectatione ac fructu pasceret animos? Quòd si uir sapiens, aut matrona casta aliquid dicat uel humile,uel ineptum,uel suboscœnum,denique sua dignitate inferius,iniuriam nos illi remur facere,nisi id ad saniorem altioremq; sensum transferamus:quod & uos facitis in Canticis Salomonis,sicuti par est. quàm id congruentius est in ijs agere quæ à Deo ipso dicuntur? Græci Homerum suum,quòd tanti facerent,à fabellis & rebus leuiculis ad grauissimas sententias traduxerunt, ut redderent admirabiliorem, & ostenderent iure ab se amari ac suspici. uos parem uenerationem diuinis uerbis negatis, in quibus quæ per metaphoram sunt dicta, accipitis ad literam, & simplicem intellectum: imò detruditis in cœnum. sicuti quod est apud Michæam, Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris: id uos reuera putatis futurum, déque eo celebratis festum mense Septembri. Et quia dicit Psalmus: Omnia mea ossa dicent,Domine, quis similis tibi? concutitis totum corpus in quadam solennitate festi. Philo Iudæus in libro de Contemplatione, acumen Christianorum in intelligentia scripturarum uehementer commendat, atque admiratur: quas beneficio Apostolorum melius intellexerunt Iudæi,qui illis temporibus uixerunt,nondum confictis absurditatibus Thalmudicis.

Quomodo

QVOMODO DISPVTANDVM.

IVD. Vehementer probatur mihi iſtud uelut proludium ſermonis noſtri, quem una ex cauſa mancum fore atque impeditum timeo. CH. Qua tandem? IV. Quia uideo te à cognitione linguæ Hebraicæ inermem. CH. Quid tum? IV. Quomodo poteris citare loca ex ſacris literis, quæ lingua ſunt hebræa conſcriptæ, & conſignatæ? CH. Faciam quod ſolent homines, qui per nationes alienas peregrinantur, ut ſecum aliquos ducant interpretes, qui & ipſorum & aliorum linguas norint. illi eis hoc præſtant, ut ex ignorantia ſermonum illarum gentium nihil incommodi accipiant. IV. Ita eſt planè. ſed neſcio quo pacto ſi tu me non intelligas, ægre inter nos poterit uel contractio uel communicatio procedere. CH. Non eſt id quidem dubium. ſed interpretationis beneficio fit, ut nihil ſit intelligentia uerborum impedimenti. ut ſi tu de barbaro quopiam uel ſericum, uel aromata empturus, roges quanti: ille uerò lingua ſua dicat, piper octo denarijs in libras ſingulas: interpres tibi id tua lingua referat, pretiumq; uideatur tibi immodicum, & liceare denarijs quinque aut ſex, eritne de intelligentia controuerſia, an de re ipſa? IV. De re, non de ſenſu uerborum. CH. Ad eundem modum, quum citandi erunt ſacri libri, aſciſcam mihi interpretes doctiſſimos quoſque, & diligentiſſimos in ſcrutatione ſermonis ueſtri, quantum quidem ego aſſequi potero. nam neque hoc iudicare rite poteſt, niſi in eo ipſo eruditus. IV. Iſthuc quidem probè, ſed quos tandē ſcies tu eſſe peritos linguæ noſtræ, cuius ipſe es ignarus, in tantis præſertim illius obſcuritatibus, ac difficultatibus, quæ ſenes etiam & ueteranos illius magiſtros plerunque irretiunt ac confundunt? CH. Tu quidem obſcuritates uocas ſanctorum librorum, ego uerò tenebras, & obſcuram noctem. non animaduertiſti quàm occurrant in eis paſsim loca dura, difficilia, intricata dicta, obliqua, ambigua, ad uarios & diuerſos ſenſus flexibilia? unde inter rabinos ueſtros tantam uides diſcordiam, tot controuerſias, tot diſcrepantes ſententias, imò repugnantes, maximéque contrarias? IV. Equidem aduerti animum quandoq;, & miratus ſum noſtros hæc non cogitare. CH. In uia igitur tam ardua, difficili, obliqua, uaria, cœlo obſcuriſſimo, quomodo cenſes eſſe ingrediendum? IV. Nimirum face aliqua prælucente, & duce præeunte. CH. Planè uideris mihi reſpondiſſe, ut homo bene uerſatus in uſu uitæ communis. Quale uerò uideretur tibi, ſi tenebris adderemus tenebras? IV. Conducibile hoc quidem, ſi uelis lōgius aberrare. CH. Ergo quum ea uia incedimus tam tenebricoſa, auferendæ ſunt procul animorum tenebræ, ira, odium, inuidia, arrogantia, pertinacia, quæ etiam rebus dilucidiſsimis, atq; in ipſo meridie tetram caliginem denſasq; tenebras offunderent. Hæc in primis neceſſe eſt iubeamus cōquieſcere, imò abeſſe quàm longiſſime, dum de ſanctis oraculis diſſerimus. Nec incendaris animo, quòd Chriſtianus aliquid dicat contra receptas uobis opiniones, contra ueſtrorum rabinorum dogmata. ſi non iubet ſtatim aſſentiri, neq; id ego abs te exigo: at ſuſtinere pauliſper, & audi æquo animo, ut poſsis expendere, quid ſit quod dicatur, & quale. IV. Video ſummota impedimenta, quæ nam nunc adiumenta adfers? CH. Nempe de luce ac duce loqueris. IV. Etiam, de his ipſis. CH. Lux & dux, quando uerba ipſa non ſufficiunt, erit nobis illa, quam dudum dicebam accenſam in noſtris pectoribus ex diuino illo & ſempiterno igne rationem, ſiue examen iudicij. Hanc dedit nobis Deus pro ingenti munere ducem ac lucem actionum omnium uitæ. & in rebus perplexis, intricatis, obſcuris, arduis, difficillimis aliam rem nullam eſſe inter nos non reperio, qua poſſimus pro luce & duce uti, quàm rationem uel noſtram, uel alienam: & in aliena quoq; noſtra eſt opus. neq; enim aliena nobis perſuadebit, niſi congruat cum noſtra. IV. Noſtros quidem homines, ut ſunt in rebus eiuſmodi duri atque inexorabiles, haud ſanè experireris in iſtis quæ poſtulas ualde cōmodos. ſed mihi tamen uidentur iſta quæ poſuiſti æqua in primis, & ad ueri inueſtigationē apta & conducibilia. CH. Planè eſt ita. nam quis, malum, furor eſt, in dicto obſcuro & difficili dicere, Ego ſic intelligo: nullam adferre aliam intelligentiam? Exquiſitio, expenſio, ratio, nugę, blaſphemię, impietas. Si tam uos Deus formauit homines quàm nos, ſi ueſtra (ut uultis) meliora ſunt quàm noſtra, ſi ratio ipſa recta eſt, & æqua, nempe à

Deo nobis indita tanquam re præstãtissima, & diuina, quid quæso causæ est, cur suspicemini rationem potius à nobis stare, quàm à uobis? imò tanto plus causam uestram adiuuabit, quanto & ea est melior, uerior, sanctior: & ratio eisdem qualitatibus prædita applicabit se, uidelicet ratio ad similem sibi naturam, eamq; amplexabitur, tuebitur, fouebit.

DE FINE AC PRÆmijs Legis.

REdeamus igitur, si placet, ad propositũ. IV. Redeamus. CH. Via ergo ad Christianissimum certissima atq; expeditissima, ut dicebam, hæc est, hominẽ à Deo optare, quod sit excellenti suæ naturæ & sublimibus desideriis conueniens, & sperare ab illo, déque illo se accepturum confidere id munus, quod magnitudine & potentia illius cõdignum sit: nempe à fœlicissimo fœlicitatem, ab immortali immortalitatem. quibus rebus duabus fictus, appositus, natus est homo. in quo & animus ratione est ornatus, & uoluntas capacissima. qúæque nullis possit rebus conditis impleri, solo Deo acquiescit, & cuius natura atque essentia sempiterna est durationi apta. IV. Cur non hæc apertis eloquebatur uerbis? cur semper terrena promittuntur in lege? CH. Quia loquebatur pueris rudibus, nondum capacibus rerum cœlestium. & ita uestra lex in corde puerilis est, intus latet nucleus spiritus, quem Christus protulit ac ostendit mundo. Pueros enim ad literas primaq; illa formandorum morum exercitamenta, non allicimus ostendendo opes, decus, & ampla illa quæ uirtutem sequuntur præmia: sed pyro aliquo, aut panis crusta mellita, aut pollicendo calceos elegãtes. ita uos allicebamini ad culturam legis, rebus sensui expositis: nos uerò Christus assuefecit æternitatem beatitudinis intelligere, cupere, sperare. IV. Promittitur corporalis res, & temporaria, quomodo igitur res spiritalis rependitur, & sempiterna? CH. Quia & puero laganum pro studioso labore proponitur, per quem laborem grande postea decus & magnæ opes comparantur. Adducit Deus pater indulgẽtissimus & sapientissimus homines corporeis rebus assuefactos, promissione illarum, ut postea id largiatur, quod uix essent ipsi ausi optare. IV. Id si ita est, quid causæ est quo minus aperte dixerit? CH. Nõ est ea dubitatio ingenio tuo digna. nam si ei qui supra sensus & res corporales se non erigit, de spiritalitate dicatur, quid aliud fuerit quàm semoto colore quo alliciebantur sensus, fructum omnem sermonis perderet? mens illa nondũ capit: detractis autem ijs quibus tenebantur sensus, nihil supereſt iam quo res nitatur, ita concidat per se ipsa necesse est. Si tu quum pusioni tuo pyra & laganum ostẽdis, ut itet ad ludum literariũ, pariter de opibus, de uirtute, deq; ingenti uirtutis præmio facias mentionem, quid profeceris aliud, quàm ut parua contemnat, & magna non assequatur? ita confundas omnia. nec ille quod tu cupis efficiat: quia nec grandia intelligit, & parua iam pro nihilo habet. Ita si uobis spiritaliter esset locutus Dominus, excæcasset ueſtros oculos, uelut prolata luce fulgentissima. ideo dixistis Mosi, Nequatur nobis Dominus, loquere tu. & in eius signum uelũ faciei suæ prætendit Moses, in quam faciem radijs fulgentem intẽderet, oculi uestri non ualebant. Auscultate Esaiam manifestis uerbis de uobis testantem: Quem docebit, inquit, scientiam, & quem intelligere faciet? quod audiuit, ut pueri sunt ablactati à lacte, auulsi ab uberibus. Nam ut mos est pueris, datur eis præceptum post præceptum, præceptum post præceptum, linea post lineam, linea post lineam, parum ibi, parũ ibi, quia balbutientibus labijs & lingua altera loquetur propheta ad populũ istum. Hactenus Esaias. Si proponebantur uobis rudia & crassa, quia spiritalium non eratis capaces, quæ ratio fuisset enuntiandi spiritalia? IV. Nullus ne tandem erat tum capax, omnes erant pueri? etiam Moses, etiam Dauid, Helias, Helisæus, & alij prophetæ? CHRIST. Erant quidem in illo populo nonnulli, qui aliquid spiritalius de Deo, uti par est, saperent: sed populus tamen nihil supra sensus assurgebat. quod ostenderunt in deserto, quando in tanta multitudine nemo inuentus est idoneus, qui loqueretur cum Deo, prẽter Mosen. ille autem, ac prophetę, qui erãt sapiẽtiores, quibusq; se apertius cõmunicabat numen, altius intuebantur quàm populus: de qua sciẽtia dicit Dauid,

Incerta

Incerta & occulta ſapientiæ tuę docuiſti me. & in alio Pſalmo: Retege oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Et in eodem Pſalmo: Super ſenes intellexi, quia mandata tua dilexi, & ad ueram legis cuſtodiam da mihi intellectum, & cuſtodiam legem tuam, & cuſtodiam toto corde. Et quum Eſaias dicat, daturum Dominum ſperantibus ea quæ ſolus ſcit ipſe Deus, humanum uerò oculum nunquam uidiſſe: non dubium eſt, quin nonnulli de tantis illis bonis & cogitarint, & bene ſperarint. Sed quum uobis loquebantur ſapientes illi, planè uerbis & ſermone ſuo toto demonſtrabant uos eſſe pueros. Puerilia promittunt pro exequutione diuinarum præceptionum, & ea dicunt de Deo tam craſſa, tam abſurda, ut uos intelligatis, quæ ſaniores philoſophi gentium erubuiſſent dicere: omnia humana membra, omnes affectiones ac miſerias noſtras Deo tribuunt. nónne hoc eſt ad pueros uerba facere?

DE ABROGATIONE LEGIS.

IVD. Vt fatear peccare noſtros in legis intelligentia, certè uos multo peccatis grauius, qui legem hanc non ſeruatis, quum eſſe à Deo datam confiteamini. CH. Quia lex ea erat temporaria uſq; ad Meſsiæ aduentum, qui illam præſentia & doctrina ſua illuſtratam ſuſtulit, repoſita alia multo excellentiore, magiſq; & ad hominis excellentiam accommoda, & ad Dei maieſtatem. IVD. Atqui lex hæc noſtra ſæpenumero à Deo ipſo æterno nominatur & fœdus perpetuum, & pactum ſempiternum, quaſi nunquam finiendum. CH. Magis tu mihi argumentum iſtud obijcis, uel perturbandi mei gratia, qui ignarus ſum ueſtræ linguæ, uel ut tu mihi elabaris, quàm ut ualidum eſſe arbitrere. neq; enim potes tu ignorare id de quo uideo inter omnes conſtare, qui quidem Hebraicè norint, uocem illam עולם, quod noſtri aliàs in æternum, aliàs in ſempiternum, aliàs in ſeculum uertũt, non ſimpliciter dici de tempore, cuius finis ſit nullus, ſed uel de longa duratione, uel indefinita, uel de eo quod continenter duraturum eſt ſine interpolatione: cuiuſmodi ſunt item apud Latinos & Græcos, perpetuum, perennè, iugè, infinitum, de quo multa ſunt in ſacris literis exempla, ut Exodi uigeſimoprimo: Seruiet ei in æternum, nempe quamdiu uiuet, uel uſq; ad annum Iubilęi. & Hieremię uigeſimoquinto de migratione Babylonica: Ponam (inquit) in his regionibus ſolitudinem ſempiternam, hoc eſt, uel diuturnam, uel perennem uſq; ad reditum è Babylone. nam ſtatim addit, Seruient gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis, & continuò poſteaquàm fuerint impleti ſeptuaginta anni, uiſitabo regem Babylonis, & gentem ipſam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & terram Chaldæam, & ponam illam in ſolitudines ſempiternas. Iſthæc autem ueſtra ſacrificia æterna nominantur, quaſi quamdiu durabit lex, nunquam ceſſatura, nec intermittenda ſuis temporibus, quamdiu eſſetis ubi liceret exequi. Alioqui Babylone ceſſarunt, etiã tot annorum centenis inter uos: & Daniel capite duodecimo, prædixit. IV. Quid ergo eſt uarietas in Deo atq; inconſtãtia? CH. Vnde id colligis? IV. Quia præcipit quod aboliturus eſt, fert legem quam ipſe idem ſit abrogaturus. CH. Eſt inconſtantia in medico, ſi hodie iubeat ægrũ ſumere caſsiam, cras aloën? eſt in te inconſtantia, ſi diſcedens domo præſcribas miniſtro, ut computet rationem hebdomadis, poſtea lectum ſternat, tum uerrat cubiculum, inde paret prandium? Eſt uarietas aut mutabilitas in Deo, quòd nunc arbores & ſtirpes omnes frondent ac florent, poſt quatuor menſes erunt nudæ? IV. Non ſunt hæ inconſtantiæ, quæ ſub eadem conſtitutione comprehenduntur. CH. Eundem in modum ſub eandem Dei conſtitutionem uenit, ut uobis traderetur lex aſpera & dura, umbra ſpiritalitatis uobis congruens, poſtea daretur ſpiritalitas uniuerſo hominum generi. nec aliter in hoc adoleſcit mens & ſapiẽtia humani generis quàm in unoquoq; hominũ, qui Dei conſtitutione primũ infãs eſt, hinc puer rudis atq; imperitus, tũ uir ingenioſus, eruditus, prudẽs. IV. Explicatius aliquid & dilucidius uellẽ audire de ratione ferẽdę legis: nam mirari ſatis nõ poſſum tradi legẽ à Deo, quam ipſe ſit mox abrogaturus. CH. Non poſſunt hæc paucis uerbis doceri, quæ ingẽtia in ſe atq; admirabilia claudũt myſteria: ingenio eſt opus, & ſedula attẽtione. IV. Ecce me attẽtiſsimũ, & cunctũ in hoc ipſũ. CH. Miſſurus deus Meſsiã ſuũ, hoc eſt, ſeruatorẽ redẽptorẽq; humani generis, uoluit eſſe

populum aliquem peculiarem ſibi,in quo naſceretur & educaretur,& uitam tranſigeret mortalem.Hunc autem populum inſtrueret ornaretq; cognitione ſui,& cultu, ut quum is ſolus eſſet uera ſanctaq; religione præditus,nulla relinqueretur alijs populis querela, quod ex ſe orta non eſſet ſalus Domini, non apud ſe educata, non ſe docuiſſet.ille enim populus ad hæc omnia eminebat,& erat aptus prę cęteris,in quo uno eſſet ueri Dei cultus ac pietas.ideoq; Dominus noſter natus inter Iudæos, reliquas nationes fecit in hoc æquales,ut ipſe nullam omnino adiret, profeſſus ſe ad ſolas ueniſſe oues,quæ aberraſſent ex domo Iſraëlis: apoſtolos deinde ſuos miſit in orbem uniuerſum. Vos autem ut ſibi eſſetis populus & hæreditas, non elegit ex omnibus tanquam optimos. ſcis enim quoties illi maiores ueſtri peccarint, quæ ſint & quàm acerbæ in ſacris literis de duritia cordis ueſtri, de impietate ueſtra querimoniæ:quas nihil attinet referre,paſsim ſunt cuiq; obuiæ.Placuit autem illi fides Abraę, probauit integritatem Iſaac,grata fuit ſimplicitas & manſuetudo Iacob: propter eos ſtirpem Iacob ſumpſit ſibi tanquam gentem ſibi dicatam & ſacram:quemadmodum propter memoriam Dauidis noluit omnino tollere regnum è familia Salomonis, ut maneret lucerna Dauid. Deut. quarto. Quia dilexit patres tuos,& elegit ſemen eorũ poſt eos.& quarto Regum:Miſertus eſt Dominus Iſraëlis,& reuerſus eſt ad eum propter pactum ſuum,quod habebat cum Abraam, Iſaac, & Iacob. IVD. Cur ergo tulit hanc legem,& talem legem tam duram & temporariam? CH. Imò id maximè decebat Deum optimum, ut temporaria eſſet lex, quæ & dura.primum omnium uoluit uos tanquam oues ſigno ſuo aliquo notare, & à cæteris gregibus ſeparare, ideo legem tulit. tum quia ex ignorantia & prauitate morum maiores ueſtri in Ægypto non unum habebant Dei colendi ritum ac morem, & ad prauas cæremonias delabebantur plerique,præſcripſit ſepta quæ non egrederemini.Maxima tamẽ legis ferendæ cauſa fuit,incredibilis Dei fauor erga uos, qui uos tanquam filios chariſsimos aberrantes uoluit in uiam reducere,& imperitos erudire.Olim maiores ueſtri,quòd deus eſſet locutus progenitoribus gentis,& circunciſionem feciſſet uelut fœdus quoddam inter ſe ac illos,illa freti fiducia,omnia ſe abundè cõſecutos in religione exiſtimabãt, nulla erat mentio de imploranda Dei miſericordia, reliquas nationes aſpernabantur tanquam prophanas & impias, ſe eſſe exiſtimantes ſanctos Dei & ſacroſanctos. hanc tam ſtolidam arrogantiam uolens illis Deus adimere, & inſtituere ad ſapientiam,dedit eis legem:quam cùm uiderent ſe non cuſtodire,intelligerent quãtum deeſſet ſibi ad perfectionem iuſtitiæ,& uerum cultum diuinitatis: diffiſi humanis facultatibus,confugerent ad Dei opem & miſericordiam, implorarent Meſsiam, & auidè expectarent, per quem fieret reconciliatio, & aſſequerentur ſalutem ſempiternam.Et loquutus ſum de lege illa, facili, miti, expedita, decem præceptorum: quæ cùm ſit expedita & facilis, maximeq; conformis naturæ, eamq; ipſam non poſsitis præſtare,docet uos quantopere Dei gratia egeatis, tum illo per quem reditus nobis patet ſemper ad gratiam Dei.Nam illa alia de ritibus & cæremonijs,tam multa, tam uaria,grauia,moleſta, intolerabilia, non ſunt uobis data ut per ea fieretis meliores, ſed ne peiores, ſcilicet procliues in idololatriam, & cultum peſsimorum dæmonum:ut ab ea nefaria conſuetudine abſtraheret,iuſsit quem cultum idolis eratis præſtaturi,ſibi uni præſtaretis. alioqui enim quorſum opus eſt immolationibus naturæ ili ſummæ & omnipotenti? Quis ſanæ mentis exiſtimet placari illum ſanguine,& nidore animalium? quod ne ignoretis, ſatis ſuperque traditum eſt uobis, & inculcatum, eiúsque rei prophetarum omnium ſunt referti libri. In Pſalmo enim quinquageſimo dicitur: Quoniam non uis ſacrificium, nec dabo, holocauſtum tibi non placet: ſacrificia Dei ſpiritus contritus, cor contritum & confractum Deus non deſpicies. Et in alio Pſalmo: Holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti.& Pſalmo quadrageſimonono:Audi populе mi,& loquar Iſraël,& teſtificabor aduerſum te: Deus Deus tuus ego ſum,non ſuper ſacrificia tua arguam te, nec ſuper holocauſta tua, quòd non fuerunt coram me ſemper: non accipiam de domo tua iuuencũ, & de ſeptis tuis hircos: & quæ ſequuntur. Tum ad impium conuerſus, oſten-

oſtendit non placere ſibi malos quantũcunq; in lege ac præceptis eius ſedulos: Ad impium uerô dixit Dominus, Quare tu prædicas legem meam, & fœdus meum labijs tuis uerſas? Eſaias quoq; dilucidiſsimè, & quidem initio ſtatim ſui uaticinij, tanquam lapidem fundamenti huius ponit: Audite uerbum Domini principes Sodomæ, auribus percipite legem Dei noſtri populis Hamorrhæorum, Quorſum mihi offertis multitudinem ueſtrarum uictimarum? dicit Dominus. Satur ſum, holocauſta arietum, & adipem bubalorum, & ſanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Quum in conſpectum meum ueniretis, quis hæc de manu ueſtra requiſiuit, ut ſicatria mea conculcaretis? ne pergatis ſimulatum ſacrificium offerre. Suffitus abominatio mihi eſt. Neomenias & ſabbatum, quibus cœtus iniquos conuocatis, ferre non poſſum. Neomenias ueſtras & ſolennitates ueſtras odio habuit anima mea, oneri mihi ſunt. Laboraui, ut ſuſtinerem. Quid ergo poſtulet Deus ab homine, audite: Lauamini, mundate, auferte malitiam operum ueſtrorum, deſinite malè facere, diſcite benefacere, quærite iudicium, dirigite oppreſſum, iudicate pupillo, iudicate uiduæ. Idem Eſaias in capite duodeſexageſimo: Interrogant me iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo uolunt. Quare ieiunauimus, & non es intuitus? affliximus animas noſtras, & ignoraſti. Ecce in die ieiunij ueſtri, quicquid eſt uobis animo collibitum facitis, & debita ueſtra repetitis, litigatis ieiunantes, & contenditis, & inuicem iniquè cæditis. Ne ieiunetis uti nunc, quum in excelſis auditur clamor ueſter. Non eſt id genus ieiunij, quod eſt mihi cordi, affligere hominem in die animam ſuam, incuruare ueluti runcum ceruicem ſuam in ſacco & cinere ſterni. Nunquid iſtud appellatis ieiunium, & diem Domino acceptabilem? An non hoc potius eſt ieiunium quod elegi, ut ſoluas colligationes impietatis? Tum addit alia, quæ ad Dei & hominum charitatem faciunt: quæ quoniam tibi nota eſſe ſcio, non adiungam. Idem agit capite ſexageſimo ſexto. Michæas quoquè capite ſexto, quum adhortatus eſſet populum, ut gratum ſe erga Dominum pro ingentibus beneficijs exhiberet, & iuſtitiam intelligeret ac ſectaretur, ut ueram doceat gratitudinem ac iuſtitiam, dicit: Quo placabo Deum? curuabo'ne me Deo excelſo? nunquid placabo eum holocauſtis & uitulis anniculis? Nunquid uolet Dominus millia arietum, & decem millia torrẽtium olei? Nunquid dabo primogenitum meum pro præuaricatione mea, fructum uẽtris mei pro peccato animæ meæ? Nuntiabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirit à te: utiq; facere iudicium, & diligere miſericordiam, & humiliare te, & ſequi Deum tuum. Pſalmiſta crebrò nos admonet, ut ſacrificemus ſacrificia iuſtitiæ. IV. Illud tamen adhuc me torquet, cur hæc qualiſcunq; lex eſt, quum ſit Dei, antiquetur? CHR. Facilem mea quidem ſententia, & explanatam quæſtionis huius rationem tibi edam.

DE VOCATIONE GENTIVM.

QVid tu de gentibus & nationibus cenſes, an non & illi ſunt homines haud ſecus quàm uos? IVD. Quis de hoc ambigat? CHR. Præditi ſunt ratione, iudicio, conſilio, uoluntate, amore, perpetuitate animorum. Illorum Deus conditor eſt & pater, ut ueſtri. IVD. Id quoq; conſtat. CHR. Credibile eſt igitur, Deum, qui ſit optimus, beneficentiſsimus, nemini inuidens, & iſtos quoq; ad gratiam ſuam & æterna munera uelle aſciſcere: quod oraculis eſt ſanctorum prophetarum teſtatum. Iacob moriens prædicit Meſsiam futurum expectationem gentium. Et in Pſalmo idem Meſſias precatur, Libera me à populo contradicente & repugnante, ſtatue me caput gentium. Cui pater reſpondet per Eſaiam capite quadrageſimonono. Et dixit Dominus, inquit, exiguum eſt ut ſis mihi ad ſuſcitandas tribus Iacob, & ad conuertendos deſolatos in Iſraël. Dedi etiam in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; in extremum terræ. Non poteſt locus hic de alio quàm de Meſsia intelligi, in quo deus uelit oſtendere opulentiã ſuæ miſericordiæ, & magnitudinẽ ſuæ potentiæ. Ideo dicit leue & exiguũ opus eſſe, ſi id modò illi tribuatur, ut ueniat ad utilitatẽ ſolius Iudææ gẽtis: ad uniuerſitatẽ humani generis mitti eũ cõuenit. Et id decet deũ illum, qui autor eſt paterq; hominũ cunctorũ. Hac ipſa de re ſunt & alia in eodẽ capite, ut illic: Ecce ego

leua-

leuabo super gentes manum meam,& super populos exaltabo uexillum meum. Tibi uerò homini in sacris literis adeò exercitato, satis est locum uel digito designasse. Nec solùm prædicunt prophetæ uocandas esse nationes ad Dei ueri & summi pietatem,sed prælatum iri uobis. Esaias capite sexto & quinquagesimo, uerbis Domini promittit eunuchis & alienigenis,qui Dominum ritè coluerint, potiorem locum in domo Dei,quàm ipsis filijs & filiabus. IV. Minatur se Dominus ad gentes transiturum,ut nos adducat in zelum. Vt apud Esaiam, Propter peccatum Iudæ,dicit Dominus,quærere me feci ab ijs qui non interrogauerunt, inuenire me feci ab alijs qui non quæsierant me. Dixi,Ecce ego, ecce ego, ad gentem non uocatam meo nomine. CH. Atqui hæc non comminatio est,sed prophetia rei euenturæ,ut aliæ de quibus sumus locuti. Sed uos uelletis Deum misereri uestri, quum sitis pessimi: non uultis aliarum nationum misereri,non peiorum quàm uos estis. IV. Si ut nos adducat in zelum,transit Dominus ad gentes,non transisset, si nos illi non peccassemus: uel certè cùm illi reconciliabimur,repudiabit gentes tanquam pellicem, & cunctus ad sponsam suam synagogam reuertetur. CH. Faceret hoc quidem Deus,si uestri esset similis: uos non faceretis,si illius essetis similes. Quæso te,credis tu cadere in Deum tam uilem & abiectum affectum,qui in bonum & sapientem uirum non cadit,ut ex æmulatione,aut inuidia,aut ira bene faciat,ut alteri doleant oculi, cui malè uelit? Natura est ille beneficus,& munificentissimus,& omnibus largiter commodat, non ut alterum lædat,sed ut omnibus prosit. Itaq; si uos non peccassetis, non utiq; nō transisset Deus ad gentes,& extendisset misericordiam suam in omnia,quorum est Deus. Sed uos fuissetis principes,reliqui autē uestra uelut accessio. Nunc contrà contigit. Nam si qui ex uobis seruantur,is ad gentes accedit,sicut in Deuteronom. scribitur: Si auscultaris domino Deo tuo,ut custodias omnia præcepta eius, ponet te Dominus sibi populum sanctum,& ponet te Dominus in caput,& non in caudam,& eris supernus,non infernus. Quòd si non obedieris uoci Domini Dei tui, peregrinus qui est in medio tui, erit te superior, tu uerò illo inferior. Ipse mutuabit tibi, non tu illi. Ipse erit caput,tu cauda. Hæc & alia ibi Moses uerbis Domini. Quum autem reconciliabitur uobis Deus, non desinet esse misericors in eos qui quærunt eum, sed erit tum & in uos.

RVRSVM DE ABROGATIONE LEGIS.

QVòd si Deus gentes quoq; ad suum complexum,ad amicitiam gratiamq; suam asciscit,par est ut ea lex eis feratur quæ sit omnibus apta & congruens, qualis certè non est lex uestra. Lex uestra erat ne uniuersalis omnibus nationibus ac gentibus,an peculiaris uni populo? IV. Vniuersalis,quia Dei,qui est dominus uniuersorū. CH. An si medicus sit aliquis publicus,ea de causa quia publicus, quicquid uni ęgro præscripserit,ad ægros omnes credetur pertinere? IV. Non arbitror. CH. An quia dominus aliquid præcipit uni seruorum,idem protinus alij omnes præceptum sibi esse debent interpretari? IV. Minimè uerò. CH. Ita Deus medicus & dominus uniuersorum,medicinam applicat unicuiq; congruentem,quæ ad alios non pertineat. De uestra autem lege expresse scriptum est: Qui annuntiat uerbum suum Iacob, præcepta & iudicia Israeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: & in alio Psalmo: Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius. Si lex erat uniuersalis,cur non iussi estis eam explicare omnibus? Volo ex te audire, an uos diuulgetis uestram legē? IV. Minimè. CH. Prædicastis ne Babylone,aut Romæ? IV. Non. CH. Imò nec uersabamini inter gentes,ut eos posse tis docere. An ijs qui uiderunt uos, & agnouerunt Deum uerum colere,suasistis ut ad uos transirent? Moses socero suo Ietro nunquā suasit,ut secum permaneret,sed in patriā illum remisit,sacerdotem idolorum. Vt antea Solomon nō suasit reginæ Sabba,ut fieret Iudæa: nec Daniel Nabucodonosori,aut Dario: nec septuaginta senes Ptolemæo, à quo tāti fiebant. Hoc isto tēpore mysteria uestra occultatis: & diris deuouetis, si quis enūtiet tantūmodo, pertinaciter asseueratis nō esse salutē, nisi inter uos. Quid q; omnia per quę lex & ceremoniæ uestrę exercentur, declarant apertè ad unū tantùm populū illa omnia pertinere?

ea uerò ſunt,ſacerdotium ex una certa tribu, unum templum in una ciuitatum, omnia definita & deſcripta ad terrã illam promiſſionis & duodecim tribuũ. Ex peculiaribus item præceptis ſatis colligitur, ingenio ueſtro eſſe accõmodatam legem.Nam quòd eſtis natura zelotypi,permiſſus eſt uobis libellus repudij:ut citius eijceretis uxores, quàm occideretis. Quia proni ad uſuram, permiſſum ut fœneraremini extero, modò abſtineretis à fratre. Quia creduli in malum, uoluit uos abſtinere Deus à commercio idololatrarum,ne illi pertraherẽt uos in ſuos ritus. Tu medicinam hanc ei adhibeas,qui poſtquam edoctus fuerit unum eſſe Deum, uana eſſe idola, periculum nunquam ſit, ne in cultum falſorum deorum reuoluatur? & ſi cum alijs impijs uerſetur,ipſe facilius eos ad ſuam pietatem transferat, quàm ad eorum impietatem tranſeat:quod inquam plurimis Chriſtianis compertum eſt experimento,ut unus ſolus uniuerſum ſæpe populum ad ſuam pietatem traduceret. Iam quid opus eſt lege de zelotypia,uel fœneratione,ei genti quæ nec zelotypa eſt natura, neque fœneratrix? Lex quæ datur uni populo,conformis debet eſſe ingenio illius, ad mores illius reddendos meliores. Lex quæ uniuerſis datur, conformis debet eſſe toti generi humano.Nihil porrò iſtorum exteriorum accommodari uniuerſis poteſt, propter diuerſitatem ingeniorum in diuerſis regionibus ac temporibus.Ergo Dei eſt, qui author eſt naturæ,unuſq; regiones,tempora,hominum ingenia pernouit, eam ferre legem,quæ apta ſit omnibus ætatibus,ſexibus,regionibus,temporibus: qualis eſt lex Chriſti,quæ omnibus congruit: idq; argumentum eſt, eam eſſe generalem. In qua illud uelim te animaduertere, nullum eſſe præceptum,quod nõ uniuerſis congruat, nullum ei poſſe excipi ætate,ſexu,loco,tempore,ualetudine. IV. Quî iſthuc fieri poteſt? an non habetis uos ieiunia,& dies feſtos,& præcepta de connubijs, & alia permulta,à quibus excipitis multa hominum genera? Et ueſtri põtifices multos uel pecunia,uel gratia ſoluunt legibus & canonibus. CH. Fando tu quidem nonnulla de legibus atq; inſtitutis noſtris fortaſsis audiuiſti,ſed nihil(ut uideo) exactius uel accuratius.Chriſti præcepta ſunt, ut de ſe omnia ſperemus, & fidamus, qui patri Deo pro omnibus ſatisfecit: hinc ut amemus Deum pluſquam noſmetipſos, & proximum non aliter quàm nos ipſos.Hæc eſt ſumma legis Chriſti,à qua nullum genus hominum,nulla conditio poteſt excipi. Patres deinde & rectores eccleſiarum quaſdam attulerunt regulas,quæ uelut manu ducerẽt ad faſtigium hoc pietatis,ut de ieiunijs, de otio feriarum, de audienda miſſa,de precibus,de coniugijs.Lex diuina, ut ſapientiſsimi authoris omnium,omnes comprehendit,omne tempus,omnem locum.Lex humana,ut hominis non omnem capacis ac prouidi,multas exceptiones uel ipſa ex ſe recipit, uel ab eo ipſo patitur qui legem ſanxit. Sed attende quæſo, & intelliges quantum inter leges noſtras & ueſtras interſit.Quis eſt uerus Dei cultus? IV. Quem Deus ipſe præſcripſit & ſtatuit. CH. Ecquem Deus ſtatuit? IVD. Quem legis in libris Moſis. CH. An non paulò antè ex pſalmis & prophetis docuimus,ueram religionem eſſe animi puritatem,& iuſtificationem, non uictimas atq; immolationes animaliũ? Cedò,eſt ne aliquid quod ego tibi poſsim gratius facere,& per quod magis tibi concilier,quàm ſi dem operam,ut tibi fiam quàm ſimillimus? IV. Nihil,ut uidetur. CH. Poteris tu me magis diligere aliqua ratione & uia,quàm ſi uelut teipſum in me contemperis? IV. Quorſum id tandem? CHR. Quia nulla eſt religio,nullus cultus Deo acceptior,quàm ſi te illi efficias ſimilem,quantum quidem præſtare poſsis.ſimilitudo autem hæc in ſanctificatione non corporis,non rerũ exteriorum,ſed animi exiſtit.Sancti (inquit) eſtote,quia ego ſanctus ſum. Quale hoc tibi uideẽ? Nam ſi quid in eo uel hæres,uel requiris,ſatisfaciemus tibi,priuſquam progrediamur ulterius. IV. Non uidentur mihi abſurda, nec à recto iudicio aliena: & multas in ſacris libris ſententias memini legiſſe me,quæ hoc ipſum teſtificentur. CH. Similitudo igitur parit beneuolentiã inter te & Deũ,& is Dei cultus multò optimus,imò ueriſsimus ac ſolus.Scito igit amorẽ ipſum maiorẽ ſimilitudinẽ gignere,& magis copulare animos,& ex duobus unũ prorſus efficere. IV. Hæc ſunt nimiũ profunda. CH. Etiam uos quibus data

eſt

est lex terroris,de amore nihil unquam auditis, quæ coniungant & deuinciant corpora,multa sunt: quæ uerò animos ac spiritus, quid tandem est? IVD. Nescio. CHR. Credo.nihil enim scitis uel acutum,uel reconditum,uel excultum expolitumq; , uel ab ingenijs,uel ab eruditione,à qua uelut dedita opera lõgissimè abestis.Nunquàm ne audiuistis,amicitia coniungi homines,ut amicus amico sit alter ipse? amor igitur non solùm efficit animos ac spiritus similes,sed unum prorsum. Quòd si uerus Dei cultus est,ut eius fias similis, & ex similitudine gratior,nihil est quod maiorem gratiam conciliet quàm amor.Amore enim amor gignitur.Quòd si ames,redamaberis, Amor hic nexus est animorum.Fies unũ cum Deo , ac proinde uelut Deus quidam. Hęc est ęterna hominis beatitudo.Vel apertè,uel tacitè huc uota omnia humani cordis tendunt. Confer iam leges. Vestra nunquam ferè de amore loquitur:& si quando,breuiter id & obscurè,semper de metu ac terrore.Deus uobis est magnus dominus,pugnator,ultor,zelotes,quæ omnia in seruilem affectum deijciunt animos.Nobis omnia sunt de amore dei & proximi. Noster Deus mitis,misericors,blandus,indultor,pater:quæ omnia in filialem habitum componunt animos nostros.Quæcunque in Euangelio præcipit Christus,ad amores istos pertinent,quæ rectores Ecclesiarum ad uerum Dei cultum referunt.Ieiunamus enim, ut spiritus se ad dei contemplationem extollat:precamur,ut incendamur charitate:feriamur,ut animus curis uitæ huius solutus,liberius de Deo cogitet: interfumus missæ , ad memoriam redemptionis nostræ.IVD. Quid uerò leges pontificiæ de sacerdotijs , de initiationibus? CHR.Non differimus hîc de politicis legibus,quarum usus est in foro,& ciuitate,sed sacris ritibus ac cæremonijs,quæ ad cultum diuinum sunt constitutæ.Profer huc uestra.Non uesci porco,non lepore,non anguilla,non adfuere lanam lino: quam similitudinem Dei adfert,quam iustificationem,aut purificationem mentis, quam bene uolentiam conciliat cumDeo?Iam uerò quantũ interest,ostendere simpliciter uiam, quà ad Deum peruenias,per amorem scilicet, quod fecit Christus: & onerare miserum animum immensa præceptorum multitudine,quæ satis sit negotij uel memoria posse continere. Quod contigit uobis per manum Mosis , in quo planè estis tractati ut nequam mancipia,quæ plagis emendantur,ita præceptis minæ sunt atroces additæ:& uobis,quia non bene committebatur otium,datum est negotium, quo distineremini,longum,uarium,molestum , odiosum: non eo fine ut id ageretis, sed ne contraria:non ut Deum coleretis , aggerata sunt tot præcepta tam minacia: sed ne uacaret uobis relabi ad idololatriam . ita circumsepsit uos Deus suis præceptis, ne locus patêret alienis.IVD.Hæc indigent magna speculatione.CHR.Nec omnino nulla,nec fortasse tanta,quanta nunc tibi uidetur.comprehendisti ne memoria?IVD. Etiã. CH. Videris tibi facile retenturus?IV. Ita planè.CH. Domi ergo solus per otium recolito. IV. Faciam.CH.Itaq; cùm apertæ fuerunt ianuæ diuinæ benignitatis, ut per eas ingrederentur gentes,lex uestra antiquata est,& data noua à Deo ipso toti humano generi,congruens uniuersis , ut olim uobis, quæ apta ingenio esset uestro. id quum ratio ut factum sit euincit,neque aliter de suprema est illa sapientia cogitandum,tum oracula sunt prophetarum. Malachias enim dicit primo capite : Non est mihi uoluntas in uobis,dicit Dominus exercituum , & munus non uolam de manu uestra. Ab ortu enim solis usq; ad occasum eius,magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & oblationem mundam offeretis , quia magnum est nomen meum in gentibus,dicit Dominus exercituum. Perpende prophetiæ huius singulas sententias.accessum gentium adDei cultum prædicit,in quo iam uos cum uestris sacrificijs,ritibus,cæremonijs ostendit minimè placituros , nec munus iuxta legem Mosis gratum futurum:sed si in illo Dei cultu uniuersali uultis placere Domino,offerte(inquit) non immundum sacrificium adipis,sanguinis,medullarum , sed oblationem mundam.Quid enim potest dici immundius , quid tetrius aut fœdius,quàm illa tanta & tam iugis tot animalium carnificina? quid erant aliud pontifices & sacerdotes olim uestri,quàm lanij perpetui & coqui? Itaque mundum sacrificium , ad munditiem & animorum pertinet & manuum . Nec uideo quod in

tempus

tempus referri posſit, quod Esaias inquit capite sexagesimo sexto, quàm in hoc, quum tantis uotis expectatis Messiam, & fingitis uobis reditum in Palæstinam, & tanto molimine apud animos uestros & sermonibus inter uos ædificatis templum: Sic dixit Dominus, inquit, cœlum est solium meum, & terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit, & extiterunt hæc, dicit Dominus. Hinc subdit quod nos dicimus, purum & sanctum animum uerum esse Dei templum: & cum toto hoc, inquit, respiciam ad pauperem, & contritum spiritu, & trementem super uerba mea. De sacrificijs autem, per quæ uos in æde illa ingentem apud illum gratiam quæsituros confiditis, pergit dicere: Qui immolat bouem, ac si interfecisset uirum: qui immolat pecus, perinde est ac si deceruicasset canem: qui offert oblationem, est ac si offerret sanguinem suillum: qui suffire facit thus, est ac si bene diceret idolo, & abominationibus suis anima illorum delectata est. sic ille. Et Hieremias uerbis multo apertioribus cessationem legis denuntiat: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum, non secundum fœdus quod pepigi cum patribus eorum in die quum apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & dominatus sum eis, dicit Dominus. Sed hoc erit fœdus quod feriam cum filijs Israel: post dies illos (dicit Dominus) dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et quidem hæc prædicit futura post dispersionem Iudææ gentis, & post exilia per orbem totum, & post illud magnum & nouum, quod Dominus facturus est super terram, ut fœmina circundet uirum. IVD. Istud ad Messiam nostrum pertinet. CH. Nondum de Messia disputo, sed de legis cessatione, quam uides aperte prædici, tanquam medicamentum ad tempus aptatum morbo uestro. Et ne te defatiges, deq; Dei constantia & stabilitate in proposito sis anxius, neu legem tuam deplores tanquam reiectam prorsus & extinctam, scito abrogationem illius esse factam ad sensa literæ, non ad sensa spiritus. IV. Quid ego audio? CH. Dicam apertius. Lex quam populo Iudæo dedit Deus per manus Mosis, diuina est adhuc, & perdurat, & ueri Christiani eã obseruant. IV. Estis ergo Iudæi ut nos. de quo est igitur controuersia? CH. Vos legem illam corporaliter obseruatis, qualem exhibuit Moses: nos spiritaliter, quemadmodum Christus, & eius discipuli enuclearunt. & abstinemus nos etiã porco & lepore, & offerimus hostias in lege præscriptas, sed ad sensum diuina tum magnitudine, tum etiam præstantia, humana dignum. Abstinemus enim porco, id est, immunditia carnis: & mactamus Deo pecudes, id est, bel luinas nostras affectiones. sed longum esset persequi singula. Et ueri Christiani sunt Iudæi spiritales, & filij Israëlis, & semen Abrahæ, progeniti ab illis non secundum opus belluini corporis, iuxta quod genitus est etiam Ismaël & Esau, sed excellentiore parte, nempe ab animo, per imitationem uirtutum illorum. Ergo ostensa est eadem lex uobis quidem à Mose tecta uelo, nobis autem retecta & reuelata à Domino nostro Iesu. IV. Quomodo potestis uos obseruare, quæ non modò negligitis, sed etiam contemnitis? persuasum enim est uobis, legem nostram nõ modò mortuam esse cum uestro Iesu, sed etiam post eius resurrectionem mortiferam. CH. Nos id sentimus de lege uestra carnali, seu simpliciter sumpta, & sine figuris: spiritalis autem adhuc uiuit. IV. Atqui uulgus Christianorum & doctorum ex uobis uel plericq;, uel non pauci, ritus & cæremonias nostras ignorant: quomodo possunt quod nesciunt, uel scire quorsum pertineat, uel rectè obseruare? CH. Qui ex nostris hominibus significationes illas sublimes & mysteria legis uestræ non intelligunt, obseruant nihilominus quæ sunt præcepta: quia quæ uobis in mysterijs sunt & arcanis tradita, planioribus sunt nobis uerbis iussa, & retectiore sententia. ut si nescio quid sit porcus, nec quorsum pertinet non uescendum porco in sensu spiritali, obseruabo nihilominus præceptum, si dicatur mihi non esse pascendam mentem, hoc est inquinandam obscœnitate atq; immunditijs, quales bruta & abiecta caro expetit. Non meministi te ali-

quando didicisse literas in syllabas coniungere, syllabas autem in uerba? IV. Non satis commemini, sed in multis pueris id obseruaui. CH. Non animaduertisti quot formulæ, quot uiæ ostenduntur eis à ludimagistris, ut rectè elementa inter se applicent? ea omnia ubi iam perdidicerunt, legere obliuiscuntur, & nihilo secius expeditius legunt, quàm cum illis formulis: quas omnes & si aliud agentes, nec animum ad eas aduertentes, obseruant tamen in legendo. Puerum quoq; imprudentem aliquid acturum multis instruimus consilijs, & præceptis, & cautionibus: quæ omnia unica illi prudentia, quum eam tempore atq; usu rerum parauit, suppeditat. sic præcepta & formulæ uiuendi, & ratio colendi numinis multis uerbis explicantur, & proponuntur ijs qui carent spiritu Dei, hoc est fiducia & amore erga Deum, quæ uniuersa Dei amor latenter docet, & quum usus poscit subministrat. Quòd si multa illa præcepta atq; instituta eò pertinent ut ritè colatis numen: numen autē similitudine illius optime colitur, quia sic conciliatur amor: supremum autem est amor: qui efficere potest ut amemus, is optimam uerissimamq; colendi Dei rationem tradit, & quicquid alijs uerbis, ritibus, institutis, cæremonijs explicari potest, concludit & comprehendit. Nostra uerò lex eò tendit tota, sic nobis proponit Deum, sic nos afficit, ut uerè & toto pectore amemus. Nec ullus uestrorum rituum datus uobis fuisset à Deo, si & illum, & proximū uestrum uerè atq; ex animo dilexissetis. Quæso te, ut liber aliquando & solutus curis expendas atq; examines uim omnem præceptorum uestrorum, & legis uniuersæ, tum dicta, monita, cohortationes prophetarum: inuenies ad hos duos uelut scopulos dirigi amorem Dei & proximi. qui tamen ita sunt duo, ut in unum coëant & coniungantur. IV. Isthæc omnia noua sunt mihi prorsus atq; inaudita, difficile est mihi de eis quicquam statuere. CHR. Id uerò magis mihi placet, ut per otium exactiore iudicio adhibito ista perpendas. Nam quæ fortasse prima auditione propter nouitatem absurda & à ueritate abhorrentia tibi uiderentur, ea si accuratius altiusq; scruteris, iuuenies uerissima esse & sanctissima. neq; hunc tantum locum uelim sic abs te recoli & retractari, sed cunctam hanc nostram dissertationem.

DE EXILIO IVDÆORVM perpetuo.

EXilium quoq; istud uestrum ab auitis sedibus, manifestò ostendit legem quam obseruare solebatis, quamq; adhuc tuemini, & retinetis mordicus, esse antiquatam, sacra enim, ritus, cæremonias, concluserat Deus una regione, & ex ea una in ciuitate, uno in templo, sub uno summo sacerdote, ex tribu Leui, ex familia Aaron. Templum est dirutum, ciuitas subuersa, uos arcemini procul à Palestina, clausit deus omnia isthæc uestra definitis limitibus loci, ut loco uobis penitus adēpto, illa etiam omnia sciretis adempta, quæ illic continebantur. Accedit his, quòd simul cum lege constitutus est summus sacerdos, qui sit uelut præses, custos & tutor legis. eum autem uidetis sublatus, ex quo licet intelligere, & legem esse abolitam. quod Dauid prædixerat, constitutum esse Messiam sacerdotem à Domino, & quidem iureiurando, & quòd nunquam sit mutaturus, & sacerdotem sempiternum non secundum ritus Aaron, sed Melchisedech. IV D. Bona uerba. Quid tu de exilio nostro æterno loqueris? Nos uerò uatum nostrorum oraculis cōfisi, restitutum iri nos speramus. fiet aliquando, etiam si ex Dei consilio inscrutabili differatur. CH. Ipsa expulsionis causa & ratio liquidò ostendit, uos nunquam restitutum iri. Quæro enim, quamobrem exulatis tam diu? IV D. Propter idololatriam in deserto. Nam ea de re Exodi tricesimo secundo sic scribitur: Ego autem in die ultionis, uisitabo super eos peccatum eorum. CH. At uide quid sequatur: Percussit ergo Dominus populum, eo quòd fecerant uitulum, quem conflarat Aaron. Num non propter scelus illud occisa sunt tot millia? num ingressus est aliquis eorum in requiem Domini? non Moses, non Aaron, nullus præter Iosue & Caleph. Quale uerò est, post centum generationes meminisse sceleris, quum aliæ omnes mediæ euaserint pœnam? Ego sum (inquit) Deus fortis, zelotes, uindicans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

rationem,ijs qui oderunt me:& faciens misericordiam in millia,ijs qui diligunt me. non dicit,in centesimam generationem.Quid, quòd uos non uidemini ex ijs qui illum oderunt,sed qui amant & colunt: fertis patienter exilium tam longum, & sustinetis illum,expectatis dum dignetur uos respicere,non estis idololatrę,quin ergo fecit misericordiam uobiscum? Iam uerò quum totus Israël desciuisset à Domino, idq; tanto tempore, omnes reges Iuda idolorum cultui dediti fuerint, præter Dauidem, Ezechiam,& Oziam,ducti estis Babylonem,habuistis nihilominus illic iudices uestræ gentis & prophetas,qui uos consolarentur: mansistis ibi annos septuaginta, & reducti estis in patriam antiquam.nunc agitis per orbem dispersi,subditi,serui,extremæ ac miserrimæ conditionis,nullum habetis prophetam qui uos cõsoletur, quum non committatis tam graue scelus idololatriæ quàm olim, non sacerdotes, non annotationem & distinctionem tribuum,ut sciatis unde Messias sit nasciturus.Sed nec est opus amplius. at quàm diligenter erat annotatum ante Christum? Quid, quòd Cæsares Vespasiani iusserunt interfici omnes eos,qui supererent ex familia Dauidis? Vos ad hæc omnia estis cæci & surdi, non uno aut altero anno, sed mille quingentis. Ecquod tandem nefas non fuisset tanto tempore expiatum? Illud quoq; uelim mihi dicas, si non est molestum, cur non sollicitat uos nunc dæmon ad idololatriam,sicut olim patres uestros? inter quos tantum fuerunt tres reges obseruatores legis Domini,quos modò commemoraui. IV. Quia non sumus tam acuti,nec tam solertes,quàm olim patres nostri. CHR. O egregium acumen,ô solertiam prędicandam, scire à Deo ad pessimos dæmones desciscere.Igitur Achaz acutior, qui idolis seruiuit,quàm Dauid,qui Deo soli.Stupiditas est uidelicet,& dementia,uera pietas: nollem tale unquam dictum uenisset tibi in mentem,nedum,ut protulisses. IV. Quid ergo dixerimus esse in causa? CH. Securus est de uobis diabolus, satis putat uos esse in partes ipsius pertractos: nec ulla esse potuit maior idololatria,quàm spreuisse ipsum Dominum & authorẽ uniuersorum,qui uobis salutem adferebat.Inspicite iam quales eratis,quum deleuit regionem uestram Titus Vespasianus. A reditu è Babylone non fuerat inter uos cultus deorum alienorum,conformiter & constanter Israël colebat Dominum.Occidistis Iesum,qui se dicebat Christum. Is uerò si non erat Messias,quemadmodum ipsi affirmatis,nullum poteratis opus facere Deo gratius, quóque amplius demereremini fauorem illius, quòd hominem sustulissetis in crucem contumelioſum in Deum,& in Messiam eius.Nam si Phineæ filio Aaron confirmatum est sacerdotium à Deo propter zelum Domini,quem in uno filio Israëlis ostenderat puniendo,quibus præmijs eratis uos digni,crucifigendo eum qui Messiam se diceret,quum non esset? quin & dicit per prophetam Dominus, Saluos faciam uos, non propter uos, sed propter me:ne dicant gentes,quòd dominus eorum non potest eos saluos facere: quanto magis nunc, ne dicant quòd occidistis Christum Domini,qui non erat? At uerò post mortem illius uexati estis fame sub Claudio, latrocinijs,discordia præsidum,Fœlicis & Festi,tum bello sub Nerone & Galba,excidio acerbissimo sub Vespasiano,rursum cæsi estis ab Adriano,iterum à Gallo expulsi patrijs sedibus, excisa urbe & templo. Crudelius egerunt uobiscum Romani, quàm cum alijs urbibus captis, ut appareat ultione Dei esse factum. At dicitis uos habere regnum ultra montes Caspios. ô quàm multa extruxistis uana, ut excluderetis lucem ueritatis. Quis uidit? quis tradit? Sub Macedone Alexandro factum est. Hoc falsum.Nam quum estis deuicti à Tito, omnes duodecim tribus erant in Palæstina. Sed uos estis adeò impudentes, ut sine uerecundia aliarum nationum asseueretis id quod reliqui omnes manifestum esse mendaciũ sciunt: nec reuereminí memoriam gentium,nec apertum illarum contra uos testimonium:omnes habetis pro canibus, non illorum merito,sed procacitate uestra,& impudentia deplorata.Pulsi ergo estis in tam extremum exilium, quod quemadmodum dixit Christus, non cognouistis tempus in quo Dominus ipse ad consolationem uestram uos inuisebat.de quo Hieremias queritur capite octauo: Etiam ciconia in cœlo cognouit tempus suum, &

turtur,& grus,& hirundo custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Iosephus Iudæus ait, suspicari quosdam mortem Iacobi fuisse in causa. An est credibile, propter mortem unius hominis quamlibet iusti, gentem uniuersam esse cæde primùm & clade, hinc exilio tanto mulctatam? Mors enim Iacobi, mors Christi, si non erat Messias, quid aliud erant, quàm mors hominis prophetæ? Propter mortem autem Zachariæ, aut Esaiæ, aut Hieremiæ non estis è patria excisi. Audite Amos caput secundum, Super tribus præuaricationibus Israël, & super quarta non parcam ei, eo quòd uendiderint argento iustum,& pauperem propter duo calceamenta. Pretium uile significat, sicut olim numo sestertio, nunc frusto panis. Quis est iustus hic, cuius uenditionem tanti æstimat Deus,& ita eam ulciscitur, nisi Iesus Christus, qui uenit ad uos sub pauperis imagine, mitis, demissus,& sine ullis opibus? Prophetæ uestri, si uoluissetis oculos aperire, satis apertè exposuerunt uobis,& exprobrarunt grande illud & nefarium facinus. Esaias dicit capite octauo: Dominum exercituum sanctificabitis,& ipse timor uester,& ipse pauor uester,& erit in sanctificationem,& in lapidem offensionis duabus domibus Israël, in laqueum & rete habitantibus Hierosolymis,& impingent in id plurimi,& cadent,& conterentur,& irretientur,& capientur. Idem propheta capite tertio, populum dicit eiectum, excisum, & relictum sine duce, & principe, & bellatore,& propheta, quia linguis & operibus suis irritauerunt Dominum, nec peccatum suum celauerunt, sed apertè professi sunt. Ecquod tandem peccatum apertè profitemini, nec uos pudet, nisi de morte Domini nostri Iesu? & addit uates: Væ animæ eorum, quum reddiderunt sibi ipsi malum, nempe quum dixerunt, Sanguis eius super nos,& super filios nostros: quo nihil est euidentius, quàm ita esse. tum adijcit: Quum tamen in ea sis calamitate, ut nec scientiam habeas, nec regnum, nec libertatem, nec iustitiam, qui te beatum dicunt, an non te seducunt? ij te fallunt, & uiam semitarum tuarum perdunt. Quid, an non id hodie non cernimus impletum, quum rabini uestri persuadent uobis uos solos beatos esse. nempe qui soli uerum colatis Deum,& ueram sanctamq; sectemini spem de Messia? ita perdunt uias uestras: nam cogunt uos insistere uia praua, nec uelle ab ea egredi, quam existimetis rectà ad beatitudinem ducere. an potuit apertius describere, etiam si fuisset historicus, non propheta? In Deuteronomio exilium hoc uestrum,& extremæ conditionis seruitus describitur. inter cætera enim dicitur: Percutiet te Dominus amentia,& cæcitate,& stupore cordis, & palpabis in meridie, quemadmodum palpat cæcus in caligine. Expendite totum illud caput octauum & uicesimum, uidebitis nunquam potius execrationes illas quàm ad hæc pertinere tempora, nunc ergo cæci estis. Atqui deos alienos nõ colitis:& si unquam aliàs, zelatores estis legis. cæcitas ergo uestra est. Christum Dominum non cognoscere. Hieremias apertè dicit, maius esse uestrum peccatum, quàm peccata patrum uestrorum. A die (inquit) qua egressi sunt patres uestri è terra Ægypti usque ad diem hanc, misi ad uos omnes seruos meos prophetas, per diem surgendo de mane,& mittendo,& non audierunt mihi, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam,& peius faciunt quàm patres eorum. Si hoc peccatum est grauius, quomodo propter uitulum dicitis uos puniri? At explicatius capite quinto: Scrutamini in plateis Hierusalem, & uidete nunc, & scitote,& quærite in plateis eius, an inueniatis uirum, an sit qui faciat iudicium, qui quærat ueritatem,& parcam ei. & si, Viuit Dominus, dixerint, uerè mendacium iurabunt: Domine, oculi tui nónne sunt ad res stabiles? percussisti eos,& non doluerunt: consumpsisti eos, renuerunt accipere disciplinam, duriores fuerunt facies eorum petra, renuerunt reuerti. Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt, stulti facti sunt, quia non nouerunt uiam Domini, iudicium Dei sui. Ibo ad maiores, & alloquar eos: ipsi enim cognouerunt uiam Domini, iudicium Dei sui. sed ipsi simul confregerunt iugum, ruperunt uincula. Sic ille. Quibus uerbis apertissime status horum temporum uester describitur. Depicti estis, quod aiunt, uestris coloribus, uos ac rabini uestri. Idem propheta paulò pòst exilium uestrum prædicit, & excisionem à sedibus, sed ita ut

non

non penitus sobolés uestra intereat,& siimul causam adijcit, cur à fauore Domini ex cideritis. Ascendite(inquit)muros eius,& dissipate,consummationē autem ne faciatis,auferte minas murorum eius,quia non sunt Domini, quia præuaricando præuaricati sunt in me domus Israël,& domus Iuda,ait Dominus,negauerunt Dominum, dicentes,quòd non sit.quem uerò dixerunt esse illum qui esset,nisi solum Iesum Dei filium? Idem Hieremias capite duodecimo, de causa desolationis terræ loquens ad Dominum: Nam & fratres tui, & domus patris tui, ipsi præuaricati sunt contra te, ipsi cōgregati uociferati sunt in te. Ne credas,quum loquuti fuerint tibi bona. Tum uerbis Domini: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius,fuit mihi hæreditas mea tanquam leo in sylua,dedit contra me uocem suam, idcirco odi eam. Idem capite decimosexto: Et erit,postquàm annuntiaueris populo huic omnia uerba hęc,& dixerint tibi,Quamobrem minatus est nobis Dominus tam graue malum hoc, & quæ tanta nostra iniquitas,aut quod peccatum nostrum quod peccauimus Domino Deo nostro? Dices ad eos: Propterea quòd dereliquerunt patres uestri me, ait Dominus, & abierunt post deos alienos,& seruierunt eis,& incuruauerūt se illis,& me dereliquerunt, nec legem meam custodierunt: & uos peiora perpetrastis quàm patres uestri. Sic ille. Tum addidit historiam horum temporum: Et ecce uos ambulatis unusquisq; post duritiem cordis sui mali, ut non audiatis mihi. Et expellam uos de terra hac, quam nec uos nec patres uestri cognouerunt, ubi dijs alienis seruietis die ac nocte, quia misericordiam meam non impartiar uobis. Quomodo poterat explanatius declarare,uos esse à misericordia Domini repulsos, nec Deum uerum ac uiuentem colere,sed falsos deos,quos uobis confinxistis? Dicite,quæso,quod in tempus ista competunt,nisi in hoc? Immensum esset, si in singulis uelim pro dignitate immorari. Tu ipse omnia examinato, quem uideo uersatum esse in studio sanctarum literarum. Quintum caput Threnorum eiusdem Hieremiæ, est Iudæi populi misericordiam petentis: in cuius extremo hæc sunt uerba: Vt quid in perpetuum obliuisceris nostri,derelinques nos in longitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te,& conuertemur: innoua dies nostros sicut ab initio. Sed reprobando reprobasti nos, iratus es contra nos uehementissimè. Ea est libri clausula, qua status hic rerum uestrarum significatur. Adde his,quòd si Deus communicaturus est seipsum uniuersis gentibus, ut sacra oracula testantur,hoc est,legem daturus uniuersalem,quid opus est ista uestra? sub illa scilicet altera uiuetis & uos. Hanc uerò uniuersalem si legem esse Messiæ dicitis, quid opus est uobis reductione? quid templo, & Hierosolymis? Vbiq; potestis uiuere secundum eam legem: quæ si uniuersalis est, non alligabit utiq; ad unum templum,& unam ciuitatem. Quæro autem,an Messias legem istam uestram sit confirmaturus,an inducturus aliam? Hanc uestram oracula testantur abrogatum iri.quòd si aliam adferet, quid de Iesu Christo conquerimini, qui non aliam intulit, sed hanc istam ad sensus homine & Deo dignos transtulit, seu potius erexit. Quòd si paulò attentiùs uelitis animaduertere,non erit uobis difficilia inuenire,& cur olim sitis electi ad peculiarem Domini hæreditatem,cur conseruati,cur postea reiecti, & repulsi. Omnium causa est Iesus Messias. Voluit Deus, ut paulò antea dicebam, aliquem unum esse in mundo populum,qui Deum cognosceret, apud quem essent illius ritus,cæremoniæ,leges & præcepta,ex quo filius suus nasceretur, & in quo uersaretur,ad excludendum querelam aliarum omnium nationum. Ex hoc populo quę tribus de duodecim esset electa ad Messię generationem,etsi aliquid attigerat Iacob moriens,incertum tamen erat usque ad Dauidem. Huic enim propter mansuetudinem renouata est promissio, quemadmodum facta olim fuerat Abraæ propter fiduciam. Itaque populus electus est Abraæ per Isaac & Iacob, tribus Iudæ, & familia Dauidis Regis. Quomodo erudijt uos Deus, admonuit, castigauit, tulit usque ad Messiam? Expleto autem usu instrumenti, abiectum est instrumentum, tanquam deinceps inutile. Additi sunt uobis quadraginta anni, ut resipi-

ſcentes tranſiretis ad uniuerſalem uocationem cunctarum gentium. Poſtea conſequuta eſt confuſio atq; abolitio fortunarum omnium & diuini cultus, ciuitatis, templi, ſacrificiorum, ſacerdotij, tribuum. An non ex his aperte intelligitis, nullum eſſe amplius ueſtri uſum? Hieremias rabinos & ſapientes ueſtros ſic obiurgat, capite octauo: Quomodo dicitis, ſapientes ſumus, & lex Domini eſt nobiſcum? uere mendax eſt ſtylus, fruſtra ſunt ſcribę, pudore affecti ſunt, ſapientes perterriti ſunt, & capti ſunt, uerbum Domini reprobauerunt, & ſapientia in eis nulla. IV. Magnas adfers rationes. Et ſic à noſtris rabinis accepi, ueſtra omnia perualidis eſſe fulta rationibus per homines ingenioſos, quales habuiſtis inter uos quàm plurimos. CH. Quàm malitioſam calumniam, ut quando res ipſæ claro meridie ſe oculis ueſtris ingerunt, lucem ipſam accuſetis, quoniam aliud non ualetis. Primùm habuiſſe nos in religione noſtra, acutiſsima ingenia quàm plurima, an exiguum eſt argumentum uera eſſe quę nos recipimus, quando quidē à talibus ſunt ingenijs approbata? Deinde ratio num non res eſt æqua, uobis & nobis par, pro ueritate ſemper fortior ac manifeſtior? ſi pietas noſtra non eſſet uera, nullæ ſuffeciſſent rationes, nulla ingenia ad eam fulciēdam, ſcilicet falſa & conficta ipſa per ſe paulatim laberentur. Opinionum commenta delet dies, ut inquit ſapiens quidam de gentibus: recta iudicia confirmat. Quid, quod rationi conforme eſt, non diſcrepat à Deo, ueritate, & unde manat ueritatis omnis ratio. Audiſti etiam cuiuſmodi genus hominum Chriſtus ſibi aſciuerit, quàm non aptum excogitandis pro ſe rationibus. IV. Atqui nos ſumus populus Dei, & ſic ſemper uocamur, uel in ipſo exilio, & hæreditas illius, & uinea electa. CH. Sic uocamini propter primam electionem. Sicut apud Eſaiam: Iſrael me non cognouit, & populus meus non intellexit. An eſtis populus eius, quum eum non noſtis? De uinea autem legite quę ſunt apud Eſaiam cap. 5. quomodo exciderit eam Dominus. Et Hierem. 2. Ego autem plātaui te optimam uitem, totam ipſam ſemen uerum, & quomodo conuerſa es mihi in ſarmentum uitis alienæ? IV. Atqui reditib in domū multis cœleſtibus oraculis nobis promittitur, ut in Deuterono. & apud Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, Amos, & alios, tam multis locis, ut ignorari non poſsint, nec ſit eos huc adferre neceſſariū. CH. Nihil neceſſe habes ea recēſere, ſatis cōmemini. De quibus antequàm diſſero, uelim mihi dicas, quænā ſit futura reducendi ueſtri cauſa. IV. Vt ſacrificemus Domino, per quæ ſacrificia fiemus grati deo, uiuemus in libertate, in otio & quiete, in copia rerum omniū, in delicijs. uel ipſa Eſaiæ uerba mirificè animos delectant: Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducię, & in requie opulenta. CH. Duo eſſe uideo quæ uos in reductione hac ſperatis, gratiā & fauorem Dei per ſacrificia, tum uitæ opulentiam, & fortunarum omnium copiam, quāta uel optari poſsit. IV. Hæc ipſa. CH. Dicamus prius de ſacrificijs. Non credo excidiſſe tibi, quòd dudum inter nos conſtabat, maximum & pręſtabiliſsimum quod homini Deus poſsit præſtare, eſſe beatitudinem æternam: eam uerò coniunctionem eſſe cum Deo: coniunctionem autem fieri amore, amorem conciliari ſimilitudine animorum. Vos ergo per uniuerſam cuſtodiam legis quid amplius aut excellentius poteſtis à Deo conſequi, quàm ut ſitis illi amici? IV. Nihil ſanè neque maius, neq; optabilius. CHR. Quòd ſi ſacrificia hoc uobis dabunt, quur quum maximè uigebant illa Hieroſolymis, plurimi erāt ſceleratiſsimi, pauciſsimi ſapientes, pauciores prophetæ? Quid, quòd multo plures fuerunt iuſti uiri ante ſacrificia, quàm illis conſtitutis? Tu uerò nunc quum non ſacrificas, nónne bonam ſpem habes te poſſe diem unum uitam propagare? tu neſcis, an poſsis tibi Deum amicum facere, & ſuſtines uiuere. Sed conſolabor ego te exemplo Hieremiæ, Ezechielis, Danielis, Ananiæ, Azariæ, qui & ſancti, & ſapientes, & prophetæ fuerunt ſine Hieroſolymis, ſine templo, ſine ſacrificijs & cæremonijs. Quid, quòd à ſacrificijs eſtis ſoluti permiſſu Dei, dum exulatis, aut peregrinamini. Eſto igitur, non bono tantùm animo, ſed magno quoquè potes Deo amicus fieri abſq; ſacrificijs, ſola uolūtate bona. Quòd ſi ita eſt, ut ratio & exempla & prophetæ docent ac oſtendunt, nihil aut perparū facient externa ſacrificia, ubi uolun-

uoluntas intus fuerit uel à Deo aliena,uel cum eo coniuncta. Quòd si aliud nihil est uobis Messias largiturus,quàm ut quietè sacrificetis,atque otiosè,frustra nimirum talem,& tantã,& tam tumultuosam operã sumet. Nihilo enim plus dabit, quàm nunc existimatis uos habere,ut fauorem Dei possitis promereri iustificatione mentis. Iam de libertate,de diuitijs,de opulentia,& uoluptatibus. Indignissima sunt hæc de quibus fiat mentio, dum de rebus cœlestibus & diuinis loquimur, quæ non rarò separant à Deo,& ad diuinum amorem impedimento sunt.IV. Nunquam id nobis accidet,quia erimus iusti omnes, sapientes, prophetæ: quemadmodum non nocuerunt diuitiæ Abraham,Isaac,Iacob,Dauidi,Ezechiæ.CH. Eritis uos perfectiores quàm Adam? At illum legitis unico desiderio abstractum à Dei tanta illa amicitia. Quid fiet uobis inter tam multa & uaria desideria? Et istis quos nominasti, an nõ putas impedimento aliquãdo fuisse opes, quo minus agerent quod decebat tam sanctos uiros? relege illorum uitas, uidebis dissensisse Abraham à Loth. Dauidem ea commisisse, quorum illum postea grauissimè pœnituit. Ezechiam opes suas ostentasse legatis Assyriorum,de quo est ab Esaia reprehensus.An non etiam sine diuitijs maximos illos & sanctissimos uiros futuros fuisse censes, ut Heliam, Heliseum, Hieremiam, & alios prophetas?IV. Esto sanè ita, sed num non præstat bonitati adiungere libertatem & diuitias? CH.Atqui Salomon dicit,mundana omnia esse uanitatem.Quid ergo utilitatis adferent uana? aut quomodo diuini cultus prẽmium erit res uana? An non tu, si esset optio, libens deligeres uitam Heliæ sancti & pauperis?IV. Rogo te,ne mihi uia uila paupertatem impreceris,qua nullum est malum grauius. Hæc Minoritis aut Carthusiensibus tuis cane.CH. Videlicet cura rerum uitæ huius tam acris, tam intenta & uehemẽs,non sinit uos oculos sursum attollere: & dum prolixè fit prospectum arcæ,reliqua facilia esse ducitis,& quæ uirtutis sunt aut uitij negligitis, subinde prouerbium illud usurpantes,Omnia aspera pane leniuntur. Hinc fit, ut quales uos esse uultis tales fingatis & Messiam & Deum. Prophetas quoquè eosdem faceretis,nisi quòd in his aperta ueritas refragatur. Deus autem nõ cernitur oculis corporis:Messias uerò uenturus est. Vbi certè potestis, infigitis mendacium tanquam cuneum, affectionibus uestri: seruiens. Itaq; audi attentissimè,quod tua aliorũ omnium gentis tuæ tam interest scire. Quod tu existimas esse maius aut acerbius exilium, procul abesse à Deo,an à patria ubi nati sunt maiores tui? IVDÆVS, Quis de hoc possit ambigere? Malo multo exulare à patria,quàm à Domino. Sed si sim in patria illa,propinquior ero Deo. CHRISTIAN. Id uerò est quod Dominus per Hieremiam conqueritur: Nunquid Deus de propinquo ego sum,dixit Dominus:& non Deus delõginquo? Dominus & propinqua & lõginqua,& aperta & tecta contuetur,tam his adest quàm illis.ubi est illud,Cœlum & terram ego impleo,dicit Dominus. Propinquior erat Deo Daniel Babylone quàm multi in Iudæa & Hierosolymis. Itaque uerum & lugendum exilium est, reiectos esse à Domino, procul ab illo agere: uera patria,& sacrificia,& pietas,&felicitas,cõiungi cum illo puritate animi,fiducia,charitate,quem ostẽdimus esse cultum uerissimum, & Deo dignum,qualem sancti uiri præstiterunt in suis peregrinationibus:ut ij quos modò cõmemorau,Hieremias,Daniel,Ezechiel,Ananias,Azarias, & alij cõplures. Illa ergo optãda est uobis in patriã reditio, ut Deo coniungamini animis, qui unus & pater est uester, & patria.Quòd si abesse à Deo exilium est germanum & uerum, accedere ad eum in patria uiuere, utique prophetæ & sancti uiri Deo pleni,qui præcipua quæque & uerissima hominibus tradebant, ab spiritu diuino illis insita & dictata,quod non inopiam uestram, aut seruitutem humanam,aut peregrinationem deplorarunt, & spem fecerũt uobis facilioris status& conditionis:sed quod erat & ipsorum sanctitate ac sapientia,& humana excellentia & diuina maiestate dignum, acerbissimũ exilium à Deo, grauem seruitutẽ sub peccato,qua seruitute iã olim grauamini, deplorarũt,& lætissimã promiserũt reductionẽ non in Palæstinã,& ad mensas & lectos, cæterasq; corporis uoluptates,belluinis magis corporibus q̃ humanis mentibus,hoc est planè cœlestibus aptas & congruentes,uerùm in gratiam & fauorem Dei per iustificationẽ cordiũ ue

ſtrorum. Hæc religio, & æternum religionis præmium eſt, terra illa promiſſa cœlitus Abrahæ & patribus ueſtris, terra manans lacte & melle, id eſt bonis omnibus, quæ humana mens rectè inſtituta poſſet exoptare. Dum uiuebatis ſub lege nondum abolita, eratis quidem domeſtici, ſed ſerui: nunc alieni penitus, ſeu hoſtes uerius. Conuerſi autem ad Deum per uirtutes mentis, eritis liberi & filij. Hoc etiam Eſaias prædixit cap. 10. Et erit in die illa, non adijciet ultrà reſiduum Iſrael, & qui euaſerit ex domo Iacob inniti ſuper percutientẽ eum, ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael in ueritate. Reſiduum Iacob conuertetur ad Deum fortem: quia ſi fuerit populus tuus Iſrael uelut arena maris, reliquæ conuertentur. Ex eo bona ſpes eſt de reditu ueſtro ad meliorem mentem, licet ſera. In quo uelim annotes, non dixiſſe prophetam, cunctum Iſraelem ſaluum fore, ut uos ſperatis per reſurrectionem & reductionem in Iudæam: ſed reliquias, nempe illas quæ agnoſcent Ieſum Chriſtum. Conſidera tu nunc, quanto eſt reuerſio hæc ad Deum melior & optabilior, quàm reuerſio ad diuitias Palæſtinæ? Quanta eſt in ſanctis uoluminibus mentio de miſericordijs Dauidi fidelibus, de ueritate Dauidi promiſſa ſtabili ac æterna? quanto hæ ſunt ueriores miſericordiæ, & utilior ueritas, reconciliari & coniungi Deo per Chriſtum, quàm manere regnum ſoboli Dauidis, & conſeruari illius lucernam?

DE MESSIA IVdæorum.

AVeo iam ex uobis intelligere, qualem tandem Meſſiam tot annorum millibus expectetis. IV. Non expectamus ea quæ ſunt nobis à uatibus prædicta, & Dei nomine promiſſa, qui fallere non poteſt. quę quod nondum uidemus completa, pro indubitato habemus euentura, quantumcunque differantur. Non ſunt diuino conſilio præfiniendi ab homine termini. CH. Rectè dicis. ſed quæ tandem ſunt iſta? IV. Dicam ex Eſaia, Hieremia, Ioele, & alijs prophetis, tum traditionibus noſtrorum rabinorum certiſſimis: uenturum è genere ac ſtirpe Dauidis regis ducem, qui magna potentia, & ui armorum, omnes qui ſupererunt ex progenie Iſraelis, reducet in terram patribus promiſſam. Ibi in libertate, imò in regno, in otio, in opibus, in rerum omnium abundãtia & copia reædificabimus templum Hieroſolymis, & celebrabimus ſacra, cæremonias, dies feſtos. omnes erimus ſapientes, omnes prophetabimus, non ſolum patresfamiliâs, & prouectæ ætatis, ſed filij noſtri, & filiæ noſtræ, etiam ſerui & ancillæ noſtræ. omnes enim erimus edocti à Deo, nec opus erit ut quiſquam dicat alteri, doce me, aut ueni docebo te legem Domini, omnes erimus in ea probè inſtituti. Huic ſiue regi, ſiue duci ſubdentur cæteri omnes reges ac nationes, uenient'que illorum plurimi iuxta legem Domini ſacrificatum Hieroſolymas, & à Iudæis docebuntur. Hic eſt fidei noſtræ decimustertius articulus, ſine quo ſalui eſſe non poſſumus. CHRIST. Diſcutiamus, ſi placet, ſingula, & pedetentim, ne quò impingamus. Neque enim ignoras quàm obſcuri & difficiles ſint prophetæ ueſtri, ut uates omnes: quam etiam plerunque, niſi ex acri iudicio adhibeatur recta intelligentia, ut ſic dicam, inepti. Potentem quidem faciunt illum prophetæ, ſed diuina ui & poteſtate, & humanis opibus planè alienũ. Vt Eſaias: Ecce ſeruus meus inuitat eò, electus meus, cõplacuit in eo anima mea, dedi ſpiritũ meum ſuper eũ, iudiciũ gentibus in lucẽ proferet: non clamabit, neq; uociferabit, neq; foras proferet uocẽ ſuã: calamũ quaſſatũ non conteret, & linum fumigans nõ extinguet. Et Zacharias: Exulta ualde filia Sion, iubila filia Hieruſalẽ, ecce rex tuus ueniet tibi manſuetus, ſeruator, humilis, æquitans ſuper aſinum & pullum aſinæ. Oſeas quoq; expreſſius: Domus Iſrael, inquit Dominus, miſerebor, & ſaluos faciam eos in Domino Deo ſuo, & non ſeruabo eos arcu & gladio & bello, equis & equitibus. Iam de terra illa quã expectatis, audi Eſaiam octauo capite: Et tranſibit per terram induratus & eſuriens: & erit, quum eſuriet, iraſcetur, & maledicet regi ſuo & Deo ſuo, & reſpiciet ſurſum, & terrã intuebitur, & ecce calamitas & tenebræ, & obſcuratio, & anguſtię, & denſę caligines. Locũ hunc uelim examines diligẽter. Nã quæ dicunt à prophetis, ad uos pertinẽt potiſsimũ, uidelicet dicta ueſtri, uel cõmonefaciẽdi gratia, uel caſtigãdi ac corripiendi,

uel

uel edocendi.In ísto rerum ueſtrarum ſtatu unuſquiſque ueſtrûm tranſit per terram peregrinationis huius,de qua nihil potuit dici aptius quàm tranſire. peregrini enim ſumus omnes,ut et patres noſtri.Tranſit itaq; Iudęus induratus & preſſus incommodis uitæ. eſuriens autem, id eſt,in arctum rei familiaris adductus, nec Deum agnoſcet, nec Meſsiam ſuum, omnes negliget & execrabitur, qui ſibi non aliam in rem ſperat fructuoſos,quàm ut plena manu largiãtur durítias. Suſpiciens autem terram: quæ eſt terra quæ tranſitur, niſi hæc ſaxoſa & lapidoſa? quæ autem illa quæ ſuſpicitur,niſi cœleſtis patria communis omnium? de qua eſt in Pſalm. Spero uidere bona Domini in terra uiuentium,ad intuitum autem illius, id eſt, ad conſiderationem uerorum bonorum, ſtatim oboriuntur ueſtris animis caligo denſa, & tenebroſa nox. Sed audiamus alia. Vbi tandem futura eſt iſthæc tam deſiderata ſacrificatio? IV. Hieroſolymis.CHRIST.Vós ne cum uniuerſis nationibus gentium? IVDÆVS. Omnes pariter.CH.Quæſo te, quale uidetur tibi, cogi orbem terrarum uniuerſum intra ciuitatis unius mœnia,intra templi unius parietes? qui clamores, qui ſtrepitus, boatus,balatus,mugitus,quæ cædes,quæ carnificina,qui cruor,quod faſtidiũ,quæ nauſea cruoris & ſordium tot animantiũ mactatarum, quæ confuſio tot nationum, ætatum,ſexuum? Sed ſi alibi uos exaudiri nefas eſſe ducitis, certè definitus ac determinatus eſt Deus ueſter loco aliquo,qui dicit,Cœlum & terram ego impleo: nec uidetur uoluntate ſua liberrima conceſſurus in ea quæ ab illo ſupplices poſtulabitis, ſed quaſi coactus & incantatus,ut aliter facere nõ poſsit,quando iam ſitis in loco illo.IV. Atqui ſic eſt præſcriptum in lege.CH.Etiam,ſed duodecim tribubus Iſraelis, ne ſi forte copia eſſet facta ſeorſim ſacrificandi,ædiculas,& cellulas,& idola uobis conſtitueretis,ut ille egit in libro Iudicum.Adde, quòd ut arca fœderis erat uobis admonitio beneficiorũ Domini,uoluit ad conſeruationẽ recordationis ueſtræ, ac proinde gratitudinis,ibi ſacrificaretis Domino, ubi illa eſſet.ea uerò non niſi uno in loco eſſe poterat,eoq; ad unum locum conferebantur ſacrificia. Qua ex ratione & cauſa ſatis poteſtis edoceri, in cultu omni ac ueneratione Dei non tam ſacrificia poſtulari, quàm gratam memoriam beneficiorũ illius,unde beneuolentia gignitur. Sacrificare enim quouis loco erat facile:ſed quia id quod memoriã & conſeruabat,& renouabat,unũ erat,nempe arca,& quæ ex uetuſtis miraculis in arca continebantur,uirga & manna, ad illius præſentiam cultus eſt omnis redactus.Meſsias autem adhuc expectatur. is ſi uenturus eſt,ubi ſunt ſancti & prophetæ,nuntij illius ac præcurſores,quales omni habuiſtis tempore ante Ieſum Chriſtum? per illos enim reuiſit Dominus,& conſolatur,& corroborat ſuum populum.Itaque in Pſalmo,uel ex metu ac terrore, uel ex uaticinio horum temporum ueſtrorum dicitur: Iam non eſt propheta, & nos non cognoſcet amplius.Quotquot autem inter uos de uenturo Meſsia poſt Ieſum attentarunt aliquid prædicere,deprehenſi ſunt,ut par erat,uaniſsimi & impoſtores,adeò ut iuſsi ſint omnes conticeſcere: & quidam exclamarit de uobis, Væ animabus definientium tempus Meſsiæ. Colligere ex his quæ diximus facilè potes,quàm exiguæ rei,quàm immanis ſit ueſtra expectatio de Meſſia: ut non immeritò competere in hoc negotium poſsit illud de fabula:

Parturiunt montes,naſcetur ridiculus mus.

Noſter uerò Meſsias,quàm ampla,quàm expetenda ſunt quæ nobis attulit? ſolutionem à ſceleribus,mentem meliorem,reconciliationem cum Deo,ſpem certiſsimam æternæ fœlicitatis. Et idem uos diceretis de ueſtro illo, niſi nos de noſtro dixiſſemus,ne ulla prorſum de re nobiſcum conſentiatis.Sed hoc beneficium conueniebat adferre ſecum illum, qui ſic promitteretur, ſic expectaretur: alioqui, quid erat opus tot oraculis,tanto apparatu,tam longa & diuturna prædictione? nõ eſt profectò tanti redire Hieroſolymas, ſed amicum Deo fieri, & in ſempiternam beatitudinem adſcribi:hoc nimirum tanti eſt,& pluris etiam. Quid,quòd Eſaias apertè de Meſsia dicit,Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.

DE NOSTRO ET IVDÆORVM MESSIA.

SEd ut manifeſtius utriuſque Meſſiæ cognoſcatur diſcrimen, ueſtri quem ſomniatis,

niatis, & noſtri qui abhinc annos plus mille & quingentis uerſatus eſt inter homines, conferamus eos inter ſe, ut appareat Meſsiæ rationem & cauſam in ueſtrum nullo prorſus modo conuenire, conuenire per omnia in noſtrum. Principiò quid eſt Meſsias? IV. Meſsias eſt apud nos, qui lingua ueſtra unctus, & Græcè (uti accepi) Chriſtus. Vnctio uerò hæc eſt regiæ dignitatis ac imperij nota quædã, & ſtabilimentum. CH. Omnis ergo rex unctus dicetur Meſsias? IV. Omnis. Sed peculiari quadam appellatione, & uelut propria dicitur Meſsias ille, qui promiſſus eſt olim patribus à Deo, qui tam diu expectatus Iſraeli. CH. Oportet igitur maximum hunc eſſe atque admirabiliſsimum regem, & utilitates quas adferet Iſraeli dignas eſſe, cum tanta expectatione totius gentis, tum uerò quod amplius eſt, multoq; pluris faciẽdum, promiſsione Dei. quantum enim futurum ſperari conuenit, quod Deus ipſe promittat toties, tam multis, tam uariè? Vos uerò quod potiſsimum opus Meſsię fore creditis? IV. Reductionem triumphantem & fœliciſſimam in patriam. CH. Quam in patriam? IV. Iudæam. CH. Atqui opus noſtri Meſsiæ eſt peregrinatio atque exilium huius terrę, & reductio in patriam cœleſtem. IV. Itidem ille noſter faciet, quia ibi ſtatuet ubi ritè ſacrificabimus, & erimus boni. CH. Quanto reductio noſtri Meſsiæ melior atque optabilior, qui Adam, Abraham, Dauidem, Danielem, & alios non reduxit ad uanitatem huius uitæ, ſed ad bona ſempiterna? Quæro autẽ, ubi agunt patres interea dum Meſsias iſte ueſter latet? ſi in cœlis cum Deo, quàm grauis eſt iniuria, illinc eos detrahere ad uitæ huius commoda, hoc eſt rem adeò inanem, ut dixit Salomon. Quòd ſi in cœlis non ſunt, certè ubicunque agunt meliore ſunt conditione, quàm illa eſt Paleſtinica edendi & bibendi, & mactandi pecora ad ſacrificia. IV. Redibunt fortaſſe ad gloriam Meſſiæ. CH. Videlicet & qui hinc diſceſſerant homines tenues, frugi, fortunarũ rerumq; uitæ huius ōmnium contemptores ſtrenui, reuertentur accenſis in altera uita cupiditatibus, & incipient iam expetere cibos delicatos & exquiſitos, ornamenta elegantia, ædificia, ſumptuoſa, & alia ſeruitutis huius corporis utilia miniſteria. nimirum ſument pharmacum aliquod, quo illis iam ſapiant quæ prius ſolebant illis eſſe fatua & inſipidiſsima. Iam uerò quæ eſt gloria hæc Meſsiæ ad quam honeſtãdam, ornandamq; remittentur huc ſancti patres? Gloria & decus comitatus noſtrorum eſt morum, non cœli. Neque enim illa in cœlis ſpectantur, cum multis quis ueniat, an cum paucis, cum quo hominum genere, quàm culto & ueſtito, quæ inter nos homuli conſiderant, & magni faciunt: nõ illi quidem cordatiores paulò, ſed de medio uulgo: nec decus aut gloria eadem illic æſtimatur formula, qua apud nos. Deo eſſe gratiſsimum, cæteris rebus omnibus detractis, unica eſt illic gloria. comitatu nihil eſt opus. Sed quæ tandem eſſet æquitas, ſanctos patres propter alterius decus aut honorem, ſuo ipſos iure defraudari? Non ergo non introibant in cœlum, ut cum Meſsia redirent ad hanc lucem, ſeu uerius ad noctem hanc & tenebras, quemadmodum uos fingitis: ſed arcebat eos æditu cœli peccatum, nec aliud poterat obſtare, quo minus in cœlum fato functi reuolarent. IV D. Atqui non pauci eorum immunes prorſum fuerunt omnis noxæ, ut Hieremias, Helias, Daniel, & Ioannes, ſicut uos aſſeritis. CHRISTIANVS. Neque id nos negamus: ſed uel hinc colligas licet, non ſolum abluendis maculis, quæ quiſque uoluntate ſua in ſe contraxiſſet, promiſſum eſſe inſtauratorem, & ſeruatorem: ſed illi potiſsimùm, quam primus parens Adam in uniuerſam ſuam poſteritatem diffudit. ob quam dictum eſt, Deteſtabilis terra in opere tuo. Quibus in uerbis, ſi acutius uelis ea examinare, deprehendes naturæ eſſe corruptelam ſignificatam. Ex Pſalmo etiam licet idem colligere, in quo de hominis natura integra dicitur: Quid eſt homo, quòd memor es eius? &c. Cui tandem hominum ſubiecta ſunt omnia? imò nulli propè minus. Sed locus hic diffuſe eſt à me tractatus in diſputatione cum Gentilibus: illinc petes, quum uoles. Hinc & reliquis patribus oſtenſa eſt ſpes de reditu in gratiam cum Deo. bonum ſunt animum habere iuſſi, per eum qui eſſet patri gratioſiſsimus. Vides generalem fuiſſe medicinam, ut intelligas morbum item fuiſſe generalem, & expectationem ſalutis

omnibus

omnibus fuisse iucundissimam,quia nemo erat damni expers.omnes indigebant instauratione ac reparatione, quia omnes ceciderant, & omnes memoria promissionis fulciebantur ac recreabantur. Esaias nō obscuris uerbis expiationem hanc peccatorum exposuit:Quis credidit auditui nostro,et brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendit sicut uirgultum coram eo,& sicut radix de terra deserti. Longus est sermo huius prophetiæ,sed nō grauabor referre: quoniā adeò in Christum nostrum competit,ut non tam uideatur pernuntiasse uentura,uelut uates,quàm preterita descripsisse,ut historicus.Itaque pergo dicere:Non est forma ei,neq; decor. & uidimus eum,& non erat aspectus:& desiderauimus eum.Despectus est,& abiectus inter uiros,& uir dolorum, & expertus infirmitatem, & abscondebamus faciem ab eo: despectus,& non reputauimus eum.Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit,& nos reputauimus plagatum,percussum à Deo,& humiliatum. Ipse autem uulneratus est propter præuaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras.Castigatio pro pace nostra super eum,& liuor eius sanitas fuit nobis.Omnes nos tanquam oues errauimus,unusquisq; ad uiam suam conuersi sumus,& Dominus peruenire fecit ad eum pœnam omnium nostrûm. Oppressus est,& afflictus est,& non aperiet os suum.Sicut agnus ad occisionem ducetur, & sicut ouis coram tondente se obmutuit, & non aperiet os suum. De clausura & iudicio sublatus est, & generationem illius quis enarrabit?quia abscisus est è terra uiuentiū:propter præuaricationem populi mei,plaga fuit ei.Et dedit cum impijs sepulturam eius, nec dolus fuerit in ore eius:& Dominus uoluit conterere eum,ægrotare fecit.IV. Atqui rabini nostri, quod uos tam appositè congruere in Iesum uestrum creditis, de populo Israëlitico afflicto & percusso à Domino exponunt.CH. Facilè est quiduis confingere,si non sis rationem, cur id facias redditurus. An competunt in gentem uestram illa, Verè lāguores nostros ipse tulit? Quis enim illic sic loquitur,nisi Esaias,qui est ex eodem populo? & gens Iudaica percussa est à Domino propter sua scelera,non propter aliena.propter quod dicitur:Ipse autem uulneratus est propter preuaricationes nostras,attritus est propter iniquitates nostras.Cedò uerò,& id quod sequitur. Castigatio pro pace nostra super eum,& liuor eius sanitas fuit nobis: an hoc quoquè de populo Israëlis? etenim nationes aliæ nihil emolumenti accipiunt ex uestris calamitatibus ac afflictionibus,utiq; haud magis quàm quum malus quiuis punitur, quòd uident iustiæ diuinæ experimentū quoddam.Iam qui sunt illi:Omnes nos tanquam oues errauimus? nónne propheta,& prophetæ populus? ut appareat manifestò, qui datus sit in pœnam pro omnibus, alium esse à populo Israelitico. Illud autem,Sicut agnus ad occisionem ducetur, & sicut ouis coram tondente se obmutuit,& non aperiet os suum:tantum abest ut uobis conueniat,ut à uobis nihil dici possit alienius, qui estis impatientes,maledici, diris atque execrationibus deuouentes uniuersos à secta uestra alienos.Postremò apertissimè Propheta subdit,Propter præuaricationē populi mei uerberatus est. quæ sententiola commenta uestra omnia manifestò confutat.Declarat enim esse alium quàm populū, qui sit propter populi delicta percussus.Nec credo uos tracturos ad uosipsos dictum illud,Eo quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius: quum paulò antè de uobis dictum sit: Propter flagitia populi mei cæsus est. Sed multo fuerit facillimum discrimen inter nostrum Messiam, & uestrum, tam diu expectatum, inspicere: si, amabo, inter se conferimus. Primùm ex te quæro: Messias an erit Deus? IVDÆVS. Absit, quorsum enim futurus esset Deus? CHRISTIANVS. Quia sicut quum dabat uobis legem peculiarem, dignabatur signis quibusdam ostendere se præsentem, ac uelut conspicuum: ita quum daret legem uniuersalem, propius adesset nostris sensibus, & illum non iam per ignem & tonitrus conspiceremus, sed corpore indutum, & unicuique nostrûm similem. Esaias dicit uerbis Dei:Propterea cognoscet populus meus nomen meum in die illa,quia ego ipse qui loquebar ecce adsum. Nō possunt hęc de alio quàm de Deo intelligi,qui olim loquutus est patribus,cuius

uoces

uoces & tonitrua audiuiſtis in ſigna poſtea uerſatus eſt inter homines, homo factus, quod & Baruch dicit, propheta non paruæ apud uos authoritatis: Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. hic adinuenit omnem uiam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris uiſus, & cum hominibus conuerſatus eſt. IVD. Atqui ſcriptum eſt, Non uidebit me homo, & uiuet. Eſurire autem & ſitire, algere & æſtuare, hæc in Deum non competunt: impium eſt, Deo hæc attribuere. CHR. In loquendi ratione ſita ſunt illa, non in ratione intelligendi. Vos ſoletis dicere, ſeptuaginta animæ deſcenderunt in Ægyptum, & multæ animæ perierunt. atqui nec anima perit, nec aſcendit aut deſcendit quoquam: ſed loquendi conſuetudine aliàs pro homine toto anima ſumitur, aliàs pro corpore, interdum pro uita. Sic in Chriſto noſtro natura una eſt Deus, altera eſt homo: quemadmodum in homine pars una eſt corpus, altera eſt anima. Quod in Chriſto oculis intuentium erat expoſitum, non erat Deus: ſicut quod cernimus in homine, non eſt anima. Deus ergo nec eſuriebat, nec algebat, ſed homo ille Deo iunctus. De parte autem redundat appellatio tum in partem alteram, tum in totum: quemadmodum homo dicitur eſurire ex corpore, & rationalis ex anima. IVD. At quæ aures poſſunt ferre Deum eſſe actum in crucem, & mortuum? CH. Si non aſſueuiſſes huic loquendi modo de homine, quæ aures ferrent dicere animas eſſe uenditas, & animas percuſſas pro homine ipſo, & hominem eſſe claudum, cuius ſit ſolus pes claudus? Re explicata adeò nihil eſt in intelligentia abſurdi, ut mirer eſſe, qui illa loquendi ratione offendantur: probent tamen eam, quæ eſt de homine, quòd ſi & illum loqendi morem inuſitatum ueſtris auribus tantopere abominamini, nos certè in uerborum controuerſia moleſti uobis non erimus: utinam tam facilè de rebus inter nos conueniat, quàm conueniret de uocibus. IV. Oſtende mihi in hoc libro, prædictum eſſe Meſsiam fore Deum. CH. Oſtendi aliàs congruere ut ita eſſet, multis mea quidem ſententia & magnis argumentis, quæ (ſi uis) uel ex eo petes libro, uel hîc aliqua attingamus. IV. Mihi argumentis nihil eſt opus: explica mihi librum hunc ſacrum, & doce. CH. Quomodo poſſem efficacius docere, quàm demonſtrando ita congruere, ita oportere? quando quidem Deus non agit, niſi quod maximè & congruit, & oportet. Si tantum uos haberetis contra nos rationum, quantum nos contra ueſtras inanes perſuaſiones, quo ore, quibus uerbis rationis uim, præſtantiam, diuinitatem exaggaretis? de literis ſacris ne mentionem quidem fieri pateremini. Sed ex ipſis tamen ſacris oraculis depromam tibi teſtimonia meæ ueritatis. Quid porrò ſi id quod confirmem, myſticis non eſſet literis expreſſum? an non plus eſt, ſcriptum eſſe à deo in cordibus noſtris, quàm in ſaxis aut membranis? IV. Non arbitror. Nam eſt hic liber, liber ueritatis & uitæ: ut quod in hoc libro non ſit, nec pro ueritate haberi debeat, nec pro uita. CH. Quiſquilias & minutias quàm acutè cernitis in fraudibus, in impoſturis, in ſordidiſsimis lucellis captandis, ad res magnas planè cæci. Si hic liber ueritatis eſt, fit, ut nihil in eo ſit falſum: quod planè ita eſſe, eſt mihi perſuaſiſsimum. Non conſequitur autem, quòd nulla ſit extra illum ueritas. Volumina enim prophetarum liber ſunt ueritatis, multa ſunt tamen uera extra illos: ut in libris Moſis, in Pſalmis, Parabolis, & eiuſmodi. quin & uos extra canonem ſanctarum literarum, multa creditis eſſe ueriſsima in libris Thalmud. IV. Omitte nunc iſta, & ex libro hoc perfice quæ inſtituiſti. CH. Vaticinia adferam ſanè non pauca, quibus ſi peruerſas & peruicaces interpretationes addere animo obſtinaueris, nihil eſt quod non poſsis ad ſenſus alieniſsimos longiſsimè detorquere, etiam in Latinis & Græcis ſcriptoribus, non ſolùm in lingua ueſtra, cuius obſcuritas & intricatio in uerbis, in tropis, in ſententijs, & tota dictione magnam tibi ad coactas interpretationes anſam & facultatem præbebit. quo iniquius facis, dum contendis à me, ut lucem tibi puram & purgatam tantis è nebulis & caligine proferam. Quapropter admouēda eſt his tenebris noſtra lux, maligna quidem illa, & prætenuis, ſed adiumento tamen futura in hac obſcuritate. IV. Et quę tandem eſt lux iſta noſtra, quam diuinis rebus prætēdemus? CH. Oblitus ne es conueniſſe inter

ter nos dudum,lumen humanæ mentis de luce illa ſumma & ſempiterna deriuatum, rationem eſſe. hanc nos in nocte iſta ſanctarum ſcripturarum accendemus, ut uideamus quis ſenſus maximè congruat prophetæ uerbis, dictis & præcedentibus & ſequẽtibus,quis ſit aptiſsimus myſteriis & rebus ſacratiſsimis,de quibus illic agit:ne celſiſsimas & diuinas ſententias, quales ſunt in ſanctis oraculis, ad infimas,ineptas atq; aniles interpretationes deflectamus,dum ſtomacho ſeruimus, nõ intelligentiæ. An non tibi hoc uidetur eſſe ſacras literas intelligendum peraccommodum, & ex maieſtate ſermonum Dei? Quid taces? IV. Quoniam elegantiam orationis audio,dicta autem uerborum Domini non audio. CH. Non potes de eo ipſo conqueri. nam & audiuiſti hactenus ſatis ſæpe,& audies(uti ſpero)poſthac:ſed res ipſa coegit me hæc præfari,quæ non dubito,quin ipſe approbes. IV. Nondum de eo conſtitui. CHR. Approbaſſes,ſi dixiſſet rabinus,& laudaſſes,& eſſes admiratus,ſed non iniuria illud dicunt,Longe aliter fauorem ſentire,quàm offenſionem. Tu uerò quantum uoles induc in animum tuum eas affectiones,quibus ad rectam omnem rationem cæcum & ſurdum & ſaxeum omnino redactum cor:ego nihilominus exequar reliquum propoſiti. Vtinam uelles animi æquitatem ad pauculas horas ſumere. Sed nec præfatio hæc ſola ſuffecerit,ut ſunt uel ueſtra ingenia,uel obſtinatio contra ueritatem. Non arbitror te dubitare, quin ſcopus uaticiniorum omnium ſit Meſsias, ad illum omnia quæ recta quæ obliqua pertinere,per quem Deus promittit ſe Iſraëli miſſurum ſalutem,& prophetæ ipſi perſonam ſæpenumero induunt Meſsiæ,ſicut etiam Dei,quod eſt in linguis omnibus commune, ut amici amicorum nomine ſæpenumero de ipſis loquantur. Dicit qui negotio non interfuit, magnam rem peregimus, multum profecimus:uel contrà,nihil potuimus impetrare,repulſi ſumus, contumeliam accepimus:de amico ſentiẽs,quem unũ exiſtimat ſecum, amicitia illos uniente. Hoc ut frequens eſt apud prophetas, & pſalmiſtam, de rebus Meſsiæ: ita mirandum non eſt, quia uulgare admodum in quacunque ſermonis & linguæ ratione. IV. Satis id mihi quidem uidetur probabile. CH. Incipiamus igitur pedem conferre. Negas Meſsiam futurum Deum,erit ſacerdos? IV. Ne hoc quidem ipſum,nam ex tribu Iudæ,non Leui. CH. Atqui pſalmus centeſimus decimus illius diuinitatem & ſacerdotium declarat,in quo Dauid,qui fuit res Iſraëlis,ex cuius ſtirpe erat Meſsias naſciturus, dominum eum uocat,dicens:Dixit dominus domino meo. Maior ergo eſt hic dominus, quàm homo & rex,& pater ſuę humanitatis,quantuſcunq; enim fuiſſet,ſi modò homo ſolũ,propheta & rex Iſraëlis,& progenitor ſuus filiũ illũ potius appellaſſet,quàm dominum, quemadmodum in pſalmo 44. quum poſt regis mentionem, quem regem & dominum & Deum uocat,cõuertit ſe propheticus ſermo ad reginam, quòd humanitas tantum in illa ineſſet,ampliſsima quidem & excellentiſsima,nempe quæ aſtitit coniunx ad dexteram regis cum aureo diademate,in ueſtitu uariegato,non tamen diuinitas, filiam illam nominat:Audi filia,& uide. Audiamus iam quid Dominus dicat Domino:Sede à dextris meis. Leue dictum, ſi caput in terram deijcias, ut pecus:ſed grande atq; admirabile ſi paululum erigas,ſi ſurſum tollas. Eccui tandem homini dixerit Deus,Sede à dextris meis? Nulla eſt tanta uel hominum uel angelorum magnitudo,quæ aſsidere poſsit Domino,& aſsidere ad dexteram. Cur enim cecidit lucifer,qui manè oriebatur,ut eſt in Eſaia,niſi quia dixit:In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſsimo, quod erat uelle Domino aſsidere. Nullus ergo ſedet ad dexteram Dei, non homo, non angelus, niſi is qui diuinæ eſt particeps naturæ. De ſacerdotio autem ſubdit,conſtitutum eſſe illum à Deo ſacerdotem, & quidem iureiurando,cuius nulla ſit unquam futura pœnitentia:& non ſecundum ordinem Aaron,ne de tribu ſis ſollicitus,ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Sacerdotium Iudaicum es tribu conferebatur,& ex familia. in ſacerdotio autem Chriſti non familia nec tribus ſpectata eſt, ſed dignitas ſacerdotis: & ut apparet ueteris pontificatus abrogatio,& ſub pontificatu legis quoq; & cæremoniarum,prætermiſſa eſt mentio Leui & Aaron: & allega

tus est ritus sacerdotis,qui ante legem & prophetas sacra faciebat Deo cœli.Hic uerò in Salem regnabat,quæ postea dicta est Hierusalem: & Abraæ ex cæde regum ex Pentapoli reuertenti bene precatus est, & panem ac uinum obtulit.Cui & decimas omnium quæ possidebat,dedit Abraam patriarcha.Melchisedech, quod tu melius nosti,interpretatur rex iustitiæ.Rex autem Salem, est rex pacis:sacerdotium eius nõ sanguine & dilaniatione pecorum exercebatur,sed iuuandis mortalibus cibo faustisq; ominationibus, quæ omnia mirificè in sacerdotium Christi congruunt. Huic se sacerdoti summittit Abraam, pater non tam Iudæorum, quàm omnium credentium,& sibi ab illo fœliciter precari magni beneficij loco ducit,decimasq; bonorum suorum suo & posteritatis suę nomine illi impartitur.& Abraam fidei ac pietatis exordium, sacerdote alium nec nouisse legitur,nec esse ueneratus præter hunc, in quo supremi uc unici sacerdotis adoraret imaginem,explicatam postea uerbis Psalmistę. De Christi etiam sacerdotio sunt illa apud Malachiam: Et scietis, quòd misi ad uos mandatum hoc,ut esset pactum meum cum Leui,dicit Dominus exercituum. Diligenter ea quæ subduntur animaduertito: intelliges non ad carnalem legem referri, sed ad spiritalem.Non enim in nationem Leuitarum competunt hęc:Pactum meum fuit cum eo uitæ & pacis,dedique eas illi propter timorem,& timuit me,& à facie timoris mei contritus est. Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius.In pace & æquitate ambulabit mecum,& multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam,& legem requirent ex ore eius,quia angelus Domini exercituum est. Hæc Malachias. Quæ nec de Aaron dici possunt, nec de Phinees filio eius:nec ullo unquam tempore tam sancta fuit familia sacerdotalis, ut magnitudo huius sententiæ in eam conueniret. Nec solùm sacerdos est Messias noster,sed etiã doctor,ut Ioëlis secundo:Filiæ Sion exultate,& lætamini in Domino Deo uestro,quia dedit uobis doctorem iustitiæ.Sed ad Christi diuinitatem reuertamur.Psalmum quadragesimũ quartũ,non dubito quin sæpe recites:uideris enim mihi esse religiosus.Illius singulas non modò sententias, uerum etiam uerba uelim expendas.Est enim & ad regem,& de rege, hoc est de Messia: ad quem sunt uerba illa,Sedes tua Deus in sempiternum,uirga æquitatis est uirga regni tui. Quòd autem de Messia dicantur illa, hoc est de alio quàm de Deo patre, nihil potest esse manifestius,ex sequenti uersu:Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Vides hîc apertissimè duas diuinitates expressas, alteram sedentis & regnantis in æternum, alteram ungentis hunc regem,& quinto uersu pòst:Concupiscet rex decorem tuum,quoniam ipse est dominus Deus tuus,inflecte te illi.Esaiæ nono:Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis,& erit principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis,consiliarius,Deus fortis,pater sempiternus,princeps pacis. IVDÆVS. Sumitur quandoque Deus in sacris literis pro principe,uel iudice,uel duce: sicut in illis, Aaron erit Deus tuus, Deus sedit in synagoga deorum, & dijs non detrahes. CH. Vides apertè grauem obscuritatẽ & densas tenebras linguę uestrę,ut opus sit ingenti ac fulgentissima luce mentis ac iudicij. Nã nisi rationẽ adhibeamus ducem ac magistram,quomodo scietur, quando per Deum intelligendus sit Deus uerus cœli & terræ cõditor,quando homo princeps uel iudex, quãdo per Israelem Iacob filius Isaac,quãdo eius progenies,quãdo decẽ tribus,quãdo electi & Ecclesia sancta: aliàs etiã Israel est Christus,sicut Dauid:& est filius Iesse, & est Christus ipse promissus,sicut sæpenumero in Psalmis & Prophetis. Quis hęc & similia distinguet sine lumine iudicij? & quidẽ quoad eius fieri potest perpurgato,& q̃ proximè admoto? Quæramus ergo in uaticinio Esaię,intelligẽdúmne sit de deo sũmo & ęterno,an de homine principe.Nã si de principe Propheta loquitur,quid magnũ de Messia dicit,q̃ est tam multis cõmune? Quid,quòd additur Fortis, ad differentiã aliorũ,qui sunt infirmi atque imbecilles.Ideo & fortis pro Deo omnipotẽti in sacris literis sumitur, ut in Psalmo:Sicut iurauit Domino,uotũ uouit forti Israelis.IV. Sunt certè quædam sacræ literæ,quibus nomẽ ipsum ueri Dei & summi scribit̃,nec aliud ullũ quàm quod à uobis

tetra-

tertagrammaton dicitur,à nobis autem Semhamphoras. CHR. Non est istud perpetuum. sed & periti uestræ linguæ sic scribi in loco illo Esaiæ affirmant: quemadmodum Hieremiæ trigesimoquinto: Hoc est nomen quod uocabitur Deus noster. IV. Non habetur Vocabitur,sed uocabit. CH. Nullus est sensus in uerbo actiuo; & uestri aiunt,posse ac solere impersonaliter uerti,eumq; in modum sunt interpretati. & Thargum Chaldaicum apud Esaiam sic legit: Vocabitur nomen eius deante admirabilis, consiliarius,Deus fortis,permanens in secula seculorum Messias. IV. Sunt ex nostris qui illud ad Ezechiam referunt. CH. Referetis uel ad mulos & asinos, modò ne quid in Christum nostrum sinatis congruere. Quomodo potest Ezechiæ accommodari id quod sequitur,Multiplicabitur principatus eius, & pacis non erit finis. Super solium Dauid,& super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia,iam nunc usq; in sempiternum? Et quadragesimoquinto capite eiusdem prophetæ:In compedibus transibunt,& tibi incuruabunt se, teq; deprecabuntur:tantùm in te est Deus,nec est alibi quàm in te. Vere tu es Deus latens, Deus seruator Israëlis. Quis uerò est Deus iste se abscondens? an non Deus olim satis se proferebat, magisq; & uarijs signis testificabatur Deum esse se? Et paulò antea dixerat, Vt sciant ab ortu solis usque ad occasum,quòd non est præter me,ego Dominus, & non est amplius. Christus autem noster Deus est oculis corporum abditus. Nec inueniri alius potest,in quem dictum illud cõgruat. Porrò ad tollendam sensuum persuasionem confirmat Propheta dicens, Vere tu es Deus. Et quemadmodum Esaias uocat illum patrem sempiternum, sic Michæas egressum eius esse dicit ab initio à diebus æternitatis. Et Esaias quadragesimo octauo,loquens de purgatione & sanctificatione Israëlis,attentionem ingentem postulat: Audite me Iacob seruе, & Israël uocatus à me, Manus mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos: uoco eos, stabunt simul. congregate uos omnes, & audite, quis inter eos annuntiabit ista? appropinquate ad me, audite hos. Non à principio in abscondito locutus sum, à tempore quo fuit ipsa prophetia ibi eram: & nunc dominus Deus misit me, & spiritus eius. Quis est hic missus,qui fuit à tempore prophetiæ? non Israel: nam nec fuit, nec missus est,sed ad eum mittuntur prophetæ. Surgens (inquit) de mane mittebam prophetas meos ad illos. Duplex autem natura Christi exposita est à Daniele, dicente: Videbam in uisione noctis, & ecce in nubibus cœli tanquam filius hominis ueniebat,& usq; ad antiquum dierum peruenit, & coram eo appropinquare fecerũt eum, & dedit ei potestatem & gloriam,& regnum,& omnes populi tribus, & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna,& regnum eius quod non corrumpetur. Non potest hoc ullo modo intelligi de eo qui sit solùm Deus,nec qui sit solùm homo; sed apertè duo designantur, quorum alter planè sit Deus, alter ex humanitatè & diuinitate constans. Quem ideo tanquam filium hominis uocat. IV. Quid ergo, essent multi dij? CH. Non essent,sed unus tantùm. Nam qui gignit & qui genitus est,diuersi sunt non essentia & natura,sed persona. Et huius sempiternæ generationis nec ignari fuerunt sancti patres,nec eam tacuerunt. In Psalmo enim duodecimo dicitur: Narrabo fœdus Domini mecum: Dominus dixit mihi, Filius meus es tu, ego hodie genui te, in quo significatur naturalis generatio, non adoptionis, filius enim qui adoptatur, non procreatus à patre,asciscitur in iura familiæ: qui autem à patre genitus est,naturalis est. Nec aliud significare uoluit propheta,quàm hunc cui Dominus sit locutus, filium esse: sed longè alia ratione,qui alios sanctos homines,qui gratia & fauore Dei facti sunt filij illius,hic autem generatione. Rursum in Psalmo septuagesimosecundo: Perseuerabit nomen eius in æternum,ante solem filius est nomen eius. Vertunt alij genitus,alijs nascens. Simile est quod Zacharias ait: Ecce ego adducam seruum meum orientem,siue germinantem. Accedit huc, quòd sanctum illud nomen tetragrammaton significat esse, uel essentiam. Vt in Exodo,ad Mosen: Ego sum ens,siue Ego sum quod est: &, Quod est misit me ad uos. tum etiam generationem. In Parabolis quoq; Salomonis, quod nomen est eius,& quod nomen filij si nosti: per quod ostendit,appellationem filij Dei esse ineffabilem. hoc est humanis mentibus impos-

sibilem cognitionem essentiæ illius. Nomen enim cuiusq; rei uerum & accommodatum est, per quod cuiusq; rei natura & ingenium explicatur. Sicut in Genesi: Adduxit Deus omnem belluam ad Adam, ut singulis nomina imponeret. Et ut quicq; ille appellauit, ita est nomen eius. Aliorum autem filiorum Dei, qui plurimi sunt approbatione uirtutis, nec nomen, nec essentia, nec qualitates incognoscibiles sunt. Multitudinem autem essentiæ Dei attribui, non debet uideri tibi uel impium, uel nouum, qui tam es diligenter in sacrorum librorum uersatus lectione. In Genesi enim dicitur, In principio creauerunt dij cœlum & terram: quum constet, uniuersa esse à solo Deo summo & omnipotente condita, impiumq; esset aliter existimare. sicut in Psalmo trigesimosecũdo dicitur: Verbo domini cœli fundati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et in eodem libro Geneseos: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. De quo paulò pòst, Et formauit Deus hominem è puluere terræ. IV. Mos est loquendi regum, ut plurali numero utãtur quum de uno loquuntur. CH. Est quidem, ut dicis, mos principum, sed longè post Mosen repertus & introductus. Neq; enim in Pentateucho, aut in reliquis sacris uoluminibus, quæ omnia post Mosen fuerunt scripta, eam tu sermonis formam inuenies. Sed alia adñciam his loca. Malachiæ primo: Si Domini ego sum, ubi est timor mei? & in Psalmo centesimo trigesimoquinto: Confitemini dominis dominorum. Et adduco hæc tibi, non quemadmodum uerterunt nostri, sed sicut uos in Hebræo legitis. & apud Hieremiã capite tertio & uigesimo: Peruertistis uerba deorum uiuentium, domini exercituum Dei nostri. & secundo Regum: Quæ est gens ut populus Israel, propter quam iuerunt dij ut redimeret sibi populum. & in Deuteron. Scito hodie, & cum animo tuo reputa (qua præparatione uerborum grande aliquod mysterium prolaturum se significat, quod esse oculis solùm mentis cernendum, nempe quod sequitur) quòd Dominus ipse est dij in cœlo suprà, & in terra infrà, & non est alius. Peto abs te, ut iterum atq; iterum consideres, quid illud tibi uelit Geneseos decimo octauo, quod quum Dominus Abrahæ apparuisset, ille tres uiros uidit, & tanquam unum adorauit, & unitatis numero compellauit, Domine. Idem patriarcha missurus præfectum domus suæ ac capiendam uxorem Isaac filio suo: Pone, inquit, manum tuam super femur meum, & adiurabo te per Dominum cœli, & Deum terræ. Quid hîc audimus? diuinum aliquid est in femore Abrahæ, ut id tangentes, tanquam si arcam teneant fœderis, iurent per deum, non quemuis, sed dominum cœli & deum terræ. Si hoc ad fidem & sanctimoniam refertur uiri dei, cur non potiùs tangitur manus dextera, uel pectus sedes cordis, uel ipsum caput? Nihil tale: sed id tangitur, unde origo est Messiæ, in quo est Deus terræ, & Dominus cœli. Non iurando nominatur, aut demonstratur, nisi Deus, uel id in quo Deus habitare pro certo habetur: alioqui nefas est, & genus idololatriæ. In Esaia cantio Seraphinorum erat: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus exercituum, plena est omnis terra maiestatis illius. Trinitatis sancta expressa est, & dominus exercituum est Christus, cœlestiũ & terrestrium copiarum caput & dux. In quibus uerbis nisi grande atq; inæstimabile mysteriũ fuisset conclusum, non fuisset uox Seraphinorum, ordinis cœlestium spirituũ supremi. Quid, quòd nomen illud Semhamphoras, siue tetragrammaton, Rabini uestri accurata & recondita religione, dignis tantũ discipulis, explicant per nomina duodecim & quadraginta literarum, quod sic expositum significat patrem, filium, & spiritũ sanctum: & adhuc clariùs & apertiùs, per nominationes quadragintaduarum literarum, quæ sensum hunc conficiunt, pater deus, filius deus, spiritus sanctus deus, unitas in trinitate, trinitas in unitate. IV. Nouum est hoc omnino mihi, & inauditum. CH. Quære ex doctissimis uestrorum rabinorũ. & nostri qui hæc de intimis uestris monumentis depromunt, adfirmant esse peruetus, obseruatum antequam omnia deprauaret is rabie & acerbitate odij erga nos. Vos autem nunc esse fere antiquitatum non alienarum modò, ut aliàs semper, sed uestrarum quoque ignaros constat. Si Iesus negasset se esse Deum, uos asseueratis Messiam debere esse Deum, & dicta hæc à me citata, aliaq; numero amplissimo collegissetis. Sed quia ille Deum se esse dixit, abominatur.

tur hoc odium uestrum,& Messiæ diuinitatem omnino tollitis.

QVOMODO IESVS IMPLEVIT FIDEM VATICINIORVM DE MESSIA.

SEd percurramus iam breuiter Christi uitam, & conferamus cum uaticinijs quæ erant de ipso.liquidùm profectò fiet, fuisse illum Messiam qui omnia ut erãt promissa præstiterit.IV.Si talis fuit Christus, qualem Euangelistæ uestri referunt, plurima indubiè uatum nostrorum oracula in illum competunt. sed nos historiam illam Euangelistarum uelut falsam reijcimus, uel ab ipsis pro arbitrio cõfictam.CH.Vestri rabini antiqui non negant uera fuisse quæ traduntur à nostris de Christo,sed in illum non congruere prophetias contendunt. Arguere autem Euangelistas uanitatis, recentiorum est,crescente odij aduersum nos rabie. quæ opinio si non est antiqua,unde potuerunt uestri isti diuinare,falsam esse ab Euangelistis contextam narrationem de Iesu? Quid, quòd Euangelistis non fuisset integrum quæ uellent confingere, uiuentibus etiam tum compluribus & Iudæis& gentilibus,qui nouerant Iesum,à quibus potuissent coargui.ita tota fabula, uelut ridicula,fuisset explosa. Nec pro re falsa & ficta uoluissent subire damna,cõtumelias,infamiam, tormenta, mortem. Quòd si fingere illis erat in animo, non eum finxissent, in quem uaticinia quadrarent, alia obliquè, alia obscurè: sed in quem rectè omnia, apertò, manifestò, ut nullus uel contradictioni relinqueretur locus, uel dubitationi.IVDÆVS. Audiamus quæso, quas habes pro te prophetias?CHRISTIA. Primum omnium, Deus fœmina concluditur:de quo est Hierem.31.Nouum creauit Deus super terram,fœmina circũdabit uirum.si non de uiro illo magno atq; admirabili,qui in se diuinitatem continet,intelligitur, quid poterat dici ineptius, aut puerilius? num non uir omnis de fœmina nascitur,& à fœmina nouem mensibus gestatur? & prodit uir ille non communi more de fœmina ex uirili semine,sed de uirgine, spiritu Dei authore. Hoc erat imagine quadam expressum in Ezech.cap. 44.Et redire fecit me (inquit)ad uiam portæ sanctuarij exterioris,quæ spectat ad orientem,& erat clausa, & dixit ad me Dominus: Porta hæc clausa erit,non aperietur,& uir non ingredietur per eam,quoniam Dominus Deus Israëlis ingressus est per eam.Cedò iam,quis alius est Deus Israëlis ingressus per portam clausam,quàm Iesus Christus? Deus enim in æterna illa sua & omnipotenti essentia ac natura nec ingreditur, nec egreditur, spiritus immotus, implens & continens omnia. Hoc est quod Salomon sibi dicit esse absconditum. Prouerb. 30.Via uiri in uirgine sua,quomodo in eam ingressus,quomodo ex ea egressus.Sed expressioribus uerbis Esa.7.Ecce uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel.IV.Non est in Hebræo uirgo,sed Aalma,quod est puella.CH. Periti linguæ uestræ Aalmam dicunt significare uirginem adolescentulam absconditam, & sedula parentum cura custoditam,nec usquam in sacris literis Aalma de nupta dici.Sed quæ tandem erat puella hæc,aut quis sensus uaticinij?IV. Fore ut puella quædam,quæ erat in palatio Achaz,ferret uterum, & pareret.CH. O sensuum tanta prophetia dignum.quàm uerum est illud, iram & odium oculos non habere. modò alij noceat,sibi non parcit.dum uultis uaticinia auertere à Christo, detruditis in cœnum & cloacas.Quæso expendamus ordinem prophetiæ.Perrexit deus loqui ad Achaz, dicens:Posce tibi signum à Domino Deo tuo,siue attollens te ad excelsa,siue in inferiora demittens,& dixit Achaz Non petam,& non tentabo Dominum,& dixit:Audite ergo domus Dauid,nunquid pro nihilo est uobis molestos esse hominibus, nisi si etiam molesti sitis & Deo meo? ideo Dominus ipse dabit uobis signum. Animaduerte singula diligenter. Dominus offert signum Achaz, siue in excelsis, siue in imis, quúmque ille signum omne uel aspernaretur, uel subterfugeret, conuocat propheta non unum aliquem de plebe infima, sed domum uniuersam Dauid, & eos ad audiendum atque intelligendum hortatur & excitat. & quando rex signum sibi non petierat,nec uolebat, affirmat Deum ipsum daturum signum populo suo,rem grandem oportet subijci post conuocatam domum Dauid, signum admirabile quod Dominus ipse ultro daturus sit illis.quod tandem est? prodeat. Ecce puella illa quam uidetis, concipiet & pariet filium. Imò uerò parturient montes, &

parient murem ridiculum. O clauſulam tantis præfationibus abſurdam & inconcinnam, ſi is eſt ſenſus. ſi non eſt, ô uos Iudæos pluſquam ſacrilegos & blaſphemos, qui ita contaminatis ſanctas ſcripturas. Virginem concipere, & parere Meſsiam liberatorem Iſraelis, hoc eſt demum ſignum dignum Deo dante, dignum ijs quibus dabatur, nempe domo Dauid, dignum quod præcipuus propheta annuntiaret mundo uniuerſo. Quid porrò ſequitur? Et uocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt nobiſcum Deus. & hoc non periti ueſtræ linguæ dicunt eſſe ſcriptum literis illis, quibus nomen ſummi & ueri Dei conſignatur. Additur: Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Et iſtud quorſum pertinet? quare per eſum mel lis & butyri ſciet eligere bonum, & reprobare malum? an non omnes pueri illis ueſcuntur? IV. Edet dulce & amarum, ut eligat dulce, reijciat amarum. CH. Vtrum horum eſt amarum? IV. Butyrum. CH. Non certe in hac regione, nec uſquam. ſed de Domino eſt intelligendum, qui uocabitur Deus nobiſcum conuerſans, conueſcens, agens. & ut ſciant omnes uerum eſſe hominẽ, uiuet non nouo & alieno & delicato quopiam more, aut cœleſti, ſed communi humano: & aletur puer eiſdem alimentis, quibus reliqui pueri, melle & butyro: ſine diſcrimine uerſabitur, ut experimento rerum noſtrarum in ſe ſumpto, depellat à nobis mala, adferat bona. Nam idem Propheta capite quinquageſimo tertio dicit, expertum illum eſſe infirmitates. Sed pergamus. Naſcitur ſub Herode, quod tempus erat prædictum Meſsiæ à Iacob moriente. Gene. 49. Non recedet ſceptrum à Iuda, & legislator è medio pedum eius, donec ueniat qui mittendus eſt, & ad eum erit expectatio gentium. Herodes Aſcalonita fauore ducum Romanorum tranſtulit in ſe regnum Iudæorum, quum eſſet exterus, Idumæus. Herodes filius eius dictus Antipater, ſuſtulit Iudæorum ſanhedrim, hoc eſt ordinarios iudices populi, ac legis interpretes & authoritatem puniendi legis tranſgreſſores, qui erant ferè de tribu Iuda. His temporibus natus eſt Dominus noſter fœlicitas ſumma, & qui erat promiſſus, & in eo gentes ſperauerunt. Videtis enim quanta eſt multitudo gentium in noſtram Eccleſiam ingreſſa. IV. Atqui ante natum Ieſum Machabæi tenuerunt res Iudaicas, qui fuerunt ex tribu Leui. CH. Ex materno genere fuerunt de Iuda. & non ignoras quod ſcriptum eſt 4. Regum, tribus regalem & ſacerdotalem fuiſſe commiſtas. Quid quòd legumlatores & iudices, de quibus modò loquebar, non defuerunt uſq; ad Herodem, qui concilium LXX. prudentum ſuſtulit, iam inde à Moſe conſtitutum, qui erat uelut ſenatus principi additus: quod quum etiam in Babylonia captiuitate perſeuerarit, ab Herode abolitum eſt. Idem Herodes poſt occiſos pueros iuſsit occidi proceres omnes de familia Dauidis. Multis annis pòſt Veſpaſiani pater ac filius, qui ex ſanguine Dauidis reſtarent, omnes ſuſtulerunt, ne quis ſupereſſet ex regia ſtirpe. Hebdomades Danielis ſeptuaginta ad tempora Ieſu Chriſti pertinent: & de Meſsia eſſe prædicta, ne ueſtri quidem dubitant. Prophetæ uerba hæc ſunt, ex reuelatione Gabrielis: Hebdomadæ ſeptuaginta definitæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper ciuitatem ſanctam tuam, ad conſummandum præuaricationem, ad abolendum peccatum, & expiandam iniquitatem, & adducendam iuſtitiam ſempiternam, & finiendam uiſionem & prophetiam, & ungendum ſanctum ſanctorum. Hæc omnia tanta & tam magnifica non poſſunt niſi in Meſsiam competere, & quidem in noſtrum, non in ueſtrum. Nos enim noſtrum eſſe dicimus ſanctum ſanctorum, & illius fauore ac gratia apud Deum delicta expiari, inq; illo eo finem accipere prophetarũ oracula. Porrò 70. hebdomadæ de annorum hebdomadis ſunt intelligendæ, quemadmodum Ezechielis 4. & Leuitici 25. Numera bis ſeptẽ hebdomadas annorũ ſepties ſeptem annos, & erunt tibi dies ſeptem hebdomadarum annorum, 49. anni. Sed inter nos & eruditos ueſtros ſatis conuenit, de ſeptenarijs annorũ locutum eſſe Danielẽ. Quomodocunq; autẽ hebdomadæ iſtæ cõputentur, ſiue à Cyri, ſiue à Darij temporibus, ad tẽpora pertinent Chriſti noſtri. Et quũ tam multa prophetarũ uaticinia in tẽpus illud cõgruerent, perſuaſiſsimũ fuit Iudæis ętatis illius, Meſsiam tum eſſe uenturũ. & multi ex occaſione tẽporis, Meſsias ſe eſſe ſunt profeſsi: ut Iudas Galilæus, Ioſeph Benzara, qui ſub Meſsiæ nomine

auſus

ausus est aduersus Adrianum Cæsarem rebellare, eúmque Iudæorum plerique sunt sequúti. hunc in Bitera Adrianus fregit, & Iudæos omnes repulit procul à cõspectu Palæstinæ. instaurauit Hierosolymam, & de suo nomine uocauit Heliam. Fuit alter Barcozibas, dux rei militaris peritus, qui propter uictorias creditus est Messias. in qua opinione diu perseueratum est. quousque illum Adrianus idem propter scelera puniuit. Habes etiam apud Iosephum uestrũ de multis, qui sub specie Messiæ seduxerunt populum, quos omnes Felix præses Iudææ deleuit. Idem author gẽtis uestrę Iosephus scribit, ætate illa repertũ in sacris libris oraculum, quòd illo tempore quidam ex Iudæa gente orbi esset dominaturus, cuius etiam uaticinij Suet. Tranquillus meminit. quod in alium cõpetere non potest, quàm in Iesum Christum. His tam multis támque euidentibus oraculis conuicti rabini uestri, ad figmenta sua confugiunt, natũ quidem fuisse Christũ sub Herode, sed propter peccata populi occultari: ut alij dicunt, in Sion cum angelis: ut alij, ultra montes Caspios: ut alij, per orbem mendicare, proditurum se, quum Deo erit uisum. Quod est, aut his mille annis fuit, tantum uestrum piaculum, ut propter illud Messias uester lateat? reuolue memoriã omnem superiorem, nunquam inuenies uos minus aduersus præscripta deliquisse legis Mosaicæ, minus procliues fuisse ad cultum idolorum, magis zelatores fuisse legis, quàm hisce annis mille. Si peccata uestra illum à uobis arcent, & iustitiæ sunt reducturæ, iam pridem oportebat eum uenisse. Ac ne in Christi tempora conferatur prædictio Iacob de regno tribus Iudæ confingitis regnum habere uos ultra montes Caspios, septum nndiq; montibus arduissimis, qui transcẽdi non possint. Facile est de ijs quæ nemo unquam uel uidit uel audiuit, mentiri: nec est ullus qui impudentiam uestram possit confutare. Sed ne tam licenter mendacia nobis obtruderetis, redarguunt uos prophetæ uestri, ut Amos 9. Ecce oculi domini in regnũ quod peccauit, & disperdã illud de superficie terræ: uerũtamen non delebo prorsum domum Iacob, dicit dominus. & Ose. 3. Dies multos manebunt filijs Israel absq; rege & absq; principe & sine sacrificio & sine idolo & sine ephod & seraphim, postea reuertẽtur filij Israel & quærent dominũ deum suum & Dauid regem suum & pauebunt dominũ & reuertẽtur ad eum & ad domum eius in nouiss. dierum. Sic Oseas, quæ ad hæc referri tempora manifestũ est, nam in Babylone nec multis annis mãserunt, nec defuerunt eis principes, nunc uerò neq; regem habetis neq; principẽ neq; sacrificiũ nec ornamẽta pontificia nec ornamẽta sacerdotalia nec idololatriã, & in nouiss. temporib. conuertimini ad deum & ad Messiam eius. Fuerunt ex uestris qui eò demẽtiæ sunt prolapsi, ut Danielem prophetã uirum desideriorũ tantæ sapientię & sanctitatis, cętera quidẽ bene dixisse affirmẽt, in hebdomadib. falsum esse. Hæccine est tanta uestra ueneratio erga legem & prophetas? Sed uos modò ne nobiscũ cõsentiatis, parati estis ab his dissentire, qui uobis sunt sacrosancti: tanto uidelicet est odium uestrũ erga nos acrius q; benevolentia & pietas erga uestros. Quidã terminos omnes Messię assignatos confessi sunt præterijsse, redemptionẽq; & liberationẽ Israelis in sola pœnitentia restare. Alij execrati sunt eos omnes, qui aduẽtui Messiæ terminos ponerẽt quid facerẽt miseri? Magni & longi sunt errores eorũ, qui quod nusquã est quærunt & uestigant. Veritatis uia unica est, & simplex: falsum uerò multiplex, uastum, infinitũ. Ante Iesum Mariæ filium, nemo ausus est profiteri se Messiam esse: decus illud Iesu Christo seruatũ est integrum. post illum uerò multi dignitatem illam ausi sunt impudenter usurpare, quod cognoscere est promptum ex monumentis ueteris memoriæ. Vel dæmon quidam innumeram uestrorum multitudinem in mare demersit, quos professus Messiam esse se, aiebat se è Creta in terram promissionis transferre. Quid quæris? Tertio abhinc anno Carolus Cæsar Iudæum quendam in Italia exussit, qui se constanter Messiam esse uestrum affirmaret, & inter uos quotidie est audire, natum esse Messiam, uel nescio qua in regione se patefecisse, uel aduentare, uel cogere magnam manum ad bellum gerendum. Sed reuertamur ad instituram narrationem de uita Iesu Christi. Mater illius fuit è tribu Iudæ, & familia Dauidis Regis: ideo illa & Iosephus in censu illo uniuersali, qui sub Augusto factus est, uenerunt Bethleem, quæ ciuitas est

Dauidis ad professionem nominum. Dauidi enim erat promissus, idcirco & in Bethleem natus est, de quo Michææ 5. Et tu Bethleem Ephrata, parum est ut sis è millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quæ uerba conferri non possunt in Dauidem, qui uixit multis annis antea: nec de illo dici potest, quòd egressus eius sit à diebus æternitatis. Puer autem octauo die est circunciſus, & appellatus est Iesus, quasi seruator. & quemadmodum Iesus Naue populum Iudaicum in terram promissionis corporalem & temporalem introduxit, ita Iesus Christus pios omnes in æternam illam cœlestem, ut corpori respondeat imago. Sed in scripturis sæpenumero Christus progenitorum suorum nomine signatur, nam & appellatur Dauid, & Israel, & Adam. Sicut quum dicimus, ex hoc Ænea multi Æneæ nascentur. & apud Virgilium: Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas: quæ est loquendi phrasis linguis omnibus communis. IVD. Nomen hoc Iesu multi habuerunt ante filium Mariæ, multi cum illo, & multi post illum. Atqui Esaias dicit, Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini declarabit. CH. Gaudeo aliquando tandem dictum esse abs te aliquid acute. Prætereo quod quidam uestræ linguæ eruditi affirmant, aliter scribi nomen Iesu Christi quàm Iesu Naue, aut Iesu Sydrach, aut Iesu sacerdotis, uel aliorum. Illud tamen conuenit in memoriam reducere, de quo non est meũ disputare, qui Hebrææ linguæ sum prorsus ignarus, nomen cuiq; aptum & uerum esse, per quod illius essentia uel intimæ qualitates explicantur. Nomen quidem exterius præcipuæ Christi actionis est Iesus, hoc est seruator. sed essentia illius appositissimè declaratur, si quis dicat eum Dei omnipotentis filium, Deum & hominem: hoc nomen omnino nouum est, neq; unquam antea est illo quisquam nominatus. & os domini illud declarat, qui dicit, Filius meus es tu, ego hodie genui te: nec possumus tantum mysterium nisi Deo reuelante cognoscere, excedit enim captum mentium humanarum. Post dies autem quadraginta oblatus est templo, sicut Aggæus promiserat: Et ueniet desiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, dixit Dominus exercituum. maior erit gloria domus huius nouissimæ, quàm primæ. Velim dicas mihi, si non est molestum, qua in re est maior gloria templi huius, quàm prioris? IVDÆVS. Alij ex rabinis nostris dicunt gloriam esse ampliorem, quòd decem annis plus durauerit, quàm alterum. alij, quòd melius esset ædificatum. CHR. In utroq; uerò, perexigua est gloria: neque enim in gloria domus, uel structura, uel ædificatio, sed qui eam inhabitant. Sed nec uerum est, melius fuisse constructum. nihil enim structura templi posterioris ad prioris diuitias & magnificentiam quæ tanta fuit, ut prophanis legentibus penè uideatur impossibile. Et apud Esdram legitur, senes, qui Babylone redeuntes prioris templi meminissent, quum structuras & operis totiusq; sacri instrumenti magnificentiam copiamq; inter se compararent, illachrymasse atq; ingemuisse. Quòd si spectetur author, maior est prioris gloria, quàm posterioris. illius enim fuit Salomon, huius autem Zorobabel, & Iesus filius Iosedech. Sin opes & templi uasa, nihil fuerunt posteriora omnia præ prioribus. Sacrificia autem in prima domo multo plura, & quòd ad rem magis facit, sanctiora & quæ signis euidentibus approbarentur, ut igne cœlitus misso ad consumptionem holocaustorum. Gloria igitur maior secundi templi, de qua Propheta loquitur, ad Messiæ aduentum pertinet, qui præsentia sua amplius & augustius reddidit templum, quàm Salomon opulentia & miraculis. Abductus est puer à parentibus in Ægyptum, ad Herodis sæuitiam deuitandam. illic mansit annis plus minus decem, & quemadmodum pueritia corporalis Israëlis, hoc est populi Israëlitici nascentis illic in Ægypto est transacta, sic & spiritalis Israëlis transigeretur: & quemadmodum ex Ægypto uocatus est Israel corporalis ad terram libertatis corporum, uocaretur etiam Israel spiritalis ad libertatem animorum. Oseas capite undecimo inquit: Puer Israel, & eum dilexi, & ex Ægypto uocaui filium meum. Si dictum est de uero Israele, is est Christus: sin de carnali, figura est quæ uim habet prophetiæ, ut mox dicemus. Sed de CHRISTO esse intelligendum, uerborum ccontextus declarat, quem animaduertas quæso.

Mane

Mane, inquit, succidendo succisus est rex Israelis. Conqueritur Deus, quòd Messias rex Israelis statim initio pueritiæ suæ, hoc est in suo mane & aurora, quæsitus sit ad cædem, & profligatus ex Iudæa. Iam hoc facto meruerat Iudæa gens illum amittere, uerùm Dominus non quid ipsi meruissent recordatus, sed quautum gentem illam propter eius maiores semper dilexisset, reuocauit filium suum ex Ægypto & ex gentibus, & in Iudæam reduxit: quem reditum sic optat Esaias cap. 16. Mitte agnum dominatoris terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Reuersus uerò cum parentibus, habitauit cum illis in Nazareth Galilęæ, unde & Nazarenus appellatus est. in quo Samsonis imaginem expleuit, qui Samson uita & actibus suis Christum Iudææ genti repręsentabat. Hunc angelus Domini ad eius parentes missus priusquã gigneretur, iussit esse Nazarenum Domini. & apud Esaiam loco illo cap. 11. Et egredietur uirga de semine Iesse, & ramus de radicibus eius crescet. pro ramo seu flore aiunt uos in Hebræo legere, Nazaræus de radicibus eius crescet. IV. Est quod uelim tibi obijcere, antequàm pergas ad reliqua. CH. Quid tandem? IV. Quod non uidentur multa prophetarũ oracula fidem accepisse in uestro Messia. nam Esaiæ 2. dicitur de Messiæ tempore: Et conflabunt gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, & amplius belligerari non nitentur, quod ait futurum in nouissimis diebus. In eandem sententiam cap. 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, & uitulus & catulus leonis, iumentum & bubalus simul, & puer paruulus ducet eos, & uacca & ursa pascentur simul, accubabunt proles eorum, & leo sicut bos comedet paleam, & delectabitur lactens super foramen aspidis, & super cauernam reguli ablactatus manum suam extendet, non nocebunt, & non periment in uniuerso monte sancto eius, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris inundantis. In eandem sententiam Micheas quarto capite. Addit etiam Esaias, quòd montes humiliabuntur, & ualles extollentur: quæ omnia non uidemus in Messiæ uestri aduentu esse completa. CH. Dicamus paulatim de singulis. Primùm, de tempore non ignoras illud: Anni mille in conspectu Domini, sicut dies hesterna quæ præterijt. Nouissimi autem dies de ætate mundi, postrema intelliguntur: in qua nos sumus, non tam certa quadam & descripta annorum supputatione, cũ separatione rerum in tempore gestarum. Sic enim mundi ætates distinguũtur. Sunt etiam apud Prophetas dies nouissimi, extremum tempus gentis & regni Iudaici in Palæstina. Erit ergo, inquit Esaias, in postremis diebus non mundani temporis. quid enim gratia profuisset tam diu dilata? certe paucissimis, sed in ultimis diebus prophetiæ & regni & sacerdotij, quæ tria cessauerunt post Iesum Christum. Reliqua autem de pace, de concordia belluarũ, de montibus & uallibus, intelligis tu hæc omnia corporaliter, & non spiritaliter? IV. Ego uerò simpliciter, quemadmodũ lego: & religio est mihi, in uerbis Dei ac Prophetarum nimis esse curiosum. CH. Quid ego audio? putás ne per Messiæ aduentum mutatum iri hanc rerum naturam, ut leo ferociam suam & sæuitiam deponat, basiliscus uenenum, nec futuros montes, neque ualles? quid ergo illud est quod in Psalmo dicitur: Deferent montes pacem populo, & colles iustitiam. & Esaias idem: Mons Domini eleuabitur super montes. & in capite trigesimo: Erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riui aquarum. Vides hîc montes futuros & colles etiam in die illa, quum erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septemcupla, in die qua alligauerit Dominus contritionem populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Esaiæ 41. capite dicitur: Ecce posui te, ut traham, uelut tribula noua habens ora, triturabis montes, & comminues colles, sicut quisquilias pares. Vis' ne hoc in sensu literali intelligere, sicut Amos nono cap. Ecce dies uenit, dicit Dominus, & accedet arator cum messore, & calcator uuarum, comportantes semen, & stillabunt colles mustum, et omnes colles liquefient. et Micheæ primo: Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, & liquescent montes subtus eum, & ualles scindẽt se sicut cera à facie ignis, sicut aquæ effusæ in pręceps. & illud in Psalmo: Flumina plaudunt manu, simul montes exultabunt. Quantũuis simplicitatẽ præ te feras, & obtẽdas religionem

intel-

intellectui ſanctarum literarum,non arbitror te tamen adeò eſſe ſtupidum, ut hæc omnia eo ſenſu dicta accipias à prophetis,qui ſenſus etiam mulierculis & pueris eſſet ridiculus.Sed ſimulas temporis gratia,quia mecum diſputas,tanquam cum propha no,inter tuos apertius ſententiam tuam proferres.IV. Quorſum igitur ſenſes hæc pertinere?CH.Ad ſignificandam æqualitatem,concordiam, & admirabilem ſub Chriſti regno pacem.IV.Atqui pax non eſt ſub ueſtro Meſsia perpetua. CH. Imò ſi animum uelis aduertere,inuenies ſub illius regno maiorem & præſtantiorẽ,magiſq; exoptandam omni hac pace corporum, quàm regna inter ſe & nationes pactis & fœderibus ſanciunt.nónne pax conſenſio eſt & conformitas?hæc autem uel corporũ eſt,quum quieſcunt, nec inuicem contratendunt: uel animorum, quum inter ſe non concordant,& bene uolunt. Vtram harum ueriorem cõſenſionem eſſe exiſtimas?IV.Poſteriorem hanc,quæ animorum eſt,nam altera illa corporum ſimulata res eſt,atque adumbrata. CH. Illam ergo ueram & germanam pacem multo eſt congruentius à Deo & peti,& dari.In ipſis porrò animis noſtris unquam ne fando de affectibus & perturbationibus aliquid audiuiſti? IV. Audiui non pauca. CH. Nulla eſt diſſenſio,nullum bellum grauius,nulla tempeſtas horribilior,quàm quum affectus illi in animo tumultuãtur. Atrox eſt bellum inter uicinas nationes,atrocius,inter ciuitates eiuſdem prouinciæ ac gentis:ſuperatur hoc immanitate ac crudelitate à bello in eadem & intra eoſdem muros,quod eſt ciuile. Quid ſi intra eundem ſit hominem,atq; intra eundem animum? appellatione caret tantæ atrocitati ſatis apta. Non exiguum adfert hominibus beneficium, qui illorum corporibus quietem inter ſe,& conſenſionem conciliat. Maiorem autem pacem inducit, qui in humanis pectoribus reciprocum amorem indit. Qui uerò tranquillitatem affectibus importat,is pacem incredibilem & unicuiq; hominum cum ſemetipſo infert,& hominibus inter ſe,quippe ex hiſce animorum motibus exiſtunt diſſenſiones omnes,lites,iurgia,bella,cædes:ut meritò pacem hanc Chriſtus noſter uocet,Pacem quam mundus dare non poteſt,ſed ſolus Deus. Attulit igitur Chriſtus pacem,quoniam amoris mutui legem in cordibus ſuorum inſtruit,qui animos affectusq; noſtros obtemperare ſupremæ rationi ac ueritati docuit:quibus ex ſeminibus pullulat pax & concordia inter homines firmior multo atque ſtabilior,quàm pactis omnibus ſcientiſſimè & cautiſſimè præſcriptis & ſanctiſſime iuratis. Idcirco Pſalmiſta eam pacem ſub Chriſto orituram prædixit,quę duret quoad auferatur luna.Non mutabit leo feritatem ingenij ſui in aduẽtum Meſſiæ, non complanabuntur montes,neq; ualles intumeſcẽt:ſed homines qui leonina ſunt ferocia,audacia,crudelitate,ſi iugum Chriſti lene & molle ſuper ceruices ſuas recipiant,hoc eſt Chriſti doctrinam admittant in ſua pectora,exuent naturam,& mores leoninos,habitabunt quietè & concorditer cum ouibus,hoc eſt cũ manſuetis & ſimplicibus:inductaq; per Chriſti doctrinam charitate mutua,montes,hoc eſt proceres populi ſuperbia depoſita infimis ſe patientur adæquari. Quam tu pacem excogitare poſſes ueriorem,aut maiorem? ad quam ex prioribus ſignis denotandam,natus eſt Dominus noſter tempore pacis uniuerſalis,quemadmodum ueteris memoriæ monimenta referunt. Quocirca quod Propheta dicit,Non exercebuntur ultrà ad prælium:manifeſtam habet intelligentiam, hoc eſt,ubicunque Chriſtus regnauerit, ibi uerus erit amor, qui diſſenſiones omnes & bella excludit. & in qua lege præcepta omnia atque admonitiones tendunt ab beneuolentiam,nullum conueniebat eſſe de bello,aut belli exercitatione præceptum, quemadmodũ ſunt in lege ueſtra:ut Iudic. 3. cap.Cedò autem de regno Meſsiæ quid uos ſentitis? IV. Quid aliud quàm quod eſt in Pſalmo 72.Et adorabunt eum omnes reges,omnes gẽtes ſeruient ei.CH. Quomodo ergo in alio Pſalmo dicitur,Dominare in medio inimicorum tuorum? Iſthuc quoquè an ad literam,ut regnum Chriſti ſuper omnes homines exteriore ſignificatione ſe diffundat,& pareant ei omnes,quemadmodum populus Iſraelis Dauidi aut Salomoni fuit audiens dicto?quod Deo ipſi nondum contigit, cuius exterioribus iuſsis nunquam gentes omnes obedierunt. Ita maiorem regem faceret Deus Meſſiã, quàm ſeipſum,Sed dic mihi, quomodo tantũ regnũ Meſſias parabit?IV.Ingẽti ui armo-

armorum,Deo adiuuante.CH.Mahumetes quoq; de se dicit,missum se à Deo per uirtutem armorum,Christum uerò missum per uirtutē signorum & miraculorum. Sed opus quod est multis commune,non creditur unius proprium:& quod assecuti sunt latrones atque homines sceleratissimi, Deoq; inimici, non est credibile esse id quod Deus charissimo sibi homini tanquam peculiare & amplissimum donet munus. Vi armorū multos scimus ualuisse homines impuros ac impios, cursumq; uictoriarum illorum nunquam esse interruptum:uelut Alexandrum,Cęsarem,Achillem,Syllam, Dionysium. & humanis uiribus uideri posset assignandum esse tantum opus Dei, si cut de incrementis imperij Romani, quæ fuerunt maxima,& quantumcunq; Christus egisset ingentia miracula, semper ad posteros manasset suspicio, secutos illum homines fuisse uel metu tantæ potentiæ,uel spe maximarum utilitatum. Quid,quòd bellū genus immanitatis omne ac sæuitiæ superat. Ea igitur re tam tetra atq; atroci, credibile fit tibi Deum euecturum fuisse, quem unicè haberet charum? Nam quòd gens olim uestra cœlitus adiuta est bello, factum id est propter scelera illarum gentium ad quas transibat. Adde,quòd carnales & dubij & meticulosi Iudæi, nisi uires bellicas sui Dei sensissent,ad alios statim deos defecissent, quos existimassent magis bellaces,ac proinde potentiores:sicut fecit Achaz. Quanto ore intonatis uos,Deus sabbaoth,Deus fortis in prælio:at nos dicimus,Deus pacis,Deus totius consolationis. Quanto uerius ostenditur opus & auxilium Dei,si,quod est illius proprium, ex rebus paruis magnas proferat,ex infirmis fortia,ex abiectis sublimia: quod in Christo est declaratum,quem ex tanta humilitate euexit ad regnum incredibile: ut libere in animis dominetur potius, quàm ut cogat corpora. Vtrum tu tandem existimas maius esse regnum,ac uerius,diuinoq; illi similius,in belluas,an in homines?IV. In homines:quia sunt liberi.CH. Vtrum maius in corpora hominum,an in animos? V. Eadē ratione in animos.CH. Iurè. Nam arma cogunt corpora, animos non cogunt. quippe usu euenit plerunq;,ut pareant corpora,animi sint auersissimi atq; inimicissimi. amplius ergo & excellentius regnum tributum est Christo à patre, ut in liberas mentes dominetur,quàm esset uester Messias habiturus,aut Mahumetes habuit commune cum tot latronibus. Dominatur ergo Christus noster in illorum mentibus, qui gratiæ illius fidunt. corporum etiam omnium est dominus,quemadmodum dęmonum & malorū hominum qui illi aduersantur,per hæreditatem quam à patre accepit. De hoc testificatur psalmus.2. Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem & possessionem tuā terminos terræ. Nec solùm in mētes omnes & humana corpora accepit imperium,sed in ipsas naturæ leges,quas mutauit quoties fuit ei uisum,numerosa multitudine & uarietate miraculorū, quæ ille ad salutem omnium edidit, ut ostēderet se ad homines corpore & animo seruandos uenisse & de exteriori beneficentia interiorem colligerēt, amoreq; accenderentur erga deū tam benignum. de quibus tam admirandis portentis prædixit Esaias: Dicite stultis corde, confortamini, ne timeatis, ecce deus uester cū ultione ueniet,& uidebitis retributionem dei. Ipse ueniet, & saluos faciet uos. tūc aperientur oculi cæcorū,& aures surdorū patebunt. Tunc saliet sicut ceruus,claudus,& laudabit lingua muti,quia scissę sunt in deserto aquę,& torrentes in solitudine. Res omnes Christi & altæ sunt & profundæ,ut cœlū:quod & si inferius uidetur esse sub nobis,ipsum tamen ex se ubiq; est excelsum. sic Christi sublimitas fuit nō possidere pecuniā,nō arma,nō agros,nec familiā, neq; domum,neq; illis ullo modo indigere,sed uiuere animū illum excelsissimū in se reductum,& seipso contentum. Multi ei contradixerunt,multi affecerunt conuitio,insidiati sunt, detraxerunt: in quibus omnibus declarabatur firmitas magnitudinis, quæ nullo moueri posset impulsu, & altiorem esse illum quàm ut ad eum possent illa pertingere. Neque uerò Dominus noster cursum uitæ suæ ad prophetarū oracula temperauit atq; accōmodauit. Nō enim sic uixit,& magna illa egit atq; admirabilia,quia fuerūt de se à uatibus prædicta:cōtrà potius prædicta fuerunt, quia ille erat acturus. Non seruit similitudini aut imagini ueritas,nec corpus umbrę,sed è cōtrario. Idcirco interdū discrepātia est aliqua inter prophetiā & actionem Christi,quanta esse solet inter corpus

& um-

& umbram ſiue imaginem. Alia eſt igitur quærenda ratio actorum Chriſti altior & præſtabilior, quàm quòd ea eſſent de eo ſcripta. IV. Non uenit unquam inter noſtros in controuerſiam, quo minus facilè credant magna eſſe à Chriſto edita prodigia, ad perſuadendum mundo rem adeò nouam & inuſitatam, & tam pugnantem cum opinionibus receptiſſimis. CH. Quid tu de eiuſmodi miraculis cenſes? nam ego libro quodam meo manifeſtiſſimis rationibus uideor edixiſſe, non ui atque ope malorum dæmonum eſſe acta, ſed Dei. IVD. Quidam ex noſtris doctoribus longè diuerſam afferunt rationem & cauſam miraculorum Ieſu. CH. Quam tandem? IV. Vereor eloqui, ne tu mihi fortè iraſcaris. CH. Noua modeſtia. Dic omnia quantum uoles aperte. Nam ueritas hominũ, cẽmenta nõ reformidat. IV. Alij aſſerunt magicas artes illum in Ægypto didiciſſe, quũ eſſet puer. Alij narrant, fuiſſe in tecto tẽpli Salomonis margaritũ quoddã ibi à Salomone collocatũ, in quo rex arte & ſapientia illa ſua nomen Dei uerũ inſcripſerit, quod legere quidẽ quiſq; poterat, ſed addita erat in eũ execratio qui exſcripſiſſet aut didiciſſet. Excubabãt quoq; leones duo pro tẽpli foribus catenis alligati, quod ibi rex idẽ poſuerat, obſeruãtes nũ aliquis edidiciſſet. Quòd ſi feciſſet, ita rugiebant atrociter, ut ille expauefactus obliuiſceretur: ſin uerò exſcripſiſſet, partim ex leonum rugitibus, partim ex grauiſſima deteſtatione rumpebatur ilicò medius. Ieſus autem ben Ioſeph, & ben Mariæ, pro nihilo execrationem habens & leones, deſcripſit nomen illud in ſchedula, & ne ab ſcrutantibus inter ueſtimẽta deprehenderetur, diſcidit ſcalpello aliquantulum ex pelle ſuræ, ibiq; conſuit, & quamuis in templi exitu ſupra ſolitum leones rugirent atque indignarentur, ille nihilominus magna uſus animi conſtantia, euaſit illorum uim atque ferociam, & deinceps ope diuini nominis adiutus admiranda illa perfecit. CH. Lepidiſſimam profectò fabellam narraſti. rogo te, tu credis hæc? IV. Quid ego credam nihil attinet dicere, ſcripta ſunt hæc quidẽ certe in libro magnæ authoritatis ac fidei. CH. In quo? IV. In Thalmud. CH. Sed reuertamur ad calumnioſas ueſtras ſuſpiciones. Magiam dicitis Dominum noſtrum in Ægypto didiciſſe, & ex ea cognitione eſſe miracula quæ egit. Crimen hoc magis in ueſtro Moſe poſſet locum inuenire, quàm in noſtro Ieſu, nõ quod Moſem uirum Dei inſimulare uelim, aut præſtringere, quod eſſet nefas: ſed de iniquitate ueſtra conqueror, & damno uecordiam, qui id nobis obijciatis, quod in uos potius competat. Multa facta ſunt ſupra naturæ uires per manũ Moſis, multa à Chriſto. Moſes cõſcripſit ſua, ſcripſerunt de Chriſto ij qui uiderunt, quiq; acceperunt abijs. qua igitur ratione Moſen Dei amicum creditis, non Chriſtum? neq; enim certius habetis atq; euidentius argumentum eorum quæ Moſes de ſe prodidit, quàm quæ ſunt de Ieſu memoriæ mandata. Quid quòd Chriſtus grandiora egit, & propinquiora diuinitati, & quidem ſine humana doctrina: quum Moſes omni Ægyptiorum ſapientiæ legatur inſtitutus, & ab Ægyptijs inſimulatus magiæ. quod facilius eſt credere de illo, qui in Ægypto natus, & educatus in regia, tempus omne uſq; ad ætatis maturitatem, quum à Domino uocatus eſt, in Ægypto trãſmiſerit, quàm qui infans in Ægyptum ingreſſus, ſeptimo ætatis ſuæ anno illinc diſceſſerit. Confer utriuſq; & res geſtas, & doctrinam inter ſe, propiorẽ inuenies magiæ Moſem quàm Ieſum: tum etiam uitam innocentiorem, & puriorem doctrinam, ac magis cœleſtem. IV. At contradicit Moſi. CH. Num non ſatis longo ſermone patefactum eſt, non illum Moſi contradicere, ſed Moſem approbare, ſed ſpiritali legis illius declaratione auguſtiorẽ ac diuiniorem reddere? Expende autem, quemadmodum Dominus noſter prodigia ediderit. nihil unquam fecit ut magus, non ex præparato, non fictè & impoſtura oculis facta, nõ quod magi ſolent, ad auram popularem captandã, & ad proferendũ nomen, uel ad quæſtum aliquẽ pecuniæ. Omnia illius miracula ad utilitatem aliorum ſpectauerunt, & in rebus neceſſarijs fuerunt edita. Quòd ſi Chriſtus puer adhuc, annorum ſeptem, eam magiam in Ægypto accepit, per quam tam ſtupẽda opera proferret, cur ſenes uniuerſa uita in ſtudio Ægyptiacæ ſapientiæ detriti, nihil illorũ poterant præſtare? Non Pythagoras, & Eudoxus, & Plato, & reliqui Græci philoſophi, qui Ægyptum inſtitutionis gratia penetrarunt: non ijdem ipſi Ægyptiorum numi-

num

num ſacerdotes. Iam uerò Chriſti miracula ex magia ſunt, quid apoſtolorum miracula,& martyrum, quorum iniri numerus non poteſt? nam illos quoque grandia & admiranda patraſſe opera neceſſe eſt, alioqui Chriſto digreſſo tota paulo pòſt eius authoritas & prædicatio refrixiſſet. Quomodo magia hæc ab alijs ad alios tradita eſt quaſi per manus? Quod porrò magiæ genus hoc,aut quæ utilitas,omnibus temporis momentis uenire propter Chriſtum in periculum capitis & fortunarũ, uitam per exquiſitiſsimos cruciatus amittere? Quòd ſi Chriſtus hac fretus magia, uetere Moſis uia relicta nouã inſtituit,& ſemetipſum extulit ac celebrauit, cur non & martyres quoque eandem peritiam nacti,ad ſe atque ad ſua commoda magiam hanc referebant? quin malebant ipſi beati uiuere, quàm atrociter pro Chriſto interfici. Sed tranſitis ad opem nominis diuini: non poteſtis duo hæc pariter uincere,ut per magicam artem,& per dei nomẽ operetur. Tametſi fabellam iſtam de nomine dei,equidẽ non refutarem,niſi legeretur in libro tantæ autoritatis,& proferretur ſæpenumero à multis ueſtrorũ contra nos,tanquam res uel certa uel ingenioſe ſaltẽ ficta. Primum omniũ quæro ex uobis, quomodo tota hæc fabula nata eſt poſt Chriſti aduentum? cur antea tam præclarũ margaritũ ignorabatur? & leones adeò zelatores decóris ac maieſtatis templi,rémne tam grandem tam inuſitatam tam publicam nullis eſſe unq̃ literis proditã? quid leones illi,eránt ne immortales? tot annis potuerunt perdurare, quot inter Salomonẽ & Chriſtum fluxerunt? quid illis factũ eſt,cum caperentur Hieroſolymæ ab Ægyptijs & Babylonijs? cur non tunc rugiebant ualidiſsimè,quũ Ægyptij,quum Aſſyrij,quum Macedones, quum Romani ingrederentur, & polluerent omnia, & quum ſola relinqueretur Hieroſolyma? An leones illi ſemper ante templum excubabant? Iam margaritum illud nulla ex tot templi illius direptionibus ſublatum fuit? Sed quid erat,quòd lector nominis illius facere poterat miracula: Salomon, qui tam probe nomen illud nouerat, nullum legatur edidiſſe? Imò contrà,deerraſſe ad poſtremum à recta pietate,& quam pater Dauid cõſtanter fuerat ſecutus, ad idololatriã. Quæ autem erat inuidia Salomonis,prohibere, ne quis nomine Dei adiuuaretur,quũ Deus uelit beneficia ſua omnibus patére? An ſi Deus aliquid condidit in communem uſum, non eſt is inuidus, & ſceleſtus,qui arcet alios? Quid incommodi naſceretur,ſi inuocatione diuinæ opis res admirandæ fierent? an non maior dei apud homines authoritas & reuerentia, & auerterentur multi ab idololatria? Quòd ſi extrà non licebat nomen illud efferre,ſed in templo legere, ibi certe miracula fuiſſent à quouis paſsim acta: quod non fuit ita. Iam ſi alijs rugitu leonum territis ſacrũ nomen excidebat,quod edidicerant,cur non & Chriſto? Si alij crepabant medij execratione illa, quin & Ieſus? tanto peius uſurus illo nomine,quàm alij omnes, nempe ad abrogationẽ legis diuinæ? Age uerò, utrũ deus facit miracula propter nomen,an nomen propter deũ? eſtne deus nomini ſuo alligatus,ut inimico & hoſti ſuo capitali faueat,uelit nolit,ſolum quia nomẽ illud pronuntiauit,& mutet naturæ ordinem? ea uerò incãtatio eſſet,nõ inuocatio: ſi certis præſcriptis q̃ ſonis mouetur deus, ut canis,uel equus,quo nihil eſt magis impium. Vides fabellam malè concinnatam, ſeipſam diſſoluere. I V. Præſtabit,ut arbitror,de ſacris literis loqui,quæ nobis ſunt uobiſcum cõmunes, quàm de ijs quæ ſunt nobis peculiaria & propria. C H. Loquàmur ſanè, nam id malo. ſed non ſum tamen paſſus ignorare te qualia eſſent, quibus tanto applauſu aſſentiremini. Cum miraculis Chriſti cõiuncta eſt illius doctrina,uos Meſſiam ueſtrum nõ dicitis docturum. I V. Non puto. C H. Videlicet,nimium erit occupatus caſtrenſi exercitatione,regno ordinando,iuri dicũdo, & alijs quæ ſunt regię poteſtatis. Sed de Meſsia tamen Eſaias ſcribit: Spiritus Domini ſuper me,eo quòd unxerit Dominus me. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut alligarem contritos corde, ut prædicarem captiuis libertatem, & uinctis apertionem carceris: ut prædicarem annum uoluntatis Domino,& diem ultionis Deo ueſtro, ut cõſolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion,ut darem eis gloriam pro cinere, oleum gaudij pro luctu,pallium laudis pro ſpiritu ſtricto,& uocabuntur arbores iuſtitiæ,plantatio Domini, ut glorificer. Quid uerò eſt euangelizare pauperibus, niſi afflictis &

miseris,& à ueris illis ac sempiternis bonis inanibus adferre nuntiũ,uenisse redẽptionem ac salutẽ,ut per fiduciam & amorẽ redemptoris iungantur cum Deo, & abundent ueris bonis ac maximè optabilibus? quanto hic nuntius melior, quàm ille, Redite Hierosolymam,affluetis auro & argento,tritico,uino,lacte,melle, multis pecoribus,quæ possitis & in templo mactare,& deuorare ad saturitatẽ. Pergo autem interrogare: Quis erit rerum status Messiæ uestri,quæ conditio uitæ? IV. Beatissima, in omni abundantia,& copia earum rerum quæ desiderari possunt in uita, opibus, uoluptatibus,honore,potentia,de quo scriptum est in Psalmo: Gloria & diuitiæ in domo eius. CH. Iam sæpe de eo uos reprehendi, quòd nimis carnaliter omnia intelligitis. Agnoscetis ne illum quum uenerit? IV. Etiam,& quidẽ lætitia incredibili perfusi. CH. At psalmi & libri uestrorum prophetarum nihil ferè loquuntur aliud,quàm Messiam laborum atq; ærumnarum omni genere afflictum iri:& quæ Dauid,Esaias,Hieremias,& prophetæ reliqui de mœstitijs & calamitatibus dicunt, ad Christum referuntur omnia,& de illo scribuntur sub persona,neq; in illos ipsos qui dicunt,possunt competere. sed sancti uiri ex zelo transferunt in seipsos, quæ uident passurum Christum:& tanquam ipsi eadem patiantur,sic scribunt. quod annotare est in multis psalmis Dauidis regis. Ex eodem zelo sunt execrationes illæ & ultiones, quas à Domino petunt de ijs qui tot afflictiones Messiæ erant adducturi. neq; enim fuisset uel probitatis,uel mansuetudinis illorum,& potissimum Dauidis regis, qui de mansuetudine potissimum Deo placuit,ut inimicis & hostibus suis tam dira imprecarentur. Et quòd non sitis Messiam cognituri,uestri uates prænuntiarunt. ut Esaias: Cur ueni,& non erat quispiam: uocaui,& non erat qui responderet? & Hieremiæ decimo quarto: Expectatio Israël seruator eius in tempore calamitatis, quare futurus es ueluti peregrinus in terra, & tanquam uiator qui declinat ad pernoctandum? quare futurus es ueluti uir attonitus, tanquam fortis qui non potest saluum facere? Tota eius uita inter pauperes, & homines simplici ac demisso corde transacta est. hoc est quod dicit Esaias: Ad annuntiandum mansuetis misit me. illi enim gratiores semper fuerũt deo, hoc est,legibus & monitis diuinis accipiendis aptiores, quàm de opibus uel potentia turgidis,uel de literis,aut ingenio. Appetente autem supplicij tempore, quod ei erat à patre scriptum, Hierosolymas est ingressus asello uehens: cui obuiam processit uniuersa multitudo,& regia illum pompa excepit. de quo est illud Zachariæ: Exulta filia Sion,ecce rex tuus uenit tibi mansuetus,sedens super asinam. IV. Cuiusuis erat id facere,soluere asellum, qui pro porta castelli alligatus erat in usum publicũ, & insidentem in eo Hierosolymam ingredi. CHR. Si tam leue id tibi uidetur,& cuilibet factu facile, quid magnum aut animaduertendum prænuntiat Propheta? Est quidem cuiusuis asino uehi,sed non cuiusuis ita mouere animos totius multitudinis, ut recipiatur more regio. Et hoc est magnum illud quod in prophetia continetur, quum filiæ Hierusalem promittitur rex suus mansuetus, asinæ insidens. Sed quum ille uiam ueræ pietatis ostenderet,& humanum supercilium concuteret, multaq; in eos diceret qui pro diuinis legibus inuenta & traditiones suas populo seruandas proponerent, exarsit in eum atrox illorum inuidia, qui populum prætextu religionis obnoxium sibi habebat: nempe sacerdotum,pontificum,scribarum & pharisæorum. ab illis igitur captus est,& ad Pilatum præsidẽ adductus. Iosephus scriptor uester,18. Antiquitatum disertis uerbis scribit,inuidiam procerum synagogæ causam fuisse mortis Christi. IV. Nulla ne fuerunt crimina? CH. Quę nam uos dicitis fuisse? IV. Hæc,quòd se dei filiũ faceret,patri æqualẽ. quòd ad ueneratiõẽ alterius Dei homines hortabat, & legẽ Mosi datã abrogabat,cõtradicebat patrũ traditionibus,uiolabat sabbatum: in eo enim sanabat morbos,& quendã sanitati restitutũ iussit grabbatũ suũ,in quo æger decubuerat,portare in sabbato. professus est posse templũ dei soluere,& triduo illud reædificare. CH. De diuina generatione satis disputauimus,dicamus sigillatim de reliquis. Primum quidem crimen graue,& morte dignum,si modò uerum. sed ipse semper eum à quo Moses legẽ accepisset, uerũ atq; unicum esse Deum constanter affirmauit,illũ esse patrem suum,illũ se uenerari & colere, illũ esse ab omnibus & amandum,

dum,et colendum.Quid tu dicis de alio Deo colendo,aut de lege Mosaica antiquãda? esset hodie quisquam in uniuerso genere humano præter uos, qui legem uestrã tam rigidã,asperã,immitem, & multis locis ad literã puerilem, adduci posset, ut crederet esse à Deo datam,nisi hoc Christus affirmasset? quem mentiri nefas est. Non alium Deum docebat colere,sed hunc ipsum uestrum & nostrum rectè colere:non aliam legem abrogabat, sed huic isti uestræ lumen & solem adferebat,ut Deum uerè & ex animo coleretis,non intenti in hæc uitæ commoda,sed ad bona illa cœlestia & sempiterna.In tota Euangelij historia nusquam reperietis dictum,aut iussum,à Christo,ut aliquid quod in lege contineretur,quantumlibet leue, non obseruaretis, quin ad euitandam eiusmodi calumniam noluit ipse per se legem aduẽtu suo superfluam iam & mortuam abrogare,sed post ipsum cœlo receptum,apostoli eius docente spiritu sancto soluerunt genus humanum intolerabili iugo uestræ legis.Traditiones uerò patrum nec reijciebat,neq; infirmabat,sed quærebatur & reprehẽdebat,quòd homines illis magis tribuerent, quàm præceptis ipsius Dei: & quòd quum essent tam multa à Deo iussa, homines improbi atq; importuni grauius adderent onus ex suis inuentis,quæ inuenta non illi ad custodiam pietatis, sed ad gloriam & quæstũ suum excogitassent.Tum demonstrabat,quum res poscceret,non esse traditiones huiusmodi magnopere curandas.quę spirituum puritati conuenirent,maioris semper habenda momenti, quàm omnia corporalia. De sabbato uelim mihi dicas, an sanare in eo sit sabbatum uiolare.quod enim opus potest in sabbato fieri excellentius, quàm hominis summæ necessitati opem ferre:an non tu edis in sabbato? IV. Non possem aliter uiuere. CH. Facilè posses uiuere cum inedia unius diei. IV. Fortassis adirem periculum salutis & uitę. CH. Maius adit periculũ,& minus potest uiuere,nisi sanetur. quid, non deambulas? non uestiris? non loqueris in sabbato? an hæc sabbatum non uiolant,sine quibus uiuere & saluus esse potes? summam opem & salutem alicui adferre,uiolat? In sabbato ipso nõnne tu ægroto tuo & cibum & pharmacum porrigis ad morbum curandum? tibi hoc licet, & non licebit illi hunc totum morbum curare ac tollere? & tu id facis pharmacis & manuum opere,ille solo uerbo. IV. At quidã in sabbato lectulum suum gestauit, illo iubente. CH. Tu fers ut Christus tantopere sit Deo gratus,ut naturæ leges iubente illo mutentur:& non feres,ut possit in sabbato aliquẽ iubere lectulum suum tollere. quid si tibi erepta fuisset toga,& restitueretur in sabbato,nónne reciperes & tolleres? non tu in sabbato admoues sellam mensæ ubi sedeas? & postquã pransus es,aut cœnatus,surgis,& deponis? Sed puerilia sunt hæc, nec intelligitis quòd sabbatum estis iussi tam diligenter obseruare, & qua sanctificatione: nempe requiem illã,qua post labores istos uitæ necessarios conquiescens animus & sedatus,assurgit ad Dei contemplationẽ & amorem. de quo est illud in Psal. Vacate & uidete,quoniam ego sum Dominus.Postremũ crimen est, quod dixerit: Possum destruere templum hoc,& tribus diebus instaurare.Equidem non uideo quid atrocitatis aut inuidiæ habeat dictum illud,ut pro crimine possit arripi cruce dignũ.quis unquam uerbi iactantiã,quæ sine Dei blasphemia, aut seditione diceretur, capitaliter uindicauit? Si præstare Christus poterat,quod promittebat,admirandũ erat uerbum potius,quàm insectandum:si non poterat,irridendum. Iussissent uidelicet pontifices, & alij, quibus erat inuisus, ut minus aliquod templum extrueret anno uno. quod ni fecisset, triumphassent de illo inimici sui, tanquam de homine uano & iactabundo,& omnem ei ad uulgum authoritatem detraxissent,quo nihil erat illis magis in uotis.Sed uerbũ illud quem in sensum diceretur,parũ intellexerunt in presentia qui audierunt.nam quum ingressus esset Iesus templũ,& turpem illinc mundi nationem eiecisset,rogarunt eum Iudæi,ut signũ aliquod præberet argumentũ fiduciæ & potestatis suæ.Iesus more cùm prophetarum omniũ,tum suo, signum illis demonstrat nõ friuolum,non tẽporarium,aut humile,quale ipsi poscebãt, sed magnum,admirandũ,sempiternum, de resurrectione sui corporis futura triduò post eius mortẽ: quod quidẽ corpus uerius & appositius erat tẽplum, quàm saxeum illud Hierosolymitanum,in quo corpore propius & præsentius numen habitabat. Hæc quidem ad

crimina,quæ inimici quidē eius requirebāt diligenter. Sed maximū & grauiſſimum erat crimen,excellentia ſanctitatis & doctrinę,quibus & illorum coarguebat uitam, & iniquā autoritatē eleuabat.Sed quum tantæ eſſe uulgo exiſtimationis,non temere audebāt in illum manus inijcere.Obſeruata eſt occaſio,qua id poſsit tutè fieri. Vnus ex illius diſcipulis triginta argenteis illum prodidit. nec iſtud tacuerunt oracula, Eſaiæ 11. Et appenderunt mercedem meā triginta argenteis. & dixit Dominus ad me:Proijce illos ad theſaurarium, ad magnificentiā gloriæ qua preciatus ſum ab eis. Captus autem,deſertus eſt à ſuis omnib.de quo Zacharias idem: O gladie,ſuſcitare ſuper paſtorē,& ſuper uirum ſocium meum,dicit Dominus: Percutiā paſtorem, & diſpergentur oues.Manifeſtum eſt,nō de quolibet paſtore dici,ſed de Meſsia paſtore maximo,& Deo cōiunctiſſimo.Ex lamentationib.Hieremiæ ſi hoc uacat animad uertere,quod tanti eſt momēti,prima duo capita ad Eccleſiā uel animā pertinēt, tertium ad labores et ęrumnas Chriſti,cuius exordium eſt:Ego uir uidi afflictionem in uirgā afflictionis eius,quā afflictionem humani generis uir ille princeps uirorum miſeratus,caput ſuum moleſtijs & calamitatib.huiuſmodi ſubiecit, & ſe pro hominib. quorum eſſet caput,quaſi uicarium tradidit,de quo dicit: Me duxit, & ire fecit in tenebras,& non in lucem. profectò cōtra me conuerſus eſt,uertit manum ſuā tota die, conſumpſit carnem meā & pellem meā,cōfregit oſſa mea:& quæ ſequuntur,in nullum alium quàm in Chriſtum cōgruentia.inter quæ ſunt, Fui ſubſannationi toti populo mea,cantilena eorum tota die,dabit percutienti ſe maxillā, ſaturabitur opprobrijs.& in quarto cap.deſcribit exciſionē Hieroſolymitanā, quā lamentatur accidiſſe propter peccata prophetarum eius,et iniquitates ſacerdotum eius,qui effuderunt in mediis Hieroſolymis ſanguinem iuſtorum:Mouerunt ſe,inquit,ut cæci in plateis, polluerunt ſe in ſanguine,ut non poſſent qui tāgere uoluiſſent, cōtingere ueſtimentum eorum.Iſtud de poſteriore excidio intelligendum eſt.nam prius illud regis Babyloniæ,omnes ad unum fatentur cōtigiſſe propter idololatriā regum Iuda. Iſte uerō effuſus cruor, quo ſe Iudæi polluerunt, Chriſti eſt, & apoſtolorum eius,propter Chriſtum.Itaq; & clauſula tantę calamitatis hæc eſt:Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in foueis eorum.de quo dixeramus, Sub umbra tua uiuemus inter gentes. uidelicet Iudæi ipſi exciderunt ſibi maximā illā patrum omnium ſpem de ſalute Meſsiæ,qua una ita cōfidebant,ut munimēto illius nihil uideretur eſſe tam graue & atrox,quod formidarent.Chriſti & Domini multi ſunt,ſed Chriſtus Dominus ſpiritus oris noſtri unicus eſt Deus,per quem unum uiuimus ac ſpiramus. De Oſea intelligi non poteſt,qui captus nō fuit.Zedechias autē non is erat, quem Hieremias propheta tam ſanctus & tam liber,ſpiritum oris noſtri uocaſſet. Denicq; de illo Chriſto propheta loquitur,quē in foueis populi Iudaici captum fuiſſe, cauſa fuerit exciſionis totius gentis.Poſt captiuitatē & carcerē ſecutæ ſunt irriſiones, cōſputationes, alapæ,& cōtumeliæ,ac uexationes aliæ:de quibus eſt Eſa.50. Corpus meū dedi percutientibus, & genas meas uellentibus, faciē meā non abſcōdi cōtumelijs & ſputo. De quo tandē hæc dicuntur?an de propheta ipſo,qui nihil tale paſſus legitur, & harum uiſionum tēpore in magno erat honore apud reges Iuda? Sed præcedentia teſtantur de illo eſſe,qui dicit,Cur ueni,& nō erat quiſpiā:uocaui & nō erat qui reſpōderet?nunquid ad redimendum debilior facta eſt manus mea? aut non eſt in me potentia ad eruēdum? Actus eſt in crucem. à ligno enim ſæpe extitit apud patres ſalus, imago & uaticinium ligni huius:ut in arca Noë, in arca fœderis,in uirga Moſis, & in ligno iniecto in aquā amaram.Eleuatus eſt,& quaſi oſtenſus uniuerſis gentib.ad ſalutem intuentium & confidentium: quēadmodum Moſes ſerpentē in deſerto poſuit ſublimē & conſpicuum uniuerſo Iſraēl, ad remedium eorum qui eſſent à ſerpentibus lethaliter fauciati. Tunc humanitas Chriſti abiectiſsima uiſa,& hominibus infimæ cōditionis inferior,ita ut abſterriti & pudefacti fugerent propinqui ac neceſſarij,ſicut in Pſalmo dicitur:Fugaſti à me notos meos, poſuiſti me abominationem illis. Procul auertiſti à me amicum, & notos meos in tenebris,& formoſiſsimus omnium uirorum adeò tempore illo gratiā pulchritudinis amiſit, ut eſſet illum cognoſcere multo difficillimū.quēadmodum Eſa.prędixerat:Ecce intelliget ſeruus meus, exal-

exaltabitur,& elevabitur,& sublimis erit ualde. Quēadmodum admirati sunt super te multi,sic corruptus est præ uiro aspectus eius, & forma eius præ filijs hominum. Sic asperget gētes multas,super eum claudēt reges os suum:quia ij quibus nō est narratum,uiderunt:& qui nō audierunt,intellexerunt. Et paulò pòst: Non est ei forma, neq; decor:et uidimus eum,et non erat aspect⁹:despectus est,et abiectus inter uiros. IV. Vaticinium hoc in Israelem nostri cōferunt,nō in Messiā.CH. Cōfingunt uestri & asseuerant quicquid est collibitum. sed rationē & audiri & ualere æquius est, quam asseuerationem uestrorum quantumcunq; acrem & pertinacem. de eo quod capite Esaias 53. iam antea disputaui,satisq; multis uerbis, quod erat facillimum, demonstraui,nō posse illud ad gentē uestrā conuenire. Neq; istud alterum quod est Esa. 52. obscurius est,quādo enim admirati sunt multi Israelem,hoc est populum Iudaicum? Imò semper inuisi et exosi fuistis cunctis nationib.maximeq; omnium uicinis. Quid grauius Ægyptij oderunt,quàm uos,quum illic peregrinaremini? In deserto non minus Palęstinæ populis abominabiles atq; detestabiles, quàm ipsi Deo. In Palæstina exosi,uexati, pressi à finitimis ciuitatib.deinceps magnarum nationum præda uilissima,contempti & irrisi ab omnibus. Reuolue maiorum tuorum ueterē memoriam, nullum unquā inuenies tempus,in quo admirationi fueritis nō dico multis, ut est in uaticinio,sed uni aut alteri homini. Sed neq; uos unquā admirationē meruistis. nunquā enim coluit Dominum Deum suum ad præscriptum legis Mosaicæ. Pontifices & principes populi magna conuitia & subsannationes iecerunt in Iesum cruci affixum,sicut prœuidit Oseas:Ego redemi eos,& ipsi locuti sunt cōtra me mendacia,super triticum & mustum collegerunt se,rebellauerūt cōtra me: ego erudiui,roboraui brachiū eorum,& contra me cogitauerunt malum. Reuertentur non ad altissimum, fuerunt tāquā arcus dolosus. & Esa.31. Quemadmodum rugiet leo & catulus leonis super prædā suā,contra quem clamatur à congregatione pastorum,à uoce eorū non formidabit,& à multitudine eorum non demittit animum: sic descendet Dominus exercituum ad præliandum cōtra montem Sion,& cōtra collem eius. & in Psal. 34. Subsannauerunt me subsannatione,frenduerunt super me dentibus suis. De manibus autem Domini,& de latere lancea cōfixo Zacharias dixit: Effundam super domum Dauid,& super habitatores Hierusalem spiritum gratię & precationis,& aspicient ad me quem cōfixerunt,& plangent super eum ueluti planctum super unigenitum. Nec aliter hunc Dominum quem confixerunt respiciet Iudæa gens, quàm per spiritum gratię,quem Dominus illis impartiet,& ipsi precando augebunt, nō repugnantes monitis cœlestibus, sed faciles se præbentes diuinæ uocationi obsequēdo: alioqui cæci sunt,nec unquā illum quem confixerunt,intuebuntur. Et planget, inqt, super eum Iudæi in sua pertinacia & cæcitate. Christi mortem plangunt propter pœnā consecutā. qui uerò ad frugem meliorem se receperunt,plāgunt nefarium facinus maiorum suorum. Et in hoc Zachariæ uaticinio,si attentius libet animaduertere, geminā Christi naturā,humanam & diuinā deprehēdes. Qui enim loquitur,Dominus Deus est:qui uerò cōfigitur,homo Iesus. Moriente autem illo,obductum est cœlum tenebris circiter meridiem:tanquā si sol deficeret, quum esset tamen luna quintadecima,hoc est,plena. Tremuit ingenti motu terra,de quo Ioelis tertio: Sol & luna obtenebrati sunt,& stellæ splendorem suum retraxerunt, & Dominus de Sion rugiet, & ab Hierosolymis emittet uocem suam & contremiscent cœli & terra. Hęc uerò futura dicit propheta eo tempore, quo effundet Dominus spiritum super omnē carnem,& quo cōuertet captiuitatem Iuda & Hierusalem. & Amos 8. Et erit in die illa, dixit Dominus Deus,occumbere faciā solem in meridie, & tenebrescere faciā terrā in die luminis. Si quęris quo tempore id futurum sit,ex propheta ipso cognosce: qui ait euenturum hoc,quum uenerit finis super populū Israelis, nec adijciet Dominus ut ultra per eum transeat: & quum conuertet festos dies uestros in luctum, & omnia cantica uestra in planctum. quod cœptum est fieri paucis diebus post Christi mortē, & adhuc uidetis perseuerare. Perpēde etiā,an eódem posset referri, quod est Zacha. 14. Et erit dies unus,ipse est notus Domino,non dies integer,neq; nox integra,et in tēpore uesperi erit lux. Crucifixus est Dominus extra portā, quēadmodū hostia illa

quę ad purgationē & ſanctificationē populi immolabatur,extra caſtra deducebatur à multitudine filiorum Iſraelis, ſicut ſcriptum eſt 16. cap. Numer. Vacca enim rufa in conſpectu omniū mactabatur,ex cuius ſanguine cinerib.& aqua fiebant emundationes.lege diligenter caput,& inuenies ad hoc Chriſti ſacrificiū admirabiliter cōuenire.Eſt & altera figura,ſeu prophetia uerius, de celeritate ſupplicij Domini Ieſu, qui captus de nocte & ad pontifices ductus,poſtridie mane raptus ad tribunal præſidis, ſub meridiē cruci eſt affixus. Iubebantur filij Iſraelis feſtum illum & ſalutarē agnum egreſſuri de Ægypto comedere ſtantes,& celeriter:nec eſt otium(quod dicitur)tam ouo ſimile,quàm agnus ille paſchalis Seruatori noſtro Ieſu. erat enim maſculus ſine macula,& ſanguine illius intinctæ fores habitatorē à plaga tuebātur. nihil erat ex eo edendū crudū, nec aqua coctū. ſed igne aſſum.nulla Dominici corporis pars nō eſt ingentibus doloris facibus aſſa atq; exuſta. Vorauerunt eū filij Iſraelis cum lactucis agreſtibus,hoc eſt animo amariſsimo,& immolatus eſt à cuncta multitudine filiorū Iſraelis.quod factum eſt Hieroſolymis cōſilio & uoluntate pōtificum & procerum, id ſine dubio factum uidetur ab uniuerſo Iſraele,confixę ſunt clauis manus & pedes illius,latus uerò haſta perforatum. Os tamen in eo confractum non eſt, nec ueſcitur ex agno iſto immundus,& incircunciſus: ſed circunciſus, id eſt animo purgatus,& receptus per fidem in familiam Domini.Poſtremo eodem die immolatus eſt,quo agnus ille ſolitus erat immolari,umbra & imago iſtius corporis. Et quemadmodum agni illius ſacrificium gratū fuit Domino,& poſt illud eductus eſt populus ex Ægypto:ita per Chriſti ſacrificium reconciliatum eſt Deo humanū genus, & ex diabolica captiuitate aſſertū in libertatem. Tātæ huius ſanctificationis & pacificationis figuræ,ſeu uaticinia potius fuerunt ſacrificiū Noe,propter quod negauit Dominus perditurum ſe rurſus ea quæ uiuerent in orbe:ſacrificium Abrahæ, propter quod conſtitutus eſt pater gentium innumerabilium:& alia ſacrificia quæ in lege cōtinētur permulta,ad purgationē peccatorū, & repoſitionem in gratiā cum Deo. Depoſitus de cruce,ſitus eſt in ſepulchro:de quo eſt in Pſal.87.Obruta eſt malis anima mea, & uita mea ad ſepulchrum peruenit:Annumeratus ſum ijs qui deſcendunt in lacum, fui ſicut uir cui nulla eſt fortitudo,inter mortuos liber,quales ſunt dormientes in ſepulchris,& quorum amplius nō eſt memoria, qui à manu tua abſciſsi ſunt. Poſuiſti me in lacu inferiore,in tenebris profundis. Et dum corpus exanime iacet in monumento,anima deſcendit in eum locum ubi patres aſſeruabantur, liberādi per ſacrificium mortis ipſius.Zacharias locutus de Chriſti māſuetudine,de pace illius addit: Etiam tu ſeruata es Hieruſalem, in ſanguine enim fœderis tuis emiſi uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Conſidera ſingula. Qui à Chriſto redempti & liberati ſunt ante illum mortui,nonnulli quidem ex nationibus fuerunt,ſed plericq; tamen omnes ex Iſrael.ideo dicit, Vinctos tuos filia Sion. & per ſanguinem fœderis Chriſti ſunt liberati,non ui & armis,ut uos ſperatis.Et profunditas foueę ſiue ergaſtuli,in quo patres detinebantur,ſignificatur,quum ſubdit,In quo nō erat aqua:ut alterius generis ſignificet eſſe,quā noſtra hæc ſubterranea, quæ horribiliora ſunt, quum tenebris accedit etiam aqua.Manſit corpus Domini in ſepulchro eam partem ſexti diei,qua iam incipiebat eſſe ſabbatum, uacatione ab operibus in populo ueſtro, hinc ſabbatū totum integrum.quo finito,multum mane reſurrexit:ut manifeſtum faceret,ſe Iudaicū ſabbatum ſecum cōſepeliuiſſe, & redijſſe ad uitā in nouitate pietatis & recōciliationis cum Deo,uetere ſynagoga relicta in ſepulchro, & noua Eccleſia excitata cōſtituta. Idcirco Dominus ante mortē ſuā nō abrogauit legē Moſaicā, quum ob alias cauſas quas alibi attigi,tum quod nondum ſabbatum detulerat ſecū in mortē et ſepulturā. Quod autē nō eſſet in monumento diu manſurus,Dauid cecinerat in Pſal.15. Caro, inquit,mea fidenter cōquieſcet,quoniā non relinques animam meam apud inferos, nec permittes ut ſanctus tuus uideat corruptionem. Quod ad Dauidē ipſum referri nō poteſt,qui eſt in ſepulchro ſuo corruptus.Albeſcēte autē die prima ſabbati,reduxit ſemetipſe in lucē et uitā,quę fuit lux noſtra,et reſurrectio à morte ſempiterna. Et ex pſona Eccleſię Chriſtianę dicit Oſeę 6. Venite,et reuertamur ad Dominū,qa ipſe rapuit et ſanabit nos.pcuſſit & alligabit nos. Viuificabit nos poſt duos dies,die tertia ſuſci-

ſuſcitabit nos, & uiuemus in conſpectu eius. efficiemur ſapientes, ut ſequamur & cognoſcamus dominum. Compatitur & condolet Eccleſia Chriſto, poſtmodum intelligit & prædicat ſalutem, quæ ex plagis & morte illius orta eſt, ſimul eruditionem & ſcientiam ueræ pietatis, quæ eſt dominum cognoſcere & ſequi. Hiſtoriã Ionæ inter prophetias computatis, uelim ex uobis diſcere, ecquod ſit illic uaticinum aliud, quàm ſimulachrum reſurrectionis Meſsiæ? nam expoſuiſſe illum Niniuitis domini mandata, prophetia non eſt, ſed rei geſtæ narratio: nec illa Niniuitis acciderunt quæ ipſe denuntiabat, neq; iam ad uos pertinebant, neq; ad Meſsiam, nec ad tẽpora pòſt futura: ut cauſa nulla ſit prorſus, cur in prophetis habeatur, niſi quòd à piſce eſſe illũ abſorptum, in cuius uentre diebus tribus, & tribus noctib. manſerit, poſtea eiectus eſt à piſce in arenã, & cœlo huic ac luci redditus. Expreſsiſsima eſt adumbratio Chriſti, poſiti in monumento, & reducti in uitam. Eaq; eſt prophetia, quæ Ionam efficit prophetam. Neq; enim uaticinia & prędictiones prophetarum ſimplices ſemper atque uniuſmodi fuerunt. plerunq; enim illi uerbis quidem prænuntiabant euentura, ſed interdum aliàs notis rerum ipſarum, partim in alijs. Vt Hieremias iubetur abſcõdere lapides grandes in luto, capite tertio & quadrageſimo. partim in ſemetipſis, ue luti quum Ezechiel radit capillum ac barbã, quum Oſeas ducit mœcham. Et ſi quis prophetarum uerba acutè perpendat, intelliget nimirum in ſolo ſigno aut imagine ſitam eſſe prophetiam. nam quod additur, explicatio eſt potius uaticinij, quàm uaticinium. uidelicet prophetia uiſio eſt, quæ in rebus potius uerſari ſolet quàm in uerbis. Sed qui uiſiones ſuas explicant, ſolis nonnunquam utuntur uerbis, quibus interpretantur quorſum rerum illarum ſpectaculum pertinebat. Teneamus ergo, quod res ipſa nos manifeſtò docet, prophetias & uerbis exponi, & figuris, umbris, notis rerum futurarum. Ne tu ſis admiratus, quum hiſtoriam & rem apud patres geſtam audis, quæ pro uaticinio à noſtris hominibus adducitur. pleraq; enim illorum ad Meſsiam alludebant, & umbræ ac ſimulachra erant Meſsię, qui fuit uelut corpus illorum omnium. quam enim in rem par erat referri acta illa patrum, quàm ad ſummam, pręſtantiſsimam: nempe non Iſraelis modò, ſed hominum uniuerſorum ſalutem ſempiternam? IV. Non uſq; adeò uidetur imago illa de Iona cum corpore ſuo cõgruere. Ionas enim trib. dieb. & trib. noctib. manſit in uentre ceti: non item Ieſus ueſter in ſuo monumẽto, ſed tãtùm ueſpere paraſceues, die ſabbati, & parte exigua primę ſabbati. Quidam ex noſtris perhibent corpus Ieſu ſurreptum ab apoſtolis è ſepulchro fuiſſe, & in herba proximi prati occultatum, repertum paulò pòſt ab exploratoribus, quos pontifices miſerunt. CH. Non cohęrent artes, mẽdacij malè confictę. Sepulchrũ enim erat obſignatũ, & militaris cuſtodia à præſide miſſa pro ſepulchro excubabat. Iam uerò cur pontifices cadauer non ſuſpendebãt in foro? abolita fuiſſent ſtatim omnia. Sed fabulã hãc quo modo eſt à recentib. rabinis ueſtris inuenta, nec ullus eam ueterum ſcriptorũ tradidit? Quòd ſi priſci authores, & illius memoriæ ęquales nihil de hoc mandarunt literis, quomodo poſt mille & trecentos annos eſt primùm nata? manifeſtò apparet, totam eſſe cõmentitiam, & ab odij acerbitate confictam. Velim porrò mihi dicas, an cenſes uel Chriſti apoſtolos, uel ullos omnino homines eò dementiæ ac furoris poſſe delabi, ut à patrijs moribus, à diuinis ritibus ac legibus recedant? Labores, afflictiones, ærumnas, cruciatus, mortem acerbiſsimam atq; inimiciſsimã magno atq; inuicto animo perferant, pro fide reſurrectionis ac uitæ illius, cuius ipſi haberent cadauer? Quadrageſimo poſt ſuam reſurrectionem die reuerſus eſt in cœlum ad patrem ſuum, ad cuius dextram ſedet in omnes æternitates, unde ad diſcipulos ſuos & in ſequentem deinceps Eccleſiam miſit ſpiritum ſanctum magiſtrum & gubernatorem. de qua aſcenſione Pſalmiſta dicit in Pſal. 67. Aſcendiſti in ſublimia, triumphaſti de captiuitate noſtra, accepiſti dona pro hominibus. De ſeſsione autem idem Pſalmiſta: Dixit dñs domino meo, ſede à dextris meis. Dextera autẽ patris, ſunt præcipua illius bona, beatitudo, clemẽtia, bonitas, munificentia, in quibus Chriſtus ſedet diſpenſator & diſtributor, & regnũ illius & liberalitas tantorũ bonorum ſuper ſanctas & beatas mentes, angelicas & humanas. de quo in Pſal. 15. Dñs pars hęreditatis meę & calicis mei, tu es qui hęreditatẽ meã tueris mihi: hæreditatẽ nactus ſum in

præclarissimis,& hæreditas mea pulcherrima est mihi.Spiritus quidem sanctus perpetuò apud Ecclesiam manet inuisibilis,sed ad apostolos decimo die post ascensionem domini missus est conspicuus in linguis igneis.Hic spiritus & apostolis,& deinceps uniuersæ Ecclesiæ reducit in memoriam,quæ Christus ipse docuit.Idem explanat atq; interpretatur ex illis quæ uidentur intellectu difficiliora,& controuersiã possunt aliquam parere.De spiritu hoc prœuidit Ioel propheta,inquiẽs:Et erit post hoc, ideſt postquã acceperit Israel doctorem iustitiæ,ut quæ ille docuerit & recordentur homines,& intelligant:Effundam spiritum meum super omnem carnẽ, & prophetabunt filij uestri,& filiæ uestræ:senes uestri somnia somniabunt,iuuenes uestri uisiones uidebunt.Ita scilicet factum est,super omnem carnem effusus est spiritus domini,non singulatim,sed generatim,super Iudæos,gentiles,senes,iuuenes, uiros,fœminas,seruos,liberos,rudes,eruditos.Neq; enim uos putatis futurum, ut quotquot in Palæstina fuerint Israelitæ,Messiæ temporibus habeant spiritum dei,& donum uaticinandi:sed erit,quemadmodũ Esaias inquit,qui relictus fuerit nationi, & residuus in Hierusalem,sanctus uocabitur.Omnis utiq; qui scriptus est in uitam in Hierusalẽ. Nam quod idem propheta dicit,Erunt omnes docti à Deo: de illa doctrina manifestò intelligitur,quam cõsequi ab humanis magistris nũquam ualuissemus, deus ipse per se nobis illam tradidit.Itaq; non docebit ulterius unusquisq; fratrem suum dicẽdo,Cognosce dominum.Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum,ait dominus.Olim homo homini faciebat se authorem, ducem, magistrum pietatis,ut inter philosophos nationũ:nunc uerò & si homo hominem docet cultum diuinitatis,non suam,sed diuinam esse doctrinam profitetur. & nemo est baptizatus in nomine Christi, qui quidem per ætatem & ingenij captum possit consequi, qui ignoret caput & metam uniuersæ philosophiæ,nempe quis sit hominis finis,quæ sit uera beatitudo quam expetit,quomodo cõsequetur, & quorsum pietas omnis pertineat:quod in gentib. nullus penè sciebat,in uestro autem populo pauciſsimi.Quæ maior aut præstabilior institutio,quàm hæc:aut etiam efficacior:Neq; enim doctu-rus erat suos dominus quæ essent elementorum qualitates & commixtiones,nõ tropos & figuras rhetoricas, non denicq; uel disciplinam ad agendum aliquam, uel artem quæ exerceatur manibus:sed quod est summum & caput uitæ uniuersæ, & sine quo salui esse non possumus,quod nec ignorarunt gentium sapientes, quorum eruditionis summa ad fines bonorum & malorum referebatur.

DE HIS QVÆ POST CHRISTVM.

PErcurrimus breuiter uitam & mortem Iesu Christi,adiũximus singulis partibus uaticinia pro facultate & copia non rei ipsius, quæ est amplissima & uberrima, sed ingenij nostri atq; eruditioni,in sacris literis.Sequitur deinde Ecclesiæ decursus in peregrinatione hac,quà ad Dominum tendit.De discipulis Domini,& horum sectatoribus,Esaias uerbis Christi prædixit:Ecce ego & pueri quos dedit mihi dominus,ut sint signa & portenta in Israel,à domino exercituũ,qui habitat in mõte Sion. Quod portentum maius,aut signum euidentius,quàm apostoli,& corũ opera:pauciſsimi numero,imbelles,imbecilli, atq; imperiti,& alia quæ de illorum infirmitate exaggerari possunt:ediderunt miracula stupenda, & conuerterunt ad se ac suam pietatem ora atq; ingenia hominum.Hi sunt filij qui Ecclesiæ dati sunt pro antiquis patribus,sicut Psalmista inquit: Pro patribus tuis erunt tibi filij, constitues eos principes in uniuersa terra. Ecclesia autem tametsi patres primosq; extructores habuit ex Iudaismo,ipsa tamen potissimũ ex gentibus congregata est, ex grege illo sterili prorsus ac inutili,de quo Esa.54.Lauda sterilis quæ es ut mulier quãdo peperit, decanta laudem,exulta quæ es ut mulier quæ non parturiuit, quia plures sunt filij desolatæ, quàm filij maritatæ,dixit Dominus. Dilata locum tabernaculi tui, & cortinas tabernaculorum tuorum extendent:ne prohibeas,elonga funiculos tuos, & clauos tuos consolida.Ad meridiem enim & aquilonem dilatabis te, & semen tuum gentes hæreditate accipient,& ciuitates desolatas inhabitare facient.hæc Esaias.Idẽ uerò cap. 60.Pro eo q; fuisti derelicta& exosa,&nõ erat qui trãsiret,ponã te in gloriã perpetuã gau-

gaudiũ generationis & generationis.Parua familia erit in die illa, & parua familia erit in gentem fortẽ.Ego dñs,in tẽpore suo accelerare faciã illud.Synagogæ uestræ,& sterilis huius quę ecclesiam Christi suo fœtu auxit,figuram habetis non obscuram in duabus uxoribus Helcanæ,Phenenna & Anna.Phenennæ, quæ de fœcunditate insolenter gloriabatur,& sterilitatẽ Annæ opprobrabat, liberi extincti sunt ignobiles; & clausus est eius uterus:Annæ autẽ sterili nati sunt filij,& uixerunt,quorum primogenitus fuit propheta & iudex in Israel.Istud uerò de duab.mulierib. quorsum pertineat,in cantico Annæ,quę est uenturæ ætatis uaticiniũ,non perplexè declaratur:Nolite(inquit)loqui magnifica,& ueteres sermones discedant ex ore uestro, quia Deus scientiarum est dñs,& ipsi cognitæ sunt cogitationes. Arcus fortium confractus est, debiles autem accincti sunt robore.qui saturi solebant esse, pro pane deinceps locauerũt suas operas:famelici autem saturati sunt,quoad sterilis peperit plurimos, & fœcunda filiorum reddita est effœta.Suscitat è puluere pauperẽ, & de luto extollit mendicum. De his autem uestris & Ecclesię nostræ temporib. uaticiniũ est hoc apud Esaiam.Nam posteaq; ruinam calamitatemq; populi Israelitici descripsisset ingentem, addit,Et apprehendent septẽ mulieres uirũ unũ in illa die,dicẽtes,Panem nostrũ comedemus,& indumentis nostris amiciemur,tantũ inuocetur nomẽ tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. quo dicto dedec⁹ & opprobrium grãde significatur uestræ gentis.At uerò inter hãc uestrã calamitatẽ qd futurum prænuntiat?Erit (inquit) germen dñi in decore & gloria,& fructus terræ sublimis in gloriam assertori Israelis. Duplicem hic uides Israelem:alterũ carnalem,qui adeò erat oppressus & afflictus,ut septẽ mulieres apprehendant uirũ unum: alterũ spiritalem, qui liberatur & seruatur à germine dñi.In quo annotabis obiter,Messiã appellari germen dñi, & fructum terræ,iuxta utranq; generationem.Targum Chaldaicũ,p germine dñi,uertit Messiã.De uobis autem idem propheta cap.9.Excidit dñs ab Israel caput & caudam,ramum & iuncũ die una,senex & honorabilis uultu ipse est caput,& propheta qui docet mendacium ipse est cauda,& erunt qui beatum dicunt hunc populum,ipsi errorem induent & perdent eum quem beatum dicent. Vos autem cæci estis non solum superstitione,sed odio & rabie contra nos.inde execrationes illæ & diræ uestræ in nos acerbissimæ,quæ sunt à bonis & pijs uiris multo alienissimę,& ab ingenio dei,quem uos existimatis solos uos colere, qui per Hieremiã iussit olim patres uestros, migrantes Babylonem,ut pro pace illius gentis rogarent. Quanto nos aliter? qui pro salute & redẽptione uestra precamur deum nostrum,cùm uos habitetis in regnis nostris: nec ignoremus,quid de nobis & sentiatis,& loquamini,quid scriptis mandetis, quid liberos uestros doceatis de Christo & uniuerso nomine Christiano.In superstitione autem,esset'ne inuenire furiosos,mente captos,uinctos,qui in uiolentia furoris talia excogitarẽt?O Christe Iesu,habemus tibi gratiã, qui nos ab hac tãta cæcitate ac insania liberasti.An non ista satis arguunt, non relictos modò, sed repulsos uos esse penitus à deo,homines qui hæc de deo loquuntur & asseuerant? Vos'ne talib.à pueritia opinionibus imbuti & immersi,Messiam agnosceretis,si rediret?Etiã si alius ueniat,qualem uos Messiam expectatis? oracula uestra sunt,à gentib.receptum iri, à pleriscq; uestrũm non cognitum,reiectum,abominatum.Et ad illum conuersio gentium, prædixit Iacob:quod iam factum est in Christo Mariæ filio.ad illum ẽm conuersa est multitudo gentium,& in eo sperauit,quantum uos ad Messiam uestrum non putatis conuenturam.Ad Mahumetem uerò non facta est conuersio,sed cæca attractio,& uiolenta:qualis ad uestrum Messiam fieret,si talis ueniret aliquis,qualem uos depingitis & speratis.Hodie quoq; omnes qui aliquid de Iesu audiuerunt,præter uos,bene illi cupiunt,& illum uenerantur.Agareni,hæretici,idololatræ,exleges. Nec ullus poterit uenire,in quem tam conueniant prophetarum uaticinia,quàm noster.Quòd si est ille à uobis ignoratus & repulsus, eundem in modum respueretis, quemcunq; deus mitteret:qua de re Amos dicit,Væ desiderantibus diem Domini,ut quid hoc uobis, Dies Domini? hæc tenebræ, & non lux. Et addit causam: Quia replebit eos pauore & confusione, & erit eis petra scandali:quomodo si fugiat uir à facie leonis, & occurrat ei ursus, & ingrediatur domum, & innitatur manu sua parieti, & mordeat

cum

eum coluber,nónne tenebræ eſt dies domini,& nõ luxꝰ & caliginoſa,& nõ eſt ſplendor eiꝰ quod ad caliginem & tenebras mentis pertinet,de ijs qui nõ agnoſcunt diem uiſitationis & beneficij domini,quum filium ſuum miſit ad ſalutẽ cunctorum. nã ijs qui receperunt dei liberalitatẽ,dies ille ſplendor eſt, ac lætitia.Dic quæſo, quid diſplicet uobis in Meſsia noſtro,quo minus & uos eum amplectamini,& uenereminiꝰ Imõ quid in illo eſt, quod non ſit digniſsimum illo nomine & maieſtate & promiſſione Deiꝰ Primum natus eſt ex uobis, inter uos altus atq; educatus. ſanctitas uitæ, etiam inuidiæ omnẽ calumniæ occaſionẽ captanti inculpabilis:dignitas & authoritas in ſermone ac prẽceptis:poteſtas multo maior quàm uos etiã fingẽdo Meſsię ueſtro tribuitis.oſtẽdit enim ſe dominum elementorũ & naturę,miraculis tot,tã uarijs, tam ſtupẽdis.Legis ueſtræ non abrogatio, ſed illuſtratio:ut ex tenebroſa fieret lucida,ex uili præſtãs,ex aſpera leuiſsima.Doctrina omnis deo congruens,pretium religionis homini optabiliſsimum. Gentes & nationes omnes ad illum conuerſæ, ueſtra lex chara illis & ſacroſancta propter Chriſtum noſtrum:quid tandẽ annotatis in eo Meſsia indignumꝰ nihil certe,niſi quòd non eſt ſimilis ueſtri, auarus,ambitioſus, uoluptarius,quòd nõ ſplẽdebat byſſo,ſerico,auro,argento,gemmis,quòd nõ comitabantur eum ſatellites & miniſtri purpurati, quòd nõ promittebat delicias & oblectamenta corporis. At quãto amplius eſt q̃ ille promiſit ? Sed ne ſperetis uẽturum à deo aliquẽ,qualem uos fingitis.Nã deus ſpiritus eſt merus,& ſpiritalibus delectatur bonis.corporalia iſta,quæ brutis magis cõgruunt,quàm homini,negligit,auerſatur. Exẽplo ſint uobis prophetæ ueſtri,qui miſsi uobis à deo in excellentia mentis,& humilitate carnis,ea ipſa de cauſa offenderunt animos maiorum ueſtrorũ,& ab eis malè accepti mulctatiq; ſunt, quorum factũ an non uos reprehenditis,atq; abominamini?uidelicet non ignoratis, mitti à deo homines,faſtus & inſtructionis uitæ huius ac corporis contẽptores, ſimiles illius à quo ſunt miſsi. Sed in potentia etiã corporeis oculis conſpicua ueniet in fine ſeculorum,iudicatum uniuerſos homines. Salomon in Eccleſiaſte, quum ſæpe ſiue ſua, ſiue aliena perſona queſtus eſſet, omnia in uita hac eſſe permiſta & confuſa:nec quicquam inter bonum & malum,inter ſapientẽ & inſipientem,pium atq; impium intereſſe,omnia omnibus ſimiliter euenire: ſatisfacit huic querelæ, q̃ nunc tẽpora ſunt uariarum rerum uaria, futurum aliquãdo tempus unum rerum omniũ,quo cenſebuntur à deo humana opera & actiones. & libri clauſula eſt,Occulta quidẽ nobis eſſe hic omnia,dominum uerò adducturum omne humanum opus ad cenſuram ſuã,& quæ nos latent retecturum,ſiue bona ſeu mala. Eſaias autem cap.3.duo ponit dei iudicia:Stat ad iudicandum dominus, & ſtat ad iudicandum populos,hoc eſt iudicium quotidianum uniuſcuiuſq; à morte ſua,q̃ diuinitatis eſt.ideo dicit,Stat.Sequitur autem quod erit humanitatis Chriſti,dominus ad iudicium ueniet cum ſenibus populi ſui,& principibus ſuis. Aſſeſſores enim dantur Chriſto prophetæ & ſancti,ad pudefaciendam & frangendã contumaciã malorum. diuinitatis autem aſſeſſores dare,fas nõ eſt.Et quia prius iudicium quotidie exercetur,idcirco propheta dicit,Stat:poſterius,quia ſemel aliquando continget,dicit Veniet.Terribilem diem illum futurum,propheta idem ſignificat,dicens: Vlulate, quia prope eſt dies domini,ueluti præda ab omnipotenti ueniet, ecce dies domini uenit crudelis, & indignatio & ira furoris, ut ponat terram in ſolitudinem, & peccatores eius diſperdat ex ea.Quoniam ſtellę cœlorum & orion eorum,nõ lucere facient lumen eorum.Obſcurabitur ſol quando egredietur,& luna nõ ſplendere faciet lumen ſuum. & uiſitabo ſuper orbem malum, & ſuper impios iniquitatem eorum, & ceſſare faciam ſuperbiam ſuperborum,& ſuperbiam fortium humiliare faciam.Pretioſiorem faciam hominem magis quàm obrizum, & hominem magis quàm aurum Ophir. Idcirco cœlum mouere faciam, & contremiſcet terra de loco ſuo, propter iram Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius. Hæc ille. Vides quàm inuite prophetias ueſtras ad Meſsiam quem uos fingitis uenire inuitas, ad noſtrum uerò quadrare. Quòd ſi quis non adducitur, ut Ieſum eſſe credat Chriſtum promiſſum in Lege, niſi ei uideat ſcripturas omnes apertè & exactè in illum conuenire,

in tan-

in tanta obſcuritate & perplexitate illarũ literarũ, nihil prorſum ex lege Iudaica credat neceſſe eſt, nec deũ eſſe qui illa oracula dictarit, nec euenisſe, aut euenturũ quicq; ex his quæ prophetæ prænuntiarint. Cęterum ex manifeſtis ſumat de obſcurioribus coniecturã, rationis luce ac iudicij adhibita. Iterum admonebo te eius quod in principio poſui, ne ſignum aliquod aut alterum, aut etiam tria uel quatuor ex ſacris literis loca, quæ non ita ſunt à nobis tractata, ut tu cuperes, nec tibi ſatisfaciunt, ne protinus diſputationem omnem reijcias, in qua non tam ſingulæ ſpectandæ & perpendendæ ſunt partes, quàm ſumma ipſa rei totius, quam nolim ex hac ſola auditione cenſeas, ad eam uel abijciendam uel approbandam: ſed quod in re tanti momenti fieri par eſt, eam totam ad ſubtile ac exactum iudicij examen crebrò reuocato.

IO. LVDOVICI VIVIS DE VERITATE CHRISTIANÆ LIBER QVARTVS CONTRA SECTAM MAHVMETIS.

PRÆFATIO.

TANTA pars generis humani ſtultitię Mahumeticorum ſomniorum eſt addicta, ut nihil ſit rem attentius perpẽdenti miſerabilius, quódque ſit magis mirandum, ſeu miſerandum uerius. Ea ſunt illis perſuaſa, quæ uel ſola confutentur relatione. ipſa enim ſemetipſam contundit, & cõfringit: neq; nos adeò cum ea pugnamus, ut ipſa ſecum. Vtinam tam facilè uelint auſcultare, quàm facilè coarguerentur.

DIALOGVS. CHRISTIANVS, ALFAQVINVS.

QVàm tibi uiſæ ſunt hæ deambulatiunculæ iucundæ? quàm gratũ huius fluuioli murmur inter ſcrupulos placidè decurrẽtis? AL. Iam olim nullo aſpectu ſum æquè recreatus: ô admirabilem cœli faciem, & admirabilem picturam ſoli. CH. Nempe admirabilis opificis opus. AL. Indubiè. CH. Quanto arbitrare tu illum præſtabiliorem hoc ſuo opificio? AL. Quantum æſtimare nemo poteſt. CHR. Quid tu tantum eſſe authorem illum rerum omnium, cenſes? AL. Ego uerò, niſi me iudicium fallit, maius eſſe, amplius, melius Deũ eſſe reor, quàm quod cõprehendere ualeat humana mens. CH. Si ita eſt, oportet illum infinitum eſſe, & eſſentia & potentia. AL. Ita planè. CHR. Et optimum & ſapientiſsimum & beatiſsimum, & hæc omnia ſupra quàm cogitari poſſit. AL. Eſt ille profectò iſthæc omnia. quid an tu non idem de illo iudicas? CH. Ego uerò nihil me tenere uerius aut certius cenſeo. ſententiã tamen tuã audire uolui, quam facito, ut in ſequenti collocutione memineris ac teneas, nec ab ea ullo prorſum modo diſcedas. AL. Nihil erit periculi. Sunt enim iſta animo meo iam inde à pueritia impreſſa & infixa, quę à magiſtro quodam meo accepi, homine multæ ac uariæ peritię, quicq; non noſtris modò, uerum etiam ueſtris, & Iudaicis erat imbutus. CH. Quod eſt ſanè inter uos perrarum. Sed tu probè facis, & non leuiter gaudeo te aliquid foris uidiſſe. De homine uerò ipſo quid ſentis? AL. Idẽ ille meus inſtitutor referebat, Abdallam quendam è noſtris ſapientem interrogatum, quid maxime uidiſſet mirabile: reſpondiſſe, maximũ in orbe miraculum uiſum ſibi eſſe hominẽ. in eo eſſe præcipuam partem mentẽ, ſiue rationẽ, tum affectus, hinc corpus hoc eſſe animę uel inſtrumentum, uel habitaculum, uel ut ſapientibus quibuſdam ex antiquis ſit uiſum, carcerem. Affectus ſeu perturbationes animi cõmunes nobis eſſe cũ belluis: quæ niſi regantur à ratione, nihil inter hominẽ & belluã intereſſe, degenerare hominũ in mille ſpecies ferarum. CH. Oportet magiſtrum illum tuum egregie fuiſſe in cognitione naturæ rerum philoſophatum. Quid porrò dicebat eſſe in mente? AL. Voluntatem dominam omnium, ex cuius actibus uel boni dicamur, uel mali: intelligentiam, qua quid in re quaque uel uerum ſit, uel falſum, bonum aut malum prouideamus. hinc memoriam tanquam theſaurum omnium, quæ res antè actas reſpiciat. CHRISTIAN. Perge porrò. nam mirifice me ſermo iſte tuus delectat. Quid de morte ipſius hominis ſentiebat? Vtrum uim illam & facultatem adeò excelſam & planè diuinam interire

interire unà cum corpore affirmabat, an uiuere corpore relicto? AL. Tum demum uiuere, esse immortalem. CH. Quam ob causam, & quem finem existimabat hominem esse à Deo conditum? AL. Vt bene illi esse per obedientiam diuinæ legis. CH. Vt bene illi esset hîc, an in futura immortalitate? AL. In altera. nam in ista, permista & confusa esse omnia, & bonis & malis tum bona tum mala eueniunt. CH. Probè dicis. nam & hominis immortalis bonum conuenit esse immortale, id autem esse nisi in immortalitate non potest. Sed ad immortalem hanc beatitatem qua tandem uia licebit peruenire? AL. Cultu Dei, & obseruationes legis illius. CH. Ecquæ tandem est lex illius? nam nos Christianam esse dicimus, Iudæi Mosaicam, uos Mahumeticam. Quid dicebat præceptor tuus? AL. Ille uerò Mahumeticam probabat, & uetabat nos ex iussis Mahumetis ipsius quicquam de illa disputare, aut inquirere, sed tenere firmiter traditiones patrum. nec ab illis uel latum unguem esse deflectendum. Pater meus fuit Mahumeticus, ego illum sequar. CH. Si existimarem te hominem esse ingenio uel tardo, uel iacenti, quales sunt plerique omnes uestræ sectæ, uerbum unum dictis non adderem, ne tempus & operam inaniter consumerem. Sed quum te & acutum esse hominem animaduerto, & non omnino eorum quæ sunt in uita & natura rudem atque imperitum, non grauabor paulò diffusius tantis de rebus tecum colloqui.

QVOD SIT DISPVTANDVM DE RELIGIONE.

ASsideamus quæso in hac herbula, sub hac diffusa arbore. AL. Id quidem pro arbitratu tuo, sed me in disputationem de lege nostra ne uoces, quod uehementer legislator noster uetuit fieri. CH. Nolo disputare ego nunc tecum de secta uestra, quãdoquidem (ut ais) tam accuratè, tam minaciter est uobis à uestro legislatore prohibitum. tantum abs te peto, ut communiter quæramus rationem, cur ille uobis disputationi omni tam diligenter interdixerit. nam non est credibile, sine causa eum id fecisse. AL. Indubiè, non sine causa. CH. Quam tandem esse illam existimari conuenit? AL. Quia sunt in populo permulti, ac plerique potius imperiti, tardi, excordes, à quibus si ratio exposceretur rerũ adeò sublimiũ, perturbarentur, & inijceretur eis scrupulus, facerentq; pietatis suæ iacturam. An non uos etiam uetatis de fide uestra disputari? CH. Non est profectò quod negem periculosum esse, rudes atq; ignaros homines de mysterijs religionis disserere. sed id eruditi & prudentiores & cordatiores in populo sine periculo tum possunt facere, tum etiam debent. AL. Quis esse tam doctus & tam cordatus potest, qui consilia Dei & arcanas illius actiones norit? CH. Dic mihi. in pingendo, in fuendo, in extruendo, nónne ingenium hominis quædam assequitur, alia restant ad quæ non pertingit? AL. Etiam. CH. In domo & familia, in ciuitate gubernanda alij plus, alij minus usu & experimentis sibi cõparararũt, nemo peruenit ad summum. AL. Ita est. CH. Quid naturę opera nónne sacra sunt & reõcdita? cursus cœlorũ & siderum, mutationes elementorum uitæ, uires plantarum & animantium, aliaq; innumera: exercet se in ijs ingenium humanum: progreditur quantum potest, quę abstrusiora sunt dimittit. eundem in modum contingit in omni arte, disciplina, prudentia, cognitione. AL. Ita uidetur. CH. Et quum ratio uel petitur ab ingenio, uel redditur, ea est quam uis mentis optimam & purissimam potest exculpere. Sic omnino de religione quum ratio illius postulatur, non id petitur quod certissimum est atq; absolutissimum, sed quod humana ualeat solertia consequi. Cedò uerò, nónne sunt multa quæ primo aspectu animus nõ uidet: intentione autem, diligentia, usu, tandem perspicit? AL. Etiam. CH. Quæro ex te, magna attentione & diligenti, & collatione rationum quid excuditur, uerum an falsum? AL. Dic explicatius. CH. Si oculus in uidendo, & auris in audiendo remissius agant & segnius, an non in multis fallentur, ut uel uidisse se uel audiuisse credant, quæ nec uiderunt, nec audiuerunt, uel non tantum, uel non tale? AL. Sæpenumero. CH. Sin uerò expergiscantur, & attentè uel intueantur uel auscultent, nónne omnia uidebunt & audient certius, minimeq; patientur? AL. Non est dubium. CH. Attentio igitur & inquisitio ad inueniendam ueritatem ualet, mendacium uerò in segnitie ac negligentia subrepit. fit ergo ut ingeniũ si remittas, si de re quapiam non inquiras, nec scruteris, facile subeat deceptio: sin speculeris, & rationes cau-

nes cauſasq; inquiras ac conferas, ut ueritas ſeſe proferat enucleata tanquam detractis putaminibus. Quòd ſi quis nouum aliquod inuentum adferret ac oſtenderet tibi, iuberet tamen te illud conniuentibus oculis aſpicere, imò propè clauſis & obturatis auribus audire, quid tu de commẽto illo poſſes ſuſpicari? an non fraudem ſubeſſe aliquam? AL. Magna eſſet ſuſpicio. CH. Quid ſi adferens legis ac uiuendi formam, rationemq; colendi numinis nouam, atq; à ſuperioribus diuerſam, nihil dicat aliud, niſi, Hæc ſunt uera, credite, deus iubet: quemadmodum Mahumetus facit in Alcorano loquentem ad ſe Deum, Si quis tecum uoluerit diſputare, dic te faciem tuam ad Deum, eiusq; ſequaces conuertiſſe, quod agendo tam periti legum quàm ignari bonam legem ſequentur. Hæc uerò quis impoſtor aut ſcurra non poſſet dicere & aſſeuerare, ſi id ſolũ ſufficit? AL. Atqui ſunt ex deo, idcirco ratio nõ eſt petẽda. CH. Quomodo conſtat eſſe ex deo? non rationes admittit, non fulcit miraculis, non ſignis efficacibus, quæ nulla egit, & ſe non miſſum cum poteſtate prodigiorum fatetur. Quis eſt qui ad omnia ſua figmenta nõ poſſit addere, Hoc eſt uerum, certum, ex Deo eſt, nolite dubitare, nolite inquirere. Tutiſsimum mentiendi genus eſt, nolle rationem eorum quæ dicas reddere, & ueritatem dictorũ ad Deum referre authorem, quem nemo de ueritate poſſit interrogare. AL. Putas tu tam proteruum atq; impiũ hominem fuiſſe Mahumetem, ut mendacium ſub Dei perſona poneret? an non metueret graue pro tali noxia ſupplicium? præſertim quum dicat, Quis mortalium uel nequior uel peior, quàm qui Deo mendacium attribuit, & ſe nuntium eſſe ab eo miſſum confirmat, qui miſſus non ſit? An non aperte oſtendit ſe à tali mendacio abhorrere? Et alijs in locis mendaces maximè deteſtatur. CH. Nimium es ſimplex, ſi modò ex animo loqueris, uel ruſticus potius. Quid' nam aliud dicunt mendaces omnes, quàm ſe eſſe ueraciſsimos, & abominantur mendacium, & grauibus conuitijs mendaces impetunt? pœnã autẽ ſceleris tanti uel nullam credebant futuram, uel nolebant in mẽtem reuocare. leuiſſimorum commodorum gratia plurimi in uobis ac nobis facinora capitalia ſuſcipiunt, & ſe inexplicabilibus delictis inuoluunt. Quid Mahumetes ageret regni cauſa, pro quo ſolo uiolãdum eſſe ius quidam dixerunt? Vtinã noſtris temporibus non haberemus tam multa & ſæua exempla. Ad intelligenda omnia quæ à Deo ſunt condita, quatenus quidẽ nobis cõducit, attributa eſt homini à Deo, quod & tu dudum præclarè dicebas, lux ingenij, & facultas cognitionis, tum præſentium rerum, tum præteritarum. hiſce muneribus homo inſtructus, multa in his inferioribus aſſequitur, & ex inferioribus ad ſuperiora ſe ſuſtollit: ſicut uidemus in curſu ipſo ſtudiorum & uitæ totius, ut exercitatio ingenij perducat à paruis ad magna, ab humilibus ad ſublimia, ab apertis dilucidisq; ad obſcura & recondita. Qui ergo ueritate ſua fidit, nihil reformidat examen ingenij: imò aduocat, & quãtum poteſt exacuit. Veſter autem legislator conſcius quam legem ferret, quam uitæ ac pietatis formulam induceret, non ſolum à cogitatione & conſideratione uos arcuit, ſed mutuos & cæcos & ſaxeos effeciſſet, ſi potuiſſet. Ille uos de legibus non patitur diſſerere, aut quid & quamobrem quicq; dicatur expendere. proceres ſectæ ueſtræ à literis uos & omni generoſa ſpeculatione arcent, nec memoria rerum geſtarum concedunt, tanquam mutæ eſſetis animantes, ſine mente, ſine memoria. Sed Mahumetes idem magna uti ſolet inconſtantia, alio in loco dicit: Omnes homines, præter malos, honeſtis uerbis diſputando ſemper alloquere. diſputationem igitur non omnino reſpuit. Velim autem ex te audire, quandoquidem non es prorſum expers ſapientiæ, quid eſſe exiſtimes oculo gratiſsimum & congruentiſſimum? AL. Intueri uiuidos, uarios, eleganter compoſitos colores. CH. Quid auri? AL. Audire ſonorum concentum, aptum & concinnum. CH. Habet ergo unaquæq; animantis facultas certum aliquid, maximè naturæ ſuæ conforme ac conſentaneum, quo unice capiatur. AL. Habet. CH. Quid dicemus habere memoriam? AL. Res geſtas. CH. Quid ingenium? AL. Veritatẽ in quaque re. CH. Cur ergo & memoriam in rebus ſuperioribus non exercetis, & ingenium in rerum perſcrutatione? Sed nimirum intelligunt principes ueſtri, & præcipui Alfaquinorum, hiſtoriã, artes, diſciplinas, omnẽ denique cultũ ingenij, Alcorano ueſtro

esse contraria atq; inimica, ideo procul uos ab illis abducunt. Nostri religioni nulla as, nulla cognitio cõtraria est, amica est potius, utilis, accõmoda: quoniã ueritas ueritati nunquam aduersatur, consentit semper, & subseruit: uestrum autem mendacium ab omni ueritate oppugnatur, quo fit, ut eruditissimi in nobis sint religiosissimi: in uobis autem si qui paululum literas & peritiam rerum aliquam degustarunt, ij conti nuò à recepta in uobis persuasione desciscunt.

DE MAHVMETE.

EXcutiamus primùm dignitatem legislatoris, inde enim prima authoritas legibus: ut facile intelligatur, missus sit à Deo institutor, magisterq; uitę mortalium, an à seipso potentiæ atq; imperij auidus affectator. Prima ætate Mahumetes fuit pauper, & exercuit latrocinia, tum nactus opulentas nuptias, militauit sub Heraclio Imperatore, inter populares suos Arabes'. in ea militia occasionẽ principatus ac potentiæ inuenit. Nam quum Arabes irati Heraclio, discessionẽ ab eo fecissent, hic se ordinibus iratorum militum admiscuit, eorumq; animos aduersus imperatorẽ exacuit, et in defectione confirmauit. Tum creatus est à parte quadam militũ dux Mahumetes, quẽadmodum ij solent in omni seditione extolli, qui praua multitudinis cõsilia cõprobant, potentesq; & principes insectantur. Humilitatem generis, & uitæ prioris sordes multi in nouo duce aspernabãtur. ipse ut ab illo se contẽptu uindicaret, quod est apud stolidã plebẽ facillimum atq; efficacissimum, diuinitatẽ suis actibus prætendit: nõ iam se ducem & principẽ ferens militari fauore electum, sed prophetã & nuntium Dei omnipotentis, ut obtentu diuinitatis omnes haberet dicto audiẽtes. Quis enim audeat cõtrauenire cõsilijs & uoluntati Dei, & illi quem fabricator cœli ac terræ dignum duxerit sua legatione? Vetus ea ars est, exercuerunt eam Minos, Lycurgus, Numa, Scipio, Sertorius. AL. Nihil horum norat Mahumetes. CH. Facilè credo, & quidem iniurato. non ergo ex illorum arte cõmentum sumpsit, sed quod nebulonibus & latronibus, quãdo aliud deest quo se tueãtur, nihil est æquè promptum. Ætate nostra uidimus in Hispania duces seditionum, qui se diuinitus ad id missos cõfirmarent, & agi diuinis præceptis, nihilq; nõ ex Dei præscripto aggredi. Sed istis inuentum cessit infeliciter, Mahumeti felicius. Caput uerò negotij erat, Deum misisse primo humano generi Mosem, hinc Christum Iesum, instructos facultate prodigiorum, homines illis non se præbuisse obsequentes, statuisse Mahumetem mittere sine miraculis, armatum, ut quos non mouissent miracula, cogerent arma: se esse postremum nuntium, nec futurum postea alium, prædictum à Christo in Euangelio, prænuntiatum luce admirabili, quæ ab Eua per successionem generis in omnes mulieres transierit usq; ad matrem suam. Nónne hæc sunt in Alcorano? AL. Sunt, & quidẽ uerissima omnia & sancta. CH. Alia deinceps paulatim attingemus, nunc de istis.

DE ARMIS.

ARma quorsum pertinẽt? AL. Ad uim, et ad cogendum. CH. Quòd si Deus aliquẽ uult cogere, quid illi opus est armis? an non qui cõdidit & sustentat, flectere & cogere potest, quomodocunq; fuerit collibitum? Vtrum est præstabilius, adducere animos in suã sententiã persuasione, an cogere corpora? AL. Persuadere. CH. Lex cui datur, corpori an animo? AL. Animo. CH. Et ex animo cui parti? memoriæne, an intelligentiæ, an uolitioni? AL. Huic tertiæ. CH. An uerò possunt arma aut ullæ uires humanæ cogere? AL. Minime. CH. Quomodo ergo adducitur? AL. Monendo, suadendo rationibus, signis. CH. Nihil potest dici eruditius. est ergo Dei legem statuentis, nõ uiolentia armorum cogere corpora, sed miraculis & suasionibus adducere animos. Hoc fecerunt Moses & Christus. Nã quod Mahumetes dicit, homines illis nõ obediuisse manifestissimum est mendacium: quippe & Mosi dicto audientes fuerunt Iudæi, & totus penè orbis Christo; ut nunc plurimæ adhuc gentes, & quum Mahumetes uiueret, pleræq; nationes. Rogo te quomodo manifestius poterat demonstrare à Deo esse missum se, quàm si ea ageret quæ solus potest Deus, quęq; illis solis tribuit quos ipse ad salutem hominum mittit? Nam quod ait, incredulis nulla miracula prodesse: se ipse nõ intelligit, ut in alijs suis dictis. Quos enim uocat incredulos? si illos q nullo

modo

modo ſunt credituri,ad iſtos nō modò miracula,ſed nec arma quicquā profecerint. ſin incredulí ſunt qui non credunt,aut quibus difficile perſuadetur, iſtis certè efficaciora fuerint miracula quàm arma:& mundus admirabilia Chriſti atq; apoſtolorum opera reſipuit,nō ad uictorias Perſarum aut Romanorum.Sed Mahumetes cōſcius ſibi nō habere donum illud cœleſte,efficiendi quæ naturæ uires ſuperarent, quod erat in promptu,miſſum eſſe dixit ſe ferro munitum. Atqui armatus hic uictus eſt aliquādo,& luculentum uulnus in ore accepit. unde molares aliquot & dentes amiſit, & in foſſam eſt deiectus,et uictus turpiter,& quidē quū prídie uictoriā ſibi et ſuis ex cœleſti oraculo promiſiſſet. quin etiā quum adhuc eſſet latro, cæſus ſæpe eſt à Drianitis,quorum camelos inuadebat Mecha redeuntes, & ciuitas illa quæ nunc eum adorat,capitis eum aliquādo dānauit,ut latronem pernicioſum: & prçmium propoſuit,ſi quis in poteſtatē uel uiuum uel mortuū redigeret. Hic eſt miles ille Dei, latro primū,mox ſeditioſus miles, & transfuga,tum imperator exercitus defectoris. Sed fac fuiſſe inuictum:quid plus habet quàm Alexander,uel Iulius Cæſar, uel alij multi duces inuicti? quorum tamen gloriā militarē & præclara facinora Mahumetes, qui arma ex cœlo acceperat,nunquam æquauit.Quid,quòd in armis ſæpenumero uidemus accidere,ut peior cauſa uincat meliorem? ut intelligas non eſſe diuinæ æquitatis bella,ſed humanæ malitiæ. Verùm non ignorauit Mahumetes,māſuetudinē, clementiā,humanitatē eſſe potius diuina arma,quàm iſta ferrea & chalybea, fabrorum manibus cōflata.idcirco ait: Miſſus ſum à Deo ad homines cum pietate & miſericordia.Item perſuaſionem eſſe potius diuinitatis,quàm uiolentiā,& coactionem. idcirco alio in loco inquit:Nulla uiolentia eſt in fide. & rurſum: Vim nequaquā propter legē inferatis,quum recta prauaq; uia patefactæ ſint.Sed nimirū ſi hoc ipſe ſeruaſſet, inualidum fuiſſet regnū prophetæ,& deſertus principatus. Perſuaſione enim nemo eſſet unquā ad aſſentiendum ſectæ inductus,tā abſurdæ ac puerili.At ferri quis fuiſſet uſus,ſi nemo cogeretur:& res nō eſſet gladijs gerenda,ſed rationibus:Idcirco tanquā ſui oblitus,alibi dicit:Niſi meā ſcripturā receperis,et crediderís cœlitus eam eſſe ad me miſſam,meq; cōfeſſus fueris prophetā eſſe Dei legatum, diripiā ſubſtantiā tuā omnem,uxorem & liberos tuos captiuos abducā,teq; ipſum interficiā.& item: Viri boni,quid uobis eſt cum illis incredulis cōmercij? cum nemine illorum contrahatis uel negotium,uel ſocietatē,uel amicitiā, niſi prius recta Dei uia pugnatum aut prædatum uobiſcum exeat.quòd ſi facere recuſarit,eos ſi fieri poſſit, ubicunq; inueneritis occidite.Hęc illæ.Quid poteſt dici uel Deo uel prophetæ cōgruentius? deoq; lingua ueſtra eo nomine appellatis eos,qui uobis ſe adiungunt,quo denotatur, illos ſe ac rem ſuā & familiā cōſeruaſſe Mahumeticę legis profeſsione.Sed quid ſi nō poſſit pugnare aut prædari,ſenex aut inualidus? quid ſi nolit & abhorreat à ſanguine & cæde? nō in illius arbitrio id ponitur ut faciat,ſed in ueſtro,ut cogatis eum facere. Hæc eſt illa ſecuritas et negligentia,qua negat ſe quenquā trahere inuitum,omnia relegat ad autoritatē uoluntatēq; illius à quo ſit miſſus. nō intelligis, nō ſolū uerba cum factis pugnare,ſed etiā cū ipſis uerbis:ut nec in loquēdo,quod eſt facilius,ſeruare conſtantiā potuerit. Miſſurus rex nuntium aut legatum aliquem,nónne eum deligit potiſsimum ex ſuis omnibus,qui maxime ſit ex ſua dignitate? AL. Planè. CH. Quem ergo cōuenit mitti à Deo,niſi qui Dei ſit ſimillimus ſanctitate,innocentia uitæ, ſapientia, & alijs uirtutib.quæ in Deo ſunt eximiæ & infinitæ? qualis fuit Moſes, & Moſe melior Chriſtus,uel ueſtri legislatoris teſtimonio.Mahumetes ipſe antequā ad legationem Dei nomine obeundam ueniret,peſsimus:in legatione ipſa peior fuit. Ipſe homo apertus & ſimplex profitetur quæ negare non poterat, quum tot haberet conſcios & teſtes ſuorum flagitiorum,peccatorē ſe à primo fuiſſe, & hominem facinoroſum,ſed cōdonata ſibi eſſe à Deo peccata.Quæ tandem fuerunt priora illa ſcelera? erat prædo,raptor uiolentus,homicida,adulter impurus. eadem illa poſtquam è cœlis deſcendit,obtinuit,nec quicquam mutauit de ſolita impuritate ac crudelitate. deniq; talis fuit,qualem tu filium tuum eſſe nolles. Quis credat à Deo eſſe electum aliquem ad munus tantum,nec ab eo eſſe meliorem redditum? poteſt quicquam tanta bonitas cōtingere,quin bonū faciat? poteſt tāta puritas,quin purget? At uerò ne quis

ſcelera & flagitia,quæ palam propheta deſignabat,auderet capere aut uituperare,au thoritatem diuinã omnib.interpoſuit,& ſe à deo iuſſum id facere confirmauit:bella, cædes,rapinas,adulteria.Nec ſatis illi fuit malũ & ſceleroſum eſſe,niſi etiam nequitię ac ſcelerum ſuorum authorẽ cauſamq; deum faceret,patrẽ bonitatis & iuſtitiæ, oſorem uitiorum.Mouet bella,agit,rapit,occidit,ait ſe cum potentia bellica à Deo miſſum,inceſtat,adulteratur, polluit uirgines & maritas,facit deum lenonem ſuum,& ait ſibi datam à deo uim generãdi quãtum hominib. quadraginta. Quid poteſt dici obſcœnius? quorſum hæc generãdi tã immanis poteſtas, niſi ut nõ ſolùm impune ac licenter,ſed cum aliquapiã religionis cognitione à muliebri ſimplicitate & ſuperſtitione admitteretur ad cõcubitum,ſinente marito aut patre, atq; etiã authoritatẽ numinis reuerẽte,à quo eſſet illi tale munus cõceſſum. AL. Furari nónne tu turpe ducis? CH. Etiã. AL. At deus filijs Iſraelis id permiſit,cùm ex Ægypto egrederẽtur. Potuit igitur & Mahumeti in libidine indulgere. CH. Multũ inter furtum & uenerem intereſt, quæ ſemper habet immunditiẽ,& ſi in muliere eſt aliena & obſcœniſsima. & hæc auri atq; argenti ſurreptio in aliquem uſum digniorem concedebatur, nempe ut illinc tabernaculum cõſtrueretur domino. Immodica autẽ illa Mahumetis libido, & effrenatiſsima,quem erat fructũ habitura,præſertim cùm nihil unquã præter filiolã genuerit? Et erat furti illius ſignificatio ſublimior,ut qui ab Ægypto ad terram promiſsionis,hoc eſt à carne traducuntur ad ſpiritum,ſpolient carnem ijs omnib.quæ deſeruire ac prodeſſe poſſunt ſpiritui. Quod ſi à deo munus illud cõceſſum eſt Mahumeti, tãto nuntio ac prophetę,cur nulli unquã aliorum prophetarum nõ dico tantum,ſed nihil omnino eſt permiſſum tale? Quod ſi donum eſt hoc & deo dãte & propheta accipiente dignum,nemo non deberet expetere,& ſe in cœnum illud fœdiſsimum immergere. Quod ſi uos diuinæ naturæ atq; ingenij uel minimam ac tenuiſsimã particulam mente ac cogitatione cõprehendiſſetis,agnoſceretis cõtinuò,qualis eſſet ueſter iſte diuinus nuntius,qui uim illã & facultatẽ tantæ turpitudinis,& licentiã adeò pecuinã ac effrenem à deo ſe accepiſſe gloriaretur. Si tã propinquus,tã acceptus,tam charus erat deo,impartitus illi fuiſſet deus nõ cupidinẽ opum,nõ uoluptatum,nõ rapinarum,ſed de ſua excellentia uirtutum,quẽadmodum Moſi,Chriſto,Ioãni,& alijs, quos uos ipſi charos fuiſſe deo perhibetis. AL. Nõ negant quidã noſtrũm,nequam & proditũ hominẽ fuiſſe noſtrũ nuntiũ. Sed deus eligit quos uult,nõ eſt ab eo ratio eorum quæ agit repoſcenda. CH. Abſit. ſed certe tanta cum angelis & cum deo familiaritas,tam crebra colloquia,lex ipſa cœlitus ipſi miſſa,feciſſent eum ſanctiorẽ. Quale autẽ eſt,formulã rectè uiuendi,pietatis,ſanctitatis dare deum hominibus, per hominem ab illis uirtutibus alieniſsimum,ut nihil magis à norma illa diſcreparet,quàm uita legati? Quid uerò poteſt eſſe æquius,quàm ut homines ad exẽplum ſe illius cõponant,quem uideant admitti ad conſortia angelorum,ad colloquia dei,præfici mũdo à deo ipſo,ad leges uitæ & ſanctitatis cõdendas? Cuius tandem uitã & mores imitabuntur homines,ſi hunc reſpuunt,& cõtemnunt? Quàm ſtulta autem & impia eum fabella illa de luce:quæ ſi in Alcorano contineretur, multis à me cõfutaretur uerbis. ſed quia inuentum eſt quorundã ex ueſtris,breuiter attingã. Narrant lucẽ conditam eſſe in Adam incredibilem,ſemen atq; originẽ Mahumetis. Hanc, cùm eſſet genitus Seth,tranſiſſe in Euam,ab hac in Seth, ab illo in uxorẽ, cõcepto illo qui propagaturus eſſet genus,ita deinceps ordine per genitores uſq; ad Mahumetẽ:& hanc lucem tantã fuiſſe,ut omnes animantes eã ſint admiratæ. oportet igitur maiorẽ fuiſſe, quàm lucẽ ſolis. Nam hunc ſolarem ſplendorẽ nõ admirantur brutæ animantes. quis unq; rei tam inuſitatæ, tamq; ſtupẽdæ meminit? uidelicet prætermiſiſſet tam grande miraculum Moſes,qui de patrib.etiam minutiſsima perſequitur.prætermiſiſſent ſcriptores alij penè infiniti,qui à condito orbe fuerunt ad ortũ Mahumetis. Quid uerò luce opus fuit ad Mahumetẽ declarandum? quaſi Moſes & Chriſtus nuntij dei nõ fuerint & ſine luce. Quum autẽ uẽtum eſt ad Abraam,non ad Iſaac migrauit ſplẽdor ille per Saram,ſed ad Iſmaelẽ per Agar. Atqui ſoboli Saræ factæ ſunt promiſsiones,non generi Agar:& ex Sara per Iſaac traxerũt originẽ Moſes & Chriſtus,quos Mahumetes ipſe maiores ſe & ſanctiores fuiſſe confitetur. Tandẽ lux hæc peruenit ad matrẽ Mahumetis,

humetis,à qua in Mahumetē prorsum demigrauit,ibiq; cōquieuit.Si hæc lux à parē-tibus fuit Mahumetis, quō puer fuit idololatra & grassator? quin potius à conceptu ipso sanctus & uenerabilis? quis nō illū adorabat, ut cœlitus demissum,in quo tā admirabile signum conspiciebat fauoris diuini? quid opus illi fuit alijs miraculis,aut alijs argumētis diuinæ legationis? Negat se instructū diuinitus potestate miraculorū: quod miraculū isto maius,aut euidentius? Sed de luce hac satis:quod adeò est puerile ac absurdum,ut nō dubitē,quin plerisq; uestrûm attentius rem perpendētibus tale uideatur. Venio ad id quod dicitis,Promissum fuisse à Christo Mahumetē,id uerò erasum à nostris.Nam illo loci,quo dicitur,Et mittā uobis spiritum consolationis: Mahumetē erat adscriptum , deletum autē à nobis, odio uestri. Quæro ante omnia, quinam eraserunt? priores Mahumete,an posteriores? Prioribus nulla erat causa: nesciebāt enim quis aut qualis Mahumetes erat futurus,imò crediturī erāt optimum & diuinum prophetam futurum , qui esset à Christo nō solum cōmendatus , sed iussus expectari. Posteriores nō fecerunt: nā Mahumetes ipse iā de eo conqueritur. Quid, quòd extāt Euāgelia scripta ante Mahumetis ętatē, nec ulla est in eis mentio Mahumetis,nec ulla eo loci erasio. Tot scriptores Christiani præcesserunt Mahumetē,tam diuersi opinionibus, sectis, affectibus, quis unquam illorum meminit Mahumetis? Quòd si Mahumetē Iesus Christus iussisset expectari, tantū nobis fuisset nefas,illum priusquā ueniret nō expectare,& postquam uenisset non recipere, quàm Christum ipsum abnegare.Magnum & atrox uideo esse inter uestrā gentē & nostrā odium, alteri alteris nō sumus pro hominibus, sed pro canibus,exuta omni humanitate. Idem nobis & Iudæis contingit, idē Iudæis & uobis. Mahumetes ait Mosen missum esse à Deo , Iesum uerò uerbum Dei natum ex Maria uirgine. putaret aliquis uestrûm fas sibi esse aliter sentire, aut loqui? AL. Imò grāde nefas. CH. Vtiq; non amore nostri,aut Christi,sed propter testimonium uestri prophetæ. AL. Ita est,nā si propheta noster nō esset testificatus , nihil tale crederemus. CH. Idē ipsum de nobis existimare te,par est. Nos ueteris instrumēti libros legimus,ueneramur, oracula esse dei omnipotētis pro certo habemus. Mosen uirum Dei, prophetas sanctos homines fuisse credimus ex testimonio Iesu: qui si Mahumetē nobis cōmendasset, sanctior etiam nobis esset illis omnibus.quēadmodum Ioannes Baptista, de quo elogium fuit Christi:Inter natos è mulieribus nō surrexisse maiorē.nec aliter expectatus & desideratus fuisset à nostris Mahumetes, quàm spiritus ille cōsolationis ab apostolis, qui decimo post Christi ascensionem die diuinis muneribus apostolos repleuit.

QVOD CHRISTVM CONVENIEBAT VENIRE POSTREMVM.

VOs dicitis, postremum Dei nuntium fuisse Mahumetē,nec post eum alium futurum , illum attulisse pietatis formulā consummatā & uniuersalē: nihil in posterum ei addetur,aut detrahetur. nónne? AL. Ita est. CH. Est ergo legatio Mahumetis ut postrema, ita præcipua & cōsummata. AL. Est planè. CH. Quæso te,in omni prudentia & usu uitæ,iudicio,ratione, præstantissimā legationē cui conuenit tribui,nisi præstātissimo legato? Quum res est absoluenda ingens & maximi momenti, & ad summā regni pertinens,quis mittitur, nisi regi proximus & intimus? uel interdū rex ipse uenit in colloquium cum ijs quibus cum agitur.primùm enim res per inferiores tractatur:ad ultimum uerò, ut plena sit in cōsummatione authoritas , per eum qui summæ sit authoritatis.Conferamus iā Christum cum Mahumete, nō ex nostra prædicatione,sed ex Alcorano & secta uestra.Christus uerbum Dei,Mahumetes homo merus. Christus Messias, promissus patribus, nuntiatus ab angelo uirgini excellentissimæ:Mahumetes obscurus,& ignobilis. Christus semper sanctus: Mahumetes aliquādo profanus,& erro,& latro,& idolorum cultor.Christus doctor sapiētissimus, Mahumetes omnis eruditionis prorsum expers, nec suum ipsius Alcoranum intelligēs.Christus de se & de suis certus: Mahumetes incertus,ut ipse in Alcorano cōfitetur.Christus uiuens,uel ut uos dicitis,raptus in cœlum à Deo:uel ut nos, reductus in uitā: Mahumetes mortuus & computrefactus. Denique nec Mahumetes negat, multo se esse inferiorē Iesu Christo. Vtri ergo par erat postremā legationē mādari,in

qua ſigillum eſſet addendum normæ pietatis & uitæ totius? conueniebat profectò uel Mahumetem,ſi nuntius eſſet Dei,cum reliquis prophetis ueniſſe ante Ieſum,uel poſt Ieſum neminẽ mitti. Accedit his, quòd Chriſtus ad diuinæ ſuæ legis cõfirmatio nem ea adferebat,quæ uidentes dubitare non poſſent diuinitus fieri,& facultatẽ naturæ omnẽ ſuperare. Vos enim de illo teſtificamini,quòd reddiderit lumen cęcis,ſanitatẽ leproſis,ſurdis auditum,mortuis lucem & uitã,& alia innumera.propheta ueſter nulla ſe ait miracula feciſſe,quum id tamen ſit prȩcipuum diuinitatis ſignũ: nempe oſtendere uel ſe, uel eum à quo ſit miſſus, maiorẽ & potiorẽ eſſe naturæ legibus. quod & uos quantumcunq; ignari,etiã incõſiderantes, ſatis tamen aſſequimini, qui prophetæ ueſtro,utcunq; neget ſe miracula edidiſſe,aut ſibi eam uim à Deo conceſſam,miracula nihilominus aliqua attribuitis,ſed abſurda aut inepta, quæ ſatis appareat eſſe conficta:ut fractã aliquando fuiſſe lunã, & partẽ eius decidiſſe in manicam Mahumetis,ipſum uerò eam partem cœlo reddidiſſe,& lunã integraſſe: & quod camelum fœminã loqui fecerit,& quidem noctu,quem in uſum? lupum quendã exululatu cognouit principem eſſe aliorum luporum. quis poſſet ad hæc riſum continere? AL. At poſt Chriſtũ dicitis uos miſſum eſſe ſpiritum ſanctũ, alius ergo uenit poſt eum. CH. Non eſt hic alius,ſed idem Chriſti ſpiritus. & hic uenit non ut Mahumetes, ſtatim pòſt diſceſſurus: ſed qui perpetuò maneret in Eccleſia doctor & conſolator, ſuppleretq; abſentiã humanitatis Chriſti. Itaq; lõgè alia eſt ſpiritus paracleti ratio, q̃ Mahumetis, id enim prȩſtat nobis ille ſpiritus, q̃ prȩſtare Mahumetes nõ quiuiſſet.

DE ALCORANO.

VEniamus ad legem quam ſibi dicit cœlitus traditam, ut cõmunicaret hominib. in qua eſt mira eius cõſtantia. aliàs enim dicit ſe gentem habere peculiarem,cui ſit miſſus: & neminem intellecturum ſuum Alcoranum, niſi ſit Arabs, aut ſciat Arabicè.aliàs dicit,omnib.ſe gentib.ferre leges. AL. An non Ieſus ueſter dicebat ſe nõ uenisſe,niſi ad filios Iſraelis? CH. Simia uoluit eſſe Mahumetes Chriſti Ieſu, quia hoc ille dixerat,& Mahumetes gentem ſibi peculiarẽ ſumpſit. Chriſtus uenit ad filios Iſraelis,quia ipſis promiſſus meritò progenitorũ Abraam,Iſaac, Iacob, Dauidis: & quia unica gens erat in orbe terrarum, quæ Deum noſſet.ad Arabes autẽ quo merito ueniret peculiaris nuntius Dei? & Chriſtus,quod dixit,prȩſtitit: nullis prædicauit niſi Iſraelitis,diſcipulos autem miſit per uniuerſum humanum genus. Vide autem quantum inter Euãgeliũ noſtrum,& Alcoranum ueſtrum interſit. Veſtrum obſcurũ,difficile,intricatum,nemo intelliget niſi Arabs.noſtrum uerò planũ, facilè nihil fieri poteſt in quacunq; lingua dilucidius,ut ea philoſophia aperta eſſet omnibus,quę ſaluti omnium euulgabatur. Quid quòd & ipſe idem Mahumetes ait ſe nõ totum Alcoranum intelligere,nec alium prȩterquã Deum intellecturum. quis ergo eſt futurus uſus eius hominib.quod homines nõ intelligunt? Rogo te, quum uir ſapiẽs loquitur rudioribus, & prȩcipit ut aliquid agãt, accõmodat ne ad ſuã excellentẽ intelligentiã quæ dicit,an potius ad captum eorum quibus loquitur? AL. Nimirum ad captum iſtorum,ut par eſt. CH. Deum ergo,quum hominib.loquitur,quomodo cenſes & uerba & dicta uſurpare? utrum ea quæ cõgruentia infinitæ ſuæ ſapientiæ nemo ſit intellecturus,an quæ apta & cõuenientia ſint humanis ingenijs? AL. An tu cauſas intelliges diuini conſilij & cur quicq; à Deo fiat aſſequeris? CH. Aliud eſt multo, in cauſas diuinorum operum penetrare mentis noſtræ uim:aliud,quæ illæ nobis dicat, intelligere. Quòd ſi de cauſis & ratione qua quicq; à Deo fiat,ſcribebat Mahumetes, quis eum ita loquentem intellexiſſet? ſed id non eſt Alcorani proprium, in omni naturæ actione atq; opere,quis poteſt cauſas exculpere de cœlis,de elementis, de animantibus,de noſtris corporibus. Verùm Mahumetes nihil penſi habet quid loquatur, aut quomodo:quemadmodum procedente ſermone fiet tibi liquidum.

DE CORRVPTIONE VTRIVSQVE TESTAMENTI.

AL. Non eſt mirandum diſcordare Alcoranum à ueſtris libris, quos uos corruptiſtis & deprauaſtis. CH. Quis hoc dicit? an Mahumetes? AL. Non ille quidem, ſed nos deprehendimus poſt eum. CH. Videlicet hoc argumẽto:Alcoranũ et utrunq; teſtamentũ inter ſe diſſentiunt. Alcoranum neceſſe eſt eſſe uerũ,integrum, ſincerum:

utrunq;

utrunq; ergo teſtamentum neceſſe eſt eſſe deprauatum & inuerſum. AL. Argumento nimirum inuincibili. CH. Quin potius in cõtrariũ reflectebatis: Alcoranũ & utrunq; teſtamentum diſcrepant inter ſe: utrunq; teſtamentum deductum à primis originib. manet integrum atq; inuiolatum, ac proinde uerum: Alcoranum igitur eſt depraua-tum, detortum, falſum. AL. Nefas eſt nos ſic colligere. CH. Nefas eſt uobis ſic colligere, & nefas eſt alijs ſic collectum admittere. AL. Agareni alios non curant. CH. Non ergo ueritatis uia deducit uos in eam perſuaſionem, ſed ueſtra ſuperſtitio. Verùm ad rem accedamus. Dicitis utrunq; inſtrumentum eſſe deprauatum, loquamur prius de Euangelio. Dominus noſter nihil ipſe ſcripſit: quæ inter homines geſsit, mandarunt literis non unus aliquis, ſed quatuor diuerſis & temporibus & locis: quæro an ab iſtis corruptum eſt Euangelium? Iſti non potuerunt corrumpere, quoniam ab ipſis manauit, & ipſi authores fuerunt. alioqui ubi eſt iſtud Euangelium, quod Mahumetes uocat librum uitæ ſalutis directionis? neq; enim ante hunc librum Euangelij alius fuit, ut poſsit dici hunc eſſe deprauatum, illum uerò alterum fuiſſe librum ſalutis. Adde quòd ſcripta ſunt hæc Euangelia uiuentibus adhuc permultis, eorum qui Dominũ noſtrum nouiſſent, eſſentq; cum eo uerſati, nec in deprauationem potuerunt cõſentire, tot, tam uarijs locis & temporibus ſcribentes. Quid, quòd euangelia hæc ſcripta ſunt & approbata ab ijs uiris quos Mahumetes commendat, dicẽs: Iudæos fuiſſe erga Chriſtum incredulos, uiros tamen quoſdam in albis ueſtibus ſecutos fuiſſe illum in nomine Domini: de apoſtolis ſentiens, & Petri, & Iacobi, & Iudæ epiſtolis, qui ex uiris illis fuerunt candidatis, & cum quatuor Euangelijs conſentiunt. Quòd ſi ante Mahumetem corruptum eſt utrunq; teſtamentum, cur ad teſtimonium ſuorum dictorum remittit uos ipſe ad legem & Euangelium? cur non certiores reddebat ſuos, corruptos haberi eos libros? & admonebat, cauerent, ne illorum fraude caperentur? Poſt Mahumetem autem non potuerunt corrumpi, nam omnia quæ ante Mahumetem à noſtris ſunt ſcriptoribus prodita, conformia ſunt huic Euangelio, quod nunc habemus: nec tanta librorũ multitudo, tot locis diſperſa, potuit uno conſenſu uitiari. Quid quod Euangelia extant etiamnum ſcripta ante Mahumetẽ linguis plurimis, Græce, Latine, Chaldaice, Syriace, Perſice, etiam Arabice, ne elemento quidem uno ab ijs diſcrepantia, quibus nunc utimur, quod quidem ad rei ſummam pertineat, & ad ſententias fidei neceſſarias. uel in ijs regionib. quæ iam inde à Mahumete ſub imperio & ditione gentis ueſtræ fuerunt, reperiuntur uetuſtiſsima Euangelia, qualia ſunt hæc noſtra quæ uerſantur in manibus. Ne exiſtimetis Mahumetem adeò uel negligentem fuiſſe, uel uerecundum, ut ſi corruptum cenſuiſſet utrunq; teſtamentum, fuiſſet id ſilentio præteriturus, quod ad rem ſuam tantopere conueniret. Quòd ſi Euangelium nos uerum non habemus, ubi eſt liber hic directionis & ſalutis, tantopere à propheta ueſtro commendatus? AL. In Alcorano. CHR. Quomodo ergo eos qui Alcorano fidem non haberent, remittit Mahumetes ad teſtimonium Iudæorum & Chriſtianorum? Vides rem à ſeipſa confringi: & quoniam pietas noſtra inimica eſt prorſum regno ac poteſtati diabolicæ, ſemper hoſtis noſter quibuſcunq; artibus potuit, oppugnauit eã atq; infeſtauit. multas inter nos ſeuit diſſenſiones ac diſcordias, ſuſcitauit ſectas, & abſurdiſsimas de fide opinationes, qui has tuebantur, odio & rabie pluſquam capitali ferebantur in eos qui rectius ſentirent, & argumenta omnia conquirebant ad fulciendam ſectã. nemo illorũ obiecit nobis, Euangeliũ eſſe corruptum: de ſenſu uerborũ fuit cõtrouerſia, non de uerbis ipſis. & ſi una ſecta aliquid uitiaſſet, parati erãt aduerſarij, qui illos falſarios eſſe criminarentur. Iam uerò deprauãdi euãgelij quę potuit eſſe cauſa, qs fructus? an ſciẽtes & prudẽtes deprauaſſent illi eam ſcripturã, p cuius uno quolibet dicto, una qualibet ſententiola ſanguinẽ & uitã erãt parati pfundere? q; ſi erãt aliquid mutaturi, ea mutaſſent potiſsimũ, quib. ipſi uel cõmodius agerẽt, uel facilius alios in ſuam ſententiã pellexiſſent: nẽpe laxiorẽ uiuendi rationẽ, magiſq; ad oblectamenta & uoluptates appoſitã ſtatuẽdo: uel ea dicẽdo de Chriſto quę minus hominũ aures offenderent, & magis pronis auris. reciperentur. Vos uerò è cõtrario in ijs maxime arguitis nos Euãgelium deprauaſſe, quę & nobis maius odium hominum cõciliarent, & plurium animos à religione noſtra auerterẽt:

nempe de diuinitate & morte Christi mutassent ea, in quibus uidentur inter se Euangelistæ dissentire, uel à sententia ueteris testamenti, quæ fuit inimicis nostris materia insectandi nostri. Sed ea ipsa quasi dissonãtia, ualidius argumẽtum est, integra, sincera, intacta esse Euangelia, per ætates omnes iam inde à primis originib. ad nos perducta, magnaq; religionis obseruatione omnia esse integra & immutabilia conseruata.

DE HISTORIIS ALCORANI.

NEc minus securè infinita mendacia in Alcorano confingit, partim ex Thalmut Iudæorum, quæ tamen ipse magis corrupit, ut de Adam, de Cain & Abel, de prædicatione Noe, de morte Mosis, de Pharaone, qui iussit sibi ædificium usq; ad cœlum extrui, ut uideret deum Mosis: de Salomone, quòd haberet exercitum hominũ, dæmonum, & auium ipsum glorificantium: de Dauide, cui montes & aues obediebant. Iam quæ sunt apertè planis uerbis in uetere testamẽto explicata, ipse deprauat, & narrat falsò, ut de Mose, de Pharaone, de Gedeone & Saule, de Noe & arca, de Abraam & Loth, de Ioseph, de quo relaturus historiam, ita præfatur, & quidem uerbis dei: Nũc omniũ uerborũ tibi missorũ pulcherrimũ enarrabo. qd ad ipsum qd dicat? fundit sine mente sonũ. Cur hoc reliquis est pulchrius? quid habet pulchrius quàm illa admirabilia quæ egit deus, cum educeret populũ de Ægypto? De nouo autẽ testamento narrat falsò natalẽ dñi, & de Ioanne Baptista. Dixit (inquit) deus ad Zachariam, habebis filium nomine nunquã antea cuiquam imposito, id falsum esse, si quid in sacris literis legisti, satis intelligis. & addit, super Ioannẽ sedisse salutem dñi in die natiuitatis, mortis, & resurrectionis eius. Quãdo, queso, Ioannes resurrexit? Nec solũ de utroq; testamẽto tam licenter mentitur, sed de historijs gentiũ. Alexandro, ait, tributam à deo scientiã rerum omniũ, quis unquam id tradidit inter tot latinos scriptores & græcos, q illius uitam & res gestas memoriæ mandarũt? Fieri profectò non potest, ut Mahumetes legerit utrunq; testamentũ. Nam & si ego de illo pessime sentio, non tamen arbitror fuisse tã excordẽ, ut sic aperte mutaret & detorqueret quæ nihil ipsi oberat, integra relinquere: in quib. etiã si fuisset error, nõ tamen erat is tanti, ut diuina correctione indigeret. Sed de utroq; testamẽto partim ipse fando audiuerat nõ nulla, quæ praue retinuerat: partim Christiani & Iudæi persuaserãt sic habere. Itaq; ea scripsit, p quę manifestò uanitas & imperitia illi⁹ se patefaceret, & ueritas esset ad percipiendum nõ difficilis: nec ipse quid sit Euangelium nouerat, quanquam sæpe dicit Christo esse datum librum Euangeliũ à deo: an putat ita deum Christo dedisse Euangelium, ut ego tibi trado hunc flosculũ? Nullum librum deus dedit Christo, nec ipse Euangelium scripsit, sed lætissimum nuntiũ attulit generi humano, reconciliationẽ fieri hominis cum deo, & placatam iram dei, cessare ultionem, reditum ad gratiã parẽre: quo nullus est nuntius melior. Euangeliũ enim bona est annuntiatio. Eiusdẽ notæ est & illud quod ait, Dauidi missum esse Psalterij librum: quum ille sigillatim Psalmos composuerit, & cecinerit dño. At quo ore, quãta impudentia, quasi nihil mutasset: Si quid (inquit) dubitatis in his, quæ rite ab ijs qui librũ legerunt ante nos, quærite ab ijs qui legem & Euangeliũ legerunt, hoc est à Iudæis & Christianis. Hũc tu putes uel frontem habuisse, uel cor? Necesse est uel illum nihil legisse, sed quæ accepisset ab alijs, habuisse pro indubitatis, in quo eius tarditas & socordia ostenditur: uel si quid legit & nouit, non proiectæ solum & profligatæ, sed dementissimæ est impudentiæ, eos pro se testes adducere, quorũ testimonio sciat se condemnatum iri. Profectò alterũ necesse est, uel ipsũ belluã fuisse, uel eos quib. loquebaẽ habuisse p belluis.

DE DEO.

VIdeamus iam qualem facit Mahumetes Deum, quàm absurdum, quàm non solum alienum ab eo qui ipse est, sed omnino diuersum & contrarium. Primùm facit corporalem, quod est contra rationem omnem, & philosophiam. nam dicit eum habere manum, & uectari ab octo angelis in sella gestatoria. Manu ait se à Deo tactum, quę erat frigidissima. Atqui satius fuisset, eam calidissimam dicere. Deus enim in cœlis, in lumine, in charitate, citius fuerit calidus quàm frigidus: & in sacris literis dicitur, Deus noster ignis consumens est. Iam quemadmodum Plutarchus scribit,

Pytha-

Pythagoram ex proportione pedis Herculis ad alios pedes, deprehendisse quãto esset Hercules maior quàm reliqui homines, & stadiũ quod decurrisset stadijs alijs longius: ita si deus habet manum, ex ea colliget, quantũ sit reliquum eius corpus: quantumcunq; autem fuerit, non erit infinitum: finitus ergo erit deus. cuius cõtrarium, si rectè meministi, initiò posuimus. Finitũ quoq; esse, ex angelis qui illum baiulant, potest colligi. Nam & si magni sunt angeli illi, uasti, immanes, finiti sunt tamen. quod si finiti, & finitum esse illud necesse est quod ipsi possunt portare. nam inter finitum & infinitum, nulla est neq; uirium, neq; magnitudinis, nec ullius mensuræ proportio. de deo autem uerbum Mahumetis est sacrosanctum, & quasi tetragrammaton illud Iudæorum, ut mirũ sit non diffindi lapides & montes, quoties profertur ab ore duntaxat alicuius in religione uestra præcipui: Non est deus nisi deus. quid potest fingi ineptius? quis hoc nescit? quis Iudæus, quis Christianus, quis gentilis non idem diceret & fateretur? imò uerò nec est homo nisi homo, nec asinus nisi asinus. At quicquid animo Mahumetis est collibitum, id ad deum authorem & iussorem refert, bella sua, rapinas, libidines, incestus, uiolentias: ut non uideatur alium in usum habere deum, quàm ad prætextum flagitiorum suorum ac scelerum, quemadmodum regem puerum aut dementem rector & administrator regni improbus. Et deum hunc, cui censet impijssimum dare socium, inducit loquentem sæpenumero plurali, diximus, iussimus. AL. Est mos loquendi regum. CH. Si Mahumetes hæc scripsisset, foret aliqua excusatio. nunc deus scripsit hæc, quem decet maxime propriè loqui. nam numerus hic pluralis modestiæ causa ponitur à regib. & priuatis. Nec potest de deo & angelis intelligi. sunt enim quædam quæ ad solum conueniunt: ut, Diximus angelis ut adorarent Adam, nos creauimus cœlum & terrã, & iustificamus impium, & misimus Iesum Christum Mariæ filium. At qualem huic deo suo affectum tribuit? nimirũ qualem ipse idem gerebat, sæuum & sanguinariũ. Infidelium, inquit, non nisi lapsum & præcipitium diligit deus. Quanto aliter Paulus noster, & bonitati diuinæ congruentius: deus uult omnes homines saluos esse & ad agnitionem uenire ueritatis? Quod si infidelium nõ nisi præcipitium diligit, cur nuntios suos ad illos mittit? & Mahumetus idem præceptum sibi esse ait, ut legem suam prædicet infidelibus. Et de remissione delictorum, eius est sententia: deum grauia peccata hominibus non condonare. audierat uidelicet de commisso in spiritum sanctum, de quo dicit dominus noster, quòd nec in hoc sæculo, nec in altero condonatur. Quærendũ ex eo restat, quę tandẽ uocat grauia peccata, quod ipse nunquã definiret. atqui homicidia, rapinæ, incestus, adulteria, periuria, idololatriæ, omnia sunt plurimis hominum à deo remissa, ut patet ex sacris libris: nec Mahumetes negat, qui ait in se esse expertum. Quæ sunt ergo ista delicta grauia, ueniæ omnis expertia? Atqui Mahumetes ipse alio dicit loco: Gens quæ nefanda peccata perpetrauit, ne desperet. Sed huic homini nihil uidetur fuisse suauius, quàm afferere pugnantia. Et in mysticis literis habetur, deum, quum iureiurando amicis suis uellet nonnulla confirmare, quod nihil esset eo maius aut sacratius per quod iuraret, per semetipsum iurasse, ut Abraæ. At deus Mahumeticus iurat per uentos, & angelos, & montem Sina, & per stellam matutinam, quemadmodum dij gentiles iurabant per Stygiam paludem, Dij cuius iurare timent & fallere numen: & Ægyptij per canes & catos.

DE CHRISTO.

NEgat Christum esse dei filium & Deum. Nihil (inquit) præter opinionem suam sequuntur, dicentes deum sumpsisse sibi filium, quo non indiguit. an habent rationes quibus id possint euincere? an deo quod nesciunt imponunt? sic ille. Argumentum hoc in uniuersum Alcoranum potest reijci? an habet Mahumetes rationes, quibus tot & tam manifesta mendacia non dico demonstrare possit, sed tueri? Verũ audiamus ipsius acumen dialecticum. Filius deo tribui non potest: neq; enim habet deus uxorem, ut possit procreare. & in hoc argumẽto mirifice sibi placet, tanquã id sit ad quod ne hiscere quidẽ nos possimus, quũ nihil uel ineptius dici queat, uel puerilius. AL. An nõ tibi satis recte uidet dici gignere neminẽ posse nisi q habeat uxorẽ? CH. Quid si sit cælebs, nõ progignet? AL. Etiã, sed nõ sine fœmina. per uxorem autẽ intelligas oportet omnem fœminã: sed honestius uxor dicitur, quũ de deo loquimur.

CH.

CH. O hominem in loquendo educatum, & circumspectum, Mahumetem: atqui tam prudentis educationis obliuiscitur, quũ deum lenonẽ suum facit. Sed ad rem. Quis dedit uiro & fœminæ uim generandi? an nõ deus ipse? AL. Ipse idem. CH. Quod ergo ille dedit alijs, non habet ipse quum uult? Quòd si potest fœmina ex uiro gignere, propter eam uim & facultatem quam à deo accepit, tum uir gignere in fœmina ob eandem ipsam, poterit certe & deus ipse in fœmina gignere quod uolet, sine uiro, & ex uiro, sine fœmina, & sine utroq; quum ei collibitum. nihil ergo necessaria est fœminæ applicatio deo, ut gignat. Nonne sine uiro & fœmina Adamum creauit, & Euam absq; fœmina ex solo uiro, & Christũ (ut uos fatemini) ex sola fœmina citra uirum? Quanquam Mahumeti non esset admodũ contendẽdum, deum carere uxore, qui facit eum corporeum, & homini prorsum similem. Nam si manũ habet & pedes & caput, consequẽs est ut habeat etiã collum & thoracem: & si sedet, habet nates, & crura, & uentrem, & quod est in imo uentre, & usum horum omnium: nec uideri debet deus ab ea uoluptate abhorrere, quam præcipuam in cœlis largiturus est amicis suis, & qui illius simillimi fuerint. Sed Mahumetes homo carneus, nihil prorsum habens mentis, non intellexit rationem gignendi in deo, proportionem conformitatemq; habere cum illius natura & essentia. hoc si in deo non assequebatur, nec crassa illius ac terrena mens eò assurgebat, at ex ijs naturis deprehendisset, inter quas uersamur, si modò animum sustinuisset applicare. sed homini militari, & in gerendo bello occupatissimo, minime ad alia oculos cõuertere uacabat. homo & animãtes quadrupedes ex cõmistione uiri & fœminæ propagant sobolẽ: mures partim ex eadem ipsa, partim ex putrefactione. pisces multi nõ egent mare, ipsi oua intra se concipiũt, unde pisces formæ eiusdem generantur. Muscæ & culices & pulices non habent sexum, apes incognita homini ratione sufficiunt prolem. & deus horũ omniũ est causa & effector. Si ergo unaquæq; natura iuxta facultatem, uim, ingenium sibi à deo attributũ, producit fœtus, an non par erat Mahumetẽ cogitare, deũ si generatus sit, nõ iuxta hominis aut equi aut tauri conditionẽ, sed iuxta diuinã rationẽ summam, ineffabilem, admirandã generaturum? Verùm homo simplex, & ex disciplina illa castrensi modum unicum generãdi nouit, quo ipse utitur sæpe ac multũ, seu tentat uerius, sed parum fœliciter. Gignit ergo deus deum, mens rationem & sapientiam, æternus æternum, & qui ad agendũ adiutorio nullius omnino rei indiget, per se absq; admistione alterius gignit filium illum adeò sibi similem, ut eadem prorsum sit essentia. Additaliud argumentũ nõ minus inuincibile quàm prius. Si deus haberet filiũ, totus mundus esset in periculo. In quo tandem periculo? AL. Ne cupidine regnandi dissideret, & fieret seditio inter angelos & homines. CH. Meritò metuit Mahumetes, ne mundo accidat, quod uidit in exercitu Heraclij accidere. & ipse probè cauit sibi, qui filiũ non habuit, ne ut seditione creuerat, alia inter ipsum & filium seditione dominatũ amitteret. Si talẽ tu facis deum, & eius filium, quales estis tu & Heraclius, metuenda est indubiè seditio. Sed si tu talẽ dei filium statuis, qualem ipsum esse deum omnis rectaratio nos docet, non potest in tanta conformitate uoluntatis existere dissensio: imò uerò non est conformitas, sed una atq; eadem uoluntas, sicut una essentia. nec aliter possunt deus & filius eius dissidere, quàm mens & sua cogitatio. Sed argumentũ hoc, ne nihil putemus Mahumetem audiuisse, ex gentilium fabulis arripuit, quas audiuit fortasse quum adhuc esset idololatra. Iouem cepisse arma ferunt aduersus Saturnum patrem, & eum de cœlo depulisse. & à Saturno exectum patrem Vranum. & Iouem deuitasse, concubitus cum Thetide, quòd in fatis esset fore illius filiũ patre maiorem. Quòd si talem deus haberet filium, qualẽ genuit Saturnus, timebat Mahumetes ne inter se cum ingenti totius uniuersitatis discrimine mouerent bellum, nec ipse homo iustissimus & inusitatæ religionis satis sciret utras partes sequeretur, utri Alcoranũ suum acceptum ferret. Sed Christum tamẽ esse deum, multis Euãgelij & apostolorũ dictis colligit. Nec causa erat cur Christiani deũ esse Christũ affirmassent, nisi ad hoc essent inducti traditione cũ euãgelistarũ atq; apostolorũ, tum Christi ipsi: adde etiã rationib⁹ maximis atq; euidẽtissimis, quarũ nõnullas opere quodã meo attigi. ex eo sumemus illas cùm uoles. Quid enim cõsequãtur cõmodi uiri Christiani, si deũ esse

præ-

prædicassent,quem deũ esse nescirent? primò magnũ fuisset nefas, diuinitatẽ ei attribuere,qui deus non esset.nec se religiosissimos omniũ mortalium tam nefario scelere passi essent alligari, qui uitam libenter amittebant, ne quid uel facerent uel dicerent secꝫ ac deo indignũ.Quid,quòd fauorabilius fuisset ad Iudæos & nationes omnes,nullam distinctionem,nullas personas in deo ponere:sed ueritas pro qua moriebantur,cogebat eos id asseuerare. AL.Christus nusquam se esse deum dixit. CH. Quis hoc ait? AL.Mahumetes.CH.Si proferamus loca ex Euãgelio,dicetis nos illa deprauasse.Erit ergo Mahumetes idem testis,actor,iudex:& quod ille cõtra nos dixerit,absꝫ ulla cõtradictione uerum erit.quæ potest esse maior licentia fingẽdi quicquid libuerit,quàm ubi cõtradictio non sit locum habitura? Quid ais tu, Christus nunquam se affirmauit deum esse? Cedò, istud quomodo examinabitur,si dicis, Satis est me hoc dicere,quid opus est pluribus? Si aliqua restat discutiendi uia,uideamus quęnam sit. Christus iam cõueniri atꝫ interrogari à nobis non potest:eorũ qui illum audierunt, nemo iam olim uiuit:restat unicum refugiũ, memoria antiquitatis cõsignata literis. Ea uerò si non est apud Euãgelistas & apostolos illius,ubi tandẽ erit? unde illam Mahumetes hausit? quo'nam remittit eos qui fidẽ non sint sibi habituri? Sed fac Christũ nunquã dixisse se esse deum,quid erat opus illi prædicatione de semetipso, ubi opera id apertissimè declarabant,quæ nemo edere poterat,nisi esset deus? Itaꝫ si qua est adhuc apud uos fides Euãgelio, quã esse magnã Mahumetes ipse est uobis author, & operibus Christi,& sua ipsius prædicatione deũ illum esse docemini. Dicitis uerbum dei esse Christum,& uerbo dei omnia esse cõdita. Si quis Mahumetẽ ipsum de hoc interrogaret,subtilius nõ magis se ex eo suo dicto posset extricare,quàm ex alijs permultis,quæ ponit absurda & puerilia. Quod uerbum est Christus,utrum corporale,quod prolatũ dissipatur & trãsit:an mentale,quod conceptũ in animo,ibi imprimitur ac manet? Corporale uerbum non potest esse Christus, qui est natura permanens:nec Deo est attribuendũ tale uerbum. Negatis enim uos deum habere filium, quòd nõ habeat uxorẽ.multominus habebit uerbum & spiritum,qui non habet pulmonem,collum,fauces.Quid quòd si corporale est, ex deo & Dei substãtia prodijt. Quid autẽ est in dei substãtia,quod non sit idem deus? An etiã deum cõpingetis ex rebus diuersissimis,atꝫ inter se cõtrarijs,ut hominẽ, uel caprã? Quòd si spiritale est uerbum,& mẽtale,apparet profectò,& semper in mente manere patris,nec aliud esse quàm naturã eandẽ atꝫ essentiã,quæ est pater. AL.Christus est uerbũ dei, quia per uerbum ab eo productus.CH.Acuta interpretatio.Erit ergo sella hęc ascia & dolabra, quia per illa instrumẽta effecta est à fabro.& pictura erit penicillus.Quòd si uerbum dei est Christus,quia per illud genitus,& pisces & arbores & lapides eandem habebunt dignitatẽ.Omnia enim per uerbum domini sunt condita, sicut sacræ literæ testantur. AL.Quomodo poterat esse deus,qui edebat,bibebat,dormiebat? CH.Leue est telum istud,& obtusum. qua parte erat deus,nec edebat,nec bibebat,nec dormiebat, sed qua homo.sicut nec rationabilis est,qua parte edit ac bibit:sed quia corpus id facit, totus homo dicitur id facere, actionibus & qualitatibus à parte ad totum, uel à parte ad partem,uel à toto ad partem loquẽdi more translatis. A L. Non est credibile, tãtum uirum,quo maior in genere humano fuit nullus,cruciatus illos & mortẽ acerbam ꝯ uos dicitis,& ignominiosam uoluisse perferre à Iudęis,hominũ genere deterrimo.CH. Quid de hoc sentit uester Mahumetus? A L. Nihil eũ esse tale p pessum,sed ludificatũ Iudæorũ odium & malitiã,substituisse aliũ loco suo, ipsum uerò in cœlũ se subduxisse:alterũ uerò illũ passum esse omnia illa,quæ uos de Iesu Christo traditis,& Iudęos falsos sęuitiã suã in suppositũ illum exercuisse.CH.Nimirũ Mahumetes,cui omnia erãt posita in corpore & rebus uitæ,huius si labores & ęrũnas tribuisset Christo,quẽ tantopere laudib⁹ euehebat, & si infra meritũ,nõ satis uisus sibi esset cõstare. Nã si illũ,quẽ dei nuntiũ fuisse affirmabat,& quidẽ ex prima & suprema nota exercitum perhibuisset afflictionib.& tormẽtis,admirati fuissẽt alij,cur ipse alios pęquere tur ac interficeret,& nõ potius tolerantiã mansuetudinẽꝫ illius imitaretur & pręstaret.Non uult aliquid esse passum incommodi,quia tam charus & ꝓximus erat Deo.

Cur

Cur ergo prophetis & ſanctis uiris alijs,tametſi non tam Deo propinquis,multa tamen acciderũt aſpera & dura? Quòd ſi nec percuſſus nec occiſus eſt,quia non id talem decebat uirum,tota eius erit uita retexenda, certe nec decebat eum eſurire,nec delaſſari, nec ſitire,nec alia naturæ incõmoda,quæ Euãgelij narratione cõtinentur, non eſſe,non bibere,non uentrẽ aut ueſicam exonerare,non dormire:quæ ſunt omnia non excellentiæ,ſed infirmitatis humanæ. Mortem autẽ illius cur tantopere Mahumetes abominatur,quum illũ dicat in fine ſeculorũ moriturũ: non ut obediat patri,non ut peragat redemptionẽ,non ut adferat ſimul & exemplũ & ſolatiũ,quemadmodum olim:ſed ut poſsit Deus gloriari, ſe tanquam crudelẽ carnificem nihil reliquiſſe uiuum? Quid autem eſt mortis illius ignominia prę gloria & magnitudine reſurrectionis? quid deinceps fuit amplius,præſtabilius,ſacratius morte illa? Age uerò quum homines & Chriſtiani & prophani Chriſtũ illa fuiſſe perpeſſum,& in cruce extinctum ſemper crediderint,quomodo derepente Mahumetus extitit, qui illud uanum eſſe cõmentum affirmaret? AL. Deus illi patefecit. CH. Cur illi tandẽ poſt annos ſexcentos,& non prius? non alicui ex ijs qui ſunt Chriſtum in candidis ueſtibus ſimpliciter in nomine Domini ſecuti,ut ipſe dicit Mahumetes? Quid, quòd Deus quæ agit in nobis,non propter ſe agit,ſed propter nos: ille nihil eorũ indiget, nos indigemus. Quòd ſi Deus Ieſum Chriſtũ tormentis & neci ſubtraxit,nec tamen id fuit cognitum, perinde eſt ac ſi non fuiſſet factum, nec ullus ad nos redijt fructus ex tanto Dei nuntio. Nam ubi ex perſuaſione naſcitur Dei cultus & omnis pietas,nihil refert generis humani,ſit ne aliquid factum,an credatur: imò plus eſt in eo quod creditur.

DE RERVM NATVRA.

IN ijs autem quæ ſunt naturæ rerũ,ita loquitur, ut appareat eum non miſſum à domino naturæ,ſed ad focum à largiore cœna inter puellas ſedentem, fabellas ridiculas narrare. Vetas nos ueſci ſuilla,cedo cauſam? Quoniã(inquit)quum animãtes omnes eſſent in arca Noe,elephantus excreuit,inde natus eſt porcus, qui roſtro repando uertebat ſtercus,unde natus eſt mus,qui ſtupas quibus tabulæ nauis erant cõpactæ arrodebat: hinc terror ingens Noë,à quo Dominus cõſultus,attulit remediũ iam propè deploratis rebus. iuſsit ut Noe feriret leonem in fronte. ex leone cõcitato felis proſilijt per nares,is murem uenatus eſt, & liberauit genus humanũ tanto diſcrimine. non ſunt ergo felis & porcus animantiũ formæ de principio à deo cõditæ,ſed caſu extiterunt,& quidẽ porcus ex ſtercore elephãti. Mirum eſt,eos qui alunt elephantos. non percipere ex illorum ſtercore eã utilitatẽ,nec ullum poſtea porcũ eſſe ſic natum. Vnde aũt tam ſubitę inimicitiæ inter felẽ & murẽ? quid porrò fele erat opus? an non aliæ animantes potuiſſent murẽ interficere,ac etiã deuorare,ut leo ipſe, uel muſtela? nam & caniculũ uidi ipſe Louanij muricipem. De homine prætereo, q̃ in libris Temporum ueſtrorũ ſcribitur,deum cùm uellet Adamum cõdere,collegiſſe pugno ſuo puluerẽ multicolorẽ: unde factum ſit,ut alij homines ſint albi, alij nigri, alij fuſci, alij rufi,alij boni,alij mali,alij acuti,alij tardi & ſegnes. Quæſo an nõ te dixiſſe hæc puderet? Primùm incorporeus eſt deus,nec pugnum habet. Corporum aũt colores ex habitu ſunt cœli cuiuſq; regionis,ut Æthiopes eſſe nigros,& Germanos albos: uel ex infectione atq; intinctu materiæ,qui neque eſt pro cœli habitu,nec pro ſimilitudine gignentiũ. qualitates autẽ animi uel ex corporis ratione,uel ex aſſuefactionis & morum finguntur. Sed ipſe ueſter legislator,quomodo hãc rationẽ explicet, audiamus. Creauit(inquit)deus Adã de limo,limus autẽ erat de ſpuma,ſpuma de procellis,procella de mari,mare de tenebris,tenebræ de luce,lux de uerbo,uerbũ de cogitatione, cogitatio de hyacintho,hyacinthus de præcepto. Aptiſsima ſunt hæc ad riſum mouendum. Hæc uidẽtur citius cõgeſta,ut figura quadã dicãtur,quàm ut quid aut quomodo diceretur expenſum. Limus inquit, de ſpuma erat: imò potius ſpuma eſſe ex limo ſolet. Mare cur dicatur de tenebris,tu uideris: quum aqua ad ea referatur corpora,quæ ſunt pellucida. Terram tu potius dixeris tenebroſam: nã aqua ſplendorẽ facilem & recipit,& tranſmittit. Tenebræ autẽ cur potius ſint de luce,quàm lux de tenebris? quemadmodũ in principio ſacrarũ literarũ dicitur,quòd creauerit deus cœlum

& terram

& terram, terra autem erat uasta atq; incomposita,& tenebræ erãt super faciem profunditatis illius,quam iussit Dominus lucẽ existere. Sed nihil hoc ad rem:neq; enim tenebrę ex luce nascũtur,ut ex sua origine:nec lux ex tenebris,utiq; nõ magis quàm uel bonum ex malo,uel malum ex bono,uel cæcitas ex lumine,aut lumen ex cæcitate. Nisi fortè consecutio uicissitudinis intelligatur. quo pacto nõ minus ex tenebris nascitur lux,quàm ex luce tenebræ:sicut dies ex nocte,& nox ex die. Hic autẽ de origine,& quasi manatione, tanquam ex fonte, aut elementis. Sed quid hæc ad uos,aut uestrum legislatorem? Tu quidem homo ingeniosus,& aliqua luce doctrinæ perfusus,uides uerè hæc à me dici:ille autẽ uester risisset hæc omnia,& classico interpellasset sermonẽ tam odiosum. Cogitatio,inquit, de hyacintho,hyacinthus de præcepto. Dixit ille hæc quidem, uos quærite qualia sint. Sed nec nostra refert inquirere. sint reliquis illius lusibus similia. Audi alia. Ait Iudæus,Quid post hæc operatus est Deus? respondit,Tabulã & calamum. ait,Quam tabulã, & quem calamum? respondit, Tabulam in qua scriptum est,quicquid fuit, est, & erit in cœlo & in terra. Codex est rei familiaris,qualẽ habere solent diligentes patresfamiliâs, ne quid eos fallat. prudẽter facit,frugi est: sed molestũ est tot folia & flores subinde ascribere & expungere. Calamum uerum de luce clarissima. ait,Quæ longitudo calami? respondit,Itineris quingẽtorum annorum,latitudo uerò itineris octoginta annorum. Cui? pediti,an equiti? ueredario,an spaciatorio? parum diligens interrogator erat Abdias Iudæus, & si Mahumeti nõ parum sæpenumero molestus . Sed pergit insanire. Qui calamus octoginta dentes habet, qui nõ cessabunt scribere quicquid fit in mundo, usq; in diẽ iudicij. ait,Et tabulæ unde? respondit,de smaragdo. uerbum eius de margaritis. dorsum eius de pietate. Talia narrant uetulæ pueris,quum uolunt eis somnum inducere. Si talem mẽte cõcepisses Deum, Mahumetes qualis est, quãtum quidem captus est humanæ mẽtis,nihil uidisses huic opus esse tot calamis & pugillaribus. memoria illi æterna atque immensa instar est omnium chartarum,& omniũ calamorũ. Ait Iudæus, Cœlum istud uestrum dic unde creatum est? respondit: Primum de aqua uiridi,secundum de aqua clara, tertiũ de smaragdo, quartum de auro purissimo, quintum de hyacintho, sextum de nebula lucida,septimum de splendore ignis. Ait,Quid super cœlos septẽ? respondit,Mare uiuificũ. ait, Et deinceps quid? respõdit, Mare nebulosum ait,Prosequere per ordinẽ usq; ad summum. respõdit,Procedit desuper mare aërium,desuper mare lapideũ,desuper mare tenebrosum,desuper mare solatij,desuper luna, desuper sol,desuper nomẽ Dei,desuper supplicatio, desuper Gabriel,desuper pergamenum rasinum,desuper mare plenum,desuper 70. interualla lucis,desuper 70. millia interualla uirtutis, desuper septuaginta millia mõtium, desuper mille spatia,in unoquoq; septuaginta millia turbę,in unaquaq; turba quinq; millia angelorum nunquã cessantium laudare Deum, desuper interualla de margaritis , desuper interualla gratiæ,desuper interualla potẽtiæ,desuper interualla deitatis,desuper interualla dispẽsationis, desuper scabellum , desuper solium , desuper domus uniuersitatis. Hæc neq; potest quisquã dicere seiro,nec audire. sicut illud, Vbi sol? respõdit: In fonte calido,fons calidus in colubro,coluber in interuallo, interuallum in mõte Caff. Caff autem in manu angeli tenẽtis mundũ usq; in diẽ iudicij. Iam & illud, Dic deinde quis modus deferẽtium sedem Dei? respondit: Capita eorũ sub sede dei,pedes sub throno. Tãta siquidẽ ceruicis amplitudine sunt,ut si cõtinue uolaret auis,uix mille annis ab una aure perueniret ad aliã. Cornua sunt capiti eorum implicata: quorum prima acies, cuius dimidium nix,dimidium ignis. nõ tamen ignis niuem cõsumit, uel nix ignẽ extinguit. Secunda acies,cuius dimidium tonitruus,dimidiũ fulgur: immista tertia, cuius dimidium unda,nõ tamen uel unda glebã diluit,uel undã ebibit gleba. Quarta,cuius dimidium uẽtus,dimidium imber,incõmota ibi ad inuicem . Quinta,cuius dimidium ferrum,dimidium ignis,inconfusa ad inuicem. Sexta, cuius dimidium aurum , dimidium argentum. Septima,cuius dimidium laus,dimidium gloria. Octaua,de fulgentissimo splendore. Dic quid sub mõte? respondit, Terra. ait,Quod ei nomen? respondit, Vuile. ait, Quid sub ea? respondit,Mare. ait, Quod ei nomẽ? respondit, Alliason.

ait,Et quid infrà,ut omnia per ordinem ediſſeras?reſpõdit,Terra Alioulem,infrà mare Zeyt,infrà terra Heribet,infrà alia terra nomine Agiba,alba ut lac,redolens ut muſcus,mollis ut crocus,lucida ut luna.ſuper hanc cõgrebabit Deus omnes iuſtos. infra hanc mare Albimliam,infrà piſcis nomine Albelibijt,cuius caput in oriente,cauda in occidente,ſupra cuius dorſum terræ & maria,tenebræ, aër & montes uſq; in finem ſeculorum.Infra piſcẽ,uentus piſcẽ ſuſtinens: infrà mons, infrà tonitruus, infrà fulgur,ſub his mare ſanguineũ.Infrà infernus cõfuſus,infrà mare igneũ, infrà opacũ, infrà mare potẽtię,infrà mare nebuloſum,infrà laudes,infrà glorificatio,infrà ſolium, infrà tabula,infrà calamus,infrà maius,nomen Dei.ait,Et quid infrà?reſpõdit,Infinita quærendo proſequeris Abdia.quis ultrà poteſt,præter quod æqualis eſt undique uerſum omnipotẽtia Dei? AL. An nõ ſimilia ſunt permulta in prophetis, & Apocalypſi ueſtra? CH. Sunt quidẽ,ſed diſſimiliter poſita.illi enim uiſiones referebãt,ueſter autẽ deſcriptionẽ naturæ rerũ exponit,illi res ſibi oſtenſas narrabãt: hic uerò naturã, originẽ,ſitum,faciẽ rerũ profert,& quaſi depingit. Iam quas formas, quas uaſtitates atq; enormitates angelorũ oſtendit?monſtra ſunt hæc,nõ angeli. & tñ hæc quæ ſunt abſurdiſsima, & exſomniatæ ſtoliditatis,citius inueniunt fidem apud rudẽ plebeculam,q; ipſa ueritas naturæ.Multitudo enim,ut affectibus ducitur:& mentis principatum parum habet acrem ac uigentẽ,iudicio eſt ad deprehendendã ueritatẽ inualido, & ut de principibus uiris,de ſapientibus,de angelis, de Deo ſentiunt(uti par eſt)magnificè, omnia illorũ exiſtimãt eſſe immodica,inuſitata,immania. ſi quid de illis narres moderatum,& ab humanarum rerum uel forma uel curſu nõ abhorrens, ſordet hoc illis,nec uerum eſſe rentur,tanquã dignitate & maieſtate illorum inferius. ſin ea quæ omnẽ rationẽ modumq; & fidẽ excedãt,quæq; fieri non poſsint,ea demum amplectuntur tanquã opinioni de illis ſuę apta & congruentia,ijs demum amplitudinẽ eorum exiſtimant impleri,illã quam ſibi animo cõfinxerunt:quum eos in illa ipſa uana & fictitia magnitudine anguſtiſsimos ſibi proponãt. neq; enim inde eos contemplantur & cenſent, unde magni ingẽtesq; ſunt;ſed eam ſibi fingunt magnitudinem, quam ſolã norunt uel ex mole corporis, uel ex pecunia, uel ex familia, ex robore & uirib. celeritate,pugnis,uictorijs,regno. AL. Vis tu populum eſſe ſapientem? CH. Vellem equidem, fieri ſi poſſet: ſed certe uos populi præſides, legislatorẽ ipſum & Dei nuntium, uelim. Addit aliud ſui ſimile, q; Deus ſeuocato Adamo tradiderit rerum omnium uocabula,tunc prouocauit angelos ad diſputãdum cum eo. cui cùm pares nõ eſſent,iuſsit eos reuereri atq; adorare illum.q; fecerunt quidẽ omnes, Beelzebub autem renuit, & defecit à Deo. Quàm paucis uerbis,q; multa flagitia? Eſt uidelicet Deo contentio aliqua cum ſuis angelis,aut factio,qui docuit Adamum? Deus ſummus & æternus,an nõ idem angelos edocuit, quorum omnium & author eſt,& parẽs? quid habet homo quod à Deo nõ acceperit? quid angelus quod nõ ab eodem? & hoc utrique libenter agnoſcunt,ac præ ſe ferunt. Naturã uerò angelicã quis ignorat tanto eſſe humana uel dignitate uel ſapientia & cognitione rerum excellentiorẽ, quãto eſt humana quã belluina præſtãtior, idq; etiã Dei munere? Poterat Mahumetes admoneri dicto Pſalmiſtæ,ſi modò pſalmũ ullum unquã legit:Quid eſt homo,q; memor es eius,aut filius hominis, quoniã memor es eius? minuiſti eũ paulò minus ab angelis,gloria & honore coronaſti eum.nec cõueniebat, ut quẽ Deus ipſe excellentiorẽ cõdidiſſet,ſubijceret poſtea naturæ inferiori abſq; ulla cauſa. Sed fortaſſe audierat Paulũ ſcripſiſſe ad Hebræos:Et quum iterum introducit primogenitũ in orbẽ terræ,dicit:Adorent eum omnes angeli eius: exiſtimauit Mahumetes primogenitũ introductũ in orbẽ terræ eſſe Adã:quæ dici ab Apoſtolo de Chriſto, manifeſtius eſt quàm differi debeat. ea enim quæ prȩcedunt,& quę ſequunt,liquidò id docent.Iam illud quàm impiũ,quòd Deus uelut glorioſulus quidã pædagogus & magiſter, inſtruit alumnum ſuum ad certamen,ut inde ad eum honor aliquis redeat.

DE IIS QVIBVS PERSVASIT SECTAM SVAM.

INter eos quorum erat dux,alij erãt idolorum cultores:& quicquid quiuis de uno Deo dixiſſet,ueriſimilius eſſet uiſum & decentius,quàm idololatria, quẽadmodũ in iſtis

in ſtis nouis inſulis,leui oſtenſa ꝓbabilitate tranſit, & quidē populariter, à uano illo cultu ſimulachrorū, ad pietatē unius Dei. Alij erant intincti tantū & imbuti leuiter Chriſtianiſmo,qui ut diſceſſerāt à Romano imperatore,in odium illius nihil fuit illis prōptius,q̄ renuntiare etiā pietati,quā ille tueretur. AL. Quid etiā ſi gerebatur bellū cum homine,decebātne cōtinuò geri cū Deo? CH. Minimè omniū decebat quidē: ſed ita fit ſæpe,cum odiū exacerbatur.ut cùm artē fabrilē in odiū fabri alicuius,aut philoſophiā offenſi philoſopho odimus:quod uſu uidemus quotidie euenire. Tribus Iſraelis cùm defeciſſent à domo Dauidis ad Roboā,paternā itē legē ſpreuerunt, & à cultu Dei unius ad inuocationē dęmonū trāſierunt. Aſizini quoq; in Aſia, cùm pietatē noſtrā & baptiſmū recepiſſent,miſerunt Hieroſolymā legatos ad patriarchā, qui eos de fide exactius inſtitueret.in reditu,cùm legati eſſent ſpoliati & uiolati à Chriſtiano quodā,in eā irā exarſerunt, ut pietati & baptiſmo renuntiarent propter unius Chriſtiani iniuriā. Deniq; eos habuit Mahumetes auditores rudes & craſſos,qui de bello & armis facilius iudicarent,quàm de lege & myſterijs Dei,de ueritate,de ſapiētia,de iuſtitia.Si qui inter eos fuerunt paulò cordatiores, cōmēto perſpecto, à Mahumete diſceſſerunt:quod tradunt illius ætatis ſcriptores. Sed nihil neceſſe habemus uetera citare teſtimonia,hodie quoq; prudētiores inter uos,qui paulū modò legē ueſtrā accuratius expendunt, parum recte de illa ſentiunt: nulliq; ſunt pertinaciores in ſecta, quàm cæci & ſurdi,qui nihil omnino neq; audire uolunt, nec uidere. Nec ſolū tales nactus eſt ille auditores,tam dociles & idoneos ſuis figmētis,ſed in tempora incidit ipſi appoſita,nobis infœliciſſima.Erat ætas illa,& fuit deinceps poſt illum, plena inſcitię,extincta luce omni literarum,Chriſtianorum armis afflictis & implicatis bello grauiſſimo, aut prorſum quieſcentibus & cōſopitis,ut in Hiſpania ex longa pace ac deſuetudine inualuit ille ſine repugnantia ingeniorum & lacertorum.

DE SOCIIS EIVS.

IPſe homo illiteratus prorſum, habuit magiſtros & conſultores Chriſtianos duos, Sergium Arianū, & Ioannē Neſtorianum:quib. poſtea ſuperuenit Iudæus Thalmudiſta,unuſquiſq; horū ubi uidit materiā in Mahumete, plurimos mortalium traducēdi in ſuā opinionē, inſtillauit ei ſuā ſectā:nec aliud quiſq; eorū exiſtimauit Mahumetē traditurum ſuis,quàm q̄ quiſq; admonuiſſet.Sergius pertinaciā Arianā,Ioannes Neſtorianā,Iudæus cōmenta Thalmudica. Ipſe ratus ſe nō ſolum ſocijs gratificaturum,ſed pellecturum facilius ad ſe omnes nationes,omnia eſt cōplexus. Ita ex Iudæo tradidit circunciſionē,ex Chriſtianis frequētes ablutiones,& quaſi baptiſmata,& Chriſtū negauit eſſe Deum,etſi Dei uerbum eſſe fateatur. Et quoniā à Moſe & Chriſto diſcebat,quòd circunciſionem tñ ſtatueret,legē ſuā uocauit legē Abraæ. nō eſt ergo lex cœlitus data Mahumeti,ſed lex Abraæ. Quid ad ipſum q̄modo loquaſ? lex ergo eſt Abraæ propter circunciſionē,ſit itidem lex Moſis,quod à porco abſtinetis:& lex Nazarenorum,quia à uino:& cuiuſcunq; erit pręceptum aliquod,illius nominetur uniuerſa lex.Quid,quòd nec legem obſeruatis circunciſionis, quæ data eſt Abraæ? cui dictum eſt,ut octauo die amputaretur præputium pueri. AL. Nos circuncidimus anno 14. quoniā ea ætate circunciſus eſt pater noſter Iſmael. CH. Quàm ſtulte hoc,ut cætera.Lex de octauo die ſancita eſt: Iſmael autem nō potuit circuncidi octauo die,quoniā quatuordecim erat annorum,cùm pręceptum à Deo datum eſt patri eius Abraæ,ſi fuiſſet octo dierū,tunc eſſet circunciſus.quoniā uerò lex deprehendit eum anno 14. ea ætate circunciſus eſt,ſine derogatione legis.nec enim factum illius tollebat uim legis:citius dubitari poterat,an ipſe eſſet legitime circūciſus, quàm ut eius anno decimoquarto circunciſio infirmaret legē, quæ diſertis uerbis de octauo die iubebat.Sed Mahumetes ueſter,qui legem ferebat ijs qui nihil eſſent inquiſituri,nihil in contrarium audituri,ſecurus de iſtis omnibus loquebatur.

DE LEGIBVS ET VITA SARRACENORVM.

IAm inſpiciamus,ſi lubet,quas leges dixit ſibi datas et quidem à Deo ipſo ſummo, potentiſſimo,iuſtiſſimo, beneficentiſſimo ac benigniſsimo, quas uniuerſo generi humano ſanctas & perpetuas eſſe uellet? Ipſe uerò eas tulit, quibus maxime gratifi-

caretur desiderijs eorum apud quos captabat principatũ, nẽpe Arabũ, Hominib. egenis, & rapto uiuere assuetis, rapinas permisit, & ultionẽ etiã lege sanxit. Inferentẽ, inquit, uobis iniurias & molestias, cõsimilib. malis afficite. Atqui nõ solùm sacra & mãsueta pietas, sed philosophi ipsi gentium docẽt, melius esse ac sanctius lædi quàm lædere, iniuriã accipere quã facere. qualis author pacis & cõcordiæ, quàm Dei similis? quo nihil fieri potest clementius. Quãdo ergo finis retaliandi, aut inimicitiarũ & uindictæ modus, si cuiq; permittitur, ut dolorẽ suum ulciscatur, quẽ unusquisq; sem per maximum grauissimumq; esse iudicat: quo fit, ut iudex esse illius æquus nõ possit ad reponendã iniuriã. Multas uxores permisit, moræ Africæ totius peruetere: & diuortium leui de causa, & reditionẽ in domum perfacilem. De uxoribus leges ciuiles quod est ipsis uisum statuerunt. Romulus Romæ uoluit, uiro licere omnia, mulieri nihil: Germani uxores suas habent pro ancillis. Dei uerò nuntiũ nõ decebat spectare quid maiorum cõsuetudine, quid legib. tãta in re esset receptũ, sed quid decorum ac pium postularet, quid uniuerso humano generi cõueniret: quoniã quidem leges uniuersis ferebat Dei nomine, cui uir & fœmina pares sunt: utriusq; iustitia est ei ex æquo grata, & ingrata iniquitas, qui deus est pacis. AL. An non tibi scitè ac prudenter cautum uidetur illud de uxoribus, primùm ut plures sint uni uiro? unus enim multas potest implere, q; fructuosius est quàm perire semen. Tum, si qua sit parum morigera, aut cõmoda in cõuictu, nõ retinetur inuita ab inuito, sed lege diuortij pellitur domo. Iam si illa ad meliorem se frugẽ postea recepit, aut impetu animi eiecta est à uiro, patet ad reconciliationem uia. quid potest dici aptius? CH. Nihil quidem in caupona, non tñ domi, atq; in re familiari. AL. Ede ergo causas, quibus tam cõmodã institutionem nõ probas. CH. Faciã equidem lubens ut cętera, & meminero me nõ cum sue aliquo, hoc est homine usus omnis & doctrinæ experte loqui, sed cum eo qui iudicio est præditus, nec rerum usu omnino ęaret. Tu qui initio sermonis huius tam scienter hominem exponebas, ignorare nõ potes, homini esse appetitus quosdã qua parte est animal, alios uerò qua est homo, & animales illos longè esse humanis inferiores ac debiliores, inter quos est appetitus sobolis procreandę. de quo sapienter dixit quidã è gentilibus, interrogatus quando esset coeundum: Quum uoles (inquit) fieri te inferior. & in hoc quidem appetitu uel delectatio tantum spectatur, uel ipse finis, qui est propagatio generis. Delectationi, utpote belluinæ, nullus est modus, nec ratio. huic non solùm quatuor aut quinq; aut decem nõ suffecerint, sed ne mille quidem, aut decem millia. Ex humanis expetitionibus est societas cõuictus, ad beneuolentiã & opem mutuã. in quo genere primum locum obtinet cõiugium, sicut à Mose scriptum est in Genesi, dixisse Dominum, non conuenire Adamum solum agere, quærendam illi coadiuuã ipsi similem. Tam appetitus hic uitæ cõmunionis, quàm ille alter propagandi generis, ostendit manifestò, uni uiro unã fœminã cõnubio debere iungi, & uni fœminæ uirum unum. Primùm forma ipsa cõiunctionis ad procreandum, admonet duos tantùm esse, nec tertium aut quartum posse interuenire. Quòd si ita uisum esset regi uniuersitatis, ut uiris singulis quaternæ aut quinæ & denæ & uicenæ associarentur fœminæ, eam in natura legem tulisset, ut longè fœminarum maior esset quàm uirorum prouentus, & numerus fœminarum summã uirorum sescuplo atq; etiã decuplo excederet, quod nõ uidemus euenire. Societas autem tum beneuolentiæ, tum auxilij & ministerij mutui, ueriſſima ac certissima est duorum: maximasq; & fidissimas amicitias inter duos semper cõsistere & audiuimus, & usus uitæ nos docuit. Atqui legislator uester etiã quieti domus uoluit prospicere. Tot (inquit) habebitis uxores, quot poteritis alere, ac tueri facultatibus, & manu regere ac coercere. Cõcordiã uidelicet sancit in domo, sine qua uita omnis & publica et priuata miserrima est. Sed quæ potest esse intra eos parietes concordia, in quibus sit inuidia & zelus, & inde rixæ perpetuæ? Duorum inter se amor optimus & trãquillissimus est, duorum autem, aut plurium ad unum, æmulatione nõ caret. Et in amicitia plurium unusquisq; unum quenq;, uel quisq; alios omnes respicit, & eorum singulos nõ omnes unum, tanquã dominum famuli, sed quasi in rep. cõmunione quadã iuris & uitę usus.

uſus.duos uerò aut tres ad unum ſpectare,ea uerò nõ amicitia eſt æqualis,ſed riualitas aut dominiũ alicuius in multos:unde inuidentia ſolet exiſtere,& ſimultates,cùm quod euenire eſt neceſſe,uel fauor à multis expetitus, uel certè fauoris ſignum magis unã aliquã in partẽ inclinat.Mulier in quã maritus uidetur animo propẽſior,tanquã uictrix aliarum,inſoleſcit atq; inſultat eis,nec habet pro ſocijs,ſed pro ancillis.ea uerò cui non tam fauetur,inuidet alteri,etiã ſi æqualiter omnibus bene uelit uir,omnes tueatur,curet,omnibus benefaciat,quod eſt tamen factu perdifficile,non poteſt tamen id perſuaderi illis.Non ſolùm uxores,ſed nec famuli qui agunt ſub eodem domino,nec filij ſub eodem patre,ut maxime tractentur æqualiter,non tamen ſe æqualiter tractari credunt:ut eſt quiſq; in ſeipſum q̃ in alterum propẽſior.hinc odium inter ipſas,& rabies,quæ in caput quoq; mariti ipſius redundat.nec rem familiarẽ,nec liberos curabit mulier œſtro illo zeli percita,quaſiq; furijs & intẽperijs agitata,nec priuignos uolet nouerca alere aut educare,ſed illis quãtum poterit incõmodabit:atq; eo magis uiuente matre,qu ãhabebit nõ pro ſocia,ſed pro pellice. Quòd ſi exẽplum & tanquã naturalẽ conſtitutionẽ quærimus,in exordio generis humani,uni uiro unam fœminã dominus applicauit,Euam Adæ,quem morẽ deinceps inſecutæ gentes omnes ſeruauerunt,præter Afros.Et de Eua dixit Adam:Ecce nunc os ex oſſib.meis,& cáro de carne mea:hæc uocabitur uirago,quia de uiro ſumpta eſt,propter hoc relinquet homo patrẽ & matrem,& adhærebit uxori ſuæ,& erunt duo in carne una. Quę ſo animaduertas in hiſce uerbis,quæ ſunt ueluti lex cõiugiorum in orbis primordio lata,nõ habetur,tres aut quatuor fore in carne una,ſed duos tantùm:& ſicut Adę una data Eua,ita Noe,et ijs qui arcam illam ſunt ingreſſi ad reparationẽ humani generis ſingulis ſingulę ſunt uxores attributę,ut in Gen.Moſis legitur.AL. Quid olim patres Abraã,Iacob,Dauid,Salomõ,& alij,hos an non habuiſſe plures legimus?CH.Habuerunt ex eis nõnulli parum ſanctè,ut Salomon,qui ad exẽplum uocandi nõ ſunt,quoniam eorum factum improbatur:de alijs quorum ſanctitas ſpectata,credimus nihil egiſſe intẽperanter,ſed ſine aliquo præſtantiore quàm humano.Abraã promiſſæ ſtirpi ſeruiebat:Iacob multiplicatiõi electæ gẽtis:Dauid ut familia eſſet illa quàm numeroſiſs.quæ & ad regnum gentis eſſet delecta,& ad Meſſię generationem.AL. Quid diuortium?an ne in officio cõtinet fœminas?CH.Id uerò non minores adfert & rei familiari clades,& uitę trãquillitati,quàm uxorum multitudo. Vxor nõ eſt ſeruitij nomẽ, ſed ſocietatis & amoris.Diuortiũ efficit,ut uir ſeruilẽ in modũ uxore abutatur,minitãs ſubinde quod minari ſolemus famulo,ſe illã domo exacturũ. q amor poteſt coaleſcere inter eum qui ità deſpicit,& quæ ita deſpicitur? quòd ſi non cõtemnat,ſuſpicax eſt genus fœminarum,omnia in triſtiorẽ partẽ deflectit. Olim dixit quidã de gẽtibus:Ama,ut oſurus. q à ſapientibus alijs uehementer eſt reprehenſum,tolli enim aiebãt eo dicto beneuolentiã,omnemq; uſum & ſocietatẽ è uita.nam quẽ tandẽ diligã bona fide,ſi cogitem poſſe illum mihi fieri inimicum? Ita eſt in diuortio cõnubij, quem uerè & ex animo amabit maritũ uxor,ſi illud reputet ſecum, poſſe ſe rixula aliqua,aut mariti animo perturbato pelli è penatibus,nec amplius illum maritũ ſibi futurum?Sed neq; rem ipſam familiarem tanquã ſuã tuebitur, nec liberos ut ſuos educabit,quæ omnia relinquenda ſint illi,ſimul primùm marito collibuerit.Iam quot eijcerentur immeritæ, uiris aut à ſua libidine, aut à praua aliqua animi perturbatione cõcitatis & impulſis? Nec ſolũ hæc quæ ſunt in re familiari ac uniuerſo uitæ uſu ex repudio cõmoda.ſed ipſa cõiugij apud omnes gentes ratio omnẽ aduerſus diuortiũ aditum uidetur præſepire.Primùm cõſenſione uoluntatũ, qua efficitur peculiariter in cõnubio q futurũ Adã prædixit,ut ſint duo in carne una,hoc eſt in homine uno, iuxta morẽ loquendi Hebræũ.Sequitur q uidemus omnes,cõplexus maritalis, qui penè ob oculos repræſentat unitatem illã hominis,tum cõmunio rerũ ac fortunarũ uitæ uniuerſæ.poſtremò pignora liberorũ: quæ ita rurſum cõiungunt & cõglutinãt parentes,ut nullo prorſum modo patiãtur diuelli.quomodo enim diſcindentur filij, ſi parentes diſiungantur?AL.Patrẽ ſequitur ſoboles.CH.Etiam iure ciuili, ſed nõ iure naturę,nõ æquitate ipſa & iuſtitia,ex duobus pariter genitus eſt infans,duorũ eſt pariter.AL.At multa paria non ſunt apte ad gignendũ cõpoſita.CH. Non ſpectant leges

paucitatē,ſed uniuerſitatē.& quemadmodū prudens quidā dixit, nulla lex ſatis commoda omnib.eſt. Nec matrimoniū pro meta ſua & tanquā albo præſtituit ſibi generationē,ſed uitæ amicā atq; indiſſolubilē ſocietatē. de qua dictū eſt à Deo: Nō eſt bonum ſolū agere Adam,faciamus ipſi ſocium ipſi ſimile. AL. At fructuoſius eſt nō perire ſemen illud. CH. Habes tu domi equum uectorē, & equum admiſſarium, admiſſarium cupis eſſe q; fœcundiſſimum. quid,de uectore ésne adeò ſollicitus? AL. Nō perinde. CH. Quod in hoc curas potiſſimū? AL. Vt ſit ad uehendum maxime idoneus. CH. Quid ut progeneret? AL. Si id cōtingat,nō ægrè ferā. CH. Sed non ea erit tua cura. AL. Imò interdum,atq; adeò plerunq; à generando arcebo illum,ut melius me uehat. CH. Quid in uiro? quid ſpectabis,quid curabis? utrū ut quàm plurimas fœminas impleat an ut ſit prudens,moderatus,ſapiens,doctus,pius? AL. Hæc nimirum quæ ſunt hominis propria. CH. Si gignat liberos,non aſpernaberis:ſi nō gignet,feres facilè.imò ut de equo dicebas,à danda liberis opera ſæpe abduces, ut melius hominis munerib.fungatur. Nam probitatē,modeſtiā,pudorē,pudicitiā,deniq; uirtutē omnē frangi ac debilitari neceſſe eſt in tā profuſa libidine,nec de pietate & ſanctimonia & ulla re ſumma atq; excelſa cogitare poteſt is, cui tantus uxorū & ancillarum numerus ſit & curandus,& quod obſcœniſſimum eſt,implendus. Sed uide quæſo quantum ad multiplicationē generis attinet,quàm eſtis in hac uxorum multitudine decepti. frequentiores ſunt eę regiones,in quib. cōiugia ſunt duorum,quàm ueſtrę:ut Europa,quàm Africa uel Aſia.atq; adeò Aſia ipſa,quæ nunc eſt Turcia,minus eſt urbibus & cultoribus celebris poſteaquā ſenas & ſeptenas uxores quiſq; accipit,quàm olim quū ſingulis erant cōtenti. AL. At multorum cōiugia uidemus male cohærere ob diuerſitatē ingeniorū & morū,nō uis illi ſuccurri ſeparatione,nullū relinquis remedium? CH. Legislator noſter Chriſtus uult ſuos modeſtiæ ac moderationi aſſueſcere, tum magnitudini animi,qua facile ſi quid moleſtiæ incidat in uitā,deuorent,ac trāſmittāt.non ſinit eos eſſe querulos et moroſos,quiq; paſſim inueniāt ſpinas quib.pungātur,& lapides in quos impingant. inſtruit eos mutua beneuolentia, quæ eſt magnanima & patientiſſima,nec ſentit quaslibet offenſiones.iſtis tolerabile fit ac leue, quod alijs uidetur grauiſſimum. Iubet nos Deus noſter eſſe mites, & inuicem offenſas facile cōdonare,& ad parua errata cōniuere.tum quæ uidētur eſſe grauia, facere nobis leuia charitate uel hominis, uel certe Dei. Non ergo aſſuefacit nos ad leuiſſimam quanq; offenſiunculam reſilire,& nodum beneuolentiæ reſcindere, quod facit ueſter: ſed ferre,& animum incommodis illis aſſuefacere, quæ ferēdo multum indies amittunt de odio atque aſperitate ſua,& merces laboris magna eſt,remunerante Deo. AL. Quid ſi ea ſit diſcordia & diſſenſio uoluntatum inter coniuges,ut animi tranquillitas perturbetur penitus,& pietas detrimentum accipiat? CH. Rebus tam afflictis remedium eſt ab Eccleſia paratū politicis cōſtitutionibus. At de ueſtra reconciliatione, quum coniuges diſſociati decreuerunt in gratiam redire, nolo quicquā loqui,ne pudeſias, quid enim potuit cogitari ſpurcius? te quidem puderet:illum,ut qui ageret inter belluas,reſpectumq; exuiſſet Dei atq; hominum, nihil pudebat. Tranſeamus ad ieiunium,quod ueſter legislator quum ſtatuit, aperte oſtendit ſe, ut nec relíqua omnia, ſic neque ieiunium ſcire quid eſſet,aut in quem finem paratum. Quæſo,quid eſt ieiunium? AL. Abſtinentia à cibo. CH. Nihil reſpōderi potuit ſimplicius,aut naturalius. ſed hanc ſtato tempore à cibis abſtinentiā,quo fine indixit Deus hominibus? an ut medicus,quia utile eſt nō niſi hac aut illa hora ueſci:an ut magiſter animorum, quia expedit bonę menti hoc aut illo tempore nihil ſumere? AL. Iſtud crediderim potius. CH. Alimentū autē qua parte officit menti? an qua alit & uegetat corpus? AL. Minimè uerò hac:imò & mentē ipſam exhilarat,ac fulcit. CH. Qua ergo ratione? AL. Qua uel immodicę ac redundās,uel qualitate ſua corpus afficiēs,mentē obtundit ac pturbat,ne poſſit de Deo,de cultu eius,de pietate & uirtute omni cogitare. CH. Erit ergo ieiuniū animis noſtris cōducēs,ab ijs ſe incōmodis homines abſtinere. AL. Nimirū. CH. Et hoc indicere, nuntio & ,ppheta Dei eſt dignū. q̄modo ergo legislaror ueſter ad crapulā uos & ingluuiē quaſi adhortat & inſtruit? Primū iubet cibis abſtinere uſq; ad ſerum, ueſpere autē quaſi detractis frenis & ſublatis repagulis emittit edēdi auidos ad prę-

ſepe

sepe belluinũ. Edite (inquit) & bibite usq; ad aurorã. quid potest dici immoderatius, aut magis pecuinum, quàm stratos mensis accumbere à sole occidẽte ad orientem? hæc non est ieiunij lex, sed saginæ magisteriũ & officina. AL. Quid inter uos nõ fiunt similia? CH. Fiunt quidem plura quàm cõueniret. Sed nos hic nõ quærimus quid nostri faciant, aut uestri, sed quid legislator iusserit. nam q; nostri homines legi non obtemperant, culpa est eorũ, non legis. Quòd uerò facitis uos, ex præscripto legis facitis, ut culpa iam legis sit, seu legislatoris potius, nõ uestra, nisi quòd malæ ac impuræ legi paretis, sine ulla mente. At ebrietatẽ uitat, uinũ detrahit suis, cuius causam produnt quidã, quòd ipse aliquãdo uino madẽs ea designarit facinora, quorũ postea per uitã uniuersam pœnituerit. Sed addit more suo fabellam sanè quàm lepidam. Ait Abdias Iudæus: Quum in paradiso uinum esse describas, quid operis ibi habet, si uinum illicitũ est? Si autẽ licitũ, cur in hoc seculo prohibes uinũ? respõdit: Tam argute quæris, ut una interrogatione geminã necessariò responsionẽ extorqueas. Vtrunq; ergo exponam, & illic esse licitũ, & hic illicitũ. Erant enim angeli dei duo. Horroth & Maroth, missi olim à deo de cœlis in terrã, gubernãdo & instruendo generi humano tributi, his interdictis, ne occiderent, aut iniustè iudicarent, nec uinum biberent. Multo itaq; tẽpore sic habiti, cùm noti essent iudices uniuerso orbe, uenit ad eos quadã die mulier præ cunctis fœminis omnimode pulcherrima, causam habens aduersus marítum. quæ ut causę suę accõmodaret iudices, quadam die inuitauit eos ad prandium: quib. epulantib. ipsa epulas & pocula uini apponit, astat ministrans, offert crebrò, instat ut sumant. quid plura? Vicerũt blanditiæ mulieris. Inebriati poculis in hospitam formosam incaluerunt, uicti accubitum petierunt. Spõdet cõditione, dũmodo alter uerbum doceat per quod ascẽdebant in cœlum, alter uerbũ per quod descendebãt. placet cõditio. cùm ergo didicisset, eleuata est subitò, & ascendit in cœlos. q; cùm uidisset deus, explorata causa, posuit eam Luciferũ, ita pulcherrimã inter stellas, ut fuerat inter mulieres. Illis in iudicium euocatis, ꝓposuit eis deus, ut eligerent inter pœnas seculi huius, & alterius. elegerunt hanc. Suspensi sunt ergo, per catenas ferreas, demissis capitib. in puteo Behil, usq; in diem iudicij. Quid ergo Abdia, nónne sufficiens uidetur causa, cur in paradiso licitũ sit uinũ, & hic illicitum? ait, Vera satis, & meritò. Sic ille. Quid primũ aut potissimũ ex tã multis flagitijs ac insanijs reprehendã? defessus sum seriò refutandis ijs quæ per ludicrum dicta uideri possunt. Quis emi nõ existimet hæc fabellas esse ad trahẽdum tẽpus & risum mouẽdum cõficta? Angelos dicit regendo humano generi præfectos: & ut sciatis illum rẽ certã & exploratã adferre, etiam addit nomina. quis unquam hæc scripsit, quis dixit, quando auditum aut lectum? res tanta quomodo potuit obliuionis tenebris tam diu obrui, & deleri nomina prætorum generis humani: cùm hominum regum, imperatorum, consulum, prætorum unius cuiuspiam ciuitatis omnium nomina memoriæ sunt mandata? Iam uerò edunt angeli, & bibunt, & quidem re uenerea utuntur: agunt ergo hæc eadem in cœlis? Quòd si illic non agunt, nec possunt agere, quę conditio mutauit eos, ut hic agerent quod esset contra illorum habitum naturalem? nescio quid Mahumetes responderet, qui ait nullum oblectamenti genus in cœlo defuturum. Habẽt ergo & illi suas dapes, & sua conuiuia, & suos concubitus, & alij sunt uiri, alij fœminæ & uirgines: nisi fortè ad nostras fœminas ueniunt, & eam iniuriam faciunt uiris hominibus. Apage impiam obscœnitatem, quam nec Mahumetes quidem posuisset, cùm nihil omitteret, quodcunq; somniasset. Sed quid sequitur? Capti sunt uino, & exarserunt: uinum ergo prohibendum. quid potest fingi acutius? etiam capti sunt forma mulieris: uetãda igitur. Placet ne usu omni interdicere eius rei, quęcunq; aliquo modo potest lædere? Nihil relinquetur: panis, lac, caseus, carnes, fructus, aqua, omnia possunt nocere, & nocent sumentibus modo ac tempore quo non expedit. Vinum modicum utile est, immodicum lædit, ut panis, ut alia omnia. quid maiora attulit damna hominibus quàm aurum in causa, & ferrum in effectu? cur aurum expetis, & ferro uteris? Sed quid opus est in loco immorari adeò noto omnibus? quis ignorat, non protinus rem aliquam damnari debere ac tolli, quòd eius usus possit esse noxius? rectus usus demonstrandus est, non res auferenda. Quòd si uino interdicis,

quòd angeli inebriati sunt, cur non etiam mulieribus interdicis, & maiore de causa, quia propter mulierem id contigit? Sed Mahumetes mulierosus erat, non uinosus: & ipsi & Arabibus leuius fuisset à uino abstinere, quàm à mulieribus. Et factũ hoc cùm ante Mosen contigisse fingatur, cur non uetuit Moses uinum in lege, cur non Christus in Euangelio? Ebrietatem utercp prohibuit, uinum reliquit ad multa non solùm utili, sed nonnunquam etiam necessarium. Quale autem illud, quòd certis prolatis uerbis putat angelos inter cœlum & terram ultro & citro commeare, quasi non ui naturæ suæ ascendant & descendant, sed carmine aliquo tanquam incantatiuncula: & Deus tam inscius est eorum quæ geruntur in mundo, ut illi inopinanti obtulerit se in cœlo mulier derepente.

DE DIE IVDICII.

EX narrationib. praue & auditis & intellectis, collegit diem iudicij, quo nihil inculcat crebrius. facit hoc enim ad incutiendam animis religionem. de hac audiamus fabellam, more solito. Ait Iudæus, diem iudicij oro planè describas. respõdit: De illo mãdabit deus angelo mortis, ut omnẽ creaturã spiritum habentẽ interimat, tam angelos omnes quàm omnes diabolos, omnescp homines, oues, pisces, belluas & pecora. sic enim ait in Alcorano: Omnia mortua præter deum. Post hæc uocabit angelum mortis, dicens: O Adriel, est ne quid superstes ex omni creatura mea? dicet, Nihil domine mi, præter me seruum tuum imbecillẽ. Tunc dicet ei: Quoniam omnem creaturam meam occidisti, abi hinc inter paradisum & infernum, & postremò occide teipsum, & mouere. Abibit infœlix, atcp in præscripto interuallo proiectus humi, alis suis inuolutus suffocabit seipsum cum tanto mugitu, quo & cœlestes spiritus, & terrena animalia si uiuerẽt exanimaret. stabitcp totus mũdus uacuus per 40. annos. Post hæc cœlum & terrã pugno cõtinens dicet deus, ubi nunc reges, principes, & potentes seculi huius? cuius est regnũ, imperium, & rerũ potẽtia? dicite, si ueridici estis. & his uerbis ter repetitis, Seraphuelem suscitabit, dicetcp ei: Accipe tubã hanc, & descende in Hierusalẽ, & clange. Tunc Seraphuel accepta tuba, cuius lõgitudo itineris 50. annorum, stans in Hierusalem insufflabit tubã, & efflabit ex intus omnes animas iustas, quæ euolantes in omnẽ terrã, quæcp ad corpora sua ubicunc sint dispergentur, atcp ad primum hunc sonitum omnia ossa cõgregabuntur. Transactis 40. annis iterum sonabit, ad quem sonitũ ossa carnem assument. atcp inde post 40. annos, cùm tertiò sonuerit, omnes animę suo corpore induentur. Sic facto, ignis ab occidẽte succensus omnes creaturas Hierosolymã agitabit. quò cùm omnes peruenerint, cessabit. hic ergo cùm per 40. annos in sudore suo natauerint, expectãtes iudiciũ, tot tandem miserijs affecti, appellabunt Adam, dicẽtes: Pater Adã, ad quid nos genuisti huiusmodi tormentis atcp miserijs? Ita'ne pater filios sub incerto inter spem & metũ fluctuare pateris? Planè interpella deum, ut planè finiat de nobis, quicquid inter paradisum & infernum facturus est. Respondebit Adã: O filij, scitis quòd suadente diabolo, dei præcepto inobediẽs fui, idcirco ite ad Noe. Cõuersi ad Noe dicẽt: Intercede pro nobis electe dei pater Noe, respõdebit, Feci quod potui, saluaui uos in diluuio, hic mihi nihil supersest officij, sed ite ad Abraam. Appellabunt ergo Abraam, dicentes: Pater fidei & sanctitatis Abraam, respice nos miseros, & miserere. Quibus Abraã. Quid me petitis? Non recolitis, quòd diu uagabundus idololatra, incircunc isus errauerim? Non sufficio, sed appellate Mosen. Appellabunt Mosen, dicẽtes: Di lecte dei nuntie & propheta, famule dei audi nos respondebit. Quẽ appellatis? Nón ne uobis legem dedi, miraculis confirmaui, nec tamen credidistis? Si mihi credidisse tis, facerem quod postulatis, sed ite ad Iesum Christum. Conuersi ad Christũ dicent: Iesu Christe, spiritus, uerbũ & uirtus dei, moueat te pietas tua, & intercede pro nobis. Tũc dicet eis: Quod à me petitis, ipsi amisistis. Missus quidẽ uobis fui in uirtute dei & uerbo ueritatis, & aberrastis, & me pluscp ego prędicauerim uobis, deum uestrum feciſtis, hic itacp beneficium meum amisistis. Sed ite ad ultimum prophetarum, hunc significãs cum quo loqueris, ô Abdia. Ad quẽ cõuersi dicent: O nuntie fidelis & amice dei, quàm malè quidẽ peccauimus, & ideo cp tibi nõ credidimus, exaudi nos pie ꝓpheta, spes una superstes, nã post te nõ est in quo sperabimus, exaudi nos potentia

tibi

tibi à deo collata. Aderit itaq; Gabriel, nec impotentẽ sinet amicum suum: procedẽt
ocij, ante faciem Dei, dicetq; eis deus: Scio ad quid uenitis. Absit itaq;, ut fidelis nun
tij mei uotum in aliquo cassem. Hic ergo põte facto super infernũ aderit statera, qua
libratis uniuscuiusq; factis ambulabunt super pontem. Sancti ergo transibunt, damnati in infernum decident. Attingamus breuiter nõnulla. Mãdabit deus angelo mortis, ut omnem creaturam spiritũ habentẽ interimat, quid opus est morte animarũ & angelorum, qui immortales sunt conditi? Sed audierat Paulũ dicere, morituros omnes, idcirco & angelos, & ea quę sunt à deo condita immortalia, morte una inuoluit. quemadmodũ quòd de tuba Paulus fecisset mentionem, tubam dedit angelo immanem, qualem horreant facilè imperiti, docti derideant. & facit angelum mortis, ut habeat deus suum carnificem, quemadmodum prætores nostri. Quid opus est angelo mortis, cùm nullus sit angelus procreationis? & maiore de causa deberet esse generationis, quàm interitus. Naturæ legib. nascitur quicq;, adolescit, senescit, interit, nõ admiscetur angelorum ministerium, nisi si quid à deo fit priuatim extra naturę cursum. & hoc de angelo mortis & Mose, est narratiuncula aptissima ad terrendum puerulum aliquem proteruum. Moses (inquit) cùm solus per desertum uagaretur, fortè sepulchrum inuenit apertum & uacuum, rectè ad quantitatẽ suam effossum, quod admirãs cœpit ad propriã staturam metiri. Interea angelus mortis uenit ad interficiendum Mosen, quẽ cùm cognouisset Moses, quæsiuit, Ad quid uenisti? respondit, Missus sum pro anima tua. cui Moses, Quomodo ergo putas eã eripere? per os enim nõ poteris, quo locutus sum cum Deo: neq; per aures, quib. uocem dei audiui: neq; per oculos, quibus faciem dei uidi: neq; per manus, quib. donum dei recepi: neq; per pedes, quibus montem Sinai ascendi. habes iustas causas, ob quas per membra illa non posset mors irrumpere. Sed si miser Moses odorem aliquem præstantẽ & ex illis diuinis esset odoratus, non habuisset mors qua in illũ penetrasset. His ergo auditis, abijt angelus domini: formaq; mutata, attulit pomum de paradiso. quod cùm olfaciendo porrigeret, recepit Moses, quumq; naribꝫ apponeret, arripuit eum angelus tanq; bubalum per nares, per quas tanquã emungens animam eius extorsit. sic mãsit corpus eius in sepulchro nunquam reperto. Sed mirandum est odorẽ sacri suffitus in sacrificijs non illi esse opitulatum, nec odorem fumi resilientis ab igne, in quo Dominus descenderat in Sina. Quòd si ille quib. partib. cum deo esset uersatus, mortẽ non poterat recipere: quomodo mortuus est Mahumetus, qui uidit, audiuit, allocutus est dominum, & quidem tetigit eum dominus? qui tactus, non morbum debuit illi importare, ut uos dicitis, & cerebri debilitatẽ, quod est deo indignum: sed q; uita & salute omniũ fas est credi, salutẽ atq; immortalitatem. Sed ad iudicium reuertamur, & interitum rerũ cunctarũ. Et tanq; ingenti edito facinore, inducit gloriantẽ deum, Vbi sunt reges & principes & potentes seculi huius, quasi prius fuissent, & exuti corporibus adhuc in regno & principatu perseuerẽt. aut quasi nõ plus sit illa omnia cõdere & cõseruare, quã interimere. quòd si tantum est facinus abolere, etiã ad angelũ mortis aliqua pars gloriationis pertinebit, uelut ministrum tãti operis. Quid uerò necesse erat deo iactabunda illa exprobratione uti, quasi sit aliquis qui nesciat, id deũ posse facere quoties uelit? Sed nimirum Mahumetes, q; ipse in prelio fecisset, existimauit facturum deum, & bellum semper somniabat, in quo pulchrum & decorũ habetur interfecisse quàm plurimos. Quàm uerò egregia ratio reparãdi animas, & deo digna, exsufflari eas ab angelo tanquam plumas per tubam? Qui nam uerò sunt isti qui expetunt iam tandem diem iudicij? non uidentur esse boni, sed mali, nam ita respondetur eis à Mose & Christo tanquam malis, & qui adduci ad credendum nequiuerunt. quomodo ergo rigorem sententiæ isti expetent, quib. satius esset in suo sudore natare? Sed Moses & Christus non exaudirentur pro incredulis, exauditus est Mahumetes tanq; uir melior, quem imparem Mosi & Christo bonitate & coniunctione cum Deo neque uos negatis. Cæterum cur Moses & Christus denegant suam operam? utrum propter suam indignitatem, an propter duritiem cordium aliorum? AL. Propter hanc ipsam duritiem. CHR. Quid? etiam Mahumeti defuerunt, qui fidem non haberent, quòd si incredulitas & prauitas aliorum Mosen & Christum quasi cõfrin-

gebant,

gebant, ne Deum interpellarent, quid causæ quin etiam Mahumetem? Sed nimirum non apud deum uolebat esse Mahumetes fauorabilior quàm Christus, sed apud suos exercitus quàm Heraclius. Surgent omnes in statura Adæ, in forma Iesu Christi, inquit. Audierat Paulū dicere de plenitudine ætatis Christi, addidit ipse de suo similitudinē Adæ. Sed quomodo istuc? nam ipse narrat discipulos rogasse Christum, ut narraret sibi de arca. etenim ait: Nam Iesus Christus dum rogaretur à discipulis, ut modum arcæ Noë habitumq; superstitis in ea generis humani exponeret, rogantes audiens formulam ex luto inter manus suas confectam proiecit humi, & ait: Surge in nomine patris mei, & surrexit homo canus. Cui Christus, Tu quis es? respondit, Ego sum Iaphet filius Noë, cui Iesus: Ita'ne canus mortuus es? respondit: Nequaq; sed in ipsa hora putans me ad diem iudicij surgere, metu canus effectus sum. Si ille metu falso incanuit, quid alij facient uero? Dabitur liber cuiq; de suis actis, & iudiciū durabit quinq; millibus annorum. Si ea examinatio cuiusq; criminum debet fieri illic, quæ in nostris foris, non est mirum durare iudicium non dico quinq;, sed quingentis millibus annorum. At quomodo placat iram iudicis? Tunc (inquit) Mahumetes dicet deo: Domine, omnes isti recta facie librum hūc accipere properarunt, quasi uerò nesciat, aut oblitus sit deus qui sint iusti, admonetur à Mahumete tanquam assessore. Sed captat gratiam suo libro, tanquam clypeo fortissimo aduersus iratum deum. Postremo (inquit) mutabitur mors in arietem, adducetur q; inter paradisum & infernum. Quid hoc puerilius? & quòd populus paradisi, metu mortis optabit morti interitum: quasi uerò de sua immortalitate illi non essent certi iam & securi.

DE BEATITVDINE.

EAm beatitudinem posuit, quæ magis porco quàm homini cōuenit. Paradisi (inquit) solū aureum smaragdis & hyacinthis crebrò interpositis est distinctum, omni fructifera consitum arbore, decurrentib. per amœna fluentis: quorū alia quidē lac, alia mel album, alia uinum purissimū fundunt. Nescio qua naturæ parte statuat paradisum. nam hæc de cœlo dicta absurdissima sunt. Dies (inquit) unus erit mille annorum, annus 40. millium annorū. quæ proportio inter diem & annum tam docta, & ex astronomorum regulis desumpta, ut non amplius quàm quadragies maior sit annus die. Sed quæ potest in cœlis esse nox, ubi semper splendeat sol, nec se unq; illinc aufert uel recondit? Dies autē si solis est præsentia, semper est in cœlo dies: sin cōuersio cœli naturalis, horis 24. conficitur. Addit: Vestientur illic omni colore, præterq; nigro. Primus missus in mēsa erit iecur piscis Albisbusi, credo q; palato Mahumetis erat gratissimus, sed nō est omnib. idē palatū, nec idē sapor. Quid illis fiet qui à pisce omni abhorrēt? quid uerò opus est alimēto ijs, qui sunt immortales? quid re uenerea ijs qui nō progignunt? & uoluptates illæ gustus, tactus q; in uitio, sunt nēpe intēperantiæ, nisi ad necessitatē referātur propagādæ uel uitæ, uel sobolis, eamq; ob rem inditæ sunt illæ nobis à natura, ita ut delectationes gustus tactus q; nō sint actionib. sen suum illorū finis, sed cōtrà potius actiones sunt delectationū metæ, & quasi scopi. nō enim ut oblectemur, gustum & tactū fabricata est natura in animante, sed delectationem ingenuit, ut uelit ea agere, quib. ipsum se sustentet, & simile progeneret. Quāto acutius Epicurus? qui cùm beatitudinē in delectationē posuisset corporis, animā fecit mortalē. uidit enim eiusmodi uoluptates locum nō habere in immortalitate. Sed nimirum ista placebāt crassis illis militib. & talia post mortem optabāt, & homines stultissimi, quænam alię possent esse delectationes, nō assequebant. Quid porrò? nullus ne erit edendi & bibendi & amplexandi fœminas finis aut modus? nunquam erunt saturi, semper noui & appetentes accumbent? an erunt saturi, & fastidient aliquando, & erunt crudi, & languebunt? Quomodo autem concoquēt & excernent? ubi erunt foricæ, ubi fæces? Mahumetes medicus solers prospexit huic labori: Per sudorem (inquit) emittentur excrementa. Quantum illic sudabitur? & periculum est, ne quis à sudore algeat, si se denudarit. Iam uerò si uiris erit beatitudo ex multitudine uirgunculorum, quæ erit fœminis? nisi fortè fœminæ quæ Alcorano paruerint, non sint futuræ beatæ. Quòd si ista sunt beatitudinis cœlestis, cur prohibentur in hac uita? quin mores æui huius, quantum præstari potest, ad illos immorta-

litatis

litatis accommodamus? Quid potest dici melius aut præstabilius, quàm cœlestẽ uitam exprimere, & per similitudinem illius ad eam peruenire? atqui tu ipse ea perhibes in uita hac tanquam flagitiosa, quorum maximam copiam esse in altera uita doces. Ergo Christus, & diua uirgo, & prophetæ, & sancti omnes, qui sobrij, moderati, casti fuerunt in hac uitæ huius uilitate atq; imperfectione, in illa cœlesti perfectione erunt ebrij, & libidinosi, & intemperantes, alioqui non futuri beati. & qui hic uixerunt innixi mente, illic erit eis à mente descendendum ad corpus, & à qualicunq; hominis perfectione transibunt ad imperfectionem. At dicit, nullum oblectamenti genus illic defuturum. Quid ergo, etiam iaculabuntur multi, & ludent aleam, & erunt illic balnea & funambuli & petauristæ? nam his multi delectantur. Musicę autem est oblitus, cuius non est delectatio postrema, sed fortasis ipse, & Arabes, homines militares & crassi, non capiebantur musica: ut rex ille Scytharum, qui hinnitũ equi malle se audire dixit, quàm citharœdum Philippi regis. Quid, quòd etiam illic erunt textores? nam uestientur panno. & infectores: nam omni colore præterquã nigro. quid, omnes ne laneo, an etiam serico & byssino? & alij alijs inuidebunt uel colorem, uel texturam, uel materiam. Quid potest dici anilius? Indumentum repertum est aduersus iniuriam cœli, æstus aut rigoris, uel ad uelanda ea quæ patefacta pudorem incutiunt. illic nullus erit pudor, nec rigor, aut feruor. Quid opus erit in illa beatitudine indumentis, quæ terræ sunt, non cœli: & infirmitatis nostræ, non illius perfectionis? uidelicet nec Adam & Eua antequam peccassent induti erant, sed peccatũ quod pudorem & debilitatẽ atq; infirmitatẽ attulit, & omnifariam miseriam, uelamenta dedit corporibus. Et homo consultissimus naturæ rerũ in cœlis dicit, dies futuros mille annorum, & annos 40. millium annorũ: quasi uerò illic sit nox. Quòd si dies est una cœli cõuersio, annus autẽ cursus solis. nec maior nec minor erit dies aut annus in cœlo quàm in terra. quadragecupla solum proportione maiorem facit annũ quàm diem. Quid autem hic curat quid loquatur? eodem loci erãt illis quatuor, quo 40. At quasi homo totus esset corpus sine mente, nihil reliquit menti, in qua una sunt præcipuę delectationes in homine dignę, solidæ, puræ, perpetuę. Nullum genus oblectamenti aberit. ita planè, si ad mentem refers uoluptates. eæ sunt enim in mente delectationes, quæ instar sint omniũ quæcunq; uel expeti uel cogitari possint. Et uestri sapientes, Auerrois atq; Auicenna, confessi sunt meliorem ac ueriorem beatitudinem tradi ab Aristotele gentili, quàm à uestro legumlatore: nempe mentis actionẽ circa res maximas & pulcherrimas. Nam in eo quod est in homine optimum, par est statui illud quo nihil est homini melius, nẽpe fœlicitatẽ: non in parte fœda & brutali, & qua homo nihil differt à bellua. AL. At Christus etiã de sempiterna fœlicitate uerba faciẽs, de corporis oblectamẽtis loquitur. CH. Primùm nunc̃q; de reb. uenereis. quas semper in uitio ponit, prẽter cõiugales, quę uitę huic seruiunt. de quib. dicit, q; in cœlo homines non cõtrahent matrimonia, sed abolita lege sexuum erunt sicut angeli dei. Ciborum autẽ abstinentiã & sobrietatẽ omnẽ cùm ipse præstitit seueriss imè, tum discipulis suis indixit. De mensa uerò regni cœlestis meminit interdum, ex recepta apud Iudæos cõsuetudine, qui per esum illum spiritales ac sempiternas delicias significabãt. Ipse tamẽ loqui se figuratè, sæpe est testatus: & illo potissimũ loco, Multa habeo quę uobis dicã, sed eorum nõ estis in præsentia capaces, spiritus autẽ paracletus docebit uos omnia. ita post receptũ ab apostolis spiritum sanctum, omnia fuerunt explicatora. tunc intellectum est, per cibum in uerbis Domini intelligi eum fructum, quem quisque ex operibus suis colligit, ad quem nos ipse hortatur: Operamini cibum qui non perit. &, Ego alium cibum habeo edere, quem uos ignoratis. Vester autem Mahumetes sine translationibus, sine figuris, simpliciter & naturaliter refert omnia se ita habere, tanquam qui rei historiam contexit. Nec mirum est, eum talem finxisse beatitudinem, qui cœlum facit ut aulam magni alicuius principis, in quo omnia gerantur more humanæ conditionis. Dicit dæmones olim solitos cœlum conscendere, exploratum quid ageretur in consilio Dei. Deum uerò quum aliquoties patefacta sentiret hostibus sua arcana, iratum deprehendisse fraudem, tunc appositisse custodes & ianitores diligentes, qui excubarent, ne quis dæmon posset in po-

in posterum fallere. & creasse stellam lucidissimam, quæ exploratores dæmones patefacit & persequitur. Quid fingi crassius potuit, & minus deo conueniens? quasi falli possit Deus ratione ulla, aut ignoret quid angeli & homines cogitent, non solum agant? aut ianitoribus ille indigeat, aut dæmones in cœlum conscendant post casum: aut deus ita de rebus agendis cõsultet, ut qua de re deliberet, aut quid statuerit, cognosci possit. Sed illud ad risum mouendũ perfestiuum, reputare quemadmodum insidiatores dæmones cœlum clanculum ascendant, suspensoq; uestigio ingrediantur, quomodo fallant custodes: alia ex parte deum iratum, & dubitãtem, & quærentem intra se, num quos habeant in consilio parum fidos. Aliã quoq; narrat fabellam more suo. Ait quippe Iudæus: Vbi est quem deus euocabit post diem iudicij? respõdit: In medio inferni est uallis, in ualle gurges, in gurgite puteus, in puteo arca, in arca uinctus catenis, adstrictus cõpede suo, qui stans per mille annos incessanter dei misericordiam appellabit. ait, Quid ergo faciet ei deus? respõdit, Post mille annos faciet eum sibi adduci. dicetq; ei, Quid tibi uis miser, qui aures meas inquietare non finis? quæ te fiducia ducit? quo merito speras? Respondebit gemens: Domine Deus meus, ego non habeo præter te, qui misereatur mei. Tu satis habes præter me ubi uindices iram tuã. Miserere mei domine, miserere mei. Sed deus iubebit eum reddi inferno. Abducetur ergo, nec adhuc misericordiã dei inuocare cessabit. Misertus tandem deus, eripi eum præcipiet. Quumq; pice nigrior infernalis eum tingat color, interrogabunt angeli qualiter paradisi incolis misceri possit. Tunc lauari eum præcipiet deus in fonte aëreo, fietq; albus totus, præter maculam in fronte. Mũdatus ergo incedet per paradisum, in publico conspectu omnibus notabilis. Hic ergo assignabunt eum inuicem omnes uidentes, ereptumq; inferno quasi improperando hinc in de murmurabunt. Ille uerecundans in tantum pudore uincetur, quousq; dicat, Mallem reddi inferno, quàm huiusmodi probra longius ferre. Dicit itaq; deus angelis, ut iterum illum quinquies lauent in fonte eodem, quo facto tolletur macula, reddeturq; paradiso, & cessabit opprobrium. Vides hic sanctos illos spiritus factos à Mahumete tuo irrisores & inuidos & superbos, quales nec boni uiri sunt inter nos, & quod flagitiosius est, damnantes consilium & uoluntatẽ & misericordiam dei ac domini sui. Iam quid opus erat fonte ad eum abluendum? autubi est is fons in cœlo? quàm uerò aptè rogat: Mortuus ego non habeo præter te, qui misereatur mei. tu satis habes præter uindices iram tuam. quasi in hoc sit intentus deus, tanq; sæuus latro, aut tyrannus carnifex, ut iram suam expleat ultionib⁹. Sed si hęc ceperimus expẽdere, nullũ exitũ inueniet oratio. Plen⁹ est istis Alcoranus.

DE ALCORANO.

DE quo loquar nunc paucis, postquàm ostendi qualia contineret. Hic est uester Alcoranus, cuius uel caput unum negat Mahumetes, posse ab hominum uniuersorum & dæmonum ingenio confici, etiam si cuncti pariter conspirarent: & prouocat omnes dei uerbis, ut id faciãt. Sed quis nam erit iudex? tuus ensis. Tametsi nõ dubito quin uerũ sit quod dicit. Nemo enim adeò insulsum, falsum & sibi repugnantem librum cõscriberet. Planè non est humanæ sapiẽtiæ talem librum cõponere, sed stultitiæ & impudentiæ. AL. Atqui dicit, Adferte librum meliorem isto, & beneuole sequar. CH. Quis erit iudex? ipse uult se esse iudicem, & reum, & actorem. Si homines non admittis, saltẽ sit ratio naturalis iudex, & effectũ est. non auferemus Euangeliũ, nec eo dedecore illud afficiem⁹, sed minimũ cuiuslibet gẽtilis philosophi opusculũ. Pergit porrò, & quidẽ ut solet, uerbis dei. Si librũ hunc super montem aliquem misissemus, uidisses eum flecti præ deuotione. Atqui hoc nec de Euãgelio, nec de Vetere instrumento, aut Psalmis est unq; dictũ. Cur uerò id nõ faciebat? ingentem sibi parasset authoritatẽ. & addit: Si mendaciũ unum in eo inueniretur, aperte ostendi nõ esse à deo. Atqui nos quàm multa esse in eo ostendimus, quot repugnãtes locos? nimirũ mendacem oportet esse memorem. Sed audi egregiam clausulã: si hic liber à deo nõ esset, quàm multas contrarietates contineret? quasi uerò scribi liber sine contrarietatibus non possit, nisi à Deo sit missus. ingenij est, diligentiæ, attentionis, solertiæ, sibi contrauenire. Nec fuerunt adeò fatui omnes uestri Alfaquini, ut non intelligerent esse

esse falsa multa & pugnantia,idq; confessi sunt.Et Mahumete mortuo,Agareni à secta desciuerunt,tanquã friuola,retenti sunt tamẽ armis successorũ.qui facere ad stabiliendã potentiã suã sunt rati, si eum principatũ populi crederẽt institutũ fuisse à nuntio Dei omnipotentis.Quid,quod Alcoranũ correctũ est,& mutata in eo multa à sequentibus? Liber em̃ ille cœptus est à Sergio monacho,continuatus à Iudæis,postea ab ipsis eisdem Iudæis mutatus sub Hali filio Abitalib:ita plenus est fabularum similium Thalmudicis:& inducit̃ disputans Iudæus cum Mahumete, omnia concedens, etiã stultissima,de Deo,de angelis, de rerũ natura, & ad postremũ quòd Iesus Mariæ filius sit Messias.quod etiã si est maxime uerũ, non fuit tamen à Iudæo admittẽdum. alioqui quid causæ erat,quin Iudæus ille efficeret̃ cõtinuò Christianus,si agnosceret Iesum esse Messiam à lege & uatibus promissum? At uerò,si mutata esse in Alcorano multa confitemini,ubi est liber ueritatis,missus à Deo ad salutem hominum?

QVOD HOMINES POSSVNT IN QVAQVE LEGE SERVARI.

SEd ut suos in opinione sua confirmaret, deuitaret autẽ molestias disputationum & quæstionum ab alienis,ait unumquenq; posse in lege sua seruari. præterquam si ab Alcorano desciscat ad aliam legẽ.Sciẽdum esse illud,inquit, quòd in uniuersum omnis recte uiuens,siue Iudæus,siue Christianus,seu lege sua relicta in aliã transiens, indubiè diuinã charitatẽ assequitur.& ut Christianis sacerdotibus utatur sibi facilioribus,dicit,Christianorũ sacerdotes ac præsules nõ indignantes aut arrogãtes, quum uerbũ audiunt positũ super prophetas,ueritatemq; cognoscũt,lachrymant̃,& dicũt, ô Deus,nos cum illis bonis hominibus credentes,te nos illis associaturos summè speramus.hoc aũt uerbo paradisum merẽtur,sic ille.Si Christiani scirẽt uerbũ Domini factum super Mahumetẽ,quæ causa esset indignationis? num in Deũ stomacharentur, & illius iudiciũ ac uoluntatẽ reprehenderent? Indignantur autẽ,quia Mahumetes id fingit,& mendacia spargit sub Dei titulo.Iam uerò si Alcoranũ est sola ueritas,si ueritatem cognoscãt,nõ Christiani erunt,sed Agareni.Quid uerò est illud, Nos cum illis bonis hominibus credentes? si credunt id quod uos,an nõ Mahumetici sunt ut uos? nõ ergo beneficio suę legis ingrediunt̃ paradisum,sed uestrę.Quid quòd dicitis alias omnes leges esse deprauatas,uos solos habere legẽ purã & integrã? Quomodo autẽ potest quisquã seruari,nisi in uero Dei cultu? uerus aũt Dei cultus quomodo esse potest,nisi in ueritate,ut ita de Deo,et rebus diuinis sentias,quemadmodũ res habet? Si enim aliũ ego esse Deũ existimo, q̃ ut est, quomodo potero eũ rite colere? atqui nos & uos cõtraria de Deo sentimus,num potest ergo utrunq; esse uerũ.quod si alterutri uersamur in mendacio de Deo quomodo rite & uere eum colemus? Iam nos & uos quantũ à gentiliũ sententia,ritu,sacrificijs distamus, quomodo possumus omnes bene colere numen,quod nos unũ credimus,illi multa? Quòd si omnes naturaliter seruamur,qui sunt isti,qui in iudicio extremo condemnabunt̃? quid opus fuit legibus, institutis,sacrificijs? Quid Mose,quid Christo, quid Mahumete & Alcorano? Nam si id nõ est aliquid certi & ueri & explorati,esse oportet in diuino cultu,cuius beneficio ad immortalitatẽ reuolemus? Sed hæc eò tendunt omnia,ut nec Iudæus aut Christianus negotiũ facessat Agareno:nec Agarenus de meliore pietate sollicitus sit,securus de sua,et alij homines uelut cõmuni bono applaudãt.Tametsi in hoc eadẽ est quę in alijs inconstãtia,seu uerius dissensio.nam alijs locis ait,uiros legibus imbutos & fide,nõ posse ad perfectionẽ peruenire,nisi testamenti & Euangelij & Alcorani præceptis obtemperent:tum filios Israëlis ob duritiẽ animi repulsos à Dei beneuolentia,sicuti testificatus est Deus per linguã Dauidis regis,et Christi Marię filij.quasi uerò de Iudæorum repulsa nõ plura Esaias & Hieremias dixerint, quàm Christus & Dauid. Sed quàm ista sint conformia superioribus,ipse iudicato.

MVLTI AGARENI.

HÆccine potuerunt capere ac detinere tantã portionẽ generis humani,& quidẽ post ostẽsum lumen? profectò oportet fuisse ultionem scelerũ, quòd homines relicti sunt suæ sententiæ,quemadmodũ in gentilitate:sicut Paulus inquit,Qui in priscis temporibus passus est gentes ingredi uias suas. Quid aliud quàm exclamemus

cum eodem Paulo, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incompre hensibilia sunt iudicia eius, & uiæ illius inuestigabiles. AL. Atqui uides sectæ nostræ incrementa admirabilia, ut appareat eam diuina ope esse auctam. CH. Multimdo non arguit bonitatẽ, plures fuerunt olim gentiles, absurdiora quandoq; genus humanum uniuersum credidit. & in insulis istis nouis, quas ab Hispanis quotidie inueniri audis: & quod magis admireris, decem tribus Israëlis post receptam à Deo legem, & cognitionẽ unius Dei, ad quam alioqui satis propendet ingeniũ humanũ, odio regis Iudaici ad cultum dęmonum et rerum insanissimarũ transiit, uocante rege Roboam, & multis pòst annis plurimi Iudæorum coacti armis Antiochi à patria lege defecerunt. Inter ipsos gentiles, inter Christianos, inter uos Agarenos, quanto sunt boni quàm mali pauciores? Meritò quidam è gentilibus sapiẽs dixit, Nunquam tam bene agi cum rebus humanis, ut meliora pluribus placeant. Et in uestra secta alij tenentur errore quodã tradito per manus à maioribus, & ignorantia meliorũ: alij metu, alij cupiditate opum, alij illectamentis uoluptatũ. Sunt enim omnia quæ ille præcipit eiusmodi, ut homines nec pœnis legum possint ab eis auerti ac coërceri, ut mirandũ non sit crassos illos & rudes ad id se quod suadet libido adiunxisse. Et quemadmodũ imperiũ ui atq; armis retinetur, ita etiam secta. Quod præuidens uester legislator, dixisse fertur, tam diu legem suam duraturã, quàm diu uictoriã suorũ. Scilicet cõscius erat sibi, nõ in recti persuasione illam esse sitam, sed in uiolẽtia. Idcirco qualẽ ferret legem perpendens, quatuor illam uallis sepiuit, ne aditus patẽret ad eam subuertendam. Primum, quòd iubet eos interfici qui Alcorano contradicerent. Alterũ, quòd uetat cum hominibus diuersæ sectæ disputatione congredi. Tertium, ne credant cuiquam nisi Agareno. Quartum, ut segregent se prorsum ab alijs, & dicant: Mihi lex mea, tibi tua: uos ab eo quod ipse operor estis liberi, ego inuicem ab eo quod uos operamini. Quibus munimentis tuta erit cuiuslibet scurræ, aut lenonis, aut tyranni institutio.

IO. LVDOVICI VIVIS DE VERITATE FIDEI CHRISTIANÆ LIBER QVINTVS, QVI EST DE PRÆSTANTIA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

MVLTI, quum genus hominũ, tot dissectũ opinionibus sententijsq; de religione contemplantur, attoniti ac dubij exclamant, quidnã horum est uerum, quid sequendũ? Sunt qui in discordia contraria sentientiũ coarctati, quasiq; in magnas adducti difficultates, dum non ferunt pondus aliquod cogitationis & considerationis, ut cognoscant quid in quaq; insit opinione ueri, damnant omnia, nullũ ritum colendi numinis uerum esse, & pietatem ipsam fictum esse nomen pronuntiant, absq; re ulla: & eos qui rationem aliquam pietatis tradiderunt hominibus, uafros fuisse homines atq; impostores, ut Mosen, Iesum, & Mahumetem. Mosen fucum fecisse filijs Israelis, Christum nobis, Mahumetem Arabibus. Nec populos regi posse, & quò uelis adduci, nisi specie quadam religionis: cuius rei plurima sunt exempla, uelut Minois, Lycurgi, Sertorij, Africani maioris: eamq; ad rem utilem esse formam religionis aliquam. Ad quod dictum non ratione impelluntur ulla, sed rabie quadam & odio aduersus cultum omnem diuinitatis. De Mahumete paulò pòst. Certe Moses non tam per desertum continuit populum illum contumacem religionis obtentu, quam illi toties sperabant, quàm ui et admirabilitate prodigiorum. Quòd si Mose, ac Iesus Christus impostores fuerunt, omnes ergo quotquot ad religionis rationem aliquam homines sunt adhortati, eodem concludentur uitio: quoniam religio nihil est, nec Deus curat res humanas. Itaq; philosophi omnes deceptores, tum & ij quoquè qui uirtutem docent, animosq; formãt ad rectum & ad humanitatem, quippe amota pietate, & quod ad eam sequitur Dei prouidentia, quæ potest uirtus post rectum superesse? imò nec animus ipse est aliquid: & si quid habemus ingenij, id totum consumendum est in conque-

cõquirendis corpori utilitatibus & uoluptatibus. Legum latores igitur, parentes, educatores, magistri, non impostores modò, sed sæui ac crudeles, qui libidines animi coërcent, & unumquenq; ita formãt finguntq;, ut publico bono magis seruiat, quàm proprio. Sed quid homines ad æstimationẽ reuocamus? Deus ipse primus deceptor, & maximus, qui religionis cupiditatem respectumq; humanis mentibus indidit. Sed istis ut religio & mens nihil sunt, ita nescio an aliquod sit numen. Qui nam igitur restant uerè sapientes, laude omni digni, quibusq; humanum genus nunquam sit soluendo, duces ad omne bonum? Apitius uidelicet, qui de cupedijs scripsit: Ouidius, qui amatoria: M. Ambiuius, et Menas Licinius, tum C. Mutius, quibus studiũ fuit, ut inquit Columella, pistoris & coqui, nec minus cellarij diligentiam suis præceptis instruere. Adde his mimos, scurras, seruos atq; administros cupiditatum corporis. hoc boues dicerent & sues, & isti qui se nõ alio ducunt loco quàm boum & suũ. At Mahumetes obtẽtu religionis Arabas suos fefellit. quid tum? An quia uir malus bonum est aliqua in re æmulatus, imitatio protinus mali uiri bonũ uirum malũ reddet? Pharmacis utitur bonus medicus ad salutẽ ægri, eisdẽ utitur malus ad perniciẽ. num ea res uitio uertet bono medico? citius tu Mahumetem bonũ feceris, quia in re aliqua bonum Christũ effinxit, & si dissimillime: q; Christum malum, quia illum Mahumetes malus uoluit imitari. Non æmulat ueritas mendacium aut uitium probitas, sed contrà potius uitium & mendacium probitatẽ & ueritatem: nõ filium pater, sed è cõuerso. prior est enim filio pater, & falsitate ueritas, & probitas uitio. Nec dicimus, ueritas mentiẽ fallaciã, sed fallacia ueritatẽ. quod sit in uniuersum dictum de omni bonorum ac malorum similitudine. Nam quod aiunt, nõ aliter gubernari populos & gentes religionis specie, quàm equos freno & calcaribus, eumq; in usum conducibilẽ esse religionem: hoc uerò religionis uim & naturã nõ tollit, sed cõfirmat. ostendit enim, adeò esse religionis respectũ humanis pectoribus insitum, ut uel sola religionis specie homines ducantur, sicut facie uirtutis, & arte prudentiæ. Quòd si quis dicat, sine prudentia regi cœtus hominum & cõtineri nõ posse, quid cõsequitur? an ideo prudentiã esse omnino nihil? quis sic colligat? imò potius prudentiã esse magnã ingenij humani uim, lucem, facultatem. Itaq; naturalis est homini pietas: sed humana ignorãtia, ut rectæ prudentiæ alijsq; artibus aliquid admiscet praui, quo uitiantur: ita & religioni, quo illa in superstitionem sæpe degenerat. Sed pergit impius quærere, & putat se urgere grauiter: Iudæi asseuerãt ritus illos suos esse à Deo: Agareni, maior pars humani generis, suos præferunt: uos Christiani in uestra sola pietate salutẽ esse sitã, alij alia iactant. quod tandem istorũ est uerum? cui accedã? Si mens uestra sustinere posset exiguũ cogitationis ac reputationis laborem, nõ fieret uobis quæstio hęc adeò difficilis. Quid ageretis si inter accusatorẽ & reum sederetis iudices? an suspensam teneret sententiã uestrã, quòd actor affirmaret, negaret reus? et tanquã in angustias redacti exclamaretis, hic ait factũ, hic negat factũ, quid tenebo? quò me uertã? pro quo pronuntiabo? Demẽs audi, cõsidera, cõfer, perpẽde rationes utriusq;, tum inuenies uerũ facilè, et rectè iudicãdi facultatẽ. Ad eundẽ modũ in dissensione sententiarũ de pietate, uide quas tandem rationes pro se adferãt Iudæi, quas Agareni, quas Christiani: & si iudicium uolueris adhibere, nõ erit operosum profectò, quid ueri simillimum sit inuenire. Nam huic parti facilè nos superioribus libris satisfecisse confidimus.

EPILOGVS SVPERIORVM.

ET si libris superioribus quatuor, satis aduersus peregrinas doctrinas est à nobis disputatum, illarumq; sententiæ atque opiniones cõfutatæ: posita autem est nostra, & cõstabilita: tamen uolumine hoc operis huius postremo quædam ex antè dictis, ueluti epilogo quodam in memoriã reducemus Lectori, adiectis nonnullis quę pertinere uidebuntur ad rem propositã. Itaq; considerare conuenit ante alia omnia, qualis sit Dei natura & uirtus. Esse illum qui præsit mundo optimum, maximũ, ęternum, infinitum, beatissimum, ita est humanis animis insitum atq; informatum, ut nõ à magistro ullo & doctrina acceperit, sed id secum eduxerit ex matris utero, insculptum à natura ipsa in corde uniuscuiusq;. Secundum hoc cõsiderandum est, qui nos

simus:hoc est quæ res tãdem sit homo ipse,constans ex corpore & animo, potiorem illius partem esse animum, ideoq; ad huius cultum & curam præcipuas eius cogitationes debere referri.Animum autem immortalẽ esse diuinæ beatitudinis capacem, ad quam cõsequendam omnes neruos uiresq; debet intendere. Assequi autem eam non potest,nisi cum Deo ita iungatur,ut quodam modo fiat Deus. Coniunctionem hanc nullum glutinum potest præstare, nisi solus Dei amor. Quòd si religio uera ad coniunctionem cum Deo debet tota spectare,ut homo per eam uelut Deus quidam fiat,& beatitate diuina fruatur æuo sempiterno:fieri non potest aliter,quin religio uera uniuersa,qua rectà,qua obliquè,ad Dei amorẽ pertineat:nec quenquã posse uiam hanc religionis tradere,hoc est colendi numinis,& se illi applicandi & coniungendi, nisi is qui probè & hominem norit et Deum,& sciat quo nodo possint connecti,qualis est solus Deus:nec quenquam posse æterna illa bona polliceri homini,qui sit locuples satisdator,nisi Deum.Idcirco Deũ ipsum amore nostri adductũ uenisse ad nos, ut esset tanti boni magister:& legem amoris tulit charitatem resonantem, charitatem spirantem,charitatẽ accensam & inflammatam. & quo uerius & meliore fide amaremus Deum,ostendit Christus se & patrẽ suum mitissimos ac lenissimos, non potentes,non ultores,ut in lege Mosis:non uult terreri nos,quia scit quanta animorũ pestis sit odium Dei,ut in dæmonibus & damnatis.At uerò quia tantũ amorem nullus habet mortalium,qui ad coniunctionem cum Deo sit satis,Christus miseratus hominũ genus uenit,ut amorẽ illum suppleret in ijs,qui in ipso uerè confiderent.Finis autem amoris huius tanti,non est temporarium aliquod in uitæ huius celeritate præmium, sed summum in cœlis,atq; immortale.Hæc est pietatis nostræ summa.

DE RELIQVIS DOCTRINIS.

RElíquæ autẽ doctrínæ qualẽ faciunt Deum? Transeo illos qui nullum ponũt,ut quos Græci uocant ἀθέους:tum & illos qui talem faciunt,ut præstitisset in totum tollere,uelut Epicureos. Plínius post multas de dijs cauillationes,ad extremũ ita concludit:Deus est,mortalẽ mortalem iuuare.Miser Plini,qua tandem re potest mortalis mortali prodesse,ut meritò sit illi pro Deo? potest dare ingeniũ,uirtutẽ,sanitatẽ,uires, ea denicq; quæ sunt potissimũ expetenda? Quid aliud potest dare, quàm pecuniã,aut præficere prouinciæ,quod tibi Vespasianus cõtulit? si id sensit uir doctissimus, quid sceleratius? si dixit,ut imperatoribus suis blandiret,quid in homine(ut ferunt) graui, turpius & flagitiosius? Egregiã nimirũ uitæ & gubernandi formã imperatoribus suis tradebat,si illos in hãc adducebat opinionẽ,esse ipsos deos,nec ullos habere alios supra se.Cicero tolerabilius,in Officijs: Quum uerò iurato dicenda sit sententia,memi nerit se Deũ adhibere testẽ:id est,ut arbitror, mentẽ suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. Quid erat necesse reuerentiã iurisiurãdi & totius pietatis transferre illum à Deo ad mentẽ uniuscuiusq;,id est ad unũquenq;? quasi uerò magis se ipsum sit homo reuerìturus ne peccet,quàm Deũ iudicẽ et ultorẽ.Alij sapientię scrutatores, Deũ fingũt plenũ humanis affectibus,sæuũ, ultorẽ,sanguinariũ, horribilẽ:ex quo metu facile in odiũ transitur. in quo genere sunt Iudæi. Alij septũ necessitate ineuitabili, ut Aristoteles. Rectè qui dixit,Aristotelis doctrinam facere impios,Platonis uerò superstitiosos & dæmoniacos.Nos Deũ omnipotentẽ esse dicimus, & ultro ac uoluntate sua talẽ largitorẽ bonorũ omniũ. Sunt qui ab eo opes & fortuita expetant,& expectent:uirtutẽ,bonã mentẽ,& alia in homine præstantissima,nõ à Deo,sed à semetipsis,ut qui dixit:Fortunã Iupiter,uirtutẽ egomet mihi ipse parabo. Et Scipio Aphricanus,respondens legato Antiochi regis,sententiã ponit & contumelioſam in deos, & homine in illis ritibus perquã religioso indignã.Romani,inquit,ex ijs quę in deorum immortalium potestate erant,ea habemus quæ dij dederunt:animos, qui nostrę mentis sunt,eosdẽ in omni fortuna gessimus,gerimusq;.Sed quid mirũ eos talia dicere,quũ Tullius (ut Augustinus inquit) philosophaster,posuerit in tertio libro de Natura deorum:Quis agit Ioui gratias quòd sit bonus? hoc enim sibi debet. Quomodo de Deo suo poterãt sentire abiectius,qui illũ facerent uelut œconomũ fortunę,distribuentẽ res uiles & despicabiles:maximas autem & præcipuas unumquenq; sibi parare

rare,ac debere,non illi principi domino rectori uniuersorũ:O cæci,quid magis conueniebat illius beneficijs acceptum referre:Contrà enim fuisset satius dicere, fortuita illum negligere,magna & excelsa largiri.hoc certè fuisset Deo dignius.Sed cedò,unde habes corpus:an non ab illo:unde animũ,unde mentẽ:nónne ab illo:unde pronitatem ad bonũ:unde facultatẽ:An non uidere ab eo habes,qui est oculos in te fabricatus:Eundẽ in modũ usus uiriũ animi illius est,à quo mentẽ accepisti.Sed quemadmodũ uidere debes naturæ,non uidere autẽ quum libet,tibi ipsi: ita etiam uirtutẽ & sapientiã,& alia quæ per animi facultates assequeris,Deo debes,à quo sunt illę facultates:non uti autem illis,aut prauè uti,tibi ipsi.quod nec isti ignorant.Nam qui dixit, Fortunã Iuppiter: idem ipse alio loco,uelut sui oblitus,dicit: Orandũ est,ut sit mens sana in corpore sano.Et idem Cicero:Eam illi mentẽ dederunt dij. quod frequens est apud Homerũ,ut seruis dimidiũ mentis louẽ eripuisse. Sed Plato in Memnone expressius ait,uirtutẽ nec parari exercitatione,nec disciplina,sed Dei dono. Nos à Deo expectamus fœlicitatem æternam,rem & dante & accipiente dignã,alij ob corporis commoda Deum colunt, ut appareat eos ea ipsa commoda chariora habere, quàm Deum:sicut propter opes & copias uitæ,principes assectantur & colunt.

CHRISTVS ATTVLIT LVCEM.

HÆc & multa alia absurdiora dicuntur ab impijs,& dicebantur longè plura ante aduentũ Christi.Sed Christus, ut sol,non modò hemisphæriũ suum cõpleuit luce,hoc est Ecclesiam suam,sed partẽ alterius,hoc est homines aliarũ sectarũ.Poëtæ enim post Christũ pudefacti ineptijs & dementijs superiorũ poëtarum,ad altiores sensus conati sunt illorũ nugas traducere.De Platonicis hæc dicit Æneas quidã illorum assectator. Posteriores Platonici multũ à mente & sententia Platonis discesserunt,& quæ uident absurdè esse dicta à Platone,uelut de transitu animarũ ex corporibus in corpora,uelant interpretationibus,& aliquid sacratius latêre docẽt,nomina mouentes,sensus miscentes:ueteres autem nihil mutauerunt.sic ille. Veteres uocat,qui ante Christũ fuerunt.Itaq; dicunt iam & gentiles & Iudæi, quæ nunquã illorũ maiores ne somniarãt quidẽ:ut de animæ immortalitate, quòd unus sit Deus princeps omnium, quòd illi curæ sunt omnia,homines potissimũ,quòd is optimè colitur puritate animi & sanctimonia,quòd pręmiũ pietatis sit uita sempiterna.Philosophorũ ueterũ quàm perplexa sunt omnia, & solis acutis atq; exercitatis hominibus congruentia, & præter hæc etiam obscura,dubia,incerta? nunc reconditissima mysteria scitu digna & necessaria melius nostræ mulierculæ intelligunt, quàm maximi olim philosophi. Quæ sapiẽtia potest esse maior quàm ea,quæ sic tum res abditissimas expositit,tum mẽtes reddidit ad maxima et sublimissima capienda perdociles:nõ longo tempore & cum maxima difficultate,sed facile,sed breuiter,sed cõfestim.Quid,quòd lex ipsa naturæ adhuc ignoraretur, propter corruptissimos mores,qui erant apud nationes omnes recepti:Christus eam ipsam legẽ repurgauit,spectandamq; præbuit omnibus.Ergo quam prius multũ & diu quæsitã non inueniebamus, purã & sincerã nunc oblatam oculis agnoscũt omnes,atq; amplectuntur,ingrati aduersus authorẽ tanti beneficij. Non docuit nos Christus singula per se, sed prolato in uniuersa splẽdore suo, omnia sumus contuiti. Sapientes ex seculo alij alia tradiderunt de cursu cœlorũ et siderum, de causis in natura occultis & latentibus,de uiribus herbarũ & lapidũ,de morbis,de ædificijs, de emendo, uendendo,cõtrahendo,de arãdo & serendo,de sutoria & textoria,deq; alijs quæ sunt encyclopædię.Magister cœlestis sapientiæ ad ea sola tradenda uenit, sine quibus extrema in miseria maximisq; malis uiueremus,quemadmodũ uidelicet ad æterna illa rediremus bona,unde decideramus,hoc solũ decebat illum exhibere,cætera humiliora quæ ad uitæ huius decursum pertinerent,humani ingenij solertiæ reliquit.

DE IIS QVÆ SVNT IN ANIMO.

COntulimus ea quæ à nostris, quæq; ab alienis sentiuntur dicunturq; de maiestate numinis & fine bonorũ. descendamus nunc ad singula hominis ac uitæ. De mente Aristoteles dicit,pluris æstimare nos si quid sumus in altissimis aut reconditis rebus assecuti,quàm in istis obuijs atq; expositis. Quæ igitur contẽplationes æquari

possunt ijs quæ habentur de Deo, de rebus diuinis, maximis ac sempiternis? Iam alij alias artes ac scientia reijciunt, ut Epicurus dialecticen et mathematicas. Agareni prohibent disputari de suis placitis, nobis scientiæ omnes sunt apertę, omnes licet * propterea quòd cùm uerũ sciamus nos tenere, nullũ aliud uerũ reformidamus. uerum enim uero non est contrariũ. Sunt ex impijs qui obijciant nobis, fuisse in religione nostra uiros cõplures ingenijs & doctrina præcellentes, per quos nostra omnia ualidis sint rationibus fundata & communita. id uerò nos libenter agnoscimus atq; amplexamur, fuisse permulta magna & præstantia ingenia tum naturæ acumine, tum doctrinis exculta & prædita, quæ pietatem nostrã sint uenerata. Ecquod argumentũ efficacius, nostra esse ueriora? & in alijs sectis ac religionibus, quo quis uel ingenij acumine, uel beneficio peritię longius cernit quàm alij, eo minus religioni suę tribuit: in nostra uerò, ut quisque est illius callentissimus, ita & Christianissimus. Et post fidem nostram auditam & propagatã, eruditio omnis et excellẽtia ingeniorũ ad nostros homines demigrarũt. qui enim ex nostris fuerũt doctissimi, ijdem fuerũt totius humani generis, sua utiq; ætate. Iam uerò quid maius aut amplius dici potest pro nostra ueritate, quàm firmã omnem & ualidã rationem cum ea cõsentire? Post ingeniorũ cultum affectus sequunt, magnæ humani animi & atroces tẽpestates: quas ideo Stoici conati sunt prorsum reuellere, sed hi hominẽ ab homine tentabant separare. Nulla potest res affectiones tollere, nisi illa quæ hominẽ extra humanã conditionẽ ponat, nempe demẽtia aliqua, uel stupor animi perpetuus. Ast alij quàm uarijs rationibus occurrebant hisce motibus, ne sæuirẽt? quot adhibebant remedia morbo tam multiplici, tam multis locis tam uariè uexanti atq; erumpenti? sed dum singulis nituntur mederi, res facta est infinita, ac proinde desperata. Si quis autẽ inter affectus existat, affectus potentissimus, is cohibet sub se reliquos omnes, ac cõtinet si is sit bonus, sub bona erunt gubernatione cæteri: sin malus, sub mala. Qui ergo affectũ hunc animo immiserit bonum, is nimirũ certam expeditamq; medicinã tot morbis semel attulerit. Quæramus igitur qui sit affectus ualidissimus, quiq; maximas in animo uires obtineat, & regnũ firmissimum. Constat inter scrutatores animi atq; ingenij, omnium animantiũ hunc esse amorem, qui alios omnes ex se parit, ad se trahit, in se continet, moderatur, regit. Quis autem amor, Dei amore fortior, aut firmior? aliarũ enim rerum dilutus esse potest: quippe in unaquaq; est aliquid quod possit displicere, & illius diluere charitatẽ. In Deo autem omnes amandi insunt causæ, & quo plus noris, magis atq; ardẽtiùs amabis, nec ullus esse potest ex illo amãdi finis. Amore aũt Dei quid sanctius, purius, rectius, compositius? qui est ueritatis & sapientiæ & rectitudinis cultus ac dilectio? Pietas igitur Christiana, quæ amorem hunc inserit humanis pectoribus, ea profectò affectibus medetur omnibus, eosq; in recto & legitimo officio continet. Cui erit ergo unicè charus Deus, in eo erunt illi deliciæ omnes & bona cõstituta, omniaq; quæ expeti possunt: nec in animũ poterit subire aliquid quo sollicitetur aut perturbetur, sed mira erit quies & tranquillitas, quę uera est εὐθυμία. Nam illa quam ueteres philosophi nominabãt magis quàm præstabant, ex hoc solo amore, nec aliunde potest nasci. nec ulla est uirtus, nisi in amore hoc. Virtus enim coli non potest bona fide ab homine, quem respectus aliquis numinis non tangit. Enimuero seipsum et cõscientiam suam non reuerebitur, qui deos & homines non curat. Ideoq; inefficaces sunt philosophorum præceptiones de uirtute, quod nõ firmis solidisq; fundamẽtis innitãtur. Et hæc medicina animorũ, hoc studium sapientię, nõ ijs præceptionibus traditur, ad quas paucissimi possunt pertingere: sed ita explicatè & cõmodè, ita ad humani ingenij naturã uimq; aptè & appositè, ut in promptu sit nõ uiris modò, sed pueris & mulierculis, largissimè ex hoc haurire fonte uberrimo, & quantum uelint philosophari.

DE OPIBVS.

OPes sunt agri, uillæ, domus, serui, ædificia, metalla, uestes, gemmæ. hæc omnia Iudæi & Agareni mirificè cõsectantur, & quærũt: philosophi nationũ spreuerũt, tanquã inutilia sectatori sapientiæ. Sed nec hi, nec illi, facti sui possent rationem causamq; probabilẽ reddere: quippe qui certum fixumq; scopum non habeãt, in quem dirigãt cogitationes cõiecturasq; animi sui. Quantum enim ad philosophos attinet,

multi

multi egregiè sunt in studijs literarũ uersati,probè opulenti et numosi,ut Aristoteles, Seneca, Cicero, Plinius. Multis uicissim obfuit inopia. Sed ut philosophis fortasse sint ista impedimẽto,nõ erunt certè hominibus politicis. Iudæi aũt et Agareni ita uersantur in uitę huius cõmodis,tanq; corpus solum habeant,non animã:adeò extrema est,uel nulla potius,eorũ quæ ad mentẽ pertinẽt,cura. Nos aũt pietas sancta edocuit, homini,quod esset corporatus,corporalia hæc esse à Deo cõdita et tributa,ut eis utatur:homine aũt in uita hac siue peregrinari,siue exulare,tendentẽ semper ad uitam alteram,hoc est ad patriã. Idcirco nõ aliter debere nos quæ sint huius uitæ utilia sumere,quàm quę sunt uiæ,necessariũ uidelicet usum,reliqua uel prætermittẽda omnino, uel neglectim possidenda:ut in domũ quidem admittas,nõ in animũ,nec sic illis implicemur atq; irretiamur,ut à recta nos uia & à cura reuersionis in patriam abducãt. quemadmodũ nos hortatur Paulus:De reliquo fratres,tempus breue est,superest ut qui habent uxores,sint tanquã qui non habent:et qui plorãt,tanquã qui non plorãt: & qui utunt̃ mundo hoc,tanq; qui non utuntur. Quàm laudat̃ illud quod Catoni seni adscribit M. Tullius? Ego,inquit,sic exeo è uita,tanq; è diuersorio. nõ addit tamen quod erat maius, & ad sciendũ cõducibilius,quò tenderet. Quanto sapiẽtius noster Paulus? Non habemus hîc ciuitatẽ manentẽ,sed futurã inquirimus. Nos ergo soli his rebus uitæ rectè utimur,qui quorsum pertineãt nouimus:quod ignorant prophani. Iudæi & Agareni nobis obijciunt,cum hæc omnia propter hominẽ sint creata,quorsum attineat repudiari? Nos uerò nõ repudiamus,sed rectè utimur,sumimus ad necessitatem,nõ admittimus in affectũ. imò addã aliud,q̃d illi magis admirent̃:nos qui usum illarũ rerum capimus,magis illis frui,et suauius,q̃ qui anxiè quærũt & complectunt̃. torquent̃ enim illi,nõ fruunt̃:& sollicitus semper animus & intẽtus uel in quæstum,uel in custodiã,non potest gustare quę sit in utendo iucũditas. Nec nos possessiones nostras uel ad uanitatem cõuertimus, uel ad superbiã,uel ad obscœnas uoluptates:quod qui faciũt,rectum usum corrũpunt eorũ quæ Deus est homini largitus. Sed nec in quantitate opulẽtiæ sita est illarũ utilitas. usus enim naturales exigui sunt, facile naturæ satis fit,ut opinioni ægerrimè. Mea nihil refert,si cùm ego pane uno indigeam,sumam ex panario ubi duo sint panes,an ubi sexcenti:uno certè est opus.

DE PROSPERIS ET ADVERSIS.

ET hæc quidem ad eas necessitates pertinent,quas imposuit natura. Sunt necessitates aliæ,quas ipsi cõfinximus,genus,dignitas,honor, potentia,gloria:quæ alij simul admirãtur uehementius,simul expetunt auidius,quàm necessaria naturę. Aduersus hæc multa dixerũt sapientes nationũ,et conati sunt aures suorũ ad uoces has populi,tanquã ad cantus Sirenarum obturare,sicut Vlysses fecit. Sed quorsum hæc deuitãtur omnia,si nihil est præter hanc uitam? Dicunt,ut hic uiuas quietius. Quid si cum his uiuam quietè? doce tu me in tranquillitate animi uiuere,reliqua erunt facilia,siue caream,siue possideam. Dolor corporis grauiter omnes percellit ac commouet,hunc quàm frigidè adorsi sint philosophi lenire,dici non potest. Tertius est Tusculanarum quæstionum Ciceronis,in quo ille ueterum remedia collegit ad sedandum dolorem,quod citius certè ex officinis medicorũ perfecisset,quàm philosophorum. adfert enim ea quæ neminẽ possint iuuare. Ad curã nos honesti reuocat,nõ esse uiri gemere,aut afflictare se in dolore:quasi in cura honoris & decoris uersari possit animus,cùm acerbi dolorum fasces admouentur corpori. Ferre autem dolorem grauiter aut patienter,non ex præceptis est aut monitis philosophiæ,sed ex corporis uiribus,uel diuturna assuefactione. Ita ut urgens cruciatus in corpore imbecillo ac tenero facile in desperationem ageret animum,nihil altius quàm hæc humana reputantem. ut minus mirandum sit,fuisse in gentibus tam multos, qui uitæ renuntiarint ex dolorum impatientia, ut sibi manus uiolentas intulerint. Nos autem,quos Christus noster intentos semper esse in patriam, hoc est in Deum iubet,prospera uitæ omnia tanquam superflua nihili pendimus: quid potest accidere in hac peregrinatione uitæ, quod nobis uel attollat animos, uel dejciat, modò de reditu ad immortalitatem bona & firma sit spes in nostris pectoribus? Prospera & aduersa illi habent, qui affectus in rebus æui huius defixerunt: nobis talia esse nequeunt,

qui animos gerimus alibi fixos & cõstitutos, nempe in Deo, re firma, stabili & sempiterna, & de qua malũ nuntiũ audire nõ possumus, qui animos nostros conturbet, nisi nosipsi ultro faciamus. In doloribus autẽ quod lenimentũ, quanta cõsolatio, immitti eos à sinente Deo, patre nostro indulgentissimo? interdum quoq; approbante & iubente, ad nostras utilitates ingentes, ut corpore & uita hac despecta atq; etiã inuisa, de altera cogitemus crebrò, eamq; optare cõsuescamus. Plurimos terrent incerta futurorũ, ita ut alij ad magos & Chaldæos cæterosq; diuinaculos confugiant, alij angoribus cõficiantur suspensi noctes et dies, intentiq; in exitũ suarum rerũ, aut eorũ quos habent charos. Nos uerò magister & legislator noster iubet diligentes quidem & assiduos esse in rebus præsentibus, & nauare quã possimus operã: sed curã eorum quæ euentura sint, ad se unũ remittere. nam in nobis uana esset, & superuacanea: se unum uentura cognoscere, et posse qualia uelit præstare: nosq; peculiari sibi esse curę, à quo sumus in hanc corporis animiq; præstantiã educti. Quòd si tantæ sumus curæ parentibus, qui corpus hoc genuêre: quanto illi oportet nos maiori esse, qui eam parẽtibus facultatẽ tribuit, & corpus ipsum formauit, & indidit animum, qui alit quotidie, qui sustinet, cuiusq; ope uitam propagamus? Dicat mihi iam aliquis, in qua tandem philosophia, in qua religionis specie tam excellentia sint ad uirtutem omnem præcepta exhibita, tam ualidæ consolationes in aduersis, tam præsentia morbis remedia, tam certa efficacia, expedita ad summi boni consecutionem consilia.

DE MORTE.

SEd uitæ exitus grauissimè omnes perterrefacit: nec quicquam est homini horribilius, quàm è uita discedere. eaq; de causa innumera sunt à philosophis excogitata munimenta, quibus nos aduersus tantos terrores sepirent: sed omnia tamen, mea sententia, infirma & ruinosa. qua de re quoniam maximi est momenti, uolo paulò quàm in cęteris, diutius immorari, & diffusius locũ hunc tractare. Nam si de alijs uitę cõmodis aut incõmodis longè profanos omnes rectè præcipiẽdo superamus, in hac certè cõsolatione maximis eos interuallis à tergo relinquimus. Sic ergo illi disputãt, & has adferũt cõsolationes. Primũ ex hac uita, quòd morbos & cruciatus uel iam urgentes, uel certe impendentes per mortẽ effugimus, tum senectutem, quæ & ipsa nõ iniuria morbus nominatur, & in quam uelut in sentinã defluit quicquid potest in corpore incommodorũ excogitari, affligi ualetudinẽ, debilitari sensus, tolli memoriã, hebetari iudiciũ, frangi uires, deniq; nõ secus concuti hominẽ totũ quàm infirmã domũ, si ingenti sit tormento icta: hinc morositatẽ nasci, et cõtinuas querelas, odiumq; aliorũ & suimetipsius, ut omnibus sit & ipse sibi intolerabilis. An nõ, inquiunt, eripi tantæ imminenti tempestati, & in portũ subitò transferri, ingentis beneficij loco reponẽdum est? Addunt humanos casus, qui in longã uitã incurrũt, egestatẽ, infamiã, odiũ, luctus suorũ, seruitutẽ, exiliũ, carcerẽ, metus. In ipsa quoq; uita quamlibet iucunda, docẽt q; multo sint plura amara quàm dulcia, ut momentaneæ sunt uoluptates, ac diuturnæ ægritudines corporis & animi. Iam quærũt quid moriens metuat, an ea quę ante mortem, an quæ post mortẽ. Ante mortem est uita, in morte leuis est uelut obdormitio: ut multi sint in uitâ maiores cruciatus, quàm mors ipsa. Post mortem uerò est æternitas, in qua si omnia cadant simul cum corpore, infœlices non sumus futuri: nec aliud erimus quàm eramus antequam nascęremur, nec aliter illa sentiemus quàm profundum aliquem sine insomnijs somnum. sin animus immortali sumptus origine immortalis perseuerat, magna nos & expetenda manet fœlicitas, ad quam celerrimo esset cursu properandũ. Hæc illi, quæ dilatant, amplificãt, exornant, repetunt, retractãt, infigunt: sed hæc tamen summa est omnium, quæ amplis uoluminibus sunt à maximis ingenijs cum summa facundia tradita. Sed illi quòd procul à uero abessent lumine, coniecturas quæsierũt in tenebris, quæ nihil essent magis ualituræ, quàm ut in affectum cuiusq; animũ incidissent: & tantũ haberent ponderis, quantũ quisq; apud se habere pateretur. Excutiamus, si placet, singula. Non esse refugiendam mortem ais, quòd morbis & corporis doloribus subducit. Quid dices ei qui bene ualet, qui est iuuenis, solido & firmo corpore? Is certè respondebit tibi: Atqui sine me uiuere quàm diu hoc in me robur manet, quo ad hoc corpus, hic animus uiget: morbis ingressis cedam

luben-

lubens è uita. Senectutem autem quum appetentem è proximo uidero, si tantum est quantũ prædicas malum, lubens morte cõmutato. Quanquã quid est quod senectutem tantopere extimescamus, quum in ea uideamus cõplures integris et uegentibus fuisse corporibus? non proferã tibi magnos illos, Gorgiã, Isocratem, Sophoclem, Catonem, nõ ipsum eundẽ Socratem, qui apud Xenophontem libenter se de uita exire dixit, ut incõmodis senectutis subtraheretur: ibiq; ea percenset multa sanè & horribilia, sed quorũ senex ipse septuagesimũ prætergressus annum nullum senserat adhuc. De uulgo in urbibus, in uicis, uillisq;, ostendã tibi octogenarios permultos tam integro corpore, quàm quum uicesimum agerent annum. An non celebre est apud uos illud Gorgiæ, credo, dictum? à quo quum esset quæsitum, cur tam diu uellet uiuere: Nihil habeo, inquit, quod senectutem incusem. ne iubeas me propter senectutis incommoda senectutem morte commutare: doce potius sobriè ac temperanter uiuere, quo minus in illas senectutis molestias & uoragines incurram. nam intemperans iuuenta corpus tradit effœtum senectuti. Libellus est M. Tullij, qui Cato inscribitur, in quo senex ille apud adolescentes Scipionem & Lælium causam senectutis defendit: tam refertus bonarũ rerum, ut Græcis uisum sit illum in suam linguam uertere. Itaq; Græcè nunc habetur. Eum librum si quis legit, satis sibi uidetur aduersus mala senectutis armatus. Quid, quòd natura eo singula artificio composuit, ne quid in contraria subitò transiliret, nec ullam admisit repentinam rerum mutationem. non ignem aquæ admouit, sed medium interiecit aërem, ita descendentem ab igne ut sensim fiat aqua, ita ascendẽtem ad ignem ut sensim fiat ignis. Nec Decembrem sequitur statim Iunius, sed uer est mediũ: cuius prima pars hyemi est simillima, postrema æstati, media ex utroq; est uelut cõmista & temperata. Sic in uita hac nostra non transitur à uirore illo iuuentæ ad ariditatem senectutis, uno gradu: sed ita senescimus, ut senuisse nos intelligamus, non sentiamus senescere. Itaq; extrema puerilia assuefacit nos primæ adolescẽtiæ, hæc mediæ, media ultimæ, tum hæc firmæ ætati: paulatim ad senectutem progredimur tanta similitudine uicinitatis, ut quęcunq; duo cõiuncta, non duo esse uideant, sed unũ. Cùm ergo tam faciles sint, mollesq; gradus, priora semper sunt adminiculo sequentib, ut illis assuefacti minus hęc dura sentiamus. Accidentia uerò senectutis eleuauit copiose Cicero, & quas secũ utilitates adferret, exposuit. Itaq; cũ causa illa perorata sit à tãto patrono, & quidẽ assignata Catonis personę, ego liberatũ me hoc onere existimare debeo senectutis defendẽdæ. Liber em̃ est in omniũ manibus. Casus nobis humani ob oculos proponunt. Quid facias illis qui procul à ciuitatũ inuidia et fauore in agris et solitudine uiuũt, suo acquiescẽtes, eoq; minimo? quiq;, ut Vergilius inquit, Nec doluit miseras inopẽ, nec inuidit habẽti. Sed ut metu istorũ accidentiũ mortẽ nõ reformidet is, quẽ uos adhortamini, oportet efficiatis, ut hæc illi grauia & propè intolerabilia uideat. Ergo frustra consumpta est uobis tãta oratio, dũ persuadere omni ingeniorũ ui cõtenditis, hęc mala nõ esse, & recipiẽda à sapiẽte si eueniãt: & nõ solũ æquis perferẽda esse animis, uerũ etiã lætis atq; alacrib. q̃d si fecerit, & ita animo & corpore assueuerit, nõ plus iã hęc uestra posterior oratio perfecerit, q̃ si conemini persuadere ne mortẽ expauescat, quòd illa eum liberabit à deambulatione uel sessione: neq; enim homini oratione uestra persuaso & permoto, alio erũt loco mala illa, quàm sedere uel ambulare. inter media enim posuistis. Certe qui mala dixerunt, ferenda uoluerũt esse magno animo & libẽti. nec ab ea sentẽtia Epicuræi discrepãt, milites uoluptatis. Age uerò, an nõ meministis totã hominũ uitã spe fulciri, uelut fundamẽto quodã? ruiturã protinus si spes detrahat. Metuẽda est egestas, at sperãdæ etiã opes. times infamiã, spera decus: formidini exilij, carceris, orbitatis, seruitutis, oppone fiduciã dignitatis, in patria, uitę tuorũ, libertatis. Quorũ est dictũ illud, an non à uobis profectũ? Senex diu uiuẽdo multa uidet quę nõ uult, at & multa quæ uult. Hic audio exempla eorũ quos lõga ætas uertẽti fortunæ tradit. Priamus cõmemorat, Cyrus, Põpeius, Crassus. quasi uerò nõ in utrunq; sint infinita exẽpla eorũ, & qui in senecta ex fortunatis facti sunt infœlices, & qui rursum ex infimis abiectisq; ad fortunæ culmen sunt euecti. Marius post exiliũ & paludes consul Romæ fuit, & proscriptor

postquàm

poſtquàm proſcriptus Sylla itidem proſcriptus proſcripſit. Auguſti fœliciſsima fuit ſenecta, poſt tot in ipſum cõiurationes. Tyberius à Rhodienſi exilio ad imperium uenit. Claudius aulę ludibrium, princeps fuit orbis. Claudius poſt Neronis inimicitias, imò contemptum, imperauit. Sic uiſum eſt res humanas temperare illi, qui quum nihil ſine maximo faciat cõſilio, nos tamen Fortunam nominamus, quòd conſilia non aſſequimur. Non ergo immeritò exclamat Tragicus ille,

Nemo confidat nimium ſecundis, Nemo deſperet meliora lapſis:
Miſcet hæc illis, prohibetq; Clotho Stare Fortunam, uerſat omne Fatum.

Iam uerò qui eſt fortunatus, iſtis tuis ad mortẽ exhortationibus illud unum reſponſum opponat: Quę nunc habeo bona uideo, ſentio, fruor, et maiora ſpero, certe puto hæc me conſeruaturum: illa quæ tu oſtendis mihi mala, in incertò. cur iubes me certa & præſentia deſerere metu incertorum, & quæ fortaſsis nunquam contingent? An non eſt ignauus miles, qui prædam relinquat incerto metu hoſtiũ, quum adhuc nullum uideat, nec ſpeculator aduentare nuntiarit, ſed tantum uulgarit rumor poſſe uenire? adde etiam ſi tibi hoc placet, ſolere? Egó ne ut metu incommodi ſpem commodorum abijciam? & metu ne ſim infœlix, ut certã & præſentem fœlicitatẽ uidens prudensq; deponam, & moriar metu mortis? uideam ſaltem hoſtes, ſatis tunc fugiam in tempore, quum pugnare cœperimus, quum nullam proſpiciam reliquam ſpem ſalutis. nam illa quæ tu mihi horrenda proponis mala, quorũ euitandi gratia iubes me alacri & fidenti animo mortẽ oppetere, ſi quo uel fortunæ beneficio, uel conſilio, uel arte humana detur effugere, iſta ipſa uelut condimenta ſuauiorẽ mihi in poſterũ reddent fœlicitatẽ, ut cœli ſerenitas poſt nubila & tempeſtates tetras longè gratior eſt. Hæc ſi quis illis reſpõdeat, quid poterunt ipſi adijcere, niſi hominem hunc eſſe uoluptarium, non ſatis fortem, inſipientẽ? Sed pergunt nos cõfirmare: quid times, quod ante mortem? Ego uerè id non timeo, imò amplector & amo. Mortem ipſam timeo, & magis quod mortẽ ſequitur, quomodo metum mihi hunc eximitis? Mortem uelut obdormitionẽ eſſe dicitis. Neſcio, non credo, abominor, intolerabiles uideo eſſe cruciatus, quũ anima ab una aliqua corporis parte ſeparatur: quanto acerbiores eſſe oportet, quum tota à toto corpore diuellitur? Quòd ſi in ſene fortaſsis leuis eſt diſſolutio, quia naturalis: in iuuene uerò non poteſt non eſſe atrociſsima, quem uos ipſi cõfitemini ſic mori, quomodo poma uiridia adhuc & immatura, ui quadã ex arbore euelluntur: quum matura, hoc eſt ſenes ipſi, decidãt ſponte ſua. Iam poſt mortẽ magno me iubetis eſſe animo, hoc dilẽmate: Aut ſenties aliquid, animusq; immortalis erit: aut penitus cum corpore extinguetur, ut ſimul ſenſus omnis intereat. Miror homines adeò ingenioſos & doctos, hoc eſſe dilemma magno conſenſu amplexatos. nihil ne eſt tertium, ut aliquandiu poſt corpus maneat, & morti ſit obnoxius? quod Stoicis uideo placere. ut ſi iungat ſe cœlo purus, ſit immortalis: ſin impurus & ſcelere maculatus, aerem hunc perrũpere nõ poſſit, det pœnas, poſtea moriatur. Hanc ſecundã mortẽ magis adhuc timeo, quàm priorẽ. Iam quid ſi nihil ſentiã? non eris infœlix, nõ magis quàm anteq; naſcerere. Hoc dicere homines ſapiẽtiæ profeſſores? Antequàm naſcerer, nullũ habebã uitæ ſenſum: nunc poſteaquàm ſum natus, expertus ſum non ſolùm uitã, ſed ea quibus uos ipſi affirmatis nihil eſſe maius aut præſtabilius, ſenſus, mentẽ, rationem, iudiciũ, hanc mundi uarietatẽ & pulchritudinẽ ſum cõtemplatus, hoc admirandũ naturæ theatrum uidi, tetigi, mente & ratione multa ſum cõſecutus, & conſequor: iſtis me orbari tantis bonis, hoc uerò ita mihi uidetur malum, ut nullam inueniã conſolationẽ. Puero, uel dementi, ijs deniq; qui uita ſolùm corporea uſurpãt, & uoluptatibus dediti uiuũt, fortaſsis nõ moleſtum fuerit eodẽ eſſe loco poſt mortẽ, quo ante uitã fuerint. mihi uerò, qui ratione, qui iudicio innixus uiuo, intolerabile, nõ quod tum poſt mortẽ, uelim nolim, ſi nullus eſt ſenſus, alia futurus ſim conditione: ſed quòd nunc mihi reputãti nullum poteſt ſolatiũ adhiberi, niſi ſaltem in uita manere quàmdiu licet, & bono iſto tam ſimili diuinę naturę quàm diutiſsimè perfrui. An neſcitis duriorẽ eſſe egeſtatẽ ei qui aliquando fuerit diues? nunc uitæ dulcedinem experto, quam ſapientes maiorem percipiunt quàm ſtulti, miſerrimũ uidetur

in illas

in illas incidere tenebras,in quibus bonis istis omnibus priuet,imò nihil futurus sim repente ex tanto & tam admirabili:cogito quid tandē illud futurū sit,quum nihil sentiam.Chaos uidetur mihi esse horribile:nō assequor,terretur animus uel solam cogitationem refugit ac reformidat,nec pati potest. Quanto magis aditū? At somni species est suauissimi sine insomnijs,à quo nemo uellet libēs excitari. Quis id dicit? Socrates.Miror,ubi? in foro,ad iudices.Credo quanto aliter in carcere ad discipulos,homines sapientiæ studiosos,quàm ad prophanam & uoluptariā plebem? Quis enim sapienti laudaret longum somnū, & quidem sine uisis ullis atq; insomnijs:qui sciat & persuasissimū habeat, uitam uigiliā esse,& quo diutius uigilet, hoc se magis uiuere? somnū abhorrere,uelut morti simillimū,ut in uita homines sint sapientes,Deo proximi:in somno nihil distent ab stirpe,aut saxo.Negat Cicero esse ullum qui Endymionis uitam uelit uiuere,uidelicet quòd actionem tanquā rem iucundissimā amplexamur,perpetuā illam & æternā quietem non secus ac maximū quoddam malum refugimus.An Socrates ipse quatuor dies sic uoluisset dormire suauiter sine insomnijs: qui etiam eo in ipso foro uitam se ea lege accepturū negat,si sibi quiescendum sit,nec instituendū ciuitatē? Verùm quid si sentiā,& immortalis sit mens,maxima proposita gaudia,nō uides te ad æternā quandam beatitudinē migrare.Nulla est in hoc dubitatio:an nō sunt ijs qui pessimè uixerūt,supplicia? Non dissimularūt esse,sed ita tradiderunt,ut hæc fabulosa sint eorum sapientibus uisa.Ixion,& Sisyphus,& Theseus,& Phlegias poetis sunt relicta,à philosophis reiecta & irrisa:nec inuenerunt fidem,quę Plato & alij quidā philosophi de præmijs uirtutis,de pœnis scelerū balbutierūt.Ipsi enim ijdem nō satis suis ipsorū uerbis & doctrinæ assentiebātur.Cur Cicero inter tot consolationes nunc̄; illa sua utitur sentētia,è sexto de Repub. Omnibus qui patriam cōseruauerint,adiuuerint,auxerint,certū esse & definitū in cœlis locū,ubi beati sempiterno æuo fruant? quia uidelicet,ut alia permulta,dixerat ore,non pectore.Declamatum est à magnis oratoribus ætate Senecę,an Cicero roget ab Antonio uitam.omnes sunt in hoc toti,ne faciat:& proponunt ei ob oculos gloriam . Quid homini,qui duos libros de gloria scripsit,seu potius contra gloriā,cum gloria? Cur nullus eorum ex suis Ciceronis uerbis Ciceronē ad uitæ contemptū,& alterā uitam expetendā erigit & cōfirmat,quibus qui patriam cōseruarint,adiuuerint, auxerint? Quocirca relicta est consolatio philosophorū de morte, latroni grata,bono uiro suspecta.Quid enim magis gaudeat homo nefarius,quàm per mortē uel adimi sensum scelerate uitę, uel facinoribus suis paratam fœlicitatē sempiternā? bonus uerò uir quū dubiè uidet proponi dilemma,et sub cōditione,non tam de propositis præmijs lætatur,quàm de suspicione interitus animi sui solicitus est ac mœstus.Ergo istorū sapientū consolatio aptior est homini scelerato,ad eum in facinorosa uita cōfirmandum,quàm probo uiro ad solatiū exitus de uita. Quid enim aliud latroni & parricidæ dicas, quàm si eum nutantē uideris,parantē ad meliorem se frugem recipere metu supplicij? Quid tu homo ignauissime supplicium times? quod uel liberabit à maximis malis,si totus moreris:uel ad incredibilia bona transferet,si tui melior pars remanserit.Quemadmodum ferunt Dionysiū Syracusanū, quum uideret bouē à coquo suo mactari,& tam celeriter extingui,dixisse:Propter rem adeò breuē ut est mors, deponemus tam pulchrum imperiū & regnum? Nulla est ergo uera & certa bonis cōsolatio,nisi quæ sumitur ex spe alterius uitæ:quòd Deus mundi præses & iudex omniū afficiet præmijs immortalibus uirtutē,supplicijs autem uitium.Itaq; illa Pauli ad Thessalonicēses est uera & sapientissima cōsolatio:Fratres,nolumus uos ignorare de dormiētibus. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit,ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo . Hæc una tam breuis,tam simpliciter proposita,omnia omniū philosophorū tam acutè excogitata & inuēta superat. Quum autem ad mortem uentum est,quantū solatiū, quæ tranquillatio animi,quū recordamur Christū pro nobis depēdisse,illum esse interpretē & deprecatorē nostrū apud patrē efficacissimū,illius fultos uera fiducia ad æternitatē & patriam nostrā nos reuerti? Quid adferēt uniuersæ philosophorū scholæ,nō dico huic simile,sed quod ulla sit ex parte cōparandum?

Ergo

Ergo quod ſcimus pijs hominibus ſempiternæ beatitudinis locũ eſſe in cœlis paratum, nõ quidẽ uitam odimus, aut reijcimus, ſed nõ auidè amplectimur ac retinemus, deſiderantes cõiunctionẽ cum Deo. Hæc demũ eſt una maxima cõſolatio in egeſtate, in exilio, in carcere, in morbo, in cruciatibus, ingraueſcente per ſenium corpore.

DE REPVBLICA.

OPeræpretiũ eſt expendere, quàm de rebus noſtris homines impij non modo & ratione, ſed ſtomacho pronũtiant. Nam quum eos mores lex noſtra in animos hominũ inuehat, quos deſcripſimus, ipſi tamen ineptos aiunt eſſe nos ad Rempub. hoc eſt ad cœtus & cõgregationes celebrãdas & colendas. Alij grande in nos maledictum rentur ſe iacere, quòd idoneos eſſe negent bellis gerendis: quia noſtra lex nihil iubeat accuratius quàm amorem & patientiã, prohibeat odia atq; ultiones. perinde ac ſi dicant, nos parum eſſe ad exercenda latrocinia accõmodos. quid enim aliud eſt bellũ, ſi res examinetur ſubtilius? Sed quæſtionẽ hanc in præſentia omitto, quòd nõ eſt inſtituti huius. loquar de ciuitatibus, hoc eſt de hominũ conſociatione. Cuius originem, progreſſus exitusq; ſi quis animaduertat, nihil aptius uidebit illi poſſe excogitari, quàm legem noſtrã, & homines noſtra lege edoctos inſtructosq;. Non congregantur homines propter uitæ neceſsitates, ut eſt à philoſophis animaduerſum præclarè, ſed quòd homo eſt à Deo conditus animal ſocietati aptiſsimũ. idq; duabus potiſsimũ rebus declaratur, beneuolẽtia & ſermone. Deinde cõgregati iam, & domicilijs collatis, quoniã affectus in animo tumultuãtur, prauæq; cupiditates corda exagitant, neceſſaria fuit iuſtitia, quæ omnibus in cõmune cõſuleret, motus illos animorum temerè cõcitatos cohiberet, & parêre cogeret rectæ rationi. Iuſtitia autem & legibus eſt explicata, & prudenti alicui ac bono uiro cõmendata eſt, ut illam adhibitis publicis uiribus ac poteſtate tueretur. Atq; ut maximũ ciuitatis bonũ eſt pax et concordia, ita maximũ eſt malũ diſſenſio & odia publica & priuata, unde naſcunt ſimultates, inimicitiæ, lites, iurgia, & illatio manuum ad pugnam et cædes. Odia autem naſcuntur uel ex ſuperbia, & inuidentia, uel ex praua rerum cupiditate. Quæro iam, quinam erunt ad uitia hæc procliuiores? ijne qui ſolutos habent affectus ab imperio rectæ rationis, extimulatos autem immodico amore ſuimet ipſorũ, & infinita cupiditate rerum omnium: an ij qui ex lege ſua peregrinos ſe eſſe in uita meminerũt & reputãt, cupiditatesq; habẽt uel omnino nullas, uel perexiguas, intenti ſemper & incumbentes in reditũ ad patriam? Quid uerò ij qui reliquis omnibus hominibus conglutinati ſunt beneuolẽtia? Chriſtus in amore Dei & hominũ dicit legem ſuam uniuerſam eſſe ſitam, iubet nos Deum plus amare quàm noſmetipſos, homines uerò ut noſipſos, nec ſolùm amicos redamare, ſed diligere etiã & bene cupere inimicis, quiq; in nos infeſtiſsimo ſunt animo, et opera exhibẽt quoad poſſunt malefica. Hoc eſt præceptum cui maximè repugnat caro & reluctatur, ſeq; uelut indigniſsimis deuincti cõpedibus clamat: Egóne illum, qui me infeſtat, urget, lædit, placidè ut aſpiciam, & nõ referam gratiã quando poſsim, aut ſaltem peſsimè cupienti non malè uelim? adeò ut quidam cõtra naturam omnẽ eſſe præceptũ illud cauſificẽtur. Sed certè naturaliſsimum eſt, reductũ à Chriſto Domino, et reparatũ cum natura ipſa. Quid enim eſt in quod fertur noſtra mens, & quo fit præſtantior atq; excellẽtior? an non lux & cognitio? quid quo uolũtas, an non amor? nam odiũ carnificina eſt illius, & tyrannus. Tam ad naturã eſt uoluntatis amor, & odium contra naturam, quàm intelligẽtiæ noſtræ cognitio & ueritas, tenebræ autem & falſitas contra naturam. Videtur ergo tibi naturæ eſſe cõſentiens ac conforme, uelle me in ignorantiam & caliginem incidere, quòd alii quis alius incidit? an imperfectionẽ mentis meæ in ſua ignoratione tollet aut excuſabit aliena ignorantia? uitium alterius nõ diluit meum, nec purgat: qui odit in uitio, in morbo eſt uolũtatis. An non contra naturã eſt uelle ægrotare, quòd inimicus meus ægrotat? & quoniam is qui mihi malè uult abijcit perfectionẽ ſuæ mentis, tanquã ita mihi ſatisfiat, abijcere me etiã meã? Furor eſt hic potius, quàm ultio: uel uolũtas praua, infligere te tibi ipſi magnã plagam, quia id uoluit alius facere: & cupere te miſerũ eſſe, quia ſit tuus inimicus. Ergo uocat nos Chriſtus, ſed reuocat uerius, ad integrita-

tem

tem naturæ noſtræ,ad ſimilitudinẽ patris ſui & noſtri Dei:quem & ſi oderũt dæmones,atq; hominũ multi,ipſe tamen nihil odit,omnia diligit,rebusq; omnibus quantũ periplas licet,benefacit.Charitate hac tam diffuſa,tamq; late patẽti ſtabilita inter homines,quæ leges erunt opus in cœtu omni & cõmunicatione uitæ? Rectè Boëtius: Quis legem dat amantibus? maior lex amor eſt ſibi. Matri nullæ ſunt humanæ leges aduerſus filium, quoniã natura indidit eius pectori talem amoris legem,ut reliquæ omnes ſint ſuperuacaneæ.Cupiditatibus,inuidiæ,iracundiç,ſuperbiæ,rapacitati,ambitioni hominum iniecti ſunt legum freni. ubicunq; amor uiget,abſunt hæc omnia: quo fit,ut leges ſint minimè neceſſariæ. Quis iraſcit ei cui bene uult ex animo? quis poſtulet ei antecellere,quis ulciſci ſe de illo,cuius bona & mala pro ſuis ducat? quis ab eo rapere,quis iudicio repetere quod dicat ſuũ eſſe,quũ omnia quæ poſsidet putet eſſe illius,nec minus credat eſſe apud ſe quæ apud illum,quàm quæ habet domi & in arcis clauſa:ut iam ea nõ uideatur eſſe ciuitas,ſed domus una,fratrũ optimè conſentientiũ.Optabat Plato,quo firmius in ciuitate cõſtabiliretur cõcordia,ut duo illa uerba ex uſu uitæ tollerentur penitus,Meum et tuũ.hoc non perficient unquã leges, aut humana ſolertia,amor perficiet:quem indit animis nõ præcepta & uoces philoſophiæ inanes,quia fundamẽto carent,nec quid aut quamobrẽ ſequamur oſtendũt,ſed præceptum Chriſti,quod & naturale id eſſe docet,& propter Deum fieri iubet,maximumq; eſſe propoſitũ præmium demõſtrat.Videlicet Epicurei erunt meliores ſocietati,qui nec Deos reuerenẽ,ac ne habẽt quidẽ,& omnia ad uoluptatẽ & ad ſua commoda referũt. Quo magis miror fuiſſe olim plurimos qui id genus philoſophiæ ac uitæ profiterentur cum gloria,nec eſſe ab hominũ cœtibus & cõmunitatibus eiectos. quæ enim iuſtitia poteſt eſſe in ijs,qui amicitias, pietates omnes,qui ſanctum omne ac iuſtũ ad utilitates & delectationes referrent,haud quidem ſuorũ animorũ,ſed corporum? Qui ergo aptiores ad ſocietatem et cõmunicationẽ,quàm qui nec nocebũt ijs quos oderunt,et proderũt ijs quos amabũt? eſt enim amor animo et frenum,ne uelit malefacere:& ſtimulus,ut adiuuet ac ſubueniat. Erunt quidẽ leges in hac Repub. & uita,nõ quibus cohibeatur malitia,quæ nulla erit,ſed quibus interdũ gubernetur ignorãtia.Hoc eſt uerè ſeculũ aureum,nõ illud Saturno rege. exiſtit enim hoc nõ ex abundãtia & ſoluta rerum omniũ licentia,ut olim fabulãtur:ſed ex animis puris,candidis,pulcherrima flamma incenſis ad concordiã,pacem,hilaritatẽ,gratificationẽ,et beneficentiã.Hæc,uel ridicula uidebunt,uel difficilia pleriſq; mortaliũ.ut nunc ſunt mores hominibus frigidiſsimis, quos nulla unquam ſancti amoris ſcintilla calfecit. Non dubito quin multi ſint admirati,cur in Chriſtianis ciuitatibus non eſt inuenire concordiã iſtam,& mutuam beneuolentiã,aliasq; eximias uirtutes,quas nos tantopere ex lege noſtra prædicamus: ut uideatur noſtra Reſpub. eſſe ſimilis Platonicæ, quæ tota ſita eſt in legibus & præceptis,non in re & uſu uitæ. Scio dubitatione hac multorũ animos uehemẽter angi. Nos quidem non de his moribus atq; hiſce hominibus loquimur,ſed de illis moribus quos lex Chriſti in animos inuehit,& de ijs hominibus qui ſe legi præbent obſequẽtes,quales multi ſunt in unaquaq; ciuitate, & ſi minus apparent in tanta malorũ turba & multitudine:quales etiam fuerunt in prima illa naſcente Chriſtianitate, quum in pectoribus piorum ferueret adhuc ſanguis Domini,de quibus eſt in Actibus apoſtolorũ,quòd credẽtium erat cor unum.Gliſcente autem eccleſia,& populatim recepta pietate,magna hominũ fæx eſt admiſſa,qui ſecum uitia gentilitatis in cœtus religioſos importarũt,quæ nõ ſolum retinuerunt atq; exercuerunt ipſi,ſed in alios quoq; quaſi cõtagie tranſmiſerũt.Et lex quæ animis datur,facilius uiolatur,quàm quæ ſita eſt in certis cõſtitutisq; actionibus externis.Animos enim habemus magis cõtumaces,minusq; obſequẽtes imperio rationis,quàm actiones & operas:minoreq; negotio aſſuefacimus corpus ad quodcunq; eſt collibi tum,quàm animum ferocẽ,turbulentũ,plenum motibus temerarijs.ideoq; humanis legibus,quæ exteriores actus indicũt,citius diutiusq; obtemperamus,quàm diuinę, quæ regimen inducit in turbas illas affectuum. Accedit huc,quod magna & diligẽti procuratione dæmonum efficitur,ut mores Chriſtianorũ ſint & publicè & priuatim

praui ac corruptíſsimi,impiorũ autem integri, & laudabíles: ut ſi quis cõmunitatem uitæ,totamq; cõſociationem multarum ciuitatum,hominũ profanorum cõferat cum noſtris, ſceleratiſsimi omnium mortaliũ, maximeq; immanes atq; inhumani præ illis cenſebimur,quod eſt annotare quum in cœtibus & congregationibus olim gentiliũ, tum hac etiã ætate inter Agarenos,& inſulas illas,continentemq; huius Noui orbis. Sed dæmon qui eſt hoſtis Dei & hominũ,illud prȩcipuè laborat,ut homines ab amicitia & cõiunctione Dei q; longiſsime amoueat. quumq; nulla ſit maior hominis & Dei diſiunctio,q; impietas,cuius caput eſt Deum uerũ nõ agnoſcere & colere:hunc potiſsimũ errorem cupit dæmõ hominum animis iniectũ. idq; ſi perfecerit, nõ eſt de reliquis uitijs & ſceleribus admodũ ſollicitus,quoniã quidẽ hoc erroris iacto fundamento, quicquid proborum morum uirtutumq; ſuperſtruxeris, nihil prorſum ad immortalẽ beatitudinẽ confert. Itaq; ſinit eos bonis naturȩ uti,imò adiuuat ſæpenumero:quemadmodũ è contrario impedit nos atq; interturbat,ut profanorũ moribus totaq; uitæ ratione cum noſtra collata,ubi conſpicitur illos antecellere, & noſtri offendantur,iniiciaturq; eorũ animis ſcrupulus de lege noſtra:& alieni nos deſpiciant atq; abominentur,confirmenturq; in ſua ſuperſtitione atq; impietate,noſtrã uerò religionem tanquã uanam & inutilẽ reſpuant, quæ profeſſores ſui non poſsit meliores efficere.Sed profitemur nos quidẽ,quod non poſſum ſine graui dolore dícere,profitemur Chriſti legem,nõ præſtamus,quæ lex in quibus animis obſequiũ inuenit,efficit eos quales declarauimus.Non ſolũ ſic ſe inter ſeipſos gerunt homines uerè Chriſtiani,in eadẽ ciuitate & conſociatione,ſed erga homines alios cuiuſcunq; gentis beneuolentiam exercent,& opera benefica. Olim uidebantur, homines ex patria contrahere inimicitias naturales,ut Aſianus cum Europico, Græcus cum Barbaro, Iudæus cum gentili,inter quos non uidebatur poſſe interuenire recõciliatio,imò fas et pium erat inter illos odiſſe mutuò,nefas conuerſari,cõuiuere,colloqui.Chriſtus lege ſua diſtinctiones iſtas omnes ſuſtulit,& ſepta quibus gentes ſeparabãtur diruit, hominem quemcunq; cuicunq; alteri coniunxit & conglutinauit bona uoluntate: docens fratres illos eſſe omnes inter ſe,qui filij eſſent eiuſdem patris Dei. Inter Socratis oracula illud refertur,quòd interrogatus cuiãs eſſet,non Athenienſem ſe eſſe reſponderit,ſed mundanũ: quod indignũ duceret,hominẽ ſapientem,mundi ciuem,mœnibus ciuitatis unius includi:humanę menti mundũ ipſum eſſe patriam,per quem uagatur libere tanq; per ſuam ciuitatẽ,ſeu potius domum.homo Chriſtianus mundanũ ſe eſſe exiſtimat,non contemptu ciuitatis ſuæ tanquã exiguę,ſed amore pectoris ſui in cunctos ſe homines diffundente. Ante Chriſtum quàm moleſtæ diſputationes de comparatione honeſti ac utilis, quàm operoſa deliberatio? propterea quòd nec honeſtũ norant, nec quod uerò eſſet utile,quàm uarij ac incerti fines bonorũ, qui humanas mentes diſtinebant ambiguas? Omnia expediuit atq; explicauit Chriſtus.nouimus iam uerum finem,ſcimus quę uia ad illum ducat,quid honeſtum ſit,quid utile,quid damnoſum: deliberationes apertæ ſunt,perſpicuæ,facillimæ.

DE FVNDAMENTO FIDEI CHRISTIANÆ.

HÆc eſt fides noſtra,certiſsima atq; indubitabilis, quia certiſsimum atq; infallibile habet fundamentum, nempe bonitatem,ſapientiam, & potentiam Dei: tum noſtrorum animorum excellentiam,quibus nihil eſt neq; uerius, nec humanis mentibus certius.Atqui uirtutibus illis Dei fides noſtra innititur,& reputatione ad res nos eſſe factos nõ caducas & uiles,ſed diuinas & ſempiternas.Nam ſi ſapiẽtia eſt in Deo, & bonitas, proſpicit humanis rebus: ſi proſpicit, eſt cultus illius aliquis in humanis animis,& religio:ſi religio,hæc noſtra. nulla enim alia inueniri poteſt aptior & congruentior,quæ uiam & finem ſtatuit religionis maxime,& religioni aptos,& homini conducentes.Si enim Deus beatus eſt & bonus,uult nos participes eſſe ſuæ beatitudinis,& nos illius ſumus idonei ac capaces.Si autem uult,dat modum optimũ,quem ipſe nouit ſolus.Non eſt autem excogitare modum meliorem hoc,quem tot rationibus atq; argumentis declarauimus,iſte eſt igitur: & in diuerſum res quoq; idem efficit.Si hunc non uult,nec eſt alius hoc melior, & Deo dignior: nullum uult ergo, nec

nos

nos beatos.quo fit,ut uel neſciat modum,quod eſt inſipientiæ: uel nolit nos beatos, quod non eſt bonitatis,nec amoris:uel non poteſt, quod eſt infirmitatis. quæ omnia quum à diuina illa maieſtate procul abſint, neceſſe eſt profectò & ſcire illum, & uelle,& poſſe.unde naſcitur,ut & fiãt quoq;,& fieri tam ſit uerũ,certũ,indubitatũ, quàm illa quæ prius dicebã,ſapientiã,bonitatẽ, & potentiã eſſe in Deo, & præſtantiã animi humani.Itaq; cõplicata & cõnexa eſt fides noſtra cum ijs quæ dubitari nõ poſsint ab homine,niſi exuerit humanitatẽ.Iam ex uita ipſa Chriſtiana poteſt ſumi argumẽtum ad conſtituendã & ſtabiliendã fidem.eſt aũt ea uita,purgatio animi ad capiendũ atq; amandum Deum.quo quum ſit nihil ſublimius,nec Deo propinquius,à falſo uenire non poteſt:quippe falſum eſt à Deo alieniſsimum, nec Deus per fallaciã induceret in humanos animos tale & tam excellens uitæ genus, nec fraudi ac mendacio faueret aduerſus bonos, ſimplices,ipſiq; ſimillimos,& quatenus fieri poteſt proximos.Quo quis Chriſtianior, hoc Deo ſimilior, ac proinde melior ac diuinior.optimus ergo & diuinus Chriſtus,caput illius,author, exemplar.Hæc fides talis eſt, ut quẽadmodum expedit generi humano Deum qui mundo præeſt eſſe optimũ,ſapientiſsimũ,potentiſsimum,& optabile eſt eſſe talẽ,etiã ſi quis crederet nõ eſſe ita,& fidẽ noſtrã utiliſsimum eſt humano generi eſſe ueram:atq; etiam ſi de illius ueritate aliquis ambigeret, optare tamẽ deberet ut eſſet uera.Alioqui enim miſerrimũ eſt humanũ genus, quòd ad finem qui eſt ſe indigniſsimus ſit cõditum. O cæci & dementes, uult uobis Deus diuitias bonitatis & ſapientiæ ſuæ oſtendere ac cõmunicare: uos reijcitis.Sine Chriſto,uniuerſa uanitas eſt omnis homo uiuens.ut inquit Pſaltes.per Chriſtũ,nec infans unius horæ cadit in terram,tanquã tener flos à Borea deiectus.is enim cui mens talis cõtigit.nihil ut à bruto differat,ſeruatur tamen per Chriſtum. Quanta uerò omnium cõſolatio,quæ quietatio animi,quum uentũ eſt ad exitũ uitæ: quum reputamus ætatem in uitijs,in flagitijs,in ſceleribus tranſactã, ſeruari tamen & fieri cõpotem fœlicitatis ſempiternæ,per fiduciã in illum qui pro nobis omnibus dependit, & patri ſatisfecit.Hoc tantũ munus reijciat aliquis, niſi inſanus: hoc nõ amplectatur: ſaltem uoto hoc non optet eſſe ueriſsimũ ac certiſsimum: Quòd ſi expedit omnibus,profectò factum eſt ab illo potentiſsimo & optimo,qui bonitate ſua nobis omnibus bene cupit. Poſt rationes quę factæ ſunt de fide,qui iam credit,quum ſcrupulus ſubibit aliquis de ijs quæ ſunt habenda pro certiſsimis,ne laboret paſsim adhiberi rationem,et quaſi punctioni quantulęcunq; malagmata apponere:quod eſſet quum infinitũ,tum etiã periculoſiſsimũ.propterea quòd hoſtis noſter aſtutiſsimus eſt,& callidiſsimus, nec unquam quieſcit,quiq; nõ ſolum intentus eſt ac imminet ſemper ſuæ occaſioni, quum nos illã damus, ſed facit ipſe ſibi occaſiones mille modis per ſingula temporis puncta. Huius ars eſt, eiuſmodi dubitationes crebrò excitare, ut ſubinde cum eo in diſcrimen certaminis ueniamus. ſperat enim, ut ſi ſæpe prælietur, uincat aliquando. Quocirca receptæ iam & cõfirmatæ ſententiæ acquieſcendũ,& ſtandũ firmiter:proponenda ob oculos,quæ fas eſt unumquenq; ſentire de Deo & homine,quod eſt fidei noſtræ ſtabiliſsimũ fundamentum.cogitandũ etiam,bona omnia eſſe à Deo.Etſi alia ex illius bonitate ac munificentia nobis cõtingunt,quanto hoc magis rectę perſuaſionis,tantum,tam excellens, tam homini neceſſariũ: Itaq; ad eum cõfugiendum eſt,& rogandum ut largiatur hoc donum,& conſeruet, & in tentatione (quod inſtar eſt prælij) ut adſit & tueatur,illuſtretq; mentes noſtras luce illa ſua,quæ nos fulcit & firmiores efficit,quàm rationes humanæ qualeſcunq;. Nam non rarò accidit, ut qui rationibus de pietate aſſentitur, poſtea de illarum ipſarum ui & firmitate dubitet.à Deo eſt opem implorandum:quod fecerunt Apoſtoli,qui poſt cœleſtis magiſtri doctrinam,& tam ſtupenda prodigia,petunt tamen,Domine adauge nobis fidem.Hęc autem ſcripta ſunt nobis,ut fidem Chriſtianã ſciamus uerã eſſe,& uelimus à Deo petere,qui dat omnibus abundanter,nec unquam exprobrat,ut Iacobus inquit. Maximas attulimus rationes,quę omnes perpendẽdæ ſunt,& cõſiderãdæ.Nam quẽadmodum Deus ex collatione multarũ rerum ab eo conditarũ facilius cognoſcitur, uelut ex ordine toto uniuerſi,ex decurſu anni,& eiuſmodi:ita ueritas Chriſtianæ fidei,non ex uno aliquo eſt loco, ſed ex ipſa tota elicienda, partibus inter ſe collatis: & Chriſti

diuinitas ex ordine uitæ illius,& Eccleſiæ. Sed quantumuis perſpicuas & ualidas rationes attulerimus,nō deerunt à quibus fidem non impetrabimus,partim inueterata conſuetudine audiēdi et credendi cōtraria,partim ſtupore cordis,& mentis hebetudine:tum uitijs in diuerſum torquentibus.de quibus dicitur in Pſalmo:Vir inſipiens non cognoſcet,& ſtultus non intelliget hæc Dei opera admirabilia. Hi ſunt, in quos pars illa dominatur,quę eſt nobis cōmunis cum brutis:quos Paulus animales homines nuncupat,nec intelligere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, eſſe enim illis ſtultitiā. Mira dictu res,quū tot habeat ratio argumenta pro ueritate,ut obliuiſcatur omniū una leuiſſima coniectura tentationis,uidelicet inuiſam habet rationem affectus: ideo nihil eſt tam paruū,quin ſufficiat ad concitationē eius aduerſus rationē, ut in bello ciuili quiuis conſtituitur dux, modò contra aduerſarios aliquid loquatur. Illudq; eſt in rebus pietatis miſerrimū,& quod magna arte curat noſter hoſtis,ut ijs qui ſi quid quacunq; de re loquantur,ridebunt omnes,de cœlis,de elementis,de moribus,de ciuitate,ſine literis,ſine ingenio & iudicio omnia inepta & ſtulta, ſi quid dicāt aduerſus pietatem, auſcultant multi,& ſcrupulis ſe torquent. Alij magnā ſapientiæ opinionē captant,nihil credēdo,alij filij huius ſeculi,in rebus uitæ acuti,in religione nihil cernētes, quam alij eis tribuunt de ingenio exiſtimationē in rebus uitæ,tribuunt in rebus pietatis.De nulla re audet pronuntiare,niſi doctus,exercitatus, prudens: de pietate quilibet,qui nec habet exercitiū,nec ſpiritum.Alij nollent audire:qui,ſicuti eſt in libro Iob,dicunt Deo,Recede à nobis,ſcientiā uiarū tuarū nolumus.Sunt,quibus Deus huius mundi per præſtigias ſuas & dolos faſcinauit corda,& odio ſanctæ religionis,quam rationē in alijs rebus erubeſcerent petere,efflagitant in myſterijs diuinis. Vtcunque res ſe habeant,nos,quantum fuit facultatis noſtræ,lucem protulimus. Si qui uel claudent oculos,uel non proferent,quo minus ſit illis uſui,nec noſtra fuerit culpa,nec ipſius lucis:non tamen ſine dolore noſtro. Dominus Ieſus,qui cæcorū oculos aperuit,dignetur ſanare oculos omniū, atq; aperire,ut ſanctā ſuam & ſaluberrimā intueantur lucē.

Io. Lodouici Viuis Præfatio ad Francíſcum ducem Beiaris, comitem Belalcazaris,&c.

NVLLA eſt rei alicuius uel præſtabilior cognitio,quàm de Anima, uel iucundior uel admirabilior, quæq; tantum adferat ad res maximas utilitatis. Nam quòd Anima excellentiſsima ſit omniū, quæ ſub cœlo ſunt condita, atque adeò cœlis quoquè ipſis potior atq; excellentior,fit,ut quæcunq; de illa poſsimus aſſequi, permagni æſtimentur. Accedit tanta in illa uarietas,is concentus ornatusq;,ut nec terræ ipſæ,nec cœli adeò ſint depicti & deſcripti. Eſt quoquè ipſa tam admirabilium uitæ totius operum inuentrix & artifex, ut ſpectari nec ſine ingenti uoluptate poſsit, nec ſine grandi admiratione. Iam uerò quod illic fons eſt atque origo bonorum omnium noſtrorum,& malorum, nihil eſt conducibilius,quàm probè noſci:ut purgato fonte, puri dimanent riuuli omnium actionum. Neq; enim poterit animum gubernare, & ſemetipſum ad rectè agendum habere in ſua poteſtate,qui ſe non explorarit. Artifex uidelicet eſt noſcendus ante omnia, ut ſciamus quæ ſimus ab illo expectaturi opera, quibus rebus ſiue agendis,ſiue patiēdis ſit idoneus,quibus contrà. Idcireo uetuſtum illud oraculum toto orbe celebratiſsimum,in progreſſu ſapientiæ primum poni gradum illum iubebat,ut quiſq; ſeſe noſſet: haud utiq; oſſa & carnem,& neruos,& ſanguinem,quanquam & hæc quoq;:ſed animi naturam,qualitatem,ingenium,uires,affectiones præcipiebat inſpici,& tam uarios & longos receſſus ambagesq;,quantum fieri poſsit,explorari. Quibus de cauſis uiſum eſt mihi, tanta de re commentari nonnulla:atq; eo magis,quòd recentes Philoſophi,ut in cæteris diſciplinarum argumentis,ita & in iſto ſegniter ſunt uerſati,contenti ijs quæ eſſent à ueteribus relicta. ipſi uerò ne nihil omnino agerent,eas addiderūt quæſtiones,quas tum explicare eſſet propè impoſsibile,tum explicatæ nihil adferrent fructus:tanta erat libido in rebus prorſum inanibus ſe defatigare. Porrò antiqui in rebus tam recōditis ſtatuendis,magnis ſe inuol-

se inuoluerunt atq; intricarunt absurditatibus. Nec mirandum profectò est de anima illos praue sensisse, quæ sub nullum corporis sensum cadit: qui ineptissima de ijs rebus affirmarint, quas sensibus usurpamus. Stoici molestissima loquacitate infinita de blaterarũt, dum omnia cupiunt definire, & ad subtiles redigere captiunculas. Aristoteles more suo tectus est, & uafer. Ego, quæ sentiam, tradam explicatius, ad normam non luminis naturalis, quod imperiti somniant: sed ueritatis, quæ & in natura, & supra naturam unica est, nõ duæ. De quo errore & loquutus sum de Corruptis artibus disputans diffuse satis, & loquar in libris de Veritate fidei Christianæ. Itaq; nec in refellendis falsis de Anima opinationibus, quæ plures sunt quàm in alia quacunque quæstione, operam sumam: quod esset laboriosum admodum, & immensum, plusq; adferret spinarum, quàm fructus. Cum uerbis autem nõ solùm à populo inuentis receptisq;, sed usu etiam doctorum tritis, multum fuit nobis negocij: dum parum congruentia, aptare tamen conamur nostræ structuræ. Nam ut nihil est magis quàm anima reconditum, magisq; ad omnes obscurum atq; ignoratum: minimè omnium quę res ad illam pertinerent, accõmodis potuerunt uocabulis exprimi, ac cõsignari. Nos tamen quædam tolerauimus, alia expoluimus, & adaptauimus, nõnulla sustulimus, ut maximè discentium uidebatur referre. Opus hoc tribus uoluminibus explicatũ, de Anima brutorum, de Rationali, & de Affectionibus, nomini tuo dicare constitui Francisce, Dux præclarissime, me, non tam ob tua in me beneficia, magna alioqui, & (quod ego pluris facio) plenissima egregiæ tuæ in me uoluntatis: quàm quòd excellens ingenium tuum huiusmodi tractatione admirabiliter delectari solere noui. Adde, quod est de Affectibus speculatio, quæ tertio libro continetur, fundamẽtum uniuersæ moralis disciplinæ, siue priuatæ, siue publicæ. qua tu una disciplina, quod ex te ipso, quum Bruxellæ unà essemus, intellexi, præter cæteras caperis, ac teneris: iure id quidem optimo. nam nec alia ulla est æquè uiro Principi conueniens, ad se ac suos, to tamq; rempublicam ritè gubernandam.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE ANIMA ET VITA LIBER I.

QVÆ nec sunt adhærentia cognitioni sensuum exposita, neq; ijs ipsis adhærentib. teguntur, cognosci à nobis possunt ex solis operationibus. Cernere est in rerum natura quædam torpida, motus sui penitus expertia, non ali, aut crescere, non loco sua sponte cedere, sed perpetuũ in suo uestigio fixa, quomodo à prima sua origine sunt ab autore suo condita: nisi quod extrinsecus uel accessione aliorum fiunt maiora, uel detractione minuuntur, sicuti est à nobis in Prima philosophia explicatum. Alia uidemus nutriri, augeri, decrescere intrinsecus. Sunt quæ ui sua atq; impete mouentur. sunt quę præter hæc sensus habent externos & internos. postremò quæ ratione utuntur, ac mente ualent. Prima illa, quia ui & uigore prorsum carent, nõ dicuntur uiuere, reliqua propter internam illam uim censentur uiuere: quorum gradus quatuor annotãtur. Nam quæ solum nutrimentũ recipiunt, idq; ad uitam propagandã & augendã molem in corpus diffundunt, uitam siue facultatẽ altricem nutriẽtemq; dicũtur sortita: quo in genere stirpes omnes cõtinentur. Quę uerò præter eam sensus quoq; sunt nacta, hæc ad uitã referunt sensilem siue sentientẽ. huiusmodi sunt spõgię marinæ, cõchæ, & quæ stirpanimãtia dicunt, Græcè ζωόφυτα. Alia porrò uitam cogitatiuã habent, quę præter externos sensus ui quadã animi sunt prædita ad memoriã & cogitationẽ, sicut aues & quadrupedes. Vita rationalis seu humana, summa est inter uitas, media inter spirituales natu-

ras & corporales,qua ſolus eſt donatus homo.quo aũt nomine inſignitur uita, eodẽ & anima,ut ſit in alijs anima alens,in alijs ſentiens,in alijs cogitans,in hominẽ rationabilis.Dicamus ſigillatim de unaquaq;.Nutritio,eſt cõuerſio nutrimenti qua eſt poteſtate corpus animatũ,in corpus iam re ipſa animatum.Poteſtas hæc facilis & propin qua debet intelligi,quæ ex effectione & qualitatibus cõſideratur materiæ:quæ aptæ ſunt,ut ad eam mutationẽ utatur illis facultas ea,quę eſt uiuẽti indita ad ſe alendum. neq; enim aridum lignũ uel cineres eius ſunt rationis,tametſi per tranſitus actionum Naturæ aliquando in herbã & fruges poſsint conuerti:ſed eiuſmodi poteſtas procul eſt ſita,& iam alia prorſum res eſſent,quàm prius. Vitæ huius ſeu animæ altricis duo ſunt inſtrumenta præcipua in corpore, calor & humor: tametſi ex his duobus calor propriè ad uim altricem pertinet,humor ad calorem. Anima omnis cõſeruatur in corpore per calorem:hoc eſt illius inſtrumentũ potiſsimũ.ſicut uita noſtrorũ animorum calore quoquè propagatur,nempe charitate Dei. Torpent ſcilicet omnia,et emoriuntur,calore ſemoto.& quoniam hic uelut alimento quopiam indiget,ne euaneſcat ſubitò,et reſtinguatur,idcirco additus eſt humor uiuentibus corporibus,uelut frenum caloris ad prorogationẽ uitæ.Arripit humorem calor,& exugit:uiciſsim humor refrigerat calorem,& rapiditatem eius retardat, ac cohibet. nec alia eſt reductio aquæ ad frigiditatem, quam Philoſophi aliqui cõminiſcuntur, qua dicũt aquam excalfactam referre ſenſim ſe ad qualitatem ſuæ naturæ,hoc eſt ad frigorem,utiq; nõ magis aqua, ſi ab igne ſeparetur,ad frigus ſeſe recipit,quàm uinum & oleum, & quicunq; humor alius.humidum enim ui naturæ ſuæ calorem refrenat primùm:hinc,ſi nimius eſt, conſumit: unde humidum omne quamlibet facultate calidum,amoto extrinſecus calfaciente,refrigeſcit.Sed redeamus ad corpus animantis. Si in eo inualeſcat calor, naſcetur ſitis:quæ eſt humidi & frigidi appetentia,contrarij ſcilicet: tum confirmandus eſt humor,ad ſedandos ardores. Sin calor in humorẽ, & hic in illum agens delaſſentur, refocillatione utriq; eſt opus,& ſubminiſtratione uiriũ.ea fames nominatur,appetitus calidi atq; humidi:niſi quòd humor, quem ſitis expetit, tenuior eſt, quàm quem fames.Sin uerò immodicè auctus ſit humor, flacceſcit calor, & deſiderium alimenti languet,reparandus eſt fomentis:tametſi nutrimentũ omne quodammodo fotio eſt, ac medicina:ſed nutrimentum reparat animans,medicina autem inſtrumenta facultatis, quæ ſunt ulterioris contemplationis. Appetitus autem inditus eſt uiuentibus ad cõſeruationem ſui,nempe ut ſequatur utilia,fugiat à noxijs.itaq; is in libramento humidi & calidi conſeruatur,dum uel æqualitatẽ obtinent,uel eam inæqualitatẽ quę facilè poſsit æquari cibo indito aut potu:quæ profectò inæqualitas gratiſsima eſt,quippe naturalium uoluptatum,& incitamentum ad eas expetendas,& cõdimentum, ut uideantur ſuauiſsimę.Ex his quæ diximus perſpicuum fit,familiaribus nos et ſimilibus nutriri,contrarijs curari.nam ſi quod poteſtate eſt hoc,facilè tranſit in reipſa hoc, quo poteſtas erit propinquior, eo etiam expeditior nutritio: ideoq; animantes recens natæ congruenter lacte nutriuntur,quod eſt ei moli quàm ſimillimum,unde habent coagmentata corpuſcula. Conſtant naturæ corpora ex elementis naturæ, quæ quatuor eſſe in confeſſo eſt: ignem, ſpiritum,aquam,terram. hiſce omnibus alimur, uel in eorum natura, uel in facultatum ratione.aqua & aëre per ſe, in ſimilitudine autem rebus aqueis, ſpirituoſis, calidis, ſolidis, & duris: uelut ceruiſia,uino,oleo,carnibus, fructibus, aromatis. Et ſicut animantis corpus ſolidum eſſe oportet,ut quæ à facultate uitæ in eo exercentur contineat,ne diffugiant illicò,& dilabantur omnia:ita in cibis conuenit aliquid eſſe ſolidum, quaſiq; terreæ qualitatis, quod alia cohibeat liquida,& in quo hæreat uis caloris,tranſeatq; in molem animantis:alioqui ſemper animans appeteret,nec finis eſſet edendi ullus.In mari piſces alij alijs ueſcuntur: & quæ marina aqua ſola putantur ſuſtentari,ut mænæ,craſsiuſculũ ex ea ſumunt. unde etiã eſt in cõchis & oſtreis feces deprehẽdere,quod acidulus ſapor manifeſtò prodit. Stirpes ſolo affixæ,terrenũ ſuccũ per radicẽ ſugunt:ex cuius parte ſubtiliore ſunt frondes & flores,ex denſiore fructus,ex denſiſsima radix, truncus & brachia. Obſeruatum eſt etiã,nationes omnes pane uti & obſonio, uel re aliqua quæ panis uicẽ impleat:

pleat:nēpe caſtaneis,glandíbus,radicíbus,piſcíb.exiccatis.Et inter animata,ut quęq; ſunt craſsiſsima,ualidioremq; habēt in denſa materie calorem:ita rudíſsimo eſt eis & craſſiſsimo alimēto opus,ut ſub ſeptētrione,et equi et aſini,quin equus poturus aquā pede turbat,ſi fortè ſit liquidior:ſcilicet nō eſt cōueniēs ei alimentū adeò tenue.Aſianorum quidā ſolis odoríb.frugū dicunt uiuere.& noſtri Hiſpani frequentes moriuntur in inſulis Noui orbis,& altera parte cōtinentis, ob cœli & alimentorū ſubtílitatē: unde ſolída corpora,aere & cíbis denſioríb.aſſueta,nō queunt uitā producere. Eadē de cauſa aqua pura nō dícitur alere,ſed eluere.nec potus per ſe in rationē alimēti uenit,niſi ex adiuncto,quū alia immiſcentur,quę excogitauit partim neceſsítas,partim gula,& alia genera potionū ſunt inuēta,ſuccis uarijs è frugíbus expreſsis:uelut uuis, pyris,malis.Sed hic potus noſter eſt,naturæ uerò eſt ílle, quo promíſcue animātes utuntur omnes,& homines,qui ſine artíb.ſolo naturę nutu ac magiſterio regunt.idcir co uidemus eum in cōmune uitis uniuerſis largiſſimè propoſitū.Et ſicut humor calorem detinet,ita calor quoad poteſt efficere,carpit atq; exorbet humidū,coquens díſſoluensq; ui atq; operatione naturę ſuæ. Inter coquendum ſeparat utile corpori à redundanti,ac proínde noxio. Vtile corpori eſt, ſuccus corpori cōgruens, quia ſimílis: noxiū eſt,uel arida materia,uel ſuccus alienus,& ideo ſaluti corporis officiens. Vtile diſtribuitur primū in mēbra,hinc cōuertitur in corpus animātis,quod uis animæ cōplectitur,quaſiq; agnoſcit,ut partē iam ſui corporis.Huiuſce altrícis facultatis multa ſunt munia,& tanquā particulares functiones,quæ ílli uniuerſali ſubſeruiūt: nempe uis attrahēs alimentū ad ſe,quā etiā in ſtirpíb.deprehendímus, quæ fibras radicū uelut digitos quoſdā quoquò uerſum porrigūt ad capiendū, quo ſe alant, ideoq; radix omnis uim habet quandā perrumpendi,atq; aperiēdi à natura ínſitā: ut quando quidem humi eſt affixa,in duris & denſis locis poſsit ſibi locū facere, tum ad ſe dílatandum,tum ad ſorbendū,ſi quid eſt alimenti in uicino.Sed facultas hæc arrípiendi non multum prodeſſet,ſi quod admiſſum eſt,cōtinuò efflueret.itaq; retētrix additur,quę cōtinet alimentum,& cohíbet, donec perfecta ſit cōgruens eius mutatio per potentiam coctricē.Huic adiuncta eſt purgatrix,quæ purū ab impuro ſecernit, impurū uerò expultrici,ut foras eíciat,traditur:purū uerò diſtríbutiuę,ut diffundat in membra. Poſtrema omniū eſt,quæ ſuccū íllū ſiue alimentū cōuertit,& incorporat in ipſum uiuens:incorporatrix ſanè nuncupetur.Hæ functiones mutuò expectant,& adiuuant. prius enim alimentū coquítur,quàm díſcernat: & hoc, antequàm expellatur noxiū: neq; attrahēs ſuo fungetur munere,ni euacuatū ſit corpus:nec coctrix,niſi prioris cíbi facta ſit expurgatio,ſed ſi qua earum ceſſet in officio, ſtatim in alíjs quoq; ſentítur ſegnities quædā & deſidia:tanta eſt inter íllas conuentio,& cuncto corpore diuínitus temperata proportio,quæ facile nos in admiratiōnē duxerit tanti Artíficis, cuius opus tale eſt,ut nō dico imítari (id enim nulla poteſt alia uel uis,uel ſapientia)ſed uel mente & ratione aſſequi,magnum & pulcherrimū ſit.Hæ facultates non certas habēt ſedes in animato corpore,ut unaquæq; in aliquo uno ſit mēbro,non in alíjs. fuſæ ſunt enim in omni parte & membro,tametſi in alíjs maiores,& magis annotationi noſtræ expoſitæ:in alíjs minores,et magis obſcurę,adde etiam diuerſarū rationum. Cernere eſt in perfectis animantíbus,in quorum uentriculo concoctio fit in modum ptiſanę, in iecore uerò ſanguinis, in membris autē ſubſtantiæ animantis.Et primùm quidem ſubſtantia eſt uniformis,ac ſui ſimílis:tum diuerſa ac díſsimilaris:nec eſt unquam coquendi,& purgandi,et pellendi finis,aut ocium aliquod,calor enim cōtinenter ferue facit humidū:nec ullum eſt adeò purū,quin habeat feces,quæ ſeparētur.Idcírco uniuerſum animātis corpus meatíbus eſt quaſi perforatū,& peruium expulſioni purgamentorū,quæ fit dies et noctes,primùm per patentes íllas cloacas ſuprà et infrà,ore, naríbus,auríbus,oculis:dehinc íjs,quæ uocantur emunctoria ſub alis,& ad inguina. cuncto denique corpore exhalant ſubtiliores feces : quod declarāt capitis furfures,& ſcabricies,ablutio quoq; manuum,quæ ſemper inuenit quod eluat.ad eundem modum in pedíbus,et in omni parte corporis.Hac de cauſa toties neceſſe habet animās cíbum ſumere,ut quod perpetuò perit,inſtauretur. Hæc facultas nutriens prima eſt, & ſimpliciſsima omnium,ad ſuſtentationem animantis à Deo tributa,

DE AVCTRICE FACVLTATE.

Viuentia omnia aliquouſq; uidemus creſcere,& plurima illorũ gignere ſibi ſimile.Itaq; nutrici facultati addita eſt auctrix quidẽ in omnibus,generatrix in pleriſq;. Auctricẽ ut omnibus ineſſe diximus,ita nõ ſemper.nam & ſiſtunt aucta,& relabuntur retrò,minuuntur enim,quaſiq; cõtrahuntur,quemadmodũ augendo ſeſe exporrexerant.Generatrix certo aduenit tempore,adultis uiribus:quæ uiciſsim decremento potentiæ debilitatur omnino,ac perit.Altrix ergo potentia,perpetua eſt in uiuente:auctrix uerò,& quæ ſimile generat,temporaria. auctrix ſtatim ab ortu,uſq; ad certũ limitẽ:gignens uerò,poſteaq; ad certam magnitudinẽ & uires peruenit.De augente dicamus prius.ea nõ eſt additio extrinſecus,ut quum lignorũ et lapidũ aggregatione ſurgit domus,& ueſtis aſſuendis pannis:ſed eodem tacito atq; occulto artificio,quo nutrimur,nempe cõuerſione alimenti per intima extẽditur quantitas extrinſecus.Itaq; uis hæc ex nutriente manat,& cibus nutrit,qua eſt ſubſtãtia cõgruis qualitatibus prædita:& auget,qua moles.ideo animantiũ corpora in ſpõgiæ modum finxit Deus: & ſi alia denſiora alijs,minusq; perforata, omnia tamen poros habent,per quos alimentũ ſe inſinuet,et moles ſe diffundat.Sunt qui metalla inter res numerent anima prẽditas,quòd uideamus ea creſcere,& quidẽ intrinſecus,ut appareat nõ fieri abſq; alimento.quæ opinio haud prorſum eſt abſurda.neque eſt quod prohibeat,illa quoq; recipi inter uiuentia,nec ea ſuis carent meatibus,tametſi illorum auctus ad applicationem molis poſſunt magis referri,quàm ad actionẽ altricis,quemadmodũ creſcunt fontes ac fluuij humore accedente: ſaxa item in imis terræ,& ſcrupi ac lapides in ſuperficie.Ignem quoq; uiuentẽ eſſe exiſtimarũt olim quidã,unde religio eum extinguere apud ueteres Romanos (uti Plutarchus tradit) ſcilicet ali eum, & creſcere autumabãt.ſed profectò nõ tam eſt ignis animãs,quàm quiddam altrici uirtuti,et augenti ſimillimũ:nempe earum facultatũ in corpore animato nõ cauſa utiq;,ſed inſtrumentum.nam cauſam nõ eſſe,probè Ariſtoteles colligit.quoniã quidem ignis incrementi nõ habet terminũ:extenditur,quantũ ſuppetit,quod cõburatur,animãtis uerò meta,eſt aliqua ex ratione animæ:alijs aũt citerior,alijs ulterior,pro ui & magnitudine caloris et humoris,tum naturaliũ et primorũ,quos in ipſa corporatione natura inſeuit:tum eorũ quæ poſtea ex alimẽti,& loci,& habitudinis qualitate acceſſerũt.hæc omnia intra certos limites Conditori Deo cognitos,naturę autem à Deo ipſo prefinitos:de quibus facilius nobis fuerit ſtatuere,qui nõ ſint,quàm qui ſint.neq; enim ulmi aut quercus proceritatẽ homo unquã pertinget,nec formicę exiguitate humana anima cõtinebitur,ſuis quidem facultatibus & inſtrumẽtis apta atq; adornata.Legi,qui ſtatim in ortu pueri,quam ſit habiturus ſtaturã prædicant. ſed id magis in generibus quantitatis,quàm in definito aliquo puncto:ut ex membrorum cõſtitutione & oſſibus,& totius proportione dicant, puſilla ſtatura eum fore,aut media & iuſta,aut longa atq; enormi,quadrato corpore,& bene compacto,aut è cõtrario . Quid,quòd illa quæ deinceps accedũt,aliquid ſæpenumero eam ad rem faciunt: ut nutriri aridis,an humidis:in calido & ſiticuloſo loco,aut frigido & humenti.humor enim auget corpora:eoq; maiores ſunt marinę beluæ,q; terreſtres : & hæ,quàm uolucres:& in locis humidis ampliores homines,quàm in arentib.ut ad ſeptentrionẽ q; ad meridiẽ:et potus magis extẽdit corpora,q; cibus.Hæc augendi functio ad perfectionẽ uniuſcuiuſque uiuentis eſt tributa. Viſum eſt enim autori omnium,eas leges operæ ſuæ naturę imponere,ut quæ ex his elementis mundi inferioris in apertũ edat,adoleſcãt paulatim ex paruis initijs,tum adulta iam et quaſi plena ſiſtant pauliſper gradum,hinc recidant ſenſim in ſuam originem: quemadmodũ bis per ſingulos dies animaduertere eſt in motu Oceani. Hæc productio rerum à natura facta, imago eſt mundi à primo conditi. Non poteſt natura,res è nihilo procreare:ſolus id poteſt Deus.producit autem tam tenui principio,ut iudicio noſtro non ualde uideaẽ abeſſe à nihilo:tum productum ſuſtentat,atq; auget. in quo admiramur & bonitatem & potentiam Conditoris in ea,quæ eſt uelut ſecũda creatio. Tum exhauſtis uiribus, quum iam ſuſtinere ſe non poteſt,quod creuerat,diminuitur. eſt enim cuiuſq; rei curſus & duratio uelut iactus quidam,ſicut in Prima philoſophia eſt declaratũ.Hàc uadunt omnia,quæ ſub

luna

luna cernimus,& cõtrectamus,tum Dei opera,tum hominũ inuenta.Prima illa corporis animati constitutio,et cõtemperatio caloris humorisq́,opificio naturę indita, postq́ se totã ceu inuolutã euoluit,atq́ explicauit,pugnãtibus in eam loci & alimentorum qualitatibus deteritur indies,fitq́ imbecillior,quousq́ succũbit manibus aduersantiũ,hoc quidẽ naturaliter. Nam casus permulti intercurrũt,qui nõ sinunt eam cõstitutionẽ aliàs euolui,aliàs sistere,aliàs paulatim relabi:sed subitò,aut breuiter,certè uiolẽtia sua opprimunt.Fit etiam nõ rarò,ut ea cõstitutio imbecilla sit admodũ,materia nõ satis obsequente actioni naturæ: uel quia parua & malignè suppeditata,uel quia infecta noxia qualitate.Instrumentum animæ altricis et augescentis est calor,pastus caloris humor. est aũt calor quidẽ à natura ingenitus,est etiã humor ei additus: qui fusus quidẽ est per cunctum corpus,sed fundamentũ habet in neruis,in ossibus. Hic multus est initio. quæ causa est,ut infantes inualidi sint,ne sensib. & ingenio utantur,tum somno indigeãt diuturno.hunc calor paulatim carpit,et emendat.Sed ad uim caloris auertendã,ne breui tempore totũ humidum cõficiat,tribuit Deus esculenta & poculenta,humidum tamen illud indies fit minus:calor autem ut in sicco acrior,quoad satisfat deficiente alimonia,unde & uires corporis flaccescunt.ita relabitur deorsum paulatim corpus eisdem ferè gradibus,quibus ascenderat,

DE GENERATIONE.

POstea quàm adoleuit corpus uiuẽs,incipitq́ interitus appetere,ne genus rei pereat,concesit Deus Naturæ,ut uim generãdi sibi simile,& propagãdi genus uiuentibus possit indere.Primum natura initijs rei,unde est officium nutriẽdi,tum incrementis augendi,postremò conseruandi singula,quandiu potest,certæ speciei per procreationẽ similis:ita generationẽ uidemus esse opus animantis,iam pleni & adulti,hoc nõ solum in animalibus est annotare,sed etiã in stirpibus. Veris enim tempore tota uis est in radice,hinc in folijs et ramis,postea in flore & fructu,ad postremum in semine,ex quo fato prodit planta priori similis. Itaq́ generatio est cõuersio animati corporis,quod re ipsa est semẽ,in aliud simile illi,ex quo fuit desumptũ,& quoniã nutriri,adolescere,gignere,ex alimento sunt: idcirco sub animæ uegetantis nomine clauduntur,eamq́ Aristoteles definiuit facultatẽ,quæ alimentũ in corpus animatum cõuertit ad eius salutẽ,& ex eo auget ad cõplendã iustam eius molem:& generat corpus animatũ suæ formæ ac rationis. Semen in parua molis portione uim effectionis suæ cõtinet:quæ nacta congruentẽ materiã,profert se atq́ explicat. Itaq́ magis id ad rationẽ effectionis pertinet,q̃ molis.Ideoq́ postremũ accedit,uidelicet posteaq́ uis uegetatiua functa est suo munere in augendo corpore.tunc enim uacat ei de ijs qualitatibus,quę animã in corporis administratione cõtinent,multũ exiguo in loco colligere,unde mox similis effectio arcessatur,quantũ quidẽ materię qualitates patiunt̃; nam quum hæ repugnãtes sunt ijs qualitatibus,quæ effectioni cõgruunt,degenerat quod producit̃:ut in terra,quũ diuersi generis stirpes edit ab ijs,unde erat semen desumptũ:& in mõstris animantiũ, & in muliere,quũ pro puero edit beluam nõ unius formæ.quod frequẽs est Neapoli Italiæ,& in Flandria Belgica:in quarũ mulierũ locis gignuntur beluæ multiformes,sæpe solæ,aliàs cum infante,interdũ puero à belua uel semeso uel exucto.Crassissimo uidelicet, maximeq́ putri humore eiusmodi mulieres abundãt ex alimẽtis brassicarũ,& ceruisiarũ potu.nec secus eiusmodi procreãtur in illis beluę,q̃ lumbrices in utero pueri ex crudis fructib.prauitas em̃ receptacti adfert uim facultati specificę feminis,& cogit uel nõ producere rem suę speciei,uel aliquid aliud cũ ea.Mola quoq́ ab eadẽ est causa.Ex semine nõ raro ꝓuenit degeneratio,quũ est corruptũ deprauatione interna,in sua productione:uel externa,à loco, tempore,uel adiecto aliquo. De uiuentib.alia generationẽ habent spontaneã,ut muscę,culices,formicę,apes:quę nec sexũ ullum habent. Alia ex cõmixtione sexuũ prodeunt: ut homo,equus,canis,leo.Sunt quæ ambiguam habẽt procreationem,ut mures.nam eorum alij ex sordibus sine cõcubitu,alij ex cõcubitu proueniũt.Stirpes omnes spontaneam habent originem : primùm ex suo ipsarum semine,deinde etiam ui terræ,in quam sparsit mundi Conditor semina herbarum omnium,fruticum,arborum.Alia alijs locis,nam frumẽta & uineta,quę tanta nostra cura excolunt̃,naturalia

sunt.

ſunt,et à primo ſponte ex terra orta,neq; enim ipſi fecimus.Ferunt in Sicilia triticum ultrò prouenire,abſq; hominũ cura:nos tamen induſtriã adhibuimus,ut uſui noſtro aptiora fiant.Idcirco qui cultũ hunc uel excogitarũt,uel alios docuerũt,pro inuentoribus eiuſce rei celebrantur:uelut Ceres tritici,uini Noe,oleæ Minerua.Sunt quædã arborũ,nec fructũ ferẽtes,nec ſemẽ,ut tamarix et populus:quę ideo infelices appellãtur.ſed quę non propagant ſemine,ijs pro ſemine eſt ſurculus ex ipſis decerptus,aut terræ natura ac uis.Quæ cõmixtione ſexuũ procreãt,in ijs eſt mas,unde ſemẽ decidi tur:et fœmina,quę illud in ſe recipit.ideo generatio perfecto iam animãte aduenit,ut ſit unde ex mare ſine damno poſsit ſubtrahi,et fœmina ſine incõmodo ſuo excipere, deq; ſua ſubſtãtia alere atq; augere.Quod eſt in uiuẽte corpore pręcipuũ,quaſiq; animę proximũ,ex ſemine patris ſuborit:quod aũt craſsius,ex materia matris,eamq; ob cauſam mas calore præſtat,tum ad expellendũ ex ſe ſemẽ,tum illis ſpiritibus cõmunicandis:fœmina aũt frigidior eſt & humidior,ad cõtinendum ſemẽ,alendumq; fœtũ. nec aliter uiri ſemẽ,et materia fœminæ ſe habẽt,quàm granũ ſeminis ſtirpis alicuius, & terræ ſubſtãtia.uis enim procreãdi hoc genus arboris,eſt in ſemine:moles aũt,qua arbor alitur augeturq;,ex facultate terræ.itaq; expromit ſe atq; explicat uis & natura ſeminis in materia,quam terra ſuggerit.Differentia autem inter ſexus parua eſt.nihil enim aliud eſt fœmina,quàm mas imperfectus:nempe cui iuſta fuit caloris menſura, itaq; ex inopia uidetur naſci fœmina.Sed ea eſt tamen principis naturæ inſtitutio,ut utroq; ſexu ſit opus in animantibus,alter ex uiribus naſcatur, alter ex imbecillitate: nec deſit unquã utraq; cauſa ad utrunq; procreãdum. & qui ex malis nouit bona elicere,idem profectò ex infirmitate educit robur:tanta eſt huius Conditoris ſapientia. Quæ animalia proportione ſuæ corporationis multũ de paterno acceperũt ſemine, ualẽt ſpiritibus,agilitate,uiribus,ſubtilitate animi: quæ cõtrà plus de matris materia, tarda ſunt,& laxa.In ſtirpiũ propagine magna eſt inter genitũ et gignẽs ſimilitudo figurę atq; ingenij,minor in animalibus,ſed maior in brutis q̃ in hominibus:propterea quòd in illis ſtabilior eſt imaginatio,quàm in nobis.nos enim magis uagamur animo.Genitricis facultatis hæ ſunt uires particulares.Expultrix in mare,qua ſemen effunditur,& in fœminã immittitur:in fœmina aũt,cõtinens & aſſeruans.tum immutatrix,quæ ſemẽ maris cum materia matris cõmiſcet & temperat,quatenus et corporis et cuiuſq; membri cõtemperationi cõducit.formatrix,quę membra format et ſignat: poſtremò,quæ ſtato naturæ legibus tempore fœtum excudit.Hæc eſt anima uegetatrix,cum ſuis functionibus:quæ quoniam ſunt tot,tam uarię,par eſt ut uaria ſint ei inſtrumenta & loci,quibus exerceãtur:unde partes in animãte exiſtunt,et membra,nõ uniuſmodi,& ſimiliaria,ſed facie & qualitatibus uariè atq; admirabiliter diſtincta.

DE SENSIBVS.

HÆc uitæ ratio,& plantæ & animalibus eſt cõmunis. ſed in animalibus quiddã uidemus ineſſe,cuius plantæ ſunt expertes: nempe cognitionẽ,intueri,audire, tangere,guſtare,odorari,quæ ad externa pertinẽt:quũ tota plantæ uita introrſum ſpectet,exterorũ orba & ignara. Cognitionis tria ſunt genera:unum,quod nouit corpora tantummodo præſentia:alterũ,quod etiam abſentia:tertiũ,quod res incorporeas. Primi generis cognitio,ſenſio uel ſenſus nuncupaẽ,et ſi nomine parum apto.quippe quod nõ minus patet latè,quàm ipſa cognitio.Sed utendum erit receptis uerbis.niſi fortè planius fiat,ſi quis corporalẽ ſenſionẽ dixerit: q̃d equidẽ nõ impedio.Ea uerò eſt cognitio animæ,per extremũ corporis inſtrumentũ.Animaduertimus in animali oculos,per quos cernit:aures,per quas audit:nares,per quas odoraẽ:palatũ,quo ſapores dijudicat:& totũ corpore ſenſum quendã diffuſum calidi & frigidi,humidi & aridi.hæc ſenſoria uocãtur,quaſi organa & inſtrumẽta ſentiẽdi,uel ſenſionũ receptacula:in quibus uis illa ſentiendi artifex,& effectrix ſenſus nomineẽ.q̃d uerò ſentitur, ſenſile dicitur.Ita ſunt in ſenſione duo prima,uigor & ſenſoriũ,hæc utiq; naturę poteſtate.ut uerò ea poteſtas ſe exerat,addit aliquid in q̃d,obiectũ ſcilicet,ac uelut ſenſionis materia.Iunguntẽ ergo ſenſus et ſenſile,ad ſenſionẽ. Quæ porrò in natura iunguntẽ diuerſa,medio aliquo utriq; cõſentaneo applicãtur:ut quũ os carni annectit per cartilaginẽ.medium eſt ergo,quod & ſenſili cõgruit et ſenſui:ut in uiſu uel auditu,aere

aut

aut aqua. Habet quoq; mediũ cauſam aliam, ut ſenſile quodammodo extenuetur diſtantia, minusq; ueniat materiale ad ſenſoriũ, magisq; ſenſus naturæ congruens, quæ eſt ſpiritalior, quàm ipſum ſenſile. Conſentanea uerò exigitur diſtantia. nam ſi procul abſit, extenuatur ſiue miſſa à ſenſili imago, ſiue ea uis quæ in ſenſu imprimitur à ſenſibili, nulla ut iam ſenſio poſsit exiſtere. Cuius imaginem intueri licet in ſigillo ceræ impreſſo: quæ ſi ſit craſſa, non adeò in medio eius hærebit forma atque in ſummo, quod eſt annulo proximũ. Sed diſtantia non ſimplex eſt, & ubique eadem. alia enim eſt alibi pro portione ſenſus, & ſenſilis, & qualitatis mediĩ. Oportet item ſiue analogiam ſiue proportionem eſſe aliquã inter uim ſentientem, & ſuum ſenſile: ut hoc intra limites illius concludatur, nec ſit tamen adeò tenue ut fallat: quemadmodum minuta grana, molare ſaxum effugiunt in moletra.

DE VISV.

DE uidendi ſenſu primùm eſt diſſerendum. is enim ſimpliciſsimus eſt, ac notiſsimus, adeò ut eius appellatio ad reliquos ſenſus, adq; animi cognitionẽ extendatur. Vides ne, inquiũt omnes, quàm ſuaue pomum, q; graue æs, quàm dulcis cõcentus, quàm teter odor atq; auerſandus, ut acutè confectum eſt argumentũ: ita reliquæ omnes notitiæ ex hac una intelligũtur, & oculi ſunt in animo nõ minus quàm in corpore: et quę de uiſu dicunt, ut acutus ſit uel hebes, ad cęterorũ quoq; ſenſuũ functiones accõmodantur. Autor rerũ omniũ lucẽ ſuam per uniuerſum mundũ diffudit, ſpiritalẽ in ſpiritalia, corporalẽ uerò in ea quæ eſſent corporata, ut eius beneficio & ſpiritus intelligerent, & oculi corporei cernerẽt. ſic in angelo ſpiritalis eſt lux Dei, in ſole aũt corporalis. Lux hęc, quę corporis in modũ per moles eſt recepta, cùm in raro hęſit corpore, efficit illud pellucidũ, ut cunctũ poſsit cõſpici: uelut uitrũ, aquã, aerem, q διαφανὲς Græci nuncuparũt. quũ uerò denſiorẽ nacta eſt materiã, excluſa ab intimis hæſit circa ſumma: eaq; tenuis lux, quod in extima facie cõſpicitur, uocatur color. nõ quin colorata ſint etiam corporũ intima, ſed coloris effectus in ſuperficie eſt. Color aũt pro lucis portione uariè temperatur. nam uel plurimum lucis retinet, quod uocatur albũ: uel minimũ, quod atrũ. in quo ſunt etiam diſtinctiones, & ceu gradus quidam. nam eſt album & candidũ, eſt atrum, nigrũ & fuſcũ: ex quorum cõmixtione & temperamento, alij atq; alij colores apparẽt, quidã albo, quidã nigro uicini: alij tanq; in meditulio amborũ, quæ omnia eſſet recenſere penè infinitũ. Nam ſub ipſis formis ſunt aliæ uelut minores formæ, quas non ſit perſequi numero. Declaratur hoc, quòd in ſolo uiridi nulla eſt herba, nulla arbor, quæ non proprium quendam habeat uirorem, & ſuum ab alijs omnibus diſtinctũ. Senſorium uiſus exterius quidẽ ſunt oculi, interius uerò duo nerui à cerebro pertingentes ad oculos. Itaq; exterior lux cum illa oculorum cõiungitur, ad notitiã uidendi: ſicut lux ſpiritalis cum luce mentis, ad intelligentiã. Nec uideri quicq; & diſcerni poteſt, ni adſit certius quidã uel lucis uel luminis modus, pro ui & potẽtia oculorũ. neq; enim quantuluſcunq; ſufficit, ut de nocte, ſicut rurſum immodica lux obruit oculorũ uires: ut ſi quis noſtrorũ ſolem ſerenũ occidentem cõſpiciat, quod incõmodum aquila nõ ſentit. Lux uerò, ſeu lumen, quod hìc nõ diſtinguo, haud adeò eſt neceſſaria propter interuallum oculi & uiſilis, quàm propter ipſum uiſile, ut tenuis lux à maiore adiuuetur. nam ſi circa uiſile non ſit lux, tametſi in reliquo ſit interſtitio, ſint tenebrę: circa uiſile autem lux, cernetur. itaq; qui de nocte faces aut laternas geſtãt, ipſi uiſi ab alijs, nõ uident eos. Quapropter res quę plus participãt lucis, facilius in tenebris cernũtur. ut prunę, adamãtes, pyropi, nix, ſpecula, aurũ, argentũ, cuprũ, orichalcũ, læuigata & polita, & animalcula quæ cicindellæ nominãtur: quorũ omniũ lux diei ſplendore obruitur, de nocte exiſtit, ut aliorum minorũ luminũ in maioribus. Nec ſolũ ſibi ipſa ſuppeditãt hæc lumen in tenebris ad ſui cõſpectum, ſed impartiunt uicinis rebus. Spaciũ autem oportet eſſe aliquod, et quaſi interuallũ, inter colorem & oculũ. oculus enim nihil cernit primum & per ſe, niſi lucem: ideo hunc abſq; interuallo intuetur. Quòd ſi color oculo ſuperponatur, nõ cernet eum: quia excluditur lumẽ, cuius ope fit notitia uiſus. Sin uerò longius color recedat, nõ intuebitur: ſiue quod uiſus potentia imbecillior eſt, quàm ut eò pertingat: ſiue quod radij qui à uiſili ad oculum tendunt, tanta loci intercapedine cõtabeſcunt.

Princeps

Princeps uiſile,uti modò dicebam, eſt lux: & quæ uidentur reliqua,modo quodam rationeq; lucis cernũtur,nempe radiatione in formã pyramidis:cuius baſis eſt quod ſpectatur. conus autem attingit pupulam, ſæpe non totus:neq; enim rei magnæ uniuerſus conus ſub magnitudinem pupulæ poteſt cadere.ideo pupula diligenter ſe circumuoluit,mira celeritate,ut omnes lineas coni,quoad eius facere poſsit, perluſtret. Qua de cauſa uiſile quod agitatur, minus certo cõſpicitur, quod lineæ coni non tam fixè feriunt centrũ pupulæ,quàm ad uiſionẽ conuenit. Turbatur quoq; uiſus in commotione interualli,ut in aére: ſed manifeſtius in ijs quæ denſiora ſunt, uelut aqua & uitro. Qui oculo hebeti ſunt uiſu, ijs maiore opus eſt cono ad uidendũ: idcirco procul nõ uident.adhibẽtur pro remedio cõſpicilla, ut res appareat maior, quo ne debilem aciem ſubterfugiat. Alij quũ quid intentius uolunt intueri,contrahunt genas,ut ſimul uis oculorũ in ſeſe recepta ſit efficacior,ſimul imago rei arctius coacta,ne ſe effundat,ſed amplior ſenſorio imprimat,atq; ſtabilior:quod in ſpeculis atq; oculis animaduertimus uſu euenire. ſpecula enim, & oculi cõcaui imaginẽ cõcipiunt maiorẽ: tumẽtia uerò ſpecula,& oculi extantes,minorẽ. Oculi nullũ ex ſe habẽt colorẽ. nam ſi quẽ haberẽt,omnia putarent eſſe eiuſdẽ coloris: ut qui per uitrũ ceruleũ intuentur, aut rubeũ,omnia iudicãt eius eſſe coloris. & in uehementi atra bili multa eſſe cenſentur nigra,& in iracundia ſanguinea uel lutea,quæ non ſunt.Ergo primũ uiſile eſt lux, ſecundum color,tertium adiacẽtis gratia,quod luce aut colore eſt cõueſtitum. Tametſi ea quæ ſolam obtinent lucem,uelut aer rarus & liquidus,non dicuntur ſpectari, propterea quod quale ſit,nemo facile dicat:ſicut aquã uel uitrum dixeris,in quibus denſior materia lucem reddidit,ad naturam coloris propius accedentem.

DE AVDITV.

ESt & alter ſenſus,quo percipiuntur ſoni.neq; enim oculis ſonos dinoſcimus. Sonus quid ſit,difficile eſt explicare. Gignitur ex plaga duorum corporũ,qua aer pellitur uſq; ad aurem.Sit'ne aer ita impulſus ſonus,an ea corporum cõmiſsio,an aliquid adhærẽs eſſentiæ,difficilis ad explicandũ quæſtio,& minimè neceſſaria. Nec aliter in aere fit ſonitus,quàm orbes illi in aqua,iacto in eam lapide: & in orbem ſonus porrigitur,magis ac magis ſeſe extenuans & hebeſcens.qui orbes ſi frangãtur,priusquàm ad aurem pertingãt,imperfectus auditur. ideoq; molẽ eſſe ſolidã,duramq; eſt neceſſe,qua pellatur aer:nam molles nõ habent eam uim,ut linũ & lana. Leuior aũr, & latior & cõplanatior materies, ſi duritiei adſit, ualidè aerem ferit, & procul pellit integrum:ideo latius ſonat,ut in aere.latius adhuc,& integrius,ſi ſit caua:ſicut in lebetibus & cymbalis,propter crebrum repercuſſum.plaga enim cõgeminatur. Aſpera uerò ſuperficies aerem diffringit,& raucum cõfuſumq; quiddã ſonat. Oportet aũt aerem tum impelli,tum nõ diſſolui.Itaq; ſimul & ictu eſt & celeritate opus,ne ſi remiſſe cõmittantur corpora,lentus aer circulos ſuos cõtinuò diſsipet.præuertẽda eſt ea diſsipatio celeritate plagæ:ut quum uirga aut ſcutica aer intẽtè cæditur,uelocitas ictus nõ patit orbes aeris diſturbari,exiſtitq; ſonus,in quo percuſſus aer eſt pro mole icta:proximus uerò,interualli habet uicẽ. Senſorium eſt exterius quidem auris,& craſſus quidã in ea aer,quaſiq; humor:interius uerò,nerui ab auribus ad cerebrũ pertinentes.Hic aer auricularis cum externo illo cõiungitur,qui eſt uerberatu corporũ pulſus:unde fit auditio,ſicut ad uiſum lux cum luce.Naturalis huius aeris indiciũ eſſe aiunt,quod ſi quis auriculã manu cõpreſſerit,ſentiet intus ſtrepitũ,ſcilicet moto illo aere. Cæterùm ſi quis ſit illic aer, quem ego potius tenuẽ humorẽ ac ſpongioſum eſſe arbitror:ſed is tamẽ motu omnino caret,& ſonitu,qui de reliquis eſt ſonis cognoturus.bombus uerò ille ex aere eſt externo,qui admota manu cõcluſus inter auriculæ mæãdros ſinusq;,& exitũ quærẽs,ſonũ illum ædit,quemadmodũ in retorta buccina. In aqua etiã audiri,ſunt qui affirmẽt,q; piſces audiãt ſonitus:quod mihi uerũ non uidetur.neq; enim piſces in aqua audiũt,ſed motũ aquę tactu ſentiũt. Non quod abnuam audire piſces aliquos,quorũ annotamus ad officiũ audiẽdi perforata capita in modũ auriũ:et extra aquã ſonitus exaudiũt,quos attentè auſcultãt,aliàs admirãtes,aliàs territi,aliàs quoq; illicefacti. uerùm naturæ arcana ſunt,nobis incõprehenſibilia. Fieri poteſt ut piſces aliqui ſub aquas audiant,& hoc ſit illorum ingenium:itaq; hoc

ſit re-

sit relictũ in medio,in cæteris aũt,quà nõ est aeri aditus,nec sono:ut per densissimos parietes. Vidi tamen in cemeliarchio Menciæ principis Zeneticę globũ aureũ absq; ulla rima operis temistitanici,qui intrinsecus edebat sonum ab scrupulis,uel auri bracteolis,sed auri lamina exterior erat prætenuis,quæ ab scrupulis internis icta,ipsa aerem uerberabat,unde existebat sonus.Aër ictu moliũ dissiliens,si occursu solidi corporis integer reflectatur,unde uenerat,fit sonus reflexus, siue reciprocus,qui à Græcis ἠχὼ nominatur.quanto uerò uicinius est,quò impingit,& integrius resultat,tanto fit maior echo,& plenior: minor autem & confusior, quo uel corpus est longius,uel confractior est aer. & quia postrema impingũt potius quàm prima,idcirco echo semper quod ultimũ est soni, explicatius reciprocat. Reflecti semper aerem percussum, ideoq; semper etiam echûn fieri,merito Aristoteles affirmat:sed non percipi à nobis, propter tenuẽ reflexionẽ.aer enim,etiam si nullũ corpus solidũ occurrat,non impellit aerem uicinũ, quin ab illo uicissim repellatur: sed uincit aer cæsus proximũ aerem quietũ,impete ac uiolentia, quam ei corporũ concussus dedit. quo fit,ut ualidis uentis spirãtibus,minus soni audiant̃,noctesq; sint ad audiendũ aptiores q; dies: quippe in motu uenti aer cęsus,nõ se perinde expãdi,sicuti quũ quieta sunt omnia.q̃d cernere est in aqua fluctuãte,in qua orbes iactę rei cõtinuò disturbant̃.Sonus est,sensile auditus:corpora aũt,quæ sonãt propter sonũ,ita quæ corpora sonũ non emittũt,ut lana & linũ,inaudibilia nuncupant̃.Sonus in actione ipsa uel tardus est,uel celer:in sensione autem acutus aut grauis,& quę sunt inter hęc duo interualla graduum complura.

DE TACTV.

COnstitutio prima naturalis corporis,elementa naturæ cõplectitur. quorũ qualitates ac uires principes ac simplicissimę sunt,calidũ,frigidum,humidũ,aridum: ex quibus aliæ coniugationes existunt, duri ac mollis,asperi & læuis, grauis & leuis. Hæc qui dignoscit,unus est sensus,isq; tactus nominatur,diffusus per omnes corporis neruos,uel per ea quæ uice sunt neruorum. Communicatur ea tangendi uis carni quoq; ex uicinitate,sed tenuius atq; hebetius.Interuallũ quidẽ tactus & tactilis per se est caro,sed ipsa quoq; cõmunitate quadã sensoriũ.si quid superponatur carni, sentiet quidem per illud nerui spiritus,in quo est tangendi facultas:ut calidum uel frigidum, durum aut molle per chirothecam, sed nõ prius quàm ad carnem penetrarit ea qualitas. Verùm ex illis tactilibus, quæ de communi omnium sententia posuimus, si quis rem subtilius expẽdat,inueniet solas primas qualitates elementares ad hunc sensum propriè pertinere:reliquas autem,ad uires & robur.itaq; alia alijs & molliora,& duriora censeri: sicut magis aut minus,uel grauia uel leuia. Asperũ autem & læue ex arido sunt & humecto,per æqualitatem aut inæqualitatem superficiei.Vnus ergo est tangendi sensus,et unum tactile:nempe elementaris qualitas,cuius ope naturale corpus compingitur.Eæ uerò qualitates,quoniã ex proportione ac congruentia uel noxiæ sunt, uel salutares corpori animantis, idcirco ad eas noscendas tactus est uniuersis animantibus tributus, & per uniuersum corpus, quo facilius declinetur damnosum.Sed in homine in extremis potissimũ digitis manuũ:non quòd illic caro sit mollissima,sed partim ex cõtemperatione,partim ex assuefactione. atq; eo naturaliter ducimur, ut digitis illis prætentemus, & faciamus periculũ primarũ qualitatũ: quod ut expeditissimũ est,ita & leuissimi detrimenti,si quid accidat. Adiecit hoc quoq; beneficium natura;ut moles quæ tanguntur,segnius irritarent sensum quàm uisile, uel audibile:ne quoniam ipsæ per se tangunt animal,nocumentum esset ab illis paratius & grauius.quod enim corpus uidetur,uel auditur,nõ attingit ipsum per se oculum, uel aurem.Est & beneficium aliud, quòd breuioribus terminis actiones tactus gustusq; sunt circumscriptæ,quàm auditus & uisus.celerius enim tangẽdo gustandoq;, quàm uel cernendo uel audiendo delassamur.Nam quod tactus & gustus ad essentiam animalis pertinent,non item auditus & uisus:moderatio est illorum actionibus adhibita à Natura,ne per effusas operationes corrumperetur sensus,& periret animal,quod periculum alijs ex sensibus non impendet.

DE GVSTV.

NOn omnia quæ natura ex solo profert, esui sunt animantibus, sunt quædam il-

lis congruentia,ut fructus et panis triticeus homini,gramen pecori. Sunt quędam alíena,ut lutum uel ligna:quorum alia sunt omnino fatua & insipida, alia prorsum aduersa atq; inimica,uel insuauitate,ut fel & absynthiũ:uel damno,ut uenena. Quæ nocumento essent futura,ijs qualitatem indidit gustui inimicã.sicuti contrà salutaribus, congruam & placentem. salutaria autem uoco, non tam affecto corpori, quàm recte habenti.nec refert,si qui ex peculiari quodã ingenio, uel assuefactione, amaris rebus aut fatuis,aut alienis gustatui capiũtur:sicuti homines uoraces & ebriosi, & mulieres prægnantes,& qui laborãt atra bili. Qualitas hæc quæ gustui uel allubescit,uel displicet,sapor nominatur. Gustatus sensoriũ,est neruus supra linguam expansus,ad quem sapor peruenit,ductus à saliua.& quemadmodum in extremis digitis acutissimus est tangendi sensus, ita in extrema lingua gustandi propter subtilitatem spiritus nerui: non tamen per se (nã uerus ac certissimus sensus fit in radice linguæ,qua palato coniungitur:) sed quia quod linguæ mucronem attigit, celerrimè ad palatum perfertur. Humor saliuę uelut medium quoddam uidetur sensionis,isq; à sapore immutatur,ut reliqua media à suis qualitatibus. est enim ex se saporis cuiuscunq; expers, ut omnes facile recipiat. idcirco quum lingua est arefacta, nihil gustamus: tum si saliua sapore ullo imbuta fuerit,non recte alios recipiet,ut in febri:quemadmodum omnia uidentur cerulea,intuentibus per uitrum ceruleum. Addunt etiam nonnulli medium alterum paulò penitius & coniunctius cum ipso sensorio, carnem linguæ:quæ sit potius sanè organi pars,quàm medium. Quæ animata lingua carent, hæc ore illo suo gustãt: aut ea certe parte,quę illis est oris uice,nempe qua alimentum recipiunt. Et quandoquidem saliua est medium,eo sola gustantur,quæ traducere saliuam possunt ad suam qualitatẽ:nempe calida atq; humida. ex resolutione nanq; humidi à calido, fit sapor. calor enim saliuam extenuat,ut subtilius accipiat humidum rei sapidæ. Qua de causa sapidissima sunt contemperata ex calido & humido, uelut saccarum & uinum.mel uerò,& si efficacitate abstergit atque arefacit,habet tamen multum humoris in materia,quæ uerò plurimum caloris obtinent,humoris parum,acutius gustantur propter causam,quam modò attigimus:uelut piper,gariophylli,cinnamomũ,et aromata,quę humoris multum,& parum caloris,insipida sunt,hebetemq; reddunt gustũ:ut aquosa.incrassatur enim saliua,unde sensio fit obtusior:ut uisus in caligine,aut nebula.stupa & ligna arefacta non afficiunt gustum,sicuti nec aqua,si qua modò est purum elementum:illa quòd humore penitus careant,hæc quòd calore.

ODORATVS.

MVlta sunt in natura, quæ uel gustata ingentem protinus adferunt perniciem, atq; etiam pestem interdum capitalem,sicut uenena præsentanea.ea gratia data est animantibus odorandi facultas, ut quæ congruere, quæ secus uiderentur,prænunciaret gustui ante periculum,ne animal aut edendi auiditate in discrimẽ ueniret uitæ, aut suspicione ac metu à salutaribus abstineret. Ita hic sensus magnã habet cum gustu non solum confinitatem,sed & congruentiam.nam cuicq;,quæ bene sapiunt,bene olent:& quæ male sapiunt,male etiam olent: & si non,uice uersa.multa enim odorifera gustus auersatur,neq; est hoc in utilitate perpetuum. Sunt enim in gustatu atq; odoratu utilitates,sunt delectationes,& hæ aliàs utilitatibus conducunt, aliàs aduersantur:non in morbo tantum,ut absynthium & aloe,sed in recta etiam ualetudine. In quo educatio & consuetudo multum detorsit naturã. Olim nihil habebatur suauius, quàm odor messis, odor campi uerni:sicuti nunc hominibus rusticanis nihil perinde allubescit, & senibus odor panis tritícei recens cocti. postmodum quæsita sunt alia, amaracinus,muscus,nardus,& aquę ex floribus distillatę:tum arte mista & confecta, præ quibus sordent iam naturalia. Eundem ad modum in epulis:ut quum sit nihil naturæ inimicius quàm popinaria,multi tamen nequeant iam sine illa uiuere. Qui à dulcibus abhorrent, nec odorum præstantia delectantur:adeò ut nõ paucis suauissimus odor grauiter offendat caput.quod accidit etiam in quibusdam eximbecillitate cerebri,aut uiolentia caloris,quo abundant odores excellentes: ut thus, cupressus, muscus. Sensorium est in carunculis narium, aut quod in alijs animantibus uicem earum obtinet, unde nerui ad cerebrum pertingunt. Odores alij sunt suaues & blandi, alij acres.

acres.quemadmodũ in coloribus sunt grati quidam,ut uiridis:alij excellentes,ut candidissimus & præfulgens.In ratione sensilis præstãs est prior, sicut lux:sed in fine sensorij suaue,quoniam ad gustum refertur.Quod odori congruenti aduersum est,uocatur fœtor:sicut amarum,quod dulci.& ut arida et frigida non gustantur,ita nec olent: tametsi olfactus magis ad calida & sicca uergit,quàm gustus. calida enim euaporatio acerrimum odorem gignit,ut in aromatis: & Æthiopiæ Arabiæq; stirpes omnes odoratissimi sunt.

DE SENSIBVS IN GENERE.

SVnt ergo perfectorũ animaliũ sensus quinq;,uidendi,audiendi,tangendi, gustandi,odorandi:qui à Deo tributi sunt animali ad salutẽ ipsius.Nam quod corporeũ esset omne animans,& inter corpora uitã acturũ,uoluit ei deus notitiã quandã indere corporũ,ut salubria appeteret,deuitaret nocitura.Quæ intra quanq; rem sunt abdita,ea per externa noscuntur. sensus ergo sunt dati,in quibus esset omniũ exteriorum inhærentiũ cognitio.nullũ enim uidetur exterũ adhærens restare, quod sub horũ sensuum notitiã non sit cõprehensum:ut appareat,nec pauciores debuisse sensus absolutoanimãti tribui,nec oportuisse plures.quanq; definitio hæc sit sanè nostræ coniecturæ,cum ueneratione sapiẽtiæ ac potentiæ Dei,qui solus nouit quid expediat,& quatenus.Sed pergamus infirmis nostris ac tenebrosis utì collectionibus.Ex ui & qualitatibus quatuor elementorũ,uires quinque sensuum sumus sortiti,ut ex proportione quadã ac similitudine singula sentiamus.Terreus est tactui uigor,spissus uidelicet & tenax,fortiusq; apprehendens: aqueus,gustus. ex crasso aere est odoratus,qualis est fumus:qui quoniã ui caloris ab humido exhalat,ad partẽ igneã retulerunt principes scholæ Peripateticæ,Aristoteles & Theophrastus. fundamentũ quidem illud est, & quasi origo:sed in euaporatione situs est odor ipse,qui est uelut aer densior. Auditus est aereus,uisus igneus.oculi quidem certè corporatio aquea est,uis aũt & efficacitas ignea:& quæ sunt ijs naturis consentanea,melius sentiunt. Primus sensuũ est tactus, postremus uisus:quę prima est cõiunctio,similis mundanę illi materiali,quo ignis & terra principes coierunt,reliqua sunt deinceps interiecta. Distinctio & separatio sensuum ex sensilibus uidetur sumenda.omnis enim facultas eò referretur, in quo se exercet.ut si sunt sensiliũ quædã aliquot sensib.cõmunia,uelut motus, magnitudo, numerus,figura seu forma,& situs,aut in loco positio,& quæ sub his claudunt:quæ ferè sunt uisui & tactui cõmunia,quandoq; etiã auditui.Quę uerò ex horũ sensuũ cognitione facultas interior elicit,nihil ad sensus pertinent:sicut pulchritudo in forma, aut fœditas,similitudo & dissimilitudo. quemadmodũ in pomo prius gustato saporẽ oculus uidetur iudicare,& in igne calorẽ.Sed nõ est is qui hoc censet, uerũ animus ex memoria.nam si desit memoria, rursum ad experimentũ cuiusq; sensus redibitur: ut in pueris, & quibusdã animantiũ. Hæc quidẽ sunt germana & uera sensilia,quæ καθ' αὑτὰ nominãtur,hoc est per se. nam substãtia per suũ inhærẽs sentitur:ideo aliena sensione, quæ magis est mentis q̃ sensus. eaq; de causa qui minus ualent mente, ægrius penetrant per inhærentia ad speculationem essentiæ:ut belluæ & rudes homines,ac tardi.Nam illa iam in infinitũ abeunt,quæ coniecturis & ratiocinatione colliguntur: intueri me hominẽ musicum,et regem quidem intueor,sed notitia musici ac regis nõ est oculi,haud magis quàm concentus,etiamsi libros aspiciam cum notis musicis.sed loquendi consuetudo obtinuit,quam ut in sermone non obseruari absurdum fuerit, ita in iudicando nihil est necesse ualere pro lege,aut regula:nec finis unquã esset,si illam adeò uiciosam ubiq; uellemus distinctiunculis, aut nouitate nominum tueri, ac fulcire.Iam ad alias tranſeamus loci huius quæstiones. Dubitatum est, an'ne species aliquæ à rebus uenirent ad sensoria.quæstio non tam necessaria,quàm rixosa: ideoq; circulis scholarum,& loquacitate contentionum mire plausibilis. Sensus nostri omnes ita sunt à Deo compositi instructiq;,ut ceu receptacula quædã essent eorum,quę foris inciderent.hauriunt enim illi manifestò extrinsecus,non emittunt. hoc ostendit forma ipsa organorum omnium caua,excipiendis quæ foris appellerent accommodata. nec aliter in sensibus usu uenit, quàm in animo: qui ipse nihil foras mittit, sed aliũde ad se attrahit, quod cognoscat,atq; in se agat.Facile est hoc animaduertere in

ipſis ſenſorijs.qui ſi occupati fortè ſint extrà mittendo, nõ funguntur ſua ſenſione: ut guſtus ſi expuat, odoratus ſi reſpiret, oculus ſi lachrymet. Enimuero ſi ſenſiones extrà mittendo fierent,nimis defatigaretur animãs actione tam continua, at in illa receptione,delaſſatio eſt longe minor,et reparatio leuioris operę. Quòd ſi in cognitione omni,ut exiſtimatur,cognoſcens fit ratione ac modo quodã cognitũ,ut ſpeculũ obiectæ rei imago,uel ſigillum cæra:hoc certe nõ extrà prolatio,ſed intrò receptio præſtabit.idq; uideo ſatis cõuenire,quod ferè natura ipſa docet,ſiue conſtitutione ſenſorij, ſiue actionibus ſentiendi.Reſtat cõtrouerſia,an aliquid ex ſe emittãt ſenſilia ad ſenſum,quæ ſpecies dicantur. Venire aliquid ex ſenſilibus ad ſenſoria manifeſtiſsimũ,& quidẽ cum ipſis corporibus in quatuor ſenſionibus,ad nares ſuffitum,ad palatũ ſaporem,ad tactum qualitates illas principes, ad aures aerem motũ, ad oculos uerò luces ſeu lumina,cuiuſmodi ſuperius oſtendimus. nec eſt dubitandum,quin hę ſic pertingant ad pupulã oculi,quemadmodũ ad ſpeculũ:et uidemus effectum cõſimilem.Iſtę ſunt ſpecies,nec alias eſſe neceſſarias intelligo. Dictu quidẽ mirabile, uenire aliquid à corpore ad oculũ tanta celeritate, ut momẽto temporis uideatur longiſsima ſpacia penetrare.quæ cõſideratio multos perturbauit:ſed motus hos pro cuiuſq; elementi qualitate ac ingenio oportet exiſtimari.Maior eſt in uidẽdo celeritas,quàm in audiẽdo:quia illud eſt igneum,hoc aereũ.ignis aũt rapidiſsima eſt cõcitatio:& quẽadmodum colores nominamus luces tenues,ita lucis natura colorũ naturã explanabit.lux enim ſimul ut apparuit,puncto temporis immẽſa ſpacia percurrit, & cõplet. tali ſunt ingenio colores,quali eſt lux,fons illorum & parẽs. Quæ animãtia & pluribus rebus ad ſe tuendũ indigent,& pluribus ſunt nocumẽtis obnoxia,plures acceperũt ſenſus: tanquã inſtrumẽta uel quærẽdæ ſalutis,uel peſtis euitãdæ. Tactus tributus eſt omnibus,item guſtus,quoniã neceſſarij ſunt ad uitã propagandã:ideoq; et mediũ eis aſtructum eſt inteſtinũ.guſtatu enim utile atq; inutile nutrimentũ diſcernit, tactu uerò perimens & innoxiũ.qua de cauſa nõ uno aliquo in loco tactus eſt à natura collocatus, ut cæteri:ſed ſparſus per corpus uniuerſum,ut partes ſingulæ ad ſui conſeruationem tanquã in ſtatione excubarent. Guſtui odoratus eſt utilis, ideirco & illũ antecedit,ut quid cognouerit renunciet,allicięs eum,uel auertens. nõ erat is admodũ neceſſarius in ſciẽtia rerũ,idcirco homini hebetiſsimus contingit:pro quo eſt notitia epularum. quin & facile in nobis tum obſtupeſcit ſenſus hic, defluxu humoris craſsi:tum etiam corrumpitur penitus,itaq; multi eo carent,haud parua ſanè moleſtia liberi,præſertim ut nunc ſunt mores priuati & publici. Quæ animalia procul erãt uictũ petitura, hæc auditũ & uiſum acceperũt:qui ſenſus alias quoq; utilitates præbent cõplures. Viſus monſtrat faciẽ ipſam uniuerſitatis ac naturæ, dux & magiſter ſuus cuiq; domeſticus: ideo præſtãtiſsimus habetur.quod teſtatur locus in capite celſiſsimus,tanquã in ſpecula:& chariſsimus cuiq;,quòd ex eo ad uitã omnẽ ingentes cõmoditates capiũtur. hic autor atq; inuẽtor fuit omniũ ferè diſciplinarũ,et artiũ:cuius demonſtratione cognoſcimus corporũ et in proximo,et procul diſsitorũ lucem,colorẽ,magnitudinẽ,figurã,numerũ,ſitum,motũ. Auditus ad transfundendã ab alijs ad alios peritiã aptiſsimus,ideoq; ſenſus diſciplinæ nominatur:quo quæ animãtes carent,nec doctrinæ intelligendæ ſunt idoneæ, ut uermes. Quibus ſenſum aliquẽ natura detraxit,dictu incredibile quàm ſedula ſit in cõpenſando,partim in aliorũ ſenſuũ uigore,partim in cognitione interna:ut cæcis ac ſurdis dedit acumen tactus,celerẽ ac firmã memoriã,intelligentiæ ſubtilitatẽ.accedit etiã neceſsitas,cuius ſtimulo ingeniũ expergiſcitur. Et quoniã uiſus & auditus cognitioni ſeruiũt interiori,nõ eſt eos in omni animali reperire,ut reliquos tres,qui corpori.Magnã habent uiſus & tactus cõmunionẽ,quaſiq; amicitiã, ut alterius errores alter corrigat,in ſenſili utiq; ambobus communi. ut in pictura oculus ſibi eminentias quaſdã uidetur cõſpicere:tactus uerò accedens,qui eſt ſenſus in homine certiſsimus,errorem hunc eximit,ſi modò oculorum eſt ea fraus,et non animi. Nam & illud à Philoſophis diſputatur,poſsint'ne ſenſus falli:uetus quæſtio,iam inde ab Stoicis,Epicureis,& Academicis tractata.Sed mihi nõ uidentur ſenſus poſſe falli,& ſi poſſunt fallere.fallitur enim,qui falſum recipit pro uero,aut è cõtrario,uerum porrò & falſum in cõpoſitione ſunt ac diuiſione,quę in ſenſus nõ cadunt:

qui

qui ſenſus ſenſilia ſua ſimpliciter cognoſcunt, abſq; adiectione ulla, quod hoc aut illud ſit tale, aut non tale. iſthuc enim cogitationis eſt. Qua mente exiſtimo dictū illud eſſe olim, abſtrahentium nō eſſe mentiri. ſenſuū uerò notitia, receptio tantū eſt quædam, ac uelut imaginis impreſsio, ſicut annuli in cæra, aut formæ in ſpeculo. Sed reliqua eſt iam illa dubitatio, an ex ſenſuū nunciatione poſſit animus decipi. In ſenſione inſunt, ſenſoriū, ſenſile, & mediū. fallit ſenſoriū, praué affectū: ut lippus, aut luſcioſus oculus. fallit obiectum longinquum, uel agitatum, uel repentè oblatum. fallit mediū, non ſatis conſentaneum: ut fumus, nebula, aqua, aer commotus, uitrum colore infectum. Quòd ſi omnia in recto naturæ conſtent habitu, ſenſoriū bene affectum, ſenſile commodè oblatum, tempore ac loco medium congruens: non fallet animū attendentem, quod in reliquis omnibus contingit, ut quæ integram ſequuntur naturam minimum aberrent. Additum eſt, animum attendere oportere. nam is ſi aliò ſit intentus, recte quidem fungetur ſenſus ſuo munere, animus tamen ipſe praué ſtatuet: ſicuti quum nuncius uerum refert, non audienti. ita exiſtimamus nō uidiſſe nos, quæ uidimus, aut aliter uidiſſe. Hoc eſſe in animo facile intelligitur. nam quidam audientes quæ nō animaduerterūt, ſine intelligentia dicti tacent: paulò pòſt uelut à ſomno experrecti, repetunt illud idem à memoria, & declarant ſe audiuiſſe atq; intelligere.

DE COGNITIONE INTERIORE.

PRæter hanc rerum præſentiū exteriorē notitiā, aliam intus eſſe rerum abſentium manifeſtò deprehenditur. nam & dormientes multa cernimus, & uigilantes ab omni prorſum functione ſenſuū abducti cogitatione uoluimus, quæ uidimus, audiuimus, tetigimus, guſtauimus, olfecimus: quæ ſunt uel in mutis ad animaduerſionem expoſita, et perſpicua. Et quemadmodū in altrice facultate uidere eſt ineſſe uim quandam, quæ cibum recipiat, aliā quæ cōtineat, aliam quæ conficiat, quæq; diſtribuat & diſpenſet: ita in animis & hominū & brutorū eſt functio, quæ imagines ſenſibus impreſſas recipit, quæ inde Imaginatiua dicitur. eſt quæ cōtinet, hæc memoria: quę conficit, phantaſia: quæ diſtribuit ad aſſenſum aut diſſenſum, extimatrix. Sunt enim ſpiritalia imagines Dei, corporalia uerò ſpiritaliū quædā ueluti ſimulachra: ut mirandum nō ſit, ex corporalibus ſpiritalia colligi, ceu ab umbris aut picturis corpora expreſſa. Imaginatiuæ actio eſt in animo, quæ oculi in corpore, recipere imagines intuendo: eſtq; uelut orificiū quoddā uaſis, quod eſt memoria. Phantaſia uerò cōiungit, & diſiungit ea, quæ ſingula & ſimplicia imaginatio acceperat. Equidē haud ſum neſcius, cōfundi duo hæc à pleriſq; ut imaginationē phantaſiā, & uice uerſa hanc imaginationem nominēt, et eandē eſſe functionē quidā arbitrentˉ. Sed nobis tum ad rem aptius, tum ad docendū accōmodatius uiſum eſt ita partiri: propterea quòd actiones uidemus diſtinctas, unde facultates cenſentur, tametſi nihil erit quandoq; periculi, ſi iſtis utamur promiſcue. Accedit his ſenſus, qui ab Ariſtotele cōmunis dicitur, quo iudicantur ſenſilia abſentia: et diſcernūtur ea, quę uariorū ſunt ſenſuū, hic ſub imaginationem & phantaſiā uenire poteſt. Phātaſia eſt mirifice expedita & libera: quicquid collibitum eſt, fingit, refingit, cōponit, deuincit, diſſoluit, res diſiunctiſsimas connectit, cōiunctiſsimas aūt longiſsime ſeparat. Itaq; niſi regatur, & cohibeˉ à ratione, haud ſecus animū percellit ac perturbat, quàm procella mare. Adminiſtratio hæc à ſenſibus mouetur, tum à corporis affectione, qua uia ſpiritales eſſentię, ut angeli boni & mali, inſinuāt ſeſe ad uim illā cōcitandā, effectib. rerū naturaliū ſubtiliſsime, quiq; facile & ſenſuū & iudicij noſtri cognitionē fruſtrētur, adhibitis. Habēt quoq; mēres illæ actiones quaſdā nobis incognitas, ut homines inter ſe, quas bruta nō capiunt. nam quemadmodū homines alij aliorū & phantaſiā cōmouent, & mentē, uerbis, nutibus, geſtibus, literis, ſignis, quod brutorū cognitionē excedit: ſic ſpiritales eſſentię phantaſiam noſtrā poſſunt agitare, actione aliqua ſibi ſolis propria & cognita, mota prius facultate imaginatrice. Colligata eſt admodū imaginatio cum corpore: nam & à ſenſib. mouetur, & mirabiles uires edit in corpore, ut quicquid in alterutro imprimatur, redundet in alterū. corpus enim eam recipit, & reddit formā actionemq;, quam imaginatio cōcepit. quod in rebus Venereis, ſed manifeſtiſsimū atq; expreſsiſsimū in prægnātibus fœminis animaduertitur: in quib. ea efficit imaginatio cōcitata, quod facere nul-

la intelligentia aut ratio possent. Extimatiua autem facultas est, quæ ex sensilibus spe ciebus impetū iudiciꝫ parit. Iudiciū hoc ad profuturū aut læsurū tendit: quippe ad sa lutem retulit natura, uel cognitionē sensorū, uel stimulū suum. Itaqꝫ iudicatur prius, quale quidqꝫ in se existimetur: hinc quàm cōgruens aut damnosum. In priore censu ra sequitur animus sensum, uel uisum: in posteriore occulto naturæ stimulo agitur, & rapitur impetè, ut cùm ouis fugit lupū nunqꝫ antea uisum, & gallinaceus aquilā uel accipitrē, et homo draconē ac monstra rerum: quin etiam ad primū quorundā homi num aspectū cōgressumqꝫ cohorrescimus. De memoria mox dicetur. Sensa exterio ra dubiū nō est, quin proportionē quandā, hoc est analogiā habeant cum interioríb. sunt enim crassa & terrea, subtiliū atqꝫ spiritaliū imagines: & animo nihil est perinde sensibus simile, atqꝫ oculus, itaqꝫ imagines animi proportione rerū tales uidētur illic esse, quales externæ. istę in oculis imprimūtur, interiores illæ in lucido spiritu, qui eas & retinet diutius, et offert animi oculo purius ac manifestius: quę impressio ceu pas sio quædā est. at cùm in eas animas cōponendo aut diuidēdo incūbit, actio fit illius. Hisce facultatib. diuersa attribuit natura instrumēta, & ceu diuersas officinas in cere bri partibus. nam in anteriore cerebro dicūt esse sensuū fontem sedemqꝫ, ibiqꝫ imagi nationē constitui: in medio phantasiā, & extimatiuā: in occipitio memoriā. idqꝫ inde colligūt, quod ut quæqꝫ harum partiū afficitur, ita & illa functio, reliquis nō mutatis, haud aliter quàm in corporis membris experimur. pede enim læso ambulare nō ua lemus: quoniā & si ingrediendi principiū & uis est in animo, in pede tamē est instru mentum & fabrica. Ex cognitione censuraqꝫ noxij et benefici, appetitus nascitur cō gruentis, fuga autem damni & auersio: tum motus animi de bono præsenti, ac malo, deqꝫ eisdē uenturis aut iam appetētibus. qui affectus dicuntur, seu perturbationes, Græcè πάθη, de quibus diffuse est à nobis separatim differendū. Appetitus qui est in aliquid, & auersio quæ ab aliquo, ut animum cōmouent, ita etiam corpus motu illo suo, ut uel ad utile feratur, uel ab obfuturo discedat. id fit ingressu, uolatu, natatu, serpendo. Sunt tamen animantes imminutę, quæ affixæ semper in uestigio, quoniam quod sibi expediat, alibi non quærūt, expertes sunt horum motuū: uelut conchæ & spongiæ. contrahuntur tantum, & extenduntur, quatenus satis est illarum saluti. Pal pitatio autem in quocunqꝫ animali, non est motus ex appetitu proficiscens, sed nutri tionis, dum calor agit in humidum: quod cernere est in ijs, quæ igni sunt admota.

DE VITA RATIONABILI.

HÆ sensuū siue exteriorū siue interiorū facultates supremæ sunt in brutis, in ho mine uerò menti deseruiūt, quæ innixa cognitiōe imaginatiōis & phantasiæ, al tius sese erigit, nempe ad intelligentiā rerū spiritaliū: et assequitur, se clausam obscuro carcere, obseptamqꝫ tenebris, eoqꝫ à rerū plurimarū intellectu arceri, nec posse plani⁹ intueri ac cognoscere, quæ uellet: siue essentiā rerū materia contectarū, siue qualitatē ingeniumqꝫ immaterialiū, nec posse per hanc corporis caliginē acumine ac celerita te sua uti. huc usqꝫ uerò nulla uis animantiū se attollit, quę nec in se unquā reflectitur, nec quicquā supra sensus corporis cogitat, aut cōsiderat. Ex hac cognitione rerū su premarū, atqꝫ in natura excellentissimarū, ita ut etiam ad autorē omniū mens pertin gat, oritur amor erga illas. Vnde pugna & cōtentio inter mentē ac phātasiam, dū hæc deorsum trahit animū ad corporea, mens ad superna et res præstātissimas erigit: et fer tur mens ad ea quæ neqꝫ sensu ullo, nec phantasia cōprehendūtur, errantemqꝫ & di uagantē longissimè per deuia phantasiā cohibet, atque in uiam reducit. Neqꝫ est uni uersus eius nutus ad præsentē utilitatē aut noxā pronus: sed præterita recordatur, & futura cōiectat, & uerí falsiqꝫ censurā inquirit: quod bruto nō est curæ. tantū quid ex pediat corpori, quidqꝫ illud lædat, cōsiderat, actus solo raptu phātasiæ. Ex hoc mētis uigore manat sermo, eorū quę mēte capiūtur index: quo munere, nō minus carēt bru ta, qꝫ mēte ipsa, origine sermonis ac fonte. ideoqꝫ muta nominant: quę sigillatim in se quētib. explicabimus. hoc em ordine sunt ista declarāda, ne difficiliū atqꝫ abstrusarū rerū intelligētia cōfundat. Hęc est uita mēte prędita, id est, cōsilio, iudicio, ratiōe, quę λογικὴ nuncupat, à nobis aūt rationabilis: quę cognoscēdo deo, ac proinde amādo cō dita, finē per hos gradus habet immortalē beatitudinē.

QVID

QVID SIT ANIMA.

HActenus de uita animantiũ, dicamus nũc quatenus inuestigari à nobis poterit, quid illud sit, per ꝙd quidꝙ uiuit. Repetamus ꝙd initio est à nobis positũ, hisce uitæ ac uigoris actionib. liquidò patefieri, aliquid in his uiuẽtibus inesse, quod desit torpentib. scilicet ꝙd uitã illis præstet, nõ item his alteris. Id uerò fieri nõ potest, ut sit ea moles, quæ sylua seu materies dicitur. hæc em̃ æquè est in uniuersis corporib. bruta, semper torpẽs, & sui similis, nec ullas ex ingenio & natura sua uires sortita. Quòd si facultatẽ illam materia tribueret, ubi materia abũdaret, largius quoꝙ de eiusmodi facultate esset inuenire, ꝙd multo secus usu cõperimus. Nam nõ minus est & animi & mẽtis in mediocri corpore, quàm in uasto ac enormi. Quid ꝙd nec minus esset homo corpus extinctũ, quàm dum uiueret. sed neꝙ uires illas tantas adhærẽs potest alí quod præstare: quippe ꝙd extremũ & tenuissimũ est rerũ omniũ cunctę naturæ, proximũ nihilo, ac penè nihil ipsum, sæpenumero etiã nihil prorsum, sola mẽtis nostrę cognitione cõsistens. Porrò ex ui & facultate hac uitæ admirabilia cernimus proficiscí opera quæ etiã à substantia existere magnũ sanè est ac mirandũ, ut nõ immeritò homines sapientissimí illud à quo hæc tanta ederent̃, in supremo substantiarũ ordine reposuerint. Est ergo ab omni ratiõe alienũ, ab inhærentib. ea nasci, quæ uel de celsissimis uenire substãtijs iure miramur. Cedò uerò, quæ tandẽ sunt ista inhærentia? qualitates elementorũ, quæ nominãtur primæ seu principes, tum membrorũ intus ac foris conformatio. At uerò nõ quo quis habet plus caloris, aut frigoris, eo etiã plus mẽtis. Nec quæ ex illa qualitatũ diuersitate cõstat, nexus atqꝙ harmonia potest esse effectio naturæ. illa enim et augeri potest, et minui, effectiões porrò eædẽ semper sunt, ac uniusmodi: alioquí uariarí posset ratio ac natura speciei, quod nulli unq̃ philosopho uenit in mentẽ affirmare. Compositio autẽ & figuratio corporis, nihil ad hoc faciũt: quippe quæ est in cadauere & uiuẽte eadẽ. Adde ꝙd maior est sensus, & humano uicinior, in quibusdã quæ longissimè ab hominis formatiõe recesserũt: uelut in elephãto, quàm in sue, quo ferũt nihil esse homini similius intrinsecus, & cõtemperatiõe carnis: quod declarat gustus. nam quidã in extremis rebus pasti cadaueribus, retulerũt eam carnẽ saporis esse suillę. Ad hæc, mens nostra nõ solùm nõ sequitur naturã corporis, sed regit illud, & flectit, & torquet quò uult, repugnatꝙ affectionibus, quæ maximæ ex illa molis uelut pinsione existunt. Quid quod sentiẽdi uis omnẽ corporis & adhærentiũ uim ac potentiã excedit, ut illius actiones nulla corporis facultas possit exprimere, quanto magis functio illa in nobis suprema intelligẽdi. Scienter Empedoclẽ Aristoteles interrogat, quid tandẽ illud sit, quo adiũcta illa uniuersa ad tantã functionũ uarietatẽ contineãtur in corpore, & quasi coerceãtur, nisi substãtia quæpiã, & quidẽ nõ de postremis generibus essentię. Manifestum est etiam in diuersis animantiũ corporibus eadẽ esse, siue primæ, siue secundæ notæ inhærentia, siue etiam tertię, ac infimę: operationes tamẽ longè diuersissimas annotari, uelut in puero & simio, in leone et fele, in coruo et gracculo. rursum diuersa esse adiuncta, cùm actiones sint persimiles, ut in sene & iuuene. Sed isti qui ad insensiliũ rerum scrutationẽ aliquã non se attollũt, facile ad inhærẽtia referunt, quicquid altius & recõditius est sensuũ iudicio. Itaqꝙ superflua istis fuerit omnis effectio, imò uel materia ipsa, ut relinquatur eis solùm moles quæpiam de genere quantitatis, cuiusmodi sunt geometricæ. Neque uerò hanc sentiendi atque intelligendi uim corpus esse dixeris, ex materia & effectione cõflatum. nam quod primùm in uiuente mouet illud ad operationes uitæ, est uitæ fons ille atque origo, de qua iamdudũ uerba facimus. Atqui in omni corpore initiũ & origo actionum, est ipsa effectio. fuerit igitur satius, effectionem esse id, per quod uiuimus, quàm corpus ex materia & specie. quippe corpus eiusmodi animatum citius quiuis appellarit, quàm animam: nempe per suam effectionem uiuens, sicut candidum per candorem est tale. Ex his quæ diximus, facile est colligere, quid non sit anima: deinceps uerò quid sit, aperiamus. quod quidem fieri non potest recta, id est, ipsa rei essentia denudata, ac uelut ob oculos proposita: sed ueritam, & quasi depictam, quàm fieri per nos poterit, aptissimis maximeꝙ proprijs coloribus, proponemus spectãdam ex illius actionibus. ipsa enim sub sensus nostros non uenit, opera

autem omnib.penè ſenſibus & internis & externis cognoſcimus.Profectò benigni tas Domini Naturę erga nos magnis ſe undiq; argumẽtis profert,q̃d nobis expedit, & in prõptu poſuit,& in copia:nullumq; eſt ſignũ euidentius,nobis non cõducere, quàm remotũ eſſe,rarum,difficile paratu. Anima quid ſit,nihil intereſt noſtra ſcire: qualis aũt,& quæ eius opera,permultũ.nec qui iuſsit,ut ipſi nos noſſemus,de eſſentia animæ ſenſit,ſed de actionibus ad cõpoſitionẽ morũ:ut uitio depulſo,uirtutem ſe quamur:quę nos eò perducet,ubi ſapiẽtiſsimi atq; immortales beatiſsimũ æuũ degamus.Sed ut de eo quod propoſitũ eſt,pergamus dicere:neq; de ijs ipſis operationib. poteſt ſemel in totum definiri,ut quæ paulatim ſe per partes ad intelligentiam totius proferant.Ergo brutæ materiæ,ac inerti,addidit effectiones Deus: ſiue illas ſpecies nuncupare ſit collibitũ,ſeu formas,de quibus eſt alibi à nobis diſputatũ.Eæ ſunt participes diuinæ præſtãtiæ,unaquæq; pro modo ſuo et captu,ut uideri poſſint,tanquã radij quidã ſempiternæ illius et infinitæ lucis.Suprema Dei excellẽtia,eſt cõditió uitæ illius æternæ,omni felicitate cumulatæ,quæcunq; uel excogitari poteſt,uel optari. Hanc ille bonitate ſua impulſus cõmunicare uoluit cum mentibus,quas in id conderet tanti boni capaces.Itaq; in rebus cõditis,uniuerſæ perfectionis uelut extrema quædã manus eſt beatitudo.Secundũ hanc uerò bonitas,per quã uelut inſtrumentũ quoddã beatitudo & cõmunicat nobis à Deo,& à nobis accipitur.Ea enim & illũ ad cõmunicationem induxit,& nos ad participationẽ extollit.Bonitas aũt eſſe nulla poteſt,ubi nõ ſit cognitio eius quod faciendum eſt:uidelicet quod tenendũ,& à quo fugiendũ.Ad hæc tanta et tam excelſa faſtigia per effectiones aſcẽditur,tanquã per gradus inter ſe cõiunctos,cõnexosq;,nihil ut inane relinquat inter extrema à Deo diſiunctiſsimis ad cõiunctiſsima.cõiunctionẽ & propinquitatẽ uoco,ſimilitudine magis præſtãtiæ ad noſtra iudicia,quàm applicatione eſſentiæ.ut cõiunctio hæc & ſeparatio nõ ſimpliciter ſumant,ſed ad quippiã:nempe collatiõe nõ ad Deum,uerùm inter res cõditas ex participatione diuinæ excellẽtiæ.Quapropter ſunt,quibus res uiuunt effectiones ſiue ſpecies uiuentiũ.ſicut id per quod res hæc eſt charta,eſt chartæ effectio:per quod adamas,per quod lana,lapis,effectio ſpeciei cuiuſque.haud aliter per humanã effectionẽ ego ſum homo,per equinã hoc eſt equus,per caninam illud eſt canis.Quæ effectio nomẽ ex ſingulis rerũ generibus ſumit,quæ genera et partes ſeu formas ratio ipſa effectionis facit: uelut adamãtina,chartacea,lapidea, per quas ſunt adamãtes,chartæ,lapides.Hanc in animãtibus liceret uitam nominare,niſi uerbum hoc uſus cõmunis ad actionẽ potius uertiſſet,quàm ad ſpeciei eſſentiã.Nec aliter anima eſt ſuo corpori uel cõnexa,uel (ſicuti quibuſdam placet) annexa & adiuncta,quàm reliquæ formæ ſuis materijs,niſi quod in nexus ratione ac modo permagnum eſt diſcrimẽ,quale eſt in naturę ordine,quo ſuperiora inferioribꝰ iungũtur,terra aquæ,hæc aeri,aer igni,ignis cœlo,cœleſtia ſupercœleſtibus,ac quodãmodo diuinis.Quæ in natura cõiunguntur & colligantur,ea omnia medio quopiã deuinciuntur.id uerò eſt,uel participatione eſſentiæ extremorũ,quo nodo cõnectuntur corpora,terra aeri per aquam,aqua igni per aerẽ,caro oſsi per chartilaginẽ.uel cõgruentia quadã functionis atq; operationis,ut artifex operi ſuo per inſtrumẽta:uelut pictor tabulæ per penicillũ uel carbonẽ,faber ligno per aſciam & dolabrã.ſic effectio omnis artifex eſt in ſua materia. inſtrumẽta ſunt qualitates,& cõformatio materiæ : per has unitur ſpecies moli.nec aliter anima corpori inueſtitur,quàm lux aeri:in quo cõplexu fit aer lucidus,utrunq; uerò & lux & aer integrũ manet.nõ enim miſcentur ut elementa,in miſto naturali,uel ut herbæ pulueres,ac oleum in pharmaco.Sed in alijs effectionibus nexus eſt ſubſtantiæ utriuſq; partis uicinior,in anima diſtat longiſsimè. Cuius naturæ ſit quæq; ſpecies,ex eius officijs atq; actionibus intelligitur.Saxa & lapides nihil habent omnino,niſi frigidũ & torpẽs ex terra:& aqua eſt illis effectio,nexus aũt ex earundẽ ingenio et qualitatib.plumę & ſtipulę,aereæ naturæ quiddã ſunt nactæ. anima uerò,quæ altrix dicitur,ignea eſt,omniaq; eius munia ſunt uis igneæ. brutorum animi ſuperiores ſunt,cœleſtes ſcilicet:ideo & ſenſus,& notitiã quandam ſortitæ,qua uices curſusq; cœlorum & ſiderum non ſentiunt modò,ſed quadantenus etiam intelligunt:ut diei ac noctis,hyemis & æſtatis.nec eſt facultatis horum elementorum,

mentorum,ſenſum & cognitionẽ præbere: cœleſtis eſt potentiæ. Homo uerò ſupra cœlos etiã aſcendit ad Deum ipſum,diuina eſt ergo illius origo. Materies in imo omnium iacet,nulla poteſt ad eam effectio deſcendere,niſi rapiat ſecum media: nempe earum formarũ,quę in medio ſunt,cõditionem atq; ingeniũ.ita ſpecies animalis uim animæ uegetabilis cõtinet,humana uerò uim utriuſq; ſimul cum inferiorũ quoq; elementorum uiribus. In ſenſibus hoc idem annotamus.ignei ſunt oculi,aures aereę,nares itidẽ,guſtus aqueus,tactus terreus. Cui ſunt oculi conceſsi,huic & ſenſus reliqui: cui guſtus & tactus,nõ protinus & auditus & aſpectus. Nec immeritò illud ferè placuit,hominẽ paruum quendã mundũ appellari,quod uim naturamq; rerum omniũ ſit cõplexus.nõ eſt tamen ignorandũ,uitas inferiores nõ eſſe ſuperius agendi principia & origines,ut ex inferiorib.ſuperiores naſcãtur: ſed adminicula quædã, & uelut gradus,per quos ſuperiora & deſcendãt, & aſcendãt. ut uegetatio nõ eſt ſenſuũ origo,ſed gradus,per quẽ ſenſus uenit ad corpus, & paulatim ad functiones ſuas ſcãdit. habet enim unaquæq; uita originẽ ex ſe ſuã, & metã in qua ſiſtit. Inſtrumẽtorum animæ alia ſunt liquores,ad certã quandã rationẽ & legem temperati:alia uerò membra ſiue interna,ſiue externa,ad hunc uel illum modum cõformata & deſcripta:quæ illi, prius quàm ſeſe corpore induat,eatenus à natura aptãtur, quatenus perficere id ipſa per ſe nõ ualeret.reliqua enim quæ præſentiæ ſuæ uiribus poteſt,illi ceu primũ relinquuntur munus,in quo ſe exerceat & occupeẽ,antea quàm functiones illas ſuas præcipuas explicet:ſicuti res nos docet in paruulis animãtibus. Liquet igitur ex his, animam eſſe agens præcipuũ,habitãs in corpore apto ad uitã. Declarãda ſunt horum ſingula paulò apertius: & ratio,cur quidq; ſit à nobis poſitum, breuiter reddẽda. Agens nominaẽ, & quaſi artifex.nam quod agit quippiã per inſtrumenta, in eo ipſo uis ineſt agendi illud ipſum:ut in picto re pingẽdi,in meſcribẽdi.tametſi nec pictor ſine penicillo pingat & coloribus,nec ego ſine penna & atramẽto ſcribã. in quo enim non eſt uis & facultas aliquid agendi,nec inſtrumẽtis adhibitis illud aget. An uerò aliqua ſit animæ actio,quam illa hiſce armis ſemotis exequeretur,cõmodius differemus in ſequentibus. Præcipuũ aũt additur.nam ſi quis calorẽ,uel humorẽ, uel ſpiritus aliquid dicat agere in corpore,ſciat illa omnia non per ſe agere,ſed ab anima id habere, ut agant:ueluti quod atramentum haſce literas effingat, & penna exaret,à me eſt,non ab ipſis. Eſt ergo anima ipſa artifex,eſt agens,nõ aliunde in eo utiq; corpore uim ſuã mutuans. Habitare dicitur in corpore.nam Deus in illo eſt corpore,nõ tamen habitat: & dæmon ſe inſinuare poteſt in corpus animantis. ſed habitat anima,quod illic eius eſt manſio,tanquã in ædibus,cum tota ſua ſupellectile & domeſtico inſtrumento. Cæterum corpus hoc aptum deſcriptumq; eſſe cõuenit, quemadmodũ illius ſpeciei effectioni cõſentaneum eſt.neq; enim promiſcuè in quacunq; forma & figura corporis, quæuis anima poſſet hærere,ad uitæ operationes edendas, hoc certe naturæ ordine, & his legibus,quas Autor uniuerſitatis à cõdito orbe ſanxit. Sed contẽperatio liquorum & qualitatũ,quia in corpore & ipſo naturæ opificio penitior eſt,idcirco appoſitius eſt animæ organũ,& maior artificis nexus cum illo: ut ſiue hoc deficiat, recedit anima:ſiue recedat anima, cõtinuò illud deficere ſit neceſſe. Membra aũt poſt animę abceſſum manẽt.conformatio enim membrorũ, & internorũ & externorũ remotior eſt,& ſeparatior:cõmixtio uerò humorum in illis,intima. Quid quòd qualitates illæ membrorũ adminiſtræ ſunt,et ceu inſtrumentorũ inſtrumẽta. per has enim anima utitur membris.quæ ſi abſint,nulla eſt membrorũ utilitas: ut in aridis, aut tumefactis, ſeu quo alio affectis morbo. eſt enim membrũ ad exteriorẽ exercitationẽ idoneum. cõtemperatio aũt humorũ,ad organũ illud in ea aptitudine continendũ. Qua de cauſa humores illi ſemper ſunt in motu,nõ item membra.ſemper enim debẽt continere membrũ actioni,ſi uſus poſcat,paratũ. Qui artifices unicũ & ſimplex exercent opus, ijs unum inſtrumentũ ſufficit:uelut ad aquã de fonte hauriendã,urna uel urceus:ad ſcindendũ gladius,ad ſerrandũ ſerra.q uerò multa,aut unũ uariũ,ijs opus eſt pluríb. ſicut ijs qui cælãt & pingũt,aut qui ædificãt. Eodẽ modo de anima eſt ſentiendũ, cui & membra ſunt foris attributa ad externas molitiones, & liquores ad uitæ munera. Confert ſanguis ad ſalutarẽ irrigationẽ corporis,unde exhalẽt ſpiritus, uelut aurulæ

ex

ex fluuijs & fontibus ſalubres. atra bilis ad ſiſtendos uagantes ſpiritus, cohibẽdosq; ne ſubtilitate ſua nimium diſrarati, cõtrà quàm corpori expedit, euaneſcãt. flaua bilis ad cõcoctionem redundantiũ humorum, & incitationẽ corporis, ne obtorpeſcat. Pituita alimentũ eſt rapacitatis igneę, et quaſi frenũ, ne cuncta ilicò corripiat. Necaliter quàm opifex uarijs ferramentis uaria exequitur opera, nõ idem omnibus, nec tamen uarijs ſemper uaria: ſic in corpore animantis ſunt quędam actiones, quæ anima certis quibuſdã partibus exercet, ſunt quæ diuerſis, ſunt quæ indifferenter omnibus. nec in uarijs tamen uiuentibus eodẽ modo, ut ſentire, & ali, & creſcere, fuſum eſt per uniuerſum corpus: oculo aũt cernimus, aure audimus. Iam in arboribus alij rami amputati, ſi terræ infigãtur, reuireſcunt, & radices iaciũt: alij emoriuntur, ſicut in animalibus, ſunt quorũ partes exciſæ uiuãt per ſe, ut in inſectis, quæ ἔντομα dicũtur: cuiuſmodi ſunt uermes, apes, formicæ. in alijs uerò quicquid eſt è corpore auulſum, continuò amittit uitam. Et ſicuti inſtrumentũ, magnũ momentũ eſt ad opus recte perficiendũ, aut ſecus: ſic in humoribus, & membris corporis, nõ parũ poſitũ eſt, ut uitæ & ſenſuũ & cognitionis & intelligẽtiæ actiones probe exequamur. quemadmodũ ad denſationẽ, uel diſrarationẽ aeris purior ſubtiliorq; , aut cõtrà denſior maligniorq; fit lux: qua ſimilitudine in hoc negocio Gregorius Nyſſenus utitur. Sed & omnia organa animæ ſunt parata uelut artifici, & ipſa ſola eis utitur, ut planè appareat, aptationis huius corporis animãtis, in quo tam ſedula & ſolers uerſatur natura, perfectionẽ & abſolutionẽ eſſe ipſam animã: meritoq; Ariſtoteles, & acute, ut ſolet, animã nemo nuncupauit nomine ἐντελέχειαν, quaſi perfectionẽ ſecum adferentẽ. Prius quàm ad alias profligãdas quæſtiones tranſeamus, diſputandũ uidetur, quot ſint in uiuentiũ genere uitarũ ſeu gradus, ſeu rationes ac formæ. Sed plurimũ intereſt, qua uia ad effectionũ inueſtigationem inſiſtamus: nam ipſæ per ſe adiri nõ poſſunt. actiones uerò niſi proprias germanasq; ſumpſerimus, ægrè ad id peruenietur quod inquirimus. Hac de cauſa genera ſunt à nõnullis & multa cõſtituta, & uaria. nam alij motũ earum ſpectarũt: ita fecerunt natantia, ingredientia, ſerpentia, uolãtia, alij ſtatum corporis: unde ſunt bipeda, quadrupeda, apoda, erecta, proiecta, recta, curua. quidam habitationẽ et ſedem: hinc terreſtria, aerea, aquatilia, ambigua, quę Græcè ἀμφίβια. Sed hęc omnia exteriora ſunt, quæ ingeniũ effectionis leuiter & obſcure oſtendunt. Intima uerò & propria, & quæ abſcedere non poſſunt, ſine detrimento nõ tam entis illius, quàm ſpeciei: ea demũ cuiuſmodi effectio ſit, arguũt. Nos ergo cõgruenter, ad id quod erat opus, de uitę actionibus ſuprà diſſeruimus: Eſtq; à nobis demonſtratũ, eſſe quaſdã actiones uitæ uegetantis, alias uitæ ſentientis, alias cognitionis, alias rationis ac mentis. Hæc ſunt opera penitiſsima animarum, quæ adeò ſunt cum ipſis cõnexa, diuelli ab earum ſubſtantia ut nõ poſsint: impediri quidẽ poſſunt obice aliquo, tolli nõ poſſunt, quo minus obice adempto redeãt: ut nõ uidere, nõ audire hominẽ in mania, aut apoplexi, aut ebrietate, aut iracundia, uel pauore, ratione & mente nõ uti. Quapropter quot ſunt actiones illæ, tot ſunt animarũ genera: nempe uegetatrix, ſentiens, cognoſcẽs ſiue cogitãs, rationabilis. Quorũ generũ aliæ quoq; ſunt portiones, ac formæ. uegetatrix enim ſtirpium eſt omnium, & quodammodo ad metalla quoq; ſe porrigit, quę in terræ uiſceribus nutriuntur, & adoleſcũt. Vita hæc omniũ inferiorũ effectionũ uires cõtinet, ad ſenſum nõ pertingit. Senſum uerò, non item cognitionẽ habent ea quæ Græcis ſunt ζωόφυτα, mediæ cuiuſdã inter animalia & plantas naturæ: plantanimes, & plantanimalia uerti poſſe, nõ abſurde dixit quidã. Hoc in genere ſunt oſtrea, ſpongiæ, cõchę multarum formarũ, quę guſtu et tactu ſunt prędita, cogitationis expertes, & cognitionis internæ. & ſi propius ad animalis naturã accedit cõcha, quàm ſpongia. Interiorem cognitionem habent animalia, in qua etiam nota non deſunt diſcrimina, quippe, quædã non omnibus ſunt ſenſibus prædita, & interiorem cogitationem leuiſsimam ſunt ſortita, ut nulla uideatur eſſe: ſicuti inſecta, tametſi in quibuſdam naturalem prouidentiam ſolertiamq; admiramur: ut in ape, & formica, & araneo, & bombyce. Itaque quod difficilis horum eſſet diſcretio, maneant ſanè in genere animalium, hac diſtinctione, quod inchoata nominentur. Perfecta autem ſunt animalia, in quibus ſenſus ſunt quinque: ex quibus colligi eſt facile, cognitionem aliquam interius inſidere.

uiſus

uiſus enim ad cõtemplationem eſt datus:& auditus, ut antea dicebam,diſciplinæ eſt ſenſus.Supremum locum obtinet anima,quæ ratione utitur:nempe humana,quę inferiores omnes ui ſua cõtinet,de qua nobis reliquus eſt deinceps futurus ſermo.Sed prius duæ ſunt nobis attingendæ quæſtiones.Prior eſt,quum in homine & uegetationem,& ſenſum,& cognitionem illam brutalẽ ineſſe cernamus:in animali uerò ſenſum,& cognitionẽ,& nutritionẽ:utrũ ſit una in animali anima,una in homine:an potius totidẽ,quot functiones? præſertim quòd eas & locis animaduertimus diſcretas, & temporibus:ut in oculo eſt uiſus,in cerebro cogitatio & mẽs.tum infans, dum corporatur in utero,nihil ferè diſtat ab ſtirpe:natus aũt,à bruto.& quemadmodũ Paulus inquit,uiuit prius quod eſt animale,hinc quod eſt ratione prædítum.Sed unica eſt in ſingulis animalibus anima,ut in quoq; corpore naturę una effectio corporis,per eam uiuentis:uiribus tamẽ & functionibus diſtinguitur.ut multi magiſtratus,aut artes in homine eodẽ,quas ille & uariis locis & uariis temporibus, & diuerſitate inſtrumentorum ac miniſteriorũ exhibet.Quin & diuerſitas organorũ,atq; actionũ inter ſe repugnãtia,arguit unũ eſſe opificẽ,& ab eo promanare omnia:qui arte ſua regat & moderetur ſingula,ut cõueniat uiuẽti.Quòd ſi actiones,& opera, & inſtrumẽta diuerſas eſſe animas demõſtrarent,nihil eſſet quod nõ multas haberet ſpecies. quid enim eſt, quod nõ multiformia edat opera? nec ullus eſſet effectionũ modus,magnaq; in ſcrutatione naturę ſequeretur cõfuſio.Verũ quũ accedit pręſtantius,cedit inferius:quod in omni curſu & naturæ & intelligentiæ cõtingit.& in perfectione noſtræ beatitudinis ſempiternæ ceſſabũt inchoata hæc atq; imperfecta,quũ erit charitas Dei conſummata.Ob hãc tam multiplicẽ artificis ſolertiã,& peritiã, attributa ſunt illi à Deo arma tam uaria,diuerſæ formę,ſubſtantiæ,naturæ:quibus ſingulis enarrãdis,multos libros magna ingenia dicauerũt.Altera quæſtio eſt,quænã in corpore ſit ſedes animæ. Anima in uniuerſo eſt corpore,haud aliter q; unaquęq; effectio in cuncta ſua mole:in cuius parte aliqua ſi nõ adeſſet anima,pars ea nõ uiueret, ut in membro prorſum areſacto.Cæterũ per oculũ uidet,per aurẽ audit:quemadmodũ agricola aratro findit terram,raſtris ſarrit,cylindro ęquat,ligone aut pala repaſtinat.nec aliud uidetur mihi eſſe,quàm ſi quis roget,in quo potiſsimũ illorũ ferramentorũ ſit agricola. Itaq; aptius ſic putãt ſe quidã interrogare,quod ſit animę præcipuum inſtrumentũ:neq; hoc ſatis prudenter.ad uidendũ enim oculus,ad audiendũ auris:ut præcipuũ agricolæ inſtrumentũ eſt,ad arandũ quidẽ aratrũ,ad ſarriendũ autem ſarculũ. Intelligentiæ quidẽ & cognitionis omnis,cerebrũ,& in eo ſpiritus quidã tenuiſsimi,ac pellucidi: uitæ autẽ fons eſt cor.Multa quidẽ in animante ſunt membra & intus & foris,adeò neceſſaria, ut nõ poſsit animal uiuere uno illorũ quolibet exempto: cuiuſmodi ſunt caput, cor, hepar,& alia nõnulla,nõ tamen ideo fontes ſunt uitæ illa omnia,ſed cor,quod primũ in corporatione animãtis uiuit,tanquã fons primo ſcaturiens:ultimũ emoritur,quaſi uita cum illo & initiũ capiat,& terminũ. reliqua membra ſauciari & affici poſſunt,ſine interitu animantis:cor nõ poteſt.Itaq; uidemus illud in medio ſitũ,tanquã in præcipua ſede corporis,tectum munitumq; tanto præſidio thoracis,inteſtinorũ,præcordiorum,ceu arcem & præſidiũ uitæ corporis,illinc etiã,uelut ex caſtello aquę riui ad omnes corporis partes ſalutares dimanãt,per quos uiuũt & uigent omnia,imò,ſi uel minimũ incõmodum propius ad illud accedat,etiamſi non attingat,ilicò uniuerſum animãs langueſcit,atq; exanimat,quantũlibet animoſum:atq; adeò nihil aliud efficit illud animoſum,niſi cor bene conſtipatũ, quaſiq; armatũ ſanguine & calore,ne quid incõmodi facile illuc peruadat.nam quę cor habẽt ab illis deſtitutũ,meticuloſa ſunt, & leuiter quocunq; aliorũ membrorũ dolore linquunt animis,nõ propter membra, ſed ppter imbecillitatẽ cordis:ut apertè fateant,& clamẽt illic eſſe uitã,illinc ad ſe uenire.Itaq; ſenſum illũ natura indidit omnib.hominibus,ut de ſe loquẽtes,aut ſeipſos innuẽtes,manũ admoueãt ad pectus.q̃d annotatũ à Chryſippo Stoico,nequicq; à Galeno medico exagitat:præſertim quod nõ pro euidẽti atq; inuicibili argumẽto ſumẽ dum hoc eſt,ſed pro cõiectura,nõ omnino reſpuẽda.Nullũ eſt mẽbrũ,quo nõ aliqua animalia careãt.ſunt quæ pedes,quæ caput,quæ pulmones nõ habeãt:quæ cor nõ habeat,nullũ eſt:aut aliquid ſaltẽ, quod uicẽ obtineat cordis:uel in ipſis quoq; ſtirpib.

HOMINI, quòd ad ſempiternum illud bonum ſit cõditus, facultas eſt tributa boni expetendi, ut bono ſe cupiat applicare atq; adiungere: quæ facultas, uoluntas nominatur. Non expetet autem, niſi intelligat: unde altera exiſtit facultas, quæ intelligentia nominatur. Quoniam uerò animus noſter non ſemper eadem in cogitatione inſiſtit, ſed ad actus alios ex alijs tranſit, receptaculo fuit illi opus, in quod priora cogitata, alijs ſubeuntibus, conderet, ceu in theſaurum rerum abſentium: quas res, quum uſus poſcat, repetat, ac depromat. huic muneri, memoria eſt nomen. Ita hominis anima, quà eſt hominis, ex tribus cõſtat præcipuis, ſiue functionibus, ſiue facultatibus, ſiue uiribus, ſiue muneribus ac officijs, ſiue (ut alij appellant) potentijs ac partibus, non quòd partes habeat id, quod eſt inſectile, ſed partes pro officio ac munere uſurpamus. Hæ autem ſunt, mens, ſiue intelligentia, uoluntas ac memoria: in quibus relucet imago diuinæ Trinitatis, ſicuti à ſanctis patribus demonſtratum eſt. Quæ ſint harum facultatũ actiones, quot, quales, qui earum ortus, progreſſus, incremẽta, decrementa, occaſus, perſcrutari longè arduiſsimũ ac difficillimũ, pleniſsimumq; intricatę obſcuritatis: propterea quòd ſupra mentem hanc nõ habemus aliam, quæ inferiorem poſsit ſpectare ac cenſere. quemadmodum mens ipſa, de ſenſibus & parte uegetabili facilè iudicat: nempe inferioribus. Deus quoq; facultates has nobis magis cõceſsit ad uſum noſtrum, quàm ad earum notitiam. quales ſint, ipſe nouit, autor illarum: nos opifices eius ſumus, per illas. Sed pulcherrimũ tamen eſt (quia de re pulcherrima ac præſtantiſsima, adq; animum cõponendum in primis conducibile) quæ ſit mentis noſtræ qualitas, uis, functiones, opera, quatenus licuerit, perſcrutari ac eruere. quicquid ea exercitatione fuerit excuſum repertumq;, grande profectò & ſtudij precium fuerit, & ſpeculationis. nihilq; proferetur, quamlibet tenue ac exiguum, quin pro magno habendũ ſit. Porrò facultates, quod uox declarat ipſa, ad faciendũ ſunt paratæ. quocirca ex factione facultates diſtinguũtur: nempe operatione, & opere. quæ quidem ab eſſentia rei deriuentur, non ab inhærentibus, aut ijs quę extrinſecus accidunt: cuius rei eſt in ſenſibus exemplũ. oculi enim facultas eſt uidere, non hunc colorem aut illum, hoc aut illo modo: ſed ſimpliciter, ac nudè. Intelligentiam facimus duplicem. nam & in uniuerſum eſt mens tota, et functio quædam illius particularis. Mentem autem noſtram annotamus intelligere, quę foris ueniant, et intellecta uelut in capſulam quandã ad tempus reponere: unde quum opus ſit, repetat, repetitio hæc, & quaſi ſcrutatio, cõſideratio appelletur: inde in recordationem uenitur. Videmus dehinc illa quæ intellexerit inter ſe cõferre, hinc ad alia diſcurrere: quę ubi perfecerit, cenſet, ſtatuit, iudicat quid uerum, quid falſum, quid bonũ, quid malũ. hinc uolũtas, quod eſt bonum, aſciſcit: quod malum, repellit. Atq; huc ſuperiores facultates actionesq; referũtur, quæ etiam ab hoc ultimo ad primum eiſdem gradibus recurrunt. uolũtas enim nihil ſequitur, aut fugit, quod iudiciũ nõ cenſuerit prius bonum eſſe, aut malum. Nihil porrò ſtatuit iudiciũ, quod non ſit cõfectum ratione: nec conficitur, niſi collatum. conferri autem non poteſt, niſi conſideratum, & repetitum à memoria: nec hærebit memoriæ, niſi prius cognitum atq; intellectum. Offeruntur autem abſentia cognitioni, quod non in ſolis rebus præſentibus ſit appetitus uolũtatis noſtræ, aut auerſio. tum diſcurritur, propterea quòd excelſa & procul diſsita petit, ad quæ eſt per gradus & longa inueſtigatione ueniendum. Poſtremò quæ nouit, quæ elicuit, quæ expetit, aut declinat, quieta interdũ cõtemplat, quæ eſt uelut quies quædam animi. Ergo ſunt hæc in anima rationali munera: uoluntas, memoria, mens, & ſub mente ſimplex intelligentia, conſideratio, recordatio, collatio, diſcurſus, cenſura ſeu iudicium, contemplatio, de quibus ſigillatim eſt diſputandum.

SIMPLEX INTELLIGENTIA.

EST prima & ſimplex apprehenſio eorum, quæ menti proponuntur, nec aliter ſe habet in mente, quàm oculus in corpore, imaginatio in animo. Neq; uerò ſimplex

plex nominatur ideo,quòd ſimplicia tantum cognoſcat,hoc eſt ſingula rerum,ut ſenſus:ſed quod nihil aliud quàm comprehendit,ac uelut intuetur,quę offerũtur.ea uerò quantumlibet uaria,compoſita,connexa: ut ratiocinationes, ſermones longos & multiplices,uiſa confuſiſsima.Quum quid animo offertur ſimplex,& ſine compoſitione,ſi id præſens eſt, imaginatio recipit eam figurã, quæ eſt oblata ſenſibus:ſin abſens,ut quum de eo fit in ſermone mentio,ſi res eſt quæ cadit ſub ſenſus,& memoriæ impreſſa,phantaſia repetit formam à memoria,quod ſi ea ſit res,quæ cognoſci à ſenſibus non queat,eſſe quidem aut nõ eſſe,hoc aut illo modo colligit ratione mens:imaginem tamen ei affingit phantaſia,ex rebus ſibi notis deſumptã.ſic effigiat Deum,angelos, mentes noſtras, & quæ ſunt eiuſmodi. Idem facit in rebus corporalibus, quas ignotas ex notis ſibi depingit:ut leonem,elephantum,Romam,Lutetiam,et eiuſmodi quæ nunquam antea uiderit. Vniuerſale nullũ eſt in imaginatione, ſicuti nec in natura:tantũmodo à ratione diſcurrente attingitur,ſub imagine cõfuſiſsima ac tenuiſsima,dum mens,quantum efficere poteſt, phantaſiæ ſe notis exuit. Difficile dictu eſt, quas habeant in animo effigies,qui cæci ſunt nati.Et ut neceſſarium eſt ad cernendũ, ut ſit oculus apertus:ita & intelligentiæ,ad intelligendum, neceſſaria eſt attentio, ſeu aduerſio quædam animi, quod Græcis dicitur προσέχειν τὸν νῶν. hæc eſt uelut mentis quædã apertio,ad recipiendũ quod offertur.Intelligentiæ huius impedimenta ſunt, uel intrinſecus ab alia cogitatione uehementiore animo occupato & abſtracto, uel à cogitationum tumultu,dum aliæ alias ſubinde extrudũt.tranſit enim mens ad diuerſas,nec in ulla ſiſtit:tum uoluntas mẽti imperat,ut alias res agat,eamq; à præſenti negocio abducit.quod nec fit, niſi animus, quo uoluntati morem gerat, uenientem intelligentiam alia cogitatione tanquã pro foribus obiecta excludat.Extrinſecus cauſa eſt in corpore,in frigidis & craſsis humoribus,qui ſpiritus gignunt denſos et tardos, ac proinde ad percipiendum non ſatis idoneos.Foris quoq;,quum ſenſus aliis rebus ſunt ualde occupati,ab aliarum rerum attentione mentem auertunt. ſed hoc ad illud refertur,quod aliis cogitationibus alias uel pelli diximus,uel excludi.neq; enim ſenſus quicquam officerent,niſi illis ſe mens accommodaret,& tanquã præberet aurem loquentibus.tametſi interdũ uehemens,& laborioſa ſenſuum corporalium actio impedit intelligentiam, quod ſpiritus auertit aut deuincit,qui ſunt mentis inſtrumentũ præcipuum,ut in morbo & dolore.Qui ſic cogitationibus iactantur,animo uelut peregrinantur ſemper,nec unquã ſunt in re præſenti. aliud agentes nuncupantur, quibus magna uitæ pars inutiliter tranſigitur.Sunt qui priorem ſermonis partem nõ intellexerunt:ex intelligentia aũt poſteriorꝭ,quid ſibi prior uoluerit,rectè coniectant: uel ex ueſtigiis exiguæ intellectionis ſuperiorũ, uel ex collatione coniecturarũ à negantibus ad aientẽ,non eſt ueriſimile hoc eſſe,nec illud aut illud:igitur quartum hoc, quoniam nullum reſtat aliud.Itaq; duæ ſunt in totum cauſæ non intelligendi,uel quũ occupatus eſt artifex,uel quum inſtrumentum nõ ſubſeruit.in quo & delaſſatio comprehenditur ingenij,quæ ab ipſo non eſt, ſed ab inſtrumentis. Mens enim noſtra non habet uim infinitam,nec quantam uult in actione præſenti, uel in materiam obiectã: ſed in duratione temporis,& continuatione operis. quocirca in ſuis iſtis actionibus, nunquam ſua ipſius imbecillitate deficit,ſed organorũ. Reparatur intentio feſsis uel quiete,uel ſola auerſione animi ad aliud,ut in defeſsis:& eo facilius,ſi à re graui ad leuem,à moleſta ad iucundam.tum exhilaratione ſenſuum, uelut amœno ſpectaculo, harmonia,refectione cibi et potus,ſeſsione ſi ſteterit,aut ſtando ſi ſederit,uel inambulatione,excitatione noui affectus,lætitiæ,mœroris,cupiditatis,ultionis,ut cuiuſq; eſt procliuitas:denique re quacunq;,quæ recentem ſpiritum ſufficiat.

DE MEMORIA ET RECORDATIONE.

MEmoria eſt facultas animi, qua quis ea, quæ ſenſu aliquo externo aut interno cognouit, in mente continet. Itaq; actio huius tota eſt introrſum conuerſa,eſt enim memoria uelut picta tabula,quę ut aſpectu oculorum efficit actum notitiæ,ſic illa intuitu animi intelligentis,aut cognoſcentis:quę notitia nõ eſt ſimplex.nam conſideratio eſt,quã inquirit & ſcrutatur:recordatio uerò,quã ad id peruẽtum eſt,quod uolumus.Eſt & in recordatione recultus,quũ animus inſiſtit in recordatione rei ali-

cuius,multum eam retractans cogitatione,& reuoluens, quod recolere nominatur. Quæ recordatio ſimplici gignitur intuitu animi in memoria, ea communis eſt nobis cum beluis:quæ autem fit per gradus quoſdam & diſcurſum à rebus,quę ante animũ obſeruantur,ad ea quæ ſubterfugerant,hominis eſt propria,qui ſolus diſcurſu utitur: reminiſci à philoſophis nuncupatur. Neq; in hoc nobis cõuenit cum uſu cõmuni loquendi.nam Vergilius de equo dixit:Dulces reminiſcitur Argos. Sed teneamus ad cõmoditatẽ diſſerendi,uocabulũ uſu ſcholarũ tritum: & ſit nobis reminiſcẽtia,quod Græcis ἀνάμνησις,quæ eſt in recordationẽ reductio,quaſiq; recordationis recordatio. Habemus igitur memoriã,recordationẽ,reminiſcentiã. Memoriæ ſedes ac uelut fabrica,in occipitio eſt à Natura collocata,admirabili ſapientia, quod præterita cernat. ita illic uelut oculũ habemus quendã multo præſtantiorẽ, quàm ſi corporalis aliquis eſſet aſtructus:qualis in frõte,quod in fabulis eſt de Iano. Memoriæ,ſicuti & manus, duæ ſunt uires,apprehendere & retinere.apprehendũt facile, qui humido ſunt cerebro.Eſt quidẽ cerebrũ omne humidũ,ſed ſupra modũ intelligi cõuenit.ut ſigillũ celeriter in humore fluido imprimitur,ſed nõ diu hęret,niſi in arefacta materia:ita bilioſi ad retinendũ ſunt aptiores,ubi ſemel apprehenderũt.Temperamentũ aũt ad utrunq; eſt idoneũ:quod in quibus eſt pueris,bonitatẽ ingenij arguit, ut Quintilianus annotauit.adiuuatur eñ ingeniũ à memoria,ut & percipias facile quæ uelis:& celeriter ac fideliter reddas,quum ſit opus.quæ duæ partes,ſilicò,& bona fide repræſentare,illius ſunt,q̃d retinere nominaui.Nam ſunt qui cõtinent quidem,ſed in reddẽdo quaſi depoſito uel tardi ſunt,& diu laborãt quærẽdo, uel reddũt mala fide:nempe aut nõ integre,aut cõfuſe,et perturbate.quod qui faciũt,ingenia habent inuerſa atq; infelicia.Iuuenes propter calorem,& humores puriores,plus pollent memoria, quàm ſenes.Primùm in quod ætas inuadit, inquit Seneca,eſt memoria:nec ullũ ſenectutis certius ſignũ,quàm memoriam labaſcere.remittitur enim ætate calor,& ſpiritus cõdenſantur. Cæterũ memorię loco,magnũ ſubſtituit Deus bonũ ſenibus:prudentiã,uſu rerũ collectam,& iudiciũ acrius & efficacius.Nec memoriã habent omnes pariter ad omnia. ſunt qui uerba,ſunt qui res meminerũt facilius:ut Themiſtocles rerũ,Hortenſius uerborũ recordatione dicuntur ualuiſſe.quod exemplũ poſitũ ſit,pro toto & hominũ & rerũ genere.Nam alij curioſa,alij recta & ſimplicia,alij publica,alij priuata,alij uetera, alij noua,alij ſua,alij aliena,alij uitia,alij uirtutes recordãtur citius & melius, ut eſt cuiuſq; ingenij pronitas,& attẽdit ad hęc aut illa libentius.Attentio enim memoriã confirmat,ut ſtatim dicam.Et quemadmodũ in pictura,non omnia quę expreſſa ſunt,uel cernimus,uel animaduertimus,uel cùm quærimus ocurrũt:ita in memoria multa habemus nobis incognita,& quę nos nõ habere credimus,cùm habeamus:ſicut à contrario.tum quæ habere ſcimus certo,multũ tamen quæſita, indagata, inueſtigata non cõparent:quę ſi quis offerat,ſtatim agnoſcimus,ut in loquendo.Nam plericq; linguas intelligunt auditas,quas loqui neſciunt.loquẽdo enim quærimus, audiẽdo aũt offeruntur,& recognoſcimus. Memoriæ plurimũ cõfert naturalis cõtemperatio corporis, quali fuiſſe præditos illos credibile eſt, quorũ magnitudo memoriæ monumẽtis literarũ celebratur:Themiſtocles,Cyrus,Cyneas,Hortenſius.Adiuuatur tota ratione uictus,cibis,potionibus,exercitamentis,quiete,ſomno moderatis, & ad facultatis illius inſtrumẽta accõmodis.Sunt quædã quæ peculiariter proſunt memoriæ,alia quæ obſunt,obſeruata medicorũ cura, & libris conſignata. Et quemadmodũ non imprimitur in aqua fluenti ſignũ annuli,ita neq; in memoria res cognitæ,cerebro uehemẽter agitato. quale eſt in pueris infantibus,propter cõtinua incremẽtia corpuſculi:tum in ebrijs & ægrotis,cùm ualida uis ardoris ſpiritus omnes rapit ſecũ,cõuoluitq;.Difficile item recipiũt,qui in occipitio frigidos habẽt humores,ac proinde duros,quorũ eſt natura ad impreſsionẽ ſaxea: tales ſunt ſenes,& tardi,& torpentes. Qui uerò ſani ſunt & integri,ſed celeres habẽt ſpiritus,apprehendũt quidẽ citò, ſed nõ adeò continent: cuius ſunt generis bilioſi. Lenta ingenia,inquit Ariſtoteles, recordationis fide ualent,acuta autẽ reminiſcentia.Tenacior eſt memoria in tardo, ſicut diuturnius ſigillum in ſaxo aut ferro:redeunt tamen celeres facilius in recordationem. Alte deſcendunt in memoriam,quæ attentè ſunt à primo accepta,& cum cura. quo fit,ut ingenio

ſiſsimi

ſiſsimi ſæpe homines,et bono memoriæ prolixe inſtructi ornatiq̃,nõ tam recordentur multa,quàm qui illis non ſunt pares his dotibus:quod neglectim multa uident, legunt,audiunt.Si ſe adfectus aliquis cõcitatus,primæ rei cuiuſq̃ memoriæ admiſcuit, recordatio eſt deinceps facilior, promptior, diuturnior: ut quæ cum maxima lætitia uel dolore ſunt in animũ ingreſſa, horum longiſsima eſt memoria. eaq̃ de cauſa mos eſt quarundam gentium, in ſtatuendis agrorum limitibus acriter cædere pueros qui adſunt,ut firmius & diutius recordentur illorum finium.Exercitatione & meditatione crebra magnum memoria ſumit robur.fit enim & ad accipiendum prompta,& ad plura capienda latior,& tenacior ad continẽdum: nec eſt ulla in toto animo functio, quæ perinde cultum ſui deſideret.Ingenij munia non fiunt quiete ac ceſſatione deteriora,ſæpe etiam renouantur, & præparata plus uigoris acquirunt. Memoria, ſi non exerceas,hebeſcit,ut tardior fiat indies,& ſegnior ocio ac quietudine. Obliuiſci autẽ triplici ratione dicimur: uel quum imago illa in memoria depicta eraditur prorſum ac deletur,uel quum interlita eſt atq̃ interrupta,uel quum quærentẽ ſubterfugit: uel quum obrupta eſt,& quaſi uelo quodam contecta, ut in morbo uel affectu cõcitato. prima eſt uera,& maximè propria obliuio: ſecunda eſt obſcuritas,ſeu litura: tertia & quarta,occultatio.quæ deprehendere eſt in tabula, cuius imaginum alia eſt deleta,alia eſt interlita uel interciſa,alia nos fallit, alia eſt operta uel exoleſcens. Obliuiſci etiã dicimur eorum,quæ à natura ipſa accepimus,quum de primis illis & naturalibus informationibus dubitamus,quæ euidentiſsimæ & certiſsimæ ueritates nuncupantur. perinde eſt enim,ac ſi eas aliquando didicerimus,naturæ inſtitutione.Prima obliuio, noua prorſum cognitione indiget: quarta detectione,ut ſanitate corporis aut animi: reliquæ duæ inſtauratione, ut ueſtigatione & quaſi gradibus ad id ueniatur, quod quærimus,ut ab annulo in aurifabrum,ex hoc in monile reginę,hinc in bellum quod geſsit uir eius,à bello in duces,à ducibus ad eorum progenitores aut liberos,hinc ad diſciplinas quibus ſtudebãt:in quo nulla eſt ad ſiſtẽdum meta. Gradus hi per omnia argumentorum genera latè ſeſe diffundunt,à cauſa ad effectum, ab hoc ad inſtrumẽtum,à parte ad totum, ab iſto ad locum, à loco ad perſonam, à perſona ad priora eius & poſteriora,ad contraria,ſimilia:in quo diſcurſu non eſt finis.& ſunt tranſitus quidã longiſsimi,imò ſaltus:ut ex Scipione uenio in cogitationem potentiæ Turcicæ,propter uictorias eius de Aſia,in qua regnabat Antiochus:ex nomine Ciceronis uenit in recordationẽ Lactantius,qui fuit eius imitator:ex hoc de chalcographia. nam is liber dicitur formulis æneis excuſus uel primus,uel de primis.Reminiſcentia hæc uel naturalis eſt,cogitatione ultro ab alijs ad alia tranſeunte: uel uoluntaria,ſeu iuſſa,quum animus in recordationem rei alicuius conatur peruenire. Facilia ſunt ad recordationẽ ordine notata,& præſcripta:in quo genere præcipuæ ſunt mathematicæ traditiones. Verſus quoq̃ ad memoriæ fidelitatem conducunt,propter ordinem compoſitionis, & ſtructuram non temerè uagantem ſparſamq̃,ſed certis limitibus concluſam,ut animum non patiantur aberrare uia.ceu repagulis quibuſdam utrinq̃ munita & obſepta.uiciſsim temerè effuſa, uel diſſolutè congeſta, difficile eſt & capere, & continere. Quocirca & qui recordari aliqua cupiunt, diligenter attenteq̃ ordinem eorum animaduertunt,quæ mandant memoriæ:& artis huius magiſtri,loca quædam diſcipulis ſuis ediſcenda exhibent.Nam quæ ſimul ſunt à phantaſia comprehenſa,ſi alterutrum occurrat,ſolet ſecum alterum repręſentare:unde ſedes illę exiſtunt in artificio memoriæ, quippe ad aſpectum loci de eo uenit in mentem, quod in loco ſcimus euenisſe, aut ſitum eſſe:quando etiam cum uoce,aut ſono aliquo quippiã contingit lętum,eodẽ ſono audito delectamur:ſi triſte,triſtamur.quod in brutis quoq̃ eſt annotare:quæ ſi quo ſono uocata gratũ aliquid accipiunt, rurſum ad eundẽ ſonũ facile ac libẽter accurrunt:ſin cædantur,ſonitũ eundẽ deinceps reformidãt,ex plagarum recordatione. qua in recordatione gemina illud uſu euenit,ut ex re minore ueniat nobis de maiore in mentem ſæpius,non è cõtrario.Maius uoco melius,pręſtabilius,rarius,precioſius, charius,deniq̃ quod nos pluris facimus.ut quoties aſpicio domũ, quæ Bruſſellæ eſt è conſpectu regiæ, uenit mihi in mentem Idiaqueus, cuius illud erat hoſpitium,& in qua nos ſæpiſsimè,quantũq̃ per illius negocia licebat,diutiſsimè ſumus collocuti de

rebus utriq; iucundiſsimis: non tamẽ quotieſcunq; Idiaqueus obuerſatur animo, de ędibus illis cogito, notabilior eſt ſcilicet animo meo Idiaquei recordatio, quàm illarũ ædiũ. Eundẽ in modũ de ſonis, de ſapore, de odore. Puer quũ Valẽtiæ febri laborarẽ, & deprauato guſtu ceraſa ediſſem, multis poſt annis quoties id pomũ guſtabã, toties non ſolum de febri meminerã, ſed habere mihi illã uidebar. Quapropter nuda eſſe oportet ea loca, quæ memoriæ mouendę aſsignãtur, ne ſi quid habeãt inſigne, aut illuſtre, hoc eſt nobis notabile, obruãt quod eis fuerit cõmendatũ: non aliter recordatione inſigne illud rapiẽte, atq; in eo occupata, reliquorũ oblita, q̃ uentriculo de multis cibis eo qui naturæ ſuæ maxime eſt congruens, alijs neglectis. Et quoniã ſimilitudo ex multis uelut unũ reddit, facilis eſt & uſitatus, nõ memoriæ ſolum, ſed cogitationis quoque error, ut à ſimili tranſeat ad ſimile. pro Gregorio ſumimus Georgium, pro enthymema problema, Pindarus pro Pandarus: quæ ſimilitudo eſt in uerbis ex medio, principio, fine. tum in rebus, ex eo quod in illis attentio conſideratur: ut Xenocratẽ pro Ariſtotele, in philoſophia & diſciplina Platonis: Scipionẽ pro Q. Fabio, in bellis Punicis: Irum pro Codro, in paupertate: Demoſthenẽ pro Cicerone, in eloquentia: Narciſſum pro Adonide, in pulchritudine: alliũ pro cepis, in odore. Eodẽ modo de loco, tempore, de actionibus aut qualitatibus, quorũ exempla patent latiſsime. Similitudo perturbat memoriã, ut oculos corporis, ne iudicium poſsit recte ſtatuere de eo, quod eſt ad ſe delatum confuſe. Hoc uitiũ uel in prima attentione naſcitur, quod intelligentia non ſatis animaduertit, quæ offeruntur, ut integra ea diſtincta q̃ poſſet memoriæ commendare: quo in genere ſunt aliud agentes, uel in ipſa memoria, quæ parũ ſyncera fide cuſtodijt: uel in ſecunda cõſideratione, quæ eſt attentio, quum perperã ea, quæ integra erant in memoria repoſita, depromit: quod aliàs negligẽtia uel ſocordia quadam accidit, aliàs cõmotione animi, ut in ebrijs, iratis, metuentibus, amantibus, inuidentibus, exultantibus, & huiuſmodi. Sicuti quum depoſitũ non tale redditur, quale traditur, in uitio eſt aut accipiens, aut cuſtodiens, aut repræſentans. Perturbatur item conſideratio, quũ iuſſæ aliquid quærere, aut depromere, obijcitur extrinſecus diuerſum quid, uel alienũ. Salutauit me heri in foro Petrus Toletanus, nec ſatis animaduerti, nec ſatis memini. ſi quis ex me quærat, quis te in foro heri ſalutauit? ſi nihil addat, facilius reſpõdero, quàm ſi dicat, Io. Manricus ne, an Lod. Abylenſis? Si quæratur, quis fuit Socratis pater? citius occurret memoriæ, q̃ ſi addatur, Num nõ Democritus? magis intricat adhuc conſiderationẽ, quum res eſt in uicio ſimilitudinis poſita. Dum em̃ conſideratio aliquid ſcrutatur, unicũ munus arripit, in q̃d ſolũ incumbit. quũ uerò aliud eſt obiectũ, additur occupatio refellendi eius. ita labor fit duplex: prior, reijciendi quod nõ conuenit: alter, eius quod conuenit, reponendi. Diſtinctio temporũ reminiſcentiæ, eſt neceſſaria, alioqui cõfunderentur imagines: ut in tabula, ſi aliæ ſuper alias abſq; interuallo depingãtur. Quæ uacuo animo & tranquillo accepimus, facilius hærent in mente, ſuiq; ueſtigiũ imprimũt diuturnius ac expreſsius, ſi modò attente animũ applicamus. qua de cauſa quæ prima ætate uidimus atq; audiuimus, ea diutius recordamur, & integrius. eſt enim tunc ſoluta curis & cogitationibus mens. tum etiã attendimus diligenter: quippe ætate illa admiramur omnia, tanq; noua. at quæ admiratione nobis mouent, ea ſollicite ſpectamus, alteq; in animũ deſcendunt: itaq; & expreſsius ſunt in memoria depicta, facileq; occurrũt recordationi, & diſtincte depromuntur. Senes præterquàm q; uitio ætatis difficilius capiunt ac retinẽt, (ſpiſſantur enim eorũ ſpiritus, nec facile imagines recipiunt) occupatio quoq;, & in res uarias intentio tumultuatur intus, ut nec quietè quicq; admittat, nec quum quæritur, ſinat inueniri. Deterunt quoq; imagines in memoria inſculptæ, unde recordatio exiſtit manca, & quæ aliquid ſemper uideatur requirere. exciderunt enim circũſtantię loci, temporis, perſonarũ, quod eſt primũ memoriæ per ætatẽ labaſcentis uitiũ. Conſideratio eſt, quæ ſcrutatur ea, quæ ſunt in memoria recõdita. Imagines rerum, quas memoria conſeruat, in lucido ſpiritu ſunt impreſſæ: qui ut eſt calidus & agilis, nunquam conquieſcit. quã uerò illius partẽ attingit acies conſiderationis, hoc eſt ſpiritus ſeruiens conſiderationi, eam intuetur, eoq; non ſemper omnia recordamur, nec ea quidẽ ipſa quę uoluntas imperat, nam ſæpe quęrimus, quę non inuenimus, quæq; poſtmodum

ſeſe

ſeſe ultrò offerunt,etiã per quietẽ: ut quibuſdã,quã ſolutionẽ argumenti,aut nomen rei diu multumq; uigilantes inquiſierant,in ſomnijs reperiunt. Quædã recipit intelligentia prima illa ſimplex,quæ eſt de ijs quæ extrinſecus obueniũt per uidendi uel audiẽdi ſenſus,quæ non animaduerſa tradit ſtatim memoriæ. attentio uerò,uelut exurgens conſiderat in memoria,& intelligit interdum continuò pòſt, nonnunquã longo interuallo:haud ſecus quàm ſi quis uel à ſomno excitareẽ, uel ex alienatione mentis ad ſe ipſum rediret.Hi ſunt uel ingenio tardi,aut animo peregrinantes, aut intenti ualde aliò,quod etiam in uiſu & auditu euenit, quum ſenſus communis aliud agit,ſicuti eſt antea declaratum.

DE COMPOSITA INTELLIGENTIA.

SVbſtantiæ puræ,hoc eſt adhærẽtibus denudatæ,nulla eſt in animo imago,ſed tantummodo adiacentiũ,quę illã conueſtiũt ac operiũt.Recepta aũt prima illa imagine,ac ſimplici,quę eſt per ſenſuum ianuas ingreſſa,addit ei phantaſia ſimulachra & formas alias ex ijs qualitatibus uel actionibus,quæ hauriuntur ſenſibus . Ratio uerò accedens,confert illa inter ſe,eſſe talia uel nõ talia,agere ſic aut illa,uel ſecus . Hinc ea quæ nullis cognoſcunt ſenſibus adiungit, quæ in ſchola ſyncategoremata nominantur,hoc eſt conſignificantia. ideoq; hæc plura ſunt & aptiora, quo magis augetur ratio:ut in uiris quàm pueris,in ingenioſis q; ſtupidis, in doctis q; imperitis . Phantaſia nihil coniungit,aut ſeparat per copulã, uelut hoc eſt tale,aut nõ eſt tale, ſic agens aut non agens:ſed ſic coaceruat hoc tale non tale,hoc uel illud agens, hoc modo aut illo, uel è contrario.quod oſtẽdit puerorũ et rudiũ et craſſorũ hominũ ſermo,qui multum cõiunctiones omittũt in loquẽdo,congerũt tantũ rerũ nomina abſq; nexu. Tranſit ratio ab adhærentibus ad ſubſtantiã, & exculpit non iam quale ſit quicq; ſolummodo, aut qd agat,ſed quid ſit aut nõ ſit:quorũ aiens uocat cõiunctio,negans aũt ſeparatio.

RATIO.

QVę intelleximus,conſideraũimus,contulimus,omnia ſunt parata in uſum rationis : ea uerò eſt collationis progreſsio ab uno in aliud, uel à quibuſdã ad aliud uel alia.Ideoq; etiã diſcurſus nominatur, & reputatio : quod ſicut in uite putant ſarmenta inutilia,ita in ratione,ut ſolũ utile retineat purũ (quod dicitur) & putũ,quoad eius quidẽ prę ſtari poſsit.Nec perturbet nos,quod diſcurſum diximus.nam interdũ ratio nõ tam curſu ingreditur,quàm ſalticulis per diuerſa delibãdo.eſt enim ratio alia per ſuos gradus cõtinua ſerie diſcurrẽs,eſt alia tranſiliens,et medios aliquos gradus intermittens:uel ex ignorãtia recti ac congruentis progreſſus, uel quod illos attingere minimè exiſtimat neceſſariũ . Phãtaſia nullã ſibi poteſt figurare imaginẽ, niſi ex ijs quæ prius uſurpauit ſenſibus, ſiue aliqua talis ſit in natura rerũ, ſiue ab ipſa conficta, ex una aliqua aut diuerſis.Ratio autẽ tanta rapiditate uolitat per eas imagines, ut uel nullã omnino in ſe cõcipiat:uel adeò leuiter,ut ferè nulla eſſe uideatur.nihil em̃ ſumit de inhærẽtibus ſingularib.Ideoq; aſpicit procul quidẽ,abiungit ſe tamẽ à uiſis,quantum poteſt efficere . nam ſi illis ſeſe inuolueret atq; implicaret, haud aliter q; torrente raperetur,ut in ebrietate & furore:& eum ad modũ cerneret,quo quũ per conſpicilla depicta & uariegata.Ideoq; magna ſanitate mentis eſt opus,ad bene diſcurrendũ per ea quæ cõuenit.mens enim,quæ uiſis agitata nõ ualet ſeſe ſiſtere,ſimilis eſt ei,qui per lubricũ deſcendit.Opus nihilominus eſt ad expeditum diſcurſum miniſterio phantaſiæ,ſi nõ diſſolutæ,at ſolutæ tamẽ ac liberæ. Vtitur quidẽ ratio phantaſmatis, nõ ſe illis admiſcet.Senſus ergo inſeruit imaginationi,hæc Phantaſiæ,quæ intellectui & cõſiderationi,cõſideratio recordationi,collationi recordatio,rationi uerò collatio . Senſus eſt uelut umbrę aſpectio,phantaſia ſeu imaginatio imaginis,intelligẽtia corporis, ratio effectionis ac uiriũ. Eſt diſcurſus quidã rationis,iuſſus à uolũtate, ut aliquid uel rerũ inquirat menti,uel bonũ ipſi uoluntati.Eſt alius ultroneus,ſuapte ſponte procedens,ui mentis libera ac ſoluta,quæ quieſcere nõ poteſt.Spontanea ratio non tam ex certis & notis principijs aggreditur opus ſuũ,quàm iuſſa:quoniã negligentius ſcrutatur,quid ſit in quaq; re ueri & falſi,boni & mali. Notitia humana eſt ab ijs,quæ ſenſibus ſunt cognita,ad ea quæ animo & mente:nẽpe à ſingularibus ad uniũerſalia,à materialibus ad ſpiritalia,ab effectis ad cauſas,à promptis & patẽtibus ad recõdita.Deo

autem omniũ opifici atq; autori, cauſæ priores ſunt ac notiores quàm effecta, uniuerſalia quàm rerum ſingula. In nobis quoq;, ut quiſq; maximè uel ingenio ualet, uel rerum uſu, uel doctrina, magis uiã naturæ, hoc eſt Dei, ſequitur in cognoſcendo & colligendo: qui aũt craſsiores ſunt, hanc ſenſuũ uiã tenẽt. Diſcurſus aũt rationis, per omnes locos argumẽtorum uerſatur. Fit etiã uel à negatione ad affirmationẽ, ut non eſt hoc, nec illud, ergo illud: qui eſt diſcurſus obliquus. uel à negatione ad negationẽ, neque hoc, nec illud, nec aliud, incertũ ergo quid: qui eſt ſpurius, ſeu νόθος. eſt rectus alius, & legitimus, à re ad rem: ab affirmatione item ad negationẽ, hoc, ergo non illud. Ratio data eſt homini ad inquirẽdum bonũ, ut id uoluntas amplectatur. bonũ bruti apertũ eſt, nempe in corpore: noſtrũ in mẽte occultũ. ideoq; nobis opus fuit ueſtigatione ueri in tenebris, illi tenebras nõ habent. illorumq; extimatiua, ad bonũ tantũ & malũ fertur: noſtra aũt etiã ad uerũ & falſum. Vnde duplex exiſtit decurſus: ratio ſpeculatiua, cuius finis eſt ueritas: & ratio practica, cuius bonũ. prior ſiſtit ibi; altera tranſit ad uoluntatẽ, et ſpeculatrix nõ eſt ſimplex. nam eſt uel in ueritatibus, quę ſenſu aut phantaſia, aut ex ijs collectis rationibus licet cõſequi, quæ uocatur inferior: uel in ijs quæ ſunt ſeu altiora, ſeu magis abdita, quæ ſuperior. In quîs duabus nõ æqualiter homines uel ualent, uel ſe exercẽt. nam ut ſunt qui melius cernũt ueſperi, quàm in meridie: ſic quidã bene ratiocinãtur de ueris, nõ item de agendis. quidã uice uerſa, q; agendi ratio in experiundo uerſatur, ſciẽdi uerò in acie mentis: & alij in artibus manuarijs ſunt præſtantes, ut ingenij uis huc uel illuc ſponte naturæ inclinauit. Ratio eorũ quæ aguntur in bono, eſt prudẽtia: eorũ aũt quæ exercentur in utilibus uitę huius exterioris, ut Ariſtoteli placet, eſt ars. Quoniã uerò certius operatur expertus, quàm ſciens, idcirco ad prudentiã uel artẽ nõ ſola ſcientia ſatis eſt, experimentis etiã eſt opus, memoria & recordatione cõprehenſus. eamq; ob cauſam inexperti nec probi artifices ſunt, nec prudẽtes ſatis: ueluti iuuenes, & qui manũ operi, quod didicerũt, nõ admouere. acies enim mentis doctrina exacuitur & expolitur, uis aũt agendi atq; operandi exercitatione. Rationis meta in cõtemplatione, eſt ueritas: in agendis aũt, bonum. poſterior hæc ex collatione uerorũ & bonorũ profert iudiciũ. Collatione hac uerorũ & bonorũ carent beluæ, ut quæ ad primũ oblatũ bonũ rapiuntur. Noſtrũ porrò iudiciũ cunctatur, atq; ambigit, & ſiſtit, & reuocat ſeſe. Nec eſt tamẽ dubitandũ, quin ut muta animalia pronitates, & quaſi regulas ad bonũ ſuũ quaſdã à Deo acceperint, ita & homo ad bonũ ſuũ, et propter bonũ, ad uerũ. nõ enim meliore cõditione exiſtimandum eſt fuiſſe procreatũ à tanto artifice, id quod deterius eſt, quàm id quo nihil eſt ſub cœlo præſtãtius. Sed menti noſtræ magnas & denſiſsimas nebulas ſcelus offudit. itaq; deprauati ſunt recti illi canones. Ex ignorantia multi errores naſcũtur, quum ex illis uniuerſalibus ad ſpecies, et rerũ ſingula iudiciũ deducimus. Sed reſtant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quæ ſatis teſtãtur, quantũ id fuerit quod amiſimus, hæc à uulgo theologorũ ſyntereſis nominatur, quaſi cõſeruatio: Hieronymo eſt conſcientia, Baſilio naturalę iudicatoriũ, Damaſcenus lucẽ mentis noſtræ uocat. Philoſophi quiddã tale ſunt procul intuiti, qui anticipationes tradũt, & naturales informationes, quas non didicimus à magiſtris, uel uſu: ſed hauſimus, & accepimus à natura, tametſi alij alijs pro magnitudine ingenij plures certioresq; ſunt has regulas ſortiti: tum excoluntur, elimanturq; uſu, experimentis, diſciplina, meditatione. Hæc mentis noſtræ ſiue lux, ſiue cenſura, qua recte, qua obliquè, ſemper tamen ad bonum & uerum deuergit, & fertur prona. Vnde exiſtit approbatio uirtutũ, & improbatio uitiorum: atq; hinc leges & præcepta morum, & intus in unoquoq; cõſcientia, quę delicta ipſa ſua arguat, reprehẽdat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum. Ex his quæ diximus, difficultas explanatur, quã Plato attingit in Menone. nam is ut colligeret cõditas eſſe humanas mentes, nõ rudes, ſed magnis ſcientijs artibusq; inſtructas & ornatas, illud adducit argumentum: Alioqui, inquit, non magis primis certiſsimisq; aſſentiremur axiomatis, quàm contrarijs: nec ea quum primùm proponerentur, ilicò agnoſceremus: haud magis utiq;, quàm ſi quis ſeruum fugitiuũ, quem nunquam antea uidiſſet, quærens, ſi is occurrat, agnoſcat, aut apprehendat. Verùm non habet mens noſtra ante corpus eruditionem: ſed quum conderetur, accepit propenſiones

penſiones ad uera potius,quàm ad falſa:& ex propenſione ac cõgruentia canones ſiue formulas, quas ſi diſciplinarũ omniũ ſemina libeat nuncupare, nihil equidẽ repugno.Nam,quemadmodũ in ipſa terra ſemina ſunt à Deo indita ſtirpiũ omniũ, quos ipſa ultrò quidẽ proferat,ſolertia tamẽ diligentiaq; hominũ excoluntur,reddunturq; ad uſum aptiora: ſic in mente uniuſcuiuſq; ſemina ſunt initia,origines artiũ, prudentię ſcientiarũ omniũ.quo fit,ut ad omnia naſcamur idonei.nec ulla eſt ars,aut diſcipli na,cuius nõ ſpecimẽ aliquod mens noſtra poſsit edere:rude quidẽ et malignũ,ſed aliquod tamen.Perficitur autẽ id,cui doctrina & exercitatio acceſsit:ut in ſtirpib.ij ſunt meliores alijs,quibus agricolæ addita eſt manus ac induſtria.Et loquor de cognitione rerũ natura conſtantiũ.nam ea quæ ſunt prorſus hominũ excogitata ingenijs,ſine præceptore & doctrina nõ poſſunt percipi:ut lingua aliqua, Latina puta, aut Græca, aut Hiſpana.Ergo,quod brutæ animãtes primã illã ſequuntur naturã, integrã adhuc atq; intemeratã,non errãt in ſuis neceſſarijs:homo qui ſuas cõiecturas ſectatur,aberrat per eas ſemitas,quas ipſe ſibi fecit,regia uia relicta.& bruta eiuſdẽ ſpeciei, eodem agunt modo:nempe eandẽ ſequentes naturæ inſtitutionẽ,& monita, homo, quia uarie iudicat,diuerſiſsime agit,atq; aduerſiſsime.Hoc loco quæſtio illa iure occurrit, utantur ne bruta ratione,an diſcurrãt,& ignota colligãt ex notioribus:quę multos ueterum nõ tam cõcluſione ſui torſit,quàm tractatione. ferè enim in eam omnes diſcedunt ſententiã,carere illa rationis bono.Plutarchus libellũ ſcripſit, cui fecit titulum, Quòd mutis animãtibus inſit ratio:declamatorio magis ſtylo ac more,quàm philoſophico.nõ enim ualidis ullis nititur argumentis, ac dignis ſchola philoſophiæ, ſed populari tantummodo eluſione:magisq; de probitate ac uicioſitate morum cauillatur, quàm de ratione.Laurentius Valla in Dialectica,ratione præditas eſſe argutatur.ſed in eo opere,ſtudio cõtradicendi et argutãdi cæcus.rapitur in multas ineptias atq; abſurditates tranſuerſus. Alij rationabiles dixerũt eſſe,ex ignorãtia,quę nam res eſſet ratio,& quibus ornata qualitatibus:quod iam aperiamus. Si diſcurſus eſt tranſitus aliquis ab aliquo in aliud,dubitandũ nõ eſt,quin diſcurrãt muta:ſin per collationẽ à minus notis progreſſus ad magis nota,uel ab uno ad aliud,ex illo dependẽs aut ſequẽs, manifeſtũ eſt nõ diſcurrere.à notis enim nõ proficiſcunt ad ignota,quorũ omnia iudicia ſunt de ſingularibus:nõ ut à generalibus ad ſpecialia deſcendãt, inde ad ſingularia,uel aſcendant rurſum hinc ad illa,ad exculpendũ uerũ.Sed neq; norũt abſentia,ut ab ijs uel ad alia ueniãt abſentia,uel ad præſentia,aut è cõtrario:nec alia ex alijs in eorum tranſitu dependẽt,aut naſcuntur.nam in ijs quę cognoſcũt præſentia,et ſingularia,manent illicò cum approbatione uel reprobatione.Diſcurſus aũt nõ ſtatus eſt,ſed progreſsio.Itaq; noſtrũ iudicium, dum collationes cõponuntur inter ſe in curriculo rationis,non acquieſcit,ſed pendet incertũ.ſed nec exordiuntur bruta ab a (ut exemplo loquar) ut inde tranſeãt in b,ad cognoſcendũ c:nec ab a,ad b tanquã coniunctũ, & progrediens ab a.ſed quia non placet a,quærunt aliud, incidunt q; in b:ueluti quũ canis herum ſuum,uel feram ueſtigat.odoratur enim hunc hominem, uel aſpicit:ſi odorem aſpectumq; heri referat,acquieſcit in eo,etiam ſi non ſit herus.ſin ſecus,eo relicto confert ſe ad alium, inde ad alium, nullo nexu cohærentem cum priore,quoad in eum incidat,quem quærit.Accedit huc,quòd brutũ ſequitur id quod uel ſenſu eſt ſimpliciter cognitũ,uel à phantaſia copulatũ compactumq;,uel ab extimatrice ſtimulatum,tanquã tacito calcari naturæ.homo autẽ componit ac diuidit,et ab alijs ad alia tranſit,cõferens ea inter ſe,ex quibus aliquid pariat atq; eliciat.Et animas brutorum orbas eſſe rationis,ex figura ipſa formæ,totoq; corpore facile eſt colligere. Oculorum humanorum aſpectus quoquò uerſum circumactus intentusq;,multa nos docet:illa uerò abiecta ſunt ſemper in terram.adde his,quòd ſortita ſunt etiam corpora ad artes exercendas inepta.Deus autem,quibus facultatem rei alicuius agendę attribuit,eiſdem quoq; organa adaptauit,ei actioni accommoda: uidelicet ſapientiſsimi artificis hoc eſt munus.Sed nec egent animantes ratione,quæ in illis eſſet ſuperuacanea.nam ad bonũ ſuũ impetu naturæ ſuæ uadũt:proq; rationali intelligẽtia indita eſt illis ſpeciatim naturalis quædã ſolertia ad ſe tuendũ,cõſeruãdumq;,quę abunde ſufficit,quod admirati aliqui,rationẽ nominarint:ut in ape fauorũ & mellis cõſtructio,in

formica cíborũ proſpectio,in araneo textura, & uenatio in cane: in equo, in ſimio,in elephãto,multa humanæ intelligẽtiæ ſimília.quæ ſi quis ideo rationẽ uocet,quòd magna ſanè ſunt,& admirabília, quid obſtat quo minus quæcunq; naturaliter fiunt admiranda,à ratione profecta eſſe cõfirmet? Proficiſcũtur quidẽ illa à ratione nõ reinaturalis,ſed naturæ,hoc eſt autoris Dei.neq; enim magnũ aliquid fieri ſine ratione poteſt,ſi modò rationis nomẽ in diuinã illam ſapientiã cõpetit. Itaq; & herbas ſtirpesq; omnes,& lapides pleroſq;,& aquas multas,et alia quorũ mirãdos uidemus effectus, ratione eſſe donata arbitrabuntur. Ad hæc carere beluas quacunq; religionis ſpecie, grande profectò eſt argumentũ irrationabiles eſſe,& mortalibus animis præditas.fructus enim & fons pietatis, non eſt in uita hac mortali poſitus : ergo eſt in altera, quæ hanc cõſequitur.Ratio porrò noſtra,quæ tantũ eſt munus,tamq; excellẽs,nõ eſt propter res tam uiles & momẽtaneas cõceſſum,quàm eæ ſunt, in quibus hominum uita uerſatur,& ſe occupat : (quãto adhuc uiliores ſunt,quibus uita traducitur mutorũ?) ſed ut Deum cognoſcamus,colamus,amemus, quo nihil eſt maius, aut præſtabilius, digniusq; ratione,re omniũ excellentiſsima.hæc uerò eſt religio,cuius bruta ſunt penitus expertia:quemadmodũ cõtrà nullus eſt hominũ, qui nõ religione tangatur aliqua.Et quemadmodũ lapidi aſsignata nõ eſt uita arboris,quod & ſufficeret ſua eſſentia torpens,et in ueſtigio ſemper immobilis:nec arbori ſenſus aut phantaſia,quod ad uitã illã nihil eſſet iſtis opus:ſic neq; mutæ animãti tributa eſt ratio, quoniã ad eius uitam atq; eſſentiã tuendã,imaginationi adiuncta extimatio abunde magnũ eſſet præſidiũ.Iam uerò & nõ loqui illas,defectũ rationis oſtendit. nam ſi ratione intus ducerentur,quid illis deeſſet ad loquendum? Haud quidẽ,quòd ſermo ſit diſcrimen inter hominẽ & beluã eſſentiale,quod quibuſdã placuit, non ſatis in quo ſita eſſet eſſentia cõſiderantibus:ſed naſcitur ex illo diſcrimine,ratione ſcilicet,tanquam riuus è fonte. At in brutis alia alijs præſtãt ingenio,acumine,prudentia.nam hoc dicet aliquis.Non ſunt hæc quidẽ talia,ſed ſimília:in nobis enim ſolis ingeniũ eſt & prudentia.quemadmodum ſtirpium quoſdã annotatũ eſt ea agere,propter quę ſenſu eſſe prẽditos credi poſsit,& lapides nõnullos.ſimulachrũ quoddã referũt uitę,quũ cõſtet nec plantis ullum ineſſe ſenſum,nec lapidibus exciſis præſertim uitã.umbræ ſunt iſta,nõ uera corpora.Et quemadmodũ homines omnes rationis facultatẽ accepimus,ſunt tamen inter nos magna in eiuſmodi facultate diſcrimina,omnes tamẽ ſumus rationabiles : ſic beluæ naturæ doctrinã hauſerũt omnes,ſine ratione:ſed alia alijs doctrinã hanc ſorti ta ſunt,uel purius uel largius,quũ ſint tamẽ omnes irrationabiles.Hoc fecit omnipotens ille autor omniũ,ut ſerie quadã rerũ gradus inter ſe applicaret, quibus ad ſuprema ab imis aſcẽderetur,quẽadmodũ in Prima philoſophia docuimus. Verũ nõ eſſe illa ratiõis opera,hinc eſt intelligere,ſicut Gregorius Nyſſenus annotauit:q̃d eadẽ ſpeciatim agũt,neq; illorũ operatiões uariãtur multitudine diſsimili,ſed iuxta maius aut minus:ita,ut ſi qua animãs paulo operetur diuerſius q̃ cæterę eiuſdẽ figurę,alteri ꝓtinus ſpeciei adiudicetur.Accedit his,q̃d ꝓrationis diſcurſum erigit ſe homo ſupra ſenſus & phantaſiã,incluſumq; ſeſe illis teneri aſſequit, ſicut qui clauſus eſt in cubiculo: etſi alia nõ uſurpet ſenſib.q̃ quæ ſunt in illo,intelligit tamen multa eſſe extra eũ locũ, brutũ uero,haud ſe habet aliter q̃ infans,qui ꝓ uitrũ ceruleũ aut rubeũ intuẽs,ex ignorantia unde id fiat,omnia quę cernit,exiſtimat eſſe illius coloris.Sed iam ad alia tranſeamus.nã hũc locũ arbitror abũdè eſſe planũ factũ. Diſcurſuũ magna eſt uarietas,ut ſunt diuerſiſsima in hominib.ingenia:partim ex cõſtitutione ipſa naturali, partim ex doctrina,aſſuefactione,& huiuſmodi,de quib.pòſt loquemur. Sed ut ſummatim dicã,eſt diſcurſus quidã acutus circa rẽ aliquã,penetrans illius intima:eſt alius ſagax ex paruis cõiecturis,aut ꝓcul diſsitis,peruenies quò intẽdit:alius eſt latus,multa cõplectens.eſt enim in quibuſdã tanta mentis amplitudo,ut uno uelut intuitu,cuncta circumſpiciãt quæ ad rẽ faciũt:his & phãtaſia expeditiſsima eſt,& apertus memorię thesaurus,& expedita cõſideratio,et recordatio integra,uigensq;.lẽta enim phãtaſia,aut memoria obſerata,aut cõſideratio ceſsãs,aut recordatio imbecilla,tardũ infelicemq; diſcurſum efficit:ut in infantibus,ægris,cõmotis,magno affectis ſenio. In intelligentia eſt ceu aſpectus quidam eorũ quæ uidemus,uel audimus : iſte eſt ſimpliciſsimus.

eſt

est alius, quũ procul quasi intuemur, quò quidq; pertineat: istud ex discursu rationis petitur in rebus ignotis, aut assuefactiõe in notis: qualis est in canibus, equis, elephãtis, qui aliquid usu, aut disciplina nostra perceperũt. Discursus finis est inuẽtio, seu cõclusio rei, siue collectio. Non assequimur autẽ quod petimus, eisdẽ de causis, quibus canis amittit ferã, quã persequitur, uel quia discursus tardus est natura, res aũt procul disita, ut nõ habeat satis uiriũ ad perueniendũ: uel segnis est uoluntario, ut quũ nõ libet attẽdere: uel sequitur, quà nõ cõuenit, ut qui uiã nõ tenẽt, quà sit insistendũ, seu infelicitate ac tenebris ingenij, seu perturbatione aliqua temporaria, ut in affectu cõcitato, & uarijs cogitationibus, quæ obturbãt mutuo: uel quia præteruolat, ut in nimiũ acutis, et qui celerrimã habẽt phantasiã. hi enim ulterius transcurrũt, quàm ubi res est posita: ita quod oportet à tergo relinquentes, in res minime necessarias incidũt, ut ineptias, absurditates, dementias, res deniq; ab eo quod cõuenit alienissimas. oportet enim ilicò post discursum, phantasiã & scrutationẽ memoriæ sistere, ut mens quod secta est, commode apprehendat, ne aliò rapiat eam concitatio illa uelocissima.

IVDICIVM.

IVdiciũ est censura, hoc est approbatio & improbatio rationis, discursus uidelicet & clausulæ: quod est in mente uelut amussis quædã & norma, aut ut examen in libra. Itaque dum ratio est in actione sua, quiescit iudiciũ: ea ubi functa est suo munere, exurgit censura, & iudicat primũ de cõnexione, hinc de discursu: quẽ si approbet, nõ potest reprobare clausulã. Hæc si absurda uideatur, & receptæ infixaq; prius sententiæ cõtraria, hæret iudiciũ, seq; falsum esse suspicatur. Sin aũt nihil metuit fallaciæ, transit in sententiã diuersam, ui argumẽtationis impulsum. eaq; est maxima uis, seu unica potius, quę potest menti adferri, si uerisimilis ratio ostẽdatur, ad reliquas omnes uiolentias immobili. Quòd si nõ recte esse discursum, & quà oporteat, arbitratur, cõtinet ac cohibet se, nec quoquã inclinat, quod frequẽs sapienti accidit, propter magnã uarietatẽ, & difficultates in omni probabilitate, quæ citius docti hominis & cordati cogitationi occurrũt, quàm rudis & stulti. nec malè, qui prouerbiũ finxerũt, ab stulto iudice præcipitari sententiã: pauca enim circumspicit. Et sicut ratio utitur formulis dialecticis, quæ sunt de probabilitate, ita iudiciũ ijs quæ de argumẽtatione, in quibus ob ingenij nostri tenebras sæpe fallitur. bene enim cõfici putat argumentationẽ, quæ est praua: unde in imperitis præferuidisq; ingenijs, definiendi ac pronunciãdi existit temeritas præcipitata. Non raro etiã post rectũ exactumq; discursum obijcitur attentioni cõcludendi ac iudicãdi quædã uelut nebula, qua iudiciũ hallucinatur, aliudq; pro alio sumit. quod accidit ualde bilioſis, etiã exercitatis & sapientibus: atq; eò magis, si uel metu, uel iracundia, uel pudore percellantur. quocirca rectius hi de scripto differrent, quàm loquẽdo. Sunt qui ipſi apte ratiocinãtur apud semetipsos, uerũ molles ac lubrici facile se ab alijs sinũt auferri, siue ex affectione, siue qui non multũ sibi fidunt. Iudiciũ rectũ & sanũ est, quod apte circumspicit, quid ex quo nascatur, quid cuiq; sit cõsequens, quid alienũ, quid repugnans, quid congruens et consentaneũ. hoc bono nullum est maius ad disciplinas atq; artes omnes, deniq; ad uitã uniuersam. Non usu, nõ cognitione rerum multarũ & uariarũ, non acumine, nõ eruditione & scientia disciplinarum atq; artiũ, sed hoc solo distãt maxima et prẽstãtissima ingenia ab infimis, aut mediæ notæ. Veritas res est menti congruens, ut bonũ uoluntati: mendaciũ autẽ, aliena atq; inimica, ut malũ uoluntati. alijs quoq; sensibus, sunt quę cõuenientiã cum eis habent, sunt quæ inconuenientiã. Itaq; si iudiciũ censeat cõclusionem esse uerã, illi se applicat, & eam complectitur tanquam sibi congruentem: quæ complexio, assensus, seu opinio, atq; existimatio dicitur. sin falsam, auersatur, quę est dissensio. Est assensus quidam firmus: hæc fides nominatur, quam Cicero in Partitionibus finit, opinionem esse firmam. est alter infirmus, quę est suspicio: ut sit hoc neutrum, nec in bonum uergẽs, nec in malum, mediũ inter assensum & dissensum, est dubitatio, seu ambiguitas. Credulitas & incredulitas magis habitũ mentis significãt, quàm actionẽ. Crediili sunt, qui cupiunt, qui metuũt, simplices, mites, beneuoli. Incredili sunt, qui rationes, causasq; cuiusq; rei non assequũtur, aut non intelligunt: qui cõtrarias habent rationes, quibus uarie distinentur: qui nollent, qui cupiunt immodice, experti res non

ita

ita esse,aut euenit.Sunt naturaliter ingenia quædam praua & maleuola,prona ad incredulitatē uniuersalem,quæ cōglutinationem omnem applicationemq; ad alia ingenia refugiūt,nihilq; uolunt credere,nisi quòd ipsa uel inuenerint,uel attulerint.Suspicacitas,habitus est animi in deteriorē partē.tales sunt inuidi,auari,ambitiosi,malicioſi,maleuoli,experti mala multa,damna,fraudes:uelut senes,& qui in negocijs dolosis sunt uersati,aut inter ueteratores,aut fraudulētos. Suspicio gignitur,cùm leues quidē remur esse cōiecturas,nō tamen nullas,& quæ satis sint ad mouendū: utpote quum in contrariū uel nullæ omnino sint,uel tales quas plus uirium habere existimemus q; diuersas. Assensus facilius in securitate elicit,quàm in cura & solicitudine.citius enim eum capias,qui nihil timet,ac proinde nec cauet. Quocirca prōptius fabellæ cōsentimus simpliciter narratæ,quàm argumētis ex præparato ad pugnam certamenq; instructis:eoq; ad fidē uulgo faciendā utilior est rhetorica,q; dialectica,uti est à nobis alio loco demonstratum.

DE INGENIO.

VNiuersam mentis nostræ uim,de qua sumus hactenus loquuti,ingenium nominari placuit, quod se instrumentorū ministerio exerit & patefacit. mens enim est in hoc corpore,sicut qui clausus in cubiculo,nō aliam habet fenestram,per quam foràs prospiciat,quàm uitream:is profectò nec alia potest,quàm quę uitrum patitur, intueri.quòd si nitidum sit ac pellucidū,clarius:sin puluere obductum ac situ,obscurius cernit.Est item sicuti sapiēs in domo stulti,nempe à sedibus sensuū:ab illis quippe ducitur.Et quemadmodum conclusus cubiculo,non ignorat obstare sibi uitrum, quo minus res clarius cernat ac apertius:ita mens nostra in corpore,quæ,tametsi ducitur à sensibus,eos tamē ipsa corrigit. Hieronymus in louinianū,mentem nostrā in sensibus simile facit sedenti in equo.Nusquā it sessor,quin uehatur ab equo:sed regit tamē equum.atq; hoc est inter hominē et beluam discrimē,quod homo fulcit sensuū imbecillitatē,et crebros lapsus,fallaciamq; illorū per rationē assequitur: brutum autem,quod rationis sit egenū,nihil horum intelligit. Hæc est mentis nostræ abductio à materia,quòd supra materiam,supraq; ea omnia quæ sunt materię atq; imaginationis,se sustollit.nō quod sine instrumēto materiali aliquid hic possit,dum inter concreta & corporalia uersatur,uti iam diximus.Quo fit,ut sæpenumero ab actionibus suis retardetur,cùm minus se instrumentū illius facultati obsequēs præbet.Cuperet quidem mens plerunq; optimis ac præclarissimis cogitationibus se oblectare:sed impediunt eam organa,auertuntq; inuitam ac repugnantē,& traducunt ab excellentibus cōtemplationibus ad lusus,ad ineptias,& res leuissimas,quibus facilia se & tractabilia exhibent instrumenta. Sed functionis rationalis organa sunt in cerebro,spiritus quidam tenuissimi & lucidissimi,quos illuc exhalat sanguis cordis.ij sunt organa intima cognitionum omnium.Qui quum frigidi sunt,à sanguine frigido circa cor euaporati,segnes existunt actiones mentis,& languidæ:unde homines fiunt hebetes ac torpentes.quod subsignificat Vergilius,quum in Georgicis dicit:

Sin has ne possim naturæ tangere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis. Rursum cùm calidi sunt spiritus,celeres & cōcitatæ sunt actiones. hinc fit,ut cordis habitudo atq; affectio,ad cogitationē atq; intelligentiā nō parum cōferat. Vnde homines uel cordati nominant: uel cōtrà,excordes & uæcordes.et Corculū Nasica ille appellatus,q; esset sapientissimus.ut cor etiam pro mēte ipsa sumat,hac eadem de causa:uelut in sacris literis,De corde ꝓdeunt cogitationes.& Deus,spectator cordiū:appellatione peculiari nūcupatur,ac ꝓpria. Et quanq; fons atq; origo omniū actionū animi fixa sit in corde,officina tamē est in capite.nec enim intelliget mens,aut irascetur,metuet,mœrebit,pudefiet,prius q; spiritus illi à corde exilientes ad cerebrū peruenerint.Documento est,q; quantūuis sanguis ferueat circa cor,nisi is ipse feruor caput attigerit,nulla exurgit animi perturbatio:ut in uiris animosis & moderatis,in quib.sanguis efferuescit in præcordijs,nullam tamen edunt iratorū significationē,quòd cerebrum nondum sit excalfactum.Sanguis & spiritus sequuntur quatuor principū qualitatum uim & naturam,prout quæq; in commixtione inualuit:pituita humores gignit crassos,functionesq; intelligētiæ lentas:bilis flaua,subitas & celerrimas:sanguis,moderatas. In insa-

nis &

nis & furiosis exardescũt liquores omnes,in stupidis refrigerantur,ac cõdensantur. Quo fit,ut utriq; ualentes sint corpore ac robusti,furiosi ad agendũ propter feruorẽ, qui est in actione præualidus:fatui ad patiendũ propter frigus,quod est firmæ patientiæ.Calor & humores cõtemperati,faciunt ad acumen et sanitatẽ ingenij.Cogitationes ex flaua bili cõcitatas & uagãtes,temerè sistit atra bilis,ut in id q̃d agũt,intendãt. quin etiam eadẽ bilis fusca,nempe densa materia,si accendat,plus ignis calorisq; eõcipit,idcirco nõ uolitat per summã rerum faciem,ut flamma ardens in stuppa,uel paleis:sed penetrat intima,& profunda.Accenditur porrò melãcholia ex agitatione cogitationũ uel affectionũ calidarũ.Oportet aũt eam esse alijs humorib. admixtã,præcipuè flauę bili,tanq; frenũ,ne illa ex ingenio & natura sua instabilis,quò minimè cõuenit,sese proripiat.Nam si sola sit atra bilis relicta ex adustione humorũ omniũ,multa & obscura inuadit cerebrũ,densat atq; offuscat spiritus:unde furiosi & maniaci euadunt:tum exugitur corpus,ac debilitat.quod in omni etiã cõtingit uehemẽti cogitatione,atq; intẽtione mentis.Nam in illa cerebri atq; spirituũ actione,aduocat mirabili naturæ artificio à uentriculo & uitalib.calor ad caput,tanq; ad eam partẽ mittatur subsidio,ubi plurimũ laboratur.qua ex causa cruditas existit,noxiorumq; humorum redundãtia, & debilitas neruorum,denicq; corporis uniuersi infirmitas atq; afflictio. Quòd si subtilib.& claris spiritibus admixta sit nigra bilis,dexteritatẽ parit rationis, iudicij,prudẽtiæ,sapientiæ.hi enim descendũt altè,excudunt q; atq; inueniũt præclarè q; plurima. Huc pertinet Platonis dictũ illud,ex Democrito Abderita sumptum: Nullum excellẽs ingeniũ sine mania,hoc est furore,qui furuæ bilis effectus est.Quocirca uini naturã refert atra bilis,ut ex ratione corporis,in q̃d infundit,actiones producat:quemadmodũ est fuse ab Aristotele in Problematis tractatũ.Sunt ergo omnia hæc mentis instrumẽta.nec aliter quàm cùm artifex instrumẽta disponit,aptatq;,nõ potest operi faciũdo intẽdere:ita et facultas rationabilis in infantia,circa liquores atque spiritus occupata penitus,nequit illas ad functiones suas cõuertere.est enim in aptatione & accõmodatione illa tanta permixtio cõfusioq; omnium,ut ratio quoq; perturbet,atq; obruat ipsa,quo minus exequi munus suum ualeat:ut in officina quapiam perturbata.tum motus ille atq; agitatio materiæ,nõ sinit rerũ effugies hærere in phantasia. Et quemadmodũ in infantiã non utit ratio suis organis,quia nõdum sunt apta:sic neq; in decrepita senecta,quia iam desierũt esse apta,magno scilicet usu detrita & corrupta.Ex hisce humorib.atq; spiritibus,nascitur ingeniorũ nõ uarietas solũ ac diuersitas,sed aduersitas quoq; tanta,quãta est inter hominũ facies.de quo sum locuutus nõnulla in opere De tradẽdis disciplinis. Quidã habẽt uires ingenij ualidas ad laborẽ ferendũ,& insistũt operi:ut melãcholici,uel phlegmatici.Loca & tempora eiusdẽ qualitatis ad idem faciunt,cùm non omnino caloris uigorẽ frigiditas debilitauit,nec restinxit lucem obscuritas,ideoq; hi artibus manuarijs sunt apti,in quibus opus est patientia experimentorũ,& frustrationi operis non indignari,neq; ex offensione materiã de manib.abijcere. Alij leues atq; infirmas habent uires,nec diu possunt durare in opere:ut bilioſi,& calidè sanguinei,tum populi feruentiũ regionũ,& alij per æstum.ualent enim impetu,nõ cõstantia.Alij refugiunt laborẽ attentionis,ex graui et crassa materia.alij ex delicijs,aut insuetudine uel desuetudine.Alij nõ patiũtur se alligari,nec quicquã possunt augere ex prescripto,sed pro libito animi sui libera ac soluti:magnosq; labores ipsi ultro suscipiãt facile,leuissimos autem indictos atque impositos non ferant.Celeriter currunt quidã,sed non longè,ita ut in progressu admirabiliter mutẽtur,& multo alij sint,quàm de principio.Nonnulli ut lentius,ita & longius perueniunt. Multis est crebrò cõquiescendum,recipiendusq; de integro impetus:qui facile delassantur,quibusq; caligo ob aciẽ mentis offunditur.hos enim semper uenire recentes cõuenit:ut uerecundi,meticulosi,iracundi.omnis quoq; animi affectio commota uelut nebulam offundit ingenio.Sunt quidam imperturbati, & sibi cõstantes,quibus statim uenit in mentem,quicquid est opus siue lacessendo, siue respondendo:quibus omnia sunt ad manum, & ingenium habent in numerato, sicut de Vinicio dixit Augustus.Aliqui in uno quolibet acutissimi in multis perturbantur,& tanquã obruũtur copia.Alij quócunq; intenderint rectà,perspiciũt acutè,

acriter

acriter,ſubtiliter:non circumferunt tamen oculos ad ea quæ ad dextrã, uel ſiniſtram obiacent.qui acuti quidẽ ſunt,ſed imprudentes,& iudicio carent. Mutantur ingenia quædã in melius,ut cholericorũ,quum deferbuerũt:mutantur in peius,ut in pituitoſis,quibus humore illo frigido inualeſcẽte, extinguitur calor. Itaq; obbruteſcũt,qui in primo ætatis curriculo uidebanẽ cordatiſsimi. Mutantur item ex curſu naturę ſuę: aliàs quoq; ex natura loci,uictus,ocij uel negocij. Sunt qui crebras recipiunt uarietates,ut ingenia ſui diſsimilia.ſunt qui per longa interualla,ut in flexu ætatis,in iuuenta,in ſenecta,poſt morbum aliquem grauem.Expedit ijs,qui tenuiſsimos habent ſpiritus, incraſſari à loco,uel uictus ratione: qua de cauſa melancholiam biliioſis & ſanguineis utilem diximus.Dictu mirum,eſſe quoſdam ſano ad omnia ingenio,præterquàm ad aliquod unum.ut Horatianus ille haud ignobilis Argis,

Qui ſe credebat miros audire tragœdos, Cætera quæ uitæ ſeruaret munia: & quæ ſequuntur.In materia quoq; permagna eſt diuerſitas. quorum ingeniũ altè penetrat in ima rerum,ij multũ ualent in rebus grauiſſimis ac ſolidiſsimis.qui uolitant per ſumma,ſunt argutuli ac dicaculi et cauillatores nõ ſolidi,intuẽtur minutias quaſdam minimè neceſſarias,quas alij negligũt:aciem habent ſcalpelli,nõ enſis,ut facile diſſecent pilum latum,rei tamẽ duræ ſi admoueantur,rẽtundunt.alij ſunt diſciplinis prę-ſtantes, alij prudentia rerum agendarum,alij artibus manuarijs. Ex diſciplinis autem,ſunt quidam natura ſua poetæ,alij ad linguas perdiſcendas appoſiti,in reliqua eruditione reluctantes atq; infelices. Videas quoſdam ad dicendum natos fictoſq;, quorum orationem ſimplicẽ nulla arte adhibita admireris:& artificioſiſsimè dicunt, abſque arte.horum propriæ ſunt mathematicæ,illorum medicina,aliorum ius ciuile, aliorum myſteria ſcrutari.Hæc eſt diſtributio donorum Dei, nemo poteſt gloriari ſe accepiſſe omnia,nemo conqueri ſe accepiſſe nihil.

DE SERMONE.

DEmocritus ſermonẽ aptè nominauit riuũ rationis:& Græcis eadẽ uox λόγος, & ſermonẽ et rationẽ ſignat.ſermonẽ autem et uerba nõ ſolùm ea uolo intelligi,quę ore proferunt,ſed quæ ſcribunt etiam.ex uniuerſa aũt mente,tanquã ex fonte fluit ſermo:& ſimplicia uerba,ex ſimplici intelligẽtia,cõpoſita ex phãtaſia,apta uerò & cõnexa ex ratione cõiungente & ſeparãte.ſermo integer ex ratione diſcurrente,et iudicio aptante clauſulas. Quocirca animaduertere eſt eos,in quibus parum uiget ratio,tanq; in pueris & fatuis,omnia ſimplicib. atq; incõiunctis uerbis exprimere, q̃d uiciũ in linguis quoq; infantib.annotat.& quanquã ex animo profluãt uerba,non tamen eadẽ eſt illic cõpoſitio quæ in uerbis.multa enim ſimplicia explicãtur cõpoſitè: multa quæ erant ſimpliciter foras prolata,animus nõ ſimpliciter accipit,ſed aliquid adiũgit,et affingit,ex celeritate phãtaſię coaceruãtis pingẽtisq;.multis deſunt uerba: opus eſt longo circuitu qui hebetes ſunt,phãtaſiamq; habẽt impeditã,& recordationem lentã ſegnemq;,ægrè quę ſentiũt eloquũtur. Quibus eſt ratio ac iudiciũ citum, ſed inefficax,ij loquaces eſſe poſſunt,eloquẽtes aũt nullo modo. Eloquẽtiam uoco, abſolutã expreſsionẽ eorũ quæ mente cõceperis,aptis atq; accõmodis uerbis:quod poſitũ eſt in perfecta cuiuſq; linguę cognitione.tum cõnexione ſermonis cõgruenti,& rationibus appoſitis.quod eſt iudicij nõ ſolùm acutiſsimi,ſed etiam ſolidi,& circumſpecti.Salluſt.de L. Catilina bene expreſsit:Satis loquẽtiæ,ſapiẽtiæ parũ.et multos uideas facũdos in narrãdo,in argumẽtis planè infantes:ſicut è cõtrario. Expenſio hæc eorũ quæ dicẽda ſunt,& circũſpectio illorũ quę adiacẽt,loci,temporis,perſonarum,atq; huiuſmodi,tardiloquos ſæpe ac pauciloquos facit magni ingenij,leues aũt & acutuli,q̃d nihil penſi habeãt quid profundãt,uerboſiſſimi ſunt. Cogitatio diſſoluta,quæ nullis rationis frenis cohibetur,ut in fatuis & inſanis,loquaciſsimos facit.ita enim profundũt omnia,ut ueniũt in buccã.Penetratio quoq; acutiſsima in rerũ intima,& lata multarũ magnarumq; rerũ cogitatione cõplexio,infantia nõnunq; reddit præſtantiſsima & clariſsima ingenia:nõ enim apta inueniũt uerba,quibus exprimãt res tantas.qui uerò de rebus iſtis,quæ quotidie uerſantur in manibus,locuturi ſunt, ijs & uerba & ſenſa accõmoda facile ac copioſe ſuppetũt. Eget quoq; ſermo doctrina atq; exercitatione; nec mirũ eſt, acutos interdũ,& multis amplisq; diſciplinis homines

mines ēruditos esse infantes,qui linguam parum didicerint,uel parum exercuerint. Memoria loquendi facultatem uehementer adiuuat:& qui ea pollent, facilè linguas perdiscunt,loquunturq; expedite, tanquā thesauro benigne suppeditāte,quæcunq; sint opus.nec immerito peritia linguarū inter exēpla memoriæ reponitur,ut in Cleopatra Ægyptia,& Mithridate Pontico,& Themistocle Athenienſi. qua de causa melius omnes quamcunq; linguā intelligimus,quàm loquimur. In loquēdo enim quærimus,quæ proferamus:quæ sæpe nos latent,nec se diu quæsita ostendunt.in intelligendo autem,tātummodo agnoscimus oblata.exiguus porrò est hic labor, præ illo. Inuenias tamen nonnullos,qui quod loqui sciant,idem ipsum si audiant, non intelligent.scilicet cùm loquūtur,quærunt ipsi uoces per ocium,& fingunt:cùm uerò audiunt,celeritas sermonis præcurrit attentioni.quo fit,ut intellectio perturbetur.quo de genere sunt ij potissimùm,qui ex lectione didicerūt magis linguā,quàm audiendo. Vehementius autem admirere,si uideas,qui quod loqui sciant, loquētibusq; alijs facile intelligant,idem illud eos fallere,si legant.hi sunt ad attentionē segnes. quibus loquentib. uel audientib. calor ille orationis excitat attentionem:uersis autē ad legendum,& refrigeratis,remittitur attentio,&torpet intelligentia.Sunt qui melius loquantur,quàm scribant:quod de Galba tradidit Cicero.idq; euenire ait hominib. ingeniosis quidem,sed parum doctis: qui ardore illo dicendi remisso, cùm arte non adiuuentur,impares sunt sibijpsis scribendo . docto autem homini pro feruore animi esse industriam.Sed ars tamen non multum proficit,cùm uigor ingenij languet:sicut in erudito delassato,aut ægro,aut perturbato.Alij cùm usum ab eruditis acceperint,nec satis tamen norint cur quicq; dicatur , translati ad scribendū uolunt aliquid efferre politius atq; elimatius,discedunt à recto illo usu ad prauum sermonē atq; imperitum.At quādoquidem sermo ex ratione oritur , tam naturalis est homini sermo, quàm ratio, ubicunq; enim est fons , ibi & riuus. Nullus tamen certus est ac naturalis,omnes sunt ex arte,unde distinctæ sunt linguæ,quarum tractatio alterius est speculationis.Sermo omnis uel scriptis uerbis cōstat,uel prolatis uocibus, quod etiam nomen ad scripturam quoq; accommodatur. Vox est quidem sonus quicunq; : sed aptius & peculiarius,quem animans edit ore ad aliquid significandum.Articulatus autem sonus & distinctus solius est hominis , ad cuius imitationem auiculas quoq; & instrumenta musica,quæ sonus edunt sine iudicio atq; intelligentia, uoces emittere dicimus. Voces in homine signa sunt animi uniuersi , & phantasiæ,& affectuum, & intelligentiæ,& uoluntatis:in belluis autem tantummodo affectionum, quemadmodum in nobis uoces inconditæ , quæq; à Grammaticis interiectiones nominantur.Admirabile est,tātā humani oris sonorum diuersitatē, tam paucis potuisse literis cōprehendi,unde confecta est uerborum,sermonis,linguarū tanta uarietas & copia.

DE DISCENDI RATIONE.

DOctrina est traditio eorum,quæ quis nouit ei qui non nouit. Disciplina est,illius traditionis acceptio:nisi quod mens accipiētis impletur , dantis uerò non exhauritur . imò communicatione augetur eruditio , sicut ignis motu atq; agitatione.Excitatur enim ingenium,& discurrit per ea quæ ad præsens negociū pertinent: ita inuenit atq; excudit multa,& quæ in mentem non ueniebāt cessanti, docenti aut differenti occurrunt,calore acuente uigorem ingenij.Idcirco nihil est ad magnā eruditionem perinde conducens, ut docere . Disciplina est duplex. altera est appositio qualitatis in animo:ut cùm lingua noua traditur,quod fit in hominum inuentis. altera est eductio ingenij,de potestate in actum:sicut in scientijs artibusq;,quarū est materia res naturalis.illarum enim omnium,sicuti antea diximus , semina sunt naturaliter menti nostræ indita,uelut stirpium ipsi terræ: ut nihil uideatur aliud docens agere,quàm quod sol,cùm ui sua profert ex seminib. germina , proditura alioqui per se, sed nō tam feliciter,nec tam citò.Docent bruta sobolem suam,ut citius faciāt, quod per se nihilominus facerent:ut auis pullū suū uolare,felis uenari mures,ut quàm citiſ simè uideant eos sui similes,hoc est in sua specie perfectos.nos uerò docemus illa,ut quod uel nunquam facerent,uel aliter,faciant uti nos uolumus. neq; aliud est nostra in eis doctrina,quàm assuefactio ad nihil ferè aliud, quàm ad corporale exercēdū ali

qd,ut loqui,currere,aut modo aliquo corpus seu corporis partẽ aliquã mouere.Brutum ad sua edoctũ est magisterio naturæ: nos indigemus & nostra exercitatione, & admonitione aliena,ut proferamus q̃ est inditum.Cursus discendi est ex sensibus ad imaginationẽ,ab hac ad mentẽ:qualis est & uitę & naturę.Itaq; à simplicib. ꝓgressio fit ad cõiuncta,à singulari ad uniuersale.q̃ est annotare in pueris, qui(ut dudũ dicebam)primùm exprimũt partes separatas singularum rerum, deinceps cõiungunt & copulant. Vniuersalia etiã singulari uocãt nomine,ut fabros omnes nomine eius fabri,quẽ primum nouerunt:& omnes carnes,capum aut bubulam,si eam primùm nominari audierint, cùm incipiunt formare uerba. tum ex singularibus mens colligit uniuersalia,unde ad singularia rursum ex uniuersalibus reuertit Itaque primi magistri sunt sensus,in quorum domo est cõclusa mens,è quib. princeps est uisus:qui,ut Aristoteles inquit, plurimas nobis rerum species patefacit, autorq; ad inuestigationem fuit sapientię,quẽadmodum præclare scripsit Plato.nã ex aspectu nata est admiratio, ex qua animaduersio,& scrutatio,studiumq; sapiẽtiæ.Post cognitionẽ autem rerum inuentã,artesq; cõstitutas,audiendi sensus tum plura & maiora,tum celerius docet. accipimus enim breuissimo tẽpore,quæ tradens parauit lõgo, nec immerito sensum hunc Aristoteles disciplinæ nominauit:quæq; animãtes eo careãt, disciplinæ nõ esse capaces. Quo magis miror fuisse mutum & surdum natum,qui literas didicerit.fides sit penes Rodolphũ Agricolã,qui id memoriæ prodidit, & se illum uidisse affirmat. Quanq; in arctis ingenij nostri limitib. admirabilis est latitudo facultatis ac uirium. Quàm bene egit deus cum homine,ut q̃ necessarium esset, tam in obuio ꝓposuerit. Nihil utilius quàm multa discere,nihil facilius q̃ multa audire.Ipsum quoq; ingeniũ in quibusdã hominum, natura sua dextrum & felix, uel tenuissima ope extrinsecus adiutum mirifice sese extendit & dilatat, suiq; ipsius magister est atq; institutor. nec perinde à sensib. doceri, aut etiã interdum ab homine magistro potest, ut docetur à semetipso:unde sunt illi αὐτομαθεῖς.Ingenium felix habẽt primũ, qui rerum imagines eorum quæ loco uel tẽpore cõprehenduntur,facile atq; apte cõcipiunt,quos Græci ἐυφαντασιώτους uocãt,ut Quintilianus tradit. hi sunt ad describẽdũ & narrãdum aptissimi,unde & argumẽta facile colliguntur efficacia.tum qui uel natura sua,uel arte celeriter discurrunt, & rectè colligunt, & solerter cõiectant. in quo numero ponuntar naturales Dialectici,& potissimum qui cuiusq; rei ultimã originẽ dextrè inuestigãt: quales fuerunt Aristoteles & Galenus.Iam quib.nullo admonente,omnia quę opus sunt,ueniunt in mentẽ: quos Hesiodus in primo genere excellentiæ collocat, qualẽ fuisse Themistoclem tradit Thucydides. Grãdia & præstantissima quocunq; in genere disciplinæ ac cognitionis ingenia sunt naturæ beneficio,quæ insito quodam uelut impetu ad res maximas præclarissimas q̃ impelluntur,& sortita sunt in mẽte imaginem rei exactissimã,ceu canonẽ,ad quem & quæ ipsi & quæ alij agant in eo genere,accõmodent uelut ad normam:quo fit,ut tum sua,tum aliorum uel errata, uel rectè facta deprehendant acute,ac dijudicent.Ideas Plato formas eiusmodi nuncupauit rerum agendarum ueriss ima & certissima exemplaria,quæ si extrinsecus doctrina & usu adiuuentur, dictu incredibile quanta sit eiusmodi ingeniorum magnitudo & excellentia.Iuuat mirifice ad eam rẽ,uersari cum ijs diu & multum, legere etiã attente ac diligenter eorum monumenta,qui tantum hoc bonũ sunt nacti.necesse ẽ est,ut aliquid ex assiduo illo uelut affricatu adhærescat. Accedit celeritati huic mẽtis & acumini,meditatio atq; usus cuiusq; disciplinę,quę illã auget magnopere.neq; eñ tam scitur,q̃ tacita contẽplatione est acceptũ,quàm q̃ in exercitamentũ usumq; trãsmittitur,in artib.actionũ & externorũ operum,in uirtute,in musica,eloquẽtia,fabrili arte,pictoria,& reliquis huiusmodi:tantoq; est profectus maior, si perseueretur in opere sine offẽsione,aut indignatione animi.durandũ est,& persistendũ: q̃q; hac nõ succesit,alia tentandũ. luctari oportet cũ opere,nõ indignari. In scientijs aũt cõtemplationis,ꝑ meditatione atq; exercitamẽto est tacita cogitatio atq; expẽsio,qua altiꝰ in rei notitiã penetramus,quàm disputationib.uel altercationib. quæ plus sæpenumero obruunt iudiciũ,quàm exacuunt. etiã ingenia mediocria,quę nõ adeò sunt formulis illis à natura instructa,quãtumcunq; maximorũ ingeniorũ adiuta monimẽtis,

non

non tamen tãtum efficient, quãtum illa excelsa, & uelut grãdi quodam numine affla ta. deest enim illis superioríb. q̃ maximũ est, exẽplar illud rei bene atq; excellẽter exe quendæ. Hæc quidẽ interna. Externa sunt, magister & instrumẽtum. Magistro nõ sa tis est, bene quæ profitetur scire, nisi expedite ea possit explicare, & artẽ dexterita temq; eam ad rem adiungat. q̃ si cõtingat, breuiter in magnã eruditionẽ docilis disci pulus euadet. Docilitatẽ adiuuat diligens attẽtio, cùm animus in eo est cunctus, q̃ ui det, quod audit, nec alijs sese cogitationib. procul abducit. Breuiter etiã proficiunt, qui recolunt singula, & reputãt secum. Adde his, quos nõ pudet discere qua de cau sa superbi disciplinę uiã prauo illo affectu late sibi interrũpunt. Magnũ profect⁹ om nis impedimentum, dicebat Bion esse arrogantiã. Si fueris discẽdi cupidus (inquit Iso crates) eris breui eruditissimus. Adde istis illos, qui non arbitrãtur se multum in eru ditione promouisse. Præclare Seneca: Puto, multos ad sapientiã potuisse peruenire, nisi se iam peruenisse credidissẽt. sistat enim necesse est, qui nihil existimat restare am plius, in quod tendat, & tanq; ad extremum pertigerit, quiescat. Sunt qui docentem præcurrunt: sunt qui sequuntur, doctrinamq; satis capiunt, & ea acquiescunt. hi sunt intelligentia prædíti: nolunt tamẽ, aut nesciunt in ea perscrutari, quod discursum ha bent rationis lẽtum, aut uim mẽtis non in sua potestate, sed dissolutè effuse q̃ diuagã tem. Ex his autẽ qui præcurrunt, alij faciunt id dexterè, qui ratione ac iudicio poliẽt: ineptè alij, qui ad coniectãdum sunt inidonei. Eorum quæ traduntur ab institutore, receptaculum ac thesaurus quidã est memoria, quæ illa omnia conseruat. Superua caneus est labor disciplinis impẽsus, nisi sit quo accepta contineas. si effluunt omnia, perinde est ac si in dolio pertuso aquã haurias, ut de filiab. Danai est in fabula. Idcir co puerilis ætas accipiẽdis quæ traduntur est appositissima, propter liberã memoriã expeditamq;, nec alijs impeditam cogitationibus & curis. grãdiores enim natu adfe runt secum alios cogitatus, qui non facile uenienti doctrinæ cedunt. Huc accedit, q̃ pueri non reputãt laborẽ sedendi, attendẽdi, legẽdi, scribendi, ediscendi, operãdi, id circo minus delassantur: adultos uerò non parum defatigat operæ ac laboris expen sio. Græci appositè, quos bene rẽ aliquã edoctus uolebãt significare, nominabãt παι δευτὰς, quasi à pueritia institutos. quanq; seniori in locum facultatis discendi succe dit iudicium certius, & prudentia experimẽtis collecta, hoc est industria pro uiribus. Alterum præceptoris officium est, emendare ac corrigere: quod nõ est minus utile, quàm umbratilis explicatio præceptorũ. & eo magis, si corrector cur quicq; uel pro bet, uel reijciat, tũ norit ipse, tũ sciat tradere, & uelit diligẽter explicare. Vitam⁹ enim damnata: pergimus, quà uidemus eũ præire, ac nos ducere. Quòd si solidi sit & exa cti iudicij præceptor, plus ab emẽdatione paratur iudicij, quàm ex alijs omnib. scho læ exercitamẽtis. Collatio cuiusq;, & secũ procedẽte tẽpore, & cũ alio, ponit ob ocu los quantũ simus progressi, quid acquisitũ est, quid deest. Accedũt hisce omnib. in strumenta, nõ parua utiq; artificis pars. Natura homini artificũ omniũ in hoc mũdo præstantissimo, instrumentũ externum est largita, cui nullũ potest omnino cõparari, manũ scilicet: de cuius aptitudine, cõmoditate, utilitate longũ esset disserere, nec hu ius tractationis ipsa etiã uerborũ uicẽ supplet: quod uidere est in mutis hominib. & ijs qui inter se sunt barbari. illos enim sine gesticulatione manuũ nõ tã facile intellige remus. Tametsi usum tã apti, tamq; cõgruentis instrumẽti supra modũ peritia soler tiaq; artificis adiuuat & regit, & haud scio an artificis excellẽtia tale reddat instrumẽ tum ipsum. quippe hoc quotidiana experientia facile demonstrat, quo quis polleat uel ingenio uel arte aliqua, eo pauciorib. & leuiorib. minusq; accõmodis instrumen tis pulchriora atq; exactiora opera perficere. nec credere, nili qui uiderunt, possint, quid homo sinistra manu agat, præcisa dextra: quid ipsis pedib. cùm caret manib. ci bum ori admouere, scindere, suere, texere, acuente uim mẽtis necessitate, ut in cæcis & mutis. Nihil est mẽti similius, quàm oculus corporis. Eruditio est menti, quod lux oculo: & mẽs eruditionis ope speculatur, ac cogitat, & oculus ope lucis intuetur. Ac quemadmodũ splendidissima lux præstringit oculos, ferunt tamẽ illã paulatim ualí di, opprimuntur imbecilli atq; infirmi: sic eruditionẽ sustinẽt magna ingenia & soli da, parua atq; inania nõ sunt ferẽdo, sed sub illa tanq; onere iniquo frãguntur, & cõci

dunt,ut oculi ad magnũ fulgorẽ cernendi uim amittũt. cùm aũt perpauci sint firmis solidisq; ingenijs prædíti, fit ut in opificijs omnib.uitæq; artib. plurimi multũ ꝓmoueant,& celeriter:in excellẽti uerò eruditione rarissimi,lentè,prætenuiter. Ingeniũ què ipsum inferioris notę,assuetũ in fulgorẽ illũ eruditionis intẽdere,adeò stupescit, ut nec scientiã ipsam cernat,nec iã ad res alias trãslatus inueniat idoneũ& cõgruens, quẽadmodum oculus magno aliquo hebetatus splẽdore. Quin & ipsi quoq; probe ac feliciter instituti,cùm subito se ad res istas uitę inferiores,quę ueluti in obscuro sitę sunt,sese trãsferunt,uidẽtur cęcutire,ut qui à lucido loco derepẽte in tenebrosum ingreditur. quod multi nõ cõsiderãtes,admirãtur homines doctissimos nõ adeò esse in re publica aut familiari prudẽtes,ut imperitos,qui in illis sunt exercitati. Et cursus eruditionis lẽtus est,tardoq; ad metã gradu pueniturin alijs aũt uitę exercitamẽtis, plericq; omnes multũ assequuntur breuissimo tẽpore, & acutiores existimantur, aptioresq; ad omnia negocia.nimirũ studia sapiẽtiæ posita sunt in arduo, affliguntq; ac debilitãt ingenia,quoad assueta iã respirẽt,ac recipiãt uires,cùm quidẽ sunt natura sua firma & robusta. Iam uerò reliquæ artes cognitionesq; breuissimis sunt limitib, cõprehensæ, quos pertingere haud est sanè operosum,ita indocti felicissimè uidentur in suis negocijs uersari. Sapiẽtia lõgissimos habet fines,aut nullos potius,& diutissimè est decurrẽdum,prius quàm in tanta curriculi uastitate aliquid uidearis promouisse. Sed postquàm eruditus homo cõfirmatus, & paratis ex studio scientiarum opibus,applicat animum ad uitæ administrationem,bona utique fide,quod rari à se possunt impetrare,neq; enim tãti esse ducunt,sed cùm applicat tamẽ,lõgissimè alios omnes antecellit,ostenditq; manifestò, quãtum inter ruditatem & peritiam intersit.

DE COGNITIONIBVS SEV NOTITIIS.

PRima ergo cognitio est illa sensuũ simplicissima, hinc reliquæ nascũtur omnes, aliæ ex alijs,& crescũt augẽturq;. quod nõ solũ in artib. disciplinisq; experimur, ut Aristoteles in Resolutorijs docuit, sed in ipso uitæ totius cursu. Rerũ aliæ cadunt sub sensus,quæ foris sunt expositæ,seu obuię:alię sunt recõditæ. tũ ex obuijs quædã sunt præsentes,quædã absentes. Res expositas præsentes cognoscunt sensus,absentes aũt imaginatio.cõsideratio autẽ mentis opes scrutatur,& mentẽ quasi in seipsam reflectit,ut recognoscat quid cõtineat,quale quãtumq; sit. ratio aũt ex obuijs cõcretisq; recõditas & uocãtes corpore eruit,ex singulis rerũ generalia:quæ omnia tradit suæ intelligẽtiæ,ac deinde contẽplationi,si uacat. Et quẽadmodũ oculi corporis indigent lumine exteriore ad cernendũ:ita oculus mẽtis lumine interiore ad intelligẽdũ & cognoscendũ. Res uel sunt naturæ huius mutabilis ac tẽporariæ, uel illius immutabilis ac ꝑpetuæ. ad hæc intuẽda opus est lumine supernaturali, cuius cognitio Sapiẽtia nominat. Si est naturę huius fluxę ac instabilis, uel est in ea uariabile,ut quę de singularib. cognoscuntur:uel de uniuersalib. quidẽ, sed quæ nõ obtinẽt cõstantiã perpetuã,opinabilia nuncupãtur à M. Tullio. Eorũ claritas sit sanè uerisimilitudo, siue(ut alijs placet)opinio,uertentib. è Græco δόξαν. Vniuersalia,cuiusmodi ferè sunt,si liũ à matre diligi,huic morbo hãc aut illã herbã mederi,sic affectos animo hæc aut illa uel cupere uel aspernari,hoc habitu cœli hęc cõtingere:quę exceptiones recipiũt, & uarietatẽ. Tametsi in his magnũ est inter singularia discrimen,& qualiacunq; uniuersalia. Nã de generalib. statui possunt regulæ ac præceptiones,unde ars existat aliqua, & disciplina:de singulis, utpote infinitis,& infinitè uarijs nulla neq; eũ est ingenijhumani ea ꝑsequi,quorũ iniri numerus nõ possit. quapropter Plato in infimis formarũ meritò iubebat cõquiescere descẽdẽtes, prius quàm ad insecabilia peuenirẽt. Sed reuertamur ad ꝓpositũ. Restat tertiũ,q; est in natura mutabili ꝑpetuum & constans:qualia sunt,quę semper eadẽ atq; uniusmodi persistere animaduertimus,uelut cœlestia:& in his sublunarib. quæ naturalia sunt generi alicui,aut formæ. Huius lucẽ habemus à natura inditã,sicut prius loquebar:ex quis alia permulta colligit ratio,cuius cognitio Scientia uocatur. lumẽ aũt secũdi est, lõgissimus quidã ex naturali lumine splẽdor,auctus solertia,institutione,meditatione,exercitatione,de ipsa,quæ ultrò adfert multa in primis illis naturalib.ijsq; quę sunt primis proxima,idest quę ex principib. breuissimo atq; apertissimo tramite ducũtur: sed lõgius tamẽ progressis tene

bræ obuoluuntur ílicò, nõ à reb. ſed à noſtris ingenijs, quæ graui hac corporis mole onuſta, & tarditate impediũtur, uel nube aliqua interiecta perturbãtur, atq; hallucinantur. Itaq; modus cognitionis lucisq; in aſſequẽda ueritate, noſtrarũ eſt mẽtium, nõ rerũ. Nã ſunt qui in reb. apertiſsimis cæcutiunt, & tenebræ illis offundũtur etiã in claro meridie, uel ex ignorãtia, uel ex torpedine. alij obſcuriora clarius cernũt beneficio ingenij uel naturalis uel exculti. Quo plus ergo eſt lucis, plꝰ ſciẽtię: quo minus, plus dubitationis. ſi nihil ſit prorſum, aut ita parũ, ut ꝓ nihilo ducendũ ſit, ignorãtia ſe diffundit tanq; dẽſa in nubila atq; illuni nocte obſcuritas, ſine ſciẽtia, ſine ueriſimilitudine, ſine ambiguitate. Quocirca nec ſciẽtia, nec ueriſimilitudo eſt erroris cauſa, ſed caligo luci admixta: quæ lux nulli cõtingit pura, obũbrante corpore: quõ enim poſſet ignorãtiã ſciẽtia parere, aut errorẽ peritia, aut nebulã fulgor? Nec aliter quàm mutatur luminis qualitas & uis ex obiecta mole, ut alia plus aut minus admittat claritatis: ita illuminatio mentis ex multarũ rerũ in uita hac quaſi obiecta, admirabiliter redditur uaria, ut diuerſiſsime homines tũ colligãt, tũ iudicẽt, & ſtatuãt ſiue de bono, ſiue de uero. Sunt aũt hę res, corporis cõſtitutio, ętas, ualetudo, robur, aſſuefactio, integritas, affectio præſens ex qualitatib. tẽporarijs, quas gignunt alimẽta loci & tẽporis, tum actiones, atq; externa: tametſi hæc uariant, ꝓut cuiuſq; eſt animus, & mores. In animo affectiones omnes: in mẽte tarditas, celeritas, acumẽ, hebetudo, doctrina, ſecta inueterata, aut certe perſuaſio quæ prior adhæſit, mores, cõſuetudo, autoritas alterius. unde tãta in ſentiẽdo & ſtatuendo, & tam crebra uarietas atq; aduerſitas, non ſolum hominibus inter ſe, uerum etiam cuiq; ſecum: ut ſequẽs temporis punctum, prioris ſententiam decretam omnino & fixam damnet penitus, ac tollat.

DE CONTEMPLATIONE.

SEquitur poſt actionẽ quies. Ratio eſt ueluti ſcrutatio: iudiciũ, electio: cõtemplatio aũt, inſpectio quieta & tuta omniũ, quæ à ratione ſunt collecta & exculpta, à iudicio aũt recepta atq; approbata. nõ eſt in ea ratiocinatio ulla, in qua omnia ſũt certa iã, atq; expoſita. & qñ delectatio omnis naſcitur ex ꝓportione quadã, cõgruẽtia q; obiecti cũ facultate, nihilq; eſt mẽti cõgruentius quàm ueritas, fit ut in cõtẽplatione magnæ ſint delectationes mẽtis noſtrę. In quo tñ ſpectãtur ueritas & ingeniũ. Nã ueritates tã ſunt gratiſsimæ, quàm certiſsimæ, maximeq; defecatæ, ꝓplatę ſimul cum ſuis originib. primisq; cauſis. Id uerò ſi nõ cõcedatur, ſecundũ eſt, ut ad ueritatẽ quàm ꝓximè accedãt, ſimillimæq; ſint. Nemo eſt tã torpenti & abiecto in terrã animo, q non excitetur ad hãc uocẽ, Ego tibi huiuſce rei cauſã patefaciã. adeò inſitũ eſt à natura humanis pectorib. cauſas uelle cognoſcere: ut meritò felicẽ illũ Poeta ꝓnunciarit, q potuit rerũ cognoſcere cauſas. Ingenia uerò ſimilitudine ac ꝓportione delectãtur, ſumma & prę ſtãtiſsima reb. excellẽtiſsimis, & alia deinceps, ut eſt cuiuſq; gradus uſq; ad infima & deſpicatiſsima, quæ uiliſsimis ac nugaciſsimis reb. tenẽtur. Voluptas hæc cõtemplationis tãta eſt generoſis mentib. quæ illã ſemel deguſtarunt, ut renunciaſſe gẽtiles multos reb. humanis uniuerſis ꝓpter eã ſolã, mirãdum nõ ſit. Hoc uel incredibile ſanè, uel abſurdũ uideatur ijs, q ſpiritales illas dulcedines nunq; guſtarũt. His de cauſis beatiſsima omniũ erit illa in cœlis cõtẽplatio, quippe de deo, quo nihil excogitari poteſt amplius uel excellẽtius: tũ dimota omni nebula, nõ ueriſimiliter, ſed ueriſsime, certiſsima ueritate oſtẽſa, cauſisq; rerũ omniũ in ipſo autore perſpectis & cognitis, liberatis quoq; noſtris mentib. ab obſcuro hoc & tenebroſo carcere, cùm nulla erit amplius diſtinctio & differẽtia iudiciorũ, ut alia alijs placeãt, idẽ erit omnib. iudicium. Quæ ad ſciendũ tãtummodo faciunt, manẽt in cõtemplatione ipſa, nullũ habent foris uſum: quæ uerò ad bonum de agendis ſunt, foras ſe proferunt, in quibus quæ certas fixasq; habẽt præceptiones, uel perpetuas atq; inuariabiles, uel admodũ uniuerſales, arte cõtinẽtur. Eſt em̃ ars, collectio generaliũ formularũ, ad uſum aliquẽ tendentium. quæ uerò circumſtantijs ſeu negocijs uariantur (eæ ſunt enim περιστάσεις) hoc eſt locis, temporibus, perſonis, & eiuſmodi, circumſpectionis ſunt, ſeu prudentiæ, quam multi iudicium appellant. ſed in his nominandis magno in errore uerſatur communis ſermo, de quo ſum ſæpius conqueſtus.

VOLVNTAS.

COgnitio omnis propter bonũ expetendũ est tributa,sensualis propter sensuale, mentalis propter mentale,ut cognitum bonũ expetat, expetendo autem sequatur,donec se illi adiungat,quantũ quidẽ fieri possit,& congruat.sic enim illi erit bonum,nec aliter.malum uerò,quod bono sit contrariũ, auersetur & defugiat, ne se illi applicet,quo fiat ei malũ.Facultas quæ id exequitur in brutis,appetitus est sensualis, seu uoluntas.Est igitur uolũtas,facultas seu uis animi,qua bonũ expetimus, malũ auersamur,duce ratione,nã mutæ animantes duce natura, quæ sensus extimulat.Sũt ergo in uolũtate actus duo, propẽsio seu amplexus boni,& auersio mali. orbatio est utriusq;,cùm illa ociosa neutrã in partem inclinat.Voluntas quidem ipsa domina est omniũ & imperatrix,sed per se nihil habet lucis.illuminatur à mente,hoc est à ratione ac iudicio,quę apposita est illi uelut cõsultrix ductrixq;,nõ ut regat aut torqueat sed ut dirigat,& meliorũ admoneat.Itaq; nihil uoluntas appetit,aut deuitat,nisi à ratione præmonstratũ. Quocirca actus uoluntatis à uoluntate quidem producitur, à ratione autẽ iudicatur & suadetur:atq;,ut sic dicam,à ratione gignitur,à uolũtate paritur.Magistra est igitur,& præceptrix uoluntatis ratio,nõ domina. Voluntatẽ enim humanã liberam iussit esse autor suus,& quasi sui iuris ac mancipij,obtemperat quidem illa semper rationi,sed nulli uni est alligata:sequitur autem,quamcunq; libuerit ex propositis.Liberam quidẽ animo inter actũ & orbationẽ,uelle nõ uelle,nolle nõ nolle,nõ inter duos actus cõtrarios.qñ enim uis hæc nihil potest uelle,nisi sub aliqua boni facie:nihil nolle,nisi sub mali:ostensa boni specie,nõ mali,potest quidẽ nõ uelle,sed non potest nolle,hoc est auersari & odisse. uicissim quoque obiecta mali specie,non boni,potest nõ nolle,sed nõ potest uelle,hoc est amplecti & amare.Declaratur autem ius libertatis huius& dominij uolũtatis,multis modis.Primùm quòd libera est ante cõsultationẽ:licet enim illi referre ad mentẽ,de quo deliberet,& nõ referre.Tum in ipsa deliberatione licet uel iubere rem differri,uel in uniuersum silentium indicere,intentionemq; mentis aliorsum cõuertere:nõ aliter quàm princeps,qui cõsultari de negocio quopiã imperat,uel omitti prorsum, uel reijci. Quin etiã postea quàm est decretũ,potest ipsa se uoluntas cohibere,nec id expetere,quod iudicatum est à cõsultore esse bonũ.Ipsa quoq; cõsultatio ex libertate est,quod nõ rapimur fixo atque immutabili naturæ impetu,uelut beluæ:sed ratio disquirit,quò sit eũdum, aut unde declinandũ:& expendit quid in quoq; uel boni insit,uel mali. Potest item uoluntas ulteriorẽ deliberationẽ indicere, & quasi amplius ꝓnunciare, ne ibi sistatur, sed inquiratur,an quicquã inueniri queat potius,& cõducibilius.Multis quoq; ꝓpositis ostensisq;,etiã si efficax& ualida ratio unum aliquod probet,ac suadeat,si quod aliud tñ faciem præ se fert boni aliquã, quãuis tenuissima potest huc sese flectere, & ex sola suspiciũcula hoc sumere,altero repudiato, in quo insit permagna boni & species & essentia.q̃ in rẽ magnã ei ansam præbet,q; res nostræ omnes mistæ sunt bonis ac malis,tũ ex nobis ipsis,qui ex reb.diuersissimis cõstamus:multaq; sunt nobis circũspiciẽda & respiciẽda in animo,in corpore, in externis.In tãta aũt rerũ uarietate nihil uenire potest sub consultationẽ,in quo rationis uis nõ & bona & mala deprehendat,quæ suadeat,quæ dissuadeat,pro locis,temporib.personis,qualitate, & eiusmodi.Sæpe etiam ut se ostendat uolũtas esse dominam,reijcit ac spernit omnia,haud aliter quàm princeps,qui ne uideatur à quoquam regi,salutaria omnia cõsiliariorũ suorum monita excludit & respuit,fitq;(quod dicit ille in satyra)Sic uolo,sic iubeo,sit ꝓ ratione libido.Tametsi neque hoc sine boni forma.nihil enim potest uolũtas expetere,aut agere: nisi eo proposito, q; ratio aliqua bonũ esse censuerit. Illud porrò statuit sibi esse in eo bonũ,quo mouet,ut potẽtiã suã & libertatẽ noscãt omnes, q; princeps interdũ pluris facit,quàm cõsilia omnia præsenti rerũ statui utilia. Adolescentes etiã nõnulli,quo se liberos esse declarẽt,nec obtẽperare cuiusquã iussis,quæ uel parẽtes, uel pręceptores ꝓbè monẽt,fastidiose & contumaciter aspernantur.Hæc quidem in libertate actionis internæ,in externis quoq; patefit libertas.Nam ubi rẽ approbauit, potest nõ exequi,aut postea quàm capessiuit,cessare:nec tãtũ pręstare,quãtũ ei licet: nec tã celeriter.Bruta nihil horũ habẽt,naturalis em̃ facultas agit semꝑ quãtũ,& quã

citò

citò per uires ei cõcedit. Nã q mutæ animãtes agãt fortius & celerius uno tẽpore q; alio,nõ est hoc q uolũtariò remittãt uires,aut intendãt: sed extímulata partim foris â qualitate loci aut tẽporis,partim intrinsecus à corporis habitudine uel animi affectu excitãt atq exacuũt uires,& reddũt maiores ac uegetiores:ut ignis oleo iniecto, uel sufflatus,aut arida materia subdita.uel ubi repugnãtiã frigoris aut humiditatis deuicit,fit acrior.semper autẽ, ut hic ardet pro uirib.præsentibus, ita belua agit,aut patitur:quippe quæ fertur cæco & latenti quodã siue raptu,seu uectione. Quin & ex hominibus q; quis in beluę naturã atq ingeniũ degenerauit, tã sine cõsultatiõe rapitur ad actiões suas pręceps. Sũt quędã animalia ad simulationẽ et dissimulationẽ à natura facta,ut uulpes,et felis quũ uenatur murẽ:quęcautio nascit ex metu,ne quid patiatur aut amittat.nã in bruto,cũ ad suũ obiectũ ruẽti offertur periculũ, retardatur prior impetus ab altero cõtrario.nõ est ea cõsultatio,sed impedimentum prioris motus:ut quũ pila missa ex aduerso repellitur,uel inhibetur.tandẽ quæ ualidior est concitatio, abripit secũ obsistentẽ.In hominib.autẽ quũ affectus duo aduersi pugnãt,uehementer cõcitati,etiãsi feruore illo animi opprimitur mẽs, non est tñ nulla deliberatio.qui enim ex illis uincit,nõ sine ulla omnino uincit ratione,tametsi perexigua:sed quæ iudicio ab affectu decepto efficacissima uideatur in præsentia, dignissimaq; cui obtẽperetur.eaq; est peccantis ignorãtia:qui quod expetit, existimat esse bonum in præsenti,nõ cõsiderãs aliud esse melius,etiã nũc:& futurũ bonũ, quo sperãt se malũ hoc cõpensaturũ,incertũ est.Grãde Dei munus est libertas uoluntatis, qua ille nos filios suos cõstituit,nõ seruos:& in nostra posuit manu, quales nos uellemus effingere,opitulãte illius fauore ac gratia,alioqui nihil quod ad excellentiã uirtutis attinet, inter nos & beluas differet, si tam omnia in nobis ageret potentia quædã naturæ necessaria atq ineuitabilis,quàm in brutis.Et uoluntatẽ nostrã mouent eadẽ illa, quæ iudiciũ cõtactu quodã,sicut qui primũ annulũ trahit in torque, & secũdũ & tertiũ trahit, ob eorũ inter se connexionẽ.Infligatur quoq; à mentib.superiorib.ut angelis & dæmonibus:à Deo autẽ potissimũ,à quo solo potest cogi,uidelicet à q uno accepit non libertatẽ modò,sed esse.quũ uerò est à ui & potestate maiore cõcitata, assurgit supra modũ naturæ ac facultatis suæ:atq eo magis & euidẽtius, quũ à Deo ipso. editq; ea opera,quæ ipsa eadẽ,ubi facta sint,admiretur:& si uelit animaduertere, euectam se à ui superiore facile intelligat.Sunt qui humanã uoluntatẽ cœlo penitus subijciant,& astris ab illis nos impelli & cogi prorsum asserant, nedũ admoneri uel instigari: quo de genere sunt mathematici,uidelicet agunt isti,ut mos est ferè eorũ, q uni se arti alicui penitus tradiderunt,aut qui ex ea magnũ uel nomẽ uel quęstũ uenantur.uellent quæcunq; sunt in mundi uniuersitate,sub illius scientiæ materiã & limites uenire.Id uerò plerunq; nõ tã artis amore immodico,quàm sui ipsorum:ut id scire ac tenere uideãtur,quod in orbe sit nõ præcipuũ modò,uerũ etiã penè solùm. Sed profectò cœlum ut inanime,nõ aliter potest nos mouere aut impellere, q; per sui simile, hoc est p cõstitutionẽ corporis. Quòd si cœli naturales sunt facultates ad agẽdũ ex una facultate & causa nõ poterunt effectus existere cõtrarij.atqui sub unoquolibet sidere uoluntatẽ hominis,etsi ad hoc aut illud sollicitetur,uidemus nihilominus ad utruncunque fuerit collibitũ se applicare.quod est ualde pugnãs cũ actione naturali,quæ certum unũ aliquod effectũ necessariò producit: nec est quicquã magis à necessitate alienũ & distãs,quàm libertas.Itaq; si in cœlis ac sideribus est necessitas, in uoluntate autem sicut ostendimus libertas,apparet profectò res esse inter se diuersas admodũ & repugnantes,cœlum & humanã uoluntatẽ.Alij autẽ in Dei & præuidẽtia,& prouidentia perturbantur,quẽadmodũ cũ illarũ ueritate cõstare uolũtatis nostræ possit libertas,ut quod pręuiderit Deus futurũ,mutare uoluntas humana possit sua libertate,& Deũ uel fallere,uel mendacẽ facere.Cæterùm Dei præuidẽtia nõ magis libertatẽ mihi meã adimit,quàm aspectus tuus,dũ me aliquid agẽtẽ intueris.sed neq; prouidẽtia:quippe est præuidẽtia mẽs diuina cuncta præcognoscẽs, uel(ut aptius loquar) noscẽs pręsentia.nihil est enim illi pręteritũ aut futurũ.Prouidẽtia est uolũtas,cõsilio immẽso uniuersa gubernãs.atqui uolũtas hæc diuina, uolũtates angelicas & nostras

liberas esse iussit. Itaq; q; libere agimus, per illam agimus, id est illius præscriptione ac beneficio. Ille aũt falli posset, aut mentiri, si quid esset ei uenturũ, aut transactũ, ut nobis. nunc autem, cùm ei sit æternitas tota præsens, nemo sit de illius sapientia ac ueritate solicitus. In uolũtate actus sunt duo, approbatio & reprobatio, ex quib. actus exteriores proficiscũtur. Approbatio, quæ est de bono, parit executionẽ ad illud consequendum: reprobatio aũt, quæ de malo, uel insurrectionẽ ad illud superandũ, uel cõtractionem & fugam ad euitandũ. Multi approbant iudicio & uoluntate, sed languida ac inerti, quæ foras nõ exit: de quib. est illud Salomonis, Vult & nõ uult piger. est enim uoluntatis alter actus, qui priorẽ illũ impedit: nempe difficultas in exequẽdo, quã uoluntas pro malo ducit, & illi bono quod ipsi eidẽ placuerat, opponit. Illud est admirationi cõplurib. quid causæ sit, cur magis uoluntas nostra erga uetita accendatur atq; stimuletur, quàm erga libera, quæq; permittũtur & licent. An in multis, quia uulgaria & cõmunia uõ uetantur, sed rara & preciosa, idcirco prohibitione rei alicuius suspicio statim suboritur rẽ esse expetibilẽ, unde cupiditas excitatur, atq; iritatur. Alij curiositate cognoscendi adducuntur: q; nõ dubitant, quin sit cognitione dignũ, à quo arcetur cognitio. An uerò in ijs, qui q; uetatur, quid & cuiusmodi sit, nõ ignorant, desideriũ solutũ ac liberum remissius est, tanquã uẽtus in plano dissipatus? qui si cohibeatur in angustias, ilicò inualescit, & sumit uires ac impetum: ita uoluntas soluta lenta est, astricta uehementior fit & cõcitatior. Quæ in nobis naturalia sunt, non auscultant uoluntati, ut rectè ualere, aut secus: & si sunt in nostro corpore nõ pauca, quorum facultates quidẽ à natura accipimus, actus aũt eorũ ex uoluntate oriuntur. ut posse audire, loqui, comedere, naturç sunt munera: audire aũt, uel nõ audire, loqui aut non loqui, comedere aut non comedere, ad libertatem referuntur. Quòd si uoluntas imperatrix est humanorum actuum, penes ipsam est bene aut male facere, uirtus & uicium, laus & uituperatio, præmium & pœna.

DE MENTE IN VNIVERSVM.

EXpositæ sunt nobis pro uirili parte nostra actiones humanæ mẽtis: restat, quænam illius sit essentia inuestigare. Ipsa quidem illius essentia per se ignoratur: sed qñ in hoc est à Deo cõdita, ut cum ipso ad immortalitatẽ beatitudinis iungatur, nihil possumus definire aptius, quàm si eius esse dicamus substãtiæ, quæ & capax sit diuinitatis, & iungi cũ ea possit: tã capax utiq; diuinitatis, ut cognitio pariat amorẽ: adeò aũt iungatur, ut æuo infinito sit beatissima. Dicamus ergo humanã mentẽ spiritũ esse per quẽ corpus, cui est cõnexus, uiuit, aptus cognitioni dei propter amorem, atq; hinc coniunctioni cũ eo ad beatitudinẽ æternã. Nam mens nostra sicuti à summo ad imum descẽdit, q; est corpus, per amorẽ dei autoris erga illã, qui descẽsu eiusmodi cõmunicare uult suã beatitudinẽ & illi, & reb. omnib. quib. ipsa est applicata, atq; annexa: ita ipsa rursum per cognitionẽ atq; amorẽ suũ erga Deũ, ad originẽ sese suã erigit, & reuertitur. uenit à summo ad imum, rursum ab imo ad summũ extollitur. Hic cursus in uita ipsa declaratur. homo enim de principio uiuit uitã stirpis, hinc beluæ, tum hominis: & cùm se magis expurgauit, erexitq; supra res terrenas, fit angelus: postremo unitus deo, quasi deus quidã. Ascẽsus nostri gradus sunt à materia ad sensus, ab his ad imaginationẽ & phantasiã, ab hac ad rationẽ, tũ ad cõtemplationẽ, postremò ad amorẽ, descẽsus cõtrarius est omnino. Nec aliter peruersus est animus, cùm affectib. cedit iudiciũ, uel ratio phantasiæ: quàm corpus, si capite in tetrã posito, & erectis sursum pedib. tentet ingredi. Anima in unoquoq; homine una est: officia autem eius in ipsa illius essentia sunt sita, ut munia uel publica uel priuata in homine, & artes aut scientiæ. Ideo cùm in aliquod opus est prorsum intenta atq; occupata, in alia se immittere haud facile potest. ut cùm dolet, nõ potest cõtemplari: si acriter quid cogitet, aut cõtẽpletur, nihil cernit: cùm est acriter in intelligẽdo, uel inquirẽdo, uel admirãdo intenta, nõ iudicat, ut in rei nouitate. admiratione aũt, aut inquisitione subsidente, exurgit iudiciũ: q; uidem° cõtingere, sublata nouitate rei. Ideoq; monumẽta ingeniorũ uetera, quç ętatẽ pertulerũt, hoc est multorũ iudicia & cẽsuras, iurè pręponunt recentib. in quîs nouitas obstat iudicio. Tũ & illi meritò sunt in admiratione, qui pariter se in multa ingenij opera eodẽ tẽpore potuerũt impẽdere, ut Cæsar Dictator: &

qui

qui intentionē ab ijs quæ exterius incurrunt, ad intimas cogitationes possunt reuocare, ut solitum se facere in balneo & theatro scribit Seneca, & de Plotino Porphyrius, circa negotia uitæ communis. Tum qui dolent aut laborant, si intentionem animi à præsentis molestiæ cogitatione auocent, minus eam sentient. Omnis autē animæ intenta & uehemens exercitatio, debilitat instrumēta: quod est ei cum cæteris opificibus cōmune, ita uidemus oculum defixè intuendo, et aurē intētè audiēdo defatigari: atq; eo magis, quum est dura atq; impenetrabilis materia. quēadmodū scriptio in charta scabra retundit pennā, & scissio nodi in ligno cultellū uel cuneū. Quocirca nō excellēs sensile corrūpit sensum, ut placet Periapateticis: sed difficile, & superans uim sensorij. eodē modo in intellectionib. quæ à reb. arduis fatiscunt, & hebescunt: sicut oculus fulgore spectādo. Et quoniā mens nostra est actus, quiescere omnino ab actione sua nequit, nisi potestate ualidè renitēte, hoc est oppositio obice in instrumētis: uelut quū à mole obruitur in locis maternis, à crapula in ebrietate, ab inimicis uaporib. in attonitione: quæ omnia, & similia, uiolenta sunt, naturæq; illius repugnantia. unde quum emergit, cessante potestatis uiolētia, statim reducit se in actū suum: neq; eā ad rem externæ ullius opis indiget, sed solùm impedimēto submouendo. quòd si sit sublatum, nō potest mens ullo pacto ociari: necesse est aliquid meditetur, & secum uoluat. eamq; illius motionē, si quis conetur sistere (ut sunt qui uolunt nihil prorsum cogitare) perinde fecerit, ac si cohibere uelit ignē, ne ardeat, cōceptus in apta materia: alterutrum profectò sequetur, aut ut ignē extinguat, aut ut uis ignis ualidior ac uiolentior erūpat in obicē, sic uel corrumpetur uita tam uiolenta contentionē, uel pro una cogitatione, quam uelis opprimere, magna cogitationum & uisorum perturbatio coorietur, hoc est planè amentia.

DE SOMNO.

POst actionē dicamus de quiete, hoc est somno, qui est requies ac cessatio, non animi utiq; uniuersi, sed tantūmodo sensuum: ea uerò animātium est propria. Annotamus enim, animātes oēs aliquādo uti sensib. aliquādo ab eo munere cessare omnino, quasiq; feriari: hoc somnū appellamus, illud uigiliā. Sōnus uidetur concessus à natura, quoniā actioni sensuum finitæ quiete aliqua est opus. egēt itaq; somni animātes oēs: & quia egēt, habent quoq;. nam benigna est in necessarijs natura. Sed in alijs quies hæc breuior est. in alijs lōgior. Ex euaporatione alimenti nascitur somnus. incrassantur enim qui sunt circum neruos spiritus, ut sensuum impediatur functio. Solutio sensuum est uigilia, somnus alligatio. Ascendit uapor hic ad cerebrum, ibi nactus humidā & frigidā materiā, humectatur magis, & densatur, unde nubis in morē defunditur per totū corpus. Ideoq; animal dormiēs, impos sui cōsternitur: q; neruis cōsopitis, quorū est origo in cerebro, sensus & mēbra omnia officio suo nō fungūtur. cerebro autē degrauato, crebra fit in dormitatiōe mutatio. Anteriorē capitis partem, quæ est humectatior, plurimum inuadit somnus. unde & in oculis potissimum apparet, qui in somno omnib. clauduntur animantib. præterquàm lepori, & hominum nōnullis. in lepore timori asscribitur, quod obdormiscēs nō audet oculos claudere: ita deinde dormienti iā obrigescere. tum humore musculos genarū premēte, fit ad eum depellēdum oscitatio. Sensum etiā cōmunē, qui in anteriore capitis portione situs est, obruit atq; opprimit somnus. Non est itaq; somnus attonitio, uel stupefactio animalis, ut in deliquio animi uel morbo: sed quies sensuum externorū, ex euaporatiōe alimēti in uētriculo bullientis cerebro deuincto atq; impedito. in somno sensoria tantùm quiescūt placidè: in attonitione autē, uel deliquio, animus & mens ipsa uiolētè opprimitur. Reficitur corpus somno, tanquā stirps salubri quadā irroratiōe. in uigilia nanq; extenuantur agendo spiritus, reuocantur introrsus per somnum, refrigerantuq;, unde est conspissatio. atque eo modo reparantur iterum labori uigiliq;. Qua de causa dormientes frigent magis exterius, & in extremis corporis partibus, quàm uigilantes. Ad hæc crassa & frigida, somnifera sunt: crassa quidem ex se, frigida uerò propter crassitiem ac densitatem. Quies & solitudo, & silentium, inuitant somnum. tunc enim bilis conquiescit, & humores refrigerantur. Optimáque est in somno concoctio, quoniam recipit se introrsus calor, quemadmodum in hyeme & uegetatrix animæ facultas, melius munus suū exercet per quietē, quàm in uigilia. nō

enim

enim dormiens actionibus ſenſuum auocatur, & delaſſatur. Itaq; animæ facultates uniuerſæ,nutrienti cõcedunt. Elegãter Plinius Secundus ſomnũ eſſe dixit,animi in mediũ ſui receſſum. Obrepit itẽ ſomnus ex defatigatiõe,q̃niã feſſi nerui ſtatim cedũt ſopienti humori:ad hæc, quia plus eſt frigoris attenuato per exercitamenta & conſumpto calore. quod ad animi quoq; defatigationẽ poteſt transferri:ut in ſtudijs, in mœrore,poſt metum. idq; euenit propter laborẽ & delaſſationẽ corporis,in illis animi concitationibus. Quod ſi exiccatum atq; incẽſum ſit corpus,nõ tam facile obdormiſcit,ſicut in morbis,quo circa infantes multũ ſomno indulgent:ſenes uerò non itẽ, quanquã frigidis humoribus infeſtantur,quia deeſt illic calor, qui humores illos ſeruefaciat ad euaporationẽ atq; in rorationẽ. Qua de cauſa bilioſi homines, ſi abunde humiditas ſuppetat,ſomnolenti ſunt. ſcilicet multa eſt euaporatio ex multo humore cui ualidus eſt ignis ſubiectus. Nec aliud perinde bilioſos reficit,ut ſomnus: quẽadmodũ de Alexandro Macedone perhibent. Rationẽ qualitatũ corporis ſequuntur qualitates loci ac tẽporis:ut pluuio tẽpore longior eſt ſomnus, itẽ in humidis regionib. & poſtquã ſumus largius inuitati. Excitatio à ſomno uel eſt à nobis ipſis intrinſecus,uel foris incurrit. Expergiſcimur noſtra ſpõte, reſoluto uapore tanquã uinculo, adeò ut liberũ relinquatur cerebrũ ad actiones ſuas: tum pungimur, atq; excitamur uel dolore corporis,aut inquietudine morbi cuiuſpiã,uel animi agitationibus,uelut metu,aut cupiditate. Sed quæ affectiones calidæ ſunt, citius adimunt ſomnũ, ut ira, amor,cupiditas:q̃ frigidæ,cuiuſmodi ſunt metus & mœror. nã ſæpenumero ex metu aut triſtitia delaſſati obdormiſcimus. quale eſt illud in Euangelio: Quum ueniſſet ad diſcipulos ſuos,reperit eos dormiẽtes pr̃e mœſtitia. Metus tamen uim adfert ſomno,quaſiq; manũ illi iniijcit, ſubinde illud interrũpens cura ac ſolicitudine. Foris autem cõtingunt motus,ſtrepitus,punctiones, uellicationes, plagæ. hæc enim omnia denſitatem humoris diſrarant. Sed niſi ſit euaporatio ad certum quendã modũ diſcuſſa,nõ ceſſat dormiturítio,id eſt lucta ſomni cum actionibus ſenſuum. Non poteſt quidẽ tolli omnino ea effumigatio,quæ à uentriculo aſcendit ad caput:ſed eius denſitas ad certum aliquẽ modũ efficit ſomnũ,ſubtilitas uigiliã,hoc eſt ſolutionẽ ſenſuũ. Et uariatur hoc autẽ pro qualitate & cõſtitutione corporum, ut alijs alio ſit neceſſaria. uoluntas quoq; renitens,aliquò uſq; poteſt ſomnum cohibere at impedire. Somnus eſt animali propter uigiliã tributus, ut mox nauiter uigilet, promptiusq; & alacrius uitæ munia capeſſat. Vita enim,ut ille dixit,uigilia eſt:ſomnus autẽ imago quẽdam mortis,uel interliminium uitæ mortisq;:ut qui dormit,nec dici poſſit mortuus, nec uideatur uiuere. Hac de cauſa Dominus noſter,& Apoſtolus eius Paulus, quos reliqui mortuos ipſi dormientes nominant: quod aliquando expergiſcendi ſint, & ſurrecturi ad uitam.

DE SOMNIO.

DOrmiente corpore non conſopitur animus, cuius facultates omnes interiores continẽter ſua miniſteria obeunt:eaq; actio Somniũ nominatur. eſt enim ſomniũ,actus animi interior,corpore à ſomno occupato. Ariſtoteli non placet, quicquid animo per quietẽ obuerſetur, nominari ſomniũ,ſed tantũmodo phantaſmata. Ea uerò mihi uidetur eſſe quæſtio de uerbo,quẽ ſcrutantẽ naturas rerũ nõ debet torquere. multo facilius eſt ac prõptius,ut quicquid animo mẽtiq; p̃ quietẽ obuerſetur, ad rationẽ ſomniorũ referatur. Sõniãt ea omnia,in quib. eſt ſenſus interior, q̃ rerũ ſimulachra poſſit p̃ quietẽ intueri,quæ res ſenſib. ſunt per uigiliã obuerſatæ. Itaq; ſomniant animãtes penè oẽs:quoniã phãtaſia nõ ceſſat. Nec in homine mẽs dormit,multo minus q̃ animus in mutis. quiete enim cõpoſiti,multa & inquirunt,& ſcrutãtur,& colligunt,& ſolutiones illis quæſtionũ occurrunt,quæ uigilãtes fallebãt. & qui uigiles ſunt indiſerti,ijs nox & quies facũdiã largit. Sed q̃ phãtaſia eſt per id tẽporis à cẽſura ratiõis ſoluta,haurit ex memoria,ſine modo ac ordine. inde exiſtunt tã multa in quiete ſtulta,abſurda,male cohærẽtia,ſicut in morbo q̃ caput inuaſit. Sõnia declarant manifeſtò,eſſe intus aliquid aliud à corpore,et ab anima uegetatrice, & ſenſorijs corporis,q̃ res abſẽtes ſentiat,& cognoſcat,quaſiq; uideat atq; audiat. In ſpiritib. cerebri naſcũtur uiſa, q̃ ſpiritus à corde ueluti à fõte ſuppeditãtur capiti. Itaq; & illorũ ſpirituũ, & uaporũ unde ſpiritꝰ tenuãtur, qualitatẽ ſ̃epenumero referũt sõnia eorũ potiſſimũ, qui

qui in ea uia occurrunt ſpiritui aſcendenti,nempe in gutture,aut pectore,aut quo alio loco,quumq; halitus craſſi ſenſorium commune per quietem occupent,non poteſt id de ſenſilibus rectè iudicare, nec de ſenſuum actionibus. Eoq; quũ quid ineſt in gutture humidæ pituitæ,uiſa obuerſantur de aqua:quum quid ſanguinis, de ſanguine:ſi atræ bilis,de rebus triſtibus:ſin flauę,de rixis & litibus.ideoq; de huiuſmodi liquorib.medici ex ægrorum ſomnijs recte iudicãt.Fit etiã nonnunquã,ut ſucceden tibus inuicem liquorib.contrarijs,de rebus quoq; cõtrarijs eodem ſomno uiſa imagi nemur.Eadem prauitate de officijs corporalium ſenſuum communis ſenſus iudicat. nam ſi exiguum audiamus ſonitum,ingentes eſſe fragores remur:ſi caleſcimus,inflã mari atq; ardere,ſi quid relictum ſit humoris in gula uel arteria,natare in ingẽti flumine,atq; etiã demergi:ſicut quę per nebulã cernuntur,aut uitrum denſum,apparẽt maiora.Et quia motum cordis ſequitur corpus,ſi uapore aliquo ſuſtollatur cor,aſcendere nos ſomniamus:& quidẽ uel ſcalas uel collem arduum atq; infeſtum,cùm uapor ille extenuatur,& ſenſim cor ſubſidit,deſcendere:cùm ſubitò euaneſcit,& celeri motu in locum ſuum redit cor,cadere ac ruere per præceps,& arripimus uel toralia uel ceruical.ſin humore multo ac denſo cor occupetur,angimur,et magnum pondus ſupra pectus uidemur nobis ægrè ſuſtinere: unde multis grauia in ualetudine incommoda,nunquam etiam mors.Quòd ſi cum difficultate humor reſoluatur, aut commoueatur,uidemur nobis conari currere,aut aſcendere:detineri tamen atq; impediri magna aduerſa ui. Somniamus crebrò quæ eodem die uel egimus uel uidimus: quod ideo contingit,uel quia recens eſt phantaſia & libera, nec alijs imaginibus diſtricta,uelut in pueris:uel quia eiuſmodi cogitatione occupati, tradimus nos quieti, quæ ſe ſtatim ſpiritui cõſiderationis offert,in illoq; ſeſe imprimit,quod etiam uſu uenit in ijs uiſis,quę ualidior uis aliqua altè impreſſit,uelut crebra & cõtinua cogitatio uel affectus quiſpiã concitatus,aut diuturnus:ut metus,amor,cupiditas,ira,inuidentia.ea enim phantaſia ſpiritum ſenſus communis attentionisq; celeriter arripit, cogitq; ſibi uni dare operã,cæteris omiſſis. quod uſu amantibus euenit & ijs omnibus, in quos dominatur perturbatio animi aliqua uehemens.Sunt nonnullis ſomnia fracta & perturbata,alijs integra & ſedata,alijs terribilia,alijs iucunda. Pura & ſyncera exiſtunt ſimulachra,quũ ſanguis eſt à ſordidis humoribus defecatior: ſicuti ſub auroram,peracta cõcoctione in nocte.eaq; de cauſa priſci Philoſophi ea uiſa prouerioribus habebant.Poſſunt quidẽ illa integriora eſſe,& magis cõpoſita deſcriptaq;:ueriora tamẽ non ideo erunt, haud aliter quàm ex fabellis fictis alia eſt alia elegãtior & ordinatior,quũ nulla ſit uera.Si ſit uapor tenuior & temperatior, fit ſomni curſus magis integer & cõtinuatus:placide enim fertur phantaſia,ueluti lenis fluuiolus. ſin effumigatio ſit præferuida,rapitur phantaſia,diſcurritq; immodica celeritate per phantaſmata in modũ rotæ cõcitatiſſimæ.magna tum conſequitur permixtio & confuſio temporũ,locorũ,perſonarũ:Romã cum Lutetia miſcemus,Cęſarẽ & Pompeiũ producimus in hæc tẽpora, idẽ homo rex eſt & ſeruus, cõponimus & diſiungimus abſurdiſſima,incredibilia,impoſſibilia.quæ inſomnia perturbata ſunt, &(quoniã à tanta cõfuſione nõ ſolùm cogitatio atq; intelligẽtia,ſed phantaſia quoq; ipſa abhorret) moleſtiſſima:et auerſamur ſomnũ,ne in eiuſmodi uiſa recidamus,qualia ſolẽt in morbo aut dolore corporis,aut motu animi cõcitato et graui cõtingere deniq; quoties cerebrũ eſt male affectũ.Reflectit in ſe nõnunquã ſomniũ,& nos uel ſomniare, uel nõ ſomniare reputamus. q; euenit ferè uel in lętis admodũ,cũ timemus ne ſit inane ſpectrum:uel in ualde triſtibus,quũ uellemus falſum id eſſe.Et quẽadmodũ phãtaſias uigilãtium ſequuntur imagines ſomni,ita è contrario:uelut in pueris,& ægrotantib.& male affectis.qui territi ſimulachris ſomniorũ,eadẽ ſe expergefacti credunt aſpicere: itaq; clamant,& fugiunt,& ſe occultant.Eſt dormitatio medium quiddam inter ſomnum & uigiliam, in qua uidemur nobis ſomniare, quæ reuera aſpicimus uel audimus.licet tenuiter ac malignè:eodemq; modo in alijs ſenſibus, ut uocem loquentis, uel candelã ardentẽ,uel motum deambulãtis in cubiculo,uel tãgere rem aliquã aſperã,aut læuẽ.id fit,cùm nõdũ ſenſus cõmunis eſt omnino cõſopitus. Et ex eadẽ cauſa cùm dormientes ſtertimus,ſi paululum ſe cõmunis ſenſus explicarit,percipit quidẽ

ſenſile:

ſenſile:ſed quia non omnino liber,praue de eo ſtatuit.cenſet enim ſonũ illum eſſe tubas,aut buccinas,aut clamores,denicp immanes aliquos ſtrepitus.Sæpe etiã uidetur ſibi loquẽtem aliquẽ audire,nec ſatis uoces diſcernere aut intellígere.Literas quocp imaginamur nos legere,quas non bene diſtínguimus:in quo laboramus,& male affi cimur.conãtib.enim nihil ſuccedit.Id uerò inde fit cp phãtaſia non ſumit ex memoria notiones ſatis impreſſas ac cõſignatas,uel memoria non ſuppeditante,uel phantaſia lente nimis accipiẽte,ac maligne. Viciſſim etiã exiſtimamus nos exterioríb.uſurpare ſenſib.quę obſeruanť conſiderationi iam dormientib.Ex uiſis nocturnis alia ſe ita imprimunt memoriæ,facile ut recordemur experrecti:alia leuiter, ſed quorũ poſſimus reminiſci:alia tenuiter adeò,ut memoria aboleatur prorſum, uelut in ægris & ebrijs. Accidere etiam poteſt tanta uaporum atcp ſpirituum incraſſatio & perturbatio,ut nihil ſomnietur.uinciuntur enim inſtrumenta officinæ animalis, ſicut in magna alluuione ebrietatis,& in infante,uel recentiſſimè edito,uel(ſi hoc quibuſdã non probatur) certe in utero. Gentes quaſdã tradunt orbis deſcriptores, nocturna uiſa non habere.Homines noui,qui ſe affirmarent nunquam ſomniaſſe,nec crederent ſomniare alios,ſed animi gratia id confingere ac referre, ut fabellam ad oblectationem narrantis & audientis:quod euenit,quia quæ per quietem offeruntur animo, non adeò infiguntur memoriæ,recordari ut poſſint expergefacti. eius uerò duæ ſunt cauſæ, uel duricies ſpirituum,quæ non recipit: uel fluor qui non retinet, ut ſignum nec in ſaxo imprimitur,nec in aqua. De prænotione ſomniorũ magna eſt & uetus quæſtio,quæ etiamnum meticuloſos animos, & de futuris anxios multum torquet,an ſit in ſomnijs ad res euenturas ueritas aliqua,an ex coniectatione illorum quæ quiete cõpoſiti uidimus, quæ euentura ſint poſſimus prænoſcere. Multa ſunt iam olim utrancp in partem diſputata,de re nec difficili admodum,nec obſcura.Id de quo dubitatur,nõ ſimplicem habet ſenſum.nam intelligi poteſt,uel ut ſomnia ſint ſigna, uel ut ſint cauſæ præſentium rerum,præteritarum,uenturarum, quemadmodũ de aſtris quæritur. Somnia cauſas non eſſe,indubitatum eſt: ſigna uerò ſunt uaporum humorumcp, ut dixi,tanquã affecta ſuarum cauſarum,nec ullius rei alterius utícp naturaliter. Omnia enim in natura metas ſuas habent defixas, ad quas tendunt,ſiue recta inſiſtant, ſiue oblique.Non ſunt autem animantibus tributa à natura ſomnia,ut per illa retegantur nobis,quæ occulta ſunt & abſtruſa:ſed ſomniamus, quia uis animi aptum organum nacta,etiã corpore quieſcente neſcit quieſcere. At exeunt tamen inſomnia nonnunquam uera,fortuito id quidem certe,& per adiacens, non per naturalem eorum qualitatẽ:quemadmodum affectu territi uel illicefacti ſomniamus de periculis, quæ urgent:aut de bonis,quæ aduentant.tum ubi uehemẽs eſt animi intentio, inép aliquod unum,quod facere deſtinauimus,incumbens,id uerſatur in cogitatione dormientis. Poſtremò,ſicut Ariſtoteles rectè dicit,quum quotidie tam multa,tam uarie ſomniemus,mirandum non eſt,incidere nos aliquando in id quod futurum eſt, aut fuit, ſed nobis incognitum.ut qui crebrò iaculatur,collimet aliquando neceſſe eſt,etiã ſi artis illius inſcientiſſimus.Immittuntur quandocp à mente ſuperiore ſomnia, eadem arte & ui, qua mouetur ab eis phantaſia. Quæ ſomnia cœlitus ueniunt, hoc eſt à ſanctis mentibus,pertinent ad nos de magno aliquo bono cõmonefaciendos, ſeu publico, ſeu priuato:cuiuſmodi leguntur in Sacris literis ſomnia Pharaonis,Nabucodonoſoris,Ioſephi.Nec malè apud Homerũ Neſtor iubet animaduerti diligenter, & expendi ſomnium Agamemnonis,qui imperator eſſet exercitus Græcorum:aliorum uerò non eſſet tam curanda ſomnia. A dæmone ingeruntur uiſa, fallendi gratia, de rebus aut flagitioſis,aut uanis & ſuperfluis:ut nullũ ſit ſignum euidentius,eſſe à noxia mẽte,quæ nobis per eiuſmodi illecebras ludificatur. Ex fine cenſeri poteſt ſomniũ, unde ſit:tametſi naturale eſt plerunqp, quod nos affectui aut temerariæ perſuaſioni indulgentes,uel cœleſte,uel hoſtile eſſe ſuſpicamur.

HABITVS.

EX facultatibus naſcuntur actiones.quo fit,ut ad omnia quæ agit anima, facultates acceperit naturæ dono.Sed ſunt tñ actus quidã,qui ſtatim ſequuntur naturã potentiæ cùm ea iam opportunitate ſua quaſi maturuit, factaép eſt ſui cõpos.ſuntép

actus

actus illi,nõ minus q̃ facultates ipſæ,naturales:ut audire ac uidere, quũ ij ſenſus abſoluti ſunt à natura,ut in puero poſtquã eſt natus,& in catulo canis poſt nonũ diẽ ab ortu.His actionib.nihil eſt opus meditatione aut exercitatiõe aliqua, ut rectè exeãt: ſed uigore maturo iam, & bene affecto.ipſa enim natura magiſtra eſt magna & efficax.Sunt autẽ actus alij,qui uſu indigent,& exercitamẽtis, quo prõpte & rectè edantur:ex quo uſu naſcitur aſſuefactio,in qua inſunt & facilitas ad agendũ, & pronitas. uocaturq̃ Græco uerbo ἕξις,à noſtris ad uerbũ trãsferentib.habitus ſeu habitio: quæ eſt pronitas ad ſimiles edẽdos actus ijs,ex quib.eſt genita.Nec ad actiones ſolas pertinet hæc aſſuefactio,ſed ad paſſiones quoq̃, quæ etiã quodãmodo actiones ſunt in facultatib.animalis,ut quæ patiẽdo uim ſuã exercẽt: quocirca actionẽ pro utroq̃ uſurpabimus.Fit porrò interdũ,ut genus actiõis naturale ſit:ſpecies uerò uel adiectũ, aut circunſtantia ſit exercitationis,uelut ſenſus quidẽ naturę ſpõte accepimus,uidere,audire,guſtare,olfacere,tãgere:at poſſe facile perferre ſpecies abſurdas,fœdas, formidoloſas,ſonitus abſonos,horribiles,ſapores acidos,amaros, & alia huiuſmodi,in cõſuetudinis partes cedit.Ex hac conſuefactione, pronitas & facilitas eſt in opifice, aptatio autẽ in inſtrumento. quẽadmodũ exercitatione fit faber aut pictor prõptior ac peritior,organũ autẽ habilius,uelut manus:interdũ quoq̃ externũ inſtrumẽtum, niſi quũ ex reliſtẽtia materia deteritur,ut penicillus,aſcia,ſerra,dolabra.ſic habitus in animo,& illũ doctiorẽ reddit,& ſpiritus aptiores ad exercitamẽta eadẽ:qui tñ immodico quãdoq̃ uſu deterũtur,ac proinde deprauãtur. Trahit ad ſe cõſuetudo hæc animũ,in quo inhæſit,quæ pronitas nuncupatur:ita ut quũ eſt habitio lõgo uſu cõfirmata,uires propémodũ obtineat naturæ.eò enim ferimur nõ ultrò ſolùm,ſed libẽter, & familiaria fiunt nobis iucunda,nec ſolùm in his quæ agimus, ſed in illis etiã quæ patimur,quæq̃ ſunt ingenio noſtro inimica, cõſuetudo minuit moleſtiæ ac laboris ſenſum:ut morbus & dolor leuiores ſunt à familiaritate.Idcirco ſapienter, qui præcepit deligendã eſſe optimã uitæ rationẽ,eam cõſuefactione futurã ſuauẽ. & Plato nõ parum ait referre,quẽadmodũ quiſq̃ iam inde à puero ſit formatus atq̃ aſſuefactus.Radicatio hæc habitus data eſt animo noſtro,ut alia omnia,ad bonũ ipſius.Nam quod bene & ut cõuenit agere,uſu & exercitatione eſſet parandũ, niſi cõtinuatio & tẽpus cõfirmaret facultatẽ,quo liberius deinceps atq̃ expeditius poſſet,aptius ſciret,libentius uellet eundẽ in modũ operari,fruſtra eſſet labor omnis ſuſceptus,& animus noſter ad pręclaras ſuas actiones ſemper ueniret rudis,nec quicquã excellenter ageret, quod nihil eſſet illi tẽpore profectũ.hæc quidẽ in his quæ nos agimus uoluntario:at in ijs quæ inuiti patimur, quàm miſera eſſet uitæ cõditio, ſi inter tot aſpera & acerba poſiti.nihil adferret leuamẽti aſſuefactio.Habitus ut creuit, cõfirmatusq̃ eſt tẽpore, ita tempore quoq̃ minuitur,deſuetudine,uel aliqua ingenti uiolentia perrũpẽte:uel intrinſecus,ut ueneno,aut morbo:uel extrinſecus,ut plaga, aut uulnere. quẽadmodum ferunt quoſdã literarũ cognitionẽ ex ægrotatione amiſiſſe,alios ex ictu ſaxi uel baculi:quæ uidentur mihi inſtrumenti habitũ afficere magis,quàm artificis.Nam hi quibus talia accidunt,cõualeſcunt poſtea,& ad priſtinã peritiam reuertuntur.quod non fieret,ſi impreſſa ſibi ab aſſuetudine ueſtigia artifex ipſe amiſiſſet.

DE SENECTVTE.

ANimę corpus ſubiturę aptat materiã Natura in formã mẽbrorũ,iã uerò ingreſſæ paulatim accõmodat interna inſtrumẽta, quouſq̃ ad perfectionẽ eã perducat utiq̃,quam materiæ qualitas & cõſtitutio poſſit recipere,ac ſuſtinere.Hęc autem inſtrumẽta ad ſummũ ſui iã p̃ducta,deterũtur uſu ipſo,& relabuntur paulatim in torpedinẽ prioris molis:poſtremò corrũpuntur penitus,ac intereunt. Aptatio mẽbrorum fit in utero,accõmodatio uerò ſpirituũ ac humorũ in infantia. Iuuẽtus eſt uelut uigor quidã,et uſus p̃fectionis organorũ:ſenectus eſt detrimẽtũ:corruptio uerò atq̃ inhabilitas inſtrumẽtorũ,mors.hæc quidẽ,ſed naturali curſu,ſine uiolentia.Nec male, qui hominis ætatẽ & diei & anno aſſimilarunt,ut pueritia ſit tẽpus matutinum & uer,iuuentus meridies & æſtas,ſenectus ſerũ & autumnus,mors autẽ hyems et nox. Calor pręcipuũ eſt uitæ ſiue adminiculũ,ſiue inſtrumentũ. is in infantia ſenſim accipit uires ac robur,cõſumenda humoris redũdãtia, quã infans ab utero eduxit:cuius

indiciũ eſt ſomnus ferè perpetuus. Redacto aũt humore ad eum ſtatũ,qui alẽdo fouendoq; ſit calori ſatis, non obruẽdo, ardet ac uiget calor:quæ eſt animãtis iuuenta, ideoq; calidiores animãtes,ſi alimentũ calori congruẽs ſuppetat, lõgius iuuentã extendunt.Langueſcit aũt calor,quũ exiccatur ſuccus,nõ quiuis,ſed ipſi cõuenies,nã in ſenib.tametſi in extimis partib.redundãt humoris excrementa,unde ſunt excreationes,lemæ,lippitudo,mucci,diſtillationes:intima tñ ardiora ſunt, nerui ac medullę.& quę pituita extrorſum promanat in ſenib.ex debilitato calore accidit.is enim fatiſcens & defeſſus,humores illos nõ ualet cõcoquere. Quocirca in contẽperatione calidi & humidi ſita eſt iuuẽtus:ſenectus aũt,ubi alterutrũ deficit.citò enim ſeneſcũt exucci,tũ & uuidi,ac frigidi.Senectutis comites ſunt,caluitiũ,canicies,rugæ. Caluitiũ ex ſiccitate prouenit eũ humore cõſumpto eradicantur capilli, haud aliter quàm ſtirpes ex arena.eaq; de cauſa criſpi celerrimè calueſcunt.et in parte anteriore capitis fit caluities,quoniã ea minus eſt ſolida atq; ſpiſſa,quàm poſterior:ſicut Aphrodiſęus inquit,in Problematis,ſeu ſi quis eſt alius eius operis autor. Caniciei autẽ pituita eſt cauſa,ideoq; in temporib.primũ capilli incipiunt albeſcere:hinc in brechmate ac cer uice,quod eæ partes humectiores ſint,quàm occipitiũ.pueri autẽ tametſi uuidiores quàm iuuenes,nõ caneſcunt tñ,q; ex frigido liquore gignãtur cani:non ex eo, qui ſit caloris ardore feruefactus.Rugæ autẽ certius ſunt ſenectæ argumentũ,quàm uel cani,uel caluities.cõtrahitur enim cutis,humore illo ſalutari areſcente:quod potiſſimũ in iis cõtingit,quorũ conſtitutio multũ bilis collegit,ſeu uitellinæ,ſeu nigræ:ſed potius nigræ.nã & uitellina in hãc tandẽ,procedẽte tẽpore,cõcedit. quippe deuergens ætas ad eã qualitatẽ ſolet inclinare:quẽadmodũ autũnus anni,& ſerũ diei.Nec ſolùm qui ita ſunt naturaliter cõpoſiti,celeriter ſeneſcunt (eſt enim cõtẽperatio maxime iuuentuti cõtraria)ſed qui uel morbo,uel animi motu,uel loco,aut exercitamẽtis,in atræ bilis tyrannidẽ incidunt,breuiter cõſeneſcunt,& corrugãtur: ceu qui laborãt febri quartana,qui anguntur metu,odio,inuidia,& potiſſimũ ægritudine: qui habitãt loca obſcura,dediti continuis acribusq; ſtudijs,& uehementi ſpeculationi.

DE VITÆ LONGITVDINE.

VIta eſt cõſeruatio eorũ inſtrumentorũ,quib.anima utitur in corpore. Præcipuũ autẽ illorũ eſt calor,& propter calorẽ humidũ calori cõgruens,paſtus & cõſeruatio illius.quę igitur uiuẽtia duas has qualitates diutiſſime poſſunt cõſeruare,uiuacíſſima ſunt.Prima diuturnitatis ratio & cauſa poſita eſt in cuiuſq; cõſtitutione,ut ea calida ſit atq; humida in neruis,medullis,liquorib.ſpiritib. Secunda eſt,ut eiuſmodi cõtẽperatio diutiſſime perſeueret.multũ ad eã rẽ faciunt alimẽta, locus,exercitationum actionumq; modus,& ratio. Nã qui calidis admodum reb.ueſcuntur, ſuccum illũ ſalutarẽ corpori exarefaciunt,& euaporat calor, ut extenuatũ cor uires oẽs amittat,atq; adeò breui quoq; uitã ipſam:niſi fortè tam ſint pituitę abundãtes,ut ea illis uictus inſtitutio cõducat.Qui itẽ feruidas regiones incolunt, haud facilè libationem illam calidi ac humidi retinent.exhalãt uidelicet plurimi ſpiritus, & exuitur corpus, unde ſenectus acceleratur & mors.Qui itẽ in uuidis locis & paluſtribus habitãt,multis uarijsq; infeſtãtur morbis,ex redundãtia pituitæ.Morbi autẽ,uia ſunt ad mortem expedita,utiq; quum infeſtãt uitalia.nã alij ſunt,qui uitã nõ cõtrahunt. Ergo in locis ſubfrigidis & arẽtibus puriora ſunt,ac proinde uegetiora corpora, atq; æuum productius.quippe calor frigidiuſculo conſeruatur cœlo p antiperiſtaſin,ſicut in hyeme magis quàm æſtate:& ſiccitas cœli ac ſoli putres humores diſcutit. huiuſmodi eſt habitatio in collibus,locis editis & patentib.qui auris ſubfrigidis aſſiduò perflãtur.aẽr itẽ apertus ac liber purgat corpora,nec ſinit cõtabeſcere, & ſub dio alacriores fiunt animãtiũ ſpiritus.Exercitatio quoq; tẽperata accerſit & auget uires,quoniã calorem excitat,& neruos corroborat.ideoq; quæ exercẽt ſe,lõgius ducũt ætatẽ,quàm ociosa.Sed labor tñ immodicus uires debilitat,& frangit corpus. Mares in omni genere, quia plus caloris ſortiti,uiuaciores ſunt natura,quàm ſuæ fœminæ: ſed Veneris uſus nimius æuum illorũ decurtat,ut fœminæ ſint illis ſuperſtites.Rectè Hippocrates:Cibus,potꝰ,ſomnus,Venus,exercitatio,omnia mediocria.Minuta animalia,quæq; minus habẽt caloris,ętate ſunt breuiora quàm magna,uelut aprs quàm canes,aut oues.

& ex

& ex ijs ut quæq; sunt plus solidi caloris nactę,ætatē lōgius proferunt,ut apes quàm uespæ,hæ q̄; muscæ,muscæ quàm culices.Accedit his,quòd exigua animalcula iniuriā tēporū nō sustinēt,feruoris,rigoris,humorū,ariditatū. quēadmodum nec herbæ, propter exiguū calorē,& raritatē materiæ.Arbores autē,quæ dēsiore sunt mole,multas æstates & multas hyemes pferunt:& ex arboríb.maximè omniū palma,quia calidissima est inter arbores. Quòd autē cōstipatior est arborū materies quàm animaliū, minorq; inter qualitates earū pugna,diuturniores sunt illæ quàm animātes. Non ergo quæ corpora salubriora sunt,ea lōgius æuū propagāt:nec quæ morbis affecta,citius intereunt:sed ex caloris humorisq; huic cōgruētis examine & cōseruatione usu id euenit,tum generatim,tum sigillatim.

DE MORTE.

COrruptis instrumētis,aut deficiētib.cessat uita,sequitur mors. quēadmodū detritis aut amissis malleo,incude,forcipe,& alijs armamētis,cessat fabrica,& indicitur ociū fabro.Itaq; mors est defectus instrumentorū animę,per quę uita prorogatur,& discedit anima,nō ex incōuenientia quapiā corporis cū ea: sicut nec animā & corpus proportio aliqua & cōuenientia copularat.neq; enim est proportio inter me & pennā,qua hæc exaro.nisi quis fortè cōgruētiā uelit esse inter opificē, quà est opifex,& instrumētum habile:de quo equidē nihil pugnauero. Vita omnis sita est in calido,quēadmodū sæpe dixi:& propter calidū in humido quoq;. Mors est naturalis, quū humore,hoc est caloris pastu arescente flaccescit calor, & ad postremū extinguitur,ut lucerna oleo absumpto. Est autē mors uiolenta, quàm gentiles præter fatū dicebāt esse,quū casu aliquo uel humor detrahitur, uel calor extinguitur oppressione quapiā,siue interna,ut in ueneno,ingluuie,& alluuione immodica potus, quēadmodum quū nimiū olei in lucerna infunditur: siue externa,ut spiritus cor refrigerātis in arteria uel ore cōpressio,quale est quū ignis lapidíb. aut multo cinere derepente obruitur,ac opprimitur.Omniū qualitatū cōmixtio,quasiq; contēperatio necessaria est uitę animātis,aliarū per se,aliarū autē propter alias,una quęlibet earū qualitatū si desit,nō potest uita produci.sed omniū potissima est calida et humida,quę sita est in sanguine,cuius exhaustione animās quàm citissimè extinguitur.De mēbris autem sunt quædā principalia,sine quib.animal nō possit conseruari.omnium præcipuū est cor: hoc primum uicit,ultimū omniū emoritur,sicut uicissim oculi incipiunt postremi uiuere,& primi moriuntur.tum quæ sunt cordi proxima,iecur,pulmones, præcordia: ea deniq; omnia,quæ hac de causa,uitalia nominantur:cerebrū quoq;,et caput.Sunt alia mēbra uiliora,quasiq; infimi ordinis,quib.amputatis remanet nihilominus uita: ut manus,brachia,pedes,crura,oculi,nasus,auriculæ,nates.Animalia uerò insecta,dississa uiuūt nihilominus,ut uermes,uespę,apes:quod illis est cōmune cum stirpibus. Verùm inter bruti & hominis mortē hoc interest,quòd bruti anima, quēadmodū & sensuū nostrorū uigor, perit omnino in morte:nostra autē anima superstes est suo cadaueri.Itaq; mortē hominis ita licebit definire.est animę à corpore disiunctio,seu dissessus:de quo aggrediamur iam dicere.

DE ANIMÆ HVMANÆ IMMORTALITATE.

ANimæ nostræ an extinctę suis corporib.sint superstites,nec ulla ui fati perimātur,quæsitū est à ueterib.sapientiæ sectatorib.Quæ disputatio molestior est facta atq; intricatior,ex hominū partim ignorātia,partim malitia & prauitate: qui omnia corporis sensibus metiētes, induxerunt animū nihil credere, nisi quòd sub illos caderet.alij delicijs immersi ac uoluptatib. omnia cuperent cum illis pariter cōcidere,hoc est cum corpore:nec esse ullū iudicē, qui uitæ huius rationē à nobis reposceret.Sed nos quādo locus hic in uniuersa & uita & pietate, imò in hominū beatitudine,aut extrema miseria,tanti est momenti,fusius paulò eum prosequemur:neq; est attingendū leuiter,quod periculosum est nō pfici.Si solis sensib.habetur fides,et intra illorū limites cōcluduntur omnia,ut quibusdā uidetur, nimis crasse de reb.statuētibus,nec animas tribuemus mutis animantib. quippe quas nec cernimus, nec sensu ullo percipimus:neq; effectiones siue formas esse in reb. naturę censebimus,nihil denique pręter molē hāc,quam aspicimus,et attrectamus:q; est disciplinę omni cōtrariū, tum ab omni iudicio humanæ mētis uehemēter alienū ac abhorrēs.Parui pueri si uideāt armatū patrē,postea ea ipsa arma cōstituta recta in stipite,existimant esse eundē

ipſum patrẽ,adeunt,colloquuntur, & nõ moueri ac reſpõdere admirãtur,terrentur, indignantur,deniq; etiã in fletũ prorũpunt.pueri idẽ,& homines fatui,pictas imagines in tabula uel tapetete uiuos eſſe homines iudicant, & ad loquendũ prouocãt,& ad epulas inuitãt,& de cibis offerũt,ut edant.idẽ iudiciũ eſt beſtijs,ut ficta & ſimulata pro ueris accipiant:nec ij qui ſenſib.tantùm ducuntur,ab infantib. & morionibus diſtant,ne dicã à beluis,qui corpus hoc torpens ac brutũ hominẽ eſſe aiunt:& quum cadauer proiectũ aſpiciunt,nihil fuiſſe aliud hominẽ ſuſpicãtur,tametſi oculi & ſenſus iſti ipſi corporei,quomodo aliquid in clauſo loco deprehẽdunt latẽre, niſi ex ijs quæ foras prodire cõſpiciunt,ut ignẽ ex fumo,animans ex uoce, morticinũ ex fœtore.Quis uerò nõ annotat, quantũ ſit inter hominẽ & brutũ interualli? ut inferiora alia prætereã,homo tot artes manu exercet, tam uaria profert, tot opera admirãda magno ingenio inuenta & exculpta, uagatur mente per naturã uniuerſam,habet rationem & ſermonẽ,in quis omnib.diuini ingenij uis quædã atq; imago elucet. Quòd ſi hominẽ propter ſimilitudinẽ corporis parẽ in naſcẽdo & moriendo facimus beluis, neceſſe eſt ut propter mẽtis tantã tamq; euidentẽ differentiã faciamus præſtantiorẽ. Et ſi renuntiatur tanto bono immortalitatis,renunciandũ eſt quoq; ingenio,rationi, menti, per quã ſumus immortales.et ſi ea uidemus ſigna in homine,quæ teſtãtur illũ cœleſtis ac diuinæ eſſe originis:cõſequẽs profectò eſt, ut aliquid in eo inſit maius ac præſtabilius,q; quod ſpectari poſſit oculis,aut manib.tractari.Nullus,inquiunt,redit ad nos ex altera illa uita,qui nos certiores reddat,qui ſit illic ſtatus rerũ, quid agatur. Hoc quidẽ dicit uulgus,aliquid ſe acutum inueniſſe ac protuliſſe exiſtimãs: ſed hoc eſt,qualia eius ferè omnia.Tranſeo quòd multæ animæ fato iam defunctæ,in ſua ſunt reuerſæ corpora:aliæ uiuentib.ſunt loquutæ,& aliquid eis ſignificarunt,quę ſunt noſtræ pietatis,hoc eſt ſupra naturã.Cæterùm ſi nullus in Indiã cõmearet, nullus ab Indis ad nos,nec India eſſet protinus,neq; Indi? tot annorũ millibus uſq; ad hanc ætatẽ nemo ad nouũ iſtũ orbẽ nauigauit,nec ullus ad nos eorũ,neq; ultrò & citrò alteri de alteris audiuimus,aut cognouimus:quid mirũ , ſi nec inter animos corpore ſolutos & nos corporeos nullum ſit cõſuetudinis cõmerciũ?Magna quidẽ & uaria & difficilis inter nos & nouos iſtos homines uia,ſed cõfici tñ poteſt, & eſt cõfecta . inter nos uerò,& cœlos aut inferos,naturæ legibus impoſſibilis. inter corporea & incorporea nulla eſſe poteſt cõuerſatio:neq; nos illorũ cõditioni apti ſumus , q; diu corpore hoc claudimur corruptibili. Adde , quòd mortuorũ animi maioríb.uel bonis pfruuntur, uel premuntur malis,quàm ut de rebus terrenis,hoc eſt de nugis uacet cogitare,uel libeat.Quid,quòd nos alij nolunt reuiſere,alij non poſſunt. Si quis in ſua ciuitate factus eſſet magiſtratus,nollet utiq; ad exilij ſui inſulã reuerti.itaq; hic nõ expetit : qui uerò in carcere aut ergaſtulo detinetur uinctus,non poteſt. Sed ſanè quócunq; nos conuertamus,ſurſum,deorſum,circũcirca,omnia docent,teſtãtur,clamant,immortalem eſſe animã humanã:natura,& neceſſitas cauſarũ,proportio & ſimilitudo, uita & cõgruẽtia,dignitas hominis,Dei bonitas,utilitas noſtra ex illius beneficẽtia. Principio rerum omniũ ueræ germanæq; eſſentiæ ipſæ per ſe nõ cognoſcũtur à nobis,abditæ latẽt in penitiſſimis cuiuſq; rei,quò mẽs noſtra in huius corporis mole & tenebris uitæ nõ penetrat.Ex inhærẽtibus,& actione potiſſimũ,quid & quale quicq; ſit, ratio noſtra colligit. Nam ſicuti eſt ab Ariſtotele animaduerſum acute,res omnis ſic habet ſe ad eſſe,quẽadmodũ ad operari:eius uidelicet opera & actus,qualitatẽ quantitatemq; & ingeniũ eſſentiæ declarãt.Primũ omniũ actiones ipſas animæ perpẽdamus,de quibus actionibus prima eſt,cognoſcere,id uerò eſt quodãmodo capere,cõprehẽdere,cõcipere, hisq; nominibus cõſignatur. nulla eſt porrò cognoſcendi facultas,& uis,quę id cognoſcat,quod proportionẽ nõ habeat cum natura ſua aliquã.Cognitio enim uelut imago eſt quædã rerũ,in animo expreſſa tanquã in ſpeculo.Nõ poteſt autẽ reddi ab ſpeculo corporali,q; ſit ſpiritale,aut quę aliorũ ſunt ſenſuũ quàm uiſus:neq; id exprimẽt,quod proportione eſt ipſo ſpeculo maius,ut mons totus proximè admotus,niſi procul recedat,ut ex interuallo naſcat proportio:neq; id, quod nõ eſt ei obiectũ è regione.Sẽſus noſtri externi,nẽpe extenſi & prędíti quantitate,nõ capiunt quæ ſunt quãtitas immunia,nec quę molẽ habẽt ampliorẽ,quàm pro eorũ ambitu,

bitu,neq; abſentia.Senſus interni nõ capiunt ſpiritalia,nẽpe angelos & deũ. Mẽs ergo quæ hæc capit,cognoſcit,cõprehendit ſola ex reb. ſublunarib. ſpiritus eſt, ut illa ipſa:& quæ intelligit illorũ immortalitatẽ, immortalis quoq;. alioquí nullo caperet modo id,à quo infinita amplitudine excederetur.Apertius hoc oſtendit,quòd ex uniuerſa eternitate illã,quę immẽſa duratione nos præceſsit,nõ poſſum⁹ cogitatione cõprehẽdere,& obruitur magnitudine mens noſtra:hãc uerò quæ interminatis pòſt ſeculis ſequetur,facile capimus,& intelligimus.ut liquidò appareat,illam uaſtiorẽ eſſe noſtra anima,nec ullã habere cũ ea ſiue proportionem,ſiue analogiã, hãc uerò alteram habere:illi non eſſe aptam,huic eſſe.Ex eodem cognitionis fonte facile colligitur,plantarum & brutorum animas ex ui & potentia materię aptas inſtructasq; produci, mentem noſtram peculiariter à deo gigni in corpuſculo, ſupra uires materiæ ac naturæ huius. Nihil enim aſſurgit aut tranſgreditur id, à quo accipit eſſentiam & uires. alioquí non iam ab illo acciperet, ſed à priore aut ulteriore aliquo in quod tenderet. Senſus noſtri interni atque externi, tum beluæ, quæ illis ſunt ſolis prædítæ,nihil cognoſcunt aliud,quàm quæ ſunt naturę huius,quam cernimus:non aſcendunt ſuperius.Mens noſtra nõ cõtenta cœlis,ſideribus,angelis, uſq; ad deum ipſum peruenit,nec ulterius poteſt progredi.quid hoc arguit aliud,quàm animas mutorũ à natura hac progigni,ſupra quam ſeſe nõ attollunt:noſtrã uerò à deo ſupra naturæ huius poteſtatẽ?Itaq; animæ noſtræ cõtingit, q⁹ de aqua fontana dicitur, ut tam alte aſſurgat,quàm deſcenderat,nec poſsit altius. nec aliter quàm mens noſtra non modò intra dei cognitionẽ ſiſtit,uerũ etiã multo inferius:ſic ſenſus, multũ infra naturæ huius opera ſubſiſtunt,neq; intima illius penetrant, ſed in extima ſemper facie uerſantur.Moſes in mũdi originib.nõ obſcuris uerbis uidetur hoc ſignificaſſe. nã cùm alia omnia ſolo dei dicto narret eſſe cõdita:ubi ad hominẽ uenit,non naturæ eam tribuit potentiã,ut hominẽ procrearet,ſed deo ſoli.dicit enim:Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtrã.& paulo pòſt:Inſpirauit deus in faciẽ Adæ ſpiraculũ uitę. per utrãq; ſentẽtiã & originẽ à deo propriã,& animorũ immortalitatẽ denotauit.Cæterum ne quis in hoc fallatur,tametſi ſupra uires naturæ huius ſiue elementaris, ſiue cœleſtis,ſiue angelicæ ſit,animã hominis à deo creari,naturaliter tñ creat à Deo,hoc eſt lege ab illo ordinata,atq; ſtatuta,nõ ſecus quàm alia omnia.nõ eñ quoties homo cõditur,nouũ edit deus miraculũ,hoc eſt præſcriptæ legi uel cõtrariũ uel diuerſum, niſi quis fortè naturę huius miraculũ uocet,in quo nõ diſſentio:ut nõ immeritò Mercurius Triſmegiſtus, ſiue quis eſt alius,magnũ miraculũ eſſe hominẽ dixerit. Deus in materiã præparatã iam atq; aptam immittit animã,ſupra materiæ ipſius & opificis naturæ uires, ſed lege ab ipſa ſtatuta. Quocirca & genitis in adulterio ac fœdo inceſtu animas tribuit,quoniã hi quanquã cõtra bonũ & pium,nõ tñ cõtra legẽ illã à deo poſitã gignũtur:q; fieret,ſi cinædis id quoq; cõcederetur,aut eiuſmodi. Et animã noſtram nõ à Naturæ facultate,ſed dei unius procreari beneficio nõ ſolũ eſt uerũ,ſed intereſt humani generis uerũ eſſe:& quia intereſt,uerũ eſt indubie. Inducta enim anima in corpus nõ Naturæ ope,ſed ꝓprie ac peculiariter à deo,debet homo præcipuã & potiſsimã partẽ ſui non Naturæ,ſed deo,illumq; tanquã unicũ mẽtis ſuæ parentẽ agnoſcit,quã ſoli ipſi deuoueat, & cõſecret:neq; in eam iuris quippiã alteri ulli impartiatur,quàm deo,ſummo & præpotẽti patri ſpirituũ unico. Multũ in corpus hoc & ſenſus omnes uẽdicãt ſibi poteſtatis & iuris,parẽtes corporũ,tũ liberi,natura ipſa, patria,neceſſarij,mẽs uerò ſoli⁹ eſt dei,eamq; ſibi uni reſeruari iubet ad felicitatẽ noſtrã:quoniã illius ipſe unus eſt autor & ꝓgenitor. Quòd ſi anima nõ Natura hac dei adminiſtra& opifice profetur,ſed à ſolo deo,cõſequẽs profectò eſt, ut nihil in natura ſit,q; eã poſsit extinguere:ſolus id poteſt deus nõ eſt autẽ credibile,deũ ipſum per ſe cõdere,q; mox ſit perempturus. quod enim attinebat id fieri?quin potius humanę animæ,& progignendæ & corrũpendæ,ſicut aliarũ animantiũ potentiã Naturæ cõcedebat? cur ſibi uni reſeruabat,quod cõmuni legi ac cõditioni erat ſubditurus?Hęc de cognitione:iam de appetitu.Cognitio omnis,ut aliàs eſt ſæpe & à nobis, & ab aliis ferè demonſtratum,propter appetendum aut fugiendum eſt animanti indita. Eſſe nunc ſenſus noſtri capiunt,quemadmodum & muta, nam quale ſit beluarum in-

geniũ,& quemadmodũ sint affecta,ex nostris tũ externis sẽsibus,tũ internis,certissimã cõiectationẽ licet sumere:uidelicet quos habemus cũ illis cõmunes, ac prorsum similes. Itaq; ferũtur pecudes solum ad nunc:appetitus enim cõseruationis est in illis nõ ex cognitione rerũ,sed ex artificio naturæ.Ideo facultas progignẽdi nõ est principalis officij,nempe cognoscẽtis,sed uegetãtis,hoc est infimi. Homo autẽ esse intermi nabile cognoscit:quod quia uidet cõducibile sibi esse ac bonum,expetit quoq;.Itaq; naturalis est hic appetitus:si naturalis,ergo de re nobis cõgruente atque apta,nec frustra ingenitus. expleri igitur potest, & ut expleatur aliquãdo necesse est: alioqui non solũ inanis est tanti boni ostẽsio, sed crudelis. Expetitionis huius essentiæ perpetuæ, quæ nunquã intermoriatur, indiciũ est auiditas prorogãdi nominis in omnia sæcula pòst uentura,quod adeò est à natura insitũ humanis pectoribus, ut etiã qui extingui omnia arbitrãtur cum uita,famã nihilominus affectent, & bene audire uelint iam sepulti.uelut signifer impietatis Epicurus,natalẽ suum diem celebrari testamẽto cauit, & epulũ sectatoribus suis dari luna uicesima.Naturalis enim illa ueręimmortalitatis cupido infecta & corrupta tenebris mẽtis,prauis animorũ cupidinibus,in hanc alteram degenerauit cupidinẽ famæ, haud aliter quàm cùm bonũ semẽ in solũ uiciosum incidit. Affectus itẽ ipsi, qualis sit & mẽtis nostræ & sensuũ natura, declarãt:quodq; sit inter illos discrimen, & sensus dico tam internos quàm externos.Si enim incipiat animus de morte sua cogitare,sensus interni & phantasia modò longã uitã hanc fore imaginẽtur,de altero illo interitu nõ admodũ permouẽtur, imò facile eiusmodi cogitationẽ sine sensu aliquo deglutiunt.mens uerò ipsa ijs tenebris inuoluitur, tãtopere cõfunditur,ut nihil magis expauescat,& refugiat.uel ipsi illi qui in maximis uersãtur malis,& impetu quodã animi cæco mortẽ appetũt, cuperẽtq; sese aboleri penitus, si paulisper à desperatione in se uacaret redire, ac cõquiescere, deq; animi extinctione cogitarẽt,damnarẽt prorsum sentẽtiã priorẽ,interitũq; illũ horrerent, maiusq; id esse malũ ducerẽt,q; illa omnia quib.uexantur atq; affliguntur.Cõtrà uerò quũ de morte hac corporis euenit in mentem,sensus omnes ilicò percelluntur: mẽs uerò si sana sit & quieta,stat immobilis,& errorẽ trepidationemq; illã sensuũ ridet & castigat.Idcirco apud Platonem in apologia acutissimus philosophorum Socrates ad iudices & populum Atheniensem uerba faciens de morte sua, quòd multitudo sensibus ducitur,in incerto reliquit animæ immortalitatem,dilemmate tantum usus: Si non moritur animus,maiora me expectant bona:sin moritur,nihil sentiat mali.In carcere uerò inter discipulos rerum cognitione excultos,& sapiẽtiæ studiosos,nihil posuit in dubio,sed constanter,multisq; argumentis conatus est euincere ac persuadere, animos nostros corporibus suis superstites perseuerare. Quid ex his efficitur? an non manifestò,mortem mentis contra ipsius naturam esse? idcirco illam eius mentionem reformidare,ac exhorrere:sensus uerò de hac tantùm uita esse solicitos. mortẽ hãc corporũ ad mentẽ nihil pertinere:corporis esse,& eorũ quæ sunt corpori annexa,sensuũ uidelicet internorũ ac externorũ. Quid quòd mes in prauo habitu corporis, uelut si affectu sit perturbata,phantasmatis cõfusa,imperita,flagitiosa,scelesta, impia, magis ad recordationẽ corporeę mortis cõcutitur,quàm quũ sobria est,sana,serena,quieta, docta,innocens,pia? Quæramus iam utrius iudiciũ certius sit, ac uerius,perturbatæ an quietæ,ægræ an sanæ,indoctę an eruditę:in recto corporis statu,an praue affecto: sceleratæ ac impiæ,an piæ & sanctæ. Ex delectationibus quoq; essentia deprehenditur humanæ mẽtis. delectationes enim eo sunt maiores,suauiores,diuturniores,magisq; stabiles,quo res eæ quæ uoluptatẽ adferunt similiores sunt facultati animi,quæ oblectatur,maiorẽq; cũ illa & uicinitatẽ & ꝓportionẽ habẽt. Quũ de genere est aliquo uel forma iudicandũ,ab ijs sumitur specimẽ ad ꝓnunciandũ,quę sunt in illo genere optime affecta & cõstituta,id est maxime secundũ generis eius uerã atq; incorruptã naturã.Non ignoro multos esse homines brutali ingenio,q uoluptatib.sensuũ capiãtur unicè:sed nos præstãtissimas ac generosissimas mẽtes cõtẽplemur. Illæ uerò plus delectãtur internis sensib.q; externis,plus mẽte quàm phãtasia:& ex mẽte, potissimũ contẽplãdo:& ex rebus,quas contẽplantur,illæ eas iucundissime capiunt,& diutissime tenent,quæ sunt supremę,quæ corporeæ molis expertes,quæ æternæ.has

enim

enim animus auidius expetit,ac retinet,minusq; illis perscrutādis atq; intuendis defatigatur.Hæ igitur res spiritales & sempiternæ,conformiores sunt menti,quàm corporales:illarū naturæ ac ingenij magis est consors & particeps,quàm istarū.in illis enim mirificè acquiescit,tanq; suis similitudine,ac ꝓportione:quemadmodū interiores et exteriores sensus reb.corporatis capiunt,nec alias uel coniectādo assequi possunt.Quòd si mens tā esset quàm sensus mortalis,nō minus mentes excellentissimæ & diuinis proximę,caducis reb.tenerentur ad uerā & solidā uoluptatē,quàm sensus ipsi.Iam ipsa corporū nostrorū cōstitutio, & facies in cœlū erecta, cœlestes nos esse testificatur,intentos semper illuc tanq; in patriā,ad quā proficiscimur. Et corpus ipsum,quemadmodū se habeat animus,ostendit.erectus est enim hic, & sublimis magis multo quàm corpus,ascēdens per gradus rerū inferiorū,nec cōquiescens,donec ad cœlestia & diuina peruenerit:ibi demū sistit,et acquiescit.ut ex motu,et ex quiete manifestū fiat,quemadmodū in reb.omnib.naturæ,quis sit ei locus naturalis. Cæteræ animantes,ut terrestres,terrā semper intuentur,in qua est bonū ipsarū. nostrū uerò bonū,si nō est in illa cœlesti æternitate,quorsum pertinet excelsum caput in homine,& oculi in cœlū suspectātes,an ut in tāta uitæ huius calamitate, & asperrimis reb. locū illū speciosissimū,atq; à miseria omni remotū intuentes, magis nos uita discruciet, & exacuatur uanū illius fœlicitatis desideriū:atq; eo uehemētius & acrius, quo quisq; ingenio uel eruditione plurimū est præditus atq; excultus, uel uitæ huius incommodis ac miserijs pressus, & diu uexatus.nā fortasis hominū aliqui pecorū more sine sensu hæc prætereūt,siue ex mentis torpedine,siue ex ebrietate fauentis fortunæ. Et de nascendi modo in hac mortalitate intelligi potest, qualis sit modus ille renascendi in æternitate. Nam sicut in locis maternis huic luci fingitur ac formatur homo,ita in hac luce paratur illi alteri,præ qua lux hæc nostra tenebræ sunt, & nox obscurissima.Nec aliter quàm cùm tēpus nascendi appetit,flaccescit uita uteri, quasiq; infans emoritur,illo utiq; uiuēdi genere,ad eundē modū,cùm homo è uita orbis huius excessurus est,& tanq; pariēdus ad uitā alterā, moritur hac uitæ ratione, ut uiuat altera tanto præstātiore,quāto hæc est lucis huius melior,quàm illa uteri. Itaq; paramur in utero uitę corporis,in corpore autē uitę mentis.Horret animus discessum ex hac uita,propter ingentē mutationē:et sic est affectus,quemadmodū infans nascituras,si ei sensus aliquis daretur noscēdi & cogitādi.Exit enim & infans nascens,et homo moriens,uterq; in lucē nouā,faciemq; rerū admirandā: qua nouitate uterq; perterrefactus,nollet ex suo gurgustiolo prodire, nisi urgeretur attificio naturæ. Nō est profectò dubitandū quin hominis mors magnā habeat cū ortu cognationē & similitudinē, propter eam imperfectionē quæ est infanti in utero, & homini in hac uita. Nā si perfectus esset suis omnib. partib. atq; absolutus infans in locis maternis, nihil ei esset opus ortu:sed cùm ei sensus sit tributus,& facultas cognoscendi, quæ exercere nō potest in utero,egreditur in hanc spaciosam lucē,ubi sentire possit, & cognoscere.Hactenus quidē cōmunia nobis omnia cū beluis.at uerò quia beluæ hic fungūtur munerib.suis omnib. & facultatib.à natura inditis,hic uiuūt ac intereunt: homo cui donata est mēs,qua nihil aut parū admodū utitur in hac uita,profectò ortū alium habet,in qua mētis obeat munia, quod in libris de Veritate fidei Christianæ docuimus.ficuti & de illo quoq; disputauimus,si anima sit mortalis,omnia ad uitā hāc pertinere, frustraq; hominē esse cōditū:qñquidē nullo penit⁹ fine ꝓposito,uel nō eo certe q excellētia ei⁹ sit dign⁹,atq; adeò res oēs in cassum essēt à deo ꝓductæ. Quorsum ēm creare attinebat:scilicet ut posteaquàm paulisper sese ostēdissēt, subducerent:ut bibat homo,edat,dormiat,uoluptuet,nihilq; absit à bestijs, lōge etiā q; ille miserior: q ꝙ potissimū ipsi est, atq; optabilissimū, nūq; assequit:ꝙ Aristot. & Theophrastus fatent.Quòd si homo,cui corpora sunt parata omnia q solus uti potest,& uult, & nouit,frustra est inductus in uitā:quāto magis ea omnia,quę illius fūt gratia ꝓcreata,uana ergo omnis creatio,& dei maiestate immensaq; sapiētia indigna: quod absit.imò nec ulla est rectoris mūdi prouidentia.Hæc enim tria ita sunt connexa & coniuncta existimatione ac persuasione, diuelli ac dissociari,ut nullo modo nec possint,nec fas sit:Dei religio,Dei prouidentia, animæ nostræ immortalitas, quisquis unum istorū

tentarit labefactare,aliorũ quoq; fidẽ cõcutiet.Nam ſi animæ nõ ſunt immortales,bene aut ſecus factorũ nullæ ſunt pœnæ,nulla præmia.Hæc eñ omnia in decurſu præſentis æui permiſta & confuſa cernimus:ut nihil aliud ſit hominũ uita,quàm merum latrocinium.Nulla eſt ergo dea cura de nobis.Quòd ſi nos nõ curat, quorſum à nobis coletur? uana & ſtulta perſuaſio fuerit,religio Dei ac pietas.At nos tñ, homines omnes,& nationes quantumcunq; barbaras, & ab humanitatis inſtitutione alienas atq; abhorrentes,animaduertimus adduci naturaliter ad religionẽ aliquam, laudare ac probare modeſtiã,moderationem,gratitudinem, pietatẽ,manſuetudinẽ, patientiam,æquitatẽ.Fieri ergo nõ poteſt,quin hæc ſint bona,& cõtrarijs potiora:cuius rei nulla eſt ratio, ſi deus nõ ſit ſpectator ac iudex. teſtantur igitur,nos illi curæ eſſe, & pietatis præmium alibi expectandũ. Quòd ſi illic eſt uirtutis precium,& hominis finis,anima profectò illic uiuet:& retrò idem ualet,ſi anima illic uiuet,finis hominis illic eſt.finis enim ad ultimũ & perfectiſsimũ pertinet,qui ea de cauſa finis nominatur. Quòd ſi plurimorũ & ſapientiſsimorũ hominũ autoritatib.aliquid tribuimus,præter tacitum illum humani generis conſenſum,habemus expreſſum alterũ & manifeſtũ, quandoquidẽ non ſolũ doctis & ab humanitate inſtructis nationib. ſed feris ac barbariſsimis, ut Getis,Scythis, Indis, & in hunc Nouum orbẽ tamdiu ſepoſitis, & latentibus,perſuaſiſsimũ eſt animas hominũ hinc in alia emigrare loca,digna ijs rebus quæ in uita geſſerint.Ex profeſſoribus autẽ ſapiẽtiæ ignobiliſsimi,& qui in delicijs extremum bonorũ ſuorũ poſuerant,animã fecerunt mortalem: ſcilicet ijdem illi,qui religionem omnẽ,qui cultũ & amicitiã diuorum, qui prouidentiã,qui diuos ipſos funditus extirpauerunt. Poſt hæc autẽ per prauam perſuaſionẽ euerſa, nõ erat animorũ immortalitas incolumis manſura, quæ coniuncta & cõplicata eſt cũ cauſa prouidentiæ ac pietatis. Sapientiſsimi uerò & ſanctiſsimi philoſophorũ nunquã ſuſtinuerunt animã mortalẽ affirmare,& quaſi damnare capitis,ut Pherecydes Syrus, antiquiſsimus in Græcia mẽtis cultor,Pythagoras,eius diſcipulus Socrates,Plato,Zenon Stoicus,& innumerabiles qui ab his ueluti fontib. dimanarũt.Socratis unũ ex argumentis eſt in Phædone Platonis,naturale eſſe hominib.deſideriũ ſciẽdi & ſapientiæ,quę cùm in uita hac cõtingat exigua,uel nulla potius, futurum eſſe abſq; dubio, ut deſiderium hoc alibi expleatur. quippe quod naturale eſt, de nihilo eſſe, ac ſuperuacaneum non poteſt. Nam quemadmodũ fruſtra eſſent oculi aſtructi animalib. ſi nunquam daretur cernere,ſemper in nocte ac tenebris uitã acturis:ita & cupiditas ueritatis,ſi nunq; eſſemus illã aſſecuturi, ſuperuacanea res eſſet ac deridicula.Qua in reputatione ac perſuaſione certiſsima ceſſat Theophraſti querela, quod natura longiſſimam mutis animantib.uitam cõceſsiſſet, quarũ nihil intereſſet diu uiuere: homini uerò perbreuem,cui tantũ expediret longã uitã degere,ad aſſequendã ſapientiã maximum hominis bonũ.nunc uerò cùm incipimus ſapere,morimur.nõ hæret in diuinam ſapientiã & bonitatẽ iuſta ulla querimonia. Satis longã ætatẽ accepimus, ut hic quantũ cõueniat,diſcamus.in altera erit copia ſapientiæ,& ſatietas.in hoc enim æuo quantulũ eſſet,quod in ſapientiæ curriculo promoueremus,etiã ſi quadruplicaretur nobis uita,& ad quingentos aut mille annos perueniret? Non perfert ſapientiæ fulgorem mens noſtra, anguſtijs huiuſce corporis & obſcuritate oppreſſa: haud aliter quàm noctuæ oculi lumen ſolis, quæ eſt Ariſtotelis magiſtri ſimilitudo. Quocirca tantus philoſophus nõ in accuſatione naturæ,hoc eſt dei ſapientiſsimi & optimi debebat ſiſtere,ſed ex ea admoneri ſapientiæ huius,cuius tantũ & tã acre deſideriũ humanis pectoribus,natura indidiſſet,alibi profectò eſſe locũ,& explendæ auiditatis opportunitatẽ.De Ariſtotele,quid ſẽſerit,nihil habeo dicere.obſcurus eſt,lubricus,uaſer,in hoc etiã,ne à more ſuo diſcedat.Vno in loco dicit,ſi intelligere poteſt mẽs abſque phantaſia,ſeparari poteſt ab ea:ſin ſecus, nõ poteſt. quod ab eo non ſatis eſt pro acumine ingenij illius animaduerſum. Anima enim in hoc corpore non poteſt niſi corporaliter omnia intelligere,hoc eſt per corporea inſtrumẽta,quæ exteriora ſunt, ſenſus: interior autem imaginatio, non aliter,quàm qui per uitrum aliquid intuentur, non poſſunt aliter cernere, quàm ut illud ſinit uitrum. Alio tamen in loco idem ait Philoſophus, ſeparari mentem à ſenſibus ac corpore, ut immortale à caduco.

In

In hãc præſtãtiſsimorũ philoſophorũ,imò philoſophiæ totius ſentẽtiã,optimus quiſ que mẽte ac ſenſu uadit.Nã mortalẽ eſſe animã malis & deſperatis hominib.optatur, & expedit:boni auerſantur,& tanquã noxium refugiunt.Si enim quod paulò antea dicebã,cogitatione reuoluat quis,abſumi prorſus omnia in morte, quaſiq; in perpe tuas tenebras abſorberi,qs bonus & generoſi cordis nõ exhorreat mortẽ? quæ huic conſolatio ſuffecerit, aut animatio, quo minus mortẽ reformidet, & refugiat modis omnib.eamq; cum ſumma impatiẽtia expectet & perferat,cùm neceſsitas coget:uel in ipſis mediis cruciatib.cùm in uotis eſt mors,& inuocatur tanq; portus è tãtis tem peſtatib.eſt tñ quies in illis aliqua, & interceſſatio , & cõcitatus animus mortẽ inclamat:qui ubi paululũ reſedit,cõſolatur ſemetipſum ſpe, uel quod ceſſabit dolor , uel quod tẽpus & aſſuefactio leuiorẽ reddet: deniq; grata eſt quomodocunq; lux hæc, etiã miſerrimis. quid illis, qui nullis corporis aut uitæ incõmodis uexantur? Age uerò quæ deſperatio homini probo , ſi ueniat illi in mentẽ ſuorũ recte cogitatorũ aut factorũ,qui nullũ in uita præmiũ ceperit:imò cõtrà,quod ſæpius euenit , malã pro beneficio gratiã,uelut paupertatẽ,infamiã,dolores,morbos,cruciatus,ſupplicĩũ, nullã uirtutis cõpenſationẽ reliquã eſſe poſt uitã,nec plus eum accepturũ quàm improbũ & ſceleratũ.Nam memoria nominis nec ſemper cõtingit,& iniqua eſt,quę & prauis facinorib.laudẽ & gloriã tribuit,& uirtuti ac probitati uel neglectum,uel(quod indigniſsimũ eſt) dedecus.nec ampla eſt,propter diuerſitatẽ ingeniorũ,morũ,ſentẽtiarũ in nationib.aliis enim alia uidẽtur pulchra & laudabilia:nec diuturna eſſe poteſt,omnia cõſumente uetuſtate. Nec quicquã ad uita functos pertinet. nec Achilli prodeſt ſua gloria,uel Socrati:nec Catilinæ, aut Therſitæ nocet ſua ignominia. Quid porrò, poſtea quàm uir ſapiens per cœlos , per ſidera , per elementa omnia ſit animi intentione ac uigore peruagatus , per ſtirpes , animantes , homines , angelos , uſq; ad Regem mundi , per res ueteris memoriæ quæ geſta ſint , quæ cõtigerint, quid illi acerbius poteſt nunciari,aut q; minus cõſolationẽ admittat , quàm ſi in hac tãta pulchritudine, tã amœno atq; admirabili ſpectaculo extinguẽda ſit mens tantarũ diuitiarũ ſpectatrix,receptaculũ,theſaurus? ut nullo amplius futura ſit ſenſu,nullo in loco, nõ magis quàm bruti animus abiectus,uilis,torpẽs,nulliusq; capax excellẽtiæ.Quis eſt qui poſt hãc cõſiderationẽ mortẽ nõ pertimeſcat,etiã in grauiſsimis uitæ malis poſitus? cõtrà uerò quãta bono & ſapiẽti cõſolatio ad caſus omnes uitæ atq; infortunia, ſcire paratũ eſſe locũ quietis,nõ priuationis atq; orbationis omniũ,ut ſomniarũt ſtulti:(quõ eñ q; non eſt,quieſcit) ſed felicitatis cõſtitutæ à deo æquiſsimo,potẽtiſsimo, optimo? quã iis largietur,q; ad bene & ſancte uiuendũ bonã uoluntatẽ attulerint uere,atq; ex animo.Hęc quę de hominũ ſentẽtiis atq; autoritate attulimus,eò pertinẽt, ut fiat liq;dũ ab ea parte naturã & uerũ ſtare, à qua ſtãt boni & ſapiẽtes,nẽpe à noſtra, recti? uidelicet atq; integrius eſt horũ iudiciũ,quàm malorũ, aut dementiũ.Accedit iudicio & maximorũ hominũ,& maximę partis humani generis iuſtitia,probitas,religio,& uirtutes omnes,quæ omnia immortalitate animæ nitunt: ac hæc quã in partem inclinãt,& ueritatẽ eódẽ inclinare neceſſe eſt,p his eñ citius faciet ueritas,quàm pro ſcelerib.flagitiis,improbitate,atq; impietate,quę mortalitatis animæ comites ſũt certiſsimæ.Sed nec mirandũ eſt magnopere,in definiẽda atq; ſtatuẽda animę natura falſos philoſophorũ quoſdã minutos,ut inquit Cicero,ac ignobiles:cùm alij amplioris nominis in iis quæ ſenſibus uſurpamus , tam fœdè ſint prolapſi, ut quòd nix eſſet nigra,quã uiderent candidiſsimã:quòd ignis frigidus,quo nihil tãgerẽt ardẽtius. Illud porrò eſt in uitæ negocijs ſentẽtiisq; miſerrimũ,& nõ fictis lachrymis deplorandũ,q; ad uerũ & bonũ nulli ſunt autores ſatis locupletes , & firmæ fidei: ad falſum & malum quiuis ſufficit.ut non iniuria ſit illud à Mimographo dictum,Ad triſtem partem ſtrenua eſt ſuſpicio : nimirum , ut Ouidius inquit , quod nos in uicium credula turba ſumus, mali uidelicet & obſcuri , idcirco ad falſum & malum tanquam noſtri ſimile procliues.Quàm multi ſunt , qui Epicurum deridẽt , Plinium refellunt, imperitos uocant , ut ea quæ in rebus uel uitæ uel naturæ adferrent , non ſatis habere explorata.at eoſdem ipſos quum prouidentiam & religionem tollunt,ijdem illi amplectuntur & collaudant : adeò inualuit in eorum mentes caligo uiciorum & ſcelerum

rum. Sunt qui aiant esse è re uitæ, credi animam esse immortalem, quemadmodum etiã deos esse, quòd aliter homines nec conseruaturi essent sanctam societatem, nec quicquã recte facturi, nisi cohiberetur metu illo, restare alteram post hanc uitam, & deos uindices, quos ideo à metu θεοὺς esse nominatos, quasi δεους. Quid dicitis: Magno igitur mẽdacio opus est, ut homines uelint bene agere. O miserandã conditionem uirtutis, si nõ potest hominibus, nisi per ingens mendaciũ persuaderi, cùm nullæ duæ res tã sint inter se amicæ & cõcordes, quàm uirtus & ueritas: nẽpe germanæ à deo genitæ, & humanis mẽtib. sicut utilissimæ, ita etiã integris iucundissimæ. Ergo deus potentissimus, sapiẽtissimus, optimus, ea lege & cõditione creauisset hominũ genus, ut induci ad bene agendũ per ueritatẽ nõ posset, sed per mendaciũ: & tãtus artifex ad perfectionẽ operis sui instrumentũ nõ è domo atq; opulentia sua ipsius desumpsisset, sed ab inimico suo diabolo mendaciũ, quo nihil est à deo alienius, qui est mera ueritas. Quid restat igitur, nisi ut qui ingenij aut doctrinæ bono deprehendisset mendaciũ, ueluti qui hoc dixerunt, & ab eis edocti ac moniti soluti essent eo metu, quo prius alligabantur, & ut quisq; esset doctissimus uel acutissimus, ita & pessimus quoq;, qñ superstitione iã esset liber, nec deos ullos metueret, nec aliud quicq; nisi pœnas legũ: ita quo ꝓpius accederet ad hominis perfectionẽ cultu ingenij atq; institutione, hoc & ad maliciã & scelera esset armatior ac procliuior: quippe cui arcanum esset detectũ, ficta & simulata esse omnia, quæ præciperentur de uirtute ac probitate. Atqui existimatio hæc maxima est humani animi corruptela, & à perfectione auertit. Ideoq; sentẽtia hæc semetipsam refringit, ut quo quis sit perfectior, eo imperfectior: quo melior, tanto peior: quo magis homo, ac uerius, hoc naturæ ferarũ similior, & ab homine remotior. En quãta rationũ acies pugnat ꝓ nobis, idest ꝓ ueritate, nã nos quid sumus? ueritas est fortissima, maximis uirib. fulta & cõmunita. Quid expectamus? an ut animas ipsas exilientes cernamus è moribũdis corporib. tanq; fumũ è flãma? Neq; tũ deessent, qui præstigias se dicerẽt metuere, & impostur ã oculis suis fieri: ut cùm niuem albã cernerent, & ignem ardentẽ. quid enim satis fuerit ei, qui animo obstinauit nõ assentiri? ut iam nõ agatur res apud tribunal rationis, sed affectionis prauæ, ac pertinacis. An tot unquã adducta sunt à philosophis argumenta ad id corroborandũ, quod tam exploratum certumq; nos habere credimus, quàm ea quæ manibus contrectamus, aut cernimus oculis? Si decima argumentorum pars ab aduersa staret parte, quis posset istorum sustinere importunitatem atq; insolentiam, qui nũc inopes ac destituti ab omni ratione, iudicio, mẽte, magno tñ adhuc fastidio nos aspernãtur, & cõtemnunt, nostramq; ueritatẽ quasi stultitiã deridẽt, quòd rationib. habemus fidẽ: cùm illi nihil aliud pro se habeãt, nisi forsan, nõ ita est, suspicor, aut credo nõ ita esse. quib. de causis & rationib. adducor, ut existimem sententiã hãc de animæ immortalitate, cùm sit tãti põderis, totius probitatis ac religionis fundamẽtũ nõ esse inter fidei articulos relatũ, quod sciẽtia possit cõprehendi. Nam quib. tandẽ, aut quot argumẽtis assequemur scientiã, si hæc nõ suffecerint? Quidã affectantes uideri philosophi, aiunt in fide pietãtis animã esse immortalẽ, in lumine aũt naturæ mortalem: quoqd dici potest imperitius, aut demẽtius. quasi nos qd uideaẽ disputemus, nõ quid sit. nos uerò nec fidei lumẽ, nec naturæ inquirimus, sed ueritatẽ ipsam, quæ nõ gemina est, sed unica. Age uerò, qd est naturæ lumen? nũ nõ humana ratio? Cedò, an plures aut euidentiores inuentæ rationes sunt ꝓ ijs, quę scire nos arbitramur ex causis naturæ, ut sentẽtia nostra fert, certissimis ac perspectissimis? & adferri aliæ possent permultæ, & allatas esse ab alijs nõ dubitandũ. latissima enim res est ueritas. Sed ego eas tantũ posui, quę mihi in mentẽ uenerunt. Velim autem mihi ad postremum dici, cur alia omnia quæ de anima traduntur, paucissimis & leuissimis coniecturis fulta recipiuntur pro indubitatis: hoc unum tanto rationum agmine stipatum ac munitum pro infirmo habetur. & illa quidem stabilia atq; indubitata nobis esse, nostra nihil interest: hoc unum tam ualde interest, quantum est iam declaratum. Profectò liquidò apparet, uim esse aliquam homini infestam atq; inimicam, quæ ueritatem nobis tam necessariam procuret uertere in controuersiam: à cuius pernicios issimis tenebris tueatur nos Deus, lux uera & immensa.

10.

IO. LVDOVICI VIVIS DE ANIMA ET VITA, LIBER TERTIVS.

SEQVITVR pars animę de affectionibus,ad cognoſcendum & diffi-
cillima propter uarietatē,& neceſſaria,ut tantis malis adferamus re-
medium,morbiſq; tam ſęuiſsimis medicinam.eſtq; tractatio hęc nō
ſatis diligenter à ueterib.ſapientiæ ſtudioſis uel animaduerſa,uel tra
dita.Stoici,quos Cicero ſecutū ſe profitetur,omnia hęc argutijs ſuis
peruerterūt.Ariſtoteles in Rhetoricis tantū de materia hac expoſuit
quantū uiro politico arbitratus eſt ſufficere.Nos pro uirili parte noſtra,ſingula argu
menti huius ſubtilius exactiusq; perſequemur. Cōdidit omnia Rex naturæ, ut illis
de ſuo impartiretur eſſe,quo eſſent:de ſua uerò beatitudinē,ut bene eſſent,quantum
quidem cuiusq; uis caperet,ac natura.ad quæ ſua aſſequenda & cōſeruanda munia,
attribuit facultates:ad eſſe quidē,pronitatē,ut ſe quicq; ab iniuria tueatur corrūpen-
tis,quoad eius poſsit efficere:ad bene autē eſſe,appetitū boni,auerſionem à malo,ut
in bonum feratur appetitus, à malo declinet & fugiat. Quocirca cognitio tū ſenſuū,
tum interior omnis,propter iudicandū eſt animanti addita: iudiciū uerò, ad nos uel
impellendos,uel retrahēdos.Retractio autē ipſa,boni alicuius fit gratia:quippe quæ
eſt diſceſſus à malo in bonū.Quapropter omnia,boni cauſa facimus,ſimiles Autoris
noſtri,qui eſt optimus.nā & à malo fugimus propter bonū,& bonū propter ſeipſum
expetimus.Sed in boni electione,magni nos in uita errores uerſant. Bonū eſt ſimpli
citer,quod ꝓdeſt ſimpliciter:bonū cuiq;,quod ei prodeſt.huius è regione ſitū eſt ma
lum,quod nocet.Bonū ut natura eſt unum,ita etiā nobis:nempe illud,quod uere eſt
tale,cuiusq; participatu nos & boni ſimus, & ea de cauſa beati. Cæterum cæca igno-
rantia,multa in nos inuexit bonorū genera,in animo,in corpore,in externis: quæ nō
eſt hic percenſendi locus,à multis ſunt fuſe enumerata atq; explicata,& ſæpe à nobis
alibi Ego iſtarum facultatū, quibus animi noſtri præditi à Natura ſunt ad ſequendū
bonū,uel uitādum malum,actus dicuntur affectus ſiue affectiones, quib.ad bonum
ferimur,uel cōtra malum,uel à malo recedimus. Bonum & malū in præſentia id uo-
co,non tam quod reuera tale eſt, quàm quod quiſq; ſibi eſſe iudicat.nam quid bonū
eſſe exiſtimemus,quid malū,iudiciꝫ eſt:eoq; tāta circa hæc opinionum fraus,quoniā
multæ ſunt,& prædēſæ in iudicio noſtro tenebræ.tametſi in hac quoq; parte ſemina
quædā habemus à natura ueritatis ingenita,ut antea poſuimus:ſed ea tñ admodū u-
niuerſalia,uelut ex duob.illis dei munerib.bonū eſſe,cōſeruationē ſuiꝫpſius,& beate
uiuere.cùm uerò ab hoc capite ad partes deſcēditur,multi ſtatim exiſtunt lapſus,grā
dia præcipitia.Sunt quidā animorū motus,ſeu impetus uerius naturales, qui ex affe
cto corpore cōſurgunt: ut edendi cupiditas in fame,bibēdi in ſiti, mœror in morbo,
uel premente atra bili, exhilaratio in liquido & puro ſanguine circa cor, offenſio ad
plagā,ꝫ iudicio anteuertunt:reliqui omnes quātumcunq; celeres & præpidi,iudi-
ciꝫ ſententiā ſequuntur.nō enim mouetur animus, niſi præiudicatū ſit bonū eſſe, aut
malū, id ꝙ eſt obiectū: idemq; in brutis uſu euenit, in quib.nō ſola imaginatio parit
affectum,niſi & exiſtimatio acceſſerit,quæ illis iudiciꝫ cuiuſdā locum obtinet.Sed &
mētis noſtræ agitationes incitatiſsimæ ſunt,nec requirunt ea tempora,quę utiq; nos
facile deprehēdamus atq; annotemus.idcirco prꝫuertere nonnunquā animi motus
iudicio putātur.Mente ergo aliter atq; aliter edocta atq; inſtituta,mutantur affectus
augmēto & decremēto,uel tollūtur prorſus, atq; in aliorū uim & quaſi ius cōcedūt.
Quæ iudiciū moueāt,inq; uarias ſentētias traducāt, dictū eſt à nobis ſuperiore uolu
mine.Cōſequēs etiā eſt,ut eadē illa ad cōcitādos ſedādosq; animi motus ualeāt. ſed
nō ſemꝑ ad affectū excitādū opus eſt iudicio illo, ꝙ ex rationū collatione de reb. ſta
tuit:illud ſufficit,& eſt frequētius ꝙ imaginationis mouetur uiſis. Itaq; ſola phātaſia
trahente ad ſe tumultu ſuo ſpeciem quandam opinionis & iudiciꝫ, quod bonum ſit,
aut malum quod eſt ei obiectū,in omnes animi perturbationes uerſamur, timemus,
lætamur,flemus,triſtamur:quo fit, ut manifeſtò ad partem corporis uergant, in quo
tātopere dominatur phantaſia. Quamobrē affectus omnes in prꝫſentia,in eaſdē illas

qua-

qualitates tribuemus,ex quib. corporis natura cõstat:ut alíj sint calidi,alíj frigidi,alíj humidi,alíj aridi,alíj ex horũ aliquib. cõmixti:nã humani corporis cõtemperatio,ex his ipsis qualitatib. efficitur,& cuius quisq; affect⁹ est naturæ ac ingenij, in simili corporis natura facile tũ nascitur,tũ augetur:in cõtraria nõ perinde. Hę aũt corporis tẽperationes aliàs incitant atq; exacuuntur,aliàs cõprimũtur & coercent internis atq; externis reb. interne sunt,affect⁹ ipsi. nã tristitia facit frigidos & aridos,lętitia calidos & humidos. Affect⁹ em̃ ratione corporis nõ recipiũt modò,sed prę stãt. corporis aũt sunt cib. & potus,ætates,morbi:nõ utiq; perpetuò,nec per omnia,sed plerunq;. Hæc multũ mutant in corpore:unde etiã affectus uariantur,in ijs præcipue, qui se animo suo auferẽdos permittũt,nec rationis exactiq; iudicij clauo seipsos moderantur. His accedunt cogitationes crebræ,studia magna,difficilia, ardua:reddunt enim melancholicos. Sentẽtiæ quoq; de rebus:ut Democritus semper ridebat,tanq; in perpetuis hominũ stultitijs atq; ineptijs:Heraclitus semper flebat,tãquã in cõtinua hominũ miseria. Hinc sunt externa:tẽpus naturale,ut quatuor anni partes,& diei horæ: tum nostrum, quo cõtinetur status rerũ,seu publice,seu priuatim. locus itẽ naturalis, nostri: quæ omnia sunt alibi fuse explicata. In loco est habitatio,& uestitus,& comites. iam negocia & actiones intentæ,uehemẽtes,laboriosæ,deliciosæ,molestæ,difficiles, placidæ,leues. Cæterũ affectionũ nõ est simplex appellatio. nã facultatẽ naturalẽ in animo dilatandi sui ad bonũ,& cõtrahendi à malo,affectus sunt:& earũ actiones in animo eodẽ censentur nomine,cõsuetudines quoq;,quæ ex actionib. invaluerunt,quæ ἕξις Græco uerbo nominãtur,hoc est habitus:quæ omnia tenenda erũt deinceps,ne fallamur. q; aũt horũ usurpabimus,facile de sẽsu intelligetur. Et quãdoquidẽ animus erat habitaturus in corpore,indita est animãti ab admirabili artifice deo facultas hęc affectionũ,ut quibusdã ueluti stimulis excitaretur animus, ne iacens penitus obrutusq; mole corporis, ueluti segnis asinus torperet perpetuò, bonisq; suis indormisceret,& in eo q; illi ualde expediret,cessaret. itaq; uarijs tanq; calcarib. hinc inde subinde excitatur:aliàs aũt cohibeẽ freno,ne ruat in noxia. Homini etiã ijdem isti nõ desũt stimuli ac frẽni,qua parte est animãs,cui sũt eisdẽ de causis necessarij. Sed nos nimiũ & exacuim⁹ hosce stimulos,& grauia fecim⁹ hęc lupata,dũ leui atq; expeditę ne cessitati immane põdus adiecimus superfluitatũ. At uerò,quẽadmodũ in maris motib. est alius aurę tenuis,alius cõcitatior,alius uehemẽs,quiq; horrida tẽpestate mare omne à fundo uerrat cũ arena ipsa & piscib. sic in his animorũ agitationib. quędã sũt leues,quas uelut initia quędã dixeris surgẽtis motus:aliq; sunt ualidiores,aliq; animũ uniuersũ cõcutiũt,deq; rationis sede ac statu iudicij depellũt. quæ uerè sũt pturbationes,& impotentiæ:quod quasi iam animus sui nõ sit cõpos,sed in alienã potestatẽ recíderit:& cæcitates,quòd nihil despiciat. nã primas illas, affectiones rectius dixeris: alteras,cõmotiones,seu cõcitationes,quæ Græci πάθη nominant,quasi passiones. patitur enim animus uniuersus illo uelut ictu & agitatu:qui cùm est uiolentior,fit confusio. Qui autẽ affectus usu invaluerunt,uicia & morbi animi recte nuncupantur: q; aptius cõpetit in affectus prauos,de quib. alia est tractatio. Et sunt affectus nonnulli in transitu,tanquã pudor ex uerecundia,metus ex inani sonitu:alíj manẽt, ut metus aut reuerentia,diutinè cõfirmata:omnis denicq; affectus,uel usu radicatus,quiq; consuetudinem frequentia actuum duxit,uel diuturna & ualida quapiã actione infixus. Sunt quidam à natura inditi,ex constitutione corporis:& si longa quoq; assuefactio in uires naturæ migrat. Affectus ut sunt in parte animali carni adiuncti atque adhærentes,quo iudicium est contagio corporis infectius,magisq; immersum carne,hoc surgunt & graviores & plures:nec solũ internos animi sensus perturbant ac peruertunt,sed externos quoque. Ita amantes,irati,metuentes, cernere sibi & audire uidentur,quæ nusquam sunt. certe omnes qui amãt,ipsi sibi somnia fingunt,inquit Poeta. quo est autem purius iudiciũ,& celsius,eo pauciores & magis leues affectus admittit:tanto scilicet accuratius despicit,quid quaque in re sit bonum & uerum. ita fit, ut cõmoueatur tum rarius, tum lentius. Nam ingentes illæ agitationes & præturbidæ ab ignorantia sunt & inconsideratione,aut à falso:quod bonũ malum' ue maius censemus esse,quàm reuera sit. nimirum per nebulam intuentes imperitię,nec in unum

aliquod

aliquod bonũ, quale oportet, intenti ac defixi agimus: sed bonorũ & fines & media, plurima & uaria nobis præstituimus, quæ subinde locis occasionibusq; mira inconstantia permutamus. Adde quòd nõ considerãtes surgentẽ motum, nec nos habẽtes in nostra potestate, obijcimus nos ipsi tempestati auferendos, nõ quò ipsi uolumus, sed quò ei libuerit, quumq; nõ statuto mentis iudicio res aggrediamur, & obeamus, sed arbitratu Naturæ: tantũ cõmouemur, quantũ Natura potest. sunt enim actiões naturales nõ ex limitib. uoluntatis nostræ, sed ex facultatis cuiusq; summa ui ac potẽtia. Multò sunt omnia in sapiẽte diuersa. is em̃ nec in eligẽdo bono fallit̃, & unũ aliquod sibi proponit, paucasq; ad illud uias, easq; exploratas ac certas: nec permittit se regẽdum negocijs, sed regit ipse negocia, habetq; se in suo iure ac potestate, ut surgentem ui naturæ affectum, statim rationis freno compescat, cogatq; recto iudicio cedere.

ENVMERATIO AFFECTVVM.

MOtus omnis animi de bono est, aut de malo, quatenus cõtrariũ est bono. estq; uel ad bonũ, uel à malo, uel cõtra malũ. Bonum aũt et malũ, uel præsens est, uel futurũ, uel transactũ, uel possibile. absentia boni pro malo est, mali aũt pro bono. Bonum simulatq; est mẽti cognitũ, allubescit cõtinuò: primaq; est ea uelut surgẽtis motus aurula, quæ allubescẽtia nuncupatur. ea uerò cõfirmata, fit amor. Motus autẽ de bono præsenti, q̃d sumus assequuti, lætitia: de bono futuro, cupiditas nũcupat̃, quæ intra amoris limites includitur. Primus motus de malo est offensio, allubescẽtiq; contraria: quæ cõfirmata, fit odium: de malo præsenti mœror, de futuro metus. Motus in malũ præsens, ira, inuidia, indignatio: in malũ futurũ, fiducia & audacia. Sub amore sunt, fauor, reuerẽtia, misericordia: sub lætitia, delectatio: sub cupiditate, spes: sub mœrore desideriũ. Superbia monstrũ est ex multis mixtũ, ex lætitia, & cupiditate, & fiducia. Extendunt se hi omnes affectus ad præteritũ. itaq; & odimus, & amamus, & miseramur iam olim uita functos. ad possibilia etiam, & ad tanquã præterita: sicut in fabulis, quas esse falsas scimus. & ad futura, tanquã præsentia: iam nunc odimus Antichristum, & tanquã futura: ut si narretur fabula, fore aliquem uirum uirtute et magnitudine rerum gestarũ præstantissimũ, amamus. et ad præterita, tanquã futura: ut quũ historiam legimus, tenent suspensum animũ spes ac metus, quem tandẽ exitũ res capiẽt. Illud anotandũ, quoniã affectus sunt animorũ motus, uel actu, uel potestate ac ui, non haberi p affectibus æquanimitatẽ, & tranquillitatẽ cordis, ut mansuetudinẽ, securitatem: quippe quæ non sint motus. nec opera affectus nuncupari, nec nasci ex iudicio, contrà quàm Stoicis placuit: sed esse naturalia, prout quisq; est animo habitus: ut fletum in mœrore, exanimationẽ in metu, exultationẽ & gesticulationẽ in lætitia immodica. Affectuũ alij sunt natura sua ualidi, ut amor atq; odiũ: alij de causis extrinsecus illis additis, id est foris adueniẽtibus. Sed omnes tamẽ ex cõstitutione corporis prœcipuas nanciscũtur uires, sicuti dudũ dicebã. In affectibus, quemadmodũ affectuũ inter se alij ex alijs facile suppullulãt, ita & alij ab alijs coercentur, & restinguntur. Ex amore inuidia oritur, & odium atq; ira: si quis rem charã oderit, aut læserit. sicut ex iracundia cupiditas ultionis, & lætitia uindictæ. & si quis quid amat, euenturum cupit, & sperat, ut eo potiatur: non euenturum timet. si eueniat, lætatur: si nõ eueniat, quum cogitabat, atq; expectabat, in mœrorem se abijcit. Vicissim magna lætitia mœrore diluitur. inuidia à misericordia, uel metu: & alio mœrore premẽte, alius maior aufertur, uel metu dolor, aut ægritudo, ut in pugna, & præsenti discrimine. currit enim claudus, hoste urgente. Itaq; sunt hæ tempestates instar undarũ & fluctuum, quorum sequens modò priorẽ auget, aliàs minuit, & opprimit. Nec secus quàm in ciuili dissensione, nemo meliori auscultat, sed porẽtiori: ita in dissensione affectuũ, nullus iustiori paret, sed ualentiori, illi scilicet qui sui iuris uniuersum animũ fecerit, cuiusmodi esse incitatus amor consueuit. nam quòd quis ob metũ cedit uictori aut latroni fortunas, uxorem, liberos: id facit, quia plus amat se quàm illos. nanq; qui contrà mauult mori in uestigio, quàm aliquid tale perpeti, & qui hostem ex odio, uel inimicum ex iracundia, uel inuidiosum ex inuidia acriter persequitur, & acerbe accipit, etiam cum suo magno discrimine hoc facit: quia semetipsum amat uehemẽtissimè, & in eo sibi obsequitur, atq; adeò indulget, imò uerius seruit. nam qui se ipsi non tam tenerè diligunt,

minus sunt in asperitate actionũ pertinaces,nec tanto rapiũtur impetu ad explendas animorum cupiditates.

DE AMORE.

QVod bonũ esse iudicatur,simulac uoluntati est oblatũ,mouet eam continuò,& allicit ad sese cõgruentia quadam naturali: qualis est ueri cum mente,formosi cum oculo.Motus hic uolũtatis est exhilaratio illius quædã,& tanquã frontis exporrectio,atq; arrisus,quo uoluntati placet illud quasi bonũ,& sibi cõgruens.Allubescẽtia sit nobis appellata:quam exteriorib.signis testantur muta,saltibus,uocibus inconditis,adulatione. homo uerò placiditate uultus,exporrectiõe supercilij,exhilaratione,risu. denicq; tam homo quàm bellua ad primũ boni cõspectum deponit feritatẽ,si quam habet,et incipit illi admansuescere.Allubescẽtia cõfirmata est amor.hunc licet intelligere uolũtatis siue inclinationẽ,siue progressum ad bonũ.exit enim uoluntas obuiã bono uenienti,ut id cõplectatur:unde nascitur coniunctionis expetitio,quę si propter nos est,ut per bonũ illud bene sit nobis,imò uerò nõ alia de causa iudicatum est bonũ,quàm quod nobis cõducibile,beneq; esse nobis p illud potest:amor hic cupiditas,seu cõcupiscentia nuncupatur,quę duas habet partes.nam si bonum expetimus,quod nondũ possidemus,de futuro est,uocaturq; desideriũ.sin de eo quod cõsecuti iam sumus,in præsenti nominat appetitus cõseruationis,seu retẽtionis.Hunc in modum diligimus omnia,quæ utilia esse existimamus,aut iucũda animo,corpori, fortunis:quin & Deum hac ratione non pauci,quòd autor largitorq; sit ingentiũ bonorum. Est quũ res propter seipsam amatur,quia in se bona,detracto respectu omni nostrarũ utilitatũ.Verus est hic & germanus amor,qualis amicorũ inter se.cuius specimen omniũ manifestissimè cõspicimus in parẽte erga filium.Ex amore amicitia nascitur,quũ id quod amatur,redamat,& reciprocatio est in beneuolẽtia.Bonum hoc, in q̃d amor fertur,nõ extãtis est modò temporis,sed in transactũ recurrit: ut erga uiros ea uirtute insignes,quam nos plurimi æstimamus,& quæ inuenturũ se porrigit. adde etiã ad res fictas & fabulosas,propter imaginationẽ ueritatis,de quo suprà dissereba.Bonitas ex operibus colligitur.Bonos censemus eos,qui probè sunt officio suo perfuncti erga Deum,patriã, parentes,principẽ,herum, amicos,liberos,necessarios,propinquos,familiares,socios,ciues,peregrinos:quæ officiorũ ratio in humano genere patet latissimè,quando ut rectè est à M. Tullio scriptũ,nulla uitæ pars seu publica seu priuata,carere potest officio.Habentur pro uiris bonis,qui quàm plurimis profuerũt,prosunt,proderunt.Et quia unusquisq; sibi est charissimus,amat eum qui ipsi benefecit,aut ijs quos ipse amat, ut filijs,aut amicissimis. amor enim omnia reddit unũ.Nam qui nobis, aut ijs quos habemus beneuolẽtia coniũctos profuit, eum rite fungi suo officio ducimus,et bonum esse uirũ,qui amet,quod amari est dignum. quisq; enim uidetur sibi & bonus & dignus,qui ametur.nec cõseruare se ac tueri cuperet,ni hunc in modũ esset affectus.etiam qui ipse sibi manũ uiolentã adfert,charitate sui hoc facit,ut se uel urgentib.uel impendentib.malis subtrahat.Ex hoc amore nostri oritur amor erga filios nostros,tanquã partẽ nostri:erga cõsimiles,erga opera nostra.Similitudo enim amoris est causa,tanquam in alterum ipsum:quoniã similitudo idem quodãmodo efficit,eoq; animãtes omnes ad similes sibi formas facile aggregãtur, & pueri cõplectuntur,ac deosculant speculum,in quibus imaginẽ sui aspiciũt,quoniam inesse intus arbitrãtur puerulũ aliquẽ,sibi simílẽ.Quantam existimari cõuenit fuisse illam amoris flammã,quæ in animo Adę ad primũ Euæ conspectũ excitata est: in qua ille uelut semetipsum est intuitus,aspectu nouo penitus.Sed ad amorẽ conciliandum fortior est animorũ similitudo,quàm corporũ.ea uerò ex eadem cõstitutione corporũ existit,& pari proportione cõtemperationis,ex ijsdem studijs doctrinæ, persuasionibus,uitæ institutis ac moribus. Vsus quoq; & assuefactio animũ animo adaptat:unde amicitiæ inter consanguineos,necessarios,ciues,condiscipulos,conse ctaneos,familiares,domesticos.Est in quibusdã hominũ admirabilis animorum congruentia,quæ illos occulto quodã naturæ cõcentu statim cõiungit nexu uoluntatũ, ut quos antea nunquã uideramus,ad primũ conspectũ diligamus:sicut contrà incõueniẽtia & aduersitate quadã animorũ,auersamur,& odimus quosdã prorsum ignotos:alios etiam de nobis bene meritos adduci nullo pacto possumus,ut bona fide diligamus.

ligamus. Non tam est hæc interdū similitudo temperamēti corporei, quàm cōpetentia quædam animorū inter se, ad constituendā harmoniā, qualis est sonorū in concentu musico, & proportionis humorū in sano corpore, ut alter alterū non propter similitudinē appetat, sed ob proportionē: quo quasi absoluta fiat ea cōiunctione harmonia, & gratus quidā existat sonus, idem scilicet uelle, & idem nolle. quo fit, ut nō rarò homines diuersissimis ingenijs, maximeq; cōtraria corporum constitutione, firmissimas tamen inter se colant amicitias. De hoc amore meritò Plutarchus inquit, nescias unde uenerit, aut quomodo irrepserit. At quemadmodū ex operibus interiorē bonitatem iudicamus, sic imaginē animi existimamus esse faciē: hac de causa formosos naturaliter diligimus. Formosa facies, inquit Mimus, muta cōmendatio, nisi fortè experti sumus improbū animū, & tanquā deformē hospitē habitare in formoso hospitio. Commendabilior est facies nō adeò speciosa, ut uenusta & grata, atq; in modestiā ac moderationē cōpositā: hoc uidelicet certius est animi rectè cōstituti argumentū. Sed sunt tamē causæ aliæ, cur amorē ad se pulchritudo attrahit, ut paleas succinū: quas ex Platone & Platonicis desumemus. Nam ut mundus per amorē ex informi factus est non formatus modò, sed formosus quoq;: ita et amor infusus per mundū, ad pulchritudinē rapitur, ut sit fonti illi unde deriuatus est conformis. Adde quòd pulchritudo omnis uelut radius quidā est, & uestigium immensæ illius ac diuinæ pulchritudinis, eoq; pro magno bono accipitur, illamq; admiramur. et quemadmodū diuina species ueros amores elicit, ita imago illius imaginem quoq; amorū. Quid quòd pulchritudo corporum, pulchritudinem nostrorum animorū refert, atq; exprimit, et quasi proponit ob oculos cōcinnitate, elegantia, proportione, concentu seu harmonia? perfectio enim interior, perfectionem exteriorem gignit, illa uocatur bonitas, hæc pulchritudo: quæ ueluti flos quidā uidetur esse bonitatis, quasi seminis sui. unde est illa Græcorum καλοκαγαθία. Itaq; animus noster in formositatē tanquā in similem propendit, in qua nō sine admiratione ac beneuolentia corporaliter expressum cernit, quod ipse spiritaliter à Deo tributum possidet. Consimilem ergo naturam amplexatur animus, aspernatur deformitatē tanquā dissimilē, & à se alienā. est enim in animo cuiusq; species quædā uel à natura, uel ab arte, uel à cōsuetudine depicta bonitatis ac pulchritudinis, uel contrà malicię ac deformitatis. Pictura rei exterior picturā illam interiorem contingens, si congruit cum nostro bono & pulchro amatur: sin cum malo & turpi, reijcitur. unde existit tāta in iudicijs boni & mali, pulchri & deformis uarietas & dissensio. Hanc animorū congruentiam cum corporibus, licebit intelligere ex opere & operis imagine in opificis animo. His accedit, quòd bonitas autoris omnium adduxit illum ad creationē huius tanti operis, pulchritudo autem radius est bonitatis per uniuersa diffusus: ut quicq; plurimum eius accepit, ita est amabilissimum. Nam amoris parens est bonitas: ut pulchritudo & amor, ex eadem uideantur parente progenita. ex quo fit, ut non una sit decoris ratio. Primus enim in rebus condendis radius in mentem incidit, ornans eam intelligentia, & cōtemplatione, quæ est suprema speciositas. secundus fertur in animam, illustrans eam cognitione. tertius in effectiones graduum inferiorum, fœcundans illas seminibus ad propagādum genus, infimus etiam ualde turpidus, ad molē materiæ pertingit, delineans depingens q; illam uarietate formarū. Hæ sunt pulchritudinū omniū notæ ac rationes, diuinæ illius ac immensę lucis splendores. Intelligētia ad duos primos illos amorum gradus scandit: imaginatio autem sistit in posterioribus. inde sunt amores corporū, & cupidó gignēdi in pulchro, uel de pulchro: ut formā educat pulchro similē, erga quod est affectus. Amoris efficacitas ultima & suprema est, ex multis unū facere, ex diuersis idem. Quocirca qui amato bene uel cupit, uel facit, & amāti uidetur idem præstare: atq; eo magis, si illius causa. ut in commendatione, eadē ratione & illos diligimus, quos charos esse scimus ijs, quos amamus. Amor enim ut natura sua est coniunctor & copulator, quocunque se cōuertat, adnectit semper & adiungit: sicuti odiū econtrario disiungit, dissoluit, separat. Cauendū tamē, ne quod amatur ex eo sit genere, quo uelis solus potiri. tunc enim riualitas existit, & inde maleuolentia. Vertitur crebro amor cōcupiscentiæ in uerum. Amo sanitatis causa medicū: eam postquàm is reddidit, amo illū uerè, atq; ex animo,

tanquã uirum bonũ,quo aũt bonũ,quod accepi,eſt mihi præſtabílius,& frequẽtius, hoc magis gliſcit amor.Ideoq; maximus & ardẽtiſsimus eſt in Deum,ſi quis naturã illam beneficẽtiſſimã rite cõtẽpletur.Amor omnis,qui originẽ ex debita gratia ſumit,eo eſt flagrantior, quo uel nos minus ſumus remunerati,uel qui profuit,minus expetiuit,aut expectauit: quo in numero præcipui ſunt parẽtes humani,ſed omnes excedit Chriſtus.Pro beneficio eſt malũ auertiſſe,ac depuliſſe.ſicut pro maleficio,impedimentũ atq; obex boni.Sed nõ eſt purus amor,& uerus,quouſq; utilitatis reſpectus omnis ſit abolitus, & quemadmodũ amatur beneficus,ita & benefaciens amat eum,cui profuit,non ſecus quàm opus ſuum:ut filium pater,et magiſter diſcipulum. Quin etiam plerunq; euenit,ut iuuãtis et benefaciẽtis charitas ſit ardentior,quàm eius qui uſus eſt beneficio.amor enim illius eſt ex bonitate,huius ex neceſsitate.in illo eſt decus & gloria,tanquã in maiore,& potiore:in hoc autem uelut inferiore,quidam (ut ſic dixerim) pudor. Ergo fortius habet & præſtabílius amoris principiũ,benefaciẽs:nempe uoluntatẽ ſuam,& bonitatẽ.amor aũt ut eſt de bono,facilius & fortius proficiſcit ex bono in bonũ,quàm ex neceſsitate in bonũ.benefaciens agit,quia uult:qui recipit aũt,quia eget.recteq; illud dicũt uulgo,Amorẽ etſi naturę igneę,deſcẽdere,nõ aſcẽdere.Magis amat parẽs filiũ, magiſter diſcipulũ,tutor pupillũ,quàm contrà:maximusq; & ardentiſsimus amorũ omniũ eſt Dei erga nos,quem ſapiẽtiſsimè diuus Ioannes nõ amantem, ſed amorẽ ipſum nominauit. & Dionyſius in Sacris nominibus:Confidẽter id quoq; ueriſsima ratiõe dicemus, quod ipſe Autor omniũ pro bonitatis magnitudine omnia amat,omnia operatur,omnia perficit,omnia cõtinet,cõuertitq; ad ſe omnia. Verùm inter omnia quibus amor elicitur,nihil eſt amore fortius,ac ualidius:nihil amorẽ æquè cõciliat,ut amor:nulla certiora ſunt aut potẽtiora philtra.Hoc non fit uerbis,inquit ille in Epigrãmate:Marce,ut ameris,ama:modò uerè tamẽ,ac bona fide,nã ficta & ſimulata nihil obtinẽt uiriũ,ac neruorũ.Ignis in tabella pictus nõ calfacit,nec rugit aut ſæuit leo marmoreus. Hæc amoris reciproca generatio,ſiue occulto quodã naturæ tactu accipit ſemina,& deuinctione illa rerũ omnium inter ſe,quod nõnullis philoſophis placuit,ita ut ſi unũ aliquod attigeris,paria & ſimilia moueantur:ut in chordis teſtudinis,ſiue quòd à quo nos amari cognoſcimus,hunc bonũ eſſe uirum arbitramur,debitumq; officium cõgruenter exequi,qui quod amandum ſit amet:eaq; de cauſa,ut bonus redamatur,qua de cauſa ſæpenumero amans non redamatur,quòd amatus amari ſe non ſentit. Platonici rei huius altius radices inquirunt.aiunt enim magnam amoris parentem eſſe ſimilitudinẽ, propterea quòd quum quiſq; ſit ſibi ipſe à natura conciliatiſſimus,ſimilitudo autem eſt ceu natura quædam in plurib.eadem, alterũ ipſum ſimilitudo efficit,quòd ſi tu ſis mei ſimilis,ego neceſſariò ſum tui:hinc ſequi,ut quæ ſimilitudo te ut me ames inducit,eadem ipſa me ad te amandũ adducat. Accedit huc,q; amãs amati faciẽ atq; imaginẽ in animo ſuo inſculpit ac imprimit.qua de cauſa amãtis animus ſpeculũ quoddã redditur,in quo amati relucet forma. Quum ergo amatus in amãtis ſeſe animo intuetur,& recognoſcit,amare illum cõpellitur, in quo quaſi ſe habitare intelligit, quẽadmodũ infantes imagines ſuas in ſpeculis deoſculãtur.Ad hæc amãs ſemetipſum ſibi auſert, & dedit ac mancipat amato.hunc ergo iam amatus,ut rem ſuã,charã habet,curatq;. Si cõſpici à nobis uoluntas ipſa poſſet,ex ea de amore iudicaremus:quod ſolus facit Deus,ſcrutator cordiũ.Sed quoniã uolũtas noſtra magnis & multiplicib.eſt inuolucris cõtecta,ut ad eam nec oculorũ,nec mentis noſtrę acies penetrare ualeat,ex operibus de illa ſtatuimus,prout ſunt hæc magna,crebra,gratuita,prõpta. Quòd ſi quis nõ potuit opera præſtare,at dedit ſanũ & præſens cõſiliũ,declarauit ſe conari uel tentando,uel manifeſta indicatione affectus alicuius, qui uoluntatem patefaceret, ut ſi quos ipſi odimus,oderũt:amãt,quos amamus:iraſcũtur,quibus iraſcimur:lætãtur in noſtra lætitia,triſtãtur in noſtro mœrore, & lachrymas dant,quæ ad manifeſtationẽ interioris habitus uolũtatis prævalidæ ſunt.Ergo qui nobis obſequũtur,qui laudãt noſtra omnia,quibus boni uiri uidemur,eos dignos amore atq; amicitia noſtra ducimus.Obſequiũ amicos,ait Comicus,ueritas odium parit.qui curãt noſtra oblectamenta,qui auertũt triſtia.Contrà aũt,reprehẽſores,& in cõtrariũ tendẽtes,quiq; nos

pudeſa-

pudefaciũt,auerſamur,& deuitamus.nã in illis idẽ uidetur affectus ineſſe,in his cõtrarius ac repugnãs,ijs quidẽ,qui ſpecioſa utilibus præferũt,aut uanas delicias ſolidis & manſuris emolumentis:quales ſunt adoleſcentes,et uiri uoluptatibus aſſueti,quibus gratior eſt leno,aut ſcurra,aut aleator, aut corruptor bonorũ ingeniorũ, quàm uir ſapientiſsimus & prudentiſsimus. nimirũ mauult ſus lutũ, quàm amaracinũ. Ab omnibus amorẽ impetrãt ſimplices illæ & manſuetæ uirtutes,æquitatis, modeſtiæ, moderationis,frugalitatis:ſiue ob innoxiã excellentiã,ſeu ꝙ inferiorẽ omnes amplectimur, ſuperiore grauamur,ſpecie quadam libertatis, quæ in deprauata Natura tanquã ſolo uiciato in arrogantiã degenerauit. Accedit huc,quòd modicis & moderatis,& blandis,& mitibus,atq; obſequentib.exiſtimamus nos bonos uiros uideri,honore & beneuolentia dignos:grauibus aũt,cenſoribus,caſtigatorib.multò ſecus.Inter manſuetas uirtutes eſt ſobrietas,taciturnitas:tales diligimus . minime aũt loquaces, aut futiles,aut in malis amicorũ ſcrutatores,quæ improbi homines nõ ad ferendã opẽ inquirunt,ſed ad curioſam quandã cognoſcendi auiditatẽ, plerunq; etiã ut habeant quod cum notis poſſint garrire,ac arrodere:de quibus eſt illud Horatij:

Percunctatorẽ fugito,nam garrulus idẽ eſt. Hi ſunt in perquirendis familiariũ damnis uehementer ſolliciti,in proſperis uerò remiſsi ac ſecuri. Aptos quoq; ad amicitiã remur,qui iniurias facile uel obliuiſcũtur,uel remittũt,ut rurſum odioſi ſunt,qui recordari præ ſe ferunt. His accedunt,qui beneficia nõ exprobrãt.Illius quoq; amicitia ualde expetitur,cuius ſit erga amicũ fides ac beneuolẽtia ſpectata:quemadmodũ Dionyſius Siciliæ tyrannus tertiũ ſe addi optauit amicitiæ Damonis & Pythiæ,philoſophorũ de ſchola Pythagorica,quorũ monumẽtis literarũ celebrata eſt fides in capitis periculo. Et ut iucũdi ſunt anteacti labores,ſic etiã illi iucũdiſſimi,qui in ipſis laboribus nos nõ deſeruerũt,ſed adfuerũt ,p uirib.unde illud,Amicus certus in re incerta. Ex quo affectu Dominus noſter dicit ſuis diſcipulis: Vos eſtis,qui permãſiſtis mecũ in afflictionib.meis. Quos metuimus,amare nõ poſſumus:ut uiros potentes,nõ item bonos,& prudentia ſine iuſtitia,ſuſpecta eſt.aſtutia enim,& fraudulentia cenſetur. Fiducia de aliquo ex eadẽ pullulat radice,qua & amor:nempe iudicio boni.Itaq; amor auget fiduciã, & fiducia naſcenti amori multũ adminiculatur. Eſt amor affectus calidus,& in calidis cõſtitutionibus atq; ingenijs facile cõcipitur:tum circumſtantijs calidis,loco,tempore,actionibus.ſed pleriq; calidorũ leuibus de cauſis amorem deponunt,partim quia facile offenduntur,partim quòd ſubeunt affectus alij, uelut ſpinæ, quæ amorẽ præfocẽt:inuidia,ira,ſuperbia. Tranſeunt quoq; ex lubricitate ac leuitate ad alios amores,qui priores excutiũt. Quòd ſi ſanguis ſit tenuis,& ſpiritus rari, extinguitur leui motu flamma,in leui materia cõcepta.Sin uerò denſa ſit materia,& firma, nec facile mutationibus cedens,in calida cõtemperatione ualidiſsimè amor dominatur:niſi quòd periculũ eſt ab alijs præferuidis affectionibus, ira & arrogantia & inuidentia. Minus offenduntur tẽperati,et ſanguinei,eamq; ob cauſam amorẽ diutius & fidelius cõſeruãt.eſt enim in his amor nõ tam ardens quidẽ,ſed plus tamẽ habens fomenti.Priores illos ceu ſtupas quaſdã dixeris,hæc ligna.impetus quidẽ in illis maior eſt,in his perſeuerantia. Videre eſt iuuenes amicos,quorũ alter pro altero uitam euidenti diſcrimine obiecerit,quod pater uix auderet pro unico ſuo, & quidẽ ex uulgari amicorũ nota:ſed ſtupa eſt hæc ſubita flamma correpta.patris autẽ amor maior eſt, ſolidior,diuturnior.Frigidi ergo lentius amãt,& ſegnius:ſed ſi in eis ſemel amor euaſuerit, amant flagrantius & conſtantius. accenditur uidelicet denſa & ſicca materies, magnus diutinusq; igni fomes,ut ferrum.

CVPIDITATES.

CVpiditas eſt appetitus boni,quod cõducibile uideatur, uel aſſequendi, ſi abſit: uel cõſeruandi, quũ adeſt. Conducũt bona partim ad eſſe, partim ad bene eſſe. Ad eſſe pertinent neceſsitates uitæ tuendæ ac propagãdæ,quæ naturales nuncupantur,cibus,potio,medicina, ignis,tectũ, indumentũ:qui appetitus potius dicuntur, q̃ cupiditates,in quibus impetu rapitur animus tacito naturæ ſtimulo punctus,atq; incitatus trãſilit iudiciũ,neq; illi auſcultat.ut in ſiti,& fame,quę ideo maleſuada dicitur: & in prægnãtium appetẽtijs,quæ picæ nominãtur. Vt bene aũt ſit nobis, accerſimus tum cõmoditates,ut cibũ aptè paratũ,uinũ uel ceruiſiã in potionẽ,lanã & linũ textũ,

adiumenta extrinsecus à beluis & hominibus: tum uoluptates & delicias per sensus omnes, quę longius petũtur. nos alia cõfinximus, ut nobilitatẽ, decus, famam, dignitatem, opes, gloriam: & hæc omnia nõ solum numero, sed ingẽti mole ac magnitudine adauximus. unde examẽ erupit cupiditatũ, sine termino ullo, ac modo: ut meritò Plinius Secundus dicat, nulli animantiũ libidinẽ esse rerum omniũ maiorẽ, quàm homini, quũ alioqui paucissimis indigeat. Homini cupiditas est astructa, ut quod bonũ sibi esse credat, expetat, sequaturq; adeptus uerò retineat, & cõseruet. Bonum aũt hominis uerum & solidũ, est Deus. itaq; usq; ad Deum concupiscendũ se extendit. qui quoniã est immẽsus, fit ut & cupiditatis quoq; nostræ laxitas immensa sit, nec re alia expleri queat, præter quàm Deo ipso. ibi demũ sistit, & cõquiescit. Quo res nobis uidetur cõducibilior, hoc acrius expetitur, & diligẽtius asseruatur. Sed in conducibili uariant hominũ sententiæ. Iuuenili animo conducibilissimũ uidetur uoluptas, uiro decus, ægro sanitas, seni uictus, principi gloria, cuiq; ut est uel corpore, uel animo affectus: de quo suprà diximus. Calidi acutas habẽt cupiditates, & uehemẽtes, & quas celerrime uellent expleri: sed mirabiles & uarias, sicut de amore diximus. frigidi aũt, pauciores et segnes, sed pertinaces, intẽti in illã unam, quamcunq; sibi delegerũt, uel quę animũ inflammauit. Fiducia cupiditates minuit, timor auget. Qui securi sunt, nõ defutura quæ sint opus, ij nec in parãdo, nec in cõseruando sunt anxij, uelut adolescẽtes, & uiri animosi, & ebrij, quibus multus & præferuidus est sanguis circa cor. adde etiam necessitatũ inexpertos: et qui quemadmodũ uel acquirãtur utilitates, uel amittantur, ignorãt. Qui uerò metuũt ne desit, auidè tum quærũt, tum custodiũt, ut inualidi, ægri, mulieres, senes: denicq; quibus sanguis est ad cor exiguus, rarus, tepidus. naturaliter enim hi anxij sunt & solliciti, ne delit, haud quidẽ argumẽto aliquo, uel coniectura uenturæ necessitatis, sed metu & sollicitudine premẽte cor. quo fit, ut ex lautissima et profusissima iuuẽta, nascatur sæpenumero senectus præparca nimis et sordida: & qui sani ac ualentes erant liberales, in morbo attendãt ad rem nimis abiectè, ut cibos quoq; salutares auersentẽ, si carius sint empti, quàm uellẽt. sobrij quoq; auari liberales fiunt, ubi incaluerũt mero. Præter hos omnes, qui quod cõcupierant non absq; difficultatib. sunt adepti, arctius id retinẽt: seu timore suscipiẽdi rursum laboris, seu q ægrè parta chariora sunt, quasi magno empta, ut gnauo & laborioso negociatori sua pecunia, matri filius: & nos Christo, qui redemit nos uniuerso suo sanguine. sicut uicissim, quæ facile obuenerũt, negligũtur: ut ferè hæreditates. Ad assequẽda quæ cõcupiscimus, addita est homini cura, & sollicitudo, & audacia: ad retinendũ aũt, et custodiendũ, metꝰ, & cautio, & cõtra nocumentũ inuadẽs audacia. Cupiditates acceperũt ex rebus nomina particularia: uelut ex ære auaritia, ex honore ambitio, ex gustu gula, ex Venereis libido, et alia quę sunt infinita, et sua cuiq; genti ac linguę, in quo Gręci copiosi sunt. sed potissimũ annotãtur ea in usum uitæ, in quibus uel uitiũ uersatur, uel uirtus: sicut de pecunia, et honore ac dignitate, quæ sunt iustitię: de gustu et tactu, quæ cõtinentiæ: de cognoscẽdo et sciẽdo, quæ curiositas. Nam indifferẽtia, ut cupiditas equorum, uenationis, spectaculorum, & alia, infinita sunt: ideoq; sub artis præcepta non ueniunt, neq; ullum fuerit ea persequi operæprecium.

DE VTROQVE AMORE MIXTIM.

Dicamus nunc de amore in genere. nam falsus fictusq; cupiditatis amor, uerũ amorem actionib. suis crebro æmulatur, atq; exprimit. Gignitur amor omnis ex bono, & in bonũ tendit. boni aũt natura fert, ut cum eo cupiamus cõiungi, propter illius congruentiã nobiscum: unde existit delectatio, & beatitas. Idcirco amoris meta extrema est, coniungi usq; ad unitatem, quoad eius effici possit. quo uerò uincitur arctius, & in eandẽ essentiã, hoc amor uerius perfectiusq; finem suum nanciscitur, et in absolutionẽ cõsistit ingenij ac naturæ suæ. Scitè admodũ & aptè à Platone ficta est fabula, q quũ Vulcanus duob. inter se amicissimis occurrisset, quiq; amoris mutui magna ederẽt signa, delectatus illorũ inter se beneuolẽtia, iussit ab se petere donũ Dei munificentia dignũ. Cui respondẽrũt illi: O Vulcane faber deorũ, oramus te, ut tuis istis instrumentis & camino refingas nos ambo, & ex duobus unũ facias. Ergo coiungũtur homines propter cõmunia cõmoda, quib. eadẽ sunt profutura, & noxia, ad illa

illa cõsequenda,hæc autem depellenda,modò ne impediant inuicẽ:alioqui offenderentur citius,& resilirẽt. huiusmodi sunt,qui cõmunes habẽt inimicos:de quibus est uetus uerbũ,Coniungũt homines mala.tum qui eadẽ uehuntur naui,quiq; eandem urbem incolũt,qui eidem nauigio cõmiserunt suas merces.Est amor precij,quo maxima bona plurimi facimus,& maximas utilitates:& ex utilitatib.ut quanq; plurimi æstimamus,ita habemus charissimam.ac proinde qui eam nobis procurat,hunc magnopere diligimus.Iuueni uoluptates atq; oblectamenta corporis sunt bona præcipua,senibus opulentia,alijs sanitas,alijs honor,fama,decus,gloria.ut Romano existimatiores gratioresq;,qui fines dilatarũt imperij, quàm qui ad uirtutẽ iuuenes ipsorũ formauerũt.& uulgus eas uirtutes magis diligit,quæ in cõmune prosunt:ut humanitatem,iustitiam,affabilitatẽ,liberalitatẽ,commoditatẽ,simplicitatẽ:quàm recõditas illas,quamlibet uenerabiles & admirabiles, animi magnitudinẽ,constantiã,firmitatẽ, integritatẽ,ac sanctitatem uitę.Itaq; fauorabiliores erant populo Rom.Pompeius & Cæsar,quàm Marcellus & Cato, etiamsi hic uenerabilior. hac de causa uirtutes quæ alijs profuerũt,propter earum similitudinem quæ nobis prosunt,beneuolẽtia prosequimur:ut pietatis officio esse functũ erga patriã,parentes,propinquos,necessarios: seruasse fidem,etiam hosti datam.quod fecit Attilius Regulus.Auersamur aũt officij negligentes,aut immemores,uelut ingratos,impios,inhumanos.Rex Alfonsus Aragonius quũ esset multis Neapolitanorũ procerũ inuisus,& potissimũ Andegauẽsi factioni,diligi est cœptus,postea quàm deprehenderũt eum uenantẽ in sylua,adiuuisse sua manu carbonariũ,asinum suũ in fossam delapsum subleuãte.Sed in amoris æstimatione nõ est simplex ratio.est enim preciũ aliud perpetuũ & fixũ,aliud quod præsens animi motus suadet ex eo,quod nobis in præsentia bonũ uidetur,siue in utilitate,siue in specie à nobis ficta.Longe pluris sanitatẽ facio,quàm cibum,uel cõdimentum mensæ appositũ:impetus tamen me rapit,ut cibũ non perinde salubrẽ ac sapidũ comedã cum iactura ualetudinis.in quo facto aut nõ uenio in cõparationem reputationemq; saporis & sanitatis,uel spero nõ tantopere fore damnosum corpori,aut me facile adhibiturũ remediũ. Eodem modo multi uiri haudquaquam mali, detrimentum faciũt diuini fauoris,propter aliquod in rebus uitæ cõpendium: nunquã id admissuri,si quid agerẽt,considerarẽt.sed uel subit animos eorũ obliuio ingentis boni, uel se id recuperaturos confidunt.Amoris uires atq; actiones hæ propemodũ sunt. Primùm uoluntas est animi uniuersi dominatrix & rectrix,uoluntatis amor.rapit enim illam amor ad suum bonũ,qui motus est omniũ incitatissimus: quoniam celerrimus per se,& in præcipiti uolũtatis.nascitur enim & glisci uolente ipsa ac libente,ut tanquã impelli uideatur per pronũ.quocirca affectionũ omniũ amor fortissima est, & potẽtissima:ut meritò sit illud cõsensu tot seculorũ approbatũ,Amori cedere omnia tanquã victori.Et alioqui si quis subtilius perscruteẽ,ex amore inueniet,quemadmodũ antea dicebã,affectus omnes profluere.sequimur,& cõcupiscimus uidelicet, quę amamus:fugimus et odimus cõtraria ijs,quę amamus.ut morbũ,quia diligimus sanitatẽ: dedecus,quia diligim⁹ decus:ideoq; qui nõ norũt bona,nec ea diligũt,neq; ijs aduersa mala uel oderũt uel reformidãt,ut pueri gladios,aut præcipitia:et ille Satyrus,qui quũ igne uolebat ludere,nunq; antea sibi uiso,ignarus nocumẽti illius.Nec reformidãt rudes homines ignorantiã,nec uiri mali sua flagitia:grauiora mala,quàm quibus corpus affligit.quoniã quantũ sit & scientia & uirtus bonũ,nec uouerũt,neque considerant.Et sicut amor ex iudicio pulchri aut boni surgit,ita ubi uires est nactus,idem ipsum iudiciũ cõfirmat:ut iam amplius statuere nõ possit de bono aut pulchro,q̃d amat,nisi uehemẽter sit immutatũ,et adeò subito,deprehendi ut mutatio in deterius queat.nam si lentè ac paulatim cõmutetur,opprimit mutationis sensus sub amoris potẽtia uiolẽta. Postea uerò q; amor latè per animũ extẽdit regnũ suũ,transit quoq; eadẽ censura ad alia,ut bona iam et pulchra amãti in amato uideant,quę nõ uidebant prius.unde amor cęcus dicitur.Eoq; amãs semper apud animũ suum et amati bona auget,& uicia uel deformitates extenuat. Strabonẽ,inquit Horatius,appellat pater filium pætum:et pullũ,male paruũ: hunc uarum,distortis cruribus. Patres noui,qui insignes filiorũ deformitates,& quidem in oculis & facie,iurarint se nunquã

animaduertisse,alios qui rectissima esse omnia,maximeq; decentia affirmarẽt, in notabili prauitate.Hinc fides erga ea,quæ amatus dicit,habet hic enim in amãtis animo iudicẽ,secundũ ipsius causam semper pronunciantẽ.Est interdum amor prævalidus cum iudicio aliarũ rerũ,ut qui filiũ amat,uel uxorẽ,quã esse deformẽ aut rudẽ,aut tardam satis uidet,quia tamẽ charitas eò nõ pertinet,sed ad uxoris aut filij personã,non refrigescit ardor.Sed illud tamen præstat beneuolentia,quòd tolerabilia iudicat hæc uitia in charo capite. Amor quandoquidẽ ex iudicio boni oritur, in manu nostra est eum nõ admittere, nihil est enim tam excellẽti & pura bonitate aut decore præditũ, quin admistũ habeat aliquid,quod nobis possit displicere,aut nõ expedire,unde minus censeatur nobis bonũ,ac proinde appetendũ.qua in ratione Deum solũ excipio, quem si,nõ ut ipse est (nam id factu nõ esset possibile) sed ut humana mens corpore hoc clausa potest,cõtemplaretur, cõcitatius in amorẽ raperetur illius,quàm mens ad cõplexum certissimarũ ueritatum, cerneret enim bonũ absq; nocumẽti ullius admistione.Cætera omnia aliquid semper aut præ se ferũt,aut incluſum cõtinent, propter quod possint uel ab examine iudicij reprobari,uel à libertate uolũtatis reijci. Quid, quod quantumcunq; aliquid bonũ iudicetur,possumus nihilominus ab eius intuitu atq; intelligentia,auertere animi attentionẽ? Potest uoluntas iudicij oblationẽ segniter accipere,aut in ea prorsum cessare. Quocirca elici amor potest,ut ille dixit:exprimi nõ potest.et Claudianus,Non extorquebis amari.At uerò ubi semel amor est dominatũ nactus,& se quasi in uolũtatis possessione cõstituit, excutere eum non est in manu nostra,quũ libet. Amor animi arbitrio sumitur,nõ ponit,inquit idem Publius mimographus.Egregiè Plutarchus:Amor sensim illabitur,sed ingressus nõ facile discedit,etiãsi alatus.Cogit uidelicet de re chara subinde cogitare.cogitatio crebra efficit omnia illius familiaria.ita arridẽt,probãtur,allubescũt omnia:et quo magis allubescunt,hoc altius radices agit amor in pectore.Nec crebrã tantũ cogitationẽ facit amor,sed intentã quoq;,ut uelit omnia amati perscrutari ac nosse.Charitas,inquit sanctus Apostolus,omnia scrutat, etiã profunda Dei.Amor corporis corporaliter uult iungi,amor animorũ animis,ut sit in duobus corporib.animus unus:quæ est maior, & uerior,& diuturnior copula.unde existit idem uelle & idem nolle,& amicus est alter ipse.Aptè Horatius,dimidiũ animi sui Vergiliũ appellauit, cui erat amicissimus. Ergo quæcunq; ad amicũ pertinent,amicus uocat sua. Vnde Pythagoricorũ lex,amicorum esse cõmunia omnia.& sæpenumero quæ amicorum sunt,diligẽtius amici curant,quàm sua ipsorum,recordanturq; illorũ,oblíti sui.Amor est appetitus fruẽdi bono,id est se illi adiungendi:ut & ipsum amans amati,hoc est boni contactu fiat bonũ. Amor concupiscentiæ applicari & adiungi uult ea coniunctione,qua satis fiat uel desiderio,uel retẽtioni,uinũ bibo,cibũ edo:quod olfacturus sum,nõ tam propè admoueo:lõgius etiã sonos,& quæ aspicimus:uestẽ applico corpori,aut seruo in uestiario: pecuniã in arca,aut eo loci,unde me capturũ confidã,quũ libebit.est qui se diuitẽ iudicet ex nominibus codicis:est qui ex mercib.in nauigijs,aut in manibus sociorũ,aut procuratorũ.nõ est eadẽ in rebus omnib.charis applicatio apud homines omnes:ea modò quærũtur,quæ uel ad usum sufficiãt,uel pariãt uoluptatẽ.Amici,qua datur,cõiunguntur præsentia corporũ,cõspectu,alloquijs,cõuersatione,mentione,memoria, quumq; nõ possunt,quantũ cupiũt,unà esse,ac cõuersari,sequitur molestia et mœstitia:atq; eo maior,si parũ sit,qd coniũctioni obstet.ita quo absunt propius,& distinẽtur,hoc ægrius atq; impatiẽtius ferũt separationẽ.Quin etiã qui functos uita diligũt, quatenus datur,cũ illis uersantur,crebra illorũ cõmemoratione ac recordatiõe,uisendo loca ubi soliti erant cõuiuere,& cõgredi,aspectu denicq; earũ rerũ, quæ memoriã illorũ renouent.quę omnia erga absentes amicos facimus.Hæc in amore cõiunctionis expetitio data est homini,ut cum uero suo bono uelit uniri,qui est Deus:quo uelut Deus quidã effectus,ut sic loquar,consors sit sempiternæ beatitudinis illius.hæc demũ uera est,solida et fructuosa cõiunctio,amorisq; preciũ amplissimũ:cõiunctiones aũt reliquæ inanes sunt,et absq; fructu.ut si quis ad examẽ reuocet,quid amici in mutuo illo amore expetãt,nihil inueniet esse magis uacuũ : nempe esse unà,cõspicere sese,colloqui.Amor cum fruendi desiderio torquet,non ex amore,quo nihil fieri

potest

poteſt ſuauius:ſed ex deſiderio,quod cũ differtur,affligit animũ.Sed ſi ſpes affulgeat fruẽdi aliqua,nõ ſolatiũ modò,ſed delectationẽ quoq; adfert.nam ſicut amor in fruitiõe magnã habet oblectationẽ,ita in ſpe nõ paruã,imaginatiõe uelut in rem præſentem adducẽte.Quo fit,ut cupidorũ plerique uanas ſibi ſpes cõminiſcanẽ:& aliis pollicentib.rei expetitæ ſucceſſum,facilè adhibẽt fidem.hac uia auari homines crebrò capiuntur à fraudulentis.Amor cupiditatis,intrò reſpicit ad ſe:amicitię autem,foras ad eum,quem amat.& amans paulatim moritur in ſe,uiuit aũt in ipſo amatũ.Viuo ego, iam nõ ego (ait Apoſtolus) uiuit aũt in me Chriſtus. Deſinit enim de ſe cogitare,ſe curare,ſibi proſpicere: de amato cogitat,amatũ curat,amato proſpicit. Hæc eſt quæ uocatur Ecſtaſis,quũ amans oblitus prorſum ſui,totus extra ſe eſt,totus in amato,& amatus in eo.quòd ſi flamma illa intrò ſe cõuertat ac recipiat,minus ardebit foris. Ita euenit,ut qui ſeipſos amant acriter,frigide alios diligant,omniaq; ad ſemetipſos referant,& ad ea quæ ſibi putant bona:ueluti uoluptates,delicias,honorẽ,dignitatẽ,potentiam.Videas quoſdã nec uxori,nec liberis,nec aliis chariſsimis nominib. parcere,dum cupiditatibus ſuis ſeruiũt:uidelicet ſeipſos flagranter amant,ad reliqua tepidi,ſeu gelidi potius.Amor cõcupiſcentiæ bona optat amato,propter ſemetipſum:ut dulcedinẽ & generoſitatẽ uino,robur & agilitatẽ equo,formã atq; elegantiã amicæ, opes benefico:itaq; optat ea,quæ bona eſſe ſibi cenſet. Longè aliter amor bona omnia amato cupit & procurat propter ipſum,non propter ſe: neq; germanus amor eſt unquã mercenarius,nõ petit præmiũ ſui,non expectat,quod eſſet cõtra amoris ingenium.nã ſi expeteret,iam nõ amaret illud quia in ſe bonũ,ſed quia ſibi expediens. Conſideratiõnẽ boni habet amor,unde naſcatur:non utilitatis,quò tendat,exemplũ eſt manifeſtũ in filiis,quos parẽtes abſq; ullo prorſum reſpectu ſuarũ utilitatũ,mercedis,fructus,amãt propter ipſos tantũ.Talis eſt amor Dei erga nos,talis eſſe debet noſter erga illum.Nam coadunatiõnẽ non deſiderat amor,tanquã operæ mercedẽ:ſed eſt meta,quò ille naturæ ſuæ ſponte fertur.Quemadmodũ enim non amas te,ut tibi proſis:ſed prodes,quia amas.ſic non amas,ut uelis coniungi,ſed uis cõiungi,quia amas,nec deſideras cõiungi,ut delecteris: ſed ad id tamẽ ſequitur delectatio,ex tactu boni noſtri,& tanquã poſſeſſione ac cõplexu.is eſt amoris fructus,& finis eius deſiderij,qui amorẽ ante unionẽ comitat.Amor aũt ut cõnexor eſt,ita etiam æquator,æqualitatẽ enim adfert,quantũ naturæ rerũ ferunt,quas cõiungit,ut ſuperiora demittant ſe ad curam inferiorũ,ſicuti Dionyſius docet ex Hierotheo:æqualia inter ſe conſociẽtur,inferiora aũt ad ſublimiora & præſtãtiora erigantur. Amor pro iis quos charos habet,meticuloſiſſimus eſt,& anxius:ut ebrioſus,ne pruina noceat uitibus:amator ne amicam æſtus aut rigor lædat:negociator pauet tempeſtates,amicus amico timet,pater filiis,maritus uxori,uxor marito.& caſta illa matrona,

Quãdo ego nõ timui grauiora pericula ueris? Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Idcirco moleſtus eſt amor omnis erga homines, ac res humanas. nihil eſt enim cui non multa timeãtur,quamlibet cõtra fortunæ caſus circũſepto et munito.iucundiſſimus eſt erga Deum,de quo nulla ad nos poteſt redire cura uel moleſtia.omnia ſunt illic tuta,omnia gaudiorũ et felicitatis ſempiternæ plena.in aliis amoribus plurimũ eſt moleſtia,in amicitia ſollicitamur metu continuo,in cupiditate curis & anxietatibus, in conſeruatione ſollicitudine:in libidinoſo aũt quæ ſunt incõmoda,non eſt enarrare.Amor in periculo,ſi ſperat ſe facile poſſe euadere,cautus eſt,& formidoloſus: ut Thyeſtes dicit filiis apud Senecã,Vos me facitis meticuloſum,ſi ꝓpoſita ſit difficultas,fiat audaciſsimus. Amor nunq; eſſe ocioſus poteſt.ſtimulus eſt enim uoluntatis, quo illa ad actiones & opera inſtigatur. ſemper molitur aliquid,& excogitat,quod gratũ fore amato putet,quod proſit nõ amato ſolùm,ſed iis quibus amatus uelit proſpectum.quòd ſi opera nõ poſſit pręſtare,at uotis,deſideriis,bene precãdo,fauſtis ominationib.amati cõmoda proſequit. optimè ei cupit,& euenisſe gaudet:& nõ euenisſe omnino,aut cõtra animi ſententiã euenisſe dolet.Ex amore cõcupiſcentię naſcitur riualitas,& inuidia.Expetũt enim multi,quòd unus poſſidere ſolus cupit:ut in amica,& locuplete amico,& quæſtu.Ex amore animorũ naſcit candor & cõmunicatio.Qui bonũ uirũ amat,riualẽ nõ timet,imò multos uult habere ſocios affectꝰ ſui.ut

qui

qui Deum amat,omnes uellet adducere in cõsortium talis amicitię:miserrimosq; es-
se ducit illos,qui sunt ab ea alieni.Amicus aũt,qui solus uellet charus amico esse,nõ
uerè ac perfectè amat,sed expetit aliquid sibi utile:nempe ut solus fruatur amici col-
loquijs,eruditiõe,diuitijs,opibus,fama,gloria,& eiusmodi.Cupit amãs offerri gran-
de aliquid & arduũ,quod in amati gratiã obeat,gaudetq; si id cõtingat.Ibant discipu
li gaudẽtes à conspectu concilij,quòd digni essent habiti contumeliã pati propter no
men Domini Iesu.Nihil recusat amor subire,nõ graue,nõ difficile,nõ humile & ab-
iectum,siue sit supra uires,siue præter dignitatẽ & autoritatẽ personæ,omnia ducit
sibi leuia,omnia decere,quibuscunq; gratificaturũ se amato credat. Nec solũ dulcis
iucũdusq; est amatus amanti,sed omnia quę sunt illi grata:ut filij,propinqui,amici,e-
tiam famuli,et canes.unde est illud:Diligit canem,qui & herũ eius. quicquid deniq;
memoriã refricat illius,gratum est:ut uestes,sudariola,imagines,loca,& huiusmodi.
Nisi fortè amori admixtus sit mœror,tum tristia sunt amati monimẽta, ut filij,quum
obijt immaturè,uxoris,mariti.Et quatenus amãs in perpetua est cogitatiõe de ama-
to,& cura,auocatur calor à uentriculo ad cerebrũ,unde sequitur cruditas,& sangui-
nis exhaustio,et in ore pallor,ac toto corpore:anhelitus item cõpressio,tum ex inten
tione uehemẽti animi suspiria, potissimũ uerò ad aspectum,aut mentionẽ rei charæ,
tanquam uideatur spiritus ceu graui onere leuari.Accedũt quoq; nõ rarò lachrymę,
quoniã ex calore illo capitis colliquescit humor à cerebro,distillãs per oculos.Cantil
lant sæpe ad refocillandũ animũ,cõtentione imaginatiõis defessum:intentissimè atq;
incõueniẽter spectant rem charã,nec aliò deflectũt oculos,utiq; nec cogitationẽ.Va
riant in facie rubor & pallor,ex accessu aut discessu sanguinis.eadem de causa modò
feruẽt,modò rigent:nesciunt loco cõsistere.iactatio membrorũ crebra atq; immodi-
ca,perpetua querimonia,laudationes importunæ atq; ineptæ. In amore aũt Cupidi-
nis subita indignatio,procacitas,petulãtia,crebræ suspiciones,ac uanæ.In amore,in-
quit Terentius,hæc omnia insunt:iniuriæ,suspiciones,inimicitiæ,induciæ,bellũ,pax
rursum.& quæ ab alio Comico in Cistellaria describuntur amoris actiones & opera.
Credo,inquit,ego primum amorẽ apud homines carnificinã commentũ,iactor,cru-
cior,agitor,stimulor,uertor in amoris rota miser : & quæ sequuntur.Ac ut diutius a-
mantes sint unà,detinet alter alterũ inani loquacitate,narratiũculis & fabellis unde-
cunq; petitis:ut mireris,unde tanta uis uerborũ possit profluere. Sunt quib.uel per-
turbata,uel nimiũ intenta mens nõ sinit longos sermones facere:unũ aut alterum uer
bum dicunt,longis interuallis.ut,O amores,uita,spes,suauitas,ô formã cœlestẽ ac di
uinam.Amores omnes cõcupiscẽtiæ abblandiũtur:laudãt,atq; in assentationẽ trans-
eunt, etiam homines grauissimi,si quid ualde cupiũt,seruiũt indignis,& fortissimi ti
ment,& impudẽtissimi reuerentur,& auari mittũt munera,& demittũt se superbi.cu
piunt enim quacunq; ratiõe animũ explere,& desiderio satisfacere:inq; hoc unũ in-
tenti,nec personæ,nec ingenij sui habẽt rationẽ.per molestias & asperitates ad uolu-
ptates cõtendunt, ut ambitiosi per abiectionẽ & seruitutẽ ad potentiã.Dominari ut
possint,inquit Ausonius,seruire uolunt.quales sunt,qui in principũ comitatibus mi
serrimã perpetiũtur seruitutẽ,ut aliquãdo tandẽ in gratiã,partemq; potẽtiæ aliquam
euadãt.reges quoq; ipsi exercitibus suis,hominib.insolẽtissimis atq; impurissimis ser
uiunt:ut per illos tum latius possint regnare,tum magis ex libidine animi sui. Amor
ex calore illo ingenti impellit ad grandia opera edenda atq; admirãda,quæ uires,in-
genium,facultatẽ excedunt.aggrediunt res magni animi,seu ultrò capescẽdis pericu
lis,seu fortiter sustinẽdis.profundũt patrimonia,nec pluris faciũt quàm stipulas.Etsi
dederit homo uniuersam substantiã suam pro charitate,sicut est in Canticis Solomo
nis regis,hoc uerò pro nihilo æstimabit.Auget idem calor ingeniũ,excogitãt ratiões
acutas,inueniũt cõsilia præsentanea,fundũt uersus,existũt derepente facundi:quorũ
omniũ nihil sunt prorsum,si amor restinguat.Augetur amor & crebra cogitatiõe de
re chara.affigit enim, & inhæret animo altius:nihilq; est perinde amori inimicũ,atq;
obliuio.Quòd si quo magis cogitatur,hoc plura occurrãt bona,accenditur tanto a-
crius beneuolentia,quemadmodũ euenit in Dei charitate:idem contingit,si qua in-
sperata atque inopinata existant bona,quamuis prætenuia,ea enim pro ingentibus
habentur,

habentur,quia præter expectationē:atq; eo magis,si contra id quod expectabamus, ut si cōputare sciat, quem solum arare posse autumabamus:& ingenioſe respondeat, quē nos tardū esse suspicabamur,scilicet tantū amatur bonū,quantū de illo possumus intelligere.Cognoscitur aūt res primū,ut ametur:sed cognitionē esse oportet tantā, ut quæ ad eliciendum amorē sufficiat. Vbi uerò cum re chara sumus connexi,melius eam nouimus,nempe propius. & tunc fruimur. Ex priore cognitione credimus esse bonū,in posteriore experimur: quod ualet in omni amore. quocirca amoris fructus fruitio est,qui est delectationis actus,nō solū uolūtatis, sed etiā intelligētię ut in Deo. Itaq; amor medius est inter cognitionē inchoatam,& plenā,quæ est in unione:in qua desideriū semper aboletur,nō semper amor. imò inflammat acrius,quo plura & grandiora bona in unione inueniuntur,quàm obtulerāt se primæ cognitioni, quæ amori dederat originē.Consuetudo etiā quæ mala reddit leuiora, uel molestias ipsas interdum iucundas,causas amori contrarias extenuat.itaq; ex ea amor & purior fit, & flagrātior.Assuetos minus offendūt incōmoda,nō mētis modò,sed etiā corporis, quorum præsentē prȩcipimus doloris ac tȩdij sensionē.Nec tantū frequēter recolēdo gliscit amor,uerū amās quæcunq; uidet,auditq;,ad amatū refert, siue cōparatione, siue similitudine,siue recordatione aliqua obliqua:semper est uidelicet in cōsideratione, & quasi aspectu amati.Crescit item amor,cùm quod amari iudicamus dignū,nō amatur ab alijs.cogit se amor in amātis pectore,& ualidiores uires colligit:ut calor in puteis,& animantiū corporib.hyberno tempore. Sic mater exosum alijs filiū,impotentius amat.nam si ab alijs etiā diligatur,uidetur uel diuidi et secari in plures,uel motus ille animi accēsus indignitate rei cōquiescere.ita fit amor minus acer ac uehemēs. Nisi fortè id amemus, quo uelimus potiri soli: ut in amore cupidinis. Augetur itē amor ex cōmiseratione, ut parentum erga liberos paruos,inualidos,ægros,pauperes,miseros,peregrinātes,periclitātes:ut in bello,aut nauigatione,aut itinere graui ac difficili. Quo plures sunt causę,quo maiores,hoc amorem,qui inde nascitur,par est magis intendi: ut si cuiusquā bonitati accedat paternū hospitiū, propinquitas,familiaritas,& alia eiusmodi.Cupiditates rerū naturaliū terminū habēt aliquem. eorū uerò quæ nos excogitauimus,nulla est meta,nullus modus:uelut diuitiarū,opū,honorū,potentiæ, gloriæ,quod nō ex illorū contingit ingenio,sed ex falsa nostra de illis existimatione. Nos enim illa inuenimus,ad trāquille,placide, beate uitā degendā. illa uerò tū quòd animū ipsum nō attingūt,idcirco nec iuuare possunt:tum quòd ut maximè applicentur,leuia sunt,inania,nec tantum animi profunditatē explere ualēt,tantū abest ut nos beatos efficiāt,ut animus in illis tū excogitādis,tum parādis, tum etiā tuēdis incredibiles miserias subeat.Ergo incitatę semel uanis indicijs auaritia atq; ambitio,exeūt in immēsum.Ita enim reputat apud se animus,si uel pecuniā uel honorē quē expetit nāciscatur,iucūdissimè se ac beatissimè uicturū. nactus aūt, eodē loci uidet se cōsistere, ac nō rarò etiā peiore: neq; illuc mittit cogitationem,res ipsas nō posse id natura sua præstare,quod ipse ab eis postulat:sed uiciū in magnitudinē rei trāsfert, q; nōdum sit tantum cōsecutus,quantū satis sit,ut uoti fiat cōpos.quare ad alia acquirēda se accingit:quę adeptus,eodē errore inuoluitur.ita cupiditas nullum inuenit exitum,nusquā cōsistit:ut iure conquestus sit Psaltes Israelis,Vniuersa uanitas omnis homo uiuens. Qua de causa nō uitæ necessitates ueræ pariunt,& augent cupidines, sed falsa nostra de illis persuasio.quemadmodum in senibus,quos Cato Ciceronianus meritò obiurgat,quòd parēt eo plus uiatici,quo minus restet uiæ:sed metus id facit, ut opinio necessitatum. Conseruatio autē harum rerū,quę extra nos sunt positę,ex eodem manat fonte:& iudiciū extendit se nō solùm ad necessitates incumbētes,aut quas existimamus euēturas,sed quæ possent accidere:tum ad uoluptates, ad quas multi & opes & potentiā referunt,quod per illa parare oblectamenta possint,quęcunq; cōcupiscant. Delectatio quoq; iam degustata detinet nos in diuitijs: in imperijs, potentia, gloria: nempe honor, obsequium aliorum, omnes dicto nostro esse audientes, nos nemini. Cupiditas cōseruandi refrigescit,quum id quod possidemus,adeò est exiguū, ut nō sit ullis necessitatibus futurū remedio.quod faciunt,qui ad inopiā reciderunt,aspernantur,& effundunt id pusillū quod restat,de quo est uetus uerbū,Serā esse in fundo parsimo-

parſimoniã.Minuitur amor inter initia haud magno negocio:ideo amorum magiſter principijs monet obſtare.& in tragœdia:quiſquis primò obſtitit,pepulitq; amorẽ,tutus ac uictor fuit.Et ſicut ualida & crebra cogitatione augetur,ita auerſione animi aliorſum deteritur,ut in occupationibus & negocijs uarijs.Ocia ſi tollas,inquit,periere Cupidinis arcus.Quòd ſi in ſcrutatione rei charæ,aut quũ ex uicino inſpicitur,malicia inſignis occurrat intuẽti,aut deformitas,refrigeſcit ardor,& retardatur impetus, Exoritur quidẽ nonnunq; amor temerè, nullo uel exiguo ſaltem iudicio: ſed ſi deinceps iudiciũ accedat exactius,diſſoluitur,niſi in amato cauſæ amoris inueniantur,atque hoc penitius amor reuellitur,quo fœdius in eo uiciũ deprehendimus: uelut quũ ex ijs uicijs,quæ nos maximè abominamur ,uel quũ eſt cupiditatibus noſtris contrarium,et noxium:ut quũ ad ambitioſum honorẽ denigrat ad auarũ nocet rei familiari, ſegni & pigro adfert laborẽ ac moleſtiã.Itaq; filij occiderũt patres, & patres filios, regni cauſa:et auarus pater ſumptuoſum filiũ domo exigit.Lacęna filiũ interemit,quòd è prælio domũ rediſſet fugiens:& ebrioſi homines uxori ac liberis detrahunt neceſſarium uictũ,ſi non eſt aliunde quod potẽt.Ad hæc ſi uiciũ eò ſit ſitũ loci, quẽ nos pulcherrimũ eſſe credebamus,et unde amor fuerat progenitus,uehemẽter nos offendit: ueluti ſi deformitatẽ in eo deprehendimus,quẽ de ſpecie amabamus:aut ſi infantiam in eo,quẽ de facundia:imperitiã in eo,quẽ de eruditione: infidelitatẽ in eo,quẽ de fide:uerſutiã in eo,quẽ de ſimplicitate:adq; hunc modũ in cæteris . nam ſicut bona inexpectata amorẽ pariunt,atq; augent:ita expectatorum fruſtratio diminuit,et abolet. Quapropter in amicis,quo meliores ſunt,hoc magis roboratur amicitia,quæ diuturna eſt maximè inter bonos:inter malos aũt,non eſt amicitia, ſed familiaritas, & conſociatio, aut conſpiratio, atq; ea infirma & breuis . Nec ſolũ mala amorẽ reſtingunt,ſed bona etiã,quũ minora ſunt expectatione,aut alterius generis:ut quũ habet quis multa quidẽ amanda,ſed nobis inutilia,quæ nos utiliſsima fore ſperabamus. Diluitur itẽ amor crebris offenſionibus,& eo citius ac leuius in iracundo,& ſuperbo,qui nõ tam ſe redamari cupit,quàm honorari. Amici felicitas amicũ inuidũ abs ſe arcet,ac fugat. nam ſunt qui amicos miſeros ualde diligũt,fœlices oderũt:præſertim ubi quis eſt dignitate euectus.plericq; enim inferiorũ amicorũ ſuſpicant ab altiore ſe deſpici,ac pro nihilo haberi.Amantiũ iræ (inquit ille in fabula) amoris eſt redintegratio : quod de amore uenereo dictum,non rarò in amicitias cõuenit.quoniã in recõciliatione renouati animi ualidius inflãmatur,tanquã reſumptis uiribus ex interuallo offenſionis:ut terra fœcundior eſt à quiete, & caminus ardet fortius guttulis aquæ aliquot aſperſis. Accedit,quòd ſenſus dulcedinis iucundior eſt poſt acerbitatẽ,aut aſperitatẽ.tum dolemus nos offendiſſe eum,quẽ habere oportuerat placatũ.ita maiore animo redimus ad amicitiã,& diligentius in poſterũ cauemus,ne quid exiſtat moleſtũ in amore: qua ratione confirmatur.diſcordiã tamẽ eſſe oportet breuẽ,& de re non graui:alioqui dirimitur concordia,ut ſi diutina fuit offenſio:uel dixit alter eorũ, aut fecit,quod alterũ quoties recordatur,male pungat.Eiuſmodi irę non ſolùm amorẽ extingunt,ut copia aquæ ignẽ:ſed quãdo inualuerũt,ſolẽt in graue odiũ & rabiẽ exire,ſicut arctius aqua conglaciat,quæ frigori expoſita eſt calens. Amatori, cuius eſt præ impotẽtia affectus mens emota, opus eſt ut paulatim animus tanq; ex peregrinatione domũ reuocetur per muſicen,per conuiuia, & epulas exquiſitè & lautè apparatas, per uinũ clarũ & liquidũ,etiã ſi ſit opus uſq; ad ebrietatẽ (ut nõ immeritò dixerint ueteres, ſacra Liberi pertinere ad purgationẽ animi) per omne genus luſionũ & exhilarationis, foljs, taxillis,fritillo,cõtemplatione tapetũ,tabularũ,ſpectaculorũ,amœnitatũ, ædificiorum, agrorũ,fluminũ,piſcatione,uenatione,nauigatione,fabulis,narrationib,feſtiuis,admirandis,occupatione,labore magno uſq; ad ſudorem, ut corporis meatus ad expurgationẽ pateant:ita ut etiã aperiri uenã conducat,quo prior ſanguis effluat,ſuccedat nouus,unde & noui ſpiritus.alio quoq; affectu uehemẽti ſummiſſo,ut cupiditate opũ, honoris,metu,indignatione,ira.& hęc oportet eſſe diutina,donec animus in alteram partem inclinans cõfirmetur,ne in priorẽ amorẽ ſtatim relabatur.Hæc de amore quę potuimus:cuius uires,ut ſunt magnæ, ingentes, incredibiles, ita & nobis inexplebiles.Amore ſumus cõditi,amore perficimur,amore beamur.Maxima ſunt amoris,profundiſſi-

fundiſſima,reconditiſſima & incomprehenſibilia myſteria.Sint tamen hęc à nobis in præſentia ſatis dicta.

DE FAVORE.

PRoximus amori eſt fauor,naſciturq; ex iudicio boni alicuius,& eſt quædã bene uolentia:ita ut nullus ſit amor abſq; fauore,fauor aũt eſſe aliquis ſine amore poſſit,quũ alicui,quẽ non amamus,cupimus tamẽ benefactũ.Fauor ergo cum amore fortior eſt & diuturnior,leuior aũt & breuior extra illũ.Eſt enim fauor, amor inchoatus. nã incipimus amare illũ, de quo bene ſentimus, & quẽ dignum re aliqua bona cenſemus.& uiciſsim erga quẽ eſt in animis noſtris umbra amoris aliqua, uel gradus, huic fauemus:ut propinquis,conſanguineis,ciuibus,ſocijs,familiaribus:notis item,magis quàm ignotis.nã notitia ad amorẽ eſt aditus. Ac quemadmodũ fauere linguis,eſt uocibus bene precari:ſic fauere animo,eſt bene optare ac cupere. Iudiciũ hoc de alicuius dignitate uel ſimplex eſt,& uniuerſale ad omnia,unde fauor uniuerſalis oritur:qualis eſt erga ſimplicitatẽ atq; innocentiã, ueluti aduerſum pueros. illi enim ætati fauetur ab omnibus,ſine inuidia. & aduerſum animantes omnes nouas, in qua ætate etiã lupis,& leonibus,& uulpeculis parcimus atq; blandimur.Eſt idẽ iudiciũ de formoſa facie,quæ eſt,ut habet Mimus,muta cõmendatio.Denicq; cauſæ omnes, quę ad amorem,ad fauorẽ quoq; ualent. Eſt alterũ iudiciũ de dignitate ad unã rem aliq̃s, ex quo fauor naſcitur circa illud unũ: uelut in cõpetẽtia,de magiſtratu:in ludo,ut quis quid adipiſcatur,quo eũ cenſemus uel dignũ ſimpliciter,uel cõpetitore digniorẽ. Eaq; de cauſa fauor nõ rarò ex odio ſuboritur,ut in aduerſarium eius quẽ odimus inclinet,uel in eum cui nõ fauet inimicus noſter,aut cõtra illũ cui fauet.Exiſtit itẽ fauor ex miſericordia:ut quum quis eſt ab aliquo iniuria affectus, qua non eſt dignus, alia in re cupimus illi id detrimentũ reſarciri. Olim Athenis dux quidã capitis reus prætura petijt, ut poſt repulſam magiſtratus facile iudicio abſolueret, tanq; animi ex ſatietate ultionis in miſericordiã uerſi ob repulſam,inciperẽt iam fauere.Eodẽ è fonte eſt,Iniquũ petendũ,ut æquũ auferas.Sed in alijs quoq; miſerandis exempla ſunt innumera. Fauor quũ non eſt amore fultus,res eſt quæ leuiſsimis de cauſis tollitur:& eo citius, ſi cõtra rem noſtrã aut noſtrorũ tendat,ſicuti ſi quid in eo fauore inſit uel damni,uel periculi, uel moleſtiæ.Quod iudiciũ de dignitate temerè eſt,exiguaq; de cauſa ſuſceptũ,leuiſſimè quoq; ponitur.Cui enim precio inducti fauimus,huic uel perſoluto precio tanquam cauſa ſublata,deſinimus fauere:uel non perſoluto,ex indignatione male uolumus.Si cui ex odio aut inuidia alterius fauimus, reſidente illo animi motu, flaccęſcit fauor:quæ quotidie in certaminibus,& ambitione ciuili contingunt.

VENERATIO SEV REVERENTIA.

VEneratio ex iudicio magni boni oritur,quod bonũ nobis nõ nocet.nam ſi nocere exiſtimemus,aut nociturum,metus eſt.Habet nihilominus ueneratio omnis metus aliquid,pudoriſq; admiſtũ.eſt enim compreſsio ſeu contractio animi, ex cogitatione magnitudinis bonæ,aut certe nobis innoxiæ. Poſita eſt aũt ueneratio in collatione magnitudinis cum paruitate uel ſuametipſius,uel aliena,quam nos tamen nõ habemus pro exigua:quippe uenerationi omni eſt admiratio adiuncta. quæ non admiramur, ea neq; reueremur. Et ſicut ex reputatione ſuæ ipſius magnitudinis dilatatur animus,ita ex reputatione alienę cõprimitur.Vnde naſcitur ſuimet detractio æſtimationis & deſpectus,qualis eſt noſtri ipſorum, quum ad diuinæ maieſtatis reputationem mens ſe ſuſtollit.Scitè Ouidius:

Protinus intrauit mentes reſpectus honoris:
Fit precium dignis,nec ſibi quiſq; placet. Porrò honor nõ eſt,ſicut Ariſtoteles exiſtimauit,et eum pleriq; gentiles ſequuti,precium uirtutis:ſed teſtificatio,qua teſtamur nos ſentire atq; exiſtimare uirtutem in illo ineſſe,quẽ honoramus. Ea uerò exterior eſt ſignificatio, qua declarat animus ſummittere ſe celſitudini, uaria apud uarias gentes.noſtris quidẽ,poplitẽ flectere,genu ponere,quæ ſunt deijcientis ſe:caput aperire,quod eſt Græco et Romano more ſeruitutis indiciũ, ſicut pileus libertatis: loco & uia cedere,aſſectari, deducere, reducere, quibus fatemur illũ eſſe potiorẽ: ſilentiũ, quo uel audientiã damus,uel metuimus reprehenſionẽ:uerba noſtra, quæ pręſtantiã illius declarẽt.Sed nulla eſt tamẽ amplior, quàm quum admiratione excellentiæ ani-

mus ita obstupescit, nullã ut significationẽ exteriorẽ possit edere, attonitus, & extra seipsum raptus,stupefacit eñ animũ ingens ueneratio,& cogit sui ac debitorũ officiorũ obliuiscí.Ita corã senatu uel multitudine pręstantiũ uirorũ,aut apud magnũ aliquẽ principẽ dicturi sæpenumero sibi exciderũt,ut ne uerbũ quidẽ possent proferre eorũ quæ cogitarãt.Tum insignẽ aliquẽ aut præcellentẽ uirũ salutantes, obliuiscimur crebrò & alijs quí adsunt debitũ honorẽ impartiri,intẽto prorsum animo in unicã ueneratiõẽ illius.Sed hæc bonorũ amplitudo pro cuiusq; animo censetur.alij aliter existimant,ut in omni uita.In Deo præter cæteras excellentias duæ sunt maximę potentię, ac bonitatis.sub potentiã uenit sapiẽtia:quæ in terris imaginẽ referũt potentiæ,pariũt ueneratiõnẽ:quæ bonitatis,charitatẽ. Est potentia ad agendũ bona, est ad resistendũ malis.In externís bonis,quo in genere sunt príncipes & homines opulenti:in corporeis,cuiusmodi sunt ualentes & formosi,propter coniecturã naturalẽ,similẽ intus habitare animũ.unde est illud:Species digna imperio. In animo sunt animosi : in mente sunt prudentes,facũdi,eruditi,sapiẽtes:in uolũtate sunt iusti,moderati, fortes, cõstantes,& inuicti à casibus,insultuq; eius quã uocãt fortunã.Bonos aũt,hoc est iustos,moderatos,tẽperantes diligimus magis q; reueremur:etsi quidam, qui reliqua bona omnia non magnifaciũt,plurimũ istis reuerẽtiæ deferũt. Maiestas est supremus honor erga summa bona,à maiori dicta:quasi honor in mediocribus uersetur, maiestas in maximis. & si honor maiestate est latius quiddã,nẽpe genus,sed sermone cõmuni distinguuntur. Poetæ festiuiter finxerũt Honoris & Reuerẽtiæ filiã esse Maiestatẽ.quã fabulã Ouidius in quinto Fastorũ,facetissimis uersibus persequitur.Ex reuerẽtia amor prodit,si magnitudinẽ censeamus bonitate temperatã:qualis est in Deo,qui ut est maximus, ita & optimus . timor aũt, & hinc odiũ, si noxiã nobis uel esse suspicemur,uel fore:qui affectus tenet eos,qui solã Dei potentiã reputãt, iudicijq; seueritatem extra clementiã.Acutè ille:Qui apud te audent Cæsar dicere, magnitudinẽ tuam uidentur ignorare: qui nõ audẽt,bonitatẽ.Admiratio tuetur reuerentiã,itaq; admiratione consumẽda deteritur ueneratio,ideoq; usus & familiaritas ueneratiõnẽ adimit.quemadmodũ fuerunt in Apologis de uulpe,quæ ad primũ leonis conspectũ exanimata,tertio iam congressu cœpit cum illo familiarius lusitare.adeò ut apud homines rudes & crassos nõ solum pereat familiaritate reuerentia,sed transeat sæpenumero in contemptum,sicut ille ait in Comœdia. Conseruatur nihilominus in usu & cõsuetudine ueneratio,si ij cum quibus uersere, intellígentes sint ueræ magnitudinis, quã eo colunt ardentius, quo propius admotã certius ac subtilius contẽplantur, uel si quotidie aliquid se nouũ proferat in magnitudine,uel si tanta ipsa sit,ut facile semetipsa à contemptu uel neglectione uendicet. Verba & facta grauia,uirilia,constantia,sublimia,sine uanitate & manifesta arrogantia,qua nihil est inuisius,magnitudinẽ decentia,tuentur ueneratiõnẽ:contrà eleuant eam uerba & facta puerilia,muliebria,ludíbunda,scurrilia,lasciuia,leuia,uana,inconstantia,demissa,abiecta, ab excellentia illa aliena atq; abhorrentia:tum etiã arrogantia,fastidiosa,iactabunda,iracunda,minacia.Non bene cõueniunt,nec in una sede morantur,Maiestas et Amor,ait Poeta quidã.uidelicet amor officij sui & dignitatis oblítus abblanditur,precatur,dejcit se,ineptit, nugatur: inter quæ ueneratio prorsum eliditur,quę alioquí tenues admodũ & debiles iacit radices, quæq; leui motu extirpentur. Tollitur enim ueneratio,sublata opinione eius excellẽtiæ,unde fuerat orta. Ea porrò opinio facillimè diminuitur,propterea q; omnis hominum præstantia uilitate est cõmixta,quæ ex imbecillitate nostra citius sese foras profert,quàm lenta excellentia.Nostra etiã iudicia ex deprauatione naturæ, quæ uiciosa sunt,aut mala,celerius apprehendũt,tanquã sibi cognata,& similia.Ad hæc amor cuiusq; erga semetipsum incõsultus,unde superbia capit originẽ,efficit ut et cupiat,& libenter credat se ab altero non excelli.Affectus penè omnes cõcitati ueneratiõnẽ impediũt,& cogũt cõquiescere:ut ira,inuidia,odiũ,amor, nõ solũ erga uenerabilẽ,sed etiam aduersus alios.scilicet perturbatur iudiciũ,ne possit aut nolit rectè de præstantia statuere:adeò ut præsente uel inimico,uel despecto,signa reuerentiæ in alium cõsultò omittamus,ne uideamur eum,quẽ odimus,aut cõtemnimus uenerarí.quod fecisse Æneam sacrificantẽ ferunt,qui prætereunte Diomede adorationis cultusq; diuini

exteriores

exteriores notas intermiſit,ne honorẽ eum hoſti habuiſſe uideretur: quod contingit crebrò in uita cõmuni.Niſi fortè alius affectus maior urgeat,q̃ nos ſigna illa cogat edere:uelut cupiditas,aut metus.ut quũ timemus,ne illa nobis officij prætermiſſio noceat,aut ſperamus aliquid uel cupimus ab illo, quẽ ueneramur. Vitiũ & uilitas in rebus alijs,quàm unde cœpit ueneratio,quàm eſt cũ excellẽtia illa iudicio noſtro cõiuncta,tam deterit uenerationẽ.Si enim ex iudicio eſt nata prudẽtiæ,infirmitas corporis, aut ignobilitas nihil eã lædit:deterit autẽ ſermo ruſticanus,educatio parũ urbana,iracũdia.Et ſi ſunt quidã,qui in uno aliquo ſtatuẽtes fontẽ bonorũ omniũ,ei qui ſit fontis huius expers,nullũ credãt ineſſe bonũ poſſe præſtãs, & ueneratione dignũ: ut quidam in claritate nataliũ, quidã in eloquentia, alij in grammatica, aut ſcribendis uerſibus,alij in decore formæ,plericq; in diuitijs.Multi ſtultè ac iniquè diuerſiſsima cõiungunt,uelut ueſtitũ,ingreſſũ,ſeſsionẽ cum eruditione:ut qui illa nõ habeat ſatis ad ipſorũ arbitriũ cõpoſita,hunc nec eruditũ eſſe iudicent,ſicuti nec magnatẽ,qui non loquatur ſuperbè,& prauè ſcribat:nec bonũ militem,qui non ad uerba ſingula deieret.

DE MISERICORDIA ET SYMPATHIA.

MIſericordiã Ariſtoteles finiuit dolorẽ de malo,quod nobis uidet accidere indigno.id uerò malũ dicit eſſe φθαρτικὸν,ceu quis dicat corruptiuũ,aut corrumpens:quales ſunt morbi,mors,fames, ſitis,tormẽta,plagæ,ſpoliatio, & quæ ſunt eiuſmodi,quod fortaſſe ab eo poſitũ eſt.quia nõ de rebus Naturæ diſſerebat,ſed de præceptis ciuilibus. reliquarũ enim rerũ cõmiſeratio in curiã & forũ nõ uenit,ſed omnia malorũ genera in hanc affectionẽ incidũt. miſeramur deformes & mancos & tardos & rudes & ſtultos & improbos. Indigni ſunt malis noſtra opinione boni uiri, & qui recte functi ſunt officio,tum innocentes ad eam pœnã quã perferũt:& homines uniuerſaliter innoxij & ſimplices,ut infantes & pueri & mente capti:tum qui malis illis ſunt impares,ut mulieres,ſenes,ægri,delicati,laboribus magnis & ærumnis:adde ijs, qui magna ſunt fortuna deturbati,illi etiã,quibus nõ licuit bonis ſuis frui: ut quũ uir magni ingenij in medio ſtudiorum ſuorũ curſu tollitur,ſicut Io. Picus:uel deſtinatus magnis opibus,ante obitã hæreditatẽ obit mortẽ, uel deſignatus magiſtratus nõ potuit honorem capeſcere.Eo eſt aũt miſeratio intentior,ſi pro bonis ſperatis incidit in mala inopinata:ut regni hæres in captiuitatẽ & ergaſtulũ. quale eſt quod impiorũ animis quotidie accidit,nec nos miſeret. Qui fortiter & uiriliter perferunt ſuas calamitates,magis uidentẽ illis indigni:eosq; ſæpius miſeramur,qui miſericordiã nõ implorãt. Pericula,quoniã malis ſunt proxima,miſericordiã mouẽt:ut in bello,& nauigatione, & uia latrocinijs infami.Si qui ſibi ac ſuis malum accidiſſe putãt,in mœrore ſunt potius,quàm in miſeratione.quòd ſi quis indigno ſibi, aut chariſſimis ſuis accidiſſe exiſtimet, adiuncta eſt mœſtitiæ miſeratio: quod licet deprehendere ex uerbis, quibus conquerunt immeritò ſe malis illis premi:quæ eſt ſuimetipſorũ cõmiſeratio . Similitudo & ſympathiã efficit,& miſericordiã mouet,ut erga ſimiles ætate,moribus,conſtitutione,ſtudijs,dignitate,genere.Sympathia eſt uelut tactus unius facultatis,cui aliæ facultates ſimiles concinũt, quemadmodũ ferũt in duas chordas diuerſarũ lyrarũ ad eundẽ tonũ extentas,alterã alterius tactui accinere,& reſpõdere.Plurimũ animus afficitur ijs alienis malis,quæ tanquã ex uicino cõtemplatur ſibi etiã imminere. Inter ſimilia aũt tranſitus eſt facilis.uidelicet quæ longius ſpectat animus, negligit,tanquã ad ſenõ pertineãt:ut mediterraneus homo graue naufragiũ,uel monachus ærumnas militares.Feſtiuè philoſophus quidam & acutè,rogatus à quodã quaſi per contumeliam,cur homines diuites citius cæcis & ſurdis & claudis elargirentur,quàm philoſophis egentibus,illoſq; multo facilius miſerarentẽ,quàm philoſophos:Quoniã,inquit ille,diuites homines citius ſurdos ſe & cęcos fore exiſtimãt,quàm philoſophos.Ideo & qui per ebrietatẽ magnæ felicitatis exẽptos ſe humanæ ſorti arbitrantur,immiſericordes fiũt:uidelicet nõ putãt caſus humanos ad ſe peruẽturos, qui ſe loco tutiſsimo arbitrãtur cõſiſtere.Qui in extremis quoq; malorũ uerſantur,aut in eorũ malorũ magno diſcrimine,nullorũ eos miſeret. Non enim timẽt ſe peius habituros, & aſperitas malorũ ſenſum illis humanitatis adimit:tenerumq; illud animi ac molle amiſerunt,in quo eſt cõpaſſio.Nihil æque eſt ſecundũ hominis naturã,ut afflictos miſerari.quẽ af-

fectum miror Stoicos in bono uiro conatos reuellere, quod fieri nec potest,& cõtra rem est humani generis.quippe nascitur ex similitudine quadã,congruentiaq; humanorũ animorũ inter se:nec aliter potest animus facere, quàm ut dũ aliena mala intuetur,uel de seipso cogitet,se quoq; illis ipsis malis obiectũ, atq; obnoxium uiuere, uel certe cõpatiatur,& simílẽ sui naturã illis afflictari incommodis doleat. Quòd si amor omnia reddit non solũ cõmunia,sed unũ, quomodo potest amicus nõ dolere dolente amico? quomodo potest idẽ animus dolere in uno amicorũ, non dolens in altero? Si ergo sapientiæ ac bonitatis præceptũ est,ut amore inter se homines deuinciantur, tanquã nodo sacratissimo, eamq; ad rem ficti & appositi à natura sumus: profectò & natura,& sapientia,& bonitas misericordiã nobis indunt,atq; indicunt. Iam uerò sublata misericordia,quid in eius locũ ac uicẽ reponis? duritiã, immanitatẽ,crudelitatẽ, inhumanitatẽ.hoc scilicet expedit humano generi,ut humanitate exuta crudelitatem induat? At dicit Seneca:Possum adiuuare afflictũ,et misero opẽ ferre,sine dolore illo, & miseria animi,quam uos misericordiã nuncupatis. Potes tu fortasse aliquando, nõ poteris semper,nõ poterunt alij,quibus opus est interno ad progrediendum calcari. Quid quũ non habes,quo opitulẽris, an nõ saltẽ animus tuus alienis malis flectetur, & ad te quoq; mala illius pertinere declarabis? Non est opus longiore disputatione, hæc est clausula,non potes adiuuare,nec opẽ ferre afflicto potiorem,quàm si dolenti cõdoleas,nihil est quòd animi ęgritudines & mala grauissima perinde alleuet ac cõsoletur,ut cõmunicatio doloris:nullũ est auxiliũ uel gratius,uel efficacius. Quid potest miserabilius cuiquã,aut desperatius in uita contingere, quàm existimare se nulli esse miserabilẽ? quid gratius potest uidere miser,quàm alienas lachrymas cũ suis consociatas? Sed Stoicos dimittam⁹, qui se,quos natura homines cõdiderat,scholasticis cauillatiunculis saxa uoluerũt reddere:nec sunt tamẽ assequuti. Exequamur,quæ restant proposiri. Affectus est misericordia mansuetissimus, & hominũ generi magno suo bono à Deo tributus,ad opẽ mutuã & consolationẽ uariorũ casuũ,qui incurrunt in uitã,in quibus amoris defectũ supplet misericordia. Quod de malis,quibus nos uicini sumus atq; obnoxij, est dictũ,idẽ ad propinquos, & necessarios, & charos nobis transferatur.cõpatiuntur enim facile,ac miserentur,qui uxores,aut liberos,aut nepotes,aut sibi amicissimos habẽt eisdẽ malis obuios,& quasi obiectos. ideo senes misericordes sunt,quia omnia timẽt suis. Mollicies cordis sympathicos & misericordes efficit,adeò ut quidã eos quoq; miserentur,qui in malis uersantur,quæ sunt cõmeriti: ut pueri & mulierculæ,quos latronũ & parricidarũ miseret,uel quũ cæduntur uirgis. Contrà duricies cordis miserationem restinguit,ut in ira,in militia,in latrocinijs,in ijs qui minus considerãt quid sit malũ,uel ex hebetudine naturę suæ,quales sunt rustici: de quib. non immeritò dixit autor eorũ Vergilius:Nec doluit miserans inopẽ,aut inuidit habenti.uel ex cupiditate eorũ,quæ sibi censent bona. Imprudentes & inexperientes facile ac multũ exiguorũ malorũ miserentur.Generosi quoq; animi & simplices,ualde misericordia tangũtur:ut adolescentes, & principes. Experti uerò, & prudẽtes magnorũ,parua pro nihilo ducũt:ut sancti uiri,iacturã animarũ in populis grauissimã censent,de corporibus utcunq; commouentur,sed propter animas:fortunas autẽ negligunt,ac rident. Opera misericordiæ amoris operibus sunt similia,& misericordia ex amore profluit:uicissim amor misericordia inualescit,ut matris erga filiũ ægrũ,aut afflictũ,aut peregrinantẽ.Nullus affect⁹ adeò habet prõptas lachrymas,ac miseratio:adeò ut qui suis malis nõ illachrymẽt.ad aliena quasi uicti lachrymẽtur.quorũ utrunq; est mirificè decens,honestũ,liberale. Fit etiã persæpe,ut quidã qui alienis malis dant lachrymas,suis non possint,tanq; oppressi magnitudine ægritudinis ac doloris.quemadmodũ tradunt Amasin Ægypti regẽ uetustissimũ,amici mortẽ defleuisse, non filij. Dicũt misericordiã oculis maxime cõmoueri,quemadmodũ Horat.inquit:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Idcirco olim Romę ad captandã misericordiã parui liberi producebãtur in forũ,aut concionẽ,& prodibat reus sordidatus,& atrati amici:& ostensæ sunt plagæ,aut cicatrices in pectore denudato, & uestis cruentata,& imago rei gestæ in tabella depicta. Non dubiũ quin hæc ad uulgus plurimum

rimũ ualeãt,quippe quod ſenſibus ducitur. qui uerò magis cogitatione ac mente,hi citius cõmouentur apta et congruenter expreſſa narratione rerũ.Nec pauci ſunt,qui fabula uel hiſtoria mouentur: in re ipſa,ſi coràm contingeret,penè immoti.Scenicis actoribus,inquit M.Fabius,eadẽ uox,eadẽ pronũciatio, plus ad mouendos affectus ſub perſona ualet:ſcilicet adiuuatur affectus audiendo,phantaſia,& cogitatione.Proficit res ipſa miſerabilis ad eliciendũ affectũ,adhibita dicẽtis arte,uelut explicata malorũ grauitate,indignitate illius qui ſit perpeſſus:quanto dignior bonis,quàm malis: multo minus dignus hiſce malis,ab his,hoc tempore,hoc loco,quæ ſunt ex fontibus probabilitatis.tum admonenẽ auditores filiorũ,uxorũ,rerũ chariſsimarũ, deniq; ſuimetipſorũ & cõmunis ſortis.Præcipiũt artis magiſtri, ut quæ miſeratio dicentis arte, non naturæ ſuæ uiribus lachrymas elicit,ſit breuis: nihil citius areſcere eiuſmodi lachrymula.

LÆTITIA ET GAVDIVM.

LÆtitia eſt motus animi ex iudicio præſentis iam boni, uel pro certo appetentis: Auerſio mali,pro bono eſt.niſi quòd in bono ſemper eſt lætitia, in diſceſſu autẽ mali nõ ſemper:ut quũ ſolũ ægritudo incũbens tollitur,nõ ſubit aũt contraria lætitia: aut ſi ſubit,læuis eſt, quę hilaritas nuncupatur.eſt enim hæc lętitia remiſſa.Ex iudicio uero uel alieni boni, quod nobis placet, modò ne is ita charus ſit,ut unũ ſit nobiſcũ: tum ex bonis aliquãdo euenturis,aut præteritis,aut etiam ex malis tranſactis, motus quidã exiſtit iucundus in animo lætitię quidẽ ſimilis,nõ tamẽ proprie lætitia, ſed gaudium:qualis eſt etiã in noſtris bonis,quũ ea moderate ſumimus.Lętitia enim concitationẽ habet uehementẽ.eſtq; ferè de eo, quod ualde deſideraũimus, aut pro quo contendimus,ac laborauimus : aut quod derepente contigit præter opinionẽ noſtrã,uel expectationẽ.quo exagitatu dilatatur admodũ cor, adeò ut etiã mors interdũ conſequatur:uelut in illis mulieribus bello ſecundo Punico,quæ quũ filios ſuos,quorũ eſſet mors nunciata,derepẽte ſoſpites aſpexiſſent,exanimatæ ſunt. Celeriusq; ex ingẽti lætitia expirarit quis,quàm ex immodica ægritudine.Ab eadem cordis dilatatione exiſtit riſus, atq; exultatio,quũ iam pectus coercere non poteſt ſuũ cor:tum geſticulatio,& quandoq; demẽtia.Lætitia moderata,ſeu hilaritas,& gaudiũ, calore ſuo purgat ſanguinem,ualetudinẽ confirmat,colorẽ inducit florentẽ,nitidũ,gratum,ſicut eſt apud Sapientẽ:Cor lætũ pro medicina eſt,ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Qui molli ſunt corde,facile mœrorẽ & lætitiã recipiũt,ut ſigillũ in cæra:qui duro,& calido, lætitiam citò capiũt,& diu retinẽt. ſicut cõtrà,qui duro & frigido,mœrorẽ,ut in atra bili.eſt enim mœror affectus terreſtris,frigidus,& aridus:lætitia aũt,calidus & humectus .idcirco ea facile in pueris,& iuuenibus,& bene ualentibus naſcitur:tum ociplis hominibus,& ſecuris.nam metus lætitiã impedit, præſertim ſi ſit rei maioris, quàm de qua eſt lętitia,itẽ in uere,locis itẽ tẽperatis,amœnis,in feſtis,celebritatibus,cõuiuijs. In lętitiæ aduentu,ne ea impediatur,multi eos obices,qui occurrũt,amoliuntẽ, & moleſte ferunt ſe interturbari,quaſiq; interpellari de curſu rei iucũdæ . itaq; de re triſti nolunt audire,ut initio feſti,ludorũ,cõuiuiorũ,de morte,de parſimonia,de egeſtate,de negocijs publicis aut priuatis.de ſeueritate uirtutis & frugalitatis . odioſa ſunt hæc omnia per id tẽporis.conſumpta aũt lætitia,audiũt facile,& magis ad ea cõmouentur,q; unquã antea,nẽpe ex recordatione fugacitatis rei lætæ.celeriter enim uidentur auolare, quæ placẽt: ſeu quia refrigerato iam corde,facile ſeueriores cogitationes admittunt. Lætitia tanto eſt maior,quanto nos maius bonũ nactos eſſe iudicamus:uidelicet amplum,nouũ,rarũ,inuſitatũ,quodq; paucíſsimis contigerit,ijsq; prçcipuis & honoratiſsimis.minor eſt,in contrarijs horũ.

DELECTATIO.

LÆtitia eſt primus uel aduentantis boni motus, uel iã implicitiq; adiũcti . poſt illũ aũt quum reſedit animus,& bono ſibi cõgruenti fruitur,& acquieſcit,uoluptas eſt,ſeu delectatio:quam definire licet,acquieſcentiã uoluntatis in bono ſibi congruenti.Sæpe admonui,nõ referre affectus,rẽ ita eſſe, nec ne, modò eſſe exiſtimetur. Quidã enim ſola phantaſiæ actione id cõſequuntẽ, ut in maximis ſibi bonis uideãtur uerſari: ſicut ille apud Horatiũ, haud ignobilis Argis, Qui ſe credebat miros audire tragœdos,In uacuo ſolus ſeſſor plauſorq; theatro:nota eſt fabula.quod eſt affectibus omnibus commune,Delectatio ſita eſt in congruẽtia,quam inuenire nõ eſt ſine pro-

portionis ratione aliqua inter facultatem & obiectum,ut quædam ſit quaſi ſimilitudo inter illa.tum ne notabiliter ſit maius,quod adfert delectationem:nec notabiliter minus,quàm ea uis,quæ recipit uoluptatẽ,ea utiq; parte qua recipitur.Ideo mediocris lux gratior eſt oculis,quàm ingẽs:& ſubobſcura gratiora ſunt hebeti uiſui. eundem in modum de ſonis:quo fit ut notis carminibus magis capiamur in cantu,quàm ignotis.Additur autem,qua parte recipitur.nam potẽtia in eo facultatis expenditur, & obiecti applicatio.alijs auribus idem ſoni uaſti ſunt,alijs moderati:& qui ſonus in proximo erat immodicus,paululũ ſi recedat,moderatus cenſebitur.& Deus,qui eſt undiq; immenſus,capitur ad delectationẽ ab ea parte animi,quæ habet quoq; ſuam immenſitatẽ:& capitur ea ratione,qua poteſt illi accõmodari. At quemadmodũ differentia eſt inter ſanitatẽ & uoluptatẽ (neq; enim ualere eſt delectari,quod falſo Epicurus credidit) ita eſt inter recreationẽ & delectationẽ. Nam & ſi multæ recreatiões uoluptatis naturã obtinẽt,et uim,nõ omnes tamẽ.quippe remiſſio uel mutatio laboris etiam à minore ad maiorem,luſus, confabulatiunculæ,haud rarò non perinde animum delectant,ac refocillãt & reficiũt.ita capacius quiddã eſt recreatio,quàm uoluptas.Recreat utiq; omnis uoluptas,non omnis recreatio uoluptate afficit.In unaquaq; facultate,qua animãtis cognoſcit,ineſt delectationis uis:uelut in ſenſib.externis,internis,in mente.& ut quiſq; plurimũ eſt alicui facultatũ earum deditus,ita delectationibus illius uehemẽtiſſime capitur.Populus ſenſibus,ſapiẽtes menti ſunt addicti.ut eſt cuiuſq; uel facultatis uel rei iucundæ natura & qualitas,ita delectatio excellens eſt ac generoſa,tum etiam pura,et diuturna:uel cõtrà uilis,et ſordida,breuis,molestiæq; admixta,ac perturbata.Infima omniũ eſt,quæ ad ſenſum tactus pertinet,uidelicet terreſtris.paulò honeſtior,quę ad guſtũ:ſed nihilominus pecunia.leuis eſt in odoratu,qui ſenſus in homine hebetiſſimus eſt,nec tam eſt odor ſuauis gratus, q; teter & fœtidus moleſtus.Aures,quæ ad aerem pertinẽt,aliquid habẽt pulchrius.oculi,qui ad igneam naturã,& æthereæ proximã,cæteris præſtãt ſenſibus.Celſiores iſtis ſunt inferiores animi uoluptates:puriſſimæ aũt ac celſiſſimæ omniũ,quæ ad mentem ſpectant.& in mentis muneribus,quæ ad contemplationẽ. Voluptates tactus et guſtus nõ ſunt durabiles.citò enim hi ſenſus defatigãtur,multumq; ſecum trahũt grauitatis ac moleſtię:diuturniores ſunt aliorũ ſenſuũ,et inter eos aſpiciẽdi uis longiſsimè uoluptatẽ ſuam haurit.Delectatiões phantaſię ſtabiliores ſunt,quàm ſenſuũ.quo fit, ut cibi,potus,rei Venereę,muſices,ſpectaculorũ citò ſatietas irrepat:nõ item poſſeſſionis,uel acquiſitionis pecunię,potẽtiæ,honorũ,gloriæ,quæ ſunt in phantaſia et decepta opiniõe.In mente ſunt defecatiſsimæ ac diuturniſsimæ,quibus illa nõ defatigatur,ſed reficitur. tales illic ſunt,quales nemo niſi expertus adduci poſſit,ut credat. Sed documẽto eſſe poſſunt ij,qui rerum omniũ iacturã facile ac libenter pertulerũt, ut liberè illis atq; ex animi ſui ſentẽtia liceret perfrui. Quæ in cõtemplatione ſunt uoluptates,ex natura illarũ ſunt,quibus nos in æternitate beatiſſimi reddemur.idcirco Pythagoras eam uitam dicebat eſſe omniũ præcellentiſſimã,& Ariſtoteles finem bonorum in cõtemplatione collocauit.Hęc quidã in uero et recto hominis habitu,qui per delictũ corruptus,& tanquã graui depreſſus onere,uergit deorſum,reſq; inferiores ad ſeſe reficiendũ atq; oblectandũ quærit.ita diſcedit à cõtemplatione rerũ altiſſimarum ac præſtantiſſimarũ,ad ea quæ ſunt actionũ uitæ,& uerſatur in politica,reiq; uel publicæ adminiſtratiõe,uel domeſticæ.Sunt qui ne hunc quidẽ aſſenſum ferunt, fabellis recreãtur,& rerum geſtarũ cognitione ſola ac memoria.Alij operib.tenẽtur, quæ exercemus manibus:ut ædificatione,textura,ſutura,plaſtice,pictura,& eiuſmodi.Alij ne tantũ quidem poſſunt animũ intẽdere,laxiſſimis utuntur animorũ remiſſionibus:ut luſionibus,uel inerti ac torpido prorſum ocio.Delabuntur quidã ad uoluptates,& ſenſuũ illecebras,uſq; ad deiectionẽ illam brutalis ingenij,quæ fit à uorągine uoluptatis immodicæ mente abſorpta.Hinc iam nõ poteſt magis homo deſcendere,tranſit ad obliquitatẽ,ut omnino à ratiõe & iudicio deflectat. excogitauit nobilitatem,decus.famam,gratiam populariẽ,et quicquid in fortuna ad uanitatẽ pertinet. deniq; uellet,ſi poſſet,mentẽ exuere,ut depoſita illius ſeueritate diſſolutius ſe in oblectamenta immergeret:id quia per ſe nõ audęret facere,retrahẽte exiſtimationis cu

ra,

ra,interponit perſonam per quam faciat,infantem aliquem dicaculũ,uel morionem, aut ſcurrã,cum quo citra dedecus ſtulteſcat.adeò uel tener factus eſt animus,ut nullum ferat pondus:uel depreſſus,ut nutu ſuo deorſum feratur.Mens nõ eget interualis fruẽdi ſuis uoluptatibus:ſenſus egent,& quidẽ crebro.Mens delectationes delectationibus mutat diuerſorũ generum, maiores minorib.& uiceuerſa,luſus enim,& cogitationes remiſsiores de leuibus aut iucundis rebus,actiones ſunt,& oblectamẽta ingenij.ſenſus autem ocio & quiete & receptu quodã in ſe indigẽt,ut nihil agant: quum mens ceſſare atq; interquieſcere non poſsit. Ab ocio & intercapedine maiores ſunt uoluptates in ſenſib.quas (ut inquit ille in Satyra) cõmendat rarior uſus.& incitatiores ex irritatione cõtrarij,ut cibus à fame,potus ex ſiti. Voluptates corporis & animi extrudũt ſeſe mutuo.dediti corporeis,illas quæ ſunt in mente nõ percipiũt: & è cõuerſo.pugnãt uerò inter ſe maxime,ut quæq; ſunt præſtãtiſsimæ ac uiliſsimæ, nullumq; patiũtur commerciũ mutuũ. Omnem delectationis uigorẽ diutius & purius afficiũt naturalia,q; artificialia.aurea enim & argentea,& picturas,ſiue elegãtes, ſeu artificioſas,& domos inſtructiſsimas,& ueſtes uel artis exquiſitæ uel precij uel uenuſtatis,ſi quis ter aut quater aſpexerit,ita exatiabitur,ut amplius moleſtiæ ducat intueri:prata aũt,mõtes,hortos, ualles,fluuios, cœlũ,mare,nunquã exatiamur uidendo & cõtemplando.nimirũ quod unumquicq; eo delectatur,quod ſibi eſt aptum & cõueniens.Nobis,qui naturales ſumus,magis opera naturæ cõgruũt,q; noſtræ artis. Accedit huc,rei perfectio,quæ maior eſt in quocunq; naturæ quàm artis opere.quin & arti ipſi naturæ opera magis & probãtur,& placẽt,q; ſua ipſius,ſemperq; illa cupit & affectat ars imitari,ac effingere.Quòd ſi artificibus cõcederetur,mallẽt utiq; edere ſua opera naturalia,q; artificialia.& qui proximè acceſſerũt,præclarè ſecũ eſſe actũ exiſtimarũt,eoq; magis probãtur ad ſpectatores. Raritas & induſtria preciũ addũt ijs, quæ prodeũt ab arte.miramur enim eatenus poſſe ingeniũ ꝓgredi, & id potuiſſe exprimere.denicq; mutatio omnis,modò ſenſib. noua,iucunda eſt:ut in pantomimis,in pſitacis,in pueris,quũ fari incipiũt.Et admiratio uoluptasq; ingeniũ & ſtupẽdorum naturæ operũ,uel aſſuefactione deterit,uel occultaẽ ſub noſtra incõſiderantia.Intenti enim agimus ſemper in res uiles,magna hæc & mirabilia nõ uacat ſuſpicere,& ſpeculari.Leuis moleſtia magnã ſæpenumero & acrẽ delectationẽ diluit:ꝓpterea q̃d & cõſtitutio noſtri corporis,& curſus ætatis in peius ſemper uergunt.ita paruus dolor maiores uires nãciſcit ex nobis ipſis,ad nos cõtrahendos ac proſternẽdos,quàm delectatio ad erigẽdos ac dilatãdos:magnisq; uiribus eſt opus,ut hoc nutãs corpus fulciatur.Iam uerò uoluptatibus facilius caremus,q; afficimur dolore.Illud priuationis eſt,hoc exiſtẽtiæ.in priore nihil amittimus,in poſteriore affligitur ſenſus,& rectus illius habitus tantiſper aufertur.

DE RISV.

EX lætitia & delectatione,riſus naſcitur: qui affectus non eſt, ſed actio exterior ab interiore manans.Nam ex lætitia uel delectatione dilatatur cor,ad cuius motum & facies extenditur,eaq; potiſsimũ pars,quæ eſt circa os,qui rictus nominatur, unde riſus.Itaq; riſus exteriorem ſedem habet in rictu primum,hinc in oculis,& cuncto uultu.Interiorem autem,Plinius Secundus affirmat eſſe in præcordijs,quas Græci φρένας appellant: In his, inquit, præcipua hilaritatis ſedes.quod titillatu maxime deprehenditur alarum, quas ſubit: & gladiatores, qui eo loci eſſent ſauciati, ridentes oppetijſſe. qui riſus corporalis eſt prorſus,non ex affectu:ſicut in titillatione ſub axillis, aut alijs in locis. & ego ad primam & alteram buccam, quam ſumo à longa inedia, non poſſum riſum continere: uidelicet contracta præcordia dilatantur ex cibo. Nec riſus ille eſt uerus in mœrore, aut indignatione: qualem fuiſſe Hannibalis in curia Carthaginenſi ferunt, uicti à Scipione. ringere enim eſt illud, non ridere. In quibus flaua abundat bilis, ij ad riſum ſunt proni, quòd ex calore immodico facile exporrigitur cor: ſicut rurſum pituitoſi, & qui atra bili infeſtantur,propter tarditatem frigoris,lenti ſunt ad ridendum. Riſus qui ex affectu naſcitur, de lætitia eſt, aut delectatione noua. ſurgit enim primo illo contactu, quo lætitia uel delectatio recens mouet animum. Inſperata uerò & ſubita plus afficiunt, citius commouent riſum, & maiorem. Scilicet de ueteribus, uel aſſuetis non ridemus:

nisi qui illa accipiũt sępe tanquã noua,et tum primũ cognita,quod fit uel ex ipsis,qui ad risum sunt natura proni,cuius generis sunt pueri, mulierculæ, fatui: uel ex re quæ adeò est animo nostro cõgruens,ut quoties occurrit,amplectatur eam uelut nouam. Quidã nõ rident,ad quę nõ attenderũt,eadẽ multo post tempore,quasi recordati incipiunt ridere. Vehemens enim cogitatio ut affectũ impedit,ita etiã risum.quibus de causis prudentũ & sapientum hominũ rarior est risus & pressior,isq; subrisus uerius, quàm risus:quum ob magnas intentasq; cogitationes,tum quod illis ob prouidentiã reputationemq; rerũ omniũ pauca sunt noua,aut insueta. Accedit his cõstitutio corporis,in præstantibus ingenia uiris,ad atrã bilim inclinãs. Imperãt etiã hi sibi,ne effuse rideant,quod est præter decorũ. Naturalis quidem est omnis risus,nullus uoluntarius:sed cohibetur tamen uel usu,uel ratione, ne immoderatè prorumpat, cõcutiens corpus uniuersum:quales sunt imperitorũ,& rusticorũ cachinnationes, tum puerorum & mulierclarũ,ut sui sint impotes,risu eiusmodi correpti ac cõcitati. Et ut uarij uarijs ad delectationem capiuntur, ita multis de causis risus prodit. Alij rident ob ea quæ cernunt,alij ob ea quæ audiunt,alij de rebus mentis,si placent uel propter lętitiã boni,uel propter delectationẽ,quę ferè ad risum faciendũ sita est in deformitate quadam dicti aut facti:ut in gesticulationibus,in grandibus irati uerbis,cui uires desunt, nam si adsint uires,timemus:in casu innoxio quidẽ,sed fœdo:in dictis fatuis,aut scurrilibus:in interpretationibus,uel rogationibus absurdis, respõsis acute detortis alior sum,quàm quò pertinebãt rogata:in assimilatione per uerba, quæ est genus quoddã inimicæ repræsentationis:sicut in gesticulatione,atq; alijs eiusmodi compluribus. In quis omnibus placet insperatũ illud.recta enim & cõsueta uia progredientia sine sensu transmittimus,tanquã uetera,quia quodammodo præuisa:deflexa autem & praua mouent,quia nõ expectata. Democriti risus perpetuus, affectatus erat magis quàm naturalis.et irrisus nõ risus ad incessendas hominũ stultitias,quas illi sapientiã esse ducerent. Inter animantes omnes solus homo ridet, quoniã is solus habet uultũ, quo risum testetur.cæteris autẽ facies immoto habitu torpet:non quin aliæ ad sensum boni & uoluptatis suæ cõcitentur,impensius etiã quàm homo,& edunt signa quædã,quę risus uim & uicẽ obtinent,ut exultationes,& uoces etiã in suo illo genere incõditas: sed quia uultũ,uti nos nõ mutant,nõ dicuntur ridere. Qui autẽ Græca uoce agelasti nominãtur,quasi nõ ridentes,haud ideo quòd ridere nõ possint dicuntur,sed quia rarò: uel ex natura melãcholica,& duro corde, uel occupati cogitatione maiorũ malorum,qua diluitur lætitia & uoluptas:aut mente ad diuersarũ rerũ speculationẽ abducta,aut quod ex acuta & diligenti reputatione rerum omnium,nihil iam eis occurrit nouum. Contrà autem ebulliunt crebri & magni risus,seu mollefacto corde delicijs, ut uino,lusibus,amoribus,fabellis festiuis,cõcentu,lasciuia:seu remissis,et quasi reuocatis cogitationibus:uel reducta securitate,& tanquam animo à metu aut molestia liberato,uel delectamentis exquisitis,maximeq; nouis atq; inusitatis.

DE OFFENSIONE.

HActenus ut de homine:iam ut de belua atrocissima atq; immanissima.affectus enim,qui ex opinione ueniunt mali,mirũ in modũ exasperãt atq; efferãt humanum animũ. Primus mali morsus offensio dicitur,tanquã quũ quis impingit.est enim dolor ex incõgruẽtis mali cõtactu. Vnde alij affectus suppullulãt odij,inuidẽtiæ,iræ: & est animi ille dolor,dolori corporis haud absimilis,qui existit à prima uellicatione aut pũctione. Est porrò malũ,qd nos offendit,qcquid est aduersum nobis ac incõueniẽs,& cõgruẽtię nostrę inimicũ:quẽadmodũ quũ deforme aliquid intuemur,uel absurdos sonos audimus,praueq; cõcinẽtes. Cõgruẽtia aũt hęc uel est in corpore,uel in animo. In corpore est harmonia illa,qua recte ualemus.quæ quũ aduerso motu attingit,offendimur,ut in cõcussu omni ac impulsu,in plaga,uulnere,pressione,æstu,algore,siti,fame,& eiusmodi. In animo uerò cõgruẽtia est primũ in sensib.habẽt emi singuli sensuũ cũ certis reb.cõueniẽtiã,à quarũ cõtrarijs auertunt,& declinãt:ut oculi colores,& delineamẽta speciosa:aures,sonorũ cõcentũ:gust⁹,sapores sibi cõueniẽtes:nares,odores certos:tactus,proportionẽ principũ qualitatũ. Est altera cõgruẽtia in interioribus sensis,uelut imaginatione atq; extimatrice:unde insomnijs & delectationes

uersantur,

uerſantur,et terrores.quę duo experimur in belluis,ut res à natura ſua alienas aut cõ-
trarias refugiãt,uel impetũ in eas faciãt.Eſt itẽ congruentia in ratione, & hęc duplex.
altera circa ueritatẽ,& id quod ſolũ ſcitur:altera circa id,quod agitur. Actio uerò eſt
uel eorũ,quæ manu exercentur,quæ opera nuncupamus:uel quæ poſita ſunt in uitæ
uſu ac ordine,in adminiſtratione prudẽtiæ.Mendacio omnes offendimur, ſiquidem
narretur tanquã uerũ,alioqui aũt delectat cõpoſitio & aſsimulatio ueritatis:ut pictu-
ra,uel imitatio inimica.Quæ cognitiones artesq; aut diſciplinæ proportionẽ non ha-
bent cum ingenio noſtro,offendũt nos quidẽ ad auerſionẽ tantũ,nõ item ad inſecta-
tionem maleuolã:niſi fortè accedat malignitas animi,& proteruitas, aut ſuperbia, ut
nihil patiamur pro pulchro haberi,niſi quod nobis placet,aut quo ipſi ſumus prædi-
ti.In uita eſt cõgruens illud & decorũ,quod ſitũ eſt in rectitudine, officijs,uirtute hu
ius,ut nullæ ſunt ferè præſcriptæ formulæ,ſed ex iudicijs,& cuiuſq; æſtimatione pen
det,incredibile dictu,quàm uarię exiſtãt ex eo offenſiones:ut uix duos reperias,qui-
bus idem placeat.Sequitur enim quiſq; affectũ,aut ingeniũ ſuũ,nõ rectũ examen ra-
tionis.Idcirco in iudicando tanta diuerſitas:quippe ratio uel unica eſt,uel nõ admo-
dum multifaria:ingenia aũt infinita,diuerſiſsima,diſformia.Accedit his,nihil eſſe om
nino,quod plurimũ rationũ argumentorumq; ſit in cõtrarium capax,quàm officia et
decorũ uitæ. habent enim hæc quamcunq; te in partẽ cõuerteris, probabilem & pro
ſe rationẽ,& in oppoſitũ,unde error & fraus eorum,qui ſingula non rimantur altius.
Quarta proportio eſt uoluntatis,de eo quod iudicatum eſt cuiq; bonũ in præſentia.
Hinc offenſio, prout eſt & uoluntas uehemens,& quod bonũ eſſe ducimus magnũ,
multumq; expetendũ:contrarium autẽ malum,damnoſum,& accuratè depellendũ.
Offenſiones omnes eo grauiores ſunt,quo interius penetrant.ſcilicet præcipua pars
cuiuſq; rei ueriſsimè res ipſa eſt, quod eſt in ea intimũ. Itaq; quod illud attingit, rem
ipſam attingit,& lædit,unde offenſio acerrima.quocirca grauiſsimę omniũ offenſio-
nes ſunt in uoluntate, minus graues in ratione, tum in ſenſis, poſtremò in ſenſu cor-
poreo.Nec offendimur ijs,quæ lædunt corpus,ſi uoluntas nõ auerſetur:ut quum ab
amiciſsimis cædimur, quod in alijs cenſeremus eſſe intolerabile.& mendaciũ, quod
pro alio dictũ uehementer nos permoueret,pro nobis ipſis gratũ eſt,quia placitũ uo
luntati. In ſenſione eſt offenſio.quod enim nõ ſentitur,nec offendit:ut homo muſcis
infeſtatur,nõ item elephantus,qui illas nõ ſentit. Idcirco qui delicato ſunt ſenſu,uel
natura ſua,uel aſſuefactione,uel debilitate,celeriter offenduntur. nec de ſolo exterio
re loquor ſenſu, ſed de omni etiã rationis & uoluntatis. Teneri natura ſunt pueri, &
mulierculæ.aſſuefactione aũt quibus multũ indulgetur, ut pueri molliter educati,ſi-
cuti qui à matribus uiduis,principes,diuites,& ij quibus aſſentantur & abblandiun-
tur omnes,repugnat nemo:quibus etiã omnia cedunt ex ſententia.debilitate autem,
ſunt ægri,ſenes,laſsi,famelici,ſitiẽtes,quiq; magnis animi perturbationib. cõflictan-
tur:uelut amoribus,ardentibus deſideriſs,quæ explere nõ poſſunt.Accedũt his uigi-
liæ,anxietates,metus, terrores, omnis deniq; exiccatio corporis, & feruefactio. nam
affectus hic ad calidos & ſiccos refertur:idcirco in ſimilibus cõſtitutionibus corpo-
rum,& qualitatibus locorũ ac temporum facile inualeſcit.Ex inſuetudine quoq; ſen
ſus offenſionis eſt multus & frequẽs.Noui enim & inexperti paſsim offenduntur e-
tiam minutiſsimis omnibus,ſcilicet præſtinguntur,quibus nõ aſſueuerũt.ut qui nun
quam prius domo egreſsi,peregre proficiſcunt,quæcunq; uident fieri à patrijs mo-
ribus aliena,damnãt,atq; abominãtur tanquã abſurda,ſtulta,barbarica:quũ ſint tamẽ
plerũq; potiora,q; quib. domi inſueuerãt.Nõ ſunt adeò delicati homines in uſu rerũ
& experimẽtis uerſati,nec cõſuefacti ,pbra & cõtumelias ferre,ut Socrates:qui in pri
uato patientiã diſcebat,quã in publico prẹſtaret:nec qui aſſultus ſunt fortunę crebrò
perpeſsi.Sunt alię offenſiones cuiq; peculiares,quas eſſet immẽſum pſequi.ut alij ſer
ræ ſtridorẽ ferre nõ poſſunt,alij grunnitũ ſuis,alij morderi lintheũ,alij frãgi prunã ar-
dentem forcipe.Sunt quos offendit geſtus ad certũ modũ cõpoſitus,ſeſsio,inceſſus,
motio manꝰ,locutio:ſunt quos uel ruga alienæ ueſtis.quis ualeat explicare moroſita
tes difficilis huius animantis? nec ipſe tolerabilis eſt cuiq;, nec poteſt alia tolerare.Et
hoc in ſingulis hominũ.quid mirũ,ſi nihil ſit tam probè,tam rectè,tam ſanctè factum,

quod

quod omnibus in multudine placeat? Quidã ex praua cõsuetudine aspernãdi omnia eum traxerũt morẽ ut quibuslibet citra iudiciũ, citra discrimẽ omne offendãtur: quibus etiã hoc sapientię loco est, nihil ne rectissimè quidẽ factũ approbare, in omnibus mira iniquitate iudiciorũ exquirere quod damnẽt. quo nomine plurimũ sibi placẽt, & apud stultos spectatores ingenij gloriã cõsequũtur, quasi uerò nõ sit multo promptius, & cuilibet facilius, ꝓmiscue damnare omnia, quàm inter bona et mala discrimẽ ponere, quod ingenioſi demũ est hominis & cordati. Contrarijs ex causis minuitur & detrahitur offensio. Extremũ offensionis est excandescẽtia, infimũ aũt auersatio, quũ offensio auersione sola & separatione placatur, ut quũ hilaris recedit à tristi, iocosus à seuero, fullo à carbonario, quæ molestia nuncupatur. Excandescentia cõcutit uniuersum corpus, et accendit cor. quũ aũt est cõpressa, nec potest erumpere, cõuertitur in rabiẽ, & infert sibi manus uiolentas: tum extendit se late, etiã in eos, qui nihil offenderũt. ipsa se enim iritat, & exacerbat, & dilatat. Data est homini offensio, ut ad primũ uelut mali gustũ statim resiliat, neu progrediat ulterius, ne fortè ex assuefactione malũ eiusmodi incipiat ei allubescere. Offensioni cõtraria est allubescentia: priuatio aũt, animi æquabilitas & profunditas quædã: ut facile deuoret, quæ alij non possunt perferre.

DE CONTEMPTV.

COntẽptus ex offensione nascitur, quũ malũ eiusmodi est, q̃d nõ nocet quidẽ, sed uile atq; abiectũ iudicatur, ut in homines neq; & perditos. Non cupimus ei, quẽ cõtemnimus, benefactũ: sed nec uolumus eũ lædere, tantũ illudere, & ostẽdere quàm despicẽdus sit, ac pro nihilo habẽdus. cõtemptus odij atq; inuidię acerbitatẽ sæpe diluit, ut nõ tantũ cupiamus illi malefactũ, cùm id q̃d uires nullas habet, conatur tamẽ nocere, & ferocit in imbecillitate. Nascitur apud quosdã odiũ, apud alios non odiũ, sed augetur cõtemptus & irrisio. quale est illud in prouerbio, Mulier gladiũ. Contemptũ sequũtur irrisio, subsannatio, gesticulatio, delusio, auersio oculorũ & auriũ ab ijs, quæ dicit aut facit, despectus, tanquã indigna sint uideri, uel audiri. Pusillanimi suspicaces sunt, & cõtemni se ab omnib. existimãt: quicquid alij agant, aut dicãt, ad sui contemptionẽ rapiũt. unde crebræ querimoniæ, & maledictio. Contẽnitur facile, qui minimũ nactus sit ex ijs bonis, quibus nos plurimũ tribuimus: ut alij nobilitati, alij facũdiæ, diuitijs, animositati, & eiusmodi. In precio est aũt, si alia sit nactus bona nõ minoris æstimãda, ut potentiã, dignitatẽ, gratiam, eruditionẽ: uel si potest multũ lædere, nõ enim cõtemnimus, quos metuimus. Nihil abeo speres, inquit Cicero, quia nolet: nihil ab eo timeas, quia nõ poterit.

DE IRA ET OFFENSIONE.

IRa est concitatio animi acerba, quod bona sua uidet cõtemni, quæ ipse putat non esse contemnenda, in quo & semetipsum censet cõtemni. cuiq; enim precium atque æstimatio ex suis bonis. Ira est motus, iracundia habitus, uel ingeniũ naturale. Ira omnis ex offensione nascitur, nõ est autem omnis offensio ira. differũt enim duo hæc, ut generale & speciale. Sed cõmuni tamen sermone cõfunduntur, adeò ut altera pro altera sumatur, & habent alioquí motus atq; effectus consimiles, tantum distant adiectione cõtemptus, tanquam distinctione formæ à genere. quippe ira sine contemptu nõ est, offensio esse potest. Itaq; irasci dicimur rebus mutis & infantibus, & inanimis, quum nõ ad arbitriũ nostrum nobis parent. nobismetipsis quoq; quũ facti alicuius pœnitet: aut quum aliquid agere conamur, nec procedit. offensio autem est hæc, non ira. neq; enim ineſt in his species cõtentionis: sed ita sunt tamen, sicuti dicebã modò, ira & offensio sensu sermoneq; cõmuni non uulgi modò, sed doctorũ quoq; permixta & inuoluta, ut sæpenumero de utraq; intelligendũ sit, quod de altera dicitur, pariterq; sit præcipiendũ de ambabus. quemadmodũ etiam est genus quoddam inflammationis in pectore, quum concitat se animus, magnosq; ardores ad grande aliquid arduumq; efficiendũ concipit: quod sine ira atq; offensione contingit. nulla enim mali est species obiecta. Irasci tamen uocant omnes, etiam Aristot. ipse, & grandia opera ad partem irascibilẽ referunt, abutentes nomine, quod omnem incensionẽ sanguinis sub ira comprehendunt. est hoc autem inflammatæ cupiditatis. Sed redeamus ad propositum. Neglectio pro contemptu ducitur, apud eos præsertim qui maximã habent de seipsis existimationẽ, aut si sua bona putant omnib. præferẽda, & uenerabilia.

de

de quo numero ſunt nobiles,milites,facundi,formoſi,ſuperiores quocunq; genere bonorũ,cenſent exhiberi ſibi reuerentiã oportere:adeò quũ non fit,cõtemptos ſe interpretãtur.Signa,ex quibus cõtemptionẽ colligimus,nimis multa fecit humanæ ſuperbiæ ſuſpicacitas,dicta,facta,riſus,nutus,geſtus,motus corporis:& quum uires nacta eſt ſuſpicio,nihil nõ eódẽ rapitur.Eſt motus quidã offenſiõis naturalis,aduerſus eum qui læſit corpus,qualis eſt in feris.eſt alter,qui ſubitò quidẽ exiſtit,& quaſi ſine tempore ad primum tactum cõtemptus,ita ut nõnulli naturalẽ eſſe ducant,et indicio anteuertere.is nonnunquã fit ex bile immodicè inflammata,aliàs uerò nõ ex iudicio à cõtemptu orto ſubito,ſed ex illo quod in animo habemus præceptũ,& confirmatum,bonos eſſe nos,doctos,generoſos,induſtrios,præſtantes,oportere nobis honorem exhiberi,& reuerentiã,non oportere nos cõtemni.ex hoc iudicio informato intus atq; infixo ſubito ira incaleſcit,ubi primũ contẽptus uel procul ſeſe protulit,ac oſtendit.Ira et uehemẽs offenſio peruertit mentẽ,ne recordetur iuſti ac pij,nõ beneuolentiæ,nõ neceſsitudinũ.nam occiderũt quidã uxores & chariſsimos liberos irati,& prodegerũt opes auari,ambitioſi honores ſpreuerũt:& hæc omnia ex alio impotẽtiore amore.Atq; indulgẽtia ſui tenerrima obtenebrat iudiciũ,negligit ſe,modò irruat in ultionẽ:eſt planè cæcitas mentis. extenditur adeò,ut ſe uellet ulciſci uel cum iactura cœli,terræ,generis humani:& indignatur, quòd in ultionẽ ſuam non etiã aſtra ipſa cõſpirent,& cõcitentur.Iraſcimur nõ ſolũ uni alicui,qui nocuit, ſed toti nationi propter eum:ut Dido Troianis,& poſteris eorũ,propter Æneam. Sed fortaſsis hoc magis odium fuerit,quàm ira,ut Ariſtoteli placet,Seneca iram eſſe dicit.Quidam libenter immorãtur,nõ in ira,ſed in reputatione ultionis,quæ eſt res homini grata,quibus incõmodis afficeret eum,qui læſit.Inducit furorẽ mentis,quum eſt uehemẽs,& inſaniam,ſicut in Aiace:alios item morbos,et mortẽ.L.Syllain Puteolanũ quendã excandeſcens interijt.In corpore uerò horrẽdos edit effectus,& uiro indignos. Efferueſcit enim ſanguis circa cor initio offenſionis,corq; ipſum turgeſcit,unde eſt frequens illa palpitatio in pectore:ſed nondũ eſt ira tamen,nec offenſio,quouſq; ardentes illi à corde ſpiritus cerebrũ inuaſerunt. quantumcunq; enim pectus incaleſcat, ſedatus erit homo,& quietus,ſi calor ad cerebrum nõ penetret:quemadmodũ nec ebrius eſt,qui multũ hauſit uini,ſed cui uinũ caput percelluit. Celerrimè igitur exardeſcũt, quibus humores in cerebro ſunt præferuidi.inde eſt etiã mutatio uultus,trepidatio oris, impedimentũ ſermonis,& alia uiſu teterrima,beluæ planè,nõ hominis. Et ſunt adeò ſtolidi nonnulli,qui prẽter eam deformitatẽ,quam ira foras promit,& depingit in facie, gaudẽt efferare uultũ,& geſtũ uniuerſi corporis.Irati alij pallẽt facie,refugiẽte ſanguine ad cor:hi ſunt animoſi.alij rubent,aſcendente ad caput:iſti ignauiores.Et ut eſt ira dolor,quod bona ſua,quæ putat nõ aſpernẽda,cõtemnuntur, ideo uult oſtẽdere ſua bona nõ eſſe parui æſtimãda.idq; ſe aſſecuturũ credit oſtẽſione potẽtiæ, & præcipuè nocẽdo:unde appetitus ultionis,qui eſt ei cõmunis cum offenſione,odio & inuidia. Ariſtoteles aliquot ponit diſcrimina inter odiũ & iram. Odiũ, inquit, creſcit tempore,ira minuitur.ultio iræ,eſt dolorẽ reponere:ultio odij,eſt malefacere,& ualde nocere.ira uult ſentiri ſuã ultionẽ:odiũ id nõ curat, modò malefaciat. itaq; mortẽ inimico adfert,uel quod mortis ſit inſtar,truncationẽ membri,morbũ,egeſtatẽ,carcerem,exilium,uitiũ quoq; aut dementiã.ut olim Cretenſes,qui inimicis ſuis nihil imprecabantur aliud,quàm ut rebus malis delectarentur,& aſſuefacerẽt.Iratus dolet,odiens non dolet.ira & offenſio facit potentes formidoloſos,impotẽtes autem ridiculos:ut pueros et mulierculas.at eo magis,ſi iactent uerba grandia,et tragica,& ad potentũ imitationem minẽtur dira atq; horrẽda.Seneca totam iram ſubitò dicit exiſtere,cui meritò Plutarchus refragatur.creſcit enim ex ſuis cauſis,ut ignis fomẽto ſubiecto. Gliſcit porrò ex eiſdẽ,quibus de cauſis erat orta:nempe ex cõtemptus opiniõe,per loca argumentorũ omnia,ex eo in quo eſt tenero,delicato,laſſo,ægro,famelico, amante-iuxta uetera prouerbia, animo cupienti nihil ſatis feſtinare,à laſſo rixam quæri,fame ac mora bilẽ cieri.adeò ut in aliquibus horum feruor hic naturalis ſit,ut dixi,& iudicio prior.Qui inſueti ſunt accipere iniuriam,ijs offenſio eſt intolerabilior.In imbecillib. acuta eſt ira,& prompta. putant enim ſe deſpici,quia inualidi,& ex moroſitate ſunt ſuſpicaces,

ſuſpicaces. Omnis etiã infirmitas, magnã habet ſuſpicionem de cõtemptione ſui à ſuperiore. ideo facile ſtomachatur, & illũ ſuperbiæ inſimulat. deniq; quiſquis ita de ſe ſentit, ut facile cõtemni ſe putet poſſe: ſenes, ægri, inopes, ignobiles, ignominioſi. Aquæ potores uehementes & iracundi ſunt, quia tenues habent ſpiritus, qui citò corripiuntur ab incendio iræ. Qui uinũ potant uel ceruiſiã, craſsiores habent, & ad incendendum minus faciles. Studioſi homines, quod ob laborem cogitandi, calor ad cerebrum rapitur, ubi ſedes eſt iracũdiæ, huic affectioni ſunt obnoxij, teneri quoq; et delicati, quibusq; multũ indulgetur. Ideo grauiſsimæ ſunt iræ principũ & diuturnæ, quibus omnes nõ ſolum indulgent, ſed adulantur. Ex loco, magiſtrũ cõtemni in ſchola: tum in locis calidis, ſtomachoſi. Ex ijs qui in loco, apud hos aut illos. permagni etiam refert, apud quẽ fiat cõtemptus. Moleſtius patimur, ſi apud eos contemnamur, apud quos cupimus eſſe quàm honoratiſsimi. Ex tempore, quũ iret ad petendã dignitatẽ, quũ coronatus: ut Demoſthenes cõtra Midiam, in meſſe detineri agricolã. Eſt & ſtatus rerum: grauior ducitur contumelia, ſi propter præſentem fortunam ſimus deſpectui, quũ aliàs fuerit proſperior. Ex agente cõtradicenti iraſcimur, quia uidetur parui facere noſtrũ iudiciũ, & maxime quũ de nobiſmetipſis cenſetur. Si minor eſt ea in re, de qua nos aſpernatur, ut de nobilitate, de opibus, de eruditione. ſi amicus, ſi affectus beneficio à nobis aut noſtris, aut ipſe, aut aliquis eius neceſſarius: ſi uolumus, aut uoluimus prodeſſe. in quo eſt ſæpe offenſio magis, quàm ira. ſicuti in hoc, ſi nõ referant debitã gratiam: & tanto magis, ſi damnũ reponant pro beneficio. item ſi is qui debet ſubuenire potius, quàm aſpernari: ut filius, pater, princeps. eſt enim officij uel prętermiſſio, uel uiolatio. Sed ira eſt, ſi à familiaribus, à quibus cõtemptus eſt, multo acrior: quoniã quum ij nos negligũt, qui exiſtimãtur nos optimè nouiſſe, iure habemur pro deſpectis. Si ab his, à quibus ſoliti ſumus honorari: ſi nõ honorẽt, uel neglectim prætereant, uel etiã afficiãt probro aut cõtumelia, cõtemptio cẽſetur intolerabilis. Ex inſtrumẽto, ut ſi quis percuſsit pugno, uel palma, uel harundine. Ex modo actionis: iraſcitur uehemẽter, qui quid ualde cupit, iraſcitur, ſi quis cõtrà ueniat, ſiue cõtrà uenire uideatur: etiã ijs qui ſecũ nõ cõſentiunt, & nõ unà incandeſcunt. mouẽt nobis ſtomachũ, nõ ſolũ ij, qui affecerũt cõtemptu, ſed qui nunciarũt, qui retulerũt. ut ille qui uulnerauit recitantẽ carmẽ cõtra ipſum cõpoſitum: qui refert, inquit, carmẽ de me maledicum, is facit. Patet hoc latiſsimè ad omnẽ eum qui quoquo modo fuit cauſa etiã remota, & ſegnis: nõ quæ quid egerit, ſed cuius quid occaſione eſt actũ, aut præbuit occaſionẽ, aut potuiſſet impedire, ſi uoluiſſet. quippe in his omnib. reſidet uel deſpectus uel neglectus quidã. Incãdeſcimus, ſi parui pendat id, ꝙd nos plurimi facimus, ſiue in nobis, ſiue in alijs, & de quo uolumus æſtimari magni uel nos, uel chari noſtri: ut philoſophus, ſi philoſophia uituperet: homo militaris, ſi militia: atq; eo magis, ſi ab hominib. inexpertib. illius rei id fiat, nẽpe à rudi, ab imbelli. Qui adferre ſe bonũ aliquod putat alteri, uelut lætũ nunciũ, uel munus, ſuccẽſet ei qui negat eſſe tale. uidetur enim parui facere, id quod ille ducebat eſſe amplũ, & quod attuliſſe gloriabat. Si quis gaudeat infelicitate noſtra, grauiſsimè offendit. Iraſcimur nunciantibus aduerſa, ut Agamemnõ Calchanti, quẽ uocat μοδνστιν κακῶν: et ijs qui triſtitia noſtra ſpectauerũt, uel audiuerũt, quoniã nõ uidentur curare dolorẽ noſtrũ. gerũt enim ſe tanquam uel cõtemnentes, uel inimicos, uel pro nihilo habẽtes. nam amici, aut qui reuerẽtur, condolent, indignãtur, uindicãt. atq; eo impatiẽtius iritamur, ſi arriſerũt, ſi oſtenderũt placere ſibi noſtrã deformitatẽ. Succenſemus ijs quoq;, qui noſtra ſeria uertũt in ioca, & ſcommata admiſcẽt. nam uidẽtur cõtemptim eludere. Exardeſcimus & in eos, qui omnib. benefaciũt, ſi nõ etiã nobis: nam id ſpeciẽ præ ſe fert incuriæ. tum qui nobis multũ rogantib. denegarũt: in quo interdũ ſubit inuidia, uel odium. Obliuio quoq; iram parit: nam eſt neglectio. ut etiã iniquo animo accipiãt quidã, ſi alieno nomine cõpellentur ſcilicet, uidemur illos nõ curare, & præterire tanquã uiles. Ex fine, ſpoliauit, ut derideret aut illuderet. Ex cõtingẽtibus, quũ cõtemptus præter aut cõtra opinionẽ accidit. eo eſt enim acerbior. Ex ijs, quæ ante rem, ſi pares amici: ex ijs quæ poſt rem, ſi ad eam contemptionẽ uidetur ſequi diuturna ignominia, nobis, familiæ, nationi. Incẽdimur nonnunquã autoritate ſola, quum nos nihil cauſæ cernimus ad animũ concitandum.

urgen-

urgent tamen & ſtimulant nos propinqui, affines, neceſſarij, ſuperiores, quibus nos animũ noſtrũ nõ permittere pro flagitio habetur. ita non ſatis eſt, affectus tam uarie in nobis pullulare, niſi etiã iuſsi accipiamus. O quàm dolẽdum eſt, tot ex cauſis naſci augeriq; monſtrum hoc adeò pernicioſum humano generi. Sunt qui iram etiã poſtquàm præterijt, ſimulent ex ſuperbia, ne ſine cauſa uideantur excanduiſſe, & opera agunt iratorum. Sapienter Seneca: Multos abſoluemus, ſi cœperimus ãtè iudicare, quàm iraſci. nunc autẽ primùm impetũ ſequimur: deinde quamuis uana nos cõcitauerint, perſeueramus, ne uideamur cœpiſſe ſine cauſa. & quod iniquiſsimũ eſt, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. retinemus enim illã, & augemus quaſi argumentum ſit iuſte iraſcendi, grauiter iraſci. Sic ille. Feruor ille à pulmonibus extinguitur, quum illos conus attigit cordis. Quoſdã uidemus breuiſsimo tempore facere finẽ ultionis cupiẽdæ, propter pulmones paratos, & raritatẽ ſanguinis circa cor, qui ſtatim reſtinguitur, ut ſtupa incenſa. Lentiores ſunt ad irã frigidæ temperaturæ, ſed in ea pertinaciores. Itaq; iuuat ratione uictus uti moderata: ut cibi ac potiones ſint frigidæ, & in biliosis craſſę, ſomnus largior, ges, actiones remiſſæ. Deferueſcit ira minuta, uel opinione contẽptus, uel ultionis cupidine, uel quia nos ſimus obliti, uel quia auertimus cogitationem. quapropter utile eſt ſe ad lætiora transferre. Ita deferueſcit facile feſtis diebus, celebritatibus, ludis, cõuiuijs, hilaritate, rebus proſperis, & ſucceſſu. Riſus & feſtiuũ aliquod reſpõſum diſſoluit offenſas: quomodo Tarentini iuuenes placarunt infenſum Pyrrhum. Obtunditur etiã quia illi quorũ iudicium magni æſtimabamus, & à quibus dolebamus nos deſpici, ſunt iam obliti: uel quia mortui, uel quia diſceſſerunt, ubi uel non aſpernabũtur amplius nos, uel iam illorũ aſpernationẽ illic non curamus. uel nos cernimus: uel illi ſunt diminuti, ut ridiculi ſint potius, ſi faſtidium præ ſe oſtendãt, q̃ curãdi. Ceſſat ira, quũ declaratũ eſt nõ fuiſſe cõtemptũ, quem credebamus, ut quũ quid fecit homo ſtultus, aut imprudẽs, aut imperitus, aut morbo aliquo demẽtiæ laborãs, ut nõ poſsit recte iudicare. adhæc aſſuetus, aut inuitus, & qui coactus facit: eiuſmodi enim nõ contemnũt. ut quũ iniuria ad neceſsitatẽ ineuitabilem refertur, uelut ad diuinã uoluntatẽ, cui nemo poteſt reſiſtere: aut imperium regis, uel tyranni, uel eius omnino, qui poteſt extrema ui cogere. Item qui alteri nocet, ut ſibi proſit. nõ enim is dicitur cõtemnere, & malunt homines à perturbatis agitatione animi aliquapiã iniuriã accipere, quàm à quietis, & ocioſe ſtatuentib. Nec eſt cõtemptus, quũ prætenditur factũ quid eſſe à conſiſis beneuolẽtia aut humanitate & placabilitate alterius, potius eſt opinio quædã excellentię. Accedit his, quũ nouo honore opinio utilitatis adimit. Porrò quũ animaduertimus, uel amiciſsmos noſtros, & quorum affectus ducimus p̃ noſtris, nõ iraſci, & iudicare nõ eſſe cõtumeliã, miteſcimus ex autoritate: quẽadmodũ contrà ex autoritate cõcitamur, ut modò diximus. item quum uidemus iniurioſo illi multos iraſci, atq; indignitate permoueri, placamur: ſcilicet manifeſtò tunc apparet, male illũ de nobis iudicaſſe, & tot iudicijs in cõtrarium acquieſcimus. Quid, quod eſt uelut genus quoddã ultionis, tam multos uni eſſe infenſos? Iam uerò quũ pœnitet eum, qui nos offendit: nã hic pœnã paſſus eſt ex pœnitẽtia. qui fatẽtur ſe erraſſe, minuunt noſtrã iram: qui negant ſe feciſſe, quod accuſantur, quia nõ admiſerũt cõtemptũ quẽ ſuſpicabamur, uel quia metuũt nos, & ſuperiores fatẽtur eſſe. Quum autẽ eſt offenſio, nõ itẽ ira, magis accẽdimur, ſi exiſtimemus eos mentiri: ut erga filios, uel famulos uel diſcipulos. iritamur enim impudẽtia eorũ, uel cõtumacia. Quum quis ſe nobis ſubijcit, lenit animũ: quod animaduertere eſt in feris. Si quis afficiat nos magno aliquo beneficio, in eum miteſcit ira. Subijcitur etiã qui eget, qui rogat, qui in calamitatem incidit. Deferueſcit bilis, ſi inuiſi reuereantur nos, & metuant. hæc enim ſubiectio eſt cõtraria deſpectui. Adde, quũ ipſi nos damnamus, iudicãtes iuſtè pati ac meritò: quod fecit Dauid erga Semei. quippe nõ tum noſtra bona magnifaciẽda arbitramur, maliciã noſtram reputãtes. Et ut bilis accenſa parit facile offenſionẽ atq; irã: ita quũ ſe remiſit, extinguitur illa quaſi perturbationis flãma. Quocirca bilim refrigerare, quod paulò antea monebã, ualde cõducit, uel cibo, uel potione, uel ablutione, uel ſomno, uel cœlo aperto, & aſpectu amœnitatis. Ideo qui cõuiuijs & genio crebrò indulgẽt, tũ offendũtur rarius, tum offenſionẽ re-

mittere prõptiores sunt:ut gẽtes ad Septentrionẽ.Multũ ad irã excludendã facit,prę cognitũ habere & persuasum,homines ferè oẽs iniquissimè de rebus statuere, uel ex praua aliqua libidine animi:ut magis ipsi,qui cõtemnunt,contẽnendi sint, uel miserandi uerius:tum de seipso nõ magnificã habere existimationẽ,sed nosse se, quàm ex multis uicijs,erroribus,imbecillitate,uilitate cõpactus sit,& cõcinnatus. Tributa est homini ira ad appetitũ rerũ excellẽtiũ,ut quũ uideat se,ac doleat, ob uiles abiectasq; actiones reijci ac contemni,det operam,ut se ab illis uindicet,transferatq; ad præclaras,quæ contemni iure non possint.

DE ODIO.

ODium est offensio radicata,qua quis cupit grauiter illũ lædere,in quẽ tendit ofensæ existimatio.nõ enim ad cõiunctũ modò tempus,aut præteritum offensio hæc se porrigit,sed ad uenturũ quoq;,& possibile.Itaq; odimus eum qui læsit, qui lædit,qui lædet,quẽ lędere arbitremur posse.Suspicio magnũ hic regnũ obtinet,in qua uel meticulosum nostrũ ingeniũ sequimur,uel coniecturã ex ratione aut experimentis,quòd alios læsit, quòd eius parentes aut propinqui læserunt, quòd qui tales sunt solent lædere:ut qui robusti & animosi absq; mẽte,& feræ famelicæ uel irritatæ. eoq; multorũ iniurias experti minus quidẽ & rarius offenduntur,sed magis timent, & suspicaciores sunt,unde procliuiores ad odiũ:nisi si bonitate naturæ mitigentur,aut sapientibus cõsiderationibus,ut Socrates Athenienſis. Et brutæ animantes eã oderũt imaginẽ,sub qua fuerunt aliquãdo læsæ.Ignaui homines in odiũ sunt proni: quippe qui undiq; imminere sibi dãnum metuunt.itaq; oderunt omne genus uiriũ ac potentiæ,à quo lædi possint siue in animo,siue in corpore,siue in fortunis. Vnde existit magna in potentioribus formidolosis sæuitia,qualẽ de Caligula,& Nerone,alijsq; ignauis principibus accepimus.Et qui in homines potẽtes peccarunt,grauiter illos oderunt metu pœnæ,uellentq; eos sublatos,ut ipsi agerent secure.hinc sententia illa,Offendentẽ nõ ignoscere.Causæ uehementes odij sunt cuiq;,ut quisq; res æstimat.Ambitioso grauissima est,aliquid cõtra suã existimationẽ dixisse,fecisse,cogitasse: auaro contra cõmoda,religioso cõtra pietatẽ,bono ciui contra patriã,remq; publicã.Quòd si animũ prius amor occuparat,hoc abolito facilius subit odiũ,ut quũ quid deprehẽdimus nõ esse quale arbitramur.Acrius autẽ exasperatur odiũ,cum deprehendimus contrariũ:ut esse auarũ,quẽ de benignitate diligebamus:esse segnẽ,quẽ de strenuitate.Idẽ cõtingit,quũ amori opponitur odij causa,quæ prægrauet.ut spoliatos esse nos ab hoc,quẽ liberalẽ erga alios esse deprehendimus. Odiũ ex frigidis est & siccis, idcirco eiusmodi personis,locis,temporib.inualescit:ut melancholicis,hyeme,morbo, egestate,fame,infamia. Agit quidẽ in his altius radices odiũ, sed iners & segne: acuitur autẽ ad acerbitatẽ calore. Sunt ad odium procliues superbi, & inuidi,& naturali quadã maleuolẽtia prædicti,quiq; illã assuefactione cõtraxerunt, soliti malis hominũ gaudere.Qui tenerrimè sese amant,leuibus de causis oderunt alios.semper enim lædi sese autumant, iniuriamq; sibi fieri interpretantur. Confirmatur atque augetur odium à frequenti ira:unde & odiũ dixerũt quidã,irã esse inueteratam. Itẽ ab inuidia, quod est omniũ incitatissimũ atq; atrocissimũ:citiusq; odiũ placatur, ortum à grandi quapiã iniuria uel cõtumelia,quàm ab inuidia.Odiũ ex metu auertit cogitationẽ:nõ enim libẽter de eo cogitamus,quo terremur.ex ira autẽ,uel inuidia,crebrã reputationẽ adfert,siue in nostris prosperis,ut inimici doleãt:quẽadmodũ apud Comicũ Gnato Parmenoni: Nunquid uides quod nolis? in aduersis autẽ,ne inimici lætentur:quale est illud Nestoris Homerici,Gaudebit hac nostra dissensiõe Priamus.Idcirco quãtum possumus,cauemus,ne illi tristes nos esse sentiant, aut demissos: nisi fortè cũ de industria odiũ inuidiæ defugimus,sicut Dionysius Corinthi.Gaudemus uerò, cùm quos odimus,male habẽt:atq; eo magis, si in eo quod nos offendit:ut uires esse adẽptas insolenti,autoritatẽ arrogãti,diuitias diuiti,prauè illis utenti.Ex lęta boni sensione amor nascitur,ex amaro sensu mali odiũ.Bona autẽ propter naturæ nostræ imbecillitatẽ nec pura sunt inquã,nec diuturna,sensumq; sui exiguũ relinquũt: mala uerò cõtrà,quoniã in nobis inueniunt,ubi insideant, atq; infigant,& lõgiora & grauiora sunt,diutinumq; uestigiũ sui imprimũt. quo fit, ut odiũ citius in animis nostris proueniat

ueniat,q̄ amor & maiores agat radices, & ſtabiliores ſint illius ſtirpes ac fibræ:uidelicet quod in nobis inuenit ſolùm ſibi cõuenientes. Rectè Cicero: Cui dolet, meminit:cui placet,obliuiſcitur. Ex odio ſuppullulat maledicentia,& quũ incanduit,acerbitas,ac ſæuitia. Amor ſtimulat ad bene agendũ,odiũ aũt auertit à bene agẽdo, & ad nocendũ impetit,ac ſollicitat.ideo ſerit inimicitiarũ ſemina:& aſtutè dat operam, ut quẽ odit,incidat in periculũ,uelut in irã eius,qui multum poteſt lædere. Quomodocunq; enim ſiue per ſe,ſiue per aliũ,clàm,palàm,cupit ille male euenire. Hebetatur odium reb. calidis ac humidis,rebus lætis,ac ualde proſperis. Tum ijs oppoſitis, quæ amorẽ pariunt,aliàs potioribus,quàm erant odij cauſæ:aliàs paribus, interdũ quoq; leuioribus,ut quiſq; eſt pro tẽpore affectus. Adimitur miſericordia, tollitur ſpe, aut cupiditate certa aliquid ab inimico adipiſcendi, q̄ utile aut iucundũ credamus fore, dignũq; ut illũ de eo munere diligamus. Diluitur itẽ maiore aliquo & grauiore odio aut aliarũ rerũ magni momenti cura & ſollicitudine. Sublatis quoq; odij cauſis, contingit aboleri odiũ:ut quũ quis eſt mutatus, atq; hoc prõptius,ſi qua ſubſit alia amandi cauſa:ut quòd propinquus,neceſſarius,eruditus,reipublicæ utilis, quòd redijt ad frugẽ meliorẽ. Contẽptus rerũ terrenarũ,& erectio animi ad cœleſtes illas ac ſempiternas,frangit odia atq; inimicitias. Quid enim illi, qui in cœleſtẽ patriã eſt intentus, cum offenſiunculis breuis huius peregrinationis? Debilitatur etiã odiũ,ſi quis aſſueſcat,quæ alij fecerint,aut dixerint,in meliorẽ partẽ deflectere. auferetur enim ea cogitatiõe origo offenſionis,ac proinde odij quoq;.

DE INVIDIA.

BOnum quod alteri cõtigit,quatuor modis poteſt cõſiderari.nã uel nocet nobis, ut quũ noſtra bona fiũt minora applicatione aliorũ,quæ maiora cenſeãtur:quẽadmodũ quũ ſublatis in altũ uicinis parietibus,officitur noſtris luminibus,in quo eſt dolor quidã naturalis.nã orbatio bonorũ ꝓ malo eſt. Altera eſt ratio boni alieni, quũ non nocet illud quidẽ nobis,ſed dolemus,q̄ nõ tantundẽ nobis euenerit:quę eſt cupiditatis ſpecies quædã. Tertia eſt forma, quũ nollemus alios cõſequi, quod nos ſumus cõſequuti,aut quod nos expetimus,aut quod cõcupiuimus, nec potuimus aſſequi. Maior eſt hæc inuidia,quũ de ijs bonis,quæ nobis oportere adeſſe cẽſemus,nec adſunt:aut quæ alijs cõmunicantur,quũ nos propria eſſe nobis oportere iudicamus, ut dignitatẽ in nobili. Hæc ſpecies uocatur zelus. Quarta eſt forma,quũ id ſolũ dolet nobis abſq; ullo reſpectu noſtrarũ utilitatũ:ſed tantũmodo q̄ iudicamus malum eſſe nobis,alios bene agere, quæ eſt germana & maximè propria inuidẽtiæ natura, qualis eſt diaboli,& filiorũ eius. Sed aliæ quoq; ſimilitudine quadã inuidiæ nuncupantur. Eſt ergo inuidia,animi cõtractio de bono alieno, in qua contractione ineſt morſus quidã,& dolor. itaq; mœroris eſt pars. Bona autẽ, quibus potiſſimũ inuidemus, ea ſunt ad quæ ſequitur preciũ,exiſtimatio,honor,decus,gloria. alijs enim non perinde inuidetur,ut acumini ingenij,amplæ eruditioni,ignobili,aut uirtuti neglectę:quę ſi magno æſtimentur,inuidia protinus illa inſequitur, non propter ipſa, ſed propter preciũ. ita ut decus potius & honorẽ inuideamus alijs,quàm uera illa bona,quib. honor defertur. Inuidia ferè ex ſuperbia naſcitur,ſuperbus autẽ ſublimia hæc & ſpecioſa magis ambit,quàm uera bona,& ſolida,quorũ illæ ſunt quaſi umbræ quædã. Quo circa ſuperbi natura ſunt inuidi. ex cupidine nanq; præcellendi inuidia oritur: & eo magis inuidet quis,quo inanior eſt à bonis,quæ cõcupiſcit:neq; is eſt,qui uideri affectat. Itaq; puſillanimi,inuidentes ferè ſunt:ut Iob inquit, Paruulũ occidit inuidia. Prę clarè Cicero:Neminẽ alterius,qui ſuæ uirtuti confideret, inuidere bonis. Inuidia,res eſt abiecta,et ſeruilis. quoniã quiſquis inuidet,maiora aut potiora iudicat alterius bona,quàm ſua:aut certe id ne cõtingat,metuit. quocirca nemo audet fateri,ſe cuiquam inuidere:citius dixerint iraſci ſe, aut odiſſe,aut etiã timere. minus enim hæc ſunt turpia,& iniqua. Itaq; qui odit,& qui iraſcitur,& qui mœret,& q̄ timet,& qui amat,affectum ſuũ audet retegere:unde maxima animi cordisq; alleuiatio cõſequitur. qui aũt inuidet,cõprimit animi miſeriã illã impẽſo ſtudio,ne ſe proferat: unde magna corpori accidunt incõmoda,pallor,liuiditas,macies,oculi profundi, aſpectus obliquus,& degener. Leonũ generoſitas nec limis unquã aſpicit,& ſic ſe aſpici fert indigne. In animo intẽperiæ ac furiæ tumultuantur clauſæ,& cohibitæ, quo nullũ poteſt eſſe tor-

mentũ par. Recte illi, qui inuidiã dixerunt esse iustissimã: quippe quæ inuidenti esset meritũ suppliciũ. Delectãtur inuidi maledicẽtia, & carpunt quicquid inuidiosus uel dicit, uel agit: ut notã aliquã inurãt, aut maculã aspergãt, & quæ recta sunt, in peiorem partẽ detorqueãt: nõ tam quòd ipsi ea mala iudicẽt, cũ ut alijs mala uideãtur. Tametsi inuidia, quũ nacta est uires, deprauat iudiciũ, uehemẽtius etiã quàm affectus reliqui: & quãlibet minuta censet esset ingentia, & turpissima quę pulcherrima. quam in rem multũ facit odij acerbitas. Habet enim inuidia omnis odiũ ingenitum, et quidẽ atrocissimũ. quippe odium ex ira mitigatur facile, ex offensione autẽ satisfaciendo tollitur. Inuidia uerò nec cicuratur, nec patit sibi satisfieri, imò iritatur beneficijs: ut ignis in naphtha accensus, qui infusione aquæ maius incendiũ excitat. unica ratione amittit uires, si felicitas, quàm inuita uidet, tollatur. Itaq; inuidia miserũ uellet efficere, odium uerò omnino perdere. inuidia quoq; idẽ conatur, quum aliter nõ potest miseriã adferre. exardescit quoq; in grauẽ odij rabiẽ. unde exitium cõcupiscit eius, cui inuidet. Quarta inuidiæ species ad omnia sese bona porrigit: tres priores ad ea tantùm, quæ posse nos quoquo modo consequi arbitramur. itaq; inter compares & similes sunt maxime: ficuti figulo inuidet figulus, & egenus egeno, & uates uati, iuxta Hesiodi dictum. uidelicet dedecus est, quum sis in eadem nota, non per omnia esse parẽ: & naturaliter pũgit hominẽ, nã uelut iniuriã uidetur accipere, si melius habeat, qui non habetur melior. quũ uerò alter est superior, cessat uel dedecus, uel querimonia. Cõpares & cõsimiles uoco, in quacũq; boni comparatione, etsi in alijs sint ualde dispares: ut rex musicus alijs musicis, quemadmodũ Nero Cæsar Græciæ artificibus, hominibus de plebe infima. docti fortuna dispares, fortunati eruditione ac ingenio inæquales. utiq; quũ in fortunæ cõparationẽ uenitur: sicut ille, cùm de peritia. Nec ueritas similitudinẽ hãc aut dissimilitudinẽ metitur, sed cuiusq; existimatio & iudiciũ. Sunt extremæ cõditionis homines, qui regibus opulentiam suam & felicitatẽ inuidẽt, & magna demẽtiæ persuasione pares se esse regibus gloriãtur. alij se iudicãt regno digniores, & succensent quòd ille rex sit, non ipsi. & quidã inter furiosos cõstricti, uilissimæ prosapiæ, ad se clamãt regnũ iure pertinere: quales uidimus aliquot hîc, & in Britannia. Eundẽ in modum euenit de literatura, de omni arte, disciplina, præstãtia ingenij. Hominẽ noui, uix ultra prima progressum elemẽta, qui se de eruditione nec Thomæ Moro, nec Erasmo Roterodamo iactaret cõcedere. Inuidia de bonis animi lõgiores habet decursus, quã de bonis corporis, uel externis: quoniã decus & æstimatio illorũ bonorũ nõ nouit finẽ, uti nec bona ipsa, quæ in immẽsa ui animi latissimè sese porrigũt. contrà autẽ, corporalia breuiores habẽt metas, siue in crescẽdo, siue in usu, siue in precio. Videre hoc est in offensione, quũ ludendo uincimur. grauius enim id ferimus, quũ in ludo id cõtingit multæ industriæ, ut latrũculis, uel aciebus: quàm in quo solũ dominatur sors, ut in taxillis. Lãguescit inuidia felicitate eò usq; progressa, uel in nobis ipsis, uel in æmulo, quæ omnẽ æqualitatẽ tollat: sicut in fortuna Alexãdri, quẽ odisse poterãt multi, inuidere nemo. Opprimitur enim inuidia magnitudine, non aliter quàm fumus ingẽti flãma. Vicissim Hadrianus Cæsar nactus principatũ, quũ obuius ei esset factus æmulus quidã: Eurasisti, inquit, periculũ. Tametsi quartũ illud genus inuidentię nõ nouit discretiones: omnia inuadit, & lacerat. Vertitur itẽ inuidia in misericordiã, si in locũ felicitatis succedat miseria, & ferè ita fit, ut inuidi sint ad misericordiã proni, & misericordes ad inuidentiã. Contẽptus, quia miseriæ pars est, inuidiã retundit. quod Dionysio inferiori contigit, quũ deuolutus tyrannide, abiecte despecteq; Corinthi cõsultò uersaretur. Ægrotis, senibus, pueris, minus inuidemus: quòd eorũ infirmitatẽ miseramur, senibus & ægris uidetur instare finis curriculi huius: pueros ad eã magnitudinẽ nescimus peruẽturos, quã nos nollemus. Et alioqui pueri, ut animãtes omnes teneræ, amabiles sunt, propter innocentiã ac simplicitatẽ. Extrudi tur minor inuidia à maiore, hoc est de reb. quas nos multo pluris facimus. Opprimitur etiã metu grãdis alicuius mali. intento enim in periculũ impendẽs, nõ uacat inuidere. Flaccesit inuidia erga ꝓcul dissitos uel loco, uel tẽpore: ut erga eos, qui lõgiss i me recesserunt: & in mortuos, nisi si res aliqua cõiungit eos, & ceu præsentes reddit, ut cùm ad cõparationẽ æstimationẽq; reuocãtur uel ingenij, uel eruditionis, uel monimen-

nimentorũ,uel rerũ geſtarũ,uel nobilitatis, uel diuitiarũ atq; opũ,aut rerũ eiuſmodi Inuidia cõmunicata fit minor.deteritur enim noſtra inuidẽtia ex aliena aduerſus eundem,tanquã ille iam fiat miſerabilis,cui tam multi male cupiunt.adeò ut etiã quidam bene de ijs & loquantur,& ſentiant,quibus inuident, quũ alios uident male de eiſdem loqui, ſuprà quàm exiſtimẽt par eſſe:uel cum uituperari audiunt in eo illa, quæ ipſi potius laudãda cẽſeãt.Permouetur enim animus rei indignitate, quòd mala exiſtimet bono accidere:& hanc putat eſſe ultionẽ,ſi cõtrà dicat,& approbet,quæ illi reprobãt,ut eos male urat.Quarta inuidiæ ratio iniquiſſima eſt prorſum,nec à Deo indita,ſed à Dei inimico diabolo per peccatũ inuecta.Reliquæ tres,ſtimuli ſunt,ut magna bona uelimus parare,& cõſeruare.

DE ZELOTYPIA.

IN tertia parte inuidẽtiæ eſt zelotypia,quæ (ut uerbũ ſonat ipſum)zelus eſt de forma.Ea eſt metus,ne quis,quẽ nos nollemus,fruatur forma aliqua, id uerò dupliciter:uel ut nos fruamur ſoli,uel ut is fruatur ſolus quẽ ipſi uolumus. nam & de liberis & ſororibus,& de matribus,& de pupillis,& curæ noſtræ concreditis, tangimur zelotypia:nõ ut nos illarũ fruamur forma,ſed ne alij cõtra ius et fas,id uerò malũ eſſe cẽſemus,uel nobis,ut ignominiã aut pœnã : uel illis ipſis, quæ nobis ſunt charæ,ut decus uel flagitiũ. Zelotypia autẽ fruitionis noſtræ ex cupiditate noſtra naſcitur,quæ eſt uel uoluptatis,uel poſſeſſionis,uel proprietatis,uel decoris. Ex quarũ cupiditatũ incremẽtis & decremẽtis,augetur & minuitur zelotypia.Nã uel uoluptatẽ exiſtimamus eſſe tantã,ut ſoli uelimus perfrui:& extènuari credamus,ſi cõmunicetur: uel cupimus poſſidere,et amiſſionẽ metuimus in cõmunicatiõe:uel qualecũq; id eſt,q; poſſidemus,nollemus in eo habere ſociũ.ut ille, qui negat ſe uel louẽ paſſurũ riualẽ. Ita euenit ſæpe ut q; habemus propriũ,ſi reddatur cõmune,abijciamus prorſum, atq; aſpernemur:& nõ modò zelotypiã,uerũ etiã cupiditatẽ illius omnẽ exuamus.Poſtremò ſpectatur in hoc zeli genere decus aut dedecus,p cuiuſuis æſtimatione ac cẽſura zelotypiã induimus,deponimus,augemus,diminuimus:quo fit,ut uariè homines apud uarias nationes ſint in hoc affecti.Occidẽtales & meridionales grãde cẽſent eſſe maritis dedecus,uxorũ impudicitiã,ideo ualde zelotypi ſunt:ſeptẽtrionales non itẽ. Animãtes quædã zelotypia tãgũtur,ut olores,& colũbi & gallinæ,& tauri,metu cõmunionis,ne minus ſit q; cõmunicentur,neue amittatur penitus. Creſcit & decreſcit zelotypia ex pſonis,locis,temporib.negocijs.Perſonæ ſunt,zelotypus, & ea de qua eſt zelotypia,et propter quam.Zelotypus,ſi ſit ſuſpicax,ſiniſtreq; omnia interpretãs, magnas præbet morbo ſuo acceſſiones: ſin ita de ſe ſentit, ut nõ arbitretur habere ſe quo placeat,celerius & grauius in zelotypiã incidit.Cuius ſum⁹ zelotypi,poteſt occaſionẽ dare affectionis & incremẽtis & decremẽtis.nã & antequã experimento fiat notior,cõſiderãtur in ea priora,mater,auia,educatrix,& educatio,& tota antè acta uita:tũ in experimẽtis ſermo,mores,pietas,cõſtãtia,ingeniũ,prudentia,amor erga nos, cura boni nominis,& metus infamiæ.Nos etiã quẽadmodũ in eã pſonã ſimus animati,multũ refert:nã ſi infenſi ſumus,oẽs occaſiones arripimus calũniæ ac rixæ: ſin diligimus,minus facile ad zelotypiã impellimur.uerus enim amor minime eſt ſuſpicioſus:imò cõtrà,à zelotypia amor diluitur.niſi fortè eſt is amor, quẽ cõiunctũ diximus cõcupiſcẽtiæ,quũ amicus amici ſui beneuolẽtia alijs inuidet,quo fruatur ſolus.Is de quo ſumus zelotypi,ſi ſoleat ad impudicitiã ſollicitare, ſi poſſit, ſi artes eius negocij calleat,ſi capiatur tali forma,qualis eſt erga quam tenemur zelo:ſi iã re ipſa det operã & ſollicitet:ſi habeat,unde poſſit ei placere:ſi nõ è regione plura,uel maiora alia, unde diſplicere.multũ hæc zelotypiã & pariunt,& enutriunt. Ex loco, ſi nõ eſt aditus, ſi omnia obſerata & clauſa:ſi locus ſacer,aut frequens, uel obſeruatus, aut expoſitus multorũ oculis,et eorũ amicorũ,uel fideliũ nobis,uel inimicorũ illi,uel curioſorũ,aut loquaciũ,uel prudentis unius ac uigilãtis cuſtodis,minus habet uiriũ zelotypia.quę ſi cõtraria ſunt,plurimũ.In tẽpore ſunt opportunitas, religio,ſi nõ uacat uel petenti, uel petito.Ex negocijs,ſi magnis negocijs diſtinẽtur,aut occupatiſſimi ſunt: ſi putãt eſſe dãnoſum ſuis utilitatib.uel exiſtimationi: denicq; ei rei, quam ipſi pluris cẽſent uoluptatẽ faciãt.His omnib.adde cauſas cõtrarias.nã alteræ percẽſentur ,p utriſq;:ex cau-

sis uerò cõtrarijs cõtraria exiſtunt effecta. Atq; in ijs quæ ſunt commemorata, plures maioresq; cauſę plus habẽt põderis. ſunt autẽ maiores minoresue, nõ ex ueritate, ut ſæpe dixi, ſed ex animo atq; opinione uniuſcuiuſque. Gignit zelotypia in animo inquietudinẽ noctes ac dies, turbulẽtiſſimas oẽs uoculas, oẽs auras captat zelotypus, et arripit, & amplificat apud ſe, cũ iniquiſſima de ſingulis calũnia. Zelotypia ſimul & naſcit ex ſuſpicacibus, & facit ipſa ſuſpicaces, atq; ad peiora omnia credulitate promptiſſimos. Tranſit in odiũ & rabiẽ nõ ſolũ cõtra rẽ zelatã, ſed in oẽs quotquot apud iniquiſſimũ animũ ſuũ cõfingit, occaſionẽ aliq; præbuiſſe facinori, de quo eſt anxius, poſtremò aduerſus ſemetipſum. unde crudeliſſimæ ſæpenumero ſequutę ſunt ultiones, ut etiã zelotypus ex morbi impotẽtia manus ſibi uiolẽtas attulerit. De ſexu altero loquor ex more: ſed uterq; eſt intelligẽdus. nã inter fœminas nõ minor eſt hæc perturbatio, nec leuior impatiẽtia, q; in uiris. Aboletur affectus hic, ſublatis ex quibus naſcebatur cauſis, & potiſſimũ ſuſpicionib. ac credulitate, tum ratione aduocata, quum cõſiderãt ſe torqueri fruſtra, nec aliud quàm moleſtiã lucrifacere: ut uxores aliquot & olim & noſtro æuo prudẽtiſſimæ, quũ flectere ſe maritorũ animos zelotypia non poſſe reputarẽt, eã tanquã inutilẽ & ærũnoſam depoſuerũt prorſum. alię, q animaduerterent maritorum laſciuiam ignominiæ ſibi nõ fore, imò plerunq; maiori gloriæ, æquis animis ſecubationẽ alienationemq; maritorum pertulerunt.

DE INDIGNATIONE.

INdignatio eſt offenſio, ſeu dolor, de indigna felicitate. indignitas uerò hæc aut in pſona eſt, aut in re: in pſona, quũ indignus uel expetit bona, uel (quod grauius eſt) adipiſcitur: in re autẽ, quũ accidit res bona malo, uel à malo. in q animi motu eſt duplex indignatio aduerſus agentẽ in malũ, & miſericordia in eũ qui patitur immeritò. Naſcitur facilè indignatio ab inuidia. ea enim ut eſt iniqua, efficit ut quicquid alteri euenerit boni, indigno credamus eueniſſe. Quòd ſi pungitur quis, ne quid fortè redundet in ſe incõmodi ex bono alterius, ea perturbatio nõ tam indignatio erit, quàm metus. & ex metu coaleſcit odiũ: quod ſi eſt iã in præſenti dãno, cõtrahit ſe animus in ægritudinẽ. Eſt interdũ qui de ſua ipſius felicitate, ei à quo ſibi eſt uel tributa uel procurata indignetur, quũ indignũ ſe atq; imparẽ negotio iudicat: ueluti regi, quod ab eo ſit creatus cõſul: uel amicis, qui creandũ curarunt. ſibi quoq; ipſi, qui expetierit, q ambierit, qui acceperit: ut Veſpaſianus in triũpho Iudaico apud Tranquillũ. quod ferè fit, quũ aliquid interuenit moleſtię. quocirca in definitione quũ felicitatẽ poſui, nõ adieci alienã. Huic referri poteſt ille ex Comœdia Semetipſum crucians, quod melius ipſe agat domi, quàm filius militiæ, idcirco decreuit ſibi malefacere. Et indignitas hæc circa omnia uerſatur boni genera. nã indignamur malo cõtigiſſe opes, & formã, & robur, & ualetudinẽ integrã, & facundiã, & ingeniũ, & literas. Malũ uoco eum qui noſtro utiq; iudicio nõ bene illis eſt uſurus. Sola ſi adſit iuſtitia, & probitas, non indignamur. nullã enim mentẽ cenſemus ea eſſe indignã: nec arbitramur futurũ eum uel nobis, uel quibus bene cupimus, inimicũ, aut noxiũ. Cretenſes quidẽ ijs quibus male uellent, dicebãtur imprecari, ut rebus malis aſſueſcerent: ſed ubi bonis iã uiderentur eſſe moribus prædiți, id nõ eſſent imprecati. neq; enim illis ipſis fuiſſent inimici, quos ſibi nõ eſſe inimicos exiſtimarẽt. Nihil eſt enim iuſtitia & ꝓbitate amabilius. Acrius uerò indignamur ijs, quib. caſus aliqd tribuit, q; quib. natura: & recẽs adeptis quàm olim. uetuſtas enim multũ parauit ſibi iuris: ut iam naturale uideatur, q diu eſt poſſeſſum. Stomachamur itẽ, ſi quis quæ ſupra uires aut meritũ ipſius ſint, aggrediatur: ue' ut magiſtratum, honores, decus, certamẽ cũ potiore, ſiue potior ſit ea in re de qua cõtẽditur, ſiue in diuerſis. Prioris exẽpla ſũt, imperitus cũ perito, ignauus cũ forti, paup cũ diuite. poſterioris aũt, muſicus cũ uiro iuſto, rhetor cũ imperatore, pictor cũ magiſtratu: quũ quidẽ in ea cõcertatiõe pictoria ars cũ magiſtratus dignitate committitur. aliis aũt nominib. nec cẽſentur, nec ueniũt in cõparationẽ. Permouemur itẽ, ſi qs laude quidẽ dignus, laudetur tñ ſupra meritũ, tũ enim conamur illi etiã meritam laudẽ detrahere. Indignatio plurimũ inualeſcit in ſuꝑbo, q ut ſe maximis bonis cẽſet digniſſimũ, ita alios oẽs uel mediocrib. bonis impares, ac indignos. itaq; omnib. q bonũ aliq̃d affectãt, tãquã immerẽtib. ac ꝓinde iniuſtis ſuccẽſẽt. q; ſi ſint cõpetitores, aut

eandem

eandē ingrediātur uitā,q; ipsi peregerūt, suboritur zelus, ne & eódē q; ipsi puenīāt: puta ad opes,famā,eruditionē,fauorē,gloriā. Itaq; homines modesti, tum animis uel humilib.uel seruilib.haud ualde sunt perturbationi huic obnoxij. Indignatio ex eadem radice oritur,qua misericordia:nēpe ex iudicio boni,& amore illius. Sed in obiecto sunt affectus cōtrarij.quippe indignatio est de bono indigni: misericordia aūt de malo indigni. Ex harū duarū cōmixtione nascitur affectus ille,qui in Sacris literis nonnunquā zelus nominatur,ut in libris Regnorū de Helia:& in Psalmis: Quia zelaui super iniquos pacē peccatorū uidens:& zelotæ illi bello Iudaico,de quib.Iosephus. Est enim zelus hic indignatio de ijs, quæ indigne fiunt cōtra eū,qui est nobis charus:uelut cōtra deū,& res sacras,cōtra rempublicā,cōtra principem.quo prętextu multi sæpenumero prauis libidinib.seruiūt,& explent odij sui acerbitatē. Zeli nomine alij rapiuntur zelo imperito atq; imprudenti:qualem in Iudæis fuisse Paulus significat,scribens ad Romanos. Addita est homini indignatio ad uitæ cōmunionē,ut æqua & recta constet bonorum omniū distributio, ne ad indignos deueniāt,hoc est praue usuros.

DE VLTIONE ET CRVDELITATE.

QVicquid affectus accipit,cupit in idipsum refundere, unde accepit, siue bonū sit,seu malū.hinc nascitur erga beneuolētia, & benefacientē beneficentia, uel cōtrà maleuolētia & maleficētia. Qua de causa animus ab aliquo affectus dolore,cupit in illū ipsum,qui dolorē dedit,retorquere similē morsum:isq; appetitus ulciscendi dicitur,& cùm in opus exit,ultio. ea uerò est meritę sentētia nostra pœnę inflictio: pœna aūt damnū est,siue læsio,in quocunq; genere bonorū animi,corporis, fortunarum,ut est eutusq; de his existimatio. Nā sunt qui se ulcisci putāt de iniuria,ostēso medio ungue,aut gesticulatione turpi,aut cōuitio.sunt rursum,qui fuste uel gladio malint impeti,quàm uerbo ,pbroso.alij,qui uel parū sibi uiriū ad ultionē esse rentur, uel auidissimè eā expetūt, diris detestationibusq; uindicē superiorē implorāt, ut principem,uel numē. Omnis ergo offensio,quæ latè per odiū,per iram, per inuidiā, per indignationē se porrigit,cupidinē habet ultionis,hoc est doloris reponendi: nisi quod alij affectus aliter. Inuidia em̄ callidè & astutè surrepit,ut nolit intelligi à se esse ultionem profectā. Ira apertè,& indignatio:ut hoc uelit & sciri ab alijs,& ab illo de quo se ulciscitur sentiri ac intelligi. Zelus gloriosam sibi censet & prædicandā uindictā de eo,cui succenset,sumptā. Odiū uariū est.nā cùm excandescit,in naturā iræ trāsit. frigidum uerò quasi uirus furtiuè surrepit,ac lædit. Acerbitas offensionis, quæ cohiberi amplius nō potest,sed effusè in ultionē omnē prorumpit,ut noceat, quacunq; potest,rabies uocatur.tractū nomē à morbo,quo canes & lupi infestātur.quæ qm̄ nō datur erūpere,auget & cōprimit cor,grauiterq; corpus uniuersum afficit,& percellit,q; rūpi ac distrūpi dicitur. Actus & mulctationis & uindicationis,cùm inualuit,trāsit in sæuitiā,seu crudelitatē,quæ est sympathiæ priuatio. qui enim cōpatiuntur, miserētur quoq;. Carēt aūt sympathia alij perpetuò,alij tēporariò. perpetuò ex cōstitutione naturali corporis,uel ex cōsuetudine,quæ uersa est in naturā:ad tēpus autē, ut qui affectu aliquo uehemēti cōmoti indurescunt. id aūt nō diuturnius est,quàm ipsa perturbatio:ut cupiditas rei alicuius uehemēs exacerbat sæuitiā in obsistentē, ut diuitiarū, uel principatus,uel uoluptatis. tū metus de re chara:ut de uita, de imperio:q; Neroni & Caligulæ & Cōmodo accidebat,q ex metu sæuiebāt. Ecōtrario Titus Vespasianus filius ex fiducia & securitate animi erat māsuetissimus,etiam aduersus insidiātes suo principatui. Ira quoq; & offēsio dū ardēt,auferūt rectas cogitatiōes, suadētq; asperrima,& maximè dira. Et est crudelitas triplex,in ,pcurādo,in exequēdo,& in prę termittēdo. Procurāt,q iubēt,qui arte efficiūt,uel aītu. Exequunt̄, carnifices & milites. multi enim crudeles sunt in iubēdo, ad q nō sustinerent manus admouere. Tertia est crudelitas in cessatiōe officij,cùm nō miseramur,quos oportet, uel ex maleuolētia,uel ex socordia:ut cū deserimus uel prętermittimus parētes,,ppinquos,necessarios, calamitosos,in morbo,egestate,periculo,nec eorū aduersis mouemur. carcmus em̄ illa,de qua dixi, sympathia. Inhumanitas, atq; immanitas est, cùm iudicio atq; ingenio humano abiecto,ferinum sumitur. Subsidit ultionis cupiditas intrinsecus, cùm

refrigeratus est sanguis à pulmonib.aut à semetipso deferbuit: ut in ijs quorũ bilis cito quidẽ inflammatur,uerũ in leui materia tãq; in stupa breuissime restinguitur.pertinaciores sunt melancholici,aut phlegmatici incensi,ut tardiores ad ardendũ.Conquiescimus quoq; acceptis pœnis à nobis, uel ab alio, uel ab amico, uel à natura & fortuna, cùm fit miser, æger, pauper, ignominiosus: & cùm maiora pependit supplicia, quàm passurus erat ab irato.In mortuos nõ feruet ira, tanq; passos extrema, nec amplius capaces nostræ ultionis.Desinimus sæpe uindictã expetere,qñ iam illã paratam uidemus:quod multis euenit,qui inimicum qñ habẽt in sua potestate, parcũt, satis esse rati nocere potuisse. Langueſcit etiam acerbitas illa uicta,& delassata, cùm paulò antè in alios desæuijt: quemadmodũ in publicis supplicijs placatur princeps in ciuitate,& imperator in exercitu,pœna paucorũ.Frãgit interdũ ab alio affectu, ut maioríb.malis,uel ira maiore aliqua:ut lapis lapide,uel malleo.Ira quidẽ cùm feruet, nõ admittit curationẽ ullã, magis enim remedio exacerbatur,propterea q̃d ratio est prorsum perturbata, & ignis cõpressus ualidius ardet:nisi ea fit fortè uis oppressionis,quæ ignem obruat,& extinguat,ut ruina incendiũ.Mitigatur quoq; amore eius, qui deprecatur pro inimico,aut cùm est honorificũ parcere, aut qñ aliquid utilitatis speramus,aut timemus damnum; ut clauus clauo extruditur.Dies denicq; ipsa morbis omnib.animi medicinã adfert citius aut tardius,pro qualitate corporis,pro persuasione & iudicio animi.& ut bilis accensa parit facile offensionẽ atq; iram: ita cùm se remisit,extinguitur illa perturbationis flãma. Idcirco bilim refrigerare admodum conducit,quib.modis superius est dictũ.Cõprimitur,& reseruatur uindicta aliud in tempus,quandiu exequendæ illius non est occasio.quod Reges dicit Homerus facere, ut ad tempus ultionem dissimulent, quoad inueniant suam opportunitatem. interea autem coaceruatur,& computrescit in stomacho:& quo longius dilata, hoc maiore cum purulentia euomitur.

DE MŒRORE.

MOeror,est animi de malo præsenti cõtractio, uel de eo quod iam habetur pro præsenti.Perturbatio,est hæc omnino lætitiæ cõtraria, eadẽ à Cicerone ægritudo nuncupatur. Quas aũt illæ ægritudinis partes cõstituat ex placitis Stoicorũ,facile esset huc adducere:& fecissem, si uel ab illis iudicarem esse satis recte tradita,uel à Cicerone animaduersa,atq; expensa.sed neutrũ uidetur mihi. si cui tñ placent, equidem nõ impedio: in promptu sunt apud eũ quarto Tusculanarũ quæstionũ, Nascitur interdũ mœror ex sola boni absentia:ut matri,cùm unicus discesserit. Multi quoq; post delicias, & conuiuia, & dies festos ac lætos tristantur. unde est rei amissæ desiderium, & animus inquietus aliquid semper requirens: ut in equa pullo adempto. Ex mœrore atra bilis gignitur, & ex hac uicissim mœror ingraueſcit, siue alia mali opinione. Videas melancholicos homines mœstos, quibus alioqui nihil accidit mali, nec ipsi mœstitiæ suæ causam possent reddere. Nigri huius humoris opus est obtenebrare spiritus, unde hæc existunt incommoda. adimitur animo sua alacritas, eademq; ex causa uultui quoque obfuscatur ingenium. Molestiæ, inquit M. Tullius, me hebetarunt. & Niobe in saxum dicitur esse ex luctu conuersa. Inducitur refrigerato cerebro somnus, quemadmodum est apud Psalmistam: Dormitauit præ tædio anima mea.Suboritur odiũ tũ hominũ,tũ lucis ipsius, rerumq; omniũ humanarũ,iuuatq; altius in mœrorẽ demergi:nec hilariora,uel cõsolationes admittũtur.quod Octauię cõtigit,de Marcello filio in adolescẽtia extincto.adeoq; ęgritudo auet glíscere,ut nunquã se satis iudicet mœrere.Cornelia Pompeij apud Lucanũ in ipsa doloris face: Turpe(inquit)mori post te solo nõ posse dolore. Augetur præcipue mœstitia in meticulosis, qui longissimè suspiciones mittũt,& diffusam texunt malorũ telã:ex hoc dãno illud,ex illo aliud,& deinde aliud nascẽ.Trãsit postremò in odiũ sui ipsius,& desperationẽ,ac rabiẽ:sicut de Hecuba legimus, quæ hac de causa fingitur uersa in canem. Corpus autem ægritudine exiccatur,& cõtrahitur cor,adeò ut in quibusdã ęgritudine extinctis repertũ sit,nõ latius mẽbrana. cor aũt cõtrahit se cũ uultũ,hoc est suã imaginẽ.denicq; atterit ipsa ualetudo. Comites mœroris sunt fletus,plãctus,gemitꝰ.Affectio hęc frigida est,& sicca.id circo inualescit in frigidis tẽporib.& locis,omninoq; in ijs quę igeniũ obtinẽt melãcholicũ:ut in autũno,& hyeme, & tem-

& tẽpore nubilo,& de nocte,tum ad Septentrionẽ.in quib.rẽgionib.plures absumit mœstitia,quàm in Hispania uel Italia.A cõtrario autem lux & serenitas exhilarat animos,& sol(quemadmodũ Plinius inquit)tenebras tristitiamq; nõ cœli modò,uerum humani quoq; animi discutit.Et ut lætitia charis cõmunicata augetur, sic etiã mœstitia,in lætitia enim prẽter nostrũ bonũ lętamur lætitia eorũ,quib.bene uolumus:item in ægritudine præter malũ nostrũ animaduertimus eos, quibus chari sumus,in eisdẽ malis uersari,amore scilicet omnia unũ reddente.Inter eos autẽ qui nõ ita amant mutuo,cõtrariũ euenit,ut lætitia cõmunicata augeatur:uelut in societate quæstus,uictoriæ,belli,lusus,litis.Mœstitia autẽ in alios deriuata,leuatur animus. Solatiũ enim est, se in malis non esse singularẽ:tum alios miserari sortẽ nostrã,tanq; patiamur immerito.Et qñ est,qui ex dolore nostro dolet,nec is tñ dolor in nos reciprocatur,uelut oneris partẽ à nostris humeris in alienos transferimus.quo fit, ut aliena lætitia ægritudinem nostrã exacerbet:sicut festi dies,& celebritates publicæ.cohibetur enim introrsum,& augetur mœstitia,per appositũ cõtrarij:quemadmodũ calor uiuentiũ corporum in hyeme. Et cùm alios reputamus dolore nostro nõ moueri, surgit indignatio & miseratio nostri ipsorũ, & tanq; in nouo malo reuocatur mœror. Diluitur tristitia uel malo sublato,uel reddito amisso bono,aut reb.lętis maioríb.affluentib.quas non pluris æstimemus,quàm illas,quarũ absentia dolebamus.diluitur ijs etiã,quæ tepefaciunt atram bilim,ut cibis calidis,& humentib. uino potissimũ. De quo est in Sacris literis:Da uinum mœsto.oblectamentis quoq; uisus,uel auditus:ut cœlo aperto,cãpis & pratis patentib.musica,tametsi est musicæ genus quoddam, q; mœsto maiorẽ mœrorem infert.Assueti malis affligi,uelut callũ animo ducunt, minusq; ab ægritudine premuntur,& maius malũ minoris mali sensum obruit. Discutitur quoq; auersione cogitationis,ut negocijs,& narratiunculis lepidis,recto iudicio: nẽpe reputatione nõ esse tantũ malũ,nõ tanti esse ut sic nos affligamus, plus nos in eo quod agimus perdere,quàm sit in eo quod dolemus deperditũ:nempe negocia,& occasionẽ quæstus,dignitatem,autoritatem,famã,gloriam, quæ sunt ex medijs consolationib. non esse malũ,nõ tantũ,nõ illi cui euenit,nõ nobis,nõ charissimis nostris:maius bonum instare,aut esse cõsecutũ,hanc esse cõmunem sortem,ab illo fieri cuius uoluntati & iudicio nõ obtemperare nefas est,mœrore remediũ nõ parari.Postremò,ut in alijs animi morbis clauus clauo retunditur, cùm ostenditur uel periculũ maioris mali,quod instet,ut illud,quod iam adest,pro nihilo sit habendum:sicut qui dolet amissam pecuniam,in discrimine captiuitatis,aut mortis,aut amissionis liberorum uersari.uel cõmonstratur maximorum bonorũ spes,ut famæ, & immortalitatis nominis, uel dignitatis, gratiæ principis, aut illius (quod omnia superat bona) beatitudinis sempiternæ.

DE LACHRYMIS.

LAchrymatio nõ est affectus,sicuti nec risus.est enim lachryma humor, ex calfactione humidi ac teneri cerebri distillãs per oculos.In magna calfactione,qñ cerebrum exiccatur,nõ manãt lachrymæ:ut in ira uirorum,nec cùm iam antea est exiccatum,ut in lõgo mœrore ac luctu,in senecta:uel cùm siccũ est ex se, ut in melancholicis.Sũt quos ingẽs ęgritudo ita obstupefacit,ut cõpresso calore omni,lachrymã dare nõ possint,quas uel in mediocri dolore profunderent largiter.Profluũt aũt lachrymę,cùm cerebrũ est humectatũ,ut in ebrijs:cùm molle ac tenerũ,ut in pueris,mulierculis,ægris.Existũt sæpe ex uento ualido,ex fumo, ex aduersa aliqua ualetudine, ex risu itidem,quoniã in eo incalescit cerebrũ.Ab affectionib. etiã nascuntur, uelut ab amore,ex desiderio fruendi re chara:ab ira,in teneris,& q se ulcisci nõ possunt:ab inuidia,in mulierculis & pueris:à pudore,à lætitia. Potissimũ uerò ex miseratione defluunt lachrymæ.ea uerò est duplex,uel sui ipsius,uel alterius.Miseratur quisque semetipsum in mœrore,quòd indigno iudicet ea mala accidere. adeoq; naturales tum sũt lachrymę,ut multi eas ,pfundãt abũde,uel sola ex reputatiõe,quòd possẽt sibi mala immerẽti contingere: uelut carcer,exiliũ,paupertas,orbitas,mors.Et ut quisq; sese amat tenerrimè,maximisq; cẽset esse bonis dignũ,ita est ad sui miserationẽ promptis simus:atq; inde lachrymatur ad imaginationem mali. Aliena quoq; mala ex sympathia mouẽt nos,& eliciunt nostras lachrymas: sed hæ tamen tum ad prodeundũ tardiores

diores ſunt,tũ ad exareſcendũ faciles.quòd aliena incõmoda tanquã procul ſpectamus,& quorũ leuis ad nos ſenſus perueniat.Exiſtunt quoq; lachrymæ,cùm quid uidimus,uel legimus,uel uidemus,uel recordamur pie,ſancte,officioſe dictum à quopiam,factum'ue:& eo magis,ſi is qui egit,aut dixit, periculũ aut damnũ ſuũ magno atq; excelſo animo præ operis pulchritudine pro nihilo duxit. Tributæ ſunt homini lachrymæ ad teſtandũ noſtrũ dolorẽ,ut alios in noſtri miſerationẽ, atq; ad ferendam opem adducamus,ut auxilio mutuo iuuemus inuicẽ:tum etiam ad teſtificationem, alienis malis nos affici,in quo eſt permagna animorum conciliatio.

DE METV.

METus eſt,inquit Ariſtoteles,mali appropinquãtis phãtaſia. Idcirco pericula metuimus,quæ ſunt mali aduentãtis prænuncia,cuiuſmodi ſunt tẽpeſtates,prauę qualitates tẽporũ,ad quas ſequuntur eluuiones,fames,peſtilẽtiæ,Irę itẽ atq; offenſiones eorũ,qui poſſunt lædere.quoniã enim poſſunt, & uolũt, manifeſtũ eſt rem malã inſtare. Timẽtur item aſtuti,uafri,callidi,magis quàm ſimplices & aperti. Timẽt qui ſũt alijs formidoloſi,iuxta mimũ Laberij:Neceſſe eſt multos timeat,quẽ multi timẽt. q enim formidini eſt alijs,niſi omnino inſanit, uidet periculũ ſibi eſſe ab illis omnib. ut ſe à metu liberẽt:& quẽ metuunt,oderũt,ut eſt in uetere uerbo,niſi fortè ij ſint metuentes,à quib.nullũ poſsit dãnum exiſtere,aut quia nolẽt, aut quia carebunt uirib. & ſi hoc rarũ eſt,quoniã nihil eſt tam imbecillũ,quin aliquid ad nocendũ ualeat homini,præſertim in occaſione.Mala etiã lõginqua minus nos perturbant: ut mors incerta,quã etiã ſenes homines procul adhuc abeſſe ſperãt.Aliter ſic ab Ariſtotele finitur metus,ut ſit perturbatio ex opinione futuri mali utiq; moleſti,uel corrumpentis. nõ enim,inquit,omnia expaueſcimus: quale eſt ſi quis ſit iniquus futurus, aut ignarus:ſed quæ magnas moleſtias importãt animo,aut corruptionẽ corporibus.Id quidem ferè in uita ciuili,de qua ille in Rhetoricis præceptis loquitur, plericq; enim hominũ inſcientiã & uiciũ nõ habẽt in malis,ſed q nocet corpori,aut affectioni.Quiuerò ex præſtabiliore ſunt nota ingeniorũ, nõ minus ignorantiã rerũ bonarũ & uitium exhorrẽt,quã alij morbos & mortẽ.itaq; ſic cõmodi⁹ finietur. Eſt cõtractio animi de eo,q cuiq; malũ uidetur,cùm cogitatur aduẽtare. Ergo quòd metus naſcitur ex periculi cõſideratione,qui plus cõſiderãt,plus timẽt:ut prudẽtes,ſobrij,experti.Pericula proxima,etſi aliena,incutiũt nobis timorẽ,tanquã nõ procul à nobis abſit malũ. Proximum uerò eſt uel loco,ut illud,Paries cùm proximus ardet: uel ſimilitudine cõditionis,tremit enim latro,cùm latronẽ aliũ uidet ſuſpẽdi: & prægnãs, cùm alia uitã in puerperio amittit,atq; eo perturbãtur cõfuſius, quãto eſt cõformior conditio, in eo preſertim unde cõtractũ eſt malũ:ut ſi graſſator plectitur,qa uulnerauit,nõ cõtentus ſpoliaſſe,alter qui idẽ admiſit,expaueſcit.Sin quid ſit diſsimile,minor eſt metus: ut ſi ſpoliauit tãtũ,nõ uulnerauit:ſi ille captus eſt quia ſolus,hic uerò habet comites:ſi ille quia pernoctabat in publico diuerſorio,hic in ſpelunca:ſi quis ex febre quartana interijt,quòd ſibi nimiũ potãdo indulgeret,minus terretur homo tẽperãs in quartana. Metus primũ omniũ cõtrahit, et debilitat cor,ad cui⁹ opitulationẽ ſuperiorẽ calorẽ natura illi ſũmittit,isq; cùm nõ ſufficit,etiã inferiorẽ eódẽ rapit:unde pallor,& frigus. Tremẽte corde,tremit uniuerſũ corpus.motũ eñ cordis ſequtur.unde linguæ titubatio,atq; hæſitãtia. Quod in alijs quoq; affectionib.eſt annotare, in qb. cor celerrimè agitatur:ceu in ira,& lætitia,tũ etiã in exercitatiõe.Sed in metu uox eſt exilis,quia calor à corde & à ſuperioríb.deſcẽdit:in ira grauior,quoniã aſcẽdit.inhorrẽt etiã pili,q ex frigore cõprimũtur meatus:unde rigor pilorũ. Qui parũ habẽt ſãguinis calidi circa cor,ignaui ſũt.Ideo qui ꝓportiõe ſãguinis magno ſũt corde,meticuloſi ſũt natura, ut lepus. Colũbi aũt,& cerui,timidi:quòd felle careãt unde accẽdi poſſet ſanguis.nã in quib.flaua bilis intumeſcit,ſãguis quoq; ebullit circa præcordia, & fiũt gnaui atq; ſtrenui. Qui craſſo ſũt ſãguine,& multo & calido circa cor,ſecuro ſũt animo,& audaci:abũdãt uidelicet calore,q eſt ad fiduciã potiſsimũ,&in qua diutiſsimè cõſeruẽtur materia,nẽpe dẽſa & firma. Cũ aũt exigu⁹ calor reuocaẽ introrſũ ad pectus. fit cor debilius,et magis tremit. Vnde faciẽ in metu rubeſcere,argumẽtũ eſt animi degeneris: animoſior eſt,cui expalleſcit.corroborat eñ natura cor, ſũmiſsis illi undiq; ſubſidijs calo-

caloris ac sanguinis. Is porrò calor, si descendat, crescit metus, deserto corde: unde & aluus soluitur. Et ex naturali ratione Homerus de ignauo dixit, Cor illi ad calcaneũ decidisse. Illud est annotãdũ, cõpressionẽ omnẽ cordis, quæ in ægritudine est, & formidine, tũ etiã in offẽsiõe & cupiditate cohibita & cõpressa, angustiã nominari: quæ fit etiã sæpe sine affectu, humore aliquo spisso incũbente in cor. Hæc quidẽ sunt merus opera in corpore. in animo uerò hęc exercet, perturbat & cõfũdit cogitatiões. Recte, q̃ dixit: Quomodo poterit cœlos & elemẽta scrutari, cui p̃petuò incũbit pauertatis, seruitutis, mortis metus? tũ illud: Pauor mihi sapientiã omnẽ ex animo expectorat. In periculis adesse animo, & cõsiliũ ex re nata, quasiq; sub manũ posse excogitare, ut de Annibale Liuius, & de Iugurtha Salustius memoriæ tradũt: nõ solũ fortissimorũ est, & eorũ qui nõ uehemẽter eiusmodi periculis mouentur, sed etiã acutorũ, magniq; ingenij. tales sunt autẽ, uel facti usu atq; exercitamẽtis multis & magnis, uel à natura formati & instructi, quib. est sanguis circa cor multus, calidus, liquidus: qui & copiosos, & subtiles, ac tẽperatos ad cerebrũ spiritus mittat. Plinius ait, nulli animantiũ pauorẽ esse cõfusiorẽ, quàm homini. fides sit penes illũ. Qui ingenij sui nutu ad metũ deuergit, uix rationes ullæ ac cohortatiões huic sufficiũt, ut animũ resumat, & sese erigat ad fiduciã. Magna & ualida est naturæ uis, cùm incũbit intrinsecus, idest in prima cõstitutione: nisi acris atq; assidua sit meditatio in periculis contẽnendis, in animo aduersus mala cõfirmando, ut persuasum obfirmatumq; sit, mala quæ timentur, nõ esse admodũ dãnosa: aut alia parata esse maiora bona, si illis defungamur malis: aut maiora mala, si illa quæ urgẽt nõ deuitemus, ac superemus. Recte Catilina Sallustianus: Cõpertũ habeo milites uerba uirtutẽ nõ addere, neq; ex ignauo strenuũ, neque fortẽ ex timido exercitũ oratione Imperatoris fieri. Quãta cuiusq; animo audacia natura aut morib. ineſt, tãta in bello patere solet: quẽ neq; gloria, neq; pericula excitant, nequicquã hortere, timor animi aurib. officit. Sic ille. Et timido si persuadere tentes, timorẽ ipsum magis officere, & incõmoda grauiora reddere magis timeat: ut in cõtagiosis morbis, in quib. multũ nocet mali phantasia. pullulat enim metus geminus, alter ex periculo, alter ex metu ipso. Quæ ex metu proueniũt, hæc ferè sunt: demissio, abiectio sui ipsius, assentatio, adulatio, suspiciones, cautio, quæ extimulat ad querẽda malis remedia in animis firmis. in infirmis aũt existit cõsternatio, & cõturbatio, & exanimatio, tũ etiã pigritia, desperatio, & prostratio, ut supra iacentẽ ingruat, quicquid impẽdet & minatur. Quapropter nulla est animi miseria maior quã metus, nulla seruitus fœdior. eaq; de causa odiũ aduersus formidolosum, ad metũ tãquã ad cotem exacuitur, ut aduersus tyrãnum: & cupit se animus asserere in libertatẽ, unde resumptis uirib. frigefactus sanguis recalescit, & actione cõtrapositionis ardẽtissimè ad sese uindicãdum accẽditur. quæ res etiã animosissimos sæpe, qui timuerãt, facit: & crudelissimos se in dominos gerũt, qui seruiebãt: magnoq; impetu excutiunt à se illos, à quib. premebãtur. Metus, ut alij ferè affectus, suspicios us est, & meticulosi omnes suspicaces, omniaq; auget in maius: nec unquã tantũ est periculũ, quãtũ sibi fingit. quocirca solatij loco est timẽti pro re chara, interesse illius periculis, aut certe lig

ſint ſolliciti,ac proinde timeãt.Ignorantia eſt in ijs, qui nõ cogitant aut perpendunt: ut dormiẽtib.pueris,ebrijs,inexpertis:tũ in ijs q̃rũ cogitatio aliorſum eſt auerſa ab aliijs cogitationib.& curis, uel à ꝓturbatiõis uiolentia,ut ira, inuidia,cupiditate.Et ſecuritas quidẽ eſt, ut dixi,quãdo nullũ eſſe periculũ arbitramur.Fiducia autẽ cùm in periculo cõfirmamur aduerſus mala appetentia.ea uerò exoritur,uel aucto intrinſecus calore,ut uiuo iniecto:aut ijs quę corroborent cor,uel affectu aliquo feruenti.ut ira,amore,cupiditate,metu maioris mali:quæ ſunt animo animoſitatis loco etiam in ignauiſsimis.certis etiã concentus generib.ut ſcribunt de Timotheo muſico,qui lyræ cantib.Alexandrũ Macedonẽ & incitarit ad arma,& mox paulò mutatis numeris ſedarit.Audacia eſt,cùm ad depellenda mala,uel bona ardua cõſequẽda,animus exurgit,& rapitur.Quod fit maiore quodã feruore ſanguinis,eaq̃ de cauſa ad iraſcibile officiũ refertur:de quo ſum,cùm de ira diſſererem,loquutus.Æſtimatur autẽ periculum ex loco,ex tempore,ex perſonis,uel nobis ipſis,uel inimicorũ,ex uiríb.quorũ omniũ conſideratio uel grauat periculi opinionẽ,uel eleuat,cùm uidemus parũ nobis poſſe noceri hoc tẽpore,hoc loco,ab his qui nolent, uel ob amorẽ noſtri, uel ob ipſorum bonitatẽ.qualis eſt de deo fiducia.Qui non potuerunt,quia carent uiribus: non audebunt,quia nõ noſcunt ſe habere uires,uel quòd omnino nõ habent,uel eas nõ intelligunt:ut equi,& tauri,& multi hominũ.Et nobis in his poſſeſsionib.familia amicis,neceſſarijs,denicq̃ propenſis uirib.munimẽtiſq̃ (quib. ſepta eſt ea pars noſtri quæ impetitur,& id quod impetit)atq̃ inter ſe collatis.In ingenio ſunt acumen, eruditio,facundia:in ualetudine cõſtitutio,uires, alimenta, medicinæ:in fortunis opes: in dignitate,autoritas,gratia:quæ omnia patent latiſsime. Nõ eſt loci huius explicare.qui adierunt ſæpe idem periculũ,& euaſerũt incolumes,aut certe cũ leui incõmodo,fidentiores in poſterũ redduntur:ut milites ueterani in bello.Noua,ſubita,inopinata pericula,animos quãtumuis fortes percellunt,ac cõſternant. quæ uerò præuidimus, quæ multũ uerſando cogitatione fecimus, iam quaſi familiaria minus urgent. Meditatio enim illa ,p aſſuefactione fuit patiendi,ut quaſi callũ animo induceremus. Confirmant nos quoq̃ exẽpla aliena.Ille & ille fecit,quid eſt in me minus? & eo ſumus erectiore animo, quo nos præſtare illis arbitramur,qui fortiter eadem pericula & ſubierunt,& euaſerunt.præſtare quidem ijs uirib.quib.periculũ eiuſmodi uel toleratur, uel repellitur: ut facundia,prudentia,gratia,robore,præſidijs amicorũ, loci, temporis,principis, dei. Cùm uerò imminens malũ nõ ducimus pro magno & pernicioſo, cõſtabilitur animus:ut cũ paratũ ſcimus eſſe aliquid potius quo prius, illud ampliter cõpenſetur,uelut opes,eruditio,gloria,uita immortalis. Horror, & exanimatio, quæ ſunt metus in animo effectus & opera, in præteritum quoq̃ recurrunt, quale eſt Vergilij, Nanq̃ animus meminiſſe horret. Ferunt Iudæum quendam in Gallia,cùm ex agro domũ de nocte reuertiſſet dormiens in aſino, tranſiſſetq̃ ruptũ pontẽ per anguſtam tabulã, poſtridie reuocato ad acrem conſiderationẽ periculo, quod euaſerat,exanimatũ eſſe.uidelicet imaginatio facit rem præſentem, ut aliàs dixi.Porrigunt ſe itidem formidines ad poſsibile.cõiuges quidam miſerabiliter cœperunt lamentari,quòd eſſent ad focũ colloquuti.quid ipſis fieret, ſi unicũ ſuum amitterent,qui illis erat ſanus,& ualens:Sed hoc phãtaſiæ regnũ latè per affectiones omnes patet.Datus eſt homini metus,ut caueat nocitura,prius quàm ſe illi applicent.

SPES.

SPes cupiditatis eſt forma,nempe fiducia, euenturum quod cupimus. Spes non habet euidentiam ſcientiæ,ſed coniecturam opinionis,uel probabilem,uel poſsilem,quòd ſæpe factum eſt ſimile,quòd aliquãdo,quòd in pari idem euenit, quòd aliqua ratiõe & cauſa debet fieri, quòd par eſt ut fiat,quòd credibile eſt futurũ in hoc, ab hoc,hoc tẽpore,hoc loco, negocio.Nihil denicq̃ eſt tam leue,tã minutũ,tam procul diſsitum,tam alienũ,ad quod animus non adhæreſcat facile, dũ ſpei adminicula conquirit.quãtulum enim aut quale ſit cunq̃, ſatis habet uiriũ ad ſpem ſuſtinendã: adeò uel ipſa leuis eſt,uel hamata & uiſcata.Iucundiſsima eſt ſpei perſuaſio, & uita in primis neceſſaria,inter tot ærũnas & res duras, peneq̃ intolerabiles. Omnia enim fierẽt ſine ſpei cõdimento nõ ſolũ fatua,ſed etiã inſuauiſsima. Prudẽterq̃ fictũ eſt in

fabu

fabula,quod in Pandoræ pyxide,effusis rebus omnibus,ac perditis, spes sola resedérit in fundo:quæ est imago humanæ uitæ .ideoq; ab artifice mũdi effectũ est, ut spes leuissimis de causis & nascatur & sustentetur.

DE PVDORE.

PVdor est metus dedecoris, ex quo nõ sequitur damnũ. ab Aristotele definitur dolor,seu perturbatio animi,de ijs quæ dedecus uidẽtur inferre.Et omnia respicit tẽpora,præsens,præteritũ,futurũ,possibile. nec solũ pudor est de ipso dedecore, sed de periculo etiã,ne admittas tale quid,unde adijsse turpitudinis periculũ uideare.Pudor qñquidẽ dedecoris est metus,multũ in ijs ualet,qui honoris sunt cupidi.hi enim tãto magis metuunt cõtrariũ,tanq; graue malũ.Turpe & decorũ multiplex est. aliud enim natura ipsa cõstat,ut quæ sunt hominis naturæ amica,uel repugnantia,iustitia,humanitas,modestia,pulchra sunt & decẽtia:his aũt cõtraria, deformia. Est & turpe ex primo deriuatũ scelere,cũ corrupta est natura,diminuta est bonitas,inualuit uiciũ.hoc sitũ est in omni mẽtione obscœnæ libidinis, quemadmodũ in Genesi scriptum legimus,post inobedientiã uelasse primos illos cõiuges pudenda.cuius causa est,quòd humani animi generositas,cùm uidet mẽbra illa sibi nõ obtẽperare,sed duci proprijs quibusdã motib.& incendijs,summouet à cõspectu, & occultat seruũ repugnantẽ,& subditũ rebellẽ.Ideoq; quib.ea mẽbra nõ sunt rationi ac uolũtati humanæ inobedientia,minus illa & re & uerbis tegunt: quia nõ adeò tanguntur pudore, ut in prima innocẽtia.& in nostris senib.& puerulis:in quib.cũ pubescẽtia uenit etiã pudor rerũ illarũ.Est & aliud turpe ex offensione naturali sensuũ,ut ad odorem, uel aspectũ tetrũ,atq; auersandũ:qualis est in omnib.excremẽtis corporis, ijs præcipuè, quæ per amplas corporis cloacas defluũt.Res istæ omnes per se turpes sunt, horũq; duorũ generũ uerba & cõmemoratio nõ carent obscœnitate, & offensio est deuitanda,causa est.quòd uerba mouent necessariò intelligentiã & phantasiam audientis.In uenereis phãtasia excitat motus libidinis flagitiosos:in tetris autẽ fastidiũ,& nauseã, totiusq; corporis,si paulò sit tenerius ac delicatius,perturbationẽ.Hinc Cynicorum dissoluitur cauillosa reprehẽsio humanitatis, quòd homines puderet loq de ijs quæ necessaria essent,& carerent flagitio:cuiusmodi sunt,liberis dare operã,excernere,nares emungere,meiere:nõ puderet autẽ de uicijs & sceleríb.apertè loqui, uelut de latrocinijs,de furtis,fraudib.proditione patriæ,uiolatione legũ,tyrannide.uidelicet horum scelerũ cõmemoratio,tametsi ea sunt nefaria, tñ nõ mouent phãtasiã ad aliquid turpe,aut graue corpori.mouent aũt illa altera,quamlibet naturæ necessaria,& cõducentia. Quin & sapientes ea flagitia reticent apud eos, quos suspicantur imitaturos, si sciant,nõ turpitudinis suæ gratia,sed periculi alieni.cũ uerò de illis aliquid referũt, addunt insectationẽ ad doctrinã cautionemq; audientiũ.Ex hisce fœditatis & decoris generib.nascuntur illa,quæ hominũ morib.atq; opinionib.nituntur. plurimũ interest,quemadmodũ uel nos ipsi de reb.sentiamus,uel alij,quorũ iudicio mouemur. Censura pulchritudinis,aut fœditatis,ex receptis uel moríb.uel opinionib. sumitur. Idcirco alia alijs uidẽtur turpiora:ut sunt cupiditates eorũ,inter quos uiuimus,& uersamur.militib.nihil est probrosius ignauia,negotiatorib.paupertate, aut carere fide, studiosis literarũ insciẽtia.quicquid ergo aliquod istorũ inter illos arguit,pudorẽ importat.In uniuersum aũt,quoniã nihil est uirtute formosius,uitia omnia incutiũt pudorẽ.quin & eorũ similitudines,imagines,signa,uitia sunt:quæ fiunt cõtra piũ & fas, cõtra æquum,cõtra ius,& leges,cõtra maiorum instituta, cõtra mores patrios,cõtra præcepta sapientũ,& prudentũ cõsilia.carere etiã ijs reb. pulchris,quæ alijs tui similibus nõ desint,siue priuatim cuiq;,ut adolescentẽ nobilẽ generosa educatione:uel publice,ut ciuitatẽ legib.libertate,in uicio solent poni: tanq; tua culpa uel amiseris,uel nõ paraueris,quæ à cõmuni ratione discedunt. Verecundiã incutiunt siue in uitijs,siue in reb.neutris:ut statura uel enormis uel pusilla,oris aut corporis deformitas,linguæ uiciũ.Nec solũ res nostræ turpes pudefaciunt nos,sed eorũ qui nobis sunt coniunctissimi:ita ut illorũ turpitudo in nos ipsos,uel nostra in illos redundet:uti patrũ, auorũ,filiorũ,nepotũ,cõsanguineorũ,principũ,subditorũ,tutorũ,pupillorum. Inter oẽs patrũ est maxima, q̃d uersiculo est græco testatũ: Nemo tã est uir excellẽs,suisq; fidẽs uirtutib,quẽ nõ frangat parentũ ignominia: propterea quòd uicia patrũ in nos

uidentur naturæ ſimilitudine deriuari,tanquã hæreditaria.Sed apud rectè ſtatuentes nihil ex hiſce omnibus iuſtũ & legitimũ pudorẽ importat,prẽter illa, in quibus eſt aliqua noſtra culpa:uelut in eorũ peccatis, qui curæ ac prouidentiæ noſtræ commiſſi ſunt,ac crediti:ut filiorũ,diſcipulorum,uxoris,pupillorũ,ſubditorũ, clientum, familiæ,neceſſariorum.de quo eſt illud,Amici uicia ferendo facis tua: utiq; in ijs probris, quæ ad curã noſtrã pertinent excludere,aut emẽdare.Quo fit ut etiã leges, & pietas, & bona maiorũ inſtituta in gente aliqua,male ab alijs audiant gentibus,quũ illis omnibus ea non fit melior.quale eſt apud Paulũ, Propter uos male audit nomen Dei in nationibus.Ex alieno pudore atq; ignominia pudemus & nos,quum eiuſdẽ turpitudinis ſumus nobis cõſcij:uel quum illius fuimus autores,magiſtri,adiutores,ſocij: uel quum is pudefit immeritò,et quẽ indignũ ſit pudefieri.Erubeſcimus itẽ ad alienã impudentiã,quando eum,quẽ cõueniebat uerecundari, uidemus nihil commoueri prorſum,aut leuiſſimè.Qui quod nõ exhiberi ſibi reuerentiã uidens, à quibus, quo loco,tẽpore,negotijs,aut rebus exiſtimant oportere,uerecundantur ipſi,neq; id modò,ſed ſæpenumero indignantur & iraſcuntur.eoq; uehementius,quo plus ſibi arrogant,& honoris ſunt auidiores.Modeſti homines in medijs ſuis laudibus erubeſcũt: ut M.Cicero de Caio Aquilio dicit,pro Publio Quintio,timent ſcilicet ſuſpicionem arrogantiæ,ſi immoti ſuas laudes auſcultent,tanquã uideantur eas agnoſcere, atque approbare.Qui diſcrimina hæc norunt fœdi & decori,metuunt tamẽ dedecus, paſſim uerecundantur ſine cauſa:ut pueri, & ruſticorũ pleriq;.unde eſt ille pudor ruſticanus.Qui uerò nihil hæc curant,nec eos pudet: quod nõ ſimplici de cauſa cõtingit. Hi enim ex educatione non norunt,ut ruſtici,& filij egenorũ:illi ſeipſos in flagitia ita proiecerunt,ut omnẽ reſpectũ hominũ exuerint,ut latrones,leones,meretrices.Sunt quos in deſperationẽ egerunt ſua mala,& in odium decoris:ſicut inopes,mendicos, ignominioſos.Alij ſuperiores ſeſe eſſe rentur,& uerſari ſemper inter eos, quos nihil reuereri debeãt:ut principes,magiſtri,patres,ſenes,homines arrogãtes, qui reliquos omnes deſpiciunt,tanquã inferiores ſe.Viciſſim,qui de ſe ipſi moderate ſentiunt,ſæpius incurrunt pudorẽ,non à rebus,ſed à ſuis ipſorum ingenijs. Qui uideri affectant nullis eſſe uel inferiores,uel ſubditi,impudentiã dedita opera exhibent:& quærũt occaſiones pudoris,ut confidentiã in illis ſuã oſtẽtẽt. Ex optima & præſtantiſſima ſunt nota aſſectatores ſapientiæ, qui hæc uulgaria rerũ diſcrimina derident. alia uidelicet habent ipſi excellentiora, magiſq; ad libram ueritatis expenſa atque examinata. Conſiderantur in cenſendis pulchris & deformibus, circũſtantiæ locorũ: ut in Æthiopia deformis non eſt color ater, nec ſtatura puſilla apud Pygmæos, nec furari Lacedæmone. Temporis:ut Saturnalibus ludere, atq; ineptire.Perſonarum:uel noſtra,ut aliquid turpe facere Magiſtratũ,deformius eſt,quàm priuatũ:uel aliena,magis pudemus apud eos,ex quorũ improbatiõe plus dedecoris nos reportaturos formidamus uel ob noſtrum de illis iudiciũ,ut apud parentes,tutores,prẽceptores:uel omniũ,aut plurimorum,ut principũ,& eorũ qui magni habẽtur de ſapientia,& rerũ iudicio,uel de uirtute:et potiſſimũ,qui ei turpitudini,quam nos reformidamus,obnoxij nõ ſunt. Minus enim pudet nos turpiter aliquid agere,apud ſimilia agẽtes. Deniq; quoſcũq; reueremur,apud hos plurimũ erubeſcimus. Rurſum, quorũ iudicio nihil tribuitur, nec de eis uerecundamur:ut puerorũ,& morionũ. Quod fit apud plures, magis pudendũ eſt,q; quod apud paucos,modò cætera ſint pares.Idcirco multum pudet nos, ſi quod fœditatis ſignũ dedimus apud eos, quos ſuſpicamur prodituros: & eo grauius,ſi ſint latè ſparſuri.Cuius generis ſunt,qui ſolent,ut dicaces: qui cupide facient, ut inimici:qui poſſunt,ut celebres ſcriptores,uel qui inter multos & magnos uerſantur.Amor ſi ſit admixtus cum opinione magnitudinis,pudorẽ ducit ſecũ comitẽ:ſin aliter,tollit,ut inter pares.Magnitudo eſt omnis excellentia, quæ conſideratur ut talis ſiue cõditionis & fortunæ,ſiue corporis,ſiue animi,& mentis. Spes quoq; ad pudorẽ facit,à quo enim ſperamus boni nos aliquid accepturos,quocunq; boni genere,q; nos utiq; ducamus eſſe tale:apud hunc ex leuiſſima dedecoris ſpecie perfundimur rubore,metu,ne ſpe noſtra fruſtremur.huic uidelicet probari uehemẽter expetimus,ut uoti fiamus cõpotes.Signa quibus fœditas notatur,ſunt:reprehenſio, increpatio,

patio,cõuitiũ,deriſio,illuſio,dictũ,nutus,geſticulatio,uoces incõditæ. Pudor ſuffun dit genas rubore,quæ eſt erubeſcẽtia:quia periculũ in metu eius eſt generis,ad quod propulſandũ opus ſit cordi ſubſidio,nẽpe calore illuc occurrẽte.in pudore autẽ con turbatio quædã exiſtit animi,ex opinione dedecoris.ad caput ergo rapitur calor, un de per faciẽ diffunditur. Eamq; ob cauſam M. Cato nec puerũ pallentẽ probabat in pudore,nec militẽ rubentẽ in diſcrimine:quod hic argumẽtũ prębebat ignauię,puer autẽ cõfidentiæ atq; impudentiæ. Quæ uidentur fœda noſtra,magis nos afficiũt pu dore,quàm quæ audiuntur: & aſpectus eorũ quos reueremur,plurimũ nos pudore afficit.idcirco pleriq; in uerecundia demittunt oculos,alij auertunt,alij claudũt. pue ruli, quũ erubeſcunt,naturaliter manibus operiunt oculos,& faciẽ.Socrates de amo re dicturus in Phædro Platonis,faciẽ pallio operuit,tanquã in argumento uerſaretur parũ ſe digno.nec ſine cauſa dicitur prouerbio,Pudor in oculis.In tenebris nullus fe rè eſt pudor.& quũ capite ſumus inuoluto,nec noſcimur,minus pudet.Alij genero ſiores,qui uel in ſolitudine apud ſemetipſos pudeſcunt,ſiue quid in præſentia agunt turpe,ſiue ex recordatione,quod egerint.Pudor,ſicuti & metus,animũ cõturbat:ta metſi nõ tanto quatit tormẽto, ſed cõfundit certè, excutitq; rectè cogitata.quod de prehenſum eſt in doctis,& cordatis uiris, quũ uel ad multitudinẽ dicturi prodiſſent, uel ad principẽ aliquẽ,quẽ eximie reuererẽtur. Valida rei alicuius cupiditas uerecun diã excutit,ut in amatoribus,in periculo rei alicuius charæ amittendæ:ut uitæ, aut fi lij.Auari eadẽ de cauſa nõ multũ uerecundãtur,quũ ſpecies eſt lucri aliqua. Nec ſe nes multũ pudet,partim quod apud iuniores agunt,id eſt ſe inferiores,quaſiq; filios: niſi fortè hos habeãt pro fortioribus,ut principes,aut locupletes, aut patronos ſuos, alias quòd nõ tã decore aut dedecore mouentur,quàm utili uel inutili. Pudor uelut pædagogus quidã additus eſt homini.puer enim uel adoleſcẽs cõſilio eſt inualidus, propter ignorantiã eorũ quæ uerſãtur in uita.Is ſi ſibi fidat, in plurima incidet incom moda.ut ergo iudicio prudentiorũ acquieſcat,habet pudorẽ tanquã ſtimulũ, qui im pellat eum potiores reuereri.Potiores ſunt autẽ uel numero,ut multi:uel ętate,uſu re rum,prudẽtia,eruditione,leges ac mores,patria iudicia uniuerſorũ,uel pluriũ, & eo rum qui in magna ſunt exiſtimatione. quocirca nihil eſt ei, qui uitæ officia nõ nouit, utilius.Cohibet itẽ affectus temerè ſeſe effundentes,atq; euagãtes,ideoq; pro educa tione eſt pueris & mulieribus. Nihil potuit dici in ſacris oraculis de muliere fœdius, quàm quòd pudorẽ abieciſſet.Et philoſophus ille,quũ puerũ animaduertiſſet erube ſcentẽ:Bono es animo,inquit,fili,hic eſt color uirtutis. Viris etiã frenũ eſt, ne ſe in ea effundãt quæ minime deceãt,minimeq; uel illis ipſis cõueniãt:uel alijs,ne quid com mittant turpiter,flagitioſe,praue,indecenter,pro ratione perſonę,ætatis,tẽporis,loci, ſocietatis,humanitatis.maximeq; neceſſarius eſt omnibus, quicunq; in cõmunione & ſocietate ſunt uitã acturi.

DE SVPERBIA.

SVperbia,tumor eſt animi,ex opinione boni præcellẽtis, unde honor & precium exiſtit:ſiue id bonũ adſit,ſiue adfuerit,adfuturúmue ſit.Infixæ ſunt huius mali ra dices noſtris pectoríb.quoniã ex eo amore naſcitur,q inditus eſt naturaliter cuiq; ſui ipſius.is enim,ut eſt admixtus ignorãtia, excæcatur, efficitq; ut quiſq; ſibi uideatur optimus,ac proinde bonis quibuſcũq; digniſſimus. quæ cẽſura trãſit à nobis in eos, quos amamus tenerrimè:quoniam ij alteri nos ſunt,ut diximus. Eſt ergo fons ſuper biæ primus,incõſideratus cuiq; amor ſui ipſius.quod aũt manat ex incõſideratione, copioſe neceſſum eſt influere in rudes,tardos,ſtupidos,præcipites,incõſideratos. nã docti,acuti,moderati,& qui in ſeſe oculos reflectũt,probe aſſequuntur, nihil eſſe de quo mortalis ullus poſſit ſumere ſpiritus:& ut bilioſi quãlibet acuti & eruditi, niſi ſe magno inhibeãt iudicio,& (ut ita dicã) ſufflaminẽt, rapiũtur præcipites in animi per turbationes,obnoxij ſunt huic malo:tũ q ignis amat ſuperferri,& diffuſa per cerebrũ cholera,ſubito uelut tormento uim omnẽ rationis quatit. Tanta aũt ſępenumero in cõſiderationis caligo mentẽ obruit,ut ſuperbiſſimus ſit,qui minimas & pauciſſimas habet cauſas ſui efferẽdi.Naſcitur ex ſuperbia,arrogãtia:ut quoniã ſe maximis bonis dignũ ſuperbus exiſtimat,quę ex ſe habet bona,unde originẽ ſumit ſuperbia,ingẽtia eſſe cẽſeat,unica,omniumq; pręſtãtiſſima ut nobilis genus ſuum,formoſus formam,

acutus ingeniũ.quæ uerò aliunde propter illa accedunt,modica,& infra ſuã dignitatem:quæ tñ ſi alijs cõtingant,ſupra dignitatẽ & meritũ eſſe iudicet,ex liuore ac male uolẽtia,quę ſuperbię ſunt comites.Quicquid cõciliare decus & autoritatẽ & dignitatẽ poteſt, quærit,ut uere poſſideat,uel poſſidere certè ſe ſimulat:uitat aũt,quicquid quouis modo exiſtimationi poſſit officere.Hinc eſt oſtentãdi bonorũ ſuorũ auiditas ardẽtiſſima,ut alijs ea fiãt nota:& dedecorũ ſuorũ celatio diligẽs ac ſtudioſa.quod facit nõ reb.ipſis modò,uerũ & iactatione uerborũ,& geſtib.corporis totius. Et quoniã quæ rara aut noua,aut inuſitata & ſingularia ſunt,propter admirationẽ pluris facimus:ille eiuſmodi ſibi adeſſe bona uult alijs perſuadere,in rebus animi,in reb.corporis,in ijs quæ ſunt uitæ,etiã in ſumendo cibo,ueſtiẽdo,ludẽdo,in inceſſu,in reb.leuiſſimis, & quas nihil omnino interſit hoc aut illo modo agere atq; exercere, imò & in quib.periculoſa eſt nouitas,affectat ab alijs diſcrepare,& ipſe ſibi munire uiã,qua ingrediatur.unde abſurditas aſſeuerationũ in diſciplinis,ut aliquid uideatur noui attuliſſe.Hinc inuidentia in eos,qui uel potiora habent, uel ſimilia. efficiunt enim hi,ut ne,quod nos maximè cupim⁹,noſtra ſint unica & ꝓpria. Nihil adeò expetit ſupbus, ac Dei ſimilitudinẽ aliquã: nõ utiq; quod ad bonitatẽ ptinet, ſed quod ad potẽtiã & magnitudinẽ:ut ſe nullius indigere,multos aũt ipſius,nulli eſſe ſubditũ,illi plurimos, neminẽ ſibi benefacere aut prodeſſe,ſe cõplurib.Et ut magnitudinẽ ſuperbi oſtẽtent, cõponunt ſe in modũ nõ amabilẽ.ſed formidabilẽ.id ſimulãt,& iactãt diuitias,opes, potẽtiã,contẽptũ aliorũ tanq; lõgè impariũ,nõ dignãtur eos colloquio, nõ cõgreſſu: utuntur ſono uocis graui,& uerbis grandib.ac tragicis,irriſione, ſubſannatione,iurgijs,minis.unde inſolẽtia dictorũ & factorũ intolerabilis. In omni cõtentione ptinacia inuicta,& cõtra autoritatẽ omnẽ,& cõtra manifeſtiſſimã ueritatẽ, contra bonũ & utile uel ipſius eiuſdẽ ſuperbi.omnia enim poſtponit præeminẽtiæ,ne qua re habeatur inferior.Itaq; nec admoneri ſe patiuntur, nec doceri uolunt: ſed quicquid ſemel arripuerint,tuentur.unde ſectæ,& factiones.citiusq; mutari uellẽt ueritatẽ,& rerũ naturã.q; ſuã aſſeuerationẽ,quã ipſi nõ raro falſam eſſe haud ignorant. Sequit̃ ira ſuperbiã,q nunquã ſibi tantũ tribui exiſtimat,quãtũ meretur tũ ultionis cupiditas, & mulctatio ꝓ occaſionẽ lã circũſpectio ad aliena uerba omnia.ad nutus,ad geſtus,ne quid aduerſum ſe exeat,nõ honorificũ.Suſpicax eſt ſuperbia,& quæ ſimpliciter ſunt dicta uel facta,iniquiſſimis interpretationib.ad calumniã detorquet. Ex hoc tã prauo more,tamq; immodica ſui indulgẽtia fit tenerrimus animus, omniũq; rerũ quæ aduerſa ſua uoluntate eueniãt impatientiſſimus.hinc offenſio, & indignatio rabioſiſſima, & conuitia nõ in homines modò,ſed in Deum quoq;,tacita plerunq;, interdũ uerò expreſſa & aperta.Ignoratio hęc tam craſſa,uel incõſiderãtia tã præcipitata,nõ ſinit nos in reputatione noſtrorũ bonorũ cogitare,à q̃ ſint bona illa,quis,quomodo, qua ratione tribuerit.Nihil de Deo ſuccurrit animo:nos noſtra ſolertia,diligentia,merito noſtro paraſſe exiſtimamus.quale illud eſt apud Ezechielẽ ex perſona diaboli,Ego feci me.q eſt,ſicut Iob ait,Manũ ſuã deoſculari:quę eſt impietas magna.Irrepit mire ꝑ cuniculos in mentẽ ſuperbia.Sæpe enim magnis ex uirtutib. oritur:aliàs ex cõſideratione noſtræ moderatiõis turgeſcimus,modò cũ reputamus ſuperbos eſſe nos,idq; nobis doler,reflectitur in ſe animus,& q ſuperbia ſua ſibi diſpliceat,ſuperbit.Flexuoſus quidẽ ſerpẽs ille,hoſtis hominũ: ſed & maſſa noſtra lõga uitiorũ cõtinuatione corruptiſſima eſt.Expergiſcitur nõnunquã ex recta præceptione ſuperbia, egreſciq; medendo,ut inquit ille:& quẽadmodũ de palma dicũt, deprimẽdo erigitur. quũ enim hortamur aliquẽ uirtute fidere,q̃d eſt uerũ ac ſolidũ bonũ, nõ genere,opib.forma, facundia,eruditione,gratia,quę ſunt inania fit ſępenumero,ut is neglecta admonitione,exiſtimet præcipuũ ſe in eo eſſe.de q̃ iubetur non erigere animũ, magnãq; ſibi uel eruditionẽ,uel formã,uel quid ſimile ineſſe,quãdoquidẽ remedijs uidet eſſe opus,ne de tãto bono inſoleſcat. Ergo adhibẽdo medicamẽto increſcit morbus, qa medicamentũ tanq; moleſtũ reijcit,uel prætermittitur,ut inutile.cauſa uerò morbi,qa honorem uidetur continere,grata eſt, & fouetur delicate. Magna itaq; eſt opus arte ad cohibendã beluã hanc tam multiformẽ & multicipitem. Impedit ſuperbia magnos in ſapiẽtia profectus,partim dũ pudet diſcere, ne inferiores uideantur, partim quòd

magnam

magnã uitæ partẽ ſuperbi per ambitionẽ,inuidiã,iram,ultionis cupidinẽ tranſigũt:ut ſic occupatis,nulla ſana cogitatio ſubire poſsit eorũ mẽtes. Et quẽadmodũ uenenata animalia,ſi quid ederint ſalubre,in uenenũ tamẽ cõuertũt:ita ſuperbus,quæcũq; agit, ad honorẽ parandũ,& aurã captandã refert. Et quia unicus eſſe ac ſingularis cupit, ſi quẽ aliqua de laude cõmendari audit,ſtatim ſua bona profert in cõparationẽ,tanquã potiora. Themiſtocles interrogatus,quæ nã eſſet ſuis auribus muſica gratiſsima:Oratio,inquit,de meis laudibus.Etiã de eo gaudet extolli,quod nõ ſolũ ipſe nõ habere ſe eſt ſibi cõſcius:ſed id quoq; ſcit alios ſcire.Mentiris,ſed places:dixit mulier quędã pe diſſequę aſſentãti.Dolet homines aliud intueri,aliud cogitare,alia de re loqui,q; de ſe uno.nec officiũ eos cenſet facere,ſi id intermittãt:ut de Caligula ſcribit Tranquillus. Quocirca altitudinẽ omnẽ,tanquã ſuis officientẽ luminib.uellẽt deturbatã:ut principum nõnulli,ad cõmemorationẽ diuinæ potẽtiæ,tacite carpuntur animis,et cuperẽt, ne quis ſe eſſet potẽtior,ac ne deus quidẽ.Caligula idẽ,cum Ioue ſimulabat ſe inimicitias exercere.Superbo tantopere eſt perſuaſum ſe eſſe prȩcellentẽ,ut exemptũ ſe arbitretur eſſe oportere humanis legibus:& impune abire, quicquid agat ipſe,in alios iudex ſeueriſsimus.nec impunita ſolũ prætiri ſua,uerũ (quod eſt intolerabilius) haberi in recte factis exẽptos quoq; naturæ legib.ne deo quidẽ ſummo & præpotenti ſubditos,ita ut quidã pudori ducãt,orare in tẽplis,ſuppliciter deũ precari,ad memoriam ſcelerũ ſuorũ uultũ cõtrahere,uel lachrymã dare aliquã.Bene declamator ille de ſuperbo: Erubeſcit Cæſarẽ timere. Superbia animũ tumentẽ facit,& proinde inanẽ: haud ſecus quàm ignis aquã.q̃d & in corporib. experimur biliоſis, in quib. facile gignuntur flatus & uenti.Inter omnia uitiorũ genera poteſt cõſtare pax & cõcordia,ſuperbia excepta. de quo eſt in Prouerbijs Salomonis: Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.Reliqui ẽm uicioſi id expetũt,q̃d poſſunt omnes cõſequi:ſuperbi q; expetũt nõ poſſunt,nempe utrũq; alteri præferri.Solũ habet ſuperbus amicitiæ ſpeciẽ aliquã cũ eo,q ſe illi ſubijcit adulatiõe rerũ,et aſſentatiõe uerborũ.Superbo nullo negocio perſuaſeris,ut ab ijs̃ ſe affectib.abſtineat,q ſunt demiſſiõi uicini:metu,lætitia effuſa,aſſentatiõe,ambitu. Tametſi ille demittit ſe nõnunq̃,ut magis extollat:ſicut retrocedũt,q lõgius uolũt ſalire.ut etiã abiectiſsimè nõnunquã ſeruiat,quo poſsit impotẽtius dominari:& à ſe egẽtiſsimis atq; impuriſs.ſubmittit,ſi p illos arbitrat̃ gradũ ſe ad dominationẽ poſſe præſtruere:ut olim C.Marius,& Iul.Cæſ.& quotidie noſtri principes. Eſt & comitas atq; educatio quædã ſuperbiſsima,nõ in alterius honorẽ,ſed in noſtrũ ipſorũ:ut boni eſſe,& prudẽtes,beneq; inſtituti iudicemur:unde accedat æſtimatio. De quo in Eccleſiaſtico dicit Ieſus: Eſt q nequiter ſe humiliat,& interiora eius plena ſunt dolo.Affectus hic eſt præferuidus:naſcit gliſcitq; in locis,tẽporib. negocijs calidis:uelut ad meridiẽ,in bellis,diſſenſionib.Quo aũt bonũ,q̃d poſsidere nos credim⁹, pluris fit,hoc maiores criſtas erigit hic gallus:ut in raris bonis & quæ pauciſsimis cõtigerũt,ijſq; honoratiſs. aut omnino nullis.Expendunt̃ & iudicia ſpectantiũ,intumeſcit animoſus miles in caſtris,& facinorib.belli clarus:doctus in academijs. cõtrà deponit animos ſtudioſus inter ſigna militaria: miles inter libros.Idcirco ſuperbiſsimi omniũ ſunt nobiles,& formoſi:quia genus & forma magni ubiq; fiũt:tum diuites,q pecuniæ omnia obediũt,ut inquit Sapiẽs:illisq; omnes honorẽ exhibẽt.Frangitur ſuperbia primũ à ſapiẽtia et cõſideratione noſtrę utilitatis,tũ ſi apertè ſciam⁹ nõ ignorare alios,nõ ineſſe nobis ea bona quæ ſimulamus:aut ſi ſciãt nõ eſſe noſtra,ſed ad tempus accõmodata.Hinc ſi adſint tot mala,ut exiſtimatis bonis prægrauẽt,nosq; in animi cõtractionẽ abijciãt,aut ex grãdi periculo in metũ et horrorẽ.et ut eſt affectus calidus,infrigidatiõe corporis tepeſcit,ex alimẽtis,et loco.Bona prȩterita ſi p ſe cõſiderẽtur,erigũt nobis animos:dejciũt aũt,ſi ad pudorẽ præſentis fortunę referant̃.cũ quidem culpa eſſe noſtra amiſſa ducimus,& potiſsimũ culpa infami,uelut p̃ditione,furto,latrocinio,adulterio,alea,imprudẽtia,demẽtia. Naturale illud ſemẽ primũ ſuperbiæ,unde in tantã degenerauit maliciã,nõ erat malũ:nempe ut ſe homo excellẽti cõditiõe p̃genitũ reputãs,amaret ſe,dignũq; maximis ac ueris bonis cẽſeret:nẽpe cœleſtib.quæ magno animo appeteret. Verũ prolapſus in ignorãtia,lõgiſsimè illinc diſceſsit ad cupiditatẽ uiliũ rerũ,ac uaniſsimarũ:quæ appellauit bona,& p̃ æternis illis ſubſtituit.Brugis,anno 1538.

Io. Lodouici Viuis ad illuſtriſs. D. Io/ annem Borgiam, Candiæ ducem, præfatio.

QVum olim de Inſtitutione ſcriberem Chriſtianæ fœminæ, non arbitrabar futurum, ut eſſent, qui me ad ſcribendum de marito hortarentur: nec mihi de hoc argumenti genere ueniebat in mentem. Itaq; aliqua illis uoluminibus ſecurus admiſcui, quæ nō magis ad fœminam, quàm ad uirum uideri poſſent pertinere. nam nō ſperabam me deinceps commodiore mea dicēdi locum habiturum, nec erat ille admodum à re alienus atq; abhorrens. Verùm opus, cùm ſpe atq; expectatione mea fœlicius fuerit, lectumq; ſit à plurimis, & (ut modicè dicam) paucíſsimis diſpliceat, quorundam ſtudia permouit, ut à me idem de uiro contenderent, quod in Secundo operis illius libro de fœmina feceram. Quorum uoluntati occupatiſsimis temporibus ſuperſediſſem obtemperare. niſi ij eſſent, quibus me aliquid negare, præſertim talia petentibus, propémodū fuiſſet nefas. Inter quos præcipuus fuit Aluarus à Caſtro, Ioan. F. Burgenſis, cùm Londini in Britānia non ſolum eiſdem uteremur ædibus, & quaſi contubernio, uerùm etiam cubiculo communi, qui mihi amore ac beneuolentia mutua fratris cuiuſdā uicem referebat. Huic ergo impenſius hoc deſideranti, negare omnino nō ſuſtinui. Itaq; illi paucula quædam pro tempore annotaui, tanquam in commentario, quæ mihi tum uidebātur ad id, quod tantopere cuperet, facere: idq; noſtra lingua Hiſpana. nam Latinam non intellexiſſet. Quæ deinceps, cùm mihi penitus improbarentur, augere atq; elimare eſt uiſum, & Latinè conſcripta ad te mittere. Non quòd tu his, aut huiuſmodi præceptis quicquā indigeas, & per te ipſum, & in tali coniuge, matrona lectiſsima & grauiſsima: cui non dubito, quin abūdè magna & ſancta lex ſit pietas aduerſum Deū, & in te ſumma ac ſingularis: ut ei nullis ſit aliſs opus admonitionibus, aut præceptis ad uitam. Sed mihi omnino ſtatutum erat, aliquid ad te ſcribere, tanquam & inter nos pignus noſtrorum inter ſe animorum, & ad alios lucu lentum indicium mutuæ noſtræ beneuolentiæ: qua ego nō delector modò (eſt enim per ſe ſuauis amor omnis) uerùm etiam glorior. Itaq; plurimum cōciliatoribus debere me intelligo, ac præ me ſemper fero, Io. Andreæ Straneo abſenti, qui me tibi iſtic effinxit, utiq; nō qualis eſſem, ſed qualem uel affectus oſtenderet, uel iudicium eſſe ut uellet ſuadebat. Viciſſim te mihi ex tuis uirtutibus per literas patefecit, ac declarauit, cum quib. admirabili conſenſu congruebant, quæ hic mihi de te narrauit Honoratus Ioānius, ciuis noſter, adoleſcēs natus ad maxima: & (uiuat modò, ac pgat quà cœpit) futurum aliquādo lumen noſtræ ciuitatis. Hic, quam exiſtimationem de te ex epiſtolis Stranei conceperā, cōmemoratione ſua crebra auxit. Qui ambo cùm alia de ingenio & uirtutibus tuis dixerunt permulta, tum illud, quātopere & doctis & ſtudioſis omnibus faueres, & ipſis bonarū artium ſtudijs toto quod dicitur pectore cuperes optimè eſſe conſultum. cuius rei eſſet maximum documentum, quod literarium ludum Gandiæ inſtitueris, in quo puræ atq; elegantes literæ tradantur. Sed tu, quantū doctis omnibus bene uelis, poſſumus uelut obſignatis tabellis planum facere. qui in epiſtola quadam Stranei ad me manu tua adſcripſeris: dux Candiæ, tibi & tui ſimilibus deuotiſsimus, id eſt, ijs quos tu mei ſimiles arbitraris. de quo tuo errore nō eſt hic diſſerendi locus. Quanquā in his atq; aliis multis, an ludit ſors? an potius hominum ingenia miſerè cæcutiūt: ut homines & opera ſint in precio, uilia ex ſe, & contemnenda: alia ſpernantur, digniſsima plauſu atq; admiratione omnium ætatum, idq; fit non quidem in fœlicitate eorum, qui quod meriti ſunt non aſſequuntur: ſed illorum, qui maximo ſe fructu fraudant uiæ ac rationis bene uel ſentiēdi uel uiuendi. De equo cognoſcendo, domando, curādo: de boue, de aſino, rebus leuiſſ. atq; abiectiſsimis, multa ſunt accuratiſſ. ſcripta & tradita: quę, aut quomodo diligēda ſit uxor, quemadmodum regenda & amanda, quomodo eligendus maritus, quē in modum colendus, q̄ pauci, ac propè nullus præcipit: idq; leuiter & perfunctoriè. Quā ea, qualiacunq; ſunt frigent: & nullius ſunt æſtimationis hominū, ac gratię? An quia libētius homines lecturi ſunt, quę uoluptatē inanem aliquā adferant, quàm quę utilitatē? niſi forte cōducibilius

cibilius existimamus,scire equũ regere,cũ femina,& comitẽ & sociã omni loco,omni tẽpore indiuiduã.Nũ alia de causa tot uidemus infœlicia cõubia,& lachrymis ac querelis refertacũ q tũ in eligẽdo est peccatũ,tũ quotidie in cõuictu peccatur, dũ uter habenas deposcit sibi,aurigãdi prorsũ ignarus.An minus opus esse arte ad moderãdã fœminã cẽsemus,quàm ad equũ quãlibet spirituosũ,& sternacẽ? Equus si sessorẽ nõ ferat,pugnat uiribus:sed quæ alijs uiribus,quę arte ita cohibẽtur ac cõstringũtur,cõmoueri se magis robustissimus equus & bellator ut nõ ualeat,cũ si pullus esset modò natus,& adhuc secũdis inuolutus.At homo pugnat uiribus,arte,statu,fraude.Probę quidẽ matronę deum & uirum amãti,nõ est sancita lex: amor est ei lex.Illi uerò,quã nondũ occupauit penitus ac sui iuris effecit amor,multi sunt cuniculi, per quos p rauus animi affectus insinuat se,ut eò euadat,quò intẽdit:quò si pueniat, non minus uiro,quàm uxori,affectioni animi seruiendũ erit:hoc est, tyrãno importunissimo.Quibus nos alijs cuniculis occurrimus, in cõtrariũ actis,apertis nõnunquã,interdũ cæcis,& Heraclitícis,sed quos uirũ cognoscere & agere,uehemẽter in rem utrã usq fuerit.Ergo & aliàs de uxore scripsi,sola uoluntate uel iuuãdi,uel excitãdi,eorũ quos optimo publico in cõmune profuturos,si operã nauassent,cõfidere.& nũc propositũ adfero par,utinã cũ successu non dispari:certè in opere omnium utilissimo ac pulcherrimo,in quo laudabilis est conatus,uel euentu omni destitutus ac desertus. Equidẽ peruellem,ut tibi tam satisfaceret hoc de marito opus,quàm illud de fœmina,dicunt mihi,uxori tuæ fœminæ clarissimæ placere.

IO. LVDOVICI VIVIS
DE OFFICIO MARITI, LIBER.

IAm uisum est autori naturę quum uenturis ætatibus fundamẽta poneret,ut quæ animãtia & morbis mortiq obnoxia condiderat,& numero perpauca,ederent generatione fœtus, undeauctum uniuscuiusque genus diutissimè propagaretur: ut ex paruis admodum initijs unus atq alter in infinitã penè multitudinẽ excrescerent,& ex mortalibus quandã uelut immortalitatem assequerẽtur. Sed reliquæ animantes promiscuè sine ordine,sine ulla lege,naturæ obsequuntur,& liberis dant operã:illaq est eis uelut uniuersalis quædã lex, cui omnia animalia sua spõte uidemus obtẽperare.Tametsi in eis sint,quæ æuum cõparata transigũt,& connubij sanctitatẽ adeò incorruptè conseruãt,ut multa hominũ millia castitatẽ,charitatem,fidẽ rationẽ cõiugij doceri ab illis possent. quo in numero sunt olores, turtures, cornices,colũbi.Hominũ autẽ genus, animal societati & cõmunioni uitæ natũ,exactioríb. cõiugij legibus deuinxit.Noluitq soluta & effreni libidine uel marem per multas feminas uagari,uel feminã multis maribus corpus uulgare.Legitimis nuptijs unũ uni alligauit,& uiro in manũ feminã tradidit,non solũ ad sufficiendã sobolẽ,sed etiã ad uitæ societatẽ. Hoc est quod in Mũdi originibus Moses prodidit, dixisse Sapientiã illã mũdi architectatricẽ:Nõ est bonũ hominẽ esse solũ,faciamus ei adiutoriũ ipsi simile.Quantę hinc,& cũ necessarię utilitates? Primùm,ut agrorũ finíbus iã occupatis,possessis & legũ iurisq ui ac potestate cõcessis ac confirmatis,tollũtur lites,sedãtur cõtrouersię:sic per legitima cõubia datis uxoribus, cessant uirorũ inter se æmulationes:quas necesse esset existere,si feminę essent incertæ.Nã alius formam,formæq uoluptatẽ ceu in medio positã expeteret,& omnia censeret debere in ius & ditionẽ uirorũ fortiũ cõcedere,tãquã prędũ roboris.alius q prior delibasset,uelut prę cepta possessione,acriter resisteret,& tãquã q re sua depugnaret. unde æmulationes, odiũ,rixę:& ut est homo animal,si affectibus se pmittat,superbũ,ferox,impotẽs,ultionis auidũ,plures rationes ac uias excogitat,tũ ad animi libidinẽ explendã,tũ ad persequendam & uindicandam,quam ipse iniuriam interpretetur,alios sibi adiũgeret, uel coactos metu, uel spe aliqua aut beneficio delinitos, ac illicefactos. unde par-

tes primùm & factiones,deinde bellũ & acies,& sæua prælia domi ac foris:cuiusmo di ueteres memoriæ tradũt propter raptas fœminas cõtigisse,uelut Helenã Lacæuã Tyndaro & Læda genitã,Lucretiam & Virginiam Romanas. Propter Cauam Iulia ni filiam,Hispanias amisimus. In Britannia Henricus secundus à filio suo regno est depulsus,q̃ cùm iuuenis Philippi Galliæ regis sororem diu adamasset,illiq̃ esset in Britanniã ad coniugiũ missa,pater forma captus,et amoris impatiens, destinatæ nu- rui stuprum attulit,filio res in Scotia gerente.Puella in primo cõgressu iuueni, quid accidisset,patefecit.Is iniuria cõmot⁹,regnũ occupauit,patre expulso.Prætereo,quę sunt apud Plutarchum Chæroneũ in libello de Amatorijs narrationib. Vtinam non tot exemplis abundaret uita,quę unusquisq̃ de principib. & priuatis hominib. faci- le posset percensere,quãta mala libidinis cõtentio inuexerit. Hic fuit aditus plerisq̃ euertendis regnis,hic familijs, patrimonijs, magnis denicq̃ per gentes omnes atq̃ a- cerbissimis periculis & calamitatibus.Huic tam effreni, tamq̃ latè sese effundenti li bidini,repertor cõnubiorum deus,& pater prouidentissimus, miseratus hominũ ge nus,modũ statuit,coniugij legib.nõ tam charta scriptis et consignatis,quàm in uniuſ cuiusq̃ pectore insitis ac impressis.In quo quidẽ coniugio ad gẽtes ac nationes om- nes, nõ illas tantũ quæ ad humanos ritus ac mores ab humanitate et literis sunt infor matæ,uerumetiã feras & barbaras,melioris cultus ac educationis expertes,tantũ uel beneuolentiæ & charitatis,uel pudoris ac reuerentiæ indidit,ut amoris impulsu neu ter coniugũ parem suũ uel relictũ,uel mutatũ uelit:aut ubi deest amor,in eius locum pudor succedit. ut nemo sit tam ab omni humano iure sensuq̃ alienus, qui ignoret nefas esse,manente cõnubio alios cõcubitus quæri, dignamq̃ eam esse rem publico odio atq̃ animaduersione.Iam ad ædificandas ac cõstituendas domos, ad tuendam rem totam familiarẽ,unde ciuitates constituuntur,quanta cõmoditas uenit mulier in mariti domũ adiutrix,sicut deus dixit:ipsi similis,certa socia,et ad uitæ finem mansu ra particeps lætorũ omniũ ac tristium,futura cõmunis sobolis mater? tuetur rem fa- miliarem,& curat nõ secus ac suã ipsius: imò nullã esse aliã putat suam,quàm illã. & cõseruat eam,quã liberis se suis relicturã cogitat:quos ipsa nõ minus habet,quàm se metipsam charos.Dici nõ potest quãto onere,qua molestia uirilis animus leuat̃, su- blimior quàm pro curis tã humilibus.Sed haud scio,an cõparari hæc omnia cũ libe- rorum educatione ac cura possint. Hos enim certa cõiugia certos faciunt, & ea de causa chariores,charitas autem efficit, ut tollantur,educẽtur, formenturq̃ ad omne humanitatis genus,ac uirtutis,nõ solũ cum diligẽtia & cura,uerũetiam sollicitudine atq̃ anxietate.Nã reliqua animãtia,postquã enutrijt ea mater sua,& ad iustã quandã magnitudinẽ adoleuerũt,satis ipsa per se ab natura sua instructa & edocta,relicta ma tre,atq̃ æternùm ualere iussa,sibi ipsa sufficiunt,uictũ quærítant,& unde corpus ui- tamq̃ tueantur.Non alia alijs naturæ sponte uel meliora,uel peiora,nec parẽs agno- scit amplius natũ,neq̃ hic parentẽ.At homini, ut cõditor suus præstantissimã ratio- nem & excellẽtissimam uim mentis singulari quodã beneficio tribuerat,ita ipse pec cato suo & uirtutũ semina corrupit,& lucẽ illã ingenij obscurauit. Quòd si affectuũ insistat uia,ita in prçceps fertur,ut iam penè alieni iuris,nẽpe dñi,quem in animũ ad- misit,illiq̃ mãcipatus et traditus,immane dictu,quãta ex homine fit belua? quę nox pectori densatur? quàm degener sua origine? Caligo hęc cordis doctrina discutitur, atq̃ illustratur,& praua animi procliuitas morib. & consuefactione in melius flecti- tur.Sed huic tã læsæ ac uiciatæ naturæ opus est cura,tẽpore,labore,assiduitate,& ex pectãdæ sunt occasiones,dum adolescat, dum melius monentẽ intelligat,dum uelit auscultare. Differẽdus est interdũ,& dissimulãda uitia,atq̃ in tẽpus reseruãda,dũ sI- ne periculo possint resecari.Nec semel admonẽdus,sed iterũ & sæpe,et obiurgãdus & cędendus:nonnunquam blandiendum,& amarori aliquid admiscendum mellis. Quis erit tandem finis refingendi & reformandi huius animalis, tam prauí ac defor mis,tam subinde ad turpitudinem nutu & momento suo relabentis? Quis tam inex haustos labores,& cũ die reuertẽtes,in dubia atq̃ incerta prole susciperet? Suscipit tñ charitate impulsrice in ijs,quos matrimonij fidẽ secut⁹,nihil dubitat esse ex se ge- nitos. Tum & parentũ inter se amor in filios redundat, augetq̃ aduersus eos chari-

tatem:

tatem:ſicut odium minuit, atq; extinguit. Quemadmodum in fabulis narratur, Medeam Colchicam, cùm accepiſſet relictam ſe eſſe ab Iaſone Theſſalo, ducta in ſuum locum alia, ea iniuria exaſperatam, & acerbo quodam in uirum odio inſtinctam, communes liberos cõtrucidaſſe. Et Domitius Ænobarbus filium Neronem, qui poſtea imperauit, quòd ſibi ex Agrippina natus eſſet, abominatus eſt, muliere feroci atque impotenti. Viciſsim quoq; charitas erga ſobolẽ, amorem mutuũ coniugũ corroborat, dum uterq; alterum diligit, & quia parem ſuũ, et quia eorum quos habet chariſsimos parentem, à quo uidet non ſecus illos diligi quàm à ſe: ut amor geminus ſit, tum rectus inter ipſos tum reflexus à liberis. amamus enim eos qui charos noſtros amãt. Ergo patres bene erga certam ſobolem affecti ſuſcipiunt, alunt pro facultatib. inſtruunt, arcent à uitijs, cohibent & comprimunt affectus, eliciunt rationis & iudicij uim, ut ea potiſsimũ utatur, cætera huic ceu reginæ pareant. Inſtructos non deſerunt, non abijciunt, aut ab eis diſcedunt, ut cæteræ animantes: ſed tuentur, complectuntur, quibuſcunq; poſſunt reb. ornant, fouent, adiuuant. Nec in eis ſubſiſtit ea beneuolentia: tranſit ad nurus, generos, affines, propinquos: unde maximæ ſæpe amicitiæ ac cõciliationes ſunt natæ, & fundatæ ciuitates. Deſcendit ad nepotes ac pronepotes, curamq; poſteritatis, in ea natura quæ capax & particeps immortalitatis æternitatem, quæ poſt ſe futura eſt, intuetur: unde domus & patrimonia & familiæ conſtitutæ, ac generis manſurum nomen, & ceu cuiuſdam quaſi gregis nota. Quæ utiq; ſicut cùm ad ocium uel ſuperbiã ſunt parata, aliud non eſt eiuſmodi familia, quàm flagitiorũ & ſcelerũ ſeminariũ, ut quãdiu ea maneat, nunquam defuturus ſit aliquis uel perditus & nequã, uel ferox & inquietus, atq; alienæ libertatis uiolentus oppreſſor, dum ſolo nomine turgidus, alijs omnib. quamlibet bonis artib. confiſis, poſtulat antecellere: ſic cõtrà pulcherrima res eſt, cùm eò ſpectat, ut paratam in ea domo minores habeant certã aliquã diſciplinã, artemq; uitæ honeſtæ & per uerã laudem traducendæ. quam artẽ parentes liberis tradendã curant, ſeu melius ueluti per manus cũ hæreditate gentis ac nominis tradunt ipſi, optimarũ quoq; actionũ in domeſtico exẽplo ad imitationẽ memoriã. His ex reb. omnib. quis explicare queat, quãtas ſumus cõmoditates ad degẽdã uitã diuino munere cõſecuti? multumq; à brutorũ cõditione rituq; diſceſsimus: & humanitas ſe ipſa exeruit, ſpecioſiſsimamq; oſtendit ordine, legibus, diſciplina, quę à uicijs nos abduceret, et in limine ſiſteret totius uirtutis. Data eſt una Eua uni Adam, ſicut una Eccleſia uni Chriſto: quẽadmodum ſanctus Apoſtolus interpretatur, maximũ illud fuiſſe myſteriũ, quod ad Chriſtũ & Eccleſiã pertineret. Et unum debere unius eſſe, cùm natura ipſa clamat, tum diuina lex natura melior, & illius interpres atq; explicatrix, ut ueriſsima, ita certiſsima nos edocet. primùm opificio ipſo corporũ, & ratione genẽrãdi, quæ ex duorũ cõplexu corporũ perficitur: ſed occultiore quodã myſterio, quòd duorũ inter ſe amor optimus eſt, ſine æmulatione: duorum uerò aut plurium ad unũ, æmulatione nõ caret. Quippe difficile eſt, ut unus æquè & amet duos, & colat, & ſe amare præ ſe ferat. Porrò ex duob. q ſe magis quàm alterũ redamari à tertio illo, in quẽ amor fertur, exiſtimabit, inſoleſcet tanq; parta in certamine uictoria: qui autẽ minus, dolore uretur, ceu uictus: & inuidebit riuali id quod uel ſolus cuperet poſsidere, uel certè potior eſſe in poſſeſsione. unde odium, & rixæ, & moleſtiæ in re familiari. quæ uel ferocia uirilis magno aliquo tumultu & perturbatione rerum decerneret: uel animi muliebris impotentia querelis atq; importunitate, nempe armis ſuis, augeret ac infeſtaret, penitusq; intolerabilẽ redderet uitã, nõ ſolũ ſubinde expoſtulans cũ riuali, nõ aliter quàm cũ pellice, ſed etiã cũ marito. Non id expedit quieti & iucundæ trãquillitati, quam eſſe in re familiari cõuenit, ad quam ſe unuſquiſq; uelut in portum recipit, defeſſus ac defatigatus cura rei publicæ aut priuatæ, ſed externæ. Quòd ſi domi tã diuexetur quies, & omnia ſint odijs perturbata, ubi tandem uirilis animus negocijs, curisq;, hoc eſt tempeſtatib. iactatus acquieſcet? Profectò in litib. fori, in undis illis & procellis concionum hærere, in peregrinationibus morari mallet, quàm ſe ad penates & intra domeſticos parietes recipere, ad uitam uſque adeò inſuauem & acerbam. Nam in amicitia quamlibet plurium,

riũ,unuſquiſq; unũquemq;,uel quiſq; alios reſpicit,nõ omnes unũ, ut dominũ famu li,ſed quaſi in rep.cõmunione quadã iuris.Duos porrò aut tres ad unum ſpectare,id uerò nõ amicitia eſt,ſed riualitas,aut dominiũ alicuius in multos: quo in genere inui dentia ſolet exiſtere,& ſimultates,& odia:cùm aliquã in partẽ magis inclinat fauor,à multis ẽxpetitus.Idcirco naſcente mũdo,unã Euã dominus dedit uni Adã,ſicut mo dò dicebã.Et cùm orbẽ perditurus eſſet, quos uiros iuſsit in arcã includi ad inſtaura tionẽ generis humani, ſingulis eorũ ſingulas uxores attribuit. Sed diuina præcepta naturæ uim optimè declarãt, quæ uis in nobis propter uarietatẽ affectuũ, qui in di uerſas nos partes rapiunt,corrupta.cœleſtib.oraculis integritati reſtituitur. In Gene ſi Adam uelut uaticinans dixit,futuros duos hominẽ unum. Quib.uerbis Dominus & deus noſter addit:Itaq; perfecto iã cõiugio nõ amplius duo ſunt, ſed homo unus, ut appareat nõ trium aut quatuor eſſe aptũ coniugiũ,ſed duorũ.Idem quoties de cõ nubio loquitur,maritos aut uxores nunquã nominat,ſemper uxorẽ ac uirũ. Et apo ſtolus Paulus in remediũ libidinis ſuadet,ut ſuam unuſquiſq; habeat,nunquam ſuas dicit. Verùm apertiſsimè,cùm Dominus uetat uxorẽ ulla de cauſa repudiari, niſi ob adulteriũ.quòd ſi quis ſecus fecerit, & aliam duxerit, hunc pronunciauit mœchum apertè:& uxorũ multitudinem prohibuit.Cur enim,ſi quis priore uiua,alterã duxiſ ſet,adulter eſſet,ſi multas ſimul habere fas iusq; eſſet? Hæc quidẽ ſunt naturæ leges: quæ utiq; ſufficerẽt,ſi malitia noſtra naturã reliquiſſet puram ac integram,& illi ſimi lem,cùm è manibus artificis ſui egrederetur.Sed ſcelere uiciata eſt,& ad maliciã pro nior facta, infirmitati huic remedia excogitauit inſequens ætas, & ceu clauſtra ſunt effundenti ſe uitio obiecta,coërcitumq; robuſtius indies ad mala ſeculum.Nam ado leſcente mundo primis illis humani generis incrementis,partim cùm caſas adhuc & ſpeluncas auorũ ruditas incoleret,partim iam extructis domibus,& urbib.conſtitu tis,à primo uir & uxor domum tenebant:nati ſunt liberi, erga quos incredibilis fla grat parentũ charitas,naturæ facib.accenſa.hi adulti uxores ſibi aſciuerũt, ad propa gandũ genus,& liberi ſuccreuerunt:per liberos tranſiit patrum in nurus & generos, hinc & in nepotes amor: omnesq; illa ſanguinis charitate cõnexi ac coniuncti, intra eoſdem parietes remãſerunt,participes eiuſdem foci & laris, amore cõplectente uni uerſa,& omnia cõmunia reddente,ſeu unũ uerius. Serpſit lõgius propinquitas, atq; affinitas.& cùm iam eſſent numero permulti,tñ ab eadem re familiari nõ ſuſtinuerũt abſcedere:tum quòd illi iã inde à rudi ætate aſſueuiſſent,nihilq; eſt illa puerili cõſue tudine dulcius:tum quòd illic haberent,quos perinde amarent ut ſemetipſos:nec di rimi poſſent,niſi & à ſemetipſis uiderentur diſtrahi diuelliq;. alij, tametſi digreſsi,& in alias quaſi colonias dimiſsi:tñ ad primam illam matricem,& originis domum,ceu in metropolin & antiquam patriam ſubinde reuertebant, & familiariter uerſabãtur. Ergo homines aliqui & ingenio peracuti,ut uſu rerum callidi ac periti, uiderunt in ter adoleſcentiæ feruorem periclitari pudicitiæ bonum, religione aliqua & latis le gibus motus in præferuida ætate conſurgentes comprimendum eſſe cenſuerunt. Natura certè matrum, filiarum, denique progenitorum & minorum, ſuarum nu ptias abominata eſt. Quod ſatis declarauit, qui incorrupta adhuc natura, cùm u xorem eſſet intuitus dixit, Ecce nunc os ex oſsibus meis,& caro de carne mea: pro pter hanc relinquet homo patrem & matrem: non relicturus, ſi poſſet ducere. Fra tribus ſorores neceſsitas coniunxit,nouo etiamnum & infrequenti humano genere. Cœpit paulatim hoc reſpuere humanitas, mundo iam frequenti: uetuere apud ple raſq; gentes hominum leges,prohibuit numinum religio,coniunctiſsimos ſanguine connubijs uinciri.Sic illis uiſum eſt poſſe fieri,ut fratres,patrueles,conſobrini,& qui arctiſsimo tenerẽtur propinquitatis iure,minus inter ſe cõcubitus expeterent, quos cogitarent inceſtos nefarioſq; eſſe,& ſuperioris iuſſu ac uoluntate prohibitos.Nam ſiue humana ſpectarẽt,legib.uetabãtur,hoc eſt ciuiũ conſenſu,& patrię poteſtate:ſi ue cœleſtia,maieſtate numinis.Ita futurum eſſe,ut tuta eſſet intra eoſdem parietes iu uenum propinquorum caſtitas. Nam priſcorum ſeculorũ ſimplicitati atq; innocen tiæ,ut ab aliqua re abſtinerent,ſatis erat,fieri non ſolere.Cui populo Romano tot le

ges

ges aliæ ſuper alias latę atq; ſancitæ,& poſtremæ quęq; atrociores priorib.tot minę, tot errores, carcer, carnifex, Gemoniæ, ſecures,crux,culeus , & per ſingulos articulos acerbiſsimæ mortes,ad arcendũ à flagitijs nõ ſuffecerunt:horũ maioríb.ſatis fuerat edixiſſe,Ne quis uelit Quirites.In tantũ cętera inualidi, aduerſus modeſtiã & pudorem fortes atq; inuicti ſumus: nihilq; animoſius facimus , quàm uirtutẽ cõtemnere.Simul cũ nullũ ſit animãs,cui magis in ſuo genere cõcordia ac beneuolẽtia quàm homini cõducat,& ſit neceſſaria cõciliãdis amicitijs,& charitati hominũ inter ſe latè diffundẽdæ:proſpectũ eſt,uti præclarè M. Tullius & D. Auguſtinus ſcriptis prodiderunt,ut uiri aliunde ſibi uxores quærerẽt,filiæ in alienas domos migrarẽt, magnã ſecũ amoris cõciliationẽ traducẽtes, ut ijs affinitatis uinculis multi ſibi optimè cuperẽt,qui ex ijs uiderẽt cõſanguinitates,propinquitates, gẽtilitates naſci:omnia deniq; humana & diuina iura,& tanq; nodos ac coniunctionẽ pietatis. Ita factũ eſt,ut charitas illa,quã parẽs natura per totũ humanũ genus cũ ſimilitudine ſui ſparſerat, ad paucos adfectuũ uicio & ſcelere cõtracta, rurſum ſe per cõnubia nõ modò in unũ aut alterum proferret ac diffunderet,uerũ in domos,in ciuitates,gentesq;, quæ multis ſæpe,nonnunquã uno matrimonio ex acerbiſsimis ſunt diſſenſionib.in dulciſsimã cõcordiam reuocatæ.Sed quatenus liceat aut nõ liceat in his progredi, quæ ſunt & Romanorũ legib.& Pontificũ decretis ſancita,nõ eſt loci huius diſputare. dicẽtur aliqñ à nobis,cùm ſecũdo Chriſto,de repub.cõmẽtabimur.Cùm uerò,poſt tãtas & in animis hominũ tenebras,& in uoluntatib.flagitia,& in natura auctã malorũ cõtinuatione corruptelã,uiſũ eſt diuino cõſilio,opus ſuũ inſtaurare:miſit illũ eũdẽ filiũ ſuũ, per quẽ orbẽ cõdiderat,ut & eũ ad patrẽ haberemus recõciliatorẽ tãti diſſidij, ad nos illuſtratorẽ tenebrarũ,& uitæ actionib.exẽplar.Ille humi abiectũ & cœno obrutũ humanũ genus,uelut porrecta manu ad intuendũ cœlũ,ad luminis uſurã,ad captũ diuinitatis erexit:& quaſi claſsicũ cecinìſſet, ita quotquot cœleſtẽ illã uocẽ nõ repugnãtibus animis audierũt,cęteris relictis curis,ac pro nihilo habitis,tãtę ſibi ac reliquis parandæ beatitudini ſe accinxerunt . Videbãt quicquid mũdi artes ac ſapiẽtia pulchrũ atq; expetendũ uel armis peterẽt, uel opib. oſtẽtarẽt,uel philoſophię pręceptis ſcholiſq; loquerẽtur, ac promitterẽt, id omne purius ac germanius incredibili cõpendio offerri,ac penè in manus iam nunc dari.Excitatus eſt incredibilis ſequendi ardor, ut eiſdem ueſtigijs , eódẽ quò dux anteſignanus Chriſtus , perueniret . feruente adhuc eius cruore,& accẽdente eorũ pectora,quoſcunq; attigiſſet,ut ſtupore defigerentur omnes,penes quos erat imperiũ populorũ & gentiũ,ſiue reges ac imperatores,& magnorũ exercituũ dñi:ſiue uſu rerũ & prudẽtia callidi, ad quorũ conſiliũ ac ſententias de maximis deq; minimis referebatur:ſiue profeſſores ſapientiæ , qui ceu in faſtigio humanitatis collocati,& dijs proximi,reliquos omnes ſub ſe deſpectabãt,omnia cernebãt ab iſtis magno curſus impetu eſſe ſuperata.Nemo erat qui nõ admiraretur, unde tãta uis,qua tot milliũ corda ingenti cõſpiratione idẽ peterẽt,idẽ profiterẽtur, idẽ ſonarent,idẽ aſſequerẽtur.Non illis pecuniæ,nõ uitæ cura:nõ magiſtratus ambiebãt aut ullã potentiã:domib.familijs,parẽtib. propinquitatib. liberis,ipſis quoq; renunciarant uxoríb.ne quid expeditos, currentesq; moraretur: ne quid impediret certamen,& retardaret uictoriã de uitijs,& hinc inauditũ illud uirtutis præmiũ. Nõ erant de ſarcinis & impedimẽtis ſolliciti,qui ex uictoria ſe tam immẽſa adepturos bona nihil dubitarẽt . Nõ uacabat in tãta æui celeritate, alijs cogitationib.dare operã,ab hac adeò immenſa & ſublimi raptis penitus atq; occupatis.Sed habet hoc tamẽ ardor ille pietatis noſtræ,quod in eũ à Chriſto manauit, tanquam ex auguſto quodam fonte,ut tam aliorũ ſit ſollicitus, quàm ſecurus ſui.prædituſq; eſt ingenti prudentia:ſed quo magis incenditur is ardor, hoc magis prudentia foras prominet: & oblita ſui alijs proſpicit , ſi quid modò eſſe poteſt in tanta effuſa & flagranti charitate alienum, ſed certè ſe in tuto collocauit, & fiduciæ plenus exclamat, Quis nos ſeiunget à charitate Dei? Ergo pro alijs iam laborat, non pro ſe: uiuit ipſe , iam non ipſe, uiuit autem in eo Chriſtus.Itaque uiuentis in ſe Chriſti iuſſa exequitur,uoluntati paret,ut illis, quacunque poſsit, bene conſulat, quibus optimè conſultum eſſe uult Chriſtus:

ſtus:nẽpe gregi ſuo,pro quo nihil cũctatus eſt uitã impendere. Quocirca, cùm magiſtri illi tam pij cœtus & cooperatores Chriſti recordarentur, quòd ipſe idẽ dñs de uxorib.rogatus dixiſſet,Eſſe qui ſeſe ob regnũ cœlorũ exſecuiſſent,ſed nõ omnes id poſſe præſtare,tantũ eos quib.eſſet munere à cœleſti patre cõceſſum,ne quis incõſulto ſequendi ardore, dum id captat quod ipſi diuino beneficio nõ eſſet tributum, in plagas illas Sathanæ improuidus caderet, quas ille plures occultioresq; circa pedes eorũ tendit, qui magno gradu ad perfectionẽ pulcherrimorũ operũ uadunt: monet atq; hortatur Paulus,cautius ingredi,ac agere.& ubi plurimũ latêre periculi cernũt, ibi adhibent remedia præſentiſsima:eam potiſsimũ partem muniunt, quam ualidiſſimis intelligunt machinis ab hoſte peti.Ille idẽ Paulus, magnus ordinum ductator, qui exẽplo ſui omnes prouocat,ut uniuerſis pro quiſquilijs habitis, Chriſtũ nudum nudi ipſi,& crucifixum crucifixi ſequamur:cõſulit tñ,ſatius eſſe ad coniugiũ deſcendere,quàm in incendiũ decidere. Scilicet ne quis alienã pacem quietemq; per iniuriam & periculũ cõturbet,ne' ue ſeſe ſpurcis cogitationib.& actib.cõtaminet, ſatius eſt uxorem accipere,quàm uri.Ergo quemadmodũ herba,uel radix,uel legumen aliquod alijs cibus eſt,& quotidianũ obſoniũ,alijs medicinæ loco exhibetur:ita coniugiũ,quod à principio naturæ fuerat,& procreandæ ſoboli à deo repertum,inconti nentib. & libidinis indomitæ pro remedio eſt tanti morbi.Sit igitur nobis hoc poſitum,Coniugium eſſe unius uiri & unius fœminę,ad conuictus communionemq; uitæ totius legitimã coniunctionem.

DE ELIGENDA VXORE.

ANtequàm de eligẽda uxore uerba facio,ſubmouendus eſt mihi è mentib. eorũ quos doceo,illorũ furor,qui uxores nõ eligunt,ſed inuadunt:nõ ducũt,ſed rapiunt,interuertũt,fallunt,denicp inuitas ad ſe adtrahũt. Si eſſet mercimoniũ aliquod uxor,aut ueſtis,fortaſſe nõ adeo uideretur abſonũ,illã quacunq; ratione & arte nanciſci: nam quomodocũq; parata,eundẽ uſum præſtaret. nunc cùm ſit futura individua ſocia,& niſi amet,quantumcunq; uel opib.onuſta,uel formæ elegantia moleſtiã allatura:quæ dementia eſt,ab odio auſpicari myſterium maximæ charitatis? Elicitur amor amore,probitate,fide:nõ extorquetur uiolentia. Frueris fortaſſe tu quidem ad tẽpus opib.forma,genere uxoris:uxore nunq;. Illa demũ ſunt rectiſsima & optima, quæ naturæ ſuæ maximè cõſentanea.Nõ rapuit Adamus Euam, ſed à deo patre eius in manus traditã accepit:nõ illam uiro deus obtruſit, ſed ad eos inuicem cõciliãdos alterũ ex altero eduxit,ſimilem formam & naturã dedit:ut unum etiam iam tum ante coniugiũ uideri poſſent,nõ duo. Rector humanæ uitæ eſt mentis iudiciũ. quòd ſi in omni noſtra actione nõ antecedit, in magna incidimus diſcrimina: cuiuſmodi inter mortales quotidie cõtingunt.quippe qui,quòd eſuri aut bibituri ſunt,multis antè rationib.ac modis explorant:quos aſcituri ſunt ad amicitiam, & uitæ communionem, tanto quàm cibus aut potio ſæpenumero uel utiliores uel damnoſiores, non explorant.Sed præpoſterè amant,priuſquã iudicent.Qui error, dici nõ poteſt quanta in uita noſtram mala inuehat. Vnde tot amicitiæ per atroces ſimultates diffringuntur: & fœdè diſrumpit affectus,quos affectus calidè atq; imprudenter copularat. uidelicet tales,quos nullum poterat uinculum diutinè continere. Atqui prius eſt & natura & ratione,iudicare:hinc ſequitur, ut commodo tuo uel amore complectaris, uel odio uites.Quòd ſi faciendum eſt in deligendis amicitijs,quanto accuratius in uxore,principe amicitiarũ,ut prima inter omnia chara nomina? Epictetus Stoicæ ſectæ philoſophus ait,unãquanq; rem habere anſam ſuam:qua ſi apprehendas, optimè ac dexterrime utêris.Eaq; eſt uera & abſoluta prudentia,ſcire, quorſum quæq; res ſpectet, & quis eius ſit à natura illi tributus uſus.Si in uxore ducẽda de ſobole modo & conuictu cogites,haud facilè in ea deligenda à recto aberrabis,quæ maximũ eſt momentum ad uiri felicitatem aut miſeriam:quemadmodum ſcitè eſt à Xenophonte in Oeconomico ſcriptum.Nam ut quicque homini eſt coniunctiſsimum,ita ualidiſsimum eſt uel ad iuuandum, ſi ſit bonum: uel ad nocendum,ſi malum.Grauiora ſunt corporis damna,quàm externa:& animi,quàm corporis.Eundem in modum in eorum utilitate,quæ bona nuncupamus.Videbitur id fortaſſe nonnullis haud perinde

in uni-

in uniuersum pronunciandum. quippe sunt complures, quibus grauior est pecuniæ quàm ualetudinis iactura. Id uerò nõ ex pecunia, sed eo quod sibi animus persuadet, rem esse atrocem atq; intolerabilẽ, amitti pecuniam. Itaq; non pecunia uincit ualetudinẽ, sed affectus. Quo fit, ut sint qui leuius ferant regno deturbari, quàm multi, si exigua patrimonij portio adimatur. Alij uerbulũ atrocissimè ulciscunt. Alij & alapas & fustuariũ negligunt. Hæc omnia ex animo, qui in homine plus potest polletq;, quàm corpus: nẽpe interior & cõiunctior homini, atq; adeò homo ipse, sicut Platoni uidetur. Ergo si amicũ tantũ refert ad bene aut secus uiuendũ, qualẽ habeas, qui tamẽ non eodẽ tecũ uel lecto, uel cubiculo, uel etiã tecto habitaturus sit, certè licet relinquere: quanto est id magis censendũ de uxore? quę tecũ est perpetuò uersatura, ad mensam, in cõclaui, in lecto, in arcanis, denicq; in ipso tuo pectore. Domo si abis, huic domum, huic familiã, rem familiarẽ, liberos, rem omniũ charissimã & iucũdissimã, cõmittis ac cõcredis. hæc ultima dimittit discedentẽ, hæc recipit prima redeuntẽ, ex huius cõplexib. atq; osculis dimitteris, huius cõplexib. atq; osculis reciperis: huic si quid gaudes aperiendũ est, huic si quid dolet. Cœlitũ uita est, uersari cum quibus libeat, & quos ames. Inferiorũ ea est præcipua calamitas, quòd omnes mutuò oderũt, & coguntur uidere ac uersari cum quib. minimè uellent: nec tamẽ discedere, aut separari datur. Hinc uidemus tam graues in quibusdã coniugijs casus, & fœda facinora, mutilationes, cædes, neces, per homines desperatos: quũ retinere piget, quod reijcere non licet. Gemina igitur est uia & anceps in connubio: quarũ altera ad miseriã ducit, altera ad felicitatem. in earũ capite anxius tibi et sollicitius deliberandũ est, q̃ fecisse Herculẽ illum inter Voluptatẽ & Virtutẽ, sophista Prodicus fingit apud Xenophontẽ in primo uoluminе Commentariorũ. Et quãdo res tãti est momẽti, ne grauetur Lector legere. nam ego nõ grauabor rem aliquãto fusius explicare. Electio quũ aliud nõ sit, quàm assumptio eorũ quæ cõgrua uidẽtur fini præstituto: quisquis electurus est, hunc oportet finem primũ spectasse, hinc quæ fini cõueniant nõ ignorare. Prudentẽ eiuscemodi hominẽ esse necessum est. Neq; enim alius & finẽ probè destinabit, & quæ fini accõmodata sint, nisi prudens, perspiciet. Porrò nemo prudens est, nisi rerũ noticiã, usu & experientia cõsecutus: tum qui affectionũ motibus minimè cõcitatur, quis efficitur, ut iudicio minus ualeamus. Hæ duæ res, imperitia, & animi perturbatio, in causa sunt, cur iuuenes non perinde de rebus bene statuant, ac senes. Ignorant enim uitæ negocia, & noui ad omnia facile capiuntur. Hinc affectus conciti, quid in quaq; consultatione rectum sit, quemadmodũ oportet, offusa menti nebula non dispiciunt. Quapropter ita expedit fieri, ut iuuenes curã uxoris deligendæ ad parentes referant: qui cùm plus uident, quàm iuuenes, & animorũ tempestatibus carent: tũ, quod in dando consilio potissimũ est, non minus liberos suos amant, nec illis uellent aliter consultũ, quàm sibi. Parenti enim ferè charior seipso est sua soboles, quod non semel magnis est exemplis demonstratũ. Cauendũ est iuueni, nedũ ipse aliquod perturbati animi iudiciũ secutus eligit, breuissimã uoluptatẽ sempiterna pœnitẽtia cõmutet. Magno ac perpetuo rerũ usu atq; experimẽtis deprehensum est, rara esse fortunata cõnubia, quę clanculũ inter iuuenẽ & puellã coierũt: cõtrà perpauca infelicia, quæ sunt parentib. autorib. cõfecta & cõfirmata. Vetera omnia cõiugia gentiliũ ac Iudæorũ ita coierũt. parentes autoritate sua utrinq; rẽ transigebãt. liberis nefas erat, ab eo discedere, quodcunq; uisum esset parentib. de ipsis statuere. Illud sunt tamẽ senes admonẽdi, uideãt etiã atq; etiã, ne quid in liberis suis cõiugandis spectẽt aliud, quàm illorũ quietẽ, facillimamq;, et quo ad eius præstari poterit, iucundissimã agendæ uitæ rationẽ. Habeãt ante oculos, non uanos aut stultos honores, nõ inuidiosam & malè tutã potentiã, non inquietas factiones, nõ id quo maximè ætas illa (ad alia satis cauta ac perspicax) fallitur ac tenetur, auiditatẽ opũ. hoc est enim liberis miserã uitã & onus intolerandũ imponere, dum ipsi suis obsequũtur affectibus. Quòd si tu uel claritudinem, uel opes, uel potentiã, uel dignitatẽ paras filio, ut aliquid inde ad te deriues, quid aliud hoc est, quàm filio abuti, ceu administro cupiditatis tuæ: ut dum tu quod cõcupisti assequare, nihil dubites filium in tantam malorum uoraginem detrudere: quam ipse nõ perferet sine tacita tui

execratione, ſæpe etiam aperta & alta. Si quis ſiue ſenex ſiue iuuenis, ipſe per ſe non ſatis quid in re ſit, perſpicit: adhibeat in conſiliũ ſuper tanti momẽti negocio, quos & prudentes eſſe arbitretur, & ſibi bene cupere. Et cùm in relíqua omni uita, tum uerò in hac cura & deliberatione, quæ eſt ceu uitæ totius cardo, minimè omnium popularibus eſt opinionibus aſſentiendum. An eſt aliquid magis abſonum, inconditum, incompoſitum, quàm multitudo, bellua (ut prudentiſsimè dixit ille) multorũ capitũ? quam ſi quis ſequatur, fieri aliter nequit, quo minus eiſdem inuoluatur malis, quib. illa: & quemadmodũ ipſa uiuit, ſic & is uiuat, nempe miſerrimè. Quæ tandem eſſe poteſt prudentia, ubi affectus ſunt incitatiſsimi, pręſtò ſemper iuſsibus ignorãtiæ. Quale uerò eſt, ut hic aut ille domi ob malè delectam uxorẽ infeliciſsimus, poſtulet et contendat à me, ut eundẽ in modum ego eligam, quo ipſe elegerit? quorſum id? an ut eiſdem ipſe miſeríjs intricer: & ille ex querimonijs meis uel culpam ſuam tueatur ſocietate euentus: uel ſolatiũ aliquod fortunæ ſuæ captet, quã ſibi cum alijs uideat cõmunem? Eligat prior, oſtendat ſe ſuauiſsimè ętatẽ agere, nec iudicij ſui pœnitere: tum me ad uitæ ſimilitudinẽ, & eandẽ uiam ineundã exemplo ſuo uocet. Nam ſi ipſe pœnas dat, quod malè elegerit, uocet potius ad diuerſam eligendi rationẽ: & naufragus ſcopulos ac pericula demonſtret euitanda. Si quod bonum uitæ profuturum precibus à Deo, & uotis petitur: maximè petenda eſt uxor bona, reddítura et res proſperas lętiores, & leuiores aduerſas. contrà uerò, mala & ſecundis inſoleſcet, & triſtibus deſpondebit animũ: ut in neutra ſit fortuna tolerabilis. ut nõ iniuria Galli prouerbio lingua ſua iactent: Non poteſt uocarí bene natus, qui nõ eſt bene cõiugatus. Socrates apud Xenophontẽ, eos qui à díjs uel uxorẽ, uel opes, uel potentiã rogarent, perinde dicebat facere, ac ſi peterẽt, ut aleã ſibi ludere, uel prælíũ cõmittere liceret, quarũ rerum exitus ſunt incerti. Bonã mulierẽ ſi quis roget, exitus eſt certus, & beneficio quodam ſummo ac ſingulari à Deo tribuitur, ſicut teſtatur in Prouerbijs Solomon: Domũ & diuitias hæreditate liberis relinqui à parentibus, uxorẽ uerò prudentem propriũ eſſe munus Domíni. Et Ieſus filius Sirach: Pars bona, mulier bona, in parte bona timentiũ Deum, dabítur uíro ,p factis bonis. Cæterũ ut quiſq; quantũ ſit à fœmina expectaturus ſciat, priuſquã eligat, paucis uerbis ſtatui muliebre ingeniũ explicare: ne quum ea expetíerit, quæ non multũ abſunt ab impoſsibílibus, non eſſe ſe cõſecutũ grauiſsimè ferat, uelut deceptus, & debito fraudatus. Homo ex corpore conſtat & animo, in animo tanquã duæ ſunt partes: ſuperior, in qua iudiciũ, conſiliũ, ratio, quæ mens dicitur: inferior uerò, in qua motus illi & æſtus perturbationũ, quæ Græcè πάθη nominantur. Affectus ex opinionibus naſcuntur. Opiniones uerò aliæ in alijs plus aut minus ualent, pro cõſtitutione ac ratione corporis, pro moribus atq; aſſuefactione, ætas, ualetudo, uictus, tempora, locí, multũ ad eam rem faciunt: quîs omnibus corpus afficitur ac mutatur, & proinde ea quoq; animí pars quæ corpori eſt adiuncta, quã inferiorẽ nominauimus. Ergo affectus omni ſexui, ut omni ætati ſunt cõmunes, quemadmodum perſuaſiones de rebus. Sed alij tamẽ ualidiores, aut crebríores in mare, quàm in fœmina, aut contrà. Natura quũ humanũ ſemẽ in maternis locis tanquã pinſit, & corporat, ſi ſatis nacta eſt caloris, marẽ edit: ſin minus, fœminã. Itaq; quãdo ei deeſt præſtantiſsima qualitas, & in primis actuoſa ac uiuida, eſt animal fœmina imbecillũ, nõ modò in humano genere, ſed in alio quocunq;, proportione generis ac notionis ſuę: tum inter homines in feliciore ualetudine, auctu recrementorũ, quibus diſcutiendis calor non ſufficit: unde ſtati menſes, quoties nõ fert uterũ. Eſt etiã meticuloſa: quando quidẽ calor animoſos facit. Auara, metu, ne deſit: et tacito naturæ admonitu, infirmã atq; inualidã ſe eſſe, cuiq; multæ res ſint opus. Occupata in cura rerũ minutiſsimarũ, tanquã caducũ ædificiũ fulciendũ ſit multis bacillis. Suſpicax ex metu, querula, inuida, uarijs cogitationib. agitata, & concita. unde in lõgo & multiformi negotío imprudentia: tũ occulta ſua imbecillitatis conſcientia deſpici ſe ſuſpicatur. hinc in debili ematea, & quaſi ſtupa, cõtinuò inflãmatur ira, ultionis cupidine accenſa. Amatrix ornatus, quo ſe on tẽptui eximat: & ut debilis et caſui obnoxia, undiq; quò innitatur, quęrit. Ergo uideas nõnullas, trahẽtes ad decus res minimas ac leuiſsimas; ut quòd uicinũ habeãt poten-

potentem,aut quòd ſint comiter à principibus ſalutatę,uel appellatę. ut illa prętereā, quę pleriſq; eorum qui robuſtiores credi uolunt,uidentur maxima, genus,opes,formam,neceſſarios. Ex eodem metu naſcitur ſuperſtitio .nam ut religionem ſuadet ſapientia,ita ſuperſtitionem uanus quidam terror . Loquacitas illis partim ex uarietate cogitationum affectionumq; proficiſcitur : quarum ut aliæ aliis ſubinde ſuccedunt, ita alia ex aliis ueniūt in mentem,& inde in buccam.partim ex ſuſpicione & metu:ne ſi taceant,uel in reprehēſione aut iurgio,exiſtimentur ex conſcientia facere:uel in colloquio eximperitia,quod quid locuturæ ſint neſciant. Hæc quæ diximus omnia naturæ ſunt,non ſexus,idcirco nec in ſolis ſunt fœminis,ſed in multis etiam uirorū,qui muliebri ſunt ingenio,uel natura ſua,& prima illa conſtitutione corporū, quæ mutari in totum nequit:uel fiunt ętate,ſicut pueri et ſenes:uel caſu aliquo,ut qui diuturnis ægritudinibus corporis aut animi tenentur.Neq; in omnibus fœminis ſunt hæc omnia:neq; in iis quæ habent ad eundē ſemper modū. Fuerūt enim,& ſunt nō paucæ robuſtiore ac uirili magis pectore,quàm uirorū pleriq;. cuiuſmodi apud gētiles memorantur permultæ:Cleobulina,Hipparchia, Diotima, Lucretia, Cornelia Gracchorū, Porcia Bruti, Chlœlia,Sulpitia. Sed apud nos martyres innumeræ,quibus nec loquaces Athenæ cōparari ualeāt,neque bellatrix Roma.Nec ætati noſtræ uoluit Chriſtus deeſſe exemplū, multū etiā ad poſteros manaturū, quod præbet Catharina Hiſpana Britanniæ regina,Henrici octaui uxor:de qua uerius dici poſſet,quàm quod de Lucretia Valerius inquit,uirilem eius animum errore naturæ muliebre corpus ſortitum eſſe.Pudet me mei ipſius,& uirorū qui tam multa legerunt,quum fœminā illam conſpicio,tanta inter res aduerſiſsimas ac triſtiſsimas tamq; robuſta uirilitate pectoris,ut nunquam quos de fortitudine ac animorū robore uetuſtas famoſa memoriæ poſterorum cōmendauit,tanta animi conſtantia,tamq; inuicto tenore probitatis, & fœuientem fortunā pertulerint,& rexerint blandientē.Si tam incredibilis uirtus in illa incidiſſet tempora,quū honos erat propoſitus magnis uirtutibus : iam olim hæc & heroniarū ſplendorē obſcuraſſet,& in tēplis tanq; numē cœlitùs demiſsū adoraretur. Tametſi nec illi templa deſunt.neq; em̄ amplius illi aut magnificentius poteſt erigi templum,quàm quod ei per gentes omnes unuſquiſq; in adyto pectoris ſui,ex uirtutum admiratione conſtruxit.Sed hæc omnibus nunc cognita, dicentur aliquando à multis,cum merita cura & dignitate.Verùm ſuperiora illa hunc in finem ſunt à nobis dicta,ut quemadmodū mutari non poteſt uir,neq; affectibus prorſum exui:ſic nec ſperet quiſquā fœminā ſe à ratione naturę ſuę,quā ſecū ab utero eduxit,in aliā quandam traducturū,melior poterit fieri,et affectus rediget in ſuam poteſtatē inſtitutione ac uſu:abijcere & tollere penitus tam poterit,quàm non eſſe fœmina,imò uerò quàm nō eſſe homo.Summa hæc eſt,hominē ſemper futurū hominē:hoc eſt,animal imbecillū, inualidū,immutabile,morbis expoſitū,affectibus ſubditū,procliuitate malū,quod diſciplina emendatur,parua aūt aſſuetudine fit peſsimū.Ferendi ſunt affectus hi in femina,ſicut in amicis uiris eos ferimus quos habent,niſi humanū omne refugientes conſortiū,in ſyluis ac ſolitudinibus edere uitā animū inducamus . Et hoc æquius muliebres ſunt ferēdi, quod uiriles ferociā quandā habent, nec facilè domantur, aut regi ſe ſinunt:falſaq; libertatis ſpecie,quā ſuperbia genus hominū edocuit, frenos indignabundi reſpuunt,ac excutiunt.Fœminei uerò ut infirmiores,ita & dimiſsiores ſunt.Ergo tu illos in poteſtatē tuam redigēs,& eis ſeu uirili robore, ſeu ingenij acumine, ſeu prudentia ac rerū uſu dominabere.Longeq; eſt grauius herū malū perferre,quàm ſeruum.Dubitandū non eſt,quin talē cōueniebat eſſe fœminā,ut quæ eſſet in uiri manu ac poteſtate uictura:diuinamq; illā ſapientiā attigiſſe à fine uſq; ad finē fortiter,& diſpoſuiſſe omnia ſuauiter.Admiranda ſunt Dei opera,& adorāda.nemo illa reprehenderit, quod eſt abominandum nefas . nemo ita ad diſquiſitionem uocarit, ut ſententiam de illis ferat: quod non fit ſine inſigni quadam temeritate inconſiderantiæ, uel ſine impietate malitiæ . Nos inſcrutabilem illam & immenſam diuini conſilij rationem non aſſequimur . quædam tamen procul,ac uelut in tenebris,& ſicut Paulus inquit, per ſpeculum in ænigmate conſpicimus, quantum ſat eſt huic peregrinationi

transigendæ:ex quibus hanc licet sumere coniecturam,etiamsi mutari animorum affectationes possent,& pro muliebribus uiriles reponi,tamen esset uiro recusandum. Principiò,si robusto fœmina esset corpore et animo,quomodo pati posset uiro se esse subditam,non potentiori se? an nō uiribus & audacia freta insoleſceret,regnumq; domus & familiæ deposceret,uel uiribus & certamine decernendum? Audacē quis domi contineret,aut à turba frequentiaq; arceret? Profusa nunquam conseruaret à uiro parta: quo nihil est in re domestica magis necessariū. Si res minutas negligeret, quomodo domesticum instrumentum,quod ex tam multis & exiguis rebus constare est necesse, coli & conseruari posset? quomodo supellex præstari sarta tecta, in qua sunt tot scruta,utilia,detrita,confracta,fila interdum,& leues flocci? Quis obiret munia illa domestica,aut rem culinariam tractaret? quis enutriret & curaret filios? quæ crux uirili esset pectori,ista exequi? abiiceret citius omnia,& domui renunciaret malletq; in syluis degere,quàm in tali pistrino. Loquacitas lenimentum interdum est uirili animo,publicis aut priuatis curis defesso ac cōfecto:dum adsit modus. Et pueros docet tum loqui, tum ea quis ætas illa capitur: ad quæ ægrè sese uirilis sublimitas demitteret. Iam ornatus,mundiciam parit rei familiaris: rem non tantum commoditati uitæ, & refectioni animorum perutilem,uerumetiā sanitati:quæ dici non potest,quantum sordibus atq; immundicia lædatur. nec ingenium satis uidetur mihi mundū,in squallore ac sordibus. Inuidia uerò atq; æmulatio inter eas,quum in rabiem non exit,multas earum uirtutes artesq; excuit: diligentiam domesticā,custodiā decoris,ne quid faciant aut dicant in quo possit ulla probri aut uituperij suspicio adhærere. Nec superstitio est in fœmina intolerabilis. caueatur tantum,ne eiusmodi anxietas uerā germanamq; religionem uel extinguat penitus, uel opprimat. Nec mihi satis probatur mulier,quæ non aliquantum ad superstitionem uergit,ex ingenti quadam religionis cura:nisi fortè sit aliqua ex absoluto illo perfectoq; matronarū genere. Ergo hæ sunt ingenij muliebris pronitates,quæ reflecti ad rectum poterunt, sicut & uiriles:quemadmodum in sequentibus declarabitur. Interea nulla est cum hoc ingenio repudianda,nisi nullā uelis,atq; adeò solus malis uiuere,cuiuscunq; societatis expers. Iam uerò cōnubij finis soboles est,& cōuictus. In utroq; horum multi flagitiosè delinquūt. Nam alij nihil pensi habent,ex qua sibi liberos progignant:quum contrà deceat,quo ipsi uel fortunæ muneribus uel naturæ sunt dotibus præstātiores,hoc diligentius accurare,ne tam generosum semen in aruū proiiciant aut malignū, aut quod optimum semē praua quapiam qualitate corrumpat. Etenim id uidemus nauos atq; industrios agricolas in primis prouidere,ut solum sibi deligāt semini par, ne opera atq; impensa pereat,si ager uicio aliquo inquinatus malignā ac degenerē frugē emiserit:hocq; impensius uoto se deiectos ac fruſtratos dolent,quo spem uberiorē bonitas seminis fecerat. Accedit huc,quòd parens,quo tenerius filiū diligit,eo acrius uritur,uitia illum ex matre propè incurabilia duxisse. & de sobolis ob matrem dedecore,nō parū mœroris ad patrē redit. Iam cōuictus quanti est momenti ad uitā? quū nihil sit in ea acerbius,quàm sociū habere longi itineris,uel cōtubernalem malum,aut stultū, aut stupidum:satiusq; sit,solū omnino uiuere,quàm cum malo:et cum canicula lusitare,quàm cum fatuo sociare colloquia. Quæ demētia est,nihil arbitrari ad rem facere, quo ingenio,quibus sit moribus mulier? cum qua semper de die, de nocte uicturus es:imò uerò moriturus,si molesta cōtigerit,& contra animi tui sententiā. Ad sobolē spectanda sunt duo:corpus,& animus uxoris. illud,ne nimis sit deforme. Ephori apud Lacedæmonios mulctam dixerūt regi Archidamo,qui uxorem breui corpore duxisset,unde qui nascerentur,regiam personam ac dignitatē non satis honore corporis tueri ac sustinere possent. Quanquam hoc non tantum est,ut si reliqua abundè adsint,recusanda sit ea de causa uxor. Nam speciosissimos uidimus iuuenes,matribus genitos & statura pumilis,& corporibus distortissimis. Magis illud prouidendū, ne quo laborent morbo,ex ijs quos Medici hæreditarios uocant,qui à parentibus in liberos transfunduntur. inter quos sunt fœdi nōnulli,& qui officia uitæ impediāt. Ab his est diligentius cauendū,quàm ab alijs uel leuibus,uel nō perinde tetris atq; abominādis. Quin

ipse si

ipſe ſi quo laboras horrendo atq; auerſando,uellem eum ad modū uitæ tuæ rationes cōſtitueres,ut uiuere cœlebs poſſes ſine delicto. Quàm enim dulciſsimū eſt genuiſſe,tam eſt acerbiſsimū uidere liberos graui morbo afflictos:quē ſæpe optemus, fieri ſi poſſet,in nos translatū potius,quàm in illis tanto cum dolore noſtro aſpicere.Hinc animus contemplandus,ut natura ſit ſanus, ne parentis inſania uel contagio corporū proli adhæreſcat,uel educatione ac moribus. Idem ſit mihi de uiro dictū. Hoc enim eſt boni & ſapientis hominis, nolle ut infortuniū ſuū ad multos peruadat, ſed ſe uno concludatur. Quòd ſi in amicos uiros ea ſumus charitate præditi, ut accuratè demus operā,ne ad illos mala noſtra uelut contagione quadā ſerpant:quanto decet magis in liberos noſtros ad eum nos eſſe modū affectos? Hoc uerò conſiliū putent patres datum eſſe & ſibi,in eis cōiugandis,ne tales uideāt nepotes,& ſucceſsionē gentis.Nam ipſis iuuenib.ſine mente,ſine ſenſu, fruſtra canitur carmen:& quo dementiores ſunt, hoc ſe alios omnes ingenio ac rerū uſu antecellere opinantur. Illud eſt enim inſaniæ caput,ſaniſsimū ſe exiſtimare.Adde his,ne animus ſit educatione ac moribus malus, prauusq;:quod cùm ꝓpter mares periculoſum eſt, tum uerò propter filias peſtiferū: quippe quæ apud matres educantur,& earū conſiliis obtēperant, & facta dictaq; ſtudent effingere,ad quę uelut ad optimū quoddā exēplar ſe cōponunt.De genere non perinde oportet eſſe in hac de liberis cōſultatione ſollicitū.te enim ſoboles ſequetur, non matrē.Hæc de prole.Iam de cōuictu:in quo expendēda ſunt bona & mala,commoda & incōmoda. Amor enim,unde amicitia nomē ducit,ex opinione boni & pulchri oritur.hoc idē eſt amicitiæ uinculū:quod ubi primùm ſublatū eſt,amicitia quoq; diſſoluitur. Idcirco inter ſolos bonos eſt uera & duratura amicitia,in quib. is uitæ ac animorū tenor conſtans eſt & perpetuus.mali uerò, qui praua ſunt cupidine aliqua conciliati,non diutius ſunt amici,quàm eiuſmodi cupiditas hortatur ac impellit,quę ſimul uel copia expleta,uel tēpore flacceſcens elanguit,amicitiæ uis penitus diluitur, uidelicet coagulo quo continebatur ſublato.Quocirca bona & mala ſunt cōſideranda,quibus homo uel intus in animo,uel foris in corpore eſt præditus:quæq; hominū iudicijs à rebus,quæ penitus extra hominē ſunt,acceſſerunt.ſiue ea bona & mala nominentur,ut Peripateticis & uſui loquentiū placuit:ſiue cōmoda tantū atq; incōmoda,ut Stoicis,de quo nihil laboro.Sunt ergo hæc in animo:acumen,hebetudo,celeritas,tarditas,uafricies,ſimplicitas,malignitas,candor, ſanitas,inſania, pronitas ad uitia aut uirtutes,aliorum ad alias: & quæſita uſu,artes,peritia,inertia, ruditas,prudentia, imprudentia: uirtutes omnes, & his contraria uitia. In corpore, ætas, ſexus, ualetudo,ſtatura,habitus,uires,forma. Exterius adduntur,genus,fama,opes, dignitas, gratia,conditio. Hæc ſint à me uelut exempli cauſa dicta. neque enim hic locus eſt exactius de his diſſerendi,tantū hæc cōmemorauimus,quantū præſenti uidetur inſtituto ſufficere. Verūenimuero ex his omnibus, ea quæ poſita ſunt & cōſtituta in ipſo corpore,facilè à quouis poſſunt intelligi. illa ſunt remotiora atq; obſcuriora, quæ in cuiuſq; latēt pectore,tot inuolucris intecta atq; occulta:quæ nō aliter quàm externis actibus utcunque poſſunt cognoſci ac deprehendi:tenuiter alia & obſcurè,alia paulò dilucidius. ut ſunt actionum aliæ interioris animi indicia, nōnihil euidentia atq; expreſſa:alia maligna & cōfuſa.Prætereo illa quæ de Phyſiognomia ſunt cōtemplatoribus naturæ tradita:nos aptius hic ad uitā loquemur, & ad cōmunē prudentiā cōgruentius.Illa ſunt leuiter impreſſa ſigna,inceſſus,ſeſsio,quies, uultus, & in eo oculi, geſtus totius corporis,ſonus uocis:quę tamen animū nonnihil,tametſi procul,demonſtrant.Certiora atq; expreſsiora ſunt,mores,in quibus præcipuū locū ſermo obtinet: qui nō modò ingeniū declarat,ſed etiā affectus,utpote qui ex utriſq; naſcitur.Qualis uir,inquit uetus uerbū,talis oratio.& Socrates,quū ad eum adoleſcēs quidam eſſet à patre ſtudiorū gratia deductus:Adoleſcens,inquit,loquere,ut te uideā.ſcilicet uir ſapiens acutius erat iuuenis animū per ſermonē inſpecturus, quàm ex geſtu & filo totius corporis.In ſermone acumē ſentētiarū ſpectatur, quod ab ingenio proficiſcitur: tum orationis mores,& quaſi educatio quędā,quòd ex affectionibus,quàm ſit caſta, uerecunda,grauis,ſobria,moderata, facilis:aut cōtrà, obſcœna, impudēs, leuis, inſo-

lens,arrogans,morosa:talis est etiam fons,unde hic riuus emanat.In reliquis uitæ actibus sunt,qui extemplò animum foras proferunt,& aspiciendum uel rudissimis ac tardissimis hominib. exponũt:ut crebrò incẽdi iracundã:rixosam cõtendere,& subinde occasionẽ captare contradicendi:pertinacem nolle credere,aut maligno & Sardonio (quod aiunt) risu,prauoq; quodã silentio nõ decedere de sentẽtia. Apud extraneos non posse affectũ cohibere,impotentiorẽ arguit,quàm ut regi ualeat:aut laxũ dissolutumq; esse animũ,nec uelle sibi moderari,neq; ullũ habere respectũ arbitrorũ. Illa uerò non minus certa,sed aliquanto magis recondita coniectura, quæ ex amore atq; odio sumitur,id est,ijs quibus quisq; capitur,delectatur,tenetur:aut contrà, quæ auersatur,quæ fugit,quæ odit.Iis demũ delectatur quisq;,quæ libẽter facit,quæq; cupit sibi multo esse familiarissima & coniunctissima:ea odit,quæ uellet esse procul,& alienissima.Præclarè ac sapienter Plato,diligentiã omnẽ curamq; legũ cõditorũ in eo collocari oportere censebat,ut ciues assuescerẽt bonis delectari, auersari & odisse mala. Id si assequerentur, non multis esse opus legibus in ciuitate:quippe unusquisq; intra se legẽ sibi æquissimã circũferret,moderatũ animũ,ac bene constitutũ. Delectationes aliæ se proferunt sensibus corporis,aliæ cõsuetudine ac familiaritate in usum uitæ alicuem,& finem animo cuiusq; propositum ac præstitutum.Contemplandum,quę uelit quisq; audire,quæ uidere,tangere,olfacere,gustare:quibus capiatur uerbis,sermonibus,colloquijs,libris,congressibus,lusionibus,epulis,cultu,ac ornatu.Nihil tã expetit cuiusq; rei natura,quàm sibi simile:nihil tam abominatur æquè ac deuitat,quàm dissimile.Ergo qualiacunq; ea fuerint,quibus quisq; delectatur,similem intus animũ sciamus habitare.Hinc amor & odium,hinc amicitię omnes,usus & cõsuetudines:& quæ sunt ijs aduersa,inimicitiæ,auersiones,fugæ naticũtur,uel natæ coalescunt,ac cõfirmantur.Primò enim uel tacita quædã occultaq; naturæ cõsensio, ac similitudo aliquos conciliat,& inter se cõiungit,uel solus respectus utilitatũ:uel fortuita quædã & temeraria applicatio,ut qui eundẽ in ludũ uentitãt pueri,qui eadẽ naui aut rheda uehuntur:quos iter,quos militia,quos officiũ,quos conuiuiũ coniungit,quos præsens rei alicuius necessitas ac usus.Primi illi,ferè stabiles et sempiterni sunt amici.proximi, quandiu utilitatẽ ratio suadet. Tertij uel magis uniuntur, si eisdẽ studijs teneantur:& alter in altero,quo capiatur,inueniat. uel resiliunt, quũ diuersis ac disparibus studijs dediti,nihil in altero uident,quo oblectentur.Ex his omnibus spectare quadantenus licet,cæcas illas ambages nostri cordis.Nam asciscit quisq; sibi, & auidè retinet suum simile:aut ipse contagio quoddã ac cõsuetudine,& illo ceu affrictu euadit similis.De quo est illud in sacro carmine:Cum sancto sanctus eris,& cum uiro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Itaq; intuendũ est, quibus sodalibus utatur,quã es ducturus:quibus diutinè sit usa.ipsa uel se adiunxit illis naturæ instinctu atq; impulsu, quia talis:uel conuersatione,facta est talis. Famulæ multũ etiã ingeniũ heræ suæ patefaciũt ac declarant.sicut prisca sententia perhibetur: Quales heræ,tales ancillæ:atq; etiã tales,ut inquit Plato, canículæ.Nam & illã, in cuius manu est ascisscere quas uelit, eas demũ credibile est eligere, ad quas nutu quodã similitudinis feratur naturæ:& quæ diu inter eas uersetur, uel ad ipsam cõtactu illarũ uitia aut uirtutes transeãt:uel sui ad illas mores,quod est pronius. ut quisq; fingit se ad illius ingeniũ,cui uehementer studet placere.Itaq; ex famulabus nõ eę spectãdę sunt, quæ mutãtur crebrò, & prius abeũt domo, quàm illarũ possit animus cognosci, aut quàm aliquid de suo potuerint in proximos transmittere:nec illæ,quę procul à domina in remotis domus ministerijs occupãtur:sed illæ tantũ,quæ dominabus suis diutinè à manu inseruierũt. Quorũ hominũ cõsuetudo in usum aliquẽ sumitur,horũ sunt qui nihil habent uitij,utiq; læsuri candorẽ pudicitiæ:alij habẽt. in his non simpliciter censendũ.Aut enim credibile est,eam id uitiũ ignorare, aut scire,tum posse scire, debere scrutari.Si sciat,cuiusmodi sit rei usus? quæ prætermitti nõ possit, an quæ possit cõmodè?Sint'ne alij,qui idẽ æquè possint præstare, malit tamẽ illũ?ita cum eo uersẽ, ut se tantũ ostẽdat adduci necessitate,an familiari? sedet illi? Hæc omnia facilè docebunt,qd sequat,quid spectet,qd uelit,qua demũ re delectet.Fœmina quæ cũ crassis

& bene

& bene habitis uiris,cuiuſcunq; bonæ artis quæ ad ſexum illum pertineant expertibus,libenter uerſatur,& cum illis auidè ſermones miſcet,ad menſam & conuiuia arceſsit,quid poterit dicere ſe in illis quærere ac ſpectare,quo oblectetur,niſi flagitiũ? Ex anteacta uita de ſequenti ſumetur iudiciũ.magnę ſunt enim uires aſſuefactionis, quemadmodũ ſe cum ſodalibus,cum amicis puellis,cum ancillis,cum miniſtris geſſerit:quomodo utranq; tulerit fortunã,ſi ſit experta res proſperas manſuetè,æquabiliter:an ferociter,atq; impotẽter: aduerſas fortiter,& moderatè:an demiſſe,deſperatè,abiectè.Pietas res eſt maximè recondita,& quæ ſolius Dei oculis eſt aperta ac expoſita:nempe iudicis ſui,& expenſoris præmij ac ſupplicij. difficile eſt,de ea humanis ſenſib. ſtatuere: nec illam ſinit Chriſtus ſub alienã cenſurã uenire,de qua apud illud tantũ ſupremũ tribunal cognoſcitur.Sed illius non leue eſt ad nos quidem indicium,libenter de Deo & rebus ſacris loqui,& audire,non ad arrogantẽ aliquã oſtentationem uel probitatis uel ingenij,nec ut alij erga ſe utantur iuſtitia & ſanctitate morum ac uitæ:ſed reuerenter ac demiſsè, ut ex præceptis illis, & ipſa & alij uitam inſtituant.Nec tantum religionẽ teſtatur crebra collocutio de externis,& ijs quorũ actionem corpore magis quàm mente exequimur:quantum de rebus intimis, & illis quæ animum ad Deum erigunt ac ſuſtollũt.Priora illa ſunt, de ieiunijs differere, de precũ numero ac modo,de uotiuis ac ſacris peregrinationib.nam ieiunia & preces tametſi ſunt bona,& quę ſæpenumero uſurpari uelim à proba fœmina:tamen quia poſſunt à malis præſtari,non uſq; adeò ueram ſinceramq; pietatem arguunt.Illa ſunt euidentia magis teſtimonia,de iudice illo uiuorum et mortuorum,ſpectatore actuum & cogitatuum humani cordis:de fugacitate uitæ,de uanitate eorum quæ hîc expetuntur:de contemptu honorum,opum,dignitatum:de cura quam agit Deus tuendi,ſuſtendandi,cõſeruandi noſtri:de amore Chriſti erga nos:de amore noſtro mutuo,de ope egenis ferenda,de amore & cultu mariti,de liberorum & domus diſciplina,de morte,de ſupplicijs malorum,de ſempiterna bonorũ felicitate.Hæc ſint à nobis ſummatim de his omnibus dicta.Fictio in his & ſimulatio uel ſtatim ab acuto ſpectatore deprehenditur,uel certè non inualeſcit tempore,ſed ſe plerunq; derepentè prodit, quum intentio animi in ſimulationem compoſita parum per ſe remittit,& ſuopte nutu ad naturã ſuam relabitur.Iam ergo ad inſtitutum reuertamur,dicamusq; de ſingulis illiorũ quæ in animo,quæ in corpore,quæq; in externis poſuimus,quorum gratia parumper ſumus ad hæc,quæ modò diſſeruimus,digreſsi. Caput omnium eſt Pietas. Verè pia nihil unquam malefacit:nihil committet,ob quod iure poſsit reprehẽdi. Hæc eſt enim uera & natiua iuſtitia:de qua eſt uetus elogium, Quod uirtutem amplectitur omnẽ. Impia nihil recti faciet,niſi quum expedire ſibi arbitrabitur,fictum & ſimulatum. Ita præcepta noſtra eam modò ſpectabunt,quæ nec impia eſt.necdum ad pietatem perfectam profecit.Nullus quidem eſt perfectè pius. nam Paulus currere ſe ac laborare dicit,ſi quo modo poſsit aſſequi,& comprehendere.Sed ingentem quãdam & benè adultam pietatem,pro plena atq; abſoluta habere ſolent. Intolerabiles ſunt penitus, primùm impudica:quis talem prudens ducat? niſi fortè inſanit.Qui expellit mulierẽ bonam,inquit Solomon,expellit bonum:qui autem tenet adulterã,ſtultus eſt,& inſipiens. Qui poteſt eſſe amor adulteræ cum marito, de qua Dominus noſter pronunciauit,quòd matrimonij myſterium ſcelere ſuo polluerit, & uinculum diſſoluerit arctiſsimæ illius ſocietatis,maximiq; amoris? Sunt tamen, quæ prius turpis ac probro ſæ uitæ,nonnunquã ſeſe ad meliorẽ frugem recipiunt.Hæ iam nõ ſunt reponendę in malarũ numero,quas uitę prioris tędetq; pigetq;,mutata penitus uiuendi ſententia. Proxima,nec impudicæ diſsimilis eſt,in malum prona, quæ habet naturam nutum in malũ deprimentẽ:quem ipſa non modò nõ conatur erigere,uerùm adiuuat,et detrudit,uſu ac moribus ingenio indulgens: idq; augens, dum blandè tractat ac fouet. Itaq; fit,ut illi indies dulceſcat.quum contrà conueniret,monitis & exercitationibus uirtutum cohiberi,ac in melius flecti.de qua non immeritò Ouidius:Quæ quia non licuit,non dedit,illa dedit.Hæc peior multo habenda eſt,quàm ex profeſſo meretrix. Nam inter has non deſunt,quæ probiore ſint ingenio,& ſtudioſo magis honeſtatis;

quæcp ad flagitiũ fortaſsis impelluntur,nulla quidẽ neceſsitate,(neque enim malefaciendi neceſsitas poteſt eſſe ulla)ſed certè ſpecie neceſsitatis aliqua.qua ſi carerẽt,nõ paucæ illarũ uitã honeſtius inſtituerẽt.Nec poteſt iucundè quis,aut quietè cum ea uiuere,quę probroſo rumore hominũ laborat.nec cum ea,quę natura eſt mentis immi nutæ,poteſt eſſe amicitia aut concordia. Quid enim uiro, duntaxat nec ſocordi, nec ſtulto,acerbius,quàm dementẽ ſociũ perferre? In alijs uerò(quando quidẽ nõ in ſolo colloquio ſitus eſt cõuictus,ſed in ijs omnibus quę ad uitã degendã pertinẽt) conſiderandũ ac expendendũ eſt,quis ſit ducturus? quo ingenio? acuto, an ſegni.quibus moribus? placidus,iracundus,uehemẽs,remiſſus,impetuoſus,cunctantior,uinoſus, abſtemius,parcus,profuſus:uiduus,an nunquã antea maritus: cum liberis, an ſine liberis.tum qua arte uitæ ſuſtentet ſe,annuis agrorũ fructibus,an alijs prouentibus:ocioſus,an opifex:eruditus,rudis:magiſtratus,priuatus.hinc qua ætate, qua ualetudine,qua firmitate corporis,qua ſtatura.Hiſce omnib.cõferenda ſunt ab uxore commoda & incõmoda.Hebes uxor hebeti marito minimè cõducit,nec imprudenti imprudẽs. quis proſpiciet rei familiari? quis educabit liberos? quis inſtituet? imò uerò qui ex eo pari naſcẽtur? meri aſini.aut ſi pueri feſtiui & ſcituli,ex educatione & domeſtica diſciplina obtorpeſcẽt,tametſi facilius inter huiuſmodi cõueniet, quàm inter uirũ prudentẽ,et uxorẽ torpẽti corde ac ſegni.Si ſtupidã ducis tantũ propter formã,quod faciũt quidã,quid refert,ſtatuam ne habeas aliquã Phidiæ elegantẽ, an talem cõiugẽ? Miſer,cui erit hæc uſui ad uitã? ubi exatiatus fueris ſpurca uoluptate, quis reget domum? cum qua miſcebis ſermones? quis miniſtrabit ægro? quis colloquio feſſum & iacentẽ alleuabit? quã habebis in aduerſis ſociã,in lætis cõgratulantẽ? Quid,quòd ex tarditate cordis tranſeunt in curas & cogitationes abiectas, degeneres, indignas eo qui ratione ſit præditus. Et hæ ad mores ſuos nõ paruã maritalis mentis partẽ traducunt,adeò ut cum illis obbruteſcat.Olim ante diluuiũ,quemadmodũ ex Sacra hiſtoria didicimus,uidẽtes filij Dei filias hominũ,quòd pulchræ eſſent,ſumpſerunt ſibi ex eis uxores, quaſcunq animo eſſet collibitũ. quæ res ultionẽ Domini exaſperauit,ut hominũ genus aquarũ eluuione tolleret.Illud ſcilicet uindicabat Deus, quòd homines ſapiẽtes,& propter uirtutes filij Dei,hoc eſt imitatores illius,nõ cõformes ſuę uirtuti delegerãt ſibi cõiuges:ſed filias hominũ carnales,quæ ſpiritus illos cœleſtes fractos & debilitatos in cogitationes terrenas & ſordidas detruderẽt,ut ex ſpiritu uertẽrẽt in carnẽ,ex quiete rationis in cõmotionẽ affectuũ,ut ex cœleſtibus fierẽt terreni. Ideoq de illis dicit Deus:Non permanebit in eis ſpiritus meus in æternũ, quia caro ſunt.Adde,q quæ ppter opes aut genus ducit,inſolẽtior atq intolerabilior erit, quo minus habebit cordis.Aſtutia ignis eſt,imprudẽter tractantẽ urit, & prudẽti exhibet negotij nõ parũ.Tenui uiro opus eſt ea quæ uel opes mediocres adferat,uel artẽ aliq tuẽdę uitę.Diuiti,aut mediocri denicp illi,cui nõ deeſt unde ſe ac familiã toleret,ſatis eſt,uenire non indocilẽ:ipſe eã arbitrio & morib.ſuis formabit.Inter illos quaſi animi morbos præcipuè uitãda eſt ſuperbia,monſtrũ quieti inimicũ, q̃d amorẽ, beneuolentiam,concordiã,cõiunctionẽ omnẽ impotẽtia ſua diffringit:& ſuauitatẽ illã amariſſimo pharmaco diluit,quã eſſe in cõnubio maximã par eſt. Quæ ex ſuperbia naſcunt uitia,arrogãtia,ferocia,ira,faſtus,faſtidiũ,cõtemptus,omnia ſunt tyrannica,& perpeſſu grauiſsima.In huius tamen uitij ſignificatione facilè eſſet quemuis capi, ni attẽtius introſpiceret.Siquidem ſunt quædam alienis feroces,ſuis mãſuetiſsimæ. has tantum abeſt ut uelim reijci,ut nullas cenſeam expetendas magis eſſe,ac retinendas.Tales exiſtimo fuiſſe præcipuas atq inſignes illas heroinas,Penelopen, Lucretiã, Corneliã, Porciam:quę maritorum ancillę,erga cæteros dignitatem & maieſtatem ſuam etiam ferocule conſeruabant,leoninis pectoribus laudẽ pudicitiæ cuſtodientes,paratæ uel cuncto ſanguine quamlibet exiguam illius maculam abluere. Sed ſi aduerſus maritum ſuperbiam hanc exerceat,permagna conſequitur interturbatio quietis. Hæc ad hunc ferè modũ cognoſcetur, quũ ex zelo quodã uel pudicitiæ,uel decoris,intractabilẽ ſe alijs præbet:nihil uel generis memor,uel formę,uel opum.hęc uxor erit,qualẽ quærimus,optima,& matronalis decoris ſeruantiſsima. Sin uerò ex genere, aut forma,aut

ma aut cultu,aut opibus,animos illos ſuſtulit,grauis & intolerãda erit.Quæ uirtutis tantum reſpectu cõgreſſus uirorum refugit,nec libenter cum eis ſermones cõſociat, non ſecus candori ſuo labem expaueſcens, quàm ferunt armillinum in cœnoſo loco:hæc tam nobiles quàm ignobiles,formoſos deformes,inopes diuites uitat,ad uiros omnes,præterquàm ad ſuum,linea eſt (quod dicitur) alba in lapide albo. Sin uanitas rerum fortuitarũ uanos ei ſpiritus ſubdit,illos demum deſpiciet,qui ea non habent,quibus ipſa extollitur.qui uerò habent,hos reuerebitur,& his dabit ſe comem atq; affabilẽ.Immitis & aſpera,nouercã aget ſæuam & atrocem.Rixoſa,contentioſa, pertinax,iracundo minimè adiungenda:ſcilicet ne ſtupa igni.quid agent domi aliud quàm ardebit maritus,mulier faces ſubijciet? Liberalis,munifica,atq; etiam profuſa, nõ eſt repudiãda Principi:quoniã nulla eſt uirtus,quæ Principẽ magis deceat,quàm benignitas.nec alia æquè animos popularium cõciliat,ac proinde firma atq; ſtabilia reddit magna faſtigia:utiq; ſi rapacitati non ſit admiſta,nec(quod ueteres de L.Sylla ſcribunt) alios per aliorum iniuriã locupletare ſtudeat.Rapacitas fœminæ fugienda eſt ei,qui cum liberis uenit ad matrimoniũ:ſed potiſsimùm Principi,et rectori ciuitatis.illæ enim ſolent irrepere improbi ad expugnandã integritatem uirorũ:multosq; olim repetũdarũ damnatos legimus,prouincijs præfectos,ob ea furta,non quæ ipſi, ſed quæ uxores eorum feciſſent.Itaq; actum eſt in Senatu Tiberio principe,ne ij qui in prouincias cum poteſtate mitterentur,uxores illuc ſecum ducerẽt.Negligens inutilis eſt ei cui ipſi uerſari in re familiari non licet.Parca et frugi non ſolum tenui eſt apta,ſed illi quoque,in cuius facultates magnas uices ac mutationes ſolita eſt fortuna oſtẽdere.nõ quin ea ius habeat in illa omnia quę idcirco fortuita nominant:ſed de ijs loquor,quæ fortuna maiore caſuũ uarietate uerſare cõſueuit.Patrimonia enim mercatorũ magis fortunæ inſtabilitatẽ ſentiũt,quàm agricolarũ,aut Principũ,aut eorum qui certos habent & cõſtitutos annuos prouẽtus,quis ſe ſuſtentẽt.Illa eſt ergo ei qui ſubicto collocatus eſt uertentis fortunæ,deligenda,quæ paruo aſſueta,in anguſtis rebus & prudẽter quæ adſint norit diſpenſare,& nõ cõcidat animo.eiuſmodi ſunt quę bono genere ortæ,frugi ac ſobriæ ſunt,ſub honeſtis parentib.aut ppinquis educatæ, quibus magna fuit cura honeſtatis,edoctæ dedecus metuere,& neceſsitates omnes domeſticis cohibere parietib. ne ſe foras proferãt,duro ſe & ſecũdario pane,tum potu frigidã paratæ tolerare,ut inopiã tegant.Nam illa ſordidè nata,& indulgenter educata,ac praue,decus,laudem atq; exiſtimationẽ omnẽ uentri poſthabet,ac delicijs ſe mel guſtatis.Facunda,& ad dicendũ inſtructa,triſti ac ſeuero ad remiſſionẽ animorũ apta:præſertim ſi ſit dicax ſine acerbitate,& faceta,dum ne nimiũ alienis uiris comis uideri,atq; urbana affectet:ſuſpicaci & zelotypo mera crux.Loquax et futilis mulier noxia eſt ei qui res arcanas tractat,& quę euulgari ſine præſenti periculo nõ poſſent: ut Principum librarij,et quos ſub Græcis Imperatoribus primicerios nominabãt.an nunc cancellarios? Fabio Maximo cauſa mortis fuit,q; is Poſthumũ Agrippam conuentũ ab auo Auguſto uxori ſuæ narraſſet,hæc Liuiæ Auguſtę.Graue eſt,& in familiari colloquio,& ad menſam, & inter cõiugales cõplexus ſemper ſe circũſpicere,ac uelut ſuimetipſius cuſtodẽ agere,tanquã inter inſidias:tum geſtus & uultus comprimere,& chartas ac ſchedas omnes ſemouere,ne qua illa ad conſcientiã,uel ad coniecturam perueniat eius,quod tanto cum periculo enũciaret.Forma,opes,genus,inſolescẽtes ac arrogãtes reddunt.Sequitur,inquit Ouidius,ſuperbia formã.et Iuuenalis,

Intolerabilius nihil eſt,quàm fœmina diues.

Martialis feſtiuè,ut ſolet:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Vxori nubere nolo meæ.

Et Plautus Aſinaria:Argentum accepi,dote imperium uendidi.Vir pauper,qui uxorem habet locupletem,non ſæpenumero tam uiuit in moleſtia,quòd uxor ſit grauis, quàm quod ſemper ſuſpicatur ſe illi eſſe contemptui.De genere autem Iuuenalis:

Malo Venuſinam,quàm te Cornelia mater
Gracchorum,ſi cum magnis uirtutibus adfers
Grande ſupercilium,& numeras in dote triumphos.

Tametſi

Tametsi permultũ,atq; adeò totum ferè in institutione situm est.Sunt inopes,deformes,obscuræ,decuplo elatiores,quàm illis rebus insignes.M.Cato Censorius senex iam,& princeps in repub.uxorem sibi postulauit uiduus,Saloniq; cuiusdã clientis sui filiam.Irrideri se Salonius est suspicatus,quòd uir tantus affinitatem secum uellet iungere.quid multa?ducit uir senex adolescentulã,diues inopem,clarus obscuram,Princeps uilem.ea tamen (ut est apud D. Hieronymum) cõtumaciter se in maritũ gessit, minusq; obsequentẽ se indies præbuit.Ita uir ille,qui quicquid siue in senatu,siue in foro,siue ad populũ diceret,oraculi loco accipiebatur,tantæ ciuitatis facilè sapientissimus,& cui domi & foris,in bello,in pace,in ocio,in negocio parem non haberet ætas illa:domi autoritate carebat,apud rudem & imprudentẽ puellam,tenuem,humilem,honoratã tamen,& ferè principem matronarũ,mariti causa. De hospite quodam meo Louanij,natione Phrysio,sæpe audiui,quum narraret mihi,fuisse in sua ciuitate uirum genere & diuitijs facilè primum,qui ratus facilem se ac iucundã acturum uitam,si uxorem accepisset multo inferiorem quàm ipse esset:duxit pauperem,ignobilem,& forma minus,ut in gente illa,quàm mediocri.sunt enim in illis regionibus formosissima hominũ corpora.Hæc tamen sordidè atq; impudenter sub sordidis parentibus instituta,munia omnia domestica auersabatur,etiam mariti tuniculas uel attingere,uel aspicere dedignãs.Ea mortua,pertæsus morum spurcæ ac turpis educationis,parem sibi adiunxit,adolescentulam bene natam,diuitem,et insigni forma faciei. hæc non secus marito ministrauit,quàm si empta in domum uenisset,nõ coacta,non fictè:sed libens,& alacris,bona fide:illa maritũ induere,illa exuere,calciare,excalciare,extergere,mundare:& in frequẽti familia neminem patiebatur curare,quæ ad mariti corpus pertinerent,præter se unam.illa uestes resarcire solita,lauare,complicare, componere,& reliqua animo agere prompto ac lætissimo,quæ famulę interdum grauarentur.Quocirca externa hæc perinde sunt,ut cuiusq; est animus institutus,& assuefactus. Equidẽ haud abnuerim,si prauo sit mulier ingenio,& ei relinquat,magnos spiritus opibus,forma & genere attolli,tanquam flamma in arida & leui materia.Itaq; ducenda non est,nisi quum minimum à pari.& auscultandum Pittaci consilio,qui uir sapiens,unus è septem,rogatus ab adolescente,utram duceret,opibus se et genere potiorem,an parem,responderit,Tu tibi sume parem:de quo extat uetustissimum Callimachi epigramma,quod citat Laertius. De forma ludebant olim dilemmatijs ueteres:Pulchram si duxeris,habebis communem:sin deformem,molestiam, & dissoluebant:Si deformẽ,habebis propriam:si formosam,oblectabere.Tum illud: Deformem ferre graue,formosam seruare difficile.ergo definiebant:Sumendam esse mediocri quadam & stata forma,quam formam ea de causa uxoriam nominabãt.Indubiè insolescit pulchritudo immodica:uel eo uno,quòd quum omniũ in se oculos uidet cõuersos,et esse omnibus admirationi,aliquid in se credit rarum ineſſe ac insuetum,& humanitate maius:quum ipsa quale sit bonum illud formæ,tantum ad speculum corporeis oculis cernit,& extẽplò obliuiscitur:nec reputat mentis oculis,quàm leue & momentaneum sit,uel ex alijs facta de se coniectura.Accedit huc,quòd difficilis est eius rei custodia,quam multi expetũt. Hac de causa poeta quidam ait,Lis est cum forma sæpe pudicitiæ.Itaq; sæpenumero sub istis formosissimis faciebus,uelut in pulchris hospitijs,habitat hospes deformis.Nimis uerò deformis,ut tenerrimè adametur,non tamen putat amari se,uelut amore indignam: & zelotypa est in omnes, quascunq; maritum uidet blandius aspexisse,uel appellasse. nec inter istas desunt,in quas illud Declamatoris cõpetat:Quæ malã habent faciem,sæpe pudicę sunt.nõ animus illis deest,sed corruptor.Sunt hic tamẽ suæ quoq; utilitates,pro uiri ingenio,ut uoluptarius & fastidiosus habeat,quo satietatem reparet:suspicax aũt,paratam cõiecturis suis securim. Non sunt hæc quidẽ catholica,sed ita solet usu euenire.omnia uerò sunt,prout in quaq; est animus natura ꝓpensus:sed potissimũ formatus educatione puerili,& morib.confirmatus. Vires necessariæ sunt,si futura est uxor eius,qui manuũ opera,& corporis labore uictũ sibi quærit, ut cõsors sit operum mariti,sicut in agro colendo. Valetudinaria grauis est, si ea sit ualetudo, quæ & uteri gestationẽ impediat,

pediat,& munia domestica. Ætatem definiũt Hesiodus,Plato, Aristoteles,in uiro citer quartũ & tricesimũ annũ,in fœmina ad duodeuicesimũ. quòd uir multo minor, nõ tantũ ad procreandã sobolẽ habet uiriũ,quantũ oportet:filijq; inualidi nascuntur, & ipse danda liberis opera iusto corporis uiriumq; incremento fraudatur. tum inexpertus rerũ,nõ satis rei familiari cõsulit,in qua regenda parũ habet autoritatis per ætatem.nec adolescentes liberi patrẽ haud multo quàm se maiorem natu reuerẽtur:magisq; ille fratrẽ eis,quàm parentẽ refert. Senior uerò,nec adiuuare paruos liberos potest,nec ab eis adiuuari,quum utriq; auxilij ac opis alienæ sint indigui: & è uita prius decedit, quàm possit illis uitæ rationem aliquam prospicere. At fœminæ multo ante annum duodeuicesimũ,impares sunt laboribus gerendi uteri,& discrimini enitendi. Nec expedit tam teneram Veneri assuescere.incenditur libido,& sistunt à progressu corpora. Nec ad regendam domum satis puella est reuerentia sui in ætate illa instructa,rudis ferè rerũ omnium:neq; longè prouectior præbet se uiro tractabilẽ,inueteratis iam moribus,ut mutari nõ possint. Deniq; ætates definitæ multũ inter se cõgruũt, & ad usum conuictumq; in cõnubio,& procreandis fœtibus, ut ea facultas per idem tempus utrunq; destituat:ne parum suauis sit in coniugio uita, si alterutro fœtificandi adhuc ualido,alter iam sit senecta debilitatus, ac effœtus. Hæc quidem ex illorum sententia,& potissimum Aristotelis in libris de Republica. Sed in his spectandæ sunt magis causæ,ob quas ita definierunt,quàm definitio.& quandocunq; causæ similes, aut hæ potius (nam indubiè prudentissimæ sunt) suaserint,definitũ à natura censeamus:quæ uaria artifex,humana corpora pro locis,temporibus,& occultis qualitatibus uariat. Sed prima habenda est mentis ratio,& illius quod unicum est mentis bonum,pietas. Dandum est operam,ut dum cœlibes sumus, eo utamur uictus more ac modo,ut carnis ariete ante iustam procreandi ætatem,quàm rarissimè & quàm leuissimè feriamur. Laudabilis cumprimis fuit mos ille Germanorũ ueterum,quem Cæsar tradit. Qui diutissimè,inquit,impuberes permanserunt,maximam inter suos ferũt laudem.hoc alij staturam,alij uires,neruosq; confirmari putant. In annum uerò uicesimum,fœminæ notitiam habuisse,in turpissimis habetur rebus. Quòd si hanc continentiam præstare non ualemus,omnia postponenda sunt religioni:& consilio Pauli obtemperandum, Melius esse iungi connubio, quàm uri. Exigua est atq; adeò nulla ferè diuersorij habenda ratio, domus maxima, seu tota potius. Peregrinatio est uita hęc:altera illa,patria & domus sempiterna. Dominus noster,id est uox diuinę sapientiæ,hominum genus docet, nihil prodesse homini, si mundum uniuersum lucretur, cum dispendio animæ suæ. Quæ uerò natu grandior nubit,eam oportet nõ solum naturæ uitijs carere,sed educationis quoq;.quando enim formabitur, iam dura, & moribus cõfirmatis? nam puella mollior est,ac cærea in quiduis fingi. In genere meminerimus ueteris prouerbij,Ex bona matre bonam nasci filiam. Nostrates id gemina sententia enunciant:Ex bona uite decerpe tibi malleolũ,quem pangas: Ex bona matre, sume tibi filiam.tum sic:Deambulãs per urbem,de matre prius percuntator, hinc de filia. Sed maior est uis in ijs quæ educarunt.non enim rarò uidemus malis prognatas, quòd à bonis institutæ sunt,& inter eas uersatæ,euadere educatricũ, quàm parẽtum, similiores:contrà,bonis ortas,ex contagio pessimas. Æmulatur aptissimè ætas illa,& expressius,mala. Scrutandi hoc loco affines,an nimium potentes,& longè te prægrauantes. Nescio an satis in potestate sis uxorem habiturus,fretam tantis suorũ uiribus. Cæsar Tiberius in matrimonio Iuliam habuit Augusti filiam probris oppletã,& manifestis adulterijs infamem.hanc quum nec maritali seueritate castigare ac cohibere, nec domo eijcere auderet,tanti patris filiam,nec ad patrẽm compertam adulterã deferre, incertus quo animo ille eam generis labem acciperet: retinere autem, & cum ea intra eosdem penates uiuere grauiss. censeret:coactus est specie quadam ocij Rhodum secedere,ac ibi uitam agere primùm ignominiæ expositam, deinde etiam periculo,quum & exul appellaretur,& nõ deessent qui in gratiam Caij Cæsaris priuigni mortem illi minarentur. Virum noui,qui nactus illustriss. nuptias, quibus ipse longè erat impar,postquàm illa primorũ dierum lætitia subsidisset, execrabatur diem illum

ceu

ceu fatalẽ ſibi,quo illa primùm uxor ſibi eſſet dicta.ſe,ſi parem duxiſſet,futurũ fuiſſe longè fortunatiſsimũ,quũ abundaret opibus,nec pœnitendũ eſſet ei genus,nunc ultro inuexiſſe in animum ſuũ tantum moleſtiarũ, & tam ſæuum malorũ agmen,à quo nunquam niſi uel ſua liberari poſſet morte,uel cõiugis.Conſiderandũ deinceps,quibus ſint affines moribus,quo inſtituto uitæ:an odioſi.aſperi,intractabiles,litigioſi,rixoſi,feroces,perpetuũ eſſet tibi cum illis & moleſtiis,negotiũ. Quinetiã an ſeditioſi & factioſi, in ijs præſertim regionibus, ubi omnes ſolent uolentes nolentes inuolui partibus.Inquieti quoq; cõtagio inficiunt:& turbulentũ reddit ingeniũ,uſus & familiaris cõtrectatio cum tumultuoſis & turbulentis.Hinc an pauperes,peraces,inuerecundi,immodeſti. Sunt qui eiuſmodi odiũ nequeãt deuorare, niſi procul ſit fortè demigrandũ.Iam de opibus illud dicunt:Graue eſt ſiue ferre diuitẽ, ſiue alere pauperẽ. Conſideret quiſq; ſe,& rationes ſuæ uitæ.Si habet unde ſe ac uxorẽ toleret, quid uel gratius Deo,uel ad homines pulchrius,uel domi iucundius, quàm accipere tenuem, modò rectè inſtitutã? Genus eſt eleemoſynæ,paupertati ſubuenire : & habes nõ ſolũ uxorẽ,ſed etiã ancillã.duxiſtiq; quæ exprobrare non poſsit, ſe hoc aut illud attuliſſe, quæ in proſperis fruatur tecũ tuis, & ſciat te omniũ eſſe dominũ,tibiq; referat cuncta accepta:in aduerſis æquo,imò forti animo perferat reflantẽ fortunã,memor quàm parum ipſa in domũ intulerit:& miſereatur nõ ſe, quæ pauper huc uenerit,ſed te fortunis tuis exutũ. Verùm iterũ atq; iterũ ſumus admonẽdi, me de bene inſtitutis loqui. Nam illæ mendicorũ filiæ,prauè ac ſordidè educatæ,indulgẽter tamẽ(ut in illa fortuna) habitæ,intolerabiles ſunt in re & triſti & læta.Sin tuæ facultates minores ſunt,q; ut ſufficiãt tuæ mediocritati,eligenda eſt, quæ nõnihil ſubſidij adferat.Nam locupletiſsimã arripere, ut tu illius opibus per ociũ fruaris, cùm delictũ eſt in legẽ Dei, quæ hominẽ labori ſubiecit,tum cõcordiæ inimicũ. Quo tandẽ animo putas illã diu laturam,te uelut fucũ in ſuis demũ fortunis hærere,operis uacuũ,& cuiuſcunq; bonæ frugis ? Itaq; nõ deeſt huiuſmodi ſua pœna,etiã in hac uita,quã animo illi & cogitatione ſuauẽ ſibi & mollẽ finxerãt:rixæ,cõuicia,& mutuũ odiũ,ut panis ille citra laborẽ & ſudorem quæſitus,amariſsimũ ſecũ obſoniũ adferat.Quanto eſſet ſatius,atrũ & ſecundarium eſſe panẽ,cum exiguo & uili obſonio,in tranquilla cõcordia ac quiete,quàm in uita illa amariſsima atq; inſuauiſsima ſiligineum ac perdiculas? & Sapientis conſilio obedire,qui ait:Melior eſt buccella panis cum gaudio, quàm domus plena uictimarum cum iurgio? De illa placidiſsima laboris uita canit Vergilius, fuiſſe Tarenti ſenem agricolam in re tenui,qui

Regum æquabat opes animis,ſeraq; reuertens
Nocte domum,menſas dapibus onerabat inemptis.

M.Antonius Philoſophus, quum Fauſtinã duxiſſet Antonini Pij filiam, & ea cauſa uideretur adoptatus,factusq; ſucceſſor imperij,nõ auſus eſt adulterij manifeſtã repudiare,ne de dote ueniret in controuerſiã.Citius multò cõſuluero fœminę, ut potiori ſe his rebus omnibus nubat:quàm uiro,ut præſtantiorem ducat.Eſt enim uirilis animus generoſior:nec adduci poteſt,ut ſe ad cõparationem ſui & uxoris demittat.Fœminarũ pleræq; his ſeſe armis in iurgio tuentur.Ilicò generis & opũ collatio eſt audiẽda.Poſt hæc cõſiderandi ſunt caſus:uidua ſit,an innupta:uirgo,an corrupta:adamata, an integra ab amoribus.In uidua,cogitanda ætas.De puella non multo ſecus ſtatuendum,ac ſi ueniret integra.Quanquam non parum intereſt,ab alio eſſe delibatum florem illum ætatis,nec te primos amores abſtuliſſe:ut eſt apud Verg. Nec abs re noſtri homines peruulgato uerbo dicunt:In amoribus, quemadmodum in offis, initia eſſe ſuauiſsima.In natu grandiore, quæ diu apud priorem maritum fuerit, uidendũ quod à uiris ſapiẽtibus præcipi de amicis ſolet, quemadmodum ſe apud coniugem illum geſſerit. Reputãdum quoq;,qualis maritus fuerit.Si uir probus,& ægrè eum ferebat: ex illo fac de te cõiecturam.neq; enim cenſebit aliter ſibi eſſe apud te uiuendum. Sin uerò malus uir ac importunus fuit,eum tamẽ illa moderatè tulit,idem et tu ſpera.Sed ſi malus ille eam ad ſuos mores traduxit,diſpicias,quàm tibi eiuſmodi mores probentur.Quin etiã maritũ illũ ac te cõpara, Si ille te longè uirtute ſuperat, ſemper apud te

erit

erit mœsta ac querula,collatione præteritorum cum præsentibus: & eo magis,quod semper hesternus dies melior,quàm præsens esse uideatur,nimirũ ætate in peius uergente. Sin genere aut opibus erat potior,te cõtemnet, ut quæ aliàs tali sit marito usa, cui tu nõ sis cõparandus. & hoc uel fastidiosius te despiciet, uel acrius oderit,quo ab illo indulgentius fuerit & cõmodius habita. Quæ uenit liberis onusta, rapax erit ẽ re familiari,ut illis cõgerat:nec tuos,ac ne cõmunes quidem uestros æquè amabit.nam augebit charitatẽ miseratio in orphanos,paterno præsidio destitutos. In corrupta,respiciẽda est uita prior.Omnino duo sunt earũ genera periculosa: et quæ corpus multis uulgauere,istis difficile persuadetur continentia:& quæ consuetudinem habuere cum potẽtibus.Eodem modò,quas potentes adamarũt. Graue est ei,quæ solebat esse potentis domina,si iam illi seruiat,qui tanto est inferior suo mancipio. Molesta est etiam,ac insolens,quam multi sunt precati. Quicquid in te offendat,non putat futuros fuisse tales alios:& deflet,te sibi potissimũ irato fato contigisse.Nollem duceres eam,cui te in amoribus nimiũ demisisti,cui abblanditus es,cui assentatus,cui seruiuisti,quam uocasti heram,uitam,loculos,lumẽ,& alia quæ stultus et ineptus amor suadet,etiam interdũ quum inualescit impietas in Deum,& summũ ac finem uotorũ ac bonorum omniũ. Facit enim eiusmodi demissio,ut ei sordeas ac uilescas,& uelit deinceps tibi dominari: grauiterq; ac indignè ferat ministrare illi,cuius quandoq; dominam se esse sibi persuaserat:uidelicet cui quiduis imperabat,etiam cum præsentissimo fortunarũ & uitæ periculo:maiusq; & promptius in eo reperiebat obsequium, quàm in Æthiope aliquo sale empto. Hinc ex impotentia,iræ: ceu uerò res tentetur indignissima,seruũ heræ imperare. cõtumacia,& uerba cõtumaciæ respondentia,iurgia & lites acerbissimæ.quippe amor,odiũ,reuerentia,cõtemptus,timor,actus sunt, qui in ijs animis,quos aliquando occuparũt, relinquũt sui diuturna quædã uestigia, quę philosophi Græcè uocant ἕξεις,Latinè ad uerbum habitus.Magni reges pædagogo atq; educatores suos ex illa puerili institutione semper deinceps reuerentur & timent,quamuis sibi subditos,& in quos uitæ ac necis habere se potestatem non nesciunt.Hæc ergo est ueteris illius et sapiẽtis uerbi causa:Quos amores cõiungunt,dolores exercẽt.Malim ut ea flamma,quæ ante matrimoniũ ardet,& propè iam cùm ad coniugiũ uenitur,deflagrauit,in cõiugio candeat,pertinax,pura,uiuida. Vides quanta opus sit prudẽtia ad hæc omnia iudicãda,& quemadmodũ asciscere aliquẽ in consilium necesse sit,cui quieti sint sedatiq; motus animorũ,ne fallantur.Non est speranda uxor,quæ incõmodi nihil habeat,aut uicij. pauciora uel minora mala,pro maioribus et pluribus erunt bonis.Prudens quidẽ ex re præsenti sumet consiliũ. nam quum media sint propè infinita,nõ quieuit certè de illis dari in uniuersum formulæ.Idcirco prudentia præstò est,quæ præceptis adiuuatur,non traditur.Et ad eam commonefaciendam hæc mihi uelut exemplorũ gratia sunto dicta. Illud oportet sit in deliberatione omni de cõiugio positũ ac fixum,ne in uxore deligẽda sensus ullum iudiciũ sequamur:nõ oculos,qui capiuntur uenustate & forma:nõ aures,quę facundia:nõ animorum incitatos impetus,quibus uel ad genus,uel ad pecuniã rapimur.hæc omnia uel instabilitate sua,uel copia & satietate,celerẽ secum adducunt pœnitentiã. Omnia sunt ad mentem iudiciumq; illud supremũ exactumq; reuocanda. Cauebis ne tua ex parte fallatur puella,uel in fortunis,uel in corpore.nunquã cõmodą & ex animi tui sentẽtia utẽris ea,quam tu ad te fraude pellexeris.Natura enim eum,à quo sumus falsi,ut hostẽ odimus.nihilq; humano ingenio inuisius,q; frustrari spe atq; expectatiõe, tanquã debito.Satius est ei quam accepturus es,si quo morbo aut uitio laboras,patefacere,tum etiã nataliũ & fortunæ tuæ mediocritatẽ declarare,cũ periculo,sis'ne asse quuturus:quàm assequi cum certa & fraude,et proinde discordia. Prudẽter ac pro uiro bono fecisse memoratur Sergius Galba,pater eius qui imperauit.Is enim appetitus à Liuia Ocellina,dite admodũ fœmina,& pulchra,posita uestę,uitium corporis (erat enim gibber) secretò ostendit. qua animi generosa simplicitate delectata mulier,nihil fœditate corporis offensa,magis eum deinceps & adamauit, & coluit. Solent multi dicere,se recturos uxores,qualescunq; quocunq; modo sint nacti.In mari

ti manu esse,qualis sit uxor.Multũ quidẽ in marito est situm,modò is sentiat,quemad modum oportet supremã quandã amicitię rationem esse coniugium,quod omnium nominũ charitatem antecedit:amicitiamq; multum à tyrannide distare,in qua cogun tur,qui parent.Cogitur quidẽ corpus, animus uerò in quo uno sita est amicitia, cogi non potest:& si quò tentes inuitum pertrahere,magis reluctatur,atq; in alteram par= tem reflectitur,ut de palma tradunt naturæ scrutatores.Ne putes esse uel cõnubium, uel concordiã,animis dissidentibus.hic est fons,hæc origo,hæc sedes amicitiæ.Et isti qui se uxores posse regere uel iactant,uel arbitrãtur,in rem paulò altius progressi,in= telligunt,longè se sententia atq; opinione sua fuisse falsos.Nam durũ atq; intractabile deprehendunt, quod illi molle ac flexibile esse erant rati. alij asperitate morũ & dura tractatione hoc cõsequuntur,ut ancillas habeant,non uxores:homines stulti, qui do minium cõnubiũ esse existimãt,& qui se timeri uoluerũt,postmodũ dolẽt & cõque= runtur,nihil se amoris inuenire in illis,à quibus ipsi importunitate ac odio suo amo= rem sui omnem excusserũt ac abegerunt.Itaq; dum illa uelut tyrannica potestate ini= tio delectantur,& tanquam gloriantur,& iactant dominos se uxorum suarũ esse, mi= seram sibi & lamentabilem in posterum uitam fabricantur,expulso amore,suauitate, cõuictu omni iucundo,& leuamẽto curarũ (quæ omnia sunt in uero coniugio) me= tu,suspicionibus,odio,maleuolentia, curis & sollicitudinibus circumsepti. Certè si, ut natura & ratio, & diuina perhibent oracula, uir est mulieris animus, caput, pater, Christus:talis erit inter illos societas,qualis inter patrẽ & filium,non cuiusmodi inter mancipium & herum.

DE ACCESSV AD CONIVGIVM.

VBi certum iam est uxorem ducere, & quod humanæ fuit diligentiæ præstitisti, rursum uotis est successus ab illo roganḍus,in cuius est manu.quem indubiè lar gietur,& quidẽ prolixè (sic enim solet) si illius est tibi respectus ante omnia ob ocu los uersatus.Nam si tu,postquã cupiditati uel affectibus tuis effuse indulsisti,ad eum accurris, postulans ut ex animi sententia liceat re cõcupita perfrui: quid aliud quàm Deum uis esse uelut lenonem quendam, & tuarum uoluptatum administrum? ut in eiusmodi uotis ac comprecationibus, tacita quædã insit blasphemia. Quid enim re= fert,nomines Deum lenonem,an optes? Nec ueniendum est ad cõiugium,ut ad rem quampiam profanam,animo soluto & securo:sed ut ad rem sacratissimam,compos= to & perpurgato.Neq; enim sola est illa coniunctio corporum coniugium,aut strepi tus ille inconditus saltantium & potantium:quæ sunt cum alijs rebus permultis ex gentilium moribus ad nos usq; deducta,ut est ingenium uulgi peiorum tenax,quum contrà,tum demum conueniret uotis ac supplicationibus ad diuos omnes dare ope ram,ut res tanti momenti feliciter utriq; coniugũ cederet.Cęterùm res ipsa est à Deo pronubatore sanctificata, quæ efficit ut casti sint amplexus, thorus immaculatus, progenies munda. Et est, quemadmodum Paulus testificatur, magni illius mysterij symbolum,quo Christus Ecclesiæ indissolubili nodo coniungitur. Quocirca quan= tum erit uirium tuarum,altius te attolles,& cogitabis quantæ & quàm adorandæ rei imaginem sustineas:uxorẽ tuam esse tibi pro ecclesia,te illi pro Christo. ut tu ad eun= dem te modum aduersus illam geras,quo Christus erga suam ecclesiam. Incredibilis est Christi ad ecclesiam charitas:& tuam erga uxorem oportet esse, quàm fieri abs te poterit,maximam. In hominũ atq; adeò animantiũ omnium natura, efficacissima est ad amorem conciliandum societas,& cõmunio uictus. Quæ porrò potest maior esse societas,quàm inter coniuges? habent communem domum,commune cubiculum, communem thorum,cõmunem quamcunq; fortunam,siue lætam,siue tristem:com munes liberos. Quæ societas aut cõsuetudo satis erit ad eliciendã beneuolentiã eius qui uxorẽ nõ amat? aut quis se ab illo amari credet, cui uxorẽ odio esse uideat? Sunt qui utilitates in amicitijs spectãt,ut Epicurei,despicabiles ac sordidi homines,et amo re indigni:ut qui amicũ nõ ament, sed seipsos. Verũ si quis est cõmodorũ respectus, nulla ex re tanta existere emolumenta possunt,quanta existũt ab uxore:nõ ab equo, aut boue,nõ à uillico,nõ à procuratore. Vxor est curarũ leuamẽ ac socia, & ministra, diligentior, quàm ancilla quæcunq;,aut administer:qui omnes uel metu præstãt ope

ram,

ram,uel ſpe mercedis. uxor ſolo amore adducitur: ideoq; omnia facit rectius, quàm cæteri.Declarauit Deus,qui dixit:Faciamus Adamo adiutorium ipſi ſimile. Nam in adiutorio utilitas miniſterij ſignificata eſt,in ſimilitudine amor.Seruus enim aut mercenarius,diſſimiles ſunt hero,ac propè non ſunt illi pro hominibus.ſeruus eſt domino, ceu pro equo aut boue quodam ſuo, quem plagis admonet officij: mercenarius uerò,pro equo meritorio. Vſus opera,repræſentat precium:ilicò quæcunq; conſocia tionis fuit copula,diſcinditur.Filij pars ſunt patris:idcirco utroſq; conciliat naturalis pietas.uxor coniunctior eſt adhuc uiro ſuo.Parens labores ſubit pro filijs,hi rarò pro parente.& in alias domos mittuntur tanquam in colonias,ut quodammodo diſiungi uideatur arcta illa conſociatio.Vxor marito refert gratiam laboris, & quidem eodem tempore,nec illi domum,aut etiam lectum mutare fas eſt. Quòd ſi commoda atq; utilitates ſpectantur,quæ poteſt eſſe maior illa? Quòd ſi ames uxorem,iucundiſſimam acturus es uitam:miſerrimam,ni ames. Nihil eſt enim triſtius, aut acerbius, quàm odiſſe,etiam ſi ameris:nihil felicius,quàm amare,uel inuiſam. Quid prodeſt mihi aliorum in me beneuolentia,ſi ipſe intrinſecus meo ipſius odio corrodor? Quid nocet aliorum in me odium,ſi animum meum placidiſſimus & dulciſſimus occupauit affectus,amor? Intus eſt fons felicitatis,intus miſeriæ.Nihil, aut perparum efficiunt externa,ad triſtẽ aut iucundã uitam.Sunt qui angelos oderint,ipſos tamẽ feliciſſimos reddit amor ſuus.non deſunt qui diabolos ament,infeliciſſimos tamen ſuo ipſorũ odio. Quid quod fieri nõ poterit,quin redameris,ſi ames? Potentiſſimũ eſt pharmacũ,amare,quò redameris. Tum demũ uitã cœleſtẽ deges, ſi mutua ſit inter uos charitas:qualis eſt inter angelos & diuas illas animas,corpore hoc terreno exutas, ueſtitas numine.Quantum oporteat eſſe cõiugij amorẽ, declarat ipſa cõnubij lex & natura, quam Adam,ſeu uerius Deus per Adamũ pronunciauit,ad quem quum eſſet Eua poſt primum illum dulciſſimũ ſoporẽ allata,futura coniunx, & ſocia totius uitę:Ecce,inquit Adam,os ex oſſibus meis,& caro de carne mea.propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ,& adhærebit uxori ſuæ,& erunt duo homo unus. Hoc eſt ſummũ amicitiarũ, hic finis,ita cum re chara coniungi, ut unũ fias cum illa.Vulcanũ ferunt in fabulis,fabrũ illũ deorũ,conſpicatũ duos,qui magna inter ſe amoris ſigna oſtenderẽt: deũ beneuolentia illa & charitate delectatũ (neq; enim eſt aliud quicquã cœlitibus gratius, quàm amor) rogaſſe,Ecquid eſſet, in quo uellẽt ſibi ab ipſo benefactũ? O Vulcane, inquiũt illi,ut tuis iſtis diuinis inſtrumẽtis non rurſũ cõfles,ac refingas,unumq; facias ex duobus.Videlicet ea eſt ſumma uotorũ omniũ in amore, hoc albũ collimare cupit amor,aſſecuturus quicquid optat,ſi id effecerit: quod in illa demum cœleſti charitate eſt futurũ,quũ exuti carne peccati,omnes qui per Chriſtũ renouati erimus,unũ & cũ Deo fiemus & inter nos.quod à Chriſto edocti ſumus.Quid uerò eſt, ab homine patrẽ & matrẽ relinqui,& hærere illũ uxori ſuæ:niſi, charitatẽ hanc reliquas debere omnes ſuperare,etiam illas,quibus à natura ſunt filij parentibus conciliati,quas oportet eſſe maximas.Hector apud Homerũ,id eſt homo ſolo naturæ huius noſtrę tam imbecillæ magiſterio inſtitutus,ſcire ſe ait futurũ aliquando tempus, quũ Troia Græcorũ uiribus excindatur:& tamẽ nec ſui,nec parentũ,nec fratrũ ita angi ſollicitudine & cura,ut uxoris unius. Sic enim facit illum loquentem:dicam enim Latinè,ut potero.

Haud equidem dubito,quin concidet Ilion ingens,
Et Priamus,Priamiq; ruet plebs armipotentis:
Sed mihi nec populi,nec charæ cura parentis,
Nec Priami regis tantum præcordia rodit,
Nec germanorum,quamuis multiq; probiq;
Enſe ſub hoſtili uitas in puluere ponent,
Quàm me cura tui coniunx chariſsima uexat.

Habet uirilis hic amor præſens continuò ſuum præmium. nam & in pectus uxoris tranſit ea flamma,ut ea quoq; maritum flagrantiſsimè amet.Sic Hector Andromachę ſuæ unus erat inſtar omnium chariſsimorum nominum.Tigranes apud Xenophontem,regis Armeniæ filius,quũ eſſet in Cyri poteſtate ipſe & uxor,uita ſe redemturũ

professus est,ni uxor seruiret.Illa paulò pòst,quũ Cyrus laudaretur,& ex ea,Ecquid ei Cyrus esset uisus,quæreretur:Sibi uerò Cyrum negauit aspectum. à qua quum uir suus rogaret,Quid ergo spectasti,si illum non es intuita?Quem,inquit illa,aliũ,quàm illum,qui uita sua redempturũ se confirmauit,ne ego seruirẽ?ita mariti ardor uxorem accendit.Sed tamen quæ nam futura sit amoris in connubio ratio,quibus potius præceptis atq; autoritate tradendũ censeamus,quàm illius,quem Deus magistrum dedit gentibus per fidem & ueritatem?Hic in epistola quam Ephesijs scripsit,sic ait:Caput mulieris est uir,quemadmodũ ecclesiæ caput est Christus, caput Christi Deus. Nihil humile hominibus proponit,aut de terrena sapientia,hoc est, de fece hausturũ:quæ corrumpitur, quæ stultitia est apud Deum, quæq; etiam in uita hac sæpenumero diluta, uim omnẽ & gratiã amittit. Ad exemplũ nos & imaginẽ attollit æternæ illius sapientiæ,per quam omnipotens Pater mundũ hunc condidit. Addit,caput illud Ecclesiæ salutem esse corporis sui tam seriò & bona fide, ut nihil cunctatus sit seipsum pro illo impendere. Ad huius amoris imitationẽ uocat suos Apostolus, ut quemadmodum Christus uniuersum sanguinẽ profudit,ut ecclesiã seruaret:ita tu nihil dubites,nõ pro tuis aut uxoris affectibus,sed pro salute illius, mortẽ ingenti ac præsentissimo pectore oppetere. Quid enim te animosum faciet,si amor non facit? qui etiam ceruis, & leporibus,& imbellissimis animalculis uires atq; audaciã suppeditat.In salute uerò uita,sanitas,uirtus,pudicitia & pudor continetur.reliqua non salutis,sed stultitiæ nomine concluduntur: cuiusmodi sunt diuitiæ, cultus, deliciæ, inanis gloria, uoluptates. Neq; enim ideo mortuus est Christus,ut ecclesiã auro & gemmis locupletaret,nõ ut affluerent uoluptatibus & delicijs sui. Hæc enim ipse contempsit, & suos docuit per illorũ contemptũ ad se uenturos.Affixus est aũt cruci,ut Ecclesiã sanctificaret,purgatam lauacro aquæ per uerbũ,quo illam sisteret sibi gloriosam, non habentẽ rugam ullam,aut maculã,aut aliquid huiusmodi,sed ut sit sancta,& inculpabilis. sic oportet uiros coniuges suas,ut sua ipsorũ corpora, diligere.Dominus noster Ecclesiã per mortem suam quotidie sanctificat,ut purgata purissimo sanguine sponsi sui, omni uirtutum genere ornetur, depositio uetere illo Adam cum actibus suis,induta sponso suo Christo, qui factus est à Deo in similitudinem prioris Adam,sed cœlestis,sub imagine terreni.Tanta uirtutũ excellentia promicat foras, & in admirationem sui spectantes conuertit.unde nascitur gloria Ecclesiæ:ut per illam se attollant ad fontẽ tam immensi boni, qui hosce riuulos suspiciunt & admirantur. Idcirco iubemur esse bonus odos in omni loco,sed Domino.et ipse Præceptor noster uult cognosci ab hominib. opera nostra bona:sed ut glorificẽt Patrem nostrum cœlestem, à quo illa accepimus. Astitit sponsa ad dexteram sponsi,in aurea uestę uariegata,& exculta. sed in tam precioso ornatu omnis gloria eius non ex uestibus,sed intrinsecus:non ex ijs quæ oculis corporeis cernũtur ab hominibus,sed ex ijs quæ spiritu uidet atq; approbat sponsus, cui se ornat,& componit uni. Quis potest humile quicquam aut sordidum in matrimonio cogitare,imagine sublimium rerum ac diuinarum? Ergo uita,uirtus, & fama uxoris,chariora cuiq; erunt sua ipsius uita:sicut Christus animam suam per incredibiles cruciatus posuit,ut Ecclesiam suam seruaret,sanctificaret,cohonestaret. Nec aspiciendum,qua forma,quo genere,quo censu,qua ualetudine sit uxor, quantum te redamet.Omnis est amanda:& quamcunq; sortitus sis,eo eris in illam affectu,quo Christus in Ecclesiam. qui non detrectauit, quin grauissimum subiret pro filijs scelerum & flagitiorum, pro inimicis suis supplicium,& ex eis Ecclesiam suam instituere t: id est,eos sibi adiungeret,haud aliter quàm caput membra.Ille uerò quotidie docet rudem,fulcit labantem,illustrat obscuram, mundat, emendat, corrigit mira patientia & mansuetudine:denicq; qualemcunq;,complectitur maximo amore,et fouet etiam ingratam, ac frigidè respondentem tam ardenti sponsi charitati erga se. Vxor est, & eo nomine iam unum tecum:ita ut teipsum ames,illa est amanda.Epaminundæ Thebano,principi bello & pace uiro, rerum scriptores tradunt, factione inimicorum mandatum in ciuitate munus humile ac pudendũ. Ille uerò magno se animo dixit accipere,atq; ita administraturum, deinceps pro honestissimo populi magistratu haberetur:

quod

quod & perfecit. Ille hoc potuit apud tantã & tam uariam dissentientemq; inter se ciuitatẽ, inter tot occursantes inuidos, tot inimicis illius conatus impediẽtibus, efficere, ut uile officium cõtemptui eximeret, pulchrum atq; expetendũ redderet: tu apud teipsum præstare non poteris, ut carnem tuam ab ignominia & contemptu animi tui uindices? Carnem uerò? imò te ipsum. Qui uxorem, inquit Paulus, diligit, seipsum diligit. nemo enim unquam carnem suam oderit, sed nutrit et fouet eam, quemadmodũ Dominus ecclesiam. Amicum Aristoteles ex sententia Pythagoricorũ definiuit esse, cuiq; alterũ ipsum. Coniugem definiuit Deus esse, cuiq; eundẽ ipsum. Ad conciliandas cõseruandasq; inter inæquales amicitias, hoc cõsilium præbet M. Tullius, ut minor se attollat, maior demittat, ita rem ad æqualitatẽ posse redigi. In cõiugio nihil opus est demissione, aut sublatione: sed ita se cõiuges gerant inuicẽ, ut utercq; intelligat & sentiat, se partem esse corporis & animi alterius. Quocirca iam nec deformitas aut speciositas, nec inopia aut diuitiæ, nec nobilitas aut ignobilitas, nec sanitas aut morbus, nec prudẽtia aut imprudẽtia alterutrius, illius est solũ, sed utriusq;. omnia enim fecit cõmunia, qui ambos fecit unũ. Nec unquã uerus ac perpetuus erit amor, nisi in ijs rebus collocetur, quæ etiam sepulchro sunt superstites. Quippe forma, diuitiæ, genus, ac huiusmodi habent sua tempora, alia à natura statuta & definita, alia à fortuna, & humanis casibus. habent & suas societates, tum obliuionẽ quandã sui pro locis ac negocijs. neq; enim cogitare semper de Fabijs aut Cornelijs, de Cerdis aut Mendozis, de Luxenburgijs aut Valesijs possumus: aut grandẽ esse numeratã dotẽ. Flaccescit affectus tẽpore: & quod primò cupidè expetebatur, usu & copia sui satietatẽ, atq; inde fastidiũ in auiditatis locũ relinquit. Hæc omnia amorẽ minuunt, atq; adeò ex eis quædã penitus delent: qui si in animo ac uirtute sit situs, diuturnus, seu sempiternus potius erit. Virtus omni loco, omni tempore præstò est, nunquã ociosa & segnis, nunquam inutilis aut superuacanea, semper in actu, semper in officio. Humanus animus ne morte quidem extinguitur: ita & illos credibile est, post fata eos etiamnũ amare, quos habuerãt in hac luce charos: & qui animos illos amabãt, liberatos quoq; corpore eodẽ amore prosequũtur, tanquã amicos absentes, nõ uita functos. Itaq; uidemus multos fidẽ & amorẽ coniugij etiã post cõiugum mortẽ præstitisse. ut illa Demotionis Areopagitæ filia, de qua scribit aduersus Iouinianum D. Hieronymus: quæ Leosthene sponso mortuo, negauit se alteri nupturam, quòd adulterum acciperet, nõ maritum. illum enim uita functũ, sibi tamen adhuc uiuum maritum esse. & Romana illa, quæ uerba facientibus de nuptijs, Sibi uerò maritũ uiuere, respondit. Quàm acutè, ut cætera, Lucanus, Corneliam Metelli Scipionis filiam, Magni Pompeij ultimã uxorẽ, inducit, pellicem se Iuliæ uocantẽ? quasi etiã tum, inter uiuentẽ & manes, duraret copula tantæ charitatis. Quid, quòd natura cupit se quisq; esse charũ, & captat aliorũ fauorem & gratiã? Idcirco ea studet cõseruare ac augere, per quæ intelligit se esse fauorabilem & gratiosum. Vxor si te forma sua uidet captũ, uelitq; abs te amari, unicã omni diligentia curabit formã: si loquacitate, nunquã tacebit: sin uirtute, hoc potissimũ studebit, quemadmodũ se quotidie probitate et rectè factis superet. Biantis, unius ex septem illis, quos Græcia Sapientiũ nomine donauit, aiũt præceptũ de amicitia fuisse, ut sic quisq; amaret, tanquam esset osurus: sic odisset, tauquam aliquãdo amaturus. Nescio an in hoc homo ingeniosus adductus sit magis schemate uerborũ, quàm ueritate sententiæ. Quorsum enim cõsilium illud spectat, nisi ne quis cuiusquam sit bona fide uel amicus uel inimicus? Non immeritò subuerti omnẽ amicitiã ait Cicero, si quis ut osurus amet. quid enim fidet, ac credet? quomodo se amico totũ patefaciet? quomodo uerè, & toto quod dicitur pectore illũ diliget, quũ illa subibit cogitatio, futurũ eum aliquãdo inimicũ, aut esse posse? nimirũ cõtrahet se, & prospiciet ijs casib. q possent accidere. Itaq; in usum uitę sic sentẽtia illa cõuertetur uerius, & naturę atq; humanitati cõgruẽtius: Ama, tanquã nunquã osurus: Oderis, tanquã aliquãdo amaturus. Simpliciter est cùm amicus omnis diligẽdus, tum uel in primis cõiunx. Et quãdo amor, quẽadmodũ etiã reliqui affectus ex eo sunt genere, quos à Philosophis nominari habitus diximus: habitus uerò crebris actionibus & tempore inualescũt: dan

da est opera,ut initiò omnis ultro ac citro offensio deuitetur,ne,quemadmodũ Plutarchus inquit, tenera adhuc & mollis cõglutinatio,quamlibet leui impactione diffringatur. Alenda & uegetanda est noua illa animorũ compactio officijs,& suauitate cõuictus:donec ita coaluerit,ut ne grauibus quidẽ cõcussionib.possit dissilire. Ergo & suspiciones omnes procul arcẽdæ cùm omni tempore,tum potissimũ inter exordia matrimonij,ne prius odisse incipias,quàm amare. Eas uide ne ipse leuibus tibi de causis & cõiecturis cõfingas:quas ne tum quidẽ oportet pronis aurib.accipi,quãdo maioríb.forsan de causis erũt delatæ. Nulli cuiusquã hominũ mores tam esse undiq; numeris omnib.cõsummati possunt,ut unicuiq; satisfaciãt:& cui fuit in manu culpã præstare,huic non fuit suspiciones.propterea quòd iudicia hominũ sunt libera,atq; adeò licẽtiosa:& ea quę uidẽt,atq; audiũt,interpretãtur nõ ex uero,sed uel ꝓ affectu, uel pro cõiectura,quam sibi quisq; gaudet cõminisci,& alij alijs cõiecturis plus aut minus tribuũt. Iam uerò Pausanias in Symposio Platonis,geminã Venerem,geminũ etiam Amorem ponit,cœlestẽ & terrenũ. Terrestris amor cæcus est,abiectus,obscœnus,circa uilia & spurca.nam præstantiora illa nunquã intuetur. Cœlestis uerò amor oculatus,uirtutis,rerumq; uerè pulcherrimarũ,& cœlestib.similiũ cognatarumq; affectator. Mariti qui uxoris,uel formã,uel pecuniã amant,terrestri amori sunt subditi, & excæcati:nec in amando rationẽ,neq; modũ ullum norũt. Qui uerè mariti sunt,& animas ac uirtutes diligũt,ij nõ carent iudicio in amore,et cœlestis illius amoris ui et spiritu quodã afflati,prudentissimè amant: amorq; ille purus & sanctus, nõ impellit eos,aut præcipitat,quod facit terrenus, uiolẽtia:sed sapiẽter persuasos,molliter,quò oportet adducit. Amat sapiens maritus uxorẽ,& quidem ualidissimè:sed ut parens filium,ut caput corpus,ut animus carnẽ,ut Christus ecclesiã,sic enim se inuicẽ habere debent uir & uxor,ut hæc ista. Hoc natura ipsa nos edocet,hoc literis prodidere magni uiri,rerum diuinarũ,id est autoris naturę cõscij. Prius creatus atq; eductus est Adam ad imaginẽ & similitudinẽ sui conditoris,huic quum non uideretur cõuenire solum illum uiuere,datum est adiutoriũ ipsi simile,& de eius latere productũ:ut sit Adam Euæ,quod pater filio. Dictumq; est Euæ:Sub uiri potestate eris,& ipse dominabitur tibi. Ita est,nõ in homine solum,sed in omni animantiũ genere ac natura. Fœmina est in manu & potestate maris sui. Idcirco mari maior attributa est uis,& uigor animi ac corporis,quàm fœminæ. Quæ enim sunt regendi instrumẽta,ea potiora ac prę-stantiora est in quacq; specie mas sortitus:acumẽ ingenij,diligentiã,sagacitatẽ,robur, audaciã,generositatẽ,ac sublimitatẽ animi. Quapropter Romani naturę uocẽ secuti, nunq; mulieres uirili autoritati in totũ exemere. Maiores nostri,inquit Liuius Catonis uerbis,nullã ne priuatã quidẽ rem agere fœminas sine autore uoluerũt:in manu esse parentũ,fratrum,uirorum. Coniugiũ nominatur,& cõparati dicũtur:sed nõ sunt pares,nisi impar sit uiro fœmina.quemadmodũ festiuè lusit Martialis epigrammate:

Inferior matrona suo sit,Sexte,marito,
Non aliter fiunt fœmina uirq; pares.

Ergo marito aduersus uxorẽ suam unus sufficit affectus,amor: sed uidens. Vxori in uirum duo sunt opus,amor ac ueneratio. Non cogũtur affectus,sed persuasi eliciuntur. nec amorẽ,nec ueneratiõnẽ uiolẽtia extorquebis:impetraris facilius,postquã ea præstiteris,quis illæ animi affectiões inuitãtur atq; educũtur. Duo sunt uelut magnetes amoris & reuerẽtię. Amore amor attrahit:nec ulla sunt philtra his ualidiora. Hoc nõ fit uerbis,inquit ille:Marce,ut ameris,ama. Non arte,nõ casu aliquo putãt naturæ rerũ periti hoc accidere,sed arcano mundi artificio. Plato enim sapiẽtię studiosus ait, mundũ uniuersum quibusdã quasi nexib. compactũ & colligatũ esse ab opifice illo suo Deo,ut alia alijs ita adhæreãt,ut si quis ullum illorũ ceperit,alterũ etiam occulta illa connexione trahat,uelut annulos in torque.sed præcipuè cõiuncta esse similia & cõformia,unde nascãtur cõtagia morborũ,& beneuolẽtia in naturæ similitudine,atque ingeniorũ,& amãtes redamari. Cæterùm amorẽ hunc oportet uerũ ac germanũ esse,alioqui nihil habiturũ uiriũ ac efficaciæ. Pictus in pariete ignis nõ urit. falsus magnes ferrũ non attrahit. Mirantur quidam non redamari se,quum ipsi tot signa amoris ostẽ-

ris ostendant. Amoris signa non sunt amor: ideo nec idem efficiunt, quod amor ipse. imò uerò ficta hæc & simulata, in contrariũ deprehensa proficiunt: ut odiosus sit, qui cùm non amaret, tam expressas ederet charitatis significationes. Conciliatur etiam amor opinione probitatis. Nihil est enim uirtute, ut est apud Ciceronẽ, amabilius: nihil quod magis omniũ mentes animosq; ad se amandũ pelliciat. Videlicet amor est affectio erga pulchrum. nihil uerò est uirtute formosius: quæ si oculis corporis cerni posset, mirabiles amores excitaret sui. ea mentis oculis spectatur, trahitq; aspicientes ad sui beneuolentiã. Venerationem parit opinio præstantiæ, quæ sita est in potentia uel corporis uel animi. Ad corpus pertinẽt uires, opes, amici, clientelæ, serui, ministri, subditi, fauor, gratia, dignitas, honor. In animo sunt, iudicium, prudentia, ingenij acumen, sagacitas, uigilantia, fortitudo & audacia, quis magnæ & præclarę res geruntur. Ex his nascitur maiestas, qua omnia reguntur inter homines. Hac reges & magistratus magnos populos atq; prouincias tuentur, & unius hominis arbitrio tot hominũ millia obtemperãt: hac duces atq; imperatores armatos exercitus quócunq; libitum est agunt: hac eget herus in famulos, hac pater in liberos, hac maritus aduersus coniugem: ut illa & bonũ uirũ amet, et prudenti obsequatur. Prudentia enim remota probitate uafricies est, & res formidabilis. Bonitas semota prudẽtia diligitur quidẽ, sed nullum uelut iure suo obsequiũ adipiscit. In eadẽ maiestate iustitiæ uis inest permagna: nempe & ad remunerandũ, & ad puniendũ uiribus, æquitate, uoluntate. Quibus ex rebus marito tantũ sufficit, quantũ ad regendã domum cõtinendamq; in officio cõiugem ac familiã est satis. Alijs enim opus est uiribus ac maiestate ad gubernandã ciuitatem, tam uariã, & tot familijs cõstantem, quàm domum. Caput horum omniũ est fides, quæ certissima atq; expeditissima per scientiam paratur. proxima uerò, qualicunque persuasione. M. Cato, sicuti Sallustius scribit, esse q̃ uideri bonus malebat. ideo quo minus gloriã petebat, hoc eam magis assequebatur. Qui uerò deauratum habet annulũ, huic uel cõseruanda est diligenter bracteola, uel resarciẽda, ut solida credantur omnia: uel certè cõuertẽdus annulus, aut procul à cõspectu submouẽdus, ne oculis admoueri propius possit. Illinc uerò minimè cõuenit eradi ac detegi, unde fœdissimus appareat cõtemplanti annulus. Quod quidẽ iudicandũ est non simpliciter, sed prout cuiusq; ingeniũ res alias pluris aut minoris æstimat: nempe uel uenam, uel precium, uel pondus, uel materiã, uel artificiũ. Obryzũ oportet existimare nactũ se, quisquis habeat. Quæ opiniones primis statim cõgressibus nouos adhuc animos occupant, firmissimæ esse in posterũ solent. sicut quæ à pueris uidimus, tenacissimè hærẽt memoriæ. & primi illi lanarũ colores nunquã eluũtur: infectumq; in lana pannũ uulgò dicunt, quẽ significãt nunquã colorẽ amissurũ. Idcirco nõ eæ modò affectiões cõtinuò sunt à primo inducendæ, sed tota etiã uitæ est ratio ac ordo instituẽdus, ut tolleratu sit facilior, & cõsuetudine dulcescat, qualẽ tibi maximè putes expedire, spectato ingenio tuo ac uxoris, opibus, facultatib. non præsentib. tantũ, sed quas ueri simile est deinceps adfuturas. Quinetiã ratione aliqua habita easuum humanorũ, ne grauis sit mutatio, & ferè intolerabilis delicato uxoris animo, nempe fœminæ. Tametsi casus sunt propè infiniti, nec illorũ iniri ratio potest ulla: atq; eorũ plericq; ad curã sunt illius remittendi, cui nos omnes cum uniuerso mundo sumus curæ, quicq; nos futurarũ atque incertarũ rerum cogitationẽ ac sollicitudinẽ iubet ponere, sui unius esse illa muneris: humanã sedulitatem nõ ea posse magis præstare, quàm ingenium nosse. Sed ut reuertar ad id quod proposuerã, cauendũ est ne quũ procaris, aut dicta iam uxore ac pacta, ineptis illis amoribus indulgeas: id est, adulatoribus uoluptatis, in quibus multa homines coguntur & dicere & facere putida ac puerilia. De quo amandi genere est Mimus ille: Amare & sapere uix Deo cõceditur. Amor & uinum in tua potestate sunt, antequã bibas: postquã biberis, tu es illorũ possessionis ac mancipij. Hic illa opinione de te imbuetur, & quidẽ prima, uanũ te, ineptũ, futilem, stultũ esse. Nec in eiusmodi amorib. retinere maiestatẽ poteris. Non bene conueniunt, inquit Ouidius, nec in una sede morantur, Maiestas & amor. De terrestri illo & cæco amore Poëtam locutum, res ipsa testatur. nam alter ille oculatus & cordatus, maiestatem nõ imminuit.

Nec ferre potest mulier,ut quem sibi aliquando subditū uidit,patiatur iam dominū. Et quanto imbecillior est muliebris animus,hoc est magis anxius potentiæ:& semel dominationē nactus,iniuriā se putat accipere,nisi semper deinde dominetur.Nec ullum est imperiū uiolētius aut grauius,quàm eorū quos ratio ac natura subditos esse iussit:ut seruorū,turbę opificum,puerorū,mulierum.Sed quemadmodū uirū,quum amat,meminisse uolumus maiestatis:ita amoris non obliuiscī,quum regit.hoc enim oportet esse in uirili pectore amoris & maiestatis temperamentū.Nam quū cogitat, se esse caput & animū,illam uelut corpus & carnem:simul uenire illi in mentem conuenit,esse illam filiam,& sociam laborum ac fortunarū,communē esse inter eos sobolem:os ex ossibus,& carnē de carne uiri.ita erit in cōiugio dulcedo illa & suauitas cō uictus:quæ si absit,non iam est coniugiū,sed carcer,et odium,& carnificina animorū perpetua.Sentiat uxor amari se simpliciter,ac bona fide,sed hac de causa,quòd optimam de illa habeas existimationē: non ulla utilitatū, aut uoluptatis gratia. Nam qui se nō propter se amari intelligit,haud facilè in amando facit paria.Redamat enim,q̄d amatur.Pecunia quū diligitur,aut nobilitas,hæ amori respondērēt,si quem haberēt amandi sensum,animus quum amatur,is quia et amare potest,refundit quem acceperat amorem:et qua est parte attactus,respondet.Et ut sentiet amari,ita uirilē amorē sapientemq̄ agnoscet.Arulatori,qui rudiū equorū gradus format,in duro & contumaci pullo hærendū est,strato & stapedis insistendū,& arte regendæ habenę,& calcaribus quū est opus urgendū.in obsequētiore,multū remittit de diligētia & cura.Aspera uxor & amore est lenienda,& regenda maiestate.Miti & probæ quo te blandiorē præbueris,hoc eam mansuetiorē experiere. Generosa & excelso animo plus reuerebitur uirum,quanto ille negligentius reuerentiā asseret.Sed nec ita se unquā prudēs maritus in amorē effundet,ut se uirum esse obliuiscaī,& rectorē domus ac uxoris,& positū se uelut in statione illa,ut uigilet,ut attēdat quid domi suæ fiat,quid ingrediaī, quid egrediatur.Industria,arte,diligentia opus est pecudū rectori,quanto magis hominum:animātis adeò uarij,atq̄ intractabilis.Si hoc cōsecutus sit uir,ut uerè & ex animo ab uxore ametur,nihil iam opus est præceptis,aut legibus.Amor eam et plura, & efficacius,quàm ulla philosophorū monita,docebit. Et quū affectib.posita sit lex, non rationi,quæ ipsa est lex: affectus omnes rectius in officio amor continebit,affectuum omniū potentissimus tyrannus,quàm leges ullæ quamlibet uel scitè ac prudēter,uel imperiosè ac minaciter latæ & cōstitutæ.Amanti nō est posita lex. quid enim ponat homo legem,ubi natura ingenuit? Patri aduersus filiū nemo legem unquā statuit,filio in patrē statuit:propterea q̄d in patre ardet semper animus charitate erga filium:hic nonnunquā in patre amando cessat. Vxor si amat uirū,is est ei pater,mater, fratres,opes unicæ,& quicquid optari potest.Felicem illam domum,quam cōiungit eadem copula,quæ mundū,quæ cœlos,& cœlestes illas mentes:nempe mutua charitas.Et quid est in uniuersa uita,quod possit uel cum uno tam beati cōuictus die comparari? Habuerat Calenus in matrimonio annos quindecim Sulpitiā, fœminā inter matronas Romanas doctissimā et pudicissimā.de hoc cōnubio Martialis sic scripsit:

O molles tibi quindecim Calene,
Quos cum Sulpitia tua iugales
Indulsit Deus,& peregit annos.
O nox omnis,& hora,quæ notata est
Caris littoris Indici lapillis.
Vixisti tribus ô Calene lustris.
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti:
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos,uel unam
Malles,quàm Pylíam quater senectam.

Tum demū est inter cōiuges idem cōcentus,atq̄ eadem harmonia,quę inter cœlum & terram,qua cōstat opificiū naturæ,& per quā tanta animantiū stirpiumq̄ uarietas

& pul-

& pulchritudo producitur. Itaq; perſcrutandũ, an ſimpliciter & uerè amet, eiuſq; ingenium pernoſcendũ: & quemadmodũ ignis igne accenditur & creſcit, ita amore amor, ut ab uxore redamatus, nõ modò illam amet ardentius, ſed ſibi quoq; ipſi fiat ea cauſa cõmendatior. ita flamma & aliam flammã auget, & ab ipſa inuicẽ augetur. Habet in ſe, inquit Seneca, non mediocre res iſta gaudiũ, & mercedẽ. quid enim iucundius, quàm uxori tam gratũ eſſe, ut propter hoc tibi charior fias? Si qua eſt res in iſtis fortuitis alia qua cõfidat, aut fiat ferocior, uel quã amet atq; admireẽ, unde uel maritũ deſpiciat, quia non habet: uel ſe marito æquet, aut etiam anteponat, quia ipſa habet: huius cõtemptus eſt oſtendẽdus, et precium eleuandũ. ut reuera nulla eſt huiuſmodi res, quæ uerũ ſolidumq; habeat, & à natura ceu ædile quodã poſitũ & taxatũ preciũ. tantũ ex ſtultitia humanarũ opinionũ accepit. Formam, quàm fragile exiſtimes munus, quàm fugax, & alijs quàm poſsidẽti utilius: quippe fruitur eo ãſpectu ſpectator. Formoſus uerò nec ſe poteſt frui, niſi leuiter ad ſpeculũ: continuò eius q̃d uiderit, immemor. & eſt utriq; incitamentũ ad malũ. qui habet, inſoleſcit, ac ſuperbit animo: qui intueẽ fit amator formæ, & ſubijcitur fœdo illi amori ac ſpurco. In mẽte, unde homo cenſeẽ, eſſe uera pulchritudinis lineamẽta, quę ſui amores cõciliant prę ſtãtes ac cœleſtes, in quib. nihil ſit tetrũ, nihil dictu aut factu pudendũ. Quocirca nullũ eſſe, modò mentẽ ac iudiciũ habeat hominis, qui non multo malit probã deformẽ, quàm inſigni ſpecie improbã. Diuitias declarabis te nõ magni facere. tibi q̃d habeas, ſufficere: nec artẽ deeſſe quærendi. nec graue futurũ tibi, paruo te tolerare, ſi nequeas uiuere in relauta. finẽ pecuniæ eſſe, ſatisfacere naturæ, cõtentę exiguis: quũ opinio uaſta atq; infinita ſit. Facundiã te nõ probare in fœmina, hoc eſt, loquacitatẽ eſſe tibi ſuſpectã: quã magis ſilentiũ & taciturnitas deceat, etiã ferè uſq; ad uitiũ. neq; eñ nimis poſſe fœminam in tacẽdo progredi. Genus tuũ non eſſe prorſum pœnitendũ: & qualecunq; ſit, generoſiorẽ ſemper maritũ eſſe, q̃ fœminã: nec ſolere ſpectari quis parẽs, ſed quis maritus fuerit. hunc nobilitatẽ aut ignobilitatẽ cõferre uxori ac natis. Cæterùm neminẽ debere aliena uirtute fidere. quanquã omnes eiſdẽ elementis cõſtemus, unumq; eſſe uniuerſorũ patrẽ Deum: impiumq; eſſe, Chriſtianos exuto uetuſto Adam, & baptiſatos per ſanguinẽ Chriſti, poſt innouatã illius morte creaturã, genus adhuc corporũ ſpectare: quos iam ſpiritu oportebat uiuere, ſi Chriſtiani eſſẽt nominãdi. unũ eſſe noſtrũm omniũ patrẽ, caput & proautorẽ generis Chriſtũ: per quẽ redditi ſumus naturæ natalibus, à quibus propter primũ illud ſcelus exciderat tota gens hominũ. hanc unã eſſe noſtrã nobilitatẽ: in qua nec ſit Græcus de literis & ingenio gloriabundus: nec Iudæus, de repromiſsione terreſtris Canaan, & circũciſione Abrahæ: nec Romanus de triumphis, et imperio ſubacti orbis: ſed Chriſtianus, id eſt ſpiritalis homo, atq; cœleſtis. Quid dicã uel uiris ipſis turpe eſſe, laudẽ ad ſe ex genere trahere: quanto fœminis turpius? quippe gloria generis iam nõ præclara aliqua uirtute cõparatã, ſed uel coaceruatiõe opũ, quas colligit ampliores iniquus ac auarus quiſpiã: uel bello, cædibus, latrocinijs, crudelitate: quale eſt genus tam per Hiſpaniam celebre Gotthorum. Quæ quũ uiro ſint pudẽda atq; abominãda, quanto erũt fœminæ tetriora, cui ſunt arma et bella à natura negata? Sed de forma, diuitijs, facũdia, genere, multa dici poſſent: quæ ego in pauca cõtuli, ne in cõmuni loco Lectorẽ proximo ſermone onerarẽ: præſertim quũ ea quę hiſce de rebus dici ſoleãt, in medio ferè ſint poſita. Cum affinib. ita te geres, ut uxor intelligat tam honeſtã eſſe illis ueſtrã coniunctionẽ, quàm tibi: nec minus bene cum illis actũ, quod tu ipſis affinis cõtigeris, quàm quod illi tibi. Solent affiniũ quidã graues eſſe, et exiſtimare nihil ſibi in affinẽ non licere. qui ſi tales ſint, ut eam de te præbeãt ſignificationẽ, te ſine ſua ope domũ et familiã ſuſtẽtare non poſſe: etiã ſi eis plurimũ egeas, remitte illis opẽ ac beneficiũ omne. Præſtat eñ, iuxta Sapiẽtis cõſiliũ, ut domi tuæ pane atro & ſalſamẽtis ueſcare, q̃ delicatiſſimè et opiparè conuiueris cum rixa & iurgio. Sed nec illi, ſi ſapiunt, oſtendẽt uxori tuæ, tam parui te ab ipſis æſtimari, propinquæ cõcordiam tecum inani ſuæ iactantiæ anteponent: quin & in omni tua lite cum uxore tibi aderũt, uti par eſt. Quòd ſi nõ fecerint, dementes ſe ac ſtolidos eſſe declarabũt: & tibi eiuſmodi affinib. minimè erit opus. Si utiles illi erant

tibi,

tibi,quære aliunde ſubſidium tuis rebus.Deniq; quomodo poſsis cunq;,te tolera citius,quàm ut eiuſmodi affinium malefico beneficio utaris.

DE DISCIPLINA FŒMINÆ.

PRima deberet eſſe legibus ea cura,mea quidẽ ſententia,ut ciuiũ mores rectè conſtituerent:darentq; operã,ut de rebus incorruptè ſentirẽt. Nam ſi bene educatã moratamq; habuerint ciuitatẽ,exiguus ſupererit in iubendo aut uetando labor.Neq; admodũ erit opus aut ad deterrendũ pœnis,aut præmijs ad allicefaciendũ. Caro noſtra peccati cœno infecta,quum indiuidua ſit mentis comes,prauiſsimas illi de rebus omnibus opiniones offert primũ,hinc quoad poteſt inculcat atq; infigit.quæ calamitas utriq; ſexui eſt cõmunis.Ad extirpãda eiuſmodi deprauata iudicia, diſciplina indigemus, quæ cognitione literarũ uelut cõpendio quodã paratur. Video ueniſſe in quæſtionẽ,an expediat fœminã literas noſſe:de qua multi ambigũt.Alij pro cõperto habent,nõ eſſe cõſultũ.De ea paucis diſputaui in uolumine primo de Fœmina,quantum res eo loci poſtulabat,neq; hic multis morabor Lectorẽ,tantũ ea dicã, quæ ſatis eſſe uidebuntur ad confutandã eam ſententiã,quæ nobis nõ probatur: in quã exiſtimo delapſos nõnullos, dum alias literas ex alijs cenſent. Quòd ſi literarũ rationes ac genera explicentur,et deſignetur quę ſit cognitio,quã nos fœminę profuturam dicimus,puto nõ fore multos,qui diuerſam potius ſententiã ſequãtur,quàm noſtrã.Sunt literæ,quæ ad expoliendũ locupletandumq; ſermonẽ ſpectãt. ſunt aliæ, quæ ad uoluptates ſenſuum,aut aſtũ,ac uafriciẽ.aliæ,quæ ad cognitionẽ naturæ:aliæ, quæ ad animos cõponendos. Voluptates titillãt pleraq; poëtarũ opera, & Mileſię fabulę:ut Aſinus Apuleij, & ferè Luciani omnia. quales crebræ ſunt in linguis uernaculis ſcriptæ Triſtani,Lancíloti,Ogerij,Amadiſii,Arturi,& his ſimiles:qui libri omnes ab ocioſis hominibus & chartarũ abundantibus,per ignorantiã meliorũ ſunt cõſcripti. Hi non fœminis modò,uerumetiã uiris officiũt. quemadmodũ ea omnia,quis nutus iſte noſter ad peiora detruditur:ut quibus armatur aſtutia,accenditur habendi ſitis, inflammatur ira,aut cuiuſcunq; rei turpis atq; illicita cupiditas. Exigua quædam naturę cognitio, quantũ opus eſt cõmuni huic uitæ rationi tuendæ, utilis eſt fœminæ. exactior illa ſimul cum eloquentia & ornatu uerborũ,uiris magis cõgruit.Illa uerò qua mentes meliores redduntur,utriq; eſt ſexui maximè neceſſaria. Ex ſe homo neq; bonus, neq; malus naſcitur: promior tamẽ ad uitiũ momento illo primæ noxiæ. Incitatur eò exemplis multorũ,& ceu cõſpiratione quadã peccantiũ. nuſquã enim cõuertit oculos,quin uideat,quod cum ſcelere aut flagitio imiteť.Impellitur eódẽ exhortationib. illorũ,qui uidentur uelle bene conſultũ:primũ Poëtarũ,& quaſi publicæ uocis.Quæ enim iſti cõponunt,adlubeſcũt animis,recipiuntur,cantillantur,& ſine ſenſu ullo admittũtur in animos,ut hæſiſſe prius ſentias,quàm applicari.Iam magiſtri primæ illius ætatis,qui nõ multũ à populari ſenſu atq; opinionibus diſtant, eadẽ illa admirantur, quæ rude uulgus:genus,diuitias,potentiã,honores,ultionẽ.ad hæc hortantur,& fingunt teneros animos.Parentes & propinqui inane uirtutis nomen eſſe rentur. ad iſta formãt ſuũ puerũ,quæ ſunt ſenſib.blanda,nõ ad durũ ac rigidũ honeſtũ:dum uel ipſi altius ſe nõ attollũt,quippe ſunt ex turba uulgi:uel ita uiuunt,et ſe pro exẽplis actionum omniũ haberi poſtulãt.Nec deſunt parẽtes,quod magis mirẽre,uiri graues atq; eruditi,qui uirilẽ illã et ſeuerã uirtutẽ filijs tanquã comitẽ adiũgi exhorreãt:et immodicus ille atq; incõſultus amor,prauã quandã ad delicias indulgentiã ſuadet, ut quũ probitas adeò ſit naturæ noſtræ cõgruens,meritò Quintilianus miretur, tam paucos eſſe bonos.Sed eundẽ mirari oportebat,quum inſtitutio ſit tam praua,bonum eſſe ullum.Quòd ſi à procliuitate quadã penè naturæ,ſi exẽplis,ſi hortatibus & cõſilijs magnarum autoritatũ ad malũ impellimur,nõ reuocamur ac retrahimur diſciplina ulla, quæ eſt reliqua bonitatis ſpes? Omnia ruent in nefas,& uenietur per conſuetudinem peccandi ad faſtidiũ honeſti,& cõtemptum bonę mentis,& odiũ uirtutis.Excitanda eſt rationis uis,ut aliquid in animo poſsit:inſtillãdus amor uirtutis,tradenda ſunt aduerſus corruptelas opinionũ præcepta ſapientiæ,uſu atq; aſſuefactione procliuitati reſiſtendũ,& quaſi cõtinẽter cũ ea de mẽtis & animi totius poſſeſsione decertandũ.

Animal

Animal est fœmina ratione præditũ ut uir,& ingenium habet ambiguũ ad utrunq;, usu & cõsilijs flectile. Si sunt nõnullæ malæ,id non arguit naturæ malitiam,non magnis quàm in uiris:ut magis ridiculi sint,qui in cunctũ sexum sint inuecti,propter aliquas parũ probatas:& non eandẽ rabiem in totum hominũ genus exercuerint,propter latrones aut ueneficos. Quę uerò est dementia,existimare ignorantia bonorum quenquã meliorẽ fieri? ceu uerò in humanis animis non ex se magnæ ac densissimæ sint ad bonũ contuendũ tenebræ:mala ultrò se ingerãt,quibus nihil sit doctore opus. nec unquã in ullo sistũt,quemadmodũ erant ingressa:glisc̃t sensim,& foras se effundunt,ut cuiusq; uitiũ etiam alios lædat. Quòd si nõ expedit bona legere,nec audire expediet,nec uidere. neq; enim sunt ipsæ literarũ formulæ, de quibus est cõtrouersia: sed ea sensa,quæ literis sunt conclusa & cõsignata. Ergo uxor aut filia tua discet quẽadmodũ se comet & pectet & fucabit,& insolabit capillos,et subfumigabit chirothecas,& acu supparos pinget,& qua pompa incedet,& quib. uerbis erit uel ad lasciuiã uel ad superbiã instructa nõ audiet,quomodo hæc nugamẽta cõtemnet? quomodo ornabit mentẽ? quomodo placebit Christo? Huius tu es sentẽtiæ homo Christianus, qua nunq; fuisset stolidissimus gentilis? Excludetur igitur mulier ab omni bonarum rerũ cognitiõe:& quo erit imperitior,tanto melior credetur? Sunt quidã in eam torpedinẽ adducti,ut meliores credãt rudes etiam uiros,quib. ego cõsuluerim,ut asinos potius gignãt,q; homines::aut ut dent operã,ut quicquid est in filijs ad res pulchras & præclaras igniculi,sedulò extinguendũ curent. eosq; bestijs reddãt, quàm hominibus similiores:ita demũ optimos,et quales optãt habituri. Quòd si eruditio probitati obest,oberit educatio inter doctos. melior ergo et cõmodior inter imperitos. & hac de causa satius erit ruri,quàm in urbe educari. multo etiam cõsultius in saltu aliquo,& solitudine,quàm ruri inter homines. Nam in cõtrarium recurrendo inueniẽt, quo excultiore sunt doctrina homines,et experimẽtis ac usu rerũ,hoc magis conuenire inter illos educari pueritiam. Atqui ut de fœminis,quemadmodũ cœperam loquar:ego contrà usu euenire cõperi,malas omnes,rudes ac ignaras prorsum esse literarum:doctas uerò,probas,& laudis ac decoris amantissimas. nec ullam memini uidisse me impudicã,doctam. An nõ quiduis facilius hebeti ac imperitę calidus & callidus amator persuadebit,q; ingenio & eruditiõe septæ ac munitæ? Imò uerò hæc sola est causa,cur pleræq; omnes fœminæ sunt difficiles,morosæ,studiosę cultus,admiratrices nugarũ,in ꝓsperis insolẽtes,in aduersis abiectæ ad mœrorẽ, denicq; intolerabiles,quòd nulla meliorũ rerũ cognitione imbutæ,aliud nec amare possunt,nec odisse, quàm q̃d sub indocta didicerũt matre,aut malorũ exemplis,et quò uergit inualescẽs corporis põdus,nullis sapiẽtiæ monitis fultũ. Nec uiri ipsi,id est hominũ genus,à pecudum ingenio et ritu abesset,si naturæ huic suæ relinqueretur,infectæ iam & corruptę sordib. delicti. An esset fera ulla tam immanis,tamq; à cõditiõe ac natura hominũ aliena,q; homo ipse,semota institutiõe? Socrates,hoc est(ut Valerius inqt)humanę sapientię quasi quoddã terrestre oraculũ,in Symposio Xenophõtis sic loquit: Cùm ex alijs,inquit,permultis,tum ex ijs quę puellã hanc uidetis facere,manifestò licet colligere,muliebre ingeniũ nihil esse quamcunq; ad rem ineptius uirili:tantũ opus est cõsilio,& uirib. quocirca adhortor uos omnes,quotquot estis mariti,ut uxores uestras intrepidè doceatis,quicquid eas uelitis,si sciant,usu prẽstare ac exequi. sic ille. Et Seneca:Mulier,inquit,nõ refert q̃ locuples aut honorata sit,æquè impudẽs animal est: & nisi sciẽtia ac cessit,ac multa eruditio,ferè cupiditatũ incõtinẽs. Quid idẽ ad matrẽ suam Albinã? Vtinam quidẽ uirorũ optimus,pater meus,nimis maiorũ cõsuetudini deditus,uoluisset te sapientũ pręceptis erudiri potius,quàm imbui. non parandũ tibi nunc cõtra fortunã esset auxiliũ,sed proferendũ. propter istas quæ literis nõ ad sapiẽtiam utunt̃,sed ad luxuriã cõstruũt,minus est indulgere studijs passus. Sed nihil autoritatibus indigemus,ubi clara exaudiri naturę uox ac diserta potest,hoc ipsum iubentis:contra quam etiam si philosophi omnes cõspirarent,non magis efficerent,quàm si soli conarentur luminibus obstruere. Habemus naturæ coniunctum cœleste testimonium. Quid maius aut excelsius est in omni genere sapientiæ,quàm religio?

Atqui

Atqui Dominus noſter ad myſteria ſuæ pietatis, præ quibus humana omnis ſapientia mera eſt ſtultitia, fœminas quoq; admiſit: oſtendēs ſexum illum maximarū etiam rerum eſſe capacē, & eidem conditū eſſe fœlicitati, cui uiros. Præceptis eſſe illas excolendas, cōdocefaciendas uſu, quemadmodū & nos. Quòd meliores nō ſint, noſtrā eſſe culpā, qui doctrinā ſubtrahimus. noſtrū enim eſt hoc munus, noſtra quaſi prouincia, illas inſtituere. Si eſt uir uxoris caput, ſi mens, ſi pater, ſi Chriſtus, horū omniū munere ac officio docendā habet uxorē: quippe Chriſtus nō tantū ſeruator atq; inſtaurator eſt ſuæ eccleſię, ſed etiā magiſter. Patris eſt, filiū rectè educare atq; inſtituere. Nam de mente ac capite quid attinet loqui? In mente eſt hominis ingeniū, conſilium, ratio: in capite ſenſus omnes, quibus ad uitā hanc utimur tanquam ducibus. Itaq; in officio turpiter ac flagitioſe ceſſat, quiſquis fœminā ſuā nō inſtituit. Idem Socrates dicebat, uiros à publicis ciuitatis legibus debere regi, fœminas uerò à uirorū cohabitantiū diſciplina. Sed Paulus, quum ita edicit, Mulieres in eccleſia loqui nō placere, tantum ſi quid dubitēt, uiros ſuos domi interrogare: apertè neceſsitatē uiris impoſuit erudiendi. Quorſum enim uirū fœmina ſciſcitabit, qui docere uel nolit, uel nō poſsit? Totbella fœminarū cauſa ſunt ſuſcepta, tantū laborum adimus, ne quid eis domi in cultu, in uictu, in nugis deſit, ne dos filiabus ampla ad cōditionem parandā: leuem operā, qua meliores fiant, defugimus. quales ſi eſſent, nec illarū flagitia noſtras armarent manus: nec quicquā deeſſet, pauciſsima requirētibus: & ad cōditionem plurimos pulchritudine uirtutū allicerēt. Iam quæ fœminā exiſtimē oportere cognoſcere, hæc ferè ſunt. Primū ut ſeipſa norit, ex quibus ſit primordijs cōdita, & in quē finē, qui ſit rerū ordo & uſus: tum ſummā Chriſtianæ pietatis, ſine qua nihil rectè fit, & cum qua rectè omnia. Sed pietatis, nō ſuperſtitiōis: ut diſcat, quid hæc inter ſe diſtent. Pietas enim facit ſimpliciſsimas, ac optimas: ſuperſtitio fucatas, & moleſtas. Ita ſciet, quibus in rebus ſita eſt uera religio, quomodo colēdus Deus, quomodo amādus proximus. hinc qui amor, qui cultus debetur marito: qui illi debet eſſe inſtar numinis, & illius uoluntas pro diuinis legibus. Quid illi erit domus, quàm uice totius Reipublicæ? Quæ ſint in re familiari ſuę partes, quæ uiri. Duas eſſe fœminæ uirtutes, ac propè ſolas, naturę religionē, ſexus caſtitatē: quanquā uirtutes omnes religio, ut ſuperius dixi, cōprehendit. Sed de caſtitate ſeparatim & explicatè præcepta tradētur, & cuiuſmodi uelimus eſſe caſtitatē: nempe ſapientū uirginū, non fatuarū. Tum pudicitiæ pudorem adiunctū, et curā famæ nominiſq;, ut ſit bonus odor Domino in omni loco, & ad exemplū, & ad quietē mariti. quanta ſit opinionū in uulgo corruptela. quę ſit cura, ratio, modus educandi atq; inſtituēdi liberos. Simul diſcat nōnulla de cōtemnendis fortuitis, ut animo ſit aliquantū uirili ac robuſto, quo utranq; fortunā moderatè ferat: ne aduerſis impar, aliquid cogatur prauè aut flagitioſe deſignare, uel certè cogitare. Hæc ſi uel legere neſciat, tardiuſcula, aut parū nata ad literas (ſunt enim tales & inter uiros) docebitur à marito explicatè ac familiariter, nec ſemel: ut nō intelligat modò, uerumetiā memoriæ infigantur, ut parata habeat, quū uſus poſcet. Audiet interdū alias legentes, & exponētes, aut colloquētes iſtis de rebus. Sin legere norit, huic primùm omniū adimantur libri poëtici, & nugatorij, quos paulò antea commemorauī: tum quòd ſatis eſt ad malū procliuis natura noſtra, nihil illi opus ſtimulis, nec ſtupæ igni, admotę oleo: tum quòd, quemadmodū ſapienter eſt apud Senecā, breuis eſt ætas, etiā ſi tota bonæ menti impenderetur. Dandi illi in manus libri pij, qui & ſapienter doceāt, & ad ſanctè uiuendū excitent atq; inflamment. In quo magno iudicio eſt opus. neq; enim pueriles, aut ſuperſtitioſi, aut uani atq; inepti cōcedentur: quales ſunt nō modò in linguis uernaculis ſcripti permulti, ſed etiā in illa Gotholatina. A curioſis quoq; eſt arcenda, ut à quæſtionibus ex intima theologia. Minimè decet fœminā tantis in rebus percōtatricem eſſe, aut curioſam. De philoſophia quoq; morū, illi pij ſufficiunt. pietate enim optimè mores formātur. Sed ſi quos priuatim ea de re placet dare, ij ſicut de pietate diximus, doceant atq; hortentur, atq; excitent plurimū, minimū rixentur. ſatis eſt ſexus ille per ſe ad rixā & altercationē appoſitus. Multa de cōponēdis affectib. & ſedāda illa animorū tēpeſtate legat. Vehemēter hac parte philoſophię indiget fœmina, in qua

præcipui

præcipui sunt Plato, Cicero, Seneca, Plutarchus. Faciunt ad hoc etiã ij scriptores, qui exempla eorum persequuntur, qui aliquid uel dixerunt uel fecerunt uitæ utile, ac dignum imitatione. quemadmodũ Valerius Maximus, & hunc æmulatus Sabellicus. In eundem numerum ueniunt acta Sanctorum nostræ religionis, hinc humanæ sapientiæ sectatorum. De re familiari præcipiunt Aristoteles & Xenophon. De educandis liberis multi nominatim scripserunt: olim Plutarchus, nuper Paulus Vergerius, & Franciscus Philelphus. Addentur hisce omnib. paucula quædam, de ratione quotidiani uictus, & de simplici ac facili medicina: qua est opus in leuiculis puerorum aut familiæ morbis, qui tanti non sunt, ut propter illos opera sit medici imploranda. Memini me de his alibi præcepisse: sed non ab re fuerit, hîc esse a nobis repetita. nam hæc ut fiant, ad uirorum curam pertinet. Puto his omnibus abundè excultũ fore muliebre ingenium, & ipsam instructam ad uitam commodè ac religiosè transigendam. Quòd si omnino numeris delectatur, habeat Christianos pijs de rebus uates, Prudentium, Aratum, Sedulium, Iuuencum, & his similes, siue Latinè scribentes, siue patria unicuiq; lingua. Naturæ cognitionem, grammaticæ, dialecticæ, historiæ, & rerum gestarum, reipublicæ administrandæ, & mathematicarũ artium, uiris relinquat. Nec facundia fœminę congruit, etsi multarum linguas antiquitas est mirata, ut Corneliæ Gracchorũ, Mutiæ, Læliæ, Hortensiæ: sed non tam quòd multa facundè dissererent, quàm quòd pauca purè ac incorruptè. deniq; non tam didicerant illas artes, quàm eis ex domestica consuetudine erant infectæ: ut sine labore aut sensu ullo discendi, à patribus eas uideantur accepisse. Educatam nunc, si dijs placet, nominãt, imprudenter ac impudenter loquaculam: quòd multa effutiendo, neq; unquam faciendo finem loquendi, tenere confabulonem in multas horas possit, ne facto utrinque silentio, sit discedendum. Quid existimãdum est locuturam tam diu imperitam puellam, cum adolescente non multo sapientiore, nisi uel stulta, uel obscœnam? Et hãc demum uocant disciplinam aulicam: uidelicet illius scholæ, in qua & aliæ discuntur artes, huius quidem dissimiles, sed eiusdem magistri diaboli. En quò mores hominum sunt delapsi, quàm inuersa omnia, ut tacere fœminam turpe existimetur: id est, pulcherrima eius uirtus, fœda uideatur, ac deformis. Quantam huic rei animis hominum persuadendæ nauasse diabolum operam arbitramur? Tu uerò inter fœminæ tuæ disciplinas, silentiũ numerato, magnum sexus illius ornamentum. Et cùm loquitur, simplex sit, minimè affectatus aut cõptus sermo. Nam fucata oratio magnam animi uanitatem arguit: & laudatæ illę à uetustate, tanquam facundæ, nihil in laudib. habuerunt maius, quàm quòd patriũ sermonem purum ac germanũ conseruarent, ut Cicero in libris de Oratore docet. Non sine bili Iuuenalis, sed nec immeritò, & falsè:

Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes:
Sed quædam ex libris, & non intelligat, odi
Hanc ego, quæ repetit, uersatq; Palæmonis artem,
Seruata semper lege, & ratione loquendi,
Ignotosq; mihi tenet antiquaria uersus,
Nec curanda uiris opicæ castigat amicæ Verba.

Accedet synceræ huic & sanctæ institutioni magnũ pondus, mariti exemplum, tam efficax ad formandã uxoris & cunctæ familiæ uitam, quàm Principis ad mores publicos ciuitatis. Rex est enim quisq; domi suę. Quocirca quemadmodũ Regẽ decet & iudicio populũ antecellere, & exẽplo uitæ præstare quod iusserit: ita eum qui uxorem accipit, exuere iam puerilẽ animum, & cogitare quod ille dicit in Comœdia,

Ætas hæc aliam uitam, alios mores postulat. Sumere consilium ac mentem senilem, quæ facilè & mariti & patrisfamiliâs ius atq; autoritatem tueatur: non solùm sermone ac præceptis ostendendo optima, sed uita & actionibus. His enim duab. reb. magnopere opus est ad hominem regendum, sapientia & exemplo sui: ut ipse quę uerbis iusseris, re præstes. Vita non modò, ut inquit Fabius, plurimum persuadet, uerũ etiam cogit. Hoc uidemus in bello euenire, ut fortissima sit ad animos militũ illa Du

cis cohortatio:Facite mílites,quę me facientem uideritis.ita ílle mortis contẽptus in duce,peruadit cõtinuò totũ exercitum:ut nemo ſit adeò ignauus,qui non uitã parui faciat,quam uidet Imperatori ſuo tam uilẽ eſſe.Sic Chriſtus,ſic eius Apoſtoli & martyres facilè mundũ in ſuam ſententiã pertraxerunt,quòd ſic uiuerent, ut loquerẽtur: ſic loquerentur,ut uiuerent.Quomodo parebít tibí uxor,de tẽperantía præcipienti: ſi tu ebrius,& crapulam eructans ea dicas? quomodo de cõtinentía,ſi ſis ipſe adulter, & per alienas fœminas uagam libidinem circunducas?

In commune iubes,ſi quid (inquit Claudianus) cenſeſq; tenendum,
Primus iuſſa ſubi.tunc obſeruantior æqui
Fit populus,nec ferre negat,cùm uiderit ipſum Autorem parẽre ſibi.

Simul aliena exempla maritus habebit in promptu.Minus enim uidetur factu difficile,quod ſit iam ab alijs factũ. Quòd ſi generoſus ſit & ſublimis animus, credi nequit quantũ aliena extimuletur laude, ut Themiſtocles ſolitus erat dicere, excitari ſe Miltiadis trophæis.Nec ſolũ adducẽtur uetera ílla nomina,& æuo conſecrata,Sarra & Rebecca,tũ Penelope,Andromache,Lucretía, Cleobulína, Hipparchía, Porcia, Sulpitia,Cornelia:& noſtræ diuæ,Agnetes,Catharinæ,Agathæ, Margaritæ, Godolinæ,Barbaræ,Monícæ,Apoloníæ:ſed recentiores quoq;,Catharina Angliæ regina, Clara Ceruenta Valdauræ uxor,Blãcha Marca.tametſi uereor,ne matris meæ nomẽ quibuſdã uidear ambitioſius uſurpare,& pietati nimiũ indulgere.Multũ equidẽ pietatí tribuo, ſed multo plus ueritati. Nec deerunt in unaquaq; gẽte ac ciuitate probæ & ſanctæ matronæ,ad quarũ exemplum erit excitãda.Sed plurimas habebit uires,ſi qua habeat domeſtica exẽpla,ad quæ poſsit cũ laude reuocari:ut matris,auiæ,amitæ, materteræ,ſororis,cõſobrinę:denicq; propinquæ alicuius,aut neceſſarię.multũ enim ijs exẽplis mouemur, quæ uelut de uicino cõtemplamur:melius illa effingimus, ad quæ cõponimur ex proximo. Acta etiã malarũ,cũ inſectatione atq; execratione,pro exẽplo erunt,q; uitet.cùm ſciet celari eiuſmodi flagitia nõ poſſe:& paratũ eſſe ſuppliciũ,cùm minimũ ignominiã atq; abominationẽ publicã ciuitatis: ut ſatius multo ſit mortẽ obire,quàm ſic uiuere.Colloquijs quoq; familiarib,eruditío excolẽda,& mores cõfirmãdi.Collocutio ſit ſimplex,tãq; cũ chariſsima ac familiariſsima,ne ullis utare ueneratiõis uerbis,nec illa erga te immodicis. quæ ut interdũ augeãt reuerentiã, certè minuunt eã,q; in coniugio maximã & ueriſsimã eſſe oportet,charitatẽ. Sed nec augent animi uenerationẽ:tantũ fucant, quæ ſimplicia atq; aperta eſſe in primis conuenit.Nemo bona fide arrogantẽ,aut uanũ reuereẽ:nec eũ, quẽ uidet reuerentiã ſuo quaſi iure exigere.elici ueneratio poteſt,extorqueri nõ poteſt. Tu illã eo uoca nomine,in quo magna inſit amoris ſignificatio: ut filiã aut ſororẽ,quẽadmodum appellat Paulus ſuã.Illa te,amoris & ueneratiõis nomine:ſi uult,dñm,ut Sarra Abraã,ſicut eſt apud Petrũ in epiſtola,& in Geneſi. Colloquẽdũ ſæpe ac multũ de pietate,de morib. de errore populari,de uſu rerũ,de fortuitis ferẽdis. ſæpe de cõſeruatiõe & regimine rei familiaris,de artib.uitæ,de filiorũ,ſi habeas,ſancta inſtitutiõe:quẽadmodũ eos efficias,nõ locupletes,aut ciuili dignitate honeſtos,ſed probos ac pios. Sed memineri mus,infirmũ eſſe ſexũ illũ natura ſua:& ut non corpore, ſic neq; animo poſſe grauia ſemp ſuſtinere.Ideo utendũ nõ rarò remiſsionib.ac refectionib.curarum, ut iocis,ut narrationib.eorũ quæ uicinis, quæ amicis cõtigerũt.modò abſit curioſitas,& ſtudiũ aliena ſcrutãdi arcana:in quo ſunt reciprocæ uices. Si in uitã uicini aut alterius ciuis inquiſieris,ille etiã in tuã inquiret,aut alius quiſpiã:quo nihil eſt in ciuitate uel ad cõſeruãdas amicitias,ac mutuã beneuolentiã,uel ad bene & quietè uiuẽdũ,pnicioſius. Gaudet uerò humana mẽs cognitiõe rerũ qualiũcũq;.nã ſuauiſsimus illi⁹ paſtus eſt, cognitio.Et illæ domo clauſæ,exhilarãtur auditiõe eorũ quæ foris agũtur: dũ ea ſint, quæ bonos mores nõ corrũpant.ita enim minus tenẽtur ꝓdeundi deſiderio. Iocãdũ quidẽ nõnunquã,nõ ſcurriliter,aut obſcœnè,nec plerũq; de reb. leuiculis colloquendũ.ea res frangit ac debilitat earũ animos, ut poſtea nihil graue & ſeriũ poſsint ferre uel in ſermone & cõſilijs,uel in uita & uſu fortunæ. Siquidẽ aſsidua illa de nugis cõmentatio,ſimiles ſui reddit mentis ac animi uires: nẽpe leues ac imbecillas. Ægyptia

ſub

ſub Pharaone ſeruitus erat, in paleis & luto ſemper uerſari, tolli mares, ſeruari fœminas. Ea res cuius myſterij fuerit ſignificatio, equidē Euſebij uerbis aptiſſimè uidetur mihi poſſe explicari. qui in concione de Paſchate ſic inquit: Iam primū duriſſima illa Ægypti tyrannica ſeruitus, quid aliud præferebat, q̄ diabolū ſupra humanū genus peccatorū exercere dominatū? quid, inquā, erāt illa uilia & horrenda in luto & paleis Pharaonis imperia: niſi fœda atq; terrena diabolicæ uoluptatis officia, & uitiorū deteſtanda contagia? Siquidē infructuoſa & inania uitæ huius opera, paleæ ſunt: paleæ inquā, nimiū flammis amica materia. Sed & hoc ipſum, quòd Pharao in paruulis Hebræorū pueros iubebat interfici, & fœminas reſeruari, diaboli utiq; ſpeciem præferēs, inimicus ſpiritui, & amicus carni: inuidens uirtuti, cōſentiens uoluptati: fortitudinē præfocabat, nutriebat cōcupiſcentiā. Hæc Euſebius Emyſenus. Nec ſolum à crebris aut impudicis abſtinendū eſt iocis, ſed etiā à luſibus & contrectationibus, ne magis amatorem te, quàm maritū eſſe oſtendas. Adulter eſt, inquit Xyſtus, uxoris ſuæ amator ardētior. Vxor enim, dignitatis eſt nomen (ſicut ille Romanus princeps dixit) nō uoluptatis. Tu uerò qui uxorem habere pudicā & caſtam cupis (nemo enim maritus non cupit, etiam qui inſanit) ne primus libidinem eius inflammes ad cogitationē ſceleris. Quæ demētia eſt id corrūpere, quo poſtea ſi puro atq; integro non utare, grauiſſimam ſis moleſtiā habiturus? Ne accendas ignem, cui mox reſtinguēdo non ſis par. Stupei ſumus omnes, nec una ſolū parte incendimur, ſed quacūq; ignis eſt admotus, urimur: oculis, auribus, tactu, per ſingula corporis mēbra libidò excitatur. Prudentes medici morbidū membrū, quod ſanari arte non poteſt, ſtupefaciunt. Primū eſt, rectè ualere: non dolere, proximū. Eam curam uidemus ſemper adhibitam à uiris ſapientibus, ne qua aperiretur feneſtra ad obſcœnos cogitatus. Fuerunt olim religiones non nullæ caſtitatis, quæ ita cuſtodiebātur, ut & uerba, & quicquid quocūq; ſenſu ad libidinem poſſet ſollicitare, magna cura deuitaretur. nō ſolum in ſancta pietate, ut apud monachos illos, qui in una Cycladū habitantes, animalia uſibus uitæ neceſſaria in altera aſſeruabant, ne ipſi eorum coitus fortè aſpicerent: Romæ in ſacris Bonæ deæ, marem ne pictum quidē aſpici fas erat. Lacedæmone, & in Delo, canē intrare templū ne fas, propter uulgarē & promptam illius animantis libidinē. Eadem de cauſa uetitum eſt Delio ſacerdoti, canem nominare. Auguſtus ſpectaculo athletarum, mulieres edicto ſubmouit. Per dies Olympicorū certaminum, fœminę omnes Piſa diſcedebāt. Videlicet ſi per aures corrumpimur, ut habet ſententia Menandri, nō minus nos per oculos corrumpi cēſendum eſt. tam enim hàc ad animū penetratur, quàm illac. Eam tu curā domū tuā transfer, ut omnia ſint ſpurcitiæ & obſcœnitati obſtructa. Pudicitia pudore, à quo & nomen accepit, conſeruatur. neq; alterum ſine altero poteſt conſtare. Idcirco pudor magno eſt ſtudio in muliere fouendus, ne ullo pacto aut modo excutiatur: ita, ut uelim nouas nuptas ſtatim à uirginitate amiſſa aliquantiſper latêre, quēadmodum latuiſſe Eliſabetham legimus, Zachariæ uxorem: hæc, quia uetula cū uiro cubuiſſet: illæ, quia uirgines cubuerunt. Qui ſponſalia ita inſtituêre, ne primo ſtatim congreſſu coniuges iungerentur, pudicitiæ maximopere uidentur conſuluiſſe, ne mulier & familiariter uerſaretur, & rem haberet cum eo, quem fortè nunquā eſſet prius allocuta, quod non fieret ſine magna pudicitiæ ac pudoris iactura: in quibus ſita eſt haud exigua ſanè pars bonorum in ciuitate morū, & publicæ quietis per gentes omnes. Sunt nonnulli ſponſi impatientes moræ, qui & in ſpōſas & in ſeipſos malè conſulunt. At Iacob tot annis cum adamata Rachele, dicta iam uxore, & pacta, in communibus paſcuis, in ſolitudine uerſatus, ſanctiſſimè ſe cū ea ſemper geſſit (quapropter uiri illius digamia multorum caſtitati meritò anteponenda eſt: quemadmodum de auo eius Abraamo Auguſtinus definit) & Rachelem uſq; ad extremū uitæ conſtātiſſimè ac unicè amauit, & uxore uſus eſt ſpectatæ probitatis, ſingulariq; in cō iugem pietate. Ergo ſi quid uxor tua uel natura, uel educatione ac moribus habet pudibundum ac pudicum, id aſſuefactione & doctrina augendū cura: ſin laſciuū ac petulans, refrena ſeueritate morum, & diſciplina reſeca. Modò ne obliuiſcamur, non oportere abeſſe à coniugio ſuauitatem conuictus, caſtam quidem illam & puram,

ram. Paulus iubet uenerabile in omnibus esse matrimoniũ, & thorũ immaculatum. Tum ad Corinthios, Vt sciat unusquisq; uas suum possidere in sanctificatione. quod siue de suo uniuscuiusq; corpore, siue de uxorio intelligendũ sit, utiq; ad cohibẽdas uoluptates pertinent, & libidinem immodicè se effundentem. Sacramentũ est coniugium, & rerũ maximarũ (ut Paulus inquit) mysteriũ, non est polluendũ spurcis libidinibus. Hostis dæmon septem Saræ maritos, qui aspectu formæ incitati, à libidine matrimonium exordiebantur, interfecit. Seruatus est Thobias, qui angelicis monitis coniugium est ab oratione auspicatus. Operæpreciũ fuerit uerba audire non hominis, sed angeli. Audi, inquit, me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmoniũ. Hi nãq;, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excutiant, & suæ libidini ita uacent, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus, habet potestatem dæmoniũ super eos. Tu autẽ quũ acceperis eam, ingressus cubiculũ, per treis dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus uacabis cum ea. ipsa autem nocte incenso iecore piscis, fugabitur dęmoniũ. Secunda uerò nocte, in copulatione sanctorũ patriarcharũ admitteris. Tertia autẽ nocte benedictionem consequêris, ut filij ex uobis procreentur incolumes. Transacta autẽ tertia nocte, accipies uirginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidinis ductus, ut in semine Abrahæ benedictionẽ in filijs consequaris. Hæc Raphael Thobiæ. Si propter sobolẽ uxor est tibi ducta, huic uni da operã, non libidini: imitatus sanctos illos patres, qui ob eam unã causam uidebantur uxoribus coniungi, ideo & ab illis grauidis abstinebant. In quo à bestijs planè superamur, quæ certis ac statis anni temporibus, Veneri quærendis liberis dant operã. ea semel defuncti, in reliquum tempus facile Veneri renunciant, dum filij sint nati. Sin ad motus libidinis cõprimendos coniugio medicinæ uice uteris, iuxta consilium Apostoli, nec morbus excitandus est, ut medicina utaris: nec medicina non est insuauis ac importuna, nisi quum necessitas adhiberi cogit. Quis enim compos mẽtis medicinã ad delicias sumit? quæ medicinę uires assuetudine amittit. Exercendũ & consuefaciendũ est corpus, ut medicina facile, nisi quũ res flagitet, possimus carere: quæ si interdũ desit, nõ succumbamus morbo, collecto iam ex consuetudine robore aliquo, ut minus habeat uirium morbus in corpore uegetiore. Quid, quòd uoluptates, inquit ille, cõmendat rarior usus? Vno pharmaco satisfiet huic morbo, aut non mille. Facilius est intra unius usum contineri, q̃m hunc egressos intra mille. nullũ est mediũ, aut unum, aut infinita. & quemadmodum Plutarchus inquit in libro de Curiositate, quo uerius assuescas iustitiæ, conuenit, ut interdum iusta quoq; & omnibus permissa legibus, prætermittas. Ita ut ab alienis facile abstineas, condisce & à tua abstinere. Neq; illud oportet ignorari, quod traditũ est ab Apostolo Dei, te maritum iam non habere amplius corporis tui potestatẽ, sed uxorẽ: uti nec uxor sui habet, sed tu. In alieno est mancipio utrunq; corpus, ut iam sine alterius iniuria neuter de suo possit statuere. Si illa alijs communicat corpus suum, te grauissimè lædit: sin tu, illam: uterq; Deum, pronubũ, & uelut utriq; pro altero sponsorẽ. Itaq; quid humanis legibus liceat, aut quid sibi uirorum consensio & quasi conspiratio in ciuitate sumpserit, non inquiro. certè eam iniuriã, utercunq; intulerit, seueriss. mè in eo Deus puniet, cuius numen est in connubio uiolatum: apud quẽ nulla est sexus, generis, gentis, personarum discretio. Maritorum & raræ debent esse & sobriæ uoluptates: quos meminisse cõuenit se uiros esse, & à natura magnũ animi robur accepisse, ut spretis ac repudiatis delicijs, laudẽ & decus per laborem cõsectentur. tum etiã prætergressos iam ætatem illam, in qua teneris atq; infirmis adhuc corporibus, deliciarum ac uoluptatũ nonnullæ concessæ uideri possent. Hinc cogitet, præfectum se esse regendæ familiæ: id est impositam necessitatem bene præcipiendi, & ipsum iuxta sua uiuendi monita, alioqui grauissimo exemplo peccaturum: nec eam retenturum maiestatem, quæ est gubernationi necessaria. Postremò Christianum esse se, qui mundo & delicijs nuncium miserit. Harum omnium rerum causa, oportet in matrimonio pauciores uoluptates suscipi, & eas temperatissimas, ut refectio tantum laborum curarumq; quæsita esse uideatur, nõ indulgẽtia cupiditatũ. Et ijsce uoluptatibus

uxor

uxor adhibebitur,ut quæ laborum & solicitudinũ est particeps,ne submoueatur relaxationibus & recreationibus,quarũ lenimẽtis adiuti ac subleuati sufficimus gestando oneri. Quẽ tandem putamus esse animũ fœminæ, præsertim mollẽ ex se ac inuali dũ,quũ uidet se marito in curis ac molestijs sociã,in leuamẽtis curarũ alienã? Concuteretur eo zelo uirile robur: quãto magis contrahi & mœrere fœminã,& despõdere animum existimandũ est: & hæc quidem,quũ ab ijs oblectamẽtis arcentur,quæ natura & ratio statuũt coniugibus esse cõmunia. Quid quũ etiã illas mariti illicitis suis uoluptatibus irritant,ac propè in furorẽ agunt: de quo grauissimus est apud Isocratẽ locus in Symmachico,quẽ non grauabor adscribere uti est à me alias uersus. Loquitur Nicocles rex Salaminæ: Damnaui præter hæc omnia,flagitiosã illorũ prauitatẽ, qui quũ uxores duxissent in uitæ totius cõmunionẽ,non ijs cõtenti,quæ cœlibes designassent,etiã proprijs suis noluptatibus uxores mœrore afficerent: à quibus uxoribus,si quid illis subasperũ contingeret,grauiter indignarẽtur: quumq; in reliqua uitæ cõmunione perquàm cõmodos se exhicerent,in uxores tamẽ essent perincõmodi: in quas tanto uiros cõuenit esse leuiores ac tractabiliores,quòd illæ in secretissimis uitæ nostrę agunt,pluriũ & potiorũ rerũ nostrarum participes. ita fit, ut frequenter in ipsis intimis aulis seditiones ignari alant,& dissẽsiones post se relinquãt. Hactenus Isocrates. Si prudenter illi cõsulunt,qui euectos fortunæ fauore hortãtur,demittere se in planum,quantũ possint,ut minus reliquant inuidiæ iaculis obiectũ: quãto utilius fuerit consiliũ maritis, nullam præbere uxoribus suis zelotypiæ ansam: quæ est inuidentiæ pars,atq; ea atrocissima,& quæ sęuissima sit malorũ causa. Animus enim œstro illo percitus,nihil dubitat semetipsum ire perditũ: modò per illam, quã cupit, ruinã. Credunt se quidẽ ludere,atqui lusus hic plerunq; exit in rabiẽ. Age uerò, quãdo nulla sunt monita,aut præcepta Philosophię,quæ nobis exactius sint intelligenda atq; obseruanda,quàm mysticarum literarũ,per quas Deus dignatur loqui humano generi: operæpreciũ fuerit inquirere, quid illud est in epistola Pauli ad Corinth. priore,ubi Christianis cõiugibus magister ille gentiũ & doctor ecclesiarum sic præcipit: Nolite mutuò fraudare,nisi ex cõuentu,ut uacetis ieiunio,uel precibus. postea redite ad idem,quod antea,ne tẽtet uos sathan per incõtinentiam uestram. Debet se homo Christianus in spiritũ crebrò erigere,ne uel totã uel maximã uitę partẽ exigendã sibi in carnis cogitationib. opinetur. alioqui nec nomini suo satisfacit,nec professioni,nisi & spiritu spiritalis homo uiuat. Nec promissam illã felicitatẽ aliter cõsequetur,q; per uitã spiritalẽ: quippe in qua coniungẽdus est deo,& spiritui & purissimo. ut illuc nulla arte,nulla uia possit peruenire,nisi per spiritus puritatem: qui hoc nitidius ac perfectius purgat,quanto accuratius cõtagijs subducitur carnis huius. Quã diu quidem in hac mortalitate corporis,iussu & uolũtate cœlestis illius Imperatoris clauditur,ita cum agere oportet,ut simul & corpori & spiritui prospiciat: huic,ut uiuat & uigeat: corpori uerò,ne ferẽdis uitæ laboribus deficiat,ne parum se possit spiritui cõmodum & obsequens præbere. Quòd ut uidemus in equo,duabus de causis usu uenit: aut q; malignè nimis est habitus,aut quòd benignè nimis & prolixè. uterq; enim onus recusat,& strigosus ac macie perditus,profligatusq; equus,& sagina ferox,ac refractarius. Sed quemadmodũ lucernę oleum est nonnũquam infundendũ, ut ardeat: ita sunt tempora, in quibus utrique & corpori & spiritui oleũ instillamus. Corpus sua exigit tempora,in quibus curetur solũ: Spiritus sua, in quîs & ipse solus. non quòd ullũ sit tẽpus,in quo extingui aut intermori alterutrũ oporteat,q; diu hic agimus: cæterũ q; his tẽporib. alterutri datur opera,ne extinguatur. Habẽt tamẽ hoc inter se diuersum ac contrariũ,q; cũ corpus curatur,obscurius lucet lumẽ spiritus,cũ spiritus sublãguidũ est corporis lumẽ,& flaccidus uigor. Hoc ergo tẽpore,quo per ieiuniũ atq; orationẽ oleo irrigamus spiritũ,uult nos Paulus ab eo opere abstinere, q; obicẽ adfert oleo in spiritũ irrorãti,illudq; tanquã aqua admista diluit. Ieiuniũ cõpressio quædã est,& uelut subductio corporis,ne obiectu sui lucẽti spiritui officiat. Hinc uigẽs ardensq; spiritus in orationẽ se attollit, quæ est rerũ altissima meditatio: quæ nõ unius esse horę aut alterius debet,sed multorũ dierũ: ut assensui mẽs illi con-

ſueſcat, quem factura eſt corpore hoc ſoluta ac liberata. Dominus noſter pauca uult nos loqui, quum nos ad cogitationes patris erigimus. Ideo præcepit: Quum oratis, nolite multũ loqui. Meditari uult & plura, & diu. idcirco orandũ ſemper eſſe monet. Ab hac mentis intentione, & quaſi uolatu, ne nos pondere ſuo degrauet atq; abſtrahat corpus, uult Paulus: quũ huic ſumus dediti, à concubitu nos ſubducere. Eſt enim brutalis omnis coitus, mentẽq; , uelut tormento in eam acto, de faſtigio ſuo detrahit, ac deturbat. Vnde uir ille ſapiens, quando coeundũ eſſet homini rogatus, reſpondit: Quum uolet ſe minor fieri, pecudi par. Totã quidẽ Chriſtianã uitam oportet eſſe perpetuum quoddã ieiunium, nullumq; præteriri diem ſine oratione. ſed tamẽ Chriſtianis coniugibus aliquoties in anno dies continenter aliqui ſunt ſumendi, qui peculiari abſtinentiæ & ardentiori orationi dedicentur. eo tẽpore non ſolũ ſecubent, aut certè parcant maritalibus cõplexibus: uerum etiã à uoluptatibus temperent, quibus corpus titillatum dilatatur, & tanq; animi luminibus obſtruit. Tum cogitabũt quid ipſi ſint, quid uita, quis uſus rerum, quò ituri, & quà: quomodo capti, & empti peccato: quomodo redempti à Chriſto, & alia, quæ nullũ Chriſtianorum ignorare fas eſt. Sed eiuſmodi ſeparationẽ Apoſtolus ex cõſenſu docet eſſe faciendã. Amoris & concordiæ eſt gratia Chriſti, non diſſidij, non fraternæ contriſtationis. Præcipuũ eſt in hac, ut proximo extra Dei offenſam ſatisfacias. reliqua Deus boni conſulet. Equidem Fulgentij hac de re ſententiã non grauabor adſcribere: Veruntamen ut omnia ueſtra honeſtè fiant, in redditione coniugalis debiti ſic infirmitatẽ carnis uſus excipiat coniugalis, ut non caro libidini ſeruiat, ſed animi uirtus adiuta diuinitùs, carnalis concupiſcentiæ frena reſtinguat. Negotiũ nanq; ſubſtituendæ prolis, ita debet à coniugibus peragi, ut ſubſeruiente uerecundia, dum ſe ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modeſtiã ſimul naturalis honeſtatis Deo adiuuante cuſtodiat. Et alibi: Præ omnibus autẽ meminerint fideles cõiugati, ſemper orationibus & eleemoſynis inſiſtendum. nec uelint iugiter in ipſa carnis infirmitate iacere, ſed feſtinent gradũ uitæ potioris aſcendere. & ut ad uirtutẽ continentiæ perueniat animus, magis magisq; carnalis concupiſcentiæ cõprimantur exceſſus: ut dum Deo adiuuante illũ ſuperauerint gradũ, in quo coniugalis infirmitas ueniã poſtulat, celſiorẽ poſſint laudabiliter obtinere, in quo continentiæ uirtus palmã uitæ melioris expectat. Hæc quidẽ ad ſpiritũ. Intermittendi quoq; ſunt cõgreſſus illi genitalis thori, ſtatis menſium diebus, et quũ alteruter ęgrotat, utraq; res morbos in fœtum transfundit. Muliebris inſtitutionis fructus præcipuus ad maritũ redit. Prudentius adminiſtratur domus, ſanctius inſtituuntur liberi, minus permittitur affectibus: quo fit, ut uita tranquillior ſit, & ea de cauſa ſuauior. Quid, quòd habebis non ſolũ miniſtrã operũ, & ſociã fortunarũ, uerumetiã curarũ ac cogitationũ tuarum fidiſſimã conſciã, & in rebus dubijs cordatã conſultricem? Ea demũ eſt uera hominũ ſocietas, quum non ſolũ in ſociũ deriuare licet partẽ laborũ, ſed onus quoq; affectuũ animi & curarum, quibus angimur: quod nõ minus onus appellandũ eſt, nec minus etiã ipſa premit corpora, nedum animos, quàm arare aut fodere, aut graue aliquod põdus baiulare. Quòd niſi cor illorũ plenũ atq; æſtuãs aliquà ſe aperiret, haud aliter rumperetur, quàm uas aliquod igne ſine ullo ſpiraculo incluſo. etenim ſunt curæ ipſæ ignes, & ardent, & urunt cor: à quo etymo nomen acceperunt. Itaq; uidemus multos curis aut animi cõmotionibus quaſi grauidos, quærere aliquẽ, in quẽ onus effundant. Num quis hic eſt? nemo eſt. Num quis hic me ſequitur? nemo homo' ſt. Iam' ne erumpere hoc licet mihi gaudiũ? Prò Iupiter, neminem curioſum interuenire nunc mihi, qui me ſequatur? quoquò eã, rogitando obtundat? enecet? qd geſtiã, aut qd lætus ſim? q̃ pergã? unde emergã? & alia, quæ adoleſcẽs ille Terẽtianus exultãs loqtur. & immodico redundãs gaudio, ut continere amplius nõ ualeret. Obiſſe mortẽ multos, pdunt rerũ ſcriptores, perculſos uel ſubita aliqua et inopinata lætitia, uel metu, uel mœrore. Quæ opes illi amico cõparari queant, cui nõ nugas modò & iocos, & hæc quæ foris multis ſunt expoſita, & obuia: ſed in adyta illa tui pectoris poſſis admittere, ad ea, in quæ ipſe nõ ſine formidine intueris? Cui res audacter magnas, prauasq;, iocũq;, Eloquerer, quæ tincta malis, & quæ bona dictu: Euomere ſi quid uellet, tutoq; locare. Quo cũ multa uolup', ac gaudia: clãq; palãq;.

ut ait

ut ait Ennius. Et consiliũ à tali amico poscimus, cùm est opus, uidelicet cùm nos per turbatione animi uelut puluere ob oculos offuso, non satis quid in re sit, quidq; expediat, dispicimus. Nullum est in uita condimentũ huic par, nec dulcedo his amaroribus, qui in ęui huius breuitatem intercurrunt. Quòd si hoc tantum est bonum in amicis, qui non lectis solum, & cubiculis, sed ædibus, & interdum quoq; ciuitatib. & prouincijs separati degunt: quanto erit maius in ijs qui indiuidui sunt & domo & lecto? Vxor ergo si bene edocta sit, & arcanum tacebit, quia grauis matrona, ac fidelis: & consiliũ præsens expediet, nempe prudens, ingenio disciplinæ beneficio ad intelligentiam ueri illustrato. Nec secus tibi consulet, quàm sibi ipsi: ut quem non minus amet, quàm seipsam. hoc enim inter capita est non Christianæ modò, uerum & matronalis philosophię. In committendis ac credendis arcanis duo spectari solẽt, amor & prudentia. quorum ille præstat, ut uelit celare, quod periculosum esset eloqui: hæc uerò, ut sciat, & possit, nam taciturnitas, prudentię quasi clauo regitur. Imprudenti aut garrulæ nihil credito, nisi si quid fortè uulgatum cupias. & licebit ea in hoc abuti. Stulta extẽplò se suis prodit moribus, uel ipsis statim uerbis promptum erit deprehendere. Loquax & futilis, percontatrix est. sicut Horatius admonet. Sunt eiusmodi semper sollicitæ, curiosæ, anxiæ si quid putant esse maximè arcanum, & ab omniũ cognitiõe cõsultò remotum: inquietæ, donec eò penetrarint, & prorsum cognoscãt. Notæ multis, & multos norunt: quod assequi nõ possunt, nisi multorum teneant secreta, & ea sint multis elocutę. miscent cum multis sermones, & eos tacitos in aurem: cumq; sint ociosæ, imò uerò malè feriatæ, uidentur tñ occupatissimæ. Aliæ uitio hoc laborant futilitatis, quòd sunt bonarum rerum inanes. ut tintinabulum tũc crebrius & argutius sonat, cùm est ab alijs rebus præterquàm à pilo inane: quod si qua materia repleatur, tacet. Aliæ inciuiles sibi esse, & parum amicę uiderentur, nisi in congressionibus maritorum, parentum, & domus mysteria diligentissimè occultanda, & ab alienorum oculis submouenda, in sinum amicarum effunderent, hoc uelut fœdere perpetuas & sanctas amicitias sanciri existimantes. Sunt, quæ se magnorũ rumorum aut reconditorũ, aut atrocium autores dici & haberi gaudent, quales sunt etiam inter uiros nõ pauci, qui se admirabiles rentur fore, si admirabilia sint ea quæ narrant. Tum ostentare gestiunt, quantũ apud omnes habeant autoritatis ac fidei, ut quæ rerum usq; adeò arcanarum fiant participes. Eiusmodi cùm sint pleræq;, utiq; propter ignorantiam rerum meliorũ. Fuerunt olim graues quidam uiri, qui arcanum cõmitti fœminę uetuerint, nõ matri, non sorori, non uxori. Ex eadem mente Porcius Latro: Mulier (inquit) id solũ potest tacere, quod nescit. Equidẽ magna huiusce rei uidi exẽpla, quæ ueteres illas sententias confirmet. Quæ tales sunt, aut emenda, aut caue. Sed fuerit satius operam impendere, ut meliores facias: breui molestia ingẽtes in uita fructus collecturus. Illud inter cætera præcipuè est prouidendũ, ne cui funem dederis, qui tibi ex eo aptaturus sit laqueũ. Quid enim fieri potest magis hostile? de quo est illud Sapiẽtis in Sacris libris: Ne des mulieri potestatẽ animæ tuæ, ne ingrediat in uirtute tua, & cõfundaris. Ferũt fuisse Polycedẽ quendã furẽ, ad quẽ nõ sat erat arcas esse clausas, sed simulari oportebat, nihil arcis includi: omnia quæ domi essent, patêre illi incustodita. Et uulpẽ olim narrãt, familiã habuisse amplã & locupletem, huic filios fuisse aliquot, qui subinde qd domi & in re familiari agendũ cẽserent, matrẽ admonebant, illa uerò ueterana, & multo usu callida, dextrã suã aurem uocabat prudẽtiã, sinistrã memoriã. cũ catulos uidebat siniſtrã circũsteriſſe, expẽso qd dicerẽt, sępe obtẽperabat: nõnunquã ut filijs gratificaret, cũ aliquo dispendiolo. cũ ad dexterã astiterant, nunquã ferè obsecundabat, etiã si spretis filiorũ uocib. minorẽ esset prædã domũ reportatura: ne modò nimis damnum esset luculentum. Cumq; illi matrem accusarent, quòd reiecto suo cõsilio, minus esset prospera uenatione usa: Atqui filij, respondebat illa, aliud quiddã domũ retuli, pręda opimius, quietẽ, quã ope ac auxilio maiestatis cõseruo. Sin filij parũ rectè admonuissẽt, illa tũ suauiter ac placidè imperitiã indicabat. Ergo & cùm se nimis ingererent, repulsi: & cùm fallerentur, edocti, maiorem matris ueneratioñem induebant. At quum planè uulpinè sentirent, & sicut filios erga matrem decebat, ita eorum sensa mater amplectebatur: non tanquam nouum sibi

aliquid, aut inauditum,admirata: sed tanquam uulpinam indolem perueterem sibi ac persamiliarem uideret,& id demum laudaret,quòd certam suam sobolem agnoscereret,& uulpinas artes discerent,& dociles præberent se discipulos, ac modestos filios.Tum quo magis intelligerent,rem sibi cum ueterana esse uulpe,ostendebat,quę in consilio uel rectius excogitari potuissent,uel efficacius.

DE DOMO.

ET illi quidem tales se inter seipsos, interioribus animi sensib. præbebunt. Nunc de externis, in quibus omnibus marítus, si modò non statuit infeliciter ætatem degere,non inconditas atq; stultas uulgi sequetur uoces,in diuersa uocantis,& somnia rationi ac bono aduersa.Non protinus bene regitur ciuitas,quòd uicinam æmulatur:nec domus, quòd se ad proximæ exemplũ cõponit:nec quisq; nostrũm, quòd ita uiuit,ut alij.Ille est exitiabilis error in uita, quòd alienis actibus tanquã exemplo trahimur:ut nihil faciamus,q; sic fieri oporteat,sed quia fieri cõsueuit. Quãta demẽtia est,uelle tibi malè esse, quia est uicino? & cùm alij pœnas dent erroris,quoniã sic agunt,ad eundẽ tñ modũ agere,sine consideratione euentus:tantumq; apud te consensum peccantiũ habere ponderis,ut paratã & certam miseriam nõ recuses,ne ab illo recedas.Nobis in omni deliberatione de uita, magnæ sunt circũ oculos offusæ tenebræ:& uia quà insistendũ est,ignota.Itaq; & luce opus est nobis,& duce.Splendidissima uitæ totius in omni eius genere ac ratione lux est deus, qui unus est sapiens, qui solus habet oculos,& lumen:nouitq;,quà sit unicuiq; ingrediendũ,non hominũ modò,sed angelorum,atq; ijs omnibus quæcunq; mundi uniuersitas continet. Xenophon in primo libro Commentariorũ Socraticorum inquit: Si quis dei iussis neglectis humana sequatur, perinde eum facere, ac si pro duce uiæ gnaro, cæcum ac ignarum sumat.Tum etiam reprehendit eos,qui spectantes hominum iudicia, diuina desererent.Nihil tam est non modò ad æternitatem illam conducibile,uerũ etiam ad uniuscuiusq; instituendã uitã,quàm lex diuina:cuius infimum, ad quæcunq; excelsius est supremo humanæ sapientiæ fastigio. Hãc legẽ accuratè & reuerenter scrutare,eamq; domi tuæ sancias uelut rectissimã tuarũ omniũ actionum normã.Longo quidẽ interuallo,sed tñ proximi sunt,qui ingenio,sapientia,uirtute Deũ, quoad eius fieri potest,sequuntur,& diuinam quandã in mortalitate hac uitã referunt.horum in numero sunt sancti uiri,& sapientiæ studiosi:quales nec gentilib. quidã defuerũt, excellenti quodã ingeniorum uigore à natura instructi & præditi. Dicat fortè aliquis: Graue est, unũ se multitudinis cõsensui tãq; ualidissimo torrenti opponere.at in grauib. & difficillimis reb. uersatur generosa uirtus.Sed nec eris unus, quẽadmodũ eñ malũ institutũ cõplures sunt secuti:ita nec deerũt,qui nõ aspernẽtur tuũ bonũ. Non est de humano genere desperandũ,præsertim cũ nulla sit uirtus,quæ iuncta nõ sit utilitati: ut uitiũ damno est cõfine. Videre est in re domestica, in qua labor, parsimonia,frugalitas,quãtas secũ adferunt cõmoditates ad uitã? & ad multarũ magnarumq; genera uirtutũ? uelut temperantię,cõtinentiæ,pudicitiæ,fidei.nã his uirtutibus uitia cõtraposita,ex desidia,luxu,profusione nascũtur. Quid quòd habemus eorũ exempla,qui uulgi stultitia spreta & contempta,ad iudicium, rationem, honestatem, laudem,se & suas omnes rationes contulerunt,nactiq; sunt tum laudem atq; admirationem etiam ab ijs quos contemnebant:tum etiam, qui sequerentur. sic remuneratur uirtus,seu uerius deus,caput & parens totius uirtutis, eos qui se quàm homines pluris faciunt. Cur unus quilibet hominum uel stolidus,uel nequã, uel & prauis animi cupiditatibus corruptus,improbum morem audebit inducere? uir sapiens non audebit probum? An in genere humano plus licere oportebit malis ac demẽtibus, quàm uiris bonis? & tutior erit ad mala libertas ꝓposita,q; ad bona & publica emolumẽta? At ridebit,si id faciat. Ridet sapientẽ stultus,sapiẽs stultũ.ab utro te malis irrideri? Plato,inqt ille,instar est mihi totꝰ populi Atheniẽsis: & mihi unus sapiẽs maioris est, q; infinita opificũ barbarorũ atq; imperitorũ hominũ turba. Vnde malis stare? à deo & sapientia contra stultitiã hominũ, an ab hac cõtra illos? Quanquã nec ita tibi cõmunem esse fugiendũ morẽ cõsulo,ut in aduersum penitus recidas.ut si quis luxuriosus

uestitus

ueſtitur ſerico,uel auro textili, ipſe ne ſis illius ſimilis, ueſtiaris canabaceo: ſi annulū geſtat aureū cū gemma mille aureis empta, tu annulo utaris ferreo,aut ſtanneo,cum pala ſilicea:ſi capis, & perdiculis ueſcitur,tu furfuraceo pane, obſcœna & noxia addas obſonia.Sunt in omnib.uitę actionibus certi limites,intra quos uirtus cōſiſtit.In his cognoſcendis tenēdiſq; exercet prudentia ſuū munus, & quaſi prouinciā. Nā ſicut Horatius inquit:Dum uitant ſtulti uitia,in cōtraria currunt. Nō huc tendūt mea præcepta,ut tollat̄ ex ciuitatib. ciuilitas,& ex hominib.humana educatio: ſed ut hæc in peius prolapſa,quantū quidē ratione ac iudicio cōſequar,erigātur. Quēadmodū nihil eſſet in ciuitate,æqualitate omniū inæqualius:ſic in domo minimè cōuenit, omnes eſſe pares.Non eſt in ea Rep.æqualitas,in qua priuatus eſt par magiſtratui, plebes ſenatori:ſed perturbatio & confuſio omniū officiorū. Dñi domus ſunt, uir & uxor,quib.à deo præceptū eſt:Dominamini piſcib.maris,& uolucrib.cœli, & omnib. quę mouentur ſuper terrā,replete ac ſubigite illā.Sed de fœmina dictū eſt ab eodem rerum opifice,quòd ſit adiutoriū uiri.Quocirca dominus eſt maritus totius domus, ſine prouocatione;maiore etiā poteſtate ac iure;quantū quidē ad domeſticā rē & familiarē pertinet, quàm ſit regis in regnū. Fœmina eſt ceu pręfecta reliquorū,ſed ſub uiro.Sunt nonnulla in domo iuris prorſum atque autoritatis uiri,in quę turpe ac flagitioſum ſit,fœminā uiro inconſulto quicq; ſtatuere:ſicut in admittendo hoſpite, in locanda filia.Sunt alia,in qua maritus permittit totū ſuum ius, probæ fœminæ: ut in famulas,in rem culinariam,in ſupellectilē prope totam. Sūt alia uelut media, ut cùm uendenda ſunt aliqua,in domeſtico inſtrumēto ſuperuacanea,aut emēda neceſſaria: quæ prout eſt fœminæ ingenium,ac fides,ita ſtatuuntur.Eſt quā & conſulam,& ſinā libens maximas quoq; res iudicio atq; arbitratu ſuo diſponere,fœminā ſpectatę probitatis,& magni uſus rerū.Eſt cui uix minima cōcredā,uel ob ſtultitiā,uel improbitatem.Sunt etiā regionū mores uarij,ac perquàm diſpares.Mela deſcriptor orbis, memoriæ prodidit,in Ægypto mulieres ſolitas obire munia extra domū,nempe forū,& negotia:uiros domi penſa,& curam rei domeſticæ.Illas humeris onera accipere, uiros capitibus.In Batauia mulieres multū exercent mercimonia, uiri potāt.Qui mores mihi non probantur,nec ſunt ad naturam congruentes:quę uiris omnib.animos attribuit generoſos,ſublimes,diligentes,actuoſos,ut foris uerſentur,& utilitates cōparent,quas domum ad uxorem & familiam conferant,ut mulieribus & filijs & famulis imperent. fœminis contrà meticuloſos, auaros, demiſſos:ut ſint uiris ſubditæ, & quæ ab ijs quæſita & parata fuerint,conſeruent.Meminerint mariti ſe uiros eſſe, idcirco decere illos uirile pectus,hoc eſt,forte ac excelſum,curis nō modò par, uerum etiam altius. Et uiros non ſolum attributa facultate ac inſtrumento maiorū curarum natura ad capeſſenda eiuſmodi munia inuitauit,atq; adornauit:ſed quò eam in rē ala criores incumberent, ſoluros genuit laboribus & moleſtijs alterius ſexus, fluore menſtruo,ferendo utero,nutriendo fœtu.quę cùm mulier obit,domi ſedēs quidem, ſed tanto & corporis & animi onere depreſſa,commouere ut ſe non ualeat: quantum eſt,uirum ualentem atq; expeditum foris quærere,quæ uxori & domui conducant:ltaq; euigila,& bonas omnes ingenij corporiſq; artes exerce, ne quid uxori & familiæ deſit:ita omnes facilius in officio contenturus. Quis eſt ferus adeò,& immani cordis duritia prædītus,qui ſi labore illo queat uxori ſubuenire, ſuſtinere poſsit illam rebus ad uitam neceſſarijs carentem aſpicere? imò uerò recto atq; honeſto officio non ſatisfecerit, niſi uel ſuo ipſius ſanguine proſpexerit cōiugi. Hinc licet intelligere,quàm abiectis & deſpicatis ſint illi animis, qui uxoribus eripiunt, quod in aleam perdant,aut in ingluuiem profundant. quod exemplum in nullo prorſum animalium genere eſt deprehendere:ut mas ipſe non ſolum deſit ſuæ fœminæ,ſed de illius alimento atq; utilitatib.q; poſsit,detrahat.Adeò qui hoc faciunt homines, malignitate & puſillo ac degenere animo inferiores ſunt belluis. Sed quātum inter ipſos & belluas intereſt, qui humani habent nihil præter faciem? Solebant eſſe olim in Græcia, inter domeſtica ædificia, Andronitis: membrum ædium, in quo ſoli agerent uiri ſine fœminis: & Gynæcontis, ubi fœminæ ſine uiris: & Parthenon, ubi uirgines: alia erant communia. Ea nos diſcrimina nulla habemus, tametſi culi-

na ma-

na magis fœminæ cõuenit,quàm uiro,in qua mulier imperet,& quasi regnet sola:sed ita,ut ipsa quoq; manus cibis admoueat,cùm parãtur,ne cõtenta sit in genere præcepisse,ac abesse. Domũ & supellectilẽ crebrò reuisat, ac recognoscat,ut lacera & fracta resarciat:& marito,si quid desit,in tẽpore significet. Versabitur cũ liberis,& famulabus,cũ famulis nõ erit ei multũ cõmercij,ut nec tibi cũ eius puellis. Nõ sines eã domi ociosam sedere. Mulier,inquit Publius Syrus,cùm sola cogitat,malè cogitat. Exercebit artem aliquã,nõ tam delicioſam,quàm utilẽ rei familiari,licet sis opulẽtus.nã nihil est fortuna,etiam amplissima & bene cõstituta,mutabilius. Accedit huc,quòd quæ utilitatẽ habent aliquã,magis ad se mentẽ ac cogitationẽ operantis reuocãt,nec tam facilè per alia diuagari permittunt,intentamq; in se detinẽt. Sed in exigẽdo opere,habẽda erit ratio ualetudinis,& habitus corporis. Nã nec patieris eã desidere:nec ita exercebis,ut affligas ualetudinẽ:præsertim cũ eas muliebrib. officijs natura occupat, & abundè satis exercet,nẽpe in fastidijs menstruis,cùm gerunt uterũ, & recens enixas. Nõ erit ludibunda.quid enim potest bene cogitare,cùm lusitat? & est alioqui mulier animal satis ad uoluptates pronum. Domus erit ei uice maximæ cuiusdã ciuitatis:ut & rarò prodeat, & peregrinationes sibi uideatur suscipere, quoties pedẽ est extra limen positura. Ibit solũ ad ea loca,quib.excusari nõ potest: sed nec quærat sibi affines,propinquos,necessarios:id est,occasiones discurrendi. Paulus eas uiduas Timotheo ad ignominiã notat, quæ per domos alienas ociosè circumuagantur. Vnde & curiositas nascitur,& garrulitas,& alia permulta uitiorũ genera: & ruunt claustris reuulsis,quæ bene coercebantur domi sedendo. Hasce uiduas uitari Paulus iubet. In tẽplis spectetur pietas,nõ frequentia & celebritas. Magnę sunt noxiarũ remissiones, ubi piè oratur. Vtinã mos ubiq; esset is qui in hac Belgica, ut omnes domo prodirẽt tecto capite,nõ obuoluto:ut agnosci etiã à curiosè spectantib.non queant, cùm ipsæ nullũ non uideant,& liberè contẽplentur. Sed sic tñ,ut uon sint omniũ cõspectui expositæ.nec ipsæ alios possint aspicere,quàm ex aduerso ad certũ spacium occurrentes,nisi turpiter caput contorqueant. Nec solã prodire expedit, nec nimis comitatã: damnosa est ea res,propter sumptus:& propter fastum, quem illa sic stipata cupit ostentare. Eam comitentur,qui matronã honestent, quiq; nulla inficiant labe aut mores,aut coniugij decus.

DE EXTERNIS.

NAm in societate & conuictu hominũ,alij alios cõtaminamus:ut in pomis, aut pecore,cõtagio ab alijs ad alia sensim serpente primũ, mox longè se ac latè diffundente penetrant.per sensus oẽs ad animã corruptelæ, per aures uerbis, per oculos factis,exemplisq; actionũ. Ideo sacer & regius Vates monet, ut cũ sancto & insonte uersemur, deuitemus impium ac nocentẽ. Miratur ille in fabula ingeniũ adolescẽtis,qui cũ perditis sodalib.tamdiu cõuersatus,nihil tñ uitij ex uicino flagitio cõtraxisset. Sed cõtinuò res indicat,nõ potuisse illũ effugere cõtagiem. Ergo si tibi est liberum,eligenda est ad habitandum ciuitas bene instituta ac morata,in qua & corruptorum sit quàm miniũ,& corrumpentiũ. Sin de ciuitate parum hoc licet, certè sit talis uicinia. Tum qui domũ aduentant,sæpe ut necessarij adducuntur,præstãt hostes: & hoc sæuius lædunt,quo maiorẽ erga se beneuolentiã experiuntur. abutũtur enim simplicitate necessitudinis ad scelus. Explorãdi sunt prius sodaliũ aut notorũ animi, ut flagitiũ in domũ non inferant. hinc existimatio,ut nec probrum,quò sint ingressi, relinquant.qualẽ fuisse Sergium Catilinã,Marcus & Quintus Cicerones significant: ut si quam in domũ intrasset,dedecus atq; ignominiam in ea impressam relinqueret, etiamsi abesset culpa omnis. Neque enim Pythagoricum illud in hac coniugij amicitia oportet ualere,esse amicorum communia omnia,& amicos ipsos communes. loquimur autem de uulgari hac amicitia. nam altera illa exacta atq; absoluta, rarò admodum culta est inter homines:qualis si esset ulla,nõ sanctius cuiq; sua custodiretur mater, ex qua esset genitus, q̃ amici uxor: nec ad cõtaminationẽ ualeret amor mutuus,sed ad custodiã pudicitię ac uirtutũ omniũ. Quę em̃ amicitia est,cõditionẽ eius quem diligas,peiorẽ efficere? Neq; uerò nõ perspicẽdi sunt etiã ꝓpinqui & cognati uxoris,

uxoris, quo sint ingenio, quibus moribus. Aures conseruandæ sunt puræ. Hiero Syracusanus poetã magna pecunia multauit, q̃ audiente uxore impudicũ recitasset carmen. Sunt q̃ obscœnas cõfabulationes, præcipuã rentur esse urbanitatẽ: & qui his non delectetur, absurdũ esse hominẽ, & rusticè seuerũ. Addũt etiã uulgare illud, haustum de fece, Omnia sana sanis. Atqui Paulus uersum Menãdri adducturus, scribens Corinthijs, ut huic quorundã peruersæ opinioni occurreret, præfatur: Nolite seduci, corrumpunt mores bonos collocutiones malæ. Inficimur spurcis ac turpibus sermonibus, per aurẽ ad animũ illapsis. inficimur obscœnis factis, & picturis, per oculos animo sollicitato: ut nõ immeritò pœnã publicã Aristoteles statuat ijs pictoribus, qui ea proponunt oculis multitudinis, quîs libido satis per se ardens, magis tñ inflammetur. Quæ dementia est, eiusmodi tabulas aut signa ab ipsis quoq; maritis emi, & thalamis ac cubiculis dedicari? Eiusdẽ notę sunt illi mariti, qui apud filias & uxores spurcissima uerba nihil dubitant euomere. in quo patefaciunt leuitatẽ atq; stultitiã suã, & se in pectore olentissimã uomicã ꝓ corde habere, unde tantũ puris spõte ꝓfluat. Nec congressus iuuenũ in domũ tuã admittas, unde nascuntur saltationes, lusus, cõmessatus, & alia fortunis dãnosa, nec honori cõducẽtia, quieti inimica, pestes certè pudicitiæ: deniq; quod est caput, Deo inuisa. Hæc neq; domi tuæ feras, neq; alienæ probes, neq; illuc uxorẽ tuã aut filias ducito, id est stupã ad ignẽ. Et quoniã, uti diximus, nihil est magis alẽdũ augendũq; in muliere, q̃ pudor, unde est deriuata pudicitia: ideo ibi est potissimũ habẽda ubi sint quos reuereatur, & à quibus malè audire timeat. Tales sunt primùm, quas illa probissimas esse cẽset, tum necessarij, ꝓpinqui, noti, & eæ quibus cũ ab ineunte ætate cõsueuit, si modò sint bonæ: ut nihil est pernicioſius, q̃ malę. Discat multũ tribuere famæ, & malã expauescere, & gaudere bona. Nulla est satis pudica, inquit Declamator ille, de qua queritur. Et alter ex eadẽ schola, Quæ potest nõ timere opinionẽ adulterij, potest nõ timere adulteriũ. Validissima est ad generosum animũ, æstimatio de se. quẽadmodũ sordidus abiectusq; flocci famã & opinionẽ sui non facit: uidelicet non sustinet eò aspirare, quò se peruenturũ desperat: & adeò laude non extollitur ad res egregias, ut sicunde sit eam fortè nactus, illa uelut mercede acquiescens et contentus, retrò abeat. Excelsus uerò, more ignis aura illa uires sumit: & quo se meliorẽ putat credi, hoc magis esse studet. quod uidetur, uel in acri animo laudis cupidine, uel in absoluto uirtutis & exempli. Ergo aspirandũ nõnunquã huic igni, & tuo & alieno spiritu ac sibilo, ut sic ardeat, quẽadmodũ oportet. Conducibile uiro fuerit, cognoscere Eubuli gymnastæ morẽ. quippe ubi ingressus esset gymnasiũ Acœtis adolescẽs, illũ statim Eubulus ad imitationẽ componebat Asbyli Crotoniatæ pentathli, qui periodũ uicerat. Eos uerò qui uel in cursu, uel lucta, uel quo agone alio, siue ignauè cecidisse, siue flagitioſè alterum supplantasse, denique prehensione aut aggressu usos illegitimo, uel uiderat Acœtis ipse, uel ita audierat, dissimulari ut non posset, probris ludimagister insectabatur, ut ab eorũ æmulatione adolescentem suum deterreret: atq; is non esset ignarus, in eo se ludo cõsistere, ubi nec cõmendari turpiter factũ posset, uel latêre inter tot obseruantes: paratamq; illis ignominiã, quicunq; contra præscripta legũ gymnasij sese exercerent. Reliquos, qui eundẽ ad ludũ aduẽtare essent soliti, Eubulus magnis laudibus euehebat, ut iuuenis sui strenuitatẽ exacueret. quo ipse eundẽ in modũ uellet bene audire, & ignauiæ cùm puderet, spectantibus tot fortium uirorum oculis. Bene & ex naturę sensu Hector ille apud Næuium: Gaudeo mi pater laudari abs te laudato uiro. Themistoclem Atheniẽsem Miltiadis trophea nõ sinebant dormire. nec Achilles tanti gloriã militarem feciſſet, si solum esset Thersitem nactus fortitudinis suæ spectatorem, atq; arbitrum: sed subdebãt ei stimulos, Aiaces, Diomedes, Vlysses, Nestor, et filij Atrei, et Hector hostis, qui non erat occasioni defuturus ad nocendum, si quid ille de uiribus & ardore animi rẽmisisset. Quin & illud non segne erat calcar:

Heu socij, quanto mœrebit Græcia luctu,
Gaudebitq; domus Priami, & Troiana iuuentus? Cum alijs circumspectè loquendum est tibi, de uxore tua. Primùm arcana illi matrimonij oportet esse myste-

mysteriorũ plena,& ad quæ nemo admitti abs te potest,quin & tibi stoliditatis notã contrahas,& inimicitias domi.Docuit hoc Candaules,rex Lydiæ. In sacris literis en comiũ est probę fœminæ,in quo inter cętera est illud,Et uir suus laudabit eã,hoc est, erit uiri affectibus cõmendata.Quæ enim laus bonæ matronæ potest amplior aut uberior cõtingere?Illa est ei maxima,& uice refertissimi cuiusdã theatri applaudentis. Periculosa est omnis uiri de uxore sua laudatio,nã aut suspicio est sustinẽdæ ineptiæ ac leuitatis,ut à dicacibus obiectetur,uenalẽ illũ habere uxorẽ, quam sic cõmendet: aut eæ dotes,in quas zelotypia locũ nõ habet, & quæ aliorũ prauas cupiditates magis deberent restinguere,quàm incitare,sępenumero peruersa ingenia ad corrũpendũ accendũt.ut Sex.Tarquiniũ uirtutes Lucretiæ. Nã sunt quidã adeò prauis ac importunis animi cupidinibus,ut ea demũ ardentissimè expetant,à quibus maximè deberent abstinere,& unde iure omni & æquitate arcẽtur:ut uideantur eo ipso inflãmari,quod minus liceat.Itaq; acutissimè rẽ illi animaduerterãt,qui tutissimũ pronunciarunt esse,nõ nosci fœminã.Remouendę sunt omnes occasiones peccãdi,oẽs ansę delictorũ.Dominus noster hortatur suos, & mares & fœminas,ut hoc accuratis precibus à cœlesti omnium patre postulent,ac cõtendant,ne in tentationẽ adducantur.

DE CVLTV.

PRimos omniũ mortaliũ texit Deus Adam & Euã,ad id submouendũ oculis,unde pudefierent.Reliquum deinceps corpus uariè necessitas uelauit,pro qualitate cœli,alibi ad frigus,alibi ad æstũ arcendũ.Hinc in omnibus ciuitatibus,atq; hominũ cœtibus datũ est aliquid spectantiũ oculis,ut necessitati decor accederet. Sed prauа hominũ natura,in re omni honorẽ ac decus captauit:in bonis,in malis,in luctu,in ipsa quoq; ignominia.Nam quod initiò pudoris aut necessitatis fuerat, in honorẽ & gloriam conuertit.Ita luxus nullus finis, præsertim apud eos qui tegumenta sua studẽt honoratiora facere,quàm seipsos.quales sunt pleręq; fœminę,& uirorũ nõ pauci. Grauiter philosophus,quisquis fuit,ei qui de uestis bonitate superbiret:Nõ desines, inquit,de ouis uirtute gloriari? Aristoteles magistratũ ponit Gynæconomon, cuius sit munus uidere,ne muliebris mundus aut modũ excedat, aut parũ sit ætati ac conditioni aptus,cõgruensq;.Habebãt & Romani suas leges cibarias ac uestiarias, quis huic malo succurrebatur.Nunc neq; leges sunt ullæ,neq; magistratus:tantũ cui licet, quantũ libet:seu uerius tantũ cuiq; libet,quantũ licet: nõ ꝑ leges,aut æquũ & bonũ, sed per facultates. Quare unũquẽq; decet domi suę legẽ & magistratũ ad eã rem esse, & ad priuatã utilitatẽ,& ad publicũ exẽplũ.Iam primũ reputare illud maritus debet, uxorẽ nullos habere oculos,quibus se ornet,quàm cõiugis sui.Cęci uxor,inquit uulgare uerbũ,cui se cõponit? Meritò legislator Lacedæmoniorũ iubebat,uirgines apertа facie domo prodire,ꝙ uirũ quærerẽt:maritas operta,ꝙ iam inuenissent.Porrò insanit maritus,si placere ei nõ potest uxor,nisi cõpta admodũ, ac exculta. Virtutes esse oportet,quis ille capiatur:nõ amiculũ,aut monile,ac ne cutẽ quidẽ natiuã, quãto minus sordes picturę,& cœnũ fœtidissimũ? quibus si delectaris,naturalẽ faciẽ quũ cernes,fastidies.Affectus hic erga amicã est,nõ in coniugẽ. Nã uis libidinẽ tuã sensibus excitari,interiora nõ diligis.Quòd si ꝙmodocunq; induta uxor est,& placet,quoniã idẽ est animus,idẽ corpus:quorsum cultus tã anxius,molestus,periculosus,dãnosus? Ornatæ enim gestiunt egredi,& spectari se, uidelicet is est fructus illius sumptus,& tantæ curæ.Sollicitatur spectator ad expetendã formã, ornatus lenocinio auctam & cõmendatã.Tu uerò sedulò illud caue, ne patiaris uxorẽ tuã noui esse alicuius ac inusitati in uictu aut uestitu autorẽ inuenti,ne per hoc ciuitati innotescat,minus animaduertuntur cõsueta.Iam uerò domi manũ,quibus est opus,nõ admouent.culinam, aut ea loca in quibus uel minimũ sit fordiũ,sedulò deuitant:nec ferè ab uno discedũt loco,maximè terso & nitido,ne uel uestitus maculetur,uel perturbetur aliquid ex ijs quæ tanta arte & cura sunt dispositа.unde nascitur uanissima occupatio, ut nihil non deceat. Itaq; ancillæ sunt cultus, totos dies in hunc componendum conseruandũq; intentæ,aliarum penè rerum uel oblitæ,uel negligentes. Quid dicam? quanta hinc superbia existat? quum ornatior,alias tãquam melior despicit, & tenuiorũ inuidẽtia

sensim

ſenſim ſerpens,cunctāq; inuidia & mutuis odijs ciuitatē incendens,quę ſæpe res magnis ſimultatibus populos inuoluit: ut memoria patrum Barcinni in Leletanis Hiſpaniæ,quum negociatorum uxores,uigentibus illic cõmercijs Alexandrinis, luxu & profuſione cultus nobiles fœminas ſuperarent,nec ullus finis aut modus in cultu, irritante ſeipſam quotidie luxurioſa dementia,uel ex natura ſua, uel ex æmulatione. His accedit,quòd aliud naſcitur ex alio,ut in fabulis narrant de Lernęo ſerpente.Preciosa ueſtis poſcit decentes lacinias,& cingula:hæc congruens monile, & torquẽ,& ſocale exquiſitiſſimarum pelliũ:hęc armillas,& dextrocheria.Nec brachia ſic ueſtita patiuntur manus eſſe nudas,nec tegi quibuslibet chirothecis,ſed ſtymmate illitis,cũ clauulis aureis.Accedent inaures,& ſpathalia. & quũ iam multæ eandem habebunt materiã, quæretur ars quæ longè ſuperet materiẽ:hoc eſt, cauſa perdendæ pecuniæ. neq; enim aliter putant ſe fidem diuitiarum facturas.Planè ita uſuuenit in cultu,quẽadmodum in tabulis & inſtrumentis contractionum & pactionum,quæ quum ſimpliciter fierent,& plurimum ſpectaretur æquitas,ac bona fides, ſufficiebant duo uerba.Vbi cauillis cœptum eſt occurri,aperuerunt ſe ſexcenta rimarum millia,quis obſtruendis omnibus iam nullũ ingenium,nulla uerba ſufficiunt. Ita ſimplex ornatus ſeipſo conſtat,& contentus eſt:curioſi nullus finis, aut modus. Magnopere peccant in ciuitate locupletes uiri,qui uxoribus ſuis quantum libet permittunt. Inducunt enim morem,quem & illæ,quæ minus multo ac propè nihil habent, arripere ac tenere non dubitant,ita luxu uinci turpe ducunt:fide, diligentia, pudicitia, non ducunt. Neq; ulla ſpectat,quantum poſſit,ſed quantum aliæ fecerint. Vnde in quibuſdã ciuitatibus,ubi omnia omnibus licent, multæ non timent cupiditati cultus de pudicitia ſatisfacere.Ditiores uerò quum uident, ad ſuam magnitudinem tenuiores aſpirare, ut ſe æqualitati eximãt,ſegregant atq; attollunt ſe magis.ita utręq; in hac contentione oſtentationis uirium rumpuntur.Atq; ea fortitudo,ſicut eſt in Comœdia, in neruum erumpit denicq;.Sunt apud Liuium in ſuaſione legis Oppiæ uerba quędam hac de re,Catonis conſulis perſonæ atq; autoritati attributa, quæ propter grauitatẽ ſententiæ, operæprecium fuerit cognoſci.Atq; ego,inquit,nonnullarum cupiditatũ nec cauſam quidẽ aut rationem inire poſſum.Nam ut quod alij liceat,tibi non licere, aliquid fortaſſe naturalis aut pudoris aut indignationis habeat:ſic æquat omnium cultum,quod una quæq; ueſtrũm ueretur,ne in ſe conſpiciatur.Peſſimus quidem eſt pudor uel parſimoniæ,uel paupertatis.Sed utrunq; lex uobis demit: quum id quod habere non licet, non habetis. Hanc ipſam exæquationem non fero, inquit illa locuples. cur non inſignis auro & purpura conſpiciorꝰ cur paupertas aliarum ſub hac legis ſpecie latetꝰ ut quod habere non poſſunt,habituræ fuiſſe,ſi liceret,uideãtur. Vultis hoc certamẽ uxoribus ueſtris inijcere Quirites:ut diuites id habere uelint, quod nulla alia poſſit.pauperes,ne ob hoc ipſum contẽnantur,ſupra uires ſe extẽdãtꝰ Næ ſimul pudere,quod non oportet,cœperit:quod oportet,nõ pudebit. quæ de ſuo poterit,parabit:quæ non poterit,uirum rogabit.Miſerum illum uirum, & qui exoratus & qui non exoratus erit:quum quod ipſe nõ dederit,datum ab alio uidebit. Sic ille. Adde his,quanta ſit inter hæc maritorum,& quàm miſera neceſſitas,qui ut tãtis ſumptibus ſit unde ſuppetat,nihil dubitant uarias parandæ rei artes quærere, & tentare alias moleſtiſsimas & tædio ac labore:alias inuidiæ plenas,nec ſine periculo: alias etiam prauas ac ſceleſtas.Hi ſunt, qui non utuntur uxoribus, ſed quod Paulus uetat, abutuntur.Ipſæ interea non alio ſunt affectu aduerſus uirum, quàm ſedulus paterfamiliâs,& faciendæ rei ſtudioſus erga procuratorem, aut uillicum diligẽtem & frugi, à quo fortunas ac poſſeſſiones ſuas uidet optima fide adminiſtrari atq; augeri. Sic amatur uir à ſumptuoſa uxore,non propter ſeipſum,ſed propter utilitates ſuas ac cõmoda:ut maritos ſe non aliter habere arbitrentur,quàm ſtrenuos quoſdã quęſitores. quorum fretæ diligentia ac labore,& partis opibus,ipſę ocioſæ,molliter,ac per faſtũ & ſuperbiam in rerum abundantia uitam exigant.Quòd ſi mutetur fortuna, ſublato uſu,hoc eſt nodo amoris,charitas illa uel diſſoluitur, uel certè uehemẽter refrigeſcit ac diminuitur.Tu ſi ſapias, multo aliter ſtatues. Memineris nõ te ꝓpter mulierẽ eſſe

natum,ſed illã propter te.itaq; eã aſſuefacies miniſtrare,& inſeruire tibi,& in eam rationẽ uitã componere ac conſtituere,ut ſciat adiutricẽ ſe eſſe tuorũ laborũ:atq; quantum per te licebit,participẽ,non ocioſam dominã. Summã rerũ omniũ ad te referes, non ad illã.eius decus,honeſtas,laus omnis uera ac ſolida,maximè erit tibi curæ,non ſecus ac tua ipſius: in quo ſine exceptione ulla unũ eſtis. Voluptates uerò, delicias, uanũ & cõmentitiũ illius decus irridebis, ac repudiabis: nec pluris abs te faciẽdũ duces,quàm ridicula infantiũ deſideria, quæ fert ætas illa.Ita demũ ſancti Apoſtoli conſilio parueris,præcipientis,nos in tanta æui rapacitate ſic habere uxoris, tanquã non habentes:& ſic uti,ut non abutamur.Ergo te & uxorem ita ueſties, ut ſimul neceſſitatibus ſatis facias naturæ,ſimul ſpectantiũ oculis,conſeruata dignitate tua. Hoc erit diſcrimen,quòd tu uirilius ueſtiere,id eſt ſimplicius, & neglectius: accuratius uerò, atq; exultius fœmina. Vt enim ſumptus neutrum ſexum decent,ita mundicies ac nitor fœminis congruit.Hæc uis eſt naturæ adferenda,eam mutari poſſe ut ſperes.Philocoſmus eſt ſexus ille.caſtigãda eſt immoderata cupiditas luxus: naturalis affectus in totum eximi nõ poterit,neq; erit cũ eo luctandũ.Satis erit,eſſe bene inſtitutã: ut in cultu nõ tam preciũ,aut nouitatẽ, uel immodicas elegantias ſequatur, quàm ſordes uitet:& ita ſe gerat,ut nec faſtidiri poſsit,nec improbari.Cõmẽdatior eſt omniũ oculis ac iudicijs moderatus ac parabilis cultus,grauitate ac mundicie decoratus, quàm ſumptuoſus ille,& prælautus.Qui ſumptuoſe aut eleganter nimis ueſtitur,hũc ut fortaſsis diuitem nonnulli putent,eundẽ tñ profuſum ac uanũ: qui modicè, ut plurimũ ac propè totũ neceſsitati uideatur tribuiſſe,hunc uirũ prudentẽ ac bonũ.Et in fœmina,eximia illa cultus cogitatio ac cura,uanitatẽ animi arguit, & autoritatẽ omnẽ adimit uirtutibus matronæ.neq; auget exiſtimationẽ pulchritudinis,cuius uniuerſa gratia cultui aſsignatur. Sed pulchritudinis ad alienos oculos nulla debet iam amplius eſſe nuptis cura.Quãtũ eſt pudicitiæ & cordis indiciũ,purus ille ſimplexq; ornatus: atq; hoc euidentius,ſi nõ ignorant,malle eam prudẽtia ſe excolere,quàm auro & argento:grauitate,fide,diligẽtia domus,inſtitutione liberorũ,quàm gemmis,byſſo,ſerico.Nec eſt ullus,quĩ nõ magis eiuſmodi matremfamiliâs uenereatur, quàm fulgentes iſtas,& ſollicitè cõpoſitas atq; excultas.Cui non erat plenior maieſtatis Cornelia Gracchorũ mater,auri & gemmarũ inops: quàm fœmina illa Cãpana, eius hoſpita, hiſce abundans rebus?Nemo ergo id deinceps obijciat: Dandum eſt aliquid oculis intuentiũ. Videtis,ſic dari plurimũ.Ornatus ille ſimplex,parabilis.parus, modeſtus, grauis,ſanctã atq; incorruptã domus diſciplinã loquitur: tenues cõmendat frugalitatis ſpecie,& tanquã tenuitatis ſuæ ac moderationis admonitu, quaſi ſe nõ ignorẽt: quod eſt in re omni turpiſsimũ.Auerſantur omnes pauperẽ,ſumptuoſè ueſtitã.Neq; enim neſcitur in ciuitate,quantũ ferè quiſq; poſsideat,quid poſsit.Itaq; pauperẽ illã, ſuperbã & inſolentẽ iudicant:& inſipientẽ maritũ, qui ſe adminiſtrũ præbeat ſtultitiæ muliebris.Diuites laudantur uel de moderatione & tẽperato diuitiarũ uſu, quaſi illis nõ ſuſtollant animos,nec arrogãter opes oſtentent:uel de exẽplo.Tum demũ & uirtutes ornamentũ ſunt ueſtitui, & hic homini:& quiſq; per ſe honeſtus eſt, nõ per ornatũ. Quid,quòd negociatorib.& ijs quorũ fortunæ fide cõſtant,fidem auget:nobilibus & principib.ciuitatis gratiã cõciliat,demiſsis ad popularitatẽ, faſtu ſepoſito? Neq; eſt aliquid Chriſtianius,quàm ſuperfluis illis,quæ in ſplendidum illum cultum erant profundenda,inopum neceſsitates ſubleuari:& nõ habere in ſyntheſi aut mundo,quantũ ſat eſſet multis puellarum conditionibus.cùm à Magiſtro ſapientiæ & autore noſtræ ſalutis ſit auditum,ut duas tunicas qui habet,alteram det ei qui nullã habet.Quòd ſi cui tam parũ eſt in animo firmitatis ac roboris, ut omnino aliquid datũ uelit non tam intuentium oculis,quàm ſuis ipſius, hoc eſt ſtultitiæ ſuæ opinionis: is ſaltem ne pecuniam ijs emendis conſumat,quæ uel corrumpuntur facilè,ut ueſtibus bombycinis,aut byſsinis, aut tenuiſsimæ ac precioſæ lanæ: uel quæ ſimulac ad emptorem tranſierũt,maximam precij partem amittunt,ut gemmis,aut auro,uel argento ſaberrimè facto,ita ut materiam quãlibet magnæ æſtimationis opus precio æquet, ſæpe etiã antecellat,Sit potius aurũ uel argentũ mediocris artis: & id nõ tam credat ſe mu-

se mulier possidere,quàm custodire,futurum subsidium tuarum necessitatum,si usus poscat.Hæc & ornant,& minus habent inuidiæ,& diuitias arguunt,& fidem augent ac conseruant,si hac indiges.Domi simplicius ac uilius uestiatur, ut sit ad domestica omnia opera expeditior.

DE ABSENTIA MARITI.

DEberet unusquisq;,quum uxorem accipere animum inducit,ita res & rationes suas constituere, ut quàm minimum sibi relinqueret causæ, cur haberet peregrinandum. Vetus uerbum est, nihil magis & saginare equum,& uberare agrum,q; oculum domini.Sic domino præsente,omnia in ædibus fiunt rectius:& iuxta Catonis oraculũ,Frons occipitio prior est.Sed quia non omnia euentura pręstari possunt hominum uel consilijs,uel uotis:quum abes,da operam,ut minimum abesse uidearę.Non fuerit inutile,habere domi aliquẽ fidum, à quo de singulis domesticis rebus subinde fias certior. Qui si desit,ne desit:ut Comici dictum inuertas. Quod nescias, scias.Nullo quidem tempore,sed minimè omnium quum peregrinaris,relinquas domi tuæ,qui decus tuum ignominia aliqua contaminet,ac deturpet.Noli quenquam pati, in quo non sit magnus respectus Dei. nullum est facinus,ad quod adduci non queat,uel præsenti mercede,uel spe aliqua,qui Deũ non, ut oportet,reueretur. Quũ abes,relinque domi uiros non multos,sed fidei compertissimæ,& honesto aliquo opere occupatos:non ociosos,non uagabundos, non comptulos,aut cantatorculos. Minus utriũ est legibus,absente magistratu. Ex inerti illo ocio pessimi cogitatus nascũtur:& segnes isti ac desides,honestati nominis sint certa pernicies.Ne puellæ sint domi,nisi castitatis & uerecundiæ spectatæ,& quæ paucissimã habeant per ciuitatem familiaritates.Eadem est adhibenda diligentia in ijs omnibus,qui domum uentitãt,ut cogniti atq; explorati sint patrifamiliãs.Commenda & concrede domũ propinquissimo,aut maximè necessario,siue uiro,siue matronæ,cuius fidẽ sis expertus:& in quo id sit autoritatis,ut eum facilè reuereantur uxor ac familia.

DE REPREHENSIONE ET CASTIGATIONE.

VXoris uitium,inquit M.Varro,aut ferendum,aut tollendum est.quod quũ tolli non possit, necessariò sit ferendum:sed hoc rarum.Itaq; pręstat,non despõdere animum:sed omni ui ac arte contendere ac cõniti,nt emendemus, ac corrigamus. ne sit,quod Mimus ait: Amici uitia ferendo, facis tua.Sciat se paterfamiliãs uelut in specula quadam esse positum,unde omnia domum aduentantia prospiciat,ut occurrat,& auertat ea quæ uel domesticis emolumẽtis ac utilitatibus, uel famæ uxoris aut suæ officerẽt.Ita tamen,ne ipse sibi de uxoris probitate fingat somnia, & ex inanibus cõmentis atroces moueat tragœdias. Vt ex molossis,quos custodiendæ domus gratia multi alunt,sunt nonnulli,qui in somnijs territi, sollicitè latrantes,totam sæpenumero familiã excitant,cogũtq; per ædes tumultuari:postea falsus index ab indignantibus famulis cæditur.Sic fit,ut ipse & interně discrucieris animo ijs curis & anxietatibus,quibus nullæ sunt acerbiores,quas ipse tibi manus tua asciuisti:& foris uulgi fias fabula,derisusq; ac contemptus pœnas des uel leuitatis,uel nõnunquam etiã crudelitatis. Vxorem ab omni peccandi occasione pro uirili parte auertere utile est.Diligentem quoq; ac circunspectum erga illam esse,quæ nondũ tibi sit perspecta,haud improbatur.Zelotypia uerò ad quid ualeat,non uideo equidem, nisi ut discrucieris animo:& te ijs tormentis ultrò addicas & mancipes, quibus nulla possunt in uita hac cõparari.Quid?an non scyphũ uel ampullã uitreã sedulò custodis: & filium accuratè atq; anxiè educas,atq; à uitijs abducis,& citra zelotypiã? cur non idẽ intuenda coniugis pudicitia & probitate præstiteris?Neu facilè tanta de re alijs fidẽ habeas,maleuolis,suspicacibus,iniquis rerũ omniũ interpretibus:uel etiã necessarijs tuis, sed plus nimio curiosis ac credulis.Fuit olim Valẽtiæ homo nobilis,Carrosus,ni fallor,nomine qui uxorẽ habebat castã quidẽ illã,sed parũ secunda fama. hãc amici & propinqui sępe apud maritũ criminabãtur.Is à primo rẽ non neglexit.sed quũ liquidò cõperisset, uanis illos suspicionibus agitari,nec finẽ tñ calũniandi facerẽt,& urgendi eũ quasi iure suo,ut in eã grauiter animaduerteret:ille uxoris pudicitiã defendẽs,exposuit,quæ

sibi essent cõperta atq; explorata. quũq; illorũ aures purgationi uideret obstructas, empto equo generosi seminij, rogauit illos, ut unà secũ extra urbẽ prodirẽt, ad faciendum periculũ in decursorio, quod est inter regiã & diuæ Trinitatis. Ibi quũ spaciũ illud ter aut quater cursu equi cõfecisset, cæteris attentè spectantibus rogauit. Ecquid eis equus uideretur? Alijs eum in totũ probantibus, alijs in eo nõnihil requirẽtibus, ferrũ quod ad sinistrã gestabat, distrinxit: Per Christũ, inquit, et diuos omnes iuro, me eum confossurũ, quisquis uel equũ meũ, uel uxorẽ meã accusarit. Ita omnes in præsens cohibuit. Mox re paulatim patefacta, & innocẽtia uxoris omnib. approbata, habitus est uir magni & cordis & animi. Castigatio ac reprehensio uel ad emendationẽ illius pertinere debẽt, cui adhibẽtur, uel ad cæterorũ exẽplũ. Alioqui ultio est, & crudelitatis species. quod quidã faciunt, in eũ sæuientes, cui sunt irati: occidentes etiã, & dicunt se castigare. Egregia castigandi ratio, perdere. Rectè Seneca, qui neminẽ prudentẽ ait punire, quia peccatũ sit, sed ne peccetur. reuocari enim præterita non posse, futura prohiberi. Sunt in cõiugio tria peccatorũ genera, tria etiã castigationũ illis cõgruentia. Primũ & maximũ, & quod omne superat scelus, adulteriũ, quo uxor disiungit se à marito, & uinculũ totius charitatis & concordiæ coniugalis semel abrũpit: ut Dominus repudiari hanc ius esse pronunciet, quũ retineri uelit quocunq; alio uitio infectã & probrosam. Huic extrema castigatio adhibetur, lege permissa. Callidus in re medica chirurgus ad secandũ aut urendũ non descendit, nisi impulsus ultima necessitate: alijs omnib. remedijs tentatis prius, & nequicq; consumptis. Neq; id facit, nisi exploratis antea in se instrumẽtis, pectore, facultate. quæ omnia nisi adsint præsentia, ne significat quidẽ morbũ id postulare. Sũt alia peccata leuissima: sunt alia media, & quasi interiecta inter hæc duo. His medetur reprehensio & castigatio. Primũ omnium delecta iam atq; approbata uxore, fac ipse reputes tecũ, nunquã in ullo mortalium id paucis deprehẽdi congressibus, quod se paulatim multis experimẽtis atq; usu profert. Ne tu de illa magnã opinionẽ concipias, quasi undiq; absoluta, & in qua nihil sis desideraturus. quo fieret, ut tu frustratus uoto, nõ aliter q; falsus captusq; uehementer doleres, ac te ipse affligeres. Itaq; de cõiuge tua idẽ cogitato, quod de homine quocunq;, minus te procedẽte tempore inuenturũ, q; initio apparebat. ut si quid maius, id in lucro deputes, sicut ille dicit. Adhæc cõsiderari par est, muliebrẽ sexũ infirmũ ex se esse, atq; inualidũ, corpore morborũ seminibus afflicto atq; infestato: & hinc motibus, ac crebris in animo tẽpestatibus. Quæ molestia per menses singulos, quũ uelut sentina uteri purgatur? quæ prægnantiũ fastidia? quàm præsentia enitentium discrimina? quanta enixarũ iam & puerperarũ? quàm illinc discedunt fractæ? quot casibus & periculis obnoxiæ? ut mirandũ sit, sanã ullã illarũ unquã uiuere. uniuersa aũt uita quid aliud, quàm seruiũt nobis, siue uirgines parẽtibus, siue nuptæ maritis, siue liberis matres? Iã minus habẽt in animo neruorũ ac uiriũ. minus & iudicio assequũtur, & eruditione ualent, & rerũ usu ac exprimẽtis sunt instructæ. Quis adeò est immitis, ut cõditionẽ eiusmodi nõ miseretur? Itaq; cõueniendũ illis ad multa: & infirmũ natura animal à fortiori tolerandũ. Decet, inquit Paulus, uos qui estis robustiores, imbecillitatẽ infirmiorũ æquis animis perferre. Quòd si uir ille in Græcia sapiens, in amicorũ delictis, ne grauius succenseret, solitus erat intra se cogitare, atq; ita sibi ipse loqui: Et hic est homo, id est animal mutabile, & erroribus lapsibusq; obnoxiũ quãto est idẽ caussatius cogitãdũ de fœmina? Hoc & natura & comitas docẽt, ut senibus cedãt iuuenes, imbecillis fortes, claudis recti. Iam si stultũ homo sapiens non perferat, parũ nomini atq; excellẽtiæ illi, mẽtis lumini ac uigori satisfecerit. Hoc idẽ præterquã q; exerta uoce clamãt & præcipiũt mores ac ciuilis educatio, natura, ratio, & monita diuinæ sapiẽtiæ: suadet etiã pax & quies domestica, cui amplissimæ opes non queãt cõparari. Quantũ perfers laborũ ac molestiç, terra & mari, ut aliquid pecuniæ cõquiras? at quẽ tandẽ in finẽ, aut usum? nempe ut domi placidè iucundeq; ex ijs quæ parasti, uitã traducas. Quin tu igitur aliquid etiã tãto duntaxat leuius domi dissimulas, & tacitè cõcoquis? ut quietẽ cõserues, sine qua nec opũ est utilitas ulla, nec suauis uita ipsa. Ecquã tandẽ amicitiã aut cõiunctionẽ poteris tu inuenire, in qua nõ

multa

multa sint, perferenda & dissimulanda: Quæ uerò non placebunt, uide etiã atq; etiã, & expendito, ex infirmitate ne dicta facta ue fuerint, an ex malitia. Sic rectissimè cuiusmodi castigationis modo utendũ tibi sit, statues. At quum reprehensio genus sit medicamenti quoddã ex amaris illis, quę corpus non sine auersione & horrore quodam curant, atq; expurgant: ideo nõ est exhibẽda, nisi necessitas admoneat. Nihil tantas uires reprehensioni addit, atq; autoritas dicentis: quæ & paratur prudentiæ ac beneuolentiæ opinione, & eisdẽ rebus conseruatur. Sed potissimũ atq; efficacissimum est uitæ exemplũ, si id faciat quis, quod iubet. Neq; enim apertius aut fortius possunt uituperari et carpi mali, quàm bonorum uita, ut est à me in superioribus declaratum. Si tu ipse tacita doctrina præmonstres uitia, & ad illa rationẽ ac uiam: cur conquereris, si dociles habes discipulos, ad quod abs te acceperunt? Respondebit tibi, quẽ arguis, id quod asotus filius in Declamatione apud Cæstiũ Pium, se flagitia sua patri luxurioso imputare: ab eo se didicisse, ob quæ culparetur. Autoritatem non oportet ignorari, nimio reprehendendi ac contradicendi usu deteri, ac diminui, minusq; crebras reprehensiones habere uiriũ, non ex se, sed quia occalluit, quem obiurgas, & castigationis sensum assuefactione amisit. Leuia uitiola consultius fuerit dissimulari: & pondus reprehẽsionis alijs grauioribus, ubi magis erit necessariũ, reseruare. Quod uidemus à cautis negociatoribus & à uersutis aulicis fieri: ut illi fidei suæ uires, hi uerò gratiæ & fauoris sui Principis nõ nisi in amplissimis operæprecijs, aut in maximis difficultatibus periclitentur. cætera se integros seruent, ne quid detrahãt rebus tanti momenti. Sunt uitia, quæ expediat in totũ prętermitti, quũ spes est emẽdationis ex eadẽ ipsa honore stimulata: uel quod quædã uitia erumpunt, si credantur patêre. Sunt qui se ad bonã frugẽ ultrò recipiant, si nõ putentur mali. Cn. Pompeius bello Sertoriano literas ciuiũ, quas in scrinijs Sertorij uicti repererat, nõ lectas, omnes bona fide inspectante exercitu concremauit, ne se tecti ac dissimulati hostes apertè proderent, ubi uiderent arcana sua palàm esse. Idẽ C. Cæsar fecit, Pompeio ex acie Pharsalica profligato: & iterũ apud Thapsum Africæ, deuicto Metello Scipione. Sunt uitiola quædã, in utroq; sexu propè naturalia: quæ si in coniuge contraria non sunt, præcipuo fœminarũ bono pudicitiæ toleranda sunt, & dissimulanda. atq; eo magis, si admonitionibus & reprehensionibus aliquot nihil aliud profeceris, quàm uxorẽ irritare. Itaq; si id tuleris, magnũ ex tua patientia feres fructũ. nam ea deinceps commodiore utêris. Quid, quòd par est, assuefactione nõ modò facta esse illa tolerabilia, sed etiã iucũda? quid enim non mollit & condit familiaritas? Reprehendendũ est nõ impetu, sed iudicio: nec præferuidè, sed sensim, & subfrigidè. Efficacior est eiusmodi reprehensio, quam uenerabiliorẽ reddit species quædã grauitatis, & moderati animi, quũ tu non tam cõcitatione animi tui uideris eò impulsus, quàm improbatiõe delicti. Nec in castigando indulges affectui, sed charitati eius, quẽ cuperes esse meliorẽ. Obseruari cõueniet locũ & tẽpus, ne increpandi ardore actus, fœdè uxorẽ suggilles: aliquidq; incõsultius apud extraneos, aut etiã familiares effutias, quod mulieris animũ in perpetuũ perstringat, unde occultę crescũt inimicitię, & odia irrecõciliabilia. Nec tua ira sit diuturna, ut uxor uelut in desperationẽ quandã agatur præceps. Viri, inquit sanctus Apostolus, diligite uxores uestras, & nolite esse erga illas asperi. Et si Dominus fratri uetat irasci, quanto magis uxori, quæ omnẽ fratrũ & beneuolentiã, & coniunctionẽ debet superare? ut est à nobis non uno in loco dictũ. Etenim dicendũ est sæpe, & inculcandũ: Si caput mulieris est uir, caput uiri Christus, utiq; cõgruit, ut maritus se in coniugẽ ita gerat, ut Christus erga nos, clementer uidelicet, ac amice. Idẽ Apostolus, uxorem uocat corpus uiri, ut ecclesiã Christi. At quàm crebra nobis à corpore existunt incõmoda? & tamen non illud odimus, nec abijcimus: sed perferimus, alimus, curamus. Breuẽ oportet esse mariti reprehensionẽ, & uelut ictui præceleri simillimã. Nam diutina obiurgatio atq; increpatio, nõ multũ ab hostili abest dissidio, quę amorẽ illũ coniugalẽ refrigerat, & affectus in longũ tẽpus exasperat, cõuictusq; et cõsuetudinis suauitatẽ rixis atq; acerbitate cõmutat. Addẽda est reprehẽsioni ratio, qua ut tibi nõ probetur quod uertis uitio: ut ea & persuadeat in præsens & in posterũ, cùm sit

opus,meliorũ admoneat.Magnę ſunt enim in humanis mentib.uires orationis.Nec quicquã magis hæret circa ſummũ animũ,minusq; altè penetrat,quàm illa:Sic uolo, ſic iubeo.Ita obiurgabis,ut illa intelligat,ex ſollicitudine amoris naſci admonitionẽ, quòd ſe meliorem eſſe cupias, & quodcũq; ex ipſa ſublatũ uitiũ, quo amor ſit integrior ac flagrantior:nec ulla prorſum querimonia intermiſcet.Ergo cõtinuò,poſtq; caſtigaris, & illa ſe tibi audientẽ dicto fore uel uerbis erit pollicita, uel teſtata pudibundo ſilentio atq; aſſenſu,redeat priſtina ſerenitas uerborũ,& uultus,& ſolita amoris ſigna.Sũt in præſtantib.fœminis haud aliter,quàm in uiris,animorũ quidã excelſi ac generoſi motus:& qui imprudentib.aut nõ ſatis acutè rem animaduertentib.oriri ex arrogãtia uel contumacia uideri poſsint.Nõ ſunt illi penitus frangẽdi, aut opprimendi,ſine quib. nulla ferè matronarũ ad eximiũ illud & memorabile decus eua ſit,quod laudẽ atq; admirationẽ hominũ excitaret.Sunt hę animorũ affectiões aptiſſimæ ad decus,& ea de cauſa ad pudicitiã ſedulò,atq; adeò anxiè cõſeruãdã.Magnæ iſtæ & egregiæ non tã deprimendę ſunt graui,cùm peccauerint,increpatione:quàm à ſolo & fecibus ſuſtollendæ,uel ſtimulis æmulationis,uel requiſitione ſolitæ uirtutis,aut domeſtico exẽplo,& tanquã ſpeculo admoto.Erunt quib. nutus tuus ſufficerit,aut ſignificatio ex uultu,te improbare, præſertim apud uerecundã atque ingenuè educatam:eo magis,ſi te reuereatur.Probę matronæ nihil opus eſt maiore fuſte, quàm mariti ſubaſpero uerbo,aut cõtracto ac perturbato uultu. Vbi hæc nihil proficiunt,ſed ueniendũ eſt ad pugnos & fuſtẽ,uæ domui.De illis iam nihil præcipio, in quib.Pellitur è medio ſapientia(ſicut uetus dicit Poëta)Vi geritur res. nec unquã uir bonus,me autore,huc deſcenderit.Nã ſi uxor ſæpius monita, reprehẽſa, obiurgata, cõuicio impetita, duriorem tñ ſe exhibet,quàm flecti ut poſsit:modò integrè habeat pudicitia, feratur. Nec rũpendus eſt arcus,nimiũ tendẽdo.Sic Socrates Xantippen ſuã tulit:qui imitãdus eſſet, ſi cui tãtũ foret in animo per philoſophiæ progreſſus firmitatis ac uiriũ paratũ:aut ſi perſuaderet ſibi,per mulierẽ tanq; inſtrumentũ, exerceri patientiã ſuã à dño,ad incrementa uirtutũ,ut Iob,& Thobiã,non ſine maximo ſuo bono,& uxoris flagitio: quorũ utrunq; dominus ſit aliquãdo cenſura ſua oſtẽſurus. Tũ reputet,eam ſibi tanquã ſortẽ obueniſſe:haud ſecus quàm genus, patriã,corpus, animũ,ingeniũ:qua ſorte unũquenq; ſine querela acquieſcere fas iusq; eſt: cogitantem, æternũ illũ atq; omnipotentem diſtributorẽ, ſapientiſsimè omnia ac iuſtiſsimè diſpenſare.Poſtremò fas eſt, ut cuius autoritas & numẽ cõciliauit inter ſe coniuges, eiuſdẽ ipſius reſpectus & memoria recõciliet diſſentientes. Nã inter homines quis auderet pacem à Rege factã rumpere?aut quis ſuſtineret cõmendatum ſibi ab homine chariſsimo abijcere,ac repudiare?Quòd ſi in his tantũ ualet uel potẽtiæ reuerentia,uel ſtimulus amoris:quãto magis ualere debet erga deũ?quo nihil eſt potẽtius,& noſtri amicius,quòd nihil oportet nos æquè tũ uenerari, tũ amare. Reuocare etiã in memoriã cõuenit, quod Paulus dicit,uxorẽ eſſe carnẽ uiri. Innumera ſingulis tẽporis punctis exiſtunt cuiq; noſtrũm à corpore ſuo incõmoda: nemo tamẽ corpus ſuũ odit,aut nõ diligit,nõ fouet,nõ indulget,quãtum poteſt:& ſi aliquando illi iraſcitur, continuò poſt tamen redit cum illo in gratiam. Idem omnium affectus præſtari debet aduerſus coniugem,idq; ex Apoſtoli doctrina.

DE PROGRESSV IN CONIVGIO.

VBi uxorem magis fueris expertus,tenerius eſt amãda. Huc nos natura inducit, quæ reb familiaribus ac conſuetis dulcedinẽ quandam indidit, etiã ſi ſint ex ſe ſubaſperæ ac moleſtæ.& uſus ille ac diuturna ſocietas, amorem ac beneuolentiã firmiſsimè conciliat,ut etiam canes,& feles,& equos,& reliqua bruta ea de cauſa diligamus,illorumq; uel morte uel diſceſſu contriſtemur. Quid minus eſt non dico ſapientis ac bene inſtituti hominis,ſed ne hominis quidem,quàm uxorem, cui aliquandiu aſſueuerit,non amare?Sedebat in cubiculo Meleager Oenei filius, iratus ſibi & ſuis. Curetes,quibus bellum erat cum Calydonibus,urbem aggreſsi, ingenti eam oppugnatione uexabant:nec ſpes erat iam amplius uel in uiris, uel in mulieribus reliqua. Accurrunt ad columen,ac extremam patriæ ancoram,Meleagrum, ſenes & primores ciuium,illius uires ac manus implorãtes,ut arma induat,& patriæ opituletur nutanti,

tanti.adsunt cũ religione & deorũ cultu ac ceremoniis sacerdotes,pollicẽtur amplissimam operæ mercedẽ.Illis contẽptis ac spretis,accedit uenerabilis canicie, uenerabilior pietate senex Oeneus:nec cunctatur,ut duriorẽ filiũ flecteret, genua eius supplex amplecti.Accedit mater,ab ira in preces atq; obsecrationes uersa.Sorores & sodales iucũdissimi,quibuscũ gratissimã ætatis partẽ transegerat,orãt & obtestãtur,ne se in ultimo deserat discrimine.Nihil eum mouet,perstat in proposito ferox animus: omnib.saluteq; ita hortatu,monitis,blanditiis,pollicitationib.precib. supplicijs petierant,denegans.Interea hostes irruptione in urbẽ facta,occidere, agere, prosternere,incendere. Trepida se infert Cleopatra cõiunx:Succurre,quęso,mi uir:occidimus (inquit)nisi succurris:hostis possidet omnia.Huius unius uocib.& periculo,ferreus ille ac inexorabilis permotus,mollefactusq; sumit arma, & pulsis hostib. postremo excidio urbẽ ac ciues eripuit. Videlicet heros ille magnanimus,quã naturæ iussionẽ ac legẽ nunquã uel legerat,uel audierat,impressam habebat in pectore,ac infixã præcordijs:qua sciebat,uxorẽ esse seipsum.alios omnes, itsi magnã ex pietate necessitatem imponẽtes,extra ipsam tñ esse:coniugẽ utrò ea esse charitate cõciliatũ cõiugi, & eo nexu coniunctũ atq; aptũ,ut multa in cõiugis gratiam nõ refugiat ac recuset,quæ uel sibimet ipse recusaret.An ex cunctis mortalib. exclamat ille Homericorũ heroũ præstãtissimus,soli Agamemnon & Menelaus uxores diligũt? & nõ idẽ facit quisq; uir bonus,cui sit aliquid mẽtis & cordis?ut mihi Briseis mea uerè ac toto pectore diligebatur,licet in bello à me manu capta.Rex ille apud Sallustiũ moriens,sic filios ad cõcordiã hortatur:Quis amicior,q̃ frater fratri?aut quẽ alienũ fidum inuenies,si tuis hostis fueris?Imò quẽ alienũ fidũ inuenies, si cõiugi hostis fueris? Quis se diligi abste poterit credere,cui uiderit nec uxorẽ charã esse,duntaxat honestã & probã? Nam quòd interdum uitijs eius offensus ac irritatus eam odisse uideare, hoc magis abs te amicos fugabit,cùm nemo se sine uitijs sciat uiuere:sed sperat tñ,tolerabiliora usu & assuefactione fore.quæ cùm uideat, te tã diuturno & tã perpetuo cõuictu nõ potuisse in uxore deuorare,quid aliud expectabit,q̃ te minus sibi indies amicũ futurũ,quo se penitius noris,& cõiũctius fueris secũ uersatus?Potest ullũ humanũ uitiũ (loquor nõ de illis atrocissimis & capitalib.sed de istis omniũ ferè cõmunib.)potest inquã tale aliquod alienius esse à natura & ingenio cuiusquã, quàm sunt inter se mores & ingenia hominũ & brutorũ?atqui usus & cõsuetudo huc eos adducit,ut commodè ac suauiter sub eodẽ tecto uiuãt,& colludãt etiã homo & leo.& uterq; alterius sensu,natura,actib.tantũ abest ut offendatur,ut delectetur quoq; , & absens cõsuetudinẽ illã requirat.ad eò familiaritas tã diuersa cõiungit & cõciliat,penè repugnãte natura.quia abest malitia:qua admista,nõ potest simillima etiã secundissima natura. in tantũ efficax & præsentaneũ est cõcordiæ uenenũ,malitia.Nec herba mẽta , sicut rerũ naturæ cõsulti perhibẽt,tãtopere lac in caseum cogi uetat:ut malitia humani cordis beneuolentiã coalescere.Quid, quòd in coniugũ discordia maior sustinẽda est uiro infamia, quàm mulieri?quòd is tanquã potior & prudentior,uxoris uitiũ,quod odiũ & dissidium peperit,nõ uel sustulerit(sicut inquit Varro)uel certè tulerit.in omni enim discordia culpæ maxima pars in potiorẽ confertur,quòd is moderari rem,ne ad simultatem progrederetur,uel noluerit,uel nõ potuerit. in quorũ altero est manifesta malitia:in altero imbecillitas atq; impatientia. Quæ omnia procul cõueniebat esse ab eo, quẽ hominũ existimatio alteri tanquã præstãtiorẽ anteponebat. Ita odio habetur q̃ nos fefellerit,quodq; muneri atq; officio suo, cùm minimè erat opus , defuerit.Illud uerò,ubi uxore ad satietatẽ fueris potitus, refrigescere amorẽ,quẽ ardor(ut uidetur) libidinis accẽderat,hominũ est spurcorũ atq; abiectissimorũ:imò uerò non hominũ, sed beluarum:quę nihil mente & ratiõe ualent,motibus illis sensuum ad actiones incitantur atque impelluntur , qui simulac consederunt, habitus quoque animorum mutantur. Sunt præter familiaritatem aliæ amoris causæ, quæ marito cuicunque, modò non saxo aut stipiti , sunt cogitandæ. Vxorem tot labores & pertulisse. & paratam perferre: ut marito deseruiat, ut illi pariat liberos, hæredes nominis & fortunarum, propagationem generis , illam omnibus & parentum & necessariorum

fortunis renũciasse,tuas unius secutã.pro sua habiturã,quæcunq; tibi acciderit. nec minus gauisurã tuis prosperis,aut mœsturã tuis tristib.quàm teipsum.iam se nec patrem,nec propinquos, neq; ullos omnino necessarios agnoscere:in te uno spes omnes & cogitationes suas habere collocatas,& defixas. Quid ergo unũ faciet, aut satis præsens erit pharmacũ ad amorẽ,si non sufficit hæc tanta cõmunio:Quisquis ergo naturæ,quisquis humanitati ac sapientiæ uolet auscultare,is uxorẽ notam iam & consuetam magis amabit indies:plus illi cõfidet, & maiora edet beneuolẽtiæ signa, quis amorẽ in illã suũ testetur:sed quem præ se ferat natũ & enutritũ esse experientia uirtutũ eius,& cõseruari spe,futurã eam in posterũ sui similem, atq; adeò pulcherrimo sese uictoriæ genere deuicturã,ut est apud Platonẽ. Nec ipsam solũ tãta charitatis significatiõe prosequêris: sed inde uelut ex copioso quodã fonte nõ tenuiter malignè ue in affines tuos,illius cognatos,deriuabitur:ut illi sentiãt, quantũ sibi eiusmodi propinqua prosit:& uxor liquidò intelligat,se tam impensè tibi esse charã, ut etiã beneuolentia hæc in suos redundet.Nec exiguas hinc utilitates domi capies. Quòd si cõsanguineos diligẽdos propter ipsam uolumus, quid faciendũ de eiusdẽ ipsius filijs censemus:qui tibi nõ poterũt non esse gratissimi,si matrem ames.illa quoq; gratiam in tuis referet,si habes:& tuos,& illius,& cõmunes omnes amor copulabit mutuus uester,tanquã tenacissimũ glutinũ.Multi in coniugio casus interueniunt, paupertas,ignominia,carcer,exiliũ,morbi.qui oẽs incertæ quidẽ sortis, & humanorum casuũ cõmunes sunt omnibus. Possunt tñ alterutrũ cõiugum ferire,altero intacto.ut socerũ,ex quo magna expectabaẽ hereditas,bona amittere: ignominia & dedecore affici, unde filia nota aliqua intingatur:conuictã alicuius criminis, sæpe falsò,aut immeritò,in custo diã includi,aut ciuitate expelli,in morbũ incidere.In his solũ id dicã, quod natura præscribit,quod deus non solũ in tãta corporũ atq; animorũ cõiunctione,sed in uniuersum per totũ hominũ genus præstari iubet,ut eo sit quisq; animo erga alterũ,quo illũ esse uellet erga se. Quemadmodũ uxorẽ casus tuos accipere ac ferre cõuenit,ita & te illius:præsertim cùm amor ille cõnubij summus ita omnia debeat miscuisse,atq; unũ effecisse,ut iam dici nõ possit hoc huius esse,nõ illius:sed sint amborum omnia,& utriusq;,cõmoda,incõmoda,bona,mala.Quòd si unus estis homo, non duo,ægrotare illa nõ potest,quin tu ægrotes:nec illa esse pauper,te diuite.quódque inter amicos cõtingere nõ potest,quomodo in tãta amoris & animorum copula continget:Amicus certus,inquit Ennius,in re incerta. Quantũ ualentẽ & integrã dilexeris,morb.& res afflictæ declarabunt.Si secutus & naturæ instinctũ, & Dei iussa, uxorẽ unũ existimaris tecũ:iam hoc corpus morbis putre,non minus tuũ esse duces, quàm illius:nõ aliter tractabis ac curabis,quàm cùm & forma & ætate florens,corporis oculis multo erat gratissimũ:nec alia sedulitate & cura ministrabis illi, quàm ipsi tibi. & quemadmodum uel in te, uel filijs, ex miseratione crescceret charitas: ita erga uxorem docebit te amor facere. si illam tam uerè, quàm te aut liberos tuos diligas, ut charior sit tibi ægra, aut concussa & deiecta fortunæ ictu, quàm stans, & florens.Habent mulieres rixulas suas,& inuidiolas,& simultatulas uarias,crebras,momentaneas, leuissimis de causis excitatas, ut sunt teneris animis, & iudicio infirmo. his nõ cõuenit admiscere se uirilem grauitatẽ.Habẽt itẽ suas ambitiones, in honore uerborũ,in loco,siue sedeãt,siue ambulẽt.hæc omnia nõ augebit uir, nec ministrum præbebit se,atq; ultorẽ fœminei doloris aut querimoniæ,q nõ satis honos sit exhibitus ex sentẽtia.Irridebit potius,& cõtẽnet,atq; uxorẽ suã ad curã potiorũ eriget,quã tũ quidẽ facere poterit.Nã q his se immiscẽt & occupãt,digniores sunt peplo & colo q barba & existimatiõe uirili.Istis scilicet magistratũ mãdes,& ciuitatẽ regendã tradas,q domi suę sic ineptiũt.Quid eñ uiro magis indecorũ,q illis muliebriter tangi?

QVAS VTILITATES AFFERT AMOR CONIVgum mutuus.

DIci uix potest,quantas eiusmodi concordia utilitates adferat, ad res tota in uita domi & foris maximas: quanta uerò per dissensionem ac discordiã coniugum dãna & incõmoda inuehant.Familia,heris dissidentib.tanquam ciuitas in discordia

Princi-

Principum, quieta esse nõ potest. in illorum cõsensione cũ incredibili lætitia acquiescit, sperãs fore, ut tales erga sese experiatur, quales uidet illos inter seipsos præbere. In quo nec iudicio atq; expectatione sua falluntur. quippe illi cõmodè se mutuò exhibendo, & placidè, cõdiscunt nõ passim erratis familiæ excandescere, nec omnia tu multib. miscere, impotenti iracundia: ita absunt domo grauissimi ac importunissimi cõtubernales, uerbera & sæua dicta, & alia, quæ iratus atq; ardens animus suadet facere. Ergo nõ solum lęti sunt ministri, uerũ alacriores nauãt eam operã, quã oportet: & obsequentiores se dant hæris, reueriti illorũ maiestatẽ, quę ex concordia nascitur, augeturq;. Nã & uir uxoris maiestatem, amore ac beneuolentia tuetur: & mulier uiri, cultu & obedientia. Quid, quòd cõcordia opinionem adfert probitatis & prudentiæ? Necesse est enim, bonos eos esse, qui tam diu ament: neq; enim amicitia est ulla, nisi inter bonos diuturna, & prudẽtes, qui ita perferãt, & deuorẽt ea, quib. alij offensi amicitiã & charitatẽ deserunt ac diffringunt. Neq; alia ex alia cuiuscũq; rei existimatione maior reuerentia & maiestas, quàm ex ea ipsa oritur, bonitatis ac prudentiæ: ut iam ueneratio hæc nõ solis domesticis parietib. in animis familiæ concludatur, ut te illa uelut cœleste quoddã numen colat, & adoret: sed foràs emicet, & lumẽ suum per ciuitatem omnẽ diffundat, ut te omnes & probũ uirũ esse censeant, atq; ad amorem gratiasq; natũ & fictũ à natura, qui tam constanter ames: & cordatũ sapientemq;, qui sic omnia domi tuæ etiam subaspera & difficilia modereris: dignumq; ut remp. regas qui priuatæ tuæ tãta sapientia & iudicio præsis: facilè cõtenturus in cõcordia & tranquillitate ciues tuos, qui eam domi tuæ ita cõstabilieris & confirmaris. Nã cõtrà, quẽ putas crediturũ, te præsidem, pacem quietemq; in ciuitate conseruaturũ: qui uideat perficere nõ posse, ut domi placidè & cõcorditer uiuas? ubi tu nõ es magistratus, sed planè rex quidam, & omnium dominus? Leontinus Gorgias, qui primus ingentem est dicendi laudẽ apud Græciæ populos consecutus, cùm multa in Olympijs hortaretur Græcos de cõcordia, exclamasse tradũt quosdã: Redigat prius se & uxorem & ancillã in cõcordiã, tũ demũ huc ista nobis cõsultũ prodeat. Nec est quisquã, q tã bono & miti uiro nõ facilè amicũ se fore speret. qua publica beneuolẽtia nullę fingi possunt pares diuitię. Quid fides per alienas domos, quàm pulchra res est ac magnifica? quemadmodũ de Thebano Cratete memoriæ proditũ est. cui ob singularẽ probitatis opinionẽ, amoremq; in Hipparchiã uxorẽ, omnib. cognitũ ac spectatũ, cuncta nõ solũ hostia toti⁹ ciuitatis & cubicula, sed recõditissima quæq; ex re familiari, tanquã domestico cuidã genio patebãt. Idcirco Gręca uoce θυρεπανοίκτης nominatus est. Nemo enim eũ ad alienas oculũ animũq; adiecturũ suspicatur, cui optimè cõuenit cum sua, & nodo suauissimo firmissimoq; sunt cõnexi. Sed domũ redeamus, ad larẽ ac penates. Tota familia est in officio, cùm suapte sponte læta & alacris, tũ uiro fœminã, & hac uirũ adiuuãte, cõcordia impultrice. ut uterq;, quãdo animi cõmotionib. nõ cõcitatur, nullo negotio familiã in fide atq; officio cõtineat, cùm ipse suoipsius nõ desit. Vnde & res familiaris diligẽtius curatur, & neutrius animo offensionibus atq; indignitate ab ea cura auerso atq; abhorrente, & omnib. per domũ ac familiã ab amore rectis & tẽperatis. Lõgè enim opinione sua fallitur, quisquis uel metũ, uel precij spem, uel quid esse aliud cẽset, quod ęquè homines ad quodcũq; officij aut muneris genus nauiter obeundũ exacuat ac extimulet, ut charitas & beneuolẽtia. De cõmunib. amborũ filijs hoc quidẽ minus quiuis admirabit, esse illos gratiores permultò ac suauiores. qui etiãsi alterius essent, amor tñ efficeret, ut alteri essent lõgè iucũdissimi. Quãto nũc magis eã ardere flãmam est necesse, cui utrinq; quędã uelut faces subdũtur? Illud fortasse uidebitur mirabilius, q tñ ijs quib. naturæ rerum sunt cognitę, potest esse exploratissimum, filios ex coniugibus bene consentiẽtibus, & inter se charis, nasci mites, comes, moderatos, amabiles, & ad omne suauitatis ac humanitatis genus mirificè aptos atq; appositos. Scilicet eæ affectiones atque habitus gignentium, quæ animalem hominis partem occupant, in corpora atque animos fœtuum ferè transfunduntur. Quid, quòd ex domestico exemplo mansuetudinẽ & placabilitatẽ discunt, & tanquam affrictu quodã trahũt? Hic cõuictus domi in tãta serenitate & tranquil-

litate

litate concordiæ,quàm est similis cœlesti illi uitæ? Vnde,quẽadmodũ uir ille sapiens apud Homerũ inquit,multa magnaq; ad amicos gaudia redundãt, & ad eos quibus chari sumus:ad maleuolos aũt atq; inimicos,molestiæ & mœrores. Sicut cõtrà hi exultant,illi sunt in luctu,cùm nos dissidere,odisse, rixari, litigare uident, uel audiunt. malis enim odiũ inhiat,tãq; suauissimo suo pastui:bona fugit ac uitat,quasi pernicio sum sibi uirus. Sed quæ hactenus exposui,etsi magna sanè,ut cernitis, atq; expetẽda: cuncta tñ cũ hoc uno,quod nũc adñciã,nõ sunt cõparanda. Domi charitatem discimus,meditamurq;,quã aduersum alios præstemus. & cùm sedati tranquilliq;,tũ etiã suauitate illa mutui amoris animi deliniti,facilius ad religionẽ uacant,attolluntq; sese in contemplationẽ, amorẽ, cultũ, ueneratione omnipotẽtis illis numinis naturæ, Hinc nostra pectora amore hoc coniugũ à sancto illo cœlesti igne tanquã subarrata & pignorata,paulatim ab eo accenduntur,donec ingentes illius flammas concipiãt. Quo quid optari, aut quid concedi à deo potest hominum naturæ maius ac præstabilius, q; ut amatores efficiamur uerè,ac bona fide, diuinæ illius suæ pulchritudinis?

DE IIS QVÆ NON HABENT LIBEROS.

FIlij nonnunquã à deo uel non dantur, uel dati adimuntur, occulto illo suo & inscrutabili cõsilio:imò uerò paterna quadam indulgẽtia,quòd ita uidet nobis expedire.ne quis omnia in casum,aut naturales causas referat:quod nõ est sapientis hominis,nedũ Christiani. Nec tñ pro exiguo habendũ est beneficio, dulce illud fel nõ gustare.quod qui glutierũt,testantur ita esse mistũ ac temperatum,ut uni mellis guttæ,fellis sint sexcentæ infusæ: nec iniuria Græco quodam epigrammate inter fœlicitates illam numerari,ἄπαιδα uiuere. Augustus propter filiam & neptem coactus est sæpe uersum illum Homeri exclamare: Coniuge non ducta,natis utinam caruissem. Vt præteream Ciceronis ad Atticum querelas. Sed non est hic locus disputandi de orbitate. tantũmodo hæc à me sunt inducta, admonendi maritorũ causa, ut cùm sit iã incertus liberorũ fructus, & sæpius magnas calamitates parentib.quàm uel utilita tẽ,uel uoluptatẽ ullã adferãt,ne filios per flagitiũ ullũ quærant:hoc est, malũ incertũ, per certũ. Nec uxorib.tanquã sterilib.sint asperi, cùm sæpenumero neutrius id uitio cõtingat:nec amborũ,ut dixi.sciantq;,ardentius ab illis desiderari sobolẽ,quàm à uiris:ut à pariete caduco tignos,q̃b.fulciat. Sterilis erat Anna,uxor Helcana Ephraitæ: quomodo eam cõsolatur uir suus? Nunquid nõ ego melior sum tibi, quàm decem filij? Ex tali uiro decebat nasci & principem Israelis,& prophetã, & Samuelẽ. Si à deo mittãtur liberi,lætis sunt accipiendi animis,ut munus cœleste:& optimè instituendi, ut eorũ probitas & illis ipsis prosit,& in te redũdet,nõ modò ad incredibilẽ tuam uoluptatẽ,& hominũ existimationẽ de te:uerũetiam ad merita benefactorum uitæ huius,per quæ immortale illud in uita altera præmium paratur.

DE VXORE NATV GRANDIORE.

POsteaquàm senectutẽ proba & morigera uxor attigerit, faciẽdum quod in omni solemus ministerio fideli ac diligenti. Equum & bouem uelut emeritos soluimus,liberius sinimus uagari & pasci, minus ad laborem reuocamus. emancipamus seruum.ueterano militi agri distribuuntur,unde uiuat: ministrum ingenium post bene ac fideliter nauatam operam, ferè æquamus nobis,atq; in affinitatem asciscimus. Quanto honorificentius,uxorem ætate iam prouecta,& in senium uergente, haberi tractariq; consentaneum est? quæ non est animal brutum, ut equus:non ancilla,& peioris conditionis iure gentium,quàm tu ipse:non famula,mercede conducta: sed par tibi,& socia à deo assignata, coniuncta amore ac societate tali, quæ reliquas oẽs longè antecellat. Quin etiam æquum est, ut quæ ipsa affectus suos uiro tam diu subdidit,iam non magis subdita sit marito,quàm par. Quippe motus illi & perturbationes incitatæ animorum, quæ mariti maiestate ac uelut regno quodam erant cohibendæ,& ob quas dominari uxori maritũ oportebat,sedatæ iam sunt annis ac usu:ut nihil sit amplius,cur maritus imperiũ in uxorẽ postulet,& maiestatẽ suã retinere studeat,cũ minui iã nõ possit, sublatis ijs q asperos sese atq; intractabiles iusto ac moderato imperio præbebãt. Idcireo dñs Abraæ præcipit, ut uetulæ suæ Saræ obtẽperet, uideli-

uidelicet iam nō uxori,id est carni:sed sublatę quadātenus ad uirile ingeniū,& ad cō ditionē spiritus.Huiusmodi ergo nō oportet deinceps ut iuuenē accipi,tractariq́,re frigerato ætatis ardore, & debilitatis uiribus labor est detrahendus: subleuanda est ministris: & quando sanati sunt morbi illi animi, qui rationi ac iudicio officiebant, quo minus uerū despiceret,& uolūtati,quo minus bonū expeteret,iam & sapientior & melior facta,dēptis obicibus,admitte eam magis indies ad cōsilia.incipe illā ęqua re tibi,& cū ea de minimis,de maximis reb.cōsulta.Primus tu illi uenerationem atq; autoritatem adferto:ut exemplū tui & liberi,si quos habes, & reliqua familia sequatur.Ita percipiet illa obsequij sui fructū, ut domina sit,quę tam diu ministra.Neq; uerò insolens aut intolerabilis existet hera,quę tamdiu antea didicerit imperio parêre. Desinat paulatim in uobis sexus discerni,& incipite ad cœlestē illā iam nūc uitā præludere,in qua nullus est sexus,sicut nos docuit Dei filius: Nō ducunt, nō nubūt, sed agunt uelut angeli Dei,puri atq; incorruptibiles spiritus, inter quos nemo nascitur, nemo perit,ut opus sit reparatione generis per connubiū.Amor hic nō in caduca ulla re,ac morti obnoxia,sed in animis fixus & cōstitutus, etiā uitæ functā ꝓsequetur. Itaq; sublata ex oculis,sepulta,& cōplorata:charitas tñ uiuet adhuc, uigebitq́.& erit talis uxoris dulcissima recordatio,omnisq́ illius memoria gratissima.Ergo & cōmunes liberi iā erūt chariores,& per se,quia liberi,& quia tali fœmina tibi geniti. illosq́ miseraberis, quòd eiusmodi sint matris fructu orbati. filios etiā illius,si quos ex alio habebat marito,tuorū habebis loco:nēpe ex illa progenitos, quæ unū erat tecū & sacramēto cōiugij,& natura amoris.Efficies etiā,ut cuius dum uiueret respectus multum cōsanguineis & necessarijs suis proderat,prosit etiā mortuæ memoria. Affinib. tuis uiua uxore bene tecū cōcordi,multū erat cōmodandū:mortua nō minus,si quidem ea extincta,nondū est tñ amor ille extinctus, qui tibi eius propinquos nō aliter cōiungebat,ac tuos sanguinis cōmunio,& nascendi sors: debilius ad cōiunctionem uinculū, q̄ illud prius beneuolētiæ atq; amoris. Si tu illā in hoc mortalitatis itinere antecedis,testatū atq; impressum tū aliorū,tum eius memoriæ relinques,non affectū modò,uerumetiā iudiciū de illa tuū,ut hāc ei pro cōsensu,fide,ac pietate erga te gratiam referas,ut omnes intelligant,qualis ea uxor fuerit:& ipsa sentiat approbatā fuisse tibi suam uoluntatē atq; operā, eumq́ iam nunc uiuens adhuc fructū ꝓbitatis suæ percipiat.Nā maximū & uerissimū illū uita hac peracta nāciscetur, in illa sempiterna beatitudine.Fuerit quoq; amoris & humanitatis tuæ,qñquidem tu illi adimêris,hoc est columē domus,& fortunarū omniū,& remanet meticulosus atq; inualidus sexus te unico suo præsidio destitutus,relinquere illi aliquod quodāmodo desertæ uiduitatis solatiū ex tuis facultatib.unde se cōmodè sustētet,ne acerb.ille ac funestus dies, qui te ipsi abstulit,cūcta in eā mala uideat pariter inuenisse.sed hoc ꝓ cuiusq́ erit statuendū ingenio,ac moribus.Erit,cui omnia tutò poterūt credi, perspectæ fidei, frugalitatis,prudētiæ.Erūt,quas ditiores relinquere parū cōduxerit:nec aliud futurā pecuniā,q̄ instrumentū uoluptatū.Sūt rapaces,etiā ex auaricia in suos ipsarū liberos sęuæ.Nemini oportet matronā esse notiorē,quàm uiro suo, cū qua tā diu in secretissimis & recōditis locis,in lusib.in serijs,est uersatus:ut nisi sit stipes,totū mulieris ingenium exploraſſe,& sensus illius oēs ꝓcallere possit,& debeat.Is ergo iudicio,ꝙ ex actionib.& uita uxoris collegerit,adhibito,ita faciet, quēadmodū maximè sit facto opus: sed sic,ut & amor seueritatē iudicij diluat ac tēperet, & iudiciū effundentē se amorē cohibeat.Qualiscūq; uerò sit, nullo penit⁹ modo relinq ea inopē aut egenā cōuenit, quātū ꝓ fortunas tuas licebit.Malimq́ si in alterutro peccādū sit, opulētissimā relinqui,q̄ ullis ad uitæ usus necessarijs indigā. Maius est infirmitati illi à paupertate periculū,quàm à diuitijs.At uerò qm̄ moriēs ad alia proficiscīt loca,istis potiora,corā eorū quæ hîc relinquit,ne sumat ipse sibi,ita uita functo: sed ijs mādet,quæ res habebūt præsentes nec uelit ita sui memoriā uxoris ꝓtectori esse affixā,ut in uiduitate sub suo nomine iubeat eam perseuerare: magno sæpe illius incommodo,& pietatis discrimine.relinquat eam suo cōsilio,ut id de sua & necessariorum sententia, prout ratio temporis feret,statuat.quod eius & probitati,& quieti animi maximè conducet.

FINIS.

Io. Lodouici Viuis in libros de inſti-
tutione fœminæ Chriſtianæ, ad Sereniſs. D. Catharinam Hiſpanam, Angliæ Reginam, &c. Præfatio.

MOVIT me ſanctitas morum tuorum, & animi tui ardor in ſacra ſtudia, ut de Chriſtianæ fœminæ inſtitutione aliquid ad te ſcriberem, argumento ut maximè neceſſario, ita nulli hactenus tractato in tãta ingeniorum ſcribentiumq; uarietate ac copia. Quid enim eſt perinde neceſſarium, atq; illarum animos fingi ad uirtutem, quæ nobis in omni uitæ ratione ſociæ ſunt inſeparabiles? Beneuolentia firma eſt inter bonos, inter malos autem non diuturna. nec immeritò Ariſtoteles eas ciuitates, quæ fœminarum inſtitutionem parum habent rectam, magna ſe felicitatis parte ait orbare. Videlicet nihil eſt æquè moleſtum, ut communionem uitæ habere cum improbo. quod ut de ciuitatibus meritò, ſic de unaquaq; domo iuſtius dici poteſt. Porrò de re familiari Xenophon & Ariſtoteles, & de republica Plato, præcepta cùm traderent, nonnulla dixerunt, quæ ad mulieris officium pertinerent. Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Fulgentius, de uirginibus ac uiduis ſic diſſeruére, ut aliquod uitę genus ſuadeant, potius quàm formẽt. Toti ſunt in caſtitatis laudibus celebrandis, magnifico uerò opere, & illis ingenijs illaq; ſanctitate digno: ſed præcepta formulasq; uitæ pauciſsimas perhibuerũt, ſatius eſſe rati adhortari ad optima, & manum porrigere ad altiſsima, quàm erudire inferiora. Nos autem exhortationes illis relinquentes, ut ætatis degendæ rationem ex autoritate potius illorũ, quàm ex opinione noſtra ſibi quiſq; deligat, ipſa uitæ inſtituta documentis componimus. Itaq; orſi à prima fœminæ ætate, ipſam uſque ad connubia Primo libro deducimus: hinc à coniugio ad uiduitatem, quemadmodum tranſmittẽdum illi cum marito tempus benè ac beatè cenſeamus, Secundo: Poſtremò, uiduitas inſtituta eſt. Et quoniam fieri aliter nequijt, multa primo dicta ſunt uolumine, quæ ad uxores & uiduas pertinent: multa proximo, quæ ad cœlibes: nonnulla tertio, quæ ad omnes. ne qua uel uirgo ſolũ ſibi legendum primũ librum putet, uel nupta alterum, uel uidua tertium, uniuerſos ſingulis legendos cenſeo. In quibus breuiores forſitan fuimus, quàm nonnulli uoluiſſent. ſed ſi quis intentius conſilij noſtri rationem conſiderarit, non ſine cauſa factum à nobis intelliget. Nam in præcipiendo non in poſtremis eſſe debet ratio breuitatis, ne uerboſitate legentium animos obruas potius quàm edoceas. & ea eſſe præcepta decet, quæ etiam memoriter quiſq; facillimè comprehenſa teneat. Neq; enim ignorari oportet leges, quibus uiuendum eſt: quod Chriſtus, & eum Apoſtoli ſecuti, Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes, Iudas, declararunt: qui pietatis præcepta ut diuina, ſic etiam pauca breuiaq; mundo tradidere. Et enim quis illas ſeruare leges poterit, quas ne tenent quidem, qui in eis incanuerunt? Ea de cauſa nec exempla, quæ attuli plurima, extendi: nec in communes uirtutum aut uitiorum locos egreſſus ſum, ampliſsimum ſpaciandi campum, & qui ſe toto ſubinde opere oſtendebat, ac uelut inuitabat: ut modum liber inueniret: nec ſolum legi ſine laſsitudine, ſed relegi quoq; poſſet. Ad hoc, ut uirorum inſtitutiones numeroſæ ſint, fœminarũ certè mores pauciſsimis formari præceptis poſſunt. Quoniam uiri & domi, & foris, & in re priuata, & in repub. uerſantur: ideo quæ ratio ſit tantæ diuerſitatis officiorum, non niſi longis uoluminibus explicatur. fœminæ unica eſt cura pudicitiæ: idcirco cùm hęc expoſita eſt, abunde illa dimitti uidetur inſtructa. Quo execrabilius eſt illorum ſcelus, qui unicum hoc fœminarum bonum corruptum eunt: tanquam ſi luſco illud quod ſupereſt lumen, extinguendum cures. Sunt qui fœda & ſpurca conſcribunt carmina, qui quem dictu ſaltem honeſtum obtendere conſilio ſuo prætextum poſsint, equidem non uideo: niſi quòd corruptus animus nequitia, & ueneno putris, aſpirare niſi uenenum nequit, quo interimat uicina. Dicunt ſe amantes eſſe: credo, nam ſunt etiam

cæci,

cæci, & dementes, quasi tu potiri tua non ualeas, nisi simul cum illa reliquas omnes corrumpas, & contamines. Mihi nullus unquam hominum iustius uidetur exulasse Ouidio Nasone, si modò propter artem amandi relegatus est. Cæteri enim cecinerũt lasciua & flagitiosa: hic egregius artifex, in formulas (si dijs placet) & præcepta nequitiam redegit, magister impudicitiæ, publicus corruptor morum ciuitatis. Non dubito quin aliquibus uidebor edere seueriora præcepta, atq; asperiora, quàm par esset. qui si legerent, quàm minuta persequuntur Sancti scriptores, quàm anxij sunt exacto res singulorum, quibus uerbis, qua grauitate, qua seueritate: me utique blandum nimis atq; indulgentem iudicarent. Sed ea natura est rerum: bonis apertissima uidetur uirtutis uia, & amœnissima, contrà uitiorum angusta & salebrosa: malis nec iucunda uia est, quà insistunt: nec satis lata, satisq; commoda, probitatis. Quod quum ita sit, accedendum potius est bonis, & credendum, falli citius malos iudicio suo, quàm consensum bonorum. Pythagoras, & eum reliqui in descriptione Y æmulati, superatis primę uirtutis difficultatibus, cætera latissimè & facilissimè patêre aiũt. Plato ex eiusdem Pythagorę sententia, deligendam uitæ rationem suadet optimam, quam consuetudo suauissimam reddet. Dominus in Euangelio uiam regni Dei arctam appellauit: non quòd reuera talis esset, sed quia pauci illam ingrediuntur, nisi quis uanum illius esse dictum putet, Iugum meum suaue est, & onus meum leue: ac promissum illud, Neminem esse qui aliquid propter ipsum relinquat, qui non maiora multo recipiat, etiam in hac uita. Quorsum hoc spectat, nisi ad uoluptatem, & delicias uirtutis? Itaq; non ignoro, quibus hæc mea præcepta seuera nimis & rigida uidebuntur, uiris iuuenibus, imperitis, lasciuis, perditis, qui ne aspectum quidẽ probę ferre possunt, qui uelut ocioſi et bene pasti equi, ad equas omnes adhinniunt: tum etiam puellis stultis, uanis, insulsis, quæ spectari, quæ adamari gaudent, & approbari sua uitia cuperent multitudine peccantium, ceu conspiratio turbæ immutare rerum naturã posset. Nouum malis non est, odisse bene monentes, sed in hoc ipso materiæ genere Theophrastus, quum de coniugio grauissimè multa scripsisset, meretrices in se concitauit: & prosilijt Leontium, Metrodori concubina, quæ aduersus tantum & facundia & sapientia uirum, librum sine mente, sine fronte euomeret. Quod tam indignum facinus uisum est, ut tanquam nihil iam superesset bonæ spei, prouerbium natum sit, Suspendio arborem eligendam. Sanctus Hieronymus ad Demetriadẽ de se ad hunc modum scribit: Ante annos circiter triginta de uirginitate seruanda edidi librum, in quo necesse fuit mihi ire contra uicia, & propter institutionem uirginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere, qui sermo offendit plurimos, dum unusquisq; in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audiuit, sed quasi criminatorem sui operis auersatus est. Sic ille. En quod hominum genus sanctè instituendo offensuri sumus? quibus placuisse, uituperatione (ut ita dixerim) & culpa non caret. Stabunt à nobis graues & cordati uiri, castæ uirgines, probę matronæ, prudentes uiduæ, omnes denicq; qui uerè & ex animo sunt Christiani, non solo nomine, qui omnes sentiunt, ac sciunt, nihil fieri posse mitius leniusq; præceptis nostræ pietatis, à quibus nunquam sinat Christus mentem ac sententiam nostram uel latum pilum deflectere. Sanctas fœminas leuiter tantum officij sui admonui: cęteras interdum paulò castigaui acrius, quòd uiderem documẽta sola parum proficere in ijs, quæ ducenti reluctantur: & inuitę ferè trahendæ sunt, quò oportet. Idcirco apertius quandoq; sum locutus, ut fœditatem morum suorum ipsæ uelut in tabella depictam intuentes, erubescerent, et desineret erubescenda facere: simul bonæ tum se ab illis uitijs procul abesse gauderent, tum darent operam, ut longius etiam recederent, & in sedes uirtutis intimas se recipe rent. maluiq; iuxta Hieronymi consilium, uerecundia parumper, quàm cuasa periclitari: sic tamen, ne in pudendum quid prolaberer, quo nihil turpius est præceptori castitatis. quo factum est, ut intelligenda nõnunquam sint plura, quàm exprimantur. Quæ à receptissimis moribus abhorrerent, ea magnis autoritatibus suffulcij, ac confirmaui, ne dirui possent impetu publici consensus. Hoc opus tibi non secus offero, Regina inclyta, quàm si pictor faciem tuam artificiosissimè expressam daret. siquidẽ

ut in illa imaginem tui corporis depictam cerneres, sic in his libris imaginem uidebis animi: quippe quæ fuisti & uirgo, & sponsa, & uidua, nunc uxor (quod ut diutissimè sis, Deum precor) & sic in his omnibus uitæ generibus cursibusq; te gessisti, ut exemplum reliquis sit optimè uiuendi, quicquid agas. Sed tu mauis uirtutes laudari, quàm te: etsi nemo commendare muliebres uirtutes potest, quin te quoq; eadem laudatione comprehendat: parendum tamen erit tibi, modò scias, sub excellentibus & egregijs uirtutibus alias plerunq; tui similes expresso nomine, te semper (etsi tacitè) prædicari. neq; enim extolli laudibus uirtutes possunt, quin pariter & illi commendentur, quamuis innominati, qui plurimum illis ipsis uirtutibus præstiterunt. Leget hæc monita mea Maria filia tua, & effinget ea, dum se ad domesticum exemplar componit probitatis & sapientiæ tuæ. Effinget certè: & nisi humanas omnes coniecturas fola fallat, optima & sanctissima ut sit necesse est, te & Henrico octauo nata, tali & tam laudato coniugum pari. Habebunt igitur fœminæ omnes, ut per uitam & actiones tuas exemplum: sic per hoc tibi dedicatum opus, præcepta & rationem uiuendi. Vtrunq; debebũt probitati tuæ, qua & tu sic uixisti, & ego ad scribendũ impulsus sum. Vale. BRVGIS, nonis Aprilis. 1523.

IO. LVDOVICI VIVIS DE INSTITVTIONE CHRISTIANÆ FOEMINÆ, LIBER I. QVI EST DE VIRGINIBVS.

DE EDVCATIONE VIRGINIS INFANTIS.

FABIVS Quintilianus oratorem instituens, à cunis ipsis exordiendum censet: nullum tempus debere uacare ratus, quod ad finem illum destinatæ artis non accommodaretur. quãto maior cura suscipi debet de uirgine Christiana, ut non solùm eius incrementa formemus & componamus, sed initia quoq; à lacte ipso: quod uelim, fieri si possit, maternũ esse: idq; consulerunt Plutarchus, Phauorinus, & alij maximi philosophi. Sic enim mutua illa inter matrem et filiam charitas fiet maior, quum nihil de matris nomine à matre ipsa in aliam descindetur. nam & nutrices matres appellari sunt solitę. Verius mater filiam existimat suam, quam non solũ utero gestauit & peperit, sed etiam infantulã semper in ulnis baiulauit, cui præbuit mammã, quã de sanguine suo aluit, cuius somnos sinu suo fouit, primos arrisus accepit blanda, & osculata est: prima balbutiẽ conantis fari audiuit læta, atq; adiuuit, & ad pectus infantem presit, optima precans. Hęc uicissim tanta in matrẽ pietate imbuẽt filiam, ut charior multo sit ipsi mater, cuius amorẽ rudi adhuc & tenero animo largissimè hausit. Quis possit dicere, quantũ hæc in hominib. cõciliant augentq; charitatẽ, quũ beluæ ferè ab omni amoris sensu in alienũ genus remotæ, nutricios atq; educatores suos diligãt: & quo illos, ptegãt ac propugnẽt, mortem obire nõ recusent. Deinde fit (nescio quo pacto) ut non amorẽ modò, uerùm & pronitatẽ ad certos aliquos mores sugamus cum lacte. Hoc ipsum est (inquit Phauorinus apud Gelliũ) quod sæpenumero miramur, quosdã pudicarũ mulierũ liberos, parentũ suorũ neq; corporibus, neq; animis similes existere. Neq; uerò de nihilo nata est, etiã pueris nota fabula: Illũ q scrofæ lacte nutritus esset, in cœno se uolutauisse. Qua de causa uir acutissimus Chrysippus, sapientes optimasq; eligi nutrices præcepit. quod nos & sequemur: & præcipiemus ijs matribus, quib. infantes suos proprio lacte non licebit alere. Neq; uerò tantã curã in quærenda puero nutrice ponendã uolo, quantã puellæ. Quintilianus satis habuit dicere, Videndũ ne sit uitiosus sermo nutricibus: propterea quòd qui in infante insedit sermonis modus, difficile elueretur.

De

De moribus non ita fuit sollicitus,quos sæpius alibi puer induit, quàm domi. Et tamen Chrysippi de nutricibus sententiã attulit,uelut idem sentiret ipse.At puellã quoniam non perinde doctã uolumus,ac pudicã & probã:tota est parentũ cura illò conferẽda,ne quid ei adhæreat uitiosum & turpe,nihil per sensus corporis tale,nihil per nutrimentũ irrepat.nutricem uerò primam audiet, primam uidebit:& quæ rudis discet,hæc perita & callida tentabit reddere. Quocirca D. Hieronymus Lætę filiam instituens,nutricem uetat temulentam aut lasciuam,aut garrulam sumi.

DE RELIQVA INFANTIA.

VBi iam ablactata fuerit,fari atq; ingredi cœperit,lusus omnes sint cum puellis æqualibus præsente aut matre,aut nutrice,aut grauioris ætatis proba fœmina, quæ lusiones illas,& animi oblectamẽta temperet,atq; ad honestatẽ uirtutemq; dirigat.Omnis masculus sexus absit,nec assuescat uiris delectari:natura enim in illos diutissimè amor noster perseuerat,cum quibus pueriles horas,oblectationesq; traduximus:qui affectus in fœmina est pertinacior,nempe ingenio ad uoluptates propẽsiore.In illa ætate,quæ nondũ bonũ ac malũ dijudicat,ne docẽda quidẽ sunt mala, & rudis adhuc animus sanis opinionib.imbuẽdus.Pestilẽs opinio eorũ,qui filios suos uolunt & bonũ & malũ non ignorare:ita demũ aiunt melius uirtutẽ persecuturos,& fugituros uitia.Quanto rectius et utilius est,mala non modò nõ facere,sed nescire quidem? quãto item fœlicius? Quis nõ saltẽ fando audiuit,illa nos omnes hora miseros factos,quũ primi illi autores generis humani quid bonũ esset, quid malũ,nouerũt:et profectò patres,qui nolũt filios suos malorũ imperitos & inexpertos esse,digni sunt quorũ liberi ea sciant:& quũ malè fecisse pœnitebit,recordenẽ se malè facere patrib. autoribus didicisse. Impudica aut lasciua uerba,aut gesticulationes parũ decoras,ne tum quidẽ discat,quũ rerũ est rudis,effictura etiam robustior & gnara.Plerisq; ita usuuenit,ut quæ assueuerũt,hæc crebrò inscijs & imprudẽtibus excidãt:interdũ reluctantibus,ac retinere conantib.elabantur,et erumpãt inuitis:tanto crebrius si sint mala,ut est eorũ tenacior humanus animus.Caueant parẽtes,ne factũ aliquod eius indecens uel risu,uel uerbis,uel gestu approbẽt:aut quod turpissimũ est,osculis & complexu excipiãt.id sæpe conabit puella reddere,quod gratissimũ parentibus putabit. Omnia sint in primis annis casta & pura,saltem morũ gratia,qui ex illa infantili consuetudine prima uelut delineamenta ducunt. Verba aliquot Cor. Taciti lucet adscribere,de indole ueterũ Romanorũ:lampridẽ suus cuiq; filius ex casta parente natus, non in cella emptę nutricis,sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domũ,& inseruire liberis.Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua,cuius probatis spectatisq; moribus,omnis cuiusdã familiæ soboles cõmitteret. coram qua neq; dicere fas erat,quod turpe dictu:neq; facere,quod inhonestũ factu uideretur.Ac nõ studia moresq;,sed remissiones etiam,lususq; puerorum sanctitate quadã ac uerecũdia temperabat.Sic Corneliam Gracchorum,sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrẽ præfuisse educationibus,ac produxisse principes liberos accepimus:quæ disciplina ac seueritas eò pertinebat,ut sincera & integra,et in nullis prauitatib.detorta uniuscuiusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas. Sic ille. Vnde apparet,qua ratione,quibus artib.antiqui illi in illam uirtutũ claritudinem,quam ne intueri quidẽ nunc sustinemus,euaserint.Et narrat hæc de uiris:quantam erga fœminas adhibitã diligentiã existimam⁹?Ergo lubricis oblectamẽtis,quib. ætas illa indiget,absit,qucquid potest rectę institutioni officere:nihil obscœnũ in animos irrepat,non garrulitatis inficiat studio.Sed iam tum ceu per lusus meditet,quæ postea ,pfutura sunt.Castis fabellis,ducat:tollant puppæ,imago quædã idololatriç,et quæ cõptus ac ornatus cupiditatẽ docẽt,augentq;.Magis ,pbarim scruta illa,quis simulachra totius domesticę supellectilis in stanno aut plũbo sunt expressa:cuiusmodi est in hac Belgia magna copia.Est hoc iucundũ infanti ludicrũ:& interea singulorum nomina,atq; usus,aliud agẽs addiscit.

DE PRIMIS EXERCITAMENTIS.

ÆTate,qua uidebitur iam idonea literis & cognitioni rerum,incipiat ea discere,quę ad cultum animi,quæq; ad tuendã regendamq; domum spectãt.Tem

pus nullũ diffinio, alij ẽm anno ſeptimo exordiendũ putauerũt, ut Ariſtot. & Eratoſthenes, alij quarto quinto ue, ut Chryſippus, et Quintilian. Ego uerò totam hac de re deliberationẽ ad parentũ prudentiã reijcio, qui ex qualitate & habitu infantis cõſiliũ ſument: modò ne officiat indulgentia, qua qdã ita delicatos habẽt ſuos liberos, adeò illis metuũt, ut ab omni arceãt labore, ne fortè in morbum incidãt. Hi dum eorũ uires corpuſq; putãt augere ac confirmare, debilitãt & frangũt. Multũ officit filijs parentũ indulgẽtia, quę effrenẽ illis in mille uitia licentiã offert, atq; adeò ingerit: ſed fœminæ in primis. Hæc ẽm magna ex parte ſolo cohibetur metu, qui ſi abſit, tum demũ habenas naturæ laxat: ſi in malũ fertur procliuis, eò ſe pręcipitat, nec bona euadit, niſi talis ſit ſuopte ingenio, ac natura ipſa, quales nõnullas eſt inuenire. Diſcet ergo ſimul lite ras, ſimul lanã & linũ tractare: duas artes iam inde ab innoxio illo ſeculo poſteris traditas, utiliſsimas rei familiari, & cõſeruatrices frugalitatis, cuius cõuenit in primis ſtudioſas eſſe fœminas. Non deſcendã ad minutiora, ne cui humiliora inſtituto meo perſequi uidear. Sed fœminã nullo modo placet mihi artiũ, quę manibus tractantur, imperitã eſſe: ac ne principẽ quidẽ, aut reginã. qd enim aliud potius aget, aut melius, uacua domeſticis negocijs? Cõfabulabitur ſcilicet cum uiris, aut alijs fœminis. Quibus de rebus? ſemper loquetur: nunq; conticeſcet? At cogitabit. quæ? Celer eſt cogitatus fœminæ, ac ferè incõſtans, uagus, peregrinus: neſcio quò lubricitate deuoluẽ ſua. At legere optimũ eſt: & id in primis cõſulo. ſed iam lectione feſſam, ocioſam uidere non poſſum. Nec Perſicas illas fœminas imitabitur, inter eunuchorũ agmina cantibus, cõmeſationibus, iugibus & ſempiternis uoluptatibus immerſas: quæ ad faſtidiũ uitandum ſubinde mutabantur, & unius finis initiũ erat ſequentis. nec efficere tamẽ poterant, ut uel hæc uarietas iucũditate animũ expleret: ſemper aliquid & in unaquaq; deſiderabatur, & in uniuerſis: laſsitudoq; & ipſe primus guſtus tædiũ illicò adferebat, tum repetebãt uoluptates damnatas. hinc quas maximè placituras exiſtimarãt, mira anxietate auerſabãtur. ita quũ nulla ſatisfaceret, aſpernabãtur omnes. Nimirũ non eſt ille uerus animi paſtus. Idcirco ſemper animus quidẽ ad diuerſa properabat, tãquam aliena percurrens. At in opere honeſto apud probas mẽtes, & actio reficit: & qd inde exiſtit, placet mirificè: & bene collocatas horas ducimus, quæ in hoc cõſumũtur: neq; aliud requietẽ ſuadet, q; fatigatio cõtinua intẽtionis: nec mutare uellemus, ſi per eam liceret. Diuus Hieronymus Paulã, nobiliſsimã fœminã, ex Scipionũ & Gracchorum gente, quæ etiã Agamemnonẽ illũ principẽ Regũ in ſtẽmate oſtendebat, diſcere uult lanã facere, tenere colũ, ponere in gremio calathũ, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere. Demetriadẽ quoq; pari nobilitate atq; opibus, habere iubet lanam in manibus, & uel ſtaminis pollice fila deducere, uel ad torquẽda ſubtegmina in alueolis fuſa uertere, aliarumq; neta aut in globũ colligere, aut texenda cõponere. Fuit enim ſemper lanificiũ honeſtæ fœminę exercitamentũ atq; ars. Romanæ omnes, quũ nuberẽt, fuſum & colum cum lana ad mariti domũ afferebãt, poſtesq; lana attingebãt, & coronabãt, quod illis religioſum fuit: tum ſuper lanatã pellẽ ſedere noua nupta iubebatur, ut diſceret, quid factura domi eſſet. hinc marito hęc dicebat uerba: Vbi tu Caius, ego Caia. Fuit Caia Tanaquil Ethruſca, ſummo loco nata, frugaliſsima mulier, ut ſi qua alia: Tarquinij Priſci regis uxor, quæ lanificio maximã operã curamq; adhibuit: ideo pro dea culta eſt, eiusq; ſtatuæ colus addita, pudicitiæ & induſtriæ monumentũ. Acclamabatur etiã in nuptijs creberrimè Thalaſsio, ceu quis dicat quaſillũ, in quo reponit lana: ut admoneretur operis ſui nupta. Itaq; hoc agere, argumentũ erat prudentis & pudicæ fœminæ. Regij iuuenes, quũ orta ſuper uxoribus contentione, Romã propere ueniſſent, cæterasq; regias nurus inter æquales cõuiuãtes, Lucretiã uerò nocte ſera deditã lanæ inter lucubrantes ancillas, in medio ædiũ ſedentẽ deprehendiſſent, pudicitiæ laus penes eam omniũ cõſenſu manſit. Redacto uniuerſo populi Rom. imperio in Auguſti poteſtatẽ, ipſe filiã et neptes ſuas lanificio uoluit aſſueſcere. Idem Carolus Magnus fecit. Terentius, quũ parcam & pudicã puellam deſcribit, Lana (inquit) & tela uictum quærítans. Salomon in encomio ſanctæ fœminæ, lanã & linum quæsijſſe illam dicit, & operatam conſilio manuum ſuarum. Nec referre puto, lana ſit an linum:

num:utrunq; ad usus uitę necessarios pertinet,& honestissima est fœminarũ occupatio.Anna Helcane uxor,Samueli filio suis ipsa manibus tuniculas dicitur annuas cõfeciſſe.Castissima Ithacensiũ regina Penelope uiginti annos,quibus Vlysses maritus abfuit,texẽdo fefellit. Reginæ Macedonũ,& Epiri,uestes maritis,fratribus,filijs,parẽtibus,ipsę proprijs manib.cõtexebãt & cõsuebãt:è quib.aliquot Alexander Magnus Persicis reginis ostendit,à matre & sororib.cõfectas.Apud Hispanas ueteres præmiũ fuisse certamini publicè propositũ tradũt rerũ scriptores,quæ plurimũ neuisset,aut texuisset:idq; statis temporib.iudicabatur,allatis in publicũ operibus:honosq; erat per magnus,ut quæq; multũ & industriè laborasset.Manet hodieq; idẽ studiũ frugalitatis in plerisq;,& ostẽtatur diligentia operis:tum apud optimas quasq; turpe est ociosam desidere.Regina Isabella,Fernãdi cõiunx,nere, suere, acupingere quatuor filias suas doctas esse uoluit.ex quibus duæ,Lusitaniæ fuerũt reginæ:tertiã uidemus Hispaniæ, Caroli Cæsaris matrẽ: quartã Britanniæ, Henrici octaui coniugẽ sanctissimã. Discet ad hæc culinariã,nõ illã popinariã sordidã immodicorũ ciborũ,& quæ plurib. ministret,quã publici coqui tractãt:nec uoluptatis nimiæ,ac gulæ: sed sobriã,mundã,temperatã,frugalẽ,qua parentib. & fratribus cibos paret uirgo,marito uerò & liberis nupta.sic enim & ab illis,& ab his nõ exiguã initura gratiã,si non omnia in famulas reiecerit,sed ipsa suis manib.curarit,& cõcinnarit:quæ iucũdiora erunt parentibus,uiro, liberis,quàm à famulab.ministrata:atq; eo magis,si ægrotẽt.Nemini culinæ nomẽ sordeat,necessariæ,& sine qua nec ægri conualescimus,nec uiuimus sani:quã nec Achilles rex & regis filius,& horũ præstantissimus,fastidiuit. ad quẽ quũ Vlysses,& Aiax, & Phœnix ueniſſent,de recõciliatione cum Agamemnone acturi,ipse paratis mensis præcinctus,culinã ac cibos curauit,optimos charissimosq; sibi Principes cõuiuio excepturus suaui,& sobrio.Spectat id quoq; ad frugalitatẽ,& mundicias.nam pręsente domina,aut filiafamiliâs omnia fiunt lautius,nitidius, adde etiam accuratius, minore sumptu.Quæ ista est tanta manuũ sollicitudo,aut tantũ culinæ fastidiũ,ut ne interesse quidẽ,aut spectare sustineãt,quod esurus est charissimus,uel parens,uel coniunx,uel etiã filius:Sciãt,quæ id agũt,fœdari magis manũ,si porrigatur alieno uiro,quàm si intingatur fuligine:turpius esse cõspici in chorea,quàm in culina:uilius,taxillos aut lusoria folia scitè tractare,quàm cibos:minus decere probã, gustare in comessatione potum ab alieno uiro traditũ,quàm sorbitiunculã uiro suo tradendam.Hanc ergo artem mea callebit fœmina,quo magis omni ętate suos demereatur sibi:& quo tum rectius ac purius,tum minoris curatæ dapes ad mensam ueniãt. Vidi ego & hic, & in Hispania,& in Francia,qui cõualuerint cibo ab uxoribus,aut filiabus,aut nurib. cocto:qui eas postea multo habuerint quàm antea chariores . Vidi contrà exosas uiris uxores, soceris nurus,patribus filias,quòd se artem negarint tenere instruẽdi epulas.Atq; adeò quòd uiri in hac Belgica cauponẽtur sæpe ac multũ, præcipuã esse causam autumo,negligentiã & ignauiã fœminarũ in coquẽdis cibis, quæ cogit uiros à domo abhorrere,& alibi quærere,quod domi non inueniunt.

DE DOCTRINA PVELLARVM.

IN puella instituenda longè plus uideo adhibendũ operæ,quàm uulgus hominum credat.Natura humani corporis protinus ab sua origine procliuis est ad flagitia,in ea nutu suo fertur,sicuti est sacris oraculis proditum. Propellunt eódem tot ubiq; occursantes mali,qui uel magistri sint,uel autores ad malitiam.quócunq; te uerteris,uerba se & facta praua ingerunt oculis.perimus ingenio nostro ad malum uergente,perimus tot exemplis, tanta conspiratione contra bonum:& acerbissimam præter cæteras infligit plagam,diaboli pugna capitalis.Quòd si pro bono nihil adsit, non monita,non præcepta sapientiæ,& rectè uiuendi:quid reliquum fiet misero homini ad extrema scelerum?Bene nobiscum ageretur,si uel recti notitia à tot malis oppugnantibus nos posset tueri: nedum ut nudi & destituti à bonis consilijs salui esse possimus. Stultè dixi facere illos patres,qui liberos suos bonum & malum scire uolunt. non minus & illi peccant, qui eos nec bonum scire patiuntur, nec malum. Vtinam inter tot malos transigere uitam possemus,malitiæ ignari.Sed bonum,si non tradas,nesciri po

teſt:malũ,etiãſi occultes,non poteſt celari,undiq; exiſtit,et ſe ꝓfert,nec ſe in obſcuro contineri patitur. Sunt multis ſuſpectæ doctæ fœminæ,ceu malitiæ naturali accedat adiumentũ aſtutæ eruditionis:quaſi uerò nõ & uiri eadẽ conditione ſuſpecti eſſe debeãt,ſi aſtuta eruditio prauo ingenio addat. Sed doctrina,quã ego toti humano generi uelim ꝓponi,ſobria eſt & caſta,quæ inſtituat,& meliores reddat:nõ quæ ad prauas animi libidines uel armet,uel inſtiget. Cuiuſmodi ſunt,ut loquar de fœmina, præcepta uitæ,& exẽpla ꝓbitatis:quorũ ſi peritia dãnoſa eſt,nõ uideo quomodo futura ſit ignorãtia utilis. Quid ergo? uis tu filiã tuã malũ callere,& bonũ ignorare? quæ igitur ad ſcelus adducẽt,tenebit? quæ à ſcelere abducẽt,ignorabit? tã iniquè de ſcientia bonorũ ſtatuis,ut nocituram eam arbitrere,quũ nõ noceat ſciẽtia peſſimorũ? Quũ ergo à uitio inuadetur,cui aſſueuit,q̃d erit præſidiũ ab honeſtato,quam nullo modo nouit? Quòd ſi iſta placet ſentẽtia,cur ad ſacras cõciones adducimus? cur docemus ipſi? caſtigamus,admonemus meliorũ? præſtabit credo rus ſeponere,& ingeniũ (ſi quod habent) debilitare,ac opprimere,denicꝫ beluas efficere ex hominb. ita enim lõgius aberũt à doctrina. Quærit Ariſtoteles philoſophus,cur tibicines,& muſici, qui feſtis ac celebritatib. mercede cõducti canũt,quos uulgus Grẽcorũ Dionyſiacos uocabat,uoluptatib. ſemper dediti,nunq̃ ad bonã ullã frugẽ peruenirẽt,ſed nequiter ꝓditis moribus uitã omnẽ degerẽt? reſpondet hinc fieri,ꝙ quũ ſemper inter delicias & cõuiuia uerſent,nec unq̃ philoſophiæ præcepta,quæ ad uitã ſanctè degendã pertinẽt,audiãt: nec ullũ,dũ rectè uiuit,aſpiciãt:aliter uiuere neſciũt,q̃ quomodo uel audiẽdo, uel uidẽdo,uel uſu didicerũt. Nihil porrò audierũt,nihil uiderũt,aut cõſueuerũt,niſi uoluptuariũ,& pecuinũ,inter uoces & clamores abſonos,inter ſaltãtes,oſculãtes, ridẽtes, edẽtes,potãtes,uomẽtes,inter ꝓfuſos immodica lętitia,& omni cura mẽtis morumq̃ abiecta. hæc eadẽ moríb. & tota uita ut exprimãt neceſſe eſt. Mulierẽ non facile inuenias malã,niſi quæ ignorat,aut certè non cõſiderat, quantũ ſit bonũ pudicitia:quantũ ſcelus admittat,ſi eam perdat:quàm turpi,& leui,& momẽtanea uoluptatis imagine, quantũ bonum cõmutet:quantũ ſimul malorũ agmẽ introducat,eiecta caſtitate. nec expẽdit,quę ſit corporea uoluptas,ut inanis et ſtulta res, et ꝓpter quã ne manus quidem eſſet uertenda:nedũ ut illud abijciat, quo nihil eſſe poteſt in fœmina pulchrius, ac præſtabilius. quàm leue ac uanum ſit comi anxiè, excoli, expoliri, magno ornari: quàm pernicioſum,aliorũ in ſe oculos & deſideria cõuertere. nã quæ hæc & ſimilia, uel naturali uirtute ac bono mẽtis,uel ex literis cogitare didicit,imbuto et munito pectore ſanctis cõſilijs, nunquã ut turpe aliquid admittat,animũ inducet:aut ſi inducat, retrahentib. à facinore tot ꝓbitatis preceptis,tot ſanctis monitis atq; adhortamentis, ex eo cõiectura fieri poteſt,qualis eſſet futura,ſi nihil de honeſto audiuiſſet. Ac nimirum ſi reuoluere atq; explicare ſuperiores ætates libet, nullã ferè inueniemus doctã, impudicã:imò uerò pleraq; omnia fœminarũ huius & ſuperiorũ ſeculorũ uicia (quæ ſunt ſanè inter Chriſtianas plura quàm unquã in ulla gentilitate aut Barbaria fuerũt) ex inſcitia ſunt ꝓiecta:quæ egregia illa ſanctorũ patrũ monita de caſtitate, de ſolitudine,de ſilẽtio,de ornamẽtis & cultu muliebri,neq; legerũt,neq; audierunt. quæ ſi quo modo cognouiſſent,fieri nõ poteſt,ut res eſſet in inſolentiã hanc progreſſa,adeò intolerabilẽ. illorũ rationes,atq; autoritas,& erũpentia cohibuiſſent flagitia, & graſſantia cõpreſsiſſent. Obijciet fortaſſe aliquis ex omni memoria gentiles unã aut alterã, Sapphum poetriã ſummã,quæ nõ ſatis caſtè Phaonẽ adamarit: & Leontiũ Metrodori cõcubinam,quæ aduerſus Theophraſtũ ſcripſerit: & Semproniã,græcè & latinè doctã, quã Saluſtius parũ integrè pudicitiã habuiſſe refert. ceu uerò pro his tribus adnumerare nõ ipſe ſexcẽtas queã,quas ad maximas uirtutes euexit eruditio,nõ modò de noſtris,ſed de Barbaris quoq;. Verùm antequã id facio, de hiſce trib. loquar. Autores habeo magni nominis,qui Sapphum Lesbiã lyricã doctiſsimã, non illã eſſe putẽt, quæ Phaonẽ deperierit:ſed aliã,magna ut eruditione,ita cõtinentia uitæ. Tũ Leontiũ non uenit ad Metrodorũ docta,ſed illius domi eruditionẽ ꝓcepit,et eius generis eruditionem,quæ ad mores minimũ cõferret,nẽpe Epicureã,omnia uoluptate metientẽ. unde illi in Theophraſtũ rabies,qui uoluptatẽ inceſſeret. Semproniæ doctrina nõ fuit,

quam

quã nos probæ fœminæ cõcedimus,rerũ moraliũ,& rationis uitæ bene agẽdæ.tantũ erat sermonis cuiusdã expolitioris cura:qua nõ ita multũ laboris collocari uolumus. Idẽ poterat de Sappho respõderi.Iam si nos doctas acies explicarimus,,pdibũt,Cornelia Gracchorũ mater,quæ ipsa pudicitiæ exẽplar,filios suos edocuit:Lælię,Mutię, Portia Bruti,quæ de Catonis patris sapiẽtia copiosè hausit: Cleobulina, Cleobuli uni° ex Septẽ sapiẽtib.filia quæ tã dedita literis & sapiẽtię uixit,ut Venerẽ omnẽ asper nata,uirgo pmãserit.Cui° exẽplũ secuta est Pythagorę filia,quæ patris scholã eo mortuo rexit,uirginũq; choro præfecta est.Ex eadẽ secta & disciplina Theano Metapõti nata,insignis etiã uaticinio,singulari splẽduit castitate.Sibyllas decẽ,Hiero.uirgines fuisse,pdit.Cassãdrã itidẽ,& Crisẽ,uates Apollinis ac Iunonis,uirgines legim°:id ferè cõmune fœminis uatib.fuit. Pythia Delphis nõ aliter q; uirgo respõsa cõsulentib. edebat:quarũ prima Phemonoe,heroici carminis inuẽtrix fert.Sulpitiã Caleni præcepta de cõiugio cõscripsisse,significat Val.Mart.sed quæ ipsa pri° uita sua expresserat:

Omnes (inquit ille) Sulpitiam legant puellæ, Vni quæ cupiunt placere uiro.
Omnes Sulpitiam legant mariti, Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Castos hæc docet,& pios amores: Lusus,delicias,facetiasq;.
Cuius carmina qui bene æstimarit, Nullam dixerit esse sanctiorem.

Constat ætate illa nullũ maritũ Caleno fuisse fœliciorẽ,Sulpitia uxore.Hortẽsia,Hortensii Oratoris filia,patrẽ ita effinxit dicẽdo,ut honestissima & uenerabilis fœmina, rationẽ ad Triũuiros reip.cõstituendę habuerit pro sexu suo: quã posterior ætas nõ modò in admirationẽ & laudẽ muliebris facundiæ,sed ad imitationẽ quoq; legit, ut Ciceronis scripta,uel Demosthenis. Ædesia Alexãdrina, Syriani philosophi propinqua,ingẽti et doctrina et puritate morũ,cuo suo miraculo fuit.Corinna Tanagręa,Archelodori filia,adolescentula prudẽtissima,Pindarũ uatem carminũ certamine quinquies uicit.Theia Erinna,quę Platonis ętate nondũ uiginti annos nata fato cõcessit, Homerũ maiestate heroici carminis fertur æquasse,quã ille Apollini cõparetur. Eunomia uirgo Christiana,sicuti apud Hieron.legit,Nazarij Rhetoris filia,in eloquentia patri coæquatur. Paula Senecæ mariti doctrina instructa,mores quoq; æmulata est.Seneca idem Albinã matrẽ suã sapientũ præceptis, mariti iussu imbutã tantũ, nõ item eruditã dolet. Argentaria Polla Lucani cõiunx, quæ marito mortuo Pharsaliæ opus emendauit,etiã adiutasse in scribendo uirũ dicitur:insignis genere,opibus,forma,ingenio,pudicitia.de qua sic Calliope apud Statium Lucano loquitur:

Nec solùm dabo carminum nitorem, Sed tædis genialibus dicabo
Doctam,atq; ingenio tuo decoram, Qualem blanda Venus,daretq; Iuno,
Forma,simplicitate,comitate, Censu,sanguine,gratia,decore.

Quinq; filias Diodorus dialecticus habuit,illustres artibus,& pudicitia:quarũ historiam Philo Carneadis magister persecutus est. Zenobia Palmyrænorũ regina, etiam Græcè & Latinè calluit,& historiã cõposuit:cuius,ut aliarũ quarundam,incredibilis cõtinentia,proximo à nobis libro reddetur. Quid Christianas loquar:an Teclã Pauli discipulã,dignã tanto magistro discipulã:an Barbarã,edoctã ab Origene Adamantio:an Catharinã Alexandrinã,Costi filiam:quæ disputãdo maximos & exercitatissimos philosophos superauit. Cognominis eius Catharina Senensis uirgo, doctissima monumenta ingenij sui reliquit,in quibus illa sanctissimi animi relucet. Nec nos gẽtilitati suas uates inuidemus:quippe qui quatuor etiã in eadẽ habeamus domo uirgines uates,Philippi filias.Hieronymi temporib.sanctæ omnes fœminæ,doctissimæ fuerũt.utinã illis nõnulli ætatis huius senes Theologi eruditione pares essent.Scribit ad Paulã,ad Lætã,ad Eustochiũ,ad Fabiolã,ad Marcellã,ad Furiã,ad Demetriadem, ad Saluinam,ad Herontiã Hieron. ad alias Ambrosius, ad alias Augustinus, ad alias Fulgentius:suspiciendas omnes ingenio,literis, uita. Valeria Proba, quæ uirũ unicè dilexit, Vergiliocentones de Christo Domino cõposuit. Eudociã Theodosii iunioris,rerũ scriptores nõ minus clarã peritia rerũ & probitate narrant,quàm imperio. cuius dicitur esse, qui circumfertur Homerocentron. Hildegardis Germanæ uirginis epistolæ, & eruditi libri sunt in manibus. Ætas nostra quatuor illas Isabellæ reginæ

filias,quas paulò antè memoraui,eruditas uidit.Non ſine laudibus et admiratiõe refertur mihi,paſsim in hac terra,Ioannã Philippi cõiugem,Caroli huius matrẽ,ex tempore Latinis orationib.quę de more apud nouos Principes oppidatim habẽtur,Latinè reſpõdiſſe.Idem de Regina ſua,Ioannæ ſorore,Britanni prædicãt.Idem omnes de duabus alijs,quæ in Luſitania fato cõceſſere.quib.quatuor ſororib.nullæ memoria hominũ mulieres ſynceriore pudicitia,nullæ puriore ac integriore fama,nullæ populis ſuis gratiores atq; amabiliores Reginæ extiterũt,nullæ magis amarunt coniuges ſuos,nullæ obſequẽtius eis paruerũt,nullę accuratiº ſe ac ſuos omnes ſine labe cõſeruarũt,nullis magis fœditas aut laſciuia diſplicuit,nullæ abſolutius & exactius numeros omnes probæ fœminæ impleuerũt.Creſcentẽ Valentię meę uideo Menciã Mendozam,Marchionis Zeneti filiã,quæ olim(ut ſpero) celebrabit.Si reginæ poſt ſe de priuatis fœminis mentionẽ fieri paterẽtur,adderẽ huic numero Angelã Zabatam,ciuem meam,incredibili ad omnis generis literas ingenij celeritate ac dexteritate,pudicitia ac prudentia ſingulari:tum Thomę Mori filias,Margaritã,Elizabetã,Cæciliã, atq; earũ conſanguineã Margaritã Gigiam:quas pater nõ contẽtus eſſe caſtiſsimas, etiam doctiſsimæ ut eſſent curauit:ſic fore iudicans,ut uerius firmiusq; eſſent caſtæ. In quo nec uir ille ſapiẽtiſsimus fallit,nec alij qui idem cenſent.Res enim eſt literariũ ſtudiũ,primùm quæ mẽres hominũ occupat totas, deinde in cogitationẽ attollit pulcherrimarũ rerũ,ut à turpitudinũ cogitationib. auocet animos:& ſi qua talis cogitatio obrepat,uel eam ſtatim præceptis ac cõſilijs bene uiuẽdi munita mens pellit,uel aurem nõ præbet rei abiectiſsimę ac ſpurciſsimę,quũ alias ipſa,puriſsimasq;,ſolidas & maximi decoris uoluptates habeat,quibus ducat.Hinc puto Palladẽ ingeniorum atq; artiũ deam.Muſasq; omneis uirgines eſſe à uetuſtate exiſtimatas.Nec à libidine ſolum abhorrebit pectus ſapiẽtiæ deditũ,hoc eſt à fuligine res candidiſsima,& à maculis mũdiſsima,ſed à leuib. quoq; & nugacib.oblectamẽtis,quibus leues puellarũ tentãtur animi:uelut à ſaltationibus cantiũculis,& luſibus eiuſcemodi laſciuis ac ineptis.Nunq;,inquit Plutar. ſaltationib. ſe mulier recreabit literis addicta. Sed quæ nã ſint iſtæ literæ,quib.fœmina formabitur?quæret aliquis.et quas imbibet?Initio diſputationis huius id attigi:Sapientiæ ſtudia,quæ mores ad uirtutẽ fingãt:ſtudia ſapiẽtiæ, quę rationẽ doceãt optimè & ſanctiſsimè uiuendi.De eloquẽtia nihil ſum ſollicitus: nõ indiget ea mulier,probitate ac ſapientia indiget.nec turpe eſt fœminã tacere:fœdum & abominandũ,non benè ſapere, malè uiuere. Sed nec protinus eloquentiã in hoc ſexu improbarim,quam Quintilianus,et hunc ſecutus diuus Hieron.laudatã in Cornelia Gracchorũ matre perhibẽt,et in Hortenſia Q.Hortẽſij filia,& in Eunomia Nazarij filia.Si fœminã aliquã inuenire ſit ſanctã & doctã,quæ erudiat,hanc malim: ſin minus,uirũ deligamus uel grandæuũ,uel certè optimũ et probatiſsimũ:neq; hunc cœlibẽ,ſed cui uxor ſit,& quidem nec deformis,et chara:ita demũ in alienas minimũ exardeſcet.Neq; hæc fuerũt prętermittẽda,quũ in educãda fœmina potiſſimã,ac neſcio an ſolam curã uendicet pudicitia.Quũ docebit legere,ij libri ſumantẽ in manus, qui mores cõponant:quũ ſcribere,ne ſint ocioſi uerſus,q ad imitationẽ proponũtur: nec laſciua quæpiã,aut uana cantiũcula:ſed graue aliquod dictũ,prudẽs & ſancta ex literis Sacris aut philoſophorũ monumẽtis ſentẽtiola,quam ſæpius ſcriptã,tenacius memoriæ affigat.Et in dicẽdo quidẽ nullũ,ut uiro,ſic neq; fœminæ finem ſtatuo,niſi q; uirum pluriũ ac uariarũ cognitiõe rerũ inſtructũ eſſe par eſt,quæ & ipſi proſint,& reip.tum uſu,tum etiam eruditiõe in alios trãsfundẽda,& ꝓpaganda.Mulierẽ totam eſſe uolo in ea parte philoſophiæ,quæ mores ſibi formãdos ſumpſit,ac meliores reddendos. Ad hoc ſibi uni diſcat,uel ad ſummũ liberis, pueris adhuc,aut ſororibus,in Domino,neq; eã ſcholis præfici fœminã decet,nec inter uiros agere,aut loqui,et uerecundiã pudoremq; uel totũ,uel magna ex parte in publico deterere primùm, hinc paulatim excutere,dum alios docet.quã,ſi ꝓba ſit,domi ſedere potiº,et alijs incognitam eſſe cõuenit.In cœtu uerò demiſsis oculis,pudibundã tacere:ut uideãt quidẽ eã ſanè nõnulli,audiat nemo.Apoſt.Paulus,uas electionis,eccleſiã Corinthiorũ ſanctis præceptis inſtruẽs:Mulieres,inquit,ueſtræ in Eccleſia tacẽto. neq; enim permittit illis

lis loqui,sed subditas esse,ut lex iubet.si quid uerò cupiũt discere,domi uiros ꝓprios interrogẽt.Et Timotheo discipulo suo sic scribit:Mulier in silentio discat,cum omni subiectione.docere aũt mulieri nõ permitto,neq; autoritatẽ habere in uirum:sed esse in silentio.Adam enim primus fictus est,deinde Eua:& Adam non est seductus,mulier aũt seducta,in pręuaricatiõe fuit.Itaq; quoniã infirmũ ãnimans est fœmina,& iudicio inualido,quodq; falli est in ꝓcliui (quod ostẽdit parẽs hominũ Eua,quam leui argumẽto cepit diabolus) idcirco docere illã non oportet,ne quũ sibi falsam de re aliqua opinionẽ persuaserit,autoritatẽ docẽtis in auditores transfundat,& alios quoquè in errorẽ suũ facilè pertrahat,nẽpe ultrò doctorẽ sequentib.discipulis. Non excidit mihi,quasdã esse de fœminis parũ idoneas percipiẽdis literis,utiq; sicut inter uiros.Harum nõ est abiiciẽda cura.exhibendũ sermone,quod scripto nõ potes:& à doctis aliis sui æqualibus discant,siue dum illæ legunt,siue dum ea referũt quæ legerũt.

QVI NON LEGENDI SCRIPTORES, QVI LEGENDI.

SAnctus Hieronymus ad Lætam de Paula instituẽda scribens, sic præcipit:Nihil discat audire, nihil loqui,nisi quod ad timorẽ Dei pertinet.Haud dubium,quin idem de lectione cõsulturus.Inualuit cõsuetudo quauis gentilitia peior,ut uulgares libri,qui in hoc scribuntur,ut ab ociosis tum uiris tum fœminis legantur,nullam habeant aliam quàm de bellis aut amoribus materiã. De quibus libris ne præcipiendũ quidẽ puto,si modò inter Christianos uerba facimus. Quid ego quãta sit ea pestis dicam? quũ igni stipulæ,& arida subiiciunt ligna. At scribunt hæc ociosis.ceu uerò nõ satis per se magnũ sit uitiorũ omnium fomentũ ocium,nisi & faces subdãtur,quibus ignis hic cunctũ simul hominẽ ualidè corripiat,& exurat. Quid puellæ cum armis? quæ ipsi uel nominare dedecus est.Narrãt mihi quibusdã in locis morẽ esse,ut puellę nobiles ludicra armorũ auidissimè spectẽt:etiam de armis,deq; uiris fortib.iudicium ferant.uiri uicissim illarũ censurã plus reuereãtur,pluris faciãt,quàm uirorũ. Non facile animus est pudicus,quẽ ferri,& lacertorũ,et uirilis roboris cogitatio occupauit. Quis inter hæc inermi & imbelli atq; imbecillæ pudicitiæ locus relinquit? Fœmina, quæ illa meditatur,uenenũ pectore imbibit: cuius hæc cura,hæc uerba apertissima indicia sunt.Lethalis est hic morbus:nec detegẽdus tamen à me,sed obruendus atq; opprimẽdus,ne alias & odore offendat,et cõtagio inquinet.Arma igitˉ quũ Christianum uirũ tractare,nisi in acerrima atq; ineuitabili necessitate fas non sit,spectare fœminã fas erit? & si nõ manibus,certè quod grauius est,animo & corde uersare ? Deinde quid mihi amores alienos legis? & blanditias et ueneni illectamẽta sensim hauris ignara,et plerunq; uidens ac prudẽs:quum nõnullæ,in quibus nihil iam supereſt bonæ mentis,ad hæc legẽda ueniãt,ut eiusmodi sese amatorijs cogitationib,suauissimè pascant.Has nõ modò præstaret nunquã didicisse literas,sed perdidisse etiam & oculos ne legerẽt,& aures ne audirẽt.Quanto has satius esset cæcas & surdas,ut Dominus in Euangelio dicit,ingredi in uitam,quàm cum geminis oculis auribusq; mitti in gehennã ignis? Hæc puella usq; adeò Christianis turpis est,ut etiam Barbaris esset pudẽda,ac detestãda.Quo magis miror sacros cõcionatores,quũ plerunq; res minutas maximis tragœdijs exagitẽt,hoc singulis cõcionibus nõ clamare. miror cordatos patres hoc suis filiab.permittere, maritos cõcedere,mores & instituta populorũ dissimulare,ut nequitiæ assuescãt fœminæ legẽdo. Decet humanas leges,& magistratus,nõ fora solum,& lites spectare:sed mores quoq;,& publiquos,& priuatos.Itaq; cõueniret,libidinosa carmina & spurca,de uulgi ore per leges tolli.ceu uerò cani in ciuitate nihil debeat,nisi fœdũ? & quod audire nemo probus queat sine pudore? nemo sapiẽs sine indignatiõe ? ut uideãtur,qui eiusmodi cantiũculas cõponunt,nihil laborare magis,quàm ut publicos iuuẽtutis mores corrũpant,non secus ac qui publicos fontes uenenis inficiũt.Quis hic est mos,ut cantio nõ existimetur,quæ uacet turpitudine? Hoc ergo curare leges & magistratus congruit.Tum et de pestiferis libris, cuiusmodi sunt in Hispania Amadisus, Splandianus, Florisandus, Tirantus, Tristanus:quarũ ineptiarũ nullus est finis,quotidie prodeũt nouæ:Cœlestina læna,nequitiarum parens,carcer amorum.In Gallia Lancilotus à lacu,Paris et Vienna,Ponthus & Sydonia,

& Sydonia, Petrus Prouincialis & Maguelona, Meluſina, domina inexorabilis: in hac Belgica Florius, & Albus flos, Leonella, & Cana morus, Curias & Floreta, Pyramus & Thisbe. Sunt in uernaculas linguas transfuſi, ex Latino quidã: uelut infacetiſſimę facetię Poggij. Euryalus et Lucretia, Centũ fabulę Boccatij. quos omnes libros cõſcripſerunt homines ocioſi, male feriati, imperiti, uitijs ac ſpurcitiæ dediti: in queis miror quid delectet: niſi tam nobis flagitia blandirẽtur. Eruditio nõ eſt expectanda ab hominibus, qui ne umbrã quidẽ eruditionis uiderãt. Iam quum narrãt, quæ poteſt eſſe delectatio in rebus, quas tam apertè & ſtultè cõfingunt: hic occidit ſolus uiginti, ille triginta: aliud ſexcẽtis uulneribus cõfoſſus, ac pro mortuo iam derelictus, ſurgit protinus, & poſtridie ſanitati uiribusq; redditus, ſingulari certamine duos Gigantes proſternit: tum procedit onuſtus auro, argento, ſerico, gemmis, quãtum nec oneraria nauis poſſet portare. Quæ inſania eſt ijs duci, aut teneri? Deinde argutũ nihil eſt, præter quædam uerba ex penitiſsimis Veneris ſcrinijs deprompta, quæ in tempore dicuntur ad permouendam concutiendamq; quã ames, ſi fortè ſit paulò cõſtantior. Si propter hæc leguntur, ſatius erit libros de arte lenonia (ſit honos auribus) ſcribi. nam in alijs rebus argutę quæ poſſunt proficiſci ab ſcriptore omnis bonę artis experte? Nec ullum audiui affirmantẽ, illos ſibi libros placere, niſi qui nullos attigiſſet bonos. & ipſe interdũ legi, nec ullum reperi uel bonæ mentis, uel melioris ingenij ueſtigium. nam eis qui eiuſmodi laudãt, quorũ ipſe quoſdã noui, ita demũ fidem habebo, ſi id dixerint, poſtquã Senecã, aut Ciceronẽ, aut Hieronymũ, aut Sacras literas deguſtarint, morib. quoq; fuerint nõ omnino corruptiſsimi. Nam plerunq; ea ſola eſt laudandi cauſa, quod in illis, ceu in ſpeculo mores ſuos cõtemplentur, & approbari gaudeant. Poſtremò etſi eſſent acutiſsima, ſi iucunda, nolim tamẽ uoluptatẽ ueneno illitam, nec exacui fœminã meã ad flagitiũ. Profectò ridenda eſt maritorũ dementia, qui permittũt ſuis uxoribus, ut eiuſmodi legendis libris aſtutius ſint prauę. Quid de ineptis & imperitis Scriptoribus loquar: quũ acutiſsimos iuxtà & doctiſsimos poẽtas Græcos Latinosq;, qui amatoria cecinerunt, uetet Ouidius attingi ab eo, qui mores impudicos fugiat? Quid dici poteſt Callimacho, Phileta, Anacreonte, Sappho, Tibullo, Propertio, Cornelio Gallo, poẽtis, iucundius, dulcius, ſuauius, argutius, omni eruditionis genere excultius atq; expolitius: quorum ingenium & Muſas tota Græcia, tota Italia, totus orbis admiratus eſt. & tamen reijciendos caſtis pręcipit, inquiens in ſecundo libro de Remedio amoris:

Eloquar inuitus, teneros ne tange poetas:
Summoueo dotes impius ipſe meas,
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori,
Et cum Callimacho tu quoq; Cõe noces.
Me certè Sappho meliorem fecit amicę,
Nec rigidos mores Theia Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo? ad poſtremũ ſe quoq; uitari iubet:
Et mea (inquit) neſcio quid carmina tale ſonant.

Sonant certè, & ea de cauſa à bono principe in exiliũ meritiſsimũ ad Getas expulſus es. In quo ſubit admirari ſeueritatẽ uel ſeculi, uel Principis illius. Viuimus in ciuitate Chriſtiana, quis hodie autori ſimiliũ carminũ uel leuiter ſuccenſet? ſuccenſet uerò? quis nõ amplectitur, nõ fauet? Pellit Plato ex republica, quam inſtituit bonorũ hominum, Homerũ & Heſiodũ poetas. At hi quid turpe habent præ arte amandi Ouidij? quę à nobis legitur, habetur in manibus, teritur, ediſcitur? Sunt magiſtri, qui ſuis diſcipulis prælegãt. ſunt qui editis cõmẽtarijs, nequitiæ uiã aperiãt. Videlicet Ouidiũ Auguſtus relegauit, & hos Ouidij interpretes in ciuitate retinuiſſet? niſi plus eſſe credimus ſcripſiſſe turpia, q; explicare: & noua adoleſcẽtię pectora tã honeſtis fœcundare ſeminibus. Exul eſt, qui põdera, qui mẽſuras fraudauit: exurit, qui adulterauit numũ, qui falſauit inſtrumentũ. In reb. paruis qui tumultus? et honoratus eſt in ciuitate, atq;

etiam

etiam magiſter ſapiẽtiæ,corruptor iuuẽtutis? Fœminæ igitur hi omnes libri nõ ſecus quàm uipera uel ſcorpius auerſandi ſunt.Si qua eſt,quæ ſic horũ librorũ teneatur lectione,ut ponere de manib.nolit,huic nõ modò illi extorquẽdi ſunt:ſed ſi ægrè ac inuita meliores euoluit,danda opera uel à parentib.uel ab amicis,ut nullos legẽdo,literas deſueſcat,& (ſi fieri poteſt) dediſcat penitus. Conſultius eſt enim,bona re carere, quàm malè uti.Proba fœmina nec tales libros in manus ſumet,nec ſpurcis cantiũculis os ſuũ cõtaminabit:& quantũ præſtare poterit efficiet,ut aliæ ſimiles ſui ſint bene agendo ſimul & bene monẽdo:adde his etiam,iubẽdo & præcipiẽdo,ſi hoc ei liceat. Porrò quí nam libri ſint legẽdi (nam hoc quærat aliquis) de quibuſdã nemini nõ cõſtat:uelut de Euangelijs Domini,de Apoſtolicis tum actis,tum epiſtolis, de hiſtoricis & moralib. Veteris inſtrumẽti,de Cypriano, Hieronymo,Auguſtino,Ambroſio, Chryſoſtomo, Hilario,Gregorio,Boëtho,Fulgẽtio,Tertulliano,Platone,Cicerone, Seneca,& ſimilib.Super quibuſdam conſulẽdi ſunt docti & cordati uiri,nec temere ſuũ iudiciũ ſequet fœmina:nec leuiter diſciplinis & literis intincta, falſa ꝓ ueris,perniciosa ꝓ ſalubrib.inepta et ſtulta ꝓ grauib.et approbatis admittat.Erit omnino ſciendi cupida, ut rectius uiuat:in iudicãdo aũt meticuloſa.nec de dubijs ꝓnunciabit:ſed tenebit ea quæ uel Eccleſiæ autoritate uidebit approbata,uel conſenſu optimorũ.& meminerit ſemper, ac recolet,nõ de nihilo eſſe,ꝙd Paulus docẽdi aut loquẽdi in Eccleſia munere fœminis interdixit:ſed ſubdi uiris,et tacitas quę opus ſit addiſcere.Neque uerò poetis carebit,ſi capiat numeris.aderũt Prudentius,Arator,Proſper,Iuuencus,Paulinus,qui nõ multũ antiquis cõcedant.Inueniet profectò in autorib.lectu dignis, omnia acutiora,pleniora,maioris & certioris uoluptatis,paſtũ deniq; animi iucundiſsimũ: quæ omnia tum uitæ proſint,tum animũ mentemq; mira delectatione perfundant.Itaque feſtis diebus aſsiduò,& profeſtis interdum,legenda uel audienda ſunt,quæ mentem in Deum extollant,quæ pectus in quietem Chriſtianam componant,quæ mores meliores reddant. Optimum erit,antequã ad rem ſacrã exeas,Euangelium domi & epiſtolam eius diei legere:addita,ſi habes,expoſitiũcula.Sacris operata,ubi domũ redieris,remq; familiarem curaris,ſi qua ad te illius ſpectat cura,ſedato & tranquillo animo aliquid ex illis legere,quæ diximus,ſi modò ſcis legere: ſin neſcis,audire.Profeſtis aliquot diebus idem agito,præſertim ſi alijs operibus domi neceſſarijs non impediris.magis etiam,ſi libri ſint ad manũ:maximè,quum interuallum eſt inter feſta, ſolito maius. Caue credas,ferias eſſe ab Eccleſia inſtitutas,ut ludas,ut ocioſa cõfabuleris cum æqualibus:ſed ut tum demũ intentius,& tranquilliore mente de Deo cogites,de uita hac noſtra breuiſsima,deq; illa in cœlis ſempiterna.

DE VIRGINITATE.

TAnta eſt uirginitas,tamq; admirabilis,ut pauca de illa dici nec poſsint,nec debeant.nos tamẽ inſtitutã breuitatẽ obtinebimus,ut qui recordamur præceptores eſſe nos,nõ præcones. Virginitatẽ uoco,integritatẽ mẽtis,quę etiam in corpus dimanet:integritatẽ porrò,ab omni corruptiõe ac cõtagio.Huius generis uita nulla eſt cœleſti ſimilior. Illic enim abrogata lege carnis,tanquã angeli Dei erimus,nihil iam deinceps à ſexu ſentiẽtes:ubi nullæ nec uirorũ erunt,nec fœminarũ nuptię. Quid inter res cõditas,uel purius eſt angelicis mentib.uel à ſexu & cõmiſtione generationis & corporis ſeruitute liberius? quid inter homines magis hoc exprimit,q; uirginitas? Cæterũ puritatis huius ac ſynceritatis præcipua pars,ac propè tota in animo eſt ſita, in quo & fons uirtutũ omniũ.Nam corpus terrenũ ac brutũ,adminiſtrũ eſt ſolum noſtræ uolũtatis:neq; illud ſpectat Deus,aut curat,alieniſsimũ à ſe:ſed mentẽ,naturã ſibi ſimilẽ,& quadãtenus propinquã. Quapropter quæ cõtaminato animo corp⁹ integrum ſeruant,uirginitatis ſibi uel nomẽ ſultè arrogãt,uel laudẽ. Huiuſmodi Dominus in Euangelio ſuo uirgines appellat fatuas,quæ non aliter uirgines ſunt,q; mortuæ,uel depictę.quid em̃ fatuũ,niſi ꝙd ſaporẽ naturę nõ reſipit? Virgo fortaſsis hominibus fuerit,qui oculis carneis carnẽ intuentẽ:Deo ꝓfectò nõ erit,qui ſpiritus ſpiritu cernit. Quid,ꝙ ne hominib.quidẽ eſt ꝓ uirgine? Declamator ille de ſeculo,inceſtam eſſe eam ꝓnunciat,etiam ſine ſtupro,quæ cupit ſtuprũ.Si quæ cõtagiũ in ſe hominis

admittit,

admittit,uirginitatis amittit decus,& nomen: quæ diabolis proſtituta eſt,quomodo poterit uirgo Chriſti nominari? quę cõuentio Chriſti ad Belial? quid puriſsimo Deo cum animo impuro? Nec immeritò diſceſſum à Deo Sacræ literæ fornicationem appellant:quòd animus noſter caſtitatẽ ſuã uni Deo debitã, adulteris proſtituit. Rectè Fulgentius: Virginitatẽ,inquit,carnis per hominẽ nititur diabolus præripere, cordis uerò uirginitatem per ſeipſum conatur auferre.Illuc ergo admouenda ſunt ualidiora præſidia,quo maius periculũ incumbit.mens eſt diligẽter muniẽda,ne in uirgineo ſit corpore uiolata,ut omnes diuitiæ,omnis pulchritudo integritatis ibi firma atq; inexpugnabilis perduret.Filia regis in Pſalmo quadrageſimo quarto, etiã ſi ornata aureis fimbriis,& circũamicta uarietate,tamẽ gloriã omnẽ introrſum cõuertit.hęc eſt Eccleſia uniuerſa:de qua Auguſtinus ait,quòd deſpõſata eſt uni uiro Chriſto,ſicut Paulus ad Corinthios ſcribit. Quanto igitur digna ſint honore membra eius, quæ hoc cuſtodiunt etiã in ipſa carne,quod tota cuſtodit fide,quę imitantẽ matrẽ uiri & domini ſui? nam Eccleſia quoquè uirgo & mater eſt.Sic Auguſtinus. Eiuſmodi uirgines meritò, quod Fulgentius ſcribit,à uirtute nomẽ accipiũt.Iſtis unigenitus Dei filius,unigenitus etiã uirginis filius,ſponſus eſt:ſanctæ uirginitatis fructus,decus,& munus, quem corporaliter ſancta uirginitas peperit, cui ſpiritualiter ſancta uirginitas nubit, à quo ſancta uirginitas fœcundatur,ut perſeueret intacta:à quo donatur,ut permaneat pulchra:à quo coronatur,ut regnet perenniter glorioſa.tantũ Fulgentius. O felicem uitæ cõditionem,quæ iam nunc in hoc mortali corpore meditatur,quod futuri ſumus in æternitate.quæ in Chriſto patrẽ habet,& ſponſum,& filiũ: ne nihil in illo ſit, cuius ad uirginẽ ius nõ pertineat.Sed tu ſponſa es Chriſti,per integritatẽ mẽtis:uide ut maiore ſollicitudine ad cuſtodiã huius excubes,& corporis.ut hãc quidẽ ſerues, multũ eſt operæ ponendum:ſed ut illam,multo plurimũ, ſiue ut rectius loquar,uniuerſum. Quantumcunq; uales,oculos & aures claude, quà ingreſſus machinis diaboli oppugnantis.cogitatus rege,et habe in tua poteſtate,ne arcẽ animi tui prodãt praua aliqua dulcedine illecti,ac uenditi.Nec exigua res eſt uirginitas corporalis,quã omnes geſtant in oculis,uel impudicis quoq; hominib.reuerẽda:ut nõ iniuria poëtę fabulẽtur, Maieſtatẽ in terras delapſam,ipſis quoq; uirginib.nõ aliter aſsiſtere,quàm regibus & magiſtratib. Inter deos ipſos gentiliũ, alioqui ſpurciſsimos, Cybelen,quã illi omnes uocabãt matrẽ,uirginẽ fuiſſe uolũt.Diana deis gratioſiſsima,quòd perpetuæ ſe uirginitati conſecrarit.Mineruã tria eximia ſuſpiciendã reddebant,uirginitas,fortitudo,ſapiẽtia:& de Iouis cerebro (quẽ illi maximũ, principemq; exiſtimabãt,& patrẽ deorũ ac hominũ) nata fingebãt:unde nefas erat oriri quicq;,niſi purũ,caſtũ,ſapiẽs,magnũ planè & admirandũ.ita coniunctã putabãt ſapientiæ uirginitatẽ,ut eundẽ ſeptenariũ numerũ & caſtitati & ſapientiæ dicarint:tum Muſas omnes ſcientiarũ præſides,uirgines eſſe perhibuerint.In templo Delphici Apollinis ſapientiſsima fœmina,quæ affatu diuino plena cõſulentibus futura præcinebat,uirgo ſemper fuit: quam uulgò Pythiam cognominabãt.omnes etiã Sibyllas, quas Varro decẽ numerat, Hieronymus uirgines fuiſſe perhibet.Romæ templũ fuit Veſtæ,cui à uirginibus miniſtrabãt, quas Veſtales uocabãt.ijs aſſurgebat cunctus Senatus,his magiſtratus omnes de uia decedebant,maximoq; in honore fuerũt apud totũ populũ Rom.Semper ſacra ac uenerabilis res caſtitas fuit,& potiſsimũ uirginitas,etiam inter latrones,ſacrilegos,facinoroſos,nefarios homines,inter feras quoq; beſtias tuta & reuerẽda. Tecla (inquit D.Ambroſius) naturã beſtiarũ uirginitatis ueneratione mutauit. Tantum habet uirginitas admirationis,ut eam uel leones mirentur ipſi. Quanti igitur æſtimãda ea res eſt, quæ fœminas ſæpenumero ab imperatoribus, à tyrannis, à magnis exercitib. uendicauit ac tutata eſt? Legimus raptas plerunq; fœminas,dimiſſas eſſe ab inſolentiſsimis militibus, tantum reſpectu uirginalis nominis, q uidelicet uirgines ſe eſſe affirmaſſent, nefas enim exiſtimabãt,propter breuiſsimã & momentaneã delectationis umbram, tantũ bonũ imminuere:malebatq; unuſquiſq; tanti facinoris autorẽ quemuis potius eſſe, quàm ſe. O nefariam puellam, & uita indignam, quæ ſe ultrò eo priuat bono, quod rapere milites omnibus ſcelerum generibus aſſuefacti reformidãt:uel amatores ipſi,

res ipſi,ardore cæci,furore amentes cunctãtur.nullus eſt enim amans tam perditus, cui ſi ſuccurrat uirginem eſſe,quam deperit, non expergiſcatur, non oculos aperiat, non ſumat iudicium, non deliberet quid ſit acturus,& de mutanda mente conſultet: uſq; adeò expauent omnes tanti precij bonum tollere, quod poſtea nec retinere ipſi poſſunt,nec reddere,quũ tamen nihil ipſis depereat. Scelerata puella non contremiſcit id perdere,quod perditũ ſemel,recuperare in poſterũ nulla ratione ualeat: quum maximũ quod habebat bonũ,ipſi pereat.Et ſi affectus aliquid ualent,ut ualere plurimum par eſt,iuſtos præſertim & honeſtos,uertat ſe quoquò uolet puella amiſſa pudicitia,omnia inueniet ſua cauſa triſtia,mœſta,lamentantia,lugentia,irata ſibi,et infeſta. Quis dolor cõſanguineorũ,quum ſe omnes dehoneſtari ſentiunt unica puellæ illius turpitudine? quis mœror? quæ lachrymæ parentũ,& nutritorũ? hæc gaudia rependis pro tot ſollicitudinibus,tot laboribus? eſt'ne hoc præmiũ educationis? Quę deteſtatio familiariũ? qui ſermones uicinorũ, amicorũ,notorũ, execrantiũ ſceleratã iuuenẽ? quæ irriſio? quæ fabulæ æmularũ uirginũ? quæ auerſio amicarũ? quæ undiq; fuga,& ſolitudo? quũ unaquæq; mater,nõ filias modò,ſed etiã filios, cõtagio tam prauæ atq; impurę mentis procul arcet. Quid,quòd etiã proci,ſi quos habebãt,diſcedunt? et qui prius amorẽ ſimulabant,nunc apertè oderũt? interim etiã detectis uerbis exprobrant ſcelus.ut mirer poſſe puellæ, quæ hæc uideat,non dico uitã iucundã eſſe, ſed omnino ullam eſſe,& nõ protinus mœrore cõtabeſcat? Iam quid dicã odia,& iras omniũ? quibus ſcimus à multis patribus iugulatas eſſe filias,à fratribus ſorores,à tutoribus pupillas,à cõſanguineis cõſanguineas. Hippomenes Atheniẽſiũ princeps,quũ filiã uiciatã à quodã deprehẽdiſſet,eam cum equo ferociſsimo in equili ſine cibo cõcluſit.equus quum diu inediam toleraſſet,naturæ etiam truculentia uerſus in rabiem,puellam dilaniauit,ut ſe paſceret. Pontius Aufedianus Romæ, ubi filiã ſuam Fannio Saturnino à pædagogo proditam comperiſſet,& ſeruum et filiam interemit:Publius Attilius Fiſcus filiam,quòd ſe ſtupri fœditate cõtaminauerat,trucidauit.Inuentus eſt in eadem urbe L. Verginius Centurio,qui filiam integram amittere maluerit,quàm habere uiciatam.ideo Verginiam ſuam unicam,chariſsimam,ne Decemuiri libidini ſeruire cogeretur,quando alia nulla re poterat,cultro & oblata morte uendicauit. Patrum memoria in Hiſpania Tarraconenſi duo fratres,quòd ſororem,quam uirginẽ credebant, ferre uterum deprehendiſſent,dolore quouſq; enixa eſſet diſsimulato,& cohibito, ſimul fœtũ utero emiſit,inſpectãte obſtetrice,gladijs in uentrẽ adactis confecerunt.In eadem Hiſpaniæ parte,me puero, tres uirgines ſodalem puellam, quam in obſcœno facinore deprehenderant,prælargo lintheo præfocarunt. Plena eſt exemplorum hiſtoria,plenus uitæ communis uſus. Nec mirum eſt hæc à patribus & neceſſarijs deſignari,& in tantum odium charitatis affectum ſubitò mutari:quum ipſę abominando & ſæuo amore actæ,omni prorſus ex pectore eiecta pietate,parentes,fratres,filios etiam oderint,non tantum amicos & familiares.Atq; hæc non ſolas puellas uelim de ſe dictũ exiſtimare,ſed maritos quoq;,& uiduas:omnes in ſumma fœminas. Iam uertat ſe ad ſeipſa fœmina,& ſuum ſcelus conſideret.ipſa ſe formidabit,atq; exhorrebit, nec noctibus nec diebus quieſcet, exagitata ſemper conſcientiæ flagello, & incenſa uelut facibus ardentibus.à nemine intentius conſpicietur,quin eum aliquid de ſuo facinore ſcire uereatur,eiq; tunc uenire in mentẽ.nemo ſummiſsius loquetur,quin de ſuo ſcelere loqui illum putet.non audiet ſermonẽ de nefarijs fœminis,quin propter ſe ſuſpicetur dici.non audiet nomẽ corruptoris,etiàm in quouis alio nominari,quin obliquè ſe peti metuat.Nullus ſtrepet occultè domi,quin palàm factũ ſcelus ſuum paueat,& ſe iamiã punitũ iri. Seruiendũ eſt ijs omnibus,quos aliquid ſuſpicetur ſuſpicari,demiſsè agendũ et abiectè,ne ſi quid paulò uel liberius dicet,uel erectius agat,continuò obijciatur illi dedecus ſuũ.Semper cõſternata,ſemper exanimata uiuet:imò nõ uiuet,ſed priuabitur morte corporis,quum toties animo enecetur. Quæ regna uelles hoc perpetuo cruciatu empta? huncuiri cõſcelerati patiuntur:ſed fœminæ lõgè acerbius,quo fœdiora ſunt omnibus eorũ delicta,& natura eſt meticuloſior.Ac nimirũ ſi quis expẽdat accuratius,dignæ ſunt tum ijs malis,tum etiam peioribus fœminę, quę

parũ diligẽter pudicitiã custodiũt. Nam uiro multa sunt necessaria, prudẽtia, eloquentia, peritia reipublicæ, ingeniũ, memoria, ars uitæ aliqua, iustitia, liberalitas, magnanimitas, & alia, quæ omnia longũ esset persequi. Horum aliquid si absit, minus uidetur culpandũ: si modò adsint nõnulla. At in muliere nemo uel eloquẽtiã requirit, uel ingenium, uel prudentiã, uel artes uitę, uel administrationẽ reipub. uel iustitiã, uel benignitatẽ. nemo denique quicquã aliud præter pudicitiã: quæ sola si desideretur, perinde est, ac si uiro desint omnia. quippe in fœmina, pudicitia instar est omniũ. Ignauꝰ & iners custos est, qui unicã rem cõmissã, & fidei suæ creditã, multisq; cõmendatã uerbis, & anxiè, nequit custodire, præsertim ubi nemo extorturus est inuito, ac ne nolẽti quidem tacturus. Id unũ fœmina si cogitarit, attentior erit, & cautior custos suæ pudicitiæ. qua una, ut salua, cætera ipsi omnia in tuto sunt: ita perdita, uniuersa semel cum ea pereunt. Quid enim salui est mulieri, amissa pudicitia? inquit Lucretia, cui tamen animus castus erat in corpore inquinato. Idcirco condito in uiscera sua ferro, ut Quintilianus inquit, pœnam necessitatis exegit, ut quamprimùm pudicus animus à polluto corpore separaretur. Non quòd factũ imitandũ proponã, sed mentẽ: ut nihil mulieri restare credas, quæ pudicitiã abiecit. Adimas fœminæ formã, genus, opes, uenustatẽ, eloquentiã, acumẽ ingenij, peritiã suarũ artium: addas tamẽ castitatẽ, omnia cumulatissimè dedisti. contrà, largiaris plena manu illa omnia, & dicas impudicam: hoc uno uerbo detraxisti omnia. nuda relicta est, & detestanda. Sunt alia, tum ex corpore, tum etiam ex animo, quæ ad curam pudicitiæ fœminas adiuuent: de quibus nunc loquar.

QVOMODO VIRGO CORPVS TRACTABIT.

PRimùm omniũ illud parentib. consulendũ duco, quod Aristoteles in Historia animaliũ: ut filias, ineũte pubertate maximè custodiãt, arceantq; ab omni uirorum cõgressu, eo tẽpore proniores esse in libidinẽ. Ipsæ quoq; puellæ, cùm omni alio tempore, tũ hoc in primis, ab omni occasione seu uidẽdi, seu audiẽdi, seu etiã cogitãdi turpiũ, debẽt sese abducere. in quod per reliquã nihilominus ætatẽ dabũt operã: & ante connubiũ crebriora ieiunia proderũt, quæ nõ debilitẽt quidẽ corpus, sed refrenẽt, & cõprimãt, restinguantq; iuuẽtutis incendia. nã hæc demũ sunt uera & sancta ieiunia. Victus sit facilis, ac parabilis, nec efficacia calidus: cogitandumq;, & primã illã matrẽ propter cibũ eiectã ex Paradiso: & multas iuuenes delicatis cibis assuefactas, quum illos domi nõ haberẽt, foris cũ naufragio pudicitię quęsiuisse. Potus erit ille à natura in cõmune paratus, liquida & pura aqua. Vini usus (inquit Valer. Maximus) olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberẽtur. quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconcessã Venerẽ esse consueuit. Aquã uerò si non feret stomachus, dandũ erit paulũ ceruisię, aut uini, quantũ sat erit ad concoquẽdum cibũ, nõ ad corpus inflãmandũ. Nec id solũ ad mores, & corporis lasciuiã, petulantiamq; coërcendã iuuat, sed ad firmiorẽ quoq; ualetudinẽ. Apud Hieronymũ Furiæ scribentẽ, sic legimus: Aiunt medici, & qui humanorũ corporũ scripsere naturas, præcipueq; Galenus in libris περὶ ὑγιεινῶν, puerorũ & iuuenũ, ac perfectæ ætatis uirorum mulierumq; corpora insito calore feruere: & noxios illis esse cibos ætatibus, qui calorẽ augeant: sanitatiq; conducere, frigida quæq; in esu & potu sumere. sicut è contrario senibus, qui pituita laborãt, & frigore, calidos cibos & uetera uina prodesse. Vnde & Saluator: Attendite (inquit) uobis, ne fortè grauentur corda uestra in crapula, & ebrietate, & curis huius uitæ. & Apostolus: Vinũ, in quo est luxuria. Nec mirũ, hoc figulũ sensisse de uasculo, quod ipse fabricatus est: quũ etiã Comicus, cuius finis est humanos mores nosse, atq; describere, dixerit, Sine Cerere & Libero friget Venus. Primùm igitur, si stomachi firmitas patitur, donec puellares annos transeas, aquam in potu sume, quę natura frigidissima est. aut si hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo: Vino modico utere, propter stomachũ, & frequẽtes tuas infirmitates. Deinde in ipsis cibis calida quæq; deuita. Non solũ de carnib. loquor, super quib. uas electionis, pferat sententiam: Bonum est uinum non bibere, & carnem non manducare: sed etiam ipsis leguminibus. Inflantia quæq;, & grauia, declinanda sunt. & paulo antè: Quid ergo necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendicibus suis, cõtinentia

& pa-

& parcitate, fidem ſui facere non poteſt? Apoſtolus macerat corpus ſuum, & animæ ſubijcit imperio, ne quod alijs præcipit, ipſe non ſeruet: & adoleſcentula feruente cibis corpore, de caſtitate ſecura eſt? Neq; uerò hæc dicẽs, condãno cibos, quos Deus creauit ad utendũ cum gratiarũ actione: ſed iuuenibus, puellis, incẽtiua aufero uoluptatum. Non Ætnæi ignes, nõ Vulcania tellus, nõ Væſeuus & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut iuueniles medullæ uino plenæ, & dapibus inflammatæ. Hæc omnia ex Diuo Hieronymo: quæ adduxi, ut ſciretur, quid magiſter ille cõtinentiæ ſentiret. qui etiã Saluinæ præcipiens, mauult ualetudinẽ corporis, quàm animi, periclitari, dicens: Multo melius eſt ſtomachũ dolere, quàm mentẽ: imperare corpori, quàm ſeruire: greſſu uacillare, quàm pudicitia. Vir ſanctiſsimus Gregorius Nazianzenus, Hieronymi magiſter, uirginẽ ſuam pane uult famem placare, & ſitim aqua. Hilario monachus, quũ in eremo etiã tenuiſsimo uictu uix ſe ſuſtentans, titillari ſe tamẽ nonnunq; à libidine ſentiret, ieiunijs corpus ſuũ macerabat, dicens: Domabo te cõcupiſcentia, ut de cibo cogites, nõ de uoluptate. Et hæc quidẽ dicunt diſcipuli Chriſti, ſocij Pauli, dediti ſobriæ & caſtæ religioni: quippe qui ſciunt, ſanctorũ hominũ alimẽta etiam miſſa diuinitus, tenuia & ſimplicia fuiſſe, quæ ſatisfacerent naturæ citra delicias. Heliſæus ſe ac filios prophetarũ agreſtibus alebat oleribus, & amarũ cibũ dulcorari farina iubet, nõ melle, aut ſaccaro. Idẽ milites, quibus in Samaria luminũ uſum ademerat, excipi iubet cõuiuio panis & aquæ. Ioannes Baptiſta deſtinatus Chriſti metator, & inſtãtis lucis præco, locuſtis & agreſti melle in ſolitudine ſuſtentatur. Abacuch angeli iuſſu, cibũ meſſorũ ad Danielẽ defert Babylonẽ. Heliæ ſubcinericius panis, & aquę poculũ ad refectionem è cœlo miſſum eſt. ceu uerò nõ ſiligineus panis, & perdices, & capi, & phaſiani, & martij panes mitti è cœlo poſſent, aut coturnices, ut olim filijs Iſraelis, tam facilè, quàm eiuſmodi alimentũ. Sed nimirũ tali nutrimento ſancti egent, quod animum cõtineat in corpore, nõ ſubmergat. Quid philoſophi? quid ſapientiæ mundi magiſtri? modicũ cibũ, & facilẽ, & parabilẽ cõmendant omnes, quo ſobria ſit mens, & continens corpus. Socrates philoſophiæ parens tenuitate uictus aſſecutus eſt, ut nunquã nec ipſe, nec eius familia graui aliquo & periculoſo attingeretur morbo. Senecã Stoicũ, ſcribit Tacitus, in ſumma opulẽtia agreſtibus pomis & aqua pura naturæ ſatis feciſſe: unde & corpore ad eum modũ fuerit extenuato, ut apertæ Neronis iuſſu uenę, ſanguinẽ penè nullũ ſtillarint. Qualẽ uictus rationẽ putamus in Xenocrate fuiſſe, cui eum clanculũ eſſet in eius grabbatũ Phryne formoſiſsimũ ſcortũ à diſcipulis ſummiſſum, multũ ab ea cõtrectatus, & uarijs modis ſollicitatus ad libidinẽ, cõmotus tamẽ nõ eſt. Plato in ſuis legib. uini uſum adoleſcentib. detrahit. Cic. in Off. totũ uictũ cultumq; corporis ad ualetudinẽ & uires, nõ ad uoluptatẽ referendũ cenſet. Atq; etiã (inquit) ſi cõſiderare uolumus, quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus, quàm turpè ſit diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere: quamq; honeſtũ, continenter, parcè, ſeuerè, ſobriè. Hoc Cicero. Ouidius Naſo amori tradens remedia, eum qui caſtè uicturus ſit, tẽperantẽ quoq; eſſe monet, eiq; à cibis illis abſtinendũ, qui Veneri corpora noſtra parãt: uinumq; in primis uitandũ. illos aũt menſis inferẽdos, qui Veneri corpora noſtra negãt. Quũ de cibis dico ui ſua calidis, idem de omni exercitatione uolo intelligi, qua uiſcera inflammãtur: quin etiã de unguentis, de aromatis, de cõfabulationibus, ac uirorũ aſpectu. Hæc omnia noxia ſunt caſtitati, quib. incẽdimur flagitioſo ardore. Lectus erit nõ perinde delicatus, ac mundus: ut placidè quieſcat, nõ molliter. quòd etiã in ueſtibus prȩcipiendũ eſt, ne ſint delicatæ, aut precioſæ nimiũ: ſed ſine ſordibus, ſine labe. neſcio quemadmodũ mundicies animi corporis gaudet mundicie: contrà, delicatus & eneruis & fractus animus, ſericis ac byſſinis ueſtibus delectatur: & omnia niſi ſint talia, aſpera putat, dura, intolerabiliora. Gregorius Naziãzenus aurum, ſerica, margaritas, uirginibus ſuis aufert. Quàm ſtulti ſumus, ſi credimus uerba illa Seruatoris Chriſti: Ecce qui mollibus ueſtiuntur, in domibus regum ſunt: id ſignificare, ut qui in comitatu Chriſtianorũ regũ ætatẽ degunt, mollibus induantur. Non nouit Chriſti religio aulas & reges huiuſmodi, de quibus ipſe idem dixit: Reges gentiũ dominantur eis, & qui poteſtatẽ habent

in eas,beneficí uocãtur.uos aũt nõ sic:sed maximus ueſtrũm, fiat ut minimus, & ductator uelut miniſtrans.Si Dominus noſter ſuperbiam ipſis regibus et regnis adimit, quomodo ſuperbiæ relinquet inſtrumenta? Omnino uult Chriſtus ſuos meminiſſe, Chriſtianos eſſe ſe,nõ mundanos.quibus dictum eſt, Vos de mundo nõ eſtis.Sancta eſt & ſeuera Chriſtiana pietas,cuius ut iugũ animab.eſt facile,dulce, ſuaue, & in quo eſt eis requies:ita graue ac moleſtũ corporis uoluptatibus,cum quib. perpetua eſt illi pugna.Hic eſt mundus,qui Chriſtianos odit,quia de mundo non ſunt.Somnus ſit in uirgine nõ longus:nec minor tamẽ,quàm pro ualetudine.cui nos ita proſpicimus, ut melius ualeant,quæ hanc noſtrã frugalitatẽ ſequuntur,quàm quæ delicias:quibus deditas marceſcere uidemus,ac pallere.His omnibus addendũ eſt negociũ aliquod, & occupatio digna uirgini,cuiuſmodi aliquot recenſui.nunquã enim facilius ſubrepit aſtus diabolicus,quàm in ocio:nec aliàs promptius exercet artes ſuas Venus.nec in fœmina modò,ſed in fortiore animãte,ac cõſtantiore,uiro.Sunt enim noſtri animi ad aliquid agendũ nati,& appoſiti.itaq; opere paſcuntur,roborãtur,gaudẽt:ocio uerò diſſoluuntur,inertia decidũt,nec omnino poſſunt nihil agere:ut ad libidinẽ & flagitia,& his grauiora etiã facinora prolabãtur neceſſe ſit, quum melius aliquid deeſt, quo occupentur.Artifex ille tractandorũ amorum Ouidius,Ægiſthum ea ſola cauſa animũ ad Clytemneſtrã Agamemnonis cõiugem corrumpendã,ipſumq; Agamemnonem occidendum adieciſſe definit,quòd deſidioſus eſſet.Hinc inter amoris remedia illud eſt de præcipuis, ne nos Cupidinis ſagitta ocioſos ac uacuos deprehendat:

Ocia ſi tollas (inquit) periêre Cupidinis arcus,
Extinctæq; iacent & ſine luce faces.

Adoleſcit amor,& altiſsimas iacit radices, ſi de eo quod amas, multũ cogites & crebrò.D.Hieronymus Demetriadi uitandũ prorſus ociũ ſuadet.idcirco ubi perfuncta ſit precibus,lanã iubet tractare,& parare telam,ut hac uiciſsitudine operũ,dies longi nunquã uideantur.nec ideo nõ ceſſandũ uult, quòd illa egeret, quæ eſſet fœmina inter primarias Romanas locupletiſsima: ſed ut per occaſionem operis nihil cogitaret aliud,quàm quæ ad obſequiũ Domini pertinerẽt,quem locũ ſic claudit: Simpliciter loquar, quamuis omnem cenſum tuũ in pauperes diſtribuas, nihil apud Chriſtũ erit precioſius,niſi quòd ipſa manibus tuis confeceris, uel in uſus proprios, uel in exemplum uirginũ cæterarũ,uel quod auię matriq; offeras.Sic ille.Profectò ita eſt.Segnis atq; ignaua,uel etiã (ſi diis placet) luſibus uoluptatibusq; ætatẽ tranſmittẽs,indigna eſt alimẽto ſuo in Eccleſia Chriſtiana,in qua Paulus maximus Chriſti præco clamat, ac uelut legem pronunciat:Qui nõ laborat,nec edat.Cõmunis eſt illa pœna generis humani,à Deo pro prima illa noxia hominũ generi inflicta:Per ſudorẽ uultus tui ueſcêris pane tuo.Haud dubiè iſtos,qui huic generali pœnę ſubditi nõ ſunt, quũ nõ minus quàm alij peccarint,alia manet,uel grauior,uel certè nõ leuior. Quũ cõtinendos uel opere,uel ſanctis & cogitationibus & cõfabulationibus muliebres animos iuſſerim,ne in flagitia otioſi prolabãtur:quo'nã exiſtimabimus illos ferri, qui foliis aut taxillis luſitãt? Quæ occupatio in uiro quũ ſit fœda,nõ poterit nõ eſſe in fœmina deteſtanda.Quid diſcere,quid cogitare poterit fœmina,aleã ludẽs? neceſſe eſt ſoluat animum,& in auariciã rapiatur, ſuopte nutu illuc propẽſa:tum in periuriũ, nũmi cauſa. hinc ſi uiri adſint,multa audiat fœmineis auríb.indecora.Quàm turpe uiſu eſt, fœminã pro calatho alueolũ tractare? pro fuſo talũ rotare? pro radio taxillũ iacere?pro ſpatalio,aut libro precatorio,luſorias chartas euoluere? Nemo paulò cordatior nõ eam deſidentẽ malit aſpicere,q; ſic occupatã.nec eſt,qui nõ & illã quæ didicit,& eũ qui illam talia docuit,& eos qui permiſerũt,cum ingenti animi indignatione, grandi conuicio proſequatur.

DE ORNAMENTIS.

Dici nõ poteſt, quantũ inter hunc cultum ornatumq; fœminarũ interſit,& eum quẽ ſancti omnes autores uno ore pręſcribũt fœminę baptizatę:nimirũ ſecuti principes Apoſtolorũ & Eccleſiæ columina Petrũ ac Paulũ,quorũ de ornãdis fœminis hæ ſunt breues ſanè pręceptiũculæ,ſed quę aliorũ lõgiſsimas orationes includãt. Petrus ſic ait:Mulierũ ne ſit exterior uel capillis complicatis, uel circũiectione auri,

aut

aut indumentorũ amictu ornatus. Cæterũ mens & cõscientia, quæ separata est ab spectantiũ oculis, si incorrupta sit, & placido quodã agatur spiritu, ac trãquillo, ea demũ splẽdida res est apud Dominũ, et magnifica. Paulus uerò sic: Mulieres in habitu ornato, cum uerecũdia et sobrietate ornãtes se, et nõ intortis crinib. aut auro, uel margaritis, uel preciosa ueste, sed quod decet mulieres pietatẽ professas, per bona opera. Hæc Apostoli: quib. nihil sanè opus est plurib. uerùm explicatius sunt dicẽda nonnulla, ijs præsertim, quibus multa sunt uerba faciẽda, priusquàm uelint exaudire. Et persequar separatim, & configã singulas earũ insanias. Principiò de fuco. In quo equidẽ audire peruelim, quid spectet uirgo, quũ cerussa & purpurisso se illinit. Si sic placere sibi, demens est. Quid enim charius, aut gratius cuiq; quàm unusquisq; per se sibi? Si uiris, scelesta. Vnicũ habes sponsum Christũ: ei ut placeas, animã orna uirtutibus, & formosissimus te deosculabitur. At spõsum quæris uirũ, & ei cõciliari studes fuco. Primùm docebo quàm fatuè, deinde quàm impiè. Perinde mihi uidẽ esse, cupere te fuco pelli cere uirũ aliquẽ, ac persona: quẽ tantũ auertes renudata, quantũ attraxisti cõtecta. Misera, si solo fuco ducẽ ad te maritus, quãdo fucũ elueris, quomodo eris grata? nisi fortè nunq; crustã illam ablutura es: sed sic ibis cubitũ incrustata, sic surges, sic in priuato uersabere, sic in publico. Iam cui tandẽ potest non esse molestissima iuci cura, ut semper sit integer? quàm aljs ad risum expositũ est, si quid uel aquæ aspergine, uel sudore, uel æstu de cerussa aut purpurisso liquefactũ est, & aliquid ostẽditur cutis natiuæ? nihil potest esse in forma aspectu deformius. Celebrabatur in Græcia cõuiuiũ, multis mulierib. frequẽs, inter oblectamẽta epulantiũ, cùm alij sunt nõnulli lusus inducti, tũ ille, ut per uices unusquisq; cõuiuarũ cæteris omnib. quicquid esset collibitũ imperaret. quũ esset uentũ ad puellã quandã insigni specie, & ingenio nõ inamœno, eaq; animaduertisset adesse cõplures fœminarũ, cerussa, purpurisso, & aljs pigmentis incrustatas, ad pudorẽ incutiendũ, Rem (inquit) leuẽ iubebo, q; & ipsa obibo prima: ut unaquæq; nostrũm madidas manus per os circũducat, ac lintheo extergat. ipsa prima est suum ipsius iussum executa. sed quum nihil gereret fuci, ex lotione illa pulchrior remansit: fucatæ uerò absurdas in primis, & ridiculas facies retulerunt, ludibrioq; tunc habitæ, abstinuerunt deinceps eiusmodi medicamentis, & contentę natiua facie, spreuerũt emptitiam. Ad hæc quis unquam pulchras existimet, quas sciat pigmentis illitas? etiam formosæ speciei honorem, laudemq; amittunt, quum pictę cernuntur. Vni uersus enim decor, omnis gratia attribuitur arti, non naturę. Quid quòd & tenella cutis citius rugatur, & totus faciei habitus in senilem deformatur modũ? fœtet spiritus, scabrescunt dentes, toto deniq; corpore teter halitus spiratur, tũ ex cerussa, & argento uiuo, tum uel maximè ex dropacibus, sapunculis, & smegmatis, quis cutem uelut tabellam in postridianam picturam parant. Vt iure sint hæc ab Ouidio uenena dicta. Iuuenalis festiuè, qui quærit:

An quæ mutatis inducitur atq; fouetur
Tot medicamínibus, coctæq; liliginis offas

Accipit, & madidæ, facies dicetur, an ulcus? Quæ omnia possem fusius persequi, in ea natus urbe, cuius fœminæ hac de re apud alias gentes malè audiunt: & mea sententia meritò. Libet charissimã mihi patriã reprehẽdere, ut q; reprehẽdendũ est, pu defacta uitet. Huc accedit, q; si aliter nuptura non es, nisi dealbata & rubicata, satius est nunq; nubere, quã offenso Christo nubere: et uiro dementi nubere, cui plus placitura est cerussa, quàm tu ipsa. Quid enim de eiusmodi uiro sperare potes, cui plus arridet alba crustula, quàm proba fœmina? quis eò insaniæ deuenit, ut seruũ uel equũ empturus, malit eum mangonizatũ sibi ostẽdi, quàm rudẽ, & in ea facie quã dedit natura? Hoc facimus in mancipijs & iumentis, nõ faciemus in uxoribus? Dedit tibi Deus humanã faciẽ, ad imaginẽ filij sui: nec nudã dedit. nam inspirauit in eam spiraculũ uitæ, ut radius quidã uitæ illius rerũ omniũ in ea reluceat: quid tu eam mihi sordibus obruis, & cœno? Si Apostolus Paulus uirũ uelare caput suũ prohibet, quia imago Dei est: quid eum dicturũ censes de imagine Dei in facie mulieris, luto illo cõfœdatã? Hieronymus aduersus Heluidiũ, ne quis putet iocos aut lusus esse, sic scribit: Hęc ad spe-

culum pingitur,& in contumeliã artificis conatur pulchrior esse,quàm nata est.Et ad Furiam: Quid facit in facie Christiana purpurissus, & cerussa? quorũ alterũ ruborem genarũ labiorumq; mentitur:alterũ candorẽ oris & colli,ignis iuuenũ,fomenta libidinum,impudicæ mentis indicia.Quomodo flere potest pro peccatis suis,quæ lachrymis cutem mutet,& sulcos ducit in facie? Ornatus iste non Domini est uelamẽ.Istud Antichristi est.Qua fiducia erigit ad cœlũ uultus,quos conditor non agnoscit? Tantum Hieronymus.Audi nunc sanctissimũ martyrẽ Cyprianũ:Ornamentorum ac uestium insignia,& lenocinia fucorũ,nõ nisi prostitutis & impudicis fœminis cõgruũt: & nullarũ ferè precioſior cultus est,quàm quarũ pudor uilis est. Sic in Scripturis sanctis,quibus nos instrui Dominus uoluit et moneri,describitur ciuitas meretrix compta pulchrius,& ornata,& cum ornamentis suis,ac propter ipsa potius ornamẽta peritura.Nunc quanta ignorantia ueri est,quanta animi dementia, id uelle,quod & nocuerit semper,& noceat:& putare,quod inde ipsa non pereas, unde alios perijsse cognoscas:Neq; enim Deus purpureas aut coccineas oues fecit,aut herbarũ succis aut cõchilijs tingere et colorare lanas docuit.Nec distinctis auro lapillis,et margaritis cõtexta serica,& numerosa cõpage digestis monilia instituit,quibus ceruicẽ quam fecit absconderet,ut operiatur illud quod Deus in homine formauit, & cõspiciatur desuper id quod diabolus adinuenit.an uulnera inferri auribus Deus uoluit,quibus innocens adhuc infantia,& mali secularis ignara crucietur? ut postea de auriũ cicatricib. & cauernis precioſa grana dependeãt? & si non suo pondere, merciũ quantitate:quæ omnia peccatores & apostatæ angeli suis artibus prodiderũt,quãdo ad terrena contagia deuoluti,à cœlesti uigore recesserũt.Illi & oculos circũducto nigrore fucata,& genas mendacio ruboris inficere,& mutare adulterinis coloribus crinẽ,& expugnare omnem oris & capitis ueritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.Et qui dem isto in loco pro timore,quem nobis fides suggerit, pro dilectione, quam fraternitas exigit,nõ uirgines tantũ aut uiduas,sed et nuptas puto,& omnes omnino fœminas admonẽdas,quod opus Dei,& factura eius,& plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flauo colore, uel nigro puluere, uel rubore, aut quolibet deniq; lineamenta natiua corrũpente medicamine.Dicit Deus, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã.Et audet quisquã mutare & cõuertere,quod Deus fecit? Manus Deo inferunt,quãdo illud quod ille formauit,reformare,& transfigurare cõtendunt: nesciẽtes,quia opus Dei est omne quod nascitur:diaboli,quodcunq; mutatur.Si quis pingẽdi artifex,uultũ alicuius,& speciẽ,& corporis qualitatẽ,æmulo colore signasset, & signato iã,consummatoq; simulachro,manus alius afferret,ut iã formata,iam picta, quasi peritior reformaret,grauis prioris artificis iniuria,& iusta indignatio uideretur. Tu te existimas impunè laturã,tam improbæ temeritatis audaciã, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines,& incesta fucis lenocinantibus non sis,corruptis uiolatisq;,quæ Dei sunt,peior adultera detineris.Quòd ornari te putas,quòd putas comi,impugnatio est ista diuini operis,præuaricatio est ueritatis. Dominus tuus dicit:Non potes facere capillũ unũ albũ,aut nigrũ:& tu ad uincendã Domini tui uocem,uis te esse potiorẽ? Audaci conatu,& sacrilego cõtemptu crines tuos inficis,malo præsagio futurorũ capillos iam tibi flammeos auspicaris,& peccas (prò nefas) capite, id est,corporis parte meliore.Hæc Cyprianus.Pudet post Christianorũ præcepta aliquid de Barbaris afferre.Vnicũ tantũ addã hominis prudẽtissimi,Lycurgi Lacedæmoniorũ legislatoris:qui quũ ex uirtutibus spectãdas fœminas suas,non ex cultu ornatuq; cẽsuisset,fucũ omnẽ muliebrẽ ciuitate sua legibus expulit, omnibusq; comendi & ornandi corporis artificibus Sparta interdixit,tanquã corruptoribus uirtutis,& bonarũ artiũ.Dominus per Osee prophetã significat,mulierẽ, quæ à se ad mœchos suos conuersa esset, inauribus & monilibus se ornasse, ut illos sequeretur, non Deum suũ. quæ ornamenta maledicta sunt,ut Tertullianus ait:sine quibus nõ potuit maledicta,& prostituta describi.Deo si te paras,ac bonis hominibus,satis pulchra es, quum bona:diabolo & malis hominibus non placebis,nisi naturali pulchritudini,& proinde uirtuti,multũ detrahas.Quid faciunt auriculæ perforatæ,quas integra carti-

lagine

lagine natura produxit? Quid ni etiam perforet nares luxuria? Sed hoc quoq; apud Barbaras quasdā gentes fit. Quid ni uel digitos, uel labia? nam articulorū singulos radians gemma deuincit. Qui prodest tantum auri pondus? ut etiam congestum uideri possit ad uires ostendendas? An melior credēris, an formosior, an prudentior, tanto metallo onerata? Nihil tale. De bonitate quid attinet loqui? An potest esse bona simulatrix, quæ & aliud uult credi, quàm sit? Quid quòd formosiores mea quidē sententia illæ uidentur fœminæ, in quibus pulchritudo faciei elucet in mediocri cultu? Nam splendor cultus, obscurat decus formæ. Nihil est enim tantū, qui cōparatione maioris minuatur, ac uelut decrescat. Si tantus est nitor ornatus, necesse est, ut honor speciei appareat minor: et quicquid in ea placet fœmina, cultui attribuat, non formæ. Sapienter Romanus ille, qui princeps suæ ciuitatis in humili domuncula habitans: Malo (inquit) ut domui ego sim ornamento, quàm mihi domus: nec aliquid uolo domi meæ uisendum, præter me. Sic fœminæ pulchriores cēsentur, in quibus modicus atq; honestus cultus cōmendat & probū ingeniū, & amabilē formā, nō opprimit fastuosus ille ac nimis lautus. Decet uirū ornatus grauitatis, fœminā honestatis. Quid, nullas ne olim censeris formosas & fuisse, & esse existimatas, & adamatas uiris suis, apud rude illud seculū, & priscū, quū nondū malicia tantas uires nacta esset? Ego uerò plures autumo, & cōstantius gratas, quū nō erat pulchritudo tēporaria, sed perpetua: uidelicet naturalis, quā nō poneret fœmina cū ueste. Quando igitur nec ad decorē facit cultus ille, nec ad uirtutē, quorsum pertinet? dic ipsa. Ditior uidebor, & ea causa honoratior. Hæccine cogitatio est, hęc uox pectoris Christiani? Inutili auro collū tuū premitur, quum tot circa te esurientibus nummulū neges. Spolias uicinos, ac forsan etiam familiā, liberos, cōiugē ipsum, ut in te auri & gemmarū radij spectantiū oculos præstringāt? Tam multi exuūtur, ut tu una induaris? Hæc est charitas Christiana: hoc in baptismo cōceptis iurasti uerbis? renūciare te Sathanæ, ac pompis eius. At quid nō pomparū Sathanæ tenacius prolixiusq; retines, quàm gentiles ipsæ? Totā te specta, Sathanæ satellitē agnosces. Tu domi exquisitissimis ad saturitatē utēs cibis, ructas capos, perdices, phasianos, delicatas placentulas, pulmenta, condimenta, offulas, omnia magno conquisita & comparata, inter tot enectos fame? Tu in ocio, in lusibus ac uoluptatibus, inter tot sudores & ærumnas uicinorū: tu in publico, serico & byssо amicta, inter tot nudos: tu auro, tu argento, tu gemmis, inter tot mendicos spectanda? An sic Christi pauperis discipula es? & non potius diuitis Plutonis? Nolo te squalidā & pannosam conspici, sed nec in uestibus ad ostentationem & superbiam inuentis. Imitare, cuius meritò gaudes nomine cognominari, Christum. Imitare tenuē & frugalem eius matrem, quam nunc dominam homines colunt, inferi tremunt, superi reuerētur: cuius ut exterior uestis ex uulgari & parabili erat panno, sic interior ille uestitus speciosissimo auro & gemmis distinctus atq; intertextus. Non potes utrinq; esse aurea. Elige, utrum mauis, corpus an animum aureum? Non queo singula argumenti huius percurrere, quæ sunt infinita, nempe uitia. De odoribus tamen dicam. Vt non probat animus recte atq; ad humanitatem institutus immundiciem aut fœtorem, moderatos odores non reiicit, quibus spiritus uel reficiuntur defatigati, uel excitantur languentes, uel etiam curantur affecti (nam Maria illa unguentū super caput Domini effudit, nardi fidelis preciosæ, quo odore domus tota repleta est. nec id fuit Christo ingratū:) sic odores istos tam immodicos improbat, fomenta istius corporis, cui quo magis indulgetur, eo se in animum erigit insolentius, & uniuersi hominis tyrannidem poscit, trahitq; ad imas cupiditates omnia, ubi sedes est suarum deliciarū. Hieronymi dictū est ad Demetriadem uirginem: Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri est,

Non bene olet, qui bene semper olet.

quasi quasdam pestes, et uenena pudicitiæ, uirgo deuitet. Similis est apud Martialem uersiculus: Malo quàm bene olere, nil olere. Plautus Mostellaria:

Mulier (inquit) rectè olet, ubi nihil olet. Respondebit forsan aliqua fastidiosula, & quæ argutijs ingenij nomē prudētiæ pararit: Dandū est aliquid generi, nobilita

ti,opibus, ſpectatoribus. Cedò cuiâs es,quæ iſta dicis? Chriſtiana ne,an gentilis? Si gentilis,tecũ non diſputo:ſi Chriſtiana,ſcito ſuperbiſsima fœmina,nõ noſſe Chriſtũ iſta diſcrimina.arrogantiæ ſunt hæc diabolicæ,nõ modeſtiæ animi Chriſtiani.Inuete rauit dictum illud propter ueritatem:Nullum eſſe animal ornata fœmina ſuperbius. Non ornamẽta ſunt iſta corporis,aut naturæ,ſed fomenta inſolẽtiæ tuæ. Veritati,inquit Tertullianus,nemo præſcribere poteſt,non ſpaciũ temporũ,non patrocinia perſonarũ,non priuilegiũ regionum:quia Dominus noſter Chriſtus,qui manet in æternum,ueritatẽ ſe,non conſuetudinẽ cognominauit.Dandum eſt (inquit)aliquid receptis moríb.dandum cõſuetudini. Quæro,cõſuetudini quorũ? Si ſapientũ et bonorũ hominũ,fateor:ſi ſtultorũ,cur aliquid concedendũ eſt,niſi ab ſtultis? Quid quod (ut doctè Quintilianus ait) conſenſus bonorũ,ea ſola dici debet cõſuetudo uitæ? Eſt inducta mala cõſuetudo.eſto tu princeps eius abolẽdæ,& ea penes te manebit gloria, ſequẽtur et aliæ tuũ exemplũ:ac ut à malis cõfirmatus eſt mos prauus,ſic à bonis extirpabitur,atq; inuehetur bonus.Quòd ſi ſemper morib.obſecundandũ ac indulgẽdum eſt,nunquã in melius proficiẽt ſæcula,ſemper in peius,cùm inuehere peſſimũ licebit morẽ,auferre non licebit. Age,quorũ eſt iſte mos,quem iactas? aut unde acceptus? A gentilib.fœminis. Cur nos etiam gentilitatẽ cum eo more retinemus? Aut ſi Chriſtianũ placet nomẽ,quin & mores quoq; huic nomini cõgruentes? Illa gentilis eſt,& ea facit,quæ Deum nõ nouit,nec temperantiã uitæ. Tu,quæ Deum noſti,& in eo abluta es,quid plus quàm illa præſtas? Quid eſt illud q̃d renũciare te Sathanæ,& omnib.eius põpis es profeſſa,ſi ſic cum gentili certas,ut non eam æques modò pompa,ſed ſuperes? Quid dicã æmulari te gentiles,nõ illas ſanctiores,& ſeueriores antiquas? ſed iuniores has,leues,luxu diffluẽtes,flagitijs & ſcelerib.delibutas.nõ Lacænas illas priſcas honeſtiſsimas,quarũ reginæ Lyſandri coniugi,eiusq; filiabus,quum Dionyſius Syracuſanus rex ſtolas precioſiſſimas miſiſſet,eas illæ ſpreuerunt,hoc dicto,Hæ dedecori nobis erunt potius quàm decori.nõ ueteres Romanas,quib.quũ Pyrrhus Epirotarũ rex per legatũ Cyneã,aurũ,argentũ byſſina & ſerica amicula donaret,nulla inuẽta eſt tam uel cultus ſtudioſa,uel auida,uel perdita mente,& ore perfricto, quæ acciperet. Q. Claudia uirgo Veſtalis, dubiæ pudicitiæ fama laborauit, q̃d exquiſitiore & accuratiore corporis cultu uteretur.Lex fuit Romæ Oppia,ſecũdo bello Punico lata,ne qua mulier auri plus ſemũcia haberet,neu uerſicolori ueſte uteretur.quę durauit,quoad Aſiana luxuria inuaſit ciuitatẽ.tunc mulieres tanquã furibũdæ in publicũ ſe proruerũt,licentiã ſibi cuiuſuis ornatus flagitãtes.ne hoc fieret, uir grauiſſimus M.Cato cõſul,oratiõe ſapiẽtiæ plena diſſuaſit:ſuaſerũt duo Tribuni plebis,quorũ oratio ſcripta eſt apud Liuiũ,diluta ſanè,et auríb.ſtultę multitudinis ac cõmodatior,quàm ſapientũ. puicerũt tamẽ importunitate & puicacia ſua mulieres, ut ſuperbię ſuæ freni laxarent,liceretq; quãtũ liberet. Vnde quę mala euẽtura eſſent, prædixit Cato: ut alijs multis ſuis dictis,ita & hoc uates ueriſſimus. Nam quis explicare queat,quanta ſit pudicitiæ iactura,propter hanc cultus contentionẽ? dum unamquanq; ornatu à ſocia uinci pudet: & ubi cõpoſitas ſe atq; inſtructas intuentur, tunc ,pdire,tunc oſtentare ſeſe,& uerſari cum uiris geſtiunt:ibi naufragiũ pudicitiæ. Ægyptias mulieres(inquit Plutar.)calceis uti,patrius mos nõ fuit,ut domi cõtinerẽtur:ſic fœminę ſi ſerica,byſſina,aurea,argentea,gemmas,lapillos adimas, facilius domi clauſam teneas.Apud eundem autorem duæ ſunt Sophoclis tragici & Crais philoſophi,de ornatu ſententiæ. Ille de diuite cultu inquit: Non eſt hic ornatus ,ô miſera,ſed dedecus uidebitur,& manifeſtũ inſaniæ tuæ argumentũ.Crates ait,ornatum eſſe,quod ornat.ornat autem,quo mulier honeſtior fit.talem non reddit aurum,aut ſmaragdus,aut purpura: ſed quæcunq; indicia ſunt grauitatis,moderationis,pudoris. Demochares mulieris ornatũ,ſermonis & ornatus parſimoniã definit. cuius etiã eſt Sophocles ſentẽtiæ.Apud Græcos uulgare illud erat,& prouerbij forma iactatũ, ornamentũ mulieris non aurũ eſſe,ſed mores.Ariſtot. philoſophus ingenioſiſsimus, mulieres iubet ſumptu,ueſtitu,& apparatu minore etiã uti,quàm legib.pmiſſum ſit: cõſiderare præcipiẽs,non ueſtimentorũ nitorem,nec excellentiã formæ,nec auri copiam

piam tantum ualere ad mlieris laudem,quantū modeſtiam in rebus,ac ſtudiū honeſtè ac decorè uiuẽdi.In hanc eandem ſententiã cunctus ſeculariū ſapientiū populus uadit:nullus eſt in eis,qui hanc cultus elegantiã ab ſtultitiç uanitate profectã nõ pronunciet,ut erubeſcat Chriſtiana fœmina gentiles ſequi,nõ eos graues et ſapientes uiros,non probas & honeſtas matronas,ſed ſtultorū errorem,& inſanarū exemplū. Et profiteor me expedire nõ poſſe,quid ſaltẽ dictu honeſtū ornatui ſuo mulieres queãt obtendere,niſi ſolùm ut formoſiores uideãtur,ut magis illiciant uiros.Atqui hoc etiam gentiles puderet cõfiteri.Loquar cũ Chriſtianis:ut uirorũ animas facilius & arctius illaqueẽt.Non de integra cõſcientia uenit,inquit Tertullianus,ſtudium placendi per decorẽ,quem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus.Chryſoſtomus non habet in numero uirginum, ſtudio comendi ac ornandi ſui deditas,quanto minus,ſi id fecerint,ut libidinem intuentiũ inflamment? Tu ergo ſimul ſuperbiæ tuæ ſeruies,& diaboli retia in tuo corpore ad inſpectantiũ animas capiendas extendes? O non fœminam Chriſtianam,ſed diaboli miniſtrã,& ſatellitem:pronũciabitur tibi indignantis Domini ſuper te atrox cõminatio.Per Eſaiam enim ſic loquitẽ Deus:Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion,& ambulauerũt extento collo,& nutibus oculorum ibant & plaudebant,& ambulabãt,& pedibus ſuis cõpoſito gradu incedebãt cum calceolis ſquammatis,decaluabit Dominus uerticẽ filiarum Sion,& turpitudinẽ earum nudabit,& pro ornamẽto erit ignominia.In die illa auferet Dominus ornamentorũ calciamentorum,& lunulas,& torques,& monilia, & armillas,& mitras,& diſcriminalia, & periſchelides,& murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in frõte pendẽtes,& mutatoria, & pallia,& linteamina,& acus,& ſpecula,& ſindones, & uittas,& theriſtra : & pro ſuaui odore fœtor.& pro zona funiculus,& pro criſpãti & cõpto crine caluiciũ,et pro faſcia pectorali ciliciũ.Iſta de fœminis. De uiris quoq; propter eas ipſas uilibus & ſe indignis rebus addictis & mancipatis : Pulcherrimi quoq; uiri tui gladio cadent,& fortes tui in prælio,& mœrebũt atq; lugebunt portæ eius,& ipſa urbs deſolata in terra ſedebit.Hæc Dominus Deus,terribilis,quũ iraſcitur.cuius ſanctus martyr Cyprianus,ſic inquit:Sed ſunt aliquç diuites,et facultatum ubertate locupletes,quç opes ſuas præferãt,& ſe bonis ſuis uti cõtendant.Sciant primò illam diuitẽ eſſe,quæ in Deo diues eſt:illam eſſe locupletẽ,quæ locuples in Chriſto eſt.Bona illa eſſe,quæ ſunt ſpiritalia,diuina,cœleſtia,quæ nobiſcum apud Deum perpetua poſſeſſiõe permaneãt.Cæterùm ſi tu te ſumptuoſius comas,& per publicũ notabiliter incedas,oculos in te iuuẽtutis illicias,ſuſpiria adoleſcentũ poſt te trahas, cõcupiſcendi libidinẽ nutrias,peccandi fomenta ſuccẽdas,ut ſi ipſa nõ pereas,alios tamẽ perdas,& uelut gladiũ te & uenenũ uidentib.præbeas:excuſari nõ potes,quaſi ſi mente caſta ſis,& pudica,redarguit te cultus improbus,& impudicus ornatus,nec cõputari iam potes inter puellas & uirgines Chriſti,quæ ſic uiuis,ut poſsis adamari. Locupletem te dicis,& uirginẽ.ſed iactare diuitias ſuas uirginẽ non decet,quũ dicat Scriptura diuina:Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid diuitiarũ iactura cõtulit nobis? tranſierũt illa omnia tanquã umbra. Locupletẽ te eſſe dicis,& diuitẽ:& utendũ putas ijs,quç poſsidere te Deus uoluit.Vtere,ſed ad res ſalutares:utere,ſed ad bonas artes:utere ad illa quæ Deus præcipit,quæ dominus oſtendit.Diuitem te ſentiãt pauperes,locupletẽ te ſentiant indigentes, patrimonia tua Deo fœnora,Chriſtum ciba. Hæc martyr.Fulgentius uerò explanatius:Veſtis quoq; talis ſit ſacræ uirginis,quç teſtis exiſtat intimæ caſtitatis.Nihil nitoris in habitu exterioris hominis quæratur,ne interioris hominis habitus ſordidetur. Virgo,quæ ornatũ corporeç ueſtis affectat,animam ſuam uirtutũ ſplendore deſpoliat:nec habet caſtitatẽ ueram, quæ intuẽtibus parat illecebram:nec fidem ſeruat Chriſto,quæ populo quærit magis placere quàm ſponſo.Conſequenter aũt neceſſe eſt,ut quæ humano cõſpectui cõcupiſcentiã ſeminat,in diuino cõſpectu iracundiã metat. Ne dicat igitur puella,quũ ornatã:Veſtis aut monile nõ malefaciet.Ita eſt.Sed illac introibit malefactor,& ſuggeſtor malæ uoluntatis.Hactenus ex diuo Fulgentio.Nam in re tam aliena à morib.et cõſuetudine diuturna & confirmata,libenter ſanctorũ patrum autoritatẽ interponimus,quo fides ſit

apud

apud elegãtes iſtas & urbanas maior, quæ ruſticanam & infrunitã eſſe ducunt, ſi qua Chriſtianè ueſtiatur. Neq; uerò ſatis eſt, quod quædã dicũt: Sufficit mihi mea cõſcientia, quã Deo approbabo. Sufficit, ſi proximũ nõ lędis, ſi nõ es ei offendiculo, in quod impingat. Modeſtiã noſtrã Apoſtolus uult eſſe notã omnib. hominibus, nõ ad gloriã noſtrã: ſed ut Dominus dicit, Quo uideãt ueſtra opera bona, & glorificẽt patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Idẽ Apoſtolus, ne fratrẽ offendat, carnes ſe in æternũ nõ guſaturũ profitetur: tu ne fratrẽ in laqueũ pertrahas, nõ ſuſtinebis pectus tegere, nec alienam faciẽ tuæ imponere? Vbi deinde eſt charitas proximi, cui præfers, nõ dico ueſtẽ tuã, ſed ueſtis oſtentationẽ? Tertullianus religioſè: Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, uerùm & uideri. Tanta enim debet eſſe plenitudo eius, ut emanet ab animo in habitũ. An nõ meminiſti, matrẽ tuã Euã uiro fuiſſe cauſã ruinæ? & tu illã in eo æmulari uis? Quanto eſſet ſatius, ut nos lugubri ueſte ſexus ueſtri peccatũ defleretis, quàm ut ſplendido ornatu iuuenẽ concupiſcentiã irritaretis? Quid tu, poſtquã aliquos diabolo manciparis tuis laqueis, quomodo extricabis, quũ uoles? quomodo ex diaboli ſeruitute in libertatem Chriſti uindicabis? quibus piaculis tam nefariũ ſcelus expiabis? & ludis in tanto diſcrimine, ſecura non magis de alieno corio, quàm de tuo. At ſunt quæ obijciãt, Hoc ipſum ſcandalũ fugimus per cultũ, ne aliæ cultiores redargui ſe per mediocritatẽ noſtrã interpretentur, quũ nec inferiore loco natę ſimus, nec minus poſsideamus. Sinite illas, iuxta cõſilium Redemptoris noſtri, quia cæcæ ſunt, & duces cæcarũ, quæ malunt offendi, quàm prouocari. ſi illæ ſcandalizantur ueſtris bonis, quin uos potius eorum malis? illæ offenduntur, quòd ex præſcripto Apoſtolorũ ornamini: uos magis offendimini, quòd illæ ex diaboli uoluntate, ac præceptis. Egregius eſſet proximi zelus, ſi te & illũ perderes, ne ille offenderetur. O alteras illas delicatas puellas, quæ ne benefacientes quidẽ alias ferre poſſunt? Quid ergo (quærat aliquis) ſordentes tu, & ſqualidas eſſe fœminas iubes? Ego uerò id nolo: nec tam ſpurca eſt mea diſciplina, nec mihi unquã immundicies cordi fuit, ſed Apoſtolicã regulã ſeruari uelim, quã initio tractationis huius poſui, qui nõ immundas, nec obſcœnas & horrẽtes ſitu ac ſquallore iubet eſſe pias muliebres, nõ illuuie ac pannis obtectas: ſed ab immodico dehortatur ornatu, ſimplicemq; & parabilẽ ſuadet. Sunt ſuæ frugalitati mundicię, puriores multo quàm luxui: ut facilius eſt à ſordibus exiguũ uaſculũ tueri, quàm amplã ſupellectilẽ. Non ueſtietur ſerico, at laneo: nõ byſsino, at lineo uulgari: nõ ſplendebit ueſtis, at nec ſordebit: nõ erit admirationi, ſed nec faſtidio. Mundus muliebris nominatur earũ ornatus, quo mundicies ſignificatur, nõ artificiũ, uel opulentia. Auri, uel argenti, aut margaritarũ, gemmarum ue, nõ uideo rei tam ſumptuoſę ad quid ualeat uſus: niſi quorundã lapillorũ uires magis æſtimẽtur, quàm oſtentatio, ſicut coralli, uel ſmaragdi. ſi modò tantillę rei uires illas natura indidit, quas perhibẽt. Sed quota quæq; propter eas quidem lapillos quærit: et non potius in uanitatẽ, ut ditior habeatur? Multo minor eſt uſus ſericorũ, in quib. quod breui deterãtur, perit expenſa, & ſumptus eſt intolerabilior rei familiari. Ergo mea uirgo nõ fucabit faciẽ, ſed mũdabit: nõ illinet ſapũculo, ſed abluet aqua: nõ capillos inſolabit, aut inficiet, ut colorem mutẽt: ſed nec habebit impexos, neq; furfurib. capitis horrẽtes, caputq; ipſum & ab ſudore, et ab ſqualore tuebitũ. non oblectabitũ delicatis odoribus, minus fœtore. Ad ſpeculũ ſeſe intuebitur, nõ ut accuratè comet & pingat, uerũ ne quid ridiculũ aut dedecẽs ſit in ore, & toto capite: quod cernere nõ poteſt, niſi per ſpeculum. tum ibi ſe cõponet, ne quid in uultu ſit, quod caſtã et modeſtã fœdet. Poſtremò quod Socrates diſcipulis ſuis præcipere ſolebat, putabit & ſibi dictũ eſſe, ut ſe in ſpeculo ſpectarẽt: Si formoſi eſſent, curarent, ne deformẽ haberent animũ: ſin deformes, pulchritudine animi corporis deformitatẽ compenſarent. Inter hæc omnia, pudicæ animo ſemper obuerſabitur, pulchritudinẽ corporis, & pleraſq; poſsidentium in magnam arrogantiam, & pleroſq; ſpectantiũ in libidines tetras atq; abominãdas, quę utriſq; exitio fuerint, impuliſſe. Quo factum eſt, ut ſanctæ cõplures fœminæ (quantũ poterant) negligendæ formæ dederint operã: ut minus quàm erant ſpecioſę apparerent, ne in eas incideret uoragines, quas paulò antea indicaui. Hæc quæ de cultu ex inſtitutis Chriſti attuli,

attuli,quum fœminis congruunt omnibus, tum uel maximè uirginibus:quas nescio qua tandem ratione elegãtius ornari quorundã mos obtinuit, quàm cõiugatas. Ego uerò honestius iudico uxorẽ aliquãdo,si ita marito placeat,excultiorẽ prodire,quàm uirginẽ,in quãtocunq; genere,& opibus. Vxor oculis uiri sese ornat:uirgo tota Christi est,cui se parat.nam uirũ uel poscere,uel expetere,non est germanæ uirginitatis,ut suo loco dicã.Ideo Apostolus inquit:Mulier innupta,& uirgo, cogitat quæ Domini sunt,ut sit sancta corpore & spiritu.quæ autẽ nupta est,cogitat quæ sunt mundi,quomodo placeat uiro.Illud uerò ne admonẽdum quidẽ arbitror,fœminæ uirili cultu & uestitu utendũ non esse.alioqui euidentissimũ fore signũ,& audaciã uirilem,et notabilem impudentiã inesse muliebri pectori. Conseruatur enim distinctione illa uestitus pudor,parẽs & nutritius pudicitię.Audiendusq; est Dominus,his uerbis in Deuteronomio uetãs:Non induet mulier uestę uirili,nec uir utetur uestę fœminea. abominabilis enim est apud Deum, qui facit hoc.Sexuum diuersitatẽ natura insignẽ fecit in animantiũ corporibus.Quòd si nos corpus tegimus,et discrimen illud naturale ab occurrentiũ oculis auertimus,uelamẽtis uti par est: ut indumẽta ipsa significationem præ se ferant differentiæ,oportet ne nos cõfundamus,quod suis notis natura distinxit. quocirca qui uestimẽta reddit promiscua, meritò abominandus nuncupatur à Domino,qui rem tentat naturæ legibus inimicã: unde multa in hominũ cœtib. existerẽt pericula.Sed id nulla audet fœmina,nisi quæ pudicitiã prius simul cum pudore abiecerit:cui præcepta nostra nec proderunt,nec scribuntur.

DE SOLITVDINE VIRGINIS.

TAm ualidũ est in hoc inferiore mundo regnũ Sathanæ, & ex eo tanta pro malo cõspiratio,tam pertinax uitiorũ suorũ defensor populus,ut nemo proferre possit caput in publicũ,quin ilicò per omnes sensus in animũ insiliat, quod uirtutẽ & pietatẽ diuexet,ut sapiẽtissimè nostri dixerint,per sensus omnes, ceu per fenestras quasdam, mortẽ ad animũ uel irrumpere, uel irrepere. Qua de causa uigilandũ est perpetuò in custodia animæ,& reputandũ,militiã esse hominis uitã in terra, sicut inquit Iobus: ut,quemadmodũ Propheta ille fortis luctator, stemus super custodiã nostrã, & figamus gradũ super munitionẽ.Ianuas has sensuũ tanti periculi,haud sæpe uirgo aperiat:& quum aperit,adhibẽdum est præsidiũ, & cautè, ne uel impetu se hostis proruat,si uires desint:uel astu sese insinuet, si prudẽtia. Virgini rarus debet esse egressus in publicũ,quum neq; negocij sit ei quicquã foris,& periculũ preciosissimæ rei pudicitiæ.nec solũ quum prodibit,sit matri comes,uerumetiã quum domi sedet:quod & matribus præcipiendũ est.Hieronymus Lætę cõsulit,ut itura ad suburbanũ,filiam in urbana domo ne relinquat:Nesciat (inquit) sine te, nec possit uiuere: ac quum sola fuerit,pertimescat. Quod sic uolo intelligi,ut abducat secum filiam mater,si aliquan diu moratura sit.nam alioqui nihil necesse est semper comitem matri exire filiã,quoties domi prodit: præsertim si ipsa uel ad cõuiuia, uel nuptias, uel uirorũ congressus, uel ad aliquẽ simílem eat locũ:siue necessarij officij gratia, siue ut marito gerat morẽ, quò uirginẽ filiam afferri nõ conuenit. Sed sit domi mulier aliqua proba, pudicitiæ custos:quippe nulla est pestis maior,neq; pernicíosior, quàm quæ alitur domi. hanc quomodo aliter caueas,ni expellas prorsum? Quid prodest ab omni externa iniuria lignũ defendere,si intus teredine exedatur? Probissimã noui fœminã, quæ custodiæ puellarum cõmissa,filios cum puellis lasciuius lusitãtes, quod tenerè nimis illos deamaret,reprehendere & arcere ab iniuria castitatis nõ sustinebat. Quapropter prouidendũ est,ne matrona,cui puella creditur,uiros habeat,aut filios,aut fratres procaciores ac lasciuos,uel quib.ipsa obsistere non audeat, nec cõmissam rem fortiter propugnare.Sit nõ casta modò,sed quæ se etiã uultu & grauitate,tum prudẽtiæ,tum morũ, tum orationis,uenerabilẽ & suspiciendã reddat:cuius oculos & supercilíũ,nedũ uocem,omnes uereãtur,& fratres natu maiores.ipsa in custodia stationis suæ nullũ uereatur,ut sola prẽsentia sua,tuta omnia circũ pudicitiã prẽstet.Illa uerò pellẽda cẽ; longissimè,quę exẽplo suo ad lasciuiã et libidinẽ inuitet.Nã quę precio cõducta ab amatore uerbis sollicitat,& ,ptrudit ad facinus,nomine humano caret,nẽpe res diabolica

quam

quam fugiet puella nõ ſecus ac uiperã, uel aſpidẽ: quã ex ciuitate ſic expulſam oporteret, tanquã communem omniũ pernicíem. Dici nõ poteſt, quorũ ſint eiuſmodi mulieres malorũ cauſæ. Non ferat ergo puella, ne aſpectũ quidẽ harũ, nam baſiliſci ſunt, aut catoplebæ, oculis præſentiſsimũ uenenum inſpirãt, & uel ſolo intuitu perimunt. Nec putet quis hyperbolicè hoc à me dictũ. Sunt nõnullæ harũ tales artifices, ut oculis ſæpe ſine uerbis capiant, aliæ etiã faſcinis & incantationibus utuntur: cuius rei utinam rariora eſſent exempla. Quid, quòd uel ſola ſalutatione, aut arriſu, aut etiam obtutu, maculã hic ſerpens aſpergit puellæ, quã aſpexerit? apud illos præſertim, qui artem mulieris norũt: ut taceã quanta labes, & quàm ineluibilis imprimatur domui, in quã aliquoties ſit ingreſſa. Confugiendũ ergo ad matrẽ uelut aſylum, & ei, quid neſaria tentarit, narrandũ, aut ſic uitanda & auerſanda eſt, ut intuentibus ſignificationem præbeas, te in ea peſtem metuere. ita & tibi proderis facto, & alijs exemplo, quũ quid alijs puellis expauendũ in ea ſit oſtendes. E rep. eſſet, in tenues uetulas inquiri: ut cenſori morũ ciuitatis cõſtaret, unde uictũ parent, qui ſi deſit, certiſsimæ fiunt lænæ, atq; hinc ueneficæ. Iam de comitibus ſic Hieronymus præcipit: Nolo de ancillulis ſuis aliquam plus diligat, cuius crebrò auribus inſuſurret: quicquid uni loquetur, hoc omnes ſciant. Placeat ei comes nõ compta, neque formoſa, atq; laſciua, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur: ſed grauis, pallens, ſordida, ſubtriſtis. Eadẽ eſt ad Demetriadẽ ſententia. In puellis ſodalibus illud caueri cõuenit, ne qua uel cultu, uel uerbis, uel luſiunculis noceat laſciuis. nihil tibi ſit omnino rei cum puellis, quæ ſpectari, quæ amari gaudent: quæ formoſum illũ, aut diuitẽ, aut elegantẽ, aut nobilẽ gloriãtur ſe habere amatorẽ, & ab eo ſcriptas literulas circunferũt, interim ſuis æqualib. oſtentant, aut facta narrãt, aut dicta referũt, hæc egit, hæc dixit, ſic me aggreſſus, ſic me laudauit. Apage iſtas, quamlibet tibi ſint uicinæ, quãlibet opulentæ, neceſſariæ, affines, cõſanguineæ. quòd ſi ſorores ſint, id uerò tu nega: morſq; ſunt à diabolo, cane rabido, & ipſe in rabiẽ uerſę, ubi nullũ eſt tam charũ nomen, ut ad cõmerciũ pertrahat. Quin potius & à ſorore prefocatur ſoror, & à fratre frater, & à matre filius. Oblectabit ſe igitur uirgo mea cum delectis uirginibus ſui ſimilibus interim luſibus honeſtis ac liberalibus: aliàs ſanctis lectionibus aut cõfabulationibus, quas lectio ſuggeret. nihil de ſaltationibus aut conuiuio, aut uoluptatibus referat, ne ſociæ falſa delectationis ſpecie cõmoueãtur. nemo intererit uir. Tum à ſocijs relicta ſola in cubiculo ſuo, nõ prorſus nihil aget. nam ocioſam eſſe, periculoſum eſt, præſertim ſolam. In populo (inquit Ouidius de tali) tutior eſſe potes. Nec cogitationibus animũ ut permittat, eſt tutum, quantumlibet honeſtis initio, & ſanctis. Lubricus eſt fœminæ cogitatus, nec uno loco facilè cõſiſtit, à rectis ad praua exiguo negocio delaberetur. Nec omnino ſine cauſa uidetur quibuſdã dixiſſe Publius Syrus mimographus: Mulier quum ſola cogitat, malè cogitat. Neq; uerò Magdalena illa, quæ ſedẽs iuxta pedes Domini audiebat uerbum illius, cõtemplatione tantum rerum cœleſtiũ fruebat: ſed id faciebat: ſed id faciebat, ſiue dum legit, ſiue dũ audit, ſiue dum orat. Idẽ faciat mea nõ uirgo ſolũ, ſed quęuis fœmina. nã in multis huius libri locis, omnib. in uniuerſum fœminis præcipimus. Legat igitur ſola, uel oret, feſto die: eadẽ agat profeſto, aut operi manuario intenta ſit. Non dubiũ, quin tale aliquid agentẽ reperit Mariã angelus: quæ turbata eſt, quòd uerandũ illud & perpetuũ ſilentiũ, nec interpellari unquã ſolitũ, uox auguſtior quidem, ſed uirilis, ſimilis rupiſſet. ideoq; alma dicitur ab Hebræis, quòd uirginẽ abſcondita ſonat. Hæc eſt de qua prædicit Eſaias: Ecce uirgo abſcondita cõcipiet, & pariet Deũ & hominẽ. Ea demũ uirgo cõcipit Chriſtũ, quã nullus præter Chriſtũ nouit. Ergo & domũ nemo admittetur à uirgine, niſi quẽ pater diſertis uerbis admitti iuſſerit. ipſa matrẽ domeſticis paulatim laboríb. incipiet leuare, quã & patrẽ rerũ omniũ poſt Deũ chariſsimos habebit. Hi ſi iubeãt lanæ, aut lino, aut cuicunq; opificio filiã intentam eſſe, nõ modeſtè ſolũ, uerùm alacriter etiã exequetur. hoc diligẽtius, & ſolertius, ſi aliqua uictus pars eo labore ad parẽtes reditura eſt. tum uerò fœliciſsima erit, & cogitabit ſe gratiæ partẽ aliquã, cui tantã debet, referre: & illis alimẽta reddere, à quib. acceperit. Quũ puellæ per negocia domeſtica ſolę eſſe licebit, ac orare, primùm omniũ

ſe totam

se totam deo tradat,& dedicet,ueneretur Christũ,eiusq; matrẽ, & ueniã pacemq; ab illis petat tunc cogitet se esse uirginẽ Christianã,Christi spõsam, Mariæ imitatricem: nihil esse uirginitatẽ corporis, nisi pura sit mens.hæc si adsit,nihil esse mundius,nihil deo gratius. Se sectatricẽ sanctissimæ matris dñi,primũ omniũ debere in se excellentissimã ipsius effingere uirtutẽ,modestiã illã &moderationẽ animi,quã humilitatem uulgò dicimus: quæ tanta in illa fuit,ut cũ omnia ipsi cõtigerint maxima atq; amplissima,nihil tñ fuerit,quod illam animo extolleret,quod ei spiritus faceret:nobilissima puella,quę in stemmate quatuordecim reges,tot duces Israelis cõputabat,ditissimis orta parentib.ditata etiã à Magis,formosissima,ingeniosissima,doctissima,& sapientissima. At inter hæc omnia, ut æquabilẽ gerebat animũ,& submissam de se opinionem:iam cõscia cœlestis partus,& mater tanti filij,marito fabro ministrare dedignata nõ est,& cõsanguineam inuisere,eiq; grauidæ assistere,ac famulari. Cui se præposuit:quam prę se uel genere,uel forma,uel ingenio,uel dignitate cõtempsit:cui se nõ posthabuit:uirgo angelis quoq; præstantior,quorũ erat Regina destinata. Quocirca nõ probo,Diuã uirginem in sericis atq; aureis amictib.depictã,gemmis atq; unionibus ornatã:ceu his illa delectata esset, cùm inter mortales ageret. Etiã simulachrũ illius,quibusdã in locis synthesin habet,& uestes, si deo placet, mutatorias,cùm multi mortales quotidianis careãt,nihil minus eam refert.Malim simplici illo cultu,quali erat uti solita: quo superbiæ nostræ moderatio animi illius expressius ante oculos proponatur,& tacitè conuicium faciat:existatq; unde coarguantur,ac proinde doceantur diuites,unde se pauperes solentur,unde his animus augeatur,illis decrescat,utrisq; uerò ad iustum quendã habitũ moderationemq; reducatur. ut nec etiã desperent locupletes,nec nimis confidant egenæ: sedsit quædam inter eas uelut exæquatio. Huius ergo tantæ uirginis exemplum sequetur mea puella,nõ ficto & simulato, sed uero animo, & certo: ne tetrius sit & pernicioſius uitium, sub facie uirtutis latens,& uenenum sub re salutari, ac morbus cute integra & sana contectus, eoq; se à cura defendens obtentu. Nihil agant fœminæ fucatum & fictum, ut bonæ uideantur: nec se rerum naturas aut fallere sperent, aut mutare posse. Non idem ualent simulata quod uera, ficta & adumbrata, inualida atque imbecilla sunt: ipsa tandem uel se produnt,uel deteguntur. Verè igitur sit puella,quod præ se ostendit: modesta, humilis,pudica,pudibunda,proba. & esse eam talem cõuenit,& uideri:ita Diuę uirgini,quã uerè atq; expressè uita sua repręsentabit, acceptior facta:tum Christo,qui dignã se sponsam agnoscet.Orabit primùm pro se,ut augeatur pietate, proposito sanctæ pudicitiæ,& reliquis uirtutibus:tum pro parentibus,hinc pro fratrib.sororib.cõsanguineis,& cæteris,pro quib.deum precari eam cõueniet.Huius etiam preces gratissimæ deo erunt,& efficaces ad quiduis impetrandũ:nẽpe animi purissimi & integerrimi,germaneq; Christiani.Velim,quæ orabit,ipsam intelligere: uel loquetur lingua,quã norit:uel quæ Latinè dicet, habeat prius ab aliquo declarata. Nec putet in murmure & agitatione labiorũ sitam adorationẽ,sed in mente & cogitatione, cùm à reb.istis uilib.ad cœlestia diuinaq; animũ erigit.Hoc iubemur in sacris facere,quãdo dicitur,Sursum corda: nos respondemus, Habemus ad Dominũ. In quomentiuntur planè plurimi,qui dum id dicũt,cur habẽt in sordida quapiã & ima mundi huius recula detrusum ac defixũ:nec attollere eos sinit eadẽ,quę depressit,cura? Veros adoratores Christus esse pronunciat, qui spiritu adorant Patrẽ:& hãc illi esse gratissimã adorationẽ,acceptissimas preces. Videat ergo,ne mẽs, ne animus à uerbis dissonẽt. idem intus loquatur,quod exterius: imò exterius, quantũ uelit taceat, uel loquatur alia: modò intus clamet ad Dominum, & possit dicere cum sponsa: Ego dormio,at cor meum uigilat.

DE VIRTVTIBVS FŒMINÆ, ET EXEMplis,quæ imitetur.

Discet ex libris,quos uel leget,uel audiet,uirtutes sui sexus in uniuersum. Decet quidem unamquanque fœminam uirtutibus omnis generis esse præditam:sed illi sunt peculiariter necessariæ nonnullæ.sicuti cùm fœda omnia,tum uerò quædam abominanda,atq; execranda.Et sunt uirtutes aliæ coniugatarũ,aliæ uiduarum:de ijs

tamen quæ totí ſexui cõgruunt, loquar. Ante omnia ſciet, caſtitatem eſſe principem fœminæ uirtutem, & quæ una inſtar ſit reliquarum omnium. Si hæc adſit, nemo requirit alias: ſi abſit, nemo reſpicit alias. Et quemadmodũ Stoici philoſophi in ſapientia exiſtimabant ſita eſſe bona omnia, in ſtultitia mala omnia, ut ſolum ſapientem dicerent diuitem, liberum, regem, ciuem, formoſum, animoſum, beatum: contrà uerò ſtultum, pauperem, ſeruum, exulem, peregrinum, deformem, ignauum, miſerum, ſic de pudicitia in fœminis iudicandum eſt, pudicam eſſe formoſam, uenuſtam, dotatam, nobilem, fœcundam, omnia optima & præſtantiſsima: rurſus impudicam, mare & theſaurum malorum omniũ. Pudicitiæ comites indiuiduæ ſunt, pudor & ſobrietas. à pudore uidetur dicta pudicitia: ut pudica nõ ſit, quam nõ pudet. hoc eſt uelum quoddam noſtræ faciei. Nam cùm natura & ratio, corruptum corpus & carnẽ peccati uelaſſet, ob pudorem primi dedecoris, faciem autem apertam nudamq; inuolucris iſtis noſtris reliquiſſet, illi ſuum amiculum nõ negauit, pudorem ſcilicet, quo cũ humana cõmendatione operiretur: ut nemo id cerneret, quin magnã aliquam probitatem ſub illo tegumento intelligeret latêre: nullusq; eſſet, qui nõ amaret ſic indutum, exutum odiſſet. Erubuit, inquit ille pater in Comœdia de filio, ſalua res eſt. Et uir Sapiens adoleſcenti in rubore: Confide fili, iſte eſt color uirtutis. Quòd ſi hoc de uiris dicitur, quid exiſtimari de fœminis par eſt? quid de tenellis uirginibus? Execratur dominus impudicam, dicens, Frons mulieris meretricis tibi facta eſt, depuduit te. Adeoq; faciei noſtræ nõ decoram modò, ſed neceſſariam quoq; cenſuerunt uerecundiam, ut os, faciem, frontẽ, pro uerecundia & pudore uſurparint. Hinc ſunt illa iam inde à priſcis ſeculis deducta prouerbia, nõ habere frontem, durum os, tenerũ os, & ſimilia, per quæ uerecundia aut inuerecundia deſignantur. Naſcitur ex uerecundia modeſtia & moderatio, ſiue cogitet quid, ſeu dicat, ſeu agat. ut nihil nec in affectib. nec uerbis, nec factis exiſtat immodicum, arrogans, inſolens, laſciuum, putidum, petulãs, nihil iactabundũ, aut ambitioſum. Honores nec ſe mereri credat, nec expetat, imò uerò deuitet: & ſi contingant, quaſi immerita erubeſcat. nulla re inſoleſcet, nõ forma, non uenuſtate, non genere, nõ opibus: ſciens, illa breuiter peritura. ſuperbiæ uerò paratam æternam pœnam. Sobrietas continentiam fouet, ut ebrietas deterit. Nemo ignorat quid crapulam ſequi ſoleat. Additur ſobrietati parſimonia, & frugalitas: quas eſſe in re familiari mulieris partes, Plato & Ariſtoteles nõ immeritò prodiderũt. Quæret uir, cuſtodit & ſeruat fœmina. Ideo illi animus additus, huic detractus: quo ille ſtrenuè pararet, hæc meticuloſè contineret. Ex hac corporis ſobrietate, etiã in animũ ſobrietas deriuabitur, ne affectus uelut temulenti tumultuentur, & turbẽt tranquillitatem uirtutis: ſed liceat & bene agere, & bene ſapere. Pietati dedita ſit, & modicis contentæ præſentia ſufficiant. Magnus eſt quæſtus, iuxta Apoſtolum, pietas, cum acquieſcentia præſentium. nec abſentia, aut aliena quærat, unde oriatur inuidia, & æmulatio, & curioſitas alienorum. Decet cum primis fœmineum ſexum deuotio rerum ſacrarum. quo fœdior eſt mulier, aliena à religione, & uelut ominoſum prodigium auerſanda & deteſtanda. Cum inuidia eſt illi crebrò pugnandum: quæ cùm ſit fœminis uſq; ad ridiculum turpis, neſcio tamen quo pacto pertinaciſsimè ſexum illum infeſtat. Sed quæ ſobria eſt, cuiq; abundè magna ſunt, quæ naturæ neceſsitatib. ſatisfaciunt, nõ erit, cur alteri uelit inuidere, aut eſſe alienæ domi curioſa. At quæ pudibunda eſt, & temperato animo, quæq; ſobria, nunquam ira efferetur, nec in maledicentiã prorumpet, nec in ſæuitiẽ aliquã & inhumanitatẽ rapietur. Quum enim fœminarũ genus manſuetũ natura, & beneuolũ eſſe cõueniat, ut quod imbecillũ ſit, & alieni auxilij uehemẽter indiguũ: quis ferat in muliere impotentẽ irã & crudelitatẽ? ut perdere cupiat, quæ, ſi ſit opus, ſeruare nõ ualeat. & animum iniuriæ memorẽ, quã reponat in occaſionẽ ultionis? Digna eſt huiuſmodi mulier, quæ tantis afficiatur malis, ut numero magnitudineq; illorũ proſtrata & cõcuſſa, uictã ſe fateatur, ac de ira & ultione cæteriſq; inſaniis deſinat cogitare, de ſalute ſollicita. quod multis ſæpenumero uidemus accidere, iuſto iudicio Dei: nec ſine approbatione eorũ, quib. nota erat ferocia illius ac ſæuicia. Planè cũ immanib. beluis, ſuperbia, ira, atq; inuidia, propoſitum eſt incautæ fœminæ certamẽ, q leuib. earũ & teneris animis offenſio omnis gra-

uiſsima

uiſsima atq; intolerabilis uidetur,& atrociter uindicãda.nimirũ res exiles ac minutiſ ſimę,tanquã ingentes ſe ac ſolidiſsimas, imperitis ac uitioſis offerũt oculis:tãto magis offuſa nebula,uel fumo.Itaq; niſi tam immanes hoſtes uel arte uitarit, uel ſuperarit ſtrenuitate,periculum eſt,ne ipſa ab eis eõficiatur, habitura ſempiternũ & in hac uita,& in altera cruciatũ.Credo perſpicuum eſſe, pudicitiã uelut reginã eſſe in uirtutib.fœminæ.Hanc ſequi inſeparabiles comites duas,ex pudore ſobrietatẽ gigni: ex queis duabus reliquum muliebrium uirtutũ chorum,mundumq; cõponi ac fabricari,modeſtiã,moderationẽ,frugalitatẽ,parſimoniã,domeſticã diligentiã,religionis curam,manſuetudinẽ,quas omnes uirtutes,cùm ipſe alijs locis aliquãto fuſius explicabo,tum uberius à ſanctis ſapientibusq; uiris tractatas paſsim inueniet. Delineatã intuemini honeſtatis imaginẽ,quæ tanta ſpecie,tamq; præſtanti forma eſt, ut ſi corporis oculis cerni poſſet,quemadmodũ eſt à Platone ſcriptũ in Phædro,mirabiles amores excitaret ſui, neq; ſic pulchritudo ulla oculos noſtros capit & tenet, ut arriperet duceretq; ſecum honeſtas,aperta nobis atque oſtenſa. Tum colliget uirgo uel audiendo,uel legendo,ſancta exempla uirginũ,quæ ſibi proponat imitãda, quarumq; ſe ſimilem eſſe& cupiat,& operam nauet non ſegnẽ ut efficiat.Primùm omniũ,ut dixi, principis illius ac deeoris uirginitatis,Mariæ, Chriſti hominis ac dei parentis: cuius uitã non ſolæ uirgines habent tanquã exẽplar propoſitũ,ad quod ſe cõponant, effingantq;,ſed nuptæ etiã,ac uiduæ.omnib.enim omnia facta eſt, ut omnes ad ſuæ caſtitatis,maximarũq; uirtutũ exemplũ prouocaret,& adduceret.uirginib.modeſtiſsima uirgo,nuptis caſtiſsima eſt nupta,uiduis religioſiſsima uidua.Prima inſuetã hãc omnibus retro ſeculis uirginitatis rationẽ ac uiã, magno animo & pientiſsimo, propoſito eſt ingreſſa.Prima in coniugio uixit ſupra humanũ morem,nullo carnis uſu, angelica uita,ut cuſtodẽ ſuæ pudicitiæ ſumpſerit, nõ uirũ. quæ quoniã miracula erant, ideo maiore miraculo,ſtupente natura,filiũ mũdo edidit. Vidua uerò iam facta, quoniam tota eius uita ex ſpiritu pendebat, & in corpore uiuens ſupra corporis ſe cõditionem extulerat,in uno deo & obſequentiſsimũ nacta eſt filiũ, & caſtiſsimũ ſponſum,& indulgentiſsimũ patrem:ut quæ propter deũ cuncta contẽpſerat, in deo cuncta inueniret.Sed quid ago Diua? quid inceptо? an de tuis infinitis laudib. dicere? atqui hoc nec huius eſt uel torpedinis,uel infantiæ,uel anguſti loci.Opus eſt latiſsimo ocio, opus facũdia exercitatiſsima,opus ingenio ſummo,ac eruditiſsimo. Vos hanc uirginem imitamini, quotquot integrã ſeruare caſtitatẽ uultis. Vos hanc ſequimini cõiugatæ,quib.curæ eſt maritis placere,& præſtare quod iuraſtis. Vos hanc ſemper ſpectate uiduæ,ex qua & ſolatiũ amiſsi coniugis,& conſiliũ tuendæ prolis,& exemplum reliquæ degendę uitæ fructuoſiſsimum percipietis.Secutæ ſunt huius inſtitutum maxima noſtrarũ millium agmina,ſicut Pſalmiſta prænunciarat:Adducentur regi uirgines poſt eam.quarum acta non modò in præſens, uerùm & omni poſteritati proderunt ad æmulationẽ.Nec gentiles uirgines tacent hiſtoriæ, nobilitatas ſola pudicitia:quarum catalogũ ex Græcis hiſtorijs Hieronymus cõtra Iouinianũ diſputãs, recenſere grauatus nõ eſt:quòd uideret in eiuſmodi reb. nõ parũ homines exemplis moueri,neq; enim factu difficile uidetur,quod factum aliquãdo ſit.Adduxit multas, quæ uitæ quoq; maluerint iacturã facere,quàm pudicitiæ. Equidẽ grauiſsimo iuxtà & ſanctiſsimo uiro nõ hanc contumeliã faciã,ut quæ ille collegit,uel tanquam ſuper uacanea præteream,uel alijs ponam uerbis,quaſi melius ipſe dicturus:quin ut ab eo poſita ſunt,adſcribam.Sic ergo inquit:Triginta Athenienſiũ tyranni,cùm Phædonẽ in cõuiuio necaſſent,filias eius uirgines ad ſe uenire iuſſerũt,& ſcortorũ more nudari,ac ſuper pauimenta patris ſanguine cruentata,impudicis geſtib.ludere. quæ pauliſper diſsimulato doloris habitu,cùm temulentos conuiuas cernerẽt,quaſi ad requiſita naturæ egredientes,inuicẽ ſe cõplexæ præcipitauerũt in puteũ,ut uirginitatẽ morte ſeruarent.Demotionis Areopagitarũ principis uirgo filia,audito ſponſi Leoſthenis interitu,qui bellũ Lamiacum cõcitarat,ſe interfecit:aſſerẽs,quanquã intacta eſſet corpore,tñ ſi alterũ accipere cogeretur,quaſi ſecundũ accipere,cùm priori mẽte nupſiſſet.Spartiatæ & Meſſenij diu inter ſe habuere amicitias, in tantũ,ut ob quædã ſacra etiã uirgines ad ſe mutuò mitterẽt.Quodã igitur tẽpore, cùm quinquaginta uir-

uirgines Lacedæmoniorũ Meſſenij uiolare tentaſſent, de tãto numero ad ſtuprum nulla conſenſit: ſed omnes libentiſſimè pro pudicitia occubuerunt. Quãobrem grauebellum, & longiſſimum concitatum eſt, & poſt multum temporis Mamertia ſubuerſa eſt. Ariſtoclides Orchomeni tyrãnus adamauit uirginẽ Stymphalidem: quæ cum patre occiſo, ad templum Dianæ confugiſſet, & ſimulachrum eius teneret, nec ui poſſet auelli, in eodem loco confoſſa eſt. Ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore cõmota eſt, ut bellũ publicè ſumeret, & necem uirginis ulciſceretur. Ariſtomenes Meſſenius, uir iuſtiſſimus, uictis Lacedæmonijs, & quodã tempore nocturna ſacra celebrantibus, quæ uocabantur Hiacynthina, rapuit de choris ludentium uirgines quindecim, & tota nocte gradu concito fugiens, exceſſit de finibus Spartanorum. Quumq; eas comites uellent uiolare, monuit, quantũ potuit, ne hoc facerent: & ad extremum quoſdã non parentes interfecit, cæteris metu coercitis. Redemptæ poſtea à cognatis puellæ, cùm Ariſtomenẽ uiderent cædis reum fieri, tam diu ad patriam non ſunt reuerſæ, quàm diu iudicũ aduolutæ genibus, defenſorem pudicitiæ ſuæ cernerent abſolutũ. Quo ore laudendæ ſunt Scedaſi filiæ in Leuctris Bœotiæ? quas traditum eſt abſente patre, duos iuuenes prętereũtes iure hoſpitij ſuſcepiſſe: qui multum indulgentes uino, uim per noctem intulere uirginibus. Quæ amiſſa pudicitia, uolentes ſuperuiuere, mutuis conciderunt uulneribus. Iuſtum eſt & Locridas uirgines nõ tacere, quę cum Ilium mitterentur, ex more, per annos circiter mille, nulla obſcœni rumoris & pollutæ uirginitatis fabulam dedit. Quis ualeat ſilentio prætereire ſeptem Mileſias uirgines? quæ Gallorum impetu cuncta uaſtante, ne quid indecens ab hoſtibus ſuſtinerent, turpitudinem morte fugerunt? exemplũ ſui cunctis uirginibus relinquẽtes, honeſtis mentibus magis pudicitiam curæ eſſe, q̃ uitam. Nicanor uictis Thebis, atq; ſubuerſis, unius uirginis captiuę amore ſuperatus eſt. Cuius coniugiũ expetens, & uoluntarios amplexus, quòd ſcilicet captiua optare debuerat, ſenſit pudicis mẽtibus plus uirginitatem eſſe, quàm regnum: & interfectam propria manu, flens & lugens amator tenuit. Narrant ſcriptores Græci & aliam Thebanam uirginem, quam hoſtis Macedo corruperat, diſſimulaſſe paulíſper dolorẽ, & uiolatorem uirginitatis ſuę iugulaſſe poſtea dormientem, ſeq; interfeciſſe gladio: ut nec uiuere uoluerit poſt perditam caſtitatẽ, nec antè mori, quàm ſui ultrix exiſteret. Hæc omnia Hieronymus. Vt ſi quis eſt pudor, erubeſcant Chriſtianæ fœminæ, quæ parũ caſtę integritatem ſub caſtiſſimo Chriſto, caſtiſſimæ matris filio, in caſtiſſima Eccleſia ſeruant: cùm gentiles fœminæ, ſpurciſſimum Iouem & impudiſſimã Venerem colentes, pudicitiam chariſſimis uniuerſis rebus prætulerint. Quid ego huc exempla ſanctarũ uirginum afferam, ad eas commouendas, quas non pudet uel caſtas gentiles nominari? Quam potiſſimũ proponam imitandam, cùm ſe per millia nobis offerant? Teclam ne? an Agnetem? an Catharinam? an Luciã? an Cæciliam? an Agatham? an Barbaram? an Margaritam? an Dorotheam? an potius exercitum undecim millium uirginum? quæ omnes, dictu mirabile, mortem obire maluerunt, q̃ libidini hoſtiũ ſua corpora prębere. At hunc conſenſum tam ſancti propoſiti uix in duob. uiris inuenias, quod in undecim tenellarum uirginum milibus tam ratum fixum q̃ permanſit. Quis numerus capiat eas? quę iugulari ſe, quæ cædi, truncari, ſuffocari, mergi, ſecari, exuri, facile ſunt paſſę, ac libenter, dum pudicitiam tuentur? quæ mortem, cùm nollent ſibi afferre, arte quæſierunt, in diſcrimen caſtitatis adductæ, ut Braſilla Dyrrachina primaria uirgo, quę quũ imminentem ſuæ pudicitię crudelem uictorem cerneret, pacta eſt, ſi ſaluam integritatem reliquiſſet, herbam daturam ſe, cuius ſucco illitus, nullis telis uiolari poſſet. Conditionem accepit miles. Illa ex proximis hortis uulſa herba, quæ prima ad manum fuit, iubet in ſe uim eius experiri: infectoq; iugulo: Hoc (inquit) feri ad faciendũ periculum. nã res eſt comperta. ferijt, & uirginẽ interemit. Quid q; occidere ſe fœminã, ut caſtitatẽ tueatur, nec Hieronymus uidetur dãnare? Et Ambroſius lib. de Virginibus 3. huic quęſtioni martyris Pelagiæ opponit exẽplũ: Nihil aſſertione opus dicens, ubi factũ ſit martyris uirginis annorũ quindecim, quę cum matre & ſororibus in flumẽ ſe præcipitauit. Sophroniã nobilem fœminã Euſebius in

Eccleſia

Ecclesiastica historia tradit,cū uideret maritū suū, urbis præfectū, in defendēda pudicitia à libidine Maximini cunctari,ac nutare, abditā in cubiculū ferro pectus aperuisse,quā tn Ecclesiæ cōsensus martyrū numero adscripsit.Hęc omnia castitatis exē pla in ecclesia legūtur:& audet impudica mulier eò uenire?nec exhorret in cœtū uirginum lupanar inferre? suoq; uultu sanctissimos inquinare oculos? suis uocibus tenerrimos auditus polluere?Nefaria mulier,tu uel Catharinā,uel Agnetē, uel Barbaram sonare audes?&sacra nomina impurissimo ore contaminare?Tu te aliquo ex illis nominib.insignis?& similis uideri uis nomine,cuius es morib.inimica? nec tibi cùm uocaris,occurrit,qualis illa fuerit cuius gestas nomē?quumq; illā purissimā,castissimā,optimā,te cōtrà impurā,impudicā,sceleslā,cogitas: nō te furiæ exagitāt noctes & dies?nō te exterrent?nō te ardentib.facib.persequuntur? O confidentissima fœminarū.Et natalē sanctæ uirginis tu audes celebrare,indigna quæ nascerere?oscq; tuū impudicū pudicissimis oculis ostēdere:& uis eam te aspicere,uel audire,sceleribus obrutā:quæ uiros,nec bonos quidē,dū in corpore uiueret,uel uiderit,uel audierit?Quanto satius esset,te nunquā in earū conspectū uenire,ne in te ulciscerentur iniuriā sexus:nec eius nomine uocari,ne de te pœnas sumerēt nominis sui uiolati.Ego uerò id seriò dico,neque enim hic est iocādi locus:edicto publico deberet caueri,ne qua manifestò impudica mulier Maria nominaretur. Cur nos ei nomini, cui meritò assurgimus,cui poplitem flectimus,non tantum honoris habeamus,quantū quibusdam suis gentiles? Athenis quòd Harmodius & Aristogiton tyrannos ciuitate exegissent,decreto sancitum est,ne seruis,aut ijs qui artem parum liberalem exercerent, illorum nomina inderentur.

QVOMODO FORIS AGET.

PRodeūdum erit aliquando,sed q; fieri poterit,rarissimè:ppter multa.Principiò, q quoties in publicū exit uirgo,toties de sua & forma,& modestia, & prudētia, & pudentia,& probitate iudiciū subit penè capitale:qm nihil est fama & existimatione fœminarū tenerius,aut magis iniuriæ obnoxiū,ut nō immerito uideri possit de filo araneæ pēdere: idq; quoniā illa quæ dixi,exacta desiderātur in fœmina:nostra uerò iudicia morosa & suspiciosa sunt,ac(quemadmodū Ouidius inquit)Nos in uitiū credula turba sumus.Porrò maledicto(ut Cicero ait)nihil est magis uoluere, nihil facilius emittitur,nihil citius excipit,nihil latius dissipat.Quòd si semel hæsit in puella ex hominū existimationibus nota aliqua, sempiterna ferè perdurat:nec eluitur,nisi maximis pudicitiæ & sapientię ostensis argumētis.Loquēris pauca in publico,rudis credēris:multa,leuis:indoctè,hebes:doctè,malicioſa:non facile respondes, superba, malè educata:respondes,nō magno impulsu casura:sedes composito uultu, dissimulatrix:gesticularis natura,stulta:spectas, eò ferri animū:rides cùm quis ridet,etsi aliò intēta, arrisisse, actum esse.audis uirum,placere tibi quę dicit,nec difficilis expugnatu.Quid dicam,quanta undiq; flagitiorum & scelerum in publico materia? Egressa est Dina filia Iacob, ut uideret mulieres ciuitatis,ibi statim reperit, à quo probro ac dedecore afficeretur:&uiolata,causa fuit,cur masculi omnes Salē cum Rege & eius filio à Symeō & Leui eō trucidarentur:ut non iniuria uideatur Tragicus dixisse, Virgines in turba conspici nefas.Quanto præstaret manere domi,quàm has tam uarias, tam iniquas adire censuras,tam præsentia pericula? nec est ubi magis ualeat illa greca sententia:Viue ignotus.Idcirco Thucydides illā demum optimā esse mulierē censuit,de cuius uel laude uel uituperatione minimus est sermo. Latêre debet mulier, nec multis esse nota.indicium est non integræ seu castitatis, seu famæ, noscitari plerisq;.quid uerò,per ciuitatē cantari,uel aliqua nota insigni ue designari:ut alba,clauda,strabа,sima,uara,luscioſa,uaria,parua,magna,pinguis,manca,balba:ignorata hęc uulgò oportuit in proba fœmina.Nunquā ne ergo ferendus extra priuatū pes?Grandescilicet nefas.Semper delitescendum domi? hoc est(sicut quædam interpretātur uanæ,& ut uel spectēt uel spectentur cupidæ)in carcere,in ergastulo?Prodeundum uerò aliquando,si res poscet,aut iubeat parens. Prius tamen quàm pedē ianua efferat,non secus quàm pugnatura paret animum.Cogitet quæ uisura, quæ auditura sit, quę dictura.Reputet apud se,undiq; aliquid occursurū q̄d pudicitiam & bonā men

tem ſollicitet,& cõcutiat.Aduerſus hæc diaboli undecũq; ingruentia iacula clypeũ ſumat pectoris bonis præceptis ac exemplis muniti,propoſitum firmum pudicitiæ, animum in Chriſtum intentiſſimum ac defixum.Nec ignoret,ſe ad uanitatem & diaboli præſtigias atq; illuſus ire:quîs ne capiatur, maximopere prouidẽdum eſt.Nec aliud exiſtimandum eſt id quod foris uidebit, quàm ſpectaculum quoddam uitæ humanæ:ex cuius uicijs ante oculos poſitis,ipſa non modò contagio nõ corrumpatur,ſed etiam emendet ſua.& quo momento à Deo in homines ſeſe cõuertet, ut ſi ue probet eos,ſiue ab eis probetur,à Chriſto in adulterium diſcedit.Si bona uiderit, ſequetur propter Chriſtum:ſin mala,uitet propter Chriſtum.Animaduertat,ne ſic ſe componat,ſic incedat,ſic agat aut loquatur,ut pedica diaboli ſit uiris.Non ſolum ipſa peccare non debet,ſed quantũ poteſt præſtare, ne cauſa ſit alijs & incitamentum peccati:alioqui membrũ erit eius diaboli,cuius eſt & inſtrumentũ,non Chriſti. Diuam uirginẽ ea modeſtia ac moderatione geſtus atq; uniuerſi corporis fuiſſe ferunt, ut ſi qui laſciuiores oculi in eam incidiſſent,uelut ſi ardens pruna in aquã cecidiſſet. turpe illud incendiũ protinus extingueretur:& ceu uis quædã intrinſecus emanans continentiæ ac temperationis,prauas illas intuentiũ cupidines coercebat,animosq; conuertebat in ſui naturã.His atq; eiuſmodi cogitationib.armata, domo exeat cum matre,ſi habet,& ſi licet.ſin minus,cũ graui aliqua fœmina uidua,aut coniugata, aut etiam uirginæ probatæ uitæ,caſti & ſobrij ſermonis,ſanctæ uerecũdiæ.Homerus pudicam Penelopem in conſeſſu procorũ deſcendiſſe canit,ſed non ſolã,uerum duab. comitatã probis ancillis, cùm tñ domi ſuæ eſſet,& Telemachus filius inter procos ſederet,iam tũ adoleſcẽs.D.Paulus nullo pacto uult fœminã caput nudare,de reliquo autẽ corpore Hieronymus iubet,ut procedens in publicũ,non pectus & colla denudet,nec pallio reuoluto ceruicẽ aperiat:ſed celet faciẽ,& uix uno oculo,q uiæ neceſſarius eſt,patente ingrediatur:nec ſpectare cupiat, nec ſpectari, nec oculos mobiles huc atq; illuc iactet:nec curet quærere,quis illic aut illic habitet,quæ uix uicinos ſuos debet noſſe.Tecta uult eſſe omnia in uirgine,præter oculos,uiæ duces.Nec uideo quid poſſit eſſe honeſti & pudici in oſtẽtatione colli(ſed hoc tolerabile)pectoris etiã & papillarũ,tum interſcapilij, ita ut aliquæ humeros ipſos renudent.id uerò q; fœdũ ſit, cæci(quod aiũt)uidẽt:cùm ex intuentibus alij rem tetrã abominẽtur: laſciuiores, inſolita corporis parte cõſpecta,ceu igne ſubiecto accendãtur.Quorſum pertinere credimus inuẽtas manicas prælongas,& chirothecas:nunquid ut manus fouerẽtur molliter,ac odoratè:non erat tã ingenioſa in luxũ & delicias uetuſtas,certè ut neceſſitati conſuleretur,& manus niſi in opere laterẽt:ne quid cerneretur ex corpore,mãcipio uilſsimo,ac nequiſsimo:nec in facie exiſteret aliud quàm probitas,& uerecundia.Mileſias uirgines eo correptas olim animi furore legimus,ut ſe paſsim ſuſpẽderẽt:neq; huic malo remediũ inueniebatur ullũ.edicebatur horribilibus pœnis,ne fieret : cõtemnebantur pœnæ.quæ enim morte atrociorẽ quã ipſæ ultrò appetebãt. Cuſtodiebantur,inter cuſtodũ manus exitum inueniebat ſpiritus.Edictum eſt tandem, ut quæ ſe occidiſſet,nuda per medium forũ media luce traheretur.hac pœna deterritæ ſunt,ne nudæ cernerẽtur,licet examines.O pudorẽ incredibilẽ,& prædicandum. quę mortem malorũ ultimum contemnebant,pudorem etiã in mortuo corpore curabãt.ita furor ille cõpreſſus ac ſedatus eſt.Quid,q; prouida rerũ natura mater,uerecũdiæ fœminarũ cõſuluit?Dictu mirabile.Virorũ corpora proiecta in mare,Plinius in hiſtoria rerum tradit,ſupina ferri,fœminarum prona. Naturæ ergo pudor earum curæ eſt,ipſæ ſuum negligunt:In ingreſſu, nec celeritates ſuſcipiat fœmina, nec tarditates notabiles.Iam ubi in hominũ conuentu conſidebit, magna & uultus & totũ corpus conueſtiendũ ornandũq; erit modeſtia,quæ nõ ex oſtentatione naſcatur,ſed ex miti & uerè Chriſtiano pectore:hæc demũ ſolida & durata eſt modeſtia, gratiãq; ſpectãtiũ bona fide cõciliat:tũ pudorẽ addẽdũ pudicitiæ,cæterarũ quoq; uirutũ mũdũ atq; ornamentũ.Oculos cõtineat demiſſos,nec attollat niſi rarò & modicè,& uerecũdiæ,neminẽ intẽtè ac incõniuẽter aſpiciat.Si uiri ſeorſũ ſedeãt, & in puellas ſpectẽt,ac inter ſe colloquantur:ne credat uirgo ſe ſpectari,de ſe illos loq. Fit enim,ut puellę quędã,quę pulcritudinis aut uenuſtatis opinionẽ ipſę ſibi cõfinxerũt,in ſe unas cõ-

tectos

tectos omniũ oculos autumẽt,omniũ ſermones in ſe dirigi.ita ſi quis eas aſpiciat uir, etiã aliud agens & cogitans,ſuã ſpectari formã ratæ ſubridẽt:& ne hoc ipſum ridere uideãtur,frigidũ aliqua de re ſermonẽ inijciũt, quẽ ipſæ putẽt ad riſum mouẽdũ eſſe aptũ. Cernere eſt interdũ uiginti pariter cõſidẽtes,quas ſi quis intueatur,rideãt oẽs, obtẽdẽtes, ſe uel uerbũ uel factũ aliquod cuiuſquã earũ ridere, minimè tñ ridiculũ: cũ unaquæq; ſe ſolã inuſitata & ꝓdigioſa forma ſpectaculo atq; admiratiõi eſſe ſibi perſuadeat,in quo leuitatẽ ſuã & dementiã apertiſsimè declarãt. Mea uirgo & negligit formã,nec ſe eſſe pulchrã putabit,nec dictis inſulſis aut friuolis arridebit,nec gaudebit ſe intẽtius cõſpici,ac uelut ſcopũ eſſe ſe cõfabulationũ iuuentutis:cùm hoc magis ſit ei lachrymandũ,excellentiſsimũ bonorũ ſuorũ à tot hoſtib.tot machinis impeti atq; oppugnari,quibus an obſiſtere omnibus poſsit,ignorat:ſuam faciem uelut facem quandam, iuuenum animos ad inconceſſas turpesq; libidines inflammare. Et quoniam de riſu agimus, qui maximè leuis ſolutiq; animi eſt index, caueat ne effuſius riſerit,ut corpus totum cachinno uideatur concuti, aut compreſſum non ualeat ſpiritum recipere: neue frigidis aut inſulſis de cauſis, ut quòd aliquis ſit caluus, aut uarus,aut uacia,aut balbus,aut bleſus,aut uerbum protulerit inuerſum:neu leuibus, ut quòd interpolatum geſtet pileum, aut præpoſtere uel diſſutum calceum, uel fractam zonulam,aut quòd in naſum cuiuſquam muſca inuolarit, aut quòd tranſilierit ſcamnum felis. Sed potiſsimum cauendum, ne ex cuiuſpiam calamitate riſus ſumatur,ſeu deriſus uerius: cùm ſint humani caſus omnibus communes, & cauſæ ignorentur cur eueniant.Signum eſt animi atrocis atq; immanis,in calamitatibus humanis laſciuire,aut inſoleſcere:nec reuerentis,aut reputantis incognita quidem illa, cæterum admiranda atq; adoranda conſilia diuinæ mentis,quę alios facit in hac çuibre uitate miſeros,alios fœlices,pro uiſum eſt çquiſsima illi ſapiẽtię æterni,ac omnia moderantis dei.Illud ne admonenda quidem eſt,ne iuueni ridenti arrideat: quod planè non fit niſi uel ab impudica,uel ab amenti.Ne ſinat ſe uellicari,uel laſciuius tãgi.mutet locum,&abeat,ſi uitare aliter nõ poſsit.Nihil uiro det,nihil à uiro accipiat. Beneficium accipere(inquit prudens uir)libertatem uẽdere eſt. Nec immeritò illud apud Hiſpanos & Gallos uſitatum eſt:Fœmina quæ accipit,ſe uendit:fœmina quæ dat, ſe dedit. Itaq; honeſta nec dabit, nec accipiet. Garrulam nolim eſſe, nec inter puellas. nam inter uiros minor eſſe quoſdam tam impudentes,qui probent. Conſuetudo illa accepta & iuſſa eſt, quantum arbitror, ſuffragijs infernis, ut laudi uertatur fœminas ſcitè ac facundè cum uiris confabulari,idq; in multas horas.Quæſo uos,quid loquetur imperita puella cum iuuene imperito bonarum rerum, peritiſsimo malarum? quid ignis cum ſtupa?(puto de Chriſto,aut diua Virgine, aut de animo componendo)quæ poterit eſſe materia confabulationis tam longæ? an non uterq; mutuo ardore incenſus,de igne,quo ardebit,uelit nolit,cogetur loqui?Has uocant fœminas palatinas,ſiue aulicas.Quæro,à palando,an à balando?nam aulicas eſſe ſatis apparet ex pleriſq; aulis temporum noſtrorum,parentibus flagitiorum omnium,& ſedibus Sathanæ: quas non tantũ Chriſtianus auerſetur, ſed & gentilis, qui pauxillum habeat mentis melioris.Atqui ex illis nõ ſunt omnes impudicæ,aiunt iſti.Primũ neſcio.deinde etiã ſi ſunt corpore pudicæ,certè animo impudiciſsimo ſunt:& ſi nõ corpore,at animo uiris proſtitutę.nec iſtis quicquam defuit ad impudicitiã,pręter occaſionem: quod propè ſemper in oculis multorũ,& frequentia uerſantur. Quę quia non licuit, non dedit, illa dedit: Inquit Ouidius. Sapienter Diuus Aurelius Auguſtinus: Nos per aurem conſcientiam conuenimus, occultorum nobis iudicium non uſurpamus. Si tu non aliter loqueris quàm meretrix, qua fronte uti te pudicam eſſe credam poſtulas? Nõ uidiſti,inquis, me cubantẽ cũ uiro.Nec meretricẽ uidi.Sed quod argumentũ in omni natura uſurpamus,nõ uis in te ualere, ut de internis per externa iudicemus?Poſtulas,ut aquã cõtineri credã in dolio,ex quo uideo uinum profluere. Sed quid nos cũ iſtis diſputamus? Quis probatus uir hæc ꝓbat? qui laudãt, niſi qui nec umbram quidẽ norũt caſtitatis,qui uellent omnes mulieres(fieri ſi poſſet) impudicas eſſe, quo prõptius inuenirẽt, ubi infinitã ſuã libidinẽ explerẽt. q ipſi ad ambas aures flagitijs, facinorib.ſcelerib. immerſi, nec intueri ſua uitia iã poſſunt,nec aliena. Exuant prius iſtas ſcelerum tenebras, quibus opprimuntur: tunc credemus eis de

uirtute iudicantibus. Antiquis Romanis fœminis in schola illa castitatis, comitatem parũ probatam fuisse, autor est Cornelius Tacitus. Posthumiã Vestę sacerdotem incestus accusatã Plutarchus tradit, tantum ob solutiorẽ risum, & liberiora cũ uiris colloquia. Sed absolutã Pont. Max. Spurius Minutius admonuit, ne sermonibus uteretur inculpatæ uitę indecẽtibus. Puellã & uirũ in loco aliquo solos diutinè cõfabulari, ne si sint quidẽ fratres, sinendũ est. Multa possunt adduci, & uetera & noua exẽpla fœdorũ facinorũ, quid fratres etiã ipsi sint ausi, nacti solitudinis occasionẽ. Sic Amon Dauidis regis filius, Thamar sororẽ suã uiolauit. sic Caunus sororẽ Byblim. Nunquã Augustin. cũ sorore sua habitare sustinuit, malũ dicebat fœminã uidere, peius alloq, pessimũ tãgere. Pionis Abbatis ęgrotabat soror, rogatus, ut eã antequã fato defungeretur, cõueniret: alieno ductu, & clausis oculis, ad cubiculũ ægrè uenit: paucis allocutus, eũdem in modũ è uestigio reuertit. Nec fratres cũ sororibus, aut propinquos cũ propinquis puellis, quãlibet casti sint, & spectatæ cõtinentiæ, lusitare, nõ eas osculari, palpare, uellicare patiar. quid hoc aliud est, cũ puellã impudentioribus coqui, & maturare? ut si quid petulantiores illi rogent, istæ excalfactæ, aliquid haud cõueniens pudicitię suæ cogitẽt? Nec in frequẽti atrio uel cubiculo uelim in angulũ sedecere. Quid dicturi sunt soli, quod reliqui audire nõ possint? si casta modò & pura locuturi sunt. Colloquia de rebus bonis secretũ nõ petunt. ibi secretũ desideratur, ubi cõscius timetur: & pudorẽ adfert, si ad alios dimanet sermo. Nec multos inter iuuenes uirũ & puellã sermones seri cõuenit, etiã arbitris alijs nisi tã apertè honesta & pura sint omnia, ut nulla possit incidere suspicio obscœnitatis. Sunt enim quidã in nequitia usq; adeò ingeniosi, qui sic uerbis ambiguis obliquisq; quæ sentiunt, inuoluũt, ut quò tendant, non difficilè intelligatur ab ea cui dicuntur: ambiguitas tñ faciat, ut negare possint se hoc sensisse, & tanquã malignos interpretes incessere, q ad turpitudinem rapiãt, quæ ipsi sincero dixerint animo ac simplici: & acutuli sibi uidẽtur, si his artib. ualeãt, omnium bonarũ expertes, potẽtes prudentesq; ut faciant malũ. quæ res nõ arguit ingeniũ, sed mlarũ rerũ prauã industriã, quę (ut Seneca inquit) somno & lãguore turpior est. Nec ingeniũ, fraudib. cẽsendũ est, & fallacijs, nisi diabolos fãctis angelis de ingenio pręferimus, quũ unus beatorũ angelorũ diabolis uniuersis acutior & sapiẽtior sit. In summa, præstat semper quàm minimũ cũ uiris intercedere cõmercij: paucissima cum eis sunt uerba cõmutanda, atq; ea modestiæ, pudicitiæ, prudentiæ plena. Nõ existimabe ris filia infantior, sed sapiẽtior. Quòd si sententia de moríb. tuis pronuntiãda est, malo uidearis malis parũ docta, quàm bonis parum proba. Cedò, quàm multa legis Mariæ uerba in tota quatuor Euangeliorũ historia? Intrat ad eam angelus, & paucis uerbis tanti mysterij nunciũ absoluit, ijsq; sapientissimis & sanctissimis. Visit Elisabethã, loquitur, ut Deum laudet. Parit filiũ Deum, celebratur ab angelis, adoratur à pastoribus, & tacet, conseruans omnia quę ab illis dicebantur, conferens in corde suo. Adoratur à Magis, qui procul eò uenerant. quid ipsam legis locutã? Alia forsan de illa regione fuisse percontata, de opibus, de sapientia illorum, de astro. Ipsa, quod teneram decebat uirginem, muta semper. Offert filium templo, & uaticinãtem de illo Simeonem rogasset alia, aut quædam, aut eorum quæ dixerat rationem & modum. Vertit sermonem ad uirginẽ senex de filio: Ecce positus est hic in ruinã & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur. Et tuam ipsius animam dissecabit gladius, ut aperiantur multorum cordium cogitationes. Alia mulier, quando, quomodo, ubi futurum, esset scisitata: ipsa nihil legitur dixisse. Amittit charissimũ filium Hierosolymis, quæsitum tribus diebus, tandem inuentum, quot uerbis compellat? Fili, quî fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego mœsti quęrebamus te. Natu iã grandior, in nuptijs illud tantum admonet: Fili, uinum non habent. Ad crucem omnino elinguis, nihil ex filio quærit, cui se relinquat, quid moriturus mandet: quòd in publico loqui non didicerat. Hanc uirgines, hanc fœminæ omnes imitamini paucíloquam quidem, sed ad miraculum sapientem Theano Metapontinæ uati & uirgini doctissimæ, magnum fœminæ ornamentum silentium esse placuit. Idem & Sophocli: quippe silentio, castitas & prudentia suauissimè condiuntur. Illa demum erit mihi fœmina facundissima, cui quum uerba erunt ad uiros facienda, rubor toto ore

ſuffundetur,turbabitur animus,& uerba non ſuppetent. Oeloquentiã hanc ſingula rem,& efficaciſsimã.Nõ es patrona,ô filia:nec in foro agis,ut cauſam uel tuã, uel clientis affligas,niſi loquaris. Tace tu tã audacter,quàm alij loquuntur in foro. ſic enim melius pudicitiæ tuæ cauſam defenderis:quæ apud æquos iudices ſuperior uidetur ſilentio tuo,quàm ſermone.Puerũ quendã tradunt rerũ Scriptores, productũ in roſtra populi Romani ſuper cauſa pudicitiæ, defixis in terrã oculis, & pertinaciſsimo ſilentio pudicitiã ſuã uehementius populo cõmendaſſe,q̃ longis & accuratis orationibus diſertiſsimi Oratores.Sed ut de fœminis loquar:Sancta Suſanna,de flagitij crimine pertinaci ſilentio ſe purgauit,non meditata oratione. Diuũ Ambroſium audiamus:Suſanna mulier tacuit,& inimicos ſuos uicit.nõ enim apud Danielem iudicem uerborũ ſe ratione defendit,nõ patrocinij ſermone tutata eſt:ſed in ſancta fœmina tacente lingua,pro ea caſtitas loquebatur.Idẽ libro de Virginib.tertio,ſic inquit: Deeſſe ſermonem uirgini,quàm ſupereſſe malo.nã ſi mulieres etiã de reb. diuinis in eccleſia iubẽtur tacere,domi uiros ſuos interrogare,de uirginib. quid cautũ putamus? in quib.pudor ornat ætatem,taciturnitas cõmendat pudorẽ.Sic ille. Nec ſolũ ſic inter uiros ſe geret,ſed inter fœminas quoq; modeſtus decebit ſermo,& parcior,nõ ſonorus,nõ arrogans,aut uirilis animi indiciũ,nullo admiſto iureiurãdo. quod cùm in uiris deforme ſit,nõ poterit nõ eſſe in fœmina flagitioſiſsimũ. Fœminã iurare tã alienũ uidetur mihi à natura, quàm armis indui. Sed neq; ſit uox fracta, & delicata, nec uultus in atrocitatẽ & ſæuitiẽ cõpoſitus, nec in ſeueritatẽ quidẽ, aut triſtitiã, aut faſtidium:neq; uarius,aut prę ſe delicias oſtendẽs,uel cõtemptũ,nõ renidẽs,nõ mobilis, nõ uagus & ſolutus,ſimilis animi index certiſsimus.Sunt quædã corde tam fluxo & pertuſo,ut inter pares omnia,& aliena & ſua loquaciſsimè effutiant,nihilq; penſi habeant quid loquãtur.quicquid in buccã uenerit,profundunt.Hinc ſtudiũ mentiẽdi, cùm uera deſunt:& fabulæ de illis ortæ,quo ex uno coruo fecerunt centũ,& ex uno homine occiſo mille,& ex cane mediocri maiorẽ elephãto Indico:ut iam nemo,quibus uerbis rem uſq; adeò præpoſterã & ridiculã aptè inſectetur,inueniat.naſo & irriſionib.omnes excipiunt, quod ad ſummam reprehenſionem ſufficiat narraſſe. Aliæ hoc agunt,quod ineducatæ ſibi uidetur futuræ,ſi quando taceant:uel parum amicę, niſi ſecretiſsima quæq; & maximè tacenda in ſinum alterius effuderint, etiam cum periculo.Sunt quæ non arbitrentur ſe in hoc peccare:aliæ,quoniam in eis ſermo cogitationem præcurrit,antè effutierunt quod erat tacendũ,quàm uel cogitarent quid dicturæ eſſent,uel expenderent an dici conueniret: omnino prius quàm ſentirent ſe eloqui,prolocutæ ſunt. Multæ laborãt ea uanitate,aperiunt ſecretiſsima, ſolum ut tales exiſtimentur,quibus res tantæ facile ſoleant cõcredi.Miſera, quis committet tibi ſua,qui experimẽtum de te ſumpſerit in alienis? Hinc multis arrepta anſa pręcipiendi,Arcanum fœminæ nunquam credendum,non ſorori, non matri, non uxori.Sed hoc uitiũ quarundam eſſe,nõ ſexus,oſtenderunt conſtantiſsimæ aliquot,quæ ne tortæ quidem,quæ ſcirent, prodiderunt: ut Pythagoræa illa, quæ dentibus ſuam ſibi euulſam linguam,in faciem torquentis tyranni conſpuit,ne eloqui ulla neceſsitate cogeretur. Prætereo Mileſias,quæ conſilium maritorum multis diebus,quàm diu uide licet opus fuit,cõſtanter & prudenter Maſsilię celauerũt.Epicharim ſcribit Tacitus, conſciam Piſonianæ cõiurationis,iuſſam tormẽtis dilacerari,ut indicaret: primo die nõ uerberib. nõ ignib.nõ ira,eo acrius torquentiũ, ne à fœmina ſpernerẽtur, cõmotam,ut aliquid ſe ſcire cõfiteret. Poſtero die,cũ ad eoſdẽ cruciatus retraheretur,geſtamine ſellæ(nã diſſolutis mẽbris inſiſtere nequibat)uinculo faſciæ quã pectori detraxerat,in modũ laquei ad arcũ ſellæ reſtricto,indidit ceruicẽ,& corporis põdere cõnixa,tenuẽ iã ſpiritũ expreſsit,Ariſtogitonis,q Pyſiſtrati filios expulit, amicã Lænã nomine,Atheniẽſes memoriæ mãdarũt,tortã à tyrãnis ut amicũ proderet,in ſilẽtio tormenta omnia ppeſſam eſſe.Si hæc impudicæ,quid pudicæ? Fugiẽda etiã alienæ domi curioſitas, ne omnia rimari & ſcrutari cupias: nec plus uelis ſeu capere, ſeu ſcire, quàm ultrò concedatur.Contendendum,& rixandum in publico non dico leuiculis de rebus, ſed nec ſi de magna aliqua poſſeſsione ageretur. Præſtat fortunarum pati detrimentum,quàm nominis & frontis, & rerum iure chariſsimarum. De feſtis

& cele-

& celebritatib. & conuiuijs, nescio quid præcipiam Christianis, in tam receptis moribus plus quàm gentilitijs: ut demens putetur, qui nõ simul cum orbis consensu ultrò se rapiendum permittat, sed unus potius, aut cum paucis tanto se & tam incitato populorum torrenti opponat. Auscultent ergo gentiles, quæ Christianũ nolunt. Ouidius flagitiosa illa tradens amandi præcepta, de publicis spectaculis dicit:

Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur ut ipsæ:
Ille locus casti damna pudoris habet.

Iuuenalis in Satyra, negat in theatris, in choreis, in celebritatib. inueniri illas, quæ graui & honesto uiro placere, ac satisfacere, cõiuges possint. Cõuiuia Veneris & Cupidinis esse arma, testatur idẽ Ouidius. Et ꝓfectò quę potest esse pudicitiæ custodia, dum tot oculis expetitur puella? tot uultus eam intuentur? tot ipsa cõspicit? necesse est urat, & uicissim nisi saxea sit, suo & ipsa quoq; igne incalescat. Accedit ardẽti igni maximus ex cõuiuio fomes, cibi, potus, confabulationũ, arrisionũ blandarũ, & illiciũ aspectuum, tactionũ, uellicationũ, & aliorũ, quorũ magnam præbet Liber ille Bacchus licentiã. quis inter hæc animus purus & integer, libidinosa nulla cogitatione temeratus? Amentissimus populus nõ aliter putat puellas peccare, nisi cũ uiris cubẽt. Tu ergo, qui baptisatus es per Euangelium Christi, quomodo uel legis uel audis illa Christi in Euãgelio uerba: De omni uerbo ocioso reddẽdã rationẽ in die iudicij? At inter iuuenes & puellas in conuentib. & cõpotationib. quot uolitãt non modò ociosa uerba, sed quę corruptissimi nostri mores etiã laudabilia faciũt, exitiosa iacula? Tũ & illud eiusdẽ dei: Quisquis uiderit alienã mulierẽ ad concupiscendũ eam, iam adulteratus est eam in corde suo. an non etiã de muliere uirũ intuente putas dictũ? In sæculo dixit quidã: Incesta est etiã sine stupro, quę cupit stuprũ. & Menander ait, collo quijs prauis corrumpi mores ꝓbos. quẽ uersiculũ cõsecrauit Paulus, epistolæ cuidã suæ inserẽs. Postremò nõ Christianus es, & spiritalis, sed carnalis gẽtilis, imò uerò pecus, si nõ uirtutũ & uitiorũ fontẽ intus esse in animo intelligis: nec referre qualis qsq; sit corpore, sed mẽte. Ausim dicere, post pubertatis annos paucas ex cõuiuijs & celebritatib. uirorũ redire animo uirgines, ut ierãt. aliæ forma capiuntur, & quasi tenẽtur irretitæ: aliæ ingenio, aliæ diuitijs, aliæ facũdia, aliæ agilitate. in cœtu uirorũ hæc omnia puella inuenit extẽta, uelut plagas. difficile uidetur non illis saltem capi, ad quas propensior fertur. Quàm præstat non amare periculũ? ne, iuxta consiliũ Sapiẽtis, pereas in eo. Mea sentẽtia est, imò Christi (ut opinor) debere cõtineri uirgines domi, abstinere publico, nisi sacri gratia: & bene tectas, à cõspectis uirorũ separatas: quòd D. Chrysostomus solitum ætate sua fieri scribit, ne laqueum uel præbeant, uel reperiant. Cum nuptijs, cum uirorum conuentibus, & conuiuijs, nullum debet esse, aut quàm rarissimum Christianæ uirgini commercium. sexcentis conuentib. & cõuiuijs interfit fœmina: in nullo eorũ uel audiet, uel uidebit, unde redeat domũ melior: in omnib. plurima, unde peior. sunt non parum multi, quib. sola hæc est ars, eiusmodi celebritates petere, ac inibi aliquid uel dicere, uel facere, quod probitati detrimentũ adferat. Quid de puellis sentiam, hinc intelligi potest, quod & pueros adhiberi cõuiuijs nolim: tum quod inimicũ hoc est uirib. & ualetudini crescentis ætatis: tũ quòd cõuiuiũ omne, ut nunc sunt mores, seminariũ est multorũ uitiorũ, quantumuis sobriũ & tẽperatũ. Multa spectat ibi puer turpia, multa discit flagitiosa, etiã inter senes graues. Qui inter fœminas & uiros dicam, ubi accensis qua intrinsecus qua extrinsecus in libidinem animis, quantumlibet pudoris comprimantur frenis, erumpunt tamen, & efferunt se immodicè ac turpiter, nec habenas audiunt, & secum rapiunt uectorem. Quid porrò, si ultrò stimulentur calcaribus? ibi uerò nec modus, nec modestia est ulla, nec pudoris respectus.

DE SALTATIONIBVS.

Dicamus & de illo nõnulla, quo nihil agũt plerq; fœminarũ libẽtius, quodq; magna cura etiam à parentibus docentur, ut docte saltent. Nolo hic disputare de chironomia, & palæstra uetere, quam Plato, & Stoicorum plurimi utilem dixerunt liberis pueris, Cicero & Quintilianus necessariam oratori: quę aliud nihil erat, quàm formatio

formatio quædam gestus totius ac motus,ut decora & essent omnia,& mouerentur: quæ ars prorsum(ut aliæ permultæ)ex usu abijt. Ad istam uenio saltationẽ, sic enim appello,non tripudium modò, uerumetiam palæstram horum temporũ, quæ molli peragitur incessu.nam in utraq; simile est flagitiũ,seu idem uerius. Quin palęstra,uel chironomia,& si exiguis interdũ & fractis,nec se multũ attollentib.sine salticulis tamen nequaquã exercetur.Saltationẽ ergo cùm à Romana grauitate,tum etiã à Græcis ipsis paulò cordatiorib.ac frugaliorib.repudiatam uidemus. Demosthenes orator comitatũ Philippi Macedonũ regis apud cunctũ populũ Atheniẽsem incessens, nihil potuit grauius in eos iacere, quàm esse illos, qui nihil dubitarent,ebrij saltare: prudentes uerò &probos,qui saltationes non ferrent,à se repulisse.Nec ulla ex castis illis Romanis matronis saltasse legitur.Salustius Semproniã scribit doctius cantasse & saltasse,quàm necesse esset probæ.Cicero Murenam defendens,refert obiectũ esse illi à Catone,quòd in Asia saltasset.Hoc crimen tantũ erat,ut defendere rectè factũ non sit ausus,sed constanter pernegarit:Nemo(inquit)ferè saltat sobrius,nisi fortè insanit:neq; in solitudine,neq; in cõuiuio moderato,atq; honesto.Intempestiui conuiuij,amœni loci,multarũ deliciarũ comes est extrema,saltatio.ita saltationẽ necesse est omniũ uitiorũ esse quasi cumulũ.At nos in ciuitatib.Christianis scholas saltandi habemus:sed in eisdẽ,in quib.etiã publica lupanaria.tantũ grauitate morũ à gentilibus uincimur.Neq; uerò illi hoc nostrũ norant nouũ saltandi genus immoderatũ, iactabundum,accensionẽ libidinis,plenũ impudicis contrectationib. & basijs.Quid sibi uolunt tot basia:credo,ut columbas aues effingamus,Veneris,ut ueteres putabant. Olim solis cõsanguineis ferre osculũ licebat:nũc passim in Gallia,in Britãnia,fertur quibuslibet,scilicet hoc facit baptismus,ut omnes,si deo placet,fratres esse uideãtur. Equidẽ scire uelim,quò pertineat toties oscularí: ceu aliter cõstare nõ posset uel amicitia,uel charitas cũ fœminis . initiũ illud est turpitudinis, quã nolo explicare.Planè mos mihi fœdus uidetur,ac barbaricus. Sed pergo de saltationib. dicere. Quorsum tot saltus puellarũ,subiectis à uiris cubitis,quo altius se attollãt:Quid usq; in medias noctes sine satietate,aut lassitudine agitari eas:quæ si iubeantur proximũ templũ petere,ire se negent posse,nisi equo uectas,aut rheda.an nõ planè clamãt,se intempestijs exagitari:Audisse memini me quosdã procul in nostrũ orbẽ ab extrema illa Asia deductos,cùm saltãtes uidissent mulieres, territos fugisse, quòd illas dicerent nouo & inusitato sibi furoris genere cõcitari . Ac profectò quis nõ mulieres credat furere,cũ saltent,si saltãtes nunquã antea cõspexerit:quis nõ mẽte captas, cùm sic ad aliquem membranæ uel chordæ sonitũ, manus,caput,totũ corpus in gesticulatione mouent: iam in illis celebritatib.iuuat contẽplari,quàm cõpositæ aliæ sedeant spectãtes, quo gestu aliæ,quo incessu,quãta moderatione,quãto fastu saltẽt aut incedãt.In quo earũ dementiã cognoscas licet,quòd rem tã stultã prudentissimè conãtur agere. uidelicet uniuersa illarũ mẽs à capite in extremos pedes desilijt:ubi est nimirũ magis necessaria cùm saltatur,quàm in cerebro,uel corde.Quæ unquã legitur saltasse sanctarũ fœminarum:quotaquæq; est ex istis grauiorib.& prudentiã rerũ usu nactis , quæ uel non dissimulet se artem illam scire,uel rogata ut prodeat, non recuset:omnino & contumeliæ loco ducat: nimirum non ignorant, stultum illud esse, alioqui ultrò facturæ. Quid quòd eiusmodi nec frequentes adsunt ubi saltatur,nisi necessarij officij gratia. ibiq; sic agunt,ut inuitæ uideantur retineri,uultu & gestu toto illa aspernantes, tanq; non probent. quo loco quæ potest custodia esse pudicitiæ , spectatis tot uirorũ corporibus? & sollicitatis animis per oculorum ostia,artib.subtilissimi hostis nostri:De opere ipso sanctus uir pronunciauit,malle se arare festis diebus,& fodere, quàm saltare. Diuus Ambrosius sorori suæ scribens , inquit: Debet igitur bonæ conscientiæ mentis esse lætitia , non inconditis comessationibus , non nuptialibus excitata symphonijs . Ibi enim intuta uerecundia , illecebra suspecta est , ubi comes deliciarum est extrema saltatio . Ab hac uirgines Dei procul esse desidero. Nemo enim (ut dixit quidam secularium doctor) saltat sobrius , nisi qui insanit. Quòd si iuxta sapientiam secularem saltationis , aut temulentia autor est , aut dementia , quid diuinarum Scripturarum cautum putamus exemplis? quum Ioannes prænuncius Christi,sal-

ſti,ſaltatricis optione iugulatus exẽplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebrã, quàm ſacrilegi furoris amentiã. Extruitur regifico luxu ferale cõuiuium,& explorato quãdo maior ſolito turba conuenerit,filia intimis mãdata ſecretis in conſpectũ uirorum ſaltatura pro ducitur. Quid enim potuit filia de adultera matre diſcere,niſi damnum pudoris? An quicquã eſt tam pronũ ad libidines,quàm incõditis motib. ea quæ uel natura abſcondit,uel diſciplina uelauit,mẽbrorum operta uelare? ludere oculis? rotare ceruicẽ? comã ſpargere? Meritò inde in iniuriã diuinitatis ꝓceditur. Quid enim ibi uerecũdiæ poteſt eſſe,ubi ſaltatur,ſtrepitu cõcrepatur? tũc Rex (inquit) delectatus dixit puellæ,ut peteret de rege quid uellet. Hactenus Ambroſij uerba. Inuentus eſt mos nõ ita pridem,ut uiri & fœminæ perſonati urbẽ totã circũcurſitent,ſaltantes per celebres domos: quales ſũt procerũ,diuitũ,aut in quib. aliqui cõuiuantur,ſeu potant uerius, atq; huic ludicro ita ſunt quidã diditi, ut nihil affirment eſſe paris oblectamenti,quàm eum in modũ capite obuoluto domos circumire. uident ipſi,& noſcunt omnes,à nemine cogniti: ut infantes pueruli, qui magnã capiũt uoluptatẽ,cùm admotis ori manib. putant ſe ab alijs non cerni, & audiunt ſe ab alijs requiri. Sed ſub larua eiuſmodi multa deliteſcunt flagitia. Primũ curioſitas immodica mulierũ, quæ ſcire quid ubiq; agatur,uehementer auent: qui conuiuentur, quo ordine,quomodo ornati,quàm ſplendido apparatu. unde naſcitur inuidẽtia,loquacitas,detractio,infamatio. Amicũ credit ſe quis recipere,tecta facie: hoſtis eſt,& quidẽ capitalis, qui exploratũ ingreditur,quà noceat. & ininicũ retectum licet excludere,hunc operũ non licet. Tum habenæ laxãtur impudentiæ muliebri. quæ enim aliquò proficiſci & ſaltare erubeſceret cognita,nõ ueretur id facere laruata. eoq; nullus eſt illic reſpectus ætatis,dignitatis,fortunæ,exiſtimationis. Nec ſolũ audiũt obſcœna,& ſe indigna,ſed dicunt intrepidè,quæ ne cogitare quidẽ auderent,ſi noſcerentur: uerũ omnia exæquat oculis ſpectantiũ larua,uelut tenebræ quædã obiecta. ita aſſueſcunt paulatim impudentiæ,ut detrimentũ,quod ſub perſona accepit uerecundia,citra perſonã proferat, & oſtendat,& in Gallia,Germania,Britãnia,ubi populi ſimplicius uiuunt, minusq; inter ſe homines aſtutè uerſantur,flagitia hæc ſequuntur non negligenda. In Hiſpania,Italia,& alijs regionib. in quib. propter ingeniorũ acumen plus eſt callíditatis & uafriciei,uerendũ eſt,ne magnorũ ſcelerum occaſionem prębeant eiuſmodi ludicra, quæ hactenus pauca quidem contigerunt,& ſi nonnulla, nimirum re adhuc non admodũ uetere,neq; uſitata. Sed ea mala ſatius fuerit cogitationi uniuſcuiuſq; relinquere,quàm dicendo explicare: ne admonuiſſe magis uideamur,quàm caſtigaſſe.

DE AMORIBVS.

EX congreſsib. colloquijsq; cũ uiris amores naſcũtur: inter uoluptates enim, cõuiuia,ſaltationes,riſus,delicias,regnũ exercẽt Venus, & Veneris puer Cupido. Iſtis illiciuntur & illaqueantur humani animi,ſed in primis fœminei, in quos impotentiſsimè uoluptas dominatur. O miſerã puellã,ſi capta ex cœtu illo diſcedis. quanto præſtitiſſet mãſiſſe domi? aut fregiſſe crus corporis,quàm crus mẽtis? Conabor tamen præſidiũ adferre,ſi nondũ ſis capta,ne capiaris: & ſi capta ſis,ſubſidiũ,ut elabaris. Primùm omitto,quæ à philoſophis,quæ etiã à ſanctis uiris,quę denicq; à cũctis ſapientib. cõtrà cupidineũ amorẽ dicũtur. Illa quoq; taceo, quæ etiã ab ijs ſcribũtur, q amorẽ ex profeſſo uidẽtur uoluiſſe laudare. Quãta illi faciunt conuicia? tyrannum illum nominãt,durum,aſperum,tetrum,crudelem,fœdum,ſceleſtum,execrandũ, impium,autorem atque impulſorem peſsimorum facinorum. Ex Ariſtotele,Seneca,& Plutarcho, D. Hieronymus ſic inquit: Amor formæ rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus,fœdum minimeq; conueniens animo ſoſpiti uitium,turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frãgit,à magnis cogitationib. ad humilimas detrahit: querulos, iracũdos,temerarios,durè imperioſos,ſeruiliter blãdos,omnib. inutiles,ipſi nouiſsimè amori facit. Nã cùm fruendi cupiditate inſatiabilis flagrat,plura tẽpora ſuſpicionibus,lachrymis,conqueſtionib. perdit,odiũ ſui facit, & ipſe nouiſsimè ſibi odio eſt. Sic Hieronymus. Quis cõſequi dicẽdo poſsit,quot periuria, quot fraudes,quot cædes,quas ſtrages,quas euerſiões urbiũ,gentiũ,regionũ,hic amor dederit? Quid ego hic Troiã deletã narrẽ,ꝓpter Helenã? tot ibi exercitus cęſos,tãtũ belliũ inter Lacedæmonios

monios & Messenios,propter raptas uirgines?Ipsum quoq; Lacedæmoniorũ impe rium ab Epaminũda Thebano ad Leuctras Bœotias concussum?uindicante(ut Plutarchus ait)Scedasi genio filias à Lacedæmoniis iuuenibus stupratas, & patris queri moniã à magistratibus contemptã.Florentes Hispanias Rodericus rex,cõcubitu Cauæ Iuliani comitis filiæ perdidit,lacerãdasq; & cõculcandas Mauris reliquit.Genus hominũ prostrauit & afflixit Adã,propter amorẽ Euæ.Exclamat ille,Quid nõ cogit aurũ?Imò uerò,quid nõ cogit sæuus amor?Mitissimũ Dauidẽ impulit,ut innocentẽ Vriã præsentib.periculis obiiceret,quo potiretur liberè Bersabee:Solomonẽ sapientissimũ regẽ dementauit,usq; ad idololatriã:Samsonẽ debilitauit: Medeã adegit fratrem lacerare, filios occidere:Catilinã, filiũ propriũ interimere,ut in uacuam domũ Orestillã duceret.Oderunt parentes & cõsanguineos puellæ, quòd suo amori obsistant.Sunt,quæ matres ipsæ suas,ex quib.erant natæ ac educatæ, ueneno sustulerint, ut cũ amatorib.fugerent.Messalina Claudij Imperatoris uxor,illo uiuo, & Hostiã ad sextũ decimũ ab Vrbe lapidẽ profecto, ipsa nulla diuortij mentione facta, publicè, media luce,Romæ Caio Silio nubere ausa est. prætereo quòd priuata fiebat ex Augusta.certè id cõflabat periculũ,sub quo & ipsam,& Siliũ, & omnes tã nefarij cõnubij conscios perire erat necesse,sicut euenit.Hæc facerẽt Orestes ulli,aut Aiaces, aut illorũ quisquã,quos exagitatos à furijs accepimus? Nec in ullis tigrib. leonib. lupis, ursis,talis annotari potest furor.nimirum eò protrudit conscientia sceleris,œstro percita,quod uæcordia ne cogitare quidem secura possit. Deniq; hunc tam immanem affectum, & atrocem, si quis oculis corporis posset cernere, non secus terreretur ac cohorresceret,quàm si subitò truculentissima occurreret bellua,& quàm longissimè se territus abriperet. Si non es ergo huius scorpij ueneno icta, reputare animo tuo uersiculum illum Mimi debes:

Amor animi arbitrio sumitur,non punitur.

Esse in tua manu,amorẽ admittere:& postquàm admiseris, iam te tui iuris non esse,sed illius:non licere tibi illũ extrudere cùm libeat,illi uerò & licebit & libebit domicilio te tuo deturbare. itaq; nisi hospitem eiusmodi uenientẽ ad te arceas, ipsa à te arcebere.Faciẽdũ est,quod deinceps pati erit necesse,nisi feceris. Quippe amor,quo ipse immoderatius ac profusius in animo nostro dominetur,& omnia pro libito cõturbet, sursum ac deorsum inuoluat ac misceat,mentẽ primũ omniũ uel excæcat,uel eiicit,ut cùm nihil cernat,aut procul absit,cognoscere nec possit quid domi suæ agatur,sed cunctam se amoris arbitrio tractãdam & uersandã permittat. Atrox uenenũ, quod luminib.nos orbat,& excæcatos per mille abrupta,per totidẽ præcipitia trahit raptatq;,& plerũq; in exitiabilẽ uoraginẽ deuoluit. Nullũ adeò est uel inhumanũ & immane facinus, uel sic inusitatũ atq; inauditũ,quod nõ suscipiamus, si in hoc amori parendum aut gratificandum sit.fraudare amicos,occidere consanguineos,parentes iugulare,trucidare quos pepereris,leuia sunt, in gratiam amoris. Nec illa grauia, à stirpe patriam regionem genus humanum excindere. Quæ inter hæc memoria sancti,pij, æqui? Deus, & religio, & bona mens,nugæ omnia,suimet ipsius iam oblito. Qui sanus est,& hæc reputans,nõ dat operã,quo in hanc mentis phrenetidem,cæcitatemq; ad omnia nunquam incidat:nimirũ dignus is est, qui perpetuò illa teneatur, nec inueniat suorum malorum finem aut modum,sed agitetur diebus ac noctibus face illa Cupidinis:nec cibum sumat,nec dormiat, nec uideat, nec quiescat: & cùm sit homo,nullo tamẽ humano munere fungatur.Affectus hic, cùm animos mortalium omnium impotentissimè rapit,tum uerò fœminarum, quanto teneriores sunt quàm uiriles:quo circumspectius cauere illis expedit,ne sensim illum hauriant insciæ. Illabitur enim quandoq; improuisus ijs,qui in discrimina adducti,& in occasionib. positi,securi sunt,quo motu animi inuadantur:amoremq;,ubi primùm irrepsit,tanquam blandũ suauemq; amplectuntur,& fouent,ignarę quàm capitalem ac formidandam pestẽ,sub illa frontis blandicie occultã.Ergo primis quibusq; occasionib.fortiter obsistendũ,q; & magister amorũ Ouidius cõsulit. Neu sine adolescere paruulos Babylonis:sed iuxta Psalmistæ monita,Allide illos ad petrã,& cõminue in firmamẽto religionis Christo Iesu,qui in Canticis uirgines admonet,inquiẽs: Capite nobis uulpes

paruulas, quæ demoliũtur uineas. & eo ſuadet accuratius capiendas, ſi uinea bonorum fructuũ iam flores oſtendit. Accipit amor uires ex mora, ut aliæ res permultæ.

Vidi ego, quod fuerat (inquit Ouidius) primò ſanabile uulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Non magis audiendus amans: quàm incantator, aut ueneficus. Aggreditur hic ſuauis ac blandus, & primùm omniũ puellã laudat, captũ ſe dicit eius forma, poſtremò perire præ amore immodico. Videlicet non ignorat multarũ uanos animos, quæ unicè laudibus ſuis delectãtur. Sic uolucrem auceps fallit uiſco & fiſtula. uocat te formoſam, uenuſtã, ingenioſam, facundã, nobilẽ: & forſan nihil horũ es, ſed tu illa mẽdacia libẽter audis, ſtulta, putas te uideri talẽ, cùm nõ ſis? Sed fac eſſe. num etiã prudentem adiecit? num pudicã? Si prętermiſit hæc, nihil dixit. ſin adiecit, quid à te ſperat? Si ſperat, mentitũ eſſe apparet. Quomodo igitur orauit? Captum ſe ait iſtis tuis dotibus, quid inde? periturũ, niſi potiatur. Hinc illæ lachrymę. Vide iam tu, ne & ipſa illius uerbis capiare, ac pariter & unà pereatis. Moriturũ ſe deierat, atq; etiã (ſi dijs placet) iam iam mori. credis tu hoc? Demens, proferat tibi ille, quot amore interierint ex tot amatorũ millibus? Excruciat quãdoq; amor, nunquã perimit. Quòd ſi perit, quãto cõſultius eſt tibi perire illũ quàm te? aut etiã unum perire, quàm duos? Quid attinet explicare, ut promptũ & cõmune ſit id carmẽ amatorib. ut omnes memoriter teneãt, cùm ſæpenumero ne gutta quidẽ amoris aſperſi ſint. Solũ id occinũt, ut fallãt. Puella quædã Gallica, ex ijs quæ Margaritã Valeſiã comitatæ ſunt in Hiſpaniam, uiſentẽ Franci ſcũ Franciæ regẽ fratrẽ ſuũ, Caroli Cæſaris captiuum, cùm à iuuenibus Hiſpanis ſubinde audiret, Amore enecor: Morere iam tandẽ, inquit, ut amatorem aliquẽ mori uideã, ex tot moriturientib. Quòd ſi te amator tui fruatur ad ſatietatẽ, ibi oſtẽdet quantũ amarit. Si amaſſet ille te, hoc eſt animũ tuũ, nunquam eum quàm diu uixiſſes, faſtidiũ aut ſatietas tenuiſſet tui. Sed quia corpus tantũmodo deperibat, & breuem ex te uoluptatẽ, ideo flacceſcente corpore deferbuit ille ardor, expletusq; uoluptate faſtidiuit copiã. Non ſunt rara exempla, nec uetera neceſſe eſt aduocare. Nullus eſt tam rerum imperitus, qui non audierit, qui non uiderit ſexcenta uirorum millia, ubi puellis eſſent abuſi, abieciſſe illas plerunq; in fornicẽ aliquem, cùm eas nunquam dilexiſſent, alios qui adamarũt, exardentiſsimo amore in capitale odium uerſos, cæcidiſſe, aut iugulaſſe amicas. Nulla eſt ciuitas, in qua non quotidie hæc audiantur: ut magis puellarũ furorem demirer, quæ ſe in tantum malorum mare non inuitæ immergant. Vnde quæſo tam frequẽtia lupanaria? præfandus eſt honos: ſed hæc non ſunt tacenda, quorũ ſimilia non dubitauit Hieronymus eloqui. Vnde tot proſtibulæ, etiam honeſto natæ genere? unde tot in ptochotrophijs & ualetudinarijs ulceroſæ etiã adoleſcentulæ ſpecioſiſsimæ? unde tot ſtipem poſcentes, pallidæ, ægræ, teterrimis morbis contabefactæ, niſi ex iſtis exemplis? Si nullus te uirtutis, nullus probitatis, pudicitiæ, religionis reſpectus mouet, ſi nulla ſanctarũ uirginum reuocant acta & exempla: hi ſaltem miſerarum puellarũ caſus flectãt, qui te indubij manent, ſi eandem quam illæ uiam inſiſtas. Fallet te amator, uel quia ſolitus fallere, uel quia hoc eſt præmium obſcœni amoris, uel quia id ſuadet uoluptatis ſatietas. Proderũt etiam multa ex ijs quæ in cuſtodia pudicitiæ diximus, ut amorẽ nec uictus ratio gignat aut alat, nec ocium, nec conuerſatio cum uiris. Apud Lucianum ſophiſtam quærit ex Cupidine mater Venus, cur, cùm Iouem, Neptunũ, Apollinem, Iunonem, ſe etiã matrẽ, deniq; deos omnes iaculis ſuis configat: Mineruæ, & Muſis, & Dianæ manũ nõ admoliatur? Minerua (inquit ille) mihi uenienti cõminatur, hæc occaſionibus it obuiam, & reſiſtit. Muſæ uerò reuerẽdæ ſunt, & ſemper honeſtis exercitijs occupatæ: hæ maieſtate ſua, & negocij intẽtione ab amore ſe uindicãt. Diana in ſyluis & ſolitudinibus errat, hæc amorẽ nõ haurit cõſuetudine. Multũ enim amoris per ſenſum ſe inſinuat, quod poſt ea teneris cogitationib. alitur, & excreſcit. At capta eſt puella. Remediũ quęrẽdũ eſt plagæ, antequã cogat id perpetrare, quod pœnitentiã æternã afferat. Primũ hoc docendũ, quòd in eam te uoraginẽ uidẽs prudensq; cõieceris. nec audiẽdi ſunt, qui ſuiſ ſe in manu ſua negent, amorẽ nõ admittere. Vox ea eſt hominũ prætexentiũ crimini ſuo excuſationem neceſsitatis, tanquã inuiti fecerint, & ignorantiũ amoris naturam ac uim.

ac uim:Cogitandus est igitur æquè uersiculus Mimi:

Amor extorqueri non potest,elabi potest.

Qui apertè indicat,non amorem ui irrupisse,nec ui expellendũ: sed ut illapsus est, ita sensim à nobis exprimendũ.Non sines uagari animũ tuũ,nã eò spõte sua reuoluetur.Sunt cordatiores aliquot, qui amatorias cogitationes alijs diuersi generis extrudunt,ueluti clauũ clauo. Itaq; uehemẽti studio alicui se exercitamẽto cunctas dedunt,in quo uniuersa animi intentio occupata, alias curas meditationesq; excludat. Ergo uel telam magna compendij spe ordiuntur,uel auidissimè discunt acu pingere uel legere,uel scribere,uel literas Latinas:quod siue præsentis commodi illecebra,si ue spe uenturi animum in se uertat ac detineat. Porrò cùm paulùm amoris conquiescent stimuli,& pondere ac uiolentia illius relaxata uacabit mente aliquid cernere,reuolues ac reputabis cum animo tuo,quàm multa per amorem egeris stulta, cæca, sine mente,sine sensu:quomodo tantum boni temporis in eo triueris inutilibus & stultis curis,in quo amiseris occasiones rerum optimarum,qua face arseris:quàm multa cogitaris,dixeris,feceris,partim inepta,partim insana, partim etiam impia: in quantum malorum seminarium te præcipitabas cæca.quantum est beneficium, oculos tibi esse restitutos, ac ad meliorem redire mentem uelle? haud mediocre Dei munus hoc esse,nec paruam ei ob illud deberi gratiam. Tum redi ad opus aliquod. Cura nec rem amatam aspicias,ne de illa audias:si cogitatiõi occurrit,animũ alio retorque,uel lectione,uel oratione,uel sermone aliquo,uel etiam cantiuncula honesta, uel cogitatione rei iucũdæ,modò puræ & castæ.Hinc si quid is,quem amas,uicij habet,si quid deformitatis,id fac potius menti obuersetur,quàm si quid boni & pulchri.Nullus est mortaliũ,in quo non insit quod improbes:id occurrat primùm, de illo cogitãti. Iam reputa latere ingentia sub uirtutis specie mala,multa sub honesti facie perniciosa.Superbos & fastidiosos reddit forma, nobilitas insolentes, diuitiæ temerarios, robur corporis feros ac immanes. Reuoca in memoriã,nõ si quid dixit quod placuerit, sed si quid quod displicuerit,fieri aliter nõ potest, quin ipsa illũ recorderis aliquid egisse aut dixisse ineptũ,friuolũ,stultũ,fœdũ,tetrum, abominandũ,nequiter,flagitiose,dementer,nefariè.Ex hoc quod prodijt,fac coniecturã,qualia sint alia,quæ intus maxima cura occultentur.Nã nemo quantũ potest,uitia sua nõ celat, nemo nõ ostẽtat uirtutes:ita fit,ut & hæ sint semper minores quàm uideãtur,uitia uerò maiora quàm appareãt.Adde quòd affinitatib. uitiorũ & uirtutũ fallimur,quoniã quisq; melior quã sit uideri affectat, nosq; imperitè & ad uulgarẽ trutinã uirtutes examinamus. Igitur liberalẽ uocamus,qui sit profusus:fortẽ,qui temerarius:eloquentẽ,qui loquax:ingeniosum,qui leuis.Istis sæpe capiuntur puellæ,cùm nec ipsæ satis iudicare sciãt: & de homine iudicãt ex,quod extrinsecus apertũ omnibus,obuiũq; circumgeritur: præsertim cùm nemo ad amicã accedat,qui non se in habitum componat & optimi uiri, & fortunatissimi:ne quid ei credatur deesse, quod in aliquo mortali ad amorem conciliandum optari posse uideatur. Hunc in modum improuidis puellis imponunt, cùm tenuissima boni specie detestandas malorum uoragines cõtegunt: ut aucupes uiscum cibo,& hamum piscatores esca.Hęc omnia reputare puella debet,antequàm sera teneatur pœnitentia,& incipiat sapere,cùm nihil iam prodest. Quòd si amorem prorsus exueris,tũ uelut sanitati restituta,& receptis luminib.intelliges,ut cùm aliorum complurium,tum uel huius beneficij nomine nunquã deo sis soluendo, qui te ex numero dementiũ exemptã inter sapientes reposuerit.Quę em̃ sancta fœmina Christiana,quę habita inter gentiles uel mediocriter prudẽs & proba,adamauit unquã nisi maritũ?Nec cupies hoc amoris genere te amari,neu improbis artib.ignes uiri accẽdens,peruenturo & ad te facile incẽdio proximo. Gloriantur se quædam habere amatores,quos dedita urãt opera.Sed istæ, quę uenatũ à diabolo ducuntur expãsione formæ,cultus,sermonis,sibi ipsæ nõ minus tendũt rete,quàm uiris: duriorẽq; sibi reddũt custodiã suæ pudicitiæ,quam tot expetãt atq; impetãt.Ægrè retinetur,quod tã multi laborãt extorquere.Ita cõtingit eis meritô,quod Iesus ait,filius Sirach: Qui in altũ mittit lapidem,super caput eius cadet,& plaga dolosa dolosi diuidet uulnera. Et qui foueã fodit,incidet in eã:& qui statuit lapidẽ proximo suo,offendet in eo:qui

aquæum alij ponit, peribit in illo. Scelerata, nõ uides te hũc in cassẽs diaboli tuis fraudibus impellere? eódem & tu cum illo casura, ut ministerij tui mercedem accipias? & ille ardebit, quia uictus diabolo: & tu, quia diabolo uictrix? Vterq; stipendia meret peccati ampla: stipendiũ autem peccati, quemadmodũ testificatur Apostolus, mors. Lex Christi, quæ formula est dilectionis mutuæ, non uestitum modò, & uniuersa fortuita, sed corpus quoq; ipsum, & sanguinẽ, & uitam cuiusq; nostrũm animæ proximi postponit. omnes enim intenti atq; expediti in profectionem, incumbimus, ad destinatam immortalitatis fœlicitatem. Quàm cõuenit nos gaudere, quum exemplo, uel monitis, uel incitatione nostri fratri ad uirtutẽ profuimus: tam dolere, quũ ille nostra causa fit peior. Si detestatur illum Dominus, per quem scandalum uenit: quid illi fiet, qui sciens & prudens offendiculũ obijcit pedibus ambulantis proximi, in quod ille cum graui casu impingat? Nec secus mœrebit proba fœmina, se alicui occasionẽ aut ansam fuisse flagitij, quàm si à se esset occisus. quãtò scilicet leuius est ceruicẽ iugulare, quàm animam: & à trunco separare caput, q̃ animam à Deo. sine anima morietur corpus, uiuet nihilo secius anima: sine Deo nec corpus, nec anima. Quocirca studebit fœmina diligenti opera, ut eum reuocet ad mẽtem, quem ipsa dementarit. primũ quantum poterit, uerbis, & bene admonendo: quę si parum proficiant, auersione sui, & reiectione illius. rarius cum illo colloquetur, rarius se illi aspiciendam offeret. Minuet ea quibus ille est captus, formam, uenustatem, cultum, sermonem. cogitabit illis non ornari se, quæ ruinã fratri præbẽt: sed diaboli se exhibere ministram, ad offensam Dei. Non potest Christianus appellari, qui uel cum impendio proprij corporis salutem fraternæ animę non procurat. In historijs Nationum legimus, adolescentem eximiæ formę, quum in se uideret puellas aliquot exardescere, cultello faciem suã deformasse. O exemplum omniũ fœminarum, ô adolescentem illustri memoria dignum. id fecit & uir, & gentilis. Christiana uirgo, aut mulier, pilum unũ de cultu, de uerbis, de colloquijs non detrahet, quibus & perimit fratrem, & maiestatem uiolat Christi? Nec fœminis in suo sexu desunt exempla, si imitari meliora est animus. Fuit Barcini, quę ut amatorem suũ perditum ad mentem reuocaret, brassicas putres sub axillis aliquandiu tenuit, edit item brassicas crudas, & propius ad amatorem accedẽs, tanquã secretum colloquium expetens, teterrimo illo fœtore in perpetuum ab se illum absterruit, ac fugauit.

DE AMORE VIRGINIS.

ET quando hominum mentes aptæ atq; appositę sunt ad amandum, ostendã tibi puros & sanctos amores, qui amorem hũc prauũ atq; adulteriũ extrudãt. Habes primũ quẽ ames, patrem Deũ, sponsum Christũ. habes matrem eius, & sororem tuã, diuam Virginẽ. habes tui similem, Dei ecclesiã: habes tot uirgines sanctissimas, quarũ animæ in cœlis agunt beatæ, nomina in terris sacrata sunt. Habes parẽtes, qui te genuerunt, qui tibi sunt Dei uice, qui te tãto labore aluerũt, tanta educarũt charitate ac cura, quos & ames, & quantũ opis erit tuæ iuues. Eorum iussa semper habeas sacrosancta, modestęq; illis obtemperes: nec in animo sit, nec uultu aut gestu aliquam prę te feras cõtumaciam, putesq; illos imaginem quandã solidam & uerã tibi referre illius rerũ omnium parentis Dei. Habes animũ tuum, tibi uel naturæ uoce cõmendatũ: habes in alijs uirtutes, & animos Christo deditos. habes eos, qui te cupiũt saluam atq; incorruptã: deniq; æternam lætitiam, summãq; illam & nunquã finiendam fœlicitatem. Hi demũ sunt ueri ac recti amores. Nam ille corporũ fictus est, uericq; amoris peruersus simulator: quę libido potius, quàam amor debet nũcupari. Illa omnia si bona fide amas, nec Deo præpones hominem, nec sponso Christo iuuenem scortatorem, nec diuæ Virgini lænã, nec Ecclesiæ Dei lupanar, nec consortio sanctarũ uirginũ cœtum impudicarum, nec parẽtibus extraneos, imò hostes, nec animo tuo corpus, nec alienas uirtutes uitijs, nec animos Christi cultores animis diaboli ministris: nec eos qui te seruatã atq; integram esse uolunt. ijs qui perditã & corruptam: nec breuissimam & momentaneam delectatiunculam æternæ lætitiæ, nec inferorũ miseriam beatitudini suis omnibus numeris absolutæ. Ita magis apud te ualebunt Dei iussa, q̃ hominis suasus dolosi: & malis Christo fidẽ habere, q̃ uerbis impurissimi nebulonis:

& sequẽ

& ſequéris potius, quò te ducet diua Virgo, quàm quò libido: & chariorē habebis, quē illa tibi conciliarit, q̄ quem lęna: & Eccleſiæ leges nō uiolabis, ut ſerues fornicis: & males aggregari inter Catharinas, Agnetes, Claras, Margaritas, Barbaras, Teclas, Agathas, quàm inter impudicas, quarū ut uita Deo, ita & nomina hominibus ignorata ſunt, utraq; ſunt diabolo cognita, & perſcripta. nec deſeres parētes, ut amatores ſequaris: nec æternā relinques eis animi ægritudinē, ut exiguā des fraudulēto amatori de te uoluptatulā: nec males corpori tuo bene eſſe, q̄ animo: & gaudere corpus, triſti mente. nec auſcultabis potius quid ex ſcelere quis dicat, quàm quid ex uirtute: nec credes citius ſatelliti diaboli, quàm miniſtro Chriſti, nec cōmittes te ei qui uult perimere, ſed qui uult ſeruare: & eliges citius, perfecta & æterna in cœlis perfrui lætitia, quàm hic falſa imagine gaudij attingi, eadē ut fugaciſſima, ſic & mœrori adeò permiſta, ut maior merito pars mœror dici atq; exiſtimari debeat. tū horrebis magis illā ſine fine ullo miſeriā, quàm captabis uoluptatē hāc mūdi, ſi modò ſit hoc nomine cenſenda, uoluesq; animo illud ſancti uiri: Momentaneū eſt quod delectat, æternū quod cruciat. In te ergo tot ac tantis amoribus ſtipata ac freta, Dei, Chriſti, Mariæ, Eccleſię, uirginū, parentū, tui ipſius, beatitudinis diuinę, quis patebit obſcœnitati aditus? non erit tam impudēs & temerarius Cupido, ut impetere locū non reformidet tam uenerādis cuſtodibus munitum ac ſeptum, qui Muſas ſtudiorū cauſa reueretur. Quòd ſi auſit, in illum certè ſuum ſibi telum retorquebitur. nam ubi hæreat in eiuſmodi puella, non inueniet.

DE QVÆRENDO SPONSO.

HVmanum genus mortale in ſingulis, ſuffectione ſobolis fit perpetuum. Et ut ſoboles ſancta ſit, ac pura, Deus cōiugium inſtituit: quo autore ſeruire poſſumus naturæ, ſine peccato. Ideo Paulus ait, Qui uirginē ſuam uiro collocet, nō malefacere, tantū in Domino. Et quādoquidē uir quæritur fœminæ ſocius fortunarum omnium publicè ac priuatim, comesq; indiuiduus ac inſeparabilis, ut ſola alterutrius mors poſſit illos ſeiungere, maior eſt & grauior hęc deliberatio, quàm pro hominū opinione: cùm ex ijs ſit, in quibus, ſicut dici ſolet, nō eſt bis peccare. ſi ſemel peccatū ſit, ferendum eſt deinceps quicquid acciderit, uelis nolis. Quocirca maximo opere prouidēdum eſt, ne aberretur. Vera uirginitas cōiunctionem ſexus nec nouit, nec appetit, ac ne cogitat quidē, ab omni illius ſenſu beneficio cœleſti uindicata & libera. Itaq; uirgo, dū parentes de ipſius cōditione cōſultant, totā eiuſmodi curā ad illos releget: qui & ei nō minus bene cupiunt, quàm ipſamet ſibi, face à natura in illorū pectoribus accēſa, & per ætatē atq; uſum rerum longius proſpiciūt. quomodo enim poterit puella domi clauſa uirorū noſſe mores, atq; ingenia, ut ſibi ex illis deligat, uel ignara rerum, quid expediat, uidere? Apud Homerū autem, cùm Nauſicaa per quietē eſſet à Minerua ſummonita, uti ueſtes ablueret, breuiter futura ſponſa: illa currū ab Alcinoo patre petijt, ut in flumine ueſtes lauaret, aliā tamen prętendens cauſam. Nam eā uel cōiugij meminiſſe puduit. Quod imitatus Vergilius in duodecimo Æneidos, cùm Latinum & Amatā coniuges colloquentes feciſſet cū Turno, Lauiniæ, illorū filiæ, cui Turnus deſtinabatur, lachrymas tantū dedit, & ruborem, nō uerba: ſignificans, uirginē nō decere interloqui, ubi mater & pater de cōnubio ipſius deliberant. Romanus olim mos fuit, inter matronas illas exemplaria pudicitiæ, ut nupta, quo primùm die ad mariti ædes deducebatur, ipſa per ſe nō ingrederetur mariti limē, ſed intrò ferretur ſublata: ceu ui quadā reluctans, & inuita in eū ueniret locū, ubi uirgineū decus eſſet amiſſura. quomodo id poteſt uirgo ſimulare, quæ ultrò nuptias expetijt, & poſtulauit? De Rebecca ſic loquitur diuus Ambroſius: Non eſt uirginalis pudoris, eligere maritū: ſed iam deſponſata uiro, de profectionis conſulitur die. Nec immeritò dilationē nō attulit. iure etenim properare debuit ad maritum. Vnde illud Euripideū, quod mirantur pleriq; unde translatū ſit, manifeſtū eſt. ait enim in perſona mulieris, quæ tamen maritū uolebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias: Sponſaliū quidē meorum pater meus curā ſubibit, hoc enim nō eſt meū. Ergo quod & ipſi philoſophi mirati ſunt, ſeruate uirgines. Tantum Ambroſius: qui ne uiduis quidē permittit, ut ipſæ ſibi cōditionem quærāt. In oratione Saræ filiæ Raguelis, hæc ſunt uerba: Tu ſcis Domine Deus, quòd nunquam cōcupiui uirum, & mundam ſeruaui animā meam

ab omni concupiſcentia.nunquã cũ ludentib.miſcui me:neq; cum ijs,qui in leuitate ambulant,participẽ me præbui.Quemadmodũ uerò ait,uiros ſibi à parentib. tradi- tos ſuſcepiſſe,audiamus: Virũ(inquit)cum timore tuo,non cũ libidine mea conſenſi ſuſcipere.Puella igitur,dũ illa cogitatio parentes occupat,uotis ac cõprecationib.ne gotiũ adiuuet.Poſcat puriſsimo affectu à Chriſto,ut is cõtingat ſponſus,qui à pieta- te nõ deterreat,nõ auertat aut impediat,ſed inuitet,adhortetur,adiuuet: & iuxta uati cinium Apoſtoli,Sanctificetur mulier infidelis per uirũ fidelẽ.Parẽtes ipſi nõ modò in cõſilio eiuſce rei capiẽdo charitatẽ patrũ in liberos obtineant,& præſtent,ſed affe- ctum quoq; induant puellæ,ut ita eligãt, quemadmodũ ſi ipſi eſſent nupturi.Multi enim uel imprudentes patres,uel mali,peccãt in deliberãdo, quod quem ſibi ipſi cõ modũ generũ putãt,eundẽ credunt bonũ fore maritũ filiæ. Ita ſæpenumero diuitias ſolas,uel ſanguinẽ,uel opes ac potentiã ſpectãt generi,quæ ſibi utilia rentur fore: nõ ea quę expediẽt filiæ,domi cũ illo intra eoſdem parietes habitãti.eiuſmodi homines hoſtes ſunt,nõ parentes:ſeu ut aptius dicã, negociatores filiarũ, qui illas impendũt, ut ſibi ſit bene.Non eſt nodus,qui poſsit diſſolui.Si quò ſis filiũ miſſurus cœnatũ,di ligẽter prius inquiris,qui ſint cõuiuæ:ſi quò peregrè,q; ſint futuri uię comites:ſi aſſe- clã,ſi famulũ admittis,qui ſit,cuiãs,quib.,ꝓpinquis,quib.morib.qua fide. hęc omnia quãta ſedulitate ſcrutaris,cùm illæ tñ adiũctiones breuiſsimi ſint tẽporis:tenellę tuę uirgini,rerũ omniũ ignaræ ac rudi,quæ tibi fidit uni,in cuius manib.ſpes omnes ſuas & uota collocat,nõ aliũ habitura quàm quẽ ipſe dederis ſociũ,nõ aliã fortunã & ſor- tem:nõ dubitas adiungere,qualẽ nõ uelis habere ſeruũ, tam accõmodũ ſocietati, q̃ uel urſum,uel lupũ,uel ſuem.Haud iniuria prouerbiũ uſurpãt illud Galli,nõ eſſe fœ- liciter natũ, qui nõ ſit fœliciter maritat⁹: ut infortunatũ cõiugiũ nobilitati, formę,ua letudini,opib.ac potentiæ ad miſeriã prægrauet.quòd ſi iure de uiro id dicũt, quãto cauſatius de fœmina,cui tanto eſt accuratius prouidendũ,ut probus cõtingat uir, q̃ cõtrà uiro,ut proba fœmina:quãto uidelicet leuius eſt imperare malo, quàm parẽre. In coniugio duo ſunt ſpectanda,cõuictus & ſoboles.In priore ſunt,uictus,hinc uſus familiaris,& cõſuetudo quotidiana.Prima cura debet eſſe uictus,ſed ea leuiſsima:ſe- cunda corporis mariti,tertia ſobolis,quarta & potiſsima morũ atq; ingenij.de quib. præcipiemus ſigillatim.Sed in his omnib.in uniuerſum eſt curandũ, ut æqualitas ſit quædã,uel ſimilitudo uerius inter uirũ & puellã,qua nihil tenacius animos & copu- lat,& cõtinet.arctiſsimũ eſt enim amoris uinculũ ſimilitudo:idq; uidetur admonere Pittacus Mytilenæus,qui fuit unus ex ſeptem illis Græcię ſapientib.celebratiſsimus. hunc enim cùm adoleſcens,quẽ duæ appetebant,altera genere & opib. ſuperior, al- tera par,utrã duceret rogaſſet:ſapiens illũ ad luſitãtes pueros remiſit,qui ſubinde cla mitabant,λάβε τὰ ἑαυτοῦ,ſume quæ tibi cõgruat,innuens hoc eſſe faciundũ. Minima eſt quidẽ,ac ſi precium rectè æſtimetur,infima tuendi corporis cogitatio:ſed ineuita bilis neceſsitas effecit,ut eſſet,ſi non maxima,certè prima.Si filiæ tantum es pecuniæ collaturus in dotẽ,quantũ ſatis ſit familiæ ſuſtinẽdæ, totã tuã curam ad generi ipſius conſiderationẽ transfer,quo ſit corpore,quo animo. Si illũ aliquid neceſſe eſt cõfer- re,intuendũ non quàm magnas poſsidet diuitias, ſed quã artẽ uel parãdi quæ nõ ha- bet,uel cõſeruãdi parta.Nullæ ſunt tãtæ opes,quæ ſi tueri ac retinere neſcias,nõ bre- ui exhauriãtur tẽpore.Themiſtoclis Græcię principis conſiliũ fuit de cõditione quę rẽda,malle ſe uirũ ſine pecunia, q̃ pecuniã ſine uiro. Qui nec artẽ callet bonæ frugis aliquam,nec pecuniã poſsidet, hũc ſeruituti aptiorẽ deputo,quàm cõnubio.Matri- monium eſſe non debet ſine patrimonio.ut alterũ uideatur adferre fœmina, nempe matronæ uirtutes,& facultatẽ pariendi filios:alterũ uir, quod ad uitam ſuſtentãdam pertinet.Et in artib.uitæ ſunt quædam fugiendæ omnino,ut flagitioſæ,uelut ea quæ rem facit pecunia fœnori data:crudeles item atq; inhumanę,quales ſunt carnificum, piratarum,militum mercenariorum, qui exigui quæſtus gratia manus ſuas accom- modant,iugulandis hominibus,depopulandis agris, exurendis ædificijs, quo nihil dici poteſt immanius.ſunt aliæ probroſæ,ut ubique cauponum, interpolarum, me- diaſtinorum:ad quos non deſcendemus,niſi uel deſperata conditione alia quacunq;

uel

uel si de eadem & nos simus nota. Immodicæ opes, & nostris longè superiores, insolentes reddunt maritos, & uxorũ despectores, quibus non tanquam legitimè coniunctis, sed ut ancillis abutuntur: eoq; magis, si opulentiæ accedat potentia, uel generis claritudo. In corpore contemplamur formã, ætatem, ualetudinẽ. Exiguũ bonũ & momentaneũ est forma. nec deformitas impedire coniugiũ debet, si adsint reliqua: modò ne omnino fœdissima sit, & portentosa. Ætas magis est spectãda, ne sit uel minor quàm exigat autoritas patrisfamiliãs, qui uxorẽ, liberos, & familiã possit regere: neu maior, quàm ut suppetant uires ad munia domestica: ne' ue prima statim inter initia coniugij, filijs adhuc infantib. cõcedat naturæ, uxorẽq; ac liberos præsidio suo orbatos destituat. Valetudinis maior est habenda ratio, tum propter domus ac familiæ munia, quæ sanũ rectorẽ crebrò postulant: tũ propter uxorẽ & liberos, quos morbo suo inficit, si sit cõtagiosus. idq; tãto est cauendũ accuratius, si teter sit morbus, atque abominabilis, & ex ijs quos medici hæreditarios nominãt. Quid dicam, si sit insaniæ aut dementiæ genus, quod multis exemplis deprehendimus ad posteros trãsferri? Illuc potissimũ dixi curã & cogitationẽ uniuersam debere cõferri, ut ingenium ac mores contemplemur. hæc est una hominis censura. hinc homo est æstimandus. nihil uel in corpore est, uel in fortunis, unde iudiciũ fieri possit certũ de homine: non diuitiæ, nõ possessiones, nõ genus, non potentia, non gratia, non dignitas, nõ clientelæ, non forma, ualetudo, ætas, integritas, proceritas, non horum aduersa: nihil denique præter ingeniũ, in quo sunt acumen, eruditio, uirtutes: uel cõtrà hebetudo, ruditas, uitia. Multa in cõnubij cursu molesta intercurrunt, multa sunt deuorãda fastidiosa & grauia. Prædicebat hoc Paulus de cõiugib. Infirmitates carnis habebũt hi. Multæ res exacerbare possunt hoc uitæ genus, unica uerò condire ac leuare, si bonus & prudens cõtingit uir. Proba mulier peculiare est donum dei uiro (ut inquit Sapiens) quod illi pro benefactis confertur. Quid mulieri probus uir? nisi fortè iucundius ac fœlicius censemus bonũ habere famulũ, quàm bonum herum. O stultos parentes, ô insanas & uæcordes puellas, quæ uel formosos, uel locupletes, uel nobiles bonis præfertis? augetis uobis curas, anxietates, molestias, quas per sese adfert ipsum cõnubiũ. Calamitosa sunt cõiugia, quæ sola conciliat uel pecunia, uel uoluptas: ut Helenæ & Paridis, quorum illa opes Asianas concupiuit, hic uerò uoluptatem egregiæ formæ. Ediuerso placidum ac felix fuit Vlyssis ac Penelopis consortium. quippe uir erat sobrius & sapiens, uxor moderata & casta. Si quis esset de numero aliquo electurus uiæ comitẽ, an nõ furiosum eum omnes iudicarent, si diuitem libentius sumeret, aut bene uestitum, aut speciosum, quàm hilarem & facundũ, qui est in itinere pro uehiculo, sicut habet uetus sententia: aut prudentem ac prouidum, à quo & tædium leuari posset itineris, & in periculis adiuuari? Quòd si nihil est uita aliud quàm uia, quanta uecordia est, eam quæ ex se est undiq; tot incommodorum referta, pluribus adhuc augere discordia coniugũ? Nubis formoso, hunc species fastuosum reddet: nubis diuiti, hunc diuitiæ fastidiosum: nubis nobili, hunc genus insolentẽ: denique superbia, quæ ex fortuitis donis nascitur, non sinet inter uos concordiam bona fide coalescere. Si pulchro formæ causa nubis, in quo nec mens est, nec probitas, nec salis mica, ut est in ueteri dicto (quemadmodum usu solet deprehendi, ut in istis elegantibus hospitijs sit hospes turpissimus) eodem cõsilio nuptias expetieris tabulæ, aut signi marmorei, pulchrè delineati ac decolorati. Vis opulentũ stolidũ, propter opes: quin potius auream statuam? clarum genere, spurcum, intemperantem, propter sanguinem: cur non eadem mente simulachrum Scipionis, aut Cęsaris? Et quanto esset satius, cum signis, tabulis, & statuis uitam degere, quàm cum homine improbo atq; intolerabili? Itaq; parum appositè mutis rebus assimilaui homines malos: rectius asinis, suibus, ursis, lupis contulissem. Equidem fabulam esse rebar, Pasiphaen concubuisse cum tauro. nunc factum est mihi uerisimilius, postquàm eas uidi quæ ab illis non abhorrerent, quorum ingenium peius beluino: spurcis uidelicet, ebrijs, iracundis, stupidis, imprudentissimis, fatuis, immanib. sanguinarijs, q minus habẽt hominis, q; quæuis ferę. à sapiẽtib. à moderatis uiris fugiũt, & abhorrẽt: ut huiusmodi fœminas, q̃dã nostrati car

mine iure inceſsierit,dicens,luparum eas eſſe naturæ in deligendo, quæ ex multis lupis maſculis,qui eã ſectantur,uiliſsimũ dicitur ac putidiſsimũ ſumere,à quo ingenio translatũ eſt ad mulieres, luparũ nomẽ. Atqui uiri nõ tam facile capiũtur fœmina,in qua non aliqua ſiue fortunæ,ſiue corporis,ſiue ingenij dos eluceat. Mulieres aliquæ ſæpe amant quoſdã,tantũ quòd amore nihil penitus dignũ habeãt.quo apertius declarent,ſe iudiciũ,rationẽ,cõſiliũ,mentem flocci nõ facere,nunquam iſtis duci.quicquid agãt,ſemper animi morbo impelli rationis experte, imò uerò inimico. Dici nõ poteſt,quantã nobis iuuentutis partẽ eiuſmodi corrumpant, mulierés ne appellem, anolida morticina.neq; enim tantæ iacturæ meminiſſe poſſum,ſine ſtomacho.Affectant ſcilicet imperiti iuuenes,& rectioris cõſilij ignari,approbari ſe puellis, quas adamant,quas concupiſcunt, uident nõ poſſe aliter,niſi ab omni honeſta arte,à cultu ingenij ac morũ quàm longiſsimè recedãt,omnia poſtponunt amoris imperijs. Itaq; amores eiuſmodi fœminarũ ſimillimi ſunt pharmacis ueneficæ illius Circes,quibus illã homines in belluas mutaſſe perhibent.Nam quẽadmodũ pueri luſib.dediti,qui nihil per ætatem altius aut melius ſapiunt,eos admirantur ſolos, qui in ſuis illis luſionibus multũ ualent:ſapientiũ ſtudia ducunt pro nihilo,quia nec cuiuſmodi ſint,conſectura aſſequuntur:ſic fœminæ delicijs, uoluptatib. laſciuiæ,demẽtiæ addictæ, eos demũ ſapientiſsimos opinantur,qui illis ipſis rebus ſunt demerſi, quiq; eis tribuunt plurimũ: quicquid autẽ ſaniorẽ mentem reſipit,uelut nugas & amentiã,magno uultus faſtidio reijciunt.ſtolidos & inſanos amãt,colunt,ſuſpiciũt,ſapiẽtes eſſe & exiſtimant,& apertè fatentur.contrà uerò ſapientes cõtemnunt,auerſantur,ſtultos eſſe dicunt,& inſulſos:non aliter quàm incenſi febre,mellita tanquã fellea reſpuunt, & ſuibus gratior cœni eſt odor quàm amaricini.At ſi ſcirent,quãtũ prodeſſe poſſent multis,cõmutata iudicandi peruerſitate,nõ tã malè de illis ipſe ſentio,quin credam eas & in ſtatuendo,& in uita tota ſapientiores fore. Auſim dicere,apud adoleſcentes & iuuenes nõ perinde cõcionatorũ omniũ, parentũ, magiſtratuum recta monita atq; exhortationes ad uirtutẽ habitura eſſe uirium,quantum iſtarum & mentes ſanas,& uerba mẽtib.ſanis digna. Plurimũ autoritatis habet,quicquid ab eo uel dicatur, uel fiat, quẽ ames,cui placere ſtudeas: idq; legislatorẽ Lacedæmoniorũ ſenſiſſe, Plutarchus eſt autor in Lycurgo. Memini narrari olim mihi peradoleſcentulo, eſſe in Hiſpania ciuitatẽ, in qua iuuẽtus nobilitatis ex ocio atq; opulẽtia cœperit in ſtudia ſeſe luxus proijcere,ut nihil curarent præter cõuiuia,ſaltationes,amores,luſus,& exercitia,quę minimũ uel bonæ mẽtis adferẽt,uel prudẽtiæ: cũ magno ſeniorũ mœrore, qui exijs initijs grandẽ reipub.ſuæ iactura augurabant,multiq; eorũ noctes ac dies,quomodo hiſce ſuorũ iuuenũ uitijs obuiã ire poſſent,inter ſe cõſultabãt.etenim ſe mortuis,ciuitatẽ in perditiſsimorũ hominũ manus deuenturã uidebãt. Eorũ quidã cõſiliũ attulit ſaluberrimũ,nã cũ animaduertiſſet amatorculos eſſe hos iuuenes, & de uolũtate ac iudicijs fœminarũ plurimũ pẽdere,autor reliquis ſenib.fuit,ut quiſq; filiabus ſuis,& nurib.ijſq; fœminis quæ ad curã ſuã pertinerẽt,declararet, quo in diſcrimine ſitæ eſſent ciuitatis res,quæ ex florẽti ac fœlice miſerrima ac perditiſsima eſſet futura,ſimul primũ amẽtiſsimi homines adminiſtrationẽ illius ſuſcepiſſẽt:fœminas uerò,quę nũc molliter per opulentiã ætatẽ agerẽt,inuerſis negotijs in egeſtate atq; inopia rerũ omniũ duriſsimã toleraturas uitã. Vnicũ reſtare hiſce malis remediũ,ſi illę quarũ cẽſeris iuuẽtº tãtopere tribueret,ad prudẽtię illos ſtudiũ,curãq; publicę ſalutis extimularẽt, id futurũ pfacile,ſi ſaltatorculos,loquaculos,ineptos,ſcurriles,cõuiuatores,ludibundos,aperta ſignificatione faſtidij defugerent atq; auerſarentur:probos autem,moderatos,ſobrios, in quibus nonnihil eluceret cordis, comiter ac beneuole exciperent, hos laudarent,tanquam futuros aliquando columen & tutelam patriæ:uituperarent illos,ut nequam & perditos adoleſcentes,nullius frugis, & patriæ futuros dedecori atque exitio.Placuit ſenibus conſilium, quod & explanatum fœminis, uehementer eſt,ut in tam manifeſto periculo, approbatum, idq; illæ acutiſsimè exequutæ ſunt. breui tempore iuuentus ita eſt commutata, ut è profligatiſsimis ac perditiſsimis, cordatiſsimi uiri euaſerint, & callentiſsimi publicæ priuatæ que adminiſtrationis. atque illa ciuitas multo deinceps uigentior fuit ſub his iuuenibus, quàm ſub illis

ſenibus

ſenibus fuerat, longeq; maiores ſuos iuuenes iſti ingenio & rerũ uſu antecelluerunt. Miſeræ, quid facturæ eſtis cum uiris auro onuſtis, mente exhauſtis? Num tu mauis mœrere ſemper auro & ſerico inuoluta, quàm lætari in panno laneo, aut etiã canabaceo? mauis haberi odio, & uapulare in purpura, quàm diligi, & in dulciſsimos mariti complexus uenire ſub colore pullo? ſi illa mauis, habe quæ optaſti, & ne queraris ea tibi contingere, quæ ipſa manu tua cepiſti prudens ac uidens, quãuis cęcè atq; imprudenter. Quid, quòd maritos complures accepimus, ſola inſania inſtigatos, uſq; ad uxorum inſontium necem proceſsiſſe? Iuſtina nobiliſsima Romana uirgo, ætatis ſuæ puellas forma ſupergreſſa, cùm locupleti quidẽ, ſed ſtolido & furenti uiro in matrimonium eſſet tradita, de excellenti illa ſpecie in ſuſpicionem marito uenit, qui cãdidiſsimæ uxoris ceruicem conſpicatus, inclinantis ſe ad exuendum calceum, furore ex zelotypia correptus, teneram puellam & nouam cõiugem obtruncauit. de quo facinore eſt illud Epigramma: Immitis ferro ſecuit mea colla maritus,

Dum propero niuei ſoluere uincla pedis.
Durus, & ante thorum, quo nuper nupta coiui,
Quo cecidit noſtræ uirginitatis honos.
Nec culpa meruiſſe necem, bona nomina teſtor:
Sed iaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo Iuſtinæ, diſcite patres,
Ne nubat fatuo filia ueſtra uiro.

Si rectè præcipit Plato, ut uiri, tanquã diligẽtes & induſtrij agricolæ, uideãt, in quod aruũ proiiciãt generoſum ſemẽ, ne uitio ſoli degeneret: quãto id eſt ſolicitius proſpiciendũ fœminæ, nẽpe aruo ipſi. etenim ſi & ſemini, & ſolo daretur ſenſus, nõ dubiũ, quin utrũq; alterũ poſceret bonũ: nã ex amborũ cõmiſta facultate cõſtãt fruges: ſed accuratius tñ, ac anxius terra ipſa, ꝓpterea q; fruges maximã partẽ uiriũ à ſemine potius q; terra accipiũt. nec generoſa equa, niſi generoſum equũ admittit. Optari ſolet, ut parẽtẽ ſoboles referat. cuperes tu uxor filios patris huiuſmodi ſimiles? aut tu ſocer nepotes? quæ demẽtia eſt, eũ aſciſcere generũ, cuius ſi qs ſimiles nepotes preceſ, uelut execrationẽ abomineris. Quãto generoſius Ariſtides Locrenſis, Platonis familiaris? à quo cũ Dionyſius inferior unã ex eius filiabus uxorẽ ſibi depoſceret, reſpõdit, Gratius futurũ ſibi, uidere eã mortuã, quàm tyranno nuptã. Cõuictus in collocutione ſitus eſt, & cõmunicatione fortunarũ omniũ. quid colloquetur, quid dicet ſtupidus, & cunctarũ rerũ ignarus prorſum? quæ crux erit, audire aſinũ perpetuò rudentem? & tãto acerbior, ſi ipſa nõ careas ingenio. quemadmodũ ſolet dici, nullũ cruciatũ eſſe parẽ homini cordato, quàm illi fatuũ alligari. Paulus apoſtolus nõ patitur, ut mulieres loquãtur in eccleſia, ſiue docendi, ſiue diſcendi gratia: ſed ſi quid auent ſcire, uiros ſuos domi rogent. quem rogabis miſera, ſi quid de pietate dubitas, aut de uita? formã ſcilicet ipſam, aut nobilitatẽ, aut diuitias, quas expetiſti in demente. quis familiã, qs filios inſtituet? Reb. proſperis moderatiõe eſt opus, reb. aduerſis cõſolatiõe, in utriſq; magno & ualido cõſilio: quis hęc præbebit, cũ uirũ habeas à iudicio, à ratione nudũ penitus, ac inopẽ? Si trãſis in mores mariti mali, fis mala: ſin ei repugnas, inuiſa. quæ rixa, q; odiũ æternũ? q; interdũ ut uites, uel in ſimilitudinẽ cõcedis ſcelerũ, uel in approbationẽ. Eccleſia, quo minus ſinat Chriſtianã barbaro aut hæretico uiro nubere, uel cõtrà uirũ fidelẽ infideli mulieri, hæc eſt cauſa, ne alter cõtagio inficiatur alteri. Cõſidera mihi uerſa uice, quæ cõfabulationes ſint cũ ingenioſo & prudẽte. ut nullũ ſuauiorẽ cõcentũ inueniri poſſe cõſtet, ſermone hominis eiuſmodi: & eo magis ſi accedat facũdia. Quę filiorũ inſtitutio? quę familię deſcriptio uiri prudẽtis? q; & ad uſum accõmoda, & ad ſtabilitatẽ firma, & ad honeſtatẽ ſpectabilis? Si quid cupis diſcere, habes paratũ magiſtrũ: ſi cõſilio indiges, ſiue ut te ſapiẽter in reb. ſecũdis geras, ſiue ut in aduerſis fortiter, habes ad manũ fontẽ, ex quo copioſè haurias. nec illa modò, ſed præcepta, monita, exhortationes, conſolationes: ea denic; omnia, quibus inter has uitæ tempeſtates per ſingula momenta eſt opus. Cũ bono quæ manſuetudo? quãta pax & tranquillitas? quæ incremẽta pietatis, adiuuãte uiro nõ præceptis ſolũ, & inani quidam philoſophatione uerborũ, ſed exemplo ſuarũ actionũ? ut nõ maritũ

conti-

contigisse tibi experiare,sed angelũ cœlitus missum,uniuersæ uitæ tuæ ducẽ.Hæc uera est & germana tranquillitas, gustus planè quidã æternæ illius fœlicitatis. Propter uirũ eiusmodi,& uxori,& liberis,& uniuersæ familiæ, affinibus quoq; ipsis & necessarijs benefaciet Dominus.Propter Abrahã dedit dominus filiũ Saræ, propter Isaac geminos Rebeccæ.Generationẽ iustorũ curæ esse deo,testatur ipse oraculis suis,nõ uno loco:qui toties Israeliticæ genti grauissima cõdonauit scelera propter Abrahã, Isaac,& Iacob.Generatio rectorũ,inquit Psalmista,benedicetur.& idem alibi: Iuuenis fui,& senui, & non uidi iustũ derelictũ, nec semen eius quærens panem:tota die miseretur & commodat,& semen illius in benedictione erit.Tum Salomon in Prouerbijs:Qui conuersatur sine reprehensione in iustitia,beatos filios relinquet.Apud homines uerò quæ potest commendatio illi comparari,optimi uiri coniunx?optimi uiri filius? Euander Arcadum rex, simul primum est Æneam contuitus, in patris Anchisæ memoriam est illum complexus: —Vt te fortissimè Teucrum, (inquit) Accipio,agnoscoq; libens:ut uerba parentis,Et uocem Anchisæ magni,uultusq; recordor. Quid soceri?quãtũ sibi parant præsidiũ,si generi probi sint,officij ac pietatis memores:sin uerò praui,perditi,stolidi,fraudulenti,arrogantes,sceleroſi, hostes sibi asciscunt.inimicus est malus gener,non affinis:bonus,nõ tam gener,quàm filius.Socrus Petri ualida febre à Domino liberata est,quòd pro ea gener esset precatus:tanti fuit illi,generũ habere talẽ,quẽ comitẽ & discipulũ sibi adiungere Christus nõ dedignaretur.De nuru in libro Ruth legimus, cùm ex terra Moabitide Noemi reuertisset in Iudæam,patriã suã marito & filijs orbata,comitatæ sunt uetulã nurus duę Moabitides:altera earũ Orpha nomine domũ reuersa est,ad gentẽ suã: Ruth uerò secuta est semper,quam & uerbis consolata est, & opera sua aluit, ac fouit.ita in Ruth & pietatẽ filię Noemi reperit,& filij curã. Verè uidua & deserta fuisset anus,si nõ,quàm Orpha erat, meliorẽ nurũ esset nacta:sed qa Ruth habuit, nõ omnino uideri potuit liberis orbata,nec(quo nomine nuncupari uolebat) Mara,id est amara. Quin quum Ruth peperisset Obeth & Booz,tam gratulatæ sunt uicinæ mulieres ipsi Noemi, q̃ si illi nõ modò nepos esset ex filia natus,aut filio,sed filij septẽ.erant enim hæc gratulantium uerba:Benedictus deus,qui nõ est passus,ut deficeret successor familiæ tuę, & uocaretur nomẽ eius in Israel.En habes,qui consoletur animã tuã, & enutriet senectutẽ tuã.De nuru tua natus est qui te diliget,& multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios.Hactenus quidẽ de sponso ipso. Nũc quemadmodũ quærẽdus parandusq; sit,paucis differã.illud tamẽ ante omnia præfabor, ita homines sæpenumero mutari coniugio,ut quẽ omnes aspernabãtur cœlibẽ,hunc maritũ nemo nõ filiæ suæ optaret,quemadmodũ alij mutãtur in peius. Dum cõditio uirgini prospicit, expedire cẽsent aliqui puellas nubiles crebrò cõspici in publico,elegãter ac splẽdidè indui atq; ornari,uersari & cõfabulari cũ uiris,facundas esse,doctas saltare & psallere, interdũ etiã amare eũ,quẽ sibi maritũ destinẽt:sic enim fieri, ut facilius cõditionẽ inueniãt. Cui prauę opinationi poterat ex ijs quę dixi,in uniuersum occurri.sed singula excutiã,ut nõ modò prudentib.satisfaciamus,sed etiã rudib.& inexpertis rerũ.Ecquis unquã uir prouidus hoc cõsuluerit,q norit nõ esse mala facienda, ut inde bona eueniãt:præcipuè ubi mala præsentia certa sunt, bona nec certa,nec omnino solita,precedere.Quòd si nõ es aliter nuptura,ô uirgo,nisi p̃has animi corruptelas, & per hæc discrimina pudicitiæ,præstat nunquã nubere:aut solũ habere Christũ spõsum, q̃ nubere diabolo prius,ut mox nubas uiro : imò uerò ut duos habeas simul maritos, uel adulterũ alterũ,nẽpe cui posterius cõiũcta es,hominẽ scilicet. Quæ sint pericula,quę mala in ijs reb.omnib.explicaui antea. Itaq; approbatã sentẽtiã nostrã cõfido esse ijs, quib.prima est ac potissima Christi ac pietatis cura. Nunc cũ ijs loquamur,q nefariè quidẽ ac impiè,sed res mũdi antiquiores reb. Christi habet. Duo esse animaduerto, quæ maxima potest ad uirũ afferre mulier : integrã pudicitiã, & integrã famã.nullus usq; adeò insanit,nullus tã uel formæ deditus est,uel opib.uel generi,nullus tã impurus & perditis uitæ rationib.q nõ ferat quãlibet uxorẽ, si hæc duo habeat:sicuti rursum nullus qui ferat, si non habeat. Iam quæ puella integrius castitatem & nomen tuetur?quę domi sedet clausa,an quæ frequẽs in publico?domi nulla flagitij occasio,

foris

foris undiq; scatentes innumeræ,multæq; ex singulis succrescẽtes,tanquã hydræ capita.De puella domi abdita,nemo fert iudiciũ:de ea quæ in publico uisitur,unusquisque.ubi labes & facillimè,diuersitate iudicantiũ aspergitur: nec facilius usquã hæret quàm in puella, nec aliunde difficilius eluitur. Vtrã magis admirantur uiri?utrã suspiciunt,& pudiciorem censent?quã uel rarò uidẽt,uel nunquã? an quã ubiq; obuiã, etiam ad fastidiũ?nec facile credunt rectè seruari integritatẽ à puella quæ tam crebrò prodit in publicũ. Profectò ad conditionẽ parandã audiri de puella magis conducit, quàm eam uideri,ut sunt diuersa hominũ ingenia,& iudicia. Puella quę spectatur,aliquid uel dicit uel agit,quod aut ipsi ducturo displiceat, aut alicui ex ijs quos habet in consilio,aut cui multũ adhibetur fidei. ob quod unũ dirimũtur plerunq; cõiugia, quæ iam propè cohæserant: illudq; nõ iniuria dicit populus,Connubia, quæ multũ tractantur,rarò cõpingi.Dicamus de uestib.& fuco.si propter hæc duceris,nõ intelligis te odiosam fore,quãdo sine his eris? Atqui ut hãc domi personã aliquando ponas,necesse est,& uerseris simpliciter ac apertè cum marito. An illud ignoramus, ut maximè placent ea,in quib. aliquod insperatũ inuenimus bonũ:ita maximè odio esse,quæ nos speratis fraudant bonis?Si formosa uideris sponso, culta & picta, nec es tamen,cùm ille de tua forma magnã opinionẽ cõceperit,necesse est te oderit, postq; se falsum intellexerit. Quid? quòd nominare possum etiã in hac regione, & in mea, puellas cõplures natu grandiores innuptas adhuc,quòd exquisito & sumptuoso utantur cultu: Tota(inquiũt)dos cũ ipsis dotalib.donis in uestitũ unũ,aut monile profundenda erit.hic ornatus & marito est grauis in nupta,& patri in uirgine.unde est in domo mœstitia ilia,cùm filia nascitur: uidelicet quòd iam tum quãti deinceps cõstitura sit,parentes reputant. Adde his, quòd nimiũ cultæ de mentis leuitate ac uanitate suspectæ sunt:modicè uerò,frugalẽ,sapientẽ,grauẽ esse iudicant: & qualẽ quisque matronã suam esse cuperet. Iam eas,quæ libenter uersantur cũ uiris, quis nõ aliqua si nistra suspicione aspergit? Atalantã lasidis Argiui filiã, quæ urbicas aspernata delicias,syluis & uenatib.dedita uixit,quæq; nobilẽ illũ Calydoniũ aprũ confixit prima, historiæ narrant uirginem fuisse uenatricem:sed declamatores eius integritatẽ in dubiũ uocarunt,illo argumento,quòd sæpe cum uiris iuuenibus in syluis uagaretur. Et de pudicitia puellæ nullus est aduersus rumor tam exiguus,qui nõ uelut olei macula serpat ilicò,ac sese diffundat.augetur enim sermonibus credulæ in uitiũ turbæ. Denicq; quis est maritus tam patiẽti stomacho,qui facilè uxorẽ toleret, assuetam semper cum uiris cõuersari,& sociare sermones? qui non malit eam, quę cũ solo marito libẽtius sedeat,& colloquatur,quàm cũ uirorũ caterua? in qua alius sollicitat forma,alius opibus,alius largitione,alius ingenio,alius facundia. est qui nobilitate,est qui uirib. corporis,& robore. Nã facũdas esse puellas,hoc est garrulas (quid enim est facundia in fœmina,nisi garrulitas?)arguit leuitatẽ animi,& malitiã ingenij:ita ut ducturus,uisperam se accipere existimet,nõ uxorẽ. Loquaculã,& saltatricem,& dicacem, & ludibundam laudãt iuuenes coràm,simplicem appellãt,festiuam,ingenuè educatã: omnes,ut facilius fallãt & corrumpãt,nemo ut ducat:omnes se potituros citius credunt tali.nullus eam uxorẽ libens acceperit, quam se alijs tam facilẽ præbere cernit. Probant in præsentia,quę illæ agunt,quia delectantur. Miseræ, si quæ illi postea seorsim dimoto uelo inter se colloquuntur audirent,ibi demum cognoscerent, quàm ex animi sententia & laudarint,& arriserint,& uerbis ac uultu incitarint?intelligerent,cùm festiuã uocãt,sentire illos lasciuã:cùm facundã,loquacẽ & garrulã:cùm agilẽ, leuiorem animo q; corpore:perurbanè educatam,inuerecundã:peraulicã, petulantem & procacẽ.dixerũt simplicẽ & sine dolo,fatuã subnotarũt,& quę fœminæ decorũ ignoret. At inueniunt istæ cõditionẽ. Fateor,nonnullæ uel cura & prouidentia parentum aut propinquorũ, uel uirorũ imprudẽtia & fatuitate. Sed quàm multæ nõ inueniũt? Quãto plures nubũt & meliorib.maritis,& fœlicius, quę nõ uelut lenocinijs illiciũt uiros? qui postea,cùm se captos sentiunt,mala tractatione mulieres enecant. Neque enim bono coniuge & frugi utêris unquam,quem arte ac dolis circumuentum pellexeris. In summa, si quis est uel adeò demens, uel adeò spurcus & nequam, ut talem mulierẽ malit, q; solitariã,seuerã,cultu simplici,taciturnã: ei det uicinus filiã suã,

ego

ego non darem meã,nã neceſſe eſt leuitatẽ amet,&uicia,qui ea grauitati,ſanctitati,& cæteris uirtutib.anteponat.De amore dicenda ſunt paucula,quæ res maxima ex parte puellas miſerrimè decipit,& in mille pręcipitat caſus.Quî cõſtabit,nõ decere puellam ne ſignificationẽ quidem præbere uolũtatis cõiugij,& amare iuuenẽ, ut nubat? Si illũ amas,antequã ſit maritus tuus,quid ille ipſe ſuſpicabitur, niſi tam te facile adamaturã aliũ,quàm ſe,quem nondũ amatũ oportebat? Vtiq; nõ ſe ſolũ amari credet, cùm nõ minor ſit cauſa, cur & alios ames:& poſtquã illi iuncta legitimè fueris, alios quoq; adamaturã,nẽpe uſq; adeò in amores propenſam. Obtegant hæc alij quibuſcunq; uolent colorib.mulier quæ uirũ nõ maritũ ſuum amat,ſi rem habet cũ eo, corpore lupa eſt:ſi nõ habet, animo.Nec refert quẽ amet, ubi nõdũ maritũ amat.Inſana, nunquam ne fando quidẽ audiſti, plurimas iſtis amoribus intempeſtiuis adductas, ut ijs obſequerentur, quos maritos ſibi fore ſperabant? hos uerò,ubi libidinẽ ſuã ad ſatietatem expleuerant,eluſas illas contempſiſſe:idq; meritò,& ſapientiſsimè. Indignæ enim ſunt, quas ducant uiri, quibus eiſdem ipſæ declararunt, poſſe ſe cum eo qui legitimus maritus non eſſet, concumbere: ſimile & ante coniugium facturæ cum alijs procis, & in coniugio cum mœchis. Nullus dies eſt, quo non hæc in unaquaque ciuitate accidant. Nulla eſt tam ab omni auditione eorum, quæ in populo agantur,remota,ad quam eiuſmodi non peruenerint.Audio in hac regione, in qua uiuo,reiectos eſſe à quibuſdã puellis procos,unicã ob cauſam,quòd nulla prius inter ipſos interceſsiſſet amoris cõſuetudo:quippe negabant poſſe ſe cum eiuſmodi maritis iucundè ac ſuauiter uiuere, quos ante coniugiũ nec amaſſent, nec nouiſſent. Idem creberrimũ eſſe in Creta narrant.quaſi uerò non poſſet amor in coniugio coaleſcere.Quid opus eſt tales animos uerbis inſectari? quos quæ non uidet eſſe impudicos,ea profectò multo impudicior eſt.Tu ergo nõ uirũ diliges,q; ipſe tibi dei legibus,dei iuſſu, ac deo uelut pronubo iunctus eſt: ſed quia eius amori ante ſanctas & legitimas nuptias aſſueueris? illiusq; cõuerſatiõe excalfactã libidinẽ ad thorũ affers? hoc idẽ & ſcorta faciũt, quæ eã ob cauſam amatores ſuos diligũt: neq; tu ſanè multũ ſcortorũ abſimilis es.Et ita puellis eiuſmodi uelut ultiõe diuina accidit,ut tota amoris flãma,quã in cõiugio ardere cõueniebat.ante cõiugiũ ardeat,& inter primos nuptiarũ amplexus deflagret, atq; extinguatur. Vnde illud uulgare uerbũ, Qui ,ppter amores coniungũtur, in mœroribus uiuũt: quippe ſolet in multis reſtincto amoris ardori maximũ odiũ ſuccedere, quæ res cunctæ ciuitati magnarũ ſæpe fabularũ materiã præbet, cùm ardentiſsimos amatores trib .aut quatuor poſt nuptias diebus rixaros audiunt,& ad pugnos ac fuſtes ueniſſe: quumq; adhuc ex pane in nuptiarum uſum parato domi ſupereſſet,diuortium feciſſe.Nec mirum : durare ignis nõ poteſt, qui pabulo & fomento caret:nec amor, qui honeſtis moribus non alitur.quãdoquidem nulla eſt(ut inquit Cicero)firma inter malos amicitia. Quòd ſi amoribus nõ expedit conciliari connubia, nec tam turpibus & fragilibus nobis ſanctam illam conſtringi charitatem:cogitare unuſquiſq; poteſt,quanto minus per diſsidia,rixas,lites, odia mutua.ut cùm in litigio fœmina uirum aliquem maritum eſſe contendit ſuum, aut è diuerſo uir fœminam aliquam uxorem.Nihil unquam uel legi,uel uidi, uel audiui ineptius,atq; abſurdius, quàm ut inuitum & renitentem trahas ad te illum, qui cum indiuiduè uictura es: & qui niſi te amet, miſera ſis futura. ceu uerò cogi poſſet quis,ut amaretur.Non extorquetur amor,ſed elicitur. nec unquam amicus erit, qui repugnans aliquò eſt pertractus, ubi & uinctus teneatur. Quanta dementia eſt,ab odio auſpicari myſterium ſacrati amoris? ſeruum mediusfidius nolim inuitum retinere,quanto minus coniugem? Non dico, detrectantem & inuitum nõ eſſe arripiendum uirum,ſed neq; nubendũ illi,niſi id cõiugiũ libens ipſe & auidus expetat. Neq; decet puellæ patrẽ uel curatores rogare,aut ambire:imò neq; puellã offerre ultrò.cõtrà potius,uirũ ipſum matrimoniũ poſcere.Sic fieret, niſi omnia pecunia metiretur, & regeret.Nũc pecuniæ nubit,pecunia ducitur,& (ſicut nõ feſtiuiter minus quàm uerè Seneca dixit)uxores digitis ducimus. Propterea tã crebra cõnubia triſtia uidem⁹, & infœlicia,cùm uterq; cõiugũ pecuniæ ſe copulatũ putat,nõ homini, illãq; uelut legitimũ cõparem arctiſsimè uterq; cõplectitur:uxorẽ uerò ceu pellicẽ maritus,& maritum

ritum ceu adulterũ uxor,in uſum tantũ libidinis,cætera alter alteri inuiſus atq; odioſus. Qui propter diuitias coniũguntur,ſimul habitant,non ſimul uiuunt.qui propter uoluptatem ac ſpeciẽ,cum his etiam euaneſcit charitas cõiugalis.qui aũt uero ac germano amore,hi profectò ex duobus hominibus unus animus fiunt:quæ eſt naturalis ueri amoris efficacia. Qui rerum igitur naturas integras purasq; cõſeruare ſtudẽt, nec deprauatis corrũpere iudicijs:coniugiũ copulam quandã eſſe reputant amoris, beneuolẽtiæ,amicitię,charitatis,pietatis,omniũ ſuauium,dulciũ,charorum nominũ, undiq; ſtipatã,fultamq;. Idcirco futurũ inſeparabilẽ ſocium fallacibus lenocinijs non decipiũt,nec aperta ui rapiũt,& trahũt.Sed quod nomen uſurpari in eo negocio ſolet,ducunt,ac dueuntur: idq; apertè,ſimpliciter,purè,ingenuè,ne alteruter,aut ambo etiam,captos ſe,fraudatosq;,uel ui pertractos maximo utriuſq; malo conquerantur: ſed ſancta ſit inter illos,& fœlix concordia,dulciſſimum matrimonij cõdimentum.

DE INSTITVTIONE FOEMINÆ CHRISTIANÆ LIBER SECVNDVS.

QVID COGITARE DEBEAT, QVÆ NVBIT.

FŒMINÆ, quum nubit,origo connubiorum in mentem reuocanda eſt,& leges illius animo ac cogitatione crebrò reuoluẽdæ:& ſic ipſa ſe parare debet,ut tanto myſterio intellecto prius,poſtmodũ ſatisfaciat. Princeps & conditor immenſi huius operis Deus,poſtea quàm hominem marem in orbem terrarũ inuexiſſet,non exiſtimauit congruum eſſe,illum relinqui ſolum,itaq; ſociam illi adiunxit,animantem animo ac forma ſimillimã,qua cum uerſari, ſociare ſermones,commodè ac ſuauiter degere ætatẽ poſſet,poſtremò eſſet ſobolis procreatio,ſi liberet. Etenim coniugium nõ tam ad prolem ſufficiendã inſtitutũ eſt,quàm ad cõmunionẽ quandam uitæ,& indiſſociabilẽ ſocietatem.Nec maritus nomẽ eſt libidinis,ſed cõiunctionis,ad uitæ uniuerſas actiones. Fœminam Deus ad marẽ deduxit:quod aliud nõ eſt,quàm Deum ipſum nuptijs autorẽ conciliatoremq; præfuiſſe. Ideo Chriſtus in Euangelio cõiunctos à Deo nominat. Vir ilicò ut fœminã generis ſui cõſpicatus eſt,unicè illam amare cœpit,dixitq;:Hoc nunc os ex oſsibus meis,& caro ex carne mea. Hæc uocabitur uirago, quia de uiro ſumpta eſt. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit uxori ſuæ,& erunt duo in carnẽ unam. Quum in carnẽ unam dicitur,una caro eſt intelligẽda. porrò caro hominẽ ſignificat:utrunq; ex Hebræi ſermonis proprietate. Itaque qui prius duo erant homines,conglutinati matrimonio fiunt unus. Hoc eſt cõiugij myſteriũ admirandũ,ſic copulare coniuges,& cõmiſcere,ut unum faciat ex duobus:q̃d & præſtitit in Chriſto & Eccleſia,ſicut docet Apoſt. Paulus. Hoc nulla uis ualeret efficere,niſi diuina . Neceſſe eſt ſanctiſsimã rem eſſe,cui ſic peculiariter adeſt Deus. Quapropter non ad choreas ſe uenire fœmina,aut ad luſus, aut ad cõuiuia arbitretur,quũ huc accẽdet.altius ipſi cogitandũ eſt:Deus eſt auſpex, Eccleſia pronuba. Qua de cauſa quod tantis autorib.coniunctũ eſt,& fixũ,non ſinit Chriſtus à quoq; mortali uel refigi,uel diſſolui,atq; ex uno duo fieri,qui ex duob. facti ſunt unũ,dicens in Euangelio ſuo:Quod Deus cõiunxit,homo ne ſeparet. Quòd ſi ſeparari nefas eſt,et nodus ille non eſt humanis manib. reſoluẽdus,quẽ conſtrinxit Deus:nec alius debet tentare aperire,q̃d clauſum eſt claue Dauid,quã ſolus habet agnus ille immaculatus:iam nunc initiò ſic te honeſta para fœmina,uti eo modo tibi cõiungas amore,quẽ cõiunxit ſacramẽto Deus,ut colligatio facilis tibi,ac leuis fiat. Nec ſolutũ aut laxatũ optes uinculũ,ne te ac cõparem tuũ in moleſtiã inextricabilẽ, perpetuamq; miſeriã cõuoluas. Nam magna pars huiuſce rei in tua manu ſita eſt,ut uel pudicitia & modeſtia,et moris geſtiõe cõmodo utaris marito,et fœliciter agatis: aut rurſum uitijs animi corporisq;,duro atq; aſpero,moleſtiamq; & tormentum tibi ac illi fabriceris,ne morte quidẽ finiendũ. Eris quidẽ perpetuò in piſtrino ancilla,laborabis,trahes molam,plorabis,afflictabis te,execraberis diem quo illi thoro iuncta

es,execraberis illũ quo es nata,& parentes,& consanguineos,& quotquot eiusmodi matrimonio suã operã cõmodarunt,si maritũ tuis uitijs offensum,in tui odiũ impuleris. At uerò uiues iucundis in ædibus domina, lætaberis, exultabis, bene precaberis diei quo nupsisti,& ijs qui te illi iunxerunt,si tuis uirtutibus,modestia,cõmoditate,amabilẽ te illi præstiteris.Prudens enim ait Mimus:Bona mulier ad uirũ parendo imperat.Plinius iunior, quũ uxore uteretur ex animi sententia, uicissim se illi tractabilẽ ac suauẽ præberet,Hispulæ uoris suæ amitæ gratias & suo & uxoris agit nomine: Ego(inquit)quòd illã mihi,illa q̃ me sibi dederis,quasi inuicẽ elegeris.Super hæc omnia caput illud connubialiũ legũ primũ, & haud scio an solũ,Erunt duo in hominẽ unum:cardo est cõiugij,uinculũ sanctissimę societatis.In hunc uelut scopũ,si cogitata, dicta,facta mulier direxerit,rectissimè atq̃ integerrimè cõnubij sanctitatẽ ut tueat & conseruet,optimeq̃ ac beatissimè uiuat,necesse est.Hoc obuersari semper debet animo castę mulieris,& probę.Huic legi ut satisfaciat,eamq̃ ut operibus suis exprimat, & repræsentet,dies ac noctes meditabitur:nõ ignara,nullã ei uirtutẽ defuturã,quæ legem hanc seruarit,ut putet se unũ esse cum marito,& ita uiuat,ut planè unũ esse & uideatur,& sit:contrà,nullã adfuturã ei,quæ nõ fuerit. Simillimũ hoc est præcepto illi, quod se unicũ suis tradere sæpissimè Christ⁹ testatus est,ut se mutuò diligerẽt.Sapientissimus artifex affectuũ humanorũ nõ ignorabat,quæcunq̃ societas hoc glutine coiret,ei nullis alijs legibus,edictis,statutis pactis,cõuentis opus fore:omnia in placidissima tranquillitate & cõcordia futura:nullas rixas,nullas lites, nullas querimonias suborituras.Neq̃ enim aut inuidet quis,aut irascitur,aut iniuriã facit,aut litẽ mouet,aut negociũ facessit,aut anteferri se cupit ei quẽ amat:nõ aliter de illo cogitat, ac de se ipso,nec minus ei bene cupit,quàm sibi: quũ & omnia illius sua & uicissim sua omnia illius esse ducat,se quoq̃ alterũ esse illũ,& hunc esse alterũ se.ô diuini sermonis adorãdæ uires.Planè uerbũ fecit Dominus abbreuiatũ,quod ut sapientiã diuinã cõtineret, sic humanã omnẽ longè antecederet.Tria tantũ uerba dixit,& quæcunq̃ longissimis orationib.mortales nõ tam explicãt,q̃ explicare balbutie ac infantia sua conant & laborãt,expressit.Nullã fero aliã cõiugijs legẽ,sola hæc sufficit, sola hæc, quæcunq̃ uel humanũ excogitare ingeniũ,uel mortalis eloqui posset facũdia,cõprehendit.Credat fœmina non mihi,sed primo nostri generis parenti Adæ:imò uerò pareat Christo iubenti in Euangelio suo,ut sint duo in hominẽ unũ,& dicẽti, quod Deus cõiunxit.Nã quæ ita uiuit,ut se ac maritũ rem prorsus unã esse arbitretẽ,hæc absoluit numeros omnes sanctæ uxoris. Liberati eramus scribẽdi labore ac cura, hoc uno Dei præcepto,si tam altè in mẽtes mulierũ penetrasset, ut intelligere id facilè, ut continere atq̃ exequi possent,& uellent.Sed quo hęreat fixius,radicesq̃ firmiores ducat multis euolutũ & tractatũ modis,uarijs effictũ formis,ponendũ sub oculos docendumq̃ erit,quo capi ac teneri queat facilius. Meminerit tamen prudens mulier, quæcunq̃ dixerimus,illud unum documentũ esse,uelut hominẽ eundẽ sæpius mutato cultu.Nuptiarũ die (quandoquidẽ initium hoc est nouæ uitæ, cuius euentus sunt incerti) nihil opus est saltationibus,& choreis,& strepitu illo cõpotationũ & immoderatæ ac proiectæ lætitiæ:ne contingat quod Sapiens ait,Risus dolore miscebitur,et extrema gaudij luctus occupat.A uotis est potius & cõprecationibus auspicandum,ut is præbeat lætos successus,in cuius sunt manu.Quũ longũ aliquod iter,uariũ, incertũ ineundũ est,nemo aulœdũ accersit,& ad saltandũ amicos cõuocat,sed Dei opẽ implorat,ut bene ac fœliciter eueniat quod aggreditur: quãto id solicitius, & pio magis animo faciendũ est die nuptiarũ,qui est utriq̃ cõiugũ uel ad fœlicitatẽ,uel ad calamitatẽ natalis? Mira dictu res, quàm peruertit hominũ sensus diabolus, pessimi cuiusq̃ exempli suasor atq̃ instigator,ut quæ diuinitùs sunt nobis tributa contra uenenũ antidota, ijs ipsis tantũ nos admisceamus ueneni,ut planè fiant exitialia:& unde speranda erat salus, inde nascatur pernicies.Profitemur in baptismo renũciare põpis Sathanæ, nos baptismo ingentem pompam adiunximus.Permissæ sunt nuptiæ in remedium libidinis,nos effecimus ut nihil esset eis libidinosius.Grauiter Chrysostomus conqueritur, quòd ipso statim nuptiali die,teneræ puellæ anim⁹ tot undiq̃ flagitiorũ machinis impetatur.Satis no

tis nobiſcum ageretur præclarè, ſi in tanta tempeſtate perturbationum, rectum tenere poſſemus clauum mentis noſtræ: nedum ut illis afflati atq; impulſi uentis, ſalui ueniamus in portum.

DVO MAXIMA IN MVLIERE CONIVGATA.

INter cõiugatæ fœminæ uirtutes, duas præſtare illã oportet maximas, & præter cæteras eminẽtes: quæ ſolæ ſi adſint, cõiugia poſſunt firma, ſtabilia, perpetua, facilia, leuia, dulcia, beata reddere: ſin alterutra abſit, infirma, grauia, inamabilia, intolerabilia, miſerrima. hæ ſunt, pudicitia, & amor in uirũ ſummus. Prius illud paterna domo debet afferre, poſterius ingrediẽs mariti limẽ ſumere, ut relictis parentib. cõſanguineis, neceſſarijs omnibus in uiro ſe cuncta illa reperturã nõ dubitet. In utroq; imaginẽ refert Eccleſiæ, quæ & caſtiſſima eſt, & ſyncerã fidẽ tenaciſſimè ſeruat ſponſo ſuo Chriſto, tot intrinſecus petita procis, baptizatis hæreticis: tot extrinſecus oppugnata gentilib. Agarenis, Iudæis, nunq; tamẽ uel minima labe infecta eſt, & in Chriſto ſuo omnia ſibi bona poſita eſſe & ducit & ſentit. Caſtitas in marita debet eſſe maior etiã, quã in cœlibe. nã ſi nũc eã inquinas & uiolas (quod auertat Deus) uide quàm multis uno ſcelere facis iniuriã, quot irritas aduerſum te uindices. Lædis primùm duos, quibus nihil neq; maius, neq; melius, neq; charius tibi eſſe cõuenit: Deũ, quo autore eſtis cõiuncti, & per cuius numẽ puritatẽ thori iuraſtis: tum Deo proximũ maritũ, cui uni dicaſti te in quo omnes omniũ charitates et pietates uiolaris. Nam tu es ei, quod Eua Adæ, filia, ſoror, ſocia, uxor: adde his, alterũ te eſſe. Itaq; perinde eſt, ac ſi tibi manũ intuliſſes. Diſſolueris maximã omniũ cõiunctionẽ, ruperis ſanctiſſimũ rerũ humanarum uinculũ, fidẽ: quã multi etiã armatis hoſtibus datã, cum certa ſui pernicie ſeruauerũt. Tu marito uiolaris, & ei pectori, quod charius tibi tuo ipſius eſſe debuerat. Polluis mundiſſimã Eccleſiã, quæ in te cõiungẽda manus ſuas accõmodauit. Dirimis ciuilẽ ſocietatẽ, uiolas leges, & patriã: cædis amariſſimo flagello patrẽ, uerberas matrẽ, ſorores, fratres, propinquos, affines, neceſſarios. Es exẽplo tuis æqualibus ad ſcelus, inuitis notã æternã generi tuo: & mater dementiſſima ac crudeliſſima, filios tuos in eam adducis neceſſitatẽ, ut nec de matre audire poſſint ſine pudore, nec de patre ſine dubitatione. Quocirca & periurio te deuincis, & ſacrilegio. nam per ſacramentũ & uotum corpora ueſtra Deo ſunt dicata. Tum præter decus ſanguinis, transfers hæreditates à dominis ad alienos. Adducis in periculũ fratres, ut inceſtè miſceãtur ſororibus. Quomodo plus peccant, aut tetriore facinore ſe cõtaminãt, qui patriã euertũt, qui leges & iuſtitiã tollũt, qui parentes iugulant, qui ſacra & prophana cõtemerant ac polluũt? Quos deos, quos ue homines putas tibi propitios eſſe poſſe? Te ciues, te leges, te iura humana, te patria, parentes, cognati, liberi, te maritus damnãt, & puniunt. In te Deus, læſam abs te & conculcatã maieſtatẽ ſuã atrociſſimè ulciſcetur. Et ne ſis ignara mulier, pudicitiã et caſtitatẽ habes tu quidẽ, ſed creditã iam, et apud fidẽ tuã depoſitã, cõmendatamq; à uiro. Quo iniquius eſt te dare, q̃d alienũ eſt, domino inuito, ut ad cætera flagitia furtũ etiam adiungas. Lacæna quædã marita iuueni rẽ fœdã rogãti, Darẽ (inquit) ſi meũ peteres. nam q̃d petis, patris erat, dum eſſem uirgo: nunc mariti, poſtq; nupſi. Facetè illa quidem, & argutè, ſed ad bonas mulieres cõmonefaciẽdas prudenter. Nec minus illa in Inſubria cõmodè. quæ quũ Marfidiũ maritũ ſuũ tenerrimè diligeret, & amator rem ab ea turpẽ cõtenderet, idq; per uitã & ſalutẽ Marfidij: Atqui Marfidius (inquit illa) mallet centies mori, quàm id ſemel à me cõmitti. q̃d uerò per ſalutẽ illius à me requiris, ab ipſo eodẽ petito. Apoſtolus Paulus eccleſiã Dei docẽs, inquit: Mulier nõ habet poteſtatẽ ſui corporis, ſed uir. Quod dictũ uſq; adeò rem omnẽ turpẽ tetramq; arcere à muliere, modò nõ perditiſſimis uitæ rationibus, par eſt, ut etiam Auguſt. ne uotũ quidẽ, aut inſtitutũ cõtinentiæ probet in cõiugata, niſi probarit uir. Reprehẽdit Celantiã, optimã matrẽfamiliâs, ſiue Hieronymus, ſiue quis alius qui ad eam ſcripſit, uir haud dubiè doctus et ſanctus, quòd uotum in ſe ſuſcepiſſet cõtinentiæ perpetuæ, marito incõſulto. Ne ad bonũ quidẽ cõtinentiæ ius habet in corpus ſuũ fœmina: cogitet quiſq;, ad impudicitiæ malũ quantũ habeat? Vituperatur cõtinentia inſcio marito, quid fiet adulteriũ inuito marito? Audi quib. uerbis utitur: Sed illud quoq; didici, quod non mediocriter angit ac ſtimulat, te uidelicet tantũ hoc bo-

num cõtinentiæ absq; cõsensu & pacto uiri seruare cœpisse,quũ hoc Apostolica omnino interdicat autoritas:quæ in hac duntaxat causa,nõ modò uxorẽ uiro,sed etiam uirũ uxoris subiecit potestati.Vxor,inquit,sui corporis potestatẽ nõ habet, sed uir. similiter aũt,uir potestatẽ non habet sui corporis,sed mulier.Tu uerò quasi oblita fœderis nuptialis,pactiq; huius & iuris immemor,incõsultò uouisti Domino castitatẽ. Sed periculose promittitur, quod in alterius potestate est. Et nescio,quàm sit grata Deo donatio,si unus offerat rem duorum.Ad hunc modũ ille,quæ est concors sacrorum omniũ Scriptorũ sententia.Quòd si ille ob rem sanctã,quod iuris ipsius nõ erat, tam acriter honestissimã matronã obiurgat,quib.usus esset uerbis in nefaria,de re fœdissima insectanda? Et ut intelligas,quantũ & Deus et homines crimẽ esse adulteriũ censeant,Christus in Euangelio suo,quũ retinendas omnino uxores edixisset,nec ullam permisisset diuertẽdi ansam,unicum adulteriũ excepit.Ferenda igitur temulẽta, iracunda,luxuriosa,iners,gulosa,mendax,uaga,ualetudinaria,iurgatrix,maledica,fatua,insana:solam licet adulteram eijcere.Grauia quidẽ & reliqua uitia,sed tolerari tamen possunt.at fidem thoro nõ seruasse,intolerabile est.Homerus inter execratiões & diras in uiros,illam præcipuã ponit,eorũ uxores alijs uiris misceantur.Iobus quoquè,si insidiatus sit ad ostiũ amici sui,hoc sibi imprecatur:Scortũ (inquit) alterius sit uxor mea,& super illam incuruẽtur alij.uidelicet,quod id cum matrimonij natura tacq; ratione pugnat,quæ in mutuo amore sita est.Quo momento alium uirũ quàm legitimum mulier in cor admittit,eodem ijs intemperijs ac mariti metu cõcutitur,ut nihil oderit illo capitalius:nunquã occurrit,quin expauescat,atq; exhorreat,tanquã si à furijs exagitetur ardentib.facibus,ut est in fabulis.Sunt et alia duo bona,quibus connubium donauit natura:proles,& res familiaris. Hæc quoq; polluit,ac corrũpit adulterium:quippe sobolem,ut dicebã modò,incertã facit:rem domesticã pessundat.negligit enim domum mulier,adulterio alienata,& immemor sui:nec fortunas diligere potest eius,cuius odit uitam,ac ne liberos quidẽ.Iam quid non cõcedat ei mulier,cui se & pudicitiã suam,hoc est,maxima sua bona prostituit? scilicet pecuniã negabit,aut regnũ,aut filiorũ mortem,cui non negauit semetipsam? cui conscientiã suam prodidit? Liuia Germanici soror,tradita semel Seiano pudicitia, homini plus ætate media, ignobili,impuro,abnuere illi nõ sustinuit Drusi mariti sui, filij Tiberij Cæsaris, hæredis tanti imperij,iuuenis formosissimi,generosissimi,animosissimi,ad hęc liberorum quos ex eo susceperat,necẽ:spreta regni certissima spe,excussa pietate filiorũ, nõ reuerita Antoniã matrẽ,& Augustã auiam,grauissimas seculi sui matronas: immemor nobilissimi sanguinis,tum patris,fratrisq;,quos humanũ genus de probitate pro dijs uenerabatur,paratis sub sagacissimo & sæuissimo socero tormẽtis,sub quibus & Liuiæ ipsi,& Seiano,& eorũ amicis omnibus anima erat (ut euenit) per millie atrociss mas neces exigenda. Nimirũ nihil sibi reseruat mulier, quæ pudicitiã abiecit. Quòd nõ Christianæ tantũ sanctæ fœminæ intellexerũt,sed etiã barbaræ. Ex quibus fuerũt nõnullæ,quæ pollutæ,indignas se uita iudicauerũt.ut Lucretia Collatini uxor,cuius factũ ob admirabilẽ pudicitiæ amorẽ meritò nobilissimum est. Aliæ,quę ne castitatis naufragiũ facerent,sese peremerũt. Captis Athenis à Lysandro Lacedæmoniorũ rege,impositisq; triginta uiris,qui ciuitatẽ regerent,quũ adeò superbè insolenterq; sese gererẽt,ut etiã Tyranni appellarẽtur,illuderentq; multarũ pudicitiæ: Nicerati uxor, ne & ipsa eorũ libidini seruire cogeretur,uoluntaria morte se subtraxit. Quid singulas referam: Teuthonicorũ cõiuges,post prælũ ad aquas Sextias, quo C.Marius infinitam eorum multitudinẽ deleuit,Mariũ orauerunt,ut sacris Vestę uirginibus dono mitterentur,se non minus quàm illas uirilis concubitus expertes uicturas. id quum à ferreo illo C.Marij animo non impetrassent,nocte insequẽti laqueis se omnes præfocarunt.Bello,quod Phocensibus cum Thessalis fuit,quum Thessali Phocensium fines cum ingenti exercitu ingressi essent,Daiphantus summus Phocẽsium magistratus ad populum tulit,ut magna & ualida coacta manu obuiam hostibus prodiretur: pueros uerò et senes et cõiuges,reliquamq; imbellẽ turbã in secretiorẽ aliquẽ locum includerent,magna eódẽ lignorũ & stipularũ cõgesta ui,ut si uicti essent, illi se statim

subiecto

ſubiecto igne cõcremarẽt. Quũ frequens populus hoc decerneret, ſurrexit grandior quidã natu, qui ſententiã fœminarũ ſuper ea re ſciſcitandã cenſuit. Si cõſentirẽt, ita fieret: ſin quid ſecus, iniquũ eſſe id ſtatuere, illis inuitis. Interrogatæ ſunt mulieres, quæ uniuerſæ cõſilio inter ſe capto, approbare ſe Daiphanti legẽ reſpõderũt. quin etiã agere illi gratias maximas, qui optimè & ciuitati proſpexiſſet, & ſaluti ſuę. Ergo in ſecretiorẽ quendã locũ ea mente abductæ ſunt. Phocenſes tamẽ, ut tanta fœminarũ pudicitia merebatur, ſuperiores domũ è bello redierũt. Damo Pythagoræ filia rogata, quãdo eſſet mulier à uiro pura: A ſuo (inquit) illicò, ab alieno nunquã. Et hæc quidẽ præſtabant barbaræ in tenebris, quibus omnia obſcura erant, & incerta, & quę tantũ connubij myſteriũ ignorabãt: quo magis erubeſcendũ eſt Chriſtianis, ſanguine Domini redemptis, baptiſmo ablutis, doctrina eruditis, luce illuſtratis?

QVOMODO SE ERGA MARITVM HABEBIT.

REm uariã admodũ, et explicatu difficilẽ, de officio uxoris in uirũ, unico uerbo (ſi cuti paulò antea memorauí) cõprehendit Dominus. Recordeẽ mulier, q̃d dudũ diximus, unũ eſſe hominẽ cum marito: atq; ea de cauſa nõ aliter amet eum, ac ſeipſa. Docui modò, ſed iterandũ eſt ſæpe: (nam hęc eſt ſumma uirtutũ omniũ cõiugatę mulieris) Hoc ſignificat, hoc præcipit cõiugiũ, debere mulierẽ exiſtimare, maritũ ſibi eſſe omnia, omnibusq; charis nominib. unũ ſuccedere, patri, matri, fratrib. ſororib. Quod Adam fuit Euæ, q̃d ſibi Hectorẽ eſſe ait apud Homerum probiſsima Andromache:

Tu mihi, tu ſolus pater es, materq; uerenda,
Tu dulcis frater, tu gratus ad omnia cõiunx.

Quòd ſi amicitia ex duobus animis unũ reddit, quãto id à cõiugio uerius efficaciusq; præſtari cõuenit, quod unũ reliquas omnes amicitias longiſsimè antecellit? Idcirco nõ unum modò uel animũ, uel corpus ex duob. facere dicitur, ſed unũ prorſus hominẽ. Quare quod uir de muliere dixit, Propter hanc relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit uxori ſuę: hoc fœminam dicere ac ſentire, etiã maiore de cauſa & ratione cõuenit. Quoniã, etſi ex duob. factus ſit unus, mulier tamen filia eſt uiri, & imbecillior, eoq; defenſione illius eget: & marito deſerta, ſola, nuda, obnoxia iniuriæ eſt. marito comes, ubicunq; ſit, patriã, domum, lares, parentes, neceſſarios, opes ſecũ habet. Cuius rei exẽpla ſunt permulta. Hipſicratea Mithridatis regis Ponti uxor, quæ uirili cultu maritũ profligatũ, fugientẽq;, quócunq; per ſolitudines latebras quæreret, ſecuta eſt: ibi regniũ, ibi opes & patriã ſe ſe inuenturã duxit, ubicunq; eſſet maritus. quod profectò maximũ dolorũ lenimentum, & tantorũ malorũ ſolatiũ Mithridati fuit. Flaccilla Noniũ Priſcũ, & Egnatia Maximilla Glitionẽ Gallũ, utraq; maritũ in exiliũ comitata eſt, ingentiũ opũ iactura, q̃d urbe & Italia deceſsiſſent. Sed uiros ſibi ſuos uniuerſa illa, quæ in patria reliquerãt, ſuperare, ac copioſiſsimè repręſentare arbitrabantur. ideo maxima gloria apud omnes fuere. Non minore Turia, quæ Q. Lucretiũ maritũ à triũuiris proſcriptũ, inter camerã & tectũ cubiculi, una cõſcia ancilla, ab imminenti exitio non ſine magno ſuo periculo tutũ præſtitit. Et Sulpitia Lentuli uxor, quæ cum à Tullia matre diligẽtiſſimè cuſtoditur, ne uirũ à triumuiris proſcriptũ ſequeretur, famulari ueſte ſumpta cum duab. ancillis, & totidẽ ſeruis ad eum clãdeſtina fuga peruenit: nec recuſauit ſe ipſa proſcribere, ut ei fides ſua in cõiuge proſcripto cõſtaret. Fuerunt multæ, quæ maluerint ipſæ ſubire diſcrimẽ, quàm uiros ſuos. Vxor Fernandi Gonzalij Caſtellę comitis, quũ rex Germanicæ Legionis, quæ urbs eſt in Hiſpania Aſturienſi, maritũ in cuſtodia teneret, ipſa uelut uiſendi gratia ad carcerẽ uenit, uiroq; perſuaſit, ut cultu ſecũ cõmutato, ſe ſubduceret, ac ipſam ibi relinqueret in caſum periculi: quod & fecit. Rex admiratus mulieris pietatẽ, precatus tales ſibi ſuiſq; liberis cõiuges, illã marito remiſit. Et eadem gente illa, quæ Roberto Britanniæ regi nupta, quũ maritus in expeditione aduerſum Syrios plagã in brachio accepiſſet luculentam gladio uenenato, redñſſetq; in patriã, nec ſanitati reddi poſſet, niſi pus illud uirulentũ alicuius ore exugeretur: rexq; certiſsimũ illi parari exitiũ intelligens, quicunq; id muneris obñſſet, neminẽ eiuſmodi diſcrimini obijcere ſuſtineret: ipſa noctu ſolutis uulneris faſcijs, primùm inſcio marito, pòſt etiam conniuente, exugens, & paulatim expuens uenenũ omne elicuit, pla-

gamq; medicis præbuit facillimè curandã. O quàm doleo, si qua est fides, non tenere me tantæ matronæ nomẽ, dignissimę quę eloquẽtiss. encomijs celebrarẽ. Nec tacitũ tamen est. nam in actis Hispaniæ legũ, ni fallor, quæ Rodericus Toletanus Archiepi scopus cõscripsit: unde ego aliquando in libros meos cũ honestissima mẽtione transferã. Tyrrheni, quũ frequẽtes ex insula sua Lacedæmonẽ migrassent, ueniissentq; Lacedæmonijs in suspicionẽ, tanquã res nouas molirẽtur, omnes custodiæ publicæ traditi, & capitali supplicio addicti sunt. uxores eorũ impetrato à custodib. ad uiros ingressu, tantũ salutãdi & cõsolandi gratia, uestes cum uiris permutarũt. Hi uerò capite obuoluto, ut illarũ mos erat, carcere elapsi sunt, eo loci fœminis relictis: quas mox cũ liberis, omnibusq; bonis recuperauere, iniecto Lacedæmonijs terrore, quòd Taygetam montẽ ceu arcẽ occuparant. Huius tam præclari facinoris Valerius Max. & Plutarchus meminerũt. Quũ Acastus Peliæ filius sorores suas ad mortẽ expeteret, quòd illæ patrẽ suũ occidissent, tametsi imprudẽtes (nam reuocare ad uigorẽ iuuentę uoluerant) Alcestis una illarũ apud Admetũ uirũ erat. hunc Acastus cepit, & necaturũ se illum est minatus, ni uxorẽ traderet. ille uerò cõstanter pernegare. quumq; nõ procul abesset, quin occideretur, Alcestis ultrò est ad mortẽ profecta, ut uirũ seruaret. Fuere, quæ mortuis maritis supersse nõ sustinuerũt. Laodamia ubi nunciũ accepisset, Protesilaũ uirũ ad Troiã ab Hectore interfectũ esse, ipsa se occidit. Paulina Senecæ coniunx cum marito mori uoluit: & scissæ sunt illi uenæ. sed à Nerone inhibita est, retentaq; in uita, & obligata brachia, pressusq; sanguis uel inuitæ, uel ignaræ. Vixit paucis annis pòst, ore ac mẽbris ita pallentibus, ut ostẽtui esset, corporisq; habitu apertissimè cõiugalẽ pietatẽ testãte. Demotionis Areopagitarũ principis filia uirgo, audito Leosthenis sponsi interitu, se ipsam interfecit: affirmans, tametsi intacta esset, tamẽ quũ illi toto animo denupsisset, adulterã se fore, cuicunq; alteri cõiungeretur. Vetustissimi scriptores Halcyonẽ referũt, Ceyce marito nõ passã esse superuiuere: ergo in mare se dedisse præcipitẽ. Addũt fabulę, quæ sæpenumero uitã nostrã instituũt, uersos in Halcyones aues, sic charas Thetidi, ut quoties nidificẽt, maxima sit in mari & cœlo tranquillitas: idq; statis quotannis diebus cõtingere, qui ea de causa Halcyonij uocẽtur: hoc à dijs tribui pietati uxoris in cõiugẽ. Iidẽ perhibẽt, Andromedã Cepheo genitã, translatã à Pallade inter sidera, quòd maritũ Perseũ patriæ ac parentib. prætulisset. Euadne funus Capanei cõiugis celebrans, in rogũ se cõiecit, ne uel morte ipsa à charissimo socio separaretur. Cecinna Pętus uxorẽ habuit Arriã: is quũ in armis fuisset, quę mota à Scriboniano in Illyrio erant cõtra Claudiũ Cæsarẽ, Romã est pertractus. Arria milites orauit, ut se ministrã darẽt marito pro famulis, quos uiro cõsulari erant relicturi. Quod quũ nõ impetrasset, cõducta piscatoria cymbula, magnã nauẽ secuta est: Romæq; paucis diebus post mariti supplicium se ipsa interemit, quũ supersset ei filia Trasææ nupta, grauissimo temporũ illorũ & sapientissimo uiro. Porcia Catonis filia, M. Bruti uxor, uicto & perẽpto marito mori statuit: ferrũ est ablatum, ipsa se prunis ardentibus in os ingestis suffocauit. Panthia Sulii principis uxor, uiro fidẽ captiua seruauit, et pro eius salute uniuersis effusis opibus, occisum quoquè in bello uoluntaria morte prosecuta est. Iulia Cęsaris dictatoris filia, quum Pompeij Magni mariti sui uestis cruenta domũ è campo referretur, suspicata fauciũ esse uirũ, exanimis penè concidit: qua cõsternatione animi, eijcere partum immaturum coacta, interijt. Postrema eiusdem Pompeij uxor Cornelia, turpe dicit esse, occiso marito posse uel solo dolore non mori. Artemisia Lydorum regina, ut literis traditum est, Mausoli coniugis defuncti cineres potioni aspersos bibisse præ immodico amore fertur, sepulchrum eius uiua fieri cupiens. Gammę facinus egregium prętermittendum non est. id ego totidem Latinè referã uerbis, quot Græcè Plutarchus: neq; enim possem melius. Erat (inquit) in Galatia Sinatus & Sinorix tetrarcharũ illius regionis potentissimi, & cõiuncti sanguine. Sinatus uxorẽ habebat Gammã nomine, forma quidem & uenustate insigni, sed uirtute cum primis admiranda. non enim erat tantum moderata, & mariti amans, sed prudens, & magnanima, tum etiã propter commoditatẽ beneuolentiamq; subditis chara. Accedebat his omnibus claritudo, quòd Dianæ sacerdos esset, quam deam

Galatæ

Galatæ in præcipua habent uenerationeac cultu:in cuius sacris & pompis Gamma sese magnificè admodum gerebat.Huius ergò amore Sinorix captus,quum adducere in suam sententiam nec hortatibus,nec ui posset,fœdo atq; indignissimo facinore Sinatum per dolum interfecit.nec ita multo pòst de cõnubio allocutus est Gammã, uersantem in templo circa rem sacram,ferentem mariti necem nõ lamẽtabiliter,neq; abiectè,sed iram premens in corde,obseruans occasionẽ qua Sinorigis scelus ulciscerẽtur.ille aũt supplici:er admodũ precabatur,orationemq; adhibebat nõ omnino indecentem:quòd cùm cæteris rebus omnibus Sinato esset præstantior,tum quòd necem illius nõ ulla alia de causa,nec flagitio suscepisset,quàm Gãmæ impulsum amoris impotẽtia.Mulier aũt initiò nõ iracundè abnuebat,deinde paulatim uisa est remolliri ac flecti.nam familiares & necessarij,ut Sinorigis gratiã captarent,hominis potentissimi,in eandẽ uoluntatẽ incumbebãt suadendo,tundẽdo, & quodãmodo cogẽdo illã.tandẽ ea cessit,accersitq; illũ ad se in templũ,ut cõsensus & approbatio mutua pactaq; cõnubialia sub teste ac iudice dea celebrarẽtur.illumq; templũ ingressum comiter exceptũ,ad aram deduxit,ubi prælibauit ei ex phiala,cuius ipsa partẽ hausit prior, alteram partem ei ebibendã porrexit.inerat autẽ mulsum ueneno temperatũ,ut uerò conspicata est eum exhausisse,sustulit clamorẽ.& ante deam prouoluta genibus:Testor te,inquit,sanctum numen & uenerabile,quòd huius diei ac temporis causa sustinui Sinato marito meo superuiuere,medij huius temporis nullũ alium capiẽs usum ex uita,præter spem solam ultionis:quam ubi sum assecuta,descendo ad uirum meũ. Tibi uerò mortaliũ omniũ scelestissime atq; impijssime, ministri tui sepulchrũ parẽt, pro nuptijs & lecto geniali.Hæc ubi Sinorix audiuit,sentiẽs iam uenenũ serpere per uitalia,corpusq; uniuersum cõcitare, rhedã cõscendit, ut sese agitaret & cõmoueret ualidè.sed iam impos sui,in lecticã translatus, expirauit ad uesperum. Gamma uerò, quum adhuc uitã nocte tota protulisset,postquã mortuũ esse illum cognouit, libens lætaq; animã emisit.Sic Plutarchus.Propter has sexus uniuersus fœminarũ bene audit, & iuuat uxores ducere, & filias tollere, atq; in spem bonam educare.sicut è contrariò prorsum,quum in eas solum intuemur, quæ fœmineæ uirtutis officiũ uel spernunt,uel negligunt.Hæc maxima proposui, ut saltem mediocria nõ præstare pudori sit. Quo intolerabilior est illarũ inhumana impietas, quæ perferre ualent maritis uel ignominias,uel damna,uel quid aliud aduersi accidere,pecuniæ causa,quum sit ipsis in arca satis æris,quo eximere eiusmodi calamitatibus uiros possent:etiam si nihil esset,ferre non deberent.ô animum quauis fera immaniorem.Et tu sanguinem, tu corpus tuũ,te ipsam in marito perpeti potes sic affligi? Nimirum ciuiles mores,legesq; quæ id tolerant,maiorem habuerũt pecuniæ rationẽ,quàm pietatis ac fidei.Sed hæc, ut alia inter nos permulta,relicta ex gentilitate tenacius Christianis adhęserũt,quàm lex Christi permittebat:in qua,non dico ab uxore propter uirũ,sed à Christiano propter Christianum quamlibet ignotum,quicquid in arcis conditur uestium & metallorum,quicquid possidemus opum,profundendum est.Quocirca sciat mulier,quæ non etiam ob leuissima mariti incommoda uitanda uniuersum semel patrimonium effundit,nec Christianę,nec probę,nec uxoris nomine dignam esse.Certissimum est signum pudicitiæ,maritum toto (quod dicitur) pectore amare.Tanta fuit Agrippina Germanici uxor opinione castitatis,propter amorem cõiugis, ut Tiberius Cæsar, quum eam eiusq; filios ob odium criminaretur, quo illos prætextu aliquo perderet, Neroni Agrippinæ filio impudicitia obiecta est:hoc in mulierem,quum alia dixisset atrocia,ne fingere quidem est ausus. Refertur & à maritis ea gratia, ut uxores à quib. amari se compertum habent, ipsi quoq; ardentissimè redamẽt. sic Vlysses Circem & Calypson deas spreuisse traditur,propter mortalẽ Penelopem : & ad eam per decennale naufragium, per tot ærumnas & discrimina contendisse,ac peruenisse. Hector, quòd Andromachen sciret in se uno sitas omnes habere charitates,ita illam redamauit,ut excidiũ Troiæ non tam parentũ aut fratrũ causa dolere se dixerit, quantũ uxoris.Non disputo an hæc sint fabulę:certè ad imaginẽ humanę uitę ab ingeniosissimo uate sunt cõficta.Sed in reb.gestis illud à Cicerone, Valerio Maximo, Plinio, & alijs

refertur,Tiberiũ Gracchum optione propoſita,utrius uitam ſeruari mallet,ſuam an Corneliæ uxoris,cui unicè erat charus:quũ alterutri omnino exiſtimaret fato defungendum,mori ſe ꝙ Corneliam maluit.fœlix uxor,quæ talẽ uirũ habuit:infœlix,quæ ſuperuixit.Neꝙ uerò ſic amandus eſt maritus,quemadmodũ amicum amamus,aut fratrem geminũ,ut ſolum ſit amor:plurimũ cultus ac reuerẽtiæ admiſtũ oportet,plurimum obediẽtiæ atꝙ obſequij.Non modò mores maiorum atꝙ inſtituta,ſed leges omnes humanę ac diuinæ,ipſa etiam rerũ natura clamat,mulierẽ debere eſſe ſubditam uiro,ac ei parẽre.In omni animaliũ genere fœminæ ſuis maribus obtemperãt,illos aſſectãtur,illis blandiũtur,ab illis caſtigari ſe ac uerberari patiẽter ferũt:& natura docuit fieri id oportere,ac decere.quæ natura,uti Ariſtot.in libris de Animalib.perhibet,omniũ animantiũ fœminis minus neruorum,roboriſꝙ,quàm maſculis dedit, & carnẽ molliorẽ,& delicatiorẽ pilum.tum partes,quas ad ſe tuendũ tribuit,ut dentes,cornua,calcaria,& cætera id genus,plurimis fœminis negauit,quarum uiris attribuit:ut ceruis,et apris fœminis.ſi quibus autem fœmellis cõceſſit,eas ipſas partes potiores fecit in maribus:ſicut cornua in tauris firmiora,quàm in uaccis.Quis omnib.ſapientiſsima natura nos edocuit,ad marem ſpectare propugnationẽ:ad fœminam uerò,ſequi marẽ ſuũ,& ſub eius tutela deliteſcere,illiꝙ præbere,ſe ipſam morigeram,ut tutius & cõmodius uiuat.Sed nos à belluarũ actibus,quibus tamẽ pudefimus,ni antecellamus uirtute,ad rationẽ humanã aſcendamus. Quæ mulier eò inſolẽtiæ atꝙ arrogantiæ uenerit,ut audiens eſſe nolit dicto mariti,ſi cogitet illum ſibi pro patre,pro matre,pro cõſanguineis eſſe omnibus,illi ſe uni amorẽ omnem pietatemꝙ reliquorum uniuerſorũ debere?Hæc nõ cogitat ea mulier demẽs,quæcunꝙ cõiugi non obſequitur:niſi fortè nec patri,matri,& cõſanguineis obſequi inſtiterit.nam ſi his obediat,& marito eam obedire neceſſe eſt:in quo iure omni,more,ſtatuto,præcepto naturali,humano,diuino,cuncta ſunt ei poſita & collocata.Non eſt apud homines honoratior mulier,quæ ſibi ſupra maritũ honorẽ arrogat:ſed ſtultior,& magis ridicula, adde etiam omnib.inuiſa atꝙ execrabilis,tanquã quæ ſancitas à natura leges conetur inuertere.nõ ſecus ac miles imperare ſuo imperatori ſi poſtulet,aut luna ſoli præeſſe,aut brachiũ capiti.In coniugio enim,ut in homine,uir eſt pro animo,mulier pro corpore.illũ imperare,hoc ſeruire oportet,ſi uicturus eſt homo.Declarauit hoc eadem ipſa natura quæ marẽ finxit gubernationi aptiorẽ,quàm fœminã. Quippe magnis in rebus,& in diſcrimine fœminam ita frangit & cõfundit pauor,ut nec ratione uti poſsit,nc iudicio:ut eſt affectus ille impotẽtiſsimus,quiꝙ omnẽ conſiliꝭ uſum ſemel eripiat. Vir animoſus eſt,nec tantopere metu concutitur, quin facile diſpiciat, quid'nam expediat rebus preſentib.Ad hæc ut in fœmina crebriores exurgũt perturbatiões,iudiciũ eſt ſemper affectu aliquo cõmotum,ac proinde minus ſibi cõſtat,iactatum tempeſtatib. affectionũ in diuerſa raptantiũ,ideo plerunꝙ inualidũ atꝙ inefficax.Sapiẽtiſſimè Paulus,ut cætera:Caput,inquit,uiri Chriſtus,caput mulieris uir. Truncus eſt uir,et planè mortuus,cuius caput nõ eſt Chriſtus:demẽs et temeraria eſt mulier,cui uir non præeſt.Hic iam diuina iuſſa ingredior,quæ apud ſanctiores mentes plus legibus,plus humanis omnib.plus naturæ ipſius uoce,ualere ac poſſe ius fasꝙ eſt.quippe natura ſæpe inflectit,ac deprauatur: Deus integerrimus ſemper,idemꝙ ac ſui ſimilis perſiſtit.& conditor eſt naturæ Deus,quo potior,& mentib.noſtris uenerabilior eſſe debet,fideiꝙ certioris. Autor ergo uniuerſitatis mundi huius,mũdo nouo adhuc & rudi,quũ generi humano poneret leges, fœminæ ſic ſtatuit:Sub uiri poteſtate eris,et ipſe dominabit tibi.in quibus uerbis illud eſt animaduerſiõe dignũ, ꝙ nõ ſolum uiro ius & dominiũ tradit in fœminã,ſed uſus quoꝙ poſſeſsiõis.Apoſt. Paulus,magiſter Chriſtianę,hoc eſt diuinę ſapiẽtię,mulierẽ dominari uiro nõ permittit,ſed ſubditã illi eſſe:idꝙ nõ uno in loco.Petri Apoſtolorũ principis hoc eſt edictũ: Mulieres ſint ſubditæ uiris ſuis,ſicut et ſanctæ mulieres,ſperantes in domino.Sic Sara obediebat Abrahæ,dominũ eum uocans.Hieron.ad hunc modũ Celantiæ præcipit:Seruetur in primis uiro autoritas ſua,totaꝙ à te diſcat domus,quantum illi honoris debeat,tu illum dominũ obſequio tuo,tu magnũ illum tua humilitate demõſtra:

tanto

tanto ipsa honoratior futura,quantū illum amplius honoraueris. Caput enim (ut ait Apostolus) mulieris,est uir.Nec aliunde magis reliquū corpus ornatur,quàm ex capitis dignitate.hæc ille.Insipientes fœminę non cōsiderant,quum omnis ad se honor ex maritis demanet,se fore inhonoras,si uiros habeāt,quib. pręesse mulieres possint. Ita honorē dum captāt,amittunt.nam illud statim perdunt,unde maximus ad mulieres redit honos,honoratis esse uiris cōiunctas. Nihil genus, nihil opes, nihil fortuna proderūt:honore carebis,si caruerit uir. At quis honorem poterit habere ei uiro, cui uideat imperare fœminā? Contrà uerò nihil oberit ignobilitas, nihil paupertas, nihil faciei ulla gratia. Honoraberis,si honestetur maritus.Ita nec Orestillā adiuuit uel forma,uel genus,uel diuitiæ,quo minus cōtemptui & odio esset,scelerati Catilinæ coniunx.Nec Saloniæ tenuitas nocuit,quin chara & admirāda esset populo Rom. Censorij Catonis uxor.Sed ut melius parêre possis marito,& omnia ex eius animi sententia perficere,pernoscendi sunt prius illius mores,et cōsideranda uel fortunæ uel naturæ cōditio.In his multa sunt maritorū genera.omnes quidē amandi, colēdi, reuerēdi omnes,obsequendū omnibus:sed nō omnes similiter tractādi,ut linea (quod dicūt) alba in lapide albo.Et in maritis puto equidē illud debere usui accōmodari, quod de uita humana dicit ex Platone Terentius:Vita(inquit) hominū perinde est,ac si ludas tesseris:ut si quod iactu opus nō est euenit,id arte ut corrigas.Sic in maritis, si is cōtigerit ex sentētia,gaudendū,honorandus,amandus,sequendus est:sin parū optabilis, arte,si queas,uel emēdandus,uel certè minus reddendus incōmodus.Aut igitur maritus erit fortunatus,aut infortunatus.fortunatos nunc uoco, quibus aliqua bona cōtigerunt,uel uitæ,uel corporis,uel animi:infortunatos, quibus ex aliqua illarū trium partiū mala.fortunati facile uxoribus satisfaciūt:de infortunatis cōsulendū. Quanq; initio omniū admonendę sunt,ne amorē in mariti fortuna potius collocent,quàm in marito ipso,alioqui minus firmiter amabunt,ac lentius:& si fortuna, ut est fluxa ferè atq; incōstans,discesserit,auferet simul secū & amorē.Ne amēt pulchros propter formam,ne diuites propter pecuniā,nę magistratus ob dignitatē,aliter enim ægros,pauperes,priuatos oderint.Si nacta est doctū uirum, hauriendū ab eo sancta præcepta.si bonū, proponendus in exemplā,quod æmulere. Quòd si sit infortunatus, illa debet in primis animo occurrere Cnei Pompeij,magni sine dubio & prudētis uiri,ad Corneliam uxorē oratio,quā uersibus Lucanus prosequutus est. Victus enim à Caio Cæsare Pompeius,quū Lesbū insulā petijsset ad recipiendā uxorē,quā secū fuga abduceret,uxor maritū cōspicata uictū,in terrā semianimis cōcidit: nō tam dolens cecidisse se,q; illū.Pompeius sublatā è terra,& sensibus redditā,in hanc sententiā est cōsolatus: Mea Cornelia uxor,rerū omniū mihi charissima,miror te fœminā isto genere natam, sic primo fortunæ prostratā ictu.nunc tibi aperta est uia ad immortalē gloriā.nam materia laudis in fœmineo sexu nō est eloquentia,nō respondere cōsulentibus de iure, nō bella gerere.unica tantū est, si maritū habeas miserū: quem si amaris, si colueris, si nihil miseria offensa,ita ut maritū decet tractaris, omnia te secula cum ingente laude celebrabunt. Maiori tibi fuerit gloriæ,quòd uictū Pompeiū amasti, quàm quòd principem populi Ro.ducē senatus, imperatorē regū. hæc enim facile est cuilibet etiam stultæ ac improbę uxori diligere:amplecti uerò miserū,id demū est optimæ. Quocirca hoc ipsum quod uictus sum,debes diligere, tanquā materiam uirtutis tuæ. nam si quid tu,me uiuo,defles & desideras,certè illud ipsum quod periit,ostendis tibi fuisse charum,non me,qui adhuc supersum. His atq; alijs similibus uerbis tunc ille utebatur,ægram animi refouens.quæ proba matrona tanquā oraculū sæpenumero in animo suo uoluet,ne se afflictet,q; maritus obtigerit infortunatus:ne hac illum de causa oderit,ne cōtemperit.quin potius si sit pauper, cōsolandus est, unicas opes esse uirtutem:adiuuandus honestis artibus,quas illi scias placituras,& quas in te noti & necessarij probent, quæq; sanctitatem bonæ matronæ deceant. Vide, ne in tam perditam mentem ruas, ut uelis illum propter pecuniam indecoras artes exercere, aut facinus aliquod fœdum perpetrare: aut ut tu uel delicatius, uel affluentius alaris, uel cultius ornêre, uel laxius habites: in summa, ut tibi optimè & suauissimè sit, illum

lum labores & ſudores magnos,etiam diſcrimina ſubire.Potius tibi ac melius eſt,ſecundario tantũ pane ueſci,& turbulentã potare aquam,quàm maritum cogere,non dico uilibus ſe artibus & ſordidis,aut labore immodico dedere:uerum cuiuis exercitio,ad quod ipſe inuitus quidẽ,ſed accedat tamen,ut morẽ tibi gerat,& domeſticas tuas rixas effugiat,ſitq; aliqua domi pax.Maritus ſui iuris eſt,& dominus uxoris,nõ uxor mariti.nec plus à marito contendere uxor debet,quàm quantũ ipſo uolente libenteq; uideat ſe impetraturã.In quo peccãt multæ,quæ maritos importunis ſuis uocibus fligitando,tundẽdo,deniq; odio ad illicitas artes,& grauia uel facinora uel flagitia impellunt,ut quæſtũ faciant,ſuæ gulæ ac uanitati,ſuæ ſuperbiæ cõſulentes, non maritis.Quid dicã,eſſe moleſtas aliquas & inimicas uirtutibus cõiugũ, ſi has eſſe rei familiari damnoſas uideãt? Id eo eſt turpius,q; quum fœmineus ſexus tantã præ ſe ferat pietatẽ,& natura uideatur deuotior ſacris rebus quàm uirilis, obliuiſciẽ ſui, & pietatem omnẽ abijcit pecuniæ gratia.Has mulieres ſanctæ literæ ſub uxoribus Iobi & Thobiæ coarguũt,quæ inſaniſsimæ pietatem & magnas uirtutes maritis calamitoſis exprobrabãt.In quo erant etiã impię,nedũ uęcordes,quòd nõ reputarẽt,uel maiores eſſe opes quæ uirtutib.parantur:uel ſitum in manu Domini,locupletiſsimũ fœliciſsimumq; uno momẽto facere quemcunq; uelit. Quid opus eſt alijs tyrannis ad martyrium? Iſtæ irreligioſæ nõ ſecus perſequuntur maritos ob religionẽ, quàm Apoſtolos Nero,aut Chriſtianos alios Domitianus,uel Maximinus, uel Decius, uel Diocletianus.Equidẽ arbitror,relictã fuiſſe ſolã uxorẽ Iobo,ut triſtitiã uiri plus urgeret,& male dicta ſua rabie pondus adderet tot modis preſſo. O execrabilis & impientiſsima mulier,ſanctitatẽ uitæ marito tanquã crimẽ obijcis? Hoc ne diaboli quidẽ facere auderent.Euertit diabolus fortunas omnes Iobi, familiã occidione perdidit, filios abſumpſit,ipſum ulceribus & ſanie induit,nunquã opprobrauit,quòd in priſtina animi ſimplicitate permaneret.Opprobrauit mulier,ut oſtẽderet, diabolo ſe eſſe cõfidentiorẽ. Inſultet ſanè cõiunx,quantũ uolet:hoc nõ aliter cõiugi gaudendũ eſt,quàm Apoſtolis,quod digni eſſent habiti,ut cõtumeliã paterẽtur propter nomen Domini Ieſu.Tu uerò filia, tantũ aberit ut cõparẽ tuũ à probitate abducas, ut etiã certiſsimo uniuerſæ rei familiaris diſpẽdio,imitata tot ſanctas Chriſtianas,ad innocentiã & pietatẽ & recordationẽ diuinæ bonitatis ac potẽtiæ adhorteris.& cõtingat tibi, quod Paulus inquit:Sanctificaẽ uir infidelis per mulierẽ fideiẽ. Sic amplę facultates,ſic ingẽtes opes quæruntur.Recole uerbũ Domini:Neminem eſſe,qui ſua gratia aliquid in hoc æuo neglexerit,qui nõ multo plura,& in altero,& in hoc etiã cõſequatur.Primùm diuitiæ illæ certæ ac ſolidæ ſunt,quæ nullis obnoxię caſibus cuſtodiuntur,nõ internis,ut erugini in metallis,tineæ in ueſtibus:nõ externis,ut furibus, ut prædonibus, ut uiolento ac iniquo principi,aut iudici rapaci.Tum de hac uita experimẽtis ſe id didiciſſe Pſalmiſta profitetur,longoq; ætatis uſu,nunquã ſe uidiſſe iuſtũ derelictũ, aut ſemen eius quærens panẽ.Sed Domini in Euangelio habemus ſyngraphã, qua iubemur optimè de benignitate ipſius ſperare.Scire cœleſtẽ patrẽ,quibus ad uictũ egeamus:illum omnia hęc ſuppeditaturũ nobis,poſtquã quęſierimus regnũ ſuũ,& iuſtitiã eius.Si deformis eſt maritus,amandus animus,cui nupſiſti.Si æger,ibi demum præſtanda eſt uera uxor:cõſolandus,confouendus,curandus,habendus nõ minus charus & in delicijs, quàm ſi eſſet maximè ſanus & ualens,magnamq; morbi illius partẽ in te deriuabis. Sic fiet,ut ille minus doleat, quũ ſociã te aſpiciet ſui doloris. Non eſt bona coniunx, quæ cõiuge mœrente gaudet,ægrotante ualet.Lecto affixa ſis oportet,modò uerbis dolorẽ leuãs,modò fomẽtis leniẽs. Tu ipſa uulnera,tu ulcera,tu affectũ tuis manibus tracta,corpus tu tege,tu retege,tu exterge,tu potionẽ præbe,tu urinã matella excipe, ne hæc abhorreas:nihil magis in illo faſtidieris,quàm in te ipſa:ne reijcias curã in famulas,quæ rem ſegnius ac negligẽtius curãt, quia nõ amãt. Et quũ ſe nõ amari ſentit æger,ingraueſcit corporis morib.ex animi ægritudine.Ego´ne illas uxores,et matronas,& ſanctas (ſi dijs placet) fœminas ut appellẽ,quæ in maritorũ morbo tam ſecuræ agunt,ut eis ſatisfaciat cura,quã circa illos gerunt famulæ, ipſis uxoribus ignaris? Nam quod uideo, quaſdã nec ſua ſtata ſacra, nec cõuiuia, nec uiſitationes & cõgreſ-

ſus

ſus æqualiũ,nec ſolita oblectamẽta adduci ut intermittãt,maritis morbo domi clauſis:hoc iam nõ coniugum eſſe officiũ dixeris,ſed cõcubinarum,aut etiã (ut aperta loquar) meretricũ,quæ mercede cõductæ,cum uiris cubãt.Cur enim me pudeat merito nomine illas appellare,quas nõ pudet id facere, unde mereantur? Quid ſi tu nihil cẽſes intereſſe,ægrotet ne maritus,an uicinus:niſi quòd maritus eſt domi,uicinus foris:impudentiſsima profectò es,ſi poſtules ut tẽ uxorẽ uocẽ, quũ quod uxoris eſt,nõ præſtes.An tu textricẽ uis te haberi,quę nec ordiri telã,nec radiũ iacere,nec telam pectine quatere didiciſti? Et quanquã uirtus etiã nullis extrinſecus adiuta luminibus, in tenebris ipſis ſplendorẽ ſuũ obtinet,claraq; & celebris eſt:tamẽ quantũ in me erit, nõ ſinã hoc & præſentes & poſteros ignorare,quod ipſe uidi,quod alij pariter mecũ quàm plurimi ſciunt.Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ cõiunx,quũ uirgo tenerrima & formoſiſsima Brugas eſſet ad ſponſum deducta, iam plus quadraginta annos natũ,prima nuptiarũ nocte crura eius faſcijs inuoluta uidit,deprehẽditq; maritũ ſibi ægrum & ualetudinariũ obueniſſe.nihil tamẽ illũ ob id auerſata,nõ cœpit eum odiſſe,quũ præſertim nondũ poſſet uideri amare. Incidit nõ multo pòſt Valdaura in grauiſsimum morbum,de cuius ſalute et uita medici omnes deſperabãt.ipſa cum matre tanta cura & aſsiduitate circa lectũ ægri uerſabatur,ut ſex totis hebdomadib. ambæ nec ſe exuerint,niſi ut mutarent ſupparos:nec ulla nocte ſupra unã aut alterã horam quieuerint,idq; indutæ,multis noctibus traductis inſomnibus.Erat radix morbi Indici,quem Gallicũ hic uocãt,ſæui & cõtagioſi.Diſſuadebãt medici, ne ſic eum cõtrectaret,ne tam propè accederet.Idem conſulebãt neceſſarij. Tum æquales fœminæ in religionẽ adducebãt,nõ eſſe tam anxia cura diuexandũ (ita enim loquebãtur) hominem iam fatis debitũ. & magna mortis parte in corpus recepta, proſpiciendũ eſſe animæ:de corpore nihil cogitandũ aliud, quàm ubi cõderetur humo. Quibus uocibus adeò illa abſterrita nõ eſt,ut curarit quidẽ quæ ad animũ ſpectabãt:ſed ipſa culinę ſordibitionibus,quę remediũ afferrent,ipſa pannis ſubinde mutandis (nam ſoluta erat maiorẽ in modũ aluus,& alijs locis pus tetrũ dimanabat) eſſet intẽtiſsima,ſurſum deorſum toto die curſitaret,animo corpuſculũ fulciẽs:laboríb.impar, ni tanta uis affectus ſubueniret.Ita diſcrimẽ maximũ Valdaura euaſit,iurantibus medicis,è manibus Orci uiolentia cõiugis ereptũ eſſe.Alius facetius q; Chriſtianius,decreuiſſe dixit Deum, Valdaurã occidere:uxorẽ uerò obſtinaſſe,è manibus ſe illũ non dimiſſurã. Cœpit ei, fluente quodã ardentiſsimo ex capite humore,arrodi interior nariũ caruncula.medici puluiſculũ dederunt,quo ſubinde reſpergeretur ulcus,tenui per fiſtulã aut calamũ flatu:quumq; nullus inueniretur,qui nõ eum laborem recuſaret,omnibus rem auerſandam exhorrẽtibus,ſola coniunx hoc præſtitit. ſcatentibus per genas ac mentũ papulis morbi,quũ nullus raſor cõmodè poſſet barbã eius radere,nec ueſtet,uxor, forficulis octauo quoq; die dexterrimè attondebat.Collapſus deinde in aliũ morbũ longiſsimum,ſeptem ferè annorũ,ipſa infatigabili diligentia & cibum ei parauit,quũ pediſſequas haberet duas,& filiam grandeſcentem.ipſa eadem, tum fœda illiuit ulcera, tum & crura putidiſsima undiq; ſanie diffluentia contrectauit quotidie,turundas & malagmata impoſuit,ac faſcijs deuinxit,ut muſcum diceres eam contrectare,nõ rem fœtoris intolerabilis.Quin & anhelitũ,quem nemo non etiam ad decem paſſus auerſabatur,ipſa ſuauiſsimũ iurat fuiſſe.Et quidem ſeriò mihi ſuccenſuit,quum ſemel fœtẽre dixiſſem. Aiebat enim ſibi uideri,ceu fragrantiã maturorum & dulciũ malorum. Atq; hoc toto morbi tempore,quum eſſent quotidie magni faciendi ſumptus, ad hominem tot morbis cõtuſum,alendũ & curandũ,in ea domo,ad quam multis iam annis nulla ex re quæſtus aliquis redierat,nec annuos haberet prouẽtus,ipſa ſe annulis, ipſa torquibus aureis,ipſa monilibus,ipſa ueſtibus,ipſa abacũ ſuum uaſis argenteis libentiſsimè ſpoliabat,ne quid marito deeſſet. cõtenta quauis menſa,modò marito ſuppeteret,quod tam afflicto malis corpori cõduceret. Sic ille uitã traxit uxoris cura, cadaueroſo corpore,ſeu ſepulchro uerius,decẽ annis à primo illo morbo, quo tempore ipſa duas ex eo proles ſuſcepit, quũ antea ſex genuiſſet, uiginti annis nupta, nunquã cõtagioſiſsimo mariti morbo,nec ulla omnino ſcabie infecta, nõ modò ipſa,ſed

nec

nec ullus liberorũ,corporibus omniũ ſaniſsimis atq; mundiſsimis. Ex quo liquidùm fit,quãta ſit uirtus,quãta ſanctitas earũ,quę uerè ac toto pectore maritos(ut congruũ eſt) amãt,quẽadmodũ illis Deus præſentẽ quoq; gratiã referat. Obijt tandem ſenex ægrotus:ſeu nõ obijt,ſed abijt uerius,& exijt iugẽ cruciatũ:tanto tamẽ dolore Claræ, ut qui illã norint,fateãtur nunquã adoleſcentẽ maritũ,integro corpore,formoſum,diuitem,tantũ reliquiſſe chariſsimę uxori deſideriũ,mœrorẽ,luctũ. Multi gratulatione citius putabant eſſe opus,q; cõſolatione: quos illa propemodũ execrabatur,optans ut maritus,qualis qualis erat,fieri ſi poſſet,ſibi redderetur, etiã cum liberorũ omniũ, quos quinq; habet,iactura. Quumq; ſit integra ętate,nunquã ſtatuit nubere:quòd ſe alterũ Bernardũ Valdaurã inuenturã negat. Prætereo pudicitiã, cuius eſt exemplar. prætereo ſanctitatẽ morũ. de pietate coniugis eſt ſermo,quæ nunquã uenit ſola,ſemper reliquis omnibus comitata uirtutibus. Quis hanc nõ perſpiciat,nõ corpori Bernardi Valdauræ nupſiſſe,ſed animo? aut non putaſſe, corpus illius ſuum eſſe? Quid quòd uiri ſui præcepta,& mandata omnia ita obſeruat,tanta reuerẽtia,ac ſi adhuc uiueret:& ex eius præſcripto multa agit,ſic illum facere ſtatuiſſe aut mandaſſe dictitãs. Talẽ uxorẽ Euripides ſi habuiſſes,tam laudaſſes fœminas, quàm eas uituperaſti. Talem ſi Agamemnon,patria te multis annis de Troia uicta lætũ ſpectaſſet triumphantem, Tacenda hæc nõ fuerunt,quũ ſæpenumero minora memoriæ mandentur,ad maritas ſui officij cõmonefaciendas. Plebeiarũ ſunt hæc, inquit illa nobilis. Primùm nõ omnino ex fece plebis Clara Valdaura,& iuuenis,& formoſiſsima,& delicatiſsima, & comitata famulabus, quibus magnã curæ partem mandare poterat,ſi ſuſtinuiſſet. Sed multæ ſunt nobiliſsimę quæ idem præſtent,quas cõmemorare omnes nõ queo: nec præſentes modò,ſed quæ olim uixerũt. Nam magna ex parte,uitia tantùm ſuperiorum ætatum,inſequẽtia tempora uſu retinẽt. An tu nobilior uxore Themiſtoclis, Athenarum,imò Græciæ principis? quæ ſola ferè in aduerſa ualetudine marito miniſtrauit,nobilior Stratonica Deiotari regis cõiuge? quæ uiro ſeni,mœſto,ualetudinario,ipſa erat & coqua,& medica, & chirurga: nihilq; magis eam urebat,quàm quòd interdũ difficilis & moroſus ſenex,parũ ſibi illam diligẽtia ſatisfacere indicabat. nobilior regina illa Britanniæ,quæ uulnus exuxit mariti? Principes Romanæ fœminæ nõ alijs manibus tractari ſinebãt maritos ægros,quàm ſuis. An tu credis te Romanis etiam anteſtare nobilitate? in quos ſi quis genus poteſt referre,nobiliſsimus exiſtimatur. Sed quid neceſſe eſt ſanguine atq; opibus nobiles referamus? Nobiles ſunt, uirtute & claris actibus illuſtres. Tu cum tua nobilitate iacebis obſcura & ignobilis: iſtas omnis ætas,omnis ſexus noſcet & celebrabit. I nunc,& iacta tuam nobilitatem, quam nec uiua,nec mortua ullus cognoſcet. Pecuniam,inquis,attuli,qua cõducatur qui hoc agat. Ergò pecuniæ uir tuus nupſit,nõ tibi. Et tu uxorẽ te eſſe cenſes ſolùm, quod tecũ cubitat uir? An in hoc uno ſitum eſſe coniugium arbitraris? Leges profectò Dei & naturæ uiolas. Nam ſi tuum corpus tractare te nõ pigeret ægrè, & in puſtulas ac ulcera oculos ac manus immittere,cur maritũ auerſaris ſic affectũ,quũ ſitis duo in carne una,ſeu (ut dicã Latinius) homo unus? niſi forſan hoc ad te dictũ pertinere nõ putas. Vbi eſt deinde illa cõiunx,indiuidua cõiugis comes & ſocia,ſi,quũ te coniunctiſſimã eſſe oportuit,diſcedis? Tu ergo nec fratri tecum genito,nec patri,nec matri,qui te genuerũt,id officiũ præſtares? Quòd ſi hoc pudet cõfiteri,pudeat de marito uel cogitare,q apud te illis omnib. præponẽdus eſt. Etſi ex iſtis ſunt nõnullę,quę etiam matres deſerãt ægrotas,nec aliquẽ amãt præter ſe: dignæ uiciſsim,quæ à nullo amentur alio,ut nec amant. Quoties uidimus mutã animantẽ fœminã,ſaniẽ & ulcera maris ſui lambere? Hoc boues,hoc canes,leones,urſi,beſtiæ tum cicures, tum feræ. Mulier tangere nõ ſuſtinet,ac ne inſpicere quidẽ. Vultis apertè loquar? haud paucæ, qua nõ tractãt mariti,tractãt adulteri. Nam fuerũt,quæ in hoc ſunt deprehẽſę: ut ſciatis nõ retrahi à natura,ſed à ſcelere. ut non uideatur eas iniuria Iuuenalis ſic inceſſere:

Quæ mœchũ ſequitur,ſtomacho ualet. Quæ maritũ,delicatula,& leuiſsimarũ quoq; offenſiuncularũ impatiẽs. Pergo uerè dicere,& alias infortunatorũ ſpecies recẽſere: etſi omnes nec poſſum,nec uolo. Si incõmodis ſit moribus,tolerãdus,nec improbitate

probitate cum eo cõtendendum,ne nunquã ſit finis mali ac miſeriæ.noli tu improbitate tua improbitatẽ illius retundere,& iracundia iracundiã coërcere.id uerò laceſſere atq; irritare morbũ fuerit,nõ ſanare.ne ſperes te cœnũ cœno ablaturã,uel incendiũ poſſe reſtinguere oleo iniecto.uerte potius te ad illas,quæ maritis utuntur plurib. uitiorum generibus,aut certè maioribus,aſperos atq; intolerabiles,et ex illorũ fortunis ſolatiũ tuis ſume.Non potes in eo amare, quod habet uitia:at ama, quod multis,nec minus difficilibus caret.Ne ad illas reſpicias,quæ fœlicius uidentur coniunctæ: quæ ratio cogitationis uniuerſam uobis uitã inſuauẽ redderet.quanq; quid iſtis quoq; domi lateat,tu neſcis:ſed illas tamen cõtemplare,quibus durior eſt uitę cõditio.Cæterũ quo tempore tractabiliorẽ ſe maritus præbebit,comiter eſt et blandè admonẽdus,ut melius uelit uiuere.Si audierit,& tibi & illi maximopere profueris.ſin cœperit excandeſcere,noli contrà niti,& ex uno inſano duos facere,te atq; illũ.Tu functa es munere tuo,perfer:& erit tibi nõ modò magnæ apud mortales gloriæ,ſed merito apud Deum ingenti.Quòd ſi fortè eius uitio ac impotẽtia animi uapules,puta te à Domino corripi:et propter aliqua tua delicta id tibi accidere,quę illa uia expiant.Beata es, ſi modico uitæ huius labore,magnos alterius cruciatus redimis.quanq; raræ ſunt bonæ & prudẽtes uxores,quæ à uiris quãlibet ſceleratis & inſanis cædãtur.Dolorẽ tuũ domi deuora,nec in uicinia uocifereris,nec alijs de uiro cõquerare,ne quẽ uidearis iudicẽ inter te & illũ ſtatuere.domeſtica mala domeſticis parietib. ac limine cohibe, ne ſe foràs efferãt, ne ſerpãt latius. ſic moderatione tua cõmodiorẽ reddes cõiugem, quem aliàs querimonijs & futilitate linguæ exacerbares. Sunt etiã nõnulli mariti fatui,et mente capti:hos proba cõiunx tractabit arte,nec exaſperabit,nec adimet honorem uiri.ſed perſuaſum prius,omnia ſe ex animi eius ſentẽtia facturã,& ut maximè illi expediet,facilè prudẽtia reget,uelut belluã manſuefactã.In hos mulier ſe habebit, ut matres in ſimiles filios,quæ in maximã & uehementiſsimã miſerationẽ ex miſeria filiorum adducũtur,& ex miſeratione creſcit charitas:ita ut debiles,mutilos,ſtultos, deformes,ualetudinarios plus ſæpe ament,quàm firmos,integros, prudẽtes, formoſos,ualẽtes.Nolo percurrere cætera infortunatorũ genera,ſemel eſt de uniuerſis præcipiendũ.Huic,qualiſcunq; eſt,nupſiſti:hunc tibi Deus,hunc Eccleſia, hunc parẽtes dederũt uirum,maritũ,dominũ.ex tot uirorũ millibus hæc eſt ſors & pars tua.Ferendum eſt bono animo,quod mutari nõ poteſt:& amãdus,colendus,honorãdus,ſi nõ propter ipſum,certè propter eos à quibus tibi aſsignatus & cõmendatus eſt, propter fidẽ quam dediſti:ſicut multi indigniſsimis proſunt ac benefaciunt, unã ſolũ ob cauſam,quod à chariſsimis cõmendatos habẽt.Multi quædã agunt, ſolũ quòd promiſerunt,alioqui nõ facturi.Et danda eſt tibi opera,ut quod uel nolens factura eſſes, & facere uidearis,& facias libẽtiſsimè.Sic enim leuiora & iucundiora reddes tibi omnia, quæ grauiſsima & moleſtiſsima eſſent inuitę.Reputatio neceſsitatis fortiter docebit ferre,cõſuetudo facilè,quæ in duriſsimis etiã calamitatibus mollimentũ inuenit, citò in familiaritatẽ grauiſsimã adducẽs,uti Seneca inquit.Cogita te hoc debere uiro, magnam tibi parari hoc modo apud Deum gratiã, magnũ & honeſtiſsimũ ad homines nomẽ.Hic uideo poſſe à nõnullis dubitari,quatenus ſit marito obtemperandũ. Quã quæſtionẽ quoniã difficiliorẽ quarundã mulierũ improbitas & cõtumacia reddidit, explicabo paulò fuſius,quod ſit imperiũ uiri in uxorẽ.Et in rebus quidem aut honeſtis,aut quę nec uitioſę ſunt ex ſe,nec probę, nihil ambigi debet,quin mariti iuſſa debeãt eſſe uxori uice cuiuſdã diuinę legis.Maritus enim Deo ſuccedit in terris,& poſt diuinam illam maieſtatem ipſe ſolus uxori refert omnes omnium charitates, cultus, maieſtates.Idcirco ſi quid eſt,quod Deo uelit uxor dare, nõ iuſſa à Deo, marito non permittente,dare nec debet,nec licet.Quid eſt magis uxoris,quàm corpus,quàm animus? at nec in corpus ſuũ poteſtatẽ habere maritã fœminã,teſtificatur diuus Paulus. Nec cõtinentiam offerre poteſt Deo,nõ dico inuito marito,ſed nec inſcio.Quocirca ſi,quum maritus tuo egeat miniſterio,tu uelle te non dico ſaltare,aut ire ad publicos ludos,aut ad conuiuia,aut deliciatum reſpondes (nam hoc planè ſcortorum eſt) ſed orare, ſed templa circumire: ſcias & ingratas tuas preces Deo futuras,nec te in tem-

plo Deũ inuẽturã. Vult te Deus orare, ſed negocijs cõiugis liberã. Vult ſua tẽpla inuiſere, ſed quum nihil eſt quod domi maritus tui indigeat. Hæc enim cõiugalia ſunt, quæ poſuit Deus in officio cõiugis. Accedere iubet ad aras ſuas, ſed placato prius amico: quanto magis placato prius omniũ mortaliũ amiciſsimo marito? Quid tu mihi ſacra, quid tẽpla uiſis, quũ aliud uir tuus aut expreſſe iubet, aut tacitè poſcit? Tu in tẽplo quæris Deũ, quũ cõparẽ tuũ à Deo tibi ſociatũ uel ægrũ domi relinquas, uel eſurientẽ? Circa eius lectũ ſunt ſacra omnia, ibi aræ, ibi Deus, ubi pax & cõcordia & charitas: inter eos præcipuè, qui his cõglutinati rebus indiuidui eſſe debẽt. Deum facilè tibi amicũ reddes, ſi hominẽ reddideris. Non eget noſtris miniſterijs Deus. pietatem ſibi uni, & ſupremũ cultũ reſeruauit: obedientiã poſtulat, nõ ſacrificiũ. Cætera propè hominibus hominũ præcipit cauſa, ut inter ſe cõcorditer atq; amicè uiuerẽt. Hoc docet, q; toties mutuã charitatẽ inculcat, quòd eis quos in regnũ ſuũ admittit, pro beneuolentia in homines ſuã beatitudinẽ repẽdere ſe profitetur. quos reijcit, hoc nomine deteſtat, quòd benefici in homines, & beneuoli nõ fuerint. Facile recõciliatur Deus, ſi recõcilies hominẽ. Nec ulla eſt expeditior uia ad gratiã Dei, q; per gratiã hominũ. Itaq; magna ſe ſacra facere putet mulier, quũ marito inſeruit: magnas ædes ſacras circumire, quũ mariti lectũ. Quanq; ſunt nõnullæ, quæ quãlibet affectis maritis templa ſua nõ relinquerẽt, haud æquè pietatis gratia, quantũ (ut equidẽ arbitror) uel conſuetudinis, uel oblectationis. De iſtis quid opus eſt diſputemus? Illas uerò quas ducit religio, Paulꝰ hũc in modũ admonet: Virgo cogitat quæ ſunt Domini, quomodo Deo placeat. mulier cogitat quæ ſunt uiri, quomodo uiro placeat. Non tollit curã religionis in cõiuge, ſed oſtẽdit minorẽ iam eſſe: quòd uirgo tota ſit domini, deq; illo ſolo uacet ei cogitare: marita diuiſa inter Deũ & uirũ, ut quã totã prius occupabat contẽplatio uitæ cœleſtis, ea nunc ad curas uitæ huius deſcenderit, ppter uirũ. non q; iſta ratio à Domino aliena ſit, quã ipſe idem cõſtituit: ſed altior erat altera, & Domino propinquior. Placet quidẽ uxor Domino, ſed per uirũ mediũ: quia marito ſtudet ſatisfacere, quem præfecit Dominus. placet uirgo, & uidua ſine uiro, & quaſi ſine interprete. diſtinctæ ſunt earũ cogitationes, ut Marthæ & Magdalenæ diſtincta opera, non per cõtrarietatẽ, ſed p gradũ: ut excellẽtiora ſint uirginis, quàm maritæ. Ergo pietatis in muliere maxima pars eſt, cura et miniſteriũ cõiugis. Neq; uerò exiſtimet quis Apoſtolũ, quum ait, Mulier cogitat quæ ſunt mariti, quid fieri ſoleat, non quid debeat, innuere. Neq; enim Paulus in cõſuetudinẽ adducit res prauas, nec feneſtrã illis aperit, qua ſeſe ingerãt. quid quòd nec omnes uirgines cogitãt de Domino, nec omnes uxores de maritis? Docet nos ergo, qd oporteat & uelit in utriſq; fieri, ut quã prius in cœlibatu cunctã eſſe in cogitatione de Domino par erat, ea nunc de contemplatione illa detrahat, quod impẽdat cõiugali miniſterio: alioqui nec Paulo magiſtro, nec Chriſto Domino ſatisfactura: & amiſſura religionẽ in ea ipſa religione, quã captat. Idẽ Apoſtolus ſcribẽs ad Timotheũ, de mulieris officio illud poſuit: Mulier in ſilẽtio diſcat, cum omni ſubiectione. docere aũt mulieri nõ permitto, neq; dominari uiro, ſed eſſe in ſilẽtio. Et ad Corinthios: Mulieres ueſtræ in eccleſia ne loquantur. ſi quid uerò dubitãt, domi uirũ quæq; ſuum roget. Quę mihi profectò lex eò uidetur ſpectare, ut diſcat mulier à marito, & in rebus incertis ſententiã illius ſequatur, & eadẽ credat quæ ipſe. Quòd error marit⁹, ſolus in culpa eſt, uxore innoxia: niſi fortè manifeſtiora ſint, quàm quæ ignorari ſine noxia non poſsint: aut aliter doceant ij, quibus fidem habere etiam à marito conuenit. Impia enim, ut maximè maritus imperet atq; exigat, facienda non ſunt, ſi ſcias eſſe talia. Et unus agnoſcendus uiro ſuperior, uiro charior, Chriſtus. Caput quidem mulieris uir, at uiri caput Chriſtus. Plurimæ ſanctæ mulieres noſtrę religionis, etiam à maritis ſuis ſupplicio affectæ ſunt, quòd Chriſti præcepta contra uoluntatem eorum ſequerentur. Cauendum tamen, ne temerè, & ex cuiuslibet ſententia de pietate mariti ſtatuas: grauius eſt hoc, quàm ut cuiuſuis iudicio credi debeat, quod eſſet in uniuerſo genere humano ampliſsima diſſidiorũ materia. Vetabat olim Apoſtolus, ab impio marito uxorem diſcedere, niſi ille ſineret. tantum eſt uidelicet coniugij uinculum, ut nec pietas diſſoluat, Paulo autore, niſi impietas permittat. Quid in utroq;

Chriſtiano,

Christiano, utroq; pio statuendũ est? quomodo in bonũ uirũ affectã oportet esse uxorem? Equidẽ prætermittere nec uolo, nec debeo, de uxoris officio grauissima monita, quę sunt in Oeconomicorũ uolumine posteriore, quod Aristotelis nomine inscribitur. Existimare (inquit) probã mulierẽ decet, mores uiri legẽ esse uitæ suæ, à Deo sibi impositã, per cõiunctionem matrimonij, atq; cõsortij. Quos si quidẽ æquo tulerit animo, perfacilè reget domum: sin contrà, difficilius. Quapropter decet nõ solum in prosperis rebus, secundaq; fortuna, unanimẽ se uiro præstare, et inseruire uelle, uerumetiã in aduersis. Si sit in rebus defectus, uel corporis ægrotatio, uel alienatio mentis, æquo ferat animo, & obsequatur: nisi fortè turpe aliquid sit, & indignũ. ne si quid perturbatione animi uir deliquerit, memoriter seruet: sed affectui ignorãtiæq; adscribat. nam quãto in his diligẽtius obsequetur, tanto illi maiorẽ gratiã habebit, quũ animi perturbatio erit sedata. Et si iubẽte eo id turpe nõ prouenerit, melius recognoscet ad sanitatẽ reuersus. Quapropter ab his cauere debet mulier: in alijs multo magis obtẽperare, quàm si empta uenisset in domũ. Magno enim precio empta fuit, societate: magno precio, uitæ & procreationis liberorũ: quib. nec maius, nec sanctius quicquã inueniri potest. Præterea, si cum fortunato uixisset uiro, nõ usq; adeò uirtus eius enituisset. Nam est sanè parũ, secundis rebus bene uti. Attamẽ aduersas moderatè perferre, multo maius est existimandũ. Nam in magnis calamitatib. & iniurijs nihil abiectè facere, excelsi est animi. Precandũ est quidem, ne quid tale accidat uiro. Quòd si quid accidat aduersi, putare debet hinc optimã sibi laudẽ, si rectè gesserit, peruenturã secũ ipsa reputãs, quòd nec Alcestis tantã sibi gloriã cõparasset, nec Penelope tot tãtasq; meruisset laudes, si cum fortunatis uiris uixissent. Verùm Admeti & Vlyssis aduersitates parauerũt illis memoriã sempiternã. In aduersitatibus enim uirorũ suorũ fidem ac iustitiam erga illos seruantes, gloriam non immeritò sunt consecutæ. Nam prosperitatis quidem facilè est reperire participes: aduersitatis uerò, nisi quæ optimę sint, mulieres participes esse renuunt. Ob quæ omnia multo magis decet uirum in honorem habere, nec illum contemnere. Hactenus Aristotelis uerba.

DE CONCORDIA CONIVGVM.

PErcensere concordiæ bona, & quemadmodũ uniuersa quæ in mundo sunt, atq; adeò mundus ipse, pace ac cõcordia cõsistat, infinita res esset, nec loci huius. De matrimonio est nobis sermo institutus. dico maximã eius tranquillitatem, ac perinde fœlicitatis partem esse, concordiã: maximã tempestatẽ, ac miseriæ partem, discordiã. Pythagorici, inter magistri Pythagoræ præcepta illa ex primis tenebant, ab ipsis sæpenumero usurpata: Fugienda & abscindẽda sunt prorsum, languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à uentre, à ciuitate seditio, à domo discordia, & in uniuersum à cunctis rebus intemperantia. Vlysses apud Homerum Nausicaæ Alcinoi filię uirum & domum optat, & cõcordiam: quo nullũ melius est in uita bonũ, aut magis expetendum. Nam quum cõcorditer uir atq; uxor degunt, multos inimicis dolores afferunt, multa amicis gaudia, & primũ omniũ sibi ipsis. Sic ille. Quàm fortunatũ coniugiũ putamus fuisse Albutij? qui cum Terentiana sua uigintiquinq; annos egit, sine aliqua uel leui offensione. Quãto fortunatus Pub. Rubrij Celeris? qui cum Ennia quatuor & quadraginta, absq; ulla querela. Oritur ex discordia dissensio, rixa, iurgiũ, pugna. Querulæ sunt pleręq; fœminę, & difficiles: quumq; subinde leuissimis de causis obiurgẽt maritos, res exit in maximas animorũ offensiones. Nec aliquid est, quod ita alienet uirũ ab uxore, ut crebra rixa, & uxoris lingua amarulenta: quã Salomon tecto in hyeme perstillanti assimilat, quoniã utraq; res uirũ domo expellit. Idem satius ait esse, habitare in deserta terra, quàm cum uxore litigiosa & iracunda. Hoc beneficium cõferunt in omnes quædã intolerabiles, ut nulla ferenda uideatur. hinc Caij interpretatio, Cœlibes quasi cœlites: & gręcè ἠιθέους, quasi ἡμιθέους, hoc est cœlibes semidei. Tum dictum illud, Qui non litigat, cœlebs est: ceu omnes coniugati litigent. Eadem res quieta pleraque ingenia, & rixarum inimica, ab uxoribus ducendis absterruit. multa etiam in opprobrium sexus propterea conscripta, immeritò utiq;, & olim quæsita, atque acriter exercita diuortia, quæ hodieq; in Christiano populo desiderantur à

plurimis,quòd dicãt se usuros cõmodis magis uxoribus, si illæ sciant se posse pelli,ni morigeræ sint & tractabiles. In qua mea sententia uel uiri falluntur, uel mulieres sunt stultissimæ,quæ nõ reputãt, tanto obsequẽtiores debere se uiris præbere,ut iucũdius uiuant cum ijs,à quibus nulla ratione separari queant:neu perpetuã necessitatẽ in miseriã uertãt,quã exuere nunquã possint.Multũ enim positũ est in uxoris manu,ut cõcordia sit domi.Nam uiri animus minus est irritabilis : nec in genere modò humano, sed in cunctis animantibus,sicut Aristoteles inquit. Mares ut animosiores sunt,& ferociores,ita simpliciores etiã,minusq; insidiosi,nẽpe generosioribus animis præditi: fœminæ contrà malicioſiores,& suspicionibus atq; insidijs magis intentæ.Quo fit,ut infirmissimis quoq; cõiecturis pertrahãtur, & lædi se quãlibet leui ictu putẽt animi tenelli:ideoq; crebrò expostulẽt,uirosq; indignitate querelarũ accendãt. sed facilior reconciliationi uir, quàm fœmina:sicut inter uiros, ut quisq; maximè muliebri est pectore,minimeq; generoso,ita est iniuriæ retinentissimus,& pertinacissimè uindictam expetit,nec mediocriter se uindicasse cõtentus est.Erat Romæ sacellũ in Palatio deæ cuiusdã,in quo,si quid domi inter cõiuges inciderat iurgij,locuti quę uolebãt,reconciliabantur.Dea hæc Viriplaca nũcupata est:quæ nomine suo admonebat, nõ uxorẽ à uiro placandã esse,sed uirũ ab uxore. Etiã in mariti culpa, nulla tua, abs te tamẽ,qui in illius es manu ac potestate,initiũ est captandũ recõciliandæ gratiæ. quãto magis,si in te hæreat culpa aliqua,summissione,blandimentis, pœnitẽtia maritus est delinien dus:Et quanquã optima pars eorũ quæ diximus, ad cõcordiã spectet, tamẽ propius huc quædã afferemus. Vnũ illud est ad concordiã præcipuũ & efficacissimũ,si amet uirũ uxor.Ea enim est amoris natura,ut amorẽ eliciat.Nec mirentur quædã,se à maritis amari,quũ ipsæ affirmẽt,se amare illos.uideãt,ne nõ æquè amẽt,ut præ se ostentãt. Ament uerè,& amabũtur.nam ficta,simulata,adũbrata,tum ipsa se aliquãdo tandem prodũt:tum nõ easdẽ,quas ueræ germanæq; res & expressæ,uires obtinẽt.Porrò si ament se mutuò uir & uxor,idẽ uolẽt,idẽ nolẽt:quæ demũ (ut inquit ille)firma amicitia est. Discordia et dissensio nulla esse inter eos poterit,in quib.idẽ est cor,nõ diuersa cupiens:eadẽ sentẽtia,nõ diuersa sentiens.Blanca mater mea,quũ in cõiugio sedecim egisset annos,nunquã à me uisa est rixari cum patre,aut in cõtrariũ uolũtatis illius tẽdere:eadẽ illis erat omnino mens,& affectus simillimi.Sed de matre mea, alius erit fusius dicendi locus cõmodior.Porrò quòd nõnullæ,quũ imprudẽtius amẽt,ad infringendã cõcordiã impetu rapiuntur,aliquot præceptiunculis promouenda est eorum prudentia,& uehementia retardanda.Præcipuũ est omniũ,si cõtinuerint animũ, hoc est affectũ & perturbationẽ,quę imbecilles fœminarũ animos maiore turbine & corripit,& secum trahit:utpote quę minore robore possunt obsistere.Erit ergo in mulie bri animo magna modestia,et eam operibus exeret,ac patefaciet.Iterũ admonẽda est, imò sæpe,ne aliquid agat,ut agere uideatur.Nam id inefficax atq; infirmũ est. Sit qualis uideri uelit:eo facilius,& certius & uerius uidebitur.Nec putet se simulatione imponere oculis omniũ posse . Non sunt homines stipites, aut saxa,qui rem fucatam fictamq; discernere à uera & genuina nesciãt.Adde,quod ut spectantes fallant,non tamen rerũ ipsam naturã fallent,quæ nõ eandẽ energiã atq; efficaciã rebus falsis adumbratisq; indidit,quã natiuis & solidis.Experiãtur hoc in seipsis,reputent cum animis suis,num modestas putent eas,quæ modestiã imitantur,quũ non habeãt. Num reda ment eas,quæ se illas amare falsò asseuerant . Proderit & illud nuptæ exhibere consilium,quod Lollio prudens poëta Horatius de amico, ut se amici moribus actibusq; accommodet.ille uenari si uolet,ne tu poemata cõponas,sed ut excussis camœnis sequaris iumenta retibus onusta,& canes. Fratres erant Amphion & Zetus ex Antiopa,& quidẽ gemini:prior lyra doctissimus,Zetus rudis.quumq; parũ lyræ sonus placeret Zeto,& uideretur ea causa germanorũ discindi gratia,Amphion lyrã posuit.sic uxor attemperet se mariti moribus ac studijs,ne illa oderit,aut aspernetur.Andromachen Hectoris cõiugẽ memoriæ mandatũ est,ipsam suis manibus fœnũ & auenã Hectoris equis præbuisse,quòd maritus illis delectaretur,& in bellorũ usum accuratissimè ac indulgenter aleret.Cæcilius Plinius amasse uxorẽ se unicè multis epistolis suis declarat,

declarat,inter quas est quædam ad Hispulam uxoris amitam,quę illam educarat.his literis tum agit illi gratias,quòd talẽ formarit puellã:tum causam,cur tantopere uxorem amet,aperit,sic de illa scribens:Amat me,ꝙ castitatis indiciũ est: accedit his studium literarũ,quòd ex mei charitate concepit.Meos libellos habet,lectitat,ediscit etiam.Qua illa sollicitudine,quũ uideor acturus:quanto,quũ egi,gaudio afficitur?Disponit qui nunciẽt sibi,quem assensum,quos clamores excitarim,quem euentũ iudicij tulerim.Eadẽ,si quando recito,in proximũ discreta uelo sedet,laudesꝙ nostras auidissimis auribꝫ excipit.Versus quidẽ meos cantat,formatꝙ cithara,non artifice aliquo docẽte,sed amore,qui magister est optimus.Nuper quum Lutetiæ Parisiorũ essem,cõuenissemꝙ Gulielmũ Budæũ domi suæ,præterijssetꝙ per impluuiũ,qua nos deambulabamus,uxor eius formosissima,& quæ (quantũ ex facie & totius corporis habitu planè heroino cõiectare poterã) proba cum primis & prudẽs mihi materfamilias visa est:ubi maritũ ea qua decebat reuerẽtia,me etiam comiter atꝙ honorificè salutasset,rogaui ex illo,num esset eius coniunx:Hæc est,inquit,cõiunx mea,quæ mihi sic morẽ gerit,ut non tractet negligẽtius libros meos,quàm liberos,ꝙ uideat me studiosissimũ.In quo hæc mea sentẽtia maiorẽ etiam laudẽ meret,quàm Pliniana,ꝙ literas nescit,quũ illa sciret.Quanto hæc prudẽtius & honestius,quàm quæ uiros ab studijs literarũ,ab honestis artib.retrahũt ad quæstũ,ad lusus,ad uoluptates adhortãtur ac propellũt,ut ipsæ etiam in partẽ ueniant uel lucri,uel lusus,uel deliciarũ,quoniam cõmunicari secum posse studia desperãt? stultæ ignorãt,quanto solidior & uerior est uoluptas ex gloria,quod maritis fruant sapiẽtibus,quàm opulẽtis aut delicioſis:tum quanto & cõmodius & iucundius cum sapientib.uiris uitam degãt,quàm cum stultis,uel cum ijs qui sapiẽtiæ frenos affectibus suis non iniecerũt:quos passim excitatæ in animo perturbationes cunctos abripiũt, & transuersos longissimè à recto & iusto euehũt.Nec solum nõ studia,sed nec tastidiet in marito quicꝙ,non uerbis,nõ oculis, non gestu,nulla denicꝙ significatione.Omnia diliget,omnia admirabitur,omnia colet,omnia assentietur,habebit quiduis dicenti fidem,etiam si narret ueri dissimilia & incredibilia.omnes illius uultus sumet,ridẽti arridebit,mœsto se præbebit mœstam, seruata semper autoritate matronalis integritatis ac uirtutis: ut magis illa ex amico proueniant animo,quàm adulatorio.Nec se marito ulla in re præferet,illum patrem, illum dominum,illum maiorem, potiorem, meliorem se & putabit,& præ se feret,& profitebitur.Quî poterit cõstare amicitia,& amor,si diues ipsa cõtemnas maritũ paupere,si formosa deformem,si nobilis ignobilem?Satyricus inquit:

Intolerabilius nihil est,quàm fœmina diues.

Idem diuus Hieronymus in Iouinianum. Theophrast.quoꝙ, diuitem uxorem ferre tormentũ esse (ait) non credo,nisi addant malam,aut insipientẽ.Nam quæ malùm dementia est,non cõsiderare,quàm leuis res est pecunia: ut est ultimũ ex ijs,quæ solent hominib.spiritus tollere? Sed in multis leues & inanes animi,tenui aura intumescũt. Fatua,num non coniugiũ omnia reddit cõmunia? Si amicitia fiunt omnia cõmunia, quanto cõmuniora matrimonio? nõ solum pecuniæ,sed amici,propinqui,nihil non. Quod Romani,sicut Plutar.inquit,suis legibus declararũt:quibus uetabãt,inter cõiuges dari aliquid,aut accipi,ne quid distinctũ & propriũ esse alterutrius uidereẽt.In optima repub.ut docet Plato,meũ et tuũ auferri decet. Quanto magis in optima domo? quæ tum demũ optima et perfectissima est,ac ea de causa fœliciſsima,quum sub uno capite non est nisi unũ corpus.Nam si uel plura habeat capita,uel corpora,monstrum est.Quid dicam? nihil esse uxoris,uiri omnia? Vt iuxta Plutarchi similitudinẽ, uinũ dilutũ,etiã si plus infusum sit aquæ,quàm uini,uinũ tamẽ dicitur: ita quãtolibet plus attulerit fœmina,quàm uir,huius tamen reddũtur omnia.An non is cuncta possidet,quæ sunt fœminæ,qui fœminã ipsam possidet? quiꝙ eius est dominus? Atqui audis à Deo,& conditore omnium Domino: Sub uiri potestate eris,& ipse dominabitur tibi.Idcirco nec de forma cõtemnendus est maritus.habes tu formam in corpore tuo mulier: at maritus & formã tuã,& te possessiõe sua.Non disputo primùm, ꝙ exiguũ ac tenue sit hoc formæ munus,ut cõstet opinionib.Eadem alijs speciosissi-

ma,alijs deformiſsima uidentur. quàm fluxum & fragile, quantis caſibus obnoxiũ, quàm fugax. Vna te febricula,unus næuus,unus pilus deformiſsimã poſſet ex ſpecio ſiſsima facere.Et hoc quiddã neſcio quid tam leue,tam euanidũ,mirum quantopere ſtulta et inania corda tumefaciat atq; attollat,ut uentus utrẽ. qua de cauſa Poeta ille dixit:Sequitur ſuperbia formam.Sed in uiris nemo requirit illam formę gratiã,in mu lieribus decere putant.Et tamen legis à ſapiẽtiſsimo rege dictũ,Fallax gratia,& uana eſt pulchritudo : mulier timens Deum,ipſa laudabitur. Deniq; ſi eadẽ eſtis caro,ſeu idem potius homo,tu et maritus:utiq; deformis eſſe nequit,cui eſt pulchra uxor.Sed quorium de pulchritudine ſpectat factatio : quaſi neſciamus quamlibet ſpecioſum corpus fœminę,nihil eſſe aliud quàm ſterquilinium candido & purpureo uelo oper tum? ſi illud formoſiſsimum Alcibiadis corpus introſpici poſſet,dixit Philoſophus neſcio quis,quàm multa in eo apparerẽt tetra & abominãda? Nobilitas (ut inquit il- le) ſola eſt atq; unica uirtus. Taceo ut ſtulta res ſit hæc,quam nobilitatẽ appellamus: bello,crudelitate,latrocinijs,fraudibus,ſpoliationib.parta & cõſeruata,cuius opinio alitur à magno erroris magiſtro populo . Sed quantumuis nobilis,ſi ignobili nubas, ignobilior eo redderis.Non eſt uxor marito nobilior:nec in humano genere contin- get,quod in nullis animantib .Filij patrẽ ſequũtur gentiũ omniũ ritu, nempe potio- rem.Quòd ſi tu nobiliſsima es,maritus tuus aut nobiliſſimus ſit per te,aut tu ignobi- lis per illum.Iure ciuili mariti dignitatẽ tribuũt fœminis, non patres.ita ut clariſsimæ non appellẽtur,quæ clariſsimis ortæ patribus,plebeis nupſerũt.Declararunt hoc pa- triciæ mulieres Romanæ,quæ Virginiam patricijs ortam parentib. quia plebeio de- nupſerat,ſacello pudicitiæ patriciæ exegerũt,plebeiã eſſe dictãtes,non patriciã.neq; id ipſa inficiata eſt:nec pudori ſe eſſe plebeiã duxit,nec præ illorũ patriciatu plebem ſuam cõtempſit,nec erubuit uocari Virginia Lucij Volumnij.Cornelia Scipionis fi- lia quũ in domũ ueniſſet amplã illã quidẽ,multisq; clarã honorib. ſed plebeiã tamẽ, & quę cum paterna cõparanda nõ eſſet:ipſa ex Cornelia gente,Romæ omniũ facile principe,& ex ea gente familia primaria Scipionũ,filia Scipionis illius Aphricæ do- mitoris,principis ſenatus populi Rom.et omniũ gentiũ,filia Tertię Æmilię,ex Æmi lio genere Romæ & toto orbe illuſtriſsimo,tanta maiorũ omniũ & paternorũ & ma ternorum gloria,claritate,ſtemmatis:maluit tamen ſemper Cornelia Gracchi nomi nari,quàm Scipionis:irata etiã pleriſq;,qui honoris ut putabãt gratia,Scipionis co- gnominabãt.Marſippa,ut ſcriptores Græci tradunt,Idam maritum,hominẽ morta- lem,Apollini deo (ut credebant) immortali prętulit.Soror prioris Dionyſii tyranni Syracuſii Theſia,Philoxeno nupta,quũ Philoxenus molitus quiddã aduerſus Dio- nyſium,è Sicilia profugiſſet,accerſita à Dionyſio fratre,& caſtigata,quòd fugam ma riti nõ ſibi detexiſſet:Quid tu,inquit,tam degenerẽ me et abiectã putaſti uxorẽ,ut ſi de mariti ſciſſem fuga,nõ illum fuiſſem ſecuta,& ubiuis gentiũ maluiſſem Philoxeni exulis uxor dici,quàm hic in patria Dionyſii regis ſoror?Hunc tam ſanctũ,tam gene roſum animũ Syracuſani admirati,poſt exactos tyrannos,& uiuam coluerũt,& om- nibus bonorũ generib.,pſecuti ſunt mortuã. Vxor Maximiliani Cæſaris Maria,quũ ei hæc Gallia Belgica patris Caroli hæreditate obueniſſet,Galliq; Maximiliani ſim- plicem & manſuetũ animũ paruifacerẽt,ad Mariam tanquã principẽ de rebus omni bus ditionis referrẽt,nihil illa pro poteſtate unquã ſtatuit incõſulto uiro,cuius uolũ- tatem ſemper pro lege habuit,et poterat abſq; mala uiri gratia omnia adminiſtrare ſo la pro arbitrio,nihil nõ permittẽte Maximiliano, & ex miti animo ſuo,& uxori cha- riſsimæ ac prudentiſsimæ,& indole illius.Ita Maria uirũ in maximã autoritatẽ breui adduxit,plurimũ ei tribuẽdo:ditioq; audientior fuit principibus geminata reueren- tia,& quaſi utriuſq; maieſtate ab altero fulta & ſuſtentata. Non debet prudẽs mulier dotem ſuam exiſtimare,quam in domũ mariti inferat pecuniã,uel ſpeciẽ,uel claritu dinem proſapiæ : ſed pudorem,pudicitiã,probitatẽ,obedientiã uirilis imperij,ſedu lam curam liberorum ac domus.ampliter dotata uenit,quæ ſic eſt inſtructa.Alioqui cõuiciũ adfert,nõ connubiũ mulier,quę fortunã habet qua inſoleſcat:nõ habet qua regatur,uirtutem.Alcumenæ apud Plautum hæc ſunt ad Amphitryonem uerba:

Non

Non ego illam mihi dotem esse duco, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatam cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam:
Tibi morigera, atq; ut munifica sim bonis, prosim probis.

Hęc in animo. Nunc freni sunt linguę adhibẽdi, quos facile frenatus animus inijciet. Nam quòd sunt impotenti lingua pleræq; fœminarũ, id ex impotentia proficiscitur animorũ. Totas enim occupat ira, & abripit, nec quicquã illis sui iuris relinquit. Hinc in iurgando nec modus, nec ratio ulla conuiciorũ, quũ nullus sit rationi, nullus iudicio locus: omnia ignis accenderit, & sua fecerit: nempe fomenta facile nactus, in materia molli ac tenera, & proinde ardori apta. Vnde rabies effusissima tũ affectus, tum linguæ, quam sæpenumero miratus sum in probis: & in quibus nec pudicitiã, nec pudorem, nec sanctitatẽ, nec alias magnas præclarasq; uirtutes desiderarẽ, coactus sum modestiã & temperationẽ iræ linguæq; desiderare, nõ sine meo etiã pudore: quum tamen nihil ad me de toto iurgio pertineret, quòd erat inter alienissimos: si quid modò quod Christianorũ sit, alienũ esse Christiano potest. Quocirca ut difficillima, ita pulcherrima præstantissimaq; erit uirtus fœminæ coercere linguã. quod nõ erit operosum efficere, si se habuerit in sua potestate: si se munierit, & cõfirmarit, ne perturbationibus se tanquã tẽpestatib. auferendã permittat. Illud in primis, dum quieta est, dum sana, dum sobria, & sui iuris, sæpe cogitet, & obstinet animo, ne si in rixã cum marito incideret, probrũ aliquod obijciat graue, uel generis, uel corporis, uel animi, uel uitæ, quo sciat illũ male uri: nusquã quidã, sed minimè omniũ corã ijs, à quibus ipse id ignorari uehemẽter cupiat. Nam hac cõtumelia irritato, difficilior erit deinceps recõciliatio. quinetiã recõciliatus, quoties ei maledicti illius in mentẽ uenerit, nõ æquis unq; oculis uxorẽ aspiciet. Iam apud Deum quanta offensa? Dominus in Euangelio Matthæi ait: Quisquis indignatus fratri suo in uocẽ affectionis proruperit racha, ceu quis dicat, at tu, reum fore cõsilio: quisquis Fatue, reum gehenna ignis. Nunc ipsa reputato, quid fiet tibi, qui maximũ aliquod maledictũ, non in fratrem modò, sed in patrem, in Dei (quantũ ad te attinet) uicariũ, in omnes cõsanguineos ieceris? Iactum uerò in te à marito, caue ne memoriæ adhęreat, patiẽter perferto, & magnã apud eum iam sedatum gratiã ista tolerãtia inieris, indomitumq; illius animũ in bonã uertes, utêrisq; posthac mitiore ac cõmodiore. Terentius mores hominũ fabulis suis exprimens, de puella pudica inquit: Hæc uti liberali esse ingenio decet, prudens, modesta, incõmoda atq; iniurias uiri omnes ferre, & tegere cõtumelias. Has ob causas redditus est uxori mariti animus, à qua erat alienatus. Hoc idem est sapientis apud Senecã tragicũ nutricis consiliũ, quod illa Octauiæ Neronis dabat: Vince obsequendo potius immitem uirum. Estis quidẽ uos fœminę tenero corpore, imbelli. accedunt his quotidiani penè labores è sexu, menstruorũ fastidia, molestiæ uteri, pericula enitendi: planè estis cõditione digna quã miserentur mariti. uidete ne importunitate uestra excutiatis ex maritorum animis misericordiam uobis debitam, ut miserabiles non sitis, quum tamen miseræ. Nec beneficiũ aliquod tuum exprobraueris marito, quę res etiam inter alienos odiosissima est, & debitam gratiã pro beneficio amittit, qui exprobrat: quippe excussit eam ex animo alterius. Adde, quòd si rectè expenderis, beneficiũ non potest tuũ existere in maritũ aliquod: quippe cui tantũ debes, quantũ patri, quantũ ipsi tibi. Nec genus, aut ingeniũ, aut dotes suas modesta fœmina crebrò commemorabit: quæ res molesta est, & fastidiũ solet uel marito amantissimo párere. Iuuenalis optare se dicit obscuram & ignobilem citius, quàm Corneliam Africani filiam, de cuius uirtute multa commemorauimus: si animos illi faciat paterna claritas. Sic enim ait:

Malo Venusinam, quàm te Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis uirtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, uictumq; Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.

Vir grauissimus Plutarchus præcipit, initio coniugij uitandũ omnem cõtentionis &

rixæ anſam,quũ nondũ ſatis cohæſit amor:tenerq; adhuc & fragilis quauis de cauſa diſſolueretur,haud ſecus quàm uaſa recenter ficta,quãlibet mediocri impulſu confringuntur.Nec iurgandum eſſe in lecto geniali,nam ubi ponent animorũ offenſiones,ſi locum illum ad reconciliationem maximè idoneum, rixis ſuis infeſtũ & odioſum reddiderint,ac uelut medicinam corruperint, qua illis animorũ morbis ſubueniri oportebat? Sunt & minutiora quæpiam,quibus uel confirmatur amor,uel luxatur:quæ uxor diligenter in uiro animaduertet,ut illius aptet ingenio ac uoluntati.Alia pro exemplis ſubijciam, unde reliqua intelligãtur. uelut quibus nam cibis, quomodo paratis,quomodo cõditis delectetur,à quibus abhorreat:ſalſa amet, an ſubfatua:calida an frigida:hoc genus carnium,piſcium,potionis,an aliud quoppiã:qua hora,quibus mantilibus,quibus mappis,quadris,patinis,ſcutellis, cucumis, ſalino,poculis,quemadmodũ poni ſibi menſam gaudeat,quos adhiberi cõuiuas, quales collocutiones,tum quomodo ſterni lectũ,quib.culcitris,ſtragulis,opertorijs,lintheis,puluinis:hinc in ſellis,in ſcãnis,in tota ratione uictus,ſupellectilis ac inſtrumẽti domeſtici,quæ ſunt muliebri curæ iniuncta & delegata.Sunt hæc quidẽ per ſe,ut dicebã,parua,ſed maximi interdũ apud humanos animos momẽti:qui nõ à magnitudine rerum cõmotiones accipiũt,ſed à ſuis ipſorũ æſtimationib.An nõ minutius eſt,prunã cultello diſſecari,lintheũ morderi,ſerrã acui,ſuẽ grunnire,& eiuſmodi tenuia & leuia quãplurima? at quàm multi hiſce rebus ita permouentur,& exhorreſcunt,ut mallent uulnus accipere,quàm illa perferre, occulto ſenſu peculiaris cuiuſdã naturæ. Quanti fecit Iſaac filij pulmentũ? ut hoc elicuerit ab eo benedictionẽ,maximã illo tempore hereditatem.Quis nõ audiuit odiũ coniugum ex mora prandij,ex frigidiuſculo iure,ex mantili ſordido conceptũ.exceſsiſſe in diſsidiũ & diuortiũ atrociſsimũ? Hęc eſt pręceptorum omniũ ſumma,ut uxor perſpectis magna cura & iudicio mariti moribus, talem ſe erga illũ præbeat,qualẽ uellet famulã ſuã eſſe in ſe,ſi eiſdem & uxor ipſa eſſet moribus prædita.Illud quoq; addendũ,crebras offenſiunculas amorẽ quamlibet radicatum & fixum commouere primùm,hinc nutentẽ iam facilè ſubruere. Olim hæc fuit regum ars,ut res gratas,& quæ beneuolentiã conciliarent,ipſi obirent per ſe, uelut munificentiã.largitiones,ueniã:triſtia uerò,amara,aſpera,per miniſtros, ſicut exilia,ſpoliationes fortunarũ.ſupplicia capitalia.Sic ferunt fuiſſe in Sicilia fœminam primariam,memoria patrum,quæ ſedulò animũ aduerteret,quid famuli ſui agerent gratum domino,idq; ipſa deinde exequebatur.mandabat uerò illis,quæ forent ſubaſpera & ſubmoleſta.Quo grauius caſtigandæ ſunt mihi uxores Belgicæ,quæ maritis,cũ leuare uolunt feſſum animũ,& Genio indulgere, ſegniter malignęq; quæ ſunt opus ſubminiſtrantes,abigunt eos domo, tanquam ex ſolitudine: illi uerò in ceruiſiariam aut uinariam cauponam ſe recipiunt,nactiq; ibi ad rem omnem ſodales commodos, & rerum omnium paratam copiam, facile in omne ſe uitiorum genus effundunt, ingluuiem,ebrietatem,aleationem,ſcortationem,deſidiam,relictis domi uxore & paruis liberis,eſurie confectis,ipſi cenſum uniuerſum uſq; ad tunicas & lectulos profundunt:domum auerſati,ut ſpecum aliquod,in quo fera beſtia incubet,nempe uxor inimica.Nec deſunt inter eas,quæ hæc omnia nõ inuitæ perferant,modò ne ſit ipſis manus uel ſupellectili uel operi culinario admouẽda:tãta eſt in illarũ pectorib.ſegnicies ac ſocordia,interdũ ,pteruitas quoq; & peruicacia,qua malũt perire ſe,quàm ſi ſemel indignari cœperint,uel minimũ de animis remittere in gratiã maritorũ .Itaq; ipſæ in cauſa ſunt,ut corrũpant maritorũ mores ſimul cum re familiari.uideasq; hic pleroſq; cœlibes frugi,maritos nequiſsimos ac perditiſsimos.At iſtæ adeò in reb. neceſſarijs tardæ ac deſides,dictu incredibile q; prõptæ diligẽtesq; ſunt in uagãdo, diſcurrẽdo, garriẽdo:in ſeipſis autẽ comendis & ornãdis,ſedulitate atq; induſtria incomparabili.

QVOMODO PRIVATIM SE CVM MARITO habere debet.

NOn fuerit alienũ iam hic differere,quemadmodum ſe in priuato & remotis arbitris cum marito geret. Sciat ante omnia ueteres illos, qui Iunoni nuptiarum pręſidi ac tutrici ſacra faciebant,nunq; immolata uictima fel reliquiſſe,ſed illud exemptum

ptum hostiæ post arã reijcere cõsueuisse:significantes, nec irã, ne amaritudinẽ aliquã inter cõiuges incidere oportere. Iidẽ Veneri deæ Mercuriũ adiungebãt,quasi lepõrẽ & suauitatẽ quandã in cõnubio,quippe debet uxor cõmoditate morũ,et sermonis lepõre,ac blanditijs coniugẽ delinitũ sibi copulare,arctiusq; in dies deuincire. Nihil enim est,quod ualidius ad se attrahat et rapiat,quàm dulcedo morũ ac orationis. Quid prodest mulieri ingeniũ & prudentia,nisi adsit lenitas & mansuetudo erga uirũ? nemo nõ malit cum cane suo cõuersari,quàm cum muliere importuna & feroci. Tenebit prudẽs mulier fabulas & historias & narratiunculas ut iucundas, ita etiã puras ac honestas,quibus fessum maritũ aut ægrũ reficiat,ac recreet. tum præcepto sapientiæ, quibus uel adhortetur ad uirtutẽ,uel retrahat à uitijs. Aliqua etiã grauiter dicta cõtra impetus assultusq; utriusq; fortunæ,quibus uirũ seu elatũ secundis rebus sensim demittat in planũ,seu abiectũ prostratumq; aduersis erigat,utrinq; aũt ad mediocritatẽ reducat. si qui in eo affectus tumultuãtur & sæuiunt,muliebrib. castis prudentibusq; lenimentis tempestatẽ illã mitiget,et sedet. Sic Placidia Theodosii filia,Athaulphum Gothorũ regem maritũ suum,Romanũ nomẽ delere molientẽ,à tam immani cogitatione,dulcedine orationis ac morũ suorum leniorem cõmodioremq; factũ,ad sanitatem humanitatemq; reuocauit. Multa sunt hac de re à diuo Ioanne Chrysostomo in Ioannis Euangeliũ cõscripta,quarũ hæc ferè est summa. Grande momentũ est mulier ad uirũ rectè admonendũ, & si qua inuaserit animũ illius tempestas, sedandũ. neq; enim maritus uel patri æquè,uel magistro auscultabit,ac cõiugi probę. Habet uoluptatem nescio quã,haud sanè exiguã,admonitio uxoria,quando quidẽ ex ingenti beneuolentia uidetur nasci. amat enim mulier hunc,cui cõsulit: nec aliter prospectũ ei cuperet,q; sibijpsi. Multosq; testimonij gratia possem adferre,ex immitib. uxorum opera mansuefactos. Verum enimuerò re est maritus admonendus,nõ inani uerborũ strepitu. id perficies,si te nõ uitiosam animaduerterit,nõ preciose indutam,nec superflua expetentẽ,sed cõtentã necessarijs. Quòd si uerbis quidẽ philosophere,actionibus autem longè aliud præstes,ilicet nugas ille tuas aspernabitur,& præcepta tua operibus tuis cõfutabit. Exempli causa: quum aurũ non quæres,nõ gemmas,nõ preciosam uestem,sed pro his modestiã ac charitatẽ indueris,& ab illo exiges,consulentẽ te feret. Nam si studendũ est ut uiro placeas,anima ornanda est,nõ corpus corrumpendum. Non enim aurũ uxorẽ efficit perinde amabilẽ,& desiderabilẽ,ut modestia, & pietas, & affectus,quo uitam pro marito impenderes,si esset opus. Corporis cultus marito sumptuosus est,& grauis: animus uerò ille gratus,sine sumptu. Hactenus ex Chrysostomo. Obseruanda sunt porrò admonendi tempora: neq; enim sunt omnia cõsentanea. Officiũ extra tempus,molestia est. Sigillũ molli cera imprimes, & monita molli animo: scilicet quum pectus illius nulla perturbatione agitabitur,seorsum et semotis arbitris. Vtere dexteritate ac suauitate sermonis: nec in consulendo sis immodica. facias loquendi finẽ,ante satietatẽ. tum rationẽ adijce,quamobrẽ sic suadeas. hæc enim nõ aliter quàm primę sagittę appositę,efficiẽt ut monitus tui altius in cor eius uibrentur. sermonis cõuersionẽ in rem aliquã facies iucundã,quæ totã superiorũ uerborum asperitatẽ,si qua fuit,leniat,tollatq;. Ipsa ad eum de curis tuis omnibus et cogitatibus referto,modò nõ friuolis,nec uirili aure indignis. Illũ unũ habebis sociũ,cõfabulonẽ, cõsultorẽ,magistrũ,dominũ: in illius pectus depones cogitationes tuas, & quicquid te angit,in illo acquiescès. Faciunt hæc ad amorẽ mutuũ, faciunt ad concordiã. quoniam quidem illos amamus natura, in quorũ pectus curas affectionesq; nostras uelut oneris partẽ deriuamus,quibusq; plurimũ fidimus. uicissim nos illi amant, qui se amari sentiunt,& sibi tantopere fidi,ut ad intimos etiã animi recessus admittantur,nihilq; sit illis in nostro corde tectũ & occultũ. Quam legem ne existiment fœminæ oportere sibi cõmunem ac parem cum maritis esse,nolint ipsæ omnia maritorũ cõsilia scrutari. Molesta est plerũq; illa curiositas,& suspecta de garrulitate,quę q; uirorũ animos quãdoq; exasperat. Habẽt quoq; mariti nõnulla,quæ nolint uxorib. esse cognita,sibi unis reseruãt. Apud Homerũ Iuno inquit Ioui,Ne tu mihi postmodum irascaris,si te inscio ad profundi Oceani ædes abiero. Iupiter uerò Iunoni: Noli mea omnia

consilia

consilia rimari,neu te cognitura speres.Quanq; sapiens mulier,quanta maxima pote rit uigilatia & sagacitate illud odorabit,num qua de se sinistra suspicio in animo mariti hæreat,num semẽ iræ & odij,nũ quæ reliquiæ,num uestigia.Si quid sit tale,nauet sedulã operam,ne sinat radices adolescere.facile glíscũt hæc leuibus de causis,et pernicioſa fiunt.Euellet blanditer,& satisfaciet marito.Citius inualescũt et occidũt incognita ac aperti morbi,q; qui se foras proferunt.Ne extorqueat,ne duriter attrectet,ne magis infigat,dũ reuellere conat:demet potius sine doloris sensu,hoc est,sine expostulatiõe,sine querelis .Nec putet sibi uel homines,uel deos unquã futuros ꝓpitios, nisi placato marito.Dominus in Euangelio ait:Si offers munus tuũ,et ad altare recordaris aliquid tibi offensiunculæ cum fratre tuo resedisse,posito ibi munere,euestigiò ꝓpera,ut fratri recõcilieris,ita demũ oblaturus Deo q̃d instituisti.Frustra Dei pacem imploras,nõ pacato amico:quanto magis cõiuge irato? Videat etiã atq; etiã,ut quæcunq; in cubiculo & ad sacrosanctũ genialẽ thorũ dicẽtur,agentur'ue, sacrosancta arcana existimet,maiore etiã premẽda silentio,quàm illa quondã Cereris Eleusinę, seu ut rectius et aptius dicã,quæ in aurẽ dicũtur sacerdoti à cõfitente.Quę insania est,efferre tam recõdita,tam reticẽda? Generosus et rectè educatus populus Athenienſis, bellũ cum Philippo rege Macedoniæ gerẽs,deprehẽsas illius ad Olympiadẽ uxorẽ literas resignare & legere nõ sustinuit:q̃d existimaret (id quod res habet)arcana coniugum sacra esse,nec fas euulgari,aut ab alienis nosci. ita obsignatas illas intactasq; in Macedoniã ad Reginam transmiserũt.Digna gens,quibus fidem et silentiũ conuiges omnes seruarẽt.Quòd si hoc illi fecerũt hosti armato,quanto cõgruentius est,te idem marito facere? Portia M.Bruti cõiunx,ultroneo uulnere cõstantiã suam exploraui t,an reticere magna secreta posset:& ubi uulnus se tacere & celare posse intellexit,tum ex uiro rogare est ausa,quæ nam animo tam anxius uolueret:cõsiliumq; Cæsarianę necis cõmissum sibi à Bruto,æquè tenaciter fideliterq;,ac quiuis cõspiratorũ, tacuit.Nec studebit solum illi amica uti sit semper,sed etiam ne alios & inimicos faciat,& in periculũ cõiiciat,susceptis simultatib.Neq; em ꝓ lenone utendũ ipsi est marito ad iniurias,si quas putat illatas sibi,ulciscendas:nisi periculũ sit pudicitię,quæ est fœminæ res omniũ precioſissima,sed neq; huic tamen erit,si nolit,& caueat.Verba si quis parũ honorifica dixerit,aut id fecerit q̃d tenerũ uideatur læsisse animũ,non protinus est ad uirũ accurrendũ,& igneis uerbis (qualia solet ira subminiſtrare) accẽdendum illius pectus,& armandę manus.Deuorabit hæc omnia proba mulier,& existimabit se tutam undiq; ac munitã,salua & intacta pudicitia,qua polluta nihil supereſt purũ.Erit in cõiugali cubiculo,ac lectulo maritali,non modò pudicitia,sed etiam pudor,ut uxorẽ se meminerit:in qua Plutarchus summũ amorẽ & summũ pudorẽ coniunctos esse uult,atq; complexos.Ferunt Persarum regum legitimas uxores cõuiuari quidẽ cum eis,et genialiter agere cõsueuisse,cœnis aũt lasciuioribꝰ. non admitti,sed psaltrias tantum & cõcubinas:eum honorẽ coniugio deferebãt.Nam ut princeps ille solitus erat dicere,Vxor dignitatis nomẽ est,non uoluptatis:sic maritus cõiunctionis,ꝓpinquitatis,unionis appellatio est,nõ libidinis,sicut est à nobis superius declaratum.Decet tamẽ uiros nec immodicis se immergere uoluptatib.nec cum alijs oblectare se,quàm cum proprijs uxoribus.Sed hic uiros nõ docemus, qui locus ad eos potius spectaret,ne ipsi libidinum et lasciuiæ suis uxoribus magistri essent,meminisſentq; sententiolæ illius Xysti Pythagorici:Adulter est in suam uxorẽ,omnis impudicus amator ardẽtior.& parerẽt apostolo Paulo præcipiẽti maritis,ut uxores suas tanquam uasa generationis possideãt in sanctificationẽ,nõ in cupiditates immoderatas atq; illicitas,q̃d gentiles faciũt,qui Deũ ignorãt.Sponsus in Canticis canticorũ,spõsam sororẽ suam uocat,quo puriorem denotet charitatẽ matrimonialẽ.Sed ad mulieres redeamus.Ipsæ pudicũ et sanctũ horum,spurcis et libidinosis actibus ne coinquinent.Honorabile cõnubiũ sit inter uos omnes,inquit idem Paulus,& thorus immaculatꝰ. Casta illa Spartana rogata,an accessisset unq; ad maritũ:Minimè uerò (inquit) sed maritus ad me.uidelicet pudica fœmina mariti libidinẽ nunquã irritarat,nec uenere usa erat,nisi ut coniugi obsecundaret.Zenobiam Palmyrenorũ reginam,scribit

Trebellius

Trebellius Pollio mulierē eruditissimam,& regni administrādi prudentissimā,ea castitate fuisse,ut ne uirum quidē suum nisi tentatis cōceptionibus nosset. Nam ubi semel cōcubuisset,à uiro abstinebat usq; ad tempus menstrui:si cōceperat, omnino secubabat,quoad peperisset:sin aliter,potestatē sui faciebat uiro quęrēdis liberis. Quis hanc credat nō modò libidini,sed uel mediocri uoluptati cōcubitum dedisse? Suspicienda & adornāda matrona,quæ nō plus muliebrib.ad libidinē sollicitabat, quàm pede aut manu.digna,quæ uel sine cōcubitu páreret,quæ tantùm in pariēdi usum petebat:uel sine dolore,quæ implebatur sine uoluptate. Plus præstitit nostra Christiana Ethelfrida Britannorū regina,quæ postquàm semel peperisset,amplius uiro suo congressa nō est. Quanto magis illa Edeltrudis,regina itidē eius gentis,quæ duobus ibi maritis nupta,utrunq; ad perpetuā castitatē induxit. Fuerunt & alia cōiugum paria, quę cōcubitus prorsum expertia uixere:uelut Henricus Bauarus Romanorum princeps cum Sinegunda,Iulianus martyr & Basilia.In urbe uerò Alexandrina Chrysantus ac Daria,et Amos cum uxore sua.Malchus itidē monachus,cuius uitam Hieron. retulit,cum conserua illa sua.Nimirum intellexerūt diuini homines,id quod à sapientissimis uiris traditū est,corporis uoluptatē indignā esse excellentia hac nostra,quàm per animi naturā possidemus.idcirco eo magis ab unoquoq; cōtemni,& reiici,quo quisq; largius de illa animi præstantia sortitus est,Deo propinquior:nō usurpari,nec crebrò ascisci,nisi qui animus parū generosus,humilis,abiectus,multū sordidę ac despicatæ naturæ traxit,minimū altissimæ illius. Vxores exutę supparis induite pudorem,& hoc naturæ honestissimū amiculum semper retinete interdiu,noctu,cum alienis,cum uiro,in luce,in obscuro:nunquā uos Deus,nunquā angeli,nunquā conscięntia uestra nudas pudoris tegumento conspiciat. Nihil fingi potest deformius,aut turpius uobis,sic renudatis. Grauis poeta Hesiod.ne nocte quidē mulieres interulam tunicam ponere uult,quatenus noctes etiam deorum immortaliū sunt. Rebecca filia Bathuelis,quum ad Isaac duceretur,cui erat nuptura,cumq; deambulantē offendisset in campo,rogauit,quis ille esset? ubi cognouit esse Isaac sponsum suum,continuò sese pallio operuit.prudēs uirgo,& probè instituta,alias omnes edocuit,primā ac precipuam uerecundiā marito deberi. Nam cui exhibenda est maior uerecundia,quàm cui maxima reuerentia?

DE ZELOTYPIA.

ZElotypiam ex Stoicorum sententia Cicero finit,ægritudinem ex hoc quod alter quoq; potiatur,eo quod quis concupiuit. Definitur etiam,metum esse ne quis tecum habeat commune,quod tuum unius uelis esse. Quibuscunq; explicetur uerbis,perturbatio est certè truculentissima,& planè tyrannus immitis atque impotentissimus:qui quamdiu in mariti animo regnat & sæuit,desperanda est uxori concordia.Præstaret utriq; mori,quàm alterum in zelotypiam incidere,sed uirum præcipuè. Qui cruciatus,quæ tormenta æquari possunt,tum agitato intemperijs zelotypiæ,tum ei de quo est ille metus? Hinc querimoniæ, expostulationes, clamores, odium sui & alterius,perpetua mali suspicio,rixa,iurgium,pugna,cædes deniq;.Nam & legimus,& fando audiuimus,occisas à plurimis coniuges suas,sola zelotypia percitis. Quo affectu feræ quoquè bestiæ nonnullæ grauiter tentantur.Leænam Aristoteles scribit à leone discerpi,si adulteratam deprehenderit.Cygnum fœminam multi uiderunt confectam à masculo,quod alterum marem secuta esset. Quocirca uiribus est uniuersis annnitendum,ne maritum eæ furiæ inuadant: si inuaserint,ut liberetur. Hoc unica ratione assequetur mulier,si nihil uel dicat,uel agat,quod in suspicionem rapi à marito possit: tanto minus,si natura sua sit suspicax. Bene Paulus,Hieronymus,Aristoteles,& alij magni ac sapientes uiri,nec malum agendum,nec quod mali habeat speciē. Graue hoc,inquis:nam quis possit etiam suspiciones regere? Tu multis modis.Primùm,si castè uixeris,& propémodū hac sola uia expeditissima. nam ueritatis parens est tempus,falsa tempus debilitat ac tollit,uera cōfirmat & corroborat, Si casta sis,et maritum habeas zelotypum,spera facile ac breui hanc illum animi perturbationem positurum. sin impudica,pro certo scito, non modò non deletum iri, sed inualituram indies. In summa, si mariti zelum innocens perfers, beata es: si nocens,

cens,misera.Amabis maritū,et nauabis operā,ut ille amari se sentiat,sed uide,ne id simulatè.nam eo magis & acerbius oderit,quo uiderit te simulare accuratius. Ficta enim nō modò,quò dirigūtur,nō proficiūt,uerū plerunq; in contrariū.Sæpius admoneo fœminas,& admonēdæ sunt sæpissimè,plus quàm uiri,ne se fallāt,existimātes nihil referre,agas ne aliquid,an uidearis agere.Imperitæ sunt,& stultę,si figmentis et fucis suis rerū se naturā mutaturas sperāt.Neminem ostendat se amare mulier,nō æquè modò ac uirū:sed nec alium,quàm uirū.Si quos amet alios,mariti amet gratia:aut ne diligat quidē,quamlibet marito charos.Nam plerique omnes uiri facilè patiuntur,gaudent etiam,ut cætera habeāt cum uxore cōmunia,amicos cōmunes nō habere.quod & uxoribus usuuenit de famulabus,& fœminis amicis suis.In publico gerat se maximo cum pudore,ne libenter seu uersetur seu colloquatur cum alienis uiris:nec cum mulierib.quæ de neglecta pudicitia malè audiāt.Lenæ uerò nec cōspectū sustineat: literas nullas uel det,uel accipiat,cōiuge inscio.De alienis uiris parcissimè loquatur: neq; formā,neq; dotem aliquā corporis eorū laudet,aut laudantē libens audiat,nec eos intētè spectet:nec illis præsentib.aliquid agat,quod indiciū possit cuiquā esse turpitudinis.quem uirū,quam mulierē nolet te maritus alloqui,eius omnino cōgressus & colloquia defugito:uel matris tuæ,si ita marito libeat.Quòd si ullū suspicacē esse noueris,nec apud eum,nec apud fratrē,aut filiū,aut patrē,aut propinquū pro uiro ullo intercedes:nisi is fortè cōsanguineus sit,uel adeò affinis ut nulla in negociū possit incidere sinistra interpretatio.Alioqui enim alia potius re quapiā suspicabitur adduci te,quàm benefaciēdi aut cōmiserationis studio,ut sunt semper suspiciones in peiorem partē credulæ: pro multis simul uiris tutius poteris,ut pro ciuitate,aut populo, aut prouincia,in quo iniqua interpretatio minus ualebit.Hæc omnia dicēda fuerūt, quandoquidē non malum modò uitandū suademus,sed eius quoq; imaginē ac similitudinem.cæterùm praua illa cogitatio eximenda est mulieribus,quòd charitatē maritorum,& curam de ipsarū pudicitia,zelotypiā esse nōnunquā interpretātur,quum tanti referat probas esse uxores.sunt quæ nisi solutissima in res omnes concedatur licentia,zelotypiā confestim arguāt,& ingenti temeritate atq; impudētia marito apud loquacē famā ciuitatis inuictissimā inurūt notam.Vnde ille & malè audit immeritò, & à multis contemnitur, atq; inuidetur.Sunt hæ mulieres,an uiperæ? uxores,an hostes?Non hæc est Christiana disciplina,sed intēperantis cuiusdā stoliditatis ac brutæ. Illud uerò risu ne magis an indignatione prosequendū sit,nescias:quod nōnullæ exeunt,manent,redeunt, colloquūtur,conuiuātur, ubi,quamdiu, cum quibus uolunt, agunt omnia pro animi sui libidine,maritis sinentibus,& inter hæc omnia zelotypię maritum insimulant.Nunc de zelotypia fœminæ dicendū.qua quidem si tangatur, profectò non ita multa adhibuerim remedia,ut sanem,modò ne sit nimia & uiolēta, quæq; pacem domus turbet,et marito sit grauis,ac planè intoleranda.Nam si eiusmodi est,medicina succurrendū censeo.Ante omnia,ut mulieri ueniat in mentem maritum dominum esse,nec idem sibi licere quod illi:humanas leges non perinde à uiro pudicitiā exigere,ut à fœmina.liberiores esse uiri,quàm fœminæ,uitæ totius ratiōes. uiris curanda esse multa,fœminis solam pudicitiā.Claudendæ aures ijs,qui siniſtrum quid de marito uolunt deferre:ut sit nobis atq; illis persuasum,malam eos apud nos captare gratiam. Hermione Cadmi Thebani uxor, quum à marito propter zelotypiam discessisset,lamentans queritur apud Euripidem,malarū fœminarū ingressu se perditā,quòd illis obtrectatricibus aures fidemq; adhibuisset. Mulier si ob pellicatū uel maritum deferre,uel grauiter cum eo rixari deliberet,faciat dictum illud cogitatione tractet,quod quidā quum fugitiuū persequeretur, isq; in pistrinū se coniecisset,fertur dixisse: Vbi malim te uidere? scilicet,quàm eo loci,in quem te coniecissem ipse,si cepissem. Sic ergo reputet,ubi me aut quid potius agentē uidere malit pellex, quàm domo profugā,& à geniali thoro,uel in graui dissidio cum uiro? ut tum demū minima opera cunctā ad se mariti mentē allicefaciat,quam ipsa à me importunitate mea auerti,& alienaui. Vt taceā uulgi sermones,quibus & se,& maritum præbere fabulam honesta matrona quibusuis à uiro iniurijs & contumelijs affecta non debet.

Memoriæ

Memoriæ à quibuſdã traditũ eſt,puellas aliquas recens nuptas, cùm maritos ſtudio uenãdi foris quãdoq; pernoctantes,ſuſpicarentur aliarũ fœminarũ teneri cõſuetudine,illos eſſe in ſaltus proſecutas,ibiq; in tenebris à maritis iaculis cõfixas, & à canib. dilaniatas,cùm eſſe feræ crederẽtur. nimis magnas dederũt pœnas tam curioſæ zelotypiæ.Quãto moderatius & prudẽtius Tertia Æmylia,prioris Africani cõiunx:quę cùm marito unã ex ancillulis ſuis placere ſenſiſſet,rem diſſimulauit,ne domitorẽ orbis,ac populi ſui principẽ,incõtinentiæ dãnare uideretur:& ſeſe impatiẽtiæ, quæ iniuriã coniugis,maximi ætate ſua uiri,ferre nequiſſet. ac ne uulnus aliquod læſi animi aluiſſe in pectore crederet,marito mortuo, ancillã illã pellicẽ ſuã, honeſto liberti ſui cõnubio proſecuta eſt.rata,ſi quis noſtratũ rerũ apud uita functos eſt ſenſus, & hoc quoq; mariti manib.gratiſsimum futurum. Sapientiſsima fœmina non ignorabat, ſe uxorem,ſe dominam eſſe,quócunq; uir ſuus diuertiſſet:ſi mariti concubitus alteri in uideret,hoc libidinis eſſe,non amoris. Quid quòd maritũ,ſi ſuccenſeas,magis irritabis:ſin feras,citius reuocabis? præſertim ubi tuos faciles mores cũ importuna pellicis inſolentia cõpararit. Sic Terentius,humanorũ adfectuum depictor, Pamphilum à Bacchide concubina chariſsima ad inuiſam uxorem traductum ſcribit in Hecyra, poſtquàm & ipſe Pamphilus ſeſe & illam Bacchidem,& hanc quæ domi erat cognouit.ſatis ad exemplum ambarum mores earum exiſtimans:

Hæc ita,uti liberali eſſe ingenio decet,
Pudens,modeſta,incommoda atq; iniurias
Viri omnes ferre,& tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris miſericordia
Deuictus,partim uictus huiuſce iniurijs,
Paulatim elapſus Bacchidi,atq; huic tranſtulit
Amorem,poſtquàm par ingentem nactus eſt.

Hæc ille.Non tacendum eſt nobilis illius matronæ factum,quæ cùm maritum haberet amore alienæ uxoris captũ,itareq; ad illã quotidie uideret, inter uirũ & fratres illius inſidiantes præſentiſsimo cũ periculo,maritũ aggreſſa:Tu(inquit) mi uir, ab amore iſto illicito diuelli non potes,nec ego abs te id contendo.ſolum oro,ne cũ tanto uitæ tuæ diſcrimine ames.illa ſe uelle ſequi te ait,duc in arcem tuam:ego ipſi hanc ædium partem cedam inſtructiſsimam,in aliam migrabo,ac dabo tibi fidem, non aliter me illam habituram, quàm ſi ſoror mihi eſſet germana: ſi quid ſecus ſenſeris, tu me potius domo pellito,illam retinero.Perſuaſit marito, & nocte quadam pellicem in arcem intulit, uehementer trepidam, ac metuentem uxorem amatoris:quæ illam blandiſsimè & humaniſsimè exceptam,in ſuis cubiculis collocauit,nec aliter appellauit quàm ſororem. uiſitq; eam bis quotidie, tractariq; iuſsit accuratius & delicatius, quàm ſemetipſam, abſque ulla uel in uerbis uel in factis odij ſignificatione. Nunc(inquit) marite, tutius amabis, & ſecurius fruere. Vir uno ferè anno ad uxorem teneram, nobilem, caſtam, & pellice profectò formoſiorem non acceſſit. Vxor quid in animo haberet, ſolus ſcit Deus: quod homines iudicare poterant, non iniquè ferre uidebatur,præſertim ubi maritum periculo ſubduxerat.multa in templo, multa in precibus eſſe. afflictam facilè omnes intelligebant, indignantem aut conquerentem nemo. Poſt annum maritus ad uxorem totus conuerſus, amicam cœpit capitaliter odiſſe:& ea pulſa,tantum amorẽ ad uxorem tranſtulit, ut in ea ſe animum,uitam,ſpiritum ſuum ſitum eſſe prædicet.nec ſuſtinebit, ut ait, ſuperſtes illi eſſe.Nominibus abſtineo,quoniam omnes adhuc uiuunt.Et hęc quidem dixi de ijs,quæ certam habent zelotypiæ cauſam.Nam quæ incertã, importunæ ac intolerabiliter agunt, & ſibijpſis & coniugib. certum cruciatum ob incertum admiſſum afferunt.quod faciunt pleræq; immodicè uel amantes, uel indulgentes ſuis affectionib.uel quæ ipſæ ſibi fingunt ſomnia, & infirmas coniecturas pro magnis & cõpertis argumentis arripiũt.Iocatur cum aliqua maritus, ne putet protinus amore eſſe captum. Magna pars affectus eſt, quid credas. ſæpius enim ex opinionibus affectus,quàm ex rebus naſcuntur.Ne traharis quibuslibet ſuſpicionibus,quam ne perſpectis quidem & exploratis moueri oportet.

ET hoc,ut cætera,ad uiri uoluntatē moresq; referendū est: si malit tenuem cultū, hoc utendū.nam si ornatiorē ac splendidiorē quæris, iam non adeò mariti oculis te componis,atq; alienis:quod non est probæ. Quid enim cū auro & argento,mulieri? primùm Christianæ,deinde cuius maritus illis nō delectatur? Tu iubente uiro, ad Christianū ornatum te non accōmodas? quæ etiam diabolicum debes induere, si is uelit. Ambrosius de fucis ad hunc modū scribit: Hinc illa nascuntur incentiua uitiorum,ut quæsitis coloribus ora depingant,dum uiris displicere formidant:& de adulterio uultus,meditentur adulteriū castitatis.Quāta hæc amentia, effigiem mutare naturæ? picturā quærere? & dum uerentur maritale iudiciū,prodere suū? Prior ēm de se pronūciat,quæ cupit mutare,quod nata est. Ita dū alij studet placere, prior ipsa sibi displicet. Ambrosius hæc.quæ ipse sentit, cùm nihil super hoc uxori maritus diserte præcepit,nec uir prudēs præcipiet.Quòd si fecerit,aut illū id scias cupere,commodè atq; in tēpore dissuade,idq; serio.si nihil profeceris, dabis hoc quidē oculis & uolūtati eius.Sed dices cū sancta Hester,omni illa diaboli pompa cōpta& instructa: Tu scis domine necessitatē meam,quòd abominer signum superbiæ,& gloriæ meæ, quod est super caput meū in diebus ostentationis meæ:& detester illud quasi pannū menstruatæ,& non portē in die silentij mei.Quòd si liberum sit mulieri,cùm cōiugata sit,quib.uelit indui ac ornari, cogitet iam nō habere cur magnopere fastū & nitorem cultus exquirat,& inuenerit iam quod aliæ per eiusmodi se retia dicūt quærere. Admonet Cyprianus martyr nuptas,ut uideant ne nimiū sibi per placendi studiū de coniugū solatio blandiantur,ne dum eos in excusationē suā proferūt,in societatē criminosæ cōsensionis ascisca nt.Habent,quid nos antè de ornamentis senserimus. nūc magis decebit Petro auscultare, & Paulo, qui cultū matronæ Christianæ simplicem parabilemq; esse uolūt, fulgentiorē sanctitate uitæ, quàm auro uel gemmis. Et nacta est iam honesta mulier alia ueriora ornamēta,tum in pudicitia(ut Xystus inquit)tum in liberis honeste educatis, sicut dicebat Cornelia de Gracchis suis, tū in uiri gloria. Philonis sapientiæ sectatoris uxor,cùm sine aurea corona processisset in publicū, & aliæ gestarent,rogata cur non & ipsa ferret: Vxori (respondit) satis ornatus esse, uiri uirtutem & laudes. Quis nō pluris faciebat Catonis nō admodū diuitis uxorē,quàm multorū publicanorū,qui diuitijs affluebant,uxores? An nō præstat Xantippen Socratis pauperis cōiugem fuisse,quàm Scopæ,uel cuiuslibet illius æui opulēti? Ornamentū mulieris(ait Demochares) sermonis atq; ornatus parsimonia: & ornatissima est,quæ optimū habet uirū. Chrysostomus multis locis lernam hanc fœminei cultus, ferro atq; igni persequitur:pestiq; renascenti toties,tam uariæ, multa fomenta admouet.cuius sententiā,quoniā fusa est,ut ferè ubiq;,in pauca cōtraham,& quidē nō uno ex opere.Genus quoddā est idololatriæ cultus hic uestiū,moniliū,& totius domestici ornamenti tam exquisitus,tamq; anxius,ut pro idolis tibi sint aurū,gemmæ, ac uestitus:nec aliter tractas,ac reuereris,q; olim simulachra illa sua error antiquus. Quid q; marito & uilē uxorē ac cōtēnendā reddit,& odiosam? quos enim minoris æstimamus, quàm qui subinde nobis indigent? Quòd si mulier sæpenumero maritū de ornatu interpellet,uilis illi ,pfectò fuerit,& suspicionē ei inijciet,nō se illū amare, quòd sit uir suus à Deo copulatus,sed quòd procurator facultatū diligēs, & suppeditator uanitatis ac fomenti superbiæ:tum demum uerè se intelliget maritus diligi, sepositorespectu utilitatum,& sibi obtemperari tanquam maiori & uicario dei,cùm pauciss ima uxor requiret,& ea exigui precij.ita ille cognoscet,nō amari se propter necessitatem,sed propter charitatē à deo iussam. Porrò cùm auri pars maxima in uxoris ornamenta profusa est,& in angustias res familiaris est contracta,quæ nam esse potest cō iugij uoluptas? Fortasse hic mulieris apparatus inter matrimonij exordia gratus fuerit propter nouitatem, paulatim uerò gratiam illā suam amittet cum nouitate: haud aliter quàm consuetudo spectandi cœlos & sidera,quibus nihil est spectosius,admirationem omnem consumpsit. Quòd si illa iam maritus nō curat,cui te tandē ornas? foris uis placere, & ab alijs laudari: atqui desiderium hoc mulieris est minimè pudi-

cæ. Quid q̃ modesta & modicè culta plures laudatores inuenit, & meliores homines, q̃ fastuosa illa, cultusq̃ sui ostentatrix? temperatã probi & sapientes laudabunt, profusam luxuriosi & incontinentes iuuenes. quanquam nec hi tam laudabunt, q̃ expetent. nam quantumcunq̃ eorum libido lacessatur, improbabunt tamen luxum & incontinentiã mulieris. Dicet fortassis earũ aliqua, quid nã ipsa cõmereor, si alius de me malè suspicatur? Tu suspicioni huic per habitum, per incessum atq̃ aspectum, per omnem deniq̃ corporis motum ansam præbes, & fomenta sumministras. Nam ea quæ opum modò sunt indicia, tãto studio Apostolus circumcidit, aurum scilicet, margaritas, & sumptuosa uestimenta: quanto magis ea, quæ tam anxiè, tãta arte conquiruntur? quod genus sunt purpurisso uultus inficere, stibio oculos pingere, fracto gradu incedere, uocem formare molliorẽ, lasciuum, obtutum, & qui libidinis iacule tur incẽdia: superfluã pallij ac tunicę iactationẽ, cingulum affabrè cõfectum, stridentes crepidulas, & cætera irritamenta lasciuię. ista quippe à pudore sunt alienissima, & dedecoris ac turpitudinis plena existimant. Enimuerò si hæc Apostolus ijs quę sub uiro sunt, quæ in delicijs uiuunt, quæq̃ diuitijs circunfluũt, interdicit: quid dicturũ eum censemus de uirginibus? Verũ ut de cultu cũ gentili nihil disputem: cedò quid mihi respõdebit Christiana, in pompa illa templũ ingressa, ubi audit de sublimi loco pręcipiẽtes Apostolos cõtraria? An huc uenit, ut illorũ oratiõi factis suis repugnet? & uelut clamet, quãtumcunq̃ geminentur & inculcentur illorũ uerba, se tamen uel nõ audire, uel pili nõ facere. Si quis paganus nostris interesset cœtib. cùm illa dici ab Apostolis Christi audiret, hanc uerò Apostolorum discipulã hoc facere cõspiceret, nũquid cõtineret risum, & non potius discederet, uelut inepta fabula offensus? Hęc ex sancto Ioanne Chrysostomo. Cæterum ut non fastũ, & pompam, & preciosum in matrona cultum, ita nec sordes atq̃ immundiciem probamus, modò ne in tenui ac uili uestitu emineat cura & studiũ ornatus. Sunt quas etiã rudis pannus ac crassus, ob naturæ uenustatem deceat. sunt quæ arte efficiũt, ut deceat. Dandum (inquiunt) aliquid est loco, tempori, cõditioni uitæ, & receptis moribus ciuitatis. Dandum sanè interdũ nonnihil, quando extorqueri aliud non potest: sed nõ multum, ac multo minus etiam, q̃ postulent. Aristoteles in Oeconomicis libris ex seculari sapiẽtia, minore cultu apparatuq̃ debere mulierẽ ut censet, quàm leges ac mores ciuitatis præscribant. quippe quam considerare (inquit) cõuenit, q̃ nec uestimentorũ nitor, nec excellentia formę, nec auri copia tantum ualet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honestè uiuendi, & cum decore. Est ergo plus semper rationi tribuendum, plus sanctitati & pietati, quàm uanis iudicijs, & prauis moribus perflagitiosos aliquos inductis, atq̃ à corruptis uulgi sensibus acceptis & confirmatis. Deberent sanctæ aliquot matronæ, uelut cõspiratione facta in eiusmodi mores impetũ facere, ut tenui ac parabili cultu & ipsæ quod oporteret præstarent, & alijs uiã quà insistendum esset indicarent. Quanto maior laus esset, malum sustulisse morem, quàm secutã esse: nec desperandum est posse tolli ab aliquibus, cùm aliquæ intulerint: nec ita deplorandũ humanum ingeniũ, ut accipere mala possit, bona non possit, præsertim quũ rectus animi habitus huc propendeat. Quantum cõsensus malarum ualuit in malũ, tantum bonarũ ualeret in bonum: inciperent modò honestate, modestia, pudicitia certare, ijs quę uincere pulchrũ ducerent: non ostentatione opum, quæ leues animos in maximas æmulationes & certamina impingit. Probitatem, patientiam, amorem atq̃ obsequium mariti probant omnes, & laudant. paucæ inuident alijs ad imitationem: ornatum uerò, uestes, torques, murenulas, monilia, inaures, annulos, uasa cælata, omnes inuident, omnes concupiscunt. O superbissima & stulta animalia, ficta ad uanitatem, & ostentationem. Hinc cõtentiones tam accensis animis eousq̃ progrediuntur, ut quemadmodum sapientissimè Cato apud Liuium inquit, diuites id habere uelint, quod nulla alia possit: pauperes, ne ob hoc ipsum contemnãtur, supra uires se extendant. Ita fit, ut quum pudeat quod non oportet, iam quod oportet nihil pudeat. Maritos ac liberos spoliant, ut se uestiãt: domi fames & egestas, ut ipsæ onustę auro & serico in publico incedãt. maritos ad turpes quæstus, ad praua facinora suis querimonijs impellunt, ne uicina, ne cõsanguinea, ne affinis ditiorẽ se & or-

natiorē oſtentet. Et hæc grauia atq; immodica tolerabília eſſent, ſi non etiam pudicítiam uenderēt, ut illínc pararēt, quod marítus dare uel nolit, uel nō poſsit. His tantis malis ſuccurrendū eſſet, autdiuitū matronarū cōſenſu ac cōſpiratiōe, quę ſuo exemplo alias ad meliorē mentē reuocarent: uel lege aliqua, tanquā frenis iniectis. qualis fuit uetus illa Oppia, quæ mulierū ſumptib. modū ſtatuebat. Chriſtianos cōcionatores deceret non ſolū ſanctos Chriſtianæ pietatis, ſed gentilē hominē Pythagorā çmulari, atq; adeò in pulcherrimo certamíne uincere. de quo Iuſtínus ſcribit in hunc modum: Docebat Pythagoras matronas pudicitiā & obſequia in uiros, inter hæc uelut genitricē uirtutū frugalitatē omnib. ingerebat, cōſecutusq; aſsiduitate diſputationū erat, ut matronæ auratas ueſtes cæteraq; dignitatis ſuę ornamenta uelut inſtrumenta luxuriæ deponerēt: uera ornamēta matronarū dicēs pudicitiā, nō ueſtes eſſe. An nō eandē ſententiā apertius ac copioſius apud noſtros inuenient: referti ſunt eiuſmodi conſiliorū Cyprianus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtínus, Fulgētius. Tertullianus uerò ſic adhortatur mulieres: Prodite uos iam, medicamētis & ornamentis extructæ Apoſtolorū, ſumentes de ſimplicitate candorē, de pudicitia ruborem, depictæ oculos uerecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerētes in aures ſermonē dei, annectentes ceruicib. iugum Chriſti, caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. ueſtite uos ſerico ꝓbitatis, byſsino ſanctitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ, deum habebitis amatorē. Sic Tertullianus. quib. ego paucula quædā adijciā, quæ mihi ad eandē exhortationē uidentur pertinere. Res omnes corporales incorporaliū ſunt ſigna: in ſpiritu eſt efficacia & ueritas, in corpore umbra atq; imago. Caput uiri eſt deus caput mulieris uir. an tu maius ornamentū aut præſtabílius quæris, quàm excellētiā & decus uiri tui: hoc tu caput ſi obediētia texeris, elegantiſsimū caliēdrū geſtabis. Virum nō decet caput ſuū tegere, quoniā in mūdo imago dei eſt. Nulierē decet, nēpe uiro ſubditā. retegit ergo ſe, quæcunq; maríti legē excuſsit. Si tibi auro & gēmis caput refulget, marito tuo repugnas: ſi byſſo & ſerico cooperíris, ſoluta imperio uiríli, quid ꝓdeſt inefficax ſignū ſine re: nudata capite ambulas, & Apoſtoli præceptū cōtēnis. Pyropus eſt ardor cōiugalis charitatis, adamas ſancti propoſiti firmitas, tenax atq; in uincibílis. eā enim eſſe lapidis illius naturā ferunt. Smaragdus exhílaratio in dño, de qua Apoſtolus dicit: Gaudete in Dño ſemper. Anulus, ornamēta manuū, in præclaris operib. de quib. Salomon: Operata eſt cōſilio manuū ſuarū. Iugum illud Dñi mite ac facile, aureū eſt monile, gēmis diſtinctū. Zona eſt, præcinctio illa lūborū, qua nos inſiſtere iubet Dñs in expectationē aduentus ſui. Supparus pudor eſt & pudicitia, quíbus uniuerſum fœminæ corpus contegitur. An ueſtitus eſt alius illuſtrior, quàm uarietas illa uirtutū, quib. ornatur ſpōſa filia regis, in Pſal. quadrageſimoquarto, quæ à dextris aſsiſtit ſponſi ſui, in fimbrijs & ueſtitu aureo uariegato: cuius gloria omnis introrſus ſe recipit, quò immittit oculos ſuos ſpōſus ille ſpecioſus forma prę filijs hominum, in cuius labijs gratia eſt diffuſa. Miſeræ, quid inanes umbras perſequimini? hæc ſunt certa & ſolida ornamenta, quæ ſplendorem uobis & uiuis & mortuis parient, quæ decus concíliabunt ingens apud homines, apud Deum uerò gratiam amplíſsimam & æternam.

DE PVBLICO.

NVptas decet rariores conſpici in publico quàm uirgines. nā quod hæ uidebantur quærere, illæ iam ſunt adeptæ. Ideo tota cura eò referēda eſt, ut quod nactæ ſunt, cōſeruent, atq; illi uni ſtudeant placere. Legíslator Lacedæmonius nuptas uelata facie prodire in publicū iuſsit, quòd eas iam nec ſpectare alios, nec ab alijs ſpectari conueníret, quæ domi haberent, quem unum ſpectare, & à quo uno ſpectari ſe deberent cupere. Quem morē Perſæ, & propè populi omnes orientales tenuerunt: multi etiā Græcorū. ſed nō ſic inuoluto capite, quomodo hoc tēpore in quíbuſdā Europę ciuitatibus, ut ipſæ incognitæ atq; inuiſæ, alios & uideant & cognoſcāt. In quo ſubit admirari non tam mulierū delicías, delicías uerò? Imò in facie uelo tenui operta denſiſsimam impudentiā, quàm ſtultitiā maritorū, quanta ſit hęc flagitijs occaſio nō cōſiderantiū. Haud facient, inquient. Vtinā nunquā feciſſent, & alioqui nō eſt feneſtra licentiæ peccandi aperienda. Sit ergo in mulieribus nuda uelis facies, uerecūdia cō-

tecta

tecta & clauſa,uelim illud priſcũ non perinde illuc pertinebat, ipſa uti ne à uiris cerneretur,ac ne cerneret uiros. Fauna Fauni regis Aboriginũ uxor,quàm diu uixit,neminem unquã uirũ uidit,præter Faunũ. Ideo mortua, nomine Bonæ deæ culta eſt,eiuſq; ſacris nõ modò uiris omnib. interdicebatur,ſed nec imaginem licebat conſpici maſculi animalis. Neq; id dico,quòd clauſas ſemper mulieres eſſe pręcipiã,aut opertas:ſed quòd rariores in publico,& minus inter uiros,quo etiam nihil poteſt gratius maritis cõtingere. Quàm iucundũ putamus fuiſſe Tigrani,apud quẽ cùm Cyrus rex Perſarũ cœnaſſet,multusq; poſt conuiuium eſſet apud Tigranem de Cyri forma ſermo(erat enim mirificè decora)rogauit uxorẽ Tigranes, ecquid eſſet ipſi uiſa Cyri facies? Non poſſum(inquit illa)dicere,nã ita me dij benè ament,ut toto conuiuio nunquã abs te ad aliũ uirum deflexerim oculos. Sancta matrona nec audiet libens uiros alienos,nec de eis,deq; eorũ forma diſſeret. Quid ipſi cũ pulchritudine aliorum, cui omnes uiros æquè pulchros,omnes æquè deformes eſſe conuenit,præter maritũ? Is unus cæteris pulchrior ſit,cæteris uenuſtior,ut matri ſuus unicus filiolus. Sponſo in Canticis canticorũ,fœminarũ omniũ pulcherrima uidetur ſua ſpõſa. Vicißim huic ille uiros uniuerſos forma & gratia uincit. Nec minus Duellio uxoris grata ſimplicitas,dicam Hieronymi uerbis:Duellius, qui primus Romæ nauali certamine triumphauit,Biliã uirginẽ duxit uxorẽ,tantę pudicitiæ,ut illo quoq; ſeculo pro exẽplo fuerit,quo impudicitia monſtrũ erat,non uitiũ. Is iam ſenex,& tremente corpore,in quodam iurgio audiuit exprobrari ſibi os fœtidũ,& triſtis ſe domũ cõtulit: quũq; uxori queſtus eſſet,quare nunquã ſe monuiſſet,ut huic uitio mederetur: feciſſem(inquit illa)niſi putaſſem omnib. uiris ſic os olere. Laudanda in utroq; pudica & nobilis fœmina:& ſi ignorauit uitiũ uiri,& ſi patienter tulit: & q; maritus infœlicitatẽ corporis ſui nõ uxoris faſtidio,ſed maledicto ſenſit inimici. Idẽ Hieroni Syracuſio regi ferunt cõtigiſſe,nimirũ hoc dicere nõ poſſent iſtæ,quæ multos uiros ante connubiũ, multos in cõnubio deoſculatæ ſunt. In publico quãtus ſit ſeruãdus pudor, ex hoc facilè poterit colligi,quod & domi,& in cubiculo,& cũ ſolo uiro, & de nocte ſeruãdũ docuimus. Quid attinet morẽ illũ barbaricũ inſectari, quo apud quaſdã gentes promiſcuè uiri & uxores eiſdẽ balneis lauant? ne cõmemorandus is quidẽ eſt, ferinus potius quàm humanus. Pauca mulier audiet, præſertim uiros loquẽtes:pauciora dicet. Si quid ſe uel auditurã laſciuũ, uel uiſurã putat,ſubducat quãprimũ ſe. Declamator quidam de ſeculo ſapienter de fœminis ſic loquitur:Ferat matrona oculos iacẽtes in terrã,& aduerſus officioſum ſalutatorẽ inhumana potius,q; uerecunda ſit. lõgè antè ſuã impudicitiã neget ore & uultu,q; uerbo. Hierõ ille,cuius modò memini,Epicharmum poetã magna pecunia mulctauit,q; præſente regina indecorũ quiddã recẽſuiſſet. Auguſtus Cæſar athletarũ ſpectaculo,quo dij corpora nudare ſoliti erant,fœminas uenire edicto uetuit. Nõ mirũ. hic eſt Cæſar, qui leges tulit de adulterijs & pudicitia. Propter eandem cauſam per dies Olympicorũ certaminũ fœminæ omnes Olympia & Piſis excedebãt:tum etiã, ne in tãta uirorũ frequẽtia uerſarentur. Nõ ergo loquetur,niſi quæ obfuerit tacuiſſe. nec audiet,aut certè nõ attendet ea quæ nihil ad probitatẽ morũ attinent. Periculoſa res eſt carnis titillatio, quam ſemper nobiſcum circumferimus, nec iudicio uel rationi obtemperat. Annotauit Diuus Auguſtinus, quod apoſtolus Paulus de cęteris uitijs dixerit. Reſiſtite:de libidine autẽ,Fugite. Nã reliquis(inquit)uitijs,deo adiuuante,debemus in præſenti reſiſtere: libidinẽ uerò fugiendo ſuperare. Cõtra libidinis impetum apprehende fugã,ſi uis obtinere uictoriã. Nec ſit tibi uerecundũ fugere,ſi caſtitatis palmã deſideras obtinere. Fugiendum eſt, quoniã grauẽ caſtitas ſortita eſt inimicũ,cui quotidie reſiſtitur,& ſemp timetur. Verè nimiũ miſerãda & plãgenda cõditio eſt. ubi citò præterit quod delectat,& permanet ſine fine quod cruciat. Sub momẽto enim libidinis impetus trãſit,& permanet ſine termino animæ infœlicis opprobriũ. Sic ille. Vbi ſunt iſtæ aulicæ,quib. mori eſt,ſolas eſſe aliquãdo ſine turba iuuenũ,quib. cũ dies & noctes fabulentur? quid reſpondebunt Auguſtino,imò Apoſtolo Chriſti? Aiunt ſe purè ac ſine ulla ſuſpicione mali id agere. mihi uerò nõ fit credibile,ac ne Sapienti quidẽ qui interrogat: Quomodo quiſquã cõtinebit in ſinu ignem,nec exuretur? Sed fac illas abſq; ulla cogitatiõe ob-

ſcœnitatis uerſari.Certè eiuſdē quoq; Sapientis ſentētia eſt:Periturū in periculo,qui periculū quærit.Et ut illis quod eſt ſanè perdifficile,nihil ueniat in mentem mali,poteris tu idem præſtare de uiris,quod de te ipſa?Delinquis ergo uel opere,uel periculo,uel incitamēto.Sugillat Iuuenalis eas fœminas,quæ ſciunt quid Seres,quid Thraces rerū gerāt,quid toto agatur in orbe.Cato in Oratione de fœminis, omnino uult honeſtā matronā neſcire quæ leges uel rogentur uel abrogentur in ſua ciuitate,quid in foro,quid in curia tractetur.Hinc illud apud Grecos uulgare:Mulierū opera tela, nō conciones.Ariſtoteles minus turpe ducit eſſe uiro,etiā quæ in culina agātur noſſe,quàm mulieri quæ extra domū:idcirco eam prorſus uel loqui de repub.uetat,uel audire.Materterā ſuā ſcribit Seneca per ſedecim ānos,quib.maritus ſuus Ægyptum rexit,nunquā in publico cōſpectā eſſe,neminē prouincialiū in domū ſuam admiſiſſe, nihil ab ullo uiro petijſſe,nihil à ſe peti paſſā.Itaq; loquax(inquit)& ingenioſa in contumelias præfectorū prouincia,in qua etiā uitauerūt quidā culpam,non effugerunt infamiā, uelut unicum ſanctitatis exemplum ſuſpexit:& quod illi difficillimum eſt, cui periculoſi ſales placēt,omnē uerborum licētiam continuit,& hodie ſimilem ipſi (quāuis nunq; ſperet)ſemper optat,multū erat,ſi per ſedecim dies illā prouincia probaſſet:plus eſt quod ignorauit.Hactenus Senecæ uerba.Intelligebat profectò ſapiētiſſima fœmina,cōgreſſus uirorū aliquid nominis ſui cādori obfuturos,delicatum& tenuē byſſum nō debere à multis cōtrectari.Numa Romanus rex,ſicut ſcriptū eſt à Plutarcho,tacere fœminas,& abſtemias prorſus eſſe,neq; de neceſſarijs rebus abſente uiro quicquā loqui aſſuefecit.Fertur igitur,quū mulier aliquādo propriā in foro cauſam dixiſſet,ſenatū cōſuluiſſe deos,quid nam ciuitati id mōſtrū portēderet.Nouas nuptas amiſſa uirginitate mēſes aliquot latēre domi cōuenit,ſic Elizabetha Zachariæ cōcepto fœtu,aliquātiſper latuit.hæc quia uetula cū uiro cubuiſſet,illæ quia uirgines,utraſq; pudere decet facti,quāuis non illegitimi.Sunt quibus alienæ dignitates ſpiritus ſuſtollunt,ut mariti,fratris,propinqui,affinis,etiā(ſi dijs placet) amici, aut uicini interdū leuiter noti.Quantæ ſtultitiæ eſt ſic agere,ut aliū ſua uirtus bonū & honore dignū faciat,te aliena uirtus malā,& honore indignā?Nec deſunt,quæ ſic propinquorū potētiam abutātur,ut nō ſe modò,ſed illos potētes,inuiſos reddāt.Vt uxor fratris Vitellij imperatoris,quę ex principatu leuiri plus ſumebat ſibi,quàm Auguſta ipſa.Hieronymi Syracuſani regis impotēs ſororum dominatus,impulit populum ad ſeditionē,qua ille cū uniuerſa gēte deletus eſt.Fuit noſtra ætate nobili cuidā ſuperbiſſima uxor,is magis opib.deuolutus,iure id paſſus iudicatus eſt,quòd mariti potentia mulier arrogantiſſimè ferociret. Thucydides ne laudari quidem ſermonibus uulgi bonam mulierē permittit,tantum abeſt ut uituperari nō abominetur,ſed eſſe prorſus alienis incognitā,minimūq; de illa famā loqui.Non eſt argumentū pudicitiæ,nimis noſci fœminā & celebrari & cantari,& publicè quoq; cognomine aliquo inſignitā uolitare per ora multorū:uelut pulchram dici,aut ſtrabam,aut pætam, aut ruffam,aut claudam,aut obœſam,aut pallidā,aut macilentā.hæc enim publicè in proba muliere ignorari oportet,quēadmodū ſuperiore libro demōſtrauimus.Sunt tamē quarū uitæ ratio ita fert,ut uerſari habeāt in publico,uelut quę uēdūt aut emūt. Nollē,fieri ſi poſſet,huiuſmodi negocijs mulieres admoueri:quāuis in hoc & regio ſpectatur,& cōditio uitę.Itaq; ſi aliter nequit,adhibeātur ijs reb.uetulæ,aut mediam ætatē egreſſæ cōiugatę.Sin uerò neceſſe eſt omnino per puellas agi,dent operam ut ſint comes ſine blanditijs,& pudibūdæ ſine arrogātia:malintq; aliq̄d iacturæ in mercib.facere,quàm in pudicitia.Hoc dico propter nōnullas,quæ nimijs blanditijs emptores alliciūt.At non matronarū(inquit Plautus)par eſt officiū,ſed meretricū,uiris alienis ſubblādiri:quarū etiā dolos breui cognitos emptores uitant,tanquā Sirenū cantus.Maiorē faciet quæſtū uerecūda,quam nec mētituram nec impoſturā de facie & morib.emptores iudicabūt.Delectatur quādoq; blanditijs & luſib.locuples mercator:ſed rarus eſt,qui pecunia redimat.& cùm ad ſerium mercatus uentū eſt,nulla fides habetur laſciuæ:q; ſi habetur,aliquādo à iuuenib.affectu deceptis,aliter ſenib.& ueteranis & ditib.uſu uenit,in quib.affectus omnes uincit lucri cupiditas.Cęterùm

quomodo

quomodo se cunq; res habeant,illud semper mulieris animo & cogitationi obuersetur,certissimum & fixū unicum fœminę thesaurū esse pudicitiā cum pudore. Quum probā coniugē domi sic eluserim,intelligi satis potest, quantū illi cōcedam in bello gerendo,& tractādis armis. Ne nominare quidem hæc illā uolo, quæ utinā & Christianis adimerentur uiris. Iam euanuit illa Iudith uidua, umbra tantum rerum futurarum, quæ continentia & sanctitate sua Olofernis, hoc est diaboli caput abscidit. Iam Delbora, quæ iudicauit Israelem, Euangelio Christi cessit. quanquam hæc non tam bellicis cōsilijs & artibus populū dei bellantem adiuuit,ut ieiunijs, precationibus,uaticinio. de quibus duab. fœminis cùm diuus Ambrosius in libro de Viduis disseruisset,ad Christianas conuersus fœminas inquit:Ecclesia autē non armis secularibus uincit aduersarias potestates,sed armis spiritualib. quæ sunt fortia deo,ad destruendas munitiones,& altitudinem nequitiæ spiritalis. Arma Ecclesiæ fides,arma Ecclesię oratio est,quę aduersariū uincit. Mulieris in publico neq; uox,neq; uerba,neq; gestus,neq; incessus,significationē aliquā prębebūt uel arrogātię,uel fastidij,uel delitiarū:omnia erūt simplicia & recta, modestia & pudore tēperata atq; condita. Matronas ubiq; decebit grauitas & seueritas,in sermone,in uultu,& cūcto gestu:erga uiros aūt iuniores & lasciuos,etiā ferocitas ac supercilium:maximè uerò omniū aduersus eas fœminas,quæ nō sunt famæ integræ,ne blāditijs uel humanitate mores illarū uidentē approbare:sed uultu ipso,qd de illis sentiāt,testentē. Liuius scribit,Hispulā scortū Romæ nobile à Sulpitia accersitā,ppè exanimatā fuisse, q tā grauē esset fœminā cōuentura. Ita debēt dignitatē suā tueri matronæ,ut pudeat improbas uel illas aspicere. Neque uerò existimet mulier,qa nupta est, iam quiduis sibi licere uel audire,uel loqui. Quū esset uirgo,ignorātię poterat habere excusationē,si qd absq; rubore uel audiret obscœnū,uel loquereť. Nūc marita,& uirū experta, intēperātię ac turpitudinis nota nō caret,si qd accidat tale. Et qm̄ leues quarūdā animi tenuissima honorculi aura facile impellunť,admonēdæ sunt,ut grauiores sint,q; quę tā exiguo spiritu queāt circū agi:prudētiores,q; quę ignorent, ut ridicula & despiciēda res sit hic quē nos honorē nominamus. Quid ad rē facit, Cornelia uoceris,an domina Cornelia? domina,an dominula,uel semidomina? Hæ sunt em̄ in Gallia differētiæ. O inanē animū,si tā exiguo uoculę flatu mouet. Stulta,an nō uides te nō,ptinus dominā esse,q uoceris? qd quirginas & augustas nomināt fœminas,an faciūt,ptinus,quia sic appellāt? Angelus Gabriel reginā & dominā suā,Marię tātū nomine cōpellat:& tu indignè accipis,tuo ipsius nomine à uiro meliore te nūcupari? quāta ignoratio est eorū quę cupis? Dominam uerò nemo potest uocare, nisi quam adamat. nā ea demum est illius domina & tyranna, cui seruit is turpiter ac miserè. Quòd si honorata non est, cui non præponitur domina,omnes in pop. Rom. in tota Italia, Græcia,Africa,inhonoratæ uixerūt, ac,pinde miseræ. nulla em̄ tū mulier domina uocabatur, utiq; nec uir dns. Ago uerò quantū interesse putas,sedeas,ambules' ue prima,an postrema? Apud nōnullas genres honoratiss. sunt primi, apud alias postremi, apud alias medij. Ergo hoc totū opinionib. cōstat,nō natura rerū. Quòd si opinioni satisfaciendū sit,cū es prima, puta te apud illos agere,q primis deferūt honorē:cùm media, apud illos qui medijs:cùm extrema,qui extremis. sic semper uideberis æstimationi tuæ honestissima. Cōtrà,ne honore nimirū efferaris,cū honoratiss. sita es loco:cogita te in illis esse,quib. est ijsce locus infimus. Iam cedi de uia,quid aliud est q; fortiorē imbecilliori indulgere:ut rectū claudo,uel firmū & ualentē inualido,uel expeditū implicato,uel celerē tardo? Et putas aliā esse causam,cur uiri tā blādè fœminas cōpellēt,tā leniter alloquant̄,tāto in precio habere,ac ueneratiōe etiā præ se ferāt,quàm q; imbecillū sexū,& in quem leuissimæ quæq; offensiones penetrāt, ac imprimuntur altissimè, robustior sexus delicatè cōtrectat,ut uitra tenuia,& ,pinde fragilia? Nō ergo uestra uirtus parit uobis honorē,sed aliena comitas. Nec honoramini quia honorē meritæ,sed quia honoris auidæ. Nam cùm uident uos tanto affectu id cupere,& eiusmodi capi,exiguā rem benignè uobis gratificamur. Vocant dominas,arrident,colloquuntur blandè. uerba quātulo cōstāt? Cedūt uia,leue est tātilli itineris dispendiū,& interim respirāt. Locāt priores, bene sedebūt sub uobis. Dāt partē in domo instructiorē,uestes molliores,aurū,argē-

tum,gemmas:idē faciunt & pueris,ne plorēt.Nec uos ſapiētiores pueris exiſtimant: nec eſtis,quādiu illis mouemini.Deniq; uobis relinquūt.quæ malè uos urūt adēpta illis cōtempſiſſe magnificū ac glorioſum eſt:tū ut ea excolatis,quæ ipſis nō uacat. & qa uos norūt tales, nemo honoratiores putat quod honoremini à uiris: ſed illos potius educatos & comes,qui honores cōcedūt eis, quas ſciant honoris imagine ægrè carituras. Vir ſum,ſed quatenus uos patria quadā charitate inſtituendas ſuſcepi, nihil quod ad eruditionem ueſtrā pertinere credā,uel celabo,uel diſſimulabo:etiā myſteria noſtra detegā,neſcio qua uirorū gratia.Itaq; uolo,uti ne ignoretis,rideri uos,& inani honorū ſpecie deludi à nobis:ac quo eſtis honorū cupidiores,hoc nobis maiori eſſe & ludibrio & fabulę.largimur uobis ampliter ineptias illas,quas uos honores uocatis,ſed non mercede nulla. Nam uos uiciſsim nobis de ſtultitia affectuū & iudiciorū ueſtrorū nō paruas nobis præbetis uoluptates. Neſcitis profectò, ubi ſolidus honor eſt ſitus mereri honorē decet,nō expetere:& ſequi is debet,nō captari.Argumentū uobis erit,honorē uos mereri,cū contēni nō ægrè patiemini. Et eſt hic natura atq; ingenio ſic peruerſo, ut(quod de crocodilo Phyſici ſcribūt)fugientes perſequatur,perſequentes fugiat:aſper blandientib.blandiēs aſperis.Nulla expeditior ad gloriam uia,inquit Socrates,quàm per uirtutē,quæ ſola gloriā nec quęrit,& inuenit.Catonem Vticenſem Salluſtius ſcribit maluiſſe bonum eſſe, quàm uideri.Ideo quo minus gloriā quærebat,eo magis aſſequebatur.Ergo certiſsima ad ueriſsimos honores uia eſt uirtus:quæ ut inhonorata eſſe nequit,ita nec contēni ſe indignatur.Nā ut planè quid ſit honor intelligatis,eſt is ueneratio,quaſiq; teſtimoniū excellentis uirtutis. uirtus aūt ſeipſa cōtenta eſt,honorē nō requirit:& eo minus,quo eſt excellētior. nos tribuimus,quum recto & debito uolumus officio defungi. Vulgò illud fertur,honorem deberi fœminis:quod fœminę nō iniquę aduerſum ſeſe iudices facile agnoſcūt, libēter amplectūtur.Imperitè hoc atq; inſcitè,ut alia populus permulta.nā ſi conſtat, pręſtantiorē in omni uirtutū genere eſſe uirilē ſexū:huic debeī honos à fœmineo,nō uice verſa.Deus quoq; autor omniū,& inſtitutor,cùm uirū fœminæ præfecit,honeſtiorem declarat uirū,& huic eſſe honorē deferendū. niſi fortè ita ſumus abſurdè perueſi,ut reges ac principes debere ſubditis ſuis honorē exiſtimemus,& nō cōtrà potius ſubditū principi.Nō eſſet profectò,ſi rex agricolæ aut famulo caput nudaret, & loco cederet,nō inquā eſſet honos,ſed ineptia,uel fatuitas,aut res ludicra: ita non eſt honos,qui à uiro fœminæ exhibetur,ſed luſus quidā,& res deridicula.Quanto eſſet uerior ſentētia,nō ſic,Honorādę fœminæ: ſed hunc in modū elata, Cedendū imbecillitati muliebri,ferendæ aut tolerādæ fœminę,tanquā ſexus infirmior à robuſtiore, ut cæcus à uidēte,æger à ualido.Aſſentationes,adulationes,blāditias,quæ putat honores eſſe uel laudes, digna eſt cui honores laudesq; nō aliæ contingant.Et tñ ſunt aliquæ tam dementes,quæ cùm adulari ſe ſciant,laudari tamen credant. Quid ignoratis miſeræ,quātum laudibus aſſentatio diſtet? An uos eſſe laudes putatis eas, quas nec ille ex animi ſui ſentētia profert:& uos ſcitis tum falſas eſſe,tum illū ex animo nō loqui,ſed uel ridendi uel fallēdi gratia ſimulare? Nemini de ueſtris bonis plus crediderītis,quàm uobiſmetipſis.Quæ ſe explorauit fœmina.planè perſpicit nihil in ſe habere quod laudem mereatur,præter animum,qui ſe laude omni indignum cenſet.Si quid boni adeſt,Dei munus eſt,illi acceptum referatur:illi laus,illi gratiarū actio. ſin quid mali,noſtri ſceleris eſt: ut probrū & reprehenſio iure ad nos pertineat, laus ad aliū.Et quāuis honorē cōtemnēdū ſuadeā,nolim tñ pro nihilo haberi dedecus pudicitię.Proximus eſt ad impudicitiā gradus.quę poteſt nō timere ſuſpicionē adulterij, poteſt nō timere adulteriū,inquit Porcius Latro.Quū uerò hæc ſit in humanis honorib.in decore,in laudatiōib.uilitas abiectę mētis eſt,ita ſe demittere,ut humana cuiq; inuideat.Quòd ſi honores laudesq; inuidere turpe eſt,multo magis pecuniā,aut ueſtes aut poſſeſsiōes. pręſtat enim decus hiſce omnibus.Nec formā inuideri cōuenit, nec ualetudinem,nec fœcunditatem. munera hæc Dei ſunt, ut alia omnia quæ contingunt mortalibus(ſicut nos dicimus)bona:ut appareat, iam non ei qui illa recepit inuidere nos, ſed diſtributorem beneficiorum ſuorū Deū culpare ac reprehendere. Taceo,q; hæc non magis habenti inuidenda ſunt, q; magna impedimēta longum & diffici-

difficile iter ingressis. Quid enim aliud hæc sunt fortunæ bona, quàm molestæ sarcinæ in uita? & quod pessimũ omniũ est, quæ animũ ad cœlestia tẽdentẽ nutu & põde re suo ad terrã detrudãt. Si absit liuor, facilè & illud uitiũ deuitabit, ꝙ ex liuore nasci ferè solet, ut litigent, iurgentur, conuicientur, alienæ domi curiosæ sint, inspectentq; ac scrutentur quid agant, quid dicãt, quomodo & unde uiuãt. Hæc nunquã honesta mulier faciet, sed impudens & digna pscindi satyra. Nisi illud fortè cures, ut indigẽti subuenias. tibi enim derelictus est pauper, orphano tu eris adiutrix. Fœlix si hæc est mens, de qua in Psalmo dicit: Beatus qui intelligit super egenũ & pauperẽ, in die mala liberabit eũ dns. Dominus conseruet eum, & uiuificet eũ, & beatũ faciat eũ in terra, & non tradat eũ in manum inimicorũ eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, uniuersum stratum eius uersasti in infirmitate eius.

QVOMODO AGENDVM DOMI.

DVobus illis, pudicitiæ, & amori coniugis summo, si peritia regendæ domus accedat, iucundiora fiunt & fœliciora cõnubia. Sine hoc tertio res familiaris, sine illis prioribus matrimoniũ nõ cõstat, sed sæua & perpetua est crux. Paulus prudẽtiæ & castitati mulierũ curã rei familiaris adiungit. de quo loco diuus Ioannes Chrysostomus sic inquit: Animaduertite obsecro indicibilẽ Pauli diligentiã. is qui intactũ nihil relinquit, quo nos à tempestatib. mũdanorũ negociorũ abducat, domesticę rei magnã præsefert curã: uidelicet ea ritè cõstituta, magnus patet locus, in quo cœlestis gratia conquiescat, alioqui pariter cõcidunt uniuersa. Mulier, quæ domũ studiosè curat, ut eodem studio pudicitiam conseruet necesse est. nã huic curæ & administrationi deseruiens, nõ facile delicijs, conuiuijs, & intempestiuis aut uanis lusionibus occupabitur. Tantũ Ioannes Cõstantino politanus. Lacęna in bello capta, rogata à uictore quid sciret facere, domũ (inquit) regere. Viros, Aristoteles ait, in re domestica quæ stores debere esse, fœminas custodes quæsitorũ: quas in hoc uidetur finxisse natura meticulosas, ne parta profunderent, addita semper cura & anxietate, ne desit. Quòd si mulier larga sit, nunquã uir tantũ poterit cogere, quantũ hæc breui dissipabit. Ita res tota familiaris dilapsa ilicò, consistere nõ posset. Nõ decet ergo honestã matrem familiãs profusam esse. Nec pudicitiæ multũ parcunt, quæ pecuniæ nõ parcũt, ut de Sempronia Sallustius refert: cui chariora semper omnia, quàm decus aut pecunia fuere, pecuniæ an famæ minus parceret, haud facilè discerneres. Nõ quòd placeat, eã iniustè parta uelle mordicus retinere, aut uetare ne uir in sãctos usus pecuniã distribuat & qui numus semel eius arcã ingressus est, tãquã in labyrintho aut turri Danaes exitũ nõ inueniat. quod aliquæ faciũt, ignaræ quatenus seruandũ, & cõtinendũ sit. Idcirco Essæi mulieres secũ in illã sacratiorẽ uitã nõ inferebãt, quòd negarẽt idoneas esse cõmunitati rerũ. Nã quod semel apud se uidit fœmina, pati nõ potest gratis aliò trãsire. Itaq; parsimoniæ ac frugalitati familiã assuefacier. nam hę fœminarũ potius partes sunt, quàm uirorũ: sed ita, ut sciat aliud esse parsimoniã ac auaritiã, multũ inter frugalitatẽ & sordes interesse: nõ idẽ esse sobriè uiuere & esurire. Dabit operã ne quid omnino desit familiæ in cibario & uestiario: qua de re audiẽda est Aristotelis sententia: Tria, inquit, cùm sint opus, cib. & castigatio: cib. sine castigatiõe & opere petulantẽ reddit: opus uerò & castigatio sine cibo uiolẽta res est, & infirmũ facit seruũ. restat igitur, ut opus faciendũ materfamiliãs ministris dispẽset, & cibũ sufficientẽ, quæ est serui merces. Administret omnia ex uoluntate & iussu mariti, aut eo certè modo, quem sciat illũ neutiq; improbaturũ. Nõ aspera in familiã, nec dura, sed mitis & beneuola, ut matrẽ magis experiantẽ quàm dominã, sicut Hieronymus inquit. A quib. mãsuetudine potius, quàm seueritate exigat reuerentiã, ad quã breuissima est per uirtutẽ uia. Nihil addũt autoritati & ueneratiõi rixæ, iurgia, cõuicia, clamores, plagæ: detrahunt citius. cõsilio aũt, ratione, grauitate morũ, uerborũ, sententiarũ, quiduis perficias celerius ac cõmodius, quàm impetu & uiolẽtia. Magis ueremur prudẽtes, quàm iracũdos: plus cogit quietũ imperium, quàm uehemens: imperiosior concitatione quies. quod quum dico, non inertes esse matronas aut segnes, sed reuerendas moneo, ne sic quiescant, ut dormiant: ne sic præcipiant, ut contemnantur. uigilent, intentæ sint, seueræ sine sæuitia, acres sine amaritudine, diligentes sine uiolẽtia. neminem oderint ex fa-

ex familia, pręsertim si nō malus est, quòd si diu domestico eius ministerio usi simus, non alio habeatur loco quàm fratris aut filij. Feles & canes aliquādiu domi alitos diligimus: quāto is affectꝰ uerius erga hominē præstādus est? In ancillis & assectis & pedissequis, & ijs denicꝙ omnib. quæ uel necessitate coactæ, uel mercede adductæ inseruiunt, magna & imprudētiæ & improbitatis flagitia ex inscientia nascunt: nō aliter atqꝙ in turba uniuersa operariorū atqꝙ imperitorū hominū. itaqꝙ docendæ & admonendę sunt, ut meminerint pręcepti non cuiuslibet de uulgo hominis, sed Pauli: ut nauiter & mansuetè & benignè, atqꝙ etiam hilariter obeant munus suum, nō oblo quentes, non respōsantes, nō obmurmurantes: sed ne tristes quidem, uel asperæ, ne gratiam laboris & apud homines, & apud deū amittant. Tum puras contineant manus à furtis & rapacitate, in quo gratiores gerūt animos bestiæ omnes, quàm multi hominum. Quæ enim fera adeò est immanis, ut alimentorum atqꝙ educationis beneficium sic remuneretur, ut de commodis illius detrahat, à quo tot cōmoda percepit? Quanquā non solet id fieri nisi ab animis deiectis, & plane dignis seruitute: quibus quæ prædictæ sunt, gula sunt uoraces, ac lurcatrices, rapaces manibus: & conquerun tur non esse sibi aperta omnia, garrulitate futili ac periculosa: & indignātur arceri ab arcanis: importunè petaces: nec expleri possunt, absqꝙ respectu ullo, nō ex quāto cumulo accipiant, sed quid suæ cupiditati satisfaciat. malam impudentemqꝙ sub parentum utilitate ac sordib. educationem, in familias honestas transferunt. & criminantur deinde dominas impatientiæ, intentæ suis utilitatib. dominas oderunt, & amorē ab eis exigūt. quin iniuria sese affici credūt, si nō accipiāt, quod nec meruerūt. inter hæc uitia, cum hæc omnia ex sententia non cedunt, uirulentè in domū illam obtrectant, ubi integræ & sanctæ habitæ sunt, nec licentia est flagitijs præbita. Ergo sciāt quæ sic se gerunt, & se esse homines, ac sacra illa intinctas aqua, sistēdasqꝙ aliquando ante tribunal Christi: qui non secus rationē ministerij ac officij sui ab illis reposcet, quàm regiminis à magnis principib. Animus enim & mens à Christo spectatur in quocūqꝙ homine, nō magnitudo, aut qualitas cōditiōis uel fortunę. qppe faciē hominū Deus nō respicit, qui iudicib. suis præcipit, ut personā pauperis in iudicio ne accipiant, nec ideo secundū illū pronunciēt, qꝙ sit pauper. Et sicut gratꝰ est deo pauper mitis, iustus, Christo similis: ita exosus atqꝙ abominabilis, q uitia paupertati adiūxit. Quocirca cō cupiscentias suas cohibeant, & aliena nō minore cura ac fide tractēt, quàm propria: persuasæ aliena nō esse, ex quib. ipsę sustentātur. Dominos & dominas non secus diligāt & colāt, ac patres matresqꝙ, qppe altor, educatorqꝙ nō alio est, qꝙ patris loco. Id nomē ipsum ostēdit, q heri & heræ, patres & matres familiās nūcupātur. Tū Ro. more libertini patronorū nomina usurpabāt, tanquā parentū. Quę domi audierint, ac uiderint, arcana esse putēt omnia, nec posse sine ingenti scelere enūciari: nō solum interea dum in illis ædib. degunt, sed nec postquā migrarint. quorsum enim & parietes, & fores pertinent, si istæ omnia patefaciūt? an nō præstaret uiperā domi alere, qꝙ eiusmodi futiles, ex quarum loquacitate, & sępenumero uel sinistris interpretationibus, natis ex hebetudine, uel mēdacijs, ex odio atqꝙ ira, magnæ calamitates cōflātur innoxijs & honestis hominib. Quomodo illæ, aut quādo tantā iacturā sarciēt, & tantū delictū luent? M. Liuio Druso architectus quidā ędes se ædificaturū recipiebat, in quas ex nulla domo alia esset prospectus. At potius (inquit ille) ædifica mihi domū, si potes, in qua quicquid agā, uniuersus populus Ro. possit aspicere. Fidēter quidē Drusus. & sanè sic est: bonis omnib. ita uiuendū in priuato, quemadmodū uiuere uellent in publico: & sic intra domesticos parietes agendū, ut si subitò nos alieni cōspiciant, nulla sit erubescēdi causa. Verūenimuero ea est per totū humanū genus & corporū & animorū imbecillitas, ut multa ex usu sit celeri. Multa tolerantur domi, quæ foras elata, inepta & ridicula iudicentur: præsertim quòd unusquisqꝙ nostrûm, quam ueniam sibi poscit, nō uult alij tribuere. tanta est in nobis iniquitas. & quæ ipse seriò facit quotidie, in alio si semel deprehēderit, deridet, atqꝙ etiā calumniatur. Ex hisce delationib. quæ simultates atqꝙ inimicitiæ in ciuitate tota oriantur, nemo nō sæpe experitur, dū omnes & aliena curiosè scrutari auemus, & nostra uel sciri, uel malignè uel sinistrè iudicari ægerrimè ferimus. Turbatur per hæc ciuium tranquillitas, procedit

maleuo-

maleuolentia in rabiē:unde rixæ & pugnæ,& inter potētes factiones, inter minores uerò delaturę & calumniæ de capite,de fortunis,de existimatione. Verbum erat uetus,Nocens metuit pœnā,innocēs casum,nō placet hoc.illud uerius, Nocēs metuit pœnam,innocens calumniam.Et tantorū malorū causa est famularū garrulitas: quæ irata effundit,non quantū uiderit,sed quantū suppeditat animus, cupidine ultionis ardens.Heræ si pactæ mercedi assem detrahant,iniquissimæ erūt,nec ulla eis esse potest uenia apud deum.Quanta quiritatio:qui clamores:quæ execrationes:nam illis pro ludo est,sic miscere ac turbare res quietas,& familias bene cōstitutas uel euertere,uel affligere.Quòd sic uiuant,in culpa est tarditas atq; imperitia,quæ nulli unquā bono esse potuit.nunquā illis uenit in mentē,spectari actiones omnes nostras tū uerba & cogitatus,à iudice illo æterno,qui retribuit unicuiq; secundū opera ipsius.Matresfamiliâs, quod celari expediat,ne cōmittant quibusuis famulab.sed fidei spectatæ.Ipsæ uicissim famulæ taciturnitate ac fide eas se præstēt,qb.nō aliter possint quæuis cōcredi,quàm ipsis filiab.nihil dicant,neu agant,quod à domina aut liberis accipi queat in exemplū,aut incitamētū peccandi. Grauius plerūq; delinquitur exēplo, quàm facto.Si ita uixerint,cōditionē nō cōmodiorē solū sibi reddēt, sed honestiorē quoq;,gratā deo,gratā hominib.& ad meliorē fortunā certissimū gradum:alioqui in miseria illa seruitutis cōsumentur,inuisæ omnib.& despectæ. hæc potissimū sciāt & teneāt famulæ,tū legāt interdū aliquid, quod mentē & mores possit excolere.quòd si legere nō norūt,auscultēt legentes attentè.intersint concionib.cùm uacabit:occupatis uerò dū interquiescūt,heræ aut filiæ,duæ uel audierint,uel legerint,referāt, unde prudentiores ac meliores euadant. De famulab. satis dictū: redeamus ad matronas.Fidelius & gratius obsequiū est quod ab amore impetratur, quàm quòd à metu exprimitur.Metum abesse placet,reuerentiā nō placet. Ne sis famulis uiris nimium blanda,nec comis,nec facilis,nec festiua,nec multū cū eis uersare:nec tecū uel colludere quisquā eorū audeat,uel iocari.sis eis sanè chara:sed non tam chara,quàm uerenda.Non uis timeri ut domina,at uenerationē exige ut mater. Famulare,genus licentiæ auidū est,quam ipsi sibi ostensam arripiūt,& augent.Nō perinde exactè uiro prę ceperim,caueat ne sibi familiā fecerit minus familiarē,quàm mulieri,cui nolim multū esse cū famulis cōmercij.Nec cū eis pleraq; transigat,ne arguat ipsa,ne castiget uiros:matito id muneris relinquat.Sit tota cū famulab.suis & pedissequis,quarum sint mores integri,& pudicitia explorata.Ipsa plurimū simul exēplo adiuuabit,simul monitis,præceptis,adhortationib.tum diligenti cura,ne quid eā lareat quomodo famulæ uiuāt,& uitijs remedia opponat,ac uelut morbis antidota. Si qua parū syncerè habere integritatē deprehensa est,aut credita,nec obiurgationib.& castigatione proficitur,pellatur domo.Facilè proxima quæq; uenenū corrūpit, & credit suspicax uulgus famulas dominarū esse similes.Quàm illud est apud Hieronymum frequens,dominas ex ancillis æstimari? Nec mirū,cùm Græco prouerbio etiā catellæ dominarū mores dicantur referre:& illi apud Terentiū adolescentes,de sordib. & negligentia cultus ancillæ,pudicitiam colligunt dominæ.Homerus sapientem Vlyssem scribit, cùm domum rediisset,eas occidisse ancillas,quæ cum procis concubuerant,quòd hę non solum probrum domo, sed periculum quoq; pudicitiæ Penelopes attulissent. Rex Dauid post Absalonem filium suum deuictum,eas concubinas suas, quas Absalon ex cōsilio Achitophelis incestu polluerat,in perpetuam custodiā à sese posuit, unde nūquā postea eductę sunt.Ipsa matrona ijs artib.se exercebit,quas altero libro expositimus,& in officio cōtinebit famulas:ut casta Lucretia,quā lucubrantē cū ancillis,& pensa partientē regij iuuenes deprehenderūt. quod eo diligentius exequetur,& accuratius,si qua familiæ pars labore hoc alenda est.Salomon in laudibus sanctæ fœminæ,quę ijsse illam ait lanā & linū & operatā cōsilio ac diligētia manuū suarū. Theano Metapōtina rogata quę esset optima matrona, uersu Homeri respondit:

Telam quæ tractat,lectum curatq; mariti.

Ex ea industria(pergit dicere Sapiēs rex)facta est quasi nauis institoris, de lōgè portans panē suū.Ac ne somno indulgere nimium ostēdat,addit: De nocte surrexit,deditq; domesticis suis cibū demēsum.hinc recipiens se cū famulab.quid cuiq; faciendum

dum esset præcepit. Sedulæ mulieris est, cibũ quidẽ toti familiæ parare, operam uerò solis fœminis indicere. Viris indicat, ut uidebitur, maritus. De lucubratione mulieris uersus sunt apud Vergilium, sanè quàm lepidi atq; elegantes:

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum, ceu fœmina primum
Cui tolerare colo uitam, tenuiq; Minerua,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasq; ad lumina longo
Exercet penso, castum ut seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos.

Postea uerò quàm est familiæ satisfactum, ex ijs quæ supersunt, largitur ad eleemosynã. Manum (inquit) suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non debet sancta mulier sic diuitijs cõgerendis incumbere, quin pauperibus distribuat, & inopibus subueniat: nec tenuiter, sed plena manu, cogitans, ad fœnus se illa dare in hoc seculo, & in altero multo plura & potiora recepturã. Addit uerò: Nõ timebit domui suæ à frigoribus niuis. Nec timebit etiã, si pauperib, non solũ expressum numũ inter digitos porrexerit, sed si manũ aperuerit, & palmã extenderit, quasi copiosè elargita: nec timebit, quoniã diligẽtia sua & lanificio nihil domi suæ in necessitatibus deest. Et omnes domestici eius uestiti sunt duplicibus, nihil enim est in re familiari cõducibilius, quàm bene pasci, & benè uestiri: nõ ad uoluptatẽ, sed ad necessitatem: nõ delicatè, sed utiliter. Malè tñ continetur uirtus, quæ aduersis ex propinquo exẽplis sollicitatur. Ideo matrona ipsa primũ omniũ uictu suo parsimoniã doceat: sic facillimè curã illius ministris ingeret, alioqui iniquũ existimabũt famuli ac famulæ id te exigere, quod ipsa nõ præstes, semperq; ad custodiã tuorũ præceptorũ inuitos atque obmurmurãtes pertrahes. Tu ipsa igit̃ semper sicca esto, semper sobria: nec causa tantũ famulitij tui, quantũ tuũ ipsius. Quàm fœda res est ebrietas & ingluuies, maximæ oppugnatrices & pudoris & pudicitiæ, hostes nominis honesti? Nemo eboriosam & uoracẽ fœminã non ceu infaustã & inauspicatã auem abominatur. Omnes interimmodicos cibos periclitari pudicitiã sciunt, quũ nullũ est capitis & lateris discrimen. Subdit his Salomon: Nec relinquit domi suæ aliquid sibi incognitũ, quin subinde inspiciat, omniaq; cognita sibi & prompta faciat, ne cùm usus poscat, aut ignoretur quicquã, aut nimis sit quærendũ. tũ quis status, quæ cõditio rei familiaris, quantum expẽdi, quantũ retineri, quomodo pasci, quomodo uestiri cõueniat. Ait enim: Cõsiderauit semitas domus suę. Ipsa uidelicet in angulo quopiã domus nens, aut suens, aut texẽs, aliquid denicq; similis operis obiẽs, in quo liberior est cogitatio, mittet animũ suũ per cubicula, per arcas, per uestiaria, per quicquid est domi, ut cõsideret quid desit, quid superfluat, quid emendũ, uendendũ, farciendũ. Multũ hæc diligentia rem familiarẽ tuetur, ac sustentat. Aderit puellis operi intentis, siue dũ coquũt, siue dum nent, siue dũ texũt, siue dũ suunt, siue dũ suppellectilem uerrũt. Exactius hæc omnia fiunt præsente domina, & frugalius. Frõs occipitio prior est, ait Cato, quodq; illi prudenter dixerũt, nihil magis uel equum sagĩnare, uel aruum uberare, q; domini oculũ: ad matrẽfamiliãs remq; domesticã trãsferri potest, nihil esse quod aut cõseruet diutius rẽ domesticã, aut integrius, mũdius, elegãtius, quàm gnauæ & diligẽtis matronę oculũ. Hæc agẽs, & labori perpetuo incũbens, panẽ ociosa nõ comedit: & paret deo, q nõ uult nos sine sudore faciei nostræ uesci pane nostro. Exemplũ etiã præceptum Pauli sequitur, q inter eos quib. mysteriũ dñi annũciabat, tñ ociosus nõ edebat panẽ, sed in labore ac fatigatione dies & noctes, quantũ ei à diuino ministerio uacabat, manus occupabat opificio suo, ne quẽ grauaret: illud crebrò admonẽs, dignũ nõ esse ut edat, qui recusat laborẽ. Neminẽ patietur mulier domũ ingredi, sine mariti iussu, ut ab Aristotele præceptũ est. multo enim clausior erit domus, cùm uir peregrè aliquò erit profectus: quo tẽpore, quẽadmodũ Plautus inquit, bonas mulieres æquũ est facere, ut absentes uiros perinde habeãt quasi præsentes: sed quatenus toti? domus cura illa interior mulieri incũbit. Tenebit remedia uulgarib. & penè quotidianis morbis, eaq; in cellula habebit parata, quib. marito, paruis liberis & familię, cùm res feret,

subue-

ſubueniat,ne arceſſere ſubinde medicũ neceſſe habeat,& omnia ex pharmacopolio emere.neq; uerò mulierẽ uelim arti ſe medicæ dedere,aut ſibi nimis hac in re fidere. Frequentib.& penè quotidianis morbis,ſuadeo medelas ut norit:ueluti tuſſi,diſtillationib.ſcabiei,torminib.ſolutæ aluo,uel cõſtrictæ,lũbricis,dolore capitis aut oculorum,febriculæ,luxatiõi,leui ſciſſuræ,& ſimilib.quæ ſingulis propè dieb.leuiſſimis de cauſis cõtingunt.Adde his uictus quotidiani rationẽ,maximũ ad integrã ualetudinem momentũ,quæ ſumenda,quæ uitãda,quãdo,quatenus.Atq; eam quidem peritiã diſcet potius ex uſu aliarũ prudentiũ matronarũ,aut ex conſilijs cuiuſquã propinqui medici,ex libello aliquo facili ea de re cõſcripto,quàm ex magnis & accuratis medicorũ uoluminib.Sancta materfamiliãs explicita iam domeſticis & familiari buscuris,eligat ſibi quotidie,ſi poteſt:ſin minus,feſtis dieb.ſecretũ domi locum,à frequentia & ſtrepitu ſepoſitũ:ibi remotis pauliſper ſolicitudinib. domus:& cõpoſito animo,reputet ad cõtemptũ res iſtas mũdanas,& quòd leues atq; inſtabiles ſunt,& q; fragiles ac citò periturę:& q; tanta breuitas uitæ noſtræ in tãta celeritate,ut nõ agi, ſed rapi:non abire uideatur,ſed fugere.Hinc ſuſtollat ſe lectione aliqua diuina in cogitationẽ cõtemplationẽq; rerum cœleſtiũ.Tum cõfeſſa deo peccata ſua,ueniam ab illo & pacem ſupplex petat,oretq; pro ſe primũ:hinc deo iam facta gratior,pro marito,tum pro liberis,deinde reliqua familia,ut dominus Ieſus meliorẽ omnib.mentem inſpiret.Paulus diuinorũ mandatorũ nuncius,naſcentẽ Corinthi eccleſiã dei docẽs, ſic inquit.Si quis frater uxorem habet infidelem,& hæc cõſentit habitare cũ illo,ne dimittat illam.Etſi qua mulier fidelis habet uirũ infidelẽ,& hic cõſentit habitare cũ illa,ne abeat à uiro.Sanctificatus eſt enim uir infidelis per mulierẽ fidelem,& ſanctificata eſt mulier infidelis per uirũ fidelem.Vnde enim ſcis mulier,ſi uirum ſaluum facies? Quod partim ad preces attinet(multũ enim ualet iuſti oratio aſſidua,ut inquit Iacobus)partim ad exẽplũ uitæ,quod Petrus apoſtolus explicat dicens:Similiter & mulieres ſubditæ ſint uiris ſuis,ut & ſi qui non credũt uerbo,per mulierũ cõuerſationem ſine uerbo lucrifiãt,cõſiderãtes in timore ſancto cõuerſationem ueſtrã. Multas legimus fœminas Chriſtianas,quarũ opera ad ſanctã pietatem mariti ſunt adducti, ut à Domitia Flauius Clemens,è Domitiani Cæſaris propinquis:à Clotilde Clodoueus Frãciæ rex,à Iugulde Hermogillus Gotthorũ rex,ab alijs alij quàm plurimi.

DE LIBERIS ET QVÆ CIRCA ILLOS CVRA.

PRincipiò,ſi non paris,id non ſolũ moderato perfer animo,& æquo:ſed aliquatenus etiã gaude,q; incredibilis moleſtiæ ac tædij facta ſis expers.Nõ eſt hic explicãdi locus,quæ miſeriæ ſubeundæ ſint prægnãti,dum geſtat uterũ:qui dolores,quãtum periculũ,cùm enititur.Iam nutriendi & educãdi quę faſtidia,quãta ſollicitudo, ne improbi & flagitioſi euadãt liberi,ne quid eis aduerſi accidat:q; æternus metus, quò eunt,quid agunt,malũ ne faciãt,neu accipiãt.Equidẽ rationẽ expedire nequeo iſtius cupiditatis filiorũ. Vis mater fieri?quorſum?an ut mũdum augeas?quaſi uerò infrequens futurus ſit,niſi ipſa unum atq; alterũ animalculũ pepereris,& addideris meſſibus Siculis & Ægyptijs unam ſpiculã,ad ſummũ duas:& ceu deus neſciat,ſi uelit,ex lapidib.iſtis filios excitare Abraę.Ne ſis in dei domo ſollicita,unde replebitur. Ipſe ſuæ domui proſpiciet.At ſterilitatis probrũ exhorres.illud uerò cum lege Moſaica euanuit iam ad fulgorẽ gratiæ Chriſti.nunc in lege uiuis,in qua etiã uirginitatẽ cõnubio prę ferri meritò uides.Quid q; per Eſaiã dominus pollicetur ſterilibus ſanctis multo ampliorẽ atq; honeſtiorẽ locum in ſua ciuitate,q; ſi numeroſam reliquiſſent ſobolem.Itaq; uituperãda eſt illa in Flãdria,quę cùm nupta propè ad 50.annum ſine fœtu uixiſſet,defuncto uiro,nupſit alteri,id ſolum prætẽdens,ut experiretur, in uiro,q; liberos nõ haberẽt,fuiſſet culpa,in ſe,an in uiro,digna profectò cupiditas muliere uetula,ſed delira.Quanq; neſcio,an alia erat ſecũdarũ nuptiarũ cauſa.Ipſa illam obtendebat,quæ ad ſtultã multitudinẽ honeſtior uidebatur.nec illi lętum admodũ fuit connubiũ.nam filiũ peperit,qualem nulla habere uellet.At,uidere cupis liberos ex te natos.num alij erunt,q; cæteri?Habes pueros ciuitatis,imò baptizatos omnes: quos materno affectu cõplectaris,& credas ex te genitos.Hoc humanitas ſua det,re

ligio præcipit. Quid quòd maritus tibi si sit probus, instar est multorũ filiorũ: ut Helcana dixit Annæ suæ. De filijs es sollicita, & in marito non acquiescis, qui unus plus te amat, q̃ decẽ filij amarẽt, abs te geniti? Profectò fœminæ nõ modò grauidæ, sed uacuæ quoq; immoderatis illis & absurdis appetitibus infestamini, quæ piccationes dicũtur. Quæ liberorũ miseris tã dira libido? ut inquit ille. Si sollicitudines & ærumnæ, quas matribus filij pariunt, in tabella uobis depingerentur, nulla esset sic auida filiorum mulier, quæ nõ mortis instar filios expauesceret: & quæ haberet, etiam suos plus odisset, quàm immanes feras, aut serpentes uenenosos. Quod gaudiũ, quid lęta bile est filijs? Quum sunt pueri, merũ odiũ. in grandiusculis, sempiternus metus, quò inclinabũt. Si mali, ætern⁹ mœror: si boni, perpetua sollicitudo, ne moriãtur, ne quid eis accidat, ne abeãt, ne mutentur. Quid opus est Octauiã Augusti sororẽ huc adducam? Vtinã non essent adeò crebra exempla illarũ, quę ex lætissimis matribus subitò afflictæ, in perpetuo luctu cõtabuerunt, & extinctæ sunt. Quid, q̃ si multos habeas, maior anxietas: & unius uitia, gaudiũ quod de reliquis suspiciebas, non diluunt modò, sed delent. Et dixi de maribus. In fœminis custodiendis, quæ carnificina anxietatis? in collocandis, quæ moles curarum? His accedit, quòd parentes rarò uidẽt filios bonos. Vera enim bonitas sapiẽtia comitata, nõ nisi in grauiore iam & propè exacta ætate cõtingit. Quum incipimus sapere, tum morimur, dixit quidam: & Plato beatũ illum esse ait, cui uel in senectute datur rectè & sapere, & uitã instituere. At ea filiorũ ætate iam parentes in puluerẽ abierunt. Quid, q̃ paucissimi omnino filij gratiã parentibus uel referunt, uel habẽt, pro tot cr̃unis? imò negligunt eos, à quibus tãta sunt cura enutriti: oderũt eos, à quibus sunt tenerius dilecti, quàm ipsi à sese. habiti sunt à parentib. blãdè atq; indulgenter, ipsi eos grauiter & asperè accipiunt. O ingrata mulier, quę nõ agnoscis quãtũ à Deo acceperis beneficiũ, quod uel non pepereris, uel filios ante mœrorẽ amiseris, ut scitissimè Euripides dixerit: Carentẽ liberis, infortunio fœlicẽ esse. Sed hæc potuissent à nobis plurimis uerbis extẽdi, nisi quòd hoc utiq; loco minimè essent necessaria. Quæ ergo nõ paris, uide ne in maritũ reijcias sterilitatis tuę culpam. In te forsan est uitiũ, quæ es uel natura, uel Dei uoluntate sterilitatis dãnata. Inter maximos Philosophos cõstare uideo, fœminas fœtus non gignere, suo sæpius q̃ uirorũ uitio. Paucos uiros steriles genuit natura, fœminas plurimas, sapientissimo cõsilio: quo in uirili infœcũditate maius est dãnum, quàm in fœminea. plus enim ex uiro ꝓuentus est in generãdo, q̃ ex fœmina. Quòd si in te infœcunditas est mulier, frustra insanis, quantũcunq; scelerũ animo cõcipias, nunquã fœtũ concipies utero. Quid, quòd Dei priuatis cõsilijs, æquissimis illis quidẽ, sed nobis ignoratis, plerunq; nulla ex cõiugio prouenit soboles? nam Dei munus est, ut bonos liberos, ita liberos omnino prouenire. idcirco ad alia remedia accurrere, q̃ ad Deũ, superuacaneũ est. A Deo petẽda est proles, & bona, ples. nã si proles cõtingat mala, præstaret uiperã peperisse, uel lupũ. Sic ergo roga filiũ, ut Anna Helcanæ uxor, quæ pręcib. & lachrymis, & sanctitate uitæ impetrauit non filiũ modò, sed prophetam & iudicẽ in Israel: sic ut altera Anna Ioachim, quæ tota Deo confisa, Mariã orbis reginã saluti hominũ edidit: sic ut Elizabeta Zachariæ, quę etiã sterilis Ioannẽ illũ Domini nũciũ genuit, qui multos filios genuit Christo, quo maior nullus ex muliere natus est. Domin⁹ Saræ sterilitatem suã non iniquè ferẽti, eo tẽpore quo sterilitas magno probro habebatur, filiũ in senectute dedit Isaac, imaginẽ Christi Domini. & hic ipse Isaac prò Rebecca cõiuge sua sterili Dominũ orauit, à quo impetrauit geminos duorũ ingentium populorũ autores. Vxori Manne sterili, modestæ ac pudicæ fœminę, angelus Domini Sampsonem ex ea nasciturũ nunciauit, iudicem & liberatorẽ Israelis. Tales accipiunt, quę sic petunt. Verba angeli ad Sampsonis matrẽ sunt hæc: Sterilis es, & absq; liberis, sed cõcipies, & paries filiũ. Caue ergo ne bibas uinum, ac sicerã, nec immundum quicquã comedas, quia concipies & paries filium, cuius nõ tanget caput nouacula. erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorũ. Hæc admonẽt me, ut ipse prægnãtes admoneã, interea dum uterum gestant, ne indulgeãt crapulæ, ne inebrientur. Multi quæ à matribus acta sunt dũ gestabãtur, uitæ totius moribus retulere. Et quatenus imaginationis uires magnæ ac

ualidæ

ualidæ ſunt in humano corpore,matres dum uterum geſtant,dent operam,ne quam admittant uehementē cogitationē deformis rei,turpis,obſcœnæ:pericula item deuitent,in quib.fœda aliqua uiſu ſpecies poſſit occurrere.q; ſi eas occaſiones adeāt,præcogitent,quicquid poſſit oculis offerri,ne exinopinata nouitate noceat,ſi quid ſubitò aſpexerint,unde cōtrahat noxam fœtus.Iam ſuſceptis liberis,quę adhibēda in his educādis cura,maius eſſet differere, q; ut capi propoſito poſſet opere,ſi fuſius eſſent ſingula expromēda.Qua de re à ueteribus & à recentioribus cōſcripta ſunt plurima,etiā dicatis in idipſum libris.Ego uerò pauca attingā,quæ muneris uideātur eſſe prudentis matronæ.Ante omnia,mater theſauros ſuos uniuerſos in liberis ſitos eſſe ducet. Opulenta quędam Cāpana cùm Romā ueniſſet,exceptaq; eſſet hoſpitio à Cornelia Gracchi,mundū omnē ſuū muliebrē Cornelię explicuit,qui erat ſanè diues metallis, ueſtib.gēmis:eum ubi laudaſſet Cornelia,rogauit Cāpana,ut & uiciſſim illa cimeliarchium ſuū aperire haud quaq; grauaretur.abierāt Gracchuli ad ludū literariū:reſpondit,ſe ſub ueſperū facturā:pueris reuerſis,Hi mihi unici theſauri,inquit.Cùm Ionica Lacęnæ de textura gloriaretur,operoſa & ſumptuoſa:hæc reſpōdit,Atqui mihi quatuor filij omni uirtute prędĭti,textura & preciū & opes ſunt.Quocirca in hoc theſauro cōſeruando atq; excolēdo nullus recuſandus eſt labor.Omnia facilia reddet charitas,& leuia.Nutriet,ſi poterit,ſuo lacte,& parebit naturæ uoci,quę tributis māmis & copioſo puerperis lacte,clamare uidetur,ac iubere,Nutriat quæ peperit,ut cętera agunt animalia.Quin ſapiēs & benigna rerū omniū parens,quem ſanguinem in cor puſculū fœtus in utero uertebat,eum poſt partū ad pectus tanquā copioſi cuiuſdam & ſalubris fontis craterē trāſmittit in lac candefactū,ut ſit unde partus ſuſtētetur,nec deſerit tenerū,ex utero emiſſum,quin eodē paſtu alat,quo finxerat:haud parua ſanè mercede à natura ipſa nutrienti pro opera tributa,& tanquā relata gratia,quod fœtū ipſius nutriat,ut ſaniora ſint corpora illarū quæ hoc faciūt:cùm eæ quæ nutriendi laborem recuſant,inter lacteū humorē exiccandū,multū adeant periculi.Accedit his, q; utilius eſt fœtui maternū lac,q; nutricis.tum quia ex quib.cōſtamus,ex eiſdē congruētiſsimè alimur:nihilq; eſt cōuenientius infanti,q; ea ipſa ſubſtātia,ex qua eſt fictus:tum quia nutrix nō rarò alumnū ſuū admouet pectori inuita,& ſubirata:mater cōtrà alacris ſemper ac læta,uel ipſo pueri ſui cōſpectu,ſi quid erat in animo nubili, exhilarata,gaudens,ridensq; eo magis,quo auidius illum haurire cōtēplatur.Quòd ſi cœpit iam ridere, aut balbutire,incredibili alacritate ac lætitia perfunditur, unde quantū ſalubritatis lac trahat,credi non poſſet.Hoc nō in humano tantū genere,ſed per animantes omnes generale eſt naturæ beneficiū.De canibus(ut unū pro omnib. exemplū ponam)ſic ſcribit Columella:Nec unquā eos,quorū generoſam uolumus indolē cōſeruare,patiemur alienæ nutricis uberib. educari,quoniā ſemper & lac & ſpiritus maternus,longe magis ingenij atq; incremēta corporis auget.Sunt tamen, quas iuſtæ cauſæ excuſant:itaq; nolumus uideri ſine exceptiōe prędĭciſſe,& hac de re locutus ſum uolumine ſuperiore. Si literas mater ſciat, ipſa paruulos pueros eas doceat,ut eadē utātur matre,nutrice & magiſtra,magisq; ament,& prōptius diſcant adiuuāte amore in eā quæ docet.Puellas prędter literas,artib.etiā inſtituet muliebrib. lanam & linū tractare,nere,texere,ſuere,rem domeſticā colere & adminiſtrare.Non erit pię matri moleſtū,uel literis interdū dare operā,uel lectioni ſapientū & ſanctorū librorū:ſi nō ſua,certè liberorū gratia,ut erudiat,ut meliores reddat.Eurydice iam natu grandior,literis ſe & præceptis morū tradidit,tantū ut hæc in filios transfunderet, quod & fecit.Infans enim primā audit matrē,primā balbutiē ad illius ſermonē conatur effingere:ut illa ætas nihil aliud q; imitatur,& in hoc ſolū dextera eſt.primos ſenſus,primāq; mentis informationē ex ijs ſumit,quæ de matre uel audit,uel uidet.Itaq; plus eſt in matre ad effingendos puerorū mores poſitū,q; quis putet.Illa uel optimū facere poteſt,uel peſſimū. Vt optimū faciat,paucula præcepta in breuia cōferemus. Det operā,ne ſaltē filiorū cauſa ruſticè loquatur,ne idem ſermo in teneris puerorū animis infix⁹ ſimul adoleſcat cū ætate:& ubi inualuerit,dediſcere uix poſſint.Nullū ſermonē melius aut tenacius diſcunt pueri,nullū expreſſius,q; maternū:illū cū uitijs ipſis aut uirtutib,ſi quid horū habet,reddunt.In Valentiā meam à Iacobo Aragoniæ

rege ex Agarenorũ impuritate uindicatã (quo nomine fausta est nobis semper illius uiri memoria)in eã ergo,his pulsis,immigrare iussi sunt frequentes uiri Aragonij,& mulieres Illerdenses,à quib.incoleretur:ex utrisq; nati filij,sermonẽ matrũ tenuerũt, eum quẽ iam per plures quàm ducẽtos & quinquaginta annos loquimur. Tiberij & Caij Gracchi eloquentissimi sunt habiti,at horũ linguã mater Cornelia formauit: cu ius prisco seculo lectæ sunt epistolæ eloquentiæ plenissimæ. Istrina Scytharũ regina Ariphitis uxor,ipsa Sylẽ filiũ Græcis literis instituit.Nutrices uetat Plato,inanes aut aniles fabulas pueris suis narrare. Idẽ præcipiendũ matribus. hinc enim fit,ut quidã ex prima illa educatione in grandiorem ętatem uel teneros,uel fractos,& pueriles animos referãt,nihil ut graue ac prudẽs audire & sustinere queãt:sed tãtum libros ineptissimarum fabularũ sectentur,qui nec ueri quicquã narrãt,nec uerisimile. Habebunt igitur ad manũ parẽtes iucundas quasdam historiolas,& honestas fabulas,quæ ad cõmendationẽ uirtutũ,ad uitiorũ odium tendant.illas primũ audiet puer:& cum nondũ quid uitium sit,quid uirtus,intelliget, has tñ amare incipiet, illa odisse,simul cum his affectionib.adolescet,ac se similem conabitur effingere eorũ,quos mater recte fecisse confirmabit:dissimilem eorum,quos praue. Addet mater laudes uirtutũ, detestationes uitiorum,utrasq; crebrò repetat & inculcet rudibus animis.Habeat familiaria sancta quædam dicta,& uitæ formulas,quæ frequenter audita puerorũ memoriæ,uel aliud agentiũ inhæresçant.Accurrunt ad matrem pueri, de omnibus eam consulũt,omnia ex ea percontãtur:quæcunq; responderit,credunt, mirantur, habẽt pro cõpertissimis.ô matres,quãta occasio uel optimos reddẽdi filios, uel pessimos? Hic infundendæ sunt rectissimæ opiniones,& puræ Christianæ:opes, potentiã, honorem,gloriam,nobilitatem,formam,res esse uanas,stultas,cõtemnendas: iustitiam uerò,pietatem,fortitudinem,continentiã,eruditionem,clementiã,misericordiã, charitatem generis humani,hæc demũ pulchra,hæc admirãda,hæc sectanda,hæc fidelia & solida esse bona:non magnificiendũ,in quo illa superiora insint,sed in quo hęc altera.Quicquid ab aliquo factũ narrabitur sapienter,ingeniose,honestè,prosequatur laudibus:quicquid nequiter,uafrè,subdolè,impudẽter,improbè, nefariè,magna reprehensione. Quum puerũ cõplectetur, cùm deosculabitur, ac uolet bene precari, nõ hæc precetur: Vtinã tibi contigãt maiores opes q̃ Crœso,aut Crasso, aut Cosmo Medici,aut Fuggeris:maiores honores quàm Pompeio,aut Cęsari:utinã fœlicior sis Augusto,& Alexandro.sed sic: Vtinã tibi det Christus,ut sis iustus,ut cõtinẽs,ut fortunæ contẽptor,ut pius,ut sectator sui,imitator Pauli,integrior Catonib. melior Socrate aut Seneca,iustior Aristide,doctior Platone,aut Aristotele,eloquẽtior Demosthene uel M. Tul. Hæc putabit maxima,hæc expetẽda,hæc quæret,hęc cõcupiscet, quæ sibi uelut optima precari audiet eos, quib. est charissimus. Nunquã uel dictũ à puero,uel factũ nequiter,impudẽter,improbè,procaciter,petulãter,excipiat mea matrona risu & oculis. Eiusmodi assuescent pueri quæ uiderint probari & grata esse parentib.hæc iuuenes & uiri nõ deponẽt assueta. Castiget eũ, & ostendat illa nõ agenda, nec sibi placere. Contrà, amplexibus & osculis prosequatur, si quam aliquando melioris indolis significationem ediderit.Sunt in nobis igniculi quidam,seu semina uirtutum à natura indita,ut Stoici Philosophi obseruarunt.Nostri syntheresin Græco uerbo nominant,quasi conseruationem & scintillam iustitię illius,qua primus autor generis humani donatus erat à deo.Ille igniculus,adolescere modò liceret,ut illi sentiunt,ad magnam nos uirtutem perduceret. Sed obruitur deprauatis iudicijs atque opinionibus,& dum lucere incipit,ac in flammam se attollere, non modò nullo adiutus alimento,sed aduersis quoque flatibus & imbre oppressus, extinguitur.Parentes,nutrices,nutricij,magistri eruditionis,cõsanguinei,necessarij,familiares,magnus erroris magister populus:hi omnes semina illa uirtutũ radicitùs conantur extirpare, & emicantem igniculum stultitia suarum opinionum tanquam ruina opprimere. Vniuersi diuitijs plurimum deferunt,nobilitati assurgunt,honores adorant,potentiam quærunt,formam laudant,gloriam admirantur,uoluptatem sequũtur,paupertatem conculcant:nullum rentur maledictum grauius, quàm inopiam: simplicitatem animi derident, religionem habent suspectam, eruditionem inuisam:probitatem omnem

nem aut dementiam nominant,aut fraudem.illa optant, cùm benè precantur:hæc si quis nominet,uelut infausta exhorrent,atq; ominosa.ita fit, ut iaceãt hæc atq; spernã tur,nemo se his dedat:illa in precio,illa in honore sint,oẽs ad ea currant.unde tãta im proborum & stultorum copia,boni ac sapientes usq; adeò rari:cùm tamen natura il la melior hominum,propensior suapte sponte in uirtutes sit,quàm in uitia.Sãcta ma trona his corruptis opinionibus,integrioribus alijs & Christiana dignis occurret,in suoq; puero bonorum præceptorum ac consiliorum instillatione igniculũ illũ, quẽ diximus,fouebit,semina irrigabit,ut in magnam lucem ille,hæc in frugem ingentem optimamq; consurgat:nec franget neruos & corporis,& ingenij,& uirtutis,molli e ducatione ac indulgentia,ne cibis obruat,ne somno nimio & delicijs dedere se pue ros patiatur.retardant hæc mentis celeritatem.Et sunt quædam matres,quibus nun quam satis edunt,bibunt,dormiunt,uestiuntur,curantur filij. Traducãt diligentiam hanc ad mentis curam, quæ efficit,ut & mens & corpus ualida & robusta sint.Raro memini uidisse me magnos & præstantes siue eruditione & ingenio, siue uirtute ui ros,qui essent indulgenter à parentibus educati. Quid quòd nec corpora robur iu stum accipiunt,debilitata delicijs?Ita dum seruare filios credunt matres, perdunt:& dum laborãt ut sanius ac integrius uiuãt,stultæ,ualetudinem debilitant, & minuunt uitam.Ament sanè filios,ut amari par est,plurimũ scilicet.Quis enim naturæ legẽ uel abrogare conetur,uel improbare?Et cuius immanitatis est,nõ amare quẽ pepereris? sed amorẽ celent,ne ex hoc licentiã arripiant pro libidine agẽdi,nec impediat amor, quo minus & à pueris uitia per uerbera,fletus,lachrymas arceamus:& corpus ac in geniũ firmiora reddantur,seueritate uictus atq; educationis.De uirga & castigatio ne apud Sapientẽ uirum hæc sunt cõsilia,quibus parêre unumquenq; nostrũm cõue nit:Stultitia colligata est in corde pueri,& uirga disciplinæ fugabit eã.Noli subtrahe re à puero disciplinam,si enim percusseris eum uirga,non morietur.Tu uirga percu ties eum, & animã eius de inferno liberabis, uirga atq; correctio tribuit sapientiam: puer aũt qui dimittitur uolũtati suæ,cõfundit matrẽ suã. Videlicet caro peccati pro cliuis in malum à sua origine,factũ est nequissimũ mancipiũ, quod nisi plagis emen dari nõ potest,ideo dominus quẽ corripit & castigat,amare se profitetur. In quo de cet cordatos parentes imitatores esse diuinæ indulgẽtiæ.neq; enim is amat filiũ, qui correctione & castigatione eius abstinet.sicut idẽ Sapiens inquit: Qui parcit uirgæ, odit filiũ suũ:Qui aũt diligit illũ,instãter erudit.Matres hoc uelim ne ignoretis,maxi mã partẽ malorũ hominũ uobis esse acceptã referendã:ut intelligatis,qualẽ uobis de beant filij gratiã. Vos stultitia uestra prauas opiniones ingeritis,uos alitis,uos pecca tis,flagitijs, sceleribus eorum etiam arridetis. uos uadentes ad summas uirtutes,ab horrentes ab opibus mũdi,& diaboli pompa,lachrymis uestris & acerbis reprehen sionibus ad diaboli laqueos reuocatis: quoniam mauultis eos uidere diuites & ho noratos,quàm bonos.Agrippina Neronis Cæsaris mater,cùm super filio consuluis set diuinaculos,Imperabit?responderũt illi,Sed matrẽ occidet:Occidat(inquit)dum imperet.utrunq; contigit:& imperauit,& occidit:sed cùm nec occidi Agrippina uel let & filio paratum esse à se imperium pœniteret. Vos denique indulgentia uestra nec per laborẽ uultis eos uirtutẽ discere, & p delicias gaudetis uitijs obrui. Idcirco fletis & lugetis plurimæ(nã non de omnibus loquor)& meritas etiam in hac uita datis de mentiæ uestræ pœnas,cùm filios esse doletis,quales ipsæ fecistis. Nec ab eis redama mini,qui inamabiles se omnibus esse propter amorem uestrũ sentiant.Nota est ado lescentis illius fabula:qui cùm ad supplicium duceretur, colloquium matris exposcit: oreq; ad matris aurem admoto,tanquam aliquid secretò dicturus,auriculã eius mor su amputauit.Increpantibus qui aderãt, quòd nõ fur modò, sed impius in parentem esset:respondit,hoc esse præmium educationis.nam si illa me(inquit)cùm puer libel lum sodalis in schola surripui, quod fuit primum meum furtum,castigasset, non ad hæc essem facinora progressus.at illa indulsit, & osculo furem excepit. Fuit Brugis, cùm hæc ederem,mulier,quæ duos filios indulgentissimè,ac proinde corruptissimè aduersa patris uoluntate educarat.illa clanculum suppeditare pecuniam,unde lude rent,potarent,scortarẽtur:alterum uidit suspensum,alterum capite truncatum.quo

circa uulgari uerbo ſapienter admonemur, præſtare ut ploret puer q̄ ſenex. Quid de illo matrū furore dicam, quæ filios deformes, diſtortos, imperitos, hebetes, inertes, ebrioſos, inſolentes, ſtolidos, plus amant plerunq; quàm formoſos, rectos, eruditos, acutos, ſolertes, ſobrios, modeſtos, quietos, prudētes? Quid iſtuc eſt? error'ne mentium humanarū, an meritū pro peccatis noſtris ſupplicīū, ut amemus, quod minimè amandū eſt? Mutæ animātes formoſiſsimis uel catulis uel pullis blandiuntur: atq; adeò indicium hoc in eis eſt generoſitatis filiorū, cùm chari ſunt matri. Venatores illū fore optimū canē præſciūt, cuius fœta maximā gerit curā, pro quo ante alios eſt ſollicita, quē primùm refert in cubile. In hominū genere illū ferè ſcias eſſe uiliſsimum & deſpicatiſsimū, quem mater amat tenerrimè. Vultis uerè ab eis amari, ea præſertim ætate, qua ſciunt iam quid ſit uerè & ſanctè amare? efficite, ne uos admodū ament, cùm quid ſit amor adhuc ignorant, & parentib. placentā aut fauum aut faccarū præferunt. Nullū filiū mater tenerius amauit, quàm mea me: nullus unquā minus ſe matri ſenſit charum: nunquā ferè mihi arriſit, nunquā indulſit. & tñ cùm domo trib. aut quatuor dieb. ea ubi eſſem inſcia, abfuiſſē, penè in grauiſsimū incidit morbū, reuerſus, deſideratū me ab ea nō intellexi. Ita neminē magis fugiebā, magis auerſabar, quàm matrem puer: nullū mortalē magis in oculis tuli adoleſcens, cuius mihi nūc memoria ſacratiſſima eſt: & quoties occurrit, quā corpore nō poſſum, animo & cogitatiōe dulciſsima cōplector. Sodalē habui Lutetiæ, doctū in primis uirū, qui inter cætera fauentis numinis beneficia, & illud reponebat, quòd indulgentiſsimā matrē amiſiſſet: quæ ſi uiueret (inquit) ego nec Lutetiā eruditionis gratia ueniſſem, & domi inter aleas, ſcorta, delicias, uoluptates, uti cœperā, cōſenuiſſē. Qui potuiſſet ille matrē amare, quā mortuā eſſe gaudebat? Sapiēs mater nō filio delicias potius optabit, q̄ uirtutem, nō opes magis quàm eruditionem, quàm bonum nomen, non uitam indecoram citius quàm honeſtam mortē. Lacænæ mulieres filios malebant pro patria honeſtè cadere, quàm uitam ſeruare fugiendo. Ita plurimas memoriæ traditum eſt, ipſas ſuis manibus ignauos filios interemiſſe, illo addito elogio: Nec meus hic fuerat, nec Lacedæmonius. Sophia cū tres haberet ſpecioſiſsimas filias, trib. uirtutū nominib. inſignitas, Spē, Fidem, & Charitatē, iugulatas pro Chriſti gloria, lætiſsima ſpectauit, & nō procul ab urbe Roma ipſa ſuis manib. ſepeliuit, Hadriani Cæſaris principatu. Nō tam ergo artes quæſtuarias docebūt parentes liberos, q̄ ſanctas: nec proponēt imitādos eos, q̄ opes maximas breui tēpore fabricati ſunt, ſed qui ad ſummas uirtutes peruenēre. Meritò reprehenduntur Megarenſes, qui filios ſuos ſordidā frugalitatē & auaritiā docebāt, habituri pro liberis frugi ſeruos. Antiqua hæc Megarenſiū reprehēſio, in quàm multos hodie Europæ populos meritò poſſet cōferri? Florentiā & Genuā Italiæ, Burgos Hiſpaniæ, Londinū Britanniæ, Rotomagū Galliæ. ita fit, quod cōtingere paſsim uidemus, ut moniti toties rē quærere, rē facere, rē augere, rē quocunq; modo parare, facinora ſuſcipiāt capitalia & nefaria: cuius culpæ nō exiguā partē parētes ſuſtinēt, ſuaſores, autores, impulſores, & quod omniū iuſtiſsimū eſt, cū alia deeſt ad diuitias uia, parētes ipſos filij expilāt. Quòd ſi ſepta uidēt ad numos omnia, incipiūt odiſſe patres & ex odio mortē optare, quærere tollēdi rationē. & plurimos à proprijs liberis uenено ſublatos perhibēt, quib. longū eſt ſenis mortē expectare. Ergo qui parētes filios docuerūt pecuniā reb. omnib. eſſe anteponendā, ipſi uim præcepti illius in ſe experiuntur: ipſis parentib. pecuniā liberi præferūt. Exprobrāt ſæpe parētib. filij uitia ſua, tanquā illorū uel exēplo, uel negligentia ſint corrupti. Iuuenis ille luxurioſus, luxurioſo patre natus, apud Declamatores ſic loquitur: Meam luxuriā patri imputabo: nō ſub ſeuera fui diſciplina, nō ſub bene inſtitutæ domus lege, quę poſſet adoleſcentis formare mores, & à uitijs ętatis abducere. At cùm cōtinenda eſt prima liberorū ętas, & ſeueritate sanctę diſciplinę cohibēda, ne in uitia per licentiā excurrat, unde ægrè reuocetur, nec auferēda de pueri dorſo uirga: tū præcipuè filiæ nulla ſunt indulgentia tractādæ. Corrūpit indulgētia filios, at filias perdit funditùs. Licētia uiri ſimus deteriores, fœminæ ſceleſtæ. Quoniā ſolutū in uoluptates affectus ingeniū, ni frenis cohibeatur, ruit præceps in mille facinora. de quo eſt ſapiens admonitio Ieſu filij Sirach: Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarū, & nō oſtendas hilarē faciē tuā ad illas. Et filiæ qui-

quidē quemadmodū sint educandæ,superiore libro demonstraui.Ea leget mater: ꝙ multa insunt etiā,quæ maritas instituāt.& matrū est curare,ut ea filiæ exequātur,quę præcipimus.Posteaquā parentes,quantū fieri potest,prouiderint,ne quid uerbis turpe,fœdū,obscœnū,pernicioſum,nefariū,animo pueri insideat,factis magis atq; exēplis prouidebūt, ne quid uideat puer, quod effingere sine turpitudine nō possit.& est alioqui ætas illa,ut dixi,planè simica,quæ nihil profert suū,utiq; nec habet,omnia imitatur.Quid quòd aliena forsitā exēpla deleuerint parentes ab animis puerilib.autoritate & amore sui,adde etiā bene monendo:ꝙ uerò ipsi fecerint,reprehendere nō poterunt.nec si reprehendāt,mouebitur tantū puer ijs quæ audit, quàm quæ uidet. Rectè Iuuenalis,plus habere ponderis parentū exēpla apud filios, q̄ multorū doctorum monita & præcepta: ita unico malefacto grauius nocebūt, quàm multis sanctè consultis profuerant.Idcoq; in Satyra decimaquarta,sapienter suadet his uerbis:

Nil dictu fœdum,uisuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est:procul hinc,procul inde puellæ
Lenonum,& cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras,nec tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Numidiam Quadratillam sugillat Cæcilius Plinius,quòd Pantomimos effusius foueba,quàm principi fœminæ cōueniret.In eo tamē prudentiam anus laudat, quòd Quadratū nepote suū adolescentē spectare nec domi, nec in theatro Pantomimos suos permiserit:cumq; uel illos auditura esset,uel animū calculorum lusu laxatura,solita nepoti esset iubere,abiret,atq; studeret.Idē autor,Hispulæ uxoris suæ amitæ maximas agit per epistolā gratias,ꝙ uxorē suā apud ipsam educatā,suasibus atq; exēplis ad rectum honestūq; finxerit,nihilq; in illa domo uiderit nisi sanctū & imitandū.Ac nimirū erga filias maior debet adhiberi uigilantia,ne quid uel pudorē,uel pudicitiā, uel modestiā maculet,quo hæc in fœmina exactiora perquirūtur,q̄ in uiro:& fœminæ,animaliū omniū ingeniosius imitātur:ꝙq̄ est utriq; sexui cōmune,promptius ac perfectius uitia,nec cōtineri possunt,si autoritas in exemplū accedat:ut si matrē,aut quam uulgo probari uident,efficturę sint.Hinc in ciuitatib.quarū principes sunt improbæ,raræ sunt plebeiæ probæ.Et quæ à malis educātur,nō frequēter sunt aliusmodi.Nec certissimū non est uetus uerbū,similem matris filiam.Neq; tamē adeò est matris similis filia,atq; educatricis.unde nothæ pleræq;,quæ apud sanctas ex patrib.auias adoleuerūt,à matrib.degenerantes,uitam uirtutemq; auiarū educatriciū expresserunt.Cæsar M.Cato,C.Manlium senatu mouit,ꝙ uxorem præsente filia deosculatus esset.Nescit rudis ætas,cur quidq; fiat,ad eosdem actus reddit,uelut speculum acceptas formas,non eisdem finib.Quod intelligens prudentiss.iuxtà & sanctissimus senex Eleazarus,cū ex edicto Antiochi iuberetur carnes suillas edere:recusantiq; gentiles amici suaderent,ut saltem edere se simularet,ut illo prætextu dimitteret,tanquā regiæ uolūtati obtēperasset:mori se respōdit malle,quàm aliquid agere,quod in exēplum rei pessimæ accipi à iuuenib.posset.hisq; uerbis est usus:Non enim ętati nostrę dignum est fingere,ut multi adolescētes,arbitrātes Eleazarū 90.annorū transisse ad uitam alienigenarū,& ipsi propter meam simulationē,& propter modicū corruptibilis uitæ tempus decipiātur,& per hoc maculā atq; execrationē meæ senectuti cōquiram.Nam etsi præsenti tempore supplicijs hominū eripiar,sed manum omnipotētis nec uiuus,nec defunctus effugiā.Quamobrē fortiter uita excedendo,senectute quidem dignus apparebo.Adolescentibus autem exemplum fortè relinquam,si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis confestim ad supplicium trahebatur. ij autem qui eum ducebant,& paulò antè fuerant mitiores, in iram conuersi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogātiam prolatos arbitrabantur, sed quum plagis perimeretur,ingemuit, & dixit: Domine,qui habes sanctam scientiam,manifestè tu scis,quòd quum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam uerò

propter timorẽ tuũ libẽter patior. Et iſte quidẽ hoc modo uita deceſsit, nõ ſolũ iuue nib. ſed uniuerſæ gẽti memoriã mortis ſuæ ad exẽplũ uirtutis & fortitudinis derelin- quens. Inſtituẽdi ſunt igitur etiã exẽplo parentũ filij: nec eis oſtendendũ, quod facilè in uitiũ trãſeat, ne ipſi facilius trãsferant, ſimul imperitia meliorũ, ſimul hominũ natu ra in peiora procliui. Puniuit Dñs Heli iudicẽ & pontificẽ Iſraelis, nõ ꝙ filijs ſuis O- phni & Phinees malo ipſe fuiſſet exẽplo, ſed quod prauos & flagitioſos nõ caſtigaſ- ſet. Itaq; caſu è ſella interijt, translatumq; eſt ſacerdotiũ in aliã familiã. Quãto grauius uindicabit in eos parẽtes, qui ipſi uel exhortatione, uel exẽplo ſuo liberos ſuos ſcele ratè uiuere docuerũt? Quòd ſi ſuppliciũ de peccatis adultorũ filiorũ peruaſit ad pa- trem, quatenus non quãtum poſſet inhibuerat: quid fiet ijs, qui teneros ad libidines, uoluptates, cupiditates, facinora uel dictis impulerunt, uel factis? Cõtrà de muliere, quę filios uirtuti aſſuefecit, Doctor gentiũ ait: Mulier ſeducta in pręuaricatione fuit, ſed ſalua erit per filiorũ generationẽ, ſi permãſerit in fide, & charitate, & ſanctificatio ne cum pudicitia. Liberi ſi uita decedant, exiſtimandũ aliud hoc non eſſe quàm de- poſitum reddi. De conſolatione mortis, quàm copioſè ſcriptum eſt à Platone, Cice- rone, Xenocrate, Seneca? Quàm ſententia illa celebris, reputantib. uitæ huius in tan- ta breuitate tam longas ærumnas: Optimũ non naſci, proximũ citiſsimè aboleri? quã comprobarunt Sapientiæ aſſectatores, profectam (uti rentur) à Sileno quodam, qui temporibus uixerit Crœſi & Cyri cum ſeptẽ Græciæ ſapientibus: ſed prolatã à Salo- mone, multo uetuſtiore illis omnib. & ſubindicatã à Iob Huſita, qui ante Moſem re- gulus fuit in Arabia. Vnde & gẽtes quædã, uelut Thraces, & Gallorũ Druydæ, tũ uí- tæ huius tædio, tum ſpe quadã melioris pòſt uenturę, lætitia cãtuq; eos proſequebã- tur, qui fato defungerentur. Sed illa certiſsima & fideliſsima cõſolatio, quæ ex uerita te ſumitur, nempe conſideratione futurę uitæ. Mors ex ſe malũ non eſt: tãtum de mo do ac ratione ſua cẽſetur. Fœlices, quibus exitus ab hac uita in amicitia Chriſti cõti- git: infœlices, qb. ſecus. illi enim ad ingentẽ beatitudinẽ trãſmittũtur, hi ad extremos cruciatus & miſeriã. Proinde hoc eſt abs te curandũ, ut ſic filios cõponas ac effingas, ut quandocunq; iubeat eos Imperator è uita tãquã è ſtatiõe excedere gratioſi impe-ratori exeant, animo atq; induſtria illi ſua approbata. Hoc cũ ita ſit, quãto gaudio ex- cipienda eſt mors infantiũ, qui citra ſenſum laborũ ac ſollicitudinũ æui huius ambi- tionis, inuidiæ, arrogãtię, neceſsitatis, antequã inuadat agmẽ illud morborũ, corpore integro, tenuiſsimo quodã mortis guſtu, horribilẽ carcerẽ lætiſsima beatitate cõmu- tant? Quæ maior optari illis poſſet fœlicitas, quàm ut in odioſiſsima & faſtidiorũ ac periculorũ referta uia, ſubitò celeri quodã uolatu ad diuerſoriũ trãsferantur? aut ꝙ, cùm alijs diutina & operoſa contingat militia, illi pręmium idem tanto minore ope- rã conſequantur? nec grandioribus alia debet uotis optari, niſi ut meritis & miſeri- cordia illius qui nos à noxis emundauit, uendicauitq; à diaboli ſeruitute, expurgatis delictis, puri lætiq; auferantur è tenebris uitæ huius antequàm malitia immutet cor eorum, & reuolent ad patriam illam, in qua ſita eſt beatitudo ſempiterna? Ad quæ re gna uellent parẽtes ex ſe genitos euehi, cũ his cõparanda? Vtiq; nõ ad alia, ſi nõ ma- gis ab affectib. ſuis, q; liberorum utilitatib. traherentur. Atqui decet ipſos filijs eã fœ- licitatem propter inania ſua gaudia, ſeu uerius gaudiorũ ſomnia nõ inuidere, nec ſi- mulare ſe illorũ dolere uicem, cùm ſuam plãgant: quos tamen conueniret hilares & lætos eſſe, ut qui ciues illi pgenuiſſent ciuitati, cuius deus princeps eſt, angeli ciues: deq; ea ſint optimè meriti, tali ſobole progenita, & ſic educata hoc pacto, ac meritò futurũ, ut arbitror. Paulus docet, ut mulier ſalua fiat. Ergo cõſultius erit, ac piũ magis hoc nomine gaudere, q; mœrore cõfici, ꝙ repetitũ eſt quod nõ donatum fuerat, ſed accommodatum: nec querelis & luctu noſtro iudiciũ repoſcentis dei damnare. Sed pro uſura quantulicunq; tẽporis habenda gratia. nec imitandi ingrati illi, qui imme- mores percepti fructus, iniuriam interpretantur, niſi beneficium quod gratis datur, arbitratu ſuo æternum poſsident.

DE BIS NVPTIS, ET NOVERCIS.

QVæ priorib. maritis elatis, alijs denupſerunt, hoc ſuper ea quæ ſcripſimus, ſunt admonẽdæ, Videãt, ne immodica ſuperiorũ uirorũ cõmemoratione præſentes offendant. Solet hoc ingenijs hominũ uſu euenire, ut meliora ſemper uideantur præ

ſentibus,

sentib.prætcrita:propterea q̄ nulla est tanta felicitas,quæ nō multū trahat secum incommodi,& amaritudinis admistū.Hoc cùm adest,urget nos acriter:cùm abijt,non magnum sui sensum relinquit.Ita fit,ut minus uideamur transactis malis affecti esse, q̄ afficiamur præsentib.Vergit etiam in pronum ætas,quæ indies importandis inçō modis fit prior,& sustinēdis importatis imbecillior,tum recordatio uigentioris ætatis,& uelut cōparatio,cum ingraueſcente tædium affert præsentiū,desideriū præteritorum.Sed Salomoni non placet,cogitationē illam sapientis animū subire,ut existimet superiores annos præsentib.potiores esse:nec prudenti fœminæ ita uidebit,nec putabit mortuū maritū hoc uiuente meliorem ac cōmodiorem fuisse.Sæpe enim fallunt,cùm si quid eas in præsenti offendit uiro,tunc tantū in altero quæ placuerūt, recordātur:idq̄ faciunt odiosius,si in quo uiuens parum satisfacit:id magis ex animi sententia defunctus præstabat,ibi sine reputatione rerum aliarum,ad eam solam referunt inter maritos cōparationem.Hinc mœstitia,hinc perpetuæ querelæ,& molestæ marito uoces:& dum mortuū cōplorant,ac desiderare se queribundæ testantur,neutrum retinent.Nouercæ uulgo male audiunt,tanquā iniquæ in priuignos sint,cuius rei non pauca exempla memorantur,& totum hoc genus epigrāmate Græco incessitur:q̄ priuignus quidam,cùm nouercæ coleret sepulchrū,à delapsa ex eo columella sit interemptus.Etiam atq̄ etiam exhortādæ sunt fœminæ,dent operam,ut affectus & animi perturbationes habeant in sua potestate,hic fons atq̄ origo & malorū omnium & bonorū.Affectiones si dominari inter te sinas,magnū calamitatū & miseriarum agmen semel importabūt,q̄ reijcere postea uix queas:sin tu illis domineris,sanctissime uiues,ac beatissime.Istud assequemur,si in animi trāquillitate & quiete sedulò meditati erimus,quemadmodū nos geremus ingruentib.concitationū & tempestatum causis.Non sunt ergo iniustæ & asperæ nouercæ,nisi quarū tyranni sunt affectus,quæ ipsæ animi ægritudinib.non imperāt,sed seruiūt.Nam quę mente,ratione, iudicio ducitur,reputabit se idem cum marito esse:idcirco utriuslibet liberos cōmunes esse oportere,nam si amicitia omnia reddit cōmunia,adeò ut cōplures amici amicorum liberos non secus ac proprios ament,colant,adiuuēt:quanto id plenius exactiusq̄ debet coniugiū præstare,cumulus non amicitiarū modò,sed propinquitatū & cognationū omniū:Mariti patrueles,cōsobrini,fratres,parentes,pro talibus habētur,& sic nominātur ab uxore:quāto id magis præstandū est filijs:Tum miserebitur mulier teneræ ac informæ ætatis:& recordatione suorū,si habet,diliget alienos,reputans cōmunem humanæ gentis sortem:reperturos suos in se talem,qualem ipsa alienis se præbuerit,seu fato defungat,seu uiuat.denicq̄ bona mulier priuignis erit,quod tam crebrò ab eis audit,mater.Quæ nāq̄ est ab omni humanitatis & manſuetudinis sensu adeò remota,quā non mitiget & flectat illa uox,Mater à quocūq̄ profecta sit: sed in primis à pueris,qui assentiri nesciūt:qui simplici animo sic cōpellant,non alio affectu,q̄ ueram matrem,ex qua nati sunt.Quàm dulce est amicitię nomē:quod iras mollit:quod odia discutit:Matris nomine quid potest inueniri efficacius:nēpe incredibili charitate plenū & constipatū.An non iratissima mitescis,cùm te matrē nominari audis:Immanior es quauis fera,si te nomē illud non remollit.Nulla est adeò truculēta & incicur bellua,cui si eiusdē generis animalculū abblādiatur,nō illi protinus mitescat.Te liberi mariti tui emollire blandiētes nequeūt.Tu mater appellata, hostem exhibes,tu cōcepta plerūq̄ sine causa odia,in ætatem imbecillē atq̄ innoxiā exerces,tibi cū Christianos omnes beneuolētia & charitate fas sit esse fratres,odiosi sunt,domo & affinitate cōiuncti,fratres tuorū liberorū. Non te manes matris illorū terrent,persequūtur,exagitāt:Cognoscite nouercę,quæ tales estis,impotētes iras uestras ex solis uecordiæ ac uehemētiæ uestræ somnijs natas.Vitrici cur non sic oderūt priuignos:nullus ferè est uitricus,qui nō tanq̄ filiū,priuignū amet.Mentiar,nisi magna etiam regna à uitricis relicta priuignis legamus,nō secus q̄ si ex ipsis nati essent. Aug.Tyberio,Cl.Neroni Romanū imperiū reliquit:etiā cū ille nepotē & pronepotes haberet,hic filiū.Nō q̄ se nō genuisse illos ignorēt,sed quia ratiōe & sano iudicio assequunē,nullas esse inter uitricos et priuignos odiorū causas,nisi ipsi morib.suis fecerint.Quid em̄ priuigni in uitricos cōmeriti sunt,q̄ nō ipsis parētib. sint procreati:

Hoc

Hoc præstare non homiũ est,sed dei.At non blandiuntur, non semper lusitant uitrici cum priuignis, ut matres uellent. Hoc argumento nec patres naturales amant filios.Quid dixi,hos non amare?Nonnullæ sunt tam uesanæ matres,ut cõmunes liberos dilígi à maritis uix credant,quòd nõ totos dies & totas noctes cum illis ineptiãt. Non potest sic ineptire uirilis sexus,ut muliebris. Magnitudo illa uirilis animi amorẽ facile cõtinet,ac cõtegit:dominatur illi,nõ seruit. Sed uos nouercæ, quin semper priuignos ósculamini?pectitis?excolitis?tanquã uestros?Tãtæ scilicet in animis uestris ex affectionũ nubilis densantur tenebræ. Quod amatis, dignissimum iudicatis quod ament omnes,nemo uobis uidetur satis amare.quod oditis, dignissimũ odio ducitis,& alijs semper amari nimis.Nec desunt, quæ priuignos capitaliter cùm oderint,amare tamen se iurent.Insanæ,siue id ipsæ credant,siue alios sperent credituros: insaniores,si imposturam se deo facturas confidant. Et postulas, ut te audiat Christus,uocatus à te pater: quæ priuignos auerseris,uocata ab illis mater?Nõ credit Ioannes apostolus inuisibilem deum ab eo dilígi,quæ fratrem odit,quem uidet.

QVOMODO SE GERET CVM CONSANGVINEIS ET AFFINIBVS.

SOrorem Nigidius Figulus dictam esse tradit,quòd seorsum eat,quoniã in aliam transit domũ & familiã.Quod cùm ita sit,mulier nupta officiosior esse incipiet in affines,quàm in consanguineos.Sic decet propter multa, tũ quòd in illã gentẽ uelut transplantata est,cui filios generatura est,quã fœcunditate sua numerosiorẽ factura: tũ quòd propinquorũ & consanguineorũ beneuolentiã iam parauit. Affiniũ deinceps quærendus amor.Adde his,quòd & filij,si genuerit,chariores sint gentilib. & propinquis suis, adiuti non modò mutua illorũ in patrẽ, sed matrẽ quoq; charitate. Deniq; multas adfert & in cõiugio & in uiduitate cõmoditates, si diligare ab affinibus:multa incommoda,si sis odiosa.Illud quoq; spectarũt, quà consanguineis ad alienos traduxere connubia,quo latius se hominũ inter ipsos charitas & amicitia diffunderet,quasiq; propagaret.Conuenit ergo,affiniũ amorẽ dilígẽter parare,aut partum iam cõseruare,ac cõfouere.Socrus ferũt nouercalib.in nurus odijs,uicissim has non minus ardere illarũ amore,ac pietate.Terentius ex cõmuni hominũ cõsuetudine ac sensu,Omnes(inquit)socrus oderunt nurus.Facetè illa, quæ etiã socrus imaginem è saccaro cõfectã,amarã esse dixit.Plutarchus Cheroneus,& ex hoc autore Hieronymus cõtra Iouinianum narrat,in Lepti Aphricæ ueterem fuisse morẽ, ut noua nupta,postridie nuptiarũ ollam à socru utendã rogaret, illa porrò habere sese negaret:ut statim à nuptijs cognitis in socru nouercalib. morib.minus in posterũ offenderetur,si quid intercideret asperius.Mihi uerò causam inimicitiæ huius reputanti,plerunq; stultus utriusq; zelus uideretur esse.Positus est uir uelut in medio inter matrẽ & uxorem,utraq; alteram quasi pellicem insectatur.Mater ægrè fert totum filij amorem à se in nurum traduci,uxor non patitur aliam amari præter se.Hinc simultates et odia & rixæ:ut inter duos canes,si quis altero spectante alterum demulceat. Pythagorici olim,accedentib.amicis non minui amicitiã arbitrabantur,sed augeri,& roborari.sic nec mater debet existimare,se minus matrem fore,si matrimonio iungatur filius:nec uxor se minus uxorem,si habeat socrum,quin potius decet alterã alteri conciliare uirũ,si quid offensiunculæ inciderit.Stulta socrus,an non uis amari à filio coniugem,amicam,sociam indiuiduã?Tulisses igitur,te marito charam non esse. Quid miserius potes optare filio,quàm ut cum inuisa atq; infensa habitet?Stulta nurus,nõ uis à filio amari matrem?tu ergo matrẽ non amas?Amaberis tu à marito,ut socia,ut dulcis coniunx:amabitur mater à marito,ut cui maritus uitam & nutrimenta & educationẽ debeat,ac pro his magnã pietatem.Nurus quãdo se ac marituũ idem esse non ignorat,mariti matrem,suam esse existimabit:nec illam minus amabit,nec minus reuerebitur,quàm ueram matrem:sed officiosius colet,quò illam sibi arctius demereatur & cõciliet.Non feret molestè amari à uiro matrem:imò proba & sancta fœmina, si maritum animaduerterit non satis erga matrem morigerum,adhortabitur,& rogabit,ut matri eum se præstet,quem esse decet filium.Augusti neptis,quæ Germanico nepoti,Liuiæ ex Druso filio denupserat,Liuiæ & uelut nurus & uelut priuigna erat inuisa:aspera ipsa alioqui & uehemẽs,sed tãta pudicitia,& tam raro in coniugẽ amore,ut

re,ut indomitum illũ Liuiæ animũ duabus illis uirtutib. in bonum uerteret. Nurus non alio affectu alant in necessitate socrus,& sustentẽt,ac si ex eis natæ essent. Ruth Moabitis,patriam & cognationem totam propter socrum spreuit,ne miseram & afflictam anum in tam confuso mœrore desereret. Itaq; illam simul consolabatur uerbis,simul refouebat labore,utcemq; omni modo explebat filiæ.Nec mercede pietas illa caruit.nam cõsilijs socrus instructa Ruth, maritũ inuenit Booz hominem locupletem,& Obeth peperit.& proauia Dauidis regis fuit,& ex eius stirpe Christus dominus natus est.Video aliam quoq; odij huius esse causam.Graues & molestæ sunt nonnunquã nurib.socrus,de reprehẽsione,uelut censoriæ quædã & morũ magistrę: uicissim his illæ,de domus regimine.Vtrobiq; utræq; immoderatæ. nam nec castigationes & admonitiones conuenit esse asperas atque importunas. Sed obseruanda sunt tempora, nec perinde acidis utendum uerbis, atque efficacibus. nec omnino conuenit matremfamiliæ nihil domi agere, ociosam securamq; uelut hospitem sedere.Contrà porrò iuuenib. non tantum utilia sunt senum monita, sed etiam necessaria: quæ qui refugit, næ ille haud bonæ indolis signum exhibet. Scias eum multa in se habere quæ reprehendantur,qui est admonenti infestus. In sententijs Regis sapientis sic legimus:Ei qui corripientẽ dura ceruice contemnit,repẽtinus super ueniet interitus,& eum sanitas nõ sequetur.Nunquã non prodest obiurgatio,etiam inimici,etiam falsa: quæ saltem huc prospiciat,ut cautiores reddat, ne quãdo cõmittamus,in quod meritò eiusmodi obiurgatio competat. Adhæc in cura rei familiaris cõducibile cũ primis est,iuuenẽ inexercitatam,inexpertam,imò uel exercitatissimã seniori auscultare. Vetulus canis nõ de nihilo latrat.prudentior fies, si ad tuam prudentiã,senilẽ adiunxeris. Quocirca cedat aliquid de iure suo utraq; alteri,ut ad concordiam redigãtur.Socrus in tempore admoneat,adhortetur, dehortetur,& si opus sit obiurget,omnia ex uero amore & recto affectu,non odij acerbitate.Nurus uicissim,attento,prompto,alacri animo audiat,unde fiat melior,& capessat probitatis leges à senili prudentia profectas. Socrus nurũ instituat in re domestica:sed sic, tanq; futuram dominam proba consultrix & directrix.Nurus pareat,ut domini sui matri, seu potius ut suæ:quandoquidem per matrimonij uinculum coniunctæ sunt omnes necessitudines,tanto arctius primæ illæ parentum ac fratrum.

QVOMODO CVM FILIO AVT FILIA CONIVGATA, cum genero & nuru.

VT in cæteris reb. omnib. decet uxorem mariti se iudicio ac uoluntati accõmodare,ita cùm opus erit liberos cõiugare.Hoc cùm Aristoteles in libro secundo de Re familiari docet,tum ratio ipsa præscribit,ut summa in filios autoritas sit penes patrẽ.Sic Romanis legib.filij nõ in matris,sed in patris potestate erãt, quãdiu uiuerent,etiã cõiugati,& grãdiores natu,nisi emãciparentur.quãtam in ueros filios conuenit esse apud patres potestatẽ, cùm in Christũ uoluerit deus aliquã esse apud Iosephũ?Angelus domini,cùm per quietẽ Iosepho nunciat, quòd in utero Mariæ esset, non uirili esse conceptũ semine,sed ui ac opere diuini spiritus:Pariet(inquit)Maria filiũ,& uocabis nomẽ eius Iesum.Non dixit,pariet tibi filiũ,quod ueris patrib.dici solet:nam mulieres uiris pariũt liberos.& tñ addit Vocabis,ut significaret ius atq; autoritatẽ eius,qui pater existimatur:cùm uirgini dixerit, Vocabitur nomẽ eius Iesus. Velim in collocãda filia,annũ eius cùm minimũ decimumseptimũ expectari. sic Plato, Aristoteles,Hesiodꝰ suadẽt:sic natura ipsa,quę magnas ad libidinẽ flãmas prima pubertate ingenuit,sinendũ,ut eæ restingãtur sua sponte,quo in posterũ sint ad Venerẽ minus procliues.accedit ea ætate robur gestãdo utero,fœtui alimentũ, & incremẽta maiora.Nuptiæ si sunt sacramentũ,si castũ & purũ opus,cui adesse deũ scimus uelut auspicẽ,ecclesiã uidemus facẽ præferre tanq; pronubantẽ,quorsum attinẽt tot flagitiorum & nequitiæ instrumenta,conuiuia uirorum ac fœminarum, cœtus à uino & crapula saltantium, uellicantium, palpantium, nugantium: omnibus ad accendendam libidinem compositis, tanto cultu, tanta pompa.nec deest sedulus conciliator ac proxeneta pessimè contrahentium diabolus. In die tanti mysterij, cùm nihil non mundum sanctumq; dici & agi fas sit, dapes libidinem sollicitant, formæ etiam arte adiutæ:

adiutæ:accẽdit uinũ,inuitat occaſio,ſuperbiã attollit cultus,ferociã ætas:deſignationes & ſtulti quidã honores alijs arrogantiã mouent,alijs odiũ,alijs inuidiã.nec unus ſufficit nuptijs dies:proaulia celebranda ſunt,& epaulia.bona interdum patrimonij parte in conuiuiũ,& ſportulas,& congiaria effuſa,atq; ijs elargita, quibus profutura non eſt,nec habituri ſunt gratiã,imò repoſcent.& hæc omnia dantur mulierũ uanitati,dum gulæ,aut ſuperbiæ,aut delicijs,denicq; uentoſæ uanitati ſuæ indulgent, & uel oblectare ſeſe geſtiunt per ſolutiſsimã lætitiã,uel oſtentare opes,etiã quas nõ habẽt. At ubi liberorũ peractæ fuerint nuptiæ,nurũ non inſectabit prudẽs mulier, nec eius odio putabit ſe amorẽ impetrare,nõ illius modò,ſed ne filij quidẽ,ſi amet illã.Si bene moneat,ſi inſtituat,ſi coram illa ea dicat & faciat,quæ ipſa nurus in exemplũ tum caſtitatis tum frugalitatis poſsit accipere:ſi non ſerat inter coniuges inimicitias, ſed alicunde ſubortas tollat:illoſq; inter ſe totis uiribus laboret reconciliare, denicq; in nurum materno ſe eſſe pectore patefaciat ac declaret:facilè perficiet, ut ſibi filiũ demereatur,& à nuru magnũ ſibi amorẽ acquirat,magnamq; reuerentiã. Ille quãto ardentius amabit eã,ex qua genitus,& per quã uxore utitur tum caſtiore,tum frugaliore,& ſecum magis cõcordi:ut nõ obligatũ modò ſentiat ſe matris beneficio,ſed inſtitutricis uxoris ſuæ,autoriſq; nõ paruæ partis fœlicitatis ſuæ.Nurus haud aliter in ſocrum erit,ac in matrẽ affecta,per quam ipſa peritior fit,ac melior, maritoq; ſuauiore gaudet,atq; amantiore ſui.Cõtraria omnia in aſpera ſocru cõtingunt.Filiã nuptã mater nõ cõtendet tam ſuã eſſe,quàm cùm adhuc cœlebs erat. Cogitet in alienã iam domum, tanquã in coloniã miſſam, ad propagandã illic ſobolẽ. Monebit meliorũ,aut monita iam in cœlibatu in mentẽ reducet nuptæ.non aget cũ ea quæ putarit genero diſplicere.Nõ ducet ad tẽpla,nõ domo proferet,ac ne loquetur quidẽ,ſi id credat aduerſa generi uolũtate fieri. Ne dicas mihi indignabunda mulier, filiæ meæ loqui nõ potero?Filia quidẽ tua eſt,ſed iam non tua fœmina.quicquid in eã habebas iuris.genero ceſsiſti.Tu potius,ſi ex te genitã amas,& uis eam beatã uidere,hoc eſt, cõcordi ter uiuẽtẽ cũ marito, ſis ei cõſultrix ſemper atq; autor, ut uiro per omnia morẽ gerat, ne tecũ quidẽ loquatur illo inuito.Adulter eſt,quiſquis in alienam uxorem plus ſibi uult licere,quàm maritus permittat:fur eſt,qui rem alienã attingit,dño inuito. Generum nõ aliter amabit,ac filiũ:reuerebitur tñ plus,q; filiũ.Neq; enim licere ſibi ſocrus arbitrabitur in generũ,quæ in filiũ,niſi quòd nec minus ei benè cupiet,nec aliter cõſulet.atq; adhortabitur,ſed ſic tñ,ut ſuadere magis,ac rogare uideatur,quàm uel præcipere,uel imperare.Et quãdo ille iam indiſſolubili nodo iunctus eſt filiæ,qualiſcũq; ſit,nõ tolerandus ſolũ,ſed probãdus:laudãdus etiã apud filiã,ne qua diſcordiæ occaſio inter illos obrepat,id eſt,poſtremæ miſeriæ ſeminariũ.Fœlicius uiuet uxor,ſi mariti mala omnino ignoret,q; ſi cũ eorũ cõſolatione luctetur. Quid quòd ſocrus, quæ generos apud filias accuſant,ipſæ ſuum damnant iudicium,quæ tales elegerunt?

DE MATREFAMILIAS PROVECTIORIS ÆTATIS.

MAtronæ natu grandiori cõtinget illud,quod ibi Ægyptiæ uolucri narrãt,quib. rerũ naturas perquirere curæ fuit:ut annoſior iã, aromatis ꝓximę Arabiæ,quicquid in corpore eſt uitioſi humoris repurget,halitũq; ore emittat ſuauiſsimũ.Defuncta mulier & libidine & munerib.pariẽdi atq; educãdi,cœleſtia potius q; terrena ſapiet,ac ſpirabit,nihil ſiue loquetur,ſiue aget,quod nõ ſanctiſsimũ ſit,& exẽplũ iunioribus.ad imitandũ.Tũ incipiet notũ eſſe eius nomẽ,ut Gorgias dicebat,cùm ſit ignota facies.Tũ ſuperior uita ſanctiſsimè acta incipiet proferri. Tũ uere ꝓba mulier ad uirum parẽdo imperabit,& aſſequetur ut magna ſit autoritate apud maritũ, quæ ſemper ſub mariti autoritate uixerit.Themiſtoclis uxor Archippa, parẽdo diligẽtiſsimè coniugi ſuo Themiſtocli,tãto ſibi illũ amore cõciliauit, ac deuinxit, ut uiciſsim ipſe prudẽtiſsimus uir,ac in primis ſtrenuus imperator,uxori penè in omnib.obſequeretur.unde gradatio illa Græcorũ per iocum à multis iactata: Quicquid puer hic uult (Cleophantus is erat, marito unicè charus) Græci uolũt. nam quod hic uult, mater: quod uerò mater, idem Themiſtocles: porrò quod Themiſtocles, id Athenienſes: quod Athenienſes,hoc Græci omnes, Dominus Abrahæ præcipit,Saræ uti dicto ſit audiens

audiens,quoniam illa ſenex erat,& libidinis emortuæ:idcirco nihil iuuenile,aut impultrice libidine pudendum conſultura.Neq; uerò quacunq; ſit ætate,uelut ſolutam ſe legibus credat,& nactam rerum omnium licentiam:ſemper ſubijci uiro debet,ſub eius patrocinio & tutela degere,& pudore ornari. Sed in hoc tempus ætatis ubi peruenerit,locatis liberis,ſoluta curis terrenis,ſpectãs quidem terram,corpore terræ reddendo,animo uerò cœlũ,ut illuc immigraturo,ſenſus omnes,animũ,mentẽ uniuerſam ad Dominum eriget,totaq; in profectione accincta & incumbens,nihil meditabitur,quod ad inſtans iter non accommodetur. Caueat modò, ne ex religione in ſuperſtitionẽ per ignorantiam delabatur:quod uitiũ ætatem illam ſolet infeſtare. Multum quidem ſit ſanctis actionibus intenta,ſed plus tamen fidat clementiæ et benignitati Dei,ne confidat ſibi,tanquam operibus ſuis eò peruenturæ,quò inſtituit,potius, quàm Chriſti beneficio ac munere. Quumq; uigeat adhuc plus animus quàm corpus,detrahat corporis laboribus,addat animi:plus oret, & attentius . ſæpius de Deo cogitet,ardentiusq; rarius ieiunet, minus ſe circumeundo templa defatiget. Nihil opus eſt fraudet ſuum ſibi Genium,aut ſenile corpus extenuet. Proſit alijs benè monẽdo,proſit exemplo uitæ ſuæ,reditura ad illam commodi parte haud ſanè exigua.

IO. LVDOVICI VIVIS DE INSTITVTIONE FŒMINÆ CHRISTIANÆ, LIBER TERTIVS, QVI EST DE VIDVIS.

DE LVCTV VIDVARVM.

SANCTA mulier mortuo marito,maxima ſe accepiſſe damna ſciat: ſublatum eſſe pectus illud,charitatis & amoris mutui plenũ,non modò dimidium animi ſui periiſſe ſibi(ſic enim docti quidam homines, quos ualidiſsimè deamarent, nominarunt) ſed ipſam totam ſibi ereptam,& extinctam. Hinc honeſtæ lachrymæ,hinc iuſtus dolor,et plãctus non improbandus.Maximum argumentum impudici animi & ſeui,non plorare maritum extinctum. Duo ſunt fœminarum genera,quę in lugendis maritis contrarijs modis æquè peccant: & quæ nimis lugent, & quæ parum. Vidi in hac Gallia Belgica,& in Britannia, mulieres maritorum morte non acrius perculſas, quàm ſi leuiter notus aliquis interijſſet,manifeſtum iudicium frigidæ charitatis coniugalis,quo nihil ſceleratius dici poteſt,uel deteſtandum magis. Reſpondent,quum reprehendũtur,ſic ferre genium regionis,quod obtendere ſolent,qui uitia ſua in uim ſiderum aut cœli,ſoli ue naturam referunt. Ingenium regionis peccata non ingerit:alioqui nõ deliquentes eſſent puniẽdi,ſed regio. Nec ab aëre,uel cœlo accipimus ſcelera,ſed ex moribus. Sub omni cœlo & bene uiuitur,& malè. Nec ora eſt in terris uila tam infœlix,quæ non etiam bonos ferat:nec ulla ſic beata,quæ careat malis. Vidi rurſum,& quidem plurimas,quæ maritorum ſalutem uel uita ſua libentiſsimè redemiſſent. Non eſt quòd ingenio loci imputẽtur uitia. Fridigius eſt cœlũ in ſuprema Thracia,at de illis Pomponius Mela ſic ſcribit:Ne fœminis quidẽ ſegnis eſt animus:ſuper mortuorum uirorum corpora interfici,ſimulq; ſepeliri,uotum eximiũ habẽt. Et quia plures ſimul ſingulis nuptæ ſunt,cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant:moribus datur,eſtq; maximè lætum,cum in hoc cõtenditur,uincere. Ad eundem modum conſueſſe Indicas mulieres certare,grauiſſimi autores tradidere. Apud Germanos ueteres,à quibus Belgę propè uniuerſi ducunt originem,tantum uirgines nubunt,& cum ſpe uotoq; uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt, quomodo unum corpus,unamq; uitam,nec ulla cogitatio ultrà,ne longior cupiditas, ne tanquam maritum,ſed tanquam matrimoniũ ament. Vt intelligas,mutatos cum delicijs atq; opulentia mores,& diuitiarũ ardorẽ pios charitatis ardores extinxiſſe. Tota lex Chriſti nihil aliud ſonat,q; charitatem,amorẽ,ardorem. Ad ignẽ terris immitten-

dum ueni (dicit Dominus) & quid laboro magis quàm ut accendatur? Sed ubi Christo pauperi adiunximus pecuniosum diabolũ,& sobriæ pietati luxuriam ac temulentiam,castæ seueritati impudicas delicias, Christianismo gentilitatẽ, Deo diabolum: talem societatẽ aspernatus Christus,munera sua abstulit,diaboli reliquit.At firmitas forsan tanta est in animis earum,ut ipsæ se quamprimùm sapientia cõiolentur,et ictæ prostratæq; subitò erigant.Laudarem in uiro,& quidẽ sapiente:at in sexu imbecilli, suspecta est tam importuna sapientia.Maximos & sapiẽtissimos uiros doluisse mortem leuium amicorũ scimus,etiam ubertim illachrymatos.Solon Athenienſiũ legũlator,& unus ex septẽ Sapientibus,lachrymis & planctibus celebrari exequias suas iubet:ut indicarent amici,quanto ipsius desiderio tenerentur.Occisa Romæ Lucretia,quum Iunius Brutus mortis & pudicitiæ illius à regis filio læsæ ultor,reges Roma exegisset,bellumq; ea de causa esset à regibus motũ,in primo eius conflictu Brutus occubuit.hunc matronæ uindicẽ pudicitiæ annum luxerũt. Si illæ alienũ uirum, quòd alienam pudicitiã uindicasset, tantopere mortuũ doluerũt:quanto æquius est, te tuę pudicitię non modò uindicẽ,sed tutorem,tui corporis propugnatorẽ,tuorum filiorũ patrem, familiæ,domus, bonorũ omnium columẽ,dominum, defensorẽ? Vis dicam?Fleres, si non illinc discederes locupletior,quàm intraras. nunc pecuniæ lætitia sensum omnem doloris lenit ac demulcet. Fleres mortuũ,si amasses uiuentẽ.nunc ereptũ non doles,quòd charũ non erat.Sunt quæ maritos ablatos gaudeant,tanquã triste excusserint iugum:et ceu nodo ac dominatu solutæ,nactæq; libertatem propè exultẽt.O mentiũ cæcitatẽ. non est libera nauis,quæ rectore caret,sed deserta:nec liber est sine magistro puer,sed uagus,sine ratione & lege.Sic mulier marito orbata,uerè quod audit,uidua,id est,destituta & desolata:tum planè uentis temerè agitatur,ut nauis gubernatore carens:& sine mente atq; consilio fertur,ut puer adempto pædagogo.Dicet aliqua,talis erat maritus,ut præstaret sine illo agere, quàm cum illo.Nulla id unquã proba dixit,nec mala tacuit.Si tibi tam charus fuisset uir,quàm leges connubiorũ à Deo ipso latæ iubent,ut alterum te esse reputares:nõ secus ægrè ferres illum eripi,quàm te.Malæ mulieri si maritus flagitiorum omnium licentiam non largitur,intolerabilis est.Sanctæ matronæ nullus est tam molestus cõiunx, quem mortuũ malit quàm uiuentem. Sed hisce de rebus disputare quid attinet? satis superiore uolumine,abundeq; declaratum à nobis est,nec probæ dignam esse nomine,nec uxoris,quæ non toto pectore uirum amat,ut seipsa.O prouida natura,seu potius sapientissimus bonorum morum magister Deus:nulla est uirtus,cuius non aliquam finxerit tam obseruatricem animantẽ,ut optimo iure cõtemptores uirtutis illis coarguat. Quàm pudorem incutiunt,ut suggillant apiculæ inertes homines? desides formiculæ? Canum fidelitas, infideles homines peiores se testatur esse.Columbæ & oues,ut fraudes & astutiam damnant? fides uerò & charitas coniugij,columborũ ac turturum moribus exprimitur hominibus,quasiq; exprobratur.quæ aues (ut Aristoteles prodidit) uno mare cõtentæ uiuũt,nec alterum recipiũt.Turtur uerò cõpare amisso, nec liquidam bibit,nec in frondẽti ramo sedet,nec alijs sui generis colludẽtibus ac lasciuiẽtibus se admiscet. Hos castos amores,sanctosq; significat Salomon,quũ sponsam ad se inuitans: Vox,inquit, turturis audita est in terra nostra.Et sponsam ipsam modò columbę assimilat,modò turturi.Audiant morosæ & querulæ uxores Plinij, de columbis hæc narrantẽ: Pudicitia illis prima,& adulteria ignota, coniugij fidem non uiolant,cõmunemq; seruãt domũ.Nisi cœlebs aut uidua,domum nõ relinquit, & imperiosos mares subinde etiam iniquos ferũt.quippe suspicio est adulterij,quãuis natura non sit.tunc plenũ querela guttur,sæuiq; rostro ictus.Sic ille. Idcirco Dominus offerri uult turtures aut columbas,in purgatione mulieris puerperæ:ut significetur,infantem,qui in conspectu Domini sistitur,ex pudico & charo coniugio natum esse,cuius symbolum est in illis auiculis:imò et exemplum ijs hominibus,qui sic ab humana degenerarunt mente,ut rectum & sanctum à bestiolis edocẽdi sint.Non grauabor & illud ex Æliano addere: Cornices (inquit) charitate inter se quadam & fide cõiunguntur. mirum enim in modum sese amant,ubi primùm societatem coierunt.

runt.neq; ille temerè ac promiſcuè miſcentur:narrantq; naturæ illarum periti,ex pari mortua una,altera nulli in poſterum adiungi,ſed uiduè ac mœſtè ætatem degere.Prodictum quoq; eſt in nuptijs antiquorum,poſt hymnum Hymenæo dictum cornicem inuocari ſolitam,ſymbolum concordiæ utriſq; coniugum.Sic ille.Verùm mulieres illæ non peccant minus,quę modum fletibus & luctui neſciunt ponere.Nam & recenti plaga immoderatis eiulatibus omnia complent, atq; confundunt, capillos lacerãt, tundunt pectus,genas dilaniant,caput ad parietem arietant,humi ſeſe applodunt,& luctum quàm longiſsimè protrahunt:uelut in Sicilia, Græcia, Aſia, Romæ, ut etiam legibus duodecim tabularum Senatuſq; decretis modus fuerit,& moderatio luctui adhibenda. Idcirco his gentibus ſcribens Apoſtolus, conſolandos eos habuit, dicens: Nolo uos, fratres, ignorare de ijs qui dormierunt, ne contriſtemini, ut cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reuixit: ſic & Deus illos,qui dormierũt, per Ieſum ducet cum eo. Vidua lugeat maritum mortuũ, et quidem uero affectu:non uociferetur,non ſe applosione manuum,aut concuſsione membrorum uel corporis afflictet.Sic doleat,ut meminerit modeſtiæ ac moderationis:ut ægritudinem non tam ipſa oſtentet,quàm alij facilè intelligãt.Hinc ubi primus ille doloris aſſultus conquierit,incipiat de conſolatione cogitare. Nolo afferre explicatas à Philoſophis longis uoluminibus conſolandi rationes. Fœminam Chriſtianam doceo:ex Chriſtiana philoſophia,ad quam reliqua omnis humana ſapientia mera ſtultitia eſt,petẽdam medicinam cenſeo.Reuocemus in memoriam,quod modò ex Apoſtolo poſui,illos qui per Ieſum dormierunt, adducendos à Deo cum ipſo Ieſu ad æternam beatitudinem. itaq; bona ſpe debere nos eſſe. Cogitabit ergo prudens mulier,hac lege natos mortales omnes,hac lege uiuere,ut naturæ tanquam creditori debitum reddant,quandocunq; repoſcet:alios quidem paulò citius, alios paulò ſerius:ſed tamen omnes communi teneri ſorte,ut naſcendi,ita uiuendi ac moriendi.Animas noſtras immortales eſſe,hanc uitam eſſe profectionẽ in aliam æternam,& fœliciſsimam ijs qui ſanctè ac piè temporariam hanc tranſegerint. Quod facillimum præſtat religio Chriſtiana, non meritis noſtris, ſed bonitate & iuſtitia illius, qui nos à uinculis mortis ſua morte exoluit,deleto per ſanguinem ſuum edicto illo patris,quo uniuerſum genus hominũ capitis damnabatur,niſi ille ſubueniſſet, mortẽ ingreſſum ex nauigatione in portum.Qui moriũtur,antecedere: nos breui ſecutores,ſolutosq; corporibus agituros in cœlis æuum:quoad rurſus corporibus eiſdem, ſuo quiſq;, non tamen preſsi ac grauati,ut nunc,ſed induti tantum & leuiter amicti, commutata mortalitate in immortalitatem,uita fruemur & beata & ſempiterna. Hiſce uerbis iubet nos Paulus cõſolari inuicem.Hęc eſt germanè & ſolidè Chriſtiana cõſolatio,quũ non diremptos amicos amici ſuperſtites cogitabunt, ſed præmiſſos tantũ in eum locum,ubi paucis dieb. poſt lætiſsimè cõgreſſuri ſint:ſi modò dederint operã, ut quòd illos profectos & credunt & ſperant, ipſi quoq; exercitamentis uirtutũ perueniant. Hoc docet Chriſtianos ſacerdotes recentibus uiduis præcipere, his conſolationibus ægros animos refouere:non quod quidã faciunt,in funebri epulo præbibere uiduæ, & iubere bono eſſe animo,non defuturum qui illam ducat,ſe iam animo maritum illi proſpexiſſe.Sed quæ poſſunt alia bene madidi inter epulas & pocula eructare?

DE FVNERE MARITI.

VT alia permulta,ſic & iſtud ex gentilitate in Eccleſia remanſit, celebrari funera magna pompa. Illi enim animas intumulatorum corporum, graues apud inferos perferre pœnas, ſuperſtitioſe credebant, & pompa exequiarum gloriam tum illi,tum poſteris eius acquiri autumabant.Sed nec inter eos defuêre,qui hæc uana eſſe non diſsimularint. Vergilius,perſona Anchiſæ,ſapientiſsimi (ut uideri uult) uiri,facilem ſepulchri iacturam eſſe ait.& Lucanus:

—Placido natura receptat
Cuncta ſinu:cœlo tegitur,qui non habet urnam.

Tum ſapientię aſſectatores,Diogenes,Theodorus,Senẽca,Cicero,ſed in primis Socrates,magnis docebant argumentis,non referre,ubi cadauer putreſceret.M.Æmi-

lius Lepidus, qui princeps Senatus sextus iam censoribus erat lectus, paulùm antè quàm expiraret, præcepit filijs, lecto se strato sine lintheis, sine purpura efferent: in reliquum funus, ne plus quàm æris denos consumerent: gloria nobilitari maximorum uirorum funera solere, non sumptibus. Valerius Publicola & Agrippa Menenius, alter regũ expulsor & uindex libertatis, alter publicæ pacis interpres ac sequester: tum alij excellentissimi plericq; uiri, sepulturæ honorem adeò contempserunt, ut in imperio & maximis opibus uersati, ne unde quidem funeris choragium conduci posset, uiuentes prospexerint: facturi haud dubiè, si tantum ipsi credidissent esse in sepultura bonum, quantũ populus. Venio ad nostros. Religionis Christianæ martyres non putarunt sua interesse, ubi exanime iaceret corpus, modò animæ esset optimè prospectum: Christum, quum animas reddet corporibus, facilè domi suæ, quam ipse exploratissimam cunctam habet, etiam tenuissimos corporum cineres inuenturum. Augustinus libro de Ciuitate Dei primo: Omnia, inquit, ista, id est, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt uiuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si enim aliquid prodest impio sepultura preciosa, oberit pio uilis, aut nulla. Atqui longè aliter uidemus rem se habere. Neque enim apparatus exequiarum cruciatum diuitis Azoti apud Euangelium leniuit: nec ignominiæ Lazaro fuit, humi abiectum esse illius cadauer, ille in inferno malè actæ uitæ pendit supplicia: Lazarus in sinu Abrahæ reficitur, & mercedem accipit uitæ innocenter & piè traductæ. Neq; tamen hæc eò tendunt, ut sepulturæ prorsum tollantur. nam & sancti patres, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, de sepulturis suis morientes nonnulla mandarunt. & Tobias ab angelo Domini commendatur, quòd mortuos contumulauerit. Verùm enimuerò funebrem totum apparatum mortui utilitatem spectare decet, non uiuentium. Mortuo autem cum solo Deo res est, qui in defunctis uitæ superioris approbat merita, ut puram castamq; illorum qui uiuunt mentem. Non fastus illi gratus, non opum placet ostentatio, sed sancta fides ac fiducia in ipsum, tum charitas in genus humanum. Eleemosynam si feceris, accipies: & misericordiam consequere misericors. Para & tibi & mortuis tuis amicos de iniquo mãmona, ut in altera uita reperiatis, qui uos excipiant in æterna tabernacula. Dominus in Euangelio, propter opera charitatis uel exhibita paradisum reddit, uel negata negat. Tum de ratione eleemosynæ præcipit, ne fortunas tuas uicinis aut potentibus impartiaris, qui quum opus sit rependant, & uelut beneficium fœnereris: quæ munera meritò quidam de seculo hamata nominauit. Cæterùm tenuibus & mendicis largire, qui referre gratiam pari munerum genere non ualeant, ita demum uberrimam à Deo mercedem recepturus. Quanto igitur præstat uestire pauperes extraneos, quàm diuites consanguineos? reficere esurientes prophanos, quàm opulentos sacerdotes? Et quod in ceram, magnasq; sepulchrorum, & operosas moles impenditur, tenuibus siue uiduis, siue pupillis, & inopi hominum generi erogare? Quantò certius hinc fœnus, & uberius? In die fletus tui, memineris eorum qui necessitatibus pressi semper flent: illorum lachrymæ tuis succedent, illorum lætitia te exhilarabit, illos reperiet mortuus tuus aduocatos patronosq; æterno illi iudici gratissimos qui causam suam agant, qui capite periclitanti tam anxiè adsint, quàm in suorum ipsorum periculo. Satis apparet ex his quæ dixi, quid de uiduis illis sentiam, quæ ut splendidè maritos efferant, creditores fraudant, uel legatis non satisfaciunt, quum hæc cura oportuerit esse prima. Nihil hic necesse est differam, quàm astringant homines debita: tum sanctitatem testamentorum quanti conueniat momenti esse. Solidus duraturusq; honor funeris in hominum animis situs est, non in pompa iustorũ, nec tumulo marmore uel ære aut metallo preciosiore substructo. Boni uiri quamuis humili sepulturæ bene precantur omnes: magnifica malorum Mausolæa execrantur hoc acerbius & odiosius, si sciant de iniquè parata pecunia erecta esse. quid dicam, si propria, uel per uim erepta, uel dolo detenta? tunc nullus ditarum finis, & iustarum imprecationum. Mortui debita in illum transeunt, qui hæreditatem eius creuit. Alienum æs, quod maritus contraxit, naturæ, imò diuinis legibus tam debet uxor, quàm uir. quæ soluendo est, nec dissoluit, fur est: & in mariti uoluntatem, & in coniugij cha-

ritatem ac fœdera,& in leges Dei contumelioſa eſt,nec ab humanis legibus libera.

DE MEMORIA MARITI.

MEminerit uidua,et hoc habeat ſemper ante oculos,animas noſtras nō unà cum corporibus interire,ſed exui corporis ſarcina,& exolui uinculis iſtis corporeę molis,mortemq; diſceſſum eſſe ac diſſociationem corporis & animi. Animas uerò non ita in aliam immigrare uitam,ut rebus noſtris omnibus penitus renuncient. Auditæ ſunt nonnunquam à uiuentibus, & multa de noſtris actibus euentisq; cognoſcunt,uel ex ſorte ſuæ beatitatis,uel interpretibus angelis,qui inter nos & illas crebrò commeant. Quocirca oportet piam uiduam exiſtimare,non ſibi prorſum maritum ſublatum eſſe,ſed tum uita animi,quæ uera & expreſſa uita eſt, tum etiam ſua de illo perenni recordatione uiuere. Viuunt enim apud nos uel abſentes amici,uel corporibus liberi,ſi uiua illorum imago pectoribus noſtris impreſſa,aſſiduis noſtris cogitationibus quotidie renouetur,recenſq; ſemper uiuat in nobis,& uigeat. Interierunt omnino,ſi letho,hoc eſt obliuioni traditi ſint. Valeriam Meſſalinam Sulpitij coniugem interrogabant fratres ſui poſt mariti mortem,quum & ætate eſſet adhuc integra,& uali do corpore,& forma eleganti,nubere iterum an uellet? Minimè uerò,inquit illa. nam Sulpitius mihi ſemper uiuet. Hoc gentilis, & de immortalitate animorum incerta. Quid Chriſtiana? Ergo memoriam mariti,non uelut mortui,ſed abſentis,colet uidua maiore ueneratione ac pietate,quàm fletu. Magnum illi iuſiurandum erit per coniugis manes: Sic agat,ſic uiuat,quomodo marito,tam non uiro,ſed ſpiritui cuidam ſimplici puroq;,& tanquam numini placiturum ſciet. Illum ſibi obſeruatorem & cuſtodem apponat,non actionum exteriorum modò,ut antea circumſeptum corpore: ſed nunc eo exoneratum,liberumq; ac merum ſpiritum conſcientiæ quoq; ſuæ. Sic familiam tractet, ſic adminiſtret domum, ſic educet liberos, ut gaudeat coniunx, & bene ſecum actum ſentiat,quòd talem poſt ſe reliquerit uxorem. Ne ita ſe gerat, ut de flagitioſa & ſceleſta fœmina irati manes pœnas ſumant. Cyrus maior moriens, apud Xenophontem filijs mandat,ut ob immortalitatem animi ſui, cultumq; & reuerentiam deorum æternorum,memoriam ſui piè inuiolateq; conſeruent. Sit uerò finis aliquis lachrymarum & fletus,ne ſic nos uideamur lugere mortuos noſtros,ut extinctos penitus,ſed tanquam abſentes. Si tam uenerabilem ſanctamq; eſſe uiduæ conuenit mariti memoriam,qua pœna dignæ illæ cenſebuntur, quæ maritorum manes maledictis & acerba inſectatione proſequuntur? quæ apertè teſtantur, nunquam illos fuiſſe ſibi charos,dum uiuerent: utiq; nec futuros, quibus poſtea nupſerint. nemo eſt enim à uitijs immunis, & qui non aliquid habeat,quod diſpliceat. Quiſquis eas audit, non omnino ſtupidus,quid cogitare aliud de eis poteſt,quàm non futuras apud ſecundos alias,quàm fuerint primis? nam de priore amicitia experimentum ſumitur ad ſequentem. Inſanæ non uident & conditionem ſibi per eiuſmodi maledicentiam difficiliorem inuentu reddi, & ſi rurſum matrimonio iungantur, adduci maritos in ſuſpicionem,non minus ſe illis fore odio,quàm ſuperiores fuerint. nam ſi illos amaſſent,nunquam potuiſſent animum inducere ad eum modum de illis & ſentire, & loqui: quorum deſiderio conueniebat,& amorem & pietatem eſſe auctam.

DE CONTINENTIA ET HONEſtate uiduæ.

IN tradendis uidualis uitæ legibus,unde melius exordiar,quàm à Pauli dictis, qui ad Corinthios ſcribens, cœlibes ait curare quæ ſunt Domini, quemadmodum illi placeant: coniuges uerò quæ ſunt mundi, quemadmodum ſatis coniugi faciant. Ita maritatam conuenit totam de mariti moribus ac arbitrio pendere: ſolutam uerò marito, ad coniugem ſe ſanctarum omnium fœminarum uertere, Chriſtum Ieſum. Iam ergo abeat ornatus ille,& cultus corporis. qui quum maritus uiueret, uideri poterat illius oculis tributus: nunc marito mortuo,totus apparatus, tota uita ad illius uoluntatem attemperanda,qui marito ſucceſsit,mortali immortalis,homini Deus. Huic uerò ſola comenda & excolenda mens eſt,quam ſibi unicam deſpōdet Chriſtus, in qua acquieſcit et deliciatur. At componunt ſe nupturæ, Quę de uirginibus diximus,huic

congruunt loco:& multo minus decet ornari uiduam, quæ non modò ipſa quærere conditionem non debet,ſed ne oblatam quidem uel arripere, uel accipere. inuita, & reluctans, & ineuitabili neceſsitate compulſa uenit ad alteras nuptias proba mulier. Adde quòd in uirgine toleratur cultus,faſtiditur in uidua. Quis enim non auerſetur, quæ poſt primum uirum adhuc nupturiat,ac profiteatur ſe alterum expetere,& repudiato ſpõnſo Chriſto,nubit diabolo,deinde homini,ſimul uidua,& coniunx,& adultera? Quanto facilius meliuſq; conditionem illæ reperiunt, quæ uiduitatem habitu corporis,cultu & moribus exprimunt? Capiuntur enim etiam obſcœni ac flagitioſi honeſtate,uirtuſq; uel malitiæ grata eſt:ita ex ijs quæ uident,coniecturam faciũt,ſi illas ducerent,& contingeret ſibi prioribus fato defungi,cuiuſmodi eſſent uiduas relicturi.Nullus eſt maritus,qui non & ſuam mortem ab uxore doleri uelit,& ſe deſiderari.Sed quum de coniugatis illa tum philoſophorũ dicta,tum Apoſtolorũ præcepta habeamus,quid ipſos de uiduis ſentire par eſt? de quibus Paulus ad Timotheũ ſcribit:Verè uidua,& deſolata,ſperauit in Deo,& inſiſtit precib.noctes & dies:quæ uerò deliciatur,uiuens mortua eſt.Hæc præcipe,ut irreprehẽſibiles ſint.Viuere creduntur ijs,qui & ambulare illas,& edere,& bibere, & loqui,& cæteris uitæ munerib. fungi extrinſecus cernunt.ſi quis tamen immittere in penitiſsima uiſcera obtutum poſſet,ſeu potius in arcana mentis,uideret peccatricem animam remotã à Deo, uita ſua extinctã iacere.Hoc Paulus,hoc Ambroſius,hoc Hieronymus,hoc Auguſtinus,hoc ſancti omnes,una eademq; ſententia clamant:lachrymas,luctum,ſolitudinẽ, ieiunia, ornamenta eſſe ſanctæ uiduæ. Porrò quæ conuiuia, quos luſus frequentatura uidua eſſet,quas choreas, Paulus ipſæ ſatis explicauit, quum inſiſtere illam dixit orationib. die ac nocte.Sic oportet ſublato iam mortali marito, cum immortali uerſari ocioſius & liberius,confabulari crebrius & ſuauius. Apertius eloquar: oportet uiduam tum attentius orare,tum frequentius,ieiunare longius,ſacrificio ſacriſq; cõcionibus multam adeſſe,legere ſtudioſius,& ſe in contemplationem efferre eorum,quę uitam moresq; meliores reddant.Anna Phanuelis filia de tribu Aſer,quæ annos ſeptem à uirginitate ſua cum uiro marito exegerat,poſt octoginta quatuor uiduitatis annos,à Chriſto Domino in templo reperta eſt:unde non diſcedebat, ieiunijs & precibus diebus atq; noctibus ſedula & intenta.Plures & maiores in uidua,quàm in coniugata,uirtutes exigimus.hæc enim accommodare ſe mortalis uiri arbitrio debet,cui nupta uiuit, & diuiſa eſt inter uirum & Deum.Illa uerò immortalem accepit cõiugem Chriſtum: unde fas eſt,ut præſtantiora iam ſint omnia,& tanto marito cõgruentia.nec diuiſa eſt, ſed cuncta illi uni uacare ut debet,ita & poteſt. Verba pudiciora ſint, & modeſtiora: ſiquidem ſpeculum ſolet eſſe oratio animi, & morum uniuſcuiuſq;. Vetus dictũ eſt: Qualis uita,talis oratio.Nocent etiam cogitationibus ſpurca uerba:Corrumpũt mores bonos collocutiones malæ, quod ex Menandro Paulus apoſtolus ait. Non modò uiduæ uerba eiuſmodi uelim eſſe,quæ incorruptè caſteq; quę ſit opus enuncient: ſed quæ uel mores audientium inſtituant eruditione, emendent exemplo. quatenus eſt quoddam orationis genus ab homine profectum, qui magnam prudentiam magnæ probitati adiunxit:quod cum ad exprimendos tantum animi conceptus tendere uideatur,obiter tamen eruditionem inſtillat,& excolit mores.Neq; uerò quod uiduata coniuge humani matrimonij legibus ſoluta eſt,ideo nihil ſibi crediderit non licere.Sæpenumero oſtendunt uiduæ,quales in connubio fuerint, & retegunt licẽtia uiduitatis,quod celabant mariti metu:ut auiculæ caueis liberatæ, ilicò ad ingenium redeunt.huiuſmodi uiduas deuitari Apoſtolus præcipit,quæ condemnationem prę ſe ferunt,quòd primam fidem irritam fecerunt.multæ enim uitia utcunq; in cõiugio diſsimulata impetu effundunt,adempto uiri obice quo cohibebantur.Tum demum intelligitur,qualis ſit uel natura uel moribus fœmina,quũ tantum licere poteſt,quantum libeat.nam ſicut Hieronymus inquit:Illa uerè pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſi noluit. cui enim ſola defuit occaſio, huic omnia adfuerunt ad impudicitiam. Nunc oportet circumſpectius agere fœminam, quando uitia omnia ipſi imputãtur: ut uirtutum laus penes eam ſolam manet. Quippe maritus dum uiueret, utrorumq;

magnam

magnam partem in se deriuabat. In uiduitate Christus maritus facilè aderit, uolenti sanctè uiuere: illiq; acceptum referendum est, si quid boni exit: nobis uerò, si secus. Et quemadmodum in proba uxore delicię omnes collocatæ sunt uiro: sic credi uix possit, ut chara, ut iucunda est Christo, quæ uerè uiduam præstat, hoc est, cui in hac uita desolatæ, tota spes ac fiducia, deliciæ cunctæ & uoluptates sunt in Christo. Huiusmodi præcipit Paulus etiam ab episcopis haberi in precio. multa enim per earum preces impetrat Ecclesia à Christo. Talis meruit inter primas cernere in templo Christum, & de illo ijs qui aderant uaticinari. Talis & laudatur testimonio Dei, & commendatur nobis iussis illius. nam per Esaiam ait: Iudicate pupillum, & iustificate uiduã. Rursus in Psalmo, de Christo Domino: Pupillam & uiduam suscipiet. & in Exodo: Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; uos gladio, & erunt uxores uestræ uiduæ, filij uestri pupilli.

QVOMODO AGENDVM DOMI.

ET si frequẽtem in templo, assiduam in orationibus uoluerũt sancti esse uiduam, humanarũ tamen rerum curæ non exemerunt. Doctor Ecclesiarũ de uiduis loquens ad Timotheum: Si qua uidua filios aut nepotes habet, discãt primùm propriã domũ piè tractare, & uicem reddere progenitoribus. Hæc doceat uidua, hæc discant filij. hæc nepotes: modestè se gerere, & pie parentib. obsequi. Plerunq; id uidemus euenire, ut sub uidua educati, minus ijs quibus oportet pareant, corrupti nimia uiduæ indulgẽtia: ita ut in prouerbiũ apud aliquas gentes, & potissimũ nostrã abierit, Alumnus uiduæ: de malè educatis adolescẽtibus, de iuuentute corrupta, præferoci, & perditis uitæ rationibus. Consulerẽ fœminæ uiduæ, ut curã educationis liberorũ probo alicui et graui mandaret uiro. nã ipsa amore cæca, nimiũ se putat seuerè tractare filios, etiã quando maximè indulget. Non quin fuerint sapientissimæ aliquot uiduæ, quæ filios prudentiss. & optimè educarint, uelut Cornelia quæ Gracchos, & Veturia quę Martiũ Coroliánũ: ut hic quicquid præclarè gereret in rep. siue domi, siue foris, hoc stimulo pungeretur atq; excitaret, ut se matri atq; educatrici suæ approbaret. Quemadmodũ instituendi sint liberi, dixi uolumine superiore: illinc petat uidua, quæ ad curam hanc facere existimet. De familia idem Apostolus inquit: Si qua uidua suis, et maximè familiaribus nõ prospicit, fidẽ abnegauit, & est infideli peior. Cæterùm ne ipsa, præsertim si sit adhuc ætate nõ mala, admiscendam se habeat turbæ famulorũ, audiat quid diuus Hieronymus suadeat Saluinæ: Tenera (inquit) res in fœminis fama pudicitiæ est, & quasi flos pulcherrimus citò ad leuẽ marcescit aurã, leuiq; flatu corrũpit: maximè ubi & ętas cõsentit ad uitiũ, & maritalis deest autoritas, cuius umbra tutamẽ uxoris est. Quid facit inter familiæ multitudinẽ, inter ministrorũ greges? quos nolo cõtemnat ut famulos, sed ut uiros erubescat. Certè si ambitiosa domus hæc officia flagitat, pręficiat his senẽ honestis moribus, cuius honor, dominæ dignitas sit. Scio multas clausis ad publicũ foribus nõ caruisse infamia seruulorũ, quos suspectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti securus animi tumor, qui etiã bene dissimulatus frequẽter erumpit in publicum, & cõseruos quasi seruos despicit. Hæc sunt Hieronymi uerba. Quibus hoc addo, ut & famulitiũ minuat uidua, uirorũ pręsertim, & sibi grandiorem natu fœminã adiungat, probã prudentemq;, sub qua uiuat, quã de rebus quæ ad muliebrem curam pertinent, consulat. Si ipsa grauis annis iam sit, senem ascisçat consanguineum uel affinem, cui fidat. Denicq; consilio semper utatur uiri, quem sciat prudentia ualere, & rebus suis bene cupere, & perspecta esse fide. Prisci Romani fœminas in uirorum potestate semper uoluerunt esse, tum patrum, tum maritorum, tum fratrum, tum propinquorũ. Habitabit libẽtius cum socru aut affinib. quàm cũ matre, aut propinquis: simul propter mariti memoriam, cui tributum uideri potest, quòd plus illius gentem & sanguinem diligit, quàm suũ: simul quod in eam familiã translatata est, cui liberos uel peperit, uel certè erat paritura, adhæc seuerior quàm inter cõsanguineos,

creditur esse inter affines pudicitiæ disciplina,ubi charitas putatur minor, & hinc indulgentia propè nulla,& compressior licentia.Sed sancta mulier non adeò his moue bitur, quanquam his quoque, ut mariti memoria ac pietate. Sic Antonia minor Octauiæ & Marci Antonij Triumuiri filia,Drusi uxor,cum socru Liuia consenuit. Sic Ruth patriam & domum socrui Noëmi posthabuit. Nisi fortè apud socrum aut affines sint lasciui aliqui & petulantes iuuenes,qui existimationi maculam, castitati periculum afferre possint:uel affines ipsæ mulieres haud prorsus honestè audiant,tunc enim ad consanguineos migrare consultius fuerit.

QVOMODO FORIS.

PRodeundum erit quandoq; domo. id faciant contectæ,& re ipsa ostendentes, quod nomine præferunt. Vidua enim & Græcè & Latinè, quasi desolata & deserta dicitur.Multum ergo inter solam & comitatam uiro intererit.Si tantam & morum seueritatẽ,& cultus,ab uxore exegimus,quid facturi existimamur in uiduis?Exemplum oportet illas esse continentiæ,frugalitatis,pudicitiæ.Si exemplum,quî conueniet,illas comptas,instructasq; diaboli armis procedere? ut quum uanitatem animi proferant,tum laqueũ Sathanæ tendãt pro exemplo Christi. Optimè sanctus Ambrosius,lugubri habitu & seuera ac tristi fronte premi petulantes oculos, restingui libidines.Tutissimũ erit,rarius in publicum exire,idq; socia graui aliqua & proba fœmina,recta uia quò intendas.Templa ne quæras, ubi frequẽtia sit, & celebritas uirorum:sed ubi solitudo,in qua peccandi licentia sit nulla, orandi autem copia & occasio amplissima. Cum sacerdotibus ac monachis nihil necesse habet multum uersari, Astutus est diabolus,et magno usu didicit,qua quisq; arte subuerti possit,facilè quod cupit efficit,nactus occasionem:quoniã aliud non habet,in quod incumbat.Si quem de pietate consulere uult uidua,deligat senem aliquẽ,cui libido iam emortua sit,nec tamen alia uitia renata:non attentum ad rem,nec qui assentari in animum inducat pecuniæ spe,solida & sobria eruditione,quiq; tum ingenio tum experimentis prudentiam collegerit,ne aut mentem fœminæ plus quàm opus est constringat, nec frena licentiæ remittat, nihilq; uel antiquius habeat,uel charius, quàm uerum piumq;. Ad hunc referat uidua,si quid dubitat,ignoret cæteros.Hieronymus Eustochio sic consulit: Si quid ignoras, si quid de Scripturis dubitas, interroga eum, quem uita commendat,excusat ætas,fama non reprobat:qui possit dicere,Despondi enim uos uni uiro,uirginem castam exhibere Christo.Quòd si nullus sit talis qui possit exponere, consultius est aliquid nescire securè, quàm cum periculo discere. In foro, in conspectu uirorum, in turba, nihil esse debet uiduæ: in quibus locis magnum est periculum ijs rebus,quæ uiduæ commendatissimæ sunt,pudori,pudicitiæ,existimationi,& sanctitati.Decet uiduam ita agere,ut non modò sibi consulat,sed etiam alijs.In publico,sub oculis uirorũ,multis cõtrectantibus,paulatim effricatur frons,nutat cum uerecundia pudicitia,adducitur utraq; in discrimen:& si expugnata non est,certè oppugnata dicitur.Et de expugnatione loquitur quisq;,non quod uerũ est,sed quod libet. Iam curæ mundi huius,ardorem illum cœlestium rerum frigefaciunt.Et quod Dominus in Euangelio suo testatur,inter sentes decidit semen,quod præsentis uitę curis sollicitudinibusq; suffocatur,nec sinitur in optimam frugem excrescere. ac ut mare, in quod uenti incubuere,etiamnũ sedatis uentis transactaq; tempestate agitatur:sic humanus animus solutus priꝰ negocio seculi huius,illud adhuc animo & cogitatione uoluit, & post laborẽ anhelat,nec cõtinuò ab opere ad trãquillitatẽ suã redit. At cõmoto animo cuiusmodi futuræ sint preces uides:anxiæ,cõfusæ,cœnũ mundi istius spirãtes:ut flumine aut fonte turbato,nõ licet purã & liquidã haurire. Quies animi est, quæ nos altissimè ad diuina colloquia sustollit:ut Magdalenã illam,quę nũcio rebus humanis misso,sedebat iuxta Domini pedes, uerbis illius intenta. Idcirco Christi elogio commendatur,quòd optimã elegerit partẽ,quæ nunquã ab ipsa auferet. At dicet aliqua, periclitat patrimoniũ,intẽditur mihi lis. De illo audi Ambrosiũ:Ne dixeris, sola ego sum:castitas solitudinẽ quęrit,pudica secretũ,impudica cõuentũ.Sed negociũ habes

& in-

& interceſſorẽ aduerſarij uereris,apud iudicẽ pro te Dominus interuenit,dicẽs: Iudicate pupillo,& iuſtificate uiduam.Sed patrimoniũ uis tueri. Maius pudoris eſt patrimoniũ, quod melius regit uidua,q̃ nupta. Seruus peccauit:ignoſce.melius eſt enim alterius culpã feras,q̃ tuã prodas.ſic ille.Quid quòd ita uidemus natura noſtrorũ ingeniorũ cõparatũ eſſe,ut commẽdatiſsima ſit iudicibus cauſa illius, qui uel infirmos patronos habet,uel nullos? Tunc enim in uicem patronorũ ſuccedũt iudices,quum contrà patrocinijs & aduocatis minutiſsimis iudices plerunq̃ aduerſentur.ſcilicet, ut nimias opes odimus,ſic exiguas tenuesq̃ adiuuamus:ut efferẽtes ſe deijcere atq̃ deprimere conamur,demiſſos attollere.quin etiam ſic ferè ſtatuimus (ſicuti prudens quidã uir dixit) ut in omni certamine qui potẽtior eſt, etiam ſi iniuriã accipit, tamẽ q̃plus poteſt,facere uideatur.Idem de patronis putato me locutũ,q̃d de iudicib. quis omnib.probatior erit illius uiduę cauſa,quam uiderint pudore impediri ac cohiberi, ne ipſa probet:cõmendatior eius,quę minus cõmendarit:ueriſimilior illius,quã ſanctitati deditã,non credũt facilè uel retenturã quod ſuũ non ſit,uel repeturã. Ita ſancta fœmina non litigatoris argumẽta in forum affert,ſed autoritatẽ teſtimonij,& magni præiudicij grauitatẽ.Illa uerò loquax, & frequẽs, & proinde importuna, neceſſe eſt obtundat,et odio ſit,& ſibi quę diximus patrocinia detrahat.Et hæc quidẽ uel de bonis iudicibus,aduocatisq̃ locutus ſum,uel quos ipſa malos eſſe neſcit. Nam ſunt quidã uſq̃ adeò praui & flagitioſi,ut in his iura nõ æquitate,ſed turpi libidine regantur,in quos publicę diſciplinę ſeueritas profectò animaduerteret,niſi ueriſſimũ eſſet, quod Sapiens ille dixit,leges aranearũ telis eſſe ſimillimas:quæ minuta animalcula irretiũt,à maiuſculis rumpuntur. Cæterùm hos ſi tales eſſe nõ ignorarit proba uidua (ilicò enim fama retegunt)non modò cum certiſsimo fortunarum damno uitabit & fugiet,ſed cum præſentiſsimo uitæ diſcrimine. Idem cenſeat me de quibuſuis laſciuis libidinoſisq̃ dixiſſe.Porrò de circũcurſatione, & de ædibus alienis,Pauli præceptum eſt:uelut inhonoras eſſe reijciẽdas eas uiduas, quæ ocioſę domos circumeant: nec ocioſæ tantùm ſunt,uerũ & garrulę,& curioſę,effutiẽtes quæ non oportet.Sunt eñ quę iam,ut ſibi quidẽ uidenť, domeſticis ſuis negocijs perfunctę, alienis impudẽter ſe ingerũt,& uelut ſapiẽtes ſuadẽt,adhortanť,prę̃cipiũt,reprehendũt,cauillanť:foris mirè oculatæ,domi cæcæ.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

SEcundas nuptas reijci in totũ ac reprobari,hæreticorũ eſt. Melius eſſe cõtinere, quàm iterũ nubere,nõ modò conſiliũ eſt Chriſtianæ puritatis, hoc eſt,diuinæ ſapientiæ:ſed gentilis quoq̃,id eſt humanæ.Germanas fœminas (uti recenſui) tantum uirgines nupſiſſe,ſcribit Cornelius Tacitus.& cùm aliæ maritis in prima iuuẽta orbatæ,iterũ uxores fieri noluerũt:tum inſignes maximè,Valeria Meſſalorũ ſoror,& Portia minor Catonis filia:apud quam etiam,quum fœmina laudaretur optimis prædita moribus,quæ ſecundũ haberet maritum,Portia reſpondit,fœlicẽ & pudicam matronam nunquã bis nubere.Cornelia Gracchorum mater,Ptolemæi Ægyptij regis nuptias,ad quas poſt Gracchi mortem ingentibus promiſsis allicie batur,recuſauit:maluitq̃ Cornelia Gracchi eſſe,quàm diuitis Ægypti regina. In ſcena & theatris ſecunda matrimonia exagitãtur etiam mimorũ carminibus.Habent (inquit) maledicti locum crebræ nuptiæ:& mulier quæ multis nubit,multis non placet. Valerius Maximus antiqua referens inſtituta,ſic inquit:Quæ uno cõtentæ matrimonio fuerunt, corona pudicitiq̃ honorabãtur.exiſtimabant enim eum præcipuæ matronæ ſincera fide incorruptũ eſſe animũ,qui pòſt depoſitæ uirginitatis cubile,in publicũ egredi neſciret:multorum matrimoniorũ experientiã,quaſi legitimæ cuiuſdã intemperantiæ ſignum credentes.Afferuntur nõnullę à uiduis cauſæ,cur nubere ſe prætexãt uelle.de quibus hunc in modum diuus Hieron.ad Furiam ſcribit:Solent adoleſcẽtulę uiduę, quarũ nõnullæ abierũt retrò poſt Sathanam,quũ luxuriatę fuerint in Chriſto,nubentes dicere:Patrimoniolũ meum quotidie perit,maiorum hæreditas diſſipatur,ſeruus cõtumelioſe locutus eſt,imperiũ ancilla neglexit,quis procedet ad publicum? quis reſpondebit pro agrorum tributis? paruulos meos quis erudiet? & uernulas quis educabit? Et hanc,prò nefas,cauſam opponũt matrimonij,quę uel ſola debuit nuptias impedire

impedire. Superducit mater filijs non nutricium, sed hostem: non parentem, sed tyrannum: inflammata libidine obliuiscitur uteri sui, et inter paruulos suas miserias nescientes, lugens dudum, noua nupta componitur. Quid obtendis patrimoniũ, quid superbiam seruulorum? Confitere turpitudinẽ. Nulla idcirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat: aut si certè libido non stimulat, quæ tanta insania est, in morem scortorum prostituere castitatem, ut augeantur diuitiæ? & propter rem uilem, atq; perituram, pudicitia, quæ & preciosa & æterna est, polluatur? Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, & rem incertam certo præfers pudori? Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, ut post paululũ testamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas: & quod te moriturã facere uolet, ipse uicturus faciet. aut si euenerit, ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos genuisti. Clàm porriges cibos, inuidebit mortuo: & nisi oderis filios, adhuc eorum amare uideberis patrem. Quòd si de priore uxore soboleẽ habẽs, domum te introduxerit, etiamsi clementissima fueris, omnes Comœdi & Mimographi & cõmunes Rhetorum loci in nouercam sæuissimã declamabunt. Si priuignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis ut uenefica: si non dederis cibos, crudelis: si dederis, malefica dicêris. Oro te, quid habent tantum boni secundæ nuptiæ, ut hæc mala ualeant cõpensare? Hæc Hieronymus. Sed de cõtinentiæ laudibus, & dissuasione secundarũ nuptiarũ, quid ipse post Hieronymi torrentẽ, aut Ambrosii dulcem ambrosiã queam dicere? Ex illis petat, qui desiderat. Nobis illa in hunc locum afferẽda nõ sunt, qui nõ adhortationes ad aliquod uitę institutũ scribimus, sed præcepta de illo, quodcunq; fuerit. Quanq; in hoc autor essem castæ fœminæ, ut in sancta uiduitate perseueret, eo magis si filios habet, qui uidetur cõiugij finis & fructus esse. Quòd si in hoc degendæ ætatis genere non cõfidit se uel libidinis stimulos superaturam, uel famæ loquacitatẽ siniſtrè suspicacem, audiendus erit Apostolus Paulus ad Corinthios: Dico & uiduis, & cœlibibus, bonum illis esse si manserint quemadmodum & ego. Sin uerò non cõtinent, connubio iungãtur. præstat enim matrimonium cõtrahere, quàm uri. & ad Timotheum: Iuniores uiduas reijce. postquàm enim licentioſe abusæ fuerint Christo, nubere uolũt, habentes præiudiciũ, quòd primam fregerint fidem. simul & ociosæ discũt domos circũire: nec ociosę tantũ, sed & nugaces, & curiosæ, loquẽtes quæ nõ oportet. Volo igitur iuniores nubere, filios gignere, domesticam rem administrare, nullam occasionẽ maledicti præbere aduersario. Sunt enim quædã, quæ iam cõuersæ, secutæ sunt Sathanã. Nolunt quædã nubere, prætendẽtes libertatem. Si ea est libertas spiritus, ut liberius te cunctam Deo dices sine cura mariti, quis id non probet? Sin uerò, ut absq; reprehensore aut admonitore facias, quicquid animo fuerit collibitũ: libertas est carnis, & occasio nõ libertatis, sed exitij. neq; est probæ ac prudentis fœminæ indiciũ, postulare ut nullius potestati atq; autoritati subdatur sexus rudis ac infirmus: quem semper humanæ ac diuinæ leges uirili potestati ac regimini subiecerũt. Aliæ secundas nuptias nõ amore puritatis ac castitatis recusant, sed gloriæ. quibus non aliud à Christo dicetur, cũq; quod fatuis uirginibus, Nescio uos: & quod hypocritis, Recepistis mercedẽ uestram. Istæ à maritis hominib. uiduæ, uanæ atq; infrugiferæ stultitiæ non tam nupserũt, quàm miserè & laboriosè seruiunt. Videant tamen quæ nubunt, ne ilicò à mariti funere, aut pòst paulũ. id signum est, uiuentes non amasse, de quorum morte acceptũ dolorem, luctum, desideriũ tam breuiter deponunt. Et si quid de domo aut filijs prouidendum est, curent ante strepitum nuptialem, et ante dominiũ alterius mariti. Nec parentibus si habent, ius illud in se adimant, quin eis plurimũ in quærenda cõditione, atq; adeò totum deferatur. Neque enim quòd uirum amiserunt, idcirco etiam patrem: et quia mariti legibus solutæ sunt, protinus & parentũ quoquè, quæ non minus debent nunc eis uiduæ, quàm antea uirgines. Sancti uiri Ambrosii sententiã de hoc habemus, qui in libro de Abrahã patriarcha primo, sic scribit: Mulier, si qua amisso marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si uult, nubat tantùm in Domino, ut electionem mariti

parentibus

parentibus deferat,ne appetentiæ existimetur autor,si ipsa de nuptijs suis electionem sibi uendicet. expetita enim magis debet uideri à uiro,quàm ipsa uirum expetisse.Sic ille.In locum parentum consanguinei atque affines seniores succedunt: illarumq; castiganda est impudentia, quæ non solùm inconsultis ijs, quibus parentum reuerentiam debent, sed inuitis quoq;, & interdum reclamantibus ipsæ sibi maritos inuentunt,planè testificantur se non tam hoc agere,ut carnis incitamentis sine scelere eant obuiam, quàm hunc uirum ad libidinem cum eo explendam appetere: facturæ sine connubio,si sine dedecore liceret. Itaq; respectui hominū,non Dei, coniugium prætenditur:ne quis sit,qui reprehendere audeat uitium,cui obiectum est sacramentum.Deus tamen reprehendet et puniet,cuius oculis nullum obstabit uelum,quin uitium ipsum intueatur nudum apertumq;. talia enim sunt omnia ante illum. Si ratio pietatis tantum in earum ualet animis,& effugere uolunt culpam, idq; unum quæritur per coniugium,nihil debet ipsarum referre,quis sit maritus, modò à crimine uindicet per matrimonium:& hoc honoris illis habeant, quibus cœlesti oraculo iubentur obtemperare,ut cupido sit mulieris,electio parentis.significet mulier, se uelle nubere:pater declaret,cui nubet.Quid quòd affectu occupatus animus,non satis quod è re futurum est dispicit.Nam ea est affectus omnis natura,commouere,cōcitare,turbare omnia,obscurare ueri atq; honesti lucem,ut cerni non queat.Sunt uerò liberiores uiduæ aliquæ,non propinquorum cura:quippe sapienter est à uetere populo Romano institutum,apud quem nulla fœmina ne priuatam quidem rem sinebatur agere sine autore: in manu esse uoluerunt parentum, fratrum, uirorum.Sed quibusdam id ab autoribus suis conceditur,ut sibi pro arbitrio maritum deligant. hæ uiros quærant eiusmodi,quibus congruum sit uiduas copulari: non iuuenes lasciuos,lusibundos,imprudentes,indulgentes,qui nec se nec uxorem nec domum sciant regere: sed uirum mediam ætatem prætergressum, sobrium, seuerum, reuerendum, magno usu rerum,cordatum,qui totam domum prudentia sua in officio contineat,qui sapientia sua sic omnia moderetur & temperet,ut hilaritas quędam domi sit sobria,et pareatur sine contumacia,& in opere familia perseueret sine molestia, & pura sint omnia atq; integra: quoniam illi hæc scient placere, cui se uni approbari omnes pluris facient, quàm toti ciuitati. Quòd si uelut coacta ad alteram conditionem pertrahitur uidua, par est ut nuptias occultet, quarum est ipsi desiderium turpe: ne id ostentet populo, in quo culpam metuit. Itaq; secundæ nuptiæ silentio, ac penè clanculum transigentur,sine strepitu ac choreis:& coniuges acquiescentes consanguineorum affiniumq; conscientia,alienos deuitabunt,ut cōiunctos prius audiant matrimonio, quàm coniungi. Nemo in fœdo suo morbo medicinam sibi adhiberi poscit publicè.Nemo, nisi fortè insanit,assecutum se prædicat,quod expetisse uituperabitur.

DE INSTITVTIONE FŒminæ Christianæ, finis.

IO. LVDOVICVS VIVES CAROLO QVINTO CÆSARI AVGVSTO REGI HISPANIARVM S. D. P.

QVVM IN TANTA CONTINVATIONE BELLOrum, aliorum ex alijs incredibili fœcunditate renaſcentium, ingentes cuncta Europa clades acceperit, atq; omnibus penè in rebus magna quadam egeat, & quaſi uniuerſali inſtauratione: nulla tamen re, perinde eſt illi opus ac pace quadam & concordia, tanquam in totum hominum genus ſuperfuſa. Exciſos uidemus ac depopulatos agros, ædificia diruta, urbes alias æquatas ſolo, alias exinanitas prorſum ac deſertas, alimenta et rara et precij intentiſsimi, ſtudia literarum ſegnia & penè amiſſa, mores prauiſsimos, iudicia tantopere corrupta, ut ſcelera pro benefactis approbentur. Hæc omnia conſtitutionem ac reparationẽ uel maximam poſcunt, exigunt, efflagitant, et prętenues magnarum rerum reliquię amplius ſe non poſſe conſiſtere, ni maturè ſuccurratur, apertiſsima uoce clamant, teſtanturq;. Sed ea quantumcunq; exigantur, & in illum ipſum gradum reponantur, unde ceciderant, in eo certe non perſeuerabunt diu, niſi Pace & Concordia munita & fulta. quandoquidem deiecit illa diſſenſio non ſolum inter Principes, ſed inter priuatos quoq;. & deijciet, quoties in illa inuadet. Itaq; nihil eſt, quod tam ſit hoc tempore mundo neceſſarium ad ſe ſiſtendum, ne intereat penitus, quàm concordia. Ea una & collapſa reparabit, et reuocabit fugientia, et amiſſa iam ac propè deplorata reſtituet. Quiſquis erit ille tam fortunatus naturæ partus, tam charus ſuperis, tam proſperũ Dei munus felixq; orbi uniuerſo, per quem Deus iam rebus humanis placatior pacem genti ſuæ reddiderit, huic nimirum ex cunctis mortalibus cumulus bonorum omnium debebitur. utinam uel multis priuatorum, quibus ad eam rem magnam tribuit Deus uoluntatem, parem dediſſet facultatem, uel uos Principes, quibus ille facultatem eſt largitus, uoluntatem adderetis. Quanquam ipſe magnum atq; euidens ſignum erexiſti ad optimè ſperandum de quiete orbis, ut duo illa animus & potentia, in tuo iſto pectore coniuncta eſſe credantur: & quemadmodum ſuſtollere ac ſubleuare poſſis oppreſſum ac iacens Chriſtianum nomen, ita etiam uelis, & annitaris pro uirili. Potentia tot regnis declaratur non cruore nec cæde hominum quæſitis, ſed à maioribus hæreditate tibi relictis, occulto dei conſilio tot magnos principes tam procul ditione atque origine diſſitos coniugijs nectente, ut tu hoc ſtatu rerum tantus princeps exiſtares. Acceſsit Regio nomini per ſe amplo ac magnifico Imperatoria dignitas ſacra auguſtaq;, cuiq; omnes ultrò concedũt. Comprobata eſt naſcẽdi ſors tot victorijs præter ſpem oblatis, ut non ſolùm ingentes exercitus frangerentur, caperentur numero ſiſsimæ urbes, ſed duo præcipui Chriſtiani orbis principes in tuam poteſtatem uenirent,

rent,Franciſcus Galliæ Rex illis ſeptus ac munitus copijs,et Clemens ſeptimus Pontifex nō ſolum eccleſiaſtici ordinis primus,ſed magnus etiam opibus,ditione, armis. Conſpirarunt tot reges ac nationes,coierunt metuendam ſocietatem potentiæ,conflarunt fœdus grandibus uerbis et horribilibus conditionibus,ijs qui eo fœdere non comprehenderētur. Tu uelut gladio nodum illum diſcidiſti,ut nemo ſit,cui non fiat perſpicuum,hos tantos tamq; admirandos ſucceſſus non humanarū eſſe uirium, ſed diuinarum,qui tibi uiam ad pulcherrimum aliquod & maximum opus communit,ſi uelis ingredi.uoluntatem uerò multis documentis oſtendiſti.illo potiſsimum,quòd ita te cum utroq; captiuo tuo geſsiſti,quo pacem aliquam inuenires,ut reprehenſione etiam tuorum non caruerīs, quòd nimis utrunq; liberaliter nimisq; benignè dimiſeris.quin & ex ijs,qui in ea deliberatione fuerunt tibi in conſilio, nōnulli male ea de cauſa audierint. Tibi uerò,qui ad pacem feſtinares,quæcunq; aperta concordiæ uia ilicò arriſit.Sed hactenus,ne id ignores,iacta ſunt tantùm præclarorum facinorū fundamenta. Nam in ea illa opera, quæ cogitas, quæq; omnes de te ſperamus,ac nobis pollicemur,uix prima es ſpacia ingreſſus.ſigna præmiſiſti modò,quîs ſpes eſt eorum confirmata, quæ nemo non abs te uelut iure requirit ſuo. Siue enim quia potes, tanquam officium exigunt, ſiue quia uis.& cœpiſti, tanquam debitum. ut nullus ſit qui non ſe fraudatum captumq; conqueratur,ſi pedem referas. ſi quod reliquum eſt curriculi,detrectes . Cognitæ iſtæ tuæ uirtutes, quæ tibi tam gratum ad omnes nomen pepererunt,ceu arrabo quidam fuêre te illas ipſas uirtutes cōſeruaturū,aucturumq;, id eſt,ſatisfacturum publicæ expectationi. Ita eſt,ab incognita uirtute nihil uelut debitum repoſcimus.à cognita omnia,quum in hoc honeſtiſsimorum actuum quaſi ſtadium introires,primisq; in carceribus conſiſteres, ne dimidium quidem eorū exigebamus,quæ iam præſtitiſti.hæc uerò iſta quoniam ingentia pollicētur, de ijs te ingentibus appellamus,ut nobis promiſsis,& proinde noſtris.ſed aſcēde iam altius, & maiore cum ueneratione cogita non iam te illa ipſa hominibus ſolùm debere, uerū ipſi quoq; Deo ſancto & præpotenti.A quo quanto es hactenus indulgentius habitus, hoc te diligentius conuenti anniti ac contendere, ut te tanta beneuolentia dignum præbeas. illiq; tanquam patri obſequentem te, ac morigerum des filium. Si te ea eſſe animi arrogantia, atq; impietate exiſtimarem, ut maxima iſta, quæ tibi contigerunt, tuarum eſſe uirium, tuæ facultatis ac conſilij eſſe crederes, multis tentarem uerbis eiuſmodi cogitationem ex præcordijs tuis reuellere,qua nihil eſſet peſtilētius.ſed quū ſciam omnia te illi referre accepta, à quo ſunt tibi donata, non eſt quod hoc in loco multa à me uerba conſumantur. Ea enim ſunt circa te acta, ut non tantū modeſta tua prudentia ac pietas,uerùm quiuis ſtolidiſsimus è uulgo facile intelligat,magnum aliquid,inſolitum,admirandum,moliri ſapientiſsimum numinis conſilium, modò tu illi te commodum exhibeas inſtrumentum,non iræ ac animaduerſionis Dei in noſtra ſcelera,quod ille idem auertat.ſed clementiæ illius,qua miſertus ſui generis humani, propitius iam tandem nos & ſecundus reſpiciat, ut non quam meremur pœnam infligat,ſed eam inſpiret mentem, qua pœnas nos atrociſsimas mereri agnoſcamus, & illas deprecemur mente atq; actionibus uitæ commutatis. Indixiſti profectionem in Italiam. habes animos totius Europæ atq; adeò Aſiæ quoq; ſuſpenſos in exitum huius itineris:habes omnium aures & oculos intentos,& in te,atq; in id unū quod agis defixos,quid tanto rerū molimine acturus ſis? quò euaſurus? Boni omnes, & quotquot te propius nouerunt,ſperant,ac pro certo compertoq; habent eam futurā perfectionem maximorum operum,quæ inchoaſti,de quibus iampridem te animo agitare decet,& profectò iam agitas,niſi nos & ea quæ hactenus feciſti belliſsimè fallūt, & ij qui de te loquuntur familiarius & in aula (quod dicunt) interiore cognito.Neq; enim tantus apparatus, ea rerum omnium molitio, ea commotio omnium, ut excirī ſedibus ſuis Hiſpania uideatur, uel ad potentiæ oſtentationē, & uaniſsimū aliquem rumorem colligendum pertinet.Quid à grauitate iſta alienius? uel ut Italiam modò ſubijcias,id eſt,ut anguillam piſceris,quæ tibi arctiſsimè retinenti lubricitate ſua ela-

batur.quid minus iſti prudentiæ cõuenit? & rerum uſui atque experimẽtis? ceu uerò nouus nunc & peregrinus uenias,ad res Italiæ noſcendas.Rem uerò ſolidam,rem in poſterum ſtabilem, diuturnamq; omnes te animo deſtinaſſe non dubitãt, rem qualem optat mundus,quia uehementer indiget. Pacem ſcilicet principum,quoad eius fieri poſsit firmam manſuramq;. Tum concordiam opinionum, quam ego ut utiliorem magisq; humanę genti neceſſariam,ita factu difficiliorem puto, quam alteram illam inter principes.Quandoquidem principum res,quę in humanis uiribus ſunt poſitæ,domantur maiore potentia,delaſſantur progreſſu,cedunt temporibus, occaſiones expectant,ſeruiunt rerum curſui:denicq; mutantur uoluntatibus,quæ exiguis ſępe reſpectibus adducuntur,atq; impelluntur.Opiniones uerò & ſententiæ de ueritate rerum, poſtquàm accedentibus affectibus ualidæ inueterauêre,ardentes ac pertinaces perſeuerant,tãto magis quo aliquid extrinſecus adhibetur,quod obſiſtat, tum uerò ut ignis aſperſu leuis aquæ maiores attollit flammas, non metuunt potentiam, non obediunt temporibus liberæ ac ſui iuris, nec aliter exire poſſunt, quàm intrauerant:nempe ſpecie aliqua ueritatis. Nam minæ & oſtenſio terroris cohibere quidem poſſunt corpora,mentes non poſſunt,quo humanę uires non penetrant.Animorum uerò concitati illi motus atq; affectus,quæ perturbationes nominantur,tanquã grauis et periculoſus morbus,niſi exactiſſima tractentur arte,cura ipſa increſcunt,maioresq; turbas ac tumultum edunt.Sunt enim natura ſua moroſæ, difficiles,uiolentę, impotentes, atroces,ſæuæ.reſpuunt, ac indignantur medicantis manibus, præſertim ſi curationem prę te feras,ut irrependum,non ingrediendum habeas ad ſanationem. uides in hoc proximo eccleſiæ concilio, de quo congregando audio te uehementer eſſe ſollicitum,& ſine quo diutius ſalui eſſe non poſſumus,in eo ergo quum remediũ ſit tam uarie deprauatis ac detortis opinationibus adhibendum,leniendę ac mitigandæ exaſperatæ affectiones tam multiplices, quæ apud pleroſq; in acerbiſsima odia exceſſere,intelligis quo iudicio,qua arte, qua prudentia ſit opus acuta,rara, exquiſita.Nullum unquam fuit in eccleſia concilium,in quo tot morbi tam lætales fuerint ſanandi, idcirco nec ullum in quo ſi quid fuerit peccatum, maius diſcrimen, imò grauiorem ac præſentiorem perniciem adferat. Poſita eſt in ſpe ac expectatione huius concilij eccleſia,in quo medicinam inueniat tam perditæ ac extremæ ualetudinis,in illo ſi quid humanis concedatur affectibus,ſi quid perſonæ impetrarint,ſi hominum fauor,ut aliquid pro ſe contra fas & pium,contra uerum æquumq; decernatur,ſi non omnia exactiſsime expendantur magna ſapientia, iudicio,pietate, horret animus dicere, credi non poteſt, quanta & quam penè mortifera plaga religioni infligetur. O quam in arduo conſpicio collocatum euentum tuarum cogitationum? Quantam paratam in ſummo gloriam? quantum ad homines præmium,licet hoc leue & breui periturum,ac contemnendum? Sed quantum tamẽ ad deum,firmum & ſempiternum? Nunquam paruo conſtitit maxima laus. Quòd ſi tantopere ei eſt uigilandum,qui domus unius mores prolapſos & à recto deflexos,corrigere ac reſtituere conatur,quid ei cenſes faciundum,qui orbem pene uniuerſum ſuſcepit inſtaurandũ? nec aliter fulciendum ac ſuſtinendum nutantem,quam ut in fabulis ferunt de Atlante. cui defeſſo Hercules ſe tanquam uicarium parumper præbuit.neſcio an columnis iſtis tui ſymboli aliquid uolueris ſignificare tale, ut te Atlanti uelut alterum Herculem ſucceſſurum quandoq; præ te feras. certe ſine fabulis atque allegorijs quiddam non diſsimile præſtare habes neceſſe, ut pergas in ijs, quæ es exorſus. Exerendum eſt tibi acumen ingenij, proferenda lux cordis & iudicij, agendum,uigilandum. multa ſunt tibi tuis oculis & auribus cognoſcenda,plura ex uiris, quorum fidem,ſapientiã, rerum uſum exploratum habeas,& compertum.plurima ex eorum librorum lectione, quos principem uerſare par eſt. qui libri cõſilium & exactum dabunt,nec ulla aſſentatione aut reſpectu potentiæ tuæ infectum.Nihil purius ſumitur, quàm ex illis.Sed hac de reſta tui fuſius ad te aliquando commentari.In præſentia de eo ad te ſcribo, quod unicum homines omnes adeò requirunt,deſyderant,ſuſpirant, ut quidam propemodum deplo-

plorarint, de concordia humani generis libros quatuor: admiscui multa de discordia, ut ex eius comparatione melius intelligeretur, quæ sit concordiæ uis, quæ præstantia. Congessi in hæc uolumina, quæ mihi tantis & tam uarijs de rebus in mentem pro tempore uenerunt. Nam infinita sunt, quæ & de bonis concordię dici possent, & de discordiæ malis. Differui primo uolumine, unde & quemadmodum nata sit inter homines cõcordia, quomodo discordia tanquam bonum lollium in bona segete succreuerit, hinc quanta rabie homines inter se discordiam exerceant. Tum ex his capitibus & quasi fontibus quę bona dimanent, quæ mala. Postremò, quę sit uia, qua ueram inter se homines concordiam ac pacem conseruent. Tibi hæc uisum est dicare, in cuius manu & uoluntate maxima est sita pars concordiæ ac quietis hominum. currentem, ut spero, adhortor. Verùm non uni tibi scribuntur, sed omnibus per te, & priuatis, & Principibus, ut cõmunibus rebus adeò fractis perditisq; maturè subueniãt, antequàm in id exitium ruant, unde postea (quod Christus prohibeat) non possint eas, etiam si maximè uelint & conentur, eximere. Christum precor, ut ea semper cogites, atq; exequaris, quæ sint tibi ac regnis tuis, seu potius totí Ecclesiæ profutura.

BRVGIS TVIS,
Calend. Iulij, anno Domini millesimo quingentesimo uigesimo nono.

IO. LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE CONCORDIA LIBER PRIMVS,

Qui est

DE ORIGINIBVS CONCORDIÆ & Discordiæ.

MVLTÆ ac uariæ sunt in humano genere tum praue consultorum, tum malefactorũ rationes ac modi, quorum nonnulla uel præsenti uoluptate blandiuntur, atq; inuitant, uel usum post se aliquem relinquunt, ut ea tametsi mala sunt, nec iusta ulla excusatione possunt defendi: tamen speciem apud peruersa ingenia excusationis aliquam præ se ostentent, quod profuisse quodammodo existimentur, quamuis sub retecto & se proferenti compendio latet iactura incredibilis, sed quæ ita latet, ut nõ difficile sit cuiuis paulò intentius spectanti eam intelligere, & quasi manu prehendere. Sunt uerò alia uitiorũ ac scelerum genera tanta malitia infecta ac macerata, ut quum animum uehementer sollicitent, nihil tamen ostendant aut delectamenti aut utilitatis. imò uerò contrà, innumeras sollicitudines, angores, metus, mœstitias, damna, atq; incommoda. ad quæ postquàm impetu quodam rapti peruenimus, & animo ad satietatem in illis indulsimus, cõcussi molestijs, fracti laboribus ac damnis, reuersi ad nos ipsos miramur, quid tandem nos eò impulerit. & quando nullam inuenire possumus mediocrem facti nostri causam, ultionem esse numinis in nos irati interpretamur. Huius generis ac notæ est discordia, monstrum infestans humanam gentem, nec oblectationẽ ullam secum, nec compendium, imò uerò omnia quæcunq; dici possunt incommoda, & mala secum uelut agmine quodam importans. Primùm omnium ut pax, amor, cõcordia humana nos in natura conseruat, ita discordia & dissensio homines nos esse non sinit. cogit nos à præstantia degenerare originis ac stirpis nostræ, nec tam in feras demittit, quàm in sceleratas illas atque impias mentes, quas ab exercitio diabolos uulgò nuncupamus, transfert. Animantes enim reliquæ ita sunt à principe illo & conditore omnium Deo institutæ, ut unaquæq; sibi uiuat, & ualeat. nec sobolem diutius agnoscit, quàm dum illa ad certam quandam magnitudinẽ adoleuerit parentum indiga. nam simul primùm tueri se per seipsam ac sustentare potest, parentibus æternum uale renunciat. sibi uni uiuit, ac consulit, nec illos amplius in posterum agnoscit. Inter naturæ miracula recensent, quibus hęc curę fuit consectari, ciconiam tamdiu parentes senio confectos alere, quam ipsa ab illis tenera & implumis sit in nido sustentata. ita ut ea res Græco uerbo locum dederit, quo illi referre gratiam ἀντιπελαργᾶν uocãt, sumpto de ciconijs nomine. in quo multorum hominum ingratitudo coarguitur, qui beneficiorum immemores aut etiam osores, uel benefactores transeunt sine gratia, uel etiam insectantur, & damnis afficiunt malefica uoluntate pro illorum opere benefico. Cæterùm ciconiæ pietas gratitudinis magis genus est, quàm societatis. Ouium, gruum & eiusmodi citius greges quis dixerit, quàm societates. Apum quandam uelut ciuitatem non sine ingenti admiratione contemplamur, in qua & domus sunt cer

tæ ac

tæ ac cõstitutæ,& Rex gentis,quem illæ non minus obseruant,quàm (ut inquit Vergilius) Ægyptus,aut ingẽs Lydia,aut populi Parthorum,aut Medus Hydaspes.Sed eam si quis diligẽtius attendat,comperiet consensum potius quendam esse & conspirationem ad instituti operis diligentiam,quàm societatem aut amicitiã argumento est,quòd foras egressæ & extra opus positæ, ciuitatis ac fœderis inter se iam non meminerunt, nec ciues ac contubernales, nec peregrinas atq; aduenas dignoscunt. Hominem uerò sanctum animal, si quis explicet penitus, inueniet ad religionẽ aduersus deum & societatem cum hominibus non modò natum esse,sed factum, appositum,instructum.Data est illi diuino munere ingenij uis excelsa, erecta, qua per elementa omnia in cœlos sublatus,illos omnes percurrat,ordinemq; & naturã uniuersitatis huius.nec eis contentus ad authorem omnium parentem suum penetret,diuinitatisq; illius sit capax, quod profectò tantum donum superuacaneum esse uideretur, nisi ad religionem pertineret, & ad eum colendum, quem mente esset consecutus:ut quemadmodum inter homines,si quis sit insigni aliqua & excellenti præter cæteros uirtute,ita natura fert,ut hunc amare et colere uelimus:huic innotescere,& quatenus fieri concedatur,amicitia illi, usu, ac familiaritate coniungi. Sic ad contemplationem diuinæ illius & præpotentis naturæ per gradus rerum conditarum subnixis ac sublatis incredibili uirtute aspecta ardeat animus amore et obseruantia tanti boni, nec quiescat,donec illi notior factus,eius amicitia uelut supremo bonorum omnium perfruatur. Rursum descendit huc ad se ac sui similes humanus animus, & eodem mentis uigore & celeritate excogitat artes & instrumenta non modò uitæ transigendæ, sed etiam quibus homo deposita illa malitiæ feritate mitescat, & fiat huic, de qua loquimur societati aptior.nec sibi uni hæc inuenit,sed in commune reliquis hominibus etiam nihil de societate & concordia cogitans, quo appareat in illo uel aliud agente proferre se sua sponte apertissima signa humanæ huius consortionis. Nam plerunq; ij homines ad excudendas artes incumbunt, qui se illis ipsis artibus nunquam usuros satis sciunt. Sed quemadmodum Agricola ille apud Cæcilium, quum senex admodum & effœta iam ætate arbores poneret,rogatus cui?Dijs, inquit, immortalibus,qui & alios uoluerũt ponere non sibi,sed mihi.Sic & me non mihi,sed uenturis, qui etiam uenturi hoc idem officij suis posteris præstabunt. Ita hæc hominum inter se societas non finibus uitæ huius clauditur, sed ulterius transcendit, ut ad mortuorũ quoq; curam ij uideantur pertinere, qui uiuunt. Habet quidem homo animi motus quosdam uehementes & incitatos cum quadam perturbatione,quibus extimulatur ad desciscendum ab hac concordia,nempe superbiam,arrogantiam, liuorem,iracundiam.Sed benignissimus naturæ nostræ author in reliquis animalibus summum illis motibus ius attribuit,& uelut potestatem sine prouocatione,quo metus aut spes aut charitas,aut odium impellunt,eò rapitur bellua,nec potest pedem referre, domini enim sunt affectus totius bestiæ. In nobis uerò perturbationes omnes ceu utilia & nequam mancipia amplissimo quodam concessu ac munere sepositi Deus à regimine hominis. Subdita esse iussit generosæ menti, uoluntatemq; illis præfecit liberam & inconcussam,quæ spretis affectionum tumultibus & illorum clamoribus pro nihilo habitis,statueret,quicquid ipsi esset collibitum. Addidit rationem ducem & consultricem operum,quę nunquam ad discordiam aut odium,semper ad amorem,concordiam,quietem,iustitiam,æquitatem,omnẽ denique uirtutis & bonitatis genus uoluntatem adhortatur, & instigat. Nec potest ab huius consilijs uoluntas discedere, nisi prius humanam dignitatem exuerit & in feram transierit, aut fera etiam peius. Et ne commemorandis maximis mentis nõstræ diuino munere non ornamentis modò, sed instrumentis quoq; rem nimium producam,subijciam modò de memoria, quam iure optimo mentis humanæ thesaurum soliti sumus appellare. Hæc enim non est in brutis,cuiusmodi in homine,nec illa parentũ recordantur,nec meliorem agnoscunt, nec patriæ desyderio aut pietate tanguntur,idcirco solutæ & exleges naturæ suæ nutu instinctuq; uitam transigunt,præsentibus tantum accommodę.Homo uerò & pa

rentes & propinquos, educatores, pædagogos, institutores recordatur, omnium deniq; qui illi quacunq; ratione ac modo profuerunt, ad memoriam beneficij & remunerationem, si qua detur. quo non aliud æque societati tuendæ conseruandæq; conducit, cum legum reminiscitur, & magistratuum, ut illis pareat: ciuium & sociorum, quos iuuet. deniq; totum hominum genus haud aliter aspicit, quàm socios ut commonefactione similitudinis et communis naturæ natum se ad omnium usus esse non ignoret, ne quam prætermittat benefaciendi alijs occasionem, non nescius prętermitti id non posse sine uiolatione legum naturę, hoc est Dei & omnium & naturę ipsius conditoris, ut deserere naturæ iussa perinde sit ac insignem Deo facere iniuriam, tanquam aliquid ipse statuerit à nobis reprobandum. Maxima sunt hæc quidem omnia concordiæ & societatis iudicia, sed apertius aut euidentius nullum, quàm quòd sermonem accepimus, quo reliquæ uniuersæ animantes carent. Neque enim aduersus Deum opus erat sermone, qui in intimis pectoris nostri recessibus uersatur, cuiq; notiores sumus, quàm quisque sibi. Nec ullus secũ ipso sermone indiget. hominibus hominum causa tributus est sermo: quo non aliud excogitari poterat instrumentũ communicationi hominũ aptius: ut quisq; alteri, siue quid ipse animo & cogitatione clausum teneat, aperire, siue quid alicubi factum aut futurum sit explicare possit: nihil sit deniq;, quod homo eloqui & uelut per linguæ infundibulum à mente sua in alienam transfundere & quasi transuasare non ualeat. Quàm admirabile sit hoc Dei artificiũ, consuetudo facit, quominus cogitemus. sed est profectò ingens. Nec minus illud, sonos omnes tam multiformes humani sermonis paucis esse litterarum formulis comprehensos, unde literarum natus est usus, quas qui nunquam uiderunt, ut in remotissimis oceani insulis nauigatione ad occidentem à nostris hominibus repertis, nulla ui cogitationis & coniecturæ, quemadmodum fiat, possunt colligere. Et quemadmodum lingua & uoces præsenti societati seruiunt, & glutinum sunt communis uitæ, ita scriptura priores cum posterioribus coniungit, & multas ætates unam facit. colloquuntur scriptores cum posteris nondum natis, & hi cum scriptoribus iam olim uita functis. Sermoni adiunctus est is, qui in solo homine intelligitur, uultus, qui in naso, fronte, ore, sed oculis potissimũ promicat, & se profert, estq; uice sermonis cuiusdam. nec alio sermone utuntur ij, quibus linguę usum natura ademit, nempe infantes & muti. quin etiam homines facundissimi multum se eo in dicẽdo adiuuari sentiunt. nec dissimulant momentum ad persuasionem adferre haud leue. Et quemadmodum in nullo est animante, præterquàm in homine, ita homini erat futurus necessarius uicturo in societate, nullij alij. quippe uultu apertius sæpenumero intuemur, quæ in pectore sunt tecta, quàm sermone cognoscimus. multæ sunt fraudes in sermone. Flexibilis est pro arbitrio loquentis. nec uultus non est sępe falsus & ad libitum compositus. sed difficilius est uultum simulare, quàm sermonem, præsertim in hominibus natura simplicioribus, aut ubi tanta affectus impotentia inuasit, ut uultum ministrum suum eripiat potestati fictæ uoluntatis. ut quantumcunque conetur, nequeat tamen uoluntas eum torquere, quò intendit, nempe ad fallaciam. Itaq; uidemus crebrò sermonem fucatum simplicitate uultus coargui. Et ut ostenderet ei Deus, cuiusmodi ea esset societas futura, inermem eum penitus in lucem uitæ huius misit. reliquis animantibus uarie arma attribuit, uel quibus nocerent, uel quibus se tuerentur. leoni, urso, lupo, ungues ac dentes & magnum in lacertis ac corpore uniuerso robur, apro & elephanto dentes columelares. equo ungulas, tauro cornua, erici spicula, scorpio uenenũ. Sunt quæ tuta inter sui dissimiles agunt testis aut corijs densissimis: & si non aliud, certe pernicitas parit salutem. homo nec dentium firmitate aut unguium potest impetere. non cornu, non spiculis, non ueneno est armatus. corio mollissimo animal inerme ac proinde innoxium, ut intelligat qualem se debet inter homines prębere. nam à noxijs feris societas eum et consensus aliorum hominum defendet, ut mutuo sint alij alijs auxilio. Imploratur hoc subsidium lachrymis non exiguo argumento humanæ mansuetudinis & concordiæ. Nam lachrymæ affectus molles ac mites declarant, non belluinum

num illum rigorem,qui nequit flecti,tantum potẽtioris affectus uiolentia frangitur. Accedit huc,quòd lachrymę noſtrum dolorem aut gaudium teſtantur:ſiue dum noſtra dolemus mala,aut illachrymamur lætitiæ,ſiue dum aliena mala miſeramur,& ad eundem nos quoque modum affici,quo illi affecti ſint,defluentes lachrymæ teſtantur,quo nihil dici poteſt ad concordiam & amoris conciliationẽ confirmationemq; efficacius. Quid ualidius ſit ad parandã gratiam quam uel nos alijs penetralia animi noſtri reſerare,in quo eſt fiducia amicitiæ fundamentum,uel illorum mala aut bona tam eſſe nobis curę,quàm noſtra ipſorum,ut non ſecus illis permoueamur,quàm noſtris ipſorum,quæ eſt amicitiæ cõſummatio,quum idem eſt uelle,idem nolle,et omnia facta ſunt amore communia.Eſt & in riſu quoddam lætitię & hilaritatis ſignum, argumentumq; manſuetudinis animi,quod riſu emollitũ eſſe oſtenditˇ. Nam in illis, qui nunquã feruntur riſiſſe,ut Craſſo & alijs,quos ἀγελάστους Græci uocant,exijt is animi tenor,ſicut Plinius inquit,in rigorẽ quendam toruitatemq; natura duram atq; inflexibilẽ,affectusq; humanos adimit:ita uidemus maximas ſæpe moleſtias aut res triſtiſsimas,aut initia grauiũ irarum diſcuſſa eſſe leui aliquo riſu. Et ad hanc concordiam firmius inter homines deuinciendã non ſolùm inermem produxit Deus hominem,ſed infirmum,imbecillũ,impotem ſui,alienæ prorſus opis indigum. Cætera primo ſtatim ortu aut mox paulò uires naturæ ſuæ ſentiũt ac uſurpant:& quicquid unquam habituræ ſunt,accipiũt,ingreſſus,natatus, pernicitates,paſci, appetere profutura,noxia deuitare,quod uidere eſt in ijs animantibus,quæ inter nos naſcunˇ & creſcunt pullis gallinaceis,anaticulis,agnis,hœdis. Homo uerò ita naſcitur,ut nihil minus uideatur futurus,quàm quod poſtea uidemus,animal à primo brutũ,ſtupidum. &,ut Plinius aptiſsimè dixit,iacet manib.ac pedibus deuinctis flens:quòd niſi ſubueniret miſeratio,nemo tam inutilem truncũ,imò uerò moleſtum uellet tollere. Alitur miſericordia parentũ & nutricũ,educatur aliena ope,creſcit aliena ope,nihil attulit ſuum,omnia habet aliena,precario accepta.Nam quomodo poterat demiſſius ſupplicare,quàm tot lachrymis ac eiulatu,ut ſciat alienum eſſe beneficiũ,quod uiuit, quod ſapit,quod poteſt,quod eſt omnino aliquid,ut & benefactoribus habeat gratiam,& quacunq; ualeat,referat.tum memor,ex quibus initijs adoleuerit,diſcat aliorum inopiæ ac infirmitati manũ porrigere,opem adferre. Adde his præſentes neceſſitates in quamlibet potenti.Robuſtiſſimũ & ualentiſſimũ uirum una febricula concutit,ut cogatur multorũ opem ſupplex implorare,& imbecilliſsima muliere ad miniſterium ad ſalutẽ egeat Leo iſte imò arx,quam febris eſt demolita.Sano quoq; ad quotidianas neceſſitates,quàm multorũ ſunt labores corrogandi:agricolę,paſtoris, textoris,extructoris,nautę,uehicularij,et aliorũ alijs pro cuiuſq; arte ac ratione uitæ. Quòd ſi creſcat ſenſus & potentia & dignitas,ibi uerò, quo altius hominem euehit fortuna,hoc magis cogit eum opera omniũ illorum indigere,quos ſub illo reliquit. ut nõ in aliud uideantur homines ſublati,quàm ut de illo excelſiore loco prouideãt eos omnes, qui ſunt ipſis opus, & ſine quibus uiuere ac ſuſtinere ſe in illo culmine non ualeant. Nec ſolùm in hominibus eſt hæc mutui auxilij tanta indigentia,ſed in terris ipſis, quæ humano cultui & uſui ſunt traditæ. ut aliæ alijs rebus & careant,& abundent,quo hæc communicatio & commercium humani generis nullis gentium aut terrarum limitibus dirimatur. non mari aut fluminibus, non montibus,ſaltibus, harenis & uaſtis ſolitudinibus,quis omnibus difficultatibus euincendis excogitata ſunt remedia,ut nihil iam iter faciundum impediat.Ergo memoria beneficiorum ad benemeritos,& miſeratione aduerſus imbecilles,& erga omnes recordatione infirmitatis naturæ,quæ nos multis cogit indigere,cõcordia hæc fortius coaleſcit,quũ nullus ſit,qui uel nõ iam profuerit aut nobis ipſis,aut ijs,quorũ nos utilitates pro noſtris ducimus,uel nõ poſsit per occaſionẽ prodeſſe.Quid hîc dicam,quantum eſt in hominibus odium,quæ auerſatio ſolitudinis? ut ea inſtar ſit mortis,quæ appetitio ſocietatis,colloquij,conuerſationis,ſepoſito reſpectu omni utilitatis ſuſcipitur,tantum naturæ quodam nutu:ut etiam hoſtes illi humani generis,qui græco uerbo ho-

minum ofores nominantur, qualem fuiſſe Athenis Timonem quendam bellis Peloponeſiacis accepimus, tamen ſolitudinem refugiunt: & quum homines omnes ſe dicant odiſſe, homines tamen quærunt, quibus cum uiuant, & colloquantur, breui perituri, niſi, quos nanciſcerentur. Voces has naturæ tam exertas & exaudibiles, ſed quibus ſcelera noſtra obturbant, ne intelligi à nobis poſſint, inſtaurator labefactatæ uitio noſtro naturæ Chriſtus adiuuit illuſtratione eorum, quæ nos feceramus obſcura. & propius auribus noſtris admotus effecit, ne quis cauſificari poſſet ſe non audiuiſſe. Is ergo cœleſtis ſapientiæ magiſter fundamentum, ædificium, tectum, denique caput & finem ſuorum omnium præceptorum in charitate una poſuit, hortatus hominꝛs ad amorem, concordiam, amicitiam. teſtatus ita demum futuros illos, ſi mutuò bene uellent. hoc eſt ita demũ futuros Chriſtianos, id eſt homines naturæ puræ ac incorruptæ. Quid enim eſt aliud Chriſtianus, quàm homo naturæ ſuæ redditus, ac uelut natalibus reſtitutus, à quibus deiecerat eum diabolus, captum uictoria ſceleris? Expoſitus eſt nobis homo à natura ipſa, id eſt à Deo rerum omnium parente ac principe factus, inſtructus, ornatus, appoſitus ad pacem, quietem, concordiam, amorem, amicitiã ad ea ipſa edoctus à filio Dei & Deo ipſo. Vnde ergo tantum per uniuerſum hominum genus diſſidiorum, tantum diſcordiarum, inimicitiarum, odiorum? quantum non eſt inter res ſuapte natura atque ingenio inimicas ac pugnantes. ut nec gens genti, nec populus populo, nec in eadem ciuitate ciuis ciui, nec uicinus uicino, nec intra eoſdem parietes frater fratri, filius patri, uxor uiro bene uelit. Oderunt, rapiunt, ſpoliant, fallunt, fraudant, cædunt, tollunt inuicem. nec in his iſta exequendi uicibus modus ullus, aut requies. Quid aliud exiſtimandum eſt quàm defeciſſe hominem à natura ſua? Ita neceſſe eſt accidiſſe. Nam uiuenti ſub legibus naturæ ſuæ, non ita diſcordia dominaretur inimica naturæ. Ergo oportet ab humanitate hominem diſceſsiſſe, quum amorem & concordiam exuit. Quid opus eſt diſſimulatione aut ſchematis? planè ac apertè cõfitendum eſt, non fuit homo humanitate contentus, diuinitatem expetiuit, idcirco & humanitatem, quam relinquebat amiſit, nec quam affectarat diuinitatem, eſt cõſecutus. ad quam fortaſsis diuinitatem quadamtenus pertigiſſet, ſi ſe agnoſcens & ſuis diffiſus uiribus Dei ſe gratia ac beneficio adepturum ſperaſſet, cuius in ſe tam prolixam erat iam benignitatem expertus. Sed ſe non agnouit & diaboli uerſuta ſublatus fraude eò aſcendit, unde non poſſet ſine grauiſsimo caſu deſcendere. ſed omnium fuit in caſu acerbiſsimum, quod memoria remanſit læſa. uoti reliquiæ multæ adhuc reſtant, caſum ſumus obliti, quem tamen tanto noſtro malo quotidie ſentimus. ſed alias potius placet cauſa affingere, & auertere à nobis authoribus culpam in naturam aut rationẽ negociorũ, hoc eſt in Deum ipſum, ſi apertè auderemus proloqui. hæſit præcordijs ſuperbia affixa graue malum & tyrannis fæuiſsima, quæ nunquam ſe ſatis tutam arbitratur in ſolitudine, teterrimum circumfert ſecum ſatellitium flagitiorum omnium ac ſcelerum. Quid non appetat, qui Dei æqualitatem inuadebat? Infinita eſt in nobis antecellendi cupiditas, non una aliqua in re, ſed in omni, quamcunque uidemus eſſe in precio, qualiſcunq; demum ea ſit, modò placeat, modò approbetur. uolumus per religionem & Dei cultum antecedere, tanquam chariores ac propinquiores ſimus Deo, non ignari exemplis ac documentis innumeris, eo longius quenque ab illa ſancta natura abſcedere, quo ſe arroganter propiorem uel putarit, uel oſtentarit. Sed quid ad rem, quantum abſimus? proximi credi affectamus, hoc petitur, hoc eſt præmium laboris, hæc merces, qua una acquieſcimus. Quot ſuſcipiuntur labores, ut liceat unicam illam uoculam audire, ô doctum hominem, ea meditatio noctes iungit diebus, abſtinetur conceſſis uoluptatibus, fit ualetudinis diſpendium, ut dicat, ſæpe qui non intelligit, doctus eſt. Quòd ſi emenda eſſent oua duo, reijceres conſilium eius, qui oua non noſſet: at indocti de doctrina tua iudicantis cenſuram amplecteris. & ea non delectaris tantùm, ſed dilataris, ſed extolleris, atque ingentes ſpiritus aſſumis. Sunt, qui non negant ſe quidem indoctos, nempe quia nihil habent in eruditione

quod

quod ostentent,uideri tamen uolunt ingenij acumine doctis non cedere,nemini sua prudentia non satisfacit,ne stultissimis quidem.sic qui infirmior est corpore,quàm ut obtegere possit,& fucum facere,de animo se uenditat.superari quidē se posse,uinci non posse.etiam deformissimo placet sua forma.& arte captat,quod defuit naturæ.Quid dicā de genere,quo ut nihil est reuera posterius in laudibus,ita nihil prius usurpatur,aut iactatur.adeò ut pluris etiam faciamus alienam uirtutē,quàm nostram ipsorū.at hoc genus cuiusmodi censemus esse,ut habere in stemmate latrones & stupidissimos caudices laudi detur:nec desint,qui inter nobilitatis titulos ponāt genus relatum ad ursum,aut sirenem,aut serpentē,aut olorem,aut ueneficam aliquam. Opibus tanta ex admiratione accessit authoritas,ut inexplebilis sit iam auaricia.quum uident homines soli possessioni diuitiarum semoto quocunq; usu,honorem haberi,imò uerò adorari diuitē ab ijs,qui daturi sunt illi citius,quàm accepturi.Hinc quæ ostentatio,qui spiritus in numerosa familia,in cultu immodico,in luxu? ut credamur habere rem.ut qui non habent,ne carere uideantur,omnem uirium suarum facultatem transgressi miserrimā uitam degant.ea uia grassantes ad pecuniam,in qua maximis eum difficultatibus uix insistunt,dies & noctes cura illa atque anxietate torti ac uexati repetūt quotidianas ærumnas cum sole nascentes.sed uocat nos ad se honor. Mira dictu res,captauit humana superbia,& hæc præstantiæ cupido laudem atq; admirationem ex re omni,non ea solum,quæ speciem uidebatur habere aliquam uirtutis aut boni,sed ex neutris,& quæ indifferentes nominantur,ex friuolis ac ineptis,ex noxijs,ex pudendis,ex uicijs. Sedere,stare,iacere,ingredi.omnem gestum & motum corporis uolumus ita fieri cum dignitate,ut non contenti offensionem spectantium defugisse,etiam decus ex ijs paremus.nihil sinimus esse naturale.omnibus adhibenda est ars honoris colligendi.Si quis uidet notabilem se esse,quòd cruda & nocitura edat poma,auidè uorat,& undecunque rapit sine appetitu,& cum periculo. Ludit quis,uellet tesseras alio modo,quàm communi mittere,aut miscere,& distribuere,& iacere in mensam folia aliter,quàm reliqui.ea est cupiditas segregandi se à uulgo,& insignem se faciendi nota aliqua.Est mihi istud datum à natura,inquit Thraso ille in Comœdia,ut grata sint,quæ facio omnia.Quid magis pudendum homini,quàm nobilissimum animal,tanquam ægrum non posse uitam uno die sine cibo & potu prorogare?nec tueri se à cœli iniuria sine tecto & uestitu? quę omnia constat homini data in remedium noxę,quam peccatum attulerat,atqui in ijs,quid decus ambitur?gloria lautæ mensæ,cibis exquisitissimis procul allatis & emptis magno,indumētis pretiosissimis undiq; conquisitis,ædificijs altissimis & sumptuosissimis: quid istuc est? etiam ne honor petitur ex dedecore?Iam nónne uitia sunt ludere,balneari,ociari,nihil agere,scurris ac morionib.benignè facere? At quàm multi per hæc uolunt nobilitari? Quid sceleratius latrocinijs,cædib.adulterijs,fraudibus,impostoris?et hæc precium receperūt. & qui fecêre,prædicanda ducunt.& amplam se ad suos posteros nominis sui gloriam credunt transmittere, ut inter maiorum suorum laudes ista cōcelebrent.usq; adeò nihil est quod,qui facit,non uelit pulchrū uideri.& quod pulchrū uidetur,non habeat sectatores.utrunq; ex eodem superbię fonte in genere mortaliū uberrimo. Nec solùm affectat superbia in omnib.laudē,sed more ignis se attollit,ut reliquis emineat.ut iam nō modò pulchra & admirāda sint,quæcunq; agit,uerùm summa & singularia. Et miramur relinqui aliquid inter nos quietū & tranquillū, quum tantopere superbiæ disciplina inualuerit,atq; omnia inuaserit,uel solo sui tactu contaminata. Impetit superbia duobus iaculis inuidia & ira.Nam si quis aliqua rerū huiusmodi,quę pulchrę ac præstantes censentur antecedat,cōtinuò à superbia mittitur inuidia,quę formosa deturpet,& puris labem aspergat. deniq; malè sentiendo & peius omnia interpretando,nihil syncerum aut rectum prætermittat. omnibus uel apertissimam notam inurens,uel certè suspicionem,quando aliud non potest. sin detrahere à nobis tentet,iniuria nominatur,& iræ permittitur ultio.utraque & inuidentia & ira uoluntate malefaciendi est armata,quæ uoluntas,quum inueterauit,fit odium,

ut ex

ut ex uino acetum, ſed acerbius eſt ex inuidia odium, quàm ex iniuria. Iniuriæ enim poteſt aliquando ſatisfieri, nunquam inuidiæ. ſcilicet eſt uelut ignis in naphtha accenſus aut Samoſathenſi Maltha, qui profuſa aqua pertinacius ardet, & quemadmodum ille inquit in fabula, hoc in iſta clade mirandum accidit, Alit unda flammas, quo prohibetur magis, Magis ardet ignis, ipſa præſidia occupat. ſic inuidia beneficijs irritatur magisq; ardet, ſi quis tentet reſtinguere, niſi materiam penitus ſubtrahat incendio, nempe uirtutem aut gloriam ex qua eſt nata, adeò canino more uiuimus, ut non modò præſtantium rerum excellentia inuidiam exagitet, ut eruditio, forma, dignitas, potentia, opes, ſed leuium quoquè, ut nouitas in cultu, dignitas in inceſſu, inſignis gladius aut pileus. Sunt qui nihil penitus habent cauſæ, ſed non poſſunt ſine hoſte uiuere, ut de ueteribus Hiſpanis ſcripſit Trogus, quod malum nobis eſt cum multis alijs nationibus commune factum. ut ſi quis quamobrem ſuſcepta ſit diſcordia conſyderet, plane intelligat non tam id fieri cupidine ſui ulciſcendi, quàm odio concordiæ. Ad pugnam & gladium prouocant alij hominem procerum aut elegantem in experimentum uirium. alij robuſtum & ualentem, ut animum explorent. ſunt, qui exterum, ut ſciat inter cuiuſmodi agat uiros. alij Germanum, aut Hiſpanum, aut Heluetium, propter bellicam harum gentium famam: ut canes, quibus ad rixam ſatis eſt præter hoſtium tranſiſſe. Nam, qui ebrij cupiunt pugnare, magis uino quàm ingenio uel animo ſuo morem gerunt. ego uerò de abſtemia ebrietate loquor. Illud mirificè ad indignitatem mouet reputantem, quas quiſque uocet iniurias, & in alienos affectus durus atq; inexorabilis, quantum ſuis indulgeat. Primùm omnium ſuperbiæ ſemina unicuique perſuaſerunt, ut magnificè de ſe ſentiret. non modò ſi uirum aliquem, quem malicia iam per ætatem atque uſum inſtituit, ſed ſi puerum, qui uix fari poteſt, quiq; rerum penè omnium intelligentia caret, qualis nam ſit, roges, optimum ſe & perfectiſsimum eſſe reſpondebit. Nec tam elaborarunt, ut id aſſequerentur, quod ſe eſſe crederent, quàm ut alij ita exiſtimarent. Itaque non deſunt plerique, qui uolunt alijs eſſe perſuaſiſsimum ſe id habere, quod ipſi idem non ignorant in ſe non eſſe: quaſi uerò uel ſimulando tot poſſint oculos, & aures, & iudicia fallere, aut animorum libertatem uiolentia cogere. Eſt qui ab alijs contendat, ut quod falſiſsimum eſſe uident, uerum eſſe non dubitent. Quoſdam eo dementiæ ſuperbia ſuſtulit, ut etiam ſperent alios plus ipſis habitum iri fidei, quàm ſuis ipſorum oculis, ut quod idem ipſi compertiſsimum habent illos ſcire, poſtulent tamen in ſuam eos gratiam ignorare. Ergo laudem eruditi ambit imperitus, ſtrenui ignauus, auarus benigni, & quod magis ridiculum eſt formoſus uult credi, quem omnes uident deformiſsimum: robuſtus, qui uix ingreditur ac ſubſiſtit: procerus, pumilio, & in digitos erigitur ac ceruicem extendit. Loripes putari uult rectus, fuſcus candidus, & cuius humilitas ſordesq; imò etiam turpitudo generis eſt notiſsima, claritatem præ ſe oſtendit, etiam apud uicinos ſuos & inter quos eſt natus ac educatus: qui fari uix ualeat, pro Cicerone ſe aut Demoſthene uenditat. Pauper & pannoſus opulentus cupit uideri, & id ut exiſtimetur, uniuerſum cenſum in cœnulam effundit. Quid illa? boni ac moderati uiri laudem famamq; captare in medio ſaltu latronem, dum hominem ſpoliat, dum cædit, quòd aut tunicam aut pileum, quem auferre poterat, relinquit. aut uitam, quam eripere licuit, donat? in medio lupanari meretricem ſe pro Penelope aut Lucretia gerere? Lenonem pro Socrate quopiam aut Lælio. & hæc quæ per ſe ſunt intolerabilia uincuntur indignitate, quod non tam alijs uolunt eſſe perſuaſiſsimum, quàm nonnunquam ſibi metipſi perſuaſerunt. & atrocitati facinorum aliquid prætexunt, quo rem etiam apud ſeipſos leniant, grauitatemq; rei eleuent, uel dum culpam à ſe auertunt. uel in alios per comparationem uel culpam uel inuidiam maiorem deriuant, ut non tam uideantur labore alijs ut imponant, quàm ſibimetipſis, ſe adactos uel neceſsitate id facere, uel iuſta aliqua indignatione, uel impulſos aliena iniuria. Illos, qui ab omnibus habentur uiri boni, grauiora ſæpe deſignare, ſed ſeu clàm eſſe, ſeu aliqua tegi opi-

nione

nione nominis:ſe quantulumcunq; ſit,in quo peccent infamia laborantes,premi maiore inuidia,quàm pro ratione facti.& quod in alijs eſſet leuiſsimũ,in ſe fieri crimen capitale,quemadmodũ ferunt in fabulis lupum dixiſſe,quum uideret coruum ulceroſo aſino inſidentẽ.Nec deeſt omni hominum generi communis illa humani generis peſtis aſſentatio, quæ approbet,quantumcunq; iniquas aut abſurdas ſententias. Nam alios ad aſſentationẽ et applauſum uiciorũ impellit pecuniæ fulgor,alios incõſulta & cœca beneuolẽtia,alios patrociniũ communiũ uiciorũ,alios metus,alios cupiditas fruẽdi uoluptatib.Quo fit,ut nec diuiti,nec inopi,nec latroni, nec ſcorto, nec lenoni deſit aſſentator:quandoquidẽ nemo eſt tam abiectus ac inutilis,qui nõ aliqua ex parte uel nocere ualeat,uel ſpes noſtras adiuuare.utriq; abblãdimur,huic ut proſit,illi ne obſit.Quis inter hæc ſibi uerũ dicere auſus eſt? ut inquit Seneca,quis nõ inter adulantiũ blandientiumq; poſitus greges, plurimũ tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt? Quare quod certiſsimũ omnibus & exploratiſsimũ eſſe uolumus, id ſi quis declaret ſe nõ credere,tanta cenſetur iniuria, quanta,ſi quod nos longo uſu ac poſſeſsione cepimus,eriperet.Ita factũ eſt,ut & mendaciũ ſit iniuria, quia falſum : & uerum ſit iniuria,quia amarũ:ut iam ægre poſsit quiſquam de alio loqui uel ſine mendacio uel ſine cõtumelia,in tantas anguſtias re deducta,ut cõſultiſsimum exiſtimetur de alijs in totum tacere.Quod narrant Philippum Burgundiæ Principem,quum diſsimulato cultu famam ſui inquireret,compotori in caupona cõſuluiſſe,ut ne unquam de principibus uerba faceret.Nam ſi laudaret,mentiretur:ſin uituperaret, periclitaretur. Hi animorum morbi,quibus quiſq; manus præbẽs iniquus alijs atq; aſper tam blanditer ſe demulcet,effecerunt,ut introrſus amore omni collecto homo ſeipſum tenerrime diligat.Ergo quemadmodum in corporibus uidemus contingere, ut quum calor ſe ad cor ac uitalia recepit, extremæ partes rigeant, ut in metu, in ira, in rigore acceſsionis febris,ita quum ſe tota intro charitas confert, ut intime ardeat, minimum foras emicat,atq; exiſtit,externa rigẽt.quoties homo uniuerſam amoris ſui flammã ad ſe reuocat,& in illis pectoris ſui penetralibus continet, cohibetq;, ut ſeipſum habeat multo chariſsimũ, ibi uniuerſa amoris uis cõprimitur, nec ſe ad alium quenquã promit. qui enim adeò ſe uehementer amat, ſolũ ſe amat.Hic eſt ille ſui amor,quẽ eſſe maximorũ malorũ fontem etiam humana præditi ſapientia ſunt cõqueſti. Auguſtinus noſter caput ſcelerũ cunctorũ dicit eſſe amorẽ ſui:ita ut diuinis præceptis nihil aliud iubeatur, quàm Dei & proximi amor,uetetur amor ſui. Ille rectus & iuſtus amor,impletio eſt diuinorũ omniũ præceptorũ.hic prauus & iniquus,uiolatio eſt omniũ.Quanquã, ſi quis acutius attendat,nõ illud eiuſmodi reinomen ſatis eſſe congruũ inueniet,neq; illos qui ita ſe amare exiſtimẽt,ſe amare,ſed ſua ſæpe etiã alieniſsima. Amãt enim poſſeſſiones,quas cupiunt habere proprias:amãt exiſtimationẽ hominũ,cui ſeruiũt,quã ſupra modũ cõſeruare,atq; augere ſtudẽt:amant ſuũ corpus, cui ſe mancipauerũt, & nihil nõ illi poſtponũt. Animũ uerò,qui eſt uel ſolus homo ipſe,uel unde maximè homo cenſetur,negligũt:& hactenus amãt,coluntq;,quantũ corpori uitã ſuppeditat,ac ſenſum,quo ſe uoluptatibus expleat,& rebus cõcupitis.Neq; enim prudentia,nec eruditione,nec ullo pulcherrimarũ uirtutũ genere exornare ac excolere animum ſtudent,quæ unica eſt ſalus, & uita animi. unus illius paſtus omniũ ſuauiſsimus.& ſine quo non iniuria Saluſtius animam oneri eſſe dixit,corpus uoluptati.Sapienter apud Platonem Socrates Alcibiadem docet,non eſſe eam hominis curam,quę adhibeatur ijs,quæ homo poſsidet, ſed quæ ipſi eidem homini.In unoquoq; noſtrum animũ dici quenque,corpus noſtrum, fortunas uerò & poſſeſsiones quædam procul poſita. Ita non eum amare Alcibiadem, qui eius corpori bene uelit, ſed qui animo. & eum, qui corpus curet, ſua curare : qui uerò opes, nec ſe nec ſua,ſed alia longe diſsita.Nemo prohibetur ſeipſum amare, ſed in eo pleriq; omnes turpiter ac flagitioſe falluntur,quid ſit quiſq;.An non deforme ſit & inſaniæ ſimile, ſi quum quis honorem uellet regi exhibere,Rex nõ ſe regem eſſe clamaret, ſed cultum ſuum,ſed domeſticũ inſtrumentũ,& pecuniã,& illũ regiæ dignitatis ornatũ ſpectantiũ oculis expoſitũ? Ita planè eſt,omnes inſanimus.nemo ſe intelligit.quiſque ſe eſſe credit, non ſeipſum,ſed

ea quæ

ea quæ poſsidet. Quàm grauiter Epictetus Stoicus: Hæc, inquit, minimè congruunt argumẽta, Ego ſum ditior te, melior igitur. ego ſum peritior, tanto ergo melior. Hæc ſunt longè cõgruentiora. Ego ſum te ditior, mea igitur quàm tua poſſeſſio melior. ego te ſapientior, mea igitur quàm tua oratio melior. At tu neq; poſſeſſio es, neq; oratio. Age uerò, Quid ſi quis paulò ſapientior, quas homines in tantis tenebris, in hac cæcitate atque ignorantia iniurias uocent expendat, & quibus ex rebus læſos conquerantur, iurabit neminem penitus ſanum eſſe: uides tu animal hoc tam ſuperbum, tam elatum, tam ferox? nihil eſt eo inualidius atq; infirmius. Nam, ut deſtitutum eſt ac deſertum magna diuini illius præſidij parte, quam à ſe ſuo ſcelere dimouit, ac reiecit: ita ad muniendum fulciendumq; imbecillum locum tanto propugnaculo nudatum, & iniuriæ iam undiq; expoſitum alia accerſiuit innumera & in animo, & in corpore, & extrinſecus. Diuina defenſio ac tutela inſtar illi erat non modò eorum omnium, quæ in eius locum repoſuit, ſed quæcunq; cogitari humano animo poterant & expeti. ea ſeparata ac digreſſa opus illi fuit his penè infinitis, ſed quæ ſubiecit tanquã bacillos columna diruta prorſum ac deiecta, ut illa ſimul uniuerſa non poſsint eum uindicare ab ea iniuria, cuius uiolentiæ ſunt obiecta, à qua undiq; & continenter oppugnatur atq; infeſtatur. Ergo ſuperbiæ addita eſt ad eam pudefaciendam humilitas atq; imbecillitas, ut manifeſtius coarguatur criminis, quòd in tanta ſe egeſtate ac ſordibus extulerit, in quibus conueniebat potius ſui conſcium ſeſe demittere. Superbiæ atq; infirmitati adiuncta eſt ignorantia, ut ueri germaniq; ſui finis uel neſcius uel oblitus illa omnia, quîs ad hanc edendam uitam indiget, bona nuncupet, bona eſſe arbitretur, et iniuriam cenſeat, ſi quis eorum aliquod uiolet, aut attingat, quæ ſint ſua bona. Percurramus eorum nonnulla, ſed breuiter & quaſi defungendi gratia. Apoſtoli rogant magiſtrum, ut ſibi fidem augeat. Dominus ipſe miraculorum poteſtatem pollicetur ei, qui fidem habuerit, uel non maiorem grano ſinapis. Nunc ſi cui dixeris non ſatis eum Deo fidere, iniuria eſt, ob quam transfigenda ſit lingua. pòſt explicata Euangelicę gratiæ præcepta addit Dominus noſter: Poſtquàm hæc omnia feceritis, dicite, Serui ſumus nequam. Si quis de ſe audiat, quòd indignus ſit Chriſtiani nomine, aut cœleſti præmio, non aliter iraſcitur, quàm ſi adimeretur, quid adimitur ne uerbulo? minimè uerò cœleſte illud, ſed terreſtre iſtud adimit. nempe exiſtimari. & quia hoc ſolum quærimus, idcirco tantopere ſuccenſemus tanquam uoto deiecti, et fraudati debito. Nunquam minus fuit in orbe Chriſtianæ pietatis, nunquam magnificentius quiſq; de ſe ſenſit, et peius de ſocio. homines hominibus, nationes nationibus impietatem obijciunt, quòd parum ſint Chriſtiani: quaſi qui exprobrat, extra eiuſmodi eſſet probrum. Quid cauſæ eſt? in obijciendo non falluntur, in ſentiendo de ſe falluntur. omnes æquè ſunt impij, ſed ad ſua cæci, aliena uident, ſeu non uident potius, tantùm impetu affectus propelluntur. non deſunt, qui in calore contentionis illa obiectent, Chriſtianior ſum te, imo ego te. ad ferrum accurrant, & ibi ſe confodiãt. uidelicet, ut illuc eant, ubi eis oſtendetur de eo pugnaſſe, quod ab utroque longiſsimè aberat. & quum Chriſtianitatis nomen ac prope umbram amiſerimus, tamen alij de aliorum Chriſtianitate teſtificãtur, inquirunt, accuſant, pronunciãt, addita capitis, famæ, & fortunarum pœna. quomodo iudicant de re, quam nunquam, ne per ſomnium quidem uiderunt? an ipſi ſe pro cenſura utũtur & regula? ut quod ad normam illam non congruat, reprobari oporteat, ut iam uicia ſint uitæ amuſsis. Scire id licet, nam quum uirtus unica ſit, uicia uaria atque infinita, uideas alios alibi eadem in cauſa abſolui, & condemnari, & uicium unum aliud condemnat, tanquam ſibi contrarium, ut temerarius timidum, aut profuſus tenacem. At quibus de cauſis animoſæ inter doctos homines contentiones oriantur, & incaleſcant, quemadmodum exerceantur, in quas tragœdias exeant, quis noſtrûm ſine pudore poſſit recordari? Diſciplinas omnes & omne ſciendi genus principio ignorantia, deinde pertinacia & nolle melius dicenti cedere, in opiniones primùm, hinc in ſectas diſcerpſerunt, ut iam perpauca ſint inter eruditos conſenſu omnium recepta. De literarum pronunciatione diſsidetur, de orthographia, de canonibus grammaticæ, de uſu linguæ, de carminibus, de intelligentia ſcri-

tia ſcriptorum,de uita & philoſophia morum,de natura, de cœlis, de rebus diuinis, & pietate. nihil integrum, nihil non controuerſum eſt relictum. tanta fuit ex ſocordia ignorantia,& ex ſuperbia ſtudium tuendi,quæcunque ſuſcepiſſent,ne alius uideretur melius ſentire aut monere. Habet ingenium homo & natura ſua anguſtum,& peccato obſcurum. magnaq; inhumanis pectoribus & tenebroſa denſatur nox. iudicio,uſu rerum,prudentia nihil fere poſſumus,omnia ſunt in humana uita errore & ignorantijs plena, ut nihil magis uideatur eſſe hominis, quàm labi,errare, falli. Senti n', (inquit ille in fabula) me eſſe hominem? & Plinius excuſationem affert erratorum, quòd ſit homo. Nos tamen, quos ſuperbia conata eſt ſupra hominem efferre, quum tam longe ſub homine reliquerit,ſi errare,decipi,hallucinari dicamur,contumeliam eſſe cenſemus. etiam non intellexiſti, pro conuitio à multis accipitur, quaſi tarditas exprobretur. cui reſpondent ilicò,melius quàm tute.ceu uerò non potuerit non intelligere uicio dicentis, aut quòd aliam in rem intentus fuerit. Veteres olim multum & diu ſapientem quæſitum uix ſemiſapientem inuenerunt tolerabilē. nunc ſi quem neges eſſe ſapientem,iniuria eſt capitalis. O miſeros illos priſcos homines, qui tunc ſapientem inquirebant,quum nullus eſſet. Si in hanc eos ætatem natura reſeruaſſet,tam eis diligenter fuiſſet ſtultus quærēdus, quàm tunc ſapiens. aut ſi quem ſapientem eſſe negaſſent,uita eis eſſet propter iniuriam amittēda. Nec minus eſt iniuria dicere,quod omnes uident. ut claudum claudum appellari, ſtrabum ſtrabum, giberum giberum, plancum plancum, labeonem labeonem, quaſi uerò cerni iniuria non ſit, dici ſit, an plus ſciam, quòd audierim, quàm quòd uiderim? nihil tale. Sed ea eſt ſtultitia, ut ſperemus celari poſſe, etiam quæ ſunt omnium oculis expoſita. itaque quum dicuntur, indigne ferimus, tanquā opinione falſi & ſpe depulſi, quòd intelligi mus non ignorari. Generis laude nihil tenuius dici poteſt. quòd ſis bono patre natus, hoc neceſsitatem imponit tibi, ut ſis illi ſimilis. alioqui non effugies degenerationis notam. Omnes hoc agunt laude generis expetenda, ut quum ipſi ſint pro authorum diſſimiles, tanto habeantur nequiores. & tamen quia populari ſtultitia inductum eſt, ut præclarum ſit bonis maioribus eſſe progenitum, mirum quàm inſane ambitur ab omnibus id decus, à cerdonibus, à culinarijs, etiam à ſeruis Æthiopibus & mediaſtinis. Se quidem ſeruitutem ſeruire & coactum iniquitate fortunæ uiliſsimis occupari miniſterijs, cæterum eſſe natum bono ſanguine. porcino uidelicet, quo nullus eſt utilior. Et eam bonitatem generis, illi ad latrocinia ſuorum maiorum referunt. fuiſſe neſcio quem proauum ſuum, qui arcem obſederit in uia regia, ut nemo illac potuerit iter facere, quin ſpoliaretur. O egregiam laudem, quòd ea fecerit impune, propter quæ alij ſuſpenduntur. hoc uerò non iam ſibi debet, ſed fortunę, quæ ab illo magiſtratus manum procul arcuit. Quanta iniuria eſt uocari aliquē ignobilem, aut paganum, & ut nunc loquuntur, uillanum. Serpit id longius tanquam labes olei, nec ſolum grauiſsima eſt contumelia, parentes aut auos cuiuſquam attingi, ſed patrueles, conſobrinos, denique affines & gentiles remotiſsimos. Quanto faſtidio alios deſpiciunt ij, quorum parentes nullas bonas artes habuerunt? nam ea eſt nobilitatis bono pars. quanta cura à ſe depellunt ignobilitatis notam omnes. ô animos in cœno demerſos, nullus ne recordatur nō poſſe ignobilem eſſe, cui deus ſit parens? audes tu genus huius uituperare, quod eſt à cœlo deductū? aut homines anxie ſcrutaris ad decus, cui ad manum ſint Deus pater, & angeli fratres, & ille qui genus tuum contemnit, uelit nolit, ex eiſdem cōſtat principijs ac elementis, & eundem habet patrem, nec eſt unde ſe magis poſsit iactare, quàm ex communi ueſtro patre. niſi forte pluris facit putre corpus ab hoc eſſe homulo genitum, quàm diuinum animum adeò æterno, omnipotenti, & rege naturæ. Voluptates ita homines dementant, iuuenes præſertim, ut aſperi & infenſi fiant præceptoribus, educatoribus, propinquis, etiam parentibus, legibus, magiſtratibus, patriæ, denique omnibus melius monentibus, & per quos ipſis parum licet ſe ex animi ſententia expetitis delicijs ad ſatietatē obruere, quas ubi ſunt nacti, uel etiamdum quærunt, zelus & inuidia, ne quis eiſdem fruatur, quo œſtro animos concitat? quot bene conſentientes amicos in exitium mu-

tuum armauit:Iam de dignitate contentiones & in republica magnos excitarunt ci uiles motus,qui cõmunem patriam funditus euerterunt,ut inter Cæsarem & Pompeium. & potentes populos ac Principes inter se commiserunt diuturnis bellis & utrique calamitosis,non ultionis cupidine,sed eminendi.cuius generis fuerunt bella gesta cum Pyrrho & Hannibale.Nimirum hinc nata sunt bella antiquissima,hæc sunt rei tam sæuæ ac detestandæ semina & primordia,imperij,dominationis,præstantiæ libido infinita. Vetustissima omnium penè nominantur magis quàm referuntur bella,Vexoris Ægyptij,& Tanais Scytharum regum,suscepta tantum ob gloriam, ob decus atque imperium,non de uita.adeò citius exeruit se superbia,quàm ratio & uis mentis. ut rudi adhuc mundo,nullis dum artibus,aut inuentis uitæ profuturis, nullo uirtutis sensu,non sapientiæ,non opificiorum,iam honorem & gloriam capta rent.fuit quidem error ille humanarum mentium,quæ se honorem laudemq; consecuturas per hominum cædem sperarent. Sed quum omnia penè uetustatis inuenta sequentes ætates uel mutarint uel damnarint penitus,tanquam rudia & incondita:error tamen ille ita in animis hominum insedit,ut receptus sit prorsum ac approbatus:quippe superbia integra & ualida confirmat sua:non idem potest in suis stabiliendis inualida natura:homines qui nihil mentis oculis uiderent,corporum oculis robur lacertorum admirati sunt,quum animi essent in illis infirmissimi.Tum facta immania & cruentissimas fraudes laudarunt,uel quod sibi profuissent,uel ex metu. Hinc ad illos delata imperia, principatus, dignitates, regimen in cæteros,ubi iuris mensura uis erat,& omnia licebant uiribus,aut uafriciæ, aut etiam crudelitati.Planè ubi affectus totam possessionem animorum occuparant,uiolentissimus quisque tyrannidem inuasit.Ita non optimus erat in precio ob amorem uirtutis, sed promptissimus ad nocendum,quum metuerent omnes ijs rebus,quas haberent,quàm uirtutem chariora.Ergo partim,quod interna non uiderent,externa tantùm suspicerent, partim quod se putarent iuuari,partim adulatione,in quam prona est aduersum potentes multitudo,omne honorum,decoris,laudum,gloriæ genus in facinora est militaria congestum,appellata uirtus,& nominati uiri fortes,uiri boni,patriæ uindices,domitores gentium, sublati in cœlum,& culti pro dijs,ut Hercules & Dionysius Thebanus. composita carmina in laudem,& celebrata cantibus,publicè atque in conuiuijs,quemadmodum Homerus inducit Phemium in procorum conuiuio canentem Troiana bella.durauitq; is mos etiam usque ad populum Romanum adultum iam & Italiæ totius dominum:quod in Originibus scripsit Marcus Cato:poemata & historiæ conscriptæ,erecti arcus,positæ statuæ in celeberrimis urbium locis cum præclaris inscriptionib. clarum nomen,nobilitas ad filios & nepotes.Quis est tam natura sua uel segnis,quem non tanta excitarent præmia:uel abhorrens à cæde & sanguine, hoc est, ab inhumanitate,tam amicus quietis & concordiæ,quem non ad facinus extimularet tantus omnium consensus tanto cum præmio adhortantium ad nephas? Quòd si rei omnium sceleratissimæ,non tanta fuisset merces proposita,minus fortasse habuissemus principes bellaces.sed diuinitas Ioui,Marti,Herculi,Libero & reliquis addita,quòd magna bella feliciter gessissent, posteros extimulauit,ut in aliquem certè tam immensi honoris participatum admitterentur, Græcos in primis,in quorum excellentibus ingenijs, ut in agro feracissimo,quòd nihil esset bonæ sementis factum,succreuerunt noxiæ herbæ complures,honoris potissimùm cupiditas inualuit.Hinc sunt bella Thebana,Argiua,Attica,Peloponnesia.hinc Græcorum ad Troiam conuentus & tanta pertinacia in malis,quanta in rebus iucundissimis nunquam fuisset.Extulit elegantissimo carmine gesta illa Homerus.celebrata sunt tota Græcia.noti propter Homeri carmen etiam præcones & aurigæ & Thersitæ,& abiectissimi ac postremi illius expeditionis.Achilles tanquam sol inter heroes fulgebat.Fuerunt plures,qui Achillis nomen affectarent,quàm Nestoris. hinc etiam sine occasione ulla sparsa bellorum semina,ut inquietum ingenium paucis mo dò cognitum in pace,in bello per malas artes innotesceret. Cuiusmodi per gentes omnes innumeri fuerunt,ut Athenis Alcibiades,qui populum suum fractum tanta

bellorum

bellorum continuatione quiescentem iam, & quasi respirantem non passus est diutius ociari, bellum Peloponesiacum scelestissima fraude excitauit. Alexandrum Macedonem in tantos illos furores præcipitem egit Achillis æmulatio. ducebat exercitum per Asiam. Alexandrum exercitus, Alexander cæcam ambitionem sequebantur, ut liceret naturæ finibus inscribere, hucusque bellabundus, hoc est latrocinabundus peruenit Alexander. Alexandri successus multos deinceps impulit, Pompeium Magnum, Iulium Cæsarem, quem ferunt Gadibus ad statuam Alexandri illachrymasse, quòd ea ætate, quum ille iam Asiam uicisset, ipse nihildum gessisset memorabile. Itaque Romam reuersus omnem dedit operam, ut sibi bellum aliquod decerneretur magnum, uarium, periculosum, ubi se patefaceret clausa illa & cohibita in pace sæuitia. Nuper Carolum Burgundiæ ducem, admiratio gestorum Alexandri coegit ijs se bellis intricare, in quibus ipse perijt, & in extremum discrimen uniuersam Belgicam adduxit, ex qua Mariæ hæredi adempta est à Ludouico Franciæ rege Burgundia. Tãta fuit stultę huius famæ dulcedo, imò uerius rabies, ut mulieres compulerit sexus & naturæ suæ oblitas, uirili more armis se tegere, & in prælia uiros lacessere. Amazones ex Scythia egressæ Thermodoontẽ amnem & illam ponti oram occuparunt, inde uicinis bello aut perdomitis aut diu & multum fatigatis, quod de uirtute Athenienſium, sicut Lysias scribit, multa audiuissent, ultrò illuc sunt transgressæ ad uires illorũ tentandas, quo ipsarum nomen latius inclaresceret. Prętextum est huic gloriæ prorogatio finium ac imperij. hæc causa bellorum propè omniũ Græcis, Romanis, Carthaginensibus. Non poterant se domi regere, tot conflictati dissidijs, discessionibus, tumultibus, factionibus, bellis ciuilibus. alienos quærebãt, quos regerent, ut alios haberent in sua potestate, qui se non habebãt. quod & regibus non raro contingit, ut quum uel pueri, uel adolescentes imperiti ac inexperti rerum & usus uitæ, uel senes uoluptarij, aleatores, fatui, uni domunculæ gubernandę pares non sint, orbem concupiscant regendum, & plures nationes habeant, quàm sciant nominare. Quid aliud fuit imperium potentibus nationibus, nisi causa maximorum uiciorum, & impunitorum, & ad extremum armorum uel ciuilium, uel externorum, sub quibus miserrimè conciderent, uel funditus extirparentur, uel fœdissimè seruirent paulò antea tot gentium domini. Et Principum singulis quid aliud est latum imperium, quàm uel cura iugis & grauissima, si bene fungantur suo munere: uel paratissimum discrimen, si sint negligentes. quàm aperte naturam integram praua malicia corrupit, & deprauata opinio integritatem iudicij sustulit? nam quid aliud est regere aut gubernare, quàm consulere, prospicere, curare non secus ac filios? Idcirco Princeps, parens patriæ nuncupatur. At quid minus conuenit, quàm uelle te consulere ijs, qui te recusant? & per maleficia attrahere ad te, quibus dicas te uelle benefacere? an etiam occidere, diruere, incendere est gubernare? & metu opprimere est consulere? uide ne appareat te non tam cupere regere, quàm dominari. Non est regnũ quod expetis, sed tyrannis, uelle multos tibi esse dicto audientes, nõ ut commodè uiuant, sed ut te metuant, & imperata obedienter faciant. Neque uerò bellorum origines & causæ intra honoris limites insistunt. Quicquid principi aut populo non placet, manus armat. & querela inter potentes bellum indubitatum parit. Itur ad arma propter mulierculam, quod utiq; lenonum est, nõ principum, ut sit (quemadmodum inquit Horatius) cunnus teterrima belli causa. quid potest obscœnius dici? propter rem turpissimam ac fœtidissimam? hoc fuit multorum bellorum initium, ut Pelopis, Lapitharum, Æneæ ac Turni, Tyndaridarum cum Ida & Lynceo. Patris ac filij Henricorum in Britannia. hoc denique illius tam decantati Grecorũ ac Troiæ. Quanto melius sapiebat ille & Thrax & barbarus, quàm ingeniosa Græcia, qui utrinq; ad auxiliũ & partes à Græcis & à Phrygibus sollicitatus, quum belli originem cognouisset, utrorumq; iudicia damnauit: testatus se nõ uidere, quid opus esset armis ad eam causam: illud esse promptius ac uerius, ut Paris Menelao uxorem Helenam redderet: se Paridi, si tam in fœminas insaniat, uel decem missurum puellas formæ exquisitissimæ, & per gentes raræ. Hæc ipsa causa priuatos quoq; non aliter committit, quàm tauros

uel canes,dum aliquot eandem fœminam ſequuntur.Illud non minus fœdum,ut fœminæ obſecundes, imò ut pareas, bellum facere,quorum ſunt non pauca exempla: ut Periclis Athenienſis,qui propter Aſpaſiam ſcortum Mileſium Samijs mouit bellum infeſtantibus Miletum. Cæſar dictator Ptolemæum ſuſtulit in gratiam Cleopatræ. Rex Galliæ Carolus ab uxoris ſuæ faſtu ac ſtultitia inſtigatus Flandriam maximo fatigatam bello penè deleuit. Perſepolim Alexander Macedo exuſsit, Thaidis meretriculæ hortatu.prô dedecus,uiriles animos tam abiectè fœminis ſeruire,ut intelligas belluas eſſe,non homines,uoluptate captas & irretitas eſca fallaciſsima.Iam quale eſt rectorem tot populorum ac gentium,quo nihil conuenit magis eſſe graue ac ſeuerum,uerbulo uno aut dicteriolo obliquè detorto ita cōcitari,ut in extremum diſcrimen adducat tot capita curæ ac fidei ſuæ cōmiſſa? Quid illa,quęcunq; poſsidemus,domos,agros,ſeruos,ſupellectilē, ueſtes,pecuniā, nō ſolùm fecimus noſtra,ſed nos ipſos,nēpe ſubſtantiā noſtrā,ita em̄ & Latinè appellamus Græcos ſecuti, qui οὐσίαν,adiuuamur ueterib. dictis uel ab imperitia uulgari ortis,uel à poetis ſenſū & famā multitudinis pro duce uſis,pecuniā eſſe cuiq; uitæ uice. Satis hoc perſuaſerūt ſibi q exigua mercedula menſtrua ſingulis horę momētis caput ſuū periculo obijciūt, & ſi quis pecuniam aut poſſeſsionem attingat, ibi non ſecus dolemus, quàm qui uruntur aut ſecantur,nimirum ſubſtātia detrahitur,inueterata quidem opinione.Ploratur lachrymis,inquit Iuuenalis,amiſſa pecunia ueris.Quo ore,quibus uocibus illa intonantur,meum,tuum? quot iniuriarum,litium,controuerſiarum,rixarum, pugnarum,cædium ſunt authores? quantas duo illa uerba tragœdias excitant in rebus humanis,& eo maiores,quo conſurgunt freta & ſuffulta potentia maiore. ô uoces humano generi infauſtas atq; infelices,quum illas uel Princeps uel magnus aliquis populus querulo ingeminat clamore.Neq; enim ſolum recente adhuc & tanquam calenti iniuria repetuntur res,ſed ex ueteribus monumentis Meū illud & Tuum eruitur, exeſis iam chartis, exoleſcentibus literis, in quo imperita multitudo uel princeps cupiditate ardens armatus ingenti potentia cognoſcit, & ſtatuit de ſuo ipſe iure actor & iudex.quæ ratio rerum repetendarum efficit, ut nihil nō ſit cuiuſq;.Quid enim eſt,quod non aliquando fuerit ſub alijs dominis,quod non ſub maioribus cuiuſq;? Atqui dicunt publica uſu capi non poſſe,ideo nihil iure adimi regibus aut populis.Quòd ſi publica uſu non capiuntur, utiq; nec ullus rex aut populus ſuum poteſt facere,quod eſt publicum generis humani,imò priuatum Dei,uel(ut ueteres loquebantur)fortunæ,qui loquendi mos durat etiamnum.ô dementiam, noſtra nominamus,quæ nos ipſi fortunæ eſſe profitemur:& noſtram dicimus pecuniam,qui nec animos habemus noſtros,corpora uerò minus multo. Nec ſic repetuntur ingentes tantum prouinciæ,ſed agri quoq; particula, aut arx aut caſtellum, aut etiam aquula diuturno bello uicinas nationes implicitas tenuit,imò etiam magnos reges,qui ſcurris & aſſentatoribus ſuis urbes & regiones tanquam congiaria animoſe largiuntur, idq; gloriæ ſibi ducunt. Nolunt alteri regi olim amico & bene merito cum utriuſq; regni ſalute agellum cedere,qui lenonibus & impuriſsimis applauſoribus non parua regni ſui parte cedunt.Quid, quòd eum ipſum tractum, qui tot cædium, tot cladium fuit cauſa, occupatum iam & emptum tantis amicorum & innoxiorum fortunis,ſanguine,ſpiritu,extemplo adulatorculorum cuipiam donant, in hoc demū hominum genus benigniſsimi.præclaram uerò belli cauſam.ut ſceleſtum aliquem uita indignum dites.non dubitas tot bonos uiros patrimonijs,liberis, uita priuare, & ut lenunculus uel etiam latro aliquis, habeat quod helluetur.graues & præſtantes uiri præcipuiq; in cohorte amicorum,ſi non gratia,certe dignitate ac meritis, primi obijcientur ſæuitiæ belli & paratiſsimo capitis diſcrimini. Indurat nos hoc habendi ſtudium.reddit immites, aſperos,efferatos, expellit affectus illos omnes humanos ac manſuetos.omnia perſequimur ſummo iure, & aduerſus omnes.non ſolùm egenis non ſubuenimus ex tam cumulatis diuitiarum aceruis, ſed etiam ſpoliamus nudos. hinc tantus mendicantium numerus in eccleſia dei.Duri enim in numo atq; inexorabiles ſumus fratrib. propinquis, ipſi patri, qui nos genuit, ipſi matri,quæ tot pertulit

tulit faſtidia,dum uterum geſtat,tot pericula,dum enititur. Quumq; ad benefaciendum & communionem utilitatum arctiſsimis curam noſtrã terminis definierimus, ad nocendum longiſsimè expandimus.iniurias parentibus,filijs, fratribus factas noſtras eſſe interpretamur,etiam auis,& proauis, & magnis auunculis, & magnis patruis.mortua quoq; & conſepulta excitamus, reuocamusq; in memoriam oblíterata,maiore noſtro dedecore,quàm eorum qui uel fecerunt,uel paſsi ſunt, quos dum uindicare cupimus,magis lædimus.efficimus enim ut qua illi ignominia affecti ſint, ſciant,qui ignorabant.quin & noſtrarum opinionum corruptela ita tulit,ut quę propinquo cuiq; acciderunt,uel affini quamlibet remoto, pro noſtris ſint habenda, nimirum nam ſunt,qui altiſsima ſtultitia alijs, ut probrum obijciant,caſum aut aduerſam fortunam affinis aut cognati tam procul diſsiti, ut iam ferè nihil ad genus attineat.Complectimur quoq; pro noſtris clientes,pupillos, amicos, miniſtros,ſeruos, inquilinos,colonos,mercenarios,uicinos,leuiter notos.quin & affinium aut amicorum notos,uicinos,mercenarios,alij ciues contra exteros tuentur,quod oporteat ciuem adeſſe ciui, ut fratrem fratri. alij exterum aduerſus ciuem, quod non oporteat hoſpitem iniuria adfici,& premi imbecilliorem,non ut infirmiori ferat opem,ſed ut ciuem lædat.Sic principes & potentes populi extendunt quàm latiſsime confœderationes,tanquam retia. recipiunt in ſocietatem,in clientelam plurimos, idq; ſedulò faciunt,non tam ut illos tueantur, quos ſibi adiunxerunt, quàm ut illorum occaſione alios inuadant.ita perſequuntur eum,à quo læſus ſit amicus,non adeò ut hunc tueantur,quàm ut illum,ſi poſsint, ſpolient. ut quæſtor qui furem perſequitur, non quo reddat ei pecuniam,à quo eſt ſurrepta,ſed ut fiſco ſuo applicet. Et cùm ipſi cum quibus uelint ſocietatem,fœdus,amicitiam coeant, tamen aliorum uel confœderationes uel etiam ueteres amicitias & coniunctionem ſanguinis non ferunt.iniuriam ſuam interpretantur, & in occaſionem uertunt belli faciendi. Populo Romano ea fuit cauſa ſumendi arma aduerſus multos Italiæ populos, quod ex eis aliqui in hoſtium exercitu fuiſſent:eadem contra Numantinos,eadem aduerſus Britannos, cùm id ſæpe non fuerit factum,quo Romanos iniurijs & damnis adficerẽt,ſed quemadmodum ſolet fieri,ut ſubuenirent uel uicinis,ut Britanni Gallis, uel conſanguineis, ut Numantini Sedingenſibus. Nuſquam accuratius elaborauit diabolus, quàm in ſpargendis ubiq; diſcordiæ ſeminibus, & eis confouendis,ut uberrimam frugem ef funderent, uidelicet, quod nihil eſt tam aptum eius ingenio, quàm odium ac diſsidium, nihilq; quod nos longius ſubmoueat à meditatione cœleſtis illius ſocietatis, cui homo eſt conditus,tanquam ſuccidaneus. Quippe concordia hominum inter ſe mutua expreſsiſsima eſt diuinæ illius imago ciuitatis,diſcordia uerò guſtus eſt inferorum.Itaque odia inſeuit gentium publica inter ſe. ut quòd Gallus & Scotus oderint Britannum,& contrà Hiſpanus Gallum, Heluetium Germanus: quæ naſcuntur ob ueterem aliquam cladem,cuius memoria tot deinceps officijs ac mutuis cõmodis uel elui,uel leniri nequit.breuis eſt beneficij recordatio, immortalis iniuriæ. itaq; inimicitias tradunt ueluti per manus cum hæreditate parentes filijs. Alij alijs eas declarant,& infigunt. hæc inſtillat nutrix puero cum lacte:hæc magiſtri confirmant:hæc à publica uoce & cantilenis diſcunt: ad hæc pueri in luſionibus ſeſe mutuò ſtimulant.ô quàm ſollicitus eſt magiſter ſuæ artis diabolus? quàm ſedulus curat ludum ſuum? quàm ubiq; adeſt,nec ullam prætermittit docendi occaſionem? Interdum ad publicas & capitales nationum inter ſe inimicitias ſatis eſt priuatũ aliquem affectum eſſe ab alio iniuria,aut etiam conuicio aliquo uerberatum.Is in patria ſpargit capitali eſſe odio illos homines in totam eam gentem, quærere belli cauſas,& alia dictu atrocia, quæ animus per dolorem excogitat. hæc de ciue & populari accipiuntur pronis auribus à pullata turba,ſparguntur,ſerpunt latius & ex paucorũ ſuſpicione fit certiſſima perſuaſio.Nihil nõ arripitur in anſam diſſenſionis.lõginquitas loci efficit,ut nihil debeat eſſe inter eos homines ſancti aut æqui: imò ne alius ſit alij hominum numero. Quòd ſi non mutuò ſe intelligant, ibi uideas illos horrere inter ſe colloquia & congreſſus,contrahere ſe,& fugere contractum & aſpectum, quaſi

draco elephantum aſpexerit,aut urſus leonem,& nõ potius homo hominẽ,id eſt ani mal manſuetiſsimum,aliud ſui generis ac ingenij,fortaſſis hinc naſcuntur,quæ à noſtris ſunt hominibus in orbe iſto nouo acta,ut Indi illi non ſint illis habiti pro hominibus,de qua iniquitate deſtinatus eſt mihi alio opere dicendi locus.Menelaus in declamatione apud Libaniũ ſubſignificat Aſianis cum Europicis naturale eſſe bellum quòd mari dirimerentur.quid poteſt immanius dici? Græco olim reliquæ nationes erant barbaræ,id eſt ſemi homines. idem nunc Italo iniurioſis in naturam, qui illam ad effundenda ſua omnia munera limites aliquos elegiſſe, uel montium uel fluminum,uel maris arbitrantur.ceu uerò definita eſſet Dei uis locis, & non ubicunq; homines ederentur,ea quoq; adeſſent, quæ hominum genus Dei benignitate accepit, non beneficio locorum. Nec uicinas nationes uicinia uindicat à diſſidio. imò uerò hoc acrius diſſentiunt, quo ſunt coniunctiores. nunquam inter illas pax, nunquam quies. ſexcenta quotidie inter manus naſcuntur diſcordiarũ incitamenta. agellus, aquula,cippus,pulſatus,ſpoliatus aliquis in latrocinio,aut per laſciuiam ludentium, certamina feſtis temporibus,unum uerbulũ temere iactatum, uanus rumor ſine authore,ſomnium alicuius.In eadẽ natione inter urbes uicinas, ſi quid altera alteri nocuit,memoria damni ſempiterna.quòd altera uel noluit,uel nõ potuit alteri laboranti ſubuenire.odia publica. Denicq; ſatis eſt ad odium nõ eſſe eandem ciuitatem. nam omnia in peius rapiuntur,quæcunq; utrinq; fiant, & ſiniſtras interpretationes licet in publicum euulgare ſecundo populo. Sunt qui bellorum cauſas & proinde culpam omnem in principes reiiciant. ab illis inuito & reclamante populo turbari res orbis.utinam uanæ in totum eſſent,atq; iniquæ eiuſmodi querelæ. Sed & nos odijs noſtris mutuis illorum furoribus ſeruimus,illi noſtris affectibus ad explendam animi ſui libidinem abutuntur,ardet quidem belli cupiditate eorum uel ſuperbia uel auaritia,ſed nos id bellum pecunijs,inſtrumentis,commeatu,manibus & uita noſtra, prompti alacresq; adiuuamus,quod contra eam gentem,quam odimus, gerendum ſit.ut dum principis uidemur dicto eſſe audientes,animi noſtri morbis obtemperemus, eidem ipſi reluctãtes & refractarij,ſi quem princeps receptũ prauũ morẽ conetur antiquare,meliorẽ inducere.At ſaltẽ uiuere intra eadẽ mœnia,ciues eſſe eiuſdem ciuitatis,eorundẽ ſacrorũ & profanorũ participes,hoc demũ à diſcordia tuetur.imò uerò id eſt crebriorum diſcordiarum materia,& acerbiorũ inter eos,qui non ſpectãt ad idem forum, eandemq; dictionem iuris, ut in quibuſdam ciuitatibus,ubi non ſimplex eſt magiſtratus,nec una curia.Inter initiatos & profanos,rogati quid oderint,nihil habebũt,quod reſpondeant, niſi diuerſas eſſe profeſſiones.Quid ergo? eadẽ profeſsio certe glutinum erit ad concordiam efficax? minime uerò, imò maxima eſt inter eiuſdem ordinis & artis homines inuidia & hinc odiũ.Inuidet figulus figulo iuxta priſcam ſententiam,& poeta poetæ.quæ inuidia non ſolum cõmunionem artium inuaſit,ſed etiam ciuitatis,ut facilius ferãt ciues eminere inter ſe exterum hominem, quàm popularem ſuum.Lex fuit Corinthi, ne quis alijs eſſet præſtantior, ſed ſi quis præſtaret uirtute aliqua,ciuitatem exiret, & apud alios eſſet excellentior. Athenis oſtraciſmus exilij genus exquiſitis populi ſuffragijs in hoc erat repertus, ne quis in ciuitate eſſet uir cõſilij,uirtutis,gloriq; magnitudine inſignis.de qua inuidia eſt quod Dominus noſter dicit in Euangelio,nullũ prophetã acceptum eſſe in patria ſua. Iam factiones in eodem etiam oppidulo,in eodem uico, quarum alijs alij ſe addicunt ſine ratione,ſine mente,ſine iudicio. Si rationem cauſamq; iubeantur exponere, nullam habebunt,quam reddant.& quo magis oſtendant ſe ferarum ritu ruere affectu, non mente ulla duci,ut feræ uocula aliqua aut colore in furorẽ irritantur, quemadmodum incandeſcere ferunt tauros in rubrum colorem,& canes iubilis quibuſdam immittuntur,ita iſti certa quadã uocula aut colore excitati ad arma diſcurrũt,nõ hominib.fauent,non hominib.mouentur,ſed uel ſono per aures capiuntur, uel colore per oculos,ut beſtiæ.tranſeat alio uox aut color, iam pro eiſdẽ ſtabunt, quos modò occidebãt.Nec ijdẽ penates & cõmunis domus glutinũ eſt cõcordiæ.nec ſacra mẽſæ aliquid faciũt,imminet exitio uir cõiugis,inquit poeta quida,illa mariti.nõ ſocer à genero,non hoſpes ab hoſpite tutus.Inter ſorores & fratres odium capitale,quòd al

ter

ter charior esse patri creditur,aut eminere dignitate,ob hæreditatulã,ob uerbulum, ob suspiciunculam.Quid ergo ab odio nos & discordia tuebitur?non longinquitas prodest,non propinquitas iuuat,non natio uindicat,non ciuitas,non ordo,non professio,non domus,non mensa,non uterus & communes parentes,ut iam inter Christianos propter tantas dissidiorum repetitas causas,& simultates adeò crebras,optimus esse ille uideatur, qui neminem odit, neminem amat,neminem curat, sibi intus uiuit,& suum negocium unius agit,aliorum altissimè securus.Omnes hi,non humano,sed ferarum more,ac modò pro cibo in medio posito ruunt,pugnant,lacerant,sæuiunt inuicem:est suus cuique cupiditati cibus,quicquid illa expetit. Superbus uerò,unde præcipua & largissima discordiarũ materia dimanat,honori semper,ut proprio suo & peculiari pabulo inhiat.Is est ipsi pastus suauissimus,imò uerò hoc solo se sustentat. ita nondum adeptus quærit anxie,& nactus exultat,& frustratus dolet,ac uritur. & ei qui impedimento fuit,irascitur,remq; ultione dignam censet: quo fit,ut nunquam sit à discordijs & inimicitijs quies,ubicunque multis rebus impositum est honoris nomen & precium,quippe fiunt homines primùm superbi atque ambitiosi,hinc contentiosi,uehementes,iracundi,auidi ultionis. Fieri enim nequit,ut quum quisque maxima concupiscat,tantum consequatur,quantum concupiuit.igitur frustratus desiderijs aliorum quietem interturbat,per quos ipse factum iudicat,quominus uoti fieret compos. Hoc honoris nomen, immane dictu, quantas in Christiana gente quotidie turbas designet.Consultum uolunt honori,uihil dicunt se esse sollicitos, quo sit loco pecunia aut uita,modò honor sit in tuto. Honori bonam mentem, honori pietatem & Deum posthabent. Vt ille,qui moriturus rogauit sacerdotem, quem in modum uellet se mori,demisse ut Christianum,an elatè ut honestum equitem?satisfaceret ne Christo,an honori? Quis furor est iste honoris?tanti facere uocula unam,uel nutum,uel tacitam cogitationem,momẽtaneam,unius aut alterius imperiti stultè iudicantis? Nam esse stultitiam apparebit,si declararimus quid tandem honorem isti uocent. Honorem enim esse censent significationem omnem rei,quæ pro bona habetur in animi aut corporis dotibus,uel in ijs rebus quæ fortunæ potestati subduntur.Deniq; earum omnium,quibus precium aliquod fecit humana æstimatio,quali uerò id sit uirtutis & bonorum omnium præmium,agnosci ab alijs.Omnis contrariarum rerum significatio,pro ignominia habetur,& ira excitatur tãquam ad occursum contemptus,ut reus indignam ulciscatur. ergo iam non modò in uerbis,quæ in se uel laudes habent,uel uituperij speciem,sita est honoratio aut contemptus,sed in omnibus & uerbis & gestibus, quibus humana suspicio interpretata est aliquid generis eiusce denotari. mentiris: tanta est contumelia,ut non possit nisi uel uita, uel insigni aliquo damno sarciri.Si tantundem,sed alijs uerbis dixeris,euasisti iræ uiolẽtiã.ut si dixeris,bona uenia.ita nõ mouemur re,sed sono,sed leui aura.Olim secũda persona erat Tu,numero unius.pluratiuo Vos:nunc in linguis Itala & Hispana,plus est negocij in quærẽdis epithetis,cq; in tota inuẽtione. Est cui dicẽdũ sit Vos: est cui dominatio,prestãtia,excellẽtia,prudẽtia,celsitudo,maiestas:breui(ut opinor) deitas.Gallica lingua iã eodẽ incipit morbo tẽtari,uelut ex uicinarũ cõtagio.Si quis aliter loquat,socij maiestatẽ uiolauit.cõtẽptus est:ira suadet uindicãdũ.Capitis nudatio,sedisse,surrexisse,cessisse uia,substitisse:oris crepitꝰ,ructꝰ:flexisse poplitẽ:dextra, sinistra,medius locus:mouisse pedẽ,manũ arrisisse,sibilasse,corrugasse nasũ,exporrexisse frontẽ,cõtraxisse,aspexisse,bis trãsisse ante ostiũ,flexisse uultũ,porrexisse manũ, extendisse digitũ,ostẽdisse unguẽ mediũ,etiã spectasse lapsum:ubi,quãdo,cq;diu,quẽ admodũ,apud quos:omnia cẽsuram subeũt ad subsellia iracundię,insit ne honor an cõtẽptus.his omnib.tã leuiculis maximæ quoq; & diuturnitate atq; officijs cõfirmatiss.cõcordiæ possunt diffringi,& ex amiciss. capitales fieri inimici.ô miserũ humanũ genus,quis fuit ille tam crudelis tibi hostis,qui te uaniss.hæc edocuit?præteritis tam multis magnis & admirabilib.,pfuturis,imò necessarijs uitæ,quæ ignoras?nõdũ,qui sit cœlorũ & syderum cursus,quæ stirpib.& animãtib.natura,quę corporib.tuis profutura,quæ noxia,nouisti,nõ quæ uirtutis & honesti ratio,nõ quẽ in finẽ es natus,& quę sit ad illũ uia didiceras,cũ iam his adeò nocituris tantã ponere operã uacarat.Su

perbia effecit,ut optimi & uideamur nobis, & alijs uelimus uideri. hinc nobis semper indulsimus, & delicate habuimus, tanquam digni, qui sic tractaremur. delicię nos ita molliuerunt, ut quantulacunque offensio uideatur nobis intoleranda, quòd cõtingere pueris delicatulis uidemus, ut semper sint irati. nec reputamus iustá ne sit an iniusta: institutori, educatori, hero, Magistratui, Principi, parenti, patriæ ipsi, legibus, æquitati, quum facinora nostra puniunt, irascimur, & si liceret nos ulciscceremur, & ulciscuntur, qui possunt, ut mox dicam. Itaque, ut ægri intenti semper agimus, ne quid nos lædat. quo fit, ut non solum offensiones expauescamus, sed omnes offensionum species, umbras, signa. Quàm miserũ est sic animo ægrotare? Et ut sciamus stultitia nostra id fieri, non natura, citius iniurias, quàm iniuriarum umbras ferimus. Discipulus adolescens mauult se à prȩceptore cædi, quàm acriter obiurgari. Seruus malet alapam, quàm graue conuicium. In præceptis scholæ diaboli traditur minorem esse iniuriam sauciari ferro, quàm colapho feriri, & leuiorem esse contumeliam periculosum uulnus cũ luculenta cicatrice, quàm fustuariũ, uel etiã arundine semel attingi aut uirga. fuit, qui in iurgio minaret alteri fustuariũ, ille se uerò pro accepto habere dixit, & omni crudelitatis genere uindicandũ statuit fustuariũ ꝙ aër acceperat, non ipse. Quid ille, qui in iurgio & pugna accepit. primùm alapã, deinde grauia aliquot uulnera in thorace & lateribus, quib. pòst paulùm uita est defunctus? quumꝙ ei linirentur, quum obligarentur uulnera, quum adhiberetur, quod pro tempore poterat, remedium, subinde exclamabat, ne ista curatote: sed maxillam hanc significans plus se ob alapam dolere, quàm de uulneribus, quæ illi præsentem mortem adferebant. quanto rectius exclamasset & prudentius, Sanate prius, si potestis ô medici, hanc insaniam, deinde uulnera. An non aperte ostendimus robusta nos habere corpora, animos infirmissimos, quando uulnus potest corpus ferre, non potest animus uerbulum. uerbulum uerò, imò id quod nemo facile dicat, quid designet, nec quorsum sit accipiendum, ut labra extendi, aut corrugari, aut conniuere, aut intentius aspicere. puerorum more, qui aliorum ridiculis gesticulationibus irritantur, & agunturin eiulatus & lachrymas. Quid, quòd ipsis puerorum lachrymis & mulierculorum rixis admiscemus nos uiri senes, & si dijs placet, seueri, etiam magna prudentiæ ac rerum usus existimatione onusti, & nostræ iræ in uicem succedunt irarum, quas prȩteruolans musca potest usque ad incendium excitare. Quis possit persequi omnia, quæ humana amentia iniuriam, contumeliam, dedecus esse sibi persuasit? quum sint alia omnibus propè nationibus communia, alia quibusdam, alia certis populis aut hominibus, quum uel casus sic accipiantur, tanquam iudicio euenerint, ut tegulam de tecto lapsam sauciasse aliquem, equum calce percussisse, accipitrem fimo inquinasse uestem cuiuspiã, impulsum quem ab alio in turba undante. hæc omnia ultione digna iudicantur. Nimirum uirtutis unica est ratio, uicij innumeræ sunt. hominis natura unica est & simplex. quam si sequeremur, ut inquit Cicero, nihil est tam simile sibi, quàm essemus omnes omnium. Sed ubi primùm à natura discessimus, nullus alteri relictus est similis, ac ne sibi quidem ipsi. mira uarietas rationum, uiarum, sententiarum. concordiæ unus est modus, discordiæ infiniti, uasti, longissimè inter se ac latissimè dissidentes. nec satis est unumquenque acutissimum secum circumferre ad discordiam calcar, etiam alij alijs uel exemplo sumus ad nefas uel incitamento. quæ quis uel non intellexit, uel pro iniuria haberi ignorauit, uel dissimulandum duxit, ea continuò non desunt, qui iniuriam esse doceant, nec ferendam esse censeant, ad ultionem stimulent, & quemadmodũ ulciscí aut possit aut debeat, commonstrent. eum esse amicitiæ zelum rati, si amicum ex uiro bono turbulentum & sceleratissimum reddant, hoc est ipsis similem. Nec desunt, qui magna authoritate ardenti discordiæ aridissimas fasces subdant. poetæ iram Ioui tribuunt, non utiqꝫ moderatam aut mediocrem, sed ardentissimam & prærapidam, qua & filium de cœlo deturbet, & uxorem cathena pendentem puniat, & cœlum concutiat, & urbes ac regna euertat. Ira etiam uiros fieri heroes, quales sunt Reges Homerici. Inter philosophos fuit peripatetica natio, quæ iram fortitudinis cotem appellaret: à

quibus

quibus illud manauit, generosus animus contumeliæ impatiens. coniunguntq; hi res diuerſiſsimas, feritatem irę cum mãſuetudine rationis, ut ratio uel ab effreni procurſu auferatur, uel miniſtro utatur contumaciſsimo, qui non, quantum iuſſerit domina ratio exequatur, ſed quantum ſocia libido. ſcitiſsimè Seneca affectus quidem tam mali miniſtri, quàm duces ſunt. Maximo theologi ſupercilio eos, qui contumeliolas ferre nequeunt, & ſe quacunque ratione ulciſcuntur, magnanimos appellant, permoti Ariſtotelis authoritate utcunq; intellecta: ſed cui imprudentes plus interdum tribuunt, quàm Chriſto. certè, ſi eum ipſi magnanimi cenſeant nomine, nullus æque fuerit puſillanimus, ut Chriſtus & eius diſcipuli, & quotquot ex Chriſti præceptis ſanctè & religioſe uitam inſtituunt. quanto Chriſtianius Seneca? Non eſt illa animi magnitudo, tumor eſt. Non habet ira, cui inſiſtat, non ex firmo manſuroq; oritur, ſed uentoſa & inanis eſt. tantumq; abeſt à magnitudine animi, quantum à fortitudine audacia, à fiducia inſolentia, ab auſteritate triſtitia, à ſeueritate crudelitas. At uerò ubi iræ ſatis per ſe incitatæ tales accedũt hortatores atq; authores ea grauitate & fide, quanta celeritati fit acceſsio, ut & ſeipſa magis incitet, & auidius ultionem expetat, quàm uidet adeò uicij nota eximi, ut etiam præclaræ illi ac generoſæ uirtutis nomen imponatur? & ſi prætermiſerit, probrum illi & ignominiam eſſe paratam. quæ nam ergo melior reſtat ſpes, ubi uicijs ita blandimur & indulgemus, ut ſignum eſſe pronunciemus animi generoſi ac excelſi? Ita dulcuerunt hominibus diſcordiæ, ut multi ferre non poſsint amicos bene cõſentientes, omnem excogitent rationem diſſidij. Nec ulla omnibus gratiora ſpectacula, quàm uel ueræ pugnæ uel imaginariæ. ita ut rixantes & iurgantes multi lęti ac ridentes ſpectent, uberioremq; conuiciorum & iurgij materiam occulte ſuggerant, modò hunc incitantes, modò illum, & uicto ſe adiungentes, quo diuturnius ſit prælium. laudum orationes quamlibet elegantes & artificioſas, quis poteſt niſi breuiſsimas deuorare? conuicia & maledicentiam nunquam exatiamur audiendo. Meritò queritur Demoſthenes ſumpſiſſe ſibi Æſchinem fauorabiliorem in dicendo & plauſibiliorem partem, nempe uituperandi. ſibi difficiliorem relictam, & quàm minus auditores præferant, laudandi, & quidem ſui. Iam ſimulachra pugnarum præcipuæ cuiuſdam ſunt in ſpectaculis uoluptatis. olim gladiatores in harena, uenationes, naumachia, athletæ. nunc militaria exercitamenta, certamina poetarum uel oratorum, diſputationes in ſcholis, quibus homines interſunt literarum prorſum ignari, iurantq; ſingularem ſe ex illis uoluptatem capere, nempe ex pugnæ imagine, nam uerborum nihil intellígunt. in quo docti homines flagitioſe peccant, qui illam de ſe hominibus imperitis præbent uoluptatem.

quos illi etiam iam, ſi Deo placet, non ſolum, ut ſpectatores ad ſua
certamina admiſerunt, ſed ut arbitros & iudices,
ut indignitati nihil ſit relictum,
quo creſcat.

LIBRI PRIMI
FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS VALEN. TINI LIBER SECVNDVS, QVAM INHV. MANITER HOMINES EXER. CENT DISCORDIAS.

DISCORDIAS ſuſcepimus,alias uafre ac malicioſe, pleraſque omnes ſtulte ac puerìliter, ſed omnes tñ ínhumaníſsimè, & ex diaboli arte exequimur,atq; exercemus. Odij ſunt(quẽadmodũ in ſuperioríb.diximus)fontes duo,ínuidia & ira. Inuidia,degener eſt,meticuloſa,plebeia,nec audet caput exerere:& cùm nõ mínus nocere cupiat,quàm ira, tamẽ eam de ſe habet exiſtímationem,ut aſpectũ hominũ fugíat, tãquam probroſa,ímò abhomínanda. Itaq; nihil accuratius celat ínuidus,quàm inuidiam, quòd turpè ac fœdum habeatur ínuidere. uidelicet quiſquis alteri ínuidet, & illum ſuperiorem tacite confitetur,& ſe parum ſuis bonis confidere. Nemo enim, ut præclare eſt apud Ciceronem, qui ſuis confidit bonis, alienis unquam ínuidet. Tametſi ínuidia, quantumcunq; ſeſe ſtudeat occulere, tamen ita exedit præcordia, & contabefacit uniuerſum corpus, ut in uultu exiſtat notabili quodam líuore. à cuius etiam coloris appellatione ípſa nominatur.ultrix ſui,in hoc uno çquiſsima,quum ſit cætera ſcelerata atq; atrox. Ira generoſior exiſtímatur, quippe quæ creditur rei indignítate permoueri, & tanquam ultrix eſt malorum, & miniſtra deæ illius Nemeſis, quam ueteres finxerunt indigna perſequi,& uindicare. Itaq; nonnulli eam conſulto oſtentant,monſtrum adeò deforme. Quare ínuidia,quum ſibi tempus lædendi uidetur nacta,prodit iræ ſpecie & cultu índulta, contundit atq; affligit bona, ſimulans ſe indignítate aliqua perculſam iuſto dolori índulgere. Hoc malum tale eſt in rebus hominum,qualis eruca in frugibus,aut bruchus,qui optima quæque & fructuoſiſsima arrodit. quale in animantium corporibus aconitum,quòd uitalia extemplo ínuadit & enecat.huius propoſitum eſt dare operam,ne quid ſit inter homines atq; etiam angelos boni. Nam dæmones,ut acti ínuidia hominibus nocuerunt,ac nocẽt, ita etiam angelis nocerent,ſi qua líceret. Ira uerò adminiſtram ſe ínuidiæ præbet, ut tãtum ínuidia lædendo conſequatur,quantum ira uírium & facultatis habet. Ciuitatum atq; humanorum conuentuum inſtitutores ac rectores,quum nulla re facílius, quàm iniurijs,ira,ultione,hoc eſt diſcordia,cœtus,congregationesq; hominum uiderent diſſolui poſſe,& experimentis deprehendiſſent ſolere, coagmentari autem conſeruarique conſenſu & concordía: optimum factu ſunt rati legibus latis & iudicijs conſtitutis de hominum inter ſe iniurijs cognoſcere. ut & pœna deterrerent multos à facienda íniuría,& æquitate cohíberent ab ultione iratos,qui intelligerent paratam eſſe iure ac æquitate ultionem,ut líceret ſibi ſuas ínjurias perſequi primùm tuto, & ſine retaliatione ultionis:hinc cum leui díſpendio fortunarum aut quietis, tum etiam cum aliqua opinione boni & moderati ciuis: & ad coercendos motus animi impotentes periculum oſtenderunt ei,qui non iure & legibus,ſed ipſe manu ſua ínjuriam repoſuiſſet. Ergo,ſicut corrupta corporis noſtri natura effectũ eſt,ut medicina, quæ alioqui in hoc fuiſſet intenta, quemadmodum ſanitas conſeruari, & uita longiſsimè produci poſſet, nunc tota eſt in morbis uel depellendis uel cohibendis, alijs ex alijs renaſcentibus, & latiſsimè ſeſe effundentibus, ut ſatis ei ſupérque negocij exhibeat hæc lucta. Ita leges & iura, quæ in natura integra magiſtri tantum fuiſſent, & uelut indices, quæ eſſet uia ad concordiam tenendam. Nunc à diſcordía extricare ſe non ualent, ut iam propè de concordía deſperarint, abundè multum ſe adepturos cenſentes, ſi effreni huic & rapaci diſcordiæ frenos aliquatenus & retinacula iniecerint. Itaque uideas magiſtratum, iudicem, principem, imaginem rectoris mundi in munere quidem omnium, pulcherrimo & maximo occupatum, tamen circa feces & ſordes rerum, meum ille ſurripuit, imò id meum erat. pronunciat

ciat lex cuius auaricia sit iustior.alapam inflixit,furem uocauit,minatus est,lotio perfudit,unguem medium ostendit,ore crepuit.seueriſsima lex cogitur inter duos sedere aut pueros aut ſtultos,& qui tãquam iniuriam hæc facit, & qui tanquam iniuriam hæc accipit. ut magni aurifices in ciuitatis inopia ſcruta & nugas conficiunt ex uili materia,quando nemo est qui magna illa & precioſa emat.Mirabantur olim Seneca & alij ſapientiæ profeſſores tria fora uix ſufficere urbi Romæ.atqui erant illi ethnici, ciuitas ampliſsima,ſedes imperij totius orbis.nũc, quod est in Chriſtiana gente tam frigidum oppidulum,cui duo ſufficiant? Brugis uiuo,urbe non perinde ut alias opulenta & frequenti,populo manſuetiſsimo ac ciuiliſsimè educato,& tamen hic quinque ſunt fora,nec omnino muta aut deſerta.Nec ſatis fuit leges esſe de litibus olim inter gentiles, nunc inter profanos conſtitutas, etiam ſacri atque initiati homines litigant,& forum habent,& formulas,& accuſationes,& teſtes,& iudicem,& lictorem, & carcerem,& carnificem.& gladium,& ignem,& uenenum,ſacerdotes illius Chriſti:qui quum esſet omnium dominus iudex uiuorum & mortuorum,tamen roganti cuidam,ut fratrem iuberet hæreditatem ſecum partiri,reſponderit ô homo, quis me iudicem conſtituit inter uos? Sed nec tot leges,tot fora,tot iudices cuncti tantum habent uirium,ut morbum tollant:tantum premunt, ne ſe proferat. neque enim iudicium uel concordiam ſareit, uel diſcordiam diluit,ſed cohibet modò manus,irámque ſe effuſe proruentem.odia tantum abeſt,ut leniat, ut ſæpe exaſperet, ac tumefaciat,quãdoquidem iudicio uictus perinde ex foro diſcedit, quaſi non iure abiret inferior,ſed iniuria,ſed fraude,litigatori,iudici,& legi iratus. Vellem potius ad hoc leges,iudices,mores ciuitatum, populorumq; incumberent, ut inquietos hominum animos caſtigarent,docerẽtque,quàm indigna homine faceret, & qui iniuriam alteri inferret, & qui ſtuderet referre. concordiam nunquam conſtaturam, ſi uterque quantum legibus permittatur,contendens alterum uicerit.citius manſuram concordiam, ſi uterque de ſuo iure cedens alterius charitati ac beneuolentiæ odij cauſas condonarit,ut & qui læſit,doleat ſe in amicitiam peccaſſe,& læſus facile amico ignoſcat.hæc erat expeditior uia ad concordiam, quam tradidit magiſter ueræ ſapientiæ Dei filius. Ergo quum affectus affectum repercutit, ira celatur uel metu territa uel ſpe delinita,infida illa,ut Seneca inquit, & mala affectionum pace. Cæterum ubi uel ira acrior atque impotentior est quàm ut legum ſubſidia expectet, uel qui contendunt legibus ſe & magiſtratibus ſuperiores putant, tum efferueſcit animus, & tanquam concitatum mare aſſurgit, nec abſurdè tempeſtati aſsimilatur ira, ſiue origo ſpectetur, ſiue effectus. Est enim maris tempeſtas uelut quædam eius ebullitio. & philoſophi, iram, feruorem diffinierunt ſanguinis circum cor: continuo tempeſtate ſurgente cœli facies mutatur in tetrum quendam & horribilem aſpectum.non alius est hominis uultus ira incandeſcente:& quemadmodum iratum hominem,ita etiam iratum cœlum dicimus. quanta oris totius diſtorſio & tumefactio? quàm torua facies? pro fulgoribus ſunt oculi,quemadmodum Homerus inquit de Agamemnone, irato illi oculi in modum ignis fulgurabant. tonitrua ſunt inconditum quoddam murmur. & ut mare agitatur, ſic corporis totius fit concuſsio, ut neſciat ſtare loco. Fulmina ſunt conuicia, & uerba atrociſsima,magis plerunque quàm ipſum fulmen noxia & periculoſa.ſunt quibus facundia in ira ſuppetit,ut de Caligula ſcribit Tranquillus: ibi dicenda & non dicenda effunduntur, dum ſe ira fæuiſsimis dictis ſimul irritat & ulciſcitur.tum atrociſsimè quicq; iacitur,& ea profunduntur, quæ omnem ad gratiam reditum intercludant, quæq; per idem redeant iugulum, quà exierant. Sunt quibus ſumente uires ira,& mens ad cogitationem confundatur,& ad loquendum lingua, tum uerba perplexa & perturbata & ſermo ſine mente ac ſenſu, quæ ſatis oſtendunt,quemadmodum intus ſit animus affectus. nonnullis uox intercludi tur.tantum fremunt abſurdum quiddam ac inconditum.alij craſsiore pectore,& magis naturę ferinę nihil prius uerborum iaculantur,ſed continuò rem manu exequuntur, quos multi animoſiſsimos uocant, id est minus homines,magis beſtias:quibus iræ ſunt præcipites, & impetus pro ſermone, ac querimonijs. Tum pro telo est uel manus

manus ipſa,uel pes,uel cubitus,uel caput,aut etiam ſputum, denique quicquid primum eſt ad manum,furor, ut dicit ille, arma miniſtrat. Rudi adhuc ſeculo manus in pugnum contracta erat pro telo,unde pugnæ nuncupatæ.hinc ira telum fecit, quicquid iaci poſſet,aut quo homo cædi.liber,candelabrum,panis,ſcutella,titio,lapis,lignum.nihil non erat hominem lęſurum molle ac tenerum animal. Robuſtior deinceps facta eſt indies ira,& robuſtiora quæſiuit inſtrumenta.erutum eſt ferrum,quod natura altiſsimè condiderat.gladius fabricatus, quo una plaga poſſet confici homo. Sed ultionis duo ſunt genera,alterum belluarum, alterum diabolicum. nam humanum nullum eſt.Beſtiæ irritatæ impetu aguntur,& quantum per uires licet, præſenti commotioni ſatisfaciunt,ubi refrixêre,ſimul iniuriæ memoriam, & ulciſcendi auiditatem cum affectu deponunt.Homo uerò,quo non modò homine ſe peiorem declaret,ſed etiam bellua,non contentus incitato affectui indulgere, recordatur & iniuriæ,& eius qui fecit,& amicorum,& propinquorum illius,non in diem unum,aut menſem,aut etiam annum reſeruat, ſed in multos annos & ætates.ira enim, ut eſt in uetere uerbo, omnium tradiſsime ſeneſcit, & inimicitias per manus filijs,& nepotibus cum hæreditate tradit. & ultionem legat, & in hoc excitat uires omnes atque artes rationis,iudicij,conſilij,ut uiam ad uindictam inueniat. ut non in aliud uideatur magna illa munera,quibus belluas excedit,accepiſſe, niſi ut per illa ipſa, quibus bruta antecellit,brutis fieret deterior.ut Cotta ille Ciceronianus uiſus ſit quibuſdam meritò rationem calumniari tanquam nequitię,flagitiorum,ſcelerum omnium inſtrumentum, tametſi ea res poterat illum cōmonefacere naturam noſtram ab integritate ſua receſsiſſe.Quid illud,quale eſſe dicam,quòd ultio non concluditur eo, qui iniuriam fecerit, ſed latius ſe expandit:unus læſit, plectuntur multi.apud quaſdam nationes, quæ quum ipſæ ſibi abunde ad humanitatem uideantur informatæ, inhumaniſsimè uiuunt, ad reponendam iniuriam non modò authorem requirunt, ſed parentes,fratres,filios, auos, proauos, nepotes, pronepotes, patrueles, patruos, conſobrinos,omnes propinquos,affines,gentiles,quacunque ſint ualetudine, conditione, ſexu, ætate, ut etiam pulchre uideatur ſibi functus ultionis munere, qui lactantem puerum in ulnis nutricis cæciderit propinquum eius,à quo ſit uiolatus. Et ut iniurias ad tā multos extendimus: ita non ſolū noſtras perſequimur,ſed omnium qui uel conſanguinei ſunt nobis,uel affines,uel affinium affines,amici,clientes,ſodales, noti, amicorum amici, amicorum noti. & hæc non ut iniuriam prohibeamus ne fiat aut quum fit,inhibeamus,ne ſe latius effundat,quod forſan excuſationem haberet aliquā,ſed ut factam & propè iam obliteratam,renouemus,& uindicemus, ut noua iniuria non medeamur priori,neque enim id iam poſſumus,ſed utranque exacerbemus.At quorum iniurias uideri uolumus ulciſci, etiam cum aliquo uitæ,aut fortunarum diſcrimine, certè quietis ingenti diſpendio, eos non iuuaremus exiguo aliquo labore, aut argenteo numo. in iuuando tam ſegnes & maligni, ad nocendum prompti & liberales. quin ſi amiciſsimè ad rem profuturam ſibi ac honeſtam, operam noſtram aut pecuniam utendam roget,licet ſine dedecore recuſare, ſi leuiſsimè notus uocet ad nocendum alicui, maximum dedecus excuſaſſe, imò ultrò & inuocatos oportet ad eiuſmodi prędara facinora uenire uiros fortes ad res ſanctas ſemper occupatiſsimos, ad res turpiſsimas nūquam non liberos ac negocio uacuos.Euigilauit in hoc uis illa humanæ rationis propè diuina,quaſi id unum eſſet ſuum munus, tanta cura iniuriarum momenta expendit ac digeſsit, tum quæ quibus iniurijs reſponderent ultiones. hæc capite uindicanda, illa fuſtuario, alia harundine, alapa, uulnere in facie,mulctatione fortunarum,dignitatis.Satis hęc quidem expenſa ſunt diligenter & exacte.ſed ab iſtis tam acribus appenſoribus peruelim audire iſtis ipſis humanis ultionibus quæ tandem diuinæ reſpondeant:hærent,ego eis paucas explicabo,corporeis ſpiritales,leuibus grauiſsimæ,atque acerbiſsimæ, momentaneis æternæ.Omnia oportet diſcordiæ ſeruire, non interna modò,ſed externa quoq;.Sermonem,& lachrymas,& amicitias,quas ad mutuū auxilium ex Dei munificentia acceperamus,in mutuam pernicięm conuertimus, amicus amicum, frater fratrem,uici

nus

nus uicinum,ciuis ciuem,non ad opem ferendam implorat,ut in commune prosint, sed ut alij noceant. fit manus hominum consentientium in ultionem eius,quam illi iniuriam interpretantur,uel quòd causæ fauent,uel quod homini,aut quòd alij alias spes sequuntur,induunt arma.existit factio.& quum leges & maior potestas non timetur,uocatur bellum,uel ciuile intra eadem mœnia & ciues, uel externum inter duos populos ac nationes.& cui sub legibus crux & alia sunt supplicíorum genera parata,supra leges non solum impunitum est,uerum etiam honestum & glorioſum. quod belli nomen à belluis deductum esse testatur Festus Latini sermonis bonus autor.quippe res est belluis magis congruens quàm hominibus.hic enim ad humanitatem mansuetudinemq; est à natura formatus ac fictus,illæ uerò ad feritatem & incursus animorum.sed ita tulerunt nostra scelera,ut quod malum congruentius bestijs uideretur,illæ non facerent,nos faciamus,quod à nostra est natura alieniſsimũ, quodq; illa maximè auersatur atque abhominatur. belluarum dicis esse bellum?atqui nulli animanti,quàm homini,sicut Plinius inquit,pauor confusior,nulli rabies acrior. Cætera animantia in suo genere probè degunt:congregari uidemus & stare contra dissimilia.Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes. Ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt,solus, quem minimè omnium conueniebat,homo belligeratur,ut appareat reliqua in natura sua permansisse,hominem ab ea desciuisse ad aliam peiorem,ut fruges nũquam in melius degenerant.facile intelliget contra hominis naturam esse bellum,quisquis bellandi causas excusserit.Naturale uidetur esse famem & sitim sedare,ob quæ interdum sæuiunt feræ:propulsare uim & molestiam frigoris,æstus, pluuiarum, niuium, denique cœli iniurias,desyderijs naturalibus satisfacere. De nulla harum rerum est bellum.Galli olim magna manu alpes superarunt,Italiam sunt ingressi,Heluetij Galliam,Cymbri Italiam,Gotthi Europam,nullus alimenta,nullus naturalia desideria sequebatur,omnes delicias .alij uinum,alij oleum,alij locorum amœnitates.Anno abhinc septimo magna fuit in quibusdam Europæ regionibus frugum inopia, grauissima omnium in Bethica Hispaniæ,ut ingens hominum numerus per uias publicas,& sub priuato status iacuerit fame absumptus,iumenta omnia perierint.ut in sequenti anno ad terram uertendam hominibus ipsis trahẽdum fuerit aratrum.Quis egressus est domo?quis sumpsit arma,ut tam diram luem effugeret?uerbulũ unum, ambitio,auaritia manus ferro armat,& in bella gentes ac nationes propellit,adeò facilius ferimus,quod naturam lædit,quàm quod superbiam:uidelicet ad hanc defecimus ab illa.Morimur intra mœnia,quum egressis liceret uitam prorogare,& laboris odio teterrimam omnium mortem oppetimus,nempe fame contabefacti.superbia nos aut stoliditas per tot agit casus, per tot discrimina,per maria uastissima,per saltus profundissimos,per desertas humano cultu & inhospitales harenas,per uenena, uel feras gentes belluis,quàm hominibus similiores,procul à patria,à penatibus,à coniugum complexu,à conspectu liberorum.& agit ea res non unum aut alterum hominem,sed populos & nationes auitis sedibus. Idcirco illi uarijs casibus ac calamitatibus immersi & obruti exempla humano generi ediderunt noua,admiranda, horribilia. Ex principibus alij turpiter & cum ingenti ignominia & damno coacti redire,ut Cambyses,& Marcus Antonius.alij oppressi in cursu felicitatis,aut ex summo rerum fastigio uno turbine ad solum elisi,ut Cyrus,Demetrius,Pyrrhus,Annibal,Crassus,Pompeius,& Romani Principes,quorum iniri numerus non potest.ex nationibus aliæ toto orbe dispersæ,quæ ipse ultrò solum uerterant,aliæ ita conciderunt,ut nec superfuerit,qui tantæ nuncium cladis domum posset afferre,sicut Heluetij,Cymbri,Galli Senones.Postea uerò,quàm semel reuulsa sunt concordiæ & uerecundiæ repagula,ibi nullus est atrocitatis modus excæcata cogitatione uel ad memoriam uel ad consyderationem humanitatis:nullus sanguinis,nullus necessitudinis aut meritorum respectus: imò in eos sæuitur crudelius,quos ratio & natura iubent debere nobis esse commendatiores,in fratres,in amicos fratrum loco habitos, in nomina charissima.Nam illud est ex præceptis superbiæ,hoc esse maiorem iniu-

riam,quo à coniunctiore inferatur. quasi uerò nihil oporteat ad concordiam ualere cogitationem propinquitatis & sanguinis, memoriam iucundæ conuersationis,recordationem officiorum aut etiam beneficiorum.nimis est illud uerum,Cui dolet, meminit:cui placet,obliuiscitur. Primus frater Cain fratrem suum Abelem obtruncauit,quòd is gratior esset Deo,quasi Deo futurus esset ipse acceptior per offensam. quid hunc censemus facturum fuisse Deo,si licuisset,qui fratrem occidebat,quod illi uideretur charior? Satis hoc ostendunt,qui Principes suos oderunt,quod apud illos ualeat aliquis gratia uel authoritate magis,quàm ipsi:& iniuriam interpretantur nullum suum damnum,sed beneficium alienum.& Deo se irasci cautiores occultãt, imprudentiores patefaciunt.non Principes solùm, quos eo insolentiæ euexit perpetua fortunæ indulgentia,sed priuati quoq; homunculi & plebei,quos affectus impotentia detegit.Caius Caligula Ioui irascebatur, & ad pugnam eum prouocabat,& se in Græciam remissurum eum sæpe est minatus:lenones,latrones,milites,& alij homines impuri ac facinorosi,si quid displicet,blasphemias in Deũ & diuos omnes abhominabiles iaciunt,manu rem decreturi, si possent.ô clementiam naturæ Principis. hæc omnia ille audit & perfert,& illis ipsis nasci solem,& annum progredi iubet,& terram fruges fundere,quo alant linguas contaminatissimas,& uitam icelestissimam prorogent.Romulus Remum occidit,ne parem in potentia haberet:quumq; bene se fratre liberatum putaret,Tatium nõ potuit effugere.& qui fratrem geminum non tulerat,coactus est Sabinum hominem perferre. Sed quid ueteres tragœdias euolui mus? & connumeramus Polynices & Etheocles,Atreos & Thyestes,Demetrios & Persas,Iugurthas & Adherbales,Nerones & Britannicos,& uetusta alia fratrum nomina? Princeps Turcarum à nece fratrum suorum regnum auspicatur,quod solenne fuit Regibus Persarum. Ætas patrum & nostra uidit fratres cum fratribus commissos,filios fratrum & sororum à patruis & auunculis occisos,fratres à fratribus interemptos,non solùm inter Principes Christianos,sed etiam in plebe.hæc prodente me hîc Brugis duo fratres à fratribus sunt occisi,alter ob hæreditatulam,alter ob uerbulum. filium armatum in patrem,& quod mirabilius est,patrem in filium quoties legimus? Nec exempla ætate patrum defuerũt,nec nostra forsan desunt.Sed quia in persona ignobili,ideo minus notabilia. Et quum humana rabies ab ipso eodem patre, qui hoc quod uidemus ac tangimus genuit,manum non contineat,quid addam de heris, de præceptoribus, de educatoribus,de magistratibus, de legibus , de patria? quos omnes unicuique nostrûm parentis non habere locum ac maiestatem nephas est.tametsi nescio an hi animorum patres maiorem sibi suo iure uenerationẽ ac pietatem uindicent: illi enim corpora procrearunt, isti mentes.nec potuit aptius dici, quàm quod Paulus Apostolus,quos in fide erudiuit,& genuisse se dicit in Christo, & ex eis rudiores,& quasi inchoatos parturire adhuc,quoad in eis Christus formetur,efficiunt corporales patres, ut simus animalia : spiritales uerò,ut homines.nam quid esset alienius à mente,à iudicio humano,quid syluestrius homine semota educatione,admonitionibus,consilijs,disciplina? Ergo hoc tanto beneficio,quod proximum est illis cœlestibus ac diuinis,quid excogitari potest amplius aut sacrosanctius? Atqui multi se in præceptorem,in benè monẽtem,in eum qui rudem ætatem excoluit atque expoliuit,qui errata castigauit,qui belluinos animi motus compressit, & quatenus potuit ad rectum atque humanitatem informauit,in hos(inquam)asperos se atque inhumanos præbent,& tantum beneficium tanquam grauissimam iniuriam aut intolerabilem contumeliam puniendam ducunt.qui admoniti meliora tales sunt bestiæ,tam feræ,tam immites, quales essent relicti sibijpsi,nunquam edocti ab ijs,quibus eam gratiam pro maximo merito reponunt? Stolidissimus Hercules Linum præceptorem asperius quiddam monentem confecit.Quot adolescentes ob peccatum aliquod cæsi,ut plagis admoniti cauerent in posterum,alij calenti adhuc ubice,alij frigefacto iam & multos post annos utilissimę uirgę,ideft formationis ad uirtutem præmium,ferro ac nece optimè meritorũ repræsentarunt? quibus tantum debebant,ut nec satisfecissent,etiam si corpora & uitas suas pro illorũ salute ac commodis

modis obtuliſſent. O homo, ſiccine remuneraris eos, qui te hominem fingunt, qui te degenerare in belluã non ſinunt? Alcibiades & Coriolanus bellum patriæ fecerunt, Caius Cæſar patriæ & libertati. An non liquidò quiuis perſpiciat eſſe à natura aberratum, ut quod maximè & ad ueniam debebat ualere, & ad concordiam, id ſit ad diſcordiam & odium efficaciſsimũ, nempe cogitatio ſacri nominis, & memoria charitatis. Natura hæc tam præclara dederat munera, recordationẽ, rationem, mentẽ. ſuperbia ademit. At ſemel in diſcordiam ingreſsis, ita ſeipſam irritat fæuitia, ut occupato prorſum toto pectore nihil minus eo admittat, quàm ullam cõcordię aut reconciliationis mentionẽ. ineptam eſſe iudicat, importunã, irridendã. Bello ciuili Vitellij & Veſpaſiani, quum legatos ex urbe Vitellius ad Antoniũ & Veſpaſiani exercitus de pace miſiſſet, miſcuerat ſe legatis, inquit Tacitus, Muſonius Ruffus equeſtris ordinis ſtudiũ philoſophiæ & placita Stoicorũ æmulatus, ceptabatq; permiſtus manipulis bona pacis ac belli diſcrimina diſſerẽs, armatos monere, id pleriſq; ludibrio, pluribus tædio, nec deerant, qui propellerent, proculcarentq;, ni admonitu modeſtiſsimi cuiuſq;, & alijs minitantib. omiſiſſet intempeſtiuã ſapientiã. Sunt qui ipſi ſibi ſuccenſeant, quòd nõ ſatis iraſcantur, ut ille in tragœdia, Non ſatis magno meũ Ardet furore pectus impleri iuuat maiore monſtro. In ira uerò ſubito uerbo aliquo aut obſequio frontẽ exporrigere, atq; exhilarari turpe exiſtimatur, et inconſtantiæ deputatur. ſcilicet ita iam præiudicauit inſania, inſaniã eſſe ab inſania diſcedere, ſtulti & dementis à feritate ad humanitatẽ redire. Inuenias quaſdã nationes, quæ nõ reponere iniuriã aut ignoſcere turpiſsimũ omnium eſſe ducãt, & eum qui id fecerit, propinqui abiurant, & ignominiæ loco habent cõſanguineũ ſe illius cõfiteri. quid ea re dici poteſt barbarius? quum id conſtet & in humana philoſophia, & in diuina ſapientia maximi & excelſi animi, & illius Dei naturę ſimillimi eſſe iniurias cõtemnere. At quantis odijs armati concurrunt, quantas ſi haberent uires, nihil ex homine reſtaret. nollent interdũ mortem eſſe finẽ uictoriæ, ſed mille mortes, mille cruciatus & animã ſi poſſent, extinguerẽt. Bello Punico ſecundo, quum in armis eſſent duo totius orbis potentiſsimi populi, Romanus et Carthaginenſis, traxiſſentq; in bellũ Europam et Aphricam tantis copijs, opibus, prælijs, cædibus, ſtrage pecorum, hominum, agrorũ, ciuitatum, tamen Liuius ſcribit maioribus cõcurſum eſſe odijs, quàm uiribus. quanta oportet fuiſſe odia? Hoſtiũ intreſtina uorata ſunt per hoſce annos ab hoſtibus in Italia, & ſanguis hauſtus, quo ſe crudelitatis ſitis ſatiaret. Si cui filiũ leo laniaſſet, & is extemplo leonem eſſet nactus, non tam acerbe ſe de leone ulciſceretur, ut homo de homine, Chriſtianus de Chriſtiano. odij magna ſunt & fæua indicia arma, quæ antiqua ætas excogitauit ad læden dum, & quæ nunc leuia exiſtimantur, & mitia præ ijs, quæ inſequentes ætates inuenerunt. gladius, haſta, arcus, ſcorpio, in quo tamẽ recens è Sicilia allato exclamaſſe ferunt Archidamũ Ageſilai filiũ Dorica illa ſua lingua, Perijt uiri uirtus. hæc quidẽ pugnæ, muris uerò in obſidione ſubuertendis teſtudo, aries & reliquæ machinæ. Chriſtiani ad excogitandũ acutiores, rudem uetuſtatem ſuperauimus, bombardas inueni mus æreas non unius generis, ſed ingentes, minores, minimas. & quas decẽ tauri lomo ſ nõ moueant, & habiliores, & quarũ quamq; ſinguli homines geſtent, ut lanceã, & quæ unũ globum iaculãtur, et quæ multos. Prõ ſuperi immortales, quis hoſtis huma ni generis rem excogitauit adeò exitiabilem, abhominandã, funeſtã? an hæc eſt Dei ira cupientis iam humanũ nomen penitus delere, & imponere mundo ſuo finem? nõ eſt inuentũ hoc gentiliũ, non Agarenorũ. Chriſtianorũ eſt. quis hic nos adiuuit? ſpiritus credo, ſanctus ille, qui ad ſignificationẽ manſuetudinis colũbæ eſt ſymbolo oſtenſus. Ferunt olim fuiſſe Salmoneũ quendã in Gręcia, qui quòd ſonitus tonitruũ Iouis, & non imitabile fulmen ære & cornipedũ curſu ſimularat equorũ, ictus ſit fulmine à Ioue, & grauia pendat apud inferos ſupplicia, quod huius rei inuẽtori fulmẽ? quę ſatis erũt ſupplicia? qui nõ ſolũ effinxit tonitrũ, ſed uicit horribiliore ſtrepitu? Nã uim & iniuriã fulminis utinã ſolã haberet bombarda, & nõ unaquæq; eſſet nocentior, q; omnia totius ętatis fulmina, fulmen unum, unum hominem abſumit. bombarda una quotquot una ſerie obuij ſunt uenienti globo, tanta uiolentia, ut nec latera ſint tu-

ta.occiduntur etiam,quos diſcerptorum corporum fruſta uolantia contigere.Rex il le oſtenſo ſcorpione periſſe uirorum uirtutem eſt queſtus,quòd fortiſsimus uir ſagit ta extingui poſſet,priuſquàm manus cõſereret.quid nunc dicturus,quum non unus uir fortis,ſed multi uno bombardæ ictu diſcerpũtur? Ergo iampridem nec uires,aut animus cuiuſquam eſt notabilis.nam fortiſſimus quiſq; inter primos antequàm acies congrediantur,cadit.nec locus ullus ſatis munitus.Dicearchum Peripateticũ uirum doctum,& totius memoriæ antiquitatis peritiſsimũ collegiſſe ſcribit Cicero omnia cladiũ genera,quis unquam humanum genus eſſet afflictũ,peſtes, fames, eluuiones, incurſus beſtiarum,terræmotus,& ex altera parte poſuiſſe bellorum iniurias.has uerò oſtendit plures homines abſumpſiſſe, quàm reliquas omnes.& tamen nondũ tot bella,tanta cõtinuatione,tot locis,tanto furore erant geſta,quàm fuerunt poſt illum. Nondum cognitũ erat bombarda,Sathanæ inuentũ.Seneca rabiem explicans odiorum,caſtra ponit ex utraq; parte contraria,& parentum liberorumq; ſacramenta diuerſa,ſubiectam patriæ ciuis manu flammam,& agmina infeſtorum equitum ad conquirendas proſcriptorum latebras circumuolitãtia,et uiolatos fontes uenenis,& peſtilentiam manu factam,& productam obſeſsis parentibus foſſam plenos carceres, & incendia totas urbes concremantia,dominationesq; funeſtas,& regnorum publicorumq; exitiorum clandeſtina conſilia. & pro gloria habita,quæ quandiu opprimi poſſunt,ſcelera ſunt.Raptus ac ſtupra,& ne os quidem libidini exemptum. Adijce nunc publica periuria gentium,& rupta fœdera,et prædam ualidioris,quicquid non reſiſtebat abductum.Sic Seneca.in quibus ille deſcribendis Syllana,aut Pompeiana reſpiciebat tempora,aut regnum illud triumuirale.Num hæc inſequentia dedidiſcerunt ſecula,aut ulla fuit tam Deo chara ætas,quæ iſta omnia nõ auctiora uiderit? Miſera cogitatu res, nullum fuit inuentum tam utile hominum generi, cuius nõ magna pars hominum ſocordia interciderit.Bellica inuenta,artes,ſtratagemata,dolí,crudelitas,omnia manent etiam hominum ingenijs aucta in melius,hoc eſt in peius.Ceſſauit in alijs rebus ingeniũ,multumq; ab illa ueterum diligẽtia degenerauimus. in bello ſemper euigilauit ratio,iudicium,cogitatio, meditatione,uſu,exercitatione.homines ſocordiſsimi,& qui hominũ nihil habere uidebantur præter faciem,ingenijs tardiſsimis,pectore frigidiſsimo & inerti, in hac una arte cæteros omnes antecellebant. utinam hi eſſent progreſſus facti in ſapientia,uel arte quapiam uitæ utili. Et reliquæ omnes artes habent ſuas exercitationes,ſuas remiſsiones,ſua tempora, quibus honeſtæ & præclaræ uigent.mox decedente precio atq; hominum æſtimatione langueſcunt,ac iacent. poſt redit honos,reparantur. belli,ſicut ille queritur,nullæ feriæ.rerum etiam iucundiſsimarum pecuniæ,uoluptatum ſatietas aliqua,belli nulla.Si quis ſeriem rerum à Nino Aſſyriorum rege percurrat uſq; ad hæc tempora,nullam inueniet in humano genere bellorum intermiſſionem,niſi annis aliquot,quibus natus eſt dominus. Vrbs una Roma per ſeptingentos annos bis tantùm clauſit Ianum ſuum índicem bellorum,& pacis.ſemel ſub Numa, iterum paulò poſt bellum Punicũ primum paucis diebus.Nos adhuc Chriſtiana gens ſceleratius,qui his mille annis non interquieuimus,quin bella continenter geſſerimus alia ex alijs nata,ut prius ſeminarium uideatur fuiſſe poſterioris,ita cõnexa inter ſe,ut annuli in torque.Et ſi quis res anguli huius,in quem Chriſtianum eſt nomẽ contractum & coarctatum euoluat,ac inſpiciat,inueniet materiam eſſe bellis paratam ad ſex millia annorũ.ſi principes modò,quod hactenus fecerunt,dicta,damna,promiſſa, fœderũ capita, hæreditates,iura mordicus teneant,et perſequant. Ibi uidetur intendiſſe neruos ad diſcordiã affigendam & propagandã diabolus,ubi maximè iuſſa erat cõcordia. ut quemadmodũ ille apud Paulum queritur,occaſionẽ nactum ſit flagitiũ per legem.et peccatũ,quod ante præcepti promulgationẽ iacebat,ſubitò præcepti uoce audita excitatũ ſit ad conuocandas uires contra prohibitũ.Olim mirabantur gentiles eſſe Cares gentẽ quandam in minore Aſia,quæ aliena bella mercede gereret.Itaque quòd animas uenales circũferrent, tam habiti ſunt uiles, ut ſi quid cum periculo experiendũ foret,in Care iuberent id fieri.Nunc nationes omnes Chriſtianę,quæ prohdolor ſunt perpaucę

& digitis

& digitis possent computari,omnes mercede in bellũ conducuntur,non à Christianis solum,quod uix esset ferendũ,sed sub Turca faciunt stipendia,etiam contra Christianos fratres suos.An ullum unquam fando audiuimus Agarenum sub Christianis ducibus contra populares suos merentem? At qui nos tãto furore in fratres nostros debacchamur,ut illos in subsidium contra Christianos aduocemus,& in illorum castris militemus in ijs bellis,quîs illi cladẽ uniuerso Christiano nomini ac exitium minantur.Tanta est odij rabies,ut nihil dubitemus,modò inimico utercp eruatur oculus,uos unum impendere:sæpe etiam utruncp lumen libenter amittere, dum ille alterius faciat iacturam.nimirum qui est oculorum usus,cùm simus cæci?Itacp nõ grauate amittimus,quorum nihil indigemus. Hæc ipsa pollens inclyti Pelopis domus Ruat uel in me,dummodo in fratrem ruat.sic enim Atreus imprecatur.Quærat aliquis quid ergo,tam dulce est bellare,ut ita homines sine fine,sine modo belligerentur?minimè uerò,imò nihil est acerbius,ut mox dicã. Sed naturæ rerũ sunt aliqui termini,superbiæ nulli:idcirco artium,meditationum,exercitationũ, uoluptatum sunt oportunitates & limites,ad quos illæ progressę reuertuntur.Hinc uidemus in anno, in ætate hominis,in animo,in corpore,in cœlo,in elementis redeuntes uices.Superbia semper incensa,semper ardens nullum nouit finem,de qua est illud in sacris Psalmis,Superbia eorum qui te oderunt,ascendit semper.Si nihil fiat uenienti obuium, effundit se.si quid obsistat, irritatur, & sumit uires, ut maiore impetu quicquid iter morabatur,proturbet.Nec iam superbus hominem se esse meminit,& breui moritu rum,& iudici illi omnipotẽti redditurum de cogitationibus rationem,nedum de factis dictisue.Ergo omnium illorum oblitus iniuriarum &dolorũ suorum sensu non modò homines,sed bruta animantia & mutos lapides,cœlum ac elementa permoueri debere censet, quasi Deus aliquis afficeretur,in cuius salute mundi esset salus conclusa &comprehensa.Itacp nullus est Princeps,qui non affectibus suis totum humanum genus concuti uellet.Et quatenus potest,dat operam,ut omnia secum confundat,nec terras &maria,quoad eius fieri potest,relinquit immota,omnia ad internum suum tumultum uellet tumultuari,quietis iratus infensuscp.Quid agis? quò te prori pis?quò ascendis superbia?quò aspiras?An hoc est ullo modo uel Deo, uel angelis, uel hominibus ipsis rectè statuentibus tolerabile,postulare unum homulum,ut propter affectionem,propter odium suum,propter suas inimicitias claudantur nauigationibus maria,excindantur segetes,reuellantur arbores, uastentur agri, excindantur uillæ,oppida,urbes,& quod est omnium indignissimum,tot hominũ millia mortem oppetant,quia sic illi est usum,sic placet,sic decreuit libido.Non agitur de eius uita & salute,sed de ditione aut dignitate, imò uerò de ditionis aut dignitatis particula,sæpe etiam de uerbulo uno temerè elapso.ferremus hoc, si equus de equis tantum sibi sumeret,aut canis de canibus, aut angelus de angelis? & hoc sibi licere iustũ cp esse, existimaret? At qualis homũcio id uult sibi cõcedi, cẽ temporarius,quàm non diuturnus,cẽ diuturnus potius atcp adeò momentaneus: & in eo uitæ puncto eam connectit materiam ac seriem,quę satis sit decem hominum ætatibus molestissimo ac miserrimo negocio exercẽdis:ipse sæpe,dum telam orditur,extinctus,quid, quod etiam in priuatis hominibus hoc uult, hoc postulat quisq, hoc contendit, ut omnes inimici sint eius, quem ipse oderit. etiam si is alioqui plerisq sit eorum commodissimus,& illius usus ac familiaritas utilissima,interdum quoq necessaria.Ascendit altius superbiæ impotentia,& non contenta homines inquietasse,Deo facesseret negotium,si ualeret.dum ipse,quas uocat iniurias suas ulciscatur, & obsequatur sæuissimo animo,paratus est in extremum discrimen legem ac pietatem Dei adducere,accitis ad instrumentum suæ crudelitatis,qui sacra omnia conculcent, & profanent.Iam tanta est in natura nostra imbecillitas,ut magnę sint uires opus ad eam iuuandam, exiguæ seu nullæ potius ad lædẽdam.Quippe ipsa sibi inualiditate sua natura officit,etiam si aliud desit.Ergo,qui facit iniuriam,continuò accipit,uel quod alienis lędit uiribus,uel quod ipso suo conatu,ut delicati pueri,quos offendit quantulacunq motio: & quum cædunt,magis sibi, quàm illi quem percutiunt, nocent,

Idcirco nullus eſt finis diſcordiæ & bellorum, quia nec eſt iniuriarum : dum quiſq; iniuriam interpretatur, & quam ab alio accepit. & quam ipſe quoq; dum alteri nocere cupit, ſibi fecit. Quid, quod ſunt in animo tantæ ex ſuperbia delicię, ut multi iniuriam ſibi illatam cenſeant, quod ſibi ex animi ſui ſententia facere non licuerit. Sic iracundus præceptor in diſcipulum incēditur, quod flagra quietus ac placidus non accepit. & multi, quod quem uolebant ferire, ſe ſubduxerit. Caius Fimbria factioſus homo, improbus, importunus Quintum Scæuolam Pontificem innocentiſsimum uirum in funere Caij Marij ſauciandum curauerat, & uel quod ſenex ſe celeriter ſubduxerit, uel hominum tumultu percuſſor retardatus atq; impeditus, non eam fecit plagam quam Fimbria uoluiſſet. diem Fimbria dixit Scæuolæ. mirabantur omnes, quid eſſet in eum uirum dicturus, quem nemo ſatis poſſet pro dignitate commendare. Ego uerò, inquit Fimbria, crimini illud do, quòd nō toto corpore immotus ferrum acceperit. An non principes nouimus, qui cauſam grauiſsimi belli ceperint, eſſe ſuos à populatione & latrocinio repulſos? Si ergo iniuria eſt non feciſſe iniuriam, quantum quis concupierat, minimè mirandum eſt, tam fœcundam eſſe diſsidiorum materiam. ſic exercent odia, & ſimultates homines imprudentes, nec humanitatis ſtudijs exculti & ad meliorem mentem informati. quomodo uerò ij, quos ſapientiæ præcepta ſanioribus iudicijs inſtructos à uulgi opinionibus ſemouerunt magnitudine animi, temperantia, modeſtia & moderatione cæteris eminentes ac ſuſpiciendos? Pudet dicere, & mallem multo præterire, nequid in ordinem meum dixiſſe uidear contumelioſe. ſed res eſt notior, quàm diſsimulari ut poſsit. itaq; attingetur à me, tum ut reliqui cognoſcant non deeſſe inter nos, qui noſtra uitia & intelligant, & uituperent: tum ad caſtigandos meos populares. nam illi, quum in eo grauiſsimè peccant, quòd profeſsi moderationem affectuum, ita incenduntur, tum uerò quòd authoritate ingeniorum ac doctrinarum exemplo ſunt alijs ad rabiem diſſenſionum. Si quis de uocula uel literula diſſentiat, non aliter interpretantur, quàm ſi de toto ingenio iudicium ferat, triſtiſsimæ literę tabella in urnam miſſa. quaſi uerò non poſsim in formoſiſsimo corpore næuum improbare cum admiratione pulchritudinis. Platonem, Ariſtotelem, Hippocratem, Ciceronem, Senecam, Quintilianum, Plinium, Diuum Hieronymum, Diuum Auguſtinum & alios huius notæ uiros, ut literarum artiúmque quoſdam parentes ſuſpicimus, & eorum ſcripta pro oraculis habentur. At quàm multa ſunt in eis, quę nos conniuenter legimus, alia quę apertò reijcimus? Nec tamen minor eſt ad animos noſtros illorum authoritas & dictorum fides, uidelicet quos fuiſſe magnos homines fatemur, homines tamen fuiſſe dicimus. qui, ut ſcierint plurima, plura tamen ignorarunt, & fallere potuerunt, quemadmodum & falli. Nos contrà, nolumus pro hominibus haberi, & quam ſæpe excuſationem alienis erratis ultrò & humane tribuimus, quòd ſint homines, in nobis diabolico faſtu reijcimus. Planè ita eſt, nō eſt homo, ſed pecus: is homo, qui homo non uult exiſtimari. Iam in ipſa philoſophia quæ affectibus moderatur, & mores componit, quam Socrates deuocaſſe de cœlis & in cœtus hominum ac ciuitates introduxiſſe iure laudatur, quomodo diſſentiunt? ut concitaſſe uideatur perturbationes omnes animi, & frena excuſsiſſe illa, quæ reperta in hoc fuerat, ut ſedaret, & cohiberet. Agitur de modeſtia ac moderatione, omnia ſunt immodeſtiſsima, quum de fortitudine & fortuitorum contemptu, in furorem res prodit ob rumuſculum, ob uerbum, quod alicui imprudenti exciderit. In eo ipſo maximè gloriam expetunt, quum maxime de reijcienda ac repudianda gloria præcepta tradunt. Theologi ipſi gladiatorum animis de rebus diuinis inter ſe concurrunt, & acerbiſsimis odijs de charitate. In hiſce omnibus diſſenſionibus extimulat ſeipſam ſuperbia: accenditur bilis, ſuſtolluntur ſpiritus. Inde quod primùm eſt, excutitur contrà ſentientis uita, conditio, fortuna, genus, ingenium, eruditio, dicta, facta, ſuſpiciones, rumores, & iaciuntur atrociſsima conuicia uel uera, ſi quid notæ alter nouit in altero. nam grauiſsimū quicq; exit primùm, & quod reconciliationi reditum omnem obſtruat. uel falſa, ſi uera ignorantur, quibus non ſolum fama, ſed etiam fortunæ & uita impetatur. ut non imperitus

exiſtime-

exiſtimetur modò,unde fides eleuetur dicentis, & detrahatur authoritati pondus, ſed etiam conflietur periculum uel à principe,uel à magiſtratu, per leges & iura ciuitatis,uel à rudibus aut furioſis hominibus, & qui manu non dubitent rem decernere.hanc ſcilicet moderationem acceperunt ex chartis Socraticis,& humanitatem ex humanitatis ſtudijs.Quid dicam,uoces & clamores immanes ac abſonos. ô cœlum, ô terra,portentum,ſaxum,fuſtuarium,& alia ex puerili quadam rabie ridicula. Hinc apparatur bellum,accerſuntur in partes eruditi,conciliatur plebis fauor, quo iudice certandum eſt, quandoquidem ſuſpecti ſunt docti omnes tanquam infecti fauore partium:uolitant,ceu iacula inuectiuæ,criminationes,recriminationes,epigrammata,apologiæ,antapologiæ,epiſtolæ,dialogi. aduocatur tota facultas dicendi. intenduntur oratoriæ artis nerui, tanquam de capite ſit periculum, ô homines diſertos, qui ſic linguam exerceant.Prætereo uetuſta illa, nec quæ ipſi uidimus, commemorabo,illud in gratiam uetuſtatis,hoc in honorem uiuentium, quæ ſunt tamen profectò acerbiſsima atque indigniſsima. Quàm indecoras patrum memoria,doctorum hominum pugnas audiuimus, Poggij cum Valla & Philelpho, Politiani cum Scala & Merula,de uerbulis,de ſententiolis læuiſsimis,ſæpe etiam obſcœnis,de uerſiculo, de literula, de nugis nugaciſsimis.Reges non tam acriter pro magnis regionibus ac prouincijs decertant,nec intemperantes homines de ſuis uoluptatibus.Si quis conuicia,& curam,atq; anxietatem audiuiſſet orationum,quoduis ſibi uadimonium deferendum duxiſſet,ut tantam rem cognoſceret. putaſſet inter illos doctos duntaxat homines & tantæ exiſtimationis dimicationem eſſe, uel priuatim de alterius aut etiam utriuſq; uita,uel publice de ſtatu ciuitatis.ubi uerò de tenuiſsimis inter illos rebus agi cognouiſſet,'deſpicatiſsimis illos eſſe animis indignabundus clamaſſet, & homines abiectos,qui de rebus adeò uilibus,non de lana caprina,ſed de ariſtula,aut ſiliqua uolitãte ós aperire ſuſtinuiſſent. ut nuſquam commodius uidiſſet uetus uerbum cõgruere, Magnas nugas,magno conatu agi. Nec ſemper ob literas inter literatos lis oritur,ſæpe etiam de pecuniola,de interuerſo diſcipulo,hoc eſt materia quæſtus & gloriolæ: de magiſtratu ſcholaſtico. Neq; uerò controuerſia intra uerborum conuicia conſiſtit,ut Minerua Achillem apud Homerum monuit, ſed foras ſe proruit ad lapides,ad fuſtes,ad ferrum.& delaſſata iam lingua & penna, manu atq; enſe res geritur,ut abſoluta ſit canina(quod Appius dixit)eloquentia, in qua latratus ſequuntur morſus,implorantur potentes homines aut præferoces, ut uis & ferrum in locum ſapientiæ ac facundiæ ſuccedant. At cuiuſmodi ſunt odia? Potuit poſt Cannas & Traſimenum & urbem in extremum diſerimen adductam Annibali Popul. Roman.placari, ſed leues homines atq; imperiti.Poſſunt reges regibus poſt ingentia pericula,poſt clades grauiſsimas,nempe rudes & craſſæ Mineruæ homines. diſertus grammaticus, orator facundus, acutus dialecticus, ſtudioſus & bene moratus Philoſophus,grauis & pius Theologus ei,à quo ſemel ſe læſum putat,quòd diſſenſerit in re neutri forſan cognita, reconciliari nec poteſt,nec debet.Non oportet ſic homines doctos agere, ut imperitos. conſtantia maxime eruditionem decet. rudium leuia ſunt odia,doctorum ſolida,ut perpetuus quidam paries, qui nec feneſtras habeat, qua unquam ueri lumen penetret,nec hoſtium qua redeat gratia. Parum illu d grauiter,Oderis,ut aliquãdo amaturus:ſic autem conſtantius oderis, ut ſemper oſurus. Nec unquam reditus ſit in gratiam bona fide, quin expreſſa & luculenta ueſtigia odium relinquat fixa,non ſolum ad diuturnitatem,ſed ad æternitatem quoq;.At qui ſe putat uiciſſe,quæ epicenia cõcinit? quos triumphos ducit,quæ trophæa de uicto ſtatuit? diſcendunt interdum dubio (quod aiunt) Marte, & ſe pro victore gerit quiſquis non aperte conceſsit de uictoria, quàm, ſi quis ſuperatus, proſtratus, fractus agnoſcit,miſerum illum, præſtaret ei ſuccubuiſſe ad Cannas. eum dolorem uictus,quo iure,qua iniuria,per fas per nefas conatur reponere,& uictor uictoriam florentem ac uigentem perpetuò conſeruare.O quàm hęc ſunt pudenda in hominib.ſapientiæ magiſterium profeſsis,& qui ſe medicos eſſe animorũ iactant,ipſi tam ægris pectorib.nunquam ſibi adhibeãt, quam medicinã per ciuitates uenalẽ circumferũt,

An non liquidò apparet non illos magna illa & præclara didicisse, ut sic uiuerent, quod inter Catonis laudes ponit Cicero: sed quo nomen sibi & famam eruditionis insignem claramq; ad multos compararent, uel lautum degendæ uitæ instrumentũ cum ocio pleno dignitatis. Nam in quos tantam leues punctiunculæ impressionem faciunt, utiq; nunquam hi animos ad robur uirtutis exercuerunt, patientiámque & contemptum eorum, quæ alij uel exhorrent, uel consectantur, ob eiusmodi professores malè apud plerosque audiunt literæ omnes. & sacrosanctæ disciplinæ, quum ex magistris artes censentur, fiunt & inuisæ & ignominiosæ. tum qui eas oderunt, exultant, ac se non illis imbutos esse gloriantur. nec interim uenit nostris in mentem celebratissimorum apud Homerum uersuum, qui attribuuntur personæ senis prudentissimi,

Ω πόποι ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει,
Ἡ μὲν γηθήσαι Πρίαμός θ' Πριάμοιό τε παῖδες,
Ἄλλοί τε Τρῶες μέγα κεν μεθέποιατο θυμῷ.

Quo fit, ut quantum erant per concordiam disciplinæ omnes progressæ, tantundem retro iam in contrarium discordia tanquam tormento repellantur. Dixi de doctis, quid loquar de sacris hominibus ac initiatis interioribus mysterijs nostræ religionis? quanquam & horum multi ad classem literatorum pertinent, sed attingendi sunt priuatim, quoniam alio nomine censentur. Hi uerò iam nec militum numero prophanis principibus cedunt, nec gerendis bellis cuiuis ueterum ducum, nec exercendis propter quamlibet exiguum compendiũ litibus, rabulis & sycophantis Atticis uel Romanis. emere sacerdotiũ non licet, hoc est ei, qui possidet quieta, cõtractione numerare pecuniã, ut cedat. eripere licet molestia, lite, fraude, odio, conuitijs, corruptis procuratorib. aduocatis, iudice, ui, ferro, latrocinio. quasi non hæc multo sint peiora, quàm semel numerare. non hoc probo, quis enim probet sanus? sed si hoc, quod est præ illis leuissimum, tantopere damnamus atq; abhominamur, quid de alijs est omnibus censendum? quum tamen ea rite & iure existimemus fieri, non illud, quod est tanto tolerabilius. His occupatis nec studere uacat, nec docere populũ, nec respondere consulentibus, sed tantum cursitare, causam meditari, blandiri iudici, excogitare artes ac fraudes uictoriæ profuturas. Itaq; quod maximè lamentandum est, sacerdotes Christi multum à prima illa & uera institutione uitæq; integritate degenerarunt, & propter eos populus à uera atque incorrupta pietate. Quid uerò ij, qui non charitatem hanc uulgarem, sed absolutam quandam profitentur ac totius uitæ morumq; perfectionem? ita ut propterea uniuersis dicantur & fortunis & blandimentis uitæ huius renunciasse, an hi à discordia, ab odio, atq; inuidentia non mordentur? non oportebat proximos apostolicis institutis, & mansuetudinis Christi expeditos imitatores, quiq; uniuersis se excussérant, à quibus odia atq; inuidentiæ solent nasci. Atqui & inter eos professio cum professione certat odijs asperrimis, & ex eadem natione ac secta alij cũ alijs inter quos est, nescio quid, in uictu aut uestitu discrepantię, aut etiam in ratione morum, ac usus rerum. In eodem quoq; cœnobio & intra eosdem parietes, capitales puerilibus de causis inimicitiæ & factiones, tanquam in imperio. si quem tamen oderunt foris, in illius odium eorum multi frequentes consentiunt, quantumcunq; inter se dissidentes ac discordes. conferunt inter se non beneuolentiam & charitatem, sed uires ad eum lædendum, quem illorum aliquis habeat inuisum. mittunt iacula atrocissima. Nam quicquid nõ placet, non dico eruditis. ex ipsis & sanis. iudicij, quod utiq; ipsũ tanta in re quis ferret, sed quod uel coquo interdum, uel ianitori non probatur, aut alicui ex eis qui literarum umbram ne per somnium quidem uiderit, nec iudicio ualet, nec prudentia, id non lectum, non auditum, non uisum unquam, eruditioribus. ac prudentioribus multum reclamãtibus, alij permulti uocant impium, blasphemũ, scandalosum, hæreticũ. quo in crimine impetunt scilicet capillum aliquem? tria quæ sola hic habemus uitam, famam, fortunas. uiuunt ex benignitate populi, & tamen timeri se gaudent, & gloriantur se esse illis terrori, à quibus iuuantur, & posse plurimum nocere. Dementes, qui ita sentiunt. An ignorant,

ignorant,quàm infirma sit potentia metu subnixa:quanto esset stabilior in amore ac diuturnior?Paulum,quod se,ut Christi decebat Apostolum, gereret, ita diligebant omnes,ita colebant,ut ei oculos quisq; suos libens dedisset,si postulasset.& quemad modum in doctis sunt,qui illa sui ordinis hominum flagitia intelligunt,& dolent,ita nec inter hos desunt,qui popularium suorum uitia uident,agnoscunt,uituperant,& quoad eius fieri potest, deuitant. Nihilo secius tamen, si eruditi illa rabie atque animorum impotentia & exemplo nocent,& studia partim in inuidiam adducunt,partim in contemptum, multo potentius est sacerdotis prauum exemplum ad corrumpendum multitudinem,quippe quos singulis penè horis unusquisq; nostrûm & de noxis adit,& de ancipitibus consulit,& concionantes attente ac reuerenter, uti par est,auscultat,& sacrificantes piè audit,quapropter sunt,sicut Dominus dixit,sal terræ,qui si sit infatuatus, quomodo reliqua Christianæ gentis multitudo salietur? Ergo dissensiones illæ & odia tum in uniuersum ordini sacratissimo, tum plerisq; utilibus uitæ institutis odium creant.quodq; omnium est perniciosiss. detrahunt fidem atq; authoritatem uerbo Dei.Nam quid hic commemorem,quantam per hosce annos Christiana est pietas iacturam passa,afflictata, & concussa inter scopulos altercationum,rixarum,litium,interdum de maximis & præcipuis rebus,sæpe de leuiculis, nonnunquam de ijs quæ utriq; erant ignoratæ, sed quas utriq; fortiter asseuerarent, partim,quòd in rem suam putarent esse ita teneri,ac credi,partim, quòd iampridem illis essent opinionibus imbuti & addicti, partim quòd cõtra sentientes odio prosequerentur.Ita exilia pro grauissimis,& incerta atq; incõperta pro exploratis perspectisq; utriq; tradiderunt,& recepta utrinq; sunt magno adiuratorum applausu.Ergo illi indignantur & persequuntur hos, quòd ueteres & receptas suas persuasiones, quibus tot annis assueuere, nõ relinquant propter suas opinationes, quas hic nõ est excutiendi locus.Sed certe, ut quædam sunt diuersissimæ, ita multæ sunt tales, ut si explicatius loquantur,non aliud dicent,quàm alteri,genere quodam peculiari delectantur loquendi in odium aduersariorum,tantum quia contrarius ille receptior est apud hos,& tot annorum usu tritus,atq; inter eos approbatus.quod uidemus pueris contingere, qui si quid sit dictum à rixante, ut ipsi idem asseuerent, sed alijs uerbis, non est pilus leonis,sed leoninus.Alteri non cedunt eis odio atq; importunitate. nolunt explicari sensa, uerbis atq; etiam syllabis adhærent, tanto cum periculo ac dispendio pietatis.& urgent scitum, receptúmque esse ab Ecclesia, quod est tantum à nonnullis priuatim,qui ita censuerunt.Maximi oportet esse momenti, quæ iussit, ac statuit rite congregata Ecclesia, alioqui fluctuarent omnia, & maxima sequeretur in pietate rerum omnium confusio.Sed quæ aliquibus ita sunt uisa humanis opinionibus ac artibus inquisita, ea non oportet tantum apud omnes ualere, ut inde statuatur de fide cum odio & discordia eorum, quibus illud non probatur. qua discordia nihil est magis religioni Christianę contrarium.Inde nascitur mutua opprobratio & obiectio hæreseos,& odium, ut uterq; non sit alteri Christiani uice. Nam cùm nihil sit atrocius,quàm hęretici nota aliquem inurere,utriq; nihil magis habent in ore,nullum promptius ad manum telum,quod iaciant.an istud ex mãsuetudine & charitate Christiana,quam utrique continenter sonant,laudant, ingeminant, inculcant,cùm à nulla re absint longius?Pugnãt utriq; acerbissimis odijs,& quib. possunt uirib. Igne & ferro qui possũt:qui nõ possunt,animo maleuolẽtissimo,& lingua uenenatissima, uidelicet utriq; ad exemplũ mansuetissimi illius Christi,qui cùm cęderetur,nec ferie bat, nec cõminabatur,dominus cœli & terræ, qui uno oris sui uerbo poterat omnes funditus extirpare,ut & mundum hunc dissoluere,& nouum condere.at hic conuicijs impetitus uel tacuit, uel respondens calumniæ,conuicium supersedit regerere. Nos uerò non iam cum hæresi pugnamus,sed cum homine mallemus hæreticũ perire,quàm reuerti ad saniorem mentem.nisi si quis fortè nomen gloriamq; ex eius mutata mẽte,tanquam ex parta uictoria sperat.At quomodo ad se conãtur pellicere?nõ uiuidissimis rationib.de mysticis literis,aut ipsa rerũ natura desũptis,ut olim Ambrotij, Hieronymi, Augustini, Irenæi, Athanasij, Chrysostomi. non uitæ exemplo, ut martyres,

martyres,ſed uno aut altero frigido dicto,adiectis ui,minis,terrore, ſæuitia,rebus ad cogendum efficaciſſimis,quæ parata ſunt, niſi quis ſe paratum eſſe ad recantandum dicat.Nam utricꝙ,quod ſemel arripuerũt,amputatis manibus,retinẽt tamen ac tuentur dẽtibus,ut de Cynegiro illo Atheniẽſi memorant in, prælio apud Marathonem. Quaſi uerò pietas quæ tota ſita eſt in animo,metu atꝙ armis uel confirmari uel debilitari poſſit.Nam quantumcunꝙ alteri de animi noſtri uinculis & arctiſſ.cuſtodia diſputent.certè in ſe ipſi tantam animi & tam inuictam experiuntur libertatem,ut quocunꝙ extrinſecus terrore oſtenſo unuſquiſꝙ intra ſe,quod ipſi animo collibitũ fuerit,cogitet,ſentiatꝙ,non quod terrenti.Quapropter coacti & perterrefacti metu,aliter quidem loquuntur,non aliter ſentiunt.At qui ſe ita oppreſſos uident,à profeſſoribus fidei & abſolutæ cuiuſdã charitatis, ut eos in ſe crudeliſſimè experiantur,in eam præ indignatione rabiem ac deſperationem adducuntur, ut abrupta cupiant omnia & mutata,rebusꝙ nouis auidiſſime ſtudeant, quo iugum illud & tyrannidem excutiant,cogitantes,quantumcunꝙ res ſint mutatę,ſibi non poſſe peius eſſe.Adeò ut etiam nec Turcæ abhominentur nomen,nec ſub eo recuſent uitam agere,imò malint ſub illo apertè Turca, quàm ſub his eorum opinione Turcis in perſona Chriſtianorum latentibus.Nam ſicut paulò antea dixi,quiſquis ab ijs opinionibus,quas alterutri probant,diſſenſerit,non eſt alteris Chriſtiani hominis loco.Res putatur leuis tanta hæc animorum inter ſe in nomine Chriſtiano alienatio ac diuulſio, & in ea ſecuri ludimus.Atqui ſi quis prudẽs ac cordatus uir altius rem ſcrutetur, cõperiet initium eſſe maximorum malorum. Ecquis futurus eſt unquã Antichriſtus, etiamſi centum annos imperet,æquè Chriſti eccleſiæ,exitiabilis,peſtilens, funeſtus, ut Mahumetes Arabs.At hic erat Chriſtianus miles in bello Perſico ſub Heraclio.& Arabes,quos in ſuam opinionẽ pertraxit,maxima ex parte Chriſtiani. Sed Arabes odio Heraclij, & Græcorum,ac Latinorum,qui ſub illo merebant, non dubitarunt ab ijs diſcedere religione,à quibus primùm animis ac uoluntate diſceſſerant, deinde etiam corporibus,& armis.electo Mahumete duce defectricis manus, cui non ſolum in re bellica perditi ac deſperati homines,uerum etiam in uitæ ac morum inſtitutis, denicꝙ in omnibus ſine exceptione parerent. An non etiam decem tribus Iſraelis, quæ ſecutæ ſunt Hieroboam,quòd ſacra,&templum,& Leuitas reliquiſſent, à tam uetuſta & confirmata inter eos auorũ pietate deſciuerunt? Chriſtus populum ſuum miſeratus, quicquid hic eſt ominis, quàm longiſſimè auertat.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE CONCORDIA ET DISCORDIA LIBER TERTIVS,

Qui est,

DE BONIS CONCORDIÆ, ET MALIS DISCORDIÆ.

VITA hæc nostra, qua immortalis humana mens putri hoc & caduco corpore includitur, quam ideo ueterum quidam alij carcerem, alij mortem nominarunt, nostri appositius peregrinationem atq; exilium: ea ergo quocunq; sit nomine censenda, uia est ad illam æternitatem, si modò aptè & conuenienter ad illam exigatur. Viæ huius unicum est uiaticum uirtus, reliqua uel uirtutis sunt adminicula atq; instrumenta, uel adiumenta uitæ, quæ de artificis ac principis suæ nomine appellationem sumunt, ut etiam bona à plerisq; nominentur. Sed nec in nomine ero sollicitus, sint sanè commoda, si quis uolet, aut opportunitates. nos Latino & recepto utemur uocabulo, ubi res sunt expositæ ac declaratæ. ita bona nuncupentur, contraria uerò mala. Naturã atq; origines concordiæ & discordiæ primò uolumine explicauimus: tum quantopere uoluntatem nostrã à recto discordia deflexit & abduxerit, altero. Nunc quorum sint operum authores atq; effectrices docebimus, ut appareat initijs & originibus earum non esse dissimiles actiones. Quemadmodum à Deo nata est concordia patre ac authore bonorum omnium, à diabolo uerò discordia principe atque opifice omnium malorum: sic nullum est nec boni genus, quod à cõcordia non proficiscatur, nec mali, quòd non à discordia. Incipiam à postremis bonorum, quę tamen multi, iudiciorum prauitate prima ponunt. Opes hominum aut constant fixis possessionibus, ut agris, atque ædificijs, aut ijs quæ moueri loco possunt, ut metallis, gemmis, uestitu, supellectili, seruis, pecore. Bellum tanquam uehementissima quædam procella, quæcunq; fiunt obuia, proruit: nihilq; integrum aut erectum prætermittit, omnia desecat prosternitq;, ut messor duabus falcibus armatus ferro & igni. Dissipantur greges & armenta fugatis custodibus, aguntur, iugulantur. Nemo se audet præsenti periculo obijcere, ut aret, ut sementem faciat, & alia exerceat opera, quæ colendis sunt agris necessaria. quòd si per occasionem iam hoc sit factum, antequàm miles in regionem se proruat, tum tempestate illa excitata, proculcantur agri, aut immaturi demetuntur. Nam hæc est latrocinij huius ars, in horam uiuere, nihil reseruare, nec de suis quidem cogitare utilitatib. ut quot ferro subijcere non ualeant, fame dooment, non aliter quàm belluas immanes. Narrant in Insubria & illa Gallia circumpadana, in qua iam tot annos Europa bellum continenter gerit, esse magnos fertilissimorum agrorum tractus, in quibus nihil aciem remoretur, omnia deiecta & deturbata. non uillam stare, non parietem, ac ne arborem quidem, ubi & amœnissimæ solebant uillæ cõspici, & fundi fructuosissimi, & syluę & nemora ad usum ac delicias parata, ut regioni illi nulla in orbe posset alia comparari. At collectis iam ex agris & reconditis, credo, parcitur. Quæ habere in potestate sua nequeunt, dant operam, ut quacunq; uia corrumpant. quæ sunt nacti, profundunt. quæ relicturi sunt, efficiunt ne cui usui esse possint. quæ sit omnium uitæ utilium in castris dilapidatio ac dilaceratio: si adsit copia, facilè potest conijcere quisquis cogitet, quale hominum genus sint milites. Plus alimentorum & uestiarij, exercitus unus absumit hominum uiginti millium, quàm togatorum centum millia. Celebrantur Lugduni in Gallia, & Antuerpiæ Belgicæ, & Medymnæ in Hispania campestri conuentus negociatorum frequentissimus, per annos singulos bini, Lugduni quaterni: non intenduntur alimentorum precia tanta turba affluente. faciant aliqua iter copiæ decem millium hominum, ibi famem diutinam relinquunt, caritatem uerò indubitatam ad multos

multos annos. Teſtari poteſt hoc Flandria magno ſuo incommodo, etiam poſt annum decimumſextum. Inter hoſticum & pacatum hoc tantum exercitus intereſt, quòd in hoſtico rapere palàm putant licere, & non uti, ſed corrumpere, pulchrum ac militare cenſent: in pacato palàm petunt, clàm ſurripiunt. corrumpere flamma aut ferro non licet, profundere ac dilacerare licet. Quanquam ſunt pacata, in quibus ſe milites inſolentius ac intolerabilius, quàm in hoſtico gerunt, ut in Italia, quum diſpoſitus per hyberna exercitus, aut etiam nonnunquam æſtiua, prudenti cuiuſq; militis iudicio relinquitur, quid & quatenus ſit ab hoſpite ſuo exacturus, diſcretionem uocant caſtrenſi uocabulo. Reputare poteſt quiſque, quid facturi ſunt, quorum iudicio res permittitur, quum iudicium nullum habeant niſi peruerſiſsimum & ſceleratiſsimum. Integro eſſet opus uolumine, & quidem iuſto, ſi explicare tentarem minimam eorum partem, quæ in diſcretione milites deſignant nequitiæ, flagitiorum, importunitatis, procacitatis, inſolentiæ, ſcelerum. Ardentibus bello nationibus terreſtres uiæ obſidentur latronibus, maritimi egreſſus piratis, ut gentium inter ſe commercia exerceri nequeant, quibus maximè ubiq; opes comparantur. Nemo ferè audet domo egredi, non dico ex ſua natione & regno, ſed nec ex urbe ſæpenumero, ne exædibus quidem. Nam ut ſunt quædam lignorum genera, quæ quum ardent, accenſas ſcintillas procul iaculantur, ita bellum quoquouerſum latrones mittit, & qui in ſolitudine & locis deſertis, & qui in regijs uijs, & qui in ipſis ciuitatum uiſceribus graſſentur. Nec ſoli hoſtes ab hoſtibus intercipiuntur, ſed ab armato milite, nec medijs ac neutris, nec ipſis etiam amicis atq; adeò ciuibus parcitur inermibus, non ut clàm latrocinij more ac conſuetudine ſpolientur, ſed ut publice expilẽtur uexenturq;, haud ſecus quàm hoſtes. Hoc funeſto bello quod tamdiu Europam afflixit concurſu duorum potentiſsimorum Principum Caroli Cæſaris, & Franciſci Galliæ regis Luſitani neutri partium acceſſerunt, nec ideo tamen continuerunt ab eis manus Galli. Nuper capta Roma, nec Germanus miles Germano incolæ pepercit, nec Hiſpano Hiſpanus. Quid poteſt expulſa iuſtitia eſſe tutum, quæ ſola præſtat tutam imbecillitatem inter uires? Nec fides commerciorum in bello cõſtat, quum perdito & decocto-ri confugere ad arma liceat, tanquam ad aſylum, nec ius ac leges exercentur, alienatis omnino mentibus ac ſenſibus, & à ciuitatis in belli curam conuerſis, iniecta illis manu à terrore. Quid quòd nec libenter quiſquam ad eos fert ſua mercimonia, quos odit: aut ſi adfert, parum ſyncere ac bona fide contrahit: ſtudet enim fallere aut in re, aut in precio. nec fides eſt unquàm inter inimicos integra, quæ quum præcipua eſſe inter contrahentes debeat, hæc ſi abſit, facile eſt intellectu qualis cõtractus relinquatur. Nec ſoli agri, & qui ex eis percipiuntur fructus, qui ſane ſunt quàm maximi, & in hominum uita præcipui, ac propè ſoli, tanta concuſsi calamitate uaſtati ac deſolati horrent, ſed urbes etiam ueteres beneq; fundatæ atq; inſtitutæ, quæ conſtructæ fuerant pace, bello funditus extirpantur, ut non aliter uideantur pax & diſcordia inter ſe diſtare quàm mors & uita, ut omnia pace oriantur, ſtent, & uiuant, diſcordia cadant ac extinguantur. Sunt qui iucundiſsimũ dicant eſſe ſpectaculum ardere ædificia: homines, quibus pro luſu & delicijs eſt crudelitas. Si ignis ſplendore capiuntur, quid puerilius? ſin iactura & damnis hoſtium, quid immanius? ſin caſu & ruina eorum, quæ bene ſtabant, quid inſanius? quum poſſent eſſe aliquãdo tua, & tibi in tempore contra hoſtes magno eſſe uſui atq; adiumento. Fuit Princeps quidam apud Illergetes, qui quum uicinæ regioni bellum faceret, duas illorum fortiſsimas ac munitiſsimas arces manu captas diruit. potitus eſt deinde natione illa uniuerſa. Ab Leletanis bellum illi paulò pòſt extitit, qui uictam illam regionem duobus propugnaculis deſertam ſtatim occuparunt, & inde totum illius regnum, quæ omnia facile retinuiſſet, ſi arces illas duas conſeruaſſet, quas belli furore cæcus ac amens deiecerat. Equidem uæſaniam illam animorum non ſatis queo intelligere, qua duo reges impelluntur, ut eam ipſam ditionem, de qua certant, expilent, diruant, uexent, uaſtent, funditus excindãt, hoccine eſt uelle eam regere? ea eſt charitas, qua adducuntur ut eam ſibi aſſerant, imò in libertatem ab iniquo poſſeſſore, egregia & mira repetendi ratio,

perde-

perdere,quæ conaris recuperare,apertè oſtendis non eſſe tua,quæ ſic tractas.Quanto mulier illa Thebana uerius ac ſapientius:

—Néue quas regere expetis,
Euertas Thebas.quis tenet mentem furor?
Petendo patriam perdis.ut fiat tua,
Vis eſſe nullam.Quin tuæ cauſæ nocet
Ipſum hoc quòd armis ueſtris infeſtis ſolum,
Segetesq́ aduſtas ſternis,& totos fugam
Edis per agros.Nemo ſic uaſtat ſua.
Quæ corripi igne,quæ meti gladio iubes,
Aliena credis.Rex ſit è uobis uter,
Manente regno,quærite.

Quid, quòd etiam ſi non ſis ipſe aliquando futurus earum rerum dominus, par eſt tamen cogitare,te poſſe illa aliquando ad filium aut hęredem tuum deuenire. Rex ille Epirotes patrem ſuum ſolebat execrari,quòd Cahoniam eſſet depopulatus, quam poſtea filius cum uxore dotis nomine accepiſſet.At uerò nec ſpes eſt hæredis illa quandoq́ futura.At eorum, quí aliquandiu erunt amici.At erunt hominum. Octauus Henricus Britanniæ rex Morinum Gallis ademit, incenſum eſt à militibus. Eodem anno rex ſororem ſuam Mariam Ludouico Galliæ regi dedit nuptum, pax coijt,& magna inter utranque gentem amoris ſigna oſtenſa, nec Principes oderant mutuò:redditum eſt Gallo Morinum,hoc eſt urbis cadauer: quàm maluiſſet Britannus integram uel ſeruaſſe ſibi,uel amico & affini reddidiſſe?quanto id feciſſet maiore cum gratia,& alterum ſibi deuinxiſſet tanto beneficio:ut quum Tornacum Neruiorum Franciſco reſtituit. Sylla inter cæteras ſuas felicitates numerabat, quòd Athenas,quas ſibi licebat euertere,conſeruaſſet.Multa ſunt, ob quæ præferuide in illo iuueníli ardore, & inſolentia blandientis fortunæ ab Alexandro Macedone perpetrata, uehementer illum paulò pòſt doluiſſe,memoriæ eſt proditum: ſed nihil inſignius aut notabiliùs,quàm quòd Perſidem euertiſſet, cùm propter urbis pulchritudinem ac magnificentiam,tum uerò quòd Perſis alijs grauius fuiſſet, nempe ijs qui animo eſſent adhuc inimico, alijs uenerabilius & plenius maieſtate, quum Alexandrum aſpicerent in ſolio tot Regum ſedentem, & inde Aſiæ populis iura reddentem. Nullúm ne tandem inter hominem & belluam oportet eſſe diſcrimen? quin quemadmodum fera præſenti animi concitationi obtemperat, nec futura proſpicit, ſic nec homo ipſe.Et profectò feræ irritatæ ac à nobis ſauciæ, non ita ſe & ſuum ſanguinem de nobis uindicarent,ut homo de homine. Deplorans Lucanus bella Romanorum ciuilia,inter cætera illud ceu uaticinabundus poſuit:

Hæc facient dextræ,quicquid non expleat ætas
Vlla,nec humanum reparet genus omnibus annis:
Vt uacet à ferro gentes Mars iſte futuras
Obruet,& populos æui uenientis in orbem
Erepto natale feret.tunc omne Latinum
Fabula nomen erit, Gabios, Veiosq́, coramq́
Puluere uix tectæ poterunt monſtrare ruinæ,
Albanosq́ lares,Laurentinosq́ penates,
Rus uacuum,quod non habitet niſi nocte coactus
Inuitus,queſtusq́ Numam iuſsiſſe ſenator
Non ætas hæc carpſit edax, monimentaq́ rerum
Patria.deſtituit crimen ciuile, uidemus
Tot uacuas urbes,generis quo turba redacta eſt
Humani:toto populi, quí naſcimur orbe,
Nec muros implere uiris, nec poſſumus agros
Vrbs nos una capit.ſtat tectis putris auitis
In nullos ruitura domus.

Et alia de funesto illo bello lamentabilia. Magnis est Italia stragibus diuexata & afflicta inter illa arma, multum effudit sanguinis: exhausta est, ac penè deleta. Sed ętas nostra pudẽdum esse ducit à maioribus malè faciendo superari. Quid afflictius, quid magis lacerum, perditum, deformatum excogitari potest, quàm nunc est regina illa nationum Italia? tot uillæ, tot uici, tot oppida, tot urbes solo æquatæ, expilatæ opes, constupratæ matronæ ac uirgines, conculcatæ leges, expulsæ, quasi ex suo domicilio literæ ac humanitas, sacra polluta, torti, cruciati, necati senes, pueri, fœminæ. tot mortales cõtrucidati, nec generis, nec conditionis, nec sexus, nec ętatis respectus ullus. Videre mihi uideor serpentem illum immanem, quem ad Italiæ uastitatem Annibali per quietem oblatum tradunt rerum scriptores ingenti fragore proruentem, quicquid staret. hic est uerus & expressus ille Annibalis draco, quem per hosce nouem annos sensit Italia. Exposita est materia sæuitiæ Germanis, Gallis, Hispanis, nec ipsi idem Italiæ filij ac alumni mitius eam tractant, aut crudelitate alienis nationibus concedũt. ipsi carnifices illos in eius uiscera immittunt, ipsi arcessunt, manu ducunt, ostendunt qua possit iugulari ipsi suo ferro, suis ipsorum manibus sæuius eam dilaniant, quàm exteri, ut acerbiores sunt cuique in suos inimicitiæ, quàm in extraneos, aut ignotos. Video mirari multos, quum audiunt minus esse pecuniæ post bellum. alios magis, quòd absumptæ sint in bello pecuniæ, ut post bellum nusquam appareant. Nam ut non negent diruta esse ædificia, incensas segetes, corruptas fruges, occisa pecora, certe aurum, argentum, gemmas immortalia esse sciunt. hæc requirunt, & perdita esse adduci non possunt, ut credant. Verum enimuerò opes non solis constant metallis, aut gemmis. Sunt in eis ea, quę paulò antè commemorauí, ædificia, uestitus, alimenta, pecora, domesticum instrumentum. His abundantibus, quicquid adest pecuniæ, uelut in summo existit, & proinde magnum censetur, quum iam non ad necessitatem paratum uideatur, sed propémodum ad ornamentum. itaque multi, quum reliqua abunde suppetãt, quibus ad uitam quotidiano usu indigemus, etiam si pecuniæ exiguus adsit numerus, diuites tamen & sunt, & existimantur. illis uerò consumptis, quæ pecunia ceu instrumento parari est necesse, ad reparandam iacturam quisq; pecuniæ quærendæ se accingit maximo studio, quacunq; possit arte, uia, ratione. quo fit, ut pecunia, quæ prius erat apud paucos magna, quòd alij non perinde indigerent, tracta, & dissecta, & sparsa, inter plurimos uideatur perexigua, & tecta illo gurgite necessitatis nulla ferè appareat. ita paupertas est post bellum mille aurei numi, quum ante bellum centum facerent diuitem. hæc enim non possessione diuitiarum censentur, sed usibus ac necessitate. Quid quòd & re uera non solum augentur necessitates, uerum etiam minuitur pecunia. Nam belli furore excitato, & animis perterrefactis, quum non ignoretur prædam potissimum peti, defodiuntur aurum, argentum, gemmæ, & alia, propter quæ miles se intrepide morti obijcit. hinc uel cæde illorum, qui metalla absconderant uel fuga facta, uel ijs casu aliquo submotis, remanet aurum illud reconditum, nec eruitur, quum superstit nemo defossionis conscius. Sunt qui, ut se quàm celerrimè periculo eximant, se & sua omnia in nauem conijciunt. & quum raptim per trepidationem omnia parentur, minus potest prospici, quæ sunt nauigationi necessaria. ita sæpissimè fit naufragiũ uel uitio nauticorum armorum, uel quòd in pauore illo malunt uentis aduersis, & irato mari, & asperrimis scopulis, quàm hostium cæco se ac inhumano furori committere. Nec minus periculorum adeunt raptores, ut cum præda illò euadant, ubi cupiunt ea frui. itaq; ut illos in tempestates & uentorum rabiem agit metus, ita milites sua cupiditas. Idcirco & homines & metalla mari atq; harenis demensa occultantur. Iam in ruinis ac incendijs urbium, quantum metallorum obruitur? Corinthiaca uasa tantæ olim apud Romanos æstimationis ac nominis ex diuersis putantur metallis fuisse conflata, quæ Corinthi conflagratio miscuisset incensæ à Mummio Achaico Romano duce. Iam in ipso prælio multum cum corporibus mortuis sepelitur, quum eo interdum loci miles duntaxat tenuior, id quod æris habet recondat, quem uictor dedignetur scrutari, præsertim ampliore præda occupatus. Hinc in plerisque campis, ubi olim magnę

gnæ & memorabiles acies concurrerunt, longa deinde annorum euolutio numos omnis materiæ profert,ac ostendit. Quod reliquum uel urbibus uel castris fit, milites diripiunt. Ergo in bello diuites sine quæstu, quod paratum erat,expendunt, & prædæ sunt hostibus,atq; etiam nonnunquam suis ciuibus,& suo ipsorum principi. Et quantulumcunque habent pecuniæ, ea quid aliud est turbulentis temporibus, quàm certissima materia sollicitudinis & periculi? nam omnes insidiæ in bello & discordia tenduntur pecuniæ. Pauperes iacentibus artibus, intercluſis commeatibus, exhausto benignitatis fonte,non habent unde miseram animam sustentent. contrahunt se diuites. & tolerant,quomodocunq; possunt,ut pecuniæ parcant,quum omnia sint,quàm in pace cariora, & quærendi occasio sublata. quare dimittunt famulos, & se ad minorem numerum & ipsis sustentatu faciliorem redigunt. nihil dant, ne sibi ipsis desit.non mutuant maligna & suspecta omnium fide, non emunt: nam omnia tunc putant superuacanea,præter ea,quæ sunt quotidie uitæ necessaria, & sine quibus ne diem quidem possent unum producere. Quid tenuibus relinquitur, qui se manuum labore sustentabant, nisi ut boni aut inualidi mendicent, aut uitam durissime ac difficillime exigant,fame eos cibos ingerere in uentrem cogente,quos aliàs nequiuissent sine nausea attingere aut etiã intueri. mali uerò & ualẽtes ad latrocinium egestate impellantur, aut manus sanguine cruentent, quod interdum multi faciunt, qui à sanguine & maleficijs, quum suopte ingenio abhorrent,tum etiam educatione ac moribus. Inter hæc in publica & communi cunctorum depauperatione imò egestate soli augentur, & ditescunt,cruce digniores, quàm uita aut pecunia, tametsi nec hi diu opes illas possident. Vbi est præda urbis Romæ nuper captæ, quam dicunt fuisse ingentem,immensam,innumerabilem? non possent hodie quinquaginta numorum aureorum millia ostendi. milites certe qui expugnationi interfuerunt,quiq; se in illas immerserunt manubrias,miseros,nudos,egentes uideas. scilicet iuxta uerus uerbum, Malè parta, malè dilabuntur. Celeriter uicijs omnia absumuntur, alea, scortis, effusissimo rerum omnium ac perditissimo luxu, uestitu sumptuosissimo, profusissimis atq; intempestiuis conuiuijs, in quos demum usus miles per sanguinis sui dispendium, per uitæ præsentissimum discrimen pecuniam quæsiuit. Nam ut continenter & sobrie uiuat,nulli sequenda sunt castra. soluti ac immodici sumptus & ducum & militũ dexteras armant. Sed illis sumptuũ ac luxuriæ uoraginibus,quid esse satis posset? his nec prẽda captarum urbium sufficiunt,nec quod quotidie ex hostico & ex pacato rapiunt,nec stipendia, & donatiua principum,quibus duobus stipendijs & donatiuis uel ad mediocrem exercitum incredibili pecunia est opus. Marcus Crassus,is quem Parthi occiderũt,solitus erat dicere,neminem debere appellari diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus. quo significabat eiusmodi pecuniam oportere esse immensam. Populus Romanus, inquit Cicero, ex tantis uectigalibus iampridem uix potest contingere. Cæterum quanta sit Charybdis exercitus,imò uerò Oceanus,nihil necesse est principibus nostri temporis planum facere,ipsi hoc disciplinæ genus alios possent edocere, experimento artis per uarias & ingentes molestias capto,ut mirer nondum eos tanto teneri odio,ut quouis citius confugiant,& quomodocunque pacem & concordiam componant, quàm belligerentur. Habent hodie duo Principes,quod antè centum annos habuerunt uiginti,qui & opera magnificẽtissima extruxerunt,& ornauerunt loca sacra & prophana,& locupletarunt honestissimorum officiorum atq; artium collegia,& sodalitia,& aluerunt numerosissimas familias, & ampliſsimis sunt congiarijs multos prosecuti,& uectigalibus erant contenti modicis, & indictiones extra ordinem excogitabant nullas. denique in summa rerum omnium copia atque abundantia lætissimè uitam traduxerunt sibi & suis populis felices. Confer mihi nũc hos tam latè imperantes cum illis Regulis. non ædificant, imò diruunt. non locupletant sodalitia, imò spoliant. alunt paucos & magna ex parte inutiles, ne quid dicam peius. ab omnibus auferunt,nemini dant,nisi maligne ac sordide,ut plus illi soliti essent dare au-

ri,quàm iſti argenti.uectigalia ſunt grauiſsima,indictiones,mutuationes aliæ quotidie ſuper alias.nullus modus aut finis.ſemper mœſti, queruli, famelici,cum tantum edant.ſitis inextinguibilis,quum continenter hauriant. ut non iniuria his dici poſsit quod Scythæ illi ad Alexandrum,Quid tibi diuitijs opus eſt,quæ te eſurire cogunt? primus omnium ſatietate paraſti famem, ut quo plura haberes,hoc acrius quæ non habes concupiſceres.quid dicemus eſſe cauſæ tam abſonæ diſsimilitudinis? quid aliud niſi,quod illis quietis in concordia nihil non erat ſatis.qui omnia deſyderijs ſanis ac naturalibus determinabant.bellum aqua eſt intercus,ut potus ipſe ſitim laceſſat. Ecquid tam magnum aut tam præclarum bello acquiritur, quod non pluris ita paratum conſtet. Quòd ſi parum quæratur,& ut crebrius contingit,nihil,nullæ ſunt tantæ& tam admirabiles opes,quas bellum paucis aliquot annis geſtum non exhauriat. Quid ſi amittatur aliquid de ditione, hoc uerò iam non eſt aureo hamo piſcari, quid Auguſtus dicebat,ſed amiſsis multis aureis hamis nihil cepiſſe, & perdidiſſe digitos& manus.Nam quid aliud ſunt regni ciuitates & populi,quàm regis,hoc eſt capitis membra? Quæ mala de diſcordia ſunt dicta, contraria ſunt de concordia bona cogitanda.Ruſtici in uillis atque agris ſuis,occaſionibus atq; opportunitatibus tutò operantur,arant,ſerunt,metunt,colligunt anni prouentum, recondunt, conuehunt in urbem,& quantulumcunq;, quia commodè diſpenſatur, eſt ſatis.Nam ſi modus & ordo adſit,nihil eſt tãtulum,quod non ſufficiat. ſin deſit,nihil tam amplum aut numeroſum,quod non deficiat. Si quibus eſt adhuc rebus opus ad uſum, eæ compenſantur commercio, importantur ab alijs nationibus tutò, nempe uijs, terra ac mari purgatis,apertis,liberis.& libenter, ut ad amicos: & fideliter, ut inter beneuolos.Ita ut etiam ex Britannia uſq;,& ex Flandria atq; etiam ex Cymbria,& Dacia Siciliæ ac Venetijs frumento ſuccurratur. Nam Sicilia Italiæ uber ac nutrix, nonnunquam à ſeptentrione enutritur.Id uerò fit armis poſitis perfacile.quæ quum ſumpta ſunt atque exercentur, non ſolum Britannia uel Bethicæ, uel Vaſconibus Hiſpaniæ amicis ac iunctis fœdere,ſubuenire nequit,ſed nec proximæ Flandriæ, aut inuicem hæc Britanniæ.Ornantur regiones oppidis ac urbibus,urbes ædificijs,agri uiris ac uillis, nemora arborib.arua frugibus,prata florũ uarietate amœniſsima: ſtant humana opera & ad ſpectandum grata,& ad utendum aptiſsima,ut iam non tota ad poſsidentes perueniat utilitas, non parua etiam ad conſpicientes pertinet. Quicquid uerò quis poſsidet,tutò ac ſecure habet,non modò in arca aurum, argentum, gemmas, ueſtes, ſed etiam in codice nomina.fides enim quæ ſub tutela eſt legum,uiget in ui ac uigore legum.Et quantulacunq; pecunia maxima eſt in pace, quia ſatis, nempe remiſsis omnium utilium precijs, & conſtante artibus omnibus ſuo honore & premio. Deſides uerò aut malefici uel eſuriunt,uel dãt pœnas,uel (quod eſt illis mortis inſtar)ad meliorem ſeſe frugem ac mentem recipiunt. Hic eſt ille pacis fructus, de quo per Eſaiam Dominus loquitur, Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ,& in requie opulenta. Quid porrò in priuatis diſcordijs, num alio modo procedit res,quàm in publicis? Incitati enim animi,& ab ira & odio occupati ac oppreſsi,uel ſuis cauendis periculis intenti, uel alienis conſtruendis, non ſatis operam ijs artibus ac munijs queunt nauare,unde uitæ alimenta & ſubſidia colliguntur, nec in adminiſtratione rei familiaris munera diligentis obire patrisfamiliæ ac frugi.Ergo lucra interciduntur.quod uerò erat alijs temporibus paratum,temere ac diſſolute prodigitur.Accimus enim ad perſequendas inimicitias perditos homines, profuſos, uoragines, Scyllas & Charybdes luxus & uoluptatum, quæ ipſum quoq; oceanum facile exorberent.nam boni & moderati amici,ſi quos habemus,authores ſunt nobis concordiæ,& inimicitijs commodare aſsiduam ſuam operam nec uolunt,nec poſſunt. Interea quot elabuntur è manibus occaſiones augendæ rei? Idcirco negociatores quorum ars & finis eſt ſtudioſiſsime pecuniam facere,eiusq; rei omnium ſunt callentiſsimi. rariſsime, & non niſi multum detrectantes inimicitias ſuſcipiunt,ſuſceptas uerò leuiſsime exercent,& quàm licet citiſsime,abijciunt ac deponunt.

ponunt. qui non eo ſit animo, qui non ita ſe comparet, ac uiuat, eum mercaturæ faciendæ parum idoneum exiſtimant. Vident enim homines in ſua arte acuti ac peringenioſi, nihil eſſe opibus perniciosius, quàm diſcordiam: nihil utilius, quàm concordiam, quàm patientiam earum, quas iniurias uulgo nominant. ut non abſurde Patientia dici poſsit Fortunæ mater, non ſolum in mercatura, & artibus diurni quæſtus, uerum etiam in regia, inter nobiles, inter ignobiles, inter ipſos quoquè armatos milites, inter piratas, ac latrones. Opibus accedunt amici, iucundiſsima (ut eſt in priſco uerbo) poſſeſſio, quibus tamen in diſcordia pendenti, præ ſollicitudine aut metu animo frui non poſſumus, hoc eſt remoto ac ſeparato ab ijs, quæ ſunt in amicitiæ uſu dulciſsima, quæ conſtare & exerere uim ſuam nequeunt, niſi præſenti cogitatione, & in id quod agit intenta. At diſcordiæ cogitatio propter uehementiam affectus, totam ad ſe mentem uolentem nolentem reuocat, & hoc cogit agere, quod ille præſcribit. Quid, quòd eos multis periculis obiectamus, uel ut nos tueantur, uel ut ulciſcamur inimicos, de quo eſt uerſiculus ille Græcus, Pereant amici, dum unà inimici intereant. dictum hominis inhumani ac deſperati. Quanto humanius ac ſapientius Scipio Africanus, malle ſe ciuem unum ſeruare, quàm occidere hoſtes decem. ſed quum tantum nos in diſcordia amicis egeamus, tantaq; illorum ſentiamus adiumenta, ex ipſo ſuo ipſorum beneficio incipiunt nobis uenire in ſuſpicionem, ut non tam amicos arbitremur habere nos, quàm dominos. Interdum planè ita eſt, ut amici intellectis noſtris neceſsitatibus, & quantopere ſuas manus ſpectemus, ſuſtollant ſe, atque inſoleſcant. & minus ſe indies commodos nobis ac obſequentes præbeant. Interdum nobis uanæ ob animum eius rei imagines obuerſantur, ut quod nunquam illis in mentem uenerit, nos ueniſſe credamus. Non refert, quid in re ſit, ipſæ noſtræ ſuſpiciones multum de amicitiæ authoritate, beneuolentia, ſuauitate detrahunt. & incipimus non ſatis amicis confidere, nec ex animo, quemadmodum par erat. Sed quum nobis finxerimus minus illos amare, quàm antea, egeamus tamen illis, iam non cum illis agimus aperte ac ſimpliciter, nec uera amicitiæ fiducia, ſed tegimus ac fucamus omnia, & in locum ſimplicis fidei ſuccedit ſimulata beneuolentia, & adulatoria ſuauitas. Et quibus in concordia paribus utimur, ac ea de cauſſa iucundiſsimis ac ſuauiſsimis (nihil eſt enim in uita dulcius, quàm amici pares) illis nos in diſcordia ſummittimus: nec retinere nomen ſuum poteſt amicitia, ſublatis ijs, quibus potiſsimùm conſtat, amore, æqualitate, ſimplicitate, fiducia. ita & nos paulatim amicorum odium alte bibimus. & illi noſtris his cogitatibus, neque enim clàm eſſe & occultari tam poſſunt ſedulò, quin promicent ſæpe foras, & ſe prodant, auertuntur, quum uident amiſſam eſſe fiduciam ſui, quæ eſt multo unicuique gratiſsima. Ergo uel in totum diſcedunt, uel ſi reſtincto amore pergunt tum nobis dare operam, tum demũ fiunt, quod ſuſpicabamur, domini ex amicis. Mercenarij uerò atque etiam interdum ſerui, occaſionem ſe nactos putant, qua dominis ſuis dominentur. & tantum eos premunt in diſcordia, quantum ſe ab illis pacatis temporibus preſſos eſſe interpretantur, ac iudicant. Hoc alij conſulta faciunt malicia, alij inconſulta naturæ prauitate. Quo fit, ut quod ius domini, aut uires magiſtratus, aut Principis potentia ac opes magnæ ſunt in pace, in diſcordia ſublata parentum reuerẽtia, propè ſint nullæ, quoniam miniſtris eſt nobis aut ſubditis utendum inſolentiſsimis, hoc eſt nequiſsimis dominis. Auguſtus Cæſar exercitum prætorianum Romæ conſtituit, qui ad Principis cuſtodiam excubaret, paratus etiam Italiæ ſubitis caſibus. nullum Principis illius inſtitutum æquè infeliciter cecidit reipublicæ. His cohortibus, erant enim triginta inſecuti deinceps Principes turpiſsimè ſeruiuerunt. & hi milites maximorum in imperio motuum ac malorum origo atque authores fuerunt: nec imperij cuſtodes, ſed prædones ſe ac dilaceratores præſtiterunt, ut non immeritò Plutarchus ille Cheronæus dicat, mutationes illas Cæſarum poſt Neronis mortem breui tempore tam crebras: ſeſquianno enim quatuor fuerunt principes, non tam imperandi cupiditati principali aſsignan-

das esse, quàm luxui & cupiditatibus militaribus. Nullum regnum per orbem, nulla dominatio, tyrannis paucorum, multorum potestas æquè fuit instabile, ut Romana monarchia, occisis eodem anno, eodem mense Cæsaribus, ab ipsis eisdem militibus qui elegerant, etiam proposito uenali imperio, tanquam ueste uel annulo in auctione, addicturi pluris licenti. Quid, quòd Principes cogebant sæuè ac impotenter habere suos populos, & omissa iuris & legum cura, militariter in castris insanire: quo se militibus approbarent, gratiq; essent illis, ob uitę similitudinem: alioqui non habituri imperium diuturnum. Et his bellis proximis, quàm seruiliter Gallus Heluetio se submisit, Carolus desperatissimæ ac perditissimæ Germaniæ atq; Hispaniæ fæci? Et qui Principes nobilissimi ac præclarissimi noluerunt paulùm alter alteri uelut leui lateris declinatione cedere, coacti sunt impurissimos dominos toto corpore perferre, & eis propter bellum adulari, quos in pace crucifixissent. quin & prætermissis uiris grauibus, prudentibus, etiam amicis hominibus, istis, quos oderunt, coguntur cum magno suo dolore benefacere. Sic Caius Cæsar turpissimos ac probrosissimos homines in curiam induxit. maluisset quidem honestiores, sed per hos dicebat suam se dignitatem recuperasse, ut ostenderet inuitum quidem se facere, sed tamen non posse excusare, aut prætermittere. Quid, quòd morosi homines, & difficiles, & insatiabili auiditate, quicquid agunt, tantopere imputant, ut compensari non credant etiam dimidia Principis ditione. Nec solùm quæ agunt, sed etiam sæpe quæ non agunt, in rationem referunt actorum. Libelli in scrinijs Othonis Principis reperti sunt à Vitellio centum uiginti postulantium præmium pro cæde Galbæ, quem unus occiderat, eos omnes Vitellius rerum potitus, ut Tacitus & Plutarchus tradunt, conquiri iussit, & interfici. Alexander multos mundos esse concupiscebat, nam purpuratorum suorum unusquisq; hunc totum expetebat. Infinita erat Alexandri cupiditas sibi & suis, suorum cuiusq; non minor sibijpsi. Quid sibi de tanto imperio Iulius Cæsar, cuius modò memini, præter uictoriæ nomen reseruauit? Atqui is à suis occisus, quibus cum maxima & plurima dedisset, spes tamen altissima non impleuerat. Nec minus intractabiles se præbent & principibus subditi, & magistratibus priuati, belli & dissidij tempore, quàm milites siue externi sint hostes, siue intus tumultuetur discordia. Neq; enim audent impurissimo cuiq; & facinorosissimo & maximè factioso resistere. Quum & aër, & aquæ pestilenti sunt aliquo uicio contaminatæ, corpus quod in illis semper necesse est uersari ac uiuere, difficile seruatur incorruptum & sanum. At quum in ipsis ossibus medullisq; affixa hæret lues, & sæua morbi uis totum corpus peruasit, potest fortasis remedium extrinsecus aliquod adhiberi. Tutus uerò nemo est, qui prospiciat oppressa mente, & omnibus corporis sensibus, tanta & tã tumultuosa morbi concitatione. Talis est imago externæ discordiæ & intestinæ. Vinculum cœtuum & congregationum humanarum est iustitia, & leges ex iustitia profectæ ac deriuatæ, ceu anima quædam ciuitatis. Harum ope ac beneficio & Magistratus habent in sua manu rempublicam, & Principes regnant. at legibus inter tam irritatos animos nec respectus ullus, nec reuerentia. pellitur è medio sapientia, ut inquit Ennius, ui geritur res. Nec Magistratus, qui sunt leges loquentes, tueri ius suum, & retinere legum, iustitiæq; maiestatem possunt, aliorsum cogitationibus conuersis cura maioris mali, quæ remissio Magistratuum permagnam malefaciendi fenestram prauis & procacibus aperit. egestas uerò etiam non malis necessitatem facit. Itaq; tot designantur quotidie flagitia & facinora, ut nec animaduerti possit in omnia, nec expediat, ne intelligant mali, quanto maior ciuitatis pars conspirarit in nefas. Sublato enim respectu legum, & consensu parendi, quid aliud est magistratus aut Rex, quamlibet magnus, nisi homo unus nõ alio fortior aut præstabilior? Quid, quòd magistratibus inter se concordibus dicto audientes sunt ciues, & milites ducibus. discordibus uerò ansam se nactos gaudent contumaciæ, ut est multitudo ad licẽtiam peiorum procliuior, cùm sciant huic futurũ gratum, si illi repugnent. & dum collegã inimicum præsidio uolumus nudare, aut acti suspicionibus sinistre

quę

quæ dicat,aut faciat interpretamur,nosmetipsos ope omni spoliatos atq; exarmatos iniuriæ obijcimus illorũ,qui occasiones captant lædendi nostri. Sublato Maximino Cæsare barbarissimæ crudelitatis, senatus duos iussit imperare Maximum & Balbinum senes uiros,& graues,concordes initio,postea ex suspicionib.discordes,prætorini,quòd ab illis haberentur paulò seuerius,tollere eos statuerunt,nactiq; ex eorum dissensionib. occasionẽ,facto agmine irruperunt in palatiũ, idq; medio die,quumq; prior impeteretur Maximus,acciuit Germanos satellites,qui non procul pro salute Principum excubabant. Balbinus ratus uocari cõtra se, uetuit ne irent,ita Principes omni propugnatione destituti,uiui capti sunt, atq; in proxima castra cũ irrisione ac ludibrio abducti, & antequam re intellecta defendi à Germanis possent, crudeliter interfecti. Nec sine ciuium concordia charitatem pietatemq; exhibemus patriæ debitam. Alij enim cæco aliorum odio malunt turbari ac inuerti omnia,quàm bene geri auspicio,ductu, consilio eorũ,quos odere. & quemadmodũ multi per certissimam manifestissimamq; suam ruinam non dubitant eos,quibus sunt irati,impetere,& perire uolunt,modò lædant. Ita eadem affectus impotentia per casum & ruinam patriæ odia sua explent,& inimicos ulciscuntur. Ergo quod in primis est salutare reipublicæ omittitur,in medium consulere trahentibus ad se factionib.totam rempublicam, inter raptantium manus diuulsam ac dilaceratam,quod Romæ factum est per ciuiles dissensiones,& fit,in quacunq; ciuitate sunt dissidia & partes. Ideo nunquam satis laudari potest illorum Principum uirorum moderatio,qui occasiones omnes fugiebant inimicitiarũ,ne per simultates suas, detrimenta ulla respublica acciperet. ut Scipio Africanus maior,qui cessit urbe,ne certamina sua cum tribuno plebis, aut legibus,aut cõmuni libertati essent grauia,aut discordiã in ciuitate, partesq; ac factiones crearẽt. Thebanus quoq; Epaminõdas ciuiũ suorũ iniurias patientissimus tulit, ne illarum ultionem cum aliqua patriæ iactura cõiungeret. In pace uerò & cõcordia uigent leges,quarum spiritus,uita,motus,actio,est parentiũ obsequẽtia, & alij alios non secus,quàm seipsos iuuant,intelligunt enim se uelut in eadem uehi naui,ut quacunq; re adiuta sit nauis,omnib.sit in commune profuturum. In discordia tantum abest,ut manus quis ad iuuandum patriam admoueat,ut quandoq; suę parum sunt ad nocendum ualidæ,fortiores accersat. Rabies nostra per hosce annos effecit, ut ad eam rem non egeamus exemplis procul petitis. Nosmetipsi documento sumus nobis in orbe Christiano, hoc est in magna quadam republica atque adeò patria. Nam omnes, qui ueteri illi parenti Adæ renunciauimus, & in sanguine Christi antiquis sumus maculis abluti & perpurgati,unicum agnoscimus patrem Christũ illum, qui in similitudinem carnis peccati,sed tamen cœlestis homo secundũ deum formatus est, ut iam non modò unius ciuitatis ecclesiæ sumus ciues,sed etiam maiori uinculo colligati,nempe unius omnium patris filij,imò uerò eiusdem capitis & corporis membra,ut nec manus nocere possit pedi suo cũ sua utilitate, aut oculus auri. Atqui nos connexionis huius & uelut harmoniæ obliti alij in alio, non solum uiribus nostris, quoad licet,sæuimus,sed communem hostem adducimus prius in pernicie inimici, mox in nostram ipsorum,qui accersiuimus. Quid prodest doctrina filij Dei, & animorum sublatio ad patrem cœlestem, si cum his omnibus uita,morib.sententia,pietate ab ijs, qui nudam desertámque sequebantur,qui natura superamur? Consultat in cœtu procerum Cneus Pompeius, quo se post cladem Pharsalicam ad reparandas uires conferat: refert ad eos de Parthica fuga, quòd ij ueteres Romanorum hostes libenter sint quemcunque Romanum ducem aduersus Romanas uires adiuturi, quanta in patriam pietate ea est à Principibus uiris sententia refutata? ut Cæsarianos in consilio dixisses, non Pompeianos sedere. Inter quos Lentulus illa censuit, quæ uersibus est postea Lucanus persequutus, Se non commissurum, ut ciuium dissensionibus, peregrini se & barbari admiscerent: nec passurum, ut clarissimus Romanus sanguis Parthico telo effunderetur. Se quidem & Pompeianum, & uictum, Cæsarem odisse hostem uictorem, sed non tamen

eo animorum & contentionis insaniæ euectum, ut perire Cæsarem uelit manu Parthorum. Quòd si in Pharsalica acie de ciuili bello esset actum, & consumptis alterius partis uiribus secundum Cæsarem dij pronunciassent, iret sanè uictor ad Parthos. Cæsarem quidem inquit uictum, reum, sordidatum ex uinculis causam dicentem & uidere cupio, & uisurum me de benignitate Deum spero, sed certe de Parthis triumphantem lætissimus spectarem. Sic ille, cui reliquum est concilium gestu & uocibus assensum. Quis non miretur constitisse uictis, deiectis è tanta dignitate, mœstis, afflictis, perditis, uel ad intuendum rerum honestumq; mentem ac iudicium, uel ad ea sequenda temperamentum doloris. Sed omnia & animorum magnitudo facile regebat, & uincebat patriæ charitas. O Romani proceres, uestra ista in patriam flagrātissima pietas quàm iure merita est, id quod & consecuta, ut patriæ uestræ principatum uniuerso orbi imponeretis? Quid Otho, quemadmodum apud Cheronensem Plutarchum loquitur pòst Bebriacense prælium inter ipsum & Vitellium, quum magnę adhuc ipsi restarent uires, cedere tamen Vitellio, & sibi mortem asciscere decreuisset. Non est (inquit) milites nobis cum Annibale, aut Pyrrho, aut Cymbris pro Italia certamen, sed bellum cum Romanis hominibus gerentes, utriq; iniuria patriam affi cimus, siue uictores siue uicti, quippe quod uictori est utile, patriæ est damnosum. credite hoc, glorioſius mori possum, quàm imperare. Neq; enim uideo quid tantum Romano Populo uictor profuturus sim, quantum, meipsum deuouens concordiæ ac paci, ne alterum Italia diem huic similem uideat. O uerba pulcherrima. Quis hæc loquitur? Decius ne aliquis, aut Fabius, aut Æmylius, aut Marcellus, aut in illa uetere republica aliquis? cùm benefacere propè in naturam uerterat nullus horum. Sed Otho ijs temporibus, quibus uix uerba manebant eadem, quæ prius, nedum facta, homo delicatus & mollis. Sed uidit tamen hæc facilè, simul primùm oculos à delicijs ad uim ueri & recti potuit conuertere. Quid Astiages Medorum rex, quum proditione Harpagia Cyro ex filia nepote esset uictus, & ad uictorem nepotem adductus, Harpagum ibi uidisset crudelitatem sibi exprobrantem, quęsiuit an ipse author fuisset & Cyro suscipiendi belli, & Medis desciscendi? quòd quum Harpagus etiam gloriabundus asseueraſſet: Næ, inquit senex, aut stultū te esse hominem, aut impium oportet. illud, quòd alterum quàm te malueris esse regem, hoc uerò, quòd Medos ciues & populares tuos nihil de te malè meritos regno priuatos ac libertate Persarum seruituti subiecisti. Nos uerò ita sumus angustis animis, ut nullam iracundiæ dilatationem capiant. ita teneris, ut subitò leuissimi odij flamma penitus conflagrent, nec ullum temperamētum aut moderationem morib. atq; institutione comparauimus. ideo cæci, amentesq; in mutuū exitium ruimus. à dæmonib. suppetias peteremus, si qua daretur, nedum à Turca, quem ipsi uidentes uolentesq; potentissimū in nos facimus, & uires nostras imminuimus. Bellis Peloponnesiacis, quę per tot annos magnas Grecię clades attulerunt, commissis inter se duobus nationis illius potentissimis populis Attico & Lacedæmonio, uictis ad Ægos flumen Athenien. & urbe fame atq; obsidione pressa, & coacta deditionem facere, conditionesq; ac leges à uictoribus accipere, Thebani & alij Lacedęmonum socij uehementer efflagitabant ac contendebant, ut Athenæ diruerentur. Lacedæmonij uerò negarunt se alterum Grecię oculum erupturos, & sublaturos Athenas, à quibus bello Persico Græcia esset in extremo discrimine fortiter adiuta. Itaq; impium uidebatur Græciam communem patriam tanto præsidio orbare. At quoties Christianæ nationes ac prouincię aliæ alijs auxilio fuerunt in subitis casib. & magnis periculis? & essent adhuc contra cōmunem hostem, si nō alienarent tāta discordia, imò nō proderentur Turcę? ita nō modò illas perdimus, sed nos etiā magno & præsentissimo præsidio nudamus. Proximi ēm sunt incēdio ac periculo, qui iunctos habent limites cū Turca, & uicinas ditiones. remotiores Christiani per illos, qui tāq; in finib. pro cōmuni salute excubāt, sunt tuti, ut Germani per Pannonios, Galli per Italos. Primis illis absumptis, si quis ex reductoribus. tutū sese fore arbitrat, is nec incēdij naturā animaduertit, & res nō modò ueteris

memo-

memoriæ,uĕrumetiam noſtræ aut ignorat, aut non recordatur, ut in uita & ætate & ciuitate ſua appareat eum peregrinari. Quibus tandem terminis contentus fuit his ducentis annis Turca? Vtrum ijs, quos non ſolum humana induſtria gentium ac nationum fecit? an ijs quos natura, non magnis eſt amnibus illius curſus prohibitus? Non altiſsimis montibus retardatus, non ipſo mari impeditus: ardens illa imperij cupiditas omnia quantumuis difficilia euicit, ſuperauit, tranſgreſſa eſt, aperientibus illi uiam Chriſtianorum inter ſe armis ac odijs, dum quiſq; ſui improuidus, modò inimicum feriat, tegere ac tueri ſe poſtmittit. & publicam communemq; cauſam priuata affectione deſerit ac prodit. Habemus à Gadibus ad Iſtrum quicquid inter utrunq; mare interpatet fortiſsimam ac potentiſsimam Europam. in qua per concordiam non Turcæ tantum pares, ſed cuncta eſſemus ſuperiores Aſia. quod & gentium ingenia atq; animi declarant, & rerum geſtarum monumenta docent. Nunquam enim uel mediocres Europæ uires Aſia ſuſtinuit, quemadmodum alibi eſt à me in opere huius argumenti peculiari diſputatum. Sed ſi nos ita pergamus agere, uti cœpimus, multos cogemus illud exclamare: En quò diſcordia ciues perduxit miſeros. & ingentibus noſtris malis demonſtrabimus uim illius priſcæ ſententiæ, Diſcordia maximæ res dilabuntur. Res omnes humanæ, ut hominum uires atq; ipſi homines infirmæ per ſe ſunt atq; imbecilles. Si tamen multi ad eas iuuandas confirmandasq; conſentiant, robur atq; incrementa accipiunt: ſin manus ſubducant, redeunt: quo nutu ac ingenio feruntur ſuo ad ſolitam ſibi infirmitatem, non ſecus, quàm qui nauigium ui & contentione lacertorum per aduerſum flumen ducunt, ſi paulùm modò brachia remittant, illos, ut Vergilius inquit, in præceps prono rapit alueus amni. Scyllarum fuiſſe quendam regem Scytharum perhibent, qui quum moriens octoginta filios, quos relinquebat, ad concordiam adhortaretur, inter reliqua adferri faſcem ſagittarum iuſſerit, & ſigillatim unicuiq; totum præberi, ut frangeret: id quum nemo poſſet præſtare, ſeparatim tradidiſſe ſingulis ſingulas ſagittas, quas nullo negotio omnes confregerunt. tum patrem adiecíſſe, talem eſſe concordiam fratrum, qualis eſſet faſcis, diſcordiam ſingulis telorum ſimilem, ut concordia inuictos, diſcordia fragiles & iniurię obnoxios reddat. Idem in fabulis narrant de Agricola ſene moribundo. Quintus Sertorius ad oſtendendam concordiæ uim gracilis & ſtrigoſi equi, caudam iuſsit à ualidiſsimo iuuene cunctam reuelli, quod quum ille efficere nulla ui poſſet, imbecillus ſenex fortiſsimi equi caudam pilatim denudauit. Hoc eſt, quod ſapiens ille Hebræus monet, faſciculum triplicem difficile frangi. Et alio loco idem: Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. quod Antiſthenes Cynicæ ſectæ Philoſophus æmulatus, dicere erat ſolitus, fratrum concordium conuictum quouis eſſe muro fortiorem. Fortaſsis ſuperuacaneum uideri poſsit, ſi eas orationes, quas multi ad filios habuerunt, quîs eos ad concordiam exhortarentur, huc adducerem, ut Cyri apud Xenophõtem, Philippi apud Titum Liuium, Micipſę apud Saluſtium. Sunt quidem illa grauiter ac ſapienter dicta, tantopere, ut etiam uaticinia, magis quàm ſententiæ prudentum exiſtimari poſsint. Nam illi ipſi fratres capitaliter poſtmodum diſſenſerunt, & ea illis exitio diſcordia fuit. Sed nemo eſt in communi hominum uſu ac uita, qui multis exemplis non didicerit, quàm illud diuinum ſit oraculum, Cõcordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Teſtantur hoc & priuatæ domus, & ciuitates, & populi, & ſodalitia, & collegia, & academiæ, & artes ac diſciplinæ omnes, & ingentia regna atq; imperia, quæ omnia & ad magnitudinem illam concordia euexit, & ad ruinam miſerumq; interitum diſcordia impegit. Sic Aſſyrij, Mœdi, Perſæ, Græci, poſtremò Romani ſurrexerunt, & ad faſtigia illa ditionis ſunt euecti, ſic poſtea ceciderunt. Creuit Roma quamdiu publicæ utilitatis reſpectus priuatas affectiones ſuperabat. & homines reliqua diſcordes atque inter ſe inimici, tamen ita in manu ſua affectus habebant, ut quantamcunque animi commotionem pro republica ſedarent, illasq; uelut pectorum tempeſtates intuitus patriæ ſerenaret. Innumeri hoc clariſsimi uiri mente ac ſententijs ſuis declararunt, Bruti, Publicolę, Camilli,

milli,Fabricij,Fabij,Scipiones,Lepidi,Flacci,Salinatores,Nerones,Sempronij.hij enim omnes priuatos dolores publicis utilitatibus cõdonarunt. uidelicet non ignorabant se non aliter inter tot uictas nationes,quam consensu & concordia in rem publicam stare.perituros eo die,quo de re communi & publica dissensissent, ac utilitates patriæ priuatis simultatibus perturbassent.Ergo à talibus uiris aucta est & felicissimè gesta respublica,quæ per Syllas,Marios,Cæsares,Pompeios, Antonios concussa & fracta & propè sublata ac deleta est,qui priuatas inimicitias per extrema patriæ discrimina persequebantur. Id Romanæ urbis,imò cuiuscunq; reipublicæ & nationis futurum exitium Salustius,ex ijs quæ iam tum uidebat,ad Caium Cæsarem prædixit:Ego,inquit,sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romæ fatum excidij aduentarit,ciues cum ciuibus manus conserturos, ita desessos & exangueis regi aut nationi prædæ futuros.Aliter,non orbis terrarum,neq; cunctæ gentes conglobatæ,mouere aut contundere queant hoc imperium.Cretam insulam studiosissimi olim fuisse armorum,rerum scriptores memoriæ prodiderunt.eandem & sæpe externis impetitam armis & nationes alias inuasisse atq; inter se ciuilibus odijs ac dissensionibus agitatam fuisse,sed ea tamen homines illos prudentia ualuisse, ut qsantumcunq; inter ipsos arderent simultates, externis armis procul apparentibus, ad communem patriæ custodiam salutemq; consentirent. unde natum est syncretismi uetus prouerbium, de ijs qui ad propulsandum externum malum ab interno uerterentur.quod fecisse Gudracos Mallosq; in rebus Alexandri refert Curtius, atq; id consilium Cretas reliquis gentibus præstitit inuictos.At Græciæ opes florentissimæ,sub Macedonum seruitutem discordia redegit. & ualidissimæ nationi imposuit regnum Macedonicum ignobile ac obscurum prius Græciæ ipsius angulum ac uelut accessionem. Nam uictores Athenienses magnam Græciæ partem imperio suo adiunxerunt.Hi à Lacedæmonijs sunt uicti. Thebani Lacedæmonios uicerunt, & Phocenses,quos non contenti cladibus bello illatis,quum iure & legibus grauissima accusatione apud commune Græciæ totius concilium Thebani uictores premerent, multaq; esset Phocensis quantam soluendo non erant, dicta. gens in desperationem acta bellum in Thebanos concitauit, quod Græciam totam inuoluit. cui bello admistus Philippus occasionem inuenit iugum imponendi ei nationi, cui omnia superiora bella pro libertate fuerant gesta. Nos uerò non solũ ad hæc exempla surdi,quod uix esset tolerabile, sed ad nostra quoq; mala prouidenda cæci, perire uolumus,ut alterum perdamus.Nec difficile id perficimus, ut pronum ac procliue est nocere.Idq; magis,quo propinquius est ac familiarius,quod lædit.nouit enim qua promptum est plurimum nocere, & exigua in internis damna grauiora sunt, quàm permulto in externis maiora. Nec uideo expeditiorem ullam ac certiorem ad perdendum Christianum orbem,uiam, quàm si quisq; ab alio diuulsus ac dissidens sibi uiuat,suum negocium agat,aliena uel negligẽs,uel (quod est atrocius) infestans & urgens ad interitum.quam rabiem, quanta arte inter nostros principes diabolus accendit? quid aliud memoria patrum & nostra,ut antiquas clades taceam,abstraxit nobis,& quasi uno ex corpore præcipua auulsit membra,Thraciam,Pontum, insulas Ægei maris, Eubœam, Græciam totam, Macedoniam, Bulgariam, Rhodum, maximam Christiani nominis & pulcherrimam partem? His accedit omnibus, quòd sicut in concordia, aliena sunt nostra: ita in discordia, nec nostra ipsorum uere habemus. Quid aliud dici ex rebus potest nostrum, præter usum? aut quid efficit,ut meum hoc uocetur, illud tuum, nisi usus? neque enim domini rerum sumus, ut nobis illæ pro nostro arbitratu pareant, ac seruiant. huiusmodi in tota rerum natura dominus est solus Deus, nos uerò usufructuarij sumus. Ergo per concordiam terræ ac maria omnibus patent, nempe tuta, cunctusq; Christianus orbis: id quod esse fas iúsque est, uelut una sit communis omnium ciuitas & patria. In discordia & à nostris ipsorum excludimur. Bis fuit Carolus in Britannia, semel Henricus Gruelingiæ Flandricæ, sine exercitu, sine manu, sine comitatu, inermes, ac penè soli,

Sim-

Simplicius & incautius in aliena utercp ditione,quàm in sua,nec referebat essent domi,an foris.Tam erat Caroli Anglia,quàm Henrici Belgica & Hispania. Si quid uterque in alterius regno factum cuperet, unica uel literarum uel mandatorum significatione impetrabat. Quid erat aliud utrũcp utrobicp regnare?Nunc malo aliquo rerum humanarum fato rebus turbatis,neuter ditionem alterius non modò non adire, sed nec auderet intueri. Vias omnes sternit ac patefacit concordia.In discordia clausa & obstructa sunt omnia,nihil est tutum,nec solitudo & deserti prosunt loci,nec artes & ingenij calliditas,nec maiestas nominis, nec numerosi exercitus, quin omnia uis & iacula discordiæ penetrent & contundant.nihil est infirmius quàm quantacunque potentia in discordia,nusquam magis ludit fortuna. Cyrus cum tanta manu & post cursum illum victoriarum victus & cæsus est à muliere. Nec Marcellum iuuit perpetuò inuicta felicitas,quin ab Annibale occideretur,quem ille primus uinci posse docuerat,nec ipsi Annibali exercitus Italiæ victor, nec Pyrrho strenuæ copiæ & peritia rei militaris.Demetrius Macedoniæ rex,qui Poliorcetem sese cognominabat,egregiam artem,ut Seneca dicit,quassandarum urbium professus, ad extremum captus est à Seleuco, & in custodia ægritudine animi absumptus. captus est Asdrubal Pœnus,è suis ipsius castris Syracusanorum impetu abductus & quidem obsessorum. Captus est ab Anglis Ioannes Franciæ rex,qui numerosissimis suis copijs paucitatem hostium ita contempserat, ut certis conditionibus dedentes se illi recusarit. Plena est horum exemplorum historia. & ne uetera tantum exempla consectemur, nec Franciscum tantus exercitus est tutatus, nec Clementem Pontificem tota ipsa Roma, nec sacrosanctum dignitatis nomen: ut nemo tantas se habere uires in bello credat,quin ei uertens sit fortuna metuenda.Ideo enim Martem Mauortem nominarunt, quasi res magnas subitò uertentem. Quid,quòd bellicis temporibus,nec rex tuto in suo regno uersatur, nisi circundatus semper septusq; armis, hoc est carcere, ut non sine causa utrunq; custodia nominẽt.metuit enim & ab exteris insidias & à suis, siue is est animorum in discordia terror,siue iure habet,quos per occasionem temporum cauere debeat.Nam proceres in pace dicto sunt audientes,propterea quòd stat à Principe multitudo,& licet eos, si quid malè egerint, legibus ac moribus interrogare. Nec facilè ab amicis, si deficiant, recipiuntur.In bello uerò uindicant iras suas occupatis in unã eam curam omnib. principe ad multa nolit uelit cõniuente. Tum habent quò confugiant, si non putent se in ea ditione incolumes mansuros. Milites ipsi ad tutelam & custodiam regni,hostesq; à finibus arcendos ac propulsandos asciti & rogati sacramento,militarem insolentiam in regni perniciem regisq; ipsius imperatoris sui,in cuius uerba iurarunt, conuertũt.Quoties Prætoriani milites,quoties legiones absentes,quoties illæ ipsæ,quas suus imperator ductabat, arma pro salute ducis,ac capite cum iureiurando sumpta,in ipsum eundẽ uerterũt? occisus est à suis Caius Cecinna, quòd exercitum in naues contra Syllam ducturus imponeret.Exustus L.Fimbria,quòd ignauiam exprobrasset.Interfecti Galba,Pertinax,Alexander seuerus,Maximinus,Magnus,Balbinus,& alij penè innumeri, non aliqua sua culpa,sed militari insolentia atq; insania. Quid dicam,proditiones,& defectiones exercituum exiguo ære uenditas, quas nostra uidit ætas? Quid non habebunt uenale milites,qui animas habent uenales? Vis tu nõ uendi te eo precio ab istis,quo illi suas ipsorum animas uitásque uendiderunt? At manent aliquandiu in fide. non nundinantur defectionem & fugam,scilicet non audent,maiore metu retrahente,aut non plus aliunde sperant,quàm abs te cõsequuntur. Nuper uidimus ab insaniente exautoratorum manu Regem in Gallia creatum, quem illi militari uocabulo ceruleum, credo, de cultus colore nominabant, magno sanè Galliæ terrore, periculo non paruo. Sed nec habet Rex ditionem in sua potestate, nec quod potissimum, maximéque est regiæ dignitatis, legibus & æquitati potest adesse, quin multa inuitus quidem & gemens,sed patiatur tamen contra leges, contra ius ac fas in bello perpetrari,nec possit animaduertere, exuri, expilari, diruí, cædi subditos & subditorum fortunas à suis ipsius militibus, sine quibus, quod Regium nomen ac dignitatem tueri ac conseruare

uare in bello nõ ualeret,multa illis nefaria ac impia permtttit.Qui monarchiam amebat Romani populi,primùm omnium prætorianos milites & reliquas legiones studebat illicefacere, promissa scelerum ac flagitiorum omnium impunitate. Quisquis id non præstaret,sciret sibi imperium nõ futurum diuturnum. Quid est minus, non dico regis,sed nec liberi hominis,quàm ita seruire,& tali hominum fęci? Colligunt hinc iras togati aduersus Regem,causam eiuscemodi malorum & odia, quę aucta indictionibus,uectigalibus,quibus populum radit,exuggit,deglutit,ut infinitis bellorum sumptibus pecunia suppetat,ita animos à Principe alienant, ut non quod fieri par erat,ament & uenerentur tanquam cõmunem parentem,sed ut Tyrannum oderint,ut hostem omnium execrentur,nihilq; ad ultionem sit reliquum præter occasionem,successibus illius doleant,gaudeant aduersis,nec ullũ expectent nuncium lætiorem,quàm sublatam esse de medio calamitatẽ publicam & regni pestem. Hæc principes,alij cautiores intelligunt & dissimulant, alij incautiores nec animaduertũt ipsi per se,ut qui in aulis degant semper clausi,& separati à sensu eorum quæ fiunt in populo.nec habent à quibus doceantur, stipati perpetuò turba assentientium,quæ regi odiosissimo,atq; inuisissimo subditis, persuadet eum cuique ciuium suis liberis, & uita esse chariorem,& publicas atq; ita altas execrationes, ut facilè ad illius aures perueniant,dicunt esse faustas acclamationes,& uoces bene precantis multitudinis. nec ei unquam sic obsesso atq; occupato uacat quiete se huic cogitationi tradere, ut apud seipsum cum animo suo reputet,quũ hæc aut illa agat, sic uiuat, sic regat suos, qualem esse de se in suorum mentibus existimationem par sit. Hoc est regnum? hoc potentia? an potius uel carcer teterrimus atq; obscurissimum, quum nulli se loco nulli hominum concredat.uel miserabilis & in extremũ adducta discrimen ignorantia,quæ cæca atq; improuida inter præsentissimam semper uersetur pestem. An ego hic exempla congeram eorum,qui diuturnitate potentiæ fundatas opes odio & maleuolentia suorum leuissimis motibus euerterunt.unum pro innumeris recẽsebo,uerbis Æmilij Probi. Dion,inquit,fretus non tam suis copijs, quàm odio Tyrãni Dionysij, maximo animo duabus onerarijs nauibus, quinquaginta annorũ imperium, munitum quingentis longis nauibus,decem equitum, centumq; peditum millibus profectus oppugnatum,quod omnibus gentibus admirabile est uisum, adeò facilè percu lit,ut post diem tertium,q; Siciliam attigerit,Syracusas introierit.ex quo intelligi potest nullum esse imperium tutum,nisi beneuolentia munitum.Idem Dion tyrãni expulsor,quum se insolentius uideretur gerere, non inuenit qui se periclitantẽ & cum inimicis colluctantem,ne occideretur, subueniret:imò fuit qui illis per fenestrã gladium miserit,quo Dion iugulatus est.Nec sunt meliore conditione ciues discordes, qui non aliter & in sua ciuitate ambulant, & tecto ac parietibus, & priuatis penatibus clausi agunt,quàm in saltu aliquo latrocinijs infami. famuli in cõcordia subditi, in discordia suspecti,ne nos prodant. Vxor,liberi,parentes,domus,familia, possessiones,cultus,opes,quę sunt cuiq; in concordia gratiss.& maximas important ad uitam utilitates,in discordia fiunt grauia,acerba,inuisa,quippe augent metũ eorum singula,ut undiq; circunspicienti nihil occurrat animo,nisi materia formidinis,dum unus tam multis,& pro tam multis timet. In pace & concordia iucundum est gignere liberos ac tollere. Quid aliud in discordia quàm tristis atq; acerba timoris causa? Et me, inquit ille apud Vergilium uir fortis ac pius, quem dudum non ulla iniecta mouebant tela,Neq; ex aduerso glomerati,ex agmine Graij,Nunc omnes terrent auræ,sonus excitat omnis Suspensum,& pariter comitiq; onerique timentem. Numerantur in bonis honor & decus,in quo expetendo exitiabilis est hominum error. uerus enim & germanus honor uirtutẽ,ut umbra corpus comitatur.neq; est honor aliud, quàm ueneratio quædam uirtutis eorum,qui rectè de uirtute iudicant. Hunc tamen homines imperiti qualicunq; quorumcunq; hominum laudatione censent, ut decus esse existiment cerdonem aut carrucarium approbasse. magnus quidem hic error, quis non uidet? sed quanto ille pernicioſior,quòd laudem eam tanquam rem pulchram & præcipuè expetendã sic quærimus,sic captamus, atqui rudium hominũ & uulgarium

rium iudicia ex affectu nascũtur,non ex ueri dispicientia. Itaq; fauor ferè solet adferre decus,odium uerò ignominiã. quisq; enim ita loquitur, ut intrinsecus est affectus. Res studijs & tanquam factione scinditur,ut propè omnia in uana et leui multitudine.Hispano omnia Hispanica probantur,Gallo Gallica.Per triginta annos perniciosum Christiano nomini Gallia cum Hispania gerit bellum penè cõtinens. ademit Hispanus Gallo Neapolim,Mediolanũ, Nauarram, Ruscinonem. tot illi clades attulit, tot exercitus obsidione occidit,Regem ad ultimum cepit. & tamen post hæc omnia Gallus domi triumphat,& se pro uictore,& in sua natione,ac apud alias spectatrices gerit.ita loquitur, ita scribit, ut uideatur totam Hispaniã à Pyreneis ad Gades uictor proculcasse.Non hic cano Hispaniæ encomium, alijs ego illam rebus laudatam uellem,non armis & uictorijs,hoc est latrocinijs & crudelitate.nec Hispaniam pro peiore haberem,si esset uicta,nec Galliam pro potiore, si uicisset. Quid aliud toto ago opere,quàm furores istos detestari? et si possim,utinam ita sim felix,ex hominum mentibus uel tollere penitus, uel certe, si qua detur,extenuare ac diminuere. nec multum refert, laudes hominem de armis,an de inhumanitate. aut Christianum de uictorijs & cæde,an de defectione à Christo ad diabolum commendes. Faceret Christus, ut alijs præstantioribus rebus magisq; Christianis hominibus dignas ego aliquando & Hispaniam quæ me genuit,& Galliam quæ aluit,florentes uigentesq; et in certamen pulcherrimum adductas aspicerem. ut non sæuitia & odijs contenderent, utra alteri maiora damna & mala adferret,quod non est uel Christianarum, uel uicinarum nationum, uel earum, inter quas per tantam annorum continuationem optimè conuenerat, sed certarent utra eruditior, utra prudentior, ac humanior, utra esset sanctior & magis dedita pietati. O si id ego uideam,antequàm ex hac uita migro,quam me opportunissimè natum esse tempore existimabo? Quocirca huc spectant ea, quæ sunt mihi adhuc dicta, ut ostenderem, quàm exiguam laudis ac gloriæ celebritatem consequantur in discordia uictores apud uictam nationem. Quid ad alias? an hæ sunt incorruptiores? maioribus interdum affectibus,quàm illæ ipsæ quæ contenderunt infectæ.sicut in priuatis certaminibus solet accidere,ut spectatores omnes confestim se nutu quodam naturæ alterutri parti ad fauorem & beneuolentiam applicent,& cohęreant.Exemplis est parcendum,ne discordiam quam perditam atque extinctam cupimus,magis irritemus. Nec posterorum iudicium erit syncerius, nam hæ affectiones & partes, filijs cum hæreditate à parentibus tanquam per manus traduntur. qui medij sunt & ceu neutrarum partium apud eos uictum esse inuitum, est ignominię:uictorem esse,crudelitati. Ita enim sumus à natura facti & cõpositi,ut inferiorem partim misereamur, partim despiciamus, prout est nostrum ingenium,& ingenij mores,superiori infensi,etiam quem admiramur. Sed fac aliquos apud populũ illum nasciturũ rectius de tuis rebus gestis locuturos. Id uerò tum cõtinget tibi, quũ iam ad te non magis, quàm ad statuam aliquam tuam pertinebit. maioribus eris uel gaudijs uel mœroribus implicatus,quàm ut ullus ad te istarum uocum sensus uel cura pertingat. Finge uerò te omnino propagandi nominis studiosum. ut maximè bello uincas,quid de te loquẽtur posteri? Non omnes nationes bellum probant,ut multæ in Asia & Aphrica,& rem qualis est,talem esse arbitrantur,inhumanam, atrocem, sæuam,uix belluis,nedum hominibus congruentem.& assecuti sunt per naturam sine malicia, quod nos natura & philosophia & ipso Christo magistro non assequimur propter maliciam. Quid in istis ipsis nationibus, in quibus bellorum uictoria pulchra existimatur,quàm multi sunt,qui uel ingeniorum, uel sapientiæ ope, uel numine quodam ac beneficio Dei uictoriam abhominantur,ut tetram ac execrandam, Opifices ac operarij, quæ est maxima humani generis pars,de bello uel non loquuntur suis rebus occupati & intenti, ut alijs non uacet attendere, uel detestantur rem sibi damnosissimam atque exitiabilem. Interdum, quòd sunt partes aliquæ adeò remotæ, ut ad illas non nisi serò, & ægrè, & perleuis possit fama rerum gestarum penetrare, quod de Caucaso monte & Euphrate amne scribit Cicero, quos tran-

ſcendere Romanorum fama,& tam incredibiles geſtæ res nequiuerunt. Sed noſtra ipſa memoria,& his ipſis annis,in quibus uiuimus,quàm ſero,quàm negligenter audiuimus Sulthanum tantum Principẽ à Turcarum rege captum fuiſſe ac ſpoliatum imperio,& rem iam decennem,nondum tamen omnes ſciunt. Quid in hac ipſa Europa,in mediterraneis Hiſpaniæ,& illa interiore Galleciæ,Franciæ rex iam erat ſolutus, quum auditum eſt captum fuiſſe. & narratum non aliter, quàm ſi dixiſſent magnam imbrium ac niuium uim Valentiæ aut Hiſpali cecidiſſe. At qui loquuntur, quàm interdum aliter narrant,multa mentiente fama,& quàm exiguo tempore,partim quòd admiratio rerum priorum maioribus alijs inſequentibus rebus excutitur tanquam clauo clauus,partim quòd conſidentibus affectibus, flacceſcit & admiratio & dulcedo narrationis. Alij,nihil admirari aut extollere,ex Horatij conſilio pro ſapientia uſurpant.alij res paulò notiores,aut etiam non admodum recentes,narrare abſurdum ac putidum eſſe arbitrantur. Ita fit,ut breui tempore totus ille excitatus hominum ſermo de uictoria, qui tanto fuerat labore ac ſollicitudine, tantis impenſis, tanta rerum optimarum quæſitus iactura,propter quem nos & opes,& ditionem noſtram,& pietatem, & totum ferè humanum genus in periculum adduxeramus, uel negligatur ab intentis in res alias, uel non ſe longè diffundat, uel breui tempore conticeſcat amiſſa gratia nouitatis. & loquor de magnis bellis ac uictorijs. Nam diſcordiæ illæ & factiunculæ in ciuitatibus, tametſi nec leuiore rabie ſuſceptæ,nec minoribus animis exercitæ,tamen ignobiles ſunt penitus, incognitæ non modò extra urbis mœnia,ſed ſæpe extra uiciniam,in qua exercẽtur. Illi uerò ita ſe periculis pro uano hoc & confecto honoris nomine obijciunt,ac ſi gladiatores in orbis totius amphitheatro depugnarent,ut illorum inſaniam neſcias ridendàm ne magis habeas,uelut puerilẽ,quòd inanes quaſdam & commentitias res tanti fecerint: an deplorandam,quòd ſe optimarũ in uita rerum, & ſcientia & fructu fraudauerunt, dum hac una nobilitari exoptant. & de uniuerſa ſua & ſuorum exiſtimatione agi cenſent, quam ſe manſuetudine amiſſuros,crudelitate retenturos arbitrantur. quàm uerè excitant motus in ſympulo, puerili quidem opere,ſed ſcelerato animo non minus,quàm magni & ſęui reges? O quàm pudendum eſt unius cerdonis uel naturæ iudicio tantum tribui, conſcientiæ animi noſtri tam parum,ut meliorem facias hominem ſortis extremæ,quàm te uel generoſum, uel eruditum, uel etiam principem uirum? Quòd ſi tantum deferimus hominis unius iudicio, quanto plus eſt angelis ſpectatoribus, & ipſi ſummo & ſapientiſsimo Deo deferendum mundi præſidi, & conſcio etiam illorum in nobis, quæ ipſi nos ignoramus? Iam expendamus res ipſas,ex quibus gloria captatur,uiciſti,quod tandem eſt tuum decus,quod ipſe poſsis tibi uelut iure tuo uindicare? te triginta bellatorum millibus comitatum abegiſſe imbelle pecus,combuſsiſſe agros, diruiſſe uillas,uaſtaſſe regionem,cepiſſe diu ſedendo urbem,aut oppidum fame, ſiti, & alijs multis malis preſſum,& confectum? Adde etiam,ſi placet,concurſu acierum, altera triginta armatorum millia ſuperaſſe. Si qua eſt laus, cur non totus exercitus ad eam uocatur? cur non ſæpe gregarius aliquis miles,qui primo concurſu magnum ad uictoriam momẽtum attulit? cur tu unus Princeps tibi uni adſcribis ac uſurpas,q̃d eſt tam multorum? Non iniuria Clytus ille,quem Alexander occidit,in extrema illa cœna Græcorũ morem ac patriũ inſtitutũ damnauit,qui in trophæis non militũ nomina,ſed unius ducis adſcriberẽt. Fortaſsis tolerabilius hoc fuerit, quàm omnia attribui ei, qui per legatos ſedẽs inter omne uoluptatũ genus,procul nõ à iactu modò,ut aiũt,ſed ab auditione ipſius belli hoſtiũ acies dicitur toto cãpo cõſtrauiſſe: quũ cęſi,& ſepulti,& putrefacti ſint prius,quàm nũcius ad eũ magnis quidẽ itineribꝫ perferatur: nõ unquã re in uetuſtatẽ iam & propémodũ obliuionẽ,ubi contigerit,adducta. Quid,quũ fortiſsimas legiones nõ militũ haſtæ & lacerti, ſed uel res muta ſtrauerit, uel caſus aliquis domuerit? Si ingens aliqua bõbarda multos in prælio mortales diſcerpſerit, ut inde uictoria pareẽ, cuius eſt ea laus? cuius gloria & decus militare? an bõbardæ? ut illi trophæũ ſtatuatur,non ducí? án ne eius,qui incenderit? quod puer poteſt feciſſe, an ne poſſidentis?

tis? quum possit esse uel fœminæ uel uiri ignauissimi. An non apparet sic extolli commendaríq; uictorem prælij, quemadmodum illi olim in Græcia incredibilibus celebrabãtur laudibus, quorũ equi aut currus olympia uicissent. quumq; illi uel fœmina, uel senex uir fractus morbis, cõtusus doloribus & asperrimo cruciatu mouere se è lecto in Sicilia uel Asia non ualeret: præco interea omnis generis laudes de celeritate & fortitudine in senem claudum, atq; extremæ & perditæ ualetudinis, omni clamore ac cõtentione uocis cõgerebat, non sine risu eorum, qui illum nossent, qui sic laudaretur. Ita uincit uel fœminæ, uel infantis uagientis, uel ludentis pueri, uel adolescentis, iuuenis, senis uoluptatibus immersi, aut certe rebus alijs & negocijs domi diditi, exercitus, classis, bellica instrumenta, uictor nominatur, & laus ad illum redit, quia titulum obtinet possidẽtis. Iám ne intelligis, quàm ficta, quàm uana, quàm falsa sit res, quàm ex iniquis & stultis iudicijs, quæ operæ experti, operæ mercedem attribuit, & præmium defert ad eum, in quo nihil est meriti. Quid in casibus? Fabius Maximus Samnitium ualidissimas acies errore eorum fudit, quòd acclamatũ esset in exercitu aduentare à Samnitium tergo collegam P. Decium. Sol & uentus Romanis aduersi multum ad uictoriam Annibali profuerunt. quoties formido & trepidatio legiones omnes uno homine fugiente inuasit, qui traxit secum uiros fortissimos & cuncti exercitus robur. casus equi unius equitatũ auertit, una hasta in hastas hostium transuersa iniecta ordines turbauit. Cuius erit ea laus? cui statuetur trophæum? nõ forti exercitui, sed forti fortunæ. Quid quum fame, aut siti, aut peste, aut quo morbo alio maximæ militum copiæ absumuntur, ualidissima præsidia in potestatem hostium coguntur uenire. Tempestas numerosam & fortem classem cõfregit, ruina arcem diruit, una scintilla casu in puluerem bombardicum insiliẽs arcem cum toto præsidio incendit, cuius erit hæc fama? quis ob uictoriam celebrabitur? Nihilominus qui feliciores fuerunt, ad sese trahunt laudem, perinde ac si fortitudine uinceret, qui uincit casu. Sed ex omnibus honor & decus captatur, quum illud crebrius usu ueniat, ut ignauiori & peiori soleat sors potius & casus secundũ uentum aspirare. Quis possit dicendo exponere, quanta sit in his rebus stultitia? sed inhumana tamen atq; immanis, utriq; se non raro pro uictoribus habẽt, & gerũt. & trophæa in sua quisq; regione de altero statuit, ut bellis Peloponnesiacis Athenienses & Lacedæmonij. quæ signa uictoriæ ad diuturnitatem impressa dici non potest, quantum incitant utrorumq; animos, & ueteres iam ac propè obliteratas inimicitias reuocãt & exacerbant. unde multa & olim & nuper ea sola de causa reparata esse bella nouimus. quam puto fuisse causam, cur antiquis militaribus legibus sancitũ fuerit, ne renouari atq; instaurari collapsa liceret trophæa, uidelicet ne tam diu inimicitiarũ & notæ & irritamenta perseuerarent. Pro trophæis sunt modo signa militaria diuis apud templa affixa. O miserum, cuius tot laborum & periculorum fructum situm esse in una aut altera linthei ulna putas, quibus nihil est magis caducũ, aut quod celerius corrumpatur ac pereat. Vbi sunt tot Græcorum, tot Romanorum trophæorũ millia, arcus, obelisci, & alia signa uictoriæ, etiam dijs sacra & penè gentiũ iure inuiolabilia? Quàm citò linthea illa discindũtur? quàm pauci aspiciũt, quàm nullus ferè animaduertit, aut quærit causam? nam interdũ apud gentem uictam nõ pauciora est uidere, quàm apud uictricẽ. Illud uerò iam nõ humanum, sed uel belluinũ, ex stupore ac inconsyderãtia, uel diabolicum ex impia malicia, quod Christo & martyrib. eius insignia nostræ crudelitatis appendimus, manifestissima argumenta nos & Dei iusis, & eiusdem ac martyrũ exemplis minimè auscultare. Veteres olim ad Martem bellorũ Deum & Iouem, in cuius manu credebãt esse uictoriam, rei bene gestæ signa deferebant, indicium grati animi, quòd illis referebant acceptũ, quorũ beneficio crederetur euenisse. Quàm ineptus fuisset, qui Veneri, aut Gratijs, aut Nymphis arma de hostibus manu capta appendisset, deabus mãsuetis & à bello alienis? Quid si Deum aliquem habuissent, qui semper ad amorẽ, ad pacem, ad concordiã, ad patientiã esset adhortatus. à discordia, à bellis & cædibus homines præceptis suis auertisset, quàm eum ducem aut militem impium & nefariũ censuis-

ſent,qui illi ipſi Deo bellorum prædam impartiretur.& eam rem,quemadmodũ expiari oporteret,pontifices conſultarent.Nos uerò eiuſmodi pugnarũ Chriſto & martyribus offerimus teſtimonia,quibus illi maluerunt uinci,quàm omnino pugnare.& qui uita,et uerbis nihil docuerunt aliud,quàm ſibi tales diſſenſiones maximè diſplicere,per eas non ad Deum illum patrem concordiæ & manſuetudinis peruenirí,ſed ad diabolum caput & principem diſcidij,odij,pugnæ,ac cædis. Longe aliud eſt ignis & gladij & pugnarũ genus, quod ille cœleſtis magiſter, & Dei unicus natura filius ad immittendum è cœlo in terram uenit,ut omnia charitate conflagraret, ut uir ab uxore,pater à filio,hic à patre ſepararetur ad ſequendum Chriſtum, certarent omnes pietate in Deum,& beneficentia inter ſe.Hæc eſt Chriſtiana pugna, id eſt hominis perfectiſsima. At qualiſcunq; hominis,modò hominis illa ſunt,ingenio, prudentia,ratione,moderatione,temperantia contendere,ac conniti,ne quis te ſuperet. Sic Socrates pugnauit inſtructus ſolius naturę armis.Sic Cato,de quo Saluſtius ſcribit,Catoni ſtudium modeſtiæ,decoris,ſed maximè ſeueritatis erat, non diuitijs cum diuite, neq; factione cum factioſo,ſed cum ſtrenuo uirtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat.Hæc demum eſt uera uictoria uincentis,nam in alijs contentionibus neceſſe eſt prius uincare ab ira,ab immanitate,antequã inimicum uincas.prius te fatearis inferiorẽ,& fuiſſe ſub inimico,quum te læderet. nam qui ſuperior eſt, nunquam attingitur damno,uelut numen quoddã extra humanas iniurias & damna poſitum.Sed quid nobis alienis exemplis eſt opus,qui tot domeſticis abũdemus, Chriſti in primis,& martyrũ illius? quorum ſi glorioſiſsimas & fructuoſiſsimas uictorias admiramur,ac celebramus,illorũ nos pugnas imitari fas iuſq; eſt,ut ad decoris quoq; & gloriæ participatum admittamur. Cedo ecquid ſe Dei filius atq; ipſa eadem ueritas uicíſſe profitetur? nõ caſtellum aliquod,aut frigidum ac inane oppidum,nõ infirmos,& breui perituros mortales.Ego(inquit) uici mundum,confidite.quanta oſtenditur fiduciæ atq; alacritatis cauſa,ſub eo imperatore tyrocíniũ militiæ ſumus faſſuri, ſub eo diſcemus nunquã uinci, ſed uincere,qui ſolus ipſe mundũ deuicerit. Quòd ſi ſolus tantas & tam ualidas acies diſiecit,fudit,cõſtrauit, quid cenſemus illius milites ac manũ præſente illo facturos? Nimirũ aderit adiutor pugnæ,laudator uictoriæ.coronabit ſuos,ut inquit horũ caſtrorũ miles Cyprianus,& ipſe coronabit uiciſsim per illos.Hæc ſunt hominũ,hæc Chriſtianorũ prælia,& cõtra hos hoſtes,hęc hominũ.Nã nec uires,quantũcunq; augeantur, tauri, aut elephãtis robur,nec animi ſecuritas par erit leoninæ,niſi quis ab hominis ingenio ac natura in deſperatã aliquã feritatẽ & rabiẽ degeneret. Quid quòd uires corporis in parte ſunt bruta & uiliſsima animoſitas in ea parte animi,quæ à belluis nihil differt,ut uictoriæ harũ partiũ laus planè ſit cum beſtijs cõmunis.Quid,an nõ hoc teſtanẽ exẽpla omnia & ſimilitudines de bellica fortitudine ac robore,quæ omnia ex belluis,ex reb.prorſum inſanis petũtur.cõferuntur uiri pugnaces leonib.cõferuntur apris,urſis.eorũ impetus,uẽtis,undis cõcitatis,tẽpeſtatibus,fulmini.pleni ſunt harũ rerũ Homerus, Vergilius, Pindarus & alij, qui tanto ſpiritu,ardore,facundia,bella & pugnas cecinerũt,quãto ſi res mites,humanas,& hominibus profuturas.næ illis humanũ genus plurimũ deberet, quibus nũc perparum debet. Itaq; illa ſit ueræ humanę laudis uictoria,quã ingenio,iudicio,ratione,mente, cõſilio,ſapientia,uirtute ſuperamus,quæ hominũ ſunt propria,nõ & cum feris communia.Num etiã in gloria ponendũ erit,bis millies mille hominũ Cæſarẽ ſuis uictorijs occidiſſe, & tantam iniuriã, ſicut Plinius dicit, factã humano generi? Alexandrũ Macedonem Seneca furioſum iuuenem appellat.Lucanus,

Terrarum fatale malum,fulmenq; quod ipſum
Percuteret populos pariter,& ſydus iniquum
Gentibus.

Nec poſſunt uicti laudare,à quo tot incõmodis & malis ſunt affecti.nec tui uictores à quo ſunt exhauſti.ita pro tãta gloriæ ſpe animo iam præcepta ac deuorata,uel execrationes reportas, uel querelas maleuolẽtia ac odio intinctas & cõcinnatas.Iam quis poſſit illũ uerè ac ex animo reuereri,quẽ incitatũ et propè furen

tem

tem aſpicit? unde colligit prauiſsimi cordis multa argumẽta,leuitatis,imbecillitatis, imprudẽtiæ. Si imprudens in inimicitias deuenit,indiciũ eſt temeritatis,ſin ultrò eas appetijt,acerbæ ac immitis naturę. diffugiũt amici,exhorrẽt atq; abhominantur proximi tantã pectoris illius fæuitiã.et non ſecus deuitant, quàm acutiſsimas ſpinas aut animal ueneno armatum, cuius nõ eſt tam peſtis præſentanea,quàm hominis rixoſi, & ad diſcordiã procliuis. adde fœditatẽ oris,& confuſionẽ uerborum,ut neſcias (inquit Seneca) deteſtabile magis id ſit uitium,an deforme:idem ad alios eſt puerile,ad alios fæuũ & formidabile.nam quibus noceri poteſt,ij terrentur,& periculo quoad ualent,ſe ſubducũt.quibus non poteſt,ij non aliter irati motus & feroces minas rident, quàm feræ in cauea tumultuãtis,aut tragœdi grandia loquentis ſub perſona Herculis uel Aiacis. Nam quid eſt contemptibilius,q; ferox & elatus animus ſine uiribus? Equidem nihil magis miror, quàm eſſe doctum aut prudẽtem ullum uirum, cui hæc ſunt cognita, qui non à ſe primum omnium impetret, exigat, extorqueat, ne cui iraſcatur, ne de illa tranquilliſsima animi quiete deturbetur inimicitijs ſuſceptis, & diſcordia exercenda.quæ quum cuicunq; eſt homini turpis ac probroſa,tum doctos, & eos qui pro ſapientibus habentur, maxime dedecet, ut quæ omne authoritatis pondus detrahit, & relinquit ſapientiæ præcepta fidei inania, quum uident tam alienam eſſe uitam à profeſsione et dictis magnificis,quem rixantem & iurgantem uidemus, minoris multo facimus,quàm antea. dumq; cõuitium facit,& ipſe accipit, eo illo inquinatur.atq; ex pugna nigri ac dehoneſtati recedunt ſiue uictores ſiue uicti. id tanto magis & certius,quòd nulla eſt rixa, in qua non aduerſarius aliquid pro ſe adferat, & cõtra te,quod tibi ſuſpicionem aliquam aſpergat culpæ.ut eſt nemo ſic undiq; integer ac inculpatus, ut in eo nulla poſsit hærere nota maledicti. Quid quòd nec eſt tam uilis atq; abiectus ullus,tam in commune odioſus omnibus,qui non habeat, qui ſibi ex affectu faueant,nulla conſyderatione rationis & cauſæ. Quandoquidem nec Vatinio illi,cuius odium prouerbio locum dedit,defuere,qui illum fouerent,qui adiuuarent,eueherent ad magnos Populi Romani honores. Nam & Tribunus fuit plebis,& Prætor.Contrà,nullius eſt adeò apud omnes gratioſus charusq;,cuius non ſint aliqui maleuoli ac inimici,qui conuicia in illum & libenter audiant, & facile propter odium credant etiam ab homine fæcis extremæ:ut qui Clodium amplectebantur in inuidiam Ciceronis,& Vatinium aduerſus Marcum Catonẽ. Quis credat,quàm leui ueriſimilitudine criminis,hominum uoluntates commutantur? quàm ideo breuis eſt à decore ad ignominiam, à gloria ad infamiam tranſitus? quàm celeriter maledictum mittitur,quantas momento temporis uires colligit? quàm citò hæret? quàm ægrè,quàm tarde eluitur,ac perpurgatur? Sunt nonnulli,qui quod conuitiũ non ignorant eſſe uaniſsimum,auditum tamen mandant memoriæ, & inſigni malicia per occaſionem abutuntur,ſiquando illos uolunt premere,in quos eſt iactum. Inter homines eruditos eleuata tantopere authoritate literarum,ſpreta & conculcata per eorum diſcordiã ſapientiæ maieſtate,audent irrumpere in uetita imperiti, ingerunt ſe doctorum pugnis,arbitros faciunt certaminis,et ſequeſtros pacis:quanto artium ac diſciplinarum omnium detrimento? Lutetiæ in comicijs rectorijs, quòd inter Philoſophos non conueniret,eſſetq; ad pugnos & fuſtes progreſſum,uidi non ſemel prophanum magiſtratum comitia illa moderantem,hominem quantum mihi quidem tum eſt uiſum,non hebetem, aut indoctum, deridentem magiſtrorum & immodeſtiam in ſuffragando, & in loquendo imperitiam. Æquum fuit,ut qui ſe regere neſciebant, ab ijs regerentur,quos illis & natura & ius ac leges,& ratio ac dignitas profeſſionis ſubiecerant. Sunt quidam, qui dum ſatisfacere huic honoris ſtultæ exiſtimationi uindicanda iniuria affectant, maiore ſe probro ac dedecore inuoluunt, ſicut captæ auiculæ, quæ dum retibus ſe ac laqueis,temerarijs agitationibus conantur explicare, arctius innodant atq; irretiunt:ut ille in Hiſpania,qui oſtenſo ab inimico fuſte,pro accepto ſe fuſtuarium habere eſt profeſſus,in quas ſe implicuit miſerias, dum iniuriam, quam non acceperat, ulciſcitur? ut grauiſsimè Seneca dixerit, multos altius iniurias

ſibi dimiſiſſe,dum uindicant.Quanto ille acutius & prudentius,qui cum alapam accepiſſet,clàm dediſſe ſe ſimulauit. ita dum uterq; & datam à ſe,& acceptam ab altero contendit,res eſt plauſibili riſu extincta. qui dederat,contentus fuit conſcientia : qui acceperat,ſimulatione . Conuicium uel patiẽtia exceptum non hæret,uel ratione ſine ira dilutum amittit uires . ira autem in argumentum ſumitur conſcientiæ:at uerò qui conuicium gladio regerit,tam honorem ſuum lædit, quàm inimicum,de quo ſe ulſciſcitur.relinquit enim in animo cuiuſq; ſuſpicãdum,quod cuiq; libet.ita nec illis ſatisfacit,nec quum id reputat,ſibi ipſe . Chriſtiani hominis uerum ac ſolidum decus ſi tum eſt in teſtimonio ſuæ conſcientiæ,& approbatione illius agonothetæ Dei,qui ſpectator & arbiter eſt noſtrorum & operum & cogitatuum. Non qui ſe ipſum commendat,inquit ſanctus apoſtolus,is probatus eſt,ſed quem Deus commendat. Magnum eſt,iuxta uetus prouerbium,Athletam placuiſſe Herculi. nullus erat in gymnaſio tam ambitioſus iuuenis aut captator auræ popularis, qui non ſe uni Herculi maluiſſet approbari, quàm uniuerſo,quamlibet numeroſo cõſeſſui. Quòd ſi in quo nos exercemus, tantum illius tribuimus oculis, qui plurimum in ea arte ualet, ut orator Ciceronis aut Demoſthenis,Apellis pictor,Medicus Galeni,quid nos ſentire de ſpectatore noſtro Deo fas eſt? quam omnia quæcunq; uel dicimus, uel facimus, uel etiã cogitamus, quandoquidem ſancta illa & omnipotens maieſtas rebus eſt omnibus præſens, ad illius uoluntatem atque approbationem ita ſunt accurate dirigenda,ut collimemus? Illinc ergo honor Chriſtiani hominis . non ex ſtultis, incertis, caducis hominis unius aut alterius ſermunculis . Hanc ipſam uirtutem poſtea honor conſequetur, etiam minimè abs te quæſitus, imò uel reiectus interdum ac repulſus . Eſt enim honor uirtutis umbra. Itaque ſapienter Socrates ſuos admonebat compendiariam eſſe ad laudem & ſummum decus uiam per uirtutem, ſi talis quiſque eſſet,qualis uellet exiſtimari, umbram qui cupit retinere, non illam, ſed corpus eius apprehendit . Quanta eſt ad omnes ſpectantes reuerentia animi in ſua pace tranquilli? & noſtra iſta faſtigia ſupergreſſi? atque ea deſpicientis, quæ nos ſuſpicimus,atque admiramur? Colligantur omnia omnium & ueterum & recentium ducum geſta bellorum, non ea æquè laudant homines, & cum dulci quadam beneuolentia in animos recipiunt, ac ſi quid ab illis audiunt clementer, manſuetè, humaniter eſſe factum . illa charitatem in tanto antea uita functos, illa plauſus, & fauorem, & gratam ſui memoriam excitant . illorum & nos libenter & ſæpe recordamur, quos Deo ſimillimos eſſe arbitramur,non uictorijs & cædibus, ſed ſumma moderatione in ſumma potentia, ut tam parum liberè ſibi per manſuetudinem imperauerint, quibus tam multum per opes ac potentiam licebat . Quàm fauorabilis & omnium ſermone celebrata eſt illa laus noluiſſe nocere, quum poſſet . quum illud etiam, qui nihil damni accepimus, tamen nocuiſſe execremur . uirtus nemini unquam nocuit. prodeſt etiã ſublata ex oculis, & occultis actionibus ſepulchro eſt ſuperſtes ad iuuãdum. Vtrum uerò Alexander Macedo maiorem nactus eſt gloriam,aut in animos legentium libentius admittitur Darium, Porum, & totam Aſiam uincens, an quum clementiſsimè ſe atque humaniſſimè aduerſus matrem,uxorem & liberos Darij gerit,qua manſuetudine animi id conſecutus eſt,ut uetula Siſigambis poſt filium & nurum & tantas amiſſas opes durare ſuſtinuerit in uita,non ſuſtinuerit poſt Alexandrũ. Quin etiam nunc ob eam ipſam cauſam bonorum principum numero non prorſum eximitur, inter quos non magis reponitur ob uictorias, quàm Lyſander, uel Hannibal,uel Seuerus.Etiam in priuatis hominibus, & in tenuitate rerum ex uitæ conſtantia ac perpetuo quodam tenore intelligitur non pacem illam ex ignauia eſſe aut ſegnitie animi profectam, ſed ex uitæ inſtituto atque animi altitudine . Et fama hæc uirtutis, ut ſplendor tanquam ex quodam ortus ſole non ſe unius domus aut ciuitatis angulo cohibet,concluditq;,ſed quoquo uerſum radios emittit,ut etiam in abditiſsimo et maxime recondita penetret.Quanto plures ſunt humiles ac egeni homines,conſtantia pacis ac uirtutum ampliorẽ conſecuti famã,& ueriorem gloriã,quàm magni

magni reges hominum strage & bellicis uictorijs? Si tanquam ad censum multitudo uocaretur, quæ prodirent philosophorum apud gentes examina, quæ prophetarum apud Iudæos, quanta diuorum in nostra religione? Nec est quòd quisquam miretur, quum in uirtute laudetur homo, in bello bellua. bellica laus opinionibus hominum constat, uirtutis uerò gloria natura. Itaque uideas laudari ac celebrari bellaces illos Annibales, Alexandros, Cæsares à perpaucis, Socrates uerò, Platones, Senecas, Paulos, Petros, Augustinos, Ambrosios uel latronibus esse uenerabiles ac sacrosanctos. uidelicet illorum arma & bellicæ artes bonis nocuerunt. horum studia & actiones omnibus in commune sunt usui. bonos meliores reddunt, malos utcunque inhibent, & interdum ad uirtutem exemplo sui flectunt aut bene monendo. In magnis ducibus ardorem quendam animorum igne uoluerem, ut ille dicit, laudant, in sapientibus & sanctis uiris, uelut numen quoddam illis clausum pectoribus adoramus. Quanta ueneratione mens nostra unius eiusmodi occursu uiri imbuitur, ut ei non parêre uelut numini cœlitus delapso nefas habeatur. & illi nonnunquam à nobis impetrent, quod nec leges ciuitatum & minaces illis pœnæ additæ, nec principum potentia ferro & præsenti morte armata. Tumultuantes conciones, quas nec præconum uoces silentia indicentium, nec lictores et fasces magistratuum, nec magistratus ipsi & minæ carceris, nec immissus in turbam miles sedauit, quemadmodum eleganter Virgilius inquit,

Pietate grauem ac meritis si fortè uirum quem
Conspexêre, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Idcirco imperiosius esse imperium quieti & tranquilli animi experimur, quàm præferuidi ac turbulenti.

Peragit tranquilla potestas,
Quod uiolenta nequit, mandataq; fortius urget
Imperiosa quies.

Quid de diuturnitate loquar? Ingentes uictorias, clades, ultiones, non solum qui passi sunt, conantur hominum memoriæ eximere, quia coniunctas esse cum aliqua sua ignominia arbitrantur, uerum etiam ijdem ipsi, qui fecerunt, confundi eiusce rei notas, & deleri recordationem cupiunt, uel ad tollendam suspicionem suæ crudelitatis, uel ad sarctam & reconciliatam amicitiam solidandam, ne tanta sæuarum superstint inimicitiarum uestigia, & alioqui sine hominum cura hæc omnia tempus consumit, utique est è re hominum penitus aboleri. At exempla mansuetudinis, tolerantiæ, modestiæ, moderationis, quam omnes extendi ac propagari cupimus? consignamus litteris, exprimimus picturis, narramus alij alijs. & quia libenter, ideo crebrò tradunt parentes filijs, magistri discipulis ad imitationem uirtutis. ut eiusmodi factorum memoriam necesse sit esse immortalem, & esse hominum generi conducit. Equidem de istis, qui per bella & discordias, magnitudines falsas quærunt, audire peruelim, num sit aliquid in mundo maius, quàm proximè ad Diuinæ naturæ sanctitatem, maiestatemq; accedere? At huc mansuetudine, clementia, & pace peruenitur. Nihil est enim mitius numine. & cuius potentiæ uim ac magnitudinem ingenia nostra non capiunt, hunc potissimùm constat de clementia esse admirabilem. Quænam est ista insana feritas, existimare delecti ac degeneris esse animi, parcere, aut pacem petere? Ergo uilis & degener Deus, qui toties à nobis offensus, & sanctis suis legibus uiolatis, ad pacem & amicitiam uocat? Conuertimini ad me, clamat idem ipse, & ego conuertar ad uos. An non inter ipsos quoquè homines, quo quisque est excelsiore animo, hoc eum ad ignoscendum proniorem experimur, minúsque iniuriarum persequentem: quod in generosis feris uidemus contingere: quippe leones, & ursi, & elephanti, minus iniurias suas sentiunt, minus persequuntur, quum contrà timida animalcula insistent, & sæuiant in prostratum. An uerò humaniorem existimari inhonoratiorem

oportet, & ſapientia in ſtultitię eſt numero collocanda? planè oſtendimus nos diabo li diſcipulos id ſolum habere in precio, quod illi maxime placet. Apud Indos narrant noſtri nautæ eſſe quaſdam gentes, quæ inter bona uitæ huius, ſolã numerent concor diam: & duobus diſſidentibus tam eſſe honeſtũ, qui prior occupet pacem, quã is in- ter nos eſt probro atq; ignominiæ obnoxius. quanto illi ſapientius ſolo naturæ magi ſterio, quam nos tot literis & liberis & cœleſti philoſophia ad ſcelus abutentes? In- dos ergo ſimiliores fecit Deo natura, quàm nos inſtitutio? Eſt ne aliquid magis in tan ta potentia beneficiũ, quàm Deus, qui infinitas illas ſuas uires nunquã ad nocendum oſtentat, ſemper iuuando & beneficijs immenſam eſſe ſuã potentiã declarat. Contrà noſtri homuli ad principatũ, et res adminiſtrãdas euecti, nocendo patefacere uolunt, quantum poſſunt, quum alio qui nihil ſit facilius etiã infirmiſsimo quàm lędere, uera magnitudo beneficijs oſtenditur. nam prodeſſe, hoc demũ eſt poſſe. Quum Lacedæ mone nunciatum eſſet Olynthum eſſe à Philippo euerſam, Ægeſipolis Cleombroti filius ſapienter ſubiecit, Atqui talem ille urbem nunquã condet: nimirum ſignificans non protinus Philippum magnum aut potentem debere cenſeri, quòd Olynthũ be- ne conditam & conſtitutam deleuiſſet, ſed ſi alteram urbem illius ſimilem conſtrue- ret ædificijs, fundaret legibus. Nam ciuitatis ſtatum ſubuertere, & urbem excindere ſeditioſus poteſt ciuis, piſtor uel nauta de fęce uulgi, ut his proximis oſtenſum eſt Hi ſpaniæ motibus. at condere, erigere, fundare, conſtituere, hoc demum eſt magni uiri & præcellentis. Hæc quidem, quæ ſunt à nobis adhuc dicta, extra hominem natura poſuit. accedamus propius. Sunt in homine partes duę, corpus & anima. Corpus ue- lut ægrum non poteſt ſine continuis medicamentis uiuere, clauſis terra et mari itine- ribus, ut quibus nobis opus eſt, nequeant importari, & domi uerò depopulato agro ac excíſo non poſſumus ijs rebus ali, quæ ſalubritati ſunt corporum neceſſarię. Quid ſi obſideamur, & deliberatum atq; obfirmatum ſit deditionem, non niſi in rebus ex- tremis ac deploratis facere, ibi cibos in corpus ingerimus tetros, & ſolo nomine ab- hominãdos. quoties legimus clauſos toleraſſe ſe equis, canibus, felibus? quoties mu- ribus? quum Athenæ obſidione premerentur à Demetrio, qui ſe Poliorceten cogno minabat, tam dira fuit fames, ut ob murem fortè è tecto delapſum mortuum, pater & filius ferro dimicarint, & quidem Philoſophi. Nuper in Gothalonia muribus ſe bel- lis Gallicis aluerunt, quibus quærendis etiã domus diruebantur. Nec res eſt obſiden tibus commodior uaſtato ab eiſdem agro, conculcata in herba ſegete, corruptis fru- gibus. uel clauſa hoſtium armis regione, uel quum in hoſtico habentur ſtatiua, & ob- ſeſſores odio uicinarum gentium laborant. Itaq; in caſtris ea eſt uita, quam ne canes quidem perferrent, quantumcunq; uincti, quin abrumpere omnia, quæcunq; remo- rantur, conarentur, ut diffugerent. Eſuriendum eſt unum atq; alterum diem, aut ſe to- lerandum cibo exiguo atq; eo fœdiſsimo & auerſando, & quem nemo intueri ſuſti- neat apertis naribus, qualem etiam ſus obeſiſsimus faſtidiret: & eo loci, ubi etiam ſi delicatiſsimas habeas epulas, ſalubres eſſe corpori non queãt in cœno, inter ſaniem, & tabum, inter cadauera. Carolo Burgundiæ duci nocte, qua ad montem Hericum uicit, trepido adhuc, nec ſatis uictoriæ ſuæ fidenti, menſa eſt humi appoſita, & tria aut quattuor cadauera ſubducta ex eo loci, ut eſſet ubi princeps ſederet uictor. tum u- nus aut alter faſcis allatus ſtraminis, ibi feſſus è labore prælij, & ſaucius, & parum ſe- curus ſumpſit eam cœnam, qualem cõijcere quiſq; poteſt illo & loco & tempore & rerum motu potuiſſe apparari. Sæpenumero non cibo ueſcimur, ſed quacunq; ma- teria in uentrem ingeſta. ut quum Cæſar ad Dirrachium obſideret Cn. Pompeium, inopia commeatuum Cæſariani milites quicquid terræ affixum inuenerunt, pro ali- mento ſunt uſi. In exercitu Marci Antonij triumuiri, quem contra Parthos ducta- bat, abſumpto quod habebant frumento, & hordeaceis panibus argento repenſis, tam fœda fames exercitum inuaſit, ut quicquid in agro radicibus hærebat, euulſe- rint ad eſum. inciderunt in herbam, quæ alienatos homines, & mente captos eiectabili enecabat, qua peſte plurimi ſunt deſyderati, quoties uentum eſt ad lora

madefacta,

madefacta,quoties ad humana corpora decímo quoq; in ſortem uocato? ut in exercitu Cambyſis,quem in Æthiopiam ducebat,Belliſario Iuſtiniani duce cum Oſtrogothis in Italia bellante,tanta fuit annonæ penuria,ut ſe hominũ corporibus coacti ſint tolerare.Nec unicum eſt malũ cibi inopia,ſitis quoq; infeſtat. ſicut in reliquijs Pompeianis,quas Cato per Aphricæ deſerta tranſtulit in regnum Iubæ.In mari & fames & ſitis eſt atrocior,quod celerrimè omnia corrumpuntur, nec eſt effugium inter undas,ut ſaltem fuga liceat præſentem urgentemq; perniciem euadere.Et iſtis ſic paſtis detrahitur (credo) labor,aut habentur mollius corpora tam malignè alita.perferenda centurionum atq; aliorum ducum & uerba ſuperbiſsima, & uerbera grauiſsima.cubandum humi,ſub dio,interdiu,nocte,in æſtu,in pluuia,ſæpe in foſſa aqua plena.tranandi uorticoſiſsimi fluuij, cædenda robuſtiſsima ſylua,luctandum cum dumetis & uepretis denſiſsimis, & cum natura ipſa rerum,portandum uallum,ducenda foſſa, aggerenda ſaxa aut harena,conſtruendum,diruendum laborioſiſsimè, & inter uolitantes ſagittas & bombardarum glandes. baiulanda impedimenta humeris & dorſo ut mulis, nec ea appellatione carent, qui re id præſtant, muli nominantur Mariani, inſtituto Caij Marij.& hæc illis patienda,qui in caſtra tanquam in aſylum quoddam quietis & ocij,odio laboris ac artium bonarum confugerunt.Itaq; illud ſunt nacti iuſtiſsimum deſidiæ præmium.Prætereo cœli iniurias, æſtus,calores,imbres,& in mari tempeſtates,quibus maximæ ſunt ſæpe claſſes ſractatæ ac eliſæ.Ex quo uerbo uenit mihi in mentẽ loci cuiuſdam Senecæ in Naturalibus quæſtionibus, quem equidem propter ſententiæ grauitatem,et gratiam uerborum,non grauabor adſcribere. Quæ nos,inquit,dementia exagitat,& in mutuum compellit exitium? uela uentis damus bellum paraturi,& periclitamur periculi cauſa. Incertam fortunam experimur, uim tempeſtatum nulla ope humana ſuperabilem, mortem ſine ſpe ſepulturæ. Non erat tanti, ſi ad pacem per iſta ueheremur. Nunc quum euaſerimus tot ſcopulos latentes,& inſidias uadoſi maris,cum effugerimus procelloſos deſuper montes,per quos præceps in nauigantes uentus impingitur, cum inuoluto nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes cum turbinibus diuulſa nauigia, quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos feſſos tot malis portus excipiet? Bellum ſcilicet, & obuius in littore hoſtis, & trucidandæ gentes, tracturæq; magna ex parte uictorem,& antiquarum urbium flamma. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus ſcribimus directuros aciem in medijs fluctibus? Quid maria inquietamus,parum uidelicet ad mortes noſtras terra latè patet. Nimis delicatè fortuna nos tractat. Nimis dura dedit nobis corpora,felicem ualetudinem.Non depopulatur nos caſus incurrens, Emetiri cuiq; annos ſuos ex cõmodo licet,& ad ſenectutem decurrere.Itaq; eamus in pelagus,et uocemus in nos fata ceſſantia.Miſeri,quid quæritis? mortem,quę ubiq; ſupereſt? Petit illa nos & ex lectulo,ſed innocẽtes petat.occupabit nos in noſtra domo,ſed occupet nullum molientes malum.Sic Seneca. Hinc in caſtris ciborũ,& uictus rationi certiſsima parata eſt lues.nihil eſt,quòd uetera ponã exempla.nunquã diſſolutus eſt ſine graui aliquo & deteſtabili morbo exercitus,ſæpe etiã nouo & inaudito uidelicet λοιμὸς μετὰ λιμοῦ, ut eſt in Græco prouerbio. Fieri aliter nequit, quo minus affligatur tanta inedia,& eiuſmodi alimẽtis ualetudo,& corrupta morbo tot corpora contagiẽ ſuam in uicina tranſmittãt.& ut ſunt cibi inſoliti atq; à natura corporum noſtrorũ abhorrẽtes,ita morbi quoq; fœdi, abhominabiles,& nunquam antea cogniti.uel ipſa tam diuturna inedia,quum reditur ad priorem et conſuetã uictus rationem morbum generat,& ſæpiſſimè præſentaneã perniciem ac interitum adfert. ut Perpiniaci ſoluta obſidione,quũ liberi iam & in campos egreſsi,cibum ac potum largius ſumerẽt,plurimi ſubitò uitaliũ compreſſu expirabant.et proceſſiſſet longius ea peſtis,ni diæta occurſum fuiſſet à medicis.Sed recedamus pauliſper à bello & caſtris,in ipſis urbis, tectis,& ſub toga feruor ille iræ & æſtus cordis ultionẽ expetẽtis, cõcutit uelut tormẽto quodam animos & corpora.Nam dum in hoc tanquã corporis carcere animæ noſtræ incluſæ detinent,permagna eſt illis cum corporib.cõnexio ac colli-

ac colligatio,ut impetus et commotiones uehementes,non illum solum in quo fiunt afflictent,sed etiam utrunq;.Hinc & affectus alij atq; alij in animum ex corporis habitu dimanãt,ut ex animi affectionibus morbi in corpus,atq; etiam hominis interitus consequatur.Sic obijt L.Sylla Puteolis,dum in Granium quendam Puteolanum ardentius excandescit.De lætitia,de mœrore,de metu infinita sunt exempla,nec de ira pauciora.Nec corpus curamus,dũ in æstu illo ex anxietate obliti nostri,uel ultionis cupidine anhelamus,uel metuentes nos cõtrahimus.Oblitusq; sui est Ithacus discrimine tanto,nec ulli nos loco,nec homini,nec cibo credimus. Ergo, quod sumitur, qui potest esse in tanta perturbatione mentis uel salubre uel iucũdum? Iam uita ipsa, & libertas,& salus semper est sub ictu,siue in castris,siue in urbe,quia inimicis perpetuò pendet utrinq; hamus occasioni suæ intentus,& impetunt mutuo fuste,saxo,ferro,funda,arcu,scorpione, bombarda, cuniculo, ueneno. Addunt his tot artes,astutias,fraudes. Nec in acie inter uolitantes glandes,aut ingentes bombardarũ globos licet,uel leuiter commutato loco præsentem mortem declinare,cadẽdum est tibi uel à bombarda icto,uel à socio,quem tua es dilaceratione in idem fatum tracturus.Extra aciem uerò quis euitabit tam intenta & uigilantia ad nocẽdum ingenia,tanto periculosiora,quanto magis uicina? aduocantur omnes nerui ingenij & rationis,excogitantur tot artes,& lædendi uiæ.bene ageretur cum humano genere,si tam intẽtam curam,& continuũ in bonis artibus laborẽ collocaret.Didicerũt iam homines & usu cõtinuo,& aucta indies rabie odiorũ,ita habere uiles hominũ animas,ut à cane et ab homine offensus magis dubitet canem occidere,quàm hominẽ. Quid ego furorẽ illorum cõmemorem,qui dum instruũtur ad cõcursum acies,ingentis cuiusdã muneris loco à ducibus suis petunt,ut primi collocent,hoc est primi oppetant mortem,ita meritorũ suorũ & laborũ omnium abundè relatã esse sibi gratiam præ se ferunt.Non est hæc fortitudo,sed stultæ gloriæ cupido incõsulta.Miserum,quid laudabunt? cadauer iam non sentiẽs? quid refert siue laudẽt illud, siue equum tuum.at qui nam homines laudabũt? ij quos ipse non ignoras esse stultissimos & insipiẽtissimos,ut ueræ uirtuti testimoniũ non possint reddere,quia nec iudicãt:nec si iudicẽt,quibus sit uerbis opus,extollãt.& illis ipsis fortasse non licebit te laudare occupatis maiore malo, aut factũ aliquod,quod ad uictoriã maius attulerit momentũ,tuum illud primũ obscurabit,& face lucerna obruet,aut non erunt,qui laudent cæso exercitu,aut certè cõscijs uirtutis tuæ.Sic enim libet nominare,illorũ uocabulis,qui uiros bonos nominãt iracundos,superbos,crudeliter animosos,& sæuitiam uirtutem,sed fac loqui.Quàm loquent diu? postridie non meminerint scortis et aleæ suæ intenti.Quanto aliter in concordia affluit copia rerũ omniũ beatissima,et eorum quę intus in agro proueniunt,et quæ foris important,quum sunt omnia salubria ex se,tum uerò fiunt salubriora et ex cœlo à contagijs puro,& ex cuiusq; animi trãquillitate & quiete. Videre est maciem & pallorẽ inuidentiũ,aut discordiũ,quorũ corda offensæ dolore,aut uindictę cura et cupiditate coquũtur,q; foras affectus promicat, & signa sui in facie & toto corpore sparsa imprimit? contrà ijs quibus intus pax est,lætitia in aspectu ipso intelligitur,de quo sunt illa uiri sapientis in sacris parabolis,Melior est buccella panis cum gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio.Animus gaudens ætatem floridam facit,spiritus tristis exiccat ossa.Profectò non minorem excitat in animo discordia tempestatem,quàm quum uenti uelut uelut agmine facto,ut inquit Poeta:

Qua data porta ruunt,totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq; Notusq; ruunt,creberq; procellis
Africus,& uastos uoluunt ad littora fluctus.

Non possum aptiore similitudine motus in animo discordiæ ob oculos proponere. ita cunctæ pariter tempestates & perturbatioues partim à superbia excitatæ,dum nocere, partim à sollicitudine, dum ne noceatur sibi,uitat & cauet, tumultuantur,ut uenti illi in angusto,& qua data porta ruunt. Nec aliud existimãda est cuspis illa,qua Æolus montem impulit,quàm mucro discordiæ. Quòd si huic immani ac sæuæ cupiditati uires sint additæ,tum fit illud,quod alibi Poeta idem canit:

Ipse

Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit: fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtrauit pauor.

Nullus diſcordia nunciata, relinquitur affectus in animo quietus aut ocioſus. Videre mihi uideor illum, quem Romani Gallicũ aut Italicũ tumultũ nominabãt, in quo nullæ ualebant uacationes, nec ſtipendiorũ emeritorũ, nec ætatis, nec dignitatis, quin omnes etiam uiri conſulares irent ad ſaga. Prima omnium cõſurgit ira tanta interdũ, ut ex ea in furorem breuiſsimus ac facillimus ſit gradus, quemadmodum in Hercule & Aiace, nec Ennius iniuria, initium furoris dixit eſſe iram. Tum inuidia, affectus teter, ac rabidus. Hinc mœror, ſpes, lætitia, metus. Quippe neceſſe eſt metuat multos, quem multi metuunt, ut ille dicit. Quales ſint tyrannnorum metus ac terrores, idem ipſi declararunt, ut doctus homo & ingenioſus Dionyſius Syracuſanus, qui amicum opes ſuas, & fortunas, & regiam dignitatem laudantem, ut ſpecimen eiuſmodi uitæ ſumeret, collocari iuſsit in lecto ornatiſsimo, & regio more atq; apparatu conuiuium inſtrui. è lacunari uerò ſupra ceruicem illius acutum gladium ſuſpendi de ſeta equina, & quanquam non omnes ſunt fortuna tyranni aut reges, omnes tamen qui inimicitias exercent, et metum faciũt, in eadem ſunt pauoris et formidinis cõditione. Neq; enim ſolus ille Dionyſius filias habebat ſuſpectas, aut ſolus Pheræus Alexander uxorem. in quamlibet humili tecto & tenui fortuna trepidandum, metuendum, expauescendũ eſt diſcordi. Et quemadmodũ nec amicis, nec notis, aut propinquis fidimus, ita nec tutos nos eſſe arbitramur à rebus coniunctiſsimis, quæq; uel idem ſint nobiſcum, liberis, & uxore: uidelicet non ignari, quot mariti ſint ab uxoribus, quot parentes à filijs proditi & uenditi. quodq; magis mirandum ſit, filij à parentibus, dum uel iræ ac diſcordiæ ſuæ ſeruiunt, uel manus ſuas alienæ diſcordiæ accommodant. Nulla eſt in animo unquam pax, aut quies, ſed curæ irrequietæ, & anxia ſollicitudo, omnia ſemper tumultu plena, & panicis terroribus. Nam ſicut per nebulam intuẽtibus omnia uidentur eſſe maiora, quàm re uera ſint, ita per iram, aut metum, et diſcordiam, iudicantes omnia grauiora eſſe, et atrociora cenſent, uerba, facta, geſtus, omnia in peius interpretantur ſtimulata mente odij ac ſimultatum œſtro. Itaq; uoces & ſonitus omnes anxij & ſuſpenſi captant, oſtij ſtrepitum, felis uocem, ſoricis ſtridorem impetum eſſe irruentis inimici ſuſpicantur, arborum umbras armatos hoſtes. & fugiunt non inimicos, ſed ſuam ipſorum mentem, hæc ſibi confingentẽ ex terrore: nec ulla eſt tam leuis per noctem commotio aut ſonitus, qui non male quietos ſomnos interrumpat, ut non ſolum inquieta ſit uigilia, ſed ſomnus ipſe nomen illud ſuum quietis iucundiſsimum amittat. nulla mortis mentio, quæ ipſos non exanimet. gladium, uenenum, arcum, bombardam, uel ſi nominetur, imminere ſibi, ac ſupra caput inſtare ſuſpicantur. Auertit ea cogitatio animum, ut nunquam adſit rebus præſentibus. Itaque nec tempus anni uernum, & illa camporum amœnitas atque auium concentus, nec ulla alia harmonia, nec conuiuia, nec amicorum colloquia ſuauia eſſe poſſunt animo, id eſt, lætitiæ & ſuauitatis fonte corrupto ac uenenato. ſeque omnibus priuat uoluptatibus. quum intus calamitates cuncta obſideant, ut nullum cibi genus gratum eſſe poteſt ei, cuius palatum febre & bilioſo eſt humore deprauatum. Eſt ne hoc uiuere? an torqueri, nec finem inuenire tormentorum? Hæc ſunt furiæ illæ ac intemperiæ animorum, quas poetæ ardentibus facibus conſceleratorum hominum mentes perſequi non tam finxerunt, quàm imagine quadam quid homines paterentur, oſtenderunt. nec re uera alia ſunt apud uita functos ſcelerum, & malæ actæ uitæ ſupplicia. At in concordia nihil non eſt gratum & dulce, tali conditura cibis omnibus infuſa. etiam hybernæ tempeſtates, quoniam intus eſt ſerenitas, quæ tempeſtatem illam procul ab animo eĳcit ac depellit. etiam inconditi atq; abſurdi ſoni, quoniam interior harmonia efficit, ne abſona illa exaudiãtur. etiam cum ijs, qui nos odio proſequuntur congreſſus & cõfabulationes, quoniam amor, qui animũ occupauit, exterius odium non aliter colliquefacit, quàm ignis ceram. Hoc uidit uir ille prudẽtiſsimus,

ſiſsimus,qui in lite decem ducatorum millium cauſam aduerſario ceſsit,quòd dice-
ret pecuniam præſertim tantam ob uoluptates modò quæri,at ſi plus paratum iri uo
luptatum ceſsione illa & renunciatione controuerſiæ, quàm pecunia uicta lite. Nec
mihi nec aduerſario tam ſum,inquit,hoſtis,ut pecunię illius ſpe tam durã acerbamq;
utriq; noſtrum fabricer uitam.Inſtrumentũ uitæ eſt pecunia. At homines miſeri,qui
ſequuntur lites prius moriuntur,quàm uiuant.& quum uita ſit deinceps incerta,ipſi
eam in præſens certa morte mercantur.Denicq; ut inferorũ imago eſt diſcordia ad ui-
uum expreſſa,ita concordia cœleſtis uitæ,& guſtus quidam ſempiternæ illius beati-
tudinis.Ingeniorum nullus eſſe per diſcordiam poteſt cultus.Artes illæ cellulariæ &
quæ manus operi admoliuntur,iaceant neceſſe eſt ſublato quæſtu,hoc eſt,earum ho
nore ac precio,commeatibus intercluſis,quum aliud nec emitur,nec habetur in pre-
cio,niſi quod quotidianis & ineuitabilibus neceſſitatibus ſeruiat.Nec eſt,qui uel eas
artes,uel has magis ingenuas tradat,aut percipiat,in bello demerſis omnium animis
ac cogitationibus,in cura belli & ſollicitudine euentus.Nec eſt unde alantur,eruditi-
tionem traditurus & accepturus in publica omnium egeſtate,aut certè parſimonia,
quum nullæ ſint tantæ opes,quę bello uel mediocri ſufficiant. Sed qualiſcunq; occu
parit animum diſcordia,ſiue publici belli,ſiue ciuilium factionum,ſiue priuatarũ &
inermium ſimultatum, nec docere præceptorem ſinit,nec auditorem addiſcere,nec
patrem de inſtitutione filij prudenter conſultare. Quomodo philoſophabor,inquit
Græcus ille,in quem ſemper incumbit ſeruitutis,paupertatis,mortis metus? Nec fo-
ris exaudiri ſapientis hominis uox poteſt,quum armis uniuerſa perſtrepãt, & tumul
tu ſint plena.Sed carmina tantum,inquit Poeta,noſtra ualent Lycida tela inter Mar-
tia,quantum Cahonias dicunt aquila ueniente palumbas. Nec intus poteſt aliquid
audiri,atque intelligi, quum maior adhuc in animo agitetur tempeſtas, & uaſtio-
res clamores omnia cõfundant,tumultuante illic diſcordia,quibus obtũditur mens,
ne quid exaudiat aliud rectè ac ſapienter dictũ. Quàm multi magnis & præſtantibus
ingenijs prædíti,longiſsimè in artes ac ſapiẽtiam potuiſſent progredi,niſi auocati eſ-
ſent diſcordijs,retracti cura inimicitiarũ,qua publicè,qua priuatim.multa ſunt utriuſ
que rei exempla,ſed de publicis diſsidijs notiora etiam in principibus uiris Alcibia-
de, Alexandro, Iulio Cæſare, Germanico Druſi filio . Iam uerò quemadmodum o-
mnia concedunt in mores uictoris, & uoluntas regentis eſt pro lege,& uita pro e-
xemplo,ita ubi furor omnia occupauit,non ſolum ea facit ſui iuris, ſed ſapiẽtiam,mo
dum,moderationem deriſui eſſe,et haberi pro inſania . Ergo contempta,deſpectaq;
omni ſapientia & mentium cultu,libri proculcati & pro nihilo habiti, tanquam uilis
præda & ſarcina,inutilis uel ferro,uel diſcerptione,uel igne ſunt abſumpti. Hinc tan
ta bibliothecis clades,& tot deſyderantur magnorũ authorum monumenta, quibus
amiſsis,dici nõ poteſt quantã ſtudia & artes omnes plagam acceperint.ut bellis Got
thicicis,Alanicis,Agarenicis.nec exigua,ut credi par eſt,librorũ iactura nunc Roma
capta & direpta.Pace opus eſt,quiete,cõcordia,ut ingenia excolantur,et uigeant ar-
tes.quieſcendo,ſicut eſt apud Ariſtotelem,paratur ſapientia,non motibus et pertur-
bationibus animi . haud aliter quàm in turbulenta aqua nihil uidetur,quæ clara per-
ſpicuaq;,dum quieſcit,& piſciculos et calculos in imo oſtendit. In Pop.Rom. quan-
diu ille uicinis bellis & proximo terrore eſt cõcuſſus,nullæ omnino fuerũt literæ,ui-
delicet uſq; ad finẽ belli Punici ſecundi.liberatus & defunctus propinquis bellis re-
ſpirauit eius animus,et uacauit ei literas atque humanitatem,hoc eſt unicum paſtum
ſuum requirere . Quicquid enim fuit literarum in illa gente,id totum à domita Car-
thagine uſq; ad Antonínos floruit. Et nuper renaſcentes in Italia literæ,quaſiq; lon-
go poſtliminio domũ reuertentes,ſecedere nunc & latêre ſunt coactæ, cõcuſſa & di-
ſcerpta tot nationũ bellis Italia.Hiſpania mea à prima ſua origine in regulos, & pro-
inde in cõtinua bella diſſecta,rudis atq; agreſtis literis,& omni penè humanitatis cul
tu caruit.pace uerò per Romanos parta,& diuulſis illis partibus in unum uelut cor-
pus redactis,literæ atq; eruditio fuit tanta,ut certare cum ipſa Roma poſſet,ſiue co-
gnitione rerũ,ſiue ingeniorũ acumine.q̃d ſatis abundeq; teſtanť monumẽta literarũ,

quæ

quæ sunt ante Gotthorum aduentum ab Hispanis conscripta. Post Gotthos & Agarenos nunquam Hispania de manibus arma posuit, ideo tam rara illic eruditio, & si qua erat, sordida & de fæce hausta. Nunc uerò ubi sublatis perpetuis hostibus, qui octingentos propè annos in uisceribus illius, tanquam grauissimus quidam morbus hæserant, arma abs se in alias nationes conuertit, partaq; est aliqua domi quies, incipit ad pristinum illud decus aspirare, & ornamenta illa ingeniorum tamdiu amissa, per ueras ac solidas disciplinas requirere. Hoc idem Galliæ contigit, hoc Germaniç, & cæteris nationibus ac prouincijs: quippe nulla ars, nulla disciplina ex illis præstantibus, et quç in animis sitæ, animorum ui atque actione exercentur, uel percipi potest rectè, uel ad alios perferri, eo deuincto atque impedito, quo uno constant, nempe animi ac mentis lumine atque acie, utiq; nec uiles illæ, & quas manuum operationibus tuemur colligatis manibus & externis sensibus, uel extinctis penitus, uel uitiatis. Quòd si quis morbus pictoris, aut celatoris, aut agricolæ manus inuadat & constringat, regere digitorum articulos, ut non queat, si musici aures, quomodo artem illam tuebitur ac præstabit, quam profitetur? Eundem ad modum res se in ingenuis habet artibus, & studijs totius philosophiæ. Si enim uis illa & quasi mentis oculus, odij atq; iracundiæ puluere ac nebula obductus est, penetrare ad recti uerique dispicientiam, ut non ualeat, nec percipere poterit illam inuentorum à maximis ingenijs subtilitatem, nec tradere. Ita uidemus à præclaris ingenijs, quum in eruendam ueritatem alicuius rei altissimæ obrutæ ac reconditæ incumbunt, quçri loca quietissima, & ab omni turba ac strepitu remota, eligi tranquillitatem & silentium illud noctis perpetuum. Sed quid iuuabit pacata esse procul omnia, si proximus uicinus, si etiam contuberna lis ebrius uociferetur, & clamoribus inconditis atque absurdis omnia repleat, ac confundat? si curæ interturbent, si quiritetur ira, si pungat, si sollicitet, si uexet, atque infestet odium. Percurrat quis per artes ac disciplinas omnes, inueniet unamquanque quietem animi exigere, sine qua defungi officio non possit. In Grammatica, illa rerum & uerborum cognitio, illa reconditorum ac difficilium apud Poetas, Oratores, historicos, locorum inquisitio, atq; intelligentia uacantem alijs curis animum requirunt. Quid carmen pangendum, an non Poetas uel diuino quodam afflatu instinctos in nemora & loca silentio, ac solitudine uenerabilia mittit, in quibus sacræ habitant Musæ? Carmina, inquit Ouidius, prouenium animo deducta sereno. Carmina secessus scribentis & ocia quærunt. Horatius queritur sibi occupato in tantis turbis & clamosa ciuitate non licere carmen componere. Ideo Poetæ grande aliquid mandaturi chartis, degeneres recedere optant curas, & se terris ac nubilis eripi. Dialectica purum atque exactum iudicium postulat, minimèque affectionibus uel detortum, uel obscuratum, nihilq; disputantibus æque obesse docet Aristoteles, ut ira incendi. Orator uel odio tumens, uel ira inflammatus, quid dicet ingenio & eruditis auribus dignum? effundet furore plenos clamores, & tumultu omnia replebit. & quum nulla sit ars, quæ ita prudentia nitatur, ut oratoria, nullam ab affectibus, ab odio, ab inimicitijs, ab animi commota atque efferuescenti iracundia longius conuenit abesse: quæ omnia si mentem occuparint, procul inde prudentiam omnem abigent, atq; expellent, sine qua, oratoria insania est, non res grauissima ac præstantissima. Mathematicę artes in sacros sese mentis recessus & uenerandum silentium recipiunt, ut uel in medio prælio & urbis oppugnatione, quum iam hostis murum & portas tenet, iam faces ædificijs admouet: pax & quies sit in animo mathematici, qualem in Archimede fuisse accepimus, quum Syracusæ à Marcello caperentur. Quid, ea philosophia, uel quæ est de contemplatione naturæ, uel de moribus, potest ne à concitatis & concussis animis percipi ac teneri? Qui naturæ rerum cognitioni erant dediti, non solum publicis rebus omnibus & priuatis renunciabant, uerumetiam suo ipsorum corpori, ut non modò uanitatem iniuriarum ullam, sed nec morbos nec incommoda sentirent, uix etiam dolores acerbissimos, ut posuisse hic sensus omnis corporis uiderentur, dum se in peregrinationem naturæ dabant, & per cœlos ac elementa uagabantur: sic

Thales,ſic Pythagoras,Democritus,& alij ferè uitam ediderunt ea mente atquè inſtituto ingeniorum & actionum.Iam ea quę mores & hominum animos ad pulcherrimum habitum componit, quum tota ad quietem quandam & dulciſsimum pectoris contentum pertineat, quomodo inagitato & perturbato inimicitijs corde ſedem & domicilium ponet.Quis philoſophiam hanc uel aſſecutus eſt in Græciæ populis primus,uel tradidit?niſi ille Socrates hac ipſa de cauſa ſapientiſsimus nominatus & habitus,in cuius animo incredibilis erat altitudo ad deſpicientiam iniuriarum. tanta & tam pertinax quies,ut eodem oris habitu & ingredi domum ſit ſolitus & domo egredi. ita affectus ſuos omnes rexit,habuitq; in manu & poteſtate ſua,ut propè caruiſſe illis ſit creditus.Iuris prudentia ex hac ipſa eſt diſciplina genita. quid aliud ſunt iuriſconſulti,quàm (ſicut Vlpianus ex Celſo dicit)ſacerdotes boni,æqui,antiſtites iuſtitiæ,præſides legum,patroni iuris. Si norma hæc,quam rectiſsimam eſſe conuenit,inflectatur,ſi inficiatur uenenis fons concordię,ſi ipſi inimicitijs et odio imbuantur,pacis & beneuolentię tutores,quid reliquum erit miſeris ciuibus ſpei,quum amiſſus ſit unicus ex tempeſtatibus portus iuſtitiæ,& tam publicæ quietis,quàm priuatæ.ſi ipſi qui iniuriarum depulſionem profitentur ac promittunt, paratos ad faciẽdam gerunt animos? Quomodo quid rectum ſit, metietur,ac iudicabit, detortus deprauatusq; gnomon? & iam Lesbia erit regula, non ad prudentem ſalutis omnium moderationem ac temperamentum, ſed ad obſequium animi & ſeruitutem affectus, quo nihil peruerſius cogitari poteſt,aut iniquius. Quòd ſi tales eſſe & magiſtros & ſtudioſos aliarum artium oportet, quæ omnes ſunt humanæ, qualem eſſe illum diuinæ ſapientiæ uel profeſſorem uel certe adminiſtrum, nam profiteri arrogans uideri poſſet, illum,ut inquit Paulus, diſpenſatorem myſteriorum Dei fas eſt?ſcilicet æmulatorem Chriſti,apoſtolis ſimilem.Lampas eſt Chriſti pax fulgentiſsima, qua greſſus ad illa ſacroſancta adita regimus, nunquam peruenturi ad intima, niſi ope ac ſubſidio illius mitiſsimi ſpiritus, per quem Apoſtoli peruenerunt. Spiritus (inquit) ſanctus,quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia & ſuggeret uobis omnia, quæcunq; dixero uobis. ſuperuacaneo profectò futuro tanto Dei beneficio & tam ſingulari munere,ſi id humanæ præſtare poterãt uires,quod diuinus ſpiritus promittebat. Aliæ quidem humanæ artes exhiberi ac percipi poſſunt, humano ſpiritu perpurgato,& naturæ efficientia ac luce illuſtrato, diuina hæc ſine diuino ſpiritu non poteſt. magiſter eſt artis quiſque ſuæ & conſeruator optimus. humanus tuebitur humana, diuinus diuina. Curſus ipſe rerum perduxit nos ad religionem,id eſt ad ſummum felicitatis hominum. & quæ nos,ut magnis authoribus placuit, à ferarum conditione ſola ſeparet. quid enim homo eſſet ſublata pietate ac religione erga numen, niſi agreſte quoddam brutum? capite in terram deiecto, nec patriam, nec originem ſuam reſpectans, deditum affectibus,mancipatũ uoluptatibus, religio illum extollit. & tam erigit mentem in animo, quàm natura in corporis conſtitutione ac forma caput erectum atq; excelſum finxit.Hæc una ad beatitudinem reducit, quam quia philoſophi ueteres non tenuerunt, ideo in beatitudinis inquiſitione tam multa poſuerunt abſurda,& tam uaria,non quòd fuerunt hęreſes in illo hominum genere,ſed quòd ſcribentes aut diſputantes. uidelicet unicum eſt in ſcopo album,extra id uerò uaſtum eſt atque infinitum ſpatium. Nec ea uita modò functos beatos efficit, ſed hîc etiamnum carcere hoc clauſos magnis araboníbus pigneratur.Idcirco in diuinis oraculis pij homines,beati iam nunc nominãtur. Beati,inquit,ſanctus Propheta immaculati in uia, qui ambulant in lege domini.beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.Et dominus noſter in euangelio,Beati eritis,quum uos oderint homines propter me.beati pacifici,beati mites,beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam.Porrò,uera & ſancta Chriſtiana pietas duobus eſt uelut capitibus uniuerſa comprehenſa,ijſq; amoris,charitatis,pacis,concordiæ,amore proximi quem uides,& amore Dei quem non uides. In his duobus,legem ac prophetas omnes ſitos eſſe ac concluſos, ueritas ipſa pronũciat.Plenitudo legis,inquit Paulus,id eſt,cuſto-

dia

dia atq; obseruatio legis, dilectio. Idem paulò antè de hominum dilectione ita loquitur, Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam, non adulteraberis, nõ occides, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo clauditur, Diliges proximum, sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Quæ porrò potest esse proximi charitas in discordia, quum oderis, & affectui tuo seruiens abijcis ea, quæ ex amore nata, amore etiam conseruantur? ea sunt humanitas, mansuetudo, clementia, et illud humanę societatis uinculum iustitia. Spolias immerentes nõ hostes solum, hoc est, hostis tui subditos, sed tuos etiam ipsius, quum & inimico, cui scis te odiosum atque inuisum esse, religio te iubeat subuenire, & nudum uestire, & pascere esurientem. contrà, discordia expilat, diruit, incendit, opprimit, uiolat uirgines, stuprat matronas. miles numo emptus illos iugulat, à quibus nunquam erat lęsus, imò quos antea nunquã uiderat, nec audierat quidem nomen. Quid opus est uetera commemorare exempla, quorum nullus est modus aut finis, quum recentibus abundemus tanto cum dolore nostro? ea ipsa nos moueant, quæ oculis quotidie usurpamus. Honestos homines uidemus in hac Belgica complures, & olim bene locupletes hostiatim stipem poscere, comitatos uxoribus, onustos liberorum gregibus, belli procella fortunis omnib. deturbatos, ijs indutos pannis, quibus aliquando non essent dignati culinæ instrumenta, aut etiam pauimentũ uerrere: eo se pane tolerãtes, ijs epulis, quas antea nec sustinuissent intueri. Plures sunt huiusmodi in Francia. In Italia uerò nihil est aliud uidere, in urbibus, in oppidis, in uijs, in agro, in locis desertis. Quid fœminæ & nuptæ & innuptæ, quanto cum pudore petunt, quo se sustententẽ? qui pudor paulatim terendo deteritur, atq; excutitur funditus. Patritiæ uirgines uulgando corpore se alunt, sub parentibus primoribus sui populi honestissime ac sanctissime educatæ atque institutæ, sed ad eam calamitatem ictu belli detrusæ. In quo miror esse ullum tam saxeum, qui possit cohibere lachrymas. Quis credat hæc aliquando narrari regibus? eos tamen in suo furore persistere, adduci non possum, ut credam, adeò illos esse inhumanos. In pugna atq; in uictoria parcitur ferè bellorum causæ & origini malorum, mulctantur insontes, & qui nihil peccauêre. Cæsar Octauius importunitate L. Antonij lacessitus, ut uolebat uideri, non inuitus cepit arma. Antonium Perusiæ inclusit, pressumq; obsidione & fame teterrima coegit deditionem facere, ipsi fonti & authori discordiæ ignouit, simul cum sceleratis ac nefarijs militibus, oppidum uerò diruit, & miseros atq; innoxios ciues fame prius contusos & profligatos pleroscq; occidit, alios fortunis & possessionibus deturbatos in egestatem & acerba mala eiecit. Quàm illud est ex quorundam regum crassissima stolidita te, quod apud Libanium Menelaus pro concione Troianorum Helenam repetens dicit: Hactenus quidem, inquit, facti culpa uno Paride concluditur, post hanc uerò concionem, si Helena non reddatur, liquidò intelligetur uos in illius facinus consentire, & penes utroscq; futurum crimen. Itaq; & de illo sceleris authore, & de uobis approbatoribus nos pœnas sumemus. Quasi uerò in manu sit populi, quoties uelit prauis principum consultis obsistere. Si id priuati homines nullo uitæ usu dicerent, & disputarent, resistere tam multos uni posse, si uelint, quod non faciant, coniecturam esse, nõ facultatem illos deficere, sed uoluntatem, minus mirarer. At Principes et principum consultores id dicere atq; asseuerare, homines illo ingenio, illa eruditione & rerum usu, quantum in eo esse conuenit, qui cõsilium dat rectori populorum ac gentium, id eos sentire, id confirmare, quis non miretur? quis ferat? num non de seipsis possunt coniecturam sumere? an populus eorum uoluntates expendit, aut expensas si damnat, prohibere potest? quominus statuta & decreta exequantur. quàm multa populus ignorat. alia, quæ cognoscit & improbat, tamen tacet, aut mussat, & quanquam paratum cernit periculum, tamen uidens et prudens perfert: & rapitur tanquã in torrente, quò uoluntas principis inclinat, non quò sua, ne in peius malum incurrat seditionem ac ciuilem discordiam. Si principes non insanirent, eiusmodi homines agi, spoliari, rapi, premi, cædi ducerent dignos? Aiunt non posse ad hostem peruenirí,

niſi per hos,utrum ergo cenſent iuſtius, multa & malis innoxios afficere, ut noxium puniant,an noxio ignoſcere,ne immerentes lædant? Humanitate, æquitate, ratione, natura,Deo in cõſilium adhibitis hoc dicent.ſed quia his omnibus repudiatis ac excluſis,crudelitatem,furorem,cacodæmones aſciſcunt,prius illud exequuntur. Olim Auguſtus Alexandrinis pepercit propter amicum ſuum Arrium,propter unum tam multis:& hoc fit à magnis & ſapiẽtibus uiris,quum tamen ſaluus & tutus ſit futurus ille.iſti ſæui & crudeles unum quærunt per tot millium perniciem ac peſtem,incertũ an meritus ille dabit pœnas,quum interea iſti innoxij atque immerentes plectantur. Equidem non uideo,quæ excuſatio ſatis eſſe poſsit huiuſmodi conſilijs & factis.Iam æquitatis nõ exigua pars aut de poſtremis eſt,ſatisfacere quenq; ſuo muneri.At nullus eſt in officio,qui illud rite queat obire, cui ſit odio ſeruiendum, cui cogitandum de inimicitijs,cui ultio procurãda,ſiue is ſit priuatus aliquis ſeu magiſtratus.Nec rex à bello occupatus prorſum & poſſeſſus, poteſt munia exequi uel regis, uel quod idẽ eſt,patris.non uacat audire ſingulos,non cognoſcere cauſas,non querelas,quæ ad illum tanquam ad communem parentem deferuntur, non etiam ipſis ciuitatibus aut populis opem illius implorantibus proſpicere ac ſubuenire. Nec delirè illa uetula, cui cum reſpondiſſet Cæſar Adrianus,non uacare ſibi auſcultare,ne ergo uacet imperare.Eiecta iuſtitia,quem nodum eſſe humanarum congregationum nemo ignorat, id quod in ſocietate proximum & coniunctum eſt cum ipſa iuſtitia,adimitur libertas,qua efficitur,ut homo homini hominis ſit loco,nõ pecoris.Nec decurrere poteſt fluuius fonte arefacto.leges nullæ ſunt ſine præſidio iuſtitiæ, ſilent leges inter arma, quemadmodum ait Ennius,nec ſe ſinunt expectari. C.Marius,quum ciuitate Romana contra leges quoſdam donaret uictor,obiecta ei poſtmodũ lege, negauit ſe illam inter arma exaudiuiſſe.Et quum leges bonis tutelam ac ſecuritatem, malis terrorem adferãt,pœnas & ſupplicia minentur,diſcordia in diuerſum mutatis rebus,pauorem bonis,impunitatem malis & ſecuritatem præbet.

Tunc data libertas odijs,reſolutaq; legum
Frenis ira ruit,non uni cuncta dabantur,
Sed fecit ſibi quiſque nefas,ſemel omnia uictor
Iuſſerat. Et idem:
— Seruilia ſoluit
Agmina,conflato ſæuas examina ferro
Exeruere manus:nulli geſtanda dabantur
Signa ducis,niſi qui ſcelerum iam fecerat uſum,
Attuleratq; in caſtra nefas.

ut inquit Lucanus.In tanto hominum odio,quis poteſt mentem ad Dei amorem ac pietatem attollere? Ioannes ille Chriſto intimus & arcanorum particeps,apertè teſtatur, ſi quis dixerit diligere ſe Deum quum oderit fratrem, hunc mendacem eſſe. nec conceditur Deum colere ſemper aut munienti ſe & cauenti ab altero,aut tendenti aliteri inſidias.nec de Deo poſſumus cogitare aliter affecto animo,quàm ipſe eſt Deus, nempe tranquillus & pacatus.turbato enim,ſanctæ omnes cogitationes magno turbine,& ingenti quodam excutiuntur tormento.Itaq; neglecto Dei reſpectu, omnia quæ in illius erant gratiam colenda ac ueneranda contemnũtur:prophanantur templa,contaminantur ſacra,nulla ſacramentorũ & præſentis numinis uerecundia. Gentem noui,apud quam multi in hoc ſolum eunt ad templa,ut in confeſſu, & in ſignificatione pacis experiantur,quantum ſibi defertur.Ibi de loco,de pace,rixæ & pugnæ & plagæ ac uulnera atq; etiam cædes,in concordia quærunt diſcordiam,ex pace illis bellum oritur. Annõ adorantem myſterium corporis Chriſti Galeacium ducẽ Mediolanenſem inimici confecerunt,ut memoria patrum Iulianum medicem, qui Clementem hunc genuit? Quid addam aliud, quod animus uel cogitare reformidat, & tacebitur in honorẽ ſeculi prioris,& poſteritatis cauſa.& miramur hanc eſſe in Chriſtiano nomine malorum continuationem ac ſeriem,quam nos ipſi qui miramur,noſtris

ſtris ipſorum manibus accerſimus & fabricamur. Periuria & blaſphemiæ ad argumentum militaris fortitudinis iam pertinent. Epiſcopus ille in Hiſpania dux militum, id eſt utroque armatus gladio, & ductator ſpiritualium & corporalium copiarum, militem, qui raro & uerecunde iurabat, grauiter increpauit, quod parum utiliter blaſphemaret. Commotus animus & aliquo affectu incenſus, non dubitat falſum iurare, dum ſibi indulget, & ſcelera ex continuatione in uſum ac mores tranſierunt, ut non ſolum permittantur & tolerentur, ſed pulchra etiam exiſtimentur eſſe ac laudabilia. Peccator, quum in profundum peccatorum uenerit, contemnit. ô conſuetudo peccandi, exclamat Cicero, quantum habes iucunditatem in improbis & audacibus, quum pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt. Ea fiunt Deo, Chriſto, Diuæ uirgini ab irritatis animis conuicia, quæ puderet nos lenoni aut meretrici facere. Quis acutus rerum æſtimator poſsit principes eos exiſtimare pilum unum habere Chriſtiani hominis, qui, modo odij ſui acerbitatem exatient, iſta non dubitant perferre, & talium ſcelerum non ſolum impunitatem dare, uerumetiam occaſionem, cauſam, incitamentum. hęc in pietate ſunt ſita. Quid ego de iudicio & prudentia dicam? ijs ne quos propter ſtipem aut rem leuiſsimam peierare uides, & fœdiſsimum conuicium in Chriſtum & diuos omnes iacere, credis commendasę̀ in diſcordia regnum, ſalutem, uitam tuam, ſecurusq; conquieſcis uno illorum iureiurando fretus, ſe non prodituros nec deſerturos tua ſigna, quos uides ſingulis momenti peierantes & fidem fallentes? Occiſo Galba, inquit Plutarchus, Otho ſenatum iureiurando adegit in ſua uerba, tanquam alij ipſi eſſent ſenatores, aut aliorum deorum cultores. ita iurarunt id, quod Otho ipſe & ſenatus, quum pro Galba iuraſſent, non tamen præſtiterunt. Nec ſolum ab impuro milite proculcatur, quicquid eſt ſanctum ac pium, ſed à craſſo ac ſtolido purpurato, qui totum in aula diem ocioſus deſidet, aut recumbit. irridetur aperte pietas & Dei reuerẽtia, uel obliquis & tectis dictis illuditur. Si quis inter belli furores de pietate, de charitate proximi, de reſpectu ullo Dei uerba faciat, non ſolum deſes atque iners nobilitas totum ſermonem frigidiſsimis ac impijs facetijs excludit, uerumetiam conſiliarij graues corpore & ueſtitu, atque etiam opinione, & aliorum & ſua de incredibili ſua ſapientia magno faſtidio reijciunt, quos eo perſuaſionis euexit authoritas, ut ſatis eſſe putent, ſi nutu repudient ſententiam, aut ſi dicant non eſſe ita. Alij, ſi quid eſt manſuetius ac Chriſtianius monitum, id monachis in monaſterio conuenire, non regi in aula & regno cauillantur. Tum de adminiſtrando bello & populis regendis ſic diſſerunt, quomodo nec apud Hannibalem, aut Dionyſium, aut aliquem tyrannum ex gentilitate illa permiſſum eſſet agi ac deliberari. quaſi uerò nihil intereſſe oporteat inter principem Chriſtianum, & paganum, aut ſolos monachos Chriſtianam præſtare pietatem fas ſit, alij omnes & reges in primis ſoluti ſint legibus, ſuis quidem quiſq; eſt ſolutus non maioris aut potioris ſe. uidere eſt hoc inter ipſos homulos. non alligant comitem ſuæ leges, tenent & conſtringunt, ducis in cuius eſt clientela. Dux ſolutus eſt in ditione ſua, ſubditusq; uictusq; ſub rege ſuo, quòd ſi omnes legibus tenentur potentioris, homines infirmi hominũ infirmiorum, quis legibus ſempiterni illius & præpotentis Dei eximetur, ad quem reliquus uniuerſus mundus comparatus, minus eſt, quàm nihil ad magnum aliquid, & admirandum. Tu ergo diaria formicula contra Dei æternam omnipotentiam aſſurgis, & ſtultiſsimum animalculum in diuinam ſapientiã cauillaris, ac dicta dicis. Sunt qui animi rabie atque impotentia excæcati, res ſacras praue interpretentur & intelligant, tantum ne cum ijs conſentiant opinione, à quibus diſſentiunt uoluntate. Interea, quæ ſunt ueræ pietatis, odioſis utrinque altercationibus ac litibus obſcurantur, & tanquam in confrictu duarum molarum atteruntur. non abs re noſtri prouerbio dicunt, Pugnantibus molitoribus, uæ farinæ. His temporibus tantam pietas accepit plagam, quantam nemo bonus ſine lachrymis queat recordari: quum inter doctos, utrorumque importunitate, res uocatæ ſint in dubium & controuerſiam, quas ſemel firmatas & conſtitutas, immotas deinceps manere oportebat. Et ex doctorum rixis

incipiunt in animis multorum non ſolum illa refrigeſcere, quæ uelut appendices & infirmorum adminicula ueræ illi & ſolidæ pietati per probos ac cordatos uiros erant addita, ſed quod omnium eſt acerbiſsimum, miſerrimum, deflendum, ſumma quoq; pietatis luxari ac nutare. Nec occurri poteſt tanto malo, aut medicina ulla adhiberi, quum in commune conſultari non queat. quippe principum diſcordiç regiones claudunt, ne congregari & in unum conuenire poſſunt corpora. & doctorum odia animos diſiungunt, ne inter ſe ad communem deliberationem mentes coeant, ut nec loqui utrinq; de alteris ſit iam tutum. & quemadmodum in caſtris Cn. Pompeij ſcriptores tradunt fuiſſe Domitium, Appium, & aliquot alios, qui medios & neutrarum partium ciues, hoſtium numero habendos cenſerent: ita apud alterutros de pace, de reconciliatione mentionem facere, ſuſpicione non caret fauoris partium aduerſarum: quaſi concordiam nemo optare poſsit, niſi pro inimicis faciens, an non liquidò poteſt intelligi ſua utroſq; ſponte ad odium ueniſſe, non neceſsitate aliqua impulſos ad diſſentiendum. De re loqui maxime Chriſtiana, imò penè unicè Chriſtiana, rem optare, ſuadere, procurare, quam unam commendauit, præcepit Chriſtus, alienum erit à Chriſtianitate? Nulla alteri in alteros oſtendunt ſigna beneuolentiæ. omnia hoſtilia, omnia ſunt acerba, omnia capitalia, ui & ferro, & crudelitate pugnatur, tanquam de fundo deijciendus ſit iniuſtus occupator, non praua opinio de ſenſu, de imperio, de fortunis, de uita dimicatur, non de dogmatibus & manſuetiſsima religione. ſic agere, expeditiſsima eſt uia ad depellenda corpora ab agris ac ciuitatibus, non mentes ab erroribus. Quis ſine grauiſsimo dolore recenſeat, quæ Chriſtianum nomen inter bella principum & diſſenſiones opinionum amiſerit? Ætate Diui Hieronymi, quum Conſtantinus Auguſtus profeſſus religionem noſtram iuſſit templa deorum dirui, hoc eſt anno à paſſo Chriſto plus paulò. trecētis, unica erat per totum Romanum imperium Chriſtiana pietas. Nam præterquā quòd princeps ſequebatur meliora, iam ex ſe multo antea gentilis ſuperſtitio frigebat, atq; ibat peſſum. Itaq; colebat Chriſtū, quicquid inter Gades & Euphratē amnē, id eſt Romani imperij terminos per Europā atq; Africam ſe pandit. Paulatim uerò in eas anguſtias ſumus redacti, ut uix ſextam illius terrarum tractus poſsideamus partē. amiſimus Africā totam à Tinge ad Hilū, Ægyptum, Arabias duas, Palæſtinā, Syriā, Aſiā, Pontū, & ferè illā Pauli laboribus meliore philoſophia imbutā atq; inſtitutā Græciā: in angulo hoc, quē nobis fecimus reliqui, tumultuamur, belli geramur, inſanimus. Itaq; pauxillū hoc rantę fortunę reliquias ægrè tuemur, retēturi ne ſimus, neſcio quid magni mali animus præſagit. Nam quæ poteſt eſſe ulla in poſterū boni ſpes, aut quid ſupereſt in ſolatiū tot malorū, ſi hoſtes in exitiū noſtrū conſpirant, & uires in commune conferunt ad mutuum auxilium, nos contrà, in cōmuni diſcrimine conſpiramus, ut deſeramus ac perdamus inuicē, imò uerò, quaclam, qua aperte alij alios in extremū diſcrimen deturbemus, & adiuuemus exitium. An nō fuit Iulianus quidā comes in Hiſpania, qui Poderico regi offenſus Agarenos per Bethicā, cui præerat, in Hiſpaniā introduxit, ubi hæſerunt uſq; ad noſtrā memoriam: & calamitas illa orbem ferè Chriſtianū eſſet peruagata & uaſtaſſet, ſi Hiſpaniæ, ut reguli Agarenorū multi, ita unus contigiſſet. Rhodum non prodidit eques quidā illius inſtituti? Conſtantinopolitanæ cladis quinam fuerint cauſa, nolo commemorare, ne recentia quidem uulnera, à quib. ſit per hoſce annos accitus & ſollicitatus Turca, ut Chriſtianorū arma inter ſe conſerta ſuis opprimeret. Hos putamus unquam uel per ſomnium de Chriſto, aut humana anima, de morte ac uita cogitaſſe? Ergo & nos ſanctū Dei nomen cōtemnimus ac cōculcamus, & propter nos male audit à Paganis, qui, quū uident tanto nos aliter, quàm habeamus in legis præſcripto uiuere, uana eſſe quęcunq; dicimus, et fictā nos agere fabulā ſuſpicanť. Itaq; à religione noſtra longius propter nos diſcedētes, in errore ſuo magis confirmanť, in quo uidēt ſe humanius ac ad naturā rationēq; cōgrentius uiuere, q; nos inter diuina oracula, & pręcepta cœleſtis philoſophię. Concordia & patiētia & charitate mutua adducť eſt ad Chriſtū mūdus, quū homines uiderēt ſectatorib. Chriſti nō modò bene inter ſe cōuenire, uerum

etiam

etiam cum exteris.illos inimicis etiam ſuis & perſecutoribus bene uelle, & à quibus magnis eſſent affecti iniurijs,beneficia reponere pro dolore,tantum aberat,ut contumeliæ uel damni meminiſſent.Qui eſſent tandē tam ſaxeo pectore,tam rigido & ferreo corde,quos nō permouiſſent hæc exempla animi excelſi ac planè cœleſtis,et humanis rebus omnibus altioris? In concordia & principū armis poſitis,& opinionum modeſtia & ratione dominantibus,nō ſtomacho aut cupiditate ulla, medicina adhiberi tantis malis poſſet. Neq; enim aliud tam firmauit noſtram religionē,quàm Chriſtianorū cōcordia,tam infirmauit,quàm diſſenſio. ſcilicet legi charitatis, quid aptius aut congruentius inueniri poteſt,quàm conſenſus,pax, cōcordia, unanimitas? quid inimicius aut magis noxium, quàm ulla penitus diſſenſio? quod præuidens Paulus grauiter increpat Corinthios,& per hos eccleſias deinde omnes,quòd lites & cōtroueꝛſiolæ,etiamſi à primo in ſpeciem leues,inter illos exiſterent. Sed nihil eſt in diſcordia tam minutum aut negligendū,quod charitati nō officiat, quodq; nō paulatim ex quamlibet leui motu aut tenui flatu,uelut in ſtupā ardens ſcintilla incidens,magnam mox flammā & grande incendiū ſuſcitet. Idem,quanta ſollicitudine, quàm accuratis & anxijs uerbis concordiā Chriſtianis cōmendat,ſcribens Philippenſibus, ſi qua eſt exhortatio,ſi quod ex amore ſolatiū,ſi qua ſpiritus cōmunio,ſi qua uiſcera,& cōmiſeratio,implete gaudiū meū,ut idem ſentiatis,eandē habentes charitatē,unanimes unū idemq; ſapientes:nihil per contentionē aut gloriā inanē,ſed demiſſe de ſeipſo ſentiat quiſq;,quemuis ſibi aliū anteponēs, ne quis ſua ipſius quærat cōmoda, ſed aliorū. Et quemadmodū uia eſt ad beatitudinē religio, & ipſa etiā beatitas, ſic nihil eſt dulcius aut ſuauius,quàm amicitia & cōcordia:quā qui è uita tollit,ſolem(ut inquit Cicero)è mundo tollit.nihil eſt beatius,quàm amare,etiā ſi nō redameris:nihil acerbius aut miſerius,quàm nō amare,etiam ſi ameris.neq; enim alienus te affectus uel miſerū faciet, uel felicē,ſed tuus ipſius.nihil tantā infert toto animo lætitiā,quàm amor:nihil tantas tenebras & tempeſtates,quàm odiū. Ipſum benefacere,quod ex amore proficiſcitur, quàm ex ſe iuuat? q; pulchrū eſt? quàm beatū,ut Paulus inquit,& quidē ex uerbis dominī? quantas habet uires? ut dare & benefacere crebrò uelit,qui ſemel dulcedinē illam guſtarit.unde priſco dicto,largitionē fundū ferūt nō habere. Hæc ſunt in diſcordia mala,hæc bona in cōcordia.quis hominē à tantis bonis in tanta mala traduxit? genius aliquis hoſtis ſæuiſsimus,Deus iratus:imò idē ipſe,qui nocet ſibi, dū alteri uult nocere,& ad aliena incerta mala,per certa ſua uadit.Cedò,eſt tanti diſcordia,et illa ultionis dulcedo inhumana,ut tot incōmoda,tot mala propter eam accerſantur, tot cōmodis,tot bonis præteritis ac relictis? Vtriuſq; rei & cōcordiæ & diſcordiæ ueſtigia authorū ſunt & actionū ſimilia.Concordia hominū genus cōgregauit, ciuitates cōdidit,auxit,cōſeruat,inuexit artes uitę utiles,opes,cultum ingeniorū.effecit maximo ingenio uiros ſapientia,eruditione,uirtute.Ex diſcordia relinquunt diſperſi ac diſpalati homines,pleni terrore ac formidine,nulli ſe loco,nulli hominū credentes, ut pes ab ſpina recēs læſus ueſtigiū ſecuro nō figit. diſsipati cōuentus & cōgregationes ſublatis legibus,rupto cōcordię fœdere. Ædificia,uillę,urbes dirutæ,quicquid ſolo affixū erat euulſum,fames,peſtis,inopia rerū omniū,imperitia, inertia, peſsimi mores, & ex militib.exautoratis,peritiſsimi ac ſtrenui latrones, quæ metamorphoſis ex illis eſt,quā naturæ ſcrutatores dicūt eſſe inter res cōfines, & quib. ſit aliquis uelut pons cōmunis. Vndecunq; uerò redeāt milites,aduehunt ſecū domū, quicquid in illa erat gente morborū ac uitiorū,tum animi,tum corporis.Nam ut ſecta cæpa quicquid circa ſe nacta eſt prauī ac uitioſi, uel humoris uel ſpiritus,ad ſe attrahit,nihil boni aut ſalutaris:ita milites quocunq; ſunt ingreſsi,nunquā illinc rectos & bene cōſtitutos mores,ſi qui ſunt,educūt.Sed morbos,peſtes,flagitia,uitia, quæ omnia in caſtra extemplo cōfluunt, tanquam in pronā aliquam & amplam cloacam. Hæ ſunt ueteres querelæ uirorum in Populo Romano ſapientium, qui deflebant ciues ſuos à Sicilia, Græcia,atque Aſia eſſe corruptos.illinc malos mores & à ſanctis illis antiquis uehementer abhorrentes, in ciuitatem ſuam milites cum armis & uictoria reportaſſe. Equidem nolim ætatem noſtram nimis ſæpe ſuggillare, ſed nemo hodie ignorat, qui

morbi,qui mores,quæ opiniones & iudicia de rebus, quæ ſcelera ab alijs ad alias nationes per exercitus,hoc eſt,per uias militares commigrarint. Age uerò,quid eſt tanto tumultu, tot & alienis malis quæſitum & noſtris? plerunq; nihil præter luctum & impatiētiæ querelas,dum uterq; domum reuertitur pauperior & peior, perditis corruptisq; tam ſuis,quàm hoſtium rebus. At interdū augetur ditio, ſed incremento breui amittendo,etiam nonnunquam cum fœnore, quum uictus aduocata noua manu feſſos & ſua ipſorum uictoria uexatos ac fractos inuadit. Sed fac remanere regnum amplius. Quid quæſo aliud eſt magnum imperiū moliri,quàm ut ille dicit, materiam ſtruere magnæ per uota ruinæ? paulùm modo ſi conniueas, de gradu excuteris. documento ſunt tot Romani principes, quorum alij,qui diligētia cōplecti ac tueri tam uaſtā ditionem ſtatuerāt,onere illo tantæ molis oppreſsi ac uix reſpirantes ad priuatā ſubinde uitam reſpectabāt,atq; ad eius uel ſolam cōmemorationem animū cum læta quadā ſpe erigebāt, quemadmodū Auguſtus Cæſar, qui toties ſibi animo proponebat ocium illud, quod acturus eſſet depoſita illa perſona tam graui, tam intoleranda odiorū atq; ærumnarū referta. Nec defuere, qui ſe penitus priuatos facerent, hoc eſt, darent ſe ab illo faſtigio præcipites,quū in imo mollē & felicem uitam aſpicerēt. Alij uerò,quū ſe ad uoluptates cōtuliſſent,illudq; exiſtimarēt eſſe præmiū ingentis potentiæ,ipſa immenſæ molis uolubilitas,quę male ſiſtit,in uoragines inextricabiles detur bauit. Exemplorum in his nullus eſt modus. Taceo de Parthis,de Perſis, de alijs magnis & ampliſsimis regibus. exempla ſunt per totum humanū genus ſimilia,uel eadem potius. ut non iniuria Rex ille ſapientiſsimus oblato diademate acclamarit, nobilem magis,quàm iucundū pannū: quem,ſi quis ſciret,quot labores, ſollicitudines, calamitates,gemitus cōtegeret,ne humi quidem iacentem uellet tollere. Quid uerò gentibus ac nationibus eſt magna potentia,niſi occaſio uiciorum & ſcelerū omnium capitalium ac nefandorum? quæ in magnam ciuitatem,ceu in ſentinam quandam ex uniuerſo orbe confluunt. Non enim flagitia & ſcelera inopiam aut paupertatem ſequuntur,ſed opes & regnū uoluptatū. Quod excogitari poteſt ſceleris genus, quod in urbe Roma iam principe gentiū non uigeret,quod non haberetur in precio,quod non regnaret. Aſſentationes,factiones,periuria, homicidia, circumſcriptiones, fraudes,adulteria,ſtupra & luxuriæ non dicendi modi, coniurationes, corrupta iudicia, falſæ tabulæ,falſi teſtes,auaricia,arrogantia,inuidentia,parricidia. hæc omnia ita illic erant frequentia,quotidiana,in magnis,in paruis,ut ex cōſuetudine iam ſenſum amiſiſſent, nec alio habebantur loco, quàm eſſe,aut bibere, aut dormire. obduruerat & percalluerat ciuitatis incredibilis conſenſus ad ſcelera. Quòd ſi una aliqua peſtis ſatis eſt ad numeroſam aliquam gentem delendam, quum ſæue ac diu graſſatur, quid hæ tot & tam crudeles peſtes conglobatæ,uelut agmine uno in ciuitatē irruentes? quantas dabunt ſtrages? quid ex eo populo integrum aut intactum relinquent? Itaq;, ut integritas & continentia,& labor & moderatio,et frugalitas,& bona fide cultæ amicitiæ unamquanq; gentem, in qua recipiuntur, gloria & potentia ſuper cæteras extollunt,ita contraria his uicia diruunt, & extirpitus reuellunt. Quoties Populi Romani prolapſos & corruptiſsimos mores Latini ſcriptores deplorarūt? quoties Græci ſcriptores Attici Populi ac Lacedæmonij? Locum unum attingā Iſocratis, in quo paucis ille & ſanè quàm grauiter mala ingentis fortunæ & ampli imperij connumerat. Hoc,inquit, quod uocatis imperium, facile quiuis intelliget nil eſſe aliud, quàm calamitatem meram,quandoquidem ea eſt eius uis ac natura,peiores ut illos reddat, à quibus poſsidetur. Maximum ſit huius rei argumentum, quòd & nos & ciuitatem Lacedæmoniorum tantopere corruperit. Quam enim rempublicam illi octingentos per annos firmam atq; ſtabilē perpetuo conſeruarant,eam ipſam principatus ſenſim collabefactā penitus cunctā diſſoluit,ſcilicet pro antiquo ritu,pro more ac inſtituto maiorū,quibus erat ciuitas illa regi ſolita,ſingulos quidē ciuiū imbuit ſegnicie, iniquitate,prauis animi cupidinibus,tū parandæ rei,tū iniuriæ faciundæ. aduerſus uerò ipſam rempublicā principatus idē ſuſpicionē intulit ſocijs, cupiditatē hoſtibus præ-

dæ tam

dæ tam opimæ quoquomodo potiundę.fœderũ uerò,pactorum,et iurisiurandi eum contemptum,ut pro nihilo penitus ducerentur.Sic Isocrates in oratione,quæ est de pace.Quibus de causis & rationibus potẽtes omnes populos,sine exceptione in felicitatis cursu,uel oppressos penitus uidemus & excisos,uel uexatos & adductos in summum discrimen,certè ad extremum dissolutos & absumptos uicijs prius,& sceleribus exesos tanquam carie.Nihil necesse habeo Athenas,Sparthã,Thebas,ipsam Romam,& uetusta nomina meminisse, uicinis possumus exemplis admoneri, quæ suppeditant Hispania,Gallia,Italia.Accedit his,quòd nec iucundum esse,quantumcunq; imperium potest,quomodo paratum sit cogitanti,quanta sæuitia,quot cædibus,odijs,execrationibus,quot damnis & dispendijs bonorum,& in alijs & in se maximorum.quę res est tanti,ut delectare possidentem queat reputantẽ,quàm sit malis artibus quæsita?Primùm nihil adeò refugit atque abhorret humanus animus natura liber ac sui iuris,quàm speciem omnẽ uel captiuitatis uel seruitutis.nec unquã damnis,mulctatione,iniurijs flectetẽ,qui nec beneficijs quidẽ uiolentis tenetur.elici tantum potest blandè & quasi suauitate quadã euocari integra prorsum libertate,quapropter infensissima et capitalia sunt eorũ odia,qui ui ac metu ad parendũ pertrahũtur.Nec imprudenter Scythę illi Alexandrum monent,caueat,ne amicos sibi credat esse quos uicerit,inter dominum & seruum nullam esse amicitiam.His odijs querelę & odia illorum quoq; accedũt,à quibus es adiutus,dum cõpensare illorum non potes operas uel impensas.Neq; enim desyderia militũ opes explerent ullæ.nec ciuib. ex quãtacunq; uictoria repręsentabis,quod ademeris belli tempore.Ita finito bello, pro simplicibus hostibus nactus es binos,et illos,in quos armatus exercuisti sæuitiã, & tuos:in quos nõ minus fuisti,sed sine armis,crudelis:interdum quoq; armis & terrore ostenso,ne insolens & intolerabile imperium recusarent. Sunt ne hi fructus uictoriæ,ut post exhaustũ regnum tuum,cui te parentis esse loco diui omnes ac homines iubent,reducas in illud decem millia militũ,hoc est totidem latrones,qui publicam quietem quotidie infestent ac interturbent,qui artes uexent,leges impugnent, uirtutes infestẽt,& cœptos labefactari populorum mores corpore præcipitẽt toto? Quæ mala non ad unum aut alterum,uel mensem uel annum durant,sed tam altè & in animis,& in rebus ipsis infigũtur,ut extrahi sit longum et difficile.Vestigia exercitus alicuius per pacatum transeũtis uident etiam filij,per hosticum uerò abnepotes bene impressa & distincta, quæ confundere non ualuit tanta temporis diuturnitas, qua omnia absumuntur.ea uerò quoties spectantur,subit animos recordatio illa,qui fecerint.Hinc odia & inimicitiæ sempiternæ,quę toties instaurantur,quoties memoria illius calamitatis renouatur aspectu.utinam non haberemus tam uicina exempla. Romani,quum multa & magna in Italia bella gererent, multas clades dedissent,multa ademissent,multa diruissent,intellexerunt inter tot uicina odia se non posse consistere,nisi insigni aliquo beneficio uictos ad se illexissent. ciuitate sua omnes propè Italiæ populos donauerunt, ut Roma tanquam communis quædam esset omnium patria,& bellum non contra illos esset gestum,sed pro illis, nec minus esset uictoria Italis omnibus,quàm Romanis utilis. cladesq; non esset ab alienis accepta,sed à seipsis.Hinc uetus illud manauit uerbum, Romanos ignoscendo & clementia creuisse. Nam ijs deinceps usi sunt socijs fidelissimis, quibus bello uictis captisq; pepercissent. quod non modò in populis, ac nationibus, sed in singulis nostrûm quotidie uidemus contingere,ut qui amicitiam conseruare studuit, uel silentio,uel obsequio, uel dissimulatione offensionis ac iniuriæ. uel clementia & ignoscendo, postmodum beneuolentissimum sit eum expertus, quem acerrimum inimicum sensisset, si omnia statuisset persequi summo iure,uel potius summa libidine.nec illum solum, sed alios multos sæuitia irritatos ad propulsandum tanquam commune incommodum & incendium publicum. Regnabat Augustus Cæsar Romæ, id est, in ciuitate nondum seruire assueta, itaque multorum est insidijs petitus, quos uel recordatio extimulabat libertatis, uel præsentium rerum inuidia, uel cupiditas ad eundem

perueniendi

perueniendi locum,in quo illum uidebant.De omnibus se ille seuerè uindicauit,nec tamen pœnę deterrebāt alios.animaduertit in Saluidenū,secutus est Lepidus triumuiri filius,hoc summoto extitit Lucius Murena,post Murenā Seruilius Cæpio,mox Ignatius.clara nomina audiuistis,ut seruos & de plebe homines taceam idem ausos. Postremò Lucius Cinna sacrificantē Cæsarem adoriri statuerat,& ad aras ceu uictimam quandam immolare. delatum est ad Cæsarem indiciū,qui mœstus admodum & anxius, quod aduersum se coniurationes nullis terminis cohiberentur, decreuit, quandoquidē nihil hactenus seueritate profecerat,aliam uiam tentare.Cinnæ ad se uocato,quæ cōperisset,ostendit. tacenti & manifesto uitam,fortunas,dignitatem,et alia in ciuitate præclara dixit se donare,ut ex eo die inciperet inter eos amicitia.Cinnam deinde per totam uitam amicissimū fidelissimumq; semper est expertus,à quo & hæres est moriens relictus.nec ab ullo deinceps alio insidijs appetitus est.qua clementia,mirum dictu,quantopere & studia sibi publica adiunxerit,& dicto audientes habuerit,quotquot erant in tanto imperio.nec ullorum erga se maiorem charitatem sensit, quàm eorum,quos seruarat,quos fecerat sibi ex hostibus amicos,Domitios,Messalas,Asinios, Cicerones, Cocceios, Salustios,Duellios : deniq;,quantumcunque erat floris in tam florenti ciuitate.Nempe allicitur atque inuitatur humanus animus bonitate, tolerantia.capitur generosa illa magnitudine, qua iniuria occultatur,ne existat,ne extimulet eum,cui est facta.mancipium est clementiæ. amat,suspicit,adorat. ergo tanto illo beneficio parem se referre gratiam non arbitratur posse, nisi se illi cunctum dedat,ac deuoueat. Itaque amici ex ijs fiunt non modò charitate & constantia,sed nec obsequio & usu cuique ueterum cōcedentes,& illorum quos nunquam inimicos habuimus.nam & amant amore ac bonitate adducti,& se plurimum debere intelligūt,ut quæ agant,non dare se amico existimēt,quod alij amici faciunt, sed reddere. Versiculus est quidam Græcus,quo significatur dulcissimū esse ulcisci se de eo,qui læserit,at dulcedo eiusmodi quàm est breuis? quàm diluta? quanto odio,labore,molestia temperata? num ea est cum hoc tanto fructu,cum tam increbili ignoscentiæ ac reconciliationis uoluptate,uel diuturnitate,uel soliditate comparanda? Expletio est illa quædam affectus beluina, hæc uerò mera est & propria mentis atque animi delectatio. Ecquem aliquando clementiæ pœnituit,ac reconciliationis? quem non discordiæ ac uindictæ? Quid,quòd iniuria iniuriam irritat,ac producit.nec usquam sistitur,dum punitio semper atque ultio non eo nomine accipitur,sed iniuriæ & maleficij . ergo punitioni punitio imminet, ultio ex ultione nascitur,tanquam ex aqua glacies, rursum aqua ex glacie . Neque uerò illos modò, in quos benignos se ac clementes præbuerunt, tales reperiuntur, quales dixi, uerumetiam plurimorum sibi animos ad beneuolentiam & uenerationem adiungunt,qui omnes non secus ac numini prospero & salutari fauent & obsequuntur. sicut contrà,multorum etiam amicorum odia excitantur,exemplo crudelitatis in unum aliquem ædito . Quòd si ad amicitiam intercludatur reditus, & pro iniuria reponatur maleficium, adducti in desperationem, quacunque datur , nocent. Seuerus Cæsar Nigro uicto, quum eius exercitum illi se dedentem asperis modis & crudeliter, ut erat natura sæuus, acciperet,complures ex ueteranis militibus coegit trans Euphratem ad Parthos confugere. ij quum barbaros disciplinam,& Romana militandi exercitia docuissent, effecerunt, ut illi in posterum molestissimum Romanis copijs negocium subinde exhiberent. Contrà Cneus Pompeius uicto Sertorio non modò contrarijs militibus impunitatem proposuit,sed & literas ciuium in Sertorij scrinijs deprehensas, quibus opem atque operam illi suam aduersus Syllanas pollicebantur partes, non lectas bona fide inspectante exercitu combusit, ne illis spem omnem reconciliationis adimeret, neu hostes apertè fierent, si esse crederentur. Retulit Caius Cæsar pro Sertorio & Mariana factione bis Pompeio gratiam, semel ipsi eidem uicto ad Pharsalum Thessaliæ, iterum in eius socero Metello Scipione ad Thapsum Aphricæ, uidelicet,ne si tot ciuium animi, mentes, consilia palàm fierent,

rent, acrius sibi esset, quàm quod gerebat, suscipiendum bellum. Quin Cæsar idem & ciuibus omnibus quicunq; Pompeij essent partes ac uoluntatem secuti, clementissimè ignouit, ut nullus toto illo bello perierit, nisi in acie armatus. Nec tamen tanta clementia lenire ac mansuefacere potuit iratos animos ac odio tumentes. nec in amicis quidem, et suarum partium militibus ingentibus ab se beneficijs affectis fidem inuenit, quam tantopere expetierat, quam in illorum pectoribus tam sedulo studio, tot muneribus atq; humanitate curarat confirmandam. quid illi futurum arbitramur, si sæuissent? sed quia multi se ab illo læsos existimabant, non defuit occasioni suæ sempiminens ultio. & illæsos pertraxit in conspirationem læsorum dolor tanquam admonitu communis fortunæ, tanto est facilius per damnum animos alienare, quàm postea quocunq; beneficio sarcire discissam gratiam, quocunque lenimento mollire animum tumentẽ, & quam ipse feceris, plagam sanare. uidelicet in procliui sunt damna & discordiæ, commoda uerò & reconciliatio in arduo. scitè Homerus ut alia permulta Atam, id est offensam & damnum finxit celerrimè per hominum capita discurrentem, Litas uerò, id est preces ac reconciliationem, cunctabundas & claudas lentissimè subsequi, ut quod Ata disiecerit ac diruerit, instaurent. Sic enim ait, nam uertam Latinè utcunq;, more meo:

Hasq; litas genuit claudas Saturnia proles
Deformesq; strabis oculis, rugisq; uerendas,
Quæ à tergo comites Ate uestigia seruant:
Has ualida & firmis pedibus præuertitur Ate
Per gentes grauibus genus hoc mortale ruinis
Concutiens, & damna ferens impune uagatur,
His lento passu cura est lenire dolores.

Iam quos desyderamus post discordiam ciues, socios, uiros claros, graues, sapientes, utiles reip. ut ea iactura resarciri postea & cõpensari nullis omnino cõmodis ualeat, quales necessarios & amicos, quos principes bona regni sui parte uellent, fieri si posset, uitę restitui. Nec in eo affectu soli sunt principes, nos etiã priuati homines eos interdum in dissidio amittimus, pro quorũ uita & salute fortunas, sanguinẽ, uitã & iam nostrã parati essemus impẽdere, ut illi pro nobis fecerũt. Memini me Valentiæ de senibus nostris crebrò audiuisse, Alphonsum Aragoniæ regẽ regno Neapolitano post tot labores potitũ, nõ ita gaudere solitũ, quòd factus esset uoti cõpos, quàm mœrere fratris in obsidione occisi morte, quem propè sua ipsius uita, regno sine dubio multo habebat chariorẽ. Quales bellũ hoc & Cæsari & Frãcisco amicos absumpsit? Cæsari Borboniũ, Hugonem, Moncadam, Fieramoscã: Gallo Paliciam, Trimollã, Boniuetum, Lescutiũ. Spuriũ Sabaudiæ auunculũ, Bayardum, Lautreciũ, Vaudemoniũ destinatum regẽ Neapolis. quanti unumquenq; illorũ redemptũ nunc uellent? atq; utinam hactenus modò Atę huic permissum fuerit humanis capitibus insultare, nec pluris utrique horum stet tam præferuida contentio. Nec aliter post discordiam uidemus accidere, quàm, ut uel uictus & uictor pariter mœreant, uel lugeat uictor. intereat uictus aut quum mitissimum fuit bellum, lugeant ambo. Certè utrunq; eius pœnitet. nec ullum ferè tam felix fuit aut bellum aut dissidium, quod prudens uictor singula expendens, ac ad rationem & calculum reuocans, non mallet nunquam fuisse susceptum. Nestor & Menelaus, quos sapientes Homerus finxit, eosdem facit bellum ad Troiam gestum deplorantes, & illius nobilissimæ uictoriæ pigere ac pœnitere, quum recordantur, quot illam damnis & calamitatibus, quanta malorum aliorum ex alijs renascentium serie, cuiusmodi uirorum iactura cõparassent. Diomedes apud Vergilium iam iuuenili feruore refrigerato, iam annis grauior atque usu rerum ac prudentia edoctus meliora, nõ impetu illo, quo ad Troiam acies sternebat & congrediebatur cum diuis, sed auditis, ille hæc placido sic reddidit ore,

Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premit ille uiros, infanda per orbem

Supplicia

Supplicia,& ſcelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miſeranda manus.
Nec mihi cum Teucris ullum poſt eruta bellum
Pergama,nec ueterum memini lætor'ue malorum.

Deniq; fieri nullo poteſt modo, ut alteruter diſcedat ſine damno,qui alteri exitium parat,inquit ille in Tragœdia,eum ſcire oportet ſibi paratã peſtem,ut participet partem.Iratus enim,periculum dum facit,nõ uidet.ita aperit aliquid,qua lædi poſſit uel ab imbecillimo.præſertim,quum nihil ſit tam inualidũ,cui non ſatis ſit uirium ac potentiæ ad lædendum naturæ noſtræ infirmitatẽ,quę ſe per ſeipſam ſine externis ullis frangeretur uiribus.nempe ex quo primum die eſt in lucem producta,multis obnoxia caſibus, fulcitur & retinetur ingenti atq; anxia cura,prona ſemper in interitum, quo illi quantumcunq; arte ac diligentia conſeruetur,tandem cadendum eſt,ut minimè ſit ulla impulſio neceſſaria moli huic nutu ac pondere ſuo per præceps ruenti.

LIBRI TERTII
FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS VALENTINI DE CONCORDIA LIBER QVARTVS.

QVÆ SIT AD VERAM CONCORDIAM VIA.

SVPERIORIBVS libris, quantum à nobis ex tanta rerum multitudine ac uarietate,quæ etiam abit in infinitum,colligi potuit,ſatis & diſcordiæ ſunt mala expoſita,& cõcordiæ bona.ut neminem eſſe adeò natura ſua litium & rixarum,& cõtentionis,& pugnarum amantem exiſtimem,quin originem authoremq; tot malorum diſſenſionẽ fugiat,et tot bonorum commodorumq; parentem ac nutricem cõſenſionem cõcordiamq;,libens totoq; animi ſtudio cõſectetur.Sed ab hoc mentis propoſito firmo,nonnũquam ac bene conſtituto,abducit nos affectus, uel impetu ualens,uel diuturnitate grauis ac potens,nec ſecum ipſe ſatis conſentiens & concors. Piratæ & latrones,quorum ars atq; exercitium eſt infeſtare hominum genus,perturbare quietem, leges ac iura conculcare, contaminare ſacra & prophana omnia, tamen inter ſe pacem quandam & concordiam cõſeruant,definitam certis quibuſdam legibus & uelut iuſtitiæ æquitate:nec aliter poſſent coitiones illas ſuas & latrocinij ſocietatem retinere.Quòd ſi ita eſt,profectò affectus peiores ſunt latronibus, & illorum ſæuitia minus ulla conſortionis lege ac ratione cõtineri ac cohiberi poteſt quàm hominum impuriſsimorum.Nam animi motibus non,ut Seneca inquit,infida eſt & mala pax.ſed nulla pax penitus,non quies,non inducię à bello. lætitię repugnat ægritudo,ſpei metus,inuidiæ candor, deſperationi fiducia. tum miſtim ut in confuſa acie concurrunt.certæ rei fiducia tollit ægritudinem,metus inuidiam,hilaritas crudelitatem,deſperatio iram,quorum alia aliorum ictu aut pondere ſubinde & extolluntur, & deprimuntur.Quid unicuiq; affectui an pax eſt ſecum? minimè uerò.metus huius rei metum alterius diluit.ſpes huius adimit illius,ut lux luce,aduſtio aduſtione tollitur. Qui ergo nec inter ſe,nec eorum ullus ſecum ipſo pacem poteſt habere,ij ſi regnum occupent animi, conſiderare cuique eſt promptum,quos edent intus & foris tumultus,quæ bella excitabunt,quas dabunt ſtrages ac clades impotẽti rabie,& cæco cõcurſu.oportet hos quietis iuri & regno iudicij ac rationis ſubdi,ne omnia perturbent,ut ualidior ratio frenos illis injiciat,& regat impotẽtiam,fractosq; & debilitatos cogat diſcere audientes eſſe dicto,neq; enim dum recti & integri ſtabunt,parebunt

rebunt unquam. Sic quidem facto opus esset, sed ubi sunt opes ad dissoluẽdam hanc Tyrannidem? quum peccati tormento in hominem impacto amissæ sint corporis uires, prostrata ratio, confirmati affectus, magnaq; illis potestas et rerum omnium effusissima licentia concessa. ut iam homini capto & uincto libertas sit aliena ope ac beneficio quærenda, nimirum Dei opificis, ut eodem instrumento opus confractũ reficiat, quo fecerat integrum, nempe sapiẽtia illa, unico filio suo. qui corroborata ratione ac mente, animorum tumultus ac uiolentiam cohibet, & obtemperare cogit melioribus. ut quum regendi peritus sceptrum obtinet, parent uerò, qui aliud facere nõ debent, quia nec sciunt, uera sit in toto homine pax, quæ ex hoc uelut fonte foras dimanet, omniaq; tranquilla sint in cuncto hominum genere, quia intus in unoquoq; arma sunt de manibus extorta ac proinde rebellio sublata. Hæc est pax illa, quam se Christus ait suis impartiri, sed qualẽ dare non ualet mundus. homines enim pactionibus suis affectus leniunt, non comprimunt: blandiuntur, non cohibent. ad summũ ui & metu manus arcent ab iniuria, id est maiore discordia, ligant minorẽ. Christi uerò pax aspera inquietis affectibus rationem magnis opibus instructam in solium totius animi euehit, ut iam nec obsignatis tabulis, nec testibus, nec iureiurãdo sit opus, nec paratis armis & ostensione terroris, quando quidem dissensionis materia, occasio, authores, arma sunt penitus erepta. Quæ omnia simul ac illa pax discesserit, in animum subeunt, ut tacitum sit & acerbissimum bellum, etiam quum pax uidetur maximè florere, & manus cessant. Non est pax impijs, exclamat diuinum oraculum. Nam ardet intus bellum, etiam inter ipsos eosdem excitatum, qui prius ad rebellandũ conspirarant. Quocirca mirandum non est inter homines, ut qui sese cunctos affectibus regendos dediderunt, nunquam pacem, nunquam concordiam & communem animorum esse sensum, quum non sit inter eorum dominos, & à quibus leges iuraq; accipiunt. Sunt causæ rerum nonnullæ, quæ ita sunt cum suis operibus coniunctæ & connexæ, ut quisquis uel hęc uel illa cognouerit, nihil sit amplius, quod de alteris dubitet. Solem splendor hic sequitur, ignem fumus: qui fumum uidet, intelligit ibi esse ignem: qui ignem, fumum. Sic qui scelera nostra animaduerterit ex interiori habitu profecta, is non mirabitur tale esse inter nos bellum. qui uerò bellum, deprehendet quales intus simus, nempe flagitiosissimi ac pessimi. Sunt enim hæc illorũ opificum exercitamenta & opera. Paulus ex dissidijs suorum, carnis regnum arguit, & ex hoc regno dissidia. Quandoquidem necesse est inter eos, quos perturbati animorũ motus quólibet impellunt, & in sentiendo & in cupiendo discordiam existere. ut quum sententia regat animos, cupiditas uitam, & opiniones sint pugnantes, & uoluntates inimicæ, & actiones hostiles. Hinc nascitur tantum, tam uarium, tam uastum discordiarum mare, quàm prioribus uoluminibus patefeci, in quod demersit nos nostrorũ continuata & pertinax scelerum consuetudo, quorum nullam intermissionem facimus: adeò, ut malefacere ex usu in naturam uideatur uersum. nec tantis incommodis & calamitatibus, quæ aliæ ex alijs suppullulant, nõ dissimili fœcunditate nostrorum delictorum admoniti sumus sequi meliora. Nam facimus quidem ipsi nobis manu nostra hæc mala, sed quibus tamen indulgentissimus ille mundi & prudentissimus rector utitur, ceu stimulis ad excitandos nos flagitijs & delictis nostris indormiẽtes seu immorientes uerius: ut excitati atq; expergefacti & in memoriam culpa reuocata causas fugiamus tantorũ in præsens malorum, & quæ nos in æterna, ni cauerimus, demersuræ sint, ita ut ipsum quod scatet ex uomicis nostris pus, & quæ ex sceleribus nostris nascuntur mala, uertantur nobis in medicinam morbi & emendationem erratorum, si intelligamus. At nobis tantum induxit callum assiduitas peccandi, ut iam nulla sentiamus uerbera, nec castigationem esse erratorum existimemus, sed quouis aliorsum potius, quàm ad officij admonitionem referamus. Quocirca, sicut prudenter Augustinus ait, perdimus reprehensionis & castigationis fructum, dum talia esse non libet intelligere ac credere. & quæ sunt diuini consilij, in casum, sortem, fatum quoddam reijcimus, in quo sit temeritas euentus, non effectus destinatus. Itaq; perit

& usus,& precium medicinę.nam dum non ea mente & sensu sumitur,nec locus,nec tempus,nec actio eius animaduertitur atq; obseruatur.fitq; sæpenumero noxia,quæ, ut oportebat sumpta salutaris fuisset.Tot iam perpetuis annis gerũtur bella,tot sunt datæ & acceptæ clades,tantum sanguinis exhaustum,incensi agri,occisa pecora,uiolatæ leges,prophanata sacra,toties nefas uile habitum: quis inter has tam atroces calamitates factus est pilo melior? Tanta est in sententijs atque opinionibus dissensio, atque hinc in uita,& in ea,quæ caput est rerum omnium religio,propter sacerdotum & initiatorum probra & dedecora,propter auaritiam, luxum,fastum, superbiam, libidinem & cupiditatem rerum omnium infinitam. Tanta illi acceperunt damna etiã in ijs,quæ illorum permulti prima putant pecunijs & authoritate:alijs imminuti reditus,alijs maiestas, alij penitus ex dignitate deturbati. quis uertit se ad præceptorem, ad uocantem? quis floccum unum ultrò deposuit illius uitæ tam turpiter & flagitiose iampridem institutæ? aut saltem deponere se simulauit,ut si aliud in animo sentiret, uultu certe & exterioribus factis aliquid probi et moderati uiri ostentaret ad frugem meliorem reuersi? certe ad exemplum, certe ad retinendam maiestatem hypocrisi, quàm ingenio,sapientia,integritate uitæ quibus carebat,non ualeret. Pulsat cum ingenti terrore fores Christiani orbis Turca, cladem & exitium nostro nomini præ se gerens. quis puras ad Christum manus sustulit, ut dignetur pacatior populum suum respicere, & auertere furorem hostilem ab infirmo sexu,à tenera aut imbecilla ætate, ignem à sacris, cædem à uiris, populationem & uastitatem ab agris & urbibus, blasphemiam à suo sancto nomine? Nihil est factum tale, at saltem mutarunt aliquid ex pristinis moribus,mollita sunt nonnullorum corda? imò uerò omnes sacri & prophani duriores ac desperatiores effecti,in apertam pestem, prudentes & uidentes ruunt, tali acerbitate animorum, quali esse solent feræ bestiæ multum irritatæ,deinde emissæ,ut indies & mala nostra crescant, & scelera malorum causæ. At pacem, dicet aliquis,& concordiam à Deo quotidie petimus,at uerbis quid loquamur, nihil sanè interest,neq; enim hæc ullius sunt apud Deum momenti.redeat in se quisq; et consyderet,quem ad finem uota faciat de pace,inueniet se non quiete optare,ut tranquillis rebus magis & sibi & alijs uacet pietatem colere,& securo animo Deo se cũctos addicere:uerùm ut metu omni sepositio, securius animo de uoluptatibus cogitare liceat, uoluptates conquirere,uoluptatibus perfrui,magis opes, cultum, fastum omnem ostentare, & exercere superbiam, quamsæpe asperæ res, ut bella & discordiæ cogunt delitescere atq; occultari.Ita fit,ut expedire fermè uideatur bellum esse, quandoquidem pace uti nescimus, & illius quietem nostrorum uitiorum alimenta facimus, ut non iniuria questus sit ille in satyra, malis nos pacis uexari. Non quærimus pacem, sed securitatem & ocium explendis cupiditatibus. non alijs nos uolumus bene uelle, sed ut alij nobis,non alios esse nobis charos,sed nos illis.Neq; enim exposcimus à Deo illud, quod est maximum ad hominem munus, ut bonam det mentem, ut prauos affectus uel mutet,uel domet & rationi subijciat.cæterùm ut uoluptates, luxum, superbiam nostram nullus derepente metus interturbet, ut in alta & composita securitate liceat cupiditatibus regnum suum liberè exercere. Quem tandem diuorum auscultaturum hæc tam turpia uota arbitramur? quem nõ damnaturum ac reiecturum? Quę nos puderet homine arbitro atq; audiente pronunciare,ea impetrare contendimus à Deo immortali,sapientissimo,pro quibus à uiro bono conuitium & obiurgationem referremus. Imperatorem quendam ferunt castris & urbe hostium potitum, quum de conditionibus pacis ageretur, & ab eo quædam postularentur, partim iniqua, partim contra uoluntatem ipsius, & commoda suæ reipublicæ:admiratum esse hostium dementia,qui ad se potentiorem & armatum,non dubitarent eiusmodi postulata mittere. itaq; illis hoc solùm respondit,Quoniam iniusta à fortiori petitis,nec iusta uos ab eo impetrare iustum est. Quis non admiretur nostram dementiam ne an impietatem,an cæcitatem dicam animi, nomẽ mihi,quo id exprimam, Latinum deest? qui omnipotentem Deum, nos homunciones ex fimo & argilla ficti nõ dubitemus,

mus,noſtris rogatibus offendere,& ab eo poſtulare, quæ ſunt illi inimiciſſima. Nam quid aliud eſt opes,uoluptates,honores,potentiam petere? Sed de ijs alio loco. nunc de quibus agimus. Quid eſt uictoriã ab eo de fratre tuo ui & cæde partam poſtulare, & ei ſigna ex hoſte capta & ſpolia appendere, id eſt munimentum crudelitatis, à qua ille mitiſſ. ſemper abhorruit,et illi gratulari tuam ſæuitiam? quid hoc,inquam,eſt aliud,quàm ſi explicatius & apertius uelis loqui,ſic eum conuenire: Princeps potentiſsime & iuſtiſsime uniuerſitatis huius domine,iubes me eſſe tui ſimilem,hoc eſt æquum,mitem,clementem,iubes non malum malo rependere,iubes me fratrem meũ ut meipſum amare propter te,iubes etiam diligere uoluntate inimicum, & benefacere nocenti ac lædenti. ego tamen ſtatui contra leges, & iuſſa, & exemplũ tuum ferro illum & igne perſequi, uel quia animus eſt aliquid illi adimere,uel quia uiam aliquã proſpicio ad amplius regnum,uel ut obſequar prauo alicui affectui,nempe iræ aut inuidiæ. Decreui,quacunque poſſim,illi & fortunis eius cladem,exitium,peſtem, mari, terra,factis, uerbis adferre. Rogo te pater clementiſsime ac mitiſsime, ut ad eam rem ſuppedites uires, aperias uiam,conſilia adiuues,ſecundes cœpta. ſi uictor rediero,ornabitur ædes tua præda & ſignis militaribus. ego & fortiſsimi milites mei,re ſtre nuè geſta,madentes adhuc à cruore & cæde circum templa tua omnia ibimus gratulatum,& ſupplicatum,quòd ſtratos cæſoſq; reliquerimus filios tuos,quos tu ut redimeres ac ſeruares,non dubitaſti numen humanitati noſtræ coniungere,& in tuo puriſsimo atque innocentiſsimo corpore dolores incredibiles,& ignominioſam atque acerbiſsimam mortem perferre. Hæc ſi quis diceret,nónne omnes eum & ſaxo ſtupidiorem,& quouis diabolo deſperatiorem clamarent,dignúmque qui atrociſsimos à Deo cruciatus pro tali uoto reportaret? Atqui nemo fallat ſe, conſyderet ea,quæ rogat in diſcordia,excutiat,expendat ſingula,intelliget alijs quidem uerbis,ſed re tamẽ hæc eſſe,non alia. Quiſquis aliquid ab alio rogat, uideat prius quid, & à quo, & quis roget. ita facile uel cogitationem omnem ponet,non impetraturus, uel rationem & uiam inueniet,qua aſſequatur. Homo à Chriſto pacem petit,id eſt, inops à ditiſsimo, rem quam ipſe libentiſsimè ſolet tribuere, modò pacem petamus, hoc eſt quietem animi,cuius ope & amare homines liceat,& pie colere ſanctum numen. Nam ſecuritatem in delicijs & cupiditatibus optare,non eſt pacem rogare, ſed ſemina diſcordiarum & bellorum omnium,quæ ex indulgentia affectuum exardeſcunt. Petat homo à Deo, petat Chriſtianus à Chriſto. ſi ſaltem hominem Deus agnoſceret in petente & non diabolum, indubie largiretur rem homini inter cæteras maxime conducibilem ac neceſſariam. nunc ſub humanis formis diabolicos ſpiritus & arrogantiam intuetur: mirandum non eſt,ſi iuſtiſsimus ac ſapientiſsimus diſpenſator non dat dæmonibus,quod eſt hominum. Redeamus ad hominum naturam, id eſt ad nos ipſos. ille cœleſtis pater Deus,cuius bonitatem,benignitatemq; innumeris quotidie beneficijs ac muneribus experimur,imbecillitati noſtræ non deerit propicius ac fauens. ille conantes adiuuabit,et erigentes ſe porrecta manu ſuſtinebit ac fulciet,quodq; deficit naturæ, ſupplebit illius paratiſsima benignitas, ut ex infirmo & debili homine Chriſtianus fiat, id eſt numeris omnibus perfectus atq; abſolutus. Incipiat iam ergo homo eſſe homo,id eſt noſſe ſe. nam neque dæmones ſe norunt,quia nolunt: nec beſtiæ,quia non poſſunt. hæ nunquam nactæ fuerunt tanti boni facultatem. illi accumulatione & continuatione ſcelerum prorſum amiſerunt, ut callum obduxerint intelligentiæ delictorũ. Radix ſicuti oſtendi,& ſeminarium diſcordiæ totius, eſt ſuperbia, quæ tantis delicijs animum emolliuit, ut nihil ſit tam leue aut tenue, perferre ut poſſit,tanta caligine mentes noſtras obruit ac oppreſsit, ut nemo ſe noſcat, nemo quis, ubi,cum quibus,quemadmodum uiuat, quæ ſit rerum natura, quod precium, qui uſus inſpiciat & contempletur. Agnoſcat ſe & ſua homo,& tanquam feneſtra ad meridiem ſpectante aperta,inferet ſe lumen, quod diſcuſsis tenebris clare omnia & dilucide monſtrabit. tum ſident huic gallo criſtæ,& pauo (ſicut narrant) ponet alas aſpecta pedum fœditate. uideat animal hoc ſuperbiſsimum & conſyderet, quæ ſunt illa,

ob quæ ſuperbit, & intelliget ſe ſordidum ac pannoſum de cultu gloriari, infirmum de uiribus, egenum de opibus, deformem ac fœdum de pulchritudine. Habet animum, primùm quàm concuſſum & agitatum affectuum tempeſtatibus? quàm diſciſſum, diuulſumq; illa diſcordia ciuili, quam ſecum, quócunque fugiat, circumfert? Sollicitus, anxius, metuit, ſperat, mœret, contrahitur, dilatatur, leuiſsima arula totus ab imo concitatur, ut harenæ & cœnum, & alga, & quicquid eſt in flumine immundiſsimo, miſceantur uno numo, una uoce, uno geſtu, uno iudicio poſtremi hominis & de fece. hæc quiſquis erit contuitus, non minus ipſum ſui ipſius pudebit, quàm terrebitur aſpectu talis monſtri, uarij, multiformis, ſæui, importuni, horribilis, & quod niſi coerceatur, ac dometur, præſentem allaturum ſit magnam peſtem & ſæuam: itaque non blandietur, nec molliter in ſuam perniciem alet eiuſmodi belluam centicipitem, nec pulchra nomina capitibus imponet, quibus allectus & falſus in certum exitium proturbetur. non appellabit iram, magnanimitatem, aut cotem uirtutum: non ſæuitiam, ſtrenuitatem: non metum, cautionem: non temeritatem, fortitudinem. Nam quæ tandem eſſe ſpes ſanationis poteſt ulla, ſi morbis ſanitatum nomina imponuntur? Quomodo ſanabitur is, qui ſe belliſsime ualere non dubitat medicis iratus, tanquam inſanis ac inimicis, & qui depulſuros ſe profiteantur, quod ille præſtantiſsimum ſe habere credit? Nullus eſt prorſum affectus, qui ſi ad mentis & rationis iudicium uocetur, non protinus appareat uere deformis, abhominandus. Quid abiectius metu? Quid magis indecorum quàm ira? Quid execrabilius ſuperbia? Iam mens ipſa, ſuprema animi & celſiſsima pars, uidebit quantopere ſit tum natura ſua tarda ac præpedita, tum tenebris peccati cæca, & à doctrina, uſu ac ſolertia imperita & rudis: ut ne ea quidem, quæ uidet, quæque manibus contrectat, cuiuſmodi ſint, aut quî fiant, aſſequatur. nedum ut in abdita illa naturæ arcana poſsit penetrare. Sapienterque ab Ariſtotele illa eſt poſita ſententia, mentem noſtram ad manifeſtiſsima naturæ non aliter habere ſe, quàm noctuæ oculum ad lumen ſolis. ea omnia, quæ uniuerſum hominum genus nouit, quota ſunt pars eorum, quæ ignoramus: nec ſolum id uniuerſitate artium eſt uerum, ſed in ſingulis earum, in quarum nulla tantum eſt humanum ingenium progreſſum, ut ad medium peruenerit, etiam in infimis illis ac uiliſsimis, ut nihil exiſtimetur uerius eſſe dictum ab Academicis, quàm ſciri nihil, quod qui primus profeſſus in ſe eſt Socrates, hunc ea de cauſa ſapientiſſimum eſſe, illius Dei oraculo pronunciatum, cui Deo reliqui omnes de ſapientia conceſsiſſent: nullamque eſſe maiorem inſipientiam, quàm hominem exiſtimare ſe ſcire, quod neſciat. Idque uidemus magnis uiris in curriculo ſapientiæ uſu euenire, ut quo ulterius ſint in eo progreſsi, eo ſe minus intelligant & deprehendant ſcire, tanquam rurſus ad carceres è curſu ipſo referantur. quanquam qui rem acutius inſpexerit, & ſubtilius inquiſierit, facile deprehendet nihil ſcire, & putare ſe ſcire, in ipſis adhuc hærere carceribus. intelligere autem ſe nihil ſcire, ad metam humanæ ſapientiæ pertigiſſe. Quantum eſt ergo ſtultitiæ ac imperitiæ argumentum, offendi quem, quòd indoctus uocetur, quodq; illud obijciatur ſibi, quod eſſet ipſi, ſi ſaperet, profitendum. quanta exiſtimatur iniuria dicere ignorari quid ab aliquo, qui ſi centies ſe excuſſerit, nunquam ſcientię ullius mica decidet, uidelicet quum nulla inſit penitus.

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Quemadmodum inquit ille in Comœdia. id eſt, nemo tam unquam firma & conſtituta fuit ſapientia, quin tempus & ætas docerent eum nihil ſcire, falli, errare. ſicut ſeni illi tam diu percepta, infixa, confirmata opinio, ad poſtremum tamen fuit mutanda. Cuius eſt tam ſpectata uel ſapientia uel felicitas, cui non plurima euentus ſit mentitus? imò uerò, qui non uſu deprehendat ſe ignorantia prolapſum, cæcitate aberraſſe,

raſſe, ſtulte per imprudentiam conſuluiſſe, ut ipſum ſuimetipſius pudeat. quas arbitrabamur firmiſsimas coniecturas, & quibus nos impenſiſsimè nobis placebamus tanquam occultam rem & altè abditam Marte ac induſtria noſtra eruerimus, ſequẽs dies, dies uerò, imò ſequens hora cõfutat, & leuiſsimis nos rebus patefacit impulſos. Cur ergo toties experti ac falſi, pergimus tamen cõiecturulis nos totos permittere? quod equidem eſſet ferendum utcunq;, ſi id ad bene faciendum, ad iuuandum alios pertineret, ad nocendum uerò, ad uitia, ad ſcelera credere toties mentitis, & fraudis manifeſtis, quanta eſt ſocordia? quum in rebus exigui precij capti ſemel & fraudati tanto in poſterum diligentius proſpicimus & cauemus, quã oſtendimus inuitos nos eſſe bonos, ultrò ad malefaciendum currere? leuem occaſionem, tenuem prętextum, atque adeò ſæpenumero nullum ſufficere ardenti in hoc & concitatæ uoluntati. At uoluntas hæc ſi retegatur, quanta obijciet oculis intuentium ulcera, quas plagas à uicijs & delictis acceptas? Ipſa per ſe imbecilla motuũ arietibus ſubinde concuſſa, quã facile confringitur ac ruit, & ex tanta cadendi continuatione tanquã pedum ſuorum uſum amiſit? iam illi ſtare propè tam alienum eſt et coactum, quàm quæ contra naturam, quam naturã ipſi tam perpetua & pertinax conſuetudo uelut nouam quandam effinxit. Ita ut uel de iuſto ſit in libris Sapientiæ, quòd ſepties cadat ſingulis diebus. quid facturum cenſemus iniuſtum hominem aut impium? & in epiſtola ſancti Ioannis legimus, Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. hoc uerò nõ illi ſunt modò aſſequuti, quibus traditum erat cœlitus omnia eſſe ſubdita tyrannidi peccati, liberari uerò per crucem filij Dei: Gentiles quoq;, etſi cauſam ignorant, rem tamen perſpiciunt. Senecæ eſt ſententia illa, Neminem inueniri, qui ſe poſsit abſoluere, & innocentem quenq; ſe dicere, quòd reſpiciat teſtem, non cõſcientiam. & alio loco fuſius: Si uolumus, inquit, æqui omnium rerum iudices eſſe, hoc primùm nobis perſuadeamus, neminẽ noſtrũm eſſe ſine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur, nihil peccaui, nihil feci: imò nihil fateris. Indignamur aliqua admonitione aut coercione nos caſtigatos, quum illo ipſo tempore peccemus, quo adiecimus malefactis arrogantiam & contumaciam. Quis eſt iſte, qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita ſit, quàm anguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe? quanto latius patet officiorum, quàm iuris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt? ſed ne ad illam quidem arctiſsimam innocentiæ formulam præſtare nos poſſumus. alia fecimus, alia cogitauimus, alia optauimus, alijs fauimus. in quibuſdam innocentes ſumus, quia non ſucceſsit. Sic Seneca. Atqui iſte tantopere ulcerоſus & indicanti ulcera iraſcitur, & medicamentum ad ſanationem uel oſtendenti, uel adhibenti eſt infenſus, tanquam facienti iniuriam, quòd ægrum appellet eum, qui ſe optime ualere arbitratur. alijs uerò qui eodem tenentur morbo, et ceu in eodẽ iacent ualetudinario, ſuccenſet, atq; adeò alienis uerrucis grauiſsimè offenditur, qui ipſe turpiſsimis eſt tuberibus deformatus. Hoc eſt diaboli ingenium, bonum ſe credere, quum ſit peſsimus. ita ut monſtranti morbum, tanquam mendaci et maledico & conuicianti inimico male uelit. tum alios minus, quàm ipſe ſit, malos graui ſupercilio increpat, & teterrimum uideri uult id uitium, quo ipſe uel aliud, uel idem ipſum maius & notabilius occurrentium oculis expoſitum circumfert. Hæc eſt humani animi facies, hic ſtatus, in quo cernitis quàm nihil ſit gloriandum, aut unde ſe homo poſsit extollere. At cuiuſmodi habet corpus, quod alij ſepulchrum nominarunt, alij carcerem: uerius dici poſſet, putris cuiuſdam nauis ſentina aut cloaca ruinoſa. fœtebit ſi aperias ſterquilinium hoc, opertum cute. quod quale ſit, abundè oſtendunt, quę per eius omnes meatus perenni ſcaturiunt. per nares, per aures, per axillas, per os ipſum. quid dicam, per ea quæ pudor uetat eloqui, non minus quàm proferri? & in hac obſcœnitate ſordium, quanta imbecillitas? nam & ſentinæ fiunt ſæpe ex forti abiete, ex robore: & cloacæ, ex ſaxo duriſsimo. quæ porrò pars eſt corporis, cui non peculiaris ſit morbus aliquis, & doloris faces ardentiſsimæ? non caput, non manus, nõ pes, non

ipſi etiam dentes & extremi ungues, præter eos morbos, qui uniuerſum hominẽ inuadunt, & quaſi ingenti tormento cõcutiunt. Ante Plinij ætatem trecẽta erant morborum genera annotata ab ijs, quibus curæ eſt iſta perſequi. poſt illũ, quot ſunt exorta noua, incognita, nullis ueterum cedentia ſiue præſenti periculo, ſiue acerbo dolore, ſiue abhominabili fœditate? Habent alia animantia, ut de inanimis taceam, uillos, & ſetas, & cutem duriſsimã, quibus etiam graues punctiones non ſentiunt, & aduerſus animalculorum morſus & moleſtias tanquam lorica quadam ſunt armata. homo tenerrima & molliſsima cute nec arenæ papulam, nec ſtipulam, nec ruga, nec floccum, nec pilum adhærentem perfert. quid dicam araneolos, muſcas, culices, cymices, formicas, pulices, pediculos, & alia exigua dictu & uiſu animalcula? quantũ hæc omnia negocium faceſſunt huic giganti, etiam quum de cæde populorum et nationum, quum de euertẽdis regnis cogitat, quum de bello aliquo ſæuiſsimo? quantum ei bellum infert pulex? quàm totum ad ſe cõuertit hunc urbium & gentium domitorẽ atque euerſorem? ô miſerum, tam fortia cogitas in tanta infirmitate? cur non prius concaleſcis, antequàm te tanto uirium certamini obijcias? cur non uincis prius hunc uicinum hoſtem, à quo infeſtaris? poſtmodũ illos aggrediere fortiores, à quibus nunquam es laceſsitus? Quid hîc recenſeam moleſtias à ſolo, à cœlo, ab ætate? ingredienti harena moratur ueſtigium, lutum detinet, lapides pungunt, rupes frangũt. quomodo luctandũ cum terra et tanquã ab inuita extorquendũ, quo uita ſuſtentetur? quanta in uarietate temporũ moleſtia? ardores præfocant, rigores adurũt. pluuias non ferimus, expaueſcimus fulmina, tonitribus penè examinamur. quæ eſt infantię imbecillitas? quantis cum lachrymis ſunt omnia excudenda? q̃ eſt ſeni grauis uita ipſa, alioqui ex ſe fugax & incerta, milleq̃ per ſingula horæ momẽta periculis obnoxia & expoſita? ut nihil ſit tàm exiguum & cõtemptibile, quod non ſatis ſit ad hominẽ uel robuſtiſsimũ proſternendũ. quid dicam abſumi quoſdã incognita prorſum cauſa, ut à uita ad uitam, tanquã à cubiculo ad cubiculum migrent, ut nemo poſsit ſibi, nõ dico annum polliceri, ut eſt in uetere dicto, ſed nec horam. Quocirca quis aſſequi uerbis poſſit, quantus ſit furor, quàm cæcus propter uerbũ unum, ut uel prauæ animi tui libidini uel iudicio dementis alicuius ſatisfacias, & quietem uitæ, quæ alioqui rara & perbreuis eſt, & fructũ uiuendi amittere. &, quemadmodũ Ennius inquit in Tragœdia, præter propter uitã uiuere. Nanq̃ dum de ultione ira cogitat & deliberat, nihilq̃ minus agit, quàm id propter quod eſt uita homini cõceſſa. quumq̃ tot undiq̃ inſtent moleſtiæ ac difficultates, ſi quid eſt uel à ſolo uel à cœlo ſuaue, uel ab amicitijs, uel ab ætate, eo ſe fraudare, & maiora ſibi arceſſere pericula quàm quibus nos natura circũſepſit. ut uita ſe omnino fraudet, qui bili & ſtomacho ſuo ſeruit, qui linguæ indulget, qui ultioni habenas laxat. quum contrà ex pace, ex cõcordia, ex modeſtia et moderatione cõſequi poſſimus, ut & cõmodis uitæ facile perfruamur, & leuiora nobis fiant incommmoda. Quærit ſanctus ille uates, ſit ne aliquis homo, qui uelit uitam, qui diligat dies uidere bonos? Atqui hoc, qui non cupiat eſt nemo. audiat ergo, quid illi ſit, ut hoc adipiſcatur, faciendũ. Prohibe linguã tuam à malo, et labia tua ne loquãtur dolum. Diuerte à malo & fac bonũ, inquire pacem, et perſequere eam. Exteriora omnia animorũ ſigna in linguæ ſunt appellatione cõprehenſa. illa enim, quemadmodũ interna affecta ſint, loquuntur. Vir etiam in ſæculo moderatus ac bonus. nam de perfecto illo & diuino nondũ diſſero, linguã & manus ſubijciet publicis legibus, prudens geſtus quoq̃ ac nutus educationi, uafer utilitatibus. Quorſum pertinẽt dicta, nutus, detorſiones labiorũ, oculorũ, ſuperciliorũ, geſticulationes, & notæ. quibus alios irridemus, ſigna maleuolẽtiæ? Primum quàm ſunt illa omnia turpia, deformia, indigna, non ſolũ prudẽtia, ſed quouis uel mediocri acumine? An tu idem putas eſſe geſticulari, irridere, quod acute reprehẽdere, ſapienter admonere? ſi geſticulationes ingenij ſunt, & prudẽtię ſigna, cõcedamus omnes hiſtrionib. ac ſcurris. An eſt quicquã promptius aut facilius, quàm torquere labra, corrugare naſum, cõtrahere uultũ, cachinari, ſcõma uel cõuiciũ iacere? hæc magis ſunt ijs ad manũ, qui mente ac ratione minus ualent,

lent,illi armis pugnant inermes ac inopes iudicij,acuminis, peritiæ. Nihil est simplicius,planius,rectius,sensu,uerbis,uultu hominis prudentis ac cordati.Necp irridere, probitatis est aut sapientiæ argumentū:nec irridere,stultitiæ uel prauitatis. Adde illa omnia,quàm sint inefficacia declaramus nos prauo esse animo atcp etiã inimico sine ullo alterius damno cum periculo nostro.quàm est intemperantis ac impotentis stultitiæ id agere,quod nec nocere possit alteri,nec tibi prodesse?à nulla re longius uidetur discedere felicitas fortunæ,quàm ab impotentia animorũ,ab intẽperantia linguę. maxima egenorũ pars eò est delapsa, quòd sibi nequiuerũt imperare, ut leues impulsiunculas sustinerẽt.& dum tangenti toto corpore resistũt, seipsos in imum deturbarunt,noluerunt nutui cedere,cedunt patrimonijs,possessionibus,fortunis omnibus. noluerũt uerbulo cedere,cedũt uitæ.Nam quandoquidẽ res omnes hominũ in lubrico sunt & præcipiti loco derelictæ,si uehementius te aduersus aliquẽ cõcitaris,facies tibi impulsum et casum,quod prius leuis erat cõtactus.Qualem uerò illius existimamus fortunã fore,qui amicũ mauult perdere,quàm uerbũ? At contrà plericp dissimulandis iniurijs nacti,consensionẽ & amicitias etiã allicefactis ad se illis, qui odisse uidebantur,opes amplissimas & ingentẽ potentiã collegerunt.quã multis nascentibus inimicitijs & futuris aliquãdo atrocissimis obuiã silentium iuit, & ingentia molimina tanquã subtracto fundamẽto discussit, quasicp materiã detraxit nascenti flammæ? Antonio Eremitæ uiro illi sanctitate inclyto perhibẽt,quũ alia multa in illa esse solitudine & locis desertis diuinitus ostensa, tum uerò quodã die orbẽ uniuersum retibus & laqueis coopertum,ipsumcp exclamasse,Mi domine,quis effugiet hæc?cui à cœlo missa sit uox,Animi demissio.Ita est planè.Quanto prõptius est uiuere in concordia, quàm in dissidio?uidelicet cedere facilius est,quàm resistere.cedentẽ nemo persequitur,resistentẽ impellimus.Illi quoq;,ut grauiter est apud Senecã, quos fors iniqua in ancipiti posuit,tutiores erunt superbiã detrahendo rebus per se superbis, & fortunã suam,quàm maxime poterũt,in planũ deferẽdo.Expositus est nobis breuiter uniuersus homo intus & foris.qui si talis est,tam alijs miserandus, pudẽdus sibi, haud utiq; difficile fuerit cogitare,qualia sint humana omnia,quæ ipse sibi uel asciuit necessitate,uel opinione adfinxit.Opes & potentia,quàm à re omni utili solida & mãsura inanes,quàm leues,momẽtaneæ,incõstantes.quod idem licet de fauore,de gratia,de honore,de dignitate,de gloria dicere.quid ni,quũ omnia regat partim populus, partim fortuna:quis duobus,quid potest incõstantius atcp instabilius cogitari? ut sæpe nox una,sæpe paucæ horæ inter regnũ & carcerẽ,inter triumphũ & exiliũ,inter summam gloriã & summã ignominiã,inter uitã deorũ honori parẽ & morti cõtumelioſissimã interfuerint.meũ ergo aliquis appellet,quod possit ante horam perdere? Sumptuosa ædificia,magnus domi & in toto cultu apparatus,quàm exiguo est usui? nec nos tuetur,imò cõtra nos illũ ingẽti ac molestissimo tuemur labore per tot curas, per tot incõmoda,adde etiam per discrimina,adde pernefaria facinora & capitalia scelera,tanquam uastã & inconditã molẽ. Quòd si & in horum natura tanta est infirmitas,& in possessione inconstantia, tam facile ab alijs uel læduntur uel tolluntur penitus, quid prodest inimicitias,propter hæc ipsa suscipere,quũ maius ab inimicis damnũ breuissimo et possit & soleat afferri tẽpore,quàm est illud ipsum,propter quod discordias excitauimus? Itacp uidemus quotidie cõtingere, ut uniuersum censum in discrimen adducãt,qui numũ sestertiũ noluerunt contẽnere.Nobilitatẽ confinximus, quũ constemus omnes ex eisdẽ principijs & elemẽtis,cõditi ab eodem naturæ principe,progeniti ab eisdẽ authoribus gentis. gignimur in flagitio,ex semine fœdissimo ac spurcissimo. nascimur ex malis hominib.inter dolores & grauissimos cruciatus cum præsentis.& nostro & enitentiũ discrimine. nutrimur in molestijs,educamur in laboribus.ubi sunt inter hæc natales? qd uult sibi sanguis putris morborũ omniũ fons,imò sanies et pus olidissimũ? Quis iratus genius tm oneris huic lumẽto imposuit,quũ seipsum ægrè portet? ut magis mirer nõ ipsum sępenumero despõso animo oneri succũbere,et hãc uanitatis telã,quã tãtis cũ ærũnis orsus est,et texit,medio texẽdi cursu prę

indignitate ſuccidere. Hæc omnia perſpiciet ac conſyderabit is uir, qui quantum effi ci ac præſtari ab ipſo poſsit, cœno ſe humanę malicię conatur excutere, abluere à ſor dibus affectuum & prauarum cogitationum. quiq; tanto onere liberatus ſolutusq; ad magnitudinem animi & ad faſtigium humani decoris magno gradu cõtendit, un de nos duræ atq; aſperrimæ calamitates deturbarunt, ſed culpa noſtra contractæ. Er go ſemota paulatim in eo per ſui cognitionem, qua premebatur ſuperbia, deijciẽtur uiolenti animorum ſpiritus ac motus. quo fiet, ut tanquam alteri lanci ingenti detrã cto momento, altera ſuſtollatur, in qua eſt mens. quantoq; illa perturbationũ atq; ar rogantiæ facta erit leuior, tanto ſe altius mens attollet uſq; ad faſtigiũ luminis & noti tiæ omnium, ex quo ſingula, tanquam de ſpecula, facillimè circumſpiciet. proferent ſe ac exerent ea, quæ prius abiecta & oppreſſa cogebantur latere, iudicium, ratio, pru dentia, ut pulchra & magnifica cogitata, quemadmodũ exequi oporteat, intelligat: habeatq; prouiſum iam & paratum, in occaſionem atq; uſum. Confirmabitur uolun tas, ut tantum ſit aggrediẽdis rebus firmitatis ac roboris, quantũ à ratione iudicatum fuerit neceſſarium futurum. Et quia obices luminis huius & iudicij interturbatores ſunt affectus illi feri ac incitati, eos ante omnia uel relegabit, ſi qua ualeat, uel certè comprimet in præſens ac compeſcet, nec in deliberationẽ ullo modo ſinet uenire. ſed ſi qua irrepſerint, differet in præſentia conſultationẽ, donec exierint. dabit moram, & ſe ſuſtinebit, nec aliquid ſtatuet, dum in concilio aderit aliqua animi concitatio. non magis quàm uteretur aqua turbida, niſi eam prius pateretur eliqueſcere. Nam quem admodũ, qui uel oceanum alicunde conantur aggeribus excludere, uel in eius ædifi care æſtuarijs, à principio operis, quum æquor intumeſcit, cedũt mari, & ceſſant quo in ſe reuerſo magna tum diligentia atq; induſtria ingentes moles pro fundamẽtis ia ciunt, locumq; ſedulò communiũt, ne totum opus uis illa Oceani recurrentis diſtur bet ac confundat. nec quicquam faciunt prius, quàm influxum maris ab opere arce re, donec ſtructura ita uel aſcenderit, uel firma ſit ac cõſtituta, ut nihil ſit amplius peri culi ab undis & tempeſtate. Ita in hoc animi ædificio, quod in mediis fluctibus mõli mur, à quo ſummouẽdus eſt impetus illius affectuum tempeſtatis, initio quum ij in uadunt, quieſcendum eſt, et manus ab opere tollendę. affectibus uerò ſedatis, interea dum liberi ſumus, celerrima eſt & rapaciſsima occaſio arripienda tantę duntaxat rei. figenda ſunt & ſtatuenda propugnacula aduerſus illorum aſſultus, quoad tale ſit no bis abſolutum opus, in quod nullam impreſsionẽ queat facere animi quamlibet con citati uiolentia. Quapropter nihil magis aut accuratius cogitare debet animus quie tus, quàm ut minimè deinceps conturbetur, aut ut conturbatio extra opera rationis et conſilij tumultuetur, ac ſæuiat: in illa non irrumpat. Ergo affectione iam compreſ ſa & aliò auerſa, uel certè quieſcẽte, & præbente inducias, hoc erit eius opus, ingenij, iudicij, rationis, ut tum demum ad conſyderationẽ rerum deſcendat, & quaſi cenſor quidam ſingula ad precium atq; æſtimationem aduocat, quod uel ipſe ſatis ſibi no tus ac fidens multumq; ad eam rem nactus prudentię imponet, uel à magnis uiris, & quibus tutò fiditur, impoſitum tenebit ac conſeruabit. Nam, quemadmodũ præcla rè eſt à multis traditum, error ac miſeria omnis in humana uita ex ignoratione naſci tur, quòd mala pro bonis ducimus, & rurſus bona pro malis. Eorum, quæ ab homi nibus poſsidentur, omnium naturam primùm contemplabitur, hinc uſum. Quid e nim magis eſt ſapientis, quàm cogitare atque expendere, quæ cuiuſque rei ratio ſit, qui finis. Nam beſtiæ mentis ac conſilij expertes præſentibus modò acquieſcunt. ho minis eſt proprium, aciem mentis in futura pręmittere, ne in alium unamquanq; rem ſumat uſum, quàm in uerum ac naturalẽ, alioqui nihil à beſtia diſtabit, & non ſecus atque illa, nunquam iudicio, nunquam ratione ac cõſilio ducetur, ſemper animi affe ctionibus ſeruiet. ſin uerò & naturam & uſum non ignoret, uelitq; rationi ac ueritati obtemperare, nec plus de unaquaque ſumet, quàm oportet, & res inſtituto naturæ ſuæ curſu uadere minimè moleſtè feret, ita in ſe quietus tranquillusq; nunquam uel ſibi erit ipſe, uel alijs iratus. Natura rerum humanarum hæc eſt, ut quæcun

que

que hominibus contingant,uana ſint,caduca,obnoxia caſibus,commẽdata,non donata.Solam uirtutem ita à Deo nobis tribui,ut ea demum fiat poſsidentis,ſi uelit.reliqua uerò nunquam in ius & mancipium tranſire eius,qui utitur. Ingenij acumen uel tempore,uel uſu immodico,uel interdum morbo,aut caſu aliquo deteritur ac retunditur.memoriæ,ætas eſt inimica. nihil eſt in homine quod citius ſentiat incommoda ſenectutis.Doctrina,deſuetudine elabitur,morbo perit. Vires,nimijs laboribus,aut una febricula franguntur. denique eas aufert illa, quæ reliqua omnia, ætas. Corpus quot morbis expoſitum,imò obuium,quot doloribus,quot grauiſsimis cruciatibus? in illud dominantur cœli,elementa omnia,ſtirpes,uenena,feræ, homines quàm multis modis? hoſtes,latrones,tyranni,magiſtratus? ut præteream caſus,quorum exponi ſumma non poſſet. Vita ipſa ex ſe fugaciſsima, & uel ad ſemihoram incerta, finienda morte non huius aut alterius generis,ſed incerti,incogniti,inexpecti. Parentes, liberos, uxorem, amicos, ſeruos, clientes, homines eſſe omnes,id eſt,& mortales,& in uita mutabiles. ut nec ſi moriantur,quicquam acciderit contra naturam. nec ſi uoluntate & moribus mutentur. nec minus equi, & iumenta, & pecora ſub mortis ac mutabilitatis ſunt ditione,quàm homines. Pecunia metallum eſt,quid aliud quàm terra in ſuis uiſceribus concreta? huic tendunt inſidias tam multi. hanc inuadunt & oppugnant fur clancularia rapina, latro ui aperta: alius blanditijs,alius fraude. infinitæ ſunt artes auertendi ab alio ad ſe pecuniam. Veſtes infeſtant tot uermiculi,tot papiliones,ſitus,puluis,ipſum tempus. Vitreum aut Samium uas eſt fragile. Picturæ uel eluuntur,uel deteruntur. ædificia aliàs tempeſtatibus ruunt,aliàs ex materia ducunt uitium. aliàs tempore collabuntur. Agri interdũ bellico impetu uaſtantur,interdum calamitatibus à cœlo aut ſolo.tot nimbis,fulminibus,grandine,eluuionibus,ariditatibus,tot exitijs & peſtibus frugũ,ſæpe arroduntur à uermiculis,ſæpe à cognatis herbis ſuffocantur,ac corrumpũtur. Quid eſt decus,quid honor,quid gloria? geſtus aliquis aut uerbulum inane penitus. quàm citò,quàm facilè exoleſcit decus,& in ignominiam uertitur? Nobilitas uel non agnoſcitur,uel egeſtate ac uilitate progeniei penitus exoleſcit. Quid non eſt morti & caſibus ſubditum? quid illis ui,arte,ratione poteſt ulla eximi? Qui ergo hanc eſſe naturã rerum,cõditionemq; recordabitur,næ is utetur,quemadmodum oportet,præſentibus.ſi uerò abſint & diſcedant,non magis cõtriſtabitur,quàm ſi in roſetis roſas non inueniat ſub brumam. Quippe eam ſciet eſſe legem & cõditionem eiuſmodi rerũ,ut ſuis uicibus modò influant,modò abſcedãt.æquo feret animo res naturę ſuę curſu uadere.quemadmodũ ueris illi gratiſſimo temperamẽto non moleſtè fert ætatis feruores ſuccedere, aut his hyemis rigorẽ.& oceanũ quo inundarat,inde recedere,nauesq; paulò antea fluitantes in ſicco relinqui. Huic ſi ſe naturæ accõmodarit,facillimè ac iucũdiſsimè uerſabit in uita.nihil eſt enim dulcius,quàm ſecundũ naturam uiuere,id eſt,flumine placido, & ſecundo uento nauigare.nec ei unquam illa pœnitẽtiæ excidet uox,non putaram. omnia enim habebit præcognita & præuiſa.ſin uerò contra naturam aliquid cupiat, & quaſi nauigium aduerſis uentis aduerſo æquore conetur agere,nec unquam compos fiet uoti,& ſemper inter moleſtias faſtidia, ægritudines cõflictabitur,infenſus & ſibi & multis.An tu indigneris,aut inimicitias cum ullo omnino ſumas,quòd uel res naturæ,id eſt domino ſuo ſeruierint, non tuæ uoluntati,uel quòd eo illa ipſa natura ſit uſa uelut inſtrumento inſtituti ſui curſus? Quis fulmini uel pelago iraſcitur,aut cum eo exercet ſimultates,quòd filiũ uel ædes uel mercimoniũ eripuerit? Nam etſi uoluntas uidetur aliqua adhiberi inter homines, tamen uiro ſapienti natura eſt magis rerum ſpectanda,miniſtra Dei,quàm uoluntas hominis praua,miniſtra malitiæ, ſed quæ nec ſatis fuiſſet,ut adimeret uir malus pecuniam uel ueſtem uel ſpeciem illam honoris,ſi tam illa naturæ ſuæ ui fuiſſet tua,quàm uirtus.At quibus nihil auferũt homines,auferunt caſus à cœlo,ab elementis,à rebus inanimis,ab animantibus,incognitis nobis cauſis,ſed nõ omnino nullis. Itaq; quam cõſolationẽ alienis caſibus exhibere ſoles ex natura ipſa promptam,eandem tuis ipſius adhibe,id eſt,utere eadem medicina,

medicina, quam alijs in eodem morbo consulis. Obijt alienus filius aut uxor, dicis mortalem fuisse. furrrepta est furto aliena res, dicis solere fieri. aliquid puer alienus peccauit, dicis hominem esse. uerberatus est aliquis conuicio, facta est alicui iniuria, dicis eam esse uitæ legem, ad hæc ferenda incommoda & alia huiusmodi hominem esse natum. quin tu idem dicis & cogitas in tuis ipsius? an alios uis cõditionis rerum recordari, ipse obliuiscaris? Hæc quidem est natura, quid uerò usus? eum ex natura deductum esse & deriuatum conuenit. Sunt in rebus, quas necessitas expressit: sunt, quas commoditas suasit: sunt, quas opinio hominum deprauata inuenit. necessitas ineuitabilis est, ut esse, bibere, propulsare à corpore uim frigoris, uim æstus, denicp ea parare, sine quibus tueri uitam hanc non possumus. paucula quædam addidit cõmoditas: multa, imò infinita commenta est opinio affectuum iudicijs persuasa, & alienis exemplis longissimè impulsa, ita ut facta sit ingens, uasta, immanis, insatiabilis. hæc honorum tot genera excogitauit fastus ostentationis, decoris, dignitatis, potentiæ, regni, imperij, & in his ex minimis initijs nullus iam modus, dum nihil aliud, quàm expetere nos docet, atcp hortatur, quod est sane immensum ac interminabile: quid, qua ratione, quo fine expetendum sit, tacet, nempe à cupidine extimulata atcp incensa. Neque enim ullus istorum, qui tam anxio labore tantos cumulos excitant, opum, possessionum, honorum, ditionum, regnorum interrogatus, quem in usum id faciat, probabilem ullam adferre poterit facti sui rationem et causam, quippe his necessitas non eget, commoditas respuit, quæ tanto est & melior, & uerius nomẽ suum retinet, quanto habilior. at hæc moles tam uasta, tam sparsa ac diffusa, incommodissima est. Quid restat, nisi, ut se opinionem sequi dicant, insano affectui obedientem, à ratione prorsum & iudicio alienam atque abhorrentem? Equidem de istis, quos dominandi & excellendi cupido inexhausta, totos ita rapuit atcp incendit, ut ardentissimas ex se scintillas quoquo uersum iaculentur, unde sæuissima bellorum incendia suscitãtur: de istis, inquam, peruelim audire, quid sequantur? quem sibi in desyderio finem statuant? Nam rem tantam nullo proposito fine suscipere, hoc uerò inferius est conditione bestiarũ: quarum etsi præsentibus modò contentarum, nullæ sunt tamen adeò leues motiunculæ, quas illæ sine causa omnino, & sine proposito ullo edant. Quid consectantur, abundantiam uoluptatum? At quanto plures & maiores subministrat quies & mediocre regnũ ac regi habile, quàm tumultus bellici, & amplissima ditio, in qua maxima est sollicitudo, & cura perpetua? Nam quemadmodum in grandi hominis corpore, & humoribus redundãti, semper est aliquid, quod querelam adferat, & medicantis manum requirat: ita in ingenti regno semper existit pars aliqua, quæ corpus totum suo aliquo morbo infestet, ac inquietet, siue rebellione cuiusquam populi, siue casu aliquo et calamitate, uel ab hominibus, uel à fortuna illata. Pyrrhum Epirotarum regem expeditionem pro Tarentinis aduersus Romanos parantem Cineas philosophus apud eum gratiosissimè rogauit, Quid facere uictis Romanis cogitaret. Extemplo tota, inquit ille, Italia imperio nostro parebit. Quid uerò subacta Italia? Trajciemus in Siciliam, & eam adjciemus nostris opibus. Quid porrò uicta Sicilia, quid restabit post eam? In Hispaniam, inquit ille, arma transferemus. Quid hac occupata? Cum Carthagine nobis res erit, quam aggrediemur ingenti potentia subnixi ac suffulti. Fac omnia hæc subacta esse, & possessa. Huc reuertemur, inquit Rex, & beatissimè explebimur omni genere uoluptatum. Is ne est finis, subiecit Philosophus? Quid ergo obstat, quin extra tot pericula, quibus ignoras, an superstes sis futurus, ijsdem ipsis uoluptatibus iam nunc hîc pro arbitrio abundemus, ac constipemur? Sunt qui dicunt, nihil se aliud quærere, quàm imperare, aut regere. Isti uerò idem esse putant, regere & Regem nominari. Atqui Rex uocatur etiam in fabulis histrio ille, qui Agamemnonis, aut Priami personam sustinet. nec aliter Rex est, qui, quid sit regere, ignorat. Regem esse, est multis prospicere ac consulere. Hoc si expetis, rem sane omnium pulcherrimam & magnificam expetis. Sed inspice prius te, & consydera, an teipsum, an ea quæ iam habes, possis regere.

regere.id si es nactus,tunc sanè foras ad alia regenda egredere.Quòd si nec exiguum regnum, nec domum, nec teipsum ritè potes gubernare, quis furor dicendus est, te multarum nationum atq; urbium habenas deposcere? non aliter,quàm Phaetontem in fabulis ferunt adolescentem Solis patris sui currum & equos, quos lachrymis & importunitate consecutus & seipsum perdidit,& incendit mundum. Nec aliter multi ex istis quærunt & postulant regna,quàm pueri equorũ lora,uel clauũ in naui. putant enim regere,esse manum admouere.nam gubernatoris artẽ, quia non assequuntur,credunt illum non arte,non ingenio et industria uti in contorquenda tanta mole, sed solùm manu temerè,& ut casus ferat,mota.Ita uideas istos,qui tot motibus & turbatione rerum humanarum ad ingentes ditiones peruaserunt, existimare bellissimè perfunctos se regendi munere,si diplomatis nomen suum adscripserint,cætera uel in syluas uenando abditos, uel in regiæ penitissimo inter scorta & conuiuia & aleam. Exempla sunt horum inter ueteres permulta, atque utinam solùm apud illos.Strenuissimus & prudentissimus uir Pop. Rom. Publius Scipio, quum censor de more uoti carmẽ,scriba ex publicis tabulis præeunte,pronũciaret,uentumq; esset illuc, Iuppiter auge rempublicam:nunquam sic precari animum induxit,monẽte multum scriba atq; hortante:sed sic,Iuppiter conserua rempublicã: satis esse auctam dicens, modò conseruaretur.ac protinus, ut inquit Valerius, in publicis tabulis ad hunc modum carmen emẽdari iussit,qua uotorum uerecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt.Augustus Cæsar princeps planè regẽdi artifex,mirari solebat Alexandrum Macedonẽ non magis cogitasse,quemadmodũ parta regna administraret, quàm quemadmodũ noua alia partis adiungeret.Et ad Christianũ principem par est loqui de onere regendi homines. Quid enim est aliud plures quærere, quos regas, quàm habere,de quorũ uita,salute,fortunis,moribus rationem sis Deo redditurus, mundi præsidi & iudici omniũ exactissimo, qui illos omnes fidei ac curæ tuæ commisit ac commendauit.illius reuera est grex,tu nihil es aliud in eo,quàm fidei cõmissarius uel datus origine,uel ascitus uoluntate, uel ingestus ui ac intrusus. Nihil apud illum proderunt speciosi tituli,quibus falli quidẽ possunt homines, & eis silentiũ imponi:Deus falli nõ potest,apud quẽ unusquisq; seipsum ex mentis suę cõscientia,uel damnat uel absoluit,nõ ex testibus,nõ ex tabulis,nõ ex rumoribus cõfictis,nõ ex patroni meditatis coloribus aduersus crimen. Recipiat se introrsus unusquisq; ad mentem,ad consiliũ animi,& intelliget hanc imperandi & potentiæ cupiditatẽ, propter quã toties orbis uniuersus cõcutitur,ac turbatur,totã ex ignorãtia & cæcitate nostrarum opinionũ ortam esse,quæ se à iudicio & cõsilio rationis seiunxerunt,transfugerunt ad affectus. Egredietur foras uir prudens, & alios quoq; homines excutiet, atq; eodẽ examinabit Lydio lapide,quo seipsum.horũ omniũ neminẽ non inueniet similem sui.inualidũ,mille casibus subiectũ, & proinde miserabilẽ. quumq; uiderit, quæ sint unicuiq; etiã beatissimo ferenda in uita,sortẽ & conditionem suam intelliget sibi esse patibilẽ,ut nõ sit,cur se aliter ultum de eo cupiat,à quo iniuriã se accepisse opinatur,quàm ulciscetur casus & ipsa conditio humana. Quid optas inimico? fortunarũ aut dignitatis iacturã? expecta parumper,uidebis.Neq; est enim tam felix ullus in uita,cui non eiusmodi casus aliquis intercurrat. cladem eius ditioni,si sit princeps? accipiet pestẽ,famem,eluuionẽ,terræ motũ,populi inter se discordiã & dirũ malum seditionem.Cupis orbitatẽ aut mortes charissimorũ:si sustinere paulisper potes,fiet tibi natura uotorũ tuorum administra.At morbos mauis,acriores natura dolores inferet,& ardẽtiores admouebit faces,quàm hostis crudelissimus ac immanissimus.quæ humana rabies adeò potest humanũ corpus torquere, ut torquet stomachi morbus, ut podagra,ut dolor etiã dentium? Equidem præterire nec possum, nec debeo, quæ apud Aurelium Prudentium sanctissimus Martyr Romanus de Catasta, in qua torquebatur,ad populum concionabundus loquitur:

Nec distat ignis & fidiculæ sæuiant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,

Quum

Quum ſæpe morbos maior armet ſæuitia:
Non ungularum tanta uis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulſat pleureſis:
Nec ſic inuſta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle uenas exedit,
Vel ſummam pellis ignis obductus coquit,
Papulasq́ feruor æſtuoſus excitat,
Credas cremari ſtridulis cauteribus.
Miſerum putatis,quòd retortus pendeo
Extentus ulnis,quòd reuelluntur pedes,
Compago neruis quòd ſonat crepantibus,
Sic eiulantes oſſa clamant diuidi,
Nodoſa torquet quos podagra & artheſis:
Horretis omnes haſce carnificum manus:
Num mitiores ſunt manus medentium
Laniena quando ſæuit Hippocratica?
Viuum ſecatur uiſcus,& recens cruor
Scalpella tingit,dum putredo abraditur.

Sic ille. At curas & ſollicitudines & mentis furias illi optas:habebit per ſingula momenta,aliis ex aliis motibus,perturbationibusq́ animum ſubeuntibus,tanquam undis, ui tempeſtatum impactis ad littus: concutietur, & agitabitur, metuet, pauebit, mœrebit,terrebitur, confundetur, contabeſcet ægritudine, ſtimulabitur inuidia,æſtuabit odio,ardebit ira. & accenſus nec compos erit animi,nec corporis,nec fortunarum,nunquam enim iſti mari deeſt, quo concitetur auſter aliquis: nunquam hominum uita non ſuppeditat affectibus & occaſionẽ & materiam tumultuãdi. Quòd ſi alia deſint omnia,certè is qui fecit iniuriam,furias illas ſentiet ultrices,quas adfert maleficij conſcientia. Quæ eſt prima ſcelerum ultio,ut ille dicit in Satyra,quòd ſe iudice nemo nocẽs abſoluitur,nec ulla uel optari poteſt,uel excogitari acerbior. Nam aliæ omnes fortunæ ſunt aut naturæ,iſta delicti, quemadmodum Cicero multis uerbis in Lucium Piſonem perſequitur. aliæ uel ad nos nunquam perueniunt,uel corpus attingunt:ſolum iſta animum,id eſt,hominem ipſum tranſuerberat. Nec exiſtimandum eſt aliud eſſe illud ſcelerum apud uita functos ſempiternum ſupplicium,de quibus eſt illud in myſticis literis,Vermis illorum non moritur,& ignis eorum non extinguitur. Hoc cruciatu quanto leuior eſt mors? quam tamen,ut ſummum malorum plerique inimicis ſuis imprecantur. Eſt quidem illa ſummũ malorum omnium, ſed extremum tamen,ut qui aliorum lætantur morte,ipſi in malis remaneant:alij malis ſint exuti ac liberati,& in ea forſitan traducti bona,ad quæ nunquam perueniẽt, qui illorum mortem uel procurarunt uel optarunt,ut uota pro illorum ſalute uidean tur feciſſe, quos oderant, quos execrabantur,quos diris deuouebant. Sed omnino mortem illi deſyderabas,& eam optare animo obſtinaſti: quieſce parumper, nam & te & illum duci natura iuſsit,ambos quo die in lucem edebamini,capitis damnauit. nõ longo interuallo plectemini,quoties cõtigit,ut prior moreretur is,qui alium mori iuſſerat? Captus eſt Galliarum Rex Franciſcus à Carolo Mompenſiero Borbonio, à Marchione Piſcariæ, à Carolo Lanoio præfecto Neapolitano. omnes illos tres ante duos annos ſepultos audiuit. Si illis erat iratus,quid plus uoluiſſet facere? Si habuiſſet in ſua poteſtate ad ultionem,quid aliud feciſſet,quàm fecit natura? Quid ergo animaduerſionem aliam? quid alium quæris carnificem,quum habeas tam paratas,naturam & fortunam? quæ ita nonnunquam miſeram imbecillitatem hanc affligunt,ut ijs etiam ſimus miſerandi,qui interitũ noſtrum auidiſsimè expectabãt,& caſus ſæuiſsimi exempli imprecabant. Vergilianus Diomedes ita iactatos & cõcuſſos narrat fuiſſe Græcos Troia reuertẽtes,ut etiam Priamo fuiſſent miſerãdi. Poſt reputationem caſuũ et fragilitatis figmenti huius contemplabit,quibus erroribus homines

in uita

in uita agitentur, quid bonum uocent, quid malum. De his quàm longe aliter ſtatuant, quàm pro uero & recte inſtituta ratione, hinc quid pro contemptu habeant, quid pro iniuria, quas ſibi ultiones & pœnas ſumant, quàm pueriliter tantis in rebus ludant, ut per tumultum & præcipitanter conſultent, nempe affectu præſide: quàm leuibus coniecturis rapiantur, uidelicet ubi ſe auræ leuiſſimę ac concitatiſſimæ cunctos permiſerunt. Ita fit, ut eos continuò poſt factum grauis pœnitentia inuadat. Hæc erunt ei pro exemplo, ut ipſe ex alienis erratis, quod genus eſt prudentiæ feliciſſimum, uitam ſuam emendet, mores atque actiones componat. In quo primum erit omnium, ut, quemadmodum ſe nō extollit iam arrogantia ſublata, neq; enim uidet cauſam ullam, cur id faciat, ita nec ſe cuiquam anteponat, nec ullū contemnat, niſi qua & ſe quoq; contemnendum cenſeat, quum tanta ſit in natura humani generis ſimilitudo, nec ſit quiſquam qui non aliqua ex parte alio ſit melior, alio peior. ſtultorum, qui ſe nō nouerunt, eſt alios contemnere. quippe qui alijs detrahunt, quod ſibi arrogant. At uir notitia ſui inſtitutus, inſtructus, fretus, intelligit ſe nihilo plus habere, quàm alium quemuis de turba, & paupertatem ſuam tacitus agnoſcit. quòd ſi alios uideat non minus quàm ipſe ſit pauperes, qui ſe locupletes uel ab ingenio, uel ab opibus, uel à genere, uel à dignitate eſſe autument, non eos propterea deſpiciet, quum in re nullum ſit diſcrimen. æque ſunt pauperes & abiecti. nonnihil fortaſſis in cogitationibus interſit. certe nō magis ridiculum ſit hunc ſe illi anteponere, quàm ſi olla figlina, cui nihil ſit adſcriptum, præſtare ſe illi dicat, ſi qua inſcriptum ſit, argentea. par eſt uilitas naturæ, et inter res æque humiles abiectáſque, quantulum intereſt, etiam ſi titulus ſit mendax? falletur fortaſſe imperitus, at qui materiam & precium nouerit, nunquam falletur. Iam quum homines, uel uere ſint animi, uel mente cenſeantur, atque æſtimentur, quis poterit homo de homine ferre ſententiam? quum nemo ualeat ad intima illa mentis & penetralia peruenire, quæ tot inuolucris, tot operimentis contecta & occulta, nec angelis quidem patent, ſoli authori ſuo noſcuntur, ſibi quoque ipſa non ſatis plerunque cognita atque explorata. Poſtremo non ignorat, nihil eſſe in uita malum præter culpam, quæ, ut etiam eſt à gentilibus animaduerſum, ſola eſt homini præſtanda. qua quum ſciat ſe quiſque non carere, de altero in cuius ſe comparationem adducit, incertus ac ignarus. quippe animus, in quo uno eſt culpa, uti modo dicebam, longiſſime ab humano intuitu receſſit. an non hinc fit, ut cauſa ſit nulla, cur homini cordato & rite omnia expendenti, alius ſit ullus contemptibilis præ ſe? Atqui hinc certa erat petenda & ueriſſima uniuſcuiuſque humanæ actionis cenſura. Probe ac ſapienter Epictetus Stoicus, Lauatur quis cito, ne dicas male eum lauari, ſed cito. bibit quis multum uini, ne dicas male, ſed multum. niſi enim eius conſilium ſcias, unde ſcis an male? Niſi forte expectamus, dum ille relicto animo, ad comparationem corporum deſcendat, & aliquid arroget ſibi ac ſe efferat, quòd ualidiori ſit aut integriori corpore, et egenus ac miſer homini conditionis eiuſdem ſe anteponat, quòd tunica ſua adeo reſarcta, ut iam ex centonibus & commiſſuris tota ſit conſuta, pauciores habeat commiſſuras quàm illius: aut calcei ſint minus detriti. utinam tam bene egiſſet nobiſcū natura, ut aliquid haberent humana corpora, quo poſſent ſuperbire, et gloriari. quid nō habent putidum, fœdū, aue ſandum? Nouercam nominarunt naturam, & magnum illi conuicium fecerunt uiri ſapientiæ aſſectatores, qui corpora ſolummodo noſtra ſpectarunt, nō perinde animos. Quiſquis homo hominem deſpicit de corpore, in id periculū ſe adducit, ne ſibi beſtias habeat præponendas. & qui hominē cōtemnit, belluis ſit cōtemptui eadem de cauſa. Nulla enim re corporis prę ſtamus, quin ea ipſa ab aliquib. belluarū ſuperemur. Cedò quis tandē tanti faciet ſuum corpus, ut inde ſibi animos ſumat? An uir probus ac ſapiens, cuius bona omnia in uirtute ſunt ſita, qui ſola mente cōfiſus ac fretus uitā ſecurus agit et felix? An uero acutus homo, & qui omnino nō ſit ab incōſiderantia dementatus, quem in corpus ſuū intuentē pudet ſui ipſius, quiq;, ſi in contentionē laudis corpus adducat, metuit ne nō aliter cum ludibrio atq; ignominia repellat, q; ſi olidiſſimū ſcaphiū adferret auro intectum, nihil puto eſſe magis abſurdum ac ridiculū, quàm quòd iactet quis magnam ſe aut integrā aut bene compactā firmamq; circūferre foricam affixam ſemper ac hærentem ſibi. Nam hæc demum ſunt uera nomina iſtius pudendæ ſuperbiæ tot malorum per

gentes omnes originis ac fontis largissimi. Quod si nihil homo ingeniosus & prudens ex tota corporis & mentis nostræ natura potest deligere, quo se alicui anteponat, quanto habebit minus ex ijs quæ foris sunt, quæ aliena dici debent, non nostra: uelut nobilitas, & genus, & proaui, & quæ non fecimus ipsi, ut Iuuenalis inquit. aut de opibus, de seruis, de ædificijs, quæ sepe & peioribus & stultioribus & ægris copiosiores cõtingunt, quàm bonis & sapientibus & robustis, quæq; uel nostrã imbecillitatem testentur, qui tot indiguimus: uel malitiam & metũ, qui diffisi deo tantũ ex caducis & momentaneis rebus præsidium petierimus, quasi non maius esset paratũ dei & per deũ mentis ac rationis nostræ. At propter dignitatem: ceu uerò nunq; ea indignissimo eueniat. de honore, de fama: quasi uerò populus nõ fallat in censenda uirtute. singulorum naturã, usum, precium nouit, excussit, expendit. scit quàm sit parũ tribuendũ hisce omnibus, quæ nõ in sua habet manu, sed in aliena posita libidine. nullũ meliorẽ possunt facere, si accedant: nullũ felicioremẽ, utiq; nec peioremẽ, si recedant, iactata temeritate casuũ, fundata opinionib. imperite sentientiũ. Nam illa, ppter togã aut tunicã, aut pileũ, aut calceos, aut anulũ, aut equũ, anteferre se alijs, puerorũ sunt, quibus hæc sola uidentur bona, quoniã alia nõ intelligunt. Neq; uero, si qua edita fuerit ab alio cõtemptus in ipsum species, aut iniuriæ significatio, offendet & conturbabit. Quippe superbia discedens abstulit secum delicias, quib. sublatis, ut nihil inuenit ob quid sibi placeat & se erigat: ita robustior factus, minus iã leues punctiunculas sentit. Quale sit in se iactũ telũ contemplabit, si uera dicant, si æqua fiãt, nõ magis iniuriæ loco deputabit, quàm si homo uocaret, aut mortalis, aut si se illi angelus præferret, aut ipse belluis. sin falsa aut iniusta, non tam ob inane dictũ indignabit, q; uicem socij dolebit, qui ita fallatur. & miserabit uel cæcũ, qui inconsulto impetu in aliũ ferat: uel errantẽ, cui alij præ ignorantia sui sordent. An indignat aliquis, & non potius ridendum ducit, si cæcus cæcitatem exprobret cæco: scabiosus scabioso scabiem: claudus claudo pedem & gradũ: imo etiam nõ raro, quod tanto est magis ridiculũ, cæcus uidenti, scabiosus puro, claudus recto, adeo ut spectatores quamlibet rudes & uulgari sensu ioculare citius existiment, quàm maledictũ. & quemadmodũ ignorantia superbiam asciscit, hęc uenit comitata delicijs, morositate, suspicionibus iniuriæ, cupidine ultionis, rationibus sui uindicandi: sic peritia modestiã secũ importat, & moderationẽ, & æquabilitatẽ animi, causas discordiæ extenuat, aut omnino reijcit, concordiæ prorsum & undiq; conquirit. Neq; ullus potest iniuriam uelle facere, pro quo paratã non habeat excusationẽ: et in eo ipso quo fert iniuria, patrociniũ. ut nemini magis sit iniquus q; sibi ipse. sic enim alios tuet ac defendit. Senex putat lęsisse canis & ętati magna debet reuerentia. Puer, multa sunt illi infirmitati iudicij cõdonanda. Mulier, imbecillitas sexus meret ueniam. Aeger, quis sapit in morbo: illud dolor fecit, non homo. nec medici irascunt suis phreneticis, à quibus multa sunt audienda cõuicia. Doctus, aliquid tribuendũ peritiæ, & existimandũ nihil ab eo temerè dici aut fieri. Indoctus, ignoscendũ inscitiæ, quod genus est cæcitatis. Nam & cæcus, si in quem impingat, quis est adeo delicatus, qui nõ magis misereat & reducat in uiã, q; succẽseat, & animaduersione iudicet dignũ? Melior, si se tibi anteponat, ferendum. nũ tu uis ordinẽ rerũ confundi: nũ nõ animã corpori præstare, angelũ tibi, te bestijs: Peior, uidendum, ut quũ gallus aquilã contemnit. Par, dolendum ac miserandũ, quòd nõ intelligat uiã se ad sui cõtemptum aperire per cõtemptũ tui. Cum ualidiore certare, insanũ: cũ infirmiore, turpe: cũ pari, periculosum. fortuna diuitẽ tuet, pauperẽ excusat. seruũ miserabilẽ facit cõditio, maiorẽ tu postulas à seruo ultionẽ, q; dederũt leges, quę rẽ illi omniũ maximi precij libertatẽ adimerũt. Potẽs, cedendũ ei cui tã multi cedũt. An ego, inquit Phauorinus, uno in uerbo repugnẽ Adriano, cui in omnibus triginta legiones obediũt? q; scitè de se & C. Cæsare Laberius: Etenim ipsi dij negare cui nihil potuerunt, Hominem me denegare, quis posset pati? Magistratus, obtemperandum legibus, & patriæ debitas pietas præstanda. Qui parum possunt, quanta est dementia eos inimicitias cum potentioribus exercere: quæ, ut felicissime cadant, non tamen uel stultitiæ notam effugiunt, uel superbiæ. Quid, quod illos non in se modo irritãt, sed aduersum quoscũque eiusdẽ nationis, professionis, ordinis, etiã corporis ac formæ, damnata in totum similitudine illius, cui male uolunt, tanquam omnes eiusdem

sint

ſint ingenij ac naturę. turbant quoq; publicam quietem, dum cogunt diuites et homines opibus feroces omnia commouere, quo ſe ulciſcant. At qui plurimum poſſunt, hos tanto decet agere circumſpectius, ne illam fortunæ magnitudinem uniuerſam in diſcrimen adducant ſortis aſſuetę, exiguo momento ingentia uertere. quid, quòd moles quanto eſt grandior, hoc eſt minus regi habilis, & facilius in tempeſtate aut cõtentione rerum commotarum frangitur. certè aliquid accepit detrimenti in anguſtijs, & alioqui potentibus, etiamſi diſcedant ſuperiores, nõ tamen erit admodum decorum. ſin inferiores, probroſiſſimum. Deniq; nullum inuenias, quem expediat diſcordiam in ſe admittere: nullũ, cum quo expediat. omnes impedit & prohibet tum ſuæ perſonæ ratio, tum eorũ quibuſcum ſunt diſſenſuri, tum perſonarum comparatio inter ſe. Videlicet natura exerta uoce clamat ſe homines omnes ad mutuũ amorem finxiſſe, & conciliaſſe inter ſe, ut ſicut ciuis ciui nocere nõ poteſt, quin patriam uulneret, quæ omnes communi quodam uinculo quaſi mater complectitur: ita nemo homo hominem poteſt illæſa natura lædere, quiq; non maximam hanc humani generis patriam conſauciet, & ſancta naturæ iura uiolet, quę eadem ſunt diuina. Quid? quòd ſi diligenter ſingula animo aduertamus, neminẽ fere inuenias, in quo pręter communem illam nõ aliqua ſit etiam peculiaris amoris cauſa. Quis enim hominũ nõ eſt, aut parens, aut frater, aut filius, nepos, auus, proauus, propinquus, affinis, neceſſarius, gentilis, cognominis? alius eſt uicinus, alius eſt ciuis, aut conterraneus, alius hoſpes, aliusamicus, familiaris patris, aui, fratris, amicus amicorũ, ſocius ſtudiorũ, ſocius artis eiuſdẽ, ſocius operę, laboris, itineris, ſodalis, collega. ut nunquã ad nocendũ poſſis conſurgere, quin tibi uenerabilis aliqua ſuperior poteſtas, uelut manus inijciat, & à motu reuocet inconſulto. parentem lædere uetat pietas, propinquum ſanguis, affinem coniunctio, uicinus pro cognato haberi debet, & hunc tuæ ipſius utilitates tibi cõmendant, quæ à uicinis paratæ ſunt etiam maximæ. ciuem defendit lex. peregrino ne noceas, educatio prohibet, inferiori bonitas. cum ſuperiore ne contendas ratio ſuadet, cum pare periculum. Chriſtianum religio facit tibi fratrem, & communis parens Deus, & idem caput Chriſtus. At hic nihil uidetur profuiſſe. profuit fortaſſis, ſed inſcio, uel iam immemori, ut puero, ut in aliud intento & parum aduertenti ad beneficium. profuit ignotus, præteriens. quàm multos pueros eripimus periculis? adiuuamus ope, opera, conſilio? qui nos minime nouerunt, qui nunquam poſtea recordãtur. quàm multis occultè ſumus opitulati, qui magnam, quam accipiebant à nobis opem, non ſenſerunt. At non profuit nobis ipſis. Profuit certe ijs quibus nos non aliter conſultũ, quàm nobis ipſis cupimus, filijs, parentibus amicis. Profuerunt nobis aut noſtris ij, qui in hoc gratiam à nobis repoſcunt ſui beneficij, ut eius parentes, liberi, neceſſarij. At proderit, at proderunt ſui, uel nobis, uel noſtris: & fortaſſis ijdem erunt illius nepotes & noſtri. Num diſſenſiſſent tanto odio L. Salinator & Cl. Nero, ſi cogitaſſent futurũ, ut aliquando duæ illæ gentes in unã coaleſcerent? belluarum eſt ſola præſentia intuitas illis acquieſcere, hominum in procul futura mentem mittere, nempe immortalium, & ad æternitatem creatorum. Non eſt notus, eſſe poteſt: & quidem familiaris & amiciſſimus nemini amore atq; officijs ceſſurus, ſi te oſtendas diligere, hoc eſt, attrahes, ſi certiſſimum hamum eſcam' que obtuleris, amorem. Meliorem conciliet tibi admiratio præſtantię, parem naturę ſimilitudo & morum. ama in illo, quas in te uides, laudes ac uirtutes: aut miſerare, quod in te uides miſerandum. Erga inferiorem ex miſeratione creſcat charitas. quis enim nocere uult ei, cuius miſeretur? Denique hominem homini coniungat ſimilitudo efficaciſſima ad congregationem et charitatem. neminem inuenies tam ferum, tam' que alienum ab humanitate omni, qui amore prouocatus non reſpondeat, quum etiam feræ beſtiæ tantopere à ſenſu naturę noſtræ in rigorem illum animorum ſemotæ cicurentur tamen, & eos diligant, in quibus ſigna aliqua beneuolentiæ ſenſerunt. Nihil non ſatis eſſe ad diſcordiam ſolet contra naturam, cur tam multa ad concordiam pro natura nihil ualebunt? Leuia ſunt ex his quædam, dicet aliquis. an leue eſſe aliquid poteſt, cui robur addit natura? hoc eſt numen ſanctum & omnipotens. ecquod iſtorum uocas leue tu, cui ſatis eſt grauis ad diſcordiam unus numulus, una uocula, unus nutus, aut leuiſſimum alicuius & contemptiſſimum hominis iudiciũ? etiam contra patriam, pietatem, contra ius ſanguinis, contra officium,

contra ęquitatẽ,contra ſanctitatẽ amicitię,contra fidem.ſcilicet hęc ſunt grauia,quę tu ex ſtultitia tua confinxiſti.leuia erunt illa alia,quę ſtatuit natura ęquo bono,pio,ſancto fulta et munita. Qui uiolatũ ſe ab aliquo arbitrat̃,hic quemadmodũ eſt à nobis poſitum,tanc̃ prudentiæ totius caput, de ea re conſulere debet ac decernere, quacunc̃ cõmotione animi liber,& à tempeſtatibus ſedatus: alioquí praue ut de omnibus ſtatuat, eſt neceſſe,augente omnia tumore tempeſtatis,nihilc̃ in ſtatu & magnitudine ſua naturali relinquente. Quod ſi affectus cõtinuo, ut ſolet,exurgat,& inuocatus atque inexpectatus irrumpat & inuadat inuitos,id tamen crebra meditatione & uſu perceptum habere nos et firmum oportet, ut nos ſuſtineamus, nec ſinamus ab affectu auferri: moram̃ que actioni demus, ne impetu ſuo cogitationi & conſilio anteuertat, ut præpoſtero atque inuerſo rerum ordine, tum demum cogitationi demus locum, quum res eſt iam peracta: & nos eò progreſſi, unde integrum non eſt redire, nec aliquid eſt conſilium & ratio & cogitatio profutura. Itaque reputet apud ſe & externa & interna, quid ſibi & ſuis ultio elt commodi allatura,quid incommodi. Quanta eſt illa animorum cæcitas,quàm rapidus & præceps impetus, quantus egreſſus ab homine ratione prædito, & degeneratio in feram rationis penitus expertem? non poſſe hominem, quum ad lędendum aut ſe ulciſcendum conſurgit, uel breuiſſimam ab ſe moram impetrare, dum æſtimet atque expendat, quantum idem ipſe damnum eſt accepturus ex eo ipſo damno, quod alteri feſtinat factum. Si non ipſe, at ij quos non minus uel habet,uel certe habere debet charos quàm ſemetipſum,parentes, patria, fratres, filij,nepotes,cognati,affines,neceſſarij,ciues,denique ipſa religio, quamunam omniũ decet unicuic̃ noſtrũ longe eſſe chariſſimã & cõmendatiſſimam. Hinc poſt aſpectum rerum externarum oculos iam in ſemetipſum conuertat,et in cõmunem conditionem. Platonem,quoties in hominũ uicia ac errores incideret,ferunt ex ſeipſo ſolitum percontari, Num & ego ſum talis? Quòd ſi ipſe in eiſdem peccaret, turpe exiſtimabat non ſe eo uicio purgare,quod in alio deforme eſſe arbitraretur, potius quàm alteri illi ſuccenſere. Quis ferat furem alienis furtis uehementer offendi, & latronem in latrocinia animaduertere? Diogenes Cynicus, quum cœnoſis pedibus ſtrata Platonis triclinia calcaret, rogatus quid ageret,Calco, inquit, Platonis faſtum. At, inquit Plato, calcas hunc faſtum meum,ſed faſtu tuo. Quoties id nobis uſuuenit in uita,ut faſtum calcemus faſtu, & alienam iracundiam uelimus cohibere noſtra? & quæ ſunt per immodicum animi feruorem peccata, nos alio animorum feruore puniamus? Quale eſt te eam ueniam alijs negare,quam toties habes petendam? aut,ut uicia diligenter occultaris,certe uenia indiges, ſi non ab alijs, quia flagitiorum tuorum ſunt ignari,utique à tua ipſius conſcientia, quę omnia intuetur.ſed non eadem in te crimina admittis,at non diſſimilia, & forſitan grauiora. nam ſunt, qui in ſua tantum præſentia intuentur, ut ſi non idipſum quod alij delinquant, pro innocentiſſimis haberi ſe ac inculpatiſſimis poſtulent, etiam ſi alia ſingulis horis ſexcenta flagitia & ſcelera deſignent. Sed in hoc ſibi humana ſuperbia mirifice indulget,ad alios ſeuera et rigida: ut uulnera quæ ipſi facimus,punctiuncula exiſtimemus. ſi alij nos pungant, uulnera eſſe cenſeamus, deorum atque hominum fidem exclamantes. noſtra conuicia,leues iocos:aliorum iocos, non ferendas contumelias, & dignas animaduerſione noui exempli. quod potiſſimum habent homines dicaces, ut ipſi in alios, quæcunque uiſum eſt dicta libere dicant, id̃ que impune ſibi eſſe æquum exiſtiment,ipſi dictorum & iocorum impatientiſſimi. nam ſi quis eos uel leuiſſime perſtringat, ita excandeſcunt, tanquam fortunæ ſint omnes, & caput impetitum. Ita nullos uideas crebrius iraſci,nec acerbius, quàm qui alijs materiam & occaſionem præbent excandeſcendi. nec alij maiores edunt turbas, quàm ij à quibus initium turbæ eſt exortum. Peccamus omnes,erramus,labimur,delinquimus alij in alijs,nemo non in aliquo. Ignoſcamus inuicem in culpa communi, imo uero ignoſcat quiſque alijs in culpa perſæpe ſua ipſius,non illorum. Quod ſi quis altius eſt in gradibus ſapientiæ ac iudicij prouectus,ut aliorum hominum errores uideat, & ipſe minus quam alij delinquat, quid alijs indignatur,quod non idem præſtent,qui non idem ſunt facultatis ad bene ſentiendum ac uiuendum conſecuti? uin'tu tantundem illum efficere, qui non tantum poſſit? Is uero grauiter eſt caſtigandus qui tam parum pręſtat,quum tam multum ſit nactus.

M. Cato

M. Cato Cenſorius uocem ſępenumero emittebat plenam fiducię ſui, quam ei non arrogantia dictabat, ſed rectiſsima conſcientia, oportere alijs ueniam dari, ſi peccaſſent, ſibi non item. nam in illis quæ deliquiſſent, uel inſcitiæ, uel impotentiæ affectuum deberent uideri imputanda, in quorum poteſtate adhuc eſſent. ſe uero ſi peccaſſet, malitiæ eſſe, non ignorantiæ, aut animi cõcitati. Idem, quum in uictioria fugientium hoſtium tergo inſtaret, & ex cæſis quendam cum opulenta præda iacentem uidiſſet, ſequenti ſe dixit armigero, Tu hunc ſpolia, qui non es Cato. uidelicet non rebatur idem ſapienti Catoni licere, quod cuilibet militum. magnas compedes iniecerat ei ſtudium probitatis, quibus alij propter ignorantiam & corruptos mores erant ſoluti: ſed ita ſoluti, quemadmodum qui uiuunt ſine legibus, ignorantia humani iuris: ut quantum ab ſtultitia uir ſapiens ſoluitur, tantum à ſapientia colligetur. Ecquid poteſt dici dulcius aut felicius, quàm ignorantiæ uinculis liberari, uinciri ſapientia? quàm libenter hiſce nodis innecterer, ut illo ergaſtulo liberarer ſtultitię? Quocirca ſtudioſus ille ſapientiæ iam deinceps plus à ſe exigat: & quia plus poteſt, & ut in arte cui ſe addixit, dedicauitque, exerceat. maiores illi quotidie in ea fiant progreſſus, quo ſe altius à ſolo & à uulgaribus ſenſibus ſuſtollet ac uindicabit. Tum rurſum acutius eam intuebitur, quam nos ſedulo ante oculos propoſitam habere conuenit, hominum naturam. uidebit animal infirmum ac mutabile. & quam ueniam haberet aut ægris, aut pueris, aut fatuis, eandem cuiuis hominum concedat. quibus enim alijs humanæ omnes ſocietates conſtant, quàm ignorantia pueris, ſtultitia fatuis, potentia inualidis ac infirmis? unde ea ſunt omnia, ob quæ indignamur, & quas iniurias nominamus, uidelicet uel ex ignorantia eorum qui & faciunt iniuriam, & qui ſe dicunt accipere. alij nec tantum aſſequuntur, ut quid ſit iniuria, intelligant, quid alteri nocere, quid ſibi. ita dum ſe alios credunt lædere, ſibi potius quàm alijs officiunt. Alij minus habent uirium, quàm ut animum effrænem & impetu ſe aliquo irruentem continere poſsint ac ſiſtere, ut qui ſe per pronum deiecerunt, qua exinfirmitate impotentes nominantur. Eſt in ijs cui ætas nondum attulit iuſtum robur, ut puero: eſt cui robur excluſit imperitia: eſt quem eneruarunt delitiæ, quales ſunt locupletes, & homines fortunæ fauore in peius refícti. alium inflauit uanum potentiæ nomen, alium rupit indignatio, alium contudit deſperatio, & confregit. hæc damna per humanum genus uagantia homines, ut malos efficiunt, ita etiam miſerabiles, dum grandi ac forti teſtudine quatiuntur muri tam fragiles & caduci. Quod ſi cui in aſcenſu ad ſapientiæ faſtigium multum eſt profectum, quàm pulchra & magnifica erit huiuſmodi perſona ſapientis? quàm uelut imago quædam numinis expreſſiſsima inter homines uerſabitur: quantum illi gaudium quum ſe contemplabitur à uiolentis dominis, ut Sophocles inquit, liberatum aſſertumque, nempe animi affectionibus & morbis ſæuiſsimis tyrannis, qui non ſolum ipſi in quemcunque animum inuaſerint, importuniſsimum exercent dominatum, uerumetiam efficiunt, ut is ipſe animus tyrannidem in alios affectet, & quatenus poſſit exerceat, ſimul, quo nihil eſt monſtroſius, grauiſſimus dominus & ſeruus abiectiſsimus. Hinc uidebit ſe errores illos iam elapſum ac eluctatum, inter quos alij adhuc cum præſentiſſimo diſcrimine, tanquam inter rupes aſperrimas, in magnis tempeſtatibus conflictentur. Intuebitur ſub ſe alios miſere circa res inaniſſimas laborantes & anxios: ipſe, ſicut Statius inquit,

Celſa mentis abarce
Deſpicit errantes, humanáque gaudia ridet.

In ſe uero reductus & cæteris altior, tantum ab eorum curis ac cogitationibus diſtabit, quantum uidens à cæco, ſanus ab ægroto. nec aliter gaudebit, quàm ex ſeruitute poſtliminio quodam reuerſus in patriam, aut primis illis ueriſque naturæ natalibus ingenti aliquo beneficio reſtitutus. Nec magis alijs indignabitur ac ſuccenſebit, quàm ope aliqua dei ex tempeſtate in portum adductus ijs qui adhuc in medijs fluctibus uiolentorum ac maris iactantur. itaq; miſerebitur, adiuuabit, quacunq; poterit ope, opera, uotis. Quis enim naufragus aſtans iam in littore, & alios in undis adhuc cernens agitari, illos uel pede, uel contis introrſus retrudit? & non potius ipſe aliquo uſq; in ipſum mare ingreſſus, quantum ei ſaluo capite licet, manu prehendit, ut in ſiccum trahat: aut tabulas & perticas

porrigit, quibus innixi ad eandem perueniant salutem, in qua se ipse iam constitutum esse lætatur. Ita uir hic sapiens ascendentes non detrudet pede, non cubito. Quid enim alienum est magis à sapientia & probitate, quàm inuidentia, quàm liuor? Sed ijs porriget manum, & gradum fulciet, & quatenus incolumi sapientia licebit, se demittet, ut alios eòdem perducat, quò ipse iam peruenit. In quo statu animi sui, quem rectissimo & firmo iudicio approbarit, uti se conseruet, quantamcunque poterit operam ponet. nec quicquam existimabit accidere sibi miserabilius posse, quàm tanto ex fastigio deturbari, & ex quietissimo portu in tempestuosissimum oceanum retroagi. Quanquam difficile factu est, ut qui semel beatitudinis illius gustum cæperint, ad sordes & acerbitates pristinas ullo impulsu relabantur. Primùm enim tranquillitas in illa animi sublimitate erit, & pax & æquabilitas tanta, quanta est in excelsis illis rebus, & hunc turbulentum aerem excedentibus. nam quo quæque res est altior, minus ad eam penetrant & pertingunt hi motus, quibus inferiora hæc continenter percelluntur, quanta est in cœlis ordinis constantia, ut omnes definita lege per æuum decurrant: nec ulla sit tot seculis uarietas, aut perturbatio, sed placida semper tranquillitate cursus ac conuersiones suas conficiant. cœlestia semper

Inconcussa suo uoluuntur sidera mundo.
Fulminibus propior terræ succenditur aer,
Imáque telluris uentos tractúsque coruscos
Flammarum accipiunt. nubes excedit olympus
Lege deum, minimas rerum discordia turbat,
Pacem summa tenent.

Quid est deo stabilius aut firmius, qui in sancta illa sua maiestate immutabilis moderatur admirabili sapientia mundum uniuersum? & sapientis hominis mens, tanquam terrestre quoddam numen felicissimum, altior est motibus atque agitationibus, quibus expositi sunt atque obnoxij sensus hominum rudiorum. effictórque diuinæ illius naturæ ac æmulus, non aliter iniuriam sibi posse fieri arbitratur, quàm deo, cui nihil potest suum adimi. Ita ille, qui sua bona omnia in se uno posita esse ducit, semper sua secum circumfert, ut philosophũ illum Græciæ ferunt respondisse: quæ eius sunt generis, ut illis nec iniici manus possint, nec noceri. quo animo, qua fiducia Socrates, quàm securus sui, Me inquit, occidere Anytus & Melitus possunt, lædere nõ possunt. Nec est aliud certius magnitudinis argumentum, quàm uulgaribus istis non permoueri, tanquã altius se sustulisse, quàm quò se erigant ac perueniant ea, quæ semper circum humum repunt, turbulenta, uaria, iniqua, inconstantia. Doctrina uiri, inquit Hebræus sapiens, per patientiam noscitur: & gloria eius, iniqua prętergredi. Quid uel ad inspicientes admirabilius, uel ad usum uitæ dulcius ac beatius, quàm eiusmodi quies tam æquabilis, & perpetua? Cuius pulchritudo & felicitas, quum ex seipsa intelligitur ordine, constantia, firmitate quadam cum alacritate & lætitia, tum ex contrarij motus agitationibus, tormentis, & perspicua miseria. In ea igitur uir sapiens, ubi collocatum se uiderit, omnem nauabit operam, ut sistat & confirmet ijs cogitationibus, quas superius dixi: atque illa rerum omnium expensione, ut non amplius cuique tribuat, quàm illa est, & à bene iudicantibus censetur. se uero quantum facere atque eniti poterit, muniet undique, & consepiet, ne quid eò peruadat, quod sublimem illam tranquillitatem interpellet: id est, ne ex felicitate & ceu diuina quadam uita in pristinas hominum miserias retrahatur. Ita erit paratus & eo se loci constituet, ut altior sit, quàm ut illuc penetrare possint humilia hæc in humanis rebus uolitantia iacula, & insultantia capitibus hominum pumilorum: tum etiam armatior erit, quàm ut penetrent, etiam si pertingant, ut sit, quod præclare Tertullianus dicit, iaculum in uirum fortem missum, redit ad mittentem. & quum ideo te lædit, ut doleas, si non doles, fructum ille iniuriæ amisit: ita tu abibis illæsus, & delectatus aduersarij tui dolore. Qui in aliquem dicit, dolet se dictum perdidisse, quod non intelligatur. quanto magis perdit, si intelligatur: non tamen quo mittebatur, hæreat. Nam illic dictum est neglectum, quia non intellectum: hic uero & dictum et dicens ipse negligun tur, seu contemnuntur uerius. Mollia oportet esse & multo tenerrima, quæ leui aura

uerbi

uerbi agitantur, quæ ablationem rei quæ nos non attingit, ſentiunt, ut flocci & ſtipulæ, quę ex ſubito commouentur: uel ſi quis aſſurgat, aut ueſtem moueat, uolitant. Quid illa, nō aſſurgere, nō nudare caput, ſic aut ſic ſalutare, hoc aut illo loco recipi, et alia quę huiuſmodi ſunt, ut quum leges & iura ciuitatum, concordiæ, ciuium maximopere conſultum uoluerint, negligenda tamen duxerint, tanquam uel minora, quàm quæ poſſent cernere, uel leuiora quàm pro ſua cura. Ergo aliquis adeo erit delicatus & tener, ñſce ut conturbetur ac permoueatur morbis, quos propter eorum tenuitatem medicina contempſerit, ac præterierit? indignáque iudicarit, de quorum ſanatione uel uerbum unum perderet? Maius eſt robur ſapientiæ, quàm ut tam exiguis & leuiſsimis cedat impulſibus. Socrati, Platoni, Diogeni & alīs philoſophis, nō ſolum in his leuiculis atque inanibus, uerùm & illis rebus quas uulgus pro intolerandis habet iniurīs, quies & tranquillitas ſuppetīt, etiam uſque ad hilaritatem, ut in ea illi iocarentur & luderent, quæ alī per diſcrimen orbis totius ducunt uindicanda, uſque adeo non tantum leuia eſſe cenſebant, ut negligerent: ſed humilia, ut contemnerent: inepta & puerilia, ut riderent. ſcilicet tectus ille tanto clypeo ſapientiæ, exit in uitam & hominum cœtus, tanquam in magnam quandam & confertam turbam, uel in nauem uectoribus plenam, agitatam & concuſſam undis, & flatibus uentorum, in qua non oportet iraſci eum, ſi impellatur, ſi pede, ſi cubito pulſetur, ſi aſpergatur unda, ſi peruomatur à uectore proximo. Loco & tempeſtati ſunt illa imputanda, non hominibus, qui eo tempore aliud uel neſciunt agere, quia non didicerunt: uel non poſſunt, quia in aliena ſunt poteſtate, non in ſua. Sic homo ſapiens, quum domo egreditur, imo uerò domi quoque & in lecto ſuo ſcit ſe inter ſuperbos uerſari, ut ferenda ſint ei inſolentia, faſtus, iniuriæ. inter iracundos, ut clamores & conuicia atque etiam plagæ. inter inuidos, ut obtrectatio & maleuolentiæ argumenta, & uirus illud pectoris ac linguæ. inter dicaces, ut dicta & aculei, & ſcurrilis procacitas. inter rapaces, ut furta. inter rudes, ut inertia. inter ineptos, ut moleſtiæ & putida uel facta, uel dicta. inter inſipientes, ut ſtultitia. inter hebetes tardósque, ut torpor ac ſocordia. Denique in omni genere uicij, ſtultitiæ, imprudentiæ, quibus omnibus non eſt aliter ignoſcendum, quàm affectis in magno aliquo ualetudinario iacentibus. Et quum prælcius ſit, ſe omnia hæc reperturum, uiſurum, experturum, nihil tanquam nouum admirabitur, unde animo ſolicitari poſsit, aut angi. Dabit quidem operam & elaborabit, ut ſanet, ſi quos poſsit: ſed ita, ne dum eos curare ſtudet, ipſe in illum ipſum eorum morbum incidat. miſerabitur illorum ſortem, & affectus extrà proſpectabunt: non ſe introrſus reflectent. neque enim ſua dolebit cauſſa, non incendetur, non uociferabitur, non indignabitur, non feriet tanquam ipſe indigna paſſus, quæ omnia iudicabit eſſe ab illa ſua tam præclara, támque magnifica perſona multo alieniſsima. nec ullam exiſtimabit eſſe cauſſam tantam, propter quam ad hæc impellatur, ut tanto ex culmine deſcendat. C. Cæſar dictator reſiſtenti uoluntati ſuæ Metello Tribuno plebis: Nunquam efficies, inquit, ut iram Cæſaris mereare. O' uocem ueræ magnitudinis in falſa. Ergo Cæſar, quòd Pompeio ex Italia profligato armatas in urbem legiones induxerat, tantum aſcendiſſe ſe credet, ut potentia inferiores indignos ira ſua cenſeat: ſapiens hic, qui altius uulgari hominum faſtigio per ſapientiæ gradus eſt euectus, non idem uerius atque efficacius exiſtimabit? quem ad culmen rerum humanarum non ſigna & armatæ latronum cohortes, ſed uirtus Deo ſimilima ſuſtulerit. Atqui illam ipſam ingentis animi uocem magis ipſi Cæſari congruere arbitrarer, poſtquam uictor armis poſitis, & republica conſtituta, clementia & beneficijs ſuperaſſet, quos prius armis & exercitu. Tum demum princeps in ſua ciuitate iuſtitia & moderatione regens ac temperans ſeipſum & reliqua omnia dicat ſuis ciuibus, Iram Cæſaris non merebimini. non quòd indignum ducat unius hominis ſanguine contaminari legiones aduerſus Pompeium & Senatum, & maximam ciuium partem in Italiam traductas: ſed quòd indignum ſit, iraſci ſanum ægris, ualentem inualidis, ſapientem ſtultis. eum qui ratione, qui iudicio regitur, ijs qui ſe totos animi concitatis affectionibus permiſerunt. Nam ſi quem ea magnitudine decet reliquos antecellere, profecto eum eſſe principem oportet. alioqui quomodo uel equum, uel bouem, uel nauem reget, qui non plus habeat mentis & iudicij, hoc eſt,

facultatis ad regendum, quàm bos uel equus, uel etiam malus, aut codex aliquis nauis. Illa demum est magnitudo uera principis, melius de rebus statuere quàm uulgus: & primum omnium seipsum moderari, qui tot millia habet in sua potestate. Ex hac magnitudine non facile deiciet se aut descendet princeps ira & discordia cum alijs, ne se in ordinem redigat, & priuatum reddat ex principe. Nam facit se aduersarium qui contendit: & ut uinceret, par fuit. Quid est porro aliud uerus princeps, quàm uir sapiens cum publica potestate: ita ut inter principem & sapientem in potestate erga alios quidem fortassis aliquantulum, in iudicio uerò ratione, mente, consilio, uoluntate nihil interfit: & hoc præstat homini in homines sapientia, quod homini in bestias ratio: ut quemadmodum per rationem uitatur belluarum impetus, domatur contumacia, cicuratur feritas: ita per sapientiam facile & tuto uersetur quiuis in tanta uiciorum importunitate & immanitate scelerum. Qui infirmus est, cui nihil accessit roboris ex sapientia, si ea consideret, quæ quotidie in humano genere designantur, syluas forsan & solitudines tanquam perfugium tot malorum quærat. Sapiens uerò & constans, nec uiolentiam scelerum reformidat, nec turbæ in se incurrentis ictus sentit, nec contagia conuersationum timet, nec iter suum ad eos aditus flectit, quos ipsa præbet turba circumstans & premens. neque enim aut dicentibus, aut irascentibus, aut minantibus, aut quo alio morbo percitis se accommodat, ut ea flectat modos actionis suæ, quod est quum infinitum, tum uerò hominum anxie ac miserrime uiuentium. Subinde enim ex transuerso existit, & in nos fertur, qui nos à proposito dimoueat: & qui proximo relicto, seruire sibi nos cogat. quòd si spectet & sequatur sapiens, nihil illi esse unquam poterit statutum de uirtute. & fit, ut dum inseruire cupis uni, & unius offensionem uitas, offendas duos, sæpe etiam plures, atque adeo illum eundem cui te uendicabas. Quamobrem magnus ille uir in quietam iam & tranquillam sapientiam compositus, electa semel uirtutis & sapientiæ uia, eam tenebit perpetuo rectam & simplicem. Si in ea sint semitæ, qua ingrediatur commodius, malet ambulare per siccum, quàm per cœnum: & planam eliget, relicta saxosa: & in ea non incurret ultro inuenientem ex aduerso, sed cedet de semita, quamlibet commoda, per quæ lutum iter faciet & lamas, modò ne extra uiam, ut non illum aut offendat, aut lædat. quòd si ille ita se opponat, ut si nolit eum detrudere atque amoliri, omnino sit ei de uia egrediendum, non curabit offensiones aliorum: culpam enim esse sibi præstandam sciet, non casum. Et tam procul ab hominum erroribus sublatus, indignum loco illo & magnitudine fecerit, si aurem demiserit, ut istas uoces humiles audiat, & leues ac inanes colligat rumores. Nec unquam pluris iudicium aliorum faciet, quàm suum quid de se alij sentient, minime sollicitus, conscientia mentis suæ acquiescet. An non absurdissimum est, ualentem nec credere, nec curare ægri iudicium de saporibus, pictorem populi de imaginibus, musicum de carmine & concentu, sapientem uerò sollicitum esse, quid de sapientia stultus sentiat? Et quandoquidem conscientiam suam uir sapiens uidet, optime de uita & omnibus actionibus arbitrari atque statuere, illa erit una contentus: pluri sque illius uocem ac testimonium æstimabit, quàm amplissimum theatrum refertum stultitia opificum & turbæ popularis: quam non distinguo censu aut uestibus, sed iudicio & sententia de rebus. Quapropter per omnia uagatus tantus uir, & assecutus quæ sit hominũ cogitatio, qui sensus de uita, quàm iniquè de rebus iudicent, quàm maligne optima interpretentur, quàm mala ex suo quisque affectu: denique quid possint hæ uoces laudantium aut uituperantium, unde profectæ, quo pertineant ac pertingant: gloriam & sermones hominum non pluris apud se faciet, quàm uoces psittacorum, qui quæ non intelligunt, loquuntur, aut reddunt, quæ ab alijs accepere: & quod ad ueram sublimitatem magnitudinémque unum deerat, depositis nugis & leuitatibus nostrorum errorum, ad postremum gloriam quoque abijciet, & pro nihilo ducet. Ita perfunctus externo omni bello, à nullo extrinsecus hoste amplius impetetur ac infestabitur. tum uacabit illi curas omnes ab externis ad interna conuertere, & ciuilem acerbissimam discordiam, quam in pectore suo semper secum circumfert, quo pacto mitiget & componat, quærere. Nam ne putet deuictis externis hostibus debellatum sibi esse, alij restant domi superandi multo quàm illi externi

acriores

acriores atq; immaniores, qui affixi hærent uiſceribus, nunquam nos relinquũt, ſemper occaſionibus ſuis intenti atque imminentes, imo uerò occaſiones ipſi ſibi faciunt, & undecunque arripiunt. modò aperta ruunt pugna, modò agunt cuniculos, qua ſe inſinuent: modò conglobati iuſta acie decernunt, & quaſi collatis ſignis. interdum ſinguli aut manus aliqua excurſiones facit, nullæ inducíæ, nulla interceſſatio, nulla quies, aut certe multo breuiſsima. Et ijdem ubi coegerũt totam ciuitatem tumultuari, proruunt ſe foràs, atque externum bellum ſuſcitant è ciuili. Hi ſunt ignoratio, imprudentia, affectuum tyrannis, & rebellio uiciorum, & ſcelerum ſordes atque ſpurcitia, morborum dolores, corporis imbecillitas, & tot neceſsitates, curæ, ſollicitudines parandi res eas quæ uitæ ſunt non modò in diem neceſſariæ, ſed in horas etiam. O miſerum hominem, domi hoſtes hos habes, & alios foris quæris, quibus cum pugnes? num non iſti ſatis tibi negotij exhibent duri, acerbi, perpetui, ut alios tibi uacet curare, & ulciſci? ceu quis peſte ictus, ciuitatem circumeat chirurgum requirens, qui malagma uel epiſpaſticum adhibeat reduuię. Contra hos ergo uires omnes ſapientię aduocabit. Nam & robur paci reipublicæ circundabit, id eſt quieti animi, ne poſsit illorum motibus ac tumultibus perturbari. & modeartione illos ſepiet, ne ſe effundant foràs ad uicinas & ſocias ciuitates, hoc eſt, ne homines lædant quos miníme omnium oportet læſos, nempe coniunctos nobiſcum, & confœderatos naturæ & Dei uinculis pactiſ que: tum prudentia ac conſilio domabit ac leniet præferuidos illos ac feroces, ut iram: & excitabit ſegnes, ut hanc corporis noſtri molem: uel retundet pertinaces, ut ſuperbiam ac inuidiam: erudiet imperitos, ut ignorantiam. Deníque dabit operam, ut alios, quos expellere nulla poterit ratione, uelut neceſsitates & infirmitatem corporis, cõmodos quieti ac iuſtitię ſuæ reddat. quoſcunque autem poſsit, uel tollat, ut inuidiam atque arrogantiam: uel quàm longiſsime arceat & excludat, ut iram & ſegnitiem, & curas anxietatémque corporis tuendiò. quantum habet quiſq;, quod agat domi. ut plane cõtingat nobis, quod Plutarchus de Lamijs ſcribit in libro de Curiolitate, quę domi cæcę nihil cernunt, foris autem oculatæ & acutæ omnia. Quæris pacem, abs te ordire. quęris bellum, domi habes. quàm appoſite Iob hominis uitam quam hic trãſigimus, militiam nuncupauit. uides ne homo manifeſtum te deſtultitia teneri, quum belio, imo perpetua pugna, quam intra te geris, et àqua in ſummum quotidie diſcrimen mitteris, neglecta, alienis te admiſces. Huic noſtræ orationi audio multorum deplorationes ac querelas adiunctas, quod uictis, profligatis, proditis, deletis prorſum externis hoſtibus, quum ad inteſtina diſſidia oculos reflectunt. pacémque domi cupiunt conſtituere, maius ſubinde inter manus ſuccreſcat bellum, his aut illis irritatis, dũ alios leniunt, mitigant, cõprimunt, coercent. Cuius rei exempla ſunt crebra in omni genere humanæ philoſophiæ: ſiue quis in Græciæ ſapientes intueatur, ſiue in Romanos, ſiue in gentes illas quas Græci barbaras nominabant, Aegyptios, Aethiopes, Chaldæos, Perſas, Indos. Illis enim poſtquam & hominum uoces, & iniuriæ, & contumeliæ, & fama, & morbi corporis, & neceſsitates, & uita ipſa, & omnia quæ pro charis uulgo habentur, erant contempta & ſuperata, intra ſe in ſuis ipſorum animis alij à ſuperbia uexabant, dum omnes tanquã pecudes ipſi homines deſpiciũt. alij conſtricti tenebant ignorãtia rerũ cognitu digniſsimarũ, aut quas homini turpe eſt neſcire: alij circa res leuiculas magno erãt conatu detenti atque occupati. alij ſemper irati, alij ſemper mœſti, alij nunquam non læti, alij profuſi in riſus & cachinnos, & quidem cum irriſu generis humani, alij reſoluti in lachrymas & cõtracti dolore: alij hoſtes publici hominum, infenſi omnibus, & omnes rabie quadam proſcindentes: alij uanis ſomnijs territi, alij temeraria confidentia in omnia irruentes. alij mira cæcitate confundentes omnia rerum diſcrimina. alij nimia ſubtilitate nihil non diſcriminantes, alij ſingulari ſocordia nihil rati eſſe deum, alij ridicula ſuperſtitione nihil non eſſe deum, quæ omnia etiam pueris ſunt nota & decantata. quibus è rebus fiebat, ut dum ab externis ueniebant ad interna, rurſum hæc illos in externas inimicitias mitterent. ita nec ulla erat intus pax, nec externa diuturna. & quies illa uitæ magis erat ſimulatio pacis, quàm pax uera: nam ſpecie uidebantur homines non curare, intus uerò acriter mordebantur. & qui homines negligebant, etiam oderant. ergo pax erat non ex amore & charitate mutua, ſed quod ad iniu-

riarum

riarum ſenſum occalluiſſent. uel hunc affectum iræ diſſimulabant, dum alteri ſeruirent maiori, nempe gloriæ ac ſuperbiæ ſuæ. quæ ſi contingebant hominibus ſapientiæ ſtudioſis & ſectatoribus, imò uerò ſapientiam ipſam miro omnium fauore iam adeptis ac profeſsis, quid oportet uſu nobis euenire hominibus de plebe nec illis ingenijs prædi-tis, nec tanta diligentia ac ſtudio? Ita ut id bellum ineuitabile infinitum eſſe quidam cen ſeant, & uictoriam nobis nulla arte aut uiribus parabilem. & certamen adeò cum homi-num natura & cõditione connexum, hoſtemq; ita inſuperabilem, ut furori ſimile uidea-tur uictoriam ſperare. Profecto homini hoc rerum ſtatu ſine diuina ope impoſsibilis eſt. Et ueteres illi ſapientiæ ſtudioſi, exiguum quendam lucis radium, quem nemini diuina bonitas negauit, procul intuebant. ſed paulum modò ſi aciem atque intentionem illam cogitationis remiſiſſent, in has tenebras recidebant, quas ſecũ humanus animus malicia contaminatus circunfert. dúmque tam longe abeſſe ſe à lumine uiderent, deſperarunt ſe unquam effecturos, ut propius rebus ſuis admotum opera atque actiones ſuas omneis illuſtraret. Itaque ad ſe reuerſi, à ſeipſis opem petierunt, quum à ſolo erat lumine ſperan-dum. Quapropter mirandum non eſt illos parum fuiſſe fortes ad ſuſtinendum illud bel-lum, quum ab eo peterent ſuppetias, qui dare non poterat: nempe quiſque à ſeipſo, ab hu mana ſapientia, id eſt, ut homini peſte ſaucio prodeſſet alterius hominis eodem morbo infecti ſanies. Nam quum remedium corruptæ ac deprauatæ humanæ ſapientiæ quære-retur, quomodo ab ipſa eadem ſapientia quę ægrotaret, petebat? quaſi uerò in morbo in-eſſet medicina: aut quum inualidus opem poſceret, ipſe alium iuberetur adiuuare. Ceci derat humana ſapientia, & nos illius manus ſpectabamus, ut attolleremur. Idcirco quod tantopere concupierant, non ſunt conſecuti, quippe qui tanquam à pumice aquam requi-rerent, & ſalutarem liquorem à fonte corruptiſsimo. Nobis uero qui nõ ignoramus, un-de ſit ſubſidium accerſendum, facilius erit externo bello perfunctis internum & gerere & conficere. Quę que homini ſunt impoſsibilia, fient nobis poſsibilia in Deo per Chri ſtum. Quàm iuuat me eccleſiæ totius nomine poſt illam querimoniam, Infelix ego ho-mo, quis me liberabit de corpore mortis huius, cum Paulo exultantem exclamare? Gra tia dei per Ieſum Chriſtũ. Nam quod impoſsibile erat Legi, in quo infirmabat per car-nem, Deus filium ſuũ mittens in ſimilitudinẽ carnis peccati, de peccato damnauit pec-catum in carne. Primum omnium ſapientiam illam qualemcunque, de qua ſum locutus, quantum in nobis erit, confirmabimus, & uſu ac conſuefactione dabimus operam, quo firmas in noſtris pectoribus radices agat, ceu gradum ad excelſam illam & perfectam: tum altius erit unicuique aſcendendum, nempe corrupto ad incorruptum, cęco ad uiden tem, ſtulto ad ſapientem, ignaro atque improuido ad ſcientem & prouidum, lapſo ad ſtantem, corrupto ad incorruptum. quòd ſi humana feciſſet ſapientia, profecto quò tanto pere cupiebat, peruenisſet Id quod tandem Socrates moriẽs utcunque intellexit, quem-admodum multis eſt uerbis à Platone explicatum in Phedone, ubi uir ille conſenſu at-que opinione Græciæ ſapiens, diſcipulos ſuos è uita migraturus hortatur, ut ſapien-tiam, quam tantopere expetierunt, à ſolo Deo accepturos ſe ſperent, non ab hominibus: longe ſanctius ſublimiúsque apud charos ſibi homines uerba iam faciens, quàm fece-rat ad rudem iudicum populíque Athenienſis multitudinem. Ergo primùm omnium ueniet in mentem huic noſtro, qui ad meliorem ſapientiam informatur, ſanctæ illius & admirabilis Dei maieſtatis, cuius reſpectus in humanis pectorib. motus illos ſubitos & legi ac rationi parum obtemperantes coercebit, uinciet, reddétque tranquilla omnia & ſerena: & efficiet ut cũ hominib. concorditer uiuamus, non quaſi cum canibus aut fe-libus ex contemptu, ſed tanquam cum paribus et ſimillimis ex charitate. Nam in illo au thore rerum omnium, quum alia intuebat magna & præſtantiſsima, tum illud quòd in-credibili ſapientia et æquitate mundo præeſt, et occulto ſuo cõſilio ſingulis ea diſtribuit, quæ uidet cuiq; maxime conducere. Nec eſſe aliam credet in rebus fortunam, non alium caſum, non fatum, nõ Parcas, non neceſsitatẽ, non Adraſtiam, nõ Nemeſim, & alia quæ uetuſtas imperita in illa cęcitate ac nocte ex ijs quę uidebat confinxit, quũ cauſſas igno-raret, illa omnia eſſe Deum unum, eásque appellationes ex operibus ſortiri, quemadmo dum etiam eſt à nonnullis gentiliũ proditũ, Seneca Soico ex placitis ſectę, & Ariſtotele

Peripa-

Peripatetico. Sancti uiri diuinę naturę & intelligentia & amore cõiunctissimi, grauia atque acerba perpessi, in hac uita nunquam de fortuna, nunq; de casu aut fato sunt questi: ad deum lachrymas & querelas omnes cõuerterunt. illum ubi nominassent, fortunam se & fatum & reliqua ab ignoratione uulgi distincta inter se ac separata comprehendisse existimabant. cuiusmodi ut exemplo dicam, fuerunt Iob, Dauid, Thobias. in quorum, plurima quum sensissent aduersa, querimonijs nunquam est uel fortunę nomen auditum, uel fati: semper dei omnia & potentis, & uidentis, & dispensantis. casus ergo humanos moderatius feremus, quum persuasum habuerimus, ab illo administrari & proficisci omnia: illum ad sua opera nullius ministerio indigere, multorum uti. alias cœlorum ac siderum, alias elementorum, alias hominũ, quos Paulus ministros iustitię dei facit, quum dicit principes à deo missos ad uindictam malorum, laudem uero bonorum. Et Dominus noster ad tribunal Pilati adductus, id est iudex ad tribunal rei sui, docet humanũ genus hominibus in homines uel ad lędendum, uel ad iuuandum uires diuinitus dari, non à seipsis. Quis porro ministris irascitur, & non illi, à quo iussi aliquid faciunt? Quòd si deo irasci grande est nefas, an non etiam nefas erit dei ministris succensere, quos ille aliquod obire munus iusserit? et si omnia inter homines iudicio sunt et ęquitate illa diuina distributa, quis potest sine scelere id inuidere alteri, quod illi munere ac beneficio dei obuenerit? qui prætorem aliquem ab imperatore factum indignum dicit prætura, an nõ is imperatoris iudicium reprehendit? Magnæ inijciuntur per has cogitationes inuidiæ ac iræ compedes, non extrinsecus, ut à legibus per minas pœnarum, sed intrinsecus earum causis atque originibus extenuatis ac prope extinctis, etiam reuulsis radicibus & fibris. uincientur quoque celeres & promptæ manus, quum reputarit esse illum non remuneratorem solum ac iudicem, sed eum qui sibi iudicium uelit omnium relinqui, precium, æstimationem uel recte factorum, uel secus. Ita conuenit ineffabili iustitiæ, ut omnia sint æqua & certa. Nam nos quàm raro non fallimur, dum de iniuria iudicamus? hos error popularis & recepta persuasio seducit, illos concitatus affectus & ob oculos mentis offusus, ut omnia uideantur maiora spectanti quàm re ipsa sint, nõ aliter quàm ijs qui per nebulam intuentur. Est enim ira, sanguinis circa cor ebullitio, unde fumus per cerebrum diffunditur, ut irato iam nõ ex uero species rerum animo obuersentur, sed ex concitationis uiolentia: quod & in omni alia perturbatione usuuenit. Ergo ipse quum de te non iudices, uis alium iudicare? postulas, ut habeas alium in tua potestate, qui te non habes? Olim uiri quidam de studijs sapientiæ clari, quum seruis suis essent irati, sumere de illis supplicium superfederunt, quòd metuerent ne non pro ratione id facerent, sed pro animo commoto ac perturbato: nec iudicium esset norma actionis, sed dolor & acerbitas animi ex sua sede ac potestate egressi. Cędetu ô Speusippe, inquit Plato, prauum hoc mancipiũ. Nã ego irascor. & Architas Tarentinus uillico, Quàm te duris modis acciperem, ni essem iratus. Idem ille Plato quũ ipse sibi uir illis in sapientia progressib. fidem derogasset, nec animo tantũ crederet, quantũ ille sęuus ac furens flagitabat, quanto duxit indignius alieno morbo seruire, & alijs, quod affectus dictasset, narrantib. plus habere fidei quos sciebat nõ minus & posse falli q̃ seipsum, & solere. referam eius factũ Valerij Maximi uerbis. Audierat Xenocratẽ multa de se impie locutũ, & sine ulla cunctatione criminationem respuit. instabat certo uultu index, quærens caussam cur sibi fides non haberetur: adiecit non esse credibile, ut quem tantopere amaret, abeo inuicem non diligeretur. postremo, quum ad iusiurandũ inimici asserentis malignitas cõfugisset, ne de periurio eius disputaretur, affirmauit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Quàm acute inspexit homo prudens, posse eum falli qui referat. solere falli, uelle fallere. adduci huc non amicitia & amore nostri, sed odio ac maleuolentia eius, de quo aliquid narret, sed cupiditate suarum utilitatum, quòd se aliquid adepturum speret, si fidem sit nactus. Nos uero inter hæc omnia prauissima cæcitate & stultissima animi libidine quæ inuiti audimus, libenter credimus, ut inquit Seneca. Sed nec humanas leges uir hic pius & uni Deo innixus, ad uindictam implorabit. quid illi, qui sola uidit ope dei cum humana ope & cum legibus. quæ sunt alioqui non raro iniquæ, nempe ab iniquis hominibus latæ & acceptę, & ijs quos in eis sanciendis rexit

magis

magis animi libido, quàm rectum iudicium. & alij aliter de rebus sentiunt. sunt quibus qualecunque furtũ morte uideatur esse dignũ, ut Draconi. sunt, qui rem esse putent risu magis, quàm animaduersione dignam, ut Lacedæmonijs & Aegyptijs. adulterijs alibi pœna proposita est, & quidem capitalis: ea ipsa alibi sunt impunita. Iam qui leges exercent magistratus, qui ea de caussa leges loquentes nominantur, adducunt magis affectu aliquo, quàm iure aut bono. alij periculo territi, alij spe deliniti, alij mercede corrupti, alij odio tumentes, alij amicitia, fauore, gratia impulsi, torquent leges, & deflectũt ab æquitate ad obsequiũ animi. ita medicinam in uenena noxia cõuertunt: & quod paratum erat ad cohibendos animi temerarios affectus, ipsi eo illo abutunt, ut suis seruire affectibus cogant. Accedunt patroni & aduocati, qui rectam & religionis custodientem iudicis mentem dicendo & arte captam ab æquitate ad suas utilitates deuocent. Quid, quòd uir pius de quo iamdudũ loquimur, nihil faciet tanti, ut eã obrem & suam & socij sui quietem litibus defatiget ac uexet, & de charitate illa aliquid detrahat, ac diminuat? Quid enim ducet esse tantum, ut anteponendum censeat uel quieti animi sui, uel illi charitati, quam humano generi adeo exacte deus commendauit? An ille uel rumores, uel uerba, uel pecuniam, uel uestem, uel etiam suum ipsius corpus pluris, quàm animam æstimabit? quid est quod comparari possit menti? Non est in mundo maius aliquid homine nec in homine maius aliquid mente. Quid commutabit homo cum anima sua? inquit ille cœlestis sapientiæ magister. Itaque forenses hasce actiones ridebit tanquam pueriles, & pueris aut mulierculis inuentas ac paratas, nõ sibi, qui pietate iam adoleuit, & ad robustam constantemque ætatem peruenit. qui pueri sunt adhuc, & umbris mouentur, nec uera intelligunt rerũ precia, ij mensura legis indigent, tanquã publica. quandoquidẽ nullam suam habent. qui uero mensurã & normam habent rerum omniũ deum & cõscientiam mentis suę, quam illi uni se student approbare, ijs leges superuacaneæ sunt, nec aliter eas rident atque aspernantur, quàm uiri puerorum pacta & cõditiones in lusibus, quę pueri mira grauitate ac cura constituunt, & obseruant. Quantopere destomachatur Paulus lites esse inter Christianos, hoc est homines præstantes & ex perfecta illa nota huius doctrinã sequuti ueteres illi patres, forum & lites Christianę magnitudini atque excellentiæ turpes & deuitandas duxerunt, ut Tertullianus, Ambrosius, Lactantius & prisca illa ecclesia. Quid Paulos, quid Petros commemoro? quid sincerum illum & diuinum populum? Quàm se Socrates, Plato, Xenocrates, & alij ex seculo sapientes male feriatos existimassent, si diem illis dixissent, à quibus iniurijs aut incõmodis erant adfecti? hoc ergo præstitit gentilis in tenebris humi abiectus, cęcus & ignarus ueri, nõ præstabit Christianus in claritate, in luce hac, in hoc fulgore, in rerum omniũ certissima cognitione atque intelligentia? cuius uita cœlitus pendet, qui illuc tendit, illuc aspirat, nec aliter corpus hoc intuetur, q̃ ergastulũ animi, nec uitam aliter quàm exiliũ. ut nihil esse censeat, quo facilius compos uotorum omniũ reddatur, quàm hinc q̃ celerrime reuolare ad patriam & patrem suum: & quemadmodũ optat Paulus, dissolui iam tandem, & esse cum Christo. Tu hunc ita affectum, ita expeditum ad profectionem, ita festinantem respecturum putas nugas, & impedimentis sese itineris intricaturum, ut dum illa curat, serius perueniat quò intendit? Quòd si iure non agit, si non repetit, non persequitur ea de quibus formula est à legibus constituta, an illa sentiet, quæ usque adeo sunt minuta & tenuia, ut curam legum atque aciem effugerint? uerbum non honoris plenum, non assurgere, non recipi loco honestissimo. quæ ita sunt leuia atque exilia, ut oporteat animum esse inermem nudum q̃ ad quem hæc perueniant, & tenerrimum quem hæc commouerant. Age uero quid petimus? ultioni reponere iniuriam ei qui fecit? Atqui animus est, qui solus facit iniuriam, ad quem solum homo pertingere ac penetrare non potest, neque cognitione, neque uindicta: neque enim est iniuria, si animus à lædendi uoluntate abfuit. Nos uero animum exactionibus interpretamur, in quo iudicio sæpissime fallimur, quum facta & dicta aliorsum rapimus, quàm ille, qui fecit quid, aut dixit. multi simplicius aut inconsideratius uel egerunt aliquid, uel sunt elocuti. alij non rati sunt esse iniuriam, aut id quo quis posset offendi. & is loquendi aut agendi mos, qui tibi iniuriæ est & cõtumeliæ plenus, illis est comis ac ciuilis educationis. alij nõ ignorãt esse rem subasperam,

ſperã,ſed animus illis non fuit nec contemnendi,nec lędendi,tantũ id ſunt auſi,freti bonitate noſtra & manſuetudine. denique ſuos fines habuerunt alieniſsimos ac remotiſsimos à contumelia noſtri,ab iniuria, à lędendo. Iam uerò nos pro animo nocemus pecuniæ, agris, pecoribus, poſſeſsionibus, denique corpori: & quod eſt omnium iniquiſsimum,hominibus,nempe ſeruis,filijs,uxori,amicis,ſubditis, inſontibus atque innoxijs pro nocente. quæ etiam poſtquam perfecimus, quem ſumus ulti? poſſunt illa omnia perire animo illæſo. itaque nos non ei qui iniuriatus eſt,gratiam referiums,ſed ijs quę poſſidet: & quemadmodum eſt in uetere ſententia, Clitellam ferimus, quando aſinum nõ licet: ut qui impulſus ab aſino,cui inſidebat agaſo, quum hominem tentaret cædere, protinùsque is exclamaſſet Athenienſem eſſe ſe,tum ille in aſinum uerſus: Atqui hic nõ eſt, inquit, Athenienſis. itaq; eum plagis onerauit. omnino tales ſunt noſtrę ultiones,qualis puerilis quidã in Hiſpania luſus, ex cuius legibus clamant pueri,feri nõ ferientem te, ut nõ liceat eum qui cęcidit,referire,ſed proximũ,qui nos nõ tetigit. Iam & in menſura rependendo erramus. alios minus q̃ peccarũt,punimus, alios amplius, alios nõ ſuo tempore,alios non ſuo loco,propterea quòd ſiue affectione rapimur,in ea eſt cæcus impetus ad cõſiderationem horũ omniũ,nullo prorſum modo aptus, ſiue iudicio ducimur, in eo eſt ignorantia,ne poſsit aſſequi,ut maximè attendat & conet̃. Solus Deus humana intuetur corda,quod eſt illius proprium,ut καρδιογνώσις dicatur. Apud illũ,inquit Iob,eſt fortitudo & ſapientia. ipſe nouit decipientẽ,& eũ qui decipit̃. Itaq; ſolus poteſt expendere, quantũ quiſque peccet,quantum bene faciat,quantũ mereat̃. ſcilicet animus eſt,qui in actione omni eſt expendendus,nõ ipſa actio,quæ & eadem à diuerſiſsimis poteſt animis profiſciſci,& diuerſiſsima ab eiſdem. Ergo ille detecta unicuiq; ſua cõſcientia efficit,ut ſe quiſq; prodat, & manifeſtum eſſe fateatur. tum punit & uindicat æquiſsimè. primùm eum qui fecit,& eum ſolũ,& eo loco & tempore quo cõgruit,& ubi maximè doleat,& uere ſe intelligat punitũ acrius , q̃ uel hoſtes ipſi poſſent optare. O quàm formidabilis eſt iudex ille,apud quem quiſq; nõ expectata ſententię pronuntiatione ſe iudicat, & qui punit nõ externa,id eſt, ueſtem pro homine: ſed illud ipſum, in quo ſedes eſt ac ſenſus acerbiſsimi doloris. Chriſtus imperator noſter & pater ſapientiſsimus, hoc demũ periculum & tyrones ſuos,& filios quos habet chariſsimos,metuere docet ac uitare: cuius hoc eſt ex monitis illis et preceptis diuinis, Nolite eos timere qui occidunt corpus : at poſtquam occiderint,aliud quod agant, non habent. illum timete, qui poſtquam corpus occiderit, poteſt animam mittere in gehennã. An tu uis,aut ſi optio offerret̃, eligere aptiorem poſſes ultorem doloris tui,& ſapientiſsimũ, ut quantũ quiſq; meritus ſit,uideat: & æquiſsimum,ut uelit: & potentiſsimum,ut poſsit punire? Tu ergo abſtine omnino manum ab ultione,quam maximis,ut uides , de cauſſis ademit eam tibi dominus omnium de cõſeruo tuo,pater omniũ de fratre tuo,princeps omniũ de ciue tuo. Neq; enim patiuntur ciuiles leges , ut priuatus de priuati iniuria ipſe ſtatuat , & uindicet : ſed ultionem ad principem remittũt, & tñ princeps ipſe homo eſt inter homines ius dicturus. quanto eſt intolerabilius , mortalem Deo præripere ultionem, & humanã ſtultitiam diuinæ quæſtioni præiudicare? quũ non ſecus ea homini à Deo tollatur, q̃ puero uel furioſo ferrum à ſene,à ſano,à ſapiente . Quamobrem nõ minus eſt maleficiũ,hominem laceſsitũ nocere,quàm laceſſentẽ. Grauiter Q. Tertullianus & ſanctè: Quid refert, inquit, inter prouocantẽ & prouocatũ? niſi quòd ille prior in maleficio deprehendit̃,at ille poſterior. tamen uterq; læſi hominis domino reus eſt, qui omne nequã & prohibet,& damnat . Nulla in maleficio ordinis ratio eſt, nec locus ſecernit quod ſimilitudo cõiungit. Abſolute itaq; præcipit̃ malum malo nõ rependendũ. par factum, par habet meritũ. ſic ille. Nec ſolũ ab ultione cohibent̃ manus,ſed uerba,oculi,nutus,geſtus: quæ omia prudens in mundo & callidus modeſtię ac moderationi habet ſubdita. Chriſtianus Deo, nõ intentus ſuis occaſionibus , ut ille: nec tempora uafre obſeruans, ſed expectans patienter ac ſimpliciter diẽ domini, ſicut ſancti martyres in reuelationib. D. Ioannis iubent̃ facere. de quo Cyprianus ad hunc modũ ſcribit: Et quoniam plurimos ſcio,fratres dilectiſsimi,uel ponderе iniuriarũ ingentiũ,uel dolore de ijs qui aduerſum ſe graſſant̃ & ſęuiunt, uindicare uelociter cupere, nec illud in extrema parte reticendũ eſt, ut in iſtis fluctuantis mundi tur-

binibus, & Iudæorũ siue gentiliũ & hæreticorũ quoq; persecutionibus cõstituti, patienter expectemus ultionis diem. nec ad uindictã doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit: Expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimoniũ, quoniam iudicium meum est ad congregationes gentiũ, ut excipiam reges, & effundã super eos iram meã. Expectare nos iubet Dominus, & futuræ ultionis diem forti patientia sustinere: qui & in Apocalypsi loquitur, dicens: Ne signaueris uerba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo est, ut & ij qui perseuerant nocere, noceant: & qui in sordibus est, sordescat adhuc, iustus aũt adhuc iustior fiat: similiter & qui sanctus est, sanctior. Ecce uenio cito, & merces mea mecũ est, reddere unicuiq; secundũ facta sua. Vnde etiam clamantes martyres, & ad uindictam suã dolore erumpente properãtes, expectare adhuc iubentur, et temporib. cõsummandis implendisq; martyribus præbere patientiã. Et cum aperuisset, inquit, agnus quintũ sigillũ, uidi sub ara dei animas occisorum propter uerbũ dei & martyriũ suum, et clamauerũt uoce magna, dicentes: Quousq; domine sanctus & uerus nõ iudicas & uindicas sanguinem nostrũ de ijs qui in terris inhabitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictũ est eis ut requiescerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conseruorũ & fratrum eorũ, quiq; postea occiderentur exemplo ipsorũ. Hæc Cyprianus. Quanquã illi nõ eam uindictã animo expetunt, quam seuitia impiorũ erga se & merentur & uidetur postulare. Sed eadem figura sunt illa dicta, qua alia in mysticis literis permulta, ut rerum ad iudicia nostra affectus attribuantur personis, quæ res illas uel egerunt, uel sunt passi. Nam bonus ciuis et uir in hoc seculo prudens manus habet à lege ciuitatis constrictas, uocem & gestus omnes ab aliorum iudicijs & comi quadam educatione ac institutione prudenti, animum solutum, ad quem neq; homines, neque leges humanæ penetrant. Christianus uerò etiam animum tam Deo obsequentem, quàm illi manus aut uultum legi & oculis spectantium. Ita qui manu sibi uindictam prohibentur sumere, nec animo sinuntur optare. quantum enim ad diuinas leges interest, fecerit quis aliquid, an uoluerit? nam si manu sese ulcisci propter hominum leges nefas est, non minus erit animo expetisse ultionem apud illum, qui abscutius animos intuetur, quàm nos manus & opera externa. Non habent Christiani inquietas manus, non habent spiritales homines sæuos spiritus, quum omnia ad oculos referant dei spiritalis, spirituũ spectatoris & censoris. Multo ergo habere eos oportet animos mitiores & magis domitos atque educatos, quàm manus. Discite à me, ait exemplar humanæ uitæ, qui mitis sum & humilis corde. Non execrant lingua, sed nec uoluntate. Nam qui animo et cupiditate ultionem expetit, sumeret, si liceret. at quod non licet, imputandũ est facultati, non uoluntati. Tu quidem tantũ concupisti, quantũ is qui læsit. intuenti opera excusari potes, intuenti animũ nõ potes. Procul absunt à Christiana mansuetudine tales animi, rogant potius communẽ patrem, ne & sibi irascatur, & ex aliena culpa recordãtur de sua, ne dum alienum erratũ persequuntur, sui quoque manifesti fiant. Ergo in aliena imbecillitate agnoscentes sua, & sui & illorum miserentur, quum uident ex communi infirmitate atque animorum impotentia fieri, ut et lædant illi, & nos ultionem expetamus. Itaq; misereri inimicorũ orant patrem, ut & lumen in eorum mentibus accendat, & tam fractam afflictamq; humanã debilitatem cõfirmet ac corroboret. huius rei habemus exemplũ in filio dei, qui moribundus post tot cruciatus & indignissimas contumelias patrem suum precatus est, ut ijs ignosceret, à quibus talia pateretur. quod alij secuti sunt & imitati, multi quidem: de quibus nõ est proditũ memoriæ: de Stephano uerò in Actibus Apostolorũ scribit. Qua in re nõ solũ emolumenta ad eum ueniunt, pro quo oratur, sed maximus ad orantem fructus, quum non solum pro illo rogat, sed pro cõmuni utriusq; infirmitate, in quo simul sui meminit, simul ad gratiam & fauorem dei præstruit sibi uiam, qui negauit se nobiscum rediturum in gratiã, nisi nos hominibus reconciliemur, non ficte, non simulate, non ad tempus, non pro loco, sed bona fide, penitus, ex toto animo atque affectu: uerba oraculi sunt, non ignoturum nobis patrem cœlestem, nisi nos remiserimus quisque fratri suo de cordibus nostris. pacem, concordiã, beneuolentiã, charitatem uult esse inter homines omnes mutuã. Nam ille filius natura unigenus, quẽ pater donauit recõciliationi humani generis, & omnium quæ sunt

in cœlo

in cœlo,& quæ in terra,diremit mediam maceriem,& utrumque parietem in se coniunxit, factus lapis angularis, & copula totius ædificij,ille qui ab ijs qui secundum humanos sensus ac cupiditates ędificarent,non secundum sapientiam & uoluntatem dei reiectus toties ac reprobatus fuerat,atq; etiānum reprobat. Olim natura omnes inter se deuincierat, separauit malitia:rursum quęsitę sunt ab hominib. rationes aliquę cōiungendi hominum inter se,alios cōmunione ciuitatis,alios sacris, alios sanguine & affinitatibus,alios pactis ac fœderibus:alios magistratibus,collegijs,sodalicijs.Sed quibus copulis nonnullos cōiungebant, eisdem disiungebāt alios: ut qui cōiuncti erāt ciuitate,ij tanquā mœnib.arbitrabant se cinctos,quis disiungerent ab alijs ciuitatib.qui sacris,seperati erāt ab ijs quibus alia erant sacra. ita alienus erat gentilis Iudæo propter sacra & ceremonias utriq; proprias:Gręcus à barbaro,propter nationes:Athenienſis à Lacedęmonio,propter ciuitates: Hispanus cōiunctus Italo fœdere, disiūctus à Pœno propter idē fœdus.Hæc omnia hæserūt in humano genere ex noxia uetusti Adam.Nouus uerò Adam exors peccati omnis, & cœlestis à Deo missus,omnes illas sepes, omnes terminos ac limites diruit, & in primā illā ac ueram naturā hominē reposuit, ut quū ipse esset pater & princeps omniū, effecisset q; suo sanguine, ut uniuersi homines ad eandē ciuitatē,ad eadē sacra,ad eandē felicitatē pertinerēt,iā cessarēt humanę distinctiones,noua essemus omnes et una creatura,in qua iā nec discrimē esset natiōis, nec gentis,nec cōditionis,nec status:sed membra unius corporis,una beneuolentia, uno sensu cōiuncta. quod cū solū conaret Christus inter suos perficere, assertos iā à seruitute scelerū ac flagitiorū, et per sanguinē suū repositos in gratiā patris, id uidit una ratione cōmodissime posse fieri,si homines omnes mutuo inter se bene uellēt,atq; unanimes ęuū in hac uitę cōmunione traducerent.Idcirco unicū dedit suæ gratiæ præceptū, ut inuicem diligamus.Multa habet dogmata humana philosophia,multas leges gentilitas,multas ceremonias,prędicta,iussa,Moses q; plurima.Nō amāti multis monitis,prędictis,dogmatibus,legibus, minis,terrore,blandicijs est opus,ut rectè uelit agere,& huic panno putri multis subinde commissuris.Si amor accedat,tanquā ignis noxia et uiciosa omnia ex coquēs ac perpurgans, is unus uice erit legū quęcunq; excogitari possunt omniū. Itaq; sapientissimi dei,et expeditissime cuncta obeuntis uerbū est unicū breue,sed ualidissimū atq; efficacissimū.Hoc est,inquit Christus,prędictū meū,ut diligatis inuicem.quo dicto tanquā à prędentore prolato carmine, mirus consurrexit cōcentus omniū sequentiū, nihil aliud sonantiū prędter amorem,charitatem,beneuolentiā, pacem,concordiā. Quid aliud sunt Euangelia? quid scripta Apostolorū & sanctorū patrum,q; præconia charitatis, exhortationes ad charitatem? ignis flagrantissimus, sed saluberrimus cœlestiū similis. Hoc iubet,hoc uult Deus,ut homo hominem,hoc ipso quòd sit homo,diligat:nec gentē spectet,nec cōditionem,nec aliud q; humanitatē et Deū.quam regulā qui sequunt, ij demū sunt Israelitę dei,chari domino,pax super illos,ut inquit Paulus.Iudęus fratrē suū diligebat Iudęū,à gentilib.tantopere ex præceptis alienus,ut etiā nō dubitarint eorū magistri addere,prosequendū esse inimicū odio. At Dominus noster ut pater uniuersorū hominū, omnes patria charitate complectens, omnes omnib. cōciliat,ut fratres inter se:& ita uult nos esse affectos erga omnes,quemadmodū ipse idē fuit,qui pro omnibus uenit, quantū in se fuit,omnes reuexit ad salutem et uitā.amicos,inimicos,cognatos,tribules, municipes,populares,aliēos,si quid modò dici aut esse poterat alienū naturę illi omnia complectenti.Socrates interrogatus cuias esset, mundanū se esse respondit. Idē Anaxagoras,Democritus,Diogenes.An homines tenuem quandā lucem per angustissimā rimulā intuiti,homines omnes tanquā ciues suos aspicient,nō aspiciet is qui scit omnib. esse unū cōmunē patrem, qui in hoc descenderit in terras,ut & Deum hominib.pacaret, & homines inter se? Quocirca illis qui sunt extra ecclesiā & cōmunionem gratię corporis Christi,nō cladē optabit Christianus,nō mortē,nō infortuniū.quę barbaria est, existimare hoc demū esse uere Christiani,si strenue Turcas,aut alios Agarenos execrē? & martyrem se putat,qui plurimos illorū iugularit,quasi id nō possit melius præstare impurissimus ac crudelissimus latro? amandi sunt Turcæ,nempe homines, amandi ab ijs qui illi uoci uolunt parère, Diligite inimicos uestros: illis ergo, quod ueri est amoris,

bene cupiemus, illudq; optabimus unicum & maximũ bonum agnitionem ueritatis, quod nunquam assequentur conuicijs aut maledictis nostris, sed eo modo, quo nos ipsi ope ac beneficio sumus Apostolorum cõsecuti: rationibus naturæ & humanis ingenijs congruentibus, integritate uitę, modestia, moderatione, inculpatis moribus, ut nos ipsi priores re ostendamus quę profitemur & iubemus, ne à fide nostrorum dictorum arceat eos tam discrepans uita. Nec solũ hoc erimus affectu atq; animo in eos impios, à quibus nõ lędimur, sed in eos ipsos qui nos persequunt & affligũt. hoc naturæ lex postulat, hoc Christi iussa, hoc imitatio cœlestis patris, hoc nostræ ipsorũ utilitates. Quid em̃ est magis ex naturæ ratione ac iure, q; unũquemq; ita se aduersum alios gerere, quemadmodũ alios uelit erga se? Atqui nos amari uellemus etiam ab ijs quos capitaliter oderimus, & nobis beneuolentiã pro maleuolentia repẽdi, ut etiã iniuriam nos accipere cõqueramur quod nõ amicissimorũ hominũ opera ab illis ipsis accipimus, quos nos habemus inuitissimos. quod si ita sentimus de nobis, naturę profecto uiolamus iura et leges, nisi ad eũ dẽ quoq; nos modũ in alios geramus. Christus quo id nobis efficacius persuadeat, exẽplũ proponit nõ humanę sapientię, sed diuinę naturę, quę nihil odit, in oẽs etiã inimicissimos benefica. Dicet aliquis, Sublime nimis exemplũ, nec facile esse humanæ imbecillitati id exprimere. imo uero, si finis uotorũ nostrorũ est, sempiternã illam felicitatẽ cõsequi, quę nihil est aliud q; coniũgi cum deo, & unũ cum illo fieri, nõ potes cum illo iungi & unũ fieri, nisi prius illi fias q; simillimus. an tu unum speres fieri cũ deo in tanta dissimilitudine & discrepantia uoluntatũ, animorũ, sensuum, actionũ? Atqui sola nos charitas cũ illo cõiunget. nam nec potentia potes esse deo similis, nec sapientia, nec operib. infinitis: charitate potes, hac sola ad illũ peruenies. quod si ille tam larga atq; effusa sit charitate, ut amicos et inimicos diligat, solem hũc suũ à quo tãtas utilitates percipimus, super bonos extẽdat & malos, pluuiã suam in agros iustorũ et iniustorũ ad fruges atq; alimenta spargat, tu uero tam arcta sis charitate, et adeo maligna, ut solos amicos tuos uelis diligere, quod et ethnici faciũt, et homines scelerati ac nefarij: qua tandẽ re speras te futurũ diuinæ illius naturæ imitatorẽ & similẽ, ut illi possis ad immortalẽ felicitatem cõiungi? Hoc egerũt Christus, hoc eius Apostoli & martyres, quo nihil sciebãt propius esse numini prępotentis dei, ut quũ sese eo cõstituissent loci, breuis foret ad cõiunctionẽ diuinitatis gradus. ubi sunt isti, qui magnũ & pulchrũ dicũt, nõ ignoscere, ulcisci inimicũ, exaturare iram, dolorẽ explere, unde nata sunt illa apud Græcos, irã uiri melle esse dulciorẽ, & iucundũ esse ulcisci in eum qui prior læserit? o insaniã singularem. an potest aliquid esse pulchrius aut magnificentius, q; quod simile & propinquũ sit illi præcellenti naturæ dei, quę est fons, origo, exemplũ, regula, censura pulchrarũ, magnarũ, admirabiliũ omniũ rerũ? Quid uero magis est illius q; misereri, ignoscere, clemẽtia et benignitate utiincredibili, etiã in hostes, etiã in ingratos? hoc est magnitudinis illius nolle uindictã sumere quũ possit: omnes q; offensas nostras sublimitate & amplitudine sua obruere atq; occultare, ne qua sentiant̃, & existãt. Cõtrà paruorũ est animorũ & prauorũ, uelle se ulcisci, & tentare: etiã, quũ nõ possint, experiri tm̃, et pessimã libidinem ostendere, quamuis irritã. uersus sunt apud Ausoniũ Gallũ duo ex Biantis, ut scribit, sententia: Quod prudentis opus? quum possit, nolle nocere. Quod stulti propriũ? non posse, & uelle nocere. Hoc nõ solũ in deo uidemus & Christo eius filio deo ipso, sed in sanctis uiris, qui ingentem illã atq; admirabilẽ à deo acceptã potestatem sanandi ęgros, excitãdi ad lucẽ hãc & uitã mortuos, occidendi cõtumaces, tradendi Sathanę, nunq; in eos uel tentarũt cõuertere, à quibus tot cõtumelijs, tot iniurijs afficiebant̃. nec illis solũ nõ conati sunt nocere, sed nec optarũt, nec sunt dira imprecati. nõ ita erant à magistro edocti: aliã pugnandi uincendiq; rationẽ inierãt, nempe qualẽ doctor ipse atq; imperator Christus, qualẽ dominus omniũ deus, ut ferendo, ut tolerãdo omnia superarent, & per bonũ diuinę gratiæ malitiã uincerent humanã. Hoc uere est magni animi, & deo simillimi. Nã uerbũ aut iniuriã nõ posse perferre, tã est magni animi & fortis, q; magni & ualentis stomachi bucceã aliquã panis aut casei non posse concoquere. nihil est hac præsertim in parte animo similius q; stomachus. nã et hic pro animo atq; affectu solet poni. & utrobiq; deuorare dicimus, & concoquere. ut eodem sit modo de animi uiribus ac robore censendũ, quo de stomacho.

Quid

Quid,quod inimicos et persecutores suos non aliter aspicit Christianus,q̄ uir fortis labores & uberrimā gloriæ suę materiā? quid enim, inquit Cicero,odisset Clodiū Milo segetem ac materiā glorię suę? Parum ne existimamus hominem persecutione hominū meliorem fieri? quanta est illa & q̄ optanda cōmutatio hominū odio patienter tolerādo, gratiā & peculiarem quandam beneuolentiā parari dei summi ac præpotentis? Quum Paulus carnis suæ stimulo plusq̄ uellet urgeret, terrogauit dominum, ut se illo liberaret. ab eodē respōsum est illi: Sufficit tibi gratia mea. nam uirtus in infirmitate perficit. quod ubi ille audiuisset, nō aliter deinceps aspexit & interpretatus est infirmitates suas, q̄ magnetem & inuitamentū diuini fauoris: ut prosperas sibi eas arbitrabatur, per quas tanti possessio boni pararet. Qui poterat ille odisse infirmitates suas, de quib. ait se gloriari? qui uideret patefacere illas in se aditū gratiæ numinis? An non atrociores sunt in unoquoq̄ infirmitates et stimuli carnis suæ, q̄ externi inimici? atqui ille eas nō odit, imo libens ac lætus amplectit, tanq̄ labores, quos tam incredibilis manet merces. oderit credo homines, quibus ferendis diligendisq̄ tantū sciat esse præmium propositū: tanta pœna, si oderit, si auersetur, si sit illis infestus. Nec uero quis q̄ sibi magnopere concedat aut indulgeat in odio uiciorū, nō hominū, ne longius in hoc progrediat q̄ oportet, ne dū nō satis acute et subtiliter distinguit, homines oderit, dum se uicia odisse caussat. In q̄ uehementer est opus iudicio & prudentia, quibus qui non perinde ualent, ijs cōsultius fuerit uicia non perinde odisse, ac miserari, affectumq̄, quo ipse indiget, in cōmuni infirmitate prębere. Quod si eos qui sunt extra ecclesiā, sic iubent natura, Christus, deus amari, cogitare cōuenit, quo nos animo esse par est erga illos, qui eiusdem sunt corporis membra, cuius & nos, inter quos dissensio & odiū nō alius sunt generis, q̄ si à manu dissideret lacertus, aut digitus ab oculo. Eorum cōmodis & bonis tam gaudebit, q̄ oculus, si per se sensum haberet, utilitate manus aut pectoris. nō aliter dolebit illorum malis, q̄ oculus damnis & cruciatu pedis. Quoniā quidem nō minore harmonia & concentu coalitum coaugmentatumq̄ est corpus Christi, quæ est ecclesia, q̄ corpus uniuscuiusq̄ nostrū. fecit enim Christus congregationē hanc & conuentū suorum omniū, corpus unum, cuius se caput constituit, totumq̄ uiuida illa & ardentissima sua charitate animauit. Maiusq̄ est in hoc corpore uinculū charitas, maior ex salute capitis animatio, q̄ in corpore cuiuscunq̄ animantis sanguis atq̄ anima. Et sanctus ille ac cœlestis ardor subtiliorē & acutiorem sensum per omnia coporis huius membra diffundit, q̄ spiritus & continuatio in animali. At sunt, qui eum se sentire sensum negēt: mirandū nō est, ut qui sint caloris ac uitæ corporis expertes, utiq̄ nec emortua in animāte membra, quę uita prorsum, quę calore sunt orbata, quemadmodū alia sint adfecta membra sentiūt: maximūq̄ est argumentū mortuā esse partem, quum ad aliarum dolorem nō cōmouetur: scilicet interrupta est illa corporis harmonia, per quā sensus toto se corpore insinuat, ac peruadit. Quid nō in ipsa humana charitate maior interdū est in amante sensus rei charæ, q̄ sui ipsius? Cui nō nota est historia illa Arrię uxoris Pæti? quæ quū decreuisset cū marito mori, uulnusq̄ in papillā pugione impressisset, extractū pugionē marito porrigens, Nō dolet, Pæte, inquit, uulnus hoc: sed quod tu facies, hoc dolet. Quid Epaminōdā, quid Lysaniā, Brutū, Decios, quid reliquā illā fortiū uirorū famosam manū cōmemorem? qui q̄ unice patriam et suos ciues diligerent, libenter uitā pro patria deponebāt. Plena est exemplorū historia, sed uita cōmunis nemini nō quotidie rem ob oculos subiicit, patres, matres, morientes maiore de liberis cura urgeri, q̄ de seipsis. Quid in illa belluarū feritate, atq̄ illo inflexibili rigore animorū, num nō amor easdē uires exercet & ostendit? Viuit in amato amās, nō in se: uiuit in ipso amatus, nō ipse. Audiamus doctorē gentiū & magistrū ecclesiarū tātis charitatis flāmis accēsum ac perustū, ut propè extra seipsum efferret. Viuo, inquit, ego, iam nō ego, uiuit aūt in me Christus. idē alios docet quā doquidē Christus, p omnibus passus sit mortem, et in uitā se reduxerit, ut ne quis illius sectator sibi amplius uiuat, sed ipsi Christo. Quod si tantus est per mēbra illa insinuatus ac inditus sensus, quę membra nō sunt peccati frigore emortua, sed cōfota salutari illo calore uiuūt, uigent, sentiunt, quātum unicuiq̄ membrorū cōuenit esse doloris sensum, quū aliquod peccat, id est extinguit, et tanquam à toto corpore desecatur? Quàm anxius est ac sollicitus uerus amor,

ex quo uox illa eiusdem Apostoli nascitur: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scãdalisat̃, & ego no uror? Idem q̃ ardenter, quoties, quo spiritu ad pacem, ad cõcordiã, charitatẽ, unionem spiritus ac sensus suos hortatur, & instigat? Et quemadmodũ illa corporis nostri temperatio efficit, ut cuiuscunq; partis quamlibet exiguæ & à corde, & capite, & uitalib. seperatæ morbus et doloris morsus uniuersum corpus perstr̃ingant & afflig̃at, dolet em̃ homo totus reduuia una uel gemursa: sic in ecclesia mira est cõuinctio et contẽperatio cunctorũ, ut singula nõ alia cura habeant̃, q̃ uiuæ animantis partes: imo ut iam nullus sit cuius q̃ sensus per se à cęteris disiunctus, sed unus atq; idẽ ex cunctis conflatus cõmistus q̃, nõ secus ac panis unus è tot tritici granulis contusis, aut ex tot expressis acinis uinũ unũ, ut inter cęteras causas hæc nõ sit de postremis, cur in illis potissimũ rerum formis mysteriũ corporis & sanguinis sui dominus instituerit. Ita fit etiã, ut sit in hoc ecclesię corpore magna cõmunicatio bonorũ, et quasi ab alijs ad alios ceu quędã redundatio: damna etiam atq; incõmoda, uelut contagio ab alijs ad alios transeunt. Irascit̃ deus illi multitudini, in qua plerisq; sunt mali: placat̃ ei, in qua plerisq; boni. affligit innocentes propter nocentes, & parcit malis in gratiã bonorũ. tanta est participatio membrorum in cõmodis atq; incõmodis. Hæc demum est uera charitas, quæ ita charos coniungit, ut unũ faciat: ut eueniat quod Christus patrem precabat̃, ut sic unũ fieremus omnes quemadmodũ ipse & pater unũ essent. ut iam non alio animo, non alijs oculis, mente, iudicio fratrem quisq; suum aspiceret, q̃ se ipsum. hæc sola est charitas uera, & quæ oculis dei possit approbari, qui capi non potest ijs rebus, quib. humani oculi fallunt̃, nempe una & cassa rerum specie. Quapropter Christiana charitas illa dicit̃, quæ non est ficta, non simulata, quæ nihil habet fuci, nihil prætextus ålieni, aut in speciem solũ obductũ opertum q̃, quũ intus longe in sit aliud q̃ quod apparet. Nam quũ omnia ad spectatorẽ deũ referant̃, nõ est q̃d quis q̃ fallere aut imponere se posse speret. ô q̃ nullũ est effugiũ malo, quãta bono consolatio habet bonus diuinos oculos, quib. se approbatũ iri confidat, et illis ubi satisfecerit, nihil est quod requirat amplius. uertat se uero malus & uersutus, quo uolet cunq;, cernit̃, latẽre non potest, deprehensus est, tenet̃, quũ ut se abditissime aut uaferrime circũlepiat & occultet, conscientiã certe suã eludere non magis poterit, q̃ exuere. qua una æternus ille iudex utit̃ pro teste. Nemo sibi imponat, aut puerili more claudat oculos, ut nõ uideri se, quia nec uideat, credat. Pura ergo esse semper debent et simplicia, quę mens illa & iustitia diuina cernit ac censura est. si in forũ reus, adductus iudicem qui est de te & capite tuo sententiã laturus, decipere non potes, quid iuuerit te astantium coronę dedisse uerba? Ex illo interiore affectu tã ardenti, opera eadem sunt in alium, quę cuiusq; in seipsum, siquidẽ non est alio quisq; loco fratri suo q̃ ille est sibi. Quis sibi capitaliter irascit̃? quis secũ dissidet sciens & prudens? quis se cupit ulcisci? quis non quæ cunq; faciat in melius uult capi, & ipse capit? an non qui sq; iuuat se, & iuuari ab alijs cupit, consilio, opera, pecunia, deniq; quacũq; liceat et possit? charitatis, inquit Paulus, hęc sunt opera, non æmulat̃, nõ agit perperã, non inflat̃, nõ est ambitiosa, non quærit quę sua sunt, nõ irritat̃, non cogitat malũ, non gaudet super iniquitate, congaudet aũt ueritati. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Videlicet q̃ in unoquoq; ardens illa efficit charitas, ut sibi quisq; facile ignoscat, et ad sua peccata cõniueat, idẽ eadẽ charitas perficiet, si se foras pferat, sicut debet. ut non aliter errata, & iniurię et contumelię cuiusq; aduersus alterũ igne illo flagrãtissimo sine ullo penitus sui sensu absumantur, q̃ si prætenues aliquæ roris guttæ in maximum aliquod incendium aspergerent̃. Hinc fiet ut amor, qui semel sit uere ac bona fide in cuiuspiam pectore conceptus, nunquam deinceps restinguatur, quandoquidem nec unquam ardori deerit materia, nec aliquid poterit tantum intercurrere, quo non flamma illa sit ualidior. quæ, ut est in prouerbio, uincit omnia. Hoc ille uir acutissimus significauit, qui amoris natura inspecta, pronunciat, amicitia quæ potuit desinere, nunquam uera fuit. O quam oportet esse sanctum atque augustum fontem illum unde tam sacros riuulos uidemus dimanare? Quod si illi sunt charitatis certissimi effectus & actiones, quàm aperte arguimur nos nihil habere charitatis, & nominetenus usurpare christianitatis professionem, quod unus quisque, quæ à patre & distributore omnium accepit in communem usum omnium, neque enim

aliud

aliud quàm dispensatores sumus munerum dei, ea ita recondimus, & alios arcemus ab ijs, ut appareat nos cogitare & munera esse possidentis propria, & alienissimũ esse unum quemq; ab alio. Sũt quos deus pecunijs ditauit. Sunt quos uiribus, potentia, prudentia, consilio, literis, gratia, authoritate. Nemo non sibi hæc reseruat, & uult esse propria. clamat opulentus, Meum, meũ. doctus nõ docet, nisi accepta mercede, sæpe maligne, & discipulis inuidens. prudentes hoc esse officiũ suũ rentur, ut tanq; aliena spectent omnia, suũ agant negociũ, sibi prospiciant, & caueant: sibi unis uiuant, introrsum reducta omni cogitatione. qui gratia uel authoritate ualet, nõ ea utitur ad cõmoda multorũ, sed ad suã uel utilitatẽ, uel laudẽ. Deus qui tã est benigne impartitus, iubet gratis dare q̃d gratis acceperimus. homo qui accepit, cogitat, Hęc sunt mea. quid plus habebo q̃ alij, si cõmunicem? recondit, claudit, munit ferro, ui, legibus. Quis possit sine acerbissimo dolore meminisse, quot sunt in Christiano populo indocti, quos sinunt errare & falli homines eruditi? quot imprudentes & incauti, quibus nemo bene consulit, & tanquam errantes reducit in uiã? quot pueri incõditi, ineducati, quib. educandis atq; instituendis nemo uel digitũ dignaretur mouere? quot egeni, quos nemo adiuuat? quot inopes ubiq; obuij et expositi, quibus nemo succurrit? quid hæc indicant aliud, quid apertissime loquuntur, q̃ nos omnia solũ retinere, rem prorsum abiecisse, non esse inter nos cõmunicationẽ illã corporis Christi, sed unũquenq; suũ sensum habere, suũ negociũ agere, se spectare ac intueri, non Christũ unũ cõmunem omnib. Nõ esse in nobis spiritũ illum mansuetudinis Christi, qui nõ quę sua sunt, quærit, sed quæ aliorũ. qui tacite omnia perfert, qui bene omnib. precatur, cõsulit, prospicit pro uirili sui parte: neminem iudicat, nisi se ipsum, ne à domino iudicetur. Cõtrà hic noster superbus & contumax spiritus in unoquoq; interponit iudiciũ, nõ de se, sed de cęteris, unde superbia, & arrogantia, & aliorũ cõtemptus: atq; hinc rixæ, inimicitiæ, odia capitalia. At quàm indignum & intolerandum est, seruum de conseruo iudicare? cæcum de eo quod non uidet? imperitum de eo quod nescit? & anteuertere iudicium dei uerum ac iustum? Quid est quòd alium iudicemus, quum ignoremus occultos humanis cognitionibus humanos animos? Tu uero alienum animum putas te perspecturum, qui tuũ ipsius ignores? Iam quur ego socium contemnam, quum nesciam utrum ille mesit præstantior & melior, an deterior? Agimus in uita hac, tanquam in magni cuiusdam principis aula & comitatu, in quo honoratissimi sunt & primæ æstimationis non qui claritate sanguinis excellunt, nec qui amplissimas possident opes, nec qui cultissimè atq; ornatissime uestiuntur, non robore insignes, non eruditione aut usu rerum præstantes, sed qui flagrantissima ad principẽ pollent gratia. Ita inter nos, solum Christiani hominis bonũ est, gratiosum esse deo. quis uero de seipso, nedũ de alio possit statuere, quàm illi sit gratus, ut non habeat homo, unde uel se attollat, uel deprimat fratrẽ suũ? Sunt iusti & sapientes, inquit Solomon, & opera eorũ in manu dei, & nescit homo utrũ odio an ira dignus sit. Apostolus Paulus examinata cõscientia pectoris sui, nihil se quidẽ inuenire ait sceleris aut flagitij, sed nec protinus se esse iustificatũ. Ideo præcipit, ut accedentes ad seruitutẽ dei, quũ de illius fauore tantopere simus incerti, uigilemus, astemus in timore. & Paulus toties monet timendũ esse casum ei qui stet. nõ esse despiciendũ fratrem, nõ iudicandũ, ne in eo ipso quod arguit, seipsum condemnet. Hæc quidẽ, quæ hactenus dixi, ad uitã hanc pertinent fere omnia. Quid si quis se attollat ad cogitationẽ & spem illius sempiterni prẽmij, aut supplicij metũ? Apud Ciceronẽ Scipio Africanus, quũ ei à patre Paulo, & Scipione Africano auo ostẽsa esset cœlestis illa felicitas, qua fruerentur ij qui patriã adiuuissent, Ego uero, inquit, etsi in patriã antehac optime eram adfectus uestigijs ingressus uestris, nunc tm tanto ppposito præmio annitar multo uigilãtius. quẽ non excitaret contemplatio illorũ bonorũ? superant illa cœlestia æterna bona omnem spem, omne uotũ, omnẽ cogitationẽ hominũ, unũ fieri cũ ipso deo, qui melior, qui maior, qui beatior est, q̃ qui amplitudine capi possit humanæ mentis. contrà in disiunctione illius cruciatus & supplicia sunt, quæ uel cogitare animus uix sustinet. ô miserũ, quum istuc uadas, in his occuparis? ad tanta bona es genitus ac editus in hanc lucẽ, numulum aut uerbulũ respectas? etiã ut ad bona hæc nulla est uia, q̃ per concordiam expeditior, ita nulla ad infelicitatem, quàm per discordiã: uidelicet in hoc, quemadmodũ in elementis, in animantibus,

tibus, in uniuersa natura, gradus est simile sui similis. nihil cœlesti beatitudini conformius ac confinius, quàm nostra concordia. nihil infernæ calamitati, quàm dissidium, quàm odium. Quid, quòd, etiamsi discordia nihil obesset ad tantum preciũ currentibus, omnia essent excutienda atq; abijcienda, ne quid paratis atq; expeditis cursum moraretur. quod uidemus uere Christianos homines fecisse, ut expeditius celeriusq; pertingerẽt quò tantopere intendebant. Tu uero, ad iniuriolas, ad uindictas oculos reflectis illuc currens, ut dum aciculã uel floccũ colligis, occasionem è manibus amittas tanti precij nanciscendi. Nemo est nostrũ paulum modò in regio aliquo uersatus comitatu, qui non frequenter uiderit, quũ quis principem adit, etiam inter istos nostros mediocrem, si à fatuo quopiam, quales nunquam deesse in aulis solẽt, qui animi gratia dicuntur ali, si quis ergo ab horũ aliquo uel cædatur, uel impetat̃ conuicio, ac petulanti dicto, eum uocem illã aut plagam ita contemnere, tanquam auocari sensu maioris rei uideat̃, uidelicet captus aspectu numinis illius terrestris, et in id penitus intẽtus. idq; nõ ignorat principiesse gratissimũ, qui uideat ꝓpter se reliqua despici omnia, & ueneratione suæ maiestatis perculsos ac penè attonitos, nihil reliquorũ sentire, ceu alloquio & conuersatione sua altius euectos, q̃ quò pertingat istarum humiliũ rerũ sensus aut cura hæc quidẽ ad homulũ putrẽ, miserũ, imbecillũ, breui periturũ. Tu uero, quũ ad Deum talem principem tendas, torques subinde oculos et caput, & totũ interim corpus ad nescio quã aurulã uel iacturã pulueris, ac luti, aut spurcæ saniei, & tabi tui corporis fœtidissimũ. O ferreũ hominẽ, imo ferrũ ipsũ sine mente, sine sensu. de humanis inimicitijs uacat tibi cogitare periclitanti de diuinis? plane absumpta est funditus spes omnis salutis, quando leuissimi nos urgent morbi, grauiũ & pestilentiũ sensus est nullus. Nõ uides paratũ tibi inimicũ deũ, nisi rectà ad se tendas, cunctis alijs rebus contemptis ac pro nihilo habitis? An non hoc aperte uox diuinæ sapientię edicit, & clamat: Nisi quis reliquerit patrem & matrẽ, & sorores, & uitã suã ꝓpter me, nõ est me dignus? Qua tandem re dixit illũ nõ esse dignũ? pecunia credo, aut uestib. aut ędificijs, agris, seruis, opib. possessionib. dignitate, imperio, potẽtia, quę omnia possidẽti et arcte cõplectenti hora una, siue casus, siue mortis eripit ac extorquet, nõ esse Deo dignũ dixit, id est cumulo uerorũ omniũ bonorũ & ęternorũ, & quę humanã omnẽ cogitationẽ ac cupiditatẽ trãscendãt. Ille ergo Deo est dignus, id est felicissimus, qui ita uiuit, ita se parat, ut à solo Deo pendeat, remotis omnibus impedimentis, nugis amputatis ac reiectis, nec ullius opem uel sperat, uel implorat, q̃ illius, sine qua nudum se ac desertũ uidet atroci pręlio obiectũ, cũ qua munitior est, q̃ ut lædi ui aliqua possit. Eã opẽ ut maximã esse omniũ intelligit, & potentiss. quæq; ut reliquas omnes ita absorbeat & obscuret, ut penitus nõ existãt, seu ut uerius nocumenta sint, nõ auxilia, ita cõfidit et certũ habet paratã esse omnib. qui ad eam confugiunt, qui fiduciã in illa suã omnem collocarũt. Sic em̃ ab oraculo est respõsum, Pręsto est dominus omnib. inuocãtib. se, inuocantib. aũt nõ ficte, nõ ore modo & uerbis, sed uere atq; ex animo. Idẽ in quietẽ illã suã sanctã, perpetuã, inuiolabilẽ pacẽ, illã sedẽ totius beatitudinis facile illos recipit ac admittit, qui ipsi suã ipsorũ pacẽ, quantũ in ipsis fuit, modeste ac placido animo pręstiterũt. Pacem habete, inquit Paulus, & deus pacis erit uobiscum. Ecquod bellum potest eum mouere, qui septus est tanta pace? quis terror peruenire ad tam immotam & continuam securitatem? Hæc est petra illa, in qua si quis fundamenta ædificij sui ponat, id nec alluuies fluminũ, nec oceani reciprocationes, atq; ęstuosę tempestates, nec turbines & uentorum uiolentia plus lædent, quàm solem, aut aliquod siderum, quo non attingunt. Neque enim uel hominum iniuriæ, uel casuum incommoda & calamitates, uel astus dæmonum ac fraudes ualidiora sunt, quàm bonitas, consilium, uires illius, qui in illo pacis pectore, tanquam in sacro quodam templo, habitat. Super quem requiescet spiritus ille mitissimus Dei, nisi super modestum, & demisse de se sentientem, & custodientem præcepta Dei? Quid illud est, quòd Helias uidet, spiritum subuertentem montes, & conterentem petras ante dominum? & audit, non in spiritu esse dominum, tum post spiritum commotionem, neque ibi dominum, & post commotionem ignem, neq; in igne dominum. postremum, sibilum auræ tenuis, & in sibilo dominum? quia non est prærapidus & uiolentus is, quem deus per sui cultum, tanquam sedem quandam suam delegit, non sæ-

uus, non

nus, non turbulentus, non ultor & maleficus. Nam de illo dei filio, qui ipse est deus & patri similis, æqualis unus, in cuius corpore inhabitat plenitudo infinitę diuinitatis, Esaias propheta scribit: Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur uox eius foris: calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Huius est generis ac naturæ sedes suauissimi illius spiritus, qui ad mansuetudinem suam declarandam, columbæ simplicissimæ & mitissimæ animantis speciem, tanquam symbolum sui hominib. ostendit. Hic est illius locus, qui factus est illi in pace, & habitatio eius in Sion: non iam in illa Sion armata & pugnace, sed in hac quieta & exarmata, & seipsam non ulciscente, imo pacem reddente pro bello, pro odio charitatem: qua una cōmutatione princeps et imperator noster confregit potentias, arcum, sagittam, et bellum. in illa Sion illustrata mirabiliter à montibus æternis, illa tam pacis copiosa & quietis redundāte, ut iam qui illam incolunt, conflent gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. nec amplius tollat gens contra gentem gladium, nec exerceantur ultrà ad prælium. O salue pax quam de cœlo ad hominum animos pacificator ille deduxit dei & hominum, Deus & homo, quæ tanta es, ut eam nec humana sapientia magno supercilio atq; arrogantia sufflata, nec hominū opes, copiæ, uires, potentia, quibus miseri mortales animos tumunt, denique non uniuersus orbis coniunctus & conglobatus, ut maximè uelit & conetur, dare possit. pax tam immensa, tam admiranda, ut nemo eam uerbis explicare, nemo explicanti queat credere. solus credit qui experīt, qui gustū illius quandoq; aliquem accepit. Hęc in nobis præstabit, quod fracta & debilitata nostra ratio non ualet. ut pace intus in animo & quiete parta, ac confirmata, nec foris ulla sit dissensio, quæ semper ex interiore manat dissidio, tāquam ex perpetuo fonte. pax erit intus, foris, publice, priuatim, unicuiq; cum alijs, unicuiq; secum: quod munus quantum sit, uel hinc licebit intelligere, quòd dominus omnium, cui pater cœlum & terram, tanquam herili filio, ut sic loquar, iam emancipato subiecit, inter tot ac tantas opes illud unicum delegerit: quod filijs sibi charissimis ad patrem rediturus, quasi testamento relinqueret. Quis dubitet, quin rem & per se amplissimam & precij ingentis, & utilissimam nobis? Audi nunc homo, quisquis es, sed affectu animi paulisper sepositio, ratione, mente, iudicio in consilium assumptis. Vides, ut te ad pacem & concordiam ij omnes adhortantur ac extimulant quibus unice es charus? natura, Deus, tu ipse, à discordia dehortantur, ac deterrent, ad quam solus instigat ac sollicitat te hostis tuus diabolus. Vides bona omnia, & animi, & corporis, & fortunæ ex concordia oriri, mala ex dissidio atq; inimicitijs. Pacem & concordiam uiam esse ad sempiternam felicitatem, dissensionem & maleuolentiam ad æternos cruciatus ac supplicia. Cur ergo tam auide in tuum exitium ruis? cur exigua caussa, impulsu minimo, iæpe etiam nullo discedis, ac descisis à natura, à Deo, à teipso? transfugis uidens ac prudens ad hostem nunquam amicum futurum ad mala, quorum nec in præsens, nec in posterum modus est ullus aut finis? Redi ad te ipsum, & eum qui uere tu es, dilige. Nam si te non abieceris, ac deserueris, facile & cum natura tibi conueniet, & ad Deum ascendes, nec à re aliqua abhorrebis magis, quàm ab odio & discordia, nullius æque studiosus, ut concordiæ ac amoris.

Brugis, 1526.

IOANNES

IOANNES LODOVICVS VIVES DOMINO ALFONSO MAVRICO Archiepiſcopo Hiſpalenſi S. D.

QVVM libros de concordia humani generis quatuor ad Carolum Cæſarem abſoluiſſem, uiſum eſt mihi reſtare, ut aliquid de pacificatione commentarer. id enim ſequi naturæ quodam ordine uidebatur, ut qui inter ſe ſunt concordes, ea ipſa concordiæ dulcedine ac uoluptate deliniti & capti, etiam alios uidere uelint bene inter ſe conſentientes, idq; que pro uiribus procurent. Et qui ad concordiam ſit adhortatus, eum ad pacificationem adducere atque impellere par eſt. Hoc opus decreui ad te mittere. Nam quum multis nominibus doniſq;, ſiue naturę, ſiue induſtrię, ſeu potius diuinę benignitatis, unde ſunt omnia, magnus ſemper occurras, nullo te illorum contemplari quiſq; poteſt, quin te pacificũ eſſe debere intelligat. Vt nihil ſit aliud quodcunque tuum ornamentum, quàm uelut debitum officium pacificationi, ut ſi is eſſe uelis, qui nominaris, & crederis, pacis & concordiæ publicæ perſtudioſus ſis oportet. citiúſque tibi tuorum ornamentorum ac decorum ſit perſona exuenda, quàm pacificatoris. Nobilitas generis docet te pro quiete ac concordia publica, non ſanguinem modo, ſed uitam quoque libenter atque alacriter deponendam. quæ ſunt enim alia nobilitatis merita? quò pertinent illi ab hominibus exhibiti honores? niſi quòd hoc ſunt animo in patriam & ciues ſuos. Iam ætas iſta annis domita, & manſuefacta uſu ac experimentis rerũ, quid ſuadet, q; ſequi meliora? nempe tranquillitatem & quietẽ, refrigeratis iam in tuo pectore Martijs illis ardoribus, et flammis: quę quũ reſtinguunt, uenienti ſapientię tanq; poſſeſſione cordis cedunt. Tum authoritas & locus apud principẽ uel ſummus, uel in ſummis. Neq; enim aliud exiſtimari conuenit cõſiliarios regũ, quàm eorũ animã, mentem, iudiciũ, & proinde reipub. ſalutem, qui & Principũ cupiditates refrenent, & concitatos motus inhibeant, & illos ulterius q; expedit, ſe rapientes reuocent ſiſtantq;. Hi ſi à pace & concordia abhorreant, ſi diſſidijs, ſi odijs faueant, an non tale erit regimen populorũ, quale in corpore, ſi inſaniat mens? Adde his dignitatem Archiepiſcopi, id eſt uicarij atq; imitatoris Chriſti illius, quem à cœlis in terras pacificatio deuocauit, ut non aliter populũ ab epiſcopo aſpici fas ſit, quàm oues à paſtore. Nam ea imagine functionem iſtam ueſtrã ac munus Chriſtus expoſuit dominus & rex ouium omniũ. Diligis, inquit, me plus quàm hi? paſce ergo oues meas. ita ut in Chriſti pecore rite, & ut conuenit paſcendo exigat egregius quidam erga Chriſtũ dominũ amor, qui & in illius gregẽ multus ac copioſus deriuabit tãq; à capite in reliquũ corpus. Accedit his omnib. maximis, ut uides, pignoribus pacificationis, munus inquiſitionis hęreticorũ: q̃d quũ tantũ ſit, tamq; periculoſũ, niſi ſciat quis q̃ pertineat, eo peccabit grauius, q̃ de pluriũ ſalute fortunis, fama, & uita agit. mira dictu res, tantũ eſſe permiſsũ uel iudici, qui nõ caret humanis affectionibus: uel accuſatori, quẽ nõnunq; ad calumniã, odium, uel ſpes, uel praua aliqua impellit animi cupiditas. In tanto diſcrimine tempeſtatis non unica ſpectanda eſt ſacra illa, ut Græci dicunt, ancora, ſed bonus & ſapiens rector clauus. qui & ſciat in quem ſit portum nauis torquenda, & illuc eam uelit deducere, ad pacem uidelicet & quietem publicã, cui hactenus modo dum ſatisfiat, inquiſitionis eſt munus neceſſariũ. Nec arbitror in Eccleſia Dei ullam eſſe functionem maioris momenti, quę que uirum requirat & iudicio acutiorem, & magis bonitate prædituṁ, minúſque morbis ac perturbationibus animi obnoxium atque obſequentem. Ergo quum te undique decora tua omnia, & officia ad publicam pacem & cõcordiam impellant, cui potius de pacificatione ſcripſero, quam tibi? olim etiam hic mihi uel familiarius noto, ut eſt incredibilis tua in ſtudioſos omnes humanitas, quam quum habent omnes compertam, tum nulli teſtari poſſunt melius, quàm qui quotidie experiuntur, Lodouicus Coronellus Theologus, Ioannes Martinus Poblatio Medicus, Antonius Daualus, et Ioannes Caſtellus Philoſophi, & alij quos eſſet longum admodum connumerare. Ego meos recenſui, quorum memoriam propter eorum & ingentem eruditionem & ſingularem probitatem libentiſsime ſoleo uſurpare. Vale.

IO ANNIS

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE PACIFICATIONE LIBER VNVS.

SATIS arbitror cùm ab alijs permultis, tũ à me ipso nuper quatuor esse uoluminib. declaratũ, neminẽ non solum Christianũ appellari posse, id est perfectũ & cõsummatũ hominẽ, sed nec hominẽ quidem, qui pací, cõcordię, charitati, beneuolentię, quantũ ab eo præstari possit, non studeat, huc à natura nos & corporũ & animorũ nostrorũ impelli atq; incitari. huc adduci à magistro diuinę sapiẽtię ac ueritatis, ab interprete naturę, imo illius principe atq; autore. Quod si in unoquoq; hominum charitas sit nõ ficta aut simulata, & in speciẽ oculis hominũ tributa, sed uera illa, & quę se dei oculis approbari posse nõ diffidat, ea nõ efficiet modò, ut mutuo amemus, excluso penitus atq; eiecto odio, & cõcorditer cũ alijs uiuamus, uerùm ut discordes uidere ac dissidẽtes nõ possimus. nihil est em̃ in natura cõgruẽtius similitudine, nihil cuiq; amicius aut gratius, q̃ suũ simile. nihil magis horret atq; auersat̃ quicq;, q̃ diuersum ac dissimile. Amoris inter similia hoc est perspicuũ signũ, q̃ facile inter se cõmutant̃ ac transeunt, & quasi unũ fiũt, quę est amoris uis atq; efficiẽtia. Iniustitiã ægrefert uir iustus, etiã in alio aduersus aliũ, quũ ad ipsum nec utilitatis aliquid pertingit, nec damni. Luxum & intemperãtiã uir temperãs in quocũque auersat̃. Naturalis est ea actio, ut mutuo sese refugiant pugnãtia, similia cõgregent̃. Quòd si is qui uideri atq; existimari postulat uir iustus, aliorũ inter se iniurias uel libenter aspicit, quod quidam insigni animorũ prauitate faciũt, uel certe nõ inuitus, utique apparet nõ re uera iustitiã in mente illius uigere ac uiuere, sed ementitã esse iustitiæ imaginem, ad cõmoda & utilitates priuatas susceptã, uel ad gloriã nominí sque opinionem ostentatã. Quo fit ut res ficta atq; adumbrata nõ easdem habere possit uires, quas uera atque expressa. Nec solum uera charitas ac concordia dissensionẽ odit, sed etiã metuit, nõ secus q̃ trãquillitas procul existẽtem tempestatẽ, ne ad se quoq; paulatim se insinuet serpẽs. quodã uelut contagio, & substituens sibi gradũ per ea quæ semel occuparit ad uicina, ut sensim omnia peruadat. Sic quieti & tranquilli uiri, & amatores cõsensionis ac pacis, aliorũ inter se iras dissidiáq; expauescũt, ne & sua ipsorũ quies illis concutiat̃ motib. nam rixari & dissidere assueti, temerarios illos animi impetus in quosuis sine discrimine cõuertũt, incurrũtq; in eos, à quibus nõ sunt lacessiti, quosq; minime attingi oportebat. Stoicę disciplinę sectatores, sapientẽ suũ ita fixũ atq; stabilẽ fingũt, ut nullis tẽpestatib. cõcuti, nullis tumultib. agitari, aut moueri possit. Cœlum, inquit Horatius, si ruat, impauidũ feriẽt ruinæ. Talẽ se ille quidẽ præstabit, si res id ferãt: malet tamẽ quantũ facere atq; eniti poterit, ut placidę sibi ac trãquillę sint res q̃ cõmotę et cõcitatę: imò parũ p̃ officio sapiẽtis hominis fecerit, si relicta quiete, in tumultus se ac tẽpestates cõijciat. eligẽda sunt ei optiua & cõmodiss. ferẽda uerò quæcũq; cõtigerint. Idẽ p̃fecto hoc erit in animo in reliquos homines, ut uel sibi creatas turbas et discordias nõ recuset, modò per pacẽ et cõsensionẽ aliorũ. Prętereo tres Decios, Curtios, Coclites, Scęuolas, Codros, Lysanias, et illas omnes deuotiones pro ciuib. et salute patrię. Vir planè Stoicus M. Cato quomodo inter bella ciuilia loquens inducitur à Lucano:

O utinam cœlíq; Deis, herebíq; liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere terras,
Deuotum hostiles Decium pressere cateruæ.
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat, cunctis ego peruius hastis
Excipiam medius totius uulnera belli.
Hic redimat sanguis populos, hac cæde luatur
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.

Hic est uere affectus magni & sapientis uiri, se et suã salutẽ aliorũ saluti posthabere, seq; ipsũ nihil dubitare perdere, ut alij seruẽt. quãq; nõ potest seipsũ pulchrius aut magnificẽtius seruare, aut excellẽtiorẽ sibi salutẽ parere, q̃ dũ se unũ multis impẽdit, memor à natura genitũ se multis, à sapiẽtia regenitũ omnib. ut quod uni naturę tacite ac ignobiliter debet̃, neq; negari aut recusari diu potest,

tan

tanta cum utilitate, quum est opus, repræsentet. Occultus quidam naturæ sensus, à iudicio & recta ratione confirmatus, per gentes omnes humanum genus docuit eum, qui id præstaret, excelsum, sublimem, magnumesse uirum atque admirandum, dignúmque nõ humanis tantum, sed diuinis etiam honoribus: animúmque illius magis inter numina esse, quàm inter quoscunque homines reponendum & collocandum, uelut humanitatis conditionem omnem supergressum: quem natura uel Deus potius singulari quodã munere ac beneficio simillimum sibi dedisset, in aliorum magis, quàm in eius ipsius commoda atque utilitates. maximum quoddam est & singulare in hoc genere à Deo in homines cunctos profectum munus, & quod unum instar sit omnium, quæ expeti, quæ desiderari, quæ cogitari queant, Christus IESVS homo & Dei filius Deus ipse. Hic est ille Iupiter seruator, hic ille Hercules malorum auersor, monstrorum domitor, purgator orbis. Hic quum in sancta illa perpetua atque immutabili ageret pace, ad quam nec tumultus ullus, nec motus potest peruenire, miseratus hominum discordias & odia, nihil dubitauit ad has nostras se tempestates demittere, ut depulsa discordia atque inimicitijs, pace nos sua illa admirabili, & quę humanũ captũ excedit, impartiret. Bellũ erat hominib. inter se, bellũ hominib. cũ angelis, bellũ cũ Deo. Hominẽ à Deo seiunxerat ac separauerat delictũ: idem ipsum & angelos auerterat ab hominib. & homines inter se ipsos separabat, atque alienabat: ut persuasionibus ex mente ac ratione deprauata inualescentibus, alios dissentientes ac discordes redderet patria, alios natales, alios professio, alios imperium, alios religio & Deorum cultus. Has tantas, tam diuturnas, tã mque acerbas inimicitias Christus in suum corpus recepit: ut quoniam temporaria quadam morte corpus suum erat ad immortalitatem innouaturus, simul cum illa morte extingueret, purgarétq; res omnes conditas odijs illis ac dissensionibus infectas: proferrétque puram ac nitẽtem creaturã, & in primis humanũ genus conformatũ ac configuratũ corpori excellentis suę beatitudinis, cum quo corpore ipse nos omnes tanq; in aurificis quodam catillo refuderat ac liquefecerat, ut quicquid esset terrenę sordis alienę à prę̃stãtia illius cœlestis metalli, igne illo discuteretur ac euanesceret: cætera remanerent adeò pura atque incorrupta, ut nec illa Christus dedignaretur membra sua tanti capitis facere, nec Deus sibi applicare atq; adiungere, ut unum simus nos & ille, qui prius & tam eramus propter scelera dissentientes, & propter maculas spurcissimas disiunctissimi. Tali est illum specie intuitus Malachias propheta: Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Hæc propheta. Ergo ita nostrã malã causam suæ optimę adiunxit, ut quũ potentior inualidioris causam in se suscipit, & ius infirmum atq; imbecillum fortiori connectitur: seu quum alieni aut parum fauorabilis negocium homo in se transfert gratiosus. Diruta est per Christi sanguinem sepes omnis et intergerinus paries, quis hæredia atq; ædificia disterminabãtur. Pacata sunt à tanto pacificatore bella omnia & terrena & cœlestia: rediit homo in gratiã cum Deo, rediit cum angelis: & ipsi inter se homines iam nec natales habent quos respiciant, nec imperium, nec regionum limites, nec cultus Deorum. Vnus est omnium pater, unus Dominus, una ciuitas, Deus unus, una professio baptismatis & fidei. Conditi sunt gladij, quos illæ prius distinctiones nudabãt ac distringebant, inter quos hæc cogitantur, quemadmodum dominus, magister, princeps, pater omnium iubet ac imperat, nõ surgit gens cõtra gentẽ, nec arma induũt, nec gladiorũ est usus ullus: sed iuxta uaticiniũ Hiesaię in falces cõflant, & lanceę in uomeres: ut quę prius humana trãsfigebãt corpora, iam terrã solũ ad communes omniũ fructus, publicasq; utilitates uertant atq; exerceant. Quàm ostendit se Dei esse filium paterni operis amator, obsequens uoluntatis: ut quum patrem habeat amoris & concordiæ authorem, ipse tanti sit boni instaurator. Quid potest filius facere, nisi quod patrem uiderit facientem? Quid facit pater aliud q; mitem & benignam condere naturam, conciliatricem ad amorem ac beneuolentiam omnium inter se? Quid aliud agit filius, nisi ut quod odij lolium in hanc segetem inimicus homo superiecit, reuellat ac stirpet? Ille ita se gerit Dei naturalis filius, quisquis uerò

illum

illum erit æmulatus, filius erit etiam Dei adoptione ac participatione naturalis. Beati pacifici, inquit idem ipse dei filius, quoniam filij dei uocabunt̃. non tangitur tantæ rei zelo atq; inuidentia, ut communem possideat, quam propriam habebit. filij dei uocabuntur, quia concordiæ amici, & amoris reparatores, cuius est pater & author deus. filij dei participatione, quia naturalis dei filij æmulatores uoluntatis, adiutores operis. neq; enim in re tam pulchra atq; admirãda dubitat gentiũ magister se attollere, ut etiã se & sui similes coadiutores appellet Christi. Quis nõ excitet̃ ad tam amplã excelsã q; nuncupationẽ, ad incredibilis dignitatis participatũ? Quis nõ uelit coadiutor esse tanti regis, cui pater mũdum uniuersum, atq; angelos ipsos subiecit? Quis non tanti premij cupiditate incendat̃ atq; inflamet̃? Si filij dei, pacifici: si coadiutores, Christi. cuius filij, cuius coadiutores, qui spargunt discordiæ semina? qui sparsa alunt augentq;? qui rixis, qui dissensionibus gaudent? nec aliter eis pascunt̃, quàm suauissimo quodam cibo ac gratissimo? res ipsa loquitur, ut pacifici filij sunt authoris pacis, ita & discordiarũ odiorumq; authores, filij sunt authoris odij. Quid magis contrariũ atq; inimicũ paci & charitati quàm odium & dissensio? nec aliquid deo magis aduersum magisq; inimicũ, quàm diabolus. Quod si à deo amor proficiscit̃, fieri aliter non potest, quin à diabolo sint dissidia, rixæ, conuicia, odia, maleuolentia. studiosi concordiæ, filij dei: studiosi discordię, filij diaboli. Neminem à pacificationis munere licet esse immunẽ, omnes oportet esse pacificatores, quoniã omnes oportet esse participes huius tantæ adoptionis, atq; adeo homines esse oportet. Sunt, qui aliquid ad pacificationem possint adferre opere ac reipsa. Sũt qui rem nullam habent, isti uoluntatem cõferant in commune, & uotis faustisq; precationibus, interdũ quoq; exhortationibus atq; incitationibus adiuuent laborantes. monet tanquam ex alto ciues omnes sanctus propheta, ut rogent quæ ad pacem sunt Hierusalem. Nõ prodis ipse in aciẽ, quia uel natura uires tibi ademit, uel opes fortuna. at certe, pdeuntes uoce, uotis, bonis ominibus ad uictoriã adiuua, contribue uoluntatẽ, qui facultatem non potes. An tu, quum in opere uersatur pacificator, quũ cõmissæ sunt̃ concordia & discordia, id est, causa dei cum caussa diaboli, non saltẽ affectu & uoluntate, caussæ dei contra caussam diaboli fauebis, & uerba boni ominis proferes? An diabolũ males ex certamine uictorem discedere? nõ quòd uinci ullo certamine possit deus, cuius omnipotentia par est, & præsto uoluntati, uoluntas immenso consilio innixa: sed id quod ad nostra cõmoda parauit deus, potest obflagitia nostra ac scelera, diaboli astu ac artibus auerti atq; impediri, ut non ille frustretur deum sua uoluntate, sed nos utilitatibus ac bonis nostris, quibus iugiter insidiat̃ intenta in hoc unũ et sedula diaboli inuidẽtia. Possunt aliquid ad cõcordiã adferre, qui apud humanos ualẽt animos, in quib. sedes est atq; origo, amoris, odij, cõsensionis, dissidij & unitas illa uel disiunctio ac diuersitas cordiũ, quæ inde nomen sumpserũt cõcordię ac discordię. Mouent animos mortaliũ hęc fere, opes primũ, quib. oculi & mentes multitudinis perstringuntur: pecuniæ, possessiones, familiæ, clientelæ. multum hisce tribuit uulgus, quod nõ perinde ad iudiciũ rationemq; res omnes reuocat atq; expendit, ut sensu quodã externo adducit̃. Tum claritas generis, quibus nos multũ debere propter merita progenitorũ arbitramur, illosq; non dubitamus præstans quiddam & excellum præ cęteris habere hominibus, qui illis sint orti parentib. Honor quoq;. nam id interpretamur signũ quoddã atq; argumentũ uirtutis. Iam superior multum, ut par est, apud inferiorẽ potest polletq;. Domi quidẽ herus, cui nos subdunt, leges, pater & mater, quibus natura & pietas educator, pædagogus, institutor: qui non aliter animos regenerant ad lucẽ quandã & uitã rationis, q; parentes hoc corpus. Publice aũt lex quæ est uelut anima quædã & sensus & mens ciuitatis, & per legẽ magistratus, & princeps, qui est tanq; cõmunis omniũ pater. Nec inferior apud superiorẽ caret gratia. Hoc enim & natura rerũ docet, & recta ratio, ut quicquid alteri curat̃, charũ sit gratumq; illi qui curat. Quippe nihil ab ullo fit recte, qui non ex opere delectationem quandã percipit. Non equos, nõ oues, non naues, non domos, non denique artẽ aut rem aliquã probe curabit atq; exercebit is qui ex ea ipsa uoluptatẽ nõ capiat. At delectari nemo potest re aliqua, nisi eam amet, nisi ea iucunda illi sit & chara. Quapropter necesse est regentem atq; administrantem diligere id cui præest gubernando, siue ea sit inanimis res, sensus omnis uitæq; expers, siue animata, multo

omnium maxime, si sit homo quem si quis oderit, si auersetur, nunquam sic reget, quemad modũ officiũ postulat, nempe ut ad illius utilitates qui regitur, omnia referant. hoc demũ enim est regere ac gubernare, nõ ad suas ipsius, quod est dominũ ac tyrannũ, nõ principẽ, nõ regẽ, nõ præsidẽ hominũ ac custodem agere. Iam uero quum non aliud in animis non modo hominũ, sed cunctorũ animantium fortius aut ualentius inueniri possit, q̃ amor, utiq; amici ad quiduis in utranq; partẽ persuadendũ magnas & efficacissimas habent uires, ad hortandũ, ad dehortandũ, impellendũ, reuocãdũ, inhibendũ, sistendũ. In parte amicitiæ sunt propinqui, quos conciliat sanguis: ciues, quos patria, quos lex, quos cõmunio sacrorũ & prophanorũ: uicini, quos magnæ cõmodorũ ultro ac citro rationes. Iam si qua uirtute insigni quis præstat uel à natura attributa, uel industria, usu, exercitatione parta et aucta, hunc & suspici et plurimũ posse cẽsemus oportere. In hoc numero sunt uiri fortes, quib. multũ concedit, tũ ob admirationẽ excelsi animi, adeo ut uetustas deorũ genere p̃gnatos crediderit, & heroas appellarit medio quodã genere inter deos ac homines: tum etiã ob usum tuendæ patrię & propulsandę iniurię à capitib. ciuiũ suorũ. uiros porro doctrinis ac prudentia excellentes nõ aliter sequimur, hisq; nos tradimus ac cõmendamus q̃ cæci uidentib. illos enim quid in quaq; re & rectũ & profuturũ sit, scire ac perspicere non dubitamus, itaq; illis uelut ducibus utimur ad uitã. postremo boni id possunt in hominũ animis ac mentib. ut ijs non parere grande sit nefas. Hæc quidem humana omnia, id est hominũ ad homines. Nã est uis quædã & authoritas diuina: eã quantũ ualere apud homines fas iusq; sit, quis potest ignorare? perhibet hæc primũ & exponit sacris libris et mysticis literis, quarũ sunt interpretes atq; administri qui populũ Christi instituendũ susceperunt, siue scriptis monumentis, siue scholasticis professionib. siue cõcionib. atq; orationib. popularib. siue priuatis colloquijs, siue secretis cõfessionib. noxiarũ, in quib. sacerdos si modo officio ac munere suo p̃be defungit, à uicijs dehortat ac deterret, incitat atq; impellit ad pietatẽ, consolat mœstos, iacentes tanq; porrecta manu erigit. domat cõtumaces, lenit asperos. denique quicquid est in pietate uel fractũ cõsolidat, uel prauũ corrigit. Hi omnes uelut uox quædã sunt diuina, quorũ authoritatẽ his uerbis sanxit ipse idẽ deus et dominus omniũ, Qui uos audit, me audit. Parãt et humana illa & diuina hęc magnã hominib. ad homines authoritatẽ, suntq; omnia uelut instrumenta quædã, quæ per mundũ deus in toto hominũ genere sparsit, ut quisq; nostrũ, quoad eius fieri possit, & operis sui sit coadiutor, et administer uoluntatis, ut dum iussis uolitisq; illius obtemperamus, non illius beatissimæ naturæ agamus negociũ, sed nostrum. neq; enim ille habet maius aliquid aut excellentius, in quod crescat, ut melior unquam aut felicior euadat. nos sumus qui incrementis uirtutis, qui liberatione miserę calamitatis indigemus, ut cõiunctione tãtę beatitudini efficiamur beati. At ille optimus ac p̃bissimus nihil unq; nobis in perniciẽ nostrã dederit filijs & figmento suo, nec potentissimus cõtra suã uoluntatẽ. Quod si quodq; instrumẽtũ ei operi accũmodat, cui à natura sua est tributũ, omnia opera exacta et consummata existẽt. q̃ uero sint praua, prępostera, corrupta, nõ alia fit de caussa, quàm quod alienissimis illa instrumentis armisq; aggredimur atq; exercemus. Habet homo opes, nempe uel pecuniam, uel clientelas, uel familias, uel agros, fundos, uillas, & reliquas possessiones. An hæc omnia uel sordida aceruatione ac custodia contineri, uel inani profusione et stulta ostentatione consumi erit satius, quàm ad multorum utilitates & bona publica dispensari? Quibus tandem rebus locupletes homines melius possunt collocare uel pecuniæ usum, uel famulorum aut clientũ uires, quàm si faueant legibus, adiuuent æquitatem, adsint iuri ac iustitiæ? quorum omniũ mentes ac sensus ad solam pacem, cõcordiam q̃ spectãt, ac intendunt. An diuites fructum suarum opum existimabũt uoluptatem, tanquam pecudes aut uanam possidendi iactantiã, ut arcæ potius credantur esse, quàm homines qui aurũ continent, non utuntur. Nobilitas quæsita est per beneficia publica ciuium, nempe quòd magni aliqui & excelsis animis uiri, conseruandis ciuib. legibus, patria, non solum magnam et strenuã operam, sed seipsos quoq;, quũ opus esset, impenderunt. hæc est uera & propria origo nobilitatis. Nam quid aliud tantũ & ipsis, & toti generi decus quæsiuisset? aut cur illis obnoxios se ciues sui esse credidissent, nisi grata beneficiorum recordatione? quo modo ergo conseruatur honor ille sanguinis, ac natalium

talium,ferendis fouendisq; inimicitijs,natus adultusq; pace & consensione ciuium tuen da? Quid sibi uult ius gladij gestandi,quo ignobiles ac plebeij carent homines? an leges nouercæ uel hostes potius sunt suorũ ciuiũ, quæ ferro armant in perniciem aliorũ abusu ros:& non potius hoc cogitant,arma illi exhiberi,qui ad iustitiam,ad concordiã,ad pacẽ publicã, quoties res postulabit,utet; id est,adiutorem se & præsidem legũ offeret,quum illis uis aliqua aut iniuria inferetur à concitatis animorũ motibus atq; affectionibus. tan tum leges nobilitati fidunt,pro qua maiores eius spoponderunt maximo apud rempub. pignore posito memoria suorũ preclare factorũ,in que uelut successores relinquunt ima gines sui, non mutas è cera uel luto fictas, sed uiuas atq; spirantes filios, nepotes, totam denicq; stirpem. Ergo tu quum contra leges & iura patriæ maleficis & conceleratis ho minibus te præbeas,& turbis ac discordijs gaudeas,& bella suscites,hæres eius nobili tatis haberi postulabis,quæ genita est ferẽdo auxilio legibus, iudicijs,iuri,æquitati,qui ciuium quies & beneuolentia cõstituitur? Quid magis alienum uel ab origine & causa nobilitatis,uel à generosa & miti educatione,quàm odijs & acerbitatib. aliorum dele ctari,et inimicitijs pasci? an uero id docet comitas & animus excelsus uereq; generosus? an suauis illa & germane humana ciuilisq; institutio, qua cæteros mortales antecellere nobilitas dicitur? Quid illa omnis educatio ac disciplina in uerbis & gestu, & ex terna quadam specie consumetur? nihil ne penetrabit ad animum, qui solus, quum sit hominis præcipua pars, ac propè sola, ineducatissimus ac barbarissimus remanebit spurco & bruto corpore,ad humanũ quendam & ciuilem habitum apto & conformato? ut non ita se gerat uir nobilis exteriore conuersatione, quia homines sentiat dignos esse ea comitate ac reuerentia:sed quia decere existimet natalium suorum claritatem,sic loqui & gesticulari, & uenerationem simulare eorum quos contemnit,et amorem pre se osten tare eorum quos uel odit,uel penitus negligit:ut haud facile interpreteris, utrum eam no bilitatis disciplinam, arrogantem modestiam nomines,an modestam arrogantiam.certe hoc docentur,superbissimum animum,personam agere hominis moderatissimi. Nõ est hæc hominum institutio,in quibus primum omnium mens, qua homines sumus,ad re cti atq; honesti curam est inflectenda; sed brutorum,ut psittaci aut canis,quorum linguã & corpus ad ea cogimus, quæ ab interioribus sunt animi sensibus uehementer discre pantia. Quanto est promptius & satius,nobilitatẽ eadem ratione tueri ac propagare, qua est orta? ut quæ beneficijs in publicum se protulit ac emersit, eisdem ipsis conseruetur:& quam authoritatem nacta est à multitudine,eandem illam authoritatem ad cõmoda mul titudinis conuertat; & gratiam aliquam referat ei,cui tantum debet. Cedo honorem,qua in re situm esse existimas? aut quem esse illius fructum opinaris? an quòd nudetur caput, cedatur de uia, ponatur genu, magnificis titulis compellere? Qui congruit, ut quum tu ea esse credaris uirtute, ut honorem merearis, uirtutis tamen honorisq; eam demum esse utilitatem putes, ut uana illa, & à quacunq; bona re uacua consequaris? ob honorem at que authoritatem,dicebat Chrysippus,semota benefaciendi occasione,manum non uer terem. O quantas occasiones honorati homines,& in authoritate ad uulgum positi, ma ximarum & pulcherrimarum rerum pretermittunt, dum uana illa honoris specie umbrá que acquiescunt. Possent ueneratione ac maiestate sola, iura & leges fulcire ac sustentare, componere controuersias,inimicitias tollere,odia comprimere,ac sedare:quietem,pacẽ, charitatem in ciuitate fundare ac constituere; denicq; ea perficere authoritate,quæ uix ul lis uel armis perficerent,uel uiribus,si non omnia singulari quadam improbitate ac ma licia ad se & suas utilitates referrent, Epicureorum more ac sententia; quæ est non solum à philosophia explosa & reiecta:sed à natura,ab educatione,à uita damnata. Timent qui dam ne detrimentũ authoritatis suæ accipiant,si tam multos curent,& tam multa. Quàm fasi sunt reputatione rerum? an maior comparari aliunde potest authoritas, quàm dum multi affecti se beneficio abs te recordantur? & dum homines omnes uident te hæc siue naturæ,siue industriæ,siue existimationis bona iuuandis habere,quàm plurimis parata, ut non unius esse hominis bona existimẽt,sed omnium? nec secus illa uel aspiciat quis que uel curet,& conuersari studeat,quàm propria. laborat quidem interdum in sarcienda concordia animus,authoritas in tuto est. quòd si hæc fluctibus forte nonnullis existima tionis praue iudicantium aliquando iactetur, maior tamen atque admirabilior extemplo

emergit, & in tutum portum molliter descendit in posterum inuiolabilis. Non unus uel Socrates, uel Q. Fabius Maximus, uel aliquis ex illa uetustate rei huius testimonium præbuit ac posteris documentum: sed quotquot ueræ uirtutis grassantur uia, eò semper loci peruenere, qualem ipsi uix uel optare fuissent ausi. uidelicet melius cõsulit deus uirtuti, quàm ipse uir bonus sibi. O quàm flagitiose honorati homines delinquunt, qui præstantissimæ occasionis leuissimum sibi fructum desumunt, & pulcherrimo omnium in humano genere instrumento ad opus inanissimum abutuntur. Tu ergo quum ceu salutare quoddam numen gentibus possis & populis optime consulere, in nudatione capitis, uel assurrectione, tanquam desideriotum fine, & optato quodam salutis portu conquiescis, etiam te uere sapientem bonumque nuncupabimus? & præferemus nobis ipsis? quum in rebus æstimandis, à quolibet de fece uulgi nauiculatore, uel seruo mediastino non distes. nec erubescis, quum, ut uir sapiens salutabere, à quo tam procul abes actionibus? depone grandia ista nomina, & graues istos honores, quibus mundo imponis, si illis sustinendis es impar: si exequendis quæ illi iubent, uel animus te deficit, uel uoluntas. stulte uulgus, quur tu sapientem aut bonum eum uocas, & ut talem reuereris, cuius bonitatem, sapientiamque grauem tibi sæpe experiris, utilem nunquam? Sed ad superiores ueniamus. nam quia de omnibus est dicendum, non possumus multa de singulis dicere, quod esset alioqui non huius operis atque instituti. Quæ mens est superioris erga subditum, qui finis, quid suadet ratio, quid loquitur natura ipsa, ut curæ sint superiori subditi tanquam custodi, ut intendat, ut uigilet, quoiũ qui reguntur, quieti pacatique in consensione & concordia uitam traducant? Huc pertinent cœtus omnes, & coitiones hominum. in hoc datus est à natura sermo, in hoc parata communio rerum omniũ ac mutua commercia: in hoc & leges latæ sunt, & magistratus creati sunt, & ciuitates constitutæ. Hæc prima eligendi regis fuit causa, ut ille in summa omnium potestate sequester esset, uindexque publicæ pacis. illiusque beneficio ac ope, quiete ac concorditer intra una mœnia uiueretur. Dare operam, ut ciues dissideant, irritare uoluntates, incendere odia, & alere, tam est regis aut magistratus, quàm pastoris iugulare oues, aut custodis frugum, eas incendere. rector qui suorum odia tanquam noxias herbas postmittit extirpare, sæuus tyrannus fit ex principe iusto ac legitimo. Hoc uero non solum Christiani ici mus, qui exemplar principis ab æquitate Christi & diuinæ sapientiæ ad homines deducimus, illóque erigimus, ut sanctum illum exprimant principatum, aut certe illius uestigijs insistant. Sed nec gentiles ignorarunt, ut Plato, Aristoteles, & alij, qui hoc regem à tyranno differre prodiderunt, quòd rex pacem inter ciues suos curet et colat: tyrannus irritet animos, & spargat semina discordiarum: quæ ubi succreuerunt, fouet. Nec habet subditos, ut regat, ut illorum utilitatibus prospiciat, qui dissidẽtes potest uidere: sed uel ut per occasionem dissensionis spoliet ac perdat, uel ad ludos ac delicias suas committat tanquam felem cani, uel duos canes aut gallinaceos inter se. an hoc est regem esse hominũ aut principem, sic habere subditos, quomodo pecudes à nobis & bruta animantia possidentur? Regem, principem, magistratum elegit populus, ut adsit iustitiæ, ut patronus sit ac propugnator legum, ut uinculum concordiæ ciuilis. in hoc ipsum confirmat deus incredibili ui maiestatis occulte indita. Num uel lex ad discordiam est ciuium lata? uel deus author est dissensionis? & non potius nec lex aliud intuetur, quàm ciuium pacem & quietum consortium ac conuictum: nec deus aliud iubet quàm charitatem ac mutuã beneuolentiam. Nec solum in leges magistratus & princeps, quum dignitatem init, iurat, sed nomina illi induntur, quis meminerit cõciliatorem se esse communis dilectionis, authorem & nodum concordiæ, uindicem pacis, quietis, ocij. Nam & nuncupatur pius, & clemens, & beneficus, & seruator, & in primis pater patriæ. quo nomine ut nullum est augustius, ita non aliud æque principem muneris sui admonet, ut intelligat eodem se debere in subditos suos affectu esse, quo est erga filios pater aut mater. Multæ possunt ex filijs ad parentes redundare acerbissimæ calamitates: sed nulla acrior, nulla atrocior, nulla qua ita affligantur ac consternentur, quàm si illos inimicis inter se animis dissidentes uideant. hoc uero telo nullum est aliud, quo parentum corda, quamlibet dura & præfracta, quamlibet ad casus omnes parata atq; obfirmata, lætalius transfigantur, ac trãsuerberentur,

berentur.ictu hoc nõ secus iacent concussi ac prostrati, quàm si uiscera inter se concurrãt, & pugnent, cor cum pulmonibus, iecur cum splene. Quid enim aliud sunt parentib.liberi,quàm sua ipsorum uiscera? Quid ego uel antiqua ad hanc rem exempla,uel recentia inducam? an persequar ueteres fabulas, & euoluam tragœdias, ut exponam quo dolore affecta est Iocasta filijs bellantibus Polynice atq; Eteocle? Quid Philippũ Macedoniæ regem, quid Seuerum Romanũ principem mœrore confecerit ac extinxerit, nisi filiorum inter se odia, & inimica certamina? Philippi oratio extat apud Liuium breuis quidem illa, sed ingentis doloris index, & qualem credibile est paternum animum illo tempore concepisse. sed unusquisq; id in se experitur. quin etiam qui liberos nunquam genuit, hic nihil necesse habet antiqua rerum gestarum monumenta scrutari.roget quemlibet de plebe,ab omnibus eadem audiet,uidelicet natura in hoc mutata non est,una omnibus seculis, eadem sui que similis perseuerat. Quid patres morientes posteaquam uniuersis uitæ huius uel blandimentis, uel curis renunciarunt, adhuc tamen una solicitudine premuntur, ut filios concordes relinquant? Hinc apud omnes rerum scriptores in hoc ferè consumuntur orationes morientium, ut liberos si quos relinquunt, aut nepotes,deniq; eos quos filiorum loco habeant, ad concordiam, beneuolentiam, charitatem exhortentẽ. Sic Cyrus maior moriens apud Xenophõtem,sic Micipsa apud Salustium. quid fœmina illa Iulienſis,cuius mortem Valerius narrat, quum ipsa uoluntario ueneni haustu è uita discederet, quum iam extremum uale dixisset humanis rebus, fortiter à se spretis contemptisq; in illa uitæ acmortis securitate, unica residet cura concordię suorũ. Talem omnino animũ, mentem, sensum oportet esse regis ac magistratus in eos quibus præest, si uere is est qui nominatur,& non in feram degenerauit sæuissimam. Si generosus principis animus, altiorib.ad imitationem, pulchrioribusq; exemplarib.capitur,habet deũ, habet uiciniorẽ sibi,& eiusdẽ naturæ Christũ Iesum, cuius caput & summa diuinæ orationis in exhortatione suorũ,ad unanimitatẽ,uerũq; ac germanũ amorẽ uersabatur.hæc erit, inquit,nota mea,hoc signũ,quo intelligãt homines uos esse meos,inuicẽ diligere ac bene cupere:nec solũ ita inter se suos uoluit esse affectos,sed cũ alienis: Diligite,inquit,inimicos uestros,orate pro affligentib.& persequẽtib.uos.neq; uero ipse ita se gessit, ut contentus præcepisse, subduxerit sese suis ipsius monitis exequendis. Qua charitate, qua pietate cõplexus est suos? q̃ omnes suppullulantes discordiæ inter illos radiculas statim euulsit? quomodo seipsum morti prudens ac uidens obtulit, ut omnẽ à suis discordiã,omnes inimicitias expelleret,& atrocissimũ bellũ festa pace finiret,& sempiternã cõstitueret ac constabiliret inter omnes unionẽ. Principi proximus est eius consiliarius, nõ modo authoritate & loco,uerũ etiã potentia:nec raro est principe potentior ac pollentior,quũ hic perq̃pe imperij habeat nomen,rẽ ille. Caput regni est princeps,id est, sensus,uoluntas,mens,ratio sui populi. Ita esse oporteret:& profecto esset,ni cupiditates ac libidines animi tantũ in unoquoq; iuris ac ditionis occupassent. Illud est in hoc rerum statu reliquum, ut rex uoluntas sit regni. Consiliarij uero mens eius,& ratio,& id quod nomen ipsum loquitur, consilium. cuius rei aptissimã concepit ac expressit imaginem, qui dixit,prẽstare malũ esse principem cum bonis consiliarijs,quàm bonum cum malis. Quod ergo est tandem consiliarij munus? quæ partes? non est opus longa uel procul repetita expositione,res ipsa nos docet,quod mentis & rationis in animo,regere ac cohibere uolũtatem, docere meliora, deterrere à prauis, monere, incitare,extimulare ad pulchra & præstantia,ad omne genus honestatis & laudis. Quale,q̃ contra rerũ naturã esset monstrũ,si ipsa ratio,quã etiã gentilis Aristoteles cognouit ad optima nos sẽper adhortari,sua deat pessima? & iudiciũ ac sanitas mentis hominẽ ad insaniã rapiat? Bella & discordiæ ex perturbatis oriuntur affectionibus, pax & concordia è ratione ac mente. Si consiliarij discordiam excitent, si illi faueant, desciscunt à seipsis, corruptoresq; uerius nominentur, quàm consultores. Si regijs affectibus per se concitatis consiliariorum etiam ardentes affectus accedant,& quidem cum authoritate & fide,quantum erit incendium? quæ ruina? quis poterit cadentes sistere res humanas? Si quæ tuba posita est in castris, ut receptui det signum, ea ipsa ad aciem & pugnam uocet, quis erit finis bellandi? Quum fons sit communis omnium rex, unde uniuersi hauriunt, & medicina quietis publica, in quam

unam intentos cuncti habent oculos, huicsi uenenum sit infusum ab ijs ipsis qui illi sunt uel perpurgandæ, uel conseruandæ adiuncti, quis ullam poterit in posterum salutis micam sperare? Quantus se aperit & quàm late patens campus, qui tamen non est in præsentia nobis decurrendus, quippe de consiliarij officio non scribimus. Itaque pergamus instituto nostro dicere. Publicus pater est princeps ac magistratus, priuatus paucorum est magister. domesticus est maritus, & qui nec patris caret nomine, pater familiæ. Quòd si hi omnes affectu sunt & paterno quodam sensu in eos quos regunt, quid poterunt auersari magis quàm uel discipulorum, uel uxoris, uel familiæ dissidia atque odium, id est, cæcitatem quandam & furorem mentis? Magister atq; institutor quum formator sit morum ad modestiam, moderationem, temperantiam, ad humanitatem, id est animi placidam quandam tranquillitatem cum suauitate, & beneuolentia erga alios, quid poterit congruentius munere ac professione sua facere, quàm adhortari, impellere quantũ consilio, iussu, authoritate, uerbis & re ualeat, in concordia & amicitia discipulos continere, non solum ipsos inter se, sed aduersus alios, ut quæ præcepta ab institutore ipso acceperunt, nõ ad uerba & inanem quandam uel disputandi ostentationem, uel disserendi conuertant, sed in corpus & sanguinem transferant, ut simul quanta sit uis illorum præceptorum, omnes intelligant: quę non in uerbis solum et leui quadam aura euanescunt, sed ita alte in animos penetrant, ut ad res atq; opera transeant. In quo magister & probissime erit perfunctus officio suo ac munere, & maximam operæ suæ laudem fructumq; colliget, siue humanis uocibus aliquid tribuẽdum censeat: siue, quod est ueri atq; absoluti sapientis, altius sibi spectandum statuat, & testimonio conscientiæ suæ uelit acquiescere, prẽmiumq; expectet illud à deo sempiternum. hoc demum est magistri, hoc philosophi, hoc sapientiæ, hoc cuiusq; eruditionis professoris. Est enim eruditio omnis, cultus quidam animi, quo ruditatem, feritatem, duros, asperos, barbaros atq; inhumanos mores deponimus, ciuilitatem atque humanitatem sumimus, ut alienius nihil sit ab omni literarum atq; studiorũ ratione, cq; dissidia, discordiæ, odia, maleuolẽtia: id est, cq; inhumanitas ab humanitate. Ad exacuenda puerorũ ingenia, & diligentiã excitandam, facile quidem concedit, ut leuia quędam inter eos certamina suscitet magister ludi, & tanquam eos cõmittat: sed rem citra acerbitatẽ atq; odia debere subsistere, nemo ignorat. nam si ad odia, si ad rixas & conuicia res sit progressura, tolli certamen omne fuerit consultius, ne dum haurire se eruditionẽ arbitrant, pernicioſum animis uenenũ imbibãt: et quũ in hoc parata sit omnis eruditio, ut tanq; cõpositio quędã sit animi, et aptatio ad uirtutẽ, ut animus per eruditionẽ purgatus atq; excultus excipiẽdę uirtuti accõmodus sit atq; idoneus: nos eã in uiciorũ et scelerũ omniũ gradũ atq; instrumẽtũ cõnutemus: quãdoquidẽ nõest crimẽ ullũ aut scelus, cui odiũ & discordia uiã nõaperiat, nẽpe dux & parẽs superbię, unde reliqua omnia scelera dimanãt: ut appareat nõ minus magistrorũ diligentiã curãq; in hoc debere excubare, ut discipulos ad beneuolentiã ac dilectionẽ pnos redderẽt, ab acerbitate omni animorũ & odio auerterẽt ac abducerent, cq; ut ijs artibus & disciplinis pulchre instituerent, quas tradendas susceperunt. Hanc operã dandũ est præceptorib. ętatũ omniũ, ut si quid uel à natura inditum sit, uel ab institutione acceptum, uel ab usu confirmatum, mite, suaue, amabile, humanũ, id foueant, nutriant, educent, educant, confirment. In pueris ne molles illi ac teneri animi, & in quiduis fingi cerei, prius ferè incipiant male uelle, quàm omnino uelle: et odisse sciant, anteq; cognoscere. néue massa illa mollis, quę sensim durescit, cum pessimo odij glutino coalescat, & indurẽt. quid alienius à ratione, à mente, à recto consilio & sano, cq; nouis puerorũ pectoribꝫ acerbitatẽ, amarulentiã, uirus exitiabile initio, ptinus instillare? Si nefarius est, & nõ uno supplicio, nec una morte dignus, qui semina sulcis mandanda malis uenenis inficit, quid censebit meritus is qui puerilia ista semina, unde magnę deinceps surgũt arbores, & amplissimæ segetes, tam prauis rudimentis corruperit? Quanto præstaret, domi retinere puerũ, cq; eò mittere, ubi prius disceret male facere, quàm scire quid omnino bonum sit, quid malum. Iam ardor ille & impetus iuuenilis animi, nõ est discordię stimulis pungẽdus: id est quod Pythagoras ænigmate inquit, nõ addendus igni gladius: quã ętatẽ magis cõuenit coerceri ac refrenari, interdũ q̃q; lupatis & asperrimis echinis, cq; illã quę suapte natura stare loco nescit? quę pro

na &

na & præceps ad dissensiones feruore suo corripitur? Si huic tam ex sese commoto atque incitato uel habenas relaxet moderator, quò sperabit illum deuenturum, nisi in altissimam alquam uoraginem, unde se nunquam inposterum possit extricare? Quid faciet prouectiorũ præceptor, & ut Græco dicitur uerbo γηροντοδιδασκαλος? an is refrigeratas ætatis beneficio immodicas illas flammas, rursum pestilentis liguæ aura suscitabit, & conuertet ueteranum pullum suum decurso iam fere spacio iterum ad carceres? quid magis ætatem illam decebit, q̃ pax animi, & quies, & beneuolẽtia cũ multis, cum nullo odium ac dissensio? quorsum ergo scholas ętate illa ingrediẽ? cur iam annis grauis in gymnasio se exercet? quid in auditorio sedet rugis & canis uenerãdus, nisi ut quod assequi per annos nõ potuit, disciplinæ beneficio ac subsidio consequaẽ? Quid tu illũ nõ solum tam iusto & pbo uoto frustraberis, sed peiorẽ etiã domũ remittes, q̃ ad te uenerat magistrũ & pfessorem sapientiæ? tantũq̃ aberit ut aliquid ex ijs quæ cõcupierat apud te adipiscaẽ, ut etiã si quid boni recedẽtes anni reliquerãt, perdat, dũ te audit. Ergo institutor pueri ac iuuenis, qui discipuli nõ magis imbuendũ doctrina sua pectus, q̃ fingendũ animũ recepit, ad omnẽ mãsuetudinẽ, humanitatẽ, amorem formabit ac cicurabit discipulũ: & magister natu grandioris, non solum nullas iniiciet inimicitiarũ flãmas in cor auditoris, sed si quę aliunde trãsilierint, omni cura atq̃ opera extinguere laborabit. sciet omnẽ suã eruditionẽ in animũ discipuli nunq̃ penetraturã, nisi is quietus sit, nulla intus tẽpestate docẽtis uoci obstrepente, & quasi tumultuante pro foribus, ne quid eò ingrediaẽ. ita ut uelit maxime obliuiscí sui muneris ac partiũ doctor sapientię, ut aliarũ rerũ omniũ, certe paci et quieti auditoris dabit operã, qui reputet frustra clamaturũ se, nisi quieto sedatóque pectore audientis. Si exemplũ alicunde repetendũ est, quid opus erit uel uetustũ Pythagorę institutũ ac morẽ repetere, cuius schola nõ tam erat artiũ meditatio, q̃ amicitiæ? quid Socratis, quid Platonis? optima sunt ad imitationẽ omnibus proponenda: assequatur quisq̃ ex eo, quantũ uires sufficient. utiq̃ assequeẽ nõ parũ, si sequatur sedulò ac bona fide. Christus est exemplar hoc, & ut græci dicunt πρωτοτυπον. Quid aliud fuit uniuersa cœlestis illius scholę doctrina, nisi charitas? quis huc descẽsus, nisi recõciliatio, gratia, pax? Iam maritus, & quod uxorẽ uti par est, diligit, optabit ac efficiet, quoad poterit, ut procul ab eius animo absit cruentissima illa animorum crux, odium, atq̃ inimicitię: & quod bene uult prospectũ suæ familiari rei, dabit operã, ne familiæ in curã & cogitationem simultatum auersæ parum uacet domestica munia obire. Duo sunt animi potentissimi affectus & ceu tyranni quidam, amor atque odium. amor suauitate quadam & dulcedine delinitus, odium autem acerbitate perfusum, omnia animi munera in ius suum ac possessionem petrahunt, & sibi unis cogũt seruire. Ergo susceptis semel inimicitijs tanquam iustitio in ciuitate indicto, cessant omnes animi functiones, odio soli opera nauatur. Quocirca illud est in primis cauendum ijs qui sunt officium aliquod exequuturi, ne ab eo procul expellantur odij̃ tanq̃ tormento in animum adacto. & ij̃, quorum è re est illos probe defungi suo munere, uehementer expedit accurare ac elaborare, ut illi quieti tranquilliq̃ odiorũ turbis nõ interpellati atq̃ impediti, intenti atq̃ alacres in id quod agendum est, incumbant: hac mente oportet esse superiores erga inferiores, magistratus & principes et consiliarios erga ciues, patres in filios, heros in seruos, uirum in uxorem, et contrà subditos in principem, seruos in herum, discipulos in pręceptorem. si quidem tam conducit superioribus inferiores esse in officio, quàm inferioribus superiores utrisque plurimum. neque enim constare potest apta illa harmonia & concentus rerum, nisi quisque erga alium munus atque officium suum diligenter, ac bona, quod dicitur, fide, obeat. Et quemadmodum compositio hæc uniuersitatis mundi confestim interiret, si uel cœlum desineret salutarem illam suam uim terræ immittere, uel terra excipere, illáque ad usus mortalium uti ac dispensare: ita in ciuitate & quacunque domo ac re familiari omnia pessum eant & dissoluantur necesse est, si is qui præest, alijs curis à gubernaculo discedat. & qui subditus est, non præcipientis uoci ac uoluntati obtemperet, sed animo quisque suo. hoc uero sæpenumero uiuuenit iusto præmio malitiæ, ut qui inter aliquos inimicitias optauit & aluit, ita exasperarit eorum inter se animos, ut illi facile in quosuis irritatos animi impetus conuertant, etiam in illos ipsos authores dissi-

dij, & tanquam gladiationum laniſtas: quemadmodum beſtiæ feræ accenſæ & irritatæ ſæuiciem illam ſuam in ipſos non raro magiſtros conuertunt: & ignis uehementer accenſus ſcintillas iaculat in eorum ora qui inſufflarunt atq; accenderunt. Id uidemus paſſim & publice in ciuitatibus & regnis, & priuatim in uicinijs & domibus accidere. Ergo domi ſuę paterfamilias concordiam fouebit, ut diligẽtiores ſint omnes in officio, memor ſapientis ſententiæ, quam à Pythagora profectam eſſe ſcribit Diuus Hieronymus: Fuganda ſunt omnibus modis et abſcindenda, languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à uentre, à ciuitate ſeditio, à domo diſcordia, & in cõmune, à cunctis rebus intemperantia. Magnopere authoritatem in publicum lædit, eſſe domi diſcordias ac ſimultates. quis credet ciuitatem ab eo poſſe in pace ac conſenſione contineri, qui propriam domum non queat regere? Philippus Macedoniæ rex, quum diſſidentes Græcię populos ad pacem conaretur adducere, & Leontinus Gorgias de Græcorum cõcordia librum accuratiſsimum in Olympia recitaſſet, uterq; eſt à multitudine reiectus ac irriſus, quod de aliena concordia uerba facerent, qui ipſi domi ſuæ non poſſent concordiã ſtabilire. nam rex domi diſſidentes habebat filium & uxorem, orator uero uxorẽ et ancillã. Non adducebant Græci, ut crederẽt ſuas querelas, rixas, diſcordias ab ijs hominib. ſapienter poſſe cõponi, qui ipſi priuatas domi uel authoritate, uel prudẽtia nõ ſedaſſent. Subditi tam debent diſſenſiones principum optare aut illis fauere, q̃ membra, ut caput uehementi aliquo motu quatiat. Principib. in curã belli auerſis atq; incumbentibus nec reſpublicas uacat regere, nec de priuatis cauſſis cognoſcere, nec ſingulorũ querelas audire, quæ ad illum ceu patrẽ quendã à filijs deferunt. exaſperatus eſt principis animus in bello, & efferat magis indies, ſiue dũ dat cladẽ, ſiue dum accipit. & indigniſsimũ cẽſet priuatas ad ſe querimonias deferri, quũ ipſe de capite, de ſalute ſua, de rerum ſumma, uel de magna aliqua ditionis parte in periculũ uocet, nõ aliter reb. pacis ac togę ferox infenſiſque, q̃ ſi quis equo de equa cũ pare pugnãti frenũ uelit inijcere, & ad domeſtica opera reuocare. Quę inſania eſt ſubditorũ bellũ ulla ratione optare, & nõ ad belli mentionẽ toto prorſum corpore inhorreſcere? quũ illinc fons exiſtat omnib. incõmodorũ & malorũ omnium. quũ omnes dico, pauciſsimos quoſdã excipio, latrones crudeliſsimos ac impuriſſ. quibus ſub iure & æquitate uitã uel diem unũ pferre nõ liceret. Quantũ authoritate, quãtũ ſuadẽdo, admonẽdo, hortãdo, precãdo, deniq; quibuſcũq; reb. ſubditũ erga ſuperiorẽ tã q̃ filiũ aduerſus patrẽ ualere ac poſſe fas ius q̃ eſt, ſalua maieſtate omni ac reuerẽtia magiſtratus ac principis, tãtũ laborare ac cõtẽdere deberent, ut principẽ ſuũ et cõuentus rectorẽ à turbis illis odij ac tẽpeſtatib. ad quietiſſ. pacis tranquillitatẽ traducerent, ut ex illa ſuauitate capitis multũ in cætera omnia mẽbra deriuaret. Quid filius? poteſt ne pius exiſtimari, qui patri odiũ aduerſus quẽ q̃ uel optet uel alat? id eſt ſæuiſſ. animi morbum imprecẽ? et nõ potius, ſi quis talis morbus extiterit, nõ aliter ſanãdũ atq; auertẽdũ curet q̃ periculoſam aliquã corporis ęgrotationẽ? Poteſt pius filius perferre patrẽ undis illis atq; æſtibus fluctuãtis cordis uolui & iactari, obſideri cæcitate mẽtis, agitari furijs atq; intemperijs? quid eĩ aliud eſt odiũ q̃ hęc omnia? Diſcipuli quid poſſunt recti, aut ſani, aut pfuturi ex eo fonte haurire, qui odij uenenis eſt pfuſus ac imbutus? Quis adeo eſt uiator mẽtis impos, qui ſitim ex fonte aliquo leuaturus, nõ quãtũ fieri ab ipſo poteſt, purgat immundã aquã, & cœnoſam ac turbidam eliquat, quam eſt in corpus infuſurus, ne noxia p ſalutarib. ſumat. Expoſitum eſt mihi alio in loco, q̃ nulla eruditio uel percipi ac teneri, uel ad alios perferri queat ſine pace & quiete animi. Iam uxor abutet ne uiro ſuo p lenone, & inſtrumentũ faciet leuitatis animi ſui ad explendũ odiũ aut cupiditatem aliquã? ſceleratã illã cõiugem, quę cõiugẽ ſuũ ad inimicitias extimulat & accendit. ſtultum illũ uirũ, qui ſe muliebris ſtultitiæ adminiſtrũ præbet. quomodo uero marito utet cõmodo & ex animi ſui ſententia inimicitijs percito, & ardenti, cogitatione omni in eã curã incũbente? quid quod ille impetũ omnẽ cõceptæ acerbitatis in quodcunq; primũ fors obtulerit, effundet: atq; eo magis et acrius, ſi hoc ſibi licere in illud putet, ut uiro in uxorẽ, hero in famulos, ut quũ ſeſſor ira perculſus in equũ aſcendit, nec frenis nec calcaribus parcit, nec pugnis, nec ferro, ſi ſit ad manũ, & feruẽtẽ illũ ſanguinẽ in miſerũ atq; innoxiũ equũ deſpumat, quandoquidem is infelicitate ſua proximus irato contigit. Nec

immeri-

immerito Plutarchus nihil magis fugiendum euitandumq; seruis docet, q; iram domini. à nulla alia mentis perturbatione maius esse famulis periculũ, etiãsi ea sit in alios concepta. In uicinia, in ciuitate, quid dulcius, quid amabilius aut gratius, q; superfusam esse concordiã, tanq; serenũ quendã & tranquillũ aerem per cãpos & prata adulto uere? Rident omnia, ablandiunt, uocãt, inuitant, detinent. Ita uidemus homines permultos magni & iudicij & rerũ usus, peragratis conspectisq; regionibus terra & mari q; plurimis, oblitos patrię & omniũ necessitudinũ ibi sistere, & finem tum peregrinãdi, tum etiã uiuendi facere, ubi uel morib. atq; instituto maiorũ, uel mãsuetudine ingeniorũ quietissime ac placidissime uiuãt. ibi ducunt esse patriã, ibi parẽtes, ibi chara omnia pignora et nomina, ubicunq; iustitia & pax & concordia colant: exiliũ esse, ubi ciuis ciui uel aduenæ facessat negociũ: ubi uicinus, uel curiosus, uel turbulentus uicino sit molestus: ubi animum propinquus, amicus, leuiter notus, ignotus sollicitet, & de quiete illa dimoueat ac deturbet. neq; hęc modo pati est intolerabile: sed uel uidere & spectare, ita est acerbũ, ut multi satius ducãt domos & patrias suas ac suorũ maiorũ relinquere, & aliò q; lõgissime demigrare, quò nullus possit earũ rerũ sensus pertingere, nõ aspectus, nõ auditio, nõ intellectus, deniq; aut cognitio prorsus ulla. Quis potest lætus odia, dissensiones suorũ ciuiũ aut uicinorũ uidere, qui sciat tempestatẽ illã uel subito uel sensim, certe aliquando se ad ipsum effursurã? Hominẽ ne aliquẽ ita alienis inimicitijs delectari, ut tẽpestatẽ excitet in eo ipso mari in quo ipse nauigat? Nam quid aliud est ciuitas, quid uicinia, q; idem mare, idem iter, eadẽ nauis, qua uicini uel incolæ uehunt? Quis possit enumerare, sinistrę illæ interpretationes, quot sint malorũ in ciuitate caussã atq; origo? simultatũ, odiorum, litium, rixarũ, pugnarũ, & malignè alienis inuertendis ęquissimã quidẽ in nos, sed tñ asperrimã legẽ sancimus, ut nihil tam recte, tã simpliciter, tã circumspecte possit quis uel agere uel dicere quod nõ ilico in peiorẽ ab alijs partẽ rapiat. ea illa formula interpretãdi, quã idẽ ipse edocuit pessimus, ut in alios omnes magister, ita in seipsum. Amicus qui amicũ uidere cupit discordẽ, qui nõ quacũq; potest dat operã, ut reponat in gratiam aduersarij, hũc oportet nõ esse amicũ, nec amare, nec amici reb. aduersis commueri aut tãgi: sed esse ueneno infectũ, nẽpe simulatione amicitiæ ad suas aliquas utilitates & cõmoda: uel malitia, qua nõ tã cupit habere amicũ, q; obnoxiũ per alienas inimicitias, atq; adeo seruũ quem premat, cui quiduis imperet coacto pręsenti necessitate, quia ope illius atq; auxilio indiget, metuẽs ne deserat ab amico in discrimine. uiri fortes, quũ in hoc potissimũ intentũ sit generosum illorũ pectus, ac uigilet, nec cui fiat iniuria, nõ tã debẽt curare ne factã, ppulsent, q; ne fiat omnino. nõ aliter q; iustos, nõ à deo decet illud optare, ut puniant qui peccarint, ac ne quis uelit peccare. hoc sibi destinarũt leges, huic rei medici nam conant ac remediũ adhibere, ne quis noceat, ne pacẽ cõturbet, ne quietẽ cõsternet ac peruertat: deniq; ut uelut antidotũ adferãt cõtra aduentãtes morbos, quo sanitas cõseruetur. Nã si uiri fortes materiã quærũt uirtutis suæ exercẽdę, an maiorẽ requirũt, q; obuiã ire malis erũpentib. arcere iniurias sensim prepentes, ne sępferant, ne existãt? parũ ne habet medicus negocij, qui in corpore ueletudinario laborat, ne serpat morbus, ne inualescat. Nõ est uiri fortis, et magni atq; excelsi animi, optare aduersa quib. se exerceat, quib. uincẽdis domãdisq; illã desidẽtis uirtutis quasi rubiginẽ extergat? sed ubi uel casibus, uel hominũ uicijs ac scelerib. acciderũt, præsenti cũ illis animo cõgredi ac pugnare. perfert quidẽ uir fortis aduersa, nõ eligit. Nũ qui uirtutẽ uult suã inclarescere, nimirũ is oculos quærit à quib. claritas spectẽ. qui nõ dat sui pręclara facinora oculis cõscientię, sed hominũ ostentator est magis, q; bonus: et fortiter agit amore laudis, nõ uirtutis. Optare bellũ & discordiã, q; rabie ac carnificina illa delecteris, quid immanius q; sanguine oculos pascere, et humanũ animũ inhumanitate reficere, ac recreare? Si spectet prędã, quid auarius, quid magis aut uerius latronis et quidẽ sęuissimi, qui iugulat nõ cõtẽtus spoliasse? nã sunt quidã in illa inhumanitate humaniores, qui nihil pręter spoliũ petãt. Sin gloriã facias finẽ discordię ac belli, quid crudeliter stultius aut uanius, qui per scelera et nefanda facinora famã boni et magni uiri aucuperis? Quod si hoc fortitudis nomẽ tãtopere expetis, aut omnino pati nõ potes actuosã & igneã illã uimq; escere, nõ est q; penuria ma-

ria materię conqueraris, ne extra te egreditor aut uagator, fortaſsis non erit ſemper quod agas foris, domi intra teipſum nunquam deerit. redi ad te obſeſſum atque oppugnatum tot fortunæ caſibus, tot naturæ incommodis, tanta imbellicitate, tot morbis, tanta animi impotentia ſæuiſsimis ac importuniſsimis tyrrannis ſubdita, & ab eis agitata. Quid tu alienam ciuitatem oppugnatum aut propugnatum uenis, qui tuam obſeſſam & in extremo periculo deſeris? tu alienis uxorib. ac liberis fers opem, quũ tuam opem tui liberi ac cõiunx implorent? Non poteſt pati quietem uir fortis, tumultus alienos curat, & præſidem ſe offert alienæ domui, quũ ex ſua hoſtes agant prædas, & iam ardentes faces tectis ſubiiciãt. Materiã tu fortitudinis à me poſcis, qui tecum hoſtem ſemper habes teipſum? An ullam maiorẽ fortitudinẽ eſſe arbitraris, aut alios Gallos Hiſpanus in Italia quæris, uel Hiſpanos Gallus, ꝙ animum tuũ, qui ſemper tecum, id eſt cum mente, iudicio, ratione, hoc eſt cum homine ipſo præliat? in quo uincendo caue laudem ullã fortitudinis ampliorem eſſe arbitrere. hanc etiam, qui gentes ac populos ſubiecerant, nõ ſunt conſecuti. Quàm fœdus, ꝙ imbecillus erat Achilles ille Homericus, ꝙ non dignus ea quam illi circũponit Homerus perſonã, qui poſt Thebas Ciliciæ, poſt Cyprum, & alias permultas inſignes uictorias, uictus proſtratus ꝙ exigua iniuriola, attollere ſe nullo poteſt pacto: nõ legatione amiciſsimorũ regũ, nõ precib. nõ muneribus, non præſenti gentis ſuę periculo. quid aliud teſtat, ꝙ ſe ab impotentia animi uictum fractum ꝙ reſumere in manus arma non ualere? Quid Alexandrũ, qui alios permultos uicit, niſi hoſtis internus? hęc eſt uictoria rara, ſingularis, admirãda. Huius gloria & uehementer hominũ animos permouet, & diuturnior eſt, ꝙ illa cædib. & immanitate parta. Ergo illud eſt fortiũ atq; excelſorũ, pacem & in ſe et in aliis curare: & in hoc fortitudinis ſuæ uires atq; authoritatẽ cõſumere, ut ſit quies ac cõcordia, ut credãt robur illud animorũ, nihil eſſe aliud ꝙ pacis, & iuſtitiæ, & quietis aram, & publicũ quoddã patrociniũ. Quid refert, manu & armis pacẽ parueris poſt bellũ? an authoritate bellũ naſcens cõpreſſeris? & fugientẽ iam pacẽ cedentemq; furori incitatorũ animorũ, tanꝙ iniecta manu domũ et in ciuitatem reduxeris? certe utrũq; bellũ ipſe confeciſti, utriuſq; pacis es author. ſed hoc felicius, illud incruentũ, quod ſine periculo tuo ſine multorũ certa clade, tũ etiã pulcrius ac præclarius, quanto præſtãtius eſt res egregias & magna laude dignas animi ꝙ corporis uiribꝰ perficere? Animo enim ſumus homines, corpore à beſtijs nihil aut parũ admodũ diſtamus, nec corporis uel uiribus, uel celeritate quantumcunq; eæ increſcant. beſtiarũ permultis pares eſſe poſſumus, utiq; nec illę ingenio, mẽte, uirtute nobiſcũ poterũt unꝙ cõparari. hæc ſunt hominũ, his qui laudantẽ, laudes conſequuntẽ magnis & excellentib. hominib. dignas. Milites in numero ſe & loco uirorũ fortium collocari efflagitant: in quo ordine duo ſunt genera, alterũ eorũ qui ſtipendij gratia ſequuntẽ ſigna, uel q; ex ciuitatibus ad caſtra tanꝙ ad aſylum quoddam pfugerint deſidiæ aut impunitatis. inter hos & carnifices aut latrones aliquos, nõ uideo quid interſit. Sunt alij, tametſi rari, nõnulli tamẽ, ex uerio re quadã et meliore militũ nota, q; ſuas manus, arma, corpora ſaluti reip. aut principis deuouerũt. hos exiſtimare oportet, ſe preſides et tutores et cuſtodes eſſe reip. uel capitis ac mentis reip. principis. At remp. nõ ignorant quandã eſſe uelut conglutinationẽ ciuium per iuſtitiã, neq; em̃ aliud eſt ciuitas, ꝙ hominũ conuentus lege ac iuſtitia cõſtitutus & firmatus. Quod ſi milites cuſtodire aſsignatũ locũ uolũt, ſi manere in ſtatione, ſi conſeruare q̃d tuẽdũ defendẽdũq; ſuſceperũt, neceſſe eſt iuſtitię, iuri, legib. preſtò adſint, pacẽ, quietẽ, cõcordiã foueant, cõſeruent, ppugnẽt, quo mẽs, ſenſus, uoces, iuſtitię omnes tendũt, in quib. ſitus eſt finis uniuerſarũ iuſtitię actionũ, deniq; ea quę de uiris fortib. ſunt à me modo poſita, de ſeipſis dicta eſſe putẽt. Eruditus quid aliud diſcit in ſcholis, ꝙ rudi tatẽ illã et tenebras & barbariã exuere, quantũ doctrinæ beneficio, pgredi ac ope poteſt, quę omnia ſcelus per humanos animos cõtraxit? quid porro eſt barbarius, ꝙ inimicitijs, pugnis, et cõmiſsis ad crudelitatẽ animis aut corporib. delectari? Tũ liber tãtis malis ac morbis animus formaꝫ ad mãſuetudinẽ atq; humanitatẽ, unde inſtitutionẽ ad bonas artes, humanitatẽ ueteres appellabãt. an uero ſpectaculũ eſt humanitate dignũ uidere inter homines q̃ belluarũ ſunt, nõ hominũ, diſsidia, ſimultates, odiũ, rabiẽ ferarũ teterrimarũ? Quàm indecorũ eſt docto homine, nõ plus bono multorũ, pdeſſe, ꝙ quẽuis de uulgo & inerudita

inerudita multitudine? Quorsum ergo tantarũ rerum cognitio? quorsum tot acuta argumenta? tot grauiter excogitata, dicta, responsa, de pace, de cõcordia, de bello? tãta linguę facundia, et illa per hæc tanta bona parata authoritas? quibus tandem in rebus cõsumentur opes & copiæ tantopere præclarę? an in excitandis aut alendis dissensionibus, ut ad illa ipsa redeas, quæ ut effugeres, in scholam te tãquam in tutissimum aliquem portum recepisti? an ut uoces & uenerationem hominum colligas? quid est fœdius, aut quod opus alienius est à facultate tantorũ instrumentorũ? num nõ apertè hæc ipsa testant & clamant se uel à natura, uel à deo ad homines propter hominũ utilitates esse missa? num non se in sarcienda & cõseruanda concordia exerceri uolunt, postulant, & quasi iure suo repetunt & contendunt? quid poterit agere maius aut præstabilius uir doctus, aut cõgruentius admirandis illis ingenij ornamentis? Qua tandẽ in re melius aut se dignius exercebit acumen illud ingenij ac iudicij, illã copiam ac uarietatem rerũ, illam cognitionem naturæ & totius memorię antiquitatis, illam diserti sermonis eloquentiam? an ut de deorũ insanijs atq; impietate aliquid cõmentẽ? aut celebret uetera uel recẽtia latrocinia, et eorũ tẽpora diligenter ac anxie cõsignet, aut argutias quęstionũ, ac disputationũ araneas texat & retexat? aut inquirat ea quæ nec inueniet, nec inuenta in ullũ poterit accomodare uitæ usum? Percurrat omnia, nihil reperiet quod ęque debeat facere uir tantis dei muneribus instructus, q; homines pro uiribus sua ad cõcordiã exhortari atq; impellere, hoc est, ad similitudinẽ quandã dei & cõiunctionem sustollere, à diaboli partib. ad dei patres traducere. hoc demũ est fungi uero munere hominis eruditi ac sapientis, in quo & prodest, quib. p. desse eum deus uoluit tãta tributa eius rei facultate: & quatenus potest, refert ei gratiã q. dãmodo aliquã, à quo accepit tam multa pulcra sane & admirabilia. At bonos & mãsuetæ facta natura sua oderit, ac detestabit inimicitias haud secus, q; caput & seminariũ uitiorum omniũ, & hoc eum docebit bonitas, ut multis, p. sit. ut quũ se felicissimũ esse uideat, quod odio, ira, inimicitijs est liberatus, cõsecutus uirtutem, et per eam incredibilẽ in animo tranquillitatem pacemq;, alios cupiet eodẽ adducere, quo ipse peruenit. neq; em est inuida natura boni: nec quicq; esset illo miserius, qui felicitatẽ est per uirtutem adeptus, si inuideret alijs bona suis similia, si metueret, ne quis eo ascẽderet quo ipse. ergo & dissentientes inter se miserebitur is qui sciet, quanto illi bono se fraudent, nempe quiete et concordia. & dabit q; poterit maximã operã, ut tantę illos infelicitati eximat. Sequitur authoritas diuina, de qua prius q; dico, uelim, ut qui discordijs uel delectatur, uel dat operã, in ipsam discordiã, & se authore dissidentes intueat. uis tu, ppter suspiciunculã aliquã, aut animi tui prauã cupiditatẽ disiungi ac diuelli, coniunctos sacris, legib. ciuitate? uis tu segregari eos qui sunt ex eodẽ grege, collegio, sodalitate, studijs, artibus? exigis ut amicus oderit amicũ, magister discipulũ: aut cõtra hic præceptorẽ, frater insectetẽ fratrẽ, filio male uelit mater? quid uis? quid poscis? quid cõcupiscis? quid contendis? O impiũ & nefariũ, siue quia id speras, siue quia cupis, & aggrederis. Sex sunt, inquit sapiẽs, quæ odit dominus, oculos sublimes, linguã mendacẽ, manus effundẽtes innoxiũ sanguinẽ, cor machinãs cogitationes pessimas, pedes ueloces ad currendũ in malũ, pferentẽ mendacia, testẽ fallacẽ: sed super hęc omnia, septimũ detestat eum qui seminat inter fratres discordias. An uero fratres sunt ulli certiores aut magis germani, q; quos genuit deus, regenuit Christus, ut eundẽ habeãt duplici nomine patrẽ cõmunẽ? Iam qui resides et quietos animos ad motũ et inimicitias suscitat, perinde facit ac qui in confertã turbã hamatũ ac uenenatũ mittit iaculũ, incertus quẽ feriet: putat se frequẽter duos cõmittere, quos pugnãtes libẽs ac lętus spectabit. inuoluit una patrẽ suũ, fratrẽ, filiũ, amicissima, charissima capita: quę ipse longissime à tumultu ac molestia omni abesse magno æstimaret, nõ raro etiã semetipsum. cæca est libido illa discordiæ excitandæ, & multarum rerum improuida: si aperiret oculos, & tãquam picta in tabella ea cerneret mala quę nascuntur ex bello, quæ ex dissidijs ac odijs etiam priuatorum, raptus, spoliationes, uiolentias, incendia, ruinas, cædes, cuiusmodi in tertio de Concordia uolumine explicuimus, neminem credo tam immani feritate imbutum esse, qui uellet cuiusquam animum ad odium atque inimicitias inflammare. Prò deum immortalem, esse hominũ ullum, qui quũ recordetur authorẽ se, originem, caussam fuisse tot malorũ, habeat tamẽ reliquum aliquid cur

illi iu-

illi iucunda esse in posterum uita possit, & hic communis aer gratus, quem ipse tot sceleratis cogitationibus primum, hinc fœdis facinoribus contaminauit. Atqui hominis est futura prouidere, spectare finem. nam ea potissimum re à brutis animantibus distamus, quæ demisso in terram capite præsentia tantum intuentur, uentri seruiunt: homo autem erectus uentura prospicit, non uoluptatibus corporis, animi libidinibus ancillatur, sed iudicio, consilio, rationi, uirtuti obtemperat. qui aliter uiuit, faciem quidem habet hominis, ingenium uero ac mores belluæ, quæ impetu temerario in alienũ & suum exitium rapitur. Age uero, quæ potest esse in discordiæ aspectu delectatio, quum in concordiæ sit intuitu uel maxima & iucundissima? quam utique ad rem non conuenit eorum uti testimonijs, quibus uitæ consuetudo iudicij acrimoniam corrupit, non magis quàm uel de saporibus febre incensum consulimus, uel de coloribus uicioſos oculos. homo malus tam deprauatum habet malicia sensum mentis, quàm æger sensum corporis morbo. Vir bonus mensura est omniũ, quemadmodũ acute Aristoteles de recto diffiniuit, quod sit & sui & praui censor, flexum uero & curuũ, nec sui nec recti. Quæ porro est bonorum hominum sententia de concordia & discordia? Rogentur omnes, una atq; eadem uoce respondebunt, nihil esse gratius, nihil amœnius, nihil amabilius aspectu hominum concordium ac consentientium: nihil tetrius, horribilius, detestabilius odijs, acerbitate, rabie animorum: prorsus concordiæ spectaculum simillimum esse gratiæ sereni ueris, quum uernat, quum floret, quũ arridet mundus. discordię faciem non aliam, quàm mare turbidum, & uentos concitatissimos, & cœlum tonitribus, fulminibus, nimbis ruens. Transeat iam paulisper homo ab humanis ad diuina, à terrenis ad cœlestia. Inspiciat sacras literas, & libros pietatis nostræ, id est, oracula, quæ deus ipse author mundi huius humano generi dignatus est edere: hæc uero, quid sunt aliud quàm fons quidam pacis, concordiæ, unanimitatis, ac mutui omnium amoris inter se? Ideo ille sanctus spiritus, cuius afflatu sunt literæ illæ proditę, ignis specie est ab humanis oculis cõspectus, quod nihil spiraret aliud quàm ardentem quandam charitatem, qua gelidæ animorum nostrorum sordes discuterentur ac purgarentur. Quod si administri illarum literarum, atq; huius ignei spiritus, hoc est amoris cuiusdam meri, uenenatas ex tam liquido et salubri fonte, & ipsi sibi hauriunt, & alijs præbent aquas, tam fugerit ex terris salus, quàm, ut poetę dicunt, iustitia, nec mentiunt, si ipsi inimicitias et odia uel suscitant, uel augent, uel fouent, uel certe dissimulant? Si speculatores dormiũt, si custodes uel ipsi lupos submittunt, uel taciti eos intuentur, si sal terræ infatuetur, quomodo fatua hæc saliemus? quò cõfugiemus, si pernicies est ipsi eadem saluti immista? Interpretes sanctorum uoluminũ qui abstrusa & recondita sensa exposita atque enucleata rudioribus tradunt fratribus, & sublimia spiritus sensa monumentis literarum ad usum & præsentium & posteritatis consignant, quid spectant? utrum diei unius incertas uoces, iniquas, instabiles, an æternũ se Christo approbari, & pulcherrimi laboris pulcherrimum præmium expetunt? Quod si magni isti uiri, & quibus humanum genus nunquam sit soluendo, ut ingenia altissime sustulerunt, ita et affectus ad res magnificas ac excelsas erexerint, obuiam odijs omnibus atque inimicitijs ibunt, ut eisdem uestigijs insistentes, quibus doctor ille felicitatis nostræ uehementer se et sua tanto præceptori discipuli approbent, imperatori tyrones. Sacerdotes omnes faciant in mentem reuocent, quanto sint titulo ab apostolo Paulo donati, qui se atque illos ausus est coadiutores & cooperatores uocare Christi Iesu. At Christi opus unicum pax est, & reconciliatio exitiabilis discordiæ. Tum meminerint se esse apostolos, id est missos. quò uero missos? declarat idem ipse, qui mittit. Ite, inquit, prædicate euangelium omni creaturæ. At euangelium bonus est nuncius. nemo melior, nemo gratior, quàm qui pacem adfert. sic scriptũ est in uaticinijs Esaiæ, Quàm pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis salutem. paucissimis uerbis sanctum ministerium absoluit, dum & in excelso eos ad prędicationis intelligentiam & libertatem collocat, & expeditos pedes ostendit, & quid prędicaturi sint docet, pacem nimirũ & salutem. Sic Christus prædicauit caput, magister, exemplar prædicantium. sic illum apostoli secuti. hęc est disciplina uelut per manus tradita, ut nullo à crimine sollicitius auerterint suos, quàm à dissensionibus. ad nullam uirtutem accuratius traduxerint, quàm

ad mu-

ad mutuam charitatem. hoc est caput pietatis huius, nec aliter peruenietur quò intendimus: idcirco huc sacramenta omnia & mysteria religionis nostræ pertinent. Ergo Christi sacerdotes interpretes se & tanquã sequestros esse pacis ne ignorent, pacis & hominũ inter se, & hominũ cũ deo, ut qui uicarij sint Christi, & ab ipso eodẽ quũ in hanc prouinciã mitterentur, audierint, Quicquid ligaueris super terrã, erit ligatũ & in cœlis. & alio in loco, quũ quasi instruerent ad munus obeundũ, Accipite spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata, remittentur eis: & quorũ retinueritis, retenta sunt. de pace igitur, de cõcordia multa & multum audiant, legant, meditentur, cõmententur, ad pacem suadeant, hortentur, impellant. efficacissimas de pace adferant rationes, quæ nõ leuiter summis animis hærentes, leuissima quaq; aura deleantur: sed quæ altè penetrent, quę aculeũ in auditorũ præcordijs infixum relinquant, quemadmodũ Periclem fecisse magnũ Athenis oratorẽ scriptores ueteris comœdię significant. Authores sint omnibus nõ modo ut crebro sermonib. de concordia intersint, sed ut legant eos qui hortati sunt ad pacem & unionem animorũ, dehortati à dissidio, siue ij sint seculi scriptores, siue pietatis nostræ. Hęc agant publice in cõcionibus, hæc priuatim in colloquijs, hæc secreto in consilijs, & dum hominũ noxijs audiẽdis dant operã, ut ubiq; sint filij dei, apostoli Christi, sacerdotes Christi, imitatores Christi, nõ solum pacifici et reconciliatoris, sed pacis ipsius ac reconciliationis. Quàm est deforme, q; turpe, abominandũ, nefariũ, impium, sacerdotem Christi & dei omnipotentis occasionẽ ullam bello & rixis & discordiæ præbere, uel aliunde subortã atq; existentem non protinus euellere, etiã cum ipsis fibris. Ex eis sunt nõnulli qui conuiciantur, rixantur, & manifesta odij sui signa proferunt. ij exemplo atq; incitamento sunt spectatoribus ad similẽ deformitatẽ. neq; enim dedecere arbitrantur, quod ille fecerit magister morum, lux, & dux, & sal uitæ nostræ, tum detrahunt fidem atq; authoritatẽ sacris monitis & operi sanctissimo ac omniũ utilissimo: ipsos decet præstare primos ad quæ hortantur. sic mundus cõuersus est ad rectam pietatẽ, quũ homines uiderent eosdem se habere operis authores, quos consilij, nec ab oratione uitam discrepare. quod uiciũ quũ in professoribus humanæ esset sapientiæ animaduersum, omne fere detraxit pondus illorũ præceptis. At in nostris philosophis studiosi mundanę sapientiæ quũ illud uiderent, quod esset in suis desideratũ, stupefacti exclamabant, Qui sunt isti qui ita uiuunt ut loquuntur? ita loquuntur ut uiuunt? Nemo facile explicet, quantũ eiusmodi prȩcipiendi ratio uirium & momenti habeat ad efficientiã eorum quæ conatur. Iam cuiusmodi sunt illi qui ansas odijs ac simultatibus prębent impia subtilitate? odisse nõ potes, odij signa potes ostendere. nõ potes amare, amoris indicia potes subtrahere. Non disputo de eiusmodi inuento: illud dico, nolim quenq; tam periculose esse ingeniosum. potes tu riuũ prohibere, quũ fontem uel aperueris, uel reliqueris? potes tu ita ignem includere, ut se non proferat? ego uero uix fieri posse credo, ut non se amare indicet, prodat, testetur, quisquis amat.

Quis enim bene celauerit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Hoc gentilis quidã dicit, sed natura animaduersa rei. amorem qui cohibet, uel efficit ut maiore se impetu mox effundat, uel certe frangit, ac diminuit. Dominus noster nõ solum affectum præcipit, sed quod necessaria ex affectu nascitur, opera, si possis. Orate, inquit, benefacite ijs qui oderunt uos. Et Paulus: Si esurierit inimicus tuus, cibum illi dato: si sitierit, potum. ita enim carbones ignis congeres super caput eius. noli uinci à malo, sed uince in bono malũ. Quanto illi flagitiosius ac sceleratius qui odia serunt, qui bellũ excitant, qui alunt. quo quid esse potest execrabilius? ut qui principes hortantur ad bella, qui in populis tanquam classicum canunt. ut ille concionator in quodam regno, qui abhinc annos duodecim populum in aduenas omnes & exteros irritauit. Neq; uerò hęc sunt solum diligenter prudenti ac pio sacerdoti euitanda: sed quoties res postulabit, exerendus est zelus ille, zelo Christi similimus, & proferenda est libertas: non tacendum, non dissimulandum, non conniuendum. Propter Sion, clamat ille, non tacebo, & propter Hierusalem nõ quiescam. Et alio loco: Exalta uocem tuam tu qui euãgelizas Sion. Paulus hortat Timotheũ, ut euangeliũ pacis prædicet, instet opportunè ac importunè. nõ quòd importunum uelit esse uerbum dei, aut prædicatorem ipsum, sed quòd, quam homines

uicijs detorti ac deprauati impotunitatē esse arbitrant̄, ipse opportunitatē sibi esse sciat. Zelatores Christi unicum illius præceptū charitatē zelent. hoc est prędicatoris munus, sicut Esaias inquit, annūciare pacem, prędicare salutem, quę in sola sita est pace: hoc repetant, hoc infigāt, inculcent. Tot bella iam continenter gerūt duo capita orbis Christiani. traxerūt in partes reliquos omnes reges, principes, respublicas, populos, nationes Europæ totius. tot clades datæ atq; acceptæ sunt, prouocarūt mutuo ad singulare certamen illi in quorū persona & uita & salute tot gentiū & regnorū uita & salus est posita, diminutę sunt uires orbis Christiani, ut metuendū sit ne nō simus futuri pares cōmuni hosti. quid hic tacemus? quid mussamus? Telemachū sanctū uirū memoriæ tradunt, quū Romę in amphiteathro gladiatores spectaret, & illi mutuis se uulneribus conficerent, prosilijsse in harenā amenti similem, & mediū inter illos alternis utrūq; complectentē exclamasse, Quid facitis fratres? quę caussa est tantę discordię? nos omnes Christianū orbē tanq̄ in harenā digladiantē & sese conficientē taciti spectamus. Quin clamamus, quin ostendimus, nec hunc uocari posse catholicū, nec sacrum, neq; illum christianissimū, nec alium fidei defensorē, nisi ea exequant̄ quę sunt christiani, nempe bene uelle, amare, non nocere, prodesse qua possit. nō constare christianismum sine charitate, non fidem catholicam. nihil sacri aut sancti relinqui seposita charitate. hoc non uno loco disertis esse uerbis à Christo pronunciatū & edictum. hęc quidem christianus ad christianos dicat. nam etiāsi gentilis, ut Seneca, Plato, & alij, orationem haberent ad principem plenam grauitatis, acuminis, ingenij, prudentiæ, qua ostenderent quàm parum inter bonū principem et bellatorem conueniret, amatorem suæ gentis & patrem patriæ, à belli origine caussa nutricula plurimū distaret. Sed de Christianis dicamus, ut cępimus. Hoc pacificationis officium, quum est sacerdotis omnis Christi, tum est uel maxime pontificibus congruens, qui propius nobis atq; exactius referunt personas apostolorū, atque adeo Christi ipsius: hoc opes, quanq̄ hæ ad rem nihil faciunt: sed hoc authoritas, qua plurimū ualent, & ualere eos par est: hoc ratio postulat dignitatis, ut paci & concordiæ cōmissi ac concrediti sibi gregis deesse absq; nefario scelere non possint. Dicet aliquis: Bene hæc quidem, & ita esset faciundū, sed displicebunt hominibus. Quid ergo hominibus ad gratiā loquūtur? hoc scurrarū est, uel assentatorū, nō bonorū hominū, & uirorū grauiū, non sacerdotū dei. Audiant Paulum optimū & sacerdotē & concionatorem, & Pontificem: Si hominibus placere studerē, Christi seruus nō essem. Quàm grata comutatio, serui gratiam amittere, ut domini nanciscaris? priuati, ut regis? lunam excludere, ut solem admittas? uir seculari sapientia præditus mauult iacturā facere fauoris hominū & gratiæ, q̄ conscientiæ. mauult regem lædere, q̄ mentē suam, & mentis dominam uirtutem: tu Christianus non audebis hominem offendere, ut deo obsequaris? Nec dubitabis inimicitias potentissimi suscipere, ut inualidissimū ac miserrimū animalculū tibi concilies? At esurient. quid tu ab hoc te homine nutriri ac sustentari credis, & nō à deo, qui te & illum benignitate sua alit? quid huic proderunt gēmæ ac metalla, si ille manū suam contraxerit? annum suum super ingratū orbem extendat? sed finge id futurū, ut esurias, ut inedia contabescas, nō id erit diuturnū. tanto celerius ad illas epulas reuolabis, quæ te uerius immortalē atque immarcessibilem efficient, quàm poetica illa ambrosia & nectar. ô beata fames, quā cœlestis panis exaturabit. felix sitis, quę diuino rore restinguet̄. an nō ipse rerum omniū & dominus pollicitus est ac recepit, beatos fore qui propter iustitiam esurirent & sitirēt, quoniam ipsi saturarent̄? ergo tu non perferes paulisper sitim & famem: et in diuersorio, in quo ater est et durus panis, & cœnosa & noxia aqua, parumper te sustinebis, quū scias in proximo siligineū esse paratum panem & uinum suauiss. & aquam liquidam & saluberrimam? Iam uero conuerto orationem meam, & dico eos magis placituros hominibus, & in maiore futuros precio, modo sermoni moderato ac prudenter pio uita respondeat, & intelligant homines non illos uel respectu suorum cōmodorū latrare, uel seruitute praui alicuius affectus: sed dei se exhibere administros, ut tanq̄ fistulæ quædam sint, quæ sacro illo diuino spiritu animatę, sonū illum emittant ad eorum salutem quibus aliquid significant. id facile uita declarabit, sine qua fucata & simulata existimat̄ omnis adhortatio. tum etiam oderunt omnes consultorē, qui nō ad utilitates eorum quibus consulit, refert,

lit refert quæ dicat, sed ad suos, uel suorum. Magnus princeps erat Theodosius Augustus, maior multo quàm nunc Christiani uniuersi. Ambrosius episcopus Mediolanensis dignitate non maior, quàm quiuis nunc episcopus, opibus uero multis huius temporis haudquaq; comparandus. At hic episcopus tantum principem à sacris repulit, quod Thessalonicæ ciuium paganorũ cædem à militibus fieri esset passus. cessit princeps non homini, non Ambrosio, sed ministro uirtuti illius dei, quæ se in sancti pontificis mentẽ insinuauerat. nec alio deinceps fuit loco apud animũ principis, quàm numinis cuiusq; terrestris. Quantũ potuit efficere Leo Pontifex apud Atilam pia oratione, sed quæ pio ex pectore nasceretur? ut præteream martyres, qui illa perfecerunt quæ nullis armis, nullis lacertorum & exercituũ uiribus perfici potuissent. unde ortæ sunt primùm tam immensæ opes ecclesiæ, nisi ex uenerationе & cultu piæ libertatis? ut principes & potentes uiri non aliter sanctos uiros suspicerent, & haberent in precio, q̃ instrumenta & tubas quasdã sancti illius spiritus & diuinæ uoluntatis! Quid nostri respondent, quũ hæc audiunt? putas nos æque ut illos profecturos? Quid istuc est? nunq̃ tentarunt, uel frigi de aliquando, ut consultius esset non attigisse, & diuinant se non profecturos? quomodo ergo maiores nostri & martyres profecerũt? An homines tunc, quos in sententiam suam adducebant, meliores erãt quàm his temporibus? imo peiores, tyranni crudelissimi, sine deo, sine religione, sine iure ac lege, liberi, & in omnem licentiam soluti ac effrenes. ipsa tũne uerba efficaciora, quũ sint adhuc eadem, & paratus ille idem patronus ac tutor, qui dixit, Quũ steteritis ante principes & reges, nolite præmeditari quid sitis responsuri. dabitur uobis in illa hora spiritus, & eloquentia, cui homines nõ poterũt resistere. neque eĩm estis uos qui loquimini, sed spiritus patris uestri, q̃ illa uobis dictat. At ipsi hortatores meliores, scio, sed id ipsi agant, in hoc incumbant, ut particulã certe aliquã illorũ probitatis exprimant, quo & partem aliquã maximorũ facinorum ipsi sua bonitate præstent. Verùm fac non solum displicere, & esurire, & nihil proficere, sed etiã cædi atq; adeo occidi. quid Christo similius, atq; ideo beatius, q̃ plagis aliquot tantum margaritũ cõparare, cui emendo omnes terræ totius opes satis nõ sint? ego uero censeo, inquit Paulus, nõ esse uitæ huius mala omnia atq; incõmoda digna cœlesti illa felicitate, quæ reuelabitur in nobis. Quid amplius aut magis expetendũ, q̃ mortem per tot cruciatus naturæ debitam tanto cum fœnore Christo impẽdere, & quasi debitũ posse imputare? compendio tanto breuiore, quum semel duntaxat moriaris in Christo, toties in natura? Censen, te si morbum aut præsens hoc periculũ euadas, futurũ immortalem? aut ullum habes certum aut statum tibi uitæ finem? hodie si euadas, forsitan absumẽre cras, ut casus intercurrunt in uitam uarij, subditi, inopinati, admirabiles. quid ergo iuuat incertæ breuitati tam anxiè consũlere, certæ æternitatis securũ ac oblitum? Negat Socrates uitam acceptum se sub hac conditione, ne philosophię, ne admonendis libere hominibus det operã, cuius sane uerba grauissima & pulcherrima non pigebit adscribere quæ sunt apud Platonem in Apologia: Quod si me, inquit, uiri Athenienses ea nũc lege absolueritis, ut ne amplius huic inquisitioni sapientię nauem operam, neu uersер in rebus præclaris cognoscendis, in quo uero studio, si quando deprehendar, mors sit mihi capitis condemnato obeunda, ego uero cõditionem hanc recusem. Equidem uos uiri Athenienses singulari quadã beneuolẽtia omnes cõplector: parendũ tamen potius duco deo immortali, quàm uobis. Itaq; quamdiu & spirabo & potero, nunq̃ philosophiæ curam abijciam, nec uestri admonendi, moreq; ac modo meo adhortandi ad uirtutem, quemcunq; fuero ex uobis nactus. O pudor nostræ pietatis. Socrates homo gentilis in tenebris, in nocte incertus omnium, quæ nos habemus certissima, reus apud iudicem in discrimine capitis audet dicere se magis pariturũ deo, q̃ po. Athen. nec cessaturũ ab eo ipso opere, quod illi crimini dabatur, & ob quod erat in periculum uocatus uitæ. uir Christianus apud Christianum in loco, in quo nõ modo est tutus, sed plenus etiam uenerationis & augustæ cuiusdam maiestatis, nihil audebit monere, ex ijs quæ deus iubet, quæ sunt muneris sui ac officij? Quid si non sit tutus, certe non magis periclitari poterit, quàm tunc Socrates. At quanto est beatius huic nostro propositũ & paratum præmiũ, quàm Socrati? Philosophum quidem illum & plane sapiẽtem hominem, si quis inter illos fuit, magne utiq;,

ſed tamen incertæ ducebant coniecturæ. Nos uero ab ipſo iudice teſte domino, ab illo qui tot ſe argumẽtis ſignisq; deum eſſe oſtẽdit, cui uni obtemperandũ eſſe potius quàm hominib. Socrates nõ ignorauit. ab eo ipſo autore humanę felicitatis quid audiuimus? Beati eſtis, quũ maledixerint uobis homines, & perſecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum uos, mentientes propter me. gaudete, & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Sed quid nos rationes ad id ſuadendũ conquirimus, & non potius ipſius unius Chriſti uita & actiones omnes pro omnibus argumẽtis ſufficiunt, pro omnibus exemplis ſunt exemplum unum, quod æmulemur, ad quod nos fingamus & componamus? quiſquis eò cupit peruenire quò Chriſtus peruenit, eum oportet eadem uia ingredi qua eſt ille ingreſſus. unica eſt ad unicam beatitudinẽ uia, nec alia poſſumus illuc pertingere, q̃ per Chriſtum, & in Chriſto. Ioannes Apoſtolus nos docet, eum qui ſe in Chriſto manere dicat, oportere ſic ambulare, quemadmodum Chriſtus ambularit. quencunq; Chriſtus in ſe receperit, eadem ducet uia, qua idem ipſe ingreditur. neq; enim, quũ in naui ſedeas, alia potes, aut aliò proficiſci, q̃ quò nauis. Quid ergo opus eſt aliis præceptis morum, aut alia uiuendi formula? Hęc eſt una regula, hic canon, ad quem nos & noſtra omnia coaptemus. Optimi principis exemplum Homerus propoſuit Achillem ſæuum ac immitem. prudentis autem, Vlyſſem uafrum ac mendacem. Xenophon Cyrum non deſcriptum qualis eſſet, ut ait Plato, ſed qualem eſſe cõueniret, qui nec magnus aut magnopere imitandus eſſet princeps, etiam ſi omnino fuiſſet is quem deſcribit philoſophus eloquentiſsimus. Habet ſuum Aphricanũ Cicero, habent alij alios. Quò nobis figmenta aut error hominũ praue iudicantium de uirtute? Non poteſt cęcus cæco uiam præire. Chriſtum Deus humano dedit generi, uidens uidentem, cæco inter abrupta iter facienti, ut homo huius manu uel lacinia apprehenſa certus ac tutus eò perueniat, quò illum cõmunia omnium mittunt uota. O quantum tibi mortales omnes debent ſeruator Chriſte Ieſu, quibus dignatus es non ſolum morte tua ſalutem perditam ac deploratam reddere, uerum etiã uita exemplũ ad ęmulationẽ adferre principis, ſubditi, patris, filij, magiſtri, diſcipuli, domini, ſerui, potentis, imbecilli, opulenti, egeni. deniq; cuiuſcunq; perſonę ſine uirtute præſtãtis potẽtia, opibus, authoritate, dignitate, ſine illis ipſis rebus inferioris ac minoris, ut inde quiſq; tantũ ſumat ſibi, quantũ uiderit opus eſſe? Hunc ſequant maiores aduerſum minores, ut tales ſe prębeant qualẽ ille erga nos. Hũc minores aduerſum maiores, ut tales ſint qualis ille erga patrẽ. Hortat nos ſanctus Apoſtolus, ut ea ſit quiſq; mente, eo animo ac ſenſu, q̃ uidemus fuiſſe Chriſtũ dei unicũ filiũ naturalẽ, qui quũ ea ageret, ſic ſe gereret, ut perſpicue intelligere omnes poſſent, illũ eſſe deum, eiusq; diuinitatem admirabiles actus apertiſsime teſtarentur, nõ tamen patris æqualitatem ſibi unquam uendicauit. ſemper illum ſibi antepoſuit, ut patrem filius pientiſsimus: & diuinam maieſtatem humana infirmitate cõtexit, ut quiſquis carneis ſolum oculis aut humana fretus ſapientia humilitatem illam eſſet intuitus, de ſublimitate dubitaret. neq; enim ſatis illi fuit, humana facie numen ueſtiri: paupertatem quoq;, inopiam, famem, ſitim, labores, ſudores, fletus, ignominiã, cruciatus, deforme ſupplicium circundedit, & alia quæ etiã inter homines nõ dominium aut libertatem, ſed ſeruitutem quandam: neq; eam honeſtam aut tolerabilem, ſed abiectiſsimã indicant ac extremam. Hæc omnia facile pertulit, ut patri quiduis iniungenti morem gereret ſine exceptione, non uſq; ad famem, non uſq; ad dolores & cruciatus: ſed uſq; ad mortem, & eam omniũ turpiſſimam, & ultimæ contumeliæ. Quę omnia quorum utilitatibus ſunt data niſi hominum? quorum res eſt tantis myſterijs acta, niſi hominum? ut homines & ſalutem inuenirent ueteris morbi, & exemplum uitæ totius, quod unum inſtar eſſet omnium præceptorum totius philoſophię, & quicquid humano poſſet ingenio excogitari. Vtrumq; Apoſtolus Petrus docet, in quiens, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, uobis relinquens exemplũ, ut ſequamini ueſtigia eius. Huc ipſe idem deus diuina & mitiſsima nos uoce hortatur, uocat, inuitat, allicit. Exemplũ do uobis, ut quemadmodum ego facio, ita uos faciatis. & alio in loco: Diſcite à me. quid diſcemus pater omnium ac magiſter? quid nos iubes diſcere? quid exprimere ac effingere? an mundum condere, an erigere hominum gentem collapſam, cęcis reddere oculos & lucis uſum, mundare elephãtiaſin, reuocare mortuo-

ad uitam? non possumus. hæc tuæ sunt infinitę facultatis ac potentiæ. Quid ergo, ostentationem potestatis, fastum ditionis, superbiam & fastidium inter inferiores, contumaciam in maiores, inuidiā inter pares? hęc quidem possumus, hæc uolumus, hęc solemus. sed tu ita egessisti, ut hæc à tuorum mentibus reuelleres & extirpares. hoc uis nos abs te discere, hoc reddere & exprimere, mitem animum, moderatū, demisse de se sentientem, beneuolum erga alios, non inimicitias quærentem inter ingratos, inter eos à quibus ipse odio habeatur, sed ab alijs quæsitas ac illatas, tollentem atq; dirimentem, nec recusantem per odium sui, per damna, per suam ipsius mortem discisos & discordes, pace coniungere, beneuolentia coadunare. Graue hoc quidem nobis, non in prima & integra natura, sed in tam inueterata malicia. sed fortassis spe mercedis omnia perferemus. q̄d tandem proponis præmium? inuenietis requiem animabus uestris. Ecquid magis inquietat ac uexat cor humanum, quàm superbia, sęuitia, odium, simultates? ecquid perinde serenat tranquillum & beatum reddit, ut moderatio, mansuetudo, pax? Hic est in uita mortali gustus immortalis illius felicitatis. Ergo negociator propter compendium & leue & incertum, & nō diuturnum, peregrinationes terra ac mari difficillimas ac periculosissimas suscipiet, perferet famem, sitim, algorem, æstum, molestiam uectionis naui, equo, rheda per harenas, per rupes, affectus domabit & subijciet legibus nationis eius in qua negociatur, etiam si iniquissimis, & à suo ingenio ac moribus longe alienis atq; abhorrentibus. patietur principis gentis illius & priuatorum arrogantiam, superbiam, conuicia, contumelias, ut tādem ad lucrum uilissimum perueniat. homo Christianus nihil omnino faciet, nihil ferrt maximi huius & sempiterni præmij gratia? Cedo uero. Quod tandem tu præmiū Christe tanti obsequij, tam fidelis operæ, tam pij es laboris cōsecutus? Elargitus est se Christus omniū saluti, paruit patri usq; ad infimū supplicium. ideo illinc eum pater usque ad fastigium sustulit rerum uniuersarum. imposuit eum hominibus, dominiū dedit inferis & dæmonibus. extulit super cœlos, supra angelos, ut illius nomini omnes cedant, omnes se summittant, omnes tanti principis maiestatem & potentiam reuereantur, ac adorent. illius regnum, ut salutare ac prosperum, ita maximum & potentissimum sentiāt elementa, cœli, homines, dæmones, angeli. Quod si nos uolumus in partem regni admitti, necesse est laborum & curarum partem non detrectare, atque eadem uia, quantum erit uirium cuiusque, ad eandem metam contendere.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CONDITIONE VITAE CHRIstianorum sub Turca.



ST INTER Christianos homines odiorum atq; inimicitiarũ tanta acerbitas,& tam cæca rabies,ut ea multi mortales percíti atq; acti pręcipites,nihil dubitent in se ac alios pessime consulere,& in eas uoragines se ac suos omnes, uel uotis ac desideriis, uel etiam quatenus possint re ac opera conijcere, unde nunquam deinceps emergant. Optant alij non unius aut alterius hominis cædem atque interitum, nec inimicitias inimicis concludunt,sed populorũ,ciuitatũ,nationum,gentium cladem læti ac libentes spectarent. Alij nouationibus rerũ student.& cuperent nõ solum principem mutatũ,sed Turcam,aut impium aliquem regem & à nostra pietate non tantũ uita & actionib. sed nomine quoq; ac professione abhorrentem. Ad quã tam impiã ac nefariã animi libidinẽ uarij uarijs de caussis rapiunt. Sũt qui hoc cupiant,q̃d sub Christiano principe,Christianos hic de nomine ac professione nuncupo,sub tali ergo rege durã uitam & intolerabilem trasigunt pressi uel à rege ipso, uel ab ijs quib. rex publicas administrationes concredit ac cõmendat, uel ab hostibus quos ille in se lacessiuit, quum illis à finibus ditionis suæ arcendis par nõ esset. In quo utriq; & princeps & subditi non mediocre flagitiũ admittũt. ille quidẽ,qui muneri suo non satisfacit,& patrem professus,hostẽ præstat,caussamq; eiusmodi querelis præbet. Christianus uero priuatus etiã culpandus,qui ita rerũ uitæ huius cura & cogitatione à cursu cœlestium reuocat,ut suam & aliorũ quietem interturbet. unus est finis, quo omnes tendimus, nempe felicitas illa sempiterna. una uia qua ingrediendũ, uera pietas. quantulũ refert, modo ab hac uia nõ depellare, quid extra illã fiat? quid prauus aliorũ atq; incitatus animorũ tumultuet impetus? Quàm parui refert Christiani hominis tam exiguũ atq; incertũ uitę curriculũ,sub quo principe decurrat,decurrat modo,ut metam possit pertingere quo cõtendit. Viatores uidemus paulo prudẽtiores ac moderatiores uiæ omnes molestias,& uisu ac perpessu indignissima siue indiuersoriis,siue in uia ipsa tacitos præteri re ac deuorare,in id modo spectantes ac intentos,quo profectionẽ destinarũt,cultu modico ac interdũ sordido,splendore illo atq; illa dignitate deposita,qua sunt in patria. ferunt excludi se, extrudi,nõ haberi honestissimis hominib. honorẽ,tractari se ut famulos,illã aduersum se exerceri petulantiam,cuius sunt ipsi domi coercitores ac punitores. Quid eos qui in aliena regione negociant,si quid illis uel à priuatis grauius,uel à principe exigat,uel etiã à solo aut cœlo, quomodo aspicimus cõcoquere ac pati, & quasi in statione perdurare,ne lucri spes abrumpatur. quæ Germaniæ rigora tolerant Itali & Hispani atque adeo Bethyci mercatores? quos Aegypti aut Africæ ardores Galli & Germani? quæ tributa, indictiones,duritatem oris, uerba atq; etiam interdũ uerbera contumeliosissim. omnia mollit ac condulcorat spes rei augendę. Quid milites perferunt in castris ob uilem stipem? quid athletę ob uictoriam? quantum uenatores propter ferã occidendam. Tam ualide spes aliqua animũ omnem à presentiũ rerum cogitatione ac sensu ad se auocat. At uero, quod nos ita in cura præsentium rerum immoramur,an non aperte declaramus non ita animum nostrum spe aliqua duci præmij, ut illorũ? alioqui quanto minus, quàm illi, de quibus dixi, hæc præsentia sentiremus, occupati atque intenti in eam uitam, quæ immortalis est post hanc mortalem futura. Idcirco sancti apostoli, quum uiderent non debere Christianum suum cura rerum uitæ huius intricari, obedire nos rectoribus ac præfectis nostris iusserunt, non solum commodis & mitibus, sed asperis quoque & difficilibus. nec parêre nos tantum uolunt, sed & pro illis orare cœlestem nostrum patrem, ut sapienter populum regant, cuius administrationi præsint. Id quum disertis uerbis præcipiunt tum ipsi ac martyres, deinde omnes præstiterunt. Cypriano Cæcilio quum esset, tanquam crimen obiectum à præfecto, quod in Cæsarem coniurasset,respondit, Longissime absumus nos Christiani ab ista culpa,qui Cæsari etiãsi alia sacra, alios deos colenti,tñ quia princeps est noster,bene & cupimus,& precamur,&

mur,& rogamus deum noſtrũ, ut mentem illius ad cogitationem uerorũ honorum addu cat.Nam quid poteſt tantũ principes eripere,quo non maius ſit,quod odiũ, quod res tur batæ,& auocatio à religione eripiat,ac tollat? ſiue bona inter ſe diuerſorũ generum con ferãtur,fortuita cum corporeis,aut animorum, ſiue etiam generis eiuſdem.Alij ſpeciem ſibi quandam confinxerunt ſtultam libertatis,ne nominatam quidem in uetuſtis Roma norum ac Græcorum monumentis,nedum expreſſam,ut cuiq; impune liceat quãtum li beat.quod quum ſub Chriſtiano conſequuturos ſe deſperent, ideo uel Turcam mallent, quaſi is benignior ſit in largienda libertate hac, quàm Chriſtianus.quid tu dicis? ſita ue ro eſt in hoc libertas,quòd nihil ad publicum bonum ærario ciuitatis pendeas, uel prin cipis fiſco? quòd penitus ſublata ſint uectigalia? magiſtratus uel nulli,uel authoritate de bilitata prorſum & imminuta,ut a priuato non differant, quòd impune liceat cuiuis ma lefacere? ubi uiſa eſt libertas hæc? quando audita? quis populus, quæ reſp.uel punctum poſſet temporis in tali libertate conſiſtere? an non ſi omnia omnibus licerent, breui fie ret,ut nemini liceret quicquam:& pro principe uno excluſo,ſex centi naſcerentur poſtri die? nec eſſet ullus,qui ſe non in illius reponi ac collocari ſedem ui,armis,cæde omnium peteret ac contenderet.Cedo,quod tandem tempus uolunt uel Athenis ſignare,uel Spar tæ,uel Romę,in quo maxima uiguerit libertas? nullũ inuenietur tam ſolutum ac liberũ, in quo non magiſtratus,leges,forum,iudicia,pœnæ,præmia ualuerint,in quo non uecti galia fuerint.tranſeo,cum non ſolum æs uel argentum,uel aurum rei erat publicę impen dendum, ſed ſanguis quoq; ac uita uolenti nolenti, quod contigit uel ſub florentiſſima li bertate.contra potius ea exiſtimatur libertas ſumma,legibus ac legitimis magiſtratibus quiete obtemperare, & bonos ſe ac moderatos præbere ciues.uoci legum aut magiſtra tuum pręſto eſſe,& imperijs prompte ac alacriter parêre imò uero hæc una eſt libertas ue ra,ut uelis bene uiuere,hoc eſt,animi uitijs uacare,& impotentiſsimis tyrannis animi mo tibus ac cupiditatibus non ſeruire,quę ſola eſt ſeruitus,ut nec reges ipſi dici poſſint libe ri,quamdiu his obſequuntur.Proxima eſt libertas,quæ ex priore illa deriuatur ac dedu citur, quiete & pacate legibus ac magiſtratibus tanquam publicis parentibus obedire. qui,ſicut eſt in Mimo,amandi ſunt,ſi boni: ſin alirer,ferendi.Nam male & per alienã in iuriam uiuere, libertas non eſt,ſed effuſiſſima atq; effrænis quiduis agendi licentia,& fla gitiorũ ac ſcelerũ impunitas.Quidã ſe non putãt ſatis liberos, niſi quiduis in quẽuis li ceat,ſublatis legib.ſummoto metu pœnarũ omni,& reuerẽtia magiſtratuũ.Alijs ob ocu los uana quędã obuerſat imago libertatis,quę animos imprudentes in errorem adducit, quæq; non ſolũ cum chartis exoleuit ac cõputruit, ſed nulla potius ullo fuit tẽpore, ullo in populo. nec ipſi qualis ſit,ſatis ſcirẽt explicare etiã ſi maximè uellẽt ac conarent, tantũ ſe libertatẽ clamant cupere.Euoluãt uero,legant rerũ ueterũ monumẽta omnia,inueniẽt nulla eſſe nũc tam dura,aſpera,difficilia tẽpora,quibus nõ peiora atq; intolerabiliora fue rint Romæ,nõ modo ſub Cæſaribus,quorũ uix unus atq; alter non importuniſſima fuit bellua,ſed ſub ipſis conſulibus.An huc adducã ciuiliũ bellorũ nomina, Antonios, O ctauios,Brutos,Caſſios,Dolabellas,Hircios,Panſas,Cæſares,Põpeios,Marios, Syl las? adde his Gracchos,Fuluios,Carbones,Saturninos,Glaucias,& aliam turbulentorũ ciuiũ manũ? Quid iuuabat ne aliquẽ illis temporib.Romę uiuere,aut omnino natũ eſſe? ut mortuorũ conſolationes inde peterent,quòd tam miſeris eſſe abſumptos temporib.fe licitatis & maximi cuiuſdã beneficij loco deberet deputari.Sic Sulpitius cõſolatur Cice ronẽ,ſic Cicero mortem L.Craſſi,& Q.Hortenſij oratorũ.ſic Cato habitus eſt feliciſſi mus,q; eo modo è uita exiſſet,atq; eo tẽpore.Si quis ſuperiores ætates memoria repetat, inueniet pauperem populum exiguum pependiſſe uectigal, ſed ex facultatibus exiguis ac prope nullis ſtetiſſe tamen in acie noctes ac dies armatũ, fetentem labores ac pericula militiæ, cum ſtipendium numeraretur maligniſsimum,diu nullum,ita ut mergentibus ſe in ſortem uſuris, corpore & ſanguine crudeli eſſet fœneratori ſatisfaciendum. De niq; non opus eſt ambagibus. quid fuit aliud Romana reſpublica,niſi tacitum quod dam regnum nobilitatis in plebem? An Athenas libet inſpicere? non placebunt. nihil fieri poteſt turbulentius illo populo, nihil leuius, nihil ingratius, ut nulli eſſent in feliciores, quàm qui uel aliquid ad communes & publicas utilitates contuliſſent,

uel qui insigni uirtute aliqua & laude præstarent. An placebit Sparta, etiam gentilibus sapientibus improbata? ut Platoni & Aristoteli, consensus quidam ac bellum & duram inhumanitatem. Quæ est ergo libertas hæc, quam ipsi nec optando & cogitationibus tales possent fingere, ut ciuitates & hominũ cœtus ac cõmunio constare cum illa posset ac perseuerare? Sunt, qui quorundam principũ aut nationum odio malint Turcæ & cuicũq; principi barbarissimo subiici, q; illis. ut Italorũ quidã, quorũ Gallũ alij, Germanũ alij, alij Hispanũ tã infense oderũt, ut malint centies mori, & quod morte est peius, indignissima & nefaria cuiusuis imperata facere, q; sub illis uiuere. Si meminerunt cladiũ Italię, res quidem est acerba, & profecto deflenda. Sed an non plures atq; atrociores ipsi olim toti humano generi intulerunt? ignorant has esse rerum humanarũ uices, ut uictor uincat, & patiat inuitus ac gemens, quæ aliquando fecerat lætus ac exultus? Roma est capta & expilata. graue sane & odiosum bonis omnib. quis enim uellet id factũ? ne ipse quidem Princeps, cuius auspicio res putat gesta. Sed reducat Roma in mentem ac recordationẽ, quot ipsa urbes ceperit, expilarit, incenderit, diruerit, solo æquarit, non modo tecta & populũ, sed uestigia quoq; deleuerit ciuitatũ uetustissimarũ. Quid idẽ ipsi Itali, quomodo matrem suam Italiã tractarunt? an humanius & mitius, quàm exteræ istæ nationes? an uetera nomina iterum cõmemorem, Marios, Syluas, & huiusmodi? nunc in istis ipsis cladibus, quarum memoria recentissima est, & sensus adhuc urit, an non sæuiora multo ipsi designarunt Itali in Italiam, quàm Germanus, aut Hispanus, aut Gallus? At oderunt gentem, cuius sentiunt incommoda. putãt ne talem se eam gentem in amicos & iunctos uel ditione, uel fœdere præbituram, qualem in hostes armatos, aut hostium ciuitates atq; agros. aliam sentient amicam, q; inimicã. non tales experiuntur Neapolitani Hispanos, quales Insubres. Neapoli statur legibus. habent ciues cum peregrinis, cum militibus idem forum, eundem iudicem. omnibus ex æquo ius dicitur, secundũ leges & iura: inter hostes nulla putatur legum communio: licere in eos credũt, quicquid lubeat. Principem uero non posse pati extraneum, nimis est delicatũ, ne dicam insolens, quum & olim mundus tã diu passus sit Romanos magistratus, & in unaquaq; natione scimus res collapsas & prope perditas exteri principis cura esse ac prouidentia erectas ac restitutas. in Hispania, in Germania, Britannia, Gallia, in ipsa eadem Italia. Atqui ab extero tantopere abhorrent, cur ipsi accersunt non futuri mox accito pares? & si Hispanum, uel Germanum, uel Gallum sic fastidiunt & oderunt, cur Turcam & Scytham extremæ feritatis ac barbariei non abominantur, differentibus, diuersis, contrarijs moribus, lingua, commercio religione? Non desunt qui Christiani dicuntur, non amore pietatis, aut etiam professione uitæ, sed tantum uelut quodam cognomine, quòd nati sint inter Christianos, haud aliter quàm dicerent uel Romani, uel Carthaginenses, uel Scipiones. tam facile, tam libenter, cuiuscunq; superstitionis, & impij deorum cultus futuri, quàm sanctæ religionis nostrę. Ad istos tam deploratos, seu uerius deplorãdos, longe esset repetenda oratio, ut qui ad humanum essent sensum mentemq; reuocandi, à qua tam longe recedit quisq;, quàm à religione, sine qua, si quis acutè rem expendat, nõ est homo homo, sed bellua. Itaq; multo alia his opus esset oratio, seu pharmacum uerius. Nam quemadmodũ Circe illa pharmacum habebat, quòd humanæ faciei ac naturę redderet, quos ipsa eadem pharmaco alio ex hominibus bestias fecerat: ita malicia hominem in belluam mutauit, cõuertit rursum in homines ratio ac religio. Non intelligunt insani isti, si hic humana omnia consumantur, nihil penitus inter hominem, inter futurum & bestiam, nisi quòd bestia simplicius conformiusq; ad naturam uiuit, hoc est felicius homo uero maiore malitia ac proinde rerum cura obruitur ac premitur, id est miseria perenni. quæso, num etiam si optio daretur, eam eligerent conditionem uitæ, ut omnia cum corporibus interirent? sed hæc opinio, quæ non solum animæ uitam eripit, & eam, sicut Cicero insectatur, tanquam capitis damnatam morte multat, uerum etiam religionem extinguit, & deum de cœlis ac mundo detrahit, maioribus est à me aliquando uiribus aggredienda, & quod de Christi auxilio spero ac confido, penitus extirpanda. Inter ea autem omnes, quibuscunque aliquid in animo restat honesti ac boni respectus attendat. Quum adhuc ferueret sanguis Christi, & firma esset constansq; Christianorum hominum fides, & proinde religio pura,

atque

atque incorrupta, nihil erat utilius Ecclesiæ, quàm agere sub principe impio, à pietate nostra sententia abhorrente, professione hoste. Nam in fide tam solida, et tam alte radicibus immissis, non erat periculum, ne quis ullo metu perterrefactus, aut uoluptate delinitus, aut spe illectus nutaret. uincebat omnia, superabat, psternebat, conculcabat ualidissimus cunctorũ adfectuũ amor: nec aliter minas, terrores, uerbera, tormenta, cruciatus, mortem, fides charitate fulta atq; adiuta excipiebat, quàm marinos fluctus, & tempestatum impactus scopulus aliquis uetustus rupis durissimæ: ut ita infigi ac confirmari fides uideretur, quemadmodum stipes aut saxum fistuca percussum. Ergo altius acta sunt per martyrium fidei nostræ fundamenta: quique ictus eò putabantur infigi, ut luxarent & reuellerent, hærentem ac fixum stipitem altius demittebant. Nulla in terram decidebat cruoris martyris stilla, ex qua nõ centum Christiani uiderentur surgere. adeo erat efficax sanctus ille cruor, qui exemplo principis et authoris sui, pro ipso eodem libẽter fundebatur. Iam ad permouendos saxeos illos & ferreos homines, quàm erat illud ualidum uidere cõstantiam profitentiũ, ut durum duriore frangeretur, intueri robur humano maius plane cœleste & diuinitus adiutũ. Philippus Vostrensis princeps Romanus ad annũ V. C. millesimum, Christianũ nomen magis est professus. quàm præstitit pietatem. Insecuti nihilo secius principes, idem in nomen Christianũ exercuerunt odium, quod superiores. Decius, Diocletianus, Maxentius, & alij. Primus bona fide baptisatus est Cõstantinus. fuit dies ille, nescio an tam ecclesiæ prosper, quàm multis forsan uideri posset. Certe D. Hieronymus in uita Malchi Monachi, non perinde uidet esse illo facto lætus. Cessauit enim martyriũ, id est fidei coticula, accensio charitatis, fundamentũ ac robur totius religionis. securitas illa peperit negligentiam & obliuionem maximarũ uirtutũ, nõ minus quàm longa & certa pax ociosis militibus desidiam atq; ignauiã. paratior erat quisq; in præsenti, aut certe impendenti periculo, q̃ nunc sumus metu sublato. Nam etiamnum in tam alta hac securitate adituri pericula aliqua, uel naturæ, uel casuum, ut intraturi mare, aut preliũ, aut cuidens aliud capitis & uitæ discrimen, sanctius nos gerimus, & paramus nos diligentius diuini iudicis examini, quàm quũ lauti accumbimus frequenti & leto cõuiuio. Ingressus est princeps ecclesiam, non ut uerus ac plane Christianus, quod fuisset sane felicissimum & optandum: sed inuexit secum nobilitatem, honores, arma, insignia, triumphos, supercilia, fastum, superbiam. id est, uenit in Christi domum comitatus diabolo: & quod fieri nullo modo poterat, uoluit duas domos aut duas ciuitates coniungere, dei & diaboli: quod non magis potuisset efficere, quàm Romam & Constantinopolim, quæ tanto & terrarum & maris tractu separantur. quæ communio Christi ad Belial? inquit Paulus. Refrixit paulatim ardor, nutauit fides, degenerauit tota pietas, cuius nunc umbra atque imaginibus utimur, easq;, ut ille dicit, utinam retineremus. Sed quemadmodum dies ille Constantini tristis pietati fuit & dolendus: ita ille acerbissimus, nefastus, aterrimus illucebit, quisquis nunc his moribus & hac uitæ ratione populum aliquem Christianum ditioni subdet uel Turcæ, uel Principis cuiuscunque à pietate nostra nomine alieni, ac professione. imo uero non illucebit, sed perpetuas tenebras & noctem inferet Vos qui immunitates, qui libertatis nomina tanti facitis, reputare decet uos omnes Turcæ, non alio futuros loco, quàm pecudes, quas ad utilitates modo & fructus suos alit, non ad participatum ullum commodorum, honorum, non denique earum rerum, quæ communes sunt ciuibus inter se. quum illi non simus futuri, nec ciuium numero, ac ne hominum quidem. Non pateretur nos augere opibus, potentia crescere, uigere honoribus, pollere dignitate. incrementa nostra omnia haberet suspecta inimicus nobis lege, inimicus professione, inimicus odio, & suo & auito, nec ulla se nobiscum crederet deuinctum lege, nullo iure, non fœdere, non communione, non humanitate & natura ipsa omnibus communi. Quicquid ipsi liberet, existimaret licere oportere, & iure uictoriæ, & quod non censeret ullas esse leges, ullum iusiurandum, ullam fidem, qua soluti affectus possent alligari, aut uehemẽtia impetus retardari ac impediri. nam qua fide uictoriam exequatur, testes sunt Rhodiani milites, qui nisi se mature subduxissent, crudelissimo illos dolo statuerat omnes intercipere. Sed nec ad ipsos suos populares, & eisdem initiatos sacris meliore utitur fide. Victo et capto Sulthano, Mamelucos paratos

se defen-

se defendere, quum in fidem accepisset, uniuersos contrucidauit. id quum ausus sit non sine aliquo populi sui sensu, quid eum facturum in nos censemus, secundo suo populo, & applaudente? Quòd si ipsi eidem mitius aliquem nostrûm aut honorificentius placeret accipere, aut uix liceret ei inuidia suorum, aut nobis acerbissimus esset is honor tanta inuidia infectus ac contaminatus. Nam quocunque aliquis nostrûm receptus esset loco, ab eo se exclusum eiectum'que uir Turca interpretaretur. Cui non dico Principi, aut Bassano, sed Genuissaro, uel satelliti, uel gregario militi non liceret, quicquid esset collibitum in nos, in liberos, in uxores, in fortunas nostras? quidni, nempe hominibus in canes illorum opinione. utinam huius rei non tam acerbum haberet Christianus orbis exemplum: & hæc potius coniecturis à nobis fingerentur, quàm tristibus adeo experimentis. An ulla gens, aut ullus omnino hominum tam extremam est seruitutis aliquando conditionem passus, quàm nunc patitur inclyta illa & ingenijs, & literis, & armis Græcia? quod mancipium miserius seruit, quàm illa Græcia, quę olim pro solo libertatis nomine tantum effudit sanguinis, tantum armauit militum, qui ad certissimam atque indubitatam mortem ire non dubitarent pro libertate? ut nunc nullus in tanta regione nascatur ingenio paulo liberiore, aut impatienti seruitutis, qui non primùm omnium Græciam sibi relinquendam & fugiendam ducat, uelut ergastulum ultimæ seruitutis, in Italiam se aut in alias orbis partes conferat, magnum secum quocunque eat, circumgerens documentum, quid patiendum sit uiuentibus sub Turca. Hæccine ferrent uiri fortes, armati bellatores, & iactatores libertatis? hæc parati sunt perpeti, qui pati non possunt indictionem aliquam extraordinariam Christiani principis, aut syluam, uel aquulam, uel piscem, uel leporem ex publico priuatum fieri? O quam cæcis oculis ista intuemur? & dum præsenti cupiditati seruimus, nihil cunctamur in apertos malorum gurgites nos immergere. Tu ergo, ut lenticulam aut intertriginem sanes, hauris uenenum: et quia parũ acutè cernis, utrumq; tibi lumen extinguis. Quid porrò principes? an putant uerò, si sub illius ditionem ac potentiam uenerint, etiamsi initio sedulo dissimulet, & amicorum eos ac sociorum nomine dignetur, non eum tamen paulo mox ut inualuerit, & uires confirmarit, ad morem suum patrium rediturum, ut nemo pedem unum terræ possideat, quem possit suum dicere, omnes serui ac mancipia illius & sint & nominentur, & cuicunque impurissimo carnifici ab eo misso præbenda sit ceruix sine ulla detrectatione aut cunctatione, si dominus iubeat. ubi tum erunt feroces isti ac teneri, qui ne uerbulum quidem affinis aut propinqui possunt perferre? Erit hæc dura quidem, sed tamen iusta dei ultio, ut qui Christianum parem & fratrem suum non tulerit, extremæ conditionis seruitutem, sub crudelissimo domino seruiat. Dicent hic mihi nonnulli ex his qui sanctitatis opinionem affectant: Honores, opes, decus, dignitas, uitę conditio carnalia sunt omnia, ualeant, Christianis non curanda. ualeant sane per me, atque utinam iampridem iussissemus hæc ualere: quæ si non tantopere in nobis inualuissent, ac insedissent, nemo inter nos de Turca loqueretur, sed agedum excutiamus spiritalia, Erit ne adeò spiritalis quisq; nostrûm, tam obfirmo atque obdurato animo, ad sensum rerum omnium uitæ huius, qui perpeti ac tolerare possit quod est Græco quotidie deuorandũ? obijci nobis, ut crimen atq; ignominiam nomen hoc Christiani, quo tantopere iure gloriamur? Poterit audire tot blasphemias, tot maledicta, tot cõuitia nominis Christi, & dei omnipotentis? Quòd si quis inter illos uel uerbũ unum per imprudentiã contra Mahumetẽ miserit, uel uita sit ei protinus, uel religio amittenda. euestigio enim aut moriendũ est illi ipsi, aut ad eam ipsam sectam transeundũ cui maledixerit. An nõ plerisq; omnib. si hęc uiderent, animus haud aliter accenderet, quàm Matathiæ, Macebæo? ut occideret & Iudęum idolo sacrũ facientem, & id fieri iubentẽ gentilem. Quid illud omniũ grauissimum & acerbissimum, abduci liberos paruulos in remotissimas regiones? ut ibi abnegato Christi nomine, & tota pietate in obliuionẽ missa, seruiant domino spurcissimo ac impio. quis id nostrûm perferret? quis nõ mallet mori millies, quàm id uidere, uel etiam audire? Neq; inter hæc audent Græci filios suos obiurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad uirtutem & studiũ honesti, uirga & flagris, quũ res poscit, admoner edisciplinæ, ne illi irritati ad Turcas se conferant, & hoc filij audent parentib. minari à quibus

Turcis,

Turcis, si quis sit semel receptus, nulla ui, nulla ope, nulla arte potest unde uenerat, redire. Et quum inter animantia omnia, solus homo scelere suo corruptus, à natura sua discesserit, quia & à deo fit, ut si sibi relinquatur, nullum animal efferatius euadat, nullum magis barbarum atque incompositum, nec ulla fera bellua tam sit immanibus moribus & inhumanis, tam belluæ similis ac homo. Quales ergo illic adolescere atque educari pueros est credibile, solutos, effrenes in licentia atque impunitate uiciorum omnium, semota disciplina? Quæ potest in eiusmodi animis esse pietas? Iam religio mirabiliter efflorescit studijs adiuta sapientię, & bonarum artium, quibus eruditus atque excultus animus acutius recondita diuinæ sapientiæ mysteria intuetur, nec remotus est ad diuina gradus cognitio atque exploratio rerum humanarum & mundi huius, cuius notitiam corporis sensibus capimus, atque usurpamus. Apostolus Paulus inuisibilia dei per uisibilia cognosciait. et primam Abraæ cogitationem accessum que ad uerum atque omnipotens numen adorandum ac colendum ex astris illi, ex cœlis, ex ordine & constantia mundi esse ortam, author est Philo Iudæus is qui de Mundo scripsit, ut non iniuria uideatur dixisse psalmista, cœlos enarrare gloriam dei. Nec alia maior est superstitionis ac impietatis causa & occasio, quàm ignorantia. At studia humanitatis, id est philosophia, & reliquæ ingeniorum atque ingenuæ artes, ut honore uelut gratissimo quodam & saluberrimo fauonio exhilaratæ flores ac fructus fundunt, ita contemptu aut etiam neglectu flaccescunt ac emarcidæ collabuntur. Græcis aut Romanis rerum potientibus magni sunt in disciplinis omnibus progressus facti. sub Gotthis & barbaris illis ac feris dominis ita elanguerunt, ut parum admodum abfuerit, quin uitam omnem penitus ac spiritum exhalarent. quàm tenues, quàm inualidas earum reliquias patrum etas & nostra accepit? At Turca quàm alienus sit ab omni cultu animi Scytha sanguinarius, quis non uel fando audiuit? sub eo quod sit artium decus, qui uigor, uel ex Græcia discamus. Nisi forte meliores nos putamus fore aut pollentiores ingenijs, magisque factos atque aptos ad literas aut natura & nutu quodam ingeniorum magis ad literarum studia propensos Græcis, à quibus artes ac disciplinæ omnes cultusque & ornatus ingeniorum & natus est & auctus, & in cæteros omnes mortales propagatus. Si ille pristinus, qui iam olim ardor deferbuit, adhuc in nobis duraret, fortasis credi posset pie uicturum Christianum sub Turca: sed quum uideamus inter nos plena & florenti ecclesia propter numum unum centies peierari nomen domini, ubi periurio non solum à diuino iudice parata est spiritalis animaduersio, sed etiam ab humano corporalis: quid futurum arbitramur non numo uno, sed tanta mercede proposita commissi? Et qui sub Turca contra Christianos, contra patriam, contra penates, contra religionem meret ducato uno, an non religionem ipsam deseret, & se abnegare profitebitur, si is iubeat, aut se cupere significet propter decem? Quid ij qui hic inter nos de fide sunt dubij, num illi non leuissimo momento impulsi deficerent? Nec illi ipsi, qui nunc sunt firmi ac constantes, fortasis stabilitatem illam suam perpetuo possent conseruare. Quantum putamus contagij ex dubijs & inconstantis fidei dei hominibus ad sodales, ad conuictores, ad familiares, & eos quibus cum uersantur, & colloquuntur, affricari ac hærere? non minus atque ex putri aliqua ac fœda scabie, cui non iniiceret scrupulos illa tam frequens dubitatio, inquisitio, examinatio, altercatio, præsertim accedente in partes diaboli ueteratoria astutia & fraudibus? Nam si in rebus quæ corporeis sensibus expositæ sunt magis atque obuiæ, quàm ea in quibus sita est fides pietatis, humana cauillatio aliquid semper inuenit, quod conuellat, quod luxet. & præstigiæ sensibus nostris fiunt, ut ueritas sæpe obscuretur ac cogatur latêre, non id quidem rerum uicio, aut magnitudine luminis nostrorum ingeniorum, sed tenebris atque hebetudine mentis nostræ. ut merito ille dixerit, Nimium altercando ueritas amittitur. Quid futurum est in religione, in ea quæ sensum omnem humanum excedit, quæ est substantia rerum spectandarum, argumentum non apparentium? Fortior quidem deus diabolo, & omnium ueritas fortissima: sed nos qui à deo ad diabolum defecimus, quæ à partibus nostris uidentur stare, facilime recipimus: ægre quæ faciunt pro diuinis, pressi hoc carnis põdere: quę nutu suo ad ima nos deijcit, id est à cęlestib. ad terrena, ut magno conatu sit opus, ꝙ tã onusti cliuũ hunc ascendamus. quũ ultro perꝑnũ delabamur

bamur. Adfert tempus ipſum ueritati ſplendorem ac lucem: & ipſa ueritas poſteaquam diu latuit, emergit tandem. fateor, ſed interea dum tempus cunctatur, dum illa emergit, nos immergimur, ac perimus. Poſtremo, quum hic inter nos, ubi incitamur monitis authoritate ſapientum, exemplis bonorum deterremur ab impietate, ignominia, dedecore, foro, iudicijs, pœnis, nihil uel uidemus, uel audimus, quod ad impietatē aperte ac palàm adhortetur, atque impellat, aut à uirtute, probitate, pietate auertat, atque arceat: reſpectum tamen Chriſti inter poſtrema poſuerimus. nunquid ſi inuerſa ſit uitæ & rerum ratio, non potiora erunt nobis, quæ iam nunc priora eſſe, quàm pietatem exiſtimamus? Quid iam ergo eſt reliquum, quod furioſi homines, perditi, deſperati, cōſecuturos ſe ſub regno Turcæ ſperent? non opes, non honores, non dignitates. quis enim hæc canibus concedit? cuiuſmodi nos illis erimus. libertas quæ eſſe poterit ſub tali domino, imo ſub talibus dominis? nobis præcipue, quum nulla ſit eius popularibus eiuſdem gentis & hæreſis? Literarum nulla erit cura, nulla mentio, pietas in periculo. Quid reſtat? ut noua aliqua rerum natura condatur, cuius bonis inſani iſti ſub Turca perfruantur? Quòd ſi quis adeo ſit forti atque audaci animo, ut contemptis alijs rebus omnibus, pietatem tamen ſe ſub impio rege conſeruaturum confidat, id tamen non debet alijs optare ac procurare, de quorum conſtantia ac firmitate nihil habet exploratum. ſed et ipſe qui ſibi nūc uidetur ſtare, ne ſe efferat animo, iuxta monita D. Apoſtoli, ſed circūſpecte agat, metuens caſum. Non eſt omnino committendum, ut tentemus, ut uelimus, ut optemus experiri qualis illa futura ſit uita, in tantam tentationem morum ac pietatis nullo penitus modo quantum præſtari à nobis poſsit, debemus ſinere ut inducamur. nam & illis quos confirmaturus & corroboraturus erat ille ſpiritus, cui pares non ſunt mundi uniuerſi & totius naturæ uires, præcepit tamen Deus, uigilent, orent, ne inducantur in tentationem, incerti utrū in ea pugna occumbent, an euadent incolumes. Quanto id eſt nobis omnib. magis orandum, tanto infirmioribus omni animorum robore ac uiribus deſerti ac deſtituti? precibus eſt hoc contendendum, & omni arte, ingenio, ope, uiribus connitendum: cauendum'que, ne tanta pernicies & tam præſens malum contingat.

IOAN-

IOANNES LODOVICVS VIVES CONSVLIBVS, ET SENATVI Brugensi Salutem.

PEregrini & aduenæ officium esse, tradit Cicero, in aliena republica non esse curiosum. Ita est. Nam in res alienas curiositas ubiq; est odiosa. cura & amica admonitio nō improbatur. Quanquam neque naturæ lex alienum ab homine quicquam sinit esse, quod sit hominū: & Christi gratia uelut tenacissimum glutinum homines omnes inter se copulauit. Et ut sit alienum aliquid, ego uero sic in ciuitatem hanc afficior, ut in Valentiam meam: nec aliter hanc nomino quàm patriā, cuius iam quatuordecim annis sum incola, etsi nō cōtinenter, semp̄r tamen huc sum solitus redire tanquam ad domum. Placuit ratio administrationis uestræ, educatio, ac ciuilitas populi huius, & incredibilis in eo quies ac iusticia per gentes celebrata. Itaq; & uxorem hic duxi. nec secus huic ciuitati consultum uelim, quàm ei in qua quod uitæ reliquum Christi benignitas fecerit, traducere statuerim. méque pro ciue eius duco, atque in cives eo sum animo quo in fratres. Et multorum ex illis indigentię ad scribendum me impulerunt, quemadmodum posse eis subueniri censeam. Quod etiam ut facerem, iampridem in Anglia rogatus eram à domino Pratensi, præfecto uestro, qui de publico ciuitatis huius bono, proinde ac debet, multum et sępe cogitat. Vobis hocopus inscribitur: tum quòd ad benefaciendum, & subleuandos miseros uehementer estis propensi (quod declarat tanta inopum multitudo, quæ huc undiq; affluit, tanquam ad paratum egenis subsidium) tum etiam, quòd quum ea sit origo ciuitatum omnium, ut esset in unaquaque earum locus, in quo dandis atque accipiendis beneficijs, & mutua subuentione coalesceret charitas, & firmaretur societas hominum: administratorum ciuitatis illud debet esse munus, curare & adniti, ut alij alijs auxilio sint: nemo prematur, nemo grauetur damno per iniuriam accepto: & imbecilliori adsit potentior, ut concordia cœtus et congregationis ciuiū charitate augescat indies, ac sempiterna perseueret. Et quemadmodum patri familiæ turpe est in opulenta sua domo sinere aliquem esurire, aut nuditate, uel pannis fœdari: sic non conuenit, ut in urbe haud prorsus inope, magistratus, ferant ciues ullos fame & miseria urgeri. Ne pigeat hæc legere: aut si non libet, certe rem ipsam accuratissimè expendere: qui tam soliciti cognoscitis de lite hominis priuati, in qua sint mille floreni controuersi. Optouobis uestrę que ciuitati prospera omnia & felicia. Brugis, VI. Ianuar, 1526.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE SVBVENTIONE PAVPERVM, SIVE DE HVMANIS NEcessitatibus, Liber primus.

ORIGO HVMANAE NECESSITATIS, AC MISERIAE.

PARENS ille rerum omnium deus, in condendo ac instruendo homine, mirifica est usus indulgentia, ut nihil uel prestabilius sub cœlis esset, uel maius subdito ei dum hic uiueret, sub lunari orbe, sano & ualenti corpore, saluberrimis alimentis & ubiq; obuijs, mẽte acutissima, animo, pbissimo factus atq; appositus ad cõmunionẽ uitę. ut q̃niã a d reparationem cœlestis illius ruinæ creabaẽ, iam tũ in hoc mortali corpore inciperet diuinã illã societatẽ meditari. Sed ipse superbia instigatus, altiora cõditione sua quęrẽs, nõ cõtentus excellentissima humanitate, diuinitatem affectauit, impulsus illius promissis, qui ipse sua bona simili uia perdidisset: Eritis sicut dij scientes bonum & malum. Hoc est absolutę superbię, contendere ad numinis, fastigium, supra quod iam nihil est: tantumque abfuit, ut quod cõcupierat assequeretur, ut etiam ex eo quod acceperat, largiter amitteret. de quo scriptum est in Canticis Dauidis regis: Homo quum in honore esset, non intellexit. comparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis factus est illis. Videlicet sicà dei similitudine recessit, ut in similitudinem bestiarum relaberetur: & dum plus esse conatur quàm angelus, minus fuit quàm homo: sicut qui in ascensu non obseruatis gradibus, inconsiderantius properant, pro summo loco quem petunt ad imum deuoluuntur. Hinc inuersus ordo humanæ constitutionis. quandoquidem ille suum erga deum ita dissoluerat, ut nec affectus rationi parẽrent, nec corpus animo, nec externa internis, ciuili ac intestino dissidio, sublata principis & legum reuerentia. Homo ipse innocentia exutus, omnia secum in exitium rapuit. retusa est mens, obscurata ratio. superbia, inuidia, odium, fæuitia, cupiditates multiformes, & perturbationes reliquæ, ceu tempestates quædam excitatæ undis austro percitis. dissoluta fides, refrigeratus amor, omnia uitia uelut facto agmine irruperunt, simul afflictum corpus: & diræ illæ, Maledicta terra in opere tuo, ad omnia in quæ humana diligentia exercenda erat, sese diffuderunt. Vt nihil nec intrarium sit, nec extrarium, quod non in corporis perniciem uideatur conspirasse. In aere fœdi ac pestilentes halitus, insalubres aquæ, periculosa nauigatio, molesta hyems, molestus feruor, tot feræ noxiæ, tot ex cibis morbi. Quis enumeret uenenorum genera, & artes maleficas? mutuam hominum perniciem, tot machinas contra arcem tam imbecillam? quam acinus uuæ hærens gutturi strangulet: uel capillus haustus, quibusdam incertis de causis subito absumptis.

NECESSITATES HOMINVM.

VT non immerito ueterum multi non uitam nostram esse dixerint, sed mortem: Græci q̃ue corpus hoc nostrum soma nominarint, quasi sema, quod illis sepulchrum significat. Videlicet cõminatus erat Adę dominus, quocunq; die de uetito fructu gustasset, moriturum eum. gustauit, & mors consecuta est. Nam quid aliud est hæc uita, quàm continua quædam mors? quæ perficitur, quum penitus è corpore isto animus liberatur. Nascentes, inquit ille, morimur, finisque ab origine pendet. Nam ex quo primùm homo in hãc lucẽ prodit, luctatur animus cum corpore: deserturus, ni subinde alimonia, tanquã medicina quapiam ægrum hoc corpus reficeretur. In hoc enim sunt à deo cibi procreati, ut essent ceu tigna & tibicines, qui caducum istud ædificium, & in mortem semper tendens fulcirent. Quorum alios fundit terra arboribus, arbustis, herbis, radicibus: alios in usum nostrum pascit, ut pecudes. Sunt quos piscamur ex aqua, alios ex aere aucupamur. Hinc contra uim frigoris defendimur pellibus, panno, igne, & ab æstu nos tu emu-

umbra

umbraculis. Nullus tam est uel corpore ualidus, uel acer ingenio, qui si humano more ac modo uicturus sit, sibi unus sufficiat. Ergo uxorem sibi adiungit prolis gratia, & ad conseruandum parta, ut est meticulosus sexus ille natura, & tenax. Dein socios laborum adsciscit, quibus bene uult: & quatenus potest, benefacere studet. gliscit amor, et societas paulatim, ac foràs serpit. Dúmque alij alijs sunt astricti officijs ac beneficentia, amor iam non intra eundem larem & focum continetur: uerum beneficio affectus gratiam habet, & si quadetur ansa, compensare non negligit. Nihil enim magis natura odit, quàm ingratũ animũ, quæ etiam bestijs feris, ut elephantis, leonibus, draconibus, gratitudinis sensum, & beneficij memoriam quandam indiderit. Iam hoc uidebatur conducibile & iucundum, si illi, qui inter se communicandis beneficijs optime cuperent, ut se mutuo adiuuarent, casas & habitacula in propinquum conferrent, ne in rebus subditis deessent, quibus uellent subuentum. Proximus ager est ab illis occupatus. & sibi quisque munus, quo sibi atque alijs prodesset, ultro desumpsit, ad quod maximè fictus, appositus que uidebatur. Piscationem alij, alij aucupium, agriculturam, pasturam, texturam, ædificationem, aut eiusmodi ad uictum pertinentia. Hactenus quidem pulchrè illi & concorditer inter se agitabant, sed auitum malum non paucos uexauit, alijs præeminendi, imò uerò premendi studio, ut ocioſi & honorati alienis laboribus fruerentur, cæteri imperata facerent: ipsi regno & potentia conspicui, stipati manu eorum, quos uel arte, uel metu in consensum tyrannidis suæ pertraxissent. hoc ex ambitione illa proauorum est natum, qua sibi spem diuinitatis præsumpserant. Vtique nec nostra dominandi libido alium terminum quàm diuinitatis accipit. quod ostendit furiosus ille iuuenis Macedo, quum parum fecisse sibi uideretur, quod hunc terrarum orbem possideret: tametsi melior ei pars restabat expugnanda. Hinc acceptæ leges æquæ omnibus, & hæ per uiolẽtiam imperantium corruptæ, & muri additi ciuitatibus, & bellum tum ciuile, tum externum: quod omne pestis genus exuperat. Hic iam humanæ & desidiæ & arrogantiæ & inopiæ occurri cœptum, quum aucto hominum genere alij non haberent unde se sustentarent: alij inertes, de alienis operibus uictum postularent. Ergo primum omnium agri, qui ciuitati circumiacerent, ciuibus inter se, ut expediebat distribuuti: & limites additi, consecrati legibus. Et quoniam rerum permutatio, quæ apud seculum priscum in usu fuerat, parum uisa est commoda: numus excogitatus est publica forma, tanquam tessera: qua ciuitatis fide, & à cerdone calceos quisque acciperet, & à pistore panem, & à textore pannũ. ea materia impressum signum, quæ solida firmáque facile quod impressum esset retineret, nec inter contrectantium digitos consumeretur: & quæ nec copia uilescceret, nec esset inuentu rara. Initio æs fuit. hinc argentum, postremo aurum, conciliante etiam pretium his metallis naturæ uirtute, qua dicuntur ualere. Hi nummi à primo aliquam multi cusi, & diuisi per ciues, ut quisq; negotiaretur, daret pro alienis laboribus aut rebus, uicissim pro suis acciperet. hoc modo facultates uitæ honesto exercitamento conseruaret: & libratis per mutuas commutationes ciuitatis officijs, res unicuique sua consisteret. Verùm multi casus interueniunt. Alij ægritudine corporum ab opere cessantes, expendendis, & non accipiendis pecunijs in egestatem recidunt. idem ijs accidit, qui bello, aut aliqua ingenti calamitate, sua perdiderunt: cuiusmodi permultis in hoc turbulento orbe positis necesse est contingere: uelut incendia, eluuiones, ruinas, naufragia. Sunt quorum ars quæstuosa esse desinit. Præterea, qui patrimonia abligurierunt turpiter, aut per stultitiam prodegerunt: denique quærendæ & conseruandæ rei multæ sunt uiæ, amittendæ fortassis haud pauciores. Hæc quidem in externis. Quæ quod incerta uoluerentur lege, hoc est, humanis mentibus incognita, fortuita ueteres nuncuparunt. Prospectum etiam misero & affecto corpori, ut remedijs per experimenta quæsitis iuuaretur, & eorum quibus esset charus, animus eger subleuaretur alloquijs, atque obsequijs. Dein magistri rudi ætati adhibiti, qui uitam formarent, uirtutis iter ostenderent, consilium regerent. Primum suus cuique pater, hinc mater, nutrices, nutricij, patrui, auunculi, & qui longius egrediuntur, & minus arcto sanguinis uinculo constringuntur. Ad hæc, scholæ, & magistri sapientiæ, multáque in hoc à maximis uiris relicta monumenta. Sed remedia

procul quærenda sunt, aut ignota, aut magno paranda, aut utendi modus incognitus, in queis omnibus aliena indigemus opera. Et in ingenij cultu sunt quibus magister non contigit, alios corrupit magister ipse corruptus. Vt populus, magnus erroris doctor & uicinus uicino, & pater filio autor & index est prauæ opinionis, multi etiam institutores stolidi set deprauatis iudicijs: quibus anseres nolis credere, ludos ingenuorum puerorum regunt. Alij præceptorem aspernati, oneri cæcitate consilij sui per præceps feruntur, dum nullum admittunt ducem, aut cæciorem sibi deligunt. Ita totus interne ac externè inops factus homo, iustissimo prẹmio operis, q̃d susceperat, diuinitatis usurpandę. Contusa est superbia elatissimi animantis. Vt nihil sit eo infirmius, nec quod minus per se ualeat. Tota eius uita & salus in aliorum auxilijs sita est: tum ad reprimendam superbiæ radicem, quę per autores generis ad posteros transfertur: tum etiam peculiariter occultis dei consilijs. ut alijs desit pecunia, alijs sanitas, uel ingenium, praue usuris, alijs inopia. Hæc instrumentum est magnarum uirtutum. Omnia enim ad utilitates nostras refert princeps ille & rector mundi huius, sapientissimus pater ac indulgentissimus. Quisquis ergo aliena ope indiget, pauper est: & ei misericordia est opus, quæ Græcè eleemosyna dicitur, non in sola pecuniæ erogatione sita, ut uulgus putat, sed in omni opere, quo humana indigentia subleuatur.

QVAE SIT BENEFACIENDI RATIO.

SEd ut sciat quisque qui sit beneficiorum ordo, & quomodo uel accipiendum beneficium, uel dandum, & quanta cuique habenda sit gratia, declarabo, quænam sint beneficia præcipua, & tanquam primæ notæ, quæ proxima, quæ tertia. Nam quidam nihil iudicant dari aliud, aut accipi, uel esse omnino beneficium, quàm pecuniam. Hinc illa uulgaria, Quid profuit? quid iuuit? nihil dedit, multum profuit, nam dedit aut quæ ad pecuniam parandam spectant? Vt si quis artem quæstuosam docuerit, aut consilium lucrosum dederit. In quo peccant multi: qui dum in consilio dando, toto animo ac cogitatione pecuniam intuentur, bonæ mentis & uirtutis obliuiscuntur. Verùm nos, quum ex animo constemus & corpore, in utroque horum hæc habemus, siue bona libet appellare, seu commoda. Primùm in animo est uirtus, unicum ac uerum bonum: hinc ingenium, acumen, eruditio, consilium, prudentia: tum in corpore bona ualetudo, ut menti seruiat, & uires quæ laboribus uitæ sufficiant. Postremo in externis pecuniæ, possessiones, facultates, uictus. Præcipuum ut summum beneficium est, si quis uirtutem cuiusquam adiuuet: ita plurimum omnium debent Deo, non quibus contingit nobilitas, forma, opes, ingenium, gloria, sed quibus ille dignatus est impartiri suum spiritum ad cognoscenda & exequenda, quæ sancta & salutaria sint, hoc est, quæ ipsi placeant. de quo munere legimus in Psalmo 147: Qui annunciat uerbum suum Iacob, iusticias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Hoc est ingens illud beneficium, quod Christus in eos confert, qui per nomen ipsius uere baptizati sunt, & illi uni fidunt. Huius beneficij administri, & ceu dispensatores fuerunt eius discipuli, optimè de genere humano meriti, & deinceps quotquot Apostolis, non tam dignitate succedunt, quàm functione ac operibus. Pro hoc munere, incredibile dictu, quantam debeamus gratiam. Hoc est bonum illud quod unusquisque optare debet cuicunque alij mortali & quatenus fieri possit, consilio, diligentia, opera procurare. Post uirtutem eruditio sequitur, tendens ad cognitionem uirtutis, per quam homo homini, tanquam de suo lumine lumen accendit, nec communicatione minuit, sed augetur. Quàm pulchrum est ac magnificum, celsissimam omnium mentem erudire, expolire, instruere, ornare? Negat Socrates habiturum se ei gratiam, qui pecuniam dedisset, sed maximam illi, à quo esset insciția liberatus. Et sanctus Iob in egestate & sordibus abiectus, non dona à potentibus amicis requirit, tantum doceri se orat. Nuncquid dixi, Adferte mihi? & de substantia uestra donate mihi? uel liberate me de manu hostis, de

manu

manu potentum eruite me? docete me,& ego tacebo. & si quid forte ignoraui,instituite me.sordidi isti qui datam pecuniam tantopere imputant,& aliena se studia sustentasse iactitant, doceant ipsi: tunc utcunq; erit, unde merito queant gloriari. Aristoteles præceptorum beneficium cum diuino & parentum ponit. queis tribus æqua gratia, inquit, rependi non potest.Indicibile est,quantopere magni & eruditi uiri reipublicæ prodessent, si non grauarentur uel ipsi munus suscipere instituendæ pueritiæ ad omnia sequacis, & in quam multo facilimum est rectas opiniones instillare: uel certe eis qui docent, non deesse monitis, præceptis, & adiumentis eiusmodi, & tanquam uiam digito præmonstrare. certe rectores ciuitatum decet non esse in hoc segnes, quin optimos ludi magistros prospiciant suis pueris præditos non modo ingenio ac eruditione, uerùm etiam iudicio syncero & sano. Nam in illa puerili institutione magna uis est ad reliquam omnem uitam: quemadmodum in seminibus ad fruges uenturas. profecto in hoc expediret accuratius incumbere, quàm in ornanda urbe, aut locupletanda, nisi forte putamus prestare malos posteros relinquere,modo & diuites.Iam animos componere ac sedare,quod fit partim præceptis uirtutis, partim alloquijs, consolationibus, solatijs,uisitatione,obsequijs. Præterea tueri corpora, quantum & quàm amplum munus censetur? Vnde liberatorum & seruatorum nomina reperta, & tot olim coronæ excogitatæ uirtutis signum, ac gloriæ.graminea,ei qui ciuem in acie seruasset: querna,ei qui ab obsidione liberasset. & medicina magno in pretio habita,& ad deorum inuentionem relata. Vir medicus, inquit Homerus, multos ualet uiros. & dominus iubet honorari medicum. Quantum etiam, ex carcere & captiuitate redimere? Terentius Culeo senator liberatus è Carthaginensi carcere à Scipione Africano,per reliquum uitę non aliter eum obseruauit ac coluit quàm dominum: triumphúmque illius nudo capite prosequutus est. Olim honoratissimum erat, captiuos de suo redimere, etiam apud gentes. quod Cicero in Officijs testatur. Ex quo magis erga principem tanquam beneficentissimum afficeretur populus, inuentum, ut eius inauguratione uinculis & custodia detenti soluerentur. Vltimus ferè locus pecuniæ relictus.hac etiam iuuare,liberale ac honestum, in quo est mirifica dulcedo.Nam ut Aristoteles & Cicero & cæteri docent philosophi, pulchrius ac iucundius est dare quàm accipere. idq; que dominus sententia sua comprobauit. Vt est apud Paulum scribentem Corinthijs: Iuxta uerbum, inquit, domini, beatius est dare quàm accipere.gustata liberalitatis uoluptate,non possumus ab ea deterreri, quamdiu suppetit quod detur.etiam si non suppetat,uel per rapinam quæriť.quod declarunt multi,qui eripiebāt alijs q̄d alijs darent,ut Alexander,Sylla,Cæsar.Idcirco uetere prouerbio dictum est,largitionem fundū nō habere.uel dare ijs quos ingratos nouimus, delectat.tantum quia damus.est enim æmulatio quædam diuinæ conditionis & naturæ, ut alij nostra ope uideantur indigere, non nos illorum, & tanquam manus atque auxilium nostrum spectent. de deo enim dicitur in psalmis: Dixi domino,deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges. & alio loco: Omnia ad te spectant domine, ut tu des illis escam in tempore opportuno.Aperis tu manum tuā,& imples omne animal benedictione. In quo ille est maximus quorundam error, ut alios spolient quod dent alijs.quale enim est,per iniuriam benefacere? certe eam gratiam non assequuntur quam captant. nam cui placet,obliuiscitur:cui dolet,meminit:et dum uolunt potentes uideri,coguntur minimorū opem implorare. Vt iam uulgo dicať, magnus princeps, magnus mendicus. Sed hæc dixi,ut declararem quanta esset in dando dulcedo,ut ea sola posset ad dandū pel licere uel alia omni utilitate sepositа: ergo quemadmodum non soli uictui subueniendū est, quum totus undiq; homo auxilio indigeat,sic nec beneficia nostra sola pecunia concludenda. benefaciendum ijs quæ sunt in animo, uotis, consilio, prudentia, præceptis uitæ:& quę in corpore,præsentia corporum,uerbis,uiribus,labore,procuratione:& externis, dignitate, autoritate, gratia,amicitijs,pecunia,sub qua ea sint mihi comprehensa, quæ pecunia comparantur. Quacunq; re quis possit, iuuet & prosit illis qui indigent, nemini quantum in se est noceat, nisi hac uia bono illi primo, hoc est, probitati utilitatem adferat. Sed neque hoc nocere nominabitur. Non enim dandum cuique est quod

expetit, ſed quod ei expedit, in quo neceſſe eſt eum omni perturbatione animi uacare, qui hoc iudicaturus eſt.

QVÀM SECVNDVM NATVRAM SIT, benefacere.

VErum hominis, & quia facti eum puduit, & quia impulſus fuerat aſtuti hoſtis ſuaſibus, clementiſſimus dominus miſertus eſt, reſeruauitque illi locum, quem prius deſtinarat, ſed duriore iam conditione aſſequendum. Et in hac uita alios alijs charitate quadam opitulari uoluit. Primùm ut amore illo inciperent iam nunc ad cœleſtem ſeſe ciuitatem præparare, in quo nihil eſt aliud, quàm perpetuus amor, & indiſſolubilis concordia. Præterea hominem in ſocietate & communione uitæ acturum, animo prauum, & inquinata origine ſuperbum indigere alterius ope deus uoluit, alioqui nunquam futura inter eos ſocietate uel diuturna, uel fida. Vnuſquiſque enim arrogantia indita & prono in malum ingenio aſpernaretur ſocium, ac deſereret, niſi contineretur metu, quòd aliquando eo indigeret. Quippe neminem ſic euexit fortunæ fauor, quin ad implorandam inferioris opem uel inuitum deijciat: imò uero ille fortunæ fauor ſine minorum ope uel non paratur, uel non conſeruatur. documento ſunt magni reges, quorum potentia ſubditis innititur: corruitura illico, ſi eam hi deſtituant. Quis puer aut uetula ignorat, maxima imperia conſenſu firmari? quæ nulla penitus futura ſint, ſi nemo pareat. Nec illa profecto reipub. ſtare diu poteſt, in qua unuſquiſque ſua modo & amicorum curat, nemo cõmunia, ſiue unius uoluntate regantur omnia, quæ dicit monarchia: ſiue pauci adminiſtrent, quę oligarchia: ſiue populi ſit poteſtas ſuprema atq; imperium, quę democratia iuſtareſpub. & ſalutare eſt imperium, ſi ad publicas utilitates curæ & conſilia regentiũ referantur. in ad ſe quiſq; quantum aſtu, arte, potentia ualuerit, trahat, tyrannus eſt etiã populis ſui ipſius. nec diutinè libertatem & potentiã retinet, ſed breui in ius & arbitriũ alienum ſeruus pertrahitur. Quod duæ potentiſſimę gentes declararũt, Romana & Athenienſis: & declarabunt, quotcunq; tales habent ciues, qui ſe, quàm ſuam patriam, magnos & potentes eſſe malint. Verùm naturæ ſic uidetur gratia referri, ſi quum multis ipſi adiutoribus egeamus, multis etiam adiumento ſimus. Itaque ea cupiditas mirifice eſt humanis pectoribus inædificata, ut generoſi animi benefacere quàm plurimis, & iuuare uelint, nihiliq; honeſtius aut præſtantius arbitrentur. idq; ſine ulla ſui utilitate, etiam cum ingenti uel fortunarum, uel uitæ diſpendio. quæ omnia complures magno atque excelſo animo uiri æſtimarunt uilia, dum ſubleuarent oppreſſos, ſubuenirent inopibus, confirmarent infirmos, afflictis opem ac ſolatium afferrent. conſequutáque ſunt eos grandia præmia, ut immortalitate cenſerentur digni. nimirum non ignorauit uetuſtas illa maxime diuinum eſſe, benefacere. Quid de bonis uiris loquor? quum piratæ & latrones, qui prædandi cupidine maria & terras inquietant, uideri tamen uelint nonnullis profuiſſe, & potuiſſe iugulare aliquos, quos conſeruarint. Nam hoc eſt maximum latronis beneficium. Militares homines natura iactabundi fortitudinem ſuam non imputant, niſi quod in commune ceu præſidium quoddam proſit. Quocirca nulla res magis debet cogitationes hominum exacuere atque excitare quàm ſtudium alijs benefaciendi. ſiue quod is iuſſit, cuius præceptorum ampliſſima eſt merces: ſiue quod aliter ſocietates hominum nequeunt ſtare, ſiue inhumanè & contra naturam exiſtimandum eſt, non ſubuenire quibus poſſis, ſiue quod hac uia alij alijs beneficium in commune reponunt, ſi potentior infirmiori abſit. poſtremò unumquenque conuenit admonitu communis ſortis huc adduci.

QVI

QVIBVS DE CAVSSIS QVIDAM A BENEFA-
ciendo deterrentur.

SEd quæ cauſſæ ſunt, quibus potiſsimum beneficentia noſtra reſtringitur, uel quia profuturos nos alijs non putamus, uel quia obfuturos nobis ipſis, aut ijs quos habemus charos. Vt liberis, propinquis, neceſſarijs. Exiſtimamus non prodeſſe quod datur malo. & ingratitudine uehementer offendimur. Tum ita nos tenere diligimus, ut non audeamus benefacere, ne quid ea res nobis noceat. Dicam prius de inopibus, hinc de ijs quibus opes adſunt. Nihil eſt uirtute amabilius, nihil quod ad ſe ualidius homines pelliciat, quàm ſpecies illa honeſtatis: contrà fœdius nihil eſt uitio, aut quod citius intuentes abs ſe cum abominatione auertat. Ergo iuxta ueteres illos uerſiculos: Beneficium dando accepit, digno qui dedit. & illum Ennij: Benefacta male locata, malefacta arbitror. Neq; aliud quicquam magis à dando nos deterret, quàm quum metuimus, ne male beneficium collocemus. Id duabus ex rationibus fit. altera, aut quum beneficium cui dedimus, non prodeſt, in quo dolemus nos operam atque impenſam luſiſſe. Aut quum ingratum experimur. quod flagitium non eum tantum offendit, in quem quis eſt ingratus, aut ingrato ſoli nocet, ſed in commune omnibus. Arctat enim hominum benignitatem, & ardorem iuuandi reſtinguit. Timonem quendam Athenis hominem locupletem beneficentiſsimum ac munificum in primis fuiſſe perhibent: ſed expertum multos aduerſum ſe ingratos, in odium quoddam humani generis adductum eſſe, quæ res ei cognomen fecit miſanthropu. Videmus diſcipulos uocem illam ac ſtylum à præceptoribus expolitum atque excultum in ipſorum perniciem conuertiſſe. Quis uelit docere? Parentes à filijs dehoneſtatos, compilatos, expulſos, cæſos, interemptos. quem delectet uel gignere liberos, uel tollere? clientes, famulos, famulas in domum & familiam receptos, adiutos opibus, euectos dignitatibus, non aliter acceptos, & habitos quàm filios, corrupiſſe patronorum uxores, filias, propinquas, liberorum indolem, ſpoliaſſe domum, prodidiſſe patronos ipſos. Vt præſtitiſſet ſerpentem in domum admiſiſſe, quàm in domum tam peſtiferos homines. Quis non malit in ſyluis, & ſolitudinibus uiuere? Rectorem ciuitatis noctes & dies publicis commodis inuigilantem cum ſuo commodo leuem ac ambitioſum uocant, & regendi imperitum. Bonum principem populus conculcat, malo paret. ea res multos eſſe malos cogit: & quod admiſerunt ingrati, grati luunt. Idcirco inuiſa eſt omnibus ingratitudo etiam erga alios. Tantúmque hoc crimen uiſum eſt, ut quum ſit in ciuitate frequens, nulla ſit tamen aduerſus illud legibus animaduerſio conſtituta, quod omnem humanam æſtimationem ſuperaret, & ex ijs eſſet, ut inquit Seneca, quæ ad uindicem Deum remittuntur. Sunt qui ex mendicorum filijs aliquos aſciuerint, ut docerent, ut inſtruerent facultate uitæ, pro filijs haberent, hæredes teſtamento ſcriberent: hos paucis pòſt diebus cum furto à dominis profugiſſe. Aut ſi aliquandiu in domibus remanſerãt, effuſos in omnem impudentiam, ac immodeſtiam, obloquutores, reſponſatores, inſolentes, rapaces, intolerabiles eſſe factos. Et quia de mendicis res ipſa admonuit, ſi quis eorum uitam ac uitia, & quæ quotidie flagitia & ſcelera deſignent, conſideret, utíq; miretur magis eſſe, qui illos uel intuitu dignetur, uſque adeo perditum eſt, quicquid illis datur. Primùm immodeſtiſsime ac importuniſsime efflagitant, ut extundant magis, quàm impetrent. Sunt qui hac ſola de cauſſa nihil dant. alij dant, ut tantam ab ſe moleſtiam dimoueant. Quum illi nullo reſpectu ubi, aut quando petant in ipſa confectione ſancti myſterij non ſinunt homines attente ac pie Sacramentum uenerari. Faciunt ſibi tranſitum inter turbam confertiſsimam, fœdi ulceribus, tetro per uniuerſum corpus halitu ſpirante. tam & ſe diligunt, & ciuitatem totam negligunt, ut nihil penſi habeant, ne in quẽ trãſmittant uim morbi, ut nullũ fere eſt morbi genus, quod nõ habeat ſuam contagiẽ. quin & ulcera multi comperti ſunt ipſos ſibi certis medicamentis & facere & augere, ut miſerabiliores ſint intuentibus. nec ſolum ſua ipſorũ corpora auiditate queſtus ſic deformant, ſed et liberorũ, quos nõnunquam circumferunt accõmodatos: Noui gentẽ apud quã etiã raptos & debilitatos ad cõmouendos magis à quibus ſtipẽ

precantur. Sic alij uarios morbos simulant sani & integri. si soli sint, aut necessitas subitò ingruat, ostendunt quàm non sint infirmi. Sunt qui fuga sibi consulant, si quis eorum ulcera & morbos uelit curare. Alij ociosi lucri dulcedine, quod necessitatis est, uertunt in artem. Nollent commutare rationem hanc parandæ pecuniæ. nec minus pro mendicitate sua pugnent, si quis tentet adimere, quàm alij pro suis opibus. Ergo diuites poscunt stipem, & ab ijs accipiunt quibus iustius deberent dare: quod deprehensum in nonnullis, omnes suspectos facit. Iam qui semper Deum, & quicquid est usquam diuorum habent in ore, nihil in pectore habent, minus, quàm illos: impatientissima in Deum iaciunt conuicia. Videre est eorum rixas tam rabidas, maledicta, execrationes, & propter minutam unam centum periuria, plagas, cædes, impotentissimè omnia & teterrime. Aspernantur nonnunquam, quod gratis donatur, si auiditati non respondeat: magnóque uultus fastidio & contumeliosis uerbis reiiciunt. Stipem nacti etiam illos à quibus accepere, rident, tantum abest ut eis seorsum bene precentur. alij recondunt incredibili auaritia: quum ne morientes quidem ad aliquem pro se usum proferant. Alij detestando luxu dilapidant, cœnis opiparis, quales nec opulenti ciues domi suæ habent. animosius illi florenum unum in capum, aut delicatum piscem, aut generosum uinum prodigant, quàm stuferum diuites. Vt non insulse uideantur quidam dicere illos cauponi mendicare, non sibi, uidelicet quòd quàm facile est eis illa pecunia eo quæsita die, tam se aliam quæsituros postridie confidunt. & nescio quo pacto rara est in exiguis rebus parsimonia: rarior multo, si paratæ sint citra industriam & laborem. Iam quo strepitu epulantur? quàm clamoribus inconditis? dicas rixari meretrices cum lenonibus. Voluptates diligentius rimantur, & se in eis altius immergunt, quàm diuites. Quæ uitæ consuefactio inciuiles eos reddit, impudentes, rapaces, inhumanos: puellas uerò impudicas, libidinosas. Si quis eos rectè ac liberius admoneat, ferocissime obloquuntur, & subinde illud iactant, Sumus pauperes Iesu Christi. Quasi uerò dominus Iesus tales pauperes agnoscat, tam alienis à suis moribus, & præscripto sanctitatis uitæ. Qui non pauperes pecuniæ pronunciat beatos, sed spiritu. Atqui isti maiores interdum attollunt spiritus, uel ob hoc ipsum quod sunt pauperes, quàm opulenti ob suas opes & copias. Oderunt omnes, qui uel non dant, uel reprehendunt. A furtis nihil aliud eos arcet quàm pœnæ metus: aut etiam quod occasio non datur. Nam si detur, ibi nec legum, nec magistratus ulla est reuerentia: paupertatis prætextu nihil non licere sibi rati. Iras suas non uerbis aut pugnis uellent ultas, sed ferro & cæde. argumento sunt multa homicidia clàm ab ipsis patrata. & si quando ciuilis discordia incidit, nulli maiores edunt clades, siue prodendo, & instigando, siue ipsi manu propria. ut non sine grauissimo consilio uideantur Romani submouisse egenos cura omni atque administratione Reipublicæ, cuius ciues haberent pro inimicis. Quæ tamen non sunt à me dicta in uniuersum de omnibus, sed de genere. alia enim in alijs uel hominibus, uel nationibus sunt uitia, in quibusdam nulla. Deinde ad cohortandos magnos magistratus, ac priuatos, ut paupertati maturè subueniant, ne sinant tantam labem & fœdissimam uomicam pernicioſissimè hærere in uiscеribus suæ ciuitatis.

QVOMODO INOPIBVS AGENDVM.

TVm etiam ad eos ipsos inopes commonefaciendos, quemadmodum se debeant gerere in suis aduersis rebus. Primũ reputare oportet eos inopiã illã missam sibi à Deo iustissimo, & occulto consilio, etiam ipsis uehementer utili, adempta uitiorũ materia, & tributa, in qua se uirtus facilius possit exercere. ideo nõ modo tolerandã æquo animo, sed libenter quoq; amplectendã, tanq; Dei munus. Vertant se ad dominũ qui eos tetigit magno argumẽto amoris illius, quia quem diligit, castigat. ne perdant correptionis & calamitatis fructũ, qui est, seipsos & authorẽ suũ, à quo admonenẽ atq; accersunẽ cognoscere, reiecti à mũdo, electi à Deo. Nudi atq; expediti, nudũ atq; expeditũ Christũ alacriter

alacriter comitentur. Sancte agant, Deóque solo fidant, non humana ope ulla. & quandoquidem mala recipiunt in hac uita, dent operam, & connitantur, ne peius multo habeant in altera, ne propter minimos ac uilissimos quæstus in uita amarissima iacturam faciant cœlestium gaudiorum. Nihil simulent, ne mposturis uideantur pro arte uti, confisi magis fraude sua quàm bonitate Christi, qui nos omnes alit. Non enim pecunia est, quæ nos alit, aut panis, minime defuturus ijs, qui uere se tales pauperes præbuerint, quales ipse diligit, simplices, puros, uerecundos, amabiles. Modestè & probe petant, ac uersentur. Nihil enim uerecundia & modestia pulchrius, aut ad conciliandum amorem efficacius. Porro quid intolerabilius superbo paupere? de quo sapiens ille Hebræus inquit: Tres species odiuit anima mea, & aggrauor ualde animæ illorum, pauperẽ superbũ, & diuitem mendacã, & senem fatuũ & insensatum. Neminẽ oderint, nemini inuideãt mortalia immortalia, accincti & properantes. Ament, & redamabuntur. Christo paupertate similes sint, & imitatores charitate. Qui laborare ualent, ne sint occiosi, quod discipulus Christi Paulus uetat. Et lex Dei hominem labori subdidit. Et Psalmista beatum illum uocat, qui edit panem labore manuum suarum quæsitum. Vt nihil est nunc eis segni illo ac torpido ocio dulcius, ita nihil esset consuetis aliquid agere grauius aut inuisius quàm ocium, nihil iucundius opere. Quod si mihi fidem non habent, eos interrogent, qui ex ocio se ac desidia ad laborem negotia que transtulerunt. Homini enim operi assuefacto quàm consuetudine, tum uerò natura ingenij humani ocium ac desidia mortis est instar. Multum & pijs orent animis pro bona mente sua, & illorum à quibus in necessitatibus uitæ adiuuantur. Vt dominus Iesus dignetur eos remunerare centuplo illo in æternis bonis. Pro his quæ acceperunt, non contenti sint uerbis gratias egisse, animum quoque retineant gratum, hoc est beneficij memorem: & quæ data ipsis fuerint, ne turpiter prodigant, neu sordide asseruent, non secum in alteram uitam translaturi. In usus necessarios prudenter dispensent. quibus ubi erit satisfactum, alijs pauperibus ne inuideant quæstum, procurent etiam, si possint. Quin & ipsi de superuacuo diurni uictus largiantur, imitatione uetulæ illius Iudæi, quæ de tenuitate sua duo minuta domino obtulit, hoc est uniuersum censum suum, & laudata est sacro illo Seruatoris nostri ore. Felicissima, quæ paupertatem suam oblita est, dum Deum respicit. Idcirco tantum deuotionis suæ præconem inuenit. Felix eleemosyna de necessitatibus decisa, quæ Christi testimonio ingentibus diuitum donarijs prælata est. Ne hoc uideatur Christianis hominibus factu graue, quod gentiles præstitere, alieni à sancta pietate, emptorem à taberna sua, quod quantum in eum diem uictui sat erat collegerant: ad uicinum, qui nihil aut parum uendidisset, transmiserunt. O Christiani ferreum pectus, quod neque exempla flectunt hominum mundo seruientium, non Deo, nec tot diuini præceptoris cum tanta uel pœna uel mercede documenta, nihil aliud sonantia, quàm ut proximo bene & cupias, & facias, quatenus possis. Sed ad pauperes redeo. Liberos pie sanctesq; educent, ac instituant, ut quandoquidem nullas eis sunt opes relicturi, uirtutem & sapientiam relinquant hæreditatem regnis omnibus anteponendam. Hæc si egerint, si sic uixerint, scio, & capitis ac uitæ meæ periculo ausim spondere, ubi ab hominibus cibus defuerit, cœlitus à Deo nunquam defuturum. Quod qui non credit, profecto is nec Christi promissis fidem habet, & suam uitam non intelligit neutiquam cibo propagari, sed uoluntate Dei.

QVIBVS VITIIS IMPEDIANTVR A' BENEFACIENDO ij qui possunt.

SVNT & in nobis è regione alia uitia, quæ magis multo nostram beneficentiam impediunt, omnia ex immodico nostri amore orta. Cuius certissima & germana soboles est superbia, & cupiditas alijs eminendi, propter quam alios premimus. Hinc superbiæ coniunctissima inuidentia, qua nostra bona uolumus

uolumus nobis esse propria, ut neminem patiamur ad nostram magnitudinem assurgere, non solum ascendentibus infesti, sed ijs etiam per quos euehuntur. Iam segnities quædam in pectore, dum metuimus, ne benefaciendo alijs alios offendamus. Quæ res non paucos à propulsanda à socio iniuria retrahit, dum simultates aut damna metuunt. Timent etiam quidam, ne in ingratum incidant, alienis exemplis, non propris commoti. Nam ipsi experiri nolunt, an felicius sibi cedet benignitas. Tum in corpore desidia quædam delitijs fracta, ut operam refugiamus omnem quantum libet fratri profuturam, in lucro aut uoluptate mire strenui & gnaui. Maria & terras peragramus exigui quæstus causa, sexcenta adimus pericula propter breuissimam uoluptatem, proximi gratia manum grauamur uertere. præter hæc tantopere inualuerunt uoluptates, & luxus, ut nec amplissimus illis census sit satis. Idcirco nec alijs impartiri audemus, ne nobis desit. Et uera rerum nomina cum bonis rebus olim amisimus. sic cessimus uitijs, ut tacito quodam consensu ad ea transtulerimus, quæ erant propria uirtutis. Nemo credit se male facere, si non existimetur. Parsimoniæ ac temperantiæ laus in sordes est uersa, luxus & diffluentia sunt in pretio tanquam nobilitate & opibus digna, ut etiam glorientur nonnulli se crebro inebriari. quasi ebrius homo sit, & non pecus. magnam pecuniæ uim in aleam profundere, aut in moriones, conuiuari sumptuose, id pulchrum & gloriandum ducitur. Simplicitas, candor, & recta prudentia, pro stulticia habentur. ad fraudem atque astuciam prudentiæ nomen demigrauit, & ingenium ad maledicentiam. Docere alios, abiectum, & uilium hominum, ne filios quidem, nisi artes uanitatis ac superbiæ: nec orare honestum satis, ne uideamur Deum maiorem nobis fateri, & aliqua nos illius ope indigere. Atque hæc omnia barbarissimis & stolidissimis seculis inuecta. Deinde pecunia, quæ initio fuerat instrumentum eorum modo quæ ad uictum attinerent, transijt in instrumentũ honoris, dignitatis, superbiæ, iracundiæ, fastus, ultionis, uitæ, necis, imperij, omnium denique quæ nos pecunia metimur. Addito pecuniæ tam uasto pretio, nemo est, qui non illam quacunque uia & ratione cogendam, complectendam, conseruandam censeat, iure, iniuria, per fas & nefas, indiscretis profanis, sacris, licitis, illicitis: eum qui parauit, sapientem, dominum, regem, uirum magni & admirandi consilij: pauperem uerò stultum, despicabilem, uix hominem. Hæc tam recepta omnium opinio etiam homines suopte ingenio alienos à cura fortunæ adigit ad famulandum ei. Nam alij alijs exemplo & inuitamento sunt ad scelus. Pater, mater, nutrix, fratres, beneuoli omnes nihil aliud optant & precantur quàm pecuniam. amicus amico, cognatus cognato idem. hostibus uero nihil imprecamur aliud, nisi pauperiem. Afferunt nonnulli honestas, quantum ipsis quidem uidetur, & graues causas, parare se pecuniam & tanquam uiaticum ad senium sua natura imbecillum, & multarum rerum indigum: ad morbos, ad casus uarios. hinc ad filios, nepotes, propinquos, affines. hanc prouidentiam uocant, & ea sollicitudo in infinitum tendit, dum immortalitati generis uolumus prospectum. eóque persuasionis est uentum, ut qui paulò largius egenis benefacit, is fraudare hæredes dicatur, imò inuidioso uerbo rapere, furari ab eis. Nec desunt leges, quæ auiditati hæredum adsint, ac beneficas manus illigent. & sic obtinuit communis sententia, ut pessimo hæredi omnia, optimo pauperi nihil debeas. Hæc tanta cura & suspectus pecuniæ rem in eum statum adduxit, ut suæ cuique fortunæ uita & anima chariores sint. Si quis egeno nummum dederit, sanguinem putet dedisse se, non metallum. Accedit his omnibus, quod quisque ut uixit, ita moritur. In ambitione, superbia, auaritia transegit uitam, sic uel ædem, uel sacellum, uel sepulchrum, ut opes sufficiunt, sibi extruit argento, auro, marmore, ebore, insigne, ut etiam auaritia uiuat in mortuo, sparsis ubique insignibus & ostentata nobilitate generis ad superbiam, armis additis, ut si opus sit, uel cœlum expugnet armatus. Vel si quis corpori tentet inferre iniuriam, propulset. Primum omnium occidat uermes, à quibus depascitur. inscribuntur gesta bellica, & monumenta crudelitatis, testimoniũ triste apud iudicem pacis. Ex præda, & spolijs pauperum, & diuitijs iniquè uel quæsitis, uel retentis, etiam quum iam amplius nostræ nõ sunt, iubemus cani nobis

nescio

neſcio quot pſalmos, & miſſas dici. Alij arces conſtruunt, aut pyramides, aut imagines, denique quod memoria non patiatur intercidere. ac dum illa cogitatione agitamus, & magnam inde nobis gloriam pollicemur, uicturóſque nos etiam poſt mortem, minutum negatur pauperi, ne quid tantis ſumptibus deficiat: imo uero detrahitur minutum pauperi, ſi habeat, & ſpoliatur nudus. Ergo præcipua cauſſa, cur non benefacimus, & ſuperbia, & amor noſtri: qui quo flagrantius exardeſcit, eo magis extinguit charitatem erga alios. De quo Dominus noſter in Euangelio ſuo inquit: Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Hæ ſunt ueriores ac certiores cauſſæ, cur in benefaciendo contrahimur. Sed more cunctis hominibus communi, culpas noſtras in alios transferimus: & à quo nos ultro abhorremus, cauſsificamur non facere alieno uitio.

NVLLAS CAVSSAS DEBERE IMPEDIRE NOS à benefaciendo.

ATuero pulchra res eſt, & excellens inprimis, benefacere, in qua decet homines æmulatores eſſe parentis ſui dei, cuius benignitatem ingratitudo noſtra non exhaurit. pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, oriri ſolem ſuum facit ſuper bonos & malos. Et ſi quis recte expendat, ferè inopum uitia nobis ſunt imputanda. ingratos ipſe facimus lente aut maligne ſuccurrendo non puro animo, ſed aliquid ſpectantes aliud, quàm beneficium, & gratiã, exprobrando beneficio, cõmemoratione, nutu, faſtidio. Multi etiam unius erga quempiam ingratitudine ſic permouentur, ut nemini uelint prodeſſe. atque nemo ignorat, non omnes homines eodem eſſe ingenio, eiſdem moribus. ipſe experire, audi Senecam hominem gentilem Chriſtianus edocentem, quæ illum conueniebat potius à Chriſtianis diſcere. Equidem locum integrum adſcribam, ut pudeat unumquemque noſtrûm, ne ex præceptis quidem gentilium paulo ſanioribus uitam inſtituere: Non eſt, inquit, quod tardiores nos faciat ad benemerendum turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, nos illam inertiam augemus. Deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effuſa neceſsitate ſacrilegi, negligentes'que eorum deterrent. utuntur natura ſua, ipſos munerum ſuorum malos interpretes iuuant. Hos ſequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur. Demus beneficia, non fœneremus. dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. At male ceſsit. & liberi & coniuges ſæpe fefellerunt, tamen & educamus, & ducimus. Adeóque aduerſus experimenta pertinaces ſumus, ut bella uicti, & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficijs decet, quæ ſi quis non dat, quia non recipit, dedit ut reciperet. bonam ingratorum facit cauſſam, quibus turpe eſt non reddere. Quàm multi indigni luce ſunt, & tamen eis dies oritur. quàm multi quod nati ſunt queruntur a tamen natur. ſobolem nouam gignit, ipſóſque qui non fuiſſe mallent, eſſe patitur. Hoc & magni animi, & boni proprium eſt, non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa: & poſt malos quoque bonum quærere. Quid magnifici erat, multis prodeſſe, ſi nemo deciperet? Tunc eſt uirtus, dare beneficia, non utique reditura, quorum à uiro egregio ſtatim fructus perceptus eſt. Adeo quidem iſta res ſugare nos & pigriores ad rem pulcherrimam facere nõ debet, ut ſi ſpes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quàm non dare: quia qui nõ dat, uitium ingrati antecedit. Dicam quod ſentio, qui beneficium non reddit, non magis peccat quàm qui non dat. Hactenus ille. Sed fuerit ſanè metus hic ingratitudinis apud gentiles aliquis, quem tamen tantopere Seneca, ut audiſti, conatur eripere, idque primo capite librorum de Beneficijs, tanquam lapidem primo ſtatim ingreſſu moleſtũ & intrantibus offecturum. Nos uero ne is metus à iuuando retrahat, Dominus ſponſorem ſe offert pro paupere: in ſe recipit, quod inopibus confertur. quid locupletiorem quærimus? an fidelem magis? quid illo cogitari poteſt mitius, aut benignius? ille omnia nobis dedit, quæcunque habemus: & tamen ſi quis ab eo iuſſus pauperi aliquid erogarit in dei gratiam, ipſe debitorem ſe facit: ſibi uult referri expenſum, quod de bonis illius fratri datur. Quid porro nobis uel durius, uel ingratius? qui de ijs quæ ille apud

nos

nos depoſuit, dare recuſemus, quum ipſe iubeat? quid ſtultius, quos tanta propoſita mer
cede dare pigeat? quid magis cæcum, quàm in ſupplicium certum ruere, dum caducas
res & mille caſibus obnoxias arctiſsime complectimur? Ad hæc, ſi maturè ſubuenire-
mus pauperibus, haud dubie cum conditione ac ſtatu rerum, mutarent mores. Nunc ue-
ro ſinimus mendicos in egeſtate ſua computreſcere. Quid poſſunt ex ſuis ſordibus a-
liud trahere, quàm omnia illa commemorata uitia? & quidem illorum culpæ humanæ
ſunt, & quadantenus neceſſariæ: noſtræ uoluntariæ, ac penè diabolicæ. Quale eſt enim
ciuitate Chriſtiana, ubi quotidie euangelium legitur, hoc eſt uitæ liber, & in eo unicum
præceptum charitas, tam diuerſo modo uiui atque illic prę ſcribitur? neque uero noſtram
uiuendi rationem gentiles aprobarent cordatiores paulo. planéque ex gentilitijs ciuita-
tibus nihil mutauimus præter nomen. Vtinam uitia non auxerimus. Audimus: Benefa
cite, orate pro perſequentibus & impugnantibus uos. At nos ciuibus noſtris profuturi,
etiam loqui grauamur. Socrates homo gentilis, contemptis ſuis priuatis rebus, cum of-
fenſione multorũ, atque inuidia, totam ciuitatem circumibat, docens, admonens, adhor
tans ſingulos: noctes & dies incumbens in eam curam, ut ciues ſuos meliores faceret.
Nolo apoſtolorum peregrinationes percenſere, & tot exhauſtos labores, gentilis uita
& actibus erubeſcant homines Chriſtiani. Dicitur, Qui habet duas tunicas, det unã nõ
habenti. Nunc quanta inæqualitas? Tu nõ potes niſi ſericis indui, illi canabaceus deeſt,
quo ſe operiat. uiles ſunt tibi arietinæ uel agninæ pelles, ceruarijs, pardis, ponticis mu-
ribus, amiciris: proximus tuus frigore ringit, contractus ad dimidium præ rigore. auro
& gemmis onuſtus, uitam pauperis ſtuferulo non redimeres? Ad capos & perdices &
delicatiſsimos ac maximi precij cibos ſatur nauſeas, fratri tuo deeſt furfuraceus panis,
quo ſe inualidum cum coniuge & parua ſobole ſuſtentet, quum tu canibus tuis melio-
rem proijcias. Nec interea tangeris recordatione luxurioſi diuitis, qui induebatur pur-
pura & byſſo, & epulabat quotidie ſplendide, & mendici Lazari. Tibi nõ ſufficiunt æ-
des, quę cepiſſent antiquorum regum comitatus: fratri tuo non eſt quo ſe per noctem ad
quietem recipiat. nec times, ne illud audias: Fili recepiſti bona tua in uita tua. & diram
deteſtationẽ domini: Vę uobis diuitibus, qui hic habetis conſolationes ueſtras. Quum
nullus eſt congerendi finis ad morbos, ad ſenectã, quàm ſurdis illa auribus cantant: No
lite eſſe ſolliciti de craſtino, attollite oculos, intuimini uolatilia cœli, & lilia agri, quę
citra curam omnem ſuam pater ille cœleſtis paſcit, atque auget. Nonne hæc omnia ca-
ſibus obiecta ſunt? nec prodeſt homini paraſſe & conſeruaſſe aduerſa dei uoluntate, in
cuius manu ſunt caſus. quot ex locupletiſſ. fecit inopes ſcintilla ignis non obſeruata, aut
pugillus ſtupæ in naui, aut effuſus amnis uel Oceanus, aut hominis malicia, uel calu-
mnioſum uerbulum. Quid? An non pauperes ſine his ualent ac uiuunt? & diuites ægro
tant, & moriuntur cum his? Quanta dementia eſt exiſtimare uitam eſſe in pecunia, & pa
ne conſtitutam. minimo oportebat nos huiuſce rei eſſe ignaros, qui toties audimus: Nõ
pane ſolo uiuit homo, ſed uerbo & uoluntate dei. & alibi: Non in abundãtia eorum quæ
quis poſsidet, eſt uita eius poſita. Quid potuit explicari apertius aduerſum inanẽ coacer
uandi anxietatem, quàm propoſita parabola hominis locupletis? cuius maximum in
modum prouentus aucti ingentem de uita ſecuritatẽ pepererant, ut etiam animæ ſuæ di-
ceret: Anima mea ede, bibe, fruere bonis: habes enim multa in annos plurimos parata. et
audiuit, quod unicui q̃ noſtrũm in medijs fortunarum cogitationibus dicetur: Stulte hac
nocte animam tuam repetunt à te. quę paraſti cuius erunt? ubi hæc ſunt audita ex ore illo
ſapientiæ dei, nefas fuerit exempla de ſecularibus literis mutuari, in quibus referuntur
tam multi ſublati in prima aucti patrimonij conſtitutione, quum ſtatuerent iam curas re-
laxare, & partis frui, mollémque & ſuauem in poſterum uitam ducere. Nihil aliud uide-
mus in ciuitate laborare homines, niſi ut moriantur diuites, non ut uiuant. Iam ſi in ſene
ctutem hęc conduntur, aut morbos, quid ſibi uult tantus in ueſtitu & epulis luxus? iſta
miniſtrorũ & clientũ frequentia ocioſorum fiducia tuarũ opum? tot canes, accipitres, ſi-
miæ, alea, ſcurręſi quis in gratiam locupletis hominis petat, nihil recuſatur. in moriones
& eos qui riſum mouent, quàm multa congeruntur? iſtis non eſt dandi finis. in quo Hi-
ſpani magnificè inſaniunt. in gratiam dei nihil eſt agendum. conſuetudine uitiorum oc-

calluimus,

calluimus, ut iam non censeamus quæ tantum lædunt. Eiusmodi diuitibus contingit sæpenumero quod sapiens inquit: Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias, dabit ipse ditiori se, & egebit. Sed ne quis subtrahat pauperi manum, metu ne desit sibi, aut certè prætenuiter impartiat, Solomonem auscultа: Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. & Paulum ad hunc modum confirmantem Corinthios in danda eleemosyna: Potens est autem deus omnem gratiam augere in uobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus. iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit. Et multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem deo. Quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam accumulat per multas gratiarum actiones domino. Sic ille. Videlicet oratio & gratiarum actio, quæ fit propter eleemosynam deo, impetrat ab illo incrementa eorum cōmodorum per quę misericordiam operamur. Quid, num dictis tantum hæc & monitis constant, non itidem exemplis? In libro Regnorum tertio legimus: Erat in Sarapta Sidoniorum uidua, quæ tantum farinæ habebat domi, quantum pugillo capi posset, & olei paucas guttas: hæc lignatum egressa, duo ligna referebat domum, ut libum sibi ac filiolo coqueret: quod ubi edissent, morerentur: etenim erat fames atrocissima in Israel. Helias uero id sibi pro eleemosyna postulauit, promittens nō defuturum ei ac filio. fidem habuit mulier prophetæ. dedit illi, quantulumcunq; habebat. postmodum uero nec hydria farinæ defecit, nec olei lechytus imminutus est, usque in diem quo misertus est dominus Israel. I nunc, & timidus commoda, quod tanto cum fœnore recepturus es, etiam in bonis uitæ huius. At posteritatem cogitat quis: id profecto infinitum est. quis tandem erit cumulandi modus? Quid, ipsis nullam ne uis curam relinquere? nihil quod agant? in quo se exerceant? pessime perfecto in eos consulis, & ipse non recusas tum misere uiuere, tum etiam male illorum caussa. qui cuiusmodi futuri sint, ignoras. Audi sapientiss. Regem: Rursus detestatus sum, inquit, industriam meam, qua sub sole studiosissime laboraui, habiturus hęredem post me: quem ignoro, utrum sapiēs, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & sollicitus fui. & est quicq; tam uanum? Vnde cessaui, renunciauitq; cor meum ultrà laborare sub sole. Nam quum alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini ocioso quæsita dimittit. Hactenus ille. Cęci exemplis non mouemur, quæ quotidie oculis se ingerunt: sed nos ab eis animum auertimus, existimantes communi hominum conditione nō teneri, quum simus homines. aliis adimūtur filij, quibus ingentes opes congregauerant: & fit quod legimus in psalmo 38. Relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenies progenierum. Nominauerunt nominibus suis terras suas. Aliorum diuitiæ ad secundum hæredem non perueniunt, corrupta filiorum indole spe paternæ hæreditatis, aut ipsorum parentum indulgentia. Tum quod conseruare nescit, qui laborem non adhibuit in quærendo. Aliorum filij sine diuitijs fuissent optimi, in diuitijs sunt pessimi. ut instrumentum uideatur flagitiorum ac scelerum is pater reliquisse, qui quacunq; ratione liberos locupletare studuit. liberi etiam quum patrem uident omnia diuitijs posthabere, ipsi patri diuitias anteponunt, iustissima talione, & quam ad nos edocendos deus finit euenire. bona arte & sancta mente filios instructos abunde diuites relinques, ne illud doceas, rem quocunque modo rem. alioqui in te primùm experientur uim præcepti illius, Vis audire ueras diuitias, & decedentis uita patris ad filios mandata. Tobias sic moriens loquitur: Audite filij mei patrem uestrum. Seruite domino in ueritate, & inquirite, & ut faciatis, quæ placita sunt illi, & filijs uestris mandate, ut faciant iustitias & eleemosynas, ut sint memores dei, & benedicant eum in omni tempore, in ueritate & in tota uirtute sua. caput itidem eiusce libri 4. plenum est eiusmodi mandatis, quibus decet unumquemq; patrem filios ditare, non auro uel argento. uetus uerbum est, Congestori auaro hæres prodigus: & illud: Nec bono hæredi opus est pecunia, nec malo: ille facile quæret, hic cito profun-

det. Quod locupletes existimares te filios relinquere, si illis principem aliquem tutorem & patronum & ceu patrem quendam parasses. profecto, si qua est fides, deum relinquis filijs tuis parentem, si bonus ac misericors fueris. Generatio, inquit rectorum benedicetur. & alio loco: Qui conuersat sine reprehensione in iusticia, beatos filios relinquet. Nempe idem dominus est, qui parcit Israelitico populo propter maiores eius Abraam, Isaac, & Iacob: & qui uisitat iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt ipsum, & facit misericordiam in millia ijs qui diligunt eum, & custodiunt præcepta eius. Melius est mori sine filijs, inquit Syrach sapiens, quàm filios impios relinquere. dicam equidem quiddam minus forsitan receptum in uulgus, sed tamen uerissimum, mea utique sententia: patres qui experti prauum filiorum ingenium & quod pecunia tanquam ueneno corrumpatur, pessime facere, quum magnas illis opes relinquunt, hoc est certissimam uitiorum materiam. eiusmodi diuitiæ adimuntur bonis, qui norunt illarum usum: & mali instrumentum flagitiorum nacti, fiunt peiores. Si quis omnino prospectum uult malo filio, deponat eam pecuniam apud uiros spectatæ fidei, illi depositum restituant, si redeat ad meliorem frugem: sin perseueret in nequitia & sceleribus, probis indigis elargiantur, imò tanquam debitum eis persoluatur. Audi iam & prophetam & hominem senem: Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit. Corporibus diligenter prospicis, expediret, ut animis diligentius prospiceres, exemplo sancti & prouidentissimi Iob, qui pro singulis filiorum holocaustum offerebat Deo: ut si forte peccassent, nec benedixissent domino, sacrificijs patris expiarentur. Atqui uerissimum sacrificiũ est & Deo gratissimũ eleemosyna, de qua scribitur in mysticis literis: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam. Postremo quantæ sunt illæ opes, etiam apud homines, filius optimi patris? Nihil opus est uetera exempla recensere, quæ sunt in scriptoribus gentium omnium innumera. quotidie uidemus multos per se indignos opibus, honoribus euehi, sola recordatione paternæ uirtutis: & quos sine alio despiceremus respectu, ueneramur patrem in eis spectantes, non ipsos. Vnde oritur decus nobilitatis? At sepulchra & altaria & sacrata ornamenta, & missæ, psalmi tui, abominatio sunt ante Deum, cui tu ex mortuis lapidibus templum dum suscitas, uiua eius templa cadere ac interire pateris. Non donaria & magnifica munera respicit Deus, sed puram mentem, & immaculabilem conscientiam. hæc uox etiam gentilibus nota fuit, tradita à Platone, Xenophonte, Cicerone, Seneca: quanto Christianis debet esse notior? quibus nullo templo est opus, quum adorent patrem in spiritu? cuius patris templum est mundi uniuersitas, sed peculiarius puri animi, dicente Apostolo: Templum dei sanctum est, quod estis uos. quid dicam quæri his omnibus famam quandam, potius quàm dei cultum, quod ostendit nomen ubique inscriptum, & insignia passim affixa? Iam quid illic facit aurum? putas Deum uel puerum esse, qui capiatur auri fulgore: uel auarum, qui possessione: uel hominem, qui usu? Verùm gloria uiuenti si expetatur, grauis: si non expetatur, inutilis, mortuo superuacua. maioribus enim detinebitur uel gaudijs uel supplicijs, quàm ut his nostris uocibus, etiam si ad eum peruenirent, moueatur. Quid Achilli prodest Ilias Homeri tam cantata? Quid Vlyssi Odyssea? uel utrumque opus autori suo? Quid Alexandro tot per orientem Alexandriæ? Quid Flandriæ Comitibus auratæ statuæ pro Burgo positæ? ut transeam quàm caduca & breui peritura sint eiusmodi opera, sed certe pauci intuentur, pauciores animaduertunt, nemo ferè de ijs inquirit, quorum monumenta sunt: & ut inquisierit, haud magno æstimat. quòd si gloria quæritur, quæ maior, quàm si benefacias? si prosis? si iuues multos? hæc una apud priscos homines ad immortalitatem uia, ut à nobis est in superioribus expositum. Deos uocauerunt beneficos. Deus est, inquit Plinius, mortali iuuare mortalem. nec inter uirtutes est ulla liberalitate & munificentia gratior & plausibilior, propter quam solam multi ingentia sunt regna consequuti. Sed unicuique homini bona gloria existimanda est, ut solutus corpore bene à conscientia sua & Deo audiat, atque eam ob

QVAE VNICVIQVE A DEO DANTVR, NON PROPTER ipsum dari solum.

PLato philosophus fœlices fore respublicas aiebat, si duæ illæ uoces ex hominum uita tollerentur, Meum & Tuum. Quantas enim inter nos excitant tragœdias? & quibus clamoribus illa intonantur? Meum dedi, meum abstulit, meum non tanges. Tuum non attigi, tuum tene, tuo sis contentus. Quasi uero aliquid ullus hominum possideat, quod merito queat suum appellare: etiam uirtutem ipsam à Deo accepit, à quo nobis data sunt omnia, alijs aliorum causa. Primùm natura, per quam uolo Deum intelligi. Nam nihil est natura aliud, quàm illius uoluntas, & iussus. Hic ergo quãtas utilitates nobis siue ad uescendum herbarum, radicum, fructuum, frugum, pecorum, piscium, effudit? omnia in commune. Siue ad uestiendum pelles, uellera, tum ligna & metalla, & commoditates animantium, ut canum, equorum, boum: denique quæcunque protulit, in hac proposuit domo nullis repagulis aut seris clausa, communia ijs quos progenuit. Dic tu qui occupas, an sis naturæ magis filius, quàm ego? si non es, cur me excludis, tanquam legitimus naturę filius nothum? At inquis, Operam & industriã nauaui, liceat & mihi possidere: idem faciam. Ergo quod natura liberalitate sua dedit commune, nos malignitate nostra proprium facimus. Quod illa obuium exposuit, nos auertimus, recondimus, claudimus, tuemur, arcemus alios poste, pariete, seris, ferro, armis, denique legibus. Itaque auaritia & malitia nostra charitatem & famem indicit abundantiæ naturæ, & diuitijs Dei paupertatem adfert. Iam per malignitatem nostram effectum est, ne uerè Deo dici possit: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. non potest iniri numerus eorum qui tertio abhinc anno in Bethica extincti sint fame: uicturi ad huc, si tam essemus prompti ad ferendam opem, quàm ad petendam. Aut si nos uel bestiarum liberalitas moueret, & sensus quidam naturæ accommodatior, quàm noster, quarum nulla est, quæ pasta & saturata, residua non hic in commune incustodita uelut in amplo quodam naturæ relinquat penore. Quapropter sciat, quisquis naturæ munera possidet, si cum egeno fratre communicet, iure possidere, & ex naturæ uoluntate, ac instituto. Sin secus, furem & raptorem esse naturæ legæ conuictum & damnatum, quum occupet & detineat quæ natura non ipsi uni procrearat. Ad Architam Pythagoricum Plato scribit: Non nobis solis nati sumus, sed ortus nostri partem patria uendicat, partem amici. Et senex ille in comœdia: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Nemo sit ergo huiusce rei insciens, se nec corpus, nec animam, nec uitam, nec pecuniam habere in usum modo suum & commodum data: sed esse illarum rerum omnium dispensatorem: nec alio fine à Deo accepisse. Hoc etsi umbra quadam, tamen uetusta gentilitas uidit, quæ ita per leges de suis ciuibus sanxit, ut appareret unumquemque omnia debere suæ ciuitati: huic in quemque ius ac fas esse de corpore, de uita, de fortunis statuere. Vnde illi apud Athenienses Areopagitæ, apud Romanos Censores, in uitam, censum, mores cuiusque inquirebant, ut legibus & pœnis iudicarent, quàm hæc ab unoquoque in publicum commodum administrarentur. Sed in ea quidem re afferamus iam non hominum testimonium, sed sed Dei edictum. Gratis, inquit, accepistis, gratis date. & parabola proposita est de eo, qui talentum quod à domino acceperat, quia re condidit, nec est eo nogociatus, punitur acriter, collaudatis ijs, qui negociatione rem auxerant: hoc est, multos ad iuuerant illis ipsis domini beneficijs. Quocirca fur est, non qui hæredi, quod in opibus largiatur, detrahit: sed quisquis inutiliter eruditione abutitur, uel uires consumit, uel scientiam sinit torpescere, uel pecuniam profundit, uel asseruat. Dicet aliquis, id que ingenti cum supercilio: De meo hæc facio: quid mihi ad tribunal Christi charitatis & mutuæ beneficientiæ uindici, id allegas, quod non tibi licuisset ad sellas censornm Romanorum? ostendi nihil esse cuiquam suum. Fur, inquam, est & raptor, quisquis pecuniam in aleam prodigit, qui domi in arcis coactam detinet, qui in ludos effundit aut epulas, qui in preciosas admodum uestes, aut instructissi-

mum uario argento atque auro abacum, cui ueſtimenta domi computreſcunt, qui emptitandis rebus ſuperuacuis, aut inutilibus pecuniam expendunt, qui in uanas ſuperſtructiones. Denique quiſquis, quod ſuper eſt neceſſarijs naturæ uſibus, non egenis impartit, fur eſt, & ſi non humanis legibus, quanquam his etiam nonnullis, certè diuinis punitur.

NON CONSTARE PIETATEM ET CHRISTIANISMVM ſine beneficentia mutua.

HActenus diuina cum humanis coniunxi, propter eos qui tenebris altiſsimis immerſi non ferunt diuinæ lucis fulgorem. Nunc uerò ſola perſequemur illius principis ac domini iuſſa, de quo dicitur: Nolite eos timere, qui occidunt corpus, poſtmodum autem nihil habent reliqui quod agant: illum timete qui ubi corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam. Sed nos tantopere ad ſcelera occalluimus, ut nihil æquè ſurdis audiatur auribus, quàm quæ Deus iuſſit. Nec ſaltem uitæ huius uanitas nos commonefacit, non eſſe hic ſpes noſtras figendas, ad illum uenturos nos, qui fuerit & ſpectator, & teſtis noſtrarum quoq; cogitationum, eundem futurum iudicem, & unumquemque noſtrùm pro meritis aut retenturum ſecum in æterna beatitudine, uel miſſurum ad ſupplicia. Deus ergo per quos nobis loquitur, niſi primum per filium ſuum? hinc per ſanctos uiros, & ſpiritus eius afflatos? ſed Dei certiſsima oracula expreſsa ſunt libris ueteris ac noui Teſtamenti. Quibus omnibus nihil cõmendatur magis, nihil inculcatur crebrius, quàm miſericordia: ſeu quis Græce malit, eleemoſyna. In Deuteronomio ſic dominus loquitur: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam egeno & pauperi, qui tecum uerſatur in terra. Nec gratis hoc iniungitur. additur præmium, ut paratam inueniat miſericordiam, quiſquis exhibuerit. in Pſalmo enim 40. Dauid inquit: Beatus qui intelligit ſuper egenũ & pauperẽ, in die mala liberabit eum dominus. Dominus cõſeruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem feret illi ſuper lectum doloris eius. Vniuerſum ſtratum eius uerſaſti in infirmitate eius. Eiuſdem uatis uerſiculus ille ex 9. Pſalmo: Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor, apertè declarat potentem in hoc eſſe à domino uel dignitate ornatum, uel munitum ac inſtructum potentia, honore, autoritate, opibus, ut tutor & defenſor ſit inopis, ut robuſtior filius imbecilliori à patre cuſtos adiũctus. Nec de ſacrificijs & ceremonijs ſuis dominus eſt ſollicitus, miſericordiã ab homine exigit. huic uni mercedem poſlicetur. Apud Eſaiam prophetam uerbis domini ſic legitur: Rogant me iudicia iuſticiæ, & appropinquare Deo uolunt. Quare ieiunauimus, & nõ aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die ieiunij ueſtri inuenitur uoluntas ueſtra, & omnes debitores ueſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Non eſt hoc ieiunium quod placet domino. Nonne, inquit, hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne opus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Quum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris: tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iuſticia tua, & gloria domini colliget te. Tunc inuocabis, & dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum. Hactenus Eſaias. Quærit & circumſpicit peccator quemadmodum offenſum ab ſe dominum queat placare, offert uictimas, offert primogenitum ſuum: & ſpretis omnibus, quæ extrinſecus poterant adferri, de interioribus miſericordia poſtulatur. Sic enim legimus in uaticinijs Micheæ prophetæ: Quid dignum offeram domino? Curuabo genu Deo excelſo? Num quid offeram ei holocauſtomata, & uitulos anniculos? Nunquid placari poteſt dominus in millibus arietum aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum uentris mei, pro peccato animæ meæ? Indicabo ti-

bi ô homo, quid sit bonum, & quid dominus requirat à te. Vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam. Quibus curę est perscrutari naturas rerum, perhibent amorem natura & ingenio suo à nulla re uerius elici quàm ab amore. Sic nihil æquè Dei misericordiam nobis conciliat, quàm nostra misericordia. Qui pronus est ad misericordiam, inquit Salomon, benedicetur. et de immisericorde idem ait: Qui obturat aurem, ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit dominũ, et non erit qui exaudiat eum. Sed nos aquam ut dicit, in mari quærimus. quid aliud sonãt uetera Dei præcepta, nisi unicã uiã nanciscẽdę Dei misericordiæ, esse nostrã misericordiam, etiã usque ad cõmoda uitæ huius temporariæ? Abraham & Loth consuetudine accipiendi hospites, angelos inscij receperunt, tantóque honore digni sunt habiti: nec angeli a symboli discesserunt. Loth ab incendio & ruina quinque urbium exemptus est. Abraam filium recepit originem promissæ illius sanctæ ac innumeræ posteritatis. Rex ille & ut senex, & ut uates, sic inquit: Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Veniamus ad Christum fidelissimum legatum patris, missum ad nos magna & admirabili autoritate signorum & uirtutum in illa humilitate corporis, ut hominem hostem irato reconciliaret patri, insipientem erudiret, errãtem in uia reduceret, cæco usum redderet solis ac luminum. hunc audiri pater uoce sua iussit. nos illius doctrina ac luce nos uenditamus. illius gloriamur nomine, quod est super omne nomen: nec est aliud super terram, per quod salui esse possimus. nec aliud, in quo nos conueniat gloriari, quàm Pauli exemplo, cruce domini nostri Iesu Christi. Sed equidem non uideo, qua facie audeamus Christianos profiteri nos, quum nihil ex ijs præstemus, quæ Christus prima iussit, ac prope sola. habebant gentiles philosophi suum signum, quo agnoscebantur, nuditatem pedum, sicut Nazianzenus perhibet, uilitatem uestium: habent Iudæi circumcisionem: milites in bello sua signa. oues signatæ sunt, merces itidem. Christus nullum' ne habet signum, quo uotat suos, atque ab alienis separat? In hoc, inquit, cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inuicem. Et mox: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem. hoc est caput, hoc primum dogma. Amoris hæc est natura, ut omnia faciat communia, iuxta priscum uerbum quod à Pythagora & à Pythagoricis profectum, cæteræ philosophorum nationes retinuerunt. Nec secus qui amat, res amici curat, & tractat, quàm suas ipsius, interdum quoque accuratius, & ardentiore affectu. At in nobis unusquisque suum agit negotium, nemo fratris. Et quemadmodum Paulus Corinthios obiurgans, inquit: Alius esurit, alius ebrius est. Tantum abest, ut quæ habes, communices fratri, ut quacunque arte & fraude possis, quæ frater possidet, ad te trahas. Pauperem uides nudum, ipse uestibus non indutus, sed onustus & obrutus, ac præteris. Vbi iam signum illud, quo Christi oues censentur? At ne Deum quidem diligit, qui hominem non diligit. Testificatur hoc Ioannes in epistolis suis. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? & post paululum: Si quis dixerit, quod diligit Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidet: Deum, quem non uidet, quomodo potest diligere? Ad hæc nec Christo credit, qui ei non fidit. quid enim est aliud credere alicui, quàm eius dictis fidere, & promissa existimare certò euentura? Atqui dominus omnibus, etiam ijs qui de nobis pessimè sunt promeriti, & nocerent, si qua possent, iussit nos benefacere: quod' que difficilius est, bene cupere. Ille se debitorem tibi offert pro eo, in quem beneficium contuleris. Si crederes tam eximiam illum relaturum gratiam, quantam pollicetur, an non dares? qui negociatori das decem ducatorum millia, ut cum fœnore recipias, fisus aut uerbo mortalis, aut syngrapha mali. Atqui & à Christo habes syngrapham. Sed nimium carne opprimimur, & spiritalia in animos nostros non penetrant circumseptos tanta mole carnis, quæ uitiorum assuefactione callum duxit. Nec uitam nostram Deo, à quo uno & genita est, & conseruatur, credimus. Nam si Christo crederemus iubenti, ut totam curam tuendi & sustentandi

ſtentandi noſtri reijciamus in patrem, à quo ſunt omnia, quique ea & paſcit, & ſuſtenrat, quæ ſine cura ſunt, eſſemus uſque adeo ſolliciti? non eſſemus, ſi rex aliquis mortalis ſpopondiſſet. Quid aliud dicam, niſi ſic nos loqui tanquam omnia credamus, ſic uiuere tanquam nihil. Neque uero te tangit, quod ſummum & poſtremum eſt in religione, finis uitæ uel per uirtutem, uel per uitia tranſactæ, quam præmia uel ſupplicia conſequuntur. Peccata dicit eleemoſyna purgari. Reliquum, inquit, eſt, ut faciatis miſericordiam, & ſunt uobis munda omnia. Confirmauit ueterum ſententiam. Siquidem Theobias ait: Præmium enim bonum tibi theſauriſſas in die neceſsitatis, quoniam eleemoſyna ob omni peccato & à morte liberat, non patietur animam ire in tenebras. Et Eccleſiaſticus: Iguem ardentem extinguit aqua, & miſericordia reſiſtit peccatis. Superbiſsimo Regi Daniel cõſulit, ut peccata & blaſphemias ſuas miſericordia & eleemoſynis pauperum redimat. Concinunt his omnibus Chriſti diſcipuli ex magiſtri ſchola dicentes: Charitas operit multitudinem peccatorum. Centurioni illi gentili in Actis apoſtolorum propter eleemoſynas indicatur ab angelo iter ſalutis. Et quemadmodum ad ciuitatem aliquam demigraturis ſalutare conſilium eſt, ſi quos eius incolas officio ſibi aliquo demereantur: ſic dominus admonet atq; hortatur nos ex mammona iniquo amicos quærere, qui nos mortuos recipiant in æternas illas domos. & adoleſcenti qui de uita æterna conſulebat, reſpondit: Si uis perfectus eſſe, uade, & uende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & ueni ſequere me: Iudicis uiuorum & mortuorum utinam non minus quiſque ſententiam metueret, quàm ſæpe audiuit, & quàm nulli non eſt cognita, qui uel pro miſericordiæ operibus præſtitis beatam æternitatem remuneratur, uel pro omiſsis ſupplicio addicit. Quid dicemus ad hæc omnia? An contingit nobis, quod de Phariſæis narrat Lucas in euangelio: qui quod eſſent auari, irridebant præcepta Chriſti: nec ulli ſunt adhuc, quibus æque ridicula eſt cœleſtis doctrina, quàm accenſis diuitiarum cupidine: ut ineptus eſt regno Dei dines, qui opes ſuas amplectit? nec ſine maxima cauſa Paulus apoſtolus ſolam expeccatis omnibus auaritiam appellauit ſeruitutem idolorum. Pecuniam enim, inquit, quidam expetentes à fide naui tutiſſima deciderũt. Nullũ crimen morte ab Apoſtolis uindicatũ eſt, præter auaritiam Ananiæ, & cõiugis, in quam Petrus poteſtatem illam apoſtolicam non per tortorem & carnificem, ſed efficacia uocis ſuæ oſtendit, & exercuit: quod ſciret, quantum affectus ille probis moribus, & pietati noſtræ odium bellumque indixiſſet: quod aliquando exarſurum eſſet maximo detrimento & clade religionis. Examinet quiſque conſcientiam ſuam an credat illa quæ recenſuimus, quum his tam parum moueatur. At credo, ait unuſquiſque, ego uero credere te audio, credere non uideo. Filioli, hortatur Ioannes, ne diligamus uerbo tantum, ſed re, & opere. Et Iacobus: Eſtote factores uerbi, & non auditores tantum. ſi credis, cur tantis promiſsis & minis non tangeris? cur quod aſsignatum tibi eſt munus, nõ capeſsis? præſertim tantis gaudijs paratis ei, qui fecerit: tantis cruciatibus, qui prætermiſerit. Summa hæc eſt: ego neminem exiſtimo Chriſtianum eſſe, qui quatenus poteſt, nõ ſubuenit fratri indigenti. Paulus & Barnabas quum Hieroſolymam ueniſſent, Iacobumque fratrem domini loci illius ſanctiſsimum Epiſcopum, ſimul & Petrum & Ioannem conueniſſent, expoſito euangelio, quod prædicarant in gentibus, & collaudati ab apoſtolis, ſic digreſsi ſunt, ut utrinq; tantum de miſericordia meminiſſent. dextras, inquit, dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi in circumciſionem, tantum ut pauperum memores eſſemus. De toto homine curant, totum alunt, & reficiunt, toti ſtudent prodeſſe. menti per prædicationem & ſacram doctrinam, corporibus primum miraculis & uirtute pellendi morbos, quæ comitabatur prædicationem, conſtantiſsimamq; illam fidem, & adiumentis uitæ in colligenda pecunia, qua indigi alerentur. hoc eſt uere Chriſtiani & ſectatoris principis ac magiſtri ſui, qui totum hominem fecit, totum ſanauit, totum aluit, mentem doctrina, corpus cibo. ita conuenit nos & animo benefacere, & corpori, quæcunque facultas detur.

QVANTVM ET QVOMODO CVIQVE BE-nefaciendum.

CIcero, Aristoteles, Theophrastus, Panætius, Possidonius, Hecaton, Seneca, & cæteri, qui de officijs uitæ communis scripserunt, leges quasdam statuunt, cui quatenus, quantum, quando, quemadmodum, præstandum sit uel officium, uel beneficium, uel referenda gratia. sed quum humana sola persequunt̃, non omnia potuerunt suis præceptis concludere, propterea quod hominũ natura uarietate sua infinitatem, quam formula sua diuina dominus cõprehendit, uidelicet autor illius. Dato enim charitatis præcepto erga deum & hominem, ceu normam quandam & amussim assignauit, qua uniuersa mortalium omnium uita possit dirigi. Si quis uere & ex animo deum diligit et fratrem propter deum, amor ille uerius ei suadebit & rectius quid agendum sit, quàm quicunque magistri sapientiæ. Sumat quisque in proximum affectum germane amicum, atque in iuuando deum solum spectet, ab illo sperans remunerari se, nihil dico amplius. hoc unicum documentum superat longa illorum philosophorum, quos modo commemorauí, scripta. De magnitudine beneficij, & in quem conferendum, sunt illa Christi: Omni petenti abs te dato: uolenti mutuari abs te, ne auertaris. Benefacite persequentibus uos, amate eos, quibus estis inuisi. orate pro ijs qui uos execrantur ac deuouent. nempè sic agendum est ei, qui à rebus istis mundi huius penitus se ad dei unius fiduciam, & amorem sustulit. Illud uero Thobiæ humanum magis: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies domini. quomodo potueris, ita esto misericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire. cui non dissonat quod in Ecclesiastico legitur: Ante mortem tuam benefac amico tuo, & secundum uires tuas exporrigens da pauperi. Hi facultatem metiuntur, & sollicitudine non carent, quæ amor excludit. Sed quanto hi melius, quàm qui ex ingenti iuuandi facultate & copia exiguam portiunculam impartiunt: ut qui ex amplissimis opibus unam aut alteram stipem unciariam, dicamus minutam: ut hactenus fecimus uoce uestrati. Qui parce, inquit Apostolus, seminat, parce & metet: & qui in benedictionibus seminat, id est largiter & plena manu, abunde etiam metet. similis est ad Galatas sententia, quam statim referam: Vt à deo accipis, sic illi reddito. si ille affluenter dat tibi, cur tu illi retribus tam arcte & malignè, præcipue quum nihil tibi dederit propter te unum, sicuti disseruimus. Neque uero necessitates nostras sic conuenit metiri nos, ut luxum & diffluentiam inter necessitates ponamus, sicut sericis uestiri, auro & gemmis fulgere, stipari magna frequentia administrantium, quotidie epulare opiparè, aleam animose ac largiter ludere. At ne quis blandiatur sibi, tanquam de multis copijs multa etiam egenis elargiatur, admonendi sumus, non esse acceptam deo eleemosynam quæ ex sudore & substantia pauperum rapta sit à diuite. quale est enim per fraudem, per imposturam, per rapinam, per uim exspoliasse te multos, ut aliquid paucis aspergas? surripuisse mille, ut des centum? in quo putant se quidem satisfacere, si ex magnis uel prædis uel fraudibus redimant se aliqua portiuncula, quam dent egenis, aut ex qua ædificent sacellum, affixis suis insignibus, aut templum ornent specularibus: aut quod ridiculum magis, auditori noxarum numerent, ut absoluantur. Confessio Zachæi publicani hæc est: Ecce domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudauerim, reddo quadruplum. Ideo sic à Christo absoluitur: Salus hodie huic domui facta est, quoniam & ipse filius sit Abraæ: nempe qui iustitiam Abraę nõ profitebat̃ nomine, sed prestabat operibus. De iustis ergo & bene quæsitis grata est domino eleemosyna. faciat quisq; quod Zachæus, ut idẽ audiat. Et omnib. est benefaciendum. nam pro omnib. se offert Christus. Ac ne nos deterreat inopis indignitas, habemus dignissimũ deum, qui nobis immerentib. prior benefecerit. is te ex creditore debitorem facit, si quid das pauperi. Aristoteles philosophus gentilis non perinde bonus ac doctus, quũ malo homini numum roganti dedisset, admonentib, amicis ac subobiur-

ſub obiurgantib. quod benefeciſſet indigno, Nō inquit, illius ſum miſertus, ſed naturę: quanto nos magis decet miſereri pauperis propter deum? cuius miſericordia ſi uel temporis punctum à nobis recederet, quid eſſet nobis uniuerſis miſerabilius? Atqui hæc eſt dei & domini uniuerſorum ſyngrapha: Quicquid uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Audi etiam hominem, ſi fas eſt hominem, poſt deum audiri, ſed ſapientiſſimus eſt, & dei ſcriba. itaque deus putabitur loqui: Fœneratur domino, qui miſeretur pauperis, & uiciſſitudinem reddet ei. Quis noſtrum expoſtulationem illam domini ſuſtinere poterit: Serue nequam, cur ex meo non dediſti, quod ipſe iuſſeram? quid feciſſes de tuo? Itaque æterna hæc bona non habebis, in quibus fidelis non eſſes, qui in mundi uanitate infidelis fueris. Non hæc fingo, Chriſti uerba ſunt in Euangelio Lucæ: Qui fidelis eſt in minimo, & in maiore fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiore iniquus eſt. Si ergo in iniquo mammona fideles nō fuiſtis, quod ueſtrum eſt, quis credet uobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod ueſtrum eſt, quis dabit uobis? Sed expendendę ſunt hominum neceſſitates: alij plus egent alijs. Sunt etiam quibus præſtat talētum dare, quàm alijs minam: ut qui pecuniam in uſus honeſtos expendunt. Aleatoribus aut ſcortatoribus dare, quid eſt aliud, quàm igni ſtupam addere? quod dicunt, non eſſet hoc beneficium, ſed damnum. Ideo Paulus ad Galatas ſic ſcribit: Communicet is qui in fide inſtituitur, ei qui inſtituit in omnibus bonis. nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. tempore enim ſuo metemus non deficientes. ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Timotheo præcipit, ut presbyteri, qui bene præſunt commiſſo gregi, honore, hoc eſt munere, & liberalitate duplici digni habeantur, præcipue ij qui laborant uerbo & doctrina, uidelicet quod hi pecuniam commendatam ac ueluti creditam melius diſpenſabunt, quàm imperiti, aut nequam, aut flagitioſi homines. Ad eundem modum probum ingenium fouendum, adiuuandum, prouehendum, ornandum, inſtruendum facundia, eruditione, autoritate. malum uero coercendum, ſpoliandum, exarmandum, torquendum. detrahenda ei eloquentia, & autoritas, nocendi inſtrumenta: nō ponendum ferrum in manu furentis. Sed hoc diſcrimen non quemadmodum nunc facimus, expendendum eſt. Vt pluris apud nos ualeat cognatio, aut noticia, aut communis patria, familiaritas, officia, quàm ſapientia, mores, uirtus: hinc enim ſumendum diſcrimen, non illinc. Vere fratres ſunt, quos peculiari quodam & ſancto modo regenuit Chriſtus, apud quem non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. Nam idem dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. ſed certe in hoc ſumma rei uertitur: referantur omnia ad bonum illud præcipuum, ut tantum iuuetur quiſque quantum ad hoc uidebitur indigere. & cuique demus plurimum profutura, & diu quantum ratio uel neceſſitatis eius uel facultatum noſtrarum feret. Quæ non iuuant, ſuperuacua ſunt, onera magis quàm munera: ut fœminæ aut ſeni, ſicut inquit Seneca, arma uenatoria, ruſtico libri. iam quæ nocent, quanto uerius maleficia ſunt, ut ebrioſo uinum dare, gladium pugnaci? in quo dum putamus prodeſſe, uehementer lædimus. Quid diſtant talia amicorum munera & hoſtium uota? At in modo, ut ne quid ad nos referamus, omnia in deum. Idcirco alacriter exequendum, quod Thobias dixit, libenter. & Paulus: Vnuſquiſque det ſicut deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. hilarem enim datorem diligit deus. Itaque ex anima adiuuandum & benefaciendum prompto naſcatur beneficium: non quia aliud non audeas, uel negare erubeſcas. Porro quid differt? non admodum abeſt à negante. arguit enim tarditas refugiſſe nos, & eripi magis à nobis, quàm impetrari. dandum ergo cito, id eſt quum primum ſe oſtendit occaſio, & maturitas utrinque. ſerum beneficium poſt opportunitatem, imò non eſt beneficium. At uero nec antequam ſit opus, cito dicitur. cito eſt enim antequam urgeat neceſſitas, antequam ad flagitium aut facinus adegerit, antequam rogandi rubor faciem accenderit: quod eſt præmium muneris maius ac grauius, quàm pecunia, ut eſt gratum beneficium quod

rogandi

rogandi neceſſitatem anteceſſit? Et hilaritas, quam Paulus uult beneficentiæ admiſceri. promptus eſt ille animi affectus in uultu, uerbis, & toto geſtu eminens non ornantes mu nus uerbis, quod amens ille amator in comœdia ſeruo mandat: ſed animo proferentes alacrem, lætum, quòd benefacere contigit. Tum etiam cupdium amplius dandi, ſi ita res poſtularet, aut liceret, libertate tamen incolumi & non confuſis uoluntatum ſignis: ut nihilominus aperias, quid diſpliceat, quid correctum uelis, ac mutatum. Nam admonitio et caſtigatio genus eſt eleemoſynę, ut declarauimus, maioris quàm pecunię erogatio. Ca uendum tamen, ſic corripias, ut ne uidearis id facere quod moleſte feras, peti abs te bene ficium: aut quod ius illud reprehendendi non ex illius culpa ſumpſeris, aut amico tuo pectore, ſed autoritate beneficentiæ: inualida enim eſt tunc obiurgatio. proinde conſul tius eſt apud eiuſmodi ſuſpicaces homines caſtigationem in aliud tempus differre, uide licet quum nihil das. Nec nobis arrogemus quicquam: nam non de noſtris bonis impet timur, ſed deo reddimus quæ ſua ſunt. quin potius habeamus gratiam, quod uti licuit, & exiſtimemus actum nobiſcum optime quod fuerit, unde tantam conſequeremur mer cedem. Nec beneficium corruperimus exprobratione, iactantia, commemoratione, oſtentatione. Denique nihil uelimus datum hominum oculis, ſed dei, quo minus expe ctarimus ab hominibus hoc plus accedat à deo. Si ab hominibus præmium ſperemus, diuino fruſtrabimur, plerunque & humano quoque. illa ergo beneficentia deo gratior, quæ ſolis dei oculis exhibetur, in qua nihil humanæ uanitati relinquitur. pulchrum tem pla extruere, & ornare, quibus deus colatur: ſed neſcio quid uendicat ſibi in his omni bus affectus humanus, etiam in uiris, qui mente ſunt integerrima: nam de iſs qui uanita tem ſolam ſpectant, quid attinet loqui? quanto purius & ſanctius, & deo acceptius, quod inter dantem & recipientem conſumitur? cuius teſtem ſolum adhibes innuiſibilem il lum, qui uidet omnia. in his enim ſoli ſtudes deo placere, nihil ad gloriolam tuam conuer tis. huius etiam certiſſimum & largiſſimum remuneratorem habes patrem illum cœ leſtem, à quo tu ſolo aſpici uoluiſti. Sed iam dominũ ipſum auſcultate apud Matthæum: Attendite ne iuſticiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud patrem ueſtrũ, qui in cœlis eſt. Quum ergo facis eleemo ſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & uicis, ut hono rificentur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faci

ente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua, ut ſit eleemoſyna
tua in abſcondito, & pater tuus, qui uiderit in abſcondito,
reddet tibi.

FINIS LIBRI PRIMI.

IOAN

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE SVBVENTIONE PAVPERVM, SIVE DE HVMANIS NEcessitatibus, Liber secundus.

QVANTOPERE CONVENIAT RECTORI CIVITAtis, curare pauperes.

HACTENVS quid unumquemque deceat, posthac quid ciuitatem publicè et eius rectorem qui est in ea, quod in corpore animus, hic non unam aut alteram corporis partem uegetat, aut uiuificat, sed corpus uniuersum: sic magistratui nihil in suo cœtu relinquendum est neglectum. Nam qui diuites solum curant, spretis pauperibus, perinde faciunt ac si quis medicus nō multum censeret manibus subueniendum aut pedibus, quòd procul absint à corde, quod ut non fieret sine graui damno totius hominis, sic nec in Republica tenuiores negligūtur citra periculum potentium. illi enim necessitate pressi, partim furantur. Iudex indignam se putat eam cognitionem. sed hoc leue: ditioribus inuident, fremunt atq; indignantur superesse illis unde scurras, canes, scorta, mulas, caballos, elephantos alant: sibi uero non esse quod dent paruis liberis esurientibus: illos superbè ac insolenter diuitijs abuti, quas sibi & similibus eripuerint. Hæ uoces haud facilè creditu quot ciuilia per gentes omnes bella commouerint, in quibus incensa multitudo, & odio flagrans, primum omnium furoris sui experimenta in diuites edit. Non aliam causſam afferebant Gracchi, non aliam L. Catilina ciuilis discordiæ, quam excitarant, ne quid de nostris temporibus uel regionib. commemorem. Equidem non pigebit adscribere locum quendam ex Isocratis oratione quæ Areopagitica dicit̄, de moribus ciuitatis Athenienſium. Similia, inquit, dictis sunt quomodo ipſi inter se agitabant. Non enim circa publica solum erat hic consensus, sed in uita etiam priuata. tantum alij erga alios prudentiæ ostendebant, quantum par est tum recte sentientes, tum patriam habentes communem. Tantū aberat, ut locupletibus tenuiores inuiderent, ut his non secus magnæ domus curæ essent ac suæ ipsorum, reputantes felicitatem illarum utilitati sibi esse. Opulenti nō despiciebant pauperes, sed considerantes pudendam sibi esse ciuium suorum indigentiam, necessitatibus illorum subueniebant, quum his quidem agros exigua mercede colendos locarent, alios ad negotiationē procuratores suos mitterent, alijs alias occasiones præberent lucri. Neq; uerò metuebāt ne in alterum duorum dispendiorū inciderent, aut censu uniuerso spoliari, aut certè parte aliqua. contrà potius non minus ijs confidebant quæ fuerant largiti, quàm quæ domi asseruabant. Tantum Isocrates. His accedit periculum ex contagio morborum commune, quoties uidemus, hominem unum magnum aliquem & sæuum morbum in ciuitatē inuexisse, unde alij complures perierint: ut pestem, scabiem Gallicam, et eiusmodi. Quale est enim, ut in unoquoque templo, cum festum est solenne ac celeberrimum, tum maximè penetrandum sit in ædem inter duas acies morbōrum, uomicarum, ulcerum, & cæterarum rerum uel dictu obscœnarum. hæc una sit pueris, puellis, senibus, grauidis uia. putatis omnes tam esse ferreos, ut ad eum aspectum ieiuno corpore non commoueantur? præsertim cum eiusmodi ulcera non modò ingerantur oculis, sed etiam naribus, ori, & ferè prætereuntium manibus & corpori admoueantur. tanta est impudentia efflagitandi. prætereo, quod nonnulli admiscent se turbæ, commodum discedentes à latere extincti peste. Hæc non sunt administratoribus ciuitatum negligenda, tum quò subueniatur morbis, tum ne ad plures serpant. Præterea nec est sapientis magistratus, & studiosi publici commodi, relinquere tantam ciuitatis partem non inutilem modo, sed pernicioſam quoque & sibi, & alijs. Clausa enim multorum benignitate, quum unde se alant non suppetit, alij coguntur latrocinia & in ciuitate & in itineribus exercere: alij clàm turantur. fœminæ quæ sunt ætate bona, pudore abiecto, pudicitiam retinere non queunt, uenalem ubique habent minimo, nec à pessima consuetudine possunt extrahi.

Vetulæ

Vetulæ continuò lenocinium arripiunt, & lenocinio coniunctum ueneficium: egenorum parui liberi prauissimè instituti, ipsi cum filijs abiecti ante sacras ædes, aut circumuagantes petendo nec sacris interfunt, nec concionem audiunt, nec scit, qua lege, quo ritu uiuant, quid de fide & moribus sentiant. Nam eò dilapsa est disciplina Ecclesiastica, ut nihil administretur gratis. uendendi uocabulum abominantur, certè numerare cogunt. Episcopus autem parœcianus tam detonsas oues non putat ad caulam & pastu ram suam pertinere. Ita nemo, qui mendicos illos uideat confiteri, communicare cum alijs mensa Domini: & quum docentem nullum unquam audiant, necesse est corruptissimè de rebus iudicent, & incomposititissimis sint moribus: & si forte aliquà ad opes emergunt, intolerabiles existant ob inhonestam & uilem educationem. Vnde nascuntur ea uitia, quæ dudum recensui, non tam illis imputanda, quàm etiam interdum Magistratibus, qui non aliter ciuitati prospiciunt, haud recte de gubernatione populi statuentes, ut qui solum se existiment præfectos litibus pecuniæ aut criminibus censendis. Quum contrà magis conueniat eos in hoc incumbere, quo pacto ciues bonos reddant, quàm quemadmodum uel puniant malos, uel coerceant. quanto enim minus esset opus pœnis, si recte esset prius illud curatum? Romani olim sic suis ciuibus prospexerant, ut nemini necessum foret mendicare, ac ne liceret quidem iam inde à duodecim tabulis uetitum. Idem Athenienstum populus cauit. Legem dabat Dominus Iudææ genti peculiarem, duram, præfractam, uidelicet populo consimilis ingenij: & tamen in Deuteronomio iubet, agant, dent operam, quatenus erit suarũ uirium, ne ullus sit inter eos indigus, & mendicus, præsertim anno illo quietis, & acceptabili Domino, in quo semper uiuunt, quibus Dominus Iesus sepultus est cum lege, ceremonijs & uetere homine & resurrexit in nouitate uitæ ac spiritus. profectò turpe ac pudendum est nobis Christianis, quibus nihil est magis imperatum, quàm charitas, ac nescio an solum, tot in nostris ciuitatibus egenos et mendicos passim occurrere, quocunq; te uertas, inopia, necessitates adsunt, & qui extendere manum coguntur, ut accipiant. Quid, quòd quemadmodum renouantur in ciuitate omnia, quæ temporibus aut casibus uel mutantur, uel intereunt, muri, fossæ, aggeres, riui, instituta, mores, leges ipsæ. sic par esset succurrere primæ illi distributione pecuniæ, quæ uarijs modis damna accepit. Excogitata sunt à uiris grauissimis, & qui ciuitatis saluti uolebant consultum quædam salutaria, relaxatio tributorum, agri publici tradebant colendi pauperibus, distributio publicitus alicuius redundantis pecuniæ, quod etiam nostra ætate uidimus. Sed illis opus sunt certæ occasiones, quales hoc tempore præraræ contingunt, idcirco ad alia confugiendum remedia commodiora, magisq; perpetua.

COLLECTIO PAVPERVM ET PROFESSIO.

QVærat ex me aliquis, quomodo tantæ multitudini subueniendum censes? Si quid in nobis charitas ualeret, ipsa esset nobis lex, quæ amanti non est posita, ea faceret omnia commnia. nec secus alienas necessitates quisq; spectaret, quàm proprias. Nunc nemo est, qui cuiam suam extra domum suam proferat, interdũ nec extra cubiculum, ac ne extra seipsum quidem, quando multi nec parentibus, nec filijs, nec fratribus, nec uxori satis fidi sunt. Ergo remedijs humanis utcunque occurrendum, præcipuè apud quos parum habent efficaciæ diuina. Mea quidem sententia ad hunc modum: Ex pauperibus alij uiuunt in ijs quæ uulgo hospitalia dicuntur, græcè ptochotrophia, sed notiore illo utendum erit. alij publicè mendicant: alij ferunt, ut possunt, domi quisque suæ suas necessitates. Hospitalia uoco, ubi ægri aluntur, & curantur, & ubi certus inopum numerus sustentatur, et ubi pueri ac puellę educantur, & ubi expositi infantes nutriuntur, & ubi mente capti continent, & ubi cęci degunt. hæc omnia sciant rectores ciuitatis ad curam suam pertinere. Nemo de legibus conditorum caussificetur, inuiolatæ perdurabunt. uerba in his expendenda non sunt, sed æquitas, ut in contractibus bonæ fidei, & uoluntas, ut in testamentis. de qua dubium non est, quin ea fuerit, ut in usus quàm fieri posset optimos, relictę à se facultates distribuerentur, & digniſsimo consumerẽtur loco: per quos aut quemadmodum fieret, non tam solliciti, quàm ut fieret. Deinde nihil est in urbe tam liberum,

quod

912
214

quod non ſubditum ſit cognitioni eorum per quos adminiſtratur Reſpublica. Neq; enim libertas eſt, communibus magiſtratibus non ſubijci et parêre, ſed incitamentum ferocitati, & anſa licentiæ effuſæ in quodcunque animo fuerit collibitum. Nec aliquis poteſt eximere bona ſua curæ & imperio ciuitatis, niſi ſimul ciuitatem exeat. quippe nec uitam poteſt eximere, quæ prior eſt, & unicuique charior, præſertim quum quiſque fortunas ſuas beneficio ciuitatis tanquam munus acquiſierit, ac eiuſdem ope conſeruet, atque retineat.

Ergo harum omnium domorum ſingulas bini Senatores cum ſcriba aliquo uiſant, ac ſcrutentur, prouentus perſcribant, atque eorum numerum ac nomina, qui ibi ſuſtentantur, ſimul qua quiſque illuc ratione peruenerit. Hæc omnia ad Conſules & ſenatum perferantur in curiam.

Qui domi paupertatem tulerant, à binis Senatoribus per ſingulas parœcias ipſi cum liberis annotentur, neceſsitatibus additis, & qua ratione uixerint antea. ad paupertatem quo caſu deuoluti ſint, ex uicinis facile intelligetur: quod genus hominum ſint, qua uita, quibus moribus. Pauperis teſtimonium ne recipiatur à paupere. nam inuidia non uacat. De ijs omnibus Conſules & Senatus edoceãtur. Si qui in aliquem caſum repentè inciderint, ſignificent per Senatorem aliquem Senatui, & de eo ex ipſius qualitate ac conditione ſtatuatur.

Hinc ex mendicis incertis domicilijs uagis, qui ualent, profiteantur apud totum Senatũ nomen ſuũ, & mendicandi cauſſam, in aperto loco aliquo, aut area, ne illa colluuies ingrediat̃ ſenaculum: ęgri apud duos aut quatuor Senatores cum medico, ut oculis Senatus parcatur: petantur ab eis cognitores, qui de eorum uita teſtificentur.

Quos ſenatus hiſce examinandis & excquendis rebus præfecerit, eis aſſignet poteſtatem compellendi, coercendi, hactenus ut poſsint mittere in uincula, quò de ijs qui non paruerint cognitio ſit Senatus.

QVA RATIONE EIS OMNIBVS PROSPICIATVR VICTVS.

ANte omnia illud decernendum, quod Dominus generi humano, tanquam pro multa criminis indixit, ut unuſquiſque edat panem ſuum labore ſuo quæſitum. quum edere, aut ali, aut ſuſtentari nomino, uolo non ſolum cibum intelligi, ſed ueſtitum, tectum, ligna, candelas, denique ea omnia quæ corporis huius uictu continentur.

Ne quis igitur inter pauperes ocioſus ſit, qui quidem per ætatem aut ualetudinem laborare poſsit, Paulus Apoſtolus ad Theſſal. ſcribit: Nam quum eſſemus apud uos, hoc denunciabamus uobis, quod ſi quis non uult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter uos quoſdam ambulantes inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes: ijs autem qui eiuſmodi ſunt, denũciamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. & Pſalmiſta utranq; felicitatem & in uita hac & in altera promittit ei qui comederit ex labore manuum ſuarum. Quocirca non patiendum eſt, quenquam in ciuitate ocioſum uiuere, in qua tanquam in domo bene inſtituta unumquemq; decet eſſe in officio. priſca ſententia eſt: Homines nihil agendo diſcunt male agere.

Valetudinis habenda ratio & ætatis, ſic tamen ne ſimulatione morbi aut infirmitatis imponant. quod non fit raro. adhibebitur medicorum iudicium: & qui fefellerit, puniat̃. Ex mẽdicis ualidis alienigenæ remittendi ad ſuas ciuitates, quod etiam iure Cæſareo cauetur, adiecto uiatico. nam inhumanum eſſet egentum ſine uiatico in iter mittere. & qui hoc faceret, quid aliud quàm iuberet rapere? Si uero ex uicis aut oppidulis ſint bello afflictis, tum reputandum, quod Paulus docet, inter baptizatos in ſanguine Chriſti iam nec Græcum eſſe, nec Barbarum, nec Gallum, nec Flandrum, ſed nouam creaturam pro indigenis habendi.

Indigenæ rogandi, an artem norint ullam. Qui nullam norunt, ſi ętate ſunt idonei, edocendi, ad quam dicent ſe maximè propenſos, modo liceat: ſin ſecus, ad ſimilem quampiam, ut cui non licebit ſuere ueſtes, ſuat quas caligas nominant. Sin eſt prouectior, aut ingenio nimis tardo, facilior aliqua tradat̃. deniq; ea quam nemo non paucis diebus perdiſcat, fodere, haurire aquam, baiulare, monotrochon trahere, apparere magiſtratui, uiatorem eſſe, aliquò proficiſci cum literis aut mandatis, equos agere perpetuarios.

Qui

Qui fœdis modis & per turpitudinem facultates prodegere,ut luſu,ſcortis,luxu,gula,alendi quidem. nam nemo eſt fame occidendus.cæterum ijs moleſtiores imperentur operæ & uictus tenuior, ut alijs ſint exemplo, & ipſos prioris uitæ pœniteat, ne facile in eadem uitia relabantur, cohibiti etiam inopia uictus & laborum duritia, non occidendi fame, macerandi tamen.

His omnibus non deerunt officinæ, in quibus recipiantur. Qui lanificium Armenterij exercent, imò plerique omnes opifices queruntur de raritate ac infrequentia operarum. & qui ſerica Brugenſia contexunt, conducerent quoſuis pueros tantum ad gyrandum quoſdam tornuulos,quibus numerarent quotidie ſingulos ſtuferos,plus minus, præter cibarium, nec poſſunt inuenire, qui hoc agant. nam parentes eoruma iunt, plus illos domum referre ex mendicatu.

Sed publico nomine ſingulis opificibus certus aſſignetur numerus eorum qui per ſe nequeunt officinam aliquam nanciſci. Si quis tantum in ſua profecit arte, officinam aperiat. Tum his, tum etiam illis, quibus tyrones aliquos magiſtratus aſſignarit, & ea quibus publicè ciuitas utitur, quæ ſunt permulta, uelut imagines, ſtatuæ, ueſtes, cloacæ, foſſæ, ædificia locentur facienda, & ea quæ hoſpitalibus erit opus, ut fortunæ à principio pauperibus datæ, inter pauperes conſumantur. Idem epiſcopis,collegijs, abbatibus conſulerem. ſed alias ad hos ſcribemus, & ſpero aliquando illos id ſua facturos ſponte,etiamſi nullus moneam.

Quibus non fuerit adhuc uel de domino uel domo proſpectum,ij tantiſper alantur,ali quo in loco de eleemoſynis. ſed ne ceſſent interea, ne per ocium diſcant deſidiam: in eadem domo detur prandium aut cœna uiatoribus ſanis,et uiaticuli nonnihil quantum ſatcrit uſque ad proximam urbem, quà eſt illorum iter.

In hoſpitalibus qui ualidi ſunt, & illic hærent, tanquam fuci fruentes alienis ſudoribus,exeãt,et ad opus mittantur, niſi iure aliquo illic eos manere oporteat,uelut gentilicio ut quibus hoc munus relictum eſt beneficio ſuorum maiorum, aut qui de facultatibus ſuis illi domui impartiti fuerint.

Tum cogantur ibi laborare,ut fructus operis ſit communis.ſi quis alius illic ſanus & ualens charitate domus & ueterum ſodalium idem ſibi permitti rogauerit, fiat et remanendi copia eadem lege. Ex bonis olim in eiuſmodi uſus collatis nemini deliciari liceat.

Nam ſunt,qui ex miniſtris facti ſunt domini. et mulieres delicatè uiuẽtes cultu ſplendido in origine pij operis ad miniſtrandum aſcitæ, nunc excluſis pauperibus,aut malignè habitis ſuperbę domine:adimatur hoc eis,ne ex ſubſtantia exiliũ pauperũ pingueſcãt,agãt propter quod illuc uenerunt, intentę ſint miniſterio infirmorum,ſimiles uiduis illis eccleſiæ naſcentis, quas tantopere laudant Apoſtoli. quod ſupererit temporis, orent,legant, neant, texant, occupatæ ſint bono aliquo & honeſto operi, quod etiam ditiſſimis ac nobiliſſimis matronis Hieronymus præcipit.Nec cęcos patiar ocioſos uel ſedere uel obambulare:ſunt permulta in quibus ſe exerceant. alij ad literas ſunt idonei, ſtudeant.in nõnullis hon ũprogreſſus uidemus eruditionis haud pœnitendos: alij ad artem muſicã, cantent, pulſent fides, inflent tibias, alij uertant turnos aut rotulas,alij trahant torcularia, alij agitẽt folles in ferrarijs officinis. capſulas,ciſtellas,caniſtella,caueolas,ſcimus cæcos cõponere. cęcę nent & filũ conglomerãt. nolint modo deſidere,nec opus refugiant,faci le in quo ſint occupati inuenient. Segnities et ſcordia in cauſſa eſt cur negẽt ſe quicq; poſſe, non corporis uitium. infirmis quoque & ſenibus ſuggerantur leuia pro ætate & ualetudine, quæ operent. Nemo tam eſt inualidus cui omnino uires deſint alicui rei agendæ.ita fiat, ut cogitationes & praui affectus animi, qui ocioſis ſubnaſcuntur, occupatis & operi intentis cohibeantur. Repurgatis eiuſmodi hoſpitalium ſanguiſugis, expenſis & annuis reditibus,& præſente & numerata pecunia,conſiderent uires uniuſcuiuſq; hoſpitalis,donaria,& ſuperuacua ornamenta iucunda pueris aut auaris magis quàm pijs utilia diſtrahantur.

Tunc mittantur ad unumquodque eorum ex ęgris mendicis quot ſatis eſſe uidebuntur,modo ne uictus tam reſtet eis arctus, ut uix ſedet dimidiam famem.quod prouiden-

dum inprimis est ęgris uel corpore, uel animo. nam isti ægrescunt magis inopia alimenti. Sed deliciæ absint, unde possent facilè malè assuefieri.

Et quia de mente captis locus admonuit, cum nihil sit in mundo excellentius quàm homo, nec in homine quàm ipsa mens, præcipua dãda est opera uti hęc ualeat. summũq; hoc beneficium censendum est, si aliorum mentes uel ad sanitatem reduxerimus, uel cõseruauerimus in sanitate atq; cõstantia. Ergo adducto ad hospitale homine mentis emotæ, principio perspiciendum est, utrum naturalis sit insania, an casu aliquo contigerit, sit sanitatis spes, an penitus desperata: dolendum tanto humani animi rei prestantissimæ incommodo, & ante omnia sic habendus, ne augeatur ei, aut alatur amentia. quod fit furiosis irrisione, lacessitu, irritatione: fatuis assensu & comprobatione eorum quæ stultè seu dixerint, seu egerint, atq; incitatione, ut ridiculè magis desipiant, tanquam subditis fomentis insulsitati atq; stultitiæ. Quid potest dici inhumanius, quàm dementare aliquem ut risum captes? & ludos tibi de tanta hominis malo facias? Adhibeantur congrua singulis remedia. alijs opus sunt fomenta & ratio uictus, alijs mitis tractatio & comis, ut tanquam ferę sensim mansuescant: alijs institutio. erunt qui cohercione & uinculis egebunt: sed ita his utendum, ne illi magis per hęc efferantur. omnino quoad eius fieri possit, tranquillitas ineorum animos iu uehẽda, unde facilè iudicium redit, ac sanitas mentis.

Si non omnes inualidos mendicos hospitalia ceperint, constituenda domus una, aut plures, quot sufficient: illic includendi, conducendus medicus, & pharmacopola, & ministri ac ministrę. sic fiet, quod à natura, & ijs qui naues fabricant, ut sordes unum in locũ conferãtur, ne reliquo noceant corpori. proinde, qui tetro aut cõtagioso tenentur morbo, seorsum cubent, & sumant cibum, ne ad alios serpat fastidium, aut infectio, ut nunquam sit morborum finis.

Cum quis conualuerit, eodem modo habendus, quo reliqui ualentes: mittendus ad opus, nisi pietate quadam malit arte sua alijs illic prodesse.

Egenis qui domi se continent, suppeditandũ opus de publicis illis aut hospitalib. nec à ciuibus deerit: & si necessitates suas approbarint maiores, quàm ut satis sit, quod redit ex labore, addendum quantum uidebitur sufficere.

Necessitates pauperum humanè atq; affabiliter quæstores examinent, nihil detur sinistris interpretationibus, ferocia ne utantur, nisi si necessariam censuerint aduersus refractarios & detrectatores publici imperij.

Sanciatur hæc lex: Si quis rogarit, aut gratiam uel authoritatem suam interposuerit, quo alicui detur pecunia necessitatis nomine, ne impetret: & mulcta esto, quæ senatui debitur. Tantum liceat admonere, esse qui indigeat: reliqua prefecti eleemosynarum, aut quod Senatus assignarit, cognoscant, fiatq; eleemosyna, prout flagitabit necessitas. Ne quando in posterum locupletes homines parcentes æri suo de fortunis pauperum postulent ministris, familiaribus, affinibus, necessarijs suis erogari, quod eripiatur ijs qui maxime indigent, & incipiat gratia egestates excludere: quod in hospitalibus uidemus contigisse.

CVRA PVERORVM.

PVeri expositi habeant hospitale, ubi nutriantur, quibus sunt certæ matres, eos ipsę usq; ad sextum annum enutriant, postea transferantur ad publicam scholam, in qua literas & mores discant, inibi alantur.

Huic scholę præsint uiri, quantum fieri poterit, urbanè ac ingenuè educati, qui mores suos in rudem scholam transfundant. Nam pauperum filijs à nulla re est maius periculum, quàm à uili & sordida & inciuili educatione. in eiusmodi magistris accersendis, magistratus ne sumptib. parcãt. magnã rẽ præstabũt ciuitati cui prelunt exigua expẽsa.

Sobrie discant uiuere, sed mundè ac pure, & esse contenti paruo. ab omnibus arceant uoluptatibus: nec delicijs aut ingluuie consuescant: neu gulæ sint mancipati, cui quum deest, quod ex libito suppeditet, discusso pudore omni, mendicant, quod uidemus à quibusdam fieri, simul primùm deest uel sinapis, aut quid simile.

Nec solum discant legere & scribere, sed inprimis pietatem Christianam, & rectas opiniones de rebus.

Idem

Idem dictum sit mihi de puellarum schola, in qua tradantur prima literarum rudimenta. & si qua est literis idonea & dedita, sinatur aliquanto progredi longius, modò spectent omnia ad meliores mores. discant rectas opiniones, & pietatem, tum nere, suere, texere, acu pingere, peritiam culinę, et rei familiaris, modestiam, sobrietatem, comitatem, pudorem, & primum omnium tueri castitatem, persuasæ hoc esse unicum fœminarum bonum.

Postea ex pueris aptissimi quique ad literas retineantur in schola, futuri aliorum magistri, & seminarium deinceps sacerdotum. reliqui transeant ad opificia, ut cuiusque fuerit animi pronitas.

CENSORES ET CENSVRA.

CReentur ex Senatu per singulos annos Censores bini grauissimi uiri, & probitate spectatissima, qui in uitam & mores pauperum inquirant, puerorum, iuuenum, senum. pueri quid agant, quid proficiant, quibus sint moribus, qua indole, qua spe, & si qui peccent, quorum culpa omnia corrigantur.

Iuuenes et senes an iuxta leges de se latas uiuāt, in uetulas accuratissimè inquirāt, primarias artifices lenocinij & ueneficij. Quàm omnes parcè & sobriè uitā degant. Castigent, qui ludos aleatorios, qui uinarias aut ceruisiarias tabernas frequentant: si non prosit una atque altera obiurgatio, animaduertatur in eos.

Pœnę statuendæ, ut in unaquaque ciuitate uisum fuerit ijs qui in ea plurimum pollent prudentia. non enim eadem omnibus locis aut temporibus congruunt, et alij alijs magis mouentur.

Diligenter cauendum à fraude hominum ociosorum & segnium, ne fallant.

Vellem etiam, ut ijdem censores de iuuentute & filijs diuitum cognoscerent. Esset hoc ciuitati utilissimum, si cogerent eos rationem magistratibus tanquam patribus reddere, quemadmodum quibus artibus atque occupationibus tempus dispensent. Maior esset eleemosyna hęc, quàm multa florenorum millia egenis erogare. Erat hoc olim censoria dignitate apud Romanos, & Areopagitica apud Athenienses prouisum: sed obsolescente integritate ueterum morum, à Iustiniano Cæsare renouatum est in collatione de quæstore, qua iubetur, ut de omnibus tam sacris, quàm prophanis personis, quacunque conditione & fortuna, inquiratur: qui sint, unde uenerint, qua de causa. Eadem lex neminem patitur ociosum degere.

DE PECVNIA QVAE HIS SVMPTIBVS SVFFICIAT:

BElle quidem tu hęc, dicet aliquis. sed unde facultates ad ea omnia? Ego uero, tantum abest ut defuturas credam, ut etiam superfuturas liquido uideam, nō modo ut quotidianis illis necessitatibus, sed etiam extraordinarijs subueniri queat: cuiusmodi passim in singulis ciuitatibus permultæ accidunt.

Olim quidem cum adhuc ferueret sanguis Christi, omnes proijciebant opes suas ad pedes Apostolorum, ut ipsi iuxta necessitates uniuscuiusque distribuerent. Eam curam deinceps repudiarunt Apostoli, tanquam se indignam: quippe decebat magis eos concionari, docere Euangelium, quàm pecunijs uel corrogandis uel erogandis occupari. Itaque id munus Diaconis mandatum. nec isti quidem retinuerunt diu. Tantum erat studiū docendi, euehendi pietatem, properandi ad ęterna illa bona per pulchram mortem. Itaq; de collectitia pecunia prophani ex Christianismo egenis suppeditabant, quod cuique erat opus. Gliscente uero Christiano populo, multis admissis non admodum probis, cœptum est ab aliquibus administrari negotiū haud bona fide. Episcopi & sacerdotes charitate pauperū opes illas ad subleuandos inopes collatas iterum in suam curam recepe-
runt. Nihil enim eo tempore non credebatur Episcopis, uiris probitatis ac fidei explora
tæ, & percognitæ. Quam rem Ioannes Chrysostomus quodam loco refert. postmodū refrixit magis ac magis feruor ille cruoris Christi, & spiritus domini communicatus est paucioribus: cœpit ecclesia mundū æmulari, & cum eo pompa, fastu, luxu certare. Iam Hieronymus conqueritur, præsides prouinciarum lautius in monasterio cœnare, quàm in palatio. Ad eos sumptus opus erat grandi pecunia. ita quod pauperum fuerat, in rem & facultates suas Episcopi & presbyteri uerterunt. Vtinam tangeret eos spiritus Dei,

& ad memoriam reducerent, unde habent, à quibus data, qua mente: & recordarentur, se ex substantia impotentiũ potentes esse. Eorum munus est, docere, cõsolari, corrigere, quantum ad animos, tum corpora sanare. Quod facerent, si tam Christo fiderent, quàm uolunt alios fidere ad sua cõmoda. Sed hoc commune est malum. Vnusquisq; nostrũm bonitatis quã ipse nõ prestat, seuerus est a alio exactor. Egenis de suo etiã minimo succurrere, Pauli exemplo. In summa perfectissimum esse in charitate, ut omnia omnib. fiat: nec humilitatem despiciat, quin ad eum se demitat, ut prosit: nec altitudini cedat per uerbum Christi, ut ædificet. Hi & Abbates, & alij Ecclesiastici præfecti, si uellent, maximam egenorum partem subleuarent magnitudine prouentuũ. Si nolũt, Christus erit uindex. Vitandus semper tumultus, & ciuilis discordia, maius malum quàm sit pauperum pecunias detineri. Nec enim ulla quamlibet ingens pecunia debet esse Christianis tanti, ut propter illã arma induanẽ. Omnino seruiendum est publicæ trãquillitati, quam Christus præcepit, & Paulus, magistrum secutus. Nec pauperes id debẽt optare, ut tumultus in ciuitate ullus existat, quo sit ipsis prospectum, cum eos deceat esse mortuos seculo, incumbentes noctes & dies in cogitationem finis peregrinationis huius ad portum & patriã illam, in qua audiant: Lazarus recepit mala in uita sua, ideo nũc recreat, et reficit.

Ergo prouentus hospitalium annui redigãtur ad summam: nec dubium, quin attributo opere, quod agant, quibus adsint uires, non solum eis qui in hospitalibus uiuunt, reditus sufficient, sed etiam impartiri ex eis poterit externis. Nam opus hospitalium in uno quoque oppido dicuntur mihi esse tantæ, ut si recte dispensentur, abunde sit subueniendis omnibus ciuium necessitatibus & ordinarijs, & subitis, ac extraordinarijs.

Hospitalia ditia tenuioribus impartiãt de superfluo suo. quòd si nec tenuiora indigeant, dent superuacua illa egenis occultis. Nec solũ charitas Christi sic per uniuersam se se ciuitatem diffundat, ut totam eam uelut domum quandã efficiat concordẽ, & bene inter se consentientẽ, ac unumquenq; omnibus amicũ: sed etiam foràs exeat, & totum Christianum orbem complectatur. fiatq; quod inter Apostolos fuisse legimus: Multitudinis credentiũ erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: uerùm erant illis omnia cõmunia. nec quisq; egens erat inter illos. Itaq; & hospitalia locupletia, & uiri opulenti, quum iam in suis ciuitatibus deessent cũ quibus copias suas cõmunicarent, æquum esset ut ad uicinas, etiam longinquas mitterent, ubi indigentiæ essent maiores. Hoc est uerè Christianis faciendum. Hospitalibus singulis bini suffragijs Senatus assignẽt curatores, uiri spectati, & in quibus multum ualeat respectus Dei. hi quotannis rationem reddant Senatui administrationis suæ. Si placeat fides, continuetur eis munus: sin aliter, creentur noui.

Tũ unusquisq; moriens, aliquid pro facultatib. solet legare pauperib. exhortãdus est ut põpæ funeris iubeat detrahi, quod egenis p̃sit. hoc gratius apud dominũ funus, nec ad homines ingloriũ. Sed migraturis è uita, nulla debet esse gloriæ cura, uel laudis, nisi à deo.

Et in funere uisceratio præbetur, & distribuitur panis addita pecunia, aut alijs rebus per tesseram, quam quidem conuenit esse liberam in primis exequijs, & post annum uertentem ijs qui res defuncti curant.

Deinceps Ecclesiæ relicta cognoscant præfecti eleemosynis, quemadmodum distribuatur: ne illis detur, qui minimè egent.

Si hæc omnia non sufficiunt, proponantur arculæ in tribus aut quatuor præcipuis tẽplis oppidi, et in quibus sit maxima frequentia, in quas quisq; quantum suaserit deuotio inijciat. nemo erit, qui non malit decem stuferos illic collocare, quàm in mendicis circũuagantibus minutas duas. Sed ne singulis hebdomadibus proponantur arculæ, nisi cum indigentia compellet.

Hisce arculis præsint bini honesti ac probi uiri, nõ tam diuites, q̃ quod in eiusmodi muneribus ante omnia spectandũ est, animo minimè rapaci, uel sordido, electi à Senatu.

Nec colligat, quantum poterit, sed quantum sufficiet in singulas hebdomadas ad summum plus paulo, ne illi assuescant grandẽ pecuniam tractare, ne idem eis cõtingat quod quibusdam ex ijs quibus demãdatur cura hospitalium. Quid hic fiat, nescio, nec scrutor studijs meis intentus. Sed in Hispania fando de maioribus natu audiebam, esse multos

qui

qui censibus hospitalium domos suas in immensum auxissent, dum se ac suos pro pauperibus alerent, ædes suas frequentes familia facerent, hospitalia pauperibus infrequentia: hæc ex opportunitate promptæ pecuniæ tam numerosæ.

Quocirca nec reditus posthac emantur pauperibus. nam hoc prætextu pecunia apud rectores hospitalis detinetur. & interea dum redituí colligitur pecunia, dum asseruatur quoad emere liceat, pauper fame & miseria contabescit, ac perit.

Quod si magnus pecuniæ numerus apud eos sit, qui eleemosynis publicitus prę sunt, detrahatur, ut paulo ante dixi, quod & mittatur ingentioribus locis. Nam ingens pecuniæ uis ita cupiditatem sui auget, ut eam tractantes ægrius ferant quicquam ex illa impartiri, quàm de modica summa. Necessaria uero asseruetur penes Senatum iureiurando & diris atq; imprecationibus consecrata, ne in alium usum uertatur, et expendatur ad primam occasionem, ne mos sit quicquam habere diu reconditum. Nunquam enim deerũt qui indigeant, iuxta prædicationem domini: Pauperes semper habebitis uobiscum.

Prouidendum, ne aliquando Sacerdotes obtentu pietatis & missarum, uertant pecuniam in rem suam. satis est eis prospectum, non egent pluribus.

Si non suffecerint aliquando eleemosynę, adeantur locupletes uiri, & rogentur, ut adiuuent pauperes, quos sic deus commendauit, ut saltem mutuent, quod sit opus. idq; eis postea, si ita uelint, abundante magis eleemosyna, bona fide repræsentetur.

Tum ciuitas ipsa detrahat aliquid publicis sumptibus, uelut solennibus epulis, xenijs, lautitijs, congiarijs, annuis ludis, & pompis, quæ omnia ad uoluptatem, aut superbiam, aut ambitionem faciunt. Nec dubito, quin Princeps æquo animo, seu uerius læto acciperet minore apparatu excipi se, modo sciret quos in usus expenderetur ea pecunia, quæ profundi in eius aduentum sit moris. Quod si non boni consuleret, profecto pueriliter esset ac stulte ambitiosus, uel ineptus. Sin uero ciuitas hoc nolit facere, certè mutuet quod postmodũ recipi at maiore eleemosynarũ prouentu. Omnino eleemosyna libera sit. quemadmodum Paulus inquit: Vnusquisq; sicut destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. nemo enim cogendus est benefacere, alioquí hoc nomẽ perit. Hæc omnia indubiè etiam redundabunt. Verum in tam pio negocio non sunt humanę uires expendendæ, sed solum diuinis confidendum. aderit Dei benignitas sanctis conatibus. Hęc multiplicabit et diuitibus ea ex quib. eleemosynas largiuntur, et pauperibus eleemosynas uerecundè petitas, pie acceptas, sobriè distributas. omnibus enim prospicit Dominus, cuius est terra & plenitudo eius. Ille abundanter creat omnia ad usus nostros: tantum à nobis reposcit promptam & ueram uoluntatem & affectum pro tam immensis beneficijs gratum.

Exemplis declaratum hominibus est quàm plurimis, cœptum esse à quibusdã sanctũ opus, cum nonnulla eorum sollicitudine, ac etiam desperatione, non suffecturas facultates uires q; quæ in id essent prouisæ. Sed opere procedente, ita rem esse auctam, ut ijdem illic qui negotio præfuissent, cogerentur admirari, per quósnam occultos meatus incrementa illa essent submissa? Experimentum unum pro innumeris ex uestra pauperum puerorum schola, recordamini, quam annos abhinc decem ijs initijs inchoaueritis, ut duodeuiginti duntaxat pueri illic sustentarentur. Et subuerebamini, ne non suppeteret, unde possetis institutum hoc retinere: nunc centum plus minus sustentantur affluentibus facultatibus, ut superfint etiam pluribus alendis. Et quum extraordinarij superueniunt, nõ desit quod edant. scilicet largitate dei uniuersa sustentantur, aluntur, uiuunt, consistunt, non opibus, non ope propria, non cõsilijs humanis. Quocirca in pijs rebus aggrediendis, nefas est considerare quid possis, sed quantum fidas ei qui potest omnia.

Pauperes ipsi qui non laborant, discant non multa habere in longum tempus prouisa, unde crescit securitas, minuitur erga Deum fiducia, non humanis præsidijs fidant, sed Christo solo, qui adhortatus est nos, ut curam alendi nostri, ad se & patrem suum remittamus, qui ea pascit, ac uestit, quæ nec serunt, nec metunt, neque texunt, neque nent. Agant uelut angelicam quandam uitam, intenti precibus, pro se primum, hinc pro salute eorum à quibus fuerint adiuti, ut Dominus Iesus dignetur eis retribuere centuplum illud in illis sempiternis bonis.

DE IIS QVI VEL SVBITA ALIQVA VEL OCCVLTA necessitate urgentur.

NEc succurrendum modo pauperibus, qui ijs carent quæ in diem ad uitam pertinent, sed illis etiam, quib. subitus aliquis casus ingruit: uelut captiuitas in bello, carcer ob debita, incendium, naufragiũ, eluuies: multa morborũ genera, deniq; innumera fortuita, quæ honestas affligũt domos. his accedunt puellæ tenues, quas sæpenumero inopia ad abutendum pudore adigit. Enimuerò ferendum non est, in ciuitate non dicam Christiana, sed nec gentilicia, modo humano uiuatur more, cum alij ita diffluant opibus, ut aliquot aureorum millia in sepulchrũ, aut turrim, aut uanũ ædificium, aut epulum, aut munus publicum effundant, propter quinquaginta aut centum florenos periclitari pudicitiam uirginis, salutem & uitam honesti hominis, uirum cogi deserere uxorem & paruos liberos. Tum et captiui redimendi, quod etiam inter præclara beneficia à ueteribus philosophis memoratum est, ut Aristotele, Cicerone, & alijs. Sed prima habenda eorum ratio, qui duram seruitutem apud hostes perferunt: quales sunt Christiani in potestate Agarenorũ, qui quotidie de defectione à fide periclitantur. hinc negociatorũ & qui inermes peruenerũt in manus hostium. armatis enim ultima debet̃ miseratio, qui alijs causſa sunt tot malorum. ex clausis carcere primi sint illi, qui casu magis quàm sua culpa deuenerunt in paupertatem, ut soluendo non sint: hinc qui diutinè detenti sunt in custodia.

Eius uero qui aliquando fœlix fuerit, nec turpi sua culpa factus sit miser, uehementer miserendum, siue admonitu communis sortis, & tanquam exempli cuiusdam aliorũ, siue quod is duriorem experitur miseriam, cui aliquis remanet felicitatis sensus.

Nec expectandũ, dum ingenuè educati necessitates suas exponant, diligenter sunt suboradorandæ, & eis clam succurrendum: quod cum alios permultos fecisse, memoriæ proditum est: tum Arcesilaum, qui puluino dormientis amici & pauperis & ęgri & utrũq; præ uerecundia dissimulantis, grandem auri summam suppposuit, ut experrectus inueniret, quo iuuaretur sine damno uerecundię. uidelicet prouidendum est, ne pudicè ac liberaliter instituti dum beneficio iuuantur, suffundantur pudore, qui illis esse grauior solet, quàm beneficium uel utile, uel gratum.

Iidem illis quibus parœciarũ curã delegauimus, occultas istas necessitates inuestigabunt, & ad Senatum ac locupletes homines perferent tacitis nominibus, quousq; subueniet̃. nam præstabit illis ipsis indigentib. coràm benefieri, tũ ut sciant, quib. sint habituri gratiã, nec ulla sit utrinq; suspicio, tanq; ij per quos sit datũ, aliquid de munere interuerterint, nisi tanta sit egeni dignitas, ut in illud pudoris discrimen adduci non debeat.

Ergo subijciet quispiam: Si his quoq; succurrendum, nullus erit finis dandi? Ecquid potest cogitari beatius, quàm nullum esse benefaciendi modum? Rem atrocem dixisti, putabam te conquesturum, defuturos aliquando, in quos sis misericors. Debes quidem optare aliorum causſa, ne quis sit qui aliena ope indigeat, sed tua, ut nunq; desit tibi materia tanti lucri, quo æterna pro perituris, & ijs quæ uarijs sunt casibus obnoxia, cõmutes.

Hæc quidem uidentur mihi hac occasione rerũ facienda, fortasse non expediet omnia sicut à nobis præscripta sunt, in quaq; ciuitate, & omni tempore seruari. id prudentes ex unoquoq; populo uiderint, & suæ ciuitati pietate patrię rectè cõsulant. finẽ certè & mentẽ & scopũ eundẽ prędstitui, credo q̃d semper & omni loco expediet ac oportebit. Quod si nõ omnia eodẽ cõducet agi tẽpore, quod recepta cõsuetudo fortassis nouationi obstabit, licebit uti arte, & initio faciliora induci. deinceps sensim q̃ difficiliora existimabũt.

DE IIS QVI NOVAS HAS CONSTITVTIONES IMPROBABVNT.

ET quamuis uirtus ipsa pulcherrima sit ex sese, atque expetenda, habet tamen non paucos hostes, qui specie ac probitate illius uehementer offendunt̃, tum quòd moribus ac delicijs ipsorum aspera & infensa est. sic mundus pugnauit semper & pugnabit cum lege Christi, cuius fulgorem tenebræ illæ & uicioſi oculi ferre ac perpeti non possunt. Ita inꝓpposito negocio, etsi quemadmodum quiuis modò non iniquus censor facile iudicabit, eò spectent omnia, ut subueniatur necessitatib. hominũ, subleuent̃ miseri, tamen in tanta humanitate nõ deerunt qui uel calumnient̃ aliquid, uel certè molestè ferant. Quidã em̃ cũ nihil audiũt aliud q̃ tolli pauperes, existimãt pelli eos, clamãt inhumanũ factum,

factū, miseros homines sic eĩci. quasi uero nos expellamus, aut id agamus, ut sint miseriores. nō hæc nostra est mēs, sed ut eximant̃ è miseria, è luctu & calamitate illa sua perpetua, ut habeantur pro hominibus, & digni sint misericordia. Sunt qui uolunt Theologi uideri, idcirco aliquid ex Euāgelio adducūt, nihil interest quā ad rem, prędixisse Christū dominum & Deum nostrū: Pauperes semper habebitis uobiscum. quid iam? num nō etiam prædixit futura scandala? & Paulus, fore hęreses? ne subueniamus igitur pauperibus, nec offendicula uitemus, nec resistamus hęresibus, ne illi mentiti uideant̃: diĳ melior a. Non prædixit Christus pauperes semper nobiscum futuros, quod id ipse uellet: nec scandala euentura, quod ei placerent. Quippe nihil cōmendauit nobis accuratius, quàm auxiliū inopum: & illum execratur, qui offensioni causſam præbuerit. Sed & imbecillitatem nostrā nouerat, qua ad paupertat̃ deuoluimur: & maliciam, qua nos statim lapsum erigimus: sed iacere & contabescere patimur, idcirco pauperes semper nō habituros prę nunciat. eadem causſa de offensionibus & ex hæresibus Paulus, quas ex corrupta hominum natura multis q̄ contemerata uitĳs nascituras sciebat: & tamen eundum obuiā uoluit, quum exorirent̃. ut ad Titum: Potens sit Episcopus doctrina sana, & eos qui contra dicunt arguere. Ergo istis prædictionibus non sic iubet nos Christus agere, sed uidet acturos. Ita & hęc nostra consilia non tollunt pauperes, sed subleuant: nō impediunt, quominus aliquis sit pauper, sed ne diu sit, porrecta ilico manu, ut assurgat. Vellem in totum efficere possemus, ne ulli essent in hac ciuitate pauperes, non metuerem periculū, ne falsum Christus dixisse putaret̃: essent abunde multi in alĳs. Nec solum pauperes sunt qui carent pecunia, sed quicunq̄ uel uiribus corporis, uel sanitate, uel ingenio, & iudicio, sicut à nobis initio operis explicatū est. Adde, quod nec minus dicendus est pauper etiam pecunia, cui uel in hospitali uel in casula sua tenuis uictus suggerit̃, non ipsius uel industria uel opere quęsitus, sed alieno prorsum beneficio. Iam uero utri faciūt inhumanius, qui pauperes in illis suis sordibus, squalore, uitĳs, flagitĳs, impudentia, impudicitia, ignorantia, dementia, calamitate, miseria uolunt computrescere, an qui uiam excogitant, qua eos illinc ereptos ad ciuiliorem & puriorem & sapientiorē uitam traducāt, cum tanto lucro tot hominū inutiliū ac perditorū? Ita q̄ agimus nos, sicut ars medica, quę nō admittit morbos hominum generi, sed quoad eius fieri potest, sanat. Vtinam lex Christi in animis & pectoribus nostris ualeret: utique efficacior esset quàm medicinæ cognitio: perficeret hæc, ne ulli essent inter nos pauperes: sicut nec fuerunt nascente Ecclesia, quemadmodum narratur à Luca in Actis Apostolorum: nec essent scandala, nec hæreses. sed quia prægrauabunt nostra scelera, & homines non tam corde & actionibus uitæ Christianum nomen profitebuntur, quàm ore: idcirco nunquam pauperes, offensiones, hæreses deerunt. Erunt fortasse nonnulli, cuiusmodi in publicis consilĳs esse solent, qui quo habeantur sapientiores, magnam q̄ ex ea opinione autoritatem sibi cōcilient, nihil probant, nisi quod à se sit profectū. Hi male profecto sentiunt non solum de hominibus, sed etiam de Deo ipso, qui uel credunt, uel alĳs uolunt esse persuasum illum in alĳs suis partubus effœtum, in ipsis effudisse uires omnes ingenĳ, iudicĳ, prudentiæ. eiusmodi Iob irridēs, inquit: Ergo uos estis soli homines: & uobiscum morietur sapientia? Equidem haud abnuerim esse aliquos, qui tantum ingenio & dexteritate atque acrimonia quadam iudicĳ ualent, ut cogitando & meditando extundant, quæ fere nullus alius, sed propterea existimare optimū, quod ex te natum: id uero hominis est nimium arrogantis, etiam sicut Terētius dicit, imperiti: Qui nihil nisi quod ipse faciat, recte factum iudicet. Sed duo genera hominū existimo habituros nos infensissima: alterum, ex his ipsis ad quos uniuersus benignitatis huius fructus peruenturus est: alterum, eorum qui administratione pecuniarum submouentur. Sunt enim qui consuefacti sordibus & obscœna illa sua miseria, educi se ex ea ferant ęgerrime, detenti dulcedine quadam inertis desidię, dum agere, laborare, industrios & frugales esse grauius morte ducūt. O dura in his conditio benefaciēdi, quū hominū flagitia beneficiū in iniuriā cōuertant. Quid odiosius, q̄ beneficiū superbe accipere tanq̄ si lędaris, & damnū interpretari? hoc uitiū simillimū est illi Iudæorum, qui autorem uitæ quod benefaceret, iuuaret, sanitatē, salutē, lucē afferret, persecuti sunt morte, & ignominia affecerūt pro effusissima beneficentia in omnes,

quotquot uti uellent. ſed ut illi ſuperbia, arrogantia, ambitione, auaritia immerſi contumeliam arbitrabantur ab his tam ſæuis dominis liberari: ſic iſti ſordibus, pædore, impudentia, deſidia, flagitijs obruti in ſeruitutẽ ſe pertrahi exiſtimant, ſi in meliorem conditionem euehant. Verum Chriſtum ipſum æmulabimur, quem à benefaciendo ingratitudo eorum nõ deterruit, qui accipiebant utilitates. nec conſiderandũ, quid uelit quis accipere, ſed quid debeat: nõ quid ipſi placeat, ſed quid expediat. agnoſcent beneficium quũ redierit melior mens. Tunc dicent: Senatus Brugenſis nos ſeruauit inuitos. quibus ſi indulgeatis & obſecũdetis eorum deſiderijs, ſi quãdo uel ad temporis punctũ oculos ac mentem recipiant, dicent indubie: Senatus nos amando occidit. quod de patre queritur unuſquiſq; filius nimis indulgenter habitus. tum oderunt eos à quibus in perniciem ſuam adiuti ſunt. Sed ne ſit ita. faciamus quod prudentes medici in furentes ęgros, quod ſapientes patres in prauos liberos, ut cõmoda illorum adiuuemus repugnantiũ & reclamantium. Deniq; rectoris Reipub. officiũ eſt, ſollicitũ non eſſe quid unus aut alter aut certe pauci de legibus & adminiſtratione ſentiant, modo totius ciuitatis corpori in cõmune ſit conſultũ. Leges enim etiam malis utiles ſunt, uel ut corrigantur, uel ne diu malefaciant. At uero qui pecunias pauperũ tractabant, eripi ſibi id munus moleſte ferent, uerba grandia, quæ augendę atrocitatis cauſſa cõquiruntur, hæc & eiuſmodi eſſe ſolent: Non eſſe attingenda tot annorum approbatione confirmata, periculoſum eſſe mores nouari, ſtatuta conditorum nõ mutãda, ruitura protinus omnia. Quibus nos opponemus: primùm, quę prauí mores confirmarunt, cur non infirment boni? In illam porro diſputationem deſcendere non audebunt: utrum præſtet, quod nos conamur inducere, an quod ipſi retinere? Iam ſi nihil eſt mutandum, cur ipſi primos à conditoribus relictos mores paulatim adeo immutarunt, ut hos pugnare cum illis appareat? Euoluantur acta, interrogetur ſenum memoria, reperietur quantum hæc adminiſtrandi ratio ab illo diſtet, quæ erat nouo opere, uiuente adhuc conditore, aut paulum antè uita functo. Nos hic eos tenemus medios. Nolumus mutari primam inſtitutionem, non patimur inſtitutoris uoluntatem irritam fieri, quæ in teſtamento omni prima, imo ſola ſpectatur. De prima conſtitutione conſtat ex actis, & memoria multorum. At de uoluntate, quis non uidet uiros illos pecunias & annuos reditus legaſſe, quibus non explerentur diuites, ſed ſuſtentarentur pauperes, oraturi pro anima defuncti, ut à peccatis uitæ ſoluta & pura in ſedes illas cœleſtes à deo recipiatur? Quod ſi multum iſti in contrarium tendant, nimirum manifeſti fient, ſuam ſe rem atq; utilitatem tueri, non pauperum, quum nos pauperum curam ſuſceperimus, & tamen ipſi aduerſantur. quid tandem ſpectant? ſi ſe, auaritiæ conuincuntur, & declarant ſibi illa adminiſtraſſe, non pauperibus. Nec auaricia hæc turpis tantum eſt, ſed pernicioſa & deteſtanda. Nam quum eripere aliquid diuiti crimen ſit, quantum nefas iudicabitur pauperi ſubtrahere? in furto enim diuiti aufertur pecunia, pauperi uita: ſin reſpiciunt pauperes, Senatus uult illis prolixius ſubueniri, an eorum intereſt per quos fiat, modo fiat? & quidem rectiſſime. ſicut de Senatu fidei iam olim perſpectiſſimæ confidendum eſt. Prædicetur Chriſtus, inquit Paulus: quomodo, mea nihil refert, prædicetur modo. At per ſe id uellent fieri, ſi Deum intuentur, uoluntate ſatisfaciunt: ſin homines, ambitio deprehenſa eſt. an etiam queri audebunt, quod uos eorum uel ambitionis, uel auaritiæ miniſtros uos ipſos non præbetis? aut tacite nõ obſequimini? Prætereo cætera, quæ hoc loco poſſent dici, ſi quis eorum per tot annos adminiſtrationẽ excuteret. ſed camarinam hanc non attingam, nec agitabo cœnum iſtud. Neq; uero exiguũ illis erit decus, non reſtituiſſe, non mordicus retinuiſſe creditam & depoſitam apud ſe pecuniam, fauiſſe miſerorum negocio, & ſe adiunxiſſe conſenſui ciuitatis, & tam eſſe amicos publicis decoris, ut illud ſuum quoque priuatum eſſe ducant.

NIHIL DEBERE OBSISTERE QVO MINVS HAEC QVAE diximus, fiant.

MVlta ſunt à gentilibus in omni genere uirtutis, quũ dicta præclare, tum facta grauiter & cum dignitate: ſed nihil tam cõſtanter, tam fortiter, tam imitatione dignũ, quàm

quàm quũ ſic uiſceribus eorum patriæ pietas, & in ciues ſuos charitas affixa hęreret, ut rumores, iniquas interpretationes, maledicta, conuicia ſuorum æquis animis exciperent ac perferrent, nec propter illa uel pilo dimouerentur à ſuſcepto cõſilio patriæ iuuandę, quum ea conſilia ipſi reprehenderent et damnarent, qui potiſsimũ iuuabantur. in hoc numero præcipui ſunt, Miltiades, Themiſtocles, Scipio: ſed inprimis duo, Epaminũdas Thebanus, & Q. Fabius Maximus: Romę, qui quũ Annibalem cerneret nõ ui, ſed mora poſſe frangi, cunctando bellũ trahebat: id ſolũ ad uictoriã ſalutare intelligens. hoc eius factũ multi ocioſi, aut callide pugnaces homines ita criminati ſunt, tanquã uel pactione cum Annibale id ageret: uel ambitione, ut diutius eſſet in imperio & ſummo magiſtratu: uel ignauia & metu, ut tentarint imperiũ Fabio abrogare. certe illi dictatori Minutius Magiſter equitũ iuſſu populi ęquatus eſt. quod nunq̃ fando fuerat auditum. Senex inuictus à calumnia & ſtultitia ſuorũ perſtitit in incœpto, & ſalutem populo ſuo attulit. quem Annibal indubie cepiſſet, niſi artes obſtitiſſent Q. Fabij. Euentus declarauit, quanto uir ille eſſet animo, qua prudentia, quo amore in patriam & ciues, ut confeſſione omniũ celebrati ſint illi de eo uerſiculi uetuſti quidẽ & rudes, ſed magnifici cum primis elogij & præſtantiſsmi:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Nam non ponebat rumores ante ſalutem.
Ergo magis q̃ magis q̃ uiri nunc gloria claret.

Hoc & alij eiuſdem mentis nullo dei reſpectu faciebant, quippe quibus nõ erat Chriſtianus ſol exortus: tantum uel educationem, uel famam, uel decus ſuæ ciuitatis ſequebãtur. Nos quanto ampliora & præſtantiora decet aggredi, unum intuitos Chriſtum: humanis uiribus neglectis, atq̃ adeo contemptis & ipretis, quibus clariſsimus ille ſol illuxit, qui illius doctrina ſumus edocti, quibus cõmendata & iuſſa charitas, tanto ſupplicio, ſi omiſerimus, propoſito: aut prẽmio, ſi erimus executi: hoc futura mercede ampliore, quo maiores moleſtias in Dei gratiã ſubierimus. Non ergo approbandũ modo conſilium hoc, ſed capeſſendũ, exequendũ. neq̃ enim ſatis eſt bene uelle, niſi etiam manus operi admoueas, quum ſe præbet occaſio. Humanis impedimentis non decet eos detineri, quos diuina imperia ſtimulant, & urgent: præſertim quum hæc ſequantur & publice & priuatim utilitates humanæ ac diuinæ.

COMMODA SI HAEC FIANT HVMANA & diuina.

DEcus ciuitatis ingens, in qua nemo uiſetur mẽdicus. Nam iſta mendicorũ frequentia, arguit & in priuatis maliciam ac inhumanitatẽ & in magiſtratibus negligentiã boni publici, furta, flagitia, latrocinia, cædes, capitalia ſcelera deſignabuntur pauciora, rariora lenocinia & ueneficia. quandoquidem mitigabitur inopia, quæ primùm ad uitia & turpes mores, tum ad hæc ſollicitat ac impellit.

Quies maior, ubi erit omnibus proſpectũ: concordia ingens, quum ditiori nõ inuidebit pauperior, quin diliget potius ceu benefactorem: nec ditior tenuiorem auerſabit̃, ut ſuſpectum, imo diliget tanq̃ ſedem beneficij ſui, & debitæ gratiæ. natura enim ſic fert, ut eos amore proſequamur, quos & beneficio. ita gratia gratiam parit.

Tutius & ſalubrius & iucundius erit in templis atq̃ adeo in tota ciuitate uerſari, non paſsim ingeſta oculis ulcerum & morborum illa fœditate, quam natura exhorret, animus etiam maxime humanus ac miſericors.

Nec tenuiores cogentur per importunitatem dare. & ſi quis uolet dare, nec multitudine mendicorum deterrebitur, nec metu ne indigno.

Maximum ciuitatis lucrum, tot ciuibus factis modeſtioribus, ciuilioribus, commodioribus patriæ, quic̃q̃ eam habebunt chariorem, in qua, uel ex qua ſuſtentantur. nec rebus nouis aut ſeditionibus ſtudebunt, tot mulieribus ab impudicitia reuocatis, tot puellis à periculo, tot uetulis à maleficio. Pueri & puellæ literas, religionem, frugalitatem, & uitæ artes docebuntur, quibus probe ac honeſte ac pie uita traducitur. Omnes denique recipient mentem, ſenſum, pietatem. Verſabuntur inter homines educate, ciuiliter humano

humano more puras continebunt manus à flagitijs, recordabuntur Dei uerè ac bona fide. erunt homines, erunt quod nominãtur Christiani. quæso quid aliud est multa hominum millia reddidisse sibijpsis, & acquisiuisse Christo? Iam diuina illa cõmoda: Quod multorũ animi religione liberabuntur, qui quũ uideant, debere se officijs miserationis defungi, non tamen quod iussi sunt præstant: aliàs indignitate petẽtium auersi, aliàs ob multitudinem uoluntate impedita, ac uelut sententijs in diuersum tracta, quo primũ uel potissimum opem ferant, quum ita multos uideant egestate premi, ut ceu desperatione quadam nemini succurrant, quandoquidem intelligunt parum admodum quicquid dederint profuturum, tanquam si magno incendio unam atq; alteram aquę guttulam aspergas. Ergo quib. facultates aderũt libẽtius atq; ideo copiosius largient, læti, quod rebus tam rite sancteq; cõstitutis, bono sint loco beneficiũ posituri, ut simul homines iuuent, simul capessant Christi iussa, magnamq; proinde apud illum gratiam ineant. Nec dubiũ quin ex alijs quoque ciuitatibus, quæ non similem in modum res pauperum suæ curæ fecerint, opulenti complures pecunias huc mittent, ubi scient, solere optimè dispensari, illis'que qui plurimum egeant, subueniri. His adde, quod tam misericordem populum dominus peculiariter tuebitur, ac uerè beatum faciet. Audite, quis populus merito possit beatus dici, non cuiusuis hominis, sed prophetæ testimonio: Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est uanitatem, & dextra eorum dextra iniquitatis: quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. filiæ eorum cõpositæ, circumornatæ, ut similitudo templi. promptuaria eorum plena, eructãtia ex hoc in illud. Oues eorum fœtuosæ abundantes in gressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neq; trãsitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populũ, cui hæc sunt: beatus populus cuius dominus Deus eius. Nec temporalia deerunt commoda exemplo uiduæ quæ Heliæ cibum præbuit. Idem psalmista de ciuitate in qua dominus inhabitat, canit: Viduæ eius benedicens benedicã, pauperes eius saturabo panibus. Et alio loco ad eandem ciuitatem: Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.

Verum omnia superat incrementum mutui amoris, quod fiet communicandis ultrò & citro beneficijs candide ac simpliciter sine suspicione indignitatis. & hinc præmium illud cœleste, quod paratum esse ostendimus eleemosynis, quæ ex charitate proficiscuntur.

IOAN.

FINIS

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE COMMVNIONE RERVM, AD GERMANOS inferiores.

SAPIENTES quidam è gentilitate animaduersis acutè ac diligenter humanis rebus, pronunciarunt uitia in præcipiti, uirtutes in arduo esse sitas. Alij sensu eodem res bonas ferri aduerso flumine, malas autem prono & secundo: ita nos nostra sponte ad uitia prolabi, magna autem brachiorum ui contra amnis cursum reniti. Haud secus quàm qui, ait Vergilius,

Aduerso uix flumine lembum,
Remigio subigit, si brachia forte remittit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.
Sic omnia fatis
In peius ruere, & retro sublapsa referri.

Olim in Germania res pietatis erant ita constitutæ, ut firmæ ac stabiles gratissima quiete perseuerarent: nec quisquã fas esse ducebat de ulla earum rerum quæ receptæ iam essent, ambigere. Inuentus est qui primũ auderet quæ dã in dubium reuocare, initio modice ac uerecũde, mox aperte, nõ solum ut disputaret, sed ut negaret, abrogaret, tolleret, permulta tanta confidentia, quàm si de cœlo & arcanis diuinitatis esset delapsus, aut de calceo uel pallio suendo foret quæstio. ea fenestra aperta, iam non quæ speciem aliquam dubitandi possent præbere, sed quæ per tot annos accepta, & approbata essent ab ecclesia, reiecta sunt, ut falsa, inutilia, noxia.

Ex dissensione opinionũ uentum est ad dissidium uitæ, cœptum est nõ iam amplius linguis & calamis certari, sed hastis, gladijs, bõbardis. Illis uero qui pro ficto quodã libertatis nomine, & æqualitate inferiorum cum superioribus iniquissima bellum mouerant, successerunt, qui non illam modo exequationem, sed cõmunitatem rerum omnium decernãt, postulent, efflagitent. Ad eamq; obtinendam homines supra modum euangelici, quiq; nos pro Christianis nõ habent, sumunt arma, coniurant aduersus magistratus, ut per illorum cædem, & incendia domorum, turbatis ciuitatibus, impetum in bona & fortunas omnium faciant. Quid excogitari potest conformius iussis Christi? Nimirum Dominus noster aut eius Apostoli, si hic inter nos adhuc agerent, nõ aliud præciperent. Profecto uerum est, precipites ferri nos in facinora, et scelera, leuemq; impulsum sufficere ad fœdissimos lapsus.

Sic cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendas,
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Si res hæc nulla rationis agitur specie, sed uiolentia tantum & robore brachiorũ, iam non secta hæc est, sed latrocinium. Quid aliud uel Sparthacus uolebat, qui mouit bellũ seruile? uel Catilina, qui coniurauit aduersus patriam? uel piratæ, qui terras & maria inquietant prædandi gratia? Quid opus est aduersus hos uerbis, aut disputatione? sola ui uis arcetur, armis arma, & dolo dolus comprimitur. Quòd si armantur exercitus aduersus eos qui abegerunt ex agris pecora, & obtriuerunt segetes, quid istis erit faciendum, qui in uisceribus grassantur ciuitatum, nec quenquã esse quietum sinunt? impetunt proceres, & moderatos astu, ui, ferro, incendijs? Qui estis huiusmodi, cogitis principes & magistratus in uos sęuire, nõ satisfacturos alioqui muneri sibi à Deo mandato tuendi suum populum. Minatus est aliquis incensurum se domum quampiam, an non uos ipsi si magistratus essetis ac ciuitatis custodes, noctes & dies aduigilaretis ut illum mactaretis publicæ securitati. Iudicate ipsi de uobis, qui conspiratis in incendium totius urbis. Si fera aliqua, leo puta uel draco, in abdito quopiam ageret ciuitatis loco, unde subinde improuisa prodiens laniaret obuios, quàm teneret ciues omnes sollicitos & intentos, quo ad pernicie illa adeo præsenti & anxia formidine liberi essent?

Vos dies & noctes cõsilia initis crudelissima, quẽadmodũ rapiatis, perdatis, trucidetis, qui

tis,quis mirari posſit tam esſe magiſtratus intentos, ut uos ex ueſtris latebris extrahant, & tam præſenti peſte ciuitatem ſuam expurgent? & ut appareat, quàm uel ridiculam uel indignandam fabulam agatis, dum hæc tantopere nefaria, & non dico à manſuetudine pietatis Chriſtianæ, ſed ab humanitate omni aliena atque abhorrentia, tractatis, agitatis, decernitis, euangelium Chriſti habetis in manibus, & Epiſtolas Apoſtolorum eius. Vide quem ignem ex quo igne accendunt? Dominus ait, Veni, ut ignem mitterem in terram, ecquid uolo aliud, niſi ut ardeat? Iſti faces accendunt, non quibus animos noſtros ſalutari igne inflamment, ſed quibus nefario igne, templa, domos, fortunas omnium. quid poteſt dici congruentius? Non ſum adeo inhumanus, nec tam malè de uobis omnibus ſentio, ut exiſtimem omnes, qui communionem hanc rerum expetunt, ferro & incendijs graſſari uelle. Credo inter eos esſe non paucos moderatiores. Nam in hoc negotio tria hominum genera uerſari arbitror. Præcipui ſunt, & aliorum ductores ac magiſtri, uafri quidam, facinoroſi, impudentes latrones, qui mouere magnam hominum manum poſſe ſperarunt, cupidine tum diuitiarum, tum conſequendi quidquid animo eſſet collibitum. Alterum genus eſt quorundam, qui uel deſidia atque ignauia, uel fortuitis caſibus, uel immoderatis ſumptibus, profuſis patrimonijs, aut laborem defugientes, quo facile parari poſſet uictus, communionem bonorum optant. nec inter hos deſunt, qui mediocri opulentia maiores diuitias expectent, ſi locupletum hominum fortunæ in prædam conceſſerint. Tertij ſunt quos ego non tam praua uoluntate peccare autumo, quàm ignorantia & tarditate mentis, quibus ex quocunque myſticæ ſcripturæ dicto imperitiſsime ac ſtultiſſime intellecto, quiduis perſuaſeris leui opera. quod malum quantum his temporibus, & quàm late damnum attulerit, nemo facile dixerit, præſertim prona credulitate in res uel nouas, uel libidini gratas, & contra eos quos oderant. Itaq; iſti quum audiunt, Charitas omnia reddit communia, in prima illa eccleſia omnia fuiſſe fratribus communia, dominum noſtrum iubere, ut qui habet duas tunicas, det unam non habenti: continuo adducuntur, ut ſtatuant, ita oportere fieri, nec aliter poſſe nos charitati & religioni Chriſtianæ ſatisfacere.

Ex his tribus generibus, primi ſunt non magis ſanabiles, quàm latrones. Secundorũ praua cupiditas cohiberi poteſt facile. Tertij non multum abſunt ab innocentia, in quos competit illud Petri: Scio fratres, quod per ignorantiam feciſtis. Primi relinquuntur poteſtati ciuili, in quam aperte peccant. decernat de illis iuxta receptas leges, qui non ſine cauſſa gladium portat. Quod ſi non temere gladium geſtat aduerſum fures, adulteros, circumuentores, quid contra ſentinam hanc malorum omnium teterrimam & peſtilentiſsimam? Secundorum cupiditas etſi non caret culpa, quamdiu autem eſt ſine aliorum fraude, pœnam non meretur. Lex enim ciuilis in cogitatus & occultas cuiuſq; cupiditines non penetrat: quod eſt unius Dei.

Poſtremi digni ſunt & clementia, & doctrina, qua meliorum moneantur. Iſtis uiſum eſt mihi, quæ dederit ſpiritus domini ſcribere, ut rectius de rebus ſentiant, ſeq; à conſortio ſegregent hominum conſceleratorum, ac facinoroſorum, qui aliud non quærunt, quàm ſocios latrocinij complures. ſperant enim per uires & potentiam multitudinis nacturos ſe impunitatem ſuorum facinorum: quod fruſtra ſperant. Nõ enim nunc primum continget, quod nunquam antea ſit uiſum. & ut præterita omittam, ſumant exprimentum, quàm in irritum omnia ipſorum cadant cõſilia, aduerſante Deo tam nefarijs ac impijs conatibus. Dolẽdum profecto eſſet hoſce innocuos in diſpari cauſſa parem exitum ſortiri cum illis immaniſſimis latronibus.

Itaque iam de quęſtione ipſa cum eis agamus quos ſanari poſſe ſpes eſt aliqua. Cedo, uos cur poſtulatis ut communia ſint omnia? adducitur ſtatim exemplum Apoſtolorum, quòd in eccleſia illa naſcenti & puriſſima, feruente etiam tum in Chriſtianorũ cordibus Chriſti ſanguine, nemo exiſtimabat quicquam eſſe ſuum, ſed omnia illis erant communia, & diſtribuebantur, ut cuiq; erat opus. Rectiſsime id quidem factum. quis neget? & conueniens charitati, ſi probe expendas ſingula. Sed uis ne tu in nomine Chriſtiano quod Chriſto gratia, per uniuerſum terrarũ orbem patet, fieri, quod tum fiebat inter paucos in eadem ciuitate cõgregatos, nempe Hieroſolymis? Num idem poſtea eſt factitatũ

inter

inter Gentes? quid tale uel in Asia, uel in orbe reliquo est factum prędicantibus Ioanne, Paulo, & alijs uel Apostolis, uel eorum discipulis? Paulus non præscribit Timotheo de diuitibus, ut facultates suas cõmunes proponant omnibus, sed sic: Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimiter de se sentire, neque sperare in incerto diuitiarum, &c. Quid, quod nec legimus illud esse Hierosolymis uel iussum, uel prædicatum ab Apostolis, ut fieret, sed recens baptizatos ex ardore ingenti charitatis eò impulsos. Neq; enim à Domino acceperant, apud quem Zachæus publicanus sic de uita sua profitetur. Ecce Domine dimidiũ bonorum meorum do pauperibus: et si quem defraudatus sum, reddo quadruplum. Accipe quid audiat à magistro ueritatis. Non iubet eum omnia in cõmune proponere, sed hac parte satisfactum censens charitati, dicit: Hodie salus huic domui facta est. At dicit idem Dominus alio in loco: Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. & si uis perfectus esse, abi, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & reuersus sequere me. Excutiamus hæc quęso te. censes ne tu eum esse ex illis non habentibus, cui alteram tunicam iubet dari dominus, qui habebat quidem, sed per luxum ac nequitiam profudit: deinde propter desidiam nõ habet, quum labore ac industria parare possit. si uelit non credo te adeo esse stupidum, ut existimes dominum suadere ut benignitate mea alam huius ignauiam & socordiã, non est hic nõ habens, sed nolens. Audi Apostolũ uelut interpretantẽ magistri dictum ad Thessalonicenses: Sunt inter uos quidam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. his autem qui huiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operãtes panem suum manducent: quoniam si quis non uult laborare, nec edat. præcipit omnino Apostolus, ne ijs subueniatur, qui ociosi et desides nolunt sibi panem labore aliquo uel industria quærere. Quod si hic, cum nihil habeat, quia tamen habere nõ uult, pro habente iudicatur, & indigno qui accipiat: quid de illo erit sentiendum qui habet, quantum sat est, plus tamẽ auet, postulat, quærit. Sed expẽdamus ipsa uerba domini, Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. dare audis, non rapere: tu non uis elicere, aut impetrare, sed extorquere, etiam per uim, per incendia, per occidionem. dicitur uero de duabus tunicis, ut det alteram: non iubetur quis communia facere sua omnia, sed dare superflua, retinere necessaria. tu non explorato ac ne considerato quidem, quæ sint cuique necessaria, quæ superflua, petis, rapis omnia. non animaduertis, senex sit an iuuenis, sanus an æger, maritus an cęlebs, onustus liberis an cõtrà, rudis an peritus, tum cuius artis peritus: utrum eius per quam possit quæstum facere, an quæ non sit in precio: filios habeat an filias, nubiles an nondum: quæ domi eius uides, aliena sint an propria, cõmodata an commẽdata, an credita, nihil horum penitus. sed tanquam si lupus esses, aut ursus, uno impetu cæco sine cogitatione, sine cõsideratione irruis, inuadis in eius facultates, & in illam ipsam unam tunicam, quam Dominus ei reseruat: & hoc, ut præ te fers ex immodica tua erga illum charitate. At ex uobis dicunt nonnulli, quod non recte faciunt ultrò, faciant saltem coacti. iuxta illud domini: Cõpelle eos intrare. & Deus permisit, ut Hebræi spoliarent Aegyptios, & eiecit Amorrhæum, & Hiebuzæum, ut introduceret filios Israelis. nullum est tam leue momentum rationis, quod uos alijs in rebus lentissimos, in istis non permoueat, & quocunq; libuerit totos conuertat. An uero potes tu inuitum me & reluctantem pertrahere, ut benefaciam? Num opus ullum esse bonum censes, cui refragatur sententia uoluntatis? Quis adeo est demens, ut, Compelle eos intrare, ad uiolentiam referat, & non potius ad assiduam admonitionem, de qua Paulus aperte ad Timot. Prædica uerbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina. scilicet ingredientur animi, quo corpora contra uoluntatem detruduntur. Non misit dominus suos instructos ijs armis, quę apta sunt ad uim, de qua tu loqueris, nempe hastis, gladijs, balistis, scorpionibus: sed de qua ego loquor, uerbo ueritatis, & ui prodigiorum. Hebræa uero carnalia sunt, nec in lege spiritus habent locum, nisi ad spiritum reducta, alioqui cur non insipidam illam & mortuam quoq; legem recipimus, cum pueribus cæremonijs? Itaque spoliatio Aegyptiorum & eiectio Amorrhæorum ad altiorem sensum pertinet, nempe ad internitionem carnis & uitiorum, quum ad requiem promissam tendimus. Cæterum in ipsa etiam carne, non rapuerunt filij Israelis aurum

& argentum Aegytiorum, ſed impetrarunt, quum Dominus illos gratioſos feciſſet apud Aegyptios, & Aegyptij uexati tantis malis libenter eo precio redemerunt ſe ab ultione Dei Iacob, quem adeo potentem & ſeuerum experiebantur.

Cum Amorrhæis autem & Cananæis noluit Dominus quicquam eſſe commune filijs Iſraelis, ſed propter eorum ſcelera deleuit eos de terra, in quam ex promiſſo introduxit ſobolem Abraæ atque Iſaac.

Illud porrò, Vade & uende omnia quæ habes, non ad communionem ſpectat, ſed ad denudationem ab omnibus, ut expeditus expeditum, nudus nudum Chriſtum ſequeretur uſque ad crucem, & mortem. Nam qui præcipit uendere & diſtribuere, non intelligi uult, ut communes poſsideat opes cum alijs: ſed ne quicquam poſſideat cuius cura à ſequela Chriſti impediatur. quòd ſi in uobis tantus eſt reſpectus charitatis & perfectionis Chriſtianæ, non aliena inuadere, ſed ueſtra diſtribuere deberetis. Quàm egregia & planè feſtiua interpretatio dictorũ Chriſti. ille tibi dicit, Da pauperibus omnia quæ habes: tu conuerſus ad proximũ dicis, Audis ne, quid ille præcipit, ut ego accipiam, quæ habes. tibi uero id præcipitur, ut des, non ut rapias, ac ne ut petas quidem. quid magiſtro charitatis cum petacibus? dare ille docet ex animo, quod eſt charitatis: non petere, quod eſt cuiuſuis etiam nequiſsimi: multo minus rapere, aut extorquere, quod eſt latronis. ideo Paulus ait, & quidem iuxta uerbum Domini, beatius eſſe dare quàm accipere. dare enim ad æterna bona euehit: accipere autem horum eſt terrenorum, quæ momento temporis effluunt.

Dant autẽ libenter nõ niſi optimi: accipiunt uero eo libentius, quo ſunt peiores. Sed reuertamur ad exemplũ Apoſtolorum, quo uos uno maxime cõfiditis, quaſi per omnia ſimiles illorum, quum nihil de priſca illa ſanctitate placeat præter nomina, quibus uos ad deſidiam & luxum & inſolentiam ueſtram abutimini. Nam ſi uetera illa tantopere uobis probantur, cur non illorum fidem imitamini? patientiam, manſuetudinem, clementiam, alacritatem ſpiritus, cur non exhibetis uoſmetipſos omnia omnibus, ut omnes lucrifaciatis? cur non ad prædicandum euangelium, & glorioſam pro Chriſti nomine obeundam mortem in Africam uel Aſiam conceditis. Paulus debitorem ſe omnibus eſſe, profitetur, & laborare manibus: uos alios uultis laborare manibus, & debitores ueſtros eſſe dum in cauponis & ganeis deſidetis. Sed Lucæ uerba hæc ſunt capite quarto Actuum Apoſtolorum: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid dicebat eſſe ſuum: non dicit neminem poſſediſſe quicquam proprium, ſed non dixiſſe. addo etiam pro uobis, nec exiſtimaſſe quicquam proprium. dicere enim in ſacris literis non raro pro ſentire atque exiſtimare uſurpatur. ut, Dixi, Cuſtodiã uias meas. &, Dixit inſipiens in corde ſuo, Nõ eſt Deus. &, Dixi, uadã & affluã delicijs. &, Quũ hęc omnia feceritis, dicite, Serui inutiles ſumus. Sed erant eis omnia communia, uidelicet quod quum nemo exiſtimaret ſe quicquam habere proprium, fiebat, ut uſu & leuatione neceſsitatum omnia fierent omnium: quum quod refert hiſtoria poſſeſſores agrorum argento ex uenditione illorum conflato, poſuiſſe precium ante pedes Apoſtolorum, non colligitur hoc feciſſe omnes, ſed nonnullos. nam de Joſe cognomento Barnaba meminit. nõ erat autem opus exemplo peculiari unius, in quo erant alij pares. Accedit huc, quod id non ex iuſſu cuiuſquã, ſed inſtigatione charitatis fiebat. Nam Petrus capite proximo Ananiam caſtigans, qui de agri precio detraxerat quod occultaret, dixit, Num nõ tuus erat ager, & agri precium tuum, ac penes te? itaque non propter pecuniam quam retinuit, multatus eſt, ſed propter mendacium, quo Deum ſeſe falſurum ſperauerat. Sed pergunt: Charitas omnia reddit communia cùm naturæ legibus (nam amicus cuique, iuxta ſententiam Ariſtotelis, eſt alter ipſe. ideo Pythagoras omnia eſſe amicorum cõmunia aiebat) tum uero lege Dei, quæ potior eſt, quàm natura ipſa. Indubie ſi ego te uere ac plane ex animo diligam, non minus exiſtimabo oportere te meis uti, quàm ſi tua eſſent: uiciſsim tu facies, ſi me ames, tum fiunt communia omnia in amore mutuo, quę amicitia nuncupatur. ſed charitas mea etſi facit tibi mea communia, non tamen facit mihi tua communia. charitas enim mea in me exercet ſuas uires, nõ in te. Salſum uero, ſi quis hac utatur oratione: Amabo mi frater da mihi

da mihi tua omnia,quia amo te.quin potius respõdebit alter,Da tu mihi,si me amas.nã si ego dedero, non id erit signum me amari abs te, sed si accepero. Iam uero charitas facit omnia communia usu quum est opus, non possessione. mater enim locuples, quæ unigenum suum tenerrime amat, non protinus ei possessione cedit bonorum, sed non patitur ei quicquam deesse eorum quibus indiget. Nouum charitatis genus, ex abundantia illius inuadere aliena: & quia tu efflictim me amas, rapere mea me inuito, ut quũ tu nihil habeas, ego multum, efficias ut uice uersa, ego repente nhil habeam, tu omnia, tu hanc charitatem facile approbares piratis, lenonibus, fœneratoribus, aleatoribus, ebriosis, decoctoribus, flagitiosissimo atque impurissimo cuique.

Hæc qui docent, si ita sentiunt, sunt ne homines, an belluæ? si non sentiunt, sed persuasuros se sperant, uel sunt impudentissimi latrones, uel ad quos loquuntur, non habent pro hominibus. Tu si ueram germanam que habes charitatem, ede tum in te ipso, tum in alijs actiones atque opera charitatis. In te sunt ea quæ D. Paulus recenset in epistola ad Corinthios priore: Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non intumescit, non est indecora, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non accipit in malam partem, non gaudet de iniquitate, congratulatur autem iusticiæ: omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia perfert. Erga alios autem exercet charitas, ut quacunque uales adiuues & prosis in animo, in corpore, in fortunis, uoto, uerbo, opere, per te, per alios quoscunq;, quoad eius possis præstare. Optare quidem debes, ut omnes ab spiritu domini regantur, & charitas Dei ualeat in eorum pectoribus. Iudicare autem de cuiusquam animo, nõ est tuum. quis es tu qui iudicas seruum alienum? domino suo stat, aut cadit. Quid agit quisque, quid dat, quid retinet, quid possidet, uis tu scrutari, & ex iniquitate iudicij tui statuere? magnum hoc est argumentum, non duci te charitate, sed inuidentia, temeritate, & prauis cupiditatibus. charitas enim omnia suffert, ut modo dicebam, omnia bona credit de dilecto, omnia sustinet, omnia sperat. Ostensum est communionem hanc nulla esse lege iussam. cõsequens est, ut doceamus ne posse quidem fieri, etiam si maxime expediret. Et quia res ingenti claditur ignorantia, examinemus paulo diligentius singula. Nam isti si quid dicatur, animaduerterent atq; intelligerent, non dubito quin permulti eorum in nostrã sententiam transirent. Vultis esse communia omnia. Taceamus de statu illo hominis inculpato, quem innocentiæ uocant: loquamur de hac nostra natura procliui ad uitium, & mala omnia. Sunt quædam naturæ ita communia, ut propria non possint effici, cuiusmodi cœlum, sidera, & hic aer spirabilis. Sunt alia communia, quæ occupatione fiunt propria, ut piscis in alto captus, & auis telo deiecta. Sunt alia legibus & iure ciuili communia, ut agri uacui, qui fiunt occupãtis: & in theatro uel templo, quem quisq; locũ ceperit, eius fit ad tẽpus. Iam sunt quædam usu communia, alia possessione, quæ propter usum est parata. nam si usum omnino detrahas possessioni, res est inanis prorsum, & umbra sine corpore. Porro omnia iubes esse cõmunia: Latum uerbũ Omnia, & plane stolidæ cuiusdam temeritatis: ea enim nemo ualeat determinare, nec ubi tandem consistat, nosse. Dixerit fortasse inter istos paulo cordatior quispiam, Omnia quæ sunt humani usus, percurramus per hęc ipsa. Habet homo animam, corpus, externa.

Vis in animo uirtutem esse communem, uis acumen, scientiam, usum rerum, prudentiam, iudicium, memoriam? Vis in corpore robur, ualetudinem, formam, integritatem, acumen sensuum, ætatem? Hæc cuique sunt propria, non potes communicare alijs. Restant externa. quæ tandem ista sunt omnia, quæ postulas fieri communia? ego sum studiosus, tu miles: hoccine uidetur tibi æquum, ut libri mei sint communes tibi? mihi uero tua arma? placet dare puero, quæ sunt senum in uictu, in uestitu, in cultu? senibus uicissim quæ puerorum? ægris quæ sanorum? & è contrario, nihil fuerit ineptius ac peruersius. onera sunt ista, non utilitates. his accedunt, quod alij sunt heri, alij famuli. Placet ne omnes uel heros fieri, uel ministros? quis unquam sanctorum uocauit seruos ad pileum, & mouit bellum seruile. Censen tu omnes debere esse magistratus, aut contrà, omnes esse priuatos? lex Christi & famulos & dominos & magistratus & priua-

tos diſtinguit. Non confundit ordinem ille, cuius opera omnia ordine & præſcriptione perſiſtunt, tantum animos format ad manſuetudinem, clementiam, humanitatem, & obſequium. quod multis locis Apoſtoli teſtantur. Dominus enim noſter, qui dixit, Qui primus erit inter uos, gerat ſe ut poſtremum: nō primatum abrogauit, ſed aperte conſtituit: uerùm moderatum, & modeſtum, ea mente quaſi eſſet poſtremus. An non Petrum paſcendis ouibus ſuis præfecit? & Paulus poteſtati ſuperiori obſequentes nos eſſe iubet? Qualis autem relinqueretur ſpecies reipublicæ, in qua nemo eſſet rector aliorum & præſes? quale corpus foret ſine capite? qualis nauis ſine clauo, & gubernatore? qualis homo ſine mente? quid inæqualius illa æqualitate? At uxores uidelicet erunt communes. quid eſſet cauſſa maiorum malorum? pater filio in hoc non concederet, nec filius patri, niſi forte inter pecudes. Vnum ex omni hominum memoria refertur exemplum Seleuci Syriæ regis, qui filio Antiocho, quem tenerrime diligeret, quod amore nouercæ captus contabeſceret, & in diſcrimen ueniſſet uitæ, uxorem ceſsit: quod in paterna indulgentia primum ponitur. Paulus tradidit illum Satanæ, qui uxorem accepiſſet uiduam patris ſui. & Solomon ſtultum excordemq; illum pronunciat, qui cum adultera uxore habitet.

Plato, qui in ſua republica auſus eſt de cōmunicandis uxoribus diſputare, exploſus, eiectus, exibilatus, irriſus eſt, non à Chriſtianis modo, uerumetiam ab ipſis philoſophis Gentilibus. Sed quid opus eſt hac de re uerba inter nos facere? quorū Deus & Dominus adulterij damnat non ſolū illum, qui uxorem alienā impudice attrectarit, ſed qui uel concupiſcens aſpexerit. nimirum pater eius dixerat, Ne concupieris uxorem proximi tui. Honorem credo & decus cōmune facies, ut non minus homo ſceleratiſsimus accipiat et ſtupidiſsimus q; probiſſimus & ſapientiſsimus. ut accipiat quidē, nullo negocio perficies: ſed ut deē, reclamabūt ſuperi, & inferi, & parietes ipſi. His rebus omnib. detractis quid fit reliqui? opes, quibus quiſque eget. Quid petis? ut egeno ſuccurratur. æquum eſt, non te utique extorquere, ſed unumquemque facere, ut qui eget accipiat. eget uero, qui non habet, nec parare poteſt uel per ætatem, uel per imbecillitatem, aut inſcitiam: non qui abliguriuit omnia, poſtea impudenter petit, imo efflagitat tanquam ſuum fucus ocioſus, alienæ induſtriæ inſidians. In opibus ſunt domus, harum autem & rei familiaris communitas nulla eſſe poteſt in tanta uarietate ingeniorum. Eſt alius natura ſolitarius & taciturnus, alius ex caſu quopiam mœret, aut luget: alius languet, aut ægrotat. Sunt ſenes inualidi, & ſenio graues, ſunt occupati magni momenti cogitationibus, ut de collocanda filia, de ſumma belli, de re familiari aut publica. Verſatur quis in ſtudijs literarū, contemplatur humana aut diuina, orat cum intentione pietatis, uis tu in ſecretum iſtorum irrumpere? & captantem quietem ac ſilentium interpellare? ne domeſticus quidem, aut coniunx, uel filius gratus eſſe poſſes per id temporis, quanto minus hoſpes aut ciuis alienus, & ignotus. Etiam caupones, & qui in diuerſoria omne genus hoſpitum ad ſe uocant, & recipiunt, habent ſibi & familię ſuæ cœnacula, & conclauia ſeparata, ad quæ non admittuntur hoſpites. Quàm multi ſunt etiam in ciuitate, quos etſi non odimus, eorum tamen uſus & conſuetudo eſt nobis odioſa. hæc tanta importunitas non aleret profecto concordiam, ſed magna in cuiuſque pectore odia & ſimultates. Apoſtoli & Dominus noſter fons totius charitatis etiā ſine foco & lare ſubducit nihilominus ſe non raro à turba, quandoq; etiā ab ipſis diſcipulis in montem, in locum deſertum ac ſolitarium: nimirum incurrunt tempora alijs maiora & plura, alijs minora & pauciora, ut eſt cuiuſque ingenium & mores, in quibus omnino uelimus eſſe noſtri, & quaſi intra noſmetipſos ſecedere. nec quicquam contigerit grauius & moleſtius, q; altum illud ſilentium interrumpi. Prætereo neceſsitates corporis, dormire, quieſcere, leuare ueſicam, purgare aluum, pedes abluere. Tu ergo dum alter captabit ſomnum, cantabis, ſi uidebitur, aut ſaltabis. Sed plerique iſtorum aſſueti dies & noctes in cauponis & ganeis & luſtris agere, ſeu uerius habitare inter ſtrepitus & clamores abſonos, nec ſilentium & quietudinem uel ſentiunt ullam, uel requirunt, nec corporis purgamenta ritu pecorum alijs præſentibus uerentur reddere. Iam definias uſum ſupellectilis:

ſumis

ſumis tu ueſtem meam, aut poculũ quo ego nunc nõ egeo, intra horam egebo: non refe-
res niſi poſtridie. quæ communio eſt hæc, ut cuius res ſit, non poſsit uti, quum uelit. al-
ter autem quamdiu, uelit utatur. Hoccine eſt concordiam & amorem mutuum gigne-
re, conſeruare, augere? imo eſt totius amoris uenenũ, qui manſuetudine, bonitate, com-
moditate morum procreatur. nec eſt ullus, qui tantam importunitatem non auerſetur,
& oderit. Quid de pecunia, ſi tu quantum tibi ſat eſt habes, qua fronte à me poſtulas
meum? an ut & tu abundes? atqui iſtuc eſt quod tu in me damnas. Quis uero uidere
poterit æquis oculis, quod ſolertia, labore, aſsiduitate, parſimonia collegit, ocioſis ſe
inuito diſtribui, & induſtriam ſuam alienæ ignauiæ deſudaſſe? Accenditur in ſimi-
litudine artium atque officiorum inuidia: & extincta erit, ſi tu indignus poſsideas id
quod ego bonis artibus quæſiui. Si ultro ipſe dedero, facile patiar: ſin cogar, quis du-
bitet, quin futurum id ſit animo meo intolerabile. uult enim quiſque ad ſuum, non ad
alienum arbitrium, & amare & benignus eſſe, ac beneficus. Coges ne tu me ſine ſum-
ma mea indignatione, ut opus ſi libens fecero pulcherrimum, faciam inuitus? quis non
hanc ſeruitutem eſſe cenſeat, ut recte facere non in mea ſit manu, ſed in tua, qui me com-
pellis?

Tolle ab hominibus hos animorum motus, qui affectus dicuntur: fortaſſe commu-
nionem rerum perfeceris. finge nouos quoſdam homines, & rempublicã Platonis non
ſolum à Philoſophis deriſam, ſed à natura ipſa rerum rerum eiectam. nam in his homini
bus, & his affectibus, non communionem introduces, ſed odia, diſſenſiones, rixas, iur-
gia, pugnas, bella. Natura enim noſtra aſpernatur eam, reclamat, repellit. Quippe res hu-
manas omnes cõdidit Deus propter uſus hominũ. uſum neceſsitas peperit. regit autem
ingenium, & ſcientia utendi, tanquam gubernator nauem.

Quod ſi nec omnibus eadem eſt neceſsitas, nec eadem ſcientia utendi, quæ ratio eſt,
ut uſus ſit idem? belluis omnia ſunt ſemper communia, quod nec egent niſi ad præſen-
tem paſtum, nec peritiam acceperunt uariæ utilitatis. Humano generi ingenium tam
uarium, diuerſum, multiforme, aperte teſtificatur non poſſe ullo pacto eundem eſſe re-
rum uſum. Iuſtitia & ſapientia opus eſt ad regendos populos ac cœtus hominum. il-
las qui habet, aptiſsimus eſt rector. uis tu magiſtratum illi eſſe communem cum puero
imprudenti, cum lenone impuriſsimo, cum pirata uel gladiatore crudeliſsimo? nec pu
tabis intereſſe quem præficias tuæ ciuitati, optimum, prudentiſsimũ uirum, callidum
uſu rerum atque experimentis, an perditiſsimum, nequiſsimum, flagitioſiſsimum?
Eſt opus conſilio, nihil putabis diſtare, referas ad hominem cordatiſsimum an excor-
dem? conſeruanda eſt pecunia. nihil differet, commendetur homini frugi, ac bonæ fidei,
an luxurioſo decoctori? nihil referet de agris homini diligenti, & induſtrio, an ſegni &
otioſo? tradas curandam rem familiarem parco, & frugi, an ebrioſo, aut nequam, ſine ul-
la mente & cura? Non poteſt exercitium rerum eſſe idem, ubi exercendi ars eſt diuerſiſ-
ſima. Autor uniuerſi mundi, qui tantum diſcrimen inter homines poſuit, non potuit
manifeſtius nos docere, non minus diſcrimen oportere eſſe in poſsidendo, ac utendo.
Sed taceamus de mente, in quam homines iſti ſine mente non penetrant. Aperi pauli-
ſper oculos, ſi ſinit crapula. uides ne alios pueros, alios iuuenes, ſenes, uiros, fœminas,
fortes, imbecillos, ſanos, ægros, proceros, puſillos. hæc tua eſt ſententia, res tam diffe-
rentes eadem menſura metiri, idem bouí dare quod aſino: tantundem equo, quantum
elephanto: ſic ueſtiri piſcem, ut ſimiam. Impetra nouam rerum naturam à Deo, tunc
forſan & communionem hanc aſſequeris rerum quam animo confingis, & Meſsiam
quem expectas. de qua impietate nefandiſsima nihil loquar in præſentia: erit aliud di-
cendi tempus. Vide iam quantopere natura huic tuo uoto ne dicam, an libidini, an
commento, repugnet: fac ut ſeu ui & potentia principis alicuius, ſeu ingentis exerci-
tus armati omnia ad æqualitatem & communionem redigantur. non poterit ea æqua-
litas biduum totum perſeuerare. Alij quod acceperint, potando, ludendo, ſcortando,
uictu lauto & ueſtitu profundent, & minus ſtatim poſsidebunt. alij labore ac ſolertia
quærent, ut plus habeant. quod expenſum fuerit, uel diſsimulabit modeſtus, uel teme-

rarius & ferox repoſcet.qui parauerit,dare recuſabit. Inde rixæ & pugnæ inter omnes. De præeminentia ſcilicet nulla erit contentio, quum in communitate illa unuſquiſq; & alteri parere dedignabitur,& poſtulabit aliorum obſequium.

Quòd ſi nunc urgente neceſsitate & admouente tantas faces egeſtatis, tam multi inueniuntur ſegnes,& qui mori malint,quàm manum admouere operi, quid futurum censemus æqualitate rerum omnium & communione indicta? uel hæc ſola recuſatio laborũ aut ad inopiam rerum omnium nos redigeret, dum nemo arare uellet, aut fodere, aut ædificare. uel certe bellum atrociſsimum excitaret, ut uictores cogerent uictos laborare, in quo rurſum inęqualitas maior & iniquior multo, quàm prius. Quid loquar de dignitate, de honore, quid de principatu? tolle hodie conſules, ſenatum, principem. pro duodecim ſublatis ſenatoribus exiſtent cras duodecies millia, pro duobus conſulibus duo millia, pro uno principe mille. quorum quiſq; ſæuiorem exerceat tyrannidem in ſuam multitudinem, quàm quilibet ex iis quos uos ſæuiſſimos & importuniſsimos eſſe ducitis, quod per eorum conſilia non licet uobis orbem terrarum cæde atque incendiis miſcere.Sed quale tãdem ſit ſiue placitũ,ſiue inſtitutũ hoc, ſiue ut aptius loquar,latrocinĩ ex iis qui id tantis animis, & tam immaniter ac ſceleroſe cupiunt, procurant, qui ſe duces, autores, ſuaſores, impulſores, magiſtros præbent.quibus maxime conducit, facile fuerit abſq; ullis argumentis perſpicere.A fructibus eorum, inquit Dominus, cognoſcetis eos. Boni & moderati homines,quacunque ſecta, quacunque opinione de pietate ac moribus quieti agunt ſemper modici,moderati,contenti ſuo quamlibet paruo, frugi, laborioſi,diligentes.

Et iam indigentiam rerum omnium & inopiam extremam facilius ac libentius tulerint,quàm ut ſubuentum ſibi cupiant,per iniuriam alienã.malunt fame & egeſtate contabeſcere,quàm interturbare pacem & quietem cuiuſquam. A ſeditione autem non aliter abhorrent,atque à ſentina & origine malorum omnium, in qua nihil eſt tutum, nihil relinquitur incontaminatum, omnia profanantur & uiolantur. At iſti egregij duces & ſigniferi nihil aliud poſtulant,quàm ſeditionem,cædem,incendia,confuſionem,& permiſtionem cunctarum rerum.Sunt homines imperiti, ſine ullo iudicio prorſum & corde.hoc primum quale eſt ad recte iudicãdum tantis de rebus, & ad innouandum orbem terrarum? nulla ſe exercent bona arte, eorum plerique opifices ſunt, ſed ſegnes, & quibus laborare inſtar mortis, affixi ſemper ſcamnis cauponarum & lupanarium. QVID aliud iſti poſt decocta patrimonia egentes atque inopes cupiant, quid aliud ſibi cenſeant conducere, quàm rerum uniuerſarum confuſionem quandam, ad alendam ſuam ſegniciem, & libidinem? quod ſcelus capitale reformident homines perditis & deſperatis uitæ rationibus? mors parata eſt egeſtati.malunt perire maius aliquid auſi iuxta prouerbium quorundam, diues aut ſuſpenſus. qualis tandem exiſtimanda eſt lex, quæ magis fauet improbiſsimis quàm,pbis,utilior eſt impuriſsimis et turbulentiſsimis,quàm moderatis & quietis. Adiunxerunt ſe his milites,oleum camino. ò quales autores pietatis,qui animas ternis aureis ſcutatis in ſingulos menſes uenales circumferunt, & bõbardæ globo pectus opponunt,hi ſcilicet ſpe maximarum prædarum inuerti & confundi omnia recuſabũt? homines probi et moderati nihil uolent partũ ſibi niſi iuſte ac legitime.& qui propter exiguam pecuniolã in bello, extra bellum, in agro, in urbe, propter ſymbolum autem in caupona,non dubitabit fratrem ſuum enſe transfodere, hic erit mihi magiſter pietatis aduerſus leges patrias, aduerſus fidem principi & patriæ debitam, aduerſus recepta à patribus Eccleſiæ, aduerſus iura omnia & humana & diuina.ò miſeros, quibus huiuſmodi homines ſatis magnum habent pondus autoritatis, ut eos in re qua nulla eſt maior, ſeducant, & quidem ſpecie religionis & ex Dei iuſsis. Non eſt nouum, perditos & conſceleratos homines ſeditiones & bella concitare, ut egeſtati ſuæ remedium quærant, quacunque poſsint. Fecit hoc L. Catilina, fecerunt ſerui aliquot, quorum erat prætextus pulchrior pro libertate: ſed auſum eſſe quenquam religionem deorum immortalium ſuis facinoribus obtendere, nouum eſt omnino atq; inuſitatum. Ac ut manifeſtior ſit inſolentiſſima uæcordia, charitatis titulum crudelitati & latrocinio præſcribunt.hoc uero non ſatis poſſint indignari,quibus iſti periculum creant,ſecuri

curi autem non satis ridere. Noui apostoli, sed ab illis ueteribus toto cœlo & solo differentes: illi ceruices suas offerebant pro Christo: isti alienas impetunt pro gula sua & libidine. illi si quis quæ haberent cepisset, nõ repetebant. fertis, inquit Apostolus, si quis uos cædit, si quis expoliat, isti raptum eunt aliena. illi magistratibus & principibus obtemperantes propter deum suum Christum: hi magistratibus & principibus insidiantur propter deum suum uentrem. In quo ergo conueniunt? in eo quod hi apostolos se nuncupant, ut illi, quasi ad nomen statim res consequatur, & euangelium circumferunt in sinu etiam quum scortantur, quum adulterantur, quum ebrij uomunt, quum iugulant fratrem suũ unius floreni gratia. Equidem iam pridem nihil sum adeo admiratus, quàm potuisse in humano genere inueniri, non unum aut alterum, sed aliquot millia, qui in tantis rebus tam leuiter caperentur. nec habuisse tantillum mentis, ut quàm stultum esset in ratione quod illi attulissent, perspicerent, quàm impium in religione, quàm scleratum in uita. Vos ne si essetis homines, uel ausi fuissent illi de re tam impudenti uerba facere, uel tertium illorum uerbum taciti ac patientes pertulissetis? non estis profecto homines, nec uos esse facile intellexerunt illi, à quibus estis turpissime decepti. Sed estis uos & naturæ munere perparum nacti mentis, nec illam usu, exercitio, diligentia excoluistis: imo si quid habebatis paululum, illud ocio, desidia, ingluuie, libidine obruistis, atque extinxistis funditus. denique hominis plerique uestrum habent prorsum nihil, nisi formam, uultis tamen de altissimis & reconditissimis rebus disputare, censere, decernere, uel decementibus fidem illico accommodare. In iudicio aliarũ rerum in uita omni cunctabundi seu tardi potius: in hac una quæ est omnium prima, maxima, grauissima, celeres ac præcipitati. Sed sit hactenus siue ruditate, siue tarditate, siue temeritate peccatum. Reliquum est fratres, iuxta consilium Apostolorum, ut segregemini à genere hoc prauo, nec ducatis iugum cum peccatoribus, ne uos iusta dei ultio cum illis inuoluat. Nec illi certe si quod auertat deus, forent superiores, magis uobis parceret, quàm alijs: sed ubi alios omnes spoliassent, afflixissent, occidissent, in uos & uxores uestras & liberos uestros rabiem sui latrocinij conuerterent. quòd nunc non palàm agant, causa est, quòd sicuti est in ueteri dicto, coniungunt homines mala. foris habent satis negocij, quo occupentur: eo si essent perfuncti, sentiretis non esse magis pios, nec magis abstinentes erga uos, quàm in reliquos. omnia uestra bona, fortunæ, possessiones, uxores, liberi, libertas, sacra & profana concederent in ius & libidinem non meliorum, sed potentiorum etiam regnum, & tyrannis teterrima, atque acerbissima, & latrocinium publicum impunitum receptum pro lege per uim atque arma. Vos autem fratres relictis his sanguinarijs atque incendiarijs latronibus, redite ad ueros duces ac magistros tum pie uiuendi, tum recte sapiendi Christum atque eius apostolos. qui nos omnes ad mansuetudinem, ad patientiam, ad charitatem adhortantur, uocant, inuitant, ut sine inuidia aliorum acquiescentes, rebus quisque proprijs, quamlibet exiguis & difficilibus, sobrie, diligenter, industrie quærat uictum non diu necessarium, sed ad peragendum iter hoc uitę breuissimũ in omni sanctitate atq; innocentia, quæ uia est ad æterna illa bona certissima: cætera, quæ sunt dissidij, contentionis, si multatum, belli, non dei sunt, qui autor est pacis totius, & concordiæ: sed diaboli, qui sedulus quacunque per uniuersam hominum gentem potest, inimicitiarum & & discordiæ fortissima semina spargit, ac fouet, hanc autem dei uiam quietis, moderationis, modestiæ, sobrietatis, pacis experiemini dulcissimam, aptissimam, & huic uitæ tranquillissimam degendæ, & ad alteram illam consequendam sempiternam, cui conditi sumus.

Brugis, M.D.XXXV.

IOANNES LODOVICVS VIVES D. IOANNI EPISCOPO LINCOLNIENSI, à confessionibus inclyti Britanniæ regis. S.

AVDIO pacificatorias aliquot legationes ultro citróque inter principes missas ac remissas: quod responsi ferant, ignorari. Mihi uero bellum hoc nec humanis uiribus excitatum, nec hominum uoluntatibus uidetur geri. Galli nihil magis cupiũt, quàm pacem. uos à bello abhorretis. Cęsar quietem exoptat, & à tot bellum auersantibus, bellum trahitur. pacem desiderant, nec usquam est illam reperire. Quis non uideat, esse uoluntatem aliquam, quæ humana plus possit, polleat́que cuius imperijs hæc agantur: quum pax inueniri non queat, quærentibus eam ijs, in quorum manu uidetur residere: quum uotis exoptant, quos nos præstare posse credimus. Non inter se belligeratur hominum genus, sed cum Christo. ideo pace indignum est. Non est pax impijs, non est concordia superbis, solus bonus bono amicus est: malus nec bono amicus est, nec malo. Ferunt paci orbis propemodum aliud non obstare, quàm quod neutra pars uult eam prior petere. Quid potest arrogantius, aut superbius dici, quàm hoc, uere ex diaboli schola? qui propterea sempiternus erit hostis Deo, quod ut ueniam petat, nunquam animum inducet. Quanta est ueri ignorantia? Si quis res ipsas acutius perspiceret, intelligeret nihil esse magnificentius, nihil amplius, honoratius, excelsius, quàm ultro & priorem uenire ad petendam pacem. Quid enim est aliud, Faciamus pacem: quàm, reprimamus cædes, depellamus latrocinia, constituamus concordiam, reducamus & confirmemus humano generi commercia, religionem, literas, disciplinas, tranquillitatem, securitatem, gaudia, mundo nouam quandam & hilarem faciem: discutiamus tristitiam orbis: uiuant boni, & uigeant: malorum uero & conscelcratorum hominum coherceatur audacia? Hoc qui prior dicat, qui alterum ad auxilium tantæ & tam præclaræ rei aduocet, non uideo cur inhonoratior habendus esset: si non inimicus homo superseminasset zizania, & ueras rerum naturas corrupisset, ac pro solidis ac germanis uirtutibus laudibusq́, deprauatissimas opiniones humanis mentibus ingessisset. Narrant Hispani nautæ, esse in nouo isto Orbe, quem repererunt, insulas quasdam, inter quas si bellum incidat, honestissimus & sit, & habeatur, qui pacem ab hoste roget: alterum scelestum, et omnibus in commune hostem, qui rogatam neget. & indignissime eos ferre, quorum hostes in postulanda pace ipsos anteuerterint, officio pulcerhrimo, ad illorum sententiam, atque amplissimo. Quid nobis literæ? quid humanitas prodest? quid tot artes uitæ? tanta educatio? quid magisterium Dei omnipotentis? cum inter hæc tam admirabilia corruptissima geramus naturæ iudicia. Illi rudes & Barbari populi, citra literas, citra cultum omnem, & pietatem, ueras sanaśque opiniones à recta & pura natura edocti sunt. Verum nostra hæc mala inuexerunt duo inexhausta uicia, illis hominibus incognita, ambitio & auaritia. quæ ad summum profecta, efficiunt, ut nihil ulli sufficiat, quum aliquid semper desit altissimo gurgiti cupiditatis. Itaque nec nos illæ opes iam capiunt, nec ulli honores explent. Animalcula, quibus & in alimenta uiuentium, & in sepulturam mortuorum dimidium agri iugerum sufficit: cogitatione per terras omnes ac maria circunuagamur, omnia turbantes, concutientes omnia, dum animi libidinibus obsequimur: nec nos fragilitatis nostræ, & quorsum euasuri simus, uel quotidie cadentium numerus, uel ipsi corporum nostrorum morbi admonent. Quis non ceu monstrum detestetur, in tanta naturæ infirmitate tantam inesse ferocitatis ac maliciæ firmitatem? Geramus bellum, & uincamus Turcæ, deuoraturo & uictum accisum, & uictorem lassum. Sic minorum animalium pugnas aquila dirimit, ut utrunq́ absumat. Si natura cõstitutum esset, ut isti corpusculo non nisi magna terrarum & maris spacia possent satisfacere: illa esset forsitan culpanda, si nostri tuendi caussa, hos tum ultus longe & latè excitaremus. nũc saccu

lus

lus iſte anguſtus,tam exiguis rebus non plenus modo,ſed etiam redundans,tam cito pe riturus, quantas mouet tragœdias? Prouidentiſſima natura, quæ ut nemo homini ho mo noceret, corpora nobis tribuit pauciſſimis explebilia: quo fraudes atque iniurias mutuas iuſtius tanquam noſtro ipſorum teſtimonio condemnaret, & ſcelera nobis eſſe unis imputanda conuinceret. Cæterùm nos obliti naturæ,obliti Dei,in mutuum exi tium concurrimus. Hæc quotidie audimus, ſed rimoſis auribus: quotidie cogitamus, ſed fluxa mente.eó que uitiorum uentum eſt,ut iam & morbos pro ſanitate complecta mur:remediá que rideamus, tanquam ſenum delirantium inuenta. Verùm hanc aſtutam & inſipidam ſapientiam,Dominus oſtendet eſſe meram inſaniam: & palàm, in illo ſuo die, quum iuſtitia conuertetur in iudicium:& occultius aliquanto, quum unuſquiſque hoc corporis inuolucro ſolutus,ſiſtetur tribunali ſuo,iudicis iuſti et ſeueri. Quin etiam in hac uita interrogetur ſeorſum reputatio cuiuſuis horum, qui magna arrogantia profi tentur humanam ſapientiam:qualis ſapientia ſit,noctes et dies odio,inuidentia,tumore, elatione animi,iracundia,fraudibus, impoſturis,terrore agitari,lacerari,diſtorqueri:ne que diurna pace, neque quiete nocturna perfrui. Hæc uidelicet eſt ſapientia hominum, hæc magnitudo, per alienam perniciem miſerum eſſe. Huc uſque prouectus ſum iuſto dolore, ob mala ætatis huius, quum Chriſtiana gens eiecto reſpectu omni charitatis Euangelicæ, & Chriſti ſui immemor, uiribus ſuis ad ſe perdendum abutitur. nec un quam ipſa in apertius aut maius ſeſe adduxit diſcrimen, imminente occaſioni ſuæ hoſte potentiſſimo abalienato Chriſto à tam fœdo & deſertore populo: qui relictis eius ſan ctiſſimis ſignis, aduitiorum omnium & idololatriæ caſtra perfugit, translato Dei ho nore ad homines & metalla.ut qui accuratius tractamus,quę ſunt mortalium hominum quàm quæ dei, uiuentis in ſecula ſeculorum. Idcirco ita uiuimus, & agimus,uelut filij abdicati,ut repulſi à tutela & cura Dei uideamur, dimiſſi noſtræ ſtultitiæ: cuius unius opera ſunt clades,& ruina, & miſeria omnis Europæ totius. At inter hæc, labijs Deum pacis honoramus: quum corda infecta ſint hoſtili inter nos & cruento odio, non Prin cipes modo, ſed priuati etiam, qui maximam et arctiſſimam amicitiam prę ſe oſtentant: ut nunc uerius, quàm ætate ulla alia, dici poſſit, OMNIS HOMO MENDAX. Nec ad homines ſolum, quod utique ferendum eſſet, aliud gerimus ore apertum (ſicut inquit ille)aliud clauſum pectore: ſed erga Deum quoque, nefaria obliuione, non reputantes illum cogitatus noſtros acutius inſpicere,quàm nos ipſos. Loquimur tanquam filij dei, uiuimus tanquam eius hoſtes. Sed finem faciam,præſertim apud te,qui hæc neque igno ras,& correcta uelles. Vtinam melioribus monitis non tanta eſſet obiecta ſcelerum no ſtrorum moles. De coniugio meo aliàs ad te ſcripſi. Ricardus Patus,ſororis tuæ filius, & Antonius Barcherus,cliens tuus,mira alacritate in ſtudiorum ſtadio de currunt.nihil illis opus uel incitatoribus,uel frigida, quod ſcio multo tibi gratiſſi mum eſſe.

VALE MI PATER.

Octauo die Iulij. 1524. Brugis.

DE EV

DE EVROPAE STATV AC TVMVLTIBVS IOANN. LODOVICVS VIVES ADRIANO VI. Pontifici Maximo S.

BEATISSIME Papa, & uicarie Dei omnipotentis, deterruit me ratio negociorum tuorum, ne quid, exquo auditum est te Pontificem Maximum esse designatum, ad te scripserim. Nam inter tot gratulantium epistolas, & uoces, nullum putaui literis meis locum futurum. Nunc tandem remisso illo animorum feruore, qui nouis magistratibus atque honoribus solet excitari, maturum mihi uisum est pauca uerba Sanctitati tuæ scribere, iam principi Sacerdotum, & pietatis Christianæ: qui ad Decanum Louaniensem scripsi, qui ad Episcopum Dertusensem. Neq; enim dignitate moueor, tametsi in terris summa ac præstātissima: quam tamen indignis quoq; contigisse hominib. scimus omnes. Vir optimus uenerabilem reddit optimum honorem: & tum demum prosequuntur homines iusta reuerentia dignitatem, quum in illo esse uident, quem etiam priuatum suspicerent & adorarent. Rident, qui sceleſtum hominem, & facinoribus obrutum, sanctissimum patrem nominaturi sunt: & dant eum titulum non sententiæ animi sui, sed consuetudini loquendi: pudet'que uicarium Christi eum nuncupare, quem suum nemo uellet. At quanta ueneratione perfundi putas illos, qui sanctissimum de solis moribus nominassent Pontificem Maximum, ueterum illorum similem, in eremo, seminudum, & solum oleribus uictitantem. Perstringit oculos nostros fortunæ splendor, non cogit animos. Tu quidem ad fastigium rerum humanarum sola uita innocentissimè acta euectus, ostendisti locum adhuc esse uirtuti, eius'que respectum non prorsus humanis mentibus excidisse. Et ut liceat uerum dicere, superiorum Pontificum uita effecit ut maximum in terris ornamentum ipse ornasse uidearis. Excogitantur tituli consuetorum dissimiles, quibus adearis tu illorum pontificum, quos nostra uidit ætas, dissimilimus. Ne pigeat hæc audire, quem non piget aliter uiuere, quàm uixerunt illi. nisi uelis homines contrarios mores eisdem laudibus honestare. Non impetrabis hoc à libertate publica, ut interea dum tu illorum uitam actionibus tuis reprobas, nos eam oratione nostra comprobemus. Sed de tuis laudibus & aliàs audies, & ab alijs doctius, atque accuratius. Nunc à me pauscula more meo simpliciter quidem ac imperite accipies, cæterum amoris & obseruantię in te meæ plenissima. Nam nisi me opinio ac iudicium animi mei de humanitate ac mansuetudine tua uehementer falsum habuit, confirmatum tamen plurimis experimentis non reijcies Romanus Pontifex epistolam eius cuius Episcopus Dertusensis non es aspernatus. neq; enim te sic mutauit tanta dignitas, ut uirtutes summas ac singulares, quas in te unicas semper laudauimus, semper admirati sumus, quæ'que te ad istum ipsum honorem perduxerunt, uel ademerint, uel minuerint. Patieris igitur te paucis admoneri, ab alijs forsan peritius: à nullo profecto amantius, quàm à me. at quàm prudenter aut commode, ipse existimaris: qui ut recto monitori auscultare, ita non capi à prauo dideceris. Idcirco qualiscunque hæc admonitio futura est, in te non erit periculosa: nam & bona proderit, & non oberit mala. Quo die nunciatum nobis est te amplissimis comitijs Pontificem summum declaratum esse, alij quidem omnes incredibili tenebantur lætitia: Ego uero, qui felicitatem humanam non opibus aut potentia metior, non tam gaudebam, q̄ amici uicem eram sollicitus. Gaudebam equidem, contigisse uirtuti aliquod ex istis nostris præmijs: si modo non omnia ad subtilē illā exactā q̄ philosopho

rum, & Stoicorum præcipue, seu Christianorum uerius formulam redigimus. Gaudebam datam aliquando non ambienti, quod ambienti soleret. ualuisse tantum uirtutem, quantum opes, fraudem, impostura. Gaudebam tibi, quæ meritus es, contigisse: & optimo uiro maximum esse mandatum honorem. Tum etiam datam tibi occasionem ostendendæ, seu, ut aptius dicam, exercendæ probitatis & prudentiæ tuæ: rebus præsertim adeò collapsis, & tanta materia benefaciendi. Sed hinc mea nascebatur sollicitudo, esse rem Christianam in eum statum adductam, hinc bellis, hinc turbis ab hominibus prauè sentientibus excitatis, ut restitui priori gradui non minus sit operosum & difficile, quàm pulchrum, & omni laude dignissimum. Tum etiam unde alijs gaudium nasci solet, inde mihi cura suboriebatur, quod præcessoribus tuis melior esses. Ita enim res sunt à multis illorum tam diu administratæ, ut quum tibi displicituræ sint, tamen hoc usu & assuefactione tam diuturna mutari à te uix possint: & tamen mutandas esse tu ac omnes diui atq; homines censemus, mutari omnes cupimus, actu in primis. His de causis & rationibus non æquè tibi gratulandum censeo, cui contigit altissimus in mortalitate locus. Atqui excitandus es, ut modicus iste animus et uere sanctus, res amplissimas incipiat cogitare, & isto fastigio congruentes: adhortandus, ne defatigeris in negocio tam uario, tam difficili, tam molesto, quo minus dies ac noctes in id incũbas, quomodo tanto muneri satisfacias, & actionem ad susceptam personam attemperes. ne quum tota tua superior uita summa sit tibi cum laude acta, & ad personas quas sustinebas, conuenientissimè: nunc in postremo actu, quod procul absit, deficias, quum plausus excitandus est. Duo sunt, quæ à te postulantur, atque expectantur: quies ab armis inter principes, quies à tumultibus inter priuatos. Reliqua in præsentia omittam. de his duobus paucula quædam disseram liberè, ut cœpi. Equidem scio alia auditu iucundiora: & possem dicere, si uellem. sed hæc quæ dixi, ac dicam, usu potiora inuenientur. Nemo ex me quærat: Quid tu non apud Pontificem esse putas, qui hæc & meliora consulat? Ego uerò et plurimos. sed magnitudo Pontificatus facit, ne unquam nimis multi consultores esse uideãtur: præsertim ubi Pontifici licet, auditis omnibus, quod optimum factu sit, eligere: nec cogitur, ut quenque audiuit, extemplò id exequi. Nec illa quæstione uelim premi: An non melius hæc Pontifex ipse? Certe melius multo, sed consilia omnia, & admonitiones tollat è uita necesse est, quisquis non uult prudentiorem moneri à minus prudente. Quis Princeps consuli sibi patietur, ne dicam moneri se, si consultores omnes hoc ipso quod consulunt, peritiores se ac prudentiores esse præ se ferat, & profiteatur? Itaque audies ipse, quæ non ignoras: & hoc magis ad perficienda, quæ sanctissimè cogitas, excitaberis, quum idem alios quoque cupere intelliges: & erit hic animo tuo stimulus non segnis, quòd uideas optare homines, intus exteriúsque tranquillitatem.

Neque nunc uerò sic, ut alijs temporibus, quum sola uota faciebant, & optare poterant magis, quàm sperare. De te autem tanta est in mentibus omnium opinio, tanta fiducia, ut sperent facile quod optant: confidant futurum, quod sperant: factum propè credant, quod confidunt. Commouit anteacta uita tua hanc de futuris expectationem: ut integrum iam tibi non sit, aliter agere, quàm quod omnes sperant, quàm quod uniuersis consensus pro te publicus spopondit: nisi cunctos uelut efflagitantes creditores fallere semel sustineas. quod facere non potes sine magna inuidia, etiam istius tantæ celsitudinis, de qua tam male multi suspicabuntur, ut eius uitio mutari credant mores eorum, qui illuc ascendunt. Omnes quæ scripseris, quæ gesseris, norunt. Si tu, quod omnes sibi promittunt, remedium non affers tantis malis, quæ poterit esse in posterum spes? quem fieri optabunt Romanum Pontificem, ut fessis labefactisq; rebus succurrat? Meliorem te? At nullus speratur. Parem? Difficile inuentu: sed mutabitur honore. nam peioris quid attinet uel meminisse, si meliorem corruperit fortuna? Hic fidem Dei atque hominum implorabis, si quod fueris priuatus optimus, non ideo liceat nunc tibi simílem esse præcessorum tuorum. Hęc est conditio rerum: sic ingressus es in uitam, ut naturæ leges mutare non possis. Sapientissimi uiri dictum illud est, duriorem esse conditionem spectatę uirtutis, cũ incognitę. Benefacta pro debitis exigimus, quę aliter eueniunt, ut decepti ab his infesto animo reprehendimus. Mediocris uirtus illi, à quo nulla

certe

certe expectabatur, magnæ laudi uertitur: qui uerò sui expectationem aliquam fecit, non nisi amplissimis illam factis implet. Quanquam gaudere nimirum debes, obtigisse tibi materiam, in qua ingenium, probitas, prudentia tua possint enitescere, ac exercendo augeri. Nam illa torpent, si quiescant: & uires amittunt, ut uentus in plano concitatus. aut ignis, cui nihil sit obuium, quod incendat. Optabant ueteres illi bellum, ut uirtutem in eo, uigoremq; animi & corporis ostentarent. Optari poterat tibi, sed longe diuersa ratione. Illi enim uastando, sternendo, occidendo, cladem stragemq; longè faciendo ac latè, magnam laudem, clarum nomen, immortalem parari gloriam arbitrabantur: ut eorum memoria sacrosancta esset mortalibus, qui magnam mortalium partem deleuissent: & ij essent humano generi chari, qui adeò homines oderant, ut plurimos de possessionibus, de fortunis, plurimos de uita deiecissent: & grati bonis hominibus essent, quibus solis bellum faciebant, latronibus & conscelcratis comitati ac adiuti. Quanto tu rectius, atque ad ipsam hominis naturam accommodatius? amicum te fore hominum genti existimas, si eos inter se feceris amicos: gratum omnibus, si odium sustuleris: si effeceris, ut suæ cuique fortunæ, uxor, liberi, amici grati sint. quod sola pax præstat. Quanto id humanius, rectius, melius, quod non solum Christiani optimum & sanctissimum factum nominarunt, sed ethnici quoque, Senecæ omnes, Cicerones, Platones, Socrates. Decet hoc magis & bonum uirum, & Christianum, & Episcopum, et principem Episcoporũ. Sed profecto ad tantam impudentiam non progrediar, ut etiam de officio tibi tuo præcipiam. Non disseram, quid te deceat: nec ex humanitate tua tantum mihi licentiæ arrogabo. cui fuerit satis, quid abs te sperent homines, indicasse. Quanquam ne hoc quidem ignorare te arbitror: nisi dignitatũ gradus, per quos ad istud culmen peruenisti, omnem priuati hominis cogitationum memoriam sensum'que excusserunt. Recordare quid priuatus à nouo Pontifice optaris: facile coniicies, quid à te desideretur. Vtinam principes omnes aliquando in priuata uita uersati essent, quanto facilius subditorum necessitatibus obsecundarent? & discerent succurrere miseris, non ignari & ipsi malorum. Nunc contrà, nati & educati inter regias opes, indulgentissima semper usi fortuna, calamitates ciuium quia non intelligunt, rident. Ita pro nihilo habent propter suam uel rixulam, uel ambitionem, uel auaritiam, uastari agros, uillas, & oppida excindi, populos, gentes'que unica belli procella absumi, florentissimas nationes, & firmatissima regna funditus interire. Non putant se reges, nisi has afferant humano generi strages. Hinc nomen, hinc gloriam parari ab assentatoribus audierunt. qui in publico bono egeni, malis publicis magni atque potentes sunt. Nec uidere possumus sine gemitu, nec referre sine lachrymis, greges senum & paruulorum abiectos mediis foris, & ante sacras ædes lamentantes, mediocres: interdum etiam amplas suas fortunas direptas ab hostibus, nonnunquam ab amicis militibus: & quod indignius est, cõbustas. Nam si raptæ tantum essent, hominibus saltem prodessent. nunc noua ratio gerendi belli excogitata est, ut incendantur omnia. Galli nostra incenderunt, nos nunc uictores Gallica: illi rursus per occasionem collecta manu, nostra. finisq; sit breui nominis Christiani, spectaculum Turcæ gratissimum, cum nos ipsi ministri simus uotorum illius, nisi quòd mitiorem illum credo, quàm ut sic uellet in nos sæuire: aut certè saniorem, quàm ut uellet perdere, quæ uictor possidere posset. Quæ sic unquam belligerauit Barbaria, ut nec sibi pateretur prodesse uictoriam, nec hosti? Hoc illorum est, qui perditi spem omnem & cogitationem uitæ abiecerunt. At nos pulchrum id, si Deo placet, & magnificum ducimus. Hoc demum putamus uincere, si sentiant se uictos esse, qui uincuntur: & uerum fiat uetus illud à crudelitate quorundam deductum: Quid uictis aliud quàm mœror? Feros & Barbaros populos Græci Romaniq; deuicerunt, erepta tantum iniuriæ licentia: & opibus, & artibus, & moribus locupletiores, instructioresq; ex uictoria reliquerunt. ut præstaret ab eiusmodi magistris uitæ uinci, quàm illos uincere. Et illa inter se gentiles: quibus incerta erat animorũ immortalitas, nihil dictum de charitate, non unum audierant humani generis parentem: non à diuino magistro commendatam atque adeò iussam patientiam, prohibitam uindictam: non audierant ab oraculo, nihil prodesse homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur. Nos

tur. Nos Christianos à Deo ipso hæc omnia edoctos, & inter quos uel leues esse rixas detestomachabatur Paulus, nihil pudet tantas strages edere, hominum etiam immerentium, ita ut mitius pugnaturos appareat cum ursis aut leonibus, quàm cum Christianis. Et ista faciunt, qui inter hæc non exhorrent patrem appellare Christum: quum ipsi Christi filios, non fratres, sed hostes esse suos arbitrentur. Nec tremunt, quum prælium inituri uota Christo faciunt, nullius rei magis inimico, quàm belli: nempe unius amicitiæ prædicatori & commendatori unius disciplinæ pacis magistro, solius charitatis legislatori. Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis inuicem. Quid igitur Præceptori charitatis cum tot animis odio tumentibus, & exulceratis? ut si quis, quæ Christus præceperit, cum ijs quæ nos agimus conferat, commentitiam nos & ridiculam agere fabulam iuret, quum sacris interfumus, quum Christiani & dici & haberi uolumus. Scio quid iam dudum ista legens cogites: Vellem, si per illos liceret. Fortassis rem inuidiosam dicam, sed certe non minus ueram, & ad præsens institutum in primis utilem. Hæc tibi scribuntur uni: quo apertius et simplicius loquar, eo me existimare debes tui decoris & publici commodi studiosiorem, qui contempta propria utilitate, etiam cum inuidia moneam, quæ in rem esse tuam communem que uideantur. Sunt Beatissime pater nonnulli docti homines, qui proximi & probati Principibus, magna que apud illos autoritate, quum de bello consuluntur, ita de iusto & iniusto bello differunt. ut facile ex eorum oratione ansam Principes, alioqui in suos affectus proni & præcipites, arripiant existimandi quodlibet bellum modo placeat iustum esse. Prætextus & colores nunquam desunt, dum non desit facultas, & occasio. Qui si aliter censerent, ac disputarent, iniecta in Principum animos religione, cohiberent ac reuocarent homines ad arma procliues, & affectionibus impulsos. Tuum est, Pater sanctissime, ex præceptis nostræ pietatis, quorum interpres mundo præsides, docere & Principes & Principum consultores, bellum hoc inter fratres, & quod plus est, initiatos eodem baptismate, iniquum, sceleratum esse, contra fas, contra pium: nec secus, quàm si membra corporis eiusdem inter se dimicent, ex Pauli doctrina, iuxta quam apud Deum iam non est Græcus, aut Iudæus, aut Gallus, aut Hispanus, quisquis per CHRISTVM renatus est: sed noua creatura. Quod qui cogitant, & exequuntur, pax super eos. Si tu ita doceas, primum tantus Theologus, deinde uir optimus, tum Princeps nostræ religionis: si ita statuas, uicarius in terris maximi Dei: quis in contrarium uel tantæ eruditionis disputare, uel istius edicti niti, aut sine impietate poterit, aut sine noxa audebit? Sed hoc loco sint ista nobis satis dicta. Nunc ne te publico bono occupatum diutius interpellemus, paucis de quiete religionis nostræ agendum est: & eo parcius ac modestius, quod apud summum Pontificem, & utrum tanta doctrina uerba facimus. Vides qualicunque cœperint affectu, progressos tamen esse homines quosdam extra uetita septa, & firmata partim diuinis legibus, partim antiquo Ecclesiæ consensu ac ritu ausos impetere. Huic malo quemadmodum subueniendum sit, non crediderim te ignorare. Vetus uerbum est, ciuitatis imperandi prudentissimę imperium eisdem artibus retineri, quibus initio partum sit. Repetamus origines illas magnitudinis huius Ecclesiæ. quid nobis modo faciendum sit, ibi uidebimus. Quorum uel tutius, uel commodius exempla possumus sequi, quàm eorum quibus ita opitulata est uirtus diuina, ut hæc ex paruis initijs tam aucta nobis reliquerint? Omni memoria tumultibus Ecclesiæ occursum est, indictis conuentibus patrum, quod generale Concilium uocamus. hæc una est medicina, morbis etiam, qui deplorati putabantur. Ibi expositis uel querelis, uel rationibus, quibus adducti erant, qui parũ recte sentirent, cognitis morbis pręsentia remedia adhibebantur. Nulli morbi periculosiores sunt, quàm qui latent. Nulla sanies noxia magis, quàm quæ non exprimitur. Multas inimicitias ad capitale odium adultas scimus, quod uel occultæ creuerint, uel purgare uirus expostulando aut iurgando non licuerit: Coïsse in amicitiam uidemus, qui rixa aliqua concœptum dolorem effuderunt. hinc illud uulgare, Amantium iras esse amoris redintegrationem. Ferunt aliquot & nostra & patrum memoria Pontifices, Consilium non secus ac uenenum deuitasse, quod dicerentur uereri,

ne aliquid ſuæ potentiæ fortunǽque, conſtitutis cleri moribus, detraheretur. Male cuſtodit potentiam metus. Etſi ſæpe ſuſpectus quis ſit, pro manifeſto habetur. Quale argumentum eſt innocentiæ, refugere cœtus, & libera iudicia? non exiſtimare ſe tutum fore, ſi de meliore rerum ſtatu conſulatur? Neque id ignorant multi: idcirco ſignum conſcientiæ interpretantur, etiam ubi culpa nulla ſubeſt, quod in diſquiſitionem prodire non audent. Tibi uero nihil tale metuendum eſt. Primum in iſta animi tui moderatione, quę libentius lætiuśque ſine tanto fortunæ ſtrepitu uiueret. deinde in moribus ſanctiſſimis ac orbi uniuerſo ſpectatiſſimis. poſtremo in conſcientia mentis tuæ: quæ quum non terret, omnia undiq; ſecura ſunt. Ergo expedit iudici commune toti Chriſtianæ genti concilium, eò loci, ad quem ſi quis non uenerit accerſitus, non loco uideatur diffiſus, ſed conſcientiæ. Ibi humanis omnibus ſepoſitis affectibus, ſumptis tantummodo Chriſtianis, hoc eſt diuinis, de tota cauſſa grauius & accuratius cognoſcatur. Quæret aliquis: Quid igitur? an non grauiſſime eſt iam & diligentiſſime cognitum? Vt maxime ſit: quid tamen illis facias, qui hactenus priuatis tantum premi ſe autoritatibus, nulla publica, nulla ſatis graui exiſtimant? Iſtis eſt aliquid dandum: & non contemnenda tot animarum millia, pro quibus Dominus paſſus eſt. Quanto tumultu, quibus apparatibus una Turcarum ciuitas oppugnaretur? ex qua alij diffugerent, ne baptiſſarentur, alij baptiſſati ſuum ſemper retinerent Mahumetem, pauci boni eſſent: Ecce tibi tot ciuitates baptiſſatas, deflexas de uia, ſuſcipiatur laboris aliquid, ut ſenſim redeant in uiam: preſertim cum facilis ſit initio opera, quæ nulla proficiet, ſi res (quod auertat Deus) inualeſcat, & tempore uires atque incrementum ſumat. Neceſſaria res eſt conſilium, etiam ſi hæc tempeſtas non incidiſſet. Eadem opera multa poterunt fieri compendia, multis obuiam malis ibitur. Alia ſunt etiam complura ſuper quibus oportet in Eccleſia conſultari. In eo cõſilio magna cum placiditate animi ac commoditate, quemadmodum faciendum eſſe probe noſti, de ijs ſolis & inquiratur & ſtatuatur rebus, quæ ad ſummam pietatis ſpectant, ad ſanctos mores. Alia quæ in utramque partem diſputata, contentionem poſſent ſcholis ſuppeditare: nec ullam facit, quomodocunque definiantur, uel religio iacturam, uel bonorum morum inſtitutio: in gymnaſia, & diſputantium circulos, liberaśque opiniones, & ſectarum placita referantur. Ne dum omnia mordicus apprehendimus, non tam dicta uideamur damnare, quàm dicentem. & quum aliquid fortaſſe dubium pro certo atq; explorato, aut indifferens pro neceſſario tradimus, feneſtram prauis & uerſutis hominibus, ſiniſtré́que omnia interpretantibus aperiamus, ſuſpicandi pleraque omnia eſſe talia, nośque incomperta pro certis affirmare. quæ ſuſpicio quantum hactenus aduerſarios adiuuerit, dici non poteſt. dum enim quiuis tanquam ruenti Eccleſiæ conatur opem adferre, atq; illã ceu Atlas quidam fulcire, fragiles & putres baculos ſubiecit, qui etiam inter admouendũ confracti ſunt. Ea dixerunt atq; aſſeuerarunt, quæ partim ambigua pro certiſſimis tradita, partim friuola pro ſolidis, aliàs ridicula pro maxime ſerijs, pro ueriſſimis uaniſſima, ex cœno quorũdam libellorum hauſta, pondus ac robur ſuæ cauſſę detraxerũt, addiderunt contrariæ: ut nõ aliter uiderentẽ facturi, ſi præuaricari, & acuto uafróque ingenio aduerſarijs cauſſam prodere in animum induxiſſent: alij concionibus, alij priuatis colloquijs, alij ſcriptis. Ex quibus fuere quidam, qui nec ſuis, nec aduerſarij perpenſis uiribus, cum fortiore congreſſi, uehementer cauſſam totam afflixerunt: quum ex illis omnes cenſerentur, alij ad hoc inducti ſunt pietate quidem, ſed inconſulta: & zelo Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. nonnulli quod ea ſit ipſorum exiſtimatio de re, ut neminem credant adfuturum, ſi abſint ipſi. Quemadmodum dixiſſe olim quendam accepimus: Si ipſe eam, quis manebit? ſin uero maneam, quis ibit? Sunt qui nonnihil uel à populo captabant auræ, uel auri à potentibus: rati iuxta Pauli ſententiam, quæſtum eſſe pietatem. Inter hæc quis locus ad ſcribendum magno uiro, & aliquid allaturo utilitatis? quum tanta turba etiam claros occultet, dum nemini omnes uacat cognoſcere: nec ſit, qui optimum quenque & legi dignum iudicet. unoquoque ſe, aut eum cui addictus atque adiuratus eſt, reliquis præferente, nec contentus ſua ſuffragio extuliſſe, aliena promit; iniuriaḿque interpretatur non modo ſi cui ſecundus habeatur,

beatur, sed etiam si secundus exiguo subsequatur interuallo. Ita res geritur priuatis commodis, non publicis. nec spectatur quantum quisque possit iuuare in commune, sed quantū pecuniæ rediturum est, uel nominis. Ergo magni uiri partim indignitate despondent animos, partim desperatione profectus tacent. Prima debebat esse cura, ni ego fallor, ac nunc debet esse, ne quilibet passim scribat. Deligant prudentissime, atque acerrimo iudicio, qui hoc agant. & qui scribent, assumant secum iudicium in consilium, non impetum: Christum, non humanam libidinem: cœleste præmium, non diuitias: laudem à Deo, non ab hominibus. eorum que scripta concilium uniuersæ ecclesiæ accuratissimè examinet: ut communi consensu, quæ uidebuntur, approbet, ac confirmet, reliqua partim reiiciat: partim si ambigua fuerint, uel obruat silentio, uel tanquā materia detur ingenijs exercendis. Hæc ego, Beatissime pater, multis prætermissis, & aliud in tempus dilatis, Sanctitati tuæ ausus sum scribere: non fiducia ingenij, aut prudentiæ meæ, quasi meliora ipse mihi inuenturus uiderer, quàm alius quiuis: sed probitatis, & mansuetudinis animi tui, quæ ultro ad se plurimos inuitat. tum amore publicæ Europæ totius concordiæ: quam non possum non ingemiscere, sic inter se discissam, tanto omnium damno conflictari: populum, quem Christus sanguine suo redemptum, unum in corpus charitate uelut glutino quodam coagmentari præceperat. Poteram de tuis laudibus longissimam orationem contexere, nihil admonēdo. id forsitan alijs Pontificib. gratius fuisset. Sed eo liberior, et procul magis omni assentatione fuit animus, quod ad te hæc mittenda erant: & nulla opum spe ducebar, tametsi tibi amplissimæ suppetunt, tantum amore in te ueteri ac confirmato, & obseruantia in istius tuæ dignitatis non ditionem, sed maiestatem. Tuum erit, boni consulendo præstare, ne mihi uel inconsultus amor, uel immodica pietas fraudi sint, neue commeruisse uidear, dum bene mereri studeo. Reliquum est, Christum maximum obtestari, ut quæcunque statueris, approbet, feliciterque euenire sinat. Vale, Beatissime Papa, & uerè sancte.

Louanij, XII. Octobris.

1522.

IOANNES LODOVICVS VIVES HENRICO VIII. REGI ANGLIAE INCLYTO S. DE FRANCISCO Galliæ Rege à Cæsare capto:

INCREDIBILES animi mei erga maiestatem tuam & obseruantia & amor efficiunt, ut quemadmodum felicissima tibi opto omnia, sic euenire uehementer gaudeam. Opinione uero mea, de uirtute ac prudentia tua, iam olim adducor, ut occasionem tibi aliquam, & quasi materiam suppeditari cupiam, qua ingentem istam animi ac probitatis tuę lucem proferas, tum ad gloriam tuam, tum ad cæterorum Principum exemplum. Præsentis uero temporis occasio compotem me uoti mei uidetur effecisse. Cepit Carolus Cæsar Franciscum Galliæ Regem, uenis tu quoque in aliquam eius gloriæ societatem. Nunc spero annisuros uos, atque eam nauaturos operam, ut intelligant omnes non præsentes modò, sed etiam posteri, ad quos tantæ rei fama dimanabit, non tam uos illum in uestra habuisse potestate, quàm uos ipsos. nec in ius ac ditionem concessisse temeritatis fortunę: quin uos potius in illam dominatos. nec his tam prosperis rebus factos insolentiores: sed meminisse inconstantiæ rerum secundarum, uarietatisque casuum humanorum, ac reputasse cum animis uestris, quod illi accidit, potuisse cuique uestrum, quod prohibeat Deus, accidere. Quippe omnia omnibus sunt communia: nec humanæ sorti exemptus quisquam est. Quocirca & bona spes est, uos moderate uictoria usuros, nec sæuituros in gentem innoxiam, & præsidio destitutam: neu florentissimum Christiani orbis regnum uastaturos, & tanquam uniuersæ

Europę alterum eruturos oculum. Quid enim populus commeruit, si regi uisum est bellum suscipere? etiam consiliariorum omnium, ut ferunt, aduersa uoluntate. Equidem quantum ad utilitatem uestram, uestrorum'que populorũ attinet, non tanti facio captum esse regem, quòd bellum erit deinceps aut nullum, aut certe facilius, ac proinde breuius: quanti exemplum documentum'que æstimo, quod uos hinc pro acumine uestrorum iudiciorum, pro'que rerum usu ac prudentia sumetis. Principio, ne ulli fidatis successui: tum ne adeo facile suscipiatis bella. Consideretis uarios belli casus & Martem incertum: ut uicti, fugati, inclusi, obsessi, uictorem superarint, obsessorem ceperint. postremo quantum regno uniuerso, tot gentibus ac populis, noceat hominis unius uel ambitio cæca, uel audacia inconsulta. Nam quis possit dicere, primũ quantus mœror ad primam auditionem capti Regis cunctam Galliam inuaserit? silentium ubique, solitudo, uastitas. hinc quæ animorum consternationes, qui terrores subiti, diurni, nocturni? quę suspiciones periculorum omnium? ut nulla sit aura, quę non eis uideatur esse armatorum hostium irruentium fremitus. Iam quæ cogitationes, & quàm anxij animi in euentum belli huius? Quid fiet Galliæ? nihil eis uenit in mentem præter euersiones, populationes, fugam, cædem, stragem, incendia, interitum, & ruinam omnium: omnia atrocia atque infanda. uidelicet, quia mansuetudinem uestram ignorant: & metuunt ne tantum suadeat libido, quantum permiserit fortuna. quum contrà nihil dubitem, quin hoc uobis lubebit moderatius, quo immoderatius licebit. Sed in tantis Galliæ malis nemo est adeò uel animo ferus, uel illorum uoluntate hostis, qui non eorum uicem misereatur: uel quia sunt Christiani, uel homines, uel quod idem cuiuis alij potuisset accidere. O' quæ materia benefaciendi, & cuius tum ad Deum meriti, tum ad homines gloriæ? Si tu & Carolus Cæsar legatos illuc primo quoq; tempore mitteretis, qui illos uestris consolarentur uerbis, bonaq; spe, ac recreatiore esse animo iuberent, uos non cum gente de uita certare, sed deditione ac finibus, quos malitis ipsi iure & amicorũ disceptatione recuperare, quàm ui & mutuis cladibus, nullas cædes, nullas populationes passuros uos in Gallia à uestris militibus fieri: nec secus uos illos curaturos, quàm si uterque uestrum in Francisci locum successisset, in quem locum charitate ac beneuolentia iuxta leges omnes humanas diuinasq; oportet uos succedere, ut eos ceu orphanos tueamini, quibus patrem ademistis. Sic apud Romanos, gentem imperandi callentissimam, ij duces, qui nationem aliquam aut populum imperio subegissent, in clientelam illum suam ac patrocinium recipiebant, nec alios uel beneuolos æquè, uel beneficos populus ille experiebatur, quàm cum quo imperatore arma contulisset. Itaque amisisse Gallos Regem unum, reperisse defensores ac patronos duos: nec postea Regem defuturum, & in hanc sententiam alia, quæ uos tanto melius me excogitare poteritis, atq; explicare: quanto & iudiciorum acrimonia & prudentia plus ualetis, polletis'que. Simul non arbitror ignorare uos, quantum id esset momentum ad efficienda quæ concupiscitis. delineretis uestra illa animi moderatione ac mansuetudine populos omnes Galliæ, detraheretis illis cogitationem omnem reparandi belli, ac tuendi sui, & quasi excuteretis arma de manibus. Nam sæpenumero ex desperatione rerum in magna & fortissima facinora uenitur. eodemq; sunt loco, magnus animus, & perditus. Quid quod confirmaretis potentiam uestram: quæsita uobis per clementiam illam moderationem'que ingenti uestrorum subditorum & obsequiosissima beneuolentia, qua nulla sunt ualidiora Principi munimenta. Nec ulla esset natio, quæ non uos sibi reges exoptaret, tanquam numina cœlitus demissa: Nam quid magis est diuinæ naturæ, quàm benefacere, prodesse, iuuare, seruare quàm plurimos? Præter hæc omnia, satisfaceretis Christo, cuius respectus hoc debet ob oculos uestros crebrior obuersari, quòd ad tribunal eius breui (quid enim longum est in hominũ uita?) sistendi estis, deposito omni fortunæ uestræ strepitu, nihil à quouis priuatorum discreti ac differentes. ubi tantum uobis prodesse poterit uita pie ac innocenter transacta. Non addam plura, ne præcipere uidear prudentiæ uel tuæ, uel tuorum consultorum: & in

primis

primis D. Cardinalis, uiri in gerendis publicis negocijs exercitatissimi. Hęc scripsi Oxoniæ in literato ocio, à regia & negocijs procul. Ridebis forsan sententiam hanc meam, seu quòd uere intelliges esse eius, qui de alienis, nec satis perspectis atque explo ratis censet rebus: seu quod id admoneam, quod tibi tanto antea præclarius uenit in mentem. Vtinam superuacaneus sim monitor, & currentem (quod dicitur) exhorter. Ego uero facere aliter nequiui, quin hæc ad te scriberem, adductus quum amore maximo in te meo, tum publica quiete, & Christianorum pace, cui semper & faui unice: & nisi mens hæc, quod nolit Christus, mutetur, fauebo. Si quid erratū est, speciosa erroris caussa ueniam meretur. Impartiat tibi D. Iesus, lenem illum suum & mitem spiritum, quo seruandis iuuandisque hominibus maximam ac solidissimam gloriam, opesque amplissimas sitas esse arbitreris.

Oxoniæ tuæ, XII. die Martij.

1525.

IOANNES LODOVICVS VIVES

HENRICO VIII. REGI ANGLIAE inclyto, S.

DE PACE INTER CAES. ET FRANCISCVM GALLIARVM regem: deq; optimo regni statu.

QVANTVM & maiestatem tuam, & reliquos omnes Principes, quibus cum fuit mihi usus aliquis, hortatus sum semper ad pacem: tantum hoc tempore pacis audito nomine sum lætatus, tum publici commodi gratia, tum etiam Principum ipsorum quibus ego et multis nominibus optime cupio: & illo potissimum, quòd publica salus cum ipsorum salute, ac sana mente coniuncta & complicata est, ut diuelli non queant. Est enim princeps in republica, quod animus in corpore: & imago quædam autoris illius rerum naturæ. Videre est, quàm turbatum atque affectum sit corpus, animo affecto. Hoc incitato, quæ faces micant in oculis flammarum? quanta oris distortio? & atrox agitatio corporis totius? Eodem languente, & demisso, uniuersum corpus ad eundem continuo habitum componitur. Sic Princeps affectus suos omnes in ciuitatem transfundit: & ad eius exemplum tota sese comparat multitudo. Quocirca illud est optimo Principi curandum, & in quem tantum nomen merito competat, ut talem ipse se & publice & priuatim præbeat, quales uelit subditos habere. positumque sese arbitretur in refertissimo theatro, ubi nullum eius uel factum uel dictum occultum sit. Nec tenebrę, aut solitudo obstat, quominus in uulgus dimanet, quicquid egerit. nam lux principatus omnia reddit conspicua: intentaque tot in se unum ora fallere, ut maxime uelit, non tamen potest. Loquax enim fama, uel abditissimos recessus explorat ac patefacit. Porro quicquid uident placere & approbari dominanti, hoc omnes sequuntur, in hoc sine iudicio ruunt: tanquam satis sit illum faciendum iudicasse, penes quem ut summam potestatem, ita etiam summam prudentiam consiliumque esse interpretantur. Sunt qui ignorent esse, quæ æmulantur pessima: sed morum similitudine placituros se sperant ei, in cuius manu est fortuna, opes, dignitates, honores, & cętera, quæ mortales auidissime expetunt. In hoc numero primas partes obtinent assentatores, grauissima pestis potentium: ut qui præcipuum aditum ad sapientiam intercludant, edoceri, reprehendi, quæ non minus necessaria sunt Principi, quàm reliquis hominibus: uidelicet & ipsi homini, & cui maiore rerum usu est opus, quàm priuatis, quanto plura atque ampliora unius prouidentia & consilio tenentur. Nullus hominum citra doctrinam atque admonitorem, satis instructus est ad sapientiam. magistris, rerum usu, ostensoribus errorum, ac emendatoribus indiget, ad rudem per se animum excolendum, quos omnes assentator abigit à Principe: tanquam non ille rerum mortalium more ac modo editus sit, sed magnus iam & absolutus. quic-

quid agat. Quum contrà, cui tot delicię, uoluptates ſummum in omnes ius addant, in omnem licentiam calcaria: huic oportet frænos iniĳci, quis præceps & effuſus animus retineatur. alioqui ſéque ac ſua peſſum rapiet, ſi omnes cadentem impellant, nemo fulciat. Magnum regni columen ſunt amici prudentes, ac liberi, quibus moderata potentia ſuſtentatur. Rex́que ſiue prudentiæ uerecundia, ſiue melius ſuadentis monentiśque oratione atque autoritate, ſeſe ad ſtudia uirtutis conuertit. Tum populo utitur ſui ſimili, hoc eſt optimo: regnuḿque quietum agit, minime ſtudioſum rerum nouarũ. Nam rege malo, mali ſunt ſubditi. inter malos uero concordia haud diu turnà: cum Princeps ſuperbe imperat, ſubditi contumaciter parent. Malos regere acerbiſſimum eſt: acerbius etiam, ſi rector ipſe ſit malus. nec ulli parent libentius, q̃ boni bono. Ergo regni uinculum maius aut firmius nullum eſt, q̃ bonitas. nam imperia dura, aut immoderata cito diſſoluuntur: magiśque uiolenta ſunt, q̃ duratura. quoniam nihil ſtabile Principem cum ſubditis coniungit: nec aliud ad diſiunctionẽ expectatur, quàm occaſio. Nullum animal inuitum retinetur perpetuo, ſi liceat effugere; nihiĺque magis à coacto laborat̃, q̃ ut citiſſime quicquid remorat̃, abrumpat. Maximum eſt animorũ glutinũ inter bonos: nec ſecus bonus uir bonũ imperantem audit, q̃ ſeipſum. Quapropter illud in primis eſt ſapienti principi laborandũ, quiq̃ ſempiternũ imperiũ & ipſe dum uiuat poſſidere, & hæredibus tradere per manus cupit, ut ſe ac ſuos bonos faciat: ipſeq̃ ſit gubernandi peritiſſimus: & parere modeſte, atq̃ obedienter ſubditos doceat. Mira dictu res, imò uero abſurda. beluarum rectores nihil potius aut prius, quàm fera ingenia manſuefaciunt, & iuſſis obtemperare docent: ita demũ cxiſtimantes ſe illis pro arbitrio uſuros, ſine incommodo, aut periculo. Nam niſi feritatem deponant, ac domẽt, rectoris magiſtriq̃ uocem aſpernati, in illum potiſſimũ naturæ ſuæ fæuitiam conuertent. Sic equi geſtandis ſeſſoribus, aut oneribus aptant̃: ſic tauri iugo ceruicem prębent: elephantis magnę turres impoſitę: leonibus quidã pro canibus uſi ſunt. Hominũ rector homines rudes ac ſylueſtres adhuc, nulla prius cura adhibita, ſecurus tractat. cum moroſius aut intractabilius nullũ aliud ſit animans: nec cui domando, ſi uirtus abſit, plures ſint artes neceſſariæ. Violentia ſe quidam, & terrore abunde munitos, iuſtructoſq̃ ad hoc arbitrantur. quæ uti ſeruilia ſunt, non liberalia: ita populum totum in ſeruilem naturam ac conditionem deformant: nihilq̃ agunt, aut dicunt liberis dignum. & uelut nequam mancipia, non aliud magis aut crebrius meditantur, quàm fugã à domino crudeli. Qui generoſiori ſunt pectore, occaſionem undiq̃ uenantur aſſerendi ſui. Ita nullum faſtigium debiliore fundamento nititur, quàm regnum metu. Nec ullæ opes ſatis firmæ ſunt, quas multi timent. Ipſéque formidatus peiore ſit oportet conditione, quàm multitudo territa. Siquidem nemini fidere, non loco, non tempori, non hominum cuiquam tuto ſe credere ac committere, omnia ſuſpecta habere: hoc non regnare eſt, ſed claudi carcere. Notæ ſunt Auguſti & Traiani uoces, Nolle ſe nocentibus imperare: Imperium depoſituros, ſi reipublicę eos eſſe Principes non expediret. Quantam quietem in illorum animis fuiſſe conuenit, qui ſe non haſtis, aut ſatellitio, ſed ſubditorum beneuolentia tutos ſcirent? Ego uero huiuſce rei ex te ſumo coniecturam, quem magis ac ſæpius tuorum pietate, quàm ſatellitio ſtipatum uideo. Quàm raro tu cuſtodibus uteris? id́que quum facis, magis pompa quadam, ac more maiorum, quàm quod opus eſſe credas. Sic enim illi te claudunt, ut nulli non apertus ſit aditus ad te. Nec magis uiuis in aula ſatellitibus uteris, quàm pictis in aulæis. Iſtuc demum eſt liberum ac regem eſſe. cuḿque fructum percipis fiduciæ ac ſecuritatis tuæ, ut nemo tuorum ſit, qui non capiti ſuo citius noceri uelit, quàm tuo pedi. Hæc quidem ſi probitas conglutinauit, ut ſpero, ſempiterna erunt. Non eſt enim amicitiarum certius aliud, uel diuturnius glutinum, quàm uirtus. Nam inter malos beneuolentia tam diu durat, quàm diu utriſque utilis eſt. fructu adempto, amicitia diſſoluitur. Inter bonos uero, ubi nullus eſt reſpectus commodorum, ipſa uirtus, quæ coniunxit, conſeruat: nec dirimi niſi cum ea poſſunt. Quocirca omni ſtudio Principibus laborandum atque annitendum eſt, ut ipſi boni, ſuos quoque bonos faciant:

Hæc

Hæc una aptissima est estars mansuefaciendi hominis, hęc copula, qua fortissimè & rectus & rector cohærent. Quippe uirtus amicitiam gignit. Amori autem nihil difficile, aut graue: siue fortunæ, siue liberi, siue sanguis & uita pro amico in discrimen adducenda sint, dulciss. est. nihilq; magis iuuat in magna amicitia, quàm magna amoris argumenta, & quoad res patiatur, indubitata signa ostendere. Qui boni non sunt, diligere se simulant rebus prosperis, in periculo primi deserunt. Prętер hæc omnia, uirtus quieta & moderata est, nec rerum nouarum studiosa. ita fortunę contemptrix, ut corporis & diuitiarum rationē nō habeat: cuncta animo innixa ac suffulta. Quod si Christiana pietas accedat, hoc est absolutio omnis uirtutis, imò uero uirtus unica in discessum tota incumbens, & peregrinationem quandam hanc uitam esse rectissime censens, facile cuiusuis imperium perfert. Quantulum enim eius interest, quid de fortunis aut corpore Princeps statuat: modo animę prospectum sit. Ecquid refert mortalis: unum aut alterū annum uicturi, sub quali eos humano Principe trāsigat: cum alterum cœlestem habeat Principem, ad quem per neglectū mundanarū rerum citissime properat. At uir malus supernarum rerum uel rudis uel negligens, unicam uitæ huius cogitationem animo uoluēs, facilis ac pronus est & Principi & rerum statui mutando. Quoniam inquieta est mali hominis mens, nec unquam præsentibus rebus acquiescit: nouare lubinde cupit omnia, ut qui insomnia laborant, identidem se in lecto uolutant, & locum nouum quærunt: quasi in loco hæreat uicium, & non in morbo. Nactus uirtutem, usque adeò est ea contentus lætus'que, ut eam rerum conditionem ac statum, in quo ipsi licet illam colere, & amet, & retinere studeat. Simul non ignarus mutationem rerum, tumultum, cædes, rapinas, cladem, alia'que immania & infanda secum importare, uehementissime tantam crudelitatem exhorret. Stultus aut impius, qui mentem in futura non mittit, rebus mòdo, quæ adsunt, quæ'que uidet, impellitur, quantumcunque res nouentur, cætera putat fore præsentibus similia, & se loco meliore. Simul atrox animus, aut honorum uel pecuniæ cupidus, per cædes & mala publica ad explendam libidinem rapitur: nec interesse retur, quà sit eundum, sed quò. Quamobrem aut ego uehementissime fallor, aut Principibus & magistratibus, quo populus dicto sit cum magna reipublicæ quiete ac salute audientior. nihil magis expedit, quàm teneram statim ætatem curare rectis ac sanis opinionib. imbuendam: ut sciant qui sit usus, quod præmium, qui finis uniuscuiusque rei: quantum & quatenus de unaquaque sumendum, quanti ea æstimanda. Habeant'que tanquam probi aurifices, uelut Lydium quendam lapidem, quo precium & indicaturam singularum rerum, quas uel expetimus, uel auersamur, cognoscant: pecuniæ, possessionum, amicorum, honorum, nobilitatis, dignatatis, imperij, formæ, uirium, uoluptatis, ingenij, eruditionis, uirtutis, ac religionis. ne inuersis rerum æstimationibus, maxima negligant, minima & abiecta consectentur: de pecunia, de umbris & somnijs, quæ ipsi sibi confingant, graues moueant tragœdias: pietatis, prudentiæ, ac uerorum bonorum uel obliti, uel securi. Hi sunt qui pecuniæ, aut uoluptatibus, aut ambitioni dum metuunt, patriā, bonum atq; honestum deserunt: publica produnt, dum seruiunt priuatis: stultā quandam excogitant imaginem libertatis, qua non fiunt liberi, sed mali. Porro in adultis & iam institutis, cura literarum ac religionis priora omnia & certiora reddet. non religionis, quæ exteriorib. signis ac ceremonijs tota collocetur, quū inter hæc animus sit impurus ac impius: nec literarum, quæ ad pugnam & contentiones cōpositę, pertinaces reddunt homines, non prudentes: cæterum studiorum, qui s mores componuntur, instituitur uita. & religionis, quæ animos ad cœlestia sublatos, cunctos ad curam honestatis conuertit, & ad cœlestium bonorum amorem inflammat. Religioni nemo eximitur. In literis autem partim concionibus adiuuabitur uulgus, partim libris patria lingua conscriptis, de rebus legi & cognosci dignis: quibus bonæ horæ non anilibus transigantur fabulis, nec gestis rebus nihil ad exemplū pertinentibus. Sec primum omnium pecuniæ admiratio detrahatur, compescatur luxus, incitetur sobrietatis studium, accendatur mutua charitas, non per peccata quæstum

ſieri: ſed unicam uirtutem eſſe lucrũ. Deniq; ab eis rebus deterreant̃ homines, quarum cauſſa ingentia flagitia deſignantur, & capitalia ſcelera. Tali populo felicíſsimum futurum eſt regnum tuum: cuius tu non tam eris laborioſus rector, quàm lętus ſpectator atque exhortator. Ipſi enim ſeſe regent. & ij erunt, quos monendos magis habeas, quàm caſtigandos. Vides ſummam adminiſtrandi imperij in bonitate uerti, tanquam in cardine. ut is demum habiturus ſit principatũ iucundum ac ſtabilem, quiſquis effecerit ciues probos, facillime facturus tales exẽplo ſui. Nemo fert enim, exigere quenquam ab alijs, quod ipſe non præſtet. nec fruſtra dicitur, Vitã maxime perſuadere. At uel rectori curæ huic, uel ſubditis uirtuti uacare, niſi in pace non datur. bello enim uniuerſa, uelut tempeſtate, confunduntur. Vnicum tempus conſeruãdæ bonitatis populi, eſt pax. Nam ea quibus homines meliores fiunt, pace uigẽt, langueſcunt bello: literæ, religio, leges, iuſtitia, negociatio, quies, opificia honeſta per ciuitatem contractio, atq; occupatio omnium, & utilis. Bello enim, uelut in affecto corpore, nullũ mebrũ officio ſuo rite defungitur. Literæ quę ocio, & quiete, & fauore Principũ, tanquam ſalubri quadam aluntur aura, neceſſe eſt turbatis omnibus, & Principũ animis aliò auocatis ægrę ac mœrentes conticeſcant: præſertim quum ſint ſuapte natura uoce gracili, in ſtrepitu armorũ, tubarũ, bombardarũ. Et intermiſsis cõmercijs, multisq; neceſſario indictionibus, omnium benignitas coarctatur. unde ſuſtentari ſolet ordo ſtudioſorum hominum. Ad hæc uíleſcit honos ille, qui eſt uelut actio, & uita quædam eorum quæ inter homines exercentur, & quo artes florent ac adoleſcunt. Iam religio quæ poteſt eſſe, efferatis animis tanto aliorũ in alios odio? & imbutis madefactisq; cruore ac ſæuitia: quibus humana atque diuina omnia permiſcentur: ut tam quiſque aptiſsimus bello uideatur, quàm religionis & bonę mentis habet quàm minimum. Iocus & ludus ſunt in militia, domos diripere, fana ſpoliare, uirgines rapere, ſolidas urbes atque oppida incendere. magna dementia, propterea corrumpere, quod retinere non ualeas. Hæc ſunt belli decora, profuiſſe nemini, nocuiſſe quamplurimis: nullo reſpectu aut recordatione præſidentis mũdo Dei. Ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, ut Dei iuſtitiam non uideant, & admoneri indigne ferant. Qui dicunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam uiarum tuarũ nolumus. At qua inſolentia, & ore quàm importuno diuinas leges negligunt, humanas aſpernantur? ut hoc demum uideatur eſſe uere ac germane militare, nihil arbitrari æqui ac boni propter ſe eſſe ſancitum: nullo ſe iuri eſſe ſubditũ; ſe in uagina leges omnes incluſas cum ferro geſtare: quicquid conſcelerato animo collíbuerit, id ſolũ eſſe ius atq; æquũ. nec ſibi modo in populum tantum licere, ſed in ipſos quoq; Principes: quod hi ſua opera et uiribus Reges ſint. Quis ſeruus emptus de lapide, quod dicunt, tam obedienter domini imperata executus eſt, quàm memoria noſtra Reges Francorũ, quicquid Heluetijs uenit in mentem? ſcilicet illos unos præſidium ac ſtabilimentũ regni ſui ducebant eſſe. nõ facturi, ſi manum ab alijs gentibus uoluiſſent continere, nec ultro uicinas nationes bello laceſſere. Principes etſi alia omnia in bellum inuitarent, illud unicum deberet retrahere, ne ipſis res eſſet cum militibus, hominum genere iniquiſsimo, atq; inſolentiſsimo. Neq; uero tales ſunt ſolum in alienum principem, ſed etiã in ſuum, cuius dignitatem, opes, præſidia omnia in ſe ſolis collocata eſſe putant, & poſſe quocunq; uelint ſecum trãsferre. quæ porro in pace ne cogitant quidem, quoniam populus adeſt, proceres quieſcunt, propinquæ nationes & reges pacati ſunt: ipſi milites ad togam, & paganũ cultum atq; habitũ redacti, neceſſarijs ad uitam operibus deſtinent̃, magis q; illis ad meliorẽ mentẽ uacat. Quod ſi peſtis hæc celſitudinẽ quoq; principatus pertingit, & infeſtat, reputare conuenit, multo acerbius humiliora premi ac diuexari. quippe populus nõ tantum premit̃ ab ijs qui militię ſacramento ſunt rogati, ſed ab ijs etiam omnib. qui ſe illis adiungunt, uel adiunctos ſimulãt, ut per militarẽ licentiã impune poſſint malefacere, intẽtis ijs penes q̃s ſumma eſt poteſtas. in cogitationẽ bellorũ. nec in eos audẽt animaduertere qui ſe q̃quo modo milites profitent̃, ne ſeditionẽ incõmodiſsimo tẽpore moueant.

poſtremo

mo multitudo grauata indictionibus & tributis, excluſis per bellū terra & mari cō mercijs, in ſumma egeſtate ac miſeria uitam trahit, tam exhauſta & perdita, ut quiete ac pace deinceps reddita, uires tamen longo etiam tempore recipere non ualeat. Permulti ceſſante artis quæſtu, aut inualidi mendicant, aut latrocinantur ualidi. Præſertim ingenti licentia atq; impunitate ſcelerum, quam belli tempore neceſſe eſt contingere, quum quiſq; ita ſanctiſsimus ac honeſtiſs habetur, ut animus eſt ei promptiſſ. flagitijs ac facinoribus patrandis: tanquam in eiuſmodi dexteris poſita ſit regni ſalus, quæ maximā malam perniciem regno adferunt. Ergo boni præſentem rerū ſtatum mœſti oderunt, mali ſceleribus aſſueſcunt, ac proinde impunitatem diligunt. iura illis, leges, iudices, inuiſa ſunt: & his ipſi infeſti. Quam regni faciem neceſſe eſt tum eſſe? terrerentur indubie Principes, ſi eam uelut in tabella depictam cernerent. At uero quantum principis cauſſa bello turbato ſunt omnia, tantum in pace ea, quæ nobis chariſsima eſſe par eſt, illi ſunt accepta referenda. Animus diſciplinis excolitur, religione in Deum ſe attollit, artibus ac negociatione corpori miniſtrat uictus, iuſtitia publica, quies per ciuitatem paratur, in qua certe cuique fortunæ, grati liberi, coniunx, domus, res familiaris. quæ in bello & incerta, & plerunque etiam grauia ſunt. Hæc omnia in pace Principi debentur, tanquā legum animæ, ſponſori publicæ fidei, ſequeſtri cōcordiæ. unde qui hanc uiolant, contra pacem domini Regis dicuntur feciſſe, Tu es. per quem & in publico, & in priuato, & ad menſam, & in lecto tuti ſumus. tu nobis omnibus legum nomine ſpondes. alioqui præſtaret in ſolitudine ac ſpeluncis degere, quàm inter homines, quorum rari boni ſunt: idcirco probum & quietum Principem iure hæc omnia conſequuntur. laus à literatis, qui ſuum illi ocium debent. Quo nomine clariſsimus fuit Auguſtus Cæſar: concelebratusq; ab omni ſcriptorum genere, quibus ille feſta pace toto orbe diffuſa, altiſsima fecerat ocia. nactusq; eſt eam gloriam, quæ eſt per gentes rariſsima, conciliato ſibi tanto amore, Senatu ac populo Romano. ut mortuo, quum iam nulla erat adulandi neceſsitas, oſtenderint, quantopere dilexerant uiuum, effuſis omnium animis in honeſtanda memoria defuncti, nullus honorū modus, nullus finis, ueriſsimis omnia affectibus, ut quando præſentia Parentis patriæ orbabantur, recordationem retinerent ſempiternā, eam' que tempus ipſum circulis ſuis nouam ſubinde reduceret. tantumq; in omnium animis ualuit optimi Principis memoria, ut quatuor in eius gratiam continuos Principes orbis terrarum perpeſſus ſit, quales nemo ſeruos patereture. His accedunt opes, quibus ſi abundent ſubditi, Rex ipſe inops dici non poteſt: ut nec opulentus, ſi ipſe ſolus poſſideat. Fallitur Princeps, qui maiores putat futuras ſuas diuitias, ſi coaceruet, quàm populi, aut firmiores. Nam & infinita adeo multos contrectare neceſſe eſt, & ea omnia parata ſunt moderato Principi, ſi uſus poſcat. Quid quod tutius, nēpe minore cum inuidia, mediocres ſuas opes quiſq; cuſtodit? His accedunt uota bonorum hominum pro ſalute unius, & amor omnium effuſiſsimus in illum, per quem fortunis ſuis fruuntur. Sed hæc, atque alia, quæcunque dici poſſent, ſuperat, quod Rex ſic adminiſtrando regno, officio ſuo ſatisfacit. quippe ſiue pictorem, ſiue paſtorem, ſiue caligarium, ſiue fabrum, aut alium quemcunq; nemo non tum ridet, tum etiam odit, qui explere munus ſuſceptum non queat, adeo & in magnis & in paruis, non præſtare quod quiſque profiteatur, turpe atque inuiſum habetur. Ita fit Princeps expreſsiſsimum principis mundi ſimulachrum, qui ſalutare imperium in omnes uniuerſitatis partes diffundit, bonitatemq; illius qui non percipit, ſuæ id modo culpæ aſsignet. Ille enim optimus, tranquillo atque æquiſsimo regimine cuncta diſponit, potentiamq; nemo experitur, niſi coniunctiſsimam bonitati. Non ultro terret: nec quantum nocere poſſit, minatur, ſed quantum prodeſſe ualeat, oſtendit. omnesq; beneficiorum magnitudine ad ſe inuitat. Hoc principi nō licet in bello imitari, quum terror oſtendendus eſt, & quacunque poſsis hoſti nocendum, minandum quoq;: & dum times, ſæuire cogeris, inuiſus hoſtibus, ſuſpectus ſocijs, ſubditis grauis. Quapropter retinenda ante omnia eſt pax, tanquā aptiſsimū tēpus, tum gubernādo regno, tum etiā cōfirmando. Pacē nactus es primū Dei dono autore,

autore & conciliatore pacis totius ac concordiæ: hinc probitate tua & consilijs D. Cardinalis, magni cumprimis uiri ac prudentissimi. Fortassis rebus turbidis non uacauit pacem cum bello cõferre, occupatis uniuersis sensibus cura & meditatione belli, dum uel caues tibi, uel insidiaris alijs. Nunc quietus utrumque expende: confer amorem hunc cum illo odio, hanc communionem gentium cum illa diremptione. uide, an curas & sollicitudines belli hac securitate commutares? hanc certationem officiorum, illis perpetuis insidijs? Sumptus belli infiniti: pacis moderati, & tolerabiles. bonus in pace populus, ac proinde obediens, promptus que: bello efferatus, improbus, omnia detrectans. artes mansuetæ pacis, & placidissimo isti tuo ingenio mirè congruæ: in bello sanguinolenta omnia, atque inhumana. Princeps ipse terrens semper, ac timens. Et fuit quidem bellum illud segne ac torpidum. longe alium sensisses ludum, si res utrinque incruduisset. Hæc quæ inuoluta, & summa quadam proposui, ipse si ingenio tuo acutissimo atque exercitatissimo euolueris, atque explicaueris, quod mihi in tam longa epistola facere non libet, scribenti ad te, à quo ipse hæc possem longe copiosius ac melius edoceri: profecto inuenies, quanto labore bellicum illud tempus fugiendum sit, hoc uero pacatum retinendum consertis (quod dicunt) manibus, & toto nisu. nec suscipiendũ bellum facile, nec certa pax sperata uictoria permutanda. De nulla re magis aut crebrius deliberandum est, quàm de bello, in quo non licet bis peccare: & ad quod Princeps descendere uix debet, etiam ineuitabili necessitate pressus, omnibus primo remedijs tentatis, & frustra consumptis. Nullum est tam felix bellum, quo non sit potior iniqua pax, siue curas, siue sumptus, siue discrimina consideres & contempleris. Itaque de iure suo citius decedat Princeps, quàm de summa periclitetur: & tantã fortunæ plagam leui lateris inflexione declinet. Varij sunt belli casus, & exiguo momento maximas res uoluit. unde Mauortem ueteres nominarunt. Bellum in cuius manu est suscipere, non est deponere. Initia belli penes Principes sunt, exitus penes fortunam: seu uetius Deum, cuius uoluntatem erga nos non sine caussa ignoramus. uidelicet nescij, quàm apud eum gratiosi simus. Itaque non secus, quàm pecunia nostro arbitrio aleæ exposita, ilico alieni fit iuris, incertum cui cessura sit: ita Princeps & tota ditio in sortem euentus conijcit, moto bello. Hinc etiam dicimus belli aleam, & de summa rerum certari. Quam multos pœnituit belli uel prospere cœpti? quàm nullum pacis, aliquo siue incommodo, siue etiam iniuria redemptæ? Nec ulla resp. instabilior est, quàm quæ sæpe mouet arma. Quoties in extremum discrimen Athenæ uenerunt? à Persis exustæ, à Lacedæmonijs oppressæ, ac spolitatæ mœnibus: à Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ: à Mithridate accisę, à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à Tatio capta est, à Porsenna obsessa, à Gallis incẽsa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa: suis denique armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello crescunt regna. Sed eisdem quoque pereunt. Minus forsan est in pace splendoris & gloriæ, falsæ illius quidem: sed & plus quietis. minus controuersiæ, ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. Non laboro, inquit Theopompus rex sapientissimus, quàm amplum filijs regnum tradam: cæterũ quàm mansurum ac stabile. Nihil ab alijs repetis, sed nec abs te alij. In quorum utroque est periculum: siue cum fortiore congrediaris, siue cum debiliore. quippe nihil est tam infirmum, cui suæ ad nocendum uires desint: destitutoq; facultate omni iuuandi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendum supereſt. tanto uidelicet promptius est malefacere, seu robore suo, seu imbecillitate nostra. Habes inclyte Rex, quæ mihi addictissimo atque amantissimo Maiestatis tuæ uisum est hoc tempore, de bello & pace ad te scribere. Tu hæc animi illa mansuetudine & lenitate accipies, qua reliqua mea soles: imò uero, qua beneuole admonentes auscultas. quaq; in re omni uteris, non Britannis tantũ, sed exteris quoq; nationibus cognita atque explorata. Studia profecto mea, quorum ocia tu solus secundum Deum facis, hanc scribendi opportunitatem non potuerunt tacitam præterire. Vnum illud, priusquam finem dicendi facio, adijciam, quod abs te non oportet ignorari: tametsi uel audire te, uel coniectura

conse-

consequi,non dubito.Gentes omneis,quantum fama & hominũ sermonibus intelligimus,à te expectare, ac propè suo iure exigere, ut qui pacis initia & spem mundo ostendisti, eam tu idem absoluas:adducto in concordiam Carolo Cæsare,autoritate & amicitia cum illo tua.ne flos iste pacis speciem ac lætitiam quandam uideatur ostendisse perbreuem,sine fructu. Vtinam gaudium hoc Christiano orbi solidum præstes,ut gloria quietis Europæ redditæ,uniuersa tibi uni debeatur: & compositis Principum discordijs,ac tumultibus sedatis, de religione,pietate, Christianis rebus consultetur.quare quantum orbis indigeat, uides. Equidem non intelligo, quid magis defensorem fidei deceat, aut quemadmodum possis tibi maiore obsequio CHRISTVM demereri. Quem precor,ut ea semper cogites,agas q̃,quæ saluberrime ac felicissime tibi & regno tuo cessura sint.Brugis, VIII. Octobris.1525.

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE EVROPAE DISSIDIIS, ET BELLO Turcico Dialogus.

MINOS, TIRESIAS, BASILIVS COLAX, POLYPRAGmon,Scipio,Vmbræ.

MINOS.

POSSES ne nobis Tiresia dicere, quemadmodum sese res hominum apud superos habeant? Nam animæ huc decidunt tam densæ,quàm uel grando uehementi aliquo turbine excussa,uel folia flante per autumnum Borea. TIRES. Quin tu potius aliquem ex eis,qui huc uenerunt, percontaris: hominem negotiatorem, aut uersatum in principum comitatu? MI. Non male mones, per Ditem. Heus umbræ, quæ nam uestrum bene atq; ordine callet res humanas, quas modo reliquit? VMB. Hæ duæ,ô Minos.quarum altera negotiata est Venetijs, Londini, Antuerpiæ,Romæ,Neapoli,Medimnæ,in Chio,Alexandriæ:altera uixit in Regia Hispana,Gallica, Britannica, Romana, functa multis & diuturnis legationibus. MI. Accedite propius. Tu,quæ adhuc uideris aurum esurire, quis uocabare apud superos? VMB. Polypragmon. MI. Et te Epicuri de grege porce, quo tandem pulchro nomine compellabimus? VMB. Multis ô Minos,& præclaris.nam sum multis gentibus & familijs prognatus: omniumq; gero nomina, ne quid de nobilitate detrahatur. tum quod unaquæque familia non cedit alij cuiquam opibus,dignitate, rebus gestis. MIN. Satis es proœmiatus,narra tandem. VMB. Basilius,Gnato,Colax, Fucus, Tinea palatina, Demouorus: & materno genere attingo Midam regem. MIN. Et hæc tua laus præcipua. Mirum est unum sufficere tot baiulandis nominibus. Sed esto pro illis omnibus Colax. nam sic fiet uerborum cõpendium.Dic nobis,quo in statu sunt res homnium? COLAX. Consueto. MIN. Vnde ergo tam crebræ ad nos animæ? COL. Nescio planè. consumuntur morbis,& est nonnihil belli. MIN. Qui gerunt bellum? COL. Quale hominis prudentissimi quæsitum? Qui gererent? principes & populi. MIN. Mirum ni canes & feles. COL. Ridiculum. TIR. Scilicet,quia homines malicia illos & crudelitate superãt. MIN. Qui Principũ? & quomodo? COL. Ne nimium percontaris.nam non est temere de Principibus loquendũ.omnes sunt probi uiri. MIN. Atqui pessimi interdum uiuunt. COL. Atqui optimi sunt,etsi pessime uiuant. MIN. Qui fieri hoc potest? COL. Vt audis,sic res habet. MIN. Ipsis ergo licet malefacere, nemini licet maledicere? COL. Vin tu Minos tantum cuilibet licere,quantum regi? de quo est illud: Quod libet,licet. MIN. Quid ita? COL. Quia aurum possident. MIN. Plurimum ergo licebit arcis. Sed quid iuuat,quando nõ pecuniã regunt reges,sed ipsos pecunia. Verũ tibi,ut uideo, Aesculapio est opus,qui cerebrũ curet. itaq; mane paulisper. nã ad eũ mittemus te. Dic tu interea Polypragmõ.

Tu Tire-

Tu Tireſia rogo,ne grauere,quæ iſte dicat,attendere:& corrigere,ſi quid peccarit. Age, effare, quid fit apud ſuperos? POLY. Eſtur ô Minos, potatur affatim, ſcortantur multi, adulterantur multi,luditur alea,deliciantur diuites, eſuriunt inopes: qui non habet,dat: qui habet, accipit. emitur quàm fieri poteſt uiliſsimo, uenditur quàm poteſt cariſsimo. corrumpuntur merces: conturbatur, rumpitur fides. MI. Atqui nihil nominatur, aut celebratur magis hoc tempore, quàm fides. POL. Sic ſperant ſe illam conſolaturos, ſi laudent,quam lædunt. MIN. Quid agunt Principes? quid Chriſtiani? quid Turca? POL. Propemodũ eadem iſta. & bellũ ubiq; diſcordiæ, odia. MI. Non inter Chriſtianos puto.nam his nihil cõmendauit magis uel accuratius Doctor ille cœleſtis ſapiẽtiæ, quàm beneuolẽtiã mutuã. & ea uoluit nota inſigniri ſuos. PO. At nulla ętate,nulla natione tanta fuerunt odia, quanta nunc inter eos. Olim odia erant inter gentes Aſiæ,atq; Europæ, quod mari uiderentur diremptæ: aut inter duo ingentia imperia, ueluti Lacedæmonios & Athenienſes,Carthaginiẽſes & Romanos: aut inter eos, qui de finibus cõtendebãt. Nunc inter prouincias odium publicum & irrecõciliabile, quod nullis officijs placari, nullis beneficijs tolli & reſtingui queat. Italus Tranſalpinos omnes tanquam Barbaros faſtidit,atq; odit. Gallus ad Britanni nomen deſpuit. Hic nõ admodũ charos habet Scotos, & Gallos. Inter Gallos & Hiſpanos memoria noſtra bella geſta non citra ingentes clades: unde relicta ſunt magna in eorum pectoribus inimicitiarũ ſemina. Vtinam his limitibus contenta eſſet diſcordia, ſerpit ad intima. ciuitates inter ſe inimicæ, in eadem ditione,ob aquulam,ob agellum,quod alia interuertit alius plus ſatis opulentæ nonnulla cõmoda. In eadem ciuitate factiones. Columnenſes, Vrſini, Romæ: Adorni, & Fragoſi, Genuę: Aragonenſ. & Andegauenſes, Neapoli: Velaſci, & Manrici, in Hiſpania. in quas ruunt ſine mente, ſine iudicio. Pater filijs uelut per manus tradit ſimultates. Naſcuntur hoſtes, non fiunt. Etiam regiones urbis afferunt diſcordias. Frater in hoc natus uico, inimicus eſt fratri nato alibi: & contra eum, ſi ſit opus, ſtet in acie. Profani homines infenſi initiatis. plebes optimatibus. ſubditi ei, qui præeſt, male uolunt: hic, illos non amat. In ſcholis, & Philoſophia, hoc eſt in domicilio moderationis ac modeſtiæ, pacis, quietis, tranquillitatis, patientiæ, ſimultates: & quidem capitales, inter ſtudioſos Latinæ ac Græcæ linguæ, & ſtudioſos Dialecticæ ac Philoſophiæ. inter eos, qui gaudent altercantium circulis: & eos, qui quietis magis ſtudijs delectantur. Quid dicam inter deditos diſciplinæ ac ſtudijs eiſdem, plagæ, cędes, ob colores quoſdã? tum ſectæ: alij Thomæ, alij Scoti, alij Ocham. Nam inter Lutheranos, & Antilutheranos minus miror eſſe tanta odia. Illud magis dolet, alteros ſic eſſe in alteros animatos, ut perditos & exciſos uelint, non emendatos, certe ſic inter ſe depugnant, ut hoc uideantur ſolum agere. Nec inter Lutheranos ipſos eſt amor & concordia: quum tamen nihil in ore habeant aliud, quàm fidem, euangelium, charitatem. Iam inter profeſſos ſummam quãdam charitatem, quiq; idcirco Fratres nominantur, quæ diſſidia? quàm interdum cruenta? monachus in mendicantẽ, Minorita aduerſus Dominicanum, Minorita clauſtralis in Obſeruantem. quæ expulſiones, conuicia, minæ, inſectatio? MI. Quid malum, tot diſsidia, tot odia, tot hæreſes? Nunc non miror, tam frequens iam hæreſeos crimen iactari: quum omnia ſint hæreſibus plena. POL. Non omnia audiſti. MI. Quæſo ne narra plura. TIR. Dic uno uerbo, hoſtem eſſe quemq; ſibi ipſi: nempe malum malo. Nam iuſticia terris excedens, amorem ſecum & beneuolentiã in cœlum tulit. iniquitati odium & diſsidia comites remanſerũt. MI. De bellis iam loquere. Nã pulchrè uideris mihi tenere humana illa. POL. Nihil mirũ. nam in ijs locis atq; inter eos ſum homines uerſatus, ubi nihil ignorat, quid toto agatur in orbe, ut inquit ille. Accuratius nos iſta inquirimus exigui lucri cauſſa, q; illi ipſi quorũ uita & fortunæ in hoc uertunt. quin & à nobis principes ipſi, ſi quid ſit noui, rogant. TIR. Videlicet ſic exacuit humanas mentes nũmi ſpes. POL. Tum etiã de libris nõnulla hauſi, relaxandi animi gratia. Ergo fuit Alphonſus quidã Rex Aragonũ (nam hinc exordiendũ cenſeo) qui à Ioanna Neapolis regina adoptatus, magna claſſe et copijs Neapolim profectus, & captus primũ à Genuenſi. hinc à Philippo Mediolanenſi duce honorifice dimiſſus, & liberaliter adiutus, cepit regnũ illud diu obſeſſum, expulſo Renato Andegauenſi, quem ipſa eadem Ioanna poſtmodum adoptarat, inconſtantia muliebri,

muliebri. TIR. Quid feciſſent nati, qui adoptati ſic inſaniebant? POL. Turbat eo motu Italia, dũ nouus Rex ſuſpenſos & ſollicitos tenet Italiæ populos, multis bello laceſſitis. Turca Byzantiũ expugnat, & mox per occaſionẽ Trapezuntẽ cum uniuerſa Ponti ora, cui iam olim imminebat. nec ſubueniri ex Italia Chriſtianis potuit. nec reliqui occidentis res ſatis quietæ, ſatisq; pacatę per id erãt temporis. Francis em̃ Burgundi & Britanni negocium faceſſebant. Rhenatus Ioanni filio ſuperſtes, Carolum fratris ſui filium hæredem ſcripſit. hic quum liberos nullos genuiſſet, Ludouico Gallorũ regi domum cum Neapolitani regni iure, hoc eſt belli materia fœcundiſsima teſtamẽto reliquit. Sed hic natura ſua ſemper ab Italia abhorruit. TIR. Neſcio in alijs quàm prudens, in hoc certe nõ modo ſapientiſſimus, ſed uates quoque. POL. Ita Neapolitana illa cauſſa tantiſper iacuit ingenti Galliæ fœlicitate, ſed quæ diuturna non fuit. Carolus Rex octauus adminiſtrationem nactus, nihil antiquius duxit aut pulchrius, quàm regnum illud ui atq; armis repetere: & ampliſsimę alioqui ditioni ſuæ adiungere. coegit ingentes copias, concuſsit trepidatione tantæ expeditionis Gallias, Italiã, Hiſpaniã. MI. Memini illius. Tale animaculũ, tam puſillum, tam deforme, tantos exciebat motus? & quidem tam breui periturum? POL. Hoc ipſe nec ſciebat, neq; metuebat. Venerat in regnum florentiſſ. iuuenis, charus atque expectatus ſuis: nobilitati præſertim defeſſæ perpetienda improbitate patris atque odio: allexerat undique milites largitate ſua, & ſpe opulentæ prædæ. TIR. Hoc eſt uerè regnare, auitum regnum perdere, ut nouum quæras. Sic ſentit populus, regem habere ſe. POL. Turca interea diſcordijs noſtris potens, effudit ſe latius, cepit pulcherrimam & nobiliſſ. Euboeæ partem, Græciam, Macedoniã, Euboeam, inſulas Aegei maris. Dum Chriſtiani de pugno terræ inter ſe decertant, ille eis ampliſsimam ditionem ademit. multa molientibus noſtris hominibus, & ſubinde coeuntibus in conſilium, ut Turcæ obuiam iretur: ſed in irritum omnia. TIR. Citius de communi ſalute lupi cum agnis deliberent, & ſtatuant, quàm Chriſtiani. Qui fiet unquam aliter? ubi quum de communi & publica re deliberatur, nemo ad hanc reſpicit: quiſq; ad ſuam priuatam. POL. Aperuit alpes Carolus. TIR. Hoc eſt, patefecit aditum ſpoliationibus, cladibus miſeriæ Galliæ. POL. Tranſijt in Italiam cum maximis opibus, ſed quas omnes effudit. terruit Italiam & urbem, expugnat regnum, redit in Galliam nõ ſine periculo. Nam dimicandum ei fuit in Inſubria. Quantus apparatus tam breui Comœdiæ? Paucis poſt diebus regnum illud à Gallis deſciſcit, & Rex ipſe moritur. TIR. Hic exitus cuiuſq; fabulæ. & nemo alienis exemplis admonetur, nemo fit cautior. POL. Succedit Ludouicus, qui non modo ius Neapolitanum repeteret, ſed Mediolanenſ. quoq;. TIR. Scilicet ut animoſus aleator ſponſione geminata, in apertius diſcrimen ſe & ſua adduceret. POL. Baiazetes Turca, mortuo apud nos fratre eius, quem ueneno ſublatum eſſe fama eſt, maxima eorum qui id fecerunt dementia, gaudere, & agere quod Ruſticum illum ferunt in Apologis filios ſuos docuiſſe, ut ſigillatim uirgas frangerent, quas ſimul nequiuiſſent: arripere quamcunque expetiſſet prædam, & pauliſper conquieſcere, dum eam communit, ac pro partibus ſuis confirmat, ne eripi poſsit facile. MIN. Atqui callidos homines audieram eſſe uos. POL. Eramus. ſed odia, uoluptates, cupidines prauæ dementarunt nos. Lodouicus rex Mediolanum recipit à Lodouico Sfortia, & eum captiuum Gallis oſtendit. TIR. Magnum eſt, homnem uictum, & uinctum, quò uelis ducere, & quibus uelis oſtendere. POLY. Adiecit ad Neapolim animum. nec aduerſata eſt ſors: cepit eam. Sed quum Fernandus Hiſpaniæ Rex, Ioannis Alphonſi fratris filius, uideret opulentiſsimum regnum uelut prædã relictam in medio fortunæ belli, miſit eo magnam claſſem. primum hoc prętextu, ſuppetias ſe ſorori ſuæ & eius filiæ ferre, quę duobus Neapolitanis regibus nupſerant, Fernando, & Fernandulo. Pugnatum eſt aliquoties: & Gallus ubi parem ſuum ſenſit, egit de præda partiunda. Non recuſauit in præſens cõditionẽ Fernandus. TIR. Vafer: maluit dimidiũ tollere, quàm periclitari de toto. POL. Sed nulla fides regni ſocijs. Vtriuſq; milites alteri ab alteris laceſsiti, ut eſt genus hominũ inſolens, uel odio quietis atque ocij, cuius ſunt impatientes, tanquam ſterilis ſibi, atq; infrugiferi, ruperunt fœdera, & graui bello de tota poſſeſsione certatum eſt: collatis ſignis aliquoties dimicatum, magna utriuſque gentis ſtrage: ſed quod res indicat,

Gallorũ maiore. Pulſi ſunt regno. Pauci qui ex cõflictibus ſupererãt, receperunt ſe eMdiolanum, quod adhuc Gallorũ imperio tenebatur. TIR. Huí cœnam peſsimam, magno cõparatam. Mars moleſta nauis. quicquid edit uector, cogit reuomere. MIN. Confer in pauca. POL. Nõ poſſum breuius. Succedit Iulius II. Pontifex. TIR. Oleũ camino. MIN. Cui ſecundus? TIR. C. Cæſari. POL. Huic uenit in mentem, patrimoniũ D. Petri uendicare. Itaq; conditione cum Gallis, Hiſpanis, Germanis facta, Venetos inuaſit. detractæ his non paucę plumæ. Hinc uiſum eſt Italiam Tranſalpinis gentibus, hoc eſt Barbaris, (ſic enim ipſi uocant) purgare. Placuit à Gallis exordiri: & in hoc abuti Hiſpanis armis, poſtmodum re cum ipſis Hiſpanis futura. TIR. Excommunicata Gallia toties, & tam ſæuè, ut mirer ſupereſſe eis commune quicquam. POL. Pugnatũ ad Rauennam ingenti & cruento prælio. Galli quidem uictores, ſed ita acciſi, ut coacti ſint Italia decedere. TIR. Planè, ut ſit prouerbium uetus: Interierunt uictores, fleuerunt uicti. POL. Morte Iulij, Hiſpani liberati ſunt bello: quod eos indubiè manebat, ſi ſtrenuo illi patrimonij D. Petri defenſori longior uita Petri beneficio contigiſſet. TIR. Nunquam Petrus faciet rem. alioqui hunc curaſſet ſeruandum. POL. Bellum tamen quaſi per manus ſucceſſori eſt Leoni relictum. Is Reges Hiſpaniæ & Britanniæ magnis pollicitationibus ad bellum pellexit. in quo Nauarra fuit Fernandi præda. & Scotorum Rex Iacobus in acie ab Anglis cæſus eſt. TIR. Non omnes qui uenantur feram, occidunt, multi etiam pereunt: & bono ſeniculo Fernando par erat, aliquod dari laboris præmiũ. POL. Atqui Iulius, ut Gallis dirarum & deuotionum plenas naues miſerat, ita Fernando uenias & fauſtas precationes, quot uel poſſent expeti. TIR. Ad animam quidem hæc, Nauarra uero ad corpus. Si utrunque laborat, iniquum eſt non utrunque mercedem auferre. POL. Ex diſcordia confœderatorum pax naſcitur. Lodouicus uita decedit, & aliquanto mox Fernandus. TIR. Nimirũ uetula ueterina iuueniliter uolebant excurrere. & Lodouicus inprimis campum nactus perpulchrũ, ſed ungulæ ſuæ nimis lamoſum. POL. Huic Franciſcus ſucceſsit gener, Fernando Carolus nepos ex filia. Franciſcus ſtatim Regni initio, ingentibus copijs parat fugitiuæ illi Italiæ compedes inijcere. TIR. Sed aureas, puto: & quæ magis ad fugam ſollicitent. POL. Mediolanum ingenti prælio, atque ambiguo, ductu ſuo recipit. TIR. Sed tantis ſumptibus, ut mireris Galliæ uberta-tem, quæ toties demeſſa reuireſcat, & fundat ex eodem ſatu fruges, uelut reſtibilis quidam ager. medicam dicas ferre, non pecuniam. præſertim quum utantur pedite peregrino: & nobilitas equitet, continuis tot bellis ſuprà quàm dici poſsit, exhauſta atque imminuta. MIN. Dolet per Proſerpinam, ſic affligi Galliam. nam non credas, quot probæ ac innoxiæ animæ ad tribunal hoc omnibus ueniant annis. TIR. Philogalatos uideris mihi eſſe, ô Mínos. MIN. Non tam Philogalatos, ô Tireſia, quàm Philagathos, cuiuſcunque ſit gentis. POL. Præclara ſibi uidebatur Franciſcus regni ſui feciſſe tyrocinia, tanta ditione imperio ſuo adiecta. itaque ſtatuit aliquantiſper quieſcere, uires reficere, ac ſe nouo alicui reparare bello. Inter hæc Maximilianus Imperator fato defungitur. De imperatore deligendo, ambitu & profuſiſsimis largitionibus apud electores à Carolo & Franciſco certatum: quaſi mercimonium licerentur, non regnum. TIR. Ineptè hæc ſunt illis ſua mercimonia, hæc negociantur. POL. Vincebat largitione Franciſcus: ſed Carolus memoria tum gentis ſuæ, in qua erant quinque continui imperatores: tum nationis, quod ad Germaniam paternum genus referebat. Itaque hic imperator declaratur. magnorum odiorum radices iam pridem natæ, adultæ hinc inter duos iuuenes præcipuos orbis Chriſtiani, pares nobilitate, opibus, ditione, potentia. TIR. Adde etiam felices & ſibi & ſuis regnis, ſi felicitati ſuæ modum ſciuiſſent ponere, contenti ampliſsimis imperijs, non ferro, non ui partis, ſed à maioribus relictis hæreditate. POL. Dum in Germaniam ad ineundum principatum ex Hiſpania Carolus redit, conſecuti ſunt motus Hiſpaniæ, plebis aduerſus nobilitatem, urbium aduerſus urbes. TIR. Rabies, non diſſenſio. neq; enim ſciebat multitudo, quid peteret cur arma corripuiſſet, pro quo pugnaret optimates, quod eſſet belli ſui præmium, non ignorabant. POL. Hanc occaſionem Franciſcus arripuit, & in Hiſpaniam exercitum miſit ad intercipiendam Nauarram. Hinc bellum exortũ, quod huic tempori incredibilia mala importauit. Ca-

pta

pta à Gallis Nauarra,& ante ſextam hebdomadem cum ipſorum clade amiſſa. Nam Hiſpani externo hoſte conſpecto,iras in illum & arma conuerterunt. Carolus ad Valencennas Belgicas, non multum à capto, aut certe obſeſſo abfuit. TIR. Periculũ adit,qui facit. nec quiſquã eſt tam potens,qui tutus ſit, ſi hoſtẽ habeat. POL. Adiunctus partibus Cæſaris Britannus,Scotus Gallis. Itum in Italiam. Pontifex Cæſarianũ ſe eſt profeſſus : ademptum Mediolanũ Gallo, poſt magnum prælĩũ:& Tornacũ in Belgica. Cæſari uero Fõterabia,in Pyrenæis:ſed quæ poſtea eſt recuperata. Preſſus Gallus,undiq; in Cæſarianos,qui Maſsilĩã obſidione cinxerant,totis uiribus incubuit.quos quũ illinc in Italiam fugaſſet, magna eſt eos celeritate perſecutus . Quod niſi Cæſariani pari uſi eſſent in fuga celeritate,& cõpendijs uiarum, maxima fuiſſet uel accepta ab eis clades,concluſis & fugiẽtibus,uel certe data à deſperatis. Ad Ticinũ uero pugnatũ eſt in ſepto. ibi contrucidati Galli,& Heluetij milites:partim in amnem demerſi, dum fuga ſaluti ſuæ conſulunt. Rex cum frequenti nobilitate in manus Cæſarianorũ uenit. TIR. Qui ad ſe Martem accerſit,canem rabidam,fieri ſecus nõ poteſt,quin mordeat. Et ſunt,qui ad mala ſua curſim cõtendãt. MI. Quid interea Turca? dormit ne? POL. Minime getiũ. Nouus Princeps,quẽ maiorib. ſuis fuerant inexpugnabilia, Rhodũ inſulã & Belgradũ, uerè gradũ Pãnoniæ et Chriſtiani nominis maxima noſtra ignominia ſubegit. MI. Quid? Rhodũ amiſiſtis? TIR Quã obliuioſus es Minos? nõ recordaris anno abhinc tertio, q̃d ad ueſtrũ tribunal ueniebãt animę,& quidẽ per millia.aliæ ſaucię,aliæ lãguidę,aliæ cãdidis crucib.alię notis barbaricis inſignes. MI. Memini equidẽ. illinc ueniebãt? TIR. Illinc. MI. Sed acceſsit ille tam ꝑpè? TIR. Longè iſtis uidet, qui nihil ſentiũt, niſi uiuũ perſtringat. POL. Adducit in Hiſpaniã Frãciſcus,ad Cæſarẽ. ibi de pace inter eos cõuenit.Sed interea Pont .& Venetis placuit, uel quod olim Iulio,Italiã externo liberare dominatu:uel non ſinere opes Cęſaris,ſemper ipſis formidabiles,in Italia inualeſcere. dant operam,ut cõiurent ciuitates Italiæ, in fœdus,quod Sanctũ appellarũt. TIR. Probe faciunt.nomen & omen quantiuis precij . POL. Dimittit Franciſcus in Galliã, datis duobus paruis filijs obſidibus.quos reciperet,ſimul primũ pacta inter ſe & Cęſarẽ præſtitiſſet. ſed Rex ſollicitatus ab Italis,fœderi ſe adiunxit. TIR. Putauit expectandũ luſus exitũ. POL. Itaque diſtulit tradere, quæ promiſerat. Pacis conditiones Cæſarianis uidẽt æquiſsimæ: Gallis,& qui pro eis faciunt, iniquiſsimæ. TIR. Sic uſu ueniebat filijs meis,colludentibus.nullus unquã faciebat iniuriã, accipiebat ſemper. POL. Hiſpani militis grauẽ atq; acerbam inſolentiã,negant Itali eſſe iam amplius Italiæ tolerabilẽ. TIR. O quale hominum genus,dij ueſtrã fidem,nominaſti Hiſpanũ militẽ? Sunt quidẽ milites omnes prę ruidi,arrogantes, incõpoſitiſsimi. Ecquis enim miles uel ſuo ipſius patri tolerabilis? Hiſpani tũ milites, nullis alijs cedunt improbitate duricia oris, atrocib. dictis q; factis neſcio an ex tanta continuatione uictoriarũ. Itaq; nõ dubito illos uiolente ſe ac impotenter geſsiſſe, multaq; facinora feciſſe fœda atq; abominanda: ſtipendio præſertim tamdiu dilato,& ad poſtremum ægrè appenſo. neque enim erat,unde. idq; illi interpretati ſunt, quod faciunt ſanè non admodum inuiti, iuberi ſe ex uictis rapere, nonnunquam ex ſocijs quoque . Quibus de cauſis ingens tum Italiæ, tum aliarum quarundam nationum aduerſum ſe & principem ſuum, & uniuerſum Hiſpanum nomen odium concitarunt. Etſi merent ſub Hiſpanis ducibus Itali quidam, qui crudeliora in ſuos edunt facinora, quàm ulli Hiſpanorum:nominantur hi quoque Hiſpani,quia ſub eiſdem ſignis, & duce Hiſpano. Sed nec ſtatuere poſſum, an Italorum querela ſatis iuſta, ut bellum alieniſſimo tempore mouerint. Et alioqui illis inuiſus ſemper eſt uictor.quod ipſis commune eſt cum cæteris prouincijs, quæ uictæ ac ſubactæ alieno imperio reguntur : ſicuti M. Tullius deplorauit, Flaccum defendens. POL. Turca menſe hoc Danubium tranſgreſſus,ualidiſsima manu Pannoniam inuaſit,& grandi prælio noſtros concidit.inter quos etiam Regem,admodum etiamnum adoleſcentem:nec ſine Turcarum ſtrage. Nam Bohemi, & cæteri Germani,ſtrenue locum, quem initio prælij occuparant, tutati ſunt. ſed ferè multitudo eos hoſtium oppreſsit, & fuga à quibuſdam ex acie facta ordines aperuit, diſſoluit, lacerandos hoſti præbuit.Hinc Turca per Hungariam effuſus expilauit, & continuo pòſt incendit urbes, pleroſque mortales trucidauit, pecora abegit, cædem

ubique & ſtragem attulit. multa fœde, multa horrenda patrata ſunt. In Italia de poſſeſsio ne Inſubriæ, inter Cæſarianos & confœderatos maximis conatibus certatur. Dolet uehementer, non obtigiſſe mihi fatum aliquanto longius, ut finem fabulæ huius licet tanto pere atrocis triſtisq; ſpectarem. TIR. Votum improbum Polypragmon, diuturnam uitam nimis optabas. neq; enim erit ita breui malorũ finis. Nam uideor mihi uidere res orbis Chriſtiani conuolutas, tanquam globũ fili innodatũ atq; implexum. ut eglomerari uix poſsit, niſi Deus ipſe ſapientia & beneficio ſuo, opem ac ſubſidiũ afferat rebus tam afflictis, & labẽtes ac ruentes fulciat. MI. Egregie functus es tuo munere, Polypragmon, Edocuiſti me, unde tanti animarum caſus. probe atq; ordine uideris mihi latrocinia illa percurriſſe. nam quid aliud ſunt inter Chriſtianos bella quàm mera latrocinia? Inſanias mihi narraſti, non bella. Cæterum poſt tot ſumptus, pericula, diſcrimina, utra pars facta eſt ditior, aut meliore eſt conditione? POL. Vtriq; ô Minos, & ſocij eorũ omnes exhauſti, regna compilata, nobilitas fracta & acciſa, florentes olim urbes ſolo æquatæ: agri exinaniti, deſerti. hæc quæſita ſunt per tot labores, & mala data atq; accepta ultro & citro. MI. Quid furori ſimilius? TIR. Hoc ipſum. ſi modo ſimile ſit quicquam ſui ipſius. Nunquam ne uerſiculũ illũ audiſti: Stultorũ regum, & populorũ continet æſtus? MI. Audiui ſæpe. TIR. Nunc rem expreſſam audis. MI. Sed ſunt ne uera hęc omnia, Tireſia? TIR. Ueriora ijs quæ ad Sagram: & quidem cruentiora. Heu quantum potuit terra pelagoq; parari, Hoc quem ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ! Non Turca ſolum deleri, ſed ſubigi etiam potuit, quicquid terræ ac maris inter orientem atq; occidentem ſolem patet. MI. Ergo, ut uideo, nutricula bellorũ omnium eſt Italia. illinc orta bella inter uos, ætatis huius omnia: ab illis hominibus educata & redaccenſa: illic maxima ex parte geſta. Cur non ea cedunt Italis, & rem tam perniciosam poſsidenti ſinunt ualere? TIR. Nihil utiq; Hiſpaniæ & Galliæ utilius, ô Minos, utinam animum tranſalpini poſſent inducere, ut id facerent. eſſent duo illa regna, imò Chriſtiana omnia, quietiſsima, lętiſsima, florentiſsima uiris, diuitijs, amica inter ſe: tum Chriſtiani orbis firmiores opes, copiæ, uires, et Turcis impenſæ formidabiles. Sed præterquam quod uidetur ipſis præmium dignũ bello & uictoria, Itali ipſi illi, qui expulſos uoluiſſent exteros, qui conati eſſent, qui ſumpſiſſent arma, qui acie congreſsi: ijs digreſſis, altero die alpes tranſirent, ut aliquem uel Hiſpanum accirent, uel Gallum, qui in ſe dominaretur. MI. Quid malum neſcirent ipſi ſua regere? TIR. Scirent, & aliena quoque. nam ingenijs ſunt prædití, ualent conſilio, prudentia, uitæ uſu atque exercitatione: nec uiribus, aut armis ſunt poſtremi, ſed factionibus ſunt diſſecti, & odio laborant incredibili inter ſe. ea res ciuitates omnes atq; imperia quamlibet potentia, & recte firmata ac conſtituta diruit, funditusq; extirpauit. Itaq; modo iras ſuas ulciſcantur, canem aliquem, nedum hominẽ quemuis, principem & dominum reciperent. Malunt Hiſpano, Gallo, Germano ſeruire, quàm parère ciui. Prudenter quidam eorum uates cecinit: Sic eſt, acerba fata Romanos agunt, Sceluſq; fraternæ necis. ut immerentis fluxit in terram Remi, Sacer necibus cruor. POL. Illi de Italia liti, duæ aliæ acceſſerunt. de Burgundia, Mariæ Caroli filiæ à Lodouico XI. adempta: quam Carolus hic uelut hæreditatem ſuam armis repetit. quando hoc ſolum eſt ius inter potentes. & Nauarra, quam à Julio publicatam bello Gallico, Fernandus Aragonius intercepit. MI. Quid? Pontificis ſunt regna, ut ea quibus uelit detrahat? quibus uelit, atribuat? Pol. Ius quidem aiunt eſſe Pontificis, poſſeſsionem autem ferri & uirium. MI. Has mallem. POL. Nimirum & ius pontificium his cedit. Sed de Nauarra leuius malum, quod qui amiſit, non amplas habet opes. Nec de Burgundia graue, quod hi non ambiunt & ſollicitant alios Principes, ut ad ſe ueniant, ingentia pollicentes. MI. Oportet eam eſſe Italiam, quam quiſque facile expetat, & pro qua, ſicut de Helena dicitur, indignum non ſit, tot gentes in diſcrimen belli uenire. POL. Eſt quidem amœniſsima regio, & ſoli uberrimi, tum urbibus ac populis frequens. planè, qualem Vergilius deſcripſit. Credo legiſſe te, etſi Latinum poetam. Sed illis tantum eſt Italia utilis, qui in pace, & ſine ulla poſsident controuerſia, ut Sicilia olim Regibus Aragonum. Nam alijs non ſolum annui illic redditus alendis præſidijs non ſufficiunt, ſed multum eſt de ſuo addendũ. Equidem de ijs, qui id ſcire belliſsime exiſtimabantur, audiui, quũ dicerent, ad fi-

ad fiſcum Fernandi Regis nūmum unum ſeſtertiū ex Neapolitana ditione nunquam re diſſe. quin potius mitti illuc ſolitum, ad tolerandos militares ſumptus ex prouentibus Caſtellæ. Sit hoc tibi maximi argumenti uice, quod Gallia & Hiſpania, ex quo cœperunt in Italia res gerere, exhauſtæ & profligatæ ſunt. Italia non eſt dragma facta pauperior, niſi quantum militaris furor uaſtauit. MI. Quid ergo? TIR. Stulta ambitio nominis, ſine re. & Itali ipſi ijdem in cauſſa. MI. At Tireſia, quā tādem medicinam adhibendā tantis malis cenſes? TIR. Quid iuuat ea de re conſultare, quum illi bonis conſilijs parituri non ſint? adeo excæcatus quiſq; ab affectu, autore peſsimo, rapitur. MI. Sed quid obſtat, quin ſententiam tuam aperias, modo paucis: antequam repleatur forum umbris, quæ poſtulent ſibi ius dici. TIR. Neſcio quid ſperandum ſit, ô Minos, in tam aſpera & confirmata diſcordia: ubi quiſq; improuidus ſui, uicinum uellet perditum. putat ſe quiſq; nō tutum modo & incolumem, ſed auctū quoq; & locupletatū fore, ſi uicino ſit quàm peſſime. Atqui ſi uicini domus ardeat, non eſt uicina domus loco optimo. Peſsimum profecto habebit uicinū, quiſquis habebit Turcā. lupos mallem, aut paluſtrem aliquē, & peſtilentē agrum. POL. Atqui cōſtans eſt apud ſuperos rumor, immiſſum Turcā in Pannoniam ab ijs quos minime decebat, & à quib. nemo unquā metuiſſet. TIR. Ego uero metuo, ne magnā malam peſtem, & bene adultam ſibi accerſierint & illi ipſi, & quotquot uenienti non obſtiterint pro uirili. MI. Quo tandem fœdere coierunt? per quos iurarunt deos? quū pietate & Deorū cultu tantū inter ſe diſtent. quis Turcæ pro Chriſtianis ſpopondit, quū ingreſſus eſſet in Pannoniā, nō omnes aduerſus eum conſpiraturos? & correptis armis concurſuros in eius perniciem, tanquā ad reſtinguendū incendiū. TIR. Nihil opus eſt iureiurando. præſens utilitas maximū eſt inter eos fœdus, & ſocietatis uinculum. Ingentia Chriſtianorū diſsidia, & irreconciliabilia, ſatis Turcæ ſpondent fore tuta omnia. Quin tu quæris potius, quis datur Chriſtianis obſes? Turcā nō inuaſurum illos, à quibus ſit in Europam aduocatus? Hoc magis eſſet eis cauendū, & prouidendū, præſertim quū nō pauca ediderit in eos ipſos exēpla, à quibus eſſent ſibi ciuitates & populi ereptiditi. MI. Oportet eos odiſſe mutuo capitaliter, qui nunquā faciunt bellandi finem ullum, aut modum nihil ſatis iuratum, ſatis ſancitum, firmum, pactum. nulla pax ualida, nullæ inducię: facta omnia infecta, firmata infirma. TIR. Illud peius, ſi uideas quemadmodum inter ſe gerant bella, non gladio aut haſta, uel ſcorpione aut arcu, ut una plaga, quum eſt letalis, mortalem unum abſumat. tormenti genus eſt ab eis repertum, quo excuſſo grauius conſternere, quàm quum tonat Iupiter. proſternuntur uno excuſſu uiceni, quadrageni, centeni. SCIP. Dij immortales, qualis hæc eſt rabies? Ergo nullus eſt iā locus, nec honos uiris fortibus? TIR. Viros fortes caſus iam facit, ſimultis prælijs ſuperſint: non animus, aut robur. SCIP. Atqui memini dici mihi in Græcia, fuiſſe illic Laconem quendam hominem militarem: qui uiſo ſcorpionis genere, quod erat nuper è Sicilia allatum, exclamarit, Perijt uiri uirtus. quid nūc exclamaturus, ſi illa uideat? TIR. Quid? Perijt hominis humanitas. nam ex hominibus degenerauerunt in feras ſęuiſſ. & Chriſtiani inuento hoc nuſquam accuratius, quàm in Chriſtianorū perniciem utuntur. Turcæ inuiti ad hæc tela deſcenderunt, & coacti, ne à Chriſtianis facile uincerentur, ni ea in caſtris tormenta haberent. SCIP. Illud uehementer admiror, ut inter ſe inimiciſſ. ſint animis, ingruente tamen externo hoſte, non coadunari & conſentire in tuelam communis ſalutis. ut canes ad conſpectū lupi, aut feræ alius. Hoc enim & uidi, & legi, & fando audiui, uſu ueniſſe in unaquaq; ciuitate, unde natus ſit ille Syncretiſmos, gręco prouerbio celebratus. Multa ſunt in ciuitate noſtra exēpla, multa in Gręcia: & quod recens de Hiſpania Polypragmon retulit eorum populorum uel hominum, qui priuatas inimicitias tantiſper ponebant, dum externus metus urgeret: quo ſublato, ad priora diſsidia redibant. Dici enim ſolet, homines mala coniungunt: & nullos eſſe ueriores amicos, quàm qui inimicum habent communem. TIR. Vtuntur quidem arte hac, ſed in Chriſtianum: ut uero inter ſe pacem coeant aduerſus hoſtem ſuæ pietatis & Chriſti, nihil eſt ſatis ualidū & efficax: non reſpectus Chriſtiani Principis, & fortaſsis conſanguinei, ut ſunt omnes ſanguine inter ſe & affinitatibus connexi. Malunt ditionem eius eſſe ſub Turca, quàm ſub propinquo. ſuam mallent à Turca, quàm à Chriſtiano occupari: quod indubie futurum

est si, sic pergant. Quanta dementia? cum Christiano licebit agere legationibus iure, disceptatione, amicis cõmunibus, precibus, deprecationibus: a Turca uero nihil unquam æqui & boni impetrabitur. Nec tantulum uel pietate, uel populorum respectu aut Dei tanguntur. An non commodius populi sub Christiano uiuent Principe, quàm sub Turca? Iam pietas, ut frigebit sub Rege, ex professo hoste pietatis? Interfui apud Elysios die quodam, quum Lucanus sodalibus aliquot suis de bello ciuili Pompeano multa narraret, ut uidebatur acta temporũ illorum exactissime nouisse: inter cætera referebat, Lentulum quendam magno animo uirum ex uetere illa nobilitate Romana, posti pugnam Pharsalicã, qua Pompeij opes fuerunt fractæ à Cęsare, dixisse, hoc unũ urbi Romæ solatium ex tantis belli illius calamitatibus restare, quod ciui esset suo seruitura, nempe Iulio Cæsari. sic Europæ, quandiu nullum est à Turca periculum, illa est unica consolatio, quod quisquis uincat, erit Christianus. At Turca si uincat, quod solatiũ erit reliqui? quæ in posterum boni spes? Hæc ocioси & securi spectant: & auersi à cõmuni hoste, mutuo depugnant. Multum uereor, ne & in Italia hoc tempore de hoc uno tantum certetur, ab utris Italiam capiet Turca: à Cæsarianis, an à confœderatis? Putat se unusquisque saluum fore, & quidem solum. quasi uero expugnatis reliquis, illum unum Turca passurus regnare, non sibi subditum, nõ unum ex suis bassanis. Frustra hæc moneo & uoci feror. Incendium hoc paulatim inuadendo quæq; proxima, extrema quoq; corrumpet. Sed alijs sunt superi intenti, nec exaudiunt, quę apud inferos clamamus. BAS. Licet paucula Minos dicere? MI. Dic, dum ne insana. BAS. Sanissima, & prudentissima. Non intelligis Tiresia, si cui est Principi aut populo fœdus cum Turca, huic principi grandia & ualidissima cum illo intercedere iuramenta, res amicorũ saluas fore. TIR. Plurimum tu quidem alieno iuri juraudo tribuis, qui non est solitus multum tuo tribuere. ex te ipso uelim de alijs cõiecturã sumas. BAS. Tiresia, quod sit dictũ cũ tua bona uenia, appareret te, etsi dicaris Thebis regnasse, nũquã tñ ex calculis, pdisse, nec regũ uidisse palatia, qui me æques Principib. TIR. An non tã oportet te quæ iurauerispræstare, q̃ ipsos Principes? Sed quandoquidẽ te arbitraris hominẽ, illos deos: aut illos homines, te pecudẽ: dic quæ pax, quod fœdus, quæ fides uel publice uel priuatim data, sancta fuit ætate hac, & firma? Ergo Christianus quod Christiano iurauit, non seruat, seruabit Turca, qnod Christiano promisit? nisi credis Turcam religiosius Mahumeti somnia colere, q̃ uos sanctam pietatẽ Dei ueri & immortalis, præsertim quũ uos sciatis nefas esse, fidẽ frangere: ille contra ius fasq; esse credat, circũuenire uos, lędere, tollere hostes suę superstitionis, idq; iussum sibi à suis oraculis. Nec pauca sane Constantinopoli, Trapezunte, in Pannonia, in Eubœa, exempla ostendit, se fidem, iusiurandum, deum suum, misericordiam, humanitatem flocci nõ facere. MI. Atqui ex te Basili audire percupio, quæ tandẽ caussa Christianos Principes ad tanta & tam cõtinua impellit bella. BAS. Multæ sanè & graues. TIR. Eas ego non uideo. BAS. Non mirum. nam es cæcus. TIR. Atqui uides, me hic apud inferos oculatiorem esse te. BAS. Hic uero tu & oculatus, & auritus, etiã linguax, apud superos uero nihil cernis. TIR. Tu uero ita illa cernebas, ut ad hæc animũ nunquam deflecteres. BAS. Animaduerti Tiresia, quod nolim dictum putes sine stomacho, te iamdudum in Principũ bella rusticis facetijs ludere, & res maxime serias irridere. TIR. Ego uero Principes omneis uenerandos esse existimo, obtemperãdum qualibuscunq;. prętera summam beneuolentiam, effusumq; omnium fauorem deberi bonis. Sed quid faciendum censes Colacule urbanissime: & quod tu libentius audis, aulicissime? uis me puerilia grauiter audire, stulta & furiosa suspicere, crudelitatem approbare, homini uero irasci te. hoc nouum est, atq; insolitum. qui etiam ijs, quos oderas, eras blandus: Nam te habere stomachũ, negare nõ possum: qui illius gratia indigna egeris, passus sis, dixeris, audieris permulta. Sed profer ex disciplina ista aulica, recõditas istasatq; admirabiles belligerãdi ratiões & causas. BAS. Primũ ocij uitẽdi causa, rogote, quid faciet iuuenis Princeps cũ iuuẽtute nobili? Ludẽt scilicet aleã, sedebũt domi, cõpotabũt, saltabũt, scortabunt? Ea est disciplina tua, ut hæc uelis iuuenes principes exercere? ergo optimũ & præclarũ opus quęrũt, q̃ occupẽtur, bellũ. TIR. Midicã rationẽ audiuistis. quasi tertiũ nihil sit, aut illa agere, aut bellũ facere. Quin potius cõsilijs intersunt? prudẽtes audiũt? dãt operam

ram præceptis sapientiæ? discunt populum bene & sapienter regere? ea denique meditantur, quibus ciuitates & regna, quorum tutelam susceperunt, quietè ac feliciter gubernentur? Nam ex bello cædes, rapinæ, incendia, & propter impunitatẽ, scelera omnia nascuntur. in pace uero bonæ artes ualidæ ac pollentes sunt. Hoc est Principum munus, hoc nobilitas, utile populis & gentib. gratũ Deo. Hoc ego sciogẽtilis, tu ignoras Christianus? BAS. Ista Christiana? Audis Tiresia? TIR. Vtere ad eiusmodi belluas dictis sãctarũ literarũ, uel autoritate Christi. Intelligis eos præsentib. cõmodis, non ueneratione ulla Dei, aut respectu uirtutis atq; honestatis moueri? MI. Nunc nihil miror esse ex uobis, qui Turcã nõ abominentur, cum Christiani nomine, mente & cogitatione tam alieni sitis à Christo, ut nec pudeat talia ex impotentia affectus, ploqui, et quidẽ ad tribunal hoc. Expecta finem colloquij. senties, quanti sint Christiana hæc momenti, & quantũ illis tribui decuerat in uita. TIR. Nihil est, Minos: mea sunt rusticana. ista sunt urbanitatis cuiusdam, et salium. BAS. Bona uenia, Minos. Dico, Christum nõ tollere, quo minus principes sint principes, & nobiles nobiles. TIR. Vult quidem Christus, principẽ esse principem: at nõ uirum malũ. nobiles esse nobiles: sed non impios homines, qualis es tu, qui tale uerbum effudisti. MI. Dic alias causas, si habes. BAS. Quid uis me miserum dicere? non possum præ mœrore, territus minis tuis, & tanto præiudicio iudicis ipsius. MI. Licebit tibi causã dicere, interea hęc agamus. Effunde alia in meã gratiã, quo manifestius tu ipse dementiam tuam agnoscas. BAS. Audies iam Minos causam, quam confutare Tiresias non poterit. nec à mea, ut tu uis, dementia profectam: sed à senibus quibusdam. quos principes in consilijs habent, quos'que permultum de sapientiæ nomine uenerantur. Bello quæritur gloria: tum conseruatur amplitudo imperij, etiam augetur. Iubentur Principes respicere maiores suos, cuius sint nominis: quàm immortalis gloriæ illi, qui ditionẽ auctiorem reliquerunt, q; acceperint? q; ignobiles uiles q;, qui minorem. Simul in testimoniũ magna adducunt nomina, & uetustate cõsecrata: Alexandros, Iulios, Pompeios, te etiam inter alios numerant, Scipio. & tanto magis debere anniti, si quid habeat iuris, ut suum recuperet. Habes etiam Tiresia, quod in hoc cauilleris? TIR. Est quod in libris Mysteriorum legitur: A' senibus egressa est iniquitas. Tametsi non credo eundem in modum senes omnes consulere, sed tantum eos, uel quibus quæstui est bellum: uel de quibus merito dicatur, Bis pueri. Omnes isti tui Alexandri, & Iulij, & Philippi, & Pompeij, strenui sunt latrones: quod gentiles neque ignorauimus, neque dissimulauimus. Quanto satius esset cogitare, quemadmodum parta regerentur, quàm quemadmodum pararentur noua. Augustum Cæsarem, quum Alexandri res in oriente gestas legeret, admiratum ferunt, non reputasse Alexandrum cum animo suo, qua ratione ac uia quæsita conseruaret, ac regeret: sed tantum, quomodo quæsitis alia adderet. Scipio, huius nepos, quum censor esset, noluit in solenni carmine, sicut erat moris, precari, Dij augete Rempublicam: sed, Conseruate. satis, inquit, habemus auctam, si modo conseruetur. Iam quæ gloria est, cum tanta strage auxisse? Et interdum iuueni tam regendi imperito, ut domui mediocri non satisfaceret, regnum unum non sufficit. alia conatur adiungere, non quæ administret, sed quæ possideat: quum deberet alijs cedere de suo, si tantum haberet mentis, ut quod onus sustineat, intelligeret. Nam ista uetera iura, quid aliud sunt, quàm uiui radices? unde alia ex alijs succrescunt bella, nisi simul radix ipsa obliuione obruta extinguatur. O' quanti ea regibus & populis constant? Duo mediusfidius regna, quale illud est quod petitur, ijs ipsis expensis possent emi: ut præteream eos, qui pro causa ceciderunt: ciuitates excisas, depopulatos ingentes tractus agri optimi & feracissimi. Si tu non recusares per tot hominum mala regnare, non miror sic de Christo sentire te. nec excutio, quàm uana sunt iura ista uetusti alicuius tituli. SCIP. O' si nunc ueteres illi reuiuiscerent Romani, qui orbem totum ab usque Gadibus ad Euphratem & Tigrim amnem, per fœcialem & patrem patratum repeterent. BAS. De uobis multo diuersa ratio, qui armis quæsita, armis perdidistis. SCIP. Quasi aliud sit hoc tempore ditionum omnium ac regnorum ius? Sed uolo et ipse paucula de bello uerba facere, à puero habitus atq; educatus inter arma, & in ipsis prope castris natus, quiq; ductu atq; auspicijs meis militare didicerim. et loquar de

ijs regionibus, in quibus res geſſi, nempe de Aſia, ad quam profectus ſum nomine quidem L. fratris legatus, re autem atq; adminiſtratione Imperator. Si Europæ Principes odio inter ſe cæci, diſcordia furentes, arma à Chriſtianis uellent in Turcam conuertere, omnia quæ expetunt, prolixius aſſequerentur, & copioſius. Nec minus ſeſe exercerent, ſed iucundius, quippe contra homines alieniſſimos, procul diſſitos, hoſtes religionis ſuæ ac nominis, quos non aliter uiderentur ſibi perſequi, atq; in uenatu feram. Iam exercitui pręda opimior, & opulenta ſtipēdia, nempe ex lata Turcæ ditione, & diuite Aſia. tum principibus occaſio ac materia imperij proferendi, in tantis maris ac terrarum ſpacijs. Si quis eſt inter eos auri & diuitiarum cupidus, huic ego ditia illa commonſtrabo ſpolia Græciæ, Thraciæ, Macedoniæ, Ponti, Mœſiæ, Pannoniæ, Aegypti, Syriæ, omnium denique gentium à Turca tot continuis ſucceſſibus deuictarum. Præterea opes illas Aſiæ, infinitas, incredibiles. Vultis quātæ ſint audire? His ſolis ingētes ac immen ſi exercitus noſtræ ciuitatis ſuſtentabantur. Si mihi non habetis fidem, Ciceronem huc adducam, hominem uobis bene notū. Non uideram eum quidē apud ſuperos: ſed hic omnes mutuo nouimus. At imperium, ditionem, regnum mauult quis. hæc ſpectat, hæc expetit. Quid malum dementia hæc eſt, de X aut XII paſſuum millibus, ducentis, tercentum annis inter ſe digladiantur. dant damna atrociſſima, & accipiunt: uexati, perditi, ueniunt ad pacem. Nemo eſt, qui non maius & opulentius regnum in Grecia atq; Aſia breui tempore pararet ſibi, quam id, unde eſſet ad bellum egreſſus, ut periculum eſſet, ne facile ueteribus noua permutaret: nemo in tam diffuſo imperio & late patenti parum poſſet occupare. cumulo liceret accipere, & plena manu. At in ratione belli hæret quis? eam ego explicabo, nō modo ex ijs quæ illic geſſimus: ſed quæ uidi, audiui, legi. Habet Turca in Aſia patrias opes, minorem Aſiā, quæ continet Euxino, Propontide, Helleſponto, uſq; ad ſinum Iſſicum, ad orientem Tauro monte plus minus. neq; enim ad uiuū reſeco. Acceſſerunt patris uictoria Aegyptus & Syria, Sultano eiecto, tum in Europa à Byzantio Thraciæ. quæ nunc eſt illius gentis regia, quum maiorum fuerit Pruſia Bithyniæ, ad Iſtrum & Pannoniam, mare Adriaticum, Ioniū, Aegæum, prouincias: quæ ſunt dudum à Polypragmone cōmemoratę. Vires & totū exercitus robur eſt illi à Mœſia, Thracia, Grecia, Macedonia: & ijs regionib. quas homines Chriſtiani incolunt. ab illis paruos liberos abſtrahit, quos cogit Chriſtū abnegare: hinc militię aſſuefacit. Mamelucos uocant: robur copiarum præcipuum. Hi coacti & inuiti grauiſſimo domino ſeruiunt, translati in ſuperſtitionem alienam à parentum ſuorum religione ac pietate: & ab ea illa, qua ipſi initiati à primo atq; imbuti fuerant. Ergo iſtos, ſi metus potentiæ non contineat, quis credat facturos, quod nunc inuiti ac repugnantes faciunt? Græcia ipſa, & Chriſtanæ regiones non modo ſeruitio tanto oppreſſæ: ſed quod iniquius eſt, ereptis ad impietatem liberis, nihil aliud quàm nomen Chriſtiani exercitus ad excutiendum iugū expectant, quod ipſi ſine aliqua ueſtrorum armorum ſpe aggredi non audent, utiq; nec ualent. Nam ad primum motum, firmis per urbes arcesq; à Turca diſpoſitis præſidijs, antequam arma induere & coadunari Chriſtiani homines poſſent, à præſidiarijs militibus conciderent. Vobis eſt opus, qui primam illam præſidiorum uim non excipiatis modo, ſed debilitetis, confringatis. Mameluci ad patriam, ad parentes, auos, fratres, ſorores & Chriſtianos homines transfugerēt: Sed uolo ne tranſeant: tutentur, propugnent ſanè Tyrannū ſuum: modo excluſo illi à Chrſtianis nationibus, ſupplemēta ab Europa non mittantur. In qua ille non ignorat, ſe uelut in alieno ſolo conſiſtere, fultum & innixum metu atq; imbecillitate illarum gentium, & occupatis ac implicitis inter ſe Chriſtianis Principibus. Ad primum uero belli à uobis illati motum nihil minus quàm ſe Europæ auderet credere, uelut alienis, & natura hoſtibus: quosq; intelligit ſe oppreſſos atq; inuitos ſub imperio ſuo continere. Itaq; in Aſiam reciperet ſe, ad fontem atq; originem ſuarū opū, copiarū, ditionis, regni, atq; imperij auiti. Eat ſane, dij id faxint, trāsferet illuc bellū. Nunq; Europa in Aſiā eſt ingreſſa, quin eā ceperit, & tenuerit, nunq; Aſia in Europā, quin maxima ſua clade repulſa ſit. Documento ſunt Miltiades, & campus Marathonius, Themiſtocles ad Salaminā inſulā, L. Sylla ad Chęronæā, quib. pugnis nō cū multis Aſianorū millib. ſed cū multis centenis millib. nō multa Europęorū hominum

minum millia ſigna contulerunt. Iam de Aſia, ut prętream bellum illud famoſiſſimum Græcorum cum Priamo & Troianis, populus Athenienſ. colonias in ora Aſiæ habuit XII. urbes inſignes, & Aſiæ totius, ſiue populorum frequentia, ſiue opum copia & uiribus facile principes. Galli eam partem tenuerunt, quæ nunc de illorum nomine eſt Galatia. Alexander paucis annis Aſiam totam, non modo cui nunc Turca dominatur, ſed uſq; ad Indiam, & Oceanum terris illis circunfuſum, triginta bellatorũ millibus ſubegit. Frater meus uno prælio, Tauro tenus: unde Aſiatici cognomen inuenit. Cn. Pompeius exiguo tempore uſq; ad Euphratem, & ad Septentrionem, feras & incultas nationes, quæ uel nominibus ipſis barbariem ſuam præ ſe ferrent. Cæſar dictator tribus horis Pharnacem Mithridatis filiũ, ut triumpho adſcriberet, VENI, VIDI, VICI. Omittam Ventidiũ Baſſum, Tib. Claudiũ, Traianũ, & alios permultos, qui in Aſia maximas res pari facilitate & felicitate geſſerunt. Quo magis hominib. ętatis huius pudendũ eſt, hoc ſuo tempore accidiſſe, quod antea nulla hominũ memoria ne fando quidem fuerat auditum. Magna atq; horrenda nomina, & numeroſi exercitus inſonant auribus: Ioniį, Paphlagones, Cilices, Pontici, Phœnices, Syri, Aegyptij, tum armatorum genera: hippotoxotæ, pedites, equites leuis armaturæ, cataphracti: claſſes ingentes, quas nulli portus capiant, uix mare ipſum: auri atq; argenti copia incredibilis. Olim hæc omnia de Antiocho, rege terræ eiuidem, eadem & magnifica magis iactata ſunt in Aegeo Achaiæ, cum conſilium eſſet multarũ illic gentium. Feſtiuum eſt, quod huic tantæ orationi, quam literis T. Liuius mandauit, T. Quintius reſpondit, Rex, inquit, contra peditũ equitumq; nubes iactat, & conſternit maria ſuis claſſibus. Eſt aũt res ſimillima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni, & iciti conuiuatoris, apud quẽ ſolſtitiali tempore comiter accepti, cum miraremur, unde illi eo tẽpore anni tam uaria & tam multa uenatio, homo non, cũ iſti ſunt, glorioſus renidens, Condimentis, ait, uarietatem illam & ſpeciẽ ferinæ carnis ex manſuefacto ſue factam. Hoc dici apte in copias regis, quæ paulo ante iactatæ ſunt, poſſe, & in uaria genera armorum, & multa nomina gentiũ inauditarum. Dacas enim, & Medos, & Caduſios, & Elimæos, uiros omnes eſſe haud paulo mãcipiorũ melius, propter ſeruilia ingenia, cũ militum genus. An uero in militũ numero ſitam eſſe uictoriam creditis? Quadraginta pugnatorũ millia ſumo mihi delectorũ, quales in Africã tranſportaui, equidem non tanto numero, cum Annibalem uici, reliquũ orbem hoſti cõcedo, meliore mihi ſpe uictoriæ, quo illi plures fuerint. Quid enim aliud in tanta turba, niſi alius alium protrudit, & manus impedit, ne liberè atq; expeditè queat dimicare? Vtinam tot eſſent hoſtes, ut eis campus eſſet anguſtus. Non morabor in re, nulli bonorũ imperatorũ aut ducum ignorata, præſtare mediocrem bonorũ militum copiam bene inſtructorum, cũ turbam illam regi inhabilem: quæ nec imperia poſſit accipere, nec ſeruare: pugnet' que, ut ſibi uideat quiſq;, non ut duci. Plurima ſunt & maxima exempla, nihil magis ſaluti fuiſſe in pugna, cũ mediocrem numerũ, & concinnum. nihil maiorem attuliſſe perniciem, quàm ingentes illas & uaſtas copias. Auſim hoc cõfirmare, homo ſemper in bellis uerſatus, rariſſimo uictores aliquos fuiſſe, quia plures. niſi forte notabilis ſit paucitas. Quid quòd domo licebit ſupplementa accerſere? ſi ſit opus. ſed nõ erit aduerſus tam imbellẽ hoſtem. Dicet uero aliquis: Alię ſunt nunc res, alia tempora, alius Aſię ſtatus. Neq; hoc ipſe neſcio. ſed animi, ſed uires eędẽ. Nã quod Aſiam dixi imbellẽ, hoc ſi uel inſcitia, uel nullo militaris rei uſu contingeret, utiq; mutare poſſe cõfiterer. ſed quia naturę eſt, non caſus, corrigi utcunq; poteſt. mutari penitus non poteſt. Ariſtoteles enim ſapientiæ aſſectator, & alij magni uiri permulti, quib. rerũ naturas cauſſas q; perquirere curę fuit, memorię prodiderũt, fortiſſimã mundi gentem & animoſiſſ. eſſe eam, quę Europam incolit, Aſianos meticuloſos homines, & bello minime idoneos, fœminis ſimiliores quàm uiris. Vt non modo Europa homines cæteris animo ac uirib. præſtantiores edat, ſed feras quoq;. quippe leones, qui in Europa naſcunt, plus habent animi, quàm Punici. canes etiam, lupi, & reliquæ animantes. tametſi Africæ plus oſtendunt ore ipſo ferociæ. Itaq; licet Turca fortiſſimos haberet aliunde collectos exercitus, magnã uictorię ſpẽ in ignauia ducũ haberẽ collocatã, qui omnes Aſiani ſunt, quippe malim, ut ille dixit prudẽtiſſimè, exercitũ ceruorũ duce leone, quàm leonum duce ceruo. Obiiciat mihi aliquis

quis experimenta seculi huius, quo Asiani Europæ partem subegerunt. Ceu uero nunquam sit fando auditum, meliores à peioribus esse quandoque superatos: uel propter ipsorum discordias, uel contemptu inferiorum, aut quòd incauti in periculum rueruntdenique casu aliquo: ut nobis ad Caudinas furcas temerarius inter montes ingressus, ad Thrasimenum circunfusa nebula exitio fuit. Quid si quis post tres ingentes cõflictus ad Trebiam, & eum quem modo nominaui Thrasimenum, mox ad Cannas, inferiores pronunciasset uires nostri populi & Carthaginensium, iussissetq; nos à Carthaginensibus pacem supplices petere? næ ille neque nostris, neque hostium uiribus atque opibus expensis, celeri nimis desperatione Romanis rebus in æternum ualedixisset. ut L. Metellus, & alij quidam iuuenes cogitarant, quos ego ab eo furore reuocaui. Nos temeritas nostrorum imperatorum afflixerat. Simul duces populo cautiores elegimus, meliore loco stetit nostra res: & Carthaginem cepi. Europæ discordia primum inter Constantinopolis principes, Asiam Turcis tradidit. hinc in Thraciam aditum patefecit. tum Regum Europæ dissidia, & bella alia ex alijs renascentia, uelut hydræ capita, animum illi auxerunt ad effundendum se latius in Europam. Res prosperas facile quiuis etiam ignauissimus quum se dant, accipit. Nemo nescit clauum in tranquillitate regere. Tantis culpa uestra successibus, facti sunt illi paulo audaciores. Corrigit nonnunquam arte aliqua naturæ uicium, non tollitur: & si ars cesset, semper natura ipsa, quod suum est, paulatim ad se retrahit: & tandem uicta atque sublata arte, sibi uendicat. Paulum si reflarent uenti, & odia atq; iras uestras in illum transferretis, agnosceretis illico Asianos animos. detegerent res aduersæ, atque explorarent mentes eas, quas tanta felicitatis continuatio abdidit & occultauit. ibi declararent se non ui ac uirtute sua, sed culpa uestra fortes & strenuos fuisse. Profecto aut ego sum militaris rei omnino rudis: aut ijs exercitibus quos hoc tempore Polypragmon esse in armis retulit, in Italia & Germania, ne nunc res præteritas deplorem, sed illis ipsis quicquid imperio & dominatu tenetur Turcæ, potest expugnari ac subigi: uelint modò anniti, atq; operam nauare, & maneat bona fide concordia. Neq; uero sic res Turcæ occuparent, ut Christianorum à Christianis. inter quos omnia, quæ armis deuincuntur atq; occupant, plena controuersiæ, magno cum labore custodiuntur. Quicquid semel est captum, id ab eo qui amisit, & eius hæredibus in æternum reposcit. nullus litigij finis, & certaminum. Neq; raro id contingit, ut aliena inuadens, amittat sua: propterea quod hic ferrum in ferrũ incidit, & inter pares certamina sola morte finiuntur. Cum Turca non est idem iuris, neq; periculum par. Illic prælio qui uincet, bello uicerit. Non est Asia, quæ semel amisso exercitu alterum reparare ualeat, nisi forte inualidam atq; inconditam multitudinem mittat, ut det manus, nõ ut conferat. Amplissima atq; ingentia operæprecia uidetis. Addite his omnibus præclarum decus: siue prolatis imperij finibus, & extremas nationes arma uestra sentire maximis quoq; rebus gerendis, ingens uobis nomen latissime facere (quod meo quidem tempore glorio sum in primis ac prædicandum censebat, siue detracto Europæ populis metu ac seruitio Turcæ, ampliata etiam pietate, & propagata in tam multos. Nescio an idem Christo uideatur, sed certe hoc tolerabilius malum, quàm furor ille ciuilis dissidij. TIR. Imo fraterni, quandoquidem omnes illi fratres uocantur, & unũ profitentur patrem cœlestem Deũ, quamuis pietas sanctis monitis et exemplo uitę dilatat atq; auget, nõ ui aut armis. Nõ possunt humanæ mentes cogi aut trahi, at duci possunt. MI. Iam ingenti multitudine obruimur. Dic paucis Tiresia, quæso te, quod tandem existimas posse huic malis remedium inueniri? Fortassis curabimus consiliũ tuum, per Mercurium, perferendũ ad superos. TIR. Non puto esse consilijs locum. nam omnia sæuæ atq; atroces amicorũ affectiones occuparunt: nec consilijs est ullus aditus. Sed sententiam meã aperiam: & paucis, uti rogas: Primum omniũ unica Christianorum arma, solum præsidiũ, sed id fortissimũ atq; inexpugnabile, est Christi sui tutela. si is eos recipiat, inuicti, inuiolabiles cunctis erunt nationibus, ac gentibus: sin reijciat, quid aliud fuerint quàm prædæ? Sed recipiet, modo uelint ipsi: nam ille expositus est ac obuius ijs qui ad ipsum redeunt. Recipiant oculos, intelligant quantum habeant, quàm inuincibilem præsidem: ad eum reuertantur, illum solum intentis atque inconniuentibus oculis aspiciant. Et non contenti

tenti ſolo Chriſtianorum nomine, re ipſa atq; operibus tantæ & tam præclarę profeſſioni ſatisfaciant. Pacem & ueniam à Chriſto petant, ac precentur. Hinc quod unice illi placet, quod que eſt caput præceptorũ eius, depoſitis bellis, odijs, ſimultatibus, rixis, diſſidijs, bene inter ſe uelint, ac mutuo ament. Non ſuis fidant uiribus aut armis, ſed Chriſto. Et quantum ad humanam quidem diligentiam atque operam attinet, haud ægre accepta hactenus plaga ſanaretur, ſi iuuenes duo cõtenti latiſſimis imperijs, quę poſſident, amice inter ſe & concorditer uiuere animum poſſent inducere. aut ſi regnum liberet augere alieniſſimum potius, & pietatis hoſtem bello impeterent: quàm uicinum, ſanguine & myſteriorum initiatione coniunctum. Nam tertium illum credo impedimento non futurum, quo minus firma ſit eorum concordta, qui etiam ſubſidium paulo quidem ſerius, nempe tanta terrarum & maris intercapedine, ſed optimo ac pio animo in Pannoniam uſque per legatum miſit, præſtitit quod potuit. Et cum longiſſime à ſenſu horum tumultuum abſit, propter inſulam ab orbe ſeiunctam, tamen ſuæ curæ id bellum eſſe duxit, in quo in remotiſſimis quidem & diſiunctiſſimis regionib. ſed tamen de Chriſtiani Principis ditione aduerſus Mahumeticum ageretur. Habent adhuc Chriſtiani firmiſſimam Europę partem Germaniam. Diſcedant ab armis inter ſe, alioqui perierunt. Muniant, firment Germaniam arcibus, præſidijs: ſed in primis conſenſu gentis futura inexpugnabili, ſi is adſit. In hoc conſpirent, ne ille potiatur Germania, aliter nihil reſtat ſpei, quo minus cedant illi poſſeſſione occidentis, & in nouum orbem magnis claſſibus perfugiant, qui nolint ſub illius dominatu uiuere. Neq; illic eos patietur quietos agere, homo cupiditatis atq; ambitionis œſtro percitus. Quid enim reliqui eſt, quod obſiſtet ei, Germania innixo & fulto? Nugæ omnia. Piget dicere, quàm infirma ſint reliqua aduerſus Germaniæ, & tot gentium ac regnorum dominum. Fortiſſima quidem eſt omnium Europa. Sed quid iuuat, ſi ille præſtantiſſimam Europæ partem poſſideret? Nec ſperent ceſſaturum Turcam, aut quæſitis contentum, defuturum ſuæ occaſioni, quam illi Chriſtianorum diſcordiæ facilem prębent, qui etiam ex Pannonia diſcedens, reditum ſuum in proximum uer eſt terris illis ac nationibus comminatus. Ergo coeant in pacem primo quoque tempore, & in medium de communi ſalute conſultent: ne dum contentius pergunt certare, uictorem feſſum, uictum, & fractum abſumat communis hoſtis recens, integer, ualidus. Sed nihil tale metuendum eſt, ſi maneat inter Chriſtianos firma & ſolida concordia: ſine qua inuicti & ſalui eſſe non poſſunt. Hæc quidem ſic CHRISTVS approbet, qui unus plus poteſt polletq; quàm reliquus orbis uniuerſus, qui ſuos, ut bonos tuebitur, ita deſeret malos, hoc eſt alienos, nihil que deſertis erit imbecillius, ut nec illis fortius, quos ipſe in curam & tutelam ſuam receperit. MI. Putas hæc eos Tireſia facturos? & tam bonis auſcultaturos conſilijs, atque adeò uaticinijs? TIR. Aut facient, aut non facient. MI. Hic eſt mos tutus, ſic nunquam mentière. TIR. Idcirco eo utor more. Hoc uero confirmo tibi, ſi non fecerint, uenturum aliquando tempus, utinam non breui, quo uellent facta, utinam non ſero.

Brugis, 1526. Menſe Octobri.

IOAN.

IOANNES LODOVICVS VIVES CLARISSIMO VIRO D. DESYDERIO ERASMO ROTERODAMO PRAEceptori suo colendiss. S. D.



NVNC primum renunciat mihi Laurentius Decanus, Stephanum comitem iturum isthuc: si quid uellem mandare, discessurum eum hinc cras sub solis ortum. itaq; accipies a me, quæ in mentem nunc ueniunt. Nam habebam in animo literas tibi scribere longi subsellij, ut ait ille, si tabellarium inuenissem, à quo essem submonitus tempestiue. Louanio, pridiè quàm illinc abirem, dedi regẽti Lilij literas ad te, μετὰ παροιμιῶν τινῶν. credo esse redditas. Et significabam tibi, me iturum postridie Antuerpiam, ubi inueni Ioannem tuum in conuentu mercatorum. quem paulopòst requisiui, ut ad te scriberem: iam nusquam erat. miratúsque sum nihil eum attulisse mihi abs te. Cúmque Antuerpiæ non conualescerem, ueni Brugas, ratus me non mansurum hic supra hebdomadas duas. iam sextam hic ero. usque adeo infixus hęrebat hic morbus: maxima tamen pars abijt. et quod restat, nõ me magnopere terret. sed cum hic hactenus desedi, manebo hic Regem, & Morum, ut uideam quo pacto sit mihi uiuendum posthac. Pecunia Reginea me hu c usque alui, et alo. Moro scripsi me prolixe collocuturũ cum eo, cum uenerit: suspicari potest quid uelim, sed nõ apertè quicquam, quum nollem te inconsulto. tametsi consiliũ tuum propemodum noui, ut parem ocium ad uitam studiosam, undecunque queam: quod, cum alia pręstitero omnia, non est in manu mea pręstare. quod si in eo solo sita est fortuna, non est suę quisque fortunę faber, ut dicebat Appius. Habes quæ hactenus egerim, quæ'que sim breui acturus. scio quæ subeat animum tuum cogitatio: De Augustino quid? sex libros habeo paratos, hoc est recognitos. nã alij permulti sunt scripti. quos sex possem mttere, si, qui ex scriberet, haberẽ. Cæterùm si non mittantur hoc Augusto, mittent̃ ante hyemem, ut spero. Scit Deus quantum ea res me angat. sed uis me θεομαχεῖν? malui differre Augustinum, quàm uel immori labori, uel euadere inutilem alijs laboribus oppressum morbis, et sine ullo instrumento uitæ. Hęc enim recuperare difficile possem semel amissa: illũ dilatũ facile erit in manus sumere, cum uolam. Rogo te etiam atque etiam, ut si non uel tempori, uel sorti, uel fato imputandã hanc culpam censes, mihi saltem hanc facias huius errati gratiam, siquidem per me erratum. πέμπω πρὸς σὲ καὶ παροιμίας ἄλλας, quæ inter legendum occurrerunt. fac ut per hunc eundem qui has ad te pertulit, rescribas nobis, si modo uacat: & si scripto aut non potes, aut non uis, uerbo certe effice, ut de tua ualetudine statu'que rerum tua mortalium rum intelligam, quas ego non minus charas habeo curóque quàm meas. Vale pręceptor omnium chariss. Brugis X. Iulij, 1521.

IDEM EIDEM.

EXpectatissimas tuas literas accepi his diebus superioribus, quæ mihi quod abs te essent, non potuerunt esse non gratissimę: quod uerò nec te ualere, nec res tibi ex animi tui sententia procedere significarent, maxima mediusfidius molestia me, seu mœstitia potius affecerunt. Voluissem, quum hic nouissime fuisti, mecum esses collocutus, narrassem tibi quę audiui. etsi ea ipse nec uera esse puto, nec uerisimilia: sed ut magis quorundam animos haberes exploratos, quos tibi incognitos non esse sat scio: & quæ forsitan si ex me audisses, minus nunc rumoribus istis, quos in Germania quoque dissipatos scribis, mouerere. Lutherianum te hic existimari certum est: sed ab eisdem, quos ipse quum adesses, non ignorabas, si quid esset odij & inuidię plenum, tibi solitos impingere. nec faciliorem uiam existimant minuendæ famæ atq; existimationis tuæ, quàm si te cum Luthero coniungant. Qui hæc conantur, non sunt illi quidem multi, sed assiduo clamant, & inculcant, nihil'que omittunt quod ad hoc persuadendum putent facere: & maximè uellent persuasum Cæsari ac principibus: tametsi hoc quantum intelligo, non aperte agant, neq; directè, sed obliquè, & per occasionem. in aula sunt theologi aliquot Parrisienses, hi quod in te probant solum est, quod de Luthero semper te pronunciasse dicunt ambiguè

guè. sed isti facile te ferunt, modò Lutherus opprimatur. Est Augustinianus quidā tractus per hosce dies ex Antuerpia Bruxellam in ius. eò conuolarunt ὁ χωλὸς καὶ ὁ κάμηλος. istos audio criminose quibusdam conuicijs locutos esse de te: quod iam faciebant, antequam Lutherus nasceretur. nunquam sic Orestes insaniuit aut Hercules, ut isti duo. sed incredibiliter saxicida. cuius omnia, siue loquatur quid, siue agat, mera sunt saxa. homo dignior tragœdia, quàm illi ueteres. ὁ ἄγγελος ῥωμαῖος, homo aperto pectore neq; sua, neq; aliena celat. querit̃, affectũ se multis iniurijs abs te, sed nõ posuisse tamen ueterẽ amorẽ. dixitq; ducem Albæ tibi esse infensum, quod in Hispaniam scripseris ad Barbyrium, Hispanos Luthero fauere, ut credantur Christiani. quod credibile non est. nam non puto te id scripsisse: & quanuis per iocum scripseris, quis ea potuit ad illum perferre? deinde ipse collocutus sum cum eius filio, qui narrabat patrem incidisse nonnunquam in sermonem de te, nullam tamen eius dicti fecisse mentionem: quo tamen esset animo, non potuisse cognoscere. nam ipse in neutram partem ulla prodebat signa. & est hic sodalis κῆρυξ, nõ taciturus, si quid comperisset. nam neq; tacuit hæc duo: prius, dixisse te Antuerpiæ bibliopolę, ut uenderet libros Lutheri, nihil ueritus diploma: alterum, Lutherum, quum ut recantaret, incitaretur, respondisse non id esse sibi integrum inconsultis ijs quibus authoribus & impulsoribus negotium hoc suscepisset. suspicari se te esse inter reliquos, & de primis unũ nominatũ. hic est omnis fons rumoris in Germania sparsi. quẽ tu etiam quum adesses, ferè totum uideras. nam qui de te sic sentiebant, antè tanquam de Christiano, alijs nominibus non addicto, in eadem adhuc sunt sententia. ac plane fama uires acquirit eundo. nebula hæc est, quam ipse procul spectans ingentem: putas aliter dicturus, si propius admotam cerneres, & tangeres. nec mirum, homines de rebus quæ procul aguntur, sic mentiri, quum hic quotidie narrentur nobis Bruxellæ & Mecliniæ agi, quæ ne sunt quidem unquam cogitata. Itaq; commoueri te hisce uocibus nihil oportet. qui hic te Lutherianum uocant, & qui in Germania minimè Lutherianum, utriq; ijdem sunt, & eandem rem agunt: sed pro qualitate & theatri & spectatorum mutant personam, in inuidiam tamen conantur trahere, & munitum omni alia parte hac tentant inuadere. Aulicis tuis amicis uellem scriberes, qualis tibi calumnia per sceleste inimicos homines intentetur, ut ad Deloinum: & si tibi quicquam est amicitiæ cum Cæsareo confessore, cui fides in aula non minor quàm Christo: & ipse eò ibo post solutum Augustinum, ubi calore meo non parum huius nebulæ dissoluam. nam neq; me infimum omnium censet. & ago ut sim de familia Fernandi. sed hoc Harpocrati, ne si emanarit, impediri possit. ἄγγελον si commode posses per occasionem honorifice nominare, redderes ὅλον σὸν. nam questus est mihi, te non retulisse gratiam περὶ τοῦ ζῷ in Stunicam. intelligis puto. uide quibus moueatur? aut potius quid de te sentiat, quum tantopere cupit laudari abs te. isti uerò alij mordent acrius morituri, ut quædam bestiæ. nam hanc iuuentutẽ constat eos non habituros. quæ tota est tua, hoc est bonorum studiorum, & Christi. saxicidã collegæ oderunt, & ferunt. tantos spiritus sumpsit ingressu huius domus Cameracensis, & arbitrantur eum plurimum posse, quod puerum sectetur. ô homines umbris exterritos, quasi uel quem sequitur, aliquid possit. Vel ille quantum dominus potest, possit. Decretum animi tui est, quale semper fuit, Christianum: & indubie paratum est tibi à Christo, ingens illius & copiosum præmium, quandoquidem tam mala tibi ab hominibus refertur gratia: tamenetsi quantum ad hos spectat, prout fuerit tui studiosus uel secus nouus Pontifex, leniet, aut asperiores reddet horum uoces. sed quęso te, uis tu communem bonorum hominum sortem recusare? per Christum rogo te etiam atq; etiam mi Erasme, ne te angas animo, ne præcipites senectutẽ tuam, demissis in imum pectus istis rumusculis. nam cui & Christus ipse, & boni omnes & innocentia conscientiæ tantopere fauent, non est à malis nocere facile. tibi enim quum culpa uacaueris, quæ est una bono uiro in uita præstanda, quem tibi exitum statuat deus, curandum nõ est. sed ego hæccine tibi? Varamum, & Thaleum & Mauritium habeo auditores, & charos, sed cõmendatione tua priores illi erunt chariores, & hic postremus: si modò charior potest esse. De Augustino absolui tredecim libros. septem sunt recogniti & transcripti: sex alij premuntur aliquãdiu: interim aliquid accrescit. iuueniliter statui mihi tam breuem diem, nõ ex-

penſo negotio tam longo,& uario,& recondito,uſq; adeo multis hiſtoricis rebus,fabularibus,naturalibus,moralibus,theologicis referto,quæ tu non ignoras. explicarem rationem totam laboris mei,niſi ad te ſcriberem.peto à te ne ęgreferas paulo ſerius expectatione tua mitti,modo omnino Auguſtino indignum opus exeat.uerberaſti animum meum illo tuo uerbo, Non ero tibi toties flagitando moleſtus. Videris enim nolle me poſthac admonere utilitatis meorum ſtudiorum.incitatio enim iſta tua,& etiam ut tu uocas,efflagitatio,quid aliud eſt quàm calcar,quod me alioqui ceſſantem, ad egregia opera ſtimulat?& efflagitationẽ hanc nominas?quid ergo præceptoris uocabis monita?uis eſſe tam in amicos & diſcipulos ciuilis,ut mœrore eos afficias,quum uidẽt ſecum uelut cum leuiter notis, aut tibi paribus agere.nondum & agendo & dicendo potuit tibi Vives perſuadere,te nihil poſſe facere ſibi moleſtum,niſi quum,ne ſis moleſtus,times.tale eſt illud in ſuperſcriptione, Amico meo obſeruando: nec obſeruando, ſed etiam,ſi diis placet,in primis obſeruando. ſi poſthac ad hunc modum permiſeris iſtum ſiue Ioannẽ, ſiue Liuinum ſcribere,reiiciam literas. Cui obſeruandus ego ſum,is non eſt Eraſmus. per omnia iura amicitiæ,& uniuerſa tua in me beneficia, & ſi qua ſunt mea in te officia, te precor,ut me utaris familiarius.Gaudeo te ſic eſſe in Germania exceptum: quanquã mihi nihil noui id fuit. Gaudeo quoq; habere te iſtic Velium, cuius, ut puto, extat carmen de te genethliacon felicis. mea ſententia. ſaluta eum nobis, ſi ita tibi uidetur. & Buſchium. ſimul & Rhenanum,ſi iſtic adeſt. Mauritius ſalutem tibi plurimam. ſaluebis & à Ioanne Clemente, qui non ibit in Italiam ante proximum uer.is dicit multum doluiſſe,quòd ſe inſcio profectus ſis Baſileam.nam ſi reſciſſet,comitatus eſſet te,& manſiſſet iſtic hymem totam. agebam de conducendo aliquo, quum commode me Franciſcus bibliopola ſubmonuit, miſſurum ſe quàm primùm iſtuc ad te neſcio quos libros: ſi quid uellem perferri,adiuncturum ſe reliquæ ſarcinæ: itaq; iuſſum eſt illi committere ſeptem libros recognitos iamà me: incipiat excudere Frobenius, ſi ſic tibi uidetur, decem alios uſque ad decimumquintum. mittam haud dubie ante quadrageſimam. reliquum per Franciſcum ipſum,quum ibit ad mercatum Francfordienſem.ex iſtis ſeptem poteris cognoſcere,ſi quid modo uacat legere alienum, quam rationem commentariorum ſum ſecutus.etiam ſi reliqui præter octauum,nonum,decimum,& decimumoctauum minus habent & operis & operæ:quoniam non ita ſunt uarij:& magna pars eorum quæ in illis tractat, paſſim eſt cuiuis obuia. Cura rogo te,ut excudantur aliquot centena exemplarium iſtius operis à reliquo Auguſtini corpore ſeparata: nam multi erunt ſtudioſi homines, qui Auguſtinum totum emere uel nolent, uel non poterunt, quia non egebunt,ſeu quia tantum pecuniæ non habebũt.Scis enim fere à deditis ſtudijs iſtis elegantioribus pręter hoc Auguſtini opus nullum fere aliud legi eiuſdem authoris. Vale iterum atq; iterum mi optime præceptor. Louanij 19. Januarij, 1522.

VIVES ERASMO.

EPiſtolam tuam accepi Baſileę ſcriptam pridie Nonas Februarias:& accepi non reſignatam prorſus,ſed ſigno ita luxato & obſcurato,ut facile eſſet deprehẽdere, fuiſſe apertam in uia. De Ciuitate Auguſtini gaudeo ſeorſim edi, & habeo tibi ingentem gratiam,qui hoc curaris. ſed uelim etiam, & cum reliquis Auguſtini operibus excudatur,ne deſit hoc membrum corpori ſuo.quod credo Frobenium facturum,ut & ſeparatim aliquot,& coniunctim aliquot imprimat. Voluiſſem lectis nonnullis paginis in ijs libris quos miſi, iudicium ad me ſententiãq; tuam perſcripſiſſes, ut ſciſſem quid uitandum mihi,quid ſequendum,quid tenendum eſſet. ego enim in hoc opere breuitate quantum potui, ſtudui placere. incurrerunt quidam loci in quibus id præſtari non potuit,ut quum erant res non admodum Theologis noſtris cognitæ.ſicut hiſtoriæ,fabulæ, Philoſophica, præcipuè Platonica. Ideo in octauo & decimo libris longior fui forſan quàm oportebat: tum ut recondita illis aperirem & proferrem, tum ut Platonica prorſus non ignorarent, uiderentq; hæc nihil Ariſtotelicis cedere, & inciperent alios quoq; magnos authores uelle cognoſcere:nec tamen omnia cõiecí quę potuiſſem:multo plura prætermiſi quàm attuli. in alijs libris facilè inſtitutam ſeruaui breuitatem, quoniam hiſtoriæ ex ſacris libris petitæ notiores ſunt etiam uulgò, quàm ut debeant fuſius explicari,

cari. & theologica argumenta non ſum multis executus, attigiſſe contentus, alioqui nullus fuiſſet modus: nec gloriæ tam ſeruiui, quàm forſan putas. etſi nonnihil quoq; eſt ei datum. ſed neq; tẽpus, neq; operis ratio magnopere me de gloria ſiuerũt cogitare. plus enim uoluiſſem temporis ad opus quod totũ aurę tribueretur & nomini. Deinde neſcio quo pacto cõmentarij niſi ſint in ſacras literas, non habent geniũ illum, qui magnũ excitare nomen poſsit. opus ingentis gloriæ totũ futurũ eſt authoris ipſius, nõ debet in aliũ ſcribi. Verum ita eſt à nobis, quantũ licuit, elaboratũ, ut nõ diffidã fore quin lector me et tibi, quo authore opus ſuſcepi, & Auguſtino, & gloriæ ſeruire uoluiſſe cognoſcat. quæ iocatus ſum in interpretẽ non omiſi, & alioqui in præfatione, etiãſi non monuiſſes, erat animus oſtendere, cuiuſmodi homines in Auguſtinũ ſcripſiſſent, idq; faciã & propinabo illos lectori belliſſime ridendos, tum in opere ipſo interſpergo uelut floſculos ex eorum cõmentarijs, & Paſſauantij additionib. quorũ lector ſuaui odore reficiat, minusq; ſentiat uiæ moleſtiã. Exijs quæ nunc mitto, cognoſces q̃ ego illorũ inuidiã metuã. uitam Auguſtini mallẽ ipſe adderes. nam ego nõ cõfido meo iudicio eam collecturũ, quo tu ſoles omnia. & iniuriã fecero ſancto, ſi quid tu de illo eſſes ſcripturus, ipſe ſcriberem: ineptijsq; meis in cauſſa forẽ, quo minus uita illius, eloquẽtia tua illuſtrata ueniret ad poſteros. ego uerò te potius rogo atq; hortor ut eam ſcribas. Mitto hic decẽ libros ab octauo ad decimũ ſeptimũ: reliquos quinq; ſub Paſcha, aut paulopoſt miſſurus. confecti ſunt maxima ex parte, nunc recognoſco: & in chartã mundiorẽ deſcribendos ſtatim curabo. autographũ ſeruabitẽ apud me in ſancturarijs. neq; enim neſcio q̃ à me dãnoſe peccaretur Frobenio, ſi cui facerẽ copiã. ſed uelim quoq; ut is uiciſsim neminẽ admittat ad lectionẽ eorũ quæ excuderit, prius q̃ abſoluerit totũ opus. nec id dico ſine magna cauſſa. Video te ſemp omnia uitæ tuæ præſidia in innocẽtia ponere. qua una fretus magnus ille orator, & in reip. pcellas tẽpeſtates q; ingreſſus, facile ſe ſimultates omnes contẽnere pſitebatur: & pfecto fieri aliter nequit, quominus Deus tibi bene uelit, ut qui cogitas nõ eſſe hãc æui noſtri breuitatẽ dignã ut ob eam tuendã tumultus & tragœdias excitemus. De Aleandro nõ dubito ita eſſe ut ſcribis: tametſi ipſe cum Leodio rediret Bruxellã, iurarit mihi, ſe dignitatẽ tuã apud magnates omnes ſemper eſſe tutatũ. nũc ad Hiſpaniã cucurrit ad nouũ Pontificem. de quo omnes optima & maxima ſperãt, atq; ominant. faxit Chriſtus, ut is creatus ſit in remediũ tantorũ malorũ eccleſiæ ſuæ. Quod iſtic metuũt tibi amici ne aliqui ſtringãt in te ſtyli aciẽ, hoc, ut Cicero reſpõdit, beneficiũ eſt. Quid em amplius & copioſius, q; Eraſmo, & pro Eraſmo dicere? O q̃ facilis, & q̃ non uera modò, ſed etiã ueriſimilis eſt defenſio innocentiæ. tu quã uitã cõſcientiæ tuæ maximo rerũ omniũ teſti approbas, diffides te alijs approbaturũ uel inimico iudici, ut ille Scipio. De monacho nigro doleo te tã ſero in ſententiã meã ueniſſe. illud ueriſſimũ eſt, uitandũ amicum qui obeſſe poteſt, prodeſſe nõ poteſt. Stunicã lõgas in te parare et atroces inuectiuas narrauit mihi Vergara, recitauitq; illius epiſtolã miſſã ad ſe Roma, qua id ſe facturũ minat. epiſtola eſt Hiſpanè ſcripta qua reſpõdet literis Vergaræ latinis. Nam id minat Vergara illũ uulgari ſermone reſcribere latino talem epiſtolã. nec Thraſo, nec Pyrgopolynices ſcripſiſſent nondũ cum aliquo Hiſpano. De Stunica ſum collocutus, quin odiſſe ſe illius mores dicat, arrogantiã, iactantiã, maledicentiã, inuidentiã ſuprà q̃ explicari poſſit & credi. Scripſit etiã uirulentiſſimũ librum in Fabrũ. is liber animos multorũ irritauit, alienauitq; ab eo amicos pleroſq; quin & aiunt illum non poſſe pati aliquos eſſe inter ſe amico animo: laborare ſemper & anniti, ut eos nõ tantũ diſiũgat, ſed etiã cõmittat. hoc dixerũt mihi, quos ipſe ex cõiunctiſſimis infeſtiſſ. inimicos reddiderat. Megerã dicas, nõ hominẽ. ab huiuſmodi morib. prędito magna laus eſt uituperari, cui placere nemo poſſit, ſine ſuſpicione ſimilitudinis morum. mihi unicus ille uerſiculus uenit in mentẽ, quo te cohorter: Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito. forſan lõge aliter dicerẽ, ſi iſtic eſſem, ſed tamen non ſuademus, quod nos faceremus in ſimili rerũ ſtatu collocati, ſed quid faciendũ eſſet. peracta tibi eſt maiore ex parte uitæ fabula, quod ſupereſt, plauſuida totũ, non ſpectantiũ modo & præſentiũ, ſed Chriſti, cui tot labores ſunt tibi deſudati, ſed cõſcientiæ tuæ: & ſi quid ſpectantib. quoq; tribuis, poſterorũ potius, q̃ præſentiũ. illi enim ſublata inuidia, ceteriſq; affectib. purũ te uerũq; Eraſmũ conſiderabũt, reddentq; meritas tibi laudes, tãto copioſius quanto iniquiores tibi tui ſeculi homines fue-

runt,uirtusq; tua minus est ab ijs cognita,inter quos uersabat,quod Socrati uidemus cõ tigisse.rogo te etiã atq; etiã,ne te afflictes:cogitesq;,si te unũ spectes gloriamq; tuã,te sa tis uixisse,& interesse iam tuæ posteritati. arguere enim ex nonnullorũ bonorũ iudicijs potes,qualis de te apud nascituros populos futurus est sermo.quod si reputes,pro lucro deputabis id quod posthac uiues,uiuesq; securus & lætus: atq; id demũ erit uiuere sine anxietate,sine solicitudine:facietq; te ętas tua multis canis munita multorũ latrantiũ cõ temptorẽ:& ipse uelut fatis exẽptus,& in excelso quodã existimationis bonorũ homi num positus loco,infra te uidebis omnia . Sed ego iam incipio obliuisci ad quẽ scribo. Credo te accepturũ à Moro literas per Clementẽ, qui his,pximis diebus profectus est in Italiam,trãsiturus Basileã,ut dicebat,postremis ad me literis.Morus nihil de morbo suo scribit,credo reualuisse.Nã prioríb.iam se cõualescere significabat.Initio Quadra gesimę ueni Brugas,quod Quadragesima Louaniẽsis incõmoda mihi est semper in op pido tam mediterraneo,ubi pisces nec edimus nisi iam putres, & nõ ad stomachũ meũ paratos. paucis anteq; uenirẽ diebus obierat nobis Petrus Laurinus, quod dolui haud sanè mediocriter. Decanus te salutat,qui superiore hebdomade profectus est Bruxellã; narrauitq; mihi salutari te ab Abbat. S.Bauonis Gandensis , qui hisce Calẽdis Ianuar. parauit tibi in aduentũ tuũ strenas aureas, nescio quid rerũ,pecuniã credo.De Ferdinan do nihil adhuc procedit,& ut lentè ac frigidè id ambio, nescio an procedet. Dux Albæ offerebat nõ cõtemnendã prorsus conditionẽ,si per fratres rescire licuisset. cupiebat em ille impense nepotes illos suos, quos habet in Hispania ex primogenio filio à me erudi ri.cumq; ageret de mittẽdo ad me cubiculario quodã suo,qui rẽ mecũ transigeret, offer retq; ducẽtos aureos ducatos annuos mercedis nomine,interuenit Frater quidã Domini canus,rogatq; ducẽ ecquid Louaniũ mãdet:se postridie iturũ eò. Nihil, inquit Dux,op portunius.q̃o te loquere cũ Viue,& ex eo cognosce,an uellet hac mercede instituere ne potes meos.& simul nobilis quidã Bertrãdus,is qui te Andrelaci inuisit,dat ei literas ad me, quibus certior de toto nogocio fiebã.uenit frater Louaniũ, colloquit mecũ plus de cies,nec de Duce uerbũ ullũ,nec literas Bertrãdi reddit.Dux ubi me uidet cunctari,aut admonitus forsan à fratre me recusare,pręficit iam hinc pueris Seuerũ monachũ.ignarus ego harũ rerũ omniũ,uenio Bruxellã,ibi expostulat Bertrãdus,quod epistolę suæ nihil respõderim.cui malùm,inquã,epistolæ:serio,inquit,cui epistolę?serio,inquã. tũc narrat multis præsentib.rem ordine, quorũ pleriq; affirmabãt se interfuisse,cum Dux illa man daret fratri,se dolere impendio,quod conditionẽ sim aspernatus. fuisse futurũ ut nusquã magis ex animi mihi mei sentẽtia uixissem,q; secũ,hoc est cũ hominib.mei amãtissimis iã integrũ nõ esse mutari:quod inter Ducẽ et Seuerũ cõuenisset.Bona,inquã,uerba:ego scilicet aliquid aspernarer,quod mihi à Duce offerretur?cũ semper auidissimè quæsierim occasionẽ aliquã ostendendi,q; essem animo in Ducis obsequiũ propensissimo. Agere me illis gratias de eiusmodi in me animis, & nõ tã ægreferre interceptã eã cõditionẽ,q; animũ sceleratũ fratris.& hęc patimur à fratrib. quid facturi ab alienis?iã non cõtenti eru ditionẽ impetere,etiã in fortunas nostras inuadunt.Deus ipse uindex erit.Vale etiã atq; etiã mi præceptor.Brugis,Cal.Aprilis 1522. VIVES ERASMO.

LIteras tuas quas scripsisti XIII Cal.April.accepi Non.Maijs,nescio quẽadmodũ tã lẽte perlatas.Cãcellario reddidi quas ad eũ scripsisti:qui ubi legisset supscriptionẽ inter resignãdas eas reuidẽs,ad nos cõuersus (aderat em Narcisus medicus)errauit inq; t D.Erasmus in nomine.nã scripseras prius Gulielmũ:deinde hocdeleto,superscripseras Mercurinũ.sed haud dubiè mihi subrisus ille non tã ex ea caussa uidebat oriri,quã ipse pręsẽtiebat,q; gaudio tuarũ ad se literarũ.tum legit duplicẽ,ut mihi quidẽ uidebat,epi stolam:alterã nõ scriptã manu tua, nec litera Italica, eamq; legit priorẽ. Dehinc quã uel tu,uel aliquis tuorũ scripsit. & legit attentè,nec perfunctoriè. tum q̃siuit ex me, an quid aliud ad se scripsisses? negaui,aliud me ad eum habere:atqui inquit,hæ literæ aliquid ui dent aliud significare.respõdi,me id nescire.loquit hic,inquit,de uia quadã,nec explicat q̃ sit.quęsiuit Narcisus,quõ ualeres.respõdit ille,te calculo affectũ scribere.tũ subticuit, atq; ita eo salutato abij. Nondũ uenerat Cardinalis Leodiẽs.uenit noctu.postridie cũ ad eũ essẽ,pfectus, inueni eũ in uestibulo domus parãtẽ ire ad Cęsarẽ, reddiq; literas tuas, quas uisus est accipere libẽs, dixitq; se lecturũ:& cõscendens mulã,resignauit eos: cœ

pitq;

pitq; legere. illinc rediẽs offendi Hilariũ noſtrũ pulſantẽ noſtras fores, qui nũciauit te bene ualere. quod equidẽ gaudeo nõ mediocriter. De aduẽtu huc tuo nihil dicebat ſe habere certi, prẽterquã q; nõ dubitaret te haud diu abfuturũ. multi te cupiũt adeſſe, etiã ij qui plurimũ poſſunt in hac aula, ac penes quos putãt eſſe cẽſura ingeniorũ ac ſtudiorũ. niſi fucũ omnib. faciũt, & uehemẽter ſimulatas gerũt uolũtates, quod in nulla aula nouũ eſt, nec in hac rarũ. hodie loquar Coronello, quem nondũ cõueni, ex quo huc uenit: ſi quid ex eo cognouero, quod credã tua intereſſe abs te nõ ignorari, addã his literis, ſi modo nõ miſero: ſin miſero, ſcribã per alios. Vergara ſalutat te. qui narrauit mihi, Hiſpanũ quendã, qui nũc agit Romæ, Mirandã nomine, ſcripſiſſe de trib. aut quatuor locis Annotationũ in nouũ Teſtamentũ tuarũ, ſed modeſtiſs. ac honorificẽtiſs. monẽs potius id agit, q; reprehendẽs, aut obiurgãs. opus aiebat ſibi eſſe dicatũ. dicebãt hic in aula eſſe qui haberẽt: ſi nãciſci poſſum, dabo huic Hilario ad te. Coronello ſum locutus, & quidem plixè, ἵνα πλὼ ἐμὸν σύνδικον αὐτὸν ἔχῃς. Primũ recenſuit occupationes ſuas in Lutheranos. ideo dicebat ſe non potuiſſe reſcribere tuis literis, quas mihi oſtendit reſponſurum ſe antequã Brugis abeat. Vereri iudiciũ & cenſurã tuã, ppterea nõ poſſe expedire rationẽ aliquã reſponſionis. Verſari ſe in anguſtia & inopia rerũ ac uerborũ, ſed uerborũ potius. te ſi ita ſentit, ut mihi eſt locutus, et deierauit ſe ex animi ſentẽtia loqui, alterũ Hieronymũ aut Auguſtinũ putat, ſeq; ſtudioſiſſimũ tui nominis eſſe ait. admiratorem tuorũ monumentorũ, q̃ puriſſima eſſe & Chriſtianiſſima prædicat. depugnaturũ pro illis nõ ſecus ac pro Euãgelio Chriſti. Tũ ego: Qui ſunt igit̃ qui illũ ceu Lutheranũ inceſſũt: nulli, inquit, ſunt. nihil iã loquunt̃. ſunt ſtupidi, qui ita iudicãt. hæc cõfabulationis ſumma: diremit nos hora cœnæ. Libellũ Mirãdæ nõ habeat Bruxellę. dicũt eſſe, ſi poſſum alicũde, eũ tibi expiſcabor. Hodie uenit ad me famulus quidã Leodiẽſis Hiſpanus qui olim mihi miniſtrauit, narrauitq; Leodiẽſem tradidiſſe literas tuas domini cocuidã Italo. quẽ hic apud eũ Aleander reliquit, ac ſuſpicor eſſe Aleãdri propinquũ. hic dominicus ubi legiſſet literas, dixit ijs qui ederãt: Eraſmus excuſat, cũ nemo accuſet: & querit̃ de Aleandro, cũ hic honorifice ſemper de illo ſit locutus, ac literas ſcripſerit pont. beneuolentiæ in eũ pleniſs. Pratenſis hodie aut cras, pfecturus eſt in Britanniã legatus perpetuus: dixitq; mihi, Leodienſẽ oſtẽdiſſe ſibi tuas literas. eſſeq; ſollicitũ q; æger ſignificares te ſcripſiſſe. Cãcellariũ tibi impẽdio fauere dixerũt mihi homines etiã ex uulgo aulæ. has literas uides centonib. coagmẽtatas. Nam ut quicquid cognouerant, ita ſcribebã. ſed tu huiuſmodi mauis quib. certior de omnib. fias, quã accuratas illas, in quib. nihil ſit præter ciuilitates. tum apud me eſſet heri Hilarius uenit ad me Hiſpanus, de Leodienſi familia. narrauitq; ipſo Hilario audiente, nullũ hodie uiuere ſub cœlo hominẽ, cuius Leodienſ. ſit amãtior, q; tui. habere ſemper opera tua in manibus, lectitare ſedulò & admirari, ppugnare te, ſi quis calumnieť, nõ ſecus quã aras & focos. ſe crebro cœnis & prãdijs interfuiſſe, ubi excitata de te mẽtione, ita te tuũq; nomẽ & eruditionẽ aduerſus Italos quoſdam defendiſſet, ut facilè appareret, te illi eſſe q; chartiſſ. Hilarius tuus diligentiſs. fuit in requirẽdis reſpõſis ab ijs, ad quos ſcripſeras: ſed genius huius aulę eſt mirus dilator & procraſtinator. Auguſtinus meus aduentu amicorũ, aulicorũ depoſitus eſt tãtiſperè manib. ubi primũ hinc abierint, conuolabo Louaniũ, ibi quã citiſſimè addã exrremã manũ. deſunt em̃ quinq; libri tantũ. Nã Frobenius habet XVII. Cõmendo tibi Hilariũ hunc condiſcipulũ. Olim Pariſijs meũ, quẽ arbitror alioqui tibi eſſe commendatiſſimum. Vale Brugis XX Maij 1522.

VIVES ERASMO.

ABſolui tãdẽ Chriſto gratia 22. lib. de Ciuit. Dei, q̃rũ quinq; poſtremos qui reliqui erãt, per hũc iuuenẽ Colonienſ. mitto cũ epiſtola nũcupatoria ad regẽ Britãnię cũ pręfatione: et de ueterib. interpretib. poſtremo de Gothis: quę quatuor initio operis ponent̃. ſunt em̃ ceu pręmia quędã, In pręfatiõe ipſa paucula quædã attigimus de immenſa tuarũ laudũ materia, utinã tã eleganer & doctè, q; uerè q; ipſe ſentio magnificè, ea tu leges prius q; imprimant̃, & cẽſura tua omnia tẽperabis, addes & mutabis, quæ uidebunt̃, modo ne minora facies, q; diximus, alioqui nihil futura, tum ſi quid eſt erratũ nõ modo in Græcis & orthographia: ſed etiã uel in hiſtoria, uel fabula, uel philoſophia, uel theologia, uel dictione, tibi omnia trado emẽdãda, approbaturus nõ ſecus, q̃in hoc egeris ope

re,ac ſi feciſſem ipſe,et habiturus maximi beneficij loco,uidelicet quòd et me docueris, et mea reddideris meliora. Annotatiũculas nil dubito quin margínib. addiderint,ſecuti meũ exemplũ ex primis duob. aut trib. libris,uel etiã ſuũ,ut ſunt ea in re exercitatiores. Tum indicẽ colligere nõ erit difficile,de quo tibi iam alijs ſcripſi literis per Georgiũ. Significabis mihi quid me uelis de Coloniẽ ſi libro facere. quandoquidẽ iam mihi nõ eſt admodũ uſui futurus, niſi fortè aliàs ut rurſus acuratius hoc idẽ opus edat, uelim iterũ ab antiqua exẽplaria Auguſt. cõferre. uoluntatẽ de hoc tuã curabis mihi perſcribendã: De pecunia rẽ totã tui & Frobenij arbitrij facio. tu ipſe ſcis, ut nõ ſim eius auidus,& tñ uiuendũ eſt iniquiſſimis temporib. & in regione ubi ſumptus magni, & quæſtus nulli dũtaxat ingenio liberaliore digni. ſi quid miſerit,curet per certũ aliquẽ,et ſine dilatione mihi redenddũ. plura hic non loquar,ne ſuſpiceris me morẽ mutaſſe meũ,quẽ tu ſcriptis etiã editis teſtificatus es. ſed fac memineris etiã tui: ſcis quid mihi mutuaris,cũ hic eſſemus. Venio ad literas tuas, quas accepi nudius (ut puto) quartus aut quintus, datas abs te poſtridie Trinitatis,miſſas mihi ab Antuerpia. Nam tuũ iſtũ per quẽ iubes me opus mittere,nõ uidi,nec huc uenit. Petrus Aegidius ſcripſit Corrado illũ diuerſis itinerib. ac lentius rediturũ ad uos,quã rẽ nos in preſentia uitandã duximus. nec Carolus qui ſe perfecturũ dixerat,cũ adeſſet Georgius,ſatis certus eſt,cũ diſcedet. Itaq; hũc Ioannem Andernacũ cõduxit Corradus,et cũ eo trãſegit,quẽ admodũ credo te ex eius literis intellecturũ. Nã mihi nec quærere,nec eiuſmodi curare ociũ fuit occupatiſſimo in poſtremo opere ac præfationib. recognoſcẽdis adornandiſq;, deinde corpore nõnihil affecto. De Stunica nihil multis dieb. audiui. ſpero tibi non defutura ſtudia digna ſtudijs, ingenio, eruditione, ꝓbitate tua. Libellũ Carramæ miſi ad te per Georgium. ſed uideo iam tibi tranſmiſſum. Particulã turarũ literarũ oſtendã doctori Iodoco per occaſionẽ: quod feciſſem,etſi nõ monuiſſes. Iubes me literas neſcio quas Mauritio tradere. Ego uerò ut neq; iuuenẽ tuũ,ita nec literas uidi ullas tuas,prẽterquã ad me ſcriptas. non dubito quin Petrus Aegidius curarit,quod me iubebas. Mauritius abeſt in Britãnia. Habes hic binas à G. Thabeo,qui percupit ex te ſcire,an tibi ſint, quas ad te in Quadrageſima dedit, redditæ. Salutãt te Cranaueldius, Laurinus,et Feuinus noſtri, tui etiã, Vaulterus conſiliarius Flandriæ & Ruffaldus noſter,qui negocij tui nõ eſt immemor. etiã hodie ad patrẽ ea de re ſcripſit. Potes huic reuertẽti aliquot codices dare ex impreſſis,ſi ita uidebitur,ad me ut perferat. Saluebunt à nobis iſtic tui & eo nomine noſtri quoq;,ac inprimis Frobenius,cum tota familia. Vale Louanij XIIII Iulij 1522. à Moro accepi his dieb. binas,quib. ſignificat ſe optimè ualere,ſuperis gratia.

VIVES ERASMO.

IN maxima ſollicitudine ſum & ero, donec factus fuero certior,an ſit uobis redditum quod reliquũ erat libri. id miſi per iuuenẽ quendã Coloniẽſ. Corradi cõſilio XV die Iulij,quoniã de ꝓfectione aliud ſtatuerat Carolus, q̃ dixiſſet cũ hic erat Georgius, nihil ſupereſt mittendũ per Hilariũ,quẽ nondũ uidi. dicũt profectũ Antuerpiã,et rediturum breui. per eũ cogito hanc epiſtolã mittere,quã ſcribo nõ omnino cõfirmatus, aut ſanus, ſed paulo liberior dolore q̃ his dieb. fui. Nã ex quo Auguſtinũ perfeci,nũquã ualui ex ſententia. ꝓxima uerò hebdomade & hac,fracto corpore cuncto, & neruis uelut laſſitudine quadã & debilitate deiectis, in caput decẽ turres incũbere mihi uidẽt indicendo pondere,ac mole intolerabili. iſti ſunt fructus ſtudiorũ,& merces pulcherrimi laboris. quid labor et benefacta iuuãt? Quod de puerpera dicis,tã bellè in me cõgruit,ut quarto die poſtquã Auguſtinũ depoſui de manibus,nouũ librũ inſtituerim. adeò inquies,auis paſcit opere. ſed crede mihi totos duos aut tres menſes reparãdis ingenij uiribus uolo impendere,ut eæ per quietẽ & ceſſationẽ reuocentur,ſicut in noualib. Cupio uidere Carranzę quẽ in modũ reſpõderis? & alia q̃ diceris iſtic cõſcripſiſſe multa inprimis & magna. In Carranza planè erã falſus. nam impoſuerat mihi fucus epiſtolę,quã ſolã ex toto legeram opere. Literas tuas ad Morũ ac Cãturienſ. miſi hodie in Britanniã. breui accipiẽt. Nã eo nũc redeũt frequẽtes ex mercatu Antuerp. Gratulor tibi fauorẽ ampliſs. ordinis, ingeniũ et eruditionẽ tuã ita ꝓpẽſum,ſi modo uerũ eſt q̃d hic narrauit mihi quidã à Corrado auditũ, de annua penſione oblata tibi honeſtiſs. miror te inuidere gaudiũ hoc mihi amãtiſ. tui,ut eiuſmodi ad me ſolũ nõ ſcribas: ceu uerouel ipſe minus gauderẽ, q̃ alij. uel ſi tacẽdũ eſſet,nõ poſſẽ cõtinere, ſed utcũq; ſit,tuis omnib,incremẽtis,et felicitate meritis tuis

tis tuis digna lætabor, undecunq; resciam. ex te mallem, quò certior esset in certiore nuncio lætitia. pecunia egeo quidem, approbabitur tamen mihi quicquid tu & Frobenius statuetis. si quid mittitis, iubete quàm primum reddi. Si quid uis ad Vergarã scribere, mitte huc ad me. Proximo mense cogito in Britanniã transmittere: si quid mandas, scribe per N. cum redibit è mercatu Francfordiensi. simul te, oro per eundem mittas mihi literas aliquas ad amicos illic tuos cõmendatitias, saltem ut sciãt me amicum esse tuum, quo me pluris faciant. etsi nõ est consilium manere ibi supra tres menses, aut ad summũ quatuor: qua de re puto me tibi locutum esse Brugis. me tenet tantum scholarũ tedium, ut quiduis facturus sim citius quàm ad has redire sordes, & inter pueros uersari. Ruffaldus salutat te impensissime, qui dicit se breui cum patre cõgressurum, & à præsente impetraturum, ne tibi solutio hęc diutius differatur. ὦδε εἰρωνικὰ πάντα. mirum de rebus omnibus silentium. fauor bonorum in te ardentior, quàm unquam. πολλοὶ τῶν λεγόντων ἐσιώπησαν. καὶ οἱ λαλοῦντες θνατῷ σιωπήσαι μόρῳ. spero te uiuentẽ adhuc uisurum studia hominum in te, qualia meritis tuis debentur, & interfuturum tuæ posteritati. istis te debes temporibus seruare. Nam narrauit nobis te affligere ualetudinem tuam immodicis studijs. Hic omnes tui te impatienter iam desideramus: & precamur Deum, ut incolumẽ te nobis reddat. Hic apparamus bellũ maioribus animis quàm gerimus. atq; utinam utrũq; fieret minoribus. aliquot Hispanorum militum millia dicuntur in Britanniam applicuisse, ut admisceãtur ordinibus Britannis. multum de pontifice nouo speratur. Hactenus perfrixit. putant ferè ut incalescat hoc Cæsaris congressu, qui ad litus Cantabricum appulit XVI die Iulij. Vereor ne ille non tam se esse pont. Rom. meminerit, quàm ueteris huius iuris in se, ut pristinæ authoritatis pondere in sententiam huius trahat. quod si illi qui sit & non qui fuerit, in mentem ueniat, spes est magna pacis. sed hæc relinquamus fatis. De Graphæo & alijs rebus puto ad te scribi per Petrũ Aegidium, & alios qui sciũt. Nam ego domi semper abditus nihil audio: aut tam serò, ut citius sit istuc perlatũ, quàm ad me. His diebus uacationum Claua uenit Gandauo huc, tantum ut Græcum aliquem audiret. Vide studium senis, & nõ erubescimus iuuenes dormire. Vale etiam atq; etiam mi præceptor. Louanij die assumptionis Virginis, 1522.

VIVES ERASMO.

DE ratione ne fallatur Frobenius, res sic habet. Franciscus dederat antequam liber exiret XX aureos florenos. sub finem Ianuarij dedit sex. hanc summam ipse accepi, tum & tres libros. aiebat iussum esse à Frobenio dare mihi XXXII florenos aureos, sed ex his detraxisse octo, qui debebantur tibi. Quæ ille de me ac meo nomine ad uos scripsit, nihil me mouerunt. nemo magis est, si qua est fides, imperitiæ meæ conscius me ipso, nec minus dissimulator. idcirco leuiter angor gloriã non contingere, cũ nõ meruisse sciam. Ita uelim mihi propitiũ Christum, ut credo assecutum me nominis opinionem meritis maiorẽ, & tam immodicè fauere mihi famam sępenumero admiror. Itaq; quod ille dixit, non ægre fero, cum in hac parte felicius succedat, quàm optare me par est, incorruptius mea æstimantem. Quid, quod si maxima mihimet ipse de me persuasissem, & me optimos ac doctiss. libros scribere arbitrarer, non ignoro tamen peculiarem genij fauorem esse, à quo uita monumentis literarijs inspiratur: & fortunam esse, quæ rebus precium & æternitatem donet. nosq; consilia præstare, non euenta. ideo sapientis esse, postquã quæ in manu sua sita sunt, quàm possit industrie ac diligenter dispoſuerit, fortuitis æquabilem se præbere: siquidem aliud in uita præstandũ non est bono uiro, præter culpam. Hęc quidem me cõsolarent, si in uera eruditione ac sapientia obscurus essem: nunc aũt & clarior sum, quàm plerunq; uellem, ne meam à rebus omnib. inopiam tam multi spectarent, ac scirent: & imperitiam meam tantam esse uideo, ut illam profiteri prę pudore cogar, ut quod alij deprehensuri sunt, ipse minore culpa præ me ferã. Scripsi tamen primum ętatis calore impulsus, deinde quia tenet insanabile multos scribendi cacoethes. sed meũ sanabo, ut spero. nam simul ut primũ emisero librũ, quẽ his diebus ad Reginã Anglię cõposui, in longas me abdã ferias, & ociũ innoxiũ, tum q; hoc ad pinguẽ uitã beatãq; cõpendiosius, tũ ne me toties uoce, pdam mea, uelut sorex, & lacessam fortunæ atq; existimationis aleã: postremo, quòd, ut Appius consulebat, satius est cessare, q̃ nihil agere.

agere. Tum nemini faceſſam negocium ex iſtis qui nomina noſtra quæſtibus ſuis metiuntur,& cenſent. Et hæc quidem ut maximè,uerũ Frãciſcus ſcripſerit. Nam an ita ſit, tẽpus, ut ſpero, declarabit, & poteſt Frobenius ab Hilario ſciſcitari. de Auguſtino ſcio illum uendidiſſe plurima exemplaria, & ipſe noui qui emerint. qui uero de Londino audet tam impudenter mentiri? Vbi ipſe faſſus mihi eſt ſe paucis diebus ſupra triginta Auguſtini exemplaria diſtraxiſſe. certè Lupſetus negabat ſe in Anglia uidiſſe Auguſtinum ullum meum uenalem. in eadem Anglia ſupra quadringenta mea ſomnia affirmauit mihi uendidiſſe ſe. Forſan non uendibile putat nomẽ, quod confert cum tuo aut Budæi. quid? nuſquam ne eſt hic alius, quem ſocium ſibi Frobenius adiungat? O miſeram ingeniorum gloriam, ſi aliter conſtatura non eſt, niſi eiuſmodi nebulonibus libuerit. Ego uero & gloriæ iam nunc & ſtudijs omnibus renuncio, ſi hac neceſſariò eundum ſit. Pudet literariæ conditionis, ſi exiturus liber non ſit, niſi illiteratorum auaritiæ approbetur, ut Kemponum & Brechtorum & Torrentinorum plena ſint omnia, Ciceronem uix unus habeat. Nunquam deus immortalis tam inique cum ſtudijs egerit, ut aliter exerere ſe nequeant, niſi per N. quæſtum: quem ego puto in me eſſe inclementiorem, quod cum Antuerpiæ me aliquot dies latitãdo eluſiſſet, neſcio cuius pecunię, quæ de ratione ſupererat, gratia, dixi miniſtris illius, defeſſum eſſe iam me perferendis ipſius præſtigijs & eluſionibus, quibus me tam impudenter ludificaretur. Valeat gloria, ſi tantam importat ſeruitutem, ut unicũ uerbũ loqui libere non ſinat, cum ij qui gloriã non ſectantur, dicant quicquid libet. Vellẽ ſcripſiſſes an ſit Frobenius illa opuſcula impreſſurus: alioqui ſignifica per primas literas: mittemus aliò. Neq; uerò tã me immodice ipſe amo, ut cum dãno Frobenij uelim ex eius officina prodire quicquã meũ. nõ eſt ſic ille de me meritus: itaq; ne putet me ſibi iratum fore, ſi mea non ediderit, faciat quod maximè in rem ſuam eſſe credet. Sed nimio plura de nugis, & ad te. De titulo: ego uero ſexcentos commiſero in ſcribendo ſolœciſmos bene adultos, etiam Egmondano ridiculos, modo ne βασιλεὺς unum in dando: non tam miſere grãmaticos metuo. Romæ non dubito quin ſis omnia reperturus commota, & turbata, præſertim Rhodo capta. De Turca timent omnes, ne impetum conuertat in Siciliam & Italiam. De Budæi munere non tam lętum eſt, quàm de ualetudine eius triſte. ad illum his diebus ſcripſi. Quum hæc ſcripſiſſem, factus literis amicorum certior, opuſcula mea non eſſe à Frobenio excuſa, & N. dicere te authore reiectum à Frobenio librum, qua de re ſcripturum te mihi per famulum, quem paucis diebus huc mittes. & quanquam non magni tua refert, quid ipſe de hoc facto credam: tamen ſi qua eſt mihi apud te fides, uelim exiſtimes me illud non credere, non & ſi quis dixiſſet ſpectatiſſ. fidei, quanto minus à N. profectũ. tantũ adieci, ut ſcires N. nondum mutaſſe mores. Si dicam me non aliquantum doluiſſe, mentiar: ſed minus forſan quàm alij eiuſmodi rebus ſoleant. ex tuis literis aliqua erat ſpes. Nam ſcribebas Frobenium libentius mea impreſſurum, ſi N. acciperet ſocietatem, quaſi ſubſignificares impreſſurum. nunc intelligo, nec me, nec mea eſſe tanti, ut in tanta librorum uarietate locus ſit tam exiguo libro ullus, niſi ad primam præconis uocem uendatur. & ſi illum uendibiliorem feciſſet Frobenij officina, ut ſomniũ fecit, & in Germania tam lata tamq; diſerta ſtudioſis, in qua quid non diſtrahitur? Opuſcula quædam mea curauit iſtic Beatus edi, quorum ne unum quidem exemplar hic uidimus. Equidem falſum me opinione comperio. Nam qui ut me nõ in orcheſtra ſedere ſciebam, ſic ad quatuordecim aſcendiſſe iam uel arbitrabar, uel cupiebã, nunc in plebeijs de poſtremis me eſſe ſentio. O q; uerè cenſũ diſtinguũtur ordines, etiam huius ciuitatis. hem huccine reciderunt illa tam magnifica, Clariſſimus & undequaq; doctiſſ. Sed hæc quoq; uiderit fors. cum qua qui minimum habẽt negocij, hi demũ fœliciſs. ſunt. Ego nulla ratione ſubtrahere me potui Hiſpanico itineri, quod puto me cras aut perendie ingreſſurũ. quod uelit Chriſtus mihi proſpere ſuccedere. per Britanniã proficiſcar, & ibi & in patria amici in te hominis officium præſtabo. Chriſtum precor ut te ſeruet diutiſſime incolumem, & lætum. ubicunq; fuero, illinc te de meis rebus certiorẽ faciam. Vale mi præceptor, & memineris ſemper amicitiæ noſtræ: meq; Chriſto, cui tam gnauiter ſeruis, commenda. Beatum ſaluta mihi, & Frobenium. x. Maij. 1523. Brugis.

VIVES

VIVES ERASMO.

EX Britannia discessi mense Aprili tantum ad ducendam uxorem, iussus à principibus & Cardinale eò redire ad finem mensis Septembris. Quod faciam, ni necessitas aliqua & uis maior impediat, aut caussa maximè sontica. ita enim sunt homines illi de me meriti, ut iniquum sit me non obsecundare eorum uoluntati, quum illi multis in rebus indulgeant meæ. Ferijs eucharistiæ subieci ceruicem iugo muliebri, nondum mihi quidem graui, & quod cupiam adhuc excutere, sed euentum Deus uiderit. Hactenus nec mihi factum displicet, & ijs omnibus qui nos norunt, mirifice placet. ut aiunt, nihil hic esse multis annis actum tanta omnium approbatione. De illis hominibus in quos οἱ φίλοι σὲ ἐγκελεύουσι, malum deploratum: sed propemodum ἐν τούτοις χρόνοις ἀναγκαῖον, quib. pessum iere omnia. ἀλλὰ ταῦτα οὐρανόθεν. tu nisi agas quid minimè conuenit, nihil egeris: sin egeris, corrumpes, quod est in illo malum optimum. ô magnæ difficultates, in quas te nomen implicat tuum, ut non uidearis posse cum decore cessare, quin publicis rebus publica persona interponaris, nullo tanto temperamento, quin alterutros offendas, & forsitan utrosq;. fac memineris uersum Ennij de Maximo. Salutaris à Claymondo. & ferè illa academia nihil audiui multis diebus gratius, quàm opera tua nostris quoq; Hispanis esse cordi. spero fore, ut illis & similibus assuefacti, mansuescant. exuantq; barbaricas aliquot de uita opiniones, quibus acuta quidem ingenia, sed ignoratione humanitatis, sunt imbuta, quas alij alijs uelut per manus tradunt. Nunciatum erat nobis in Britannia, te in Burgundiã migrasse, ut uino illo puro ac generoso curareris à calculo. alij te in Britanniam uenturũ affirmabant: & audiui à quodam, fuisse te indubiè uenturum, si esses accersitus. quod utinam illic rescissem, ea te res nõ diutine fuisset remorata. uenisses gratus optatusq; Regi, Cardinali, & toti nobilitati. sed si id statuis, incipe simul aliquid καὶ ἐκεῖνον μελετᾷν, aliter nonnullis corrugabis frontes, quorum inprimis conuenit tibi esse exporrectas. sed non dubito quin hisce de rebus, ut prudentius potest, ita copiosius scripserit ad te Morus. me uerò mi pręceptor, scis paratissimum esse, si qua in re possum tibi esse usui, quanquam uires exiguæ, sed uoluntas ingens. Frobenium mihi salutabis, & Rhenanum. Vale etiam atq; etiam, mi domine. Brugis, XVI Iunij 1524.

VIVES ERASMO.

PAlęstritam te fecerunt isti, uolueris, nolueris. sed sic ἀντάγωνιστὴν uincis, ut spectatores cognoscant te ei parcere, quem potueris prosternere: & sic conueniebat, ne in se traherent uictoriam illi, quorũ plausus esset orbis gemitus. Regi est heri tuus liber redditus de Libero arbitrio. ex quo inter sacra legit pagellas aliquot, & ostendit sibi perplacere. ait se perlecturum. indicauit mihi locum, quo dicit se impense delectatum, quum deterres homines ab immodica perscrutatione adytorum diuinæ illius maiestatis. Regina etiam mirificè de hoc ipso te opusculo, etiam loco diligit: iussitq; hic tibi salutem suis uerbis adscribi: simul agi gratias, quod uir tantus & de tanto argumento loquuturus, ita te demiseris, & rem tractaris tanta modestia. Quid Rex cupiat te in Psalmos annotare, cognosces ex Montioio, cui Rex peculariter scribendum mandauit. simul significauit mihi, se expetere colloquium tecum: de quo nõ dubito quin egerit cum Moro, ut est apud eum multus et gratiosissimus. ex eius literis id intelliges. quàm feliciter agerent literæ, si hæc procella non incidisset. ô illum tuum nouũ colluctatorem imprudenter pręferuidum? dum uel ingenio, uel argutijs, uel nominis dulcedini indulget. dictu facilè quantum obfuerit optimæ caussæ, pro qua primum prodierat, ut non sibi solum fidem abrogarit, sed paratam obiecerit inuidiam ijs omnibus qui aliquid ausi sint mutire de dictis illis melioribus. Gaudeo te recognouisse epistolas Hieronymi. nam in illis erant quædam μνημονικὰ ἁμαρτήματα, quale in tua epistola ad me, Publium mimographũ, pro D. Laberio itidem mimographo. sed hæc quis etsi agnoscat, non ignoscat? in ista eruditione & tot elegãtissimis doctissimisq; ingenij monumentis. uerùm ego tua omnia sic uellem exacta, ut nullã reperiret ansam uel ipse momus. equidem cum te admoneo, sic ipse admoneri uideor, uel reprehendi potius, ut illi qui Catonem reprehenderunt. Linacer reliquit homines magno doctorum omnium mœrore, quibus omnibus benè cupiebat, & fauebat ex animo plusquam apud eum ualebat opinio ingenij & eruditio-

nis,quàm suspicio simultatum σωλῆς ὄπτιν πάντα. editur liber eius de Emendata constructione,in quo meminit tui honorifice,ut sentias eum non amasse modo, sed etiam reuerentem te. Franciscus Byrchmanus rogarat me,ut libellos meos recognoscerem, quos cuperet apud Frobenium imprimi. nunc scriptum est mihi, eum nescio quid caussificari, Frobenio non uacare. miseret me tui, cui toties fuerit cum eiusmodi homine negocium. λαθὼν ὁ δίμυθος γράφας mendacium in Colloquijs. quærendus mihi erit alius,ne toties cogar huic homini succensere ab eo falsus. Si Frobenius uult recipere mea imprimenda,libens ad eum mittã, modò ne admisceat se Franciscus negocio: sin secus,inuenies aliũ. etiam miror tam raros nunc prodire ueterum libros excusos in Germania. ista uel pro Luthero,uel in Lutherum excusserunt de pectoribus studiosorum omnem aliarum literarum curam. tanta est spectandæ pugnæ illius dulcedo. Vale mi domine. Londini, XIII Nouembris, 1524.

VIVES ERASMO.

EPistola hæc tãto erit breuior,quod nesciebamus an te in iter iam dedisses, ut rumor uulgarat: primùm te iam esse Coloniæ ante Calendas Septembris. Is resedit. excitatus est alter,ex literis tuis,ut ferunt,ortus,te hic adfuturum ad Calendas Octobris. quic quid statueris,precor tibi feliciter euenire. ad postremas tuas literas respondi, dedíq; epistolã Petro Aegidio. nil dubito quin sit reddita, duntaxat mercatu hoc Francfordiensi. opuscula Frobenius si non statuit imprimere,uelim remittat. Augustinum audio excudi. Velim certius id à te cognoscere. Idq; si ita sit,mittam ad Frobenium pauculas aliquot recognitiones meas in Commentaria Ciuitatis breues admodum,ut nec ternionẽ impleant. Britannos scito fecisse pacem cum Gallis. puto esse tempus hoc,si quod aliud commodissimum tibi ueteribus amicis reuisendis. ego illuc non cogito ante proximũ annum. Qui has ad te perferet, est Genuensis quidam negociator,tui multo obseruantissimus,& cupidissimus uidendi tui. Vtinã,quod commodo tuo fiat, breui te uideamus hic ualentem ac lætum. Vale XX. Septemb. Brugis 1525.

VIVES ERASMO.

DE Francisco nimis multa: non est ille tanti. à Frobenio iniquum esset postulare, quod foret ei damnosum. mea opera non distrahi,mirandum non est. quippe nõ solum carent genio,sed etiam ingenio,et peritia & nomine, deniq; ijs rebus omnibus quibus commendari libri solent, quęremus alium. cui minus doleamus nos imposuisse, q; Frobenio. excudendis monumentis tuis præclare de literis merito,mihi uerò præclarã ipse uideor famam consequutus,si quod in epistola tua scribis,ex animi sententia dicis, & non das meis auribus. nec aliam gloriam quęro,quàm tibi & tui similibus,si qui modo sunt,placere. quæ enim potest esse maior? aut quid magnificentius? unus Plato instar est mihi totius populi Athenientis (inquit poeta ille & musicus) mihi cane & musis. cuius iudicio uerius possint ætate hac accommodari illa,quàm tuo? Quocirca superuacanea est illa admonitio in extrema tua epistola. nos bene fortunantibus musis ac gratijs, amicitiam perenniter tueamur. nõ sum tam negligens,ut patiar elabi amicitiam usquedeo decoram mihi atq; honorificam. consertis eam manibus,sicut dicitur,retinebo. Nã de te nihil addubito. Ante quartũ diem Christo adiuuante dabo me in iter Britannicũ: illinc scribam ad te longius. nunc enim nihil est scriptione dignum. de pace puto isthuc esse iam perlatũ. hoc est,de quiete & uocatione ad flagitia,si qua erant per belli angustias excluta aut intermissa: utinam contingat pax à Christo animis nostris & ecclesiæ suæ, illa quam mundus dare non potest. Dissecta omnia tanquam factionibus,sed catastrophe approbanda Christo, et ab illo uno expectandus plausus. etiam γράφω ταῦτα ὡς ἀνήνδιωρ, & quod quis miretur magis,utrunq;. Salutat te multo officiosissimè Feuinus noster. Vale plurimum præceptor opt. XIIII die Februarij, 1526. Brugis.

VIVES ERASMO.

EGo ad te literas dedi ex Britannia benè longas multis de rebus, more meo. dolerem,si non crederem esse ad te perlatas. tuas iamprídem nullas accepimus. occupationibus id tuis adscribo. Nam tibi iter tuum rectà euntí de semitis λαῶν ὑλάκτησι. Itaq; cogeris paulisper deflectere,ut molestiam dimoueas,quæ iter remoratur. Possem referre tibi

re tibi præclara aliquot hominis illius facinora: Verùm malim non agi inter uos de uita, sed de sententia. reliqua κατὰ τὸ λοιπὸν ἐνδέχεται. Olim ad te destinaueram scribere, sed nescio, quemadmodum excidit, ut libros omnes tuos cures, dum uiuis, redactos in certos aliquot tomos excudi. non dubito, quin aliquid tibi tale in mentem multo antea uenerit, & hoc animo moliaris. sed eo facies celerius, cum intelliges alios quoq; impense cupere. multæ sunt tuorum operum editiones atque impressiones, si è uita discedas, ut tibi est, ac nobis omnibus discedendum, priusquam omnia collegeris, & quæ sit postrema iudicij tui mens declaraueris, qua & te profitearis stare, & alios uelis idem facere, quicunq; sunt tecum sensuri, magnopere timeo, ne magna sequatur operum tuorum confusio ac perturbatio, unde periculũ sit, ne pereat tibi tua gloria. sed hoc fortassis ad te leue: sed certè fructus quoq; studiorum tuorum, cum hærebit lector incertus, quid demum ipse uel probaris, uel improbaris. nam nunc qui editiones distinguunt, utcunq; sensum animi tui deprehendunt. posteri uerò quibus editiones separare non licebit, confundentibus omnia typographis, maxima monumentorum tuorum utilitate frustrabuntur. adde ijs, quæ ut alia aliò deferuntur, complura sunt abs te edita. quorum titulos ne audiuerũt quidem homines tui nominis perstudiosi, et qui plurimum se per opera tua profecisse sentiunt, ac præ se ferũt. inter quos sunt nõnulli, qui ex me quærunt quo fine existimem introductam abs te disputationem illam ἐγκυκλοπαιδείας, de uoto, & ui præceptorũ in opere tituli puerilis, & quod uidetur pueris scriptum rem tantam neutiquam intellecturis: respondeo quædam, quibus ut illis satisfaciam, nescio: mihi utiq; non satisfacio. nam alienissima uidetur mihi & loco & personis illis dissertio. ἵνα δοκεῖν μὴ τὸ πρέπον τηρηθῇ. Itaq; non uidetur fuisse faciendum. præsertim cum offensione multorum. συνίας τινῶν. sed nihil dubito, quin tibi facti tui pulcherrimè cõstet ratio, quam non grauaberis primis litteris, quas ad me dabis, uno aut altero uerbo subijcere ad eximendum & meum & meorum amicorum scrupulum. Curtius uenit heri Louanio. narrat Vincentiũ tuum & Gotscalcum agere animam. Ecmõdano multa & dira esse: anginam comminatam, & comminari atrociora indies. itaque uereor ne non tollat. Tum & Latomum Cameraci uiuere, quanta ruina Academiæ, prostratis tot & talibus columnis? Rhenano & Frobenio tuo multam ex me S. simul & Cantiunculæ, si ibi adsit. Saluebis à Laurino. Cura ualetudinem tuam, mi præceptor, & nos ama. 6. Augusti. Brugis 1526.

VIVES ERASMO.

EXpectanti mihi abs te quotidie literarum aliquid, seculum penè præterijt: & multæ ad te scribendi occasiones è manibus elapsæ, dum aliquid semper puto receptu rum me, cui respondeam. nam bis aut ter scripseram, & de tuo silentio suspicari cogor, uel non esse tibi litteras redditas, uel occupatissimum te fuisse. siue hoc ipsum in caussa fuit, cur non scripseris, siue quid aliud. ego uerò æquí ac boni facio, modo et rectè ualeris, & nostri non omnino obliuiscare. idq; satis mihi est recordatione tua consignatum esse tuo in pectore. ut id uerò literis quoq; ac uelut syngrapha testificere, nihil laboro. Quid istuc de rebus tuis adferatur Lutetia, nescio. Nam Decanus ait se habere tuas literas, quibus conquereris περὶ τῶν ἐκεῖ πραγμάτων. atqui nobis quotquot illinc ueniunt scholastici, mirificum fauorem nunciant omnium erga te, & eorum qui infensissime erãt odisse soliti. in Hispania enchiridion tuum cœpit loqui nostrati lingua, & quidem secundo populo, qui solebat esse in potestate τῶν ἀδελφῶν. Idem cogitant facere de Paraphrasibus. Vehementer mirantur quidam uel huc nõ redire te, uel certè in Galliam proficisci. ἵνα ὅλιον βιῶν διατελῇς οἶδα, τινὸς οὕνεκα ταῦτά μοι λέγουσι. Vellem cõsuleres quieti tuæ senectutis. Nam istius temporis, quod ætati tuæ restat, magnus erit pietati ac literis usus, te libenti ac læto: exiguus, commoto & conturbato. Amabo mi præceptor, si quid uidisti eorum operum, quæ te absente edidi, perscribe ad me sententiam tuam, imo uerò magistri & patris reprehensoriam admonitionem. nam nihil est quo me magis sentiam proficere, duntaxat cum reprehensio uenit à prudenti amico: nec imprudentis quidem aut inimici nocet. Vtinam propius adesses, & cõsulere liceret te ὡσανεὶ χρησμῷ. in Britanniam propediem proficiscar, Christo secundo. si quid mandas, significa, & curabitur. & si ni-

hil pecularius scripseris, illa καθολικὰ quæ tu mandata cupis, non ignoro. dicta puta. Cura ualetudinem tuam, & nos ama. Saluebis officiosiss. ac reuerẽdiss. à Laurino & Feuyno tuis. Vade Brugis, XVIII Martij, 1517.

VIVES ERASMO.

ALiquando tandem literarum aliquid abs te: quæ ut expectatissimæ ac desideratissimæ, sic etiã gratissimæ fuerunt: & hoc pratiores multo, q̃ admonitio illa, imò uerius scribendi institutio, geminam mihi ob oculos personã posuerit, præceptoris eruditione, patris affectu. De Colloquijs rectè habet mihi plane iam pridem satisfactũ abunde est, uel ipso facto tuo, quòd mihi & alijs plurimis maioris erit momenti ac roboris, q̃ multæ aliorum & accuratę rationes. Illudq; à primo ualere apud me debere existimaui, quod Pompeio scribit M. Tullius: Nec si ego quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo te nihil nisi summa ratione fecisse. ἀλλὰ τί μοι καὶ λατόμῳ, aut quorsum de illo? Liberum arbitrium non perdidimus, quod tu asserueris. non facile credas, quantopere sentio adiuuari me admonitionibus tuis, quantamq; de eis ipsis tibi gratiam habeam. & etiam atq; etiam te rogo, ut ita pergas facere, cum quid aliud meum uideris. nihil ego beatius esse censeo, siue in hoc scriptionum genere, siue in reliqua uniuersa uita, quàm admonitorem aliquem habere amicum & prudentem. utinam esses frequẽtior. Sed ut consilij mei rationes & caussas cognoscas, scito fessum me ab Augustino uenisse ad opus illud conscribendũ, cum omnino statuissem aliquid Reginæ mittere. itaq; non uacauit stylum expolire, si modò expolire potuissem, quantũlibet essem conatus. Tum rationem habui quibus scribebam, nempe fœminis, & potissimum cui dicabã: ita enim demisi me, ut illa me intelligeret, cui opus concinnabam. & cui me studebam approbari. Sed uerè illud dicit Horatius ac scite, Tres mihi cõuiuę. ita nulla est phrasis nec bona adeo, quæ non alicui displiceat: nec mala, quæ non placeat. permulti ita censuerunt, probare se uehementer in eo opere simplicitatem dictionis, & inaffectationem: nam sic loquebantur. uerum ego, neq; enim aliter fas est, malim me Erasmo approbari ut athletam Herculis, q̃ uniuerso consessui spectantium. Itaq; parebo posthac consilio tuo. mitto ad te libellũ quendam meum, in quo insunt nonnulla magis aliquanto à cura scripta: & de hoc sententiam ad me tuam perscribes, cum uacabit, cum licebit. oportet me semel uerecundiæ terminos transgressum, bene ac gnauiter esse impudentem. fœminas ais à me durius tractatas. hoc tu dicis, homo qui nobis Hieronymum restitituerís? quid muliere effrenius? Si paulum modo habenas remittas, ibi uerò nullus erit modus aut moderatio. Sed patrocinabitur eadem oratione Cato & mihi, & legi Oppiæ. Neq; uerò illa sunt mihi uel exempli caussa, uel rei augendæ dicta. Sed quod eum ad modũ existimem illis uiuendum: & indubie facient, si duarum rerum meminerint, Christianas esse se, ac eundem hominem unamquanq; ipsarum, & suum maritum esse. de scabie quanto Hieronymus plura, & apertiora? si modo qua de scabie loquaris, intelligo. nam non satis assequor, uti nec illud περὶ ἀμφιβίου ζώου. meorum libenter facio mentionem. quotusquisq; nõ facit? An non Seneca? non Quintilianus? nõ Cęcilius? Tacitus etiam soceri uitæ iustum uolumen dicauit. Ter omnino, ut arbitror, meorum memini, bis matris, semel socrus. Sed nec socrũ dico esse, neque tum adhuc erat. in hac ueritate sum adductus. & mea sententia digna historia, non minus quàm permultæ, quæ ab alijs memoriæ sunt traditæ. in matre excusat pietas: & id feci modicè, ueritus inuidiam. & non ignarus hominum fere ingenia libentius maledicẽtiam audire, quàm laudes. cõmunionem illã cum Cicerone risi suauiter. protinus uenit mihi in mentem illa quoq; apud Martialẽ, Quod scribo carmen Musis & Apolline nullo. Itaq; habeo duas Hactenus ad tuã epistolã. iam de actis Hispaniæ in rebus tuis. misi ad te nuper, quę mihi erant illinc ab Alphõso Viruesio scripta: credo esse tibi reddita. nam data fuerũt Erasmo Esqueto, qui solet ad te alia, sicuti audio, permulta transmittere: quæ si non accepisti, longa esset retexenda fabula. Sũma tamẽ hæc erat, delatum esse nomen tuum à mendicantib. ad summum Quæstorem, Archiepiscopum Hispalensem itum esse in consilium & disquisitionẽ in Quadragesima. ibi nihil esse aliud actum, q̃ audita contra te fratrum crimina: pro te uero orationes duorũ Benedictinorũ, & fratris Dionysij Augustiniani, & mediam quandã Castelli cuiusdã Minoritæ.

noritæ. Itaque ampliatum esse te in diem postridie Ascensionis Domini. huic consilio erant designati ex uniuersa Hispania selecti doctiss. quisq;, & minimum corruptus affectu. inter eos, Viuesius homo γνησίως φρονῶν. puto Coronellū, Lermā, Dionysium non defuturos studiosiss. tui, hoc est ueræ pietatis, atq; eruditionis. Aderunt etiam Episcopi, quos eò mittet Cæsar. Hæc tibi fusissime exposui. Postea accepi literas à Vergara, Scepero, & Viuesio. quæ in illorum literis ad te pertinent, ea curaui tibi in hac epistola describi. Sceperus hęc: Hic magno animo monachi bellum aduersus Erasmum suscepere. Id moliuntur, in id uigilant, ut omniū Erasmi librorum lectio Hispanis interdicatur. Obstamus interea studiosi aliquot, qui Cancellarium precibus fatigamus ut doctiss. & optimi uiri patrocinium suscipiat. & facit id sane, sed aliorū id munus est. Præest inquisitioni (ita uocant) Reuerendiss. D. Hispalens. uir sane bonus, & qui horum impetū aliquandiu compressit, sed satisfacere omnib. nequit, & mira est illorū rabies. Iam aliquot diebus publicè quoq; legi in cœnobijs desitum est, ut in Erasmū singuli quid excuderent. prolati sunt aliquot articuli, quos illi hęreticos et schismaticos uocant. Tuetur Ludouicus Coronel. adest Canarien. Episcopus, & alij aliquot. Nos interea dolemus, opē quod ferre afflictis rebus minime queamus. Nam confestim magnum audentibus periculum immineret. Sed quid ego hoc apud te hominem Hispanum, qui hanc tyrannidē satis cognitam habes? Nolo ergo ad te longior esse. nam abunde tibi omnia narrabit D. Ludouicus Pratensis. Vergara uerò est recētior, nempè ex ante diem pridie Idus April. cum Sceperi literæ datæ sint mense Februario. Is ergo ad hunc modum: In Erasmum conspirarunt nuper monachi nostri: non omnes quidem, sed plerique. Quo enim quisq; istorum ordo longius abest à mēdicitate, hoc minus illi est iniquus. Res ad magistratus relata est, atq; hactenus quidem summo cum Erasmi fauore procedit. princeps meus hominem sibi penitus tuendum suscepit. Fauet illi etiam Cæsar apertissime. Fauent magistratus ipsi, fauent denique boni omnes. Aduersarij quoniam uident nihil sibi hac contentione, nisi commune odium quæri, paulatim iam frigere incipiunt, libenterque quantum existimo quod cum bona omnium pace fieri liceret, factum mutarent. Viuesius inclusit fasciculo meo hasce omnes literas, quas ad te transmittam, ut intelligas non eum esse, qui tibi in suspicionem uenire debeat, tanquam non satis bona fide tibi faueat, aut caussā tuā præuaricabundus suscepérit, de quo narrant mihi omnes qui ex Hispania ueniunt arrocissimas simultates susceptas illi esse cum fratribus tua caussa: nec ullum simplicius aut syncerius: doctrinam tuam uel amplecti, uel tueri. & est alioqui concionator, uti aiunt, primi nominis, mira grauitate morum, & uita inculpatissima, homo dignissimus. quem propius cognoscere & amare uelis, & referre, sicut amicus noster solet dicere, in calendarium amicorum tuorum, illorum inquam selectissimorum, ac præcipuæ notę: et quidem loco honestissimo. adducitur aduenerationem tui & ad te defendendum ornandum'que, quantum pro uirili potest, non alia utilitate aut ratione, quam quod doctrinam tuam censet deriuatam ex uero ac puro fonte Christianæ petatis. noli, quæso te, spernere tales patronos optimæ illius caussæ, quam suscepisti. Recentissimæ sunt Aluari literæ negociatoris illius, qui tibi pensiones tuas ex Anglia solebat mittere. is nunc duxit uxorem Burgis Hispaniæ. scribit pronunciatum iri ante quindecim dies, ut est hominū opinio ac spes, p te λιχὶ λιχτὰ τῶν ἀδελφῶν & eos qui doctrinę tuę fauent postulasse à quæsitore, ut in Thomæ ac Scoti opera inquiratur: uelle se horum placita ad examen reuocare, sit ne aliquid contrarium uel mysticis literis, uel ueteribus nostrę religionis scriptoribus. postulant de eo sibi ius dici, & ut hæresin damnari. quæ hac de re accipiam ab alijs certius, atque explicatius, faciam te certiorem. Simul misit mihi Aluarus Hispanam epistolam Viuesij ad Minoritam quendam magnę in Hispania autoritatis ac nominis. ea epistola circunfertur per Hispaniam, & legitur cum maxima omnium approbatione. est elegantissimè scripta nostra lingua. eam ego in latinam conuerti, tantum intelligi ut abs te possit. Vale plurimum mi præceptor & pater. Brugis festo Margaretæ.

1527.

IN Seneca quæ habeo, alia ex uetuſtis ſunt mihi codicibus annotata, alia iudicio meo ex eo ſenſu, quem mihi uidebar partim ex uerbis, partim ex propoſiti argumenti ratione colligere. Sed qualiacunq; ſint, malo authorem illũ legi et cognoſci multo digniſſimum ex tua caſtigatione in ſtudiorum manus uenire, quàm ex mea. Neq; enim dubito, quin exiturus ſit dignus tuo nomine, modo ipſe uelis operi & præeſſe, & adeſſe: nec ulli alij fidas rem, in qua nonnulla exiſtimationis tuę pars uertitur, et magnus legentium fructus. Nam quomodo nunc eſt, nec Sibyllæ quidem ipſæ interpretentur, aut ὀναγροπόλος quiſpiam. Aldriſij nomen antequam epiſtolam hanc tuam legerem, omnino non audieram. apud Morum nullum uidi Senecam, qui uel ſtigma unum haberet correctum. Ciceronianum tuum deguſtaui uerius, quàm legi. Et ipſe ex Italia literas accepi ab homine non amico modo, uerum & nonnihil propinquo, qui me hortatur, ut duos totos annos nihil niſi Ciceronem legam, et eum æmuler in ſententijs, in uerbis, in figuris: ita futurũ, ut longe poſt me & alios permultos & Longolium relinquam. In quo niſi puerilitatem iſtam imitationis, quæ multorum ingenia uelut furor quidam inuaſit. Me nominatum abs te eſſe longe fuiſſet gratiſſimum. Sed ſenilis huius ἁμαρτήματος facilè tibi gratiã facio, etiam ſi me conſulto prætermiſiſſes, quandoquidem compertum habeo nihil abs te inimico animo eſſe factum. Nec mirandum eſt, te oblitum fuiſſe mei, quum occupatus eſſes tot colligendis ex omni ordine & claſſe, ut illud mihi in mentem ueniret, dum illa percurrerem, quod Ciceroni oratores recenſenti dixit Atticus: Quanquam non me tibi excidiſſe arbitrabar. Sed aliò referebam conſilij tui rationem. Budæum aut quenquam prorſus offenſum eſſe illo tuo dicto, qui quidem dialogorum artem non ignoret, uehementer miror. tametſi hæc diſcordia inter uos non eſt, ut puto, noua, ſed uetus, & poſt priorem illam reconciliationem uerbis & epiſtolis ultro ac citro inter uos exaſperata, compreſſa tamen tantiſper, nunc ſe per occaſionem profert alieno amiculo contecta. Ita Alecto hęc uel Ate res hominũ infeſtat, ut nihil publicũ, nihil priuatũ, quietũ relinquat. Inter Principes bella, inter literas diſſidia, in humanitate ipſa rabies. In religionis unitate diuerſitas, in charitate pietatis odiũ ac ſęuicia. Vtinã dignetur aliquando Chriſtus mitiore ſuo aſpectu tantis malis finẽ imponere, & turbatis hominũ rebus quietẽ ſerenitatẽq; adferre. Et tamen, ſi quos oportebat concordes eſſe, ij ſumus nos qui earũ artiũ ac diſciplinarum ſtudio tenemur, quæ plurimis ſunt inuiſæ ac oppugnatæ magna authoritate fretis & magna potentia. Hieronymum ſalutabis meis uerbis. Si nõ libenter ſcribit, nihil eſt quod ſe defatiget reſpondendo meis literis. Doleo mea opera officinę iſti fuiſſe uel damnoſa, uel parum quæſtuoſa. Poſthac dabitur à me opera, ut ne amplius ſim ei moleſtus: & ſi qua poſſim, non deſim eius utilitatibus. id quod libens recipio me pro uirili parte mea facturum. Quod uero illi ſcripſeram, in cauſa fuit Franciſcanus quidam, qui nuper Baſileæ fuit tui uidendi gratia. Is narrauit Hieronymũ Frobenium cupere mea ab ſe excudi. Sed nihil mirabor eum & mentiri, cum tam multi qui iſtinc ueniunt, mentiantur. Nam quod quæris quis ſit ille mendax? Eſt qui aliud hic nobis ait, aliud ut ipſe ſcribis, iſtic uobis. Sed amabo mi præceptor, poſthac nihil ego te iſtis de rebus, nec tu, ſi uidetur, ad me. Nam non uideris mihi, quoties in harum rerum mentionem incidis, ſine aliquo loqui ſtomacho. Nec tu me tantopere proferendi nominis cupidum exiſtimes. malim uni aut alteri in uirtute prodeſſe, quàm nomen abſq; aliorum utilitate per orbem quantus quantus eſt diffundere. Neq; enim ignoro, quàm iniqua res eſt hæc gloria, quæ merita non ſpecter, quàm inanis, quàm nihil habet ſolidi, quod prehendas, ut nõ diutius ea delecteris, quam dum plauſu & uocibus circumſonantibus extra te pulſus aliena audis, & uides, non es. nam ad te reuerſus nihil inuenis. Deinde quantum habet huic melliſ guttæ admiſtum fellis. Si non aliunde, certe ex te poſſem exemplum & documentum ſumere. Poſtremo cogitandum eſt nos peregrinari, ſeu potius ad obeundum uadimonium pergere, breui ad forum & iudicem peruenturos, quantoſcunque in uia flexus conemur facere. Ibi nec humana ignominia premet cauſam dicentem, nec ſubleuabit gloria tanquam teſtimoniũ uel laudatio prouinciæ. Sed quem dominus commendarit, is demum erit probatus. Neminem uideo tam peruſtum gloria, quem non hæ cogita-

tiones

tiones refrigerent. Itaq; rogo te mi præceptor, ne posthac de nomine aut gloria ad me scri pseris. Nam iuratus tibi cõfirmo me minus multo hisce nominib. moueri, quàm possis credere. Publicis commodis multum tribuo: hæc libentiss. adiuuem, si qua possim: & felices eos esse censeo, qui his profuerunt. ueriorem tibi gloriam laudemq; censeo contingere, quum aliquem legendis ingenij tui monimentis meliorem factum uideo, quàm quum illa omnia audis, Facundiss. Doctiss. maximũ. Iupiter & Iuno utinam aliquando litent nõ priscę illi Veneri, sed Christo uerticordio. Saluebit à me Rhenanus, & Cantiiuncula, si est Basileæ. Vale etiam atq; etiam, Brugis. Calend. Octobris, 1528.

VIVES ERASMO.

ANtuerpiæ quũ essem mẽse Iunio, ad te de recognitione Augustini mei scripsi, dedíq; eam epistolã ad te mittendã. Postea accepi tuas literas bene ueteres, datas ad me Friburgo, quo dicebas te Basilea migrasse: quod tibi optime uertat. utinã huc accederes propius, si modo id tibi nõ dissadent rationes rerum tuarũ. Augustinũ prope recognoui. ante mensem Octobrem tradam absolutum Francisco, qui confirmauit mihi satis me tempori daturum, uel si ad Calend. Nouembreis, si maturius aut literas tuas accepissem, aut N. de eo me admonuisset, iam pridẽ librũ haberet Frobenius. Archiepiscopus Toletanus grauissime ægrotauit, utpe haberetur in tota Hispania pro mortuo, & ita erat huc ad quosdam scriptũ: sed reualuit, & in administratione rerum Hispaniæ adiunctus est Augustę à Cæsare discedẽte. queis duob. additi sunt dux Albæ, & magister equitum nuper mortui filius: ita ut hi tres sint uelut admonitores & consultores. illa imperatrix, & rectrix omniũ. Quod memineris mei in præfatione Augustini, gratissimũ est, quia abs te profectum & facis pro amore nostro mutuo, alioqui non multum moror nec mentiones mei, nec famam nominis, quo nihil est uel inanius, uel amariore conditũ felle. etiamsi orbis totus tanquam in theatro me admiretur, mihi applaudat, non sentio me pilo meliorem factum, aut feliciorem, miseriorem sæpe, ac peiorem, cum tumultus ille abducit me ipsum à me: nec possum in me ipsum oculos meos & cogitationem reflectere intentam in plaudentes. Itaq; aliquando famam procul aspectam admirabor, sequebar nunc propius admotam, & propè contrectatam. intelligo rem esse uerissimã, uaniores qui captant, si qua hominum moribus prodesse queam, id demum solidum esse arbitror, & permansurum. hæc dixi, ne tu mihi toties famæ speciem tanquam illectamentum quoddã obijcias, cui scito me nihil omnino tribuere, nec ea magis moueri quàm aurula tenuissima magis mouebis me publicis utilitatibus ostendendis. de quibus feliciorem te iudico quàm de nomine & fama longe & late peruagata, quæ tibi merito quidem contigit. sed si illa duo seiungantur, mereri, & consequi, utiq; prius longe prętulero. Archiepiscopi munus exiguum est præ illius in te & amore & ueneratione ingenti: sed mittet aliquando plura quanquam sat scio te donorum fontes, nempe egregias erga te uoluntates pluris facere quàm ipsa dona. Credo audiuisse te Cęsarem soluisse Barcinnę cum classe instructissima, in qua sint triremes quadraginta, naues onerariæ septuaginta, celoces decem: his uehi præter comitatum aulicum & florem nobilis iuuentutis Hispaniæ socios nauales ad decem millia totius Hispanię lectissimos. Massilia scribunt uisam eam classem legentem oram Gallici maris quinto die mensis Augusti. sunt qui addant ad septimum diem eiusdem mensis tenuisse Genuam, atque ibi descendisse. sed hoc incertũ. D. Iesus seruet eum: atque eam largiatur illi et facultatem & uoluntatem, ut res Christiani orbis in meliorem statũ reponat. Vale etiam atque etiam. Brugis XXX Augusti 1529.

VIVES ERASMO.

COnuenit me hic Gãdaui Grynæus tuus, qui uisus est mihi & tua & optimi cuiusq; amicitia multo dignissimus, illa probitate oris, & pudore uirgineo, illo animo bonarum artium studiosissimo, magnisque progressibus in literis. Ei me quum pro more meo, tum iussu tuo, familiarirer præbui horam unam, & alteram, id est, quandiu uoluit. Amicis in Britannia meis cõmendare illum non potui, quod illinc reuertens modo me adijt. hæc exaraui tibi inter medios ludos celeberrimos, qui in comitatu Cæsaris fiunt, ideóque epistola hæc erit breuior quàm uellem. Ego ad te rarius solito do literas, quod nõ dubitem te & negotijs occupatum & ætate ac grauitate ualetudinis defessum minus

libenter ad exercitium hoc scribendi epistolas uenire. Sed nec amicitia nostra fulcimentis illis indiget quibus uulgares permultæ. Rogo te etiam atq; etiam, ut posthac quoties mihi scribes quemadmodum & corpore & animo sis affectus, paucis uerbis significes. nam existimo id pro amore nostro mutuo debere ad curam peculiarem meam pertinere. Vale Gandaui XII Iunij 1531.

VIVES ERASMO.

EPistola tua data ad me quinto die Ianuarij gratior mihi fuisset, si te rectius ualere nũciasset, sed tam affecta tua in ætate ista ualetudo non potuit mihi non molestissima esse ad audiendum. precor tibi sanitatem: aut si hoc non est Christo uisum, certè robur & animi & corporis, quo tolerabiliores fiant tibi cruciatus. Aestate superiore grauiter & periculose ægrotaui è colica. Podagra facta est mihi adeò familiaris, ut iam minus sit ex assuefactione grauis. eam puto me contraxisse è frigore potius, quàm ulla alia de caussa. Ista sunt suauia munuscula, quibus nos corpus hoc nostrum pro assiduo & sollicito sui ministerio remuneratur. Quod temperamentum, aut quæ circunspectio suffecerit: si literæ de aliquo scriptæ, ad eum ipsum mittantur? quod est planè, ut ait Cicero, tollere è uita uitæ communionem. Ego uerò te non arbitror in amicitia refrixisse, nec rarius te mihi scribere conqueror, quæ etiam querela in me recideret, qui nõ minus raras ad te dem literas & meis permultis epistolis tum ad te, tum ad amicos alios testatus sum, non æstimare me amicitias ex officio quodam leui scribendi, quod interdum diligentius præstãt qui minus diligunt, præsertim ubi nihil sit inter nos negocij, quod scriptionem desideret. Sed meum consilium fuit deterrere Caruajalum, ne posthac si quid aduersum te ederet, admisceret nomen meum: intelligens planè ex mea epistola id mihi gratum non futurum. Id uerò ne quis suspicetur parum conuenire inter nos, quod minimè deceret, siue ob amicitiam et familiaritatem aliquando nostram utriusq; monumentis testatam, siue ob communionem studiorum ne non assectatores credamur sapientiæ. ἀλλὰ λειράμενος Tempora habemus difficilia, in quibus nec loqui, nec tacere possumus absq; periculo. Capti sunt in Hispania Vergara, et frater eius Touar, tum alij quidam homines bene docti. In Britannia Episcopus Roffensis, & Londinensis, & Thomas Morus. Precor tibi senectam facilem. Brugis X Maij 1534.

IOANNES LVDOVICVS VIVES OPTIMO ATQVE ERVDITISSIMO iuueni Gilberto Cognato Nozereno, D. Erasmi Amanuensi.

EX binis tuis literis Cognate charis. quarum priores misit Leuinus Panagathus Antuerpia, posteriores attulit Quirinus Hagius ciuis, intelligere non potui, quod ualde cupiebam, essentne tibi redditę quas Londini ad Erasmum & te dederam. Satis suspicabar non esse quod nihil meminisses in tuis. De libris quos redidit Quirinus, habeo & ago tibi gratias immensas. Per ocium legam. De literis tuis faciam, quod me rogas: alias iam misi ad Carolum Mõtioium. Mi Cognate sępenumero sum te precatus ut ad nos uel hanc ob caussam scriberes frequentius de Erasmi præceptoris nostri ualetudine, rerumq; suarum statu, qui mihi nõ minus curæ est q̃ meus ipsius, uel crederemus famæ, uel ea commoueremur. Hoc in præsentia uehementius à te peto & oro. Nam mihi ex Antuerpia scriptum est, de salute sua, id quod uel cogitare abhorreo. Tametsi hæc & similia nos de illo audire, nouum non est. ideo minus mouemur, quod uelut occalluimus. Sed q̃ crebrius audimus, hoc nos magis terrẽt humani casus, et cõmunis mortalitatis reputatio. Goclenius me recreauit, qui nũciauit fuisse quidẽ sparsum in Brabantia aduersum rumorem de Erasmo, & malis modo iucundum, cæterum se habere compertum omnia esse apud uos rectè Quod equidem Christo habeo & ago gratias quàm maximas. Me hic cœlum istud uentosum, densum, humidum inclementer accipit, et uictus ratio multum diuersa à consuetudine mea. Cętera cedunt prosperrimè Deo gratia. Nam diligunt principes, ac fauent, idq; re ostendunt. Sed mihi certum est ad mensem Iunium in Flandriam redire, ut alijs tibi literis meis significaui. De te quid optem non ignoras sententiam & uotum animi mei, quicquid tamen statueris, Deum uelim tibi fortunare. Gratissimum mihi feceris si meo nomine dixeris salutem D. Erasmo communi

communi præceptori nostro, & Zasio, & Glareano. Vale etiam atque etiam. VI. Idus Mart. Oxoniæ.

IOANNES LODOVICVS VIVES DAMIANO Goesio suo.

QVod epistolę tuæ nondum responderim mi Damiane, non uoluntas in causa fuit quę est erga te, ut potuisti cognoscere, profectò summa, sed ualetudo aduersa mea, quę per ingentes dolores tum corporis, tum animi mei uires ualde afflixit: neq; nūc scriberem, nisi uererer ne quid tu de immutata mea erga te uoluntate secus suspicarere quàm res habet et ego uellem. cupio enim ut intelligas me in ratione ista amicitię paria tecum facere, & tantopere amantem, non mediocriter redamare. Munus istud regium opto tibi felicissime euenire, ut in eo diutissime & cum summa gratia, atq; animi tranquillitate uerseris. Quod te scripturum ex patria recipis, rem utiq; feceris mihi multo gratissimam. iter tibi prosperum precor. fac quæso ut per occasionem Regi tuo, atque adeo beneficio illius in me, meo quoque, salutem dicas meis uerbis reuerentissime atq; officiosissime: & gratias pro me agas de amplis. congiario, quo me superiore anno prosecutus est. quod eo rerum mearum articulo contigit, ut non potuerit non & maximum & multo iucundiss. uideri. Salutabis mihi D. Episcopum Veseuiensem. Hedioni non rescribam nunc propter meam ualetudinem, quin & multum deliberabo, quando, ac quemadmodum scribam, propter tempora & hominum suspiciones. Gratulor tibi profectum in literis. non possum mouere manum in scribendo. Vale.

Brugis 17 Iunij 1533.

IO. LVDOVICI VIVIS EPISTOlarum Finis.

ERRATA PER TYPOGRAPHICAE FAMILIAE INCVRIAM COMMISSA emendaturus, norit, ex duplici numero priorem signare paginam, posteriorem uero uersum.

Pag. 3 uers. 47 Alia accusatiuum 10.10. Cæsaris 43 superstitiose 15.46 execrare 19.26 radiculæ iussulentæ 34 feruefaciunt 25.6 Quomodo sunt uulgus, si nobiles? uidetur aliquid deesse 28.5 cursim 33.18 responsioni, 36. 47 utilitatem substantiæ 37.33 Reliqua 39.14 Fluuiatilē 38 multi barbati 40.16 columellari 17 finditur 43.41 Sic iudicant 45.9 adblandiendo 49 Hui quàm esset longum 47.16 transigerent? 48.17 nota esse 49.42 fœnee? 51.35 quot hic 52.24 in ignoratione 34 tristitia 52.48 arbitratui 53.31 sine nos 39 Physiognomon 54.16 agis libenter, 57.51 tum ad meam 59.15 transire ad nos amic. 61.21. aut dolere. 63.21 Admiscentur. 50 illū talem esse 64.4 cur petas 65.19 curæ. ex- 66.45 adductum. 67.24 sit. nihil 69.13 rectæ 32 nos. quæ 37 rectum sentire 70.34 Quæstorū 38. summo 73.38 tristia 79.11 cretam quandam 83.31 Marsilius Ficinus, ut oloribus gauia 87.5 Grachorū: inter 90.27 aliquid 91.10 infide 31 quo cum: alia 93.25 ἀναπαίειν 94.43 circa eos, expla- 95 ultimo ex structuræ concen 97.36 Explicationis sensorum 98.7 ut, Transtra per Italiam cōtra, Septem 43 ut pica: quædam 99.32 Alter 43 Dei est hoc: Pater 100.10 horror: transl- 48 extremo 101.38 Horatius, Modo 102.41 sunt: nec artis huius, sed singulis 104.40 figuræ ratione 43 usitatis, trans- 107.10 diligentia est adhibita 110.50 breuius 111.20 quosq; pro quousq; 114.11 quo ferè 116.17 pasci toties 117.1 in aduertentia 118.43 medico. Est 119.14 quæ & uim 120.1 Accedit 121.32 imo contrà: ama 124.42 ornant eum 34 at in eisdem 133.19 non inferendum 20 separatorum, quorum quodq; partem 38 suas, aut amicorum 134.12 ideo differantur 136.12 cis ὀνάργεια 137.1 incōniuentib. 29 cultu, naturæ & 138.52 uariæ 139.34 poßit. 142.2.3 ciuiū ora, M. Man. 12 esto 14 exitum 52 ille 143.14 euecti 148.20 Gallia 51 digna sunt. 149.10 mathematicæ: quædam 152.27 suis utiq; 153.32 modo utendum 154.31 habent 156.40 coniecturarū sunt relatæ. reliqua dele usq; ad sequentem lineam 171.7 nostrarum. Prodest id 53 cōmemoraui. occultius, 172.50 dilutæq; auto- 174.23 uidit 177.24 approbet 189.52 uixerit 190.1 uelit 340.10 ad suis 394.10 ad suis 394.11 moralibus 414.48 ægri 416.34 ipse 427.32 ipse 434.19 propius 437.31 ætatis 438.33 hominem, cuidam 468.31 somnum 493.26 uicinus 495.45 minori 571.37 horologio. Post folium in primo tom. 597. lege 598. 599. 648.32 imaginem.

SECVNDI TOMI.

38.27 bonorū 141.31 didicerint 151.45 iusti 161.13 sermonibus 161.38 mos 291.46. propitio 334.13 barbarismus 337.11 FINE 351.47 Huic 354.36 similiores 355.39 eo 379.43 loquitur 390.25 periculo 403.25 singulis 404.46 lachrymans 418.49 postea pro antea 428.9 reliquiæ 428.21 Nos 433.30 rex 50 ex 434.27 religiosus 436.29 ad 436.26 sibi 436.38 Trinitas 437.38 sensum 439.21 undiq; 443.10 non abundat 444.13 sculpserit 444.10 commenta 448.2 ars 475.12 stratis 476.21 morere 497.39 impetu 531.28 edoctos 539.18 nōnunquam 537.6 arediera 542.54 apros 543.30 uiuit 566.28 ferunt 587.42 Dormitauit 602.53 se 616.31 odor 623.3 magis 641.14 etsi 651.31 lubet 655.3 explicaremus 569.1 mulieris 676.15 laudandæ 676.18 nolentes 678.41 exanimes 680.16 secedere 680.27 malarū 692.43 censuris 698.7 uxoris 739.12 Ideoq; 775.20 dicunt 822.52 congruentius 845.5 uictoria 850 ult. Stoico.

BASILEAE, APVD IACOBVM PARCVM IMPENSIS EPIscopij Iunioris, Anno Salutis humanæ MDLV mense Augusto.




EPISCOP.

WIELANDO
D. D.
V.